ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI S. J.

S. R. E. CARDINALIS

IN PSALMOS

EXPLANATIO

Editio prima neapolitana iuxta Venetam anni MDCCXXI.

TOMUS QUINTUS

EMINENTISS. CARDINALI

XISTO RIARIO SFORZA

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

DICATA

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
B4145f
Alma, California

NEAPOLI
APUD JOSEPHUM GIULIANO EDITOREM
—
1860

25389

Property of
Clga
Please return to
Graduate Theological
Union Library

STABILIMENTO TIPOGRAFICO
Strada S. Sebastiano n. 51.

BEATISSIMO PATRI

AC DOMINO

PAULO QUINTO

PONTIFICI MAXIMO

ROBERTUS S. R. E. CARDINALIS BELLARMINUS

Cum primum ex Ordine Religioso ad Cardinalatum, imperio sanctae memoriae Clementis VIII. Pontificis Maximi, vocatus sum, mecum ipse cogitare coepi, studium contemplationis rerum sacrarum, ob auctas publicas occupationes non esse facile deserendum. Et cum ambigerem, quid potissimum ex corpore sanctarum Scripturarum mihi desumerem, in quo meditando et explanando laborarem; obtulit se liber psalmorum, quem Ecclesiastici omnes quotidie legunt, et pauci admodum intelligunt. Neque terruit me multitudo eorum, cui in psalmis elucidandis egregie desudarunt; quoniam tanta est psalmorum obscuritas, ut nullus labor in iis explanandis supervacaneus videri possit. Quare horas illas, quibus a publica functione vacabam, ac praesertim nocturnae quietis tempora in meditatione Davidicorum hymnorum non sine animi voluptate, et utilitate consumpsi. Et quamvis toto triennio quo Capuae Archiepiscopus fui, et Romae postea in scribendis variis opusculis occupatus, integris saepe mensibus opus inchoatum intermiserim: tandem tamen hoc anno psalmorum explanationem ad exitum, Domino adjuvante, perduxi. Propositum vero meum non fuit, omnes aliorum explicationes, praesertim recentiorum, considerare, vel libros eorum evolvere, multo etiam minus aliorum scripta in commentarios meos transferre; sed brevitati, et perspicuitati studere vulgatam latinam editionem pro viribus defendere, et spirituali mentis refectioni, ac piae devotioni consulere. Inde factum est, ut omnes psalmi satis dilucide, nisi fallor, explicati, sed non omnes aeque fuse tractati a nobis sint: et fortasse non deerunt, quibus aliquid valde breviter, et jejune, ut nonnulli ex primis; alii multo plenius, et uberius; pauci vero nimis copiose expositi videbuntur. Sed non eadem semper adfuit spiritualis devotio, non eadem semper mentis alacritas, et psalmorum ego tractationem magis propria meditatione, quam multa librorum lectione composui. Id quicquid sit, Sanctitati tuae (Pater Beatissime) offerendum censui, tum ut Tibi, qui Pater, et Dominus meus es, constet ratio temporis a me consumpti, non solum in publicis, et notis functionibus sed etiam in privatis, et secretis occupationibus; tum ut si quid forte errati in hac mea postrema, ut arbitror, scriptione irrepserit; Tu qui judex, Christi loco, toti Ecclesiae praesides benigne corrigas. Ego vero Deum precabor, ut det Sanctitati tuae diu vivere feliciter in terris, et felicissime semper in coelis.

PRAEFATIO

Antequam ad explicationem singulorum psalmorum veniamus, pauca quaedam explicanda esse videntur. Primo de excellentia psalmorum. Secundo de vocibus psalmi, et psalterii. Tertio de divisione, et ordine psalmorum. Quarto de Auctore. Ac excellentia quidem potest intelligi tum ex materia, tum ex forma et genere scriptionis. Est enim liber psalmorum quasi compendium, et summa totius veteris instrumenti quidquid enim Moyses vel in historia tradidit, vel in lege praecepit, et quidquid Prophetae caeteri vel exhortando ad virtutes, vel praedicendo futura scripserunt, id totum in psalmis David brevissime comprehendit. Nam in psalmo 8. 77. 103. 104. 134. et aliis, creationem mundi, res gestas Patriarcharum, captivitatem Aegyptiacam, plagas Aegypti, peregrinationem populi in deserto, ingressum in terram promissionis, et alia id genus luculenter exponit in psalm. 118. legem divinitus traditam miris laudibus effert, atque ad eam custodiendam omnes inflammat. In Psal. 2. 15. 21. 44. 68. 71. et aliis Christi regnum, ortum, praedicationem, miracula, passionem, resurrectionem, ascensionem, Ecclesiae propagationem ita manifeste praedicit, ut Evangelista potius quam Propheta fuisse videatur. Denique in psalm. 1. et sequentibus fere omnibus, hortatur ad virtutes, retrahit a vitiis, invitat, allicit, minatur, terret; atque haec omnia non simplici narratione complectitur, sed vario carminum genere, phrasibus poeticis, et metaphoris plurimis, et admirabilibus, denique novo quodam genere dicendi ita rapit animos in amorem et laudem Dei, ut nihil dulcius, nihil salutarius cani, audirive possit. Itaque recte s. Basilius scribit in explicatione primi psalmi, Davidis psalmos etiam ex corde lapideo lachrymas elicere: recte etiam s. Joan. Chrysostomus in explicatione psalmi 137. affirmat, eos qui psalmos rite canunt, cum Angelis choreas ducere, et quasi cum eis de Dei laudibus, et amore contendere.

Venio ad voces *psalmi*, et *psalterii*. *Psalterium* apud nostros librum psalmorum significat: sic enim s. Augustinus hanc vocem accepit in epist. 140, ad Audacem, cum ait, *Psalterium, a s. Hier. translatum ex hebraeo non habeo*: sic etiam s. Hier. in epist. ad Sophronium de ordine et titulis psalmorum, *Scio*, inquit, *quosdam putare psalterium in 5. libros esse divisum*. Sed in Scripturis sanctis *psalterium* est instrumentum musicum decem chordis instructum, quod Hebraice dicitur נבל *nebel*. Tradunt autem s. Basilius in explicatione primi psalmi, et s. August. in explicatione psalmi 32, psalterium hoc differre a cithara, et lyra; quod cithara, et lyra, reddunt sonum a parte inferiore; psalterium a parte superiore. Addit s. Hilar. in prologo psalmorum, psalterium fuisse instrumentum rectum, sine ulla obliquitate. De hoc instrumento frequentissima mentio est in sacris litteris, et de eo dicitur in ps. 32. *in psalterio decem chordarum psallam tibi*. Psalmus Hebraice, מזמור *mizmor*, significat *cantum* sive *sonum*: deducitur enim a verbo, זמר *zamar*, quod et *canere* et *citharam*, sive *psalterium pulsare*, significat: eodem prorsus modo, quo verbum ψαλλω apud Graecos. De significatione psallendi manibus, videlicet pulsando instrumentum, habemus illud 1. Reg. 16. *Quaerent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras*. Atque hoc idem habetur cap. 17. 18. et alibi. De significatione psallendi voce, videlicet canendo, habemus illud in psal. 32. *Bene psallite ei in vociferatione*; et apud Apostolum 1. Cor. 14. *Psallam spiritu, psallam et mente*, idest, psallam spiritu oris, canendo voce corporali laudes Dei et psallam spiritu cordis, desiderando et amando gloriam ejusdem Dei. Hoc autem interest, sancto Hilario, ei sancto Joanne Chrysostomo auctoribus in prologo psalmorum, inter *psalmum*, et *canticum*, et *psalmum cantici*, et *canticum psalmi*, quod *psalmus* est sonus organi solius sine ulla voce hominis cantantis; *canticum*, est vox cantantis hominis absque organi modulatione: *psalmus cantici* dicitur, cum cantico praecinente psalmi sonus subsequitur; *canticum psalmi*, cum sonitu praeeunte, aemula vox canentis auditur. Porro psalmi Davidis non quemcumque cantum vel sonum designant; sed eum, quo vel Dei laudes, vel preces ad Deum, vel cohortatio ad virtutem; non autem inanes fabulae, vel lascivi amores, aut principum adulationes concinuntur. Hinc enim liber psalmorum inscribitur Hebraice, ספר תהילים *sepher thehillim*, id est, *liber hymnorum*, sive *laudum divinarum*: et post finem psal. 71. quem ultimum omnium David cecinit, legimus *defecerunt* תפלות *thephilloth David*, idest, *orationes Davidis*. Psalmi enim ut plurimum continent vel Dei laudes, vel orationes ad Deum, vel utrumque simul: quamvis etiam nonnulli sint, qui in cohortandis hominibus ad virtutem toti consummantur, ut primus, et secundus.

Jam vero quod attinet ad divisionem, et ordinem psalterii partiuntur Hebraei psalterium in libros quinq; s. Hieronymo teste, tum in prologo Galeato, tum in epistola ad Sophronium supra citata: ubicumque enim ad finem psalmi scribitur, *amen, amen*, ibi terminari librum existimant; scribitur autem, *amen, amen*, ad finem Psal. 40. 71. 88. et 105. quibus quatuor libris addunt quintum a 106. usque ad 150. Sed haec Hebraeorum traditio non est conformis Scripturis sanctis, et ideo ab eodem s. Hieronymo refutatur in epistola, quam supra notavimus ad Sophronium, et a s. Hilario in prologo psalmorum. Inscriptio enim psalterii tum in bibliis hebraicis, tum in editione septuaginta interpretum est, *liber hymnorum;* et Luc. 20. Dominus ipse

loquitur dicens, *Dixit David in libro psalmorum, dixit Dominus Domino meo;* et Actorum 1. loquitur s. Petrus, et ait, *Scriptum est enim in libro psalmorum, fiat commoratio eorum deserta*, etc. Porro psalmorum ordo non est accommodatus tempori, quo scripti sunt. Satis enim constat, psalmum 3. scriptum fuisse, quando David fugiebat persecutionem Absalonis filii sui, psalmum vero 50. multo antea fuisse scriptum; quando videlicet idem David reprehensus fuit a Nathan ob crimen adulterii et homicidii: psalmum autem 141. adhuc antea scriptum fuisse, quando nimirum idem David in spelunca ob metum Saulis regis delitescebat: psalmum quoque 143. scriptum fuisse longe antea, quando scilicet David cum Goliath gigante pugnavit: denique probabile est, ac fere certum, psalmum 71. esse omnium postremum ordine temporis, cum scriptus sit in Salomonem jam regnare incipientem, et post eum psalmum addatur, *Defecerunt laudes David filii Jesse:* et tamen videmus hunc psalmum non in ultimo loco, sed fere in medio constitutum. Cur ergo ita dispositi sint psalmi, ut eos nunc habemus, non est facile divinare. Non est tamen rejicienda illorum opinio, vel suspicio, qui volunt primos quinquaginta psalmos, quorum ultimus est *Miserere mei Deus*, pertinere ad poenitentes, sive incipientes: alteros quinquaginta, qui desinunt in psalmum, *Misericordiam, et judicium cantabo tibi Domine*, pertinere ad justos proficientes, postremos quinquaginta, quos concludit psalmus, *Laudate Dominum in sanctis ejus*, pertinere ad viros consummatos, atque perfectos, sive psalmos ita disposuerit Esdras, ut videtur sentire s. Athanas. in synopsi: sive septuaginta interpretes, ut s. Hilarius docet in prologo psalmorum.

Restat quaestio de auctore psalmorum. Duae sunt autem veterum Patrum sententiae; nam s. Athanasius in synopsi, s. Hilarius in prologo psalmorum, et s. Hieronymus in epistola ad Sophronium de ordine psalmorum, et in epistola ad Cyprianum de expositione psalmi 89. varios esse censent auctores psalmorum, eos videlicet omnes, qui nominantur in titulis, *Davidem*, *Mosem*, *Salomonem*, *Asaph*, *Idithun*, et alios. Contra vero s. Joan. Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, et Cassiodorus in praefatione commentariorum in psalmos, et s. August. lib. 17. de civit. Dei cap. 14, psalmorum omnium unum Davidem auctorem agnoscunt. Nobis tria sunt certa. Primum, auctorem primarium omnium psalmorum esse Spiritum sanctum: id enim testatur Apostolus Petrus Act. 1. et Apostolus Paulus ad Heb. 3. et ipse David 2. Reg. 23. dicit, *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam*, et in Ps. 44. *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis:* ergo sive David, sive Moses, sive quis alius psalmos condiderit, ipsi quidem quasi calami fuerunt, sed Spiritus sanctus fuit, qui per eos scripsit; quid vero necesse est laborare de calamo cum de scriptore constat? Secundo, certum mihi videtur, maximam partem psalmorum esse Davidis: nam in fine ps. 71. legimus, *defecerunt laudes David filii Jesse;* item lib. 2. Reg. cap. 29. dicitur, *David egregius psaltes Israel*: denique in 2. Paralip. cap. 5. dicitur, *cantores ordinatos fuisse, ut canerent psalmos quos fecit David*. Tertio, pro comperto mihi habere videor, eos psalmos, qui carent titulo, esse Davidis, ut etiam omnes illos, qui nomen *David* in titulo praeferunt, sive scriptum sit, *ipsius David*; sive, *ipsi David*: nam psalmus 2. caret titulo, et tamen Act. 4. Apostoli affirmant, eum psalmum a Davide fuisse compositum: et psalmus 94. caret titulo apud Hebraeos; et Apostolus Heb. 4. tribuit eum Davidi. Deinde psalmi, qui in Hebraeo codice carent titulo, in Graeco textu adscribuntur Davidi: proinde credibile est, excidisse titulos ex codice Hebraeo, qui in eo aderant, cum septuaginta interpretes scripturas hebraicas in graecum idioma transferrent. Denique regula Hebraeorum, qui dicunt, psalmum qui caret titulo esse illius auctoris, qui scripsit praecedentem, falsa esse convincitur: nam secundum eam regulam 1. et 2. psalmus nullius esset, cum uterque careat titulo: praeterea psalmus 89. adscribitur Mosi, et decem psalmi consequentes, qui titulo carent eidem Mosi adscribi deberent. At id fieri non potest cum in psalmo 98. mentio fiat Samuelis, qui satis longo tempore post obitum Mosis natus est. Vide plura de hac re in explicatione tituli psalmi octogesimi noni. Quod autem non soli illi psalmi Davidis sint, qui habent in titulo, *ipsius David*, sed etiam illi qui habent, *ipsi David*; probat s. Augustinus ex psalmo 109, qui habet τῷ Δαυιδ, *ipsi David*, et tamen Dominus Matt. 24. dicit, *Quomodo David vocat eum Dominum, dicens, dixit Dominus Domino meo*. Atque haec quidem de auctore psalmorum certa mihi esse videntur. De reliquis psalmis, qui titulum praeferunt. *Mosis*, aut *Salomonis*, aut *Asaph*, aut *Idithun*, aut *Ethan*, aut *filiorum Core*; probabilem censeo sententiam s. Athanasii, Hilarii, et Hieronymi, sed probabiliorem Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, et aliorum, qui eos secuti sunt. Cur autem sententiam posteriorem praeferendam putem, ratio est, quia est communior, et fuit etiam communior ante annos mille. Id enim testantur s. Augustinus lib. 17. de civitat. Dei cap. 14. et Theodoretus in praefatione psalmorum. Item quia satis constat, Asaph, Idithun, Ethan, et filios Core fuisse cantores potius quam prophetas; et psalmos illis tribui in titulo, quia dabantur illis ad canendum, non quod ipsi eos composuissent, quod ex eo intelligi potest, quod in eodem titulo aliquando ponitur nomen *David* et *Idithun*, sive alterius, ut videre est in titulo psalmi 38. 61. 64. 136. 137. et 138. Accedit postremo, quod Luc. 20. cum Dominus ait, *Dixit David in libro psalmorum*: visus est totum librum psalmorum Davidi tribuere.

PSALMUS PRIMUS

ARGUMENTUM

Primus psalmus titulo caret apud Hebraeos, nec desunt qui putent eum esse Esdrae, qui psalmos in ordinem digessit, sed communiter tribuitur Davidi ab Ambrosio,Hilario,Basilio,Augustino, et caeteris. Ipse etiam sanctus Hieronymus, qui alioqui multos facit auctores psalmorum, hunc primum psalmum Davidis esse dicit in epist. ad Paulinum *de studio Scripturarum*. Denique in textu graeco additus est titulus sive a Septuaginta, sive ab aliis, *David prophetae, et regis melos*. Aptissime autem ponitur hic psalmus in primo loco, quia de beatitudine tractat: beatitudo enim est fundamentum,et principium doctrinae moralis. Argumentum igitur psalmi est ostendere beatitudinem sive in spe,sive in re non contingere nisi hominibus justis,proinde justitiae dandam esse operam, ut ad beatitudinem perveniamus.

EXPLICATIO PSALMI PRIMI.

1. *Beatus vir,qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit.*

In primo, et secundo versiculo Propheta docet beatitudinem, quatenus in hac vita haberi potest, non consistere in alia re, quam in vera justitia. Quod ipsum docet Apostolus ad Rom. 14. *Non est Regnum Dei esca, et potus; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto.* Soli enim homines vere justi, sunt amici Dei, imo et filii, ac per hoc haeredes regni, et spe beati quod attinet ad perfectissimam foelicitatem, et hic interim solido gaudio, et pace, quae exuperat omnem sensum, perfruentes. Describit autem in primo versu hominem justum per negationem, in secundo per affirmationem, ac si breviter dixisset, illum esse justum, ac per hoc beatum,qui declinat a malo et facit bonum.

Illud autem hoc loco diligenter notandum, et memoriae commendandum est, consuetudinem Davidis, et aliorum prophetarum esse, ut idipsum bis repetant, ita ut una pars versiculi sit repetitio, vel explicatio alterius. Exempli gratia, Exod. 15. in Cant. Mosis: *Iste Deus meus, et glorificabo eum, Deus patris mei,et exaltabo eum.*Deuter.32. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Haec frequentissime occurrunt,cum sit haec repetitio genus ornamenti proprium sanctorum Prophetarum. Prima igitur pars primi versiculi hanc sententiam continet,beatum esse illum, qui non praevaricatur legem Dei. Sed poëtico more David hanc sententiam expressit per metaphoram viae, et ambulationis. *Beatus*, inquit, *vir, qui non abiit in consilio impiorum*, id est, ille beatus est, qui justus est;ille autem justus est,qui non abiit in consilio impiorum, id est, qui in via vitae non est sectatus consilia, leges, sententiam impiorum, quae sunt omnino contraria viae Dei, id est, legi Dei. Altera pars ejusdem versiculi idipsum explicat aliis verbis idem significantibus. Nam cum dicit, *et in via peccatorum non stetit*, non significat,et in via peccatorum non substitit, sed et in via peccatorum non ambulavit. Stare enim in via, hoc loco, non est quiescere, et non ambulare, sed est ambulando non recedere a via inchoata. Itaque idem est, non abire in consilio impiorum,et non stare in via peccatorum: utrumque enim significat illum esse justum, qui recedit a via, id est, lege, et consiliis peccatorum. Et quoniam lex Domini solvitur, non solum male vivendo, sed etiam male nocendo, juxta illud Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis,et docuerit sic homines,minimus vocabitur in Regno coelorum.* Ideo Propheta adjungit,*et in cathedra pestilentiae non sedit*,id est, ille est justus, ac per hoc beatus, qui neque operibus, neque doctrina legem Domini praevaricatur. Sedere enim in cathedra pestilentiae, est esse in consessu hominum pestilentium, sive assidere pestilentibus, et cum eis legem Domini despicere, quasi nihil conducat ad beate vivendum, id est, cum gaudio et laetitia, sed utilius sit carnis desideria perficere,sensibusque in omnibus indulgere. Vox sedentium in cathedra pestilentiae describitur Malachiae 3. illis verbis: *Vanus est,qui servit Deo,*

et quod emolumentum, quia custodivimus praecepta ejus? Quod ad verba attinet, pro voce *beatus*, in hebraeo habetur, אשרי *ascre*, quae vox habet formam numeri multitudinis, et ideo a nonnullis recentioribus vertitur *beatitudines viri* etc. Sed probabilius est vocem illam esse indeclinabilem, et significare, tum beatum, tum beatitudinem: nam non solum Septuaginta verterunt μακάριος ἀνὴρ, id est, *Beatus vir*: sed etiam s. Hieronymus vertit ex hebraeo, *Beatus vir*. Pro cathedra pestilentiae, in hebraeo habetur ad litteram, cathedra לצים *Lezim*, id est, derisorum, sed sensus est omnino idem. Nulla enim est pestilentia major, quam deridere legem Dei, et eos, qui juste, ac pie vivere student. Ad extremum notat s. Basilius, per id, quod dicitur, *beatus vir*, non excludi foeminas a beatitudine, sed includi, quoniam vir caput est mulieris, et in capite intelliguntur etiam membra.

2. *Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die, ac nocte.*

In hoc secundo versiculo describitur justus per affirmationem, et sunt hic etiam duae partes, quarum una est fere alterius repetitio. Recte autem dicitur is esse justus, sive beatus, cujus voluntas est in lege Domini, quoniam non requiritur ad justitiam hujus vitae, ut nulla in re offendamus, cum scriptum sit Jacob. 3. *In multis offendimus omnes*, sed satis est, si ita simus affecti erga legem Domini, ut cupiamus eam omnino perficere, et si forte labimur in aliquod peccatum, ut certe saepe labimur, id sit praeter voluntatem bonam, id est, praeter charitatem, quam habemus ad Deum, et ad legem ejus, non autem contra charitatem; proinde peccatum sit, non crimen, id est, veniale, non lethale. Idem aliis verbis habetur in alio psalmo: *Lex Dei ejus in corde ipsius*. Nam et voluntas, sive cor justi est in lege Dei, et lex Dei est in voluntate, sive corde justi. Lex est in corde, ut in sede, et cor in lege, ut in re armata, quae semper cogitatur, et appetitur. Atque hoc est, quod sequitur, *et in lege ejus meditabitur die, ac nocte*. Id enim est legem esse in voluntate, sive voluntatem in lege, perpetuo mentem exerceri in ea cogitanda et amanda, ut quidquid agendum sit, secundum eam regulam fiat. Itaque illud, *die ac nocte*, non significat, non posse hominem justum vacare, vel ad punctum temporis a contemplatione divinae legis, sed frequentissime debere animum ad legis praecepta revocare, ejusque memorem semper esse, dum aliquid cogitandum, dicendum, faciendum occurrit, in quo periculum sit, ne justitia violetur. Porro non solum latina vox *meditabitur*, sed etiam graeca, μελετήσει, et hebraica יהגה *ieghe*, referri possunt ad exercitium sive cogitationis, sive vocis, sive operis, psal. 34. *Lingua mea meditabitur justitiam tuam*, et psal. 36. *Os justi meditabitur justitiam*. Poeta quoque profanus dixit, *Meditabor arundine carmen*. Et exercitia militum, militares meditationes dicebantur. Itaque sensus est, *et in lege Domini meditabitur die ac nocte*, id est in lege Domini cogitanda, perficienda, docenda assidue exercebitur.

3. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

4. *Et folium ejus non defluet, et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur.*

Declaravit Propheta, quis sit dicendus vere justus: nunc declarat talem justum esse beatum, spe in hoc saeculo, re in futuro. Sumitur autem declaratio a similitudine arboris, quae plantata juxta rivos aquarum habet omnia, quae in arbore foelicissima requiri possunt. Nam aliquae arbores sola folia producunt, et ea non diu retinent, aliae alia producunt, et semper ritinent, sed fructus earum, vel nimis praecoces sunt, vel nimis serotini; aliae denique fructus edunt tempore suo, et foliis semper vestiuntur, sed non omnes fructus ad maturitatem perducunt; solae igitur illae arbores omni ex parte perfectissimae sunt, quae folia, fructusque producunt, et folia semper retinent, et omnes omnino fructus tempore suo maturos praestant. Tales arbores sunt pini, palmae, oleae, quibus Scriptura justos homines passim comparare solet. His igitur foelicissimis arboribus similes esse dicit justos hoc loco Propheta. Nam justi *fundati et radicati*, ut ait Apost. *in charitate*, propinqui sunt per amicitiam fonti vivo unde humorem gratiae semper trahunt; et opera bona tempore opportuno faciunt, et omnia eis cooperantur in bonum, et semper virent gloria et honore. Quamvis enim interdum a carnalibus despiciantur, tamen a sapientibus, et quod majus est ab Angelis, et ab ipso Deo honorantur. Et haec quidem in hoc saeculo; sed praeterea fructus faciunt in tempore suo, quia salutem veram operantur tempore congruo recipiendam, id est, post mortem, cum impii ante tempus in hac vita foelicitatem quaerant, et sic temporalem, et sempiternam amittant. Et folia semper retinent, quia accipient, juxta verbum Apostoli Petri 1. *Immarcescibilem gloriae coronam*; et, *in memoria aeterna erit justus*. Psal. 111. Et denique *quaecumque faciet, prosperabuntur*, quia opera omnia usque ad calicem aquae frigidae datum in nomine discipuli, plenam, ac perfectam mercedem accipient. Scio textum hebraicum in Bibliis modernis unum tantum versum ex his duobus facere, et priorem partem versus terminare ad illa verba, *et folium ejus non defluet*. Ex qua distinctione adducti nonnulli, verba illa, *et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur*, non exponunt de arbore vera, sed solum de homine justo. Sed nos sequimur lectionem hebraicam, quae est in operibus sancti Hieronymi, cui concordant codices Graeci et latini. Et certe secundum nostram lectionem similitudo ab arbore sumpta est multo pulchrior et plenior. Illud etiam observandum est hoc loco, verbum, *prosperabuntur*, in hebraeo esse, יצליח *Jazliach*, quod proprie significat, prosperare faciet. In quo notatur virtus activa arboris, quae concurrit ad maturandos omnes fructus, et pari ratione notatur in applicatione similitudinis virtus activa liberi arbitrii, quae concurrit cum gratia Dei

ad opera meritoria. Quod est adversus dogmata Lutheranorum.

5. *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terrae.*

Ex comparatione miseriae impiorum confirmat Propheta felicitatem justorum. Ne quis enim existimaret, illa bona communia esse omnibus, et ex causis naturalibus tantum provenire, et non praecipue ex providentia Dei, addit, *Non sic impii*, id est, non eamdem sortem, sed contrariam omnino recipient. Elegantissime vero Propheta describit miseriam impiorum, eamque opponit felicitati justorum. Justi ob humoris divini copiam virent, et fructum faciunt, nec unquam virorem suum, aut laborum fructum amittunt. Contra,impii divino illo humore destituti, aridi, et steriles instar levissimi pulveris a vento dispersi,ne vestigium quidem sui relinquunt; nec solum omnem gloriam, opes, et voluptates perdunt, sed etiam ipsi pereunt in aeternum. In textu hebraico non habetur illa repetitio, *non sic*, neque aliud, *a facie terrae*.Sed haec addita sunt a septuaginta Interpretibus explicandi, vel ornandi gratia. Vocabulum item pulveris non est עפר; *haphar*, quod proprie pulverem significat in genere , sed est, מוץ *mots*, quod significat *glumam*,id est,speciem pulveris ex tritura paleae, paleam videlicet minutissime contritam,et quasi in pulverem redactam, quae levissima est, ut eam modicus flatus procul abigere possit.

6. *Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.*

Recte in editione Sixti v. et Clementis VIII. positum est, *non resurgent*, cum in plerisque codicibus haberetur, *non resurgunt*. Nam ex hebraeo, graeco, chaldaeo, et emendationibus manuscriptis satis aperte colligitur, legendum esse, *non resurgent*. Illud autem, *in concilio justorum*, positum est ex hebraeo, nam in graeco, et manuscriptis latinis constanter legitur, *consilio*. Potuit quidem fieri, ut ex similitudine nominum, fuerit in latinis codicibus positum, consilium, pro concilio; sed potuit etiam fieri, ut in hebraicis codicibus irrepserit, עדה *hada*, pro עצה *haza*, id est, concilium pro consilium. Certe septuaginta Interpretes, qui eodem modo verterunt in primo versu,et in sexto, utrobique ponentes βελὴ, videntur eamdem vocem hebraicam in utroque loco legisse. Itaque utraque lectio probantia videtur, una ob auctoritatem vulgatae editionis, quae cum hebraeo concordat, altera ob auctoritatem septuaginta Interpretum, quorum vocabulum βελὴ ubique ipsa vulgata latina editione consilium non concilium vertitur. Declarat igitur hoc loco Propheta, discrimen justorum, et impiorum in novissimo judicio perspicue manifestandum. Nam hoc tempore saepe accidit, ut omnia confundantur. Ait igitur,*ideo non resurgent impii in judicio justorum*, Illud enim, *justorum*, ad utramque partem versiculi pertinet, sicut etiam illud *non resurgent*, non solum refertur ad illud, *in judicio*, sed etiam ad illud, *in concilio*, et idem fere est, *non resurgent impii in judicio justorum*, et non resurgent peccatores in concilio vel consilio justorum. Itaque cessat quaestio illa, quam nonnulli hoc loco pertractant, cur dixerit Propheta, *non resurgent impii in judicio*. Pulchre autem David conjunxit ultima primis: sicut enim dixerat in principio, justos non abiisse in concilio impiorum, et in consessu eorum non sedisse; ita nunc dicit, in die judicii impios non resurrecturos in judicio, et concilio justorum.Sensus igitur hic est, *ideo non resurgent impii in judicio justorum*, id est; longe aliud erit judicium justorum,quam impiorum.Quod explicatur sequentibus verbis, *neque peccatores in concilio justorum*, id est, cum resurgent impii, non erunt in consessu, et consortio justorum, sed judicati ad inferos in coetu damnatorum erunt. Quod si legimus, *in consilio justorum*, poterit consilium accipi pro loco concilii, et tunc in idem recideret cum voce concilio.Et quoniam illud *non resurgent*, ex hebraeo commode verti posset,non stabunt,sive non consistent; erit etiam hic sensus, in judicio,et coetu justorum, quando videlicet sancti cum Christo sedebunt judices mundi, tunc peccatores non stabunt, sed cadent.*Justi* autem *stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Sap. 5.

7. *Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit.*

Reddit rationem cur impii non sint in judicio accepturi justorum gloriam. Quoniam videlicet via justorum approbatur a Deo, qui falli non potest,ac per hoc via est recta et perducens ad civitatem Dei; via impiorum non approbatur a Deo: et qui per eam ambulant, frustra laborant, quia numquam pervenient. Illud *novit*, accipitur pro notitia approbationis; et cum dicitur, *Deus novit viam justorum*, nos certi reddimur, securos esse de vera felicitate, qui per eam viam incedunt.Illud autem, *iter impiorum peribit*, significat ambulationem impiorum frustra esse susceptam, quia per eam viam non pervenitur ad optatum locum.Itaque hoc loco, *iter*, non accipitur pro via materiali, in qua ambulatur, sed pro ipsa ambulatione, ut diximus. Per ambulationem autem intelligitur cursus totius vitae, studia, labores, contentiones,quae omnia nihil impiis proderunt. Hic psalmus potest accomodari omnibus sanctis, sed potissimum, et per antonomasiam Christo, qui praeter omnes homines, et angelos non praevaricatus est legem Dei, sed eam perfecte implevit factus obediens usque ad mortem. Et ideo tamquam lignum plantatum juxta rivos aquarum, habens animam conjunctam hypostatice fonti vivo, qui est Verbum Dei,fons Sapientiae in excelsis, gloria et honore coronatus est, et fructus mirabiles edidit, et ad maturitatem perduxit, omnes videlicet electos vocavit, justificavit, magnificavit.

PSALMUS II.

ARGUMENTUM

Hic psalmus caret titulo, sed Davidi tribuitur ab Apostolis Actor. 4. Nonnulli psalmum hunc non secundum, sed partem primi esse judicant, propterea quod in actis Apostolorum cap. 13. in quibusdam codicibus citetur hic psalmus sub nomine primi psalmi, sed codices plures, et meliores habent sicut in psalmo secundo scriptum est,et consonat editio graeca, τῷ δευτέρῳ. Est autem totus hic psalmus prophetia de Regno Christi manifestissima et explicata ab Apostolis Actor. 4. cap. 13. et ad Hebr. 1. et 5. ut omnino errare videantur, qui ad litteram de Davide hunc psalmum explicare nituntur.

EXPLICATIO PSALMI II.

1. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?*

David in spiritu praenoscens Messiam venturum et persecutiones multas adversus eum exorturas,et eum tamen felicissime regnaturum, incipit ab increpatione persecutorum; et sensus est, frustra Gentiles, et Hebraeos tum principes, tum populos infremuisse indignatione contra Messiam, et cogitavisse rationem impediendi Regni ejus.In hebraeo primum verbum est praeteriti temporis, secundum futuri: sed quia de re eadem est sermo, septuaginta Interpretes utrumque verbum reddiderunt per tempus praeteritum, et s. Hieronymus utrumque reddidit per tempus futurum. Et quidem sententia semper est vera;nam res ipsa in se futura erat,sed Prophetae quodammodo praeterita, cum eam cernerent quasi praeteritam.Tamen absolute lectio septuaginta Interpretum, et vulgatae editionis praeferenda est, tum quia in Actis Apostolicis cap. 4. legimus in praeterito, *fremuerunt, et meditati sunt*;tum quia ratio exigit,ut significatio primi verbi sit regula significationis *gentium*, cum dicitur, *quare fremuerunt gentes*, videntur intelligendi Gentiles. Nam sic intellexerunt Apostoli Act. 4. et vox hebraea גוֹיִם *Goim*,passim in scripturis accipitur pro Gentilibus, sive Ethnicis. Per populos autem, cum subditur,*et populi meditati sunt inania*, intelligendi sunt Hebraei, ut constat ex eodem cap. 4. Act. Verba quoque valde proprie tum Gentilibus, tum populis Hebraeorum accomodantur. Gentiles enim fremuisse dicuntur, quasi animantia rationis expertia; populi Judaici meditati esse inania, quia ipsi consilium inierunt, ut Jesum perderent.

2. *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus.*

Dixerat in genere, gentes, et populos indignatos fremuisse, et inania meditatos, nunc explicat in particulari quae sint illae gentes, et populi, et adversus quem indignati sint, ac dicit, fremitum non coepisse a plebe, sed a capitibus,id est, a regibus, et principibus. Primus enim qui infremuit fuit Herodes rex, ut habemus Matth. 2. qui quidem Herodes alienigena erat, ut inter gentes reputari potuerit. Eum sequuti sunt principes,et populi Judaeorum. Nam Herode turbato *turbata est omnis Hierosolyma cum illo.* Deinde tempore passionis Domini, iterum alius Herodes, Pontius Pilatus cum principibus, et populis Judaeorum in Christum insurrexerunt. Denique post Christi passionem, et resurrectionem semper persecutiones a regibus, sive imperatoribus inchoabantur, et a populis duces suos sequentibus fovebantur.Quamvis autem indignatio, et fremitus proprie contra Christum esset, non contra Deum, imo sub colore gloriae Dei, et quasi ex zelo divini honoris; tamen revera, qui Christum oppugnabant, Deum verum oppugnabant. Christus enim operibus divinis se veri Dei Filium ostendebat, et qui odit filium, sine dubio odit et patrem. Quod attinet ad verba, illud *astiterunt*, proprie in hebraeo significat, sese constituerunt, id est, quasi murum se statuerunt, ut resisterent venienti Messiae: illud autem,*convenerunt in unum*, in hebraeo proprie significat, consultaverunt, sive ad capiendum consilium convenerunt simul: quod in Evangelio Herodem,et principes Judeorum contra Christum fecisse legimus; tam autem est aperta haec prophetia, ut non solum Apostoli Act. 4. intellexerint ad litteram de Jesu Christo Domino nostro hunc locum, sed etiam veteres Rabbini, teste R. Salomone in commentario hujus psalmi, exposuerint hunc eumdem locum de vero Messia, quem adhuc caeci, et infatuati expectant.

3. *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.*

Explicat Propheta causam, cur reges, et principes cum gentibus et populis fremuerint, et convenerint adversus Christum. Causa enim est, ne cogerentur servare legem Christi contrariam sensibus carnis, et humanae prudentiae. Itaque verba ista dicuntur in persona regum, et principum impiorum, quasi dicat, *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt adversus Dominum, et adversus Christum ejus*,dicentes inter se, *Dirumpamus vincula eorum*, id est, non sinamus nos

subjici legibus, et imperio Messiae. Pro, *jugum ipsorum*, sanctus Hieronymus vertit, laqueos eorum: verbum hebraicum, עבת *haboth*, significat funes: et videtur Propheta repetere voluisse idem fere vocabulum, ut ordinarie solet id ipsum bis dicere. Itaque septuaginta Interpretes, et s. Hieronymus non tam ad vocabulum, quam ad sensum respexerunt. Sunt autem omnia vocabula metaphorica, sive legem appelles vincula, sive funes, sive laqueos, sive jugum. Explicant autem istae metaphorae naturam legis, qualis est judicio impiorum: impiis enim lex Domini durissimum jugum, et laqueus lethalis videtur, cum viris sanctis eadem lex sit melle dulcior, et desiderabilior auro, et lapidibus pretiosis, ut habemus in psalmo 18.

4. Qui habitat in Coelis, irridebit eos; et Dominus subsannabit eos.

Hic jam Propheta demonstrat frustra principes, et populos laborare in oppugnanda Christi religione, quod initio etiam dixerat. Nam religio Christi a Deo est, et Deo resistere non potest. Recte autem dicit, *qui habitat in coelis*, ut ostendat Deum super omnes esse, et omnia cernere, et ideo nullo negotio dissoluturum omnia eorum consilia, et omnes molitiones dissipaturum. Quod autem dicit, dominum irrisurum, et subsannaturum eos, significat eos divino judicio per signa, et prodigia, per martyrum patientiam, per conversionem gentium, et populorum, perque alios modos soli Deo notos, ita confundendos, ut omnium irrisioni, et subsannationi pateant. Id videmus impletum. Nam sacerdotium judaicum et idololatricum nunc ab omnibus irridetur. Carent enim Judaei, et gentiles templis, et sacrificiis; reges quoque gentilium, qui Ecclesiam persequebantur, omnes misere perierunt.

5. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Explicat modum, quo Deus persecutores Christi irridendos exposuit, quia nimirum loquutus est ad eos, non verbis, sed verberibus, gravissimis poenis illos admonens, ut patet de Herode ab Angelo percusso, de Maximino vermibus consumpto, et aliis. Non est proprie ira, nec furor in Deo, sed semper cum tranquillitate judicat: sed dicitur per metaphoram irasci, et furere, quando severe punit, et tunc praesertim quando ea punitio non prodest illis ad salutem aeternam: id enim facere solent, qui irascuntur, et furunt, qui non nocent, ut sanent, quomodo medici faciunt, sed nocent, ut noceant. Itaque David, *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Cupiebat enim argui, et corripi, sed paterne, non hostiliter, ad salutem, non ad interitum.

6. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus.

Hoc loco dicendum est aliquid de verbis, antequam veniamus ad sensum. Nam in hebraeo codice sic habetur: *Ego autem ordinavi regem meum super Sion montem sanctum meum*: et quamvis non multum referat, quoad sensum, utrum Deus pater dicat, se ordinasse Christum regem, an ipse Filius dicat se ordinatum a Patre: tamen valde probabile est, septuaginta Interpretes legisse paulo aliter quam nunc legimus. Habemus nunc, נסכתי *nasachti*, ordinavi, sed ipsi legisse videntur mutatis tantum punctis, נסכתי *nissacti*, ordinatus sum, quae vox habetur Proverb. 8. ubi legimus *ab aeterno ordinata sum*, et ubi legimus, מלכי *Malchi*, *regem meum*, ipsi legisse videntur מלכו *Malcho*, *rex ejus*, et ubi nos legimus קדשי *Codsci*, sanctum meum, ipsi legisse videntur קדשו *Codscio*, *sanctum ejus*. Et quoniam probabile est septuaginta Interpretes habuisse codices hebraicos valde correctos, inde sit etiam probabile lectionem nostram vulgatam veriorem esse, quam ea sit, quae nunc legitur in codicibus hebraicis. Veniamus nunc ad sensum. Dixerat Propheta adversarios Christi tumultuaturos, et posuerat verba ipsorum, *Dirumpamus vincula eorum*, etc. Ideo nunc introducit ipsum Christum loquentem et quasi respondentem eis, quasi dicat, gentes, et populi nec non reges, et principes dicent, *Dirumpamus vincula eorum*: eos vero Deus irridebit, et Christus ipse ita eis respondebit: Ego ordinatus sum Rex non ab hominibus, sed a Deo, et ideo non timeo minas hominum; ordinatus autem sum Rex super Sion montem sanctum ejus, id est, super Ecclesiam, quae est civitas in monte posita, cujus typus fuit Jerusalem, cujus pars praecipua, et magis a Deo dilecta, et sanctificata est Sion, juxta illud Psal. 86. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Haec autem ordinatio mea in Regem, constat ex decreto Dei, quod ego praedicaturus sum, quod enim habemus in nostra vulgata editione, praedicans praeceptum ejus, et in textu hebraico, *enarrabo decretum ejus*, intelligitur de decreto, quo Deus statuit Christi regnum in totum orbem propagandum. Vox hebraea, *chok* חק, significat praeceptum, decretum, statutum, ut patet ex multis locis, sed potissimum ex Psal. 104. *et statuit illud Jacob in praeceptum, et Israel in testamentum aeternum, dicens tibi dabo terram Chanaam.* Ubi praeceptum hebraice est, חק *choc*, et significat decretum Dei de donanda filiis Israel terra promissionis.

7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Hoc est initium, et fundamentum decreti divini. Nam Christo debetur omnis potestas in coelo, et in terra, quia est verus, et naturalis filius Dei. Sunt autem tres hujus loci expositiones, et omnes litterales, et intentae a Spiritu sancto. Prima est de generatione aeterna, quae colligitur ex Apostolo ad Hebraeos I. ubi sic ait: *Tanto melior Angelis effectus quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hic locus Apostoli non potest intelligi de generatione aliqua creata, ut de nativitate, vel resurrectione secun-

dum carnem. Quia per generationem creatam sunt etiam Angeli filii Dei, ut patet ex 1. 2. et 3. capite libri Job. et tamen Apostolus intendit probare. Christum esse filium, Angelos autem ministros. Necesse igitur est verba psalmi ab Apostolo citata, intelligi ad litteram de generatione aeterna, ut recte exponit Sanctus August. cui expositioni favet tum vocabulum, *hodie*, quia aeternitas est praesens duratio carens initio, et sine, tum vocabulum *genui*, hebraice, ילד *ialad*, quod significat proprie parere. Deus enim in aeterna generatione matris consortio non indiguit, sed ipse genuit, ipse peperit filium suum unigenitum, juxta illud psalmi 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Altera expositio est de resurrectione Domini, quae colligitur ex eodem Apostolo Act. 13. ubi sic legimus. *Et nos vobis annunciamus eam, quae ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et quadrant optime haec verba in resurrectionem Domini, tum quia resurrectio est quaedam regeneratio, ut habemus Matth. 19. *in regeneratione cum sederit Filius hominis*; tum etiam quia resurrectio Christi fuit a solo Deo, et ipse dicitur *Primogenitus mortuorum*, Coloss. 1. tum denique quia in die resurrectionis coepit gloriosa exaltatio Christi, et manifestatio nominis supra omne nomen, Philipp. 2. *Propter quod et Deus exaltavit illum*; et ipse Dominus dixit Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra;* atque haec est expositio Hilarii, et Chrysostomi. Tertia expositio est de die natalis Domini secundum carnem, quae est sancti Cypriani lib. 2. contra Judaeos cap. 8. et colligitur ex introitu missae in nocte ejusdem natalis. Ecclesia enim accommodat verba psalmi hujus ad mysterium Nativitatis secundum carnem: quoniam generatio illa, singulare opus Dei fuit, ut etiam Angelus Gabriel dixerit, Luc. 1. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Et sancti Patres, non solum de divina, sed etiam de humana Christi generatione intelligunt verba illa Isaiae. 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Itaque juxta theologos illos, qui docent, in eadem sententia posse inveniri plures sensus litterales, existimamus sensum horum verborum esse, hodie, id est, in die aeternitatis genui te Deus Deum; et hodie, id est, in die natalis tui secundum carnem, genui te, id est, feci ut esses Deus, homo sine semine viri, sine corruptione matris, sine labe peccati; et item hodie, id est, in die resurrectionis tuae genui te, id est, feci divina mea virtute, ut redires ad vitam, eamque immortalem, et gloriosam.

8. *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.*

Sententia est apertissima, ac si Deus Pater dicat: quia tu Christe Filius meus es naturalis, et virtute mea incarnatus et a mortuis excitatus, jure potes a me petere imperium in omnes gentes, tamquam haereditatem tuam, et omnem terram usque ad ultimos ejus fines, tamquam possessionem tibi debitam. Sunt autem hic aliqua observanda. Primo, nomen haereditatis in Scripturis accipi pro quacumque re, quae possidetur, ut propria, etiamsi proprie non sit relicta a patre defuncto: et ideo tam populus Dei dicitur haereditas Dei, quam ipse Deus haereditas populi sui. Et quia haereditas proprie dicta solebat dividi inter fratres et plerumque dividebatur sorte, et partes divisae mensurabantur funiculis; ideo pro eodem accipitur haereditas, pars, sors, funiculus, possessio, saepe etiam junguntur duo ex his nominibus, ut Psal. 15. *Dominus pars haereditatis meae*, id est, Dominus est pars, quae mihi haereditate obvenit, et alibi, Deut. 32. *Jacob funiculus haereditatis ejus*, id est populus Israel est haereditas Domini, quam ipse sibi elegit, et quasi funiculo mensus est, et divisit ab haereditatibus aliorum. Itaque hoc loco dicuntur omnes gentes haereditas Christi, quia factus est Dominus totius mundi, quod exponitur per sequentia verba, *et possessionem tuam terminos terrae.* Secundo, observandum est haec intelligenda esse praecipue de spiritali regno Christi, id est, de Ecclesia toto orbe propaganda, ut sanctus Augustinus saepissime docet. Sensus igitur est Christum esse constitutum regem super Sion, id est, super populum Domini, sed hoc Regnum non concludendum finibus Judaeae, vel Palaestinae, sicuti Regnum Davidis, et Salomonis; sed extendendum per omnes gentes, et occupaturum omnia regna mundi, juxta prophetiam Danielis, cap. 2. Nec tamen negandum est, quin etiam intelligatur de potestate Christi in omnes gentes, etiam fideles. *Data est enim ei omnis potestas in coelo, et in terra.* Matth. 28. et ipse est qui constitutus est Judex vivorum, et mortuorum. Act. 10.

9. *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.*

Hic significatur potestas Christi in Ecclesiam, et in omnes homines summa, et justissima, ut possit tam facile bonos remunerare, et impios supplíciis afficere, quam facile potest figulus virga ferrea confringere vasa recentia, et lutea. In priore parte versus describitur summa potestas Christi ex parte virgae ferreae, id est, judicii rectissimi, inflexibilis, et cui resisti non potest, in posteriore ex parte hominum subjectorum, qui erunt respectu Christi, sicut vasa lutea recentia respectu figuli. Itaque illud *confriges*, non significat actum, sed potestatem, id est, non significat Christum confracturum omnes gentes, sed subjectas ei futuras omnes gentes, ut possit eas pro arbitrio confringere, sive misericorditer confringendo in eis infidelitatem, et peccata, et formando ex vasis contumeliae, vasa honoris; sive juste, et severe confringendo eos aeternis suppliciis propter ipsorum demerita. Nam confringes ut vasa figuli, idem significare debet, quod reges in virga ferrea: illud autem, reges in virga ferrea, non refertur ad solam punitionem impiorum, sed ad regimen totius Ecclesiae justum et potentissimum. Quod perspicuum est tum ex versione septuaginta Interpretum, qui reddide-

runt ποιμανεῖς, id est *pasces*, quomodo etiam reddidit graece sanctus Joannes in Apoc. cap. 2. et 19. tum ex Michaea, cap. 5. ubi loquens apertissime de Christo, qui ex Bethlehem egredietur, ut sit dux super populum Dei, dixit, *Reges eos in fortitudine*, et utitur eadem voce, quae habetur hoc loco, nimirum, רעה *raha*.

10. *Et nunc reges intelligite; erudimini, qui judicatis terram.*

Hortatur nunc Propheta reges terrae, a quibus populi dependent, ut quandoquidem frustra nituntur resistere Christo, vero, et supremo regi omnium regum, sponte illi subjiciantur; et quia ordinarie, ex pravo judicio sequitur pravus affectus, primum hortatur eos, ut corrigant judicium, intelligant veritatem, eruditionem suscipiant. (Idem autem est, *Reges intelligite, et erudimini Judices terrae:* reges enim sunt Judices supremi populorum). Deinde hortatur ut corrigant pravum affectum, et pro odio erga Christum, incipiant illi servire, eumque diligere, et revereri, ideo subjungit.

11. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.*

Mire miscuit amorem cum timore, ac si diceret, timete cum amore, et amate cum timore: nam illud, *servite*, est proprium servorum timentium, praecipue secundum vocem hebraeam, עבדו *hivdù*. Illud autem *in timore* significat proprie reverentiam filialem, seu pietatem: nam illa ipsa vox יראה *iràh*, quae hic habetur, habetur etiam Isaiae 11. ubi dicitur de Christo, *Requiescet super eum spiritus pietatis*, et passim in Scripturis accipitur pro pietate, seu timore filiali. Itaque *servite Domino in timore*, secundum vim vocum hebraicarum, significat, servite quidem Domino, sed servitute liberali propria filiorum. Quod vero sequitur, *Et exultate ei cum tremore*, idem significat, sed ordine, et vicibus variatis: nam in priore parte versiculi posuit in verbo timorem servilem, in nomine pietatem filialem; in posteriori parte e contrario posuit in verbo exultationem filii amantis; in nomine autem, tremorem servi timentis.

12. *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.*

Hunc locum ex hebraeo alii reddunt, *osculamini filium*, alii, *adorate filium*, alii, *adorate* pure posset etiam reddi, *complectimini puritatem*, ad quod facile posset reduci translatio septuaginta Interpretum: nam apprehendere disciplinam idem est quod complecti puritatem, doctrinae videlicet. Sicut etiam osculari, sive odorare Filium Dei, idem fere, quod apprehendere disciplinam ejus. Sed cum septuaginta Interpretes doctissimi fuerint, et textus optimos habuerint, et in translatione hujus loci nulla sit apud Graecos varietas, et (quod magis est mirum) chaldaeus etiam Paraphrastes reddiderit, *accipite doctrinam*, suspicor omnino, vel in hebraeo aliquid mutatum vitio temporum, aut certe vocem, בר *Bar*, non solum filium, et puritatem, sed etiam disciplinam significare, praesertim cum aliqua litera superaddita. Quemadmodum enim apud graecos a voce, παῖς, id est, puer, fit nomen παιδεία id est, *disciplina*, quod est in hoc loco psalmi, ita fieri potest ut a voce *Bar*, id est, filius, fiat aliquod nomen, quod significet disciplinam; quae maxime filiis a parentibus debetur. Sensus autem horum verborum est, ut non solum reges corrigant judicium et affectum, erudiantur, et serviant, quod supra dictum est, sed etiam magno fervore id faciant ut perseveret in eis eruditio, ex qua pendet affectus. Nam verba tam hebraicum, נשקו *Nasceku*, quam graecum διράξασθαι, non significant simpliciter suscipere; sed magno affectu rapere, et complecti, et firmiter retinere; quomodo quis complectitur ad osculandam personam valde amatam. Reddit autem rationem, cur id necessarium sit, dicens, *Nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa*. In hebraeo non habetur *Dominus*, nec *justa*; sed simpliciter *nequando irascatur, et pereatis de via*; sed septuaginta addiderunt explicandi gratia. Subintelligebatur enim Dominus ex versu superiore, *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore*. Sensus igitur est, Apprehendite disciplinam, nequando irascatur in impios, et rebelles is, cui dixi serviendum esse cum timore; et vos pereatis, sive exterminemini de via justitiae. Haec est gravissima poena principum, quando Deus ob eorum peccata tradit illos in reprobum sensum, ut dicitur Rom. 1. et permittit, ut decipiantur a malis consiliariis, et faciant multa mala, ob quae tandem pereunt in hac vita et futura, ut patet de Pharaone, Roboam, Achab, et similibus, in quibus peccata gravissima fuerunt poenae aliorum peccatorum ut disputat s. August. lib. 4. in Julianum: hoc enim est non aliquantulum declinare a via recta, sed plene perire, et exterminari omnino a via justitiae.

13. *Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.*

Haec est conclusio totius psalmi, in qua sanctus Propheta pronunciat, ex dictis posse colligi, quam sit bonum, et utile diligere Dominum, et illi toto corde servire; soli enim, qui ejusmodi fuerint in die ultimi judicii, quod non longe adesse potest, fiduciam habere poterunt. Dicit, *cum exarserit in brevi ira ejus*, ut significet cito venturum diem illum terribilem, nam mille anni sicut dies hesterna, quae praeteriit; nec longum dici potest, quod finem habet: dicit: *exarserit ira ejus*, ut significet. diem judicii fore diem solius vindictae, et justitiae, non autem misericordiae: dicit, *beati qui confidunt*, non quod solum fiducia sufficiat; sed quia vera fiducia oritur ex vera amicitia.

PSALMUS III.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, cum fugeret a facie Absalon filii sui.

Hic titulus habetur in omnibus codicibus hebraicis, graecis, et latinis, ex quo non potest dubitari, quin ad litteram psalmus debeat intelligi de ipso Davide, et sit oratio quaedam ipsius Davidis pro liberatione sua a persecutione Absalonis. Quia vero David figura fuit Christi, adeo ut apud Prophetas Christus ipse nominetur David, ut patet ex Hieremia cap. 30. Ezechiele cap. 34. et Oseae cap. 3. ideo potest, ac debet psalmus intelligi etiam de Christo. Imo sensus principaliter intentus a Spiritu sancto videtur esse de Christo. Observandum autem est nomen David positum in titulo non esse casus genitivi, sed dativi: nam in hebraeo est articulus, *le*, qui potest genitivum, et dativum casum denotare: sed septuaginta viri semper verterunt τῶ qui est articulus solius dativi et prudentissime hoc septuaginta viri fecerunt, ut significarent auctorem psalmorum praecipue non esse Davidem, sed Deum. Itaque sensus est, psalmus David, id est, psalmus inspiratus a Deo ipsi Davidi.

EXPLICATIO PSALMI III.

1. *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.*

Queritur David, et miratur, colloquens in oratione cum Deo, de multitudine persecutorum suorum, nam ut habetur 2. Regum 15. universus Israel toto corde sequebatur Absalonem. Idem Christo accidisse notum est ex Evangelio praesertim tempore passionis; tunc enim filius ejus, id est, populus ejus rebellavit ab eo, dicens, *Non habemus Regem, nisi Caesarem.* Jo. 18, et ipse recessit ab eis quasi infirmus, et fugiens per mortem, sed paulo post rediit per resurrectionem. Absalon significat patris pax, quia revera bellum fuit filii, sed in patre semper fuit pax, ut patet, tum de Davide, qui flevit mortem filii; tum de Christo, qui oravit pro persecutoribus; et quemadmodum in persecutione Absalonis, Achitophel intimus consiliarius et familiaris David prodidit eum, et postea se ipse suspendio necavit 2. Reg. 17. Ita in passione Christi Judas unus ex intimis familiaribus prodidit eum, et in fine laqueo se suspendit.

2. *Multi dicunt animae meae, non est salus ipsi in Deo ejus.*

Videtur hoc referendum ad internas tentationes, quod daemones suggererent illi intus in animo cogitationes diffidentiae, quasi frustra in Domino confidisset. Potest etiam referri ad sermones hominum, qui ex hoc infortunio judicabant Davidem a Deo derelictum; in quo tamen confidere solitus esset: est enim hoc fere ordinarium, ut imperfecti existiment viros bonos in gravi aerumna constitutos frustra sperasse in Deo: sic Job uxor ejus dicebat, *Adhuc tu permanes in simplicitate tua.* Job 2. Sic Tobiae uxor quoque dicebat, *Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynae tuae modo apparuerunt.* Tob. 2. Sic denique de Christo dicebant, *confidit in Deo, liberet eum, si vult.* Matthaei 27.

3. *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.*

Vox justi in tribulatione positi haec est, qualis fuit David, sed prae omnibus, qui caput est omnium, Christus. Sensus est, multi mihi dicunt, frustra me confidisse in Deo, sed falluntur omnes: nam tu Domine non deseris sperantes in te, ideo *susceptor meus es*, id est, suscepisti me protegendum contra omnia hostium tela; nam in hebraeo est, *Clypeus meus*; nec solum me defendis, sed etiam glorificas; ideo es etiam gloria mea, id est, causa gloriae meae. Atque ex his fit, ut sis *exaltans caput meum*, id est, laetificans me, ut qui prae moerore dimisso capite incedebam, nunc exultans caput attollam. Et haec phrasis hebraeis familiaris, unde et Hieremiae ultimo dicitur, *Elevavit Evilmerodach Rex caput Joachim, et eduxit eum de carcere*; et Dominus in Evangelio: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luc. 21. Haec vera esse docent exempla, non solum Christi, et Davidis, sed etiam Joseph, Job, Tobiae, Danielis, etc.

4. *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.*

In codice hebraico legimus, *clamabo, et exaudiet;* in graeco et latino, *clamavit, et exaudivit.* Juxta priorem lectionem significat David, se ex fiducia, quam versu superiore expressit, in praesenti tribulatione clamaturum ad Dominum, et sine

dubio more solito audiendum. Juxta posteriorem lectionem probat exemplo suo, quod supra dixerat, quod videlicet Deus sit clypeus,et gloria ejus. Nam saepe, inquit,alias afflictus clamavi ad Dominum, et semper exaudivit me. Circa verba nota illud, *voce clamavi*, habere emphasim ad exprimendum affectum; non oravit demissa voce, sed clamavit, et clamavit voce sua, id est, non per alium, sed per se, non solum spiritu,sed etiam corporali voce:illud autem *de monte sancto suo*,significare potest montem Sion, ubi erat arca Domini, in quo peculiari modo praesentia Domini residebat, et unde responsa dabat, vel etiam coelum, quod vocatur a Salomone, *firmum habitaculum Dei*, 3. Regum 8. et ab Apostolo ad Hebr. 12. vocatur *mons Sion*, et Hierusalem coelestis.

5. *Ego dormivi, et soporatus sum: et exurrexi; quia Dominus suscepit me.*

Observanda sunt aliqua circa verba, antequam exponamus sententiam. Verbum, *dormivi*, tam hebraice, שכבתי *sciacabthi*, quam graece significat proprie cubare, et jacere; et quia omnes dormientes cubant, et jacent, significat etiam dormire: verbum autem *soporatus sum*, in hebraeo, et graeco non significat nisi dormire. Itaque sensus est eorum verborum: Ego dormivi, id est, accubui sive jacui, ut dormirem, et reipsa soporatus obdormivi, et postea evigilans surrexi. Observa praeterea illud.*quia Dominus suscepit me*, in hebraeo, et graeco esse futuri temporis, *quia Dominus suscepit me*,vel ut sonat vox hebraea, יסמכני *ismecheni. sustentabit me.* Sed sciendum est moris esse linguae sanctae, ut ponat futurum pro praeterito, quando significatur quaedam continuatio,ut Job. 1. *Sic faciebat Job cunctis diebus*, illud *faciebat* in hebraeo futuri temporis est: recte igitur Hieronymus, et vulgatus Interpres verterunt suscepit, sive sustentavit, et potuissent etiam reddere suscipiebat, vel sustentabat. Veniamus ad sententiam. David in illa persecutione filii dicit, *Ego dormivi*, seu jacui dormiturus, idest, declinavi, fugi, non restiti et sic jacui quasi oppressus, *et soporatus sum*, id est, ita derelictus, quasi mortuus essem, unde Absalon potitus est regno, quasi rex mortuus fuisset; *et exurrexi*, id est, paulo post recepi animum, et resistere coepi, quoniam Dominus sustentavit me. Sed longe significantius haec omnia Christo conveniunt; ipse enim vere dicere potuit, *Ego dormivi*, id est, sponte jacui in cruce, ut in ea morerer, quomodo se in lectum componunt, qui dormire volunt; *Nemo*, inquit ipse Joan. 10. *tollit animam meam a me, sed ego pono eam. Et soporatus sum*, id somno mortis vere consopitus sum, et hoc etiam sponte. non invitus, unde *inclinato capite tradidit spiritum.* Joan.19.Vocat autem mortem suam somnum.quia tam facile illi erat resurgere a mortuis, quam aliis evigilare de somno; *et exurrexi, quia Dominus suscepit*, seu sustentavit me, id est, paulo post surrexi a mortuis, non fretus ullo humano auxilio; sed innixus potentia infinita divinitatis. Et hoc modo probavit verum esse quod dixerat versu superiore, *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.*

6. *Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salvum me fac Deus meus.*

De Davide clarissima sunt: ille enim dicitur exurrexisse, quando recepit animum, et paravit se ad resistendum inimicis: ideo nunc dicit, non timere se populum illum innumerabilem, quia in Deo confidit, non in suis viribus, aut armis sociorum: et propterea rogat Deum, ut exurgat, ut salvum se faciat de manibus hostium. Dicitur Deus per metaphoram exurgere quando incipit juvare: quemadmodum dicitur dormire, quando non juvat. *Exurge*, inquit alio loco, *quare obdormis Domine;* pulchre autem conjunguntur, *exurrexi, et exurge*, quasi dicat, ego te excitante per immissam inspirationem exurrexi, et tu igitur me excitante per orationem exurge, et pugna pro me. Christo autem haec omnia accommodantur rectissime, non ratione capitis, sed ratione corporis, id est, Christus haec dicit post resurrectionem non pro persona sua, sed pro corpore suo, quod est ecclesia, quae in illis initiis innumerabiles habuit inimicos, sed Deo freta omnes vicit.

7. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine caussa, dentes peccatorum contrivisti.*

In hebraeo legitur sic, *Quoniam tu percussisti omnes inimicos in maxilla, dentes impiorum contrivisti*, sed credibile est septuaginta Interpretes legisse pro, לחי *lechi*, quod significat maxillam, לחינם *lechinam*, quod significat in vanum: et credibile etiam est, codices, quos habuerunt Septuaginta fuisse meliores iis, quos nos habemus; sed tamen utraque lectio bonum sensum habet. Rogatur igitur Deus sive a Davide pro se, sive a Christo pro Ecclesia sua,ut pugnet adversus hostes, quoniam semper alias id fecerit, nimirum percusserit omnes inimicos piorum. Et si quidem legamus *sine caussa*, sensus erit, Deum semper punire illos, qui sine caussa persequuntur justos, atque eorum dentes confringere, id est, efficere, ut mordere, id est, nocere non possint. sed latrare, ac terrere solum possint. Quamvis enim aliquando videantur justi ab impiis premi, tandem tamen omnia eis cooperantur in bonum, et impii persecutionis suae poenas luunt. Quod si legamus in maxilla, sensus erit Deum non solum punire, sed etiam confundere, et pudefacere impios. Percussio enim maxillae non solum ad dolorem, sed etiam contemptum fieri solet: et cohaeret optime cum percussione maxillae, quod sequitur de confractione dentium: per quam confractionem significatur quod supra diximus, fieri videlicet per Dei gratiam, ut inimici justorum, sive daemones sive homines sint, latrare possint more canum, sed mordere, id est, vere nocere non possint.

8. *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.*

Concluditur psalmus per invocationem, et laudem Dei, quasi dicat, ex dictis concludere possumus Domini esse salutem, et illi acceptam esse referendam. Nam in hebraeo est, Domino salus, id est, Domino accepta referenda est salus, quae salus est benedictio tua Domine super populum tuum, nam benedicere Dei, est benefacere.

De voce Selà.

In hoc psalmo habetur tribus in locis, videlicet post secundum versum, post quartum, et post ultimum vox hebraea, סלה *Selà*, quae habetur in aliis nonnullis psalmis, non tamen in omnibus;habetur etiam in quibusdam locis Habacuc Prophetae, et nusquam alibi. Scribit de hac voce s. Hieron. Epist. ad Marcellam,in qua refert tres opiniones, primam quorumdam opinor, Rabinorum, qui volunt, ea voce significari mutationem vel distinctionem rythmi, aut elevationem vocis. Secundam Interpretum septuaginta, nec non Theodotionis, et Symmachi, qui eam vocem hebraicam interpretati sunt diapsalma, vocem aeque obscuram. Tertiam Aquilae, et quintae ac sextae editionis, quod *selà* sit idem quod semper. Hanc sententiam postremam s.Hieron. sequutus est in sua versione ex hebraeo. Et certe prima opinio videtur improbabilis: nam si vox illa significaret mutationem, aut distinctionem rythmi, aut vocis elevationem, poneretur in omnibus psalmis,ac praesertim in longioribus. Videmus autem in hoc brevissimo psalmo haberi ter, ut etiam bis in psalmo quarto, et in psalmo quadragesimo sexto, qui brevissimi sunt, in longissimis quibusdam numquam. Deinde non poneretur in fine psalmorum, sed tantum in medio: quae enim mutatio, vel distinctio vel elevatio significanda est psalmo finito? Videmus autem haberi in fine psalmorum, tertii, noni, vigesimi quarti, et quadragesimi sexti. Secunda opinio probabilis est propter auctoritatem septuaginta Interpretum. Significat autem diapsalma, interprete Augustino in commentario psalmi quarti,intervallum psallendi; sed certe ratio vix reddi potest,cur istud intervallum notetur in psalmis paucissimis, et brevissimis tantum. Tertia opinio fortasse probabilior est: nam propter s. Hieron. auctoritatem, videmus illud, *semper*, recte poni ubicumque *selà* invenitur. In hoc psalmo in versu secundo, et quarto recte *selà* potest exponi semper, *Multi dicunt animae meae, non est salus in Deo ejus semper*, id est, esto Deus aliquando servaverit Davidem periculis, at non semper servabit, nunc certe non servabit. Respondet autem David, *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo semper*,idest, vos dicitis quod non semper me servabit; ego contra dico, me semper exaudiri, et spero semper servandum. Porro in fine psalmorum sicut poni solet Amen, vel in aeternum, vel Alleluja, ut patet legentibus; ita recte ponitur, *semper*, quod significat, desiderium, ut sint firma et rata, quae dicta sunt. Ita hoc loco, super populum tuum benedictio tua semper, id est, semper sit, ac si diceret Amen, vel jugiter, ut alibi.

PSALMUS IV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in Hymnis Psalmus David.

Hic est titulus psalmi quarti, in quo varietas est inter lectionem hebraicam, et graecam; nam ex hebraeo, ut hodie habetur, vertit s. Hieronymus, *Victori*, pro eo quod nos habemus ex graeco, *in finem*, et s. Hieronymum sequuntur omnes qui vocem hebraicam interpretantur ad verbum, nec potest aliter axponi vox illa, למנצח *Lamnazeach*. Nata est haec varietas praecipue ex additione punctorum, et ex litera, m, quae forte accessit vitio librariorum. Nam septuaginta Interpretes videntur legisse, לנצח *lannezach*, quod significat in finem, ut patet ex primo versu psalm. 12. *Usquequo Domine oblivisceris me in finem*: Et sane magna est auctoritas septuaginta Interpretum, quos et doctissimos fuisse, et optimos codices habuisse dubitari non potest. Adde, quod et sententia est gravior secundum lectionem septuaginta. Nam secundum hebraicam lectionem significatur, hunc psalmum datum esse Victori in hymnis. id est, magistro cantorum, sive optimo cantori, qui praepositus est concinendis hymnis. Quae res non videtur adeo gravis, ut debuerit extare in divinis libris ad aeternam rei memoriam. At secundum lectionem septuaginta Interpretum, significatur, hunc psalmum esse canendum usque in finem, id est, perpetuo, sive frequentissime; quod est signum, psalmum esse unum ex utilioribus. Accedit etiam intelligentia mystica, quod sit psalmus ad Christum pertinens, qui est finis legis et prophetarum. Illud, in hymnis, posset etiam verti,in pulsatione instrumentorum musicorum. Siquidem, *negan*, significat instrumentum, unde nomen, *Neghina*,pulsatio, sed accipitur etiam passim pro laude, sive carmine, atque hymno. Itaque sensus erit, psalmus David inter hymnos canendus perpetuo, atque ipsum Christum proprie respiciens: atque hoc idem dicendum est de aliis, qui sequuntur eodem titulo inscriptis.

EXPLICATIO PSALMI IV.

1. *Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meae, in tribulatione dilatasti mihi.*

Hunc psalmum canit David in persona Ecclesiae, vel cujuslibet animae fidelis, quae exemplo suo monet peccatores, ut convertantur, et fiduciam ponant in Domino, declinent a malo, et faciant bonum. Ponit igitur exemplum suum dicens: ego cum invocarem Deum tempore tribulationis, exauditus sum; *Exaudivit* enim *me Deus justitiae meae*, id est, Deus, a quo est omnis mea justitia, hoc est, cujus gratia me justum facit. Ostendit autem quomodo sit exauditus dicens, *In tribulatione dilatasti mihi.* Deus aliquando exaudit removendo tribulationem: aliquando dando patientiae virtutem, et hoc est majus beneficium: aliquando non solum patientiam, sed etiam gaudium in tribulatione dando, et hoc est beneficium maximum, et de hoc loquitur psalmus. Tribulatio enim angustias facit, gaudium dilatat corda; sed qui gloriatur in tribulatione, huic tristitia vertitur in gaudium, et tribulatio ei non angustias, sed dilatationem affert. Mutatio vero personae de tertia in secundam, additur ad significandum unde veniat illa dilatatio; nimirum ex illapsu Dei in cor tribulati, juxta illud, *Cum ipso sum in tribulatione.* Psal. 90. Itaque sensus est, cum invocarem Deum tribulatione pressus, exaudivit me; quod inde scio, quia tu Domine cordi meo dulcissimam tuam praesentiam exhibens, miro modo angustias tribulationis in latitudinem convertis laetitiae. *Superabundo gaudio*, inquit Apostolus *in omni tribulatione nostra.* Illud autem, *dilatasti mihi*, phrasis est hebraica, pro dilatasti me.

2. *Miserere mei, et exaudi orationem meam.*

Postulat continuationem gratiae, ac si dicat, Ita Domine semper miserearis, semper exaudias, sicut adhuc fecisti. Novit enim sanctus Propheta nos in hac vita semper obnoxios esse periculis, nisi misericordia ejus non solum praeveniat, sed etiam comitetur, et subsequatur.

3. *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?*

Lectio hebraica multum discordat a graeca, ex qua latina nostra vulgata derivatur: sic enim ad verbum legitur hebraice, *Filii viri usquequo gloriosi mei ad ignominiam diligentes vanitatem quaeritis mendacium?* Sed facile apparet, unde nata sit varietas; nam sublatis punctis, quibus carebant libri hebraici ante Christi adventum, et una litera in aliam similem commutata, existit lectio nihil discrepans a graeca. Verba hebraica nunc ita, sonant, כבדי לכלימה *Chevodi liclimma, gloria mea ad ignominiam.* Sic autem legerunt Septuaginta, כבודו לב למה *Chevude lev lammà graves corde usquequo.* Ac ut saepe diximus, credibile est emendatiores codices hebraicos fuisse temporibus septuaginta Interpretum, quam nunc sint. Itaque lectio nostra vulgata omnino conservanda est, quippe quae conformis reperitur lectioni hebraicae, quam septuaginta Interpretes emendatiorem habuerunt. Neque tamen in sensu discordia est magni momenti, imo una lectio aliam adjuvare videtur. Sententia igitur haec, *filii hominum usquequo graves corde?* id est, quam diu cor habetis lapideum, durum, ad terram inclinatum, non cogitantes nisi bona terrena? Corda enim ex sententia Domini, Luc. 21. *gravantur crapula, et ebrietate, et curis hujus mundi*: et quia corda dura non recipiunt supernas cogitationes, sed solum terrenas, et transitorias, ideo non diligunt nisi terrena, et transitoria: et quoniam ea sola quaerimus diligenter, quae ardenter diligimus, ideo subjungit Propheta, *ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Dicuntur autem bona terrena, vana, falsa, quia nec solida sunt, nec stabilia, quamvis talia esse videantur, et propterea merito falsa et fallacia dici possunt, praesertim si comparentur ad aeterna. Additur in hebraeo, *selà*, id est semper, quod recte ponitur hoc loco: id enim valde mirum est quod homines non tantum initio mundi, nec solum initio vitae, sed in omni saeculo, et in omni aetate post tam longam experientiam, res humanas, et fallaces tanto studio consectentur. Lectio hebraica, graeca, et vulgata adjuvat. Nam iidem homines, qui propter naturae corruptionem sunt *filii hominum, et graves corde*, iidem ex imagine Creatoris, ad quam formati sunt recte dici possunt gloriosi, atque inclyti, et ideo valde ignominiosum illis est diligere, et quaerere bona temporalia vana, et falsa, quae sub pedibus habent, et non diligere, neque quaerere sempiterna, solida, et vera, unde originem atque imaginem trahunt. Magna est haec increpatio, quae non ab homine mendace, sed a spiritu veritatis procedit.

4. *Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.*

Haec est potissima ratio, cur deberent homines non amplius inhaerere temporalibus, quia videlicet venit ad nos de coelo sanctus Dei, idest, Filius Dei, qui solus inter omnes homines impeccabilis fuit. Unde etiam daemon in Evangelio clamabat Marc. 1. *Scio quia sis Sanctus Dei.* Hic autem Sanctus pertransiit benefaciendo, et mala toleranda, temporalia despiciens, et sempiterna praedicans, et tandem hoc novo itinere gradiens ad summam felicitatem pervenit, sedens in coelo, corpore, et animo in aeternum beatus. Et quoniam ille Dux noster est, et praeivit parare nobis locum, sine dubio si per vestigia ejus ambulamus, ad veram, et sempiternam felicitatem perveniemus. Scitote igitur, quia Dominus Deus sanctum suum Christum, quia temporalia despexit, mirabilem omnino reddidit, resuscitans ab inferis, et in coelo ad dexteram suam constituens. Et quoniam non solum Dux noster est, sed etiam advocatus et mediator, ideo subjungit David, Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum, idest, nunc potissimum certo con-

fido me semper exaudiendum, cum sciam esse in dextera Dei mediatorem, qui interpellat pro nobis.

5. *Irascimini, et nolite peccare, quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.*

Post increpationem gravissimam et admonitionem ut resipiscant Filii hominum, instruit eos Spiritus sanctus quid agere debeant, ac docet, ut sancta quadam iracundia exardescant, et resistant pravis desideriis, et eo modo peccatum vitent: quod si forte peccaverint, continuo doleant, et compungantur, neque contenti sint declinare a malo, sed etiam sacrificent sacrificium justitiae faciendo bonum. *Irascimini*, inquit, *et nolite peccare*, idest, cum surgunt pravi, et rebelles motus, qui sunt initia, et radices omnium peccatorum, irascimini naturae vestrae corruptae, et resistite, ita ut non peccetis. Ad hoc enim nobis data est ira a Deo (ut docet s. Basilius in oratione de ira) ut sit cos virtutis. Vox hebraea, רגזו *rigzu*, significat etiam pavete, contremiscite, quod etiam recte quadrat in hunc locum. Debemus enim statim tremere; et pavere cum apparet caput serpentis; idest, mala suggestio. *Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* In haebraeo legimus ad verbum, *Dicite in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete*; in graeco vero sic: *Quae dicitis in cordibus super cubilia vestra, compungimini*: ex quibus intelligimus nostram lectionem sic esse ordinandam: quae dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris, de his compungimini tacentes. Sensus igitur est, tempore nocturno cum estis soli in cubilibus, liberi ab omnibus aliis curis; tunc in cordibus vestris cogitate omnia vestra errata, et quae dicitis, et confitemini apud vos in corde, de his coram Deo tacentes prae verecundia compungimini. Fuisse autem solitum Davidem in cubilibus recogitare peccata, propter opportunitatem secreti, et silentii nocturni, potest intelligi ex illis verbis psal. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Itaque quod ipse faciebat, alios monet, ut faciant.

6. *Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino: multi dicunt, quis ostendit nobis bona?*

Addit nunc alteram partem justitiae, videlicet, ut non solum declinent a malo, sed etiam faciant bonum. Vocat autem opera bona sacrificium justitiae, quia opera justa placent Deo valde, et per ea Deus honoratur. *Videant*, inquit Dominus, *opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* Matth. 6. Et Apostolus loquens de eleemosyna: *Accipit*, inquit *quae misistis in odorem suavitatis*; et de jejunio aliisque bonis operibus corporalibus, Ephes. 5. *Obsecro vos*, inquit, *ut exhibeatis corpora vestra hostiam beneplacentem*; addit autem, *et sperate in Domino*, ad tollendam praesumptionem, quae bonis operibus insidiatur: bene operari nos oportet; sed tamen ut non superbe confidamus de operibus nostris, ut Pharisaeus ille, qui dicebat Luc. 18. *Gratias tibi ago, quia non sum sicut caeteri hominum; jejuno bis in sabbato*, etc. Sed in Domino speremus, qui dabit peccata vitare, bona opera facere, et ad portum salutis pervenire. Sicut enim praesumptio est venenum corrumpens meritum operum bonorum, sic humilitas de viribus propriis diffidens, et in Domino spem reponens, est veluti sal condiens, et conservans omnia recte facta. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* In hebraeis codicibus incipit hoc loco novus versus; sed in graecis, et latinis pertinent haec verba ad versum superiorem, sed non est varietas magni momenti. Ponit hoc loco Propheta communem carnalium hominum objectionem; et quia stultorum infinitus est numerus, ideo ait, *Multi dicunt*, id est, cum praedicamus contemptum rerum temporalium, atque ad innocentiam et justitiam exhortamur, plurimi dicunt, quis ostendet nobis bona? si haec, quae videmus et tangimus, bona non sunt; quis rediit ab inferis? quis ascendit in coelum? Potest etiam per illud, *bona*, intelligi justitia et probitas: quia enim dixerat, *sacrificium justitiae*, objiciunt improbi, quid est haec justitia? quis nobis ostendet viam justitiae?

7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti laetitiam in corde meo.*

Respondet Propheta viam justitiae nobis a Deo demonstratam esse; et nos habere magistrum intra nos, qui nos doceat verum bonum, lumen videlicet rationis naturalis, hoc enim lumen signatum est, et impressum indelebiliter super nos, idest, in suprema parte hominis. Habemus enim partem inferiorem corpus: partem superiorem, animam: et in ipsa anima partem inferiorem, qua vivimus, et sentimus; et superiorem, qua ratiocinamur, et sapimus. In hac igitur suprema parte est lumen quo distinguimur a bestiis; estque hoc lumen derivatum a vultu Dei, quia id nos facit esse ad imaginem, et similitudinem Dei. Et ex hoc lumine intelligere primum viam justitiae; lex enim naturalis scripta in corde, quam ne ipsa quidem delet iniquitas, docet, non faciendum alteri quod nobis ab aliis fieri nolumus, proinde non furandum, non moechandum, etc. Possumus etiam intelligere adjuti gratia Dei, nostrum verum bonum consistere in assimilatione ad Deum; bonum enim imaginis est, quam simillimam esse exemplari. Ex hac autem cogitatione existit in voluntate ingens laetitia, spes, et, amor erga Deum. Quid enim dulcius, quam cogitare se esse imaginem vivam rei infinitae, pulchritudinis, et se exemplari suo omnipotenti esse charissimam? Quia vero non omnes hoc experiuntur, ideo David non ait, dedisti laetitiam in cordibus eorum, sed *dedisti laetitiam in corde meo*, quod idem omnes justi, et pii dicere possunt. Parum autem refert, quod in hebraeo habetur, *signa super nos lumen vultus tui*; et nos habemus, *signatum est super nos lumen vultus tui*: nam litere eaedem mutatis punctis efficiunt, *signatum est*. Et hanc veram lectionem esse credimus, quia septuaginta Interpretes melius noverant quomodo legen-

dae essent illae literae, quam Rabbini posteriores, qui puncta addiderunt.

8. *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.*

Addit Propheta aliud argumentum, ex quo possunt homines intelligere Deum esse auctorem omnium bonorum, quia videlicet ipse est, qui temporibus suis multiplicat fruges, et producit fructus omnes. Sic etiam b. Paulus Act. 15. *Non sine testimonio reliquit semetipsum dans pluvias, et tempora fructifera, replens cibo et laetitia corda nostra. A fructu*, inquit, *frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt*, idest, aucti sunt, sive creverunt in bonis temporibus ob illorum trium praecipue fructuum abundantiam. Vox enim Graeca, ἐπληθησαν, quam interpres reddidit,*multiplicati sunt*, significat etiam aucti sunt, sive creverunt, et sic exponendam esse docet etiam textus Hebraicus, ubi ad verbum habemus, *frumentum, et vinum eorum multiplicata sunt*. Parum etiam refert, quod in hebraeo non sit mentio olei: nam vel excidit ea vox, vel septuaginta Interpretes eam addiderunt explicationis gratia. Scriptura enim passim haec tria conjungere solet.

9. *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.*

Concludit psalmum David dicens: Quidquid sit de aliis, quos ad amicitiam cum Deo exhortatus sum, ego omnino in Deo confidere,ac penitus conquiescere volo. *Ego*, inquit, *in pace*, idest, cum tranquillitate animi, *in idipsum*, id est, conjunctim, pariter,simul *dormiam et requiescam*, idest, securus cubabo ad dormiendum, et re ipsa quietissime dormiam. Voces enim tam hebraicae quam graecae, pro quibus habemus, *dormiam et requiescam*, significant proprie jacebo, sive cubabo, et dormiam. Sed non male noster interpres vertit, *dormiam et requiescam*, quia qui cubat ut dormiat, dici potest dormire; et qui dormit,praesertim somno placido, dici potest quiescere. Possunt etiam haec referri ad futuram requiem in coelo: tunc enim vere summa pax erit ex unione cum Deo, et summa ac verissima requies. Illud in idipsum, quod frequentissime occurrit in psalmis in hebraeo est יחדו *Jachdau*, quod s. Hieron. et alii vertunt, pariter, sive simul, septuaginta Interpretes ubique reddunt, ἐπὶ τὸ αὐτό, idest, in idipsum; sed idem est sensus: nam in idipsum, idem est, quod conjunctim, et simul. S. Augustin. per idipsum intelligit Deum, qui solus est semper idem ipse, aeternus, immutabilis, juxta illud psalm. 101. *Tu autem idem ipse es*: acuta, et pia interpretatio, sed mystica, non litteralis.

10. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

Reddit caussam, cur velit in Deum projicere omnem sollicitudinem, sive, cur in futuro saeculo in pace dormiturum, et quieturum se dixerit. Ratio enim est, quoniam Deus verissimis et fidelissimis suis promissionibus eum in sola spe constituerit, idest, habitare fecerit. Id enim significat vox hebraea, et graeca. Itaque vir justus, et amicus Dei in sola spe divina habitat, tamquam in tutissima domo; agit quod potest pro vita praesenti, et futura; at non confidit in propriis viribus, neque in ulla re creata sed in Deo solo, et ideo non confunditur, securus dormit, et securus dormiet in saeculo futuro.

PSALMUS V.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro ea, quae haereditatem consequitur, Psalmus David.

Hic titulus varie exponitur, propterea quod in hebraeo quaedam vox est, נחילות *Nechilot*, quam Rabbini, et qui Rabbinos sequuntur, significare volunt instrumentum musicum. Sed a Catholicis omnino rejiciendi sunt, cum s. Hieron. hebraicae linguae peritissimus verterit, pro haereditatibus; et Septuaginta adhuc peritiores, et quibus lingua hebraea patria erat, verterint pro ea quae haereditatem consequitur. Et verba ipsa hebraica has interpretationes omnino recipiunt, siquidem, נחל *Nachal*, haereditare significat, נחלות *Nechalot*, haereditates, נחלת *Nochelet*. eam quae haereditat. Credibile igitur est, textum hebraicum diuturnitate temporis una, vel altera litera immutatum peperisse has varietates: sed in re dubia septuaginta Interpretibus fides habenda est magis, quam recentibus Rabbinis, praesertim cum s. Hieronymi versio magis faveat Septuaginta, quam Rabbinis. Igitur hic psalmus compositus est in persona Ecclesiae, quae haereditatem salutis aeternae quotidie in suis membris consequitur, et in fine mundi tota consequetur. Quia vero Ecclesia pro meliore sua parte, similis est columbae: quae perpetuo gemit, et innocentiam custodit, ideo in hoc psalmo columbae officium exercens, partim orat, partim peccatum detestatur. Quod ipsum facere debent omnes, qui pertinent ad columbam: sic enim unimur Deo. in quo consistit haereditas, si oratione trahimus Deum ad nos, et puritate vitae propinquamus ad Deum.

EXPLICATIO PSALMI V.

1. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.*
2. *Intende voci orationis meae, Rex meus, et Deus meus.*

Tribus modis fieri potest, ut aliquis non audiatur ab aliquo: vel quia ille non percipit sonum verborum, vel quia non percipit significationem eorumdem verborum, vel quia non attendit intentus aliis rebus. Deus quidem omnia percipit, et intelligit, et semper attendit: sed dicitur aliquando non percipere, vel non intelligere, vel non attendere, quia sic orantem contemnit, ac si non perciperet, vel non intelligeret, vel non attenderet. Ideo sanctus Propheta oraturus Deum, initio postulat, ut Deus percipiat, intelligat, et attendat. Porro Deus orantem contemnit, ac si non perciperet sonum verborum, quando is, qui orat, ita distrahitur, ut nec ipse verba sua percipiat; vel ita frigide orat, ut oratio sursum ascendere non possit. Tunc vero Deus ita se habet, ac si non intelligeret quid petatur, quando is qui orat, nescit quid petat, petens ea, quae sibi non sunt utilia, etiamsi attente, et ferventer oret, atque adeo clamet. Tunc denique Deus similis est non attendenti, quando orans non est dignus, qui audiatur, vel quod sine debita humilitate, fiducia, aliisque debitis circumstantiis oret, vel quod sit peccator, et de poenitentia nondum cogitare inceperit. Propheta igitur miro artificio a Spiritu sancto edoctus, orat Deum pro dono bene orandi, videlicet ut detur ei sic orare, ut opus est, ad hoc ut Deus non repellat orationem, sed percipiat sonum, intelligat clamorem, et intendat orationi. Addit autem, *Rex meus*, ut facilius impetret. Solet enim bonus Rex audire populum suum, adjungit vero, *et Deus meus* ut ostendat se non solum esse populum Dei quasi Regis sed etiam creaturam ejus, et in omnibus ab eo pendere et sine eo nihil posse.

3. *Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.*

Reddit rationem cur petierit audiri a Domino; quoniam, inquit, ad te orabo, id est, quia studium meum praecipuum futurum est oratio, ideo tam sollicitus sum de auditione. Et quia studium orandi non solum est mihi praecipuum, etiam primum, ideo summo mane antequam aliud ullum opus aggrediar, tu Domine audies vocem meam, nulli enim loquar antequam tibi. *Tu labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam*, ut dicitur Psal. 50.

4. *Mane astabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Non solum, inquit, mane orabo, sed etiam astabo tibi, id est, conabor me praesentem tibi exhibere; et comtemplabor (id enim sonat vox hebraea), in illo silentio matutino, antequam irruat turba negotiorum hujus vitae. Materia vero praecipua contemplationis meae erit considerare, nihil te magis odisse, quam peccatum: innocentiam, et justitiam tibi summopere gratam esse, cum tu sis lux, et justitia, et ideo si tibi placere volo, innocentiam, et justitiam mihi sectandam esse, et iniquitatem odio habendam.

5. *Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.*

Non solum Deus non vult iniquitatem, sed neque vult homines iniquos: ideo *non habitabit* inquit, *juxta te malignus*, id est, non propinquabit tibi jure amicitiae: *neque permanebunt injusti ante oculos tuos*, id est, non diu respicies oculo clementiae injustos. Nunc enim Deus respicit etiam injustos oculo clementiae, idest, eis concedit multa temporalia bona, sed hoc non diu durabit. Brevi enim projiciet illos a facie sua in aeternum interitum.

6. *Ôdisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*
7. *Virum sanguinum, et dolosum abominabitur Dominus.*

Non solum Deus non vult iniquitatem; nec solum non vult amicitiam cum iniquis, sed illos odit, et perdere vult ac re ipsa perdet: et quoniam peccata committuntur opere, verbo, et cogitatione, sive desiderio, ideo singula psalmus enumerat, primo operantes iniquitatem; secundo loquentes mendacium, quod de pernicioso intelligitur: tertio virum sanguinum, idest, crudelem, sanguinis appetentem; et dolosum, id est, qui dolos meditatur, et struit.

8. *Ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.*

Dixerat Propheta matutino tempore, se contemplaturum quantopere Deus peccatum, et peccatores aversetur. Exponit nunc fructum contemplationis, ac dicit: *Ego autem in multitudine misericordiae tuae*, idest, confisus in multa misericordia tua, non in viribus meis, ut evitem omnia peccata, *introibo in domum tuam*, quae est domus orationis, *et adorabo ad templum sanctum tuum*, id est, prosternar coram tabernaculo tuo, *in timore tuo*, timens, ac tremens implorabo auxilium tuum.

9. *Domine deduc me in justitia tua, propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.*

Haec est oratio, qua orat in domo Dei, videlicet, ut Deus eum deducat in justitia sua, id est ut eum ducat per semitas justitiae faciendo illum implere omnia mandata divina, et sic vitare omnia peccata, et quod idem est dirigat in conspectu suo viam ejus, id est, faciat eum ambulare per viam rectam, Deum semper prae oculis habendo. Id vero potissimum orat propter inimicos, sive (ut habetur in hebraeo) propter insidiatores suos, necessarium enim est divinum auxilium dirigens, protegens, praeveniens, et subsequens, propter multitudinem hostium qui nobis insidiantur, et ad peccata pertrahere conantur, sive ii daemones sint, sive homines terrentes vel allicientes. Vocat enim inimi-

cos, omnes qui impediunt viam salutis, etiamsi aliqui amicissimi videantur, nam *inimici hominis domestici ejus*, ut est apud Matth. cap. 10. Parum autem refert, quod in hebraeo habetur, *Dirige in cospectu meo viam tuam;* quomodo etiam haberi in editione septuaginta Interpretum testatur s. Hieron. in Epist. ad Suniam, et Fretellam, et in nostro graeco, et latino, *dirige in conspectu tuo viam meam:* nam sensus idem est, sive dicas secundum hebraeos codices, *Dirige in conspectu meo viam tuam*, idest, fac ut inveniam, et videam viam tuam rectam; sive secundum graecos et latinos, *dirige in conspectu tuo viam meam*, idest, fac ut ambulem coram te per viam rectam. Semper enim petitur gratia incedendi per viam mandatorum Dei.

10. *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.*
11. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.*

Reddit rationem, cur velit auxilium contra inimicos insidiantes, quia videlicet illi nihil intendunt, nisi decipere, et difficile est insidias eorum vitare. Non est, inquit, in ore eorum veritas, quia si terrent, decipiunt, persuadentes fugam exigui mali, ut inducant in maximum malum: si alliciunt, decipiunt, persuadentes prosecutionem exigui boni, ut adducant jacturam summi boni. Cor eorum vanum est intus, et extra perversi sunt, non sapiunt, nec appetunt nisi vana, ideo non possunt loqui nisi vana. Idem autem repetit in versu sequenti, sed ordine mutato; nam quod dixerat, *Cor eorum vanum est*, repetit, dicens, *Sepulchrum patens est guttur eorum*: et quod dixerat, *Non est in ore eorum veritas*, repetit dicens, *linguis suis dolose agebant.* Itaque cum dicitur, guttur sepulchrum patens, significatur guttur, seu os, et linguam, quae sunt instrumenta loquendi, esse quasi os sepulchri; interiora vero sepulchri esse animam sive cor, ubi sunt desideria, et cogitationes horridae et foetentes, quasi cadavera putrefacta, unde exhalat foetor verborum mortiferorum. Et ideo addit, *linguis suis dolose agebant*, hoc est, non solum falsa dicunt inimici mei, quia non est in ore eorum veritas, sed etiam dolosa, quia sub specie boni persuadent mala. In Hebraeo est linguis suis blandiuntur, quod in idem recidit.

12. *Judica illos Deus, decidant a cogitationibus suis; secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.*

Prophetia est potius, quam imprecatio, significat enim psalmus fore, ut inimici justorum non solum non admittantur ad haereditatem, de qua in titulo psalmi, sed condemnentur ad aeternas poenas, et nihil obtineant eorum, quae moliuntur. *Judica illos*, id est, judicabis, vel, ut significantius habent hebraea, condemnabis illos. *Decident a cogitationibus suis*, idest, frustrabuntur spe sua, qua sperabant se subvertere posse electos. *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos*, idest, pro meritis suis expellentur ab haereditate in tenebras aeternas, *quoniam irritaverunt te Domine*, idest, quoniam dum hominibus se nocere existimarunt, non homines offenderunt, sed Deum, juxta illud, *Non te abjecerunt, sed me*, 1. Reg. 8. et, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Act. 5.

13. *Et laetabuntur omnes qui sperant in te, in aeternum exultabunt, et habitabis in eis.*
14. *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum; quoniam tu benedices justo.*
15. *Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos.*

Hic praedicit foelicissimam haereditatem electorum, quibus titulus psalmi eam promiserat. Ac primo invitat justos ad laetitiam ob spem bonam futurorum. *Laetentur omnes, qui sperant in te*, id est, etsi nunc in labore certaminis justi reperiuntur, tamen laetentur in spe, qui non sperant in vanitatibus, sed in Deo vero, et in tempore suo in aeternum exultabunt laudantes Deum, qui habitabit in eis, idest, super eos ad modum tentorii, ut in hebraeo legimus; proinde ipsi in Deo erunt, et Deus in eis: et erit Deus omnia in omnibus. Haec autem exultatio, et laus, quasi exterior, nascetur ex interna immensa laetitia, et gloria. Nam *gloriabuntur in te*, o Deus, *omnes, qui diligunt nomen tuum*, idest, omnes vere justi. Charitas enim est, quae justos et amicos, et filios Dei facit. Gloriabuntur autem, quoniam tu benedices justo, idest, unicuique justo benedices, et benedicendo benefacies, reddendo eis coronam gloriae, quam merentur. Et quoniam radix omnium bonorum est benevolentia Dei, qui nos elegit ante mundi constitutionem, cum ex illa procedat vocatio, justificatio, merita bona, et ipsa glorificatio: ideo concludit, *Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos*, idest, confiteor tibi Domine, omnia nostra bona inde manare quia beneplacitum tuum, sive gratia tua nos complexa est, et undique protexit, ut scutum protegere solet milites. Cui simile est illud Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia, et in miserationibus.* Verbum hebraeum ambiguum est quoad pronomen: nam verti potest, *coronasti eum*, idest, justum, cui benedixisti, et sic vertit s. Hieronymus. Potest etiam recte verti, mutatis punctis, *coronasti nos*, ut verterunt Septuaginta, sed sententia est omnino eadem.

PSALMUS VI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in Hymnis pro octava, Psalmus David.

Quod dicitur, *pro octava*, vel, habetur in hebraeo, על השמינית *hal hashemimith*, *super octavam*, videtur esse genus citharae habentis octo chordas, vel aliquid simile. Nam in priore libro Paralip, cap.15.ubi describuntur varia instrumenta, quibus canendi erant Psalmi, inter alia ponitur cithara super octavam. Non est tamen repudiandum, quod communiter dicit, *per octavam*, hoc loco significari diem ultimi judicii, quae erit octava, quia sequetur post sex dies laboriosos hujus vitae, et post septimam quietis animarum. Hic enim psalmus est primus illorum septem, qui ad poenitentiam pertinent. Neque verisimile est,quod Rabbini,et eorum sectatores dicunt,hunc psalmum compositum fuisse a Davide pro sanitate corporis recuperanda, quam videlicet amiserat ob adulterium, et homicidium perpetratum. Scriptura enim satis declarat in 2. lib. regum, quam poenam exegerit Deus a Davide propter illius peccati reatum: neque usquam meminit morbi corporalis. Sed neque Ecclesia ab antiquissimis temporibus inter poenitentiales hunc psalmum, et primo etiam loco numerasset, nisi proprie, et ad litteram ad poenitentiam pertineret. Itaque argumentum hujus psalmi erit oratio peccatoris timentis divinum judicium et ad reconciliationem aspirantis.

EXPLICATIO PSALMI VI.

1. *Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.*

Petitio est haec vere poenitentis, et contriti, qui super omnia peccatum odit.Nam tunc Deus arguit, idest, accusat, et corripit peccatorem in ira, et in furore, quando non castigat,ut salvet ex amore paterno, sed castigat, ut perdat,ac justitiae satisfiat. Quod facit in hac vita,quando percutit caecitate,et obstinatione, ut sit peccatum poena peccati, in alia vero quando perdit in gehennam.Iste igitur concussus horrore,et timens abyssum judiciorum Dei, non recusat flagellum poenarum, quae non separant a Deo, sed compellunt ad Deum; sed horret malum illud super omnia vere horrendum, id est, tradi in desideria cordis sui, in passione ignominiae, obdurari,et excaecari,et tandem in aeternum separari a facie Dei. Porro ita, et furor pro eodem hoc loco accipiuntur, sicut etiam argui, et corripi: est enim (ut alias adnotavimus) familiare Prophetis id ipsum bis repetere,explicandi vel inculcandi gratia.

2. *Miserere mei Domine,quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

Ad permovendum Deum,ut non in furore arguat, adducit poenitens David aliquot argumenta;ac primum sumit ab infirmitate sua, quasi dicat, non respicias Domine peccata, ut offensas tuas, sed ut miserias,et aegritudines meas.Proinde non punias ut Judex, sed cures ut medicus; ure, et seca, si opus est; sed ex misericordia ad sanandum, non ex justitia ad perdendum. Vere enim peccata miseriae sunt, et quo sunt magis ex malitia commissa, eo sunt majores miseriae, et quo minus nos ea cognoscimus, et timemus, eo miseriores sumus. Ergo, inquit, *miserere mei,quoniam infirmus sum*, idest, respice misericorditer peccata mea, quaecumque illa sint, ut aegritudines , et morbos animae meae, quae me debilem, et imbecillum reddiderunt. *Sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.* Idem repetit aliis verbis. Deus enim si misereatur, miseriam tollit, et proinde sanat, atque ita idem est, *miserere mei*,et *sana me*. Idem quoque est,*quoniam infirmus sum*, et, *quoniam conturbata sunt ossa mea*, per ossa enim significatur robur, ac fortitudo; et tunc dicuntur ossa conturbari, quando fortitudo nutat, et robur frangitur, ac debilitatur. Poterant autem verba Graeca, et hebraica sic etiam reddi, *Tremuerunt, sive tremefacta sunt ossa mea.*

3. *Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?*

Alterum argumentum ducit a cognitione proprii peccati, sicut in psalm. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*. Dicit igitur,non solum miser sum, sed etiam miseriam meam agnosco, ac propterea anima mea seipsam tam deformem, ac miseram aspiciens, et horrens turbata est valde, et contrita salubriter impatiens efficitur, et clamat, *et tu Domine usquequo*? non misereris, non sanas? Habet vero magnam emphasim, illud, *usquequo*? sine alio verbo.Significat enim prolatum esse

ab anima turbata, et non valente integram formare sententiam.

4. *Convertere Domine, et eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam.*

Hoc argumentum tertium, quod a misericordia Dei sumitur. *Convertere*, inquit, idest, respice me. Nam respectus Dei est causa omnium bonorum nostrorum. *Converte faciem tuam, et salvi erimus.* Et alibi, psal. 29. *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.* Respexit, Dominus Petrum, et flevit amare. Et Jacobus, cap. 1. Ideo vocat *Deum patrem luminum*, quia sicut Sol aspectu suo illuminat, calefacit, vivificat corpora, sic Deus respiciens oculo pietatis, illuminat, accendit, vivificat animas; *et eripe animam meam*, idest, educ de fovea, in quam cecidit; erue de laqueo venantium, quo capta, et irretita tenetur; eripe de manibus inimicorum, quibus tradita est propter peccatum. *Salvum me fac*, idest, libera ab imminente damnatione ad infernum. Nam proprie salvare, est liberare ab imminente mortis periculo. Notandus est autem ordo. Primo Deus convertitur ad nos, ac nos respicit gratia sua. Secundo nos convertimur ad illum, et sic anima eruitur a culpa. Tertio liberati a culpa, salvamur a periculo imminentis damnationis. Hoc autem totum, quod fit in actu justificationis, non fit per ulla nostra merita praecedentia (quid enim meretur impius nisi poenam?) sed per misericordiam Dei, ideo addit, *propter misericordiam tuam*, quasi dicat, audeo petere tam ingens donum, non quia dignus sum, sed quia tu misericors es.

5. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?*

Est hoc argumentum quartum a gloria Dei desumptum. Peto, inquit, non argui in furore, quia si ita fieret, ad mortem aeternam sine dubitatione damnaret: et sic periret ex parte memoria tua, et laus tua. Damnati siquidem ad gehennam non recordantur Dei, ut eum laudent; neque ullus est in inferno, qui confiteatur Domino, idest, laudet Dominum confitendo ejus beneficia, et mirabilia. Qui hunc locum intelligunt de morte corporali, et per infernum intelligunt sepulchrum, et sensum esse volunt, quod mortui in sepulchris jacentes Deum non laudant, neque ejus memores sunt, cum nihil sentiant: allegant verba Ezechiae apud Isaiam cap. 38. *Quia non confitebitur tibi, neque mors laudabit te;* et satis constat, Ezechiam petivisse liberari a periculo mortis corporalis. Sed profecto locus etiam Ezechiae debet intelligi de morte aeterna, ac de inferno damnatorum. Nam tametsi Ezechias timebat mori corporaliter, timebat etiam mori in aeternum, et cantavit canticum illud gratias agens Deo, quia intellexit ex dono corporalis sanitatis, tamquam ex signo divinae benevolentiae sibi remissa fuisse peccata, et liberatum se esse a periculo gehennae, unde ait: *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret; projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.* Et sane si de morte sola corporali haec intelligerentur, valde exilia essent argumenta. Nam etsi mortui corporaliter, et in sepulchro jacentes non laudent Deum, tamen animae eorum vivunt, et Deum laudant: et ipsa etiam corpora in sepulchro expectant veritatem Dei, idest, fidelitatem Dei de promissa resuscitatione. Soli illi sunt, qui descendunt in lacum aeternae damnationis, qui non expectant veritatem Dei, neque Dei recordantur in bonum, neque laudant, aut unquam laudabunt: atque ita hunc locum Ezechiae intelligit s. Hieron. in commentario Isaiae, et alii Patres.

6. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.*

Quintum argumentum ducit Propheta a fructibus dignis poenitentiae. Nam ut Apostolus dicit, 1. Cor. 11. *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, idest, si nos ipsos damnaremus, et puniremus, non damnaremur, nec puniremur a Domino. Parcit enim Deus iis, qui sibi non parcunt. Dicit igitur, se non solum intelligere, et detestari peccatum suum, sed etiam pro viribus punire, et puniturum. *Laboravi*, inquit, *in gemitu meo*, idest, tam ingenti fletu peccata mea deploravi, ut faticatus sim, nec tamen adhuc cesso. Nam *lavabo per singulas noctes lectum meum*, idest, singulis noctibus vice somni, et quietis, ubertim peccata deflebo, et lachrymis stratum rigabo. Notanda est hoc loco abundantia, et diuturnitas lachrymarum. Nam pro verbo, *lavabo*, in hebraeo est, אשחה *asche* natare faciam, ut etiam vertit s. Hieronymus: et ipsum etiam Latinum, *lavabo*, non significat effusionem paucarum guttarum, sed tantam copiam, ut iis lectus lavari posset. Vox etiam, *rigabo*, insinuat ingentem copiam lachrymarum decurrentium instar rivuli. Illud autem, *per singulas noctes*, in hebraeo ambiguum est. Nam significare potest, per totam noctem, et sic vertit s. Hieronymus: potest etiam significare in omni nocte, et sic acceperunt Septuaginta: utrumque mirabile est, et fortasse utrumque verum simul, idest, quod longo tempore singulis totis noctibus lachrymas copiosissimas fuderit. In quo speculo intueri se deberent, qui plurima, et gravissima peccata committunt, et vix paucas lachrymae guttas emittere valent, cum remissionem a Deo quaerunt.

7. *Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.*

Pertinent haec ad effectum indicandum maximae illius profusionis lachrymarum. Nam in hebraeo עשׁשׁה *has-hesha* pro *turbatus* est, habetur caligavit, seu corrosus est oculus meus, ut sensus sit, oculus meus propter furorem, et indignationem meam contra turpitudinem peccati, a fletu nimio corrosus caligavit, et turbatus est. Quod autem sequitur, *inveteravi*, in hebraeo refertur ad oculum, et est tertiae personae, inveteravit: tamen

quia non solum Septuaginta, sed etiam s. Hieronymus vertit in prima persona, inveteravi, sive consumptus sum, credibile est lectionem hebraicam nonnihil ab eo tempore immutatam, ut in voce, עתקה *hatheka* desit unum jod in fine, et loco ה, debet esse ת, et legendum sit, עתקתי *hatakti*, quae mutatio facillime accidere potuit. Sensus igitur est, *turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos*, idest, qui inveteravi inter omnes inimicos meos: et clarius, oculus meus caligavit prae fletu ex indignatione, quam concepi ex eo, quod tam diu in peccatis haeresim, ut inveteraverim inter omnes inimicos meos, quasi dicat: Non possum non vehementer mihi ipsi indignari, quod nullum vitium adhuc perfecte vicerim, nullumque hostem animae meae debellaverim, sed consenuerim inter omnes hostes meos. Vocat autem hostes, omnes qui eum ad peccandum impulerunt sive Daemones, sive homines, sive ipsa vitia, et habitus malos.

8. *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.*

Quia tam graviter ferebat se consenuisse inter hostes, ideo prorumpit in hanc vocem, *Discedite a me*, idest, nolo amplius consortium vestrum, non acquiescam tentationibus vestris, fretus divino auxilio. *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*, idest, quia Dominus misericordia motus ob lachrymas meas, non solum peccata dimisit; sed etiam virtutem auxit resistendi vobis.

9. *Exaudivit Deus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.*

Explicat quod dixerat, se exauditum, et idem repetit bis, terve, ad significandum certitudinem exauditionis; et ut ipse sibi hoc modo animum adderet, ad resistendum tentationibus.

10. *Erubescant, et conturbentur omnes inimici mei: convertantur, et erubescant valde velociter.*

Concludit optans finem totalem bellorum spiritualium. *Erubescant et conturbentur*, quia nihil profecerunt, sed in vanum laboraverunt: *convertantur in* locum suum, unde venerunt, *et erubescant*, idest, confusi discedant, velocissime: quia nimirum nolo differre vitae mutationem: sed ex hac hora, ex hoc momento aggredior viam Domini rectam, et perfectam. Potest etiam haec conclusio esse oratio pro conversione eorum hominum, qui vel persequendo, vel alliciendo caussa peccandi illi fuerunt. Optat enim et orat, ut illi erubescant, et conturbentur per veram cognitionem, et detestationem peccati: et sic ipsi quoque ad Deum velociter convertantur. Potest denique esse imprecatio implenda in die Judicii. Tunc enim vere omnes impii, sive Daemones, sive homines, qui justos ad impatientiam, vel alia peccata inducere voluerunt, confundentur, et erubescent, et convertentur ad agnitionem veritatis, sed inutiliter. Tunc enim dicent illud Sap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis*, etc. Erit autem id celeriter valde, quia dies Domini non tardat, etiamsi nobis nunc secus videatur. Sed cum venerit, et repentinus venerit, tunc sentietur, quam celeriter venerit. In hebraeo habetur, *Erubescant, et conturbentur vehementer*. Quae vox, *vehementer*, non habetur hoc loco in nostris codicibus Graecis, et Latinis; sed fuisse in editione septuaginta Interpretum, testatur s. Hieronymus in Epist. ad Suniam, et Fretellam. Sed si quis recte consideret, illa particula non deest in nostris codicibus, sed posita est paulo inferius. Nam ubi nos habemus, *convertantur, et erubescant valde velociter*, in hebraeo רגע *ragah* non habetur, *valde*, sed solum *velociter*. Ex quo intelligimus, non esse sensum, erubescant valde velociter, sed erubescant valde, et erubescant velociter. Et hoc modo codices omnes concordes erunt.

PSALMUS VII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, quem cecinit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.

In hebraeo non est, *psalmus*, sed, שגיון *shigajon*, quod proprie ignorantiam significat: tamen quia Septuaginta, et s. Hieronymus reddiderunt, *psalmus*, dicendum erit jam vocem esse ambiguam, et significare non solum ignorantiam, sed etiam genus aliquod cantici. Quis item fuerit Chusi, non est adeo certum. Sanctus Augustinus, et alii, qui non norunt linguam hebraicam, existimant esse Chusi Arachitem amicum David, qui (ut legitur 2. Reg. 16). misit nuncium ad Davidem, eique significavit consilium Achitophel. Sed ille Chusi scribitur per literam Chet, iste de quo in hoc psalmo, per literam Caph, neque constat, an ille Chusi fuerit filius Jemini. Denique David in hoc psalmo refellit calumniam cujusdam filii Jemini, ut patet ex illis verbis, *Si feci istud*; Chusi autem Arachites nullam calumniam dixit contra David. Sanctus Hieronymus existimat, titulum intelligendum esse de Saule, qui vocatur Chus, idest, Aethiops, ob nigredinem morum, et erat de tribu Beniamin, seu (quod est idem) filius Jemini, ut patet ex lib. Regum cap. 9. Saul enim lib. 1. cap. 22. dixit coram omnibus servi suis, *Non est qui vicem meam doleat, eo quod suscitaverit filius meus servum*

meum adversus me insidiantem mihi usque hodie. Hanc igitur calumniam refutat David in hoc spalmo juxta opinionem s. Hieronymi. Sed potest etiam aeque probabiliter dici, Chus hoc loco esse Semei, qui erat etiam filius Jemini, et maledixit Davidi, cum fugeret persecutionem Absalonis, et ait: *Egredere vir sanguinum, et vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo*, 2. Reg. 16. Ob hanc calumniam pessimam, et falsissimam videtur hunc psalmum composuisse, orans Deum, ut defendat innocentiam, et justitiam suam,et ideo vocatur psalmus, *Ignorantia David*, quia vere ignorabat, se mala illa fecisse, de quibus accusabatur a Saule, sive a Semei: ideo etiam dicit in principio psalmi: *Domine Deus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, etc.* Videtur igitur psalmus scriptus esse tempore persecutionis Absalon, ob verba maledictionis Semei; vel tempore persecutionis Saul, ob vera supradicta. Prophetice autem David gerit personam Christi, et cujuscumque justi calumniam sustinentis.

EXPLICATIO PSALMI VII.

1. *Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me,et libera me.*

In te, inquit,*speravi*,quia pene omnes deseruerunt me, ita ut etiam filius meus Absalon, vel socer meus Saul, quaerant me occidere: non habeo, cui fidam, nisi te Deum meum, *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me.* Multi enim eum persequebantur, alii consilio, alii maledictione, alii bello, et armis.

2. *Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.*

Respicit ad principem persecutionis: forte, inquit, Saul,aut Absalon rapiat animam meam,idest, vitam meam, ut leo solet absque ulla misericordia interficere animalia caetera: *dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat*, idest, dum tu non redimis, neque salvas. Sciebat enim David omnem industriam humanam sine Deo esse vanam. Utitur Scriptura voce redemptionis pro quacumque liberatione,etiamsi non fiat proprie per solutionem pretii. Sicut enim dicitur Deus vendere, quos alienat quodammodo a sua misericordia, et tradit ministris suae justitiae puniendos: ita dicitur Deus redimere, quos iterum a ministris justitiae erutos misericorditer liberat. In hebraeo habetur paulo aliter, videlicet: *Ne forte rapiat ut leo animam meam, lacerans, et non sit salvans*: sed in sententia non est varietas.

3. *Domine Deus meus,si feci istud,si est iniquitas in manibus meis.*
4. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.*

Reddit causam, cur petierit liberari a Deo, quia videlicet Deus novit innocentiam ejus,et sic refellit calumniam Saulis, et Semei de insidiis in Saulem,et de invasione regni: nec solum dicit se non reddidisse malum pro bono,neque malum pro malo, sed reddidisse bonum pro malo. Primo igitur dicit se non reddidisse malum pro bono, *Si feci*, inquit, *istud*, idest, si insidiatus sum regi, vel si invasi regnum fraude aliqua, aut vi, *si est iniquitas in manibus meis*, idest, si operatus sum iniquitatem reddens malum pro bono, idest, cum receperim a Saule honorem magnum, ut essem gener ejus, et Tribunus super mille viros, si reddidi pro his beneficiis malum insidiarum, ut ipse dicit. Addit, se non reddidisse malum pro malo, *si reddidi retribuentibus mihi mala*, idest, cum Saul, sive Semei retribuerint mihi multa mala pro beneficiis a me acceptis, ita ut me occidere voluerint,si reddidi eis vicem procurando eorum mortem, et non potius abstinuerim semper a nece ipsorum, cum facile inferre eam possem:*decidam merito ab inimicis meis inanis*, idest, si non sunt falsae eorum calumniae, non recuso cadere in praelio penitus inanis, idest, sine ulla gloria militari, nullo damno hostibus illato, et maximo accepto. In hebraeo legitur hoc modo,*Si reddidi retribuentibus mihi malum, et dimisi hostes meos vacuos*: sed vox *dimisi*, potest significare etiam, recedam, seu discedam, et tunc efficitur sententia, quam reddiderunt Septuaginta.Idem enim est recedam ab inimicis inanis. Si autem legamus cum s.Hieronymo: *Et dimisi hostes meos vacuos*, tunc sensus erit, se reddidisse bona pro malis, ac si dicat, si dimisi hostes meos non affectos a me aliquo insigni beneficio, eveniat mihi hoc, aut illud malum.

5. *Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.*

Haec sunt mala, quae sibi ipse imprecatur si sunt verae calumniae Saulis aut Semei. Semper autem crescit oratio. *Primo*, inquit, *persequatur inimicus animam meam*, idest, conetur me occidere. Secundo, *comprehendat*, idest, non possim effugere manus ejus,quin capiat me ad interficiendum. Tertio, *Conculcet in terra vitam meam*, ignominiose destruat vitam meam, quomodo destruuntur, quae pedibus minutatim atteruntur.Denique, *gloriam meam in pulverem deducat*,idest, post mortem detrahatur gloria mea de loco sublimi, in quo nunc est, usque ad pulverem, ita ut memoria mea cum infamia, et opprobrio vivat inter homines. Quinto additur in hebraeo, Selà,id est,semper infamis maneam.

6. *Exurge Domine in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum tuorum.*

Demonstrata innocentia sua petit a Deo justam defensionem. Et quia Deus per metaphoram dicitur dormire, cum non adjuvat, surgere a somno, quando incipit adjuvare, juxta illud psal.43.*Exurge, quare obdormis Domine?* Ideo nunc dicit: *Surge in ira tua,* idest, irascere inimicis meis, eosque repelle, ac terre, ne mihi noceant.Illud autem, *Et exaltare in finibus inimicorum tuorum,* idem fere significat;est enim sensus.Appare sublimis in finibus inimicorum, ut omnes te videant, idest, ut omnes praesentiam tuam sentiant. Parum autem refert, quod in hebraeo habetur, *inimicorum meorum,* in graeco, et latino, *inimicorum tuorum.* Iidem enim inimici erant Davidis, et Dei.

7. *Et exurge Domine Deus meus in praecepto, quod mandasti, et synagoga populorum circumdabit te.*

Petierat simpliciter auxilium Dei contra inimicos: nunc addit rationem cur deceat Deum hoc facere. Et ratio est, quia Deus praecepit Judicibus terrae, ut liberent innocentes de manibus opprimentium.Ex quo sequitur, ut ipsum quoque id facere deceat, qui est judex supremus super omnes Judices. *Exurge,* inquit,*in praecepto,quod mandasti,* idest, juxta preceptum quod mandasti. In hebraeo habetur, *Judicio,quod mandasti,*et idem est sensus, nimirum, juxta judicium, quod fieri praecepisti. Porro in hebraeo habetur: *Exurge ad me,* pro eo quod nos habemus: *Exurge Domine Deus meus.*Sed facile apparet unde nata sit diversitas interpretationis: nam vox hebraea potest legi, אלי *Eli*; ac sic legerunt Septuaginta, et recte verterunt, *Deus meus*: potest etiam legi, אלי *Elai*; et sic legerunt,qui addiderunt puncta,et sic s.Hieronymus, et ideo reddidit s. Hieronymus, *ad me,* et sic reddunt omnes, qui recipiunt puncta. Sed ut saepe dixi, in ejusmodi varietatibus, magna debet esse auctoritas Septuaginta virorum. *Et synagoga populorum circumdabit te,* idest, ex hac demonstratione praesentiae tuae in cohibendis inimicis meis,et in defensione mea,ut multi alii cognoscant te, et confiteantur tibi, teque laudent, et sic circumdabunt te, quia ubi sunt aliqui congregati in nomine tuo, ibi tu es in medio eorum.

8. *Et propter hanc in altum regredere, Dominus judicat populos.*

Qui dixerat, Synagoga populorum circumdabit te: ideo nunc adjungit, *et propter hanc in altum regredere,* idest, sicut propter me exaltatus es in finibus inimicorum meorum, terrens eos ex justitiae tuae solio: ita propter synagogam populorum laudantium te, quandocumque opus erit, in altum solium justitiae iterum ascende, et appare conspicuus in finibus inimicorum ejus.Quod sequitur,*Dominus judicat populos,* in hebraeo conjungitur cum versiculo sequenti, et vere cum illo optime cohaeret;sed optime etiam cohaeret cum versiculo praesenti, ut distinxerunt septuaginta Interpretes. Est enim redditio rationis, quasi dicat Propheta, Domine pro synagoga populorum tibi adhaerentium ascende in solium judicii adversus hostes eorum, quia Dominus judicat populos,idest,quia Domini supremi, qualis tu es, proprium est judicare populos.Neque refert si legamus,judicat cum graecis,vel judicabit, cum hebraeis,quia idem est sensus, nimirum, ad Dominum pertinet judicare populos.

9. *Judica me Domine secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.*

Haec est conclusio totius superioris precationis. Quia enim conscius sibi erat, falsam esse calumniam Saulis, sive Semei, et conscientiae suae testem habebat Deum; rogat ipsum Deum supremum judicem, ut judicet causam suam juxta justitiam suam, et innocentiam, quae est super se; et det unicuique prout meretur.

10. *Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum: scrutans corda, et renes Deus.*

Haec est quasi pars altera psalmi, in qua docet Propheta, eos, qui male agunt, adversus se ipsos agere, ac per hoc hortatur omnes, ut convertantur ab iniquitate ad justitiam. Ait igitur, *consumetur nequitia peccatorum,* idest,perficiatur,et ad summum perveniat nequitia peccatorum, tamen justo non nocebit: non enim eum inflectet ad dexteram, vel sinistram; quia tu *diriges justum,* idest, per tuam providentiam aderis justo, ne declinet ad dexteram, vel ad sinistram. Tu, inquam, hoc facies, qui solus nosti, qui sint vere justi, cum scruteris corda, idest, cogitationes; et renes, idest, desideria. In hebraeo habetur verbum futuri temporis, יגמר *igmor;* idest, consumetur, sive consummabitur: sed septuaginta Interpretes legerunt sine litera, *Jod,* quae minutissima est, et potest postea esse addita: sensus tamen in idem recidit.Si enim legas, *Consumetur nequitia,* sensus erit, nequitia peccatorum crescet usque ad summum,et tota consumetur in vexatione justorum,nec tamen eos dejiciet, neque inflectet; quia Deus eos diriget, et stabiliet, utrumque enim significat vox hebraea, *Theconen.*

11. *Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.*

Ex universali sententia colligit in particulari, se merito sperare adjutorium Domini. *Justum,*inquit, *adjutorium meum a Domino veniet*; quia justum est,ut Deus justos adjuvet,quoniam ejus proprium est salvos facere rectos corde, idest, eos qui vere sunt justi coram Deo, qui scrutatur corda. In hebraeo conjungitur prima vox hujus versiculi, cum versu superiore, *scrutans corda,et renes Deus* justus: et deinde incipit novus versus. *Adjutorium meum a Domino.* Res non est magni momenti, et in rebus dubiis praeferenda videtur auctoritas Septuaginta virorum, et Vulgatae nostrae editionis.

12. *Deus judex justus, fortis, et patiens; numquid irascitur per singulos dies?*

In hoc versiculo videntur dissidere codices hebraei, Graeci, et Latini. Nam, ex hebraeo vertit s. Hieron. Deus judex, justus, et fortis comminans tota die. Ex graeco reddit s. August. Deus judex, justus, et fortis, et patiens, non iram adducens tota die. Videntur autem plane contraria comminans, sive irascens: utrumque enim significat vox hebraea, זעם *Zohem*, tota die, et non iram adducens per singulos dies, idest, non irascens omni die. Codex autem latinus per interrogationem habet, *numquid irascitur per singulos dies?* sed facilis est concordia. Nam vox hebraea si legatur, אל *El*, ut legit s. Hieron. et ut nunc legitur secundum puncta Rabbinorum, significat fortem: si autem legatur, אל *Al*, ut potest legi cum aliis punctis, et ut legerunt septuaginta Interpretes significat non. Et hanc lectionem veriorem existimamus; et sic concordat graecus codex cum hebraeo, uterque enim habet, non irascitur, sive non comminatur. Illud autem *fortis*, quod est in graeco, non est interpretatio vocis hebraicae, אל *El*, sed est nomen superadditum a Septuaginta explicandi gratia, sicut etiam patiens. Nam in hebraeo ad verbum habetur, *Deus judex, justus*, non comminans, sive non irascens omni die, sive tota die. Latinus autem Interpres secutus graecam lectionem reddidit sensum, non verba, cum per interrogationem posuit, numquid irascitur per singulos dies? idem enim est, non irascitur, et numquid irascitur? Sententia igitur hujus versiculi est, Deum Judicem justum, qui simul est fortis, et patiens non semper comminari, vel irasci; sed aliquando re ipsa effundere iram suam gravissime puniendo, id quod dicitur adversus eos, qui videntes Deum saepe minari multa mala peccatoribus, et tamen differre executionem, contemnunt minas Dei. Hunc autem sensum esse hujus versiculi colligitur ex sequenti.

13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum.*

Probat Propheta, Deum non semper irasci, vel minari; sed aliquando effundere iram, et inferre mala, quae comminabitur. *Nisi conversi*, inquit, *fueritis, gladium suum vibrabit* (sic enim legendum est, non vibrabit), idest, gladium agitabit caedendo, atque ita splendere eum faciet. Nec solum gladio percutiet, sed etiam arcu; jam enim arcum tetendit, et paravit. Utitur autem similitudine gladii, et sagittarum, ut significet Deum ferire tam prope, quam longe: quando caussa mali nobis illati proxima est, et manifesta, tunc Deus ferit cominus; quando caussa mali remota, et occulta est, tunc videtur Deus eminus jaculari sagittas suas.

14. *Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.*

Ne putaremus, sagittas Dei facile posse repelli, aut vitari, addit Propheta, eas sagittas esse *vasa mortis*, idest, instrumenta mortifera, et sagittas effectas sive fabricatas ardentibus, idest, ex ardenti materia, ut sint tela ignita, quae velocissime, et summa vi penetrant omnia: porro nomen vasis passim accipitur in Scripturis pro instrumento, ut psal. 70. *in vasis Psalmi*. Isaiae 22. *Vasa musicorum*. Hieremiae 50. *Vasa irae*, et cap. 51. *Vasa belli*.

15. *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.*

Tribus sequentibus versiculis ostendit Propheta sagittas Dei, ut vere ignitas velocissime, et summa vi ferri, ut vitari non possint. Nam illa ipsa actione, Dei providentia sic disponente, qua peccatores nocere parant Justis, seipsos occidunt. Haec enim est mira Dei animadversio in peccatores, cum fecit, ut omnes eorum machinationes in ipsos convertantur. *Ecce*, inquit, peccator *concepit dolorem et peperit iniquitatem*, et foveam aperuit, ac profunde fodit, ut justum, vel aperte, vel clam opprimeret, sed Deo sic operante, cecidit ipse peccator in suam foveam, et dolor, quem conceperat, et iniquitas, quam pepererat, in caput ejus reciderunt. Sed singula explicemus. *Ecce parturiit injustitiam*, peccator videlicet injustum aliquod opus adversus justum effecit. Porro hoc loco *parturiit*, non est aliquid diversum a voce peperit, sed omnino idem; explicat enim statim clarius, quo semine parturierit, sive pepererit. *Concepit*, inquit, *dolorem, et peperit iniquitatem*. Concipitur enim semen, et paritur foetus. Conceptio doloris, est conceptio invidiae, sive odii in proximum, quae sunt semina malorum; et recte conceptio invidiae, vel odii, dicitur conceptio doloris, quia invidia et odium torquent et disrumpunt animam invidentis et odio habentis. Ex hoc malo semine concepto paritur opus iniquum, ut caedes, rapina, detractio, falsum testimonium, et similia. Quamvis autem videantur nonnullis tria distincta, *Parturiit injustitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem*, et vere parturitio sit quid medium inter conceptum, et partum: tamen dixi non esse hoc loco, nisi duo; tum quia duo sola respondent paulo infra non dicitur, convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet; tum quia si *parturiit*, hoc loco poneretur pro parturitione distincta a partu, poneretur post verbum, *concepit*, non ante illud. *Igitur parturiit injustitiam*, dictum est in summa et breviter, deinde explicatum est per illa, *concepit dolorem, et peperit iniquitatem*.

16. *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.*

Dixerat peccatorem peperisse iniquitatem contra justum; addit aperuisse etiam lacum, sive cisternam, ut est in hebraeo, בור *bor*. Significat autem his similitudinibus, peccatorem aliquando aperte, aliquando occulte moliri malum Justis: et quia tam partus, quam fossio sunt opera valde laboriosa, significatur, opera mala non sine dolore, et labore fieri. Hinc illa vox perditorum, Sap. 5.

Ambulavimus vias difficiles. *Et incidit in foveam, quam fecit.* Incipit jam Propheta ostendere mala illa hominum peccatorum ipsis peccatoribus solum nocere, et hunc esse gladium, sive sagittas Dei; et incipit ab ultimo malo, quia in illo desierat. Aperuit, inquit, lacum, seu cisternam, ut justus nesciens ibi esse foveam, in eam caderet; sed ipse prior in eam incidit, qui eam foderat.

17. *Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

Non solum mala occulta, ut apertio foveae, sed etiam manifesta, ut odium, sive invidia concepta, quae multis signis prodit exterius; et ipsa mala ex odio et invidia profecta, ut caedes, et rapinae et similia in auctorem, Deo sic disponente, recident. Exemplo sunt Saul, et David; Christus, et Judaei; Martyres, et persecutores.

18. *Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.*

Concludit psalmum cum laude Dei: *Confitebor Domino*, idest, laudabo Dominum. Sic enim passim accipitur in Scripturis confessio pro laude, quia videlicet qui laudat, confitetur eum, quem laudat, dignum esse laude: *secundum justitiam ejus*, idest, laudabo, prout meretur ejus justitia, quae tam admirandis modis liberat justos, punit injustos. *Et psallam nomini Domini altissimi*: idem significatur aliis verbis, hymnum dicam Domino altissimo, idest, supremo Judici, qui sedet in altissimo solio super omnes alios judices.

PSALMUS VIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro torcularibus, Psalmus David.

Vox torcularibus, in hebraeo est, הַגִּתִּית *Hagghittith*, quae nihil significare videtur, et ideo moderni, qui ita legunt, dicunt esse genus instrumenti musici nobis incogniti. At septuaginta, et s. Hieronymus, qui reddiderunt torcularibus, legerunt sine dubio, הַגִּתּוֹת *Haggitoh*, quod significat torcularia, et hanc esse veram lectionem dubitare non possumus. Quid autem sit, pro torcularibus, difficile est divinare; qui enim intelligunt Ecclesiam, vel martyria, vel Crucem Christi, mystice exponunt. Animadverti titulum, pro torcularibus, haberi in tribus psalmis, qui ad amorem Dei praecipue pertinent, videlicet in hoc octavo, qui exorditur a magno affectu: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* et in octogesimo, qui similiter hortatur ad jubilum spirituale, *Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob: sumite psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.* Denique in octogesimo tertio, qui plenus est affectu ardentissimi amoris divini: *Quam dilecta tabernacula tua Domine! concupiscit, et deficit anima mea: Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Itaque ex materia horum psalmorum suspicor dici, *pro torcularibus;* quia sunt aptissimi ad exprimendum vinum divini amoris ex cordibus hominum, vel quia cum laetitia, et cordis jubilo canendi sunt; quomodo laetari, et canere solent, tempore vindemiae, qui de torcularibus ingentem vini copiam exprimunt. Fateor tamen me nondum assequi tituli hujus, ut etiam aliorum multorum intelligentiam: est igitur argumentum hujus psalmi laudatio potentiae, sapientiae et benignitatis Dei, ac praecipue erga genus humanum.

EXPLICATIO PSALMI VIII.

1. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.*

Ex consideratione magnitudinis Dei, rapitur Propheta in admirationem, quod tantus Deus tanti faciat hominem, qui est pulvis et cinis, ut eum visitare, et ornare plurimis, et maximis beneficiis dignatus sit. Illud Domine, in hebraeo, est nomen proprium Dei, quod scribitur quatuor literis, et deducitur ab esse juxta illud: *Ego sum qui sum*, quod nomen moderni exprimunt per vocem, יְהוָה *Iehoua*, sed septuaginta Interpretes, et s. Hieron. imo Christus ipse, et Apostoli pronunciare non solebant, sed loco ejus dicebant, *Domine.* Illud autem, *Dominus noster*, est in hebraeo alia vox, אֲדֹנָי *Adonai*, quae proprie dominum significat. Itaque sensus est, *Deus*, qui es ipse fons essendi, unde omnia quae sunt derivantur, ac proinde *Dominus noster*, idest, Dominus rerum omnium es, *quam admirabile est nomen tuum in universa terra*; idest, gloria tua, sive bona fama nominis tui, diffusa est per omnem terram, cum ingenti admiratione omnium, qui illam considerare satagunt. Quod Isaias cap. 6. aliis verbis dicit: *Plena est o-*

mnis terra gloria ejus. Dicit autem nomen Dei esse admirabile, quia tametsi pauci re ipsa mirentur, cum pauci sint, qui considerent opera Dei; tamen ipsum nomen est admiratione dignissimum, cum omnes creaturae assidue laudent creatorem, ut omnia pulchra opera laudare dicuntur artificem. Et hoc modo plena est omnis terra gloria Dei; quia quidquid est in terra, etiamsi minimum quid videatur, potentiam, et sapientiam creatoris infinitam manifestat.

2. *Quoniam elevata est magnificentia tua super coelos.*

Ratio redditur, cur sit tam admirabile nomen Domini in universa terra: videlicet, magnificentia Dei est altior coelo, idest, non capitur coelo; tanta est, ut totus mundus eam capere non possit. *Operuit coelos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra*, inquit Abacuc in cantico suo, cap. 3. Porro magnificentia virtus est magnorum principum, qui magnis sumptibus, vel ingentia palatia, aut civitates aedificant, vel maximum numerum famulorum, aut etiam exercitus integros alunt, vel amplissima dona in alios conferunt. Deus autem aedificavit palatium hujus totius mundi, cujus pavimentum est orbis terrae, et tectum est coelum. Alit autem omnia viventia, quae sunt innumerabilia: denique donavit Angelis sanctis, qui sunt in maximo numero, et donaturus est hominibus justis regnum amplissimum non temporale, sed aeternum. Vere igitur magnificentia ejus maxima est.

3. *Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, et ultorem.*

Respondet objectioni, quae poterat fieri: si gloria Dei replet orbem terrae, et magnificentia ejus elevata est super coelos; unde fit, ut non omnes eam cognoscant, et laudent? Respondet inde fieri, quod Deus non dignetur cognosci, et laudari a superbis, qui de sua virtute praesumunt; sed ab humilibus, et parvulis, juxta illud Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et hinc valde crescit gloria, et magnificentia Dei, cum non cognoscatur, nisi a quibus ipse cognosci voluerit. Potest autem hic versiculus duobus modis intelligi. Primo; ut per infantes, et lactentes, intelligantur homines, qui re vere comparatione Angelorum sunt veluti infantes, et lactentes, praesertim circa intelligentiam rerum divinarum: ergo inquit, ex ore mortalium hominum perfecisti laudem, revelans eis gloriam tuam, *propter inimicos tuos*, idest, ad confusionem superborum Angelorum; *ut destruas inimicum, et ultorem*, idest, ut perdas sapientiam primarii inimici, tui, Diaboli, et defensoris, sive ultoris ejus, idest, agminis Angelorum reproborum, qui illum sequuti sunt. Secundo, per infantes, et lactentes, possunt intelligi homines humiles, et parvuli in oculis suis, imperiti scientiarum saecularium, quales fuerunt multi Prophetae, et Apostoli, et ingens numerus monachorum, et virginum sanctarum, necnon vere puerorum, qui in tenera aetate adeo perfecte cognoverunt gloriam Dei, et admirabile nomen ejus, ut pro ipso mortem oppetere non dubitaverint. In hoc sensu allegavit Dominus hunc psalmum in Evangelio: *Numquam legistis, quia ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem?* Matth. 21. Inimici autem dicuntur sapientes hujus mundi, et defensores ipsorum, qui quamvis Deum cognoverunt, tamen non sicut Deum glorificaverunt, ideo insipientes facti sunt, ut Apostolus docet ad Rom. 1. Quod dicitur, *ut destruas*, in hebraeo, להשבית *lehash bith*, est, *ut quiescere facias;* sed sensus est idem. Nam non loquitur psalmus de destructione personae, sed sapientiae, juxta illud Isaiae cap. 29. ut a d. Paulo citatur: *Perdam sapientiam sapientum*, et illud Apostoli 1. Cor. 1. *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.*

4. *Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quae tu fundasti.*

Sanctus David ponit se in numero infantium, et lactentium laudantium Deum, quasi dicat: Certe ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem. Nam ego unus ex illis, quippe qui pastor ovium eram, tuas laudes perficiam, *Quoniam videbo coelos tuos*, idest, considerabo attente admirabile illud opus manuum tuarum, et inde laudabo te tanti operis creatorem. Illud *tuos*, non est in graeco, tamen est in hebraeo, שמיך *sciameca*, et inde in editionem nostram recte translatum fuit. Cur autem dixerit, *tuos*, declarat dicens, *opera digitorum tuorum*: nec dicit opera brachiorum, sed digitorum, tum ut ostendat summa facilitate coelos a Deo fuisse conditos; tum quia digitis fiunt opera subtilia, et pretiosa, ad quae facienda ingenium, non labor requiritur: non meminit solis, sed lunae tantum et stellarum, quia tempore nocturno contemplari solebat David; quoniam tempus illud ob quietem contemplationi aptius est. *Media nocte*, inquit psal. 118. *surgebam ad confitendum tibi.* Et alibi psal. 62. *In matutinis meditabor in te.* Sicut etiam Isaias cap. 62. *Anima mea desideravit te in nocte*, Noctu autem coelum videtur, luna et stellis ornatum: denique verbum *fundasti*, significat coelos, lunam, et stellas ex nihilo creata, quasi dicat Prophela, quae tu a fundamento fecisti, cum antea nihil eorum extaret.

5. *Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

Ex magnitudine Dei jam declarata, accedit ad tollendam magnitudinem Dei erga homines, *Quid est*, inquit, *homo*, quod tu creator coeli, et terrae dignaris ejus recordari; quasi dicat, maximum est hoc beneficium, quod altissimus Deus dignetur meminisse hominis, qui est pulvis et cinis. Quia vero istud, recordari in Deo, non est simplex memoria, sed est recordari ad benefaciendum; addit explicans, *aut filius hominis*, *quoniam visitas eum.* Homo, et filius hominis hoc loco idem significant, nisi forte ponatur haec distinctio ad signifi-

candum beneficia Dei non esse collata in solum primum hominem, qui fuit homo, sed non filius hominis; sed etiam in omnes posteros,qui ita sunt homines, ut sint etiam filii hominum. Visitatio autem significat specialem providentiam, quam Deus habet erga homines, sed praecipue illam, quam Deus ostendit, cum venit in hunc mundum,et assumpsit humanam naturam, et in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Haec est proprie visitatio, de qua Zachar. in Cant. Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.*Et infra. *Visitavit nos oriens ex alto.*Haec sane visitatio maxime meretur illam admirationem, *Quid est homo*, etc.

6. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Haec duplicem habent sensum, litteralem, et allegoricum. Secundum litteralem sensum commemorantur tria beneficia Dei erga naturam humanam, primo, quod homo sit conditus a Deo tam nobilis naturae, ut non sit inferior Angelis,nisi modicum: deinde, quod sit ornatus gloria, et honore prae omnibus aliis inferioribus creaturis, quia sit factus ad imaginem, et similitudinem Dei, ratione et libero arbitrio praeditus. Denique, quod acceperit potestatem,et dominium in omnia opera Dei, ac praesertim in animalia: ideo subjungit.

7. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi.*
8. *Volucres coeli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.*

Per oves et boves intelliguntur omnia animantia domestica: per pecora campi,animantia sylvestria, quae libere vagantur per campos; per aves coeli, et pisces maris, non est dubium quid intelligatur. Illud est notandum in Hebraeo post *pisces maris*, addi in singulari, *perambulans semitas maris*, et in graeco etiam mutari saltem genus: nam post *pisces maris* habetur in neutro,perambulantia *semitas maris*. Sensus igitur est, non solum pisces proprie dictos, sed omne ambulans, sive omnia perambulantia semitas maris, idest, quidquid movetur in mari, sive sint pisces, sive monstra, sive quid aliud. Jam vero secundum allegoricum sensum, sed certum, et a Deo intentum Apostolo teste, Hebr. 2. e 1. Cor. 1. 15. significatur, hominem in Christo post illam insignem Dei visitationem, idest, Verbi incarnationem, minoratum aliquantulum ab Angelis propter passionem: tunc enim Christus visus est aliquo modo minor Angelis, cum ei apparuerit Angelus de coelo confortans eum et cum Angeli sunt impassibiles, et immortales, Christus autem eo tempore passus et mortuus sit. Absolute autem semper fuit Christus Angelis superior, et omni ex parte superior, Quod apparuit, quando gloria, et honore coronatus est, idest, per resurrectionem circumdatus undique glorioso, et immortali corpore, et constitutus per admirabilem Ascensionem super omnia opera Dei, exaltatus videlicet ad ipsam Patris sui dexteram. Omnia quoque subjecta sunt ei, nulla re excepta, *praeter illum*, ut Apostolus ait, 1. Cor. 15. *qui subjecit ei omnia.*Res autem illi praecipue subjectae sunt primo homines, tam fideles, significati per oves, et boves; subditos, et praelatos; minores, et majores; quam infideles,significati per animantia sylvestria. Deinde Angeli hominibus superiores significati per aves coeli, quae in sublime feruntur, et canunt assidue laudes Dei. Denique daemones hominibus inferiores significati per pisces maris, qui in imis, et profundissimis locis habitant, et muti sunt ad laudes Dei,et luto,ac humoribus delectantur. Haec omnia allegorice variis modis exponi posse, docet s. Augustinus in hunc locum;ubi aliam ponit expositionem, quae apud eum legi poterit. Unum hoc loco addendum est, quod superius commemorandum fuisset cum psalmista dicit, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, non esse in hebraeo nomen Angelorum, quos hebraei vocant, מלאכים *Malachim*, sed אלהים *Elohim*, quod interpretari solet Deus,vel Dii; sed quia nomen Dei in Scripturis saepe tribuitur Angelis, et ipsis etiam hominibus, qui aliis praesunt; recte septuaginta Interpretes respicientes sensum Prophetae, posuerunt, *Ab Angelis*; et eam interpretationem approbavit Apostolus Hebraeor. 2.

9. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.*

Repetit primam sententiam, ut ostendat illam esse quasi conclusionem, quam in toto psalmo declarare et approbare intendebat, quasi dicat, Jure igitur, ac merito exclamavi, *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.*

PSALMUS IX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro occultis filii, Psalmus David.

Hunc titulum Hebraei legunt, *Victori super mortem filii*: et quidem verba hebraica, ut modo leguntur, ita sonant. Sed quia psalmus hic est psalmus laetitiae, et David non laetitia, sed moerore maximo affectus fuit ex morte filii, ideo aliqui volunt vocem illam, לבן *Laban*, legendam esse ordine literarum converso videlicet, נבל *Nabal*, ut sensus sit, pro morte *Nabal*. Sed psalmus non loquitur de morte unius hominis tantum, sed etiam de interitu magni alicujus exercitus. Ideo alii dicunt in hoc psalmo gratias agi Deo pro morte Goliath, et fuga totius exercitus Philistinorum. Sed Goliath non fuit filius David, ut inscribere debuerit psalmum *pro morte filii*. Verissima est igitur lectio Septuaginta et vulgatae latinae editionis, *pro occultis*, sive *arcanis filii*. Voces enim illae, על מוּת *hal muth*, possunt legi, עלמוֹת *alamoth*, quod significat, *occulta* sive *arcana*, et credibile est excidisse praepositionem, *al*, et legendum *al alamoth*, pro occultis, sicut legitur in titulo psalmi 45. Certe septuaginta Interpretes, qui utrumque titulum eodem modo reddiderunt, videlicet pro occultis, sine dubio eodem modo legerunt, videlicet, עלמות על *hal halamoth*, neque dubium esse potest, quin libri eorum emendatiores fuerint quam nostri. Quia vero ponitur hoc loco nomen filii absolute, et praecedit nomen arcani, sive occulti, idest, mysterii reconditi, recte intelligimus in psalmo tractari de unico illo Filio Dei, qui in carne humana delitescens, novo bellandi genere pugnans vicit diabolum et exercitum ejus, quod Apostolus Coloss. 1. vocat mysterium absconditum a saeculis. Ad quem sensum reduci potest lectio hebraica, pro morte filii, id est, pro morte Christi filii Dei, quatenus ea mors fuit gloriosa debellatio principis tenebrarum.

EXPLICATIO PSALMI IX.

1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.*

Proponit materiam psalmi, quae erit laudatio Dei propter opera ejus mirabilia. Illud, *in toto corde*, significat rem esse omnium maximam, quam laudaturus est, et ideo totis viribus, totoque affectu laudandam. Illud etiam, *omnia mirabilia*, significat, rem laudandam esse tam universalem, ut quasi compendio quodam comprehendat omnia opera mirabilia Dei. Et vere talis fuit redemptio generis humani, opus summae misericordiae, in quo recapitulantur omnia beneficia Dei, juxta illud Apost. ad Eph. 1. *Instaurare omnia in Christo*, idest, recapitulare, ut sonat vox graeca, ἀναχεφαλαιώσασθαι, et in unam quasi summam omnia redigere.

2. *Laetabor et exaltabo in te, psallam nomini tuo Altissime.*

Idipsum aliis verbis significat, vel potius explicat, quasi dicat, Confitebor tibi laetabundus et exultans, ita ut laetitia sit in corde, exultatio in exteriori motu; atque ita in toto corde confitebor. Narrabo mirabilia psallens nomini tuo altissime, idest, in gloriam tuam canens illa mirabilia.

3. *In convertendo inimicum meum retrorsum infirmabuntur et peribunt a facie tua.*

Incipit narrare victoriam Christi contra diabolum, et satellites ejus, et loquitur in persona totius Ecclesiae. *In convertendo*, inquit, *inimicum meum retrorsum*, idest, cum convertetur inimicus meus diabolus retrorsum, fugere videlicet incipiens a facie tua; tunc omnes ejus milites infirmabuntur, et peribunt, idest, cognita fuga ducis, debiles reddentur, et dilabentur, ac evanescent ac si periissent. De hac fuga diaboli loquitur in evangelio Dominus: *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* Joan. 12.

4. *Quoniam fecisti judicium meum, et causam meam, sedisti super thronum, qui judicas justitiam.*

Reddit causam quare futurum sit ut diabolus fugiat, et totus ejus exercitus dissipetur. *Quoniam*, inquit, tu Domine filii Dei, *fecisti judicium meum et causam meam*, idest, absolvisti judicium, et litem (id enim proprie sonat vox Hebraea דִּינִי *dini*) et controversiam, quae erat generi humano; sive Ecclesiae cum diabolo. Diabolus enim praetendebat genus humanum juste a se teneri captivum, et tyrannice illud vexabat, sed Christus in cruce ab-

solvit hanc litem, satisfaciens pro homine; unde subditur; *Sedisti super thronum, qui judicas justitiam*, ubi crucem vocat thronum, juxta illud s. Leonis serm. 8. de passione Domini: *O ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est crucifixi!* Atque haec sunt vere occulta Filii Dei, ut habetur in titulo Psalmi. Qui enim in oculis hominum reus videbatur, et cum summa ignominia poenas luere, is illo ipso tempore in throno sedens justitiam judicabat, idest, justissime judicabat, jam pretio persoluto hominem liberandum et diabolum dominio spoliandum, et re ipsa *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, ut scribit Apost. Coloss. 2. *tulit de medio, affigens illud cruci, spolians principatus, et potestates.*

5. *Increpasti gentes, et periit impius: nomen eorum delesti in aeternum, et in saeculum saeculi.*

Post debellatum diabolum per crucem, Dominus Christus per Apostolos increpavit gentes: *Arguens mundum de peccato, de justitia, et de judicio* (ut ipse Dominus futurum praedixit Jo: 16.) et eo modo periit impius, idest, periit impietas idololatriae, et homo de impio factus est pius. Nec solum periit impius, qui tunc erat, sed delevit Christus nomen eorum, idest, gentilitatis, et idololatriae in aeternum, ut non amplius sint rediturae, quasi stirpitus eradicatae. Id quod jam videmus ita impletum, ut ne Judaei quidem colant amplius idola; qui ad ea colenda propensissimi erant. Quod attinet ad verba, in graeco non est, *nomen eorum*, sed *nomen ejus*, idest, impii: sed in hebraeo est, שמם *schemam nomen eorum*, et latina interpretatio idem habet, vel quod olim in Graeco ita legeretur, et postea sit mutatum vitio librariorum; vel quod latino interpreti magis placuerit lectio hebraica: sed in sententia non est diversitas ullius momenti. Illud autem *in aeternum, et in saeculum saeculi*, in hebraeo est, לעולם ועד *leholam vahed*, in saeculum, et in aeternum: significatur autem ista additione vera aeternitas, idest, tamquam finienda duratio, ne quis acciperet hoc loco aeternum pro longo tempore, sed aliquando finem habituro.

6. *Inimici fecerunt frameae in finem et civitates eorum destruxisti.*

Reddit causam, cur non sit reditura idololatria; quia perierunt arma diaboli, et civitates ubi habitabat, ita ut non habeat nec unde offendat, nec ubi se defendat: illud, *inimici*, est genitivi casus, ut patet ex graeco: nam ex hebraeo posset etiam verti, O inimice, sed rectissima est versio graeca latina, et non repugnat hebraicae, pro *frameae*; in hebraeo nunc legitur solitudines, sed verbum, חרבות *carabot*, significat gladios, et חרבו ת *corabot*, solitudines, utrumque autem legi potest, solum mutatis punctis. Itaque septuaginta legerunt, *carabot*, ideo recte verterunt frameae, sive gladii, ut sensus sit, defecerunt gladii hostis nostri diaboli usque in finem, idest, nullo remanente, sive in aeternum. Illud etiam, *civitates eorum*, in hebraeo et graeco habetur sine pronomine eorum, et civitates destruxisti, nimirum inimici, quasi dicat, inimicus amisit gladios, et civitates: per gladios inimici intelligi possunt tentationes, sive suggestiones, et quasi verba diaboli, sicut *gladium spiritus* vocat Apostolus verbum Dei, unde etiam idem Apostolus tentationes diaboli esse dicit *tela ignea*, ad Ephes. 5. Dicuntur autem isti gladii defecisse, quia nihil nocere possunt armatis fide Jesu Christi. In quo sensu allegavit hunc locum psalmi s. Antonius apud Athanasium in vita ipsius, probare volens tentationes diaboli per signum crucis facillime repelli; per civitates autem diaboli intelligi possunt homines infideles, in quibus diabolus libere regnat. Destruxit Christus has civitates, dum per totum mundum idola substulit. De hac re Dominus loqui videtur, cum ait Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quae possidet; si autem fortior superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, etc.* Cum diabolus custodiebat atrium, in pace erant omnia, quae possidebat; idest, cum infidelis infidelitatem conservabat, secure possidebat omnia sua, quia dum homo est infidelis, semper est in manu diaboli, etiamsi moraliter bene vivere videatur, ut multi philosophi, atque Ethnici faciebant. At atrio expugnato per Christum, id est, infidelitate sublata, et cognitione veri Dei introducta, omnia sua diabolus perdidit.

7. *Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in aeternum permanet.*

In hebraeo, ut nunc legitur, non habetur *cum sonitu*, sed *cum ipsis*, ut sensus sit, perierunt impii, et cum ipsis periit etiam memoria ipsorum. Caeterum vox hebraica potest legi, המה *Hemma*, et significat cum ipsis, potest etiam legi, המה *Hama*, et significat sonitum; sic legerunt Septuaginta Interpretes, et addiderunt perspicuitatis gratia praepositionem, *cum*, et ideo verterunt *sonitu*; sensus autem est, periisse memoriam idololatrarum, et ipsorum idolorum, et totius regni Satanae cum magno strepitu, et sonitu. Repugnavit enim mundus totus, et ipsi summi reges, et imperatores totis viribus conati sunt idola defendere: sed quo magis mundus fremebat, eo magis idololatria cadebat, et memoria ejus abolebatur. Denique finito strepitu persecutionum, memoria quoque idololatriae periit: Dominus autem Christus, et ejus memoria numquam peribit.

8. *Paravit in judicio thronum suum, et ipse judicabit orbem terrae in aequitate, judicabit populos in justitia.*

Post Christi mortem, et resurrectionem *data est ei omnis potestas in coelo, et in terra*, Matth. ultimo. In hoc loco David commemorat quasi dicat, post certamen cum diabolo, Dominus *paravit*, sive ut sonat vox hebraea, כונן *chonen*, stabilivit thronum suum in judicio, idest, ad judicandum; et ipse, qui est princeps regum terrae, *judicabit or-*

bem terrae, idest, populos omnes totius mundi, *in aequitate*, et justitia. Idem est autem hoc loco aequitas, et justitia; nam tam in hebraeo, quam in graeco pro, *aequitate*, habetur justitia, pro *justitia* habetur, rectitudo; itaque latinus interpres non accepit aequitatem proprie, sed ut poni solet aliquando pro justitia; et sicut in hebraeo, et graeco est res eadem, bis repetitur diversis vocibus: ita credendum est, latinum interpretem eadem intelligi voluisse per aequitatem, et justitiam. Dicitur autem Christus judicare orbem terrae, quamvis multi sint in mundo principes infideles, et impii, qui contra Christum pugnant; quoniam corda eorum in manu Christi sunt, nec faciunt, nisi quod ipse justo judicio facere eos sinit.

9. *Et factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus in tribulatione.*

Ex eo quod deinceps regnabit Dominus Christus et judicabit juste, colligit David magnam consolationem pauperum, qui alias a potentibus opprimi solent, quasi dicat, non timeant amplius pauperes, quia Dominus in coelo sedens factus est refugium pauperum; et rursus ipsum aliis verbis repetit: *adjutor*, inquit, *pauperum in opportunitatibus*, idest, temporibus opportunis, quando videlicet necessitas id requirit, nimirum in tribulatione. Tunc enim opportune divinum praebetur auxilium, quando tribulatione urgemur, et deficit humana consolatio. Adimpletur autem haec promissio in omnibus, qui Deum vere quaerunt, et timent; et ideo subjungit:

10. *Et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quaerentes te Domine.*

Mutatio personae frequens est in psalmis, et saepe nascitur ex affectu novo, qui Davidi inspirabatur dum laudes Dei caneret. Merito, inquit, in te sperare possunt in angustiis suis omnes, qui noverunt nomen tuum, idest, qui non solum sonant voce nomen Dei; sed probe intelligunt, quam magnam rem significet, et ex nomine isto recte intellecto cognoscunt potentiam, et misericordiam Dei. Ideo merito in te sperare possunt amici tui, *quoniam non dereliquisti*, idest, numquam dereliquisti quaerentes te. Dicuntur autem quaerere Deum qui cupiunt ejus gratiam, et student toto corde placere illi.

11. *Psallite Domino, qui habitat in Sion; annunciate inter gentes studia ejus.*

Post apostrophen ad Deum, ex eodem fervore spiritus facit aliam ad homines, exhortans eos, ut ipsi quoque Deum laudent, et alios ad laudandum excitent. Dicitur Dominus habitare in Sion, quia ibi erat arca testamenti, et locus orationis; additur haec periphrasis, ut distinguatur Deus verus a Diis falsis, qui habitant in delubris, et sanis Ethnicorum. Illud autem, *studia ejus*, significat cogitationes, consilia, molimina, adinventiones, opera Dei mirabilia, quae relucent in redemptione generis humani. Nam idem vocabulum hebraicum, עלילות *haliloth*, quod hic vertitur *studia*, in psalm. 104. vertitur *opera*. Isaiae 12. in cantico Isaiae vertitur, *adinventiones*. Itaque sensus est, cantate Deo vero psalmum, laudantes eum, et annunciate inter gentes mirabiles cogitationes, et mirabilem industriam, atque adeo mirabilia opera ejus, ut omnes gentes haec audientes illum laudent.

12. *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.*

Redit Propheta ad id quod dicebat, Dominum justum judicem esse refugium pauperum in tribulatione, et respondet tacitae objectioni, quae poterat fieri, quia videmus interdum pauperes pios opprimi a potentioribus, et etiam innocenter occidi. Laudate, inquit, Deum, quoniam etiamsi videatur aliquando oblivisci pauperum suorum; tamen non ita est, sed *requirens*, idest, inquirens in vitam hominum, et discutiens acta singulorum, *recordatus est sanguinem innocentium injuste effusum, et non est oblitus clamorem eorum*, qui dum opprimerentur, clamaverunt ad eum. Deum autem recordatum esse sanguinem suorum, patebit suo tempore, quando opprimentium poena, et oppressorum gloria manifestabitur.

13. *Miserere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.*

Laudavit eum de praeteritis beneficiis; nunc implorat auxilium adversus praesentes, et futuras angustias. Est autem vox Ecclesiae contra persecutores tum visibiles, tum invisibiles. *Miserere*, inquit, *mei Domine, vide humilitatem meam*, idest, abjectionem meam (id enim sonat verbum graecum ταπείνωσις) sive afflictionem meam (quod significare solet verbum hebraicum) עני *honi* de inimicis meis, idest, ex inimicis meis provenientem.

14. *Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.*

Prima pars hujus versiculi conjungitur cum superiore versu. Est enim sensus. *Miserere mei, vide humilitatem meam*, tu Domine, *qui exaltas me de portis mortis*, idest, qui soles me longe facere a portis mortis; et quia portae illae intelliguntur esse in loco inferiori, et eaedem cum portis inferi, quia non loquitur Propheta de morte corporis, sed de morte animae per peccatum, sive de morte aeterna; ideo exaltari se dicit, ut longe fiat ab illis. Per portas mortis, sive inferi, videtur intelligenda multitudo infernalium hostium nostrorum. Quia enim multitudo populi ad portas convenire solebat apud Hebraeos, sive ad judicium, sive ad alia publica negotia, ideo multitudo nomine portarum significatur. Matth. 16. *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ecclesiast. ult. *De portis tribulationum, quae circumdederunt me.* Pulchre

autem opponuntur portae mortis portae filiae Sion, idest, portis Jerusalem: quia portae mortis seu inferni in loco infimo sunt, portae Jerusalem in monte excelso: in portis mortis congregatur populus infernalis, in portis Jerusalem populus Dei. Portae mortis tentationes, et bella emittunt, per quae itur ad mortem; portae Jerusalem in pace fundatae sunt. Jerusalem enim posuit fines suos pacem, et ipsa visio pacis dicitur. Itaque exaltatur Ecclesia a portis mortis, ut annunciet laudem Dei *in portis filiae Sion*, idest, liberatur a tentationibus, ne cadat in mortem aeternam, ut gratiam liberatoris agnoscat, et laudet coram Angelis Dei, qui sunt in portis coelestis Jerusalem.

15. *Exultabo in salutari tuo, infixae sunt gentes in interitu, quem fecerunt.*

Exultabo, inquit, liberatus de portis mortis, in salutari tuo, idest, in salute a te mihi donata. Quoniam (id enim subintelligitur, ut saepe alias in psalmis) gentes, quae mihi interitum fecerunt, idest, paraverunt, in ipsum interitum infixae sunt tamquam in luto tenacissimo, unde evadere nequibunt: hoc est, persecutio inimicorum non mihi nocuit, sed ipsis.

16. *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.*

Nec solum aperta prosequutio, sed etiam occulta, quae veluti laqueus tendebatur, auctoribus perniciosa fuit, non mihi. Fortasse hic tanguntur persequutiones apertae Diocletiani, et similium, et occultae Juliani Apostatae, et imperatorum haereticorum.

17. *Cognoscetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

Ex hoc mirabili judicio Dei, qui convertit arma, et fraudes hominum impiorum in ipsos, colligit David fore, ut cognoscatur Deus. *Cognoscetur Dominus judicia faciens*, idest, cognoscetur esse Deus verus, et summus, dum judicia facit tam admiranda: nam per ejus providentiam in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, nimirum dum incidit in interitum quem aliis paraverat, et in laqueum quem aliis tetenderat. Similia habentur in psal. 7. versu 15. et eumdem sensum habent. Post hunc versiculum in hebraeo additur הגיון סלה *Higgaion selà*, quod verti potest, meditatio semper, quod significat, judicia Dei supradicta assidue, ac jugiter esse meditanda.

18. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quae obliviscuntur Deum.*

Non imprecatio, sed prophetia est, impios ad inferos descensuros. *Convertantur*, positum videtur pro revertantur, ut vox hebraea ישובו *iaschubu*, sonat, et revertantur, pro revertentur. Dicuntur autem peccatores reversuri ad inferos, quia inde venerunt, qua peccatores sunt: Deus enim fecit hominem rectum, sed diabolus eum peccatorem fecit. *Vos*, inquit Dominus Joan. 8. *Ex patre diabolo estis.* Quod sequitur, *omnes gentes quae obliviscuntur Deum*, declarat qui sint peccatores reversuri in infernum, illi nimirum omnes, qui obliviscuntur Deum. Oblivio enim Dei est radix omnium peccatorum: nam omnis qui peccat, avertitur a Deo, et convertitur ad creaturam.

19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.*

In hebraeo non habetur negatio in secundo membro, sed legitur, *patientia pauperum peribit in aeternum*, sed negatio prioris membri ex phrasi hebraica, trahitur etiam ad membrum posterius, et ideo septuaginta Interpretes recte verterunt, *non peribit.* Significat autem hic versiculus, ideo peccatores, qui pauperes opprimere solent, in infernum dejiciendos, quoniam Deus vindictam aliquando sumet de oppressione pauperum suorum. Quamvis enim ad tempus videatur non recordari eorum; tamen non obliviscetur eorum in finem; sed aliquando recordabitur, et proinde patientia sive expectatio pauperum non peribit *in finem*, idest, in aeternum, ut sonat vox hebraea לעד *Lahad.* Dicitur autem patientia pauperum non peritura in aeternum, non quoad se, sed quoad suum affectum; quasi dicat, non frustrabitur in aeternum, sed aliquando effectum suum sortietur.

20. *Exurge Domine, non confortetur homo, judicentur gentes in conspectu tuo*

Posteaquam praedixit interitum impiorum, rogat Deum ut incipiat coercere impios. *Exurge*, inquit, *Domine, non confortetur*, idest, non praevaleat homo, qui pulvis est contra Deum factorem suum. *Judicentur gentes in conspectu tuo*, idest, judicium contra eos a facie tua prodeat. Quod in alio psalmo legimus, *Judica illos Deus.*

21. *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.*

Judicium contra gentes, quae persequebantur Ecclesiam, manifestum fuit quando subjectae fuerunt principi christiano. Tunc enim intellexerunt gentiles, ac homines esse, infirmos videlicet, et contra Christum praevalere non posse. Id praedicit Propheta per modum precantis. Nomen hebraicum מורה *Morah*, vel מורה *Morè.* Doctorem significat, et etiam terrorem, ut vertit s. Hieronymus. Et quia Propheta loquitur de doctore terribili, qui cum imperio praecipit, et docet, ideo recte legislatorem dixerunt Septuaginta Interpretes. Multi per hunc legislatorem intelligunt Christum; multi Antichristum. In re obscurissima quisque in suo sensu abundet. Ego Constantinum intelligo, Jovinianum, Valentinianum, Theodosium, et similes.

22. *Ut quid Domine recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione.*

In hoc versu incipiunt Hebraei psalmum decimum, sed hanc distinctionem septuaginta Interpretes non habuerunt: et credibile est, a posterioribus excogitatam fuisse distinctionem, propterea quod materia hujus partis psalmi videatur diversa omnino a materia prioris partis,cum in parte priore exultet Ecclesia pro victoria contra inimicos Dei et suos: in posteriore gemat ob eorumdem inimicorum prosperos successus adversus Ecclesiam. Sed non tam est diversa materia,quam diversa sunt tempora, quae David prophetando percurrit. In principio enim psalmi exultabat David in spiritu ob occulta mysteria filii Dei, qui moriendo debellavit aereas potestates, et gentilitatem, atque idola destruxit: deinde in fine prioris partis, et in hac posteriore praedicit persecutiones Ecclesiae tum a gentibus, tum ab aliis malis hominibus excitatas: quae interdum ita crescunt, ut videatur Dominus oblitus esse populi sui, quem tam gloriose liberaverat, et quia dixerat paulo ante, *Factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, ideo nunc respiciens aliud tempus, quo, Deo permittente, pauperes opprimuntur a potentioribus, ait, *ut quid Domine recessisti longe*, idest,ita permittis impios grassari in justos,ac si non adesses,sed longe recessisses? *Despicis*, tuos pauperes videlicet, *in opportunitatibus*, quando opportunum esset eos juvare, nimirum *in tribulatione.*

23. *Dum superbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in consiliis,quibus cogitant.*

Difficilis omnino versiculus; videtur haec esse sententia, *dum superbit impius*, idest,dum impius prospere agit, et gloriosus apparet, tunc *incenditur pauper*, idest, scandalizatur,et uritur aestu cogitationum justus pauper; *comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant*, idest, uterque,tam impius gloriosus, quam justus pauper comprehenditur, et illaqueatur consilio, idest, cogitatione sua. Nam impius cogitat sibi deberi illam foelicitatem, et ipse se decipit: justus vero videns impium prospere agere, cogitat, quid hoc sibi velit, et magis ac magis se involvit. Quod ad Grammaticam attinet,cum dicitur,*in consiliis quibus cogitant*, graecismus est, et latinus Interpres ad verbum vertere voluit. Nos enim diceremus in consiliis, de quibus cogitant, vel quae cogitant. Per consilia vero cogitationes intelligimus, ut magis proprie significat vox hebraica.Porro haec videtur ratio versiculi superioris, ideo enim rogavit Propheta Deum,ut non despiceret pauperem in tribulatione, quia prosperitas impiorum, et impiis, et justis nocet, dum illi superbiunt, isti scandalizantur.

24. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae; et iniquus benedicitur.*

Hebraica lectio, ut nunc se habet, ad verbum sic vertenda esset, *Quoniam laudavit impius desiderium animae suae, et avarus benedicens exacerbavit Dominum.* Sed remotis punctis, distinctionibus, quae tempore septuaginta Interpretum non aderant, clarissime cernitur sententia, quam septuaginta rectissime expresserunt.Verbum enim, הלל *hillel*, quod significat laudavit; si legatur, הלל *hullal*, ut Septuaginta legerunt, significat laudatus est, et verbum, ברך *borech*, benedicens, si legatur, ברוך *baruch*, significat benedictus est. Illud autem exacerbavit Dominum, pertinet ad versiculum sequentem,qui incipit,*Exacerbavit Dominum peccator.* Reddit igitur causam Propheta, cur ex prosperitate superbiat impius et laudetur peccator, quia videlicet peccator male agit, et tamen quia dives est, et potens, laudatur a multis, quasi bene agat, et desideria animae ejus, id est, desideria ipsius (est enim phrasis hebraica, et desiderium animae meae,pro desiderium meum) quamvis iniqua,et injusta approbantur, et hinc fit, ut iniquus benedicatur, cum maledici potius mereretur.

25. *Exacerbavit Dominum peccator: secundum multitudinem irae suae non quaeret.*

Pergit explicare malitiam peccatoris superbi. *Exacerbavit*, inquit, *Dominum peccator*, et cum deberet omni studio quaerere reconciliationem, *secundum multitudinem irae suae non quaeret*, idest, propter magnitudinem irae suae in pauperes afflictos, non quaeret Deum, vel reconciliationem cum Deo.Ira enim,et arrogantia excaecat mentem, ut non cogitet peccator, quam magnum sit malum exacerbare Deum omnipotentem.

26. *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatae sunt viae illius in omni tempore.*

Excaecatus peccator non cogitat Deum. In hebraeo majori emphasi legitur, *non est Deus in omnibus cogitationibus ejus*,idest,in nulla ejus cogitatione est Deus, idest, cum tam multa cogitet, numquam cogitationi ejus occurrit Deus. Ita funditus Deum oblitus est.*Inquinatae sunt viae illius in omni tempore.* Hoc sequitur ex superiore, quia numquam Deum cogitat,nullo tempore dirigit viam suam ad Deum, sed ad carnalia desideria explenda; et ideo omnes viae, idest, omnia opera ejus sunt inquinata sorde concupiscentiae.

27. *Auferuntur judicia tua a facie ejus, omnium inimicorum suorum dominabitur.*

Id quod eum convertere posset a via mala, cogitatio videlicet terribilium judiciorum tuorum, longe est a corde ipsius, et ideo, sine ullo timore Dei dominatur omnium inimicorum suorum, idest, tyranice opprimit omnes, quos inimicos suos putat.

28. *Dixit enim in corde suo, Non movebor a generatione in generationem sine malo.*

Confidentia vana impii hic notatur: cogitat enim apud se nihil sibi nocere posse. *Dixit*, inquit, *in*

corde suo, non movebor: idest, nemo me commovere poterit, nec dejicere a statu meo, a generatione in generationem sine malo, supple, ero. Nam et in hebraeo, et in graeco ponitur distinctio post verbum, movebor, et in hebraeo clare appareat sensus ille, a generatione in generationem sine malo ero, quomodo etiam vertit s. Hieronymus.

29. *Cujus os maledictione plenum est, et amaritudine, et dolo; sub lingua ejus labor, et dolor.*

Descripsit Prophela quale sit cor impii, quod videlicet non cogitet Deum, nec judicia ejus, et speret nihil mali sibi eventurum: nec describit, quale sit os, descripturus postea qualia sint opera. Dicit igitur, os impii esse plenum maledictione, amaritudine, et dolo. Ad maledictionem pertinent blasphemiae in Deum, et convicia in homines; ad amaritudinem detractiones, murmurationes, contentiones, et alia, odium, et rancorem testantia: denique ad dolos calumniae, mendacia, perjuria. Quod additur, *sub lingua ejus labor, et dolor*, significat effectum superiorem malorum. Eo enim tendunt omnia verba impii, ut laborem, et dolorem afflictis adferant. Sub lingua ejus labor, et dolor, idest, id quod est sub lingua impii, idest, materia, in qua exercetur lingua impii, est labor et dolor miserorum hominum, qui ei quoquo modo subjiciuntur.

30. *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis ut interficiat innocentem.*

Hic jam describuntur mala opera, idest, oppressiones pauperum. Est autem oratio metaphorica, ducta similitudine ab iis, qui latent intra vestibula domus, ut observent, quando transeunt, quos interficere cupiunt. Significat autem Propheta hac metaphora viros impios, et potentes, adjunctis sibi sociis aliis divitibus et potentibus, variis artibus, et dolis circumvenire pauperes, eosque ad extremam perniciem adducere. In hebraeo non est *in insidiis cum divitibus*, sed, *in insidiis atriorum, seu vestibulorum*. Caeterum septuaginta non legerunt, חצרים *chazerim*, ut nunc habetur in codicibus hebraicis, sed, עשירים *hascirim*. Illud enim atria, hoc divites significat. Itaque probabile est post tempora septuaginta textum hebraicum fuisse mutatum.

31. *Oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.*

32. *Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.*

33. *In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum.*

Quod dixit in versiculo tricesimo, exponit in his tribus versiculis varians metaphoras. Nam in 30. versiculo comparavit oppressorem pauperum homini insidianti alteri homini: in 31. comparat Leoni insidianti aliis bestiis debilioribus: in 32. et 33. comparat homini tendenti laqueos bestiis, et capienti eas. Versiculi duo postremi sunt in Hebraeo multo clariores; sic enim ad verbum reddi potest lectio hebraica, quomodo vertit s. Hieronymus: *Insidiatur, ut rapiat pauperem, rapiet pauperem cum attraxerit eum ad rete suum: et confractum subjiciet, et irruet viribus suis valenter.* Nostra vero lectio sic explicanda est: *Insidiatur, ut rapiat pauperem;* rapere autem pauperem insidiatur tunc, cum eum ad se attrahit alliciendo incautum. *In laqueo* vero suo *jam captum humiliabit*, idest, opprimet, et inclinabit se super eum, atque in eum cadet, id est, super eum irruet, *cum dominatus fuerit pauperum*, idest, cum iis plane potitus fuerit. Et simul haec verba pulchre alludunt ad casum interiorem impii: tunc enim horrende cadit in servitutem diaboli, cum dominari sibi videtur hominum miserorum.

34. *Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem.*

Repetit causam tantae impietatis, nimirum, quia impius cogitat apud se Deum non curare res humanas, nec unquam esse curaturum.

35. *Exurge Domine Deus, et exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum.*

Rogat Deum, ut impios coerceat. *Exurge*, inquit, quasi a somno, *et exaltetur manus tua*, ad percutiendum: manus enim dormientis, vel quieti hominis demissae, et saepe complicatae esse solent. In graeco adduntur duae voces, post *Domine Deus*; additur, *meus*, et post, *ne obliviscaris pauperum*, additur, *in finem*. Sed in hebraeo non habetur, nec in latinis emendatioribus.

36. *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo, Non requiret.*

Iterum repetit causam, cur impius Deum irritet peccando, eam esse, quia cogitat Deum ista non requirere.

37. *Vides, quoniam tu laborem, et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.*

Refellit Propheta illam causam, quasi dicat, Imo, vides o Deus, et requiris, quod ex eo apparet, quia tu laborem, et dolorem miserorum consideras, ut cum impleta fuerit mensura, tradas impios in manus tuas puniendos. In hebraeo, et graeco habetur, *Quoniam tu laborem, et furorem consideras*, etc. sic etiam legit s. Augustinus, et s. Hieronymus: si ita legamus, sensus erit, Quoniam tu laborem opprimentium consideras.

38. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

Merito ista consideras, quia tibi Patri omnium incumbit cura eorum, praecipue qui sunt destituti omni alio auxilio.

39. *Contere brachium peccatoris, et maligni: quaeretur peccatum illius, et non invenietur.*

Contere brachium, idest, potentiam et robur peccatoris, et sic humiliatus resipiscet, nec amplius peccabit:ideo quaeres postea peccatum ejus, et non invenies. Nam, ut ait Isaias cap. 28. *Sola vexatio dabit intellectum auditui*;et David, psal. 82. *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum.*

40. *Dominus regnabit in aeternum, et in saeculum saeculi: peribitis gentes de terra illius.*

Praedicit futurum, quod ut fieret, oraverat. *Dominus*, inquit,semper *regnabit*, invitis inimicis ejus, imo ipsi inimici peribunt, et exterminabuntur *de terra illius*, idest, de orbe terrarum universo, *quia Domini est terra et plenitudo ejus*, Psal. 13.

41. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis eorum audivit auris tua.*

Quod futurum est, ponit tamquam praeteritum propter certitudinem, nec dicit orationem, sed *desiderium pauperum*, ut ostendat celerem exaudi-tionem, quasi dicat,Deus, qui scrutatur corda,non expectabit orationem, sed ipsum desiderium,quod orationem praecedere solet, exaudiet. Idem vero est, desiderium, et praeparatio cordis: desiderium enim est praeparatio ad orandum.

42. *Judicare pupillo, et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.*

Exaudivit Dominus desiderium pauperum *judicare pupillo et humili*, idest, ad hoc exaudivit,ut judicet causam pupilli,et humilis contra ipsos eorum oppressores, ne deinceps homo audeat superbire, *homo*, inquam, *qui est super terram*,contra Deum, qui est in coelo. In hebraeo significantius dicunt, *Ut nequaquam ultra superbiat homo de terra*, idest, homo ex terra compositus,quasi dicat, ut non superbiat figmentum contra factorem suum. Haec omnia, quae dicuntur in hoc Psalmo adversus impium oppressorem pauperum, attribuuntur Antichristo a s. Hieronymo et Augustino: sine dubio illi conveniunt per antonomasiam omnia, quae dicuntur in genere de impiis;sed si ad litteram dicantur haec de oppressoribus pauperum in genere ut nos existimamus, certe manifeste apparet quam ingens crimen sit, quod tot verbis, et tam significantibus a Spiritu sancto reprehenditur.

PSALMUS X.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David

De titulo dictum est in praecedentibus. Argumentum hujus psalmi est cohortatio ad confidentiam tempore calumniarum, aliarumque persecutionum.Loquitur David in persona cujuslibet justi, praevidens quodam modo illud Apostoli: *Omnes qui pie vivere volunt, persecutionem patientur*. 2. Tim. 3.

EXPLICATIO PSALMI X.

1. *In Domino confido: quomodo dicitis animae meae, transmigra in montem sicut passer?*

Vox justi, qui pulsatur tentatione desperationis, ut vocationem suam deserat ob multitudinem calumniatorum: *In Domino*, inquit, *confido*, qui ubique est, et omnipotens est; *quomodo dicitis animae meae*? idest, cur mihi persuadere conamini? Jam enim supra diximus, phrasim esse hebraicam, *animae mae;* pro mihi. Alloquitur autem vel daemones tentantes, vel ipsas internas suggestiones, hoc est, cogitationes a diabolo immissas: *Transmigra in montem sicut passer*, idest, desere vocationem, et hominum consortium, et ibis ad locum, ubi nulla sunt pericula, nullae tentationes. Passeres enim, cum timent aucupes, volant ad cacumina montium, ad quae aucupes ascendere non possunt. Tales montes respectu tentationum nulli sunt, nisi in imaginatione hominum, qui cum tentantur graviter, imaginantur mutatione locorum posse molestiam illam declinari; et qui desperant, ipsam etiam violentam mortem eligunt, ad quam fugiunt, tamquam ad montem. Justus autem constans est, et locum suum non deserit, sciens ubique tentationes diaboli, et ubique adjutorium Dei esse. In hebraeo habetur, *Transmigra in montem vestrum passer*, sed vocem, כם *chem*, quae significat, *vestrum*, Septuaginta legerunt, כמו *chemo*

quod est, *sicut*; et haec sine dubio est lectio verior et clarior. Hieronymus sic vertit. Itaque post tempora s. Hieronymi videtur hic locus corruptus in hebraeo, librariorum vitio.

2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.*

Haec est ratio, cur sit fugiendum ad montem, idest, deserenda vocatio prae nimio timore, quem tentatio suggerit; videlicet quia mali homines assidue persequuntur justos sive calumniis, sive alia ratione. Comparat autem calumnias, sive alias persecutiones sagittis, quae jaciuntur in obscuro, ut significet eas calumnias, vel persecutiones non solum graviter ferire, sed etiam vix posse caveri. In hebraeo habetur, *Paraverunt sagittas suas in nervo*, et secundum hanc lectionem idem est, *intenderunt arcum, et paraverunt sagittas in nervo.* At Septuaginta verterunt: *Paraverunt sagittas in pharetra*, ut significarent, non solum peccatores intendisse arcum, ut semel jacerent sagittam, sed etiam implesse pharetram sagittis, ut saepius jaculari possunt. Quamvis autem vox hebraea, יתר *Jeter*, nervum, et chordam significet, et in dictionariis non inveniatur locus ubi ponatur pro pharetra, tamen authoritas septuaginta Interpretum satis est, ut credamus etiam pro pharetra accipi posse quod latinus codex habet, *in obscuro*, et hebraeus, אפל *ophel*, in caligine, in graeco est σκοτομὶν *in obscura luna;* sed in re nulla est discrepantia. Nam obscura luna significat noctem carentem lunae splendore, sive sit nebulis tecta luna, sive sit cum sole conjuncta, aut soli vicina. Possent hi duo versiculi etiam hunc sensum habere, *In Domino confido, quomodo dicitis animae meae, transmigra in montem sicut passer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*, idest, non licet jam esse recto corde, quoniam undique tenduntur insidiae rectis corde, ideo vel oportet in montem inaccessum extra homines recedere, quod fieri non potest, vel credendum est consuetudini, et deserenda via justitiae. Sed huic tentationi respondet justus: *In Domino confido;* et ideo nec in montem inhabitabilem abibo, nec deseram viam justitiae.

3. *Quoniam quae perfecisti destruxerunt; justus autem quid fecit.*

Confirmat Propheta per apostrophen ad Deum, verum esse, quod peccatores injuste persequuntur justos. Quasi dicat, verum, est quod audivi de impietate peccatorum. Nam peccatores *destruxerunt ea, quae tu perfecisti*, idest, leges tuas perfectissimas, nec non consilia, et ordinationes omnes tuas, quas posuisti in populo tuo, dum non solum non reddunt bona pro malis, ut tu jubes, sed reddunt mala pro bonis, sine ulla causa calumniando, et persequendo justos. *Justus autem quid fecit?* hoc est, justus non dedit illis ullam occasionem, sed ipsi oderunt justos gratis. Vox hebraea, quam Septuaginta verterunt, *perfecisti*, valde obscura est. s. Hieron. vertit *leges*, alii *fundamenta*, alii *retia*. Mihi verisimile videtur septuaginta Interpretes non legisse ut nunc habemus in hebraeo, השתות *hasciatoth*, quod abet formam nominis pluralis, sed legisse, השתות *hasciatlota*, quod significat posuisti, a verbo, שתת *sciatat*, in conjugatione *hiphil*: sunt enim eaedem omnino literae, et solum additur punctum unum sub ultima litera. Nam fere id observamus in psalmis, ut septuaginta legerent paulo aliter, quam legerint ii, qui puncta addiderunt.

4. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes ejus.*

Incipit rationem reddere, cur in Domino confidere se dixerit, et non timeat insidias hominum iniquorum, quia videlicet Dominus omnium in coelo sedeat judex, unde omnia videat, et omnes subjectos habeat. *Dominus*, inquit, *in templo sancto suo*, subintellige, sed. Vocat autem templum sanctum Dei, summum coelum, quod est templum non manufactum. Idem significat clarioribus verbis, cum ait, *Dominus in coelo sedes ejus*, hoc est, Dominus in coelo sedem, sive thronum habet. Est autem phrasis hebraica, *Dominus in coelo sedes ejus*, pro, sedes Domini est in coelo; vel, Dominus in coelo sedem habet.

5. *Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebrae ejus interrogant filios hominum.*

Ex throno illo altissimo, cui nihil abscondi potest, respicit Deus pauperes, proinde nihil mali accidere potest hominibus Deo non sciente, aut non permittente, quae maxima consolatio justorum. Quod sequitur, declarat magis providentiam Dei. Non solum enim Deus videt homines, sed videndo discernit ac dijudicat bonos, et malos, et omnia eorum opera. In hebraeo non habetur, *in pauperem*, sed simpliciter, oculi ejus respiciunt; sed Septuaginta addiderunt, *in pauperem*, explicandi gratia. Praeterea, pro *interrogant*, habetur in hebraeo, יבחנו *ibchanu probant*; sed eadem sententia est. Metaphorice enim dicitur Deus interrogare, sive probare, idest, tentare, sive examinare, quando perfecte discernit ac dijudicat, quod homines non possunt saepenumero facere, nisi interrogando, et examinando. Illud *palpebrae ejus interrogant*, nihil significat aliud, nisi oculi ejus perfecte discernunt: quoniam enim psalmi poetice sunt, ideo figuris multis scatent. Itaque palpebrae ponuntur pro oculis, et oculi pro mente; interrogare, pro exacte cognoscere, ac si exactissime prius interrogasset, et examinasset.

6. *Dominus interrogat Justum, et impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Non solum Deus exacte cognoscit justum, et impium, sed etiam pro meritis eos remunerat, vel punit. Et ideo *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, idest, se ipsum; quoniam propter ini-

quitatem gravissime punitur. Ex hebraeo potest etiam reddi, *diligentem iniquitatem, odit animam ejus*, idest, Deus odit eos, qui amant iniquitatem, et sic vertit s. Hieronymus. Uterque sensus est verus, et utrumque patiuntur verba hebraica. Mira sententia est, et elegantissima: *Qui diligit iniquitatem, et odit animam suam.* Nam qui diligit iniquitatem, videtur diligere animam suam, idest, se ipsum, quia ut sibi ipsi satisfaciat, peccat: tamen re vera odit animam suam, ac perdit. Hoc est, quod Dominus Joan. 12. ait *qui amat animam suam, perdet eam*, idest, qui male se amat, vere se odit.

7. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.*

Haec est ratio, cur iniqui oderint animas suas, quia Dominus pluet, sive, ut in hebraeo, רימטר *jamter*, expressius legitur, *pluere faciet peccatores laqueos*, idest, in hac vita immittet laqueos in maxima copia, quasi guttas pluviae in peccatores, idest, sinet eos quotidie involvi pluribus, et majoribus peccatis percutiendo eos caecitate, et tradendo eos in reprobum sensum; quae est poena horrenda, et gravissima; deinde in alia vita, *ignis, et sulphur, et spiritus procellarum*, idest, venti frigidissimi, et vehementissimi in gehenna erunt pars calicis, idest, portio, et haereditas ipsorum. Observandum est hoc loco, nomine calicis intelligi haereditatem, ut etiam alibi saepe in scriptura, ut in eo loco, *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei*, ubi idem intelligitur dictum duobus vocabulis, et ideo addit, *Tu es qui restitues haereditatem meam mihi*: dicitur autem haereditas calix, quia sicut calix in mensa, saltem in coena paschali dividebatur inter convivas, unde est illud, Luc. 22. *Accipite, et dividite inter vos*; ita haereditas dividitur inter filios ejusdem patris: eadem quoque haereditas interdum vocatur pars, vel portio, ut pars mea Dominus; et alibi: *Portio mea Dominus*, interdum *pars haereditatis*, ut loco citato, *Dominus pars haereditatis meae*; ubi non significatur Dominum esse partem haereditatis, ita ut aliunde sit quaerenda alia pars, sed significatur Dominum esse partem, quae sibi contingit ex haereditatis divisione, ita ut idem sit haereditas, et pars haereditatis, sic etiam idem est calix, et pars calicis, idest, portio illa, quae uni debetur ex divisione calicis. Pulchre autem filiis diaboli, quibus Dominus ait Joan. 8. *Vos ex patre diabolo estis*, tribuitur haereditas, quam diabolus possidet, idest, poena horribilis significata per ignem, et sulphur, et spiritum procellarum.

8. *Quoniam justus Dominus et justitiam dilexit, aequitatem vidit vultus ejus.*

Haec vera ratio est, cur Deus tam atrociter impios puniat, quia justus est ipse in se: *Deus enim lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, 1. Jo. 1. *Et diligit justitias*, idest, opera justa in omnibus aliis, quos ad suam imaginem creavit. Id ipsum repetit, dicens: *Aequitatem vidit vultus ejus.* Nam per aequitatem hoc loco intelligitur rectitudo, ut sonant vocabula hebraicum, ישר *jasciar*, et graecum, εὐθύτης: rectitudo autem est quasi declaratio justitiae. Non enim hic agitur de justitia, quae est una ex quatuor virtutibus cardinalibus, quae est justitia particularis ponens medium in commerciis hominum: sed de justitia universali, quae complectitur omnes virtutes, et est quaedam rectitudo totius hominis, cujus quasi compendium est charitas Dei, et proximi: nam *finis praecepti charitas*, 1. Tim. 1. *Et qui diligit legem implevit.* Rom. 13. Illud autem, *vidit vultus ejus*, non significat simplicem visionem, sed visionem approbationis, juxta illud psalmi primi, *Novit Dominus viam justorum.* Idem igitur est, *justitiam dilexit, et aequitatem vidit*, idest, rectitudinem approbavit *vultus ejus*, idest, oculus ejus.

PSALMUS XI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro octava, Psalmus David.

De hoc titulo dictum est in psalm. 6. Argumentum hujus psalmi est, fidendum Deo, et non in hominibus, quod verba hominum plerumque sint fallacia, Dei autem semper verissima.

EXPLICATIO PSALMI XI.

1. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum.*

Tu Domine a periculis omnibus salva, quoniam non est alius in quo fidere possim: nam defecit sanctus; idest, vix invenitur in mundo aliquis vere *pius, et misericors*, (id enim proprie sonat vox hebraica, חסיד *chasid*) nec solum defecit misericors, sed etiam verax, diminutae sunt enim veritates a filiis hominum, idest, vix invenitur, qui verum simpliciter dicat. Itaque periit fere de terra misericordia, et veritas. In hebraeo habetur אמונים *emunim*, quod s. Hieron. vertit *fideles* ut haec sit

sententia: imminuti sunt fideles a filiis hominum, sed eadem vox significat etiam veritatem,seu veritates, et sensus est idem.

2. *Vana loquuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, et corde loquuti sunt.*

Probat defecisse sanctum, idest, misericordem, quoniam homines, ut plurimum, non loquuntur proximis utilia, et bona; sed vana, quae a periculis eruere non possunt,et etiam frustra loquuntur, quomodo vertit s. Hieron. probat quoque defecisse veritatem, quoniam *labia dolosa*, idest, homines qui labia dolosa dici possunt,*in corde, et corde*, idest, duplici corde loquuti sunt, unum volentes loqui, et aliud volentes facere, et sic decipere. In hebraeo ad verbum est. *labium divisionum*, שפת חלקות *sephath chalakoth*, idest, labium divisum, unum sonans, aliud significans: labium autem divisum, seu duplex ex corde diviso, seu duplici oritur. Quia vero quae leniuntur, dividuntur; ideo autem vox significat in Scripturis *labium blanditiarum*, et adulationum; et quia omnis adulatio decipit, ideo recte verterunt tam Septuaginta, quam s. Hieron. *labia dolosa*, sive *subdola*. In graeco additur, *mala in corde, et corde loquuti sunt mala*, sed ea vox neque in hebraeo, neque latinis emendatioribus habetur.

3. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.*

Imprecatio prophetica est: per modum enim imprecationis praedicit fore, ut omnes,qui decipiunt, decipiantur: et dum putant se multum lucrari suis fraudibus, perdant omnia, et ipsi etiam pereant in aeternum. Illud,*et linguam magniloquam*, significat linguam se jactantem ob suos dolos, et fraudes, ut patet ex versiculo sequenti. In hebraeo, et graeco non habetur conjunctio (et) ex quo intelligimus, hic non reprehendi duo genera hominum, dolosos, et superbos, sed dolosos tantum, qui tamen confidunt in suis dolis, et ideo magni faciunt sua labia dolosa, et de illis magnifice loquuntur. Proinde editio latina, quae habet conjunctionem, ad eumdem sensum reducenda est,et commode reducitur, ut nos explicuimus.

4, *Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt,quis noster Dominus est?*

Explicat cur conjunxerit linguam magniloquam cum labiis dolosis, quia videlicet dolosi confidunt maxime in sua lingua, ita ut nulla re alia indigere se credant,nec ulli Domino subjecti esse debeant. *Qui dixerunt*, inquit, videlicet apud se in animo suo, *linguam nostram magnificabimus*, idest,linguam nostram magnificemus, illi tribuentes omnia nostra bona, quae per illam lucramur: ex hebraeo aliqui vertunt, *linguam nostram roborabimus*: verbum enim גבר *Gabar* , significat gravem, et robustum esse, sed accipitur etiam pro quacumque magnitudine, et ideo, נגביר *nagbir*, quod habetur hoc loco, recte vertitur, *magnificabimus*: nam etiam apud latinos vir gravis non solum refertur ad pondus molis, sed etiam ad magnitudinem virtutis. *Labia nostra a nobis sunt*,ambiguum est in latino,sed ex hebraeo et graeco constat sensum esse, *labia nostra nobiscum sunt*, pro nobis faciunt, a parte nostra pugnant. Itaque pergit Propheta explicare confidentiam, quam habent dolosi in suis labiis, tamquam in instrumento optimo ad praevalendum aliis hominibus. Ideo subjungit eos dicere, *quis noster Dominus est*, quasi dicat, non agnoscimus ullum superiorem,cum per instrumentum linguae omnes alios subjiciamus.

5. *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam , dicit Dominus*

Docuit Propheta non esse confidendum in hominibus: nunc docet esse confidendum in Deo,cujus promissa fidelissima sunt:docet autem hoc poetice, introducendo ipsum Deum loquentem, et promittentem auxilium suum humilibus, et afflictis. *Propter miseriam*, inquit, *inopum*, qui a dolosis decipiuntur, et affliguntur, unde et gemere necesse habent,non differam auxilium,sed *nunc exurgam* quasi a somno, eisque adero.

6. *Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.*

Explicat quid sit facturus, cum surrexerit. *Ponam*, inquit, *in salutari*, idest, collocabo eos in salute, stabiliam illos in salute , ut semper salvi consistant. *Fiducialiter agam in eo*, idest, nemo me impediet; audacter, et libere agam in hac re. Exprimit vox graeca παῤῥησιάσομαι, hoc loco confidentiam, et libertatem,atque audaciam.Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *Ponam in salutari auxilium eorum*. Sed nescio quid in hac re sequutus sit, nam vox hebraea, יפיח לו *iaphiach lo*, significare potest, sufflabit in eum, vel illaqueabit eum, vel aspirabit ei. Caeterum interpretes videntur legisse in prima persona, אפיח לו *Aphiach lo*, *afflabo in eo*, sive aspirabo ei, idest, unicuique pauperum aspirabo, et favebo, et quia *spiritus ubi vult spirat*, et *ubi spiritus Domini, ibi libertas*, ideo fortasse verterunt *fiducialiter agam*, idest, libere aspirabo, et favebo.

7. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.*

Docet jam Propheta promissionem Domini explicatam versibus duobus superioribus, non esse similem promissionibus hominum dolosorum, sed esse verissimum, fidelissimum. *Eloquia Domini*, inquit, *casta*, idest munda, et pura ut sonat vox hebraica, non fucata, non simulata, sed sincera et fidelia. *Argentum igne examinatum*, idest, sunt eloquia, sive promissa Dei veluti argentum verissimum in sono, pondere, candore, quale est argentum in igne probatum, nec solum probatum in igne, sed etiam probatum terrae, idest, populis terrae, approbatum videlicet ab hominibus peritis metallorum; denique purgatum septuplum, idest,

non semel, sed saepius per fusionem (ut exprimit vox hebraea) purgatum a scoria. In hebraeo, illud, *purgatum terrae*, est valde obscurum. S. Hieron. vertit, *separatum a terra*; alii a Domino terrae, nimirum *purgatum septuplum*; alii in vase sive in camino; sed cum vox, בעליל *bahalil*, non habeatur nisi hoc loco, nulla est ratio cur non debeamus acquiescere increpationi septuaginta Interpretum, quibus lingua hebraica notissima erat. Quidquid enim alii dicant, divinatio potius erit, quam interpretatio.

8. *Tu Domine servabis nos, et custodies nos a generatione hac in aeternum.*

Colligit ex dictis, Deum facturum quod promisit. *Tu*, inquit, juxta promissa tua *servabis nos*, idest, custodies nos: non enim hic verbum salvandi, vel salutis neque in graeco neque in hebraeo; sed simpliciter conservandi, et custodiendi. In hebraeo habetur, תשמרם *tismerem*, *servabis ea*, nimirum eloquia tua, et custodies nos, sed septuaginta legerunt, תשמרנו *tismerennu*, servabis nos, et facillima fuit mutatio, quia maxima est similitudo inter, ם quod significat *ea* et נו, quod significat, *nos*, sed uterque sensus est optimus.

9. *In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.*

Quasi quaereret aliquis, Quid de impiis fiet, dum tu servabis nos? Respondet, impii interea, dum nos quieti sumus sub alis tuis, in circuitu ambulant, semper ambientes bona hujus mundi, et nunquam ad finem desideriorum suorum pervenientes, semper autem erunt impii ambientes, dum hic mundus durat; quia *secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*; et, *stultorum infinitus est numerus*. Videntur in fine hujus psalmi omnes editiones inter se dissidere. Hebraea ad verbum habent, *In circuitu impii ambulabunt, secundum altitudinem tuam solliciludinem gessisti de filiis hominum*, sed graeca, et latina facile concordantur: nam Deus secundum altitudinem suam maximam sollicitudinem gessit de specie humana, et ideo ne ea periret, prae omnibus aliis speciebus eam multiplicavit; proinde latinus interpres reddidit sensum, cum ait, *multiplicasti*. Et quia in magna multitudine, paucorum est perfectio, ideo *stultorum*, ut citavimus ex Salomone, *infinitus est numerus*, et ideo impii semper, et ubique inveniuntur in circuitu ambulantes. Hebraica, et graeca non videntur posse concordari, nisi septuaginta aliter legerint; et fortasse non est improbabile eos legisse, דלות *Dallotha*, vel דלית *Dillitha*, non, זלות *zulluth*, ut nunc habemus: unica enim litera mutata fit aliud verbum, quod exaltare significat, vel suscipere, ut septuaginta verterunt in primo versiculo psalmi vicesimi noni, *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*. Sensus tamen semper est verus, et non contradicit una lectio alteri, quamvis diversa dicant.

PSALMUS XII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

De hoc titulo nihil occurrit dicendum. Argumentum psalmi est oratio ad Deum tempore tentationis.

EXPLICATIO PSALMI XII.

1. *Usquequo Domine oblivisceris me in finem; usquequo avertis faciem tuam a me?*

Qui tentatur, duo mala pati solet; prava desideria in voluntate, et tenebras in intellectu. Quando prava desideria valde urgent, tunc videtur Deus oblivisci, et deserere animam: quando tenebrae obscurant intellectum, videtur Deus avertere faciem suam ab anima. Ipse enim lux est, et ideo illuminat, cum convertit faciem; in tenebris relinquit, cum avertit. Propter primum dicit homo in tentatione positus: *Usquequo Domine oblivisceris me in finem*? propter secundum dicit: *Usquequo avertis faciem tuam a me*?

2. *Quamdiu ponam consilia in anima mea; dolorem in corde meo per diem?*

Inverso jam ordine queritur primo de tenebris, quas patitur: secundo de pravis desideriis, quae invitus tolerat. *Quamdiu*, inquit, propter obscurationem intellectus *ponam consilia in anima mea?* idest, varia consilia excogitabo, ut a malo praesenti liberari possim: quamdiu rursus propter desideria infestantia cor meum, *ponam dolorem in corde meo?* idest, assumam dolorem, ac tristis ero, ac forte Deum meum offendam? atque id faciam per diem, idest, tota die sine intermissione ulla. In graeco additur, καὶ νυκτὸς, *et per noctem*. Sed hoc non habetur in hebraeo, neque legitur a s. Augustino; proinde recte omissum est in editione latina.

3. *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice et exaudi me Domine Deus meus.*

Prima pars hujus versiculi complectitur utrumque malum, tunc enim exaltatur inimicus super hominem, quando opprimit eum, tum ingerendo prava desideria, quae homo non potest excutere; tum tenebras offundendo, quas non potest dissipare. Ideo quasi vim patiens clamat ad Deum, *Usquequo*

exultabitur inimicus meus super me? Deinde invocat auxilium contra utrumque malum. *Respice*, inquit, idest, converte faciem tuam, *et exaudi me*, idest, ne obliviscaris, ne deseras, adjuva exoratus.

4. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum.*

Iterum clarius eamdem orationem repetit. *Illumina*, pelle tenebras mentis convertendo ad me faciem meque respiciendo; *nequando obdormiam in morte*, idest, ne consentiens desideriis in mortem animae incidam. Vocat scriptura passim somnum ipsam mortem, sive corporalem, sive spiritualem: quia Deo tam facile est mortuum ad vitam revocare, quam nobis facile est dormientem a somno excitare. Praeterea illud, *ne unquam obdormiam*, significat, hominem cedendo tentationi quasi obdormiscere, nec amplius sentire cruciatum ex tentatione; sed quia ista quies non est salutifera, sed mortifera, ideo additur, *in morte*. Itaque cum duobus modis homo liberetur a molestia tentationis; vel per gratiam Dei fugato tentatore; vel per consensum in peccatum satiata libidine; petit liberari primo modo, ne forte cum suo maximo detrimento liberetur secundo modo, videlicet obdormiendo per consensum in peccatum. Addit deinde rationem, quare cupiat liberari a tentatione, dicens: *Nequando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum*: idest, sic glorietur Diabolus a se victum servum Dei, quod etiam in injuriam Dei cederet.

5. *Qui tribulant me exultabunt si motus fuero, ego autem in misericordia tua speravi.*

Explicat rationem superiorem, quasi dicat, non sine causa dixi *nequando dicat inimicus*, etc. nam *exultabunt qui tribulant me si motus fuero*, idest, non solum si plane cessero tamquam victus, sed etiamsi paulisper mulare coepero: sicut enim majus *gaudium est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia*; sic etiam magis Daemones exultant, si virum aliquem perfectum ad inchoandum peccatum induxerint, quam si multos peccatores in peccatis maximis volutari fecerint: exemplum est apud s. Greg. lib. 4. Dialog. c. 7. Atque hinc apparet, psalmum hunc scriptum esse pro liberatione justi a tentatione Diabolica, non ut aliqui volunt, pro liberatione Davidis a persecutione Saulis: David enim in illa persecutione quotidie loca mutabat. Itaque non dixisset, *si motus fuero, exultabunt inimici mei*, quasi pro magno haberet non moveri. Quod sequitur, *Ego autem in misericordia tua speravi*, est altera ratio, cur deceat eum juvari a Deo, quia nimirum fretus misericordia Dei, et non viribus propriis tentatori resistat.

6. *Exultabit cor meum in salutari tuo; cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi.*

Haec est ultima ratio, qua Deum ad subveniendum flectere conatur, quia videlicet liberatus a tentatione, non erit ingratus liberatori, sed corde, ore, et opere beneficium celebrabit. Ad cor pertinent prima illa verba, *Exultabit cor meum in salutari tuo*, idest, prae laetitia gestiet cor meum cum salutem obtinuerit, eam a te recognoscendo, teque ob eam laudando. Ad os pertinent sequentia, *Cantabo Domino, qui bona retribuit mihi*. In hebraeo non habetur *bona*, sed solum verbum, *tribuit*, vel potius *retribuit*. Sed septuaginta declaraverunt illud *retribuit*, vertendo, *benefecit mihi*, et latinus interpres adhuc clarius, *qui bona retribuit mihi*, sed sensus est idem: nam Deus, fiduciae retribuere solet protectionem; ideo David hebraica voce dixit, *retribuit mihi*, protectionem scilicet in se confidenti, et quia liberatio a tentatione, est liberatio a verissimi, et maximi mali periculo; ideo recte graecus, et latinus addiderunt vocabulum, *bona*, nimirum veri, et maximi boni. Denique ad opera pertinent ultima verba; *et psallam nomini Domini altissimi*: nam psallere proprie est manu cytharam pulsare. *David*, inquit Scriptura, *psallebat manu sua*; et alibi, *In psalterio decachordo psallam tibi*. Itaque promittit, se corde exultaturum, ore cantaturum, manu instrumentum musicum pulsaturum ut totus homo serviat Dei laudibus: *Psallere autem nomini Domini*, est psallere in gloriam Domini, idest, ad celebrandas ejus laudes. In hebraeo non habentur haec ultima verba, *et psallam nomini Domini altissimi*, sed fortasse diuturnitate temporis exciderunt. Certe cum superioribus optime cohaerent, et sunt in graecis codicibus, et citantur, atque explicantur a patribus Hieronymo, et Augustino, Theodoreto, et Euthymio. Mystice, psallere nomini Domini, est opera consona cordi, et verbis efficere, *ut videntes homines opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est.* Matth. 6.

PSALMUS XIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum vero est deploratio naturae humanae corruptae, qualis praecipue cernitur in infidelibus, in quibus nondum coepit sanari per gratiam.

EXPLICATIO PSALMI XIII.

1. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.*

Ad tantam insipientiam devenit humana natura in primo homine corrupta, ut inventus sit aliquis, qui tametsi voce non sit ausus negare Deum esse, tamen in corde suo dixerit, *non est Deus*. Non significat David, unum certum hominem insipientem hoc dixisse, sed vult dicere, homines mente corruptos ad tantam caecitatem pervenire, ut fiant insipientes etiam circa ultimum finem, et cogitent nullum esse Deum, qui res humanas curet, et cui rationem reddere teneantur. *Dixit*, inquit, *insipiens*, idest, homo ad summam insipientiam redactus, *dixit in suo corde, non est Deus*, idest, cogitare coepit, nullum esse Deum.

2. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Illud usque ad unum, non habetur in editione hebraea, et graeca. In latina habetur, et citatur, et exponitur a s. Hieronymo, et Augustino. Dixit Prophela corruptam fuisse mentem, et insipientem factam: nunc addit, corruptam quoque fuisse voluntatem, ita ut plerumque homines peccent; bene autem numquam faciant: aliud enim est non peccare, aliud benefacere, si loquamur de opere absolute, et perfecte bono. Homines enim fide, et gratia destituti solis viribus corruptae naturae utentes, plerumque peccant; sed aliquando etiam faciunt opera quaedam bona moralia, quae peccata dici non possunt: sed non sunt perfecte, et absolute bona, ut s. Augustinus disputat lib. 4. in Julianum, cum ad summum bonum non perducant. Ait igitur David: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis*, id est, in desideriis, sive affectibus suis: corrupta, et abominabilia desideria habent, unde ipsi quoque corrupti et abominabiles sunt. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, corrupti quidem sunt homines in desideriis et iniquitate; sed non ita generatim, ut omnia desideria, et omnia opera sint corrupta, et iniqua. Certe enim cum infidelis ex humana inclinatione miseretur pauperis, vel curam gerit filiorum, nihil mali facit. At bonum perfecte, et absolute nullus omnino ex solis corruptae naturae viribus facit. Hinc habes veram hujus loci intelligentiam, nihil omnino facere pro haereticis hujus temporis, qui testimonio psalmi hujus abutuntur ad probandum, omnia opera hominis peccatoris, sive non renati, esse peccata.

3. *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.*

4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Dixerat, naturam humanam esse corruptam tum quoad mentem, tum quoad voluntatem; ostendit nunc, unde id cognoverit, nimirum ex revelatione Dei: Deus enim qui omnia novit, videt hoc ita esse et Prophetis suis revelavit. Describit more humano Deum quasi respexisse de coelo, idest, de sublimi specula sua, ut videret *an esset aliquis intelligens*, idest, non corruptus quoad mentem; *aut requirens Deum*, idest, non corruptus quoad voluntatem, qui proinde intelligeret, et amaret, atque adeo quaereret Deum, qui est summum bonum. Quid autem Deus cognoverit, idest, nos cognoscere fecerit explicat illis verbis, *omnes declinaverunt*, sive aversi sunt, idest, vidit omnes omnino declinasse a lumine sapientiae, et a semitis justitiae, imo aversos esse, ac terga vertisse sapientiae et justitiae. *Simul inutiles facti sunt*, idest, vidit, omnes pariter inutiles Deo esse factos, quippe qui eum non colunt, neque ei serviunt, neque tributum gratiarum actionis rependunt. Denique vidit nullum esse, qui faciat opus perfecte, atque absolute bonum. S. Hieronymus ex hebraeo pro illis verbis, *Simul inutiles facti sunt*, vertit, *Pariter adhaeserunt, sive agglutinati sunt*. Sed nescio quid secutus sit. Nam vox hebraica, נאלחו *neelachu*, significat *putrescere*, et *foetere*: et verti potuisset, putrefacti sunt, ac proinde inutiles facti sunt. Res enim putrefactae nulli usui sunt.

5. *Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant:venenum aspidum sub labiis eorum,*
6. *Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum od effundendum sanguinem.*
7. *Contritio et infoelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt:non est timor Dei ante oculos eorum.*

Hi tres versiculi non sunt in hebraeo, neque in translatione septuaginta Interpretum, ut s. Hieronymus testatur tum in praefatione lib. 16. in Isaiam, tum in Commentario hujus loci. Imo nec habentur in editione latina psalmi 52. qui est omnino idem cum hoc 13.sed quia B. Paulus ad Rom. 3. ex diversis locis Scripturae, videlicet psalmo 5. psalmo 139. psalmo 9. Isaiae 29. et psalmo 35. hos omnes versiculos simul citavit,posteaquam allegaverat duos versiculos proxime explicatos, arbitrati sunt aliqui veterum, hos omnes versiculos ad hunc psalmum pertinere, et casu aliquo excidisse, ideo eos ex Apostolo huc transtulerunt. Significatur autem his versiculis malitia hominum impiorum, qui verbo,et opere nocent proximis suis. *Sepulchrum patens est guttur eorum*, idest, sicut ex aperto sepulchro exhalat foetor corporum mortuorum, ita ex ore istorum prodeunt verba turpia testantia corruptionem cordis. *Linguis suis dolose agebant*,idest,non solum verba turpia,sed etiam dolosa loquuntur. *Venenum aspidum sub labiis eorum*, idest, non solum turpia et dolosa, sed etiam venenata et inficientia,atque ad malum provocantia verba effundunt. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem;* idest, homines isti perditi non solum maledicunt, et amaris contentionibus jurgantur, sed etiam malefaciunt, et re ipsa nocent. Nam quorum os plenum est maledictione, et amaris comminationibus, eorum pedes velocissime currunt ad laedendum, et occidendum. *Contritio, et infoelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt*, idest, omnia eorum studia ad conterendum, vastandum, calamitate afficiendum spectant. Si quidem pacis viam, idest, studia pacifica omnino ignorant.*Non est timor Dei ante oculos eorum.* Hic est fons omnium supradictorum malorum, quia timorem Dei plane abjecerunt, dicentes in corde suo,*Non est Deus.* Redeamus nunc ad versiculos hujus psalmi proprios.

8. *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis.*

Ex hoc versiculo manifeste colligitur, quae supra dicta sunt de universali corruptione generis humani, esse intelligenda de genere humano, quale est ex se, idest, secundum vires solius naturae corruptae. Nam per gratiam Dei homines vere justi, et pii efficiuntur, et hos vocat hoc loco plebem suam, quam impii illi persequuntur, et pro nihilo habent. *Nunc cognoscent*, etc. vox est increpantis, quasi dicat, numquid semper erunt insipientes; numquid non aperient aliquando oculos; numquid tandem non incipient cognoscere. *Qui devorant plebem meam sicut escam panis*, significat impios ex hoc tanto malo potuisse admoneri suae iniquitatis. Sicut enim panis quotidie comeditur, et semper sapit; ita impii semper, et cum delectatione vexant pios, et numquam satiantur.

9. *Dominum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

Reddit David rationem, cur impii tanta mala faciant,quia videlicet Deum *non invocaverunt*,idest, spem suam in Deo vero non posuerunt, sed in rebus creatis,et ideo *illic trepidaverunt ubi non erat timor*; idest, non cognoscentes, in quo sit sperandum, et a quo sit timendum, trepidaverunt, ne incurrerent mala temporalia, vel ne amitterent bona temporalia, quae non sunt materia justi timoris, cum parva, et caduca sint; et etiam quia si sperarent in Domino, et *quaererent regnum Dei, et justitiam ejus,haec omnia adjicerentur eis*.Matth.5.

10. *Quoniam Dominus in generatione justa est: consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.*

Hic versiculus reddit rationem, cur impii amatores hujus saeculi timeant, ubi non est timor. Impii timuerunt, ubi non erat timor, *quoniam Dominus in generatione justa est*, sive justorum δικαίων (ut habet textus graecus) idest,sicut impii Deum non invocaverunt, nec in illo speraverunt: ita Deus eos deseruit, et generatione justorum manet: deserti autem a Deo, a luce vera, ab ipsa veritate in tenebris ambulant; et ideo timent etiam ubi non est causa timendi. Deinde facit apostrophen ad ipsos impios, dicens. *Consilium inopis confudistis , quoniam Dominus spes ejus est*, quasi dicat, adeo vos excaecati estis, ut non solum non invocetis Deum, sed irrideatis eos, qui id faciunt. *Nam consilium inopis*, qui totus a Deo pendet, *vos confudistis*,idest, irrisistis,ut inopem erubescere faceretis, quasi stultum sit in Deo spem ponere. Irrisistis autem inopis consilium, quasi stultum, *quoniam Dominus spes ejus est*, idest, quia ille pauper in Domino spem posuit. Videtur etiam stultum consilium hominibus hujus mundi, sperare in Deo, qui non videtur, et non sperare in divitiis, et aliis rebus, quae videntur.

11. *Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suae, exultabit Iacob, et laetabitur Israel.*

Hic versiculus postremus orat Deum pro celeri adventu Salvatoris, qui liberet genus humanum a captivitate diabolica,in qua erant omnes illi excaecati, perversi, quoniam tenebras, et malitiam toto psalmo descripserat. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* idest, utinam cito veniat salus ex Sion ipsi Israeli. *Salus enim ex Judaeis est*, ut ait Dominus Samaritanae, Joan.4. nec solum ex Judaeis, idest, tribu Juda, sed ex familia David, cujus civi-

tas dicebatur Sion. Itaque expectabatur, et desiderabatur salus, sive Salvator promissus ex Sion civitate David, idest, ex stirpe David, qui salvaret Israelem, idest, populum suum. Dicitur autem Christus *Salvator Israelis populi suis*, quia tametsi pro mundo venerit, tamen re ipsa non salvavit nisi certos quosdam, qui dicuntur populus Dei, et spiritualis Israel. *Cum averterit, sive converterit captivitatem populi sui, exultabit Jacob, et laetabitur Israel*; idest, oro, ac peto salutem ex Sion, ac proinde Salvatorem, qui liberet a captivitate, quia cum id factum fuerit, tunc vere et perfecte exultabit, et laetabitur populus Dei, qui dicitur spiritualiter Jacob, et Israel, utrumque enim est nomen ejusdem hominis. Promissiones autem istas, et alias similes non pertinere ad solos carnales Israelitas, sed ad populum Dei partim ex Judaeis, partim ex gentibus congregatum, docet Apostolus in epist. ad Romanos, et copiosius Augustinus in epist. 200 ad Asellicum.

PSALMUS XIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Titulus nihil habet novi. Argumentum vero est scientia salutis; nam in hoc psalmo describitur via ad vitam aeternam.

EXPLICATIO PSALMI XIV.

1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?*

Ex hebraeo vertunt aliqui, *Quis peregrinabitur in tabernaculo tuo, aut quis habitabit in monte sancto tuo?* Sed vox hebraica, גּוּר *gur*, significat utrumque, peregrinari, et habitare, sicut etiam, שָׁכַן *Sciacan*, significat habitare, et quiescere. Itaque non potest reprehendi versio graeca, neque latina. Alludit Propheta ad montem Sion, et ad tabernaculum Dei, quod in eo monte erat; sed revera per haec nomina significat coelestem Jerusalem, ubi est tabernaculum Dei non manufactum. Prophetae enim praedicabant regnum coelorum per hujusmodi figuras. Unde b. Paulus ad Hebr. 8. et 9. saepius meminit tabernaculi coelestis, et cap. 12. vocat montem Sion, ipsum coelorum habitaculum, et b. Joannes in Apocalypsi cap. 14. meminit montis Sion coelestis, et cap. 21. ait. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, etc.* Quaerit igitur Propheta, quis sit habitaturus, idest, stabili mansione potiturus in tabernaculo coelesti: aut requieturus in vertice montis altissimi, in quo finitur omnis labor ascensionis, cum supra illum nihil sit. Hic enim in terris, neque stabilis mansio, neque vera quies esse potest.

2. *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam.*

Haec est compendiosa, et summaria responsio, quasi dicat, qui declinat a malo, et facit bonum, sive, qui neque commissione culpae, neque omissione justitiae Deum offendit. Dicitur ingredi sine macula, qui ambulat in via hujus vitae, idest, qui vivit sine culpa lethali. Veniale enim peccatum non proprie relinquit maculam. Dicitur operari justitiam, qui facit omnia, ad quae tenetur, non timore poenae, sed amore justitiae.

3. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.*

Explicat magis in particulari, qui habitaturus sit in tabernaculo Domini, ac dicit illum esse, qui neque corde, neque ore, neque opere malum operatur. De corde dicit, *qui loquitur veritatem in corde suo.* Nam omnis, qui res temporales pluris aestimat, quam valeant, non loquitur veritatem in corde suo; et quicumque in peccatum aliquod consentit, loquitur falsum in corde suo, quia judicat expedire sibi id, quod re vera sibi non expedit; ita omnia peccata cordis reduci possunt tamquam ad radicem ad falsum judicium. De ore dicit, *qui non egit dolum in lingua sua*; nam tam detractiones, quam adulationes, et alia id genus peccata linguae, ad dolum revocari possunt. De opere, dicit in sequenti versiculo.

4. *Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos.*
5. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.*

Non solum non fecit ipse malum, qui habitaturus est in tabernaculo Domini; sed nec permisit, quantum in se fuit, ut alii malum facerent. Ideo non accepit opprobrium adversus proximos suos; idest, non admisit ad aures suas viluperationes, detractiones, susurrationes, calumnias contra proximos, et non favit unquam malignis, sed eos contempsit, et pro nihilo duxit: contra autem glorificavit, honoravit, juvit viros bonos, qui Deum timent. Magna

est haec laus, non solum in se odisse malum, sed etiam in aliis.

6. *Qui jurat proximo suo, et non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.*

Exposuit in genere virtutes viri probi; nunc in particulari attingit vitium unum videlicet avaritiam, quo praecipue carere debet, qui cupit haeres fieri Regni coelestis. Cur autem hoc particulare vitium attingat, causa est, vel quia *radix omnium malorum est cupiditas*, ut ait Apostolus ad Timotheum 1. cap. 6. et per cupiditatem intelligit avaritiam, quam vocat philargyriam, idest amorem pecuniae, vel quia hoc vitium semper fuit, et est familiare Judaeis. Porro avaritia locum habet vel in fraudibus, quae committuntur in contractibus alioqui licitis; vel in contractibus genere suo illicitis; vel in muneribus. De primo genere dicit, *Qui jurat proximo suo, et non decipit.* De secundo dicit, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* De tertio dicit. *Et munera super innocentem*, idest, ad opprimendum innocentem, *non accepit.* Ex hebraeo s. Hieroymus vertit, *qui jurat, ut se affligat*, pro eo quod nos habemus, *qui jurat proximo suo*; sed vox hebraea potest legi, להרע *leharah*, et significat *ad faciendum malum*, nimirum sibi, hoc est, ad se affligendum, et sic legit s. Hieronymus: potest etiam legi, להרע *lehareah*, et significat, *proximo*, et sic legerunt septuaginta, a quorum versione latina editio vulgata profecta est, et certe magis cohaeret cum superioribus verbis nostra lectio, quam s. Hieronymi. Ex hoc versiculo aperte colligitur errare Judaeos, qui usuram licitam esse existimant.

7. *Qui facit haec, non movebitur in aeternum.*

Respondet quaestioni in primo versiculo propositae: ac dicit, eos, qui ita vivunt, ut supra expositum est, habituros firmissimam in coelesti tabernaculo mansionem. Itaque ait, *Qui facit haec*, quae supra dicta sunt, *non movebitur in aeternum*, idest, habitabit securus in tabernaculo Dei, ac quiescet in monte sancto ejus, sine ullo timore cadendi a tam foelici loco.

PSALMUS XV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

Tituli inscriptio ipsi Davidi.

Hic psalmus obscurissimus est, atque ab ipso titulo incipit ejus obscuritas. Vox hebraea, מִכְתָּם *Mictam*, ignota est: s. Hieronymus vertit, et humilis, et simplicis David, forte quia, מך *mac*, significat pauperem, ac per hoc humilem, et, תם *tam*, significat simplicem, et perfectum; alii volunt, מכתם *mictam*, esse pretiosum aliquid, quia כתם *chethem*, significat aurum. Mihi probabile est septuaginta Interpretes non legisse, מכתם *mictam*, sed, מכתב *mictab*, ultima litera paululum immutata: nam a verbo, כתב *cathab*, scribere, fit nomen, מכתב *mictab*, scriptura, sive inscriptio. Sed quia vox graeca, ϛηλογραφία, non significat simplicem inscriptionem, sed inscriptionem incisam in columna ad memoriam sempiternam: propterea intelligere debemus inscriptionem hoc loco significare titulum memorabilem, dignum qui numquam aboleatur. Argumentum psalmi est oratio Christi ad patrem: et eadem accommodari potest membris Christi, tum universis, tum singulis. De Christo enim, et non de David intelligendos esse quatuor versus postremos, ac praesertim illa verba, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, docet Apostolus Petrus Act. 2. et Paulus Act. 13. et quia totus psalmus est oratio quaedam continuata, non possunt intelligi quatuor ultimi versus de Christo, quin totus psalmus de Christo intelligatur.

EXPLICATIO PSALMI XV.

1. *Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

In hebraeo, ut nunc legitur, habetur, *Dixisti*: sed non est dubium, debere legi, אמרתי *amarti*, non *amarth*: nam non solum septuaginta verterunt, *dixi*, sed etiam s. Hieronymus, si tamen utraque lectio defendi debeat. Illud, *dixisti*, referendum erit ad animam, quia, אמר ת *amarth* est secunda persona generis feminini, et sensus erit, *Dixisti o anima mea*, et idem est, dixi ego, vel dixisti anima mea. Ait igitur Christus, et potest dicere quilibet Christianus, *Conserva me Domine*, idest, custodi, protege ab imminente tribulatione, quoniam speravi in te solo, non in ulla re creata. Quod au-

tem in te solo speraverim, et sperem, ex eo cognosci potest, *Quoniam dixi Domino*, idest, confessus sum tibi Domino, ac dixi ex corde, *Deus meus es tu*, idest,supremus Dominus meus es tu,ut clarius habet textus hebraicus, et graecus; nam latinus posuit, *Deus meus*, pro Dominus meus, ut variaret sermonem:*quoniam bonorum meorum non eges*, sed ego bonis tuis indigeo: tu nulla ratione a me dependes, sed ego a te in omnibus pendeo; ideo tu solus verus, et summus Dominus meus es, et quia ego hoc cognosco, et confiteor: ideo in te solo spero, et confido. Haec verba Propheta scripsit in persona Christi pro eo tempore, quo Christus non solum homo erat, sed etiam passioni, et morti obnoxius. Quamvis enim in Christo homine, et passibili non fuerit spes, quae est virtus Theologica, et respicit beatitudinem animae, ut s. Thomas docet 3. p. q. 7. art. 4. fuit tamen spes ut significat fiduciam, et expectationem gloriae corporis, et aliorum, quae nondum habebat; et de hac spe loquitur David in psalmis.

2. *Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

In graeco legitur sic,*Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit Dominus omnes voluntates suas in eis.* Itaque dissentiunt graecus et latinus, in illa voce, meas, et suas. Nam additio illa vocabuli, *Dominus*, non mutat sensum. In hebraeo legitur ad verbum sic, *Sanctis, qui in terra ipsi, et magnificis omnis voluntas mea in eis.*Quod ad graecum attinet, s. August. in ep. 59. ad Paulinum q.2. dicit codices electiores habere, *meas*, quamvis alii habeant, *suas*. Itaque probabile est, in graeco vitio librariorum irrepsisse mendum,praesertim cum in hebraico etiam habeatur, *meas*. Idem quoque Augustinus dicit, non esse dissonantiam alicujus momenti, cum opera Patris, et Filii, et Spiritus sancti sunt indivisa. Hebraeus autem codex cum ait, *Qui in terra ipsi*, non differt a nostro codice, nisi quod omittit pronomen *ejus*. Cum autem dicit, *Et magnificis*, sciendum est vocem ואדירי *veaddire*, videri omnino corruptam. Est enim nomen numeri multitudinis,in regimine, idest,regens aliud nomen casus genitivi hebraei: siquidem aliter formant nomen absolute positum, et aliter nomen regens post se aliud nomen casus genitivi. Hic autem non sequitur aliud nomen,quod regatur ab isto, *magnificis*. Praeterea si septuaginta legissent, ואדירי *veaddire*, non potuissent vertere, *mirificant*, nisi imperitissimi fuissent. Itaque existimo eos legisse, האדיר *heedir*, quod significat mirificavit. Illa vero, *omnis voluntas mea in eis*, non habent difficultatem, quia cum Hebraei non declinent nomina per casus, verti debent vocabula secundum exigentiam verborum. Recte igitur verti potest hic locus,*Sanctis, qui sunt in terra, mirificavit omnem voluntatem meam in eis*, atque ita in concordiam rediguntur omnes lectiones. Sententia autem haec esse videtur: Quia Deus bonorum meorum non eget, ideo benefacere studeo electis ejus, cujus meae bonae voluntatis ipse Deus mihi testis est, qui sanctis qui sunt in terra ejus, idest, sanctis et electis suis, qui sunt in terra ejus, mirificavit, idest,mirabiles reddidit omnes voluntates meas in eis, id est, omnem benevolentiam meam omniaque studia mea erga illos: dicitur autem Deus mirabilem reddidisse benevolentiam Christi erga electos, declarando illam tum per Prophetas, et per varias figuras testamenti veteris; tum etiam per miracula ipsius Christi, et Apostolorum; mirabilis vero fuit Christi benevolentia erga electos, cum pro illis animam suam ponere voluerit.

3. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

In hebraeo habetur, ירבו *irbu* in futuro *multiplicabuntur*, sed accipitur futurum pro praeterito. Illud etiam, *postea*, vertitur communiter ex hebraeo, *alienum*; sed septuaginta non legerunt, אחר *acher*, alienum , sed , אחר *achar*, quod significat postea. Explicatur hoc loco effectus benevolentiae Christi in electos,qui antea debiles erant ob vulnera gravissima peccatorum; ita ut ambulare non possent, et postea sanati per gratiam currere coeperunt viam mandatorum Dei. *Multiplicatae sunt*, inquit, *infirmitates eorum*, idest, aegritudines, ac morbi spirituales, unde Apostolus ad Rom. 5. *Cum adhuc infirmi essemus, Christus pro nobis mortuus est;* et paulo post explicans infirmitates, *Cum*, inquit, *peccatores essemus.*Ex hebraeo, עצבותם *hazebotham*,multi vertunt,*idola;*sed vox hebraea proprie significat infirmitatem,et dolorem et per figuram accipitur pro idolis, vel quia idola infirma sunt, et nullius potentiae; vel quia peccatores ac per hoc infirmos homines faciunt. *Postea acceleraverunt*, idest , antea infirmissimi erant multiplicatis peccatis usque ad summum ; sed postea sanati per gratiam fortes effecti sunt, et ideo exultarunt ad currendam viam.Id apparuit in principio Ecclesiae, quando conversi homines ab idololatria, ad martyria festinabant.

4. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus.nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Ex hebraeo vertunt communiter, *non libabo libamina eorum de sanguine*,et vere verbum, נסך *nasac*, significat libare, et fundere; sed significat etiam tegere, et operire, quia quae teguntur congregantur ut legi possunt: credibile est, idem verbum significare etiam congregare, sententia vero est eadem: nam quia ad sacrificia celebranda coetus congregari solent; ideo proinde est, si dicatur, *non libabo libamina eorum de sanguine*, idest, non placebunt mihi sacrificia eorum, quae sanguinis effusione constant;*et non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, idest, non placebunt mihi congregationes eorum ad sacrificia cruenta celebranda; proinde non ego illa congregabo, non ero auctor, ut ejusmodi coetus fiant. *Nec me-*

mor ero nominum eorum per labia mea, idest, non solum non ero auctor talium congregationum, et sacrificiorum, sed ea ne nominabo quidem. Cohaeret autem hic versiculus cum superiore, quia rationem reddit, cur electi post multiplicata peccata, ac potissimum idololatriae, acceleraverint currere viam Domini: ratio enim est, quia Dominus vehementer detestatur idola, et eorum veneration em, ut ne nominari quidem velit a suis: ideo, quos elegit in Christo, mundavit a peccato idololatriae et sic sanctos currere fecit viam mandatorum suorum.

5. *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi.*

Quia dixerat se detestari idola, et peccata; addit pro ratione, omnia sua bona in uno Deo habere. Vox propria Christi, omnino segregatus a peccatoribus, et Deo Patri summe amicus omnia sua bona in Deo habet. Idem, et nos pro modulo nostro sentire deberemus. Dicit igitur, *Dominus pars haereditatis meae*, idest, pars, quae mihi ex divisione haereditatis contingere debet, hoc est, quidquid omnino expecto, mihi Dominus est, ipse mihi est omnia; *et calicis mei*, repetitio est ejusdem sententiae: nam et calix, qui dividi solebat inter convivas, pro haereditate accipitur. Nisi magis placeat per partem haereditatis intelligere opes, per partem calicis, delicias, ut sensus sit, omnes meas opes atque omnes meas delicias in solo Deo constitui. *Tu es qui restitues haereditatem meam mihi*, hoc additur, quia cum Christus adhuc mortalis haec diceret, nondum plene possidebat haereditatem: et nos cum haec dicimus, desiderio quidem omnia bona in Deo habemus, sed nondum re ipsa possidemus. Possessio autem ista interim deposita est apud Deum et ille nobis eam restituet in die novissimo sicut Christo restituit in die resurrectionis ejus: huc alludit b. Paulus cum ait. *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem*, 2. Tim. 1. In hebraeo habetur, אתה תומיך גרלי *Attha thomich gorali, Tu sustentas haereditatem meam*, et sensus est idem: nam ideo restituet Dominus haereditatem, quia nunc eam sustentat, et conservat nobis juxta illud d. Petri, *in haereditatem incorruptibilem conservatam in coelis*, 1. Petr. 1.

6. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris: etenim haereditas mea praeclara est mihi.*

Similitudine ducta a terrena haereditate, declarat praestantiam haereditatis aeternae, quam habebunt qui Deum solum eligunt. Siquidem funiculis mensurari solebant campi, qui ex haereditatis divisione obveniebant, et quia divisio sorte fiebat, ideo dicebantur funiculi in praeclaram partem cadere, quando pars haereditatis optima contingebat. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris*, idest, optimam haereditatem sorte felicissima consecutus sum; etenim *haereditas mea praeclara est mihi*, idem dicit aliis verbis. Meminit autem sortis, quia principium hujus haereditatis a praedestinatione ducitur; praedestinationis autem gratia respectu nostri sors quaedam est, unde Paulus, *sorte vocati sumus: et elegit nos in partem sortis sanctorum*, ad Ephes. 2. et ad Coloss. 1.

7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.*

Gratias agit Deo qui inspiravit illi consilium, et accendit in eo desiderium, ut tam praeclaram haereditatem eligeret. *Benedicam*, inquit, *Dominum*, idest, laudabo Deum auctorem mihi tanti boni, *qui dedit mihi intellectum*, idest, qui me cognoscere fecit, et prudenter eligere: vox enim hebraea יעץ *Iahaz* significat proprie dare consilium. *Insuper, et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Per renes in Scriptura intelligitur affectus, et desiderium, unde sunt illa, *Scrutans corda, et renes Deus*; et, *Proba cor meum, et renes meos*, ubi per cor intelligitur cogitatio, per renes affectio, *per noctem*, intelligitur tempus tribulationis, sicut per diem, tempus prosperitatis: per verbum, *increpuerunt*, significatur potius eruditio, quam reprehensio. Nam, et in hebraeo, יסרוני *isseruni*, et in graeco est verbum significans *eruditionem*; proinde verbum latinum interpretandum est pro increpatione hortatoria, qualis est: *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi.* Denique illud, *Usque ad noctem*, in hebraeo est, לילות *leloth*, erudierunt me *in noctibus*; ex quo intelligimus significari non solum tota die, sed etiam usque ad noctem totam, quod vulgo dici solet inclusive. Itaque sensus hic est, *Insuper et usque ad noctem*, idest, non solum tempore prosperitatis, sed praeterea usque ad tempus adversitatis, et in ipsa adversitate affectus meus in Deum accensus est, me excitans, et adhortans ad passionem aequo animo subeundam, ac semper de Deo bene sperandum.

8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper quoniam a dextris est mihi, ne commovear.*

Ex intellectu, et affectu bono, de quo in superiore versu Deum laudavit, profectum est, ut semper Deum ante oculos haberet: anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat: in hebraeo habetur, *Posui Dominum in conspectu meo semper*, ex quo clarius declaratur, Christum studiose egisse, ut semper Dominum praesentem haberet. *Quoniam a dextris est mihi, ne commovear*, hoc est, nec falsa mea cogitatio fuit, qua Dominum mihi ante oculos cordis semper ponebam; nam vere a dextris mihi semper est, tamquam tegens latus meum, meque praecedens, ut adjutor fortis, ne commovear

de gradu meo sed persistam, et perseverem usque in finem.

9. *Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe.*

Explicat nunc tandem haereditatem praeclaram, quam Deus restituet sibi, et aliis, qui Dominum elegerunt. *Propter hoc*, idest, quia Dominus a dextris mihi est adjutor.et protector fidelissimus, *laetatum est cor meum*, laetitia vera,et solida,de qua Dominus in Evangelio Jo: 16. *Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis: et exultavit lingua mea*, quia gaudium internum redundare solet etiam exterius. In hebraeo habetur: *Exultavit gloria mea*, quod in idem recidit: gloria enim interior, per linguam exultat exterius. *Insuper et caro mea requiescet in spe*, hoc est, animus laetabitur, et caro obdormiet in morte placida, et secura, ob certam expectationem celerrimae resurrectionis.

10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Haec explicata sunt ab Apostolis Petro,et Paulo, Act. 2. et 13. et quamvis proprie de solo Christo haec dicantur,cujus anima non est relicta apud inferos, in limbo videlicet sanctorum Patrum; neque caro in sepulchro experta est ullam putrefactionem tamen nos omnes haec dicere possumus, tum quia membra Christi sumus, et in illo, ut ait Apostolus, Ephes. 2. *conresuscitavit nos Deus;* tum quia animae nostrae non relinquentur in inferno, idest, in Purgatorio; neque caro nostra videbit aeternam corruptionem.

11. *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.*

Hic exponit perfectam haereditatis promissionem. *Notas*, inquit, *mihi fecisti vias vitae*, idest, docuisti me modum redeundi ad vitam post mortem; metaphora est pulcherrima, per quam modus per se resurgendi dicitur via usque ad illam diem ignota, quia nullus unquam per se resurrexit,Christo excepto. Nec solum, inquit, docuisti me resurgere ex mortuis, sed etiam, *adimplebis me laetitia cum vultu tuo*, gloriosum,immortalem, et beatum faciens me, vultum tuum mihi ostendendo: nam ex visione Dei, in qua consistit beatitudo essentialis, redundat etiam gloria in corpus,qua sola Christus carebat: gloriam enim animae a conceptione habuerat. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Nec solum gloriosum me facies,sed ad dexteram collocabit in coelis, ubi delectationes sunt sine ullo fine. Quae omnia etiam electis suo modo convenient, quibus Deus ostendit vias vitae, cum legis observationem docuit esse viam ad Regnum coelorum.Eosdem adimplet laetitia cum vultu suo, cum eis se videndum exhibet facie ad faciem, et demum delectationes usque in finem eis praebet dextera sua, cum eos ad dexteram partem collocat, et cum dextera manu sua tamquam inexhausto fonte bonorum eos indesinenter delectationibus replet. Ad finem hujus psalmi annotare placet incredibilem temeritatem Theodori Bezae, qui verba illa,*Non derelinques animam meam in inferno*, ex textu graeco, Act. 2, sic interpretari ausus est, *Non relinques cadaver meum in sepulchro*,quae enim corruptio sacrarum litterarum est, si haec non est? Vide, si placet, refutationem hujus paradoxi in nostris controversiis lib. de anima Christi, cap. 12. ubi demonstramus voces tum hebraicas, tum graecas, quae in hoc psalmo, et cap. 2. Actorum habentur, non cadaver, et sepulchrum sed animam, et infernum proprie significare.

PSALMUS XVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

Oratio David.

Hic psalmus, ut ipse titulus indicat, est oratio justi persecutionem injuste patientis, qua precatur a Deo liberationem; ducit autem argumenta, primum ab innocentia sua,secundum a justitia Dei, tertium a misericordia ejusdem, quartum a malitia impiorum justos persequentium.

EXPLICATIO PSALMI XVI.

1. *Exaudi Domine justitiam meam: intende deprecationem meam.*
2. *Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.*

Hi duo versiculi conjunguntur in unum apud hebraeos; sed apud Graecos et latinos distincti sunt.Res est parvi momenti,neque sententiam mutat. Primum igitur orat exaudiri justitiam suam: nam apud justum judicem magis clamat caussa, quam persona. Addit deinde, ac postulat attendi etiam ad precationem suam; quia Deus non solum justitiam, sed etiam Justos diligit, et ut s. Jacobus ait cap. 5. *Multum valet oratio justi.* Postremo conjungit utrumque, justitiam, et deprecationem, cum ait, *Auribus percipe orationem meam, non*

in labiis dolosis, hoc est, orationem meam, quae non prodit ex labiis dolosis; sed in justitia nititur. Itaque sensus est, Moveat te Domine justitia, moveat Justi deprecatio.

3. *De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant aequitates.*

Alterum argumentum petit a justitia Dei, quasi dicat, te appello Domine, a te judicari volo, qui es Judex justissimus. *De vultu tuo*, idest, ab ore tuo judicium meum prodeat, id est, sententia pronuncietur. *Oculi tui videant aequitates*, idest, noli claudere oculos, et dissimulare calumnias impiorum; sed aperi oculos, et considera, quid justitia exigat. Nam, ut alias monui, non ponitur hoc loco aequitas pro epicheja, sed pro ipsa vera justitia, ut sonant vocabula hebraea, et graeca. In graeco habetur, *Oculi mei videant aequitatem*, et sic legit s. Augustinus, et exponit de judicio hominis justi, non de judicio Dei, ut sensus sit, de vultu tuo judicium meum prodeat, idest, illumina mentem meam, ut juste judicem: *oculi mei videant aequitates*, idest, mens mea non aberret in judicando; sed si debeat convenire sententia graeci codicis cum lectione hebraica, et latina, hic debet esse sensus. Oculi mei videant aequitates, quas tu videlicet exerces, idest, videant justa judicia tua. Et sane lectio, quae habet *oculi tui*, magis cohaeret cum superioribus, et eamdem approbat s. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam.

4. *Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.*

Reddit caussam cur velit judicari a Deo; quia videlicet ipse solus scrutatur corda, et perfecte novit innocentiam servorum suorum. *Probasti*, inquit, *cor meum*, idest, tentasti, qualis sim intus, ubi nemo videt praeter te; experimentum de mea sinceritate fecisti. Quomodo autem id fecerit, declarat dicens, *Visitasti nocte, et igne me examinasti*. Nam duo sunt tempora, quibus apparet quid sit in corde, occasio occulte agendi, et tempus tribulationis. Multi enim intus mali, exterius boni, si occasionem habeant peccandi in occulto, ubi nullum sit periculum ne deleganter, tunc malitia se prodit. Sic etiam tempore prosperitatis non discernuntur mali a bonis, sed cum ignis persecutionis advenerit, tunc aurum lucebit, et palea fumabit. De primo tempore dicit, *Visitasti nocte*, idest, cum in occulto occasiones peccandi habui. De secundo vero, *igne me examinasti*, idest, ardente tribulatione. *Et non est inventa in me iniquitas*, in hebraeo, pro istis verbis, *Non est inventa in me iniquitas*, ad verbum sic legitur: *Non invenisti, cogitavi; non transibit os meum*. Quae verba nullum sensum facere videntur. Sciendum igitur est septuaginta Interpretes non legisse, זמיתי *zammothi*, quod significat, cogitavi: sed, זמתי *zimmathi*, mutatis tantum punctis idest, iniquitatem meam, et conjunxerunt hoc nomen cum superiore verbo, et ideo reddiderunt, *Non est inventa in me iniquitas*, quod est idem cum eo, *non invenisti iniquitatem meam*, ut ad verbum est in hebraeo. Sequentia verba, nimirum, *non transibit os meum*, conjunxerunt septuaginta Interpretes cum verbis sequentibus, *in opera hominum*, et verterunt, *ut non loquatur os meum opera hominum*. Idem enim est, non transibit os meum in opera hominum, et non loquetur os meum opera hominum.

5. *Ut non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

Ostendit unde factum sit, ut Deus non invenerit in eo iniquitatem: et dicit ex eo factum esse, quia custodierit vias duras justitiae propter praecepta Dei, non ob aliquam spem humanam. Nam qui ob spem humanam costodiunt viam justitiae, exterius id faciunt, ubi homines, vident, ac per hoc invenitur in eis latens iniquitas; qui vero propter Dei mandatum viam justitiae non deserunt, id faciunt exterius, et interius, atque ideo nulla in eis iniquitas invenitur. Ait igitur, *Ego custodivi vias duras*, idest, permansi in via justitiae, quamvis aspera, et dura neque me ulla tribulatio ab ea via declinare facit. Permansi autem in hac via, *propter verba labiorum tuorum*, idest, propter mandata tua, sive propter promissiones, et minas tuas. *Ut non loquatur os meum opera hominum*, idest, ut non cogar implorare humanam opem; neque ab spe humana pendeam, neque laudem opera hominum. In hebraeo, pro eo quod nos legimus vias duras, habetur, *vias*, פרץ *pariz*, idest, latronis, seu dissipatoris: sed mutatis punctis illud, פרץ *pariz*, potest, legi, *perez*, idest, ruptura sive fractura; et sensus erit custodivi vias praeruptas, ac per hoc periculosas, et duras.

6. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

Agnoscens non suis viribus, sed auxilio Dei se permansisse in angusta semita justitiae, rogat Deum, ut confirmet hoc beneficium, *Perfice gressus meos in semitis tuis*, idest, confirma, et stabili gressus meos in hac via tua, ne forte declinem ab ea, si tuo adjutorio destituar. In hebraeo ad verbum est, *substenta gressus meos, ne labantur vestigia mea;* ubi declaratur id ipsum per similitudinem ductam a via lubrica. Itaque, *perfice gressus*, significat, sustenta, et stabili; et *ne moveantur vestigia mea*, significat, ne labantur ob viae lubricitatem. Vera enim infirmitas carnis, et illecebra mundi faciunt viam vitae humanae valde lubricam, et multi labuntur in ea.

7. *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.*

Exposito argumento ab innocentia, sua, et a justitia Dei, iterum repetit orationem initio Psalmi propositam; quae est quasi conclusio, quae colligitur ex duobus illis argumentis. Sententia igitur haec est: *Ego clamavi*, ad te Domine *quoniam exaudisti me*, idest, cum fiducia clamavi, quoniam

semper alias exaudisti me. Et ideo pro solita benignitate nunc etiam inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

8. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.*

Hoc est argumentum tertium, quod sumitur a misericordia Dei; quasi dicat, exposui innocentiam meam, appellavi justitiam tuam; invoco nunc misericordiam, quoniam etsi me innocentem existimem a crimine, ob quod tribulationem patior, tamen multa sunt alia fortasse peccata mea, ob quae juste puniri possem. *Mirifica ergo misericordias tuas*, idest, ita manifeste misericordias tuas exerce in me liberando, ut omnes mirentur. Tuum est enim salvos facere omnes, qui in tua misericordia spem suam repositam habent.

9. *A resistentibus dexterae tuae custodi me ut pupillam oculi.*

In Hebraeo conjunguntur cum superiore versiculo illa verba, *a resistentibus dexterae*, ut sensus sit, qui salvos facis a resistentibus dexterae tuae eos qui sperant in te. Sed cohaerent etiam optime cum verbis sequentibus in hunc modum: *Custodi me ut pupillam oculi*, idest, maxima diligentia; *a resistentibus dexterae tuae*, idest, ab impiis hominibus, qui resistunt dexterae tuae, vel laedendo quos tu protegis, vel non ambulando quo tu ducis; neque hoc est contrarium ei, quod legimus in lib. Esther cap. 13. *Non est qui possit tuae resistere voluntati.* Nam illud intelligitur de voluntate beneplaciti, quae semper impletur; hoc autem de voluntate signi, quae non semper impletur, quia Deus permittit impios multa facere contra leges, a se positas: sed eos postea punit, ut merentur. Idcirco s. Paulus hortatur dicens, *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*, 1. Pet. 5. Similitudo illa, *ut pupillam oculi*, aptissima est; quoniam pupilla res simul pretiossima est et infirmissima, et ideo diligentissime custodire solet, et ab ipsa natura munita est, tum variis tunicis, tum etiam palpebris, et pilorum vallo.

10. *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum, qui me afflixerunt.*

Idipsum repetit alia similitudine. Sicut enim pulli teguntur alis gallinae, et eo modo obumbrantur, et securi delitescunt, ut laedi non possint a milvis: sic optat justus protegi divino auxilio a persecutoribus suis. Illud, *a facie impiorum*, significare potest a conspectu impiorum; alae siquidem dum pullos tegunt, faciunt ne videantur a milvis. Item a morsu impiorum sive ab ira impiorum: nam et dentes in facie sunt, et ira in facie demonstratur. Illud, *qui me afflixerunt*, significat, justum jam expertum esse morsus impiorum, et ideo protectionem quaerere, ne si saepius mordeatur, tandem consumatur. Familiaris est haec similitudo divinae Scripturae psal. 62. *In velamento*, inquit, *alarum tuarum sperabo*; et rursus psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis;* et ipse Dominus in Evangelio: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti*, Matth. 23.

11. *Inimici mei animam meam circumderunt, adipem suum concluserunt, os eorum loquutum est superbiam.*

Est hoc argumentum postremum, quod sumitur a malitia inimicorum. *Inimici mei*, inquit, *animam meam circumdederunt*, idest, vitam meam, sive me ipsum undique premunt, *adipem suum concluserunt*, idest, nulla misericordia moventur, etiamsi me videant ad extrema redactum; *os eorum loquutum est superbia*, idest, non solum non miserentur, sed etiam insultant arroganter. Porro adipem concludere, significat viscera claudere, ac per hoc non misereri, juxta illud s. Joannis: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1. Joan. 3. Quia vero viscera claudi solent, cum adeps crescit, ideo maluit Propheta dicere, *Adipem suum concluserunt*, quam viscera clauserunt, ut simul indicaret causam, unde viscera clauduntur, quae est multiplicatio adipis, idest, opulentiae temporalis. Sicut enim adeps naturalis claudit viscera carnalia: ita: multiplicatio opum facit superbe sapere, et contemnere proximum, et claudit viscera spiritualia.

12. *Projicientes me nunc circumdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Pergit narrare nequitiam inimicorum, et ait, eos modo unam viam aggredi, modo contrariam, sic tamen ut semper noceant. *Projicientes me nunc circumdederunt me*, idest, antea projicientes a suo consortio, nunc circumdederunt me. In graeco sensus est clarior, quia illud, *projicientes*, est temporis praeteriti, ἐκβαλλοντε, et significat, *cum projecissent me.* Itaque sensus est, cum antea projecissent me a suo consortio, ne fruerer communibus bonis, nunc iterum quaerunt me, circumdant, ut malis afficiant. Hujus autem malitiae ipsorum causa est, quia *statuerunt oculos suos declinare in terram*, idest, firmiter decreverunt non aspicere ad Deum, qui est in coelo, nec timorem ullum Dei admittere; sed solum terram intueri, et quae in terra sunt bona sectari. In hebraeo pro illa voce, projicientes me, habetur, אשורני *asciurenu*, quod aliqui vertunt *gressu meo*; alii, *incedentes in me*, alii aliter. Sed septuaginta Interpretes legisse videntur, הורישוני *horisciuni*, quod significat, *expulerunt me*, sunt enim literae fere eaedem, sed transpositae.

13. *Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam et sicut catulus leonis habitans in abditis.*

Non solum, inquit, circumdederunt me, sed crudelissime in me saevierunt, *Susceperunt* enim *me*,

ex aviditate, et saevitia, qua *leo paratus ad praedam*, suscipit occurrentem sibi oviculam. Dicitur autem leo paratus ad praedam is, qui famelicus,et in praedam intentus est. Idem repetit per verba sequentia, *et sicut catulus leonis habitans in abditis*, idest, sicut leonis catulus latens in insidiis suscipit praedam sibi occurrentem.In hebraeo pro *susceperunt me*, habetur, דמיונו *dimiono*, similitudo ejus, videlicet impii, quasi leonis desiderantis praedam. Caeterum septuaginta legerunt paulo aliter, ut legi potest vox illa,si removeantur puncta, nimirum videntur legisse, דמונו *dimuni*, ab eodem verbo, דמה *dama*, quod non solum similem esse, sed etiam succidere significat. Itaque intellexerunt hic significari, *succiderunt me*,sicut leo succidere solet praedam oblatam,sed pro succiderunt, maluerunt vertere, *susceperunt*, nimirum ad succidendum,quia non succiderunt re ipsa, sed tantum voto, non enim Deus permisit ut re ipsa succiderent, ut ex sequenti versiculo perspicuum est.

14. *Exurge Domine, praeveni eum, et supplanta eum:eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.*

Explicata malitia persequentium, rogat Deum ut adsit, et liberet ipse, qui solus potest.*Exurge Domine*, non amplius differas auxilium, *praeveni eum*, idest, impium, qui instar leonis me rapuit ad devorandum, praeveni dentes ejus,ne os in me infigat, et occidat. Et vere solus Deus praevenire potest actionem cujuslibet caussae etiam velocissime agentis, sicut praevenit dentes leonum,ne laederent Danielem inter ipsos famelicos jacentem; et sicut praevenit impetum ignis, ne combureret tres pueros in fornacem projectos, ex quo magna consolatio oritur justis, qui sciunt eam esse Dei sui potentiam, ut securos eos praestare possunt inter dentes leonum et inter flammas ignis ardentis; *supplanta eum*, idest, decipe eum, mirabili providentia tua efficiendo, ut dum putat se dentes infigere in carnem justi, configat in carnem propriam. *Eripe animam meam ab impio*, idest, ne sinas me occidi ab impio saeviente more leonis, sed libera, et salva me. *Frameam tuam ab inimicis manus tuae.* In hebraeo post *frameam tuam*, finitur versiculus, et deinde incipit alius versus;et quia hebraei, non declinant nomina per casus,potest sic verti ea sententia, *eripe animam meam ab impio*, framea tua, idest, ut vertit sanctus Hieronymus, *ab impio qui est framea tua*, vel, ut alii volunt, eripe animam meam ab impio framea tua, idest, per frameam tuam, sed versionem septuaginta, et editionem vulgatam sequendo, sensus erit, eripe animam meam ab impio;ac ut hoc facias, eripe frameam tuam,idest,potestatem affligendi,ab inimicis manus tuae,idest, ab iis, qui ea non bene utuntur,qui sunt inimici manus tuae,ac per hoc non sequuntur directionem manus tuae,sed contra eam abutuntur potestate a te illis concessa. *Omnis enim potestas a Deo est*, sive, ut Apostolus loquitur, *Non est potestas nisi a Deo.* Rom. 13. In hebraeo pro, *inimicis manus tuae*, habetur, *a viris manus tuae*,sive *a mortuis manus tuae*,nam vox hebraea,מתים *methim*,et vivos,et mortuos significat. Septuaginta Interpretes intellexerunt significari mortuos, et verterunt, ἀπ' ἐχθρῶν τῆς χειρός σου, *inimicis manus tuae*, quoniam inimici manus Domini, id est, qui nolunt sequi directionem manus Domini, mortui sunt manui Domini; quomodo omnes peccatores dicuntur mortui Deo, et inimici Dei, verterunt autem potius,inimici, quam mortui, quia id est multo clarius.

15. *Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.*

Imprecatio est prophetica, idest, praedictio per modum imprecationis: praedicit enim futurum, ut dividantur impii a Justis, et impiis quidem sola temporalia tribuuntur; Justis vero etiam aeterna. *Domine a paucis de terra divide eos*, idest, separa multitudinem impiorum a pusillo grege tuo. In hebraeo est eadem vox, מתים *methim*, quae in fine versiculi superioris. David enim sicut inimicos Dei vocaverat mortuos Dei; ita nunc amicos Dei vocat mortuos saeculo, sive terrae: vox enim, חלד *cheled*, significat terram, mundum, saeculum et similia. Itaque verti poterat, divide eos a mortuis mundo: sed maluerunt septuaginta dicere a paucis de terra, qui vere mortui mundo sunt valde pauci, respectu amatorum mundi. Illud, *divide eos*, est in hebraeo, pars eorum, sed mutatis punctis eaedem voces significant, divide eos.Quod sequitur, *in vita eorum*, posset recte conjungi cum sequentibus, nisi obstaret particula, et, *et de absconditis tuis*,etc.quae particula est in hebraeo, et in graeco, et in multis latinis: nec scio, cur in editione vulgata omissa sit. Sensus igitur est non solum in vita futura, sed etiam in praesenti, quae proprie est vita ipsorum, quam ipsi videlicet solum agnoscunt,amant dividendos a viris justis,qui saeculo mortui sunt.In hoc autem divisio consistit, quod *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, idest, de bonis terrae a Deo creatis,et conservatis,et quae veluti de thesauro abscondito singulis annis emanant, adimplent ventrem suum, et hanc partem suam esse dicunt.

16. *Saturati sunt filiis, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.*

Hoc est, filiis abundant, et iis post mortem sua relinquunt bona, quae ipsis supersunt, haec enim censetur a filiis hujus saeculi perfecta felicitas, si et ipsi bonis terrenis circumfluant,et filios suos bonorum suorum relinquant haeredes.Ex graeco sanctus Augustinus vertit, *saturati sunt porcina*;sed etiam verti posse dicit, *saturati sunt filiis*, ratio hujus varietatis in promptu est: nam vox graeca si scribatur per simplex ypsilon ὑων significat *porcum*; si scribatur per ypsilon, et jota ὑιῶν significat *filios*, sed ex hebraeo perspicuum est, legendum filiis, non porcina.

17. *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.*

In hoc, inquam, divisio consistit, quod illi saturari cupiant in hac vita bonis terrenis; *ego autem* ut etiam caeteri Justi in hac vita,justitiam esuriam, et in alia gloria, et beatitudine satiabor. *In justitia apparebo conspectui tuo*, idest, juste coram te vivere studebo; *satiabor cum apparuerit gloria tua*, idest, sicut nunc tibi apparebit justitia mea, ita postea mihi apparebit gloria tua, et tunc demum vere satiabor nihil amplius expetens. In Hebraeo pro, *apparebit gloria tua*, habetur, *cum excitabitur similitudo tua;* sensus est idem: tunc enim apparebit nobis gloria Domini, quando excitabitur in nobis similitudo, de qua scriptum est 1. Joan. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Quando enim videbimus eum sicuti est, tunc erimus ei similes in gloria: nam et ipse beatus est, quia seipsum videt. Haec est enim vita et gloria sempiterna, videre Deum sicuti est.

PSALMUS XVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Puero Domini David, qui loquutus est Domino verba cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit.

Hic titulus indicat,psalmum hunc a Davide compositum fuisse in gratiarum actionem, quando liberatus fuit ab omnibus inimicis suis, et potissimum a Saule,qui nominatim ea de caussa exprimitur. Habetur hic idem psalmus in lib. 2. Regum cap. 22. paucis mutatis. Mutatio autem illa incertum est, an ab ipso Davide facta fuerit, an ab Esdra,qui psalmos collegit. Quia vero David figuram Christi gessit potest psalmus hic etiam de Christo recte exponi.

EXPLICATIO PSALMI XVII.

1. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.*

Diligam te Domine, idest, merito te diligere debeo, cum tot beneficiis me tibi devinxeris.Exponit deinde beneficia a Deo accepta: ac primum unico verbo, tum pluribus nominibus, postremo rerum gestarum enarratione. Unico verbo exponit, cum dicit, *Fortitudo mea*, idest, caussa totius roboris mei, quo de hostibus omnibus triumphavi. Quod autem uno verbo dixit, *Fortitudo mea*, explicat per partes, dicens, *Firmamentum, refugium, et liberator*; quasi dicat, merito dixi, Deum esse robur meum, quia ipse est firmamentum, refugium, et liberator meus. Cum in tuto sum, ipse mihi est firmamentum; cum in periculo versor, ipse mihi refugium praebet; cum forte in manus hostium incido, ipse me liberat. Itaque omnibus modis ipse mihi fortitudo, et robur est. In hebraeo pro voce, *diligam*, non est verbum, אהב *ahab*, quod simpliciter amare significat, sed רחם *racham*, quod significat amare ex intimis visceribus. Pro vocabulo, *Firmamentum*, est, סלעי *salhi*, Petra,idest, stabile, ac solidum fundamentum. Pro, *refugium*, מצוך תי *metsudathi*,est arx, sive munitio, sive munitissima arx,ad quam tuto quis confugere possit. Sed septuaginta Interpretes metaphoras exponere voluerunt,ideo non petram, et arcem,sed firmamentum, et refugium dixerunt. In 2. lib. reg. cap. 22. deest illud principium, *Diligam te Domine fortitudo mea.* Incipit enim psalmus,*Dominus petra mea*, etc. Sed pulcherrimum illud principium videtur non ab alio, quam ab ipso Davide fuisse additum.

2. *Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum.*
3. *Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus.*

In his duobus versiculis, qui in hebraeo continuantur cum primo versiculo, ex vehementia affectus in Deum repetit Propheta, et inculcat epitheta benefactoris sui. Respondent autem tria haec, *Adjutor, protector, et cornu salutis*, tribus illis, *Firmamentum,refugium,et liberator*. In hebraeo pro voce adjutor, habetur, צורי *tsuri* petra, sicut pro voce, Firmamentum, erat etiam petra,sed alia, et alia voce. Itaque vocat Deum adjutorem, quia praebet stabilimentum, ut non cadat,juxta illud psal. 39. *Statuit supra petram pedes meos.* Et merito adjungit, *Sperabo in eo*,tamquam in firmissimo fundamento. Pro voce, Protector,habetur in hebraeo, מגני *maghinni*, *scutum*. sive clypeus, sicut pro voce refugium, erat arx. Utrumqu e enim protegit,et defendit.Itaque voluerunt septua-

ginta Interpretes explicare metaphoras nominum hebraicorum. Cornu salutis est tam in hebraeo, quam in Graeco, et significat robur ad salvandum. Metaphora sumpta ab animantibus cornigeris familiaris est Scripturae divinae, psal. 131. *Producam cornu David*, idest, faciam, ut David robustus sit, ac potens instar tauri cornibus armati, non imbecillis, ac debilis more vituli nondum cornua producentis, Ezech. 29. *In illa die pullulabit cornu domus Israel*, Michaeae 4. *Ponam cornu tuum ferreum*, Luc. 1. *Erexit nobis cornu salutis in domo David.* Dicitur igitur Deus cornu salutis Davidi, et omnibus justis, quia justi robustissimi sunt contra omnes hostes, sed robur eorum non viribus propriis, sed in Dei adjutorio, et favore consistit. *Omnia possum*, dicebat Apostolus, *in eo qui me confortat.* Respondet autem cornu salutis meae, particulae illi, *et liberator meus.* Liberat enim Deus per cornu salutis, idest, per salutiferam potentiam suam. Denique illud, *et susceptor meus*, est nomen complectens omnia alia, et respondet primo illi nomini, *Fortitudo mea*, Quos enim Deus suscipit, liberat, protegit, confirmat.

4. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Et haec quasi conclusio quaedam superiorum verborum: quasi dicat, Ego deinceps assidue Deum laudando pro tot acceptis beneficiis, et magna fiducia in tribulationibus meis, eumdem Deum invocabo, et sine dubio a quibuscumque hostibus liberabor. In hebraeo habetur, מהלל *Mehultal*, quod recte s. Hieronymus vertit, *Laudatum invocabo Dominum.* Sed si puncta mutentur, eaedem literae faciunt, מהלל *Meallel*, quod significat, *laudans invocabo*, ut verterunt septuaginta. Sententia semper est eadem, nimirum laudabo, et invocabo, gratias agam pro peccatis et invocabo pro futuris.

5. Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.
6. Dolores inferni circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis.

Incipit Propheta jam enarrare accepta beneficia. Ac primum dicit, se quondam fuisse in apertissimo periculo vitae, quando videlicet Saul eum quaerebat ut interficeret. Sed hoc periculum vitae poetice describit variis metaphoris adhibitis. *Circumdederunt me dolores mortis*, idest, undique talia pericula me oppresserunt, ut de salute corporali desperarem; et ideo tali dolore, idest, moerore animi affectus fui, quali affici solent, qui mortem sibi imminere vident. *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me*, idest, inde periculum, et dolor, de quo dixi, proficiscebantur, quod multitudo iniquorum instar torrentis me invaserant, et conturbaverant, quomodo conturbari solent qui a torrente aquarum deferuntur, et circumvolvuntur. *Dolores inferni circumdederunt me*: repetit quod dixerat, *circumdederunt me dolores mortis.* Idem enim hoc loco, dolor mortis, et dolor inferni. Nam quia ante Christi passionem omnes, qui moriebantur, ad infernum descendebant, quamvis non ad eamdem partem inferni; ideo pro eodem accipiebatur, mori, et ad infernum descendere. *Circumdederunt*, inquit, *me dolores inferni*, idest, moeror animi, qualem patiuntur, quibus imminet discessio ex hoc mundo ad locum mortuorum, qui est infernus. *Praeoccupaverunt me laquei mortis*, repetit, quod dixerat, *torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Sicut enim conturbatio ex multitudine iniquorum in eum insurgentium erat caussa Davidi dolorum mortis: ita praeoccupatio laqueorum mortis erat caussa eidem Davidi dolorum inferni. Vocat laqueos mortis insidias iniquorum, quibus petebatur ad mortem. Itaque sensus horum duorum versiculorum est, Davidem occupatum fuisse ingenti dolore ob imminens mortis periculum, tum ex invasione manifesta inimicorum instar torrentis violenter sapientis, et involventis, tum ex insidiis eorumdem inimicorum, instar laqueorum incautos capientium. Quod attinet ad verba, pro dolores, in hebraeo habetur, חבלי *cheble*, quae vox dolores, et funes significare potest. Ideo s. Hieronymus vertit, funes mortis, et funes inferni. At septuaginta interpretes verterunt, dolores mortis, et dolores inferni: quae lectio posterior clarior est. Pro torrentes iniquitatis, in hebraeo habetur, נחלי בליעל *nachale beliahal*, quod s. Hieronymus vertit, *torrentes diaboli*, et septuaginta interpretes, *torrentes iniquitatis.* Utrumque recte se habet; nam בליעל *beliahal*, ad litteram sonat, absque jugo, et in scripturis sanctis passim invenitur haec vox usurpata ad significandos viros iniquos, qui excusserunt jugum legis, vel ipsam iniquitatem, quae est contraria legi; quia iniquorum caput est diabolus; ideo diabolum quoque hac voce significare solent hebraei.

7. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi.
8. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.

Dixerat, se in maximo periculo constitutum fuisse; nunc dicit, se confugisse per orationem ad Deum, et exauditum. *In tribulatione mea*, idest, in illis magnis angustiis, in quas me conjecerat persecutio Saulis, et in aliis similibus multis. *Invocavi dominum*, in quo tota mea fiducia posita esse solet. *Et ad Deum meum clamavi.* Repetitio est Davidi familiaris. *Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam*, idest, oratio mea pervenit usque ad summum coelum, quod est templum Dei non manufactum, et vere sanctum, quod violari polluique nulla ratione potest. *Et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.* Repetitio est, et aliquo modo declaratio superioris versiculi; quasi dicat, clamosa oratio mea, id est, magno affectu prolata, in conspectu ejus effusa, idest, quam effudi Deum prae oculis habens, *introivit in aures ejus*, idest, exaudita est. In he-

braeo habentur in futuro omnia verba, invocabo, clamabo, exaudiet, introibit. Sed septuaginta interpretes recte verterunt in praeterito, invocavi, clamavi, exaudivit, introivit, quoniam lex hebraicae grammaticae id permittit, ut futurum ponatur pro praeterito.

9. *Commota est, et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.*

Incipit jam describere effectum exauditionis divinae, qui fuit auxilium de coelo adversus inimicos suos, ex quorum interitu ipse tandem non solum pericula evasit, sed etiam regnum adeptus est. Describit autem iram Dei adversus hostes suos poetico more; sicut enim cum irascitur rex aliquis, et bellum parat, totum ejus regnum turbatur; ita cum irascitur rex totius mundi, totus mundus turbatur, ac potissimum tria visibilia elementa, terra, aer, et aqua. Non significat hoc loco David, re ipsa terram, et aerem, et aquam ita perturbata fuisse, ut verba sonare videntur: sed significat, talem esse Dei iram, ut possit continuo tremefacere terram usque ad ima fundamenta; et in aere continuo excitare ventus, nubesque tenebrosas, et tonitrue, atque fulgura: denique fontes, et flumina, et maria ita siccare, ut appareant cavernae terrae, et fontium origines. Incipit ab elemento terrae, ac dicit, *commota est, et contremuit terra, fundamenta montium commota sunt, quoniam iratus est eis*; hoc est, quando Deus irascitur terrae, continuo tota movetur, et contremiscit, non solum in superficie, sed usque ad ima montium fundamenta. Nec solum quando Deus irascitur, sed etiam quando praesentiam suam manifestat in terra, concussio terrae consequitur, quasi trementis, et reverentis majestatem Creatoris. Sic in resurrectione Christi terraemotus factus est magnus; et cum idem Christus moriens infra terram descensurus erat, terra mota est. Et David in alio psalmo: *A facie Domini mota est terra.* ps. 113. In hebraeo non habetur, *quoniam iratus est eis*, sed, בי חרה לו, *chi chara lo, quoniam ira ei*, idest, quoniam iratus est. Itaque secundum textum hebraicum terra, et montes contremiscunt, non quia Deus ipsis montibus iratus est, sed quoniam absolute iratus est. At septuaginta vertentes, *quoniam iratus est eis*, significare voluerunt, iram Dei esse contra terram, et terrae montes, ratione hominum, qui in terra habitant; alioqui nulla est ratio cur Deus terrae, et montibus irascatur.

10. *Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.*

Adhuc pergit explicare operationem Dei in terra quando vult Deus ostendere in ea praesentiam suam: non enim solum terram tremere facit, sed etiam ardere ac fumare, quod accidisse describitur Exod. 20. hebr. 12. quando Deus in monte Sina legem dedit. *Ascendet*, inquit, *fumus in ira ejus*, idest, ira Dei excitavit in terra calorem vehementem, unde ingens fumus ascendit. *Et ignis a facie ejus exarsit*; nec solum calorem et fumum, sed etiam incendium magnum excitavit. *Carbones succensi sunt ab ea*, idest, ira Dei, sive facies Dei terram respiciens ita fecit eam ardere, ac si totam in carbones ardentes convertisset. Alibi etiam dicit, *qui respicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigant*, psalm. 103.

11. *Inclinavit coelos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus.*

Transit a terra ad aerem: et describit ea quae fiunt in aere, quando Deus iram, vel praesentiam suam demonstrare vult: dicitur Deus inclinare coelos, quando demittit nebulam, in qua ipse apparet. Videtur enim nebula quasi pars coeli: ordinarie autem Deus per nebulam se ostendere solitus est, ut patet ex lib. Num. cap. 9. 3. Reg. 8. Matth. 17. et alibi; ait igitur: *inclinavit coelos et descendit*, idest demissa nebula, per eam se manifestavit, *et caligo sub pedibus ejus*, idest, ita Deus in nebula habitavit, quasi caliginem sub pedibus haberet: sunt omnia metaphorica, ex quibus intelligimus, Deum invisibiliter praesentem nobis se facere.

12. *Et ascendit super Cherubim, et volavit, volavit super pennas ventorum.*

Pergit describere operationem Dei in aere, quando iram suam manifestare hominibus vult. Ponit autem nobis ante oculos Deum, quasi hominem armatum insidentem currui velocissime discurrenti, et ex eo sagittas in hostes suos emittentem. Currus Dei sunt nubes, juxta illud psalm. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Equi velocissimi sunt venti, qui nubes huc, illucque deferunt. Aurigae sunt angeli, quos cherubim vocat. Sagittae sunt fulgura, et fulmina, quae ex nubibus jaciuntur. Et vere mirabilis est ista descriptio. Nulli enim sunt currus agiliores nubibus, nulli equi velociores ventis, nulli aurigae peritiores angelis, nulla jacula, quae coelestibus fulminibus conferri possint. Et praeterea currus isti ex eo loco superiore pugnant, ut laedere possint. *Ascendit*, inquit, *super cherubim*, idest, non solum Deus utitur nebula, quasi domo, vel tentorio; sed etiam utitur nubibus, quasi curribus; et angelis Cherubim, quasi aurigis; et ventis, quasi equis. Dicitur autem ascendere super Cherubim, ut intelligamus, Deum non regi ab auriga, sed ipsum praesidere aurigae, et principalem esse tum ipsius currus, tum aurigae motorem, atque rectorem. Itaque dicitur Deus ascendere super cherubim, et volare super pennas ventorum, quia utitur ministerio Angelorum in movendis nubibus, quae sunt veluti currus aerei, et velocissimi, quippe qui tribuuntur a ventis, veluti equis pennigeris, ac per hoc non ambulant, sed volant, et volant celerius omni volucre.

13. *Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebrosa aqua in nubibus aeris.*

Ne putaretur Deus visibiliter in nubibus, tamquam in curru eminere, declarat propheta Deum invisibiliter adesse, et ea de causa tenebrosis nubibus uti, ut eo veluti symbolo invisibilem se esse demonstret. Est etiam in his verbis elegantissima, et poetica metaphora. *Posuit*, inquit, *tenebras latibulum suum*, idest, latet Deus in tenebrosis nubibus, quasi in loco abdito, sive effecit, ut nubes tenebrosae pro latibulo sibi deservirent. *In circuitu ejus, tabernaculum ejus*, idest, eaedem nubes sunt quasi tabernaculum Deo, quo ipse undique tegitur. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est tabernaculum, de quo dixi, nihil est aliud, nisi nubes tenebrosa, qualis est, cum est disposita proxime, ut in aquam vertatur. Tunc enim est nubes valde densa, et aquea, ut non improprie aqua dici possit in nubes existens.

14. *Pro fulgore in conspectu ejus nubes transierunt; grando, et carbones ignis.*

Declarat quomodo Deus ex nubibus quasi ex curribus suis armatis pugnet, ac dicit, jubente Deo nubem scindi, et inde prodire grandinem, et fulgura, instar carbonum ignitorum. Elegantissime autem dicit, *prae fulgore in conspectu ejus nubes transierunt*, quasi scissura nubium procedat a fulgore Dei intus latentis, quasi nubes ferre non possit divinum fulgorem, et ideo in conspectu Dei, rumpantur et dissolvantur, atque ex ea parte evanescat, et transeat. *Prae fulgore in conspectu ejus nubes transierunt*, idest, a fulgore Dei praesentis concussas nubes, in cospectu ejusdem Dei, transierunt disruptae, et dissolutae. *Grando, et carbones ignis*, supple, ex ea scissura processerunt grandines, et fulgura. Re ipsa hoc accidit tempore Pharaonis, ut habemus in lib. Exod. cap. 9. *Et grando*, inquit, *et ignis mixta pariter ferebantur*. Similia in bello Josue contra quinque reges, Jos. 10. necnon in bello m. Antonini Imperatoris contra germanos, de quo vide Tertullianum in lib. ad Scapulam; et in Apologetico cap. 5.

15. *Et intonuit de coelo Dominus, et altissimus dedit vocem suam; grando et carbones ignis.*

Idem repetit aliis verbis, ex nubis dissolutione oritur fragor ingens; qui dicitur tonitru, cum quo saepe fulmina conjuncta esse solent. Fragorem illum eleganter vocat Propheta vocem Dei, non solum quia Deus est causa fragoris illius, sed etiam quia tam ingens, et tam terrificus est sonus ille, ut soli Deo tribuendus videatur, quasi propria vox ejus. Hinc est illud ipsius Dei ad Job: *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas.* Job. 40. Illud autem *grando et carbones ignis*, in nonnullis graecis textibus non habetur, in hebraeo habetur, et posset legi, grandinem, et carbones ignis, ut aliqui legunt; sed noster interpres recte vertit, *grando et carbones ignis*, quia sunt omnino eaedem voces, quae in versiculo superiore. Itaque oportet hic etiam aliquid subintelligere, ut sensus sit, *altissimus dedit vocem suam*, ex qua voce processit etiam grando, et fulmina, quasi carbones igniti.

16. *Et misit sagittas suas, et dissipavit eos; fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.*

Explicatio est superiorum, ac praesertim illius vocis *carbones ignis*, quasi dicat, carbones ignis prodierunt ex nubium scissione, quia Deus *misit sagittas suas*, idest, fulgura, *eaque multiplicavit*, et eo modo inimicos suos *dissipavit et conturbavit.*

17. *Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.*

Hic jam loquitur de operatione Dei in aquis, quae operatio est mirabilis, et repentina exiccatio aquarum, qualis facta est in mari rubro, et Jordane flumine, ut habemus Exod. 14. et Jos. 4. ex qua exsiccatione patuit profundum maris, et fluminum, quod profundum vocat propheta *fundamenta orbis terrarum*, quia est pars infima totius terrae. Pro voce, *fontes*, in hebraeo est, אפקי *aphike*, quod significat, *decursus, seu torrentes.* Sanctus Hieronymus vertit, *effusiones aquarum*, sed cum sit nomen generale recte potuerunt septuaginta interpretes reddere, *fontes.* Sensus igitur est. *Et apparuerunt fontes aquarum*, idest, jussu Dei siccatis aquis apparuit fundum fontium, sive fluminum, sive etiam maris, et sic *revelata sunt*, et discooperta, *fundamenta*, idest, partes imae *orbis terrarum.*

18. *Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus irae tuae.*

Explicat causam exsiccationis aquarum. Apparuerunt, inquit, fontes seu decursus aquarum. *Ab increpatione tua domine*, idest, quia tu domine, increpasti aquas, et ille continuo disparuerunt. Quomodo autem increpaverit, explicat, dicens, *ab inspiratione spiritus irae tuae.* Mirabili metaphora, et plane poetica vocat Propheta ventum, cujus ministerio siccatae sunt aquae, spiritum irae Dei, et increpationem Dei. Nam vento urente siccatas fuisse aquas maris rubri a Deo, testatur scriptura Exod. 14. Itaque quod proprie dici poterat, tu domine immisso vento vehementi, siccasti aquas maris, dicit elegantissima metaphora, tu domine increpasti aquas; quia impediebant transitum populi tui; et spiritu irae tuae sufflasti in eas; et illae continuo fugerunt, ut alibi dicit psal. 113. *Quid est tibi mare, quod fugisti?* Hunc versiculum cum superiore conjungunt codices hebraici, quia sententia prioris ab hoc posteriore pendet; sed recte septuaginta interpretes separaverunt, quia viderunt ex ratione metrica ita esse faciendum, neque enim absurdum est, ut una sententia duobus versibus contineatur.

19. *Misit de summo, et accepit me, et assumpsit me de aquis multis.*

Jam redit ad beneficium Dei enarrandum, id est, ad liberationem suam ab inimicis. Omnia enim quae dicta sunt a versiculo nono usque ad hunc decimumnonum, pertinent ad declarationem potentiae Dei. Et quia dixerat initio, *torrentes iniquitatis conturbaverunt me*: et in versiculo praecedente dixerat, Deum spiritu suo siccare solitum aquas, et facere ut appareat fundum fluminum, et maris, ideo in eadem metaphora persistens dicit: *Misit de summo et accepit me*, idest, misit manum suam ex alto loco usque in profundum torrentis, et inde accepit me, et sic eduxit me de aquis multis, idest, oppressum tribulationibus mirabiliter liberavit. In hebraeo habentur verba futuri temporis, *mittet de summo, et accipiet me*, ישלח *isclach.* יקחני, *ikacheni*; sed, ut saepe diximus, non ignorabant septuaginta interpretes tempora confundi secundum regulas linguae hebraicae, et unum pro altero saepe poni. Hic certe magis quadrat tempus praeteritum.

20. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his, qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.*

Quod metaphorice dixerat versu superiore, propriis verbis dicit in hoc versiculo. Illud, *quoniam confortati sunt super me*, debet exponi per tempus imperfectum, idest, quoniam robustiores me erant, et sic vertit sanctus Hieronymus: redditur enim ratio, cur necessarium fuerit auxilium Dei potentius, quia videlicet inimici Davidis, ipso Davide fortiores erant. In hebraeo, et graeco codice habetur futurum, *eripiet me*, יצילדר, *ialsileni.* ῥύσεταί με, caeterum nostra lectio habetur etiam in antiquis libris et eam exponunt Hieronymus, et Augustinus. Quare verisimile est in graeco fuisse olim in praeterito. Hebraicum autem recte potest accipi pro praeterito.

16. *Praevenerunt me in die afflictionis meae, et factus est Dominus protector meus.*

Inculcat aliis verbis beneficium Dei. *Praevenerunt me in die afflictionis meae*, idest, nulla injuria a me lacessiti, ipsi primi fuerunt ad nocendum, vel antequam praecavere possem, me adorti sunt, praeveneruntque incautum: sed Dominus pro me vigilavit, et fecit ut eorum diligentia nihil mihi nocere posset.

22. *Et eduxit me in latitudinem; salvum me fecit, quoniam voluit me.*

Iterum atque iterum repetit liberationem suam, ut ostendat sibi alte in memoria infixum Dei beneficium. *Eduxit me in latitudinem*, idest, de angustiis tribulationum liberatum quasi in latum campum eduxit, ut libere jam spatiari possim sine metu ullo insidiatorum. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*, idest, salvum me fecit a tot imminentibus periculis, ad id potissimum, quia complacuit ei, idest, ob immensam ejus misericordiam, quia me dilexit. Nam etiamsi paulo post allegabit merita sua, tamen ipsa merita nostra dona Dei sunt; quod sanctus propheta non ignorabat.

23. *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.*
24. *Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.*
25. *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli a me.*
26. *Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea.*
27. *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.*

Laudavit Deum de beneficio liberationis ab inimicis. Nunc addit etiam in futurum se perpetuo liberandum, neque id ex sola misericordia, sed etiam ex justitia futurum, propterea quod juste vixerit, et vivere deinceps in animo habeat. Deus enim justus est, et justos amat, et adjuvat, ac protegit. *Et retribuet mihi*, inquit, *secundum justitiam meam*, idest, retribuet mihi, ut hactenus fecit, multa bona, prout justitia mea meretur. *Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi*, idest, sicut ego justitiam habeo non solum in corde, sed etiam in manibus, idest, justus sum interius, et exterius, justum habeo cor, et justa opera; ita Deus mihi bona retribuet coram se, et coram hominibus, interius exteriusque custodiet. At praesumptio videtur justitiam suam praedicare. Non est praesumptio quando sincere id agitur, et agnoscitur Deus auctor bonorum nostrorum. Sic etiam merita sua coram Deo pronunciavit Nehemias, 2. Esdr. 5. Ezechias, Isa. 38. Esther cap. 14. At videtur falsum, quod David hoc loco dicit. Nam cum haec diceret, commiserat adulterium, et homicidium. Et praeterea ipse alibi psal. 18. dixit, *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Et alibi psalm. 148. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Aliqui propter hanc objectionem existimant Davidem non loqui de justitia sua absolute, sed de justitia causae, quam habebat cum adversariis. Alii existimant Davidem loqui solum de justitia religionis, idest, quod semper permanserit in vera religione, nec unquam idolis cultum adhibuerit. Sed repugnant his opinionibus verba illa, *quia custodivi vias Domini.* Item, *Omnia judicia ejus in conspectu meo.* Item, *Ero immaculatus cum eo*, etc. Dicendum igitur est Davidem commemorare justitiam suam, quae in eo sita erat, ut sincero corde Deum coleret; et propositum stabile haberet numquam praevaricandi legem Domini, et si forte secus ageret, continuo resipisceret, et ex corde reverteretur ad Deum. Illud autem, *delicta quis intelligit?* de peccatis venialibus intelligi potest, quae justitiae non repugnant. Illud vero, *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, intelligitur de justitia, quae sine gratia Dei praeveniente haberi cre-

datur. Sic enim nullus coram Deo justificabitur, quia quicumque justus est, gratia Dei justificatus est.

28. *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.*
29. *Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.*

Reddit rationem, cur secundum justitiam suam sibi retribuendum a Deo dixerat, quia nimirum Deus reddit unicuique secundum opera sua. Alloquitur autem ipsum Deum, et ait, *cum sancto sanctus eris*, idest, cum homine misericordi et pio, pie ac misericorditer ages, sive pium ac misericordem te praebebis. Nam vox hebraea, חסיד *chasid*, pro qua nos habemus *sanctum*, proprie misericordem significat. Et pro *sanctus eris*, in hebraeo תתחסד, *thithchassad*; חסד, *chasad*, est verbum unicum conjugationis hithpael, quod proprie significat misericordem se reddere, vel exhibere. Itaque non est sensus, si nos erimus sancti, Deum quoque fore sanctum: sed si nos erimus sancti, Deum nobiscum sancte, idest, misericorditer acturum. Eodem modo intelligenda sunt caetera, *cum innocente innocens eris*, idest, qui nemini nocet, Deus se innocentem praebebit, idest, non ei nocebit, neque noceri ab aliis sinet. *Cum electo electus eris*, idest, cum homine sincero, et puro: id enim proprie significat vox hebraea *nabar*, purum te exhibebis, idest sincere, et candide ages. *Et cum perverso perverteris*, idest, ei, qui non est misericors, misericordiam non praestabis; ei, qui nocet, nocebis: qui non sincere agit, sed callide supplantat, eum tu callide, id est, sapienter supplantabis; est autem hic observandum, ubi dictum est, *cum sancto sanctus eris, cum innocente innocens eris, et cum electo electus eris*, eamdem vocem Deo tributam fuisse: at ubi dictum est, cum perverso perverteris, in hebraeo non esse eamdem vocem. De homine dictum est עקש, *hikes*, quod proprie perversum significat. De Deo autem, תתפתל, *thithpattal*, quod significat luctari, et conari in contrarium. Itaque sensus est, si homo perversus fuerit, Deus non erit in se perversus, vel perverse aget; sed contra perversum hominem luctabitur magno molimine, ut illum plane evertat, et ab omni spe sua cadere faciat.

30. *Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.*

Explicat propheta duos superiores versiculos, quasi dicat, Cum sancto sanctus eris, et cum innocente innocens, et cum electo electus, *quia populum humilem salvum facies*, idest, quia humilitas, quae est custos omnium virtutum, tibi gratissima est, et omnibus humilibus das gratiam: cum perverso autem perverteris, quia *oculos superborum humiliabis*, idest, quia superbia, quae est Regina vitiorum, tibi summopere displicet: et ideo superbis omnibus resistis, eosque dejicis et humilias. Nominat autem oculos, praeter caetera membra, quia in oculis, ac potissimum in superciliis arrogantia cernitur.

31. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.*

Quia propheta David videbatur satis magnifice de sua justitia, et puritate loquutus, ostendit, unde habuerit justitiam, et alia dona: et hinc maxime Deum laudat, quod ab illo sit lumen, et fortitudo, et omnia bona. *Quoniam*, inquit, *tu illuminas lucernam meam Domine*, idest, a te habeo principium omnis boni, quod est lumen ad discernenda vera bona a falsis, et vera mala a falsis. Primum enim vulnus ex peccato originali naturae inflictum est ignorantia veri boni: et ideo prima curatio a lumine Divino incipit: *Tu*, inquit, *illuminas lucernam meam*, idest, oculum interiorem cordis mei tu solus illustras. *Deus meus illumina tenebras meas*, idest, tu pater luminum, tu lux vera, in quo tenebrae non sunt ullae, sicut hactenus coepisti illuminare interiores oculos cordis mei, ita perge illuminare tenebras meas. Nam sine gratia Dei illustrante, quod attinet ad supernaturalia mysteria, merae tenebrae sunt in corde nostro. Nam *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis*. 2. Cor. 3. In graeco habetur φωτιεῖ τὸ σκότος μου, *illuminabis tenebras meas*. In hebraeo, *illuminabit tenebras meas*. Nostra lectio, *illumina tenebras meas*, habetur in antiquis libris sanctorum Hieronymi, et Augustini: sensus autem semper est idem.

32. *Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.*

Particula, *Quoniam*, saepe redundat in oratione hebraica, sicut etiam particula, *et*, quae saepe ponitur initio versuum, vel etiam librorum. Id admonendum fuit, ne anxie nimis quaeratur ratio harum particularum. Dixerat propheta, se a Deo habuisse lumen, quod est principium operum bonorum, veraeque justitiae; nunc addit, habuisse fortitudinem, et robur ad vitanda mala et facienda bona, quae ex Divino lumine cognovit vitanda, vel facienda. *In te*, inquit, *eripiar a tentatione*, idest, fretus auxilio tuo, quo fortis efficior, superabo omnes tentationes, omniaque mala vitabo. *In Deo meo transgrediar murum*, idest, ejusdem Dei confisus auxilio, atque ab eodem accepta fortitudine omnia potero, quantumvis difficilia quale esset transcendere altissimum murum. In hebraeo pro illis verbis, eripiar a tentatione, habetur, ארץ גדוד, *aruz ghedud*, idest, *percurram exercitum*, sive (ut s. Hieronymus reddit) *percurram accinctus*. Videtur septuaginta Interpretes sensum reddidisse, non verba. Nam percurrere exercitum adversariorum, et nullum vulnus accipere, idem est quod eripi a jaculis hostium, quae jacula tentationes significant, ut Apostolus interpretatur, cum ait, Ephes. 6. *In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Sic etiam, percurram accinctus inter medios hostes il-

laesus, idem significat, quod eripiar a tentatione quando maxime opus erit.

33. *Deus meus impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata, protector est omnium sperantium in se.*

Reddit rationem, cur a Deo acceperit lumen, et vires, et cur in eo tantopere confidat, quia Deus bonus, et verax protector est omnium in se confidentium et quia ipse idem est solus verus Deus, et verus Dominus, a quo bona ista expectari possunt. *Deus meus impolluta via ejus*, idest, Deus meus, cujus via impolluta est, idest, Deus, qui sanctissimus est, et viam impollutam ambulat, idest, operatur justissime. *Eloquia Domini igne examinata*, idest, promissa Domini certissima, et probatissima, ut aurum igne examinatum: iste, inquam, Deus impollutus et cujus promissio est certissima, *protector est omnium sperantium in se*. Ex hebraeo, אמרת *imrath*, clarior sensus habetur in quo textu legitur, eloquium in numero singulari, et pro voce, *protector*, est *scutum*. Ex quo apparet, tam Deum, quam ejus eloquium dici scutum confidentium in Deo. Sic enim ad litteram verti posset lectio Hebraica, מגן *maghen*, *Deus immaculatus in via sua, eloquium Domini igne examinatum, scutum est omnium sperantium in se*. Sed quia septuaginta Interpretes posuerunt eloquia in numero multitudinis, et pro voce, *scutum*, posuerunt, *protector*, inde obscura est sententia, quae ex hebraeo dilucidanda est.

34. *Quoniam quis Deus praeter Dominum? aut quis Deus praeter Deum nostrum?*

Est altera ratio, ut paulo ante diximus, cur in Deo sit confidendum et cur ab eo solo lumen et robur expectandum sit, quia ipse solus est verus Deus. In hebraeo habetur, *Quis Deus praeter Dominum? aut quis petra, praeter Deum nostrum?* ex quo intelligimus, Deum nostrum solum esse verum Deum, et quia solus est verus, solum ipsum esse veram petram, firmam, et stabilem, in qua tuto confidere, et quiescere possimus; et omnes, qui in re alia confidunt, necesse esse ut decipiantur, et confundantur.

35. *Deus qui praecinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam.*

Declarat nunc in particulari dona a Deo accepta, per quae ab hostibus omnibus liberatus ad regnum pervenit. Ac primum dicit, se a Deo accepisse robur, et innocentiam, quae duo rarissime conjunguntur. Viri enim robusti proni sunt in injurias inferendas. David autem fere fortissimus, et innocentissimus erat, ut ne hostem quidem suum Saulem occidere vellet, cum facillime posset. *Deus*, inquit, *praecinxit me virtute*, id est, simul probitatem vitae mihi concessit.

36. *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me.*

37. *Qui docet manus meas ad praelium, et posuisti ut arcum aereum brachia mea.*

Describit in particulari fortitudinem suam, de qua dixerat, *qui praecinxit me virtute*, ac dicit, se accepisse a Deo miram celeritatem in pedibus, et miram artem bellandi in manibus et mirum robur in brachiis. Dicit sibi pedes ad currendum perfectos, quasi et cervorum et super excelsa collocatum, idest, ea celeritate pedum facile montes altissimos conscendisse, quod verificatum est, quando Saulem fugiens, habitabat in altissimis, et praeruptis montium cacuminibus. Addit, se doctas manus ad praelium habuisse et brachia quasi aerea, in quibus robur et ars militaris significatur. De quibus nemo dubitare potest, qui legerit primum, et secundum librum Regum. Nam de arte manuum testis esse potest lapis et funda in fronte Goliath infixus; de viribus brachiorum testes sunt ursi, et leones, quos sola vi brachiorum David interfecit. In hebraeo habetur, נחתה *nichatha*, *conteritur*, ubi nos habemus *posuisti*. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, *nichata*, sed, נתת *nathatta*, quod est *dedisti*, sive posuisti. Itaque corrupta videtur casu aliquo lectio hebraica moderna: neque enim dubitari potest, quin septuaginta Interpretes emendatores codices habuerint eosque rectissime intellexerint.

38. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuae, et dextera tua suscepit me.*

Declarat nunc innocentiam, de qua dixerat, *Posuisti immaculatam viam meam*. Nam quia dono Dei innocenter David vivebat, ideo illum Deus assidue protegebat, ut nunc dicit, *Dedisti mihi protectionem salutis tuae*. Parum enim profuisset celeritas pedum et robur brachiorum et ars pugnandi adversum regem et regium integrum exercitum, nisi adfuisset protectio salutis Dei, idest, protectio divina salvans et dextera Dei suscipiens et sustentans.

39. *Et disciplina tua correxit me in finem et disciplina tua ipsa me docebit.*

Hoc etiam pertinet ad innocentiam, sive immaculatam viam Davidis ostendendam. Non solum, inquit, protectio tua mihi adfuit, sed etiam disciplina tua me correxit, idest, eruditio, quae ex lege tua habetur illa me dixerit ne errarem et si quando in periculo essem errandi, illa diligenter inspecta et considerata, *me correxit*, idque perseveranter usque in finem. Eadem quoque *disciplina legis tuae deinceps me docebit*. Posset etiam haec disciplina significare paternam castigationem, qua Deus per aliquas temporarias calamitates Davidem correxit, si quando ob humanam fragilitatem deliquit. In hebraeo non habetur hic versiculus, sed loco totius versiculi habentur haec pauca verba. *Et mansuetudo tua multiplicavit me*. Fortasse idem est sensus: potest enim sic exponi lectio he-

braica, *mansuetudo tua*, idest, lenis et paterna castigatio, *multiplicavit me*, idest, auxit me scientia. Nam a verbo, רבב *rabab*, quod hic habetur dicuntur, *Rabbini*, magistri et doctores quod sunt multi in scientia.

40. Dilatasti gressus meos subtus me et non sunt infirmata vestigia mea.

Pergit narrare victorias suas, quae sunt omnia beneficia Dei. *Dilatasti*, inquit, *gressus meos subtus me*, idest, fecisti me magnis passibus progredi; *et non sunt infirmata vestigia mea*, idest, nec propterea fatigatus destiti a cursu. In hebraeo, תרחיב *tharchib*, habentur haec in futuro, *dilatabis*, etc. sed ex more linguae saepe futurum ponitur pro praeterito.

41. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos et non convertar donec deficiant.
42. Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.

Haec non videntur proprie pertinere ad futurum tempus, sed ad praeteritum, ut ex praecedentibus et sequentibus colligatur. Et sicut septuaginta Interpretes, *Dilatabis gressus meos*, verterunt, *dilatasti gressus meos*, ita potuissent reliqua vertere et ex futuris praeterita facere. Sed retinenda est lectio ut jacet et subintelligendum verbum dixi ut sensus sit. *Dilatasti gressus meos et non sunt infirmata vestigia mea*, ideo magna spe concepta dixi apud me, *persequar inimicos meos*.

43. Et praecinxisti me virtute ad bellum et supplantasti insurgentes in me subtus me.

Hinc apparet, Prophetam loqui de praeterito. Sicut, inquit, dixi, *persequar inimicos meos*, etc. ita factum est Deo adjuvante. Tu enim *Deus praecinxisti me virtute*, idest, robore ad bellum et tu *supplantasti*, idest, cadere fecisti, *subtus me eos qui in me insurgebant*. Illud *praecinxisti virtute* est frequens in Scriptura: *Accinctus potentia qui conturbas profundum maris. Induere fortitudinem brachium Domini; indutus est Dominus fortitudinem et praecinxit se. Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Significat autem praecipua arma non consistere in gladio et lorica sed in viribus et robore et ideo non est auctor victoriae, qui militem induit gladio et lorica sed qui viribus et robore illum induit.

44. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum et odientes me disperdidisti.

Idem repetit aliis et aliis verbis, et magis declaret et laudet beneficium Dei. Sensus versiculi perspicuus est: significat enim a Deo factum esse, ut inimici David fugerent et eo modo dorsum ferendum praeberent. Sed verba duriuscule sonant. S. Hieronymus vertit, *et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum*.

45. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret ad Dominum, nec exaudivit eos.

Reddit aliam caussam victoriae: quia non solum Deus exaudiebat orationes ejus, sed non exaudiebat orationes adversariorum ipsius, quamvis ipsi quoque Dominum invocarent.

46. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos.

Videtur de reliquiis inimicorum suorum loqui, quasi dicat, jam victoriam de inimicis meis retuli; sed si quae forte reliquiae supersunt; comminuam eas in minutissima frusta et projiciam ut projici solet pulvis a vento et auferam eos de terra, ut siccari solet lutum platearum flante vento vehementi.

47. Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.

Jam hoc factum erat, nam antequam hunc psalmum David componeret, liberatus fuerat a variis populi contradictionibus, et defectionibus et constitutus erat in caput gentium, idest, in regni solium elevatus. Itaque vel exponenda sunt verba futuri temporis, pro verbis temporis praeteriti, quod est usitatum in lingua hebraica: vel certe significatur continuatio beneficii. Quasi Propheta dicat; in posterum, hactenus fecisti, *eripies me a ribellionibus, et constitues in solio meo, si forte dejici ab eo contingat*.

48. Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.
49. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis suis.

Non sine caussa postulat se eripi a contradictionibus populi sui; quia majorem fidem et obedientiam expertus erat in quibusdam gentilibus, quam in filiis populi Israel. Quae est etiam Prophetia manifesta de Christo, cui gentiles adhaeserunt et a quo hebraei defecerunt. *Populus quem non cognovi*, idest, Gabaonitae, Getaei et alii, quos non cognovi pro fratribus, cum essent gentiles, *servivit mihi*; *in auditu auris obedivit mihi*, idest, promptissime mox auditu imperio obedierunt. *Filii autem alieni*, idest, filii adulterini, quoad mores, *mentiti sunt mihi*, idest, deceperunt me ficto corde servierunt. *Inveterati sunt*, idest, deflexerunt a me tamquam folia arentia; id enim significat vox hebraea *et claudicaverunt a semitis*. idest, non recte et fideliter mecum incesserunt. Haec significant rebelliones sub Absalon, sub filio Bochri, et alias. In hebraeo, pro *claudicaverunt a semitis suis*, habetur *contrahentur in angustiis suis*, ut vertit s. Hieronymus, vel *expavescent a carceribus suis*. ut vertit Pagninus. Sed sciendum est, vocem, יחרגו *jachregu*, non haberi nisi in hoc psalmo; ideo si licuit Pagnino vertere *expavescent*, et s. Hieronymo, *contrahentur*: multo magis licuit septuaginta Interpretibus vertere, *claudicaverunt*.

Imo mirum est cur posteriores ausi sint recedere a versione antiquissimorum interpretum in ea voce, quae non habetur alibi in Scripturis, praesertim cum interpretatio septuaginta maxime cohaereat cum reliquis partibus hujus versiculi: porro altera vox מסגרות *Misgheroth*, significat proprie locum angustum vel clausum, a verbo, סגר *sagar*, quod est claudere; et propterea s. Hieronymus vertit *angustias*. Pagninus *carceres*, et septuaginta *semitas*: nam semitae sunt viae angustae. Itaque sensus est, filios adulterinos qui ficto corde serviunt, claudicare a semitis, idest, declinare a semitis, per quas recto pede ambulandum fuisset.

50. *Vivit Dominus et benedictus Deus meus et exaltetur Deus salutis meae.*

Concludit psalmum laudans Deum. *Vivit Dominus*, idest, nunc apparuit Dominum vivere; et sicut vivit, ita semper vivat. *Et exaltetur Deus* auctor *salutis meae*.

51. *Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.*

Exaltetur, inquit, Deus, qui vindicavit injurias mihi factas et subjecit mihi populos, qui rebellaverant et liberavit me de insidiis et impetu inimicorum furentium, quales fuerunt Saul et Absalon. Pro voce *iracundis*, habetur in hebraeo, אף *Af*, quam moderni vertunt, *et vel etiam*. Sed cum ea vox saepe significet nasum, et nasus in scriptura passim ponatur pro *iracundia*, quae ex nasi immutatione cognoscitur, recte septuaginta Interpretes verterunt, *iracundis*; idem est enim cum phrasi hebraica, *ab inimicis meis nasi*, idest, iracundiae et ab inimicis iracundis.

52. *Et ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me.*

Precatur sibi conservationem divinorum beneficiorum, nimirum exaltari ab insurgentibus in se, ut frustra nitantur, cum pertingere tam alte non possint et liberari ab omni homine iniquo. Particula, *et*, in principio versiculi potuisset omitti; nam in hebraeo et graeco non habetur nec eam habet s. Augustinus. Videtur in nostro textu haesisse ex altera interpretatione vocis, *Af*, quae nasum significat, et etiam particulam, *et*: fortasse erat in margine; sed nihil officit sensui.

53. *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine et nomini tuo psalmum dicam.*

Hac de caussa inquit, *Confitebor*, idest, laudabo confitens beneficia tua, idque non clam, sed palam et coram multitudine populi, ut omnes discant confidere in Domino.

54. *Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in saeculum.*

Haec conclusio per se manet et sensus est, sit Dominus *magnificans salutes Regis sui*, idest, augeat et multiplicet salutem corporis, et animae et omnium rerum regis, quem ipse Deus sibi elegit: et faciat perpetuam misericordiam Davidi, quem ungi jussit in regem et in omnibus successoribus ejus usque in aeternum. Quae precatio impleta est in Christo Jesu Domino nostro, qui regnat et regnabit in omnem aeternitatem. Amen.

PSALMUS XVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum psalmi est laudatio divinae legis. Comparat Propheta legem divinam cum coelesti corpore, quo nihil videtur esse in rebus corporalibus pulchrius, utilius, potentius. Potest idem psalmus exponi de Christo et Apostolis, ut s. Augustinus facit.

EXPLICATIO PSALMI XVIII.

1. *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annunciat firmamentum.*

Comparaturus legem cum coelo, atque inde eam mirifice celebraturus, dicit, tantam esse majestatem coeli, ut inde maxime eluceat gloria Dei, quae coelum fecit. *Coeli enarrant gloriam Dei*, idest, prae caeteris operibus Dei, quae omnia artificem laudant, coeli sunt, qui sua magnitudine et pulchritudine gloriam Dei manifestam faciunt. *Et opera manuum ejus annunciat firmamentum*, idem repetit aliis verbis; idem enim hoc loco significant

coeli et firmamentum; videlicet totum illud coeleste corpus, in quo sunt stellae, et ipse etiam sol, et luna. Nam in 1. cap. Geneseos, *Deus vocavit firmamentum coelum*, et in eo posuit solem, lunam et stellas. Nihil autem refert, sive coelum, sive coelos dicamus. Nam apud hebraeos nomen est habens formam numeri multitudinis et conjungitur cum verbis numeri multitudinis. Sed Interpretes modo vertunt coelum in numero singulari modo coelos in numero multitudinis. Firmamentum igitur in quo secundum modum loquendi scripturae sanctae, sunt omnia coelestia lumina, *annunciat*, et declarat hominibus *opera manuum Dei*, idest, primaria et nobilissima opera manuum Dei, ex quibus ingens colligitur gloria Conditoris.

2. *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.*

Admirabilis plane est praedicatio, qua coeli enarrant gloriam Dei.Id quod ostenditur tribus modis. Primo, quia sine intermissione coelum praedicat: secundo, quia predicat verbis omnium idiomatum: tertio quia praedicat toti orbi terrarum. In hoc versiculo declaratur praedicatio sine intermissione: et quia coelum praedicat per dies et noctes cum interdiu conspiciatur pulchritudo solis et noctu pulchritudo stellarum; et quia dies, ac noctes non permanent, sed labuntur, ac sibi invicem succedunt,ideo poetico artificio fingit Propheta,unum diem peracto cursu et praedicatione sua tradere diei sequenti verbum praedicationis et noctem quoque peracto cursu,et quasi hymno cantato,tradere nocti sequenti munus canendi. *Dies*, inquit, *diei eructat verbum*, idest, dies cum finitur, tradit alteri diei verbum laudis divinae. *Et nox nocti indicat scientiam*, idest, et nox similiter cum finitur *indicat*, idest, annunciat nocti succedenti scientiam laudandi Deum, atque ita jugiter et sine ulla intermissione dies et noctes quasi chorcas ducunt, et Deum laudibus celebrant.

3. *Non sunt loquelae neque sermones,quorum non audiantur voces eorum.*

Hic jam demonstrat Propheta praedicationem coelorum fieri omnibus linguis, idest, intelligi ab omnibus nationibus, ac si coeli omnium nationum linguis loquerentur, quia videlicet omnes vident pulchritudinem et praestantiam coeli et inde venire possunt in cognitionem pulchritudinis et excellentiae Conditoris. *Non sunt loquelae, neque sermones*, idest, nulla sunt idiomata,quorum idiomatum non audiantur *voces eorum*, idest, coelorum, idest,quae idiomata non exprimantur vocibus coelorum.

4. *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.*

Explicatur tertia laus eloquentiae coelorum,quod non solum sine intermissione et omnibus linguis sed etiam in universa terra audiantur coeli enarrantes gloriam Dei. Per *sonum*, non intelligitur concentus aliquis corporalis, qualem in coelis Philosophi aliqui posuerunt; sed praedicatio illa gloriae, quae oritur ex pulchritudine coeli considerata ab omnibus. Idem quoque est, *in omnem terram*, et *in fines orbis terrae*; saepissime enim Prophetae rem eamdem bis repetunt. In hebraeo legitur pro, sonus eorum, קום *Kavam*, quod significat *linea*, sive *regula eorum*. At videntur septuaginta legisse non *Kavam*, sed, קולם *Kolam*, unica litera addita, quod est sonus eorum. Nam si legissent *Kavam*, numquam vertissent, φθόγγος ἀυτῶν, idest, *sonus eorum* nisi imperitissimi fuissent. Adde, quod s. Hieron. quoque ex hebraeo vertit *sonus eorum*. Et sic etiam citavit Apostolus ad Rom.10. et congruit *sonus eorum*,cum eo quod sequitur, *verba eorum*, ubi idipsum aliis verbis repetitur. Ex quo intelligimus textum hebraicum esse corruptum vitio scriptorum,idque post s.Hieron. tempora. Porro s.Paulus citat hunc locum ad Rom. 10. probare volens, praedicationem Christi ad omnes gentes pervenisse. Ex quo intelligimus per coelos exponi debere Apostolos,saltem in sensu allegorico. Et re vera ss. Apostoli, ut etiam alii sancti praedicatores rectissime comparantur coelis quod elevati a terra per contemplationem, ampli per charitatem,splendidi per sapientiam, semper sereni per animi tranquillitatem, celerrime moti ab intelligentia per obedientiam, pluentes per instructionem, tonantes per objurgationes,fulgurantes per miracula, multa bona terris largientes et nihil ab eis quaerentes, per veram liberalitatem, purissimi ab omni sorde per vitae sanctitatem, denique habitaculum summi Regis per justitiam perfectam sint. Nam anima justi sedes est Sapientiae.

5. *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.*

Quamvis totum coelum enarret gloriam Dei, tamen praecipue id facit pars nobilissima coeli.quae est sol. Proinde in sole tamquam in parte totius mundi praestantissima,*Deus posuit tabernaculum suum*. Recte autem dicit tabernaculum, non domum, quoniam in sole commoratur Deus tempore peregrinationis nostrae,quo eum videmus per speculum creaturarum; inter corporales autem creaturas sol, ut diximus, obtinet principatum. Sed cum pervenerimus ad patriam,non in tabernaculo solis Deum videbimus, sed in propria ejus domo, quae videlicet aeternitas ejus est. In hebraeo habetur, *sol posuit tabernaculum in eis*, idest.Deus posuit in coelis tabernaculum soli, constituit solem in coelo tamquam in tabernaculo. Posset quidem utcumque lectio graeca revocari ad hebraeum, לשמש שם אהל בהם *lascemesc sam hoel bahem*.si cum dicitur. ἐν τω ἡλίω ἔθετο τὴν σκηνὴν ἀυτs. illud ἀυτs, accipiatur pro ἀυτόδι, idest, illic. quod non est inusitatum. Tunc enim sensus esset, *in sole*, idest, soli, *posuit tabernaculum illic*, idest, in coelis. Sed dura est interpretatio. *in sole*, idest, soli. Quia vero non apparet in textu hebraeo ulla verborum ambiguitas, vel obscuritas, et tamen certum est septuaginta Interpretes viros doctissimos,non potuisse reddere id,quod

reddiderunt, si legissent verba, quae in hebraicis codicibus habentur, cogimur dicere eos aliter legisse. Utraque sententia vera est, Deum videlicet in sole posuisse tabernaculum suum, et soli posuisse tabernaculum in coelis. Probat autem propheta Deum in sole posuisse tabernaculum suum, tamquam in excellentissima creatura tribus rationibus, quarum prima ducitur a pulchritudine, altera a robore, tertia a beneficentia. *Et ipse*, inquit, *tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Haec est ratio ducta a pulchritudine: ipse, inquit, decorus, nitidus, ornatus exoritur, tamquam si sponsus aliquis esset, qui de thalamo nuptiali procederet; et vere nihil pulchrius, et lucidius sole inter omnia corpora reperitur.

6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio ejus.*
7. *Et occursus ejus usque ad summum ejus nec est qui se abscondat a calore ejus.*

Altera ratio ducitur a robore, et viribus, quod sine fatigatione, summa celeritate decurrat viam prope immensurabilem. *Exultavit ut gigas*, vel ut fortis et robustus (ut ad verbum in hebraeo legitur) כגבור *chegibbor ad currendam viam.* Exultatio alacritatem significat, quam habere solent, qui sine labore, imo cum voluntate aliquid faciunt. Itaque significatur hoc loco, solem immensum coeli spatium, velocissimo cursu, sine ulla fatigatione, vel labore peragere. *A summo coelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* Per summum coelum oriens designatur. Non enim hoc loco per summum intelligitur altum, sed extremum, ut verbum hebraicum קץ *Ketz*, et graecum ἄκρος significat. Dicitur autem extremum, ubi res incipit, et ubi desinit. Incipit autem coelum ab oriente, quia inde surgit, ejus motus, et ibidem etiam desinit. Sensus igitur est, solem exoriri ab oriente, et per occidentem toto coeli ambitu decurso, ad orientem reverti. Parum referti quod in hebraeo ישיש *iasis*, et graeco ἀγαλλιάσεται, habetur in futuro *exultabit*, ubi nos habemus, *exultavit.* Nam tempus futurum saepe accipitur pro praeterito. Itaque s. Hieronym. vertit ex hebraeo *exultavit*; et sic etiam legunt in Commentario tam ipse, quam s. August. *Nec est qui se abscondat a calore ejus.* Haec est postrema ratio ducta ab utilitate, quam capiunt omnia inferiora a sole. Siquidem ita fovet sol omnia calore suo vivifico, ut dici possit communis quidam parens omnium rerum, quae nascuntur in terra, et in mari. Et de causa est, cur sol tam assidue et tam sollicite totum orbem circumeat, et visitet, ut res nulla se abscondat, idest, excludatur a participatione tam insignis beneficii.

8. *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis.*

Applicat nunc propheta comparationem, quasi dicat, pulchrum est coelum, pulcherrimus sol, sed lex Domini multo pulchrior: lucidum coelum, lucidissimus sol, sed lex Domini multo lucidior: utile coelum hominibus, utilissimus sol, sed lex Domini multo utilior. Ponit autem ordine sex encomia legis divinae. Primum est, *lex Domini immaculata convertens animas*, idest, lex Domini pulcherrima est, utpote sine ulla macula, vel foeditate, cum nullum peccatum permittat, sicut permittunt leges humanae, et ideo ubi lex Domini considerata, et perspecta fuerit, *convertit animas*, idest, convertit ad se amandam animas, easque rapit consequenter ad Deum, tam pulchrae legis authorem. Ad illud, *convertens animas*, subintelligitur, *est*, et ideo explicuimus, convertit. Alterum encomium est in illis verbis, *testimonium Domini, fidele praestans parvulis*, ubi per testimonium intelligitur eadem lex. Siquidem in Scripturis, et potissimum in psalmis, lex Domini non solum vocatur lex, praeceptum, mandatum, statutum, et similia, quae apud alios quoque scriptores legem significant; sed etiam vocatur testimonium, justitia, vel justificatio, et judicium, ut perspicuum est praecipue ex psal. 118. Dicitur lex Domini testimonium, quia testificatur hominibus, quae sit voluntas Dei, quid a nobis requirat Dominus, quas poenas praevaricantibus, et quae praemia observantibus praeparavit. Ait igitur, *testimonium Domini fidele*, idest, lex Domini, quae certissime bonos praemiis, et malos poenis afficiet. *Sapientiam praestans parvulis*, idest, praestans est, sive praestat sapientiam parvulis, hoc est, hominibus parvulis sensu, dat lumen prudentiae, ut sciant bona opera facere, et peccata vitare. Parvulos enim hoc loco vocat propheta homines, qui non pollent judicio spirituali, quales sunt omnes amici hujus saeculi. Et per sapientiam intelligit prudentiam spiritualem, qua corrigit mores, et formatur ad praescriptum divinae legis.

9. *Justitiae Domini rectae, laetificantes corda, praeceptum Domini lucidum illuminas oculos.*

Tertium encomium divinae legis est, quod posteaquam coepit amari, ut habet primum encomium, et observari, ut habet secundum, mirabili laetitia perfundit hominem: nihil enim jucundius bona conscientia. *Justitia*, inquit, *Domini*, idest, lex Domini, sive praecepta Domini, quae dicuntur justitiae quia justissima sunt, et quia justum faciunt observatorem, ista, inquam, praecepta, cum recta sint, laetificantia sunt, idest, *laetificant corda*: corda enim recta valde bene conveniunt cum rectis praeceptis, et ideo laetantur et gaudent, cum observandorum et praeceptorum occasio venit. Quartum encomium est, *praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, idest, lex Domini lucida divinae Sapientiae illuminat oculos mentis, quia facit intelligere voluntatem Dei et quae sint vera bona, et vera mala. Docet etiam ceremonias Dei plenas divinis mysteriis. Illuminat etiam lex Domini per modum dispositionis: nam in malevolam animam non introibit sapientia, nihil enim magis impedit cognitionem Dei, in qua vera sapientia consistit, quam impuritas cordis; *Beati*

enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, ut ait, Christus Matth. 5.

10. *Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi, judicia Domini vera, justificata in semetipsa.*

Quintum encomium est, quod superiora bona non temporalia, sed aeterna facit esse lex Domini. Nam, *timor Domini sanctus*, idest, timor Domini, quo quis Deum offendere trepidat, qui alio nomine *pietas* dicitur, *manet in saeculum saeculi*; quoad premium suum non terminantur in morte bona, quae producit observatio legis, sive timor castus legem observare faciens, sed manent in aeternum. Quomodo alibi dicitur psal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem.* In hebraeo est timor Domini טהורה, *teora*, idest, *mundus*; et in graeco similiter est ἅγτος, non ἅγιος. Itaque significatur timor filialis, qui non habet admixtam servilitatem, de quo dicitur in alio psal. 111. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.* Nam qui timet timore servili, servat mandata non volens, sed invitus: at qui timet timore filiali, *in mandatis ejus cupit nimis*, idest, cupit valde; et vult omnino ea servare. Ultimum encomium est, quod lex Domini sit vera, et justa, per seipsam non egens aliunde justificari. *Judicia Domini vera justificata in semetipsa*, idest, mandata Domini, quae dicuntur judicia, quia per ea Deus judicat homines, et quae sunt norma, ac regula discernendi virtutes a vitiis, et opera bona a malis: ista, inquam, mandata verissima justificata sunt in semetipsa, idest, non egent ut ab aliquo demonstrentur justa: hoc enim ipso quod sunt mandata Dei, justa esse probantur. Et praeterea decem praecepta, de quibus potissimum David loquitur, cum sint prima principia juris naturalis, continent in se talem justitiam, ut in omni loco, et tempore, et casu particulari sint justa, et nullam admittant dispensationem; cum aliae leges saepe indigeant circumstantiis loci, temporis et personarum, ut justae sint. Itaque sola lex Domini justificata est in semetipsa. In hebraeo אמת *emeth*, habetur *judicia Domini veritas*, idest, verissima, justa sunt, sive justificata sunt. יחדו *jacdau*, quod significat *pariter, simul, in idipsum*, sed recte noster Interpres vertit, in semetipsa. Hoc enim loco, *justificari simul, vel pariter*, nihil est aliud, nisi non egere, ut aliunde justificentur.

11. *Desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel, et favum.*

Haec est conclusio ex superioribus, quasi dicat prophela, cum tam bona sunt praecepta Domini, certe praeponenda sunt omnibus divitiis et deliciis hujus mundi: nam *desiderabilia sunt super aurum et lapidem pretiosum multum*, idest, in maxima copia habitum; *et dulciora super mel et favum* idest, non solum super mel quodcumque sed etiam super favum plenum, et redundans melle purissimo. Positum est enim illud *et favum*, ad significandam copiam, ut correspondeat ei, quod dictum erat, *lapidem pretiosum multum*. In hebraeo est, *super aurum et topazion multum*, et super mel, et redundantiam favorum: sed interpretes sensum verterunt. Est autem topazius species lapidis pretiosi: sed prophela posuit speciem pro genere. Quam longe remota est haec veritas a sensu carnalium hominum? quotusque carnalium est, qui pro parvo lucro, vel exigua delectatione non contemnat omnia divina praecepta? et tamen verissimum est utiliorem, et jucundiorem esse legis observationem omnibus thesauris, atque omni voluptate.

12. *Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.*

Probat exemplo, sive experientia sua, verum esse, quod dixit. Nam, inquit, *servus tuus custodit ea*, praecepta, *et in custodiendis illis retributio multa* illi contingit, idest, experimento probabit servus tuus, se multa bona percipere, dum praecepta custodit. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, servus tuus docebit ea. Pagninus autem vertit, Servus tuus illustratur in eis. Sed septuaginta rectissime verterunt, custodit ea. Nam vox hebraea נזהר *nizhar*, tametsi in aliis conjugationibus docere, vel splendere significet, tamen in passiva conjugatione, qualis est hoc loco, significat custodire se, sive cavere, vel seipsum admonere. Itaque ad verbum sic verti potuisset, *servus tuus custodit se in eis*, idest, abstinet a peccando, praecepta tua custodiens, quod est idem cum eo, *servus tuus custodit ea*, idest, praecepta.

13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.*

Dixerat se, custodire mandata Dei; corrigit se atque excipit peccata ex ignorantia, quae vix caveri possunt. Quasi dicat, servus tuus cavet a peccatis, legem tuam servando, non omnino sed quantum patitur humana fragilitas. Pulchre in hebraeo שגיאות *sceghioth*, legitur ad verbum, *ignorantias quis intelligit?* Ubi opponit ignorantiam intelligentiae, demonstrare volens, esse difficillimum cavere peccata, quae ex ignorantia committuntur; et tamen quia vere peccata sunt, et caveri potuerunt, addit rationem, *ab occultis meis munda me*. Quod sequitur, *et ab alienis parce servo tuo*, non significat, ut Deus nobis ignoscat peccata aliena, ut vulgo hic locus citari solet: sed ut Deus custodit nos a sodalitate perversorum hominum. Homines enim bonae voluntatis, qualis erat sanctus David, ab ignorantia propriorum delictorum, et a seductione pravorum sodalium in primis cavere debent. Pro voce, *alienis*, habetur in hebraeo, זדים *zedim*, quod superbos significat. S. Hieron. vertit, *a superbis libera servum tuum*. Sed septuaginta legerunt זרים, *zarim* non זדים *zedim*: significat autem זרים *zarim*, alienos. Sensus est fere idem, nisi quod secundum hebraeum, ut nunc se habet, significatur liberatio ab uno genere malorum, idest, a superbis: at secundum graecum

textum, et veram hebraicam lectionem, significatur liberatio generalis ab omnibus perversis amicis. Nostra igitur lectio sic exponenda est, ab alienis, idest, ab iis, qui alienis moribus sunt, parce servo tuo, idest, parcendo remove illos ab amicitia servi tui.

14. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.*

Reddit rationem, cur tantopere timeat improborum familiaritatem. Nam, inquit, si isti alienis moribus praediti, *non fuerint dominati mei*, id est, si per nimiam familiaritatem, non me sibi subjecerint, et ad suam voluntatem me non redegerint; *tunc immaculatus ero, et emundabor*, idest, mundus ero *a delicto maximo*, idest a peccato gravi, et mortali : omne enim mortale crimen maximum dici potest cum a Deo bono maximo avertat, et ad poenam gehennae planae maximam perducat. S. August. legit, *a delicto magno*, ut habetur in graeco, sed parum refert.

15. *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

Non solum tunc immaculatus ero, sed etiam *tunc erunt ut complaceant*, idest, fiet ut complaceant eloquia oris mei, et *meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, idest, hymni, quos in laudem tuam corde, et ore decanto, placebunt tibi semper, quia de mundo corde, et simplici ore prodibunt.

16. *Domine adjutor meus et redemptor meus.*

Placebunt, inquam, tibi cantica mea, ex gratia tua, non ex meritis meis, quia ut sim immaculatus, mundus a delicto maximo, et proinde placeant tibi verba mea, dono tuo habeo, *qui es adjutor meus et redemptor meus*, adjutor in bonis, et redemptor a malis.

PSALMUS XIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David.

Psalmus hic videtur cantatus a Davide praevidente Christi adventum ad debellandas aereas potestates, quo etiam pertinent duo psalmi sequentes.

EXPLICATIO PSALMI XIX.

Cum David nullius hominis nomen exprimat, alloquitur sine dubio illum, in quem omnia justorum desideria, et omnium prophetarum vaticinia respiciebant. Ac quasi Christum videret in bellum adversus diabolum prodeuntem, et oratione se armantem, imminente passionis tribulatione, acclamat illi, *exaudiet te Dominus in die tribulationis*, idest, passionis, in qua, ut dicit Apostolus ad Hebr. 5. *cum clamore valido et lacrymis preces, supplicationesque offerens ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, exauditus est pro sua reverentia.* Exauditus est autem, non ut mortem evaderet ; sed ut mortem moriendo destrueret, et vitam resurgendo repararet, et confusio in gloriam, mortalitas in immortalitatem verteretur, sicut ipse ait Joan. 17. *Pater venit hora clarifica Filium tuum.* De hac exauditione loquitur propheta. Quo etiam pertinet quod sequitur, *protegat te nomen Dei Jacob.* Per nomen intelligi potest invocatio, sicut in eo loco, *in nomine meo daemonia ejicient*, Marci ult. Potest etiam intelligi potestas, sive auctoritas, ut Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Potest denique simpliciter per nomen Dei, Deus intelligi: saepe enim in scripturis ponitur nomen pro persona cujus est nomen, ut cum dicit b. Petrus act. 4. *Non est aliud nomen sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri*: et cum s. Lucas ait in actis, in graeca editione, ὄχλος ὀνομάτων cap. 1. *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti.* Addidit propheta *nomen Jacob*, quia Jacob significat populum Dei, cujus populi Christus est caput : quasi diceret, protegat te Deus populi sui, ut protegendo te, qui es caput ejus populi, consequenter totus populus salvus fiat. Protectio vero petitur a telis inimicorum, ut non noceant; tunc autem vere nocuissent, si vel Christi resurrectionem vel Christi fidem, et nomen, vel ecclesiae propagationem impedire potuissent.

2. *Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.*

Per *sanctum*, intelligit montem sanctum, qui dicitur Sion, ut explicatur in secunda parte versiculi. Dicebatur autem sanctus mons ille, propter praesentiam arcae Testamenti. Sed hoc loco videtur accipiendus mons Sion coelestis, de quo loquitur Apostolus ad hebraeos 12. *Accessistis ad Sion montem civitatem Dei viventis. Jerusalem coelestem*, etc. Nam meminit hoc loco prophetа montis Sion, ut ostendat Deum ex altissimo monte suo omnia speculari, (nam et Sion specula interpretatur) ac proinde posse commode Christum praeliantem videre, atque inde illi suppetias mittere; locus tam altus, ut inde omnia videantur, non est mons Sion terrestris, sed coelestis. Itaque ait, *mittat tibi auxilium de sancto monte*, idest, de celsissimo coelorum habitaculo, unde omnia cernit; *et tueatur de Sion*, idest, de altissima illa specula, unde omnia prospicit.

3. *Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.*

Quia Dominus praeliaturus cum hoste generis humani, non solum oravit, sed etiam sacrificavit, idest, non solum obtulit orationem verbalem, ut sic loquar, sed etiam realem, quae est sacrificium; ideo propheta sicut de oratione verbali dixerat, *exaudiet te Dominus*, ita nunc dicit de oratione reali, *memor sit omnis sacrificii tui*, idest, non contemnat, sed semper in memoria habeat, et respiciat omnia sacrificia tua. *Et holocaustum tuum pingue fiat*, idest, acceptetur, ut solent acceptari holocausta ex animalibus pinguibus. Eo siquidem holocaustum est gratius, quo animal immolatum est melius et perfectius. Hinc est illud Danielis cap. 3. *Sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi.* Porro Christus obtulit multa sacrificia, et ad extremum, holocaustum; ideo dicit propheta, *memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.* Sacrificia multa sunt passiones multae, quas pertulit Dominus pro gloria Dei dum viveret; holocaustum quo se ipse totum obtulit, est ipsa mors crucis. Additur hoc loco סלה, *Selà*, in hebraeo textu, quod significat *semper*. Itaque sensus est, memor sit Dominus semper omnium passionum, et ipsius mortis Christi. Videtur autem precatio Davidis, prophetia potius, quam precatio: vere enim semper viget, semperque vigebit coram Deo passio Christi, imo etiam ab initio mundi semper viguit, ac per eam nobis omnia bona donantur.

4. *Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.*

Declarat finem orationis et sacrificii, quasi dicat, ad hoc te Deus exaudiat, et sacrificium tuum accipiat, ut pervenias quo pervenire cupis, et finem tibi propositum consequaris, nemoque sit, qui te ab illo prohibere valeat. *Tribuat tibi secundum cor tuum*, idest, det tibi, quod est secundum cor tuum, idest, quod cupis. *Et omne consilium tuum confirmet*, idest, et omne quod deliberasti stabiliat, ratum esse velit, et executioni mandari permittat, et concedat. In hebraeo, וכל עצתך ימלא *vecol hatsathecha iemalle*, habetur, *omne consilium tuum impleat*, quod est idem. Itaque sensus est, exaudiat te Deus, et accipiat sacrificium tuum ut destruas opera diaboli, ut hominem de captivitate liberes, ut vitam aeternam in te credentibus praebeas. etc. Hoc enim fuisse desiderium cordis Christi et consilium, et deliberationem, docent sacrae litterae. *Filius Dei*, inquit, Joannes *venit, ut dissolvat opera diaboli*, 1. Jo. 3. Et b. Paulus, *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* 1. ad Timoth. 1. Et ipse Dominus, *venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.* Luc. 12.

5. *Laetabimur in salutari tuo, et in nomine Dei nostri magnificabimur.*

Cum id factum erit quod petimus, videlicet, ut tu Rex noster victoriam de inimicis reportaveris, tunc *laetabimur* non solum corde, sed etiam voce (id enim significat vox hebraea, רנן *ranan*, *in salute tua*, idest, ob salutem tuam, idest, quia incolumis ex bello redieris, quae salus et incolumitas in nos redundabit: *et in nomine Dei nostri*, a quo tanta victoria processit, *magnificabimur*, magnos, videlicet, nos esse ducemus, et dicemus, non propter magnitudinem, quae in nobis sit, sed propter magnum Dominum, quem habemus. In hebraeo est נדגל *Nidgol*, idest, *vexillum erigemus*: sed septuaginta legerunt, נדדל *Nigdal*, una litera transposita, idest, *magnificabimur*. Itaque in hebraeo irrepsit error vitio scriptorum, tametsi etiam lectio optimum sensum habeat.

6. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.*

Iterum repetit faustam precationem, quasi dicat, impleat ergo Dominus omnes petitiones tuas, ex quibus tam multa bona sequutura sunt. *Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum*, idest, ideo audacter repeto, ut Dominus exaudiet te, et impleat petitiones tuas, quia nunc Domini illustratione cognovi omnino fore implendas. *Cognovi enim, quod Dominus salvum fecit*, idest, certissime salvum faciet Christum suum, et jam in praedefinitione sua salvum illum fecit, a morte excitavit, in coelo collocavit, hostes sub pedibus ejus subjecit.

7. *Exaudiet illum de coelo sancto suo, in potentatibus salus dexterae ejus.*

Qui dixerat salvum fecit, declarat illud esse dictum de salute in praedefinitione, non in executione. Nam ut, quod praedefinitum est, tempore suo impleatur, *exaudiet illum de coelo sancto suo*, et sic salvum faciet Dominus Christum

suum. Illud, *in potentatibus salus dexterae ejus*, potest habere duplicem sensum : potest enim accipi potentatus pro potentia, et robore, et hoc magis proprie sonat vox hebraea, גבורה *ghebura*, et tunc sensus erit, *in potentiis*, idest, in magna potentia aderit Christo salus dexterae Dei, et quamvis verbum graecum, dynastia, et latinum *potentatus*, proprie significent imperium sive principatum; tamen possunt accipi pro potentia et robore, quomodo accipiuntur eadem vocabula in psal. 89. *Si autem in potentatibus octoginta anni*. etc. psal. 20. vers. ult. *Cantabimus et psallemus virtutes tuas*, ubi in graeco est δυναστείας. Potest enim accipi potentatus, pro principatu et imperio, ut verbum graecum dynastia, et latinum potentatus proprie significant, et tunc sensus erit, *exaudiet illum de coelo sancto ejus, et in potentatibus*, idest, quia in principatibus nimirum constituendis, vel conservandis, praecipue necessaria est salus dexterae ejus. Quamvis enim multa praesidia ad salutem principes habere videantur, ut equos, et currus, arma, et milites, arces, et munitiones, tamen ista omnia nihil sunt, si absit salus dexterae Dei: ideo recte subjungit.

8. *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.*

Pergit explicare victoriam Christi, quam futuram praevidebat, et ait, *hi in curribus, et hi in equis*, idest, alii adversariorum in curribus armatis confident, alii in equis ferocibus: et per haec duo nomina, intelligi vult omnia alia humana praesidia, quibus olim in bellis, tum ad praelium, tum ad fugam utebantur. *Nos autem* cum capite nostro Rege Christo non tam in curribus et in equis, *quam in nomine Dei omnipotentis per devotam precem invocato*, fiduciam nostram collocabimus. Porro idem est, nomen Domini invocare, et in nomine Domini invocare secundum scripturae sanctae phrasim. Neque multum refert, quod in hebraico textu habetur, נזכיר *nazchir*, commemorabimus: non enim loquitur David de qualicumque Dei commemoratione, sed de ea, quae fit ab iis, qui ejus nomen implorant, ab eoque auxilium petunt.

9. *Ipsi obligati sunt et ceciderunt; nos autem surreximus, et erecti sumus.*

Ostendit, quanto sit utilius in nomine Domini, quam in curribus, equisve confidere. Illi, qui in curribus, vel in equis confidebant, *obligati sunt, et ceciderunt; nos autem*, qui in Deo confidimus, *surreximus, et erecti sumus*. Et simul indicat miram rerum conversionem. Nam ante Christi victoriam, hostis humani generis sublimis, quasi in curribus et equis, insultabatur dejectis hominibus ob originale peccatum; et similiter Principes Judaeorum, Herodes et Pilatus, aliique visibiles Christi hostes, quasi erecti insultabant Christo patienti, humilibusque ejus discipulis: sed paulo post illi omnes colligati et impediti corruerunt, isti vero surrexerunt, atque erecti in aeternum stabunt. In hebraeo habetur, כרעו *carehu*, incurvati sunt: unde aliqui putant latinam vocem esse corruptam et legendum, *obliquati* sunt, et non obligati sunt, sed falluntur. Nam latina lectio graecam imitatur; in graeco autem est συνεποδισθησαν, idest, *colligati sunt*, quasi compedibus, quod noster recte vertit, *obligati sunt*, idest, ligati et impediti, ne pugnare vel consistere possent, *ceciderunt*. Itaque septuaginta non tam ad verba, quam ad sententiam respexerunt.

10. *Domine salvum fac Regem et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.*

Concludit conjungendo finem cum principio. Initio dixerat. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*. nunc idem confirmat convertendo orationem ad Deum. *Domine salvum fac Regem* de tribulatione sua; et eodem modo *exaudi nos*, et *salvos fac in die, qua invocaverimus te*, idest, in die tribulationis nostrae, in qua non alium quam te invocabimus. In hebraeo sunt eadem verba, sed interpunctio est alia. Itaque s. Hieronymus et moderni ita legunt, *Domine salva, Rex exaudi nos in die qua invocaverimus te*. Sed cum nomen, המלך *hammelech*, possit verti Rex et regem, quia Hebraei non declinant nomina per casus et septuaginta Interpretes verterint, τὸν Βασιλέα, idest, *Regem*, et sic legerint omnes veteres Patres; non est magni facienda lectio modernorum Hebraeorum, cui post tempora septuaginta Interpretum interpunctio addita est. Porro s. Hieronymus fideliter vertit, sed textum habuit minus emendatum. Posset hic psalmus commode recitari, quando Christiani Principes proficiscuntur ad bellum contra infideles.

PSALMUS XX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem Psalmus David.

Psalmus vigesimus connexus est cum praecedente decimo nono. Ille petebat a Deo, ut Christum regem cum hoste generis humani praeliatorum protegeret. Iste gratias agit, quod protexerit, exaltaverit, et coronaverit.

EXPLICATIO PSALMI XX.

1. *Domine in virtute tua laetabitur Rex et super salutare tuum exultabit vehementer.*

Adepta victoria, *Rex noster* Christus *laetabitur in virtute tua*, idest, ob virtutem, potentiamque tuam, per quam de hostibus suis foeliciter triumphavit. *Et super salutare tuum*, id est, de salute a te illi praestita, gaudebit et voce etiam *exultabit vehementer*. Itaque una pars versiculi aliam declarat.

2. *Desiderium cordis ejus tribuisti ei et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.*

Respondent haec verba iis, quae in psalmo superiore dicta fuerant. *tribuat tibi secundum cor tuum*, etc. phrasis hebraica est dare petitionem, pro eo quod est dare rem petitam, quomodo in 1. lib. Regum cap. 2. dicit Heli sacerdos Annae. *Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.* Sic igitur hoc loco dicitur, *Desiderium cordis ejus tribuisti ei*; idest, id ei tribuisti quod desiderabat. *Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*. idest, non fraudasti eum ea re, quam volebant labia ejus, idest, quam se velle, et desiderare, labiis orationem fundendo, demonstravit. In summa dicit, datum fuisse Christo, quod corde desideraverat et labiis expetiverat.

3. *Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*

Magna vere fuit Christo caussa laetandi, quod non solum habuerit, quod petiit, sed quod Deus praevenerit ejus desideria, et dederit ei maxima dona, antequam peteret. Praevenisti, inquit, eum in benedictionibus dulcedinis, in hebraeo est bonitatis, טוּב *tob*, et similiter in graeco χρηστότητος. Itaque sensus est, Christum fuisse praeventum donis bonitatis Dei, quae fuerunt conceptio de Spiritu sancto, unio ad personam verbi, infusio omnium scientiarum et virtutum et ipsa Dei visio: quae omnia in primo instanti conceptionis illi data fuerunt, proinde praeventus fuit benedictionibus dulcedinis. Quod vero sequitur. *posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, velut habetur in hebraeo, פַּז *paz, de auro perfecto*, videtur referendum ad regnum, et sacerdotium, quod etiam ab ipsa conceptione habuit, propter quae Christi cognomen accepit: corona enim aurea, insigne est regium, et sacerdotale.

4. *Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi.*

Beneficia superiora praeventus accepit: at corporis gloriam et immortalitatem, et alia deinceps petiit et obtinuit. *petiit vitam*, cum imminente passione *preces et supplicationes obtulit ei, qui posset eum salvum facere a morte*, ut dixit Apostolus ad Hebr. 5. Deus autem tribuit ei *longitudinem dierum in saeculum et in saeculum*, idest, vitam sempiternam, *ut resurgens a mortuis jam non moriatur, et mors illi ultra non dominetur*, ad Rom. 6. Ex hoc loco manifeste convincuntur, qui hunc psalmum ad litteram exponunt de Davide, quod facit Iansenius, vel de Ezechia quod facit Euthymius et ante eum Theodoretus; nam nec David, nec Ezechias habuit longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi.

5. *Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam, et magnum decorem impones super eum.*

Non solum vitam in saeculum saeculi dedit ei Deus, sed etiam *exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Phil. 2. Haec enim est vere *magna gloria, quam habuit in salutari Dei*, id est, in salute, qua illum salvum fe-

cit Deus: et hinc *gloriam et magnum decorem*, idest, immensum honorem *impones super eum*, pro eo quod imposita illi fuit ab inimicis spinea corona tantae ignominiae,ut eo tempore *non esset species ei, neque decor*, ut cecinit Isa. cap. 53.

6. *Quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi,laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*

Post exaltationem ad dexteram Patris, et nomen super omne nomen, sequetur universalis benedictio, *coelestium, terrestrium*, et *infernorum*;quae numquam deficiet, de qua loquitur b. Paulus ad Philipp. 2. et Joannes Apocal. 5. Verba illa, *dabis eum in benedictionem*, significant, pones eum, ut communem benedictionis materiam, idest, facies, ut omnes illi benedicant. Graecus codex clarior est: habet enim δώσεις αὐτῶ εὐλογίαν *dabis benedictionem* , sed in hebraeo , תשיתהו ברכות *thescitheu berachoth*, habetur, *pones eum benedictiones;* sensus est idem. Quod autem additur, *laetificabis eum in gaudio cum vuliu tuo*, significat laetitiam consequentem illa omnia bona jam dicta; semper enim laetitia sequitur adeptionem boni. Illud, *cum vultu tuo*, significat coram te, et in praesentia tua.

7. *Quoniam Rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.*

Bona jam dicta praedicit fore omnino stabilia, et firma in aeternum. *Quoniam*, inquit, *Rex sperat in Domino*, idest, confidit in potentia infinita Dei, non in viribus humanis. *Et in misericordia Altissimi*, idest, bonitate illius, qui super omnes est, et cui subjiciuntur omnia, ideo *non commovebitur*, sive non nutabit, sed permanebit securus in aeternum.

8. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.*

Probat non commovendum Christum, neque regnum ejus, quoniam inimici ejus omnes peribunt. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis* ; idest, invenietur manus tua super omnes inimicos tuos, ut eos videlicet punias. Idem repetit dicens, *Dextera tua inveniat*, pro inveniet, *omnes qui te oderunt*. Textus hebraeus clarissimus est; *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inveniet odientes te*. Sed Interpretes variare voluerunt. Videtur autem Propheta nunc alloqui Christum, non Patrem. Christus enim proprie est, quem Judaei, aliique persecutores oderunt et de eo dicitur in psal. 109. *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

9.*Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos.*

Describit poenam inimicorum. *Pones*, inquit, *eos*, tuos videlicet inimicos, *ut clibanum ignis*, idest, facies eos undique aestuare, quomodo aestuat clibanus ardens: *in tempore vultus tui*, id est, in die irae tuae, quae in ultimo judicio manifestabitur. Idem repetit in tertia persona, quasi dicat, vere dixi, *pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui*. Nam Dominus Christus, *in ira sua conturbabit inimicos suos*, et tunc ad imperium Christi, devorabit eos ignis aeternus, et sic efficientur quasi clibanus ardens. Verbum Hebraeum, בלע *balah*, significat proprie deglutire; vel perdere, ac dissipare. Ideo s. Hieronymus vertit, *Dominus in furore suo praecipitabit eos*.Fortasse *conturbabit eos*, positum est, pro exturbabit eos; videlicet a facie sua in gehennam,et ibi devorabit eos ignis. Sic enim cohaerebit lectio hebraica,cum graeca et latina.Fortasse etiam vox hebraica, בלע *balah*, significat non solum deglutire, et perdere, sed etiam conturbare: nota enim erat septuaginta Interpretibus vis hebraicarum vocum magis,quam posterioribus Rabbinis. Sensus autem semper est bonus.

10. *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.*

Ne forte objiceret aliquis, posteros inimicorum Christi aliquando pro patribus surrecturos et molestiam Christo allaturos, addit Propheta, non solum inimicos Christi, sed omnes eorum filios ac nepotes.atque adeo omne semen eorum periturum. *Fructum*, inquit, *eorum*, idest, filios et posteros, *de terra perdes*; et eliminabis, *et semen eorum a filiis hominum*, nimirum perdes.

11. *Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia,quae non potuerunt stabilire.*

Juste punies eos, quoniam illi injuste tibi nocere conati sunt. Videtur David valde proprie,et subtiliter dixisse, *declinaverunt in te mala*, quoniam mala poenae directe ad Christum non pertinebant, in quo nulla fuit culpa, sed iniqui homines detorserunt, et declinaverunt mala, idest, contumelias, vulnera, plagas, mortem ipsam, a suo quasi itinere in Christum innocentem. *Cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire*, idest, mala voluntas in ipsis fuit perdendi Christum, et impediendi regnum ejus, sed non potuerunt perficere, quia Deus mala omnia convertit in bonum ipsius Christi, et fidelium servorum ejus.

12. *Quoniam pones eos dorsum, in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.*

Hic describitur summa impiorum calamitas,quod videlicet sunt destinati ad sola flagella et ad majorem calamitatem visuri sint electos Dei in summa gloria et foelicitate. *Pones eos dorsum*, idest, facies,ut nihil sint nisi dorsum,pars videlicet flagellis exposita: sic nimirum totos flagellabis, quasi toti sint dorsum.*In reliquiis tuis praeparabis*, seu diriges (ut sonat vox hebraea, תכנך *theconen*), *vultum eorum*, idest, diriges vultum eorum in re-

liquiis tuis, hoc est, ad considerandos electos tuos, quos tibi reliquisti, de quibus scriptum est, Rom. 9. *reliquiae salvae fient*. Vocem hebraeam, מיתריך *metharecha* s. Hieronymus vertit, funes tuos; sed septuaginta Interpretes recte verterunt, *reliquiis tuis*, quia vox illa utrumque significat. Locus hic obscurus est admodum; si cui nostra interpretatio minus placeat, audiat alias. Theodoretus, et Euthymius sic exponunt: *Pones eos dorsum*, id est, in fugam eos convertes, faciens ut terga vertant. *In reliquiis tuis praeparabis vultum eorum*, idest, in reliquias eorum, hoc est, in filios eorum *praeparabis vultum tuum*, idest, iram tuam. Volunt enim isti auctores hyperbaton esse in verbis Prophetae et propterea invertenda esse verba eo modo, quo diximus. An haec interpretatio litterae et verbis inhaereat, lectores judicent. S. Hieronymus et s. Augustinus, nec non moderni, quisque suam interpretationem excogitaverunt.

13. *Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus et psallemus virtutes tuas.*

Concluditur psalmus sancta acclamatione ad Christum Regem, et simul praedictione eorum, quae futura sunt post ultimum exitium omnium impiorum. *Exaltare Domine in virtute tua*, id est, qui aliquando apparuisti humilis, et tamquam infirmus crucifigi passus es, nunc in fortitudine, et potentia devictis hostibus et in gehennam detrusis, *exaltare* usque ad summum coelum; interim nos electi tui *cantabimus* voce, et instrumentis musicis resonabimus potentiam tuam, ut aliquando ad te perveniamus, et in saeculum saeculi te laudemus. Hic solum est observandum, per *virtutem* in utraque parte versiculi, non intelligi virtutes morales, sed potentiam, et robur, ut ex hebraicis, גבורתך *gheburathecha*, et graecis δυναστείας manifeste colligitur.

PSALMUS XXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro susceptione matutina, Psalmus David.

Psalmus hic de passione et resurrectione Domini tam aperte loquitur, ut plane temerarium sit, ad alium sensum eum velle detorquere. Titulus respicit resurrectionem, quae significatur in illa voce, *susceptio matutina*. Resurrectio enim facta est tempore matutino, et per virtutem Dei suscipientis quodammodo Christum de sepulchro, et educentis eum ad auram vitalem, juxta illud psalmi tertii, *et exurrexi, quoniam Dominus suscepit me*. Vox hebraea אילת *aieleth*, significat *cervam*, vel, ut alii volunt, *stellam*. Sed septuaginta Interpretes recte verterunt susceptionem, quoniam apud ipsos verbum, איל *aial*, suscipere significat. Quod planum est ex psalmo 106. vers. 17. ubi vocem, אילים *evilim*, ipsi legerunt, אילם *aialem* et verterunt, *et suscepit eos*. Neque longe absunt ab eodem sensu lectionis ex hebraeo, pro cerva matutina, sive pro stella matutina. Sensus enim est, pro Christo resurgente. Ipse enim resurgens recte comparatur stellae, quia surrexit plenus gloria, accinctus lumine sicut vestimento et de se ipse dicit Apoc. ult. *Ego sum stella splendida matutina*. Ipse quoque similis est cervo, sive cervae, tum quia cervo nihil nocent animantia venenata, imo ipse halitu suo serpentes de cavernis educit, et occidit, ut s. Hieronymus in hunc locum et Basilius in psalm. 28. scribunt. Christus autem *spiritu oris sui interficiet impium*, et nihil ei nocere poterunt omnes impiorum persecutiones. Tum etiam, quia cervus velocissime salit in altissimos montes, unde in Canticis saepe comparatur Christus hinnulo cervorum salienti in montes. Ipse enim in die resurrectionis velocissimo saltu ab inferis, et a morte ad vitam immortalem et gloriosam ascendit. Tum denique, quia cervus dicitur arte quadam naturali a senio se defendere et vergentem in defectum vitam rediviva novitate ab inferis revocare, ut scribit Gilbertus serm. 14. in Cantica. Christus autem in die resurrectionis arte omnipotentiae et infinitae sapientiae suae vere corpus suum jam mortuum rediviva novitate ab interitu revocavit. Cerva vero potius, quam cervus dicitur, quia resurrectio proprie ad carnem pertinet. Sicut enim Christus in carne passus est, ita et in carne resurrexit.

EXPLICATIO PSALMI XXI.

1. *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.*

Loquitur David in persona Christi pendentis in Cruce, et in summo passionis dolore constituti, ut patet ex Evangelio, Matthaei 17. in quo legimus, Christum morti proximum dixisse: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quae sunt prima verba Psalmi hujus. Illud enim, *Respice in me*, non habetur in hebraeo, sed fuit additum a septuaginta Interpretibus declarationis caussa. Quod autem Christus queritur, se derelictum a Deo, non significat, eum fuisse derelictum a persona Verbi, quasi

esset dissoluta unio hypostatica, vel destitutum a gratia,et benevolentia Patris;sed significat permissum fuisse a Deo, ut ipse in humana natura pateretur horribilia illa tormenta et mortem ignominiae plenam; a qua si Deus voluisset, eum facillime liberare potuisset.Neque orta est querimonia illa ab impatientia.vel ab ignorantia, quasi Christus ignoraret causam suae passionis, aut non libenter ferret,se a Patre in illis doloribus derelictum; sed fuit querimonia illa. protestatio quaedam acerbissimae passionis. Quae enim in toto progressu passionis tanta animi aequitate Dominus omnia pertulerat, ut ne gemitus quidem exaudiretur; potuissent omnes credere,illum superiore aliqua virtute impassibilem redditum, dolores non sensisse. Ideo igitur vicinus morti protestatur se verum esse hominem, vereque passibilem, et a Patre derelictum in doloribus, passionis acerbitatem sensu doloris intimo et maximo habuisse. Ait igitur, *Deus Deus meus*. Christus in forma servi vocat Patrem Deum suum, quia in illa hora proprie eum colebat ut verum Deum, sacrificans illi sacrificium corporis sui sacrificium omnium, quae unquam facta fuerant, praestantissimum. *Respice in me*, rogat ut videat, ubi pro honore suo constitutus sit, recognoscat obedientiam filii sui, acceptet sacrificium pro genere humano oblatum. *Quare me dereliquisti?* non solum protestatio verae passionis, ut diximus, sed etiam admiratio quaedam esse videtur, quasi dicat, fieri ne potest, ut dilectissimum, et unigenitum filium in hunc doloris abyssum devenire permiseris?Similia sunt illa:*Sic Deus dilexit mundum.ut filium suum unigenitum daret?* Joan. 3. et illa Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit. sed pro nobis omnibus tradidit illum. Longe a salute mea verba delictorum meorum.*Multi timentes.ne Christo peccati notam inurant. coacte exponunt. Aliqui legunt cum interrogatione. *Longe a salute mea verba delictorum meorum?* Sed talis interrogatio gratis fingitur, cum in nullo textu inveniatur. Alii exponunt, *Peccata mea*, cum nulla sint, *longe sunt a salute mea*, idest. non impediunt salutem meam. Sed facilius dixisset Propheta.Longe a morte mea verba delictorum meorum. si delicta non fuissent caussa mortis Christi.Alii conjungunt cum superioribus partem hujus sententiae sic: *Deus meus. quare me dereliquisti longe a salute mea?* Sed omnes textus habent interpunctionem aliam. Et deinde qui significabit illud, verba delictorum meorum? Alii.denique considerant verbum hebraicum, שאגתי *Sciaagathi*, significare rugitum, non delictum. et interpretantur, *Longe a salute mea verba rugitus mei*, idest, rugitus meus, sive clamor meus,quo auxilium imploro, longe est a salute mea, idest, non potest impetrare mihi salutem. Caeterum septuaginta Interpretes sine dubio non legerunt. שאתי *sciaagathi*, sed. שגיאתי *sceghiathi* unica litera transposita. et recte verterunt, delicta.non rugitum.Sententia igitur simplex et vera haec est, *longe a salute mea verba delictorum meorum*. idest. merito me dixi derelictum in doloribus. quia delicta totius mundi.quae in me suscepi , non possunt conjungi cum mea salute. Necesse enim est ut patiar , et moriar , si ea purgare volo. Christum autem sibi tribuere posse nostra peccata, ac si sua essent , Scripturae passim docent. Joann. 1. *Ecce Agnus Dei. ecce qui tollit peccata mundi*, 1. Petr. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, Isai. 53. *Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrorum*, 2. Cor. 5. *Eum. qui non noverat peccatum. pro nobis peccatum fecit*, idest, hostiam pro peccato. Sicut igitur hostia pro peccato non potest non immolari, si peccata purgari debeant: ita Christus hostia pro peccatis totius mundi factus, recte dicit, *Longe a salute mea sunt verba delictorum meorum*. idest, non possum mortem evadere. cum peccata totius mundi in me sint posita, ut pro eis poenas luam. Porro verba delictorum , phrasis est hebraica.Hebraei enim, utuntur nomine. דבר *dabar*, *verbi* , ad rem sive negotium in genere significandum. Itaque sensus est *verba delictorum meorum*. idest, haec ipsa res, quod tot peccata super me acceperim , pro quibus satisfaciam, *longe est a salute mea* , idest , non potest conjungi cum salute mea, ac per hoc in causa est ut mortem non evadam.

2. *Deus meus clamabo per diem, et non exaudies, et nocte , et non ad insipientiam mihi.*

Iterum alia ratione se derelictum ostendit sine spe salutis temporalis. *Clamabo*, inquit. *per diem, et non exaudies; et nocte*, supple , *clamabo, et non exaudies.* Est autem sensus; etiamsi clamem die ac nocte, non exaudies me. ut liberer a morte corporali. Videtur alludere ad duas orationes , quas fecit, unam de nocte in horto, alteram de die in cruce, sed non servat ordinem, quia sensus est ille. quem dixi, etiamsi clamem die. et nocte, non exaudies. Quod sequitur, *et non ad insipientiam mihi*, in hebraeo est. *et non silentium mihi.* Sed Septuaginta non videntur per. דומיה *dumiah*,unquam intellexisse *silentium.* Nam in ps. 61. vers. 1. vertunt *subjecta* , in ps. 64. vers. 1. vertunt , *decet ;* hoc loco , *insipientiam.* Igitur vel aliquid aliud legerunt, vel noverunt hanc vocem recipere omnes istas intelligentias. Sensus autem hic esse videtur, *Clamabo die. et nocte. et non exaudies;* et tamen hoc *mihi ad insipientiam* adscribi non poterit, quia licet sciam me non exaudiendum. ut mortem temporalem evadam ; tamen prudenter clamo, quia scio me exaudiendum . quoad principalem intentionem meam, quae est ut genus humanum redimatur , et ego non detinear in morte; sed resurgam ad vitam immortalem. Occurrit mihi alia expositio, in qua per diem intelligatur tempus vitae. per noctem tempus mortis, et hic sit sensus, *Clamabo per diem . et non exaudiet* , idest. clamabo, dum vivo, ut a morte liberer temporali. et hunc clamorem non exaudies; *et nocte clamabo , et non ad insipientiam mihi*, idest , clamabo postea. cum mortuus fuero, ut resurgam. et non ero insipiens , quia clamorem hunc nocturnum exaudies. in quem sensum recidit etiam lectio hebraica. ולילה ולא דומיה לי *velaila velo dumiali*, *et noctu, et non silentium mihi* . idest . clamabo de nocte, et tunc non silebis sicut siluisti ad cla-

morem diurnum ; sed respondebis mihi, ac per hoc exaudies me. Et quia illud, *non exaudies*, potest etiam reddi, non respondebis, utrumque enim significat verbum, ענה *hana*, clarissime verti potuisset versiculus in hunc modum, *clambo per diem, et non respondebis mihi; clamabo per noctem, et tunc respondebis mihi*, vel secundum Septuaginta, *clamabo per diem, et non exaudies; clamabo per noctem, et non ero insipiens*, quia tunc exaudies.

3. *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.*

Probat se non insipienter de nocte clamaturum, etiamsi de die non sit exauditus, et se omnino exaudiendum, idque quatuor rationibus. Primo, quia Deus sanctus, et misericors sit, secundo quia soleat invocantes se benigne audire, tertio, quia ipse in maxima pressura sit, quarto, quia in Deo ab ipsa sua nativitate confisus sit, eique soli adhaeserit. Prima ratio est in praesenti versiculo. *Tu*, inquit, Domine omnino exaudies me, quia *in sancto*, idest, in sanctitate *habitas*, totus sanctus, et pius es, et ad te malitia, vel crudelitas accedere non potest; et ideo tu es *laus* populi tui *Israel*, tum quia te laudat populus tuus Israel, tum propter te laudatur populus tuus Israel. Haec enim est maxima laus populi tui, quod habeat Deum omni ex parte sanctissimum. In hebraeo habetur sic, *Tu autem sancte, inhabitas laudes Israel*, idest, tu sanctus es, et ideo versaris assidue in ore populi tui te laudantis. Sed credibile est septuaginta Interpretes non legisse, קדוש *Kadosc*, sanctus, sed, קודש *Kodesc*, sanctitas, una litera transposita; et tunc verti debet, *tu autem sanctitatis habitator*, quod est idem cum eo quod nos habemus, *tu autem in sancto habitas laus Israel*; in numero multitudinis est in hebraeo ; תהלות ישראל *theilloth, Israel*, sed quia id conjungitur cum Deo, ut sententia esset clarior, maluerunt Septuaginta vertere, *laus Israel*, quam laudes Israel.

4. *In te speraverunt Patres nostri; speraverunt, et liberasti eos.*
5. *Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt, in te speraverunt, et non sunt confusi.*

Haec est altera ratio ab exemplis ; et sententia perspicua est. Habentur autem multa ejusmodi exempla in libro Judicum. Quotiescumque enim filii Israel clamaverunt ad Dominum, misit eis Dominus salvatorem unum ex judicibus, ut Gedeonem, Sampsonem, Samuelem, etc.

6. *Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.*
7. *Omnes videntes me deriserunt me, loquuti sunt labiis, et moverunt caput.*
8. *Speravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

Haec est tertia ratio ducta a pressura Christi crucifixi. *Ego autem*, inquit, *sum vermis, et non homo*, idest, in tali statu sum hoc tempore, ut non solum minoratus ab Angelis, sed ab hominibus minoratus videar; nimirum *novissimus virorum*, ut dixit Isaias cap. 53. imo infra omnes homines factus, cum e Barrabae, et latronibus postpositus sim. Itaque adeo factus sum vilis, ut vermis potius videar esse quam homo. *Opprobrium hominum*, de quo videlicet, homines erubescunt, quasi de homine dedecoroso, quod impletum est quando Petrus ipse juravit se non nosse hominem illum. *Et abjectio plebis*, Matth. 26. idest, quem etiam plebs vilissima populi pars, ita abjecit, ut diceret, *non hunc, sed Barrabam*, Joan. 19. *Omnes videntes me deriserunt me*, idest, qui me in eo statu viderunt, irriserunt omnes, omnia videlicet hominum genera, nobiles, ignobiles, sacerdotes, laici, Hebraei, Gentiles, quod impletum est, quando, ut scribit s. Luc. cap. 23. *Stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis* ; et infra, *illudebant autem ei et milites. Loquuti sunt labiis, et moverunt caput*: hoc etiam impletum fuisse docet s. Matthaeus cap. 27. *Blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes, vah qui destruis templum Dei. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Easdem voces Judaeorum fuisse, testatur s. Matthaeus in eodem loco. *Confidit*, ajebant, *in Deo, liberet nunc eam, si vult.* Nec multum refert, quod Propheta dicit, *quoniam vult eum*, et Evangelista refert eos dixisse, *si vult.* Nam cum Propheta dicit, *salvum faciat eum, quoniam vult eum*, subintelligitur, ut ipse dicit, quod perinde est, ac si dixisset, *liberet eum si vult eum*, idest, si amat eum, ut ipse dicit, *liberet eum*, vel quandoquidem vult eum, ut ipse dicit, liberet eum. Admiranda prorsus Prophetae illustratio, qui non solum res gestas, sed etiam verba praenovit, et praedixit, quae Judaei in passione Christi dicturi fuerant. Pro, *speravit in Domino*, habetur nunc in hebraeo, גל *gol*, idest, *volve ad Dominum* ; sed Rabbini male collocaverunt puncta. Debet enim legi גל *gal*, idest, volvit, ut legit s. Hieron. qui vertit, *confugit ad Dominum*, quod est idem cum eo, quod verterunt Septuaginta, *speravit in Domino*. Idem enim est, volvit, sive revolvit se ad Dominum, confugit ad Dominum, et speravit in Domino.

9. *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meae.*
10. *In te projectus sum ex utero, de ventre matris meae Deus meus es tu, ne discesseris a me.*

Haec est ratio postrema ducta ab innocentia perpetua ipsius Christi. Illud *quoniam*, non est ubique nota causae, sed saepe ponitur loco conjunctionis, et, vel, autem. Aliquando etiam nihil significat, sed additur ornatus gratia. *Tu es, qui extraxisti me de ventre*, idest, a nativitate tuus sum, praesertim cum re vera non naturali modo, sicut caeteri homines, sed virtute tua singulari natus sum non reseratis claustris pudoris ; sicut etiam absque virili semine in utero Virginis conceptus fui. S. Hieron. vertit ex hebraeo, *Tu autem*

propugnator meus ex utero. Sed verbum, גחי *gochi*. a rádice, גרח *guach*, proprie nihil significat aliud, nisi, *eductor meus ex utero.* Quid s. Hieronymus sequutus sit, fateor me nescire. *Spes mea ab uberibus matris meae*, idest, sicut tu me eduxisti ex utero, ita tu es, qui praecipue me aluisti: ubera quidem matris suxi, sed intelligo lac de coelo matri subministratum, et ideo in te ab uberibus matris confidere, et sperare didici. *In te projectus sum ex utero*, idest, prodiens ex utero, in sinum tuum cecidi, qui singulari providentia curam mei geris. *De ventre matris meae Deus meus es tu*, idest, sicut ab incipiente vita mea tu mihi singulari providentia adstitisti, ita et ego ab exordio vitae meae te colere coepi ut Deum meum. *Ne discesseris a me*, haec verba sunt apud hebraeos initium sequentis versiculi. Sed recte etiam ponuntur in textu graeco, et latino in fine superioris versiculi. Sunt enim veluti conclusio superioris rationis, ac si Christus diceret, quandoquidem in te projectus sum ex utero, ab eo tempore Deus meus es tu; ideo jure a te requiro, ut non discedas a me, praesertim cum jam instet gravissima, et ultima tribulatio mea, idest, mors corporis mei.

11. *Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet.*

Posset fortasse hic versus exponi de propinquante passione, ac de moerore, et timore, quem Dominus in horto pati voluit. Sed certe multo probabilius est, totum hunc locum de propinquante morte esse intelligendum, tum quia Dominus in praeterito statim adjungit. *Foderunt manus meas*; et, *diviserunt sibi vestimenta mea*: tum etiam quia paulo ante voces Judaeorum expressit, quas in se jam cruci affixum jaclaverunt: tum denique quia primum psalmi versiculum Dominus in cruce pendens, ac morti proximus recitavit. Igitur juxta id quod dixerat, *non ad insipientiam mihi*, nimirum clamabo ad te, precatur nunc, ut Deus sibi adsit in ultima tribulatione, non ut liberetur a morte, sed ut non detineatur in morte. Peto, inquit, ut non discedas a me. quoniam *tribulatio*, videlicet ultima, et gravissima. *proxima est*, et *quoniam non est* alius, qui adjuvare me possit, ut sic moriar, ut mortem occidam.

12. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.*

Narrat crudelitatem hostium suorum, quos comparat tauris, leonibus, et canibus. Intelligit per inimicos Pontifices, et Pharisaeos, qui veluti tauri insultabant ei, quasi cornibus eum peterent, *dicentes, Vah qui destruis templum Dei, etc.* Matth. 27. Et qui veluti leones aperto ore famem suam demonstrabant, idest, desiderium ingens perdendi eum, unde et rugiebant dicentes, *tolle, tolle, crucifige eum*, Joan. 19. Et qui veluti canes mordebant eum, detrahentes videlicet ei, dum dicerent, *hunc invenimus subvertentem gentem nostram*, Luc. 23. Et, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, Joan. 18. Ex quibus detractionibus, falsisque calumniis tandem factum est, ut Dominus crucifigeretur; ideo statim subjungit, *foderunt manus meas, etc.* sed singula videamus. *Circumdederunt me vituli multi*: per vitulos non intelligit hoc loco vitulos quoscumque, sed vitulos grandiores, et cornigeros, qui etiam tauri dici possint. Nam quod sequitur, *tauri pingues obsederunt me*, est explicatio, sive repetitio; praesertim cum in hebraeo, אבירי בשן *abire bascian* ad verbum habeatur, *fortes Basan obsederunt me.* Vocat vitulos *fortes Basan*, quia erant robusti, et pingues; nam Basan erat regio abundans optimis pascuis. unde pinguissimi tauri, et arietes prodibant. Dicuntur autem pontifices, et pharisaei fortes et pingues, qui erant potentes et divites. Aliqui distinguunt vitulos a tauris, et per vitulos intelligunt plebem indisciplinatam, et imbellem; per tauros, pontifices et pharisaeos. Non est improbabilis expositio, sed probabilius arbitror id quod dixi.

13. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.*

Eosdem significat pontifices et pharisaeos, qui miro desiderio inhiabant morti ejus, ut supra diximus.

14. *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea.*

15. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.*

16. *Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me.*

In his versiculis declarat, quomodo se gesserit contra inimicorum suorum crudelitatem; ac dicit, se non restitisse illorum violentiae, sed in omnibus humilitatem, patientiam, et mansuetudinem servasse. Juxta illud Isaiae cap. 50. *Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me*: et illud s. Petri 1. epist. c. 2. *Cum maledicereturnon maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste.* Itaque, inquit, *sicut aqua effusus sum*, idest, non restiti ullo modo, sed instar mollissimae aquae me praebui versandum, et impellendum in omnem partem. *Et dispersa sunt omnia ossa mea*, idest, omnis fortitudo dilapsa est a me, non quod vere potentiam amiserim, sed quod ea uti noluerim, et adversariis meis potentia sua uti permiserim, juxta illud Luc. *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Itaque debilem, atque imbecillum me praebui ad resistendum, quasi solam carnem sine ossibus haberem. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei*, idest, non solum exterius patientem, et mitem me praebui, sed etiam interius humilis corde sui, non intumuit, neque obduruit cor meum contra persecutores, nolens ignoscere, et ulcisci parans; sed contra potius factum est sicut cera liquescens ex affectu pio erga illos miserans illo-

rum caecitatem, et pro eis rogans, Luc. 23. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Illud, *in medio ventris mei*, significat in medio viscerum meorum. Sumitur enim in Scriptura venter, pro interioribus, ut Joan. 7. *Flumina de ventre ejus fluant aquae vivae*; et cant. 5. *Venter meus contremuit ad tactum ejus. Aruit tamquam testa virtus mea*, idest, robur meum quasi exaruit omni virore exhausto, quia videlicet ita me ligari, et vulnerari permisi, quasi impotens essem ad resistendum. *Et lingua mea adhaesit faucibus meis*, idest, ne verbis quidem adversarios laedere, aut de ipsorum injustitia conqueri volui. *Et in pulverem mortis deduxisti me*, idest, et sic tandem illis persequentibus, et me non resistente, tu Deus meus, sine cujus permissione nihil fieri potest, in mortem, et sepulturam adduxisti me. Vocatur enim pulvis mortis ipsa sepultura, quia mortui pulvere tegi solent.

17. *Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.*
18. *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Declarat modum quo in pulverem mortis deductus est. *Quoniam*, inquit, *circumdederunt me canes multi*, idest, detractores multi, pontifices videlicet, et pharisaei, qui falsis criminationibus, subversionis populi, tributi denegati, regni affectati, et similibus Pilatum coegerunt ut me crucifigendum militibus traderet. *Concilium malignantium obsedit me.* Declaratio est verborum superiorum: canes enim multi nihil sunt aliud, nisi concilium, idest, coetus malignantium: isti, inquam, malignantes, *foderunt manus meas, et pedes meos*, non quidem manibus, sed auctoritate sua. In hebraeo legitur, כארי, *caari*, quod significat, *quasi leo*, sed septuaginta legerunt, כארו *caarù*, quod est foderunt. Et sic omnino esse legendum non dubium est; quia septuaginta numquam vertissent, *foderunt*, si legissent, *caari*. Sanctus quoque Hieronymus ex hebraeo vertit, foderunt, ac per hoc legisse credendus est, *caarù*, In ipso etiam libro Massoreth ad cap. 12. Numeri, disserentes Rabbini de illis verbis, *occubuit ut leo*, quod est hebraice *caari*, monent in psalmo hoc legendum quidem esse *caari*, sed juxta codices emendatiores scribendum, *caarù*, Quamvis enim ex perfidia sua legere velint, *quasi leo*, tamen fatentur scriptum esse *caarù*, idest, foderunt. Denique sententia multo est clarior. *foderunt manus meas*, quam, *quasi leo manus meas*. Neque multum refert, quod, foderunt, hebraice, scribendum esset, כרו, *carù*, non כארו *caarù*, quoniam litera א *aleph*, saepe redundat, et ideo paragogica vocatur ab hebraeis. *Dinumaraverunt omnia ossa mea*; idest, ex corporis extensione in cruce factum est, ut omnia ossa numerari possent. Addit vero David hoc de extensione, et numeratione ossium, ut intelligeremus crucifixionem. Alioqui enim per fossionem manuum, et pedum potuissent intelligi vulnera gladio facta, non clavis. In hebraeo habetur אכפר *asapper*, in prima persona, *numerabo omnia ossa mea*. Sed facile est unius, vel alterius literae mutatione contigisse errorem. Certe sensus est clarior, si legamus, *numeraverunt*, quo modo sine dubio legerunt septuaginta Interpretes, et lectionem illam sequuti sunt s. Hieronymus, s. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius in expositione hujus loci.

19. *Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

Addit ad supplicium Crucis, ignominiam nuditatis. *Ipsi*, inquit, curiose inspexerunt totum corpus meum, quoniam nudatum erat omnibus vestibus. Siquidem eas vestes diviserunt milites inter se, et super tunicam, quae supererat, sortem miserunt. Quae omnia impleta esse ad litteram, Joannes Evangelista cap. 19. testatur.

20. *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me, ad defensionem meam conspice.*

Revertitur ad orationem, quam inchoaverat in principio psalmi, et rursum repetierat versiculo decimo et undecimo. Itaque jam tota passione sua exposita: rogat Deum pro celeri resurrectione: nam per eam perfecte liberabitur ab omni persecutione, et injuria adversariorum. *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me*, idest, adversarii mei ad summam malitiae pervenerunt, atque in me omnes vires suas exercuerunt; jam tuum est non differre amplius auxilium, sed meam defensionem paterne suscipere. In hebraeo ad verbum sic legitur: *et tu Domine non longe fias, fortitudo mea ad auxilium meum festina.* Possent aliquo modo paucis mutatis concordari haec ipsa verba cum verbis graecae et latinae editionis, sed non videtur operae pretium in hac re laborare, cum sensus omnino sit idem.

21. *Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam.*
22. *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.*

Declarat, in quo velit auxilium sibi adesse. *Erue*, inquit, *a framea sive gladio animam meam*, idest, libera ab instrumento mortis vitam meam. Ponit enim gladium, qui mortis est instrumentum, pro quolibet instrumento mortis, quod in Scriptura frequens est. 2. Reg. 12. *Non recedet gladius de domo tua*, Ezech. 33. *Si viderit gladium venientem super terram, etc.* Rom. 8. *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an gladius?* Ponit vero animam pro vita, quod similiter in Scriptura usitatissimum est. *Et de manu canis unicam meam.* Per canem intelligit canes illos, de quibus supra dixerat, sed utitur numero singulari, vel per figuram collectionis, vel ad significandam unionem in malum inimicorum suorum. Per *unicam* vero intelligit eamdem vitam suam, quam unice diligebat, sicut par erat diligi vitam Verbi incarnati. *Salva me ex ore*

leonis, illius de quo supra dictum est, *aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Antea dixerat, *tauri pingues obsederunt me*, nunc loco taurorum ponuntur unicornes, qui sunt indomitae bestiae, et tauris etiam ferociores, ut significet, nequitiam et crudelitatem inimicorum suorum non imminutam tot suppliciis fuisse, sed auctam. Porro his omnibus verbis non petit Dominus vitam temporalem suam salvari, sed (ut saepe diximus) petit vitam suam celeriter reparari, et ita reparari, ut non amplius pateat morsibus canum, vel unguibus leonum vel cornibus unicornium, aut taurorum. Illud, *humilitatem meam*, in hebraeo est, עניתני *hanitani*, quod s. Hieronym. vertit, *exaudi me*; Pagninus autem, *respondisti mihi*. Sed septuaginta interpretes non legerunt *hanitani*, sed ענותי, *henuthi*, una litera dempta, idest, *humilitatem meam*.

23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te.*

Nam incipit narrare fructum resurrectionis suae, qui est conversio mundi ad Deum. *Narrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis*, idest, postquam resurrexero, mittam Apostolos in mundum universum, et per eos *narrabo*, inquit, *nomen tuum*, idest, notitiam divinitatis tuae manifestam faciam omnibus hominibus, qui fratres mei sunt propter assumptam carnem; et sic in *medio Ecclesiae laudabo te*, idest, non amplius in angulo Judaeae, sed in medio Ecclesiae magnae ex judaeis, et gentibus adunatae laudabo te per ministros meos videlicet. Hunc locum adducit Apostolus ad hebreos 2. *Propter quod*, inquit, *non confunditur fratres eos vocare, dicens, nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te.*

24. *Qui timetis Dominum laudate eum, universum semen Jacob glorificate eum.*
25. *Timeat eum omne semen Israel, quoniam, non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.*

Quia dixerat *in medio Ecclesiae laudabo te*, quod erat implendum per fideles suos, ideo nunc ipsos fideles hortatur, ut Deum laudent. *Qui timetis Dominum*, idest, qui notitiam ejus habetis, eumque colitis. Timere enim Deum in Scriptura accipitur pro colere. Ita Jonae 1. Jonas interrogatus de populo, *ego*, inquit, *hebraeus sum. Deum qui fecit coelum et terram ego timeo*, et Daniel 6. *paveant omnes Deum Danielis*; et Judith 1. dicitur de Judith, *quod timebat Dominum valde*. Itaque sensus est. Vos qui Deum verum cognoscitis, et colitis, laudate eum. Et ne putemus fideles, quos alloquitur, esse paucos, utpote unam gentem judaeorum, addit, *universum semen Jacob glorificate eum et timeat eum omne semen Israel*, idest, glorificent, et timeant Deum omnes Israelitae, non tantum ii, qui sunt Israelitae secundum carnem, sed etiam qui sunt Israelitae secundum promissionem, quales sunt omnes gentiles ad Christum conversi. Vide s. Augustinum in epist. 200. alias 197. ad Asellicum, ubi demonstrat, christianos esse veros Israelitas, non carne sed spiritu, fide, et promissione; verba sequentia, *quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis*, hebraei faciunt novum versiculum, eique adjungunt totum versiculum sequentem. Sed septuaginta aliter interpunxerunt. Reddit igitur rationem Dominus, cur velit ab omnibus laudari Deum, quia videlicet exaudivit orationem, quam fuderat pro resurrectione, et gloria sua; pro victoria contra diabolum, et redemptione generis humani. Vocat autem se pauperem, quia talis erat tempore passionis, cum nudus, ac derelictus, fame, sitique laborans penderet in cruce. In hebraeo pro, *deprecationem pauperis*, habetur, ענות *henuth*, quod s. Hieronym. vertit, *modestiam*, et posset etiam verti afflictionem, *humilitatem, clamorem*, etc.

26. *Nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum, exaudivit me.*

Idem repetit aliis verbis. In hebraeo legitur, *nec avertit faciem suam ab eo, et cum clamaret ad eum exaudivit*: verisimile est, septuaginta legisse Jod, nunc habetur Vau, cum sint literae similes, et Jod sit nota pronominis primae personae, Vau autem tertiae. Sed sententia est omnino eadem. Nam si dicatur: *Nec avertit faciem suam ab eo*, per illud, *ab eo*, intelligitur, a paupere, de quo dictum est, *non despexit deprecationem, sive afflictionem pauperis*: pauper autem ille, Christus ipse est.

27. *Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

Hortatus fuerat fideles suos, ut Deum laudarent, nunc praedicit, id omnino futurum. *Apud te laus mea in Ecclesia magna*, idest, laus quam ego tibi canam per fideles meos erit apud te, sive coram te in Ecclesia magna, non in coetu paucorum hebraeorum, sed in Ecclesia omnium gentium. Posset etiam hic locus exponi de laude, qua laudatur Christus in Ecclesia coram Deo. Euthymius legit, *a te laus mea*, unde videtur legisse ἀπὸ σου, sed in textu nostro habetur παρὰ σου apud te, et sic legunt Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, et alii. Hebraica vox, מאתך *meitteca*, vertitur a s. Hieronymo, *apud te*; ab aliis, *a te*, utramque enim expositionem recipit. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*: per vota intelligenda videntur hoc loco vota sacrificiorum et oblationum, juxta illud Isa. 19. *Colent eum in hostiis et muneribus; vota vovebunt Domino, et reddent.* Christus enim cum videret holocaustum mortis suae gratissimum Deo fuisse, videtur quodammodo promisisse, se holocaustum illud per ministros suos frequentissime oblaturum, eo quo deceret modo, atque hoc est, quod nunc dicit, *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*, idest, per ministros meos Sacerdotes novi testamenti, assidue immolabo sacrificium Deo gratissi-

mum; idque *in conspectu timentium* idest, colentium eum, ac per hoc verorum fidelium: non enim licet hoc sacrificium coram infidelibus immolare.

28. *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi.*

De hoc sacrificio *edent pauperes*, qui suam paupertatem, et egestatem spiritualem agnoscunt, *et saturabuntur*, quia gustabunt bonum, quod est super omne bonum, *et laudabunt Dominum*, gratias agentes Deo pro tam insigni beneficio illi omnes *qui quaerunt eum* : qui esuriunt, et proinde avide requirunt Dominum, *vivent corda eorum in saeculum saeculi.* Hic erit fructus illius refectionis, ut corda tam nobili cibo refecta vivant vita spirituali, vita gratiae interim, ac postea vita gloriae in saeculum saeculi. Sic enim veritas ait Joan. 6. *qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Sicut enim cibus corruptibilis vitam conservat ad tempus, ita cibus incorruptibilis vitam aeternam praebet. In hebraeo habetur, *vivet cor vestrum in aeternum*; sed una litera mutata, ex לבבכם *levauchem*, cor vestrum, fit לבבם *levavam, cor eorum.*

29. *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terrae.*

Reddit causam, cur in Ecclesia magna sit laudaturus Deum, quia videlicet convertentur ad Deum merito sacrificii crucis omnes gentes. *Reminiscentur*, inquit, principii, unde prodierunt, idest, recordabantur, se olim a Deo in primo parente conditos, quod per originale peccatum jamdudum oblivioni mandaverant, et ideo ligno et lapidi dixerant, *Pater meus es tu* : *reminiscentur*, inquam, primae creationis, *et convertentur ad Dominum universi fines terrae*, Jerem. 3. idest, omnes gentes, quae habitant orbem terrarum, usque ad ultimos ejus fines. Significantur autem per omnes gentes, non singuli homines totius mundi, sed ex omnibus gentibus aliqui.

30. *Et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium.*

Declaratio est versiculi superioris. Id est enim converti ad Dominum omnes fines terrae, *adorare Dominum*, relictis idolis, omnes familias gentium, quae usque ad fines terrae propagatae inveniuntur. Porro adorare coram Domino, idem est quod adorare Dominum, quoniam vox hebraea, ישתחוו *isthachavu*, quam nos vertimus, *adorare*, proprie significat *incurvari.* Incurvari autem coram Domino, idem est, quod adorare Dominum.

31. *Quoniam Domini est regnum, et ipsi dominabitur gentium.*

Merito convertentur ad Dominum, et adorabunt eum omnes gentes, quoniam ipse est verus, et naturalis rex omnium gentium, ideo ipse deinceps, non daemones, dominabitur gentium.

32. *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae: in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.*

Quia dixerat. *edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, et adorabunt eum universae familiae gentium*, ne quis putaret, solos pauperes, et plebejos convertendos ad Dominum, adjungit de divitibus, et potentibus, *Manducaverunt. et adoraverunt omnes pingues terrae*, idest, ipsi etiam pingues terrae, qui abundant terrenis bonis, ipsi principes, imperatores, reges manducabunt de mensa Domini, et adorabunt, ac laudabunt communem Dominum, cujus est regnum super omnes gentes. Ponitur autem more prophetico preteritum pro futuro. *manducaverunt et adoraverunt*, pro manducabunt, et adorabunt. Et denique omnes, *qui descendunt in terram*. sive, ut sonat vox hebraea, וירדי עפר *jorede haphar*, *qui descendunt in pulverem*, idest, omnes mortales qui tandem per mortem resolvuntur in pulverem. *omnes*, inquam *cadent in conspectu ejus*, idest, genua flectent, et adorabunt. Atque ita vere generalis erit conversio gentium, quae est fructus dominicae passionis, et resurrectionis.

33. *Et anima mea illi vivet. et semen meum serviet ipsi.*

Concludit psalmum dicens, se deinceps perpetuo victurum ad gloriam Dei, et eidem Deo posteritatem suam fideliter serviturum. Ponit autem animam pro toto homine, quod in Scripturis, et praesertim in psalmis est frequens, *Anima mea*, idest, ego illi vivam, *et semen meum*, idest, posteritas mea regenerata per aquam, et Spiritum sanctum *serviet illi.* In hebraeo habetur, et anima ejus non vivet: sed manifeste apparet. Septuaginta non legisse, נפשי *naphscio*, *anima ejus*, sed נאשי *naphsci anima mea.* Solum enim extendenda est particula unius literae, ut ex una voce fiat alia. Sic etiam certum est, Septuaginta non legisse לא *lo*, non, sed לו *lo*, ei. Et cum sententia lectionis, quam habuerunt Septuaginta, longe clarior sit, imo cum sententia lectionis modernorum Hebraeorum nihil plane significet, non videtur posse dubitari, quin textus hebraicus sit corruptus vitio librariorum.

34. *Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt coeli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.*

Declarat quod dixit, *semen meum serviet ipsi*, dicens: *generatio ventura*, idest, populus novi Testamenti suscipiat bonum nuntium de Domino, et de justitia ejus, quae est justitia Fidei. Illud *annuntiabitur generatio ventura*, significat, annuntiabitur generatio venturae, sive nuntium accipiet generatio ventura. Est enim phrasis graeca, qualis habetur etiam Matth. 11. *Pauperes evan-*

gelizantur, idest, pauperibus evangelizatur; et 1. Timoth. 1. Secundum Evangelium, quod creditum est mihi ; nam in graeco ad verbum est, ὁ ἐπιστεύθην ἐγὼ *quod creditus sum* ; sed Interpres mutavit phrasim graecam, quam reliquit Matth. 11. Itaque non est sensus, *annunciabitur Domino generatio ventura*, idest, adscribetur Domino generatio ventura, sed annunciabuntur de Domino, sive Dominus generationi venturae. Quod colligitur tum ex hebraeo, ubi habetur, לדור *laddor*, idest, *generationi*; tum quia idem repetitur, vel declaratus in sequentibus verbis, de more Davidis, *Annunciabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur*. Idem enim est, *generatio ventura*, et *populus qui nascetur*. Annunciabitur ergo Dominus generationi venturae, quia *annunciabunt coeli*, idest, coelestes homines, *justitiam Deo populo, qui nascetur*. Vocatur autem justitia Dei, justitia Fidei, quam Deus donat gratis credentibus in Christum, quae vere facit homines justos. Hoc enim praecipue docuit Evangelium, omnes esse peccatores, nec posse viribus propriis justificari, sed a solo Deo per Christi fidem veram justitiam expectandam. In hebraeo non habetur *generationi venturae*, sed post nomen, *generationi*, habetur interpunctio, ac deinde verbum, *venient*, quod conjungitur cum sequenti, *et annunciabunt*. Caeterum septuaginta Interpretes non habuerunt illam interpunctionem post nomen, *generationi* ; et verbum, *venient*, legerunt in singulari, *veniet*, ac proinde recte legerunt, *generationi quae veniet*, idest, generationi venturae. Nomen coeli, cum dicitur *annunciabunt coeli*, non habetur in hebraeo, neque in greco textu ; sed latinus interpres addidit explicationis gratia. Et legitur haec vox *coeli*, apud s. Hieronymum, et s. Augustinum in commentario hujus psalmi ; sed non legitur a Theodoreto, et Euthymio graecis scriptoribus, quia (ut diximus) vetus latinus interpres eam addidit. Illud, quod habetur in fine, *quem fecit Dominus*, significat, populum istum novi testamenti peculiarem esse Dei populum, ab ipso Deo proprie regeneratum, et creatum in Christo in operibus bonis, ut dicit Apostolus ad Titum cap. 3. Similis est sententia in psalmo 117. *Haec dies, quam fecit Dominus.*

PSALMUS XXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem, Psalmus David.

Titulus indicat auctorem psalmi fuisse David : argumentum vero psalmi est eximia Dei benevolentia erga electos.

EXPLICATIO PSALMI XXII.

1. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae, ibi me collocavit.*

In hoc psalmo describitur foelicitas electorum Dei per similitudinem ovium, quae ab eo optimo aliquo pastore reguntur. In eorum persona David, qui unus erat ex illis, dicit, *Dominus regit me, et nihil mihi deerit*, quasi dicat, ovicula Dei sum, et quia Deus pastor est potentissimus, sapientissimus, et optimus; ideo confidenter dico, *nihil mihi deerit*. Haec vox est hominis foelicissimi in via, et in spe. Nam beati in patria, et in re, non dicunt, *nihil mihi deerit*, sed nihil mihi deest : siquidem fugit ab eis labor, et dolor, et jam intraverunt in gaudium Domini sui. At beati in via, et in spe non possunt dicere, nihil mihi deest cum sint obnoxii multis passionibus ; sed recte dicunt, *nihil mihi deerit*, quia si esurierint, non deerit panis ; si aegrotaverint, non deerit medicus, et sic de caeteris. Porro vox illa *regit*, in hebraeo, רעי *rohi*, et graeco textu ποιμανει proprie significat, *pascere*, et idcirco sensus est, Dominus regit me pastorali modo sicut pastor regit oviculas suas. Quod autem dixit in summa, *nihil mihi deerit*, declarat per partes in sequentibus verbis: videntur autem haec esse, quibus oviculae egere solent; primo, pascua pinguia; secundo, aquae purae; tertio, ut reducantur, si forte erraverint; quarto, ut ducantur per commodas vias ; quinto, ut a lupis, aliisque feris defendantur ; sexto, ut fatigatae sustententur ; septimo, ut si per tribulos, et saxa incedentes laedantur, refocillentur, et recreentur ; denique, ut evoluto die, confectoque itinere, domum habeant, ubi requiescant. Haec omnia praestat abunde Deus electis suis, ac per hoc recte dicunt, *nihil mihi deerit*. Incipit David a primo, cum subjungit, *In loco pascuae, ibi me collocavit*. idest, non collocavit me in loco arido, vel deserto, sed in pascuis uberrimis, ubi salubrium herbarum maxima copia est. Particula, *ibi*, non habetur in hebraeo, neque est necessaria: addita est ab interprete graeco, et inde translata in latinam editionem, sed redundat. Porro pabula, sive pascua spiritualia rationabilium ovium Dei, quibus electi abundant, nihil sunt aliud,

nisi notitia Dei, Eucharistia, panis verbi Dei, Veritas ipsa. Haec enim est, quae vitam spiritualem sustentat, et auget.

2. *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.*

Attingit secundum, et tertium bonum oviculis necessarium. *Super aquam refectionis educavit me*, idest, non solum in loco herbis affluente collocavit me; sed etiam in loco vicino salubribus aquis; atque ita educavit, et aluit me optimo pabulo super rivos aquarum sito, ut possim ab aestu, et sitis ardore refrigerari. Parum refert, quod vox hebraea, מנוחות *menuchoth*, et graeca ἀναπαύσεως, non tam refectionem, quam requiem significat. Idem enim est sensus. Qui enim salubribus aquis ardorem sitis extinguit, et requiescit, et reficitur. Spiritualis aqua, quae concupiscentiae ardorem rationabilium ovium restinguit, gratia Dei est, de qua Dominus in Evangelio, Joan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Nihil enim aeque reprimit carnalia desideria, quam gustus amoris Dei. Gustato enim spiritu desipit omnis caro. *Animam meam convertit*, hoc est tertium bonum, reductionis videlicet: neque enim potest homo suis solis viribus reverti ad Deum, sicut potest suis solis viribus averti. Ait igitur, bonus pastor errantem me quaesivit et reduxit, quod est beneficium magnum, atque electorum proprium, ut non sinantur errare perpetuo.

3. *Deduxit me super semitas justitiae, propter nomen suum.*

Quantum bonum commemorat. *Deduxit*, inquit, *me super semitas justitiae*, idest, ingredi fecit me per viam angustam praeceptorum suorum, ut juste viverem. Id vero fecit removendo occasiones peccandi, minuendo vires tentatoris, augendo charitatem, dulcescere faciendo justitiam, illustrando, inflammando, alliciendo, terrendo, aliisque innumerabilibus modis. Quos modos si adverteremus, non cessaremus omnibus momentis tam dulci pastori gratias agere, praesertim cum id faciat non propter merita nostra praecedentia, *sed propter nomen suum*, idest, *ut notas faciat divitias misericordiae suae in laudem gloriae gratiae suae*, ut dicit Apostolus Ephes. 1.

4. *Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Hoc est bonum quintum, defensio videlicet a lupis, aliisque sylvestribus feris. *Nam et si ambulavero in medio*, sive, ut habet hebraeus textus, בגיא צלמות *beghe tzalmaveth*, *in valle umbrae mortis*, idest, per loca tenebrosa, et periculis omnibus exposita ferarum, latronum, praecipitiorum, *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Nam *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Et vere incredibilis securitas est in corde diligentis Deum, dum recogitat, secum esse illum, cui nihil resistere potest. Frequentissima est in libris Prophetarum commemoratio *umbrae mortis*, quae proprie significat tenebras densas, quales adfert mors, quae privat omni lumine. Dicuntur enim caeci esse in tenebris, quia nihil vident, et multo magis mortui dicuntur esse in tenebris, quia nihil sentiunt. Hinc videlicet poetae loca mortuorum umbrosa, ac tenebris obsita esse dicunt. Hinc etiam scripturae sanctae passim conjungunt umbram mortis cum tenebris, ut unum per aliud explicetur. Job 3. *Obscurent eum tenebrae, et umbra mortis;* et cap. 1. *Ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine.* Isai. 9. *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis*, ubi pro eodem accipitur, habitare in tenebris, et habitare in regione umbrae mortis. Quia vero loca tenebrosa multis periculis sunt exposita et non sine ingenti pavore per ea iter facere solemus, ideo David hoc loco dicit, *Et si ambulavero in medio umbrae mortis*, idest, in medio ingentium tenebrarum, ubi multa undique pericula circumstent, *nihil timebo, quoniam tu mecum es.*

5. *Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

Sextum bonum explicatur, quod est sustentatio fatigati. Jam enim Propheta omissa similitudine ovium, loquitur proprie de hominibus: neque enim oves lassae sustentantur baculo; sed deferuntur in humeris pastorum. Et quamvis possent haec verba referri ad castigationem paternam, ut s. Augustinus fecit, tamen probabilius est ad litteram esse referenda ad sustentationem, ut ea referunt Theodoretus, et Eutymius. Nam vox hebraica, משענתך *mishantecha*, significat proprie, *fulcrum*, idest, *baculum fulcientem*, sicut etiam vox graeca βακτηρια, a sustentando deducitur, unde βακτηρευειν, est *baculo inniti*. Nisi placeat fortasse, virgam referre ad castigationem, et baculum ad sustentationem. Deus enim cum videt suos in via fatigari, lentiusque progredi quam par esset, utrumque adhibere solet, et verbum increpatorium, et consolatorium, ut altero excitet, altero sustentet. Sed utrumque tandem consolationem adfert, quoniam laetatur anima, cum videt profectum suum curae esse Deo.

6. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.*
7. *Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians, quam praeclarus est!*

Hoc est bonum septimum, quod videlicet Deus electos suos in tribulationibus, quas in hac vita non possumus evadere, mirifice consoletur. Quare non est sensus horum versiculorum, quod Deus paraverit electis mensam, oleum, et vinum adversus hostes, quasi haec sint arma, quibus contra hostes pugnandum sit: sed sensus est Deum opponere tribulationibus magnis magnas consolationes, et sicut ingeruntur ab hostibus amaritudines, sic ingeri a Deo suavitates, quae describuntur more humano, per similitudinem convivii, in quo sit men-

sa referta cibis optimis, adsit etiam unguentum pretiosum, quo aspergatur caput, nec desit vinum egregium, atque ad inebriandum, idest, exhilarandum aptissimum. Solebant enim veteres in magnis conviviis adhibere inter praecipuas delicias unguenta preliosa, quod etiam servatum videmus in Evangelio Matth. 26. a sancta Maria Magdalena erga Dominum. Porro illa verba, *adversus eos, qui tribulant me*, clariora sunt in textu graeco et hebraico. Nam εξ εναντίας, graecum, et, נגד *neghed*, hebraicum, significant *e regione*, sive *ex adverso*, ut vertit s. Hieronymus. Proinde sensus est, e regione tribulationum, quas mihi ingerunt hostes mei spirituales, *tu parasti*, sive *ordinasti*, ut sonat verbum hebraicum, תערך *thaharoch*, consolationem ingentem, mensam videlicet opiparam. *Impinguasti caput meum oleo*, idest, unguento pretioso caput meum perfudisti, et sic exhilarasti faciem meam in oleo, et non deest ex gratia tua calix vini inebrians, et praeclarus, qui laetificet cor meum. Similis est sententia in 93. Psalm. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Et in Apostolo. 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Illud, *calix meus*, in textu Graeco est, *calix tuus*, et sic legunt Augustinus et Euthymius: sed in hebraeo habetur, כוסי *cosi*, *calix meus*, et sic etiam vertit s. Hieronymus. Probabile est, emendatiores codices graecos habuisse, τὸ ποτήριον μου, *calix meus*, quo modo legit s. Hieronymus in commentario, ubi exponit versionem septuaginta, et sic videtur legisse Theodoretus. Imo s. Hieronymus in Epist. ad Suniam, et Fretellam dicit, in editione septuaginta haberi, *calix meus*: et ex errore haberi in quibusdam codicibus, *calix tuus*. Proinde nostra lectio latina omnino retinenda est: sensus vero semper est idem. Calix enim ille et meus est, quia mihi datus; et Dei est, quia a Deo datus.

8. *Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitae meae.*
9. *Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.*

Hoc est ultimum bonum, quod perducit ad summum bonum. *Misericordia tua subsequetur me*, non ad tempus, sed perseveranter usque in finem, quod est donum proprium electorum. *Et ut inhabitem*, idest, et subsequetur me, *ut inhabitem in domo Domini*, in longitudinem dierum, idest, in aeternum. In hebraeo, et in graeco textu non habetur *ut*, sed solum *et*: contra autem nonnulli veterum, ut Augustinus, Hieronymus, Theodoretus in commentariis non legunt, *et*, sed solum, *ut*, et certe sine alterutro esset clarior lectio, nimirum sic. *misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae, ut inhabitem in domo Domini*, quomodo legunt patres; vel sic, *misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae, et inhabitabo in domo Domini*, quomodo vertit ex hebraeo s. Hieronymus: in his enim lectionibus nihil subaudiendum est. Tamen lectio nostra non est adeo obscura, ut non possit satis facile intelligi. Subauditur enim illud, *subsequetur*, quod paulo ante praecedit, nimirum, *misericordia tua subsequetur me, dum vivo*, ut recte vivam, *et subsequetur post hanc vitam*, ut in aeternum vivam. Quare s. Augustinus licet in textu non legerit, *et*, tamen in commentario addit, *etiam*, ut videatur illud subintellexisse. Porro pro voce, *inhabitem*, in hebraeo habetur, שבתי *Sciauti*, quod significat *redibo*. Caeterum septuaginta legisse videntur, ישבתי *iasciauti*, una literula addita, et sic recte verterunt, *ut inhabitem*; quomodo etiam legit s. Hieronymus, qui non vertit *redibo*, sed *inhabitabo*. Quare lectio hebraica post s. Hieronymi tempora depravata fuisse videtur.

PSALMUS XXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, prima Sabbati.

In hoc titulo pars illa, *prima sabbati*, non habetur in hebraeo, sed addita est a Graecis, fortasse quia in principio psalmi fit mentio creationis terrae, quae prima sabbati, idest, die Dominico facta est; vel quia solerent hunc psalmum die Dominico recitare. Quod quidam volunt additum esse, *prima sabbati*, quia illo die Dominus resurrexit, non mihi videtur probabile, cum hic psalmus non resurrectionem, sed ascensionem Domini manifeste praedicet: ascensionem autem non prima sabbati, sed quinta factam esse, notissimum est. Quod ad ascensionem hic psalmus proprie pertineat, testantur Cyprianus serm. de ascens. Hieronymus epist. 142. ad Damasum, Ruffinus in expositione Symboli, Gregorius Nyssenus, Joan. Chrysost. August. Leo, et alii in serm. de ascensione.

EXPLICATIO PSALMI XXIII.

1. *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

Propositum Davidis est, ostendere ex innumerabili hominum multitudine solum Christum, et paucos alios, paucos inquam, si ad multitudinem aliorum conferantur, in domum Domini coelestem, et beatissimam intraturos: quare ne forte crederentur caeteri homines ad Deum non pertinere; sed ab alio aliquo principio creatos esse, quod postea Marcionistae, Manichaeique senserunt; praemittit hos duos versiculos, quibus docet, Deum Creatorem, ac Dominum esse totius orbis terrarum, et omnium rerum, quae in eo sunt. *Domini est terra et pleni udo ejus*, idest, et omnia quae in ipsa sunt, quaeque ipsam replent. Quod explicatur per alteram partem versiculi, *orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* Declarat enim se, cum dixit, *Domini est terra*, intellexisse potissimum de terra habitabili, quae proprie dicitur תבל *tebel*. Hebraice, et graece οἰκουμένη, idest, orbis terrae habitabilis: et cum dixit, omnis plenitudo ejus, declarat, se intellexisse praecipue de hominibus, qui habitant in eo, non de caeteris rebus, quae in ipso sunt.

2. *Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina praeparavit eum.*

Probat Deum, Dominum esse orbis terrae, et omnium habitantium in eo, quoniam ipse fecit terram, et fecit eam supereminere aquis, ut esset habitabilis. Nam si vel aquis omnino careret, vel esset aquis undique cooperta, inhabitabilis esset. *Quia ipse*, inquit, *super maria fundavit eum*, idest, a fundamentis fecit orbem terrae, ac per hoc ex nihilo fecit, et fecit *super maria*, idest, ut superficies terrae esset altior superficie maris, et similiter *super flumina praeparavit eum*, idest, praeparavit orbem terrae ad habitationem hominum, et ideo fecit superiorem, et altiorem fluminibus; alioqui enim mare, et flumina terram obruerent, si altiora essent. Ex hoc autem, quod Deus terram habitabilem fecit, sequitur, ut sit etiam Dominus omnium hominum, tum quia homines ex terra facti sunt, et in terram revertuntur; tum quia terram incolunt, non ut Domini, sed ut coloni a Deo constituti, ut terram colant.

3. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?*

Cum omnes homines coloni, et servi Dei sint, et omnes pariter terram, quae Dei possessio est, incolant, *quis ascendet in montem Domini?* id est, erit ne aliquis ex tanto numero, et quis ille erit, qui dignus sit ascendere ad locum, ubi proprie habitat Deus. Vocatur *mons Domini* (ut alias saepe diximus) domus coelestis, quae est vere sublimis, et sancta, de qua dicitur in alio psalm. 113. *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Qui hunc locum exponunt de monte Sion, qui erat in Jerusalem civitate Judaeae, videntur nullo solido fundamento niti posse, cum constet montem illum plenum fuisse hominibus omnis generis, ut plane ridiculum videatur de illo dicere, *quis ascendet in montem Domini?*

4. *Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.*

Respondet, quatuor conditiones requiri in eo, qui sit ascensurus montem Domini: prima est, ut sit *innocens manibus*, idest, nihil mali perpetraverit: altera, ut sit *mundus corde*, nihil mali cogitaverit, aut cupiverit; tertia, *ut non acceperit in vano animam suam*, idest, ut non frustra vitam a Deo acceperit, idest, non solum nihil mali fecerit, vel cogitaverit; sed etiam ea omnia bona cogitaverit, et fecerit, quae ad finem sibi a Deo constitutum obtinendum requiruntur: quarta, ut non juraverit dolose. Illud, *qui non accepit in vano animam suam*, aliqui detorquent ad juramentum, ut sequens particula sit explicatio superioris. Volunt autem legi, *qui non accipit in vano animam ejus*, idest, Dei; vel juxta puncta Rabbinorum, *qui non accipit in vano animam meam*, ut Deus loqui intelligatur. Verum haec expositio non videtur probabilis; tum quia sine causa Rabbini legi volunt, *animam meam*, cum vox hebraea habeat, נפשו *naphscio*, pronomen tertiae personae, non primae; et in tertia persona verterit s. Hieron. tum quia lectio illa, *animam meam*, נפשי *naphsci*, est omnino nova, et inaudita, cum Latini et Graeci hactenus in ea voce intellexerint relativum reciprocum, nimirum *animam suam*; tum denique, quia nomen Dei in vanum accipere, pro eo quod est falso jurare per Deum, habetur in Scripturis Sanctis, sed animam propriam, vel animam Dei in vanum accipere, pro falso jurare, nusquam legitur. Alii volunt animam suam in vano accipere, nihil esse aliud, nisi vana, idest, temporalia, et caduca cogitare et concupiscere: sed hoc jam comprehensum erat in illo *mundus corde*, et videtur coactum, et durum. Addidit vero Propheta quartam illam conditionem, de juramento doloso, ut in eo peccato, quod est unum ex maximis, cum sit pariter contra Deum, et contra proximum, comprehenderet omnia alia peccata, quae per instrumentum linguae committuntur: itaque is, qui dignus sit in montem Dei, idest, in coelum conscendere, debet undequaque esse perfectus, ita ut neque corde, neque voce, neque opere unquam deliquerit, et contra, bona omnia fecerit, quae ad ejus officium pertinebant. Hae vero conditiones non in alium, quam in Christum conveniunt. Is enim unus est, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, ut dicitur 1. Petri 2. De reliquis, *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, ut loquitur David in psal. 13. Et, *omnes nos quasi oves erravimus*, inquit Isaias cap. 53. Et Apostolus Paulus ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Proinde recte Dominus ipse ait Joan. 3. *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis,*

qui est in coelo. Reliqui sunt de terra terreni, ille solus de coelo, coelestis, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior coelis per Ascensionem factus. Nec tamen sola persona Christi ascensura erat in montem Domini, sed ipse, et corpus ejus, quod est Ecclesia, quam lavit sanguine suo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, ad Ephes. 5. propterea sequitur :

5. *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.*

Hic, videlicet Christus, *accipiet benedictionem a Domino*, idest, copiosissima bona pro se, et *misericordiam a Deo salutari*, pro corpore suo quod est Ecclesia, cujus etiam respectu dicitur Deus salutaris ejus. Siquidem vita aeterna in regno coelorum, Christo justitia, fidelibus ejus misericordia est: nam etiamsi justi merentur ex condigno vitam aeternam ; tamen ipsa eorum merita ex misericordia Dei nascuntur, et dona Dei verissime appellantur. Unde in psal. 102. dicitur. *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus*; et ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia Dei vita aeterna.* In hebraeo habetur, *justitiam a Deo salutari suo*, et sic vertit s. Hieron. secundum quam lectionem totus hic versiculus Christo proprie conveniret. Tamen Septuaginta, qui verterunt misericordiam, videntur considerasse, justitiam in Scripturis aliquando accipi pro bonitate, imo etiam expresse pro misericordia, ut in psal. 111. *Dispersit, dedit pauperibus justitia ejus manet in saeculum saeculi.* Unde est illud in Evangelio Matt. 6. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Et mox : *Te igitur faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Itaque Septuaginta hoc loco non tam ad vocem, quam ad rem significatam respexerunt.

6. *Haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Jacob.*

Hic jam manifestat Propheta illum unum innocentem manibus, et purum corde, qui ascendet in montem Domini, et accipiet benedictionem, et misericordiam a Deo, non esse solum caput, sed caput cum corpore, Christum cum Ecclesia. *Haec*, inquit, *est generatio quaerentium eum* idest, iste, qui ascendet in coelum, est generatio quaedam hominum regeneratorum in Christo, quorum praecipuum studium est Deum quaerere, ad faciem Dei videndam anhelare, ad montem denique sanctum totis viribus niti. Et vere unum est, ac forte praecipuum signum electorum Dei suspirare ad patriam. Generatio enim filiorum hujus saeculi nihil minus quam Deum quaerit, nihil magis quam mortem horret; et si optio daretur, mallent in hoc saeculo semper vivere, quam dissolvi, et esse cum Christo. In textu graeco habetur, ἀυτῆ ἡ γενεὰ ζητῆν τὸν κύριον. *Haec est generatio quaerentium Dominum*, et sic legunt in commentario Hieronymus, Augustinus, Euthymius, et alii: tamen in hebraeo habetur, *quaerentium eum*, ut habet nostra editio Latina. Sensus omnino est idem: nam illud, *eum*, refertur ad Dominum, de quo dictum erat, *accipiet benedictionem a Domino.* Itaque septuaginta videntur explicasse pronomen, *eum*, quod est in Hebraeo. Quod sequitur, *quaerentium faciem Dei Jacob*, in Hebraeo est, *quaerentium faciem tuam, o Jacob.* Quo etiam loco Septuaginta explicuerunt sententiam obscuram textus hebraici, in quo subintelligitur *Deus*, ut sensus sit, quaerentium faciem tuam, Deus Jacob : nisi forte per Jacob, in textu hebraico intelligatur coetus beatorum sive coelestis Jerusalem, et tunc in idem recidet, quaerere faciem Dei, et quaerere faciem Jacob. Quia nemo videt faciem Jacob, idest, coelestis patriae, qui non videat faciem Dei Jacob; cum totum negotium, totaque foelicitas illius beatissimi Jacob sit contemplari faciem Dei. Additur in hebraeo סלה, *sela*, idest, semper, quia non solum generatio haec Deum quaerit, sed semper Deum quaerit, idest, non fatigatur Deum quaerendo, neque sinit se abduci a quaerendo Deo, ut quaerat aliquid infra Deum.

7. *Attollite portas Principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.*

Cum praevidisset sanctus Propheta, inventum esse unum, qui ascendere dignus esset in montem Dei, idest, Christum, praedicit jam illum re ipsa ascensurum, et portas coeli aeternas illi aperiendas. Sed more poetico utitur prosopopeja, et alloquitur tum *principes coeli*, idest, Angelos, tum *ipsas portas*, ac jubet Angelis, ut aperiant, et portis, ut sinant se aperiri, imo sponte patefiant advenienti regi gloriae. Euthymius notat portas non aperiri, sed tolli, quia adveniente Rege solent portae civitatis auferri, et deponi in signum subjectionis. At non dicit David auferte portas, sed *attollite*; et non dicit portis, exite de medio, sed *elevamini.* Dicit igitur *attollite et elavamini* quia portae coeli non sunt quasi in pariete, ut ad latera moveri debeant, sed quasi in tecto, vel laqueari ut sursum versus aperiendae sint. Unde etiam refellitur opinio eorum, qui volebant Prophetam loqui de domo aliqua in monte Sion terrestri, in quam introducenda erat Arca. In Hebraeo ad verbum, ut vertit s. Hieronymus, alloquitur Propheta solas portas, ac dicit, *attollite portae capita vestra, elevamini januae sempiternae, et introibit rex gloriae.* Dicuntur autem portae attollere capita, quando elevantur sursum versus, quia tunc attolluntur extremae partes earum, quae sunt in eis veluti capita. Et quamvis vox hebraea, ראשים *rascim*, significare possit non solum *capita*, ut vertit s. Hieronymus, sed etiam *Principes* ut verterunt Septuaginta; tamen pronomen additum, quod Hebraei dicunt affixum, secundum communem phrasim hebraicam solet conjungi cum nomine immediate praecedente, et ideo illud ראשיכם *rasciechem*, deberet verti *capita vestra*, ut vertit s. Hieronymus, vel *principes vestros*, quod hoc loco non est ad propositum. Tamen quia septuaginta Interpretes

satis aperte, per ראשים *rascim*, intellexerunt *principes*, cum verterint, οἱ ἄρχοντες, et pronomen conjunxerunt cum nomine *portas*, dicendum est, vel in textu ipsorum pronomen affixum fuisse nomini, שערים *sceharim*, quod significat *portas*, non autem nomini, ראשים *rascim*. quod significat principes; vel posse pronomen affixum uni nomini, referri ad aliud nomen, quamvis rarissime, praeter regulam.

8. *Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.*

Introducit principes coelestis Jerusalem interrogantes, *quis sit ille rex gloriae*, non quod Angeli in die ascensionis Domini ignorarent Christum esse regem gloriae, sed ut exprimat admirationem, quam secum adferebat novitas illa, quod cerneretur verus homo corporalis ascendere super celos, non tamquam hospes, sed tamquam Dominus gloriosae, ac sempiternae civitatis. Respondet autem Propheta, regem gloriae esse Christum, Dominum fortissimum, et potentissimum, qui potentiam suam ostendit in praelio contra principem tenebrarum, quem devicit spoliavit, et alligavit.

9. *Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales et introibit rex gloriae.*
10. *Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum, ipse est rex gloriae.*

Fingit Propheta Angelos, qui coelo praesunt, quasi cunctari in aperiendis portis; et ideo rursus intonat, *attollite portas*, etc. quae non significant aliud nisi ingentem rei novitatem, quod corpus terrenum supra corpus coeleste, et caro humana supra ipsos Angelicos spiritus, cum incredibili totius naturae admiratione, et quasi stupore conscendat. Rursus igitur introducit Angelos interrogantes: *quis est iste rex gloriae*; quibus ipse respondet: *dominus virtutum*; *ipse est rex gloriae*. Audito autem nomine sibi notissimo, nimirum, *Dominus* virtutum, continuo aperiunt, et regem gloriae laeti suscipiunt. Dominus virtutum, in hebraeo est יהוה צבאות Adonai, *tsebaoth*, quod s. Hieronymus vertit *Dominum exercituum*. Quod nomen in prophetis frequentissimis tribuitur Deo, neque est commune Diis per participationem, sed proprium soli Deo proprie dicto, tum quia continet nomen quatuor literarum, proprium soli Deo vero, tum quia praeest exercitibus Angelorum, qui sunt pene innumerabiles, et potentissimi; et etiam quia soli Deo vero militant omnes creaturae. Nam ut habemus in psal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus*, idest, pugnant ad imperium ejus. Expertus est quidem Pharao Deum esse Dominus exercituum, cum non solum per Angelos, sed etiam per minutissima animalia contra eum pugnaverit, videlicet per ranas, muscas, et culices; nec solum per animalia, sed etiam per res inanimatas, grandinem, ignem, tenebras, morbos, et similia. Porro translatio Septuaginta, qui verterunt, *Dominus virtutum*, in idem recidit. Nam per virtutes non intelliguntur virtutes morales, quae dicuntur ἀρεταί, sed vires, et potentiae, quae dicuntur δυνάμεις. Itaque *Dominus virtutum*, est Dominus virium, et potentiarum, quales sunt praecipue castrorum acies ordinatae. In vulgari etiam sermone exercitus armati dici solent, *les forces*. Ex his habemus, Christum dominum vere, ac proprie esse Deum, non creaturam, ut Ariani, aliique permulti haeretici voluerunt. Nam in hoc psalmo dicitur *Dominus virtutum*, sive *exercituum*, quod nomen in tota Scriptura sacra soli Deo tribuitur, necnon *rex gloriae*, idest, rex coelestis Jerusalem, quae est regio quod sine dubio soli Deo vero convenire potest. Additur in hebraeo סלה *Sela*, semper, ut significetur, Christum regem esse gloriae, non ad tempus, sed in omnem aeternitatem.

PSALMUS XXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David.

In hebraeo non habetur, *in finem*, sed solum, *psalmus David*: et non multum refert sive Septuaginta addiderint illud, in finem, sive exciderit ex textu hebraico. Hic psalmus est primus ex alphabeticis: habet enim tot versiculos, quot sunt literae alphabeti, nimirum viginti duos, et incipit primus versiculus a prima litera alphabeti, secundus a secunda, et sic deinceps. Una excepta litera, a qua nullus versus incipit, videlicet Caph, sed ut damnum hoc resarciatur, in fine psalmi post ultimam literam ponitur alius versiculus incipiens a litera phe; atque ita duo versiculi incipiunt a litera phe. Quid hujus rei causa fuerit, difficile esset divinare. Similes psalmi alphabetici sunt 33. 35. 110. 111. 118. et 144. Cur alphabetici scribantur psalmi, nulla melior occurit ratio, quam ut consulatur memoriae. Argumentum psalmi est oratio devotissima, qua petitur remissio peccatorum, et gratia bene vivendi. Convenit autem haec oratio homini incipienti despicere temporalia, qui sic tenetur desiderio placendi Deo, ut tamen laboret in concupiscentiis superandis.

EXPLICATIO PSALMI XXIV.

1. *Ad te Domine levavi animum meam, Deus meus in te confido, non erubescam.*

In hoc versiculo, qui est unus apud Septuaginta, quia continet integram sententiam, sunt duo secundum Hebraeos : incipit enim secundus ab illis verbis, *in te confido*, quia ibi ponitur secunda litera alphabeti. *Ad te Domine levavi animam meam*, idest, non inveniens in creaturis ullis quietem, sed ubique spinas, et tribulos, pertaesus vitae prioris, animam meam abstractam ab effectu, quo inhaerebat terrae, ad te levavi, tibi per cogitationem assiduam, et amorem a te inspiratum inhaerere coepi; a te auxilium contra tentationes expecto, et quia *in te confido, non erubescam*, id est, non recedam a te confusus, auxilio non impetrato, ita et cogar erubescere coram inimicis meis. In textu graeco additur εἰς τὸν αἰῶνα, in aeternum, sed id non habetur in hebraeo, neque legitur a s. Hieronymo, s. Augustino, et Theodoreto in commentariis, sed a solo Euthymio ex veteribus. Itaque recte non est receptum in editione latina.

2. *Neque irrideant me inimici mei, etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.*

Explicat quod dixerat, *non erubescam*, quia tunc erubesceret si irrideretur ab inimicis, tamquam frustra sperasset in Deo. In hebraeo, יעלצו, אויבי לי אל *al iahalzu oiebai li* habetur, *Neque exultent inimici mei*; sed idem sensus est, siquidem exultatio inimicorum species irrisionis est, per inimicos autem intelligi possunt tum homines mali, tum etiam daemones, quorum exultatio, et irrisio intolerabilem confusionem pareret, si eam serio cogitaremus. Reddit postea causam, cur omnino confidat se non confundendum, *quoniam*, inquit, *universi, qui sustinent te, non confundentur*. id est, quia longo experimento, exemplis nostrorum majorum, et ex ipsis verbis tuis didicimus neminem confundi, neque a spe sua excidere ex iis, qui te sustinent, idest, qui in te confidentes patienter auxilium tuum expectant. Sustinere Dominum in Scripturis frequentissimum est, et significat expectare Dominum cum certa spe auxilii.

3. *Confundantur omnes iniqua agentes, supervacue.*

Duplicem sensum hic versiculus habere potest, primo enim sensus esse potest, ut significetur : confundendos eos, qui sine causa peccant, idest, ex ignorantia, vel infirmitate ; sed ex malitia. Isti enim non cogitant de poenitentia, neque de peccato abjiciendo; et ideo, si forte sperant aliquid a Deo, spes eorum praesumptio est. Ita Theodoretus, et Euthymius. Potest etiam esse alius sensus, fortasse magis litteralis, ut significetur, confundendos inimicos justorum tum visibiles, tum invisibiles, quia frustra inique agunt dum vexant homines justos : non enim consequuntur finem sibi propositum, nimirum et justos perdant, et ad gehennam perducant: cum e contrario illa vexatio sit eis virtutis exercitatio, et meritum gloriae sempiternae. Retorquet igitur Propheta confusionem in hostes, quasi dicat, Ne sinas Domine, ut ego confundar, quod fieret, si inimici mei irriderent, et de perditione mea exultarent, sed contra confundantur ipsi, dum cernunt, se supervacue ac frustra inique egisse, ut me ad impatientiam provocarent.

4. *Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.*

Per vias Domini intelligimus legem Domini quae vere est via, qua itur ad Deum. *Nam si vis ad vitam ingredi*, Dominus ait, Matth. 19. *serva mandata*. Cum itaque postulasset Propheta auxilium Domini contra tentationes, explicat quod auxilium potissimum habere desideret, atque ait, *Vias tuas Domine demonstra mihi*, idest, fac me ambulare per vias praeceptorum tuorum : *et semitas tuas edoce me*, idest, ostende mihi angustum iter justissimae legis tuae : sic enim evadam omnes irrisiones inimicorum, et non ego confundar, sed confundentur ipsi, qui frustra me suis tentationibus exagitant. Porro cupit doceri legem Domini, non quoad intelligentiam speculativam, sed quoad praxim, id est, cupit gratiam, quae persuadeat voluntati, ut libeat implere mandata.

5. *Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.*

Idem repetit, et addit rationem. *Dirige me*, inquit, *in veritate tua*, idest, ex me facile declino ad dexteram, vel ad sinistram, deserens viam mandatorum tuorum, propter temporales prosperitates, vel adversitates, ideo tu dirige me ducens auxilio gratiae tuae per viam rectam in veritate tua, idest, in lege tua, quae verissima via est. *Nam omnia mandata tua veritas*, psalm. 118. *Quia tu es Deus Salvator meus* idest, ideo a te auxilium hoc peto, quia tu solus, qui Deus es, potes salvare animam meam. Non est enim alius medicus, qui noverit curare morbos animarum, et multo minus qui possit sanitatem perfectam reddere, nisi Deus : et praeterea hoc a te peto, et spero impetraturum, quia te sustinui tota die, id est, perseveranter, et patienter expectavi medicinam tuam, neque aliunde consolationem accipere volui. Magni meriti est apud Deum, tempore tentationis non deficere a spe coelestis auxilii, neque humanas consolationes requirere.

6. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.*

Quando Deus sinit animam tentationibus agitari, vel in peccatis haerere, videtur oblitus misericordiae suae; ideo justus diu luctatus cum tentatione, vel videns se non posse liberari a lapsu in peccata, quod summopere cupit, clamat ad Deum, ut recordetur miserationum, et misericor-

diarum suarum antiquarum. Inter miserationem, et misericordiam hoc interest, quod miseratio significat actum miserendi, misericordia habitum virtutis, et idem fere discrimen inveniur in verbis hebraicis, quamvis sint magis dissimilia inter se, quam latina. Quod hic habemus, *miserationes*, in hebraeo est רחמיך *rachameca*, quod amorem, et viscera paterna proprie significat, unde est illud psal. 102. *Sicut miseretur pater filiorum*, quod autem hic habemus, *misericordias*, in hebraeo est, חסדיך *chasadecha*, quod pietatem et probitatem, ac misericordiae virtutem significat. Itaque sensus est, recordare Domine, te ab aeterno misericordem fuisse, nec solum misericordem, sed etiam misereri solitum ; et viscera paterna exhibere erga filios tuos. Proinde hoc tibi esse proprium et naturale. Illud, *quae a saeculo sunt*, in hebraeo, כי מעולם המא *chi meholam hemma*, et graeco est ἀπὸ τς αἰῶνος εἴσιν, quia a saeculo sunt, et sic legunt s. August. et Theodoretus. Tamen s. Hier. in commentario, et Euthymius legunt, ut nos habemus, *quae a saeculo sunt* ; ex quo apparet, textus graecos et latinos olim fuisse varios. Sensus est idem, sive dicamus, reminiscere, quod ab aeterno misericors es, sive reminiscere misericordiae tuae, quae ab aeterno est.

7. *Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris.*

Pulchre opponit reminiscentiae oblivionem, quasi dicat, reminiscere misericordiae tuae, et obliviscere peccatorum meorum. Nam unum est causa alterius : tunc enim Deus reminiscetur misericordiae suae, quando non vult amplius reminisci peccatorum nostrorum ; sed ea remittit, ac delet, ac si aeternae oblivioni mandentur. Commemorat autem peccata juventutis et ignorantias, idest, delicta commissa ex infirmitate, et ignorantia ; tum quia istis magis, quam aliis convenit misericordia, juxta illud Apostoli, 1. Timoth. 1. *Misericordiam consequutus sum quia ignorans feci*, quia forte David non alia peccata habebat : et haec oratio justi hominis est, cui cum peccatis levibus certamen est ; tum etiam quia, ut notat Eutymius, peccata ex malitia non remittuntur per solam orationem, sed dignis poenitentiae fructibus indigent. In hebraeo non habetur ignorantias meas, sed, פשעי *Pesciahai*, idest, *scelera mea*. Quia vero septuaginta verterunt, ἀγνοίας, idest, *ignorantias*, et de eorum eruditione, et fide dubitare non possumus, et re vera magis congruit cum peccatis adolescentiae ignorantia, quam scelus ; coguntur dicere vocem hebraicam generalem esse, et tam scelera, quam peccata leviora significare.

8. *Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.*

Declarat, quod dixerat, reminiscere misericordiae tuae, et obliviscere delictorum meorum. Hoc enim totum fit, cum Deus recordatur hominis peccatoris secundum misericordiam suam.

9. *Dulcis et rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

Confirmat ipse se in spe impetrandi, affirmans Dominum bonum, et justum esse ; et ideo libenter corrigere solere delinquentes. Sic enim exercet misericordiam ergo hominem, et justitiam erga hominem, et justitiam erga peccatum. Pro, *dulcis*, in hebraeo est, טוב *to*, quod proprie bonum significat : et in graeco quoque χρηστὸς, bonum potius, quam dulcem significat. Proinde illud, *dulcis*, quod est in nostra editione latina, pro bono, accipiendum est pro *legem dabit* : in hebraeo est, יורה *jore*, id est, *docebit*, et in graeco νομοθετῆσαι, idest, *legislatorem*, seu *praeceptorem se exhibebit*. Itaque non est sensus, Deum legem dare quomodocumque, sed legem dare eam docendo, et persuadendo, ac per hoc faciendo, ut observetur. Respondent enim haec verba verbis superioribus, *vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, dirige me, in veritate tua, et doce me*. Quod enim petebat, nunc affirmat, Deum concedere solitum esse. Hic igitur est sensus, *dulcis et rectus Dominus est*, et ideo amat homines, et odit peccata ; ac propterea legem suam demonstrat, ac persuadet delinquentibus in via hujus vitae, ut ipsi etiam ex iniquis, et malis, justi et boni efficiantur.

10. *Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas.*

Declarat quod dixerat, *legem dabit delinquentibus*, ac dicit non de omnibus delinquentibus id esse intelligendum, sed solum de mansuetis, et mitibus, qui non resistunt Domino docenti, imo cupiant doceri. *Diriget*, inquit, *mansuetos in judicio*, idest, ducet per viam rectam legis suae (quae judicium etiam in Scripturis appellatur, ut diximus in explanatione psalmi 18.) homines humiles et mites. Deinde hoc ipsum declarat aliis verbis, dicens, *docebit mites vias suas*, id est, mitibus dabit gratiam cognoscendae et amandae, ac per hoc implendae legis. Hoc loco annotandum est, non excludi superbos omnino a gratia Dei, sed ordinem assignari. Superbi siquidem non sunt perfectionis capaces, de qua proprie agitur in hoc psalmo, nisi prius timore concepto poenitentiam agant, et tumore deposito mites humilesque reddantur. Itaque primum gratia Dei superbos, atque obstinatos emollit, et conterit, deinde contritis, et humiliatis demonstrat vias suas, et dirigit eos in judicio.

11. *Universae viae Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.*

Addit ad id quod dixerat, non solum a Deo dirigi mansuetos, sed omnia opera Dei erga tales homines esse misericordiam et veritatem, idest, misericordiam et justitiam, quatenus justitia accipitur pro fidelitate et veritate, quae quod promittitur implere facit. *Viae Domini* hoc loco vocantur ope-

ra Dei, quibus Deus ad nos quodammodo venit; nisi forte magis placeat, per vias Domini intelligere morem Dei sive regulam, et quasi legem, qua Deus utitur. Itaque via Domini semper significat legem, quam nobis dat, ut per eam, quasi per viam rectam ascendamus ad ipsum; aliquando legem qua ipse utitur, cum per opera descendit ad nos. Et quia jam multa dixerat David de via Domini priore, idest, de lege nobis data: nunc adjungit aliquid de via Domini posteriore, idest, de lege, quam ipse sibi posuit, et quam servat erga nos. Ergo inquit, *universae viae Domini, misericordia et veritas*, id est, lex sive regula, sive modus procedendi Dei consistit in misericordia, et veritate, ut misericorditer promittat, et fideliter impleat quod promisit. At cum quibus utitur Deus hac lege? cum *requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus*. Vocat testamentum Dei pactum illud, quod fecit cum hominibus, quando legem dedit, ut ipsi sint populus ejus, et ipse Deus eorum. Quod quidem pactum vocatur etiam in Scripturis testamentum, quia continet promissionem haereditatis, et quia morte testatoris confirmandum erat, sicut re vera confirmatum est in morte Christi, in cujus rei signum Moyses aspersit sanguinem in populum dicens, *hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*, Exod. 24. et Hebr. 9. Vocat autem testimonia Dei, ipsam legem, quam Deus dedit, quoniam ut alias diximus, per legem testificatur nobis Deus voluntatem suam. Cum illis igitur Deus utitur lege misericordiae et veritatis, qui requirunt pactum cum Deo initum, ut illud observent, et similiter requirunt legem Dei, ut eam impleant, idest, cum hominibus bonae voluntatis, Deum timentibus, et diligentibus. In hebraeo habetur pro voce testamentum, ברית *berith*, quod proprie pactum significat. Sed septuaginta vertere solent διαθήκην, idest, testamentum, propter rationem jam dictam. Sic etiam pro voce, *requirentibus*, in hebraeo est, נצרי *nozere*, custodientibus: sed idem est sensus. Qui enim requirunt pactum, quod forte jam oblíti erant, ad hoc requirunt, ut custodiant.

12. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.*

Ex universali lege, qua Deus utitur erga timentes se, colligit propheta bonam spem se habere posse de remissione suorum peccatorum. *Propter nomen tuum Domine*, idest, ut manifestetur misericordia et veritas tua, *propitiaberis peccato meo, quod multum est*. Potest autem dici multum, vel propter multitudinem, sicut dicitur multus populus, juxta illud apostoli Jacobi cap. 3. *in multis offendimus omnes*: vel propter magnitudinem, et gravitatem; quia viri sancti etiam parva peccata, magna existimant, et vere magna sunt, si magnitudo ejus, qui offenditur, consideretur.

13. *Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.*

Facit propheta more amantium, qui nunc suspirant ad rem amatam, nunc eam laudant, nunc iterum suspirant. Amat vir justus gratiam Dei, cupiebat remissionem peccatorum, donum recte vivendi et placendi Deo, ideo nunc hoc ipsum petit; nunc laudat gratiam istam et foelicitatem enarrat timentium Deum; idest, eorum qui gratiam istam consequuti sunt, nunc revertitur ad hoc ipsum desiderandum et postulandum. Itaque in hoc versiculo; et duobus sequentibus narrat bona, quae assequuntur timentes Deum. *Quis est*, inquit, *homo qui timet Deum?* quasi dicat, nunc prodeat in medium homo vere timens Deum et audiet ex me suam foelicitatem. Quod sequitur, *legem statuit ei in via, quam elegit*; multi volunt esse initium foelicitatis, quam propheta enarrandam suscepit, quasi dicat, iste timens Deum, hoc in primis habebit, quod Deus eum instruet de lege sua in via, quam elegit, idest, in statu vitae quem elegit. Ita Theodoretus et Euthymius. Non rejicio expositionem; sed magis litteralem puto aliam, quam insinuant Hieronymus et Augustinus. Est enim consuetudo prophetae idipsum in eodem versiculo bis repetendi vel declarandi in una parte versiculi quod in altera dictum est. Hunc igitur sensum esse existimo, *quis est homo qui timet Deum?* Quis, inquam, est ille, quem Deus instruxit de lege sua in via, quam ipse homo elegit; idest, in recto itinere bene vivendi et eundi ad Deum, quod ipse voluntarie jam elegit, sic enim una pars versiculi declarat alteram. Ille enim est homo timens Deum, qui dono Dei elegit viam, qua itur ad Deum quae est observatio mandatorum. Illa verba *legem statuit ei*, in hebraeo, יורנו *jorennu*, et graeco νομοθετήσει unicum tantum verbum est, quod significat docere, instruere, praecipere, praeceptorem se exhibere et similia. Itaque verti poterat, quis est ille, quem Deus docuit? proinde *legem statuit ei*, significat, legem dedit in corde ejus, idest, instruxit et docuit eum. Et pronomen *ei*, explicandum est (ut sanctus Hieronymus facit) per relativum, quem, vel cui, idest, quem docuit de lege vel cui dedit legem in corde. Haec enim est recta interpretatio verbi hebraici.

14. *Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus haereditabit terram.*

Haec est foelicitas timentis Deum, quod *anima ejus*, idest, ipse timens Deum *in bonis demorabitur*, idest, bonis fruetur non ad breve tempus, aut per transitum, sed permanenter, et stabiliter. Quae sententia verissima est: nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ut ait Apostolus ad Rom. 8. Proinde timens Deum semper fruetur bonis, quia si res bene cedent, fruetur bono prosperitatis; si contra, fruetur bono patientiae et spe magni praemii in regno coelorum. Ita semper erit laetus. Nec ipse solum in bonis morabitur, sed etiam filii ejus propter ipsum haereditabunt terram, idest, terram possidebunt. In Scripturis enim, ut exposuimus in psal. 15. pro eodem accipitur haereditare et possidere. Dicuntur autem filii timentium Deum possessuri terram, quia pacifice habitabunt in terra, et nemo eis nocebit, in eo sensu, quem attigimus; quia bonis omnia cooperantur

in bonum, et ipsae tribulationes convertentur in gaudium.

15. *Firmamentum est Dominus timentium eum, et testamentum ipsius ut manifestetur illis.*

Haec est ratio, cur timentes Deum in bonis semper morentur, quoniam non innituntur rebus caducis, et perituris, sed Deus ipse est firmamentum eorum idest, in Dei amicitia, et auxilio fundatas habent spes suas. In hebraeo est, סוד *Sod*, quod secretum significat, et ideo s. Hieron. vertit, secretum Domini timentibus eum, supple, *revelatur*. Sed septuaginta videntur legisse, יסוד *jesod*, *fundamentum*, una literula addita, quae facili negotio ex textu hebraico temporis progressu excidere potuit. Et sine dubio melius congruit hoc loco fundamentum, sive firmamentum quam secretum. Cur autem timentes Deum jure innitantur Deo, ut solidissimo fundamento ratio est, quia *testamentum*, idest, pactum Domini, hoc eis manifestat; quia enim timentes Deum optime norunt, et saepe recogitant, Deum pepigisse foedus cum hominibus, ut sit eorum Deus, et quasi amantissimus parens, si ipsi leges ejus servaverint; ideo ex hoc pacto intelligunt in Deo tamquam in firmissimo fundamento, quiescere posse. Haec est sententia hujus loci, sed quia verba latinae editionis obscura sunt, ex verbis graecis dilucidanda erunt. Vox illa *testamentum* nominativi casus est in graeco, videlicet διαθήκη, et sic etiam intelligi debet in hebraico, et latino. Illud, *ut manifestetur illis*, in graeco δηλώσει αὐτοῖς, *manifestabit eis*, idest, pactum Domini manifestabit timentibus Deum, quod Dominus firmamentum eorum sit, idest, ex pacto illo cognoscent Dominum esse firmamentum timentium se. In eumdem sensum exponi possunt verba hebraica, וּבריתו לְהודיעם *ubritho lehodiham*, *et pactum ejus ad docendum eos*: sic enim est ad verbum, et sensus est, et pactum Domini erit ad docendum eos, idest, docebit eos, quod Dominus firmamentum sit timentium se. In eumdem igitur sensum oportet etiam accommodare verba latina. Et testamentum ipsius ut manifestetur illis, idest, testamentum sive pactum ejus, supple faciet, ut manifestetur illis id quod paulo ante dictum est, videlicet Deum esse firmamentum timentium se.

16. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

Laudata paulisper foelicitate timentium Dominum revertitur ad eam optandam et petendam: oculi mei semper ad Dominum, idest, assidue respicio mentis oculis Deum tamquam ab illius auxilio totus pendens. Efficacissimum orandi genus est, habitu miserabili respicere eum, a quo auxilium speres, et magis inopiam ostendendo, et modeste tacendo, quam odioso clamore benignitatem divitis implorare. *Sicut oculi ancillae*, ait idem Propheta in psalm. 132. *in manibus Dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, idest, ideo tàm intente in Deum respicio quoniam ipse tandem, ut spero, liberabit me ab omni periculo tentationum quae veluti laquei ubique nobis in hac vita insidiantur. Posset etiam illud, *oculi mei semper ad Dominum*, referri ad intentionem semper Deo placendi, neque ullo modo aliquid admittendi contra ipsius voluntatem. Posset quoque referri ad contemplationem divinae pulchritudinis, quam semper ob oculos habent, qui serio diligunt Deum. Sed prima explicatio videtur maxime litteralis.

17. *Respice in me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego.*

Quia ipse Deum semper respicit, merito petit, ut respiciatur a Deo: hoc enim est, quod tacite petebat, cum oculos intentos in Deum habebat, nimirum ut misericorditer respiceretur ejus solitudo et paupertas. Dicit se *unicum* idest solum et desolatum, vel quia re vera destitutus fuisset ab amicis, et cognatis; vel quod magis probo, quia ipse se animo ab aliis omnibus separaverat, et in Deo solo spem omnem posuerat. Dicit autem *pauperem*, quia humilis erat, et se virtutibus, ac meritis vacuum arbitrabatur.

18. *Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt, de necessitatibus meis erue me.*

De tentationibus peccatorum hunc locum intelligo potius, quam de temporalibus adversitatibus. Erat enim et hic unus ex illis, qui cum Apostolo gemunt, et dicunt, Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*, etc. et, *miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Necessitates autem, a quibus liberari cupit, videntur esse molestissimae illae concupiscentiae, quae velimus, nolimus, nos vexant, et aliquando in peccatum pertrahunt. *Multiplicatae sunt*, in hebraeo habemus, הרחיבו *hirchibu dilatatae sunt*. Sed quoniam verbum Hebraicum, צרות *tsaroth*, angustias proprie significat, pro quo nos habemus tribulationes, et angustiae, cum dilatantur, desinunt esse angustiae; ideo ad tollendam ambiguitatem septuaginta prudenter vertunt, non ut verba sonant, *angustiae dilatatae sunt*, sed ut sensus erat, *tribulationes multiplicatae sunt*. Siquidem hoc loco dicuntur angustiae dilatatae, non quia perierunt, sed quia creverunt. Quod enim dilatatur, utique crescit. Posset etiam fieri, ut septuaginta non legissent, הרחיבו *hirchibu, dilatatae sunt*, sed, הרבו *hirbu, multiplicatae sunt*, demptis duabus litteris. Sanctus etiam Hieronymus eodem modo vertit *tribulationes multiplicatae sunt*: proinde si corrupta sit hebraica lectio, post tempora s. Hieronymi corrupta est.

19. *Vide humilitatem meam, et laborem meum et dimitte universa delicta mea.*

Pergit in oratione, ac petit sibi remitti peccata, in quae aliquando tentatione vincente prolabitur. Quamvis enim affligatur timens Deum, et multum

laboret resistendo concupiscentiis, tamen septies in die cadit justus;sed hinc etiam justum esse probatur, quod sordes, quas minus caute ambulando contrahit, studiose flendo, et orando abluit. Per humilitatem hoc loco non intelligit virtutem humilitatis, sed abjectionem, et vilitatem: vilescit enim sibi vir justus vehementer, cum immaculatus esse cupit, et tamen sordes non evadit. Pro verbo dimittere, in hebraeo est, שא *Sa*, quod s. Hieron. recte vertit, *porta*; *porta*, inquit, *omnia peccata mea*, et quamvis sensus sit idem, tamen habet nescio quam vim illud, *porta*: significat enim timorem quemdam, sive sollicitudinem hominis amantis Deum ne forte Deus multitudine peccatorum offensus ad iram provocetur: ideo clamat, *porta omnia peccata*, quasi dicat, etsi multa sint,tamen non fatigeris ignoscere, supporta imbecillitatem meam.

20. *Respice inimicos meos: quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.*

Ab alio loco ducit argumentum, videlicet a multitudine, et crudelitate hostium, quasi dicat, vidisti Domine humilitatem, et laborem meum, vide etiam hostium meorum spiritualium multitudinem et crudelitatem, atque iniquitatem. Hostes qui nos ad peccata pertrahere tentant, et ignitis jaculis concupiscentiam accendere non cessant.Daemones sunt, quos *spirituales nequitias* Apost. Ephes. 4. vocat: eos innumerabiles esse notum est, nec minus est notum odio iniquitatis, idest, odio iniquissimo in nos ardere. Dicitur odium iniquum sive iniquissimum, cum quis alium sine caussa odit, a quo videlicet nullam accedit injuriam.Potest etiam dici odium iniquum vel iniquissimum, cum quis alteri nocere studet, solo studio nocendi, non ut ipse inde aliquid lucretur. Tale omnino est odium diaboli erga genus humanum, ac potissimum erga electos: neque enim homines diabolo injuriam ullam fecerunt, sed ille ab initio invidentia excaecatus, hominem perdidit. *Invidia diaboli*, inquit Sap. cap. 2. *mors intravit in orbem terrarum.* Et nunc fideles tentationibus exagitat, non ut ipse commodum reportet, sed quia delectatur in perditione justorum.

21. *Custodi animam meam, et erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.*

Cum tot hostibus, ac praesertim invisibilibus circumdatus sim, non sufficio meis viribus illis resistere; ideo ad te recurro,ut tu custodias animam meam, et custodiendo liberes,et eruas de manibus eorum. Nam non solum dicuntur liberari, et erui de manibus hostium, qui jam capti sunt,sed etiam qui muniuntur, ne capiantur; et qui sine dubio caperentur, nisi adjuvarentur. *Eruisti me*, inquit, idem Propheta psal.93. *ex inferno inferiore*,idest, fecisti, ne caderem in infernum inferiorem. Potest etiam sensus esse, custodi animam meam in hoc carcere corporis, in quo captivus detineor, nam lex membrorum captivum me ducit in lege peccati, Rom. 7. et postea, suo tempore erue me.

22. *Innocentes et recti adhaeserunt mihi quia sustinui te.*

Quia dixerat in praecedenti versiculo, *non erubescam quoniam speravi in te*,adjungit rationem, cur timeat erubescere, si a Deo deseratur. Et ratio haec est,quoniam multi *innocentes et recti*,exemplo ipsius commoti adhaerebant illi, ob id potissimum, quod videbant eum sperare in solo Deo.Qui certe cogerent eum erubescere, et confundi, si a spe sua frustraretur. Quare illud.*non erubescam*, aliter accipitur in principio psalmi,aliter hoc loco. Nam in principio psalmi sensus erat, non erubescam coram inimicis irridentibus; hoc loco sensus est, non erubescam coram amicis diligentibus, et dolentibus. In hebraeo habetur ad verbum וישר יצרוני תם *thom vaioscier itseruni*, *innocentia et rectitudo conservabunt me*: sed non est insitatum, ut abstractum sumatur pro concreto, et futurum pro praeterito, idest, *innocentia et rectitudo*. pro innocentibus et rectis et conservabunt.pro conservarunt. Sed pro voce hebraica , יצרוני *itseruni*, quae significat conservabunt me, sive conservarunt me , videntur legisse septuaginta, יצרוני *itsoruni*, unico puncto mutato , quae vox deducitur, a צרר *tsarar*, et significat *alligabunt*, sive *alligaverunt se mihi*, quod est idem cum eo, quod septuaginta verterunt, *adhaeserunt mihi*.Recta igitur est interpretatio graeca,et latina, sed Rabbini non recte legerunt dictionem hebraicam,et ideo non recte puncta omnia subjecerunt.

23. *Libera Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.*

Quoniam David non solum unus erat de populo Dei, sed erat etiam princeps, et caput aliorum, ideo posteaquam oravit satis diu pro se, adjungit orationem pro toto populo suo et orationem generalem, quoniam non facile poterat descendere ad singularum personarum necessitates,et angustias. *Libera*, inquit, *Deus Israel ex omnibus tribulationibus:* Ubi vox illa Israel, est in casu accusandi, ut cognoscitur ex articulis additis in codicibus hebraicis, et graecis. Sensus igitur est, non mihi satis est, si solus ab angustiis meis liberer, sed peto etiam, ut liberes Israelem, populum scilicet Israeliticum ab omni genere tribulationum.

PSALMUS XXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem Psalmus David.

In hebraeo non habetur pro titulo nisi simplex nomen *David*, seu potius *Davidi*. Argumentum vero idem est, quod psalmi septimi. Cum enim David gravissimis calumniis accusaretur, quasi regnum invadere appeteret, et propterea exulare, et latibula quaerere cogeretur: scripsit hunc psalmum in quo Deum innocentiae suae testem adducit, eumdemque Deum pro liberatione sua precatur.

EXPLICATIO PSALMI XXV.

1. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor.*

David cum rege causam habens, Deum quodammodo appellat, qui rex regum est: neque enim alius erat tunc in terris, quem appellare posset. *Judica me Domine*, idest, sis tu Domine judex meus, non sinas a Saule me judicari, sed assume tu hoc judicium. *Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*, idest, audacter provoco ad judicium Dei, quoniam conscientia mea, quam solus Deus videt, me non reprehendit, nam in innocentia ambulavi, idest, innocenter vixi. *Et in Domino sperans non infirmabor*, idest, in Dei justitia confidens, non deficiam in hoc judicio, sed praevalebo. Illud, *non infirmabor*, hebraice est, לא אמעד *lo emhad*, *non deficiam*, sive, *non vacillabo*; proinde, non infirmabor, significat, non ero infirmus ac debilis, ut causa eadam.

2. *Proba me Domine et tenta me, ure renes meos, et cor meum.*

Quia dixerat se innocenter vixisse, probat hoc Dei testimonio, qui falli et fallere nequit: non enim Deo dicitur, *proba et tenta*, quasi ipse aliquid ignoret, sed ut aliis nota faciat, quae ipse solus videt. Itaque s. David fretus bona conscientia et sinceritate cordis sui, dicit Domino, *proba me et tenta me*, idest, explora diligenter, an ita sit, inspice intimos et profundissimos recessus cordis mei; quin etiam, *ure renes meos et cor meum*, idest, examina cogitationes, et appetitiones meas, ea diligentia, qua probatur aurum, cum igne examinatur. Non enim hoc loco, ut ego quidem existimo, petit David probari se ac tentari per adversitates, vel renes suos et cor suum aduri igne tribulationum, cum potius contra liberationem ab adversis in hoc psalmo petat; sed postulat, ut dixi, probari se ac tentari per exactam explorationem, et inspectionem, et quia Deus omnia exactissime videt, et perspicit, sententia hujus loci est, ut Deus notam faciat hominibus innocentiam servi sui, et calumnias inimicorum re ipsa, et factis refellat.

3. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos, est, et complacui in veritate tua.*

Reddit causam, cur velit probari et tentari, quoniam conscientia ejus bonum illi testimonium dabat, quasi dicat, peto, ut probes me, quoniam per vias tuas ambulavi, nam *omnes viae tuae misericordia et veritas*: psalm. 24. *Et misericordia tua ante oculos meos est*, idest, semper aspicio et considero misericordiam tuam, ut illam imiter et juxta eam cum proximis vivam; et similiter, *complacui mihi in veritate tua*, sive placuit mihi veritas tua, et ideo juxta illam ambulavi. In hebraeo est, התהלכתי *hithallacthi*, idest, *ambulavi in veritate tua*; proinde septuaginta non tam verbum, quam sensum inspexerunt, quod etiam fecerunt in psalmo 34. num. 17.

4. *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.*
5. *Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.*

Recte, meo judicio, Theodoretus haec exponit de conventibus gentilium idolatrarum in suis profanis templis, a quibus David semper abhorruit, dum exulavit apud regem Philistinorum. Haec enim opponuntur iis, quae postea in eodem psalmo habentur, *Domine dilexi decorem domus tuae*; et paulo ante, *circumdabo altare tuum Domine*; et infra, *in ecclesiis benedicam te Domine*. Vocat coetum idolatrarum concilium vanitatis, quia nihil inanius idolis quae sunt falsae imagines. Quod significat Apostolus cum ait, *scimus, quia idolum*

nihil est in mundo, 1. Corinth. 8. et passim in scripturis, idola vocantur vana, vel vanitates, ut Deuter. 32. *ipsi me provocarunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis.* 1. Reg. 12. *Nolite declinare post vana; quae non proderunt vobis, neque eruent vos quia vana sunt*: vide etiam 3. Reg. 16. 4. Reg. 17. Hieremiae 2. et alibi. Iidem idololatrae recte dicuntur iniqua agentes, quia summa iniquitas est cultum soli Deo debitum, rebus creatis exhibere. Quod autem dixerat *concilium vanitatis*, in sequenti versiculo dicit *ecclesia malignantium*, et quos vocaverat *iniqua agentes* vocat impios, quod vocabulum proprie in idolorum cultores convenit. In hebraeo pro *iniqua gerentibus*, נעלמים *nahalamim*, quod significat occultis, vel pueriliter ludentibus: nam, עלם *halam*, est *occultari*, et עלם *helem*, est puer. Dicuntur autem occulti, hypocritae simulatores, derisores et in genere omnes iniqua agentes, ut septuaginta recte vertunt, quia *omnis qui male agit odit lucem*, ut dicitur Joan. 3. Sed idololatrae, rectissime etiam dici possunt pueriliter ludentes, quia quomodo pueri fingunt ex argilla domunculas et varia animantia, sic idololatrae, ex varia materia fingunt Deos. propterea Moyses idololatriam lusum vocavit: *sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere*, Exod. 32. quem lusum, idololatriam fuisse docet Apostolus, 1. Cor. 10. nom. 7.

6. *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine.*

Posteaquam dixerat se odisse conventicula infidelium idololatrarum, inter quos tunc versabatur, adjungit se e contrario summo amore prosequi tabernaculum Domini, et conventum Sanctorum, ac breviter describit, quid sit facturus cum Deo adjuvante ab exilio in patriam revocatus fuerit. *Lavabo*, inquit, *inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine*, idest, lavabo manus ante ingressum tabernaculi, ut homines pii facere solent, et circuibo cum psallentibus altare tuum. In hebraeo habetur, ארחץ בנקיון כפי *erchats benikaion chappai. lavabo in innocentia manus meas.* sed idem est sensus: nam lavare manus in innocentia est hoc loco. lavare manus more innocentium, sive ut innocentes facere solent, quod idem significat, lavare manus inter innocentes, sive cum innocentibus. Quod autem ad sententiam attinet, aliqui volunt allusisse Davidem ad lotionem manuum, quae fit aliquando in signum innocentiae, quomodo Pilatus lavit manus coram Judaeis, dicens, *innocens ego sum a sanguine justi hujus.* Matth. 27. quasi diceret, ecce lavi manus, noli ea inquinare sanguine justi hujus, ideo non audeo illum condemnare, quod et nos vulgo dicimus cum nolumus admisceri negotio, in quo sit periculum peccandi, *io me ne lavo le mani.* Caeterum probabilius et magis consentaneum ad sequentia esse judico, si dicamus, Davidem loqui de ritu Hebraeorum, qui ante ingressum tabernaculi tum se ipsi, tum hostias purificabant, quas lotiones Apostolus ad Hebr. 9. vocat *varia baptismata, et justitias carnis* et quoniam lotio illa externa signum esse debebat internae puritatis; ideo David ait: *lavabo inter innocentes manus meas*, idest, lavabo manus in signum verae puritatis internae ut innocentes faciunt, non autem lavabo manus cum hypocritis, qui manus puras et cor sordidum gerunt. Illud autem quo sequitur, *et circumdabo altare tuum*, referunt aliqui ad multitudinem victimarum, quibus undique altare implendum esset. Sed verius mihi videtur, ut referatur ad choros canentium in circuitu altaris: nam in psalmo sequenti habetur, *circuivi et immolavi hostiam vociferationis* etc. et hoc loco statim subjicitur, *ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua.*

7. *Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.*

Explicat, ad quid altare Domini circumdare velit, nimirum, inquit, ut choris canentium immistus, audiam laudes Domini, et ipse etiam eas canam. In hebraeo habetur, si puncta recipiamus, *ut audire faciam vocem laudis*: sed si puncta mutentur, legi potest, ut legerunt septuaginta et s. Hieronymus, *at audiam vocem laudis.* S. Augustinus acute et pie docet hoc loco adversus Pelagianos, eos tantum audire vocem laudis Dei, qui intimo sensu percipiunt, quidquid habent donum esse Dei: in cordibus enim istorum, qui habent aures audiendi, omnia ipsorum bona merita, omnesque virtutes, laudem gratiae sonant: contra autem qui de justitia sua praesumunt, deque suis meritis tument, quasi illa a se ipsis, non a Deo acceperint, non audiunt vocem laudis Dei, sed vocem laudis proprie.

8. *Domine dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.*

Ostendit Propheta, nulla alia de causa magis sibi molestum fuisse exilium, nisi quia tabernaculum Domini videre non poterat, animus enim erga Dei amorem vehementer incensus, nihil pulchrius in terris judicat eo loco in quo praesentia Domini clarius se ostendit. Vocatur autem tabernaculum, in quo erat arca foederis, *domus Dei et locus habitationis gloriae ejus*, quoniam saepe in eum locum descendebat nubes lucida, in signum praesentiae Dei, *qui lucem habitat inaccessibilem*, ut Apostolus dicit, 1. Tim. 6. et quia in eodem loco erat oraculum, ex quo Deus responsa dare solitus erat. In haebraeo habetur, *dilexi habitaculum domus tuae*, pro eo quod nos habemus, *dilexi decorem domus tuae*: fortasse septuagiuta non legerunt, מעון *mahon*, habitaculum: sed נועם, *noeam*, literis inversis, quod significat decorem.

9. *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.*

Quoniam Deum judicem initio appellavit, et innocentiam suam, cujus idem Deus testis erat, exposuit; concludit, orans, ut pro se sententia pro-

feratur. *Ne perdas*, inquit, *cum impiis animam meam*, idest, non me condemnes, quemadmodum impios condemnare soles: posuit animam, pro vita sive pro tota persona sua, ut alias spe. per *viros sangninum*, intelligit homicidas, quales erant, qui eum persequebantur: porro vox illa *Deus*, non habetur in hebraeo, neque in graeco, neque legitur a Hieronymo et Augustino; tamen legitur a Theodoreto et Euthymio, ex quo intelligimus, in graecis eorum codicibus non defuisse.

10. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.*

Declarat, qui sunt impii, et viri sanguinum, de quibus dixerat versu superiore, ac dicit, eos esse, qui perverse judicant accepta munera: notat enim peccata principum, qui sunt judices populorum. Pulchre autem dicit, *in quorum manibus iniquitates sunt*; sic enim in ea parte corporis ponit iniquitatem, per quam accipiuntur munera, ut ostendat acceptionem munerum causa fuisse iniquitatis.

11. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, et miserere mei.*

Repetit causam, cur non debet condemnari cum impiis, quia videlicet *in innocentia ingressus sit*, idest, innocenter vixerit, *redime me et miserere mei*, idest, libera me a praesenti calamitate, et deinceps miserere, ne iterum in eamdem incidam: passim enim in scripturis ponitur *redimere*, pro liberare, idest, species pro genere, nisi forte Spiritus sanctus insinuare voluerit omnem liberationem electorum de quacumque tribulatione, dici posse redemptionem, quia pretio sanguinis Christi nostri redemptoris acquiritur.

12. *Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine.*

Respiciunt haec verba particulam ultimam superioris versiculi, videlicet, *et miserere mei*: quasi dicat, petii liberationem a praesenti calamitate, quia innocenter vixi, peto etiam, ut miserearis in futurum, quia *pes meus stetit*, idest, stabilitus et fixus est in rectitudine, ac per hoc non facile recedam a recto itinere legis tuae, et pro gratiarum actione *benedicam et laudabo te* hymnis et psalmis *in ecclesiis*, idest, in piorum conventibus. Est autem haec, ut Euthymius notat, prophetia, quod re vera tempore novi testamenti, in omnibus ecclesiis, psalmi Davidici assidue concinendi essent.

PSALMUS XXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, priusquam liniretur.

In hebraeo non habetur pro titulo, nisi *David*, reliqua sunt addita a septuaginta, ut intelligeremus, hunc psalmum compositum fuisse a Davide, antequam regnare inciperet, durante videlicet persecutione Saulis. Nam tametsi David linitus oleo fuisset a Samuele, cum adhuc puer esset; tamen illa unctio fuit privata non publica, et adhibita potius ad designandum quam ad consecrandum regem. Postea vero Saule occiso, unctus fuit David in regem publice, ac solemniter, ut constat ex lib. 2. Reg. cap. 2. Et de hac posteriore unctione intelligendus est titulus hujus psalmi. Videtur autem hic psalmus scriptus fuisse proxime post superiorem, Davide adhuc in exilio et tribulatione constituto: sed quia post orationem psalmi praecedentis magna consolatione spiritus affectus fuerat, et Deo revelante cognoverat, ad majus quoddam regnum quam sint terrena, se vocari; ineffabili desiderio ad coeleste regnum suspirare, ac temporalia omnia, sive adversa, sive prospera contemnere coepit. Convenit idem psalmus omnibus electis, qui jam inuncti sunt unctione gratiae, atque ad regnum coeleste designati, et ad unctionem gloriae, per quam vere regnare incipiunt, tota animi devotione suspirant.

EXPLICATIO PSALMI XXVI.

1. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?*

Tribulatio tenebras adducit, prosperitas lucem et serenitatem: perturbat enim, et confundit animum tribulatio, ut non facile videat, quid facto opus sit, atque inde ad impatientiam, vel aliquod aliud peccatum provocatur. Sed si Deus lumine divinitus immisso tenebras disjiciat, continuo cernit animus momentaneam, et levem esse tribulationem, quae in umbra noctis magnum horrorem incutiebat, et simul cernit protegente se Deo, tri-

bulationem non solum non posse nocere, sed etiam mirifice profuturam. Hoc Dei beneficium expertus David in persona sua et omnium electorum canit, *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* quasi dicat, ignorantia et infirmitas timidum me in tribulatione reddebant, sed cum Dominus illustraverit jam mentem meam, meque aperte cernere fecerit, nullam temporalem calamitatem gravem, aut diuturnam esse et amoris divini unguento sanaverit infirmitatem meam, neminem timeo: veritas enim tenebras, *et charitas foras mittit timorem*, ut ait Joan. 1. Joan. 4.

2. *Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?*

Addit aliud argumentum, quod sibi ipsi persuadet, nullum timorem deinceps esse admittendum. Dominus, inquit, non solum illuminat et sanat, sed illuminatum et sanatum non deserit, sed protegit assidue scuto providentiae et benevolentiae suae, *a quo igitur trepidabo? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* ut ait Apost. Rom. 8. Si rex cohorte mortalium militum stipatus non timet, cur timeat servus Dei stipatus protectione omnipotentis et immortalis imperatoris? sanctus Martinus, apud Sulpicium, *ego*, inquit, *signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, cuneos hostium penetrabo securus*: nimirum ex iis erat, qui dicere poterant, *Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?*

3. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.*
4. *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.*

Describit effectum protectionis Dei, et praeteritum pro futuro ponit, more prophetarum ad designandum rerum certitudinem. Sensus igitur est. Ex protectione Dei fiet, ut cum appropinquabunt super me, quasi prostratum et dejectum ii, qui nocere mihi cupiunt, et quasi canes, aut leones famelici carnibus meis saturari desiderant; tunc isti ipsi qui tribulant me, et inimici mei sunt, debiles fient, et corruent; et ita conatu suo, non mihi, sed sibi nocebunt. Hoc verissimum esse, non solum Davidis, sed Christi et Martyrum, atque adeo sanctorum omnium exempla demonstrant. In hebraeo et graeco habetur, *tribulantes me et inimici mei*. Latinus interpres omittit illud, *et*, sed res est parvi momenti: pro, *infirmati sunt*, s. Hieron. vertit, *impegerunt*, sed verbum hebraicum כָּשְׁלוּ *chascelu*, utrumque significat.

5. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.*
6. *Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.*

Addit ad ea, quae dixerat, ut spem et fiduciam plenissimam se in Deo habere demonstret, non solum se non timere singulos hostes, sed neque integra castra, et ea non in tentoriis quiescentia, sed in acie praeliantia. Illud, *in hoc ego sperabo*, varie exponitur, propterea quod, tum in hebraeo, זֹאת *zoth*, tum in graeco ταύτῃ, vox est generis foeminini. S. Augustinus exponit, *in hac petitione*, Theodoretus, *in hac spe*; Euthymius, *in hoc meo corde*; graece καρδίᾳ est generis foeminini; sed videtur latinus interpres rectissime vertisse, *in hoc ego sperabo*: consideravit enim hebraeos carere neutro genere, et pro eo uti genere foeminino: proinde, illud, זֹאת *zoth*, non significare, in hac spe, vel in hac petitione, vel in hoc corde, sed absolute in hoc, idest, in hac re, videlicet, quod Deus sit illuminatio et salus et protectio mea, ut supra dictum est. Itaque graeci posuerunt ταύτῃ, non quod careant neutro genere, sed quia voluerunt ad verbum reddere quod erat in hebraeo, sed latinus non tam vocem, quam significationem respexit.

7. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.*

Mirum est cur latinus interpres non verterit, *unum petii a Domino*: nam hoc etiam loco in hebraeo habetur genus foemininum pro neutro. Voluit igitur in hac voce reddenda imitari graecum interpretem, et vertere ad verbum. Sensus tamen est, *unam petii*, idest, unum petii, sive unam rem petii. Plerique intelligunt hunc locum de domo Domini, ubi erat arca Dei, et propitiatorium, et volunt hunc esse sensum, *unum petii a Domino, hoc requiram*, ut de hoc exilio revertar, et liceat mihi assidue versari in tabernaculo Domini, ubi est arca Dei et propitiatorium etc. Sed certe mihi sententia s. Augustini, qui exponit de domo coelesti, non solum vera, sed etiam litteralis esse videtur. Nam non dicit David, cupere se habitare prope domum Domini, sed in ipsa domo Domini: notum autem est, non habitasse unquam Davidem in domo Domini, sed in palatio proprio, quod longe aberat a tabernaculo, et praesertim antequam arca deferretur in montem Sion: et potuisset undique si voluisset, quando rex erat, habitare juxta tabernaculum Domini. Praeterea similis est hic locus illi, qui habetur in psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*, quod certe non convenit nisi habitatoribus domus Dei, quae est in coelo. Denique numquam David, vir sanctus et perfectus, rem aliquam temporalem tanto affectu peteret, ut diceret, *unam petii, hanc requiram*, quasi nihil aliud petendum sit. Explicat igitur hoc loco Propheta radicem veram confidentiae in Deum, et cur non timeat malum aliquod temporale: radix enim est ardens charitas in Deum: qui enim ardenter diligit summum, atque aeternum bonum, nihili facit omnia temporalia. *Unam*, inquit, *petii a Domino, hanc requiram*, idest, nihil temporale appeto, non magni facio jacturam omnium aliarum rerum, modo unam rem habere merear; ideo de hac una sollicitus sum, hanc unam petii, hanc unam petam, ut videlicet inhabitem in domo Domini, non ad tempus, sed *omnibus diebus vitae meae*, idest, quamdiu durabit vita sanctorum cum Deo, quae si-

ne dubio non habebit finem. Valde proprie dictum est *ut inhabitem in domo Domini*: nam hic in terris, quamvis amici, imo filii Dei sumus, tamen non habitamus sed ambulamus cum Deo: nec in domo sed in tentorio requiescimus.

8. *Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.*

Docet, cur in domo Domini habitare desideret, quia videlicet ibi perfecta foelicitas est. Multi latini codices habent *ut videam voluntatem Domini*: sed recte correcti sunt in edictione Sixti V. et Clementis VIII. et positum *ut videam voluptatem Domini*, ut habebant emendatissimi codices manuscripti. Per voluptatem autem hoc loco, non est accipienda actio delectationis, sed objectum, idest, pulchritudo, venustas, suavitas. Nam vox hebraea, נֹעַם *noham*, proprie pulchritudinem significat: vox autem graeca τερπνότης potest delectationem et voluptatem significare, quam vocem latinus interpres accepit sed significat etiam venustatem et pulchritudinem, et pro pulchritudine hoc loco vocem illam Theodoretus accepit. Quare vox latina voluptas, si cum hebraea et graeca convenire debeat, accipienda est pro voluptate objectiva, idest, pro pulchritudine et venustate. Quod ipsum etiam verbum videndi, sive contemplandi requirit: non enim proprie videmus actionem delectationis, sed rem delectabilem. Itaque s. Hieronymus vertit, *ut videam voluptatem Domini*, et s. Augustinus legit, *ut contempler delectationem Domini*, et exponit per delectationem, speciem delectabilem. Si quis tamen omnino vellet, voluptatem hoc loco accipere pro ipsa actione capiendi delectationem, non deberet intelligere per *voluptatem Domini*, delectationem, qua fruitur Dominus, sed quae percipitur ex Domino, idest, ex visione pulchritudinis Domini, atque ita sensus in idem recideret. Porro s. David hoc loco omnino proprie foelicitatem expressit; quae ex sententia solidioris scholae in actione nobilissima potentiae omnium praestantissimae erga summum objectum, idest, intellectuali Dei visione, consistit, ex qua ineffabilis voluptas et delectatio sequitur. Illud autem quod additur, *et visitem templum ejus*, s. Augustinus legit, *et protegar a templo ejus*. In qua lectione, nescio quos codices sit sequutus; hebraeus enim et graecus nihil habent, quod ad protectionem referri possit. Vox hebraea, בקר *bakker* significat proprie quaerere, inspicere, oculis perlustrare, praesertim illucescente die: unde, בקר *boker*, hebraeis significat mane, quia tunc primum depulsis tenebris requirimus, et perlustramus ea quae latebant. Sic etiam vox graeca ἐπισκέπτεσθαι significat considerare, attendere, visitare. Sensus igitur est, ut videam pulchritudinem Domini, et deinde novam illam lucem visitem, idest, oculis perlustrem et requiram totum illud coeleste Dei templum, et omnia, quae in eo sunt. Nam re vera post visionem Dei, nihil jucundius occurrere potest, quam spectaculum illius coelestis patriae, et divinae illius domus, in qua sunt omnes beati, quae merito templum dicitur, cum non sit domus, aut civitas profana, sed sacratissima, cum in ea nihil profanum agatur, sed assidue sacrificetur hostia laudis et jubilationis.

9. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me, in abscondito tabernaculi sui.*

Reddit rationem cur tam audacter petat habitare in domo Domini, et videre pulchritudinem ejus; quia gustare jam coepit, quia dulcis est Dominus, et pignus amoris ejus jam tenet, quasi brevissime diceret, audeo petere gloriam, quoniam percepi gratiam. Sunt autem verba omnia metaphorica, non enim proprie absconditus fuit David in tabernaculo Domini, cum quaereretur a Saule, sed sensus horum verborum est, tempore praesentis vitae, in qua dies mali sunt, tam singulari providentia Deus me defendit ac protexit, ac si in intima et abditissima parte tabernaculi sui me collocasset. Ex hac autem tanta Dei gratia, et benevolentia spem concipio, me aliquando ad domum Domini preventurum, quod unum peto, et requiro. Idem vero significatur in utraque parte versiculi: nam *abscondi in tabernaculo*, non est poni in quacumque parte tabernaculi, sed *in abscondito tabernaculi collocari*, ubi a malis omnibus protegatur. In hebraeo et graeco, illud, *in die malorum*, conjungitur cum prima parte versiculi, *abscondit me in tabernaculo suo in die malorum*. Sed in codice latino conjungitur cum secunda parte, hoc modo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. Perinde est, ubi ponatur interpunctio, cum sensus sit idem: tamen prior interpunctio habetur etiam in libris patrum, Augustini et aliorum, et fortasse in latino codice interpunctio non tam deservit intelligentiae, quam cantui.

10. *In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

Alia metaphora idem significat, nimirum se a Deo singulari providentia protectum ac defensum ac se in arce munitissima, et altissima collocatus fuisset. Similis metaphora est apud Isaiam cap. 33. *Iste* justus videlicet, *In excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus*. Itaque sensus est, *In petra exaltavit me*, idest, posuit me in loco sublimi et munito, *et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos*, idest, ex eo quod in loco tutissimo, et altissimo, jam consisto, factum est, *ut caput meum sit exaltatum super inimicos meos*, idest, sim superior et victor inimicorum meorum. Porro per has metaphoras, non solum describitur protectio, et defensio hominis justi, cui nihil nocere possunt omnium adversariorum machinationes, juxta illud s. Petri, 1. Epist. cap. 3. *Et quis est qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis?* Sed etiam iudicatur modus, quo vir justus ad hanc securitatem pervenit; modus enim est ascensio mentis per contemplationem in Deum, et res aeternas. Qui enim serio meditatur aeterna, et ardenter Deum amat, jam est in altissima, et

munitissima petra constitutus, ut nihil ei nocere possit, cum terrena omnia jam illi viluerint.

11. *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis; cantabo, et psalmum dicam Domino.*

In Hebraeo conjungitur prima vox hujus versiculi cum superiore, et pro *circuivi*, legitur, *circuitibus meis*, ut sit integra sententia, *Exaltavit caput meum super inimicos meos circuitibus meis*: vel, ut vertit s. Hieron. *qui sunt in circuitu meo*. Sed septuaginta Interpretes non legerunt סביבותי *sebibothai*, ut nunc est in hebraeo, et, significat *circuitibus meis*, sed, סבותי *sabbothi*, idest, *circuivi*, unica literula dempta, et punctis mutatis. Igitur Propheta per contemplationem supra terrena omnia exaltatus, erumpit in admirationem operum Dei, et laudem opificis omnipotentis. *Circuivi*, inquit, idest, mente perlustravi omnia opera Dei, quae sunt in coelo, et in terra. *Et immolavit in tabernaculo ejus hostiam vociferationis*, idest, in hoc ingenti tabernaculo Dei, quod est coelum, quo per contemplationem ascendi, magna voce, ex magna admiratione procedente, laudavi Deum, quae laus sacrificium est illi gratissimum. Sic enim alibi legimus, *immola Deo sacrificium laudis*: et rursum, *sacrificium laudis honorificabit me*. Nec solum, inquit, immolavi hostiam vociferationis, sed et deinceps pergam assidue idem facere, *cantabo, et psalmum dicam Domino*.

12. *Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te, miserere mei, et exaudi me.*

Reddit ad id, quod dixerat, *unam petii a Domino, hanc requiram*. Atque in una petitione se exaudiri postulat, flagrans nimirum ardenti desiderio videndi dilectum. *Exaudi*, inquit, *Domine vocem meam, qua clamavi ad te*, videlicet vocem illam, qua clamavi, *unam petii a Domino, hanc requiram*, etc. *miserere mei*, hoc exilium aegre ferentis, *et exaudi me*.

13. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.*

14. *Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo.*

Haec non tam egent explicatione, quam pia meditatione, et imitatione. *Tibi dixit cor meum*, idest, tibi loquitur desiderium meum: *Exquisivit te facies mea*, idest, oculi mei interiores qui sunt in facie animae meae, tuam pulchritudinem requirunt, caetera omnia fastidiunt. *Faciem tuam Domine requiram*, idest, hoc semper erit studium meum, ut conspectum tuum quaeram, non solum ut in alio saeculo revelata facie vultum tuum videam; sed etiam in hoc saeculo, hoc unum satagam, ut me respicias, et respiciendo illumines et accendas. *Ne avertas faciem tuam a me*, idest, noli quaeso cessare a me respiciendo, ne simul lumen obscuretur, et charitas refrigescat. *Ne declines in ira a servo tuo*, idest, ne sinas me in peccata labi, ne forte iratus a me recedas. Recte hoc loco s. Augustinus observat, timorem castum, non servilem exprimi in his verbis: timor enim servilis cupit abesse dominum, ne puniat, ac ideo non diceret, ne declines, sed abi et declina: timor autem castus, qui dilectum vere amat, nihil magis timet, quam ne dilectus recedat. In textu graeco, post illa verba, *tibi dixit cor meum*, additur, κύριον ζητήσω, *Dominum requiram;* sed ea verba non habentur in hebraeo, neque leguntur ab Hieronymo, et Augustino, quamvis a Theodoreto, et Euthymio legantur. In hebraeo non habetur pronomen, te, ubi legimus, exquisivit te facies mea, sed absolute exquisivit facies mea: caeterum subintelligitur, et ideo additum est ab interpretibus graecis et latinis.

15. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.*

Quia dixerat, *ne declines in ira a servo tuo*, considerans se suis viribus non posse cavere peccata, ob quae in iram incurrimus, clamat ad Deum, ut adjuvare non cesset. In hebraeo habetur, adjutorium meum fuisti, sed septuaginta Interpretes non videntur legisse, היית *haijtha*, idest, fuisti, sed *hehie*, quod significat, היה *esto*: nam est similitudo maxima inter has voces si removeantur puncta, quae tempore septuaginta Interpretum nondum erant apposita. Sensus autem semper est verus et ad rem faciens: nam si legamus, *adjutor meus fuisti, ne derelinquas me*, erit repetitio ejusdem orationis, quae magnum affectum exprimit. Porro in verbis illis, *Ne derelinquas me, neque despicias me*, videtur latinus interpres invertisse ordinem: Nam in hebraeo et graeco textu prius est, *ne despicias*, sive *ne abjicias me*, quam, *ne derelinquas me*. Pro illo autem, ne despicias, Graeci habent vocem valde significantem, ἀποσκορακίσῃς, quae apud Euthymium deducitur, vel a scoria, vel a corvis, et significat projici, quomodo projicitur scoria, vel quomodo projiciuntur ad corvos cadavera. Petit igitur justus auxilium Dei ne peccet, et si forte peccaverit, non projici a facie Dei, quomodo projicitur scoria, vel non projici ad infernales corvos, et non solum non projici, sive despici, sed neque absolute relinqui, et dimitti, sed benigne curari et sanari: ideo enim addit, *Deus salutaris meus*. Salvatoris enim non est despicere ac desere miserum, sed salvare, et curare.

16. *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.*

Magna ratio redditur, cur aequum sit Deum adjuvare; quia videlicet nemo sit illo amantior. Notanda est phrasis hebraica, qua Deum in tertia persona reverentiae causa Propheta alloquitur; non enim dicit, *Tu autem assumpsisti me*, sed, *Dominus autem assumpsit me*. Similis est phrasis in Genesi cap. 31. num. 35. ubi Rachel dicit patri suo, *Ne irascatur Dominus meus, quod coram*

te assurgere nequeo; et lib. 3. Reg. cap. 1. num. 27. dicit Nathan Davidi, *Numquid a Domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum Domini mei regis post eum?* Illud igitur, *Dominus assumpsit me*, idem est, ac si dictum esset, *tu autem Domine assumpsisti me*, sive *collegisti me*, ut proprie significat vox hebraica, יאספני *jaaspeni*. Est autem in his verbis quaedam figura aptissima ad explicandum beneficium Dei: non enim puer erat David, ut egeret parentem auxilio, neque magnum erat in illa aetate relinqui a parentibus, qui oneri potius quam auxilio esse potuissent. Sensus igitur horum verborum est, ego sum instar infantis recens nati, quem pater et mater dereliquerunt humi jacentem, atque omni injuriae expositum: tu autem Domine, ita abjectum et desolatum, benignissime collegisti, et fovisti: vere enim si quis fragilitatem naturae humanae consideret, et hostium invisibilium potestatem, et quantopere Dei gratia in omnibus actionibus egeamus, nullo modo negare poterit, nos infantibus a parentibus neglectis rectissime comparari. Porro s. Ezechias, usque adeo rem hanc intelligebat, ut non infanti, sed pullo hirundinis se ipse comparaverit, Isaiae 38. *Sicut pullus*, inquit, *hirundinis sic clamabo.*

17. *Legem pone mihi Domine in via tua, et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.*

Quia se comparaverat infantulo, quem Deus collegerat, recte jam petit, ut se ambulare doceat: petit igitur gratiam implendi mandata divina, quam gratiam in toto psalterio frequentissime petere solet; nec immerito, cum ea sit via ad illam coelestem domum Dei, quam unam se toto corde desiderare paulo ante professus est, pro, *legem pone mihi Domine in via tua*, in hebraeo est, הורני יהוה דרכך *horeni* Adonai *darchecha*, *doce me viam tuam*, sive ut vertit s. Hieron. *ostende mihi viam tuam.* In graeco est unum verbum, νομοτέθησον, quod secundum etymologiam significat, *legem ponere*, ut latinus interpres reddidit. Caeterum accipitur etiam pro docere, erudire, praeceptorem se exhibere: proinde hoc loco *legem pone mihi in via tua*, significat, *erudias me circa viam*, idest, circa legem tuam: quod in alio psalmo legimus, psal. 22. *vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* Ac ut alibi dicimus non postulat Propheta notitiam solam legis, sed internam unctionem, qua sibi a Spiritu sancto intime persuadeatur, servandam esse Dei legem. Idem fere significant verba sequentia, *et dirige me in semitam rectam*, idest, duc me per viam mandatorum tuorum, quae est vere semita recta, idest, justissima, sed angusta, nisi magis placeat, per illud, *doce me viam tuam*, postulari lumen internum: per illud, *et dirige me in semitam rectam*, postulari pium affectum implendi mandata divina: quod additur, *propter inimicos meos*, vel ut s. Hieronymus vertit, *propter insidiatores meos*, significat, valde necessariam esse gratiam Dei in hac peregrinatione, propter multitudinem hostium, tum visibilium, tum invisibilium, qui nobis utique insidiantur ut a recta via legis divinae nos deducant, et ad invia, et praerupta vitiorum nos perducant.

18. *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.*

Pergit in eadem petitione: petit enim non tradi in animam, idest, voluntatem et desiderium hostium praecipue invisibilium. Similis phrasis est Luc. 23. *Jesum vero tradidit voluntati eorum:* idem enim est, *voluntati eorum*, et *in voluntatem eorum*, sed illa est phrasis latina, haec hebraica. Itaque sanctus Hieronymus vertit, *Ne tradideris me animae tribulantium me.* Sequentia verba, *Quoniam insurrexerunt in me testes inqui*, a multis referuntur ad falsa testimonia, quae dicebantur adversus Davidem: quod quidem non improbo, sed videtur mihi sensus magis cohaerere cum praecedentibus, et sequentibus verbis, et cum argumento totius psalmi, si referamus haec verba ad tentationes Doemonum, sive hominum, qui falsis promissis, vel minis hominem justum ad impatientiam, vel alia peccata deducere conantur juxta psal. 118. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* In hebraeo habetur, Insurrexerunt in me, עדי שקר *hede scecher*, *testes falsitatis*, sive *mendacii*: proinde illud, *testes iniqui*, accipiendum est, pro testes falsi, qui inique agunt, dum falsa pro veris obtrudunt, ut ad iniquitatem impellant. Quod additur, *et mentita est iniquitas sibi*, non tam est interpretatio, quam explicatio verborum hebraicorum: in hebraeo enim non habentur, nisi duae voces, ויפח חמס *vipheach chamas*, quas voces s. Hieronymus vertit, *et apertum mendacium.* Alii reddunt, *et loquens rapinam.* Sed septuaginta Interpretes acutissime, et verissime transtulerunt: nam illud, ויפח *vipheach*, tametsi a verbo, יפח *japhach*, significet loqui, unde Neoterici vertunt, *loquens*: tamen potest deduci a verbo, פוח *phuach*, quod significat *illaqueari*, unde est nomen, פח *phach*, *laqueus.* Et vox illa, חמס *chamas*, licet significare possit rapinam et mendacium, tamen frequentissime accipitur pro iniquitate. Intellexerunt ergo septuaginta Interpretes, hic significari ipsam iniquitatem a seipsa illaqueatam, dum videlicet homines, vel doemones iniqui, in propriam perniciem, falsitatis laqueos justo tetenderunt. Quod aliis verbis dixit Daniel, cap. 12. iniquis illis senioribus Susannae accusatoribus; *Et tu mentitus es in caput tuum.* Ait igitur David, *insurrexerunt in me testes iniqui*, falsitatem et mendacia obtrudentes, *et illaqueata est iniquitas*, idest, *sed iniquitas mentita est sibi.* idest, nemini nocebit, nisi proprio auctori.

19. *Credo videre bona Domini, in terra viventium.*

Reddit rationem, cur mentita sit iniquitas sibi. Ego enim, inquit, invitis omnibus inimicis meis,

credo, idest, certo confido,*me visurum bona Domini*, idest, illa bona, quae ipsi etiam Domino bona sunt,quae illum beatum reddunt,quae sola sunt vera bona, idque *in terra viventium*, idest, in regione illa, ubi mors locum non habet. In hebraeo habetur initio versiculi una vox, לולא *lule*,quam aliqui vertunt, *mihi*, et melius s. Hieronymus,*autem*, *Ego autem credo videre*, etc. A septuaginta Interpretibus,fuit omissa,quia non erat magni momenti quantum ad sensum.

20.*Expecta Dominum,viriliter age,et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

Concludit per apostrophen ad seipsum, sectandam esse patientiam et fiduciam in Deum, quasi dicat, Ergo anima mea, quia desideras in domo Dei habitare, quia tam multa pignora divini amoris habes,quia credis videre bona Domini in terra viventium, noli deficere in tribulationibus, neque terrenas consolationes respicias,sed *patienter expecta*, *confortare in Domino*, *viriliter age*, dum transeant dies mali, et adveniant dies boni. In hebraeo ad verbum habetur, ut vertit s. Hieronymus *expecta Dominum*, *confortare*, *et roboretur cor tuum*, *et expecta Dominum*. Similiter in graeco ὑπότεινεν κύριον, sunt eaedem voces in principio, et in fine. Sed latinus interpres varietate gaudet, ideo initio posuit, *expecta Dominum*, et in fine, *sustine Dominum*. Patientia cum fiducia conjuncta vires addit, et vires additae patientiam et fiduciam augent. Ait igitur, *Expecta Dominum*, idest, patienter, et cum fiducia expecta auxilium et consolationem Domini. Hinc *viriliter age*, seu roborare autem non armis exterioribus, sed *confortetur cor tuum*, excita animum,audacter perge.Hinc vero, multo magis confide, et cum patientia *expecta* consolatorem,et adjutorem *Dominum*,qui sine dubio cum sit fidelis et justus, *veniens veniet*, *et non tardabit*, ut dicitur Abac. 2.

PSALMUS XXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus, ipsi David.

Nunc psalmum de Davide fugiente Saulis persecutionem exponunt Theodoretus, et Euthymius. Sed repugnant multa, primo quod in titulo id non indicetur, sicut alias fere semper fieri solet, cum ad historiam psalmus respicit. Secundo quod in hoc psalmo, is, qui loquitur, appellat se Regem; David autem eo tempore nondum Rex erat. Tertio, quod in eodem psalmo dicit is, qui loquitur, se exauditum, et refloruisse carnem suam:quod certe Davidi pro eo tempore, quo Saulem fugiebat, convenire non potest. Recentiores aliqui exponunt de Davide jam Rege,et perfecte liberato a persecutione Saulis. Sed si ita esset, non diceret, *Ad te Domine clamabo*, *ne sileas a me*; sed diceret, *Ad te Domine clamavi*, etc. Videtur igitur praeferenda s. Augustini, et s. Hieronymi expositio, qui in persona Christi psalmum a Davide cantatum fuisse volunt: David enim, qui simul praevidebat passionem, et glorificationem Christi, convenienter ea conjungere potuit, sicut etiam fecit in psalmo 21, cujus psalmi longissimi, et pulcherrimi,hic, quem explicandum in manibus habemus, videtur esse quasi compendium.

EXPLICATIO PSALMI XXVII.

1. *Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas a me, ne quando taceas a me,et assimilabor descendentibus in lacum.*

Verba sunt Christi in cruce pendentis,ac postulantis celerem resurrectionem.Pro illo,*Deus meus* in hebraeo est, צורי *tsuri*, *petra mea*, sive *fortis meus*: et quamquam hoc ipsum nomen ponitur ad significandum Deum, et recte Septuaginta verterunt,*Deus meus* tamen ex vi hebraicae vocis,intelligimus hoc loco invocari Deum, quia potentissimus est, et potest morti imperare, ut Christum cito restituat. Pro, *ne sileas a me*, s. Hieronymus vertit, *ne obsurdescas mihi*. Sed sciendum est, verbum, חרש *charas* , significare tacere, silere, surdum se ostendere.Itaque sensus est, *ne sileas*, quasi non audieris vocem meam,ne veluti surdum te mihi exhibeas. Illud, *a me*, idem est, quod mihi, ex hebraica phrasi. Breviter petit exaudiri se, et responderi sibi, facturum Deum, quod petitur. Quod sequitur, *ne quando taceas a me*, *et assimilabor descendentibus in lacum*, continet caussam, cur velit sibi responderi, quia videlicet, nisi

Deus exaudiat, et respondeat,erit ipse similis aliis hominibus mortalibus, qui per mortem dissolvuntur, atque ad inferos descendunt non rediturі. *Ne quando taceas a me*, id est, ne forte tu non exaudias, et hinc fiet,ut ego per omnia similis fiam *descendentibus in lacum*. idest, iis, qui moriuntur et ad inferos descendunt, sine spe resurgendi, nisi in die novissimo. Posset etiam sensus esse, si non exaudias,ero similis hominibus mortuis: sicut enim mortui nihil omnino possunt, ita homo sine Dei adjutorio nihil omnino potest. Vox hebraea, בור *bor*, significat *cisternam*, *lacum*, *profundam foveam*:potest igitur accipi pro sepulchro sed melius pro loco subterraneo animarum;sicut Isaiae 14. *Verumtamen ad infernum detraheris,in profundum laci*; et cap.38.*Non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam*: quomodo etiam accipitur in illa oratione Ecclesiastica, *Libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu, libera eas de ore leonis*, etc.

2. *Exaudi Domine vocem deprecationis meae, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.*

Quod antea dixerat,*ne sileas*, et *ne taceas*,nunc clarius dicit.*Exaudi Domine vocem deprecationis meae*:volebat enim Deum respondere,ut id signum esset exauditionis, Illud. *Domine*, non est in hebraeo, sed solum, *exaudi vocem deprecationis meae*. S. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam, existimat esse additum ab aliquo explicationis gratia: fortasse etiam excidit ex nostris codicibus quibus septuaginta usi sunt, aderat. Illud, *dum oro ad te*, in hebraeo significantius habetur, בשועי *beschavehi*, *dum clamo ad te*, idest,dum oro *cum clamore valido*, ut Apostolus loquitur ad Hebr. 5. Illud, *dum extollo manus meas*, significat a signo, eamdem ipsam orationem: solebant enim Hebraei manus in altum tollere, cum orabant, cujus ceremoniae pleni sunt libri sacri:sed et gentiles eumdem ritum imitabantur. Itaque idem est, dum *oro ad te, et dum extollo manus meas ad templum tuum*. Allusit vero interim Propheta ad manus Domini in cruce extensas,et ad caelum sublatas,tunc enim verissime dicere potuit Dominus *dum clamo ad te, et dum extollo manus*, etc. quando de cruce oravit. Pro voce, *ad templum* in hebraeo est, דביר *devir*, quod proprie *oraculum* significat, unde Deus responsa dabat.Sed hoc loco sive templum, sive oraculum, pro coelesti templo, et oraculo accipitur.

3. *Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.*

Solus Christus id vere dicere potuit: ipse enim solus fuit omnibus modis *segregatus a peccatoribus*, ut dicit Apostolus ad Hebr. 7. Et sicut solus fuit, in quem peccatum cadere non potuit, ita justissime petit, ut non judicetur,et non pereat cum peccatoribus, sed ipsam potius mortem occidat,et resurgens ex mortuis, de mortis Principe, et de ipsa morte gloriose triumphet. Recte in editione Sixti V. et Clementis VIII. emendatum est, *ne trahas*, quod antea legebatur, *ne trahas*: nam cum tam vox hebraica, תמשכני *thimscecheni*, quam graeca, συνελκυσεις significet trahere, verisimile est ob literarum similitudinem, vitio librariorum, irrepsisse, in editionem latinam, *ne tradas*. Illud, *ne perdas*, non habetur in hebraeo, sed additum est explicationis gratia. Itaque sensus est, ne trahas me ad interitum cum caeteris hominibus, qui peccatores sunt, cum ego peccator non sim.

4. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*

Describit peccatores ab eo peccato quod universalius est. et communius.Nam idcirco in alio psal. 115, psal. 43. dicitur, *Omnis homo mendax*; et in alio: *Ab homine iniquo et doloso eripe me:* et de Christo dicit Apost. Petr. 1. Epist. cap. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, quasi dolus, fere tam late pateat, quam peccatum. Certe plurimi sunt, qui volunt videri amici, bene velle proximis et tamen ab amore proprio excaecati, malum habent in corde,idest,odio, vel invidentia erga eosdem proximos afficiuntur.

5. *Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.*
6. *Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis.*

Haec non imprecatio, sed prophetia est, ut alias saepe monuimus: significatur enim his verbis, id omnino futurum, ut mali male pereant, nisi videlicet ex malis boni fiant. Sensus igitur est, *Dabis peccatoribus secundum opera eorum*, idest, affices et poena, quam merentur opera eorum. *Et secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, supple, dabis eis, idest, sicut ipsi ex malitia sua excogitaverunt, et adinvenerunt varios modos vexandi justos; ita tu per sapientiam invenies varios modos cruciandi peccatores, et denique *reddes eis retributionem suam*, idest, ipsi retribuerunt justis mala pro bonis; sed tu eam retributionem convertes in caput ipsorum, facies enim ut illis noceat, non justis.

7. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus destrues illos, et non aedificabis eos.*

Hinc apparet fuisse prophetiam, non imprecationem id, quod duobus superioribus versiculis continetur: non enim dicit, Destrue eos, sed *destrues eos*, vel ut habetur in hebraeo, יהרסם *jeersem*, *destruet eos*.Significatur his verbis radix omnium malorum: radix enim est, nolle intelligere opera Domini, non applicare animum ad consideranda, et cognoscenda mirabilia opera Dei,quae fecit in creatione, in redemptione, in gubernatione generis humani: si quis ista consideret, vix

fieri potest, quin in Dei amorem mirifice exardeseat. Hinc 1. Cor. 2. B. Paulus ait, *Si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent*: et ipse Dominus Luc. 19. *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua quae ad pacem tibi*; et infra: *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*. Quod attinet ad verba, in latina editione est aliqua obscuritas, quae non est in hebraica, neque in graeca; nam in his editionibus legitur, *quoniam non intellexerunt in opera Domini, et in opera manuum ejus*; vel, ut s. Hieronymus reddit, *quoniam non intellexerunt opera Domini, et opus manuum ejus*: illa enim praepositio, *in*, adjungitur utrique nomini ex phrasi hebraica, sed secundum usum linguae latinae, ex utroque loco tolli potuisset. Latinus autem interpres ex priori loco sustulit, in posteriore reliquit; ideo sententiam obscuriorem reddidit. Cur autem Propheta cum dixisset, *non intellexerunt opera Domini*, adjunxerit, *et opera manuum ejus*, ratio esse videtur ut explicaret, se loqui praecipue de illo opere, quod ipse facit per se, non per secundas causas, quale opus fuit creatio coeli, et terrae, incarnatio verbi, miracula Christi, resurrectio, et ascensio Domini, et similia. Ait igitur, quoniam peccatores non intellexerunt opera Domini, et praecipue opera illa, quae manibus suis, idest, per se immediate fecit, ideo tu Domine destrues illos, *et non aedificabis*, idest, destrues illos, et cum destruxeris, non te poenitebit destruxisse, ideo numquam amplius aedificabis eos. Alludit Propheta ad vocem operis manuum Domini, quod opus est quasi aedificatio quaedam, quasi diceret, quia non intellexerunt aedificationem Dei, Deus illos destruet, et numquam amplius aedificabit. Id optime quadrat in civitatem, et templum, et ipsum regnum Judaeorum, quae omnia Deus ob Judaeorum infidelitatem destruxit, nec unquam amplius aedificabit. Quadrat etiam in singulos peccatores, qui non intelligunt se esse aedificationem Domini, et ad imaginem ejus conditos, et pretio sanguinis Domini redemptos, et tam multa beneficia naturae, et gratiae in se collata; ideo tandem ita destruentur, numquam amplius reaedificandi, ut nihil remaneat, nisi ruina aedificii, idest, unde poenam sentire perpetuo possint. In hebraeo habetur in tertia persona destruet, et non aedificabit: fortasse librariorum vitio, prima litera hebraica, quae indicat personam, mutata est; fortasse ultima litera graeca, ex qua persona intelligitur, vitio librariorum addita est; fortasse Interpretes, non tam ad verbum, quam ad sensum respexerunt.

8. *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.*

Transit Propheta ad gloriam resurrectionis Domini praedicendam, et in persona Christi gratias agit Deo, dicens, *Benedictus, Dominus*, idest, benedicatur ab omnibus Dominus, *quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.*

9. *Dominus adjutor meus et protector meus, in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.*

Explicat, in quo exaudita sit oratio sua, ac dicit, *Dominus adjutor meus, et protector meus*, supple, solet esse. Ideo *in ipso speravit cor meum*, id est, fretus auxilio, et protectione Dei non recusavi praelium subire cum diabolo, et cum ipsa morte, nec spe mea frustratus sum, quonjam adjuvit me Deus; ut plane victor evaserim, in hebraeo, עזי ומגני *huzi umaghinni*, idest, pro, adjutor et protector, habetur, *fortitudo et scutum*. Ex quo intelligimus, accessisse a Deo auxilium interni roboris, et protectionem externi praesidii.

10. *Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.*

Describit effectum auxilii et protectionis, qui fuit gloriosa resurrectio, ob quam toto corde laudaturum se dicit Deum. *Refloruit caro mea*, id est, caro mea, quae per mortem exaruerat, non solum rediit ad vitam, sed ad florem aetatis, sanitatis, laetitiae, venustatis maxime rediit. *Et* ideo, *ex voluntate mea*, idest, *ex corde confitebor ei*, confessionem laudis, et gratiarum actionis. In hebraeo nunc legitur, *Gavisum est cor meum, et in cantico meo confitebor ei*. Itaque pro, *caro mea*, legitur, *cor meum*; pro *voluntate mea*, legitur, *cantico meo*. Nam quod pro, *refloruit*, legatur, *gavisum est*, ut s. Hieronymus vertit, non multum refert: nam verbum, עלז *halaz*, significat laetari, exultare, et per metaphoram, reflorere, ut recte verterunt Septuaginta, quia dum arbores reflorescunt, suo modo exhilarari et exultare videntur. Cur autem viri illi doctissimi verterint, *caro mea*, ubi nunc est, לבי *libbi*, et *voluntate mea*, ubi nunc est, משירי *misciri*, quae non significant nisi *cor meum*, et *canticum meum*, non potest reddi alia ratio, nisi quia non ita legerint, ut nunc habemus in nostris codicibus, sed verba transposita, et mutata postea fuerint: nam si pro, משירי *misciri*, legatur, בשרי *besciari*, quod significat *caro mea*, et illud, לבי *libbi*, transferatur paulo ulterius, efficietur lectio, quam habuerunt Septuaginta, et quam recte interpretati sunt; nimirum haec erit lectio ויעלז בשרי ולבי אהרנו *vajahaloz besciari velibbi ahodenu*, idest, et refloruit caro mea, et ex corde meo, sive voluntate mea confitebor ei.

11. *Dominus fortitudo plebis suae, et protector salvationum Christi sui est.*

Haec est materia confessionis, de qua dixit, *confitebor ei*, quod videlicet *Dominus sit fortitudo plebis suae*, quod ostendit, dum tam petenter protexit salutem Christi sui, qui est caput totius plebis, et a quo fortitudo et salus totius populi dependet. Ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *Domi-*

nus fortitudo mea; alii vertunt, *Dominus fortitudo eis*, et hoc sonant verba, quae nunc sunt in bibliis, sed Septuaginta non videntur legisse, לְמוֹ *lamo*, quod est, *eis*, sed, לְעַמּוֹ *lehammo*, idest, *plebi suae*. Dicit autem, *protector salvationum*, non protector salvationis, fortasse quia protector fuit ad multiplicem salutem, videlicet ut caro mortua non corrumperetur, ut sanguis effusus non periret, ut non solum anima corpori, et sanguis venis restitueretur, sed ut adderetur immortalitas, impassibilitas, agilitas, splendor, et si quae sunt alia, quae ad corpus gloriosum requiruntur.

12. *Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae, et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.*

Christo, qui caput est Ecclesiae, glorificato, hoc superest, ut corpus ejus, idest, populus Dei, qui est peculiaris haereditas Dei, quam acquisivit sanguine suo, pariter glorificetur. Dicit igitur Christum, *Salvum fac populum tuum*. Ut autem salvum facias, *benedic* justificando, *rege* conservando, et protegendo in via, *exalta* glorificando, quae glorificatio usque in saeculum duret.

PSALMUS XXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

Psalmus David, in consummatione Tabernaculi.

Hic titulus non habetur in hebraeo, sed solum, *psalmus David*: reliqua addita sunt vel a septuaginta Interpretibus, vel ab aliis; et duobus modis legitur, et intelligitur titulus hujus psalmi. Nam s. Basilius, Theodoretus, et Euthymius legunt, *psalmus David in exitu tabernaculi*; et significari volunt, praecipi sacerdotibus, et levitis exeuntibus de tabernaculo, ut praeparent quae necessaria sunt ad cultum Dei. S. Hieronymus et Augustinus legunt, ut nos habemus in editione vulgata, *Psalmus David in consummatione tabernaculi*: et sensum esse vult s. Hieronymus, hunc psalmum compositum fuisse quando David perfecit tabernaculum, et collocavit in eo arcam Domini. Quod attinet ad argumentum, volunt nonnulli ad litteram in toto fere psalmo agi de potentia Dei, et velle Davidem hortari populum ad laudandum Deum, qui potentiam suam solet manifestare admirandis operibus, quae solo verbo, sive imperio facit. Alii quorum sublimior interpretatio, et dignior Davidico spiritu esse videtur, volunt, in hoc psalmo celebrari Evangelicam praedicationem. Congruit vero titulus, *in consummatione tabernaculi*: nam cum David tabernaculum foederis intelligeret figuram esse Ecclesiae, quae *tabernaculum Dei cum hominibus* dicitur in Apocalypsi, cap. 21. et simul etiam spiritu revelante cognosceret, instrumentum, quo tabernaculum hoc novum perficiendum erat, fore praedicationem Evangelicam, ideo in consummatione tabernaculi illius umbratici, Spiritu Sancto inspirante, cantavit praeconia vocis Domini, qua tabernaculum verum constituitur. Nos utramque explicationem breviter persequemur.

EXPLICATIO PSALMI XXVIII.

1. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.*

Cantaturus Propheta laudes potentiae divinae, excitat filios Dei peculiarem, cui notus erat Deus (nam *Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus*), ut habetur psalm. 75. ut potentiam illam honorent, victimis eo tempore consuetis, et etiam praedicatione vocis, et inclinatione corporis. Sed juxta posteriorem intelligentiam, cantaturus laudes vocis divinae, per quam perficitur tabernaculum, idest, Ecclesia, quae est mater omnium filiorum Dei, invitat ipsos filios Dei, ipsos vocatos illa voce coelesti, ut Deo sacrificent sacrificium laudis. *Afferte*, inquit, *filii Dei, filios arietum*, idest, vos per sanguinem agni immaculati effecti filii Dei, afferte agnos, offerte sacrificium gratiarum actionis, et laudis: sic enim explicat ipse idem Propheta in sequenti versiculo: *Afferte Domino gloriam*, etc. In hebraeo non habetur, *Afferte Domino filii Dei*, sed solum, הָבוּ לַיהוָה בְּנֵי אֵלִים *habu* eadonai *bene Elim*, *Afferte Domino filios arietum*. Fortasse in editione quam habuerunt septuaginta Interpretes, erat utraque pars versiculi, et postea successu temporis excidit pars prior; fortasse etiam non erat nisi pars posterior; sed ea duobus modis interpretata est, et altera interpretatio, quae erat in margine, irrepsit in textum, et hinc nata est lectio, quam nos habemus. Nam si vox, אֵלִים *Elim*, legatur ut modo se

habet, significat arietes; si legatur unica litera addita אלהים *Eloim*, significat Deum: proinde eadem sententia reddi potuit, *Afferte Domino filii Dei*, et etiam, *Afferte Domino filios arietum*. Neque desunt in editione vulgata alii loci, in quibus duae interpretationes ejusdem sententiae simul inveniuntur in textu. Certe s. Basil. in commentario hujus psalmi scribit, in multis exemplaribus addita esse haec verba, *Afferte Domino filii Dei*. Ex quo intelligimus, non fuisse haec verba in omnibus exemplaribus graecis, sed solum in aliquibus. Sed undecumque haec verba in editione nostra accesserint, satis bene cum sequentibus cohaerent, habentur in omnibus latinis codicibus, etiam antiquissimis.

2. *Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.*

Haec est declaratio sacrificii, quod ut offeramus Domino, Propheta nos admonet. *Afferte*, inquit, *Domino gloriam et honorem*, idest, voce et opere glorificate Dominum: nec solum voce et opere Deum laudate, sed etiam corporis inclinatione illum veneramini, et per veram adorationem supremum Dominum agnoscite, ac protestamini. In hebraeo pro voce, *honorem*, habetur, עוז *hoz*, quod proprie *fortitudinem, potentiam*, sive *imperium* significat. Ex quo intelligimus, honorem, quem juxta editionem graecam et latinam Deo debemus, esse honorem confessionis potentiae, et imperii Domini: tunc enim Deum vere honoramus, cum ejus potentiam, et imperium agnoscimus, et confitemur. Et est valde ad propositum hoc loco honor potentiae, cum in toto psalmo Dei potentia laudetur. Pro, *nomini ejus*, in codicibus hebraicis cum punctis Rabbinorum habetur, nominis ejus: quae lectio faciliorem sensum habet, quam nostra. Sed quia editio graeca habet, nomini ejus, et eodem modo ex hebraeo vertit s. Hieron. oportet Septuaginta interpretes, et s. Hieron. aliter legisse, quam Rabbini legerunt. Nimirum illi legerunt, כבות שמו *chavod scemo, gloriam nomini ejus*; isti vero, כבוד שמו *chevod scemo*, gloriam nominis ejus. Sensus igitur est, *Afferte Domino gloriam nomini ejus*, idest, afferte gloriam Domino, idest, nomini ejus, celebrantes videlicet nomen, famam, notitiam Domini. Pro voce, *atrio*, in hebraeo est, הדרת *hadraht, decore*, seu *pulchritudine*, in graeco est, ἁυλῇ, unde s. August. et alii legunt, *aula*. Caeterum facile est videre, septuaginta Interpretes non legisse, הדרת *hadrath* sed, חדרת *chadrath*, unica litera simillima immutata: illa enim vox, si legatur per ה, significat decorem, si per ח, significat atrium, et hanc esse veram lectionem dubitare non possumus; nisi Septuaginta viros, qui omnium judicio sapientissimi erant, imperitiae arguere velimus; ut omittam, quod magis convenit cum verbis, *Adorate Dominum in atrio sancto ejus*, quam *in decore* sancto ejus. Porro vox graeca ἁυλῇ, non significat id, quod nos latine dicimus *aulam*, sed vestibulum, sive atrium subdiale, proinde qui legunt in aula, retinent sonum vocis gracae: qui legunt in atrio, retinent veram tam hebraicae, quam graecae vocis significationem. Per hoc atrium sanctum, in quo Deum adorare jubemur intelligitur tum ipsum tabernaculi Judaici vestibulum, ad quod omnibus promiscue aditus erat, cum in tabernaculum soli sacerdotes intrare permittentur: tum potissimum Ecclesia Catholica, quae est velut atrium seu vestibulum tabernaculi coelestis: nam in Ecclesiam et boni, et mali passim admittuntur, sed in tabernaculum coeleste illi soli ingredientur, qui dicere poterunt Christo, ut in Apocalypsi legimus, *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes*, Apoc. 5.

3. *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.*

Hic jam incipit explicare Propheta, cur nos invitaverit ad laudandam et celebrandam potentiam Dei. Causa enim est, quia *vox Domini* mirabilia operatur tum in corporalibus elementis, tum in spirituali fabrica Ecclesiae. Describit primum operationem Dei in aquis, deinde in aere, tum in igne, postremo in terra, quae sunt partes principales mundi hujus inferioris nobis maxime noti. Prima operatio Dei in aquis describitur in 1. cap. Genesis, cum dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: et ibidem, *dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis*; et ibidem, *dixit Deus, Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida*. Tunc igitur facta est *vox Domini super aquas*, cum Deus imperavit, ut aquae dividerentur, et divisae congregarentur in locum unum, idest, in cavernas terrae, et terra habitabilis fieret. Haec ipsa vox dicitur *tonitruum*. *Deus majestatis intonuit*, quia quomodo tonitruum nos continuo prosternit, et obedire cogit: sic ad imperium Domini continuo aquae recesserunt, et in loca humiliora se receperunt. Fuit autem haec vox, et hoc tonitruum Dei super aquas multas, quia tunc aquae undique totam terram cooperiebant, proinde erat quasi immensa aquarum abyssus super terram. Hoc ipsum clarius describit idem David in psal. 103. *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquae*, idest, immensitas aquarum undique terram vestiebat, ita ut super omnes montes starent aquae. *Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt. Ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis*, idest, ab imperante Deo aquae recesserunt, quasi a tonitruo fugerent, et tunc apparuerunt montes editi, et campi depressi. *Terminum posuisti, quem non trasgredientur, neque convertentur operire terram*, idest, non solum aquae ad vocem Domini recesserunt, et terram aridam, atque habitabilem reddiderunt, sed ab eadem voce Domini terminum acceperunt, quem transgredi numquam audebunt. Jam vero secundum alteram expositionem describitur initium Evangelicae praedicationis, quae coepit, cum Deus ipse per se Christo in aquis Jordanis baptizato, evangelizavit toti mundo Jesum Christum esse filium suum; quod

est quasi compendium totius Evangelii. Igitur *vox Domini super aquas*, est illa magnifica Dei vox in baptismo Christi audita, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matthaei 3. Tunc enim *Deus majestatis intonuit, et intonuit super aquas multas*, quia tunc institutum est baptisma, et data virtus omnibus aquis totius mundi ad filios Dei regenerandos. S. Augustinus, per vocem Domini super aquas, intelligit vocem Christi super populos, quia dicitur in Apoc. cap. 17. *Aquae multae populi multi sunt*: et addit, ideo dictum esse, *Deus majestatis intonuit*; quia majestas divina erat in carne humana Christi tamquam in nube, et proinde vox Domini ex humana carne, erat quasi tonitruum ex nube. Elegans, et vera expositio; sed superior, quae est patrum Graecorum, videtur magis litteralis.

4. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.*

Utrique interpretationi laus haec vocis Dominicae optime quadrat. Nam vox Domini jubentis, ut aquae in principio creationis rerum omnium dividerentur, et aquae inferiores in cavernas terrae sese reciperent, et non reverterentur operire terram, non fuit inanis, et sine effectu, ut pleraque tonitrua esse solent, quae nihil praeter ingentem sonitum habent; sed fuit vox plena virtute, et gloria, atque ad eam continuo est consequutus effectus. Sic etiam vox Evangelicae praedicationis ab ipso Deo inchoatae, et a Christo, et Apostolis propagatae, non fuit inanis verborum strepitus, qualis multorum oratorum, et philosophorum est; sed fuit vox efficacissima, et signis, atque prodigiis confirmata. Ad efficaciam verbi pertinet illud, *in virtute;* ad gloriam miraculorum illud, *in magnificentia*, sive splendore et decore, ut sonat vox hebraica, הדר *hadar*. Apostolus Paulus. 1.Cor. 12. *Praedicatio mea*, inquit, *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis*: et 1. Thessalonic. 1. *Evangelium meum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute et Spiritu sancto.*

5. *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani.*

Juxta priorem interpretationem transit Propheta ab operatione Dei in aquis ad operationem in aere. Significat autem his verbis, *vocem Domini*, idest, imperium Domini, excitare ventos ac tempestates, quas in psalmo 148. vocat, *spiritum procellarum, quae faciunt verbum ejus*. Et sane mirabilis est potentia Dei, quae rei tam exili, ac tenui tantam virtutem attribuit, ut etiam maximas arbores in momento confringat, et prosternat, quod multi homines magna vi et longo tempore vix facerent. Nominat autem Propheta *cedros*, et *cedros Libani*, quae cedri sunt arbores durissimae, et maximae, et eae nusquam majores inveniuntur, quam in Libano monte. Jam vero juxta posteriorem interpretationem, *cedri Libani*, ratione sublimitatis sunt homines excelsi, sive magnitudine potentiae, sive splendore sapientiae, sive gloria eloquentiae: ratione boni odoris, quem cedri spirant, sunt homines deliciis, et voluptatibus dediti. Denique ratione densitatis et duritiei, qua mirum in modum cedri pollent, sunt homines obstinati, et pertinaces in paternis erroribus. Has omnes cedros Evangelica praedicatio magnifice confregit, et ad humilitatem et mansuetudinem Christianam, nec non ad fructus dignos poenitentiae faciendos perduxit. Exemplorum plenae sunt historiae.

6. *Et comminuet eas tamquam vitulum Libani, et dilectus quemadmodum Filius unicornium.*

Ex hebraeo juxta priorem intelligentiam habetur sensus facilis, et pulcherrimus: sic enim legimus in hebraeo *et saltare faciet eas sicut vitulum, Libanum et Sarion sicut filium unicorninm*; et sensus est, non solum vox Domini confringet cedros Libani, sed etiam integras Cedros radicibus evellet, et exilire faciet ea facilitate, qua vituli saliunt. Nec solum cedros Libani, sed ipsos etiam montes, Libanum, et Sarion saltare faciet ea facilitate, qua filius unicornium salit. Cui sententiae similis est illa in psalmo 113. *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium*. Juxta posteriorem intelligentiam sensus erit, vox praedicationis evangelicae non solum confringet cedros Libani, idest, viros quamvis excelsos, et obstinatos ad humilitatem fidei christianae inflectet, sed etiam easdem cedros eradicabit, et in alium locum exilire faciet, idest, ab affectibus terrenis penitus abstrahet, et ad vitam pene Angelicam transferet: quod Apostolis, et Apostolicis viris convenit, qui non solum fideles, sed religiosissimi et perfectissimi evaserunt, ut non tam homines, quam terrestres Angeli viderentur. Nec solum cedros singulas, sed integrum montem cedris plenum sive integras cedrorum sylvas exilire faciet Evangelica praedicatio, idest, non solum hunc, aut illum virum, sed ingentem hominum multitudinem, catervasque integras ad fidem, et religionem, vitamque perfectam adducet. Sed videndum est, quid graeca, et latina editio habeat, inter quas hoc solum interest, quod in graeca legitur et *comminuet eas tamquam vitulum Libanum*, in latina vero, *et comminuet eas tamquam vitulum Libani*. Quamvis autem s. Basilius et Euthymius legant, *Libanum*, tamen probabile est, in editionibus graecis emendatioribus fuisse, *Libani*, ut legunt s. Hieronymus et Augustinus, et codex antiquissimus, quo utitur in psalmis canendis Ecclesia s. Petri Romae. Et quidem verba illa priora, *et comminuet eas tamquam vitulum Libani*, possunt non difficulter concordari cum verbis hebraicis: nam dum cedri magno impetu confringuntur, et comminuuntur, certe fragmenta exiliunt, et sparguntur in varias partes. Itaque sensus erit, et comminuet eas, cedros videlicet, ac per hoc per fragmenta et frustra exilire faciet quomodo vituli montis libani exilire, et saltare solent. Sed verba sequentia, *et dilectus quemadmodum filius unicornium*, difficilius cum hebraicis vocibus,

quae nunc habentur in bibliis,concordari possunt: nam *Sirion*, pro quo nos habemus, *dilectus*, significat montem Hermon, Deuteron. 3. et *loricam*, 1. Regum. 17. et 3. Reg. 22. Oportet igitur, ut septuaginta Interpretes, vel aliquid aliud legerunt, vel certe intellexerint vocem illam, quae significat montem Hermon, et loricam, res videlicet tam dissimiles, significare etiam dilectum, quibus habenda fides est, cum ipsi doctissimi essent,et linguae hebraicae peritissimi. Posita autem hac lectione juxta priorem intelligentiam, hic erit sensus: *Et comminuet eas*, nimirum cedros,et comminuendo exilire faciet fragmenta cedrorum, *sicut vitulum Libani*, idest, sicut solet vitulus per montem Libani; *et dilectus quemadmodum filius unicornium*, idest, ut salit dilectus filius unicornium. Dicitur autem dilectus filius unicornium, quod sit speciosum animal, praesertim quando juvenculus unicornis est. Alii sic exponunt, et comminuet Cedros durissimas, quomodo comminui possunt tenerrimi vituli, et tenerrimi filii unicornium: sed nostra expositio magis accedit ad lectionem hebraicam. Juxta posteriorem intelligentiam sensus erit, praedicatio evangelica non solum confringet cedros Libani, id est, homines potentes et sapientes humiliabit, sed etiam comminuet ut vitulum Libani, idest, rediget altissimas Cedros ad parvitatem exigui vituli, qui pascitur in monte Libano.Per vitulum autem recte intelligitur Christus qui non solum humilis, et mansuetus fuit more lactentis vituli, sed etiam immolatus in sacrificium Deo: *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*,idest, et tunc quando Cedri Libani confractae fuerint, apparebit dilectus, qui est Christus dilectissimus Patri et desideratus cunctis gentibus:apparebit inquam, non amplius ut inermis vitulus, sed ut filius fortissimi unicornis. Majestas enim divina, et omnipotentia Christi tunc primum apparere coepit, cum per evangelicam praedicationem piscatorum, oratores, et philosophi, et ipsi etiam Principes mundi credere coeperunt in Christum.De viribus unicornis sive rinocerontis, vide Job 39.

7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.*

In prima parte hujus versus quae apud hebraeos est versus integer, transit Propheta ab operatione Dei in aere ad operationem in igne,ac dicit, *Vocem Domini*, idest, imperium,et potentiam Domini, *intercidere*, idest, dividere *flammas ignis*, quod fit, quando imperante Domino, varia mittuntur a nubibus, quasi e coelestibus caminis, fulmina in terras quibus nihil terribilius, et formidabilius mortalibus accidere solet: potest etiam illa intercisio,sive divisio flammarum non solum referri ad multitudinem, et varietatem fulminum, sed etiam ad subtilitatem et acumen ipsorum fulminum: quae enim acuuntur, dividuntur,ac interciduntur, ut ad subtilitatem redigantur: porro nihil est omnino in rebus corporalibus acutius, subtilius, penetrabilius coelesti fulmine, unde est illud in cantico Mosis, Deuter. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum.* Juxta alteram intelligentiam, *vox Domini*, idest, Evangelica praedicatio *dividit flammas ignis*,dum per eam Spiritus Sanctus in cordibus hominum jaculatur ignem divini amoris, multis et variis modis: in cujus rei signum apparuerunt in die Pentecostes super credentes,*dispertitae linguae tamquam ignis*, Act. 2. In altera parte versus celebrat Propheta potentiam Dei operantis in terra, ac dicit, *Vocem Domini concutere et commovere desertum.* Verbum hebraicum, יחיל *jachil*, significat, *parturire facit*, ex quo intelligimus, concussionem et commotionem, quae in graeca et latina editione exprimitur, non esse simplicem terrae motum, aut concussionem ex fragore tonitrui in deserto peculiariter resonantis, ut aliqui volunt; sed esse concussionem et commotionem ad parturiendum.Itaque significatur hoc loco mirabilis potentia Dei, quae sicut montem Libani potest, cum voluerit, Cedris omnibus spoliare, et desertum facere: ita e contrario potest ipsum desertum Cades ubi nihil nasci solet, unica concussione parturire facere, et continuo arboribus et animalibus replere. Simile est quod dicitur in psalmo 106. *posuit flumina in desertum, terram fructiferam in salsuginem* ; et paulo post, *posuit desertum in stagna aquarum, et collocavit illic esurientes et constituerunt civitatem habitationis, et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas.* Sed juxta alteram intelligentiam significatur, ad evangelicam praedicationem convertendas esse etiam barbaras nationes, quae antea carueranl cultura spirituali, et irrigatione gratiae Dei, ut comparatione aliarum nationum desertae dici possent. Quid si etiam hic significari dicamus,vera deserta paritura fuisse infinita agmina Monachorum, ac per hoc, ut loquitur s. Hieronymus in epist. ad Heliodorum, futura deserta vernantia floribus Christi? Nam in hoc ipso deserto Cades, fuisse plurima monasteria tempore s. Hieronymi, testatur ipse in vita s. Hilarionis.

8. *Vox Domini praeparantis cervos, et revelabit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam.*

Juxta priorem intelligentiam Propheta, qui Dei potentiam laudavit in elementis omnibus, aqua, aere, igne, et terra,nunc laudat in animantibus,et plantis, paulo post laudaturus in hominibus. Dicit igitur, *Vox Domini praeparantis cervos*; ubi posuit loco exempli, operationem Dei in cervis. Nam ut habemus in lib. Job cap. 39. cervae summa difficultate pariunt, et causa videtur esse, quia tam perfectos foetus edunt, ut illi statim ad pastum pergant, nec redeant ad matrem, ut in eodem loco dicitur. Mira igitur Dei potentia in eo cernitur, ut cervas parere faciat. In Hebr. habetur, קול יהוה יחולל אי לות *kol* Adonai *jecholel aialoth*, *Vox Domini parere faciens cervas;* vel s. Hieronymus vertit, *Vox Domini obstetricans cervis.* Idem significant verba graeca et latina, *Nam praeparare cervos*, nihil est aliud hoc loco, nisi praeparare ad pariendum. Nomen cervos, commodius

legeretur, cervas: nam in hebraeo est nomen foemininum,et in graeco est nomen commune ἐλάφους. Sed recte etiam potest intelligi, praeparantis cervos:nam ponitur nomen masculinum ad exprimendum cervos in genere. non distinguendo sexus: quasi diceretur, *Vox Domini praeparat cervos*, idest, speciem cervinam ad partum, quae species sine peculiari providentia Dei parere non posset. In verbis sequentibus, *Et revelabit condensa*,sive ut in hebraeo apertius legitur, *aperiet sylvas*, significatur operatio Dei in arboribus, et sensus est, Deo nihil esse clausum, sed omnia pervia; ipse enim omnia penetrat, etiam densissimas sylvas, et ubique operatur; et ideo, *In templo ejus omnes dicunt gloriam*, idest,omnes creaturae Deum laudant, et glorificant in hac rerum universitate.quae est veluti templum ejus. In hebraeo est, כלו *chullo omne in ipsum*, sive totum hoc *dicet gloriam*: ideo exposuimus, *omnes*. idest, omnes creaturae: non enim loquitur solum de hominibus,sed de toto eo, quod dictum erat, idest, aqua, igne, etc. Juxta alteram intelligentiam sublimiorem, *vox Domini praeparat cervos*, cum evangelica praedicatio praeparat homines spirituales alta petentes et venenatos serpentes spiritu suo occidentes,ad partum mirabilium operum: quid enim majus, et mirabilius, quam ut homo infirmus operetur opera meritoria vitae perpetuae? Et cum vox Domini cervos omnes parere fecerit, tunc demum, *revelabit condensa*, i.est, ut exponit s. Basilius in secunda expositione hujus psalmi, *revelabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium*, in extremo judicio, juxta Apost.1.Cor. 4. et tunc tam erit evidens justitia Dei,ut in magno illo theatro,et templo omnes omnino, tam boni, quam mali sint glorificaturi Deum. Tunc enim *curvabitur Christo omne genu*. Philip. 2. at omnes vel inviti, vel libenter dicent, *justus es Domine. et rectum judicium tuum*, psalm. 118. sic in templo ejus omnes dicent gloriam. S. Augustinus per illud, *revelabit condensa*, intelligit revelationem Sacramentorum et arcanorum scripturae sanctae, quae viris sanctis et perfectis, quasi cervis alta petentibus, aperiuntur.

9. *Dominus diluvium inhabitare facit, et sedebit Dominus Rex in aeternum.*

In hebraeo est יהוה למבול ישב *Adonai lammabbul jasciab. Dominus diluvium inhabitat*, et sic et am ex graeco legunt Basilius, et Augustinus: et tamen Hieronymus in epist. ad Suniam,et Fretellam magis probat nostram lectionem,nimirum, *inhabitare facit*, et sic dicit se transtulisse. Eodem modo legit Euthymius.Et certe graeca vox κατοίκει, utrumque significat, *inhabitare*,et *collocare*,idest, habitare facere: vox hebraea parva mutatione facta in eamdem significationem adduci potest. Retenta igitur nostra lectione,juxta priorem intelligentiam, redditur causa, cur omnia dicant gloriam Deo. Causa enim est,quia *Deus diluvium inhabitare facit*, idest, copiosum imbrem effundit super terram, ex quo rebus omnibus alimentum producitur et vita sustentatur et ipse idem Deus sedebit rex et Dominus in aeternum, omnia videlicet regens, omnia gubernans, omnia disponens. At juxta posteriorem intelligentiam Dominus cum in extremo judicio revelaverit condensa,et ab omnibus justitia ejus laudata fuerit, tunc diluvium inhabitare faciet, effundens omnia genera bonorum in bonos et omnia genera malorum in malos et sic nullo penitus resistente, sublato de medio omni alio principatu et regno Daemonum, atque hominum impiorum, *sedebit Dominus rex in aeternum*.Referunt hoc diluvium, alii ad diluvium Noe, alii ad baptismum, et quia sunt auctores graves et magni nominis, non audeo improbare.

10. *Dominus virtutem populo suo dabit,Dominus benedicet populo suo in pace.*

Haec est conclusio psalmi, in qua juxta priorem intelligentiam, Propheta, qui laudavit Dei potentiam in omnibus aliis rebus mundi hujus inferioris laudat postremo in hominibus, idest, *in populo suo*, cui dandam esse dicit a Deo *virtutem*, idest, robur et vires contra omnes adversarios, et iis omnibus superatis, dulcissimam quietem et pacem. At juxta posteriorem intelligentiam,concludit psalmum, promittens Domino *virtutem*, idest, potentiam et robur in hac peregrinatione ad resistendum tentationibus, *et benedictionem*, ac pacem sempiternam in aeterna vita. Non videtur hoc loco praetereunda pia quorumdam observatio, qui vocem Domini septies in hoc psalmo repetitam, septem Ecclesiae sacramentis ita accommodant. ut vocem Domini super aquas, Baptismo; vocem Domini in virtute Confirmationi; vocem Domini in magnificentia, Eucharistiae; vocem Domini confringentis cedros, poenitentiae; vocem Domini concutientis desertum,ordini;vocem Domini intercidentis flammam ignis,matrimonio; vocem Domini praeparantis cervos unctioni extremae convenire velint.

PSALMUS XXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Cantici, in dedicatione domus David.

Hic titulus indicat psalmum et voce, et instrumentis musicis cantatum, quod in praefatione annotavimus ex b. Hilario, et idipsum docet in commentario hujus psalmi s. Basilius. Ex eodem titulo colligimus, hunc psalmum compositum fuisse a Davide, quando domus ejus in Jerusalem magnificentissime extructa, dedicata fuit. Tunc enim intellexit David regnum suum a Deo confirmatum et stabilitum fuisse, et ideo in gratiarum actionem hunc hymnum cecinit Deo. Habetur haec historia lib. 2. Reg. 5. et lib. 1. Paralip. 14. videtur autem hic psalmus duplicem sensum habere, ut psalmus superior, unum historicum, alterum propheticum, utrumque litteralem. Et quidem recte post consummationem tabernaculi, quod est Ecclesia militans in terris, sequitur dedicatio domus, quae est Ecclesia stabiliter quiescens in coelis, cujus fundamentum, quod est Christus, jam dedicatum est, cum ad vitam immortalem et gloriosam pervenerit.

EXPLICATIO PSALMI XXIX.

1. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.*

David confirmato regno, arce Sionis munita, et de nomine suo civitate David appellata, denique domo regia magnificentissime exstructa, Deum agnoscens tantorum beneficiorum auctorem, tributum illi offert gratiarum actionis, ac dicit, *exaltabo te Domine*, id est, quamvis tu Domine altissimus sis, ut re ipsa altior fieri non possis, tamen apud eos, qui altitudinem tuam minus agnoscunt, exaltabo te praedicatione mea, et faciam quod in me est, ut te altissimum esse omnes agnoscant. *Quoniam suscepisti me*, de imo videlicet ac de profundo humilitatis suscepisti et exaltasti in solium regni. Nam vox hebraea, דלה *dalà*, *exaltare* significat. Itaque ait, ut exaltasti me et ego exaltabo te, non tribuens meis viribus exaltationem meam, sed magnificentiae tuae: tu exaltasti me, et ego humiliabo me, ut exaltem te. *Nec delectasti inimicos meos super me*: hoc ex illa exaltatione consequutum est, ut inimici David qui plurimi fuerunt, et cum longissimo tempore ad necem quaesierunt, non habuerint materiam gaudendi ex ejus interitu, quem avidissime expetebant, sed contra dolendi ex illa exaltatione quam impedire totius viribus conabantur. Jam vero prophetico sensu loquitur David in persona Christi et electorum, tum omnium, tum singulorum, quos in coelesti regno quasi exaltatos praevidebat, e quorum numero ipse quoque futurus erat. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*, idest, nunc vere te Domine cogitatione et voce exaltabo, cum ex mea exaltatione cognoscam sublimissimam altitudinem tuam: ex ima terra et profundo miseriarum, ex ipsa mortalitate suscepisti et exaltasti me ad gloriam resurrectionis et immortalitatis, atque adeo ad regnum coeleste, et sempiternum. *Nec delectasti inimicos meos super me*, quia non permisisti, ut potirentur desiderio suo, quo in sempiternum interitum meum anhelabant daemones et homines mali. Gavisi sunt quidem impii Judaei, cum a Pilato extorserunt sententiam mortis in Christum et non raro laetantur mali cum bonis, vel opibus, vel etiam vita spoliare possunt: sed eorum laetitia tam brevis est et tam longum adducit dolorem ut merito somnium potius laetitiae, quam vera laetitia dici debeat.

2. *Domine Deus meus clamavi ad te, et sanasti me.*
3. *Domine eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum.*

Revocat Propheta ad memoriam angustias suas quas ante regnum adeptum passus est, ut ostendat verum esse, quod paulo ante dixit: *nec delectasti inimicos meos super me, Domine Deus meus clamavi ad te*, cum in periculis mortis tam saepe versarer et ob id aegritudine animi contabescerem; sed tu Domine sanasti aegritudinem illam meam et a morte propinqua ita me liberasti, ac si ex ipso inferno me eduxisses. Illud autem, *salvasti me a descendentibus in lacum*, idem significat, sed est loquutio paulo obscurior. Sensus est, salvasti me, vel ut habetur ad verbum in hebraeo, חייתני *chiithani. vivificasti me a descendentibus in lacum*, idest excitasti me a mortuis: nam per descendentes in lacum intelliguntur mortui. Dicitur autem David excitatus a mortuis quia a morte propinqua, et certissima liberatus fuerat. At juxta propheticam intelligentiam, Christus plane ad litteram dicere potest *sanasti me*, idest vulnera mea

in cruce accepta et *eduxisti ab inferno*, idest, e limbo animam meam et *vivificasti me* per resurrectionem, atque ita a mortuis excitasti. Denique sancti omnes dicere poterunt, cum domus aeterna dedicabitur *sanasti me*, perfectissima sanitate corporis et animae *et eduxisti ab inferno animam meam* quia non permisisti, ut in infernum damnatorum descenderem et *salvasti* seu *vivificasti me a descendentibus in lacum*, quia vitam et salutem aeternam mihi donasti. Idem habetur in psal. 102. *Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam meam.*

4. Psallite Domino sancti ejus, et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Et David acceptis temporalibus beneficiis, et unusquisque sanctorum acceptis beneficiis aeternis parum esse judicans, si ipse solus Deo gratias agat, hortatur alios qui similia beneficia perceperunt ut Deum laudare non cessent. Illud, *confitemini memoriae sanctitatis ejus*, hunc sensum habet, confitemini confessione laudis, idest laudate memoriam sanctam ejus quod videlicet vestri memor fuerit memoria sancta, memoria pia, memoria paterna, non ad puniendum, sed ad justificandum: passim enim in lingua hebraica ponitur nomen substantivum in secundo casu pro adjectivo in primo casu. Quod enim frequenter legimus *in nomine sancto ejus*, vel *in templo sancto ejus*, in hebraeo est *in monte*, vel *in templo sanctitatis ejus*. Itaque s. Hieron. qui hoc loco posuit *memoriae sanctitatis ejus*, in psal. 97. versu ultimo posuit *memoriae sanctitatis ejus*. Et vero magnum est hoc Dei beneficium et memoria gratissima recolendum, quod cum nos, qui Dei ope semper indigemus, saepe obliviscamur illius, ille qui bonorum nostrorum non eget, semper recordetur nostri et praecipue recordatus sit, cum misit ad nos filium suum, Salvatorem mundi, quod ipsum idem David in psal. 8. miratur, cum ait, *quid est homo, quia memor es ejus?*

5. Quoniam ira in indignatione ejus et vita in voluntate ejus.

Reddit rationem, cur dixerit, laudandam esse memoriam sanctam, quam de nobis habet Deus. Ratio enim est, quia Deus, si nos punit, id facit *ex indignatione*, quam peccata nostra provocant, idest, ex justo judicio, sed alioqui in voluntate et electione ejus non est poena, sed vita. Itaque per iram intelligitur poena et castigatio, quae dicitur ira, quia est effectus irae: per indignationem, intelligitur justum Dei judicium, ut s. Basilius et alii exponunt. In hebraeo habetur, *quoniam momentum est in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus*. Sed septuaginta interpretes non videntur legisse, רגע *regah*, quod significat momentum, sed רגז *rogez*, quod significat iram, fortasse etiam legerunt, *ragah*, et verterunt iram, quia vox illa, non solum significat momentum, sed etiam scissionem, proinde intellexerunt, sensum esse, in indignatione Dei esse scissionem, idest occisionem et mortem, sed in voluntate Dei esse vitam: sed pro scissione posuerunt iram, quia saepissime in scriptura ponitur ira pro poena. Caeterum sensus etiam, quem ex hebraeo exprimit s. Hieron. non est contemnendus: vere enim respectu electorum, de quibus in hoc psalmo agitur *momentum est in indignatione Dei*, idest, brevissima et momentanea est indignatio Dei in electos peccantes, quia statim poenitentibus ignoscit, nam in voluntate ejus non est ira, sed vita. Porro haec omnia in Christum caput electorum mirifice quadrant. Nam *Pater filio suo non pepercit*, Rom. 8. sed tamen ira, idest punitio fuit in Christo ex indignatione contra peccata nostra, et fuit castigatio illa brevissima; sed vita et resurrectio Christi fuit plane ex voluntate et electione Dei.

6. Ad vesperum demorabitnr fletus, et ad matutinum laetitia.

Sanctus Hieronymus vertit *in matutino laus*; sed vox hebraea, רנה *rinna*, significat proprie *jubilationem*, sive *exultationem*, in qua est conjuncta laus cum laetitia; proinde non est discrepantia inter versiones. Sensus igitur est, unde probari, iram sive momentum, esse in indignatione Dei; sed in voluntate et beneplacito ejusdem esse vitam electorum suorum, quia post fletum ex castigatione et poenitentia natum, statim succedet laetitia et laus jubilationis ex remissione et reconciliatione: nam inter vespere et mane, idest inter noctem et diem nihil est medium. Recte autem tribuitur tempus nocturnum fletui et diurnum laetitiae, tum quia cum peccamus, recedit a nobis lux gratiae divinae, cum reconciliamur redit; tum quia tempus hujus vitae, in quo peccata deflemus, et prae desiderio patriae gemimus et suspiramus, tempus est nocturnum, quia non videmus Deum, qui est sol justitiae: tempus autem vitae futurae, *in quo exultabimus laetitia inenarrabili et glorificata*, ut loquitur s. Petrus, 1. epist. c. 1. tempus erit diurnum, quia videbimus Deum sicut est. Sed in Christo ad litteram impletum est hoc vaticinium: nam ad vesperam cum dolore mortuus est et in matutino cum laetitia resurrexit.

7. Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum.

Vicissitudinem irae et vitae, fletus et laetitiae quam demonstravit Propheta superioribus versiculis generatim; nunc demonstrat in particulari, loquens tum in persona sua, tum in persona electorum Dei. Ac primum in persona sua dicit, se antequam in regnum exaltaretur, aliquando tanta pace et bonorum temporalium copia abundasse, ut existimaret sibi illa perpetuo adfutura. Videtur autem respicere ad illud tempus, in quo post caedem Goliath Philistaei, ut habetur 1. Reg. 18. diligebatur a rege, a filio regis, atque ab omni populo, ita ut paulo post fieret tribunus et gener regis. De hoc igitur tempore dicit, *ego autem dixi in abundantia mea*, idest dum bonis omnibus abundarem, *non movebor in aeternum*, idest tam bene funda-

ta est haec foelicitas mea, ut semper duratura videatur.

8. *Domine in voluntate tuâ praestitisti decori meo virtutem.*

Reddit rationem, cur dixerit, *non movebor in aeternum*, atque id facit per apostrophen ad Deum quasi diceret, ideo dixi, *non movebor in aeternum*, quia tu *Domine praestitisti virtutem*, idest robur ac viros, *decori meo*, idest foelicitati meae, idque *in voluntate tua*, idest in beneplacito tuo, quia ita placuit tibi, ita voluisti et decrevisti. In hebraeo habetur *monti meo*, pro decori meo: sed septuaginta non legerunt, הרי *hareri*, idest *monti meo*, sed הדר *hadari*, *decori meo*, unica litera, eaque simillima mutata; et, ut saepe diximus, in ejusmodi vocum ambiguitatibus, videtur omnino praeferenda lectio septuaginta interpretum, et editionis vulgatae.

9. *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.*

Hic non declarat rerum vicissitudinem, quae tamen ex Dei providentia pendet. *Avertisti*, inquit, *faciem tuam a me*, idest paulo post, in medio cursu foelicitatis destituisti me favore tuo, et permisisti, ut in odium regis inciderem, *et factus sum conturbatus*: inde enim exilium, fuga, mortis periculum et alia mala exorta sunt. Sed haec omnia longe adhuc melius conveniunt in vicissitudines, quas patiuntur electi, cum peregrinantur in terris. *Ego autem*, inquit electus quilibet, *in abundantia mea*, idest, dum gratia Dei et spirituali consolatione abundabam, *dixi, non movebor in aeternum: etiamsi oportuerit me mori tecum non negabo*, dixit unus ex primariis electis, Matth. 26. *Domine in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem*, idest robur meum non ex me erat, sed ex te, quia tu praestiteras virtutem decori meo, idest, pulchritudo animae meae, quae ex luce sapientiae et justitiae oritur, a tuo adjutorio conservabatur. *Avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus*, idest ut punires praesumptionem meam, dimisisti meipsum mihi et continuo cecidi, et conturbatus sum. Quod attinet ad Christum, possunt hi tres versiculi tribui Christo, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, idest ut ea omnia dicat in persona membrorum suorum. Possunt etiam Christo tribui in persona propria. Nam quemadmodum ipse dixit in Cruce, Matth. 27. *Deus meus, ut quid dereliquisti me;* Ita dicere potest, *avertisti faciem tuam a me*, non aversione inimicitiae, sed aversione defensionis et auxilii tempore passionis. Itaque sensus erit, *ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum*, idest humanitas mea iniuncta prae omnibus consortibus suis abundantissimae gratiae, ipsi nimirum fonti gratiarum Deo hypostatice unita dixit: *non movebor in aeternum*, idest nihil mihi nocere, nihilque me perturbare poterit. *Domine in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem*, id est, quia tu Domine pulchritudini, et excellentiae meae, qua praesto omnibus hominibus et angelis, addidisti robur et potentiam, nodum videlicet insolubilem hypostaticae unionis, idque *ex voluntate tua*, cui nemo resistere potest. *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus*, idest nihilominus tamen manente, vinculo hypostaticae unionis, et illaesa pulchritudine gratiae, avertisti ad tempus pro salute hominum faciem tuam a defensione mea: voluisti, ut calix amarissimae passionis non transiret a me, sed biberem illum: ideo *conturbatus sum*, coepi pavere, taedere et moestus esse, et dixi, Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Neque hinc colligi debet, Christi animam aliquid ignorasse vel aliquid inopinatum ei contigisse: nam verum est, nihil ei nocere, vel eam turbare potuisse, nisi ipsa voluisset, sed admisit, in se furentium manus, et turbavit semetipsum. Et sicut Christus dixit ad Patrem, *avertisti faciem tuam a me*, ita dicere potuisset, averti faciem divinitatis meae ab auxilio humanitatis meae, et sciens et volens conturbatus sum.

10. *Ad te Domine clamabo, et ad Deum meum deprecabor.*

11. *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*

12. *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam?*

Haec omnia videntur accipienda pro tempore praeterito, neque est insolitum, ut apud hebraeos futurum ponatur pro praeterito. Itaque David in sensu historico dicit, se tempore tribulationis et periculi, clamasse ad Dominum, atque inter caetera allegasse, non esse utilem Domino mortem suam, quia mortuus non posset Deum laudare. *Ad te Domine clamabo*, idest cum te avertente faciem factus sum conturbatus, non desperavi de misericordia tua: sed ad te clamavi et deprecatus, dixi, *quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem*, idest, quid tibi Domine proderit effusio sanguinis mei, dum ego ab inimicis occisus, putrescam in sepulchro? Certe pulvis non confitebitur tibi confessionem laudis. Juxta sensum altiorem et propheticum, Christus in passione ad Dominum clamasse et orasse, se dicit, quod impletum fuit, quando, ut Apostolus loquitur ad Hebr. 5. *Cum clamore valido et lacrymis, preces obtulit ad eum, qui posset eum salvum facere a morte.* Tunc igitur ait, *quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* id est, quae utilitas erit gloriae Dei et saluti humani generis in sanguine meo in cruce effuso, dum caeterorum hominum more, corpus meum in sepulchro putrescit et corrumpitur? Nam *nisi Christus resurrexisset, inanis esset fides nostra*, ut dicit Apostolus 1. Corinth. 15. et neque ipse redivivus annunciasset Apostolis veritatem Dei, neque homines mortales qui sunt ex se pulvis et cinis, facti essent spirituales, et filii Dei, qui Domine confiterentur et annunciarent aliis hominibus veritatem, idest fidelitatem et justitiam Dei. Denique possunt haec eadem verba tribui singulis electis, qui post lapsum in culpam, poenitentia ducti, clamaverunt ad Deum

pro remissione peccati, ut possent Domino confiteri et annunciare aliis peccatoribus veritatem promissionum Dei.

13. *Audivit Dominus, et misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus.*

Ex hoc versiculo perspicuum est, verba versiculi decimi recte explicata fuisse pro tempore praeterito. Affirmat igitur Propheta tum in persona sua, tum in persona Christi et electorum, clamorem suum a Deo fuisse exauditum. In hebraeo legitur, *audi Domine, et miserere mei, Dominus esto adjutor meus.* Sed eaedem voces hebr. שמע יהוה וחנני יהוה היה עזר לי *scemah* ADONAI *vechonneni* ADONAI *heieh hozer li*, sub aliis punctis reddunt lectionem, quam nos habemus. Proinde certum est, septuaginta interpretes aliter legisse, quam s. Hieron. et hebraei posteriores legerint: neque dubitandum est, septuaginta interpretum auctoritatem in iisdem vocibus legendis praevalere debere.

14. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.*

Hic est effectus exauditionis David, ex misero exule rex potens effectus; Christus ex mortuis resurgens et de ipsa morte triumphans, electus quisque ex valle lacrymarum ad patriam coelestem perveniens justissime dicit *convertisti planctum meum in gaudium mihi.* In hebraeo, pro, *in gaudium*, est in chorum, sed per chorum hebraice, מחול *machol*, intelligitur instrumentum musicum. Sensus est idem; sed vox hebraea videtur paulo elegantius respondere voci praecedenti, ac si latine diceretur, *convertisti planctum in cantum.* Quod sequitur, *conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia*, significat mutationem vestis lugubris in vestem laetitiae convenientem. Dicit autem Propheta; conscidisti, et non exuisti, vel spoliasti, quia quod exuitur, remanet integrum; quod scinditur, destruitur, ut usui deinceps esse non possit. Itaque significatur hoc loco saccus miseriae vel mortalitatis, et passibilitatis plane destructus, ut numquam amplius usui sit futurus in sanctis, ac multo minus in Christo, qui *resurgens a mortuis, jam non moritur*, ut dicitur Rom. 6.

15. *Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi.*

Hic est ultimus finis gloriae Christi et sanctorum omnium, laus Dei, *beati qui habitant in domo tua Domine*; *in saecula saeculorum laudabunt te.* Illud, et non compungar, in hebraeo est, ולא ידם *velo iddom.* Psal. 83. *et non taceat*: ut sensus sit, ut gloria mea cantet tibi laudem, et gratiarum actionem et numquam taceat, numquam cesset a laude. Cui recte subjungitur, *in aeternum confitebor tibi*, idest semper laudabo, numquam silebo. Sed quamquam haec lectio satis cohaeret cum reliquis verbis, tamen idem vocabulum hebraicum, ידם *iddom* significat silere, et excidere sive succidere: et hanc significationem elegerunt septuaginta interpretes, et legerunt in prima persona, *et non compungar*, quod est idem cum eo *et non succidar.* Est autem sensus, cantet tibi gloria mea, et non gemitus meus, ex timore mortis, vel peccati: vel, cantet tibi gloria mea, et non amplius compungar aculeo mortis, vel peccati.

PSALMUS XXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem Psalmus David, pro Ecstasi.

In hoc titulo nihil est novi nisi illa vox Ecstasis, quae non habetur in hebraeo, et fortasse non est addita a septuaginta interpretibus, sed ab aliquo alio interprete: nam in quibusdam solum exemplaribus illam se invenisse Theodoretus testatur. Sanctus quoque Hieronymus eam non habet neque in versione sua ex hebraeo, neque in commentario, ubi exponit versionem septuaginta interpretum. Quicumque illam particulam addidit, eam accepit ex versiculo 28. hujus psalmi. *Ego autem dixi in excessu mentis meae.* Significat autem ecstasis mentis excessum, cum animus intendit in rem aliquam, ut quasi corpus proprium deseruisse videatur. Oritur autem iste excessus, vel ex divina aliqua revelatione, quae rapit mentem in arcanum aliquod intuendum, vel ex vehementi passione timoris, vel amoris. Hoc autem loco, videtur intelligenda ecstasis ex timore repentino, et maximo, quo David correptus fuit, cum audivit Absalonem filium et omnem populum contra se conspirasse. Quae historia habetur 2. Reg. 15. Videtur autem ad litteram psalmus de Davide fugiente per-

secutionem Absalonis intelligendus, ut Theodoretus, et Eutymius volunt. Sed potest etiam ad ecclesiam inter persecutionum angustias gementem, accommodari.

EXPLICATIO PSALMI XXX.

1. *In te Domine speravi non confundar in aeternum, in justitia tua libera me.*

David rex fugiens persequentem Absalonem, omni humano auxilio destitutus, ad Deum recurrit, ac dicit, *in te speravi*, et ideo confido quod numquam frustrandus mea spe sim, quia tu omnipotens et fidelissimus es. Igitur justa hanc spem meam, *libera me in tua justitia*, idest ob justitiam, qua impios punire soles, et innocentes liberare.

2. *Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.*

Quia persecutio urgebat, et amici David 2. Regum 17. per nuncios ei significaverant, ut non quiesceret; se fugere perseveraret, nisi opprimi vellet; ideo petit velociter exaudiri, et de imminenti periculo erui.

3. *Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias.*

Verba sunt clara, quia septuaginta interpretes exposuerunt verba metaphorica, quae sunt in codice hebraico, היה לי לצור מעוז *heieh li letsur mahoz*, et sic enim legitur ad verbum. *Esto mihi in petram fortissimam, et in domum munitissimam ad salvandum me.* Vocatur autem hoc loco petra fortissima, vel saxea rupes in sublimi posita, vel domus sive arx fortissimis lapidibus constructa: et tunc verba sequentia erunt explicatio praecedentium, ut sensus sit. Esto mihi o Deus, instar petrae durissimae, idest, instar domus, sive arcis munitissimae, in quam tuto confugere possim. Dicuntur autem omnia plane ad rem propositam aptissime. Nam David fugiebat per campestria deserti, ubi nulla arx, in quam confugere posset.

4. *Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me et enutries me.*

Hic etiam exposuerunt septuaginta metaphoras vocum hebraicarum: sic enim legimus in hebraeo, כי סלעי ומצודתי *chi salhi umtsudathi. Quoniam petra mea, et munitia mea tu es*, idest, sis tu mihi loco arcis lapidea, et munitae quoniam munitionem aliam habere non possum. Quod sequitur, *Et propter nomen tuum deduces me, et enutries me*, optime respondet historiae. David enim ob repentinam fugam, neque quo iturus esset sciebat, neque unde alimenta conquireret: unde divina providentia factum est, ut ei Siba occurreret cum ducentis panibus, et centum alligaturis uvae passae et duobus utribus vini. Itaque ait, *propter nomen tuum*, idest, in gloriam nominis tui deduces me ad locum tutum, et ad nutrimentum cibos providebis. Recentiores aliqui vertunt, *duces me, et duces me.* Quod mirum est, cum vocem hebraicam, נהל *nahal*, non solum septuaginta, sed etiam s. Hieron. tum hoc loco, tum in psal. 23. significare velint, *enutrire*, vel *sustentare*.

5. *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.*

Non solum, inquit, duces me ad locum tutum, et ibi enutries, sed etiam liberabis de insidiis, quas veluti laqueum absconditum tetenderunt mihi: vocat enim laqueum occultam conjurationem factam cum Absalone in Hebron contra se nihil tale metuentem, neque cogitantem. Ad illud, *quoniam tu es protector meus*, additur, Domine in textu Graeco, sed supervacaneum esse affirmat s. Hieron. in epist. ad Suniam et Fretellam.

6. *In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.*

Quamvis bona spe dixerit, *educes me de laqueo hoc*, tamen quia de vita nondum securus erat, addit, *in manus tuas commendo*, vel, ut habetur in hebraeo, אפקיד רוחי *aphkid ruchi*, et graeco textu παραθήσομαι τὸ πνεῦμα μου. *commendabo spiritum meum*, idest, curae tuae commendabo vitam meam. Quoniam tu saepe alias *redemisti me de morte*; tu, inquam, Domine quia es *Deus veritatis*, idest, Deus verissimus, vel Deus fidelissimus. Propter hunc locum suspicantur aliqui totum psalmum intelligendum esse de Christo: ipse enim in cruce pendens dixit, Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Sed etiamsi psalmus non intelligatur ad litteram de Christo, tamen potuit Dominus haec verba de hoc psalmo accipere cum spiritum suum Deo Patri commendare vellet: quomodo etiam s. Nicolaus moriens, hunc psalmum usque ad verba, quae nunc exponimus, pronuntiavit, et nos frequentissime iisdem verbis utimur. Certe verba illa ejusdem versiculi, *redemisti me Domine Deus veritatis*, non recte tribuuntur Christo, cum sit ipse redemptor, non redemptus. S. Augustinus Christo tribuit priora verba, *In manus tuas commendo spiritum meum*: posteriora tribuit populo Christiano, *redemisti me Domine Deus veritatis*: vult enim s. Augustinus in hoc psalmo frequenter mutari personas, et nunc loqui Prophetam, nunc vero Christum, nunc autem populum. Quod quidem recte, et pie dicitur, cum my-

stica explicatio quaeritur: sed cum sensus litterae investigatur, non videntur mutationes personarum intelligendae, ubi non est distinctio, sive interpunctio, quae notet finitam sententiam: hoc autem loco sine tali interpunctione continuantur verba totius versiculi in omnibus codicibus, hebraeo, graeco, et latino.

7. *Odisti observantes vanitates supervacue.*
8. *Ego autem in Domino speravi, exultabo, et laetabor in misericordia tua.*

Reddit aliam rationem, cur in manibus Dei commendaverit vitam suam: quia videlicet Deus odio habere soleat eos, qui non sperant in suo adjutorio; sed in rebus vanis, quae nullum auxilium adferre possunt. *Odisti*, inquit, *observantes vanitates*, idest, somnia vel auguria, vel responsa daemonum; quod fecit Saul qui consuluit pythonissam. Potest etiam nomine vanitatis intelligi industria, vel astutia humana, sive quodcumque consilium et auxilium hominum, quod sine Deo, vel contra Deum nullas vires habet, ideo additur *supervacue*, quia frustra nituntur homines in rebus vanis. *Ego autem*, inquit, non observavi, neque aspexi res vanas, ut in illis confiderem; sed *speravi in Domino*, et ideo *exultabo, et laetabor in tua misericordia*, quia nimirum sperantes in Domino misericordia divina non deserit. Ex hebraeo legunt recentiores, *odivi observantes vanitates*: et vere vox hebraea, שנאתי *sanethi*, significat odivi; sed septuaginta, et s. Hieron. legerunt, שנאת *sanetha*, quod significat, odisti: proinde mutatio textus facta est post tempora s. Hieronymi. Sensus semper est verus, sed melius cohaeret cum sequentibus nostra lectio; non enim recte conjungitur, *odivi vanitates*, cum illo, *ego autem speravi.*

9. *Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.*
10. *Nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.*

Allegat praeterea beneficia, ut gratum se ostendens, provocet Deum ad similia concedenda. Sensus est, *exultabo et laetabor in tua misericordia*, quoniam pignus habeo misericordiae, liberationem ex persecutione Saulis: tunc enim *respexisti humilitatem meam*, idest, abjectionem et afflictionem meam: haec enim omnia significat vox hebraea, עניי *honii*: *salvasti etiam tunc animam meam*, idest, de angustiis in quibus necessario haerebam, neque inde me eximere poteram: in Hebraeo ad verbum est, ידעת בצרות נפשי *jadahtha betsaroth nuphsci*, *Scivisti angustias animae meae*, sed sensus est idem: voluerunt enim Septuaginta non verbum verbo reddere, sed utcumque sententiam explicare. Idipsum reperitur, vel explicatur sequenti versiculo: *Nec conclusisti me in manibus inimici*, idest, non permisisti ut Saul, qui me quaerebat ad necem, voto suo potiretur; sed statuisti *in loco spatioso pedes meos*, idest, fecisti, ut ex angustiis, in quibus haerebam, liberatus ambulare possem, quocumque vellem quasi in aperto, et libero campo constitutus.

11. *Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.*

Ex recordatione praeteritorum beneficiorum orat pro futuris, et narrat calamitates suas. *Miserere mei Domine, quoniam tribulor*, idest, sicut alias cum tribularer misertus es mei, ita et nunc miserere mei, quoniam iterum me tribulatio invasit. Incipit deinde tribulationes praesentes enumerare. *Conturbatus est in ira oculus meus.* Illud, *in ira*, est ambiguum; nam potest intelligi de ira Dei, et de ira Davidis. Malim cum s. Augustino intelligere de ira Dei; constat enim ex lib. 1. et 2. reg. Davidem in persecutione Absalonis, et in omnibus aliis persecutionibus numquam excanduisse, sed mitissimum, et patientissimum semper fuisse. Itaque sensus erit, *in ira tua*, qua peccatum meum punis, *conturbatus est oculus meus*, idest, oculus corporalis prae lachrymis caligavit, vel, oculus interior obtenebratus est; conturbata est etiam *anima mea*, dum timore magno concussa est, et denique conturbatus est *venter meus*, venter, inquam, interior animae meae, idest, memoria, quae est receptaculum cogitationum. Ita breviter sanctus Propheta omnium trium animae partium meminit, dum per oculum intellectum, per animam voluntatem, per ventrem memoriam intelligi voluit.

12. *Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.*

Ad senium jam David perveneral, et vere dicit *defecisse vitam suam in dolore*, idest, aetatem consumptam in continuo moerore, *et annos in gemitibus.* Nam primis triginta annis persecutiones fere continuas passus est: deinde ad regni gubernacula admotus, primis septem annis bellum gessit cum progenie Saulis: postea multa bella gessit cum vicinis nationibus, tum cum proprio filio. Denique ipsa gubernandi sollicitudo, si quis non perfunctorie, sed cum timore Dei serio fungi velit officio, gemere facit sub onere.

13. *Infirmata est in paupertate virtus mea et ossa mea conturbata sunt.*

Praeter afflictiones totius vitae praeteritae, accessit haec ultima tribulatio, in qua propter inopiam debilitatus vires pristinas amisit. Idem enim significat *virtus infirmata est*, et, *ossa mea conturbata sunt*; nam per ossa intelligitur robur, sicut etiam per virtutem. Haec ad litteram verissima esse, historia lib. 2. reg. cap. 15. 16. et 17. aperte docet. Fugit enim David sine ullo commeatu, et perrexit ad loca deserta, nec solum pedibus sed etiam nudis pedibus iter fecit, unde postea ab amicis commeatu adjutus fuit. In hebraeo pro *paupertate*, legitur, בעוני *bahavoni*, iniquitate, et sic

vertit s. Hieron. *infirmata est in iniquitate virtus mea*: sed septuaginta non legerunt. עֲוֹנִי *havoni*, ut legit s. Hieronymus, sed, עֳנִי *honi*, in qua voce sunt eaedem literae una demptа, sed puncta diversa, et illud, *iniquitatem*, hoc, *paupertatem* significat. Uterque sensus est verus, nam etiamsi debilitas ex inopia alimentorum nata erat, tamen inopia illa ex iniquitate persequentium et iniquitas persequentium ex peccato Davidis, quod eo modo puniebatur a Deo, sine dubio procedebat.

14. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis.*

Explicat aliam calamitatem suam ex notissima persecutione exortam, quod videlicet coeperit despici a vicinis populis, qui audierunt tam turpem ejus fugam: et noti ejus, atque amici coeperint timere, ne si illi adhaererent, de vita periclitarentur apud Absalonem; si forte is victor evaderet. Quod attinet ad verba illud *super omnes inimicos meos* in hebraeo est, מִכֹּל צוֹרְרָי *miceol tzorerai*, quod potest exponi, *ab omnibus inimicis meis*, item, *apud omnes inimicos meos*: quae ultima expositio placuit s. Hieronymo, qui vertit ex hebraeo, *apud omnes hostes meos*: et videtur etiam placuisse septuaginta Interpretibus, nam verterunt παρὰ πάντας τοὺς ἐχθρούς μου, quod significat, *ad omnes, apud omnes*. Sed lectio latinae editionis concordat cum secunda intelligentia vocis hebraicae, quae est valde propria, idem enim est *prae omnibus*, et *super omnes*. Prima intelligentia placuit quibusdam recentioribus qui exponunt, *ab omnibus*, idest, propter omnes. Omnes intelligentiae habent rectum sensum; itaque si legas, *super omnes inimicos meos*, sensus erit, *ego factus sum opprobrium vicinis, et timor notis*, magis quam unquam has miserias passi sint ulli inimici mei, quamvis impii et injusti, et sic exponit s. August. Si legas, *apud omnes inimicos meos*, sensus erit, scientibus et ridentibus inimicis factus sum opprobrium vicinis meis, et timor notis meis, et hanc expositionem sequitur Theodoretus. Si legas, *ab omnibus inimicis meis* sensus erit, multitudo et saevitia inimicorum meorum effecit, ut essem opprobrium vicinis et timor notis. Illa conjunctio, *et* cum dicitur *et vicinis*, recte restituta est vulgatae editioni, nam adest in hebraeo, et graeco, et legitur ab antiquis patribus.

15. *Qui viderunt me foras fugerunt a me: oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.*

Declarat id quod dixerat, *et timor notis meis*, quasi dicat, multi ex notis meis qui viderunt me ita fugientem, et afflictum, *foras fugerent*, idest, longe a me recesserunt, timentes vitae suae, si mihi jungerentur. Atque ita *oblivioni datus sum a corde*, idest, cor eorum non recordatur mei, neque de me cogitat, non secus ac si mortuus et sepultus essem; existimant enim de me jam actum esse: in hebraeo habetur interpunctio post particulam foras, hoc modo, *qui viderunt me foras, fugerunt a me*; et ideo quidam legi volunt, *foris*, non *foras*, (vox enim hebraea בחוץ *bachutz*, utrumque significat) et sensum esse volunt, *qui viderunt me foris*, idest, extra palatium nudis pedibus, capite cooperto, sine ullo insigni regio, *fugerunt a me*. Sed quamquam haec etiam intelligentia recta sit, tamen non cogimur admittere interpunctionem codicis hebraici, quae addita, est a Rabbinis, cum in graeco nulla sit interpunctio et patres constanter legant, foras, non foris.

16. *Factus sum tamquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.*

Nec solum, inquit, amici, et noti obliti sunt mei, et me dereliquerunt; sed etiam apud vicinos, qui in circuitu habitant, contemptui habitus sum quasi *vas perditum*, idest, confractum, ad omnia inutile, quod vel inde patet, quia ego ipse vituperantes me audivi. Videtur autem hoc loco Propheta mentionem facere vituperationis Semei, qui in faciem illi maledicere, et in eum lapides jacere ausus est, nimirum existimavit, Semei. Davidem a regno ejectum nullius potentiae deinceps futurum, sed tamquam vas inutile in cloacam projiciendum. Maledictio haec describitur lib. 2. reg. cap. 16. Et quamvis in loco illo 2. reg. solius Semei maledicentis mentio fiat; tamen credibile est plures alios eodem tempore male loquutos fuisse de Davide, ut verum sit, quod hic dicitur, *vituperationem multorum*. In hebraeo, pro, commorantium, est, מָגוֹר *magor*, quam vocem s. Hieronymus vertit congregationem, alii vertunt pavorem: sed potest commode etiam verti commorationem: nam verbum, גּוּר *gur*, unde fit מָגוֹר *magor*, significat *commorari, incolere, peregrinari*, etc. itaque sensus erit, *audivi vituperationem multorum commorationem in circuitu*, idest, qui habent commorationem in circuitu: sed Septuaginta sententiam clarius vertere voluerunt, ideo posuerunt, *multorum commorantium in circuitu*.

17. *In eo dum convenirent simul adversum me accipere animam meam consiliati sunt.*

Narrat historia 2. reg. cap. 17. post maledictionem Semei, consilium initum coram Absalone, de Davide occidendo, atque hoc est, quod in hoc versiculo commemoratur; quasi dicat Propheta, dum in praesentia maledicor, et vituperantes me audio; in absentia consilium de me necando in Hierusalem initur.

18. *Ego autem in te speravi Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meae.*

Ostendit vir Sanctus, inter tot angustias, se non despondisse animum; propterea quod spem suam non potuisset in auxilio fallaci hominum, sed in

Deo omnipotente, cui nemo resistere potest. *Ego autem in te speravi Domine*, quare? quia *dixi* in corde meo *Deus meus es tu*, magnum habeo protectorem, sine cujus nutu nemo mihi vitam eripere potest. Nam *in manibus tuis sortes meae*, idest, sortes vitae, vel mortis meae non pendent a sorte, sed a manu tua, idest, a potentia, et voluntate tua. In hebraeo habetur, בידך עתותי *bejadecha hittothai, in manu tua tempora mea*; et fortasse, quod nunc legimus in graeco, κλήροι, quod significat *sortes*: legendum esset, καιροί, quod significat, *tempora*. Nam non desunt antiquae versiones ex graeco, quae habeant, tempora mea. Sic certe legitur in officio Missae non semel, et psalterio Ecclesiae s. Petri Romae. Sensus autem est idem: nam *in manu tua tempora mea* nihil est aliud, nisi a tua voluntate pendent tempora vitae, et mortis meae; non vivam, nisi quamdiu tu volueris, neque moriar, nisi quando tu volueris.

19. *Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me.*

In hoc versiculo nulla est difficultas, et concordant omnes editiones.

20. *Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua, Domine non confundar quoniam invocavi te.*

Eamdem petitionem inculcat, sed additis argumentis ad Deum flectendum appositis. *Illustra faciem tuam super servum tuum*, idest, ostende faciem tuam sive respice in me, haec enim omnia idem significant. Sicut enim propter peccata Deus nobis irascitur, et avertere dicitur faciem, sive nubem opponere, et nos non respicere; ita e contrario quando reconciliatur, dicitur convertere faciem, nosque respicere, et illuminare vultum suum super nos, ut nos luminosos efficiat. Petit igitur primum reconciliationem cum Deo, si forte adversus sit; et addit pro argumento, se servum ejus esse promptum ad ejus obsequium, et obedientiam. Addit deinde, *salvum me fac*, hoc enim sequitur post reconciliationem, ut salvum faciat, et liberet eum, qui reconciliatus sit, et adjungit argumentum, dicens, *In tua misericordia*, idest, non ob merita mea, sed ob misericordiam tuam addit postremo tertium argumentum, *non confundar, quoniam invocavi te*. Pertinent enim ad bonum, et fidelem Dominum, qui promisit auxilium confidentibus in se, ut non confundat eum, qui tanta fiducia ipsum invocare non cessat.

21. *Erubescant impii, et deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.*

Prophetica imprecatio est, et continuo adimpleta. Nam Achitophel, qui erat praecipuus consiliarius Absalonis, et consilium dederat perniciosissimum adversum David, dissipante Deo consilium ejus, confusus est, et non ferens confusionem suam, laqueo se suspendit, et sic ad infernum deductus est impius, et *muta facta sunt labia dolosa*. Habetur historia lib. 2. reg. cap. 17. Vocatur autem Achitophel *impius*, quia filium ad necem patris concitabat: et labia ejus recte dicuntur dolosa quia simulaverat longo tempore, se amicum et fidelem Davidi, et postea oblata occasione perfidiam suam prodidit. In hebraeo, pro *deducantur*, habetur ידמו *iddemù*. quod s. Hieronymus vertit, *taceant*: sed Septuaginta non videtur legisse, ידמו *iddemù*, sed ידחו *iddechù*. quod significat *expellantur*, a verbo, נדח *nadach*.

22. *Quae loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et abusione.*

Haec verba conjunguntur in hebraeo cum superioribus in eodem versiculo: in nostra editione constituunt novum versum, sed quoad sensum pendent a superioribus; declarant enim labia illa dolosa Achitophelis iuste obmutescere debuisse; quia *loquebantur contra justum*, idest, contra Davidem qui nullam injuriam fecerat, neque ipsi Achitopheli, neque Absaloni; et loquebantur *iniquitatem*, idest, consilium iniquitate plenum, *et hoc in superbia et abusione*. idest, cum maxima arrogantia, et *contemptu*. Pro abusione, tam in hebraeo ובוז *vabuz*, quam in graeco ἐξσδενωσει, est vox significans *contemptum*; et sic legunt s. Augustinus, et psalterium s. Petri. Proinde abusio in latina editione, non est accipienda pro simpliciabusione, sed pro ea quae nascitur ex contemptu, sive pro ipso contemptu: dicitur enim Achitophel, hoc loco, *loquutus sum in superbia et abusione*, quia superbe contemnebat Davidem, et sic abutebatur ejus nomine.

23. *Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te!*

24. *Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.*

Jam Sanctus Propheta exauditum se sentiens, ac divina consolatione percepta, exclama, prae admiratione, *quam magna multitudo*, etc. In Hebraeo solum habetur, מה רב טובך *moh rab tubecha, quam multa bonitas*, sive *dulcedo tua*: sed Septuaginta explicare voluerunt admirationem Prophetae, ideo dixerunt, *quam magna multitudo dulcedinis*, etc. Sed quia videtur quaedam contradictio in his verbis, cum primo dicat *quam abscondisti*, et deinde, *quam perfecisti in conspectu filiorum hominum*, ideo s. Augustinus conjungit illud, *in conspectu filiorum hominum*, non cum verbo, *qui sperant*, ut sensus sit, Deus abscondit multam dulcedinem timentibus se; quam eis daturus est in alia vita, nunc interim sinens eos angustiis premi: eam vero dulcedinem *perfecit sperantibus in se in conspectu filiorum hominum*, idest, iis qui libere ostendunt hominibus, se esse Dei servos, et sperare in Deo et non timent confiteri id quod sunt. Theodoretus, et Euthymius volunt conjungi illud. *In conspectu filiorum hominum*, cum verbo, perfecisti, et hunc sensum tra-

dunt, Deus tempore tribulationis abscondit a timentibus se magnam dulcedinem, idest, mercedem, et praemia, ut eos exerceat: sed paulo post eamdem mercedem, et eadem praemia palam ostendit in conspectu filiorum hominum, ut servos suos bene sperare jubeat. Sic ad tempus David abscondit dulcedinem, cum videlicet is fugeret filii persecutionem: sed paulo post perfecit illi suam bonitatem, cum eum reduxit in regnum cum maxima gloria. Id ipsum accidet omnibus justis, quibus nunc absconduntur praemia, sed in die judicii palam apparebunt. Potest adferri etiam alius sensus: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te*, idest, vere multiplex est consolatio tua Domine, quam infundis intus in absconditio cordis timentium te, idest, eorum, qui te colunt et diligunt, et filiali timore venerantur. Hoc est enim *manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, ut in Apocalypsi cap. 2. legimus. Hoc experiebatur qui dicebat, psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuae laetificaverunt animam meam*; et ille 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo in omni tribulatione nostra.* Et si tempore tribulationis tanta est multitudo dulcedinis in corde militantis, quanta erit tempore gloriae in corde triumphantis. *Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum*, id est, eam dulcedinem perfecisti, perfectam, cumulatam, copiosissimam infudisti in corde sperantium in te, qui videlicet renuunt consolari nisi in te: hoc autem totum fecisti *in conspectu filiorum hominum*, idest, ex adverso, sive ex opposito filiorum hominum, idest, quanto illi magis multiplicant dolore exterius, tanto magis tu multiplicas consolationes interius. Nam vox hebraea, נֶגֶד *neghed*, et graeca ἐναντίον, proprie significat e regione, sive ex opposito, ut etiam notavimus in psalmo 23. proinde, ut verbum hebraicum concordet cum latino, et graeco, illud, *in conspectu*, non tam referendum est ad visionem, quam ad oppositionem: illa enim dicuntur esse inter se in conspectu, quae e diametro opposita se respiciunt. Sed et illud praeterea verum est, hanc dulcedinem infundi in cordibus timentium Deum *in conspectu filiorum hominum*; idest, videntibus et stupentibus filiis hujus saeculi, qui filios Dei suis persecutionibus vexant: nam quamvis filii hominum, idest, carnales homines non norint illam dulcedinem, imo ne suspicari quidem possint qualis sit, cum palatum animae nimis infectum habeant, tamen vident effectum ejus, dum intuentur, et obstupescunt patientiam, mansuetudinem, hilaritatem, et pacem sanctorum. Sic igitur miro modo datur sanctis abscondita quaedam dulcedo in conspectu filiorum hominum, dum ea dulcedo in se latet, et in effectibus patet.

25. *Abscondes eos in absconditio faciei tuae, a conturbatione hominum.*
26. *Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.*

Declarat modum quo sancti viri dulcedinem Dei in tribulatione percipiunt: id enim fit, cum sancti per amorem, et contemplationem rapiuntur in Deum, et in ipso Deo inveniunt domum refugii: juxta id quod in hoc eodem psalmo dicitur. *Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii:* qui enim in Deo delitescere norunt, nihil faciunt omnes tribulationes, ac si ad eos minime pertinerent. *Abscondes* inquit, *eos*, videlicet timentes te, *absconditio faciei tuae*, idest, in loco abdito, quod est in facie tua: nam qui raptus est ad contemplandam faciem Dei, et qui se a Deo videri attentissime cogitat, quique observat nutus Dei; et qui pulchritudinem ejus considerans accenditur in ejus amorem, jam habitat in latibulo tutissimo a conturbatione hominum, idest, ab omni malo, quod homines conturbare solet. *Proteges eos*, idest, eosdem timentes te, *in tabernaculo tuo*, idest, in teipso, in quo tu habitas. Deus enim non habet aliam domum, sive aliud tabernaculum in quo capi possit, nisi seipsum; et qui per amorem et contemplationem in Deo habitant, altissimum posuerunt refugium suum, non accedet ad eos malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo eorum, ut dicitur in psalmo nonagesimo. Proteguntur autem in hoc tabernaculo ab omni malo, non solum factorum, de quo dictum est in superiori versiculo, sed etiam verborum, quod hic dicitur, *a contradictione linguarum*, quia nihil curant sermones hominum, qui Deum testem habent. Quod si facies Domini tam insigne latibulum sive tabernaculum est hominibus timentibus Deum, dum per speculum et in aenigmate cernitur: quid erit quando videbitur sicuti est? tunc vere habitatio nostra erit in Hierusalem, quae est visio pacis, de qua dicitur psal. 147. *Qui posuit fines tuos pacem.*

27. *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.*

Quae dixerat generatim de consolatione divina, quam viri justi in tribulatione percipiunt: applicat ad se, qui unus est ex illis, et inde gratias agit Deo. *Benedictus*, inquit, *sit Dominus quoniam mirificavit*, idest, mirabilem *misericordiam* erga me ostendit, *in civitate munita*, idest, abscondens me in absconditio faciei suae; quod est veluti civitas munitissima, ut jam mihi nihil nocere possit. s. August. legit, *in civitate circumstantiae*, in quo nescio quos latinos codices sit sequutus. Nam vox hebraea, מָצוֹר *matsor*, munitionem significat: vox graeca περιοχὴ. *ambitum* designat, atque inde s. Augustinus *circumstantiam*, accepit: sed Theodoretus et Euthymius graeci auctores, intelligunt per *ambitum*, moenia, sive aggeres, quibus civitates muniuntur, ut sensus sit, *In civitate ambitus*, idest, in civitate moeniis, vel aggeribus munita. Et s. Hieron. non solum in versione ex hebraeo, sed etiam in commentario, ubi exponit versionem Septuaginta, legit, *ix civitate munita.*

28. *Ego autem dixi in excessu mentis meae, projectus sum a facie oculorum tuorum.*

Accusat ipse se diffidentiae, quam passus fuerat initio persecutionis. *Ego autem dixi in exces-*

su mentis meae, idest, ex tempore quo prae nimio terrore quasi mentis inops factus eram, dixi apud me, *Projectus sum a facie oculorum tuorum*, idest, non placet tibi, ut amplius regnem; vel ut diutius vivam, ideo abjecisti me a benigno aspectu tuo, et favore, atque auxilio tuo solito me destituisi. Extat dubitationis hujus vestigium in lib. 2. reg. cap. 15. *Si invenero gratiam*, inquit, *in conspectu ejus reducet me*; *si dixerit mihi, non places, presto sum, faciat mihi quod bonum est coram se*. Pro voce, in excessu mentis, in hebraeo est, בחפזי *bechophzi*, quod ad verbum significat, in festinando me, idest, dum *festinarem*, sive, in obstupescendo et pavendo me, idest, dum obstupescerem et paverem: nam verbum, חפז *chaphaz*, significat festinare, et obstupescere, ac pavere, et omnia sunt vera; nam David illud dixit, cum festinaret egredi ex Hierusalem, et pavore ac stupore correptus esset. Hunc stuporem graeci verterunt, *ecstasim*, et latini *excessum mentis*.

29. *Ideo exaudisti vocem orationis meae dum clamarem ad te.*

Sententia perspicua est. *ideo*, inquit, ne diffiderem de bonitate tua, cum me in tanta consternatione videres, continuo *exaudisti vocem orationis meae*, *dum clamarem ad te*. Illud, *ideo*, posset etiam verti, vere, sive certe, est enim adverbium multa significans.

30. *Diligite Dominum omnes sancti ejus, quoniam veritatem requirel Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.*
31. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino.*

Hortatur in fine psalmi homines pios, qui similia patiuntur, ut non cessent diligere Dominum, atque in eo sperare, quoniam etiam si ad tempus impii videantur impune grassari, tamen brevi poenas acerbissimas dabunt. Illud *veritatem requiret Dominus*, s. Hieronymus vertit *servat Dominus*: vox hebraea, אמונים *emunim* utrumque significat *veritatem et fidelitatem*; et etiam *fideles*, et sensus in idem recidit. Illud *abundanter* על יתר *hal iether*, in hebraeo et latino ambiguum est, utrum conjungi debeat cum verbo *retribuet*, an cum verbo, facientibus: sed ex graeco apparet conjungendum esse cum verbo facientibus, et eodem modo s. Hieronymus vertit ex Hebraeo, *retribuet*, inquit, *his qui satis operantur superbiam*; et s. Augustinus, *retribuet his, qui multum superbiunt*; eodem modo Theodoretus, et alii veteres.

PSALMUS XXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipse David intellectus.

Hic titulus indicat Davidi post commissum peccatum, per Dei gratiam apertos fuisse oculos mentis, ut intelligeret, quam graviter deliquisset, quod antea carnali delectatione occaecatus, intelligere non potuerat. Indicat etiam idem titulus, psalmum esse obscurum, atque ad eum penetrandum dono intelligentiae opus esse. Jure hic idem psalmus a sancto Gregorio, et aliis inter septem poenitentiales numeratur, cum totus consumatur in peccato proprio deflendo et in cohortandis hominibus ad poenitentiam.

EXPLICATIO PSALMI XXXI.

1. *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.*
2. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.*

Nemo melius novit, quam dulcis sit sanitas, quam is, qui amissam deflet. Propheta David tunc primum vero agnovit, quam dulce sit carere peccatis, quando amaritudinem peccati gustavit. Haec est causa cur psalmum poenitentiae ordiatur a laude indulgentiae, et innocentiae: haec enim sanam reddunt animam, et opponuntur aegrotationi, quae contrahitur ex peccatis. Incipit ab indulgentia, tum ut a minoribus ad majora progrediatur, tum quia illa erat recentissima ejus sanitas. *Beati quorum remissae sunt iniquitates.* Exclamatio est et praedicatio boni, quod est indulgentia, quasi dicat, O quam sunt illi felices, qui posteaquam peccaverunt, non despiciuntur a Deo, sed per gratiam ejus excitati, convertuntur ad poenitentiam, et perveniunt ad indulgentiam. *Et quorum tecta sunt peccata*, idem repetitur aliis verbis, nam peccata cum remittuntur, absconduntur, et teguntur, ut nusquam appareant; sed de hac voce paulo post

plura dicemus. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Transit ab indulgentia, quae est multorum, ad innocentiam, quae est paucissimorum, ac dicit, O vere beatus, ac felix quicumque ille est, qui nihil fecit, quod in peccatum reputari potuerit, cui proinde Dominus, cujus rectissimum judicium est nihil omnino ad peccatum imputavit! Nec solum facto non peccavit, sed *nec dolus inventus est in spiritu ejus.* idest, neque verbo, neque cogitatione peccavit: spiritus enim ad utrumque spiritum referri potest, ad illum, quo sapimus, et dicitur cor, aut mens, et ad illum quo loquimur, et dicitur spiritus oris sive labiorum. De priore dicit Apostolus, 1. Cor. 2. *Quis enim scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* De posteriore, 1. Cor 14. *Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente.* Porro innocentiam hoc loco intelligimus, non naturalem, vel operibus propriis sine dono Dei acquisitam, quae nulla est; sed eam, quam Deus paucis quibusdam singulari gratiae suae dono impertivit, quibus ita remisit peccatum aliena voluntate contractum, idest, originale, ut non permiserit eos peccatum mortiferum propria voluntate committere: quod est genus excellentius remissionis. Proinde omnis innocentia annexam habet remissionem aliquam peccati, et de omnibus. Christo excepto, dici potest, *omnes peccaverunt, et egent gratia Dei.* Itaque Apostolus ad Rom. 4. hunc psalmi locum adducit, ad probandum, neminem justificari ex operibus praecedentibus gratiam; et ait, *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundum propositum gratiae Dei: sicut et David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus, beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Quibus verbis Apostolus Prophetam exponit, ac dicit, Davidem non vocare beatos eos qui propriis operibus justitiam adepti sunt, sed eos, quibus Deus per gratiam peccata remisit, justitiamque donavit. Porro videtur mihi Propheta singulares quosdam homines respexisse, cum ait, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, etc. videlicet sanctum Job, qui de se ait cap. 27. *Non recedam ab innocentia mea: justificationem meam, quam coepi tenere non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Item Abelem, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, quorum nulla peccata in scripturis leguntur. Fortasse etiam in spiritu praevidebat Hieremiam, et Joannem Baptistam in utero sanctificatos, et ipsam Deiparam Virginem excellentiori privilegio, a peccato originali, et ab omni actuali praeservatam. Quod attinet ad verba, in hebraeo habetur in singulari, אשרי נשוי פשע *ascre nesui peschah, Beatus, cui remissa est iniquitas, et cujus tectum est peccatum*: sed mutatis punctis, potest legi, *beati quorum remissae sunt iniquitates*, quam lectionem esse verissimam, satis magno argumento nobis est editio Septuaginta ab Apostolo confirmata. Rursus in codice graeco habetur, ἐν στόματι αὐτοῦ *in ore ejus* pro eo quod est in Hebraeo, *berucho*, et in latino, in spiritu ejus: sed s. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam testatur, illud in ore ejus, esse ex translatione Symmachi; Septuaginta vero, et omnes alios Interpretes vertisse, *in spiritu ejus*, ut in hebraeo. Haeretici hujus temporis, tria falsa dogmata ex his versiculis statuere conantur: ac fortasse Spiritus sanctus ideo titulum fecit huic psalmo, *intellectus*, quia praevidebat a multis perperam intelligendum. Dicunt igitur illi, justificationem in solo peccatorum remissione, non in justitiae infusione consistere. David enim absolute dicit, *beatos*, idest justos, *quibus sunt remissa peccata.* Addunt praeterea, hanc ipsam remissionem peccatorum, non esse remissionem peccatorum veram, sed imputativam, quia videlicet Deus non tollat peccata, sed tegat, et non imputet. Denique colligunt ex hoc loco, nullam esse necessariam satisfactionem post remissionem culpae: quia si poenam, quamvis temporalem, exigeret Deus ab homine justificato, non vere diceret se non imputare peccatum; quomodo enim non imputat, si punit? Sed Propheta sanctus, qui in titulo posuit, intellectus David, intelligebat omnino remissionem peccati non fieri a Deo sine infusione justitiae, ac per hoc intelligebat per justificationis gratiam homines fieri ex impiis, non solum non impios, sed etiam vere justos: sicut enim sol corporalis non expellit tenebras nisi lucem infundat; sic etiam sol justitiae, et Pater hominum non remittit peccata, nisi per gratiam sive justitiam, quam infundit. Quare sanctus Paulus ad Rom. 4. citans hunc locum psalmi, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, ita loquitur: *Sicut et David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus*: quibus verbis Apostolus indicavit, in remissione, seu non imputatione peccati vere includi justitiam. Sed tam prior, quam posterior error adhuc apertius refellitur in declaratione vocum, tegi, et non imputari. Dicuntur enim peccata tegi hoc loco, non quod sint, et non videantur, sed quod abolita sint, et eorum loco justitia successerit: et ideo vere tecta sint, et abscondita etiam oculis Dei, cui nihil tegi, vel abscondi potest eorum, quae usquam extant. Quocirca idem Propheta variis metaphoris utitur ad remissionem peccatorum significandam, ut quod uni deest per alteram suppleatur. Sed illa praeter caeteras insignis est in psalmo 50. *Asperges me Domine hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.* Quo loco dicitur peccatorum remissio non solum tegere maculam, sed vere abluere, et non solum vere abluere, sed addere nitorem: nec solum tollere nigredinem, sed addere albedinem tam veram, ut nivis candorem superare dicatur: quid est autem tollere maculam, et addere nitorem nisi tollere peccatum et infundere gratiam? quid auferre nigredinem, et ponere candorem, nisi auferre injustitiam et donare justitiam? Quod idem legimus in primo cap. Isaiae. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Porro sancti patres Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum; Augustinus, et Gregorius Papa in commentario hujus psalmi, ut

ostendant peccata tegi,non esse manere et non videri, sed plane tolli, ut ideo non videantur, quia non sunt; dicunt peccata tegi a Deo in justificatione, quomodo vulnera teguntur emplastro a medico, per quod emplastrum ita vere curantur, et tolluntur, ut nusquam appareant. Origenes quoque lib. 4. in epist. ad Rom. et Theodoretus, in hunc locum dicunt his vocibus significari, peccatum ita funditus eradicari, ut ne vestigium quidem remaneat. Jam vero quod attinet ad vocem imputationis toto coelo aberrant adversarii. Peccata enim non imputari in Scripturis sanctis est, non adscribi ad reatum, sive non referri in rationes, vulgo Italice dicimus, *Non si mettere a conto.* Sap. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* idest, quis exiget a te rationem si perierint omnes homines? vel quis te ob hoc reum faciet? et Ezechielis 33.de peccatore poenitente dicit Deus, *Omnia peccata quae peccavit,non imputabuntur ei*, idest, non reddet rationem de eis. 2. Paralip. 30. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, et non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt*, idest, facile condonabit, nec revera exiget rationem, de eo quod minus parati sint, Job 42. *Ut non imputetur vobis stultitia.* 2. Timoth. 4. *Omnes me dereliquerunt, non illis imputetur*: et in epist. ad Philemonem. *Si aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa, ego reddam*, idest, adscribe rationibus meis, ego debitor tuus esse volo. Caeterum duobus modis potest non imputari peccatum. Primo, si revera aliquis non peccaverit, et proinde nihil debeat: et hoc modo intelligitur id, quod ex libro Sapientiae citavimus. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Nam etiamsi perirent omnes homines, non culpa Dei perirent,proinde non posset hoc imputari Deo. Et eodem modo nos supra exposuimus verba Davidis, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, idest, qui nihil mali propria voluntate fecit, ob quod reus ac debitor sit coram Deo. Secundo, si peccatum remissum, et condonatum fuerit, ut jam non sit, quod imputetur: et sic intelliguntur omnes aliae sententiae supra citatae: et sic etiam multi intelligunt locum psal. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, idest, beatus vir, a quo Deus non vult exigere rationem peccati, quia jam illud remisit, et donavit; et hanc expositionem non rejicimus, sed superiorem anteponendam existimamus, quia melius continuatur cum verbis sequentibus: *Non est in spiritu ejus dolus.* Tertius modus imputationis, quem finxerunt haeretici, ut non imputari peccatum, sit peccatum quidem haerere in anima peccantis, sed non reputari peccatum a Deo, nullo exemplo Scripturae probari potest, sed apertissime potius improbatur, cum Scriptura dicat, tum alibi,tum psalm.5.*Odisti omnes, qui operantur iniquitatem,perdes omnes qui loquuntur mendacium*:-nam si Deus odit, et vult perdere iniquos, certe dum manet in eis iniquitas, imputatur eis peccatum. Et quis credat Deum justum judicem,et qui non accipit personas, non imputare peccatum, sed imputare justitiam eo tempore, quo homo adhuc in sordibus peccati versatur, et quidquid agit, ex Lutheranorum placitis peccatum est? Pulchre sanctus Justinus Martyr in dialogo cum Triphone refellens errorem similem errori Lutheranorum, ait *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, idest, cui poenitenti Deus peccata remittet, non sicut praedicatis vosmetipsos fallentes,et alii quidam vestri similes asseverant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum noverint, non reputabit eis Dominus peccata:haec ille.Hoc quod diximus de non imputatione peccati, potest ostendi ex contrario ex imputatione justitiae. Nam imputari justitiam in Scripturis,non est reputari hominem justum, cum re vera justus non sit; sed est reputari justum divino judicio, quod falli nequit,eum qui verissime justus sit.Siquidem illud Gen. 15. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam*, quod allegatur ab Apostolo Paulo ad Rom. 3. et ab Apostolo Jacobo cap. 2. nihil aliud significat, nisi actum illum credendi fuisse in Abrahamo opus justum, et pro tali reputatum a Deo. Et illud psalmi 105. *Stetit Phinees, et cessavit quassatio,et reputatum est ei ad justitiam in generatione et generationem usque in sempiternum*, quid aliud significat, nisi zelum illum Phinees, quo interfecit impios quosdam,fuisse opus justissimum, et a Deo pro tali habitum, ut propterea confirmaverit filiis et nepotibus Phinees Sacerdotium in longissima tempora. Eodem pertinet illud quod est in cap. 4. ad Rom. *Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Quid enim hoc est, nisi mercedem juste deberi ei, qui operatur opus dignum mercede? non igitur imputari est reputari ac si esset, sed reputari sicuti est. Et quod in eodem loco saepius repetit Apostolus, *fidem reputari ad justitiam*, non significat fidem non esse, sed reputari justitiam: sed significat fidem per charitatem operantem verissimam esse justitiam, non ex operibus gratiam praecedentibus acquisitam, sed a Deo donatam et infusam, ideo pro vera justitia a Deo reputari, et acceptari. Sic igitur peccatum non imputari, non significat, peccatum manere, sed non puniri: sed significat nihil esse in homine justificato, quod in peccatum reputari possit. Ex his facile intelligitur unico verbo solvi posse, quod Lutherani objiciunt de satisfactione: nam si non imputetur peccatum, quia innocenter aliquis vixit, non mirum erit, si nulla satisfactio requiratur ab eo, cui hoc modo peccatum non imputatur: sin autem non imputatur,quia remissum est per gratiam; tum si remissum fuerit quo ad culpam et poenam aeternam, non imputabitur ad culpam et poenam aeternam, sed adhuc imputabitur ad poenam temporalem: sicut factum videmus in Davide, cui dictum est a Propheta.*Dominus transtulit peccatum tuum a te, non morieris; sed quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius, qui natus est tibi, morietur.* Ubi videmus non imputari peccatum quo ad mortem propriam et imputari quoad mortem filii,et Davidem fuisse justificatum,et tamen debuisse dolorem magnum de morte filii tolerare,in poenam peccati commissi.Quod si aliquando peccatum remittatur omnino quoad omnem poenam, tunc etiam non imputabitur ad ullum reatum vel debitum.

3. *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.*

Proposita beatitudine justificatorum, deflet miseriam suam, quasi dicat: Illi quidem sunt beati, sed ego miser sum, qui non solum innocentiam non servavi, sed longo tempore distuli per confessionem peccati indulgentiam quaerere; et ideo post agnitam culpam meam, coepi tam assidue clamare et rugitu me ipse macerare, ut debilitata sint, et attrita ossa mea, idest, fere consumptum omne robur meum. *Quoniam tacui*: re vera longo tempore David peccatum adulterii tacuit, imo multis artibus occultare conatus est: primo enim Uriam multis modis inducere tentavit, ut cum uxore propria dormiret; ut filius ex adulterio conceptus, ipsius Uriae proprius putaretur. Et cum Urias ad domum propriam accedere nollet, adjecit David crimen homicidii, ut Uria sublato, et illius vidua in uxorem continuo ducta, partus qui post novem menses expectabatur, crederetur esse Davidis non adulteri, sed mariti. Nec tamen vidua illa in uxorem assumpta, continuo confessus est, sed expectavit ut filius nasceretur. Et ne tunc quidem peccatum deflere coepisset, nisi a Propheta Nathan admonitus fuisset. Itaque annum fere integrum et fortasse etiam diutius David in coeno peccati jacuit, et confessionem distulit. Propterea dicit, *quoniam tacui*, et non continuo peccatum confessus sum, sed abscondere, et occultare volui, ideo *Inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die*, idest, post agnitum peccatum tota die pro indulgentia clamare coepi, et tam diu, ac tanto affectu clamavi, ut ossa mea debilia et vetusta facta sint. Vox hebraea, בלו *balu*, significat *inveteraverunt*, et etiam consumpta sunt, sive attrita sunt, ut vertit sanctus Hieronymus, proinde illud, *inveteraverunt*, non est referendum ad tempus, sed ad debilitatem: quomodo accipitur illud Thren. 3. *Vetustam fecit pellem meam*, idest, attritam, nigram, etc. Illud etiam *dum clamarem*, in hebraeo ad verbum est, בשאגתי *besciaagathi, dum rugirem*, ex quo intelligimus clamorem illum fuisse clamorem doloris, et compunctionis, qui recte rugitus dici potest, non autem clamorem exultantis in peccato, vel superbe jactantis peccata sua, ut aliqui exponunt. Neque putamus fuisse rugitum ex corporali morbo, ut alii volunt: non enim scriptura prodit Davidem aegrotasse illo tempore: et aliquid sine scripturae testimonio affirmare divinare est; sed rugitum poenitentiae, ut cum Theodoreto nos exposuimus.

4. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in aerumna mea dum configitur spina.*

Multa mala propter peccatum Davidi contigerunt nam filius natus ex adulterio infans mortuus est, et filia nomine Thamar ab Amon fratre per incestum polluta est, et idem Amon ab Absalone fratre occisus est, et Absalon adversus patrem dimicans, et ipse caesus est; quae omnia summos dolores Davidi attulerunt, ut 2. lib. Regum narrat historia. De his igitur divinis flagellis dicit, *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua*, idest, assidue, sine intermissione flagella super me ingeminare non cessas: dicitur enim gravare manus super aliquem, qui non leviter eum, sed graviter percutit. *Conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina*, idest, propter hujusmodi flagella conversus sum ad cognitionem gravitatis peccati mei in aerumna mea, dum spina tribulationis configitur mihi, idest, tribulatio, atque aerumna mentis oculos aperuerunt, quos carnis illecebra et voluptas clauserant. Posset etiam per spinam intelligi cum sancto Hieronymo stimulus conscientiae, ut sensus sit, *conversus sum in aerumna mea*, dum stimulus conscientiae pungit. In hebraeo et graeco additur *mihi*, *dum configitur mihi spina*: ideo in latino subintelligi debet. In hebraeo habentur alia verba atque alius sensus, *conversus est viror meus in siccitates aestatis*, idest, omnia mea bona perierunt, quomodo viror, et humor in aestate solis ardore siccatur et perit. Sed Septuaginta legerunt aliter, quam nunc habeatur in codicibus hebraicis: nam pro, נהפך לשדי *nehephach lesciaddi, conversus est viror meus*, legerunt, נהפכתי לשדי *nehephacti lescioddi*, quod est, *conversus sum in aerumna mea*, et sic etiam legit sanctus Hieronymus, qui vertit ex hebraeo, *versatus sum in miseria mea*. Illud vero quod sequitur, בחרבוני קיץ *becharbone kaits*, in siccitates aestatis, legunt Septuaginta, בחורבוני קורץ *becharboni kots*, *dum adurit me spina*, quod idem est cum eo, quod nos habemus, *dum configitur spina*, dum enim configitur spina certe adurit, et vastat, quod significat verbum, חרב *charab*. Itaque minima mutatione punctorum, et unius vel alterius literae similis, videmus inveniri posse lectionem, quam septuaginta Interpretes habuerunt; veriorem autem esse lectionem, quae erat in codicibus septuaginta Interpretum, ea, quae nunc est in codicibus nostris, quibus Rabbini puncta addiderunt, dubitare non possumus.

5. *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.*

Ex conversione ad cognoscendam peccati magnitudinem, de qua dixit in versiculo superiori, factum est, ut peccatum suum non amplius taceret, neque occultaret, sed palam confiteretur Deo, et hominibus. In hebraeo habetur in futuro, אודיעך *hodiahacha, cognitum faciam*, sed ponitur futurum pro praeterito, cujus temporis est verbum, quod sequitur, כסיתי *chissithi, abscondi*. In graeco non habetur *tibi*, sed in hebraeo habetur, et in graeco subintelligitur. Porro illud, cognitum tibi feci, non significat Deo fuisse ignotum, antequam David illud confiteretur, sed loquitur more humano. Judex enim etiam si sciat delictum rei, quia ipse vidit fortasse illud committi; tamen non dicitur scire juridice, nisi reus ex testimonio plurium testium sit convictus, aut ipse reus aperte confiteatur, adactus fortasse ad confessionem per tormenta. Sic igitur Deus viderat quidem Davidem peccantem; sed volebat eum aperte confi-

teri; ideo flagella quasi quaestionem adhibuit. Tum vero David confiteri coepit, nec ait solum *peccavi Domino*, quod ante flagella dixit privatim ad Nathan prophetam, sed publice notum fecit Domino peccatum suum: idest, juridice confessus est, et per scripturam psalmorum toti mundo peccatum suum manifestavit: ideo verissime addit, et injustitiam meam non abscondi.

6. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.*

Ad solatium poenitentium declarat ineffabilem Dei misericordiam, quam in se ipse expertus est. Quamvis enim Deus, *qui lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, 1. Joan. 2. summo odio prosequatur tenebras peccatorum, et nisi peccator resipiscat, paratus sit eum projicere in tenebras exteriores ad summum, et sempiternum cruciatum: tamen ita propensus est ad ignoscendum, si quis ex corde poenitentiam agat, ut ipsam etiam confessionem miserendo, et parcendo praeveniat. Videtur respicere tempus illud, quo Nathan Propheta Dei nomine exprobravit illi peccatum suum; et ipse continuo compunctus, dixit, 2. reg. 11. *Peccavi Domino*, et Nathan subjunxit, *dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Videns enim tam subitam indulgentiam, cogitavit quod erat verum, remissionem peccati priorem fuisse ipsa confessione, sed non priorem interna contritione, in qua simul fuit odium peccati, amor Dei, propositum confitendi, et satisfaciendi: ait igitur, *Dixi confitebor*, idest, compunctus corde statui continuo confiteri *adversum me iniquitatem meam*, meque reum et peccatorem aperte fateri; et tu non expectasti vocem illam, qua dixi *peccavi Domino*, sed ex paterna et ineffabili benignitate, *remisisti impietatem peccati mei*: quod ex Propheta tuo Nathan cognovi, qui ait, *Dominus transtulit peccatum tuum a te.* In hebraeo habetur, עון חטאתי *havon chatathi*, *iniquitatem peccati mei* in graeco, τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου, *impietatem cordis mei*, et sic legunt veteres in commentariis, Augustinus, Theodoretus, Euthymius, latinus Interpres videtur accepisse, *impietatem*, ex graeco; *et peccati mei*, ex hebraeo. Sed omnia in idem recidunt: nam impietas cordis dicitur, quia corde concipitur; impietas peccati dicitur, quia peccando committitur. Idem etiam David peccatum, et fuit iniquitas respectu Uriae, et fuit impietas respectu Dei.

7. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.*
8. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.*

Exemplo suo dicit Propheta multos futuros, qui discant orare Deum pro indulgentia peccatorum, ut hoc modo liberentur a magnis malis quibus aliquando peccatores involvendi sunt. *Pro hac*, graeci Interpretes, Theodoretus et Euthymius, et cum eis s. Augustinus exponunt *pro hac impietate*, quia impietas graece et latine est generis foeminini: sed vox hebraea est generis masculini, et non concordat cum ea illud, *pro hac*, quod etiam in hebraeo est generis foeminini, על זאת *hal zoth*, ideo cogimur dicere, *pro hac*, significare, pro hac re, sive pro hoc: nam hebraei utuntur genere foeminino pro neutro. Et posset etiam recte verti, *propter hoc*, sive *super hoc.* Itaque sensus erit, hac de causa, idest, quia tu tam clementer ignoscis poenitentibus, *orabit ad te*, idest, fiduciam te orandi sumet *omnis sanctus*, id est, omnis pius; omnis vere poenitens, qui incipiens odisse impietatem suam, incipit induere pietatem tuam. Orabit autem *in tempore opportuno*, idest, antequam tempus misericordiae finiatur, dum haec vita durat, dum ad poenitentiam Deus invitat. *Quaerite Deum*, inquit Isaias, *dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est.* Isai. 35. Quod sequitur, duplicem habet sensum; unus est, orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, *ut in diluvio aquarum multarum, aquae illae ad eum non appropinquent*, idest, ut in die novissimo; quando veluti diluvium quoddam inundabunt super impios omnia genera poenarum, et praeterierit tempus opportunum orationis et penitentiae, tunc ipsi salvi sint ab ejusmodi poenis. Hic sensus in hebraeo clarissimus est: sic enim ad verbum sanctus Hieronymus vertit, *pro hac orabit ad te omnis misericors tempus inveniens ut cum inundaverint aquae multae, ad illum non accedant.* Et hunc sensum sequitur Theodoretus, quamvis paulo aliter exponat, nimirum sic, *pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, ut cum inundaverint aquae multarum tribulationum, ad illum non accedant*, idest, illum non perturbent, sed illis omnibus superior sit, easque imperterritus perferat. Alter sensus est, *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*, et recte ac sapienter faciet: nam *in diluvio aquarum multarum, cum inundaverint mala super omnes impios in die novissimo, sicut inundaverunt aquae diluvii temporibus Noe*, tunc *impii ad eum*, idest, ad Deum *non appropinquabunt*: non enim erit amplius tempus opportunum: Ideo Isaias ait, *Invocate eum dum prope est*, nam aliquando procul erit, ut ad eum appropinquare non possitis. Sic exponunt s. Augustinus, et alii. Uterque sensus verus est, sed prior videtur magis litteralis; nam illud, *ad eum non approximabunt*, non videtur posse secundum literam referri ad Deum, cum nulla sit facta mentio Dei in verbis praecedentibus. Itaque illud, *verumtamen*, pro copulativa particula accipiendum est, ut Euthymius recte monet; et vox hebraea, רק *rac*, non solum significat, verumtamen, sed etiam, certe, vere, etc.

9. *Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me, exultatio mea erue me a circumdantibus me.*

Accepta indulgentia, quoad culpam, petit etiam indulgentiam quoad poenam, liberationem videlicet a tribulatione, in quam incidit propter peccatum. Videtur autem loqui de persecutione, quam

patiebatur ab Absalone filio, de qua in toto psalmo superiore loquutus est; fortasse etiam loquitur de tentationibus daemonum, quae perpetuo nos circumdant et tribulant. *Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me.* Quasi dicat, non habeo tutum refugium, nisi in misericordia tua, quoniam undique deficiunt amici, et undique cingor ab inimicis : Ideo tu qui solus es, *exultatio mea*, idest, causa omnis meae laetitiae, erue me ab hostibus circumdantibus me. In hebraeo habetur, *Tu es refugium meum ab angustia*, vel, *ab hoste, custodies me : exultationibus liberandi circumdabis me.* Sed manifeste apparet puncta Rabbinorum et aliquam literarum mutationem totum hunc locum perturbasse. Septuaginta Interpretes non legerunt, תצרני *tizzereni, custodies me*, a נצר *nazar*, sed, צוררני *tsurereni*, obsidebit me, sive circumdabit me, a צור *tzur*, et futurum ponitur pro praeterito, ideo verterunt, *qua circumdedit me.* Neque legerunt, רני פלט *ronne pallet, exultationibus liberandi*, sed, רני פלט *ronni pallet, exultatio mea libera, sive erue.* Sanctus quoque Hieronymus ex hebraeo vertit, *laus mea*, unde legit, *ronni*, non *ronne*, ut hodie habetur in Bibliis hebraicis. Denique non legerunt Septuaginta, תסובבני *tesobebeni*, *circumdabis me*, sed מסובבני *mesobebeni*, *a circumdante me.*

10. *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.*

Respondet Dominus orationi servi sui, ac pollicetur auxilium, quod petebatur. Tria promittit: primo, prudentiam interiorem, ut possit cavere insidias hostium et discernere amicos ab inimicis, dum dicit, *Intellectum tibi dabo*, idest, intelligentem, prudentem te faciam. Secundo, auxilium externum singularis providentiae Dei, sine quo in multis periculis homines, etiam prudentissimi versantur, et hoc significat illud, *instruam te in via hac qua gradieris.* Nam in hebraeo est ואורך בדרך זו תלך, *vehoreca bederech zu thelech, ostendam tibi viam, per quam ambules* : in graeco vero συμβίβω σέ ἐν ὁδῷ ταυτη *comitabor te in via*, sive, *simul tecum gradiar.* Ex quibus omnibus intelligimus aliud *instruam te in via*, significare directionem, et ducatum in omnibus actionibus. Dicitur enim Deus ostendere viam et comitari nobiscum ut dux itineris, quando auxilio gratiae suae facit, ne erremus in via morum et ne in pericula, et insidias hostium, praecipue invisibilium, incidamus. Tertio perseverantiam in gratia, quod est maximum beneficium, et proprium electorum Dei, *Firmabo*, inquit, *super te oculos meos*, non avertam oculos a te, sed perseveranter et stabiliter oculo benignitatis te aspiciam, proinde auxilium internum prudentiae, et aeternum providentiae semper tibi aderit. In hebraeo habetur, deliberabo super te oculo meo, sive, ut vertit s. Hieronymus, *cogitabo de te oculo meo*, sed mutatio unius puncti, ex oculo meo, reddere potest, *oculis meis vel oculos meos*, itaque in illa voce nulla est difficultas. Suspicor autem pro voce, איעצה *ihaza*, cogitabo, vel deliberabo, Septuaginta legisse, אעצם *ehatsem, firmabo*, vel *roborabo*: quomodo enim fieri potest, ut viri doctissimi per verbum, יעץ *iahaz*, quod significat, *deliberare consilium inire, cogitari*; intellexerint firmare, et roborare ; Si tamen lectio hebraica, ut modo se habet, cum graeca, et latina concilianda sit, oportebit subintelligere vocem semper, ut sensus sit, *cogitabo semper de te oculo mentis meae;* quod est idem cum illo, *firmabo super te oculos meos.*

11. *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.*

Hortatur nunc demum Propheta fideles omnes tam bonos quam malos, ut ab exemplo suo discant mala, quae consequuntur peccatum, et bona quae consequuntur poenitentiam et virtutem, ipse enim omnia expertus erat. Ac primum ad malos conversus dicit, *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*, idest, nolite duci solis sensibus, cum ratione praediti sitis : nolite sicut equi, et muli hinnire ad uxores proximi vestri, sicut ego feci : nolite tamquam indomiti, et feroces equi, vel muli, pauperes, atque humiles morsu, et calcibus impetere, ut ego adversus Uriam feci.

12. *In camo et fraeno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

Praedicit mala, quae eos sequentur, qui equos et mulos imitari voluerint, cogentur enim tribulationibus, vel ad Deum converti, vel certe impedientur, ne noceant aliis quantum vellent. Sed more Prophetico hanc praedictionem exprimit David per modum imprecationis, *In camo*, inquit, *et fraeno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*, idest, capistro, et fraeno quasi equos, et mulos coercebis, qui recusant, ut homines ratione praediti, sponte accedere ad te per obedientiam. Ridicule Calvinus contendit, non esse legendum *in camo*, sed *in lupato*, quasi multum intersit inter haec vocabula, et quasi ipse sapientior sit septuaginta Interpretibus, qui vertunt ἐν κεμῶ, unde est nostrum *in camo*, et s. Hieronymo, qui ex hebraeo vertit *in camo*, et s. Augustino, Theodoreto, et aliis veteribus, qui omnes legunt *in camo*. Porro camus funem significat sive capistrum, quo alligantur equi. Sed hoc loco metaphorica vocabula sunt *camus et fraenum*, et ponuntur ad significandas calamitates, aerumnas, quibus Deus utitur ad coercendos homines a peccatis, id quod exponitur sequenti versiculo. In hebraeo habetur in singulari, עדיו *hedio*, *maxillam ejus*; sed non solum Septuaginta, sed etiam s. Hieronymus vertit in numero multitudinis, *maxillas eorum.* Ex quo intelligimus puncta non recte in nostris bibliis ubique esse collocata: nam secundum alia puncta, eadem vox significat *maxillas eorum.*

13. *Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.*

Haec est declaratio cami et fraeni, quasi dicat Propheta, peccator impoenitens, et qui complacet sibi in peccato, multis flagellis atteretur, tum in hac vita, tum in futura. Quamvis enim interdum peccatores florere videantur, tamen ipsum peccatum est gravissima poena, quae parit alias poenas sine numero, sollicitudines, anxietates, timores, pericula, remorsum conscientiae, et similia; neque his contentus Deus justus judex, multa alia flagella adjungit, et nisi peccator resipiscat, et oret ad Deum in tempore opportuno; sine dubio ad flagella sempiterna perveniet. Contra justus, qui sperat in Domino, et non confidit in vanitate mortalium, ab ipsa misericordia divina undique circumdabitur, ut nulla parte flagellum ad eum accedere possit. Porro misericordia divina fons est omnium bonorum; ideo cum dicitur, *misericordia circumdabit sperantem in Domino*, significatur cumulus omnium bonorum, quo abundantissime fruuntur qui uni Deo adhaerent. Nam, et saepe diximus, quid nocere potest ei, cui omnia cooperantur in bonum? et cujus omnes passiones convertuntur in gloriam? Ideo recte concluditur psalmus his verbis.

14. *Laetamini in Domino, et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde.*

Sicut in principio beatos dixit justos, ita nunc in fine eosdem hortatur ad laetitiam, quae est etiam quasi ex obliquo exhortatio ad perseverandum in justitia, ut perseverare possint in laetitia. *Laetamini in Domino justi*, id est, magnam habetis o justi materiam gaudendi, sed *in Domino*, qui vobis est causa tantorum bonorum, quibus affluitis; non est cur tristemini ob temporalia detrimenta, pro quibus rependetur vobis in aeternitate mensura bona, conferta, coagitata, et superefluens, et hic interim spiritualis consolatio non vos deseret. *Et gloriamini omnes recti corde*; idem aliis verbis repetitur: Nam gloriam, hoc loco non est efferre seipsum laudibus, ut sonat vox latina, sed est jubilare, ut sonat vox hebraea וְהַרְנִינוּ *veharninu*. idest, cum laetitia laudare Deum, et non semel in Scripturis gloriari accipitur pro laetari, et exultare, ut cum dicit Apostolus ad Rom. 5. *Sed et gloriamur in tribulationibus.* Verbum quod proprie significat in hebraeo *gloriari*, habetur psalm. 51. in principio. *Quid gloriaris in malitia?* Hoc autem loco non est idem verbum, sed aliud, quod significat *jubilare*. Per *rectos corde*, intelligimus justos: nam ex rectitudine cordis oritur rectitudo verborum et operum: illi autem sunt justi, quorum corda, voces, et opera, conformia sunt rectissimae regulae, quae est lex divina: ex qua rectitudine fit, ut Deus placeat homini, et homo placeat Deo; et quidquid tandem volente, vel permittente Deo accidat homini, aequo animo accipiatur; atque ita sit in corde non solum justitia, *sed etiam pax et gaudium in Spiritu Sancto*, idest, regnum Dei, ut Apostolus interpretatur ad Roman. 14. proinde rectissime David ait, *Beati quorum remissae sunt iniquitates*, etc. et *laetamini in Domino, et exultate justi*, etc. quia soli justi sunt beati et vero solidoque gaudio perfruuntur.

PSALMUS XXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

Psalmus David.

Hic psalmus caret titulo apud hebraeos. Illud autem, *psalmus David* positum est a septuaginta Interpretibus, qui tamen disertis verbis admonuerunt, nullum se titulum in hebraicis codicibus reperisse. Argumentum psalmi est exhortatio ad justos homines, ut Deum laudent, ob ejus maximam potentiam, providentiam, et bonitatem: hortatur autem justos, tum quia non est speciosa laus in ore peccatoris; tum quia potentia, providentia, et bonitas Dei ipsis potissimum justis utilissima est.

EXPLICATIO PSALMI XXXII.

1. *Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio.*

Exultatio quae hic ponitur, significat laudem cum laetitia. S. Hieronymus vertit, *Laudate justi Dominum*: sed vox hebraea, רַנְּנוּ *rannenu*. utrumque significat; ideo plenus sensus est, laudate cum exultatione, idest, laudate non inviti, non tristes, non negligenter, sed ex magno affectu jubilante, exultantes in cordibus vestris, laudate Dominum non solum animo, sed etiam voce. Reddit rationem cum addit, *rectos decet collaudatio*,

quasi dicat, vos justos invito potissimum ad laudandum Deum, qui vobis potissimum convenit laudare Deum, per rectos intelligit justos, ut etiam diximus in fine psalmi superioris. Sed congruit hoc loco, ut justi dicantur recti, quia rectis placet Deus, qui est ipsa rectitudo, et quod placet libenter laudatur. Distortis non placet Deus, cujus opera et judicia rectissima sunt, et ideo non quadrant voluntatibus iniquorum : inde iniqui et distorti non libenter Deum laudant, sed reprehendunt et blasphemant. Pro verbo *decet*, in hebraeo est nomen, נאוה *navah*, speciosa, et sensus est, in ore rectorum speciosa est laus: atque huc allusit Ecclesiasticus cap. 15. cum ait, *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Pro voce, collaudatio in hebraeo, תהלה *thehilla*, et graeco est, αἴνεσις, *laus*: sed latinus Interpres posuit, *collaudationem*, ut significaret debere justos non solum sigillatim, sed etiam conjunctim laudare Deum.

2. *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi.*

Hortatur rursus justos, ut confiteantur Domino confessionem laudis non solum voce, sed etiam instrumentis musicis, quae erant in usu illius gentis. Mystice autem significatur, ut Deum laudemus non solum verbis, sed etiam operibus, ac praesertim perfecta observatione decalogi significati per psalterium decem chordarum Matth. 6. *ut videntes caeteri homines opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est.* Notant hoc loco Basilius et Augustinus, citharam resonare ex parte inferiore, psalterium ex parte superiore. Unde colligitur, Deum esse laudandum ex cognitione, quae habetur ex creaturis, unde existit sonus citharae, et ex ea, quae habetur ex revelatione divina in scripturis sanctis, unde existit sonus psalterii.

3. *Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.*

Conjungit quasi per epilogum, quae dixerat in duobus versiculis superioribus. Dixerat, ut voce laudaremus et instrumentis psalleremus: utrumque conjungit, et monet ut omnia accurate et diligenter fiant. *Cantate ei canticum novum*; hoc pertinet ad illud, *Exultate in Domino*: etc. Jubet autem ut exultantes laudemus Deum cantico aliquo non usitato, et veteri, sed recens composito accommodate ad rem praesentem. *Bene psallite in vociferatione*; pertinet ad id quod subjunctum est, *Confitemini in cithara*, etc. et jubet, ut hoc ipsum bene et accurate fiat et non frigide, ac summissa voce, sed magno cum sonitu, quo magnitudo affectus significetur. Itaque illud, *in vociferatione* non debet referri ad voces humanas, sed ad voces instrumentorum musicorum s. Hieronym. vertit, *in jubilo*, et s. Aug. legit, *in jubilatione*. Vox hebraea, בתרועה *bitruhah*, significat *jubilationem*: vox graeca ἀλαλαγμῶ *geminatum clamorem*. Recte monent ss. patres Basil. et August. canticum novum opponi cantico veteri. Canticum vetus est quod solet canere homo vetus, qui *natus ex carne caro est*, Joan. 3. et terrena sapit ac in terrenis delectatur, et hic Deum laudat, cum bona temporalia ab eo recipit: ac canticum novum canit homo novus, qui renovatus spiritu mentis suae, coelestia sapit et in aeternis delectatur, et Deum semper laudat, etiam cum flagellatur, quia novit illa etiam cooperari in bonum. Sic etiam per illud, bene psallite ei in vociferatione, admonemur dum psallimus, bene facere hoc divinum opus, attente, devote, magno cum affectu, et cordis jubilo. S. Benedictus in regula sua monet, psalmodiam esse opus Dei, et ideo caeteris omnibus operibus anteponendam. Et s. Bernard. sermon. 47. in Cantica. Vos, inquit, moneo dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non praecidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus, muliebre quidquam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, et sonitu, et affectu voces sancti Spiritus depromentes.

4. *Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide.*

Incipit explicare rationes, cur Deus sit tanto affecto laudandus, quae sumuntur, ut diximus, a bonitate, potentia et sapientia ejus. De bonitate dicit, *Rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide*, idest, quia verba et facta Domini justissima, fidelissima, et sanctissima sunt: hoc est quod psal. 144. aliis verbis, dicitur, *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Verbum Domini intelligitur mandatum, prohibitio, promissio, comminatio, et haec omnia rectissima, et fidelissima sunt: nihil enim jubet Deus nisi bonum, nihil prohibet nisi malum, et quae promittit, vel comminatur fidelissime praestat. Ideo *rectum est verbum Domini, et fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, psal. 134. opera vero Domini verbis conformia sunt: ideo *dicuntur esse in fide*: idest, fidelia, justa, sancta, et dicitur Deus *sanctus in omnibus operibus suis.* S. Basilius, et s. August. in commentario hujus psalmi, per fidem intelligunt hoc loco fidem Catholicam, et exponunt, opera Dei dici esse in fide, quia ex operibus Dei, ut ex fabrica coeli et terrae inspecta homines moventur ad fidem, ut videlicet credant in Deum opificem tanti operis: vel dicunt opera omnia esse in fide, quia omnia opera bona, quae Deo placent, sunt in fide tamquam in semine, vel radice: non enim placent Deo quae fiunt ante fidem, sed quae nascuntur ex fide. Ambae sunt piae, veraeque sententiae, sed non videntur litterales explicationes.

5. *Diligit misericordiam in judicium: misericordia Domini plena est terra.*

Sanctitas verborum et operum Domini nascitur ex sanctitate voluntatis. *Deus* enim *diligit misericordiam et judicium*, idest amat primum largi-

ri dona gratiae suae, et postea secundum opera uniuscujusque reddere praemia, vel supplicia, atque ita omnes viae Domini misericordia et veritas. In hebraeo habetur, diligit justitiam et judicium, sed septuaginta interpretes scientes confundi duas illas voces, צדק *zedech*, *et* חסד *chesed*, idest justitiam et misericordiam, saepe vertunt justitiam, ubi legunt, *chesed*, et aliquando (ut hoc loco) vertunt *misericordiam*, ubi legunt, *zedech*: quod si interpretari velimus verbum hebraicum ut sonat, dicendum erit in prima parte versiculi declarari bonitatem voluntatis divinae ex parte justitiae ; in altera parte, nimirum *misericordia Domini plena est terra*, declarari eamdem bonitatem ex parte misericordiae. Sed juxta nostram lectionem dicendum est in prima parte declarari bonitatem ex parte misericordiae et justitiae : in secunda doceri misericordiam latius patere quam justitiam, et esse, ut alibi dicitur psal. 118. *Super omnia opera ejus*: nam ad misericordiam pertinet tollere miseriam et defectum : nihil autem est quod non indigeat misericordia Dei, cum omnia omnino creata defectum aliquem patiantur. Sed res corruptibiles, quae sunt infra lunam, tanto plures, et majores defectus patiuntur, quam res incorruptibiles, quae sunt supra lunam, ut respectu corruptibilium non videantur incorruptibilia ullum habere defectum, ideo dicit Propheta, *misericordia Domini plena est terra* : nam per terram intelliguntur omnia corruptibilia ; terra enim sedes est non solum hominum mortalium et animalium terrestrium et omnium plantarum, sed etiam piscium et avium: quamvis enim aves volitent in aere, et pisces perambulent semitas maris; tamen et illae et isti quiescunt in terra. Porro omnia corruptibilia egent multiplici misericordia Dei, creante, conservante, movente, nutriente, reparante. Sed homines mortales, praeter ista omnia, egent misericordia praeveniente, comitante, subsequente, indulgente peccata, armante contra daemones, dirigente, protegente etc. Itaque rectissime dicitur, *misericordia Domini plena est terra*. Hoc loco illud etiam considerandum est, misericordiam perfectam, ad quam pertinet tollere omnes defectus, esse propriam solius Dei, quia non potest tollere omnes defectus nisi qui caret omni defectu, ac per hoc est infinitae perfectioni, actus purus, aeternus, omnipotens: itaque recte Ecclesia canit, *Deus cui proprium est misereri*.

6. *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Transit a laude bonitatis ad laudem potentiae, cujus primarius, maxime conspicuus effectus, est fabrica coeli. Auget autem potentiam Dei, quod tantam molem non solum fecit, sed sine labore, sine mora temporis, sine ministris, sine machinis, solo verbo fecit, et eis aeternam stabilitatem attribuit. Alludit autem Propheta ad creationem mundi, quae describitur in primo cap. Gen. per ea verba. *Dixit Deus, fiat firmamentum, et factum est firmamentum, et vocavit firmamentum coelum.* In hebr. habetur, בדבר יהוה שמים נעשו *bidbar* Adonai *sciamaim nahasu, verbo Domini coeli facti sunt*, sed interpretes, verterunt *firmati sunt*, ut declararent coelos factos esse incorruptibiles. Quod sequitur, *et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, posset videri repetitio quaedam. Nam *verbum et spiritus oris*, idem fere sunt, et firmitas coelorum pro eodem accipi posset, nisi in hebraeo esset vox, צבאם *tzebaam*, quae significat *exercitus eorum*, sive *ornatus eorum*, ut vertit s. Hieronym. Septuaginta interpretes, pro eodem accipiunt virtutem et exercitum, quia re vera exercitus militum est virtus, idest potentia et robur principis. Per virtutem, sive exercitum, sive ornatum coeli intelliguntur stellae, quae sunt veluti castrorum coelestium acies ordinata, et simul mirifice coelum ornant, et virtutes suas variosque influxus in haec inferiora diffundunt. Quamvis autem per *verbum Domini, et spiritum oris ejus*, possit imperium Domini simpliciter accipi, tamen sine dubio Spiritus sanctus insinuare voluit per haec verba mysterium sanctissimae Trinitatis, quod tempore novi testamenti revelandum erat. Neque movere nos debet, quod videatur propheta creationem coeli tribuere Verbo et creationem stellarum Spiritui Sancto, quasi Dominus Pater per Verbum coelos fecerit, per Spiritum Sanctum stellas. Nam propter unitatem essentiae, quae est virtus operatrix, indivisa sunt opera Trinitatis, et ideo cum dicitur Deus pater per Verbum creasse coelos, intelligitur non sine Spiritu sancto id fecisse: et cum dicitur Virtus, sive exercitus coelorum esse a Spiritu oris Domini, intelligitur esse etiam a Verbo, quod ab ejusdem Patris ore procedit, et a quo Verbo Spiritus ipse procedit.

7. *Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.*

Pergit explicare potentiam Dei, qui non solum coelos et stellas Verbo fecit, sed etiam ea facilitate omnes aquas, quae initio creationis mundi operiebant undique terram, coegit in loca inferiora et profundiora terrae , qua facilitate implet homo utrem unum aqua, vel recondit pecunias in arca, vel loculis. *Congregans sicut in utre aquas maris*, idest congregans est, sive congregat Deus aquas maris in locum unum, ac si utrem impleret, idest facillime, nulloque negotio. Idem repetitur sequentibus verbis, *ponens in thesauris abyssos*, idest ponit Deus abyssos, multitudiem videlicet, et profunditatem aquarum, quae erant super terram et pertingebant usque ad coelum; ponit, inquam, omnem illam aquarum immensitatem in angustiis terrae cavernis, ac si reconderet pecunias in thesauris. Abyssum esse aquarum multitudinem, quae initio creationis erat super terram, perspicuum est ex 1. cap. Genes. *Et tenebrae erant super faciem abyssi*. Per thesauros significatur, aliquando copia rerum pretiosarum, ut eo loco, *simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro*. Matth. 16. aliquando significatur per thesaurum locus ejusmodi rerum pretiosarum, ut arca, vel loculi, ut in verbis illis, *omnis scriba doctus in regno coelorum profert de thesauro suo nova et vetera*,

et de Magis legimus, apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. In hac posteriore significatione accipitur hoc loco thesaurus. Dicit autem Propheta in tempore praesenti *congregans et ponens*, cum tamen, ab initio haec facta sint, quia Deus ita semper conservat, quod initio fecit, ut vere dici possit semper id facere. In hebraeo pro *utre*, habetur, נד *ned*, quod acervum significat : sed septuaginta, et s. Hieron. legerunt נאד *nod*, quod *utrem*, significat. Et haec est verior lectio, et melius explicat congregationem aquarum in locum unum, idest in cavernas terrae, quam Propheta significare volebat. In hebraeo et graeco deest propositio, *in*, et legitur, *congregans sicut utrem aquas maris* : sed omnino subintelligitur, et recte habet nostra editio, *sicut in utre*. Et non deerant olim graeca exemplaria quae haberent, *in utrem*, ut notat s. Basilius ; et s. August. semper legit in utrem. Qui legunt, *sicut utrem*, existimant significari nubes, quae intumescunt sicut utres et postquam aquam effuderint, detumescunt: sed litteralis sensus est is, quem supra posuimus.

8. *Timeat Dominum omnis terra; ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.*

Ex iis quae dicta sunt de potentia Dei, occasione accepta, David hortatur homines ut Deum timeant, ejusque mandata praedicari formident. *Timeat igitur*, inquit, *omnis terra Dominum*, tantae potentiae et majestatis: et mox explicat idipsum dicens, *omnes inhabitantes orbem* (hoc est eorum omnis terra) commoveantur, idest contremiscant ab eo Domino, videlicet aliquid jubente.

9. *Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.*

Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Optima ratio, cur solus Deus timendus sit quia videlicet quidquid est extra Deum nihil nobis nocere potest, nisi Deus permiserit; et contra, nihil est extra Deum, quod nos ab ejus ira defendere possit: omnia enim ab ejus nutu dependent, a quo habent, ut sint. Ratio autem, cur Deus omnia fecerit verbo est, quia verbum ejus plenum est potestate et auctoritate; ita ut si mandatum atque imperium, cui nihil resistet: ideo adjungitur, *ipse mandavit et creata sunt*. In hebraeo habetur ad verbum, הוא אמר ויהי *hu amar vaiehi, ipse dixit, et fuit; ipse mandavit, et stetit*. Sed sensus est idem: significant enim verba hebraica, *ipse dixit*, et omnis creatura facta est: *ipse mandavit*, et omnis creatura existere coepit.

10. *Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum , et reprobat consilia principum.*

Venit tandem Propheta ad sapientiam, ut ostendat omni ex parte Deum esse laudandum. *Dominus dissipat consilia gentium*, idest, ita supereminet sapientia Dei supra omnem omnium hominum sapientiam, ut quidquid homines consultando deliberant; quamvis consilia eorum sapientissima et prudentissima videantur, Deus in momento infatuare, dissolvere, irritum facere possit. Idem repetitur sequentibus verbis cum dicere *reprobat autem cogitationes populorum*, idest, Deus reprobat tamquam stultas cogitationes populorum omnium: nec solum populorum, sed etiam ipsorum principum, qui consiliariis in omni doctrinarum genere abundant, consilia, deliberationesque ut plane insipientes et inutiles reprobat. Et vere mirabilis est sapientia Dei, quae sapientes in astutia sua comprehendit, et ineffabili ratione ita nonnumquam consilia illorum infatuat, ut quae utilissima sibi esse judicant, et perniciem et interitum illis adferant. In hebraeo non habetur illud, *et reprobat consilia principum*, fortasse excidit injuria temporum, vel incuria librariorum.

11. *Consilium autem Domini in aeternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione, et generationem.*

Dominus quidem inscrutabili sapientia sua dissolvit humana consilia, ut finem sibi propositum non assequantur. Contra autem, humana prudentia nihil omnino potest adversus consilium Dei: quidquid enim semel decrevit Deus, stabile in aeternum erit. *Omne consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet, dicit Dominus*, Isai.45. Non est autem consilium Dei consultatio quaedam praecedens electionem; neque sunt in Deo multae cogitationes, sed unico et simplicissimo actu ab aeternitate decrevit Deus, quidquid unquam facturus est. Sed scriptura accommodat se nostrae imbecillitati nostrisque verbis utitur, ideo dicit, *consilium Domini in aeternum manet*, idest, quod Deus quasi consultando decrevit, nullo modo dissolvi potest, nec impediri quominus executioni mandetur. Idem repetitur aliis verbis, cum additur, *cogitationes cordis ejus in generatione, et generationem*, idest, quae Dominus cogitavit facere nullo tempore impedientur, sed fient prorsus eo modo, quo ipse fieri voluit. Nec tamen ita se accommodat Scriptura nostrae infirmitati, ut non sit veritas in ejus verbis : nam etiamsi non est in Deo consilium praecedens electionem, tamen est in Deo quidquid perfectionis reperitur in consilio, cognitio videlicet omnium mediorum ad assequendum finem utilium : et quamvis in Deo una sit et simplicissima cogitatio, ea tamen aequiparatur innumerabilibus cogitationibus, quas in se eminentissimo modo continet.

12. *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in haereditatem sibi.*

Ex iis quae dicta sunt de potentia, sapientia et bonitate Dei, colligit Propheta beatum esse populum, cujus Deus non est aliquod idolum inutile, sed ille potentissimus , sapientissimus, et optimus Dominus, cujus laudes explicatae sunt: tunc autem vere , perfecteque foelices , ac beati su-

mus, quando et nos magnum illum Dominum pro Deo habemus, et ipse nos pro peculiari suo populo habet: ideo Propheta utrumque conjungit cum dicit, *beata gens, cujus est Dominus Deus ejus*, idest, beati sunt illi homines, qui pro Deo non agnoscunt nisi unum illum Dominum, *cujus verbo coeli firmati sunt*, etc. et simul, *beatus populus, quem elegit Dominus in haereditatem sibi*, idest, beati sunt illi homines quos ille idem magnus Dominus elegit in populum peculiarem,et quasi propriam possessionem et haereditatem.Sunt autem ista duo ita connexa, ut separari non possint, illi enim soli Deum verum pro Deo suo habent, qui illum fide, et spe, et charitate colunt: illi autem soli Deum fide, et spe, et charitate colunt, quos ipse elegit in haereditatem sibi, quos per gratiam praeordinavit, vocavit, et justificavit. Vera prorsus et in imo corde recondenda sententia:nam quidquid homo habeat, etiamsi totum mundum lucretur, egenus et miser est si Deo careat,qui solus totum animae sinum replere potest: et contra, qui Deum habet, etiamsi aliis careat, beatus, et dives est, quia in Deo sunt omnia: praeterea, imago Dei est homo, imaginis bonum, totaque perfectio est, exemplari suo simillimum esse: tunc autem vere similes Deo, ac per hoc beatissimi erimus,quando *videbimus eum sicuti est*, ut dicitur, 1. Joan. 3. nam et ipse Deus ideo beatus est, quia videt se sicuti est. Itaque qui Deum numquam videbunt, semper Deo dissimiles, ac per hoc semper miserrimi erunt. Denique quidquid infra Deum est vel est homine vilius, ut omnia corporalia, vel par, ut Angeli quibus in resurrectione aequales erimus: nihil autem nos perficere, foelicesque ac beatos reddere potest, nisi quod est nobis melius, atque perfectius, igitur illi soli vere beati sunt, qui adhaerent Deo, et unus spiritus fiunt cum eo, idest, qui diligunt Deum, et diliguntur a Deo,qui quidem hic interim spe beati sunt, sed re ipsa beati erunt, quando tam foelici vinculo inhaerebunt Deo, ut ab eo excidere nulla ratione possint.

13. *De coelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.*
14. *De praeparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.*

Probat quod dixit, beatam esse gentem, cujus Deus est Dominus ille, qui fecit coelum: probat autem ex eo quod cum Dominus de coelo tamquam altissima specula, videat omnes homines,et cognoscat, non posse ullum hominem propriis viribus salvum fieri, quamvis alioqui fortissimus aut potentissimus videatur;tamen Deus oculo paterno peculiariter populum suum respicit, et illum adjuvat, ac salvat, ut merito dictum sit initio psalmi, *Exultate justi in Domino*. Ait igitur, *De coelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum*, sive (ut est in hebraeo בְּנֵי הָאָדָם *bene haadam*), *vidit omnes filios Adam*, idest, Dominus de coelo a quo nihil occultari potest, non solum videt populum suum sed videt omnes homines, et intelligit quid quisque possit. Idem vero significant verba sequentia *De praeparato habitaculo suo*, idest, de sede, quam sibi ipse paravit, et stabilivit, (nam *coelum coeli Domino, terram dedit filiis hominum*, ut est in psal. 113.) *respexit* ac respicit omnes habitatores terrae. Sanctus Hieronymus ex hebraeo vertit,*de firmissimo solio suo*,pro eo quod nos habemus, *de praeparato habitaculo suo*: sed verba hebraica utramque significationem recipiunt.

15. *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.*

Declarat Propheta, Deum non vidisse de coelo filios hominum, eo modo, quo nos videmus ea, quae sunt longe posita, confuso videlicet, et crasso modo, sed vidisse distincte, et subtilissime omnia opera eorum, idest, quid possint operari, vel operentur; vel mente, vel corpore. Itaque vidit omnes cogitationes, omnia desideria, omnia dicta, omnia facta, praeterita, praesentia, et futura omnium, et singulorum hominum. Et probat Deum haec videre potuisse, quia ipse *formavit corda singulorum*. idest, creavit animas singulorum hominum, ac per hoc etiam creavit corda, hoc est, mentes et voluntates, a quibus omnia hominum opera oriuntur: qui enim corda fingere potuit,idem sine dubio corda scrutari potest. In hebraeo habetur qui finxit, יָחַד *iachad*, idest, *pariter* corda eorum, sed illud, *pariter*, non significat eodem tempore, ut Origenes, et alii errantes crediderunt. Nam sanctus Leo in epistola ad Turibium Asturiciensem Episcopum cap. 10. docet, fidem Christianam habere animas ante corpora non fuisse. Igitur illud, *pariter*, non refertur ad idem tempus, sed ad eumdem auctorem;ac si Propheta dixisset, *qui finxit omnia corda* nullo excepto: non enim unum cor ipse formavit, alia vero aliis formanda reliquit, sed ipse pariter omnia, ipse unus finxit omnia. In graeco habetur, κατὰ μόνας. idest,*seorsim, sive solitarie*: quod sanctus Basilius refert ad cordis puritatem et simplicitatem, ut sensus sit, qui finxit corda separata ab omni impuritate, sive ut Euthymius addit, separata ab aliorum animantium natura. Sed videtur rectius intellexisse antiquus latinus Interpres, qui vertit,*singillatim*,idest, seorsim singula, id enim magis congruit cum lectione hebraica, et cum verbis sequentibus; dicit enim Propheta, Deum formasse omnia corda, ut inde colligat, Deum intelligere omnia opera eorum: haec autem ratio id requirit, ut Deus formaverit omnia, et singula corda, non ut separaverit ab impuritate,vel ab aliis animalibus.Ex hoc etiam loco colligitur aliud dogma ecclesiasticum, quod videlicet Deus non creavit quasi in confuso omnes animas, cum creavit animam primi hominis, quasi in illa fuerint omnes, et ex illa fiant omnes, sicut re vera tunc creavit quodammodo omnes homines; quia in uno erant omnes, et ex uno fiunt omnes, quantum ad generationem carnis: sed creavit Deus singillatim omnes animas, non unam ex alia, sed ipse singulas ex nihilo distincte,ac separatim.Scio sanctum Augustinum in epist. 28. non existimare, ex hoc loco solide probari creationem animarum, quia in psal. 50. dicitur,*Cor mundum crea in me*

Deus. Sed responderi potest, in psal. 50. tractari de sanctificatione, non de naturali creatione: hunc autem locum requirere, ut verba proposita de naturali creatione intelligamus; cum inde colligatur Deum omnia corda scrutari, quia omnia ipse formavit.

16. *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae.*

Explicat quid viderit ille, qui omnia videt, videlicet hoc vidit, neminem propria virtute liberari posse a malis, quae nos circumstant; sed egere omnes misericordia Dei; ponit autem exemplum in iis, qui videntur maxime de suis viribus posse gloriari, quasi dicat, vidit Deus quod *non salvatur rex per multam virtutem*, idest, non sufficit regi ad propriam salutem, seu vitam tuendam, multa virtus, idest, multa potentia, multus exercitus, multa vis pecuniarum. *Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae*, idest, sicut regi non sufficit robur aliorum, qui illi serviunt; ita fortissimo viro non sufficit robur proprium. Non est in hebraeo nomen gigantis, גבור *ghibbor*, sed in genere nomen robusti et fortis viri: sed septuaginta Interpretes posuerunt nomen gigantis, quia illi solent esse fortissimi, et caeteris hominibus formidabiles, ut de gigante Goliath legimus in primo libro regum, cap. 17.

17. *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suae non salvabitur.*

Tria sunt quae possunt hominem eripere ab instanti periculo, vires alienae ut custodiae militares, vires propriae, velocitas equi: illae, si resistendum sit; ista, si fugiendum. Docuerat psalmista, non sufficere duo priora: nunc addit neque tertium sufficere, et habemus exemplum omnium in libris regum; 1. regum 31. Saulem enim regem non potuerunt a nece defendere ingentes copiae militares; 1. Reg. 17. Goliath gigantem robustissimum David puer occidit; 4. Regum 9. Joram filium Achab veloci curru fugientem sagitta velocior interemit. *Fallax equus ad salutem*, idest, fallitur qui confidit salutem suam velocitate equorum: velocitas enim illa multis modis impediri, vel praeveniri potest, ideoque fallax est. *In abundantia virtutis suae non salvabitur*, idest, equus in virtute sua, qua abundat, vel si ea maxime abundet, quae virtus in velocitate consistit, non salvabitur cum sessore suo, idest, neque se, neque sessorem a periculo liberabit. In hebraeo habetur active, *non salvabit*, nimirum sessorem suum: sed idem verbum hebraicum mutatis punctis fieri potest conjugationis passivae, et eo modo legerunt septuaginta Interpretes, quos Interpres Latinus sequutus est. Et quidem lectio, *non salvabit*, quam habet s. Hieronymus, clarior est. Lectio vero nostrae editionis, non salvabitur, requirit ut subintelligatur aliquis, videlicet, non salvabitur cum sessore suo: neque enim dubium esse potest, quin de salute hominis potius, quam de salute equi hoc loco agatur. Porro quae dicta sunt de salute corporali, multo magis intelligenda sunt de salute spirituali, ad quam obtinendam nemo sufficiens est, sine praeveniente, comitante, et subsequente gratia Dei.

18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.*
19. *Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.*

Concludit Propheta ratiocinationem suam, qua, ut supra diximus probat beatam esse gentem, cujus Deus est Dominus. Nam videt quidem Deus omnes homines, et intelligit, quam parum possint, nisi ipse adjuvet: sed tamen peculiariter in homines justos dirigit oculos suos, ut eis de coelo auxilium praebeat, tum ut a mortis periculo liberentur, tum ut commode sustententur in vita. *Ecce oculi Domini super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus*: per timentes et sperantes pulchre describuntur ii, qui vere sunt justi et amici Dei. Nam timor sine spe, timor servilis est, spes sine timore praesumptio est. Timor cum spe charitatem veram declarat, idest, amorem liberalem quo diligitur Deus, ut amicus, ut pater, ut sponsus: qui enim tali amore flagrat, et vehementer timet, ne dilectum offendat, et secure confidit, ac sperat, misericordiam dilecti sibi numquam defuturam. *Ut eruat a morte animas eorum et alat eos in fame.* Haec est causa, cur Dominus respicit oculo paterno timentes, et sperantes in se, ut videlicet haec duo beneficia illis tribuat, liberationem a periculo mortis, et alimenta dum vivunt. Quia justi timent Deum offendere, liberat illos Deus a timore ne offendantur, praesertim circa vitam, quae est fundamentum omnium bonorum: quia sperant in misericordia ejus, praestat illis perpetuam misericordiam, dum alit eos in fame. Quae duo beneficia possunt intelligi tam de salute corporali, et temporali, quam de spirituali, et sempiterna. *Eruit Dominus a morte animas*, idest, vitam timentium se, dum singulari providentia liberat eos a variis mortis periculis, a quibus propria virtute sua, vel suorum liberari non potuissent. Deinde sic liberatos sustentat in vita, prospiciens eis de omnibus ad vitam necessariis, et praesertim tempore famis quo multi alii rerum omnium penuria laborant. Sed spiritualiter eruit animas eorum a morte, dum vel non sinit eos labi in peccatum, quod est mors animae; et si forte peccaverint, mox illos per salubrem poenitentiam ad gratiam, quae est vita animae, revocat, et utroque modo animas eorum a morte sempiterna liberat. Viventes autem Deo per inhabitantem Spiritum sanctum, alit in fame, dum in hoc deserto, per quod ad terram promissionis tendimus, deserto plane sterili, et inaquoso, alit. Manna pluente de coelo, ei potat aqua de petra scaturiente, idest, coelestibus consolationibus reficit, ac sustentat: alit autem, non satiat; et sitim temperat, non extinguit, quia saturitas servatur in aliam vitam, in qua satiabimur dum apparuerit glo-

ria Domini, et inebriabimur ab ubertate domus Domini, et voluptatis torrente potabimur.

20. *Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est.*

Hactenus Propheta justos Dei servos alloculus est, eosque ad exultandum in Domino, et laudandum Deum, patrem indulgentissimum, et misericordissimum exhortatus est. Nunc introducit justos respondentes, ac dicentes, Anima nostra sustinet Dominum: intelligunt justi, quid spiritus sibi velit, cum eos ad exultandum, et laudandum invitat, nimirum intentionem Spiritus sancti esse, ut per hoc ipsi animentur ad perseverandum in justitia, et ad inhaerendum Deo, neque ab eo recedendum ob quantascumque persecutiones, ac demum ad Deum laudandum magis opere, quam verbis. Itaque respondent se tot beneficiis Dei confirmatos, constantissime in ejus timore, ac amore parmansuros. *Anima nostra*, inquiunt, *sustinet Dominum*, idest, quidquid acciderit, non nos separabit a charitate Dei, neque ad alium consolatorem respiciemus, sed expectabimus patienter consolationem de coelo, scientes scriptum esse Abac. 2. *si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet et non tardabit.* Dicitur autem anima sustinere Dominum, hebraica phrasi, qua tribuitur animae id, quod toti homini convenit, praesertim quando agitur de re spirituali. Sic dixit Isaias cap. 26. *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animae : anima mea desideravit te in nocte.* Et Hieremias Thren. 3. *Bonus Dominus sperantibus in se, animae quaerenti illum.* Et beatissima virgo Lucae 1. *Magnificat anima mea Dominum. Quoniam adjutor et protector noster est.* Reddunt justi rationem cur tam constanter Dominum expectare decreverint, quia videlicet sciunt ex experimento cognoverunt a Domino in bonis se adjuvari, et a malis protegi potentissime, et fidelissime.

21. *Quia in eo laetabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.*

Posteaquam responderunt justi primarie intentioni Spiritus sancti, respondent nunc secundariae quae erat, ut exultarent in Domino, sicut in primis psalmi verbis dictum est. Dicunt igitur se id facturos libentissime, *in eo laetabitur cor nostrum*, idest, *exultabimus in Domino, et in nomine sancto ejus speravimus*, idest, quia *in nomine sancto ejus speravimus.* Nam quia speraverunt in Domino, adjuti ab eo atque protecti sunt, et ideo experimento proprio edocti, quam bonus et potens Dominus sit, exultant in eo, et confitentur nomini ejus. Quod attinet ad verba, in hebraeo habetur, *quia in eo laetabitur cor nostrum, quia in nomine sancto ejus speravimus*: sed primum, *quia*, positum est, pro, *et*, vel pro, *certe*, vel vacat. Sicut contra in latina editione illud, *et*, cum dicitur, *et in nomino sancto ejus speravimus*, positum est pro *quia.* Itaque clarissima lectio esset, et in eo laetabitur cor nostrum, quia in nomine sancto ejus speravimus. Porro sperare in nomine Domini, non est sperare in literis, aut sono nominis, sed sperare in Domino per nomen significato ; et habere videtur vim quamdam majorem hic loquendi modus, quam si dicatur simpliciter, sperare in Domino; nam sperare in nomine Domini, est sperare in ipso Domino nominatim, et proprie appellato ; dicitur vero nomen Domini sanctum, quia dignum est, ut ab omnibus honoretur, et ideo summum scelus committitur, cum blasphematur.

12. *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.*

Concluditur psalmus per orationem, ut saepe alias, et est oratio aptissime cohaerens cum superioribus verbis, et cum toto psalmo; quia enim aliquoties dictum est, Deum misereri sperantium in se, et justi dicunt se in Domino speravisse et egent semper nova misericordia propter continua pericula, ideo concludunt, *fiat misericordia tua Domine super nos*, idest, non cesset, sed perseveret, imo addatur semper nova misericordia super nos, *quemadmodum speravimus in te*, idest, sicut de tua bonitate futurum speravimus, et nobis ipsi promisimus.

PSALMUS XXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Davidi, cum immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.

Hic titulus ad duas historias referri potest, quae habentur lib. 1. Reg. cap. 21. prior historia narrat, Davidem fugientem a facie Saul regis venisse ad Achimelech sacerdotem, atque ab eo panes, et arma postulasse, neque ei indicasse fugam suam, sed simulasse secretum regis negotium se habere, ob quod tantopere festinaret. Posterior historia refert Davidem confugisse ad Achis regem Philisthaeum; sed cum servi ejus regis incitare coepissent dominum suum in necem Davidis, tum Davidem insaniam et fatuitatem simulare coepisse, atque ea ratione mortem evasisse. Theodoretus ad priorem historiam titulum refert: sed s. Basilius, s. Augustinus, s. Hieronymus, et Euthymius, referunt ad posteriorem. Et haec est verior sententia, primo, quia in priore non immutavit David vultum, sed officium: in posteriore vero vultum immutavit, ut videretur esse, qui non erat: secundo: quia ubi nos legimus, *et dimisit eum*, in hebraeo est, ויגרשהו *vaigarescehu*, quod significat, *et expulit eum*, sive, *et projecit eum*, vel, *et repudiavit eum*, quod nullo modo convenit cum priore historia, sed tantum cum posteriore: non enim Achimelech sacerdos expulit Davidem, sed Achis rex cum expulit, ut insanum et furiosum. Ex quo etiam refellitur sententia eorum, qui *divisit eum*, sic intelligunt, divisit David regem Achis, vel sacerdotem Achimelech: non enim David dimisit, idest expulit, sed expulsus fuit, et dimissus. Tertio, quia in hoc psalmo David gratias agit Deo, quod ex magno periculo liberaverit eum: nullum autem periculum passus est David apud Achimelech, sed maximum apud Achis. Quarto, quia in titulo hujus psalmi juxta codicum hebraicorum et graecorum fidem, non habetur Achimelech, ut haberi deberet, si titulus priorem historiam respiceret: sed Abimelech. Et sic legunt et exponunt Basilius, Augustinus et alii veteres, excepto Theodoreto. Latini etiam codices vulgatae editionis, quos vidi, habent Abimelech, excepta editione Sixti V. in qua habetur Achimelech, quod vitio librariorum, vel impressorum factum videtur; cum repugnet omnibus codicibus, et facile fuerit errare ob vocum similitudinem. Cur autem Achis dictus sit Abimelech, rationem reddit s. Basilius. Abimelech erat nomen commune regibus Philistinorum, sicut Pharao erat nomen commune Aegyptiorum et Caesar imperatoribus Romanorum. Probat autem s. Basilius Abimelech fuisse nomen commune regibus Philistinorum, ex cap. 20 et 26. Genes. Porro quod in titulo dicitur, *immutavit vultum suum*, in hebraeo, בשנותו את טעמו *bescianotho eth tahemo*, est, *immutavit sensum suum*, quod in idem recidit: nam immutare sensum, est hoc loco simulare stultitiam et de viro sensato facere se insensatum, quod fecit David torquendo os, et oculos, et collabendo, et impingendo in ostia domus more ebriorum et salivae copiam emittendo ad similitudinem epilepticorum: haec enim narrantur in primo lib. reg. cap. 21. Argumentum psalmi, est gratias agere Deo pro beneficio liberationis a periculo illo mortis imminentis et hac occasione exhortari omnes ad amandum Deum et sperandum in eo. Intelligebat enim vir pius, suam illam omnem industriam, quam adhibuit simulando stultitiam, parum fuisse profuturam, sine adjutorio et favore divino.

EXPLICATIO PSALMI XXXIII.

1. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Psalmus est alphabeticus: incipit enim primus versus a prima litera alphabeti, secundus a secunda, et sic de caeteris, quod videtur ideo factum, ut facilius memoriae mandaretur, et saepe a fidelibus cantaretur. Incipit igitur magno affectu gratias agere, quasi diceret. Nullo unquam tempore obliviscar beneficium hodiernum, sed pro eo, *benedicam Dominum in omni tempore*, idest, quamdiu vixero: et idipsum repetens, *semper*; inquit, *laus ejus in ore meo*. Itaque illud, *semper*, non significat omni momento, omne die, omni nocte, quasi nihil aliud agendum sit: sed significat id esse faciendum suo loco et tempore, sed usque ad finem vitae, imo etiam usque ad finem saeculi cantabuntur psalmi isti, et sic per alios benedicet Deum David id omni tempore. Potest etiam hic locus spiritualiter intelligi, quod justi semper Deum laudant, et cum beneficia recipiunt, et cum flagella patiuntur,

juxta illud s. Job cap. 1. *Dominus dedit. Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*

2. *In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, et laetentur.*

Nec solum, inquit, ego benedicam Dominum ob hoc beneficium in omni tempore, sed etiam alii benedicent : quicumque enim hoc audierint, laudabunt me, quod tam mirabili arte eluserim illum regem, et simul Deum laudabunt ac benedicent, qui me per illam artem de mortis periculo liberavit. *In Domino laudabitur anima mea*, idest, ego laudabor ab omnibus, ad quos hujus rei fama perveniet ; sed laudabor in Domino, ac per hoc laus paecipua referetur ad Dominum, qui singulari providentia sua mihi bonum consilium inspiravit, et juvit, ut foelicem sortiretur effectum. In hebraeo, verbum *laudabitur* תתהלל *thithallel*, est cujusdam conjugationis, quae significat actionem in se ipsum : itaque secundum proprietatem vocis hebraicae, *laudabitur anima mea*, significat, anima mea laudabitur a se ipsa, idest, gloriabitur; et quia ponitur anima pro toto homine, sensus erit, ego ipse ob hoc factum mirifice gloriabor, non in me, sed in Domino, quo protegente et adjuvante periculum evasi. Admonemur ex hoc loco, non semper esse vitium gloriari, et facta propria laudare, sed tunc solum, cum vel gloriamur de re quae laudem non meretur, vel non agnoscimus auctorem primarium omnium bonorum, Deum: *Qui gloriatur*, inquit Apostolus 2. Corinth. 10. *in Domino glorietur*: *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Quod sequitur, *audiant mansueti, et laetentur*, significat ad eos proprie pertinere communicationem hujus laetitiae, quibus similia pericula solent esse communia, quales sunt homines mites, et patientes : qui enim hujusmodi sunt, et saepe a potentioribus opprimuntur, et facile Deum experiuntur adjutorem. *Audiant*, inquit, *mansueti*, humiles, Deum timentes, mei similes, quod mihi accidit, *et laetentur*, ac Dominum benedicant. In hebraeo sunt haec verba temporis futuri, ישמעו וישמחו *iscmehu veijsmachu, audient, et laetabuntur* : sed quia imperativus apud hebraeos caret tertia persona, ad eam exprimendam utuntur hebraei tertia persona futuri : proinde recte verterunt graeci et latini interpretes, *audiant, et laetentur.*

3. *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.*

Convertit sermonem ad ipsos mansuetos, quos jusserat audire, et laetari, atque illos hortatur, ut non solum singuli apud se Deum laudent, sed cum ipso conjuncti pariterque uniti Dominum glorificent. *Magnificate Dominum mecum*, idest, Dominum, qui solus vere magnus est, magnum esse confiteamur et eum, qui vere solus altissimus est, voce etiam nostra altissimum esse praedicemus, *et ejus nomen*, idest, notitiam et famam, vel potentiam, et majestatem coram hominibus extollamus. Placet enim Deo valde, ut fideles non solum seorsim in cubiculis, sed etiam conjuncti in ecclesiis *unanimes, uno ore ipsum honorificent*, ut Apostolus monet ad Rom. 15. Illud, *in idipsum*, saepe jam diximus nihil significare aliud, nisi pariter, una, conjunctim, etc.

4. *Exquisivi Dominum, et exaudivit, me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*

Explicat nunc Propheta causam, cur benedicere velit Dominum omni tempore : quia videlicet expertus sit eum liberatorem optimum, et potentissimum. *Exquisivi Dominum*, idest, cum angustiis premerer ad Dominum confugi, ejus auxilium quaesivi, ad eum cum fiducia accessi, *et exaudivit me*, solita sua benignitate et misericordia, et effectus exaudilionis in eo se prodidit, quod *liberavit me ex omnibus tribulationibus meis*, quasi dicere velit, conatus est me Saul rex, et manu sua, et per satellites suos occidere, et protegente Domino manus ejus effugi : fugiens autem praefestinatione, neque arma, neque cibum capere potui, et continuo adfuit misericordia Domini, quae mihi per Achimelech Sacerdotem panes, et arma providit : paulo post per imprudentiam incidi in manus Achis regis Philistaeorum, sed eodem inspirante, adjuvante, et protegente Deo, mirabili et insolita arte periculum declinavi. Itaque *ab omnibus tribulationibus*, quae huc usque mihi acciderunt, *eripuit me* benignissimus Dominus, et amantissimus pater, Deus.

5. *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.*

Hic jam incipit exhortatio pulcherrima, et efficacissima ad amorem, et timorem Dei, et ad projiciendam in eum omnem sollicitudinem nostram *accedite ad eum*, vel, ut sonat vox hebraea, *respicite in eum*, idest, quotquot in tribulatione estis, *accedite* per fidem et orationem ad Deum, *respicite* in auxilium ejus, *et illuminamini*, idest, percipite lumen consolationis et laetitae, rejecta tristitia obnubilante: lux enim laetitiam significat, juxta illud psal. 96. *Lux orta est justo, et rectis corde laetitia.* Potest autem altiore, et mystico sensu hic locus ita exponi. *Accedite ad eum* per conversionem, *et illuminamini* per gratiam justificationis: nam illuminatio divina vitam spiritualem confert ; unde dicit Apostolus ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus;* et Christus ipse ait, Joan. 8. *qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae*: et in psal. 35. legimus, *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen*; ubi pro eodem ponitur, *Fons vitae* et *fons luminis.* Denique ideo baptismus apud veteres dicitur *illuminatio*, quia per eum homines mortui peccato regenerantur, et de tenebris mortis veniunt ad lumen vitae. *Accedite* igitur *ad eum* per conversionem, et poenitentiam, et ipse convertetur ad vos, et vultu suo lucidissimo, et maxime vitali, quippe qui sol est increatus, et fons vitae, *illuminabit* et *vivificabit* vos. *Et facies vestrae*

non confundentur, idest, accedite securi, nolite timere repulsam, exaudiet, et excipiet vos: neque patietur rubore confundi facies vestras. Dicitur enim confundi facies vestras, quando qui petit non impetrat, et ideo cum rubore discedit. Sic lib. 3. reg. cap. 2. dicit Bethsabee regi Salomoni, *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam.* In hebraeo, pro *accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur*, habetur, *respexerunt ad eum et illuminati sunt, et facies eorum non confundentur*; sed facile est videre quid Septuaginta legerint: nam illud הביטו *hibbitu respexerunt*, legerunt, הביטו *habbitu*, respicite, quomodo etiam legit s. Hieronymus: quia vero accessus ad Deum per conversionem, est accessus oculorum interiorum, non pedum; ideo idem est *accedite et respicite*, nimirum accedite oculo fidei, convertite faciem, respicite in Deum. Sic etiam illud, נהרו *naharu*, potest esse praeteritum indicativi modi, et etiam imperativi: saepe enim defectiva inflectuntur more perfectorum. Certe non solum Septuaginta, sed et Hieronimus vertit eam vocem per modum imperandi: et quidem s. Hieronymus vertit, *confluite*, et Septuaginta, *illuminamini*, quia verbum נהר *nahar*, et *confluere*, et illuminari significat, sed illuminamini magis cohaeret cum praecedenti verbo, *respicite*, et ideo communiter est recepta versio septuaginta Interpretum. Denique Septuaginta, et s. Hieronymus non legerunt, פניהם *penehem*, facies eorum, sed, פניכם *penechem*, *facies vestrae*. Itaque tota discordia codicum hebraeorum a graecis, et latinis nascitur ex punctis male collocatis a Rabbinis, vel ex libris minus correctis, quos nunc habemus.

6. *Iste pauper clamavit et Dominus exaudivit eum: et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.*

Probat exemplo suo, secure accedendum esse ad Deum tempore tribulationis. Nam, inquit, *iste pauper*, David videlicet, omni ope destitutus, ita ut etiam panem a Sacerdote mendicaret, *clamavit* cum fide et fiducia, pulsavit ardenti prece ad ostium divinae clementiae, et *Dominus* continuo *exaudivit eum et ab omni tribulatione liberavit eum.*

7. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.*

Probavit exemplo, nunc probat ratione, accedendum esse ad Deum cum omni fiducia. Ratio est quoniam *Angelus Domini*, cui Deus ipse mandavit, ut custodiat homines justos, ut dicitur in psalmo 90. cum videt hominem in periculo, continuo adest, et more castrorum circumdat protectione sua hominem illum, ut nihil ei nocere possit. *Immittet Angelus Domini*, subintelligitur, *ipse se*, *in circuitu timentium eum.* In hebraeo sensus clarior est: sic enim ad verbum legimus, חנה מלאך יהוה סביב ליראיו *chone malach* ADONAI *sabb ib lireau*, *castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum*, et eripiet eos. Mira potentia angelorum, ut unus angelus vicem exercitus suppleat. Ex quo sequitur, ut maxima securitas et pax esse debeat in corde timentium Deum, qui tali custodia muniuntur.

8. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.*

Pergit in exhortatione; et quia dixerat, accedite ad eum, et probaverat exemplo, et ratione, esse accedendum ad Deum tempore tribulationis, nunc hortatur ad experiendum, ut etiam ipsi proprio experimento discant rem ita se habere. *Gustate*, inquit, *et videte, quoniam suavis est Dominus*, idest, experimentum sumite, facite periculum, incipite re ipsa jactare in Deum omnem sollicitudinem vestram, inhaerendo illi, dimissis omnibus consolatoribus aliis, *et videte*, idest, cognoscite, quoniam dulcis est Dominus omnibus inhaerentibus sibi. Et vere quid suavius fingi potest, quam animum praeditum charitate, conscientia bona, corde puro, fide non ficta requiescere in sinu summi boni: vere *beatus vir, qui sperat in eo*, idest, qui pacem habet ad Deum, et certa spe recumbit in eo. Sicut autem illud, *accedite et illuminamini*, exposuimus altiore quodam sensu de insipientibus, qui illuminantur per justificationem: ita quod hic dicitur, *gustate, et videte*, potest exponi de proficientibus, qui post regenerationem spiritualem incipiunt nutriri, et crescere, juxta illud s. Petri in epist. 1. cap. 2. *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis quoniam suavis est Dominus*, ubi s. Petrus hunc locum psalmi citat in eum sensum, quem nos modo persequimur. Sanctus etiam Paulus cap. 6. ad hebraeos, conjungit illuminationem cum gustatione, cum ait: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt quoque bonum Dei verbum*, etc.

9. *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.*

Post exhortationem ad experiendum, quam dulcis sit Dominus, hortatur Propheta ad timorem Domini, idest, ad observantiam mandatorum, sive, quod est idem, ad perseverandum in justitia, et charitate Dei, quae est fundamentum fiduciae per quam accedimus ad Deum et gustamus beneficiorum ejus suavitatem. Rectissime etiam conjunguntur haec verba superioribus secundum altiorem alium sensum: nam sicut accedendo incipimus, et gustando proficimus, ita timendo perficimur; non enim hic agitur de timore servili, sed de timore casto, et filiali, qui convenit sanctis, et perfectis. *Timete*, inquit, *Dominum omnes sancti ejus*: timor enim iste includit perfectam charitatem, quia qui perfecte diligit, vehementissime timet, ne in aliquo dilectum offendat, et ideo diligentissime conformat se voluntati Dei, et servat in omnibus verbum ejus: qui autem sic servat verbum ejus, *in hoc charitas Dei perfecta est*, ut ait s. Joannes in

epist. cap. 2. De hoc timore dicitur Job. 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia* : Ecclesiast. 1. *Plenitudo sapientiae est timere Deum*, et cap. 25. *Timor Domini super omnia*: et Isa. 11. dicitur de Christo, *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Denique Eccles. ult. *Time Deum, et mandata ejus observa*: *hoc est enim omnis homo*; quasi dicat, in hoc consistit tota perfectio hominis, et omne ejus bonum in hac vita, ut timendo Deum custodiat omnia mandata ejus; et hoc significant verba sequentia in altiore sensu, *quoniam non est inopia timentibus eum*, sive, ut proprie significat vox hebraica, מחסור *machsor*, *non est defectus timentibus eum*, idest, nihil deficit timentibus eum: hoc enim est esse perfectum, nihil ei deesse. Et vere quid potest deesse amico Dei, cujus sunt omnia; cum amicorum omnia sint communia? Quod si aliquando justissimis viris deesse videntur temporalia, vere tamen eis nihil deest, cum eis detur patientia, quae longe melior est divitiis: neque dicitur proprie carere divitiis, qui divitias non desiderat: animus enim dives debet esse, non arca. Sed tamen idem Propheta, sive potius idem Spiritus sanctus, qui verbis suis instruit sapientes, iisdem verbis humiliore sensu acceptis, instruit etiam insipientes eosque hortatur, ut Deum timeant, quoniam non est inopia timentibus eum, idest, quoniam Deus temporalia subministrat servis suis, neque eos destituit tempore necessitatis. Et sunt in scripturis, et in historiis de vitis sanctorum exempla sine numero, quibus probatur, Deum mirabili providentia prospicere solitum esse servis suis ea, quae ad vitam necessaria sunt.

10. *Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Idipsum explicat comparando impios cum timentibus Deum, quasi dicat Propheta non solum non erit inopia timentibus Deum; sed contra, erit inopia magna non timentibus eum, etiam si divites antea fuerint. In hebraeo, pro *divites*, est, כפירים *chephirim*, *leones* sive *leunculi*: vocat enim Propheta divites impios, metaphorice leones, quod aliena rapiant. Dicit igitur, divites impios non semel Deo ipsos puniente, ad extremam inopiam esse redactos. *Divites eguerunt et esurierunt*, idest, qui divites fuerunt, egere et esurire coeperunt, quia divitiae instabiles sunt, et fallaces, et multis, variisque periculis expositae. *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono*, idest, qui non in divitiis, sed in Deo spem suam positam habent, quales sunt, qui Deum timent, illi etiam si pauperes sint non minuentur omni bono, idest, non deerit illis ullum bonum: est enim phrasis hebraica, et in scripturis frequentissima, ut ponatur in propositione negante, *non omne*, pro nullo. Nos diceremus nullo bono minuentur, pro eo quod hebraei dicunt, non minuentur omni bono. Sic in psalm. 48. *Cum interierit non sumet omnia*, idest, cum interierit nihil sumet: sic in Apocalypsi cap. 22. *Et omne maledictum non erit amplius*, idest, et nullum maledictum erit amplius. Porro illud, *divites eguerunt et esurierunt*, habet etiam alium sensum magis reconditum, quod videlicet ii, qui divitias temporales amant, quamtumvis divitiis abundent, semper egent, et esuriunt; quia semper appetunt plura, quam habeant: *inquirentes autem Dominum*, quia rem infinitam quaerunt, quae major est ipsorum desiderio, juxta illud s. Joannis 1. epist. cap. 3. *Major est Deus corde nostro*: *non minuentur omni bono*, quia summo bono inhaerentes, in eo habent omnia bona.

11. *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.*

Posteaquam Propheta hortatus est homines ad timorem Domini, docet quae sit utilitas hujus timoris, et in qua re timor iste sit positus. *Venite*, inquit, *ad me*, venite ad scholam Spiritus sancti, qua nulla utilior inveniri potest, *audite me*, vel potius spiritum Domini per linguam meam loquentem. Sic enim David ipse loquitur lib. 2. cap. 2. *Spiritus Domini loquutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. Timorem Domini docebo vos*, idest, docebo quanta sit utilitas timoris Domini, et quid sit iste timor Domini, ad quem tamquam ad summum omnium bonorum, tam saepe vos in psalmis, et tam vehementer exhortor.

12. *Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos?*

Explicat his verbis Propheta utilitatem, et finem timoris Domini, quod videlicet timor Domini pariat veram vitam, et dies bonos, idest, vitam foelicissimam, quam justi praegustant in hoc saeculo, dum *Regnum Dei, quod est justitia, pax, et gaudium, in Spiritu sancto.* Rom. 14. in corde suo habent et in alio saeculo perfecte possidebunt, quando absorpta erit mors in victoria. Quis, inquit, est homo qui vult vitam; quasi dicat, promisit me timorem Domini esse docturum; nunc igitur adimpleo promissionem meam, ac dico finem timoris Domini esse, id quod omnes cupiunt, sed pauci assequuntur, videlicet, veram atque beatam vitam. Sed qui nunc finem assequi volunt, debent media assumere, quae mox subjungam. Quis igitur est, qui vult vitam? idest, qui dicunt se velle vitam beatam; et tamen non ingrediuntur viam, quae ad illam ducit, non videntur vere ac serio velle vitam beatam, sed umbram solum, et imaginem vitae: ideo interrogo, quis est qui vere ac serio vult vitam: quis vere diligit videre dies bonos, dies foelices, ac beatos. In hebraeo, אהב ימים לראות טוב *oheb jamim liroth tob*, habetur paulo aliter, *diligit dies ad videndum bonum*; et quamvis sensus idem sit, tamen potest fieri, ut in codicibus antiquis fuerit in numero multitudinis טובים, *tobim*, bonos, quod nunc est, טוב, *tob*, bonum: et quod legerint veteres, non per gerundium, sed per infinitivum illud, *ad videndum*: eadem enim vox apud hebraeos facit infinitivum et gerundium, unica litera superaddita in principio. Nam non solum septuaginta Interpretes, sed etiam

s. Hieronymus, et ipse s. Petrus in epist. 1. cap. 3. legit, *dies videre bonos*, non autem *dies ad videndum bonum.*

13. *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.*
14. *Diverte a malo, et fac bonum, inquire pacem, et persequere eam.*

Docet jam sanctus Propheta, quibus modis timor Domini perducat homines ad vitam, et dies bonos, ac dicit, perfectam observationem mandatorum Dei, sive abstinentiam ab omni peccato verborum. operum, et cordis, esse rectam viam ad vitam, juxta illud Domini, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, haec autem legis observatio et fuga omnis peccati a Dei timore proficiscitur: proinde timor Domini est, qui per legis observationem ad veram vitam, diesque bonos pervenire nos facit. *Prohibe linguam tuam a malo*, idest, cave ne Deum offendas peccato linguae mentiendo, pejerando, detrahendo, rixando, etc. Incipit autem a peccatis linguae, quia sunt frequentiora, et difficilius caventur: propter quod s. Jacobus ait cap. 3. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Et labia tua ne loquantur dolum*, prohibuit generatim omnia peccata linguae, sed voluit etiam in specie prohibere perniciosa mendacia, quia sunt multo graviora caeteris, et ex quibus multa alia mala oriuntur. *Diverte a malo et fac bonum*: a peccato linguae transit ad peccata operis, et primum monet, ut vitentur peccata commissionis, cum ait, *Diverte a malo*, quale est homicidium, adulterium, etc. Deinde addit, *et fac bonum*, ut vitentur etiam peccata omissionis, qualia sunt, cum parentes non honorantur, cum Deus tempore suo non colitur, cum omittuntur elemosynae, orationes, jejunia et similia bona opera. *Inquire pacem, et persequere eam.* Hic tandem adjungit, ut caveantur peccata cordis, irae, odia, invidentiae, et caeterae pravae animi affectiones: ut vera pax, et tranquillitas in omni negotio procuretur, et teneatur. Recte autem dicit Propheta, *inquire pacem*, quia boni viri officium est non tam pacem cum omnibus habere, quam optare, et quaerere: saepe enim aliorum culpa pax obtineri non potest; ideo et Apostolus ait ad Rom. 12. *Quod in vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et Propheta David in ps. 121. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Nec solum cum aliis, sed etiam nobiscum ipsi perfectam pacem habere non possumus in hac valle miseriarum. *Video enim*, ait Apostolus ad Rom. 7. *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Quamvis autem perfectam pacem nobiscum ipsi habere non possimus; tamen inquirenda pax est, domando membra jejuniis, et carnem spiritui subjiciendo, ut aliquando discat non repugnare, vel minus repugnare imperio mentis. Denique inquirenda illa pax est totis animi viribus, quae nos manet in coelesti Hierusalem: qui enim ad pacem illam, ut par est, toto corde anhelant, facile contemnant bona, et mala temporalia omnia, ac per hoc habent etiam in hoc mundo pacem ad Deum, quam unam respicit timor Domini filialis.

15. *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.*

Probat quod dixerat, observantes mandata Dei, et caventes peccata habent vitam, et dies bonos. Ratio autem est, quia Dominus perpetuo respicit viros justos, et semper exaudit preces eorum; quomodo enim non habebunt dies bonos, qui sub omnipotente custode vitam degent? Nam si justi cognoscunt mala imminentia, et clamant ad Deum, inveniunt apertas, et intentas aures ejus: si forte non cognoscant, Deus pro illis vigilat, et liberat a malis plurimis, quae justi ipsi nec vident, nec intelligunt: ad hoc enim sunt *oculi Domini super justos*, ut custodiat eos a malis, ad quae ipsorum oculi non pertingunt. Mira Dei bonitas! quem non delectet tam bonum Dominum toto corde diligere, et filiali affectu timere? quis ista considerans, non clamet cum Propheta, *Confige timore tuo carnes meas*? et in alio psalmo, *Laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum*? At non semper justi exaudiuntur a Deo, imo semper exaudiuntur: sed si non facit Deus, quod ipsi petunt, ideo non facit, quia non expedit eis. Medicus est, et si non exaudit, ut amara potio non sumatur, exaudit, ut per eam potionem morbus curetur.

16. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

Ex comparatione impiorum auget Propheta beneficium justorum; nam sicut oculi Domini super justos vigilant, ut eos custodiat: ita etiam *vultus Domini*, idest, oculus Domini (nam vultus in hebraeo dicitur, פנים *panim*, a verbo, פנה *pana*, quod est aspicere) *vigilat super facientes mala*, id est, super iniquos, non ut eos custodiat, sed *ut perdat de terra memoriam eorum*, idest, ut funditus exterminentur, et pereant, non ipsi solum, sed filii, et nepotes, et posteri omnes, donec eorum memoria penitus aboleatur. Hoc non semper fieri videmus, quia vel ipsi impii prius resipiscunt, quam tempus ultionis adveniat, vel filii, et nepotes non imitantur peccata parentum, vel alia de causa, justo Dei judicio differuntur ejusmodi poenae: sed psalmus cantat id, quod ut plurimum fieri solet, et quod habetur in primo capite decalogi: *Ego sum Deus tuus, fortis, zelotes, qui visito iniquitates in tertiam et quartam generationem in his qui oderunt me.* Exod. 20.

17. *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

Probat quod dixit, *Oculi Domini super justos*, etc. exemplis patrum, quae in sacris historiis leguntur, ut Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Mosis, Iosue, Gedeonis, et aliorum, et forte etiam spiritu praevidebat et canebat liberationem Danielis de lacu leonum, trium puerorum de fornace ardente,

Susannae de morte, ad quam ob falsum crimen damnata erat, et aliorum plurimorum. Neque repugnant huic versiculo exempla Machabaeorum, qui de tormentis, et morte liberati non fuerunt, sicuti non exempla Apostolorum, et martyrum, et ipsius Christi qui ab inimicis et persecutoribus injuste supplicia gravissima pertulerunt. Isti enim verissime de omni tribulatione liberati sunt, qui ut Ecclesia canit, *Compendio mortis sacrae vitam beatam possident*. Verissime etiam isti clamantes ad Deum exauditi sunt, quia dedit illis Deus aliquid melius, quam sit liberatio de temporali calamitate; dedit enim eis pretiosum patientiae donum, et pro eadem patientia coronam gloriae sempiternae.

18. *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.*

Declarat modum Propheta, quo Deus justos de tribulatione liberat; et videtur pluribus verbis explicare, quod brevissime dixit in psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum*, idest, cum ipso sum per patientiam in hac vita, *eripiam eum per mortis soporem, et glorificabo eum* per gloriosam resurrectionem. Ita nunc dicit, *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde*, idest, justos, qui ob angustias, et persecutiones corde afflicto, et tribulato sunt, Deus non deserit; sed prope adest patientiam subministrans, et consolationem coelestem admiscens, ut fortiter sustinere possint: neque hoc diu durabit: nam paulo post *humiles spiritu salvabit*, idest, illos ipsos humiliatos et afflictos corde et spiritu (nam in hebraeo est, דכאי רוח *dacchee ruach*, *contritos spiritu*) ob gravitatem tribulationis eruet de omni angustia.

19. *Multae tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus.*

Hoc pertinet ad illa postrema verba versiculi superioris, *humiles spiritu salvabit*: idem est enim ac si dixisset, *humiles spiritu salvabit*: et ita salvabit, ut etiamsi plurimae sint eorum tribulationes, tamen de omnibus omnino liberabit eos. *Absterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, ut in Apocal. dicitur cap. 21. Hinc admonemur, non promitti fidelibus in hac vita carentiam inopiae, morborum, ignominiae, persecutionum, calumniarum, oppressionum; sed promitti consolationem spiritualem praesenti tempore, et plenam, atque perfectam liberationem in futuro. In hebraeo, צדיק *tsadik*, habetur in singulari numero, *multae tribulationes justi, et de his omnibus liberabit eum Dominus*: sed in sensu nulla est discordia: non enim Propheta significare voluit, unius tantum justi multas esse tribulationes; sed uniuscujusque justi, ac per hoc omnium justorum.

20. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.*

Videntur haec ad resurrectionis gloriam pertinere, ad quam sine dubio pertinet, quod in Evangelio Luc. 21. Dominus dicit, *Et capillus de capite vestro non peribit*; recte enim dici potest non esse confractum, quod statim post confractionem integrum, et fortius ac pulchrius repraesentatur. Quamvis igitur justorum ossa, et membra omnia dissipentur; et vel a feris devorentur, vel in mare projiciantur, vel ab igne consumantur, custodit tamen Dominus amnia illa in sinu providentiae suae, et nihil omnino ex eis peribit, sed integra omnia et gloriosa in resurrectione restaurabuntur. Alii tamen exponunt hunc locum de ossibus interioribus, idest, de fortitudine animi, quae in sanctis, in maximis etiam persecutionibus, Domino custodiente, non deficit.

21. *Mors peccatorum pessima, et qui oderunt justum delinquent.*

Ne putarent impii, suos quoque cruciatus, et miserias in morte finiri; quod athei, vel qui Dei providentiam, aut animae immortalitatem non credunt sibi falso persuadent, adjungit Propheta, *Mors peccatorum pessima*, quia videlicet initium erit cruciatum aeternorum, sicut mors sanctorum pretiosa est, quia requiem, et gloriam inchoat sempiternam. *Et qui oderunt justum delinquent*, idest, et ii qui justum vexant, et odio habent, omnes videlicet justorum persecutores, qui existimant se victores esse, et multum lucrari cum justos deprimunt, spoliant, occidunt; tandem *delinquent*, idest, aberrabunt a via veraë foelicitatis, et dicent, id quod legimus in lib. Sapientiae, cap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiae lumen non luxit nobis, lassati sumus in via iniquitatis et perditionum, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia? transierunt illa tamquam umbra*, etc. In hebraeo pro illis verbis, mors peccatorum pessima, habetur ad verbum, תמותת רשע רעה *themotheth rasciah rahah*, *interficiet impium malitia*. Et quamvis sensus sit idem, et sine dubio pessima sit mors eorum, quos malitia interficit, quia malitia non mortem solum temporalem, sed etiam sempiternam adducit: tamen omnia credibile est septuaginta Interpretes aliter legisse, et ideo aliter transtulisse. Illud igitur, תמותת *themotheth*, quod est verbum, et significat, *interficiet*, ipsi legerunt, תמותת *themuthath*, quod est nomen in regimine, et significat *mors*. Nam in hebraeo sunt literae omnes eaedem, et sola puncta mutari debent, quae a Rabbinis addita sunt et saepe non recte. Posito autem nomine *themuthath*, sequens vocabulum non potest verti impium sed *impii* sive *peccatoris*, et tertia vox non potest reddi malitia, sed mala, vel pessima, quamvis verbum hebraeum, utrumque significet. Itaque recte septuaginta verterunt, *Mors peccatorum pessima*. Quod sequitur, *et qui oderunt justum delinquent*, ex hebraeo multi vertunt, *et qui oderunt justum, desolabuntur*: sed vox hebraica utrumque significat *delinquere et desolari*, et refertur tam ad poenam, quam ad culpam, sed quia septuaginta verterunt, πλημμελήσει quod verbum *delinquere, peccare, errare* significat, et s. Hieron. ex hebraeo

reddidit, culpabuntur, non debemus ab hac posteriore significatione recedere. Quia tamen delinquere potest accipi pro eo, quod est delinquere in alium, sive laedere, et nocere: et pro eo, quod est delinquere in seipsum, idest, errare a scopo, sive deficere in cursu, et amittere bravium, hoc posteriore modo nos paulo ante accepimus, et exposuimus. Siquidem dubium esse non poterat, quin impii delinquerent in homines justos, sed dubium esse poterat, an laedendo justos, laederent magis seipsos; et hoc Propheta affirmat dicens, *Odientes justum delinquent*, idest, nocentes justis sibi ipsi magis nocebunt, quia errabunt a fine ultimo, quem omnes homines desiderant, et qui solus beatos ac foelices reddit possessores suos; et in hoc sensu, *delinquent*, idem est quod, *desolabuntur*: nulla enim est desolatio major, quam amittere vitam aeternam.

22. *Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes qui sperant in eo.*

Concludit psalmum praedicendo justis contrariam sortem ei, quae praedicta est impiis: *Redimet Dominus*, ab omni servitute, atque adeo ab omni malo animas *servorum suorum*, cum eas de carcere corporis eduxerit, et ideo mors justorum optima, ut merito dixerit Balaam. *Moriatur anima mea morte justorum, et sint novissima mea horum similia*, Num. 23. *Et non delinquent omnes qui sperant in eo*, idest, et non errabunt a scopo, non deficient in cursu, pervenient omnino ad bravium supernae foelicitatis, *omnes*, qui non in suis viribus, sed in Deo confidunt. Est autem hoc loco advertendum, non satis esse spem qualemcumque, sicuti nec fidem mortuam, ad vitam aeternam obtinendam: sed hoc loco tribui spei adeptionem beatitudinis, quia sermo est de spe justorum timentium et diligentium Deum, quam Apostolus Petrus vocat *spem vivam*, 1. Petri 1. Haec plane spes et fiducia, quae nascitur ex patientia, ex bonis operibus, ex testimonio conscientiae bonae juxta illud, *Patientia probationem operatur, probatio vero spem*, Rom. 5. et illud, *Qui bene ministraverint gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu*, 1. Timoth. 3. et illud, *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum*, 1. Joan. 3. Haec inquam, spes viva, et perfecta recta perducit ad rem, idest, ad gloriam sempiternam: ut quod speravimus, aliquando possideamus.

PSALMUS XXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipsi David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum psalmi videtur esse oratio Christi ad Patrem adversus persecutores suos, et corporis sui, quod est ecclesia. Fortasse etiam, ut Theodoretus, Euthymius, et alii volunt, orat ipse David pro liberatione sua, et contra Saul regem, aliosque persecutores suos. Sed quia Propheta erat, et de Christo, ut plurimum loquebatur in psalmis, ut colligitur ex verbis Domini Luc. ult. ideo cum s. Augustino, et s. Hieronymo, sensum principalem ad Christum pertinere censemus.

EXPLICATIO PSALMI XXXIV.

1. *Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.*

Propositio generalis est, qua petitur auxilium contra persequutores. Sed ex hebraeo textu sententia explicanda est. Siquidem in hebraeo habetur ad verbum, רבה יהוה את יריבי *ribah* Adonai *eth jeribai. Judica Domine judicantes me*, sive, *litiga cum litigantibus mecum*. Nam ab eadem voce formatur verbum et participium, seu nomen verbale: et quamvis hebraea vox, ריבה *ribah*, sit ambigua, et possit referri tum ad judicium tum ad litem: tamen graeca et latina editio declaraverunt esse referendam ad judicium. Itaque sensus erit, *Judica judicantes me*, idest, justo judicio condemna eos qui me injusto judicio condemnarunt, quales fuerunt principes hebraeorum, Annas, et Caiphas, et principes Ethnici, Pilatus, et Herodes, qui Christum injuste judicarunt, et multi principes, qui sanctos martyres iniquissimo judicio condemnarunt. Quod autem nos legimus, *judica nocentes me*, eumdem sensum habet: qui e-

nim injuste judicat, sine dubio nocet. Et quia persecutores Christi, et Ecclesiae videri volebant, quasi secundum leges, atque ex zelo justitiae Christum, et servos ejus morti adjudicare; revera autem non judices, sed hostes erant, et cum vera pietate pro superstitionibus suis bellum gerebant; ideo subjungit psalmus; *Et expugna impugnantes me:* vel ut clarius habetur in textu hebraeo, לחם את לחמי *lecham eth lochamai*, et graeco ubi est similis allusio verbi, et participii, *pugna contra pugnantes mecum*, idest, suscipe causam meam, et bellum meum, ut expugnante te inimicos meos, ego manus eorum effugium, et victoriam referam.

2. *Apprehende arma, et scutum, et exurge in adjutorium mihi.*

Declarat illud *expugna impugnantes me*, et quia qui pugnat debet instructus esse armis, tum quibus repellat ictus adversarii, tum quibus adversarium feriat, ideo in hoc versiculo meminit armorum prioris generis, in sequente vero posterioris. Nam pro eo quod nos legimus, apprehende arma et scutum, in hebraeo est ad verbum, *apprehende clypeum, et scutum*: sed graeci et latini Interpretes pro prima voce verterunt, *arma*, ne rem eamdem bis ponerent, sed per arma intellexerunt arma defendentia, et protegentia: id enim omnium consensu significat, מגן *maghen*, a verbo, גנן *ganan*, quod est *protegere*. Porro *clypeus, et scutum* Dei est bona ejus voluntas; juxta illud psalm. 5. *Domine ut scuto bonae voluntatis tuae, coronasti nos.* Item aequitas sive justitia, Sap. 5. *Sumet scutum inexpugnabile aequitatem.* Et quidem benevolentia Dei clypeus est, quo Deus nos protegit. Plane enim securus est, quem Deus amat, et de illo dici potest, *scuto bonae voluntatis tuae coronasti eum* Justitia Dei, quae in scripturis vocari solet aequitas, scutum est, quo Deus ipse protegit a judiciis, et calumniis hominum impiorum quantumvis enim Deus severe, et atrociter impios puniat, semper justissime punit, et ideo, non timet Deus jacula linguarum, vel judiciorum; juxta illud, *ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris*, psal. 50. Et de hoc dicitur, *Sumet scutum inexpugnabile aequitatem*, quando videlicet Deus ad judicium novissimum veniet, et armabitur in ultionem inimicorum. Quare non sine causa bis hoc loco ponitur nomen clypei, sive scuti, quoniam utroque simul Deus armatur, cum et nos misericorditer protegit, et juste se ipse defendit.

3. *Effunde frameam, et conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animae meae, salus tua ego sum.*

Hic jam loquitur de armis ad laedendum aptis, et per frameam intelligit gladium, ut s. Hieronymus vertit, et sensus est, evagina gladium, et stringe illum contra persecutores meos. Illud enim, *effunde frameam*, significat facilem, et promptam gladii evaginationem, qualis est cum gladius politus, et laevis est; tunc enim nullo labore eximitur, et quasi funditur e vagina: contra autem gladius rubigine confectus, vix magno labore nudari potest. Illud autem, et *conclude*, intelligitur de conclusione gladii qui manu acriter stringi debet, ut firmiter teneatur et fortius feriat. Verbum enim hebraicum, סגור *segor*, *claudere et stringere* significat. Sed quia framea, et vox hebraica, חנית *chanith*, et graeca ρομφαια non gladium sed spiculum vel lanceam significat: ideo potest etiam sic exponi hic locus, *effunde frameam*, idest, jace spiculum, seu lanceam in hostes, *et conclude adversus eos, qui me persequuntur*, idest, claude viam, pone obstaculum, ne hostes accedant. Porro gladius et lancea Dei est ira ipsius, idest, justitia vindicativa, qua impios punit. Sic enim legimus Deuteron. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis*, et Sapient. 4. *Acuet diram iram in lanceam.* Nam et gladius et lancea, arma sunt offensiva. Mirabile prorsus spectaculum animae fideli objicitur, cum cogitat Deum pro se stare armatum scuto et gladio, sive lancea, et audit illum in corde dicentem, *salus tua ego sum.* Quamvis enim satis sit ad omnem securitatem, id quod Apostolus dicit, Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos* tamen Spiritus sanctus, ut adhuc potentius; infirmitatem nostram sustentaret, describit Deum non quomodocumque, sed armatum omni armorum genere pro Ecclesia et singulis fidelibus suis adversus hostes visibiles et invisibiles pugnantem. *Dic animae meae salus tua ego sum.* Non satis est ad animi tranquillitatem, ut Deus pugnet pro nobis, sed necesse est ut id nobis innotescat, ideo petit Christus pro corpore suo, ut id reveletur, et loquente Spiritu sancto ad cor, fiducia oriatur. Quamvis autem magis proprie Deus medicus dici possit, quam salus; rectissime tamen salus dicitur, quia medici, et medicamenta non semper sanant, nec intime penetrant substantiam rei, quam sanare cupiunt: Deus autem sanat semper, et intimae illabitur animae; et sicut fieri non potest, ut sanitate praesente homo non sit sanus, etiam si omnia alia absint: ita fieri nequit, ut Deo volente sanare, et per gratiam suam praesente, anima non sit sana, etiamsi omnia alia desint.

4. *Confundantur et revereantur quaerentes animam meam.*

Describit exitum impiorum, quos Deus arma capit, ac primum dicit, *confundantur et revereantur*, idest, erubescant ob amissam victoriam qui quaerunt me interficere: idem enim significant illa duo vocabula, *confundantur et revereantur.* Non enim hic agitur de reverentia erga alium, sed de pudore, quo suffundi solet, qui cadit causa. Illud, *qui quaerunt animam meam* ambiguum est. Aliquando enim accipiunt in bonam partem, ut in eo loco psal. 118. *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam*, id est, non habeo refugium ullum, neque est, qui me noverit, et requirat, ut defendat. Aliquando in malam partem ac-

cipitur, ut hoc loco, et alibi saepius : ubi quaerere animam, est conari ad tollendam animam, idest vitam.

5. *Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.*

Non solum igitur confundantur, et pudore afficiantur, sed etiam *avertantur retrorsum*, idest, recedant victi et confusi, *qui cogitant mihi mala*, idest, qui meditantur necem meam.

6. *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos.*

Addit tertio, ut non solum erubescant, nec solum recedant, sed celeriter fugere cogantur, et dispergantur in varia loca. Pulvis enim a vento in varias partes magno impetu, velociterque dispergitur. Augetur autem hoc loco celeritas fugae, et dispersio, tum ex parte pulveris, tum ex parte venti. Nam pro pulvere in hebraeo est, מוץ *mots*, quod significat *glumam*, ut diximus in explicatione primi psalmi, idest, pulverem levissimum, ex minutissimis et aridissimis paleis conflatum. Et pro vento corporali, hic ponitur *Angelus Domini*, qui Spiritus est vivens, et longe potentior, et efficacior omni vento. Fiant igitur sicut pulvis levissimus, qui ab omni vento facile rapi potest, et tamen non levis ventus, sed *Angelus Domini sit coarctans, et impellens eos.*

7. *Fiat via illorum tenebrae et lubricum, et Angelus Domini persequens eos.*

Addit ultimo, ut non solum dispergantur, et fugere cogantur, sed etiam sine ullo remedio in exitium praecipitentur. Fugientes enim juvari solent, scientia viarum, itinere tuto, et stabili, aut certe si via sit lubrica, tarditate ambulationis. Hic autem ista omnia remedia cessant: imprecatur enim Propheta impiis, ut fugere cogantur in tenebris, et per viam lubricam, ut neque oculi, neque pedes officio suo fungi possint et instante post eos, ac vehementer urgente Angelo Domini, ut necesse sit eos in praecipitium, et exitium ruere. Haec omnia implentur hoc tempore in Judaeis, aliisque persequutoribus Christi et Ecclesiae, qui justo Dei judicio versantur in tenebris ignorantiae, et in lubrico concupiscentiae et persequente eos ira Dei, quotidie labuntur in majora peccata et ad sempiternam mortem summa velocitate festinant. Sed manifestius implebuntur in die judicii : tunc enim impii confundentur, et pudefient confusione ineffabili et avertentur retrorsum in praecipitium gehennae divina potestate coacti, idque absque ullo remedio, quo modo sine remedio ruit, et corruit in exitium, qui in tenebris per lubricum alio persequente festinare compellitur.

8. *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui : supervacue exprobaverunt animam meam.*

9. *Veniat illi laqueus, quem ignorat, et captio, quam abscondit apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum.*

In primis septem versiculis loquutus est Propheta in persona Christi, et omnium justorum de persecutionibus generatim : in sequentibus versiculis explicat tria genera persecutionum, quas pati solent justi ab impiis. Nam primum fraudibus, et insidiis justos vexant, deinde falsis testimoniis eosdem appetunt, postremo aperta vi non verbis tantum, sed etiam factis justos opprimunt. Dicit igitur de primo genere, *quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui*, idest, quoniam quidem nulla injuria a me lacessiti, mihi insidias struere non cessant ; ideo precor Deum, ut providentia sua faciat, ut insidiae illae in perniciem ipsorum convertantur. Quae imprecatio, ut alias meminimus, non tam imprecatio, quam prophetia est. Vere enim providentia Dei hoc agit, ut insidiae, vel solis noceant insidiatoribus, vel prius et magis illis, quam aliis: quomodo fax accensa, ut comburat domum, se ipsam prius incipit comburere et consumere, quam domum; et saepe domui nihil nocet : ita malitia insidiantium, statim incipit animum insidiantis vastare; aliis autem, vel nihil nocet, vel longe minus: quia minus est malum poenae, quam malum culpae. Quod attinet ad verba, illud, *absconderunt mihi interitum laquei sui*, s. Augustinus, legit, *absconderunt mihi laqueum corruptionis suae;* sed hebraei graecique codices cum nostra editione concordant ; sensus autem idem est. Dicitur enim *interitus laquei*, mors, quae paratur per instrumentum laquei, et dicitur laqueus interitus, sive corruptionis, laqueus, qui paratur, sive tenditur ad capiendum, et occidendum. In hebraeo habetur, רשתם *rissetam*, rete, non laqueus, sed parum refert, utrumque enim instrumentum est ad capiendum aptum. Illud, supervacue, in hebraeo est, חנם *chinnam*, idest, gratis, sicut paulo ante ; sed Interpres variare voluit. Itaque sensus est, *supervacue*, idest, *sine causa*, cum nullam a me, injuriam acceperint, exprobaverunt animam meam, idest, probro me affecerunt, tendentes mihi laqueos, et retia quasi ferae sylvestri. In hebraeo autem sic habetur, חפרו *chapheru*, idest, foderunt: sed septuaginta legisse videntur, הרפו *charephu*, una litera transposita; id enim significat, *exprobaverunt*. Quamvis si legamus, *foderunt animae meae*, idem erit sensus, nimirum sine causa foderunt foveam deceptionis vitae meae, ac per hoc pudore me affecerunt. Illud autem, *veniat illi laqueus, quem ignorat, et captio, quam abscondit, apprehendat ipsum, et in laqueum cadat in ipsum*, multo clarius est in hebraeo, videlicet sic, *veniat illi*, nimirum insidiatori, *calamitas quam ignorat*, id est, calamitas insperata, et inopinata. Et declarat, quae sit ista calamitas, addens, *rete suum*, sive *laqueus suus quem abscondit mihi, capiat ipsum*, et sic *incidat* in ipsam calamitatem, quam

mihi paraverat. Sententia tamen eadem est, nisi quod septuaginta pro calamitate in utroque loco ponere maluerunt instrumentum calamitatis, videlicet laqueum, et pro reti, sive laqueo posuerunt *captionem*, quae est effectus laquei: illa repetitio *in ipsum*, est hebraismus, pro eo quod nos latini dicimus, in ipsum eumdem laqueum cadat.

10. *Anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.*
11. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi.*
12. *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum.*

In his tribus versiculis prophela explicat laetitiam inenarrabilem, qua perfundetur justus, cum se perfecte liberum esse cernet ab omnibus insidiantibus. Sunt autem phrases poeticae, metaphoricae, admirabiles: est autem haec sententia. Cum id acciderit, quod precatus sum, *anima mea*, qua vivo et sapio, prae laetitia, *exultabit in Domino Deo*, videlicet laudans et magnificans; et simul *delectabitur super salute sua*, quam se adeptam esse videbit, vel potius super ipsum Dominum qui est salus ejus, non solum anima, sed etiam corpus, imo omnes partes corporis, etiam intimae et abjectissimae quales sunt ossa, quae sensum non habent: nec solum *ossa*, sed *omnia ossa*, etiam minima gestient prae voluptate, et si sensum et vocem haberent, exclamarent utique, et dicerent, *Domine quis similis tibi?* nihil enim est in terra, neque in coelo te fortius, benignius, sapientius, amabilius, quippe qui tam potenter, et misericorditer eripis pauperem de manu hostis multo fortioris ipso, qui violenter ejus bona, et ipsam vitam rapere cupiebat. S. Augustinus more suo allegoricum sensum persequens, per *ossa* intelligit viros perfectos, qui sunt in Ecclesia, per carnem vero homines infirmos, ut sensus sit, quamvis tempore tentationis, vel persecutionis caro mystici corporis Ecclesiae cedat, ossa tamen non cedent, sed resistent, ac dicent, *Domine quis similis tibi.* Quod attinet ad verba, illud *salutari suo*, in hebraeo est, בישועתו *bisciuhotho*, salutem suam. Sed quia secunda pars versiculi ut plurimum repetit, et explicat primam; et in prima dictum est, *exultabit in Domino*, recte s. Augustinus per *salutare*, intelligit ipsum Dominum, qui supra dixit, *salus tua ego sum.* Illud autem, *omnia ossa mea dicent*, simile est illi, quod habetur in psal. 102. *Benedic anima mea Dominum, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus.* Significatur autem in hac phrasi perfecta quaedam laetitia, quae totum hominem repleat. Aliquando enim animus gaudet, sed corpus dolet, et tunc non est plena, perfectaque laetitia: sed quando sanabit Dominus omnes languores nostros, et replebit in bonis omne desiderium nostrum; tum demum totus homo inenarrabili voluptate perfusus exultabit Domino, et omnes partes ejus, usque ad ossa insensibilia dicent Domino, *quis similis tibi:* sicut enim insensibiles sitire dicuntur, quando carent necessariis adjumentis, juxta illud psal. 62. *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea;* sic etiam eaedem res insensibiles quando defectus earum tolluntur, et exultare et gestire dici possunt. Illud, *Domine quis similis tibi*, in graeco geminatur: *Domine Domine*, sed neque geminatio habetur in hebraeo, neque legitur ab Augustino vel Theodoreto, vel Euthymio. Illud *eripiens inopem*, in hebraeo facilius connectitur cum superioribus, sic enim ad verbum legitur, *Domine quis sicut tu, qui eripis inopem*: est itaque sic connectenda sententia. *Domine quis similis tibi, qui es eripiens inopem de manu fortiorem ejus?* Illud quoque *de manu fortiorem ejus*, in hebraeo clarius est: sic enim legimus מצויל עני מחזק ממנו *matsil hani mechazak mimmennu, eripiens inopem a robusto prae ipso*, idest, ab hoste robustiore, quam ipse sit. Sed latinus interpres reddidit ad verbum, quod invenit in graeco. Denique pro illis verbis, *a diripientibus eum*, in hebraeo solum est, מגזלו *miggozelô, à violento*, sed interpretes explicare voluerunt latius, quod unico verbo continebatur in textu originali.

13. *Surgentes testes iniqui, quae ignorabam, interrogabant me.*
14. *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animae meae.*

Pergit nunc Propheta ad secundum genus persecutionum, quo impii testimoniis falsis, non ex insidiis, sed palam justos persequuntur, et mire exaggerat nequitiam horum testium: primo dicit, *surgentes*, ut significet eos non expectasse citationem, sed per se venisse. Secundo addit, *quae ignorabam*, ut ostendat accusari justum ab iniquis testibus, de eo quod nec fecerat, nec cogitaverat. Dicimur enim ignorare, quae non probamus, nec unquam fecimus, ac si facere nesciremus. Sic de Christo dicit Apost. 2. Cor. 5. *Eum qui peccatum non noverat pro nobis peccatum fecit.* Tertio addit *interrogabant me*, ut ostendat audaciam ac imprudentiam testium, qui non contenti falsum testimonium dixisse coram Judice, ipsum etiam virum justum coram arguere, et interrogare audent. Quarto addit, *retribuebant mihi mala pro bonis*, ut ostendat falsos illos testes nulla injuria lacessitos, sed contra beneficiis affectos, ex mera malitia ad calumniandum adductos. Addit ultimo, *sterilitatem animae meae*, ut ostendat per falsa testimonia impios illos non quaerere leve aliquod malum, sed omnium maximum. Potest enim sterilitas hoc loco posita duobus modis accipi, primo generatim pro desolatione, et vastitate universali, qualis accidit sancto Job, qui una die amisit opes, filios, sanitatem. Et huc pertinet expositio Theodoreti, et Euthymii, qui accipiunt *sterilitatem*, pro oblivione, idest, tali desolatione, ut ipsum etiam nomen oblivioni tradatur. Potest secundo accipi sterilitas pro uno genere mali, sed maxime aestimationis, tum apud Diabolum, qui illud per ministros suos inferre conatur, tum apud hominem justum, qui illud cogitur pati. Id malum est, ut homo justus infamia per falsa testimonia natus sterilis, et orbus

maneat, ut nec fructum facere possit, et quod jam fecit, pereat. Sic s. Augustinus exponere videtur.

15. *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.*

16. *Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.*

Antequam Propheta de tertio genere persecutorum loqui incipiat, exponit quid egerit adversus persecutores secundi generis, ac dicit se non reddidisse malum pro malo, neque de vindicta cogitasse, sed ad Deum orandum cum magna humilitate se convertisse, *Cum* inquit, *adversarii mihi molesti essent*, non superbe illis insultavi, sed sacco indutus jejunare coepi, ut oratio mea Deum facilius placaret Saccus enim, et jejunium sunt alae orationis. Sic rex ille Ninivitarum cum sacco, et jejunio orans exauditur, Jonae 3. Quod idem legimus de rege Achab, 3. reg. 23. unde et Sapiens dicit, *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Addit vero, *et oratio mea in sinu meo convertetur*, ut ostendat se fructum orationis non dubium expectare. Ponitur enim, *in sinu meo*, pro, *in sinum meum*. ut habetur in textu hebraeo, על חיקי *hal cheki*, et graeco, quasi dicat, oratio ex tanta humilitate profecta non revertetur ad me vacua, sed sinum meum coelesti consolatione implebit. Possumus etiam, si velimus, illud, *in sinu meo*, accipere ut jacet, in casu auferendi, et exponere hunc locum de frequentia orationis, ut sensus sit, oratio mea in sinu meo existens, saepius revertetur et recurret, ut quod semel, aut iterum quaerens non invenit, perseverando, idest, saepius revertendo inveniat. Et quamvis ad litteram haec non videantur convenire Christo, quem in Evangelio non legimus indutum cilicio jejunasse, et orasse, dum persecutiones pateretur; conveniunt tamen eidem Christo, prout est in membris suis; hoc est enim proprium membrorum Christi, dum adversa patiuntur, non cum adversariis contendere; sed ad cor suum redire, et Deum humiliter deprecari. Quod ad verba attinet illud. *cum mihi molesti essent*, in hebraeo est בחלותם *bachalotham*, *cum ipsi infirmarentur*. Sed verisimile est, septuaginta Interpretes legisse cum aliis punctis, vel cum additione alicujus alterius literae, in conjugatione Piel, vel Hiphil. Tunc enim accipi debet active illud verbum, ut non solum septuaginta, sed etiam s. Hieronymus ex hebraeo vertit. Sic enim legimus apud Hieronymum: *cum infirmarer ab eis*, idest, cum ipsi me aegrotare facerent, quod est idem cum eo, quod legunt septuaginta, *cum mihi molesti essent*. Potest etiam dici, septuaginta, et s. Hieronymum legisse, *cum infirmarentur ipsi*. ut nunc legimus in hebraeo, sed altius cogitasse, Prophetam loqui de illa aegrotatione animae, quae semper conjuncta est cum injusta persecutione: quicumque enim alium injuste persequitur, se ipse laedit, et vastat; et dum alium aegrotare facit morbo poenae, ipse aegrotat morbo culpae. Recte ergo sententiam reddiderunt septuaginta, et s. Hieronymus, idem enim est quo ad sensum, *cum mihi molesti essent*; et, *cum morbo iracundiae*, vel odii, vel invidentiae, *adversus me aegrotarent*. Illud autem *induebar cilicio*, in textu hebraeo, לבושי שק *lebusci sciak*, et graeco est *induebar sacco*. Ex quo intelligimus per cilicium intelligendum indumentum ex pilis animalium, quod interius adhiberi solet, ut legimus de rege Joram, 4. reg. 6. ut vestem sacceam, qua exterius etiam ad significandam humilitatem aliqui utuntur, ut de rege Ninivitarum Jonas testatur, cap. 3. illud, *Humiliabam in jejunio animam meam*, phrasis est hebraica, passim enim hebraei animam ponunt pro toto homine.

17. *Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens, et contristatus sic humiliabar.*

Hic versiculus multo clarior est in textu hebraeo quam in graeco, vel latino. Sic enim ad verbum reddi potest cum s. Hieronymo. *Quasi ad amicum quasi ad fratrem meum, sic ambulabam: quasi lugens mater tristis, sic incurvabam:* et sensus est, ego non solum in tribulatione positus, non reddidi malum pro malo, sed reddidi bonum pro malo: sic enim affectus fui erga unumquemque adversariorum, ut amicus erga amicum, imo ut frater erga fratrem, vel potius, ut mater erga filium parvulum et languentem. Sicut enim mater videns filium aegrotantem, incurvat se tristis, et gemens ad eum suscipiendum, sic et ego me cum adversariis meis gessi. Non potuit grandius, et luculentius exprimi pius affectus erga inimicos. Et quidem Propheta David opere praestitit, quod hoc loco in persona Christi, et sua, et omnium perfectorum virorum expressit. David enim Saulem, quem ut fratrem, dum viveret, dilexit, mortuum ut filium deflevit. Idem fecit multo excellentius Christus, qui videns civitatem flevit super illam, Luc. 19. seque gallinae pullos sub alas congregare satagenti comparavit, Matthaei 23. Lectio latinae editionis eumdem sensum habet; sed obscura est, quia verba graeca totidem verbis latinis reddidit. Sed ex hebraica lectione illustranda et supplenda est. Hic igitur erit sensus, *quasi proximum quasi fratrem nostrum sic complacebam*, idest, complacebam mihi, sive affectus eram erga unumquemque adversariorum, quasi erga proximum, sive socium, et amicum, imo etiam erga fratrem nostrum. *Quasi lugens, et contristatus, sic humiliabar*, idest, non solum affectus eram ad persecutorem meum, ut ad proximum et fratrem; sed *humiliabar*, et inclinabam me ad eum, ex compassione dolens, et contristatus de malis ejus, quomodo pia mater inclinatur tristis ad filium languidum, et jacentem.

18. *Et adversum me laetati sunt, et convenerunt congregata sunt super me flagella, et ignoravi.*

Docet consequenter psalmus, persecutores justorum reddere mala pro bonis, et simul transit ad tertium genus persecutionum, quo non contenti impii fraudibus, et calumniis justos vexasse, flagellis quoque eos aggrediuntur. *Et adversum me*

laetati sunt. Ego de malis eorum dolebam, ipsi de malis meis laetabantur: neque hac impietate contenti, *convenerunt adversum me* flagellis armati, ut me, si possent, occiderent; *et ignoravi*, idest, ignoravi eorum consilia, et ideo praecavere non potui, vel ita me patienter gessi, ac si quid facerent ignorarem. Quod attinet ad verba, pro, *et adversum me*, s. Hieronymus vertit. *et in infirmitate mea*: vox enim hebraica, צלעי *tsalhi*, potest significare, latus meum, et infirmitas mea. Priorem significationem sequuti sunt septuaginta, et ideo verterunt, *adversum me*, quod fere est idem quod ad latus meum. Posteriorem sequutus est s. Hieronymus. Sed in sententia non est varietas. Illud autem, *congregata sunt super me flagella*, in hebraeo est, *congregati sunt super flagellantes*, sed idem est sensus. Denique pro, *ignoravi*, s. Augustinus legit, *ignoraverunt*, et refert ad persecutores, qui vere ignoraverunt, quam magnos viros perculerent, cum Christum, vel sanctos flagellarent. Sed quamvis vox graeca sit ambigua, tamen hebraica ולא ידעתי *velo jadahthi*, non est ambigua, nec potest reddi nisi in prima persona: proinde recte habet latina vulgata editio, *et ignoravi*; ut etiam legunt Theodoretus, et Euthymius graeci.

19. *Dissipati sunt, nec compuncti: tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.*

Pergit explicare malitiam adversariorum, ac dicit, eos non potuisse implere quod cupiebant, divina providentia protegente suos, ne ab iniquis persecutoribus laederentur. Sed ne sic quidem quievisse eos: nam quos non potuerant flagellis verborum movere, tentabant flagellis verborum, irrisionibus et comminationibus terrere. *Dissipati sunt*, inquit, idest, qui convenerant in unum, ut nocerent, et flagellarent, divisi sunt ab invicem, Deo dissipante eorum conventiculum: sed non propterea *compuncti sunt*, idest, non resipuerunt; vel ut proprie sonat vox hebraea, דמו *dammu*, *non siluerunt et quieverunt*, ut par erat. Sed potius tentaverunt me, nimirum ad iracundiam provocare, quia *subsannaverunt me subsannatione* irrisoria et *frenduerunt contra me dentibus suis*, minas crudeles intentantes. Quod attinet ad verba, quod in graeco et latino legimus, *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione*, s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *in simulatione verborum fictorum.* Sed verba ipsa hebraica, neque hunc sensum, neque illum recipere videntur: sic enim legimus, בחנפי לעגי נזעוג *bechanpe lahaghe mahog*, id est, *in hypocrisi sive simulationibus subsannationum verbi otiosi.* At profecto omnino credibile est septuaginta Interpretes aliter legisse, et libros optimos habuisse, praesertim cum verba hebraica, ut nunc leguntur cum punctis Rabbinorum, nihil significare videantur. Existimo igitur mutanda esse puncta, et ex nomine, in simulationibus, faciendum esse verbum modi infiniti cum affixo primae personae, quod reddendum erit, in tentando me. Nam etsi, חנף *chanef*, *simulare*, et hypocritam esse significet, tamen tentare proprium est hypocritarum, juxta illud Domini, *quid me tentatis hypocritae?* et idem est in tentando me, quod, *in hypocrisi agendo mecum*, et similiter ex nomine subsannationum faciendum erit verbum temporis praeteriti cum affixo primae personae, et tunc sensus erit, *subsannaverunt me*; illud autem, מעוג *mahog*, significat quidem verbum otiosum, sed significat etiam subsannationem. Proinde integer sensus erit, *in tentando me subsannaverunt me subsannatione*, quod est idem cum eo, quod nos habemus, *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione.*

20. *Domine quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.*

Expositis persecutoribus, revertitur Propheta in persona justorum omnium, qui persequutionem patiuntur, ad orandum Deum, ut finem cum principio conjungat. Et quoniam videtur Deus non respicere, quid in terris fiat, quando non punit injustos, ideo dicit, *Domine quando respicies?* idest, quando te videre mala impiorum puniendo demonstrabis? *Restitue animam meam a malignitate eorum*, idest, cripe vitam meam de periculo, in quo versatur, dum est in potestate malignorum, et restitue illam in pristinam securitatem, sive, restitue mihi vitam, quam pene amisi, dum est in manibus malignorum. Quod ipsum repetit, et clarius explicat dum adjungit, *a leonibus unicam meam*, idest, restitue mihi animam, quae est mihi unica, ac per hoc dilectissima, quod facies eruendo eam a potestate inimicorum, qui crudelitate, et ferocitate leones dici possunt, et *frendent*: ut supra dictum est, *dentibus suis.* Quod ad verba attinet, illud *a malignitate*, s. Augustinus legit, *ab astutiis.* S. Hieronymus autem vertit, *a calamitatibus.* Causa diversitatis fuit, quia vocem hebraicam, משאיהם *miscioehem*, deduxerunt septuaginta a verbo, נשא *nascia*, quod est *decipere*, et ideo s. Augustinus legit, *astutiis*: et noster interpres, *a malignitate*: at s. Hieronymus deduxit ab alia radice, nimirum a, שאה *sciaah*, quod est *desolari*, et ideo vertit a calamitatibus, sed idem est sensus, ut patet. Per *unicam* s. Augustinus intelligit Ecclesiam, quam Christus erui vult a persecutoribus. Quod quidem verum est, sed ad litteram videtur omnino referendum ad animam seu vitam. Sicut etiam illud psal. 21. *Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam.* Anima enim recte dicitur unica quasi unice dilecta. Vita enim temporalis est fundamentum omnium bonorum temporalium, et vita aeterna omnium bonorum simpliciter. Itaque et Dominus ait in Evangelio, Matth. 16. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* et tamen multi ita desipiunt, ut pro nihilo libenter perdant animam, quam unice amare debuissent.

21. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.*

Promittit se non fore ingratum, si liberationem ab adversariis obtineat, *confitebor tibi*, inquit, in *Ecclesia magna*, idest, non abscondam beneficium tuum, sed publice coram omnibus praedicabo ; et idem repetit aliis verbis, *in populo gravi laudabo te*. Idem enim est confiteri et laudare, idem quoque Ecclesia magna, et populus gravis. Dicitur enim Ecclesia magna ratione multitudinis, quod proprie significat vox hebraea, רב *rab*, idest Ecclesia multa; et similiter dicitur populus gravis, sive ut significantius habetur in hebraeo, עצום *hatsum*, robustus, ratione multitudinis. Tunc enim robustus est populus, cum tam multis viris abundat, ut hostes non timeat. Videtur etiam Propheta ad ecclesiam christianam respicere, in qua laudatur assidue Deus ob piorum liberationem. Est enim ecclesia christiana vere multa, et magna, cum totum orbem terrarum obtineat, et vere gravis, et robusta, cum *portae inferi adversus eam praevalere non possint*. Matth. 16. Ecclesia quoque triumphans, ecclesia magna erit, cum de ea scriptum sit, Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ;* et populus rubustus, cum ibidem additum sit, *et palmae in manibus eorum.*

22. *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.*

Redit ad orationem quam inchoaverat, et petit liberari a persecutoribus, praesertim hypocritis, qui simulant se amicos, cum nihil minus sint. *Non supergaudeant mihi*, idest non gaudeant super me, sive non laetentur de interitu meo, *qui adversantur mihi inique*, idest qui me persequuntur fingentes amicitiam, nam in hebraeo habetur, שקר *sceker*, quod mendacium proprie significat, unde s. Hieronymus vertit, *inimici mei mendaces* : et haec ipsa est maxima iniquitas, persequi hominem, et decipere specie amicitiae. Hoc idem declaratur, et repetitur in sequentibus verbis, *qui oderunt me gratis, et annuunt oculis*, idest, qui sine causa me oderunt, cum nihil mali illis attulerim, et tamen fingunt amicitiam annuendo oculis, salutantes, blande aspicientes et approbantes quae dico. Quid est, inquit Augustinus, annuere oculis ? pronunciantes vultu, quod in corde non gerunt.

23. *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et in iracundia terrae loquentes dolos cogitabant.*

Declarat propheta, cur dixerit de inimicis suis, *et annuunt oculis* et dicit, quoniam ipsi quidem mecum verbis exterioribus pacifice loquebantur, quasi amici essent, sed interius prae iracundia disrumpebantur et *cogitabant dolos*, quibus me perderent : haec de sensu. In verbis magna difficultas est. Nam hebraicus codex ad verbum sic habet, *quoniam non pacem loquebantur, et super scissuras terrae verba dolosa meditabantur.* Et sic etiam vertit s. Hieronymus, nisi quod pro, *scissuras terrae*, ponit, *in rapina terrae.* Graecus vero codex sic habet: *quoniam mihi quidem pacifica lequebantur, et super iracundiam dolos cogitabant.* Et sic legunt et interpretantur s. Augustinus, Theodoretus et Eutymius. Sed observandum est, vocem hebraicam, לא *lo*, quae significat non, a septuaginta interpretibus lectam fuisse, לי *li*, quae significat *mihi*, et omnino credibile est, septuaginta interpretes habuisse libros hebraicos emendatiores : proinde non videtur ambigendum meliorem esse lectionem latinam vulgatae editionis, quae respondet voci, quam in suis libris habuerunt septuaginta, quam ea sit, quam nunc habemus in hebraeo. Quod autem in hebraeo habetur *super scissuras terrae*, verterunt septuaginta *super iracundiam* significatam esse iracundiam, quae est quaedam scissura cordis terreni, et animalis. Qui enim irascuntur, ii disrumpuntur interius et quietem ac pacem amittunt : et quidem latinus interpres addere voluit vocem illam *terrae*, quam invenit in hebraeo ; sed graecus interpres satis esse putavit, eam subintelligi in voce iracundiae, quae est fervor circa cor. Explicanda igitur est, vox illa, *terrae*, ut accipiatur pro corde terreno, et animali, ut diximus. Cur autem s. Hieronymus vertit, *rapinam terrae*, non assequor, nisi per scissuras metaphorice intellexerit rapinam, aut forte vox hebraica hoc etiam significare possit. Sed absolute praeferenda est interpretatio septuaginta interpretum, quam ecclesia in latina editione sequitur. Quod autem in latina editione nos habemus, *loquentes dolos cogitabant*, non differt in sensu a verbis hebraicis, *verba dolosa cogitabant.* Idem enim est verba dolosa cogitare et loquendo intra se dolos cogitare. Neque multum refert, quod septuaginta non habeant verba, *aut loquentes*, sed simpliciter, *dolos cogitabant*; quia in ipsa cogitatione satis intelligitur interna locutio.

24. *Et dilataverunt super me os suum: dixerunt, euge, euge, viderunt oculi nostri.*

Quam sit verum, quod supra dixit de inimicis suis, quod simulato corde pacifice loquerentur, ostendit propheta in persona justorum in hoc versiculo, ubi dicit, eosdem inimicos qui aliquando blandiebantur et annuebant oculis : postea cum in eas calamitates incidisset, quas illi fraudulenter concinnaverant, dilatato ore coepisse aperte insultare et inter se gratulari, ac dicere, vidimus tandem quod tantopere cupiebamus. Hoc totum in Christo, qui caput justorum est, impletum legimus in Evangelio: aliquando enim pacifice loquebantur inimici dicentes, *scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces*, Matth. 22. sed interim dolos meditabantur, ut caperent eum in sermone. Cum autem illum cruci affixum viderunt, *dilataverunt os suum insultantes et dicentes, vah qui destruis templum Dei*, etc. Quod ad verba attinet,

conveniunt codices omnes, eo excepto, quod interjectionem hebraicam, הא֣ח *heach*, septuaginta reddiderunt, *euge*. S. Hieronymus, *vah;* et euge est laetantis, *vah* insultantis : sed parum refert, nam utraque est exultantis et exultatio inimicorum quaedam insultatio est.

25. *Vidisti Domine ne sileas, Domine ne discedas a me.*
26. *Exurge Domine, et intende judicio meo, Deus meus et Dominus meus in causam meam.*
27. *Judica me Domine secundum justitiam tuam; Domine Deus meus, non supergaudeant mihi.*

Redit propheta ad rationem, idipsum aliis, et aliis verbis repetens ad insinuandum effectum. *Vidisti*, inquit, *Domine*, quanta videlicet sit oppressio pauperis servi tui, *ne sileas*, quasi non videas, aut non possis, aut non velis defendere sperantes in te. *Ne discedas*, vel ut habet vox hebraica, ne elongeris a me, idest, ne deseras me in tribulatione positum, quo modo faciunt qui procul abeunt. Nec solum non sileas et non discedas, sed nec sedeas, quasi otiose spectans, vel dormitans ; sed exurge, et quasi judex justus et potens intende diligenter animum ad judicium meum, idest ad litem, quam cum persecutoribus habeo; intende, inquam, Deus meus in causam meam, et judica me secundum justitiam tuam Domine, idest, si justitia tua, quae rectissima est, judicat me injuste ab adversariis opprimi, libera me de manibus eorum, ut non amplius gaudeant super miseriis meis.

28. *Non dicant in cordibus suis, euge, euge animae nostrae, nec dicant devoravimus eum.*
29. *Erubescant, et revereantur simul, qui gratulantur malis meis.*
30. *Induantur confusione et reverentia, qui magna loquuntur super me.*

Explicat id quod dixerat, non supergaudeant mihi, *non dicant*, inquit, *in cordibus suis, euge, euge, animae nostrae*, idest, non exultent in cordibus suis super vitam meam, quasi jam extinctam. Sicut enim illud, *non supergaudeant mihi*, significat non gaudeant super me : sic etiam hoc, *non dicant euge animae nostrae*, debet exponi, non dicant euge super animam nostram, et explicat in verbis sequentibus. *Nec dicant*, inquit, *devoravimus eum*, idest non possint jactare ab eis, quasi a leonibus me devoratum. Sed contra potius amissa spe victoriae erubescant, et revereantur, idest verecundentur simul omnes inimici mei, qui nunc spe victoriae gratulantur sibi de malis meis, idest mihi imminentibus. Nec solum leviter erubescant et verecundentur, sed *induantur confusione, et erubescentia*, idest, toti cooperiantur confusione *qui magna loquuntur super me*, idest, qui magnifice jactabant potentiam suam super me. Aliqui legerunt *maligna*, pro, magna : sed nostra lectio consentit graece et hebraicae veritati.

31. *Exultent et laetentur, qui volunt justitiam meam, et dicant semper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.*
32. *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.*

Quemadmodum precatus est Propheta ut iniqui confundantur ; sic etiam nunc precatur, ut justi exultent et laetentur, qui bene sibi volunt, et amant innocentiam suam, vel cupiunt justitiam suam palam apparere. Excitat quoque ad laudem Dei omnes qui cupiunt pacem suam, quae secutura erat ex liberatione sua ab omnibus malis. In hebraeo habetur, החפץ שלום עבדו *hechaphets scelom habdo, qui vult pacem servi sui*. Septuaginta interpretes viderunt legisse verbum in numero multitudinis, quod in nostris libris est in numero singulari: sed uterque sensus optimus est. Claudit psalmum David promittens gratiarum actionem pro accepto beneficio. *Lingua mea*, inquit, *meditabitur justitiam tuam*, idest, exercebitur in praedicanda justitia tua : et hoc ipsum repetit, et repetendo declarat, dicens, *tota die laudem tuam*. idest, lingua mea tota die meditabitur laudem tuam, idest, exercebitur in praedicanda laude justitiae tuae. Quod autem dicit, *tota die*, significat frequenter, et assidue, ita ut numquam tanti beneficii subrepat oblivio. Sanctus Augustinus hoc loco pie monet, eum semper Deum laudare, qui semper bene agit.

PSALMUS XXXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, servo Domini David.

De hoc titulo dictum est in explicatione psalmi quarti, ubi primum legitur, in finem. Sensus igitur est, psalmus inspiratus servo Domini Davidi, qui canendus est jugiter usque in finem, quique ad Christum pertinet, qui legis et Prophetarum est finis. Argumentum est, immensam fere esse quorumdam hominum malitiam, sed multo majorem Dei misericordiam et justitiam.

EXPLICATIO PSALMI XXXV.

1. *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.*

Describit Propheta duas primas peccati radices, quarum altera est in voluntate, quae decernit male agere; altera in intellectu, qui non cogitat timorem Domini prohibentis peccatum. *Dixit*, inquit, *injustus, ut delinquat in semetipso*, idest, apud se, in corde suo, decrevit injustus delinquere, idest, corde suo in peccatum consensit. *Non est timor Dei, ante oculos ejus*, idest, ideo corde peccatum elegit, quia oculis mentis non cogitavit timorem Domini omnia videntis. Ubi timor ponitur pro objecto timoris, idest, non cogitavit Deum justum fortem, videntem omnia: ex qua cogitatione timorem tantae potestatis sine dubio concepisset. Sicut enim qui timet hominem, non audet in conspectu ejus malum exterius facere; ita qui timet Deum, non audet interius cogitare quoniam Deus etiam corda scrutatur. Quod attinet ad verba, tres primae hebraicae voces sic ad litteram verti possent: *Dictum praevaricationis impii*: sed vox illa, נאם *neum*, quamvis proprie *dictum* significet: tamen accipitur passim pro verbo, *dixit*; illum autem, פשע *pesciah*, quod significat praevaricationem, mutatis punctis, quae à Rabbinis, apposita sunt, legi poterit, פשע *posceah*, idest *praevaricator*, sive *injustus*: sic etiam illud, לרשע *larascah*, quod s. Hieronymus vertit, impii, mutatis punctis significabit *ad delinquendum* sive ut *delinquat*, ut graeci et latini codices habent. Et haec sine dubio vera lectio est, quod confirmat litera, ל *lamed*, quae signum est verbi modi infiniti, non autem nominis ex casu genitivo. Illud autem, *in semetipso* in hebraeo est, *in medio*, לבי *libbi*, *cordis mei*, sed corrupta videtur litera hebraica mutatione unius literae: nam ipse etiam s. Hieronymus vertit, *cordis ejus*, non *cordis mei*. Itaque legendum videtur, לבו *libbo*, idest *corde suo*.

2. *Quoniam dolose egit, in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.*

Demonstrat in hoc versiculo Propheta, quod dixit, injustum non habere timorem Domini. *Nam*, inquit, *in conspectu ipsius Dei dolose egit cum ipso Deo* et omnibus hominibus, adeo graviter, *ut iniquitas ejus non inveniatur apud Deum* ad veniam, sed *ad odium*, quod certe numquam fecisset, si Deum timuisset. Quis enim delinquere audeat in conspectu Judicis, si Judicem timeat? verba hebraica et graeca possunt alium sensum facere nimirum quod injustus dolose agit, cum videtur velle redire ad cor, et confiteri peccata: nam non quaerit peccata sua, dum conscientiae suae secreta rimatur, ut vere illa odio habeat, sed tantum ut fallat Deum, vel homines, et hunc sensum persequitur s. Augustinus. Verba hebraica sic sonant: *quoniam dolose egit adversus eum in oculis ejus ad inveniendam iniquitatem ejus, ad odiendum*. Graeca vero sic habent: *quoniam dolose egit in conspectu ejus, invenire iniquitatem suam, et odisse*. Quamvis autem sensus posterior verus sit, et verbis Prophetae aptari possit, tamen prior sensus est magis universalis et melius connectitur cum superioribus et magis convenit cum vulgata latina editione, et non difficulter accommodari potest verbis hebraicis et graecis. Quod enim dicitur in codice hebraeo, *ad inveniendum iniquitatem ejus ad odium*, hunc sensum facit. Ut inveniat Deus iniquitatem ejus ad odiendum, idest non ad parcendum, sed ad puniendum. Quod autem dicitur in graeco codice, *invenire iniquitatem suam et odisse*, potest etiam legi, *invenire iniquitatem ejus, et odisse*, idest ut Deus inveniat iniquitatem ejus, et non cognoscat; sed odio habeat et puniat: neque enim graeci habent discrimen inter ejus et suam, ut nos latini habemus; proinde illud αὐτῶ, quod s. Augustinus legit *suam*, noster interpres legit, *ejus*.

3. *Verba oris ejus iniquitas et dolus : noluit intelligere, ut bene ageret.*

Dixit propheta hominem impium dolose agere ; nunc addit etiam dolose loqui, additurus postea etiam dolose cogitare, ut undique manifestetur insignis perversitas ejus, qui Deum non timet. *Verba*, inquit, *oris ejus* sunt conformia factis, nimirum injusta, imo tam injusta, ut non sint aliud nisi *iniquitas et dolus*, quidquid loquitur eo tendit, ut vel laedat aperte, vel decipiat, *Noluit intelligere, ut bene ageret*, idest, neque potest excusare culpam suam praetexendo ignorantiam: voluntarie enim ignoravit, cum non curaverit discere legem justitiae, vel per se investigando, vel ab aliis quaerendo, quoniam decreverat male agere : ut male ageret, scientiam bene vivendi contempsit.

4. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo : astitit omni viae non bonae; malitiam autem non odivit.*

Ordine retrogrado descripsit primo opera injusta, deinde verba iniqua, nunc tandem cogitationes et affectiones malas describit : quamvis enim ex corde, ut est in Evangelio Matth. 13. procedant verba et opera mala ; nos tamen ex operibus et verbis malis, quae videmus et audimus, cognoscimus cogitationes et voluntates malas, quas videre et audire non possumus: *iniquitatem*, inquit, *meditatus est in cubili suo*, idest, opera et verba iniqua, non casu, aut imprudenter patravit vel effudit, sed in secreto cubili sui multo ante meditatus est. *Astitit omni viae non bonae, malitiam autem non odivit* : idest, dum meditaretur in corde suo, et varia consilia occurrerent, quasi viae ad operandum, approbavit omnia mala consilia et sic ingredi coepit omnem viam non bonam, quia corrupta est ejus voluntas, et ideo malitiam non odivit, sed amavit potius, non quia mala est, sed quia utilis visa est. Illud, *omni viae non bonae*, positum est, pro omni viae malae, ac si diceret, non placuit illi ullum consilium bonum, sed e contrario elegit sequi omnia mala consilia et sic *astitit viae non bonae*, idest, stetit in via non bona.

5. *Domine in coelo misericordia tua : et veritas tua usque ad nubes.*
6. *Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa.*

Transit propheta ad alteram partem psalmi atque ostendit magnam quidem esse aliquorum hominum malitiam ; sed adhuc majorem esse in Deo bonitatem, quae in misericordia et justitia ejus consistit. Ac de misericordia dicit, *in coelo misericordia tua*, idest tam magna est misericordia tua, ut a terra ad coelum pertingat et omnia repleat : quod clarius habetur in psal. 107. *Magna est misericordia tua super coelos.* Misericordiae adjungit veritatem, idest fidelitatem, quae facit observari, quod misericorditer promittitur ; de qua dicitur in psal. 144. *Fidelibus Dominus in omnibus verbis suis. Et veritas tua usque ad nubes.* id est, misericordia ad coelum usque pertingit cum sua comite veritate, quae ipsa quoque extenditur *usque ad nubes*, idest usque ad coelum, in quo sunt nubes. Neque minor est in Deo justitia, quae reddit unicuique secundum opera sua. Nam *justitia tua*, inquit, *sicut montes Dei*, idest magna est instar montium altissimorum, qui nubes aliquando superant. Dicuntur enim res magnae res Dei, ut alio loco psal. 97. *Sicut cedros Dei.* Adjungit justitiae judicia, quae sunt actus justitiae, ac dicit, *judicia tua abyssus multa*, idest profunda et inscrutabilia, quomodo profundissima vorago, quae abyssus dicitur, oculis penetrari non potest. His omnibus corporalibus similitudinibus altitudinis et profunditatis divinae misericordiae et justitiae, necnon veritatis et judiciorum, nihil significatur aliud, nisi misericordiam et justitiam Dei majora esse, quam ut a nobis perfecte intelligi possint ; quemadmodum oculis corporalibus non pertingimus ad ea, quae superant nubes, vel quae sunt infra terram.

7. *Homines, et jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.*

Ostendit nunc propheta, misericordiam Dei maximam esse, quoniam salvat homines et jumenta, idest conservat, nutrit, replet corporalibus bonis, non solum homines, idest, eos qui ratione utuntur ; sed etiam jumenta, idest, eos qui instar jumentorum, solo sensu et appetitu dicuntur, quorum malitia supra explicavit. Et vere infinita et stupenda est misericordia et benignitas Dei, qui cum posset impios, et blasphemos justissime perdere, et ad nihilum redigere tamen illo ipso tempore, quo blasphemant et maledicunt Deum et mandata omnia Dei praevaricantur, Deus illos quasi manibus propriis sustentat, portat et alit, delectationibus replet, solem suum oriri super eos facit, et pluviis de coelo agros eorum, et hortos rigat. Illud autem, *quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus*, admirantis est, ac si dicat: O quomodo multiplicasti misericordiam tuam Deus ! Nam in hebraico codice habetur, מה יקר חסדך *ma jakar chasdecha*, *quam pretiosa est misericordia tua Deus!* Neque dissentiunt codices graeci ; et nostra latina editio hunc sensum facile recipit. Est autem optimus commentarius textus originalis, quando ex eo versio nostra explicari potest.

8. *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.*

Dixit de misericordia erga impios, et carnales, quos nomine jumentorum appellandos censuit. Nunc dicit de misericordia erga pios, et spirituales, quos filios hominum vocat, quae etiam justitia dici potest respectu impiorum, quos tam eximiis bonis juste privandos esse decrevit. Ait igitur: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt*, idest jumenta quidem corporali salute contenta esse debebunt, quam etiam solam nove-

runt, et solam appetiverunt. At filii hominum, quasi pulli sub alis gallinae, ita ipsi sub alis tuis, Deus amantissime collecti, et quiescentes, omnia bona a te uno sperabunt. Quibus verbis significatur praecipua quaedam providentia et singularis benevolentia Dei erga pios homines et contra, summa quaedam et securissima fiducia piorum ad Deum, qualis est gallinae sollicitudo in fovendis pullis et pullorum fiducia sub alis gallinae. Qua similitudine, quoniam aptissima est, saepe utitur idem propheta, ut psal. 62. *In velamento alarum tuarum sperabo, adhaesit anima mea post te.* et psal. 96. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.* Quam autem dulce sit, et quam anteponendum omnibus humanis deliciis, sub alis Dei foveri, et paternam, vel maternam pietatem ipsius experiri, nemo scit nisi qui accipit.

9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.*

Protectio sub alis Dei in hoc mundo habetur, ubi periculum est a morsibus milvorum, et ferarum: at quod sequitur, in coelesti patria nobis dabitur, explicat autem Propheta bona illa ineffabilia eo modo, quo potest, idest, corporalibus similitudinibus; et quidem primum sumit similitudinem ab ipso recipiente: deinde ab ea re, quae recipitur. Ipse quidem recipiens tunc est contentus cum est plenus, ut nihil amplius appetat. Ista plenitudo satians omnem appetitum describitur hoc loco aptissime per ebrietatem. Qui enim est avidus vini, tum demum est vere satur, cum est ebrius; tunc enim non amplius sitit vinum, sed in somnum resolvitur. Ita igitur et nos, qui in hac vita numquam satiamur, neque quiescimus, quantumlibet bona temporalia crescant; tum demum pleni et saturi, ac per hoc beati erimus, cum inebriabimur ab ubertate bonorum, quae sunt in domo Dei, quia tunc omni appetitu satiato, resolvemur in somnum sempiternae quietis. Dicit autem *inebriabuntur ab ubertate*, et non dicit inebriabuntur a vino, quia vult nos intelligere, non accipi hoc loco ebrietatem proprie, sed ut significat plenam satietatem. Deinde adducit similitudinem ab ipsa re, quae datur, et recipitur, dicens: *Et torrente voluptatis tuae potabis eos.* In torrente tria sunt, multitudo maxima aquarum ex montibus descendentium; repentina inundatio, ubi enim paulo ante nihil erat aquae, repente conspicitur flumen ingens; denique impetus aquarum decurrentium, et secum omnia obvia rapientium. Sic erit coelestis beatitudo; aderit multitudo sapientiae, et scientiae ex illo monte descendens, de quo dicitur, Eccles. 1. *Fons sapientiae verbum Dei in excelsis.* idest, in excelso monte divinitatis est fons sapientiae verbum Dei: ex quo monte et fonte repentina oritur inundatio in beatis. Nam qui in hac vita magno labore, et multo tempore, quasi gutlatim sapientiam hauriebamus, ibi repente, et in momento Deo clare viso affluemus omni scientia, non solum rerum creatarum, sed etiam omnium attributorum ipsius creatoris, quae abundantia sapientiae, et scientiae rapiet animum magno impetu ad amorem, et fruitionem summi boni. Neque enim in patria liberum erit diligere, vel non diligere Deum; frui, vel non frui bono tam magno: sed erit foelicissima necessitas adhaerendi summo bono, et per complexum intimum infinita suavitate fruendi.

10. *Quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.*

Reddit rationem, cur ex visione Dei sit futura in Beatis tanta sapientiae et scientiae inundatio: quia videlicet *apud Deum est fons vitae*, qui idem est cum fonte sapientiae. Deus igitur qui fons est sapientiae, hoc ipso fons est vitae, quia sapere sapientibus est vivere: et quia fons est vitae, hoc ipso fons est essendi, quia vivere viventibus est esse. Dicitur autem fons sapientiae, vitae et essentiae, quia non habet ab alio, ut sapiat, aut vivat, aut sit; sed ipse est sapientia, est vita, est esse; et omnia alia, quae utcumque sapiunt, vivunt, aut sunt, ab illo id habent. Utitur autem David nomine fontis, ut persistat in methaphora torrentis, quasi dicat, torrente nos potabis, quia apud te est fons, unde torrens ille descendit. Dicit autem, *apud te est fons vitae*, cum videretur dicere debuisse, fons sapientiae; quia voluit ostendere, vitam aeternam justis promissam, atque ut summum bonum ab omnibus desideratum, in hac summa sapientia consistere juxta verbum Domini, Joan. 17. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Addit vero, *in lumine tuo videbimus lumen*, ut tandem verbis clarioribus explicet quod per metaphoras adumbraverat. Nam *in lumine tuo videbimus lumen*, nihil aliud significat, nisi in te ipso, qui lux, et fons luminis es, videbimus te lumen inaccessibile, et indeficiens. Nunc enim videmus Deum sed in speculo creaturarum in mente nostra, quae est imago Dei, ratiocinando, et discurrendo ab operibus ad opificis notitiam; denique in fide, non in specie: tunc autem videbimus Deum in seipso, et ut dicit Apostolus Paulus, 1. Corint. 13. *facie ad faciem*, et ut loquitur b. Joannes 1. Joan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* non sicut in imagine repraesentatur. Et quoniam, ut idem Joannes dicit, 1. Joan. 1. *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, ideo recte dicitur *in lumine tuo*, idest, in ipsa tua divinitate, quae lux est, non in figuris, et aenigmatibus, *videbimus lumen*, idest, teipsum, *qui es lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. Recte quoque theologi ex hoc loco colligunt lumen gloriae, quod necessarium esse volunt ad Deum videndum. Nam Deus *lux quaedam est, sed inaccessibilis*, ut dicit b. Paulus, 1. Timoth. 6. et ideo nisi mens elevetur, et confortetur quodam dono Dei, quod vocant lumen gloriae, non potest obtutum figere in lucem illam increatam: proinde videbimus quidem lumen, quod est ipse Deus, sed *in lumine ipsius*, idest, adjuti lumine gloriae, quod ipse donat iis, quos ad sui visionem dignatur admittere. Sed prior explicatio videtur magis litteralis.

11. *Praetende misericordiam tuam scientibus te: et justitiam tuam his, qui recto sunt corde.*

Docet nunc Propheta magna ista bona, de quibus hactenus locutus est ad solos justos pertinere, quos paulo ante filios hominis appellavit, cum impios jumentorum nomine vocasset. Utitur quidem Propheta forma loquendi imperativi modi, sed vim habet apud Prophetas ea forma modi indicativi, ut saepe diximus. *Praetende*, inquit, *misericordiam tuam scientibus te*, idest, extende hanc magnam misericordiam tuam scientibus, idest, illis tantum qui te cognoscunt notitia familiaritatis, et amicitiae; qui tecum versantur, te invocant, qui audiunt te in praeceptis tuis, et quos tu audis in precibus eorum. Quo modo loquendi dicitur in evangelio, Matth. 25. *Amen dico vobis, nescio vos: Et justitiam tuam his qui recto sunt corde*, idest, extende, sive porrige hanc misericordiam, quae simul est corona justitiae, *his qui recto sunt corde*, idest, justis et piis, qui cor habent rectum, et conforme rectitudini tuae, et ideo placent illis omnia mandata tua, et judicia tua. Idem enim petit Propheta more suo diversis vocabulis; nam scientes Deum notitia amicitiae, ipsi sunt recti corde; et foelicitas aeterna misericordia, et justitia est; misericordia quidem, quia ex dono gratiae sancti sumus justi ex impiis, et amici ex inimicis, et recti corde ex distortis et obliquis, et operarii bonorum operum, ex operariis iniquitatis: sed tamen eadem foelicitas est etiam corona justitiae, et merces bonorum operum. Nam ut habetur in concilio Arausicano 2. can. 16. debetur merces operibus bonis, si fiant, sed misericordia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.

12. *Non veniat mihi pes superbiae, et manus peccatoris non moveat me.*

Sollicitus jam de se Propheta, ne a tanto bono forte excidat, precatur Deum pro dono perseverantiae, ac praesertim contra vitium superbiae, cui obnoxii sunt magni viri, qualis ipse erat. *Non veniat*, inquit, *mihi pes superbiae*, idest, ne quaeso sinas, ut mihi appropinquet pes superborum, ne forte manus ipsorum moveat me verbo, vel exemplo, vel alia tentatione, et dejiciat de statu gratiae in foveam peccati. Nomine superbi, et peccatoris, cujus pedem, et manum, idest, cujus accessum et potentiam timet, intelligitur praecipue diabolus, qui est rex super omnes filios superbiae; deinde etiam ministri, et satellites ejus. Posset etiam cum s. Augustino ita exponi, *Non veniat mihi pes superbiae*, idest, non contingat mihi, ut incipiam habere pedem superbiae. idest, affectum superbiae et manus peccatoris non moveat me, idest, et operatio peccatoris non inducat me ad consensum peccati, et sic vel ex meo vitio, vel ex tentatione aliorum dejiciat de statu meo, et cadam.

13. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem. expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

Reddit rationem cur tantopere timeat sibi a superbia, quoniam, inquit, *ibi ceciderunt. qui operantur iniquitatem.* idest, *a superbia initium sumpsit omnis perditio*, ut ait Tobias, cap. 4. nam et primus Angelus cum sociis suis, et primus homo cum uxore sua, ob superbiam ceciderunt; et per eos peccatum in mundum intravit. Et postea quam ceciderunt a justitia ad iniquitatem, expulsi sunt a Deo a loco foelicitatis, et dejecti in profundum miseriarum. Nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* ut dicunt apostoli Petrus in epist. 1. cap. 5. et Jacobus cap. 4. *Nec potuerunt stare*, in loco illo foelicitatis, in quo posuerat illos Deus, ut ad majora proveheret si in bono perseverarent.

PSALMUS XXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus ipsi David.

In titulo nihil est novi. Continet autem hic psalmus pharmacum saluberrimum ad curandos animos pusillorum, qui facile scandalizantur, cum vident in hoc mundo impios prosperari, et inde dubitare incipiunt de providentia Dei, et animari ad imitanda opera impiorum. Non est in hoc psalmo continuata quaedam oratio, sed collectio quaedam sententiarum, quasi aphorismorum, et ideo ut facilius memoria custodiretur, per alphabetum digestus est ita ut primus, quasi aphorismus continens duos versiculos, incipiat a prima litera; secundus a secunda et sic de aliis. Quas literas notabimus, ut appareat distinctio sententiarum.

EXPLICATIO PSALMI XXXVI.

1. Aleph. *Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.*
2. *Quoniam tamquam foenum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident.*

Admonet Propheta, tamquam spiritualis medicus fideles, ut si videant impios prospere agere, non provocentur ad eos imitandos; neque irascantur, aut indignentur adversus Deum, quasi injustum, quoniam prosperitas impiorum non diu durabit, imo velocissime transibit; et tunc apparebit justitia: et providentia Dei, quae impios non sinit diu exultare, et laetari. Verba tamen sunt obscuriora, propter constructionem verborum cum praepositionibus, quae hebraismum, vel graecismum redolent: sed conabimur perspicuam sententiam reddere. *Noli aemulari in malignantibus*, idest, noli provocari ad aemulationem, sive, noli fieri aemulus et rivalis malignorum. In hebraeo est. אל תתחר *al thithchar*, idest, *irascaris* vel ut s. Hieron. reddit, *ne contendas cum malignantibus*. Sed idem est sensus. Loquitur enim non de contentione, et pugna, quae fit gladio, vel hasta; sed de ira et contentione aemulationis, quomodo quidam certant in theatro carminibus canendis, alii in agone cursu equorum, vel curruum et irascuntur nisi vincant. Itaque sensus est, ne contendas cum malignantibus in temporalibus bonis per fas et nefas acquirendis, neque irascaris, si minus bene aemulatio ista succedat. Quod sequitur, *Neque zelaveris facientes iniquitatem*, idem est, ac si dictum fuisset, neque indigneris succensus zelo super operantibus iniquitatem, injustum videlicet judicans, ut Deus tantis bonis afficiat iniquos. Clarius id habetur in psal. 72. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde: mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns*, idest, Deus quidem bonus videtur his qui conformes sunt voluntati ipsius: sed ego, qui non tanta rectitudine polleo, pene cecidi in scandalum et dubitationem, dum zelo succendor quasi pro justitia, et irascor super impiorum prosperitate, dum cogito pacem, et reliqua bona, quae possident, cum tormentis et poenis dignissimi sint. Sequitur. *Quoniam tamquam foenum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum citò decident*. Aptissima similitudo ad ostendendam brevitatem temporalis prosperitatis. Foenum siquidem, et olera non habent profundas radices, ut cedri, et palmae, quibus comparari solent justi. *Justus*, inquit idem David psal. 91 *ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur*. Inde fit, ut foenum, et olera continuo arescant, et putrescant: ut palmae, et cedri diutissime perseverent. Neque dixit Propheta, prosperitatem impiorum cito perituram, sed ipsos impios citissime perituros: ipsis autem pereuntibus, dubium non est, quin omnis eorum gloria, et prosperitas pereat. Et quamvis nonnunquam impii multos annos vivant, et prospere illis omnia succedant; tamen multitudo illa annorum nihil omnino est, si ad diuturnitatem justorum et foelicitatis ipsorum comparetur. Nam *justi in perpetuum vivent*. Sap. 5. et *in memoria aeterna eris justus*, psal. 111. et nihil est diuturnum quod habet finem. Vide Sap. 5. si vis ad vivum depictam videre velocitatem, et brevitatem rerum omnium temporalium. *Transierunt*, inquit, *omnia tamquam umbra, et tamquam nuncius praecurrens, et tamquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, quae, cum praeterierit, non est vestigium invenire; aut avis, quae transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum; aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer in se continuo reclusus est, ut ignoretur transitus illius, sic et nos nati continuo desinimus esse, etc*

3. Beth. *Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.*
4. *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.*

Absterruit nos a malo David in primo aphorismo: nunc in secundo incitat ad bonum, quasi dicat. Si vis beatus, et faelix esse intellige quis sit auctor omnis faelicitatis, et ab eo expecta. ab illo spera, non ab aliis. *Spera*, inquit, *in Domino*. Ipse enim, qui Dominus rerum omnium est, ipse solus res suas vere dare potest. Sed ut spes firma sit, et non confundaris, *fac bonitatem* bene operando, juxta Dei mandata. Quis enim facile sperare audeat in eo quem scit inimicum sibi esse? et tum demum securus *inhabita terram*; quis enim te expellet, si amicus ejus fueris. cujus est terra, et plenitudo ejus? quin etiam *pasceris in divitiis ejus*; terra enim ad te alendum abunde profert fructus suos s. Hieron. ex hebraeo legit, fide. pro divitiis. Et vere in textu hebraico est, אמונה *emuna*, quod fidem, aut veritatem significat. Sed septuaginta Interpretes non videntur in suo textu habuisse, אמונה *emuna*, sed, המונה *hamona*, quae vox divitias significat, et patet ex hoc eodem psalmo versu 16. ubi legitur. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas*. Quamvis etiamsi legamus. *pasceris fide, aut veritate*, erit sensus. pasceris in terra fide, idest, fideliter. et vere. quod est fere idem, cum *pasceris in divitiis ejus*. Ille enim fideliter, et vere pascitur in terra, cui non deest abundantia fructuum terrae, quae sunt ejus divitiae. Sed ut quis bene operetur, et sit amicus Dei. ita ut in illo secure confidat, necessaria est charitas; ideo dicit *delectare in Domino*. idest, ama Deum ex corde, et ille sit deliciae tuae; et tunc securus eris, quia *dabit tibi petitiones cordis tui*, idest, quicquid cor tuum desiderabit. At, inquies, multos novimus, qui sperabant in Deo et faciebant bonitatem, et delectabantur in Domino; et tamen non sinebantur habitare in terra. nec pascebantur in divitiis ejus, nec dabat illis Deus petitiones cordis eorum. Nam, ut omittam multitudinem prope infinitam fidelium, quos videmus quotidie in summa egestate vitam degere: certe b. Paulus sperabat in Domino, et fa-

ciebat bonitatem, et tamen, ut ipse testatur 1.Corinth. 4., *ut purgamentum mundi, et peripsema ejiciebatur*, et esuriebat et sitiebat, et nudus erat; et cum delectaretur in Domino, non dabat ei Dominus petitiones cordis sui cum ter rogaverit *ut auferretur ab eo stimulus carnis, et non impetraverit*, 2. Corinth. 12. Respondeo, maximam partem illorum, qui in summa egestate versantur, non sperare in Domino sicut oportet, nec observare mandata ejus, ut ipse jubet; multo etiam minus delectari in Domino: nam praeter promissiones hujus psalmi, Christus ipse Matth. 6. apertissime dicit, *Respicite volatilia coeli, quae non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Deus pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis?* et infra, *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.* Itaque dubium esse non potest Deum provisurum suis omnia necessaria, si serio illi confidant in Deo, et mandata ejus observent. Quod si aliquando id non fiat, ut dicebatur de Apostolo, ratio est, quia Deus dat illis aliquid melius, et quo illi magis contenti sunt, idest, meritum ingens patientiae. Idem enim b. Paulus, qui scripsit suam egestatem, aliasque tribulationes, scripsit etiam, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 7. Et si non dedit ei Dominus petitionem cordis sui, ut auferret stimulum carnis, dedit ei gratiam abundantem, per quam stimulus ille converteretur in instrumentum triumphi. Itaque non dedit ei Dominus petitionem cordis sui, ut auferret stimulum carnis, dedit ei gratiam abundantem, per quam stimulus ille converteretur in instrumentum triumphi. Itaque non dedit rem parvam, ut daret rem magnam, quam sciebat esse veram petitionem cordis ipsius.

5. Ghimel. *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.*
6. *Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem.*

Propinavit Propheta, ut bonus medicus, pharmacum contra morbum interiorem famis, sitis et similium malorum: nunc proponit aliud contra morbum exteriorem persequutionum, et calumniarum. Quando enim ista nobis eveniunt, non prohibemur nos defendere, et calumnias propulsare, sed praecipuum remedium esse debet oratio ad Deum, et fiducia in Deo: quod observavit Susanna, quae condemnata ad mortem per calumniam, flens respexit ad coelum, inquit scriptura Danielis 13. *Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. Revela*, inquit David, *Domino viam tuam, et spera in eo*, idest, aperi in oratione coram Deo opera tua, et confide in Domino, committens illi causam tuam, *et ipse faciet*, nimirum judicium, et justitiam. Ipse inveniet rationem, qua detegatur falsitas testium, qui adversus te dixerunt testimonium; et qua innocentia tua manifesta fiat. Id quod clarius habetur in sequenti versiculo. *Et educet quasi lumen justitiam tuam*, id est, Deus admirabili providentia sua faciet, ut justitia tua, idest, jus tuum, quod erat quasi in tenebris sepultum propter calumnias persequutorum, emergat et clarissime conspiciatur, quo modo lumen cernitur cum candela accenditur, vel cum profertur ex clausa, et obscura lanterna. Et repetens idem aliis verbis, addit, *Et judicium tuum tamquam meridiem*, idest, producet in apertum, et clarum idem jus tuum, ut luceat, et conspiciatur ab omnibus, ut conspicitur Sol meridianus. Quod quidem in Susannae judicio manifeste apparuit. Nam sicut initio justitia, et innocentia Susannae in tenebris erat, quando a duobus testibus, contestibus, et omni exceptione majoribus convicta erat; ita paulo post providentia Dei, excitante spiritum Danielis, et per eum demonstrata falsitate testium ex ore proprio ipsorum, tam clare apparuit innocentia Susannae, et iniquitas testium, ut continuo et ipsa liberata fuerit, et illi damnati a populo mala morte perierint. Quod attinet ad verba, illud, *revela*, Hieronymus, et Judaeorum magistri ex Hebraeo vertunt, *Volve*, sive revolve; ut sensus sit, rejice in Deum causam tuam; juxta illud psal. 54. *jacta cogitatum in Dominum*. Sed *revela*, quod nos habemus ex versione septuaginta Interpretum, non repugnat hebraicae voci, גול *gol*, quod significat revolve; nam et revolvitur quod in alium rejicitur, et revolvitur etiam quod aperitur, et explicatur, ut cernatur: quod coincidit cum *revela*, sive *aperi*. Utraque expositio vera est, sed nos latinam editionem et commentarios graecorum, et latinorum sequi debemus, qui, *revela*, non *rejice*, exposuerunt. Porro cum revelare aliquid jubemur Deo, non ideo jubemur, quia Deus aliquid nesciat; sed quia vult orari a nobis, et per orationem explicari quae volumus, ut nos ipsi intelligamus, qua de causa divino auxilio egeamus. De vocibus, justitia, et judicium, notum est illa varie in variis locis accipi. Sed hoc loco, justitiam certum est accipi pro jure; judicium autem vel accipiendum est etiam pro jure, cum eadem res agatur; vel pro justa sententia, quae juri debetur: judicium enim actus justitiae est.

7. Daleth. *Subditus esto Domino, et ora eum. Noli aemulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.*

Verba illa, *subditus esto Domino, et ora eum*, in editione graeca, et latina pertinent ad versiculum superiorem: in hebraeo vero codice sunt initium versiculi, ut manifeste apparet ex litera quarta alphabeti, quae hic habetur. Nos ut ostenderemus psalmum esse alphabeticum, posuimus ea verba sub litera Daleth, et tamen non adjunximus illi numerum versiculi septimi, ne mutaremus distinctionem versiculorum, quam in editione latina habemus, et juxta quam distinctionem psalmi canuntur in Ecclesia. Sensus hujus sententiae, quae quartus aphorismus spiritualis numerari potest, hic est. Vide, ut sis semper Deo ad nutum obediens, et ora eum assidue; ne forte si videris hominem foelicem in saeculo, et simul injustum, ejus foelicitas tentet te, et inducat ad injustitiam. Vere enim magna tentatio est foelicitas iniquorum;

sed facile superatur, cum quis habet Deum semper ante oculos cordis, et illi per obedientiam, et orationem adhaeret. Nam qui Deo ita adhaeret, respicit quasi ex alto foelicitatem iniquorum, et videns eam modicam, et fugacem, facile contemnit, ac despicit. Ait igitur, *Subditus esto Domino, et ora eum*, idest, exhibe Deo puram, ac simplicem obedientiam, et cum illo per orationem frequenter versare, et colloquere. s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *tace Domino, et expecta eum*. Sed idem est sensus, quem septuaginta Interpretes pluribus verbis explicare voluerunt. Illud igitur, *tace Domino*, quod in hebraeo significat, non murmures contra Deum, etiamsi nescias, cur ille aliquid jubeat, vel faciat, sed ut subditum decet, silens obedias in omnibus. Illud autem, *expecta eum*, significat, pete in oratione, et patienter expecta. Dabit enim Dominus, quod petis, sed quando opportunum judicabit: *Noli aemulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias*; idest, noli fieri aemulus, et quasi rivalis hominis, qui in via sua, idest, in actionibus suis prosperatur; hominis, inquam, injusti, et iniqui, qui malefaciendo prosperatur. S. Hieron. ex hebraeo vertit, *qui facit quae cogitat*, pro eo quod nos ex graeco habemus *faciente injustitias*. Sed vox, מזמות *mezimmoth*, quamvis descendat a verbo, זמה *zamma*, quod est *cogitare*, tamen significat etiam, *scelera*, ut diem s. Hieron. eamdem vocem interpretatur in psal. 25. vers. 12. et Hierem. 11. vers. 15.

8. He. *Desine ab ira, et derelinque furorem; noli aemulari, ut maligneris.*
9. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, sustinentes autem Dominum, ipsi haereditabunt terram.*

Haec sententia est quasi repetitio, et declaratio prima sententiae; in toto enim psalmo res eadem saepe repetitur, et inculcatur, ut illustrior fiat, et memoriae magis inhaereat. In primo versu dixerat, *Non zelaveris facientes iniquitatem*: idipsum nunc dicit clarius, cum ait, *Desine ab ira, et derelinque furorem*, idest, cum videris impium in terra florere, non irascaris, neque incipias furere, et dicere, quare iste iniquus prosperatur? ubi est justitia Dei? ubi providentia illius? Item in primo versu dixerat, *noli aemulari in malignantibus*; hoc ipsum repetit, et explicat dicens, *noli aemulari, ut maligneris*, idest, noli aemulando malignos fieri socius malignantium. Noli imitari opera injusta eorum quorum foelicitati invides, et addit: *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur*; ut declaret quod antea dixerat, *quoniam tamquam foenum velociter arescent*. Adjungit postea, *sustinentes autem Dominum, ipsi haereditabunt terram*, ut repetat, et declaret, quod ibi dixerat, *Spera in Domino, et inhabita terram*. Sustinent enim Dominum, qui patienter expectant promissiones ejus, et securi expectant, quoniam fidelis, et potens est Dominus, qui promisit. Et ideo sine ullo dubio, qui malignantur, etiamsi ad tempus florere videantur, non diu florebunt, sed exterminabuntur de terra, et in gehennam ad aeternam infoelicitatem detrudentur: qui autem abstinent se ab iniquitate, et a Domino mercedem suam sperant, *ipsi haereditabunt terram*, idest, ipsi stabili possessione terram obtinebunt quasi propriam haereditatem, quae ab eis numquam auferetur. Vere enim homines pii cum migrant ad Deum, non amittunt possessionem terrae, sed acquirunt coelum, et terram, cum dicatur de eis: *Super omnia bona sua constituet eos.* Matth. 24.

10. Vau. *Et adhuc pusillum, et non erit peccator; et quaeres locum ejus, et non invenies.*
11. *Mansueti autem haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.*

Quia dixerat, *Malignantes exterminabuntur*, addit hoc brevi futurum. *Et adhuc*, inquit, *pusillum*, temporis pertransibit, et *peccator*, qui videbatur foelix, non apparebit in terra: *et quaeres locum ejus inter homines, et non invenies*, quia videlicet periit omnino, et quasi arbor infructuosa radicitus evulsus ets. *Mansueti autem*, idest, illi qui non indignantur, nec irascuntur Deo, cum vident impios prosperari: sed patienter ferunt, et tolerant id quod Deo placet, *haereditabunt terram*, non solum hanc ubi peregrinamur, sed etiam illam viventium, quae sola proprie terra est, idest, firma, et stabilis, unde et Dominus ait Matt. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*: et quia terra illa Jerusalem, idest, visio pacis, cum omnes inimici longissime ab illa absint, ideo *delectabuntur in multitudine pacis*, idest, fruentur pace multa, quia pax illa erit cum multitudine magna incolentium terram illam, et durabit multo tempore, vel potius aeterno tempore, et sic delectationem, habebunt, quam pax adferre secum solet.

12. Zain. *Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis.*
13. *Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies ejus.*

Monet s. Propheta justum, ut non multum formidet insidias iniquorum, quia Deus vigilat ad custodiam ejus. *Oservabit*, inquit, *peccator justum*, idest, attente respiciet peccator omnes actiones justi, ut inveniat aditum ad eum perdendum. *Et stridebit dentibus super eum*, idest, instar famelici canis desiderabit interitum ejus, ac prae iracundia, et indignatione dentibus frendebit. *Dominus autem irridebit eum*, idest, Dominus, qui omnia prospicit, et in cujus manu sunt omnia, ita ut non cadat folium in terram, nisi ipso jubente, vel permittente *irridebit eum. Quoniam prospicit, quod veniet dies ejus*, idest, irridebit eum, quoniam videt instare diem interitus ejus, et illum ante rapiendum, quam justo nocere potuerit. Nam etiamsi forte Deus permittat justum a peccatore occidi; tamen prius peccator animam suam occidit, quam justi corpus occidat: et quoniam mors justi pretiosa est in conspectu Domini, et lucrum est, non detrimentum: mors autem peccato-

rum pessima, et ad mortem sempiternam peccatorem detrudit, ideo semper ante rapitur peccator, quam justo nocere potuerit. Proinde irridendus merito est, quia dum alterius interitum procurat, imminentem interitum suum non videt.

14. Chet. *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum.*
15. *Ut dejiciant pauperem, et inopem, ut trucident rectos corde.*
16. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.*

Declarat hic Propheta, quod obscurius dixerat in superioribus versiculis literae Zajn. Quod enim ibi dixit, *observat peccator justum*, hic declarat, dicens: *gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum*, idest, stant peccatores armati disiunctis gladiis, et arcubus extensis, observantes quando sit tempus occidendi justum, ut videlicet tunc dejiciant arcu, et trucident gladio justum, qui pauper et inops est, et rectus corde. Sed Deus, qui prospicit omnia ex alto, facit ut gladius convertatur in corda ipsorum, et arcus eorum conteratur, et ipsis solis noceat, et sic irridebit eos. Observandum hoc loco est quod hic dicitur de gladio et arcu posse intelligi tum de arcu, et gladio ferreo, tum de gladio, et arcu linguae. Saepe enim peccatores occidunt justos, vel certe conantur occidere calumniis, et falsis testimoniis, etiam saepe vero gladio, et arcu. Item notandum est, verbum illud, *ut dejiciant*, recte sic positum esse in editione Sixti V. pontificis, cum antea haberetur in codicibus vulgatis, *ut decipiant*: nam cum in hebraico, et graeco codice habeatur, להפיל *lehappil*, *ut dejiciant*, et sic legerint veteres patres, et hoc requirat conjunctio cum arcu, et gladio; et denique non deessent codices antiqui latini manuscripti qui haberent, *ut dejiciant*, facile dijudicari potuit, errore librariorum ob literarum similitudinem, irrepsisse, *decipiant* pro *dejiciant*. Rursum considerandum est, justum hoc loco dici rectum corde, vel ut est in hebraeo, ישר דרך *iscre darech*, *rectos via*, quia justus cor habet conforme legi Dei, quae est rectissima, et quia eadem lex est via recta, per quam ambulare debemus, dum speramus, ideo rectus corde dicitur etiam rectus via, quia numquam aberrat a recta via, quae est lex Domini. Praeterea notandum hoc loco, justum dici pauperem, et inopem, vel quia omnes justi sunt pauperes spiritu; et licet interdum divitiis abundent, intelligunt eas divitias non esse proprie suas, cum de eis rationem reddituri sint Deo, vel certe non loquitur David de omnibus justis, sed solum de pauperibus, et abjectis, qui a potentibus opprimuntur. Porro inter pauperem et inopem hoc interest quoad voces hebraicas, quod, עני *hani*, pro qua habemus *pauperem*, significat humilem, afflictum, mitem; אביון *ebion*, pro qua voce habemus inopem, significat proprie egenum, qui omnia desiderat, quia omnibus caret. Denique illa imprecatio, *gladius eorum intret in corda ipsorum*, est praedictio potius, quam imprecatio. Tunc autem gladius peccatoris extensus adversus justum, intrat in corda peccatoris, quando peccator dum nocere intendit justo, sibi ipse magis nocet: dum enim forte spoliat justum pallio, se ipse spoliat fide, et charitate: et dum justum privat vita carnis, se ipse privat gratia Dei, quae est vita animae, et dum justum calumniis suis trudit in carcerem, se ipse praecipitat in gehennam.

17. Teth. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.*
18. *Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus.*

Ne justi pauperes iniquis divitibus invideant, et dimissa justitia ad perpetrandam iniquitatem accedant, munit eos David hic duobus versiculis, *Melius*, inquit, *est modicum justo super divitias peccatorum multas*: idest, plus prodest justo modica substantia, quam peccatori ingentes divitiae: proinde foelicior est justus tenuis quam peccator locuples; et ideo magis expetenda est justitia cum parvis opibus, quam multae copiae cum injustitia. Ratio est, quia justus dirigitur a Deo, ut sciat uti divitiis, non est avarus, non est prodigus, ac propterea non eget, neque gravatur aere alieno, neque retinet otiosas opes, unde vel in superbiam erigatur, vel ad luxuriam provocetur. Peccator autem superbus, et prodigus est, nec scit uti divitiis; inde semper eget, semperque debet, nec diu statum suum conservare potest. Atque hoc est quod sequitur: *Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus*, idest, potentia, et fortitudo peccatoris facile deficiet, quia nititur brachio carnis, nec divitiae illum juvare poterunt. Justi autem fortitudo, et potentia non potest deficere, quia nititur brachio Dei; Deus etiam, qui amicus justorum est, illum confirmat, vel, ut clarius rem explicat vox hebraica, סומך *somech*, sustentat. Denique peccator non obstantibus maximis suis divitiis, non effugiet aeternum interitum, quia cum morietur nihil secum asportabit, neque descendet cum eo gloria ejus. Justus autem, qui non in divitiis terrenis, sed in Deo confidit, in sempiternum vivet.

19. Jod. *Novit Dominus dies immaculatorum, et haereditas eorum in aeternum erit.*
20. *Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur.*

Confirmat Propheta quod paulo ante dixit de foelicitate justorum, etiamsi modicas opes habeant. *Novit*, inquit, *Dominus dies immaculatorum*, idest, approbat Dominus vitam justorum, eisque faveat, et benedicit, et ideo dies eorum diuturni erunt, et haereditas eorum cum ipsis diutissime conservabitur. *Non confundentur in tempore malo*, idest, tempore steriliatis et penuriae non confundentur, quia non cogentur erubescere mendicando panem, *et in diebus famis saturabuntur*, id est, non solum non erubescent mendicando tempore communis famis, sed etiam habebunt ex suis copiis, unde comedant ad satietatem sed haec

interdum implentur in hoc saeculo, semper autem implebuntur in futuro. Ventura enim est post hanc vitam incredibilis quaedam sterilitas, quando nemo poterit serere, vel metere, et dives in inferno guttam aquae desiderabit, nec obtinebit. Tunc igitur immaculati, quia nihil dimiserunt in terra, sed in coelum omnia transtulerunt, invenient aeternam haereditatem, neque confundentur mendicando cum stultis virginibus, *date nobis de oleo vestro*, Matth. 25. sed satiabuntur, cum apparuerit gloria Domini.

Caph. *Quia peccatores peribunt.*

21. *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.*

Tres primae dictiones pertinent ad versiculum superiorem in editione graeca et latina: sed voluimus eas hoc loco ponere, ut appareat artificium Prophetae qui per litteras alphabeti psalmum digessit. Nam in illa particula, *quia*, posuit literam Caph. quae in alphabeto sequitur, et inde incipit in hebraeo novus versus. Ergo illa verba, *Quia peccatores peribunt*, reddunt rationem, cur immaculati pacifice possidebunt haereditatem in terra, et in tempore famis saturabuntur. Id enim fiet, quia *peccatores*, qui eos perturbare, eisque bona sua diripere solebant. *peribunt*. Quod autem sequitur. *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient*, respondet duobus versiculis superioribus, ut hic sit sensus: Immaculati homines, tamquam amici Dei habebunt aeternam haereditatem, et in tempore malo non confundentur: *inimici vero Domini*, quales sunt omnes peccatores, e contrario habebunt brevissimam foelicitatem: statim enim atque exaltari coeperint, evanescent instar fumi, qui dum exaltatur consumitur, neque vestigium ullum post se relinquit. Illud verbum, *exaltati*, a s. Hieronymo legitur, Sicut Monocerotes; ab aliis, agni, quae sunt res diversissimae. In hebraeo nunc habetur, כרים *Carim*, quod proprie agnos significat, et ad sententiam hujus loci nihil facit. S. Hieron. videtur legisse, כרים *Carem*, et ideo vertit, sicut Monocerotes, nam Monocerotes in libro Num. cap. 23. et 24. dicitur, ראם *reem*, et in lib. Judic. cap. 38. dicitur. רים *rem*, et tunc sensus est, quod *inimici Domini cum honorificati*, et gloriantes fuerint sicut Monocerotes, tamquam fumus consumentur. Sed septuaginta Interpretes non legerunt כרים *Carim*, neque, כרים *Carem*, sed. כרים *Carum*; et ideo recte verterunt, *Cum exaltati fuerint*, quae lectio optima est, eamque noster Interpres etiam sequutus est, et tota frequentat ecclesia.

22. Lamed. *Mutuabitur peccator et non solvet: justus autem, et miserebitur et tribuet.*

23. *Quia benedicentes ei haereditabunt terram, maledicentes autem ei disperibunt.*

Confirmat quod supra dixerat, *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* Nam saepissime accidit, ut peccator quamvis ditissimus, mutuo accipiat pecuniam, et tamen non restituat: quia volunt divites peccatores supra censum laute vivere, vel superbe vestiri, aut habitare; inde semper laborant aere alieno gravati. Justus autem, qui, ut supra diximus, scit uti divitiis, etiamsi modicum habeat, tamen ex modico illo habet unde misereatur pauperum, et retribuat sine spe recuperandi. *Quia benedicentes ei*, Deo, videlicet, ut sanctus Augustinus exponit, *haereditabunt terram*, et sic semper habebunt unde tribuant, *maledicentes autem ei*, tamquam blasphemi, et ingrati, *disperibunt*, ut etiam velint tribuere, non possint. Sanctus Hieronymus legit passive, quia *benedicti ab eo*, nimirum a Deo, *haereditabunt terram, maledicti ab eo disperibunt.* Et quidem verba hebraica facta mutatione punctorum, tam active, quam passive exponi possunt, et una sententia aliam infert. Qui enim Deum in omnibus rebus benedicunt, ab eo quoque benedicentur; et qui Deo maledicunt, maledictionem ipsius consequentur.

24. Mem. *Apud Dominum gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet.*

25. *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.*

Incipit hoc loco Propheta exponere singularem providentiam erga justos, ut tanto magis eos confirmet, ne forte prosperitas impiorum eos alliciat ad peccandum. Dicit igitur, vitam justorum a Domino dirigi, et custodiri. *Apud Dominum*, inquit, *gressus hominis*, justi; ille diriget actiones, et opera justi, qui justum fecit. *Et viam ejus volet*, idest, hinc fiet, *ut justus viam Domini velit*, diligat, libenter sequatur: vel, *Deus volet viam justi*, idest, approbabit actiones, et opera ejus. Prior explicatio s. Augustini, posterior Euthymii est; illud *apud Dominum* in textu originali est, מיהוה *me* Adonai, a Domino, et sic legit s. August. et graeci Interpretes: sed verba nostrae editionis, ut non dissentiant a textu originali, sic explicanda sunt: *Apud Dominum*, idest, in secreto consilio Domini *dirigentur*. quod est idem cum illo, *a Domino dirigentur*. Sequitur, *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Potest hoc referri ad miserias corporales, et etiam ad miserias animae. Nam si justus ceciderit in aliquam afflictionem, et tribulationem, quasi quae sunt foveae vel saxa, vel lutum in via vitae hujus, *non collidetur*, idest, non omnino succumbet, aut opprimetur, *quia Dominus supponit manum suam*, ne laedatur, vel ut est in hebraeo, סומך ידו כי יהוה *chi* Adonai *somech jado*, *quia Deus sustentat eum manu sua*, idest, auxilio, et providentia sua. Et si forte ceciderit in tentationem peccati, non collidetur, idest, non perveniet ad consensum culpae laethalis, nec amittet patientiam, aut fidem, aut aliam virtutem, quia Dominus auxilio gratiae suae sustentabit eum.

26. Nun. *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem.*

27. *Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit.*

Probat ab experientia sua, quod supra dixerat, justos in tempore malo non confundendos, et in diebus famis saturandos. *Junior fui*, inquit, vel ut expressius habetur in hebraeo, נַעַר הָיִיתִי *nahar hajithi*, puer fui, et postea senui, et in tam longo tempore *numquam vidi justum derelictum a Deo*, ita ut gravi inopia premeretur; nec vidi semen ejus, id est, filios ejus, quaerentes, et mendicantes panem. Sed contra potius vidi, quod justus *tota die miseretur et commodat*, idest, omni tempore ita abundat, ut vel ex misericordia donet, vel certe mutuo aut commodato det proximis de facultatibus suis. Quare *semen illius*, idest, filii ejus non solum non mendicabunt panem, sed, *in benedictione erunt*, idest, benedicti a Deo copiis abundabunt, vel ab omnibus benedicentur, tamquam filii optimorum parentum. Observa circa verba, illud *etenim*, in hebraeo esse, גַּם *gam* quod significat *etiam*, ut sensus sit, *puer fui, et etiam senui*. In graeco quidem habetur καὶ γὰρ *etenim*, sed accipi potest, pro, *etiam*. Observa praeterea non repugnare hanc sententiam veritati, etiamsi videamus in Ecclesia multos fideles mendicantes panem. Nam mendicantes religiosi sponte mendicant amore paupertatis, non necessitate inopiae, neque derelicti dici possunt, cum Deus eos mirabili providentia sua alat, et sustentet. Caeteri mendicantes, ut plurimum non sunt filii eorum, qui consueverint misereri aliorum, et donare, ad hos enim proprie haec promissio pertinet. Saepe etiam neque justi sunt ipsi, neque filii justorum: denique, ut supra diximus, si qui vere justi, et sperantes in Domino derelicti videntur, et quaerentes micas panis, ut Lazarus de evangelio, Luc. 16. ii melius aliquid a Domino acceperunt, quam sit copia rerum temporalium: neque mutarent meritum patientiae cum omni temporali foelicitate.

28. Samech. *Declina a malo et fac bonum, et inhabita in saeculum saeculi.*
29. *Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos, in aeternum conservabuntur.*

Ex iis quae dixit paulo ante, se fuisse expertum a pueritia usque ad senectutem, concludit per modum adhortantis, ac dicit, *Declina a malo, et fac bonum*, quae sunt duo prima praecepta justitiae; *et inhabita in saeculum saeculi*, idest, vide ut justus sis, *et securus inhabitabis terram usque in sempiternum*. Et reddit rationem, cur justi terram perpetuo habitaturi sunt. *Quoniam*, inquit, *Dominus amat judicium*, idest, justissimus est, et juste judicat, et ideo *non derelinquet sanctos suos*, idest, justos servos suos; ideo affirmo, quod in *aeternum conservabuntur*. Haec promissio pertinet quidem aliquo modo ad hanc vitam, in qua per varias successiones justi longo tempore terram inhabitare solent: sed absolute et proprie pertinet ad vitam futuram, quae in terra viventium sempiterna erit.

30. Ain. *Injusti punientur, et semen impiorum peribit.*
31. *Justi autem haereditabunt terram, et inhabitabunt in saeculum saeculi super eam.*

Hoc loco desunt in hebraeo duae primae dictiones, videlicet, *Injusti punientur*, quae apertissime leguntur in textu graeco: et hinc factum est ut non appareat littera ע Ain, initio horum duorum versiculorum: ut numerus, et ordo literarum alphabeti postulabat. Sed vox injusti, quae est apud graecos, et latinos, apud hebraeos esset, עוילים *havilim*, quae incipit per Ain. Itaque si addatur ad hebraeum textum, *Injusti punientur*, vocibus hebraicis, constabit ratio alphabeti. Sententia autem horum versiculorum clarissima est, ut explicatione non egeat.

32. Phe. *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.*
33. *Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus.*

Dixit paulo ante divinam providentiam vigilaturam, ne justi ab impiis opprimantur: nunc addit justos quoque per sapientiam suam, quae est etiam Dei donum, effecturos, ut non supplantentur a malitia iniquorum. *Os justi meditabitur sapientiam*, idest, justus sapienter loquetur, ut non possit capi in sermone: meditari enim sapientiam ore nihil est aliud, nisi exercere sapientiam inter loquendum, ut alibi diximus: et hoc ipsum repetit David cum addit, *Et lingua ejus loquetur judicium*, idest, lingua justi non temere profundet verba, sed loquetur quod justum est, et quod pro tempore dici debet, quod est sapienter loqui. Addit rationem dicens, *lex Dei ejus in corde ipsius*, idest, sermo justi sale sapientiae conditus erit, quia justus habet in corde legem Dei, et propterea dum loquitur cogitat mandata Dei, ut non delinquat in lingua sua: et propterea *lex est lux*, ut ait Salomon Proverb. 6. et ut idem David ait psal. 18. *Lex Domini illuminat corda, et sapientiam praestat parvulis*; et ideo non est mirum, si justus qui habet legem in corde, eamque cogitat, et diligit, sapienter loquatur. Ex his colligit Propheta: *Et non supplantabuntur gressus ejus*, idest, quia justus semper loquitur sapienter, nemo illum supplantando impellet ad casum. Supplantare dicitur, qui plantam alterius tenendo vel impediendo, cadere illum cogit, praesertim quando id astutia potius, quam violentia fit. Ergo non supplantabuntur pedes ejus, ac per hoc non impelletur justus ad casum dolo alicujus iniqui circumventus.

34. Tzade. *Considerat peccator justum, et quaerit mortificare eum.*
35. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum, cum judicabitur illi.*

Declarant hi duo versiculi versiculos duos superiores. *Considerat*, inquit, *peccator justum*, nimirum observans diligenter quid loquatur, et

quid agat, ut supplantet eum, *et quaerit mortificare eum*, idest, quaerit supplantando illum occidere. Quod quidem praecipue fieri solet in judiciis, cum judex vel accusator iniquus innocentem aliquem circumvenire, et perdere cupiunt. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus*, idest, Dominus non permittet, ut peccator habeat justum in potestate, et ideo inspirabit illi sapientiam, ut cognoscat fraudes inimicorum, et sapienter loquendo evitet supplantationes eorum. *Nec damnabit eum, cum judicabitur illi*, idest, judex non damnabit justum cum tempus judicii ejus advenerit, quia Deus non permittet obscurari justitiam. Verba illa, cum judicabitur illi, clariora sunt in textu originali, בהשפטו *behisciapheto*, et nihil aliud significat, nisi, *cum ille*, justus videlicet, *judicandus erit*; sive *cum fiet ei judicium*, sive, *cum judicabitur*. Habentur eadem fere verba versu 12. *Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus*, etc. sed ibi de violentia agitur, hic de astutia.

36. Koph. *Expecta Dominum, et custodi viam ejus: et exaltabit te ut haereditate capias terram; cum perierint peccatores, videbis.*

Hortatur Propheta justum, ut speret in Deo, et perseveret in justitia. *Expecta Dominum*, idest, spera in Deo, si forte differri tibi videtur promissio ejus; *et custodi viam ejus*, idest, observa legem ejus, et non declines a via jam inchoata sanctitatis, et justitiae, *ut haereditate capias terram*, idest, ut cum implebitur promissio ejus, possideas quasi propria haereditate terram viventium. *Cum perierint peccatores, videbis*, idest, cum peccatores omnes judicio divino condemnati perierint, tunc videbis: quod nunc speras.

37. Resc. *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani.*
38. *Et transivi, et ecce non erat; quaesivi eum, et non est inventus locus ejus.*

Quia dixerat, *Cum perierint peccatores, videbis*, poterat justus quaerere, quando hoc erit; Ideo nunc addit, brevi hoc futurum esse. Nam *vidi*, inquit, *impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani*. idest, positum in altissimo gradu dignitatis, et potestatis, et radicatum, ac fundatum opibus, clientelis, et similibus rebus, ut videretur aeterna futura ejus foelicitas: et tamen vix *pertransii, et ecce non erat*, idest, transiens vidi hominem illum elevatum, et radicatum, ut cedros Libani, et vix illum pertransii, et ecce respicio post me, et evanuerat; *quaesivi* ubi fuisset, et an vestigia remanerent tantae magnitudinis, *et non est inventus locus ejus*, quasi numquam ibi fuisset. Haec verissima esse quotidiana experientia docet. Ubi enim nunc sunt potentissimi illi Monarchae, ut de minoribus taceam, Assyriorum, Persarum Graecorum, et Romanorum? Certe nisi aliquid in libris historicorum legeremus, ignoraremus illos unquam fuisse. Ita nulla supersunt vestigia tantae potentiae; et tamen humana superbia mortalibus oculos perstringit, ut videre non possint, quae tangunt manibus; et credere nolint, quae vel inviti sentire, et experiri coguntur. Quod attinet ad verba, in hebraeo habetur, ראיתי רשע ערריץ *raithi rasciah harits. Vidi impium robustum, fortissimum*, sicut indigenam virentem. Septuaginta Interpretes respicientes ad similitudinem cedri ut rem magis explicarent, dixerunt, *superexaltatum et elevatum*; ex quo tamen sequit ut robustus, ei fortissimus esset: cedri enim altissimae, et robustae, et fortissimae sunt. Et pro illo, *sicut indigenam virentem*, verterunt Septuaginta, *sicut cedros Libani*, quia non legerunt, ut nos habemus, כארז *cheezrach*, *sicut indigenam*. sed una litera transposita, et ultima dempta כארז *cheerez*, sicut cedrus: et quia cedri virentes in monte Libano potissimum inveniuntur, ideo pro, *cedros virentes*, posuerunt, *cedros Libani*. Porro ubi nos legimus, *et transivi*, in hebraeo est ויעבור *vajahabor*, et transivit: sed credibile est hebraicam vocem incuria librariorum esse corruptam unius literae mutatione. Nam non solum septuaginta Interpretes verterunt in prima persona, sed etiam s. Hieronymus.

39. Schin. *Custodi innocentiam, et vide aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico.*
40. *Injusti autem disperibunt simul, reliquiae impiorum interibunt.*

Pergit Propheta in adhortatione, et ait: *Custodi innocentiam et vide aequitatem*, idest, conserva innocentiam erga te ipsum, *et vide aequitatem*, idest, judica quod rectum est erga proximos. *Quoniam sunt reliquiae homini pacifico*, idest, quia dabit Deus in praemium homini pacifico, ut relinquat filios post se. Vel altiore sensu: Quia multa bona reliqua sunt homini pacifico post mortem ejus. *Opera enim bona sequuntur illos, qui in Domino moriuntur*, ut dicitur Apoc. 14. *justi* autem e contrario, *peribunt*. ipsi simul omnes nullo excepto, *et reliquia peribunt cum eis*, quia nec filios in hoc saeculo relinquent, nec boni aliquid eis reliquum erit; cum omnia in concuspiscentiis suis, sceleribusque consumpserint.

41. Thau. *Salus autem justorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis.*
42. *Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.*

Haec est quasi recapitulatio psalmi totius, et satis aperta, et perspicua.

PSALMUS XXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, in rememorationem de Sabbato.

Titulus hujus psalmi in hebraeo codice, non fecit mentionem *Sabbati*, sed solius rememorationis; tamen placuit interpretibus Septuaginta viris gravissimis, explicandi gratia, addere vocem, *sabbati*. Videtur autem satis apta esse explicatio s. Augustini, quam etiam sequitur s. Gregorius, ut hic psalmus, qui unus est ex iis, qui proprie ad poenitentiam pertinent, compositus sit a poenitente Davide, in rememorationem *sabbati*, idest, quietis amissae in statu innocentiae, vel promissae in resurrectione justorum. Posset etiam intelligi de Sabbato, quod agit bona conscientia, dum gratia Dei fruitur; et quod amittit, qui peccat; et cujus cum gemitu recordatur, qui veram poenitentiam agere incipit. Argumentum psalmi est oratio poenitentis, similis illi, quae habetur in psalmo sexto, qui idem omnino principium habet, et valde probabile est, compositam fuisse hanc orationem eo tempore, quo David fugit de Jerusalem ob persecutionem Absalonis.

EXPLICATIO PSALMI XXXVII.

1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Precatur David poenitens, ut Deus eum non puniat in ira, et furore suo, ut Judex cum reis facit, sed in misericordia, ut medicus cum aegrotis se gerit. Vide quae diximus ad initium psalmi sexti; ubi ostendimus nihil interesse hoc loco inter furorem, et iram; et inter arguere, et corripere. Si tamen placet discrimen admittere, poteris cum s. Augustino, et sancto Gregorio dicere, illos argui in furore, qui damnantur ad gehennam; illos in ira corripi, qui post mortem in igne purgatorii cruciantur: Prophetam autem precari Deum, ut hic illum puniat pro peccatis admissis, non in purgatorio, vel gehenna. Monet autem s. Augustinus non esse contemnendum ignem purgatorii, quoniam gravior est ille ignis, quam quicquid pati potest homo in hac vita. Illud quoque addendum est, quamvis hoc loco, et in psal. 2. vers. 5. et psal. 6. vers. 1. accipiatur ira Dei pro damnatione ex justitia: tamen alibi accipi aliquando pro zelo patris, qui irascitur filiis, non ut perdat, sed ut custodiat.

2. *Quoniam sagittae tuae infixa sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.*

Quia noverat Propheta, nihil esse utilius ad veniam peccatorum impetrandam, quam plene cognoscere miseriam peccati, et eam coram Domino deplorare; deflet in hoc versiculo, et aliquot sequentibus infoelicitatem, quam secum adfert laethale peccatum. Ait igitur: *Non arguas me in ira tua*, quoniam ea gravissima est, ut jam experientia didici. Siquidem *sagittae tuae infixae sunt mihi*, idest, multae tribulationes, te puniente peccatum meum, acciderunt mihi, *et confirmasti super me manum tuam*, idest, ideo sagittae tuae infixae sunt mihi, et non leviter tantum tetigerunt, quia tu manum tuam aggravasti super me, ut sagittae profundius penetrarent. Videtur autem per has tribulationes, et supplicia intelligere mortem filii ex Bethsabea suscepti, stuprum filiae a proprio ejus fratre allatum, caedem Ammonis filii, incestum, et adulterium uxorum suarum a proprio filio patratum, expulsionem suam a regno, et alia id genus, quae propter peccatum suum, Domino ulciscente, perpessus est. Fortasse etiam sagittas vocat verba illa increpatoria, et comminatoria, quae a Nathan Dei nuncio audivit, 2. reg. 12. *Haec dicit Dominus Deus Israel. Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum Domini tui, et uxores Domini tui in in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda; Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Ethaeum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum*, etc. Certe ista exprobatio beneficiorum, et comminatio poenarum pupugit sine dubio gravissime animum Davidis, et verecundia, timore, et dolore vehementissimo illum affecit.

3. *Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.*

Describit effectum sagittarum Domini, ac dicit, se vehementer conturbari nec requiescere posse dum iram Dei, et peccata sua recogitat, quae iram illam meruerunt. *Non est sanitas*, inquit, *in carne mea a facie irae tuae*, idest, aspectus irae tuae, quae mihi semper ante oculos mentis versatur, carnem meam moerere, et tabescere facit. Dolor enim animi carnem quoque affligit, et extenuat; pallere, et languere cogit. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*, idest, aspectus deformitatis, et gravitatis culpae meae ita me conturbat, ut nulla sit requies, et etiam ossa contremiscant.

4. *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.*

Reddit rationem, cur tantopere conturbetur, dum respicit peccata sua, et dicit rationem esse quia peccata sunt multa et magna: de multitudine dicit. *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum*, idest, in tantum cumulum creverunt, ut me quasi obruant; quomodo obruitur aquis, qui ita profundum fluvium ingreditur, ut aquae supergrediantur caput ejus: de magnitudine dicit, *Et sicut onus grave gravatae sunt super me*, idest, peccata mea quasi pondus importabile gravant humeros animae meae, quia super vires meas est, pro tam gravi debito satisfacere. Id clarius est in textu hebraico, ubi illud ממני *mimmenni super me*, significat proprie, *super vires meas*, sive, gravius quam ferre possim. Peccatum Davidis fuit adulterium cum homicidio conjunctum, sed verus poenitens multas valde deformitates in eo considerat. Nam offendit David servum fidelem, cui uxorem et vitam eripuit: offendit Bethsabeam, quam ad peccandum induxit, et spiritualiter interfecit: offendit uxores proprias, quibus fidem non servavit: offendit populum universum, imo etiam infideles ipsos malo exemplo, unde Nathan dixit. 3. reg. 12. *Blasphemare fecisti inimicos nomen Domini*; offendit denique Deum, cujus leges aperte praevaricatus est. Itaque si numerentur tot offensiones, et tot delicta, quot personas illo suo peccato David offendit, non sine causa dicere poterit idem David, *iniquitates meae supergressae sunt caput meum*. Deinde gravitas peccati ex circumstantiis cognosci potest; nam occidit David Uriam, primo innocentem, secundo fidelissimum, tertium qui tum Davidi militabat; quarto quia uxorem ejus polluerat per adulterium, quasi vellet, quia injuria illum afficerat, majori adhuc injuria afficere, quinto quia ipsum eumdem ministrum suae mortis esse voluit; sexto quia cum scripsit ad Job, ut Uriam occideret, credi voluit, illum magni alicujus criminis reum esse, et eo modo famam ejus maculavit. Sed ingratitudo erga Deum praecipua causa est gravitatis peccati Davidis: Deus enim in unum Davidem omnia fere dona temporalia, et spiritualia abundantissime contulit. Illum enim regem magnum, Prophetam eximium, imperatorem fortissimum fecit, donavit prudentia, robore, pulchritudine, divitiis, omnibus bonis, quae ab hominibus expeti possunt; quae certe omnia gravissimum reddebant peccatum ejus, quod cum ipse appenderet in statera diligentissimae considerationis, merito dicebat, *iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super me*. Atque haec est causa, cur sensum doloris, quem par esset, ex peccatis suis pauci percipiant; quia peccati magnitudinem pauci in statera seriae considerationis appendunt.

5. *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae.*

Haec pertinent ad tempus illud, quod intercessit inter peccatum adulterii, et admonitionem Nathan prophetae, quod fuit plusquam novem mensium. Si quidem Nathan Davidem corripuit, postquam natus fuerat puer ex adulterio illo conceptus, ut dicitur 2. reg. 12. Toto igitur illo tempore distulit David curare vulnera peccati sui per poenitentiam. Interim autem obducta quaedam quasi cicatrix oblivionis, quae non sinebat vulnus agnosci, sed revera cicatrices illae putrescebant, et vulnera graviora, magisque incurabilia fiebant, atque hoc est, quod nunc deplorat, dicens, *cicatrices meae*, non ex arte medici curantis, sed ex negligentia, et oblivione superinductae. *putruerunt, et corruptae sunt a facie insipientiae meae*, idest, insipientia mea, quae causa fuit ut vulnera mea non adverterem, eadem fuit etiam causa, ut ipsa vulnera putrefacta foetorem scandali latius, longiusque diffunderent. Per cicatrices hoc loco non intelliguntur signa, quae remanent post curationem plagae, sed intelligitur plaga non curata, quae solet claudi ad modum cicatricis, et quia non est expressus sanguis corruptus ex ea, *neque ipsa fota oleo, aut circumligata*, ut dicitur Isaiae 1. ideo putrescit, et corrumpitur. Id colligitur ex textu originali, ubi habetur vox חבורות *Chaburoth*, quae non significat cicatrices proprie dictas, sed livorem, et plagam tumentem; quare vel in latina editione accipiuntur cicatrices pro plagis, vel ut diximus, pro cicatricibus, quae per se fiunt, dum vulnus non curatur, sed per se clauditur, et plaga negligitur, et corrumpitur.

6. *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.*

Ex corruptione illa factum est, ut David miser et curvus fieret; quod potest intelligi duobus modis, primo de culpa, secundo de poena. Nam qui graviter peccat praesertim peccato luxuriae, hoc ipso fit miser et curvus, quia relicto Deo, in quo est nostra beatitudo, curvatur ad terram et fit jumentis similis, ac per hoc miser, et miser valde: et hoc significat illud, *usque in finem*, nimirum miser, et curvatus sum adeo, ut miserior et magis curvatus fieri non potuerim, cum a delectatione Angelorum curvatus sim ad voluptates pecorum.

Id colligitur ex textu hebr., ubi habetur, שחותי עדמאת *sciachothi had meod, miser, et curvatus sum usque valde.* Proinde illud *in finem*, non significat, usque ad finem vitae vel usque ad finem temporis, vel usque in aeternum, sed usque ad finem curvationis, ut magis curvari nequeat. Nam versu octavo, ubi legimus, *humiliatus sum nimis*, eadem est vox hebraica, quam interpres nunc vertit, *usque in finem*; nunc *nimis*, aut *valde*. Potest etiam intelligi de poena: nam qui peccat peccato luxuriae miser efficitur, et curvatus valde propter conscientiae remorsum, timorem irae divinae, et verecundiam humiliantem, et confundentem, ut non audeat talis homo ad coelum oculos levare. Sed potest etiam utraque intelligentia simul conjungi, ut sensus sit. Miser factus sum miseria culpae et poenae, et curvatus valde. Tum quia faciem animae, quam defixam in Deo habere debui, converti ad carnales, et infimas voluptates: tum quia sine pudore coelum aspicere non possum. et humilis, atque abjectus terram aspicere cogor; et propter haec omnia, tota die contristatus ingrediebar, idest, semper conscientia mordente et accusante, tristis, ac moerens incedebam: quae enim laetitia esse potest homini misero, si miseriam suam agnoscat?

7. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.*
8. *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.*

Transit Propheta a peccato suo particulari ad corruptionem generalem, quam in carne sua experiebatur ex peccato primi parentis, unde peccatum illud suum particulare tamquam ex fonte manaverat: et ex ea corruptione dicit se affligi, et humiliari, et continuo gemere et rugire. *Quoniam*, inquit, *lumbi mei*, hoc est, pars illa bestialis et concupiscens disrupto fraeno justitiae originalis parit perpetuo desideria ignominiosa, et turpia, et ideo repletur illusionibus spirituum malignorum. et non est sanitas in carne mea, quia non habitat in ea bonum, sed malum passionum variarum, quae illam infirmam reddunt; ideo *afflictus sum, et humiliatus sum nimis*, quia pudet me hominem ratione praeditum, ejusmodi bestialibus moribus non posse carere, et ideo *rugiebam* prae dolore *a gemitu* interiore *cordis mei*, provocatus ad rugitum et clamorem exteriorem. Scio Rabbinos; et qui eos sequuntur, fabulari nescio quid de morbo corporali; et foetente, quo David laboraverit in partibus corporis pudendis, sed sancti patres nostri Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Gregorius in commentariis hujus loci referunt hos versiculos ad carnalem concupiscentiam, ut similis sit haec Davidis quaerimonia illi quae legitur apud Apostolum Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit. etc.* S. Ambrosius, et s. Augustinus legunt, *anima mea impleta est illusionibus*, ubi nos legimus, *lumbi mei impleti sunt illusionibus*. Sed accidit hoc, quia apud graecos, lumbi dicuntur ψυχὶ, et animae dicuntur ψυχαὶ unica litera addita. Proinde facile fuit corrumpi graecum textum, ob literarum similitudinem, quae nulla est in textu hebraico. Itaque lectio ea est, quae cum textu hebraico et latino concordat. Quod autem vox hebraica pro qua habemus, *illusionibus*, significare videatur proprie *ignominiam*, ut s. Hieronymus vertit, non variat sensum, nam qui repletus est ignominia, ille derisioni expositus est. Quod vero s. Hieronymus vertit, evigilavi, pro eo quod nos habemus, afflictus sum, non video quid sequutus sit. Vox enim quam nunc habemus, in textu hebraico debilitari proprie significat; debilitari autem, et affligi pro eodem accipi possunt.

9. *Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.*

Quia dixerat, gemitum cordis sui excitare rugitum, declarat ad quem gemat corde, ac dicit gemere se ad illum, qui scrutatur corda et scit. quid desideret spiritus. *Domine*, inquit. *ante te omne desiderium meum*, idest, tu Domine solus vides omne desiderium meum, quod non est aliud, nisi ut aliquando liberet a concupiscentia mala et perveniam ad sabbatum perfectae quietis: et de hac re *gemitus meus* interior *tibi non est absconditus*. Simile quid Apostolus dicit, cum ait, Rom. 8. *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri.*

10. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.*

Pergit describere corruptionem naturae humanae; ac dicit, *cor meum conturbatum est*, quod significat bellum intestinum ex rebellione partis inferioris a superiore; et addit, *dereliquit me virtus mea*; quia nata est ex illa rebellione tanta infirmitas, ut homo velit, nolit, patiatur desideria mala, et dicat cum Apostolo Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Addit postremo, *et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum*. quia non solum infirmitas in voluntate sed etiam ignorantia in mente ex eadem rebellione orta est. Saepe enim de rebus judicamus, non ut sunt, sed ut nobis male affectis videntur, quomodo febricitantes, quod dulce est, amarum judicant: et quod amarum, dulce. Itaque non ait, *lumen oculorum meorum extinctum est*: sed *non est mecum*: nam lumen intelligentiae, et rationis est quidem semper in anima rationali; sed quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, saepe impediti carnalibus passionibus, illo non possumus uti; et ideo dicit. *et lumen oculorum meorum, et ipsum*, inquam, *lumen oculorum meorum*, interiorum videlicet, *non est mecum*, dum operor, licet in me sit. Proinde est in me quoad essentiam, non est mecum quoad usum.

11. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.*

Posteaquam descripsit bellum intestinum, quod intra hominem continuo geritur; describit etiam bella externa, persequutiones et detractiones, quae omnia peccatorum poenae sunt. Ac primum quaeritur, quod amici et proximi facti sint illi inimici, quod accidit praecipue in rebellione Absalonis filii, cum quo multi amicorum, et proximorum Davidis adversus eum conspirarunt. Sed moderni expositores ex textu hebraico longe aliter exponunt, quam veritas vulgatae editionis habeat: textus hebraicus nunc habet, אהבי ורעי מנגד נגעי יעמדו *ohabai, verehai, minuneged nighi jahamodu. Amici mei et proximi mei e regione leprae meae steterunt.* Quo modo etiam fere vertit s. Hieronymus; ex quo multi colligunt, hoc loco tantum significari amicos et proximos Davidis, non quidem factos esse illi inimicos; sed non fuisse ausos accedere ad eum juvandum, vel consolandum; et ideo e regione procul stetisse. At cum versio septuaginta Interpretum habeat ἤγγισαν, et latinus Interpres antiquus reddiderit, *appropinquaverunt*, certe nimis durum videtur dicere, non appropinquaverunt, sed longe steterunt, neque obstat vox hebraica: nam illud, נגעי *nighi*, quod vere significat, *leprae meae*, *vel plagae meae*, septuaginta Interpretes, qui habuerunt codices correctiores, legerunt נגעו *naghehù*, *appropinquaverunt*. Sunt enim literae eaedem, excepta ultima, quae facillime mutatur in alteram, cum non differant, nisi quod una est paulo major, quam altera: Jod enim si paulum extendatur, efficitur Vau, et ideo vitio librariorum facillime contigit, ut una ponatur pro alia. At, inquiunt, in versiculo sequenti dicitur, *de longe steterunt*. Verum est; sed non est sermo de iisdem personis, ut jam dicemus.

12. *Et qui juxta me erant, de longe steterunt; et vim faciebant qui quaerebant animam meam.*

Dixit amicos et proximos, ut Absalonem et socios ejus, factos esse inimicos et adversum se appropinquasse et stetisse, ut nocerent: nunc dicit alios, *qui juxta eum esse solebant*, ut milites, aut servos, *longe recessisse*, nec adesse voluisse tempore persecutionis; *et interim inimicos in magna conatos esse vitam illi adimere*. Neque solum habuit David, *qui quaererent animam ejus*, idest, qui quaererent eum occidere, ut milites Absalonis, sed habuit etiam, qui detraherent honori, et famae ejus, ut Semei, 2. reg. 16. 13. *qui maledixit ea, maledictione pessima*, et alios qui consilia dolosa contra eum dabant, ut Achitophelem et alios; ideo subjungit.

13. *Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.*

14. *Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.*

15. *Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.*

Haec perspicua sunt et verissima, quod praecipue intelligi potest ex lib. 2. reg. cap. 16. ubi cum Semei malediceret Davidi, eumque virum Belial appellaret et regni invasorem David incredibili patientia cum sustinuit, neque permisit ut nullus ei noceret eumve reprehenderet; sic *factus est quasi surdus et non audiens; et tamquam mutus, et non habens in ore suo redargutiones.*

16. *Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus.*

Reddit tres rationes, cur ita obsurduerit, et obmutuerit: prima est, quia utilius sibi existimavit sperare in Domino, quam in sua propria defensione. Ait igitur, obsurdui, et obmutui, *quoniam in te Domine speravi*: non attendi quanta illi falsa, et vana in me jactarent: quoniam sciebam a te omnia audiri et cognosci, in quo semper speravi, qui es judex justus, et reddens unicuique secundum opera sua; et *quia in te speravi, tu exaudies me Domine Deus meus*, et liberabis a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

17. *Quia dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt.*

Haec est altera ratio, cur elegerit obsurdescere, et obmutescere. *Quia dixi*, inquit, apud me, *ne quando supergaudeant me inimici mei*, id est, bonum est mihi patientiam habere et sperare in adjutorio Domini, ne forte si impatiens fuero, et reddam maledictum pro maledicto, Deus derelinquat me, et gaudeant inimici mei super me, idest, super ruina mea laetentur. Et dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt, idest, non sine causa metuo, ne de exilio meo laetentur inimici; nam *dum commoventur pedes mei*, idest, dum incipiunt nutare pedes mei et ego inclino ad casum (quod factum est, quando fuit in periculo regni amittendi) *inimici mei magna loquuti sunt super me*, comminantes mihi, et praedicentes extremum exitium. Est autem hoc loco observandum particulam, *et*, saepe in scripturis poni pro, *quia*, ut Isaiae 63. *Tu enim pater noster es, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos;* idest, tu solus Domine Pater noster es: nam Abraham et Jacob qui videbantur patres nostri esse, non agnoscunt nos pro filiis. Sic etiam cap. 64. *Tu iratus es, et peccavimus tibi*, id est, quia peccavimus tibi. Ita igitur hoc loco cum dicitur: *et dum commoventur pedes mei*, illud, *et*, ponitur pro, *quia*, ut sensus sit, ne quando glorientur super me inimici mei, et dum commoventur pedes mei, idest, quia dum commoventur pedes mei, etc. Illud etiam, dum commoventur, positum est pro, *dum commoverentur*. Siquidem in hebraico, במוט רגלי *bemoth ragli*, et graeco textu habetur per infinitum, *in commoveri pedes meos*, quod potest verti, *dum commoventur*, et *dum commovebantur*, et *dum commoverentur*; proinde debet exponi juxta exigentiam verbi sequentis, ut oratio cohaereat.

18. *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.*

Addit tertiam rationem, cur voluerit obsurdescere et obmutescere coram adversariis. *Quoniam*, inquit, *ego*, propter peccata mea *paratus sum flagellari* non solum flagellis verborum et detractionum, sed etiam flagellis verberum, et plagarum. Nam *dolor*, quem merui, semper ante oculos mentis meae versatur, vel, *quia dolor meus*, idest peccatum meum, quod mihi doloris continui causa est, numquam ab oculis cordis mei recedit. In hebraeo est vox, צלע *tzelah*, quam aliqui verterunt *claudicationem*. Alii putant legi debere, צרע *tserah*, id est, *lepram*: nos habemus flagella ex graeco; sed nulla est difficultas: nam vox illa צלע *tselah*, communiter significat *latus*, sive *costam*; sed traducitur ad significandam claudicationem, quia claudi dum ambulant, declinant ad unum latus, et non recti incedunt. Traducitur etiam ad significandam plagam, vel attritionem, ac per hoc etiam flagellum, quia flagellis accipiuntur plagae. Itaque s. Hieronymus vertit: *ego ad plagas paratus sum*; et septuaginta interpretes: *Ego autem in flagella paratus sum.*

19. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, et cogitabo pro peccato meo.*

Reddit rationem, cur in flagella paratum se dixerit. *Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam annunciabo*, idest, quoniam agnosco, et confiteor me peccasse et flagella commeruisse, *et cogitabo pro peccato meo*, expiando videlicet: significantius ex hebraeo vertit s. Hieronymus: *et sollicitus ero peccato meo*, idest, diligenter et anxie cogitabo, quo modo possim Domino satisfacere, ac plenam indulgentiam obtinere. Quod quidem salutare documentum est poenitentibus, ut solliciti sint pro expiatione peccati, et libenter accipiant occasiones a Deo oblatas patientiam exercendi.

20. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.*

Postaquam Propheta exposuit rationes, cur obsurduerit et obmuluerit coram adversariis suis ut per patientiam Deum placaret; opponit patientiae suae contrariam adversariorum malitiam. Cum enim ipse non redderet malum pro malo, illi e contrario retribuebant mala pro bonis: et tamen vivebant, et exultabant, et roborabantur. Quae ad eum finem commemorantur a Davide, ut facilius Deum, ad misericordiam inclinent. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me*, idest, ego quidem humiliatus sum, et afflictus, et tamen patientiam servo, ac si surdus et mutus essem: interim autem *inimici mei vivunt*, idest alacres sunt, et exultant *et confirmati sunt super me*, idest, robustiores et fortiores evaserunt *et multiplicati sunt*, idest, et creverunt etiam quoad numerum, qui oderunt me inique, idest, illi vivunt et roborati sunt *qui oderunt me* sine ulla justa causa. In hebraeo est, שנאי שקר *soneai sciaker*, *qui oderunt me mendaciter*, idest, ob causam falsam, et ementitam. Videntur enim haec referri ad conjurationem Absalonis, qui mendacio suo persuaserat populis, regem non constituisse aliquos, qui juste judicarent, se autem justissime judicaturum, si rex constitueretur. Hinc enim factum est, ut populus rebellaret, et toto corde sequeretur Absalonem, ut dicitur lib. 2. reg. cap. 15.

21. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.*

Probat quod dixit, sine justa causa se odio habitum fuisse ab inimicis, dicens, *qui retribuebant mala pro bonis detrahebant mihi*, quasi dicat, vere oderunt me inique inimici mei: nam illi detrahebant mihi, qui retribuunt mala pro bonis, quales fuerunt Absalon filius, et Achitophel consiliarius. Absalon enim plurima bona a Davide receperat, et paulo ante obtinuerat indulgentiam fratricidii, et tamen detrahebat Davidi patri suo tamquam negligenti, et injusto, dicens iis, qui veniebant ad judicium regis, *videntur mihi sermones tui justi, et boni, sed non est qui te audiat constitutus a rege*, 2. reg. 15. Sic etiam Achitophel acceperat a Davide magnum honorem, ut esset principalis regni consiliarius, et tamen oblitus beneficii defecit a Davide ad Absalonem, et consilia iniquissima contra eumdem Davidem Absaloni dedit, 2. reg. 16. et 17. Nec solum detrahebant mihi, qui retribuunt mala pro bonis, sed etiam (quod gravius est) *detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem*, idest, quia sincero corde et bona voluntate cum omnibus agebam, et eo modo contrarius eram in quis eorum desideriis, et operibus.

22. *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.*
23. *Intende in adjutorium meum Domine Deus salutis meae.*

Concludit ex iis, quae dixit, Deumque precatur ut protectione sua illi adsit; et quasi idem repetit, quod in principio psalmi dixit; tunc enim Deus in ira, vel furore suo gravissime punit aliquem, cum illum gratia sua destituit, et tamquam ab inimico recedit, et inter hostes nudum adjutorio suo constituit. Sicut igitur dixerat initio psalmi, *Domine, ne in furore tuo arguas me*, ita nunc in fine concludit, *ne derelinquas me Domine Deus meus*, id est, ne deserat me gratia tua, quandoquidem tu es Dominus meus, qui me condidisti, et Deus meus, ad te summum bonum me venire fecisti, *ne discesseris a me*, tamquam ab inimico; sed potius ut pater, *intende in adjutorium meum*, id est, diligenter incumbe in auxilium meum tu *Domine Deus salutis meae*, idest, tu qui auctor es salutis meae, a quo solo salutem expecto, et in quo solo confido. Et hic quidem mihi visus est hujus psalmi sensus litteralis; tamen quoniam sancti patres Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, et Gregorius vel totum psalmum, vel certe a medio usque ad finem de Christo exponunt, sciendum est, posse to-

tum psalmum de Davide explicari: primum, ut Davidis personae propriae convenit: deinde ut David personam Christi gerebat. Spiritus enim sanctus plura simul intendere potest in verbis iisdem, nimirum narrare tribulationes Davidis, et simul praedicare Christi passiones, qui Davidis filius secundum carnem futurus erat. Cum igitur de persona Davidis psalmum exposuerimus, indicemus etiam breviter, quemadmodum ad Christum idem psalmus applicari possit.

ALIA EXPLICATIO EJUSDEM PSALMI.

1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Christus pro corpore suo loquitur, quod est Ecclesia, eique postulat liberationem.

2. *Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.*

Dicit juste se petere Ecclesiae liberationem; quoniam sagittas irae Dei, quae ad illam pertinebant, in se suscepit.

3. *Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.*

Describit passionem suam generatim, ob quam a planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas. Quod autem dicit, *a facie peccatorum meorum*, intelligitur de peccatis, non quae ipse fecit, sed quae in se punienda suscepit.

4. *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.*

Dicit ideo in carne sua non fuisse sanitatem a planta pedis usque ad verticem capitis, quoniam peccata, quae suscepit expianda, tam multa sunt et tam gravia, ut supergressa sint caput ejus multitudine sua, et instar plumbi fuerint ob gravitatem suam.

5. *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae.*
6. *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.*
7. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.*

Haec dicit pro corpore suo, deplorans corruptionem generis humani; quomodo quando quis dicit, doleo pedes, vel manus, vel stomachum, caput est quod loquitur, sed non loquitur de dolore, quod in se patiatur, sed quod in membris, et in corpore suo habeat.

8. *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.*

Hic incipit ordine recensere passionem suam. Pertinent enim haec verba ad orationem in horto habitam.

9. *Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.*
10. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.*

Ad eamdem orationem pertinent, in qua desideravit calicem transire et coepit turbari, pavere, taedere et moestus esse. Et ut experiretur amaritudinem imminentis passionis, noluit virtutem, et lumen divinae consolationis in partem inferiorem influere, ita ut etiam Angelus de coelo apparuerit confortans eum.

11. *Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.*

Hoc impletum est in Juda amico, et judaeis proximis, quando comprehenderunt eum.

12. *Et qui juxta me erant, de longe steterunt.*

Hoc impletum est in Apostolis, qui fugerunt, et in Petro, qui sequebatur a longe.

13. *Et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.*

Impletum est in concilio sacerdotum, sollicite quaerentium falsa testimonia, ut eum perderent.

14. *Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.*

Ad idem concilium pertinent.

15. *Ego autem tamquam surdus non audiebam et sicut mutus non aperiens os suum.*
16. *Et factus sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones.*

Ad litteram impleta sunt in Christo, qui coram Caipha primum, deinde coram Pilato, et Herode

nullam attulit defensionem, sed sicut agnus coram tondente se obmutuit, ut etiam praedixit Isaias cap. 53.

17. *Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus.*

Ad idem silentium pertinet: ideo enim siluit coram hominibus, quoniam non tacebat coram Deo, a quo expectabat remunerationem, salutem populi sui.

18. *Quia dixi, nequando super gaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt.*

Servavit Christus invictam patientiam, ne de impatientia gauderent inimici, qui, dum commovebantur pedes ejus, idest, dum infirmitas ejus ad tempus ostendebatur, magna loquebantur super eum, dicentes, Joan. 19. Luc. 23. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*; et, *hunc invenimus subvertentem gentem nostram.*

19. *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.*

Ad litteram impletum scimus in flagellatione et colaphizatione et spinarum coronatione.

20. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, et cogitabo pro peccato meo.*

Dicit se annuntiaturum peccatum suum, quod, ut dictum est, non fecit: sed expiandum suscepit: et cogitaturum, idest, sollicitum futurum pro eo penitus delendo, quod fecit cum *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, ut s. Petrus scribit in epistola 1. cap. 2.

21. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt qui oderunt me inique.*

Hoc impletum est, cum principes, et sacerdotes existimantes se jam victoriam obtinuisse exultabant, et crucifixo insultabant.

22. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.*

Quando videlicet pendenti in cruce dicebant, *Vah, qui destruis templum Dei;* et, *descendat nunc de cruce*, etc, Matth. 27.

23. *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me.*

Hoc disertis verbis in cruce Dominus loquutus est, cum ait, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Quasi dicat, si dereliquisti ad tempus, quoad consolationem, non derelinquas quod resurrectionem.

24. *Intende in adjutorium meum Domine, Deus salutis meae.*

Non derelinquas in inferno animam meam neque des sanctum tuum videre corruptionem: sed *intende in adjutorium meum, ostendens mihi vias vitae et adimplens me laetitia cum vultu tuo.* Psal. 15.

PSALMUS XXXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem ipsi Idithum, Canticum David.

Titulus demonstrat psalmum compositum esse a Davide, sed datum ipsi Idithum ad canendum. Erat enim Idithum unus ex tribus principibus cantorum, ut habemus lib. 1. Paralip. cap. 16. et lib. 2. cap. 5. Quid autem sit, *in finem*, vel, *pro victoria*, ut ex hebraeo, למנצח *lamnatseach*, sanctus Hieronymus vertit, ut diximus in explicatione psalmi quarti. Sed hoc loco convenit materiae de qua agitur, tum *in finem*, tum *pro victoria*. Quamvis enim Rabbini, et recentiores aliqui doceant, Davidem aegrotum corporali morbo optasse finem vitae et miseriarum, et haec a Domino petere in praesenti psalmo: nos tamen sequuti veteres patres, existimamus longe altiorem doctrinam in hoc divino Spiritus sancti cantico per Prophetam edito contineri. Nimirum censemus, hic describi brevitatem, et vanitatem praesentis vitae, ut intelligamus spem nostram non in hac vita, sed in Deo, in quo vita aeterna est, esse ponendam; et ideo dandam esse operam patientiae, et paci cum omnibus hominibus et praecipue linguam esse custodiendam ab omni rixa, et jurgio, et contentione, ut non impediamur a cursu ad bravium supernae vocationis. Certe enim qui ad bravium maximi pretii currit, si in medio cursu videret sibi litem pro pallio moveri, pallium potius dimitteret, quam se a cursu impediri

pateretur. Neque litigant, aut contendunt homines in terris, nisi pro temporalibus rebus. Itaque psalmus praesens doctrinam evangelicam et Apostolicam continet. Nam et Dominus docuit, *ut percutienti maxillam praebeamus etiam alteram, et volenti pallium nobis eripere, demus illi et tunicam*, Matth. 5. et Apostolus dicit, *delictum est in vobis, quod lites habetis inter vos; cur non magis fraudem patimini?* 1. Corinth. 6. Hic igitur psalmus, propter doctrinam tam sublimem, cani debet *in finem*, idest, semper, usque ad mundi finem; et non solum tempore illo Davidis, et Idithum. idem etiam psalmus recte inscribitur, pro victoria, quia nulla esse potest victoria nobilior, quam per patientiam vincere in bono malum et sibi ipsi hominem imperare.

EXPLICATIO PSALMI XXXVIII.

1. *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.*

Sollicitus erat David de vero bono non amittendo; ideo deliberavit, ac firmiter apud se constituit, magna circumspectione uti in omnibus actionibus suis et si fieri posset, ne in verbo quidem offenderet, quasi audivisset ab Apostolo, *Videte quomodo caute ambuletis*, Eph. 5. et a b. Jacobo, *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir*, Jacobi 3. Ait igitur, *Dixi*, nimirum apud me statui, decrevi, legem mihi ipse posui, *ut custodiam vias meas*, ut cautissime ambulem in via vitae hujus, et diligenter attendam ubi gressum pono, ne forte in foveam cadam, vel offendam ad lapidem, vel lutosam viam pro munda eligam, vel certe deviem ab itinere recto, idest, deliberavi, et statui considerare omnes actiones meas. Et quoniam nihil est facilius neque periculosius, quam verbo offendere, cum ex verbis inconsiderate prolatis oriantur rixae, contentiones, jurgia, et alia mala tam multa, ut sanctus Jacobus dixerit, *linguam esse universitatem iniquitatis*, Jacob. 3. ideo singulariter addit Propheta, *Ut non delinquam in lingua mea*, idest, ad hoc potissimum custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: sic enim infinita mala effugiam.

2. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.*

Numquam est periculum majus delinquendi per linguam quam cum ab aliquo detractore, vel contumeliam faciente provocamur; ideo dicit Propheta, *posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me*, idest, cum aliquis iniquus forte irritaret me convicio, aut detractione, aut alio injurioso verbo, tum maxime custodivi os meum, ne prorumperet in aliquod verbum, cujus postea poenitentiam agere deberem.

3. *Obmutui, et humiliatus sum et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.*

Declarat, quam custodiam ori suo adhibuerit, dicens, *obmutui*, idest, silui omnino, ac si mutus essem, *et humiliatus sum*, idest, humiliter patientiam habui; *et silui a bonis*, idest, abstinui etiam a justa defensione, et a debita reprehensione, *et dolor meus renovatus est*, propter hoc ipsum, quod silui a bonis. Nam dolueram primo propter acceptam injuriam, sed mitigaverat dolorem praemium patientiae: iterum ergo dolor renovatus est, quia *silui a bonis*, et proximum meum debita correptione fraudavi. Ita sanctus Augustinus: sed posset etiam ita exponi, *Dolor meus renovatus est*, quia dolueram ex passione mea, sed *dolor renovatus est* ex compassione fratris, quem vidi tam graviter aegrotare, ut medicina correptionis nihil ei profutura videretur, propter quod etiam *silui a bonis*.

4. *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.*

Exponit, quid ille dolor renovatus effecerit, ac dicit, *concaluit cor meum intra me*, idest, ex dolore illo compassionis calefactum est cor meum dilectione, et inde meditari coepi de miseria humana, de misericordia Dei, de ingratitudine hominum, de abundantia charitatis Dei erga ingratos et malos, et alia id genus multa. *Et in meditatione mea exardescet ignis*, ille, inquam, ignis, de quo dicebant duo illi discipuli apud Lucam cap. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* Diligens enim, et attenta meditatio rerum coelestium ordinaria via est ad accendendum ignem actualis charitatis Dei. Scio alios aliter exponere istum ignem ex meditatione exardescentem, de igne videlicet iracundiae, et indignationis: sed nos s. Ambrosium sequuti sumus, et rationem connexionis et lectoris aedificationem.

5. *Loquutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum.*
6. *Et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi.*

Ex illo aestu interiore *loquutus sum*: inquit, *in lingua mea*, idest, non sum loquutus in lingua, quam omnes intelligunt, sed in lingua mihi nota, quasi dicat, Ego scio quid voluerim dicere. *Notum fac mihi Domine finem meum*, etc. videtur sensus esse, quod cupiat scire finem vitae suae, id est, *numerum annorum, et dierum, quibus victurus*

sit super terram, ut sciat quantum ei temporis supersit usque ad mortem; sed non hoc voluit dicere: ista enim curiositas vitiosa, et temeritas quaedam fuisset; ideo praemisit, *loquutus sum in lingua mea*, in sensu meo, sermone mihi noto. Illud igitur significare noluit, vitam humanam esse brevissimam, et quasi quoddam nihil. Sed quoniam hanc veritatem, quamvis alioqui clarissimam, et experimento notissimam, pauci bene norunt ideo precatur Deum, ut non sinat se decipi, ut plurimi decipiuntur, ut existimet diuturnum quod est brevissimum. Cur enim maxima pars hominum tota intenta est in cumulandis opibus terrenis; proque iis pugnat, et contendit acerrime, et bona futura contemnit, et negligit, nisi quia non cogitat, vel non credit, vitam praesentem fugere velut umbram? Ait igitur, *Notum fac mihi Domine finem meum*, idest, fac Domine per gratiam tuam, ut illustrentur oculi mentis meae, et aperte cognoscam finem vitae meae jam prope adesse. *Et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi*, idest, fac ut attenta cogitatione penetrem quam sit brevis numerus dierum meorum, et sciam quam parum temporis mihi supersit. Hanc esse veram expositionem, sequentes versiculi docebunt. Nam exauditus a Domino non refert praecise numerum annorum, qui sibi supererant, sed variis ostendere nititur tempus humanae vitae brevissimum esse, praesertim si ad aeternitatem Dei, et futuri saeculi conferatur.

7. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tamquam nihilum ante te.*

Edoctus a Domino, quod postulaverat, dicit, *mensurabiles esse dies suos*, idest, tam brevem esse durationem vitae suae, ut facillime mensurari possit. Sed observandum est s. Hieronymum ex hebraeo, הנה טפחות נתתה ימי *hinne tephachoth nathatta jamai*, vertisse, *Ecce breves posuisti dies meos*. S. August. cum aliis legisse, *Ecce palaestras posuisti dies meos*. Denique Chrysostomum, et alios legisse, *Ecce palmares posuisti dies meos*. Sed haec omnia in idem recidunt, vox hebraica טפחות *tephachoth*, significat res palmares, idest, palmo uno mensurabiles: nam, טפח *tephac*, significat mensuram palmi quatuor digitorum, quod idem significat vox graeca πάλε. quam habemus in editione septuaginta Interpretum. Igitur s. Hieron. recte vertit, *breves dies*; breves enim sunt, qui mensura brevissima mensurari possunt. S. Augustinus, et alii qui legerunt, *veteres dies*, fortasse habuerunt in graeco textu παλαίας, pro παλαίστας, sed etiam *dies veteres*, recte dicuntur dies vitae nostrae quoniam, ut Apostolus ait ad hebraeos 8. *Quod antiquatur, et senescit, prope interitum est*. Et novimus vestes veteres, et domos veteres, et similia vetera non diu durare. S. Ambrosius vocem graecam non a mensura, sed a palaestra deduxit; tamen aptissima similitudine explicuit cursum velocissimum, et brevissimum, et simul laboriosissimum vitae nostrae. Qui enim in palaestra currunt vel dimicant, tempus habent brevissimum, sed laboriosissimum, ut notum est, nostra editio recte posuit, *mensurabiles dies*, idest, qui tam breves sunt, ut nullo negotio mensurari possint: quod idem significant *dies palmares*, ut Chrysostomus ex interpretatione Symmachi legit. Sed Propheta non contentus dixisse, dies suos breves et mensurabiles esse, addidit quasi corrigendo, *Et substantia mea tamquam nihilum ante te*, quasi dicat, parum dixi, dies breves esse, nam *substantia mea*, idest, subsistentia mea, hoc ipsum quod sum et subsisto nihil est ante te. Est quidem aliquid ante oculos hominum, qui non vident nisi praesentia, sed *ante te*, qui vides futura, et intueris aeternitatem, quae omni caret mensura, nihil omnino est. Quid enim sunt pauci anni, qui velocissime transeunt, ad infinitam durationem? Nomen substantia hoc loco non significare aliud, quam *subsistentiam*, et spatium vitae, intelligi potest ex voce hebraea, חלדי *cheldi*, quae significat proprie tempus, sive saeculum; ut sensus sit, tempus meum, vel, ut s. Hieronymus reddit, *vita nihil coram te*.

8. *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.*

Adhuc magis declarat, et nobis persuadere nititur, quod ipse plane perspexit. Non solum, inquit, tempus vitae nostrae brevissimum est, sed *omnis homo*, quicumque ille sit, etiam rex, et monarcha, quem omnes mirantur, et cui caeteri omnes invident, ille, inquam etiam *dum vivit*, idest, dum viget, et floret, et in optimo statu est, vel ut est ad verbum in hebraeo, נצב *nitzab*, *dum stat*, *dum firmiter consistit*, et radicatus videtur in terra, nihil est aliud, nisi *universa vanitas*, sive universitas vanitatis. Quicquid enim in illo est, sive sanitas, sive robur, sive pulchritudo, sive divitiae, sive dignitas, sive potentia, totum fragile et momentaneum est.

9. *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur.*

Videbat Propheta tam alto sopore depressum esse genus humanum, ut non contentus tonitruis verborum, quibus hactenus usus est ad homines excitandos; addat aliud adhuc vehementius percellens humanas mentes, si forte somno discusso vigilare incipiant. Quoniam igitur poterat aliquis dicere, non videri verum, vitam hominum nihil esse, cum videamus tam multis bonis vitam hominum circumfluere, opibus, honoribus, sanitate, robore, et similibus; ideo nunc dicit Propheta, ista non esse vera bona, sed imagines et umbras rerum bonarum et ideo frustra turbari homines, cum ista vel non possunt acquirere, vel acquisita coguntur amittere. Quomodo frustra rex conturbaretur ob amissam imaginem ligneam, vel papyraceam regni, quando regnum verum illi maneret. *Verumtamen*, inquit, *in imagine pertransit homo*, idest, homo pertransit, et perambulat viam vitae hujus in imagine rerum, non in rerum veritate, habens videlicet ante oculos in toto hoc itinere non res veras, sed rerum

umbras, atque imagines. Vita enim, quam hic habemus, imago est vitae beatae, quae sola vera est vita; sanitas hujus temporis imago est immortalitatis, quae sola vera est sanitas; pulchritudo, quam hic videmus, vix umbra quaedam est pulchritudinis illius, quam habebimus, cum *justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*, ut dicitur Matth. 13. divitiae terrenae non sunt divitiae, sed illarum divitiarum imagines, quas habebimus, cum nulla omnino re indigebimus; sed erit Deus omnia in omnibus. Idem dici potest de sapientia, de gloria, de celsitudine et de caeteris, quae hic dicuntur bona. Porro phrasis illa, *in imagine pertransit*, sive *perambulat homo*, similis est illis phrasibus in scriptura Sacra frequentibus, *ambulare in luce, in tenebris, in fide, in timore, in dilectione*, et quae est bis, terve, in secunda et tertia epistola Apostoli Joannis *ambulare in veritate*, cui potest opponi, ambulare in imagine, quatenus imago opponitur veritati. *Sed et frustra conturbatur*, idest, sine ulla causa conturbatur homo in rebus temporalibus anxie quaerendis, vel conservandis: frustra laetatur in earum lucro, et frustra plorat in earum jactura, quasi res solidae, et verae, ac permanentes essent, cum imaginariae, fragiles, et caducae sint. S. Joannes Chrysostomus, quem Theodoretus, et Euthymius sequuntur, exponit illud, *in imagine pertransit homo*, ac si dictum esset, instar imaginis pertransit homo, ut non solum res humanae sint imagines rerum verarum; sed ipse etiam homo non tam sit homo, quam hominis imago in tabella depicti.

10. *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.*

Probat unico exemplo, frustra conturbari homines in opibus quaerendis, augendis, conservandis: quoniam nesciunt cui laborent. Existimant illi quidem se filiis, aut nepotibus, qui grati memoriae parentum futuri sint, thesaurizare; sed accidit saepissime, ut filii vel nepotes continuo moriantur, et haereditas ad ignotos, vel inimicos perveniat: vel certe ut filii vel nepotes dissipent brevissimo tempore, quae pater vel avus magno labore, et longissimo tempore acquisivit: vel denique ut haeredes ingrati sint, et reddant mala pro bonis, detrahentes industriae et laboribus majorum suorum; quae si praevidere homines illi potuissent, thesaurizassent potius sibi thesauros in coelo, et sine turbatione vitam istam traduxissent. Vide similes sententias in Ecclesiaste cap. 2. 4. 5. et 6.

11. *Et nunc quae est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.*

Ex brevitate et vanitate vitae praesentis tam clare perspecta, concludit, se quidem spem suam in solo Deo ponere constituisse. *Et nunc*, inquit, his ita se habentibus, *quae expectatio mea?* quid spero? quid quaero? quid opto? *nonne Dominus* expectatio, et spes mea est? Denique conversus ad ipsum Deum dicit: *Substantia mea apud te est*, idest, vita mea, et opes meae apud te sunt, nihili facio cunctas res creatas, te unum pro rebus omnibus habere cupio; quia in te sunt omnia. In hebraeo, ועתה מה קויתי אדני *vehatta ma kivvithi* Adonai, ad verbum habetur, *Et nunc quid expecto Domine? expectatio mea tibi ipsa.* Ex quo intelligere possumus hebraicae lectioni respondere illa tantum, *Et nunc quae est expectatio mea? nonne Dominus?* Illa vero, *et substantia mea apud te est*, videntur addita explicandi gratia a septuaginta senioribus, quae a nostro latino interprete fideliter reddita sunt. Itaque non oportet quaerere, ut multi faciunt, cur substantiam latinus Interpres posuerit pro voce hebraica, תוחלתי *thochalthi*, quae *spem* vel *expectationem* significat. Latinus enim Interpres non substantiam pro expectatione posuit: sed addit ad verba hebraica, id quod septuaginta Interpretes addiderunt. Simile est in psalmo 21. ubi legimus, *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* illud enim *respice in me*, non habetur in hebraeo codice, sed additum est a septuaginta Interpretibus, et inde translatum est ab Interprete latino in editionem vulgatam.

12. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium insipienti dedisti me.*

Quoniam dixit se terrena contemnere, et solum Deum expectare, et in eo spes suas collocasse, omnes consequenter adjungit: de peccatis in Deum sollicitum se esse, non autem de opprobriis hominum, *Ab omnibus*, inquit, *iniquitatibus meis erue me*, idest, quia sola peccata sunt quae mihi ad te viam impedire possunt, et quae sola vera sunt mala; ideo precor, ut ab illis me liberes, et quidem omnibus, non praeteritis tantum, sed etiam futuris, illa dolendo, ista impediendo. Quo loco notandum est, viros etiam perfectos, qui terrena despiciunt, et ad Deum toto corde anhelant, habere semper aliquid, quod sibi petant ignosci, et sollicitos esse debere pro quotidianis peccatis quotidianas Deo preces offerre. *Opprobrium insipienti dedisti me.* Haec pars versiculi conjungitur cum sequentibus hoc modo. Tu quidem opprobrium insipienti dedisti me, ego autem obmutui, et non aperui os meum. Significat autem, se propterea quod diceret, vana esse et contemnenda praesentia, et in solo Deo spem esse ponendam, derideri solitum ab insipientibus, qui non capiunt quae Dei sunt. Quomodo etiam dicit Evangelium de Christo Domino Luc. 16. *Audiebant haec omnia Pharisaei, qui erant avari, et deridebant illum*, in hebraeo habetur contraria sententia, nimirum חרפת נבל אל תשימני *cherpath nabal al thesimeni*, *opprobrium insipienti non pones me.* Sed anteponenda est lectio septuaginta Interpretum, ut s. Ambrosius admonet: quoniam sequentia verba *Obmutui, et non aperui os meum*, manifeste docent, Davidem audivisse opprobria insipientium; et sic etiam legunt et exponunt Augustinus, Chrysostomus, et alii veteres patres. Ipse etiam s. Hieronymus, qui in versione ex hebraeo posuit particulam negantem, tamen in commentario legit et exponit hunc locum sine tali particula. Proinde videtur ea

particula irrepsisse in textum Hebraicum post tempora septuaginta Interpretum.

13. *Obmutui et non aperui os meum, quoniam tu fecisti, amove a me plagas tuas.*

Cum opprobria ab insipientibus audivi, non respondi, neque defendi me, sed *obmutui*, idest, ita me gessi, ac si mutus fuissem: imo etiam *non aperui os meum*, sed ita me gessi, ac si surdus fuissem, neque opprobria illa audivissem. Qui enim muti sunt, et non surdi, aperiunt os suum, et conantur respondere, cum aliquid audiunt; qui autem surdi sunt, et muti, neque loquuntur, neque aperiunt os suum. Reddit autem rationem cur obmutuerit, et non aperuerit os suum. *Quoniam*, inquit, *tu fecisti*, nimirum, ut opprobria in me jactarentur: tu enim es, qui posuisti me opprobrium insipientibus. Et hanc eamdem rationem reddidit idem David, quando obmutuit ad maledictionem Semei, 2. reg. cap. 16. *Sinite*, inquit, *illum ut maledicat, Dominus enim praecepit ei ut malediceret Davidi; et quis est, qui audeat dicere quare sic fecerit.* Ubi tamen observandum est, Deum non praecepisse Semei, ut malediceret Davidi praecepto ejusmodi, ubi obedientia laudaretur; scimus enim Semei graviter peccasse maledicendo Davidem, et propter hoc postea fuisse a Salomone punitum, sed dicitur Deus praecepisse Semei, ut malediceret, quoniam videns malam Semei voluntatem, usus est mala voluntate, quam ipse non fecerat, ad humiliandum, et corripiendum Davidem. De qua re vide s. Augustinum lib. de gratia et libero arbitrio cap. 20. et sequentibus, vel si vis fusius aliquid tractatum legere, vide in controversiis nostris lib. de amissione gratiae, et statu peccati cap. 13. et sequentibus. *Amove a me plagas tuas*, quasi dicat, libenter accipio contumelias, et opprobria insipientium, quae tu ad meam humiliationem paterna severitate ordinasti, sed plagas tuas ferre non possum, ideo precor, ut eas a me omnino removeas. Vocat enim *plagas Dei*, flagella et supplicia, quae Deus iratus immittit, non ut pater, aut medicus, sed ut judex, de quibus in psalmo superiore dixit: *Domine ne in furore tuo arguas me.* Tales plagae sunt excaecatio, obduratio, sensus reprobus, et ipsa damnatio ad ignem sempiternum.

14. *A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.*

15. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, verumtamen vane conturbatur omnis homo.*

Explicat, cur tantopere cupiat a se removeri plagas Dei, et dicit causam esse, quoniam expertus est in seipso, et in aliis, quam intolerabiles sint ejusmodi plagae: de se primum ita dicit, *A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus*, idest, ego ipse fortitudinem, et potentiam, sive gravitatem manus tuae percutientis expertus defeci, et plane consumptus sum, et perii in increpationibus, idest, in illa crudeli increpatione, quando in furore tuo arguisti me. Hoc autem Davidi contigit, quando ob peccatum adulterii commissum, Deus in poenam hujus permisit illum cadere in peccatum homicidii, quod est gravius, et in tantam caecitatem, ut per multos menses non redierit ad se, neque statum suum, idest, mortem animae suae cognoverit: nullum enim est supplicium gravius, quam quando poena peccati est aliud peccatum. Quod enim peccatum sit aliquando poena peccati, et quidem poena horribilis, et timenda super omnes poenas, docet Apostolus Rom. 1. *Qui cum cognovissent, Deum non sicut Deum glorificaverunt; propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua*; et infra, *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae*, et infra, *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum ut faciant ea, quae non conveniunt.* Vide de hoc flagello sanctum Augustinum lib. 5. in Julianum cap. 3. Deinde addit Propheta de aliis peccatoribus, hac plaga crudeli a Deo punitis, *Propter iniquitatem corripuisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus*, idest, propter peccata praecedentia corripuisti in furore tuo hominem peccatorem; et fecisti, ut anima ejus contabesceret instar araneae, quae laborat in texenda tela, ut capiat muscas, et interim ipsa exsiccatur, et consumitur. Sic enim animae hominum carnalium, justo Dei judicio, perpetuo laborant in rebus temporalibus acquirendis, et in eo labore consumunt ingenium, et mentem, et inde anima exsiccatur omni humore gratiae, ut ne cogitet quidem de salute sua, neque ullo desiderio teneatur verae foelicitatis. Contra quam animae aridilatem desiderabat in alio psalmo 62. idem Propheta adipem, et pinguedinem spiritualem, dicens: *Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea.* Concludit Propheta, *Verumtamen vane conturbatur omnis homo*, id est, omnis homo, cujus anima tabescit sicut aranea, vane conturbatur, frustra laborat, sine ulla causa tot contentionibus agitatur. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Matth. 16. Sed hoc loco multa observanda sunt: primo verba illa *in increpationibus*, in textu hebraico, et graeco, et apud Ambrosium, et Hieronymum conjungi cum verbis sequentibus, nimirum sic, *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem*; tamen apud Augustinum, et in nostris communibus libris, conjungi cum superioribus, nimirum cum illis, *A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus*; sed utroque modo sensus constat. Secundo nota, s. Hieronym. et hebraeo non vertere, *araneam*, sed tineam, sed credibile est vocem hebraicam utrumque significare. Certe similitudo magna est inter araneam, et tineam; ut enim aranea texendo telam se exsiccat, ita etiam tinea rodendo pannum se ipsa interimit. Tertio nota, ubi nos habemus ex graeco textu, animam ejus, in hebraico haberi, חמודו *chamudo, desiderabile ejus*: proinde septuaginta Interpretes non tam verba

reddiderunt, quam exposuerunt. Vere enim anima ratione praedita est, id quod in homine est maxime pulchrum, pretiosum, et desiderabile : ipsa enim imago Dei est, ipsa aeterna est, ipsa capax est aeternae foelicitatis, et per illam communicamus cum angelis, ut per carnem communicamus cum bestiis: proinde incredibilis caecitas est propter explendas carnis appetitiones, perdere quod in nobis est summe pretiosum, et desiderabile. Quarto nota, non haberi in hebraeo vel graeco textu verbum *conturbatur*, sed solum *vane omnis homo*, sive, *vanitas omnis homo*. Caeterum latinus Interpres addidit verbum explicationis gratia, et addidit illud, quod supra habetur versu 9. Nota ultimo, non deesse, qui hos duos versus exponant, vel de flagello temporalis calamitatis, vel de paterna correptione, quae facit homines, qui antea dura cervice erant, molles ut araneas, idest, humiles, et contritos. Sed in his, quae non sunt contra fidem, et obscurissima sunt licet unicuique abundare in sensu suo. Nobis illa verba, *Amove a me plagas tuas*, facile persuaserunt hic non agi de flagello temporali, cum in psalmo superiori dixerit idem David, *Ego in flagella paratus sum* : neque de paterna correptione, sed de correptione illa terribili, quam justi maxime horrent: paternam enim correptionem, quae humiles, et contritos reddit, justi diligunt, et expetunt, non horrent aut fugiunt. Similitudo quoque araneae tabescentis nihil boni nobis significare visa est. Non tamen reprehendimus, sed laudamus potius explicationes aliorum, quae prosunt ad aedificationem, quamvis non videantur nobis litterales.

16. *Exaudi orationem meam Domine, et deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas.*

Magno affectu psalmum concludit orans Deum : quid autem oret, paulo post explicabitur. Interim illud sciendum est, per *orationem*, intelligi simplicem petitionem, per *deprecationem* autem vehementem clamorem, ut vox hebraica, ושועתי *vesauhati*, demonstrat : per *lachrymas* autem affectum, cujus vox magis resonat coram Deo, quam ulla verba: in hebraeo, et graeco, ut nunc se habent, continuantur cum hoc versiculo verba illa, *ne sileas*, quae nos habemus in sequenti versu, et eo modo tribus nominibus tria verba respondent hoc modo, *Exaudi orationem meam, deprecationem meam auribus percipe, et lachrymas meas ne sileas*. Caeterum nostram lectionem habent veteres patres, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus in commentariis hujus loci, et verba hebraica remotis distinctionibus, quas Rabbini addiderunt, optime distinctionem librorum nostrorum recipiunt.

17. *Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei.*

Adhuc postulat exauditionem, et nondum explicat petitionem; sed loquitur ad eum, qui scit quid desideret spiritus. *Ne sileas*, inquit, idest, respondе petenti, ne despice clamantem : qui enim silet audita petitione, idem facit ac ille, qui non vult concedere quod petitur. Reddit autem causam cur debeat audire, dicens, *Quoniam advena sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei*, idest, quoniam tu nosti, et apud notitiam tuam est, quod ego non sim civis hujus mundi, sed advena, et peregrinus, ac per hoc civis civitatis supernae Jerusalem, quamvis hic interim degam ; decet autem ut audias civem civitatis tuae in exilio positum, et ex peregrinatione sua ad te clamantem. Notat hoc loco s. Joannes Chrysostomus, magnum virum et spiritualem fuisse Davidem, qui cum regni gloria, et opibus terrenis abundaret, tamen vere agnoverit se advenam, et peregrinum in terra.

18. *Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.*

Hic jam exponit petitionem suam, et est illa, de qua dicitur in psal. 31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*. Petit igitur cum clamore, et lachrymis veniam peccatorum, ut pacata conscientia, de peregrinatione ad patriam laetus perveniat, atque in summa gratiam, et gloriam petit, quae est illa petitio, quam soli, et omnes illi toto corde Deo proponunt, qui mundi vanitatem agnoscunt. Ait igitur, *remitte mihi*, vel ut s. Hieronymus vertit, *parce mihi*, vel ut ad verbum ex hebraeo, השׁב ממני *haschab mimeni*, verti posset, *desine a me*, idest, ne sis durus exactor, non instes pro solutione debitorum, desine a me repetere, quae male dissipavi. *Ut refrigerer priusquam abeam*, idest, ut ante discessum ex hac vita refrigerer, intelligens mihi peccata esse remissa; nisi enim hic remiseris, non ibo ad requiem, sed ad carcerem. Dic igitur animae meae, salus tua ego sum, antequam de corpore egredi jubeatur. *Et amplius non ero*, advena videlicet, et peregrinus, sed civis sanctorum, et domesticus Dei. Vel *antequam abeam, et amplius non ero*, idest, antequam discedam ex hac vita, et amittam omnem vitam, qui enim post hanc vitam non habet aeternam vitam, consequenter habet aeternam mortem, et quoddam non esse, cum longissime absit ab eo qui est. Sunt enim et vivunt qui damnati sunt ad inferos, sed dicuntur non esse, nec vivere, quoniam ideo solum habent esse, et vivere, ut semper moriantur, et non esse desiderent. Posteriorem sensum habet s. Augustinus; utrumque autem attingit s. Ambrosius.

PSALMUS XXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David.

In titulo nihil est novi, psalmum hunc nonnulli ex recentioribus nimis humiliter exponunt, referentes eum ad morbum corporalem Davidis; de quo morbo nihil legimus in scripturis, sed tantum in fabulis Rabbinorum. B. Paulus ad Hebr. 10. de Christo exponit nonnulla, quae in hoc psalmo dicuntur, quae Davidi non conveniunt ullo modo. Quaedam etiam alia sunt, quae ad Davidem accommodari non possunt, ut illa, *In capite libri scriptum est de me*, et illa, *Ego autem mendicus sum, et pauper.* Recte igitur s. Hieronymus, s. Ambrosius, s. Augustinus, et Euthymius, psalmum hunc totum de Christo, et Ecclesia exponunt, idest, de capite, et corpore, ita ut Christus semper loquatur; sed primo in persona corporis sui, deinde in persona sua.

EXPLICATIO PSALMI XXXIX.

1. *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.*

Christus in persona populi sui exponit longam expectationem redemptionis. Expectavit enim supra quatuor annorum millia, dum interim per patriarchas, et prophetas, partim figuris, partim oraculis promitteretur liberatio a miseriis, in quas per peccatum primi hominis genus humanum ceciderat. *Expectans*, inquit, *expectavi Dominum*, idest, longo tempore, sine intermissione expectavi Dominum miserantem, visitantem et liberantem populum suum, *et intendit mihi*, idest, et tandem a mea spe fraudatus non fui: nam ad me audiendum intendit aures suas. Ex hebraeo, ויט אלי *vajet elai*, colligitur illud, *intendit mihi*, proprie significare, *inclinavit se ad me*, sive, extendit se ad me, nimirum audiendum.

2. *Et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriae, et de luto faecis.*

Explicat quod dixit, *intendit mihi*, dicens, *intendit mihi*: nam *exaudivit preces meas*: et effectus exauditionis fuit, quod *eduxit me de lacu miseriae*, *et de luto faecis*. Per lacum miseriae intelligitur profunda fovea: nam vox hebraica, בור *bor*, significat cisternam, et vox hebraica, שאון *sciaon*, significat, *tumultum*, *confusionem*, *desolationem*, et similia. Describitur igitur locus profundus, carens lumine, et luto putrido plenus, in quem multi deciderint, ex quorum motu, et ejulatu existat tumultus, confusio magna, quam septuaginta Interpretes generatim miseriam appellarunt. Hic status est impiorum, qui carent lumine notitiae Dei, et mandatorum ejus, et infixi sunt in limo carnalium cupiditatum, ex quibus non solum fit, ut non possint ambulare ad aeternam foelicitatem, sed perpetuo inter se tumultuentur, et contendant. Ab hoc profundo liberat nos gratia redemptoris, cum incipimus per fidem cognoscere verum Deum, et vera, ac sempiterna bona; et per spem, et charitatem liberari a cupiditatibus terrenis, et pacem Dei, atque animae tranquillitatem possidere. Illud autem observandum est cum s. Augustino, eum qui exauditus dicitur, ut educeretur de lacu, jam caput sustulisse, et agnovisse miseriam suam, et ideo de profundo clamare coepisse: Deus enim inspirat electis suis, adhuc in peccato manentibus, spiritum fidei, et timoris, et invocationis, sine qua praeveniente gratia nemo unquam de profundo clamaret; sed contemneret potius Deum, et salutis monita, juxta illud Proverbiorum 18. *Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit.*

3. *Et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos.*

Ille qui ceciderat in lacum miseriae, de via ceciderat in qua posuerat eum Deus initio creationis, ut per eam recto, et facili tramite perveniret ad Regnum: ideo qui postea illum eduxit de lacu miseriae, et de luto faecis, in viam restituit, et

viam stabilem, ac firmam, nec minus rectam, et planam; atque hoc est quod ait, *Et statuit supra petram pedes meos*, idest, pedes meos, quos de profundo et lutoso lacu eruit, statuit supra altam, et firmam petram; *petra autem erat Christus*, 1. Corinth. 10. qui de se ait, Joan. 16. *Ego sum via, veritas, et vita*: itaque statuit supra fidem, et doctrinam, atque exempla Christi; pedes justificatorum, ut sequantur vestigia ejus. Et direxit gressus meos, idest, non solum constituit pedes meos in via recta, et sic direxit gressus meos in viam pacis.

4. *Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.*

Ex eo quod constituit Deus me in via firmissima, et rectissima, factum est, ut *coeperim cantare canticum novum;* antea siquidem, ut eram homo vetus, ita cantabam cantica vetera de amoribus mundi; sed renovatus spiritu mentis meae coepi cantare canticum novum de amore Dei: quod canticum ipse Deus immisit in os meum: et ipsum idem est carmen Deo nostro jucundissimum. In hebraeo pro, *carmen Deo nostro*, habetur, לאלהינו תהלה *thehillah leelohenu, laudem Deo nostro.* Itaque *carmen Deo nostro* debet intelligi carmen laudis Dei nostri; et hoc est canticum novum, de quo diximus supra: qui enim canit amores mundi, mundum sine dubio laudat, et qui canit amores Dei, Deum sine dubio laudat.

5. *Videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in Domino.*

Populus Dei jam liberatus a lacu miseriae, sive idem Christus in persona populi jam liberati praedicit multos ad eorum exemplum liberandos. *Multi*, inquit, *videbunt* lacum miseriae, et liberationem aliquorum, *et timebunt*, *et sperabunt in Domino*, idest, timebunt lacum, et sperabunt in liberatore. Hoc enim est initium salutis, cum Deus per gratiam suam incipit aperire oculos interiores hominibus peccatoribus, ut videant statum peccati miserrimum, et simul cognoscant a quo liberari possint, et inde timere, et sperare incipiant.

6. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates, et insanias falsas.*

Haec est quasi adhortatio, et laudatio invitans homines ad imitandos liberatos. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus*, idest, ille vere foelix est, qui spem suam vere ponit in Domino, qui solus omnipotens, et misericors est, et ideo potest, et vult de omni miseria liberare eos, qui sperant in se. Illud, *nomen Domini*, significare potest invocationem, sive notitiam familiaritatis, sive potentiam, et auctoritatem, sive simpliciter ipsum Deum. Addit ad majorem explicationem, *et non respexit in vanitates, et insanias falsas*, id est, non respexit ad auxilium alicujus alterius, ac praesertim non respexit ad auxilium rerum vanissimarum, et fallacium, quae salvare non possunt, ut respiciunt homines vani, et stulti. Nonnulli, ut Euthymius, et aliqui moderni, referunt vanitates ad idola gentium: et insanias falsas, ad vaticinia oraculorum gentilium. S. Hieronymus vertit ex hebraeo, אל רהבים ושטו כזב *el, rehabim vesate chazab. Ad superbias et pompas mendacii*; sed communis explicatio sanctorum Ambrosii, Hieronymi, Augustini, et Chrysostomi in commentario hujus loci, generalis est, ut per *vanitates*, intelligantur omnia vana auxilia, sive in hominibus, sive in rebus aliis creatis; *et per insanias falsas* intelligantur eadem falsa, sive fallacia auxilia, quae etiam insaniae dici possunt, idest, res insanae, quae non eligerentur nisi ab insanis. Ejusmodi sunt praeter caetera praedicationes astrologorum, vel incantationes necromanticorum; vel observationes et auguria, quibus multi credunt, et confidunt, sed vanissimi, ac stultissimi sunt.

7. *Multa fecisti tu Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.*

Transit nunc ad explicandum mysterium altissimum redemptionis humanae, per quod educti sunt, et educentur plurimi de lacu miseriae, et luto faecis; et primo generatim significat mirabilia esse opera Dei. *Multa*, inquit, *fecisti tu Domine*, *mirabilia tua*, idest, multiplicasti mirabilia tua, *et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi*, idest, et in cogitationibus, sive in adinventionibus sapientiae tuae non est qui tibi perfecte similis sit, ita ut tibi comparari possit. S. Hieronymus ex hebraeo vertit: *Non invenio ordinem coram te*, pro eo quod nos habemus, *non est qui similis sit tibi*; sed septuaginta Interpretes clarius interpretati sunt verba hebraica: nam verbum, ערך *harach*, non significat solum *ordinare*, sed etiam *aestimare*, aequare, comparare. Itaque recte ad verbum sic verteremus, *Non est qui tibi comparari*, *vel aequari possit*, quod idem est, cum eo, quod nos habemus in graeco, οκ ἐστὶ τὶς ὁμοιωθήσεταί σοι, *non est qui similis sit tibi.*

8. *Annunciavi, et loquutus sum: multiplicati sunt super numerum.*

Reddit rationem, cur nemo possit cum Deo comparari, quoad opera mirabilia et cogitationes profundas, et ait, *annunciavi*, *et loquutus sum*, idest, manifestavi aliqua ejusmodi opera per Prophetas, per sapientes homines, per ipsa elementa mundi: nam *coeli enarrant gloriam Dei, et opera manum ejus annunciat firmamentum*, ut legitur psal. 8. sed *multiplicata sunt super numerum*, idest, tam multa sunt, ut numerari non possint, proinde neque annunciari, et manifestari omnia possunt. Ex hebraeo posset etiam hic esse sensus, Majora sunt quam ut enarrari queant: nam ad verbum sic habetur, עצמו מספר *hatzemù missapper*, *Roborata sunt praecnarrari*, sive, *praecnumerari*: idem enim verbum significat *numerare*, et enarrare, et fortasse de industria posuit Propheta verbum ambiguum, ut ad utram-

que significationem referretur. Vere enim opera Dei, etiamsi solum naturalia respiciamus, roborata sunt, sive creverunt, tam quoad magnitudinem, quam quoad multitudinem, ut neque narrari, neque numerari possint: nam in singulis rebus etiam minimis, ut in una arbuscula, in uno animalculo, in uno flosculo tot sunt mirabilia, ut ne summi quidem Philosophi eorum rationem investigare potuerunt. Sed hoc loco illud est observandum, quod cum haec verba referuntur ad Christum, intelligendum est, mirabilia Dei non esse inenarrabilia, vel innumerabilia respectu ipsius Christi, sed respectu nostri; ipse enim, qui fecit opera illa mirabilia, novit exactissime magnitudinem, et multitudinem ipsorum; sed mortales homines capaces non sunt tantae scientiae. Sancti patres Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus in commentariis, quia legerunt ut nos nunc habemus, multiplicati sunt super numerum, retulerunt huc totum versiculum ad conciones Christi, et audientium persuasionem, ut sensus sit, *Annunciavi, et locutus sum* mirabilia tua, *et multiplicati sunt ii*, qui crediderunt *super numerum*, idest, innumerabiles crediderunt; posito numero infinito pro finito per hyperbolen, vel crediderunt multi super numerum praeordinatorum ad vitam aeternam, quia multi reprobi cum electis in aream Domini, sive in rete dominicum intraverunt. Et potest ad hunc sensum non difficulter accommodari codex Hebraicus: nam ubi habemus *praeenumerari*, mutatis punctis, potest fieri, *praenumero*, ut notum est intelligentibus. Et quidem haec explicatio vera est, sed non ita perfecte respondet textui originali, neque tam apte connectit hunc versiculum cum superiori, ut expositio prior, quae est Euthymii, et aliorum, et est conformis versioni s. Hieronymi, neque contraria est conditionis nostrae vulgatae: illud enim *multiplicati sunt*, vel est error librariorum, ut multi suspicant; et scriptum est, *multiplicati*, pro *multiplicatae*, idest, cogitationes, aut *multiplicata*, idest, opera mirabilia: vel certe ipse Interpres posuit genus masculinum, dicens, *multiplicati sunt*, quia respexit ad nomen graecum, quo significantur cogitationes, quod est generis masculini, videlicet, διαλογισμοὶ. Simile quid habemus, Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*, ubi illud, *hoc*, et illud, *quod*, referuntur ad *spiritum Domini*, et debuisset scribi, *Et hic qui continet omnia*, secundum grammaticam latinam; sed Interpres posuit genus neutrum, quia *spiritus*, graece est generis neutri, videlicet πνεῦμα.

9. *Sacrificium et oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi.*
10. *Holocaustum et pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio.*

Mirabilia vere sunt omnia, quae fecit Deus, et in omnibus relucent profundissimae cogitationes ejus; sed omnibus aliis quasi in infinitum excellunt opera redemptionis humanae. Quid enim majus cogitari potest, quam Deum descendere ad formam servi, et fieri mendicum et pauperem ut homo educatur de lacu miseriae, et ad summum coelum evehatur? Eumdem etiam Deum in forma servi virgis caedi atque inter latrones crucifigi, ut servos exaltet inter angelos ad consortium regni sempiterni? et haec omnia justissime, sapientissimeque sine ulla injuria, imo cum summa gloria Divinitatis fieri? Hoc igitur admirabile mysterium sequentibus versiculis, Christus ipse per linguam et calamum Davidis exponit. *Sacrificium*, inquit, *et oblationem noluisti*, hoc est, non voluisti placari sacrificio pecorum, neque oblationem panum, vel thuris; sed victima infiniti pretii: ideo corpus mortale assumere me voluisti, ut per obedientiam usque ad mortem, expiarem primi hominis inobedientiam: et quoniam *holocaustum* pecorum, et *sacrificium* pro peccato non admisisti: idcirco *dixi, ecce venio*, ut ego ipse fiam sacerdos et sacrificium, quo placatus humano generi, educas homines de lacu miseriae, et de luto faecis. Multa sunt hoc loco notanda: primo, per sacrificium, et oblationem non intelligi hoc loco actionem sacrificandi vel offerendi, sed hostiam mactandam, ut agnum, aut vitulum, et donum offerendum, ut panem, vel quid aliud: nam in hebraeo est, זבח *zebach*, et, מנחה *mincha*, et s. Paulus heb. 10. legit, *hostiam*, pro eo quod nos habemus *sacrificium*. Notandum secundo, non esse contrarium quod hic dicitur, *sacrificium, et oblationem noluisti*, tot praeceptis Domini de sacrificiis offerendis, quae habentur in Levitico: nam voluit quidem olim Deus sacrificia, oblationes, et holocausta, et victimas pro peccato; sed voluit ad significandam, non ad faciendam expiationem: ut docet Apostolus in epist. ad hebr. cap. 10. *Impossibile erat sanguine hircorum, et vitulorum auferri peccata.* Tertio notandum vulgatam latinam editionem, quae habet, *aures autem perfecisti mihi*; non conveniri cum hebraico textu, neque cum graeco: nam in hebraeo habetur אזנים כרית לי *oznaim caritha li, aures autem fodisti mihi;* in graeco vero, σῶμα δὲ κατηρτήσω μοι. *Corpus autem perfecisti mihi.* Sed lectio illa, quae habet, corpus autem perfecisti mihi, nullo modo rejici potest, quia non solum habetur in textu graeco, et recipitur a Patribus latinis et graecis, ut Ambrosio, et Augustino, Chrysostomo, et Theodoreto, sed etiam approbatur ab Apostolo ad hebr. 10. et fortasse in textu hebraico antiquo, quem habuerunt septuaginta interpretes, erat vox aliqua, quae corpus significaret. Lectio quoque latinae editionis, *aures autem perfecisti mihi*, rejici non potest, tum quia lectio illa est etiam antiquissima, ut perspicuum est ex Chrysostomo in secunda expositione hujus psalmi, et ex Hieronymo in commentario hujus psalmi; tum quia latina vulgata editio approbata est in concilio Tridentino, et potest facile concordari cum lectione graeca et hebraica. Nam verbum hebraicum, כרה *carah*, non solum significare fodere, sed etiam praeparare sive apponere, ut notum est ex lib. 3. reg. c. 6. v. 22. ubi *parare mensam*, et appositio ciborum significatur per hoc idem verbum. כרה *carah*. Idem autem est, *aurem apposuisti mihi*, et, *aurem perfecisti mihi*, neque diversa sunt, *corpus perfecisti*

mihi, et, *aures perfecisti mihi*, nisi quod prior locutio est propria, posterior est figurata: qui enim dicit, *aures perfecisti mihi*, ex parte significat totum, et non sine causa per aures, potius quam per aliud membrum, significatur hoc loco totum corpus; quoniam aures sunt instrumenta, per quae accipiuntur praecepta superiorum, quibus debetur obedientia, juxta illud psal. 17. *In auditu auris perfecisti mihi.* Christus autem ob id potissimum corpus humanum accepit, ut patri Deo per obedientiam in forma servi obediret, et obediendo pro peccatis totius mundi satisfaceret. *Ego veni*, inquit ipse Joan. 5. et 6. *non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me*; et Joan. 4. *Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*; et Joan. 8. *Quae placita sunt ei facio semper.* Sola restat illa lectio, *aures autem fodisti mihi*, quae non videtur recipienda, ut neque expositio illorum, qui verba illa, *aures autem perfecisti mihi*, significare volunt, *aures purgasti*, sive, *aperuisti*, ut idem sit quod *fodisti*, idest, *aperuisti.* Haec enim lectio non habetur in commentariis ullius veteris Patris, quod ego sciam; et videtur repugnare veritati mysterii: qui enim dicit, *aures fodisti* vel *purgasti mihi*, significat se habuisse aliquando aures clausas, vel immundas. Christus autem, qui hic loquitur, semper habuit apertas, et purgatissimas, ut numquam vere potuerit dicere, *aures fodisti, vel aperuisti, vel purgasti mihi.* Notandum quarto, illa verba *holocaustum et pro peccato,* non significare holocaustum esse sacrificium pro peccato: distinguuntur enim eo loco duo genera sacrificiorum, videlicet holocaustum et sacrificium pro peccato: nam in hebraeo est, עולה וחטאה *holah vachataah, holocaustum et peccatum*, sed nomine peccati, intelligitur sacrificium pro peccato, ut etiam apud Apostolum. 2. Cor. 5. *Qui peccatum non novit, pro nobis peccatum fecit.* Igitur sensus est, *holocaustum et sacrificium pro peccato non postulasti.* Meminit autem in his duobus versiculis omnium generum sacrificiorum veterum, ut ostendat omnia fuisse figuras sacrificii Christi. Nam ut scribit s. Leo serm. 8. de passione Domini, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis Christi implet oblatio. Notandum quinto illud, *tunc dixi, ecce venio*, referri ad tempus, quo Deus decrevit, nolle admittere sacrificia veteris Testamenti pro expiatione; tunc enim ubi Deus hoc decrevit, dixit filius Dei, *ecce venio ego*, ut per sacrificium corporis, et sanguinis mei, reconciliatio impleatur.

11. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.*

Exponit jam, ad quid veniat, cum dixerit, *ecce venio*, et ait, *venio ut faciam voluntatem Dei*, sicut de me scriptum est. Voluntas autem Dei erat, ut per oblationem corporis sui ad passionem et mortem sanctificaret nos. Sic enim hunc locum exponit Apostolus ad hebr. 10. ubi posteaquam citavit hunc locum psalmi, addit, *in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. In capite libri scriptum est de me.* S. Ambrosius intelligit, per caput libri initium libri Geneseos, cap. 2. ubi scriptum est, *hoc nunc os ex ossibus meis, et relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.* Quod exponit Apostolus ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* S. Augustinus exponit, hoc dictum esse de principio libri psalmorum, ubi dicitur de Christo, *in lege Domini voluntas ejus.* S. Joannes Chrysostomus, Eutymius, et Theodoretus, intelligunt, generatim de libris Prophetarum, in quibus plurima de Christi passione scripta sunt: neque putant vim esse faciendam in illa voce, *in capite*, quoniam in hebraeo non habetur, *in capite*, sed במרלת ספג *bimghillath sepher, in volumine libri.* S. Hieronymus in commentario, ut etiam Chrysostomus in secunda expositione, intelligit per *caput libri* initium Evangelii secundum Joannem, ubi scriptum est: *in principio erat Verbum* etc. et infra, *et verbum caro factum est.* Non desunt, qui per caput libri intelligunt initium libri vitae, de quo libro vitae multa dicuntur in psalmo 68. Daniel. 12. Luc. 10. Philip. 4. et Apoc. 20. et 21. et quadrat in hunc librum, quod dicitur hoc loco secundum hebraicas voces *in volumine libri* sive *in libro involuto*, et *clauso.* Liber enim vitae in quo scripta sunt nomina praedestinatorum, clausus est, quia non potest hoc tempore legi, sed constat tamen in capite ejus libri, Christum scriptum esse, ejusque passionem et mortem. Haec omnia probabilia sunt: sed videtur simplicissima, et maxime litteralis expositio, si nomine capitis intelligatur summa totius libri divinarum scripturarum. Siquidem in textu hebraico, ideo non habetur in qua parte libri hoc scriptum sit, sed dicitur *in volumine libri scriptum est de me*, quasi dicat, in toto volumine, quia summa totius Scripturae Christum loquitur: Dominus enim dixit Luc. ultimo: *oportet impleri, quae scripta sunt in lege Moysis, et Prophetis, et psalmis de me*, et ibidem, *interpretabatur duobus discipulis in omnibus scripturis, quae de ipso erant incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis.* Et Joan. 5. idem Dominus dixit in genere, *scrutamini scripturas, quia illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Et quod habetur in textu graeco, ἐν κεφαλίδι βιβλίς, et latino, *in capite libri*, apte exponi potest, *in summa libri*, nam et graece et latine, dicitur caput non solum initium libri, sed etiam id, quo omnia referuntur. Nam et recapitulare, est in summam redigere, et capita librorum distingui solent juxta ea, ad quae revocantur partes principales librorum. Et hoc modo accipitur quod ait Apostolus ad hebr. 8. *Capitulum super ea, quae dicuntur, talem habemus Pontificem*, idest summa eorum, quae dicuntur, est, quod talem habemus Pontificem, etc. Quoniam igitur non ait hoc loco Dominus, *in capite primi libri*, vel *in capite primo libri*; sed generatim *in capite libri*, recte dixerunt Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius hoc loco in capite libri, significare totum volumen divinarum scripturarum: id enim coincidit cum eo, quod nos dicimus, summam totius scripturae ad Christum per-

tinere. ipse enim est finis legis ex Apostolo ad rom. 10. Dicit igitur Dominus, *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*, idest Scripturae omnes testantur me, ad hoc venturum fuisse in mundum, *ut facerem voluntatem tuam*, tibi per omnia accuratissime obediendo. Deinde conversus ad Patrem addit, *Deus meus volui*, idest, libentissime acceptavi decretum tuum, *et legem tuam in medio cordis mei*, supple, posui, idest. nihil majori affectu desideravi, quam implere legem tuam. De justis dicitur in psal. 36. *Lex ejus in corde ipsius*; sed de capite justorum, *legem tuam in medio cordis mei posui*. Et qui sunt Christi, spiritum hunc Christi habere debent, ut legem Domini rebus omnibus anteponant, eamque in medio memoriae, in medio intelligentiae et in medio voluntatis semper habeant. Non multum refert quod in hebraeo, בתוך מעי *bethoch mehai*, et graeco est, ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου, *in medio ventris mei* : agitur enim de ventre animae, non corporis ; in anima vero cor, et venter idem omnino sunt.

12. *Annunciavi justitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.*

Quamvis divinae voluntatis finis praecipuus fuerit, ut Christus pro humano genere moreretur ; voluit tamen Deus Pater, ut Christus antea assidue praedicaret, et praedicatio veritatis esset quasi via ad passionem ; et ipse non solum redemptor, sed etiam doctor et magister esset generis humani; ideo nunc dicit: *annunciavi justitiam tuam*, id est, praedicavi legem tuam justissimam et etiam opera verae justitiae, quae tu ab hominibus requiris: et hoc praedicavi palam, et publice audientibus innumerabilibus populorum turbis : et tu Domine testis esse potes, quia id feci, et faciam deinceps. Et vere tota vita sua Christus praedicavit: ab infantia praedicare coepit exemplo suo contemptum rerum visibilium, modestiam, temperantiam, humilitâtem. Deinde a baptismo, in quo dictum est a Patre, *ipsum audite*; praedicare coepit etiam verbo, neque cessavit usque ad mortem per se praedicare, et praedicationem postea per Apostolos continuavit; et continuabit usque ad mundi consummationem per Apostolorum successores.

13. *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, et salutare tuum dixi.*

Multi praedicant, dum spes lucri adest, vel timor damni non terret; sed cessante spe, urgente timore, abscondunt in corde suo praedicationem veritatis, neque eam foris erumpere sinunt. Ab iis vitiis longissime Christus abfuit. et nos exemplo suo docet, ut idem faciamus ; ideo dicit, *annunciavi justitiam tuam* et neque per negligentiam, neque per ullum timorem illam unquam abscondi in corde meo. Quod autem dixit de justitia, quam a nobis Deus exigit, videlicet, quod eam annunciaverit, et non absconderit, idem nunc subjungit de justitia et misericordia, quae est in ipso Deo : nam justitiam vocat veritatem, idest fidelitatem, per quam fideliter reddit unicuique secundum opera sua et misericordiam vocat *salutare*, idest salutem, quam misericorditer praebet sperantibus in se. Ait igitur, *veritatem tuam, et salutare tuum dixi*, idest annunciavi quoque veritatem quae in te est, manifestans omnibus quam fideliter reddas ineffabilia praemia justis, et horrenda supplicia injustis, et simul annunciavi salutare tuum, idest quam misericorditer salves omnes, qui in te spem suam constituunt.

14. *Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.*

Quam paulo ante vocaverat *salutare*, nunc expressius vocat *misericordiam*, et cum *veritate*, idest, cum justitia conjungit. Dicit igitur, *Non abscondi* propter ullum timorem, *a concilio multo* idest, a multitudine populorum *misericordiam et justitiam*, quae in te sunt; sed eas publice, et libere praedicavi. Haec verissima esse manifeste colligimus ex Evangelio: nam Matth. cap. 5. 6. et 7. praedicavit Dominus justitiam, quam nos facere debemus; et in variis parabolis Matth. 13. 24. et 25. praedicavit justitiam, et misericordiam Dei.

15. *Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me, misericordia tua, et veritas tua semper susceperunt me.*

Transit nunc à praedicatione ad passionem: Et sicut ipse manifestavit hominibus justitiam, et misericordiam Patris, ita nunc precatur Patrem ut non differat misericordiam et veritatem suam in ipso per resurrectionem celerem, ab omni passione, et morte liberando. *Tu autem Domine*, inquit, *non longe facias miserationes tuas a me*, idest, vides Domine Pater, in quam acerbam passionem incidi, quia non tacui manifestare hominibus justitiam, et misericordiam tuam: ideo tu quoque non longe facias miserationes tuas a me celeriter resuscitando: sicut hactenus *misericordia tua, et fidelitas tua semper susceperunt me.*

16. *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui ut viderem.*
17. *Multiplicatae sunt super capillos capitis mei et cor meum dereliquit me.*

Reddit rationem, cur dixit, *ne longe facias miserationes tuas a me*, et ait, *quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Vere enim passiones Christi plurimae fuerunt, et simul omnes quasi agmine facto in eum irruerunt. Cur autem tot fuerint ejus passiones, causa fuit, quoniam peccata nostra, quae ipse super se accepit, innumerabilia sunt. *Comprehenderunt me*, inquit, *iniquitates meae*, idest, iniquitates omnium hominum, *quas Pater super me posuit*, ut dicitur Isaiae 53. et quas proinde meas fecit, ut super lignum in corpore meo illas portarem; *illae*, inquam *omnes comprehenderunt me. Et non potui ut vi-*

derem, idest, tot sunt iniquitates, quae me comprehenderunt, ut non praevaluerim videre quot sunt. Nam *multiplicatae sunt super capillos capitis mei*, idest, superant multitudine sua numerum capillorum; capilli enim capitis tot sunt, ut numerari non possint: et ideo quasi obrutus multitudine tanta malorum defeci, *et cor meum dereliquit me*, id est, vigor ipse,et ipsa vita dereliquit me. Porro quod hic dicit Christus, *Non potui ut viderem*, non est accipiendum proprie, quasi re vera non potuerit Dominus videre numerum peccatorum; ob nimiam eorum multitudinem; nam sine dubio novit accuratissime numerum peccatorum praeteritorum, praesentium, et futurorum; sed loquitur more humano, et solum significare voluit peccata, quae expiando suscepit,esse innumerabilia. Simile est, quod dicitur Marci cap. 6. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, et mirabatur propter incredulitatem eorum*: poterat enim, si voluisset, virtutes in eo loco facere; sed dicitur non potuisse, ut significaretur incredulitas illius populi, ob quam non volebat in eo loco miracula facere. Sicut etiam non proprie mirabatur, quia admiratio nascitur ex ignoratione, quae in Christo locum non habebat; sed dicebatur mirari, quia signum admirantis edebat, ut ostenderet, mirum esse, quod populus ille tanta incredulitate teneretur. Sanctus Augustinus versiculum hunc,et duos superiores vult accipiendos esse in persona membrorum infirmorum Christi, idest, fidelium imperfectorum ejus; nos sententiam non rejicimus, sed ostendere voluimus, quomodo sint exponendi tres isti versiculi, si accipiantur scripti in persona Christi, ut vere in persona Christi scripti sunt versiculi praecedentes, quos Apostolus allegavit ad hebraeos 10.cum quibus isti continuari videntur.

18. *Complaceat tibi Domine, ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.*

Reddit ad orationem, quam inchoaverat in versiculo quintodecimo, ac petit liberationem a tantis malis per celerem resurrectionem, ut supra diximus. *Complaceat*, inquit, *tibi Domine*, idest, placeat tibi Pater,quem etiam Dominum agnosco propter formam servi, quam accepi; placeat, inquam, *ut eruas me* de tot doloribus,qui circumdederunt me. *Domine ad adjuvandum me respice*, idest, videris quidem ad tempus me dereliquisse, et a me faciem avertisse, dum sinis me crucis tormenta sine ulla consolatione perpeti, sed jam *respice ad me adjuvandum*, ut brevi repleas me laetitia gloriosae resurrectionis.

19. *Confundantur, et revereantur simul, qui quaerunt animam meam, ut auferant eam.*

Ex Christi resurrectione sequuta est maxima confusio adversariorum, qui eum plane a se extinctum existimabant. Id nunc praedicit per modum imprecationis: quae forma loquendi frequens est apud Prophetas. *Confundantur*, inquit, *et revereantur*, idest, confusi erubescant, *qui quaerunt animam meam, ut auferant eam*,id est,qui quaerunt vitam meam auferre, me occidendo, et penitus extinguendo: hoc enim erat votum Judaeorum, et hoc se assequutos crediderunt, cum Christum cruci affixum viderunt; sed paulo post cum eum resurrexisse audierunt, et signis ac prodigiis maximis resurrectionem ejus, confirmari,et a populis credi viderunt,confusione, et erubescentia repleti sunt; sed multo majore confusione, et verecundia replebuntur in die novissimo, cum eum Judicem suum justissimum esse videbunt, quem in concilio suo, falsis testibus inductis, judicare praesumpserunt.

20. *Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.*

Idem reperit ad rem magis explicandam; vel confirmandam. *Convertantur*, inquit, *retrorsum*, idest, confusi recedant, *et revereantur*, idest, verecundentur, et erubescant,*qui volunt mihi mala*, idest, non ii solum, qui quaerunt me interficere; sed etiam omnes alii, qui cupiunt confusionem et ignominiam meam. S. Augustinus exponit hunc versiculum in bonam partem, quasi Dominus precetur adversariis suis conversionem a peccatis ad Deum,ut jam non amplius superbe praecedant,sed humiliter subsequantur Dominum suum.Pia expositio; sed prior videtur magis litteralis, et facilius cum superiori versiculo continuatur.

21. *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, euge, euge.*

Idipsum tertio repetit dicens, *ferant confestim confusionem suam*, idest, non in longum tempus differatur eorum confusio; sed statim, post tridui videlicet brevissimum spatium,confusionem suam experiantur, *qui dicunt mihi, euge, euge*, idest, qui de me quasi victo inter se gratulantur dicentes *euge, euge*.Sanctus Hieronymus et hebraeo vertit, qui dicunt mihi vah, vah, quam vocem, fuisse Judaeorum deridentium Christum in cruce pendentem, in Evangelio legimus. Sed septuaginta verterunt, *euge, euge*, et non dubium est, quin ipsi quoque recte intelligerent vim hebraicae vocis, האח האח *heach heach*. Proinde illud pronomen mihi, non ita accipiendum est, quasi adversarii Christo blandiri vellent, aut eum laudare, vel hortari, ut nos solemus cum alicui dicimus, *euge, euge;* sed intelligendum est, adversarios inter se exultantes super Christi passione dixisse *euge euge*, ita ut illud. *mihi*, accipiatur pro, *de me*, vel *super me*. Paulo clarius idem legimus in psalmo 34. *Non dicant in cordibus suis, euge,euge, animae nostrae, nec dicant, devoravimus eum*,ubi apparet illud, *euge*, dictum esse in cordibus eorum, qui putabant se Christum jam devorasse. Quod autem nos habemus ex graeco, *ferant*, s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *pereant*.Sed credibile est septuaginta non legisse,ישמו *jasciommu*, a verbo,שמם *sciamam*,quod est *desolare*,sedישאו

issau, unica litera mutata a verbo, אשנ *nasa*, quod est *ferre*. Denique quod nos habemus, *confestim*, sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo *post*. Caeterum verba hebraica, על עקב *hal hekeb*, significant proprie *ad calcaneum*, sive *ad vestigium*, idest, immediate sive confestim, quod est idem: et ipse idem sanctus Hieronymus hanc eamdem vocem in psalmo 69. vertit *ad vestigium*. Recte igitur septuaginta Interpretes reddiderunt verba hebraica: et latinus interpres fideliter verba graeca παρὰ χρῆμα.

22. *Exultent, et laetentur super te omnes quaerentes te; et dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.*

Sicut praedixit per modum imprecationis confusionem persecutoribus suis: ita nunc per modum precationis bonae praedicit laetitiam sectatoribus suis. *Exultent*, inquit, *et laetentur super te*, idest, exultabunt, et laetabuntur in Deo divino videlicet et inerrabili gaudio, *omnes qui quaerunt te*, idest, omnes qui quaerunt gloriam Dei, et qui diligunt Deum, et in eo spem suam ponunt. *Et dicant semper, magnificetur Dominus*, idest, et non sibi tribuant, nec suis viribus, aut virtutibus bonum, quod habent; sed dicant, *magnificetur Deus* ab omnibus, *qui diligunt salutare tuum*: idest, qui diligunt salvatorem, quem misisti ad homines, Christum videlicet Jesum, sive qui diligunt salutem, quae abs te, idest, qui cupiunt veram, atque aeternam salutem, quam tu solus dare potes.

23. *Ego autem mendicus sum, et pauper; Dominus sollicitus est mei.*

Revertitur ad statum suum, in quo erat tempore passionis, ac dicit, *Ego mendicus sum, et pauper* idest, egenus et destitutus humano auxilio. Sunt enim in hebraeo duo vocabula. אביון *ebion*, et עני *hani*; prius significat *egenum, inopem, mendicum;* posterius significat *afflictum*, humilem, destitutum: quae omnia convenichant Christo toto tempore suae mortalitatis; sed praecipue quando nudus pendebat in cruce. Sed quamvis egenus, et pauper esset, quantum ad temporalia bona; tamen ditissimus erat protectione paterna: ideo subjungit, *Dominus sollicitus est mei*, vel ut est in hebraeo, ארני יחשב לי Adonai *jachassciab li*, Dominus cogitat pro me. Vocat autem patrem Dominum, quoniam loquitur in forma servi, idest, ut filius hominis, secundum quam naturam pendebat in cruce.

24. *Adjutor meus, et protector meus es tu, Deus meus, ne tardaveris.*

Quod unico vocabulo dixerat, *Dominus sollicitus est mei*, id nunc duobus vocabulis exponit dicens, *Adjutor meus, et protector meus es tu.* Deus enim pater sollicitus erat filii sui, illum adjuvando, et protegendo, adjuvando in superandis malis praesentibus, et protegendo in removendis futuris. Concludit postremo, *Deus meus, ne tardaveris*, nimirum eripere me ab omnibus malis per celerem resurrectionem.

PSALMUS XL.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus ipsi David.

Videtur hic etiam psalmus, ut praecedens, ad Christi passionem totus pertinere. Sic enim eum Patres accipiunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et Chrysostomus, qui addit, temerarium esse aliter exponere, cum citetur ab ipso Christo, *Joan.* 13. unus versiculus ex hoc psalmo ad demonstrandum Judae proditionem fuisse multo ante praedictam. De titulo nihil dicimus, quia nihil novi continet.

EXPLICATIO PSALMI XL.

1. *Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

Beatus, *qui intelligit super egenum, et pauperem*, idest, beatus, qui attente considerat Christum pauperem: inveniet enim esse pauperem non necessitate, sed voluntate, ut nos sua inopia locupletaret. Item inveniet pauperem foris, sed intus divitem; in eo enim *absconditi sunt omnes Thesauri sapientiae, et scientiae Dei*, ut scribit Paulus ad Coloss. 2. Denique inveniet pauperem in carne, ut dicit s. Ambrosius, sed divitem in Regno

idem enim pauper erat, cum non haberet ubi caput reclinaret: et simul haeres erat universorum, Rex regum, et Dominus dominantium. Praeterea, *beatus est qui intelligit* super Christum pauperem nudum videlicet in cruce pendentem, idest, qui attente cogitat passionem ejus: nam et Hieremias antea dixerat, *Attendite, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Thren. 1. Et Apostolus postea idem repetivit, *recogitate eum, qui talem adversus semetipsum a peccatoribus sustinuit contradictionem.* Hebr. 12. Infinitus enim thesaurus paratus est Christi passionem, ut par est, intelligentibus, et diligenter meditantibus. Denique beatus quoque est, qui intelligit super egenum et pauperem Christum in membris suis, de quibus dicturus est, Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Sed non dicit psalmus, *Beatus qui dat eleemosynam pauperi*, sed, qui intelligit super egenum, et pauperem, idest, qui prudenter considerat pauperum necessitates, et dat cui, quando, quantum oportet, ex pura charitate, et liberalitate, non ex inani gloria vel spe retributionis. Hanc enim vim habet verbum hebraicum, משכיל *maschil*: significat enim attente cogitare, sive prudenter considerare. Sequitur, *in die mala liberabit eum Dominus.* Haec est ratio, cur sit beatus dicendus qui intelligit super egenum, quia videlicet ipse ab egestate liberabitur: dies enim mala est dies penuriae, et sterilitatis. Sed hoc loco praecipue dicitur dies mala, dies ultimi judicii, quae erit dies solius justitiae, ac per hoc erit in illa summa penuria miserationis, et gratiae. In illa igitur die securi erunt qui Christi crucem amaverint, et qui propter Christum pauperibus benevoli fuerint: dicetur enim illis, *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. Sed etiam in hoc saeculo liberabit Deus viros misericordes in die mala, ut psalmus trigesimus sextus antea nos docuit, dicens, *Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur.* Mirifice enim delectatur Deus cum videt filios suos, ad patris imitationem, quae ab illo liberaliter accipiunt, cum aliis quoque liberaliter communicare. Et ideo cum foenore reddit, quod pauperibus datur, juxta illud Prov. 19. *Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis.*

2. *Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.*

Declarat quod dixit, *In die mala liberabit eum Dominus;* et per modum bonae imprecationis praedixit bona, quae dabuntur intelligenti super egenum, et pauperem. *Dominus*, inquit, *conservet eum*, idest, custodiat dum vivit, *et vivificet eum*, idest, post mortem iterum vivere faciat, resuscitando eum cum justis. *Et beatum faciat eum in terra*, idest, et tunc vere, perfecteque beatum reddat in terra viventium. *Et non tradat eum in animam inimicorum ejus*, idest, et neque in hoc saeculo, neque in futuro sinat eum subjici voluntati inimicorum, sive homines, sive Daemones sint, Vocat enim animam, voluntatem, sive desiderium. Codices graeci variant hoc loco: nam alii habent, *in manus inimicorum*, alii, *in animam inimicorum*, ut sanctus notavit Ambrosius; sed sensus est fere idem, nisi quod videtur esse aliquid amplius *tradi in animam*, idest, in voluntatem, sive arbitrium, sive libidinem, quam tradi *in manus*, idest, in potestatem: nam qui supplicio afficiendi sunt, traduntur in manus carnificum, sed non in voluntatem: quia possunt carnifices eos interimere, non tamen eo modo, quo voluerint, sed eo tantum modo, quo leges praescribunt.

3. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.*

Quoniam tam multa bona pollicitus fuerat misericordibus, intelligentibus super egenum, et pauperem: poterat aliquis suspicari nullam tribulationem passuros in terris ejusmodi pios homines ideo nunc subjungit passuros quidem in hoc exilio pios homines varias tribulationes, seu tentationes, sed non absque divina consolatione. *Dominus*, inquit, *opem ferat illi super lectum doloris ejus*, idest, si quando pius ille inciderit in lectum doloris, sive dolor sit corporalis, sive spiritualis, sive sit proprie in lecto aegrotus, sive metaphorice decumbat quasi in lecto afflictus quacumque tribulatione: *Dominus opem ferat illi*, atque ita consolabitur eum, ut patienter ferat, et ipsa patientia probari se intelligat; et ex probatione spem magnam concipiat: et ex illa spe gaudium tale inveniat, ut glorietur in tribulationibus, et cum Apostolo dicat, *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Corinth. 7. adjungit deinde ad probandum id ita esse futurum, exemplum de praeterito, dicens, *universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*, idest, tu Deus suavis, et mitis, ita soles facere cum fidelibus tuis: nam si quando vidisti pium aliquem gravari tentationibus, vel afflictionibus, ita illum consolari consuevisti, quomodo consolatur aegrotum qui totum stratum ejus versat, et reversat, ut mollius cubet, et quiescat s. Ambrosius, et s. Joan. Chrysostom, ita exponunt, ut velint versari stratum in infirmitate, esse mutari statum aegroti in statum sanitatis. S. Hieron. et s. August. contrario modo exponunt, sed egregie omnino, et utilissime: volunt enim hunc sensum esse: Quia dixerat Propheta, *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus*; poterat pius homo respondere, si Deus fert opem, unde tot scandala, et tribulationes hominibus piis? Respondet Propheta, quia idem Dominus *universum stratum*, idest, eas res terrenas, in quibus etiam pii acquiescunt, et delectantur, versat, removet, ut pius peregrinus non diligat stabulum pro domo; sed ex amissione temporalium, quamvis licitarum consolationum, discat in solo Deo delectari, illum unum quaerere, ad illius visionem anhelare, et suspirare. Haec enim est causa, cur Sancti homines non solum tribulationes aliunde advenientes amaverint; sed ipsi etiam eas sibi accersierint, jejuniis, vigiliis, humi-

cubationibus, nuditate, et flagellis carnem propriam atterendo; quoniam intelligebant, animum non omnino erigi posse ad quaerendum Deum, dum aliquid habet in terra quod amet, vel in quo delectetur, et quiescat. Utraque expositio amplectenda est, quamvis prior videatur nobis magis litteralis.

4. *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi?*

Hic jam incipit Christus declarare, se esse egenum illum et pauperem, de quo initio dixerat, *beatus qui intelligit super egenum, et pauperem. Ego*, inquit, *dixi, Domine miserere mei*, idest, miserere corporis mei mystici, infirmorum membrorum meorum. *Sana animam meam quia peccavi tibi*, idest, ad hoc misericordiam tuam imploro, ut sanes languores fidelium meorum, quorum peccata mihi ipse imputo, quasi ego illa fecissem. Potest etiam sic exponi, ut Christus ipse de passione sua loquatur, dicens, *miserere mei* in tribulatione positi, ut celeriter resuscitando ab omni passione me liberes: *sana animam*, quae tristis est usque ad mortem, et ideo tristis est et languet, pavens, moerens, et taedens, *quia peccavi tibi*, idest, peccata totius mundi in me recepi. Nam quod non loquatur de peccatis a se commissis, perspicuum est ex versiculo decimotertio, ubi dicit, *Me autem propter innocentiam suscepisti*. Itaque is, qui loquitur in psalmo, non est David, vel quivis alius, sed ille solus, qui et innocens erat, quoad actiones proprias, et peccata aliorum portabat.

5. *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus.*

Haec manifeste pertinent ad Pharisaeos, et sacerdotes Judaeorum, qui avidissime Christi mortem sitiebant, et de ipso interficiendo saepe inter se colloquebantur. Illud autem *mihi*, positum est, pro, de me, ut in psalmo superiore. *Qui dicunt mihi*, idest, de me, *euge, euge*, vel abundat, ut in hoc ipso psalmo, *Adversum me cogitabant mala mihi*, et alibi saepe.

6. *Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur; cor ejus congregavit iniquitatem sibi.*

Transit a Judaeis ad Judam, quasi dicat, *et si* aliquis eorum, ut Judas proditor, *ingrediebatur*, ut videret, idest, exploraret, et quaereret opportunitatem prodendi, *vana loquebatur*, idest, falsi aliquid fingebat, ne animus ejus detegeretur. Posset etiam hoc referri ad alios, qui ad Christum accedebant, *tentantes eum, ut caperent eum in sermone*, ut Matth. 22. Sed iste *vana quidem loquebatur* ad Christum; sed interim *cor ejus congregabat iniquitatem sibi*. idest, corde meditabatur dolos, proinde multiplicabat, et congregabat iniquitates sibi ad suam videlicet aeternam perditionem. Haec nimirum justa merces est mendacium et dolosorum, ut dum alios decipere tentant, ipsi decipiantur a Satana, et dum aliis moliuntur interitum, ipsi sibi interitum parent.

7. *Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.*

De eodem Juda Patres haec etiam accipiunt, qui cum explorasset opportunitatem prodendi Dominum, *egrediebatur, et loquebatur simul* cum iis, quibus Dominum proditurus erat. Illud *in idipsum* hebraei codices conjungunt cum sequenti versiculo; sed nos sequimur distinctionem antiquam septuaginta Interpretum, qui majori fide digni sunt, quam recentiores Rabbini, qui puncta, et distinctiones, quas nunc habemus, bibliis addiderunt.

8. *Adversum me susurrabant omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi.*

Audito Juda proditore, coeperunt inter se susurrare, ne forte sermo innotesceret, si alta voce loquerentur, de pecunia danda, et ratione invenienda Christum capiendi, atque perdendi. *Adversum me*, inquit, *susurrabant*, idest, submissa voce loquebantur, *omnes inimici mei*, *adversum me cogitabant mala*, idest, susurrando deliberabant de morte mihi inferenda. Jam supra dixi, illud, *mihi*, redundari ex phrasi hebraica.

9. *Verbum iniquum constituerunt adversum me: numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?*

Ex illa susurratione inimicorum hoc sequutum est, ut firmiter constituerent Judaei Christum occidere, et hoc est, quod subjungit, dicens, *verbum iniquum constituerunt adversum me*, idest decretum iniquum statuerunt contra me, ut videlicet me, quamvis innocentem, morti traderent. Addit vero continuo, *numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat;* idest quamvis illi tam injustum decretum fecerint, numquid mihi potestatem resurgendi auferent; quin potius ideo mortem somnum vocavit, quia quam facile est homini dormienti socium suum excitare a somno, tam facile est Verbo Dei carnem suam mortuam ad vitam revocare. Id quod multo ante praedicit, cum ait, *nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam: potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Joan. 10. In hebraeo codice longe aliter habetur, דבר בליעל יצוק בו *debar beliahal iatzuk bo*: sic enim ad verbum verti potest, *verbum belial infusum sibi, et qui dormivit, non adjiciet, ut resurgat*; sed septuaginta Interpretes, qui et doctissimi erant, et codices correctissimos habebant, per *verbum belial*, recte verterunt, *verbum iniquum*; nam *belial*, significat, *absque jugo*, et accipitur etiam pro diabolo, sed passim *viri belial*, dicuntur *viri iniqui*, quasi qui jugum legis excusserit, et diabolum ducem sequantur: et sicut *viri belial*, sunt viri iniqui, ita *verbum belial*, est verbum iniquum: quod

sequitur, infusum hebraice, יצוק *iatzuk*, legerunt septuaginta, יציקו *iatziku*, quod est *constituerunt*, et pro, בו *bo*, quod est ei, vel sibi, legerunt, בי *bi*, quod est *mihi*, sive *in me*, aut *contra me*: hebraice enim sibi, et mihi simillima sunt. Denique pro, ואשר *vaaser*, quod significat, *et qui*, legerunt septuaginta, האשר *haaser*, quod significat, numquid. Viderint autem hebraei, utrum negligentia, an malignitate hunc locum corruperint. Certe vulgata nostra editio cum graeca editione concordat, et graeca cum vera hebraica omnino consentit: necesse enim est, ut vel hebraica lectio, qualis nunc est, ob literarum similitudinem corrupta sit, vel septuaginta interpretes imperitissimi fuerint. Non desunt, qui hunc versiculum ad Davidem aegrotantem, et ad sermones hominum de ejus valetudine disputantium referant. Sed ii cum Patribus omnibus repugnant, cum nimis humiliter Spiritus sancti oracula exponunt.

10. *Etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

Reddit rationem, cur inimici verbum iniquum adversum se constituerint; et dicit, fuisse causam ejus iniqui decreti, Judae proditionem. *Etenim*, inquit, *homo pacis meae*, idest, verbum iniquum adversum me constituerunt inimici mei; quoniam *homo pacis meae*, idest, cum quo pacem habebam, ut magister cum discipulo, et cum servo Dominus; et homo *in quo speravi*, idest, in quo tamquam in amico et familiari confidere poteram. *Qui edebat panes meos*, idest, qui in mensa mea, ut domesticus, mecum vescebatur. *Magnificavit super me supplantationem*, id est, mirifice me supplantavit, cum per insidias inimicis me tradidit. Hunc locum Dominus ita citavit Joan. cap. 13. *Non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegerim, sed ut adimpleatur Scriptura, qui manducat meum panem levabit contra me calcaneum suum.* In hebraeo ad litteram est, הגדיל עלי עקב *higdil halai hakeb, elevavit contra me calcaneum*; sed septuaginta explicaverunt sensum: nam levare calcaneum contra aliquem, et illum supplantare idem est. Quo loco notandum est, cum dicitur, *ut impleatur Scriptura*, significari, proditionem Judae fuisse praedictam, et adimpletam, ut praedicta fuerat; et ideo hunc locum psalmi non fuisse citatum a Christo, ut aliquid simile, vel commune, sed ut proprie ad hanc rem pertinentem, ut notavit s. Joan. Chrysost. et ideo non recte facere, qui haec verba psalmi ad alios sensus detorquere conantur. Secundo notandum est cum s. Augustino, vocatum fuisse Judam *hominem pacis*, quoniam praevidit Propheta, Christum a Juda per signum pacis, idest per osculum fuisse tradendum: quod etiam Dominus significavit, cum illi ait, amice ad quid venisti? et, Juda osculo filium hominis tradis? Item dictum esse a Propheta, *qui edebat panes meos*; quoniam praeviderat per buccellam Judae proditionem fuisse manifestandam. Addi potest dictum fuisse ab eodem Propheta, *in quo speravi*, quoniam praeviderat Christum creditorum fuisse Judae marsupium, quod erat confidentiae signum; itaque praedictio cum eventu rei optime convenit. Tertio notandum, exprimi a Propheta miro modo hujus proditionis indignitatem: primo enim vocat Judam *hominem pacis Christi*, ut ostendat nullam intercessisse inimicitiam, nullam injuriam, nullam odii causam inter Christum et Judam: deinde addit, non solum non intercessisse causam odii, sed intercessisse causam benevolentiae, cum addit, *in quo speravi*, quia Dominus credens Judae loculos, signa confidentiae, ut diximus, illi ostendebat. Denique addidit non solum non fuisse inimicum, nec solum fuisse amicum, sed etiam fuisse intimum familiarem et maximis beneficiis affectum; nam illa ipsa nocte, qua Christum tradidit, non solum panem communem, in mensa Christi comederat, sed etiam panem coelestem ac divinissimum; et ante coenam idem Christus pedes illi humiliter laverat; et per hoc exempla summae charitatis, atque humilitatis ostenderat.

11. *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis.*

Precatur nunc Patrem, et per modum precationis praedicit, quod futurum erat: vere enim post resurrectionem suam retribuit Judaeis excidium, quod merebantur. *Tu autem Domine*, inquit, *miserere mei, et resuscita me*, idest, illi quidem verbum iniquum statuerunt contra me, et discipulo meo supplantante et prodente interficient me; *sed tu Domine miserere mei*, in cruce morientis, et paulo post *resuscita me*: et tunc retribuam eis, quod merentur. Precatur autem filius patrem, non quod ipse ut Verbum patris carnem suam resuscitare non posset; sed quia loquitur in forma servi, defert patri, cui in forma Dei aequalis erat, alioqui ipse idem dixit, Joan. 2. *Solvite templum hoc, et ego in triduo excitabo illud: hoc autem dixit de templo corporis sui*, et Joan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quid vero Christus Judaeis retribuerit post resurrectionem suam, notum est omnibus, qui ab eo tempore vident Judaeos de terra sua eradicatos, dispersos esse inter gentes, sine rege, sine sacerdote, sine Deo vagari. Quod illis praedixerat Dominus quando ait, *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus*, et alibi, *relinquetur vobis domus vestra deserta*, et alibi, *non relinquent in te lapidem*, Matth. 21. et 23. et Luc. 19.

12. *In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.*

Exauditam orationem suam fuisse dicit, idque inde posse cognosci, quod non *gauderet inimicus de morte ejus*. Quod quidem in Juda impletum est, qui ante se ipse suspendio necavit, quam Christus mereretur, et quam ipse pretio proditionis suae frui posset. Potest tamen hoc etiam referri ad reliquos inimicos ejus, qui tam brevi tempore gavisi sunt, ut dici possint non esse gavisi.

13. *Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.*

Docet, inimicos non diu gavisuros de morte sua, quoniam a Deo susceptus et exaltatus ob innocentiam suam fuerit. *Me autem*, inquit, *propter innocentiam*, tibi optime notam, *suscepisti*, de manibus eorum, *et confirmasti in conspectu tuo in aeternum*, idest humiliasti me ad horam in conspectu hominum, sed *suscepisti et confirmasti me in conspectu tuo*, idest, stare fecisti ante conspectum tuum in coelo usque in aeternum: vox enim hebraea, והצבני *vathatzibeni*, significat, *statuisti ante conspectum tuum*; quod factum est per exaltationem, et assumptionem in coelum.

14. *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum fiat, fiat.*

Ista conclusio, sive Christi sit, sive Prophetae, nihil aliud significat, nisi propter exaltationem Christi, et confusionem inimicorum ejus, deberi honorem et gloriam, *et benedictionem Deo ab aeterno, et usque in aeternum*, idest, sine fine. Illud autem, *fiat, fiat*, hebraice autem, אמן אמן *amen amen*, confirmatio est dictorum, ut sensus sit, vere, seu fideliter ita sit, sive ita fiat, ut semper Deo laus et gloria deferatur. Atque hic est finis primi libri secundum hebraeos, qui psalterium in quinque libros distribuerunt.

PSALMUS XLI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, intellectus filiis Core.

Titulus admonet filios Core, quibus dabatur psalmus cantandus, ut intelligant quae canunt et ut auditores intelligere faciant quae admonitio cantoribus ecclesiasticis memoriae commendanda est: cantus enim in Ecclesia spiritui deservire debet, et non soli aurium oblectationi. Et sicut qui intelligenter et devote canunt, animos audientium rapiunt in Deum, ita qui theatrales modulos in Ecclesiam invehunt, de domo Dei, scenam mundi faciunt. Vide s. Hieron. in caput quintum ad Ephesios. Argumentum psalmi aliqui esse volunt, quod David exul tempore Saulis queratur, se non posse ter in anno in Jerusalem ad festa Domini accedere. Sed tempore Saulis non erat tabernaculum Domini in Jerusalem, sed in Silo et ad eum locum ibant ter in anno Israelitae. Praeterea tam ingens desiderium, quale hoc loco exprimitur, non videtur posse referri ad tabernaculum manufactum et arcam ligneam. Propterea psalmi argumentum esse putamus, ut sancti Patres Hieronymus, Augustinus et Chrysostomus docent, quod David amore divino succensus exprimere conatur vehemens desiderium, quo tenebatur perveniendi ad visionem Dei, quae est vera et sempiterna foelicitas, cum tamen inter tentationes et pericula peregrinationis viveret. Sed dum ipse desiderium suum exprimit, simul docet quae sint argumenta, unde verus Dei amor possit agnosci.

EXPLICATIO PSALMI XLI.

1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Amor res est igneae naturae, ac per hoc intus retineri non potest, sed per verba, et suspiria foras erumpit. David igitur, ut amorem suum aliquo modo exprimat, comparat se cervo sitibundo dicens, *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, videlicet, pervenire; *ita desiderat anima mea pervenire ad te Deus;* quae aptissima similitudo est: cervus enim quatuor habet qualitates: primum inimicissimus est serpentibus, atque cum eis perpetuum bellum gerit: deinde, cum a venatoribus quaeritur, ad montes altissimos velocissimo cursu confugit: tum mandatum illud Apostoli Galat. 6. *Alter alterius onera portate*, ab instinctu quodam naturae observat: nam, ut scribit sanctus Augustinus tum hoc loco, tum serm. 21. de verbis Apostoli, traduntur cervi vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se invicem ponere: denique si quando vel ex pugna cum serpentibus vel ex fuga ad montes, vel ex deportatione oneris ambulando, vel natando fatigatur, ardentissime sitire solet aquas, neque ab

eis inquirendis ulla vel tenetur amoenitate pratorum, vel terretur difficultate viarum. Talis omnino est amator Dei; nam et cum serpentibus carnalium cupiditatum bellum perpetuo gerit; et cum tentationibus, vel persequutionibus premitur, ad montem contemplationis fugit, et infirmorum molestias patienter tolerat, sed praecipue summo desiderio Deum sitit, neque ulla terrena foelicitate, vel adversitate impeditur, quominus ad Deum semper anhelet. Talis erat David, quamvis uxoratus, quamvis rex, quamvis miles, talis Paulus, talis Petrus; tales Apostoli caeteri, et Martyres, tales omnes, qui exilium agnoscentes sive per prospera, sive per adversa gradientes cursum ad patriam numquam relaxabant.

2. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*

Declarat apertius, quid sit desiderare Deum, et simul aperit, cur tantopere desiderandus sit Deus. Tria sunt, ut Chrysostomus annotavit, quae amorem, ac per hoc sitim, et desiderium accendere solent, pulchritudo, beneficia, et amor: nam et res pulchrae amari se quodam modo cogunt, et qui beneficia praestant, ad se amandos provocant, et qui amant redamari merentur. Sed si haec tria in unum conveniant, idest, si persona aliqua pulcherrima, et nobilissima, te summis et quotidianis afficiat beneficiis, et eumdem te maximi faciat, teque ardentissime amet, quomodo non vehementissimam in tuo pectore flammam amoris accendet? Haec igitur tria in Deum convenire David hoc loco docet, et ideo sitire se Deum, idest, amore, et desiderio ejus ardere se dicit. *Sitivit*, inquit, *anima mea ad Deum*, id est, ad rem pulcherrimam, nobilissimam, praestantissimam, quae bona omnia in se una complectitur. *Fortem*, idest, ad rem non fluxam, et caducam, sed stabilem, permanentem, aeternam. *Vivum*, idest, ad rem operantem, intelligentem, amantem, quae nos continuis beneficiis, afficit, quae nos magnifacit, quaeque nos incredibili amore diligit. Haec ergo sitis in rem tam bonam, tam beneficam, tam mei amantem, cogit ex toto corde dicere, *quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* idest, quando finis erit peregrinationis, quando initium fruitionis. Ex hebraeo clarius verti posset, *quando veniam et videbo faciem Dei?* Id enim solum est, quod sitim animae rationalis explere potest.

3. *Fuerunt mihi lachrymae meae panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?*

Qui vere et intime cogitat tria quae diximus, videlicet, Deum esse supra omnem speciem pulchrum, et omnia quae nos habemus, ab illo ut a fonte manare; et eumdem ipsum tanti nos aestimare, atque ita nos diligere, ut filium suum unigenitum pro nobis dederit; fieri non potest, quin lachrymis desiderii opprimatur, dum visio tanti boni differtur. David igitur, qui ista serio contemplabatur, recte adjungit, *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte*, idest, lachrymis, quasi panibus, sustentabar assidue per dies et noctes, idest, toto tempore hujus peregrinationis, vel per dies prosperitatis, et noctes adversitatis: nam renuit anima mea consolari terrena foelicitate, nec minus renuit contristari terrena adversitate; sed utroque tempore lachrymae meae fuerunt mihi cibus, et potus, dum *dicitur mihi quotidie* ab impiis et incredulis, *Ubi est Deus tuus?* ad quem sitis? cui suspiras? cur diligis quem non vides? Sed posset etiam sic exponi, *Dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* idest, dum quotidie per circuitum omnia lustro quaerens quem diligit anima mea, et dicitur mihi a spiritu meo, a cogitatione mea, *ubi est Deus tuus?* haec enim omnia, quae contemplando perlustrasti, opera sunt Dei, pulchra quidem omnia, sed non sicut Deus tuus: ubi est igitur Deus tuus? ubi quaeres, ut invenias? quando venies, et videbis faciem Dei tui?

4. *Haec recordatus sum et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.*

Pergit in explicando desiderio suo. *Haec*, inquit, *recordatus sum*, quae dicta sunt de inquisitione Dei, *et effudi in me animam meam.* Haec effusio tribus modis accipi potest. Primo, ut sensus sit, *effudi in me animam meam*, idest, evacuavi apud me animam meam omni terrena delectatione, ut intraturus tabernaculum admirabile, et ipsam domum Dei, implerem eam delectationibus Domini mei. Secundo, ut sensus sit, *effudi in me animam meam*, idest, dilatavi animam meam, extendi desiderium meum, ut capax esset tanti boni, quantum inveniet in tabernaculo illo admirabili, ubi est ubertas indeficiens domus Domini. Tertio, ut sensus sit, *effudi in me animam meam*, idest, effudi super me animam meam, transcendi contemplando ipsam animam meam, quomodo dicitur Thren. 3. *Sedebit solitarius, et tacebit, quoniam levavit se supra se.* Vere enim nulla est in hac peregrinatione scala aptior ad attingendum aliquo modo tabernaculum admirabile, et ipsam domum ubi videtur Deus, quam anima nostra, quae est imago Dei: ipsa enim est sublimior coelo, et profundior abysso; et quia animam suam contemplari novit, ac deinde eam transcendere, et per eam ad exemplar ascendere didicit, is pertransibit ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Ac ut breviter hunc ascensum attingamus: Anima spiritus est, ac per hoc longe transcendit omnia corpora: sic igitur et Deus spiritus est, et spirituum, corporumque creator, proinde longe transcendit, non solum corpora, sed etiam spiritus. Deinde Anima simplex, et invisibilis cum sit; tamen in toto corpore est, et in singulis partibus tota, omnia membra replens, et nullum occupans locum: sic igitur et Deus unus, et simplicissimus, atque indivisus est; et tamen mundum totum, et res creatas

omnes replet, ubique totus, ubique praesens, nusquam inclusus. Tertio, anima non movetur in corpore, et totum corpus portat, movet, regit, vivificat, atque sensificat; quod in morte cognoscitur: anima enim recedente, corpus continuo cadit; et motum, sensum, speciem, et quicquid habebat boni, in momento amittit: quod autem est anima corpori, id est rerum universitati Deus, non quod proprie Deus sit anima mundi, ut Philosophi quidam sensisse videntur; sed quod similitudinem animae habere videatur: ipse enim immobilis in se manens, *portat omnia verbo virtutis suae*, Heb. 1. *et in eo vivimus, movemur, et sumus.* Actor. 17. Quarto, anima intelligens est et tota intellectus quidem est, eminenter continens cognitiones omnium sensuum, et multa praeterea cognoscit, ad quae sensus corporis nullus attingit: sic Deus totus intellectus est, eminenter continens cognitiones omnium hominum, et angelorum, et infinita praeterea, quae intelligentiam nostram superant. Quinto anima non solum theorice multa intelligit, sed etiam practice, atque inde existunt opera ingenii humani plane admirabilia in variis artibus, in aedificiis, hortis, fontibus, aliisque id genus plurimis, ut saepe opera artis humanae cum operibus naturae contendere videantur: sic etiam Deus non solum theorice, sed etiam practice intelligit, et sine instrumentis, sine labore, et sine spatio temporis, solo nutu, atque imperio voluntatis condidit universa. Sexto, anima liberum habet arbitrium, atque inde ad nutum movet corporis membra: sic Deus liberrime dominatur rebus omnibus creatis; unde David ait psal. 118. *Omnia serviunt tibi.* Neque solum anima imago Dei est, quoad essentiam, sed etiam (quamvis obscurius) quoad personarum Trinitatem: nam in anima est mens intelligens, quasi Pater; est notitia producta, quasi Verbum patris; est et amor a mente per notitiam productus, quasi Spiritus. Est etiam in anima foecunditas memoriae, est intellectus, et voluntas, quae tres divinas personas ut cumque repraesentant. Anima igitur supra seipsam effunditur, seque ipsam transcendit contemplando, ut transire possit ad tabernaculum admirabile; ideo subjungit Propheta, *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Per locum tabernaculi admirabilis intelligimus coelestem Jerusalem, quae est tabernaculum non manufactum aeternum in coelo, ubi est domus Dei, de qua dixit in ps. 26. *unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* S. Hieronymus ex hebraeo vertit, tacebo, pro eo quod nos habemus admirabilis. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, אדרם *edaddem*, ut nunc habetur in codicibus hebraicis, quod significat *tacebo*, sed legerunt אדרת *addereth* quod significat, *admirabilis*, et differentia solum est in duabus literis similibus, ut ex figura characterum intelligi potest. Facile autem fuit librariis mutare duas literas in alias similes, et credendum est septuaginta Interpretes habuisse codices hebraicos meliores, quam nos habeamus. Alioqui non potuissent vertere *admirabilis*, pro silebo, nisi imperitissimi fuissent.

5. *In voce exultationis, et confessionis, sonus epulantis.*

Declarat Propheta, in illa sua ecstasi, qua effudit supra se animam suam, et contemplando pertransivit ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, non pertransivisse tacitum, sed exultabundum, et laudabundum ex admiratione. *In voce*, inquit, *exultationis et confessionis*, adde, pertransibo in locum tabernaculi admirabilis, idest, pertransibo admirans gloriam tabernaculi illius, et ex admiratione prorumpam in vocem exultationis, et confessionis, laudis videlicet Conditoris illius tabernaculi, quae vox erit sonus epulantis, idest, vox laeta et festiva, quales audiuntur in solemnibus, et festivis, ac nuptialibus epulis. Neque enim potest animus contemplantis erigi ad considerandam gloriam coelestis Jerusalem, sine admiratione, et exultatione maxima. Quod attinet ad verba, illud, *sonus*, in graeco est casus genitivi, et s. Augustinus legit, soni, ex quo fieri potest, ut noster Interpres posuerit, sonus, pro sonitus, genitivi casus; sed potest etiam fieri, ut significare voluerit, vocem exultationis et confessionis fuisse sonum epulantis. In hebraeo, pro sono, habetur, המין *hamon*, quod s. Hieronymus vertit multitudinis; sed vox illa hebraica utrumque significat, *sonitum, et multitudinem.* Illud autem, *epulantis*, tam in hebraeo textu, חוגג *chogheg*, quam in graeco ἑορτοίζοντος est, *festa celebrantis*, et sic etiam legunt August. et Euthymius. Sed videtur latinus Interpres declarare voluisse quale festum illud esset, et dixisse *epulantis*, idest, festum convivii solemnis, quale est nuptiale, in quo multa adhibentur instrumenta musica et cantica amatoria: et habetur vox *epulantis* in commentario s. Hieronymi in hunc locum, ne quis existimet recens irrepsisse in editionem vulgatam.

6. *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me.*
7. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.*

Ex illa mentis elavatione, et gaudio spirituali consolatur lachrymas suas: dicens, *quare tristis es anima mea?* idest, quare lachrymae tuae sunt tibi panes die ac nocte, *dum dicitur tibi, ubi est Deus tuus?* quare tam incessabili fletu conturbas me? *Spera in Deo*, idest, quamvis Deum non videas, quem tu ardenter videre cupis, tamen spera in eo; *quoniam adhuc confitebor illi*, idest, quia nondum tempus praeteriit; adhuc erit, quando praesens laudabo Deum, et confitebor misericordias ejus, et dicam illi, *salutare vultus mei, et Deus meus*, idest, tu salus et vultus mei, dum illuminas fulgore tuo vultum meum, et facies, ut videat facies mea faciem tuam, et cognoscam sicut et cognitus sum, et ex clara notitia dicam, *Tu es Deus meus.* In hebraeo habetur, ut etiam s. Hieronymus vertit, *salutes vultus ejus, Deus meus ad me ipsum*, etc. sed manifeste corruptus est hoc loco te-

xtus hebraicus, et una litera, videlicet vau, non suo loco posita totam hanc confusionem peperit. Id quod ex repetitione horum verborum, quae habentur in fine hujus psalmi in fine psalmi sequentis perspicuum est. Itaque non est legendum, פָּנַי אֱלֹהַי *panau elohai*, ut hic legitur, sed, פָּנַי וֵאלֹהַי *panai vehelohai*, ut legitur in repetione: et vera lectio hebraica ad verbum haec est, *salutes vultus mei, et Deus meus.* Dicit autem *salutes* in numero multitudinis, non *salus*, vel *salutare*; quia licet una sit salus nostra, tamen ea multa bona continet, quae etiam salutes dici possunt.

8. *Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermonijm a monte modico.*

Exponit vicissitudines tristitiae, et consolationis suae; tristitiae ex metu, et periculis hujus vitae; consolationis ex spe, et promissione futurae. Dicit igitur, *Ad me ipsum anima mea conturbata est*, idest, quamvis dixerim animae meae *spera in Deo*, tamen anima mea ad me ipsum respiciens, ad infirmitatem meam, ad modicum lumen, et modicas vires, quae in me sunt, timore magno concutitur, et eo terrore conturbat me: *propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermonijm a monte modico*, idest, propterea, ut huic terrori, et conturbationi medicinam faciam, removebo oculos a me ipso, et ad te convertam; et ab hoc Jordane, quem video in hac terra, memor ero tui, idest, memor ero fluminis, quod laetificat civitatem tuam, et torrentis voluptatis tuae, quo potantur, qui apud te sunt: et ab hoc monte modico, qui dicitur Hermonijm quem ante oculos habeo, *memor ero montis sancti tui*, in quo habitas cum sanctis Angelis tuis, et ex hac memoria consolabor animam meam, et desiderium meum. Quis proprie sit mons Hermonijm, et an diversus sit a monte Hermon, non omnino liquet: tamen verisimile est, esse montes diversos, et in diversis locis sitos. Nam et s. Hieronym. in vita s. Paulae distinguit hos duos montes, et constat montem Hermon esse montem amplissimum, et Hermonijm, hoc loco dicitur esse modicus. Fortasse igitur Hermonijm erat mons aliquis in Galilaea non longe a Jordane, cum David haec duo conjungat.

9. *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.*

10. *Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt*

Pergit narrare tentationes, et afflictiones hujus vitae, et utitur metaphora inundationis aquarum, alludens ad magnum diluvium, quod fuit tempore Noe. *Abyssus*, inquit, *abyssum invocat*, idest, maxima aquarum inundatio, et profunditas super me venit, et alia transeunte illa supervenit, quasi a priore vocata; venerunt autem istae magnae inundationes in voce cataractarum tuarum, idest, in strepitu, et sonitu apertionis cataractarum coelestium, unde aquarum inundatio descendebat. *Et omnia excelsa tua*, idest, omnes gurgites altissimi, *et* omnes *fluctus tui super me transierunt*, idest, omnis illa inundatio, et universum diluvium super me venit. Alludit, ut dixi, ad diluvium generale, *in quo cataractae coeli apertae sunt*, idest, tam ingens pluvia descendit, ac si cataractae aliquae in coelo apertae fuissent, et inde tota illa aqua magno cum impetu descendisset; et ex ea inundatione facta est abyssus, idest, maxima aquarum multitudo, et profunditas. Sed haec metaphora nihil aliud significat, nisi ingentes tentationes et pericula, quibus divina providentia sinit exerceri electos suos. Horum autem periculorum magnitudinem soli spirituales viri, qualis erat David, intelligunt, qui norunt multiformes insidias diaboli, et sciunt quanti referat excidere a gratia Dei: atque haec videtur esse litteralis expositio, quamvis repudiandae non sint piae nonnullorum expositiones, qui volunt, *abyssus abyssum invocat*, significare, abyssus miseriae invocat abyssum misericordiae divinae. Item, abyssus humanae malitiae invocat abyssum divinae justitiae. Item, abyssus secretorum testamenti veteris, invocat abyssum arcanorum testamenti novi. Item, abyssus cordis humani, quod inscrutabile est, invocat abyssum scientiae Dei, qui scrutatur renes et corda. Illud solum addendum est, per vocem invocat, non significari, implorat, sed, vocat, ut ex hebraea voce colligitur: est enim sensus, *abyssus abyssum vocat.*

11. *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.*

Redit ad vicissitudinem consolationis, post narratam, et miro modo amplificatam magnitudinem tentationis. *In die*, inquit, *mandavit Dominus misericordiam suam*, idest, posteaquam transierunt inundationes aquarum, et horrendae illae abyssi, in die prosperitatis *mandavit*, idest, *misit Dominus misericordiam*, consolantem, et visitantem. *Et nocte canticum ejus*, idest, sed tempore nocturno, tempore, videlicet, tentationis, et tribulationis, non cessabit canticum ejus, idest, oratio, et gratiarum actio illi oblata. Id quod clarius explicatur in sequenti versiculo.

12. *Apud me oratio Deo vitae meae, dicam Deo, susceptor meus es.*

Hoc videlicet est canticum nocturnum, oratio secreta, et cordis potius quam oris. *Apud me*, inquit, *oratio Deo vitae meae*, idest, in sinu meo est jugis oratio ad Deum, auctorem vitae meae; cui cum fide, et fiducia dicam, *susceptor meus es*, id est, in te confido, ad te confugio, tu me labentem suscipies, tu lapsum eriges.

13. *Quare oblitus es mei, et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?*

Miratur vicissitudines divinae providentiae in servis suis gubernandis, quasi dicat. Cum tu Deus vere susceptor meus sis, *quare oblitus es mei?*

idest, unde hoc accidit, ut tentationes, et tribulationes ita me obruant, ut me dereliquisse videaris, cum tu spes mea sis, et fortitudo mea? Unde, inquam, accidit, *ut contristatus incedam, dum affligit me inimicus*, cum tu sis protector meus, et adjutor meus?

14. *Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.*
15. *Dum dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, et quare conturbas me.*
16. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.*

Non solum, inquit, affligit me inimicus, te vidente, et spectante, qui susceptor meus es, sed etiam *dum confringuntur ossa mea*, idest, dum ad summam debilitatem, et infirmitatem devenio, ut tentationes vix jam ferre possim. *Exprobraverunt mihi inimici mei, qui tribulant me*, dum assidue mihi dicunt, *ubi est Deus tuus?* idest, illi ipsi, qui me persequuntur, et tribulant, exprobraverunt mihi fiduciam, quam in te habeo, quasi frustra in te speraverim: dicunt enim, *ubi est Deus tuus*; quem tu adjutorem, et protectorem tuum esse jactabas? sic legimus exprobratum Tobiae, *ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas?* et infra, *Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynae tuae modo apparuerunt*, Tob. 2. Sic etiam Christo exprobratum legimus Matth. 27. *Confidit in Deo, liberet eum si vult.* Sic igitur et Davidi in tribulatione posito exprobrabant increduli hostes ejus; sed is tamen quamvis ad horam turbatus, et contristatus se ipse reprehendebat, et dicebat, *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus*; quae sunt explicata in expositione versiculi 6. et 7.

PSALMUS XLII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David.

Hunc psalmum, qui sine titulo est apud hebraeos, et apud graecos, et latinos nihil habet in titulo, nisi psalmus David, et est quasi appendix, vel potius epitome psalmi superioris, brevissime declarabimus. Precatur igitur David a Deo liberationem ab inimicis, et simul consolatur se spe futurae beatitudinis.

EXPLICATIO PSALMI XLII.

1. *Judica me Deus, et discerne causam meam, de gente non sancta ab homine iniquo, et doloso erue me.*

Videtur David oppressus fuisse, vel a rege Saule, vel tentatus graviter a doemonibus, a quibus cum non posset refugium habere ad homines, Deum Judicem appellat: ait igitur, *Judica me Deus*, idest, tu Deus esto Judex meus; non enim habeo ad quem pro justitia confugiam, nisi ad te. In graeco habetur clarius κρινόν μοι. *Judica mihi*, idest, sis mihi Judex. *Et discerne causam meam de gente non sancta*, idest, dijudica causam, quae mihi intenditur a gente non sancta. In hebraeo et graeco est pulchra allusio nominis ad verbum; hebraice enim habetur, ריבה ריבי *riva rivi*, graece autem δίκασον τὴν δίκην, quo modo si nos diceremus, *litiga litem meam*, vel, *judica judicium meum*: et quia verba sunt generalia, duplex sensus esse potest in his verbis: unus ut petat a Deo, ut non solum sit Judex, sed etiam patronus; quasi dicat, *Judica me*, et *litiga litem meam*: alter, ut declaret quod dixit, *Judica me*, per verba sequentia, *discerne causam meam*, idest, cognosce causam, et judica judicium meum, proferens justam sententiam ad meum favorem. Vocat autem *gentem non sanctam*, homines iniquos, crudeles, et sine misericordia, ut vox hebraica, לא חסיד *lo chasid*; manifestat, quae proprie significat hominem sine misericordia, et patet etiam ex sequentibus, *Ab homine iniquo, et doloso erue me*, idest, sic judica causam meam, ut per hoc judicium liberes me ab homine iniquo, et doloso, idest, a quovis homine iniquo, et doloso, vel certe ab

aliquo certo homine iniquo et doloso, qui erat princeps gentis non sanctae, a quo ipse affligebatur.

2. *Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.*

Hic versiculus est fere idem cum versiculo duodecimo psalmi superioris, et eumdem habet sensum, idest, cum tu Deus *sis fortitudo mea*, et ego in tuo adjutorio unice confidam, unde fit, ut me repulisse videaris, et ego tamquam a gratia repulsus tristis incedam, *dum affligit me inimicus*? Itaque est haec quaedam familiaris, et ex fiducia in Deum procedens expostulatio, qua queritur se ita a Deo affligi permissum, quasi Deus repulisset eum ab amicitia sua.

3. *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.*

Ex hoc versiculo intelligimus, Davidem spiritualem virum fuisse, ut dictum est in psalmo superiore, et sollicitum fuisse de liberatione, non tam a malis temporalibus, quam a periculis peccatorum, et amissionis aeternae vitae. Ait enim, *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam*, idest, concede mihi lucem gratiae, et misericordiae tuae, et veritatem, ac fidelitatem tuam: *ipsa* enim *me deducent* in hac periculosa peregrinatione, et *adducent in montem sanctum tuum*, ubi coelestis est Jerusalem, *et in tabernacula tua*, idest, in ipsam domum tuam, ubi sunt multae mansiones, et multa tabernacula, pro electis tuis. Per lucem, et veritatem s. Augustinus intelligit Christum, qui est lux, et veritas. Sed videtur obstare illud pronomen. *ipsa*, cum dicitur, *ipsa me deduxerunt*. Quod habetur expresse in textu hebraico, המה *hemmah*, et graeco in numero multitudinis. Praeterea similis est haec loquutio ei quae habetur in psal. 56. *Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam*, et familiare est Davidi per lucem intelligere gratiam sive misericordiam, ut psal. 66. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri*. Illa vero. *ipsa me deduxerunt, et adduxerunt*, in hebraico codice habentur in futuro, *ipsa me deducent et adducent*; et quamvis septuaginta Interpretes, et vulgata editio habeant in praeterito, tamen videtur esse positum tempus pro tempore, ut Euthymius annotavit. Saepe enim scriptura prophetica, quae futura sunt, explicat per tempus praeteritum ad certitudinem rerum indicandam.

4. *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam.*

Explicat quid facturus sit in monte sancto et in tabernaculo Dei, nimirum se facturum, quod caeteri faciunt, qui in domo Dei habitant, quorum munus est sacrificare sacrificium laudis: *Beati*, inquit idem David, psal. 83. *qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te. Introibo*, inquit, *ad altare Dei*, sacrificaturus videlicet sacrificium laudis: omnes enim, qui domum illam ingrediuntur, continuo sacerdotes fiunt, ut ex illis eorum verbis intelligi potest, *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes*. Apoc. 5. Nec solum ad altare introibo, inquit, sed etiam introibo *ad ipsum Deum*, idest, coram ipso Deo apparebo, quasi ad intimum ejus cubiculum introductus, *ad Deum*, inquam, *qui laetificat juventutem meam*, id est, qui laetificat novam meam juventutem. Nam in patria *renovabitur sicut aquilae juventus nostra*, ut dicitur in psal. 102. et ut Apostolus ait ad Ephes. 4. *Occuremus omnes in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. S. Hieron. vocem, גיל *ghili*, vertit, *exultationem*, pro qua septuaginta verterunt *juventutem*. Sed vocabulum hoc rarissime invenitur in Scripturis: et sicut ex auctoritate sancti Hieronymi credere possumus significare *exultationem*, ita auctoritate septuaginta Interpretum credere possumus significare *juventutem*. Quod autem habetur Danielis 1. גילכם *ghilechem*, non significat, ut quidam scripserunt, *juventutem*, sed similitudinem aetatis. Sanctus enim Hieronymus pro illa voce posuit, *coaevis vestris*. et ex ejus auctoritate sanctus Pagninus in dictionario suo docuit, גיל *ghil*. significare similitudinem. Nemo igitur reprehendere potest septuaginta Interpretes vel editionem vulgatam.

5. *Confitebor tibi in cythara Deus Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?*

6. *Spero in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.*

Explicat clarius, quod sacrificium oblaturus sit ad altare Dei, cum venerit in tabernaculum non manufactum, aeternum in coelis. *Confitebor*, inquit, *tibi in cythara*, idest, laudabo te confitendo misericordias tuas, justitias tuas, omnia denique mirabilia tua, et laudabo non solum ore, sed etiam opere, tunc enim optime, et sine ulla discordia, vel repugnantia concordabunt cantus, et *cythara*, idest, voces et opera quae duo in hac peregrinatione raro perfecte concordant. Porro cytharae meminit etiam Apocalypsis, cum describit laudes sanctorum in coelo. Apocal. 5. *Habentes singuli citharas in manibus*: et cap. 14. *Et vocem, quam audivi, sicut citharaedorum citharizantium in citharis suis*. Quae sequuntur, explicata sunt in fine psalmi superioris.

PSALMUS XLIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem filiis Core ad intellectum.

Titulus hujus psalmi nihil differt a titulo psalmi quadragesimi, nisi quod in eo vox, *intellectus*, praeponebatur, hic postponitur. Ibi erat intellectus filiis Core, hic est, filius Core intellectus, ut est in hebraeo, vel ad intellectum, משכיל *maschil*, ut est in graeco, εσσυνέσιν, et latino. Et fortasse nullum est in hac transpositione mysterium. Fortasse etiam vox, *intellectus*, praeposita significabat in eo psalmo deplorari calamitates praeteritas vel praesentes: in hoc autem postponitur, quia deplorantur calamitates futurae longe post tempora Davidis: conveniunt enim s. Patres hunc psalmum continere praedictionem rerum, quae post tempora Davidis contigerunt, et graeci quidem, ut Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius docent, psalmum hunc cantari in persona Machabaeorum, qui gravissimas calamitates ab Antiocho, aliisque regibus Syriae, vel Aegypti passi sunt. Latini vero ut Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus, volunt in hoc psalmo exprimi voces ss. Martyrum, qui crudelissimas persecutiones a Romanis imperatoribus pertulerunt. Sed conciliari possunt hae Patrum sententiae, si dicamus psalmum praesentem ad utrosque pertinere, ad Machabaeos et ad Christianos: similes enim persecutiones utrique passi sunt, et propter causam eamdem, propter confessionem videlicet, et legem ejusdem veri Dei. Sicut enim psalmus non solum pertinet ad martyres, qui tempore Neronis passi sunt, sed etiam ad eos qui tempore Diocletiani, qui plus ducentis annis fuit Nerone posterior; sic etiam pertinere potest ad martyres, qui sub Antiocho Epiphane decertarunt, qui ducentis circiter annis Neronem praecessit.

EXPLICATIO PSALMI XLIII.

1. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annunciaverunt nobis.*
2. *Opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.*

Incipit populus Dei in persequutione positus, et pro afflictione gemens commemorare magnalia, quae Deus pro fidelium suorum defensione aliquando fecit; et mirari, cur nunc eosdem fideles suos dereliquisse videatur: ut hac commemoratione, et admiratione Deum ad misericordiam flectat. Sed ideo praemisit in titulo David hic intellectu opus esse, quoniam Deus non mutatur, sed medicinam pro tempore mutat, prout populo suo aegrotanti convenire judicat. *Deus*, inquit Propheta in persona ecclesiae, vel martyrum utriusque testamenti, *auribus nostris audivimus*. Dicit autem *auribus nostris*, cum satis fuisse videretur dicere, audivimus, vel *auribus audivimus*, ad majorem certitudinis expressionem: quo modo s. Joannes scribit initio primae epistolae, *quod vidimus oculis nostris, et manus nostrae contrectaverunt*: videbatur satis fuisse dicere, *quod vidimus, et contrectavimus*; sed magnam habet vim ad significandam certitudinem exploratam, illud, *oculis nostris, manibus nostris*. Ita igitur hoc loco dicunt, *auribus nostris audivimus*, idest, nos ipsi audivimus. Addunt continuo, unde audierint; ac dicunt, *patres nostri annunciaverunt nobis*, idest, non accepimus incerto rumore ab hominibus ignotis; sed ipsi patres nostri, viri fide dignissimi, qui nos filios suos numquam decepissent, ipsi, inquam, *annunciaverunt nobis*. Quid autem audierint a patribus, explicant cum addunt, *Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis*, idest, annunciantibus patribus audivimus mirabile opus; quod fecisti in diebus eorum, ipsis videlicet videntibus; et etiam *opus, quod fecisti in diebus antiquis*, quod patribus suis narrantibus ipsi patres nostri audierunt. Non multum refert, quod in hebraeo non habetur, *et*, unde aliqui exponunt, in diebus eorum, qui sunt dies antiqui.

3. *Manus tua gentes disperdidit et plantasti eos, afflixisti populos, et expulisti eos.*

Explicat in particulari unum ex operibus mirabilibus, quod Deus fecit pro fidelibus suis in diebus patrum, ac dicit, *Manus tua gentes disperdidit*, idest, potentia tua disperdidit ex terra promissionis gentes Chananaeorum, et Jebusaeorum, quae in illa habitabant, *et plantasti eos*, idest, et gentibus illis ejectis, plantasti patres nostros in

illa ipsa terra. *Afflixisti populos, et expulisti eos*, idest, disperdidit illos manus tua, qui afflixisti gravissimis praeliis populos illarum gentium, et tandem devictos expulisti, ut locum darent populo tuo. Ex hoc loco intelligimus, quod supra dictum est, *Patres nostri annunciaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum*, non esse accipiendum de narratione immediata, sed mediata, idest, mediante successione filiorum; quod enim hoc loco narratur, factum est tempore Mosis, et Josue: non potuit autem Moses vel Josue id narrare per se Machabaeis, aut Apostolis, sed neque Davidi, qui psalmum scripsit, sed narraverunt per successores suos. Illud autem, *Plantasti eos*, continet insignem metaphoram: significat enim ita constitutos, et stabilitos fuisse in terra promissionis hebraeos, ut nonnisi difficulter expelli possent; quomodo ponuntur arbores in terra, quando plantantur, et firmiter radicantur, ut non facile avelli possint. Praeterea quae plantantur non solum firma consistunt, sed etiam crescunt, et multiplicantur: quam metaphoram explicat clarius psalmus 79. *Plantasti radices ejus, et implevit terram: operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.*

4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos.*

5. *Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.*

Probat quod dixit, *Manus tua disperdidit eos*, etc. Nam inquit, *non in gladio suo possederunt terram*; idest, patres nostri tempore Mosis et Josue pugnaverunt quidem cum Chananaeis: sed nisi adjutor, et protector eorum tu fuisses, neque terram possedissent, neque evadere potuissent de manibus hostium suorum: ipsi enim pauciores erant, minus in bello exercitati, et pugnaturi erant adversus urbes munitissimas. Non igitur in gladio suo, idest, virtute armorum suorum possederunt terram promissionis, *Neque brachium eorum salvavit eos*, idest, neque robur eorum tantum erat, ut in praelio captivitatem, vel mortem evadere possent, *sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui*, dedit eis terram possidendam, et salvavit eos a morte; vel captivitate, quando cum Chananaeis pugnabant: et hoc ideo, *quia complacuisti in eis*, idest, non propter eorum virtutes, aut merita, sed quia tibi placuit eligere eos in populum tuum. Illud, *illuminatio vultus tui*, significat proprie benignum aspectum, sive gratiam, et favorem, ut diximus in psalmo superiori versu tertio. Dicitur enim Deus *illuminare vultum suum super aliquem*, quando illum sereno vultu respicere dignatur, id est, cum ejus miseretur, eique gratiam suam impertit. Esse autem verissima, quae hoc loco dicuntur perspicuum est ex libro Josue cap. 6. ubi legimus muros urbis Hierico ad solum clamorem filiorum Israel fundítus corruisse, et ex cap. 10. ubi legimus, pugnante Josue, Deum immisisse de coelo lapides grandinis super hostes, et ait Scriptura, *Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.*

6. *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.*

Exponit non admirationem suam populus Dei, dicens: *Tu es ipse rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob*, idest, tu ipse, qui patres nostros adjuvabas, et protegebas, quia rex, et Deus eorum eras, tu inquam, *ipse es etiam rex meus et Deus meus*, et ille idem, *qui mandas salutes Jacob*, idest, qui consuevisti salvare populum tuum qui a parente suo nominatur Jacob. Hoc loco nonnulli volunt supervacaneum esse illud, et, cum dicitur, *et Deus meus*, et exponunt, *tu es Rex meus et Deus meus*. Ratio eorum est, quia illud, *et*, non habetur in textu hebraico. At septuaginta Interpretes habent, *et*, et sic legunt, et exponunt omnes veteres graeci, et latini, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, et sensus est sublimior: nam significat scriptura, Deum non solum esse regem populi sui, sed etiam Deum, idest, Judicem totius mundi, aeternum et omnipotentem, qui possit non solum protegere populum suum, quem regit, sed etiam punire omnes adversarios ejus. Itaque retinendum est illud, *et*, et credendum vel excidisse ex hebraeo textu, vel Septuaginta seniores addidisse, illud, ut declararent vocem, *Deus*, non esse vocativi casus, sed nominativi, et aliquid amplius eo nomine significari, quam nomine regis. Est etiam hoc loco observandum, illud, *qui mandas salutes Jacob*, non significare, qui mittis salutes, sed qui praecipis, sive jubes: vox enim hebraica, et graeca hoc significant, et ex illis declaranda est ambiguitas vocis Latinae. Itaque sensus est, *qui mandas*, id est, qui jubes, et praecipis salvari populum tuum: idest, qui solo imperio, et natu potes, et soles salutem dare populo tuo: quasi dicat, *tu es rex meus*, sed non ut alii reges, qui bellando protegunt; sed es etiam Deus meus, qui solo verbo, solo imperio, solo nutu vales salvare Jacob.

7. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

Ostendit nunc, non solum Deum esse eumdem Deum, qui erat tempore patrum, sed etiam populum esse eumdem, et eamdem spem in Deo habere quam Patres habuerunt; hinc enim oritur admiratio, cur idem Deus cum eodem populo ita contrario modo se gerat, ut quem antea victorem nullo negotio faciebat, nunc vinci, et debellari sinat. *In te*, inquit, *inimicos nostros ventilabimus cornu*, idest, nos quoque, si adjutor et protector noster fueris, inimicos nostros vincemus in te, idest, in tuo auxilio confidentes. *Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, idest, et invocato nomine tuo non timebimus, nec magnificiemus impetum hostium insurgentium in nos. Illud, *ventilabimus cornu*, est metaphoricum, ducta similitu-

dine a tauris, qui cornibus projiciunt in ventum, et in auras quicquid illis objicitur. Nos, inquit, tua potentia freti, ea facilitate hostes nostros abigemus, et fundemus, qua solet ferocissimus taurus cornibus ventilare paleas.

8. *Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me.*

Pergit in demonstranda similitudine inter populum Dei praesentem et antiquum. Sicut enim antiquus populus non in gladio suo possidebat terram ita inquit, *ego et populus tuus praesens non in arcu meo sperabo*, idest, non confidam in viribus et armis meis. *Et gladius meus non salvabit me*, id est, scio et confiteor, quod si salutem consequar, eam mihi non dabit gladius meus, sed auxilium tuum.

9. *Salvasti enim nos de affligentibus nos, et eos qui nos oderunt confudisti.*

Declarat, quod dixit, *gladius meus non salvabit me*, dicens, *salvasti enim nos de affligentibus nos*, idest, confiteor salutem meam non a viribus meis pendere, quoniam quotiescumque salvus factus sum a quacumque tribulatione, tu *salvasti nos ab affligentibus nos*, et tu es qui inimicos nostros, *qui nos oderant*, et perdere cupiebant, *confudisti*, efficiens protectione tua, ut conatus eorum frustraretur, et ipsi confusi ab oppugnatione nostra recederent.

10. *In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in saeculum.*

Concludit ex iis, quae dixit, populum Dei, quotiescumque liberabitur a tribulatione, id beneficium Deo acceptum relaturum, et gloriam omnem ipsi Deo daturum esse. *In Deo*, inquit, *laudabimur tota die*, idest, non in nobis sed in Deo gloriabimur omni tempore, quo de hostium manibus liberabimur: et in nomine Domini invocato, ipsi confitebimur laudem, et gloriam usque in aeternum. Quibus verbis confirmat quod demonstrare volebat; populum esse eumdem, qui antea fuerat, idest, confidentem in Dei auxilio, non in suis viribus ut populus antiquus; non in viribus suis, sed in adjutorio Domini confidebat. Illud, *laudabimur*, phrasis est hebraica significans gloriari, non proprie laudari. Similis est phrasis Italica quando dicimus, *Mi lodo del tale*, et habetur haec phrasis in aliis locis multis, ut in psal. 33. *In Domino laudabitur anima mea.* psal. 104. *Laudamini in nomine sancto ejus*, et alibi saepe. Illud autem, *Et in nomine tuo confitebimur*, clarius est in hebraeo, *et nomini tuo confitebimur.* S. Augustinus hos versiculos, a septimo usque ad decimum, vult continere prophetiam futurae victoriae Christi, et Christianorum, quando Ecclesia de omnibus hostibus triumphabit. Sed superior expositio, quae est Chrysostomi, videtur magis litteralis: non enim hic loquitur Propheta, sed populus Dei, qui miratur se a Deo non juvari, cum sit idem populus cum eo, quem Deus tam manifeste auxilio protegebat. Sequitur igitur.

11. *Nunc autem repulisti, et confudisti nos, et non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

Hic jam incipit admiratio, et conquestio miserabilis populi graviter afflicti ab inimicis. *Nunc autem*, idest, olim tanto favore nos prosequebaris, *nunc autem repulisti et confudisti nos*: nam tempore Antiochi opprobrium erat vocari Judaeum, et tempore tyrannorum infame erat Christianorum nomen, et videbantur fideles derelicti a Deo. *Et non egredieris Deus in virtutibus nostris* idest, si velimus hostibus repugnare, qui nos affligunt, tu non egredieris nobiscum, ut olim egrediebaris, ut pro populo tuo pugnares. Per virtutes intelliguntur exercitus, ut clare habetur in hebraeo, בצבאותינו *betzibothenu*: sunt enim exercitus armati, vires et robora populi; et virtus hoc loco non virtutem moralem, sed potentiam, et robur significat. Porro tempore persecutionum tam Antiochi, quam imperatorum gentilium tanta erat debilitas in populo Dei, ut non auderent ullo modo resistere; et ideo patiendo, et tolerando solum pugnabant. Sed quamvis ab hoste visibili fugarentur, et caederentur, tamen de hoste invisibili gloriosissime triumphabant: et quamvis in conspectu hominum derelicti viderentur a Deo, tamen in occulto maxima Dei gratia juvabantur. Sed hoc loco de eo tantum agitur, quod foris agebatur et relinquitur filiis Core intelligendum, quod agebatur in occulto.

12. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros et qui oderunt nos diripiebant sibi.*

Pergit in explicanda persecutione. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, idest, fecisti, ut qui primo loco eramus, jam in postremo essemus et tamquam victi, et captivi sequeremur inimicos nostros: et idem inimici nostri, *qui nos odio habebant*, pro arbitrio suo, et nos et nostra *diripiebant*, pro arbitrio suo, et nos et nostra *diripiebant* et *sibi*, idest, in usum suum convertebant. S. Hieron. ex hebraeo reddidit, *vertisti terga nostra hosti*: quem sensum verba hebraica facile admittunt, quae ad verbum sic sonant, *avertisti nos retrorsum ab inimicis nostris*, sed versio graeca, et latina, quae habet, *post inimicos nostros*, non facile sensum illum ferre possunt; qui enim terga vertunt, et fugiunt, non terga vertunt post inimicos, sed ante inimicos. Ideo sensum alium nos supra posuimus ex Chrysostomo, et Augustino: neque repugnat nostra expositio verbis hebraicis; nam pro eo quod haberi diximus, *ab inimicis nostris*, ut legit s. Augustinus, et secundum eam lectionem optime constat explicatio, quam attulimus: sive enim legas, *avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, sive legas, *avertisti nos retrorsum prae inimicis nostris*, semper significatur, nos redactos esse ad locum inferiorem, et posteriorem et in hostium potestatem misere devenisse.

13. *Dedisti nos tamquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.*

Mire describit martyria sanctorum. *Dedisti*, inquit, *nos tamquam oves escarum*, idest, permisisti nos tam facile trucidari, et in tanta multitudine, ac si essemus oves destinatae ad macellum, quae in magna copia, et sine ulla resistentia occiduntur. *Et in gentibus dispersisti nos*; idest, et eos ex nobis, quos occidere hostes noluerunt, permisisti dispergi inter gentes. Ubi notantur exilia in loca remotissima, ad quae frequenter sancti ablegabantur.

14. *Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum.*

Aliud supplicium describit, quo sancti martyres tamquam vilissima mancipia deputabantur ad secanda marmora, vel ad curandas bestias, vel ut in theatris laniarentur a feris, ut eo spectaculo oblectarentur spectantium oculi. *Vendidisti*, inquit, *populum tuum sine pretio*, id est, tradidisti populum tuum potestati inimicorum, et nil pretii accepisti. *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, idest, et cum hostes, quibus eos tradideras, vellent eos vendere in mancipia, et pro pecunia commutare, non fuit multitudo pecuniae in commutationibus eorum, idest, tamquam vilissima mancipia fere pro nihilo vendebantur, et ad opera abjectissima deputabantur. S. Augustinus legit, *non fuit multitudo in jubilationibus eorum*, et exponit, non remanserunt multi in Ecclesiis, qui Domino jubilarent in officiis divinis celebrandis; sed codices graeci variant, emendatiores autem habent, ut nos in vulgata legimus, quae lectio concordat cum textu hebraico, et sic etiam legunt, et exponunt Ambrosius, Hieronymus, et Chrysostomus.

15. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.*

Ad supplicia corporalia adjungit irrisiones, et opprobria. *Posuisti*, inquit, *nos opprobrium vicinis nostris*, idest, ex eo quod permissione tua devenimus in calamitates, quas paulo ante descripsimus, inde factum est, ut jam simus opprobrio vicinis nostris et subsannemur, ac irrideamur ab iisdem vicinis, qui sunt in circuitu nostro.

16. *Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.*

Per similitudinem, intelligitur proverbium, sive parabola, ut clarius dicitur in psalm. 68. *factus sum illis in parabolam.* Ait igitur, *posuisti nos in similitudinem gentibus*, idest, fecisti, ut gentiles de nostra calamitate parabolam, sive proverbium sibi facerent, et cum vellent inter loquendum exemplum proponere rei valde detestandae, nostram miseriam in medium adferrent. Posuisti etiam nos *commotionem capitis in populis*, idest, fecisti, ut populi gentium non solum irrisione verborum, sed etiam capitis agitatione nos detestarentur, vel irriderent.

17. *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me.*
18. *A voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici, et persequentis.*

Explicat effectum irrisionum, qui sine dubio ingens confusio, et verecundia erat. *Tota die*, inquit, *verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me*, idest, omni tempore hujus persecutionis verecundia mea in conspectu meo est, semper video confusionem meam, quae confusio faciei meae totum me quasi velo quodam operuit. Oritur autem haec tota confusio *a voce exprobrantis, et obloquentis*, idest, ab iis, qui mihi exprobrant stultitiam, quod Crucifixum colam; exprobrant impietatem, quod Deos non venerer; exprobrant falsa crimina, infanticidia, incestus, et similia, et de his inter se obloquuntur. Explicat autem qui sint isti exprobrantes, et obloquentes, cum addit, *a facie inimici et persequentis.* Sed videtur haec verecundia, et confusio non convenire sanctis martyribus cum scriptum sit, *Qui erubuerit me, hunc filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et patris*, Luc. 9. *Et qui me confessus fuerit, et filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria patris sui cum Angelis sanctis.* Marci 8. Caeterum Dominus non prohibet quamcumque verecundiam, et confusionem; sed eam, quae impedit confessionem. Illi enim reprehenduntur, qui ab hujusmodi verecundia superati, Christum confiteri non audebant, vel etiam ad negandum adigebantur. Istos autem, de quibus in hoc psalmo agitur, non fuisse a verecundia victos, docent verba sequentia.

19. *Haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo.*

Post explicata beneficia Dei erga patres antiquos, et destitutionem, ac derelictionem populi junioris; subjungit Propheta in persona ejusdem populi causam hujus desertionis non posse tribui peccatis suis: unde colligitur ratio admirationis, et querimoniae. Sic igitur loquitur: *Haec omnia venerunt super nos*, idest, has angustias, et tribulationes passi sumus; et tamen *non obliti sumus te*, idest, non dimisimus te, ut coleremus Deos alienos: solet enim Scriptura conjungere oblivionem Dei cum idololatria. psal. 105. *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum; obliti sunt Deum, qui salvavit eos*; et Deuter. 32, *Immolaverunt Daemonibus, et non Deo; Deum, qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* Et in hoc ipso psalmo: *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.*

Isti igitur affirmant, se non coluisse Deos alienos; ideo ajunt, *obliti non sumus te, et inique non egimus in testamento tuo*, idest, non solum non adhaesimus Diis alienis obliviscentes te Deum verum; sed neque iniquitatem fecimus contra pactum, quod pepigimus tecum in Sina, ut servaremus legem tuam: nam testamentum hoc loco, ut est clarius in hebraeo, ברית *berith*, pactum significat. Itaque protestantur, se Deum non reliquisse, neque in legem ejus peccasse.

20. *Et non recessit retro cor nostrum, et declinasti semitas nostras a via tua.*

Idem repetunt aliis verbis, ut magis innocentiam suam declarent. *Et non recessit retro cor nostrum*, idem est quod, *obliti non sumus te*, idest, cum tecum ambularemus ex corde adhaerentes tibi, non recessimus retro, neque te deseruimus. Illud autem, *et declinasti semitas nostras a via tua*, requirit repetitionem praecedentis negationis, ut sensus sit, *non recessit retro cor nostrum, et non declinasti semitas nostras a via tua*, idest, non permisisti, ut gressus nostri declinarent a via tua, idest, a lege tua, quod est idem cum illo, *et inique non egimus in testamento tuo*. S. Hieron. clarissime vertit ex hebraeo, *et non declinaverunt semitae nostrae a via tua*: quamvis enim in hebraeo non habetur negatio, et verbum declinasti sit in secunda persona singulari; tamen voluit s. Hieronymus sententiam reddere, non verba. Alii quoque Interpretes, ut notat s. Joannes Chrysostomus, addiderunt negationem. Septuaginta Interpretes, quos sequitur editio vulgata, non posuerunt in textu suo negationem, quia non invenerunt in originali, sed tamen ea subintelligenda est, ut in multis aliis locis. Quod si quis omnino velit affirmative exponere illud, *et declinasti semitas nostras a via tua*, poterit per viam Domini intelligere viam misericordiae, et gratiae: nam *universae viae Domini misericordia, et veritas*, psalm. 24. ait idem Propheta. Itaque sensus erit, declinasti semitas nostras a via misericordiae tuae, a favore, gratia, ab auxilio tuo in tribulationibus nostris; cum qua expositione satis conveniunt quae sequuntur.

21. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.*

Si sequamur posteriorem expositionem versiculi superioris, versiculus praesens declarabit quomodo declinaverit Deus semitas populi sui a via sua; quoniam videlicet *humiliavit eum in loco afflictionis*: si vero sequamur priorem expositionem, particula *quoniam*, vel redundabit, ut non semel in Scriptura sacra redundat, vel reddet causam sententiae sequentis, non praecedentis, hoc modo. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, ideo et cooperuit nos umbra mortis*. Porro humiliare aliquem in loco afflictionis, est dejicere illum in profundum miseriarum: ponitur enim, *in loco*, pro in locum. S. Hieronymus vertit ex hebraeo, in locum draconum. Et vere vox, תנים *tannim*, quae est in textu hebraico, dracones significat. Sed videntur Septuaginta sensum vertisse, non verbum. Loca enim draconum sunt loca cavernosa, deserta, horrentia, ac per hoc loca afflictionis: et quoniam loca afflictionis obscura sunt, et tenebricosa ut cavernae, putei, tetri carceres, ideo addidit *et cooperuit nos umbra mortis*, idest, operuerunt nos tenebrae, et ingens obscuritas. Quae omnia metaphorae sunt, quibus tribulationis, et persecutionis magnitudo significatur. Vocabulum, *umbra mortis*, frequentissimum est in scripturis utriusque Testamenti, et ut plurimum conjungitur cum vocabulo, *tenebrarum*. ut est videre Job 3. psalmo 87. et 106. Isaiae 9. Matth. 4. Luc. 1. et nihil aliud significat, nisi magnam obscuritatem. Dicitur autem obscuritas umbra mortis, quoniam in morte extinguitur vita, quae est quasi lumen quoddam, unde extincta vita solum tenebrae relinquuntur. S. Augustinus dicit, mortalitatem esse umbram mortis, idest, imaginem mortis; mortem autem veram esse damnationem cum diabolo, quae dicitur mors aeterna.

22. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.*
23. *Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.*

Probant, qui in hoc psalmo loquuntur, testimonio Dei, se revera non esse oblitos Domini, ut supra dixerunt. Dicunt enim: *Si obliti sumus nomen Dei nostri*, et, *si expandimus manus nostras ad Deum alienum* deprecandum, *nonne Deus requiret ista*? quasi dicant, certe requiret, et inveniet an ita sit. *Ipse enim novit abscondita cordis*. Sed profecto inveniet, nos oblitos non esse nomen ipsius.

24. *Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.*
25. *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem.*

Concludit populus Dei petens a Deo finem persecutionis. *Quoniam*, inquit, *propter te mortificamur tota die*, idest, quoniam propter confessionem nominis tui quotidie morti tradimur, multi quotidie occiderunt ex nobis, *aestimati sumus sicut oves occisionis*, idest, similes facti sumus ovibus destinatis ad mactationem, quae sine resistentia, vel misericordia jugulantur, *Exurge, quare obdormis domine*? idest, cum causa tua hic agatur, et servi tui tanta patiantur, cur tu siles, quasi dormiens non adverteres? *Exurge a somno*, idest, fac quod illi faciunt, qui surgunt a somno, et incipiunt videre, quod antea non videbant. *Exurge in auxilium nostrum, et ne repellas nos* ab adjutorio tuo *in finem*, idest, usque ad consummationem, finiatur tandem te opem ferente persecutio. Hunc locum adduxit Apostolus ad rom. 8. *Quis*, inquit, *nos separabit a charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut*

scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.

26. *Quare faciem tuam avertis, obliviscéris inopiae nostrae, et tribulationis nostrae?*

Pergit in eadem oratione, et utitur duabus aliis metaphoris: nam in versu superiore sumpsit similitudinem a somno, nunc sumit ab aversione faciei, et ab oblivione, quorum neutrum cadit in Deum. Dicitur tamen Deus avertere faciem, quando non juvat, quasi non videret miseriam nostram; et dicitur etiam oblivisci, quando non succurrit egentibus auxilio, et tribulatis, quasi esset oblitus eorum.

27. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.*

In eadem oratione persistens, et sciens, orationem humiliantis se gratissimam esse Deo, dicit, se humiliatum usque ad summum, ut magis humiliari non possit. Qui enim stans orat, potest humiliari flectendo genua; et qui genibus flexis orat, potest adhuc humiliari prosternendo se totum ad terram; sed qui humi prostratus orat, non habet quo descendat, ut magis humilietur. Porro humiliari potest homo corde, et corpore usque ad terram, corde si vere cogitet, et intelligat, et fateatur se pulverem esse, quo modo orabat Abraham cum diceret, *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*, Gen. 18. corpore autem si ad terram prostratus oret, quod de Christo Domino referunt Matthaeus cap. 26. et Marcus cap. 14. *Procidit*, inquiunt, *in faciem suam super terram, dicens*, etc. neque obstat quod Lucas cap. 22. dicat, *Positis genibus oravit*: nam positis genibus orare coepit, deinde procedit in terram. Utramque humilitatem prae se ferunt, qui in hoc psalmo dicunt, *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster*, idest, cognoscimus nos pulverem esse, et vere adhaesit in terra venter noster dum corpore prostrati oramus te. Possunt etiam haec omnia referri ad magnitudinem persequutionis, per quam redacti erant ad extremam, et summam ignominiam, et contemptum.

28. *Exurge Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum.*

Addunt ultimam, et efficacissimam rationem, cur Deus moveri debeat ad misericordiam erga populum suum, ne videlicet blasphemetur amplius nomen ipsius. *Exurge*, inquiunt, *adjuva nos* in hac tribulatione, *et redime*, idest, libera nos *propter nomen tuum*, idest, ut non blasphemetur, sed glorificetur nomen tuum: et sicut sine pretio vendidisti nos, ita sine pretio redime, non ob nostra merita, sed propter nomen tuum, propter misericordiam, et benignitatem tuam. Ad majorem intelligentiam hujus psalmi videntur expediendae quaestiunculae, quae lectori facile possent occurrere.

Prima quaestio est: Cur ii, qui in hoc psalmo loquuntur, querantur se sine culpa puniri; cum alii sancti persequutiones peccatis suis imputare soleant: nam Daniel cap. 9. loquens de captivitate Babylonica dicit, *Peccavimus, inique fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis, et judiciis tuis.* Et tres pueri sancti in fornacem ignis conjecti, et a Deo mirabiliter liberati confitentur hoc modo, Daniel. 3. *Judicia vera fecisti juxta omnia quae induxisti super nos, et super civitatem sanctam Jerusalem; peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te, deliquimus in omnibus.* Eadem est vox sanctorum Machabaeorum lib. 2. cap. 7. *Nos*, inquiunt, *propter nos ipsos haec patimus, peccantes in Deum nostrum.* Eadem dicit de persecutionibus Christianorum sanctus Cyprianus in serm. quinto, qui est de lapsis. Respondeo, negari non posse, quin ob peccata populi Deus persecutiones excitari permittit. Caeterum sancti Viri variis modis loquuntur: aliquando enim suscipiunt personam membrorum infirmorum (unum enim corpus sumus, alter alterius membra, et peccata fratrum suorum sibi tribuunt: quomodo saepe lingua confitetur quasi peccata sua, quae tamen a membris aliis patrata sunt: aliquando vero induunt personam perfectorum et sanctorum; qui re vera puniuntur in communi persecutione sine propria culpa. Sic igitur Scripturae allatae inter se non pugnant: nam Daniel, tres pueri et sancti Machabaei loquebantur in persona membrorum infirmorum, isti vero qui in hoc psalmo loquuntur, personam innocentium, et Sanctorum induerunt.

Secunda quaestio: Cur Deus innocentes puniri sinit, cum propter iniquos persequutionem excitari permittat? Respondeo, innocentes in persequutione, non proprie puniri, sed probari: vult enim Deus per atrocitatem persequutionis, quasi super ignem conflatorii, vel per ventilabrum areae purgare Ecclesiam suam, et efficere, ut appareant qui sint veri, qui ficti fideles; qui sint aurum, qui aurichalchum; qui frumentum, qui paleae. *Tribulatio*, inquit Apostolus Rom. 5. *probationem operatur*: et in lib. Sap. cap. 3. *Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se: tamquam aurum in fornace probavit illos.*

Tertia quaestio: Cur ergo Sancti quaeruntur de persequutione, et eam cito finiri precantur? Respondeo, quia tribulationem tolerare jubemur, non amare; et nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat: quamvis enim gaudeat se tolerare; tamen mavult non esse quod toleret; ut scripsit s. Augustinus in lib. 10. confess. cap. 28. Deinde, quia persecutio, atque tentatio periculosa est, cum sit incerta victoria, et sancti de se non praesumant.

Quarta quaestio: cur Deus, ut in hoc psalmo dicitur, aliquando populo suo tribuit temporalia bona et victoriam de inimicis; aliquando e contrario aufert eadem temporalia bona, et populum suum ab hostibus vinci, ac debellari sinit? Respondeo, ut omnes intelligant bona temporalia a Deo dari, non a doemonibus, vel a fato aut fortuna; ideo tri-

buit illa amicis suis, quando ita expedire judicat. Ut autem amici Dei non haereant temporalibus bonis, neque ament stabulum pro domo, et exilium pro patria ; saepe illis eripit ejusmodi bona, ut in explicatione psalmi quadragesimi ; versu tertio fusius explicavimus.

PSALMUS XLIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro iis, qui commutabantur filiis Core ad intellectum, Canticum pro dilecto.

Summa confessione docent omnes expositores latini, graeci et hebraei, psalmum hunc continere laudes Messiae et sponsae ejus Ecclesiae, ut sit quasi spirituale epithalamium ; et huic argumento titulus satis apte respondet : nam *per eos, qui commutabuntur*, intelligit Propheta fideles populos qui Ecclesiam faciunt : dicuntur autem commutandi, quia mutandi erant per justificationem in hoc saeculo, et per resurrectionem in alio ; qui enim adorabant idola, adoraturi erant Deum verum ; et qui miseram et mortalem ducebant vitam in terris, acturi erant foelicem et sempiternam in coelis. *Per dilectum*, intelligunt omnes Christum, de quo non semel Pater coelestis ait, Matth. 3. et 7. *Hic est Filius meus dilectus*, et quem nemo novit, qui non ardentissime diligat ; cum totus sit suavis et pulcher, quippe *speculum sine macula, et candor lucis aeternae*, ut legitur Sap. 7. Sensus igitur tituli hic erit, canticum datum filiis Core ad intelligenter et sapienter canendum usque in finem, cujus materia est, pro iis, qui commutabuntur, et pro dilecto, idest pro Ecclesia, ei pro Christo, pro Sponsa et Sponso. In hebraeo legitur, pro liliis, ubi nos habemus, pro iis, qui commutabuntur ; sed vox hebraica שׁשַׁנִּים *sciosciannim*, utrumque significare potest, videlicet lilia et quae commutabantur, ut s. Hieronymus fatetur in epistola ad Principiam virginem, in qua totum hunc psalmum diligenter explanat ; et satis commode, qui commutandi sunt lilia dici possunt : cum de Ecclesia, quae est multitudo commutandorum, dicat sponsus, in Canticis cap. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

EXPLICATIO PSALMI XLIV.

1. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.*
2. *Lingua mea calamus scribae, velociter scribentis.*

Hi duo versiculi continent praefationem totius psalmi, in qua praefatione Propheta docet, hunc psalmum esse meram Prophetiam a Spiritu sancto dictatam, nihilque hic esse ab ingenio suo elaboratum : quamvis enim omnis divina Scriptura sit verbum Dei et a Spiritu sancto inspirata : tamen multum interest inter prophetias, et historias, vel epistolas : nam in edendis Prophetiis sancti scriptores non laborabant cogitando et discurrendo, et ad memoriam aliquid revocando ; sed simpliciter loquebantur, vel scribebant quae Deus illis ostendebat, quod de Hieremia testatur Baruch, Hierem. 36. *quod* videlicet *ita loqueretur, ac si in libro aliquo legeret quod dicebat.* Sed cum sacri scriptores scribebant historias, vel epistolas, inspirabat quidem illis Deus scribendi voluntatem, eosque dirigebat, ut recte et sine errore ullo scriberent ; sic tamen ut etiam ipsi memoriam exercerent et ingenium, ut recordarentur res gestas, et cogitarent rationem et ordinem scribendi : quod de se testatur auctor libri secundi Machabaeorum cap. 2. David igitur cum in psalmis cantabat historias beneficiorum Dei vel calamitatum suarum, aut etiam totius populi, memoriam et ingenium exercebat, et non sine proprio labore psalmos componebat ; quamvis a Deo semper excitaretur, et dirigeretur : cum autem meras Prophetias caneret, vel scriberet, ut in hoc psalmo fecit, nihil suum agnoscebat, nisi simplex linguae, vel manus ministerium. Hoc igitur est quod in hac praefatione dicit, quod ipse idem clarius explicuit in 2. lib. reg. cap. 23. cum ait : *Spiritus Domini loquutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* Ait igitur, *eructavit cor meum verbum bonum*, idest mens mea ex plenitudine, et copia illustrationis divinae et coelestium revelationum protulit foras ad aures hominum psalmum hunc, qui continet verbum bonum, sermonem videlicet gratum, et salutarem omnibus. Sed ad majorem explicationem

notanda sunt aliqua. Primo, usum esse Prophetam vocabulo eructandi, ut ostenderet se non propria voluntate, et propria inventione in hoc psalmo loqui : ructus enim non emittitur voluntarie, et ex electione, sed velit, nolit homo, ex plenitudine stomachi erumpit. Secundo voluisse etiam Prophetam ostendere, se non omnia, quae Deo illustrante cognovit, in hoc psalmo expressisse; sed modicum quid ex illa plenitudine protulisse : ructus enim signum est repletionis, sed est exiguus flatus ab illa repletione foras erumpens. Multa enim Prophetae vident, quae non licet homini loqui. Unde et Isaias dicebat : *Secretum meum mihi.* Isaiae 24. Et qui revelationes a Deo percipiunt, id ut plurimum fateri solent, se non habere vocabula, quibus eas revelationes ita explicent, ut ipsi eas vident : et fortasse hac de causa Propheta dixit, verbum bonum eructasse cor suum, non verba bona in numero multitudinis. Tertio, verbum bonum vocari hunc psalmum, quia non continet prophetiam rerum malarum ut exitii civitatis, captivitatis, populi, et similium, quae passim a prophetis praedici solebant ; sed praedictionem rerum secundarum, et foelicium, quae magnam laetitiam, et voluptatem sint allaturae. Quarto, Deum in his verbis ita descripsisse emanationem hujus verbi ex corde Davidis, ut alluserit ad productionem Verbi aeterni, et voluerit nos quasi manu ducere ad intelligentiam generationis aeternae verbi divini: vere enim Pater aeternus non eguit auxilio conjugis ad filium producendum ; neque eum ex electione produxit ; neque plures filios genuit; sed ex plenitudine cordis, sive ex perfectissima intelligentia verbum mentis, et verbum unicum, idque summe bonum naturaliter produxit ut proprie dicere potuerit, *eructavit cor meum verbum bonum.* Sequitur, *Dico ego opera mea regi*: non desunt, qui ista verba sic exponant, *dico ego opera mea regi.* idest confiteor peccata mea Deo, vel dico carmina ista de rege ; vel consecro opus meum regi, vel alloquor in hoc psalmo regem ; quas expositiones, ut non reprehendo sic, existimo nostram explicationem melius connecti cum verbis praecedentibus et sequentibus : nostra enim opinione haec pars secunda primi versiculi, reddit rationem, cur David dixerit, *eructavit cor meum verbum bonum* ; est enim ac si diceret, ego simpliciter confiteor regi meo, qui est Deus, omnia opera mea ; et non mihi tribuo quod non est meum ; ideo non dixi, ego psalmum istum scripsi ; sed *eructavit cor meum verbum bonum.* idest, non electione mea prodiit, sed ex plenitudine illustrationis tuae. Quod clarissime explicatur in sequenti versiculo, cum dicitur, *lingua mea calamus scribae velociter scribentis.* idest, lingua mea protulit hunc psalmum, sed id fecit, non ut lingua mea, non ut membrum corporis mei, quod ad imperium voluntatis meae movetur; sed ut calamus Spiritus sancti tamquam scribae velociter scribentis. Dicit autem, linguam suam esse calamum scribae velociter scribentis, et non dicit, linguam suam esse linguam spiritus velociter loquentis, quia vult ostendere linguam suam in Prophetia edenda esse instrumentum separatum, ut revera est calamus; et non instrumentum conjunctum, ut sunt membra corporis; vel significare voluit Prophetiam hanc non habituram in ventum quae ore pronunciantur ; sed perpetuo mansuram, ut quae calamo exarantur. Illud autem, *velociter scribentis*, significat, Spiritum sanctum non egere tempore ad considerandum quid, et quomodo scribendum sit : illi enim tarde scribunt, qui inter scribendum cogitant quam sententiam, et quibus verbis scribere debeant.

3. *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum.*

Incipit Christum laudare, ac primum a pulchritudine, deinde ab eloquentia, tum a fortitudine et robore, tertio a virtutibus animi, postremo a divina et regia dignitate et potestate, quibus addit etiam exteriora, videlicet vestimentorum, et palatii nobilitatem. Incipit autem a pulchritudine, vel quia describit Sponsum, et in Sponso pulchritudo eloquentiae cedit, eloquentia robori, robur virtutibus, virtutes divinitati. Ait igitur, *speciosus forma prae filiis hominum.* Videtur abrupta sententia et obscura, cum non addiderit, quis sit iste speciosus; sed ut supra notavimus, ideo dictum est, *eructavit cor meum verbum bonum*, idest, ex plenitudine contemplationis aliquid foras emanavit, non omnia. Sensus igitur est, Nam mirum est, si tu Christe dicaris, nam *speciosus forma es prae filiis hominum* : dicit autem, *prae filiis hominum*, et non addit prae spiritibus angelicis, quoniam Deus verbum non angelus, sed homo factus est, ac si dicat, Tu dilecte homo es, sed speciosus forma supra homines. Et vere Christus supra homines formosus est: nam si respicias divinitatem, infinita pulchritudine praeditum videbis; si respicias spiritualem animae pulchritudinem, speciosus Christus est prae omnibus spiritibus creatis; si respicias splendorem corporis ejus glorificati, pulchrior sole est, et pulchritudinem ejus sol, et luna mirantur. Sequitur, *diffusa est gratia in labiis tuis*, quibus verbis laudat eumdem Christum a gratia sermonis, quae mirum in modum pulchritudinem ipsam commendat. Dicitur autem *diffusa gratia in labiis*, ut ostendatur permanens, et naturalis fuisse Christo gratia sermonis, non acquisita per studium, aut exercitationem. In Evangeliis legimus Luc. 4. *Mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius.* Et Joan. 7. *Numquam si loquutus est homo sicut hic homo.* Experti sunt sanctus Petrus, sanctus Andraeas, sanctus Jacobus, sanctus Joannes, sanctus Philippus, sed praecipue sanctus Matthaeus vim verborum ejus, et energiam in sermone ejus latentem, qui ad simplicem vocationem subito efficacissime tracti, et persuasi relictis omnibus sequuti sunt eum. Sed mirabilius est, quod voci ejus venti, et mare, et ipsae febres, ac denique mortui obediebant: quamquam nec admirabile videri debet, si verbum substantiale, et divinum, per carnem assumptam verba gratiae efficacissima et suavissima loqueretur. Sequitur, *propterea benedixit te Deus in aeternum.* Possunt haec dupli-

cem sensum facere, et utrumque rectum : potest enim accipi illud, *propterea*, pro *quia*, sive, *propterea quod*, ut sensus sit, *speciosus es prae filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis tuis*, propterea quod *benedixit te Deus in aeternum*, ut benedictio Dei aeterna sit causa tantae pulchritudinis, et tantae gratiae. Significatur autem per benedictionem hoc loco gratia unionis hypostaticae, quae in aeternum duratura est; inde enim tamquam ex fonte manaverunt omnia dona, quae in Christi humanitatem copiosissime fusa sunt. Sed potest etiam, ut Chrysostomus et alii exponunt, simpliciter accipi, *propterea*, pro particula significante effectum, ut sensus sit, quia *speciosus es prae filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum*; idest, quia amabilis, et gratiosus es prae omnibus, ideo te Deus prae omnibus dilexit, et benedixit in aeternum. Ex quibus verbis non debet colligi, Christum non fuisse amatum, et benedictum a Patre, antequam appareret ejus pulchritudo, et gratia sermonis; sed haec fuisse meritum, sive titulum novum amoris : quomodo dicit ipse Christus Joan. 10. *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Et Apostolus Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod, et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Videtur tamen prior expositio anteponenda.

4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.*

Transit a laude pulchritudinis et facundiae, ad laudem fortitudinis militaris, et poetico more non simpliciter narrat; sed per modum precantis sive invitantis dicit: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*: idest, Ejа dilecte Deo, qui non solum speciosissimus, et gratiosissimus, sed etiam potentissimus, et robustissimus es, accingere armis tuis, et veni, libera populum tuum. Quae sint autem arma ejus, explicat in sequenti versiculo, dicens :

5. *Specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna.*

Verba illa, *Specie tua, et pulchritudine tua*, conjungi possunt cum praecedentibus, ut sit sensus, *Accingere gladio tuo, potentissime*; *specie tua, et pulchritudine tua.* Possunt etiam conjungi cum sequentibus, ut sensus sit, *specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna*: sed utroque modo significatur, arma Christi esse speciem, et pulchritudinem ipsius. Quod ut intelligatur considerandum est, pulchritudinem veram, et summam, ut Augustinus loquitur, esse pulchritudinem spiritualem, quae numquam marcescit, et quae placet oculis, non hominum solum, sed etiam angelorum, et ipsius Dei, qui falli non possunt. Potest autem pulchritudo spiritualis cognosci ex pulchritudine corporali. Sicut enim corporum pulchritudo consistit in proportione membrorum, et suavitate coloris; ita pulchritudo spiritualis consistit in justitia, quae est proportio quaedam, et sapientia, quae splendet instar lucis, vel potius, ut Sapiens loquitur Sap. cap. 7. *Luci comparata invenitur prior.* Illa igitur est anima pulcherrima, quae habet in voluntate justitiam, in intellectu sapientiam. Haec autem duo, pulchram reddunt animam, ac per hoc amabilem Deo, et simul arma sunt potentissima, quibus Christus diabolum superavit; pugnavit enim cum Diabolo Christus, non sua omnipotentia, ut poterat, sed sapientia et justitia; sapientia vincens astutiam, et justitia vincens malitiam. Diabolus enim astutia sua primum hominem impulit, ut per inobedientiam Deum irritaret; et Deo quidem honorem, sibi autem, et toti humano generi vitam beatam detraheret; cum hac autem astutia, malitia, sive invidia conjuncta fuit: id enim fecit diabolus, quia torquebatur invidia, quod homo ad coelum aliquando ascensurus videretur unde ipse deciderat. Sed Christi sapientia vicit astutiam, quoniam per obedientiam suam in natura humana Deo exhibitam, reddidit honorem Deo multo majorem, quam per inobedientiam Adami amiserat, et simul per eamdem obedientiam exaltavit genus humanum ad gloriam multo sublimiorem, quam ea futura esset, ex qua exciderat. Christus praeterea charitate sua, quae est vera, et perfecta justitia, vicit invidiam, et malitiam diaboli; quoniam inimicos dilexit, et in ipsa cruce pro persecutoribus oravit, et pati, ac mori voluit, ut inimicos suos Deo reconciliaret, et ex inimicis amicos et fratres, et cohaeredes suos efficeret. Hoc est igitur quod nunc dicit. *Specie tua et pulchritudine tua*, idest, decore tuo, qui in specie sapientiae et pulchritudine justitiae consistit, quasi gladio, et arcu accinctus, et instructus intende, prospere procede, et regna, idest, dirige cursum tuum ad praelium contra diabolum, prosperare in praelio, et devicto, ac debellato Principe hujus mundi, acquire tibi Regnum, ut tu deinceps in cordibus hominum per fidem, et charitatem regnes. Per verbum, *intende*, s. Joannes Chrysostomus exponit, intende sagittas; quae expositio probabilis est, quia paulo post dicitur, sagittae tuae acutae. Illud est certum ex textu originali, per *intende*, non posse recte exponi attende, vel considera : sed solum, *intende sagittas*, aut intende seu dirige iter. Quod attinet ad verba, ex Hebr. s. Hier. sic reddit. *gloria tua et decore tuo: et decore tuo prospere ascende.* Sed septuaginta Interpretes aliter acceperunt, vel aliter legerunt easdem voces hebraicas, iisdem literis servatis. Ubi enim hebraei repetunt, decore tuo, quia legunt, והדרך *vahadarecha*, Septuaginta legerunt, והדרך *vahadrech*, quod significat, *et intende*, sive *dirige*, a voce, דרך *darach*. Et vocem, צלח *tselach*, quam s. Hieronymus accepit pro adverbio, et reddidit, *prospere*, septuaginta acceperunt pro verbo imperativi modi, et verterunt, *prospere procede*, sive *prosperare*. Et vere vox illa utroque modo accipi potest. Denique vocem, רכב *recab*, quam sanctus Hieronymus recte vertit, *ascende*, Septuaginta verterunt, *regna*, quia sensum potius respexerunt, quam verbum: nam per

ascensionem, regnum interpretati sunt. Potest etiam eadem vox hebraica, et magis adhuc proprie significare, *sede in curru*, vel *in equo*, quae ad regnum referri possunt. Nam cum reges inaugurabantur, equum regium, vel mulam regiam equitabant, ut colligitur ex primo capite libri tertii regum, et sedere in curru triumphali proprium est regum, qui hostes praelio vicerunt.

6. *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua.*

Explicat rationem, cur Christus merito regnare debeat; quia videlicet habet virtutes regias: ac si diceret, *prospere procede, et regna; propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam*, idest, quia non desunt tibi regiae virtutes. Hebraeus codex clarius explicat hunc locum ut possit esse vice commentarii: sic enim habet, צדק על דבר אמת ועכוה *hal debar emeth vehanvah tsedek, propter verbum veritatis, et mansuetudinem justitiae.* Ex quibus verbis docemur, duo esse necessaria regi, ut sit verax: sive fidelis in verbis suis; et justus in operibus suis: quod etiam de Deo summo rege dicitur in psal. 144. *fidelis Deus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Sed quia justitia judicis solet habere annexam asperitatem, quae est quasi naevus justitiae; ideo Christi justitiae, quae perfectissima est, adjungitur mansuetudo. Est enim Christus mansuete justus, idest, justissime judicat, sed sine morositate, sine asperitate, sine arrogantia; non absterret, sed conciliat sibi subditos. Sic igitur verba nostrae editionis explicanda sunt, *regna propter veritatem*, quam in verbis et promissis tuis semper observas: *et mansuetudinem, et justitiam*, idest, et propter mansuetudinem, quam justitiae semper admisces. *Et deducet te mirabiliter dextera tua*, idest, et cum his virtutibus regnans, mirabiles progressus regni tui videbis, neque egebis auxilio aliorum; sed ipsa dextera tua; virtus, et potentia tua per se sufficiet, ut mirabiliter te deducat, et progredi faciat in regno amplificando, donec ponas omnes inimicos tuos sub scabellum pedum tuorum. In hebraeo legitur paulo aliter quoad verba, sed sensus est idem. Sic enim s. Hieron. vertit, *Et docebit te terribilia dextera tua*, idest, dextera tua vincens, ac sternens hostes docebit te, idest, ostendet tibi, ac cernere te faciet terribiles eventus, strages videlicet inimicorum tuorum.

7. *Sagittae tuae acutae (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis.*

Explicat modum, quo dextera regis Christi deductura sit ipsum in amplificando imperio dicens, id fiet, quia *sagittae*, quas jaculaberis dextera tua, *acutissimae sunt;* et ideo penetrabunt *inimicorum tuorum corda, et populi* ipsi inimici sub te cadent, et tuae subjicientur potestati. Nomine sagittarum intelliguntur verba Dei, sive praedicatio verbi Dei: hoc enim est generale instrumentum, quo Christus utitur ad regnum suum propagandum; hinc enim ipse dicit in Psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus.* Dicitur autem verbum Dei et gladius et sagitta, et malleus, et similia, quia cum omnibus armis similitudinem habet. Dicitur autem sagitta acuta, quia magnam habet efficaciam penetrandi corda, et multo majorem, quam habet humana cujusvis magni oratoris eloquentia. *Vivus est enim*, ut Apostolus ait ad Hebr. 4. *sermo Dei, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Illud autem, *populi sub te cadent*, per parenthesim legendum est; et dicuntur populi sagittis vulnerati cadere sub isto rege, quia non vulnerantur, ut omnino extinguantur, sed ut moriantur peccato, et vivant justitiae, et eo modo subjecti regi Christo remaneant, eique serviant cui servire regnare est. Illud denique, *in corda inimicorum regis*, in hebraeo et graeco codice, et in multis latinis manuscriptis legitur, *in corde*, non *in corda*: sed parum refert, utrum legatur in corde, vel in corda: nam et verum est sagittas verbi Dei penetrare corda peccatorum, et verum est easdem sagittas semel in corde infixas ibidem haerere, et vulnus amoris alere, et conservare, et eo modo ex inimicis, et peccatoribus, amicos, et sanctos facere. In graecis codicibus legitur *sagittae tuae et acutae potentissime*: sed illud, potentissime, non habetur in hebraeo. Ex quo intelligimus auctorem latinae vulgatae editionis codicem graecum emendatiorem habuisse, quam sint ii, qui nunc circumferuntur, vel certe animadvertisse, illam vocem non esse a septuaginta Interpretibus in textu positam, sed aliunde irrepsisse.

8. *Sedes tua Deus in saeculum saeculi, virga directionis, virga regni tui.*

Venit tandem ad supremam dignitatem Messiae, et apertissime vocat eum Deum, et sedem regni ejus aeternam esse dicit, quem locum sanctus Paulus ad hebr. 1. adduxit ad probandum Christum tanto Angelis majorem, quanto major est Dominus servis, et Deus rebus creatis. Ait igitur, *sedes tua*, o Christe *Deus*, non temporalis erit, ut fuit Davidis, et Salomonis; sed manebit *in saeculum saeculi*, 1. reg. 1. Et *virga regni tui*, idest, sceptrum tuum, erit semper rectissimum, atque justissimum: phrasis enim hebraica est, virga directionis, pro virga rectissima, sicut etiam, *Deus scientiarum*, pro Deo scientissimo.

9. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.*

Hunc etiam locum dupliciter possumus intelligere, ut illum versiculi tertii, *propterea benedixit te Deus in aeternum.* Nam illud, *propterea*, potest significare effectum, ut sensus sit, quia *dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, obediendo usque ad mortem, et mortem crucis, *propterea Deus unxit te oleo laetitiae*, idest, glorificavit te, et *exaltavit ad dexteram suam, et dedit tibi no-*

men, quod est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum, ad Philip. 2. Quae glorificatio recte dicitur *unctio laetitiae*, quia per eam finem accepit omnis dolor. Recte etiam dicitur *prae consortibus tuis*, quoniam etiamsi Angeli quoque glorificati sint, et homines glorificandi sint; tamen nemo exaltatus, vel exaltandus est ad dexteram patris, et nemo accepit, vel accepturus est nomen super omne nomen, uno Christo excepto, qui est caput hominum, et Angelorum, et est simul Deus, et homo. Sed rursus illud *propterea*, significare potest causam, et positum esse pro, *quia*, sive propterea quod, ut sensus sit, *dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, propterea quod Deus unxit te oleo gratiae spiritualis prae consortibus tuis, quia videlicet unxit te gratia unctionis hypostaticae, et inde factum est, ut in te spiritus sine mensura effunderetur, caeteri autem omnes de plenitudine tua mensuram spiritus acceperunt; quam expositionem sequitur sanctus Augustinus, et videtur eam sequi s. Basilius, qui hunc locum exponens, dicit, Christo fuisse naturalem dilectionem justitiae, et aversionem ab iniquitate: quoniam illam habuit a nativitate, sive potius a conceptione, et a principio interno: caeteras autem virtutes exercitio, et labore acquirere. Observat autem sanctus Augustinus adversus hebraeos, et haereticos negantes Christi divinitatem, in illa repetitione, Deus, Deus tuus; priorem vocem esse casus vocativi, posteriorem nominativi, quomodo etiam hunc locum intelligendum esse docet s. Hieronymus in epist. ad Principiam. Itaque sensus est, unxit te, o Christe Deus, Deus Pater tuus oleo laetitiae; et affirmat idem Augustinus id clarissime apparere in textu graeco, proinde existimandum est in textibus graecis, quos nunc habemus, incuria librariorum, mutatum esse omega in omicron. Cum autem dicitur, Deus Deum unxisse, non intelligimus Deum ratione divinitatis unctum, sed ratione humanitatis: unxit enim Deus Pater Deum Filium, quia Deus filius homo factus est, et ratione humanitatis gratiam unctionis accepit; ipse tamen Deus Filius unctus dicitur, quia ille homo, qui unctus est, Filius Dei, et Deus est.

10. *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.*

Hic versiculus obscurissimus est: explicemus igitur primum vocabula, deinde sententiam. Myrrha succus est notus, amarus, et odoratus. gutta nomen est genericum, sed in graeco habetur στάκτη, quae apud Basilium in explicatione hujus loci, est gutta distillata ex myrrha, ita ut sit quasi flos myrrhae, idest, pars subtilissima myrrhae. Sed non videtur verisimile, Prophetam dicere voluisse, Myrrha et gutta myrrhae subtilissima: in hebraeo est, אהלות *ahaloth*, quam Aloe latine dicimus. Est autem Aloe succus item amarus, et odoratus, sed specie distinctus a myrrha; unde in Evangelio legimus ad Christi sepulturam emisse Nicodemum *Myrrhae, et aloes quasi libras centum.* Quod igitur noster Interpres dixit, *guttam*, intelligere debemus, guttam esse Aloes, ut sanctus Hieronymus scribit in epist. ad Principiam; vel myrrhae distillatae, ut sanctus Basilius in Commentario docet. Casia denique frutex est, unde cortex odoratus desumitur, et inter aromata numeratur, quemadmodum et cinnamomum. Per domos eburneas, intelliguntur palatia, sive templa sumptuosa, quorum parietes tecti sint ebore: nam in hebraeo non est, בית *baith*, quae proprie domum significat, sed היכל *hechal*, quod palatium, basilicam, et templum significat. Nomen etiam graecum βαρέων ελεφαντίνων, magna palatia significat, ut dicit s. Basilius. Itaque improbabile est, quod aliqui volunt, domos eburneas esse cellas aromatum; et magis improbabile, quod alii volunt, esse thecas, sive arcas, in quibus vestimenta, vel aromata conservantur. At inquiunt, thecae fiunt ex ebore, non autem palatia: verum est, sed non dicuntur hoc loco domus eburneae, quasi totae sint ex ebore: sed quod tectae sint ebore: quomodo domus Neronis dicebatur domus aurea, et porta Constantinopolis porta aurea, quod essent deauratae, vel auri laminis coopertae, non quod totae essent aureae: et sic intelligimus illud 3. reg. 22. *Domus eburnea, quam aedificavit Achab*, et Amos 3. *Peribunt domus eburneae.* S. Gregorius lib. 35. Moralium cap. 13. legit a gradibus eburneis; sed id natum esse ex ambiguitate vocabuli, colligitur ex sancto Hieronymo in epist. ad Principiam. Scribit enim vocem graecam βαρέων, ambiguam esse et significare posse gradibus et palatiis, sive domibus; inde aliquos latinorum hac ambiguitate deceptos vertisse, a gradibus eburneis: sed quia hoc nihil significat, credibile est, mutatum fuisse, et scriptum, a gradibus eburneis. Per *filias regum*, intelligi possunt multitudines variorum regnorum: Scriptura enim passim vocat filiam Hierusalem, filiam Babylonis, filiam Assyriorum, filiam Tyri, pro multitudine populi illarum civitatum, vel gentium. Possunt etiam intelligi ut verba sonant filiae Principum, per quas figurate significantur animae excelsae, ut dicit s. Basilius: totus enim hic sermo figuratus est. His expositis, ut ad sensum veniamus, per aromata, intelligimus virtutes sive dona Spiritus sancti quae spiritualem odorem spirant: et quia paulo ante dixerat Propheta Christo: *Unxit te Deus Deus tuus;* recte subjungit nunc, *myrrha, et gutta, et casia*, explicans odores aromaticos, qui ex illa unctione emanarunt: de quo odore b. Paulus loquitur, cum ait 2. Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus.* Et quoniam in passione sua Christus praecipue spiravit odores maximos virtutum, praecipue fortis patientiae, humilis obedientiae, et ardentis charitatis, ideo nominavit myrrham amaram, sed odoratam, quae convenit patientiae; Aloem quoque similiter amarum, sed odoratum, qui convenit humilitati et obedientiae, de qua b. Paulus. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*, Philipp. 2. denique casiam calidam, et odoratam, quae convenit ardentissimae charitati, qua etiam pro crucifixoribus oravit. Luc. 23. Haec autem aromata manabant a vestimentis, et domibus eburneis Christi. *Myrrha*,

inquit, *et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis*, supple, manant, vel manabant. Per vestimenta, intelligitur humanitas Christi, quae quasi veste, aut velo divinitatem tegebat: per domos eburneas, intelligitur eadem humanitas, quae erat quasi templum sive palatium candidissimum ob puritatem, in quo divinitas habitabat. Neque mirum videri debet, si res eadem vestimentum, et domus dicatur, nam et Apostolus 2. Corinth. 5. haec duo simul conjungit, cum sic loquitur *Scimus, quoniam si terrestris domus nostrae hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, aeternam in coelis: nam et in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quae de coelo est superindui cupientes; si tamen vestiti, et non nudi inveniamur: nam qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a gloria.* Ubi vides corpus mortale dici domum et tabernaculum et simul vestimentum, *quo nollemus expoliari, sed supervestiri*: et similiter domum coelestem dici vestem, et habitationem. Sic igitur Christi humanitas, unde suavissimi odores virtutum spirabant, vestimentum dici potest et domus eburnea, nisi quis velit, vestimentum referri ad animam, domum eburneam ad corpus, quod ipse Christus Joann. 2. *templum* vocavit cum ait, *solvite templum hoc, et ego in triduo reaedificabo illud.* Neque movere debet, quod in numero multitudinis dicat Propheta, a domibus eburneis: nam domus magna est una, et multae propter multitudinem cubiculorum, et cellarum, unde etiam de domo una dicimus in numero multitudinis, aedes nostrae. Sequitur, *ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo*, idest, ex quibus aromatibus, quae a vestimentis et domibus eburneis humanitatis tuae spirant, *filiae regum*, sive animae regiae, et excelsae, sive multitudines populorum ex variis regnis *delectaverunt te*, dum currunt in odorem unguentorum tuorum. Valde enim delectatur Christus, cum videt multitudines sanctorum excitatas, tractas ab odore suo, currere post eum odorem. Et vere qui spirituali sensu odoratus sentire incipit suavissimum odorem, qui spirat ex patientia, humilitate, et charitate Christi, non potest non currere post eum, et quaelibet tormenta pati potius, quam se ab illo separari patiatur: dicit enim cum Apostolo, *Quis nos separabit a charitate Christi?* Rom. 8. Sed ideo potissimum Christum delectant filiae Regum currentes post odorem unguentorum ipsius, quia id faciunt in honorem ejus, id est, ex pura intentione glorificandi Deum. Martyres enim passione sua currentes post Christum, Deum valde glorificabant; unde dicit Joannes cap. 21. de passione s. Petri a Christo illi praedicta: *Significans*, inquit, *qua morte clarificaturus esset Deum.*

11. *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Prophetavit hactenus David de sponso; nunc de sponsa prophetare aggreditur: per sponsam autem intelligunt omnes fere expositores Ecclesiam, quoniam Apostolus ad Eph. 5. apertissime docet, Ecclesiam sponsam Christi esse. Hic igitur est principalis sensus, ut per sponsam intelligatur Ecclesia. Sed possunt etiam haec omnia, quae dicuntur de sponsa, accomodari unicuique animae perfectae, et potissimum b. Virginis Mariae, quae licet Mater Christi sit secundum carnem, tamen est etiam sponsa secundum spiritum, et inter membra Ecclesiae primum locum tenet. Itaque non sine ratione hic psalmus canitur in festis b. Virginis, et aliarum etiam virginum; nec sine ratione de singulis dicitur, *veni sponsa Christi.* Ait igitur David Christum alloquens, *astitit regina a dextris tuis*, id est, assistet sponsa tua, qui rex es, *a dextris tuis*, idest, proxima tibi, et in loco summi honoris infra regalem thronum: assistet autem *in vestitu deaurato circumdata varietate*, idest, in veste pretiosa, qualis decet reginam. Sed verba singula consideranda sunt. *Astitit* ponitur pro assistet, more Prophetico, qui vident futura, quasi jam facta sint. Praeterea notat Chrysostomus, non dici, sedit; sed *astitit*, quia sedere convenit aequali, et ideo filius sedet ad dexteram patris, ut aequalis; ecclesia autem, ut inferior, astitit cum coelestibus potestatibus, quae assistere dicuntur coram Deo. Verbum hebraicum, נִצָּבָה *nitzeba*, proprie significat *stetit*, et denotat firmitatem, quasi dicat Propheta, sponsa tua firmiter tibi adhaesit, et ita constituta, et confirmata est, ut nullum sit ei periculum repudii. *Regina*, in hebraeo est, שֵׁגָל *sciegal*, quod uxorem, et concubinam significat, inde natae sunt variae interpretationes; nam alii verterunt, *assistit uxor*, alii *assistit concubina*; sed septuaginta Interpretes, ut explicarent eam vocem esse intelligendam de vera conjuge, non de concubinis, vertere maluerunt Reginam; neque enim concubinae regum, sed solae legitimae conjuges appellantur reginae: *A dextris tuis*: hae voces non significant, sponsam ita esse a dextris sponsi, ut sponsus intelligatur esse a sinistris, sed sponsum collocant in medio, et solio altiore, a dextris ejus reginam, a sinistris autem alios Principes. Et fortasse voluit Spiritus sanctus per has voces significare incredibilem dignitatem Ecclesiae, quae non solum admittitur ad Regnum coelorum ut assistat cum angelis ante thronum Dei; sed etiam praecedat angelos, ita ut ipsa Ecclesia ex hominibus sit a dextris, coetus autem angelorum a sinistris. Nam etiamsi intermixti sint homines sancti angelis sanctis, et unam civitatem faciant: tamen multi sancti homines multos Angelos in regno coelorum praecedent: et est in Ecclesia hominum beata Virgo, quae omnes angelos praecedit; et caput hominum, et angelorum Christus est, qui non angelus, sed homo est. Hinc autem recte monet s. Joan. Chrysost. ut cogitent homines, quam ingrati sint tantae Dei benevolentiae quando peccant: Deus enim genus humanum et praecipue Ecclesiam ex gentilitate, et idololatria assumptam, ex profundo peccatorum, et vere ex luto faecis, exaltavit ad summam dignitatem, ut cum angelis in regno coelorum assistat et sponsae Dei nomen obtineat. Idque totum ex sola

charitate sponsi coelestis, qui *dilexit eam, et tradidit semetipsum pro ea, ut sanctificaret, et mundaret, et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam*, ut scribit Apostolus ad Ephes. 5. *In vestitu deaurato circumdata varietate.* Pro his omnibus verbis non sunt in textu hebraico, nisi haec duo verba, בכתם אופיר *bechethem ophir*, idest, *in auro de ophir*, quae verba s. Hieronym. vertit *in diademate aureo*, alii aliis modis. Sed septuaginta Interpretes explicare voluerunt quid includeretur in illa generali voce hebraica, et recte dixerunt significari vestem pretiosam, et omnia alia ornamenta sponsae, quae pro varietate membrorum varia sunt, ut diadema, monile, cingulum, calcei, et similia; quae explicatio desumpta videtur ex eo, quod paulo infra dicitur, *In fimbris aureis circumamicta varietatibus.* Quid autem haec significent spiritualiter, patres non uno modo exponunt. S. Augustinus per aurum intelligit sapientiam; per vestem doctrinam, per varietatem linguas varias, quibus haec eadem doctrina Ecclesiastica praedicatur. S. Basilius intelligit quidem per vestem auream doctrinam Ecclesiasticam, sed per veritatem varia dogmata, moralia, naturalia, theorica practica, etc. S. Hieronymus, et s. Chrysostomus intelligunt per vestem auream, gratiam justificationis, per varietatem, varias virtutes, fidem, spem, dilectionem, humilitatem, et alias. Quae explicatio confirmari potest ex cap. 19. Apocalypsis, ubi dicitur: *Sponsa ornata byssino splendenti et candido*: et exponens s. Joannes dicit, *byssinum enim justificationes sunt sanctorum.* Posset addi, non solum varietatem ornamentorum sponsae consistere in variis virtutibus, quae singulis necessariae sunt, sed etiam in variis donis, quae pro varietate membrorum Ecclesia possidet: alia enim sunt dona Apostolorum, alia Martyrum, alia virginum, alia doctorum, alia confessorum, et alia aliorum.

12. *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.*

Alloquitur nunc ipsam Ecclesiam eamque fideliter, et pie monet. Vocat autem *filiam*, vel quia loquitur in persona Dei patris, ut s. Hieronymus dicit, vel quia loquitur ut unus ex patribus Ecclesiae, ut dicit s. Augustinus. Sed quando sponsa intelligitur b. Maria Virgo, tunc omnino proprie filiam vocat David, quia ex ejus carne propagata est. *Audi filia*, inquit, idest, audi vocem sponsi tui, *et vide*, idest, considera diligenter quae audis, *et inclina aurem tuam*, idest, humiliter obedias praeceptis ejus, *et obliviscere populum tuum, et domum patris tui*, idest, ut facilius sponso servias, obliviscere mundum, et quae in mundo sunt: nam ex mundo electa est Ecclesia, et ex mundo exivit; et quamvis adhuc in mundo sit, tamen de mundo esse non debet, sicut et sponsus de mundo non est: mundus, autem recte dicitur populus eorum, qui diligunt mundana bona, et idem mundus est domus patris nostri veteris Adami, qui de Paradiso ejectus fuit in hunc mundum; nisi magis placeat, per patrem intelligi Diabolum, qui est pater omnium iniquorum, juxta illud Joan. *Vos ex patre Diabolo estis.* Et certe, qui cogitabunt, quae supra diximus de ineffabili amore sponsi, qui tradidit semetipsum, ut nos de profundo lacu erueret, et in summum coelum transferret, et faceret nos gloriosam sponsam suam; non difficulter amorem suum a mundo abstrahent, ut totum in sponsum transferant. Vox autem illa, *obliviscere*, magnam emphasim habet: significat enim radicitus a mundo amorem abstrahendum, ut non solum a desiderio, et cogitatione; sed etiam a memoria omnium recedat, ac si numquam fuisset.

13. *Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.*

Reddit rationem, cur debeat sponsa oblivisci populum suum, et domum patris sui, ut tota sit amori, et obedientiae sponsi coelestis intenta: quia videlicet sic fiet, ut rex concupiscat pulchritudinem tuam videre, et apud se habere. Et quoniam vera sponsae pulchritudo interior est, ut paulo infra clarius explicatur, ubi dicitur, *omnis pulchritudo filiae regis ab intus*, et virtutibus consistit, ac praecipue in obedientia mandatorum ejus: sive in charitate, a qua dependent omnia mandata, ideo addit, *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus*, idest, ideo diliget pulchritudinem tuam, quae in obedientia ipsius posita est, *quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Nihil enim magis requirit a servis Dominus, neque Deus a creaturis, quam obedientiam. Et ut intelligamus hunc sponsum esse Dominum absolute, et Deum verum, addit, *et adorabunt eum*, idest, sponsus tuus non est talis, ut cum eo praetendere possis aequalitatem, sed est quidem sponsus tuus per gratiam, sed Dominus tuus, et omnium creaturarum per naturam, et illi ab omnibus debetur adoratio. In hebraico textu non habetur, *Deus*, seu solum *Dominus*, ubi nos habemus, *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Sed non solum septuaginta, verum etiam s. Hieronymus, verterunt, *Dominus Deus tuus*: et ex adoratione illi debita colligitur, esse non Dominum tantum, sed etiam Deum, idest, non Dominum qualemcumque, sed supremum Dominum. In eodem hebraico textu, והשתחוי לו *vehisthachavi lo*, ut etiam in graeco habetur, *Et adorabis eum*: sed in sensu non est discrepantia: Deum enim adorare debent omnes creaturae; proinde ipsa etiam sponsa debet adorare; neque lectio ista, *adorabunt eum*, recens est: nam invenitur apud s. Augustinum, s. Basilium, s. Chrysostomum, et alios; imo s. Hieronymus in epist. ad Principiam dicit Septuaginta vertisse, *adorabunt eum.* Proinde lectio graeca, προσκυνήσεις αὐτῷ, quae nunc habet, *adorabis eum*, non est ex editione septuaginta Interpretum, vel corrupta est. Et quia ut saepe diximus, septuaginta Interpretes habuerunt optimos codices hebraicos, credendum est, lectionem he-

braicam ab eo tempore, librariorum errore fuisse mutatam, quod facile fieri potuit, cum voces hebraicae,*adorabunt* et *adorabis*,non differant,nisi in ultima litera, י *jod* et, ו *vau* videlicet,quae facile variari potuit propter summam inter eas similitudinem.

14. *Et filiae Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.*

Quia dixerat; *Et adorabunt eum*, Sponsum videlicet, addit, ipsam etiam sponsam, ut reginam, muneribus, et supplicationibus honorandam. *Et filiae Tyri*, inquit, *in muneribus vultum tuum deprecabuntur*, idest, et filiae gentilium inimicorum antea sponsi tui subjicientur imperio ejus, et veniet ad te, ac faciem tuam deprecabuntur, non solum precibus verborum, sed etiam donis et muneribus. *Omnes divites plebis*, id est, quod dixi de filiabus Tyri, intellige potissimum de potentioribus, quales in primis divites esse solent. Hoc etiam loco singula fere verba explicationem propriam desiderant. *Et filia*, in hebraeo est, ובת *ubath*, *Et filia*, et sic legunt sancti Basilius, et Chrysostomus, et graecus codex nunc ita habet: sed tamen s. Hieronymus et Augustinus in comtario legunt, *Et filiae*. Si legamus, Et filia Tyri,significabitur civitas, sive populus Tyri, quomodo dicimus filia Babylonis, filia Hierusalem: si legamus,Et filiae significabuntur foeminae civitatis Tyri meminit autem foeminarum potius quam virorum, quia sponsam alloquitur: solent enim ad reginam familiarius foeminae accedere, quam ad Regem viri. Sed sicut per Sponsam non intelligimus hoc loco veram mulierem, sed Ecclesiam, quae viros foeminasque complectitur, sic etiam per filias Tyri intelliguntur omnes gentiles, sive masculi, sive foeminae sint. Tyri vox hebraea, צר *tzor*, ambigua est: nam et robustum sive potentem significare potest, et simul etiam civitatem, quae dicitur Tyrus. Sed septuaginta Interpretes Tyrum interpretati sunt, eam interpretationem sequutus est latinus Interpres; et omnes patres graeci, et latini eam exponunt, excepto s. Hieronymo in epist. ad Principiam, qui, *filiam fortissimam*,et legere maluit, et exponere. Porro Tyrus civitas erat gentilium, magna, et celebris, et in finibus terrae promissionis, et ideo a vicina civitate denominavit Propheta omnes gentiles. *In muneribus*, munera vocat oblationes, quas gentiles conversi ad fidem obtulerunt in aedificationes, vel ornamenta Ecclesiarum; in alimoniam pauperum, et similia opera bona. *Vultum tuum deprecabuntur.* S. Basilius, et quidam alii per vultum sponsae, intelligunt caput Ecclesiae, idest, Christum; sed simplicior expositio est, ut, per vultum sponsae, ipsa Ecclesia intelligatur: est enim phrasis hebraica, deprecari vultum alicujus,pro eo quod est deprecari aliquem ut 1. reg. 11. *Faciem Domini non placavi* et psal. 94. *Praeoccupemus faciem ejus in confessione*, et psalm. 118. *Deprecatus sum faciem tuam.* Dicimur autem deprecari faciem, quia cum precamur aliquem, faciem ejus aspicimus, et ex faciei tristitia, vel hilaritate intelligimus,an ille sit nobis propitius vel iratus, quem precamur.*Omnes divites plebis.* Haec est appositio, quasi dicat, filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur; non omnes in muneribus, sed divites tantum.

15. *Omnis gloria ejus, filiae regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.*

Quia saepe David de pulchritudine, et ornatu Sponsae loquutus est, ne quis forte putaret, ea corporalia esse, occurrit hoc loco ejusmodi carnalibus cogitationibus, ac dicit, *omnis gloria* sive decoris faciei sive pretiosarum vestium, *hujus reginae, ab intus est, et si fimbriis aureis ornata, et circumamicta* dicitur variegata veste, ista omnia spiritualia sunt, interna sunt,in corde requirenda sunt. Hinc s. Petrus monet Christianas mulieres, 1. Petr. 3. ut ad similitudinem hujus sponsae ornatum interiorem adhibeant.*Quarum*,inquit *non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, et modesti spiritus.* Neque tamen reprehendendus est exterior cultus Ecclesiarum in sacramentorum celebratione, in ornatu altarium, in sacris solemnitatibus: non enim hic agitur de materiali Ecclesia, sed de hominibus, qui populus Dei,et Christi membra sunt,quorum praecipua pulchritudo, et ornatus in virtutibus consistit, ut supra diximus; ex quibus tamen virtutibus nasci debent extrinsecus opera bona, *ut qui ea vident, glorificent patrem nostrum, qui in coelis est*, ut Salvator docet, Matth. 6. Porro per fimbrias aureas, nihil aptius intelligi posse videtur, quam ipsa charitas, quae comparatur auro, quia pretiosissima, et praestantissima virtutum omnium est, et similis fimbriis dici potest, quia sicut a fimbriis desinunt vestimenta,et ab eisdem fimbriis fulciuntur: ita finis omnium mandatorum, et virtutum est charitas, et a charitate dependent omnia mandata, et ab eadem formantur,et perficiuntur omnes virtutes. Quid sit autem vestis variegata, supra diximus. De hac autem variegata veste loqui videtur Apostolus cum ait, *Induimini viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, etc. Coloss. 3. Quod attinet ad verba, illud pronomen,*ejus*, non habetur nunc in hebraico, vel graeco textu;tamen legitur a sancto Hieronymo in epist. ad Principiam, et in commentario psalmorum tamquam ex versione septuaginta, et legitur etiam a s. Augustino; et vox hebraica, si legatur cum puncto in ultima litera, significabit, *gloria ejus.* Verum tamen est, illud,*ejus*, esse referendum ad phrasim hebraicam, et secundum latinam phrasim redundare. Quod autem Sponsa dicatur filia regis,mirum esse non debet; nam sponsa filii regis, usitate dicitur *filia regis Patris*,quia sponsus, et sponsa sunt duo in carne una. Non ignoro in textu hebraico diversam esse interpunctionem a greca, et latina interpunctione,sed non multum curanda est interpunctio, quae a Rabbinis adjuncta est codici hebraico, et magis credendum

est septuaginta Interpretibus, quam omnibus Rabbinis posterioribus.

16. *Adducentur regi virgines post eam, proximae ejus afferentur tibi.*

Quamvis unica sit sponsa Christi eaque unice dilecta, idest, Ecclesia universalis, tamen post eam sunt etiam Christi sponsae, praecipua quadam praerogativa praeter caeteros fideles, illae animae, quae in carne virginitatem suam Deo voverent, et ipsi soli placere studuerunt. De quibus dicit Apostolus 1. Cor. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est: et mulier innupta, et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu: quae autem nupta est cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* De his loquitur nunc Propheta et virginitatem, quae Christo virgini mirifice placet, quippe qui pascitur inter lilia, his duobus versiculis commendat. *Adducentur*, inquit, *regi Christo virgines post eam*, idest, post principalem sponsam Ecclesiam adducentur etiam ad nuptialem thalamum sponsi coelestis omnes illae animae, quae virginitatem suam Deo dicarunt. *Proximae ejus afferentur tibi*, idest, illae virgines solae afferentur tibi sponso, quae principali sponsae tuae Ecclesiae proximae fuerint, idest, quae illi conjunctae, atque unitae fuerint; quod dicitur, ut sancti patres Basilius et Augustinus, et alii exponunt, ad haereticos et schismaticos excludendos: virginitas enim extra Ecclesiam non habet sponsae praerogativam. Et quoniam initio diximus, quae in hoc psalmo legimus de sponsa, posse intelligi etiam de B. Maria matre Domini, quae virginum regina jure appellatur; possumus etiam quae sequuntur de illa exponere, ut sensus sit, adducendas esse ad Christum omnes veras Virgines, post eam, idest post matrem Domini; et proximas ejus, idest, quae illi per imitationem aeternae integritatis propinquarunt, afferendas esse ad nuptias ejusdem sponsi, et regis Christi.

17. *Afferentur in laetitia et exultatione, adducentur in templum regis.*

Explicat gaudium tam multiplicium nuptiarum: *Afferentur*, inquit, *in laetitia et exultatione*, idest afferentur virgines ad nuptias cum magno plausu, et jubilo totius coelestis Jerusalem. Fortasse etiam notatur hoc loco canticum illud, quod soli virginum choro in coelesti regno cantare licet: de quo sic legimus in Apocal. 14. *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Foelices animae, quae sequuntur Agnum itinere virginali gradientem; et in laetitia et exultatione dicunt canticum novum, ignotum videlicet antiquis patribus, quod nemo alius dicere potest; et cum hoc jubilo adducentur in templum regis, idest in coeleste tabernaculum, quod et palatium propter magnificentiam, et templum propter sanctitatem dici potest.

18. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.*

Exposuit hactenus Propheta dignitatem et ornamenta sponsi et sponsae: nunc fructum nuptiarum exponit, dicens, nasciturum ex hoc matrimonio foelicissimam prolem, quae toti orbi terrarum imperatura sit. Dubium autem est, ad quem loquatur propheta, ad sponsum, an ad sponsam: ad sponsum loqui dicunt aliqui recentiores, ea ratione ducti, quod in hebraeo illa pronomina *tuis et tibi*, sint generis masculini: ad sponsam autem hunc sermonem dirigi docent, sancti patres Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, et cum iis Euthymius in Commentariis. S. Hieronymus in epist. ad Principiam utroque modo exponi posse affirmat: quod quidem verum est; sed patrum communis sententia praeferenda est: neque repugnat huic sententiae textus hebraicus, si puncta removeantur, vel mutentur, ut periti facile intelligunt. Quoniam igitur monuerat sponsam propheta, ut oblivisceretur populi sui et domus patris sui, id est, majorum suorum; nunc eam consolatur, promittens copiam filiorum loco patrum, quos reliquit, et quorum oblivisci jussa est; et simul, ut diximus, praedicit fructum nuptiarum sponsi coelestis, et Ecclesiae sponsae foelicissimum fore. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, idest, pro patribus, quos habuisti, et jam mortui sunt, idest, pro patriarchis et prophetis, et pro patribus, quos reliquisti in gentilitate, et quorum oblivisci jussa es, *nati sunt tibi filii*, idest, apostoli et discipuli Christi, qui tantae excellentiae erunt, ut toti orbi leges dare possint, ideo *constitues eos principes super omnem terram.* Vere enim populi, primi Ecclesiae filii, toti orbi terrarum leges dederunt, quod nullus temporalis Monarcha facere potuit. Nam, ut S. Joannes Chrysostomus notat Monarchae Romanorum non potuerunt Persis leges dare, neque Persae Romanis: Apostoli vero, et Romanis, et Persis, et omnibus aliis gentibus leges dederunt. Et sicut in prima aetate; Ecclesia pro patribus Patriarchis, filios apostolos habuit: ita etiam in sequenti aetate pro patribus apostolis filios episcopos habet, qui si non singuli, omnes tamen principes sunt super omnem terram; et hoc modo per successiones episcoporum, semper Ecclesia pro patribus filios habet, quos in patrum sedibus et dignitate constituat.

19. *Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione, et generatione.*

Concludit psalmum, dicens, spirituales has nuptias in psalmo decantatas, et fructum nuptiarum, idest, nobilissimam prolem ex hoc sancto connubio nasciturum, non alium finem habituram, nisi perpetuam Dei laudem. Nam, inquit, *filii isti, qui*

patribus substituentur, et ipsi quoque patres filiorum evadent, *memores erunt nominis tui*, id est, cantabunt potentiam et gratiam tuam *in omni generatione et generatione*. In hebraeo et graeco codice habetur in singulari, *memor ero nominis tui*, et sic legunt graeci patres, et sic etiam habetur in plurimis latinis codicibus manuscriptis: sed quoniam s. Hieron. et Augustin. in commentariis legunt, *memores erunt nominis tui*, et Ecclesia in officio Ecclesiastico, cum festos dies Apostolorum celebrat, hos versiculos ita canit: non visum fuit expedire, ut in bibliis recognitis tempore Sixti V. et Clementis VIII. hic locus mutaretur, praesertim cum in sensu nulla sit diversitas. Qui enim legunt, *memor ero nominis tui*, volunt hoc dici a Propheta, qui pollicetur Deo, se omni tempore cantaturum Dei laudes ob tam ingentia beneficia humano generi praestita, quae in hoc psalmo explicata sunt. Caeterum quia David moriturus erat, et non poterat ipse per se in omni generatione, et generatione canere laudes Dei, dicunt, illum significare voluisse, se cantaturum per alios, qui sibi invicem succedentes usque ad mundi consummationem psalmos istos cantaturi erant. Haec autem expositio non est diversa a superiore: idem enim est dicere, *ego memor ero nominis tui, et cantabo laudes tuas per memoriam, et linguam aliorum*, qui sibi invicem succedent; et, *filii tui*, qui sibi invicem succedent, *memores erunt nominis tui*, et has laudes tuas a me conscriptas perpetuo decantabunt. Notat autem s. Joannes Chrysostomus, Davidem prophetam praeter alia multa, quae praevidit et praedixit, hoc etiam de suorum carminum aeternitate praevidisse et praedixisse, quod videlicet, nullo unquam tempore ipsorum celebratio intermittenda esset; quam prophetiam impletam esse et quotidie impleri cernimus.

20. *Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi.*

Ex eo quod apostoli et eorum successores episcopi semper memores futuri erunt nominis Domini, et laudes ejus cantaturi et praedicaturi, recte colligit Propheta, id etiam futurum esse, ut populi fideles ab episcopi instituti, confiteantur Domino laudes ejus *usque in aeternum, et in saeculum saeculi*, in hac vita et in futura: quamvis enim in patria cessabunt preces et lachrymae; tamen laudatio et glorificatio non cessabit.

PSALMUS XLV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem filiis Core pro arcanis.

Recentiores interpretes nonnulli psalmum hunc scriptum esse volunt in gratiarum actionem, pro victoria Davidis ab inimicis suis Dei auxilio reportata; sed mirum est nulli veterum patrum venisse in mentem ejusmodi argumentum. Nam s. Ambrosius, s. Hieronymus, s. Augustinus, s. Basilius, s. Joannes Chrysostomus, Theodoretus et Euthymius magno consensu docent, psalmum esse intelligendum de liberatione Ecclesiae Christianae a persecutionibus infidelium. Et confirmari potest haec explicatio ex titulo psalmi; illud enim, *pro arcanis*, satis aperte demonstrat, prophetam non loqui de re praeterita, sed de futura et ejusmodi, ut tempore Davidis occultissima esset, et nonnisi Deo revelante sciri posset. Igitur psalmus praesens recte subjungitur psalmo superiori: in illo enim praedicta est Ecclesiae exaltatio ob nuptias spirituales cum rege Christo Domino: in hoc autem praedicitur persecutio et liberatio a persecutione; quae liberatio potissimum futura est, ut s. Basilius arbitratur, in consummatione saeculi.

EXPLICATIO PSALMI XLV.

1. *Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.*

Milites Christi non minus vincunt fugiendo tentationes, quam tolerando. Quando fugiendum est, Deus refugium tutissimum est; quando tolerandum est, *Deus virtus*, et fortitudo est: utroque autem tempore *adjutor est in tribulationibus*: nam adjuvat praebendo refugium et adjuvat praestando victoriam. Illud autem, *quae invenerunt nos nimis*, significat, tribulationes gravissimas fuisse, quae initio exortae sunt adversus ecclesiam et re-

pente ac inopinato irruisse: nam ut legitur in actis Apostolorum cap. 2. et 3. post Ascensionem Domini et adventum Spiritus sancti, ecclesia aedificabatur et crescebat in Jerusalem magna cum pace et tranquillitate. *Quotidie*, inquit s. Lucas, *perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panes sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem, et Dominus augebat, qui salvi fierent quotidie in idipsum.* Sed paulo post coepit vehementissima persecutio, flagellatis Apostolis, Stephano lapidato, et omnibus discipulis dispersis, praeter Apostolos. In hebraeo textu legitur, *adjutor in tribulationibus inventus est nimis*, idest, Deus in tribulationibus inventus est auxiliator valde potens. Uterque sensus optimus est; sed quod attinet ad veritatem lectionis, adhaerendum est septuaginta interpretibus, qui sine dubio vocem illam hebraicam, נמצא *nimtza*, paulo aliter legerunt; alioqui numquam vertissent, *invenerunt*, nisi valde imperiti fuissent. Notat s. Basilius, multos habere in ore versiculi hujus verba, *Deus refugium nostrum, et virtus*, sed paucissimos ex vero affectu ista pronunciare; quod inde colligitur, quoniam ad superandas tribulationes tanto ardore confugiunt ad humana praesidia, vel etiam ad artes diabolicas, quasi Dei auxilium pro nihilo haberent. Contra autem sanctus David ideo dicit, *Deus noster refugium, et virtus*, quia parum omnino in hominum robore vel armis, vel industria confidebat.

2. *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.*
3. *Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum, conturbati sunt montes in fortitudine ejus.*

Hi duo versiculi obscurissimi sunt, sed nos sanctos patres Basilium et Chrysostomum sequimur. Igitur ex eo quod dixit populus Dei, *Deus refugium nostrum, et virtus*, concludit, se impavidum fore, etiamsi terra, et mare sursum ac deorsum moveantur, et sedes suas horribili cum sonitu mutent. *Propterea*, inquit populus Dei, *non timebimus, dum turbabitur terra*, idest, dum forte turbabitur terra, sive etiamsi maxime turbetur terra, *et transferantur montes in cor maris*, idest, etiam ipsi montes, qui a Deo fundati et radicati videntur, ut immobiles esse censeantur et agitentur, et fluctuent et in profundum mare praecipitentur, idest, si ita sit, si ista fiant, *non timebimus*, quia Deus omnipotens refugium nostrum, et virtus nostra est. *Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum*, idest, non timebimus, etiamsi ex translatione montium in cor maris, resonent et turbentur aquae maris. Dicit autem, *eorum*, id est, marium, quia ubi nos habemus, *in cor maris* in textu hebraico, בלב ימים *beleb jammim*, et graeco est, ἐν καρδίαις θαλασσῶν, *in cor marium*: noster autem interpres mutavit numerum multitudinis in numerum singularem in voce, *maris*, et reliquit numerum multitudinis in pronomine *eorum*, et inde nata est obscuritas. *Et conturbati sunt montes*, id est, etiamsi ipsi montes translati de terra in mare conturbentur, amissa videlicet stabilitate sua, in fortitudine ejus, in potentia et robore Dei. Deus enim est, qui solus potest conturbare terram, et transferre montes in cor maris, et ipsum mare montesque tremefacere, juxta illud ps. 76. *Viderunt te aquae Deus, et timuerunt, et turbatae sunt abyssi.* Et psal. 103. *Qui respicit terram, et facit eam tremere;* et Isaiae 51. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus.* Itaque in his versiculis declaratur maxima fiducia populi Dei qui non timebit, etiamsi mundus ruat; et simul insinuatur maxima Dei potestas, qui potest elementa omnia conturbare, et movere sicut revera conturbabit, et movebit in consummatione saeculi, *quando erunt terrae motus maximi per loca, et prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescent homines prae timore;* et tunc populus Dei non solum non timebit, sed aspiciet, et *levabit caput suum*, ut in Evangelio dicitur, *quoniam appropinquabit redemptio ejus.* Possunt haec omnia figuratae intelligi, ut per terram intelligantur homines terreni, sed etiam potentes et superbi, quales erant reges magni, ecclesiae inimici; per mare autem amaritudo tribulationis et poenarum, quibus in novissima die involventur omnes impii. Itaque turbabitur terra, quando *impii terrae amatores turbabuntur timore horribili*, ut dicitur Sap. 5. *et montes transferentur in cor maris*, quando magni quondam reges, qui ecclesiam persequebantur, demergentur in profundum abyssi: et tunc sonabunt, et turbabuntur aquae marium, quando futura ultima tribulatio horrendum in modum turbabit impios, et reges eorum, in fortitudine Dei, quoniam tunc apparebit quanta sit potestas irae Dei in peccatores.

4. *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum altissimus.*
5. *Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo.*

Ostendit nunc quare non timebit populus Dei, quando turbabitur terra et montes transferentur in cor maris: et rationem esse dicit, quoniam pro amaritudinis abundantia, quae turbabit impios, dabitur Ecclesiae abundantia voluptatis, quae eam laetificabit: et pro instabilitate montium, qui transferentur in cor maris, dabitur Ecclesiae stabilitas perpetua, quia Deus arit in medio ejus. *Fluminis*, inquit, *impetus laetificat civitatem Dei*, idest, non timebit populus Dei, quando turbabitur terra, quia non irruent in Ecclesiam fluctus maris amari; sed fluminis aquae dulces et clarae magno impetu, magna videlicet copia, et abundantia voluptatis laetificabunt eam. In hebraeo habetur, נהר פלגין *nahar pelagau, fluminis rivi, sive divisiones*, pro eo quod nos habemus ex graeco, *fluminis impetus.* Sed non sunt contraria; nam rivi aquarum possunt et cum impetu, et sine impetu fluere: voluerunt autem septuaginta interpretes declarare, rivos illos non remisse, et tenuiter fluere, sed cum magna plenitudine, et impetu ad significandam vehementiam dulcedinis, quae redundat in civitate Dei; sicut in alio psal. 35. dicitur, *torrente volu-*

platis tuae potabis eos. Addit propheta, *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, quasi dicat, ideo laetificat civitatem suam Deus, quia eam elegit, et sanctificavit in tabernaculum sibi, eamque esse voluit propriam suam habitationem, juxta illud Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt : Deus in medio ejus non commovebitur ;* hoc opponitur instabilitati terrae et montium, quasi dicat, non timebit civitas Dei ne forte transferatur in cor maris : nam *Deus est in medio ejus*, idest, Deus non recedit ab ea, sed praesentissimus illi adest, utpote *in medio*, in intimis, in corde ejus, et ideo ista civitas non commovebitur, sed aeterna stabilitate solidabitur. Et concludit ostendens, unde, et quando ista erunt, dicens, *adjuvabit eam Deus mane diluculo*, idest, laetitia et stabilitas dabuntur civitati Dei, quoniam Deus adjuvabit eam in exortu diei, id est, incipiente die foelicitatis aeternae. Scriptura enim comparat infidelitatis tempus tenebris noctis, tempus fidei aurorae, visionem Dei claritati diei. B. Paulus ad Rom. 13. *Nox praecessit, dies autem appropinguavit.* Et b. Petrus in 2. epist. cap. 1. *Habetis firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Et sponsa in Canticis cap. 2. *Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.* Et Propheta Malachias cap. 4. *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiae.* Et cum hac sententia satis apte cohaeret antiqua lectio, quam habet sanctus Augustinus, et cujus meminit s. Ambrosius, et quam amplectitur Ecclesia in officio Ecclesiastico, *adjuvabit eam Deus vultu suo*, idest, adjuvabit eam adjutorio omnium maximo, et potentissimo, quando ostendet ei vultum suum, quod tunc erit, quando sol justitiae manifeste se illi ostendet et inchoabit diem illum ab initio mundi a sanctis omnibus desideratum, et expectatum : de quo dicit Apostolus, *scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem*, 2. Timoth. 1.

6. *Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.*

Praedicit verbis propriis, quod figuratis ante praedixerat, destructionem videlicet inimicorum Ecclesiae ; unde pax universalis et perpetua consequetur. Quod igitur antea dixerat de terra, et montibus, nunc dicit apertius de gentibus et regnis. *Conturbatae sunt*, inquit, *gentes*, quia appropinquat interitus earum ; *et inclinata sunt regna*, idest, dejecta ab altitudine sua, et usque ad terram prostrata. *Dedit vocem suam*, Deus videlicet intonuit de coelo, *et mota est terra*, idest, contremuit, vel liquefacta et desolata est terra : nam vox hebraica, מוג *mug, liquescere et dissolvi est.* Quod autem hic dicitur de regnorum terrenorum destructione, praedictum fuit clarius a Daniele cap. 2. ubi dicitur, *regnum Christi consumpturum omnia regna, et ipsum mansurum in aeternum*; et explicatum fuit ab Apostolo, 1. Cor. 15. illis verbis, *deinde finis cum tradiderit regnum Deo, et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.*

7. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.*

In his omnibus ruinis gentium, et regnorum, non timebit populus Dei, quoniam dicere poterit, *Dominus virtutum*, idest, exercituum, *nobiscum est. Susceptor noster*, idest, qui nos tuendos suscepit, *Deus Jacob est.* Dicitur autem Dominus virtutum, idest exercituum, quoniam omnes angeli, qui plurimi et potentissimi sunt, ad nutum illi obediunt, juxta illud psalmi 102. *Potens virtute facientes verbum illius.* Nec solum angeli sunt milites Dei, sed omnes omnino res creatae : nam *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus*, ut dicitur in psal. 147. et ut dicitur in psal. 118. *Omnia serviunt ei.* Itaque duo argumenta proponuntur in hoc versiculo, quibus apertissime demonstratur posse, ac debere populum Dei nihil timere: primum est, quia Dominus potentissimus, cui omnia militant, hujus populi adjutor est. Alterum, quia hic idem Dominus non solum potest, sed etiam vult populum suum juvare, cum dici velit Deus Jacob, idest, Deus populi hujus, qui dicitur Jacob a Patriarca illo sancto, et Dei amicissimo, ex cujus progenie carnem sumere dignatus est.

8. *Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae.*

Hortatur omnes gentes, ut cogitent mirabilia opera Dei, atque illud in primis, quod erit in novissimo tempore, quando sublatis omnibus inimicis, vel potius subjectis omnibus sub scabellum pedum Christi, finis erit omnium bellorum, et solus regnabit Deus, nullo amplius resistente, vel rebellante. Quod regnum expectamus et petimus, cum quotidie dicimus in oratione Dominica, *adveniat regnum tuum. Venite*, inquit, *et videte*, idest accedite per fidem et mentis oculis contemplamini et considerate *opera Domini, quae posuit prodigia super terram*, idest, considerate opera, quae Deus ponet (nam praeteritum ponitur pro futuro more prophetico) super terram, tam admiranda et stupenda, ut prodigia nominari possint. Ponet autem haec prodigia, *auferens bella usque ad finem terrae* ; vero enim mirabile est, potuisse ex tota terra usque ad ultimos ejus fines auferri bella, et ita auferri, ut in aeternum renovari non possint. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *quantas posuerit desolationes in terra*, pro eo quod nos legimus, *quae posuit prodigia super terram*: et sensus idem est: nam ex desolatione totius terrae transla-

tis justis in coelum, et detrusis impiis in infernum, orietur cessatio bellorum in universa terra. Verbum tamen hebraicum, שמות *sciammoth*, utrumque significat, *desolationes* et *admirationes* sive prodigia: nam vox, שמם *sciamam*, significat admirari et desolari: proinde septuaginta interpretes recte verterunt, *prodigia*, cum vox hebraica id significet; quamvis etiam desolationes significare possit.

9. *Arcum conteret, et confriget arma, et scuta comburet igni.*

Declarat quod dixit, *auferens bella*; ac dicit id futurum esse, quia Dominus destruet omnia arma, tam quibus usus est in feriendo, quales sunt arcus et lanceae, quam quibus utuntur milites ad sui defensionem, qualia sunt scuta: sine armis autem bella geri non possunt. In hebraeo pro voce, *arma*, habetur in specie חנית *chanith*, *hasta*, sive *lancea*; sed septuaginta maluerunt vertere *arma*, quia sine dubio Propheta nomine arcus, et lanceae significare voluit omnia arma offensiva; itaque sensus est, arcum conteret et confriget reliqua arma. Pro voce vero, *scuta*, est in hebraeo, currus, et quidem sensus est idem, quia et scuta, et currus militares, et omnia similia instrumenta belli cremanda praedicuntur: tamen sciendum est, vocem hebraicam, עגלות *hagaloth*, significare currus, quia currus rotundi sunt; proprie enim vox illa rotunditatem significat. Quoniam igitur scuta etiam rotunda sunt, et melius conjunguntur scuta cum lanceis et arcubus, quam currus; ideo septuaginta prudenter verterunt, *scuta*. Hos duos versiculos aliqui exponunt de pace temporali, quae fuit tempore Augusti, vel Constantini, sed longe melius conveniunt in aeternam pacem, quae erit in fine saeculi, quando Ecclesia desinet esse militans, et incipiet esse triumphans; omnibus videlicet hostibus undique debellatis.

10. *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.*

Dixerat paulo ante Propheta, *venite, et videte opera Domini*. Nunc ut ostendat quomodo venire oporteat, si quis opera Domini intelligere velit, dicit, *vacate et videte*, ac ut magis persuadeat, inducit Deum ipsum loquentem et exhortantem, *vacate, et videte, quoniam ego sum Deus*. Nam contemplatio rerum divinarum requirit animum liberum a tumultu perturbationum saecularium; radix autem omnium perturbationum est cupiditas: ex desiderio enim divitiarum, deliciarum, honorum, et similium rerum, oriuntur occupationes molestissimae, quae nullam omnino quietem homini sic affecto relinquunt. Hinc Hieremias de vero contemplativo dicit, *sedebit solitarius, et tacebit, quoniam levavit se supra se*, Thren. 3. et Dominus praecepit, Matth. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora patrem tuum*. Quid sit enim clauso ostio patrem orare, exemplo suo nos docuit, qui ut plurimum oraturus ascendebat in montes, et solus orabat, remotus videlicet, ab omni strepitu curarum, et negotiorum. Sed, ut diximus, praecipua vacatio debet esse a concupiscentia rerum terrenarum: nam qui nihil desiderat, quae videntur, etiamsi multum occupetur in auxilio proximorum, facile colliget animum, cum voluerit, et vacabit, et videbit, quoniam Dominus ipse solus est Deus; ipse principium et finis, ipse spes tota fidelium in terris, et vera foelicitas eorum in coelis: nam et David occupatissimus erat in regno administrando, et sanctus Gregorius (ut etiam alii plurimi sancti Pontefices) in administrando Pontificatu; et tamen altissimis contemplationibus suspendebantur, eo quod alas mentis a luto concupiscentiae liberas gererent. Ipse etiam Apostolus sollicitudine omnium ecclesiarum premebatur, et labore manuum ad victum quaerendum exercebatur; et tamen quia a desideriis saecularibus liberrimus erat; non solum vacabat, et videbat, sed etiam usque ad tertium coelum rapiebatur, et audiebat arcana verba, quae non licet homini loqui. Contra vero multi sunt homines otiosi, quod attinet ad occupationes negotiorum; sed quia carnales sunt et saecularibus desideriis implicati Deo vacare non norunt. Ait igitur, *vacate*, idest, otium sanctum quaerite, et animum purum, et tranquillum afferte, et videte attentissime cogitantes, *quoniam ego sum Deus*, idest, ego sum Deus solus, et nulla res creata, quamvis magna, et sublimis videatur, est Deus ego solus sum id quod est; ego solus *ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia*, Rom. 11. ego solus sine quo nihil potestis, et nihil estis, et in quo omnia potestis, et vere estis. *Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra*, idest, ego cum mirabilia fecero, quae supra dicta sunt, apparebo sublimis coram omnibus gentibus, et coram omni orbe terrarum, ita ut omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum. Nam in fine saeculi nullus omnino erit, qui Deum contemnere audeat; sed omnes vel volentes, vel inviti agnoscent supremum ejus imperium; illique subjicientur. Sanctus Basilius, et aliqui alii mystice interpretantur hanc exaltationem de exaltatione Christi in cruce; ut sensus sit, *vacate, et videte, quoniam ego*, qui homo esse videor, sicut homines caeteri, vere tamen *sum Deus, et exaltabor inter gentes, et in terra* suspensus in cruce ad ignominiam, et supplicium in oculis impiorum. Vere autem per hanc ipsam crucem exaltabor in omnibus gentibus, et in omni terra, quia omnia traham ad me ipsum, et jugo fidei, atque obedientiae meae, ipsi etiam summi reges cum populis colla submittent. In hebraeo est, *cessate et videte*, quod potest intelligi de cessatione a negotiis et desideriis saecularibus, ut diximus, et eam litteralem, et propriam expositionem esse censemus: tamen non est improbanda sententia illorum, qui volunt, in his verbis exhortationes contineri ad impios, ut sensus sit, Cum ea futura sint, quae sunt paulo ante ex-

plicata, *cessate jam* tandem a peccato infidelitatis, et a persecutionibus impiorum, *et videte* oculis fidei, *quoniam ego sum Deus*, et idola vestra non sunt Dii: ego enim solus in fine saeculi *exaltabor in gentibus, et in omni terra.*

11. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.*

Concludit psalmum repetitione versus septimi, ut affectum piorum, exortatione illa Dei rursum excitatum, et renovatum fuisse demonstret.

PSALMUS XLVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro filiis Core, Psalmus.

Titulus nihil continet novi; sed de argumento quaestio esse potest: non enim desunt ex recentioribus, qui psalmum ad litteram exponendum esse censeant de asportatione arcae foederis in montem Sion a Davide. Moventur autem ea ratione, quod sicut in hoc psalmo scriptum est, *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubae;* ita scriptum sit 2. reg. 6. *Ducebant arcam Testamenti Domini in jubilo, et in clangore buccinae*, et pro verbo *ducebant*, in hebraeo est, מעלים *mahalim*, idest, *ascendere fecerunt.* Caeterum sancti Patres, ut Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, et cum eis Theodoretus et Euthymius, nullam arcae mentionem fecerunt, et simpliciter totum psalmum de victoria et ascensione Christi exposuerunt. Eorum sententia nobis sequenda esse videtur, tum propter ipsorum auctoritatem, tum quia si de sola arcae asportatione ad litteram ageretur, non esset opus omnes gentes ad laetitiam invitare: neque similia sunt, quae dicuntur in 2. lib. reg. cap. 6. iis, quae dicuntur in hoc psalmo: ibi enim dicitur, *ascendere fecerunt arcam*: hic dicitur, *ascendit Deus*, et rursum repetitur, *et Dominus in voce tubae*: sunt autem valde diversa, *ascendere fecerunt arcam*, et, *ascendit Deus*: illud enim recte redditum est per verbum *ducebant*; quod proprie convenit arcae ligneae, quae non movetur nisi ab alio deferatur, at, *ascendit Deus*, ad eum refertur, qui propria virtute sursum abiit.

EXPLICATIO PSALMI XLVI.

1. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.*

Invitat Propheta sanctus omnes gentes, ut voce, et gestibus laetitiam animi ostendant: omnes gentes invitat, quia gloria capitis toti corpori communis est; corpus autem non solos Judaeos, sed etiam gentes comprehendit: Ecclesia enim, quae corpus Christi est, toto terrarum orbe diffunditur. Quod autem ad plaudendum manibus invitat, non significat strepitum corporalem edendum, ut recte s. Chrisost. admonuit; sed metaphorica loquutio est, quae indicat gaudendum, et laetandum esse, ut ii faciunt, qui prae gaudio exiliunt, et manibus strepitum, et voce clamores excitant: nam idem Propheta non solos homines ad plausum, et exultationem invitare solet, sed etiam coelum et terram, et flumina, et montes, et arbores, psal. 95. *Laetentur coeli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus; gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt: tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit;* et in psal. 23. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini*; quae omnia metaphorica sunt, neque aliud significant, nisi ingentem animi laetitiam hominis cupientis, si fieri posset, ut omnia sibi congauderent. Neque omittendum est, quod monet s. Augustinus, illorum dumtaxat gaudium Deo gratum esse, qui manibus plaudunt, et voce exultant, idest, qui operibus bonis, et voce laudis testantur se in Domino gaudere.

2. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.*

Reddit rationem Propheta, cur omnes gentes ad plaudendum, et exultandum invitaverit: ac primum rationem ducit a magnitudine Christi, quem dicit esse *excelsum* ratione divinitatis, *terribilem* ratione potentiae, et *regem magnum* ratione providentiae, et gubernationis. *Quoniam*, inquit, *Dominus excelsus*, idest, cum plausu, et exultatione

jubilate Deo gentes omnes, quoniam Deus, et Dominus noster Christus excelsus est, sive altissimus (ut vertit s. Hieronymus) quoad naturam divinam, ratione cujus longe excellit omnibus rebus creatis. Item quoniam *terribilis* est, quoad potentiam, cum vere sit omnipotens, et nihil ei resistere possit. Denique, quia *rex magnus super omnem terram*, quoad gubernationem, cum ipse sit supremus, et absolutus, et universalis rector orbis terrae.

3. *Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.*

Alteram rationem ducit a beneficio, quod Ecclesiae suae contulit in principio, quando eam eduxit de terra Aegypti: tunc enim Deus, sive Christus secundum formam Dei introduxit populum in terram promissionis, et populos, ac gentes, quae loca illa possidebant, subjecit populo suo, et fecit, ut re ipsa pedibus conculcarent colla Regum illarum gentium; ut scribitur in libro Josue cap. 10.

4. *Elegit nobis haereditatem suam speciem Jacob, quam dilexit.*

Tertiam rationem ducit ab alio beneficio, quo idem Deus Christus, post ejectos Chananaeos, et populum suum in eorum terram introductos, elegit sibi in peculiarem, et propriam haereditatem primitivam Ecclesiam, ex Judaeis credentibus, idest, Apostolis, caeterisque discipulis. *Elegit*, inquit, *nobis*, idest, in nobis, sive ex nobis, *haereditatem sibi*, populum videlicet peculiarem. *Speciem Jacob, quam dilexit*, idest, elegit pulchritudinem quamdam eximiam populi Judaici, qui dicitur Jacob; quam pulchritudinem merito adamavit, et ideo ex eo populo Ecclesiam, quasi propriam haereditatem sibi ipse constituit. Observandum est hoc loco, in populo Judaico plurimos fuisse durae cervicis, et idololatriae addictos, ac per hoc tandem reprobatos; sed fuisse etiam sanctissimos Patriarchas, quorum spiritualem pulchritudinem Fidei, ac morum Deus valde dilexit. Unde et Apostolus dicit Rom. 11. Judaeos fuisse Deo charissimos propter patres, et ecclesiam ex Judaeis esse bonam olivam, cujus aliqui rami fracti sunt ob incredulitatem, et in eorum locum insertos esse gentiles conversos ad fidem, quos oleastros appellat, et iisdem gentilibus jam fidelibus dicit: *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivae factus es, noli gloriari adversus ramos: quod si gloriaris, non tu radicem portas sed radix te.* Haec igitur est species Jacob, quam Deus dilexit, et propter quam elegit sibi haereditatem ex populo Judaeorum, cui postea adjunxit multitudinem gentium. In hebraeo codice nunc habemus, Elegit nobis haereditatem nostram: sed septuaginta Interpretes, qui verterunt, haereditatem sibi, sine dubio non legerunt, נחלתנו *nachalathenu*, quod significat, haereditatem nostram, sed, נחלתו *nachalotho*, vel, נחלה לו *nachala lo*, quod est, haereditatem sibi. Et facile fuit post tempora septuaginta Interpretum mutari textum ob litterarum similitudinem. Certe sententia multo clarior est, quam reddiderunt septuaginta Interpretes, quam ea sit, quam nunc recentiores colligunt ex hebraeo. Quid enim sit, *elegit nobis haereditatem nostram*, vix intelligi potest; at, *elegit in nobis haereditatem sibi*, facillime intelligitur.

5. *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubae.*

Haec est quarta ratio, cur oporteat plaudere, et exultare, quia videlicet, posteaquam Dominus *elegit sibi haereditatem* in populo hebraeorum, idest, inchoavit Ecclesiam suam in Apostolis, et Discipulis, qui omnes hebraei erant, ascendit in coelum, et naturam nostram personae suae indissolubiliter unitam evexit supra omnes coelos, super omnes Angelos, et super omnes creaturas. Quamvis enim in hoc psalmo non exprimatur, quo ascenderit; exprimitur tamen in psalm. 67. ubi dicitur, *ascendit in altum, captivam duxit captivitatem*; et ibidem, *ascendit super coelos coelorum ad orientem.* Ait igitur, *ascendit Deus*, idest, Christus ascendit in coelum, sed ascendit propria virtute, quia Deus erat: ideo enim dicit, *ascendit Deus.* Illud, *in jubilo, et in voce tubae*; de spirituali jubilo, et sono angelorum intelligendum est: nam, ut Chrysostomus notat, quod ad corporalem strepitum attinet, ascendit in silentio apostolis aspicientibus, et mirantibus; et fortasse non sunt visi, neque auditi chori angelorum, ut in nativitate ut apostoli nulla alia re distraherentur, sed toti essent intenti ad cogitandum mysterii magnitudinem, dum viderent, naturam humanam, cui dictum erat, Gen. 3. *pulvis es et in pulverem reverteris*, jam cum ingenti gloria et immortalitate indutam ascendere super omnes coelos: sed tamen dubitari non potest, quin adessent angelorum legiones ineffabili jubilo deducentes Dominum gloriae in gloriam suam.

6. *Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.*
7. *Quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter.*

Antequam subjungat quintam rationem, ex admiratione ascensionis, provocat omnes ad laudandum Deum, et ad effectum suum significandum non semel tantum dicit, sed iterum, atque iterum repetit. *Psallite*, inquit, *Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite*; idest, *psallite Domino*, quia Deus noster est; nimirum, *psallite*, quia *rex noster est*, et tertio psallite, quia non solum rex noster est, sed quia *omnis terrae rex est.* Nec solum psallite frequenter, sed etiam *sapienter*, idest, attente, et considerate, ut nulla in re fiat error: oportet enim officium, quod summo regi praestatur cum omni diligentia praestari. Vide de hac re s. Bernard. serm. 7. et 47. in Cantica. Significatur etiam per vocem, *sapienter*, ut Chrysostomus, et Augustinus admonent, ut qui psalmos canit, intelligat quod canit, et ex intelligentia mysteriorum moveatur affectus pietatis in Deum. In qua re vi-

detur hoc tempore non leviter peccari ab iis, qui officium canendi in ecclesia susceperunt.

8. *Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.*

Quinta ratio ponitur hoc loco, cur oportet psallere, et jubilare Deo in voce exultationis; quia videlicet Christus, posteaquam in coelum ascendit, per Apostolos suos toti orbi terrarum praedicavit Evangelium, atque ad regnum suum gentiles adduxit. *Regnabit*, inquit, *Deus super gentes*, idest, non contentus Christus Deus haereditate, quam sibi acquisivit ex populo Judaeorum, regnabit etiam super gentes, dum per Apostolorum praedicationem gentes omnes jugo fidei colla subjicient. Sed interim *sedet super sedem sanctam suam*, idest, sedet ad dexteram Patris, quae est sedes regni Dei sanctissima, idest, justissima, et in quam nulla cadere potest iniquitas. Vocatur etiam sedes Dei sancta, quoniam anima justi sedes est sapientiae, et Deus sedet super Cherubim, qui sunt sanctissimi et beatissimi spiritus.

9. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam Dii fortes terrae vehementer elevati sunt.*

Declarat quod dixit, *regnabit Deus super gentes*. Id enim futurum erat, quia per Apostolorum praedicationem *principes populorum*, cum ipsis suis populis fideles futuri erant, et dimissis Diis Patrum suorum, cum Deo Abraham, qui solus verus est Deus, congregandi erant. Hoc igitur est, quod dicit, *principes populorum*, gentilium videlicet, *cum Deo Abraham congregati sunt*, idest, cum Deo Abraham convenerunt, ut ipse esset eis in Deum, et ipsi populus ejus essent. Nominat autem Deum Abraham, ad differentiam Deorum, quos sibi variae gentes adoptarunt, cum in mundum ingressa est idololatria, quo tempore apud familiam Abraham, pro eo quod nos habemus, cum Deo Abraham; sed septuaginta Interpretes non legerunt, עַם *ham*, sed, עִם *him*, eaedem enim literae cum uno puncto, significant *cum*, cum alio significant *populus*. Et vel ex hoc loco intelligi potest, puncta non esse ubique recte collocata: nam si legamus ut legerunt septuaginta Interpretes, sensus est clarissimus: si vero legamus, ut nunc est in hebraeo, sensus nullus, aut obscurissimus erit. Quid enim est, *principes populorum congregati sunt populus Dei Abraham?* haec enim lectio nunc habetur in textu Hebraico. Quod autem sequitur, *quoniam Dii fortes terrae vehementer elevati sunt*, s. Augustinus exponit de superbis hominibus, qui non convenerunt cum Deo Abraham, sed reprobi facti sunt ob eorum superbiam. S. Joan. Chrysostomus exponit de apostolis, per quos principes populorum conversi sunt ad Deum Abraham, ut sensus sit: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham; quoniam Dii fortes terrae*, idest, Apostoli, *vehementer elevati sunt;* cum pleni fuerint donis sapientiae, et fortitudinis, et miraculorum in tantam eminentiam, ut Principes populorum eis resistere non potuerint. Vere enim Apostoli Spiritu Sancto repleti tam fortes fuerunt, ut omnia pericula, omnia tormenta, omnem potentiam diaboli, et omnem mundi sapientiam superaverint. Sed potest etiam satis commode ad litteram intelligi de iisdem principibus populorum, ut iidem sint principes populorum, et Dii fortes terrae, ut sensus sit: *principes populorum cum Deo Abraham congregati sunt*, quoniam ipsi, qui sunt quasi Dii quidam, et potentes in terra, vehementer elevati sunt, cum antea essent per idololatriam servi doemoniorum, et nunc sint facti per fidem filii Dei veri, et vivi. In hebraeo est alia lectio: *quoniam Dei scuta terrae valde elevatus est*. Et quidem vox, *Dei*, in graeco etiam habetur in genitivo τῆς Θεοῦ, ex quo putant aliqui in latino textu legendum esse, Dei, et errore librariorum positum esse, *Dij*, pro, *Dei*, cum sanctus Augustinus, et sanctus Hieronymus in commentario legant, *Dii*, et sensus sit longe clarior, credibile est, varias fuisse lectiones graecas, et nostram latinam translatam esse ex graeca emendatione, praesertim cum nulla inveniatur varietas in codicibus latinis manuscriptis, sed in omnibus legatur, *Dii*. Illud autem, *scuta terrae*, potest etiam ex hebraeo verti, protectores, sive Magistratus terrae, ut periti facile intelligunt ex cap. 3. Oseae vers. 18. ubi haec eadem vox, מָגִנֵּי *maghinne*, quam hoc loco s. Hieron. vertit, *scuta*, vertitur ab eodem Hieronymo, *protectores*. Et quoniam protectores sive magistratus, potestatem habent super alios, non debet mirum videri si septuaginta Interpretes, et Interpres latinus posuerint, fortes. Itaque *Dij fortes terrae* sunt principes, qui instar Deorum fortiter protegere debent terram ipsis subjectam. Denique illud *elevatns est*, verterunt Septuaginta in numero multitudinis, ad sensum potius, quam ad verbum respicientes. Sensus enim est, *Dii fortes terrae elevatus est*, idest, unusquisque eorum elevatus est, quod clarius vertitur, elevati sunt. Neque est hoc novum in lingua hebraica, sed usitatum, ut Genes. 1. ubi nos habemus, *Sint luminaria*, in Hebraeo est, Sit luminaria; et Eccles. 10. ubi legimus, *Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti*: in hebraeo legitur, *Muscae morientes perdit suavitatem unguenti*. Et Gen. 49. ubi invenitur, *Filii discurrerunt super murum*, in hebraeo invenitur, *Filii discurrit*. Sicut etiam e contrario non raro in hebraeo invenitur nomen singularis numeri cum verbo numeri multitudinis. ut Aggaei 2. pro eo quod nos legimus, *Et veniet desideratus cunctis gentibus*: in hebraeo habetur, *Et venient desiderium gentium*: et Job. 15. ubi nos habemus, *Numerus annorum incertus est*, legitur in hebraeo, *Numerus annorum reconditi sunt*. Igitur verba hujus postremi versiculi, quae juxta litteram hebraicam nullum sensum habere videntur, sapientissime e septuaginta Interpretibus, et a nostro latino Interprete reddita sunt.

PSALMUS XLVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David.

Titulus notus est ex iis,quae alibi dicta sunt exceptis illis verbis, *secunda sabbati*, quae non habentur in hebraeo, sed a graecis addita sunt. Significatur autem illis verbis , psalmum traditum filiis Core,ut eum cantarent *secunda sabbati*,idest, secunda die hebdomadae. Quae sit autem secunda dies, et cur secunda die canendus esset, inter auctores non convenit s. Ambrosius existimat, secundam sabbati esse diem Dominicum; quia est secundus a sabbato, quod erat principale festum Judaeorum: et quoniam in Evangeliis legimus Christum resurrexisse in prima sabbati respondet s. Ambrosius,diem Dominicum apud Judaeos fuisse secundam sabbati,et ideo sic nominari in titulo hujus salmi, sed propter Dominicam resurrectionem,diem Dominicum esse coepisse primam sabbati, et ideo in Evangeliis vocari primam sabbati. S. Hieronymus, et s. August. intelligunt hoc loco per secundam sabbati diem sequentem post Dominicum qui est prima sabbati, non solum in Evangeliis, sed etiam in titulo psalmi vigesimi tertii: et haec est verior sententia: sabbatum enim apud Judaeos, erat quidem festus et solemnis dies; at non dicebatur primus, sed ultimus dies hebdomadae. Quia vero prima die facta est lux,secunda factum est firmamentum, s. Hieronymus, et s.August. volunt, psalmum praecedentem pertinuisse ad Christum, qui est lux vera; hunc autem pertinere ad Ecclesiam, quae est firmamentum spirituale, in quo sunt stellae innumerabiles,idest,homines plurimi sapientiae, et sanctitatis gloria rutilantes.Argumentum psalmi est laudatio Dei ob aedificium civitatis sanctae Jerusalem, et quidem graeci, Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius existimant ad litteram tractari de reaedificatione Jerusalem post reversionem e captivitate Babylonica. Latini, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus, per Jerusalem Ecclesiam simpliciter intelligunt, sed fieri potest, ut utrumque sensum Spiritus sanctus intenderit, sed magis posteriorem: constat enim civitatem sanctam Jerusalem, Ecclesiae Christi gessisse figuram.

EXPLICATIO PSALMI XLVII.

1. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.*

Laudaturus Propheta aedificium, incipit a laude architecti, ac dicit in officio sanctae civitatis mirifice splendere artem, et sapientiam Dei, qui illam aedificavit. *Magnus*, inquit , *Dominus* , *et laudabilis nimis*. Magnus Dominus est sive spectes essentiam ejus, sive potentiam, sive sapientiam,sive justitiam, sive misericordiam: omnia enim infinita, aeterna, incomprehensibilia sunt, et inde idem *Dominus laudabilis est nimis* , ut non sufficiant omnes Angeli , ed omnes homines , omnia opera ejus satis eum laudare. Sed ex iis, quae nobis revelata sunt, nihil fere majus habemus , unde Domini magnitudinem melius cognoscamus, et unde magis eum laudare possimus, quam Ecclesiae Catholicae aedificationem; et ideo dicit Propheta , *magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus*, idest, magnitudo Dei, unde laudandus est valde , conspicitur in Ecclesiae fundatione, et constructione , quae est civitas Dei nostri, quae in monte sancto, idest, in excelso perfectionis posita est. De hac enim dicitur Isaiae 2. *Erit mons domus Domini praeparatus supra verticem montium.* Et Matth. 5. Dominus ipse vocat Ecclesiam suam,*civitatem supra montem positam.* Atque ut hujus aedificii miracula brevissime attingamus; primo cogita incredibilem varietatem gentium , linguis, moribus, ritibus, legibus dissitarum ita convenisse in unius fidei, et sacramentorum unitatem , ut unum populum, imo unam familiam efficiant. Secundo , cogita Ecclesiam fundatam fuisse super Petrum , ut Matth. 16. aperte dicitur , idest , super hominem piscatorem, vilem, indoctum, et pauperem ; et tamen *ita solide fundatam, ut portae inferi adversus eam praevalere non possint* ; velit enim nolit mundus, in quo Christi Ecclesia peregrinatur; et fremant , quantum volunt , et possunt omnes immundi spiritus ; et persecutiones moveant omnes reges terrae; tamen ad terram promissionis secura

perveniet, et supra omnes coelos aliquando constituta foelicissime in aeternum regnabit. Haec certe fieri non possunt, nisi a magno Domino, idest, a potentissimo, et sapientissimo architecto, qui propterea laudabilis est nimis, idest, omni laude major est.

2. *Fundatur exultatione universae terrae mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.*

Explicat Propheta, cur Deus sit laudabilis valde in Ecclesia, quae significatur per montem Sion, et civitatem Jerusalem; et causam esse dicit, quoniam a Deo *fundatur Ecclesia cum exultatione universae terrae*: et non dicit, *fundata est*, sed, *fundatur*, quoniam semper in variis locis fundatur Ecclesia, ubi antea non erat. Non enim Ecclesia est una parva domus, quae statim fundari potest, sed est civitas magna totum orbem terrarum occupans, et variis temporibus in variis locis fundatur per architectos spirituales, qui succedentes Apostolis, Christum, lapidem fundamentalem praedicando jaciunt, ac deinde lapides vivos superaedificant. Porro fundatio ista fit cum *exultatione universae terrae*, quoniam in universa terra fundatur Ecclesia per Evangelii praedicationem, quae praedicatio incredibilem laetitiam spiritualem adfert illam recipientibus, nam ideo comparata est a Domino notitia *regni coelorum thesauro abscondito in agro quem qui invenit, cum gaudio vendit omnia quae habet, et emit agrum, in quo thesaurum absconditum esse novit*, Matth. 13. et in actis Apostolorum cap. 2. cum fundaretur Ecclesia in Jerusalem dicitur: *Sumebant cibum cum exultatione*; et cap. 8. praedicante Philippo, fundante Ecclesiam in Samaria, *factum est gaudium magnum in illa civitate*; et Eunuchus reginae Candacis cum audivisset fidem ab eodem Philippo et baptizatus fuisset, *ibat per viam suam gaudens*; et cap. 15. cum Beatus Paulus gentibus praedicare coepisset, et Ecclesiae fundamenta jacere, *gavisae sunt gentes, et glorificabant verbum Domini*. Dicitur autem fundari mons Sion, ut intelligamus hic non agi de monte Sion corporali, ille enim fundatus fuit ab initio mundi; sed de monte spirituali, cujus ille figura erat. Est igitur hoc loco mons Sion Ecclesia Christi, quae dicitur mons Sion propter eminentiam doctrinae, et perfectionem vitae, quae est in Ecclesia. Eadem quoque Ecclesia dicitur latera Aquilonis, quoniam sicut mons Sion corporalis situs est in terra promissionis ad partem Borealem, et est quasi murus quidam defendens eam regionem a vento illo frigido, et furioso qui dicitur Aquilo: sic etiam Ecclesia Christiana est quasi murus oppositus Aquiloni spirituali, id est, flatibus spirituum immundorum: qui enim requiescunt in sinu Ecclesiae, idest, acquiescunt doctrinae, quae docetur in Ecclesia, et obediunt legibus ejusdem Ecclesiae, non facile laeduntur ab Aquilone spirante perniciosa dogmata per exempla. Denique eadem Ecclesia dicitur Civitas regis magni; quod ad ejus nobilitatem maxime facit: Ecclesia enim Christiana proprium regem habet Christum, qui est princeps regum terrae, et rex regum, ac dominus dominantium. Caeteri enim, qui Ecclesiae praesunt, Ministri Christi sunt, ut Apostolus loquitur 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Et ille, qui supremam in Ecclesia potestatem habet, vicarium Christi se dicit, nec solum servum Dei, sed etiam servum servorum Dei ipse se nominat. Quod ad verba attinet, difficultas est solum de voce illa, *fundatur*: nam ss. Ambrosius, et Augustinus legunt, dilatans. S. Hieronymus vertit ex hebraeo, *speciose germine*. S. Joan. Chrysostomus legit, bene radicans. Alii vocem hebraicam significare volunt terminum, aut clima, aut regionem, aut ramum. Sed s. Ambrosius, et Augustinus videntur legisse in graeco textu εὐρυνων, quod significat *bene dilatans*, pro ἐυριζον, quod significat bene radicans. Et certe lectio posterior est verior, quia concordat cum vulgata latina antiquissima editione: nam ut Chrisostomus exponit, idem est, radicare, et fundare. Et idem est, *fundatur a Deo mons Sion*, et fundat Deus montem Sion: hoc solum interest, quod graeca vox habet adjunctum adverbium, bene, quo caret vox latina: Sed in latina voce subintelligitur, bene, sive pulchre, ut est in hebraeo. Ex eo quod subjungitur, *exultatione universae terrae*, facile colligitur, non solum fundari montem Sion. Ideo enim exultat universa terra, quia videt hoc aedificium tam pulchre, et tam solide fundari. Versio s. Hieronymi fundamentum habet in voce hebraica, יפה נוף *iephe noph*, quae potest reddi, *speciose germine*, sive pulchris ramis; et sensus erit, montem Sion ornatum esse pulchris ramis, sive pulchris arboribus, sed vox illa, נוף *noph*, quae tam multa et tam diversa significat secundum opiniones recentiorum, ut etiam ad regiones, et terminos, et climata referatur, cur non poterit etiam referri ad fundationem, et radicationem, ut Septuaginta feniores antiquissimi, et doctissimi censuerunt? Itaque censemus verba hebraica consentanea ad versionem septuaginta Interpretum, et ad expositionem Chrysostomi, Theodoreti, et sancti Hieronymi in commentario psalmorum, reddi posse, *bene fundatur.*

3. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.*

Addit secundam rationem, cur magnus sit Dominus et laudabilis valde in civitate sua Hierusalem, quia non solum bene fundavit eam, sed etiam continuo protegit, et exaltat. Deus, inquit, qui fundavit Ecclesiam instar regiae civitatis, tunc potissimum *cognoscetur in domibus ejus*, idest, tunc cognoscetur ab omnibus habitantibus in domibus ejus, sive tunc cognoscetur habitare in domibus ejus, *quando* in tempore persecutionum *suscipiet eam* protegendam atque exaltandam. Pro voce *domibus*, in hebraeo est vox, ארמנות *armenoth*. quae significat non quaslibet domos, sed palatia, basilicas, templa. Itaque hinc intelligimus, Deum habitare potissimum in domibus ipsi Deo sacris,

quales sunt basilicae, ac templa, quae Deo proprie dedicantur. Pro vocibus autem, *cum suscipiet eam*, est in hebraeo, לְמִשְׂגָּב *lemisgab*, quod significat, *in refugium*, sive, *in auxilium*, sive, *in exultationem*. Proinde illud, *cum suscipiet eam* explicandum est, cum suscipiet defendendam, et exultandam, sive cum susceptor ejus erit, idest, auxiliator, et defensor: nam in psalmo 45. ubi legitur, *susceptor noster Deus Jacob*, pro susceptor, in hebraeo est, מִשְׂגָּב *misgab*, ut hoc loco.

4. *Quoniam ecce reges terrae congregati sunt: convenerunt in unum.*
5. *Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.*
6. *Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Hos tres versiculos diverso modo exponunt latini, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus; et graeci Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius: Latini enim Patres exponunt de gentilibus conversis ad fidem; graeci vero de gentilibus oppugnantibus fidem. Utraque expositio vera est, et una cum altera non pugnat. Itaque juxta latinos hic erit sensus: Deus cognoscetur esse in ecclesia ex conversione gentilium: *quoniam ecce reges terrae*, et populi eorum cum eis, ex potentia verbi Dei per Apostolos praedicati, et virtute signorum, et prodigiorum per eosdem patratorum conversi, *congregati sunt et convenerunt in unum*, idest, ex variis sectis ac superstitionibus convenerunt in unitatem fidei, congregati sunt in unam ecclesiam, quasi in populum unum, *imo ut efficerentur cor unum anima una*, ut dicitur de primis Christianis in actis Apost. cap. 4. Conversio autem eorum sic fuit, quoniam *ipsi videntes* signa et prodigia, *sic admirati sunt*, et cognoscentes magnitudinem erroris, et peccatorum suorum dum idola pro Deo colerent, *conturbati sunt et commoti sunt* per veram poenitentiam: unde etiam *tremor apprehendit eos*, considerantes periculum aeternae damnationis, in quo tam diu fuerant. *Tremor* autem non levis, sed gravissimus *apprehendit eos*, qualis est dolor parturientis, qui tamen in gaudium magnum desinit. Cum enim *parturiens peperit filium jam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum*, ut dicitur Joan. 16. sic et dolor poenitentis desinit in laetitiam inenarrabilem cum adoptionis gratia, quae salutis aeternae semen et pignus est, cordi poenitentis infunditur: et tunc impletur quod sequitur, *in spiritu vehementi conteres naves Tharsis*: Spiritus enim sanctus hominem justificatum inhabitans, et vehementi ardore charitatis inflammans, *confringit naves Tharsis*, per quas superbia, luxuria, et avaritia significantur: naves enim tumentibus velis per fluctuantes undas in Tharsis properantes aurum, et argentum adducebant, ut dicitur 3. reg. 10. et 2. Paral. 9. tumor velorum superbiam, fluctuatio navis luxuriam, advectio auri et argenti avaritiam designat. At juxta expositionem graecorum sensus est, Deus in Ecclesia *cognoscetur* ex admirabili victoria Christianae religionis adversus impios persecutores. *Ecce* enim *reges terrae*, audita fama Christianae religionis, *congregati sunt*, *convenerunt in unum*, idest, ex variis locis, et ex variis superstitionibus, *convenerunt* adversus Christi Ecclesiam ut eam persecutionibus suis opprimerent, et extinguerent. *Sed videntes*, fortitudinem sanctorum martyrum, et mirabilem constantiam, in sexu etiam fragili, et in aetate tenera; necnon signa, et prodigia, quae per eos Deus faciebat, et quod numerus Christianorum persecutionibus, et mortibus augebatur, *admirati sunt*, *conturbati sunt*, *commoti sunt*, partim indignatione, partim dolore, *et tremor apprehendit eos*, sicut dolor parturientis, cum viderent templa idolorum deseri, et Christi regnum ipsis invitis, et totis viribus repugnantibus crescere. Hoc autem accidit, quia *Dominus in spiritu vehementi*, cum admirabili manifestatione potentiae suae contrivit idololatriam: quomodo solet tempestas venti brevissimo tempore dissipare, et conterere naves in mari. Quod attinet ad verba, vox illa, *terrae*, cum dicitur, *reges terrae*, non habetur in hebraico codice, sed septuaginta Interpretes explicandi gratia addiderunt. Illa autem particula, *sic*, jungenda est cum verbo sequenti, non cum praecedenti: est enim sensus, *ipsi videntes*, *sic admirati sunt*, idest, viderunt, et sic admirati sunt. Vox illa, *commoti sunt*, ex hebraeo a s. Hieronymo vertitur, *admirati sunt*. Sed vox hebraea, חָפַז *chaphaz*, significat quidem admirari, sed significat etiam commoveri. Et quoniam jam dictum erat *admirati sunt*, *conturbati sunt;* recte Septuaginta verterunt verbum sequens, *commoti sunt*, tum ne idem bis repeteretur, tum quia hic est ordo naturalis, ut inopinato malo adveniente primum oriatur in nobis admiratio, deinde turbatio, postremo commotio, sive fuga. Cum dicitur, *in spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, subintelligitur, *quia*, vel alia similis particula: redditur enim ratio, cur ibi fuerint dolores ut parturientis. Potest autem duobus modis intelligi contritio navium: primum, ut subintelligatur particula similitudinis hoc modo, *in spiritu vehementi conteres eos*, quo modo ventus validus confringit naves: secundo, ut sensus sit, *in spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, idest, non solum terrestres copias, sed etiam classes instructas adversariorum dissipabit. Sicut enim impii terra, marique Ecclesiam oppugnant, sic etiam Deus terra, marique pro Ecclesia pugnabit. De voce Tharsis, quam graecus et latinus interpres reliquerunt, ut in hebraico textu invenerant, magna quaestio est, aliis volentibus significare Ciliciam, aliis Carthaginem, aliis Indiam, aliis ipsum mare. Sed hoc postremum improbabile est, quoniam Jonas ascendit navem, ut iret in Tharsis, ut legimus Jon. 1. Si autem Tharsis mare significaret, jam fuisset Jonas in Tharsis, quando erat in navi: quorsum igitur navigabat, ut iret in Tharsis? ex aliis significationibus, illa videtur verior, qua pro Tharsis India designatur, cum ex Tharsis adferretur Salomoni tertio quoque anno magna copia auri et argenti, et eboris: ut dicitur 3. reg. 10. et 2. Paralip. 9. Atqui ex Cilicia, vel Carthagine non

adducuntur ejusmodi metalla, neque est opus triennio, ut ex Hierusalem navigetur in Ciliciam, vel Carthaginem. Sed hoc loco dicuntur *naves Tharsis*, naves magnae, quales esse solebant eae, quibus navigabatur in Tharsis, idest, in Indiam.

7. *Sicut audivimus sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in aeternum.*

Verba sunt filiorum Ecclesiae, qui laetantur se experimento jam discere de Ecclesiae stabilitate, quod ante promissum audiverant. Et nos praesertim haec dicere possumus: audivimus enim Christum dixisse, *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Matth. 16. et nunc post mille sexcentos annos, post tam multas, et tam graves paganorum, et haereticorum persecutiones, videmus Ecclesiam non potuisse deficere. Dicit ergo propheta in persona fidelium, *sicut audivimus* a prophetis et apostolis praedictum, *ita vidimus*, adimpletum in Ecclesia, quae est *civitas Domini virtutum*, cui videlicet militant omnes res creatae, et qui ideo dicitur *Dominus virtutum*, idest, exercituum, *qui est Deus noster.* Quod autem audivimus et vidimus, est, quod *Deus fundavit eam in aeternum*, ut nullum sit periculum ne unquam evertatur. Atque ex hoc loco satis aperte colligitur in hoc psalmo non accipi civitatem Dei pro terrena Jerusalem, ut aliqui recentiores volunt: illa enim jam olim a Tito imperatore eversa fuit: et de illa praedictum fuit a Domino, *non relinquet in te lapidem super lapidem.* Luc. 19.

8. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

His verbis confitetur populus Dei, non suis viribus, aut meritis tribuenda magnalia, quae Deus fecit, et facit in Ecclesia, sed soli misericordiae Dei. Ideo subjungit, *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, idest, hanc stabilitatem Ecclesiae, et alia bona innumerabilia, quae sicut audivimus promissa, ita nunc videmus impleta; de tua manu accepimus, non ipsi nobis peperimus. Fatemur igitur *in medio templi tui*, idest, publice, et coram omnibus, nos suscepisse *misericordiam tuam*, et illi tribuimus omnia bona. In hebraeo habetur verbum, דמינו *dimminu*, quod non tam *suscipere*, quam *aestimare* significat; quare s. Hieronymus vertit, *aestimavimus misericordiam tuam in medio templi tui.* Sed idem est sensus, ut s. Chrysostomus recte exponit: qui verbum hebraicum et graecum exponit: illud enim, *suscepimus*, referendum est ad cognitionem et aestimationem beneficii, ut diximus. S. Augustinus legit *in medio populi tui*, sed habuit codicem graecum inemendatum ob literarum similitudinem; siquidem legit λαϐ, *populi*, pro ναϐ, *templi.* In hebraeo nulla est similitudo literarum, unde error manare potuerit.

9. *Secundnm nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae: justitia plena est dcxtera tua.*

Pergit Propheta in persona fidelium laudare Deum ob accepta beneficia, ac sicut initio dixerat, *magnus Dominus, et laudabilis nimis*, ita nunc dicit, *secundum nomen tuum, sic et laus tua in fines terrae*, idest, secundum magnitudinem nominis tui est etiam magnitudo laudis tuae. Sicut enim nomen Dei in universa terra innotuit ob magnalia, quae in ecclesia fundanda, et protegenda patravit, sic etiam laudatur Deus per totum mundum, usque ad ultimos terminos terrae. Addit etiam materiam laudis, dicens, *justitia plena est dextera tua.* Inde enim ubique laudatur Deus magnificentissimus praeconio omnium gentium, quoniam justissime pios defendit, et impios punit. Dicitur autem *dextera Dei plena justitia*, non quod non sit etiam plena misericordia, sed quod nullum locum habeat apud eum injustitia, *justus enim Dominus est in omnibus operibus suis.* ut dicitur psal. 144.

10. *Laetetur mons Sion, et exultent filiae Judae, propter judicia tua Domine.*

Ex eo quod dextera Domini plena est justitia, hortatur Propheta populum Dei ad exultandum, quoniam is populus praeter caeteros novit per experientiam justitiam Domini. *Laetetur*, inquit, *mons Sion*, idest populus Dei, sive Ecclesia Dei, quae per eum montem significatur; *et exultent filiae Judae*, idest, non solum viri, sed etiam foeminae in populo Dei, laetentur *propter judicia tua Domine*, videntes scilicet justitiam, quam exercuisti in protegendis fidelibus et perdendis infidelibus. Fortasse etiam per montem Sion intelliguntur perfecti, et fortes; per filias Judae imperfecti et debiles. Vel, per montem Sion, intelligitur arx, et caput religionis, qualia erat Jerusalem apud Judaeos; per filias Judae intelliguntur reliqua membra ecclesiae, qualis erant oppida subjecta Jerosolymae: saepe enim in scripturis, ac praesertim in libro Josue, per filias intelliguntur castella, sive oppida subjecta majoribus civitatibus.

11. *Circumdate Sion, et complectimini eam, narrate in turribus ejus.*
12. *Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.*

Hortatur in fine psalmi ad aedificationem et munitionem sanctae civitatis, de qua dixerat, *fundatur exultatione universae terrae mons Sion civitas regis magni.* Haec enim civitas non est similis materiali civitati, quae semel fundatur et aedificatur; sed usque ad finem mundi fundanda et aedificanda, et munienda est, ex lapidibus vivis, qui quotidie inferendi sunt, donec civitas perfecta in die novissimo dedicetur. Sic enim Apostolus loquitur ad Ephes. 2. *In quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto*; et cap. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quos*

dam autem Prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. Et sanctus Petrus in epist. 1. cap. 2. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spirituales.* Ait igitur, *circumdate Sion, et complectimini eam*, idest, muris cingere sanctam civitatem, ubi forte desunt. Dicuntur autem muri civitatis viri perfecti, qui reliquum populum defendunt ab inimicis. *Narrate in turribus ejus*, idest, ex toto loco publice praedicate : (nam ut supra diximus) praedicatio Evangelii est instrumentum, quo civitas fundatur et aedificatur. *Ponite corda vestra in virtute ejus*, idest, serio cogitate de munitione et robore civitatis, ne pateat hostium incursibus: *et distribuite domos ejus*, idest, post fundata, et aedificata moenia, fundentur, et aedificentur domus, et quoniam ad hoc opus multi requiruntur, distribuite variis operariis partes suas, ut domos aedificent; et sic civitas paulatim repleatur et crescat: et sic fiet, *ut enarretis in progenie altera*, idest, ut per vos multiplicatio populo Dei, ad posteros transmittatis notitiam Dei.

13. *Quoniam hic est Deus, Deus noster in aeternum, et in saeculum saeculi, ipse reget nos in saecula.*

Hoc est quod narrandum est posteris, quod videlicet hic Deus, qui fecit mirabilia in civitate sancta Jerusalem, *ipse est Deus noster in aeternum*, nec unquam recedemus ab eo, nec ipse recedet a nobis ; nos erimus in aeternum populus ejus, *et ipse Deus noster erit in aeternum, et reget nos in saecula.* S. Hieronymus vertit ex hebraeo haec ultima verba, *ipse reget nos in morte.* Sed facile est videre, unde orta sit varietas lectionis ; nam vox hebraica si legatur, עלמות *holamoth*, significat *saecula*, et sic legerunt septuaginta interpretes ; si legatur cum aliis punctis, על מות *hal muth*, significat *ad mortem*, et sic legit s. Hieronymus, et legunt hodie Rabbini. Uterque autem sensus verus est, et in idem recidit: nam si Deus regat nos usque ad mortem, reget sine dubio in saecula : non enim post mortem ab illo excidere poterimus. Qui exponunt hunc psalmum de terrena Jerusalem valde laborant in explicatione undecimi, et duodecimi versiculi. Qui autem exponunt ad litteram de ecclesia, nullas patiuntur angustias.

PSALMUS XLVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem filiis Core Psalmus.

In titulo nihil est novi. Argumentum est adhortatio utilissima ad virtutem sectandam, et fugienda vitia.

EXPLICATIO PSALMI XLVIII.

1. *Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.*
2. *Quique terrigenae, et filii hominum, simul in unum dives et pauper.*

Haec est praefatio ad captandam attentionem, quae sumitur ex eo quod oratio habenda conveniat omnibus hominibus aequaliter, nec solum praesentibus, sed etiam futuris. Itaque convocatur omne genus humanum ad audiendum ; et quoniam neque locus ullus tantam multitudinem caperet, neque ulla vox Oratoris a tam multis audiri posset; intelligere debemes Prophetam praevidisse psalmos suos in omni terra, et in omni futuro tempore decantandos ; et ideo omnes omnino ad audiendum invitasse. *Audite*, inquit, *omnes gentes*, (sive ut habetur in hebraeo, כל העמים *col hahammim*), *omnes populi*: quia videlicet ad omnes pertinent ea, quae dicenda sunt. *Auribus percipite omnes, qui habitatis terram* : declarat verba praecedentia : quod enim dixerat, *audite*, declarat addens, *auribus percipite*, idest, non ita audite, ut sermo tantum circumsonet aures, et pertranseat; sed ita audite, ut sermo intra aures recipiatur, ibique haereat, ut attente cogitari possit. Quod autem dixit, *omnes gentes*, explicat addens, *omnes qui habitatis orbem*, ne videlicet per gentes intelligantur soli gentiles ; vel per populos, ut est in hebraeo, intelligerentur soli, qui civitates incolunt. Vocat igitur ad audiendum omnes , qui orbem terrarum incolunt, sive sint gentiles , sive hebraei, sive congregati in civitatibus, sive disper-

si in montibus, et solitudinibus habitent. Ac ne videatur solos viventes, et praesentes alloqui, addit aliquid generalius dicens, *Quique terrigenae, et filii hominum*, idest, audite omnes, qui ex terra, et ab hominibus ortum dicitis: omnes enim homines tam qui sunt, quam qui erunt, communem habent matrem terram; et communem patrem, Adamum; sive communem habent materiam, ex qua sunt, terram; et commune principium activum, hominem. In hebraeo habetur, בני אדם *bene Adam*, filii Adam, ubi nos habemus, terrigenae: sed credibile est septuaginta Interpretes, non legisse, Adam, sed, אדמה *adamà*, quae vox terram significat: facile enim est, literam ultimam ex nostris codicibus hebraicis excidisse. Adjungit postremo, *simul in unum dives et pauper*, ut ostendat id, quod dicendum est in hoc psalmo, ad omnes aequaliter pertinere, non magis ad divites, quam ad pauperes: neque in hoc theatro ullam rationem habendam differentiae personarum, sicut non habebitur in conventu illo, quo convocabimur ad judicium in die novissimo. Haec enim oratio, quam in hoc psalmo per Prophetam Spiritus sanctus ad homines habet, talem omnino conventum requireret, qualis erit in ultima die.

3. *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.*
4. *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.*

Haec est altera pars praefationis, in qua rursum Propheta praeparat auditorem ex alio duplici capite, ex dignitate materiae, et ex dignitate docentis. Dignitas materiae ostenditur ex eo quod sermo futurus est de sapientia, et prudentia, et sermo non simplex, sed parabolicus, et aenigmaticus, qualem decet esse sermonem de rebus gravissimis, ut non contemnatur, neque intelligatur, nisi a diligentibus, et attentis auditoribus. *Os meum*, inquit, *loquetur sapientiam*, idest, docebit ea, quae faciunt hominem sapientem; *et meditatio cordis mei prudentiam*, idest, et meditatio cordis mei, quae per os foras erumpit, docebit ea, quae faciunt homines prudentes: declarat enim priorem versiculi partem per posteriorem: cum enim dixisset, *os meum loquetur*, ne putaremus eum temere loquuturum quidquid in buccam venerit, addit, *et meditatio cordis mei*, supple, loquetur, idest, os meum pariet, quod cor meum diuturna meditatione conceperit. Et quia dixerat se loquuturum sapientiam, ne quis existimaret, sermonem futurum de rebus speculativis, et ad actiones humanas parum pertinentibus, addidit, *prudentiam*. Itaque significat sermonem habendum de rebus, quae sapientiam simul et prudentiam contineant, quaeque faciant hominem sapientem in altissimis causis contemplandis, et prudentem in vita rectissime instituenda. Attingit deinde magnitudinem doctoris cum addit, *inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam*; quasi dicat, non ego loquuturus sum, quae mox audietis, sed spiritus Domini per me loquetur: ego enim attente primum audio internum doctorem meum; deinde quae audivi loquor. *Inclinabo in parabolam aurem meam*, idest subjiciam aurem meam spiritui loquenti, et obedienter audiam, et sic *aperiam in psalterio propositionem meam*, mihi videlicet a Deo inspiratam, et communicatam. Per parabolam, hoc loco intelligitur aenigma, idest, propositio obscura, quae attentionem, et studium requirit ut intelligitur. Id patet ex verbis hebraicis, quae significant proverbium, et aenigma, et similia habentur Judicum 14. ubi Sampson proposuit explicandam illam sententiam. *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo*; quam sententiam vocat problema, et propositionem; et habentur eo loco eadem verba hebraica, משל חידה *mascial chidah*, quae hic habentur; quod autem additur, *in psalterio*, sive *in cithara*, ut proprie sonat vox hebraica, pertinet etiam ad praeparationem auditorum: significat enim David se propositurum doctrinam suam gravissimam cum cantu et sono, ut suavitas musicae temperet gravitatem doctrinae, et praecepta utilissima jucundius et avidus suscipiantur.

5. *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.*

Hoc est proverbium, sive aenigma, quod praemissa tam accurata praefatione toti humano generi Propheta proponit et solvit. Sed solutio non minus est obscura, quam propositio, ut tam propositio, quam solutio aenigmatica dici possit. Sed tamen aenigmatica sunt haec verba hominibus hujus saeculi amore praeoccupatis: nam veris spiritualibus, et veris Dei servis apertissima sunt. Ait igitur, *cur timebo in die mala*? quasi dicat, propono vobis omnibus, qui habitatis orbem terrarum, hanc quaestionem solvendam: quid est, quod me terrere poterit *in die mala*, idest in die judicii divini, quae dicitur, Sophoniae 1. *dies irae, dies tribulationis et angustiae*; *dies calamitatis et miseriae*; *dies tenebrarum et caliginis*; *dies nebulae et turbinis*; *dies tubae et clangoris?* Sive (quod est idem). Quid me securum reddere poterit in die illius judicii, a quo summa bonorum omnium et maiorum meorum dependet? Magnum profecto problema, et quod omnes omnino contingit. Solvit autem propheta suum aenigma cum dicit, *iniquitas calcanei mei, circumdabit me*, idest quod me timere faciet in die illa mala, non est paupertas, quia Judex non corrumpitur donis; non est humilitas generis, aut status, quia Judex non respicit personas; non est malitia testium, aut advocatorum, quia Judex omnia novit; non est potentia adversariorum, quia Judex neminem timet; denique nihil est aliud, nisi iniquitas; et non quaevis iniquitas, sed sola *iniquitas calcanei mei*, idest, iniquitas extremae vitae meae, iniquitas perseverans usque ad finem vitae: illa enim si inveniatur in illa die in me, *omnino circumdabit me* instar aggeris, aut muri, ut nullo modo evadere possim; quia tunc non erit amplius locus poenitentiae, vel indulgentiae. Et contra, quod me securum et impavidum in die mala facere poterit, non erunt divitiae aut nobilitas, aut advocatorum diligentia, vel amicorum potentia, sed

sola justitia ; et non quaevis justitia, sed justitia calcanei mei, idest extremae vitae meae, sive innocentia perseveravit mecum usque ad mortem, sive per veram poenitentiam iniquitate deleta, in ejus locum successerit vera justitia. Scio multis aliis modis hos versiculos ab aliis exponi: sed ego brevitati studeo ; et de variis sententiis lectori judicium relinquo.

6. *Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.*

Posteaquam dixerat Propheta, nihil esse timendum nisi peccatum, ut quis in die mala securus sit, addit nunc multos esse, qui hoc non intelligentes, confidunt in viribus suis, ac per hoc gloriantur in divitiis, quas magno studio paraverunt, existimantes hac ratione, se tutissimos fore in qualibet mala die ; et simul demonstrat illos omnino falli, et problema suum, ejusque solutionem esse verissimam. Ait igitur, *qui confidunt in virtute sua*, idest, qui non timent diem malam freti potentia, et viribus suis, ut sunt plurimi ex filiis hujus saeculi, illi etiam consequenter *gloriantur in multitudine divitiarum suarum*: existimant enim pecuniis omnia vinci, et expugnari posse. Et vere in hoc saeculo magna vis est in opibus et divitiis, ut vere dixerit Sapiens, *pecuniae obediunt omnia.* Eccles. 10. Sed in die mala nullae amplius invenientur pecuniae, neque si invenirentur prodesse possent. Ideo subjungit Propheta :

7. *Frater non redimit, redimit homo? non dabit Deo placationem suam.*

Ostendit vanam esse fiduciam confidentium in pecuniis. Ait enim, *frater non redimit*, id est, nemo poterit quamlibet magnis divitiis in die mala redimere fratrem suum. *Redimet homo* ? hoc legendum est cum interrogatione, ut monet sanctus Basilius, *frater non redimit, redimet homo*, vel repetenda est negatio de more Scripturae sanctae. Frater non redimit, non redimet homo. Est enim sensus, *frater non redimit*, multo minus alius homo redimet. *Non dabit Deo placationem suam*, idest, neque alium, neque se ipse liberare poterit; quamvis enim pecuniis maxime abundet, ut eas omnes offerat ad placandum Deum in die mala, nihil ei proderit. Nam ut Dominus in Evangelio, Matth. 16. loquitur, *quam dabit homo commutationem pro anima sua* : superat enim pretium animae humanae omnia bona hujus mundi, et ideo solus sanguis unigeniti Dei, qui infiniti valoris erat, pretium animarum esse potuit. Itaque qui hoc magno pretio neglecto, in diabolica captivitate detentus perveniet ad diem malam, *non dabit Deo placationem suam.*

8. *Et pretium redemptionis animae suae, et laborabit in aeternum, et vivet adhuc in finem.*

Declarat quod dixerat, *non dabit Deo placationem suam*: placatio enim Dei est pretium redemptionis, quod solus unigenitus Dei dare potuit: de quo intelligit s. Basilius verba sequentia, *laborabit in saeculum, et vivet adhuc in finem*, idest, laborabit in hoc mundo ad tempus, et vivet postea in aeternum. Sanctus autem Ambrosius, et Chrysostomus exponunt haec eadem verba de viro pio et sapiente quocumque, quem opponunt viro stulto et impio confidenti in multitudine divitiarum suarum: vir enim pius et sapiens laborat ad tempus in servandis praeceptis, sed vivet in aeternum. Sanctus vero Augustinus exponit de illo eodem, de quo dictum est paulo ante, *non dabit Deo placationem suam*, et vult hunc sensum esse : Ille, qui confidit in multitudine divitiarum suarum, *laborabit in aeternum*, quia labor ejus non habebit finem, et vivet modico tempore, quia vita ejus erit usque in finem, et non ultra. Et videtur secundum hanc expositionem melius continuari textus Prophetae, ut magis proprie exponuntur verba, *in saeculum et in finem* ; nam laborare in saeculum non est laborare in hoc mundo, vel laborare modico tempore, sed est laborare in aeternum: et vivere in finem, non est vivere sine fine, sed est vivere usque ad finem statutum, et definitum ; ita ut finis naturalis vitae non praeveniatur, neque extendatur. Verba hebraica, pro laborabit in saeculum, videntur habere, *quiescet in saeculum*: nam חדל *chadal*, *quiescere* significat. Sed non est verisimile, septuaginta interpretes reddidisse omnino contrarium sensum, ideo suspicor illos legisse, חרל *Charal* : nam litterae ד, et ר, simillimae sunt. Verbum autem חרל *charal*, significat *angustiari*, et cruciari, et quasi urticis pungi : quod satis proprie convenit amatoribus divitiarum, quas Dominus in Evangelio Matth. 13. spinis comparavit. Itaque qui in divitiis suis confidunt, non solum non dabunt pretium redemptionis animae suae, sed laborabunt in tormentis cum divite Epulone usque in aeternum ; et vivent vitam voluptariam, quae illis sola videtur esse vita, usque in finem a Deo constitutum. De varia interpunctione textus hebraici non laboro ; quoniam illa posita est ad arbitrium Rabbinorum, quibus injuriam non facimus, cum eis septuaginta interpretes antiquiores et doctiores anteponimus.

9. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes : simul insipiens, et stultus peribunt.*

Quia dixerat impium victurum usque in finem, cursu videlicet naturali ; addit confirmans hoc ipsum, *non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes*, idest, continuabit cursum vitae suae usque ad ultimam senectutem, etiamsi videat aliquos sapientes, et justos rapi ante tempus, et non continuare cursum vitae usque in finem naturalem; saepe enim Deus iis, quibus daturus non est vitam aeternam, dat vitam temporalem diuturnam, quomodo Lazarus in Evangelio Luc. cap. 16. mortuus legitur ante Epulonem. Sed quamvis vita haec temporalis aliquando impiis satis longa contingat; tandem tamen finitur, et fit quod sequitur in psalmo, *simul insipiens, et stultus peribunt.* Itaque sensus totius versiculi est, *non videbit interitum*, id est, non morietur stultus, confidens in divitiis ante

tempus morientes : tandem tamen simul cum sapientibus etiam stultus et insipiens ad vitae temporalis finem pervenient. S. August. paulo aliter exponit illud, *non videbit interitum*: vult enim sensum esse, non intelliget, quis sit verus interitus: non enim verus interitus est mors corporis, sed mors animae. Posset etiam dici, *non videbit interitum*, idest, non cogitabit se quoque moriturum, quando sapientes viderit morientes: quae sententia verissima est; haec est enim caecitas humana, ut cum quotidie videamus morientes homines, nobis etiam meliores et juniores, tamen vix adduci possimus, ut serio cogitemus, nos quoque morituros esse; tamen ad litteram in Scripturis sanctis, *non videre interitum*, est non corrumpi, psalmo 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; et Joannis 8. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Quid autem intersit inter stultum, et insipientem, docet s. Basilius: dicit enim insipientem esse qui ad humana et communia ineptus est; qui videlicet, humana sapientia, sive prudentia caret; stultum autem vocari eum, qui caret notitia rerum divinarum, et solis terrenis intentus est: et videtur s. Basilius non tam ad graecas, quam ad hebraicas voces respexisse. Vere enim, כסיל *chesil*, vox hebraica, significat eum, qui sapientia etiam humana caret: vox autem, בער *bahar*, significat hominem pecori similem: pecora enim sola terrena cogitant: unde etiam paulo post dicit psalmus: *homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.*

10. *Et relinquent alienis divitias suas, et sepulchra eorum domus illorum in aeternum.*

Confidentes in divitiis stultos, et insipientes vocaverat sanctus Propheta: quomodo vocat etiam Dominus in Evangelio Luc. 12. cum dicit cuidam diviti, *Stulte hac nocte repetent a te animam tuam; et quae parasti, cujus erunt?* Ideo probat eos vere stultos esse, ex eo quod divitiis uti nesciunt, easque relinquunt iis, quos ignorant. *Peribunt*, inquit, *insipientes*, et stulti, quales sunt confidentes in divitiis, et ut stultitiam suam manifeste prodant, relinquent alienis divitias suas. Ubi recte notat s. Augustinus, per alienos intelligi posse etiam filios, et nepotes hominum impiorum: nam etiam isti, tamquam alieni, cito obliviscuntur eorum, quorum opes obtinuerunt: et quamvis etiam non obliviscerentur, tamen mortuos impios juvare non possent: quomodo dives ille de Evangelio quinque fratres habebat in saeculo, et tamen ab eis juvari non poterat, quo minus arderet in gehenna, Luc. 16. Proinde quinque illi fratres inter extraneos deputabantur: unus autem Lazarus, qui eum juvare potuisset, vere proximus, et non extraneus fuisset, si misericordiam in illum facere voluisset. Adjungit Propheta: *Et sepulchra eorum domus illorum in aeternum*, idest, ipsi quidem morientes reliquerunt alienis divitias suas, sibi autem nihil retinerunt, nisi angustissimam domum, idest, sepulchrum, in quo jacere debent *in aeternum*, idest, ad finem usque saeculi: saepe enim, aeternum, in scripturis significat integram durationem alicujus temporis, vel status: et declaratur haec phrasis in verbis sequentibus, *tabernacula eorum in progenie, et progenie.* Quod enim vocaverat sepulchrum, et domum aeternam, idipsum nunc vocat tabernaculum in progenie, et progenie, idest, habitaculum, ubi manebunt corpora eorum, donec generationes, et generationes peragantur; quod sine dubio erit usque ad mundi consummationem. In hebraeo non habetur *sepulchra*, sed, *interiora*: caeterum credibile est septuaginta Interpretes non legisse קרבם *kirbam*, ut modo legitur, et significat interiora eorum, sed literis transpositis קברם *kibram*, et significat sepulchra eorum.

11. *Tabernacula eorum in progenie, et progenie vocaverunt nomina sua in terris suis.*

De priore parte versiculi dictum est in explicatione versiculi superioris. Quod autem additur, significat, post mortem hominum insipientium nihil superesse in terris, praeter nomina ipsorum: multis enim modis conantur mortales, qui hanc solam vitam moverunt, nomina sua aeternitati commendare: vel enim nomina sua inscribunt parietibus; vel ea civitatibus indunt; vel in libris a se scriptis apponunt, vel denique filios, aut nepotes ad memoriam perpetuandam nomina sua gerere curant. Ita filii hujus saeculi nomina sua scribunt in terris, quoniam scripta esse non sperant in coelis.

12. *Et homo, cum in honore esset, non intellexit comparatus est jumentis insipientibus; et similis factus est illis.*

Occasione insipientis, atque in divitiis confidentis, digreditur Propheta ad ipsum genus humanum coarguendum, quasi dicat: *Et sic homo cum in honore esset, non intellexit*, idest, homo praeter caetera animalia honoratus a Deo intelligentia, et ratione, libero arbitrio, imagine divinitatis, immortalitate animae, imperio super omnia, quae in terris sunt, non intellexit hunc honorem suum; sed *comparatus est jumentis insipientibus*; quibus non est intellectus. *Et similis factus est illis*, dum more pecudum, non prospicit in futurum, sed praesentibus solum inhiat; et subjicit se corporalibus passionibus, quibus imperare debuerat; denique vera, et sempiterna bona contemnit, ut falsis, et caducis fruatur; eum e contrario temporalia omnia despicere debuisset, ut sempiternam vitam sibi compararet. In hebraeo codice non habetur, intellexit, sed, ילין *ialin*, *commorabitur*: caeterum septuaginta Interpretes non legerunt, *ialin*, sed, יבין *iabin*, quod est, *intellexit*. Facile autem fuit progressu temporis unam literam in alteram mutari.

13. *Haec via illorum scandalum ipsis, et postea in ore suo complacebunt.*

Pergit explicare, vel deplorare miseriam generis humani. *Haec via*, inquit, *illorum scandalum ipsis*, idest, haec vita quam ducunt similem vitae brutorum, sive haec via, quam sequuntur, dum vivunt more bestiarum, haec lex, hi mores, hoc institutum, *scandalum est ipsis*, idest, offendicula multa illis praebent, et ruinae magnae caussa sunt illis, *qui tamen postea in ore suo complacebunt*, idest, placebunt ipsi sibi in sceleribus, et gloriabuntur, cum male fecerint; quod ad summam miseriam, et calamitatem pertinet. In hebraeo non est, *scandalum*, sed insipientia: sed facile est videre, unde nata sit discrepantia; siquidem septuaginta Interpretes in suis codicibus hebraicis non habuerunt, כְּסֶל *chesel*, quod nisi *insipientiam* significat, sed כְּשֶׁל *chescel*, quod significat *scandalum*. Veriores autem fuisse codices, quos habuerunt Septuaginta, iis, quos posteriores habuerunt non credimus posse negari.

14. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.*

Quoniam dixit homines factos esse per peccatum similes bestiis insipientibus, addit finem illorum fore, ut more ovium insipientium mactentur: ubi demonstratur tum multitudo, tum imbecillitas hominum, qui post mortem ad inferos detruduntur: oves enim gregatim conjiciuntur in stabula, et sine ulla resistentia ducuntur ad macellum. Itaque minori labore Deus multitudinem impiorum, quamvis in mundo ditissimi et potentissimi fuerint, detrudet in infernum ad mortem sempiternam, quam soleat pastor oviculas et simplices, et inermes vel detrudere in stabulum, vel educere ad caedem. Quod autem dicitur, *mors depascet eos*, duplicem sensum habere potest; unum, ut significetur, mortem instar pastoris futuram et homines instar ovium ductarum ad pascua squalida, et arentia, ubi nihil inveniant praeter gemitus, et dolores: alterum, ut significetur mortem instar lupi famelici, depasturam, et consumpturam homines impios instar ovium destinatarum ad escam. Prior sensus convenit voci graecae ποιμανεῖ, posterior voci latinae, *depascet*: utrumque autem optime recipit vox hebraica, רָעָה *raha*, sed in re nulla videtur esse discrepantia. Huc enim tandem recidit uterque sensus, ut significetur mors impiorum numquam finienda.

15. *Et dominabuntur eorum justi in matutino, et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.*

Pergit narrare miseriam impiorum ad inferos descendentium, ac dicit eos *in matutino*, idest, in principio novi, ac futuri saeculi, quod incipiet in resurrectione universali, futuros omnino justis subjectos: justi enim in die novissimo, qui etiam erit principium futuri saeculi, judices erunt impiorum, eisque in aeternum dominabuntur; et nihil erit, quod impios eo die adversus justos juvare possit: omne enim *auxilium eorum*, quod in robore, et potestate situm erat, *veterascet*, ac marcescet, atque inutile fiet in inferno, *a gloria eorum*, idest, post gloriam eorum, quam in hoc mundo habuerunt, dum gloriosa palatia inhabitarent: Illud, *in matutino*, demonstrat tempus hujus saeculi totum esse noctem quamdam. Unde dicit Apostolus Rom. 13. *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.* In nocte hujus saeculi videtur saepe injustitia praevalere, sed in matutino apparebit, ubi sint justi, et ubi sint injusti. In hebraeo secunda pars versiculi longe aliter haberi videtur: sic enim vertit sanctus Hieronymus. *Et figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum*: aliud est enim auxilium, aliud figura, et aliud gloria, aliud habitaculum. Sed de prima voce non est magna difficultas: vox enim hebraica, צוּר *tsur* quamvis figuram significare possit a verbo, יָצַר *iatsar*, quod est formare, tamen proprie, *tsur*, quae vox hoc loco habetur, significat, *petram*, et metaphorice robur, ac potentiam. Itaque recte septuaginta Interpretes verterunt *auxilium*, quod in viribus, et potentia consistit. Altera vox, quae hebraice dicitur, זְבוּל *zebul*, videtur proprie significare habitaculum, non quodcumque, sed gloriosum, quale est coelum: habetur enim haec vox in duobus tantum locis. Isaiae 63. vers. 15. *Attende de coelo et vide de habitaculo sancto tuo, et gloria tua.* Et Habac. 3. vers. 11. *sol et luna steterunt in habitaculo suo.* Hoc igitur loco sanctus Propheta opponit infernum, habitaculum videlicet obscurissimum, et vilissimum, domibus gloriosis, et splendidis, quas in hoc mundo impii possidebant. Septuaginta vero Interpretes verterunt, *a gloria ipsorum*, volentes per gloriam significare gloriosas domos, quas impii cum inferno commutant: hic igitur totius versiculi sensus erit, *et dominabuntur eorum*, impiorum videlicet in inferno positorum, *justi in matutino*, idest, cum illucescet dies resurrectionis, atque initium saeculi futuri. *Et auxilium eorum*, idest, robur, et potentia impiorum *veterascet*, idest, conteretur, et inutile erit instar vestis consumptae, et lacerae. *In inferno a gloria eorum*, idest, quando post gloriam splendidorum habitaculorum, infernum teterrimum, et vilissimum habitaculum, etiam corporaliter habere incipient.

16. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi cum acceperit me.*

Addit nunc quae sit futura sors piorum, in quorum numero se ipse ponit, quasi dicat, impiis quidem accidet id, quod dixi: verum mihi, meique similibus contrarium eveniet. *Deus enim redimet animam meam de manu inferi*, idest, liberabit me, ne ab inferno detineat; quando veniens assumet me. Videtur hoc loco praedicere redemptionem, quae est in Christo Jesu, et descensum ejusdem Christi ad inferos: tunc enim persoluto pretio sanguinis redemit de manu inferi animas justorum, cum descendens ad inferos accepit eas, et ad se assumpsit. Sic veteres patres, Basilius,

Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, et Euthymius. Potest autem cum Chrysostomo hic locus intelligi de inferno inferiore, ubi torquentur animae impiorum, ut sensus sit: *deus redimet animam meam de manu inferi*, idest, non patietur Deus animam meam rapi a manu inferi, nec deduci ad loca poenarum; *cum* de hoc mundo per corporis mortem *accipiet me.*

17. *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.*
18. *Quoniam cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.*

Ex dictis concludit per modum exhortationis, non esse timendam potentiam divitum hujus mundi, quoniam brevissima est: alloquitur autem justos pauperes, atque a divitibus hujus mundi oppressos. *Ne timueris*, inquit, *cum dives factus fuerit homo*, idest, ne formides potentiam ejus, ne ob timorem temporalis potentiae forte offendas aeternam omnipotentiam Creatoris: neque etiam timeas, si forte videris, non solum hominem inimicum tuum divitem esse factum, sed etiam *multiplicatam gloriam domus ejus*, per numerosam familiam, et multiplices dignitates propinquorum ejus. *Quoniam cum interierit* per mortem videlicet, quam nemo effugere potest; et quae divitibus, et pauperibus communis est, *non sumet omnia*, idest, nihil sumet, nihil secum asportabit eorum, quae in hoc mundo possidebat: neque descendet cum eo gloria ejus, idest, non comitabuntur eum ad inferos descendentem propinqui, vel famuli, et multo minus honores et dignitates. Itaque divitiae et gloria impiorum ab brevissimum tempus durant; paupertas, et confusio sempiterna sunt: contra vero paupertas, et confusio piorum momentanea sunt opes et gloria manent in saeculum saeculi: quod Apostolus pulchre expressit, cum ait 2. Corinth. 6. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Tristitia enim piorum non est tristitia, sed quasi tristitia; qualis est ea, quam somniantes aliquando patimur laetitia vero non quasi laetitia, sed vera, solidaque laetitia est nunc quidem in spe, postea vero in re: et contra, laetitia impiorum de carnali voluptate, vel gloria, non est laetitia, sed quasi laetitia, quali fruuntur dormientes, dum se possidere quae diligunt, somniant. Tristitia autem in gehenna non erit quasi tristitia, sed verissima, certissima, ac sempiterna tristitia.

19. *Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi, cum benefeceris ei.*

Reddit rationem, cur gloria impiorum non comitetur eosiad inferos. Quoniam, inquit, sicut ipsi Deum laudare consueverunt quando eis beneficia temporalia tribuit: ita Deus in hac solum vita eis benedicere solet. *Anima ejus in vita ipius benedicetur*, idest, anima impii sive ipse impius, in hac solum vita benedicetur, tum a Deo per beneficiorum temporalium collationem, tum ab hominibus per laudationes, sive potius adulationes. *Confitebitur tibi*, idest, et ipse vicissim confitebitur tibi, hoc est laudabit te, tibique gratias aget, *cum benefeceris ei*: sin autem aliquid mali illi evenire permiseris, continuo blasphemabit te: non enim ex illis est qui dicunt, psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*; vel Job 2. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* In hebraeo habetur active, יְבָרֵךְ *jevarech benedicet*, pro quo habemus in graeco, εὐλογηθήσεται, et latino, *benedicetur*: sed idem est sensus. Sic enim legi debent verba hebraica, *Quia animam ejus in vita ipsius benedicet*: : ex quo intelligimus, illud, *benedicet*, referri ad Deum, ac per hoc etiam, illud *benedicetur anima ejus*, referri debet ad Deum, ut nos supra exposuimus. Idem autem sensus est, sive legas, *anima ejus benedicetur a Deo in vita ipsius*, sive *animam ejus benedicet Deus in vita ipsius.* Quod autem sequitur, *confitebitur tibi, cum benefeceris ei*, in hebraeo legitur *cum benefeceris tibi*: sed ex literarum similitudine corruptus videtur textus Hebraicus: nam septuaginta Interpretes non legerunt, לָךְ *lach*, quod est *tibi*, sed, לוֹ *lo*, quod est ei, et hoc modo posteriore legitur in omnibus codicibus graecis, et latinis, et est sensus multo facilior, et clarior.

20. *Introibit usque in progenies Patrum suorum: et usque in aeternum non videbit lumen.*

Impius in hac vita in luce honorum, et gloriae vivit, Deo illum beneficiis temporalibus replente, ut vel remuneret aliqua bona opera ejus, vel alliciat ad resipiscentiam, et conversionem. Sed in alia vita *apponitur* (ut Scriptura loquitur) *ad patres suos*, ut eos sequatur in suppliciis, quos sequutus est in flagitiis, *introibit*, impius videlicet, post hanc vitam, *usque in progenies Patrum suorum*, idest, introibit ad ea loca, ad quae illum praecessit progenies Patrum suorum, *et usque in aeternum non videbit lumen*, quia justo judicio manebit in aeternis tenebris, qui nimirum delectatus est luce honorum, et gloriae temporalis, et lucem gloriae coelestis non quaesivit.

21. *Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

Repetit Propheta versiculum duodecimum, tum ut ostendat praecipuam causam miseriae hominum esse insipientiam, et merito homines plurimos in aeternum lumine carituros, atque in tenebris futuros, quia lumine rationis uti non voluerunt tum etiam, ut non miremur, si pauci omnino aenigma propositum in hoc psalmo intelligant. Id enim accidit, quia *homo*, propter peccatum *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

PSALMUS XLIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Asaph.

In priore libro Paralip. cap. 16. legimus, Asaph fuisse principem cantorum a Davide constitutum. Utrum autem ipse psalmos composuerit, qui inscribuntur nomine ejus, an solum cecinerit, vel canenti praefuerit, non est omnino certum, ut in praefatione diximus. Argumentum psalmi est duplex Domini adventus, unus ad praedicandum, alter ad judicandum; unus occultus, et in humilitate; alter manifestus, et in majestate. Et quoniam in utroque adventu Christus congregat homines, vel ad fidem, vel ad judicium: recte psalmus inscribitur, אסף *Asaph*, qui interpretatur *congregans*. Addit, et declarat Propheta, quibus de rebus potissimum reddituri simus rationem in die judicii: proinde psalmus utilissimus est.

EXPLICATIO PSALMI XLIX.

1. *Deus Deorum Dominus locutus est, et vocavit terram.*

Incipit a primo adventu, ac dicit, Dominum locutum esse ore proprio, qui per ora Prophetarum antea loquebatur: et ad concionem suam vocasse non Judaeos tantum, sed *omnem terram*, idest, omnes inhabitantes terram: quod per Apostolos suos fecit: si quidem *in omnem terram exivit sonus eorum*, ut dicitur psal. 18. Dicitur autem hoc loco Dominus esse *Deus Deorum*, ut intelligamus, Christum esse Deum verum, veri Dei filium, qui eamdem cum Patre divinitatem habet: una enim et sola esse potest vera divinitas, multi autem sunt Dii, vel per errorem, et aestimationem, ut Dii gentium, *qui Daemonia sunt*, ut dicitur in psalmo 95. vel per gratiam adoptionis, ut sancti Angeli et sancti homines; vel per similitudinem, ut principes, et judices terrae. Sed omnes isti Dii subjecti sunt uni, et soli Deo vero, qui ideo dicitur *Deus Deorum*. Ex hebraeo, אל אלהים יהוה *el elohim* Adonai, sanctus Hieronymus vertit, *Fortis Deus Dominus locutus est*: sed voces hebraicae utramque versionem patiuntur, et sensus utriusque lectionis est verus, ad propositum rerum dicendarum. Nam si respiciamus primum adventum, Christus Dominus Deum Deorum se ostendit, cum terribilis fuerit Doemonibus, qui sunt Dii gentium; et ipse per adoptionis gratiam multos fecerit Deos: et ipse idem *fortis Deus fuit*, cum hostem generis humani per crucem devicerit, et vasa ejus diripuerit. Si respiciamus secundum adventum, *Deus Deorum* rectissime dicitur, quoniam Judex Judicum omnium erit; nec minus proprie conveniet ei titulus *fortis Dei*, cum diabolum, et omnes asseclas ejus, sive doemones, sive homines in gehennam verbo detrudet, et vectibus sempiternis portas inferni claudet. Ait igitur, *Deus Deorum Dominus locutus est*, idest, Dominus Christus, qui est Deus Deorum in hunc mundum adveniens, locutus est verba evangelii sui. *Et vocavit terram*, idest, et ad sermones suos audiendos, terram universam convocavit dicens, *venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. 11.

2. *A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus.*

Declarat se per terram, non intellexisse terram Palestinae, vel aliquam aliam particularem, sed omnem omnino terram: et simul explicat locum, unde Dominus loqui coeperit. Coepit enim ex Sion, sive ex Jerusalem, juxta illud Isaiae 2. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem;* et illud Luc. ult. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. A solis ortu*, inquit, *usque ad occasum*, vocavit terram, idest, omnes homines, qui habitant terram a principio, ubi sol oritur, usque ad finem, ubi sol occidit. *Ex Sion species decoris ejus*, idest, locutus est Dominus, et vocavit terram ex Sion, quae est species decoris ejus, idest, ex Sion orta est praedicatio evangelica, quae est species decoris ejus. Porro species decoris significat speciem pulcherrimam, sive perfectam pulchritudinem, ut magis sonant verba hebraica. Erat autem Jerusa-

lem, juxta priorem sensum, *perfecti decoris*, ut dicitur Thren. 1. quia erat civitas nobilissima, antiquissima, frequentissima, ornata sede regia et pontificia, necnon tabernaculo, arca foederis, et caeteris, quae eam caput religionis, et Regni faciebant unde etiam typus erat coelestis, ac divinae civitatis. Sed juxta posteriorem sensum erat evangelica praedicatio perfecti decoris, quia continebat mysteria redemptionis, notitiam sanctissimae Trinitatis, sacramenta efficacissima, legem perfectam, et innumerabilibus signis, et prodigiis comitata veniebat; atque audientes, et credentes renovabat et justificabat; et ex ima terra ad summum coelorum exaltabat.

3. *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit.*

Hic jam praedicit secundum adventum; quasi dicat, Deus Deorum venit, et vocavit terram, sed occulte venit, quia in forma servi, in humilitate, in mansuetudine, ut esset locus redemptioni per passionem, et mortem, sed postea *manifeste veniet* in potestate, et majestate magna, non in praesepi speluncae, sed in nubibus coeli, non cruci affixus inter latrones, sed in sede Judicis cum omnibus Angelis suis. Neque solum manifeste veniet, sed etiam *non silebit*, sicut in primo adventu, quando ut agnus mansuetus ductus ad occisionem non aperuit os suum: et sicut hoc tempore silet, dum peccata fieri videt, et tacet; sed veniet cum tuba et clamore horribili. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit*, Matth. 25. *Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis*, Matth. 24. et *Ipse Dominus in jussu, et voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo*. 1. Thes. 4. et *In novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti*, 1. Corinth. 15. In hebraeo prima illa verba, *Deus manifeste*, conjunguntur cum versu superiore, hoc modo, *Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestabitur*: et deinde subjungitur novus versiculus, *Veniet Deus noster, et non silebit.* Sed non tenemur sequi distinctionem hebraicam, quae a Rabbinis excogitata est: illud autem verbum, *manifeste*, in textu hebraico ambiguum est, ut possit esse adverbium, manifeste, et verbum, manifestabitur; proinde non erraverunt septuaginta Interpretes, qui per adverbium expresserunt. Quod si Rabbini contendant vocem hebraicam, הוֹפִיעַ *hophiab*, non posse accipi adverbialiter; dicemus septuaginta Interpretes reddidisse non verba, sed sensum; idem enim est, Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit; et Deus manifestabitur veniet Deus noster, et non silebit.

4. *Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.*

Haec accipiuntur communiter pro conflagratione mundi, idest, eorum omnium, quae sunt in terra civitatum videlicet, hortorum, vinearum, palatiorum, animantium, et similium rerum corruptibilium, de quibus dicit s. Petrus in epist. 2. cap. 3. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in qua coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur*: de qua conflagratione disputat s. Augustinus lib. 20. de civit. Dei. cap. 18. et Scholastici in 4. Sentent. dist. 47. sensus igitur est, *Ignis in conspectu ejus exardescet*, qui exuret omnia, et quae in terris inveniet. *Et in circuitu ejus tempestas valida*, idest, commotio maxima ex omni parte mundi, tum in terra, tum in mari, tum in aere, tum in coelo, *arescentibus hominibus prae timore, et expectatione, quae supervenient universo orbi*, ut ait b. Lucas cap. 21. tamen s. Augustinus hunc locum psalmi exponens, per ignem intelligit judicium divinum; per tempestatem vero ventum separantem grana a paleis, idest, discretionem bonorum a malis. Alii non male, per ignem, et tempestatem, describi volunt iram judicis aeterni, cum qua adveniet in novissimo die; vel certe haec omnia signa esse majestatis Dei omnipotentis: nam et quando descendit Deus in montem Sinai daturus legem, mons totus ardere videbantur, et audiebantur tonitrua, et conspiciebantur fulgura et omnino tempestas ingens, et terror maximus, Exod. cap. 10.

5. *Advocabit coelum desursum, et terram discernere populum suum.*

Describit frequentiam eorum, qui in illo quasi theatro intererunt, atque ad spectaculum omnium maximum convenient. *Advocabit*, inquit, *coelum desursum*, idest, ex parte mundi superiore advocabit Judex ipsum coelum, idest, omnes Angelos coeli habitatores: sic enim Dominus ait Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli ejus cum eo.* Et ex parte inferiore *advocabit terram*, idest, omnes homines, qui ab initio mundi usque ad finem per successiones generationum incoluerunt terram. Aderunt ergo omnes Angeli, et omnes homines. Advocabit autem hunc tam magnum conventum, *discernere populum suum*, idest, ad judicandum populum suum, et segregandos electos a reprobis: nam ut dicitur Matth. 13. *in consummatione saeculi exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum.* Et Matth. 25. *Separabit oves ab hoedis*, idest, ea facilitate Judex coelestis secernet omnes electos ab omnibus reprobis, quamvis prope innumerabiles sint futuri, qua pastor separare potest paucas oves a paucis hoedis. Alii existimant advocari coelum, et terram in testes divinae sententiae, tamquam immobilis, quomodo alibi saepe in divinis litteris. Prior expositio est s. Augustini, posterior s. Joannis Chrysostomi, quem sequuntur Theodoretus, et Euthymius. Utraque est vera, et una alteri non repugnat.

6. *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.*

Quamvis omnes omnino homines ad judicium vocandi sint, tamen peculiari ratione judicium ad fideles pertinebit: *qui* enim *non credunt, jam ju-*

dicati sunt, Joan. 3. unde etiam Matth. 25. soli fideles judicandi introducuntur, et de operibus non de fide discutiuntur. Itaque nomine sanctorum intelligendi sunt fideles, qui ad populum Dei pertinent, qui per circumcisionem olim Deo consecrabantur, et nunc per baptismum consecrantur: sic David in psalm. 85. dicit. *Custodi animam meam quoniam sanctus sum*, et Apostolus in epistolis suis omnes Christianos vocat *sanctos*. Alloquitur igitur angelos, et dicit, *Congregate illi sanctos ejus*, idest, adducite ad judicium populum Dei peculiarem, quem sibi per sacramenta sanctificavit: quod enim id per angelorum ministerium faciendum sit, perspicuum est ex cap. 13. Matthaei, *Exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum*: et cap. 24. *Et mittet Angelos suos cum tuba et congregabunt electos ejus*. Quod sequitur, *Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*, est declaratio vocis sanctorum: illi enim dicuntur Sancti, qui ordinant testamentum super sacrificia: quae sententia clarior est in textu hebraico, ubi ad verbum legitur, *Qui feriunt pactum ejus super sacrificio*, idest, qui pactum cum Deo faciunt, ut sint populus ejus, et ipse sit Deus eorum, quod pactum est super sacrificio, idest, super cultu divino, qui praecipue in sacrificiis offerendis consistit. Lectio nostra est paulo obscurior, sed eumdem sensum facit: nam per, *testamentum*, intelligitur pactum, et per *ordinare*, significatur, *disponere*. Disponere testamentum, et ferire pactum, idem sunt, ut perspicuum est ex variis locis Scripturae, sed praecipue ex lib. 1. Machab cap. 1. *Eamus, et disponamus testamentum cum gentibus, quae circa nos sunt: nam ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.* Igitur sensus hujus versiculi est, congregandos esse ad judicium sanctos Dei, idest, homines Deo dicatos. *qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*, idest, qui testamentum disponunt, et pactum feriunt cum Deo, ut ipsi colant Deum sacrificiis, et Deus sit eorum Deus, eosque beneficiis semper afficiat. In hebraeo codice habetur pronomen primae personae, hoc modo. *Congregate mihi sanctos meos, qui feriunt pactum meum super sacrificio.* Sed septuaginta Interpretes in omnibus his vocibus legerunt literam, *vau*, ubi nunc est litera, *jod*: facile autem fuit, mutari literam. *vau*, in literam. *jod*, cum non differant, nisi quod una est paulo longior altera: posita autem in textu litera, *vau*, efficitur pronomen tertiae personae et recte Septuaginta verterunt, *congregate illi*, et *sanctos ejus*, et *testamentum ejus*.

7. *Et annunciabunt coeli justitiam ejus, quoniam Deus Judex est.*

Congregatis omnibus ad judicium, tum demum *annunciabunt coeli justitiam ejus*, idest, de coelo proferetur sententia in bonos et malos, inde apparebit omnibus, quanta sit justitia Dei, quae nunc saepe non apparet, cum permittente Deo justi opprimantur ab iniquis: tunc igitur *annunciabunt coeli justitiam ejus*: quia de coelo veniet, qui justissime judicabit, et in coelo aereo sedens, sententiam justissimam proferet, et totum coelum, idest, omnes coelites assensu, et laudibus confirmabunt justam sententiam, ac dicent: *Justus es Domine, et rectum judicium tuum.* Neque poterit esse falsa haec coeli annunciatio, *quoniam Deus Judex est*, idest, quoniam, qui judicabit Deus est, in quem injustitia cadere non potest.

8. *Audi populus meus, et loquar: Israel, et testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum.*

Transit nunc Propheta ad eruditionem populi, ac docet, quae sit futura materia judicii, idest, quibus de rebus reddenda sit ratio in judicio, ut unusquisque parare se possit. Atque ut admonitio majorem fidem habeat, Deum ipsum loquentem, et paterne admonentem inducit. *Audi*, inquit Deus, *populus meus, et loquar*: nisi enim audieris, non tibi loquar, sed alius, qui habent aures audiendi: nam non sine causa Dominus in evangelio Matth. 11. et alibi saepe dicit. *Qui habet aures audiendi audiat*: sicut enim qui surdi sunt habent aures ad ornamentum corporis, sed non ad audiendum: sic etiam qui mentem habent, sed non attendunt ad doctrinam Dei, habent aures interiores, quasi non haberent. Oportet igitur attente cogitare, et considerare quid dicat Deus, si volumus, ut nobis loquatur. Explicat deinde clarius, dum addit, *Israel et testificabor tibi*, idest, audi populus meus Israel et loquar testificando, et notum faciendo tibi, quod tua maxime interest. Per Israelem autem non intelligitur solum populus, qui secundum carnem ab Israele descendebat, sed etiam populus Christianus, qui fidem Israelis imitatur. Imo hic maxime per Israelem intelligendus est, cum Apostolus dicat Roman. 9. *Non omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitae, neque omnes, qui semen Abrahae, hi filii; sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine.* Quod autem sequitur, *Deus Deus tuus ego sum*, est ratio, cur nos oporteat audire, quia videlicet, qui loquitur, est Deus, et peculiariter Deus noster: ac per hoc certo scimus, illum scire et velle nobis utilissima praecepta tradere: nam si Deus est, omnia novit; si noster est, amat nos, ac propterea vult utilia nos docere.

9. *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.*

Summa doctrinae divinae est, Deum non requirere a nobis munera, qualia sacrificia sunt, quasi illis indigeat, vel quasi haec illi praecipue placeant sed requirere internas virtutes fidem, spem, dilectionem, obedientiam: propter quas virtutes munera placent, et sine quibus non placent. Id conforme est verbis Samuelis, 1. reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta, et victimas, et non magis ut obediatur voci Domini?* et Isaiae cap. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum*, etc. et infra, *Lavamini, mundi estote*, etc. et Christi ipsius, Matth. 23. *Vae vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae, quia decimatis mentam, et anethum, et cuminum, et reliquistis quae graviora sunt legis, judicium, mi-*

sericordiam, et fidem. Et denique ipsius Davidis in psal. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Ait igitur, *Non in sacrificiis tuis arguam te*, idest, non accusabo, vel damnabo te in judicio, quod pauca mihi sacrificia obtuleris: deinde reddit hujus rei multas rationes: quarum prima est in secunda parte hujus versiculi, quia videlicet satis multa holocausta sibi quotidie offerantur: nam cum dicit: *holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper*, illud *autem* ponitur pro, *enim*: nam in hebraeo est particula, *et*, quae frequentissime ponitur pro, *enim*. Sensus igitur est, non arguam te de defectu sacrificiorum, quoniam holocausta tua semper inveniuntur in altari meo.

10. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.*
11. *Quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum, jumenta in montibus, et boves.*
12. *Cognovi omnia volatilia coeli, et pulchritudo agri mecum est.*

Haec est secunda ratio, cur Deus non magnopere requirat nostra sacrificia, quoniam ipse est rerum omnium Dominus, et ideo, si velit oves, aut boves, aut aves, aut aliquid aliud, nullo negotio potest habere, cum ipse omnia noverit, omnia possideat. *Non accipiam*, inquit, *de domo tua vitulos neque de gregibus tuis hircos*, idest, non opus est mihi, si velim vitulos, aut hircos, ut illos tibi eripiam, vel a te petam. *Quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum*, idest, mea sunt omnia animantia sylvestria, ut cervi, caprae, apri et similia. *Jumenta in montibus et boves*, idest, mea sunt etiam omnia animalia, quae pascuntur in montibus, ut oves, caprae, arietes, hirci, boves, et vituli. *Cognovi omnia volatilia coeli*, idest, non solum animalia quadrupedia mea sunt, sed etiam omnes volucres coeli, quos ego novi ubi sint, et ad quid prosint. *Et pulchritudo agri mecum est* idest, non solum animalia, sed etiam omnes fructus terrae, ex quibus agri pulchri et divites redduntur, apud me sunt, ad jus meum pertinent, et omnibus uti possum, ut mihi placet: vel apud me est, idest, omnis perfectio agri, cum omnibus frugibus, arboribus, animantibus, fontibus, et caeteris rebus, mecum est ab aeterno eminenter in essentia mea consistens, ut mihi opus non sit ad ista exteriora descendere. In hebraeo pro illa voce, *jumenta*, est vox, בהמות *behemoth*, quae vox significat *animalia* generatim, et non sola *jumenta* proprie dicta: nam psal. 8. eadem vox habetur, ubi noster interpres vertit, *pecora campi*: et psal. 148. ubi legimus, universa pecora. eadem etiam vox reperitur. Illud autem, *in montibus, et boves*, ex hebraeo verti posset, in montibus mille: nam vox hebraica, אלף *eleph*, quae hic habetur, significat, et *bovem*, et mille. Itaque septuaginta Interpretes non male verterunt *boves*; quamvis s. Hieron. verterit, *millium*: sed utraque lectio verum sensum habet: nam secundum lectionem s. Hieron. sensus est, Dei esse animalia innumerabilia, quae in montibus mille, idest, plurimis inveniuntur. Secundum lectionem Septuaginta, sensus est. Dei esse animalia, quae libere vagantur in montibus, et etiam boves, qui in praesepibus detinentur: et quoniam in textu hebraico, ut nunc legitur, illud in montibus, regit post se genitivum, et legi debet, in montibus bovis, quae verba non videntur aptum sensum reddere: suspicor septuaginta Interpretes non legisse. בהרי אלף *beharere eleph in montibus bovis*: sed. בהר ואלף *bear veeleph*, in monte, et bos, unica litera paululum immutata, idest. *jod*, mutata in *vau*, quae sunt literae simillimae; quod facile contingere potuit vitio librariorum: sed explicandi gratia Septuaginta posuerunt numerum multitudinis pro singulari, et pro *in monte et bos*, posuerunt *in montibus, et boves*. Illud autem, *cognovi omnia volatilia coeli*, s. Hieronymus ex hebraeo vertit *cognovi omnes aves montium*: et vere vox hebraea non coelum, sed montes significat, neque est similitudo literarum inter vocabula, ut errorem librariorum suspicari possimus. Sensus tamen idem est: nam *volatilia coeli, et aves montium* idem sunt: dicuntur enim volatilia coeli, quia per coelum aereum discurrunt, et aves montium, quia in arboribus montium, ut plurimum nidificant. Illud denique, *et pulchritudo agri*, vertitur a s. Hieronymo *et universitas agri*: vox autem hebraica, זיז *ziz*, est omnino ambigua: nam Septuaginta hoc loco reddiderunt, *pulchritudo;* in psal. 79. reddiderunt eamdem vocem transtulerunt, *introitus*. Sanctus autem Hieronymus hoc loco reddidit, *universitas*: in psalm. 79. *Omnes bestiae*; Isaiae 66. *omnimoda*. In hac tanta varietate tutissimum est auctoritatem septuaginta Interpretum sequi, a quibus quoad sensum s. Hieronymus non dissentit. Siquidem pulchritudo agri ex universitate agri, idest, ex universis fructibus agrorum consurgit.

13. *Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terrae, et plenitudo ejus.*
14. *Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?*

Haec est tertia ratio, cur Deus non requirat nostra munera propter suam necessitatem, vel utilitatem, quia videlicet non esurit, neque sitit, et consequenter non calet, neque friget, neque ulla re indiget: et si indigeret, omnia illi praesto essent, quia Dominus est omnium rerum. *Si esuriero*, inquit, *non dicam tibi*, ut cibum videlicet mihi provideas; quia *meus est orbis terrae, et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?* idest, non vescor ego ejusmodi rebus, qui substantia sum spiritualis, et immortalis.

15. *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.*
16. *Et invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me.*

Docuit hactenus, non esse spem ponendam in externis sacrificiis, quasi illa sine interiori cogni-

tione, et amore sufficiant: nunc docet, in internis actibus virtutum consistere sacrificium, quo delectatur Deus, et quod nos in Judicio ultimo securos praestare poterit. Sed observandum est aliud esse laudem Dei, aliud sacrificium laudis. Potest enim laudari Deus ab iis, qui labiis solis Deum honorant; sed non potest sacrificari laus, nisi ab iis, qui in ara cordis et cum igne charitatis thus laudis offerunt, idest, nisi ab iis qui credunt, et aliquo modo apprehendunt Deum esse summum bonum, quique Deum sic creditum, et cognitum toto corde diligunt, et tamquam pulcherrimum, optimum, sapientissimum, admirantur, et laudant. Itaque sacrificium laudis, signum, et effectus est cognitionis, et amoris: et quia beati in coelo semper Deum vident, et amant, ideo de illis dicitur psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Ait, igitur, *Immola Deo sacrificium laudis*, idest, non solis labiis, sed ex intima cognitione,et amore Deum lauda. *Et redde Altissimo vota tua*,idest,posteaquam Deum, ut est in se, laudasti, respice illum, ut est auctor, et fons omnium bonorum tuorum, quia ex te nihil es, et redde illi gratiarum actionem, et solve tributum obedientiae, quod est praecipuum votum inter omnia vota tua: hoc enim promisisti cum ad populum, et familiam ejus admissus es, et hoc ipse requirit magis, quam externa sacrificia: *melior enim est obedientia quam victima*,ut dicitur 1. reg. cap. 15. Denique *invoca me in die tribulationis*, idest, sicut in die prosperitatis agnoscere debes omnia bona tua a me fonte bonorum descendere; sic etiam in die tribulationis ad me confugere,et in me spem tuam totam collocare debes: ego enim *eruam te*, omni tribulatione, *et tu vicissim bonorificabis me* sacrificio laudis, et gratiarum actionis.

17. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?*

Post instructionem justorum, pergit psalmus ad eruditionem iniquorum, sed fidelium. *Peccatori*, inquit, *dixit Deus*, idest,peccatorem Deus per me admonitum voluit,*quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?*idest, quare profiteris te scire legem meam, ut enarres praecepta mea, in quibus omnis justitia continetur, et profiteris etiam ad te pertinere testamentum, sive pactum meum, dum te filium Abrahae esse gloriaris,cum neque legem meam serves, neque pactum custodias,neque vestigia Abrahae imiteris?

18. *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.*

Describit primum interna vitia iniquorum, deinde in sequentibus versiculis enumerat peccata operis et oris. *Tu*, inquit, *odisti disciplinam*,idest, aversaris animo eruditionem divinae legis.*Et projecisti sermones meos retrorsum*, idest, et factus es, quasi oblitus esses praecepta mea, eaque post tergum haberes.

19. *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.*

Ex oblivione, et odio divinae legis nascuntur peccata operis, qualia sunt furta, et adulteria, quo nomine fornicationes quoque intelliguntur. Sunt autem haec duo peccata frequentissima, quae ex avaritia et luxuria oriuntur: ideo horum duorum meminit Propheta: dicit autem, *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas*, et non dicit, *furabaris*, vel *fornicabaris*, quoniam minus est furari, vel moechari, quod occulte, et libidine stimulante fieri solet, quam cum furibus concurrere, vel cum adulteris portionem ponere, quia ista fiunt palam, et prompte, et ex animi perversitate potius quam ex inopia vel libidine.

20. *Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.*

Transit ad peccata oris,ac dicit, *os tuum abundavit malitia*, idest, abundanter ex ore tuo, tamquam ex fonte scaturivit maledicentia: nam verbum hebraicum, שִׁלַּחְתָּ *scialach*, significat *dimittere*, quasi dicat, dimisisti linguam tuam quasi ruptis habenis in omnem maledicentiam:sed septuaginta Interpretes declaraverunt metaphoram. *Et lingua tua concinnabat dolos*, idest, loquebaris apposite ad fallendum, adhibens artificium dissimulationis, vel mendaciorum.

21. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum: haec fecisti, et tacui.*

Addit ad peccatum oris, quod non solum adversus extreaneos, sed etiam proprios fratres per linguam deliquerit. *Sedens,* inquit,*adversus fratrem tuum loquebaris*, idest, non obiter, et per iram, sed sedens otiosus, et pacato animo, studiose et longo tempore detrahebas fratri. *Et adversus filium matris tuae*,idest, adversus eumdem fratrem scandalum ponebas, calumnias struendo,unde ille offenderetur, et ruinae occasionem haberet. In textu hebraico habetur vox דָּפְיִ *dophi*, quae proprie *opprobrium*, sive probrum, aut convicium significat. Sed septuaginta Interpretes, *scandalum* verterunt, aut quia vox illa scandalum etiam significat, aut quia probrum jactatum in alium, scandalum illi sit. Quod sequitur, *Haec fecisti, et tacui*, apud hebraeos ad sequentem versiculum pertinet. Sed non est magni facienda interpunctio hebraici textus, cum a Rabbinis excogitata sit: significant autem illa verba, Deum hoc tempore omnia videre sed non omnia statim punire, ut det locum poenitentiae. Itaque videt, et tacet, ac si non videret: caeterum veniet brevi dies judicii, in quo, ut supra dictum est versu 3. *Deus manifeste veniet, et non silebit;* et hoc idem subjungit, cum ait:

22. *Existimasti inique, quod ero tui similis; arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

Dum sine timore Dei peccant impii, videntur existimare Deo non displicere peccata: sed in Judicio intelligent quod in hoc psalmo dicitur. *Existimasti*, inquit, quod iniquus essem, et peccatorum amicus, seu non ita est, imo *arguam te* in die judicii, *et statuam contra faciem tuam* peccata tua, idest, faciam, ut videas gravitatem, et multitudinem peccatorum tuorum, et negare non possis sententiam contra te latam esse justissimam. In hebraeo habetur, Statuam te contra faciem tuam; sed idem est sensus; nam *statuam te contra faciem tuam*, nihil est aliud, nisi statuam vitam tuam, actiones tuas, peccata tua ante oculos tuos, ut non possis ea non videre.

23. *Intelligite haec, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, et non sit qui eripiat.*

Haec exhortatio est Prophetae ad impios, qui obliviscuntur Deum esse Judicem justum, et omnipotentem, ut intelligant attenta consideratione recogitantes, quae dicta sunt. *Ne quando Deus rapiat eos*, dum nihil minus cogitant, et ad judicium adducat, et pro meritis damnet; et non sit, qui de manu ejus eripere possit. In hebraeo habetur in prima persona, פן אטרף *pen etroph, ne quando rapiam*; et secundum hanc lectionem continuantur verba Dei: sed septuaginta Interpretes videntur legisse in tertia persona, et sensus est idem.

24. *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

Concludit Deus verba sua docens, viam salutis ad unum sacrificium laudis reduci, ita ut illi in die judicii salvi futuri sint, qui hoc sacrificium jugiter celebraciat, illi reprobi, et condemnandi, qui hoc inquit, *honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei*, idest, qui sacrificaverit laudem mihi, ille mihi acceptus erit: nam ab eo me honorificatum esse confitebor, *et illic*, idest, in eo sacrificio, *iter erit* ad salutem: nam per illud iter perveniet ad locum, in quo *ostendam illi salutare Dei*, divinam videlicet, plenam atque perfectam salutem. In hebraeo est vox ambigua, שם quae significat, *illic*, si legatur *sciam* cum puncto in dextero cornu, ut septuaginta Interpretes legerunt: sed si legatur *sam* cum puncto in sinistro, ut s. Hier. legit, significat, *posuit*, sive *disposuit*; sed in re ambigua non est, quod a communi, et recepta lectione recedamus. At unde est, quod summa salutis ponitur in oblatione sacrificii laudis? S. August. respondet, ex eo esse, quod nemo vere laudat Deum, nisi pius sit: impii enim si verbis laudant, vita non laudant; ac per hoc non vere laudant, cum verbis eorum vita contradicat. Potest etiam dici, ut nos supra monuimus, *sacrificium laudis* non esse simplicem laudem, sed laudem ex ara cordis, et igne charitatis procedentem: quare cum sacrificium laudis includat charitatem, et sic inchoatio sacrificii, sive officii, quod in saecula saeculorum in coelo a beatis omnibus exercetur, mirum non est, si in eo summa salutis includitur.

PSALMUS L.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta quando introivit ad Bethsabee.

Titulus docet, qua occasione compositus fuerit psalmus iste a Davide: historia vero fusius narratur lib. 2. reg. cap. 12. summa historiae haec est. David ex palatio suo vidit mulierem formosissimam nomine Bethsabee, se lavantem. Captus amore adulterium cum ea commisit: quod ut facilius celaretur, maritum ejus Uriam neci dedit: sic viduam conjugio sibi copulavit, et filium ex ea suscepit. Postea Dei monitu venit Nathan Propheta ad Davidem, eumque de perpetrato flagitio, et caede corripuit. David in se reversus poenitentiam serio egit, atque hunc psalmum, in quo peccatum suum deflet, ea occasione composuit. Sensus igitur tituli hic est: *Psalmus in finem* usque mundi canendus, quem David composuit, *quando venit ad eum Nathan Propheta*, qui tunc ad eum increpandum venit, *quando intravit idem David ad Bethsabeam* uxorem Uriae, atque adulterium cum ea patravit. Ad hunc titulum pauca quaedam annotanda videntur circa personas, quae in eo nominantur, videlicet Davidem, Nathan, et Bethsabeam. Primo peccatum Davidis justis hominibus magnum timorem incutere posse: si enim tantus amicus Dei, tam facile corruit, quis non timebit casum? Secundo, ejusdem Davidis poenitentiam omnibus peccatoribus spem salutis adferre: peccatum enim ejus omni ex parte gravissimum fuit, et tamen per veram poenitentiam facile invenit indulgentiam. Tertio Nathan fuisse quidem Prophetam, sed Davide inferiorem non solum dono prophetiae, sed etiam potestate, sapientia, aliisque donis Dei: et tamen placuisse Deo, ut is Davidem corriperet, et ad poe-

nitentiam adduceret. Quo exemplo admonentur homines magni, ut non contemnant ministros Verbi Dei, sed ad eos audiendos accedant, etiamsi sint ipsi forte sapientiores et majores illis. Quarto hinc cognosci, quantorum malorum causa sit pulchritudo mulieris cum impudentia, et facilitate conjuncta. Si enim Bethsabea mulier speciosissima in loco, unde videri posset, [illegible] tantus in tam gravia scelera non cecidisset. Quinto, Nathan non intrasse ad monendum Davidem statim post ingressum ejus ad Bethsabem, ut titulus indicare videtur, sed multo postea: jam enim natus erat filius Davidi ex Bethsabea, quando venit Nathan. Itaque quod dicitur in titulo, intelligitur potius de occasione, quam de tempore; et sensus est, psalmum scriptum esse [illegible] Nathan ex occasione, quia intraverat David ad alienam conjugem, nomine Bethsabeam.

EXPLICATIO PSALMI L.

1. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*

Incipit Propheta psalmum ab oratione, qua remissionem peccati petit: et simul explicat primam rationem, qua movetur ipse ad petendum; et Deum moveri posse credit ad indulgendum: alias deinde rationes in sequentibus versiculis explicaturus. Ait igitur, *Miserere mei Deus*; miserum se agnoscit, et confitetur David ob iniquitatem admissam, quamvis alioqui naturae, et fortunae bonis omnibus abundaret; ut e contrario beatos dicere solet eos, *qui timent Dominum*; non qui divitiis, aut honoribus abundant: ex quo intelligimus, quam perverse de miseria, et foelicitate judicent filii hujus saeculi. Addit, *secundum magnam misericordiam tuam;* quasi dicat, ideo misericordiam tuam implorare audeo, quia miser sum: misericordia enim miseriam respicit, ut eam tollat: quamvis autem in hebraeo codice non sit vox illa, *magnam*, tamen septuaginta Interpretes eam vocem in sua versione posuerunt, vel quod in codicibus hebraicis emendatioribus illam invenerint: vel quod hunc locum voce illa addita explicare voluerint. Vocatur autem *magna misericordia*, quia peccata remittuntur, tum quia peccatum magna miseria est, tum quia comparatione hujus misericordiae, parva misericordia dici potest ea, per quam Deus bona temporalia tribuere solet, bona enim temporalia Deus inimicis etiam suis, atque iis, quos in fine reprobaturus est, praebet; gratiam vero remissionis peccatorum illis tantum donat, quos in filios et haeredes aeterni regni adoptare dignatur. David igitur non contentus parva illa misericordia, qua regni gloriam, et opes copiosas, ac filiorum multitudinem, et victoriam de hostibus, atque alia id genus acceperat, petit *misericordiam magnam*, quam in peccatorum remissione, et gratiae restitutione positam esse sciebat.

2. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

Idem repetit, et declarat: quod enim dixit, *Miserere mei*, declarat dicens, *dele iniquitatem meam*; et quod ait, *secundum magnam misericordiam tuam*, declarat, cum dicit, *secundum multitudinem miserationum tuarum.* Sed ordinem Prophetae non invertamus; ipse enim eleganter in hoc secundo versiculo incepit ab eo, quod erat postremum in primo versiculo, ut hac varietate pulchriorem psalmum efficeret. Illae igitur voces, *secundum multitudinem miserationum tuarum*, explicant quid sit magna misericordia Dei, quae filiis dilectis, exhibetur. Significat autem multitudo miserationum affluentiam pietatis Dei: nam vox hebraica רחמיך *rachamecha* ut notavimus in primo versiculo psalmi 17. significat proprie paternum, ac tenerum amorem, quem Scriptura explicare solet per *viscera misericordiae.* Ecclesia quoque rectissime id expressit in collecta Dominicae XI post Pentecosten, cum ait, *qui abundantia pietatis tuae, et merita supplicum excedis, et vota.* Vere enim pietas divina tanta est, ut multo plus donet non solum quam mereamur, sed etiam quam optare audeamus. Quod ostendit etiam Dominus in parabola de filio prodigo Luc. 15. Pater enim filium poenitentem non solum admisit ad gratiam; sed etiam continuo amplexatus, et osculatus est, et jussit illi dari stolam primam, et annulum pretiosum, et occidi in gratiam ejus vitulum saginatum; ac denique tanta signa benevolentiae erga filium, qui universa bona sua dissipaverat, ostendit; ut plura non posset erga eum, qui victor ac triumphator de hostibus rediisset. Quod sequitur, *dele iniquitatem meam*, refertur tum ad reatum, tum ad maculam peccatorum: sciebat enim David ex actione peccati relinqui in anima reatum mortis aeternae, qui scribitur in conscientia: et maculam privationis gratiae, quae reddit animam deformem, tenebricosam, Deo invisam; ad utrumque refertur vocabulum *delendi*, nam scripturae deleri solent, cum remittitur debitum, et maculae etiam delentur, cum abluitur, quod maculatum erat. Petit igitur David, ut Deus non agat secum ex rigore justitiae; sed ex paterna misericordia remittat debitum peccati, et lavet maculam restituendo nitorem gratiae.

3. *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.*

Post culpam remissam, et gratiam restitutam, adhuc remanent in homine mali habitus vitiorum, et ipsa concupiscentia carnis, quae hominum re-

dunt infirmum et debilem, quales sunt, qui recens ex gravi morbo convaluerunt ; et quidem mali habitus paulatim exterminantur exercitatione virtutum : concupiscentia vero potest quidem minui, sed ordinarie non eradicatur, nisi in morte: quamvis autem ad vitiorum exterminationem, et concupiscentiae diminutionem multum valeat studium, et diligentia nostra : tamen praecipuae partes sunt gratiae Dei, sine qua nihil possumus, et cum qua omnia possumus. Ideo prophela David qui haec noverat omnium optime, in psal. 102. scripsit, *benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. qui sanat omnes infirmitates tuas.* Et hoc loco posteaquam petiit deleri peccatum suum, et audivit a Nathan prophela 2. reg. 12. *Deus transtulit peccatum tuum, non morieris;* iterum petiit lavari et mundari, idest, magis ac magis justificari per majorem gratiae infusionem, ut malis habitibus sublatis et concupiscentia mortificata, anima candidior et pulchrior fiat, et per hoc etiam ad resistendum tentationibus fortior. *Amplius*, inquit, *lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me*, idest, spero peccatum meum per gratiam tuam esse deletum, et animam meam lotam, et mundatam a reatu, et macula per actionem peccati contracta; sed cupio et peto, iterum atque iterum lavari per gratiae incrementum, ut anima mea candidior, et fortior evadat. Posset etiam simplicius exponi ut haec secunda petitio pertineat ad magnitudinem peccati declarandam, quasi dicat, si macula peccati mei levis esset, sufficeret simplex ablutio: sed quia macula ingens, et multiplex est; ideo multum valde, amplius atque amplius lavari desidero, ut tantae maculae vestigium nullum supersit.

4. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.

Haec est secunda ratio, unde persuadere Deo conatur, ut indulgeat peccanti: quia videlicet confitetur peccatum suum, et illud in se punit continua cogitatione, et recordatione. Ignosce, inquit, *quia ego peccatum meum agnosco.* non excuso, non nego, nec solum agnosco, sed perpetuo, de illo cum dolore animi cogito : nam *contra me est semper*, idest in conspectu meo positum, me quasi jaculum fodere, et cruciare non cessat. Hoc exemplum imitari debemus, qui psalmos poenitentiales recitamus; ut vere dicere possimus. *peccatum meum contra me est semper* : quod fiet si peccatum semel admissum, et per gratiam Dei forte deletum, in memoria nostra vivat, et ingratitudinis nostrae erga tam magnum benefactorem nos semper admoneat.

5. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Tertia haec est ratio, cur a Deo indulgentiam postulet: quoniam non alium Judicem timet. *Tibi*, inquit, *soli peccavi*, non dicit, contra te solum peccavi: peccaverat enim etiam contra Uriam, quem occiderat, et contra Bethsabeam quam adulteraverat, et contra populum, quem scandalizaverat; sed dicit, *Tibi soli peccavi*, nimirum ut Judici, apud quem solum convinci poterat: nam nec alium Judicem habebat; et si habuisset, convinci non potuisset; quoniam factum erat sine teste; et quamvis ex suspicione fama peccati manasset in vulgus, tamen legitime peccatum probari non poterat ; sed apud Deum Judicem convictus erat , tum quia Deus viderat, tum quia conscientia ipsius testis erat apud Deum, qui scrutatur renes et corda; et ideo subjungit declarans. *et malum coram te feci*: quamvis enim David occulte peccaverit, in tenebris clausi cubiculi, tamen oculos Dei excludere non potuit, *Ut justificeris in sermonibus tuis*: illud, *ut*, non significat causam, sed consequentiam, ut Theodoretus hoc loco notavit, et sensus est. *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci*, ex quo secutum est, *ut justificeris in sermonibus tuis*, dum me peccatorem et injustum esse pronuncias: vel certe subintelligitur verbum aliquod ut hic sensus sit, Dico, *tibi soli peccavi*, dico, *malum coram te feci*, confiteor me injustum, ut tu justus, et verax inveniaris in sermonibus tuis, quibus per Nathan Prophetam me adulterii et homicidii reum esse pronunciasti. *Et vincas cum judicaris*: repetitio est ejusdem sententiae: ac si dicat, et si judicium inter te, et me instituatur, et ego negare velim crimen, cujus tu reum me esse dixisti, tu omnino vincas causam, et ego causa cadam, cum mecum judicaris. Hunc existimo litteralem esse sensum hujus obscurae sententiae, qui sensus valde confirmatur ex verbis Apostoli Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. sicut scriptum est ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Sed non rejicio, quod alii dicunt, *Deum justificari in sermonibus suis*, et vincere cum judicatur, si poenitentibus ignoscat, quoniam veniam poenitentibus repromisit. S. Augustinus refert ad Christum hunc versiculum, quia solus ipse est sine peccato, et ideo illi soli justo nos injusti peccamus et ille solus vicit, cum judicatus est injuste ab injustis.

6. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.

Quarta ratio ducitur a prima origine, et primi hominis peccato in nos transfuso per generationem, ex quo facti sumus infirmi, et proclives ad peccandum, et ob hanc quasi naturalem miseriam misericordia digni sumus. Quod autem hic locus non intelligatur de peccatis parentum, sed de ipso peccato originali, quod ex conceptione trahimus; probat hoc loco s. Augustinus, quia David non est natus ex adulterio, sed ex casto conjugio piorum parentum. Sed hoc ipsum probare possumus ex proprietate verborum hebraicorum: illud enim *conceptus sum*, est in hebraeo, חוללתי *cholalthi*, quod non significat actum gignendi, qui ad parentes pertinet, sed actum formationis membrorum, quae conformatio in utero fit satis diu post concu-

bitum parentum. Et videtur Spiritus sanctus divina providentia non voluisse scribi hoc loco, genitus sum, sed *conceptus*, sive *formatus sum*, ut praeveniret haereticorum perversas interpretationes. Illud etiam, *concepit me mater mea*, in hebraeo est, יחמתני *iechemathni*, quod proprie significat, *calefecit me*, sive *fovit me*: proinde non refertur ad actum concubitus, in quo peccant parentes quando fornicantur, vel moechantur, sed ad actionem confovendi foetum in utero, dum formantur membra, ut anima infundatur: quamvis autem s. Hieron. verterit, *peperit me mater mea*, et s. August. legat, *aluit me mater mea*; et nos cum septuaginta legamus, *concepit me mater mea*: tamen proprietas verbi est, quam diximus, cum qua non pugnant illae variae lectiones: mater enim recte dicitur *concipere*, quando foetus in utero ejus formatur, et fovetur: sic etiam dicitur *alere*, non solum quando lacte nutrit jam editum, sed etiam quando in utero conservat, et auget: denique non male s. Hieron. vertit, *in peccato peperit me mater mea*, quia peccatorem peperit, quem in peccato conceperat. Adde etiam quod in textu originali, dicitur in singulari, *et in peccato conceptus sum, et in peccato concepit me mater mea*. Vere enim peccatum originale, quod in conceptione contrahimus, unum est, non plura. Sed septuaginta Interpretes verterunt in numero multitudinis, *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, quia unum illud peccatum est quasi fons omnium aliorum peccatorum, et in illo includuntur omnia.

7. *Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.*

Haec est ratio quinta, quae ducitur a veritate et simplicitate cordis, quae semper fuit in Davide; et quam Deus maxime diligere solet, propter quam etiam Deus, qui veritas est, Davidi multa mysteria futura revelavit: nam, ut S. Joan. Chrysost. hoc loco copiose docet, nullum est fere mysterium Christi et Ecclesiae, quod David non praeviderit, et in psalmis praedixerit. Igitur David hanc veritatem commemorat, propter quam tot mysteria divina cognovit, et quia in eadem veritate perseverat, simpliciter peccatum suum confitendo, inde petit a Deo remissionis donum. *Ecce*, inquit, *veritatem dilexisti*, idest, tu Deus veritatem, et sinceritatem cordis semper amasti: sicut etiam contra duplicitatem, et perversitatem semper odisti. *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi*, idest, quia veritatem amas, et in me veritatem, et rectitudinem cordis invenisti, ideo tam multa mihi patefecisti mysteria divina, secretissima, et occultissima, quae signa sunt infinitae sapientiae tuae. Illud, *incerta*, non significat mysteria divina esse incerta, idest, dubia in se, quasi possint non fieri: sed *incerta*: et dubia nobis, quomodo dicimus, incertus est hominibus dies Judicii, non quod non certum sit futurum esse diem Judicii, sed quia incertum est nobis quando sit futurus. In textu originali vox hebraica בטחות ובסתם *batluchot ubsathum*, significat *absconditum*, *et coopertum*. Itaque *incerta*, *et occulta* sapientiae divinae dicuntur illa, quae Sapientia divina ordinavit ab aeterno, ut fiant temporibus suis, sed abscondita, et occulta sunt, antequam fiant, nisi speciali privilegio revelentur.

8. *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor.*

Aperit hic unum ex incertis, et occultis mysteriis divinae sapientiae, quod videlicet tempore novi testamenti aspergendi essent homines aqua munda in baptismo, et perfectissime justificandi: alludit autem ad caeremoniam, quae describitur, Num. 19. ubi ad expiationem tria necessaria esse dicuntur, cinis vaccae ruffae immolatae in holocaustum; aqua cineribus mixta: et hyssopus, quo aqua aspergebatur: per cinerem vaccae ruffae significatur Christi mors: per aquam, baptismus: per hyssopum, fides; hyssopus enim herba est humilis, radices habens in petra. Sicut enim in illa expiatione typica, aqua mundabat, sed vim habens ex cineribus vaccae occisae, et per hyssopum aspersa: sic etiam in baptismo aqua mundat, sed vim habens ex morte, et merito Christi, et per fidem applicata. Ad has igitur expiationes tum figurantem, tum figuratam respicit David, cum dicit: *Asperges me hyssopo et mundabor*: petit enim illam purgationem, quam noverat figuratam, per expiationem aquae hyssopo aspersae, et quam implendam praevidebat, et praedicebat in baptismo: et ut ostendat illius expiationis primarium auctorem esse Deum dicit, *Asperges me hyssopo*, et non dicit, asperget me sacerdos hyssopo: et ut demonstret, expiationem baptismi fore perfectissimam, ita ut vere tollat peccata, ut non solum non imputentur, sed ut non sint: et non solum tollat peccata, verum etiam infundat copiosam gratiam, addit: *Lavabis me, et super nivem dealbabor*. Vide s. August. lib. Quaest. super Num. cap. 33. et Theodoretum in hunc locum psalmi.

9. *Auditui meo dabis gaudium, et laetitiam, et exultabunt ossa humiliata.*

Effectus, et signum perfectae justificationis est cum spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Hoc testimonium in se ali, quando Propheta expertus, iterum illud petit, dicens. *Auditui meo dabis gaudium, et laetitiam*, idest, cum me perfecte laveris, addes et hoc beneficium, ut interiore quodam gaudio tamquam signo remissi peccati me mirabiliter afficias: quod gaudium erit veluti bonus nuncius, quem cordis aure jucunde percipiam. In hebraico textu est unicum verbum תשמיעני *thasmiheni* pro eo quod nos habemus, *auditui meo dabis*, et significat proprie *audire me facies*. Itaque sensus est, audire me facies internam vocem Spiritus sancti, qui me gaudio, laetitiaque perfundet. *Et tunc exultabunt ossa humiliata*, idest, tunc animus spiritu timoris confractus, et dissolutus, resumptis viribus exultabit. In hebraico textu habetur, תגלנה עצמות רכית *thaghelna hatzamoth dicchitha*, *Et tunc exulta-*

bunt ossa quae tu confregisti. Ex quo intelligimus, spiritum timoris, quo cor conteritur, et humiliatur, a Deo esse, et disponere ad spiritum dilectionis, quo anima justificatur. Per ossa, intelliguntur vires animi, non ossa corporis, nam et paulo post dicitur, Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

10. *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.*

Quod praedixit futurum, in praesenti sibi postulat: dixerat enim, *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor; Auditui meo dabis gaudium*, etc. nunc ista ipsa postulat. Ac primum petit remitti peccata, sicut antea dixerat, *Asperges me hyssopo, et mundabor. Averte*, inquit, *faciem tuam a peccatis meis*, idest, ne consideres peccata mea, ut ea punias: quo modo alius Sanctorum dixit, Tob. 3. *Ne reminiscaris Domine delicta mea.* Sunt tamen istae omnes loquutiones metaphoricae: neque enim fieri potest, ut Deus, quem nihil latet, avertat faciem a peccatis, vel obliviscatur eorum; sed dicitur avertere faciem, vel oblivisci, quando facit id quod faciunt, qui non considerant, aut non recordantur: qui enim non considerant, aut non recordantur, non puniunt. Addit autem, *et omnes iniquitates meas dele*, ut non solum ad tempus Deus non puniat, sed numquam omnino puniat: qui enim avertit faciem a scriptura aliqua, potest iterum convertere faciem, et considerare quod scriptum est: sed qui delevit scripturam, non potest amplius legere. Facit hoc adversus haereticos, qui docent, peccatum in justificatione non imputari, sed manere tamen; quasi Deus avertat quidem faciem a peccatis sed ea numquam omnino deleat.

11. *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Hoc respondet illis verbis: *lavabis me, et super nivem dealbabor*: petit enim, ut non solum peccata deleat, sed etiam justitiam infundat, quae animam renovet, et formosam, ac splendidam reddat; quod etiam est contra haereticos, qui justificationem in sola peccatorum remissione constituunt. Quod autem dicit, *Cor mundum crea in me Deus*, intelligitur formaliter, ut scholae loquuntur, idest, de creatione munditiei, non de creatione cordis: per peccatum enim non perit substantia cordis, sed mundities. Itaque sensus est, crea munditiem in corde meo: et satis proprie dicit, *crea*, quoniam nihil invenit Deus in corde peccatoris, unde munditiem in illo efficiat, sed ex magna misericordia sua sine ullis meritis homines justificat: nam etiamsi disponantur peccatores per fidem, et poenitentiam ad justificationem: tamen fides, et poenitentia, et alia omnia similia dona Dei sunt. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Explicatio est verborum praecedentium: ut enim intelligeremus, creari cor mundum, esse, creari munditiem in corde, addit, et in visceribus meis innova spiritum rectum, non autem, innova mihi viscera. Per viscera intelliguntur interiora animi, id est, voluntas ipsa, quae paulo ante cor dicta est. Per spiritum rectum, intelligitur recta affectio, quae nihil aliud est, nisi charitas: per cupiditatem enim affectus cordis distortus efficitur, dum convertitur ad inferiora, ac praecipue ad seipsum; sed per charitatem dirigitur, dum convertitur ad superna, ac potissimum ad Deum. Innovatur igitur spiritus rectus in visceribus, quando corde mundato per gratiam renovatur in anima pia affectio in Deum, quae per peccatum amissa erat, et in cujus locum cupiditas distorta successerat.

12. *Ne projicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

Hic jam perseverantiam postulat, memor videlicet fragilitatis suae, ne forte per gratiam erectus, iterum labi contingat. Dicitur in scriptura, *projici a facie Dei*, qui dimittitur, ac deseritur non amplius recipiendus in gratiam, 1. reg. 16. *Dixit Dominus ad Samuel, usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum*; et 2. reg. 7. *Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstulit a Saul, quem amovi a facie mea;* et 4. reg. 24. *Irascebatur Dominus contra Jerusalem et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua.* Ait igitur, *ne projicias me a facie tua*, idest, ne sinas me iterum labi in peccatum, ne forte in perpetuum a gratia tua me removeas, parum enim mihi prodesset lavari, et super nivem dealbari, et spiritum rectum in me innovari, si tandem a facie tua cum reprobis projiciendus essem. Ut autem me non projicias a facie tua, *spiritum sanctum tuum ne auferas a me*, idest, donum perseverantiae mihi tribue, efficiendo per gratiam tuam, ut Spiritus tuus sanctus jugiter in me manens, spiritum rectum in visceribus meis conservet. Hoc loco notandum est verum esse dogma ecclesiasticum Concil. Trident. sess. 6. cap. 13. s. Augustini tract. 2. in Joannem, et s. Prosperi resp. 7. ad objectiones Vincentianas, neminem a Deo deseri, nisi prius ipse deserat Deum, idest, non auferri Spiritum sanctum a justis, nisi ipsi peccando spiritum in se extinguant, tamen ut homo non peccet, et spiritum non extinguat, ad donum perseverantiae pertinere, de quo dicit Apostolus, *oramus, ut nihil mali faciatis*, 2. Cor. 13. de hoc dono hunc locum psalmi intelligimus: cum enim dicit David, *spiritum sanctum tuum ne auferas a me*, non significat, non auferas, si peccavero; sed ne auferas, ut non peccem.

13. *Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.*

Respondet hic versiculus illis verbis, *auditui meo dabis gaudium et laetitiam*; sicut enim praedixit, post veram, perfectamque justificationem secuturum in homine internum gaudium, ex testimonio spiritus intus loquentis: ita nunc postea-

quam petiit remissionem peccati, et infusionem gratiae cum dono perseverantiae, petit signum, et effectum justificationis, dicens : *redde mihi laetitiam salutaris tui*, idest per peccatum amisi gratiam, et laetitiam consequentem ; ideo sicut petii reddi mihi gratiam amissam, ita consequenter peto reddi laetitiam salutaris tui, id est, laetitiam, quae nascitur ex donata a te mihi salute: ac ne forte laetitia extollat,et periculosam securitatem inducat, adjungit, *et spiritu principali confirma me*, idest, peto, ut stabilias et confirmes me in bono per spiritum principalem mihi a te inspiratum. In hebraico textu est vox, נדיבה *nediva*, quae significat *principem*,et *spontaneum*,sive *liberalem*; et potest referri tum ad Spiritum sanctum, qui vere princeps est omnium spirituum, et liberalissimus, ac munificentissimus, cum sit fons omnium donorum : tum ad spiritum, idest, affectum ipsius Davidis, qui petitur a Deo talis qualis decet optimum principem, qui debet esse spontaneus erga Deum, et liberalis erga populum. S. Augustinus, et s. Hieronymus in commentario, et s. Bernard. serm. 3. de Pentecoste scribunt, posse per Spiritum principalem intelligi Deum Patrem; per Spiritum rectum, Deum Filium; per Spiritum Sanctum, Deum Spiritum sanctum. Sed videtur haec pia, non litteralis expositio.

14. *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.*

Exponit fructum justificationis suae, quae redundabit in gloriam Dei, et multorum utilitatem. Ego, inquit, a te receptus in gratiam, post tam graves offensiones, *docebo*, et verbis et exemplo *vias tuas*, misericordiam videlicet, et justitiam : nam *omnes viae Domini misericordia et veritas*: et inde sequetur, ut impii exemplo meo edocti ad te convertantur. Fuit autem David omnibus posteris insigne exemplum misericordiae et justitiae divinae : misericordiae quidem, quia post tam gravia scelera, mox ut ex corde dixit, *Peccavi Domino*, remissum fuit ei peccatum ; justitiae autem, quoniam gravissimas temporales poenas de eo Dominus sumpsit, ut non solum statim moreretur filius ex adulterio natus ; sed etiam paulo post ipse ejiceretur e solio Regni, uxores ejus publice violarentur a proprio filio, duo ejus filii Ammon et Absalon interficerentur. Hoc autem, exemplum non solum profuit hominibus illius saeculi ; sed etiam caeteris omnibus usque ad mundi consummationem: nam psalmus de hac re ab ipso compositus ubique frequentatur,et frequentabitur,quamdiu Ecclesiae militantis status permanebit. Itaque implevit David quod promisit, cum hunc psalmum edidit: docuit enim iniquos vias Domini, et occulti peccatores ad Deum conversi sunt,et alii princeps sine dubio convertentur. Verisimile quoque est, Davidem post reparationem suam multis praedicasse divinam indulgentiam,atque ejus exhortatione non paucos peccatores ad Deum fuisse conversos.

15. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae, et exultabit lingua mea justitiam tuam.*

Oravit paulo ante David pro ablutione peccati, et promisit se docturum peccatores vias Domini : nunc orat pro liberatione a poena sive a vindicta, quam expetebat sanguis Uriae injuste fusus ; et promittit, se laudaturum Dei justitiam. Cur autem dicat, *de sanguinibus*, et non potius, de sanguine ut requirebat phrasis latina, rationem reddit s. Augustinus, quia voluit interpres servare numerum, quem invenit in textu hebraico: in textu autem hebraico ponitur numerus multitudinis דמים *middamim*, ad significandum magnam effusionem sanguinis, ut Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* In hebraico est קול דמי *kol deme, vox sanguinum*, idest, vox multi sanguinis effusi. Sic igitur hoc loco dicitur, *libera me de sanguinibus*, idest, libera me a voce multi sanguinis Uriae, qui a me injuste fusus clamat ad te, et vindictam contra me exposcit et dicit,*libera me*, quoniam videbat sanguinem illum, quasi militem armatum contra se stare: proprie etiam addit, *Deus Deus salutis meae* : nam proprium est Salvatoris liberare ab imminenti periculo. Et haec etiam ratio est, cur adjungat, *et exultabit lingua mea justitiam tuam* : nam liberatio et salvatio vera per meritum Christi praevisi fiebat, ut nunc sit per meritum Christi re ipsa exhibiti. Meritum autem Christi exquisitissime justitiam continet, et talem, ut toto corde et maxima vocis contentione laudari mereatur.Atque hoc significat verbum hebraicum, תרנן *therannen*, pro quo nos habemus, *exultabit*, idest, exultando, et vociferando laudabit. S. Augustinus, et alii, per sanguinem, intelligunt peccata: sed, ut bene notavit Euthymius, litteralis sensus ad verum sanguinem Uriae referendus est: spiritualiter autem per sanguinem, peccata intelligi possunt, quoniam peccata ex prava concupiscentia oriuntur, in concupiscentia vero praecipue sanguis dominatur.

16. *Domine labia mea aperies: et os meum annunciabit laudem tuam.*

Hoc jam sequitur ex perfecta justificatione ; et liberatione peccatoris, ut labia solita Deum laudare, quae per peccatum clausa fuerant, iterum per indulgentiam aperiantur ad gratiarum actionem, et laudem Redemptoris. Ait igitur, *Domine labia mea aperies*, idest, tu quidem indulgendo, et condonando peccata; et fiduciam, et laetitiam restituendo, *aperies labia mea*, et tunc *os meum annuciabit laudem tuam*, praedicando misericordiam, et justitiam non solum praesentibus,sed etiam futuris hominibus.

17. *Quoniam si voluisses sacrificium,dedissem utique: holocaustis non delectaberis.*

Reddit rationem, cur sacrificium laudis offerre velit, quoniam videlicet sacrificia pecorum Deo non placent, ac si dixisset, *Os meum annunciabit*

laudem tuam, quoniam sacrificio laudis delectari te scio, non sacrificiis animantium brutorum: nam si ea tibi placerent, non distulissem ea offerre. Non est autem sensus sacrificia pecorum nullo modo placere Deo, cum satis constet ex libro Levitici a Deo illa esse instituta, et offerri jussa. Sed dicuntur non placere ex seipsis quasi mactatio pecorum sit ex se opus Deo gratum, vel utile, aut necessarium: item dicuntur non placere, si conferantur cum sacrificio Eucharistiae; ut patet ex 1. cap. Malach. ubi sacrificia vetera dicuntur cessatura, quando oblatio munda in omnibus gentibus offerentur: dicuntur etiam non placere quando offerentur a peccatoribus, ut dicitur Isaiae 1. cum *Deo magis obedientia placeat, quam victimarum oblatio*, 1. reg. 15. Denique dicuntur non placere ad expianda peccata, quoniam *impossibile est*, ut dicit Apostolus ad hebr. 10. *sanguine taurorum, et hircorum auferri peccata*, et hoc loco David, *si voluisses sacrificium* pro remissione peccati mei, *dedissem utique* : sed quia *holocaustis non delectaberis*, ita ut eorum gratia mihi peccata condones; ideo *os meum annunciabit laudem tuam*: nam, ut diximus in explicatione psalmi superioris, sacrificium laudis Deo gratissimum est, quoniam in ira cordis igne charitatis succenditur. In hebraeo videtur paulo aliter haberi. Sic enim ad verbum legitur, *quoniam non voles sacrificium, et dabo*: *holocaustum non placebit*. Sed videtur repetenda negatio, cum dicitur, *et dabo*, ut sensus sit, *quoniam non voles sacrificium, ego quoque non dabo*. Vel forte septuaginta interpretes loco negationis legerunt particulam conditionalem: nam ea posita potest littera ebraica sic legi, *Quoniam si velles sacrificium, et darem*; quod est idem cum eo, quod nos habemus, ex versione Septuaginta, *si voluisses sacrificium, dedissem utique*.

18. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.*

Explicat clarius, quod sacrificium laudis Deo placeat, illud videlicet, quod ex corde contrito, et humiliato procedit, quando videlicet homo agnoscens miseriam suam et misericordiam Dei, umiliatur sub potenti manu ejus, et illi honorem et gloriam, sibi autem ignominiam et confusionem tribuit. Dan. 9. *Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei*; et paulo post, *Domine nobis confusio faciei, regibus nostris, et principibus nostris et patribus nostris, qui peccaverunt: tibi autem Domino Deo nostro misericordia, et propitiatio*. Spiritus contribulatus idem est quod cor contritum: nam in codice hebraico, et graeco codice eadem vox repetitur, *spiritus contritus, et cor contritum*: sed Interpres maluit variare vocabula; et sensum idem est: dicitur enim *spiritus contribulatus* anima dolore affecta, ac per hoc in tribulatione posita ob peccatum in Deum commissum: sic etiam spiritus contritus, dicitur anima ex dolore concepto ob admissum peccatum, quasi scissa, et pulverem redacta non amplius retinens lapideam duritiem, et resistentiam. Haec autem contritio spiritus est gratissimum Deo sacrificium; quia quemadmodum peccatis Deus offenditur, ita poenitentia placantur: et ideo recte subjungitur. *cor contritum, et humiliatum Deus non despicies: quoniam despicit Deus superbos, illisque resistit; sed humilibus*, qui se illi libenter subjiciunt, *semper dat gratiam*. Jac. 4.

19. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion; ut aedificentur muri Jerusalem.*

Haec est ultima ratio, qua David utitur ad placandum Deum, et impetrandam perfectam justificationem, et reparationem post tam gravem lapsum. Dicit enim hanc suam reparationem toti populo profuturam, sicut toti populo noceret ejus ruina. Itaque rogat, ut praestet hoc beneficium ipsi civitati Sion, et Jerusalem. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion*, idest si ego dignus non sum, qui exaudiar, respice civitatem, cujus ego sum caput, et illi benefac sanando caput illius, *in bona voluntate tua*, idest, juxta beneplacitum tuum, quo tibi complacuit, hanc civitatem tibi eligere in propriam et peculiarem sedem. *Ut aedificentur muri Jerusalem*, idest, ut sic muri Jerusalem, qui corruerunt, iterum aedificentur. Vocat muros Jerusalem seipsum, qui instar murorum totum populum custodiebat, et defendebat; qua metaphora dicitur etiam de rege Christo, *Salvator ponetur in ea murus, et antemurale*, Isaiae 26. et, *dabo te populo huic in murum aeneum*, Hierem. 15. In hebraeo legitur *aedifica muros in Hierusalem*, qui per lapsum meum ceciderunt: restitue mihi spiritum copiosum et gratiam abundantem, ut populum tuum instar murorum defendere et custodire valeam.

20. *Tunc acceptabis sacrificium, justitiae, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Effectus justificationis sunt opera justitiae, quae placent Deo, ut vere sacrificia spiritualia, juxta illud Apostoli ad hebr. 13. *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostibus promeretur Deus* ; et 1. Petr. 2. *Offerre spirituales hostias acceptabiles Deo, per Jesum Christum. Tunc*, inquit, idest, cum ego perfecte reparatus et justificatus fuero, *acceptabis sacrificium justitiae* bona videlicet opera mea et populi mei ; *oblationes et holocausta*, idest quae bona opera, vel erunt spirituales oblationes, vel spiritualia holocausta. Oblationes spirituales sunt, cum quis ex charitate donat bona sua, eleemosynas erogando : holocausta vero cum donat se totum in Dei obsequium, juxta illud Rom. 12. *Obsecro vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem sanctam* etc. *Tunc imponent super altare tuum vitulos*, idest, cum viderint homines ista sacrificia justitiae acceptissima tibi esse, accurrent multi, et certatim imponent super altare tuum sacrificia, non quaecumque, sed omnium optima: sacrificium enim vituli erat omnium sacrificiorum praestantissimum: ac per hoc vitulos super altare imponere nihil est aliud nisi opera justitiae perfectae Domi-

no Deo offerre. S. Augustinus more suo exponit hunc locum de aedificatione coelestis Jerusalem, ubi sacrificia justitiae undequaque perfecta ab omnibus offerentur. Theodoretus et Euthymius exponunt etiam mystice de aedificatione Ecclesiae Christianae, quae versatur in terris: iidem quoque addunt, posse intelligi hos duos versiculos de reaedificatione Jerosolymae, quae facta est tempore Nehemiae, ut videlicet David in spiritu post defletum peccatum suum, et impetratam remissionem praeviderit peccatum commune totius gentis, ob quod evertenda esset Jerusalem, et simul oraverit pro remissione illius peccati, et restauratione Civitatis.

PSALMUS LI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem intellectus David, cum venit Doeg Idumaeus et nunciavit Sauli: venit David in domum Achimelech.

Titulus psalmi notissimus est ex historia libri primi Regum cap. 22. Argumentum autem est reprehensio Doeg Idumaei, qui calumniatus est Davidem et Achimelech sacerdotem apud regem Saul et causa fuit perditionis multorum hominum.

EXPLICATIO PSALMI LI.

1. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?*

Orditur David ab interrogatione, ut efficacior sit reprehensio, quomodo M. Tullius adversus Catilinam incepit, quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? *quid gloriaris* inquit, *in malitia, qui potens es in iniquitate*? gloriabuntur enim Doeg Idumaeus, quod accusatione sua perdidisset sacerdotem Domini, et omnem familiam ejus. Saul enim cum audivisset ab isto Doeg Idumaeo, Davidem fuisse receptum hospitio ab Achimelech sacerdote, in tantam iram exarsit, ut non solum occidi jusserit ab ipso Doeg sacerdotem Achimelech, sed etiam octoginta quinque alios sacerdotes, qui erant cum eo: et deinde percussit in ore gladii civitatem sacerdotalem, occidens omnes viros et mulieres, parvulos et lactentes, oves quoque, et boves et asinos. Ecce quanta mala nata sunt ex calumniatore illo, ut vere dictus sit *potens in iniquitate*. Sed occurrit difficultas ex discordia codicum hebraicorum, graecorum et latinorum. Nam s. Hilarius et s. Augustinus legunt, *quid gloriatur*. Sed nostrae lectioni, *quid gloriaris*, favent textus hebraicus et s. Hieron. non solum in versione, sed etiam in commentario. Praeterea in textu hebraico et graeco constituitur punctum post vocabulum, *potens es, quid gloriaris in malitia, qui potens es*. Sed nostrae lectioni favent s. Hilarius et s. Hieronymus in commentario, quamvis s. Augustinus et Euthymius legant, ut nunc habetur in hebraico et graeco textu. Apparet igitur apud veteres fuisse varias interpunctiones. Denique in hebraico codice habetur, *misericordia Dei*, pro eo quod est in graeco ἀνομία, *iniquitas*: sic enim ad verbum legitur in hebraico, *quid gloriaris in malitia, qui potens es in misericordia Dei*. Sed vox hebraica חסד *chesed*, non significat solam misericordiam, sed etiam opprobrium, ut perspicuum est ex Levitico c. 20. vers. 17. et ex Proverbiis c. 14. vers. 37. Igitur hoc loco non debuisset verti, *misericordia Dei*, sed *opprobrio Dei*: quia occidit multitudinem sacerdotum, quod in opprobrium Dei redundavit. Septuaginta interpretes verterunt, ἀνομίαν, iniquitatem, quia factum illud Doeg Idumaei iniquissimum fuit: nam ut legitur 1. reg. 22. nulli alii ausi sunt mittere manus suas in sacerdotes, etiam rege jubente, praeter istum Doeg Idumaeum; qui tamen omnium optime noverat innocentiam sacerdotum, ut testis oculatus omnium rerum.

2. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum.*

Exaggerat miris modis calumniosam illam delationem Doeg Idumaei: ac primum dicit non fuisse repentinam delationem, sed diu meditatam. *Tota die*, inquit, *injustitiam cogitavit lingua tua*, id est, assidue cogitabas, quo modo injuste deferres, et tandem oblata occasione lingua tua peperit, quod diu antea parturiebat: quamvis enim cogitatio ad mentem pertineat, tamen David poetice tri-

buit hoc linguae, quasi ipsa lingua tam mala fuerit, ut etiam silens apud aures hominum, tamen apud se ipsa cogitando loqueretur. Deinde addit deceptionem ab ipso celerrime factam esse, quomodo novacula acuta expeditissime, et facillime scindit: conjungit enim propheta eleganter tarditatem meditationis cum celeritate exequutionis. Vere enim Doeg Idumaeus quod diu antea cogitaverat, celerrime data occasione perfecit. Siquidem paucissimis verbis omnino Sauli persuasit, Achimelech sacerdotem cum Davide conjurasse, qui fuit dolus et impostura gravissima: ait igitur, *sicut novacula acuta fecisti dolum*, idest, sicut novacula acuto facillime scindit capillos, ita ut facillime Saulem decepisti. Potest etiam per *dolum*, intelligi dolosa, et fraudulenta occisio sacerdotum; quam Doeg effecit interficiendo totam progeniem Sacerdotum usque ad parvulos, et lactentes, quomodo novacula abradit penitus omnes pilos, quamvis tenuissimos. Dicitur autem dolosa occisio, quia sacerdotes non fuerunt vocati ad regem tamquam inimici, ut timere potuerint, se occidendos, sed circumventi sunt, et de improviso perierunt.

3. *Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem magis, quam loqui aequitatem.*

Declarat ex qua radice prodierit illa calumniosa delatio, ac dicit, illam non prodiisse ex ignorantia vel casu aliquo, sed ex mala voluntate ipsius, qui dilexit semper malum potius, quam bonum et mendacium potius, quam veritatem. *Dilexisti*, inquit, *malitiam super benignitatem*, id est, delectaris potius nocere proximo quam illi benefacere. *Iniquitatem magis, quam loqui aequitatem*, idest, mendacium potius loqui te delectat, quam veritatem: nam verbum hebraicum, שקר *scekher*, proprie *mendacium* significat: sed quia mendacium perniciosum iniquitas quaedam est, ideo septuaginta interpretes verterunt, ἀδικίαν *iniquitatem*, ut declararent hic agi de mendacio pernicioso: sic etiam ipse David cum deberet mendacio opponere veritatem, opposuit tamen justitiam, dicens, *quam loqui aequitatem*, quoniam voluit indicare mendacium illius Doeg Idumaei non fuisse mendacium otiosum, vel officiosum, sed plane perniciosum et injustum. Porro per, *aequitatem*, intelligenda est justitia, ut sonat vox hebraica, צדק *tzedek*, non autem id quod apud latinos proprie sonat vocabulum *aequitas*. At non videtur Doeg mendacium aliquod protulisse, cum ait, *venit David in domum Achimelech*. Respondeo mendacium fuisse in verbis illis juxta intentionem dicentis, et audientium: ipse enim significare voluit Achimelech fuisse socium conjurationis David; et in eo sensu accepta sunt verba ejus a rege Saul.

4. *Dilexisti omnia verba praecipitationis, lingua dolosa.*

Explicat adhuc magis, quid dixerit *mendacium et iniquitatem*: et ait, fuisse mendacium vere perniciosum, cum fuerit causa perditionis plurimorum hominum innocentium. *Dilexisti*, inquit, *omnia verba praecipitationis*, idest, dilexisti omnia verba quibus possent homines innocentes praecipitari in ruinam, et perditionem: vox ebraica, בלע *balah*, significat deglutire, absorbere, perdere, et similia. Itaque illud, *praecipitationis*, exponi debet, praecipitationis in mare, vel in foveam, ut absorbeantur, vel devorentur, vel positum est, *praecipitationis*, pro ruinae et perditionis: constat autem ex lib. 1. reg. cap. 22. propter verba Doeg Idumaei integram civitatem periisse. Illud autem, *lingua dolosa*, varie legitur ab auctoribus: nam s. Hilarius, et s. August. legunt, *linguam dolosam*, ut etiam legit Theodoretus, et nunc habent, graeci codices, γλῶσσαν δολίαν; et si ita legantur, sensus erit, *Dilexisti omnia verba praecipitationis, linguam dolosam*, idest, dilexisti omnia verba praecipitationis; dilexisti inquam, linguam dolosam. At s. Hieronymus quamvis in hebraeo vertat, *linguam dolosam*, tamen in commentario psalmorum legit, *in lingua dolosa*, ut etiam legit Euthymius, licet non taceat varietatem codicum graecorum, in quorum nonnullis sit in accusativo, *linguam dolosam*, et si quis ita legat, sensus erit, *dilexisti omnia verba praecipitationis in lingua dolosa*, idest, per istrumentum linguae dolosae. Nostri codices videntur accipiendi in vocativo, ut sensus sit *o lingua dolosa*, tu dilexisti omnia verba praecipitationis, idest, delectaris semper loqui verba perniciosa: et videtur nostra lectio satis concordare cum textu hebraico, ubi simpliciter ponitur vocabulum sine ullo signo casus obliqui.

5. *Propterea Deus destruet te in finem, evellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.*

Praedicit non fore impunitum peccatum Doeg Idumaei, sed pro temporali destructione Sacerdotum, cujus ipse causa fuit, retribuendum ei exitium sempiternum. *Propterea*, inquit, *Deus destruet te in finem*, idest, propter hoc tuum peccatum Deus te radicitus destruet in hoc saeculo, et in futuro, ita ut in aeternum destructus maneas, quibus significari videtur aeterna desolatio in hoc saeculo, et aeterna damnatio in futuro. Atque haec est justa retributio impiorum, ut qui alios perdunt, ipsi quoque male pereant. Deinde quod generatim dixerat, explicat per partes dicens, *evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium*, idest, hoc modo te penitus destruet, quia puniet te exilio et orbitate, ita ut primum amittas opes, et patriam; deinde in exilio et sine liberis moriaris. *Evellet*, inquit, *te, et emigrabit*, idest migrare faciet de tabernaculo tuo; et sic exul, et vagabundus errabis: *et radicem tuam evellet de terra viventium*, idest, te cum omni posteritate tua de terra eradicabit: filii enim similes sunt radicibus quia per eos Pater radicatur, et stabilitur in terra. Et quoniam per terram viventium significari potest, patria coelestis, indicatur hoc loco, ut supra diximus, etiam damnatio sempiterna. In hebraico textu pro, evellet te, habetur, יתתך *jachtheca*, quam vocem s. Hieronymus ver-

tit, *terrebit te*: sed s. Hieronymus deduxit eam vocem a, חתת *chathath*, quod est *terrere*. Caeterum septuaginta interpretes deduxerunt a, חתה *chatha*, quod est *capere*, sive *carpere*, quod idem est cum *evellere*.

6. *Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent, ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.*

7. *Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et praevaluit in vanitate sua.*

Ex poena impii delatoris id sequetur, ut multi erudiantur. *Videbunt justi, et timebunt*, idest, casum istum considerabunt viri justi et cordati et horrebunt. *Et super eum ridebunt, dicentes, ecce homo* etc., idest et illum irridebunt, quod stultissime egerit, cum in Deo, qui potentissimus est, sperare noluerit, et in divitiis fragilibus, quae facillime amittuntur, spem suam posuerit: *praevaluit in vanitate sua*, idest, eumdem irridebunt, quod praevalere studuerit non vero robore, veraque virtute, sed in insidiis et mendaciis vanitatum plenissimis: illud enim, *praevaluit*, non significat, quod vere tandem praevaluerit, sed quod opinione sua praevalere se posse crediderit: nam etiamsi ad tempus adversus innocentes praevalere visus est, tamen exitus demonstrabit, eum succubuisse, non praevaluisse: quando *justi stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*, ut dicitur cap. 5.

8. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei; speravi in misericordia Dei in aeternum, et in saeculum saeculi.*

Concludit psalmum ostendens se omnino contrariam viam ingressum esse. *Ego*, inquit, *similis sum olivae fructiferae in domo Dei*, idest, non evellar, neque eradicabor magis et magis, ut oliva speciosa, semper virens et fructum adferens; et quia talis sum, ideo *speravi in misericordia Dei in aeternum, et in saeculum saeculi*, idest, speravi, me adjutum iri a Deo in aeternum, et in saeculum saeculi. Ubi mire opponit se Doeg Idumaeo; illum comparat ligno arido, se vero olivae virenti: illum dicit, sperasse in divitiis suis, se autem in misericordia Dei.

9. *Confitebor tibi in saeculum, quia fecisti; et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.*

Gratias agit pro re futura, quasi praeterita, quoniam futura apud Deum, et in cognitione Prophetarum certissima sunt. *Confitebor*, inquit, *tibi in saeculum*, idest, laudabo te, semper, quia fecisti judicium hoc, ut sperantem in divitiis suis confunderes, et destrueres; sperantem in te consolareris et aedificares. *Et expectabo nomen tuum*, id est, et semper deinceps sperabo in te: idem enim est sperare in Deo, et expectare Deum, et nomen Dei pro ipso Deo ponitur. *Quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum*, idest, merito sperabo in nomine tuo, quoniam nomen tuum dulce est sanctis tuis, qui ejus dulcedinem gustaverunt.

PSALMUS LII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro Machalath intelligentia David.

Hic titulus habet unam vocem non interpretatam, videlicet *pro*, מחלת *Machalath*. Et s. Hieronymus vertit, per chorum. Sed per chorum videtur intellexisse instrumentum musicum, ut ipse idem testatur in epistola ad Dardanum (si tamen ea epistola ipsius est) de musicis instrumentis: quo modo nonnulli accipiunt vocabulum chori in psalmo ultimo in illis verbis, *in tympano et choro, in chordis et organo*. Neque improbabile est, per chorum posse intelligi coetum cantorum canentium, ut sensus sit, psalmum esse compositum pro choro, ut videlicet canatur a multis simul. Fateor tamen priorem expositione videri veriorem; quoniam septuaginta Seniores non reliquissent eam vocem non interpretatam nisi existimassent ea voce significari nomen proprium alicujus instrumenti musici. Quod additur, *intelligentia David*, significat, in hoc psalmo aperiri intelligentiam, sive *eruditionem David*, ut vertit s. Hieron. ex quo titulo colligitur argumentum psalmi, quod est, deploratio insipientiae generis humani: ideo enim fit mentio intelligentiae David, quia per ipsum coarguenda erat caecitas et insipientia generis humani.

EXPLICATIO PSALMI LII.

1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*
2. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis, non est qui faciat bonum.*
3. *Deus de coelo prospexit, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.*
4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*
5. *Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, ut cibum panis.*
6. *Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*
7. *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt quoniam Deus sprevit eos.*
8. *Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suae, exultabit Jacob, et laetabitur Israel.*

Hic psalmus idem fere est cum psalmo tertiodecimo, inde igitur petatur explicatio; satis enim erit hic annotare diversitatem utriusque psalmi.

Primus versiculus est omnino idem.

Secundus versiculus est etiam idem, nisi quod in isto habetur, *in iniquitatibus*, in illo, *in studiis*; sed idem est sensus: studia enim illa sunt affectus, et desideria mala, quae omnia iniqua sunt, et peccata, ac per hoc iniquitates.

Tertius versiculus idem est, nisi quod hic dicitur, *Deus* ibi dicitur *Dominus*.

Quartus versiculus idem omnino est.

Quintus versiculus, sextus et septimus, qui habentur in psalmo tertiodecimo, in hoc non habentur; sed ut ibi admonuimus, illi tres versiculi additi sunt ex diversis Scripturae locis, et ad psalmum proprie non pertinent.

Quintus versiculus qui respondet octavo in psalmo tertiodecimo, idem cum illo est, nisi quod hic dicitur, *Nonne scient*, ibi dicitur *Nonne cognoscent*.

Sextus versiculus, qui respondet nono, idem est cum illo, nisi quod hic dicitur, *Deum*, ibi *Dominum*.

Septimus versiculus, cui respondet decimo, plane diversus est: ibi enim dicitur, *Quoniam Dominus in generatione justa est; consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est*: hic vero dicitur, *quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos*. Hic igitur versiculus, qui solus explicandus est, reddit rationem, cur impii trepident timore ubi non est timor; et dicit causam esse, *quoniam Deus dissipat omnia ossa eorum*, idest, debilitat omne eorum, ut etiam levissima quaeque formidant, id vero facit admirabili providentia sua infatuando consilia eorum, impediendo conatus eorum, et ad nihilum redigendo omnes machinationes eorum: ossa enim in scripturis pro fortitudine passim accipiuntur. Addit Propheta, *qui omnibus placent*; quoniam ejusmodi homines pleni sunt timore humano, sive mundano, et totum studium eorum est hominibus placere. Apostolus autem e contrario dicit, Gal. cap. 1. *si hominibus placerem, Christi servus non essem*. In hebraeo non habetur, *qui hominibus placent*, sed *circumdantium te*, sed septuaginta interpretes non legerunt, *chonach*, quod est, *circumdantium te*, sed, חנף *chaneph*, quod significat hypocritam, simulatorem, adulatorem, quam vocem rectissime interpretati sunt, ἀνθρωπαρέσκων, idest, eorum qui hominibus placent: ejusmodi enim sunt adulatores, et hypocritae. Adjungit Propheta, *confusi sunt quoniam Deus sprevit eos*: quibus verbis videntur alludere ad versiculum decimum psalmi decimitertii, *consilium inopis confudistis, quoniam dominus spes ejus est*, quasi dicat, vos impii confudistis consilium inopis confidentis in Deo: et Deus confundet vos ut saepe erubescere cogamini videntes irrita consilia vestra, quoniam in Deo non sperastis, et Deus sprevit vos ac per hoc non adjuvit vos. Possent etiam haec referri ad novissimum judicium, in quo omnes impii confundentur, quoniam Deus judex omnium spernet eos, dicens, *non novi vos, ite in ignem aeternum*. Matth. 25.

Octavus versiculus qui et postremus, idem est cum postremo versiculo psalmi tertiidecimi, nisi quod ibi dicitur, *cum averterit Deus captivitatem*. Sed quamquam avertere, et convertere videantur esse contraria; tamen hoc loco sensum eumdem faciunt: dicitur enim Deus avertere captivitatem, cum tollit e medio et ad nihilum redigit ipsam captivitatem: quod fit cum captivis liberatis, captivitas esse definit. Dicitur autem idem Deus convertere captivitatem, quando captivos revocat, et reducit in patriam. Denique cum dicitur averti captivitas, sumitur captivitas pro forma, idest, pro ipsa vera captivitate: cum dicitur converti captivitas, sumitur captivitas pro personis, quae erunt captivae.

PSALMUS LIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in carminibus intellectus David cum venissent Ziphaei, et dixissent ad Saul, nonne David absconditus est apud nos?

Ex titulo colligitur argumentum. Scribitur lib. 1. reg. cap. 23. Ziphaeos proditores fuisse Davidis, qui apud eos, tamquam apud amicos manens, declinarat persecutionem Saulis. Ipsi enim Sauli patefecerunt Davidem apud se latere; unde factum est, ut Saul cum maximo exercitu ad eos accederet, et quasi in modum coronae totum locum cingeret, ut David pene de vita desperaret. Occasione igitur tam imminentis periculi, David ad Deum per orationem confugit, et hunc psalmum, Domino inspirante, composuit. Theodoretus, et Euthymius, quem aliqui recentiores sequuntur, existimant psalmum compositum fuisse post liberationem; et esse hymnum gratiarum actionis. S. Hieronymus, et s. Augustinus, quamvis mystice solum exponant; tamen indicant psalmum compositum fuisse instante persecutione; quod clarius tradit s. Hilarius exponens ad litteram, et mystice. Hanc sententiam veriorem esse, et ipse titulus, et totus psalmi contextus ostendit. Illud, *intellectus David*, significat hanc fuisse sanctam prudentiam Davidis, ut intelligeret in tam magno periculo ad Deum esse recurrendum, et in illo sperandum. In qua oratione intellexit etiam inspirante Domino se de omni periculo liberandum.

EXPLICATIO PSALMI LIII.

1. *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.*

Orat Deum, ut quando defecerant omnia humana remedia, ipse per se ad juvandum accederet. *Deus*, inquit, *in nomine tuo*, id est, potestate tua, cui omnia cedunt, *salvum me fac*; et per alia verba idem significans, addit, *et in virtute tua*, idest, potentia, et robore tuo, *judica me*, idest, sis judex meus, et pro meritis retribue mihi defensionem; et adversario meo ultionem: non enim habebat tunc David, ad quem appellaret ab injustitia regis, nisi solum Deum. Quo exemplo admonemur, numquam esse desperandum de auxilio Domini, etiamsi mors evidentissime imminere videatur: Deus enim ubique est, et omnia in manibus habet, et cultores suos ad se confugientes non despicit.

2. *Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.*

Jam confessus fuerat potentiam Domini: nunc orat, ut Dominus ad potentiam adjungat voluntatem. *Deus*, inquit, *exaudi orationem meam*, quasi dicat, scio te omnia posse; sed oro, ut velis: ideo peto, ut exaudias orationem meam, qua te rogavi, ut potestate tua salvum me faceres. Idem repetit sequentibus verbis, *auribus percipe verba oris mei*, idest, ne avertas aures tuas, neque despicias orationem meam.

3. *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

Explicat pericula, a quibus liberari desiderat, dicens, *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me*, idest, Ziphaei, qui proximi videbantur, sed corde alieni erant a me, insurrexerunt contra me, irritantes Saulem ad me persequendum: *et fortes quaesierunt animam meam*, idest, et Saul cum armato exercitu, quaesierunt vitam meam ad extinguendum eam: haec enim erat tota ratio persecutionis: quia enim timebat Saul, ne aliquando David regnaret, cupiebat eum de medio tollere: quamvis enim Davidem innocentem esse Saul non ignoraret, tamen cupiditas retinendi in propria familia regnum, quam rationem status nunc vocant, faciebat, ut justum videretur quod injustissimum erat. *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum* idest, et neque illi, neque isti timorem Domini prae oculis habuerunt: illi enim, Ziphaei videlicet, gratiam regis legi Domini; et isti, Saul, et satellites ejus, regnandi cupiditatem justitiae, quam Deus in primis observari jubet, anteposuerunt. Vere enim initium omnium malorum est avertere oculos mentis a Deo, et ejus lege naturali omni-

bus nota. Vide s. Thomam quaest. 1. de Malo, art. 3.

4. *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animae meae.*

Illi, inquit, non habuerunt Deum ante oculos suos: sed Deus habuit illos ante oculos, et vidit quid molirentur, et non permisit, ut malam suam voluntatem implerent. Illud, *ecce*, significat repentinam illustrationem Prophetae, qua praevidit auxilium Dei sibi non defuturum, et tam certo praevidit, ut tamquam de re praesente dicat, *Ecce Deus adjuvat me*: particula *enim*, vel ponitur pro autem vel subintelligitur aliud, hoc modo: Ibi non proposuerunt Deum ante conspectum suum, ut facere debuissent: *ecce enim Deus adjuvat me. Et Dominus susceptor est animae meae*, idest, ecce video Deum me adjuvantem, et suscipientem quasi in sinu suo custodiendam vitam meam, quam isti quaerunt mihi eripere. Et vere repentinum, et inopinatum fuit auxilium Dei: nam cum undique circumdedisset. Saul exercitu suo Davidem, ut evadere non posset; repente venit nuncius ad Saulem, qui diceret Philisthaeos magno agmine se infudisse in regionem Saulis, quo nuncio coactus est Saul recedere a persequendo Davide, et fortasse orante Davide venit ille nuncius, et David, qui eum in spiritu praeviderat, dicit: *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animae meae.*

5. *Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos.*

Per imprecationem intelligitur praedictio, ut saepe monuimus; et in hebraeo legitur per modum praedictionis: sic enim ad verbum reddi possunt verba hebraica: *Revertetur malum inimicis meis*: nostra autem lectio facilior esset, si ita legeremus, *Averte mala a me ad inimicos meos*. Sed in eumdem sensum verba explicanda sunt. *Averte mala, quae impendent*, á me, et converte illa ad inimicos meos. Quod quidem ita factum est: nam Saul Davidem persequebatur et continuo factum est, ut Philisthaei persequerentur Saulem. Itaque pericula, quae imminebant a Saule Davidi, coeperunt imminere a Philisthaeis Sauli. Illud autem, *et in veritate tua disperde illos*, impletum est non diu postea: nam in montibus Gelboe periit Saul cum exercitu suo, in quo exercitu credibile est adfuisse, et similiter periisse illos, qui Davidem persequuti fuerant: disperdere enim hoc loco non significat dissipare, sed omnino delere, et extinguere, si vox hebraica הצמיתם *hatsmithem*, consideretur. Vide lib. 1. reg. cap. ult. Illud, *In veritate tua*, significat, juxta promissiones tuas, sive secundum justitiam tuam, qua reddis unicuique secundum opera sua. Matth. 16.

6. *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.*

Videns Propheta, se continuo exauditum, sive ex praenotione futurae liberationis, sive ipso orante discesserit. Saul propter pericula Philistinorum sibi denuntiata; gratias agit Deo, ac dicit, *Voluntarie sacrificabo tibi*, idest, promptissimo animo offeram sacrificium laudis: et idem aliis verbis repetens ait, *et confitebor nomini tuo*, idest, confessionem laudis offeram tibi, (nomen enim Dei pro ipso Deo ponitur) *quoniam bonum est*. Siquidem nomen Dei, pro re significata sumptum, idest, pro ipso Deo, res est omnium optima; ita ut Christus ipse dixerit, *nemo bonus nisi solus Deus*. Matth. 19. Luc. 18. Marc. 10. s. Augustinus recte monet, occasione adverbii, *voluntarie*, Deum esse diligendum propter seipsum amore puro, non tam propter praemium aliquod, quam propter ipsius Dei summam, et ineffabilem bonitatem; quam dilectionem qui habet, non minus Deo sacrificat, eique confitetur in prosperis, quam in adversis: siquidem Deus non minus bonus est cum nos flagellat, quam cum pascit, et reficit.

7. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus.*

Ostendit ex effectu Deum esse bonum, quoniam tam cito exaudivit servum suum. *Quoniam*, inquit, *ex omni tribulatione eripuisti me*, idest, quoniam revelans mihi meam certam liberationem, jam in spe ex omni tribulatione liberasti me, *et super inimicos meos despexit oculus meus*, idest, et in eadem praenotione jam oculus meus vidit inimicos meos prostratos, et consumptos: refertur enim hoc ad id, quod antea dixerat, *in virtute tua disperde illos*. Nisi forte placeat, ut supra indicavimus, ipso Propheta orante incoepisse ejus deliberationem; recedente videlicet Saule propter nuncium allatum de adventu Philistinorum: tunc enim sensus erit: *Quoniam ex omni praesenti tribulatione eripuisti me, et oculus meus vidit inimicos meos*, recedentes cum Saule Duce ipsorum. Nam vox illa, *despexit*, non significat contemptum, sed simplicem visionem, ut perspicuum est ex hebraica voce, ראתה *raatha*: verti enim potuisset, Super inimicos meos respexit oculus meus, idest, oculus meus libere, et sine timore respexit inimicos meos. Vulgatus Interpres posuit *despexit*, ut significaret Davidem ex alto loco vidisse inimicos prostratos, aut recedentes, juxta duas expositiones indicatas. Vere enim David *despexit*, idest, deorsum aspexit inimicos suos, sive quia tunc erat in monte edito corporaliter, sive quia spiritus Prophetiae in altum illum evexerat, et ex alto divinae revelationis inimicos suos vidit quasi jacentes in imo. Porro hic psalmus quotidie in Ecclesia frequentatur ad horam primam, ut exemplo Davidis discamus adversus omnes persecutores armis orationis ad initium diei communiri, scientes quod *omnes qui pie vivere volunt in Christo Jesu persequutiones assidue patientur.*

PSALMUS LIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in carminibus intellectus David.

In titulo nihil est, quod non sit alias explicatum. Argumentum esse volunt sancti patres Hilarius, et Hieronymus de Passione Christi. Euthymius, et Theodoretus psalmum exponi volunt de Davide fugiente persecutionem Saulis, vel potius Absalonis. S. Augustinus de homine justo in tribulatione posito, sive de corpore Christi, quod est Ecclesia. Sed omnes expositiones admitti debent, aut certe possunt; nam quod de Davide psalmus ad litteram recte exponatur, intelligi potest ex praecedente, et sequente, et ex aliis multis, ubi diserte verbis ponitur in titulo, psalmum esse compositum occasione talis, vel talis persecutionis, quam David patiebatur: quod etiam David figuram Christi gesserit, et quod psalmi fere omnes ad Christum principaliter pertineant, dubitari non potest, cum ipse Dominus aliquoties psalmos de se scriptos allegaverit, et Lucae ultimo dixerit: *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Mosis et Prophetis, et psalmis de me.* Denique quod exemplo Davidis omnis justus eodem modo orare possit, dubium esse non potest.

EXPLICATIO PSALMI LIV.

1. *Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me.*

Incipit David quasi a prooemio, quo captatur benevolentia Judicis, ac petitur, ut benigne, et attente audire velit: ac primum dicit, *Exaudi Deus orationem meam.* Deinde ne forte oratio, vel persona orantis displiceat, utrumque commendat, ac de oratione dicit, *Ne despexeris deprecationem meam*, idest, humilem, et supplicem precem meam: id enim proprie significat vox hebraica, מתחנתי *mittechinnathi*, hoc loco posita: de persona vero orantis addit, *Intende mihi, et exaudi me*, idest, benigne me respice, et benignam aurem mihi porrige. Forte etiam ter eamdem orationem repetit, quia noverat Deum esse Trinitatem, et orationem dirigit ad Patrem, deprecationem ad Filium, personam orantis ad Spiritum sanctum. Denique tertio idem aliis verbis orat, ut affectum, et desiderium ostendat, quo modo et Christus in horto *eamdem orationem tertio repetivit*, Matth. 26. et Apostolus *ter Dominum rogavit*, 2. Cor. 12.

2. *Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.*

Exponit nunc materiam orationis suae, quae est vehemens persecutio inimicorum, ob quam contristabatur, et conturbabatur, et a qua liberari desiderabat. In hebraeo, pro voce, *Contristatus*, est verbum, אָרִיד *arid*, quod significat, *flebo*, sive *ululabo*, sed futurum ponitur pro praeterito, ut ex versione Septuaginta, et s. Hieronymi perspicuum est, et pro voce, *in excitatione mea*, est, שִׂיחִי *Sichi*, quod significat, *meditationem, et submissa voce loquutionem.* Itaque sensus est, flevi dum exercerer cogitando, et mecum ipse conferendo miserias meas: quod idem est cum eo, quod nos habemus, *Contristatus sum in exercitatione mea.* Sed verba hebraica clariora sunt: sequitur, *Et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris*, idest, non solum tristis fui, et flevi ob praesentes miserias, sed etiam timui futuras, *conturbatus a voce inimici* comminantis longe pejora; et a tribulatione, quam minabatur peccator inimicus meus. Idem enim est a voce inimici, et tribulatione peccatoris; nam inimicus peccator voce sua tribulationem minabatur innocenti. Istum autem inimicum peccatorem intelligere possumus tum Saulem, aut Absalonem respectu Davidis; tum Caiphan et Annam respectu Christi; tum quemlibet persecutorem respectu hominis probi.

3. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi.*

Ostendit, non vanam fuisse turbationem suam. *Quoniam* inimici *declinaverunt*, inquit, *in me iniquitates*, idest, projecerunt in me falsa crimina, convicia, calumnias, opprobria, ut exponunt ss. Patres Hilarius, et Augustinus; ex quo intelligimus, vocem, iniquitates, esse in casu accusandi, non in casu nominandi, ut nunc habent codices Graeci communiter: *et in ira molesti erant mihi*, idest,

et ob iram in me conceptam, molesti erant non verbis tantum calumniantes, sed etiam factis me persequentes.

4. *Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me.*

Explicat magis in particulari, quod dixerat, *conturbatus sum. Conturbatum*, inquit, *est cor meum in me*, idest, in intimis meis, ubi sedes cordis est, conturbatus sum. In hebraeo habetur clarius, *cor meum doluit in medio mei*; et subjungit rationem dicens, *et formido mortis cecidit super me*: nulla enim res facilius ad intima descendit, et magis totum hominem turbat, quam mortis imminentis periculum: hoc impletum fuisse in Davide, cum plorans fugeret a facie Absalon; et in Christo, cum in horto paveret, et sudorem sanguineum funderet, Matth. 26. Luc. 22. notissimum est.

5. *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae.*

Idem aliis verbis dicit, et quasi summatim omnia comprehendit: nam timor in anima erat, tremor in corpore, tenebrae autem moeroris totum hominem operuerant: sicut enim laetitia exhilarat, et dilatat cor, sic etiam moestitia constringit, et obducit, ac per hoc tenebras facit, unde etiam qui moerent, tenebras quaerunt, in cubicula se abdunt, fenestras claudunt.

6. *Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?*

Verba sunt justi suspirantis ad patriam coelestem: neque enim alibi vera requies invenitur, quasi dicat, o si nunc possim ad altissimos montes coelestis Hierusalem confugere, quomodo columba potest pernicitate sua ungues accipitris evadere, vel quomodo columba tempore diluvii, *cum non inveniret, ubi requiesceret pes ejus, ad manus Noe. atque ad arcam rediit.* Genes. 8. Proprie autem justus columbae comparatur, quae innoxium est animal, foecundum, et simplex; et non pugnando, sed fugiendo vincit: sic enim, et vir justus adversus tentationes accipitris Tartarei fugiendo potius, quam disputando, vel altercando vincere solet.

7. *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.*

Haec satis apposite Davidi conveniunt, qui fugiens Saulem, et postea Absalonem ad desertum se contulit; quasi dicat, quia non datur mihi, ut instar columbae ad locum verae quietis ascendam, feci quod potui; nam *elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Idem convenit cuilibet viro justo in tribulationibus posito, qui cum non possit ad patriam commigrare, elongat se cogitatione a tumultibus saeculi, quantum potest, et ad solitudinem cordis, et conscientiae se transfert, ubi solus cum solo Deo colloquens, aliquantulam quietem invenit.

8. *Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate.*

In ea solitudine, *expectabam Deum*, idest, auxilium ejus, *qui me salvum fecit* idest, cui alias salvum fecit, et salvum facere solet *a pusillanimitate spiritus et tempestate*, idest, a parvo animo ad tolerandum, et a magna tentatione. Ubi conjunguntur duo, quae mirum in modum amplificant necessitatem auxilii divini: nam si parvitati animi contingat parva tentatio: vel magno animo magna tentatio, aequale erit certamen; sed si cum parvitate animi jungatur magna tentatio, intolerabilis erit. Hoc igitur nunc dicit sibi accidisse, ac proinde petit a Deo vel ut sibi addat vires, vel diminuat tentationem, (vel quod magis optandum est) utrumque faciat. Sed codices hoc loco sunt admodum varii: nam hebraicus habet ad verbum, *Festinabo, ut salver a spiritu concitato a tempestate.* Graecus autem habet, *Expectabam Deum, qui me salvum faceret* a pusillanimitate, et tempestate. Noster autem Interpres videtur aliquid ab hebraeo, aliquid a graeco accepisse. Prima vox hebraica, אחישה *achisciu* significat, *Festinabo*, nec video quid legere potuerint Septuaginta, ut verterent, *expectabam*; ideo existimo illos vertisse non verba, sed sensum; nam, *festinabo, ut salver*, bene cohaeret cum *expectabam salvantem Deum*: siquidem expectabat salutem ex festinatione per orationem ad Deum, quo modo, qui in fuga spem ponit, dicere potest, expectavi salutem ex festinatione in currendo, et fugiendo. Sic igitur vir justus festinans ad Deum ferventi desiderio, orando, et pulsando, expectabat auxilium, quo salvus fieret. Illa vox, *Deum*, quae est in graeco, non est in hebraeo, neque in patribus, Hilario, Hieronymo, Augustino. Itaque videtur addita a posterioribus explicandi gratia. Illud autem, *a pusillanimitate spiritus*, facile colligitur ex hebraeo, et concordatur cum graeco; nam vox hebraea. סעה *Soha*, non habetur nisi hoc loco, et communiter dicitur significare concitationem; unde s. Hieronymus vertit, *a spiritu tempestatis*, idest, a spiritu concitato; sed quia sequitur, *a turbine*, sive *a tempestate*; rectius dicemus, spiritum concitatum hoc loco significare spiritum hominis metu concitatum, et turbatum, quod idem est cum pusillanimitate spiritus: nam qui magno spiritu, vel animo sunt, non facile turbantur, et concitantur; sed firmi, ac stabiles permanent. Itaque sensus erit in hebraeo, *festinabo, ut salver a spiritu concitato a tempestate*, idest, a parvitate animi, *et a tempestate tribulationis.* In graeco non nominatur spiritus, quia intelligitur in voce pusillanimitatis: idem est enim pusillus animus, et pusillus spiritus.

9. *Praecipita Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.*

Quia expectabat salutem a Domino per orationem, orat Deum, ut impediat consilia hostium suorum. *Praecipita*, inquit, *Domine*, idest, praecipita

in profundum inimicos meos: hoc enim significat vox hebraea, בלע *balah*, et graeca καταπόντισον. Unde legit Augustinus *demerge eos*: deinde addit modum, quo velit illos praecipitari in exitium. *Divide*, inquit, *linguas eorum*, idest, fac, ut qui contra me conspirarunt, non conveniant in consiliis, sed unus hoc, alius aliud judicet, et loquatur; et vere sic accidit inimicis David: nam cum Absalon capta civitate, consultaret de modo perdendi Davidem, varii varia consilia dederunt: infatuavit autem Deus consilium Architophelis, quia inspiravit Absaloni, ut consilium ejus non sequeretur; inde deteriore consilio electo rem male gesserunt, et plurimi eorum perierunt. Itaque ex divisione linguarum in praecipitium acti sunt: vide l. 2. reg. c. 17. et 18. sequitur, *Quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.* Haec etiam satis apposite exponuntur de Davide, qui viderat in civitate sua Jerusalem proditionem iniquissimam adversus personam suam et rebellionem manifestissimam, quae significata est nomine contradictionis; quia contradicebant ejus imperio, cum Absalonem in regem elegissent. Possunt etiam exponi haec omnia de Christo, ut exponit s. Hilarius: necnon de viro justo, qui persecutionem injustam patitur, et contradictionem a civibus Babyloniae, id est, ab amatoribus mundi, qui semper persequuntur, et odio habent eos, qui de mundo non sunt, sed ut hospites, et peregrini in mundo sunt.

10. *Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: et labor in medio ejus, et injustitia.*
11. *Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus.*

Pergit describere iniquitatem civitatis, a qua ipse persecutionem patiebatur, ac mirabili modo loquendi dicit iniquitatem, quasi armatum militem obtinuisse muros ejus, ut justitia non posset accedere. *Die*, inquit, *ac nocte*, idest, semper *circumdabit eam super muros ejus iniquitas*, idest, iniquitas super muros ejus consistens circumdabat eam instar custodiae militaris, *et labor in medio ejus, et injustitia*, idest, et interim intus in ipsa civitate nihil aliud erat, nisi labor miserorum, et injustitia potentiorum, dum secure, et libere, injusti divites et potentes opprimerent pauperes, et imbecilles. *Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus*, idest, et oppressio illa partim erat manifesta, dum in ipsis plateis exigerent usuras divites a pauperibus; partim occulta, dum variis dolis, et insidiis eos circumveniebant, et vexabant. Haec conveniebant quidem Jerosolymae tempore Davidis sed multo magis tempore Christi; et multo maxime conveniunt Babyloniae, idest, amatoribus mundi hujus, in quo regnat concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae.

12. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.*
13. *Et si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset; abscondissem me forsitan ab eo.*
14. *Tu vero homo unanimis, Dux meus, et notus meus.*
15. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.*

Postea quam conquestus est David de tota civitate, et populo, conqueritur nunc de uno particulari proditore, qui videtur fuisse Achitophel, si psalmus exponatur de Davide: Judas autem, si exponatur de Christo: quivis alius falsus amicus, si de homine justo generatim accipiatur. Ait igitur, *Si inimicus aliquis* manifestus *maledixisset mihi* aequo animo tulissem; quia inimicus solet id facere, et non est mirum si faciat. *Et si is, qui oderat me*, ita ut profiteretur manifestam inimicitiam mecum, magna aliqua convicia, vel magnas calumnias de me loquutus fuisset; *ego forsan abscondissem me ab eo*, ut ejus iracundiam mitigarem, et ne darem occasionem majorum conviciorum. Sed a te abscondi non poteram, neque unquam ejusmodi proditionem a te expectassem, quoniam *tu homo unanimis videbaris*, idest, amicissimus meus et unum cor et unam animam mecum habens. Item *Dux meus*, idest, Consiliarius meus primarius, cujus ego sententiam in rebus agendis semper sequebar. (*Erat enim Achitophel Consiliarius Davidis, et talis Consiliarius, ut consulere Achitophelem idem fere esset, ac Deum consulere*, ut dicitur 2. reg. 16.) Sed si exponatur psalmus de Juda, dicetur Judas *Dux Christi*, quia a Christo Dux fuerat constitutus populorum cum aliis Apostolis, juxta illud psal. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Item *notus meus*, idest, familiaris et commensalis, *qui simul mecum dulces capiebas cibos*, dicuntur autem dulces cibi, quia amicitia convivarum eos facit dulciores: nam in hebraeo ad litteram habetur, *qui simul dulces faciebamus cibos.* Sed s. Augustinus *dulces cibos*, intelligit Eucharistiam, quam Judas cum Christo in ultima coena gustavit, qui cibus omnem habet saporum suavitatem. Denique, non solum unanimis, et notus et commensalis in rebus politicis, et domesticis, sed ejusdem religionis, et ejusdem sententiae in sacris caeremoniis: *ambulavimus enim in domo Dei cum consensu*, idest, non fuit inter nos ulla dissensio in actionibus, quae ad cultum Dei pertinebant. In hebraeo pro, *cibos* est, סוד *sod*. quod *secretum*, non *cibum* significat. Sed credibile est septuaginta Interpretes non habuisse in suis codicibus, סוד *sod*, sed, זיד *zed*, quod *escam*, significat: et magis cohaeret dulcedo cum cibis, quam cum secreto: capere enim dulces cibos rectius dicitur, quam capere dulce secretum. Illud etiam, *cum consensu*, ex hebraeo s. Hieron. vertit, *in terrore*. Sed fortasse s. Hieronymus non habuit in suo codice, רגש *raghes*, ut nos habemus, quod significat, *conjunctim*, sed habuit, רגז *roghez*, quod *terrorem* significat: nostra lectio convenit cum hebraico, et graeco codice.

16. *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.*

Imprecatur, seu potius praedicit per formam imprecationis, eam poenam quam juste dederunt

Dathan, et Abiron. Num. 16. Qui seditionem, et schisma facientes vivi a terra dehiscente absorpti sunt: qui quidem *viventes perierunt*, idest, videntes se absorberi, et vivos sepeliri, perierunt. Hoc impletum est in iis, qui Davidem, Absalone duce, persequebantur: nam *plurimos eorum saltus consumpsit, non gladius*, ut dicitur, 2. reg. 18. Impletum quoque est in Judaeis, qui in obsidione Jerosolymae viventes et videntes peribant, vel fame cadentes in plateis, vel ex muris se dejicientes, vel in foveis delitescentes: denique, impletur in plurimis impiis, qui vident apertissimam veritatem, et sponte oculos claudunt, vel non ignorant in eo statu, in quo versantur, se salvos esse non posse, et tamen scientes, et volentes in eo ad mortem usque perseverant.

17. *Quoniam nequitiae in habitaculis eorum, in medio eorum.*

Haec est ratio tam severae imprecationis; juste enim absorbentur viventes a terra, ut perpetuo habitent cum poenis, qui elegerunt habitare cum vitiis: nam *nequitiae in habitaculis eorum;* et non in habitaculis vacuis, *sed in medio eorum*, idest, cum ipsis in eisdem habitaculis commoratae sunt.

18. *Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.*
19. *Vespere et mane, et meridie narrabo, et annunciabo, et exaudiet vocem meam.*

Praedixit interitum inimicis, nunc sibi salutem praedicit. *Ego*, inquit, *clamavi ad Dominum*, ardenti oratione, et ipse salvabit me a periculo, in quo versor, et deinceps clamabo non semel; sed etiam secundo, et tertio, videlicet *vespere, mane, et meridie*, narrando, et annunciando aerumnas meas, et misericordias Domini, *et ipse Dominus exaudiet me*. Consuetudo ter in die orandi, legitur etiam apud Danielem, cap. 6. Fortasse in honorem sanctissimae Trinitatis, cujus mysterium Prophetis non erat incognitum. Cur autem dicatur, *vespere, mane, et meridie*, et non potius mane, meridie, et vespere; ratio esse videtur quoniam secundum legem *festa celebrabantur a vespera ad vesperam*, ut dicitur Levit. 23. proinde primum tempus orationis erat vespertinum: quod etiam nunc observat Ecclesia, quae incipit officia Divina a primis vesperis.

20. *Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.*

Explicat in quo sit exaudiendus a Deo. *Redimet in pace*, idest, ad pacem restituet, *animam meam*, idest, vitam meam, *ab his*, *qui appropinquant mihi*, idest, qui de propinquo adversus me dimicant: *quoniam inter multos erant mecum*; idest, quoniam multi erant dimicantes mecum, sive multi erant adversum me unum, sive in magna multitudine erant, qui mecum pugnabant. Hunc existimo sensum esse hujus obscurissimi loci cum sancto Hieronymo in versione sua ex hebraeo. Itaque sententia erit, Deus liberabit vitam meam, transferendo eam a praelio appropinquantium contra me, ad optatam pacem, et id faciet ea ratione quoniam iniquum erat ut multi contra me unum pugnarent. Quod si hoc durius culum videatur, poterit cum Euthymio ita exponi, *Redimet in pace*, idest, sine labore meo, *animam meam*, idest, vitam meam, *ab his qui appropinquant mihi* ut mihi noceant; quoniam isti ipsi antea inter multos alios erant mecum; proinde proditorie et injuste contra me pugnant, qui paulo antea in meis castris militabant. Impletum est hoc in Davide qui in praelio contra Absalonem sine labore vicit quia domi remansit, ut dicitur 2. reg. 18. Impletum quoque est in Christo, qui liberatus est a morte per resurrectionem omnino in pace et sine labore.

21. *Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante saecula.*

Exaudiet, inquit, *me*, qui oppugnor injuste, *et humiliabit eos*, qui me oppugnant, *is, qui est ante saecula*, idest, Deus creator saeculorum: in hebraeo significantius habetur, *Qui sedet ab initio*, idest, qui ab initio mundi judex sedet omnium hominum, is judicabit pro me, et condemnabit adversarios meos.

22. *Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo.*

Merito, inquit, humiliabit illos justus Judex, *quia non est illis commutatio*: obdurati enim sunt, neque poenitet eos sceleris sui; *et non timuerunt Deum*, sed magis homines reveriti sunt, ideo *Deus extendit manum suam in retribuendo* singulis, prout merebantur. Non desunt, qui illud (*non est illis commutatio*) volunt debere exponi, non est illis redditio vicissitudinis, et hanc esse vim graecae vocis. Sed vox hebraica non potest accipi pro redditione vicissitudinis: nam s. Hieronymus recte vertit, *non mutantur*, et similiter reddit Symmachus, Theodoreto teste: proinde si velimus concordare codicem graecum cum hebraico, oportet vocem illam ἀντάλλαγμα accipere hoc loco pro commutatione hominis a vitio ad virtutem, non pro permutatione unius rei cum altera: et potest ita accipi, ut communiter accipiunt Interpretes tum graeci, tum latini, quia vox illa generalis est.

23. *Contaminaverunt testamentum ejus, et divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius.*

Hic versiculus obscurissimus est propter mutationes numeri singularis in numerum multitudinis. In hebraeo habetur in singulari, *contaminavit testamentum ejus, diviserunt*, sive *mollieverunt prae butyro os suum*, vel *os ejus*: sed cum dicitur, *contaminavit*, potest exponi, *contaminavit unusquisque testamentum ejus*, quod est idem cum illo, *contaminaverunt testamentum ejus*. Illud etiam, prae butyro, si legatur vox hebraica,

chamaoth, per, חמהות ה non per, תמאות א significabit *prae ira*, vel *ab ira*, ut verterunt septuaginta Interpretes. Illud etiam, *diviserunt*, potest etiam significare, divisi sunt: nam utramque significationem habet vox, חלקו *chaleku*: sensus igitur hic erit, Deus juste extendit manum suam in retribuendis suppliciis inimicis meis, quoniam illi non solum non voluerunt mutari de vitio ad virtutem, sed magis ac magis contaminaverunt testamentum sive pactum ejus, malis suis operibus, praevaricando leges ejus: propterea *divisi sunt*, hoc est, dispersi, ac dissipati sunt ab ira vultus Dei; *quia appropinquavit cor illius*, Dei videlicet, ad eos puniendos.

24. *Mollili sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.*

Redit ad malitiam praecipui proditoris, qualis fuit Achitophel respectu Davidis, et Judas respectu Christi. *Molliti*, inquit, *sunt sermones ejus super oleum*, idest, prae oleo; et tamen ipsi sermones ejus non sunt verba, sed jacula, sive lanceae: delectant aures, feriunt corda: tales sunt omnes occultae detractiones, omnes blanditiae meretricum, omnes persuasiones haereticorum; omnes proditorum simulationes.

25. *Facta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: non dabit in aeternum fluctuationem justo.*

Consolatur Propheta in fine psalmi se, et sui similes, atque exhortatur ad fiduciam totam in Domino collocandam, qui sine dubio sollicitus est pro servis, et amicis suis, ut s. Petrus admonet in epistol. 1. cap. 5. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis*: quod ipsum copiose, et multis exemplis allatis Christus ipse monet, Matth. 6. Quae non eo pertinent, ut otiose vivamus, et de victu quaerendo solliciti nullo modo simus: sed ut non anxie et perturbate vivamus, ac ut praecipuam spem et fiduciam non in nostris viribus, vel industria sed in Dei misericordia, et providentia collocemus. *Jacta*, inquit, o anima mea et quisquis es timens Deum, *in Dominum curam tuam*, idest, relinque providentiae divinae curam eorum, quae tibi necessaria sunt ad vitam, sive sustentandam, sive protegendam *et ipse te enutriet*, ipse tibi de necessariis omnibus providebit, benedicens laboribus manuum tuarum, et prosperans omnia opera tua: nec solum enutriet te, sed etiam defendet ab inimicis, et si aliquamdiu fluctuari justum permiserit ad probandam patientiam, sive defectu rerum necessariarum ad vitam, sive persecutionibus impiorum: tamen haec non diu durabunt, quia non permittet Deus Justum in aeternum aerumnarum fluctibus agitari: aeterna enim tribulatio solis impiis reservatur, ut dicitur in sequenti versiculo.

26. *Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus.*

Impios videlicet, tu Deus Judex deduces in puteum mortis, unde numquam emergere poterunt. Vocatur autem *puteus interitus* ipsa gehenna ignis aeterni, in qua qui decidunt, perpetuo moriuntur: vivunt enim semper in poenis, ut semper moriantur, et mortis finem, quem cupiunt, numquam inveniant.

27. *Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.*

Non solum viri, qui insidiantur sanguinibus praecipitabuntur in puteum mortis aeternae, sed etiam hic in terris non diu vivent: justum enim judicium est, ut qui vitam eripiunt, vitam perdant. Sic enim Deus ait, Genes. 9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*; et Dominus Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Sed haec omnia testimonia tum psalmi hujus, tum Genesis, et Evangelii, non significant, omnes omnino, qui occidunt, esse occidendos; sed eos tantum, qui injuste occidunt, et eos praecipue, qui ex insidiis occidunt: illi enim proprie sunt viri sanguinum, et dolosi. Deinde neque significant omnes omnino, qui ex insidiis occidunt, gladio perituros; sed ut plurimum fieri ut occidantur, vel a Judice, vel ab hostibus, vel a seipsis, vel a casu aliquo, qui tamen respectu Dei non sit casus, sed dispositio providentiae ipsius. Denique illud, *non dimidiabunt dies suos*, non est accipiendum mathematice, idest, nimis subtiliter; sed est modus loquendi, quo vitae brevitas significatur. Quod autem quidam objiciunt ex psal. 72. *Et dies pleni invenientur in eis*, non impedit veritatem hujus versiculi: nam s. Hilarius hoc loco scribit, verba illa intelligi de justis, haec de iniquis: quod si etiam quis contendat, utraque intelligi de peccatoribus, responderi poterit, illud non dici de viris sanguinum, et dolosis; sed de aliis peccatoribus, vel de paucis quibusdam qui interdum extra communem regulam diu vivere permittuntur. Concludit Propheta illis verbis sibi valde familiaribus, *Ego autem sperabo in te Domine*, quae videntur referenda ad omnia supra dicta, ut sensus sit: Ego autem tum ut liberer a proditoribus, qui sunt hostes occulti: tum ut evadam inimicos manifestos; tum ut non incidam in poenas impiorum; ut non cadam in puteum interitus; ut dies mei in medio cursu non deficiant; sperabo in te Domine, non in viribus meis.

PSALMUS LV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro populo, qui a Sanctis longe factus est. David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.

In hoc titulo habetur primo materia, sive argumentum psalmi: deinde Auctor, et excellentia psalmi. Sed haec omnia pendent ex historia, quae habetur lib. 1. reg. cap. 21. ubi scribitur, Davidem fugisse a Saule, qui eum quaerebat ad necem; et pervenisse ad Achis regem Geth Philisthaeum: sed cum a Philisthaeis agnitus fuisset, et detentus tamquam hostis ipsorum; simulasse insaniam et furorem, et eo modo e manibus eorum elapsum venisse in speluncam quamdam, ibique ad eum congregatum fuisse populum quadringentorum hominum exulum et miserorum. Ex hac historia colligimus populum elongatum a sanctis, pro quo scribitur psalmus, esse populum illum quadringentorum exulum, qui ad tabernaculum Dei accedere non poterant, sed cum Davide huc, atque illuc vagabantur: et hoc est argumentum psalmi, deploratio miseriarum Davidis, et populi ejus. Auctor, et excellentia psalmi continetur in illis verbis, David in tituli inscriptionem: nam tituli inscriptio, ut intelligi potest ex voce graeca στηλογραφία, est inscriptio incisa in columna ad aeternam memoriam. Sensus igitur est psalmus Davidis scriptus ab eo, quasi incisus in columna, ad memoriam sempiternam: denique occasio scribendi fuit illa evasio de manibus Philistinorum per simulatam stultitiam, quando tenuerunt eum Allophyli, idest, Philisthaei in Geth. S. Hieronymus ita vertit hunc titulum: *Pro columba muta, eo quod abierit David simplex, et humilis, quando tenuerunt eum Philisthaei in Geth.* Quae versio satis convenit cum verbis hebraicis, ut nunc habentur in bibliis: et pro columba muta, intelligitur idem David, qui obmutuit quando stultum se finxit. Caeterum septuaginta Interpretes viri doctissimi, sine dubio recte verterunt, quod in libris hebraicis invenerunt. Ideo dicendum est per columbam, quae legitur in hebraeo, illos intellexisse populum, et vertisse sensum, non verba. Saepe enim in scripturis populus per columbam significatur: per vocem, אלם *elem*, quod significat *mutam*, illi verterunt, a Sanctis, quia habuerunt in suo codice inverso modo easdem literas, מאל *meel*, quod est a Deo, et per Deum intellexerunt arcam Dei, et ut clariorem sensum redderent, verterunt, *a Sanctis*, idest, a sanctuario, ubi erat circa Dei: per vocem מכתם *mictam* quam s. Hieron. vertit, *simplicem, et humilem*, ipsi verterunt inscriptionem tituli, quia legerunt, מכתב *mictab*, quod inscriptionem significat. S. Hilarius, et s. Augustinus totum psalmum de Christo exponunt, qui per Davidem figuratus est; et per tituli inscriptionem s. Augustinus titulum crucis intelligit.

EXPLICATIO PSALMI LV.

1. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.*

Incipit ab oratione, et misericordiam postulat, quoniam miseriam suam agnoscebat: patiebatur enim indignam persecutionem Saulis et cum ab ea declinare vellet, incidit in graviorem Philistinorum et ab utraque ad tempus liberatus in spelunca interim exul, et inops delitescebat. *Miserere*, inquit, *mei Deus*, qui miserorum unicum soles esse refugium. *Quoniam conculcavit me homo*, idest, Saul: dicit autem, *homo*, potius, quam Saul, ut opponat hominem Deo, quasi dicat, Tu Deus miserere, quandoquidem homo est, qui tribulat: coelum aspicio, dum a terra despicior: ad Dominum confugio, dum conservus me persequitur. *Tota die impugnans tribulavit me*, hoc est, non semel mihi nocuit, sed omni tempore mihi molestus fuit; neque me unquam quiescere passus est. Haec verissima esse intelliget, qui legerit primum librum regum. Neque difficile erit haec omnia ad Christum applicare, qui propter nos factus est homo, et tamen homo semper eum impugnavit, et tribulavit a nativitate usque ad sepulturam, et postea corpus ejus, quod est Ecclesia, impugnare, et tribulare non cessat, neque ad diem usque judicii cessabit. Significatur autem nomine hominis, cum dicitur, *conculcavit me homo*, vel Diabolus,

qui in Evangelio Matth.13. dicitur *inimicus homo* vel ipsum genus humanum, quatenus spiritu Dei caret, et nihil est nisi homo, juxta illud 1. Cor. 2. *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis,et secundum hominem ambulatis?* et paulo infra, *Nonne homines estis*, unde et Dominus, Matth. 16. distinguit Apostolos ab hominibus cum dicit, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* et, *vos autem, quem me esse dicitis?*

2. *Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me.*

Non solus Saul, sed omnes servi ejus Davidem persequebantur, et conterere nitebantur. Nec solus Diabolus, sed omnes ministri ejus adversus Christum et Ecclesiam bella gerebant, et gerunt.

3. *Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo.*

Hic variant hebraea, et graeca: nam in hebraeo conjungitur altitudo cum versiculo superiore, hoc modo, *Multi bellantes adversum me altissime*: et deinde sequitur alter versiculus, *Diem timebo, ego in Deo confidam.* Sed de hac distinctione Judaeorum parum laboramus; quoniam in textu antiquo nulla erat distinctio. In graecis codicibus additur negatio, hoc modo, *Ab altitudine diei non timebo*; et sic etiam legit s. Hilarius. Sed nostram lectionem approbat s. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam, ubi dicit, negationem esse superadditam : et in commentario hujus psalmi utramque lectionem explicat. Igitur sensus est, ego tametsi tam multos habeam inimicos, tamen non ab illis timebo, sed *ab altitudine diei timebo*, idest, a divinis judiciis timebo quae procedunt ab altissimo lumine, quale est in meridie, quod lumen omnia penetrat etiam intima cordium; sed cum timore spem quoque adjungam: ego enim qui timebo ab altitudine luminis tui, simul etiam, in tua misericordia et bonitate confidam.

4. *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi : non timebo quid faciat mihi caro.*

Explicat clarius fiduciam suam, et rationem fiduciae. Deus enim per Samuelem olim promiserat Davidi regnum, nam lib. 1. reg. cap. 13. dicit Samuel de Davide, *quaesivit sibi Dominus virum secundum cor suum, et praecipit ei ut esset dux super populum suum*: ac deinde eod. lib. cap. 16. jussit eum inungi in medio fratrum ejus. Haec igitur promissio erat causa fiduciae, et de hac dicit, *in Deo laudabo sermones meos*, idest, fretus auxilio Dei laudabo aliquando promissiones mihi factas a Deo tamquam verissimas, quando videlicet completae fuerint. *In Deo speravi*, adimplendas scilicet ejus promissiones, *et ideo non timebo quid faciat mihi caro*, idest, non timebo minas, et persecutiones inimicorum meorum, qui caro sunt, idest, infirmi, et fragiles, si cum Deo, qui mihi salutem et regnum promisit, comparentur. In hebraeo habetur, *laudabo verbum ejus*, sed non repugnat nostrae lectioni, quae habet, sermones meos; siquidem illae promissiones erant Dei, quia ille promiserat, et erant Davidis, quia ille promiserat. Potest etiam fieri, ut septuaginta interpretes non legerint, דברו *devarò, verbum ejus*, sed, דברי *devari, verbum meum*: sola enim differentia consistit in una media litera. Non erit difficile de Christo exponere hunc versiculum, siquidem angelus promittens virgini, ait, *dabit ei Dominus sedem David Patris ejus*, etc. et ipse Christus verissime dicere potuit, *non timebo quid faciat mihi caro.*

5. *Tota die verba mea execrabantur; adversum me omnes cogitationes eorum in malum.*

Redit ad explicandam malitiam adversariorum suorum ac dicit eos toto tempore, quo apud illos fuit, non cessasse vituperare omnia verba et facta ejus; et excogitare, quomodo eum perderent: quod non minus convenit in scribas et pharisaeos calumniantes verba, et opera Christi, et consilia agitantes de morte ejus, quam in Saulem, et ministros ejus erga Davidem. Dixi autem verba, et opera, quia vocabulum, דבר *dabar* verbi apud hebraeos, et verba, et opera significat.

6. *Inhabitabunt, et abscondent : ipsi calcaneum meum observabunt.*

Addit aliam malam adversariorum suorum qualitatem. *Inhabitabunt*, inquit, *et abscondent*, idest, simul habitare solebant mecum, tamquam amici,et contubernales et interim abscondebant se,et tecte, atque occulte machinabantur dolos. *Et calcaneum meum*, idest, gressus meos, actiones meas *observabant*, ut me ad casum impellerent, Haec enim erga Davidem ministri Saulis,et erga Christum Judaei faciebant. Quamvis autem verba, *inhabitabunt et abscondent*, sint futuri temporis, tamen apud hebraeos pro praeterito, ac praesertim pro imperfecto, praeterito, frequenter accipiuntur. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, congregabantur: sed vox hebraica, יגודו *iagudu*, a septuaginta lecta est, יגורו *iaguru*, per ר, non per ד.

7. *Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: in ira populo confringes.*

Praedicit nunc ruinam adversariorum suorum, justo judice Deo illis reddente, quod proximo suo facere cogitaverunt. *Sicut*, inquit, *sustinuerunt animam meam*, idest, sicut in abscondito observantes expectaverunt vitam meam, ut eam perderent : ita tu Deus, *pro nulla re eos salvos facies*, idest, nullo modo salvabis, sed *in ira tua populos illos confringes*, et ad internecionem persequeris. Hoc impletum est in hostibus Davidis, qui cum Saule rege simul interierunt in montibus Gelboè, ut dicitur lib. 2. Reg. cap. ult. Impletum est quoque in hostibus Christi, qui consumpti fuerunt in obsidione Jerosolymae a Romanis, et reliquiae dispersae, inter gentes; sed multo magis implebitur in die ultimi judicii. Hoc loco in codice hebraico et graeco est manifesta corruptio : nam in he-

braico, ubi nos habemus, pro nihilo, est *hal aven*, quod significat, על אוך *pro iniquitate*, sed legendum est, על איך *hal ain*, pro nihilo: sic enim legunt septuaginta, et ipse etiam sanctus Hieronymus, sanctus Hilarius, sanctus Augustinus, et alii: in graecis, quibusdam codicibus est ἄ σεις *expelles*, et sic legunt et exponunt Theodoretus et Euthymius. Sed vera lectio est σώσεις *salvabis*: quae respondet hebraicae, et exponitur ab omnibus fere interpretibus. Porro illud, *pro nihilo salvos facies illos*, sanctus Hilarius exponit, resurgent quidem impii, sed pro nihilo, sive ad nihilum, quia non proderit illis resurrectio. Sanctus vero Augustinus in bonam partem explicat, *pro nihilo*, idest, sine meritis propriis, ex pura gratia salvabis illos. Sanctus Hieronymus tum in versione, tum in commentario, impios non salvandos dicit: quod magis cohaeret cum sequentibus, *in ira populos confringes*.

8. *Deus vitam meam annunciavi tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.*

Posteaquam de supplicio inimicorum loquutus est: revertitur ad precandum pro se, ac dicit, *Deus vitam meam annunciavi tibi*, idest, narravi in oratione cursum vitae meae, transmigrationes, varietates, labores: vox enim hebraica, *nodi*, significat mutationem, et migrationem: sed septuaginta interpretes verterunt, *vitam meam*, ut brevissime omnia comprehenderent. Itaque per viam intellexerunt cursum vitae. Et tu *posuisti in conspectu tuo lachrymas meas*, idest, ego flens coram te exposui cursum afflictissimae vitae meae, et tu misericors, et pius Pater non avertisti faciem tuam, sed aspexisti cum misericordia lachrymas meas. In hebraeo habetur, pro, *in conspectu tuo*, נדי *nodi*, quod utrem hebraei significare dicunt. Sed non solum septuaginta verterunt, *in conspectu tuo*: et sic habent omnes latini, et graeci codices. Quare vel vox illa significat conspectum, vel aliquid aliud legerunt, tum septuaginta, tum sanctus Hieronymus. Parum autem refert, quod in hebraeo habetur *numerasti*, pro eo quod nos habemus annunciavi: nam facile potuit mutari persona secunda in primam addendo unam vel alteram literam hebraicam; et sensus est idem: nam et Propheta narravit suae vitae miserias, et Deus eas numeravit: idem autem verbum, ספר *saphar*, *narrare*, *et numerare* significat.

9. *Sicut et in promissione tua, tunc convertentur inimici mei retrorsum.*

Prima pars hujus versiculi pertinet ad versiculum superiorem: nam non solum in codice hebraico conjunguntur haec verba, *sicut et in promissione tua*, cum superioribus: sed etiam sic exponunt Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Euthymius et alii. Itaque sensus est, *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua*; idest, sicut promisisti te exauditurum deprecantes cum lachrymis, ita fecisti, quia *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, ut eas exaudires. Et cum exaudieris, *tunc convertentur inimici retrorsum*, idest, fusi, fugatique dissipabuntur et peribunt. S. Augustinus exponit more suo in bonam partem, ut sensus sit, inimici, qui antea praeire nos volebant, et ad interitum ducere, convertentur per poenitentiam, et nos sequentur ad vitam quo modo dixit Dominus Petro Matth. 16. *Vade post me Satana, scandalus es mihi, quia non sapis quae Dei sunt*, idest noli me praeire, sed post me ambula; quoniam dum praeire tentas, scandalum es mihi. Euthymius non minus utiliter exponit de doemonibus, qui nos praeire et ducere cupiebant ad gehennam; sed per gratiam Dei nostras preces audientis coguntur retrocedere, et nos oblatrantes sequi, dnm properamus ad regnum, unde illi exciderunt.

10. *In quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es.*

Concludit gratias agendo, et laudando Deum, ecce, inquit, experimento cognovi quod *in quacumque die invocavero te, tu Deus meus es*, idest tu declarabis exaudiendo, te meum esse Deum.

11. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.*

Hunc versiculum supra exposuimus: est enim omnino idem cum versiculo quarto, excepto quod hic bis repetitur, *in Deo laudabis verbum*: quamvis enim interpres primo verbum dixerit, deinde, sermonem, tamen in hebraeo, et graeco est eadem vox utrobique. Quare poterat verti, *in Deo laudabo verbum, in Domino laudabo verbum:* cur autem primo dixerit, *in Deo*, deinde *in Domino*, ratio esse videtur, ut ostendet se confidere in Deo, ut Judice, quod significat nomen Dei, et ut executore justitiae, quod significat nomen Domini, cui omnia serviunt: addit, *non timebo, quid faciat mihi homo*, ut declaret quod ibi dixerat: per carnem videlicet hominem intelligi debere.

12. *In me sunt Deus vota tua, quae reddam laudationes tibi.*

Pro his omnibus beneficiis pollicetur se persoluturum vota laudum in tribulatione concepta, *In me sunt*, inquit, *vota tua*, idest, in memoria mea sunt, sive in intimis praecordiis apud me conservantur, ut non excidant *vota tua*, idest promissiones tibi factae a me. *Quae reddam laudationes tibi*, idest *quae vota reddam*; vota videlicet laudum, et gratiarum actionis, sive, quae vota continent laudationes tibi, assidue a me concinendas.

13. *Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.*

Haec est summa beneficiorum divinorum. *Quoniam eripuisti animam meam de morte*, idest, vitam meam conservasti ab imminente morte, a

Saule, sive ab Achis rege Philistinorum : *et pedes meos de lapsu*, idest, et conservasti me, ne laberer in peccatum inter tot, et tantas tentationes, quibus provocabar, ut Saulem interficerem, vel ei maledicerem: conservasti autem me a morte, et a peccato, a morte videlicet corporali, et spirituali. *Ut placeam coram Deo*, sive,*ut ambulem* (ut habet vox hebraica, להתהלך *Ichithallech*) *placens Deo in lumine viventium*, idest, in lumine vitae hujus temporalis, quo carent qui mortui sunt: item in lumine fidei et gratiae, quo carent infideles et peccatores, ut tandem perveniam ad lumen gloriae coelestis, quo fruuntur illi, qui soli vere, proprieque viventes dici possunt. Possunt haec etiam de Christo exponi, qui per resurrectionem liberatus est a morte carnis, et ab omni periculo sudjacendi ulli passioni, et vivit et regnat a dextris Patris in lumine viventium. Amen.

PSALMUS LVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.

Historia, cujus occasione psalmus iste conscriptus fuit, habetur lib. 1. reg .cap. 24. tunc enim David Saulem fugiens absconditus est cum aliquot ex suis in speluncam Engaddi, et cum Saul casu ad eam speluncam devenisset, et solus in eam intrasset, ut purgaret ventrem; David, qui in parte interiore latebat incitatus a suis, ut interficeret Saulem, noluit id facere: ex qua historia colligitur argumentum hujus psalmi simile esse argumento psalmi superioris. In titulo nihil est novi, praeter illa duo verba, *ne disperdas*, quae quid significet, incertum est. S. Hilarius id refert ad Christi resurrectionem, per quam factum est, ne caro Christi in sepulchro corrumperetur: nam alia lectio de titulo crucis Christi,quem Pilatus noluit corrumpere ad petitionem judeorum, quasi id praedixerit David hoc loco, Theodoretus, et Euthymius exponunt de Davide, qui noluit occidere Saulem, cum impune possent. Itaque volunt ad aeternam rei memoriam scriptum, *ne disperdas*, sive *ne perdas*, quia David non perdidit Saulem, sed quamvis haec expositio in hunc psalmum quadret, tamen in psalmum 57. et 58. et 74. ubi est eadem sententia in titulo, non videtur quadrare. Alii volunt Davidem pro se rogare Deum ut non sinat eum occidi, et perdi. Alii denique arbitrantur, illis verbis significar inistrumentum musicum,in quo psalmi isti concinendi erant.

EXPLICATIO PSALMI LVI.

1. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.*
2. *Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.*

David in spelunca precatur Deum pro liberatione a persecutione Saulis, et in hoc figura Christi est, qui latens in spelunca formae servi, cum esset Dominus omnium, orat pro liberatione corporis sui quod est Ecclesia, a persecutione Satanae, et ministrorum ejus. *Miserere*, inquit, *mei Deus*, idest, tu Deus misericors tolle miseriam, quam patior ob periculum vitae, cui Saul insidiatur. *Misereri mei, quoniam in te confidit anima mea*, confidentia in Deo est optima ratio, quae allegari potest ad impetrandam misericordiam, cum Deus promiserit auxilium confidentibus in se. *Et in umbra alarum tuarum sperabo*, idest, non solum hactenus in te confidit anima mea ; sed etiam perseverabo in hac confidentia toto tempore quo protectione indigebo, quod erit *donec transeat iniquitas* ; idest, finem habeat haec nostra peregrinatio, et exilium a patria coelesti: tamdiu enim durabit iniquitas, quamdiu durabit peregrinatio, in qua mali bonis admixti sunt. Porro metaphora illa de umbra alarum Dei familiaris est scripturae sanctae : nam in psal. 16. dicitur *sub umbra alarum tuarum protege me:* in psalmo. 62. *In velamento alarum tuarum sperabo*; et in psal. 90.*sub pennis ejus sperabis;* et Dominus, Matth. 24. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti*? sensus autem est, sperabo in protectione tua,quomodo sperant pulli in protectione gallinae, qua sub alas suas colligit eos, et mirabili zelo a milvo defendit. Significatur hac meta-

phora ingens amor Dei erga suos electos, quos fovet, et protegit, ut res sibi unice charas.

3. *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.*

Ex hac fiducia qua sub umbra alarum Dei speravit prodibit, clamor *ad Deum altissimum*, id est ad supremum judicem, qui super omnes alios judices in altissimo throno residet; et ratio clamandi erit experimentum proprium: jam enim expertus erat David clamando ad Deum, se multum profecisse. *Clamabo*, inquit, *ad Deum qui benefecit mihi*, idest, qui ultus me est, de inimicis meis: vox enim hebraica, *gomer*, hoc loco non significat benefacere absolute, sed ulcisci, ac per hoc benefacere ulciscendo innocentium injurias: unde sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo, *invocabo Deum altissimum, Deum ultorem meum.* Qualis autem fuerit haec ultio habetur lib. 1. reg. cap. 23. Nam cum Saul cinxisset exercitu suo montem, ad quem David confugerat, ut jam de vita sua pene desperaret providentia divina fecit ut nuncius veniret ad Saulem, qui referret Philisthaeos cum magnis copiis in terram Israelitarum se infudisse, quo nuncio accepto coactus est Saul recedere a persequendo Davide cum magno suo opprobrio, et dolore; et hoc breviter attingitur in sequenti versiculo.

4. *Misit de coelo, liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me.*
5. *Misit Deus misericordiam suam, et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.*
6. *Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae: et lingua eorum gladius acutus.*

Misit de coelo auxilium videlicet, *et liberavit me*, quando cinctus legionibus hostium jam jam capiendus, et occidendus eram. *Dedit in opprobrium conculcantes me*, idest, exposuit probris Saulem, et milites ejus, qui me ut pulverem conculcabant, et contemnebant, quando re infecta coacti sunt recedere, et Philisthaeis occurrere, ut supra diximus ex cap. 23. lib. 1. reg. *Misit*, inquam, *de coelo misericordiam, et veritatem*, quasi duas manus suas, *misericordiam*, qua liberaret me, *et veritatem*, idest, justitiam, qua hostes meos pudore, et dolore afficeret. *Et eripuit animam meam*, hoc est, vitam meam, *de medio catulorum leonum*, idest, Saulis, et militum ejus; qui ferocia leones juvenes, ac per hoc, fortissimos referebant. Sed etiam sic liberatus ab imminente morte, tamen *dormivi conturbatus*, quia timui detractiones, et calumnias inimicorum meorum, quorum dentes, et linguae feriunt instar lanceārum, et gladiorum actorum. In hebraeo deest verbum, *eripuit*, et sic vertit s. Hieronymus, *anima mea in medio leonum dormivit ferocientium.* Sed in hebraeo Codice non est, *dormivit*, sed dormivi, אשכבה *eschebah*, in prima persona. Quare vel excidit verbum, *eripuit*, vel subintelligi debet: et quia hebraei non habent casus, recte possumus vertere tam *anima mea*, quam *animam meam*: denique illud, *conturbatus*, quod Hieronymus vertit, ferocientium, videlicet leonum, in hebraeo proprie significat, *ardentem*, vel *inflammatum*, quod satis apte convenit cum voce, *conturbatus*: qui enim conturbati sunt, aestuare et ardere solent. Itaque lectio hebraica non difficulter cum nostra graeca et latina concordari potest, et hunc sensum facere, *animam meam eripuit de medio leunculorum, dormivi aestuans, et conturbatus*: cur autem dormierit conturbatus, quando jam liberatus erat, exponit cum addit, *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus*, idest, *dormivi conturbatus*, quoniam etiamsi Saule recedente liberatus eram a morsu leonum, qui de propinquo mordent; tamen sciebam non deesse detractores, et calumniatores, qui etiam longe feriunt instar jaculorum, et sagittarum: multi enim erant, qui calumniis suis incitabant Saulem adversus Davidem, ut ipse testatur lib. 1. Reg. cap. 24. *Quare*, inquit, *audis verba hominum loquentium, quaerit David malum adversum te?* Porro phrasis illa, filii hominum dentes eorum arma et sagittae, est hebraeorum propria; sensus autem est, filii hominum tales sunt, ut dentes eorum sint veluti lanceae (hoc enim sonat vox hebraica, חנית *Chanith*, pro qua septuaginta reddiderunt *arma*) *et sagittae*; *et lingua eorum* veluti *gladius acutus*: quibus verbis significatur detractio, quae per instrumenta dentium, et linguae formatur, et non minus nocet et interimit, quam lancea, sagitta et gladius cum incitet ad iracundiam et sit causa malorum plurimorum.

7. *Exaltare super coelos Deus, et in omnem terram gloria tua.*

Exposito timore suo precatur Deum, ut exercendo justitiam in impios hostes suos, manifestet gloriam suam. *Exaltare*, inquit, *super coelos Deus*, idest, sede in altissimo throno, qui est super omnes coelos, ut judices: vel exaltetur nomen tuum super coelos coram Angelis, *et in omnem terram* coram hominibus dilatetur *gloria tua*, ita ut omnes intelligant, et laudent justitiam tuam.

8. *Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.*
9. *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.*

Reddit causam, cur judicium Dei adversus hostes suos imploret. Nam praeter alia inquit, *laqueum paraverunt pedibus meis*, idest, insidias mihi tetenderunt, ut me quasi feram de improviso caperent. *Et incurvaverunt animam meam*, idest atque his insidiis me afflixerunt, ut prae continua sollicitudine incurvus ac moestus incederem. Deinde idipsum repetit alia metaphora, *foderunt*, inquit, *foveam ante faciem meam*, idest foderunt foveam in itinere, quo iturus eram, ita ut fovea ante me esset, quamvis eam a me conspici non existimarent: illud enim, *ante faciem meam*, non significat, me aspiciente et vidente; sed in loco, qui ante me erat, et per quem transiturus eram. *Et in-*

ciderunt in eam, idest, paraverunt mihi periculum vitae, et ipsi in illud inciderunt : nam ut dictum est supra ex cap. 23. lib. 1. reg. Saul insidiabatur vitae Davidis, et illo ipso tempore incidit in speluncam in manus Davidis, a quo poterat occidi, si David voluisset.

10. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, et psalmum dicam.*

Jam in fine psalmi excitat Propheta spiritum suum in Deum, ac dicit, *paratum cor meum, paratum cor meum*, idest, paratus sum vivere, paratus sum mori; paratus conculcari, paratus regnare ; et quicquid acciderit, de manu tua accipiam: *cantabo, et psalmum dicam*, laudabo justitiam et voce, et instrumento musico.

11. *Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara: exurgam diluculo.*

Quia dixerat *cantabo, et psalmum dicam*; nunc ut id recte fiat, non invocat Musas ut prophani Poetae faciunt, sed invocat spiritum prophetiae, ut Theodoretus exponit. *Exurge*, inquit *gloria mea*, idest donum spiritus, quo afflante canere soleo mysteria divina, *exurge psalterium et cithara*, idest, exurge spiritus meus, et lingua mea : spiritus enim per psalterium intelligitur, quod ex parte superiore sonum edit, et lingua per citharam, quae ex parte inferiore sonat. *Exurgam diluculo*, idest summo mane, quod est aptissimum tempus contemplandi divina et canendi Deo, ego spiritus Dei exurgam et excitabo spiritum tuum, et linguam tuam ad canendum. Potest etiam cum s. Hieron. et s. August. hic locus intelligi de resurrectione Christi : David enim, qui satis intelligebat, se in passionibus suis Christi patientis, et morientis figuram gerere, Spiritu sancto afflatus ad Christum loquitur, ac dicit, *exurge gloria mea*: nullam enim majorem gloriam David habere potuit, quam ut pater Christi diceretur. *Exurge gloria mea*, Christe redemptor filius meus, et Dominus meus: *exurge psalterium et cithara*, idest, exurge caro Christi, quae psalterium fuisti, dum divina miracula operando ex parte superiore sonuisti : et cithara, dum humana patiendo ex parte inferiore sonitum dedisti. Deinde inducit ipsum respondentem, *exurgam diluculo*: satis enim constat Christum a mortuis diluculo surrexisse.

12. *Confitebor tibi in populis Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus.*

Surgens diluculo David ad canendum Deo dicit, *confitebor tibi*, idest laudabo te in populis judaeorum, *et psalmum dicam tibi in gentibus*. Noverat enim sanctus Propheta psalmos suos toto terrarum orbe cantandos a fidelibus, tum ex judaeis tum ex gentibus in Ecclesia congregatis. Potest etiam sic exponi, ut Christus, qui dicit, *exurgam diluculo*, addat etiam, se per corpus suum, quod est ecclesia, Deum semper et ubique laudaturum.

13. *Quoniam magnificata est usque ad coelos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.*

Haec est materia laudis apud omnes gentes, quod *misericordia Dei* magna effecta sit, et creverit usque ad coelos, non in se, quomodo semper est infinita, sed in operibus suis: et pari ratione *veritas Dei*, sive pro fidelitate, sive pro justitia accipiatur, replevit omnia *usque ad nubes*, idest, usque ad coelos : accipit enim Propheta pro eodem *usque ad coelos, et usque ad nubes*, quae ideo dicuntur in scripturis nubes coeli. Matth. 26. *Videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli.*

14. *Exaltare super coelos Deus, et super omnem terram gloria tua.*

Quomodo misericordia, et veritas Domini pertingunt usque ad coelos ; sic etiam par est ut gloria et laus ejus, et coelum et terram repleat.

PSALMUS LVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, ne disperdas David in tituli inscriptionem.

Titulus nihil habet novi. Argumentum est acris reprehensio hominum iniquorum : quamvis enim occasio scribendi nata sit ex iniquitate Saulis et ministrorum ejus persequentium Davidem : tamen reprehensio est generalis, et ut monuit sanctus Augustinus, concionatur Spiritus sanctus per os Prophetae ad universum genus humanum.

EXPLICATIO PSALMI LVII.

1. *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.*

Non desunt ex recentioribus, qui velint totum versiculum hunc legi per interrogationem, hoc modo, *num vere justitiam loquimini? num recta judicatis filii hominum?* Sed veteres omnes Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii legunt ut nos in textu nostro habemus. Sanctus autem Hieronymus non solum in expositione psalterii sed etiam in versione ex hebraeo vertit, *si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.* Quamvis enim in prima parte versiculi adsit in hebraeo litera ה *he*, quae est signum interrogationis; tamen in secunda non habetur: proinde ad verbum sic vertendum esset, *num vere justitiam loquimini? recta judicabitis filii hominum:* quae sententia eadem est cum ista, *si vere justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.* Igitur sententia Prophetae haec est, cum omnes homines interrogati, an sit bonum furari, moechari, decipere et similia, recte respondeant, non esse bonum; quia lex scripta in corde docet, ista non esse bona, cum nemo velit talia sibi fieri; convincuntur omnes iniqui non vere loqui justitiam: sed ficte, ac simulate, quia in corde suo judicant, sibi esse bonum furari, moechari, decipere et similia: non enim facerent nisi bonum sibi esse crederent. Nec solum convincuntur esse mendaces, dum falso loquuntur justitiam, et dicunt, non est bonum furari, moechari, decipere, et similia: sed etiam convincuntur mirabili coecitate laborare, cum negare non possint, malum esse furari, cum videant se non posse pati fures: et tamen judicent, sibi bonum esse furari, et facere alteri, quod sibi fieri nolunt: nam si bonum est furtum, quare nolunt sibi fieri? si non est bonum, quare volunt alteri facere? Adversus istam voluntariam et inexcusabilem caecitatem clamat Spiritus sanctus, *si vere utique justitiam loquimini*, dum dicitis, malum est furari, moechari, et similia, *recta judicate filii hominum*, idest, judicate in corde vestro, non esse facienda, ac per hoc nolite facere, quae mala esse confessi estis.

2. *Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestrae concinnant.*

Ostendit non sine causa se admonuisse, ut recta judicent, si justitiam vere loquuntur: nam apparet contraria illos facere, ac per hoc non vere justitiam loqui, sed ficte, ac mendaciter. *Etenim*, inquit, *in corde iniquitates operamini*, idest in corda judicatis, ac decernitis mala: neque ibi sistitis *sed in terra manus vestrae* cordis mandata exequentes *concinnant iniquitates.* Illud, *in terra*, significat peccata operum non posse fieri, nisi dum hic in terris vivimus: nam in inferno erunt quidem mala desideria, sed facultas exequendi non erit. Illud *concinnant*, in hebraeo est, תפלכון *thephallesun appendunt*; in graeco συμπλέκεσθε *connectunt.* Sed omnia idem significant, nimirum peccata peccatis apte conjungi, et appendi unum alteri, sed admixta saepe specie aliqua virtutis, ut turpitudo iniquitatis aliquo modo tegatur. Exemplo esse potest Davidis adulterium: nam adulterio perpetrato, concinnavit David dolum, quo adulterium tegeretur; advocato videlicet Uria marito, atque ad uxorem misso, ut ex eo concepisse videretur: et quia hoc non successit; adjunxit adulterio homicidium; atque hoc etiam dolo alio concinnato, ut in praelio periisse dici posset. Vide alia exempla apud s. Augustinum.

3. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, loquuti sunt falsa.*

Haec est alia peccatorum miseria, quod non post multos annos vitae peccare incipiunt, sed ab ipsa nativitate, vix in lucem editi a recto tramite deflectunt. *Alienati sunt peccatores a vulva*, idest ab ipso exitu de vulva alienati sunt a recto tramite, a via veritatis, a beata vita: *erraverunt ab utero*, haec est repetitio, et declaratio ejus quod dictum erat, *alienati sunt a vulva, loquuti sunt falsa*: hoc enim est primum ordinarie peccatum actuale, quod pueri committunt, mendacium videlicet, inde se primum prodit naturae corruptio.

4. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae, et obturantis aures suas.*
5. *Quae non exaudiet vocem incantantium: et venefici incantantis sapienter.*

Docuit morbum peccati ab ipsa infantia incipere: nunc addit, non solum hunc esse morbum diuturnum, sed etiam gravissimum, quia nonnunquam peccatores tanto furore et tanta obstinatione grassantur in perniciem aliorum hominum, ut similes efficiantur serpentibus illis, qui surdi dicuntur, quia incantationibus nullis cedunt. *Furor illis*, idest gravissimis peccatoribus, qualis tunc erat Saul, *est sicut secundum similitudinem serpentium*, qui nulla arte mansuefieri possunt: imo secundum similitudinem *aspidis surdae*, quae obturat cauda aures suas, *ut non exaudiat vocem incantantium, nec venefici incantantis sapienter*, idest valde periti in arte sua. Utrum sit verum, an fabulosum, quod dicitur de aspide, claudentis sibi aures, ne audiat maleficum incantantem: non multum refert ad hujus psalmi explicationem. David enim similitudinem ducit ab eo quod vulgo fertur. Monet etiam s. August. non ideo approbari incantationes veneficorum, quia David inde similitudinem accepit: nam et Dominus in Evangelio similitudines duxit a judice injusto, *qui nec Deum timet nec hominem reveretur.* Luc. 18. et a villico iniquitatis, qui *donando bona Domini sui amicos multos sibi conciliavit.* Luc. 16. et ab illo qui *invento thesauro in agro alieno, continuo emit agrum illum ut thesauro solus potiretur.* Matth. 13. nec tamen approbavit injustitiam Judicis, neque fraudes servorum, nec astutiam cupidorum.

6. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus.*

Descripta gravitate peccati aliquorum hominum, inter quos Saulem David numerabat in primis: describit nunc poenas eorumdem peccatorum aptissimis similitudinibus. Prima similitudo continetur in hoc sexto versiculo, et summa ejus est, a Deo auferri potentiam hominum peccatorum, quantumvis magni, robusti et feroces esse videantur: nihil enim robustius et terribilius leone, et in ipso leone nihil durius acutius et horribilis dentibus molaribus. *Deus* igitur *dentes leonum confringet*, idest, robur, et potentiam peccatorum quamvis potentissimorum aufert. *Deus*, inquit, *dentes eorum*, peccatorum videlicet, qui instar leonum discrepunt, et dilaniant innocentes. *In ore ipsorum*, idest, dum adhuc sunt in ore ipsorum viventium et rugientium: nam conterere dentes leonum jam evulsos facile est. Declarat, vel repetit more suo Propheta quod dixit, dum addit, *molas leonum confringet Dominus*, idest, non solum dentes minores, sed etiam molares, qui sunt omnium maximi et durissimi, confringet Dominus.

7. *Ad nihilum devenient, tamquam aqua decurrens : intendit arcum suum , donec infirmentur.*

Haec est altera similitudo, quae docet potentiam impiorum fore brevissimam , et post modicum ita redigendam esse ad nihilum , ut tota progenie extincta ne vestigium quidem ejus remaneat. Similitudo autem deducitur , vel a torrentibus secundum Augustinum , qui ita interdum intumescunt , et omnia secum rapiunt , ut flumina maxima esse videantur , et tamen post unam , vel alteram horam omnino siccantur , et evanescunt, ut ne gutta quidem aquae remaneat in alveis torrentium ; vel ducitur similitudo ab ingenti pluvia hyemali , ut exponit s. Hieron. quae per loca declivia ita statim decurrit , ut post modicum cessante pluvia, nusquam aqua ipsa compareat. Exempla innumerabilia adduci possunt tum potentissimorum tyrannorum, ut Saulis, Achab, et Jeroboam, vel Neronis, Caji, Domitiani, et similium: tum haeresiarcharum magni nominis, ut Arii, Nestorii, Dioscori, et caeterorum. *Ad nihilum*, inquit, *devenient tamquam aqua decurrens*, torrentis vel pluviae, quae velocissime transit, et vestigium non relinquit. Ac ne putaremus casu fieri, vel ex naturalibus causis, ut potentissima regna tyrannorum : aut famosissimae haereses tam cito finem accipiant; subjungit Propheta, *intendit arcum suum, donec infirmentur*, idest , impiorum potentia tam celerem finem habebit, quia Deus omnipotens intendit arcum suum adversus eos, neque arcum remittet, donec illi infirmentur, ac debilitentur, et viribus amissis deficiant, et pereant.

8. *Sicut cera, quae fluit, auferentur : supercecidit ignis, et non viderunt solem.*

Tertia est haec similitudo quae demonstrat, non minus facile esse Deo potentiam tyrannorum, atque aliorum impiorum ad nihilum deducere, quam facile sit soli, aut igni ceram liquefacere: cera enim quamtumvis indurata , calori solis vel ignis nullo modo resistit; sed continuo liquescit, defluit, et perit. *Sicut cera*, inquit, *quae fluit* tangente illam sole, vel igne, ita *auferentur* de medio homines peccatores. Nam *supercecidit ignis irae Dei* in illos, et ipsi tamquam cera continuo liquefacta perierunt, et non viderunt amplius solem, quem soli viventes videre possunt. In codice hebraeo hic versiculus longe aliter habetur. Sic enim vertit s. Hieron. *Quasi vermis tabefactus pertranseant, quasi abortivum mulieris, quod non vidit solem.* Sed quod attinet ad vocabulum, שבלול *sciabbelul*, non possunt reprehendi Septuaginta, quod verterint, *ceram*, quia vox illa non habetur nisi hoc loco, et aliqui volunt significare *vermiculum*: aliqui *limacem*, alii alia. Inter tot opiniones de obscurissima voce cur non magis credemus septuaginta Interpretibus, antiquioribus, doctioribus, et pluribus? Quod vero pertinet ad illam vocem , תמס *themes*, nulla est difficultas: nam proprie significat *liquefactionem*; et Septuaginta recte verterunt *ceram, quae fluit*, hoc est, liquescit: et s. Hieronymus qui vertit, *tabefactum*, sensum expressit, non verbum. Denique illa verba, נפל אשת *nephel eseeth*, s. Hieronymus recte vertit, *abortivum mulieris*: sed Septuaginta recte etiam verterunt, *supercecidit ignis*, quia remotis punctis Rabbinorum illud, נפל *nephel* , potest legi, *naphel*, quod significat, *cecidit*: illud, אשת *esceth*, legerunt sine ultima litera, et verterunt *ignis*, quia, אש *es* , ignem significat.

9. *Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos.*

Haec est ultima similitudo, qua docet Propheta, impios succidendos, et perdendos a Deo, antequam implere possint mala, quae adversus justos meditati sunt, ut non habeant gaudium de exterminio justorum, quod maxime cupiebant: quomodo Saul antea male periit, quam de morte David laetari potuerit; et Diocletianus, et Maximianus, aliique persecutores ecclesiae prius perierunt quam ultimum exitium Christianorum viderint, ad quod totis viribus inhiabant. Similitudo autem desumpta est a spinis, quae ab agricola succiduntur dum tenerae sunt antequam ad robur rhamni, quod est lignum magnis, et durissimis spinis instructum, crescendo perveniant. *Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum*, sanctus Hieronymus ex hebraeo vertit, *Antequam spinae vestrae crescant in rhamnum*. S. Hilarius et s. Augustinus legunt, *antequam producat spinas vestras rhamnus*. Nostra lectio concordat ad verbum cum hebraica, et cum graeca. Porro lectio s. Hilarii, et s. Hieronymi in sensu conveniunt: nam spinas crescere in rhamnum est spinas teneras, quae ferire non possunt

paulatim crescere, et fieri rhamnum, qui duris aculeis suis pungat, et feriat; sic etiam rhamnum producere spinas, est rhamnum tenerum, et qui nocere non potest, crescere et inducere aculeos, ut maxime nocere valeat. Oportet igitur ad eumdem sensum reducere verba obscura nostrae lectionis: id quod fiet, si per vocem, *intelligere*, quae est in hebraico, יבינן *iabinu*, et graeco codice συνιέναι, interpretemur, crescere ad perfectum robur: quod quidem hominibus convenit, qui tunc ad perfectam aetatem pervenerunt, quando sapere et intelligere incipiunt; sed per metaphoram tribuitur etiam aliis rebus. Itaque sic exponi potest versiculus, *Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum*, idest, priusquam ad perfectionem suam spinae tenerae crescendo pervenirent, ut ad instar rhamni pungere, ferire, et lacerare possent: *sicut viventes, sic in ira absorbet eos*, idest, Deus absorbebit, (*absorbet* enim hoc loco positum est pro *absorbebit*, sicut in Evangelio, Joan. 15. *ardet* pro *ardebit*) Deus inquam absorbebit eos sic in ira sua, sicut viventes absorbere solet terra, aut mare: mutatio autem illa personae familiaris est Prophetis, ut cum loqueretur ad ipsos impios in secunda persona dicens, *spinae vestrae* mox transeat ad tertiam dicens, *absorbet eos*, pro absorbebit.

10. *Laetabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

Cum haec facta fuerint, quae supra dicta sunt de perditione impiorum: tunc *laetabitur justus cum viderit vindictam*, non autem amore vindictae laetabitur, sed amore justitiae; et quia videbit se Dei gratia custoditum non esse lapsum in ea peccata, unde tam severe puniri mereretur: nec solum laetabitur, sed etiam *manus suas lavabit in sanguine peccatorum*, idest, opera bona ipsius magis elucebunt ex comparatione malorum operum peccatorum: nam opposita juxta se posita magis splendent, per sanguinem enim in Scripturis, peccatum intelligi solet. Vel dici potest cum sancto Augustino, Justum hic in terris lavare manus suas, idest, mundare opera sua, et bene operando fieri diligentiorem, dum cernit sanguinem, idest, mortem, ac supplicia impiorum. In hebraeo habetur, פעמיו *pehamau, pedes suos lavabit.* Sed omnes alii codices graeci, et latini, et omnes traductores legunt, *manus.*

11. *Et dicet homo, si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.*

Cum impii punientur, et justus laetabitur; tunc *dicet homo*, idest, tunc homines, qui ista videbunt dicent, si justitia fructum aliquem adfert, ut vere adfert, ille maximus est fructus, quod Deus summus omnium Judex non sinit peccatores impunitos, neque justos irremuneratos; sed retractat omnia injusta judicia, et judicat eos, idest, tam malos, quam bonos; tribuens justis debita praemia pro omnibus bonis operibus, quae fecerunt, et pro omnibus malis, quae praetulerunt: et impiis debita supplicia pro omnibus malis, quae fecerunt, et pro omnibus deliciis, in quibus lascivierunt. Et sic impletur illud Apoc. 18. *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.* Judicium autem hoc dicitur fieri in terra; quia fit pro his actionibus, quae factae sunt in terra; et quia saepe inchoatur in hac vita, licet perficiendum sit in altera; denique quia ultimum etiam judicium fiet de hominibus, qui adhuc erunt in terra; et inde transituri erunt, vel ad coelum, vel ad gehennam. Unde dicitur Deus judicaturus orbem terrarum in aequitate. In hebraeo codice non habetur conditionalis, אם *si*, cum dicitur, *si est fructus justo*: sed, אך *ac, vere est fructus justo, vere est Deus judicans eos in terra.* Illud igitur *si*, quod ex graeco transiit in codices latinos, non est conditio, vel particula dubitationem significans: sed explicanda est, ut nos paulo ante explicuimus, *si est aliquis fructus justo*, ut sine ullo dubio est, ille est, quod Deus judicabit accuratissime omnia opera bona, et mala, et non sinet justos in perpetuum opprimi ab impiis, sed impiis condemnatis justos coronabit. Quae certe magna est consolatio justorum afflictorum, qui ex fide vivunt, et expectant beatam spem, et adventum magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, cui sit laus, et gloria in saecula.

PSALMUS LVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret.

Ex hoc titulo colligitur occasio scribendi psalmum praesentem. Scribitur enim lib. 1. reg. cap. 19. missos fuisse satellites a Saule, qui custodirent domum David, ne forte nocte effugeret, ut eum mane facto interficerent: sed Davidem conjugis suae consilio, et auxilio per fenestram noctu demissum aufugisse. Scribit igitur in hoc psalmo David orationem, quam imminente tam ingenti pe-

riculo fudit ad Deum: et simul praedicit, ut solet perditionem inimicorum suorum. S. Augustinus, et Theodoretus volunt, Davidem figuram Christi fuisse: Christus enim in sepulchro, quasi in domo custodiebatur a satellitibus, ut impediretur ejus resurrectio, et proinde etiam praedicatio Apostolorum, et aedificatio ecclesiae, quae corpus est Christi. Sed Christus resurrexit non aperto sepulchro, relictis sindonibus; et David evasit relictis in lecto pellibus caprinis. Potest etiam totus psalmus commode explicari generatim de impiis persequentibus justos, et impiorum exitio, ac justorum liberatione. Solet enim David occasione afflictionum suarum concionari in universum de afflictionibus, et consolatione justorum, et malitia, ac suppliciis iniquorum. Quae etiam causa est cur Ecclesia frequenter assidue cantet psalmodiam: quod non tam accurate faceret, si de solo Davide plerique psalmi intelligendi essent.

EXPLICATIO PSALMI LVIII.

1. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.*

Vox est Davidis in propria domo, quasi in carcere detenti, obsidentibus eum satellitibus Saulis: vox item est Christi in sepulchro jacentis, custodibus adhibitis: vox denique est cujuscumque justi in mortis periculo constituti.

2. *Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me.*

Haec est explicatio versiculi superioris: quos enim dixit ibi *inimicos suos*, hic dicit *operantes iniquitatem*, justi enim non alios habent inimicos nisi iniquos; neque alia est causa inimicitiae ipsorum, nisi quia illi iniqui sunt, isti justi; et quos ibi dixit *insurgentes in se*, hic dicit *viros sanguinum* idest, viros homicidas, qui insurgunt in proximum ut ejus sanguinem fundant.

3. *Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.*

Reddit rationem cur dixerit, *salva me*, vel *eripe me*: quia videlicet in maximo discrimine vitae amittendae versabatur. Erat enim quasi fera inter rete conclusa, et comprehensa, et jamjam interficienda; quod explicat clarius vox graeca ἐθήρευσαν, idest, *venati sunt animam meam*; quod etiam satis congruit cum voce hebraica, ארבו *arebu*, quam s. Hieronymus vertit insidiati sunt animae meae. Ergo illud, quod in nostra editione legimus *ceperunt animam meam*, non significat, acceperunt vitam meam, neque occiderunt; sed comprehenderunt me, sive captivum me ceperunt. *Et irruerunt in me fortes*, idest, viri potentes, qualis erat rex Saul, Abner dux militiae, et similes, in me impetum fecerunt: quod dicit, ut ostendat persecutionem suam non esse paucorum satellitum, a quibus tunc obsidebatur, sed regis potentissimi, qui alios satellites, ac milites ad eum occidendum mittere poterat.

4. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi.*

Si ad personam Davidis haec referantur, non significant, nullum fuisse in Davide peccatum absolute, sed non fuisse peccatum adversus regem, ut aemuli ejus calumniabantur. At si referantur ad Christum, absolute verissima sunt: Christus enim *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*; ut scribit b. Petr. 1. epistol. cap. 2. Ait igitur, *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine*, idest, irruerunt in me fortes, et tamen nulla est iniquitas, nulla injustitia, neque peccatum aliud adversus eos a me patratum, ut causam persequendi me habeant. Ego enim *sine iniquitate cucurri*, idest, cursum vitae huc usque peregi sine ulla ipsorum offensione. *Et direxi*, idest, rectum cursum institui, non declinavi ad dexteram ad aucupandos favores potentiorum: neque ad sinistram, ut opprimerem pauperes, et humiles. In hebraeo habetur in tertia persona, *cucurrerunt*, *et direxerunt*, idest, inimici mei cucurrerunt, adversum me, et direxerunt acies suas, ut me occiderent. Sed septuaginta Interpretes aliter legerunt verba hebraica, et facilis fuit mutatio, cum prima persona, et tertia non differant, nisi in ultima terminatione. Sed res non est magni momenti.

5. *Exurge in occursum meum, et vide, et tu Domine Deus virtutum, Deus Israel.*
6. *Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.*

Dixerat, *cucurri, et direxi*: qui autem dirigit cursum suum, sine dubio ad Deum currit, ad quem omnia bona, ut ad finem ultimum diriguntur. Ait igitur, Ego bene operando ad te cursum meum direxi: tu igitur vicissim me protegendo, *mihi occurre, atque ad me cursum auxilii tui dirige, et vide* de proximo periculum meum, considera afflictionem meam: neque potes excusare impotentiam, et ignorantiam, nam *Dominus et Deus virtutum es*, atque ut Dominus, omnia potes; ut Deus, omnia vides; ut Deus virtutum, idest, exercituum, non solum per te, sed etiam per angelos, et quaslibet alias creaturas me juvare potes, quia tibi omnia militant: denique *tu es Deus Israel;* proinde

Israelitas, ut proprius eorum Deus ex foedere cum patribus nostris inito protegere debes. *Intende ad visitandas omnes gentes*, idest, adveniat aliquando dies universalis Judicii tui, et tunc *non miserearis omnium operantium iniquitatem*, idest, nullius operantis iniquitatem miserearis; sed omnes pro meritis punias. Haec videntur accipienda prophetice potius, quam per modum imprecantis, ut sensus sit, Veniet aliquando magna illa visitatio omnium gentium, in qua reddent omnes Deo summo Judici rationem factorum suorum, et tunc Deus nullius impii miserebitur, sed omnes malos male perdet. Atque ex hac explicatione cessat quaestio, quam s. Augustinus movet; quo modo verum sit, quod hic dicitur, *non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*, cum constet, Deum misertum esse ipsius Davidis operantis iniquitatem adulterii, et homicidii; et s. Petri ipsum Christum negantis; et s. Pauli Ecclesiam persequentis. Cessat, inquam, ista quaestio, quoniam Deus miseretur operantium iniquitatem non ut Judex, sed ut pater misericordiarum, dum operantes iniquitatem misericorditer convertit ad poenitentiam. David autem hoc loco loquitur de Deo, ut Judex est, *qui reddet unicuique secundum opera sua*. Matth. 16. ac praesertim in ultimo Judicio nullius impii, vel iniqui miserebitur.

7. *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.*

Pergit explicare miseram conditionem iniquorum in novissimo die. *Ipsi enim convertentur ad vesperam*, idest, finito die, in quo fructuose converti licebat, nimisque sero sapere incipient, et poenitentiam agere nihil eis profuturam, de quibus dicitur Sap. 5. *Poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes. Et famem patientur ut canes*, famem utique justitiae, quam esurire nescierunt quando tempus erat: vel famem qualiscumque consolationis, et quietis; *et circuibunt* ut canes famelici *civitatem Dei*, idest, electorum coetum: respicient enim ad omnes, si quo modo apud aliquem misericordiam invenire possint, sed non invenient: nemo enim sanctorum in illa die miserebitur operantium iniquitatem. Erit autem haec digna retributio, quoniam in hac vita viri iniqui *conversi sunt ad vesperam*, idest, tenebras noctis non ad lucem diei: *et famem passi sunt* ut canes, idest, famelici fuerunt carnalium delectationum, quae si comparentur ad spiritualia, cibi sunt corrupti, ac putridi, et canum proprii; et ideo circumierunt civitatem: nam extra civitates in fossis murorum projici solent cadavera equorum, aliorumque animantium immundorum, quae non ab hominibus, sed a canibus devorantur. Hunc locum alii exponunt de reversione satellitum ad vesperam, ut noctu Davidem in domo sua raperent et instar canum vitam ejus devorarent. Alii de conversione Judaeorum circa finem Mundi, juxta illud Apostoli Rom. 11. *Caecitas ex parte cecidit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret*. Alii de conversione eorumdem Judaeorum ad vesperam, idest, post mortem Christi, qui famem passi sunt, sicut canes, idest, sicut gentiles, et simul saturati sunt ad praedicationem Apostolorum, et tum ipsi quoque circumierunt civitatem docendo, et praedicando, quae est expositio s. Augustini. Alii de reversione Judaeorum in Palaestinam post eversionem civitatis suae Jerusalem, qui famem patiebantur pristinae foelicitatis caeremoniarum legalium, et circuibant eversam civitatem; si quo modo eam raedificare possent. Nos lectori judicium relinquimus.

8. *Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?*

Revertitur ad malitiam iniquorum: vicissim enim loquitur Propheta nunc de culpa, nunc de poena impiorum. *Ecce*, inquit, qui me quaerunt ad necem, *loquentur in ore suo*, idest, submissa voce inter se loquentur, ut vix ex ore sonus egrediatur. *Et gladius in labiis eorum*, idest, et verba ipsorum quasi gladius erunt, quoniam de nece inter se consultabunt. Secure autem inter se loquentur, *quoniam* dicent, *quis audivit?* id est, nemo audivit, secretus erit sermo.

9. *Et tu Domine deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.*

Illi putant se non audiri, quando inter se secreto consultant, et putant se magna facturos: *sed tu Domine*, cui nihil est occultum, *deridebis eos*, tamquam vanos, qui nosti eorum concilia, et impedire conatus ipsorum nullo negotio potes, nec solum inimicos meos deridebis, sed etiamsi omnes gentes cum illis conjungerentur, eas quoque contemneres, et nihil faceres. Ubi illud, *Ad nihilum deduces*, in hebraeo est, תלעג *thilhag, subsannabis*, ut sit fere idem cum deridebis. In graeco est, εξσδενώσεις, *pro nihilo duces*, quod in idem recidit. Itaque ut nostra latina editio cum textibus originalibus conveniat, sic explicandum est illud, *Ad nihilum deduces*, idest, pro nihilo habebis, sive ad nihilum deduces in mente tua, quia tamquam nihilum existimabis. Clarius id habetur in psal. 14. ubi dicitur, *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*, ubi illud, *in conspectu ejus*, demonstrat, deduci ad nihilum, non esse extingui penitus, ac deleri, sed pro nihilo reputari. Quomodo dicitur Isaiae 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei.*

10. *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia ejus praeveniet me.*

Quia meminit omnipotentiae Dei, coram quo omnes gentes pro nihilo reputantur, humiliat se sub potenti manu Dei, ut gratiam mereatur, *Fortitudinem*, inquit, *meam ad te custodiam*, idest, ego robur meum non ex me habeo, sed a te accepi, ideo non in meis viribus est illud conservare, sed *ad te*, idest, apud te custodiam: tu qui dedisti, conservabis: *quia susceptor meus es, Deus meus*;

idest, non sine causa confido in protectione tua, qua tu Deus suscepisti me protegendum ab infantia mea, quia tu es proprie Deus meus, quem solum colo. *Misericordia ejus praeveniet me*, idest, non frustra haec loquor, quia misericordia Dei praevenit me olim, et (ut confido) semper praeveniet, ut non sinat me opprimi ab hostibus meis. Haec justissime David dicit, qui in pueritia praeventus fuit gratia Dei, et robur divinitus accepit, ut ursum, et leonem ac deinde Goliath gigantem armatum ipse inermis occideret, et in regem item adhuc puer a Samuele inunctus fuit. Quod si haec referantur ad Christum, multo magis verificantur, cum ipse non a pueritia, aut infantia, sed a conceptione *unctus fuerit Spiritu sancto, et virtute*, ut loquitur s. Petrus Apostolus Act. 10. In hebraeo legitur, *Dei misericordia ejus praeveniet me*. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, אלהי *elohe*, sed אלהי *elohai*, *Deus meus*. Itaque Rabbini non recte puncta collocaverunt.

11. *Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne perdas eos, ne quando obliviscantur populi mei.*
12. *Disperde illos in virtute tua, et depone eos protector meus Domine.*

Revertitur Propheta ad inimicos suos, ac praedicit poenam ipsorum: sed haec omnia magis loquitur in persona Christi, quam in persona propria, *Deus*, inquit, *ostendet mihi super inimicos meos*. idest, demonstrabit mihi supplicium, quod patientur inimici mei; quasi dicat, jam revelavit mihi Deus quid eventurum sit inimicis meis, sed etiam re ipsa ostendet eventum, et tunc videbo supplicium, quod justissime patientur. Ego autem precor Deum, ut non occidat eos, idest, non omnino extinguat gentem Judaicam: *ne quando homines obliviscantur populi mei*: vult enim Christus agnosci populum suum, unde originem secundum carnem ducit. Rogo igitur, inquit, *ut Deus in virtute sua*, in potentia sua, cui nemo resistere potest, *disperdat illos* per orbem terrarum, et deponat eos de altitudine gloriae, in qua positi erant, cum essent populus Dei peculiaris, et regnum, ac sacerdotium obtinerent. Quae omnia in Judaeis videmus ad litteram adimpleta. In graecis codicibus habetur, *nequando obliviscantur legis tuae*; et sic legunt Hilarius, Augustinus, Euthymius, et alii. Sed nostra lectio concordat cum hebraico codice; et credibile est sic etiam vertisse septuaginta Interpretes, sed graecum textum postea fuisse mutatum: testatur enim s. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam, in septuaginta interpretibus haberi populi mei, ut habetur in hebraeo.

13. *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, et comprehendantur in superbia sua.*

Explicat causam dispersionis Judaeorum, quasi dicat, haec illis eveniant propter *delictum oris eorum*, idest, propter sermonem labiorum ipsorum, quo dixerunt Joan. 29. *non habemus regem nisi Caesarem*; et *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*. Matthaei 27. Deus enim juste illis tribuit quod sibi imprecati sunt juxta illud Dan. 9. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et comprehendantur in superbia sua*, idest, captivi fiant a Romanis, et humilientur, ac dejiciantur ob superbiam suam, qua gloriabantur se filios esse Abrahae, et liberos, et nemini usquam servivisse, ut perspicuum est ex cap. 8. Joannis. Vere enim propter superbiam, et contumaciam suam Romanorum indignationem in se provocaverunt, ut patet ex libris Josephi de bello Judaico. Sed illa occasio fuit exitii: vera autem causa fuit superbia, qua Dei filium contempserunt.

14. *Et de execratione et mendacio annunciabuntur in consummatione, in ira consummationis, et non erunt.*

Per execrationem, et mendacium intelligo verba illa supradicta: *Sanguis ejus super nos;* et *non habemus regem, nisi Caesarem*. Illud enim, *Sanguis ejus super nos*, fuit horrenda execratio, quia sibi imprecati sunt Judaei poenam debitam immanissimi omnium scelerum. Illud autem, *Non habemus regem nisi Cesarem*, mendacium, et simulatio fuit: constat enim illos noluisse dare Caesari censum, et jactasse se liberos, et nemini unquam servivisse, cum tamen hoc ipsum esset insigne mendacium: servierunt enim Pharaoni in Aegypto, Nabuchodonosori in Babylonia, Philisthaeis in terra promissionis; et tunc cum haec dicerent, Romanis manifestissime serviebant. Praedicit ergo Propheta, quod de hac execratione, et mendacio, idest, propter haec delicta oris ipsorum, propter eam horrendam execrationem, et tam superba mendacia *annunciabuntur in consummatione*, idest divulgabuntur, et infames erunt toto orbe terrarum, quando eversa civitate consummabitur, ac destruetur omnis potentia, omnis gloria, omnis status reipublicae Judaeorum. *In ira consummationis*, hoc est, in illa consummatione, quae non casu accidet; sed ab ira, et indignatione Dei proveniet, et ideo erit perfecta, et absoluta consummatio ut numquam deinceps Judaei regnum, et civitatem regiam sint habituri: ideo additur, *et non erunt*, idest, et sic peracta consummatione, non amplius subsistent Judaei, idest, non erunt populus, nec regnum, sed dispersio, et dissipatio miserabilis, ut hodie cernimus oculis nostris. In codice hebraico legitur, *De execratione et mendacio annunciabunt*: sed verba hebraica facile mutant significationes: propterea septuaginta Interpretes, qui peritissimi erant hebraicae linguae, verbum activum in passiva significatione interpretati sunt. In eodem codice legitur, *Consume in ira, consume, ut non subsistant*. Verum septuaginta Interpretes, vel acceperunt vocem, כלה *calle*, pro nomine, non pro verbo, idest, pro consummatione, non pro imperativo, *consume*, vel certe sensum expresserunt, non verbum verbo reddiderunt.

15. *Et sciant, quia Deus dominabitur Jacob, et finium terrae.*

Et cum fuerint dispersi Judaei per omnes terras, *tunc scient*, et aperte videbunt, Deum verum, non solum Dominum esse Jacob, idest, populi Israelitici, sed etiam *finium terrae*, idest, omnium gentium usque ad ultimos fines terrae. Antea siquidem *notus erat in Judaea Deus et in Israel magnum nomen ejus*, ps. 75. et dicebatur, *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt, et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt*, ps. 78. sed post eversionem Jerosolymae, Evangelio Christi per orbem terrarum praedicato, dispersi Judaei viderunt ubique Deum verum coli, Idola confringi, psalmos Davidicos cani: ita didicerunt, Deum non solum Judaeorum Deum esse, sed etiam gentium.

16. *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes; et circuibunt civitatem.*

Sed numquam apertius scient, Deum dominari Jacob, et finium terrae, quam in novissimo die, quando *stabimus omnes ante tribunal Christi*, Rom. 14. *et illi flectetur omne genu*: tunc *convertentur* ad poenitentiam sed *ad vesperam*, finito tempore misericordiae; *et famen patientur ut canes, et circuibunt civitatem* electorum, ut cibum consolationis inveniant.

17. *Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, et mu murabunt:*

Iidem Judaei *dispergentur ad manducandum* recurrendo ad Patriarchas suos, et Prophetas, atque ad eos clamando, ut canes famelici; et quia nihil consolationis accipient, neque ab illis pro filiis agnoscentur, murmurare incipient, et queri de infoelicitate sua. Quod si haec nostra explicatio non probetur, jam indicavimus alias multas, dum versiculum septimum explicaremus.

18. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exultabo mane misericordiam tuam.*

Hactenus de impiis persecutoribus; nunc David in persona propria, sive potius in persona Christi, et Ecclesiae, quae corpus ejus est, explicat laetitiam, et exultationem suam nec non laudem Dei, et actionem gratiarum. *Ego autem*, inquit, *cantabo fortitudinem tuam*, idest, miseri illi latrabunt, et murmurabunt; ego autem e contrario *cantabo*, et laudabo *fortitudinem tuam*, id est, magnam potentiam tuam, quam ostendisti in debellatione, et perditione iniquorum. *Et exultabo misericordiam tuam*, idest, exultans laudabo misericordiam, quam stendisti in liberatione, et glorificatione justorum: id autem faciam summo *mane*, idest, primo quoque tempore, ante omnia alia negotia, vel *mane*, idest, inchoante die sempiternae foelicitatis, transacta jam nocte terribilis Judicii universalis, Pro, *exultabo*: sed lectio nostra concordat cum textu hebraico, et graeco; et sic legunt Patres.

19. *Quia factus es susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meae.*

Declarat effectum misericordiae, quam exultando decantaturum se promittit, quod videlicet Deus susceptor ejus fuerit, idest, protegendum susceperit, et refugium illi praestiterit in omni tribulatione sua.

20. *Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea.*

Idem aliis verbis repetit, ut affectum suum, et gratum animum erga tantum benefactorem ostendat. Illud, *Adjutor meus*, in hebraeo est, עזי *huzi, fortitudo mea*, ex quo intelligimus, significari adjutorem robustum, et potentissimum proinde laudatur ea voce potentia Dei. Per illud autem, *susceptor meus*, laudatur bonitas Dei, quae sub alas suas protegendos suscipit electos. Per illud, *Deus meus*, significatur summum bonum nostrum ac finis ultimus omnium desideriorum; quamvis autem in hebraeo sit, *Deus misericordiae meae*: tamen recte septuaginta, et latinus Interpres verterunt, *Deus meus, misericordia mea*. quia vox hebraea, una, et eadem si legatur, אלהי *Elohe*, significat, *Deus*; si legatur, אלהי *Elohai*, significat, *Deus meus*: et sic legerunt Septuaginta; et haec est vera lectio, quicquid Rabbini dicant. Denique illud, *Misericordia mea*, significat in compendio omnia beneficia Dei, quibus ad ipsum Deum idest, ad summum bonum pervenimus: recte enim observat s. Augustinus multo amplius esse misericordia mea, quam salus mea, vita mea, spes mea, et similia. Misericordia enim fecit, ut essemus, ut viveremus, ut liberaremur a malo, ut proficeremus in bono: misericordia Dei praedestinati sumus, vocati sumus, justificati sumus, glorificati tandem erimus: nam etiamsi glorificatio ex meritis detur, tamen ipsa merita nostra, dona sunt Dei, quia sine gratia praecedente nulla essent. Merito igitur idem Propheta in psal. 102. dicit, *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus.*

PSALMUS LIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem pro his, qui immutabuntur, In tituli inscriptionem ipsi Davidi in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriae, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumaeam in valle Salinarum duodecim millia.

Occasio scribendi psalmi praesentis fuit ea victoria, quae narratur in titulo, et fusius lib. 2.reg. cap. 8. et 1. Paralip. 18.Occasione,inquam, hujus victoriae canit Propheta praeteritas afflictiones suas et totius populi, et praesentem, ac futuram foelicitatem. Quae omnia possunt etiam applicari Ecclesiae,quae post multas persecutiones mirum in modum dilatari, et crescere coepit, ut etiam imperatores, et reges eorumque imperia,et regna sceptro suo subjiceret.Non legitur quidem in libris regum quo David succenderit Mesopotamiam,et Sobal,sed tantum quod ceperit: caeterum non omnia scripta sunt in libris regum,neque pugnat hic titulus cum ea historia, cum utrumque fieri potuerit. Videtur etiam hic titulus dissentire ab historia, quod hic dicantur caesa a Joab duodecim millia Idumaeorum in lib. autem 1. Paral. 18. dicantur caesi Idumaei ab Abisai fratre Joab, ad decem et octo millia.Sed non est necesse, ut de eadem caede intelligamus titulum hujus psalmi, et locum Paralipom. Potest enim fieri,ut et Joab interfecerit duodecim millia, et Abisai alio tempore decem et octo millia.

EXPLICATIO PSALMI LIX.

1. *Deus repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.*

Incipit narrare praeteritas afflictiones populi Israelitici. *Deus*, inquit,*repulisti nos* a paterna cura, et protectione, *et destruxisti nos*, permittens nos destrui, opprimi, et vexari a Philisthaeis, Idumaeis, Moabitis, aliisque populis inimicis nostris. *Iratus es, et misertus es nobis*, idest,iratus es nobis ob peccata, quibus te ad iracundiam provocavimus,et ideo tradidisti nos in manus hostium nostrorum; sed tamen paulo post *misertus es nobis*, dum nos per gratiam tuam ad poenitentiam revocasti, et post poenitentiam a captivitate et persecutione liberasti. Haec verissima esse intelliget, qui leget librum Judicum, et librum primum regum. Vicissim enim Judaei nunc ob peccata tradebantur in manus hostium,nunc ob poenitentiam liberabantur.Eadem contigerunt Ecclesiae Christi: persecutionum enim causa tribuitur peccatis Christianorum a s. Cypriano in ser. de lapsis, ab Eusebio lib. 8. hist. Ecclesiasticae, a Victore Africano lib. 1. de persecutione Vandalica, et ab aliis. Tanta autem erat interdum vis persecutionis, ut Ecclesia verissime dicere posset, *Deus repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.* Istud autem, *misertus es nobis*, potissimum tribui debet fortitudini sanctorum Martyrum: quamvis enim Deus iratus peccatis Christianorum persecutiones permitteret; tamen valde miserebatur Ecclesiae, dum insigni dono fortitudinis armaret plurimos christianorum; et major esset Ecclesiae gloria ob coronas innumerabilium martyrum, quam depressio, et vastatio ob rapinas bonorum, et ruinas aedificiorum sacrorum.

2. *Commovisti terram, et conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia commota est.*

Explicat magnitudinem persecutionis. *Commovisti* inquit,*terram*, idest, non unum, aut alterum populum; non unam, aut duas civitates, sed orbem terrae commovisti. Et quidem si respiciamus persecutiones judaicas, sensus erit, *commovisti* totam *terram* promissionis: si vero cogitemus persecutiones christianas; quae saepe universales erant, sensus erit, *commovisti terram* universam, idest, ecclesiam toto orbe diffusam: *et conturbasti eam*, idest, *dirupisti* (id enim proprie sonat vox hebraica, פצמתה *petsamthah*) sive *scidisti, aut vulnerasti eam*, multis ecclesiae membris amputatis, ac per hoc valde *conturbasti eam*. Magna enim turbatio erat in ecclesia, quando membra principalia, episcopi, et doctores trucidabantur. *Sana contritiones ejus, quia commota est*, idest, tu Deus, qui non ut medicus ecclesiam ferro, aut igne vexasti, sana etiam scissiones, et vulnera ejus; quoniam bona commotione mota est, admonita videlicet hoc flagello, conversa est ad poenitentiam, et ad currendam deinceps viam mandatorum tuorum,quae diuturna prosperitate languere, ac in via subsistere coeperat.

3. *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.*

Persistit in eadem narratione, ac dicit, *ostendisti populo tuo dura*, idest, fecisti ut populus tuus videret, et experiretur duras persecutiones, et afflictiones, *potasti nos vino compunctionis*, idest, occasione hujus flagelli fecisti ut rediremus ad cor, et biberemus calicem amarum, sed salubrem sanctae compunctionis. In verbo, *ostendisti*, insinuatur benignitas Dei, qui tribulationes nobis, non tam immittit, quam ostendit, ut terreat, non ut noceat: unde multo sunt minores, quam carnalibus videantur: ideo dicit Apostolus 2. Cor. 4. *Momentaneum hoc, et leve tribulationis nostrae*, etc. In verbo autem, *potasti nos*, insinuatur eadem benignitas Dei qui donum saluberrimum poenitentiae non ostendit, sed intra nos, atque adeo in imum cordis infundit: quomodo vinum epotum ad viscera calefacienda descendit. Non desunt, qui legant, *vinum soporis*, et sic in hebraeo haberi contendant. Sed vox hebraica, תרעלה *tharhela*, ambigua est; et sicut *soporem* secundum aliquos significat, ita secundum alios *tremorem vel fletum*, vel ut septuaginta viri peritissimi transtulerunt, *compunctionem*. S. Agustinus legit *vino stimulationis*, quod est idem cum *vino compunctionis*, stimulus enim ad pungendum fieri solet.

4. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.*

Per illa omnia dura (persecutiones videlicet, et afflictiones) quibus in hoc mundo justi vexantur, Deus *signum dat* electis suis *metuentibns eum, ut fugiant a facie arcus*, qui sagittas lethiferas jaculabitur in omnes impios tempore suo, idest, in novissimo die: tribulationes enim quibus nunc purgantur electi a venialibus maculis, signa sunt gravissimarum poenarum, quas luent impii post hanc vitam; atque hoc est, quod scribit Apostolus Petrus in priore epistola, cap. 4. *Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei: si autem primum a nobis quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?* Et coapostolus ejus Paulus 1. Cor. 11. *Cum judicamur a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Deus igitur dum purgat electos, significat illis, ut a temporali sua tribulatione admoniti, intelligant, quae supplicia maneant impios, et ideo juste et pie viventes fugiant a facie arcus divini, qui extensus nunc manet, sed in die novissimo cum tanto impetu laxabitur, ut impios aeternum perdat.

5. *Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, et exaudi me.*

Concludit orationem suam, ac si diceret, ut ergo liberentur dilecti tui a persecutionibus, et angustiis, in quibus tamdiu versati sunt, *salvum fac dextera tua* me regem populi tui, *et exaudi me* pro universo populo deprecantem.

6. *Deus loquutus est in sancto suo: laetabor, et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor.*

7. *Meus est Galaad, et meus est Mannasses: et Ephraim fortitudo capitis mei.*

Jam incipit ostendere, exauditam fuisse orationem suam, et se victoriam obtinuisse de omnibus fere hostibus suis, ac dilatasse vehementer imperium suum. *Deus* inquit, *loquutus est in sancto suo*, idest, Deus locutus est per me sanctum Prophetam suum et aperte praedixit, quae futura erant: et jam magna ex parte completa sunt. In textu hebraeo juxta puncta Rabbinorum legitur, *Deus locutus est in sanctitate sua*, sive in sanctuario suo. Sed eadem vox hebraica cum aliis punctis significat, in sancto suo: nam, קדשו *Kodscio*, est *in sanctitate sua*, et, קדשו *Kedoscio*, *est in sancto suo*, et sic legerunt septuaginta Interpretes, et omnes veteres, excepto s. Hieronymo, qui in versione ex hebraeo legit cum Rabbinos, *in sanctuario suo*, sed in commentario legit et interpretatur, *in sancto suo*, idest, in Christo, cujus typum David gerebat. Erat autem notissima haec praedictio toti populo: nam Abner dux militiae Saulis lib. 2. reg. cap. 3. dicit populo, *Dominus locutus est ad David dicens in manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philistiim, et omnium inimicorum ejus. Laetabor, et partibor Sichimam*: post mentionem factam prophetiae incipit demonstrare, eam prophetiam magna ex parte esse adimpletam. *Laetabor*, inquit tamquam victor Imperio acquisito, et mirifice dilatato: ac primum *partibor Sichimam*, idest, Samariam, tamquam Dominus ejus in partes suas dividam, numerabo urbes, oppida, pagos, costituam in eis judices, et magistratus. *Et convallem tabernaculorum metibor*, idest, et idem faciam in regione proxima, quae dicitur *convallis tabernaculorum*. Lege c. 33. Gen. ibi enim dicitur regio illa appellata *Sochor*, idest, *tabernacula*, quia ibi primum Jacob fixit tabernacula, et emit partem agri in terra Sichimorum. Notandum hoc loco est, Davidem enumeraturum provincias regni sui coepisse a Sichima, quae in Samaria est, et pro ipsa Samaria accipitur, et a valle tabernaculorum, quia ibi fuit initium possessionis Jacob, et filiorum ejus in terra promissionis. Notandum etiam, Davidem non meminisse hoc loco nisi Sichimae, Sochot, Calaad, Manasse et Ephraim, quae omnia pertinebant ad tribum Joseph, quia illa erat omnium maxima, et ideo sub nomine ejus intellexit provincias omnium decem tribuum, quae pertinebant ad regnum Jsrael. Seorsim postea meminit tribus Juda, cum qua conjungebatur tribus Beniamin, et dicebatur regnum Juda, post divisionem factam sub Roboam. Addit igitur, *Meus est Galaad, et meus est Manasses*, idest, mea est regio, quae dicitur Galaad, a viro sic nominato, et mea est regio, quae dicitur Manasses a Manasse filio Joseph. *Et Ephraim fortitudo capitis mei*, idest, et mea est regio, quae dicitur Ephraim ab altero filio Joseph; quae quidem regio plena est virorum fortium, ut dici possit, *fortitudo capitis mei*, idest, in qua

consistit praecipuum robur et defensio capitis mei, seu vitae meae, et regni mei.

8. *Juda rex meus: Moab olla spei meae.*

Post enumeratas provincias decem tribuum sub nomine Manasse, et Ephraim, nunc addit tribum Juda, cum qua, ut dixi, coniungebatur tribus Beniamin. *Juda*, inquit, *rex meus*, idest mea quoque est tota regio, quae dicitur Juda a Juda filio Jacob, quae tribus Juda est tribus regia: nam ut dixit idem David lib. 1. Paralip. cap. 28. *Deus de Juda elegit Principes*: et ipse etiam Jacob moriens et benedicens filii dixit de Juda Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus*, etc. ad quam promissionem hoc loco David alludens usus est eadem voce hebraica, qua usus fuerat Jacob: nam hebraeo est utrobique vox, מחקק *mechokek*, pro qua hoc loco habemus, rex, et in Genesi, *dux*; significat autem proprie, מחקק *mechokek legislatorem*: proprium enim principis, sive regis, sive Ducis est leges dare subjectis populis. Dicit igitur *Juda rex meus*, idest, tribus Juda, quae principatum gerit in populo meo, vel ex qua prodierunt principes, patres mei, et prodibunt principes filii mei. Post enumeratas provincias regni proprii, enumerat provincias hostium debellatorum: quae tributariae sanctae erant: ac primo loco ponit provinciam Moabitarum, quae dicebatur Moab a Moab filio Loth nepote Abraham. *Moab*, inquit, *olla spei meae*, idest, provincia Moab mihi jam subiecta est instar ollae plenae carnibus, in cujus abundantia, et ubertate sperare possum. In hebraeo legitur, סיר רחצי *sir rachtzi, Moab olla lotionis meae*: et sensum esse volunt qui ita legunt, Moabitas coactos fuisse ab Israelitis victoribus servire in humili ministerio lotionum. Sed in nulla historia legitur, Moabitas in tam humili ministerio servivisse hebraeis. Deinde, quamvis verbum, רחץ *rachat*, quod hic habetur, significet *lavare*, tamen septuaginta Interpretes non erant tam imperiti, ut verterent *olla spei meae*, si vox hebraea solam *lotionem* significaret. Itaque credibile est, aut septuaginta Interpretes aliquid aliud legisse, aut eam vocem significare non solum *lotionem*, sed etiam *spem* ac *fiduciam*, quemadmodum apud Chaldaeos significat.

9. *In Idumaeam extendam calceamentum meum: mihi alienigenae subditi sunt.*

Pergit referre, quas alias provincias hostium debellaverit, aut debellare cupiat. *In Idumaeam*, inquit, *extendam calceamentum meum*. Idumaea est regio: quam possidebant, qui ab Esau fratre Jacob ortum ducebant. Et quamvis cum hic psalmus scriberetur, jam obtinuisset David unam victoriam adversus Idumaeos, et occidisset ex ipsis duodecim millia, ut dicitur in titulo psalmi; tamen nondum totam Idumaeam sibi subiecerant, quod postea factum est, ut patet ex illis verbis, 2. reg. 8. *Et facta est universa Idumaea serviens David*. Ait igitur, *In Idumaeam extendam calceamentum meum*, id est, pergam ad debellandam, et pedibus conculcandam Idumaeam. *Mihi alienigenae subditi sunt*, hoc est, jam enim Philisthaeos, qui alienigenae sunt, debellavi. Philisthaei dicuntur alienigenae, quia nullam affinitatem habebant cum Israelitis. Idumaei enim, Ammonitae, et Moabitae quamvis non essent filii Jacob: tamen erant affinitate aliqua illis conjuncti, siquidem Idumaei descendebant ab Esau, sive Edom, qui erat frater Jacob: Ammonitae, et Moabitae descendebant a Loth nepote Abrahami. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *alienigenae mihi confoederati sunt:* et nostra vulgata editio in psal. 107. ubi repetuntur hi versiculi, sic habet, *alienigenae mihi amici facti sunt*. Vox hebraica התרועעי *hithr, ohehahi*, ambigua est: potest enim deduci a verbo רעע *rahah*, quod significat subjicere et conterere, et hanc significationem sequuti septuaginta dixerunt, *mihi subditi sunt*. Potest etiam deduci a verbo, רעה *raha*, quod significat pascere, et societatem, atque amicitiam contrahere: et hanc significationem amplexus est s. Hieron. et noster interpres in psal. 107. qui dixerunt, *confoederati sunt*: vel *amici facti sunt*: sed uterque sensus est verus. Siquidem Philisthaei devicti bello, et tributarii effecti, ac per hoc subditi, ad foedus et amicitiam admissi sunt.

10. *Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaeam?*

Quoniam haec sola gens restabat omnino subjicienda, quae habitabat in locis munitissimis, ideo David nunc dicit, *quis deducet me in civitatem munitam*, idest, quo Duce, quo auxiliante ingredi potero victor in Regiam Idumaeae, quae est civitas valde munita? De munitione regis Idumaeorum scribit Abdias Propheta cap. 1. vers. 2. et 5. *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram; si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sydera posueris nidum tuum; inde detraham te, dicit Dominus*. Declarat autem David de qua civitate munita loquatur, cum addit, *quis deducet me usque in Idumaeam*? Idest, quis faciet, ut, capiam Idumaeam, et in eam victor ingrediar? Haec omnia ad Christum, et Ecclesiam mirifice accommodantur: nam regnum Juda est ipsa Ecclesia fidelium. Sichimitae, sive Samaritani significant haereticos, qui magno cum labore, sed tandem aliquando vincentur et subjicientur omnes. Ephraim, et Manasse significant schismaticos, siquidem Hieroboam separavit eos a Hierosolyma, et templo Domini, et erexit aliud altare: et isti quoque tempore suo subjicientur. Moabitae, et Philisthaei significant Gentiles, qui et ipsi ab Ecclesia superabuntur. Denique Idumaei significant Judaeos qui in Christum credere noluerunt, qui omnium obstinatissimi in fine mundi convertentur ad Christum. Quamvis enim Judaei recentiores nos Christianos, Idumaeos vocent, se autem Israelitas: tamen Apostolus ad Rom. 9. satis aperte declaravit carnales Israelitas secundum spiritum Idumaeos esse, non Israelitas, Christianos autem secundum spiritum veros esse

Israelitas : de qua re vide sanctum Augustinum in epist. 197. quae est ad Asellicum, alias 200.

11. *Nonne tu Deus, qui repulisti nos? et non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

Respondet interrogationi per aliam interrogationem, quasi dicat, non est alius, qui me introducere possit in civitatem munitissimam Idumaeae, nisi tu *Deus qui repulisti nos, et non egredieris* ad bellum, confisus *in virtutibus*, idest, in exercitibus *nostris*: sicut enim te repellente, et deserente vincebamur, ita te solo praesente, et adjuvante vincere poterimus, non confidentes in viribus exercituum nostrorum, sed in tua solius omnipotentissima virtute.

12. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.*

Ergo, inquit, tu qui solus potes, et in quo solo confidimus, *da nobis auxilium, quo de* omni *tribulatione* et angustia liberemur, quia *vana est salus*, quae ab hominibus expectari potest.

13. *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

In Dei auxilio confisi *faciemus virtutem*, idest, fortiter agemus, *et ipse* erit, qui ut principalis auctor per instrumenta manuum nostrarum profligabit omnes inimicos qui nos tribulant. Nomine virtutis in versu undecimo intelleximus *exercitum*, in hoc autem versiculo intelligimus *fortitudinem*; quia verba hebraica, צבאות *tzebaoth*, חיל *chail* diversa sunt, et illud exercitum, hoc fortitudinem significat. Quod si in bello corporali verum est in solo Deo confidendum esse, tamquam in auctore praecipuo, multo magis id verum est de bello spirituali, quo Ecclesia pugnat adversus haereticos, schismaticos, ethnicos et judaeos: *et contra spiritualia nequitiae in coelestibus*. Ephes. 6.

PSALMUS LX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, in hymnis David.

Argumentum hujus psalmi ex sententia recentiorum quorumdam est oratio Davidis in exilio positi. Ex sententia Theodoreti, et Euthymii est oratio populi apud Babylonem captivi. Sed ex sententia ss. Hilarii, Hieronymi, et Augustini, quos nos sequimur, est oratio hominis justi, sive ecclesiae christianae in peregrinatione inter tentationes varias laborantis, et ad patriam coelestem et quietem perpetuam suspirantis.

EXPLICATIO PSALMI LX.

1. *Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meae.*

Praefatio brevissima haec est, quia vir justus, sive populus Christianus petit audientiam a Deo, ut exaudiat deprecationem suam, et ab ea audita non avertatur, sed benigne potius eam consideret. Vox hebraica, רנה *rinna*, significat, *clamorem*, non simplicem deprecationem intelligere debemus orationem magno affectu prolatam, et cum ingenti clamore cordis, et ideo merito petit audiri, et attendi : oratio enim frigida, et solis labiis fusa non penetrat nubes, nedum coelum coelorum.

2. *A finibus terrae ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum : in petra exaltasti me.*

Numquid fuit David exul in finibus terrae, neque captivi ducti sunt unquam filii Israel in fines terrae: quare vox haec Ecclesiae est, quae occupavit orbem terrae usque ad ultimos terminos ejus, juxta illud psalm. 2. *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Ait igitur, ego propagata usque ad fines terrae, *ex ipsis finibus terrae*, idest, ex toto orbe simul per voces membrorum meorum, *ad te*

clamavi ; ubi per verbum *clamavi*, declaravit vocem illam, *deprecationem*, nihil esse aliud, nisi ingentem clamorem. Potest etiam per *fines terrae*, intelligi distantia maxima ab eo qui clamat, ad eum qui clamatur. Deus enim, qui clamatur, est in finibus coeli, idest in summo coelo ; is vero qui clamat, est in finibus terrae, idest in ima terra ; ut haec sit ratio tanti clamoris. Quomodo in ps. 129. dicitur, *De profundis clamavi ad te Domine*. Magna enim voce clamare debet, qui in imo positus exaudiri vult ab eo qui sedet super Cherubim in altissimo coelo, idest, qui intelligens infinitam distantiam inter suum nihil et divinas perfectiones, tamen cum ipso Deo colloqui in oratione praesumit. *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me*. Reddit rationem cur magna fiducia clamet ad Deum, quia videlicet alias expertus est auxilium divinum sibi in tribulatione non defuisse. *Dum* alias, inquit non raro *anxiaretur cor meum*, ob varias tentationes deprimentes me, tu clamantem exaudisti, *et in petra exaltasti me*, idest in altissimo et munitissimo loco collocasti: quem locum paulo post, *turrim fortitudinis* appellavit. Porro petra ista sublimis Christus est, in quem quicumque per contemplationem exaltatur; et quanta ipse prior passus sit, et quem exitum passiones ejus habuerint, diligenter recogitat, facile vincit et contemnit omnia. In hebraeo habetur, *in petra exaltabitur super me*, quae verba nullum sensum faciunt, ideo credibile est, septuaginta non legisse, ירם ממני *jarum mimmenni, exaltabitur supra me*, sed iisdem literis, una dempta, ירוממני *jeromemeni, exaltabit me*, sive *exaltavit me*, ut habetur in psal. 26. nam futurum saepe accipitur pro praeterito : parum autem refert, quod ad sensum attinet, sive dicatur, *in petra exaltasti me*, sive Deus in petra exaltavit me.

3. *Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.*

Declarat quod dixit, *in petra exaltasti me. Deduxisti me*, inquit, idest, Dux mihi fuisti, cum fugerem ab hoste tentationibus me impugnante. *Quia factus es spes mea*, idest, hoc fuit me deducere, et ducem mihi se praebere, implere me bona spe, quae fecit ut non caderem, sed magno animo omnia tolerarem. Itaque tu *factus es spes mea, et turris fortissima a facie inimici*: qui enim confidit in Deo, et recogitat quid Christus ipse sit passus, et ad quantam gloriam resurgendo pervenerit, et ipsum esse caput nostrum, quem intuendo discimus quid in terris agere et pati, et quid in coelo expectare et desiderare debeamus: ille sine dubio turrim munitissimam ascendit, ibi non solum jacula hostium vitare, sed etiam in hostes tela jaculari poterit.

4. *Inhabitabo in tabernaculo tuo saecula, protegar in velamento alarum tuarum.*

Docet turrim istam fortissimam non esse coelestem habitationem, sed peregrinantium tabernaculum; nam et vox hebraea, גור *gur*, et graeca παροικέω, quae hic habentur, significant proprie habitare, more peregrinorum. Ait igitur, *Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula*, idest, in turri illa fortitudinis inhabitabo tamquam peregrinus in tabernaculo; atque interim *protegar in velamento alarum tuarum*, ut pullus sub alis gallinae ne morsibus milvorum pateam. Sanctus Hilarius exponit hanc habitationem tabernaculi de habitatione domus coelestis, propter illud verbum, *in saecula*. Sed sanctus Augustinus exponit de habitatione peregrinantium, cui favent proprietates vocabulorum, et etiam metaphorae, quibus propheta utitur, *turris*, quae defendit ab impetu hostium, tabernaculi, quod defendit a pluviis, et sole, et velamenti alarum, quod defendit a morsibus milvi. Illud, *in saecula*, significat hoc loco, assidue, perpetuo, semper, ut sensus sit ab hoc tabernaculo non recedam, quamdiu periculum tentationis erit quod verbis propriis dicere potuisset, in tua protectione semper confidam, quamdiu vixero in hac carne mortali: vel ut s. Augustinus exponit, illud *in saecula*, significat, usque in finem saeculi: ecclesia enim, quae hic loquitur, durabit usque ad mundi consummationem, in velamento alarum Dei: quamvis enim undique ab hostibus impetatur; tamen *portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Matt. 16.

5. *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti haereditatem timentibus nomen tuum.*

Ratio fiduciae meae est, *quia tu Deus meus exaudisti*, idest, semper exaudire consuevisti *orationem meam*, exaudisti autem orationem meam, quia inter filios tuos numerasti me, *quibus haereditatem jam dedisti*, idest, firmiter promisisti si enim Deus timentibus se filiis suis, haereditatem aeternam servat, quomodo non defendet eos in via? quomodo non exaudiet eos de quacumque tribulatione clamantes ad se? quis enim pater filios probos unquam despexit, aut deseruit? *Et si Deus pro nobis, quis contra nos*? Rom. 8. Itaque de haereditate in coelis, et de protectione in terris omnino securi, ac certi sumus, si vere timuerimus cum

6. *Dies super dies regis adjicies: annos ejus usque in diem generationis et generationis.*

Quia propheta meminit haereditatis sanctorum, quae est vita aeterna, declarat hanc haereditatem toti ecclesiae promissam, inchoandam esse in capite: et ideo dicit, *Dies super dies regis adjicies*, idest Christo regi multiplicabis dies super dies sine ullo fine et similiter *annos ejus* multiplicabis, *usque in diem generationis et generationis*, idest, usque in diem aeternitatis, qui dies quamvis unus sit tamen aequivalet generationi et generationi; saeculo; et saeculo: temporibus et temporibus sine fine. Hac phrasi aeternitatem significari perspicuum est ex psalmo 118. ubi dicitur. *In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in coelo, in generatione, et generationem veritas tua*. Cui simile est quod

dicitur in psalmo 134. *Domine nomen tuum in aeternum, Domine memoriale tuum in generatione et generationem.* In quibus locis pro eodem accipitur, *in aeternum, et in generatione et generationem.* Ex his aperte colligitur, hunc psalmum non convenire regi David, sed soli regi Christo. David enim non vixit ultra septuaginta annos: neque regnum permansit in domo ejus, nisi ad certum ac definitum tempus. Itaque aeternitas regis, et regni in scripturis sanctis praedicta in Christo adimpletur: nam *et regni ejus non erit finis*, ut dicitur Luc. 1. et *ipse resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Rom. 16

7. *Permanet in aeternum in conspectu Dei: misericordiam, et veritatem ejus requiret?*

Rex ecclesiae Christus *permanet in aeternum in conspectu Dei*: ad hoc enim *introivit in coelum: ut appareat vultui Dei pro nobis*, Apostolo teste, ad hebr. 9. In hebraeo est ישב *iescieb, sedebit;* sive *sedet in aeternum in cospectu Dei*, ut intelligamus, Christum permanere sedendo, ut decet regem, non assistendo more ministrorum. *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret?* idest misericordiam qua redimit genus humanum, et veritatem, qua promissa servavit, et servat, *quis investigabit?* sunt enim abyssus multa, ac ut Apostolus dicit ad Ephes. 3. *Charitas Christi supereminet scientiae*, id est, major est, quam intelligi possit. Ita exponunt Theodoretus et Euthymius. S. Hilarius et s. Hieronymus hunc sensum esse volunt, *Misericordiam et veritatem ejus nemo requiret*, quia praesto erit omnibus. In hebraeo habetur, *Misericordiam et veritatem para, servabunt eum.* Sed septuaginta vocem מן *man, para*, legerunt מי *mi, quis*, et verbum נצר *matsar*, quod significat *servare*, ipsi interpretari solent, *scrutari*, ut perspicuum est ex psal. 118. vers. 2. et alibi saepe. Itaque dubium esse non debet, quin significet etiam *quaerere, investigare, scrutari*; alioqui non tam constanter septuaginta viri doctissimi ita redderent: sed mirum est, quam varie legant Patres pronomen additum in hebraeo; sanctus Hilarius legit, *quis requiret eorum.* Sanctus Augustinus, *quis requiret ei*, sanctus Hieronymus in commentario, *quis requiret ejus*: at in versione ex hebraeo legit *eum.* Septuaginta omiserunt pronomen in fine verbi: sed addiderunt ad nomen veritatis, *veritatem ejus quis requiret?* Et sine dubio versio septuaginta interpretum optima et clarissima est. Ad litteram ex hebraeo sic verti deberet, *misericordiam et veritatem ejus quis requiret eum?* et sensus est, misericordiam et veritatem quis requiret ab eo, vel in eo; quem sensum optime reddiderunt septuaginta, dicentes, *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret?*

8. *Sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi: ut reddam vota mea de die in diem.*

Quia misericordia Christi Domini tam abundanter nihil est, et veritas ejus tam certa est, ut non sit opus eam requirere, *ego sic psallam nomini tuo in saeculum saeculi*, idest laudabo te Deum meum; non hic in terris tantum, sed etiam in coelis, aeternis hymnis, et canticis celebrabo: ut hoc modo *reddam vota* gratiarum actionis *de die in diem*, idest, omnibus diebus praesentibus et futuris, usque ad eum diem, cui nox nulla succedet. Potest etiam sic accipi, *sic psallam voce nomini tuo semper*, ut etiam opere impleam promissa mea, legem tuam semper et ubique servando; sed prior expositio, quae sancti Hilarii est, magis probatur.

PSALMUS LXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in carminibus intellectus David.

De hoc titulo diximus in explicatione psalmi tricesimi octavi. Argumentum psalmi est exhortatio ad patientiam in adversis, et confidentiam in Deo; cujus occasione agitur de vana confidentia in divitiis.

EXPLICATIO PSALMI LXI.

1. *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.*

Vir justus graviter impugnatus a concupiscentiis variis, quarum quaelibet animum humanum sibi subjicere satagit, fortiter reluctans clamat: *nonne Deo subjecta erit anima mea?* idest, nonne aequum est, et mihi utilius, ut Deo subjiciar, quam dominatui avaritiae, vel superbiae, vel luxuriae? *ab ipso enim salutare meum.* Nam concupiscentiae, quae mihi dominari affectant, nullum stipendium aliud polliceri possunt, nisi mortem sempiternam. Deus autem salutem pollicetur, et certissime praestabit, si fidelem illi subjectionem, et obedientiam exhibebo. In hebraeo ad litteram legitur, *attamen ad Deum silebit anima mea, quia ab ipso salus mea*; sed idem est sensus; idem est enim ac si dicat, quamvis multa mihi dominari velint, tamen anima mea soli Deo subjecta ad omne mandatum, sive ad omne ejus beneplacitum, ut vera obediens silebit, non contradicet, non murmurabit.

2. *Nam et ipse Deus meus et salutaris meus; susceptor meus non movebor amplius.*

Non solum, inquit, ab ipso pendet salus mea, sed ipse est Deus meus, et salutaris meus. In hebraeo pro voce, *Deus*, est צור *tsur*, quod proprie, *petram*, sive *fortitudinem* significat. Itaque sensus est, ipse Deus mihi in hac vita est petra, ac robur, in alia erit salus mea, in utraque *susceptor meus est*, quippe qui nunc suscipit protegendum, tunc suscipiet coronandum. Ideo non multum movebor, non nutabo, sed fortis permanebo, quamvis tentationibus quatiar. Illud, *amplius*, ut ex hebraeo רחב *rabba* cognoscitur, non significat, *deinceps*, aut, *imposterum*, sed, *multum*, sive, *valde*.

3. *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tamquam parieti inclinato, et maceriae depulsae.*

Posteaquam de se locutus est, convertitur ad deplorandam stragem animarum, quam per arma variarum concupiscentiarum maligni spiritus quotidie faciunt: vere enim innumerabiles sunt homines, quos doemones dejiciunt in peccatum, quod est mors animae, per avaritiam, ambitionem, luxuriam, iracundiam, invidiam, et alias ejusmodi passiones. Itaque indignabundus adversus malignos spiritus, dicit, *quousque irruitis in hominem*; et quia vox hebraica תהותחו *thehothethu*, proprie *insidiari* significat, intelligimus prophetam per, *irruere*, significare voluisse, irruere per desiderium, et astutiam, ut sensus sit, quousque non cessatis, insinuando generi humano irruere in hominem, impetu astutiae, et insatiabilis desiderii vestri? *Interficitis universi vos*, idest, undique stragem editis animarum universi vos maligni spiritus diversis quidem in locis, et modis variis, sed ad malefaciendum conjuncti. *Tamquam parieti inclinato, et maceriae depulsae*; hic subintelligitur verbum accommodatum, ut sensus sit, vim facitis humano generi, ex peccato originis sauciato, et ad malum prono, tamquam parieti inclinato, et parieti non solido, sed ex luto, et paleis composito, et maceria potius quam murus dici possit. Quibus verbis miro modo descripsit propheta, tum doemonum potentiam, et crudelitatem erga genus humanum, tum debilitatem et fragilitatem ipsius generis humani. Vere enim homines post corruptam naturam similes facti sunt maceriae impulsae, et inclinatae, quae facillime dejici potest; cum et fragiles sint, *et propensi ad malum ab adolescentia sua*, ut dicitur Gen. 8. proinde merito clamat Apostolus *infoelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* et mox addit de potentia gratiae, *gratia Dei per* Jesum Christum *Dominum nostrum*. Rom. 7.

4. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti, ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.*

Revertitur vir justus ad causam, unde digressus erat ad apostrophem contra inimicos; atque ostendit finem hostibus spiritualibus propositum, dum justos impugnant, esse, ut privent eos aeternis honoribus, quos videlicet illis invident, quoniam ipsi inde culpa sua exciderut. Verumtamen, inquit, pretium meum cogitaverunt repellere, idest ideo tentant, ideo impugnant, ideo concupiscentias excitant, ut pretium, quo redemptus sum, repellant a me, et dignitatem, atque honorem illum magnum aeternae gloriae mihi auferant. Sed ego contra *cucurri in siti*, idest, tanto ardore cucurri ad bravium supernae vocationis, quanto isti cucurrerunt ad illud a me repellendum. *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant*, idest, ore suo blandiebantur hortantes ad voluptates vitae praesentis tamquam res bonas, atque utiles: atque interim *corde maledicebant*, atque ad impediendam laetitiam sempiternam istrumenta esse aptissima. In hebraeo, ut nunc legitur secundum puncta Rabbinorum, sic habetur, *verumtamen exaltationem ejus cogitaverunt repellere, complacuerunt mendacio, ore suo benedicebant, corde suo maledicebant.* Itaque de quatuor vocibus est difficultas, quae sunt *pretium, meum, cucurri, in siti*. Vox pretium, in hebraeo est משאת *masseth*, quam vocem s. Hieronymus vertit *partem*, septuaginta verterunt *pretium*, alii verterunt *exaltationem*, in graeco est, τιμή, quae honorem, et pretium significat. Hilarius, Augustinus, Teodoretus, Euthymius, et Hieronym. in commentario legunt *honorem*: et satis concordat vox hebraica, quae exaltationem significat. Basilius et Ambrosius legunt pretium, et exponunt de pretio redemptionis Christi. Sed vox pretium significat etiam dignitatem: proinde possumus per pretium intelligere dignitatem, honorem, et exaltationem. Et quod attinet ad sensum, in idem recidit, sive accipiamus pretium pro dignitate, sive pro pretio redemptionis, sive pro utroque, ut supra in nostra explicatione ostendimus. Vox meum

sine dubio recte posita est hoc loco, et eam habent omnes codices graeci et latini, et omnes tractatores: proinde illud *ejus*, quod est in hebraeo, indicat vocem hebraicam esse corruptam vitio scriptorum, quod facile fuit cum litera quae significat, meum, sit Jod, litera quae significat ejus, sit tau, quae non differunt, nisi quod una est paulo longior altera. Vox *cucurri*, vel *cucurrent*, ut alii legunt bene posita est, et cum hebraica concordat, si removeantur puncta Rabbinorum: Rabbini enim legunt ירצו *irtsu, complacuerunt, sed* septuaginta viri longe doctiores legerunt ירצו *iarutsu cucurrerunt*, vox graeca ἔδραμον ambigua est, et tam *cucurri* quam *cucurreruntsignificare potest*. Et quidem Hilarius, Augustinus et Hieronymus in commentario legunt, *cucurri*, Basilius, Theodoretus, et Euthymius legunt, *cucurrerunt*. Ambrosius utramque lectionem probat et exponit, ut nos in nostra explicatione fecimus: nam uterque sensus est verus. Vox *in siti*, habetur in textu graeco: et omnibus latinis, legitur ab omnibus expositoribus. Quid autem legerint septuaginta in hebraeo, ut verterint *in siti*, fateor me ignorare: nam vox hebraica כזב *cazab*, mendacium significat, neque est ulla literarum similitudo inter, *sitim*, et *mendacium* in lingua hebraica: sitis enim dicitur צמא *tsama*, s. Ambrosius conatur concordare hanc diversitatem textuum, dicens mendacium sitim habere, veritatem ubertatem. Sed verisimile est septuaginta interpretes aliter legisse, et in voce בזב כזב *cazab* pro ב *caph* legisse כ *beth*, quae sunt literae similes, et sic habuisse praepositionem, in; pro aliis duabus literis, vel aliquid aliud legisse, vel scivisse ea voce *sitim* significari.

5. *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.*
6. *Quia ipse Deus meus, et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.*
7. *In Deo salutare meum, et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.*

Redit ad primos duos versiculos, eosque repetit ut ostendat, magnas quidem esse tentationes, quibus urgetur, sed tamen se in Dei amore fundatum, atque ejus auxilio fretum nihil metuere. *Verumtamen*, inquit, *Deo subjecta esto anima mea*, idest, quamtumvis hostes fremant, tu anima mea tacita, et subjecta obedias Deo. Est enim hoc loco eadem vox hebraica, quae in primo versiculo. nimirum, *Deo silebit anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*, idest, tace Deo, quoniam ipse tibi praestabit auxilium. Nam hoc loco nomine patientiae significatur, patiens expectatio auxilii divini, ut ex verbo hebraico et graeco constat. *Quia ipse Deus meus*, etc. hic versiculus sextus est omnino idem cum secundo: quamvis enim Interpres latinus vocabula variaverit, tamen in hebraeo sunt omnino eadem. Itaque illud, *Deus meus*, est etiam hoc loco, *petra mea*: et illud, *Salvator meus*, est *salus mea*, sive *salutaris meus*: et illud *adjutor meus*, est *susceptor meus*: et denique illud *non emigrabo*, est eadem vox, quae antea versa est, *non movebor*: proinde non emigrabo, significat hoc loco, non dejiciar de statu meo, non emigrabo ad partes hostium, sed immotus in castris Dei permanebo. Concludit in septimo versiculo, se omnia a Deo expectare, finem videlicet et media. Finis est liberatio ab omnibus malis, et adeptio summi boni: illud significatum est per salutem, hoc autem per gloriam: media sunt auxilium Dei, et spes nostra, quae proprie nominata sunt. *In Deo* inquit, *salutare meum et gloria mea*, idest, a Deo expecto salutem, idest, liberationem a malis, et gloriam aeternam, quae est summum bonum: nam cum Deum videbimus, et similes ei erimus, perfecteque illi adhaerebimus, tunc vere salvi et beati erimus: potest tamen etiam cum s. Basilio exponi, in Deo solo, non in ulla re alia glorior: non in divitiis, non in honoribus, non in potentia humana, quia nihil excellentius cogitari potest, quam filium esse Dei. Nec solum in Deo finem ultimum repositum habeo, sed ipse etiam est Deus auxilii mei, idest, ipse est fons gratiae, quae adjutus perveniam ad finem illum: et ideo tota spes mea in eo est. In hebraeo habetur, *petra roboris mei*, pro *Deus auxilii mei*.

8. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra; Deus adjutor noster in aeternum.*

Hortatur nunc caeteros ad virtutem, quam ipse Dei dono acceperat: ac primum monet, sperandum esse in Deo, deinde addit, non esse sperandum in rebus creatis. *Sperate*, inquit, *in eo*, idest, in Deo, *omnis congregatio populi*, idest, omnis coetus, omnis populus, omnes homines, non Judaei solum sed etiam gentes. In hebraeo est, *sperate in eo omni tempore*: sed manifesta est corruptio in textu hebraico per defectum unius literae: nunc enim legitur, עת *heth*, quod significat, *tempus*, sed esse debet עדת *hadath*, quod significat congregationem, et sic legerunt Septuaginta. *Effundite coram illo corda vestra*: effundi dicitur vas, cum evacuatur, et etiam liquor, cum ex vase ejicitur. Itaque si cor accipiatur pro vase, ut accipit s. Basilius, *effundere cor*, est evacuare cor a vitiis, affectibus malis, perversis cogitationibus, et similibus quasi liquoribus noxiis, non enim impleri potest cor gratia Dei, sanctisque cogitationibus, et desideriis, nisi evacuetur contrariis. Pulchre notat s. Ambrosius, admonitos esse homines, ut effundant corda evacuantes ea sordibus, quia scriptum est, Joel. 2. *effundam de spiritu meo super omnem carnem*. Si cor accipiatur pro actu cordis, idest, pro cogitationibus, et affectibus, tunc effunditur cor, quomodo effunditur aqua, vel vinum. Et hoc modo accipit s. Augustinus, qui vult effundendum esse cor, idest, non retinendum cor in corde; sed effundendum ad Deum, ut cogitationes nostrae, et affectus sint in Deo, non in nobis. Significat etiam effusio cordis secundum Ambrosium confessionem sinceram, et apertam, quam confitemur peccata, et miserias nostras, et ex intimo corde oramur Deum ut misereatur, quomodo dixit Anna 1. reg. 1. *Effudi animam meam in conspectu Domini*. Et de hac effusione videtur hic locus praecipue intelligendus

nam sequitur, *Deus adjutor noster in aeternum*, idest, secure confitemini Deo aerumnas vestras, et orate eum, nam adjutor noster est, et non despicit orationes sperantium in se. Illud, in aeternum, in hebraeo est, סלה *selah*, quod Graeci verterunt διαψαλμα, noster autem Interpres aliquando vertit, *semper*, aut, *in aeternum*: haec est ratio cur Hilarius, Augustinus, et alii non legant in aeternum.

9. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.*

Quoniam animadvertit Propheta, paucos esse, qui consilium suum sequi velint, ideo invehitur in multitudinem iniquorum. *Verumtamen*, inquit, *vani filii hominum, mendaces filii hominum*. In hebraeo significantius dicitur, תפל כני אדם *ebel bene Adam, vanitas filii hominum*, quia maxima pars hominum vacua est vera sapientia; et si apparenti sapientia, quam *prudentiam carnis* Scriptura sacra Rom. 8. appellat, plenissima sit; ideo autem plerique homines vani, insipientes, et imprudentes sunt, quia *mendaces sunt in stateris ad decipiendum*, idest, in stateris dolosis, et fraudulentis. Nam ut recte observat s. Basilius, non agitur hic de stateris proprie dictis, quibus pauci utuntur, illi videlicet soli qui vendunt carnes, aut lanas, aut alia id genus, sed de stateris communibus toti humano generi, idest, de judicio rectae rationis, quod nobis datum est a Deo, ut discernamus, et quasi in statera appendamus vera bona, et vera mala, apparentia bona, et apparentia mala, et eligamus vera bona et vitemus vera mala. Porro maxima pars hominum mentitur sibi, et aliis, decipitque se, et alios utens stateris dolosis, et quod miserius est voluntarie stateris utitur dolosis, juxta illud, *video meliora, proboque, deteriora sequor*. Nemo est enim qui negare audeat, maximum verissimumque malum esse peccatum, et gehennam; maxima verissimaque bona esse justitiam et beatitudinem; et tamen cum appenduntur in statera lucrum temporale, et offensio Dei, lucrum praeponderat, et praeeligitur: et cum appenduntur temporale detrimentum, et mors aeterna, temporale detrimentum praeponderat; atque ut illud evitetur, ignis gehennae contemnitur. Addit Propheta, *Ipsi de vanitate in idipsum*, idest, ipsi vani et mendaces, licet variis modis vani sint et mendaces, tamen in idipsum conveniunt, uniti, et conjuncti sunt in hoc, ut vani sint, et mendaces: vel brevius *Ipsi de vanitate in idipsum*, id est, ipsi ex vanitate habent, ut unum sint. In Hebraeo habetur paulo aliter, *Vanitas filii hominum, mendaces filii hominum in stateris ad ascendendum ipsi prae vanitate in idipsum*, idest, filii hominum non solum vanitas sunt, et mendacium, sed etiam positi in statera cum ipsa vanitate, ascendunt prae vanitate; ac per hoc leviores, et magis vani sunt, quam ipsa vanitas; quae est elegantissima amplificatio. Sed tamen non existimo hunc esse litteralem sensum; sed eum, quem paulo ante tradidimus: nam vox illa hebraica לעלות *lanhalot ad ascendendum*, cum aliis punctis legi potest, לעלות *laholoth*, ad iniquitatem, sive ad deceptionem, et sic legerunt Septuaginta: imo etiam s. Hieronymus eodem modo legit, cum verterit, *in stateris dolosis*: et omnes patres graeci et latini sic legunt et interpretantur. Illud, *ut decipiant*, non debere conjungi cum, *ipsi*, perspicuum est ex hebraeo et graeco textu. Sic enim legendum est, *mendaces in stateris ad decipiendum ipsi de vanitate in idipsum.*

10. *Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiae si affluant, nolite cor apponere.*

Reddit ad exhortationem, ac praecipue, ut caveatur avaritia, quae est *radix omnium malorum*, 1. Tim. 6. *Nolite*, inquit, *sperare in iniquitate; et rapinas nolite concupiscere*: per iniquitatem intelligitur calumnia, ut proprie significat vox hebraica, בעשק *behosciek*: proinde prohibetur lucrum injustum, tum ex occulta injustitia, quale est calumniantium, tum ex manifesta, quale est sapientium: et additur, *divitiae si affluant, nolite cor apponere*, idest, ad opes etiam justo titulo acquisitas nolite affectum ponere. Pulchre notat sanctus Augustinus, eos qui rapinis delectantur, videre quid rapiant, sed non videre a quo rapiantur: rapiunt enim pecuniam fratri, et rapit illis diabolus animam: notat etiam idem Augustinus cum Basilio divitias fluere dum affluunt; caecos autem cupidos considerare quod affluant, et non cogitare quod fluant. Ideo autem dictum esse, *nolite cor apponere*, ne videlicet cum fluentibus fluant, et pereat. Oportet igitur cum affluunt divitiae, corde immoto et stabilito apud Deum, disponere fluxum earum, ut utiliter fluant: quomodo prudens agricola disponit fluxum aquarum ad irrigandum hortum, ad molam vertendam, et ad alia ejusdem generis opera, sed non labitur ipse cum aquis labentibus.

11. *Semel locutus est Deus: duo haec audivi, quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua.*

Concludit rationem reddens, cur non sint appetendae divitiae, et cur ab omni peccato cavendum sit. *Semel*, inquit, *locutus est Deus, duo haec audivi*. In hebraeo est, אחת דכר אלחים *achath dibber Elohim, unum locutus est Deus*, quod non videtur cohaerere cum sequentibus, *Duo haec audivi*: sed illud, *semel*, vel, *unum* significat immobilitatem Verbi Dei, ut docet s. Hieronymus in commentario hujus psalmi, quasi dicat, *semel Deus loquitur, et sit omnino quod loquitur*: obediunt enim omnia Deo ad nutum, ut non sit opus repetere. Vel per *unum*, quod Deus locutus dicitur, non intelligitur unum verbum, sed unus sermo, quo multa continentur, ut docet s. Basilius. Vel per *unum* intelligitur Verbum aeternum, ut s. Augustinus exponit: Deus enim unum tantum Verbum dixit ab aeterno, et illud manet in aeternum, et aequivalet innumerabilibus verbis. Duo autem, quae David audivit, et nobis omnibus nuntiavit, haec sunt: Unum quod potentia, et misericordia in Deo

sint; illa ut timeatur, ista ut ametur: alterum, *quod unicuique reddet secundum opera sua*, ita ut neque injuste oppressurus sit aliquos per potentiam neque misericordia ejus sit praejudicatura justitiae. Et vere, qui ista duo serio cogitant, atque illis cor suum apponunt, sapientissimi sunt.

PSALMUS LXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, cum esset in deserto Idumaeae.

Non legitur David latuisse unquam in deserto Idumaeae, sed in deserto Judaeae 1. reg. 22. et 23. In textu hebraico, et graeco habetur, *in deserto Judaeae*, tamen quoniam sancti patres Hilarius, Hieronymus et Augustinus in commentario legunt *in deserto Idumaeae*, non est contemnenda lectio vulgatae editionis. Euthymius conatur concordare has lectionum varietates, dicens, desertum in quo latuit David, olim ad Idumaeam pertinuisse, postea ad Judaeam: sed hoc divinare est: probabilius videtur, desertum Judaeae vocatum esse desertum Idumaeae amplificandi gratia; quomodo Jerusalem aliquando vocatur Sodoma. Nam desertum Idumaeae est longe majus deserto Judaeae, imo tota Idumaeorum regio in montibus, et solitudine est, ut intelligi potest ex cap. 1. Malachiae; ubi loquens Deus de possessione Edom, *posui*, inquit, *montes ejus in solitudinem et hereditatem ejus in dragones deserti*. Idem colligitur ex lib. 4. reg. cap. 3. ubi describitur desertum Idumaeae itineris septem dierum, et carens aqua, etc. Argumentum psalmi est oratio Davidis, qui occasione deserti in quo tunc latebat, deplorat peregrinationem suam, et sibi similium justorum et desiderium suum ostendit migrandi aliquando ex deserto mundi hujus ad patriam coelestem.

EXPLICATIO PSALMI LXII.

1. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.*
2. *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea?*

Describit vir justus, quae sint prima opera sua oriente die, ac dicit esse, quaerere Deum, desiderare Deum, miserias suas confiteri Deo. *Deus Deus meus*, idest, Tu Deus es fortitudo, et robur meum, quia sine te nihil sum, et nihil possum: in hebraeo sunt duo nomina, אלהים אלי *Elohim eli*: unum significat Deum, alterum significat fortem; sed verti solet etiam per vocem, Deus. Itaque editio graeca, et latina quae habent, *Deus Deus*, reprehendi non possunt: tamen sensus est, quem diximus, quia vox אל *El*, significat Deum, ut fortem. *Ad te de luce vigilo*, idest, cum primum lucem aspicio corporalibus oculis, aperio pariter oculos mentis ad te lucem spiritualem, et increatam; atque ita ad te quaerendum vigilare incipio, non ad opera mundi hujus. Id autem facio, quia *sitivit in te anima mea*, idest, quia desiderat te, ut cibum, et potum suum, ut lumen, et laetitiam suam. Ipsa etiam caro mea multis modis sitivit ad te fontem omnium bonorum quamvis enim caro non proprie Deum sitiat, tamen sitire dicitur, quia indiget ejus misericordia ob multiplices suas miserias: quomodo dicitur terra arida sitire pluviam, sine qua nihil boni producere potest. Quot sint autem carnis hujus corruptibilis necessitates et miseriae, quibus ille solus mederi potest, de quo dicitur in psal. 102. *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, nemo est qui non experiatur. In hebraeo codice post illa verba, Deus Deus meus, est pronomen, אתה *atthah tu*, quod Septuaginta omiserunt, sed subintelligi debet, ut sensus sit, *tu es Deus meus*, et ideo confidenter ad te confugio, et te alloqui praesumo. Illud autem, *Ad te de luce vigilo*, in hebraeo est unica dictio, אשחרך *asciacharecha*; quae significat sub auroram te quaero; sive in crepusculo matutino, cum incipit misceri lux aurorae tenebris noctis, ego evigilo, ut te quaeram: ex quo intelligimus continuum, et vehemens fuisse in Davide desiderium Dei, et merito, cum ipse sit omne bonum nostrum; et ingrati sint omnes homines, qui obliviscuntur Deum, juxta illud Luc. 6. *qui benignus est super ingratos et malos*. Denique illud *quam multipliciter*, est in hebraeo, כמה *camah*, quae vox non habetur, nisi hoc loco. S. Hieronymus vertit *desideravit*, sed frustra laboramus de significatione vocis, quae nusquam habetur alibi, et nemo potest reprehendere primos Interpretes.

3. *In terra deserta, invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.*

Describit proprietates deserti, quae tres sunt, *terra deserta* ab habitatoribus; terra *invia*: terra *sine aqua*: quarum secunda est effectus, et tertia est causa primae: nam terra aliqua deseri solet ab habitatoribus praecipue propter carentiam aquae: quae carentia terram arentem et sterilem reddit: sed cum terra deseritur, et inhabitabilis efficitur, hoc ipso fit invia: quamvis hoc loco, *invia*, non

est solum terra sine via, sed terra inaccessa, et per quam difficulter ambulari potest: nam vox graeca ἄβατον inaccessum significat, vox hebraea, עיף *haieph*, significat *lassum*, *fatigatum*, *laboriosum*, ac per hoc significat terram, quae magno cum labore et fatigatione transmittitur. Videtur autem Propheta significare voluisse terram illam incultam et rebus necessariis, ne dum deliciis carentem utilem sibi fuisse ad inveniendum Deum. Anima enim quo magis destituitur carnalibus bonis, vel certe quo magis affectum removet a rebus terrenis et se in quodam deserto mentis constituit, eo facilius ascendit ad coelestia contemplanda, et gustanda. *Ego*, inquit, *in terra ista deserta, invia, arida*, et sitiente constitutus, *sic apparui tibi*, idest, sic apparui coram te per ascensionem mentis, quasi in sanctuario tuo essem; ita ut desertum loco sanctuarii mihi fuerit. Apparui autem coram te *ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam*, idest, potentiam tuam, et majestatem tuam. Illud enim, *in sancto*, in hebraeo est, בקודש *bakodesch in sanctitate*, per quam sanctuarium hebraei significare solent. S. Augustinus paulo aliter exponit, et eum sequentes dicere possumus, per desertum intelligi mundum, qui desertus est a veris hominibus, et inhabitatur a bestiis hominibus videlicet *carnalibus et animalibus*, ut eos vocat Apostolus 1. Cor. 1. item est invius, quia difficillimum est invenire viam, qua exeatur; denique est inaquosus, quia quamvis lacunas habeat aquae putrefactae, quae est sapientia carnalis, caret tamen aqua de coelo, quae est sapientia vera, nisi Deus ex magna gratia sua peregrinantibus in hoc deserto viam ostendat, et rorem de coelo aspergat. Ait igitur David in persona sua, et sanctorum peregrinorum comitum suorum: Ego in hoc deserto positus et sitiens aquam de coelo, et exitum invenire cupiens, de mane vigilans mente conscendi ad sanctuarium tuum coeleste, et sic in sancto apparui coram te, ut meditando et contemplando viderem virtutem tuam et gloriam tuam, quoniam in deserto mundi non videmus nisi temporalia, fragilia, et vilia. *Ut viderem*, inquit, *virtutem tuam*, qua de nihilo omnia fecisti et portas ea verbo virtutis tuae viderem quoque *gloriam tuam*, qua longe ac longe superemines universis, et nihil est simile tibi, et omnia velint nolint, serviunt tibi: et ex hac visione irrorari coepi, et manna gustare, et viam, quae Christus est, invenire.

4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.*

Illud, *quoniam*, non videtur referendum esse ad superiora, sed ad sequentia, ut sensus sit, Non solum videbo virtutem tuam, et gloriam tuam, sed etiam *laudabunt te* assidue *labia mea*, quoniam misericordia tua melior est mihi prae ipsa vita: nam misericordia tua vitam dedit, eadem ipsa misericordia vitam conservat, et si ipsam vitam propter te perdidero, misericordia tua illam mihi multo foeliciorem restituet: sed si ut vitam conservem a misericordia tua, et gratia excidero et vitae et misericordiae jacturam faciam. In hebraeo habetur quidem, חיים *chaiim*, vitas, in numero multitudinis, sed vox illa etiam pro vita in singulari accipitur: quo modo multa vocabula habent formam numeri multitudinis, et significationem numeri singularis: et in versiculo sequenti, *Sic benedicam te in vita mea*, habetur eadem vox in numero multitudinis, et tamen interpretes verterunt in numero singulari. Itaque possumus hoc loco simpliciter per *vitas*, vitam interpretari, ut interpretantur sancti patres Hilarius et Hieronymus in commentario: et sicut legit in textu s. Hilarius: tamen si magis placeat accipere in significatione numeri multitudinis, per vitas accipiemus varias functiones viventium, ut vitas mercatorum, vitas militum vitas clericorum, vitas agricolarum, et similes, ut accipit s. Augustinus: vel vitas quantumlibet longas, et foelices in hoc mundo: vel denique vitas, tum nostram, tum nobis conjunctorum et charorum, ut parentum, fratrum, filiorum.

5. *Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas.*

Sic laudando assidue, *benedicam te in vita mea* idest, quicquid mihi acciderit, sive prosperum, sive adversum, benedicam tibi in omni tempore, *et in nomine tuo levabo manus meas*, idest, in invocatione nominis tui levabo in oratione manus meas, a te solo expectans auxilium in adversis, et tibi vicissim gratias agens in prosperis. Porro ritus levandi manus in oratione, in utroque testamento in usu fuit. Nam cum Moyses Exod. 17. levaret manus ad Deum, populus vincebat; cum deponeret, vincebatur. Et Apostolus 1. Timoth. 2. *Levantes*, inquit, *puras manus*. Monet autem s. Augustinus eos qui levant manus ad Deum in oratione, si impetrare velint, debere etiam levare manus ad bona opera facienda. Significat etiam in scripturis, *levare manus*, idem quod jurare per Deum sic legimus Gen. 14. dicentem Abrahamum: *Levo manum meam ad Deum possessorem coeli, et terrae, quod a filio subtegminis usque ad corrigiam caligae non accipiam ex omnibus quae tua sunt.* Et Apoc. 10. *Angelus levavit manum suam ad coelum, et juravit per viventem in saecula saeculorum.* Posset igitur illud, *In nomine tuo levabo manus meas*, exponi hoc modo, per nomen tuum jurabo, ac per hoc te solum pro vero Deo colam: sed prior expositio communior est.

6. *Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum.*

Hoc est quod petebat cum levaret in oratione manus suas ad Deum. Hoc, inquit, peto, *ut anima mea repleatur quasi adipe, et pinguedine*, id est repleatur adipe, et pinguedine spirituali, quae non est adeps, et pinguedo proprie (id enim corporale quid est) sed quasi adeps et pinguedo. Nam sicut qui adipe bona, et pinguedine naturali praediti sunt non autem inflati, aut vento distenti, sani fortes,

rubicundi, et hilares sunt: et contra macie confecti, aridi, debiles, tristes deformesque sunt: sic qui gratia spirituali, quasi bona adipe pleni sunt, devoti, ferventes ac semper gaudentes sunt: et contra qui spiritu carent,ad omnia spiritualia nauseant, acedia consumuntur, infirmi, ac debiles nihil boni facere, nihil mali tolerare valent. Sed ut recte monet s. Augustinus, in hac eremo saginam sapientiae et justitiae desiderare et petere possumus, sed tunc demum obtinebimus, cum ad patriam pervenerimus: tunc enim implebitur illud psal. 147. *Frumenti adipe satiat te Dominus;* et illud Matth. 5. *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*; et tunc perfecte, et sine ullo fine, vel taedio *labiis exultationis*, idest, labiis exultationem resonantibus laudabit Deum *os nostrum*: tunc enim succedet orationi laudatio, quando ita pleni erimus, ut nulla re indigeamus, quod fiet cum Deus erit omnia in omnibus: nunc autem numquam tam multa habemus, quin pluribus ageamus, ac per hoc oratione assidua opus habemus.

7. *Si memor fui tui super stratum meum,in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.*

Ostendit, in hac etiam vita se perpetuo recordaturum Dei, et beneficiorum ejus, et non solum in patria, quando repletus adipe, labiis exultantibus laudabit Deum. *Si*,inquit, *memor fui tui* nocte etiam profunda, dum adhuc jacerem *super stratum meum*, multo magis interdiu, atque adeo *tempore matutino surgens meditabor in te*, idest, de te cogitabo, et considerabo potentiam tuam, et gloriam tuam, *quia* tu semper *fuisti adjutor meus*, idest, ideo semper recordabor tui in gratiarum actione, quia tu semper recordatus es mei in auxilio, et protectione. S. Augustinus colligit ex hoc loco utilissimum documentum, ut si quis velit inter operandum recordari Dei, atque ejus amorem, et timorem semper ante oculos habere, dum operatur, necesse esse, ut antea super stratum,id est, in quiete recordetur Dei, et beneficia ejus ac promissa consideret. Ideo enim plerique mortales inter operandum se gerunt, ac si Deum non haberent; quia non habent tempus aliquod feriatum, in quo colligant se et meditationi rerum coelestium vacent. Quidam codices latini habent, *Sic memor fui*: sed recte habet nostra lectio. *Si memor fui*, quoniam sic legunt codices hebraici, et graeci, et s. Patres Hilarius et Augustinus.

8. *Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhaesit anima mea post te, me suscepit dextera tua.*

Quia dixerat, *tu fuisti adjutor meus;* ne putaretur jam securus,et de Dei protectione non amplius laborare, subjungit,*Et in velamento alarum tuarum exultabo*, idest, continebo me sub umbra alarum tuarum, et in protectione tua sperans, *exultabo*, securus a milvo,dum sub omnipotentis aquilae pennis latebo. *Adhaesit anima mea post te.* Ex hac protectione et tam ingentibus beneficiis provocata *anima mea adhaesit* glutino fortissimae charitatis *post te*, idest, vestigiis tuis inhaesit ab illis nulla tentationum vi separari se patiens.Porro adhaerere vestigiis Domini glutino charitatis, non est sterili quodam affectu Deum diligere, sed ejus praecepta ex charitate servare;nam *qui diligit me*, ait Dominus Jo. 13. *sermonem meum servabit*: ideo non dixit, adhaesit tibi, sed *post te*, tibi videlicet obediens, ac subjecta.Ac ne videatur sibi tribuere, quod tam ardenter Deo inhaeserit,addit,*me suscepit dextera tua*; idest, ideo sequor te, quia tu me traxisti: ideo te diligo, quia tu prior dilexisti me, ac ut te diligerem, tu me diligendo fecisti. Beatus plane qui quantumvis in virtute proficiat, sub Deo proficere se intelligit, et semper ut parvulum, et quasi pullum gallinae sub alis Dei se collocat. Beatior autem, qui vere dicere potest, *Adhaesit anima mea post te*: qui non solum sperat in velamento alarum Dei, sed etiam ex toto corde ita diligit, ut cum Apostolo dicere possit, *Quis me separabit a charitate Christi?* Rom.8.Beatissimus vero, qui proprio experimento, vel potius testimonium reddente spiritu Dei spiritui suo, didicit se *a dextera Dei esse susceptum*:ipse enim Dominus de talibus dicit Joan.10.*Non rapiet eos quisquam de manu mea. Et nemo potest rapere eos de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.*

9.*Ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam introibunt in inferiora terrae, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.*

In duobus ultimis versiculis praedicit Propheta interitum, et exterminium ultimum eorum,qui persequuntur justos, et foelicitatem ac beatitudinem sempiternam justorum. *Ipsi vero*, videlicet impii persecutores, *in vanum quaesierunt animam meam*: nam ideo impii persequuntur justos, ut ipsi soli secure possideant terram, et fruantur deliciis,et imperio terreno: sed frustra laborant,nam ipsi non possidebunt terram, sed a terra absorbebuntur: et absorpti a terra, et in inferno constituti non ibi deliciis, aut imperio fruentur, ac ne quiescent quidem, sed addicti erunt perpetuis suppliciis et subjecti erunt doemonibus, quasi lupis et vulpibus crudelissimis. *In vanum quaesierunt animam meam*, idest, frustra conati sunt vitam meam tollere, meque interficere. Hoc dicere potest quilibet justus, sive Christus pro se, et pro membris suis: *introibunt in inferiora terrae*: ecce cur in vanum quaesierunt: nam finis eorum erat, libere terram possidere;sed infra terram dejicientur, in corde terrae, in inferno inferiore cogentur perpetuo habitare. *Tradentur in manus gladii*, idest, in inferno non quiescent, multo minus fruentur bonis terrae,sed *tradentur in manus gladii*, idest in potestatem tormentorum: supplicia enim, ut instrumenta Dei judicis supremi, et irati in miseros sine cessatione desaevient. *Partes vulpium erunt*, idest, non dominabuntur amplius super homines justos, sed ipsi subjecti erunt doc-

monibus injustis, quasi pars et haereditas ipsorum. Vocantur autem vulpes potius, quam lupi vel leones, ipsi daemones, quia magis versutia vulpina, quam vi leonina peccatores capiunt, sibique subjiciunt. In hebraeo nunc habetur, *Ipsi interficere quaesierunt animam meam*, pro eo quod nos habemus, *Ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam*. Sed facile est videre, quid nostri Interpretes secuti sint: eadem enim vox hebraica, לשואה *lescioah*, si legatur cum aliis punctis, et ultima litera tollatur, fiet, לשוא *lesciav*, *in vanum*, et haec videtur esse verissima lectio, quam habuerunt in suis codicibus septuaginta Interpretes.

10. *Rex vero laetabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.*

Ecce quomodo omnino in vanum impii laboraverunt: nam non solum ipsi non consequentur bona quae optabant,sed neque poterunt justos bonis suis privare. Nam *Rex* ipsorum Christus de quo dixerunt Judaei, *Tolle tolle, crucifige eum*, Joan. 19. et cujus nomen pagani delere totis viribus laboraverunt, et cui omnes impii contradicebant, vivet et regnabit in saecula et *laetabitur in Deo*, sedens in dextera Patris gloriosus: et *laudabuntur* (in die judicii) *omnes qui jurant in eo*, qui videlicet hoc tempore, non obstantibus persecutionibus eum tamquam verum Deum religiose colunt et per nomen ejus jurant, sive illi fidelem obedientiam jurant. *Laudabuntur*, inquam,omnes Christi fideles, *quoniam obstructum est os loquentium iniqua*, idest,obstruetur in die novissimo os omnium iniquorum: tunc enim veritas manifesta erit, et nemo erit qui eam inficiari possit; proinde impii dicent, ut habetur in lib. Sapient. cap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis*; et *hi sunt quos habuimus in derisum.et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore.Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei,et inter sanctos sors illorum est.* Itaque laudabuntur justi etiam ab inimicis, quando veritas per divinum judicium patefacta obstruet ora omnium, qui nunc blasphemantes, maledicentes, calumniantes, detrahentes, conviciantes, mentientes iniqua loquuntur. Hos duos versiculos aliqui exponunt de Davide, aliqui de Christo. Vere enim Saul, et caeteri inimici Davidis, qui eum interficere cupiebant, ut ipsi secure regnarent, *in vanum laboraverunt*.nam et ipsi extincti sunt, et David gloriose regnavit; sic etiam Judaei, qui Christum occidere satagebant, *ne venirent romani. et tollerent locum eorum,et gentem*, ut dicitur Joan. 11. noluerunt Agnum habere regem, et habuerunt vulpem simul et leonem:nam et romani civitatem eorum everterunt, et regnum abstulerunt, ipsis maxima strage ferme deletis, et Christus resurrexit, et gloriosissime regnabit, *et regni ejus non erit finis*. Luc. 2. Nos tamen sanctum Hilarium, et sanctum Augustinum sequuti exposuimus de justis in universum, et eorum capite ac rege Christo,ut doctrina et consolatio scripturarum ad plures pertineret.

PSALMUS LXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David.

Hunc psalmum de solo David aliqui explicant, qui liberari a persecutoribus cupiebat; aliqui ad solum Christum referunt,cujus passio in hoc psalmo ex parte describi videtur. Sed nihil impedit quominus de Davide, et de Christo, cujus typum David gerebat, psalmum intelligamus, imo etiam de Martyribus aliisque justis, quorum caput Christus est, et in psalmis, nunc in persona sua, nunc in persona membrorum suorum loquitur. Nos tamen persequemur expositionem sanctorum patrum qui de Christo potissimum totum hunc psalmum explicaverunt.

EXPLICATIO PSALMI LXIII.

1. *Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor a timore inimici eripe animam meam.*

More suo Propheta primum petit exaudiri,deinde exponit, quid cupiat. *Exaudi*, inquit, *orationem meam, cum deprecor*. idest. fac obsecro ne frustra deprecer. Sanctus Hilarius legit,*Cum tribulor* pro eo, quod nos habemus, *cum deprecor*: sensus est idem; sed nescio quid sequutus sit: nam vox hebraica, בשיחי *besichi*, significat submisse loqui, quod est signum humilitatis, et reverentiae: et sic Anna orabat 1. reg. 1. *ut tantum labia moverentur et vox penitus non audiretur*: vox enim graeca δέεσθαι, precari non tribulari significat. *A timore inimici eripe animam meam*: haec est petitio, quae duobus modis intelligi potest: primum ut petat liberari a timore inimici volentis occidere tollendo materiam timoris; efficiendo videlicet, ut

inimicus non possit, vel non velit occidere: et haec videtur litteralis expositio: secundo, ut petat liberari ab ipso timore humano, non tollendo materiam timoris, sed augendo charitatem, et constantiam, ut non timeat mortem carnis; sed timeat mortem peccati: sive non timeat homines, *qui possunt corpus occidere, et post haec non habent amplius quid faciant*: sed timeat Deum, *qui potest et corpus et animam perdere in gehennam*, ut Dominus monet, Matth. 10. Et haec est expositio sancti Augustini spiritualis, et utilissima: nam liberari a timore mundano et radicari in timore divino in omni tribulatione optimum est. Sed in hoc posteriore sensu Christus in persona membrorum suorum infirmorum loquutus est: in priore autem, in persona etiam sua locutus esse videtur: sicut enim in horto pridie passionis timere, et pavere dignatus est, et orare Matth. 26. *Pater si fieri potest, transfer calicem hunc a me*: sic hoc ipsum per Prophetam praedicere voluit.

2. *Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.*

In hoc versiculo exauditum se fuisse Christus ostendit, et quod de se dicit in praeterito, idem membris suis promittit in futurum. *Protexisti*, inquit, *me a conventu malignantium*. Notum est ex evangelio, quam saepe *convenerint Principes Judaeorum adversus Jesum, ut eum morti traderent*, Matth. 26. ac doctrinam ejus, et nomen extinguerent: nec solum principes in concilium convenerunt ad consultandum, sed etiam multitudo militum, ac satellitum *convenit ad operandum iniquitatem*, ad Christum videlicet illudendum, flagellandum, et crucifigendum. Sed protexit eum Deus, ut neque conventus malignantium Judaeorum, neque multitudo gentilium operantium iniquitatem illi noceret. Permisit quidem Deus Christi carnem flagellari, et caedi; sed et flagella, et mors mundi salutem operata, in gloriam, et triumphum versa sunt: et quod in capite praecessit, in membris quoque factum est, et fiet. Martyres enim protexit Deus, ut occisio corporis non solum non eis obesset, sed etiam prodesset ad gloriam sempiternam; et pios omnes Deus proteget, ut tribulatio, ac persecutio cooperetur eis semper in bonum. Illud *protexisti*, in hebraeo est, תסתירני *tasthireni proteges*, sive, *abscondes*: in graecis plerisque est, σκέπασον *proteges*; et sic legunt Theodoretus, et Euthymius. Tamen Hilarius, Hieronymus, et Augustinus in commentario legunt *protexisti*, quae lectio facile cum hebraica concordatur: nam apud hebraeos saepe futurum ponitur pro praeterito, et contra: sed in sensu nulla varietas est.

3. *Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.*

Haec referuntur ad conventum malignantium, qui lingua pugnarunt, non manibus; nimirum consultando, accusando, insistendo apud Judicem Pilatum, ut Christum de medio tolleret: comparat autem Propheta verba malignantium Judaeorum gladio et sagittas, quoniam gladius de proximo ferit, et praesentem: sagitta longe positum; et absentem vulnerat; sic igitur Judaei palam praesentem Christum gladio linguae occiderunt cum eum coram in concilium suum adductum accusarunt: et quasi convictum damnarunt dicentes Matth. 26. *Reus est mortis*, et postea ad tribunal Pilati iterum accusarunt, quasi seductorem, et ut crucifigeretur saepe, ac sepius institerunt: et hoc modo gladio linguae iterum interfecerunt. *Quia*, inquit, *exacuerunt ut gladium linguas suas*. ut acutis interrogationibus eum ferirent, dum condemnarent. *Intenderunt arcum rem amaram* non solum palam quasi gladio ferierunt, sed etiam in absentem ex occulto per insidias, quasi sagittas tetenderunt, cum tam saepe ad eum miserunt, qui eum caperent in sermone, et cum proditore Juda occulta colloquia miscuerunt, et cum falsos testes instruxerunt. *Intenderunt arcum rem amaram*, idest insidias tetenderunt, quae insidiae res amarae ac lethiferae erant, *ut sagittent*, idest, ut sagittarent *in occulto*, idest, ex insidiis, *immaculatum*: hic enim erat finis, et quasi scopus insidiarum, ut Christum maculatum et peccatorem, idest blasphemum, et seductorem falsis testimoniis, et accusationibus ostenderent; qui tamen re vera immaculatus erat, et ad hoc venerat in mundum; ut maculas peccatorum ab aliis abstergeret. Illud, *quia*, non est in omnibus codicibus: nam in graecis et quibusdam latinis habetur, *qui*, et est res parvi momenti; et vox hebraea אשר *ascer*. ambigua est, et tam *qui*, quam *quia*, significare potest. Sanctus Hilarius legit, *qui*, sanctus Hieronymus et sanctus Augustinus, *quia*.

4. *Subito sagittabunt eum, et non timebunt: firmaverunt sibi sermonem nequam.*

Dixerat conventum malignantium jam intendisse arcum, ut sagittarent immaculatum: nunc addit, omnino id futurum, eo quod obfirmati, et obdurati sint in malo: praevidebat enim Spiritus sanctus, et praedicebat obstinationem pene incredibilem Judaeorum, quam etiam clarissime praedixit Isaias, cap. 6. Cujus vaticinii meminit s. Joannes cap. 12. *Subito*, inquit, *sagittabunt eum*, idest de improviso sagittas insidiarum emittent *et non timebunt*, idest nudacter sagittabunt, non cogitantes timorem Domini, non formidabunt divinum judicium, non reverebuntur oculos Dei omnia videntis. *Firmaverunt sibi sermonem nequam*, idest ideo non timebunt sagittare immaculatum, quia obstinati et obdurati sunt, et jam stabilierunt firmiter sententiam illam plenam injustitiae, qua semel dixerunt: *reus est mortis*: hinc enim postea cum Pilatus multis rationibus conaretur eos a scelere revocare, semper obstinate clamaverunt, *crucifigatur*.

5. *Narraverunt, et absconderunt laqueos, dixerunt, quis videbit eos?*

Addit propheta ad obstinationem malignantium Judaeorum, etiam hypocrisim, qua tegere volue-

runt invidiam, et malignitatem suam sub tegumento obsequii ad Caesarem : Christum enim propter invidiam persequantur, quod Pilato quoque notum erat. *Sciebat enim* (inquit sanctus Matthaeus capit. 27.) *quod per invidiam tradidissent eum* : sed illi hanc invidiam tegebant dicentes : *hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Caesari*. Luc. 23. et rursum: *si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*, Joann. 19. *Omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari*. Hoc ergo est, quod dicit : *narraverunt, ut absconderent laqueos*, idest dixerunt intra se, abscondamus insidias, fingamus nos moveri ob injuriam Caesaris : quis videbit hanc simulationem? quis propterea nos puniet ? quasi vero Deus non omnia videat ; vel parum sit videri a Deo, qui supremus est Judex.

6. *Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.*

Pergit propheta in explicanda et amplificanda malignitate Judaica, ac dicit Judaeos non contentos insidiis et hypocrisi, addidisse, ut diligentissime scrutarentur, et investigarent iniquitates, si quas invenire possent in Christo. Hinc enim *principes sacerdotum, et omne Concilium quaerebant falsum testimonium contra Jesum*, et quamvis testimonia convenientia non erant, dicebant tamen, *nihil respondes ad ea, quae isti contra te testificantur ?* Id enim est *scrutari iniquitatem*, quaerere falsa testimonia, et iis quasi veris scienter abuti. *Defecerunt autem scrutantes scrutinio*, quia nihil invenerunt, quod vel colorem veritatis habere videretur ; et quia Dei judicio tanta caecitate percussi sunt, ut non adverterent se ab omnibus deridendos, quod etiam dormientes testes adduxissent, cum ad custodes sepulchri dixerunt, *dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli noctu, et furati sunt eum*. Matth. 27. quam caecitatem notavit et expendit sanctus Augustinus. Parum autem refert si legamus, *scrutantes scrutinio*, sive *scrutantes scrutinia*, sive *scrutantes scrutinationes*: omnia enim in idem recidunt.

7. *Accedit homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.*

Exposita perversitate malignantium inimicorum, praedicit nunc Propheta quid Christus egerit tempore tantae persecutionis. *Accedet*, inquit, *homo ad cor altum*, idest Christus, qua homo est, *accedet*, offeret atque objiciet se quasi infirmus et quasi nesciens; et tamen vere penetrans profunda cordis ipsorum, *accedet* ad illas omnes passiones, quas in occulto corde suo disposuerunt; idest perfert patienter et humiliter injurias, quas illi alto, profundo et pravo corde machinati sunt. Potest etiam per *cor altum*, intelligi cor ipsius Christi, ut sensus sit, *accedet homo Christus ad cor altum*, idest, ingredietur cor suum profundum et secretum, quo disposuit objicere Judaeis formam servi percutiendam, et celare intus formam Dei, per quam resuscitandus erat. Utramque expositionem attingit sanctus Augustinus. *Et exaltabitur Deus*, idest, humiliabit se ut homo, exaltabitur ut Deus, quia tunc maxime demonstrabitur sapientia divina vincens malitiam humanam, quando apparebit, Christum moriendo mortem destruxisse, et resurgendo vitam reparasse. Haec est expositio verborum editionis nostrae vulgatae; sed sciendum est, hanc lectionem nostram a multis oppugnari, et rejici ; quoniam textus hebraicus et graecus repugnare videntur. In hebraeo sic legitur ad verbum, *et cogitatione viri, et corde profundo, et sagittâbit eos Deus*, pro eo quod nos habemus, *accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus*. Sed facile conciliabitur hic textus cum nostra editione : nam vox hebraica, קרב *Kereb*, quae *intimum*, sive *cogitationem* significare potest, si legatur cum aliis punctis, קרב *Karab*, significabit, *accessit*, sive *accedet* : et sic legerunt septuaginta interpretes, qui verterunt, *accedet homo*. Illud autem, *et corde alto*, potest etiam legi, *et cor altum* quia non habent hebraei diversos casus, et tota difficultas est in particula, *et*, pro qua nos habemus, *ad*, et quamvis in graecis libris, qui nunc extant, habeatur, *et cor altum*, tamen cum veteres patres Hilarius, Hieronymus et Augustinus legant in Commentario, *ad cor altum*, credibile est, eos ita in graecis textibus invenisse : nam erant periti linguae graecae, et ex iis Hieronymus in Commentario psalmos exponit ex interpretatione septuaginta virorum. Mirum autem est, quod Cornelius Jansenius, vir doctissimus, conetur ostendere ab Augustino lectum fuisse, *et cor altum*, cum Augustinus saepissime repetat, *ad cor altum*, et ne semel quidem, *et cor altum*; corruptum autem fuisse textum Augustini in tam multis locis, et in omnibus editionibus, verisimile non est : credibilius autem est, corruptum fuisse textum hebraicum post interpretationem septuaginta virorum in particula, *et*, sicut corruptum esse constat in particula. קרב *Kereb*, ut ostendimus, praesertim, cum ista lectio (*accedet homo et cor altum*) nullum fere sensum commodum recipiat : quid enim significat, *accedet homo, et cor altum*? Illud autem, *et sagittabit eos Deus*, pro *et exaltabitur Deus*, ex errore Rabbinorum natum esse videtur : nam vox hebraica, וירם *vajarem*, si deducatur a verbo, ירה *jarah*, significat, *sagittabit eos*; si deducatur a verbo, רום *rum*, in conjugatione *hophal*, significat, *exaltabitur*, et sic acceperunt eam vocem septuaginta viri Rabbinis omnibus doctiores.

8. *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.*

Hoc fecit potentia et sapientia Dei, de qua dictum est, *et exaltabitur Deus*, ut plagae ab adversariis Christo infligtae, tam parum illi nocuerint ac si factae essent a sagittis infantium parvulorum ; nam et tela infantium leves festucae sunt, et manus eorum infirmae ac tenerae, quae nihil detrimenti adferre possunt. Et vere quales plagas Christo intulerunt Judaei, cum triduo, vel potius in momento post triduum, ita curatae sint,

ut corpus ejus impassibile, et immortale surrexit? *Sagittae*, inquit, *parvulorum fuerunt*, quibus factae sunt plagae, ac vulnera eorum. *Et infirmatae sunt contra eos linguae eorum*, idest et calumniae ac blasphemiae eorum infirmatae sunt, quia nihil ei nocere potuerunt, ac si gladii plumbei fuissent; sed *infirmatae sunt contra eos*, idest, in detrimentum, et poenam ipsorum calumniantium et blasphemantium. Alludit propheta ad illud, quod supra dixerat, *evacuerunt, ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram*, ac si diceret, laboraverunt ut gladium linguae exacuerent, atque ut sagittas lethales, ex arcu jacerent; sed linguae gladius plumbeus, et sagittae tela infantium evaserunt. Atque hoc ipsum de persecutoribus Martyrum, omniumque justorum dici potest: dies enim judicii ostendet, quam parum, ac potius nihil eis nocuerit crudelitas persecutorum, quando stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Ex hebraeo juxta puncta Rabbinorum non legitur, *sagittae parvulorum*, sed *sagitta repentina*. Facile autem est videre, unde sit nata diversitas: nam vocem hebraicam legerunt, פתאם *pithom*, quod significat *repente*, aut *repentinum*: cum septuaginta legerint, פתאים *pethaim*, quod *parvulos* significat.

9. *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, et timuit omnis homo.*

Explicat propheta, quid consecutum sit ex eo quod per Christi resurrectionem factae sint judaeorum sagittae, *sagittae parvulorum, et infirmatae sint*, ac prorsus evanuerint calumniae et contumeliae eorum. *Conturbati sunt*, inquit, *omnes qui videbant eos*, judaeos videlicet, attonitos et confusos, quando ab Apostolis audiebant eum, quem occiderant, surrexisse a mortuis, in coelum ascendisse, et venturum judicem vivorum et mortuorum; et ea quae audiebant, signis magnis, ac divinis approbari cernebant: *et tunc timuit omnis homo*, idest, omnes, qui recta ratione utebantur, coeperunt contremiscere et expavescere et dicere, *quid faciemus viri fratres*? De hoc timore sancto sic scribit sanctus Lucas Act. 2. *Fiebat autem omni animae timor, multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat ingens in universis.* Parum autem refert, quod s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *fugerunt omnes qui videbant eos*: nam vox hebraica, נדד *nadad* quae hoc loco habetur, utrumque significat, et fugere et commoveri et omnis qui commovetur, ac turbatur, fugit, si non pedibus, saltem affectu: contrahit enim se, et latebras quaerit: timor enim fuga quaedam est hominis ad seipsum: sicut e contrario desiderium, et amor effundunt hominem extra se.

10. *Et annunciaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.*

Illi, qui sancto timore correpti sunt, ac in primis Apostoli, qui primi Christo resurgente, atque eis apparente timuerunt, ut dicitur Luc. 24. *Illi*, inquam, *annunciaverunt opera Dei*, idest, praedicare coeperunt Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, doctrinam, miracula et similia. *Et facta ejus intellexerunt*: particula enim, *et*, passim in scripturis accipitur pro, *quia*. Apostoli ergo edocti, tum ab ipso Christo, qui post resurrectionem *aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas*, Luc. 24. tum a Spiritu sancto, qui superveniens in eos, *docuit illos omnem veritatem*, Joan. 15. *facta ejus intellexerunt*, et eadem ipsa toti mundo annunciaverunt.

11. *Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.*

Ex illa apostolica praedicatione id consequetur, ut omnis vere justificatus, idest, justus ex impio factus, *laetetur deinceps in Domino, et speret in eo*, deposito metu servili, et mundano: *fructus enim spiritum justificantis est charitas, gaudium, pax.* Et tandem in fine saeculorum *laudabuntur omnes recti corde*, omnes qui in justitia perseveraverunt, et per hoc rectum cor habuerunt ad Deum, non sapientes, neque volentes, nisi quae Deo placent, illi a Deo laudabuntur in theatro totius Mundi, quando e contrario omnes pravi corde in theatro eodem cum summa ignominia confundentur.

PSALMUS LXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem psalmus David. Canticum Hieremiae, et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

Titulus hujus psalmi in codicibus hebraicis non continet nisi prima illa verba, *in finem psalmus David*. Apud Hilarium quoque non habentur alia verba. Theodoretus autem affirmat, nihil aliud haberi in editione graeca septuaginta interpretum; caetera addita esse a posterioribus. Tamen non videtur contemnendum, quod additur, *canticum Hieremiae, et Ezechielis populo transmigratio-*

nis, cum inciperent exire : nam haec verba habentur in antiquis codicibus, et leguntur a s. Hieronymo et Augustino in commentario hujus tituli. Quicumque autem addidit hanc partem tituli, non voluit significare re ipsa cantatum fuisse hunc psalmum a Hieremia et Ezechiele, quando populus incipiebat exire ex captivitate Babylonica. Nam Hieremias numquam fuerit in Babylonia, et sine dubio mortuus erat, quando coepit solvi captivitas. Credibile est etiam Ezechielem tunc fuisse defunctum ut Epiphanius testatur in vita Ezechielis. Tribuitur igitur hic psalmus (qui revera Davidis est) Hieremiae et Ezechieli, quoniam isti duo prophetae praedixerunt reversionem populi de Babylone in Hierusalem: et fingitur decantatus ab his Prophetis initio egressionis hebraeorum de captivitate, ut intelligeremus hunc psalmum exponi debere de reditu filiorum Israel a captivitate in patriam. Et quoniam ea liberatio de captivitate typus fuit liberationis generis humani de captivitate Diaboli ; altiore sensu psalmus praedicit conversionem infidelium ad Ecclesiam, et reditum spiritualem peregrinorum ad patriam coelestem : nam et Ecclesia, et coelestis patria per Jerusalem in sacris litteris significari solent.

EXPLICATIO PSALMI LXIV.

1. *Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.*

Incipit propheta in persona populi Dei a quodam verissimo principio, ex quo colligitur desiderium justum redeundi ad patriam. Principium verissimum est, conveniens esse, ut populus Deum laudet, et vota illi offerat in Jerusalem. Laus enim debetur bono, et summa laus summo bono, quod est Deus : et haec laus debet exhiberi, ubi bonum, quod laudatur, est notum. Deus autem notus non erat in Babylone, sed in Jerusalem ; ideo in Jerusalem Deus a populo laudandus erat. Sic etiam vota, ac praesertim sacrificiorum, ibi solvenda sunt, ubi templum et altare invenitur : templum Dei et altare non erat nisi in Jerusalem, igitur in Jerusalem vota populi Dei solvenda erant. Ex hoc principio recte colligitur, populum Dei jure desiderare, ac petere reditum in patriam. Et si hoc erat verum de reditu ad terrenam Jerusalem, multo verius est de reditu ad coelestem Jerusalem, ubi multo notior est magnitudo divinae bonitatis, et ubi est tabernaculum non manufactum et altare aureum, in quo igne perfectissimae charitatis sese totos offerunt omnes cives Jerusalem in holocaustum Deo. Veniamus ad verba psalmi: *Te decet hymnus Deus in Sion*, idest convenit omnino, ut populus tuus tibi Deo suo laudes canat *in Sion*, idest ubi nota est magnitudo tua, non in terra aliena, ubi Dii lignei et lapidei, aurei et argentei laudantur. *Et tibi reddetur votum in Jerusalem*, idest convenit quoque ut idem populus tibi solvat vota gratiarum actionis in Jerusalem, ubi nota sunt beneficia tua ; et vota sacrificiorum, ubi est templum et altare tuo nomini dicatum, non in Babylone, ubi nec agnoscantur beneficia tua, neque sunt templa et altaria, nisi idolorum: nam *omnes Dii gentium daemonia*, ut dicitur in psal. 95. In hebraeo pro verbo *decet*, est nomen *silentium*. Sic enim vertit s. Hieronymus, *tibi silentium laus Deus in Sion*. Sed septuaginta interpretes viri doctissimi per vocem, דמיה *dumi a*, non existimaverunt significari *silentium*, quod deducitur a verbo דום *dum*, sed convenientiam, ut sic loquar a verbo דמה *dama*, quod significat *assimilari*. Similitudo enim nihil est aliud, nisi conformitas et convenientia unius ad aliud. Laus autem convenit maxime bonitati et ideo soli Deo, propriissime convenit laus quia solus Deus propriissime bonus est, dicente Domino, *nemo bonus nisi solus Deus*, Luc. 18. Sed tamen vox *silentium*, quamvis non sit ex mente septuaginta interpretum, tamen utilissimum documentum continet: nam laus Dei quae ore cantatur, deberet sequi ex praecedenti silentio, atque attenta admiratione magnitudinis Dei: qui enim cantant absque praevio tali silentio, *labiis Deum honorant, cor autem eorum longe est a Deo*, ut dicitur Isai. 29. Itaque recte dicitur, *tibi silentium laus Deus in Sion*, idest, tibi Deus primum convenit tacita admiratio magnitudinis tuae: deinde constituto corde in hoc silentio, debetur tibi laus in Sion, et votum in Hierusalem. Porro vox, *Jerusalem*, non habetur in hebraico codice, sed vel excidit vitio librariorum, vel addita est ab interpretibus explicandi gratia.

2. *Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.*

Eo quod debetur Deo laus in Jerusalem, orat populus, ut sibi concedatur ex captivitate redire in Jerusalem ad ipsum Deum laudandum : et non solum optat sibi reditum concedi, sed ut omnes homines convertantur ad Deum, et veniant per fidem in Jerusalem, quae est in terris, idest, ad Ecclesiam, et postea per visionem in Jerusalem, quae est in coelis: sicut enim *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, 1. Timoth. 2. sic etiam populus Dei cupit et orat, ut omnes homines veniant ad Deum agnoscendum et laudandum. *Exaudi*, inquit, *orationem meam* quae est, ut te auxiliante quam citissime canam tibi hymnum in Sion, et reddam tibi votum in Jerusalem. *Ad te omnis caro veniet*, idest si me exaudieris, non ego solus, sed omnes homines ad te laudandum, et vota tibi reddenda venient. Id enim cupio et peto, et quod in me erit, verbis et exemplo, ut id fiat laborabo. Quod omnis caro per figu-

ram intellectionis omnes homines significet, perspicuum est ex multis Scripturae locis, Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Joelis 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Isai. 40. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Matth. 24. *Nisi brevitatis fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Joan. 17. *Dedisti ei potestatem omnis carnis.* S. August. per omnem carnem intelligit omne genus hominum, quia de omni genere aliqui veniunt ad Deum per fidem et salvantur, videlicet, ex divitibus, ex pauperibus, ex doctis, ex indoctis, ex viris, ex foeminis, ex judaeis, ex romanis, ex graecis, ex barbaris, etc. *Non enim omnium est fides, neque omnium est salus; sed eorum, qui praeordinati sunt ad vitam aeternam* ut dicitur Act. 13. In hebraeo habetur, *donec tibi omnis caro veniat*: sed septuaginta interpretes non legerunt, עדיך *hadecha, donec tibi*; sed עליך *halecha, ad te*, et haec est verior lectio.

3. *Verba iniquorum praevaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu propitiaberis.*

Haec est altera ratio, cur populus Dei petat a Deo liberationem de captivitate, et reditum in patriam, quia videlicet ex peccatis parentum traditus sit in captivitatem: qui enim erant in Babylone cum soluta est captivitas, fere omnes in captivitate nati erant, ac per hoc parentum peccatis captivitatem suam tribuere poterant: sicut nos omnes captivitatem sub diabolo primis parentibus debemus. *Verba iniquorum praevaluerunt super nos*, idest, mala opera iniquorum parentum nostrorum praevaluerunt super nos filios eorum, nosque gravaverunt jugo durissimae captivitatis: sed *tu* Pater misericordissimus *propitiaberis impietatibus nostris* quas a parentibus haereditavimus, et quas ipsi eorum exempla imitati superaddidimus. Quod autem per *verba*, interpretati simus, *opera*, nemo mirabitur, qui in Scripturis versatus sit. Sic Luc. 2. *Videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis.* Psal. 21. *Verba delictorum meorum.* Psal. 104. *Posuit in eis verba signorum suorum.* 2. reg. 1. *Quid est verbum, quod factum est, indica mihi.*

4. *Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.*

Haec est tertia ratio, cur populus Dei desideret, et oret revocari in patriam: quae ratio ducitur a foelicitate patriae. *Beatus*, inquit, *est* omnis ille, *quem tu elegisti ab aeterno*, et assumpsisti in tempore ad tantam dignitatem, ut sit civis sanctorum, et domesticus Dei, *Is enim, inhabitabit in atriis tuis*, idest, in domo tua manebit: ponitur enim pars pro toto, atrium pro palatio.

5. *Replebimur ia bonis domus tuae, sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.*

Bona spe fretus populus Dei, jam numerat se inter beatos illos, qui habitabunt in domo Dei ac dicit in ea domo se bonis omnibus abundaturum, imo ita satiandum, ut nihil desideret amplius: hic enim versiculus etiamsi utcumque convenire possit terrenae Jerusalem, vel ecclesiae militanti; tamen absolute soli coelesti patriae convenit. *Replebimur*, inquit, *in bonis domus tuae*, idest, replebimur ex bonis domus tuae, ut nihil nobis desit, quod foris quaerendum sit. Quid enim boni deesse poterit in domo illius, qui fecit omnia, cui serviunt omnia, qui erit omnia in omnibus, in quo sunt thesauri bonorum infiniti? De hoc dicitur in psalm. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum*, et in psalm. 16. *Satiabimur, cum apparuerit gloria tua. Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.* In illa sancta civitate Jerusalem hoc erit prorsus mirabile et amabile, quod nos in Deo habitabimus tamquam in templo; ipse erit domus nostra et nos domus ejus, juxta illud, *Manete in me, et ego in vobis*, Joan. 15. Et illud, *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.* 1. Joan. 4. Et si haec reciproca mansio inchoatur in via, certe multo magis perficitur in patria. Porro *templum hoc Dei sanctum est mirabile in aequitate*, idest, in justitia, ut vox hebraea, בצדק *betsedek*, demonstrat. Mirabile enim valde erit videre homines in peccato natos et peccatis ita obnoxios, ut de illis diceretur psal. 13. *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum*: et Prov. 24. *septies in die cadit justus*: et psal. 142. *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: qui tamen postea ad illam sanctitatem, justitiamque perveniunt, ut neque peccatum ullum habeant, neque habere possint, et evadant in templum sanctum, cujus sanctitatem, et justitiam ipsi etiam sancti angeli admirentur in coelis. In hebraeo pro, *mirabile*, habetur, נוראות *noraoth*, terribile. Sed quoniam admirabilia terrorem venerationis incutiunt, recte septuaginta Interpretes, *mirabile*, posuerunt ut indicarent, *terribile*, quod legitur in hebraeo, non esse terribile, quia terreat, sed quia admirationem magnam pariat.

6. *Exaudi nos Deus salutaris noster. spes omnium finium terrae, et in mari longe.*

Redit ad orationem, et adfert novum motivum, ut exaudiri debeat, videlicet quia Deus Salvator est, et in eo sperant omnes gentes. *Exaudi*, inquit, *nos Deus*, dum a te petimus liberationem a captivitate, et revocationem in patriam; exaudiri autem petimus confidenter, quia *tu es salvator noster*, quippe qui saepe ab hostibus, et persecutoribus nos salvasti: tu etiam *es spes omnium finium terrae*, idest, in te sperant omnes gentes totius terrae usque ad ultimos ejus fines: nec non tu spes es *in mari longe*, idest omnium habitantium Insulas maris longissime positas. Haec dicit Propheta praevidens conversionem omnium gentium ad cultum veri Dei: et dicit in praesenti, *Tu es spes omnium finium terrae*, quia Prophetis erant praesentia, quae in se futura erant.

7. *Praeparans montes in virtute tua, accinctus potentia qui conturbas, profundum maris, sonum fluctuum ejus.*

Addit aliam rationem a potentia Dei maxima, cui facile est, si velit, populum suum de captivitate liberare, atque ad patriam, unde pulsus fuerat, reducere. Ostendit autem omnipotentiam Dei ex duobus contrariis: nam Deus omnipotentia sua ita firmiter stabilivit terram, ut montes ejus nulli venti commovere possint: et contra ita fecit elementum aquae liquidum, et mobile, ut quavis aura moveatur. *Praeparans montes in virtute tua*, idest, tu es Deus, qui praeparasti, sive stabilivisti (utrumque enim significat vox hebraica, כון *cun*) montes altissimos in virtute tua, *accinctus potentia*, idest, potentia tua firmasti montes, quia accinctus es potentia, id est, ab omni parte circumdatus et armatus potentia. *Qui conturbas profundum maris. sonum fluctuum ejus.* In hebraeo habetur, *qui mitigas sonitum maris sonitum fluctuum ejus.* Sed Septuaginta videntur non legisse, משביח *masbiach*, quod est *mitigans*, sive *compescens*, sed מבעית *mabahith*, quod est, *conturbans*, et nunc sensus erit, tu conturbas profundum maris, excitans sonitum fluctuum ejus. At si non videatur verisimile Septuaginta legisse, *maunhith*, pro *maunhith*, pro *masbiach*, ut textus graecus et latinus cum hebraeo conveniant et unus explicetur per alium; per illud verbum *conturbas*, non erit intelligenda *commotio et concitatio* tempestatis maris, sed *comminatio et terrefactio*, qua compescatur fremitus maris: quo modo Dominus comminatus est mari turbato dicens, *tace obmutesce*, Marc. 4. Confirmatur haec expositio ex eo quod idem verbum, *conturbas*, refertur etiam ad sonitum fluctuum ejus. *Qui conturbas*, inquit, *profundum maris: et conturbas sonitum fluctuum ejus*: non recte autem diceretur, qui conturbas sonitum fluctuum, nisi sensus esset, Qui terrendo et comminando compescis sonitum turbati maris. In hebraeo eadem vox habetur, שאון *sceon*, cum dicitur in latino, *profundum*, et cum dicitur, *sonitus*; quare per profundum intelligere debemus hoc loco, *fremitum maris*, qui ex imo mari erumpit, denique per sonitum fluctuum, altiorem vocem quam fluctus turbati maris emittunt, illud etiam non est omittendum, in hebraeo haberi omnia in tertia persona, *praeparans montes in virtute sua*, Deus videlicet, accinctus potentia, conturbans, sive compescens fremitum maris, sonitum fluctuum ejus. In editione latina habentur in secunda persona, sed sensus est omnino idem.

8. *Turbabuntur gentes et timebunt, qui habitant terminos a signis tuis, exitus matutini et vesperae delectabis.*

Quemadmodum versiculo superiore potentiam Dei Propheta ostenderat ex montium stabilitate et fluctuatione maris: ita in hoc versiculo demonstrat sapientiam Dei, qui coelestibus signis nunc terret, nunc exhilarat humanum genus. *Turbabuntur*, inquit, *gentes*, omnes videlicet gentes universae terrae. Id quod explicat clarius, cum subjungit, *et timebunt, qui habitant terminos*, idest, turbabuntur, et timebunt omnes homines, usque ad illos qui habitant terminos terrae. Turbabuntur autem, et timebunt *a signis tuis*, idest, a coruscationibus tonitruis, et fulminibus coelestibus, juxta illud, 1. reg. 2. *Formidabunt Dominum adversarii ejus, et super ipsos in coelis tonabit*: nihil est enim horribilius, et formidolosius et quod fortissima etiam pectora metu concutiat, et dissolvat, quam fulmen coeleste. Sed idem Deus per ortum, et occasum solis humanum genus mirifice recreat: nam oriente sole refectis artubus homines laeti ad opera exeunt et occidente sole fatigati respirare incipiunt; et rursum nihil jucundius ortu fulgentissimi et pulcherrimi luminis: nihil item delectabilius conspectu coeli, syderibus innumerabilibus, quasi gemmis pretiosissimis, ornati. *Exitus*, inquit, *matutini, et vesperae delectabis*: idest, exortum aurorae, et crepusculi vespertini delectabiles facies. In hebraeo, pro, *turbabuntur gentes*, habetur, *multitudo gentium*; sed septuaginta Interpretes non legerunt, המון *hamon*, quod multitudinem significat; sed, המו *hamu*, quod significat turbati sunt. Illud autem, delectabis, in Hebr. est, תרנין *tharnin*, quod *laudare*, sive *jubilare facies*: quod intelligi debet efficienter, non formaliter: dicitur enim aurora, et vespera *laudare*, seu *jubilare*, quia facit homines prae laetitia exultare, et laudare. Sicut etiam cum dicitur in textu latino, *Delectabis exitum matutini et vesperae*, intelligi debet per figuram, quia exortus aurorae et vesperae delectat homines illa varietate, et vicissitudine noctium, ac dierum. Miratus sum, cur quidam ex recentioribus, vir doctus scripserit, pro voce *exitum*, in hebraeo esse vocem, quae ad solum diei exortum referatur, et non possit referri etiam ad exitum noctis: nam, מוצא *motsah*, *exitum* in genere significat a verbo, יצא *iatsa*, quod est exire. Et si exitus in hebraeo significaret ortum diei, non fuisse opus addere, בקר *boker*, quod tempus matutinum significat, ut re vera in textu hebraeo est additum. Sic enim habetur ad verbum, *exitus ipsius mane, et ipsius vesperae laudare facies.*

9. *Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.*

Laudavit potentiam, et sapientiam Dei, nunc adjungit laudes bonitatis, sive beneficentiae ejusdem, quae maxime ostenditur in admistione terrae et aquae, ex qua oriuntur omnes fructus terrae, sine quibus haec vita non ducitur. Terra enim si non irrigetur aquis, et aqua nisi misceatur terrae, nihil omnino producit. *Visitasti*, inquit, *terram*, quae per se *erat inanis, et vacua*, sed visitatione tua facta est foecunda et plena: visitatio enim Dei efficax est, et non simplex visio, sed provisio. Explicat quomodo visitavit terram, dum adjungit, *et inebriasti eam*, idest, aquis ad satietatem irrigasti, et hac irrigatione *multiplicasti locupletare eam*, idest, multum valde illam locupletem et copiis omnibus refertam reddidisti.

10. *Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est praeparatio ejus.*

Explicat idipsum clarius: per flumen rivi aquarum intelligendi sunt: nam in hebraeo est, פלג *peleg*, quod divisionem significat. Itaque sensus est, *Flumen Dei*, idest, rivi aquarum a Deo effecti ad irrigandam terram pleni sunt aquis, ex divina providentia et benignitate: sic enim ita *tu Deus praeparasti cibum eorum*, idest, hominum et animantium caeterorum: *quoniam ita est praeparatio ejus*, idest, quoniam sic fundata et disposita est terra, ut per aquarum irrigationem foecundetur et fructus suos pariat.

11. *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus in stillicidiis ejus laetabitur germinans.*

Rursus aliis, atque aliis verbis idem beneficium Dei extollit. Sed hoc loco per *rivos* intelliguntur sulci terrarum, ut ex hebraeo textu perspicitur; et textus quem sanctus habuit Augustinus, *sulcos ejus legit.* Ait igitur, *rivos ejus inebria*, idest, perge Domine et sulcos terrae abundanter riga fluentibus aquis et sic *multiplica genimina ejus*, herbas, fruges, plantas: *in stillicidiis ejus*, idest, pluvia Dei super cadente *laetabitur* terra *germinans.*

12. *Benedices coronae anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate.*

Benedicendo benefacies totius anni revolutioni, quae instar *coronae* variis floribus ornatae a tua benignitate quasi semper renovatur, et ex hac benedictione *campi tui* a te conditi et foecundati *replebuntur* abundantia omnium bonorum.

13. *Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur.*

Nec solum campi ratione et satione culti replebuntur ubertate frugum, sed etiam loca deserta, quae solis pascuis deserviunt et speciosa prae caeteris sunt ex multitudine, et varietate herbarum et florum, quae sponte funduntur a terra; *pinguescent coelesti rore, et colles* pariter deserti et inculti herbescente viriditate ita vestientur; ut ex omni parte laetari, et exultare videantur.

14. *Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.*

In summa foecunditas erit maxima et multiplicatio tum pecorum, tum frugum. In hebraeo sic legitur ad verbum, *Induti sunt agni pecore*, idest, pusillus grex, qui quasi nudus ob paucitatem videbatur, *tanta multitudine pecoris circumdabitur, ut vestitus multiplici indumento videatur. Induti sunt arietes ovium*, idest, ovibus multiplicatis vestiti sunt arietes, sive agni, qui pauci antea erant. Alii tamen referunt haec verba ad vellera, quibus induuntur pecora, quando bona pascua inveniunt. Sed qui ita exponunt, non considerant verba hebraica, quae non habent, *arietes ovium*, sed, *arietes*, sive potius, *agni pecore sive ove induti sunt. Et valles abundabunt frumento*, idest, loca deserta abundabunt pecore et valles cultae abundabunt frumento: omnia autem, sive colles, sive valles, sive campi exculti, sive deserti, sive pecora, sive fruges, suo modo *clamabunt* in laudem Dei, imo etiam quodammodo *hymnum canlabunt* conditori, et benefactori suo. Porro res omnes creatae specie sua clamant, et canunt: ut homines quorum usui deserviunt et mente, et voce Deum laudent, eique perpetuo gratias agant. Haec omnia sanctus Propheta in laudem potentiae et sapientiae et bonitatis Dei cecinit; ut inde argumentum duceret, quo probaret, sperandum esse et cum fiducia petendam liberationem a captivitate, et revocationem in patriam. Sed possunt etiam mystice exponi de vocatione gentium et beneficiis Dei in ecclesiam, ut s. Augustinus et Theodoretus tradit: qui Theodoretus recte Judaeos redarguit, quod fabulentur, haec omnia impleta fuisse in terra Palaestinae post reversionem ex captivitate: tantum enim abest, ut post reditum ex Babylone terra illa foecundior fuerit et beatior, ut potius in deterius semper abierit.

PSALMUS LXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Canticum Psalmi Resurrectionis.

Non habetur in hebraeo nomen *Resurrectionis* neque legitur apud Hilarium: et Theodoretus testatur non esse in editione Septuaginta Interpretum, sed postea additum. Legitur tamen a sanctis patribus Hieronymo et Augustino in commentario hujus psalmi: et videtur haec unica vox, a quocumque addita sit, prudenter addita, ut indicaret argumentum enim psalmi est gratiarum actio pro beneficiis Dei, sed potissimum pro perfecta foelicitate post omnes finitas calamitates: quod sine dubio in resurrectione erit.

EXPLICATIO PSALMI LXV.

1. *Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.*

Invitat ad jubilandum, et psallendum Deo omnem terram, idest, omnes electos ex universa terra vocatos, quia communis erit causa laetandi in communi resurrectione justorum. Tria vult exhiberi, jubilum, sonum psalterii, et vocem humanam. Jubilum, quod magis in affectu, quam in verbis positum est, recte tribuitur Deo, *Jubilate Deo*: Deo enim, qui spiritus est, spirituale desiderium maxime convenit. Sonitus psalterii debetur nomini, idest, famae, sive gloriae Dei, *psalmum dicite nomini ejus*, vel ut clarius habetur in hebraeo, *psallite gloriae ejus*, idest, pulsate psalterium in gloriam ejus. Denique vox humana divinae laudi tribuenda est, *Date gloriam laudi ejus*, idest, nolite gloriam vobis sumere, vel tribuere, sed totam date laudi ejus; vel ut habetur in hebraeo, *ponite gloriam in laude ejus*, idest, haec sit gloria vestra Deum perpetuo laudare, et in ejus laudibus gloriari.

2. *Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine? in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.*

Haec est materia laudis Dei, opera summae potentiae, et sapientiae. *Dicite Deo*, dum eum laudare vultis, *quam terribilia sunt opera tua Domine*, idest, opera tua prae magnitudine sua terrorem omnibus incutiunt. *In multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui*, idest, tanta est virtus et potentia tua, ut mendaces ostendat omnes inimicos tuos, qui te multo etiam minora non posse jactabant: exempla sunt in Scripturis non pauca. Psal. 77. *Male*, inquit, *locuti sunt de Deo dixerunt, numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Deus autem in multitudinem potentiae suae fecit, ut tanta multitudo coturnicum deferretur in desertum, ut omnibus abunde sufficeret, atque hoc modo mendaces eos ostendit, et ut mendaces terribiliter punivit, ut dicitur in eodem psalmo et fusius in lib. Num. capit. 11. item lib. 4. reg. 7. cum Elisaeus Propheta tempore gravissimae famis dixisset, *Audite verbum Domini, cras modius similae statere uno vendetur in porta Samariae*: Dux quidam respondit, *etiamsi Deus faciat cataractas in coelo, non poterit verum esse quod dicis.* Sed Deus in multitudine virtutis suae mendacem illum ostendit. Vere enim sequenti die tanta fuit abundantia rerum omnium, ut modius similae statere uno in porta Samariae venderetur; et Dux qui contra Deum mentitus fuerat, in ipsa porta conculcatus a populo transeunte miserrime periit. Simile est mendacium Judaeorum adversus Christum, cum pendenti in cruce insultarent, *Si filius Dei es, descende de cruce.* Ille autem in multitudine virtutis suae fecit miraculum longe majus, quia surrexit de sepulchro, quod est multo majus, quam de cruce descendere. Itaque mendacii coarguit inimicos suos potentia virtutis suae. Posset etiam cum Theodoreto dici, *in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici*, hoc significare multos fore qui mentiantur Deo se illius esse cultores ob metum terribilium operum ipsius: multos item Christi fidem, non sincero, sed ficto corde suscepturos propter eamdem rationem.

3. *Omnis terra adoret te, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.*
4. *Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.*

Iterum excitat Propheta universos homines, qui terram incolunt ad Deum vero corde adorandum et laudandum. Atque ut majore affectu id faciant, hortatur ad consideranda opera Dei, qui terribilis

est in consiliis rerum agendarum, supra omnes filios hominum.

5. *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi laetabimur in ipso.*

Ponit duo exempla operum mirabilium Dei, quae nullo humano consilio unquam fieri potuissent. *Qui convertit*, inquit, *mare in aridam*, hoc est primum opus, quod narratur Exod. 14. Fecit enim Deus, ut siccaretur mare rubrum, ut filii Israel libere pertransirent. *In flumine pertransibunt pede*, hoc est alterum, quod refertur, Josue 3. Rursus enim Deus fecit, ut Jordanis fluvius siccaretur, ut filii Israel non ponte, aut navicula, sed pede flumen trajicerent. *Ibi laetabimur in ipso*, id est, ubi haec facta sunt, ibi laetati sumus in ipso, non in nobis gloriati sumus, quasi nostra haec essent opera; sed in Deo laetati, et gloriati sumus, Deumque laudavimus, ut narratur Exod. 15. utitur autem Propheta tempore futuro pro praeterito; nisi forte hoc loco uti voluerit verbo futuri temporis, ut indicaret miracula illa praeterita fuisse figuras majorum miraculorum futurorum. Majus enim miraculum est, quod homines transeant mare amarum hujus saeculi, quod in maligno positum est et transmittant flumen temporalitatis, et mortalitatis hujus, quae numquam stat, et plurimos absorbet, et suffocat, et perveniant vivi, et salvi ad terram aeternae promissionis et ibi laetentur in ipso Deo ipsum videntes facie ad faciem: et tamen hoc majus miraculum ita facit per gratiam suam Deus, ut multi jam transeant per hoc mare, quasi per aridam et flumen pertranseant pede, idest, facillime temporalia omnia, sive bona, sive mala despicientes, idest, nec bonis adhaerentes, nec mala pertimescentes, ut securi perveniant usque ad ipsam coelestem Jerusalem, ubi laetabimur in ipso, non spe gaudentes, sed ipso in aeternum fruentes.

6. *Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi ejus super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.*

Haec videtur digressio ad impios, qui Deo subjici, eumque laudare contemnunt. Eos enim admonet omnipotentiae, et omniscientiae Dei, ut vel timore poenae resipiscant. *Qui dominatur*, inquit, *in virtute sua in aeternum*, idest, ille, qui ex potentia sua non aliunde accepta, sed sibi propria, dominatur aeterno imperio, is quoque videt omnes gentes, et ex alto speculatur omnia. Ideo *qui exasperant* tam potentem, et sapientem Dominum, *non exaltentur in semetipsis*, non superbiant, non glorientur de suis viribus, quia non effugient manus omnipotentis, et omnia videntis Dei.

7. *Benedicite gentes Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus.*

Illa digressione praemissa, repetit exhortationem, quam in primo, et in tertio versiculo posuerat. Itaque tertio jam invitat omnes gentes ad benedicendum Deo nostro, qui solus est verus Deus, et ad praedicandas laudes ejus tam clara voce, ut ab omnibus audiatur.

8. *Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos.*

Aperuit nunc caussam, cur tanto ardore cupiat Deum ab omnibus laudari, quia videlicet de maximis periculis vitam suam liberavit. *Qui posuit animam meam ad vitam*, idest, laudari cupio Deum, qui fecit, ut anima mea non periret, et qui me tutabare et labi non permisit. Haec dicuntur ab electis, qui post multas variasque tentationes ad portum salutis tandem aliquando perveniunt. Per *animam*, intelligitur totus homo, quod frequens est in Scripturis sanctis: ac ut alia loca omittamus, in lib. Gen, cap. 46. plusquam sexies ponitur anima pro toto homine. Illud autem, *posuit*, significat ordinavit, sive praeordinavit, vel praedestinavit, ut sensus sit, Qui me praeordinavit ad vitam, sive qui me posuit in numero eorum, qui victuri sunt in aeternum. Quod autem sequitur, *Et non dedit in commotionem pedes meos*, ad donum perseverantiae pertinet; quod est proprium praedestinatorum ad vitam: quos enim Deus praedestinavit, eos etiam conservat, protegit, ac dirigit, ut non cadant ad dexteram, vel sinistram. In hebraeo habetur, *animam nostram, et pedes nostros*, in numero multitudinis. Sed idem est sensus: nam per, *animam meam et pedes meos*, non intelligitur unus tantum homo, sed unus populus, coetus videlicet omnium Electorum.

9. *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argumentum.*

Variis metaphoris explicat Propheta tribulationes justorum; ac primum metaphora fornacis probantis argentum, ut significet, justis a Deo permitti tribulationes, non ut laedantur, sed ut probentur, vel probati, et puri, sinceri, fideles ostendantur. Ignis enim paleas consumit, argentum et aurum puris reddit: et palea in igne fumat, argentum in igne lucet. Hinc angelus sanctus dicit Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*, et Sap. 3. *Deus tentavit illos et invenit eos dignos se, tamquam aurum in fornace probavit illos*. Et Ecclesiastici 27. *Vasa figuli probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis*. Et 1. Petri 1. *Ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur*.

10. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.*

Descendit nunc ad particulares afflictione sub aliis metaphoris. *Induxisti nos in laqueum*, idest, in captivitatem nos tradidisti hostibus nostris, in vincula, in catenas, in compedes, in carceres. Sicut enim aves, et ferae, cum laqueis comprehen-

duntur, libertate sua privantur; ita dici possunt homines induci in laqueos cum captivi effecti, carceribus includuntur, vel catenis et vinculis constringuntur. *Posuisti tribulationes in dorso nostro*, idest, nos more jumentorum onerari, et caedi verberibus permisisti: quibus oneribus, et verberibus intelliguntur varii labores, et dolores, quos sancti in hoc mundo ab impiis pertulerunt, ut cum ad metalla fodienda, ad marmora secanda, ad onera pro extruendis aedificiis portanda, aliaque id genus laboriosa opera facienda, non sine flagellis et verberibus adigebantur. *Imposuisti homines super capita nostra*, idest, fecisti ut homines pedibus suis capita nostra calcarent, quasi nobis jure belli devictis, et triumphatis. Sed haec etiam metaphora est, qua per similitudinem conculcationis capitum devictorum significatur tyrannica, et crudelis potestas principum in miseros subditos. Nam principes modesti, et aequi praesident quidem capitibus subditorum, sed ita leviter premunt, ut onus obedientiae suaviter ferri possit: Tyranni vero et laevi, atque inhumani principes, quales erant persecutores Christianorum et quondam Pharao Aegyptius, et Nabuchodonosor Assyrius, ita premunt subditos exactionibus, edictis, poenis, ut respirare non possint. Hoc versiculo Propheta miro artificio personas Justorum toto corpore afflictas demonstravit: nam laquei ad manus, et pedes; onera et verbera ad dorsum, conculcatio ad capita pertinent.

11. *Transivimus per ignem, et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.*

Haec est ultima metaphora, qua Propheta pulcherrimis similitudinibus sub aspectum ponit supplicium sanctorum. Ignis enim, et aqua contraria sunt; ignis ardet, aqua congelatur; ille acerrimus, ista mollissima; ignis desiccat aquam, et aqua extinguit ignem: quare si ignis dolore afficit hominem aqua consolari, et mulcere deberet. Et tamen in poenam justorum servorum Dei, ignis, et aqua conjurasse videntur, ignis consumendo, aqua suffocando. Igitur, per ignem, intelliguntur acriora supplicia, flagella, vulnera, caedes, combustio: per aquam supplicia lenta, sed diuturna, ut exilia, carceres, nuditas, fames. Sanctus tamen Augustinus per ignem, intelligit omne genus angustiarum, et molestiarum contristantium hominem: per aquam vero omne genus voluptatum, et abundantiam temporalium bonorum, quae spiritum suffocant. Sed sicut ignis consumit lignum, non aurum; sic etiam aqua corrumpit, et putrefacit lignum, non aurum: et sicut aurum per ignem purgatur a scoria, sic idem aurum per aquam lavatur a sordibus. Itaque justi et sancti, qui sunt auro similes sine detrimento transeunt per ignem, et aquam, quia in tribulatione patientiam, in prosperitate modestiam servant. Sed filii hujus saeculi similes ligno putrido in igne consumuntur in aqua suffocantur: quia impatientes in tribulatione murmurant, maledicunt, blasphemant: dissoluti in prosperitate mollescunt, luxuriantur, superbiunt. Dicunt igitur Electi, *transivimus per ignem et aquam et eduxisti nos in refrigerium:* quoniam etiamsi in coelesti patria non deerunt ignis et aqua tamen ille ignis calefaciendo recreabit, non comburendo consumet et illa aqua sitim extinguet, non vitam. Ita utrumque suo modo refrigerabit, id est, erunt in coelo ardores charitatis, erit ignis divinus foeliciter consummans, non consumens; perficiens, non destruens, transformans in Deum, non convertens in cineres: erit aquarum abundantia, erit ubertas bonorum aeternorum, erunt gaudia immensa et ineffabiles jucunditates, sed non mollem, aut pigrum efficient animum, non carnis adversus spiritum concupiscentiam nutrient; denique refrigerando delectabunt, non obruendo suffocabunt.

12. *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.*

Haec videtur esse conclusio ex iis, quae dicta sunt, quasi dicat, *tu eduxisti nos in refrigerium postquam transivimus per ignem et aquam. Introibo*, igitur *in domum tuam*, ad quam te Duce, te defensore perveni. Introibo autem *in holocaustis*, id est, offeram sacrificium gratiarum actionis: holocaustum est enim proprie ad gratias agendas pro acceptis beneficiis. Et vere holocaustum nusquam perfectius offertur quum in coelo, ubi sancti omnes totos se offerunt Deo in igne perfectae charitatis, nulla parte animae repugnante: tota enim actio, totum negotium in coelo erit laudare Deum. *Reddam tibi vota mea, qua distinxerunt labia mea*, idest, ista oblatio holocausti debita est, quoniam id vovi dum essem in tribulatione positus. Itaque introibo in domum tuam cum holocaustis, ut sic reddam vota mea, quae non alius pro me, sed ego ipse labiis meis distincte promisi. S. Augustinus more suo ad aedificationem populi psalmos exponens, notat, illud *distinxerunt*, significare distinguenda esse vota, ut placeant Deo. Distinctio autem talis esse debet, ut confiteamur nos Deo indigere, Deum bonorum nostrorum non egere, nos mutabiles, illum immutabilem, nos creaturas, illum creatorem; nos ex nobis nihil esse, illum ex se perfectum esse.

13. *Et locutum est os meum in tribulatione mea.*
14. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.*

Explicat quae vota voverit in tribulatione sua; et dicit se vovisse sacrificia pinguia omnium pecorum, quae in holocaustum secundum legem offerri possunt. Ea vero tria tantum erant, arietes, boves, et hirci. Sed nomine arietum intelliguntur etiam agni, et nomine boum intelliguntur, etiam vituli et nomine hircorum intelliguntur etiam hoedi. *Et locutum est os meum in tribulatione mea*, idest, hoc est quod dixi, *reddam vota*, quae distinxerunt labia mea, quia locutum est os meum dum tribularer et auxilio Domini indigerem, atque illius opem cum lachrymis implorarem. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum*, idest, immolabo tibi agnos pingues et medullis plenos cum bono odore ex arietibus pariter in holo-

caustum oblatis: *offeram tibi boves cum hircis*, idest, ad holocaustum agnorum et arietum addam holocaustum vitulorum et hircorum. In textu graeco legitur, *holocausta medullata offeram tibi cum incenso et arietibus*: et sic legit etiam s. August. et per incensum intelligit thus. Sed s. Hieron. in epist. ad Suniam et Fretellam improbat hanc lectionem et veram lectionem esse dicit, *cum incenso arietum* (ut nos in nostra latina editione habemus) cui concordat lectio hebraica: per incensum autem non intelligitur thus, sed odor, qui ex incensis arietum carnibus emanat; qui odor suavissimus dicitur Levitici 1. Odor autem ex incensis carnibus sacrificiorum suavissimus dicebatur, quoniam figura erat odoris vere, ac proprie suavissimi patientiae et humilitatis, obedientiae et charitatis filii Dei, qui ut patrem glorificaret et mundum redimeret *humiliatus est usque ad mortem, morte autem Crucis*, Phili. 2. Dicuntur vero holocausta medullata, quae offeruntur in coelis, actiones gratiarum, confessiones, et laudes ex intimo corde et ex pinguedine verae charitatis profectae.

15. *Venite, audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animae meae.*

Hortatur in fine psalmi Propheta in persona beatorum electorum Dei nos omnes, ut intelligamus beneficia Dei in sanctos collata et quid illi contra rependerint, ut eos imitantes similia beneficia recipiamus, et ad eamdem quietem et gloriam aliquando perveniamus. *Venite*, inquit, *audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animae meae*, idest, venite omnes qui timetis Deum et audite et ego narrabo vobis quanta fecit animae meae: oratio enim in hebraeo et graeco textu perturbata est quantum ad ordinem verborum, et latinus Interpres non est ausus ordinem codicum originalium commutare. Vocat *timentes Deum* quoniam *timor Domini est initium sapientiae*, psal. 110, ipse solvit pedes, ipse aperit aures: proinde, qui nullo Dei timore tangitur, frustra vocatur ut veniat, vel ut audiat.

16. *Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.*

Hoc est primum donum Dei quod animae suae datum dicit electorum coetus, qui in hoc psalmo loquitur. *Hoc*, inquit, *fecit Deus animae meae*, dedit fidem, et spiritum orandi. *Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt*, inquit Apostolus Rom. 10. Igitur ex dono fidei cognovi miseram captivitatem, in qua detinebar, cognovi liberatorem et redemptorem, et sic *ad ipsum ore meo clamavi*. Addit deinde secundum beneficium *et exaltavi sub lingua mea*, idest, non solum oravi, sed etiam laudavi Deum meum, et pro acceptis beneficiis gratias egi, ut rursum alia mererer accipere quae mihi deerant. Atque hoc totum, ut laudarem et orarem, ipse fecit, ut facerem. Quamvis autem illud, *sub lingua mea*, vel *in lingua mea*, idem sit quod lingua mea, vel in lingua mea: tamen annotavit sanctus Augustinus fortasse dictum, *sub lingua*, ut intelligeremus, justum non solum lingua ad aures hominum, sed etiam *sub lingua*, in silentio ad aures Dei, exaltare solitum ipsum Deum.

17. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

Hoc est beneficium tertium, quod accipit a Domino, ut videlicet Deo illuminante cognosceret quid sit, quod impedit, ne oratio exaudiatur. *Iniquitatem*, inquit, *si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus*. Aspicere iniquitatem in corde, est in secreto cordis diligere iniquitatem, sive aspicere ad concupiscendum eam, quomodo dicitur in evangelio, Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*. Multi enim et verbis et factis videntur odisse peccata, reprehendunt, et puniunt peccatores; et ipsi tamen in secreto cordis, ubi nemo videt quid agatur, cum delectatione aspiciunt iniquitatem et si impune possent, exercerent. Hos hypocritas non exaudit Dominus, sed eos exaudit, qui ex corde iniquitatem odio habent, et si forte peccant, confitentur peccata sua, et medicum quaerunt, a quo sanentur, et quoniam tales sunt omnes electi, ideo subjungit Propheta in persona populi electi.

18. *Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meae.*

Propterea exaudivit Deus, quia ipse scrutatur corda et vidit mihi serio displicere peccata, meque non *aspicere iniquitatem in corde*, sed faciem cordis avertere ob omni iniquitate. *Et attendit voci deprecationis meae*; quia vidit me attendere voci praeceptorum suorum, non voci serpentis praevaricationem suadentis.

19. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam a me.*

Ergo *benedictus sit*, et in perpetuum laudetur *Deus*, qui tanta fecit animae meae, quorum summa est, *quod non amovit a se orationem meam*, nec amovit *a me misericordiam suam*. Ita misericordia ejus perseverante mecum perseveravi et ego in via mandatorum ipsius et perseverantiae praemium jam obtinui, liberationem a captivitate et reditum in coelestem Jerusalem. Sanctus Augustinus paulo aliter exponit et quamvis fortasse non omnino ad litteram tamen utilissime ad mores. Vult igitur illud, *non amovit deprecationem meam*, sic intelligi, *non amovit a me deprecationem meam*, id est, fecit ut non intermitterem unquam orationem et per hoc implerem dominicum praeceptum. *Oportet semper orare, et numquam deficere*. Luc. 18. Est autem insigne donum Dei, perseverantia in oratione, quia securum reddit hominem de perseverantia miserationis. Cum videris, inquit sanctus Augustinus, non a te amotam deprecationem tuam securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus.

PSALMUS LXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem, in hymnis Psalmus Cantici David.

In hebraeo codice non habetur nomen David, et ideo non desunt qui auctorem hujus psalmi nolint esse Davidem: sed cum in codice graeco et latino habeatur, et sic legant Hilarius, Hieron., August., et alii in commentariis in psalmos, credibile est, aut ex codice hebraico vocem illam excidisse, vel a septuaginta interpretibus additam fuisse, ne quis suspicaretur psalmum non esse a Davide compositum, quia non legatur nomen ejus in titulo. Argumentum psalmi est expressio desiderii vehementis, quo David tenebatur videndi adventum Messiae, et redemptionem generis humani, juxta illud Luc. 10. *Multi prophetae et reges, voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt*: existimo enim Dominum loqui de Prophetis, qui simul etiam reges fuerunt; alioqui non dixisset, *multi prophetae*. sed omnes prophetae. Nomine autem regis intelligendi videntur omnes principes, qui regium jus in populum suum habebant, quales fuerunt Adam. Noe, Abraham. Isaac, Jacob. Moses, Job et alii, qui simul prophetae fuerunt, et Christum videre desideraverunt: sed inter omnes excelluit David, qui proprie rex, et propheta fuit, et desiderium Messiae in multis psalmis expressit, sed in hoc potissimum, qui totus in hoc desiderio explicando consumitur.

EXPLICATIO PSALMI LXVI.

1. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.*

Vox optantis et desiderantis est, quasi dicat, utinam *Deus misereatur nostri* secundum magnam illam misericordiam, qua mittat ad nos, quem missurus est. Et ex hoc affectu misericordiae paternae *benedicat nobis*; benedictio autem sit non solum ubertas temporalium rerum, sed *illuminatio vultus sui super nos*. Illuminatio vultus Dei super nos multa significare potest. Primum enim dicitur Deus *illuminare vultum suum super nos*, quando remotis nubibus irae, et indignationis sereno vultu nos respicit ut filios, ut amicos, ut ad gratiam revocatos. Deinde dicitur etiam *illuminare vultum suum super nos*, quando nos illuminat, et calefacit, sapientiam, et charitatem infundens, quomodo Sol iste corporalis facere solet, quando nullis nubibus tegitur. Denique dicitur *illuminare vultum suum super nos*, quando praestat, ut eum, quasi remoto velamine, intueamur, quod maxime praestitit, quando per Incarnationis mysterium *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, ut dicitur Baruch 3. Atque hoc videtur hoc loco petere sanctus propheta, ut Deus vultum suum, si non in forma Dei, saltem in forma hominis nobis ostendat. Quod etiam petiit cum ait in psal. 79. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse.* Et quoniam haec est misericordia, quam initio petiit, ideo repetit, *et misereatur nostri*, idest, et sic, illuminando videlicet vultum suum super nos, misereatur nostri. In hebraeo habetur haec repetitio, *et misereatur nostri*, neque legitur a s. Augustino, et s. Hieronymo: tamen habetur in Codice graeco et legitur a s. Hilario, ab Euthymio, et aliis.

2. *Ut cognoscamus in terra viam tuam in omnibus gentibus salutare tuum.*

Haec est ratio, cur tanto ardore desideretur illuminatio vultus Dei, ut in lumine illo divino cognoscamus in hac terra tenebrosa viam Dei, idest, viam ad patriam, a qua tamdiu peregrinamur ambulantes in tenebris, et umbra mortis: haec autem via sine dubio Christus ipse est, qui ait Joan. 16. *Ego sum via*, et non solum via, sed etiam lux, qua via ipsa cognoscatur; de qua dixit Isaias cap. 9. et explicuit s. Matthaeus cap. 4. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. In omnibus gentibus salutare tuum*. haec est explicatio verborum superiorum. *Ut cognoscamus in terra viam tuam*, idest ut cognoscatur inter omnes gentes Salvator tuus: clarius habetur in hebraeo, *ut nota fiat in terra via tua, in omnibus gentibus salvator tuus*: quod etiam Isaias praedixit cum ait, *videbit omnis caro salutare Dei*: ut refert s. Lucas cap. 3.

3. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.*

Quoniam desiderium prophetae secundum veram charitatem ordinatum erat, cupiebat Christum venire in terras: primum propter gloriam Dei, de-

inde propter utilitatem generis humani. Ideo de gloria Dei dicit, *confiteantur tibi populi Deus*: deinde adjungit, *laetentur et exultent gentes* etc. Ait igitur, *confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes*, idest, ob hoc tam insigne, et tam universale donum, omnes populi confiteantur tibi confessionem laudis, et gratiarum actionis. Cesset cultus, et veneratio falsorum Deorum; tibi uni vero Deo ab omnibus populis honor divinus habeatur.

4. *Laetentur et exultent gentes, quoniam judicas populos in aequitate et gentes in terra dirigis.*

Post laudem Dei agnoscatur etiam utilitas populorum, ideo *laetentur et exultent gentes*. omnes videlicet homines gaudeant, *quoniam*, tu Deus per Christum tuum *judicas populos in aequitate*, idest, ablato jugo tyrannicae potestatis principis tenebrarum harum, regnum justissimum in Ecclesia tua constituisti. *Et gentes in terra dirigis*. Regens eas, et dirigens per saluberrimas leges tuas ad portum aeternae salutis. In hebraeo et graeco codice haec habentur in futuro, *quoniam judicabis populos in aequitate, et gentes in terra dirige*s. Sed non ideo falsum est, quod habetur in latino, quoniam etsi haec futura erant, tamen prophetа spiritu Dei videbat ea tamquam praesentia. S. Augustinus refert ad ultimum judicium id quod dicitur *judicabis populos in aequitate*, et ad praesentis vitae directionem, quod additur, *gentes in terra diriges*. ut sensus sit : *laetentur et exultent gentes*. quoniam si quid mali hic ab hominibus patiantur, veniet tempus quo tu Deus judicabis populos in justitia : et interim gentes tibi subjectas, et devotas in terra diriges.

5. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.*

Iterum repetit exhortationem, ut populi omnes Deum laudent et addit novam rationem ; quoniam *terra dedit fructum suum*, idest, quoniam jam tandem terra protulit fructum suum illum, cujus gratia facta erat, idest, Christum in carne. *Hic est enim fructus terrae sublimis*, de quo dicitur in cap. 4. Isaiae, *erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terrae sublimis*. Et in psalmo 84. *Et terra nostra dedit fructum suum*, tantus enim hic fructus fuit, ut comparatione ejus nihil unquam terra nostra protulisse videatur, nisi spinas, et tribulos. Utitur autem Propheta tempore praeterito pro futuro, quoniam in ejus praenotione jam factum erat, quod nobis futurum praedicebat. Potest tamen hic versiculus cum sancto Augustino exponi de fructu bonorum operum, quem homines habitantes in terra facturi erant per gratiam Christi reconciliati et justificati ; de quo dicit Apostolus ad Tit. 2. *Qui tradidit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem factorem bonorum operum*. Terra enim olim arida et sterilis, idest, genus humanum pro peccatum primi hominis gratia Dei destitutum, non nisi spinas et tribulos, id est, peccata vel opera inutilia ad salutem germinare noverat ; sed a sole justitiae postea calefacta, et imbrae doctrinae coelestis compluta per Jesum Christum, qui et sol, et verbum est, foecunda effecta producere coepit fructum bonum justitiae, fidei et operum sanctorum, quibus merces deberetur corona justitiae, et bravium salutis aeternae.

6. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.*

Ergo deinceps haec sit grata vicissitudo, ut Deus aperiat manum suam, et impleat nos benedictione, idest, copia bonorum omnium, praecipue spiritualium et coelestium: et contra, omnes homines usque ad ultimos terrae fines habitantes, Deum verum timeant timore sancto, reddentes ei tributum obedientiae et laudis usque in aeternum. Porro trina illa repetitio nominis Dei, quae in hoc versiculo habetur, quamvis affectum prophetae significet, tamen insinuat etiam mysterium sanctissimae Trinitatis, quae per Christum et Apostolos manifestissime praedicata est.

PSALMUS LXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus Cantici ipsi David.

Argumentum hujus psalmi volunt aliqui esse victoriam Ezechiae de Assyriis, aut aliquam aliam similem, quae post tempora Davidis contigerit : quoniam in hoc psalmo fit mentio templi Domini, dum dicitur, *a templo, quod est in Jerusalem*, quod tamen post mortem Davidis a Salomone ejus filio extructum fuit; sed hoc argumentum non convincit : nam tabernaculum Domini, quod erat in Silo, et postea in Jerusalem, templum dicitur, 1, reg. 3. vers. 3. *Samuel dormiebat in templo* ; et habetur eadem vox hebraica, היכל *hechal*, quae habetur in hoc psalmo. Alii volunt, psalmum compositum et decantatum, quando translata est arca Domini in Jerusalem, quod ea ratione confirmant, quia verba primi versus, *exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus*, dici solebant, quando elevabatur arca, ut alio transferretur, ut notum est ex cap. 10. Num. Alii totum psalmum referunt ad Chri-

stum resurgentem et ascendentem in coelum, et ad ecclesiam, quae est corpus ejus, ut s. Augustinus et Euthymius. Sed s. Hilarius, et qui eum sequitur s. Hieronym., docent in hoc psalmo decantari mysteria utriusque Testamenti, quod verissimum nobis esse videtur, cum negari non possit, in hoc psalmo describi descensum Domini in montem Sina ad legem populo dandam; et Christi ascensionem in coelum, et alia id genus mysteria. Est autem psalmus plenus figuris, et metaphoris, et poeticis descriptionibus admirabilibus, ut propterea, quanto est pulchrior, tanto sit etiam difficilior: augent vero obscuritatem lectionum varietates, et dissentiones, quae inter codices hebraicos et graecos, ac latinos esse videntur.

EXPLICATIO PSALMI LXVII.

1. *Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus.*

Haec sunt verba quae a Moyse dici solebant, cum elevaretur arca, et populus migrare inciperet: quibus verbis Moses precabatur Deum, ut arca exurgente et praecedente populum, ipse quoque surgere dignaretur, et defensione sua, ac protectione sacrum populum redderet. David igitur Mosem imitatus, et praevidens Christi resurrectionem, per quam arca humanitatis ejus elevanda erat, et ipse Dux futurus erat omnibus electis ad terram verae promissionis, dicit, *exurgat Deus*, idest, resurgat a mortuis Christus Deus, et sic elevetur arca, et populum Dei praecedat ad coelestem Jerusalem: sic exponunt communiter patres, Hilarius, Hieronymus, Augustin. et alii. *Et dissipentur inimici ejus*, idest, judaei, qui dixerunt, *nolumus hunc regnare super nos*, Luc. 19. Atque hoc jam impletum videmus: nulla enim gens magis dissipata est per omnes terras, quam judaeorum. *Et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus*, idest et doemones inimici ejus jam devicti et superati fugiant a facie Dei, Christi videlicet triumphantis, et per resurrectionem verum se Deum esse demonstrantis.

2. *Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera a facie ignis: sic pereant peccatores a facie Dei.*

Celeritas, et facilitas, quae praesentia Christi dissipat peccatores, non poterat aptius depingi, quam similitudine sumi, qui a vento dispergitur; et cerae, quae coram igne liquescit, atque consumitur. Quod si per peccatores intelligantur doemones, quod dicitur, *pereant*, significat interitum, virium et roboris, non substantiae: et hoc modo intellexisse hos duos versiculos s. Antonium testis est s. Athanasius, qui describens vitam ejus, dicit eum, cum a doemonibus oppugnaretur cantare solitum, *exurgat Deus*, etc. quod si ad homines referatur haec sententia; tunc sensus erit, homines peccatores, qui justos injuste persequuntur, maxima celeritate et facilitate a Deo tollendos de medio.

3. *Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in laetitia.*

Iniquis persecutoribus deturbatis hoc sequitur, ut justi fruentes praesenti auxilio Dei, securi *epulentur*, idest, reficiantur, alimonia tum corporali. tum spirituali. *Et exultent coram Deo*, idest, gestiant prae gaudio, sed ea modestia et gravitate, quae decet eos, qui sciunt se a Deo semper videri, utpote in conspectu ejus jugiter constitutos: *et delectentur in laetitia*, idest, et ex ea laetitia delectationem capiant, ut non sit eis necessarium ob inopiam consolationis coelestis, carnalem, atque mortiferam quaerere voluptatem.

4. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.*

Haec dicuntur ad Apostolos, aliosque primos fideles ex sententia non solum veterum latinorum, sed etiam graecorum, Theodoreti, et Euthymii. *Cantate Deo* vos primitiae credentium. *Psalmum dicite nomini ejus*, laudate Deum voce, et opere vos, qui digni facti estis cognitione tantorum mysteriorum. *Iter facite ei, qui ascendit super occasum*, idest, parate viam Domino praedicationibus vestris. ut is qui jam ascendit super occasum, qui supergressus est omnem corruptionem et mortalitatem, et habitaturus est per fidem in cordibus omnium gentium, per vestras praedicationes aditum apertum, et paratum inveniat. *Dominus enim nomen est illi*, et ideo jure suo regnare debet. Dominus autem est, quia condidit et redemit. Quod attinet ad verba, iter facere, hoc loco non est ambulare, sed ponitur iter pro via, ut sensus sit, facite viam ubi non est, parate transitum liberum removendo impedimenta, quomodo dicitur, Isa. 40. *Parate viam Domino*: et declaratur cum additur, *omnis vallis implebitur, omnis mons et collis humiliabitur*: quod spiritualiter significat, debere pusillanimes erigi in spem salutis, et superbos deprimi ad humilitatem terrore divini judicii. Illud, *qui ascendit*, non significat ascendere in altum, sed equitare, sive curru vehi, idest ascendere super rem aliquam eam conculcando pedibus equorum, aut rotis currus. Id patet ex hebraica voce, רכב *rocheb*. Illud *super occasum*, hebr. est, בערבות *haharaboth*, *super vesperam*, sive *tenebras noctis*, vel etiam *super desertum*: quae omnia significant corruptionem mortalitatis, quae plena est tenebris et ariditate. Dicitur igitur Christus resurgens ascendere super occasum, quia quodammodo equitat, et curru invehitur super omnia mortalia, triumphans de morte, de tenebris, de deserto mundi hujus inferioris; et sic exponunt non solum patres

citati, sed etiam s. Gregorius in homilia de ascensione Domini.

5. *Exultate in conspectu ejus: turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.*

Vos qui paratis viam Domino, *exultate in conspectu ejus*: nec timeatis eos, qui vos turbant persecutionibus suis : nam et ipsi *turbabuntur a facie ejus*, idest, tempore suo, cum dies *judicii venerit*, aut etiam antea, quod tempus opportunum Deo esse videbitur, gravissime *turbabuntur a facie iræ Dei*, qui est *Pater orphanorum, et judex viduarum*, idest omnium desolatorum et afflictorum. In hebraico textu desunt illa verba, *turbabuntur a facie ejus*, et legitur, *exaltate in conspectu ejus, Patris orphanorum, et judicis viduarum*. Unde aliqui existimant in graecis et latinis codicibus esse duplicem interpretationem illius sententiae, *exultate in conspectu ejus*. Nam verba hebraica literis paululum immmutatis, possunt etiam facere hanc sententiam, *turbentur a facie ejus*. Sed non video, cur non possimus dicere excidisse ex textu hebraico illa verba, *turbabuntur a facie ejus*. Id enim facilius est, quam ut septuaginta interpretes in eodem loco duplicem interpretationem posuisse credantur.

6. *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.*

Quia dixerat propheta, Deum esse patrem orphanorum, et judicem viduarum, ut ostendat se potissimum loqui de orphanis, et viduis spiritualibus, de iis videlicet hominibus, qui non agnoscunt in terris patrem, neque sponsum, sed Deum solum habent pro patre, et sponso, et in illo solo confidunt, eum solum diligunt, ad ejus visionem suspirant, ideo addit, *Deum habitare in loco sancto suo*, idest, in mentibus horum peregrinorum in terra aliena: et ipsum esse, qui facit sibi hanc domum, *dum habitare facit unius moris in domo*. Verbum hebraicum, pro quo nos habemus, unius moris, est, יחידים *jechidim*, quae vox proprie significat unitos, et ideo recte verterunt septuaginta, *unius moris*, idest, unius sensus, unius voluntatis, unius fidei, spei, dilectionis, quales erant in Jerusalem primi Christiani, qui dicebantur esse *cor unum, et anima una*, Actor. 4. sed potest etiam eadem vox significare *unicos*, et *solitarios*, ut sanctus Hieronym. vertit, et tunc sensus erit. *qui habitare facit unicos et solitarios*. destitutos aliorum auxilio, facit, inquam, habitare *in domo sua* sine timore et periculo, quia ipse Pater orphanorum eos protegit. Potest etiam sensus esse secundum alios, *qui habitare facit unicos in domo*, idest, faciat ut qui unicus erat, multa prole procreata, amplam familiam habere incipiat. Denique non est absurdus sensus eorum, qui haec referunt ad monachos, qui relictis mundi curis solitarii habitant. Isti sensus veri sunt omnes et unus alium non destruit : sed primus videtur maxime litteralis, et eum sequuntur omnes fere patres, graeci et latini, qui hunc locum tractaverunt, qui etiam per unius moris interpretantur, unanimes. Sic exponit s. Hilarius, sic etiam s. Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et alii.

7. *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.*

Declarat magnam pietatem Dei, qui non solum unanimes facit habitare in domo, sed etiam *educit vinctos in fortitudine*, idest ligatos vinculis peccatorum educit de captivitate in fortitudine brachii sui ; et quod magis est admirandum *eos qui exasperant* per incredulitatem ipsum Deum, et qui *habitant* quasi jam mortui *in sepulchris* profundissimae iniquitatis, eos quoque potentia gratiae suae educit de sepulchris, reducit ad vitam, et habitare facit unanimes in domo. Notat autem s. August. discrimen inter vinctos, et sepultos : vincti enim dicuntur, qui ligati quidem sunt vinculis concupiscentiae et in peccatis haerent, sed cupiunt liberari ; et petunt auxilium. Sepulti autem dicuntur illi, qui cum in profundum malorum venerint, contemnunt salutem, et incredulitate sua Deum valde exasperant. Et tamen utrosque interdum magna Dei pietas emollit ad poenitentiam, et liberat a miseria illa diabolicae captivitatis, qua major non invenitur. Possunt etiam haec intelligi de liberatione a malis temporalibus, ut a captivitate Aegyptiaca, et Babylonica et similibus, et per sepulchra metaphorice intelligenda erunt loca arida deserti, ut sonat vox hebraica hoc loco posita, צחיחה *tsechichah*, quae locum arentem proprie significat: vel ipsa terra captivitatis, per sepulchra, intelligenda erit: quomodo Ezechiel. cap. 37. captivitatem Babylonicam non semel appellat sepulchra hebraeorum.

8. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.*
9. *Terra mota est, etenim coeli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.*

Jam ut credibiliora faciat Propheta beneficia redemptionis Christi, commemorat beneficia antiqua, quae figura erant futurorum beneficiorum. *Deus*, inquit, *cum egredereris in conspectu populi tui*, idest, cum coram populo tuo praecederes in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem : eo tempore cum pertransires in deserto, per transitum maris rubri, nunc *terra mota est, et etiam coeli distillaverunt, sed terra mota est a facie Dei Sinai, et coeli distillaverunt a facie Dei Israel*. Sic enim ordinanda sunt verba hujus versiculi. Porro terra mota est, quando tremere coepit a conspectu Dei descendentis in montem Sinai, ut perspicuum est ex lib. Exodi cap. 19. ubi dicitur, *eratque omnis mons terribilis*: nam pro voce, *terribilis*, est in hebraeo, *tremens, sive saliens*. Dicitur enim *Deus Sinai*, Deus qui apparuit in monte Sinai. Coelum autem distillavit quando pluit manna, et dicitur distillasse a facie Dei Israel, quoniam Deus in gratiam populi sui Israel fecit ut manna de coelo descenderet.

10. *Pluviam voluntariam segregabis Deus haereditati tuae, et infirmata est, tu vero perfecisti eam.*

Patribus in deserto coelum distillavit te jubente pluviam quamdam, idest, manna: sed *haereditati tuae*, idest, Ecclesiae tuae, quam tibi tamquam propriam haereditatem vindicasti, *segregabis pluviam voluntariam*; idest, pluviam spontaneam, quae ex se descendit: haec vero pluvia, gratia est Spiritus sancti, quae voluntaria, sive spontanea dicitur, quia non descendit ex meritis operum, quasi vaporibus terrae sursum elevatis, sed sponte sua Spiritus sanctus infundit corda fidelium aqua coelesti: et dicitur *segregata haereditati Dei*, quia bona temporalia sunt communia fidelibus, et infidelibus, sed gratia Spiritus sancti segregata est, ut detur solum fidelibus in Ecclesia, extra quam non est salus. Posset etiam per pluviam voluntariam intelligi doctrina coelestis, quae non solum voluntaria est respectu Dei, sed etiam (ut Theodoretus observavit) respectu hominum, qui eam recipiunt si volunt, rejiciunt si nolunt; *et infirmata est, in vero perfecisti eam.* Illud, *et*, ponitur pro, *quia*, ut sensus sit; *pluviam voluntariam segregabis haereditati tuae*, quia *haereditas tua infirmata est*, jam dudum, videlicet ob ignorantiam Dei et invalescentes concupiscentias debilitata erat, cum idolis serviret, et vitiis omnibus laboraret: sed tu per gratiam Spiritus sancti tamquam per pluviam salutarem confirmasti, et roborasti eam.

11. *Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

In ea haereditate, idest, Ecclesia, quae irrigatur aqua coelesti, *habitabunt animalia tua*, idest, oves pascuae tuae, quas pascendas, regendasque suscipies: ut enim Deus *parasti*, cibum videlicet *pauperi*, idest, egeno populo tuo, *in dulcedine tua*, idest, juxta bonitatem et misericordiam tuam, quae dulcissima est miseris, et egentibus.

12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.*

Declarat quis sit cibus, quem paravit Deus pauperi populo suo, ac dicit esse verbum suum. *Dominus*, inquit, *dabit verbum evangelizantibus*, idest, efficiet Deus, ut qui annunciant verbum Dei, quod est cibus animarum, abundent copia sermonis, *virtute multa*, idest, multa, cum efficacia, et libertate, ut non possint resistere et contradicere omnes adversarii eorum. Posset etiam per multam virtutem, intelligi efficacia signorum, et prodigiorum, quibus Deus praedicationem Evangelii confirmabat. In hebraeo habetur in foeminino genere, annuntiantibus, sed non est inusitatum apud hebraeos ponere genus foemininum pro masculino: nam in libro Ecclesiastae cap. 1. juxta hebraicum textum legitur, *verba concionatricis filii David, regis Jerusalem, vanitas vanitatum dixit concionatrix*, ubi ponitur *concionatrix* pro *concionator*. Itaque septuaginta, qui haec non ignorabant, recte verterunt, *evangelizantibus*. Illud autem, *virtute multa*, contendunt nonnulli vertendum fuisse, *exercitibus multis*. Sed non est necesse, ita vertere: nam vox צבא *tsaba*, significat exercitum, sed significat etiam robur, et fortitudinem: imo credibile est exercitum dici, צבא *tsaba*, sive virtutem, quia exercitus res est magnae fortitudinis, et multarum virium. Denique non solum septuaginta hoc loco verterunt, *multa virtute*, sive *potentia*; sed etiam s. Hieronymus vertit, *fortitudinis plurimae*. Quare inepta videtur expositio illorum, qui docent, in hoc versiculo significari, datum esse sermonem foeminis hebraeis, ut concinendo annunciarent victoriam exercitibus multis.

13. *Rex virtutum dilecti, dilecti et speciei domus dividere spolia.*

Hoc loco ridet Joan. Calvinus haeresiarcha in antidoto concilii Tridentini hanc lectionem editionis latinae vulgatae, et vult ipse legendum esse, *reges exercitum fugerunt fugerunt, et habitatrices domus diviserunt spolia.* Sed interpres latinus non ex hebraeo, sed ex graeco traducit psalmos; graecus autem textus (qui septuaginta interpretum esse censetur) habet idipsum, quod latinus interpres fideliter reddidit. Sanctus quoque Hieronymus non vertit, *fugerunt, fugerunt*, sed *foederabuntur, foederabuntur*. Proinde Calvinus ridere potuisset non solum editionem vulgatam, sed etiam interpretationem sancti Hieronymi et septuaginta virorum sapientissimorum: ipse pro tam impia temeritate deflendus potius, quam ridendus. Adde quod non est difficile videre quid in textu hebraico legerunt septuaginta interpretes, et eos recte vertisse hunc locum, et latinum interpretem eumdem locum fideliter reddidisse: ac primum pro, *rex virtutum*, in hebraeo duo sunt verba, quae si legantur, מלכי צבאות *malchi tsebaoth*, significant, *rex virtutum*, ut noster interpres vertit: si legantur cum aliis punctis, מלכי צבאות *malche tsebaoth*, significant *reges virtutum*, sive *exercituum*. Sed ut saepius diximus credibile est melius legisse septuaginta interpretes, quam Rabbinos, qui puncta literis addiderunt. Illud autem *dilecti*, in hebraeo nunc est, ידדון *Iddodun*, quod significat, *fugient*: sed septuaginta interpretes non habuerunt hanc vocem in suis codicibus, ut neque etiam sanctus Hieronymus: videntur enim septuaginta legisse, ידידות *jedidoth*, quod significat *dilectum*, haec enim vox habetur in titulo psalmi quadragesimi quarti, quam septuaginta verterunt, *dilecto*, et sanctus Hieronymus, *amantissimo*. Denique illud נות בית *nevath baith*, significat quidem *habitatricem domus*, sed significat etiam *mulierem speciosam* et *delicatam*, quae fere semper domi manet: et inde translato vocabulo, significat *speciem et pulchritudinem*, ut hoc loco non solum septuaginta, sed etiam b. Hieronymus reddiderunt, quibus major fides debetur quam Rabbinis, aut Calvino. Sensus igitur ex patrum expositione hic erit, *rex virtutum*, idest rex exercituum multorum, *dilecti, dilecti*, idest dilectissimi, Christi vi-

delicet, dilectissimi Deo et hominibus, *ipse dabit speciei domus*, idest ad speciem et decorem domus Dei, quae est Ecclesia, *dividere spolia*, gentium videlicet ad fidem Christi conversarum per evangelizantes Apostolos. Ubi verbum, *dabit*, subintelligitur ex versiculo praecedenti, ut hic sit integer sensus, *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, et ipse idem *Dominus rex xirtutum dilectissimi dabit ad speciem domus dividere spolia*. Illud autem dilectissimi, conjungitur cum nomine *virtutum*, *rex virtutum*, idest, exercituum, qui exercitus sunt, Christi filii Dei dilectissimi. Neque obstat, quod nomine regis, idem Christus intelligatur, nam phrasi hebraica consuetum est dicere, Christus rex exercituum Christi, pro quo nos diceremus, Christus rex exercituum suorum, ut notat s. Augustinus, et sunt exempla in scripturis plurima, ut Rom. 1. *Qui praedestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi*, idest, ex resurrectione ejus a mortuis ; et Exodi 16. *Dicit Moyses ad Aaron, sume vas*, etc. *sicut praecepit Dominus Moyses*, idest, sicut praecepit Dominus mihi. Denique in Pentateucho saepe legitur, *fecit Moyses* hoc, aut illud, *sicut praecepit Dominus Moysi*, id est, sicut praecepit ei Dominus. Porro rectissime dicitur Christus rex exercituum : nam Apoc. 19. *Vidit Joannes quemdam insignem equitem, qui habebat vestem sanguine aspersam, et nomen ejus erat verbum Dei, et sequebantur eum exercitus, qui sunt in coelo.*

14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.*

Hunc versiculum fateor obscurissimum esse: sed interim mirari satis non possum temeritatem recentiorum, quorum unus Calvinus est, qui sequuti Rabbinos legendum esse contendunt. *Si dormiatis inter medias ollas, eritis sicut pennae columbae, quae tecta est argento, et cujus alae tectae sunt auro.* Ad refutandam horum temeritatem sufficere deberet auctoritas s. Hieronymi, et septuaginta interpretum, quibus istae ollae numquam in mentem venerunt. Sed accedit, quod eadem vox habetur in Genesi cap. 49. ubi dicitur, *Issachar, asinus fortis accubans inter terminos* : quo loco septuaginta verterunt *inter medios cleros*, ut hoc loco. Sanctus Hieronymus utrobique vertit, *inter terminos*. Et huic loco nullo modo ollae interseri possunt ; cum sequatur : *Vidit requiem quod esset bona ; et terram, quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens.* Ubi per, *cleros*, sive *terminos*, intelliguntur, *fortes*, sive possessiones duae, inter quarum terminos contigit Issacharo possessio, sive haereditas: et quoniam ea visa est illi satis foecunda et pinguis, maluit laborare in cultura terrae et tributa pendere, quam bello excutere jugum dominantium. Adde etiam quod vox hebraica שְׁפָתַיִם *scephathaim*, habet numerum dualem, quo non utuntur hebraei nisi ad significandas res geminas, ut duo labia, duas manus, duos pedes, duos oculos, duas aures, duas malas et similia: ollae autem non sunt geminae ex natura sua, sed et una et plurimae esse possunt. Denique qui *inter ollas dormiunt*, non solent instar argenti dealbari, sed instar fuliginis denigrari. Igitur Calvino cum Rabbinis inter suas ollas dimisso, existimamus sensum hujus versiculi hunc esse : *si dormiatis inter medios cleros*, idest *si vos*, qui evangelizatis verbum Domini, *dormiatis*, idest quiescatis in medio duorum testamentorum, novi et veteris, acquiescentes videlicet veritati divinitus inspiratae Prophetis et Apostolis, tunc *pennae columbae*, idest ecclesiae fides et mores *erunt deargentatae* puritate sapientiae, et deauratae fervore charitatis. Nam per *duos cleros*, intelligenda esse duo testamenta, scribunt communi consensu latini, et graeci expositores, sanctus Augustinus, et sanctus Hieronymus, Theodoretus et Euthymius. Neque absurdum est per duos cleros, intelligi duo testamenta, quoniam clerus fortem, possessionem et haereditatem significat. Sunt autem Scripturae divinae possessio quaedam, et haereditas Ecclesiae. Quod si etiam per cleros intelligamus cum s. Hieronymo terminos; rectissime duo testamenta duo termini erunt, extra quos egredi non licet, nisi veritatis semitam perdere velimus. Possent etiam per duos cleros, intelligi possessio coelestis, et terrena. Debent enim praedicatores Evangelii non toti esse affixi contemplationi coelestium bonorum: neque toti addicti vitae activae, et operibus charitatis erga proximos, sed in medio utriusque fortis quiescere, et nunc per contemplationem erigi in Deum, nunc per charitatis obsequium descendere ad proximos. Potest denique cum s. Augustino sic exponi versiculus, *si dormiatis inter medios cleros*, si moriamini inter foelicitatem terrenam contemptam, et foelicitatem aeternam speratam, et nondum adeptam, tunc erunt *pennae columbae deargentatae*: quia quando sancti praedicatores perseverant usque ad mortem contemnentes terrenam foelicitatem, et sperantes aeternam, et sic dormientes dormitione mortis inter has duas haereditates constituti, tunc fama Ecclesiae quasi pennis deargentatis volat ubique, et exaltatur ac magnificatur.

15. *Dum discernit coelestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.*

16. *Mons coagulatus, mons pinguis; ut quid suspicamini montes coagulatos?*

17. *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.*

Descripsit Propheta praedicatores, per similitudinem dormientium inter cleros, et Ecclesiam, per similitudinem columbae deargentatae, et deauratae: nunc describit eosdem praedicatores per similitudinem regum a summo rege constitutorum, et Ecclesiam, per similitudinem montis altissimi can-

didi propter nives, et uberrimi propter abundantiam lactis. Selmon enim mons est altissimus, et ideo nivibus in vertice coopertus; sed in imo fertilis, cujus fit mentio in libro Judicum cap. 9. Ait igitur: *dum discernit coelestis reges super eam*, idest, dum *coelestis*, vel ut est in graeco, ἐπουράνιος *super coelestis*, et ut est in hebraico, שַׁדַּי *sciaddai, omnipotens*, Deus videlicet Christus rex coelestis, et omnipotens discernit, idest, dividit, ac segregat unicuique provinciae suum, *reges super eam*, idest, Apostolus super Ecclesiam per columbam antea designatam: *eos enim constituit principes super omnem terram*, psalm. 40. ut regnant ac dirigant populos. *Nivibe dealbabuntur in Selmon*, idest, tunc populi multi justificabuntur, et nigrore peccatorum in candorem justitiae commutato, super nivem dealbabuntur in Selmon monte altissimo, qui Ecclesiam significat. *Qui mons Selmon* est *mons Dei, mons pinguis*, quoniam Ecclesia est mons propter excellentiam dignitatis, et est *mons Dei*, quia in ea Deus habitat: elegit enim eam in habitationem sibi, et est *mons pinguis* ob abundantiam gratiae et donorum Spiritus sancti. Et est etiam *mons coagulatus*, et per hoc pinguissimus quia lac divinae gratiae non defluit, sed quasi coagulatus in ea semper manet. *Ut quid suspicamini montes coagulatos?* idest quare igitur suspicamini, vel opinamini esse alios montes, aeque coagulatos et pingues? quasi dicat, non est, quod existimetis esse alios montes aeque pingues atque hic Selmon. Hic enim est unicus *mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*: nec in eo habitabit ad tempus, ut fecit in monte Sinae *sed habitabit in finem*, idest semper. Haec videntur dici adversus haereticos, qui alias Ecclesias erigere conantur. Pro voce *suspicamini*, legunt aliqui *aemulamini*, vel *contenditis*, sed idem est sensus. Significant enim illae voces, frustra alios montes contendere cum isto monte, vel ei invidere. De hoc monte legimus apud Isaiam, cap. 2. *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent, ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus*: quae sine controversia intelliguntur de Ecclesia.

18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium: Dominus in eis in Sina, in sancto.*
19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.*
20. *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.*

Nunc comparat Propheta descensum Dei in montem Sina, ut daret legem veterem populo judaico, cum ascensione Christi in coelum, ut inde mitteret donum Spiritus sancti, et legem novam populo Christiano: quam comparationem facere videtur Propheta, ut ostendat, unde tanta abundantia lactis, et tantus candor Ecclesiae data sint. *Currus Dei decem millibus multiplex*, idest, currus quo vehebatur Deus, cum descenderet in montem Sina, erant *multa millia sanctorum angelorum*, quae omnia non erant gementia sub pondere, sed *laetantia* et plaudentia, prae voluptate vehendi Dominum. *Dominus enim in eis* sedens, fuit in *Sinai in monte sancto*. Quod autem sancti angeli sint, qui cum Deo descenderint in montem Sinai, dicitur apertius in Deuter. cap. 33. *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.* Quod autem currus Dei sint angeli, scriptura passim docet, cum ait psal. 79. *Qui sedes super Cherubim.* Porro illud, *decem millibus multiplex*, in hebraeo est unica vox, רִבְתַּיִם *ribbothaim*, quae proprie significat, *bis decem millia*, sed accipitur pro plurimis millibus. Itaque *decem millibus multiplex*, significat, plus decem millibus, idest, innumerabilis multitudo. Illud, *millia laetantium*, vertit s. Hieronymus, *millia abundantium*, et sic legit etiam ex graeco Euthymius, et interpretatur *millia abundantium virtute et gratia, et omnibus bonis*, quales sunt angeli beati, qui cum bonis omnibus abundent, laetissimi semper sunt. Sed vox hebraea, שְׁנָאן *scinan*, est vox quatuor literarum, et valde obscura, unde alii ex hebraeis putant significare *angelos*, alii *duplicata millia*, alii etiam vertunt nobiscum, *millia laetantium*. Quod sequitur, *ascendisti in altum*, sanctus Paulus de ascensione Christi interpretatur ad Ephes. 4. Itaque sensus est, Dominus olim descendit in montem Sina cum multis millibus angelorum; sed tu Messias *ascendisti in altum*, idest, in summum coelum, cepisti captivitatem, idest captivos diaboli fecisti captivos tuos; miseram captivitatem foelicissimam commutasti: et sic triumphator multis millibus sanctorum, quos ab inferis eduxisti, comitatus in regnum tuum intrasti. *Accepisti dona in hominibus*, idest accepisti a Patre dona Spiritus sancti *in hominibus*, idest pro hominibus a te redemptis, et ea dona a Patre accepta dedisti hominibus. Sic explicat s. Paulus, qui hunc locum his verbis refert, *ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Et est expositio conformis Evangelio: nam Joan. 14. dicitur, *ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.* Et cap. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Porro inter dona a Christo in terras effusa, praecipuum est charitas, quae est lex nova, dicente Apostolo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et ad Gal. 5. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax*, etc. Denique illud, *etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*, significat etiam incredulos per dona Spiritus sancti conversos esse ad Christum, et ad bonam captivitatem pertinere coepisse. Ubi illud, *etenim*, ponitur, pro, *etiam*: nam in hebraeo non est, כִּי *chi*, sed. אַף *aph*, quod significat *etiam, verumtamen, insuper.* Unde sanctus Hieronymus vertit, *insuper et non credentes inhabitare Dominum Deum.* Itaque sensus est, *cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*: etiam eos cepisti captivos, et pro iis accepisti dona, qui antea *non credebant Dominum Deum*

inhabitare in homine, idest non credebant, Verbum carnem factum esse, et inhabitasse in nobis : vel non credebant Dominum Deum inhabitare in monte sancto, idest, in Ecclesia Christianorum.

21. *Benedictus Dominus die quotidie : prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.*
22. *Deus noster, Deus salvos faciendi, et nomen Domini exitus mortis.*

Graeci conjungunt duo verba praecedentia cum hoc versiculo, hoc modo, κύριος ὁ θεὸς εὐλογητὸς, εὐλογητός τοῦ κατασκηνῶσαι, ἡμέραν καθ' ἡμέρας, *Dominus Deus benedictus Dominus*, et liniunt praecedentem versiculum in illis verbis, *etenim inhabitare*. Et sic legunt etiam s. Augustinus, et s. Hilarius. Sed noster interpres vertit conformiter ad hebraicum codicem. S.Hieronym. in Epist. ad Suniam, et Fretellam reprehendit lectionem graecorum, et confirmat nostram, ut veriorem. Igitur propheta posteaquam descripsit Ascensionem Christi, qui nobis dux fuit ad patriam coelestem agit gratias Deo, ac dicit, *benedictus sit Dominus per singulos dies*. Id enim significat, *die quotidie* ; nam interpres latinus reddidit ad verbum, quod invenit in graeco, sed in hebraeo est, יום, יום, *jom, jom. die, die*, idest *omni die* ; *sive de die in diem*. Benedicimus autem Deum omni die, quia omni die nobis benefacit; *prosperum iter faciet nobis*, idest, benefaciet nobis omni die, quia non deseret nos in hoc itinere, quod facimus omni die, donec ad aeternitatis diem pervenerimus. Vox hebraica, יעמס *jahamos*, significat, *portabit*, quam unam vocem expressit interpres tribus vocibus : *prosperum iter faciet*, vere enim prospere ambulat, qui portatur a Deo. In graeco est etiam unicum verbum, κατευοδώσαι, quod significat *prosperare iter*, complanando videlicet viam et impedimenta removendo. Itaque promittitur hoc loco continua assistentia gratiae Dei, dum peregrinamur a Domino, *Deus salutarium nostrorum*, idest, prosperabit nobis iter Deus, qui est auctor totius nostrae salutis: non enim indigemus simplici salute, sed multiplici, qui multiplici periculo sumus obnoxii. *Deus noster. Deus salvos faciendi*, idest non sine causa dixi, Deum prosperaturum iter nobis, et salutes multas allaturum : nam hoc est illi proprium, haec est ejus natura ; ipse enim Deus noster, est Deus salvans, Deus misericors et pius. *Et Domini, Domini exitus mortis*, idest, et ab ipso provenit evasio mortis, sive egressio a morte. Pro illud, *Domini, Domini*, in hebraeo sunt duo nomina: unum quatuor literarum, יהוה quod est proprium Dei, et in scripturis non pronunciatur, sed loco ejus legitur, Adonai; alterum nomen est, אדני Adonai quod Dominum significat. Itaque sensus est, *et Dei nostri*, qui est verus Dominus omnium rerum, *sunt exitus mortis*, idest liberatio a morte, sive evasio mortis. Ipse enim est vita aeterna, et eam nobis communicabit, cum finita peregrinatione transferet nos de morte ad vitam.

23. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.*

Docuit, quid faciet Dominus amicis suis : docet nunc, quid faciet inimicis, qui increduli permanserint, atque a regno ejus alieni esse voluerint. *Confringet*, inquit, *Deus capita inimicorum suorum*, idest, superbiam inimicorum suorum humiliabit, dum eos ad inferos aeternis cruciatibus puniendos damnabit. *Verticem capilli perambulantium in delictis suis*. Idem aliis verbis repetit, ac declarat more suo propheta: nam quod dixerat, *capita*, nunc dicit, *verticem capilli*: idest, verticem crinitum, superbum ac vanum confringeret. Quod dixerat, *inimicorum*, nunc dicit, *perambulantium in delictis suis:* illi enim soli sunt inimici Dei, qui non ambulant in lege Domini, sed in delictis suis, hoc est, qui tempus vitae suae peccando consumant. Paulo aliter exponit s.Hilarius: vult enim per capita inimicorum Dei intelligi principes tenebrarum, idest, principes Doemonum, quos Dominus dicit *perambulare verticem capilli* idest, insidere, et dominari capitibus hominum impiorum, ut eos ad varia delicta alliciant.

24. *Dixit Dominus, ex Basan convertam, convertam in profundum maris.*
25. *Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

Confirmat Deus sententiam Prophetae de perditione impiorum. *Dixit Dominus, ex Basan convertam convertam, in profundum maris*, idest, ego Dominus abstraham inimicos meos ex Basan regione uberrima et pinguissima, et *projiciam in profundum maris*, ut olim egi cum Pharaone. Convertam videlicet impios a deliciis, et voluptatibus in ultimam perditionem, tantaque erit hostium strages, *ut pes tuus*, o populi meus, *tingatur in sanguine occisorum*, et lingua canum tuorum tingatur ab ipso sanguine ex inimicis effuso. Haec mihi videtur sententia apte cohaerens cum superioribus. In hebraeo habetur, ממצלות ים *mimmetsuloth iam, ex profundis maris*, quae videtur lectio contraria lectioni nostrae editionis vulgatae, quam tamen habuerunt s. Hilarius, s. August. et s. Hieron. in commentario. Et quamvis in hebraeo sit praepositio, מן *min*, quae significat *ex*, vel *ab*: tamen ponitur aliquando pro, ב *beth*, quae significat, in, et contra, *in* ponitur pro, *ab*: nam Ecclesiastae 2. ubi legimus, *cogitavi abstrahere a vino carnem meam*, in hebraeo est, *in vinum*. Sed s. Hieron. recte judicavit, in, positum esse pro, a, vel, ab, et contra Deut. 33. ubi legimus, *Dominus de Sina venit*, Rabbi David existimavit positum esse, *de*, pro, *in*, quia *Dominus in Sina montem venit*, non de Sina, quando legem dedit. Scio hos versiculos varie explicari; et tot esse expositiones, quot sunt auctores. Ideo in tanta obscuritate licitum mihi esse duxi, novam

expositionem excogitare, quam lectorum judicio permitto.

26. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.*

Explicata victoria, et triumpho Christi de hostibus ejus, docet propheta, eos, qui testes fuerunt tantarum rerum coepisse illa toti mundo cum cantu, et laetitia publicare. *Viderunt*, inquit, *ingressus tuos Deus*, idest, non desunt qui viderint itinera tua, Christe Deus, actiones tuas, praelia tua, victorias tuas, *ingressus*, inquam, *tuos, qui es Deus meus, et rex meus, qui nunc es in sanctuario tuo*, sive summum coelum, sive Ecclesiae sanctum habitaculum ejus dicatur: nam utrumque est verum; est enim Christus in coelo per praesentiam visibilem, in Ecclesia per fidem, et providentiam.

27. *Praevenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.*

Alludit propheta ad id quod fecerunt filii Israel, quando Deus liberavit populum suum de manu Pharaonis: tunc enim Moses principes populi cum aliis filiis Israel cantavit canticum illud, Exod. 15. *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Et Maria soror Moysis, cum sequentibus se mulieribus sumpsit tympanum, et ludebat laudans Deum.* Exod. 15. Sic igitur quando viderunt principes Ecclesiarum Christi victoriam et triumphum, quo de potestate Satanae liberati sumus, *praevenerunt ipsi alias gentes et populos*, ut Christi laudes praedicarent, et resonarent. *Conjuncti psallentibus, idest, conjuncti sanctis angelis in coelo* psallentibus ob eamdem victoriam, *in medio juvencularum tympanistriarum*, idest, psallentibus angelis in medio animarum sanctarum, quae cum Christo in coelum ascenderunt, quae dicuntur juvenculae, quoniam recens vitam beatam ducere, et cum Angelis Deo assistere, eique psallere et cantare coeperunt.

28. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.*

Hic versiculus est quasi parenthesis, qua Propheta praevidens futuram laetitiam principum ecclesiae, hortatur eos, *ut in Ecclesiis*, quas fundaturi erant, pergant *benedicere Domino Deo, de fontibus Israel* materiam laudis haurientes; vocat autem *fontes Israel* promissiones Dei ad Patriarchas, et vaticinia Prophetarum praedicentium ea, quae nunc impleta esse videmus, et gaudemus. Illud, *Deo Domino*, legi debet cum distinctione hoc modo: *In Ecclesiis benedicite Domino Deo, de fontibus Israel*, idest, *benedicite Deo in Ecclesiis*, benedicite inquam, *Domino de fontibus Israel.* Sic enim distinguitur hic versiculus in codicibus hebraicis et hoc modo distinctus majorem habet venustatem.

29. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.*

30. *Principes Juda, duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephtali.*

Redit ad superiorem narrationem et explicat qui sint illi principes, de quibus dixit, *praevenerunt principes.* Isti, inquit, sunt *Beniamin adolescentulus principes Juda, et principes Zabulon et Nephtali*, per quae nomina intelligunt communiter latini patres, Hilarius, Hieronymus et Augustinus, et graeci expositores, Theodoretus et Euthymius, sanctos Apostolos qui constituti sunt a Deo Principes super omnem terram psal. 44. ac primo loco nominatur *Beniamin adolescentulus*, per quem intelligitur Apostolus Paulus, qui erat de tribu Beniamin et qui novissimus fuit vocatione, *sed plus omnibus laboravit* praedicando et laudando victoriam Christi: et *is in mentis excessu* ita conjunctus fuit psallentibus in tertio coelo, et in paradiso ut nesciret *an tunc in corpore esset, vel extra corpus*, ut ipse testatur 2. Corinth. 12. Per *principes Juda*, intelliguntur Apostoli, qui erant de tribu Juda, et Christi fratres dicuntur in Evangelio, quod essent filii Cleophae fratris Joseph, sponsi b. Virginis ut ex Egesippo refert Eusebius, lib. 3. hist. cap. 11. juxta versionem Ruffini videlicet Jacobus, Simon, Judas et principes Zabulon et Nephtali dicuntur Apostoli caeteri, Petrus et Andreas Jacobus, Joannes, Philippus, Matthaeus, et caeteri, qui erant a Bethsaida, vel Capharnaum et vicinis civitatibus, ad sortem Zabulon, et Nephtali pertinentibus, quod colligitur ex Evangelio sancti Matthaei, qui scribit cap. 4. *Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilaeam, et relicta civitate Nazareth habitavit Capharnaum maritima in finibus Zabulon et Nephtali, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam et Terra Zabulon et terra Nephtali via maris trans Jordanem Galilaeae gentium; populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est eis:* sed quoniam ea captivitate non redierunt decem tribus, sed sola tribus Juda et Beniamin cum Levitis, ut colligitur ex lib. 1. Esdrae: Apostoli dicuntur principes Zabulon, et Nephtali, vel quia in sortibus horum duorum Patriarcharum habitabant; vel quia forte pauci aliqui ex iis tribubus redierint admixti Judaeis: quod cogimur dicere de Anna Prophetissa, quae dicitur fuisse de Tribu Aser, Luc. 2. Miratur Calvinus haeresiarca in antidoto Concilii Trident. quid cogitaverit Interpres noster Latinus, quando vertit, *Beniamin adolescentulus in mentis excessu*, cum in hebraeo non habeatur, *in mentis excessu*, sed *dominator eorum.* At nos miramur, Calvinum non cogitasse, a Latino Interprete redditum fidelissime fuisse, quod est in graeco: vulgata enim latina editio psalterii ex graeco expressa est, non ex hebraeo. Sed neque dissentit lectio graeca, vel latina ab hebraica bene intellecta, ut eam intellexerunt septuaginta Interpretes. Vox enim hebraica, רדם *rodem*, si deducatur a verbo, רדה *radah*, significat *dominator eorum*, ut Calvinus dicit secutus Rabbi-

nos; si deducatur a verbo, רדם *radam*, ut eam deduxerunt septuaginta Interpretes, significat *altissime dormiens*,sive *mentis excessum patiens*. Ero illo autem, *duces eorum*. vertunt alii, *in purpura sua*: sed vox hebraica, רגמתם *rigmatham* utroque modo reddi potest, et sensus est idem.

31. *Manda Deus virtuti tuae;confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

Descripta victoria Christi et laetitia Apostolorum, petit a Deo Propheta, ut potentiam suam, quam exercuit in superandis hostibus, et constituenda Ecclesia, iterum exerceat in confirmando, et conservando opere suo. *Manda*, inquit, *virtuti tuae*, idest, impera potentiae tuae, ut operi inchoato assistat, illudque conservet, et augeat. Explicat deinde hoc ipsum clarioribus verbis,dicens, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*, idest, liberasti nos de potestate Satanae, transtulisti in regnum filii tui, plantasti Ecclesiam sanguine ejusdem filii tui, effudisti in nos Spiritum adoptionis filiorum; *confirma haec omnia*, quae opera sunt misericordiae tuae. In hebraeo habetur, *Mandavit Deus tuus virtuti tuae*:sed vox hebraica , צוה אלהיך *tsivva elohecha*,potest esse praeteritum, *mandavit* et imperativum. *manda*. Sed illud pronomen additum nomini Deus, cum dicitur, Deus tuus, totam sententiam obscurat. Itaque suspicor esse addititium et non fuisse in codicibus, quos habuerunt septuaginta Interpretes: nam omnes veteres,graeci et latini legunt,*munda Deus virtuti tuae*, dum exponunt hunc versiculum ex interpretatione Septuaginta. Sanctus enim Hieronymus vertit quidem ex hebraeo.*praecepit Deus tuus de fortitudine tua*: tamen in commentario legit et exponit cum aliis patribus,*Manda Deus virtuti tuae*.

32. *A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.*

Potest hic versiculus intelligi de regibus, qui in coelo cum Christo regnant et tunc sensus est, *A templo quod est in coelesti Jerusalem tibi Deo sancti qui regnant cum Christo offerent munera*, idest, sacrificia laudis perpetuae. Potest etiam intelligi de regibus spiritualibus, idest, de sacerdotibus Ecclesiae, de quibus paulo ante dictum est, *Dum discernit coelesti reges super eam*; et tunc sensus est, *a templo*, quod est in Ecclesia Catholica, *tibi Deo* sacerdotes, qui sunt ministri regni tui, et populum vice tua regunt, *offerent munera*, id est, sacrificia Eucharistica, sacrificia item laudum, et precum, sacrificia denique conversionis animarum. Postremo potest intelligi de regibus temporalibus; et tunc illud a *templo*,exponendum est, propter templum, idest, propter sanctitatem templi tui, quod est in Ecclesia offerent tibi reges terrae munera pretiosa ad ipsius templi ornatum, et ad alendos templi ministros, de qua oblatione regum multa praedicit Isaias cap. 60. et 66.

33. *Increpa feras arundinis congregatio taurorum in vaccis populorum , ut excludant eos, qui probati sunt argento.*

Convertit nunc orationem ad hostes Ecclesiae, qui pacem ejus perturbare satagunt; ne munera laudum, et sacrificia bonorum operum offerantur Deo: ac primum loquitur de hostibus invisibilibus, ut exponunt s. Hilarius ex latinis , et Euthymius ex graecis. Ait igitur, *increpa*, id est, exterre, coerce, reprime *feras arundinis*: per feras arundinis intelliguntur bestiae sylvestres, quae latent inter arundineta: et per has bestias describuntur doemones, qui libenter versantur inter homines vanos, et leves, et in locis humentibus, ubi regnat luxuria. Sic enim de diabolo sub figura Behemoth loquitur Dominus in libro Job cap. 40. *Sub umbra dormit, in secreto calami, et in locis humentibus*. Deinde addit de hominibus,*congregatio taurorum in vaccis populorum*, idest, congregatio principum impiorum saevientium instar taurorum. *In vaccis populorum*, idest, in medio populorum insipientium,et insanientium instar vitulorum,sive juvencarum: (nam in hebraeo, בעגלי עמים *beheglè hammim*, exprimitur non solum genus foeminum, sed etiam juventus.) *Congregatio*, inquam, *facta est, ut excludant eos, qui probati sunt argento*, idest, convenerunt principes et populi impii Satana instigante et impellente, ut excludant, rejiciant, ad nihil redigant praedicatores Fidei, qui probati sunt instar argenti in fornace ignis, et inventi purissimi et fidelissimi.Itaque significantur his verbis persecutiones gravissimae, tum judaeorum,tum paganorum.quae exortae sunt post Christi ascensionem in coelum. S.Augustinus per feras arundinis, sive calami, ut ipse legit, intelligit haereticos. qui calamo, idest, scriptura vexant ecclesiam. Et illud, *ut excludant eos, qui probati sunt argento*, exponit in hunc sensum,ut faciant eminere eos, qui probati sunt,ut argentum excluditur ab artificibus, quando ex massa impolita excludunt vas argenteum, idest, apparere, et eminere faciunt. Haeretici enim exercent Ecclesiam et occasionem praebent, ut multi viri docti et probi emineant in intelligentia Scripturarum.

34. *Dissipa gentes, quae bella volunt: venient legati ex Aegypto, Aethiopia praeveniet manus ejus Deo.*

Praedicit nunc victoriam adversus persecutores. *Dissipa*, inquit, *gentes*,idest, tu dissipabis omnes, qui bella movent adversus populum tuum: et tunc *venient legati ex Aegypto* pacem petentes et subjectionem profitentes: et *Aethiopia* , quae longius distat , *praeveniet manum ejus Deo* , idest, praeveniet apud Deum manum Aegypti offerentis munera.Nominat Propheta Aegyptum et Aethiopiam,illam ut valde inimicam verae religionis, istam ut valde longinquam. Volunt autem Patres, per Aethiopiam praevenientem, significari Eunuchum Candacis reginae Aethiopum, qui ad fidem Christianam adjunctus est multo antea, quam ea-

dem fides ad Aegyptum, aliasque gentilium regiones pervenisset: de qua re lege cap.8.Actor.Apost.

35. *Regna terrae cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super coelum coeli ad Orientem.*

Pergit praedicare per modum exhortationis,conversionem Gentilium ad fidem Christianam.*Regna terrae*, idest, totius terrae, non solum regnum Israel, aut Juda, *cantate Deo*, ex fide agnoscentes verum Deum, cantate laudes ejus. *Psallite Domino*, non solum verbis cantate, sed etiam bonis operibus, *psallite Domino qui ascendit super coelum coeli ad orientem*, idest, qui posteaquam ascendit in altum sedet in summo coelo ad fontem lucis.unde oritur omne lumen.In hebraeo et graeco codice non sunt illa duo verba *psallite Deo*, et s. Hieron. in epist. ad Suniam et Fretellam, dicit esse supervacanea: tamen nihil obest,quod in nostra editione legantur, cum nihil sint, nisi repetitio praecedentium verborum.Illud autem,*ascendit super coelum coeli*: non significat ascendit in coelum,sed sedet super coelum: vox enim hebraica est, רכב *rocheb*, quae non significat *sursum ascendere*, sed *equitare*, vel curru vehi, ut supra diximus ad illa verba, *qui ascendit super occasum*. Itaque significat Propheta Christum Dominum post ascensionem in coelum de qua locutus est, cum ait, *ascendisti in altum*, esse coepisse ipso coelo altiorem et superiorem, quippe qui sedet super coelum, ut eques super equum, vel auriga super currum,vel rex super solium. Illud autem *ad orientem* optime cohaeret cum eo, quod supra dictum est, *qui ascendit super occasum*, idest, quia sub se habet tenebras omnes; ipse est in luce, vel ad lucem inaccessibilem, unde oritur lumen omne, quod communicatur angelis, et hominibus. S. Hieronymus vertit. *qui ascendit super coelum coeli a principio*: et vere vox hebraica, קדם *kedem*, utrumque significat et orientem et principium et utrumque est verum. Christus enim,ut Deus a principio sedit super coelum coeli; et ut homo, post resurrectionem ascendit in coelum et nunc est super coelum coeli ad orientem,assistens aeterno et supremo Orienti,id est,fonti lucis.

36. *Ecce dabit voci suae vocem virtutis: date gloriam Deo super Israel: magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.*
37. *Mirabilis Deus in sanctis suis Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus.*

Hos duos versiculos referunt graeci, Theodoretus et Euthymius ad missionem Spiritus sancti, quomodo post ascensionem Domini. induti sunt Apostoli virtute ex alto. Sed latini, Hilarius, Augustinus et Hieronymus referunt ad secundum adventum Christi: et hoc magis probo.Hic enim psalmus (ut initio diximus) omnia mysteria utriusque testamenti complectitur. *Ecce*, inquit, *dabit voci suae vocem virtutis*, idest, ille, qui humilis apparuit, *et sicut agnus coram tondente obmutuit*, ut dicit Isaias c.53. nunc *sedet super coelum coeli*, et paulo post *dabit voci suae*. ut sit *vox virtutis*, idest, vox potentissima et efficacissima: quod fiet quando *omnes mortui audient vocem fili Dei et resurgent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem Judicii*, ut habetur Joan.5. nulla enim vox potentior cogitari potest. Dux quidem virtutis fuit, quae dixit, *adolescens tibi dico surge*, Luc.7. et *Lazare veni foras*. Joan. 11. Sed vox, quae cineres omnium hominum ab initio mundi defunctorum subito formabit, animabit, excitabit,quantae tandem virtutis erit? Vox item maximae virtutis erit quae dicet, *Ite maledicti in ignem aeternum*. Matthaei 25. et, *Venite benedicti,possidete paratum vobis regnum*; cui voci absque ulla resistentia, vel retractatione respondebit effectus. Certe comparatione ad hanc vocem, omnia omnium principum edicta,et imperia nullius virtutis existimanda sunt. Recte igitur subjungit, *Date gloriam Deo super Israel*, idest, glorificate Deum super beneficia in electos ejus collocata.*Omnia enim propter electos*, inquit Apostolus, 2. Tim. 2. *Magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus*, id est, *date gloriam Deo super Israel*, quoniam magnificentia Dei, et potentia Dei manifestabitur maxima *super Israel in nubibus coeli*, quando videlicet *rapientur electi in nubibus obviam Christo*, ut ait b. Paul. 1. Thessal. 4. et in ipsis nubibus erunt sedentes, quasi in soliis coelestibus et sublimissimis omnes electi Dei a dextris et a sinistris Judicis omnipotentis.Quare exclamare licet, *Mirabilis Deus in sanctis suis*:tunc enim vere totus mundus intelliget,Deum in sanctis suis provehendis ab imo ad summum, a summa humilitate ad summam, et celsissimam gloriam, plane admirabilem fuisse: nam *Deus Israel*, Deus electi populi sui, tunc *dabit virtutem et fortitudinem plebi suae*, cum electos suos vera immortalitate et impassibilitate donabit. Neque obstat,-quod in hebraeo legatur, *mirabilis Deus in sanctuariis*: ipsi enim sancti viri sunt verissima sanctuaria Dei,neque etiam quod in hebraeo sit in secunda persona, ממקדשיך *mimmikdasecha*, *in sanctuariis tuis*. Videtur enim errore scriptorum id accidisse.Nam non solum septuaginta verterunt in tertia persona,- sed etiam s. Hieronymus vertit, *sanctuario suo*.Denique parum refert, quod in hebraeo sit, נורא אלהים *norà Elohim*,*Terribilis Deus*, pro quo nos habemus, *Mirabilis Deus*: nam utrumque est verum, et una lectio explicat aliam: discimus enim ex lectione hebraica, Christum in die novissimo fore mirabilem in sanctis suis, cum magno terrore impiorum: quamquam omnis admiratio terrorem quemdam incutere soleat. Concludit Propheta illis verbis,*Benedictus Deus*:id enim sequitur ex praedictis in toto psalmo, ut omnes Deum benedicere debeant, cum ejus misericordia et justitia, potentia, et sapientia,ex tot mysteriis mirifice declarata sint.

PSALMUS LXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro iis, qui commutabuntur David.

De hoc titulo dictum est in explicatione psalmi 44. quae non sunt repetenda. Consentiunt fere omnes Expositores veteres, ut Hilarius, Augustinus Hieronymus, et recentiores, ut Genebrardus, Jansenius, Agellius, et alii, in hoc psalmo praedici passionem Christi plane ad litteram,nec non eversionem Judaeorum, et aedificationem Ecclesiae, quae constat ex iis, qui foeliciter commutabuntur de iniquitate ad justitiam, et de miseria temporali ad gloriam sempiternam. Unus est Theodoretus, quem sequitur Euthymius,qui psalmum exponendum censuit de captivitate Babylonica Judaeorum; sed Beatus Augustinus constanter reprehendit eos qui audent aliter exponere, quam Apostoli exposuerint. Apostoli enim de Christo praedicta esse affirmant illa, *Qui oderunt me gratis*, Joan. 15. et illa, *Zelus domus tuae comedit me*, Joan. 2. item illa, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*, Roman. 15. et illa, *In siti mea potaverunt me aceto*, Joan. 19. et illa, *Fiat habitatio eorum deserta et non sit qui habitet in ea.* Actor. 1.

EXPLICATIO PSALMI LXVIII.

1. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.*
2. *Infixus sum in limo profundi et non est substantia.*
3. *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.*

Passio Domini nostri Jesu Christi in evangeliis ita describitur,ut non multa dicantur de vehementia doloris ejus. Voluerunt enim Evangelistae declarare passionem illam fuisse voluntariam et summa constantia toleratam a Christo. Sed quoniam oportebat etiam, ut mundus intelligeret, acerbitatem doloris in Christo fuisse maximam, atque inde colligeret, quantum debeat Redemptori, ideo Spiritus sanctus hanc doloris vehementiam multo antea Prophetis revelavit, ac per eos ut testes fide dignissimos et ab omni adulatione alienos, scribi voluit.Itaque multa de hac re scripsit Isaias,multa Hieremias, sed nullus plura quam David. Igitur in primis tribus hujus psalmi versiculis, describitur passio Christi per similitudinem mersionis in aquas lutulentas et profundissimas.*Salvum me fac* Deus, salutem petit Salvator a Deo Patre, non salutem animae quam habebat, et perdere non poterat,cum beatus esset: sed salutem corporis,eamque non absolute petit, sed ut ostendat magnitudinem doloris, et contrarietatem naturalis appetitus ad mortem, eo prorsus modo, quo in horto dixit, *Pater, si vis transfer calicem hunc a me*,Luc. 22. *Quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.* Hic incipit similitudo demersionis in aquas. Quoniam, inquit, similis factus sum ei, qui projectus in aquas,incipit sentire aquas penetrantes ad vitalia, ut jam respirare, et vivere non possit, *Infixus sum in limo profundi et non est substantia*,idest, similis factus sum non solum homini praecipitato in aquas, sed in aquas limosas, et sine fundo, ut non liceat emergere, neque subsistere. Illud, *Et non est substantia*, significat,et non est fundamentum, sive fundus, ubi subsisti possit: nam graece est ὑποστάσις, et hebraice, מעמד *mahomad.* quae *stationem*, sive *consistentiam*, vel *subsistentiam* significant. *Veni in altitudinem maris*, idest,non in parvum gurgitem demersus sum,sed in mare magnum et profundissimum, ut aquarum immensa multitudo super me sit. *Et tempestas demersit me*, idest, quia tempestas vehementissima ventorum,et fluctuum demersit me. In hac similitudine per *multitudinem aquarum usque ad animam penetrantium*, intelliguntur poenae multae , quas Christus pertulit, quae usque ad mortem saevierunt: non enim simplici morte defunctus est, sed innumeras poenas, doloresque sustinuit. *Per limum profundum*, cui infixus inhaesit,significantur peccata totius humani generis, quae illum in poenis detinuerunt: per *tempestatem*, qua demersus fuit in aquas, intelligitur justitia, decretumque divinum, quod expiari peccata voluit; intelligitur quoque rabies et crudelitas Judaeorum: intelligi denique potest, et maxime proprie vehementia amoris ipsius erga genus humanum. Nam per eam tempestatem, intelligitur causa efficiens passionis, quae multiplex fuit, ut Theologi docent ex divinis Scripturis. Nam Apostolus ad Rom. 8. dicit, *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et Actor. 3. dicit s. Petrus ad Judaeos, *Auctorem vitae interfecistis.* Et rursus b. Paulus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea.* Itaque tempestas valida,quae Christum demersit in profundum passionis, et mortis,

fuit partim bona, et laudabilis, partim mala et reprehensione dignissima.

4. *Laboravi clamans,raucae factae sunt fauces meae:defecerunt oculi mei,dum spero in Deum meum.*

Ex hoc versiculo intelligimus, quae dicta sunt in tribus versiculis superioribus, accipienda esse per similitudinem:nam si proprie Christus demersus fuisset in aquas, non potuisset clamare. Sed hic etiam versiculus quartus per similitudinem accipiendus est: Christus enim clamavit quidem in Passione, cum ait. *Deus meus,Deus meus ut quid dereliquisti me?* Matt. 27. et rursum clamavit cum ait, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. 23. Sed hi clamores tam breves fuerunt, ut non potuerint raucedinem facere. Quod autem Christus in passione defecerit aspiciendo,et expectando auxilium a Deo nusquam legimus.Itaque sensus est, Tanta fuit acerbitas et prolixitas doloris mei, quantam intelligimus esse in illis,qui usque ad raucedinem auxilium implorantes vociferantur, et clamant: et quanta in illis esse solet quorum oculi deficiunt aspiciendo in coelum et expectando auxilium a Deo. Quod igitur Christus in passione semper fere tacuerit, *ut agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*, ut dicit Hier. cap. 11. et adjuvantem non requisierit, quasi nihil acerbi pateretur, non fecit levitas passionis, sed magnitudo constantiae et flamma charitatis. Si enim juxta magnitudinem dolorum,lamentatio esse debuisset,sine dubio raucae factae fuissent fauces ejus ob continuam vociferationem, et oculi eius caligassent, dum aspiceret in auxiliatorem. Quare (ut supra indicavimus) Propheta expressit magnitudinem passionis: Evangelista vero constantiae magnitudinem demonstravit.

5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.*
6. *Confortati sunt,qui persecuti sunt me inimici mei injuste; quae non rapui,tunc exolvebam.*

Explicat nunc Propheta in persona Christi, propriis verbis, quae hactenus dixit per similitudines. Comparavit enim persecutores Christi multitudini aquarum, et violentiae tempestatis: nunc aperte dicit inimicos suos fuisse prope innumerabiles, et violentissimos, et absque ulla justa causa imo sine ulla causa ita saeviisse.*Multiplicati sunt super capillos capitis mei*, idest, plures fuerunt quam sit numerus capillorum capitis, qui numerari vix possunt. *Qui oderunt me gratis*, id est, plurimi fuerunt,qui oderunt me absque ulla causa. Quod plurimi fuerint,perspicuum est ex evangelio: nam praeter concilium seniorum, pontificum,scribarum, et pharisaeorum,accessit turba populi maxima, *quae clamavit, crucifige eum.* Matth. 27. Joan. 19. Accesserunt integrae cohortes militum paganorum; *sprevit enim eum Herodes cum exercitu suo.* Luc. 23. Et in domo Pilati convenit universa cohors militaris ad Christum illudendum.Accessit etiam Judas super numerum odientium Christum. Quod autem gratis eum oderint, dubitari non potest, *cum pertransierit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo*, Actor. 10. et neminem unquam laeserit. Causa vero quam allegabant in Concilio, Joan. 11. *Si dimittimus eum sic, venient Romani,et tollent locum nostrum,et gentem*, eventus docuit, quam fuerit vana et ex falsa prudentia prodierit:nam non dimiserunt eum imo impediverunt, quantum potuerunt Evangelii progressum,et tamen venerunt Romani,et tulerunt locum eorum, et gentem: quod non accidisset, si Christum, qui pacis, et mansuetudinis, et charitatis doctor, et auctor erat, fideliter recepissent.Addit Propheta de violentia inimicorum Christi: *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste*, idest, injusti persecutores mei roborati sunt, fecerunt sibi animum, praevaluerunt,et ideo injusti fuerunt, quia coegerunt ut solverem *quae non rapui*, idest, poenam darem sine merito culpae. Omnis iniquus, raptor dici potest, quia rapit gloriam Dei, et ideo cum punitur, soluit quod rapuit,sed Christus nihil rapuit,quia numquam peccavit, et tamen poenas gravissimas dedit. Agnovit id latro pendens in cruce, cum ait, *nos quidem juste*, (crucis videlicet supplicium patimur) *nam digna factis recipimus,hic autem nihil mali gessit.* Luc. 23.

7. *Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.*

Quia dixerat injuste se pati,et solvere quae non rapuit: reddit nunc rationem, cur voluerit pati, cum facile posset ab injusta persecutione se liberare; causam autem esse dicit insipientiam suam, et delicta sua, quae Deo notissima,sed mundo occultissima erant. *Insipientiam suam*, vocat insipientiam Adami, quam in se suscepit, et *delicta sua*, vocat delicta ejusdem Adami et caeterorum hominum, quae portavit, non commisit. *Deus*, inquit, *tu bene nosti, quae sit insipientia mea*, et quae *delicta mea*, idest, tu scis me pati propter insipientiam primi hominis, qui seductori credidit similem Deo se futurum, si ligno vetito vesceretur et propter inobedientiam ejusdem, quae insipientiam illam consecuta est. Addit s.Augustinus insipientiam Christi dici posse eam, quae apud homines insipientia visa est,cum tamen sapientia esset maxima, videlicet quod cum posset unico verbo a morte se liberare, voluit tamen pati acerbissima tormenta et mortem ipsam crucis, ut servulos et ipsos inimicos a tormentis et morte redimeret. Haec stultitia visa est hominibus; sed Deus novit hoc genus stultitiae sapientius esse omni humana sapientia. Quomodo stultitia videri potest ignorantibus artem agriculturae cum grana optima projiciuntur in campos, et amitti irreparabiliter videntur; sed cum eadem grana multiplicata colliguntur in messe, tunc apparet,non stultitiam,sed sapientiam fuisse projicere eo modo grana in sulcos terrae.

8. *Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum.*
9. *Non confundantur super me, qui quaerunt te Deus Israel.*
10. *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.*

Sollicitus pro membris suis orat, ut haec ipsius passio non sit scandalum fidelibus suis, aut certe non desperent: nam ipse dixit, *beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, Matth. 11. et ad discipulos passione jam imminente, *omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*, Matth. 26. Ideo nunc ait, *non erubescant in me, qui expectant te Domine*, idest, non erubescant propter me, qui sperant in te, quasi ego derelictus a te sim, et spes mea vana fuerit: ne dicant, Quis audebit spectare Dominum, idest, sperare in Domino, si filium suum Dominus ita negligit, ita deserit? Ac deinde repetit et declarat, addens, *Non confundantur super me, qui quaerunt te Deus Israel*: nam qui confunduntur, erubescunt; et qui sperant, quaerunt: quod ergo dixerat, *non erubescant in me*, declarat per illa verba, *non confundantur super me*, idest, mei causa. Et quod dixerat, *qui expectant te*, explicat per illa, *qui quaerunt te*, idest, qui sperantes in te quaerunt auxilium tuum: et ad id quod dixerat, *Domine virtutum*, addit, *Deus Israel*: ut ostendat, merito homines confidere in Deo, quia Dominus est virtutum, idest, exercituum, ac per hoc potentissimus: et simul est Deus Israel, idest, amator et protector populi sui, ac per hoc benignus, et qui non solum potest, sed etiam vult, et solet defendere suos. Reddit postremo causam, cur id juste petat. *Quoniam*, inquit, *propter te sustinui opprobrium*, idest, haec juste peto, quia ignominiam, quam passus sum, non propter culpas meas, sed propter honorem tuum passus sum. Propter te, inquam, *operuit confusio faciem meam*, idest, propter gloriam tuam, ego sustinui contumelias, flagella, irrisiones, sputa in faciem, et alia id genus, quae verecundia ac rubore vultum meum impleverunt.

11. *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae.*
12. *Quoniam zelus domus tuae comedit me, et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.*

Explicat Propheta in persona Christi occasionem persecutionis Judaeorum. Occasio enim fuit, quia Dominus reprehendebat mala opera eorum: sic enim ipse ait Joan. 7. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.* Et in libro Sapientiae, capite secundo, dictum est, *circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius operibus nostris et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae*, etc. Dicit igitur, *extraneus factus sum fratribus meis*, idest, tamquam extraneum me reputaverunt fratres mei, Judaei: *et peregrinus filiis matris meae*, idest, et tamquam hospes, vel alienigena existimatus sum a filiis matris meae synagogae. Et hoc est quod initio evangelii scripsit s. Joan. *In propria venit, et sui eum non receperunt*: Nam etiamsi dixerant Joan. 7. *hunc scimus unde sit*; et Dominus eis, *et me scitis, et unde sim scitis*: tamen Jo. 9. dicunt, *scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit*, idest, non novimus eum, extraneus est nobis. Reddit, autem rationem cur tamquam extraneum illum habuerint, cum addit, *quoniam zelus domus tuae comedit me.* Zelus enim domus Dei tum corporalis, idest, templi, quod prophanabant Judaei negotiationibus: tum spiritualis, idest, congregationis fidelium, quam vitiis variis inquinabant, *comedebat*, idest, consumebat, urebat, dolore afficiebat ipsum: ac propterea ipse zelo illo permotus gravissime Judaeos arguebat, ut perspicuum est ex cap. 23. Matth. et cap. 11. Luc. et cap. 8. Joan. et sicut ipse juste eos arguebat, ut emendaret; sic vicissim illi eum blasphemabant, eique conviciabantur, dicentes, *daemonium habes. Samaritanus es;* et *in Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia*; et, *scimus quia hic homo peccator est.* Joan. 8. et ideo subjungit in psalmo, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Dicit autem opprobria exprobrantium tibi, quia injuriae Filii pertinent ad Patrem, praesertim cum in divinis Pater et Filius unum sint in essentia: et quamvis communes essent omnes injuriae Patri et Filio, tamen eae praecipue pertinebant ad Patrem, quae ad miracula pertinebant, quae sunt opera divina, de quibus ipse dicebat, *Opera, quae dedit mihi Pater ut faciam illa*, testimonium perhibent de me, Joan. 5. et, *Pater in me manens ipse facit opera*, Joan. 14. illa ergo calumnia, *in Beelzebub Principe daemoniorum ejicit daemonia*, propriissime ad Patrem pertinebat, cum opera Dei quae Filius faciebat in nomine Patris sui, et quae Pater per Filium operabatur, ipsi tribuerent diabolo. Ista ergo opprobria exprobrantium Patri cadebant super Filium, tum quia intentio Judaeorum erat Filium calumniari, non Patrem, tum quia ipse Filius libenter super se accipiebat injurias, quae ad Patrem pertinebant, et in hoc sensu allegatur hic versiculus ab Apostolo ad Rom. 15.

13. *Et operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.*
14. *Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam.*

Prior versiculus obscurissimus est, tam quo ad verba, quam quo ad sententiam. Et obscurior etiam videtur esse juxta verba hebraica, ubi legimus *Et flevi in jejunio animam meam*: neque satisfaciunt, qui contendunt lectionem puram esse in quodam codice Vaticano, ubi legitur, *Et incurvavi in jejunio animam meam*: et verba hebraica esse immutata, et pro אבכה *ebche*, legendum esse אכפה *echpe*. Isti, inquam, non satisfaciunt, tum quia vulgata editio habet, *et operui*. Neque vox hebraica *echpe* significat incurvari, ut ipsi, volunt:

non enim, כפה *chaphah*, sed, כפף *chaphaph*, significat incurvare. Igitur his omissis, primo anima ponitur pro toto homine, et *operui animam meam*, significat operui me, idest, operui caput meum jejunando. Operire autem caput jejunando, est cum luctu et moerore in signum humilitatis et poenitentiae jejunare, unde dicitur in alio psal. 34. *humiliabam in jejunio animam meam*. Quod autem lugentes et moerentes solerent operire caput, perspicuum est ex multis locis Scripturae sacrae lib. 2. reg. cap. 15. *Porro David ascendebat clivum olivarum, scadens et flens, nudis pedibus, et operto capite*. Et eodem lib. cap. 19. *Porro Rex operuit caput suum, et clamabat voce magna, Fili mi Absalon, Absalon fili mi*. Esther. 6. *Aman festinavit in domum suam lugens, et operto capite*. Et de ritu jejunandi, Isaiae 58: *Numquid hoc est jejunium, quod elegi; per diem affligere hominem animam suam: numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere*, ubi contorquere caput quasi circulum, est caput cooperire undique, et tegmen arcte constringere. Atque hinc conciliari potest lectio Hebraica cum graeca, et latina. Quod enim habetur in hebraico, *Et flevi in jejunio animam meam*, existimaverunt septuaginta Interpretes, intelligendum esse non proprie de fletu, sed de signo et ritu fletus et doloris et ideo verterunt *operui in jejunio animam meam*. Neque est novum, quod fletus accipiatur pro signo fletus, nam in scriptura passim legimus, defletos fuisse mortuos multis diebus quod significat signa moeroris multis diebus portata. Et quod legimus in Genesi cap. ultimo, quod Aegyptus fleverit Jacobi Patriarchae mortem septuaginta diebus, sine dubio de signis luctus intelligitur, ut notat s. Hieronymus. Jam quod attinet ad sententiam, non legimus Christum jejunasse operto capite, neque saccum induisse multo minus ea causa fuisse derisum : sed contra legimus, dictum de eo Matth. 11. *Ecce homo vorax, et potator vini:* et discipulos ejus reprehensos, quod non jejunarent, ut discipuli sancti Joannis et Pharisaeorum jejunabant, Matth. 9. jejunavit quidem Dominus quadraginta diebus in deserto sed hoc fuit occultum jejunium, ut non potuerit inde opprobrium pati. Jejunavit quoque saepissime totos dies occupatus in praedicatione, quemadmodum vigilabat saepe totas noctes orationi vacans, sed non inde opprobrium illi accessit. Denique jejunavit in Passione sua, a vespera feriae quintae usque ad horam nonam feriae sextae et ob defatigationem et flagella sine dubio esurivit, et sitivit: nec defuit ritus operiendi caput: nam spineo galero coopertus jejunavit nec sine opprobrio cum in fame sua felle cibatus et in siti aceto potatus fuerit tamen de cilicio, sive sacco nihil in evangelio legimus. Quare cum sancto Augustino duo isti versiculi exponendi esse videntur spiritualiter ut per jejunium cum fletu, et moerore intelligamus esuriem et sitim ardentissimam salutis animarum, pro quibus angebatur et gemebat; per cilicium vero intelligatur caro mortalis et passibilis, qua Verbum indutum mundo apparuit ut humilitate sua mortales adduceret ad contemptum rerum transeuntium et desiderium aeternarum: et ob ista opprobrium factus est, et fuit Judaeis *in parabolam*, idest, in irrisionem, inquit s. August.. Parabola enim est similitudo quae potest esse in bono, et in malo, sed hoc loco intelligitur in malo, quomodo Sapient. 5. dicuntur sancti fuisse *in similitudinem improperii*. Fuisse autem Christum irrisum in terris, manifestum est: nam Marci 5. cum diceret, *non est mortua puella, sed dormit, irridebant eum*. Et Luc. 16. cum loqueretur de eleemosynis large faciendis, audiebant Pharisaei avari, *et deridebant eum*. In Passione autem irrisus fuit a militibus, ab Herode, a principibus sacerdotum, ab aliis.

15. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, et me psallebant, qui bibebant vinum.*

Haec est quasi appendix ad ea, quae dicta sunt, quasi dicat, accedit praeterea quod *adversum me loquebantur qui sedebant in porta*, idest, principes ac judices in conciliis suis de interitu meo consultabant, et falsa testimonia quaerebant, ac me denique ad mortem condemnabant. Judicia enim in portis civitatum apud hebraeos exercebantur, unde est illud proverb. 31. *Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terrae. Et in me psallebant qui bibebant vinum*, idest, non solum pubblice in conciliis, sed etiam privatim in domibus tempore conviviorum inter pocula de me garriebant, et cantabant ludentes et irredentes.

16. *Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.*

Exposuit hactenus Propheta magnitudinem passionis dominicae, nunc exponit orationem Christi ad Patrem pro liberatione a tantis malis, de qua scribit Apostolus ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Ex quo intelligimus orationem Christi absolutam non fuisse ut non pateretur, aut non moreretur, sed ut in passione vel morte non detineretur, *in quo exauditus fuit*: oratio illa fusa est, in cruce, et mox emisso spiritu liberatus est omnino a morte, et omni tribulatione. *Ego vero*, inquit, *orationem ad te Domine*, idest, illi mihi insultabant, et opprobria in me jaciebant, *ego vero orationem* pro illis, et pro me tibi Deo Patri cum lachrymis offerebam dicens, *tempus beneplaciti Deus*, idest, jam advenit tempus beneplaciti; tempus a te definitum ut complaceat tibi me ab his cruciatibus liberare, et mundum hoc tanto oblato sacrificio reconciliare. Hoc idem legimus Joan. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*, et Joan. 19. *Consummatum est.*

17. *In multitudine misericordiae tuae exaudi me, in veritate salutis tuae.*

Pergit in oratione, ac petit, ut quando quidem jam venit tempus beneplaciti, exaudiat orationem

ejus, *in multitudine misericordiae, et in veritate salutis tuae*, idest, propter multitudinem misericordiae, ex qua motus est ad promittendam reconciliationem per passionem filii sui, et propter veritatem, idest, veracitatem, et fidelitatem salutis, quia Deus non minus pius, et misericors est in promittenda salute, quam fidelis et justus in praestanda salute, quam promisit.

18. *Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.*
19. *Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.*

Petiit liberationem sub eadem metaphora aquarum, et luti, et tempestatis, de qua dixerat in primis tribus versiculis. *Eripe me de luto, non infigar*, idest, ut non tam alte infigar, ut non emergam: dixerat enim, *infixus sum in limo profundi*, nunc petit non detineri in eo luto. *Libera me ab iis, qui oderunt me*, idest, ab iniquis persecutoribus. *et de profundis aquarum*, idest, de magnis tribulationibus, in quas illi me conjecerunt, *non me demergat tempestas aquae*: antea dixerat, *tempestas demersit me*, ideo nunc petit non demergi, idest, non detineri in illa immersione: quod declarat, dicens. *non ita me absorbeat profundum*, ut numquam emergam. *Et non urgeat super me puteus os suum*, idest, non claudat puteus in quem cecidi os suum: nam dum patet os putei, spes est evadendi, sed clauso atque obturato ore putei; nihil nisi desperatio superest. Verbum hebraicum, אטר *atar*, proprie significat *claudere*, et sic legit sanctus Augustinus, *non coronet*. Quare nostra lectio, quae habet, *non urgeat*, exponenda est, non comprimat os suum, idest, non claudat. Quomodo etiam exponunt graecam vocem, συχέτω, Theodoretus et Euthymius, idest, *non concludat*. In summa petit celerem resurrectionem a mortuis, et liberationem ab omni malo, primum sibi, deinde membris suis.

20. *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.*
21. *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me.*
22. *Intende animae meae, et libera eam, propter inimicos meos eripe me.*

Multiplicat prophela verba orationis in persona Christi patientis, ut ostendat magnitudinem passionis. *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua*, proponit tres rationes, ob quas debet exaudiri: unam ex parte misericordiae Dei; alteram ex parte magnitudinis doloris sui: tertiam ex parte inimicorum persequentium. Prima ratio est in hoc versiculo, ubi dicitur misericordia Dei benigna et multa esse. S. Augustinus legit, *quoniam suavis est misericordia tua*, et dicit, misericordiam miseris suavissimam esse, quemadmodum cibus suavis est esurientibus, non autem saturis, a quibus contemnitur. Itaque vult sensum esse, *Exaudi me Domine, quoniam* mihi in tribulatione constituto *suavis est misericordia tua*: jam enim incipio experimento discere, quam dulciter sapiat misericordia tua. In hebraeo est vox generalis, nimirum, טוב חסדך *tob chasdeca*, *bona est misericordia tua*: quae vox potest et benignam et suavem significare. Altera ratio est in sequenti versiculo: *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me.* Numquam Deus faciem suam avertit a filio suo, sed visus est avertisse, quando eum in cruce pendentem in summis doloribus dereliquit, dicente ipso Domino, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Huc igitur respicit, cum dicit, *ne avertas faciem tuam a puero tuo*, idest, ne diutius me in his doloribus derelinquas. Per vocem *puerum* s. Augustinus intelligit parvulum, quia Christus *humiliavit se usque ad mortem*, et sic parvulum, abjectum et humilem se fecit. Vox hebraica עבדך *habdecha*, *servum tuum* significat, et est hoc loco valde ad rem, ut ostendat Christum in forma servi orasse et dixisse. *quoniam tribulor* vehementissima videlicet et intolerabili passione, *velociter exaudi me*. Tertia ratio est in sequenti versiculo, *intende animae meae, et libera eam, propter inimicos meos eripe me.* Quid petierit, cum ait, *velociter exaudi me*, explicat per sequentia verba, *intende animae meae*, idest, vitae meae ad extremum perductae et libera eam per celerem resurrectionem. Et subjungit rationem, quae tertia est, ut diximus, cum ait, *propter inimicos meos eripe me*, idest eripe me a doloribus et a morte, resuscitans me in vitam immortalem, ut inimici mei videntes se praevalere non potuisse, vel confundantur, vel convertantur: quod factum esse legimus, Act. 2. ubi audientes populi Christum resurrexisse et videntes id manifestissimis signis et prodigiis confirmari, multi compuncti dicere coeperunt, *quid faciemus viri fratres?* et conversi sunt ad tria millia. Alii obstinati in malo ita confusi sunt, ut dicerent, Act. 4. *quid faciemus hominibus istis? quoniam notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, et non possumus negare.*

23. *Tu scis improperium meum et confusionem meam et reverentiam meam.*
24. *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, improperium expectavit cor meum et miseriam.*

Vocat ipsum Deum in testem passionis suae, ac praecipue ejus passionis quae in ignominia consistit: nobiles enim animi pluris faciunt ignominiam, quam dolorem corporis. *Tu*, inquit, *scis improperium meum*, idest quae improperia in me jaciant adversarii: *et confusionem meam*, idest confusionem, quae nascitur ex opprobriis: confunditur enim apud alios non solum qui culpam veram agnoscit, sed etiam qui sine culpa est, sed videt credi ab aliis crimina, quae sibi falso objiciuntur. *Et reverentiam meam*, idest verecun-

diam, quae ex confusione oriri solet: erubescunt enim, qui apud alios confunduntur, etiamsi injuste confundantur. In hebraeo est vox, כלמה *chelimma*, quae *verecundiam* significat, et verecundiam hoc loco legunt s. Hilarius, s. Augustinus, Euthymius et alii: quare vox, reverentia, quae habetur in nostra editione, non significat reverentiam, quae debebatur Christo; sed reverentiam, quam ipse in se habebat, idest erubescentiam et verecundiam. *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me*, idest sicut non te latet afflictio mea, ita non te latent, qui me affligunt; a quibus nihil expectare possum, nisi improperium et miseriam; sicut semper expectavit cor meum, multo antea quam advenirent. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *opprobrio contritum est cor meum, et desperatus sum.* Sed facile est videre, quid septuaginta legerint, ut verterent, *improperium expectavit cor meum et miseriam*; nam, שבר *sciabar*, si legatur cum puncto in dextro cornu, significat *contritum est*, ut vertit s. Hieron. sed si legatur, שבר *sabar*, cum puncto in sinistro, significat *expectavit*, et sic legerunt septuaginta. Sic etiam vox hebraica, אנושה *anuscia*, et nomen esse potest, et verbum; si nomen sit, ut septuaginta crediderunt, significat, *gravem afflictionem*, quam ipsi *miseriam* dixerunt; si verbum sit, ut credidit s. Hieron. significat *valde dolui*; vel etiam ut ipse vertit; *desperatus sum.* Itaque lectio graeca ταλαιπωρίαν, et latina non discordat ab hebraica, si legatur, ut eam septuaginta interpretes legerunt.

25. *Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur et non inveni.*
26. *Et dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto.*

Addit ad extremum in tantis passionibus suis, non solum se nullum habuisse consolatorem, et compatientiam, sed in fame fel sibi datum in escam, et in siti acetum in potum. Non defuerunt, qui contristarentur in morte Christi, sed defuerunt, qui simul cum illo contristarentur, idest ob eam causam tristarentur, unde ipse tristabatur. Nam Apostoli et piae mulieres tristabantur ob mortem Christi temporalem; ipse vero tristabatur ob mortem spiritualem, et spiritualem caecitatem Judaeorum, qui insaniebant in medicum, qui venerat curare eos. *Sic etiam quaesivit consolantem, et non invenit*, quia consolatio, quam quaerebat, erat conversio impiorum. In passione autem ejus multi perversi sunt: pauci, aut nulli conversi. Nam latro conversus quidem est; sed sub finem passionis; at in ipsa passione turbae clamaverunt, Joan. 10. *Tolle, tolle crucifige eum*; Apostoli scandalum passi fugerunt; Petrus negavit, Judas desperavit. Quod autem dicitur de felle dato in escam, ad litteram non legitur in scriptura, quia Matth. 27. sit quidem mentio fellis, sed dati in potum, non in escam. *Dederunt*, inquit, *ei bibere vinum cum felle mixtum*: et fortasse non fuit proprie fel, sed dictum est fel, quia erat potio amara. Marcus enim cap. 15. hoc idem referens dicit, *Dabant ei bibere myrrhatum vinum*, et haec est causa fortasse cur Matthaeus non allegaverit scripturam istam psalmi ut semper solet diligenter notare, quando scriptura aliqua impletur in actionibus et passionibus Christi. Probabile igitur est, escam istam fellis intelligendam esse spiritualiter, ut per escam fellis intelligatur amaritudo peccatorum, quae Christo in passione jejunanti loco cibi ingesta est. Quod denique dicitur de potu aceti, non solum spiritualiter, sed etiam ad litteram adimpletum est, ut perspicuum est ex cap. 19. Joan. ubi notat Evangelista, Christum dixisse *sitio*, et accepisse acetum sibi in spongia porrectum, ut impleretur scriptura. Scriptura autem implenda haec erat: *in siti mea potaverunt me aceto.*

27. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.*
28. *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.*
29. *Effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos.*
30. *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.*

Incipit nunc propheta per modum imprecationis praedicere mala, quae eventura erant Judaeis ob ingratitudinem, et crudelitatem in Christum, qui ad eos missus fuerat Salvator et Redemptor. Describit autem poenas spirituales et corporales, quas in Judaeis, manifestissime cernimus. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*: per mensam intelligunt Patres lectionem scripturarum, unde pascuntur animae fidelium veritate divina. Vocat autem mensam, ut opponat escae fellis, quasi dicat, illi mihi dederunt fel in escam; tu facies ut eorum mensa, et esca vertatur eis in laqueum; haec mensa coram Judaeis est, quia assidue legunt Moysem, et prophetas, sed facta est illis in laqueum, quia perperam intelligentes capiuntur laqueo infidelitatis, et illa ipsa scriptura, quae fideliter considerata poterat eis salutem adferre, adfert eis perditionem, quia detinet illos in incredulitate. Eadem facta est illis *in retributiones*, quia quod mensa scripturarum versa sit illis in laqueum permisit Deus, ut retribueret illis quod merebantur. Nam justum est, ut qui lucem aspicere noluerunt, in tenebris maneant. Facta quoque est illis *in scandalum*, quia lapidem angularem a Deo missum non cognoverunt, sed in eum potius impegerunt, et offenderunt, unde sanctus est illis *lapis offensionis, et petra scandali*. Isaiae 8. et Rom. 9. *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Haec est radix malorum supradictorum, quia permittente Deo depravatus est intellectus, et affectus eorum. *Obscurati sunt oculi eorum* interiores, imo *velamen est super cor eorum*, teste Paulo 2. Corinth. 3. *imo excaecati sunt*, ut dicitur Isaiae 6. Matt. 13. Joan. 12. et Rom. 11. Depravatus quoque est eorum affectus, ut nihil appetant, nisi terrena, quod significat illud, *dorsum eorum semper incurva*, id est, te permittente, ac per hoc puniente eorum ingratitudinem, semper curvi incedent, ut nihil nisi terram aspiciant. Ut autem intelligamus hanc eorum

caecitatem, et pravitatem de ira Dei descendere, subjungit propheta, *Effunde iram tuam super eos*, idest, effundes super eos iram tuam: quod Apostolus confirmat, 1. Thessal. 2. *Qui Dominum occiderunt Jesum, et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent*, etc. et paulo post, *pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.* Ex hac ira Dei processit spiritualis plaga primum, deinde etiam temporalis, qua expulsi de terra promissionis toto orbe exules, et profugi vagantur, quod subjungit propheta, dicens, *fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui in tabernaculis eorum inhabitet*: id impletum est ad litteram, cum Tito imperatore jubente eversa est Jerusalem, et inhabitabilis reddita: postea vero reaedificata quidem est, et habitari coepta, sed a gentilibus, vel christianis, vel saracenis, non autem a Judaeis. Unde quod ad Judaeos attinet, adhuc deserta est, quia ibi non permittuntur habitare, nisi pauci admodum. Praedixit hoc etiam Dominus, Matth. 23. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

31. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*
32. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam.*
33. *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.*

Quemadmodum paulo ante propter escam fellis Christo exhibitam Judaei puniti sunt, ut mensa eorum fieret illis in laqueum : ita nunc dicit Propheta, Judaeos sic puniendos, ut apponantur peccata ad peccata eorum, quemadmodum ipsi addiderunt Christo poenas ad poenas, et dolores ad dolores. Sed explicandum est quomodo sit intelligendum, Judaeos *persecutos esse quem Deus percussit*, et *addidisse dolores super dolores vulnerum Deo percutiente acceptorum.* Deus enim non videtur percussisse Christum, nisi permittendo, ut a Judaeis percuteretur, proinde videntur eadem omnino vulnera fuisse, quae Christus a Deo, et a Judaeis accepit. Sciendum igitur est, quamdam percussionem, et quaedam vulnera a solo Deo inflicta fuisse Christo sine ulla coeperatione Judaeorum : aliam fuisse percussionem, et alia vulnera a Judaeis proprie Christo inflicta, Deo permittente, et ut illa Christus pateretur, decernente et volente: percussio et vulnera a Deo inflicta, sine cooperatione Judaeorum, fuit assumptio carnis passibilis et mortalis, unde secuta est fames, sitis, fatigatio, frigoris et aestus perpessio, et alia permulta incommoda. Porro incarnatio, unde ista secuta sunt, facta est opera Spiritus sancti, ac per hoc Deus solus Christum percussit, dum sine culpa ejus propria, tam multas peccati originalis poenas illum subire voluit. Ad has poenas, sive percussiones addiderunt Judaei persecutiones et vulnera. Nam etiamsi Deus definito consilio voluerit Christum illa pati, et bene usus sit mala voluntate Judaeorum: tamen vere et proprie Judaei, ex propria malignitate et invidia Christum persecuti sunt, et vulneribus, ac morte affecerunt. Ait igitur propheta, *quoniam quem tu percussisti*, mittens in Mundum in similitudinem carnis peccati, fami et siti, frigori et aestui, aliisque innumerabilibus incommodis obnoxium ; *persecuti sunt* calumniis, conviciis, falsis testimoniis. *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, idest super dolorem, quem capiebam ex consideratione innumerabilium peccatorum, quae, quasi vulnera mea essent, curanda et purganda susceperam, *addiderunt* dolorem flagellorum, spinarum, clavorum: et cum jam mortuus essem, *addiderunt*, vulnus lateris mei : et cum e sepulchro surrexissem, et in me quid amplius facerent non haberent, addiderunt persequi et vulnerare me in membris meis, discipulos meos lapidando et occidendo. In hebraeo habetur, חלליך יספרו *chalalecha jesapperu.* Et super dolorem vulnerum tuorum *narraverunt*, vel *numeraverunt.* Sed idem est sensus, nam *vulnera illa* dici possunt a Christo vulnera mea et vulnera tua; mea, quia mihi inflicta; tua, quia a te inflicta. Illud autem *narraverunt*, vel *numeraverunt*, a septuaginta acceptum est in significationem numerationis, non narrationis: et ideo verterunt, *addiderunt*: quia idem est addere ad numerum percussionum seu vulnerum, et numerare super vulnera et percussiones: non enim quis potest numerare super vulnera inflicta, nisi addendo nova vulnera. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Quoniam, inquit, illi addiderunt vulnera super vulnera, ideo tu juste judex, *appone iniquitatem super iniquitatem*, idest justo judicio tuo non eos liberes a prima iniquitate, sed sine ut addant iniquitatem ad iniquitatem, sine ut impleant mensuram patrum suorum. Matth. 23. *Ut veniat super illos omnis sanguis justus* : dicitur enim Deus facere, quando permittit fieri id quod sine ejus permissione non fieret, et hoc non casu, sed ex certo decreto ad punienda peccata eorum qui merentur sic deseri et excaecari. Nulla enim est poena gravior, quam cum peccatum est poena peccati. De qua re vide s. August. lib. 4. in Julianum. *Et non intrent in justitiam tuam.* Haec est explicatio superiorum verborum : illi enim qui non intrant in justitiam Dei, idest qui non admittuntur ad justificationem, quam Dei gratia gratis operatur in vasis misericordiae, illi de peccato in peccatum ruunt, et peccata peccatis apponunt. *Deleantur de libro viventium.* Aliqui haec exponunt de libro vitae temporalis, ut deleri de libro viventium, nihil sit aliud, nisi interfici. Sed huic expositioni repugnant verba sequentia, *et cum justis non scribantur* : nam explicat: proinde idem esse videtur, *deleri de libro viventium*, et non *scribi in libro justorum*, ut per deleri, vel non scribi, intelligatur non computari, et per viventes intelligantur justi, qui soli vere vivunt cum injusti mortui sint in peccatis et delictis suis. S. Augustinus intelligit haec omnia de libro aeternae praedestinationis, de quo deleri dicuntur, qui tandem intelliguntur se in eo scriptos non fuisse. Sed quoniam liber ille vitae ante merita praevisa scriptus fuit, ut ipse in primis s. August. affirmat ; non video, quomodo in poenam istorum nunc dicatur, *deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Probabilior

videtur eorum sententia, qui per librum viventium, et justorum, intelligunt librum populi Dei, in quo scripti sunt veri cultores Dei, quibus solis vera justificatio contingit, et qui sunt filii; et haeredes. Vere enim Judaei, qui olim erant populus Dei, nunc deleti de libro viventium et justorum, non sunt amplius populus Dei, neque partem habent in haereditate filiorum Dei: et contra gentiles, qui non erant populus Dei, per fidem in Christum coeperunt esse populus Dei, et partem habere in regno Dei. Hoc praedixit Ezechiel cap. 13. *in concilio populi mei non erunt, et in Scriptura domus Israel non scribentur.* Et Daniel cap. 9. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Et Oseae 1. *Non populus meus, et ego non ero vester Deus.* Et Dominus in Evangelio saepissime hoc praedixit judaeis fore, *ut auferretur ab eis Regnum Dei, et filii regni ejicerentur foras; et in locum eorum venirent gentes ab oriente, et occidente, et recumberent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno coelorum.* Hanc expositionem attingit breviter sanctus Hilarius, sed fusius Sanctus Hieronymus, qui dicit Judaeos persecutores Christi deletos esse de libro, in quo scribebantur Patriarchae, et Profetae, et non esse scriptos in libro eorum, qui justificantur per fidem Christi, quorum nomina scripta sunt in coelis.

34. *Ego sum pauper, et dolens: salus tua Deus sucepit me.*

Nunc tandem in fine psalmi praedicit Propheta Christi gloriam, et Ecclesiae aedificationem. Loquitur autem in persona ipsius Christi; ut etiam in superioribus fecit. *Ego*, inquit Dominus, *sum pauper et dolens*, idest in cruce fui pauper et dolens, nudus vestibus, coopertus plagis. Ita nihil habuit ex hoc nostro mundo exiens, nisi mala nostra, exemplum nobis praebens, ut sequamur vestigia ejus, contemnentes cum gaudio bona mundi, et tolerantes cum patientia mala mundi. *Salus tua Deus suscepit me*, cum talis essem, egens bonis, dives malis, salus tua me resuscitans a mortuis abstersit omnia mala, replevit omnibus bonis. Quid enim mali haerere possit in eo, quem ipsa salus suscipit et undique complectitur. In hebraeo non est verbum, *sum*, sed *ego pauper et dolens*, debet autem illud verbum explicari accommodate ad sententiam, ut sensus sit. Ego pauper et dolens eram, vel cum essem pauper et dolens, vel, ego sum ille pauper et dolens, quam salus tua suscepit.

35. *Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude.*

Christus in forma hominis resuscitatus, et glorificatus a Deo Patre, gratias illi agit, et aget in aeternum; ideo dicit, *laudabo nomen Dei cum cantico*, defunctus videlicet laboribus et doloribus, non cessabo laudare nomen Dei, idest potentiam Dei *cum cantico*, idest cum laetitia et gaudio. *Et magnificabo eum in laude*: quod est idem aliis verbis repetitum ad affectum indicandum.

36. *Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.*

Sacrificium laudis in coelo exhibitum Deo multo est excellentius sacrificiis, quae in lege praestantissima habebantur: sacrificium enim omnium praestantissimum erat immolatio vituli juvenis, incipientis cornua et ungulas emittere. Ideo dicit, *et placebit Deo* canticum meum *super vitulum novellum*, idest magis quam placeat immolatio vituli juvenis atque ad significandum non debilem ac tenerum, sed perfectum et validum, adjungit, *cornua producentem et ungulas.* In hebraeo est elegans allusio nominum: nam canticum vocavit, שִׁיר *scir*, vitulum vocavit, שׁוֹר *scior*, quasi dicat, magis placebit, *scir*, quam *scior*, idest *canticum*, quam *vitulus*; sive sacrificium laudis, quam sacrificium pecoris.

37. *Videant pauperes et laetentur: quaerite Deum et vivet anima vestra.*

Laudationi admiscet exhortationem. *Videant*, inquit, idest intelligant et considerent haec *pauperes et laetentur* in paupertate sua. Alloquitur autem pauperes sibi similes, qui magis voluntate, quam necessitate sunt pauperes; qui si divitias forte possident, habent eas ad dispensandas secundum voluntatem Dei, et oeconomi, non ut Domini; ad promerendum, non ad superbiendum, ad opera charitatis, non ad passiones desiderii: denique, qui non minori laetitia dicant, *sit nomen Domini benedictum*, cum egent quam cum abundant. *Quaerite Deum, et vivet anima vestra.* O vos pauperes spiritu, qui terrena despicitis omnia, tanto onere levati, erigite animum, quaerite Deum, *et anima vestra*, quae ex rebus caducis vivere non potest, vere *vivet. Cavete* (inquit Dominus Luc. 12.) *ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quae possidet.* Contra autem de Deo dicitur, *in ipso vita erat*, Joan. 1. et in psal. 35. *Apud te est fons vitae.* Et Ecclesiastici primo, *fons sapientiae verbum Dei in excelsis*; et Proverb. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Nam animae rationali vivere, sapere est: tunc autem sapientissima erit anima, ac per hoc perfectissime vivet, cum primam atque altissimam causam in se ipsa sine ullo medio cernet. Ergo quaerite Deum per viam mandatorum ejus incedendo, et non declinando ad dextram, vel sinistram, et cum perveneritis, vivet anima vestra.

38. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.*

Reddit rationem, cur bonum sit quaerere Deum, ut vivamus: et ratio sumpta est ab experimento sanctorum Patrum, quos Christus descensu suo ad inferos vivificavit. Illi enim diu quaesierunt Deum, et primi fuerunt, qui eum per Christum vitae aeternae aditu patefacto, invenerunt, et ex ejus visione vitam aeternam acceperunt. *Quoniam*, inquit, *exaudivit pauperes Dominus*: Patriarchae enim et Prophetae omnes pauperes spiritu fuerunt, et in

in hoc mundo tamquam hospites et peregrini habitaverunt, patriam coelestem inquirentes, ut dicit Apostolus ad hebraeos 11. Hos ergo pauperes exaudivit Dominus, et quia exaudivit, *vinctos suos non despexit.* Iidem enim ipsi vincti erant et quasi compediti, quoniam ex inferno ad coelestem patriam transire non poterant, nisi Christus inferni claustra perrumperet, vectesque ferreos sua morte confringeret.

39. *Laudent illum coeli et terra et mare, et omnia reptilia in eis.*

Ob communia beneficia ipsa rerum universitas ad agendas gratias invitatur. *Laudent illum* (Deum videlicet) *coeli, terra, mare, et omnes qui habitant in eis.* Meminit autem proprie, *reptilium*, quae degunt in aquis; non autem Angelorum, qui degunt in coelis et hominum qui vivunt in terris; quoniam dubium esse non poterat, an Angeli et homines ad laudem Dei excitarentur.

40. *Quoniam Deus salvum faciet Sion, et aedificabuntur civitates Juda.*

Hic jam praedicitur aedificatio Ecclesiae quae passionem, et resurrectionem Christi consecuta est: vel ut alii volunt, aedificatio coelestis Jerusalem, vel utrumque simul. *Quoniam Deus salvam faciet Sion*, idest, Ecclesiam suam primitivam ex Judaeis collectam, idest, coetum illum Apostolorum, ac discipulorum primorum, salvabit ab omni periculo, et persecutione in terris, et postea salvabit illam perfecta salute in coelis. *Et aedificabuntur civitates Juda*, idest, propagabitur prima illa ecclesiae, dum multi lapides vivi accedent, et multa ecclesiae, toto orbe aedificabuntur, quae dicuntur civitates Juda, idest, confessionis; quia confessio verae fidei ecclesiam aedificat, et propagat. Juda enim confessionem significat.

41. *Et inhabitabunt ibi, et haereditate acquirent eam.*

42. *Et semen servorum ejus possidebit eam, et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.*

Hic vero praedicitur firmitas, et beatitudo Ecclesiae. Nam civitates Juda, idest, cives civitatum Juda, *habitabunt ibi*, idest, in Sion. *Et haereditate acquirent eam*: omnes enim veri fideles ecclesiarum particularium adhaerent ecclesiae apostolicae, quae est Sion, *et haereditate acquirent eam.* Ad quam haereditatem non pertinent sectae haereticorum, et schismaticorum. Et isti iidem veri fideles, si permanserint in fide, *quae per dilectionem operatur*, Galat. 5. inhabitabunt quoque Sion coelestem, *et haereditate acquirent eam*, quia, *si filii, et haeredes*, ut ait Paul. ad Rom. 8. *Et semen servorum ejus possidebit eam*, idest, istam Sion, sive in terris, sive in coelis, non soli primi fideles possidebunt, sed etiam posteri eorum. Non enim perit ecclesia Christi, quae fundata est supra firmam petram. *Et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea*, idest illi ex posteritate fidelium permanenter habitabunt in Ecclesia, et pervenient ad coelestem Sion, *qui diligunt nomen ejus.* Qui enim sine charitate inveniuntur in fine; tamquam paleae segregabuntur a frumento, et igni tradentur, ut comburantur. Salus enim aeterna charitatis est praemium dicente Apostolo Jacob, c. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Poterunt igitur ad tempus cum sola fide, absque charitate, peccatores cum justis esse in Ecclesia, ut paleae cum tritico in area, et pisces boni cum malis in rete; sed non permanebunt usque in finem, neque haereditate acquirent coelestem Sion, ut in aeternum habitent in ea.

PSALMUS LXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David, in rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.

In hoc titulo apud hebraeos habetur tantum, *in finem David in rememorationem*: sed septuaginta interpretes addiderunt, explicandi gratia illa verba, *quod salvum fecerit eum Dominus.* Quod enim quidam bonus auctor, sed modernus, scripsit, a Septuaginta Interpretibus posita fuisse in titulo aliqua verba primi versiculi, non est probabile, tum quia in hebraeo non ponitur in titulo pars ulla primi versiculi: tum quia in primo versiculo mentio fit auxilii, non salutis; quae tamen expresse nominatur in titulo; tum denique quia si ulla pars primi versiculi pertineret ad titulum; certe prima esset: at prima pars, videlicet, *Deus in adjutorium meum intende*, in omnibus codicibus, hebraicis, graecis, et latinis invenitur in principio psalmi, non in titulo. Argumentum psalmi idem est cum argumento psalmi trigesimiquinti, cujus sex ultimi versiculi sunt iidem cum sex ultimis

versiculis hujus psalmi. Igitur continet hic psalmus orationem Christi in cruce pendentis pro salute sua, idest, pro celeri resurrectione corporis sui, et pro salute populi sui, quod est etiam corpus ipsius, sed mysticum. Dicitur autem psalmus compositus in rememorationem salutis acceptae; quoniam David spiritu prophetico, ut praevidit orationem Christi pro salute fundendam; sic etiam praevidit salutem sine dubio secuturam, et in ejus memoriam psalmum Deo cecinit.

EXPLICATIO PSALMI LXIX.

1. *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.*

Hic versiculus in Ecclesiae Catholica celeberrimus est: inde enim incipiunt officia divina omnium horarum. Quamvis enim praecipue conveniat Christo in cruce pendenti, potest tamen usurpari ab omnibus fidelibus in periculo versantibus: et quoniam semper in multis, magnisque periculis versamur dum peregrinamur a Domino, et dum *adversarius noster diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret*, ut scribit b. Petr. 1. cap. 5. ideo non solum licet, sed etiam expedit assidue hunc versiculum frequentare: ad quod faciendum hortatur monachos Joan. Cassianus collatione 10. cap. 9. ubi fusissime persequitur utilitatem, et virtutem hujus versiculi. Petitur igitur in hoc versiculo auxilium Dei magnum, et velox ad avertendum malum grave, et imminens: de priore dicit, *Deus in adjutorium meum intende*, idest, incumbe diligenter in me juvando, ut gravitas mali requirit: de posteriore dicit, *Domine ad adjuvandum me festina*, idest, non solum diligenter incumbas in me juvando, sed etiam velociter, et nulla interposita mora, quoniam periculum imminet. S. Hilarius, et s. Augustinus exponunt solum prima illa verba, *Deus in adjutorium meum intende*. Reliqua ejusdem versiculi omittunt: quae fuit causa, cur auctor ille, de quo supra locuuti sumus, existimaverit, posteriora verba hujus versiculi non fuisse apud Hilarium, et Augustinum in ipso psalmo, sed in titulo. Sed apud Hilarium invenitur integer titulus, et integer psalmus descriptus, et in primo versiculo non desunt illa verba, *Domine ad adjuvandum me festina*. Cur autem non exposuerint haec verba sancti Hilarius, et Augustinus, ratio est, quia sunt eadem vel fere eadem cum superioribus, praesertim si quis consulat hebraeum textum, ubi unicum est verbum, hoc modo, *Deus ad me liberandum, Domine ad adjuvandum me festina.*

2. *Confundantur, et revereantur, qui quaerunt animam meam.*

Hic versiculus idem est cum versiculo decimonono psalmi trigesiminoni; et sensus est, ut per Christi resurrectionem, et fidelium liberationem de potestate inimicorum, inimici videntes se frustra laborasse, confundantur, et erubescant: quod partim jam est factum, partim complebitur in novissimo die.

3. *Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala.*

Idem est hic versiculus cum vicesimo versiculo psalmi trigesiminoni, nisi quod hic dicitur, *avertantur*, ibi, *convertantur*. Sed idem est sensus, repetitio videlicet ejusdem precationis ad rem magis explicandam, et confirmandam.

4. *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge.*

Et hic versiculus idem est, quo ad sensum, cum versiculo vicesimo primo psalmi trigesiminoni: ubi res eadem tertio repetitur, ut videlicet hostes Christi, et Ecclesiae cito confundantur, qui nunc exultant dicentes inter se, *euge, euge.*

5. *Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te: et dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.*

Idem est hic versiculus cum versiculo vicesimo secundo psalmi trigesiminoni, in quo per modum precationis praedicitur victoria et exultatio Christi et Ecclesiae.

6. *Ego vero egenus et pauper sum, Deus adjuva me.*

Hic quoque idem est cum versiculo vicesimotertio psalmi trigesiminoni, in quo revertitur Christus ad statum illum describendum, quem habuit in cruce, cum vere pauper et nudus Patri dicebat, Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?

7. *Adjutor meus et liberator meus es tu, Domine ne moreris.*

Hic denique versiculus idem est cum ultimo versiculo psalmi trigesiminoni, in quo repetitur prima petitio celeris auxilii, Vide plura in explicatione psalmi trigesiminoni.

PSALMUS LXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David filiorum Jonadab, et priorum captivorum.

Hic psalmus titulo caret apud hebraeos: sed interpres aliquis titulum supra scriptum addidit; ad quem intelligendum sciendum est, filios Jonadab fuisse homines ab obedientia celebres. Scribit enim Hieremias cap. 35. eos habuisse praeceptum parentis sui, *ut vinum non biberent, et in domibus non habitarent*, idque diligentissime observasse. Sciendum praeterea filios Israel bis fuisse captivos factos a rege Nabuchodonosor; semel tempore Joachim regis Jerusalem, et iterum tempore Sedechiae; sed priores captivos ad verbum Domini per Hieremiam praedicatum, sponte se tradidisse in captivitatem: posteriores vi coactos fuisse, ut perspicuum est ex quarto libro regum, et ex ipso Hieremia. Credibile autem est filios Jonadab fuisse ex primis, qui obedierunt Deo ad verbum Hieremiae, ut se traderent regi Babyloniae, caeteros autem eorum exemplum esse secutos. Et congruit ethymologia nominis: *Jonadab* enim *spontaneum* significat. Hic igitur psalmus canitur in persona filiorum Jonadab, et caeterorum, qui sponte in priorem captivitatem cum rege Joachim profecti sunt. Utrum autem David ad hanc captivitatem respexerit, an interpres, aut ipsa Ecclesia testamenti veteris accommodaverit psalmum ad hanc captivitatem, quo modo ecclesia christiana accommodat psalmos varios ad varias celebritates, incertum est. Tractatores ut plurimum volunt hunc psalmum a Davide compositum ob persecutionem, quam ab Absalone filio in senectute sua perpessus est. Quod etiam confirmari potest ex eo, quod hic psalmus idem habet principium, quod psalmus trigesimus, et in caeteris partibus cum eodem satis convenit. Psalmum autem trigesimum nos etiam cum aliis exposuimus de persecutione Absalonis. Neque titulus repugnat: David enim sponte in exilium profectus est, agnoscens illam esse Dei voluntatem, ut ejectionem illam e regno et fugam atque exilium patienter ferret; et gratiam liberatoris, cum paulo post in regnum reduceretur, agnosceret. Quod exemplum Davidis secuti postea sunt filii Jonadab, et priores captivi, de quibus titulus loquitur. S. Augustin. monet, in hoc psalmo mirifice commendari gratiam Dei, et sub exemplo Davidis, omnes pios debere in hoc psalmo cantare laudes gratiae Dei, per quam liberamur a captivitate Diaboli, et gratiam iterum, atque iterum implorare, ut proficiamus, et perseveremus in bono non praesumentes de propriis viribus, sed de adjutorio Dei in omni tentatione confidentes. Sic enim tutissime ad perfectam libertatem, quae est libertas gloriae filiorum Dei, perveniemus.

EXPLICATIO PSALMI LXX.

1. *In te Domine speravi, non confundar in aeternum: in justitia tua libera me, et eripe me.*

Memor sanctus Propheta promissionum Domini erga sperantes in eum, et de suis propriis viribus non praesumens, ait, *in te Domine*, non in me, vel in alia creatura, *speravi*, ideo securus, quod *non confundar in aeternum*, ad te in praesenti tribulatione confugio, ac peto, *ut in justitia tua*, idest secundum justitiam tuam, qua impios punire et innocentes liberare soles, *liberes me, et eripias* de manibus persequentium *me*.

2. *Inclina ad me aurem tuam, et salva em.*

Conjungitur hic versiculus cum secunda parte versiculi superioris. Idipsum enim repetit ad affectum ostendendum. *Inclina aurem tuam*, idest audi vocem humilem, sive de imo sonantem, *et salva me* a praesenti periculo.

3. *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias.*

Explicat clarius quod a Deo desideret, nimirum ut Deus cum protegat instar arcis munitissimae, ad quam hostes sui penetrare non possint. Nam in hebraeo pro, *in Deum protectorem*, habetur, לְצוּר מָעוֹן *letsur mahon, in petram fortissimam*, sed interpretes explicaverunt metaphoram, et dixerunt, *in Deum protectorem*, in Deum protegentem instar arcis in petra sublimi locatae; quod exponitur per verba sequentia *et in locum munitum*. Vere autem nulla est facilior via evadendi omnes tribulationes, quam si quis sciat mente conscendare in Deum, et bona aeterna contemplari: inde enim omnia humana facile despiciet. Sic b. Paulus, 2. Corinth. 4. vocat *momentaneas et leves*

tribulationes suas, quae alioqui gravissimae videri poterant, quia subjungit, *non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur: quae enim videntur, temporalia sunt, quae non videntur aeterna sunt.* 2. Corinth. 4. In hebraeo pro, *in locum munitum*, habetur, *ad ingrediendum jugiter jussisti*, sed apparet corruptio ex loco simili in psalmo trigesimo: nam pro, לבוא *labo. ad ingrediendum*, est in psalmo trigesimo, לבית *lebeth. in domum*, sive *in locum*, ut septuaginta hic, et ibi verterunt: pro, תמיד צויית *tamid tsivvitha, jugiter praecepisti*, est in psalmo trigesimo, מצודות *metsudoth*, quae sunt eaedem literae, sed aliter dispositae, et significant *munitionem*. Itaque ex psalmo trigesimo, et ex interpretatione Septuaginta videtur manifeste colligi, lectionem hebraicam hoc loco esse mutatam.

4. *Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu.*

Esto mihi, inquit, *tu Domine in Deum protectorem et in locum munitum, quoniam tu solus es firmamentum meum*, idest domus firma et stabilis, utpote lapidea (ut clarius habetur in hebraeo) ad quam confugere possim. Caetera enim omnia, sive respiciam ad favores hominum, sive ad industriam meam, domus sunt luteae, et super arenam aedificatae, sive baculus arundineus. Quid enim sunt mortalia omnia nisi res caducae, et fragiles, in quibus non nisi stulti confidunt. Beati qui haec intelligunt, beatiores qui experiuntur.

5. *Deus meus eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis, et iniqui.*

Descendit magis ad particularia, ac petit liberari *de manu*, idest, de potestate *peccatoris contra legem agentis, et iniqui;* quibus nominibus intelligit ad litteram Absalonem, Achitophelem, et ministros eorum: nam hic psalmus convenit omnino cum psalmo 30. in quo omnium consensu agitur de persecutione Absalonis. S. Augustinus, per *peccatorem*, intelligit peccatorem in genere, quem dicit dividi in praevaricatorem legis; quales sunt Judaei, et Christiani, qui legem a Deo sibi datam non servant; et iniquum non praevaricatorem, quales sunt Pagani, qui legem scriptam a Deo non acceperunt, et ideo iniqui sunt, quia male agunt, et peccant contra rationem naturalem, sed praevaricatores legis scriptae non sunt, quia, ut ait b. Paulus, Rom. 4. *ubi non est lex, nec praevaricatio.* Sed verba ebraica non recipiunt istam explicationem: nam vox hebraica, וחומץ *vechomets*, pro qua habemus, *iniquum*, significat proprie *violentum raptorem;* et pro qua habemus, *contra legem agentis*, significat *iniquum* simpliciter. Videtur igitur Propheta per *peccatorem*, intelligere hominem pravum, sive improbum; qualis erat Absalon; per *iniquum*, eum qui occulte, et ex insidiis nocet, quales sunt fraudulenti, Achitophel, et alii: per *raptorem*, eum qui palam, et aperte opprimit, qualis erat tunc populus armatus contra regem suum. Spiritualiter per peccatorem intelligere possumus Diabolum; per iniquos, haereticos; per raptores, tyrannos et persecutores. Cupit autem vir justus liberari non solum a vexatione corporali, sed multo magis a periculo spirituali ne forte consentiens peccato ob persecutionum immanitatem incidat in periculum mortis aeternae.

6. *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea a juventute mea.*

7. *In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae tu es protector meus.*

Sanctus Augustinus per *patientiam* intelligit tolerantiam dolorum et persecutionum, ut sensus sit, *eripe me de manu peccatorum*, dando mihi *patientiam*, ne per impatientiam consentiam peccato. Et quidem verbum graecum ὑπομενὴν, et latinum hanc expositionem patiuntur; sed vox hebraica, תקותי *thikvathi*, significat *expectationem et spem*, ac per hoc patientia hoc loco significat patientiam in expectando potius quam in tolerando dolores, juxta illud, *per patientiam expectamus*, Rom. 8. et Jacobi 5. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter fert, donec accipiat temporaneum et serotinum: patientes estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit.* Ait igitur, *eripe me de manu peccatoris, quoniam tu es patientia mea*, idest quoniam a te patienter expecto auxilium. *Tu es spes mea a juventute mea*, idest quia semper in te speravi ab eo tempore, quo te noscere coepi, sed tamen multo ante quam ego in te sperare inciperem, tu pro tua misericordia protector meus fuisti: nam *ex utero matris meae in te confirmatus sum*, idest in te stabilitus robur accepi, cum ex me infirmus essem; *ex utero matris meae protector meus es*, idest vix natus protectione tua frui coepi, cum adhuc te invocare non possem. Haec beneficia Deus omnibus hominibus conferre solet, praesertim in ea aetate, qua sibi ipse homo nullam opem afferre potest; sed pauci admodum sunt, qui haec beneficia agnoscant, et pro iis debitas Deo gratias agant. Ideo Propheta, qui Spiritus illustratione haec agnoscebat, magno cum animi sensu dicit, *in te confirmatus sum ex utero, et ab utero matris meae protector meus es:* quasi dicat, scio Domine et confiteor me tibi curae fuisse ab ipso primo ortu, ideo fiduciam habeo, multo magis te mihi protectorem fore, cum te invocavero.

8. *In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis.*

His de causis, et ob tanta beneficia, *in te erit cantatio mea semper*, idest te semper laudibus celebrabo in prosperis et in adversis, in hoc saeculo et in futuro. Et nunc quidem *tamquam prodigium factus sum multis*, idest expulsus a regno a proprio filio; et dum misere fugio, qui antea gloriose hostes fugabam, factus sum admirationi omnibus hominibus, praesertim cum a te desertus videar, quem semper colui et in quo speravi, sed tamen *tu adjutor fortis* et constans es; et quam-

vis ad tempus secundum consilium sapientiae tua e hostes in me praevalere permiseris, tamen tempore suo *mihi adjutor eris*. Sanctus Augustinus spiritualiter exponens dicit, illum fieri prodigium, sive portentum multis, qui contemnit temporalia, et patienter fert injurias, et per hoc ambulat contraria via, atque ambulent caeteri homines. Talis fuit Joannes Baptista, talis Christus ipse: talis sanctus Petrus, sanctus Paulus Apostoli caeteri: tales martyres omnes, et plerique sancti confessores, sanctus Antonius, sanctus Hilarion, sanctus Franciscus et alii, qui a sapientibus mundi stulti habiti sunt: sed vere dicere poterant, etiamsi prodigium factus sim multis, tamen tu adjutor meus fortissimus es, quo duce viam angustam perambulabo et regno coelorum vim inferam, et tunc apparebit, stultus, an sapiens fuerim.

9. *Repleatur os meum laude, ut cantet gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

Ergo inquit, quicquid homines de me sentiant, et dicant, ego opto, ut *os meum repleatur laude tua*, ut nihil mihi aliud placeat, nihil me delectet, nisi te diligere et laudare gloriam tuam, et *tota die*, idest, omni tempore *decantare magnitudinem tuam*. Porro illi soli et omnes similes sunt huic sancto regi, et prophetae, qui vere cogitant et sentiunt, ac intima consideratione penetrant et persuadentur nihil esse magnum, nihil admirandum, praeter Deum.

10. *Ne projicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Cum David persecutionem Absalonis pateretur, senex erat: ideo memor victoriarum quas in juventute et in ipsa pueritia obtinuerat, dicit: *ne projicias me in tempore senectutis*, idest ne deseras in hoc ultimo tempore, quem adhuc semper juvisti. *Cum defecerit* jam *virtus mea*, robur, ac vires meae debilitatae sint, *ne derelinquas me*, qui auxilio tuo magis egeo, quam alias unquam eguerim. Possunt haec omnia spiritualiter accommodari homini, qui a fervore charitatis, quo aliquando flagravit, tepescere incipit et tamen cupit in eodem studio perfectionis perseverare.

11. *Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum.*
12. *Dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.*

Haec ad litteram Davidi conveniunt, adversus quem populus, Absalone duce, et Achitophel consiliario, rebellavit, quoniam vidit jam senuisse et debilem effectum, atque a Deo destitutum esse credit. *Quia dixerunt inimici mei mihi*, idest de me. *Et qui custodiebant animam meam*, idest qui antea custodes mei erant, vel consilio, vel armis, illi *consilium fecerunt in unum*, idest simul uniti inter se consultaverunt de perditione mea, *dicentes, Deus dereliquit eum*. Ad hoc refertur illud, *inimici mei dixerunt mihi*, idest dixerunt de me, *Deus dereliquit eum*: et hoc dixerunt consultantes simul, *persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat*. Hoc fuit consilium Achitophelis, quod non habuit effectum, quia Deus non permisit. Vide lib. 2. reg. cap. 17. Illud, *qui custodiebant animam meam*, potest etiam significare, qui observabant animam meam, ut illam perderent; et hic sensus convenit homini justo in tentationibus posito. Daemones enim, inimici nostri, qui perpetuo vigilant, et observant occasiones nos perdendi, consilium faciunt inter se, tunc maxime eum nos a Deo gratia destitutos existimant.

13. *Deus ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum respice.*
14. *Confundantur, et deficiant detrahentes animae meae; operiantur confusione, et pudore, qui quaerunt mala mihi.*

Illi consultant adversus Davidem, et ille recurrit ad Deum, qui nullo negotio potest dissipare consilium eorum, ut re ipsa fecit. *Deus*, inquit, *ne elongeris a me*, ut illi jactant, te jam fecisse, imo potius *in auxilium meum respice*, idest per auxilium tuum mihi propinqua. Illud, *respice*, in hebraeo est, *festina*; in graeco πρόχες *intende*. Fieri potest, ut septuaginta non legerint, חושה *chuscia*, idest *festina*, sed, חשוב *chasciob*, idest considera sive attende: sed tamen sensus est idem et una lectio explicat aliam; quod enim hebraica lectio habet *festina*, intelligitur per providentiam: Deus enim ubique est, neque proprie festinare debet, ut alicubi esse incipiat. Festinare per providentiam, idem est, quod attendere et respicere. *Confundantur, et deficiant detrahentes animae meae*, idest, te in auxilium meum festinante, confundentur consiliarii Absalonis, et deficiant in consiliis suis, evanescant, infatuentur, *detrahentes animae meae*, idest calumniantes me. *Operiantur confusione et pudore, qui quaerunt mala mihi*. Idem aliis verbis repetit: pro verbo, *detrahentes mihi*, in hebraeo est *adversantes mihi*; sed idem est sensus: nam qui calumniantur, sine dubio calumniando adversantur. S. Augustinus legit, *confundantur et deficiant, qui committunt animam meam*: et sensum esse vult, confundantur, qui committunt cum Deo animam meam, idest qui faciunt, ut cum Deo contendam, quasi ille injuste mecum agat, dum tribulationibus me affligit: sed non video, unde eam lectionem acceperit.

15. *Ego autem semper sperabo et adjiciam super omnem laudem tuam.*
16. *Os meum annunciabit justitiam tuam, tota die salutare tuum.*

Illi confundantur, et deficiant: *ego autem semper sperabo*, magis, ac magis in te confidam, experimento edoctus, quanta sit virtus auxilii tui: et semper *adjiciam laudes* ad laudes tuas, pro novis beneficiis novos hymnos tibi decantans. *Os meum non cessabit annunciare justitiam tuam*, qua pu-

nis impios, *et tota die*, idest assidue praedicabo *salutare tuum*, quo innocentes liberas et salvas. S. August. quaerit hoc loco, quomodo possit fieri, ut adjiciatur aliquid super omnes laudes Dei. Et respondet omnes laudes, dici perfectam laudem cui nihil desit: qualis fuisset, si Deus totum genus humanum, post lapsum Adami damnare voluisset: fuisset enim ea perfecta laus justitiae, cui perfectae laudi nihil adjici potest, quod ad justitiam attinet; sed tamen adjici potest nova laus misericordiae, quia placuit Deo gratis justificare impios. Caeterum facilius dici potest, prophetam adjicere velle laudem ad omnes laudes Dei, non ad omnes simpliciter, sed ad omnes, quas ad illud usque tempus cecinerat.

17. *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiae tuae solius.*

Hic sunt duae difficultates: prior, an illa verba, *quoniam non cognovi litteraturam*, debeant conjungi cum superiore versiculo, ut conjunguntur in textu hebraico; an potius cum sequentibus verbis, ut conjunguntur in graeco, et latino. Sed nos existimamus distinctionem hebraicam non esse attendendam, quando discrepat a graeca, quoniam distinctionem addiderunt in textu hebraico Rabbini posteriores, qui non sunt ullo modo comparandi cum septuaginta senioribus, qui aliter legerunt, et distinxerunt. Accedit, quod hoc loco sunt quaedam similiter cadentia ita posita in textu hebraico, ut videatur omnino propheta voluisse legi hunc versiculum ut nos cum graecis legimus, non ut alii cum Rabbinis legunt. Sic enim ait, *quoniam non cognovi*, ספרות *sephoroth*, *introibo in* גבורות *gheburoth:* ac si nos diceremus, *quoniam non cognovi literas, adibo potentias*. Posterior quaestio est, de nomine litteraturae: nam vox hebraica. ספר *saphar*, unde est nomen ספרות *sephoroth*, significat, *scribere, narrare, numerare*, et alia, ac per hoc nomen, *sephoroth* potest significare *scripturas, numerationes, libros, literas*, sive *litteraturas*, et similia. Aliqui igitur volunt, ut litteratura accipiatur pro numeratione, et hic sit sensus. *quoniam non cognovi numerationem mirabilium tuorum*, idest, quoniam non possum assequi numerum, cum sint innumerabilia, *introibo*, idest, ingrediar *ad narrandas potentias*, sive fortitudinem, et vires Domini potentissimas, et robustissimas. Sed hanc expositionem probare non possum: nam et septuaginta Interpretes, et s. Hieronymus bene noverant vim hebraicae vocis, et tamen non verterunt numerationem, sed *litteraturam*: neque deerant illis voces graecas, vel latinae, quibus numerationem exprimerent, si voluissent. Alii simpliciter dicunt, Davidem non novisse *litteraturam*, idest doctrinam, quae literis continetur, quoniam Pastor ovium erat, et ex pastoritio illo munere assumptus fuit ad militiam, et ad regnum, ut dicitur in psalm. 77. *de post faetantes accepit eum pascere Jacob populum suum.* Sed huic expositioni repugnat, quod ipse de se dicit in psal. 118. *Super omnes docentes me intellexi*, et liber psalmorum indicat, eum excultum fuisse omni doctrina divina, et humana: quamvis enim Pastor ovium, et postea miles esset, non tamen ita totus intentus erat pascendis ovibus, aut bellis gerendis, quin etiam studiis, et contemplationi vacaret. Existimo igitur, Davidem hoc loco per *litteraturam*, intelligere humanam sapientiam, et astutiam, quali abundabat Achitophel, qui contra ipsum consilium dederat; et verbum, *cognovi*, non accepisse scientiam simpliciter, sed approbationem, et usum. Quomodo dicimus, non novi te, et quomodo Apostolus 1. Cor. 2. dicit, *se nihil scire, nisi Christum, et hunc crucifixum.* Itaque sensus est, *non cognovi litteraturam*, idest, non novi sapientiam hujus mundi non confido in humanis consiliis, non approbo astutiam, et prudentiam saeculi; sed *introibo in potentias Domini*, idest adhaerebo penitus omnipotentiae Dei, in illa confidam, in illa quasi in arce munitissima abscondar: *et sic memorabor justitiae tuae solius*, idest, non recordabor humanorum consiliorum, aut virium mearum, vel amicorum meorum, sed recordabor, et mente retinebo justitiam tuam, qua servas promissa, qua punis impios, qua pios coronas. S. Augustinus legit, *non cognovi negotiationes*: verisimile enim est in aliquo graeco codice pro, γραμματείας, fuisse πραγματείας, et inde fluxisse in latinum aliquem codicem, *negotiationes*. Fatetur tamen idem sanctus Augustinus in aliis codicibus legi, *litteraturam*; et exponit tam per negotiationem, quam per litteraturam, confidentiam in operibus factis ex propriis viribus, quasi ad justitiam faciendam sufficiat littera legis sine gratia aut negotiatio liberi arbitrii sine adjutorio Dei et ideo ponderat illud, *memorabor justitiae tuae solius*, idest, non meae justitiae sed tuae solius, quam dare soles per gratiam tuam, cum justificas impium. Quae sententia ut est optima ad aedificationem, ita parum videtur facere ad sensum litteralem.

18. *Deus docuisti me a juventute mea, et usque nunc pronunciabo mirabilia tua.*

Tu, inquit, docuisti me, ut contempta litteratura humana confiderem in potentia tua: *docuisti autem a juventute mea*; et secundum hanc doctrinam eruditus pugnavi cum urso, et leone, et cum gigante Goliath, inermis adolescens, et victoriam reportavi. *Et usque nunc pronunciabo mirabilia tua*, idest, et dum vivam usque ad ultimum finem vitae meae pronunciabo haec mirabilia tua, quae per me fecisti a juventute mea.

19. *Et usque in senectam et senium, Deus ne derelinquas me.*
20. *Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quae ventura est.*

Et simul rogo, ut usque *ad senectam non derelinquas me*, sed mihi semper adsis auxilio tuo, *donec annunciem*, idest, donec perficiam librum psalmorum, per quem *annunciem brachium tuum* id est, fortitudinem tuam, omni posteritati: per se-

nectam et senium idem significari videtur:nam in hebraeo est, עד זקנה ו שיבה *had zikna,vescebah,usque ad senectutem et canos*: cani enim indicant senectutem. Quomodo autem David dicat se annunciaturum potentiamDomini omni posteritati, saepe diximus, quia videlicet praevidebat,psalmos a se compositos in toto orbe usque ad consummationem saeculi decantandos.

21. *Potentiam tuam, et justitiam tuam Deus usque in altissima,quae fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?*

Explicat quid sit brachium, quod se annunciaturum dixit generationi venturae,et ait,*Potentiam tuam et justitiam tuam*, idest, annunciabo brachium tuum, quod est potentia tua conjuncta cum justitia tua. *Omnipotens Deus est*,sed simul justissimus est, potest quicquid vult, sed nihil injuste vult. Haec autem potentia cum justitia extenditur *usque in altissima magnalia*, quae Deus fecit: non enim Deus potentia sua creavit solum terram et maria et habitantes in eis,sed etiam creavit coelum et coelos coelorum et habitantes in eis millia millium angelorum.Itaque usque ad haec altissima magnalia extenditur brachium potentiae Dei. Neque solum justitia Dei punit homines peccatores, qui sunt pulvis et cinis. Sed punivit etiam altissimos angelos, quos de coelo ob superbiam praecipitavit in abyssum: proinde brachium divinae justitiae usque ad altissima magnalia pervenit,ut exclamare liceat, *Domine quis similis tibi?* Neque hoc repugnat scripturae, quae dicit, *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.* Gen. 1. Et, *scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* 1. Jo: 3. Nam cum dicitur, *quis similis tibi?* accipitur similitudo pro aequalitate ac si dictum esset, Quis est similis tibi in potentia, idest, aeque potens,ac tu? Quis est similis tibi in essentia, idest, qui a nullo pendeat et a quo omnia pendeant, qualis es tu ?

22. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas: et conversus vivificasti me, et de abyssis terrae iterum reduxisti me.*
23. *Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.*

Consolatur David praesentem calamitatem suam ex eo quod alias calamitates, Deo juvante feliciter evaserit. *Quantas*, inquit, *ostendisti mihi tribulationes multas, et malas*, idest, magnas varietate, et amaritudine, quas pertuli in persecutione Saulis. *Et conversus vivificasti me*, cum pene ad portas mortis pervenissem. *Et de abyssis terrae iterum reduxisti me*, idest, et de extremis malis cum pene ad inferos descendissem, liberasti me. *Multiplicasti* enim *magnificentiam* tuam secundum multitudinem dolorum meorum,*et conversus ad misericordiam*, cum me paterne castigasses , mirifice *consolatus es me*, cum ex misero exule regem beatissimum feceris. Spiritualiter significat hic locus hominem peccatorem cum Christo resurrexisse a morte peccati et mirifice consolatum spe vitae aeternae.

24. *Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam Deus, psallam tibi in cithara sanctus Israel.*
25. *Exultabunt labia mea; cum cantavero tibi et anima mea, quam redemisti.*
26. *Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam: cum confusi et reveriti fuerint,qui quaerunt mala mihi.*

In fine psalmi praedicit ipse sibi Propheta David liberationem de manu Absalonis, et pollicetur gratiarum actionem corde et ore et instrumentis musicis psalterio et cithara. *Nam et ego*, adepta scilicet victoria, *confitebor tibi veritatem tuam*, idest,laudabo justitiam tuam,sive fidelitatem tuam *in vasis psalmi*, idest,in instrumento psalmi concinendi, quod psalterium vocatur. Addam etiam psallere tibi, *o sanctus Israel*, in instrumento citharae. Illud, *sanctus Israel*, est cognomen Dei, qui vocatur sanctus Israelis, quoniam sanctificari debebat a populo Israel sanctificatione cultus ethonoris, et ipse sanctificabat populum Israel sanctificatione gratiae. Neque solum per psalterium et citharam tibi gratias agam, teque laudabo; sed etiam *exultabunt labia mea*, idest, os meum jubilabit, *cum cantabo tibi*; et *ipsa anima mea*, et vita mea, *quam redemisti ab interitu, exultabit tibi*, idest, exultans laudabit te. Denique non semel, aut iterum *lingua mea exultabit justitiam tuam*, sed *tota die*, omni tempore *meditabitur*, idest,exercebit se in decantanda justitia tua,quando confusi erubuerint omnes inimici mei,qui quaerunt nocere mihi.Haec omnia multo verius conveniunt homini justo, qui toto corde, et pleno ore et per totam aeternitatem laudabit Deum, cum in die judicii confusi fuerint omnes persecutores ejus, et ipse redemptus fuerit et liberatus ab omni malo corporis et animae.

PSALMUS LXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In Salomonem.

Hic psalmus videtur esse omnium postremus, quamvis non sit collocatus in postremo loco. Scriptus est enim eo tempore quo David vicinus morti tradidit regnum Salomoni filio suo. Unde etiam ad finem hujus psalmi leguntur haec verba, *Defecerunt laudes David filii Jesse.* Cur autem non sit positus hic psalmus in fine libri, fortasse causa fuit, quia visum est ei, qui psalmorum ordinem disposuit, ut librum concluderent psalmi, qui solas Dei laudes continent et incipiunt et desinunt in vocem *Alleluja*, quales hymni continuabuntur post hanc vitam in saeculum saeculi. Titulus est, *in Salomonem*, quia occasio scribendi, vel canendi hunc psalmum fuit, ut bene precaretur Salomoni filio suo, quem in regni solium extulerat. Et vere primi versiculi satis apposite Salomoni conveniunt. Sed mox a Spiritu sancto elevata mens et lingua Prophetae transtulit sermonem ad Christum, qui per Salomonem significabatur. Fuit enim Salomon apertissima Christi figura: et tria nomina Salomonis *Salomon*, idest, *pacificus Ecclesiastes*, idest, *concionator* et *Idida*, idest, *dilectus Domino*, magis proprie Christo conveniunt, quam Salomoni. Ipse enim est pax nostra, qui reconciliavit mundum Deo, ipse est Verbum incarnatum ad evangelizandum pauperibus missum: denique ipse est, de quo pater non semel dixit, *hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. et 17. Vide s. Augustinum in lib. 17. de civitate Dei cap. 8. Describit autem David in hoc psalmo elegantissimis similitudinibus adventum Christi et propagationem regni ejus, necnon rectitudinem gubernationis ejus.

EXPLICATIO PSALMI LXXI.

1. *Deus judicium tuum regi da et justitiam tuam filio regis.*
2. *Judicare populum tuum in justitia et pauperes tuos in judicio.*

Haec est bona precatio, qua precatur David Salomoni filio suo gratiam Dei ad juste judicandum. Vir enim sanctus, non precatur filio suo abundantiam auri et argenti, neque propagationem imperii, ut filii hujus saeculi facere solent: sed precatur ei gratiam bene fungendi officio suo. Sciebat enim regem esse propter populum, non populum propter regem: et ideo illum esse bonum regem, qui bene regit populum juste judicando. Quod ipsum et Salomon filius a Davide Patre edoctus postulavit a Deo, 3. reg. c. 3. Ait igitur, *Deus judicium tuum regi da*, idest, da Salomoni regi recens instituto, *judicium tuum*, idest, judicium tale, quale est tuum, rectum, sapiens, justum; sive gratiam judicandi, ut tibi placet vel secundum leges tuas. Et idem repetens addit *et justitiam tuam filio regis*, idest, da Salomoni, qui est rex, et filius regis, justitiam tuam, idest, justitiam talem qualis est tua, ut juste judicet ad imitationem tuam, qui semper justissime judicas. *Da*, inquam, *Salomoni judicium tuum et justitiam tuam. Judicare populum tuum in justitia*, idest justo judicio, *et pauperes tuos*, idest, populum tuum, *in judicio.* Est enim hic etiam repetitio ejusdem sententiae. Vocat autem populum Dei, pauperes Dei, quia omnes homines quantumvis divites esse videantur, tamen pauperes Dei sunt. Egent enim auxilio ejus in omnibus rebus, et quicquid habent, a Deo habent, non tam donatum quam commodatum, unde et repetere et auferre sine ulla injuria Deus potest: et quamvis populi gentium haec non intelligant, tamen populus Dei intelligere et profiteri debet. Hic mihi videtur sensus litteralis: tamen non repugno quin possit etiam hic locus intelligi de auctoritate regia et judiciaria, ut sensus sit: da Deus regi a me electo et filio meo judiciariam potestatem, ut juste judicet populum tuum. Vel si de Christo hos etiam primos versiculos exponere placeat, sensus sit, Da Deus Pater regi Christo filio tuo potestatem judicandi: juxta illud Joan. 5. *Pater non judicat quemquam sed omne judicium dedit Filio.* Porro inter judicium et justitiam est quidem differentia, quod justitia est virtus, judicium autem actus est justitiae, tamen hoc loco accipiuntur pro eodem. videlicet pro judicandi potestate, vel pro gratia bene judicandi, vel pro ipso actuali judicio. Siquidem ut observat hoc loco s. Augustin. et confirmat ex aliis locis, in singulis fere versiculis repetitur bis eadem sententia: neque solum hoc loco sed etiam

alibi passim accipiuntur pro eodem judicium et justitia, ut 2. reg. 8. *Faciebat David judicium et justitiam omni populo suo*, et psal. 118.*Feci judicium et justitiam, non calumnientur mihi superbi.*

3. *Suscipiant montes pacem populo et colles justitiam.*
4. *Judicabit pauperes populi et salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem.*

Ili quoque versiculi pertinent ad bonam imprecationem Regi Salomoni: quasi dicat David,Precor Deum,ut regnante filio meo Salomone descendant pax et justitia in omnem terram hujus regni,et ad omnes populos, qui habitant in ea: et quia terra illa maxima ex parte in montibus et collibus sita erat, ideo dicit,*suscipiant montes pacem populo*, idest, descendat pax ad omnes montes hujus terrae promissionis et suscipiatur ab eis pro populo in eis habitante; *et colles* hujus terrae suscipiant *justitiam*, quae est causa pacis: nam ex injustitia oriuntur bella, et seditiones;ex justitia oritur pax. Isaiae 32. *Erit opus justitiae pax.*Vel per montes intelligi possunt homines regni majores et nobiliores, per colles vero viliores et humiliores : nam cum majores inter se pacem habent et communi consilio rempublicam gerunt, facile continent humiliores intra cancellos justitiae.Itaque si montes suscipiant pacem, colles quoque suscipient justitiam. *Judicabit pauperes populi*, idest, si pax et justitia vigeant in regno,ita ut pauci admodum inveniantur oppressores aliorum, facile rex ipse judicabit pauperes populi a calumniis et oppressionibus paucorum potentiorum,qui in tanta multitudine deesse non possunt. *Judicabit*, rex videlicet, *pauperes populi* et judicio suo *salvabit filios pauperum* de manu calumniatorum,*et ipsos* calumniatores *humiliabit*, deprimet et confundet.

5. *Et permanebit cum sole et ante lunam in generatione et generationem.*

Jam incipit Propheta transitum facere a Solomone ad Christum: dicit enimSalomonem regem permansurum in regno,quamdiu sol et luna permanebunt in coelo, idest, quamdiu tempus durabit. Et quoniam de persona Salomonis haec dici non possunt, cogit nos Spiritus sanctus, ut haec intelligamus de Salomone, non per se, sed per Christum, ut sensus sit,continuabitur regnum Salomonis per Christum, qui ex progenie ejus nascetur usque ad mundi consummationem.*Et permanebit* rex Salomon in filio suo, qui verissimus erit pacificus, et amabilis Domino, *cum Sole*, idest, quamdiu sol erit, et *ante lunam*, idest, et coram luna, *in generatione, et generationem*, idest, usque ad finem saeculi. Hic multa notanda sunt: primo illud, *Et permanebit*, in hebraeo habetur, *timebunt te*,sed Septuaginta videntur legisse,וַיַּאֲרֵךְ *vaieeroch et prolongavit*, vitam videlicet, quod est idem quod permanebit, pro, וְיִרָאוּךָ *viraucha*, et timebunt te. Solum enim una litera mutat locum et sit lectio quam habemus; sensus tamen est idem:nam *timebunt te*,significat timendum Salomonem ut regem a populis, ac per hoc permansurum in regno. Secundo illud *cum sole*,non solum significat permansurum regem, quamdiu sol erit,sed permansurum in terris regnum ejus,dum sol peragit dies, idest, usque ad mundi consummationem: nam post mundi consummationem non erit regnum Christi cum sole, sed supra solem neque sole ullo modo indigebit. Tertio illud, *ante lunam*, in hebraeo est. לִפְנֵי *liphne*, coram luna, sive ante faciem lunae quod recte cohaeret cum illo, *cum sole*: quasi dicat permanebit in conspectu solis, et lunae quamdiu sol et luna dies noctesque distinguent: tamen in graeco est, πρὸ σελήνης, idest, antequam esset luna et hinc colligunt s. Augustinus, Euthymius et alii, hic significari aeternitatem Christi, qui fuit ante lunam. Caeterum non desunt, qui illud πρὸ velint significare ante, idest, *coram*, ut concordet graeca lectio cum hebraica, praesertim cum non cohaereat verbum *permanebit*, cum illo, *antequam luna esset*, sed bene cohaereat cum illo, *coram luna*. Rectissime enim dicimus, permanebit coram luna, sed non nisi absurde diceremus, permanebit antequam esset luna. S. Hieronymus vertit, *ultra lunam*, sed fateor me ignorare quid sequutus sit: nam neque vox hebraica,neque graeca hoc significat. Quarto illud *in generatione, et generationem*, potest accipi pro aeternitate, ut alias notavimus, sed hoc loco accipiendum est proprie pro spatio temporis quo durat sub sole vicissitudo generationum. Neque hinc sequitur Christum, aut ejus regnum non permansurum, nisi usque ad finem generationum et mundi consummationem. Solum enim hic significatur Christum, et ejus Regnum duraturum usque ad finem saeculi sed non significatur, ibi finem esse habiturum: quomodo intelligimus illud Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem.* Hic enim significatur,Christum futurum nobiscum usque ad mundi consummationem per gratiam, et auxilium: sed in aeternum futurum per gloriam, et foelicitatem. Sic etiam Christus et ejus regnum permanebit in terris *coram sole et luna* per temporum vicissitudines, donec sol,et luna movebuntur super terram et generationes praeteribunt et generationes advenient: sed his finitis Christus et regnum ejus permanebit supra solem et supra lunam sine ulla varietate in aeternum: *nam regni ejus nullus erit finis.* Daniel 2. Luc. 1.

6. *Descendet sicut pluvia in vellus et sicut stillicidia stillantia super terram.*

Quia dixerat, regem Salomonem permansurum usque ad finem mundi et hoc intelligendum erat non in persona propria, sed in illo suo Christo; ideo nunc Propheta describit adventum Christi et propagationem, ac proprietates regni ejus.Adventum Christi ad Judaeos primum, deinde ad gentes describit similitudine pluviae, velleris et terrae, juxta signum liberationis populi datum olim Gedeoni, Jud.6. nam petente Gedeone signum a Deo, factum est ut vellus in area positum impleretur rore coeli, area tota sicca permanente;deinde sequenti

nocte area tota compluta est,solo vellere in medio areae remanente arido: sic igitur descendit primo Christus ad judaeos, per vellus significatos,tota reliqua terra permanente arida, dicente ipso, *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel.* Matth. 15.Deinde venit ad gentes per Apostolorum praedicationem et sic compluta est terra pluvia doctrinae salutaris et gratia Baptismi, dicente eodem Domino, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.* Matth, 28. et solum vellus remansit aridum ariditate incredulitatis ut etiam hodie cernimus. Ita s. Augustinus. Addit s. Bernardus serm. 2. super, Missus est, Christum descendisse *sicut pluviam in vellus*, per incarnationem *et sicut stillicidia super terram*, per praedicationem, quia sicut ros cadit de coelo in vellus cum maximo silentio, ita Christus descendit in virginem ut lanam purissimam, maximo cum silentio et coelesti solum virtute et sicut stillicidia stillantia super terram magno sonitu guttas demittunt in terram; sic idem Christus venit per praedicationem suam et Apostolorum cum magno strepitu verborum et miraculorum.

7. *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis donec auferatur luna.*

Hic erit primus fructus adventus Christi, vera justificatio et verissima pax cum Deo, et cum omnibus hominibus.*Orietur in diebus ejus justitia* id est, cum venerit Salvator, abolebitur peccatum, et in locum ejus *adducetur justitia sempiterna*, ut praedixit Daniel cap. 9. Quamvis enim non defuerint ab initio mundi multi vere justi ut Abel, Henoch, Noe, Abraham et alii; tamen omnes justificati sunt ex meritis Christi praevisis. Vere enim dicit Angelus Josepho, Matth. 1. *Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*; et hoc est gaudium,quod Angelus evangelizavit Pastoribus. Luc. 2. *Quia natus est vobis hodie Salvator. Orietur* ergo *justitia* in cordibus hominum per fidem Jesu Christi et inde sequetur *abundantia pacis*: quia vera justitia in charitate consistit, charitatis autem proles est pax, et pax quam mundus dare non potest,sed vera, stabilis et in tanta copia ut coelum et terram repleat. In cujus rei signum nascente Christo quieverunt bella in toto orbe terrarum sub Augusto Caesare. Durabit autem haec justitia, et pax in terris *donec auferatur luna*, idest, durabit justitia fidei, et pax conscientiae, non sine externis persecutionibus donec tollatur e medio omnis corruptio et mortalitas, quae per lunam significatur: sive donec tollatur lunae varietas et transmutatio : nam post mundi consummationem luna semper erit plena et justitia fidei mutabitur in justitiam gloriae et pax non solum erit in corde, sed et in corpore interior et exterior, sine ullo hoste.In hebraeo, pro *orietur justitia*,habetur *orietur justus*, sed facile est Septuaginta legisse, צדק *tsedek*, *justitia*,non ut nunc legitur, צדיק *tsadik*, *justus* sensus tamen est idem: nam cum oritur justitia,oritur justus: neque justus oriri potest, nisi in eo oriatur justitia: pro, *Donec auferatur luna*, in hebraeo est, עד בלי ירח *had beli iareach*, *donec non sit luna*,ex quo tollitur ambiguitas vocis graecae:nam ut s.August.notavit vox graeca significare potest lunam tollendam, ut non sit: et lunam extollendam, ut altior sit. Sed vera sententia est, tollendam, ut non sit.Id enim cohaeret cum lectione hebraica et latina. Intelligimus autem, lunam tollendam, ut non sit, qualis nunc est, modo clara , modo obscura, modo magna, modo parva: sed et illa lectio, *Donec extollatur luna*, optimum sensum habet, videlicet donec ecclesia per lunam significata extollatur per resurrectionem et glorificationem.

8. *Et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

Describitur nunc propagatio regni Christi, quod est ipsa Ecclesia toto orbe diffusa. Videtur autem hic describi terra habitabilis secundum longitudinem a mari Indico, sive Orientali, usque ad mare Gaditanum, sive Occidentale: et per latitudinem a flumine Tanai Septentrionali,usque ad fines Aethiopiae, quae est ultima provincia ad Meridiem. Alii existimant per flumen intelligi Euphratem qui erat ultimus terminus regni Salomonis.Sed hoc non est probabile, quoniam regnum Christi non incipit ab Euphrate, neque terminatur ad Euphratem;sed ultra et citra Euphratem extenditur. Melius s. August. et Theodorētus per flumen intelligunt Jordanem,in quo dictum est Christo,*Hic est filius meus dilectus*, Matth. 3. Luc. 3. et in quo Baptisma dedicatum est, et circa quem praedicatio Domini, ac per hoc propagatio regni initium habuit.Itaque secundum Augustinum illa verba, *a flumine usque ad terminos orbis terrarum*, explicant quod antea dictum erat,*a mari usque ad mare*: quasi dicat, *Dominabitur per totam terram a mari usque ad mare*, quia terra undique cingitur mari Oceano. Id autem fiet quia a Jordane flumine incipiet praedicatio,et dinundetur per omnes terras usque ad mare Oceanum, quod undique terminat orbem terrae.

9. *Coram illo procident Aethiopes,et inimici ejus terram lingent.*

Nominantur Athiopes in particulari , vel quia paulo ante dictum erat, a flumine usque ad terminos orbis terrarum,et secundum latitudinem et ipsi Aethiopes sunt in finibus orbis terrae,ut supra diximus, vel quia primus fuit Eunuchus Candacis reginae Ethiopum, ut legimus Act. cap. 8. qui ad fidem Christi conversus est ex iis,qui extra terram promissionis habitabant. Vel quia Aethiopes ut nigerrimi corpore, ita feri moribus,longissime videbantur abesse a cultu veri Dei.Quod autem subditur, *et inimici ejus terram lingent*, explicatio est verborum superiorum; nam procidere est prosterni usque ad terram, quod faciunt qui terram lambere volunt. Itaque significatur humillima subjectio et adoratio, quae proprie debetur Deo;et quam deferent Christo inimici ejus, idest, infideles, et

peccatores conversi ad fidem, et poenitentiam. Et qui noluerint sponte procidere Christo, eumque pie et fideliter adorare, cogentur in novissimo die inviti procidere et subjici sub scabellum pedum ejus.

10. *Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent.*

Quia dixerat Christum dominaturum a mari usque ad mare, idest, per universam terram, quae mari cingitur; ne putaremus ab ejus dominio excludendas insulas, quae sunt in medio mari, adjungit, *reges Tharsis et insulae munera offerent.* Quid significet Tharsis, diximus in explicatione psal. 47. Probabilissima sententia est, ea voce significari insulas maris orientalis quae plurimae et maximae sunt, et unde tertio quoque anno adferebatur Salomoni maxima copia auri, et aromatum, ut legimus 3. Reg. 10. sensus igitur est, *reges Tharsis*, idest, Insularum orientalium,et ipsae etiam insulae, idest, populi earum, munera pretiosa regi Christo offerent. Adjungit deinde his regibus et insulis, *reges Arabum et Saba*, quia haec sunt loca, unde eruitur copia rerum pretiosarum, auri, argenti, lapidum pretiosorum et omnis generis aromatum. Nam ut legimus loco citato 3. reg. 10. *Regina Saba attulit Salomoni infinitam copiam auri, argenti, lapidum pretiosorum et aromatum.* In hebraeo est *reges*, שבא *Sceba, et* כבא *Seba*, quae solum differunt, quod prior habeat, s, durius nimirum *Shim*,posterior mollius, s.*samech.* Quamvis autem aliqui velint priorem Sabam hoc loco nominatam significare Aethiopiam, posteriorem Arabiam, tamen septuaginta Interpretes, et s. Hieron. per priorem intellexerunt Arabiam, per posteriorem ipsam Sabam, quo nomine utuntur etiam graeci et latini, et nisi ego valde decipior, Saba, per schim, est Arabia foelix. Nam etiam paulo post, cum dicitur, *Dabitur ei de auro Arabiae*, in hebraeo est, שבא *scheba*; et Isaiae 60. cum dicitur, *Omnes de Saba venient, aurum, et thus deferentes*,in hebraeo est,שבא *scheba*: *Saba* autem per samech, סבא latius patet et significat Arabiam, Madian, et Epha, ut s. Hier. indicat in commentario ad c. 60. Isaiae. Itaque *reges Arabum et Saba*, significat reges Arabiae et totius regionis quae dicitur Saba, Atque hujus totius regionis reginam fuisse existimamus reginam Saba, quae venit ad Salomonem lib. 3. reg. cap. 10.Nam dicitur regina Saba per schim, idest, שבא *scheba*,et hoc nomine septuaginta Interpretes et s. Hieron. in versione hujus psalmi intelligunt Arabiam, et rursus idem Hieronymus in commentario Isaiae capit. 43. et capit.60. dicit reginam Saba fuisse reginam Saba, quae scribitur per samech, Isaiae 60.proinde fuit regina Arabiae foelicis et praeterea Madian et Epha, et totius regionis Sabaeorum. Neque his repugnat, quod regina Saba dicitur, Matth.cap.12. *regina Austri venisse a finibus terrae:* nam Arabia foelix ad Austrum porrigitur,et pertinet ad mare Aethiopicum et ad Zonam torridam: proinde rectissime dicitur, *regina Austri venisse a finibus terrae.*Quod autem quidam dicit reginam Saba imperasse Aegypto et Aethiopiae, cujus regia est Meroes; nescio unde probari possit: nam tempore Salomonis regnabat Pharao in Aegypto, cujus filiam Salomon duxit uxorem; non igitur regina Saba, quae venit ad Salomonem regnabat in Aegypto.Sed his omissis, illud utilius considerandum est, munera, quae Christo regi offerenda sunt, quaeque illi maxime placent, esse aurum charitatis, thus orationis et myrrham patientiae, sive, esse fidem cum invocatione, spem cum desiderio rerum supernarum, charitatem cum fructibus bonorum operum: ex qua charitate fit, ut qui ea flagrant,non difficulter omnes terrenas opes,necnon duros corporis labores et ipsam vitam Christo offerant.

11. *Et adorabunt eum omnes reges terrae,omnes gentes servient ei.*

Haec omnia in Christo impleta sunt in aliquo sensu et in alio sine dubio implebuntur. Nam si intelligantur de adoratione et servitute fidelium, impleta sunt per figuram intellectionis: Scriptura enim tribuit omnibus ea, quae conveniunt multis, Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*: et tamen ibidem dicitur, *Noe vir justus, atque perfectus.* Matth. 2. *Tarbatus est Herodes et omnis Jerosolyma cum illo*: et tamen non deerat Simeon justus et Anna Prophetissa et caeteri justi,qui non turbati cum Herode, sed gaudio magno cum Magis affecti sunt.Igitur dicuntur omnes reges adoraturi Christum, et omnes gentes ei serviturae, quia plurimi principes eum populis suis ad Christi cultum et obsequium convertendi erant. Sed si intelligatur hic locus de adoratione sive spontanea, sive coacta; in die judicii adimplebitur perfectissime: tunc enim Christo curvabitur omne genu, denique si intelligatur de potestate Christi, quam habet in omnes reges et populos, ut sive ipsi sciant, sive nesciant et sive velint, sive nolint, ipse de ipsis aget quidquid sibi placet,ac per hoc servient omnes ejus voluntati; adimpletur semper haec Prophetia: *Data enim illi est omnis potestas in coelo, et in terra.* Matth. 28. *Et ipse est princeps regum terrae.* Apocal. 1. *Et habet in femore suo scriptum, rex regum,et Dominus Dominantium,*Apocal.19.

12. *Quia liberabit pauperem a potente, et pauperem, cui non erat adjutor.*

Haec est ratio, cur reges, et populi servient Christo, quia per ipsum liberabuntur a potestate diaboli,a crudelissima tyrannide principis tenebrarum et transferentur in pacatissimum regnum ejus. Per pauperem intelligitur genus humanum spoliatum a diabolo omnibus bonis suis, quibus in statu innocentiae abundabat: per potentem, intelligitur diabolus,quem ex astuto potentem fecit iniquitas nostra: si enim homo persuasioni ejus consentire noluisse, numquam eum diabolus debellare potuisset. Sed post peccatum captivus diaboli factus est homo et diabolus potentiam in eum acquisivit. Incipit autem homo liberari, cum incipit cognoscere paupertatem suam, ac per hoc humiliari et non in se, sed in Domino confidere. *Li-*

berabit ergo pauperem hominem a potente diabolo, et pauperem, cui non erat adjutor, idest, quem neque alius homo, neque Angelus, neque ulla creatura poterat adjuvare. In hebraeo pro, *a potente*, est, *clamantem*, ut sit adjectivum pauperis. Sed Septuaginta non legerunt, משוע *mesciaveah*, sed cum aliis punctis, משוע *misuah*, a potente sive divite clamoso et hoc eodem modo legit s. Hieron. qui vertit a potente.

13. *Parcet pauperi et inopi et animas pauperum salvas faciet.*

Explicat modum, quo Christus liberabit homines a diabolo: modus enim erit condonando eis peccata et restituendo gratiam; cum enim remittuntur peccata, rumpitur catena, quae captivos tenebat sub diaboli potestate. *Parcet*, ergo rex noster, *pauperi et inopi*, idest, condonabit delicta agnoscentibus debita sua et confitentibus paupertatem suam ob quam solvendo non erant, nec solum ignoscet peccatis, sed etiam donabit gratiam, sive justitiam et per hoc animas pauperum salvas faciet.

14. *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum et honorabile nomen eorum coram illo.*

Homo per originale peccatum debitor factus est mortis aeternae. Atque hoc est debitum capitale; sed dum hujus debiti solutio differtur, iniquus exactor diabolus exigit usuras, impellens quotidie ad nova peccata, quae sunt poenae primi peccati; et dum horum peccatorum poena differtur, usurae transeunt in sortem principalem. Ita quo diutius peccator vivit, eo magis debitum crescit. Christus ergo benignissimus Dominus, non solum peccatum originis, quod fuit primum capitale debitum, per gratiam suam remittet; sed etiam ab usuris, idest, ab actualibus peccatis, et ab iniquitate tam duri exactoris redimet. Hoc praedixit etiam Isaias cap. 9. cum ait, *Jugum enim oneris ejus et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti.* Sanctus Augustinus dicit peccati poenam reddi cum usura, quia plus peccator reddit, quam accepit. Homicida occidit carnem proximi; ipse peribit in corpore et in anima: fur accipit pecuniam et perdet vitam aeternam: fornicator sumit modicam et brevem voluptatem; reddet supplicia gravissima et sempiterna. *Et honorabile nomen eorum coram ipso:* haec est causa tantae pietatis Domini, qua nomen istorum pauperum fuit honorabile coram Deo. Ubi, *et* accipitur pro, *quia*, et nomen significat naturam humanam creatam ad imaginem Dei: quamvis enim homo per peccatum vilis, et despectus valde factus sit, tamen natura humana et nomen hominis non est vile apud Deum neque despicit Deus imaginem suam. Et vere incarnatio filii Dei manifeste ostendit, quam pretiosa sit natura humana apud Deum: quod certe deberet omnes homines rapere in amorem Dei, a quo tanti se fieri praeter omne meritum suum intelligunt. In hebraeo habetur, *sanguis eorum*, pro eo quod nos habemus, *nomen eorum*. Sed idem est sensus: nam Deus magni fecit sanguinem nostrum idest, vitam nostram, quam ideo de interitu redemit, quia pretiosum fuit coram eo nomen nostrum natura nostra, genus nostrum.

15. *Et vivat, et dabitur ei de auro Arabiae, et adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.*

Quoniam dicens, *redimet animas eorum*, insinuaverat mortem Christi, quae fuit redemptio, et propitiatio pro animabus nostris, addere voluit etiam resurrectionem et vitam ejus aeternam, ideo subjungit, *Et vivet*, idest, et postea quam per mortem redemerit, *iterum vivet. Et dabitur ei de auro Arabiae*, idest, pretiosis muneribus coletur, quod autem s. Augustinus legit, *Dabitur ei de auro Abrahae*, videtur manifesta corruptio. *Et adorabunt de ipso semper*, idest, et redempti ab ipso adorabunt Deum verum ex ipsius ritu, doctrina et institutione usque ad mundi consummationem. *Et tota die*, idest, jugiter, et assidue benedicent ei, hoc est, *laudabunt, et glorificabunt eum.* In hebraeo habetur in numero singulari, יתפלל *ithpallel*, orabit. Sed Septuaginta et s. Hieronymus verterunt in numero multitudinis, *orabunt*, et omnes tractatores exponunt verbum in numero multitudinis. Quare videndum est, an fortasse in verbo Hebraico una litera in fine, videlicet vau, desideretur. Quod autem in hebraico, יתפלל *ithpallel*, et graeco sit verbum προσευξονται, *orabunt*, in latino, *adorabunt*, non variat sensum: nam qui orat adorat et qui adorant ut plurimum id faciunt, ut orent: ergo, *adorabunt*, exponendum est, adorantes orabunt, vel, orantes adorabunt. Illud, *de ipso* varie exponitur, aliqui enim volunt, *de ipso*, significare, pro ipso, idest, pro foelici progressu ipsius vel regni ejus. Alii, *de ipso*, hoc est pro salute, quae est ab ipso, Alii, *de ipso*, idest, per ipsum orabunt Patrem: sed si praepositio, *de*, proprie accipienda sit, ut eam accipiendam esse arbitramur, jam diximus, quis nobis sensus esse videatur.

16. *Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super libanum fructus ejus: et florebunt de civitate sicut foenum terrae.*

Hic jam describitur fructus Apostolicae praedicationis post Christi resurrectionem, et ascensionem in coelum. Sed primum declaranda est vox firmamentum, pro qua in hebraeo est, פסת בר *pissath bar*. Rabbini, et qui eos sequuntur volunt, *pissath bar*, significare *pugillum frumenti*, sive quantum sola manus potest capere frumenti, vel etiam *placentulam panis*: sed non possunt ex scripturis hanc suam expositionem probare. Sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo contrariam sententiam videlicet, *memorabile triticum*, idest, abundantiam optimi frumenti; et potest confirmari haec expositio ex cap. 37. Genesis, ubi dicitur, Jacob fecisse Josepho filio suo unice dilecto vestem egregiam variorum colorum: et habetur vox hebraea פס פסת *pas pissath*, ex hac eadem radice, unde

hic habemus *pissath*: quomodo ergo in eo loco non significatur vestis angusta, aut brevis, sed talaris, et pulcherrima; ita hoc loco non significatur frumentum modicum, quod pugillo, aut vola contineatur, sed *abundans et memorabile*, ut s. Hieronymus recte vertit. Atque huc respexerunt Septuaginta, qui transtulerunt, *firmamentum*, idest, *firmamentum panis*, ut dicitur in psalmo 104. *omne firmamentum panis contrivit.* Est enim abundantia frumenti firmamentum familiae, ut non cogatur mendicare, juxta illud Gen. 27. *Frumento vino et oleo stabilivi eum.* Per abundantiam autem frumenti, hoc loco non intelligitur abundantia frumenti corporalis, sed abundantia Verbi Dei, ut colligitur ex illis verbis, *Et florebunt de civitate sicut foenum terrae*, ubi explicatur metaphora superiorum verborum. Hic igitur est sensus hujus loci alioqui valde obscuri: *Erit in terra firmamentum*, idest, abundantia frumenti spiritualis, quod est Verbum Dei. *In summis montium*, idest, etiam in locis ex se sterilibus: valles enim, non montes, abundare solent frumento, *superextolletur fructus ejus*, idest, crescet, et multiplicabitur fructus hujus frumenti in terra sati, *super Libanum*, idest, fructus hujus frumenti excrescet supra altitudinem cedrorum Libani, vel supra fructum Libani, qui producit arbores plurimas et altissimas. *Et florebunt de civitate sicut foenum terrae*, idest et hic fructus frumenti non consistet in spicis corporalibus, sed in multiplicatione credentium: nam ex civitate Dei, quae est Jerusalem, de qua dictum est ab Isaia cap. 2. *De Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem*, florebunt et germinabunt credentes in tanta copia, ut foenum in terra germinare solet. Et quod ita factum sit docet s. Lucas Actor. 6. ubi dicit, *Et verbum Dei crescebat, et multiplicabatur numerus credentium valde.* Scio quid Paulus Burgensis ex paraphrasi Chaldaica adferat ad probandum ex hoc loco sacrificium Missae sed scio etiam quam multis fabulis Judaicis paraphrasis illa scateat. Ideo piget ex lacunis expositionum Judaicarum haurire, quae nobis ex purissimis fontibus sacrarum scripturarum abundant.

17. *Sit nomen ejus benedictum in saecula, ante solem permanet nomen ejus.*

Concludit psalmum Propheta orando et laudando futurum Messiam. *Sit*, inquit, *nomen ejus benedictum in saecula*, idest, ab omnibus, ubique, et semper benedicatur nomen Christi: quod nomen *ante solem permanet*, idest, coram Sole, sive quamdiu sol erit, permanebit. Conabuntur quidem persecutores illud extinguere, sed non praevalebunt. In hebraeo non habetur illud, *benedictum*, sed simpliciter legitur, *Erit nomen ejus in saecula*, et idem aliis verbis repetitur, *quamdiu sol erit, nomen ejus permanebit.* Testatur quoque Theodoretus a nullo interprete, idest, neque ab Aquila, neque a Symmacho, neque a Theodotione illud, *Benedictum*, in textu esse positum, neque haberi in Exaplis apud septuaginta Interpretes: tamen habetur in graecis, et latinis antiquis libris et legitur in commentariis Hieronymi, Augustini, et Euthymii. Illud, *permanet*, seu *permanebit*, in hebraeo est, ינון *innon*, quo verbum, *filiabitur* dici posset, idest, propagabitur: quod satis proprie convenit nomini Christi, quod per praedicatores propagatur et propagabitur usque ad mundi consummationem.

18. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum.*

Hoc desumptum est ex Genesi, cap. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.* Et explicatur ab Apostolo ad Galat. 3. *Non dictum est*, inquit, *in seminibus, tamquam in multis, sed tamquam in uno, et semini tuo, quod est Christus.* Omnes ergo gentes benedicentur a Deo in Christo, idest, nemo benedicetur, nisi in Christo et in ipso benedicentur quotquot ex ipso renati fuerint, et in ipso perseveraverint. Ipsis enim dicetur in judicio, *venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Matth. 25. Proinde benedictio ista, est justificatio et adoptio filiorum per Christum. Sicut autem in ipso benedicentur omnes tribus terrae: sic etiam vicissim *omnes gentes magnificabunt*, idest, laudabunt, et glorificabunt eum.

19. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.*

Haec est laus, qua magnificabunt eum omnes gentes: agnoscent enim et praedicabunt haec mirabilia, quae fecit Deus Christus justificando impios, et eruendo eos de potestate tenebrarum, et transferendo in Regnum suum, ab ipso solo fieri potuisse.

20. *Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.*

Optat in fine Propheta, ut nomen divinae Majestatis in aeternum ab omnibus benedicatur, non in coelo tantum, ubi semper ab Angelis benedicitur; sed etiam in terra, ita ut repleatur omnis terra gloria Domini; et omnes homines agnoscant et laudent Dominum. Addit ex magno affectu, fiat, fiat, sive hebraice, *Amen, Amen, vere ita sit, vere ita sit.* Atque hic est finis libri secundi secundum hebraeos.

PSALMUS LXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Asaph.

De hoc titulo diximus aliquid in explicatione psalmi quadragesiminoni et in praefatione. Argumentum est exhortatio ad infirmos fideles, ut non scandalizentur, si videant improbos in hoc mundo florere: quae adhortatio semper utilis saepe etiam necessaria est; tum videlicet, cum populus Dei, vel justus quicumque persecutionem patitur, et injusti maxima pace et tranquillitate fruuntur.

EXPLICATIO PSALMI LXXII.

1. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde?*

Explicaturus David tentationem et scandalum pusillorum, quorum personam in hoc psalmo induerat; primo jacit fundamentum sectae Fidei, ut intelligamus, neque ipsum, neque illos, quorum personam induerat, circa fidem divinae providentiae naufragasse. Quod idem fecit Propheta Hieremias c. 12. primum, cum ait, *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum*; deinde hoc fundamento posito, subjungit: *verumtamen justa loquar ad te: quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui praevaricantur etc.* Sic igitur hoc loco David primum affirmat Deum bonum esse, ac per hoc justum; sed bonum ut est, videri bonis, qui sano judicio praediti sunt; quamvis perversis perversus videatur. Ait igitur, non interrogando, sed affirmando, *quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde*, idest, Perquam bonus est Deus Israeli, Israelitis, inquam, qui recto sunt corde. In Hebraeo sic legitur ad verbum, *Certe bonus est Deus Israeli his, qui puro sunt corde.* Itaque Deus qui in se semper est bonus, rectus, et justus, est etiam talis Israelis judicio, non tamen omnis Israelis, sed iis ex Israele, qui purum cor habent, idest, liberum a fumo passionum, ut recte possint judicare; sive, *iis, qui recto sunt corde*, ut conforme sit rectitudini Dei: distortis enim, quod rectum est, distortum esse videtur.

2. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.*

Incipit nunc exponere tentationem infirmorum, quorum personam, ut diximus, in hoc psalmo gerit. Boni, inquit, fideles, qui puro et recto sunt corde, bonum et justum Deum esse non dubitant, quicquid illis accidat: sed ego infirmus, et qui cor habeo non usquequaque purum et rectum, pene cecidi in dubitationem de justitia Dei. Hanc enim dubitationem metaphorice significat motio pedum, et effusio gressuum. Sicut enim qui nutare incipit pedibus et qui labitur dum ambulat, deficit a firmitate et stabilitate sua; sic ille, qui agitatur dubitationum tentationibus contrariis veritati, deficere incipit et quasi nutat a constantia Fidei. *Mei autem*, inquit, *pene moti sunt pedes*, idest, nutare coepi, non tamen omnino cecedi. *Pene effusi sunt gressus mei*, idest, labi coepi, dum ambularem, non tamen rui usque ad terram: denique significat, se parum abfuisse a lapsu in dubitationem circa justitiam et providentiam Dei.

3. *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

Aperit causam suae tentationis, ac dicit esse, quia viderit iniquos, quos puniri a Deo oporteret, frui altissima pace, aliisque bonis permultis. Illud *zelavi super iniquos*, significat, zelo indignationis exarsi *super iniquos*; idest, adversus iniquos, quos vidi prosperitate et pace gaudere, quam non merentur.

4. *Quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum.*

Pergit in explicanda foelicitate iniquorum; ac dicit, eos frui pace et prosperitate, quoniam tanta sanitate utuntur, ut de morte non cogitent, quasi semper essent victuri et si forte plaga aliqua, sive morbus illis contingat, ea plaga non habet firmamentum, sed continuo evanescit. Illud, *non est respectus morti eorum*, hunc sensum habere videtur, Non respiciunt iniqui in mortem suam, neque alii, qui eos vident, in mortem ipsorum, idest, non videntur unquam morituri propter diuturnam, et stabilem sanitatem, qua fruuntur. In textu grae-

co legitur, ἐκ ἐξὶν ἀνάνευσις ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, *non est abnutio mortis eorum*, vel ut legit s. Augustinus, *non est declinatio mortis eorum*: quae verba eumdem sensum facere possunt, videlicet, Iniqui non declinant, neque abnuunt mortem quia de ea non cogitant, confidentes in optima constitutione corporis sui. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *Non cogitant mortem suam*:quae lectio nihil fere differt à nostra. Alii ex hebraeo vertunt, *non sunt vincula in morte ipsorum;* et potest sensus esse. Non trahuntur iniqui ad mortem vinculis variorum morborum, ut saepe accidit justis. Haec nobis videtur explicatio loci obscurissimi, quia cohaeret cum verbis sequentibus: quod enim sequitur, *et firmamentum in plaga eorum*, sine dubio requirit repetitionem negantis particulae initio positae, ut sit sensus et non est firmamentum, idest,firmitas et stabilitas in plaga eorum, quia si qua plaga illis accidit, facillime curatur.

5. *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur.*

Ad sanitatem iniquorum,quae est pax cum morbis et plagis corporalibus; accedit etiam abundantia omnium rerum, ut non necesse habeant conflictari cum inopia, fatigatione litibus angoribus aliisque tribulationibus ; quibus flagellantur plerique hominum,qui *in sudore vultus sui vescuntur pane suo*, Genes. 3. et calumnis potentiorum opprimuntur. Sed recte admonet s. Bernardus in declamatione sua,qui cum hominibus in hac vita non flagellantur , cum doemonibus flagellabuntur in gehenna: nam generale est, quod dicit Apostolus 2. Tim. 3. *Omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patientur*, et ad heb. 12. *Quem diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.*

6. *Ideo tenuit eos superbia , operti sunt iniquitate et impietate sua.*

Declarat Propheta, quem fructum producat prosperitas in impiis ; superbiam videlicet, et cumulum iniquitatum. Utuntur enim copia rerum temporalium ad explendas libidines suas , et ad opprimendos debiliores : cum e contrario viri pii valde timeant, et humilientur , cum arridet prosperitas: suspectam enim habent prosperitatem, ne forte sit merces eorum, et excidant a mercede sempiterna, quam toto corde sitiunt: sed notanda sunt verba. *Tenuit*, inquit, *eos superbia* ; non enim superbi superbiam tenent, sed tenentur a superbia, quasi vinculo quodam. Nam *qui facit peccatum servus est peccati.* Joann. 8. et vox hebraea, ענקתמו *hhanakathmo* hoc sonat,*circumdedit eos superbia, velut torques collo alligatus. Et operti sunt iniquitate, et impietate.* Hoc significat iniquos in prosperitate non habere peccatum solum intus in corde, ut saepe habent pauperes et miseri, qui corde concupiscunt furta, adulteria, pompas saeculi, sed opere non implent, quod libenter implerent,si possent,itaque latet intus peccatum eorum. Iniqui autem rebus omnibus abundantes toti cooperti sunt iniquitate, quia non solum cogitatione et desiderio, sed oculis, manibus, pedibus, lingua, visu, verbo et opere peccant.

7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum,transierunt in affectum cordis.*

Ostendit originem iniquitatis natam esse ex malo usu rerum temporalium abundanter illis a Deo concessarum: quoniam enim non dispensarunt divitias magis egentibus, ut par erat, sed ipsi sibi omnia retinuerunt, inde pingues effecti, velut tauri, aut equi indomiti pauperes oppresserunt. Pulchre notat s. August. in pauperibus ex macie prodire iniquitatem, in divitibus ex adipe, pauperes enim interrogati cur furentur, respondent, ob inopiam rerum necessarium : divites interrogati, cur alienum agrum invadant, respondent, si tamen respondere dignantur, quia multos habent agros vicinos, quibus hunc etiam adjungi congruum est. Sic Achab rex, 3. regum 21. abstulit vineam Naboth, non quod ipse vineis indigeret, sed quia vicina erat palatio suo. Porro abundantiam esse causam iniquitatum, quando non fiunt inde eleemosynae pauperibus, docet Ezechiel, cap.16.*Haec fuit,* inquit,*iniquitas Sodomae*, idest occasio,sive causa iniquitatis gravissimae, ob quam igne de coelo consumpta fuit *superbia,saturitas panis et abundantia et otium ipsius et filiarum ejus: et manum egeno, et pauperi non porrigebant : et elevatae sunt, et fecerunt abominationes coram me, et abstuli eas.* In hebraeo non legitur, *iniquitas*, sed *oculus*: et hunc sensum esse volunt hebraei. *Prodiit quasi ex adipe oculus eorum*,idest ex nimia pinguedine, oculus eorum prominebat, quasi exire vellet. Sed septuaginta interpretes viri doctissimi non legerunt, עין *hain*, quod significat *oculum*, sed, עון *havon*, quod significat,*iniquitatem.* Facile autem fuit vitio librariorum mutari vau in jod, cum non differant, nisi quod una litera est paulo longior, quam altera. Quod sequitur, *transierunt in affectum cordis*, difficile admodum est: nam in hebraeo secundum versionem s. Hieron. prō, *affectu*, ponitur *cogitatio*, secundum alios *pictura*, in graeco est, διαθεσις, *dispositio*, et sic legit s. August. Aliqui tollunt praepositionem, *in*, et legunt, *transierunt affectum, sive cogitationem cordis*: et sensum esse volunt, iniquos transgressos esse,quoad abundantiam bonorum temporalium ipsum desiderium, et cogitationem suam, idest, plus accepisse, quam desiderarent, vel cogitarent, quae expositio non placet, experientia enim docet, iniquos amatores mundi, non satiari temporalibus rebus, nec fieri posse, ut habeant plus, quam desiderent, cum res temporales sint modicae et cito finiantur; et desiderium humanum vastissimum sit, nec satiari possit, nisi summo et infinito bono, ut dicit s.Augustinus lib.1. confess. cap. 1. Adde quod praepositio, *in*, non debet tolli cum habeatur in textibus omnibus graecis et latinis, existimo igitur, *transire in affectum cordis,*

esse transmutari et converti in carnales passiones et effici hominem totum carnalem et animalem : quod aliis verbis dicitur ad Rom. 1. *Tradidit eos Deus in desideria cordis sui*, et infra, *tradidit eos in passiones ignominiae*, et ad hanc expositionem accommodari possunt omnes lectiones : nam affectus et cogitatio conjunctissimae sunt, et pro eodem accipiuntur. Nihil enim homo desiderat, nisi quod cogitat et cognoscit. Sed significantius est nomen picturae, quam dicunt periti linguae hebraicae proprie significare vocem, משכיות *mascioth*, quam nomen cogitationis; quia mundi amatores non desiderant quod verum bonum et pulchrum est, sed quod ipsi sibi pingunt, et fingunt in corde suo perverso bonum et pulchrum esse. Adulter enim, qui summo affectu diligit adulteram et eam rebus omnibus anteponit, etiam aeternae foelicitati, non id facit, quia revera illa sit res pulcherrima et pretiosissima ; sed quia ita ipse judicat, et talem sibi ipse eam in corde pingit et fingit. Itaque *transierunt iniqui* abundantes rerum temporalium *in affectum et cogitationem et picturas cordis sui*; quia conversi sunt, et transformati in concupiscentias et figmenta cordis sui : quo etiam referri potest vox graeca διάθεσις, idest dispositio, nam tales effecti sunt, qualis est dispositto cordis ipsorum, idest toti carnales.

8. *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt.*

Pergit in explicanda perversitate iniquorum abundantium rebus temporalibus, ac dicit, eos cogitasse apud se iniquitatem adversus Deum et homines, et non timuisse eam palam etiam praedicare, irridendo Dei majestatem, et qui illum colunt. Illud, *cogitaverunt*, s. Hieronymus vertit, *irriserunt*, et potest fieri ut vox hebraica, מיק *mik*, utrumque significat : nam raro hoc verbum occurrit in sacris libris. Fortasse etiam significat, irridendo in corde suo cogitasse nequitiam, quam postea loquendo propalaverunt. Quam autem audacter locuti sint nequitiam, explicat propheta dicens, iniquitatem in excelso locuti sunt, idest, iniquitatem, sive blasphemiam iniquissimam in excelso loco positi palam et aperte locuti sunt. Illud enim *in excelso*, hebraice est, ממרם *mimmarom*, *de excelso*, sive ex excelso: proinde sensus est, istos iniquos divites in sublimi locatos, ut superbiam eorum decebat, de excelso illo loco blasphemiam protulisse : sed haec clariora erunt in versu sequenti.

9. *Posuerunt in coelum os suum, et lingua eorum transivit in terra.*

Haec est nequitia impiorum. *Posuerunt in coelum*, idest supra coelum, os suum, non timentes Deum, et angelos blasphemare. *Et lingua eorum transivit in terra*, idest, *et lingua eorum perambulavit*, (ut sonat vox hebraica) תהלך *thiallech*, *in terra*, detrahens cultoribus Dei, eosque irridens, quasi vana sit spes eorum.

10. *Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis.*

11. *Et dixerunt, quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso ?*

Revertitur Propheta in persona infirmorum in fide, ad explicandam tentationem et scandalum ipsorum ex foelicitate, qua fruuntur peccatores. *Ideo*, inquit, *convertetur populus meus hic*, idest propter tanta scelera et tantam foelicitatem iniquorum populus meus, qui est populus fidelis, et timens Deum, *convertetur hic*, idest convertet se ad consideranda haec. *Et dies pleni invenientur in eis*, idest considerando inveniet, vere foelices esse impios, ita ut etiam diutissime vivant et impleant dies suos pervenientes ad ultimam senectutem. *Et dixerunt, quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso ?* idest et titubantes in fide dixerunt, quomodo potest fieri, ut Deus haec sciat, et permittat ? Estne scientia in Deo excelso; an potius haec ignorat, vel non considerat? Hanc existimo veriorem esse hujus loci explicationem. Theodoretus enim docet verba versiculi decimi dicta esse per parenthesim in consolationem populi justi et verba versiculi undecimi, esse verba iniquorum, qui posuerunt os suum in coelum. Quam expositionem non reprobo, sed priorem ut faciliorem et magis connexam cum sequentibus et praecedentibus praefero. In hebraeo non habetur, *populus meus*, sed, *populus ejus*, videlicet Dei. Sensus est idem, sed lectio nostra est clarior, et credibile est septuaginta interpretes non legisse, עמי *hammo*, *populus ejus*, sed, עמר *populus meus*. Facile enim fuit librariis errorem committere in scribendo vau, pro jod, quae sunt literae similes: sic etiam in hebraeo non habetur nunc, *dies pleni*, sed vel, ut s. Hieron. vertit, *quis plenus*, vel ut alii legunt, *aquae pleni*, supple calicis. Sed septuaginta interpretes non erant tam imperiti, ut per aquas intelligerent et verterent, dies; ergo necesse est dicere, eos, non habuisse in suis codicibus, מי *mi*, idest, *quis* ; neque מי *me*, idest, *aquae*, sed ימי *jeme*, idest, *dies*. Neque mirum est, si tam longo tractu temporis exciderit una litera, quae minima est omnium literarum. Illud est verum, legendum esse ex hebraeo, ימי מלא *jame mele*, *dies plenitudinis* potius, quam, dies pleni: sed dies plenitudinis, significat dies plenissimos, vel plenos, ut verterunt Septuaginta.

12. *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo, obtinuerunt divitias.*

13. *Et dixi ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas.*

14. *Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.*

Aperit causam dubitationis, an Deus sciat quae aguntur in terris: et loquitur in persona infirmorum, quasi unus esset ex illis, ut facilius eorum infirmitati medeatur. *Ecce*, inquit, *ipsi peccatores, et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias*, idest, haec ratio est, cur incipiam dubitare de providentia Dei, quia peccatores, qui flagellari

peberent, abundantes sunt in saeculo, et obtinent divitias magnas. *Et dixi* apud me ista considerans, *ergo sine causa justificavi cor meum*, idest, frustra cor meum purum a peccatis servare studui,et frustra *lavi manus meas cum innocentibus*, innocenter operans et vivens: frustra, inquam, quoniam Deus non benefacit justis, sed peccatoribus: imo non solum Deus non benefacit justis, sed eos affligi patitur. Ego enim, qui justitiae studeo, *fui flagellatus tota die*, idest, semper in tribulationibus versor. *Et castigatio mea in matutinis*, idest,summo mane incipit vexatio, et tribulatio mea,non differtur saltem ad tempus,ut vel modicum requiescam. Haec est sententia horum versiculorum; sed verba consideremus. Illud, *abundantes in saeculo*, in hebraeo, ושלוי עולם *veschalve holam*, significat proprie *pacem et quietem habentes*, ac per hoc abundantes sanitate, robore, amicis, et similibus rebus. Illud, *obtinuerunt divitias*, poterat etiam verti, *multiplicaverunt, et coarcevaverunt substantiam*: quo declaratur id, quod nos legimus, *obtinuerunt divitias*: nam qui multiplicant divitias, illi vere eas obtinent, idest tenent ne dilabantur; tenuis enim substantia facile evanescit.Illud.*justificavi cor meum* in hebraco est, וכיתי לבבי *zichithi lebabi, purificavi cor meum*, idest maculas peccatorum tersi per poenitentiam, vel mundum et justum conservavi. Illud, *lavi inter innocentes manus meas*, significat unum ex innocentibus me probavi, ut vere innocens eram opere et purus corde. Nam lotio manuum signum erat innocentiae,eum quaerebatur reus homicidii, ut legimus Deuteron. 21. ex quo etiam *Pilatus lavit manus coram populo*, Matth. 27. ut se innocentem demonstraret in passione Christi.

15. *Si dicebam, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.*

Incipit adhibere medicinam infirmis. Exposuit hactenus eorum quaerelas et causam scandali,quod patiebantur ex prosperitate impiorum et adversitatibus piorum, nunc quasi compunctus et poenitens ait, *si dicebam, narrabo sic*, idest, *si dicebam* apud me, *narrabo*, idest pergam narrare prosperitates impiorum, quasi injustas, et hanc injustitiam in Deum referre. *Ecce nationem filiorum tuorum reprobavi*, idest hoc ipso reprobavi et damnavi omnes filios Dei, Abraham, Isaac, Jacob, Mosem et caeteros. Omnes enim confitebantur, habere Deum providentiam rerum humanarum et justo judicio peccatoribus interdum dare prosperitates et justis afflictiones. Vel *reprobavi* et damnavi *omnes filios Dei*, quasi insipientes, qui frustra justitiae studeant. Vel denique, *reprobavi omnes filios Dei*, quia judicavi eos omnes a Deo derelictos esse: quae omnia falsa sunt et reprehensione dignissima. Atque haec est prima ratio, qua persuadet Propheta infirmis, ut non dubitent de providentia Dei, ne videlicet contrarii sint omnibus filiis Dei, sanctis videlicet patriarchis et prophetis, neve illos insipientes fuisse credant, aut a Deo derelictos. Vox hebraea, בהגדי *bagadti*, Pro qua habemus, *reprobavi*, significat *spernere, relinquere, deficere, praevaricari, fidem fallere*. Itaque s. Hieronymus vertit *generationem filiorum tuorum reliqui*, idest ab eis defeci. S. Augustinus legit, *non concinni, dissonui*, idest non conveni in sententia cum filiis Dei. In eumdem sensum exponendum est, *reprobavi*, idest sprevi eos, neque fidem eis servavi, quam debebam.

16. *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me.*

17. *Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.*

Ad primam illam rationem, addit secundam petitam a difficultate hujus quaestionis, quae deterrere deberet homines, ne prompti essent ad reprehendenda, quae non intelligunt. *Existimabam*, inquit, *ut cognoscerem hoc*, idest, reputabam mecum et cogitando investigabam,ut ad hujus rei cognitionem pervenirem: sed *labor magnus*, et difficultas mihi objiciebatur, *donec intrarem in sanctuarium Dei* et per orationem a Deo lumen obtinerem: et eo lumine ad novissima iniquorum abundantium adspicerem : nam ex novissimis, idest ex divino judicio, quod post mortem impios manet, manifeste declarabitur, illos non fuisse vere foelices. Illud, *existimabam*; obscurum est ex ambiguitate verbi, *exstimabam*: nam hoc loco non significat opinabar, vel arbitrabar, sed *reputabam*, sive discutiendo judicabam, quomodo dicimus, ex praeteritis futura existimare possumus. Verbum hebraeum, חשב *chasciab*, quod hoc loco habetur significat cogitare, existimare, reputare, et sanctus Hieronymus vertit, *cogitavi, ut intelligerem hoc* idest cogitavi apud me discutiens quaestionem istam, ut ejus solutionem invenirem. Illud, *labor est ante me*, in hebraeo habetur, עמל היא *hamal hi*, vel, הוא בעיני *hu behenai, labor in oculis meis, hoc*, idest dum inquiro notitiam hujus rei, opponitur oculis mentis meae labor penetrandi, quasi murus quidam impenetrabilis. Illud, *intelligam in novissimis eorum*, vel significat,intelligam solutionem quaestionis in novissimis eorum, idest considerando novissima eorum cognoscam, Deum habere providentiam rerum humanarum : vel significat, intelligam novissima eorum, idest, considerando vitam eorum perveniam ad intelligendum exitum, et ultimum finem ipsorum; et inde colligam quaestionis solutionem.

18. *Verumtamen propter dolos posuisti eis; dejecisti eos, dum allevarentur.*

Hic jam propheta ostendit, ex novissimis intelligi posse iniquos abundantes in saeculo non esse foelices, et Deum justum esse judicem. Sed quia lectio nostra,quae fideliter ex graeco translata est, multum dissentire videtur ab hebraica,quo ad verba, licet in sensu conveniant, utramque explicemus. *Verumtamen*, inquit, *propter dolos posuisti eis*, subintellige *dolos*, aut *mala*, ut addunt aliqui textus graeci, idest ἕνεδα αὐτοις κακά,propter dolos,

quibus usi sunt erga proximos suos illi injusti, ut multiplicarent divitias : tu Domine secundum providentiam tuam fecisti, ut ipsi doli ipsorum verterentur ipsis in dolos longe majores, nam dum per dolos lucrati sunt pecunias, aut agros, aut vestes: per eosdem dolos imprudentes ipsi jacturam fecerunt aeternae vitae. *Et dejecisti eos, dum allevarentur*, idest et dum extollerentur ad honores et dignitates, per eas dejecti sunt in praecipitium mortis aeternae, justo judicio tuo. Hebraica lectio, quae est apud s. Hieronymum, sic habet, *verumtamen in lubrico posuisti eos, dejecisti eos in interitum*, idest dum injustis dedisti magnas divitias, posuisti eos in loco, unde facile labi possent in interitum ; et quia non sciverunt in lubrico caute ambulare, lapsi sunt justo judicio tuo in interitum. Utraque lectio congruit cum Apostoli sententia in epist. 1. ad Timoth. cap. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum Diaboli, in desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem.* Quod si velimus concordare lectionem latinam cum hebraica sciendum est, propter dolos in hebraico esse, בחלקות *bachalacoth*, quae vox non significat proprie, *propter dolos*, neque *in lubrico*, sed significat in rebus lenibus, politis, blandis, quales sunt lapides valde politi, specula et similia : nam חלק *calak*, est dividere, lenire etc. Itaque potuisset verti hic locus, in blanditiis, vel propter blanditias, quales sunt doli et insidiae decipientium, et huc respexerunt septuaginta interpretes: potuit etiam verti, *in lubrico loco*, siquidem locus lubricus, blandus et lenis est, et hanc significationem secutus est b. Hieronymus. Illud autem, *dum allevarentur*, non difficulter invenitur in textu hebraico. Nam vox illa, משׂאת *massuoth*, si scribatur cum *shin* habente punctum in sinistro cornu, derivabitur a verbo, נשׂא *nasa*, quod elevare significat, et huc respexerunt septuaginta interpretes : si vero scribatur cum *scin*, habente punctum in dextro cornu, derivabitur a verbo נשׁא *nascia*, quod significat desolare, et hanc lectionem secutus est s. Hieronymus.

19. *Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.*

Declarat quod obscure dixerat et admirans celerem ruinam iniquorum, quorum foelicitas vix exorta arescit, vix apparuit et evanescit. *Quomodo*, inquit, *facti sunt in desolationem subito* ? idest quomodo, qui videbantur rebus omnibus abundare repente facti sunt instar civitatis desolatae, ubi praeter ruinas nihil cernitur ? *defecerunt*, qui videbantur in aeternum super terram victuri, *perierunt propter iniquitatem suam*. Illud, subito in hebraeo, graecoque textu conjungitur cum verbis, *facti sunt in desolationem* ; et sic etiam legunt s. Augustinus et Euthymius. Dicuntur autem iniqui subito periisse, quia prosperitas eorum brevissima est, si cum futura aeternitate poenarum comparetur: videtur quidem prosperitas eorum diuturna esse, dum permanet: sed cum finem acceperit, tunc sentietur, quam brevis et momentanea fuerit. Illud, *propter iniquitatem suam*, s. Hieronymus vertit ex hebraeo, *quasi non sint* idest, *ad nihilum redacti sunt*. Alii vertunt ab *horroribus vel terroribus :* sed vox illa, בלהות *ballaholh*, obscurae significationis est et in tanta varietate versionum, sua remanere debet septuaginta interpretibus auctoritas.

20. *Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

Comparat Propheta eleganti similitudine prosperitatem iniquorum somnio. Somnium non est res vera, sed apparens : qui somniat se divitem esse, cum evigilat, intelligit, se delusum inani spectro fuisse: Sic omnes iniqui abundantes in saeculo, foelices sibi esse videntur, sed cum transierit nox hujus saeculi, intelligent, vere se foelices non fuisse, et *tunc imago ipsorum*, idest, imaginaria eorum foelicitas *ad nihilum redigetur* ; quia in civitate Dei, ubi vera et sempiterna foelicitas est, nullum locum habebit foelicitas ista imaginaria et momentanea, quae in auro et argento, in famulis et equis; in palatiis et hortis: in honoribus, et dignitatibus : in conviviis et luxuria posita est : haec enim omnia peribunt, et amatores suos infoelicissimos reddent. Ideo rectissime admonet Apostolus Paulus, *ut qui habent bona hujus mundi, tamquam non habentes sint, non de iis glorientur, non illis confidant, quia praeterit figura hujus mundi.* 7. Corinth. 7. *Velut somnium*, inquit, *surgentium*, quod evigilando evanescit ; *sic tu Domine in civitate tua*, quae in novissimo demonstrabitur et aperietur, *imaginem impiorum* idest imaginariam eorum foelicitatem *ad nihilum rediges* ; umbratilis enim foelicitas evanescet, cum vera foelicitas apparebit. Juste, inquit sanctus Augustinus, Deus in civitate sua coelesti imaginem iniquorum ad nihilum rediget, qui in civitate sua terrena imaginem Dei ad nihilum redigere sategerunt.

21. *Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum et nescivi.*

22. *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.*

23. *Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.*

Exponit nunc Propheta, unde noverit solutionem quaestionis et apud Deum multum profecerit. *Quia inflammatum est cor meum.* Causalis ista vox *quia*, non reddit rationem superiorum, sed inferiorum, quae habentur vers. 23. Tenuisti manum dexteram meam. *Quia*, inquit, *inflammatum est cor meum*, in Deum videlicet, et *renes mei commutati sunt*, idest affectio mea carnalis mutata est in spiritualem. *Et ego ad nihilum redactus sum et nescivi*, idest humiliatus sum, et ignorantiam meam confessus sum. Imo ut insipiens *jumentum factus sum apud te*, idest obedire tibi sine contra-

dictione constitui, et onus quodcumque portare decrevi, more jumenti. *Et ego semper tecum*, id est a fide et charitate tua non recedam : propter has omnes virtutes meas, quae dona tua sunt, *tenuisti manum dexteram meam*, ne forte tentatio illa gravissima me aberrare faceret a te. *Et in voluntate tua*, idest secundum beneplacitum tuum, *deduxisti me* per viam rectam, *et cum gloria suscepisti me*, in civitatem tuam, nunc quidem in spe, susceperus postea in re. Illud, *inflammatum est cor meum*, aliqui exponunt in deteriorem partem, idest exarsit indignatione cor meum : et sic etiam illud, *ad nihilum redactus sum, et nescivi*, exponunt de peccato et ignorantia Davidis ; ut etiam illud, *ut jumentum factus sum*, exponunt de stultitia ejusdem, quod more brutorum non intellexerit mysteria divina : sed nos in bonam partem cum s. Hieronymo, qui haec omnia tribuit Christo et ex parte cum s. Augustino, interpretati sumus, non praejudicantes aliorum commentariis, si forte lectoribus magis arrideant. Quod attinet ad verba, s. Hieronym. ex hebraeo vertit. *quia contractum est cor meum*, nos cum graecis ἔζεκάυθη legimus, inflammatum est: et verisimile est, septuaginta interpretes non habuisse in suis codicibus hebraicis יתחמץ *itchamez*, sed, יתחמם *itchamem*, ultima litera immutata, hoc enim significat *calefactum est*. Illud, *renes mei commutati sunt*, s. Hieron. ex hebraeo vertit, *lumbi mei velut ignis fumigans*, quia fortasse derivavit vocem, אשתונן *estonan*, ab, אש *es*, quod significat *ignem*. Sed eadem vox, *estonan*, rectius derivatur a verbo בער *scianah*, quod est *mutare*, et significat *commutati sunt*, ut septuaginta interpretes reddiderunt. Illud, *et ego ad nihilum redactus sum*, ex hebraeo vertit s. Hieronymus, et ego insipiens, et vere in hebraeo non est nisi una vox trium literarum, *banhar*, pro tribus illis vocibus, *ad nihilum redactus sum*. Significat autem שגה *bahar*, insipientem, quasi jumentum; proinde illud, *ad nihilum redactus sum*, videtur exponendum, ad nihilum sapientiae redactus sum, quasi jumentum factus sum ex homine, ac per hoc nihil hominis in me remansit ; et videtur explicatio haec confirmari per sequentia, *et nescivi*, et, *ut jumentum factus sum*: quae omnia dicuntur a Davide ex profunda humilitate, qua se coram Deo insipientissimum esse judicabat: quare non repugnat haec expositio accommodata ad verba hebraica, cum ea, quam supra tradidimus ex simplici lectione latina et graeca.

24. *Quid enim mihi est in coelo : et a te quid volui super terram?*

Quia dixerat, *cum gloria suscepisti me*, oculo cordis in gloriam illam defixo, ita raptus a spiritu est, ut jam omnia creata despiciat. *Quid mihi*, inquit, *est in coelo*? quid pulchri, quid pretiosi est, quod appetam in coelo? *aut a te quid volui super terram*? quid pulchri, quid pretiosi est, quod appetam, et a te expetam super terram? quasi dicat, nihil creatum invenio, quod mihi satisfaciat, nihil in quo cor meum penitus acquiescat, neque in coelo, neque in terra. In hebraeo legitur, מה *mi*, non, מי *ma*, idest *quis mihi est in coelo*, non *quid mihi est in coelo*. Sed cum septuaginta interpretes et ipse etiam s. Hieronymus verterint *quid*, omnino retinenda est nostra lectio, ac dicendum in antiquis codicibus fuisse, מי *ma*, non, מה *mi*. Quod autem in hebraeo sequitur, *et tecum non volui super terram*, hunc sensum facit, nihil mihi est in coelo quod cupiam, super terram autem non volui quicquam etiam tecum, quia te solum habere desidero. Sensus igitur idem est, etiamsi verba diversa sint.

25. *Defecit caro mea, et cor meum Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.*

Reddit rationem, cur nihil cupiat praeter Deum, quia ubicumque posuerit cor suum, aut carnem suam, putrescent, et deficient, nisi quieverint in Deo. *Defecit*, inquit, *caro mea, et cor meum*, si quando per amorem ea collocavi in creatis rebus, putruerunt, et corrupta sunt. *Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.* In hebraeo est, צור לבבי *tsur lebabi, petra cordis mei, et pars mea Deus in aeternum*, idest, Deus solus est petra, in qua quiescit secure cor meum, ut neque cadere, neque deficere possit: ipse est centrum omnium desideriorum meorum: ipse est pars mea, portio mea, haereditas mea, id totum quod praetendere possum in aeternum: habeant alii partes alias, sive aurum, et argentum; sive delicias carnis; sive superba palatia; sive regna, et imperia ; mihi Deus sufficit in hac vita, et in futura.

26. *Quia ecce qui elongant se a te peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.*

Recte elegit consistere in Deo, petra sua, quoniam omnes, qui per iniquitatem separantur a Deo, peribunt omnino, quomodo perit corpus, cum separatur a spiritu; et ruit aedificium, cum subducitur fundamentum. *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te*: non solum pereunt, qui avertuntur a Deo, quia carent hoc ipso gratia Dei, quae dat vitam animae; sed etiam quia Deus zelotes est, et animas sibi primus desponsavit; et ideo gravissime punit morte sempiterna eos, qui fornicantur a Sponso tam bono, et tam potente.

27. *Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*
28. *Ut annunciem omnes praedicationes tuas in portis filiae Sion.*

Concludit psalmum dicens, *mihi adhaerere Deo bonum est*, idest, viderint alii quid eis bonum sit, mihi certe bonum est, utile, jucundum, honorificum adhaerere Deo: et quoniam adhaerere per amplexum in hac vita non datur: bonum mihi nunc est *ponere in Domino Deo spem meam*, idest, adhaerere per spem, et in spe perfectae adhaesionis interim gaudere. *Ut annunciem omnes praedicationes tuas in portis filiae Sion.* idest, ut per hanc adhaesionem ad Deum, liberatus ab omni cupiditate terrena, totus occuper in laudi-

bus ejus, idque *in portis filiae Sion*, coram multitudine fidelium, ut multos erudiam, quam sit inane, et noxium adhaerere temporalibus bonis, et quam bonum adhaerere Deo, et ponere in Domino Deo spem suam. Illud, *omnes praedicationes*, in hebraeo est, omnia opera tua: ex quo intelligimus, sensum esse, ut annunciem praedicationem operum tuorum, sive, ut praedicem omnia opera justitiae, et misericordiae tuae, unde et tu lauderis, et populus erudiatur. Illud, *in portis filiae Sion*, non est in hebraeo, proinde vel excidit, ut quaedam alia, vel huc translatum est ex psal. 9. vers. 14. ubi habetur, *Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.*

PSALMUS LXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Intellectus Asaph.

In hoc psalmo praedicitur, et deploratur desolatio Jerosolymae: et ideo dicitur in titulo, intellectus, sive, ut alii vertunt, eruditio Asaph: ut admoneantur Judaei diligenter cogitare et intelligere, quae in hoc psalmo de ipsis dicuntur. Quaestio est inter expositores, an psalmus intelligi debeat de persecutione Nabuchodonosor, an Antiochi, an Titi, et Vespasiani, an Diocletiani, et Maximiani, an antichristi: nam his omnibus persecutionibus aliquo modo verba psalmi applicari posse videntur. Sed verior sententia omnibus consideratis videtur eorum, qui hunc psalmum exponunt de persecutione Antiochi illustris, de quo agitur in libris Machabaeorum: aliae enim aliorum sententiae non videntur commode sustineri posse. Nam tempore captivitatis Babylonicae non deerant Prophetae; et tamen hic dicitur, *jam non est Propheta.* Tempore Diocletiani non fuit populus Christianus repulsus a Deo, et derelictus in finem; sed contra multis miraculis illustratus, et propagatus; quod idem dici potest de tempore antichristi: eminebit enim tunc ecclesia in fortissimis Martyribus suis: hic autem dicitur, *ut quid Deus repulisti in finem?* In tempus Titi, et Vespasiani omnia convenire videntur; nam tunc nulli amplius erant prophetae in Israel, et templum incensum fuit, et facta est desolatio, quae durabit usque in finem, et ideo hanc expositionem amplexi sunt s. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius. Sed verba hujus psalmi non conveniunt Judaeis perfidis, qui non erant oves pascuae Dei, neque vere confitebantur Domino; sed erant inimici et rebelles et tamen in hoc psalmo dicitur, *iratus est furor tuus super oves pascuae tuae*: et infra, *ne tradas bestiis animas confitentium tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem*: neque ecclesia frequentaret hunc psalmum, si contineret voces infidelium Judaeorum: quare improbabilis est expositio Theodoreti, et Euthymii, qui verba psalmi tribuunt populo Judaico. Sanctus autem Augustinus aliqua tribuit Apostolis, aliqua Judaeis, alia aliis. Itaque si quis uniformem explicationem velit, et liberam ab omni scrupulo, eligat sententiam, quae totum psalmum ad litteram exponit de persecutione Antiochi.

EXPLICATIO PSALMI LXXIII.

1. *Ut quid Deus repulisti in finem? iratus est furor tuus super oves pascuae tuae.*

Deplorat sanctus Propheta in persona populi Judaici universalem illam calamitatem, qua totus populus Judaicus miserrime oppressus fuit a gentilibus sub Antiocho rege, qui dictus est epiphanes. *Ut quid*, inquit, *tu Deus repulisti*, supple, *populum in finem*, idest, *in aeternum*, et generaliter, quasi non amplius curaturus eum, aut pro populo tuo habiturus. *Iratus est furor tuus*, idest accensus est furor tuus *super oves pascuae tuae*, idest, contra populum tuum, quem singulari providentia regere solebas, ut Pastor proprias oves pascit, et regit. Illud, *repulisti in finem*, non significat re vera Deum, fixo decreto, repulisse in aeternum populum suum, sed populum dubitasse, ne forte rejectus esset in finem; et ideo lamentando dixisse, *ut quid repulisti in finem?* idest, quare ita te geris, ut videaris repulisse in finem. Nam versu 20. cum dicitur in eodem psal. *Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem*: satis apparet, non fuisse certum, an essent repellendi in finem. Illud autem, *iratus est furor tuus*, in hebraeo eleganti metaphora dicitur, יעשן אפך *jehesan appecha. Fumavit nasus tuus*, quem metaphoram recte explicaverunt Septuaginta interpretes.

2. *Memor esto congregationis tuae, quam possedisti ab initio.*

Orat idem populus Deum, ut non repellat in finem, adducens pro argumento, quod olim, idest, in egressu de Aegypto, ipse idem Deus populum Judaicum congregaverit in formam populi, dans eis magistratus et leges, et judicia: quasi dicat, non videri bonum, ut Deus dispergat, et abjiciat eum populum, quem ipse congregavit, et cui formam reipublicae tribuit. *Memor*, inquit, *esto congregationis tuae*, idest, populi a te congregati, *quem possedisti ab initio*, idest, qui nullum habuit regem, et Dominum ante te, sed tu primus ab initio congregationis tuae in unam quasi rempublicam eum possedisti, ut rex et Dominus ejus. Posset etiam illud, *ab initio*, referri ad Abraham, qui fuit pater hebraeorum: vel ad Seth, qui coepit invocare nomen Domini, et cujus filii dicebantur *filii Dei, ad distinctionem filiorum Cham, qui erant filii hujus saeculi.* Sed congregatio sive Synagoga proprie initium habuit sub Moyse, ut dictum est.

3. *Redemisti virgam haereditatis tuae, mons Sion, in quo habitasti in eo.*

Hoc est alterum argumentum, quo probatur aequum esse, ut Deus non repellat populum suum: quia non solum primus congregavit, et possedit eum; sed etiam in regnum exaltavit, ejiciens Chananaeos ex terra promissionis, et dans eam populo suo. *Redemisti virgam haereditatis tuae*, idest, acquisivisti bellando sceptrum regni terrae promissionis, et proprie redemisti ejiciendo injustos possessores ab ea terra, quam promiseras Abrahae, et nepotibus ejus, filiis Israel. Dicitur autem, *virga haereditatis Domini*, quia sceptrum illud, et regnum terrae promissionis acquisivit Deus pro haereditate sua, id est, pro populo suo peculiari quem ut propriam haereditatem, possesionem, et partem sibi vindicabat. Alii tamen volunt hac parte versiculi significari redemptum fuisse populum a servitute Aegyptiaca, et per virgam haereditatis suae intelligi sceptrum regni in populum Judaicum, quem Deus in haereditatem sibi elegerat. Non desunt qui per *virgam haereditatis* accipiant virgam dimensoriam, qua distinguebantur possessiones. Sed vetares Augustinus, Teodoretus, et Euthymius per *virgam*, nihil aliud nisi sceptrum regium intelligi voluerunt. Illud, *Mons, Sion, in quo habitasti in eo*, potest referri tum ad virgam, tum ad haereditatem. Itaque sensus erit, Mons Sion est virga, *quam redemisti*, idest, Mons Sion est regnum, sive caput Regni tui, in quo habitasti, ut rex in regia civitate sua. Vel Mons Sion est regnum, sive caput regni tui: in quo habitasti, ut rex in regno. Prior sensus confirmatur ex psal. 109. *virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion:* Posterior ex psalm. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.*

4. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto!*

Propter causas jam dictas orat populus Dei, ut Deus convertat manum suam in hostes populi sui, et confundat superbiam eorum in perpetuum, ut non audeant ultra erigere se contra servos Dei. Fuisse autem regem Antiochum superbissimum, testatur liber primus Machabeorum cap. 1. *Et intravit*, inquit, *in sanctificationem cum superbia*; et paulo post, *et locutus est*, inquit, *cum superbia magna.* Quod attinet ad verba s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *sublimitas pedum tuorum dissipata est usque in finem.* Et sensus esse videtur, quod arca Dei vel sanctuarium, in quo tamquam in scabello excelsi solii stabant pedes Dei, dissipatum fuerit ab inimicis; et verba hebraica eum sensum ferre possunt. Sed recte etiam verterunt septuaginta, unde nostra lectio translata est. Nam vox, הרימה *harima* significat *eleva*, et etiam *sublimitas*, vox, פעמיך *pehamecha*, significat *pedes*, vel *pedum tuorum.* Septuaginta vero transtulerunt, *manus tuas*, magis ad sensum quam ad verba respicientes. Et semper idem sensus est, sive dicamus *eleva pedes tuos* et *contere superbiam eorum*, sive eleva manum tuam et deprime superbiam eorum. Vox, למשואות *lemassuot*, si scribatur per *scin* שׂ, significat ad dissipationes et sic legit s. Hieronymus, si scribatur per sin שׁ, significat superbias et elevationes: et sic legunt septuaginta interpretes. Sequitur, *quanta malignatus est inimicus in sancto.* Ubi redditur ratio, cur justum sit, ut Deus comprimat superbiam inimici, quoniam multa mala fecit in sanctuario Dei: quae conveniunt aptissime regi Antiocho, qui ut legimus 1. Machab. 1. *spoliavit et prophanavit sanctuarium Dei*, quod hoc loco sanctum appellatur. In hebraeo est, omne malum fecit inimicus in sanctuario. Sed septuaginta expresserunt hunc sensum per admirationem, *quanta malignatus est*, idest quanta mala fecit inimicus in sancto, idest in sanctuario.

5. *Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuae.*

Ex hoc loco praecipue deducunt aliqui psalmum hunc esse intelligendum de Tito et Vespasiano, quoniam obsidere coeperunt Jerusalem in solemnitate Paschali: sicut enim Judaei Christum occiderunt in Paschate, sic et ipsi occisi sunt in Paschate. Sed haec ratio non convincit, tum quia non constat de qua solemnitate loquatur hoc loco David, nam multae erant Judaeorum solemnitates; tum quia vox hebraica, יודע *moked*, non solum significat tempus solemne, sed etiam locum sacrum, imo etiam pactum, ut s. Hieronymus vertit. Denique Titus et Vespasianus non oderant Deum Judaeorum, quem non noverant sed oderant Judaeos factiosos et rebelles et sine dubio non everterunt Jerusalem propter odium Dei sed propter odium Judaeorum, quod idem dici potest de rege Babylonis. Antiochus autem Deum Judaeorum oderat, et caeremonias legis, et conabatur omnes Ju-

dacos pervertere et inducere ad cultum idolorum ut legimus 1. Machab. 1. Itaque de Antiocho et militibus ejus proprie dicitur, *et gloriati sunt, rugitu et fremitu plane barbaro*, ut sonat vox hebraica. *Qui oderunt te*, idest qui oderunt sacra tua, et caeremonias legis tuae, idque in medio solemnitatis tuae, idest ingressi templum, et sanctuarium tuum, dum sacra solemnia peragerentur, ibi gloriati sunt et fremuerunt (ut vertit s. Hieronymus) quasi victores capta praeda.

6. *Posuerunt signa sua signa, et (non cognoverunt) sicut in exitu super summum.*

Clarius haec omnia vertit sanctus Hieronymus. *Posuerunt*, inquit, *signa sua in trophaeum, manifesta in introitu desuper*, idest posuerunt vexilla sua quasi trophaea manifesta, in suprema parte portarum, vel turrium civitatis, unde intratur in urbem. Illud, *non cognoverunt*, legendum est per parenthesim et in hebraeo caret particula negante, et positum est secundum formam participii, ut sanctus Hieronymus vertit. Sed septuaginta interpretes in libris suis hebraicis invenerunt negationem, et mutatis punctis, ac una litera transposita, pro, יודע *ivvadah*, legerunt, ידעו *jadehu, cognoverunt*, et addita negatione *non cognoverunt*. Significat autem *non cognoverunt*, hostes Dei non cognovisse quid facerent cum civitatem et templum Dei omnipotentis ita profanarent. Illud autem, *quasi in exitu*, in hebraeo est, כמבוא *chemebi, in introitu*, sed exitus et introitus idem sunt; nam unde intratur, inde etiam exitur. Adverbium *sicut*, non est in hebraeo, sed additum est ab interpretibus declarandi causa: vere enim signa non sunt posita *in exitu*, sive in introitu, sed quasi in exitu idest quasi in portis ipsis, idest in locis publicis et notissimis.

7. *Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi et ascia dejecerunt eam.*

Pergit explicare mala, quae fecerunt hostes in Jerusalem, ac dicit eos evertisse portas ejus *quasi in sylva lignorum* versarentur, *securibus exciderunt januas ejus*, videlicet civitatis Jerusalem *in idipsum*, idest omnes simul, uno animo, uno conatu, *in securi et ascia dejecerunt eam*, videlicet ipsam Jerusalem. Id autem fecit Antiochus, qui dejecit portas et muros Jerusalem. Illud *exciderunt* in hebraeo est ועתה *vehatta*, quod s. Hieronymus vertit, *et nunc*. Septuaginta interpretes verterut, *exciderunt*, sed nisi aliquid addatur, vel mutetur, vox illa non significat, *exciderunt*, neque, *et nunc*. Itaque confitendum est aliquid erroris esse in textu hebraico, qui vitio librariorum irrepserit. Et quidem qui vertunt, *et nunc*, addant unam literam, et faciant ועתה *vehatta et nunc*. Qui vertendum existimant, *exciderunt*, cum septuaginta interpretibus non conveniunt inter se; sed alii legunt, החתו *hathethu*, alii פתו *patthu*, alii aliter, quae sunt valde diversa ab illa voce, quae est in textu hebraico: proinde existimarem posse legi, עוה *havath*, transponendo solum primam literam in secundum locum. Significat enim *havath, invertere*, sive *evertere*, et *pervertere*, et sensus erit, *quasi in silva lignorum evertit*, hostis videlicet, *januas ejus in idipsum*, idest simul et conjunctim.

8. *Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.*

Hic unicus locus videtur impedire, quo minus psalmus intelligatur de persecutione Antiochi, cui alioqui reliqua omnia aptissime conveniunt. Sed meo judicio hic locus non impedit: quamvis enim tempore Nabuchodonosor, et tempore Titi totum templum crematum, et eversum fuerit, quod factum non est sub Antiocho, tamen tempore Antiochi portae templi exustae fuerunt: sic enim legimus 1. Machab. 4. *Et viderunt Machabaei sanctificationem desertam et altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, et pastophoria diruta*; et paulo post loquens Scriptura, de renovatione templi, *dedicaverunt*, inquit, *portas, et imposuerunt januas*. Illud igitur, *incenderunt igni sanctuarium*, potest intelligi de parte, non de toto : et videtur id satis aperte colligi ex sequentibus : nam si totum sanctuarium concremassent, non diceret David in altera parte versiculi, *in terra polluerunt tabernaculum nominis tui*: quod enim crematum fuisset pollui non potuisset. Incenderunt ergo portas et ipsum templum, seu tabernaculum polluerunt, ponentes in eo idolum abominationis et sacrificantes idolis, ut dicitur 1. Machab. 1. Adde etiam quod in hebraeo ad verbum dicitur, מקדשך שלחו באש *scilescù baesc mikdasceca, posuerunt ignem in sanctuarium*: quae verba non significant totum sanctuarium fuisse exustum, sed aliquid ejus : quid autem sanctuarii ex igne applicato consumptum fuerit, declaratur, (ut diximus 1. Machab. 4.) ubi dicuntur portae fuisse exustae, et a Machabaeis reparatae. Ait igitur, *incenderunt igni sanctuarium tuum*, idest hostes nostri tempore Antiochi injecerunt ignem in sanctuarium et portis ejus exustis polluerunt idem sanctuarium, quod est habitaculum nomini tuo dicatum: *polluerunt autem in terra*, idest polluerunt sanctuarium, quod habes in terra ; quia coeleste tabernaculum polluere non potuerunt. Aliqui existimant: *polluere tabernaculum in terra*, esse dejicere tabernaculum in terram, idest funditus destruere : sed neque s. Hieronymus ex hebraeo vertit, in terram, sed in terra: et vox hebraea, חלל *chalal*, non significat *dejicere*, sive *evertere*, sed *polluere* et *contaminare*, ut graeci ἐβεβήλωσαν, latinique verterunt.

9. *Dixerunt in corde suo, cognatio eorum simul, quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.*

Haec proprie convenire videntur paganis, qui tempore Antiochi conati sunt totis viribus delere

religionem veri Dei, ut patet ex lib. 1. Machab. 1. *Dixerunt*, inquit, *in corde suo*, idest decreverunt apud se tota natio Gentilium, qui Antiocho serviebant, dicentes, *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*, idest contaminemus sanctuarium, repleamus omnia idolis, tollamus omnia signa religionis et hoc modo quiescent, idest deficient et cessabant omnes solemnitates Dei in terra Israel. Quod attinet ad verba, s. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam, testatur. se vertisse ex graeco, ut habet nostra editio, *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*; quamvis non ignoraret in hebraeo esse, *incenderunt omnes dies festos Dei a terra*: et in exaplis Origenis, versionem septuaginta habere, *incendamus omnes dies festos Dei a terra*; et monet has varias lectiones notandas fuisse ad marginem; sed antiquam lectionem non debuisse mutari. Itaque constat ex verbis s. Hieronymi, unam lectionem graecam fuisse καταπαὺσωμεν, *quiescere faciamus*: aliam autem καταχαὺσωμεν *incendamus*: sed quoniam septuaginta interpretes per vocem hebraicam מועד, *mohed*, non intellexerunt synagogas, ut nunc recentiores intelligunt, sed *dies festos* ἑορτὰς; probabilissimum est, eos non vertisse *incendamus* (ut sonat vox hebraica, שׂרפו *scharephu*) sed, *quiescere faciamus*, ut verbum conveniret cum nomine: non enim dies festi proprie incendi possunt, sed cessare et tolli possunt: ac per hoc septuaginta interpretes non reddiderunt verbum, sed sensum explicantes metaphoram verbi hebraici; neque improbabile est, lectionem graecam postea fuisse mutatam, ut cum voce hebraica consentiret. At in exaplis erat, *incendamus*, et illa erat purissima lectio septuaginta interpretum. Respondeo, in exaplis ut plurimum fuisse lectionem purissimam; sed non est necesse, ut ubique esset purissima: certe ecclesia antiqua, et moderna magis probavit aliam lectionem; et s. Hieronymus aperte dicit, se vertisse ex editione septuaginta, *quiescere faciamus*, et sic monet esse, psallendum ut septuaginta transtulerunt.

10. *Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius.*

Ponit nunc verba populi fidelis in tanta afflictione pene desperantis de auxilio Dei. Et proprie conveniut haec in tempora Antiochi, quando et miracula antiqua, et Prophetarum oracula defecerant, ut videretur Deus non amplius cognoscere populum suum; quod de Babylonica captivitate dici non potest, cum eo tempore esset Hieremias in Jerusalem, et Daniel, et Ezechiel in Babylone. Neque possum probare quod aliqui dicunt, verba hujus psalmi non dici a populo Judaico, sed a Gentilibus: haec enim est nimis dura expositio. At inquies, Dan. 3. dicunt tres pueri, *et non est in tempore hoc Princeps, et Dux, et Propheta*; igitur in captivitate etiam Babylonica non erat Propheta, ac per hoc de illa captivitate possunt intelligi haec verba, *jam non est Propheta*. Respondeo, antequam Jerusalem everteretur a Nabuchodonosor, tempore Regis Joachim, non fuisse in Babylone ullum Prophetam, et de illo tempore, et loco posse intelligi verba trium puerorum: sed eodem tempore erat in Jerusalem Hieremias Propheta; et post captam, et eversam Jerusalem, toto tempore captivitatis fuerunt in captivitate Babylonica Daniel et Ezechiel Prophetae: Ezechiel enim coepit prophetare anno quinto captivitatis Joachim Regis, qui fuit annus sextus ante eversionem Jerosolymae, et perseveravit prophetare usque ad annum vigesimum quintum captivitatis, ut dicitur Ezech. 40. Daniel autem Propheta fuit in Babylone ab anno primo Nabuchodonosor usque ad annum primum Cyri, idest, toto tempore captivitatis, ut dicitur Dan. 1. et prophetare coepit adhuc adolescens: successerunt autem Danieli Aggaeus et Zacharias Prophetae. Porro psalmus praesens cum dicit, *Jam non est Propheta*, loquitur de tempore post Jerusalem vastatam, et templum profanatum, ac per hoc non loquitur de captivitate Babylonica, in qua numquam defuerunt Prophetae post civitatem vastatam, et templum incensum: sed de persecutione Antiochi, quo tempore defecerunt omnino Prophetae.

11. *Usquequo Deus improperabit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem.*

Pergit populus Dei exorare Dei clementiam, ut memor populi sui convertat iram in adversarios, qui imprôperabant Deo infirmitatem, quasi non valeret salvare populum suum. Haec videntur dici de Nicanore, qui superbe *irridebat populum Dei, et irritabat nomen Domini*, ut dicitur lib. 1. Machab. cap. 7. Et de ipso rege Antiocho, et Rege Demetrio, et Ducibus eorum inimicis Dei, et populi sui, ut cognosci potest ex 1. et 2. lib. Machabaeorum.

12. *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?*

Oraverat populus Deum, ut irasceretur in hostes suos: nunc orat, ut complectatur populum suum, ut antea faciebat, et non excludat a sinu suo paterno filios suos. *Ut quid*, inquit, *avertis manum tuam*, sinistram videlicet, *et dexteram tuam de medio sinu tuo*, ut videlicet sinas nos cadere a sinu tuo, vel non complectaris in sinu tuo *in finem*, idest, in perpetuum: qui enim complectitur aliquem, admovet utramque manum ad sinum; qui rejicit, vel non vult complecti, manus a sinu removet; haec mihi videtur litteralis expositio. Alii existimant, *avertere manum a sinu*, significare non velle bona, quae sunt in sinu, communicare cum aliis, intelligentes per sinum Dei, thesaurum bonorum omnium, qui est apud Deum. Omitto aliam expositionem, quod *avertere manum a sinu*, sit manus post tergum convertere, in signum negantis auxilium. Pro. *in finem*, in hebraeo est, כלה *calleh*, quam vocem s. Hieronymus vertit consumens: sed potest optime verti, *perfecte*, et *absolute*, quod est idem cum, *in finem*, praesertim si deducatur a verbo, כלל *callal*, quod est *perficere*, unde כלה *calla*, *sponsa*, quia perfecta omni decore, et ornatu esse solet.

13. *Deus autem rex noster ante saecula, operatus est salutem in medio terrae.*

Communis expositio litteralis est, in hoc versu, et quinque sequentibus explicari potentiam, quam olim Deus ostendit tum in liberatione filiorum Israel de Aegypto, tum in creatione mundi: ut ostendat, posse Deum, si velit, liberare eosdem filios Israel a praesenti calamitate. *Deus*, inquit, *rex noster a saeculo*, idest, *Deus rex noster*, qui est *ante saecula Deus*, *operatus est salutem*, Judaeorum videlicet, *in medio terrae*, idest, in terra promissionis, in quam eos introduxit, ex captivitate Pharaonica. Illud, *ante saecula*, conjungit quidam auctor cum verbo, *operatus est salutem*: sed repugnant omnes codices hebraici, graeci, et latini. Omnes enim distinctionem ponunt post vocem, saecula: neque intelligi potest quomodo Deus ante saecula operatus sit salutem in medio terrae, cum terra non fuerit ante saecula: neque testimonium, quod ille adducit ex Isaia pro ipso facit: aliud enim est a saeculo, quod habetur in Isaia; aliud, ante saecula, quod hic habetur. Multo aptius sanctus Augustinus conjungit cum voce, *Deus*, ut sensus sit, *rex noster*, qui est ante saecula Deus. Illud, *in medio terrae*, exponunt nonnulli publice et palam, quod non improbo. Sed etiam verum est Palaestinam esse in medio terrae olim notae et habitabilis: nam est in finibus Asiae, Africae, et Europae, ut vere dici possit esse in medio Asiae, Africae et Europae. Unde etiam opus redemptionis operatus est Salvator noster in medio terrae, ut commodissime deferretur ejus praedicatio ad omnes tres partes orbis terrarum.

14. *Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis.*

Explicat quomodo Deus operatus sit salutem Judaeorum, et ait, *tu* Deus *confirmasti mare in virtute tua*, idest, potentia tua fecisti, ut mare rubrum firmissime quasi murus consisteret; dum transirent per medium ejus divina virtute siccatum filii Israel. Et eadem potentia obruisti in aquis ejusdem maris, ad locum suum revocatis, *capita Aegyptiorum*, qui instar *draconum* filios Israel insequebantur. In hebraeo habentur, פוררתה *porartha*, *dissipasti*, sive *rupisti*, et *divisisti in virtute tua mare*: sed septuaginta Interpretes docere voluerunt, mare rubrum ita divisum et disruptum fuisse, ut firmissime divisum maneret, dum transiret populus Dei, quasi dicerent, Tu divisum mare confirmasti. Illud, *contribulasti*, est in hebraeo שברת *scibbartha*, *contrivisti*, sive *confregisti*, sed septuaginta interpretes explicaverunt metaphoram: qui enim suffocantur in aquis non proprie pereunt ex contritione capitis: quod ergo hebraice dictum est, *contrivisti capita draconum*, idest, interemisti draconem, septuaginta dixerunt, *contribulasti capita draconum*, idest, mortifera tribulatione afficisti capita draconum.

15. *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Aethiopum.*

Hunc versum proprie ad Pharaonem referunt fere omnes expositores: nam in hebraeo non est idem nomen draconis in hoc versu et in superiore. In hoc enim versiculo est, לויתן *liviathan*, qui draco maximus, et princeps draconum marinorum est. Illud autem, *dedisti eum escam populis Aethiopum*, significat secundum aliquos, regnum Aegypti post submersionem Pharaonis datum fuisse in praedam Aethiopibus: secundum alios, ipsum Pharaonem et capita ejus, idest, Principes ejus mortuos et ad littus ejectos fuisse spoliatos ab Arabibus, qui in scriptura Aethiopes dicuntur. Denique secundum alios ipsum Pharaonem mortuum et in littore expositum, factum esse escam corvis, qui a nigrore dicuntur populi Aethiopum. Non multum refert quid proprie his verbis significetur, dum constet explicari poenam de Pharaone sumptam.

16. *Tu dirupisti fontes et torrentes, tu siccasti fluvios Ethan.*

Hic jam describitur potentia Dei, qua paulo post in deserto ex petra excitavit fontem, et rivum aquae instar fluminis, et deinde siccavit Jordanem, ut populus transiret in terram sibi promissam. *Tu dirupisti fontes*, idest, dirupta petra fecisti scaturire fontes et torrentes. *Tu siccasti fluvios Ethan*, idest, siccasti flumen Jordanis, quod flumen maximum est, איתן *Hethan* enim, *fortem* significat, unde s. Hieronymus vertit *flumina fortia*. Sed interpretes caeteri relinquere maluerunt ipsam vocem hebraicam non interpretatam.

17. *Tuus est dies et tua est nox, tu fabricatus es auroram et solem.*

Transit ad potentiam, quam Deus in creatione monstravit: et quoniam creatio in summa complectitur duas partes principales, coelum et terram, juxta illud Genes. 1. *In principio creavit Deus coelum et terram*, de his duabus partibus tantum loquitur. *Tuus*, inquit, *est dies, et tua est nox*; et reddens rationem addit, *tu fabricatus es auroram et solem*, idest, tu fecisti initio lucem similem aurorae, deinde quarto die fecisti Solem, ut distingueret dies et noctes. In hebraeo non est nomen aurorae, מאור *mahor*, sed nomen luminis, sive lucis, ut etiam in graeco textu τὸ φῶς. Et quidem multi per lumen hoc intelligunt lunam, ut sensus sit: *Tu fecisti lunam et solem*: et quoniam hic videbatur inversus ordo, correxerunt aliqui, et fecerunt, solem et lunam et sic legit s. Augustinus: sed interpres noster recte vertit auroram et solem: quoniam explicare voluit lucem, quam Deus initio creavit, non fuisse solis, neque lunae, sed simplicem lucem, quae praecedebat solis creationem, quasi quaedam aurora mundi.

18. *Tu fecisti omnes terminos terrae, aestatem, et ver, tu plasmasti ea.*

Attigit creationem coeli mentione facta lucis, et solis: nunc attingit creationem terrae, dicens, *Tu fecisti omnes terminos terrae*, idest, tu fecisti totam terram usque ad omnes ejus ultimos fines, idest,ab ortu ad occasum,ab Aquilone ad Austrum. *Aestatem et ver tu plasmasti*, idest, tu fecisti vicissitudines temporum, in quibus terra nunc fructus concipit, nunc parit:nam in fine aestatis,idest in Septembri, in terra promissionis reconduntur omnes fructus; et nunc incipit terra iterum concipere, et preparare se ad novum partum: et initio veris iterum incipit parere flores,ac deinde fructus. S. Hieron. vertit,*Aestatem et hyemem tu plasmasti*: et vere vox hebraica, חרף *choreph*, hyemem significat, ut perspicuum est ex cap. 8. vers. 22. Geneseos. Et ideo existimamus hic accipiendam esse aestatem pro fine aestatis, quo terra deposito onere iterum concipere incipit: et ver pro fine hyemis, sive initio veris, quando flores apparere incipiunt.

19.*Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens incitavit nomen tuum.*

Explicata potentia Dei reddit ad orationem, ac precatur ut Deus dignetur recordari, quemadmodum inimicus blasphemaverit Deum, quasi impotentem et infirmum. Videntur autem verba hujus versiculi et caeterorum usque in finem alludere ad superbiam Antiochi, de qua dicitur lib. 1.Machab. cap. 1. *Et locutus est cum superbia magna*; et lib. 2. cap. 5. cum dixisset scriptura, Antiochum indigne contrectasse sacra vasa et templum diripuisse, addit, *igitur Antiochus mille et octingentis ablatis a templo talentis,velociter Antiochiam reversus est, existimans se prae superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.* Ait igitur psalmista, *memor esto hujus*, idest,recordare Domine hujus rei, quam dicturus sum, *inimicus improperavit Domino*: idest, hostis noster improperavit tibi Domino impotentiam : *et populus ejus insipiens incitavit* blasphemando *nomen tuum.*

20.*Ne tradas bestiis animas confitentes tibi,et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.*

Hinc etiam cognosci potest hunc psalmum scriptum esse magis contra Antiochum, quam contra Nabuchodonosor, vel Titum, aut Vespasianum: si quidem tempore Antiochi saepe fuerunt in maximo periculo Judaei, ne omnino in manus ejus devenirent, et vel occiderentur omnes, vel captivi abducerentur: et ideo orabant, *ut non traderentur bestiis devorandi*, idest, Antiocho et militibus ejus penitus destruendi ; sicut re vera numquam fuerunt universaliter ab Antiocho subjugati.At Nabuchodonosor, et Titus, et Vespasianus universaliter Judaeos oppresserunt partim occidendo, partim captivos abducendo. *Ne tradas*, inquit, *bestiis* idest, hominibus insipientibus, et crudelibus more ferarum, *animas confitentes tibi*, idest, homines qui te colunt et confitentur laudes tuas;et easdem *animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem*, idest, ne obliviscaris defendere et liberare animas pauperum tuorum,qui ad januam misericordiae tuae panem mendicant.In hebraeo,pro confitentes tibi, nunc est, תורך *thoreca*, quod s. Hieronymus vertit, *eruditos in lege tua*; alii *turturis tuae*, sed septuaginta interpretes non legerunt, תורך *thoreca*, sed, תודך *thodeca*, fuit autem facillimum librariis ob similitudinem literarum, res et dalet, scribere, *thoreca*, pro *thodeca*; neque est causa, cur anteponamus textum, quem nunc habemus, textui,quem habuerunt septuaginta interpretes; neque est in sensu diversitas: nam per turturem posset intelligi populus Dei gemens, et confitens Deo tribulationem suam.

21. *Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum.*

Adducit duo alia argumenta ad placandum Deum, unum ex parte foederis initi cum patribus,alterum ex iniquitate adversariorum,qui cum essent homines vilissimi, obtinebant injuste palatia ipsorum. *Respice*, inquit, *in testamentum tuum*; si non vis nos respicere, saltem respice pactum, sive testamentum, quod fecisti cum patribus nostris, ut esses nobis in Deum, nosque protegeres atque defenderes in terra, quam nobis dedisti. Quoniam, *qui obscurati sunt terrae*, idest, qui obscuri sunt in terra, viles, et barbari homines, *repleti sunt domibus iniquitatum*, idest, abundant jam domibus,sive palatiis inique nobis ereptis.Illud, *obscurati terrae*, obscurum est,et ideo variis modis exponitur; sed res non est magni momenti, et facile est,ut latinus interpres dixerit, *obscurati*, pro obscuri. *Obscuri autem terrae*, ii dicuntur, qui non sunt ullius nominis in terra.Illud autem, *domibus* in hebraeo,non est,domibus,sed,כאות חמס *neoth chamas*, idest, *habitationibus desiderabilibus* et pulchris, qualia sunt egregia palatia.

22.*Ne avertatur humilis factus confusus: pauper et inops laudabunt nomen tuum.*

Pergit in oratione, ac petit ne humilis populus cogatur reverti ab orando Deo confusus,si non impetraverit, quod postulat: et rationem reddit cur non debeat dimitti confusus, quoniam ipse est,qui laudare solet nomen Domini. *Ne avertatur*, quasi a te repulsus,et rejectus,*humilis factus confusus*, idest, ne avertatur confusus is qui se humiliat coram te. Illud enim, *factus*, conjungitur cum voce humilis: unica enim vox est tum in hebraeo, tum in graeco pro eo quod nos habemus, humilis factus. *Pauper et inops laudabunt nomen tuum*, idest, ne dimittas humilem confusum, quoniam

humilis qualis est *pauper et inops laudabunt nomen tuum*,quod a divitibus et superbis despicitur.

23. *Exurge Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab insipiente sunt tota die.*

Addit aliam rationem quoniam causa populi est causa Dei; quoniam improperia, quae dicuntur ab inimicis, in ipsum Deum recidunt. *Exurge*,inquit, *Deus judica causam tuam*, idest, defende causam tuam: nam in hebraeo est ad verbum, *ribba, ribbecha, litiga litem tuam*, hoc est, sis tu patronus causae tuae. *Memor esto improperiorum tuorum, quae ab insipiente sunt tota die*, idest, quae jugiter in te jactantur ab insipientibus populis, inimicis tuis. Illud, *judica causam tuam*, quamvis ad litteram ex hebraeo significet,*litiga litem tuam*; tamen quia Deus non potest litigare nisi apud tribunal justitiae suae, cum non habeat superiorem, ideo ad ipsum pertinet judicare, idest, judicium ferre de lite, quam habet cum iniquis: proinde recte versio septuaginta,et vulgatae editionis habet, *Judica causam tuam.* S. August. legit, *Judica causam meam*, sed nescio quid secutus sit: nam hebraeus et graecus codex habet secundam personam,et sic invenitur in latinis libris.

24. *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

Concludit rogans Deum, ut non obliviscatur punire hostes suos, quia illi non obliviscuntur peccare. *Ne obliviscaris*, inquit, *voces inimicorum tuorum*, idest, ne impunitas dimittas blasphemias inimicorum tuorum: *quoniam superbia eorum, qui te oderunt,ascendit semper*; idest, superbae voces inimicorum tuorum, numquam cessant, sed jugiter ascendunt a linguis eorum, tamquam scintillae a fornace maligni cordis eorum. Illud,*inimicorum*, in graecis libris est, οἰκετῶν σς *servorum* sive *supplicum tuorum*; et sic etiam legit s. Augustinus. Sed in hebraeo est, צוֹר רִיבֶךָ *tzorerecha inimicorum*, et sic etiam vertisse septuaginta interpretes testatur s. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam: proinde necesse est in textibus graecis irrepsisse errorem,et positum esse οἰκετῶν pro ἐχθρῶν.Illud *superbia eorum*,in hebraeo est, קמיך שאון *sceon kamecha,sonitus,sive tumultus insurgentium in te.* Ex quo intelligimus, per superbiam, hoc loco accipiendam esse vocem superbiam et elatam, ut diximus.

PSALMUS LXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, ne corrumpas, Psalmus cantici Asaph.

Omnes partes hujus tituli sunt alibi explicatae; si tamen plane explicari possunt. Tanta est enim titulorum obscuritas,ut divinatore opus sit potius, quam explicatore. Argumentum est admonitio ad humanum genus, ut juste vivant omnes,et superbiae tumorem deponant, quoniam imminet judicium Dei severissimum, atque justissimum. Videtur autem psalmus compositus per modum dialogismi:quamvis non indicetur mutatio personarum, nisi per ipsa verba, quae nunc populi justorum, nunc Prophetae, nunc Dei esse ipsa se produnt.

EXPLICATIO PSALMI LXXIV.

1. *Confitebimur tibi Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum.*
2. *Narrabimus mirabilia tua Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.*

Vox est populi electi, qui ex notitia Dei, quam habet prae caeteris hominibus, dicit, suum officium esse laudare, orare et praedicare Deum. *Confitebimur*, inquit, *tibi*, idest, laudabimus te; *confitebimur, et invocabimus nomen tuum*, idest, non solum laudabimus in hac vita; sed etiam invocabimus: pura enim laudatio non est vitae praesentis, sed futurae. *Narrabimus mirabilia tua*, idest, non solum laudabimus in corde nostro, et orabimus, sed etiam praedicabimus aliis omnibus *mirabilia opera tua*, ut etiam caeteri discant timere et amare te. Quod attinet ad verba non levis difficultas est. Nam in hebraeo pro, *invocabimus nomen tuum*, legitur ad verbum , וקדוב שמך *vekarob scemecha, et propinquum nomen tuum*, Verisimile est Septuaginta legisse, ו קרו בשמך *vecaro bescmoa, et invocare in nomine tuo*: non

autem, ut nunc habetur, קדיב שכך *vecarob scemecha, et propinquum nomen tuum.* Facile enim fuit librariis conjungere literam primam vocabuli sequentis cum ultima praecedentis. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Haec est pars versiculi secundi, et continet verba Dei summi Judicis, qui approbans verba justorum, promittit suo tempore, se redditurum illis praemium, ut etiam impiis non confitentibus, nec invocantibus, poenam. *Cum*, inquit, *accepero tempus*, idest, cum venerit hora ab aeternitate determinata judicii mei, *tunc ego justitias judicabo*, idest, justissime sive rectissime judicabo. Diem judicii, ut etiam horam esse certo definita docet Apostolus, Act. 17. *Nunc* inquit, *annunciat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in aequitate in viro, quem statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a morte*: docet s. Joannes in Apocal. cap. 14. *Timete Deum, et date illi bonorem, quia venit hora judicii ejus.* Magnae gratiae, ut inquit s. Augustinus, agendae sunt Deo, quod non statim post peccatum judicat, sed expectat homines ad poenitentiam, interim exhortari et invitare non cessans multis et variis modis, donec statuta dies et hora adveniat. Illud, *justitias judicabo*, non significat Deum judicaturum opera justa, ut aliqui existimant, sed Deum recte judicaturum: nam eadem vox hebraea, מישרים *mesciarim*, habetur in psal. 57. *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.* Quod hic dixit *justitias*, ibi dixit *recta*, et sicut ibi sensus est, Justam sententiam proferte; ita hic sensus est, justam sententiam proferam.

3. *Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus.*

Iterum loquitur populus justorum dicens: si juste judicabis, Domine, quis sustinebit? *nam liquefacta est terra*, idest, defluxit, corrupta est, dissipata est propter iniquitates habitantium in ea; *et omnes habitantes in ea* defluxerunt et corrupti sunt; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Respondet Dominus, *Ego confirmavi columnas ejus.* Quasi dicat, non omnis terra omnino corrupta est; nam ego confirmavi columnas ejus; viros perfectos, ob quos terra subsistit; semper enim habuit Deus servos suos electos et perfectos. Nam Gen. 6. ubi dicitur *terra corrupta ob iniquitates inhabitantium*, ibi dicitur, *Noe vir justus, atque perfectus.*

4. *Dixi iniquis nolite inique agere, et delinquentibus, nolite exaltare cornu.*
5. *Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem.*

Nunc jam loquitur Propheta ut unus de numero justorum, et admonet iniquos, ut desinant ab iniquitate, cum adhuc spes remaneat salutis, et propterea differatur judicium, ut locus sit poenitentiae. *Dixi*, inquit, *iniquis, nolite inique agere*, idest, nolite perseverare in iniquitate. Verba hebraica possent etiam verti, *Dixi stultis, nolite stultescere*, sed quamquam interpretatio septuaginta Seniorum optima est, quam etiam in sua versione secutus est s. Hieronymus, tamen utraque vera est. Omnes enim iniqui stulti sunt, cum errent a vero itinere, et ridentes, ac ludentes ruant in praecipitium. Addit Propheta, *Et delinquentibus nolite exaltare cornu*, idest, dixi delinquentibus, nolite gloriari in iniquitate, nolite superbe defendere peccata vestra. Cornu enim superbiam significat, et illi longius a salute recedunt, qui non solum peccant, sed etiam gloriantur cum malefecerint, et laudari volunt in sceleribus suis. *Nolite extollere in altum cornu vestrum*, idest, nolite in profundum malorum tam alte descendere, ut etiam Deum contemnatis, et in ipsum Deum verba blasphemiae evomatis. Vox hebraea בצואר עתק *betsavar hathak*, ut nunc legitur, non habet, *adversus Deum*, sed ut s. Hieronymus vertit, *in cervice veteri*, vel ut alii legunt, *collo duro.* Sed septuaginta non videntur legisse בצואר *betsavar*, sed, בצור *betsur*, quod est unum ex nominibus Dei, et proprie significat *petram*, quia Deus fortissimus est: et per vocem עתק *hathak*, quae significat *durum*, non intellexerunt septuaginta collum *durum*, sed verba dura, et iniqua, et ideo verterunt, *nolite loqui adversus petram verba dura et iniqua*, idest, adversus Deum fortissimum verba dura, idest, iniqua, quales sunt blasphemiae. Et sane eleganter alludit Propheta a verbis duris ad petram duram; quasi dicat, nolite contendere verbis duris cum Deo, qui est petra durissima, quia petra conteret vos et verba vestra inania esse monstrabit.

6. *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus: quoniam Deus judex est.*

Reddit rationem, cur non oporteat adversus Deum loqui iniquitatem; quia videlicet ab illius judicio nusquam erit effugium; non enim *ab oriente* judicabit, ut possis fugere in occidentem; *neque ab occidente*, ut possis latere in oriente, *neque a desertis montibus*, ut abscondas te in aliqua valle inter arborum ramos. Iste enim *judex Deus est*, qui ubique est, et nullo excluditur loco, cum nullum occupet locum. Ita s. Augustinus. Alii exponunt, quia neque ab oriente expectandum est auxilium, neque ab occidente, neque a desertis montium, *quia Deus judex est*, cui nemo resistere potest.

7. *Hunc humiliat et hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.*
8. *Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen faex ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terrae.*

Dixerat non esse effugium a judicio Dei; nunc declarat dicens, *hunc humiliat*, superbum videlicet, *et hunc exaltat*, scilicet humilem. *Quia calix in manu Domini vini meri*, idest quia in potestate Dei est justitia vindicativa, quae dum peccatores superbos punit, simul exaltat et consolatur

justos humiles, quos ab oppressione impiorum liberat. Porro *calix vini meri*, dicitur justitia vindicativa in scripturis passim, ut Isaiae 51. Hieremiae 25. Threnorum 4. Ezechielis 23. Apocalypsis 14. et alibi. Ratio hujus metaphorae est, quoniam vinum merum epotum, debilitat adeo totum hominem, ut nec sciat, nec possit se juvare : ebrius enim amittit judicium, tremit, cadit, soporatur. Qui punitur ab homine, saepe remedium habet, vel favoris, vel fugae, vel violentiae : qui autem punitur a Deo, tamquam multo vino mero inebriatus, repente cadit et omni prorsus remedio caret. Addit Propheta, *plenus misto*, idest plenus est calix Domini non simplici vino unius generis, sed mistione variorum generum vini meri, qua mistione non temperatur vinum, sed fortius redditur. Id significat, justitiam Dei vindicativam abundare multitudine et varietate poenarum. *Ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psal. 10. Aliqui dicunt, vinum calicis Dei dici mistum, quia turbidum, aut faeculentum. Alii mistum interpretantur, *infusum*, quia miscere vinum, aliquando significat infundere. Alii fingunt duos calices, unum plenum mero, alium plenum misto. Sed quod nos diximus probabilius videtur, et plures habet auctores. *Et inclinavit ex hoc in hoc*, idest jam Deus propinavit multis hunc calicem irae suae, inclinavit calicem ex hoc ore in hoc os, transtulit ad varias gentes, punivit sodomitas, chaldaeos, aegyptios et alios. *Verumtamen faex ejus non est exinanita*, idest, adhuc remanet gravissima pars justitiae vindicativae, quae servatur in diem ultimi judicii, et tunc ex ea *bibent omnes peccatores terrae.* Tunc enim non erit amplius locus misericordiae, sed omnes, qui peccatores in illa die invenientur, cogentur bibere faeces calicis irae Domini.

9. *Ego autem annunciabo in saeculum, cantabo Deo Jacob.*

Vox haec Prophetae est, qui descripto judicio Dei et supplicio impiorum, pollicetur se annunciaturum laudes Dei in aeternum. Illi inquit, bibent calicem irae Dei: *ego autem* liberatus per gratiam Dei *annunciabo in saeculum*: deinde declarans, quomodo annunciabit, *cantabo*, inquit, *Deo Jacob*: haec erit annunciatio mea hymnus laudis et gratiarum actionis *Deo Jacob*, quem in aeternum cantabo.

10. *Et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi.*

Haec vero Dei vox est, qui subjungit et concludit psalmum, dicens, *et* ego *confringam omnia cornua peccatorum*, omnem superbiam, omnem gloriam, omnem potentiam. *Et exaltabuntur cornua justi*; et faciam ut exaltetur gloria et potentia justi cujuscumque, sed praecipue Christi, qui sic fuit eminenter justus, ut multos justificaverit, ut dicitur Isaiae 53. *Justificabit ipse justus servus meus multos.* Posset hic versiculus conjungi cum superiore, ita ut propheta intelligatur utrumque dicere: *annunciabo in saeculum et omnia cornua peccatorum confringam.* Dicitur enim confringere cornua peccatorum non solum, qui re ipsa peccatores humiliat, sed etiam qui denunciat peccatores humiliandos esse, ad quem modum dicitur Hieremias constitutus, *super gentes et regna, ut destruat et evellat et aedificet et plantet.* Hierem. 1. Videtur tamen prior expositio magis accommodata huic psalmo, qui secundum formam dialogismi compositus est, ut s. Hieronymus in Commentario docet.

PSALMUS LXXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, in laudibus Psalmus Asaph, canticum ad Assyrios.

Propter ultima verba tituli, *canticum ad Assyrios*, quae non sunt in codice hebraico, existimant Theodoretus, Euthymius et multi recentiores, in hoc psalmo praedici victoriam, quam obtinuit Ezechias de Sennacherib rege Assyriorum. Sed non dubium est, altiore sensu praedici victoriam electorum Dei adversus omnes hostes tum visibiles, tum invisibiles.

EXPLICATIO PSALMI LXXV.

1. *Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus.*

Propter haec verba valde superbiunt carnales Judaei, sed frustra. *Notus* enim erat *Deus in Judaea* terrena, quando in ea degebant Prophetae et populus Prophetis acquiescens et pari ratione, *in Israel* secundum carnem *magnum erat nomen Dei*, quando populus Israel non solum carne, sed etiam corde circumcidebatur: sed posteaquam Dei filium, quem omnes Prophetae annunciaverunt, negaverunt et ejus populus esse desierunt; non est amplius in Judaea terrena notus Deus; neque in Israel secundum carnem, magnum est nomen ejus. Quia tamen hic psalmus in titulo habet, *in finem*, et ideo respicit Christum qui est finis legis, et usque in finem mundi canendus est: nunc etiam verum est et semper erit verum, quod hic dicitur, *notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus*. Sed per Judaeam ecclesia accipienda est, in qua sunt veri Judaei, circumcisi corde, non carne, de quibus Apostolus ad Rom. 2: *Non qui in manifesto Judaeus est, neque quae in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Judaeus est, et circumcisio; cordis in spiritu, non littera.* Et cap. 9: *Non omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitae*; etc. In ecclesia igitur christiana notus Deus est, et in populo christiano magnum est nomen ejus; major enim sapientia est in parvulis christianis callentibus brevissimum catechismum, quam olim fuerit in philosophis gentium, vel in magistris in Israel. Sed praecipue notus Deus est viris perfectis in Ecclesia Dei, qui totus se contemplationi rerum divinarum dediderunt, et ex contemplatione in confessionem divinae magnitudinis toto corde erumpunt. Judaea enim confessionem significat.

2. *Et factus est in locus ejus, et habitatio ejus in Sion.*

Ad litteram redditur ratio cur in Judaea potius, quam in aliis locis olim Deus notus esset: quia videlicet Jerusalem, quasi regiam suam; et Sion quasi arcem sibi Deus elegerat. *Et factus est*, inquit, *in pace locus ejus*, idest, Deus elegit sibi locum peculiarem, in quo tabernaculum suum collocaret, in civitate Salem, quae pacem significat. *Et habitatio ejus in Sion*, idest, elegit sibi habitationem in Sion, quae est pars altissima, et nobilissima civitatis Jerusalem. In hebraeo pro, *in pace*, habetur, בשלם *bescalem* in Salem, quod est nomen civitatis Jerosolymae, sed septuaginta interpretati sunt nomen, et ideo verterunt *in pace*: nam, ut dicitur ad hebr. 7. *rex Salem*, est *rex pacis*. Itaque hoc loco ad litteram, *in pace*, non significat virtutem, sed civitatem: quod satis facile intelligitur ex verbis sequentibus, *et habitatio ejus in Sion*. Sed altiore sensu significatur, ideo Deum notum esse viris perfectis, quia Deus praecipue habitat in mentibus pacem habentium, et contemplantium: nam ut Salem significat pacem; ita Sion speculam. Et nisi quis per mortificationem carnis pacem habeat ad Deum, ad proximum, et ad se ipsum, non facile per contemplationem transcendit res omnes creatas, et uni Deo conjungitur.

3. *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.*

Hic jam describit victoriam adversus Assyrios, de quibus in titulo psalmi. Historia hujus victoriae habetur lib. 4. reg. 19. Ubi Deus liberavit Jerusalem ab obsidione regis Sennacherib sine ulla pugna Judeorum. Angelus enim Domini una nocte occidit centum octogintaquinque millia Assyriorum, et eo modo *confregit Deus potentias arcuum*, idest, sagittas, quas Assyrii paraverant, ut jacerent in hebraeos, et *scutum*, quod paraverant, ut se defenderent ab hebraeis, et *gladium*, quem exacuerant ut cominus pugnarent adversus eos, adversus quos saggittis eminus pugnassent; denique *bellum* totum confregit, idest, avertit ab urbe Jerusalem. In hebraeo pro vocibus, *potentias arcuum*, habetur, רשפי קשת *rise kasceth*, quae voces proprie significant *carbones arcuum*, idest, jacula ignita arcuum; sed Septuaginta verterunt, *potentias arcuum*, quia potentia arcus in sagittis ejaculandis consistit. Altiore sensu per jacula ignita, et gladios, significantur tentationes doemonum, et persecutiones hominum. Per scuta intelliguntur praetextus varii, quibus se tegunt hostes nostri spirituales, cum nos oppugnant: sed in animis perfectorum servorum suorum Deus victorias maximas obtinet, ut perspicuum est ex historiis sanctorum martyrum, et perfectorum monachorum.

4. *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis: turbati sunt omnes insipientes corde.*

Ostendit propheta unde potissimum orta sit victoria Hebraeorum adversus Assyrios; id autem facit per apostrophen ad Deum. *Illuminans*, inquit, *tu mirabiliter a montibus aeternis*, idest, confregit Dominus in Jerusalem arma offensiva, et defensiva Assyriorum: ille autem Dominus tu es, qui haec fecisti, dum ex coelis, tamquam *aeternis quibusdam montibus* tuis, ac veluti altissima specula et arce tua, *mirabiliter* fulgurasti, et Angelum tuum tamquam coeleste fulmen misisti in exercitum Assyriorum. Unde *turbati sunt omnes* illi milites Sennacherib, tamquam amisso judicio obtenebrati, et prae stupore mentis *insipientes corde* effecti. Quod ad verba attinet, in hebraeo pro voce, *aeternis*, est, טרף *thareph*, quae praedam significat, vel captivitatem, non aeternitatem. Sed omnino necessarium est, ut septuaginta Interpretes aliquid aliud legerint: neque enim fieri potest, ut viri doctissimi, et utriusque linguae peritissimi verterent, a montibus aeternis, vel graece ἀπ' ἐρέων αἰωνίων, si legissent, מהרי טרף *meharere tareph*. Itaque, suspicor eos legisse, טרם *terem*, non, טרף *tareph*, significat autem, *terem ante*, vel, *antequam*, sive *priusquam*: et fieri potest; ut non solum sit adverbium, sed etiam nomen, et si-

gnificet, antiquitatem, vel antiquum: quomodo, קדם *kedem*, significat, ante, et significat etiam antiqua; ut patet ex ps. 76. vers. 6. *Cogitavi dies antiquos.* Et psal. 43. vers. 2. *Quod operatus es in diebus antiquis.* Idem autem est, *a montibus aeternis*, et *a montibus antiquis*; quemadmodum Daniel. 7. *Antiquus dierum* dicitur Deus, quia aeternus est. Illud autem, *turbati sunt omnes insipientes corde*, sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo, *spoliati sunt superbi corde.* Sed septuaginta Interpretes sensum verterunt. Illud enim, *spoliati sunt*, non significat, spoliati sunt vestibus, sed spoliati sunt judicio, erraverunt, stupefacti sunt: quod est idem cum illo, *turbati sunt.* Pro, *insipientes corde*, s. Hieron. vertit, *superbi corde*, quia legit. אבידי לב *abbire leb*: septuaginta legerunt, אבידי לב *abbide leb*: facile autem fuit mutari unam literam in aliam similem, idest, *daleth* ד, in *res* ד. Jam vero in sensu spirituali significat hic versiculus principium victoriae adversus hostes invisibiles esse illuminationem internam Dei, per quam videre nos facit Deus tum ipsos hostes, tum ipsorum fraudes; necnon bona invisibilia, *quae praeparavit Deus diligentibus se*; et mala invisibilia, quae praeparavit odio habentibus se. Et quemadmodum Deus illuminans mirabiliter a montibus aeternis coelestis habitaculi sui, fortissimos reddit servos suos, sic e contrario conturbat hostes suos, insipientes corde qui videntes viros sanctos, et perfectos contemnere visibilia, condonare injurias bonum pro malo reddere, durissima quaeque propter Deum libenter pati, obstupescunt, et irascuntur; sed in fine dicturi sunt, *nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore.* Sap. 5.

5. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Communis expositio est, quod Propheta describat mortem Assyriorum, qui ab angelo interfecti sunt, ut hic sit sensus: *Dormierunt somnum suum;* idest, somno mortis soporati sunt, qui Jerusalem desiderabant invadere, et se brevi eam capturos, et spoliaturos esse sperabant: *et omnes viri divitiarum nihil invenerunt in manibus suis*, idest, et isti Assyrii, qui ditissimi erant, et majores divitias appetebant, post mortem illam repentinam in infernum detrusi, nihil invenerunt in manibus suis, neque ex iis, quae habebant, neque ex iis, quae sperabant. Sed altiore sensu doctrina generalis traditur adversus insipientes corde, qui magnifaciunt bona temporalia, et despiciunt viros sanctos, et perfectos, qui ista contemnunt. *Dormierunt*, inquit, *insipientes corde somnum suum*, idest, toto tempore vitae hujus quasi sopore gravi concupiscentiae, et ignorantiae oppressi quiete dormierunt, somniantes se divites, et beatos esse: sed ubi per mortem evigilaverunt (poena enim aperit oculos quos culpa clauserat), nihil invenerunt in manibus suis: et nunc intellexerunt bona hujus vitae non vera bona, sed ludibria somniantium fuisse, et ex iis nihil sibi remansisse, nisi vermem conscientiae, et poenae sempiternae reatum.

6. *Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt, qui ascenderunt equos.*

Declarat mortem Assyriorum, non fuisse naturalem, sed ab ipso Deo irato immissam. *Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt*, illi videlicet, de quibus dictum est versu superiore, *dormierunt somnum suum*, illi, inquam, dormierunt somnum suum *ab increpatione tua* prostrati, et interfecti soporem mortis acceperunt; nam increpatio Dei efficacissima est, et eam continuo effectus sequitur. Si enim b. Petri increpatio Ananiam, et Saphiram occidit, Act. 5. quanto magis increpatio Dei omnipotentis? Illud, *qui ascenderunt equos*, est descriptio superbiae, et arrogantiae Assyriorum, qui in equitatu suo confidebant. In hebraeo ad verbum habetur, *currus et equus*: sed Septuaginta non legerunt. רכב *recheb*, idest, *currus*, sed, רכב *rocheb*, idest, *eques*, ut sensus sit, *consopiti* sunt eques, et equus. In sensu autem spirituali significatur, morte sempiterna plectendos ab irato Deo et doemonem tamquam equitem, et hominem peccatorem tamquam equum, qui doemonem sibi insidere, et ab eo regi se turpiter passus est.

7. *Tu terribilis es, et quis resistet tibi, ex tunc ira tua.*

Alloquitur nunc Propheta Deum, et ex ultione et supplicio Assyriorum admiratur potentiam Dei erudiens nos, ut similiter admiremur, et timeamus. *Tu* inquit, *terribilis es, et quis resistet tibi*, quando iratus fueris? Illud enim, *ex tunc ira tua*, significat, ex quo tempore incipit ira tua, et conjungendum est cum praecedentibus, ut conjungit etiam s. Augustin. Sed in textu latino ponitur distinctio, et interpunctio saepe ob commoditatem canentium. Illud, *Quis resistet tibi*, in hebraeo est ad verbum, מי יעמיד לפניך *mijahamod lephanecha, quis stabit ante faciem tuam?* quod aliquid amplius significat, quam resistentiam, quasi dicat, quis audebit faciem tuam iratam intueri? Sed septuaginta sensum verum transtulerunt.

8. *De coelo auditum fecisti judicium, terra tremuit, et quievit.*
9. *Cum exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.*

Occasione accepta ex ira Dei in Assyrios, transitum facit ad iram, quam ostendet idem Deus in die Judicii generalis: tunc enim vere, et proprie nemo impiorum sustinere poterit vultum irati Judicis: loquitur autem de rebus futuris per verba temporis praeteriti more prophetico. *De coelo auditum fecisti judicium*, idest, de coelo annuntiabis per varia signa, quae erunt in sole, et luna, et stellis, et tandem per horribilem tubam angelicam, ad judicium novissimum te esse venturum: et tunc terra contremiscet; et prae timore silebit, idest, omnes habitantes in terra silebunt, *arescen-*

tes prae timore et expectatione eorum, quae supervenient universo orbi. Luc. 21. Illud, *quievit*, non significat requiem a labore, sed taciturnitatem, et silentium ob timorem. S. Hieron. optime sensum vertit, *terra timens tacebit*, sed septuaginta verterunt ad verbum, *terra tremuit, et quievit*, sic etiam est in hebraeo; *Cum exurgeret in Judicium Deus*, idest, de coelo auditum facies judicium, cum tu Deus exurges in judicium, surges de solio tuo coelesti, et venies ad judicandum orbem terrarum, ut *salvos facias omnes mansuetos terrae*: hic enim erit finis judicii ut omnes mansueti, qui sunt in terra, non amplius vexentur a crudelibus, et superbis persecutoribus, sed omnibus impiis, et peccatoribus justo judicio condemnatis, omnes pii et justi salutem aeternam, requiem videlicet, et foelicitatem sempiternam possideant. Illud, *omnes mansuetos terrae*, satis aperte significat, non posse referri ad liberationem hebraeorum de manu Sennacherib regis Assyriorum, sed referenda esse ad universalem liberationem omnium justorum. Vocat autem Scriptura *mansuetos*, eos qui liberabuntur; quoniam mansuetudo opponitur crudelitati persequutorum, et quoniam mansuetudo propria est discipulorum Christi, qui ut agnus mansuetus in hoc mundo versatus est, et coram tondente, et jugulante se obmutuit; denique quia mansueti non resistunt Deo revelanti quae credenda sunt, neque promittenti quae speranda sunt, neque jubenti quae facienda sunt, ac per hoc mansuetudo omnes virtutes includit.

10. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.*

Hoc sequetur ex Judicio ultimo, ut mansueti liberati ab omni oppressione persecutorum, hoc tantum beneficium cogitantes perpetuo Deum laudent, et festos dies celebrent in coelo, memoria retinentes haec Dei magnalia. Illud, *quia*, non reddit rationem hoc loco, sed accipitur pro, *quare*, vel, *propter quod*, ut sensus sit, quare cogitatio hominis liberati confitebitur tibi laudes, imo ipsa jugis cogitatio tanti beneficii, erit jugis, et assidua laudatio: *et reliquiae cogitationum*, idest, perpetua memoria, quam in ipsis relinquet cogitatio tantae rei, *diem festum aget tibi*, in aeternum tibi cantabit, et jubilabit. Quod attinet ad verba s. Hieron. ex hebraeo vertit, *quia ira hominis confitebitur tibi, reliquiis irae accingeris*: quae verba nullum commodum sensum facere videntur, cum re vera satis apte respondeant verbis hebraicis, quae nunc in Bibliis excusis habentur. Sed sciendum est vocem, חמה *chema*, posse deduci a verbo, נחם *nacham*, quod *poenitere* et *consolari*, et secundum Septuaginta etiam *cogitare*, significat: nam Gen. 6. vers. 6. ubi nos habemus, *poenituit Deum, quod hominem fecisset in terra*, septuaginta Interpretes verterunt, *cogitavit Deus, quod hominem fecisset in terra*. Quare illud, חמה *chema*, non solum significat iram, sed etiam cogitationem ex sententia septuaginta Interpretum, quibus major fides habenda est, quam omnibus dictionariis. Illud autem, תחגור *thachgor*, quod significat, *accingeris*, a verbo, חגר *chagar*, septuaginta Interpretes legerunt sine ullo dubio, תחגג *thachgog*, a verbo, חגג *chagag*, quod *festum agere* significat. Imperitissimi enim fuissent si vertissent, *festum agere*, et dictionem, quam invenerunt non derivassent a radice *chagag*, sed a radice, *chagar*, quae similes sunt, et facile per errorem librariorum mutari potuerunt. Itaque retinenda est lectio, et interpretatio septuaginta seniorum, quam fideliter Interpres Latinus expressit.

11. *Vovete, et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.*
12 *Terribili, et ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terrae.*

Concludit Propheta psalmum exhortans fideles populus ad vovendum, et reddendum, ut eo modo placatum habere possint Deum, qui terribilis est, adeo ut ipsis etiam regibus vitam adimat, quando ei libitum fuerit. *Vovete*, inquit, *et reddite*, idest, promittite Deo sacrificia, et dona, quae illi grata sunt, sed simul fideliter reddite quae promisistis. Vovete, inquam, et reddite vos *omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*, idest, vos omnes, qui frequentatis aras dominicas, et in circuitu altaris consistentes offerre soliti estis munera: vovete autem, et reddite Deo vero, *qui terribilis est* in judiciis suis, et a nemine irrideri, aut falli potest: nec solum terribilis est erga privatos homines, sed etiam in reges, et principes, qui aliis hominibus terribiles esse solent. Ex illis verbis, *vovete, et reddite*, refellitur haeresis modernorum haereticorum, qui vota rerum non imperatarum a Deo omnino contemnunt. Sanctus enim Augustinus exponens hunc locum scribit, rectissime voveri Deo perpetuam virginitatem, spontaneam paupertatem, et alia id genus, quae a Deo non imperantur. Illud, *in circuitu ejus sunt*, exposuimus de circuitu altaris, juxta illud ps. 25. *Circumdabo altare tuum Domine.* S. Augustinus docet illos esse in circuitu Dei, qui communem habent Deum; quod enim commune, et pubblicum est, in medio ponitur, ut omnes ex eo participent. Illi autem non sunt in circuitu Dei, si quid sciunt de Deo, quasi proprium habere volunt. Illud, *affertis munera*, in hebraeo et graeco legitur in tertia persona, *qui in circuitu ejus sunt offerunt illi munera*, sed idem est sensus. Illud, *qui aufert spiritum Principum*, exponunt aliqui de spiritu superbiae, idest, qui humiliat principes. Sed nostra expositio confirmatur ex psalmo 103. *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur*, et in hoc vere ostenditur terribilis Deus, quod potentissimos reges ad nutum in momento interimere possit.

PSALMUS LXXVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALM

In finem, pro Idithun psalmus Asaph.

Cur dicatur in titulo, pro Idithun psalmus Asaph, omnino difficile est divinare. Euthymius existimat, psalmum datum esse ad decantandum ipsi Asaph, pro Idithun, idest, vice Idithun, qui forte cantare impediebatur. Nimis humilis explicatio est, neque vox hebraica, ידותון על *hal Jeduthun*, patitur, ut, *pro*, significet, vice; cum ad literam sonet, *super Idithun psalmus Asaph*. Alii existimant, psalmum compositum ab Asaph, et datum ipsi Idithun ad canendum. Sed neque id probabile est, cum Idithun fuerit unus ex principibus cantorum, non minus, quam Asaph. Alii volunt psalmum cantatum esse alternatim ab Idithun, et Asaph. Alii denique nomen Idithun hoc loco volunt non esse nomen cantoris, sed instrumenti musici, vel certi generis modulationis, ad cujus formam psalmus canendus esset; atque huic expositioni satis convenit illa phrasis, *psalmus Asaph super Idithun*. Argumentum est oratio adversus tribulationes; quae sit autem tribulatio, de qua psalmus hic loquitur, non convenit inter auctores: aliis existimantibus hic agi de captivitate Babylonica: aliis de persecutione Antiochi: quae contigit tempore Machabaerum: aliis de incerta, et nobis incognita tribulatione: sed sanctus Augustinus utilissime exponit psalmum de miseria humana generatim, ac praesertim de ea, quam sentiunt viri perfecti, qui dum anhelant ad patriam coelestem, molestissime ferunt moram exilii, et peregrinationis.

EXPLICATIO PSALMI LXXVI.

1. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi.*

Indicat hoc primo versiculo anima viri sancti, quam moleste ferat moram, et pericula hujus peregrinationis. Dicit enim, *voce mea*, idest non per nuncios, non per amicos, non etiam per linguam corporis mei, sed *voce mea* proprio animae desiderio pulsavi aures Dei. Dicit, *ad Dominum*, vel ut est in hebraeo, אלחים אל *el elochim, ad Deum*, et repetit secundo, ad Deum, quia videbat a nulla re creata posse obtineri quod cupiebat; ideo transiliens omnia ad ipsum Deum accessit. Dicit, *clamavi*, quia se videbat in regione dissimilitudinis longe separatam a Deo magna voce, magno affectu sibi opus esse, ut de tanto profundo, ad tantam sublimitatem vocem suam transmitteret. Addit, *et intendit mihi*, ostendens sibi profuisse ejusmodi clamorem. In hebraeo ad verbum est. והאזין אלי *vehaazin elai*, idest, *et aures mihi praebuit.*

2. *In die tribulationis meae Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus.*

Declarat cur, et quomodo Deum quaesierit, et invenerit. *In die tribulationis meae Deum exquisivi*, idest, in tempore hujus vitae mortalis, *quae est, tota tentatio*, ut dicit Sanctus Job cap. 7. vel, ut in nostro textu habetur, *militia*, idest *perpetua colluctatio cum vitiis, et concupiscentiis, necnon cum principibus, et potestatibus aeris* ut dicitur ad Ephes. 6. unde exclamat Apostolus Roman. 7. *Quis me liberavit de corpore mortis hujus? manibus meis nocte contra eum*, idest, in nocte hujus vitae manibus contra Deum extensis illum quaesivi attingere, et apprehendere, *et non sum deceptus*: tempus hujus vitae non est dies, sed nox, quia *per fidem ambulamus, et non per speciem*. 2. Corinth. 5. et opus habemus attendere *ad lucernam scripturae lucentem in caliginoso loco*, ut dicitur 2. Petr. 2. Noctu autem melius quaerimus manibus tentando, quam oculis vestigando; unde dicit Apostolus Act. 17. *Quaerere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant*. Porro manibus quaerere Deum in nocte, nihil est aliud, nisi per opera bona, per obedientiam mandatorum, per vitae puritatem in hoc exilio caliginoso Deum quaerere: et saepe contingit, ut qui ita quaerunt, Deum attingant, quem speculando, vel legendo invenire non potuerant: testimonium enim conscientiae bonae, et patientia in tribulationibus, et frequentes victoriae adversus tentationes efficiunt, ut anima experimento quodam dulcedinem Dei sentiat, et testimonium spiritus in se habeat, quod sit filius Dei. In hebraeo pro, *contra eum*, habetur, נגדה *nighera*, idest, *extenta*, ut sensus sit, nocte manus mea extenta est ad eum, et idem est sensus: sed septuaginta non viden-

tur legisse, נגרה *nighera*, sed, נגדה *negda*, idest, contra, vel e regione; voces enim simillimae sunt, ut patet. Rursus ubi nos habemus, *et non sum deceptus*, ex hebraeo vertunt alii, *et non quiescit, vel non remittitur*, manus mea videlicet, idest, manus mea extenta, et non debilitata, aut fatigata quievit. Sed septuaginta verterunt sensum, non verba. Significarunt enim, manum viri justi ad Deum quaerendum extentam non quievisse prae lassitudine, quia invenit cito quod quaerebat, et ideo virum justum manibus quaerendo non fuisse deceptum, hoc est, spe sua frustratum. Multi hunc versiculum exponunt de extensione manus in oratione tempore nocturno, quorum expositionem non reprehendo, sed malui s. Augustinum sequi, qui etiam satis apte adducit hoc loco factum sancti Tomae Apostoli, qui manibus tangendo Christi cicatrices, Deum quaesivit in nocte dubitationis, et non est deceptus: nam invento Deo exclamavit, *Dominus meus, et Deus meus*, Joan. 20.

3. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum: et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.*

Quia quaerens Deum non fuit deceptus, renuit deinceps anima ejus consolationem accipere a rebus mundi hujus, quoniam videbat in omnibus esse deceptionem. *Renuit*, inquit, *consolari anima mea*, idest, quantumvis blandirentur carnales voluptates, noluit inde gaudere anima mea, sciens eas secum trahere graviores tristitias. *Memor fui Dei, et delectatus sum*, idest, ne tamen sine omni consolatione essem, *memor fui Dei*, qui nullum decipit, et in quo solo solidum gaudium reperitur, quod nemo potest tollere a nobis, et *delectatus sum*. Magnum est hoc arcanum sapientiae Dei, quod in hoc exilio plus delectet memoria Dei quam praesentia carnalium voluptatum: et si in medio illecebrarum carnalium tantum delectat memoria Dei, quantum delectabit ipsa praesentia Dei, quando nullae erunt carnales illecebrae? *et exercitatus sum, et defecit spiritus meus*, idest, post memoriam Dei, et voluptatem inde haustam, exercitatus sum meditando, et mecum ipse colloquendo de moeroribus exilii, et de jucunditate patriae, et prae desiderio defecit spiritus meus. In hebraeo, pro, *delectatus sum*, habetur, דאחמנ *vechemaiah*, quod proprie significat, *et sonui*, sive *clamavi*, quod potest intelligi de clamore laetitiae, ut septuaginta intellexerunt, et de clamore turbationis, ut intellexit s. Hieronym. qui vertit, *conturbabar*, Pro illo, *exercitatus sum*, s. Augusl. legit, *garrivi*, quod vox graeca ἠδολεσα χοῦν significare videtur : sed vox hebraica, אשיחה *asicha*, quae frequens est in psalmis, significat *summisse loqui*, sive *secum loqui*, quod est proprium meditantium et se in consideratione exercentium. Illud, *defecit spiritus meus*, exponunt nonnulli de defectu ob incruentes tribulationes, quasi eas diutius ferre non posset; sed non minus proprie dicitur spiritus deficere, quando magno desiderio alicujus rei tenetur; quo modo etiam languere, et liquefieri dicitur, juxta illud psal. 83. *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.*

4. *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, et non sum locutus.*

Declarat quod dixit, exercitatus sum, et ait, *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, idest, noctu surgebam ad meditandum, antequam excubiae militares vigilare inciperent: nam per vigilias intelliguntur *custodiae*, sive *excubiae*, ut perspicue habetur in codice hebraico, שמרות *scemuroth*, et graeco, φύλαχας. Similis est locus in psal. 118. *Praevenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Quod sequitur, *turbatus sum, et non sum locutus*, significat ex meditatione periculorum hujus vitae Prophetam turbatum fuisse, sed non fuisse ausum aliquid loqui, quod sciret, judicia Dei esse justissima, quamvis occulta. In hebraeo pro, *anticipaverunt vigilias oculi mei*, habetur, *tenuisti custodias oculorum meorum.* Sanctus autem Hieronymus vertit, *prohibebam suspectum oculorum meorum.* Sanctus denique Augustinus legit, *anticipaverunt vigilias inimici mei*, sed illud, *inimici mei*, non habetur in hebraeo, neque in graeco, neque in latina editione vulgata; proinde facile contemni potest. Vox hebraea, אחזת *achata*, quae significat, *tenuisti*, non fuit in codice s. Hieronymi neque septuaginta interpretum. Manifeste enim est, verbum temporis praeteriti secundae personae a radice, אחז *achaz*, quae significat *tenere, apprehendere, possidere*, et similia: quare s. Hieronymus, qui vertit, *prohibebam*, et septuaginta qui verterunt, *anticipaverunt*, sine dubio aliquid aliud legerunt. In re autem tam obscura nihil est tutius, quam antiquissimae versioni septuaginta interpretum adhaerere, quam nobis fideliter Interpres latinus expressit. Verum est tamen, hebraicam lectionem, qualis nunc est, in sententia non discrepare a lectione editionis vulgatae. Illud enim, *tenuisti custodias oculorum meorum*, ita exponi potest, tu Deus tenuisti palpebras oculorum meorum, ne clauderentur in somnum, ac per hoc fecisti, ut tota nocte vigilarem, et sic vigilias omnium excubiarum anticiparem.

5. *Cogitavi dies antiquos, et annos aeternos in mente habui.*

Ecce quid meditaretur quando praeveniebat vigilias. *Cogitabat dies antiquos*, idest, dies hujus vitae temporalis a principio usque ad finem: et simul cogitabat *annos aeternos vitae futurae*, qui non praetereunt, sed stabiles permanent: neque sola spatia cogitabat, sed quae habemus, et quae agimus in his diebus qui mox antiquantur, et pereunt; et quae habebimus, et agemus in annis aeternis, qui semper in eodem statu permanent. Digna plane cogitatio, quae totas noctes occupet meditantem.

6. *Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.*

Idipsum aliis verbis repetit, et inculcat, dicens, *et meditatus sum nocte cum corde meo*, idest, et consumpsi integras noctes mecum ipse colloquendo, non ore, sed corde: *et exercitabar* cogitando videlicet ac mecum ipse discurrendo. *Et scopebam spiritum meum*, idest, et hoc modo quasi scopis cogitationum versabam huc atque illuc spiritum meum. In hebraeo pro, *et meditatus sum*, habetur, נגינתי *neghinathi*, quod significat *canticum meum*, vel *psalmum meum*, ut vertit sanctus Hieronymus. Sed septuaginta sine dubio legerunt, ut infra versiculo duodecimo, וחגיתי *vehaghithi*. quod significat, *et meditatus sum*: et facile fuit librariis in hac re errare, cum similes voces sint; nec sit ullo modo credibile septuaginta viros, aut ullum alium interpretem redditurum, *et meditatus sum*, si legisset *neghinathi*. Illud autem, *et scopebam*, sanctus Augustinus legit, *et scrutabar spiritum meum*; et hoc proprie significat vox hebraica, ויחפש *vaichappes*, quae hoc loco habetur: tamen s. Hieronymus novo, et inusitato vocabulo vertere maluit, *scopebam spiritum meum*. Intelligimus autem ex utraque lectione illud, *scopebam*, non significare, *scopis mundabam*, aut *purgabam*, sed *scopis verrebam*, *et agitabam*: ut enim mulier illa de Evangelio, Luc. 15. domum verrebat, ut drachmam perditam inveniret: sic iste spiritum suum scrutabatur, et quasi scopis verrebat, ut veritatem absconditam inveniret. Idem s. Hieron. in commentario dicit, *scopebam*, idest, fodiebam: et in epist. ad Suniam et Fretellam dicit, *scopebam*, idem esse, *quod sarculo sarriebam*: quare perspicuum est, *scopebam*, non esse mundabam, sed versabam. In hebraeo habetur, ויחפש רוחי *vaichapes ruchi*, *scopebat*, vel, *scrutabatur spiritus meus*: tamen sanctus Hieronymus vertit in prima persona, *scopebam*, et in epist. ad Suniam et Fretellam dicit, septuaginta vertisse in prima persona non in tertia, ἔσκαλλεν non ἔσκαλλε, sic etiam legit s. Augustin. Proinde videtur error librariorum esse tum in hebraico tum in graeco codice, quoad mutationem personae.

7. *Numquid in aeternum projicet Deus? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?*
8. *Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?*
9. *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?*

Haec est meditatio et agitatio mentis, in qua noctu exercebatur. Videns enim multitudinem hominum peccatorum prope infinitam, et quod vix inveniretur, qui faceret bonum, dicebat intra se, num Deus projiciet omnes homines in interitum sempiternum. Ubi est igitur infinita misericordia ejus? Sed his interrogationibus contrariam sententiam concludere intendit, videlicet futurum aliquando tempus redemptionis generis humani, quo per misericordiam Dei non solum reliquiae Judaeorum, sed etiam multitudo gentium salvaretur. Ait igitur, *Numquid in aeternum projiciet Deus?* idest, numquid Deus tantam multitudinem generis humani in aeternum projiciet a misericordia sua et in infidelitate, et caecitate dimittet? quasi dicat, non projiciet, sed tempore suo visitabit. *Aut non apponet, ut complacitior sit adhuc*, idest, numquid Deus non addet aliquando ad iram suam misericordiam suam, ut incipiat sibi complacere in gentibus, quas nunc odio prosequi videtur? addet omnino propitiationem. *Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?* idest, numquid removebit misericordiam suam ab hominibus in aeternum? non removebit. *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordiam suam?* idest, non obliviscetur et non continebit. Facilius est enim Deo continere iram suam, quam misericordiam suam; et ideo quamvis juste irascatur in peccatores, tamen in ipsa ira non continebit misericordiam suam, sed effundet misericordiam, quae iram mitiget. Quod attinet ad verba, illud, *non apponet ut complacitior sit adhuc?* S. Hieronymus ex hebraeo clarius reddit, non propitiabitur ultra? ad verbum enim in hebraeo habetur, לא יסיף לרצות עוד *velo josiph lirtsoth hod*, idest, *non addet ad complacendum adhuc?* idest, non addet complacentiam, sive propitiationem aliquando? Illud, *non abscindet misericordiam suam*, s. Hieronym. ex hebraeo vertit, *ergo non complebit misericordiam suam?* quae sententia omnino contraria videtur, sed non est: nam vox hebraica, אפס *aphes*, significat, *consumere*, vel *consumi*, deficere, perire, et similia: quare sanctus Hieronymus verbum, *complebit*, non accepit in bonam partem, pro eo quod est, *perficere*; sed in malam, pro eo quod est, *finire ut non ultra pergat*: quomodo dicitur Danielis 5. *numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud*, idest, finivit regnum tuum, jam non ultra regnabis. Additur in hebraeo, גמר אמר *gamar omer* idest, *consummabitur verbum*, sic enim habetur ad litteram in hebraeo, *Numquid peribit in finem misericordia ejus, consummabitur verbum a generatione in generationem*; ubi illud, *consummabitur verbum*, omissum est a septuaginta Interpretibus, et ab omnibus antiquis interpretibus, et ut testatur s. Hieronym. in Epist. ad Suniam et Fretellam, qui etiam addit, recte non haberi in latino. Ex quo intelligimus duo illa verba addititia esse non solum in graeco, sed etiam in hebraeo. Theodoretus quidem scribit haberi haec duo verba apud Symmachum; sed nos majorem fidem habemus s. Hieronymo, quam Theodoreto. Denique illud, *Continebit in ira sua misericordias suas*, s. Hieron. ex hebraeo vertit, *complebit in furore suo misericordiam suam*. Sed non sunt contraria, quia s. Hieron. per, *complere*, intelligit, *finire*, et verbum קפץ *caphaz*, quod habetur hoc loco, significat, *claudere*, ac per hoc continere, ne exeat, ne fluat. Idem autem est complere misericordiam, idest, finire, ut jam non sit; et continere, ut non fluat, et claudere, ut non exeat.

10. *Et dixi, nunc coepi; haec mutatio dexterae excelsi.*

Praevisa,et praedicta redemptione,dicit Propheta se respirare coepisse a taedio, et moerore, quo ante tenebatur. *Et dixi*, inquit, *nunc coepi*, idest, nunc incepi respirare posteaquam meditando, et vigilando, Deo revelante, cognovi misericordiam Domini effundendam super genus humanum. *Haec est mutatio dexterae excelsi*, idest, mutatio,quam praevideo et praedico, irae divinae in misericordiam; iniquitatis hominum in justitiam; captivitatis in redemptionem; poenae sempiternae in gloriam aeternam; mutatio est admirabilis, quam nemo poterat efficere, nisi dextera excelsi, quae Christus est: ipse enim placavit iram patris, et in benevolentiam commutavit,ipse justificavit impios, ipse redemit captivos, ipse glorificavit miseros, et quod mirabilius est, hanc mutationem fecit dextera excelsi quodam modo per suam mutationem,ut notat s. Hieron. in commentario: ipsa enim dextera excelsi infirmata est, ut nos roboraret, et *cum esset in forma Dei formam servi accepit*, ut nos a servitute redimeret. *Pro nunc coepi*, s. Hieron. vertit ex hebraeo, *imbecillitas mea*: alii *dolor meus*; alii aliter. Sed vox hebraica, חלותי *tallothi*, ambigua est, et omnes interpretationes admittit, in re autem ambigua, mirum est, cur non anteponatur omnibus interpretibus auctoritas septuaginta Seniorum, qui sapientia, antiquitate et admirabili inter se concordia omnibus praestant.

11. *Memor fui operum Domini; quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.*
12. *Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor.*

Respirans jam Propheta in spem futurae redemptionis, dicit, se memorem futurum operum Domini mirabilium;et incipit enarrare mirabilia quaedam opera. *Memor fui*, inquit, *operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum*, idest, antea quidem memor fui aliquorum operum Domini, quae fecit in Aegypto coram patribus nostris; sed nunc, o Domine, memor ero ab initio mundi omnium mirabilium tuorum. *Et meditabor in omnibus operibus tuis*, considerans videlicet opera justitiae, et misericordiae, opera potentiae et sapientiae; opera naturae et gratiae: *et in adinventionibus tuis exercebor*, mente revolvens, et admirans arcana consilia, et admirabiles rationes curandi genus humanum, quas sapientia tua adinvenit. Illud, *quia*,non est semper particula causalis, sed ex hebraica phrasi interdum redundat, interdum exponenda est juxta exigentiam loci,hoc loco videtur exponenda per, *sed*, vel, *etiam*, vel, *quin etiam*. Illud *adinventionibus*, hebraice, עלילות *halloth*, significat *opera*, et *cogitationes*; sed opera egregia et cogitationes prudentes, hoc loco, ut etiam Isaiae 12. et 2. Paralip. 16. accipitur pro adinventionibus sapienter, et subtiliter excogitatis ab ipso Deo, quae numquam venissent hominibus in mentem, nisi eas opere completas vidissent: talis adinventio fuit incarnatio verbi, passio Christi, mysterium Eucharistiae et similia.

13. *Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia.*

Incipit laudare opera Domini mirabilia, in quibus cogitandis exerceri solebat: ac primum generatim dicit opera Domini esse sancta,magna et mirabilia, idest, facta sancte, potenter et sapienter, sicut ipse sanctus, omnipotens et sapientissimus est. *Deus*, inquit, *in sancto via tua*, idest, actio tua, sive operatio tua, per quam ad nos quodammodo exis, in sanctitate efficitur; nihil enim agis, quod non rectum, et justum sit. In hebraeo est. קדש *ckodes*, quod proprie sanctitatem significat: proinde exponendum est, *in sanctitate*, quod nos legimus, *in sancto. Quis Deus magnus sicut Deus noster?* idest, non solum Deus noster sanctus est, et sancta via ejus: sed etiam magnus, et magna opera ejus. *Tu es Deus, qui facis mirabilia*, idest, non modo sancta et magna; sed etiam mirabilia sunt opera tua ob sapientiae profunditatem, quae in ipsis cernitur. S. Augustinus legit,qui facis mirabilia solus. Sed nostri codices hebraici, graeci et latini non habent hanc vocem, *solus*. Verissimum tamen est,Deum solum mirabilia facere,quia ipse solus non eget auxilio aliorum,et omnes alii, qui mirabilia faciunt, ut Apostoli, et Prophetae et alii sancti viri dono miraculorum praediti numquam faciunt mirabilia soli, quia sine Deo nihil facere possunt. Illud, *in sancto via tua*, potest etiam congruere cum textu hebraico ad litteram, si mutentur puncta,et legamus קדוש *ckados*,non קדש *ckodes*. Et hac lectione posita secundum Augustinum, sanctus est Christus, et via Dei dicitur esse in sancto, quia per Christum imus ad Deum, et Deus per Christum venit ad nos: secundum Hieronymum via est Christus, et Christus in sancto habitat, quia *in malevolam animam non introibit sapientia*, ut dicitur Sapientiae 1. Proinde sanctus sit, qui Christum in se habitantem habere desiderat.

14. *Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob, et Joseph.*

Descendit ad particulare opus Dei magnum, et mirabile, videlicet ad liberationem populi sui de Aegypto. *Notam*,inquit, *fecisti in populis virtutem tuam*, idest, potentiam tuam manifestasti populis Aegyptiorum, atque aliarum gentium, quae audierunt plagas Aegypti. *Redemisti in brachio tuo populum tuum*, quando per multa signa, et prodigia liberasti populum tuum, qui miseram servitutem serviebat in Aegypto. *Liberasti autem in brachio tuo*, idest, propria tua potentia, et fortitudine quia non eges aliorum auxilio. *Filios Jacob, et Joseph*, idest, liberasti populum tuum, qui constat ex filiis Jacob,et Joseph.Nominatur autem Joseph cum ipso Jacob patre suo: quia populus Israel constabat ex tredecim tribubus, quarum undecim de-

scendebant ab undecim filiis Jacob, duae autem a filiis Joseph, Ephraim videlicet, et Manasse. Spiritualiter *notam fecit Deus virtutem*, idest, potentiam suam in populis omnium gentium, quia redemit ex omnibus gentibus populum suum a tyrannide Diaboli, *in brachio suo*, quod est Christus. De quo dicitur Isai. 53. *Brachium Domini cui revelatum est?* Sunt autem in populo Dei filii Jacob, et filii Joseph, idest, ut sanctus Augustinus exponit, Judaei, et gentiles ad fidem conversi. Per filios enim Jacob intelliguntur carnales Israelitae; per filios Joseph, ii qui in Christo renati sunt. Joseph enim invidia fratrum in Aegypto venditus, ibique primum humiliatus, deinde exaltatus Christum significat, qui invidia Judaeorum extra Synagogam ejectus, venditus et humiliatus, deinde per resurrectionem, et Ascensionem ita exaltatus est, ut impletum sit, quod in psal. 71. dicitur, *adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.*

15. *Viderunt te aquae Deus, viderunt te aquae et timuerunt, et turbatae sunt abyssi.*

Describit scissionem maris rubri, quae facta est quando Deus liberavit populum suum a servitute Pharaonis. Describit autem more poetico, tribuens aquis et sensum et tremorem, quasi ob timorem praesentiae Dei aquae recesserint: quo modo etiam dicitur in psal. 113. *Mare vidit, et fugit. Viderunt* inquit, *te aquae Deus, viderunt te aquae, et timuerunt*, idest, aquae maris rubri ita siccatae sunt jubente te, ac si majestatem tuam vidissent, et ob timorem et reverentiam fugissent. *Et turbatae sunt abyssi*, idest non solum in superficie, sed etiam in imo profundo existentes aquae, quasi a praesentia tua conturbatae recesserunt. Abyssus enim nihil est aliud nisi altitudo, sive profunditas aquarum. Spiritualiter aquae populos significant, juxta illud Apocal. 17. *Aquae multae sunt populi multi.* Aquae igitur, idest, populi gentium viderunt Deum quando liberavit Dominus populum suum, *quia vidit omnis caro salutare Dei*, Isa. 40. Viderunt autem per fidem, non per speciem, *et timuerunt*, agnoscentes peccata sua et judicia Dei; nam per Evangelium (ut dicit Apostolus ad Rom. 1.) sicut revelatur gratia Dei super poenitentes, et credentes, *ita revelatur ira Dei super omnem impietatem, et iniquitatem.* Et praecipue turbatae sunt abyssi, idest, majores et altiores in gentibus, quia per fidem agnoverunt judicia Dei esse abyssum multam, ut est in psalmo 33. et potentes potenter tormenta passuros, ut legitur Sap. 6. Unde in Actis Apostolorum cap. 24. Praedicante Paulo de justitia, et castitate et judicio futuro, *Praeses Romanorum Felix tremefactus est.*

16. *Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes.*
17. *Etenim sagittae tuae transeunt, vox tonitrui tui in rota.*

Descripserat mirabile opus Dei in scissione maris rubri; nunc describit reversionem maris, et tempestatem ad obruendos Aegyptios: quod fuit etiam opus mirabile ejusdem Dei. *Multitudo*, inquit, *sonitus aquarum*, idest, maximus sonitus et fremitus aquarum postea successit, cum jubente te Deo, aquae maris quae steterant instar murorum dum transiret populus Dei, magno impetu cadentes submerserunt, et suffocaverunt Aegyptios, quando etiam *sagittae tuae* coelestes id est, fulmina discurrentia *transibant super eos, et vox tonitrui tui super rotas curruum Pharaonis*, eas subvertebat et in profundum dejiciebat. Habetur haec historia in Exod. cap. 14. Quod attinet ad verba, illud, *multitudo sonitus aquarum*, ex hebraeo vertit sanctus Hieronymus, *Excusserunt aquas nubila:* et hunc sensum manifeste recipiunt hebraica verba. Possunt tamen tres illae voces hebraicae, זרמו מים עבות *zoremu maim havoth*, esse nomina distincta et in casu recto, si solum mutetur unum punctum primae vocis et pro, זרמו *zoremu*, legatur, זרמו *zoremo*, quae sic commode reddentur, *Inundatio ejus aquae, nubila*, et sic videntur legisse septuaginta Interpretes, et accepisse, per inundationem Dei, multitudinem aquarum obruentium Aegyptios, per aquas et nubila accepisse causas illius inundationis, quae fuerunt aquae maris revertentes in locum suum, et nubila desuper fundentia aliam aquam, ut facilius involverentur in aquis Aegypti. Haec autem omnia significarunt breviter per illa verba, *multitudo sonitus aquarum*, nam et aquae maris redeuntes et aquae descendentes e nubibus magnum sine dubio sonitum edebant. Illud, *vox tonitrui tui in rota*, varie admodum exponitur. Sanctus Hieronymus ad litteram dicit, vocem tonitrui in rota, esse sonitum tonitruorum in orbe terrarum, et hoc dicit confirmari ex verbis sequentibus, *Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae.* Alii volunt dici, *vocem tonitrui in rota*, idest, in aethere, sive in coelo, quod rotundum est. Posset etiam dici, *vox tonitrui in rota*, idest, in nube, quae est quasi rota, sive currus Dei, ut ostendimus in explicatione psalmi 17. Sed communior expositio est, quam supra posuimus, ut per, *rota*, intelligantur rotae curruum Pharaonis; quam expositionem tradit Theodoretus et eam plurimi alii sequuntur. Spiritualiter sonitus aquarum, est confessio populorum, vox nubium est vox praedicatorum Evangelii, fulmina, et tonitrua, sunt probitas vitae et miracula, quibus veritas fidei confirmatur. Sed illud, *vox tonitrui in rota*, pulchre admodum exponitur a sancto Hieronymo, qui notat vocem tonitrui Evangelici tunc valde commovere populos, quando est in rota, idest, in homine plane spirituali, et contemptore rerum terrenarum, qui terram vix tangat, et transeat, quomodo currens rota in puncto terram contingit, et mox deserit, et ad altiora defertur.

18. *Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae, commota est, et contremuit terra.*

Addit Propheta animadversionem Dei in Pharaonem, non solum innotuisse Judaeis praesentibus, sed etiam instar coruscationis coelestis no-

tam factam esse orbi terrarum, et inde commotionem, et tremorem gentibus longe positis attulisse quod verum esse testatur liber Josue cap. 2. ubi Raab dicit, *audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris rubri ad introitum vestrum, et pertimuimus*, etc. *Illuxerunt*, inquit, *coruscationes tuae orbi terrae*, idest haec mirabilia magna, hae coruscationes, haec signa, haec miracula *illuxerunt*, non solis Aegyptiis, et Judaeis, sed *orbi terrarum*, longe lateque nota facta sunt, et ideo *commota est, et contremuit terra*, idest, habitantes in terra perturbati sunt et populum Israeliticum formidare coeperunt. Spiritualiter significatur his verbis, quod in psalmo 18. clarius habetur de praedicationibus Evangelicis, *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.*

19. *In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.*

Hic aperte describitur transitus filiorum Israel duce Deo per novam, et insuitatam viam, id est, per medium mare sicco vestigio. *In mari via tua*, idest, in mari novo et insolito modo invenisti populo tuo viam, *et semitae tuae in aquis multis*, idest, et semitam fecisti eidem populo inter aquas multas. *Et vestigia tua non cognoscentur* idest, sic admirabili ratione duxisti populum tuum per medium maris, ut nullus deinceps vestigia tua et eamdem viam invenire potuerit. Spiritualiter significatur his verbis, opera Domini non solum esse admirabilia, sed etiam investigabilia, quomodo via in mari investigabilis est, quia nulla in ea vestigia relinquuntur.

20. *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, et Aaron.*

Hic fuit finis omnium operum mirabilium Dei in Aegypto, et in mari rubro, ut populum suum inde liberaret, et in terram promissionis introduceret: quod fecit per Mosem et Aaron primos pastores Synagogae. *Deduxisti*, inquit, *sicut oves populum tuum*, idest, magna facilitate, magna charitate, indefessa providentia deduxisti per desertum; et usque ad promissionis terram, quasi ad pascua uberrima populum tuum; *in manu Moysi et Aaron* idest, sub potestate et regimine duorum optimorum principum. Spiritualiter admonemur eos, qui ad terram promissionis, idest, coelestem patriam perventuri sunt, deducendos esse sicut oves in manu Moysi, et Aaron: ita ut sint mites, et patientes sicut oves in medio luporum: nam ut dicitur Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et Luc. 25. *et in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Item, ut sinant se regi a magistratu Ecclesiastico, et civili: Deus enim etiamsi paucos quosdam per se doceat, et regat; tamen ordinarie per Vicarios suos regit, et docet et filios obedientiae vult esse electos suos. Nominatur autem hoc loco Moses ante Aaronem, non quod princeps politicus tantum esset Moses, et princeps Ecclesiasticus Aaron: sed quia Moses primarius erat princeps Ecclesiasticus et politicus, Aaron autem solum erat princeps Ecclesiasticus, et a Mose, ut majore consecratus et ordinatus. Quod enim Moses Sacerdos esset, perspicuum est ex psalm. 98. *Moyses et Aaron in Sacerdotibus ejus*, et ex plurimis actionibus Sacerdotalibus, quas exercuit consecrans Sacerdotes, et tabernaculum offerens sacrificia, imo instituens ritus sacrificandi, et omnes caeremonias divini cultus.

PSALMUS LXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Intellectus Asaph.

Hic titulus admonet psalmum non esse ita facilem et apertum, ut in superficie apparet. Videtur enim psalmus totus historicus esse, atque ad hoc solum compositus, ut populus agnoscens beneficia Dei, et ingratitudinem veterum Israelitarum, qui propterea graviter puniti sunt, discat sequi potius legem Dei, quam exempla majorum. Caeterum non hoc solum Davidi propositum est in hoc psalmo; sed etiam adumbrare regnum Christi, qui ex tribu Juda, et familia David existens, finem dedit veteri testamento, et novum longe excellentius et oelicius inchoavit. Id enim significat David in extremo psalmo, ubi posteaquam varia peccata, et varia flagella populi enarravit, tandem concludit, Deum elegisse Judam, non Ephraim; et ex Juda ipsum Davidem, qui deinceps magna tranquillitate populum Dei regeret, et gubernaret. Hoc igitur admonet titulus, Intellectus Asaph, ut nimirum Asaph, cui psalmus cantandus dabatur, intelligeret, et alios intelligere faceret mysterium futuri Messiae; et hoc indicant nomina parabolarum et propositionum, quae habentur in secundo versiculo psalmi.

EXPLICATIO PSALMI LXXVII.

1. *Attendite populo meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

David hortaturus populum longissimo sermone, captat initio attentionem, ostendens, se utilia et magna loquuturum. *Attendite*, inquit, *legem meam*, idest, praeceptiones meas, quae vos dirigere poterunt ad veram foelicitatem instar legum optimarum, et sapientissimarum. Atque idipsum repetens et declarans addit, *inclinate aurem vestrum in verba oris mei*: quod dixerat, *Attendite*, nunc dicit, *inclinate aurem vestram*; et quod dixerat, *legem meam*, nunc dicit, *verba oris mei*: proinde per legem non intelligit legem Mosis, quae proprie dicitur lex; sed verba sua, quibus populum instruere et exhortari volebat, quomodo accepit nomen legis Dominus cum ait Joan. 15. *Ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Porro inclinare aurem, significat obedienter et humiliter audire, quando dicitur populo, *inclina aurem tuam*; sed cum dicitur Deo, *inclina aurem tuam*, significat clementer, et misericorditer audire. Sanctus Augustinus hunc primum versiculum tribuit Deo, non Davidi, quia Deus legem suam dedit populo non David. Sed ut diximus, hic non agitur de lege proprie dicta, sed de sermone hortatorio. Sanctus Hieronymus, hunc eumdem versiculum vult esse verba Christi, non Davidis: quia sanctus Matthaeus cap. 13. scribit, Christum loqui solitum in parabolis, *ut adimpleretur quod scriptum est, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi*: quae verba habentur in secundo versiculo hujus psalmi: sed Sanctus Matthaeus allegavit hunc locum, non ut ostenderet, verba hujus psalmi esse verba Christi, non Davidis, sed ut significaret, Davidem loquentem in parabolis figuram fuisse Christi, qui in parabolis loquuturus erat: quemadmodum cum Joannes dicit cap. 19. *facta sunt haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo*, non vult negare de agno paschali dicta esse verba illa Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*; sed indicare vult agnum paschalem figuram Christi fuisse, et ideo Deo providente factum esse, ut non frangerentur crura Christi crucifixi, quando confracta sunt crura duorum latronum, qui cum ipso crucifixi fuerant. Quod autem nos diximus, secuti Theodoretum ex veteribus, et multos recentiores, verba cujus versiculi, ut etiam sequentium, esse Davidis colligitur ex tertio versiculo: ubi Propheta continuans sermonem suum addit, *Quanta audivimus, et cognovimus ea, et Patres nostri narraverunt nobis*, quae certe neque Deo, neque Christo conveniunt.

2. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.*

Haec est ratio, cur David petat attente, et humiliter audiri verba sua, quia videlicet verba hujus psalmi continent res obscuras et secretas, quae non possunt intelligi, nisi attente, et humiliter audiantur. Per parabolas, intelliguntur hoc loco similitudines, sive proverbia, quae brevia, et metaphorica esse solent. Per propositiones, intelliguntur aenigmata, quae obscurissima sunt: id enim significat vox hebraica, חידות *chidoth*, et graeca προβλήματα, ut perspicuum est ex cap. 14. Judicum, ubi aenigma illud Sampsonis, *de comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo*: vocatur hebraice חידת *chidah*, et graece problema. Multa sunt autem in hoc psalmo proverbia et aenigmata, ut suis locis videbimus: sed illud potissimum aenigma hic significari videtur, quo per regnum Davidis figuratur regnum Christi, et per montem Sion adumbratur Ecclesia. Per illud, *ab initio*, si corticem psalmi respiciamus, videtur intelligi tempus liberationis populi a captivitate Aegyptiaca, quo tempore coepit populus Israel sub Mose formam habere reipublicae, et regi legibus et judiciis. Sic enim habetur versu sexto, *et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israel*: sed sanctus Matthaeus cap. 13. citans hunc locum, declarat hoc initium intelligendum esse de initio mundi, dicens, *ut adimpleretur quod scriptum est: Aperiam os meum in parabolis, eructabo abscondita a constitutione mundi.* Itaque sensus est, proferam sententias, quae fuerunt absconditae et quasi aenigmata a principio mundi: quamvis enim mysteria Christi omni tempore praedicta, et adumbrata fuerint, tamen velata erant, et paucissimis aperte revelata. De qua re sic loquitur Apost. ad Ephes. 3. *Mihi autem omnium Sanctorum minimo data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.* Proprie autem s. Matthaeus dixit, *eructabo*, nam vox hebraica hoc loco posita, אביעה *abihah*, non significat loqui quocumque modo, sed ebullire, profundere, ex imo corde proferre: quod per vocem eructare satis aperte explicatur, ructus enim ex plenitudine oritur.

3. *Quanta audivimus, et cognovimus ea: et Patres nostri narraverunt nobis.*
4. *Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.*
5. *Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus, et mirabilia ejus, quae fecit.*

Narraturus historiam rerum gestarum, sub quibus tegebantur mysteria abscondita a constitutione mundi; docet eam historiam accepisse se a patribus, qui et ipsi a majoribus suis acceperunt. *Loquar*, inquit, *propositiones ab initio quanta* videlicet *audivimus, et cognovimus*, quoniam *Patres nostri narraverunt nobis*, tum scriptis literis tum ore proprio: non enim *occulta* esse voluerunt *ea filiis suis*, quos post se *in generatione altera relinquebant*: qui quidem patres narrantes erant laudes Domini, et virtutes ejus, idest, potentiam ejus admirabilem, et mirabilia opera, quae fecit: ob quae dignissimus est omni laude. Illud, *quanta*, in hebraeo est, אשר *ascher*, *quae*, quare in

græco,et latino codice ponitur,*quanta*,pro,*quantacumque*, vel *quotcumque*. Illud, *ea*, redundat apud latinos, sed usitate ponitur apud hebraeos. Illud, *et Patres nostri*, videtur positum, pro, Nam patres nostri. Siquidem, *et*, saepissime usurpatur apud hebraeos, pro, *enim*, ut alias admonuimus. Illud, *non sunt occultata*, non repugnat verbis s. Matthaei, *Eructabo abscondita*: nam res gestae non sunt occultatae a filiis narrantium eas:sed mystica significatio abscondita erat ab eis. Denique illud, *narrantes*, conjungitur cum nomine, *Patres* ut sanctus Augustinus notavit: ac per hoc verba interposita deberent claudi per parenthesim hoc modo: *Patres nostri narraverunt nobis* (*non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera*) *narrantes laudes Domini*, etc. Posset etiam illud participium, *narrantes*, conjungi cum pronomine subintellecto, hoc modo. Nos igitur narrantes erimus laudes Domini et virtutes ejus, etc.

6. *Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israel,*
7. *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera.*
8. *Filii qui nascentur et exurgent, et narrabunt filiis suis.*

Hic incipit narrare res gestas a Deo, quas a patribus accepit: ac primo loco ponit,quod Deus dederit populo Israelitico legem,et mandata per Mosem: et jusserit eam legem, et mandata tradi filiis a parentibus et sic propagari ad posteritatem.Illud et, potuisset omitti,ut sanctus Hieronymus omisit: nam habetur quidem in hebraeo,sed nihil conjungit. Additur enim ornatus gratia non solum in principio periodorum; sed etiam in principio librorum ut initio Levitici, Numeri, Josue, Ruth, Ezechielis, et aliorum. Illud, *suscitavit*, sumptum est ad verbum ex hebraeo, ויקם *vaiekem*, sed potuisset etiam verti, *stare fecit*, sive, *constituit*, sive *posuit*. Vox, *testimonium*, nihil aliud hoc loco nisi legem significat.Vocatur autem lex Dei testimonium,quia testificatur hominibus quae sit voluntas Dei, ut fusius diximus in explicatione psalmi decimi octavi, versiculo octavo. Itaque idem omnino est, *suscitavit testimonium in Jacob*, cum eo quod sequitur, *Legem posuit in Israel*; idest, dedit Deus legem suam filiis Jacob, qui et Israel dictus est. Illud,*quanta mandavit*, in hebraeo est, אשר צוה *ascher tsivva*, idest,*quae mandavit*: proinde vox, *quanta*, accipienda est pro quantacumque; sive quotcumque: ex quo intelligimus nomine legis significari hoc loco non solum legem Decalogi, sed omnia mandata moralia, caeremonialia et judicialia, quae habentur in quinque libris Mosis.

9. *Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant.*
10. *Ne fiant sicut Patres eorum, generatio prava et exasperans.*
11. *Generatio, quae, non dixerit cor suum: et non est creditus cum Deo spiritus ejus.*

Explicat Propheta, cur Deus legem dederit populo suo, et mandaverit,ut parentes docerent filios suos, et illi nepotes patrum suorum. Ratio enim fuit, ut filii Israel non sperarent in Diis falsis, et idolis gentium; *sed in Deo vero*, qui legem sanctam de coelo illis dederat non sine ingentibus prodigiis: nec ut numquam obliviscerentur mirabilium operum Dei, quae fecit in liberatione eorum de servitute Pharaonis. Praeterea, ut sollicite quaererent, quid vellet ab eis Deus, atque id opere implerent. Denique ut non imitarentur ingratitudinem, et infidelitatem majorum suorum, qui affecti maximis beneficiis a Deo per Mosem,ingratissimi fuerunt. Nam et in Aegypto cum essent, aegre adduci potuerunt,ut crederent Mosi: et egressi de Aegypto, saepissime defecerunt ab obedientia Mosis, et Dei, assidue murmurantes, et (quod gravius est) vitulos aureos adorantes. Illud, *generatio, quae non dixerit cor suum*, significat populum hebraeorum non habuisse cor directum firmiter ad Deum, sed ad varia auxilia respexisse. Illud autem, *et non est creditus cum Deo spiritus ejus*, clarius est in hebraeo codice: לא נאמנה את רוחו *velo neemna eth el rucho*: sic enim verti potest ad verbum, *et non fuit fidelis ad Deum spiritus ejus*. Vox autem latina accipienda est in significatione non passiva, sed activa, ac si esset deponentis conjugationis, *non est creditus cum Deo*, idest, non credidit Deo spiritus ejus;sic enim exponit s. August. vel accipiendum est verbum, *creditus*, pro, *fidelis*, ut accipiunt verbum graecum ἐπιστώθη Theodoretus,et Euthymius. Itaque sensus erit,non fuit fidelis spiritus populi cum Deo, quia saepe defecit a fide, et obedientia.

12. *Filii Ephrem intendentes,et mittentes arcum conversi sunt in die belli.*

Plerique notari putant in hoc versiculo pugnam aliquam infoelicem hebraeorum de tribu Ephraim: sed neque facile est invenire in divinis litteris,quae illa pugna fuerit: neque credibile est, Prophetam quasi ex abrupto inserere voluisse hoc loco particulare aliquod factum, cum generatim describit vitia totius populi de Aegypto mirabiliter educti, ac de servitute liberati. Igitur probabilius est, per quamdam similitudinem explicari, quod dictum est, populum hebraeum non fuisse constantem in fide, et obedientia Dei;ut sensus sit,*Filii Ephrem*, idest, Israelitae similes fuerunt militibus incipientibus praeliari cum hostibus,et mox dimisso praelio terga vertentibus: sic enim Israelitae in deserto non semel promiserunt, se Deo parituros, et facturos quaecumque ille mandasset: et statim mutata voluntate cogitabant de reditu in Aegyptum,et contra Deum, et Mosem murmurabant.Nominat autem David filios Ephraim, idest tribum Ephraim et per illam intelligit totum coetum Israelitarum,quia tribus Ephraim erat numerosissima, et potentissima post tribum Juda: et per hoc aemula tribui Juda; et in Scripturis ut plurimum reprehenditur tribus Ephraim, et laudatur tribus Juda; et ideo mala universi populi describuntur potius sub nomine Ephraim, quam sub nomine aliarum tribuum, et in

fine hujus psalmi dicit, *tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Juda.* Vide Oseam Prophetam.

13. *Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare.*
14. *Et obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus, quae ostendit eis.*
15. *Coram Patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.*

Explicat, quod metaphorice dixerat, filios Ephraim, idest, Israelitas, conversos fuisse retrorsum; nam cum professi essent se obedituros Deo, non servaverunt pactum, nec legem Dei impleverunt, et cito obliti sunt beneficiorum Dei, et mirabilium operum, quae Deus fecerat in Aegypto pro ipsis, quaeque a patribus suis narrari audierant. Illud, *non custodierunt testamentum Dei*, significat, non steterunt promissis, sive non servaverunt pactum: nam in haebraeo est vox, ברית *berith*, quae significat *pactum*: sed septuaginta interpretes verterunt, *testamentum*, ut alias saepe diximus. Illud, *in campo Taneos*, significat in planitie Aegypti, cujus regia dicitur Tanais. Mirabilia enim, quae fecit Moses, coram Pharaone, non facta sunt in loco obscuro, sed in loco celeberrimo et apertissimo, in agro videlicet urbis regiae.

16. *Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre.*
17. *Et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.*
18. *Interrupit petram in eremo et adaquavit eos velut in abysso multa.*
19. *Et eduxit aquam de petra et deduxit tamquam flumina aquas.*
. *Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.*

Posteaquam attigerat David mirabilia facta in Aegypto coram Pharaone: describit alia facta in egressu, idest, divisionem maris rubri, ut transiret populus sicco vestigio per medium maris: et alia patrata post egressum de Aegypto in solitudine, videlicet columnam nubis, quae praeeundo ostendebat iter per diem, et columnam ignis, quae ostendebat iter per noctem: ac postea sitienti populo eductas aquas de petra in maxima copia. Addit vero David, post haec omnia mirabilia, populum incredulum iterum provocasse Deum ad iracundiam, in deserto inaquoso ob aquae penuriam. Quae iterum educta est de petra, ut habetur Num. 20. Nam illa prior eductio contigerat anno superiore, ut habetur Exodi 17. Illud, *statuit aquas quasi in utre*, significat Deum ea facilitate fecisse ut mare consisteret, et non operiret hebraeos, qui per fundum maris iter faciebant, qua facilitate potest homo continere modicam aquam inclusam in utre, ut non defluat in terram. Illud, *in nube diei*, potuisset clarius verti, *in nube per diem*: nam in hebraeo non habet formam genitivi. In graeco est quidem ἡμέρας, in genitivo, sed accipitur pro ablativo, quo graeci carent, Illud, *veluti in abysso multa*, significat ex petra fluxisse tantam copiam aquarum, ac si petra conversa fuisset in lacum profundissimum, vel in magnum, et profundum flumen, ut dicitur in sequenti versiculo: abyssus enim est profunditas magna. Denique illud, *et apposuerunt adhuc peccare*, potest referri ad secundam eductionem aquae ex petra; ut sensus sit, olim peccaverunt murmurantes ob inopiam aquae, et Deus dedit illis aquam de petra, Exod. 17. et obliti illius miraculi apposuerunt secundo murmurare, et de potentia Dei dubitare, ob similem aquae penuriam, ut habetur Num. 20. ubi rursum dedit eis Deus aquam de petra. Potest etiam, ut alii volunt, conjungi cum sequenti versiculo, ut commemoretur peccatum murmurationis de inopia panis, non de penuria aquae. Sed prior expositio mihi magis placet, tum propter vocabulum, *inaquoso*, quod denotat carentiam aquae; tum ne desit in hoc psalmo memoria peccati illius celeberrimi, quo populus bis murmuravit contra Deum, et Mosem ob aquae penuriam. Et secundum hanc expositionem, illa verba, *et eduxit aquam de petra*, continent repetitionem sententiae versiculi superioris non autem narrationem secundae eductionis aquae ex petra.

21. *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.*
22. *Et male locuti sunt de Deo: dixerunt, numquid poterit Deus parare mensam in deserto?*
23. *Quoniam percussit petram et fluxerunt aquae et torrentes inundaverunt.*
24. *Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?*
25. *Ideo audivit Dominus et distulit, et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel.*
26. *Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.*
27. *Et mandavit nubibus desuper, et januas coeli aperuit.*
28. *Et pluit illis manna ad manducandum, et panem coeli dedit eis.*
29. *Panem angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia.*
30. *Transtulit austrum de coelo, et induxit in virtute sua africum.*
31. *Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata.*
32. *Et ceciderunt in medio castrorum eorum circa tabernacula eorum.*
33. *Et manducaverunt, et saturati sunt nimis: et desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo.*

Conjungit Propheta beneficium panis coelestis cum beneficio aquae productae ex petra: quoniam haec erat figura insignis passionis Christi, et sacrosanctae Eucharistiae; ut explicat Dominus ipse Joan. 6. et Apostolus 1. Corinth. 10. Aqua enim ex petra, est sapientia ex stultitia. Non enim minus contraria est sapientia stultitiae, quam aqua res mollis et fluida, petrae arenti, et durae. Sapientia ex stultitia est mysterium crucifixi. Chri-

stus enim crucifixus, idest, petra percussa, gentibus stultitia erat et Judaeis scandalum: et tamen hominibus fide illustratis producit altissimam sapientiam. *Et quia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*, ut scribit Paulus 1. Cor. 1. panis autem de coelo verus, non erat manna pluens ex coelo aereo; sed caro Christi, qui de coelo coelorum descendit et dat vitam mundo. Manna tamen hunc panem verum adumbrabat; et hoc significavit Propheta, cum initio psalmi se parabolas, et aenigmata cantaturum pollicebatur: sed veniamus ad expositionem verborum. Propheta posteaquam commemoraverat beneficium aquae de petra eductae, et infidelitatem populi, transit ad beneficia panis et carnis et ad novam populi incredulitatem explicandam. Sciendum autem est, bis a Deo datum fuisse hebraeis cibum carnium; semel una cum manna, Exodi 16. et rursum carnis solius, Num. 11. et manna cum carnibus datum est, antequam aquae producerentur ex petra: sed cibus carnis solius datus est post eductionem aquae ex petra. Sed David conjungit utrumque beneficium et utramque murmurationem simul: et ideo nascitur in verbis aliqua obscuritas, quae facile tolli potest. Ait igitur, *et tentaverunt Deum in cordibus suis*, idest experiri voluerunt, an Deus vere esset omnipotens, et curam gereret populi sui et ideo *petierunt escas animabus suis*, quas videlicet anima ipsorum desiderabat, ut panes, et carnes: sic enim narrat Moses Exodi 16. et Num. 11. *Et male loquuti sunt de Deo*, dubitantes videlicet an posset in deserto pascere populum suum, sicut potare potuerat. Haec pertinent ad secundam murmurationem. Nam prior praecessit priorem eductionem aquae ex petra, ut patet ex libro Exodi cap. 16. et 17. *Ideo audivit Dominus, et distulit*, idest, audivit murmurationem ex incredulitate procedentem: et distulit, hoc est, longe fecit a se populum suum, amovit a benevolentia sua, quin potius convertit benevolentiam in iram, et indignationem et immisit ignem in castra, et multos occidit, ut dicitur Num 11. Et tamen voluit convincere populum infidelem, et demonstrare potentiam suam; et ideo *mandavit nubibus desuper et januas coeli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum, et panem coeli dedit eis, panem angelorum manducavit homo*. Haec pertinent ad priorem murmurationem: manna enim datum est ante productionem aquae ex petra. Porro manna dicitur panis de coelo, quia ex coelo aereo pluebat; et panis angelorum, quia opera et ministerio angelorum fiebat: vocabulum autem, manna, ductum est ab admiratione populi, qui videns terram coopertam novo illo cibo dixit, מן הוא *Man hu*, quod significat, *quid hoc?* Inde positum est illi cibo nomen, מן *man*, et graece Μάννα; erat autem manna simile pruinae, Exodi 16. et sicut semen coriandri, quod in mortario contusum, et coctum igni, saporem habebat panis oleati, Num. 11. Deinde *Transtulit Deus austrum de coelo, et induxit in virtute sua africum, et pluit super eos sicut pulverem carnes*, idest, effecit, ut ventus vehementissimus deferret coturnices in desertum, ubi Judaei morabantur in tanta copia, quanta est copia pulveris in littore maris. In hebraeo habetur, *Transtulit ventum orientalem*: ex quo intelligimus per austrum, intelligendum esse austrum orientalem, qui dicitur eurus: sed quia auster orientalis non est contrarius africo, sive lybico, ut vocatur in textu graeco, sed potius ei vicinus, et conjunctus; ideo Theodoretus et Euthymius et alii per vocem, *transtulit*, non intelligunt, *amovit*, sive *cessare fecit*; sed *excitavit*, et *stare jussit*, ac si dictum esset, transtulit de coelesti thesauro, et emisit in terram, ut etiam exponit sanctus Augustinus, ut simul cum Africo adduceret coturnices in desertum. Itaque non unus, sed duo venti ex duabus vicinis regionibus adduxerunt copiam maximam coturnicum. Non tamen est improbabilis aliorum sententia, quod ventus australis orientalis, idest, eurus remotus sit, et prohibitus stare; et solus africus, sive Lybicus impulerit coturnices in castra hebraeorum: nam Num. 11. dicitur ventus a Domino adduxisse coturnices trans mare ad castra hebraeorum. Ubi unius venti solum mentio fit, et venti, qui per mare lybicum transiret, ut adduceret coturnices ad desertum. Ejusmodi autem ventus, non est eurus, sed lybicus. Adde quod sanctus Hieronymus vertit, *abstulit Eurum de coelo et induxit in fortitudine sua Africum*. Denique verba graecae et latinae editionis facile explicantur in hanc sententiam et duriuscule in priorem.

34. *Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum: et ira Dei ascendit super eos.*
35. *Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit.*
36. *In omnibus his peccaverunt adhuc, et non crediderunt in mirabilibus ejus.*
37. *Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione.*
38. *Cum occideret eos quaerebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.*
39. *Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est.*
40. *Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei.*
41. *Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.*

Demonstrat in his versiculis Propheta, Deum magno miraculo satisfecisse desiderio hebraeorum, ut ostenderet potentiam suam: sed non dimisisse impunitam infidelitatem, et contumaciam eorum: hebraeos autem tum ob miraculum, tum ob flagellum conversos fuisse ad obedientiam, et fidem, sed non stabili corde, neque perseveranter, ut par erat. *Adhuc*, inquit, *escae erunt in ore eorum*, idest, nondum consumpserant coturnices, *et ira Dei excitata est adversus eos*, et occidit ex eis partem maximam, ita ut appellaretur locus ille sepulchra concupiscentiae, ut dicitur Num. 11. Quomodo eos Deus occiderit, Scriptura non docet; sed credibile est morbo aliquo ex nimia aviditate, et saturitate comedentium exorto. Occidit autem Deus praecipue pingues, et electos, id est,

magis deditos voluptatibus, et juventute, ac viribus robustiores: quos electos dicit impeditos:quia morbus dejecit eos, et impedivit, ne a morte fugere possent,quamvis alioqui robustissimi essent. Hoc autem illis accidit, quia peccaverunt in Deum infidelitate sua, non credentes mirabilia illa a Dei omnipotentia fieri, sed casu accidisse ut coturnices ad eos deferrentur. Ideo morte puniti sunt tanta velocitate, ut defecerint dies eorum in vanitate, idest, velut fumus, aut umbra, quae celerrime transit, et vestigium nullum relinquit. Ipsi autem cum flagellarentur a Deo, et morte afficerentur redibant ad cor et quaerebant adjutorium Dei, et diluculo, idest, continuo, statim, cum primum flagellum sentire inciperent, veniebant supplices ad misericordiam Domini implorandam: et tunc ad memoriam revocabant beneficia Dei priora:sed non erat stabilis,et vera conversio eorum,sed metu extorta et ficta: nam ore quidem amorem,et devotionem erga Deum profitebantur, sed mentiebantur. quia *cor eorum non erat vere directum ad Deum, neque fideles permanebant in servanda promissione, et pacto cum Deo inito.* Utinam non imitaremur et nos Christiani hanc hebraeorum inconstantiam: quam multi enim sunt ex nobis, qui in periculo vitae constituti promittunt et vovent Deo, et sanctis ejus morum emendationem; et periculo evitato redeunt ad pristinam vitiorum consuetudinem ! sed Deus non irridetur et qui tales sunt, non effugient judicium Dei.

42. *Ipse autem est misericors et propitius fiet peccatis eorum et non disperdet eos.*
43. *Et abundavit ut averteret iram suam et non accendit omnem iram suam.*
44. *Et recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens.*
45. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto? in iram concitaverunt eum in inaquoso ?*
46. *Et conversi sunt,et tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt.*
47. *Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis,*

Confert nunc propheta bonitatem Dei cum nequitia hominum, ac dicit Deum quidem flagellasse populum suum, sed non esse oblitum misericordiae naturae suae : et ideo non tam severe in illos animadvertisse, ut eorum peccata merebantur. Nam propitius erit peccatis eorum, et non disperdet omnino populum suum.Ipsi quidem digni erant ultimo exterminio, sed misericordia Dei fecit, ut aliqui remanerent : ut re vera ex numero eorum, qui exierant ex Aegypto duo remanserunt Josue,et Caleb,qui figuram gerebant electorum,qui salvi fient: nam ut Apostolus loquitur ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quae praescivit : sed reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt.* Itaque non repugnat hic versiculus dispersioni hebraeorum, quam videmus: nam impleta est haec promissio in Apostolis,qui ex hebraeis erant, et non solum dispersi non sunt, sed collegerunt multitudinem magnam Deo in populum electum: de quo prophetavit Oseas cap. 1. et 2. et explicat Apostolus Petr. 1. Epist. cap. 2. *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei ; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Pergit propheta, ac dicit, *et abundavit, ut averlet iram suam*; idest abundanter et copiose avertit iram suam, quia multum remisit de poena, quam populi peccata merebantur, et hoc modo temperavit,sive avertit iram,quia *non accendit omnem iram suam*, ut juste facere potuisset. *Et recordatus est, quia caro sunt,spiritus vadens et non rediens;* accessit ad rationem miserendi natura hominis post peccatum primi hominis infirma et mortalis, obnoxia carnalibus concupiscentiis. Ipse enim novit figmentum nostrum, *quod caro sumus,* idest carnales, infirmi, ac debiles; *et quod spiritus sumus vadens et non rediens*, idest vitam habemus mortalem, quae continuo progreditur a pueritia ad juventutem, et non revertitur ad pueritiam: progreditur a juventute ad senectutem, et non revertitur ad juventutem,sed brevi compendio tendit ad mortem. Itaque similis est floribus, aliisque rebus caducis : non autem soli et lunae et stellis, quae in circulos suos revertuntur, et semper sunt eaedem, quia solidae sunt et aeternae. Non desunt qui velint, hoc loco per spiritum, intelligi animum, qui exit de corpore per mortem, et non revertitur vi sua ad corpus. Sed non videtur ad rem praesentem facere tractatio de resurrectione,ubi solum describitur infirmitas et brevitas humanae vitae. Proinde hoc loco per spiritum intelligendus est spiritus vitalis corporis nostri,sive corporalis vita, quae progrediendo consumitur et mutabilis, atque instabilis est. Quod autem sit talis vita hominis, probat propheta sequentibus versiculis. *Quoties*, inquit, *exacerbaverunt eum in deserto? in iram concitaverunt eum in inaquoso?* instabilitate sua videlicet nunc promittendo fidem et obedientiam ; nunc contra obloquendo et recalcitrando : nam conversi sunt a bono proposito et promissis, et tentaverunt Deum experiri volentes, an vere Deus omnipotens esset : et hoc modo *sanctum Israel*, idest, Deum exacerbaverunt. Vocatur autem Deus Israelis, *sanctus*, non solum a Davide, sed etiam ab Isaia in plurimis locis, quoniam solus Deus verus est proprie sanctus, idest, purus et inviolabilis : dii enim gentium immundi demones sunt. Denique tanta fuit mutabilitas, et stultitia hebraeorum, quos Deus eduxit ex Aegypto, ut statim obliti sint signorum et prodigiorum maximorum, et plurimorum, quae manus Dei fecit, cum eos de servitute Aegyptiaca liberaret.

48. *Sicut posuit in Aegypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos.*
49. *Et convertit in sanguine flumina eorum, et imbres eorum ne biberent.*
50. *Misit in eos coenomyiam, et comedit eos : et ranam, et disperdidit eos.*
51. *Et dedit aerugini fructus eorum, et labores eorum locustae.*
52. *Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina.*
53. *Et tradidit grandini jumenta eorum, et pos sessiones eorum igni.*

54. *Misit in eos iram indignationis suae, indignationem et iram et tribulationem, immissiones per Angelos malos.*
55. *Viam fecit semitae irae suae : non pepercit a morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte concludit.*
56. *Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.*
57. *Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tamquam gregem in deserto.*
58. *Et eduxit eos in spe, et non timuerunt, et inimicos eorum operuit maee.*

Occasione versiculi quadragesimi septimi, ubi dixerat Propheta, non fuisse recordatos hebraeos mirabilium quae fecit Deus, cum educeret eos de Aegypto, describit his undecim versiculis signa et prodigia, quae fecit Deus adversus Pharaonem, donec tandem eum cum exercitu suo demersit in mare. Quae omnia narrantur in Exodo a capit. 7. ad 14. Porro David non meminit omnium signorum, sed praecipuorum; neque ordine illa enumerat, sed ut sibi visum est: sic igitur loquitur. *non sunt recordati* hebraei in deserto, *manus Domini*, idest, potentiae vel operis Domini, quo liberavit eos de manu Pharaonis tribulantis. *Sicut posuit in Aegypto signa*, idest non sunt recordati, quemadmodum statuerit Deus ingentia miracula, signa potentiae suae in Aegypto, ac potissimum in parte nobiliore Aegypti, ubi est Tanis regia Pharaonis. *Et convertit*, idest, quia convertit, *in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent.* De hoc signo scribit Moses Exod. cap. 7. Vocat propheta flumina Aegypti varios ramos Nili fluminis, qui per Aegyptum fluunt, per imbrem, non intelligitur pluvi , quae in Aegypto videri non solet, sed ponitur imber pro aqua, species videlicet pro genere. Quomodo Virgil. lib. 1. Aeneid. dixit:

Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Ubi per imbrem intelligit aquam marinam, quae in navim per rimas ingrediebatur. Itaque David more suo idipsum bis repetit, et quod in priore parte versiculi vocavit *flumina*, in posteriore vocat *imbrem. Misit in eos coenomyiam, et comedit eos, et ranam, et disperdidit eos* : de hoc agitur Exodi cap. 8. Vulgaris quaestio hic est an sit legendum coenomyia, idest, musca communis, sive omne genus muscarum an cynomyia, idest musca canina. Vulgata editio correcta habet, coenomyam, cui favet sanctus Hieronymus tum in versione sua ex hebraeo, tum in epist. ad Suniam et Fretellam: graeci tamen libri communius habent coenomyam et sic legit, et exponit idem sanctus Hieronymus in commentario. Vox hebraea, ערב *harob*, mistionem significat, et satis convenit lectioni vulgatae correctae: sed res non est magni momenti. *Et dedit aerugini fructus eorum, et labores eorum locustae*, hoc signum habetur Exod. 10. ubi fit tantum mentio locustarum : proinde per aeruginem intelligendae sunt locustae, vel bruchi (ut vertit s. Hieronymus) quae animantia devorant herbas ad modum aeruginis. Itaque nomen aeruginis, quod proprie significat vitium aeris, hoc loco accipitur metaphorice. *Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina*: de hac re agitur Exod. 9. ubi non fit mentio pruinae, sed solius grandinis. Sanctus Hieronymus vertit, *et sycomoros eorum in frigore*: ubi per frigus posset intelligi frigus grandinis, ut sit repetitio ejusdem rei : vel certe grandine et pruina afflixit Deus vineas et arbores Aegypti: sed David addidit, quod Moses omiserat. *Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessiones eorum igni.* Grando enim cum igne fulgurum et fulminum descendebat, nec solum herbas, sed etiam jumenta perdebat, ut ibidem legimus. *Misit in eos iram indignationis suae, indignationem et iram et tribulationem, immissiones per Angelos malos.* In hoc versiculo generatim complectitur Propheta omnes alias plagas, quas omiserat, ut ulcera, vesicas et alia id genus, et simul attingit postremam et gravissimam plagam, occisionem videlicet primogenitorum omnium, quae facta est per angelum percutientem, ut dicitur Exod. 12. *Non sinam*, inquit, *percussorem ingredi domos vestras* etc. *Misit iram indignationis suae*, idest effectum irae et furoris sui, tribulationem videlicet magnam et hoc idem repetens, ait, *iram et indignationem*, idest effectum irae, et furoris, qui effectus est tribulatio. *Immissiones per angelos malos*, idest quae tribulatio fuit per immissionem angelorum malorum. Ex quo intelligimus, plagas Aegypti, ac praecipue occisionem primogenitorum facta esse opera Angelorum, qui non nocent, nisi quantum Deus permiserit; cum Dei summi Judicis administri sint. Possunt autem angeli mali dici angeli sancti, qui dicuntur mali ab effectu, quia puniunt quos Deus vult puniri. Possunt etiam dici angeli mali, doemones impuri, qui sunt vere mali, malam voluntatem gerentes. Deus enim utrisque utitur : nam per Angelos sanctos punivit Sodomitas igne coelesti, et per angelos impuros flagellavit Jobum igne pariter coelesti. Vide s. August. in hunc locum. *Viam fecit semitae irae suae, non pepercit a more animabus eorum.* Insignis metaphora est, quasi dicat, ira divina ultionem parans detinebatur a divina misericordia, ne usque ad mortem desaeviret : sed tandem remoto obice misericordiae, *viam aperuit irae suae*, et non pepercit vitae ipsorum a morte : sed occidit omnia primogenita hominum, et jumentorum, quae erant primitiae laborum eorum, idest Aegyptiorum: laborant enim plurimum homines in educandis filiis suis, et jumentorum suorum, sed primitiae laboris erga primogenita exercentur : ac per hoc dicuntur primogenita primitiae laborum. Illud, *in tabernaculis Cham*, significat in Aegypto. Cham enim fuit filius Noe, et Mizraim fuit filius Cham: et ab hoc filio, חם *Cham* dicta est Aegyptus, מצרים *Mizraim.* Itaque dicitur Aegyptus tabernaculum Cham a parente primi habitatoris et possessoris Aegypti. *Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos sicut gregem in deserto.* Occisis primogenitis Aegyptiorum dedit Pharao facultatem hebraeis abeundi ex Aegypto, ut habetur Exodi 12. Et tunc Deus eduxit populum suum ex Aegypto, et duxit in

desertum Arabiae. *Et eduxit eos in spe, et non timuerunt*; idest cum fiducia magna; *et inimicos eorum operuit mare*: quae fuit ultima plaga Aegyptiorum, et in qua finem accepit captivitas filiorum Israel, ut habetur Exod. 14.

59. *Et induxit eos in montem sanctificationis suae, montem quem acquisivit dextera ejus.*
60. *Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.*
61. *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.*
62. *Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt.*
63. *Et averterunt se, et non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.*
64. *In iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt.*

Transit nunc Propheta ad historiam libri Josue, et Judicum, atque ostendit, fuisse hebraeos introductos a Deo in terram promissionis, quam vocat *montem sanctificationis suae*, quia erat terra montuosa, et quam Deus sibi ipse sanctificaverat et dedicaverat, ut in ea coleretur a populo suo. Dicit quoque eam terram acquisitam a Deo, quia Deus fecit evidentibus miraculis, duce Josue, ut Israelitae vincerent bello, et expellerent pristinos habitatores cultui idolorum addictos. Addit vero propheta hebraeos in terram promissionis introductos, non fuisse meliores patribus suis, qui in deserto petierant: nam ipsi quoque *tentaverunt et exacerbaverunt Deum servientes idolis*, et verum Dei cultum deserentes. Illud *conversi sunt in arcum pravum*, significat eos imitatos esse arcum distortum, qui non jacit sagittas, quo jacendae sunt, sed in aliam partem, ubi non oportebat. Sic enim hebraei promittebant observantiam legis Dei, ac videbantur sagittas operum suorum dirigere ad cultum veri Dei, sed interim sacrificabant Diis alienis, id quod propriis verbis explicat propheta in sequenti versiculo, cum ait, *in iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt*, siquidem in excelsis collibus, praesertim frondosis collocabant altaria idolorum, ibique eis sacrificabant.

65. *Audivit Deus, et sprevit, et ad nihilum redegit valde Israel.*
66. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.*
67. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.*
68. *Et conclusit in gladio populum suum et haereditatem suam sprevit.*
69. *Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatae.*
70. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduae eorum non plorabantur.*

Hic jam explicat Propheta ultionem Divinam in peccata populi sui: ac praecipue commemorat tempus illud, quo Philisthaei fuderunt exercitum populi Dei, et arcam Domini captivam duxerunt, sacerdotibus occisis, qui eam custodiebant; quae historia narratur in 1. reg. capit. 4. Ait igitur, *audivit Deus*, idest cognovit peccata populi sui clamantia in coelum; *et sprevit* populum suum tamquam inutilem, et tamquam morte dignissimum *redegit valde ad nihilum*, idest, valde humiliavit, concessa victoria maxima hostibus eorum. *Et repulit tabernaculum Silo*, idest abjecit tabernaculum, in quo erat arca, quod tabernaculum tunc erat in Silo: et in quo tabernaculo Deus quodammodo habitabat inter homines, quia inde dabat responsa hominibus. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici*, idest permisit circumveniri, et undique circumdari gladiis hostium populum suum, quem elegerat sibi in haereditatem, idest in populum peculiarem, et proprium. *Juvenes eorum comedit ignis*, idest ardor belli, sive ignis irae Dei consumpsit praestantissimos quosque, quales solent esse homines in flore juventutis; *et virgines eorum non sunt lamentatae*, idest occisis juvenibus in bello, virgines eis desponsatae non habuerunt, qui earum sortem lugerent, quoniam in communi strage quisque habuit, quod domi suae lugeret. Itaque illud, *lamentatae*, passive accipiendum est, ut indicat sanctus Hieronymus, qui vertit, *et virgines ejus nemo luxit*. Rabbini legunt, *et virgines eorum non sunt laudatae*, carmine videlicet nuptiali. Sed vox hebraea *hullalu*, utrumque significare potest, *defletae*, et *laudatae*, nos autem anteponimus septuaginta seniores, et sanctum Hieronymum omnibus Rabbinis. *Sacerdotes eorum in gladium ceciderunt*, videlicet Ophni, et Phinees filii Heli, qui nominatim referuntur inter mortuos. 1. reg. 4. *Et viduae eorum non plorabantur*, idest relictas uxores eorum nemo fuit, qui deflendo consolaretur, quoniam, ut dictum est, omnes occupati erant in propriis consanguineis deplorandis, quos ruina communis oppresserat. In hebraeo, תִּבְכֶּינָה *tibchenah*, et graeco κλανθήσονται habetur in futuro, *non plorabuntur*: sed sanctus Hieronymus intelligens futurum poni pro praeterito, vertit, *non sunt defletae*, et eum secutus noster interpres, vertit, *non plorabantur*.

71. *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.*
72. *Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.*
73. *Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit.*
74. *Sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.*
75. *Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in saecula.*
76. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post foetantes accepit eum.*
77. *Pascere Jacob servum suum, et Israel haereditatem suam.*

78. *Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

In hac postrema parte psalmi, David ostendit, Deo placuisse affiictionem populi sui, quatenus poena erat peccatorum: sed non placuisse superbiam, et iniquitatem Philistinorum, qui eos afflixerunt : et ideo vindictam ab ipso Deo sumptam de Philisthaeis,ut narratur in eodem 1. lib. reg. c. 5. Deus enim saepe utitur mala voluntate impiorum ad aliquos puniendos; et deinde punit eosdem impios, non tam attendens, quod per illos ipse fecit bonum, quam malam nocendi cupiditatem, quam in eis ipse non fecit. Addit deinde, noluisse Deum ut tabernaculum esset amplius in Silo, civitate de tribu Ephraim, neque ut summa Imperii esset in tribu Joseph; sed voluisse,ut tabernaculum statueretur in monte Sion et imperium pertineret ad tribum Juda, et ex tribu Juda Davidem elegisse regem populo suo: quod est vaticinium de Christo et ecclesia, ut initio psalmi diximus. Nam ut hoc loco diligenter observavit sanctus Augustinus, non repulit Deus Joseph, et elegit Judam ob meritum personarum. Nam Joseph melior fuit multo, quam Judas, sive castitatem sive patientiam,sive sapientiam, sive prudentiam, sive dilectionem inimicorum consideres : sed elegit Judam propter Davidem, et Davidem propter Christum, et Synagogam destruxit, ut ecclesiam aedificaret. Sed ipsa verba explicemus. *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus*, idest praevaluerunt Philisthaei in hebraeos, non ob Philisthaeorum potentiam vel domini impotentiam; sed quia Dominus dormiebat, et dormiebat sopore gravi tamquam crapulatus a vino. Ebrietas enim alte dormire facit. Sed a sopore illo excitatur potentiam suam in Philisthaeos mirifice demonstravit. Dicitur autem Deus dormire metaphorice, quando ita se gerit,ac si non adverteret injurias, quas illi faciunt iniqui ; et dicitur dormire ut crapulatus a vino,quando patienter agit erga gravissimos peccatores, ac si ita alte dormiat, ut non advertat injurias maximas contra se fieri, qualis injuria fuit captivitas Arcae. Non desunt qui metaphoram ebrietatis ita explicent, ut sensus sit, Deum excitatum a somno potenter, et furiose egisse in adversarios, ut solent ebrii, qui valentissimi et audacissimi sunt, cum non advertant quid faciant. Sed non placet ista expositio ; tum quia ebrietas facit quidem audaces homines,sed non potentes, imo debilitat potius ; et qui a somno exurgunt, non surgunt ebrii, sed sobrii, maneat ergo prior expositio, quae s. Augustini est. *Et percussit inimicos suos in posteriora*: immisit enim morbum gravissimum et pudendum *in posteriora* corporis Philistinorum, ac ut Scriptura loquitur, *in secretiore parte natium*, ut simul eruciarentur dolore et rubore, ut legitur 1. reg. cap. 5. *Opprobrium sempiternum dedit illis* ; quia providentia Dei fecit, ut ipsi Philisthaei anos aureos appenderent arcae ad memoriam sempiternam morbi pudendi, quo Deus illos affecerat, 1. reg. cap. 6. *et repulit tabernaculum Joseph*, idest noluit deinceps tabernaculum sacrum, in quo servabatur. Arca, esse in Silo, quae est civitas in tribu Ephraim, qui filius erat Joseph. *Et tribum Ephraim non elegit*, idest constituturus regnum in populo suo,non elegit regem ex tribu Ephraim, quae erat una ex duabus tribubus Joseph,et quidem numerosissima et potentissima. *Sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit*, idest elegit tribum Juda, ex qua daret populo suo principes : et elegit montem Sion, in locum tabernaculi, et postea templi, in quo servaretur arca et fierent sacrificia. *Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in saecula*, idest, aedificavit Deus in monte Sion, sive in Jerusalem, quae est terra duratura in aeternum, sanctuarium suum firmissimum, quasi cornu Monoceroti. Haec est parabola praecipua, et propositio sive aenigma potissimum, quod initio psalmi Propheta promisit; neque enim sanctuarium testamenti veteris fuit firmum, ut cornu Monocerotis, nisi in typo sanctuarii testamenti novi: neque mons Sion, aut Jerusalem fuit terra fundata in saecula, cum brevi eversa fuerit; nisi in figura ecclesiae christianae,*adversus quam portae inferi non praevalebunt*, Matth. 16. et cujus religio et sacramenta non mutabantur usque ad Mundi consummationem.Vox *unicornium*,graece, μονοκὲρωτων, in hebr. legitur, רמים *ramim*, quod significat excelso, sed septuaginta, et s. Hieronymus non legerunt, רמים *ramim*, sed, רמים *remim*, quod *monocerotes*, idest bestias, quae solum unum cornu, sed firmissimum et robustissimum gerunt: et sine dubio haec est vera lectio. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post foetantes accepit eum, pascere Jacob servum suum, et Israel haereditatem suam.* Omisit Propheta Regnum Saulis, quia modicum duraturum erat, et quia quasi extortum fuit a Deo clamoribus populi ; sed regnum Davidis posuit, qui Christi figuram gerebat, et ex propria Dei voluntate duraturum in aeternum erat. Elegit ergo David servum suum, et sustulit eum de humili loco, ne forte ejus virtuti tribueretur tanta exaltatio. *Sustulit*, inquam, *de gregibus ovium*; idest de officio et munere pastoritio, quod re ipsa exercebat cum oves foetas sequeretur. *Pascere Jacob servum suum, et Israel haereditatem suam*, idest transtulit de ministerio pascendi oves,ad ministerium pascendi homines:praeposuit enim illum regem populo suo et haereditati suae, quae Israel et Jacob appellatur. In hebraeo habetur,*Jacob populum suum*, non ut nos habemus, *servum suum*. Aliqui suspicantur septuaginta interpretes vertisse, λαὸν non δοῦλον. At cur non verisimilius sit in hebraeo olim fuisse, עבדו *habdo*, *servum suum*, et postea successu temporis a sciolis, mutatum in, עמו *hammo*, populum suum ? In sensu nulla est dissentio. Populus enim Israeliticus, est populus Dei et servus Dei dici potest. *Et pavit eos in innocentia cordis sui,et in intellectibus manuum suarum deduxit eos*, idest optimam fuisse divinam electionem eventus probavit. David enim pavit et rexit populum Dei innocentia cordis et sapientia operis: in innocentia cordis, quia cor purum et immaculatum gerens non affectabat gloriam suam, sed Dei; non utilitatem suam sed populi ; cupiebat non tam praeesse,quam prodesse, pasce-

bat oves, non ut suas, sed ut Domini sui; ut minister, non ut herus: in sapientia operis, vel ut David loquitur, *in intellectibus manuum deduxit populum*, quia considerate agebat, quidquid agebat, non temere, non sine consilio, non absque maturitate. Quae omnia etiamsi utcumque Davidi conveniunt; absolute tamen et perfecte non nisi Christo conveniunt. Alioqui non reprehenderetur in Scriptura David, quod uxorem alienam concupierit, quod adulterium et homicidium perpetraverit; quod populum sine causa numerari voluerit; quod Miphiboseph inauditum damnaverit et bona ipsius imprudens calumniatori donaverit, Christus autem vere innocens corde, et sapiens in opere fuit; *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* 1. Petri 2. Quique audacter dicere poterat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joann. 8.

PSALMUS LXXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Asaph.

De hoc titulo nihil dicendum occurrit. Argumentum est deploratio calamitatis, quae accidit hebraeis sub Antiocho, et caeteris regibus tempore Machabaeorum, ut communiter docent s. Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et multi recentiorum, et ipse etiam auctor libri Machabaeorum primi cap. 7. allegat hunc psalmum, tamquam vaticinium earum calamitatum. Potest tamen accomodari idem psalmus ut eum accomodat s. Augustinus, ad persecutiones, quas passa est Ecclesia a regibus, et imperatoribus paganis. In hoc psalmo concordant textus hebraici, graeci, et latini, et totus psalmus facillimus est.

EXPLICATIO PSALMI LXXVIII.

1. *Deus venerunt gentes in haereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.*

Alloquitur propheta Deum, et in persona populi Dei, qui futurus erat tempore Machabaeorum conqueritur de vastatione templi, et civitatis. Narrat autem hic propheta Deo, non ut eum doceat quasi ignorantem, cum potius ab eo sibi revelata didicerit: sed ut hac commemoratione moveat ipse se ad orandum ardentius. *Deus*, inquit, *venerunt gentes*, pagani videlicet idololatrae, *in haereditatem tuam*, idest, in eam civitatem, et provinciam, quam elegisti de toto orbe terrarum in propriam possessionem. Haereditas enim et possessio in Scripturis pro eodem accipiuntur. Explicat deinde, ad quid venirent gentes in haereditatem Dei; *polluerunt*, inquit, *templum sanctum tuum*. Quod factum est sub Antiocho, ut dicitur libro 1. Machab. cap. 1. tunc enim idolum in templo collocatum est, et altaria prophanata, atque idolis consecrata. *Posuerunt, Jerusalem in pomorum custodiam*, idest, ipsam regiam civitatem adeo desolaverunt, ut non videretur amplius civitas, sed tugurium desertum, qualia sunt quae eriguntur ad custodiam pomorum in hortis, aut vineis, et pomis collectis deseruntur. Id accidisse sub Antiocho testatur lib. 1. Machab. c. 3. ubi sic legimus, *e-Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum.* Vox hebraea, לעיים *tehiim*, pro qua habemus, *pomorum custodiam*, significat, *vastationem*, *desolationem*, *desertum*, et similia. Sed septuaginta interpretes, ut rem declararent per similitudinem, dixerunt, *in pomorum custodiam*; s. Hieronymus vertit, *in acervum lapidum.* Sed melior videtur interpretatio prior, quam latinus interpres secutus est. Civitas enim reducitur in acervum lapidum, quando omnino destruitur, et lapides domorum in locum unum colliguntur; at Jerusalem non ita funditus eversa fuit, ut habitari non posset: sed muri dejecti fuerunt, et civitas ex parte incensa, et habitatores sugati, ut habetur lib. 1. Machab. cap. 1. Sed tamen adhuc retinebat formam civitatis, et habitari potuisset, ut colligitur ex eodem lib. 1. cap. 3. et 4. proinde rectius comparatur pomorum custodiae, idest, tugurio semidirulo, et deserto, quam acervo lapidum.

2. *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus coeli: carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.*
3. *Effunderunt sanguinem eorum, tamquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret.*

Deploravit vastationem templi, et civitatis; nunc deplorat caedem hominum et barbariem, ac feri-

tatem hostium, qui cadavera sepeliri non patiebantur, *posuerunt*, inquit, *morticina*, idest, cadavera occisorum Judaeorum non dederunt sepulturae, sed exposuerunt in escam corvis, et canibus. Morticina proprie dicuntur cadavera eorum, qui morbo interierunt: tamen hoc loco extenditur vocabulum ad cadavera occisorum. Nam in sequenti versiculo explicatur, quae sint illa morticina, cum additur, *effuderunt sanguinem eorum*, idest, *servorum tuorum* sive *sanctorum tuorum*, idest, hominum tibi sanctificatorum per fidei professionem. *In circuitu Jerusalem tamquam aquam*, idest, in magna copia, sine delectu personarum, sine timore aliquo; *et non erat qui sepeliret*, et ideo relinquebantur cadavera illa avibus coeli, et bestiis terrae. Hoc impletum est tum in aliis multis, tum potissimum in illis sexaginta viris primariis, quos una die curavit occidi Alcimus prope Jerusalem, ut dicitur lib. 1. Machab. cap. 7. Ibi enim citatur hic versiculus, ubi caedes illorum describitur.

4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, sub sannatio, et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.*

Deplorat nunc etiam infamiam, quae ex persecutione illa est sequuta. *Facti sumus*, inquit, *opprobrium vicinis nostris*, idest, vicinis Regnis Idumaeorum, Moabitarum, Ammonitarum, et aliarum gentium, quae despiciebant, et irridebant hebraeos, ut homines imbelles, et contemptibiles.

5. *Usquequo Domine irasceris in finem? accendetur velut ignis furor tuus?*

Videbat propheta iram Dei in populum suum accensam adeo vehementer, ut videretur periculum imminere, ne populus funditus interiret; ideo in persona populi precatur finem tantae indignationis. *Usquequo*, inquit, *irasceris in finem?* idest, quousque crescet ira tua, et crescendo minabitur nobis ultimum exterminium? Idipsum repetens addit, *usquequo accendetur velut ignis zelus tuus?* ubi comparat indignationem Dei igni, qui nisi celeriter extinguatur, crescere solet in immensum, et in cinerem omnia redigere. Per iram non intelligitur perturbatio, sed voluntas exigendi spiritualem castitatem, et puniendi eos, qui fornicantur ab ipso.

6. *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt, et in regna quae nomen tuum non invocaverunt.*

Orat converti iram Dei in hostes populi sui, quasi dicat, nos etsi mali filii sumus, te novimus Deum verum, te colimus et invocamus. *Effunde* igitur potius *iram tuam in hostes tuos, qui te non noverunt*, idest, non habent pro Deo, et non invocant nomen tuum, quia omnipotentem te esse non credunt. Sed occurrit quaestio ex cap. 12. Lucae, ubi dicitur, *servus qui non novit voluntatem Domini sui, vapulabit paucis; qui autem novit, et non fecit, vapulabit multis.* Respondet s. Augustinus, Evangelium loqui de servis, qui sunt in eadem familia: inter eos enim gravius peccant et severius puniuntur, qui scientes peccant, quam qui peccant, nescientes: sed utriusque multo gravius peccant, e longe asperius puniendi sunt, qui de familia non sunt sed hostes jurati sunt, et serviunt creaturae potius quam Creatori, et familiam totam gravissime persecuntur, quales erant illi, de quibus in hoc psalmo agitur versiculo sequenti.

7. *Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt.*

Non solum enim isti Deum invocaverunt, verum etiam populum ejus quasi panem consumpserunt, spoliantes, fugantes, interficientes, vel etiam minis et terroribus in corpus suum trajicientes per fidei abnegationem, quomodo e contrario dicitur sancto Petro Act. 10. *Macta, et manduca*: idest, in corpus Ecclesiae recipe per conversionem ad veram Fidem. *Et locum ejus desolaverunt*, idest, civitatem Jerusalem desolantes in solitudinem redegerent. In hebraeo habetur נוהו *navehu, ejus* sive *pulchram habitationem ejus desolaverunt.*

8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.*

Ne videretur populus Dei, dum hostes accusat, et dignos poena esse judicat, seipsum voluisse justificare, quasi non meritas poenas daret, et quasi potentia adversariorum, non justitia Dei attereretur; confitetur in hoc versiculo peccata sua, et parentum suorum, et misericordiam patris, non justitiam judicis appellat. *Ne memineris*, inquit, *iniquitatum nostrarum antiquarum*, idest, ne punias nos ob iniquitates antiquas, tum parentium. Solet enim Deus aliquando reddere iniquitatem patrum in filios in tertiam, et quartam generationem, ut dicitur Exod. 20. Imo et Dominus dicit Matth. 22. *Implete mensuram patrum vestrorum*; et paulo post, *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae*, etc. Neque contraria est haec sententia Ezechieli cap. 18. qui dicit, *filius non portabit iniquitatem patris*: filius enim proprie punitur ob peccata sua, sed dicitur aliquando puniri ob peccata parentum, quoniam Deus non punivisset illum, quamvis juste eum punire potuisset nisi iratus peccatis parentum. Quod autem filius non portet iniquitatem patris, nisi sequatur iniquitatem patris; docent ss. Patres, Hieronymus in cap. 18. Ezechielis, Augustinus in psal. 118. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 22. et Chrysostomus homil. 29. in Genesim. *Cito anticipent nos misericordiae tuae*, idest, jam ruimus in interitum, nisi velocissime misericordia tua praeveniat nos: anticipare enim hoc loco, est praeoccupare, sive praevenire ultimam ruinam, ad quam velocissime currimus. Addit, et declarat cur tanta celeritate auxilii sit opus: *Quoniam*, inquit, *pauperes facti sumus.* Ubi per *pauperes*, intelliguntur afflicti, humiliati,

attenuati, egeni non solum divitiarum, sed etiam virium, et auxilii.

9. *Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, et propitius esto peccatis nostris nomen tuum.*

Explicat quomodo misericordia Dei anticipet nos: explicat autem per modum orantis, non per modum docentis. *Adjuva*, inquit, *nos Deus salutaris noster*, idest, anticipent nos misericordiae tuae adjuvando nos in facienda justitia, ad evitanda peccata futura, et in agenda poenitentia, ad expianda peccata praeterita: dicit autem *adjuva*, ut ostendat, non tolli arbitrii libertatem per auxilium gratiae, sed stabiliri: non enim proprie adjuvatur, nisi qui aliquid agit cooperando gratiae. Declarat deinde utrumque. *Et propter gloriam nominis tui libera nos*, idest, non propter merita nostra; sed propter gloriam tuam libera nos a morte peccati futuri, quod facis dum adjuvas in facienda justitia. *Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*, idest, et propter eamdem gloriam tuam, non propter merita nostra remitte peccata praeterita, quod facis dum adjuvas in agenda poenitentia. Potest etiam sic exponi et fortasse magis ad litteram *adjuva nos Deus salutaris noster*, in hac praesenti calamitate, quod ut facias duo sunt necessaria, et ut liberes nos a persecutione, et ut ignoscas peccatis, propter quae in persecutionem incidimus. Utrumque autem petimus non propter justitiam et merita nostra; sed propter nomen et gloriam tuam.

10. *Ne forte dicant in gentibus, Ubi est Deus eorum et innotescat in nationibus coram oculis nostris.*

Ecce cur dixerit in praecedenti versiculo, propter gloriam nominis tui; nimirum, *ne forte dicant in gentibus, Ubi est Deus eorum*, idest, ne forte dicant gentes, sic enim habent hebraei, et graeci codices, vel (quod est idem) ne dicatur inter gentes, *ubi est Deus*, qui solebat adesse Judaeis, et blasphemetur potentia, vel sapientia Dei quasi fugerit, aut absconderit se tamquam imbecillus; aut ignoraverit quid acciderit populo suo. *Et innotescat in nationibus coram oculis nostris*, idest, et non solum aliqui ita blasphement, sed divulgetur haec blasphemia inter nationes, nobis ipsis videntibus, et audientibus, ac per hoc etiam graviter erubescentibus.

11. *Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.*

Ergo ne blasphemetur nomen tuum, *introeat in conspectu tuo ultio sanguinis servorum tuorum* tam immaniter *effusi*; introeat etiam gemitus servorum tuorum captivorum, et in compedibus constitutorum, idest, respice aliquando sanguinem effusum servorum tuorum occisorum, et ulciscere: respice, et ulciscere servos tuos, qui reliqui sunt, et in compedibus viventes gemunt ad te Domine. In codicibus graecis conjungitur illud, *ultio sanguinis*, cum verbo praecedente, *innotescat in nationibus*; ut sensus sit, *innotescat in nationibus ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est, et introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum*: sed quia in textu originali verbum, *innotescat*, est generis masculini, et verbum, *introeat*, est generis foeminini, et nomen, *ultio*, ut etiam *gemitus*, sunt generis foeminini apud hebraeos, oportet conjungere nomen *ultio* cum verbo *introeat* non cum verbo *innotescat*, ut recte conjunxit latinus Interpres; et credibile est, sic etiam conjunxisse septuaginta Interpretes, quamvis postea interpunctionem mutaverint, qui haec non advertunt: utraque tamen lectio verum sensum continet, et posset dici pro lectione graeca, non esse universale, ut nomen generis foeminini semper conjungatur cum verbo generis foeminini apud hebraeos. Nam ipse etiam sanctus Hieronymus conjunxit nomen *ultio*, cum verbo *innotescat*.

12. *Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum.*

13. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.*

Duo supra petierat Propheta in persona populi Dei, ut ulcisceretur sanguinem occisorum, et ut liberaret captivos morti destinatos: nunc eadem duo petit, sed ordine converso: primum enim petit conservationem vivorum, deinde ultionem interemptorum. *Secundum magnitudinem*, inquit, *brachii tui posside filios mortificatorum*, idest, quemadmodum brachium tuum robustissimum est ita fortiter resiste persecutoribus nostris, et posside, ut propriam haereditatem, reliquias populi tui, filios videlicet eorum, qui ab hostibus occisi sunt. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*, idest, retribue vicinis hostibus nostris poenam longe majorem, quam poenam reconde in sinu eorum ut non facile eam excutere possint. *Retribue*, inquam, *illi improperium, quod exprobraverunt tibi Domine*, idest, sicut exprobraverunt tibi imbecillitatem et insipientiam, quasi verus Deus non esses, sic ostende illos vere fuisse imbecilles et insipientes, et non tam homines, quam vermiculos terrae, aut pulverem et cinerem. Illud, *posside* in hebraeo est, יותר *hoter*, *reliquos fac*, sive, *fac ut supersint*, et *remaneant*: quare Septuaginta verterunt sensum, non verbum. Illud, *filios mortificatorum* in hebraeo est, בני תמותה *bene themulhah*, *filios mortis*, quod potest significare homines morti destinatos, et sic multi exponunt, tamen septuaginta Interpretes per *filios mortis* intellexerunt filios occisorum, vel ut habet alia lectio filios morte punitorum, et hanc putamus veram hujus loci sententiam: nam non solum hoc loco, sed etiam in ps. 101. ubi legimus, *ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum*, habentur eadem verba hebraica, quae ad litteram significant *filios mortis*: et tamen

Septuaginta constanter verterunt, *filios interemptorum*; et sic exponunt Hieronymus, Augustinus, et alii veteres. Per illud, *vicinis nostris* aliqui intelligunt Idumaeos et Philisthaeos, et alios vicinos, qui videbant aerumnas Judaeorum et non miserebantur; sed verius exponunt alii, qui per vicinos intelligunt Antiochenos, qui cum Antiocho rege Syriae incenderunt Jerusalem, templum profanaverunt, et Judaeos a vera religione crudelissima persecutione abstrahere conati sunt: isti enim et vicini erant, et hostes jurati. Illud, *septuplum*, non proprie septuplum, sed generatim *majus*, et *multiplex* significat. Denique illud, *in sinu eorum*, significat punitionem inimicorum non futuram exteriorem et brevem; sed internam, et perpetuam, quam velint, nolint, intra se retinere debeant.

14. *Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae confitebimur tibi in saeculum.*

15. *In generationem, et generationem annunciabimus laudem tuam.*

Vere scribit s. Augustinus illa verba, *Redde vicinis nostris septuplum*, et similia, esse potius praedictionem, quam imprecationem: ex illa enim certissima praedictione concluditur psalmus, promittens Deo sempiternam laudem. Illi, inquit, ut meriti sunt, recipient in sinum suum gravissimam ultionem: *nos autem confitebimur tibi in aeternum*, idest, laudabimus te, et praedicabimus gloriam tuam in saecula. Quod quidem adumbratum est in hebraeis, apud quos Machabaei utcumque longo tempore post persecutionem Antiochi principatum foeliciter tenuerunt. Sed verius multo impletur in ecclesia christiana; quae post superatas multas et varias persecutiones, videbit in die Judicii omnes persecutores suos recipere in sinum suum mercedem iniquitatis et ipsa cum rege suo Christo in coelesti Jerusalem in saecula saeculorum laudabit Dominum.

PSALMUS LXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro his, qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus.

De hoc titulo, quoad particulam, *in finem*, et *pro his, qui commutabuntur*, diximus in explicatione psalmi 44. et alibi. Illud, *testimonium Asaph*, significat, hunc psalmum esse testimonium per Asaph decantatum, quo Spiritus sanctus testificatur captivitatem Israel, et liberationem. In graeco additur, *pro Assyriis*, quoniam captivitas, de qua agitur in hoc psalmo, fuit primum sub rege Assyriorum Salmanasar, qui transtulit decem tribus in Assyriorum regionem captivas, ut scribitur lib. 4. reg. cap. 17. et deinde sub rege Nabuchodonosor, qui captivum duxit reliquum populum in Babylonem, ut dicitur eodem lib. 4. reg. cap. 24. et 25. Argumentum ex titulo cognoscitur: praedicitur enim captivitas et liberatio hebraeorum, quae figurae sunt captivitatis generis humani per Diabolum et liberationis per Jesum Christum Salvatorem nostrum.

EXPLICATIO PSALMI LXXIX.

1. *Qui regis Israel, intende; qui deducis velut ovem Joseph.*

Incipit Propheta ab invocatione Dei, atque orat ut exaudiat orationem, et respiciat populum suum. *Qui regis Israel, intende*, idest, tu Deus, qui es proprius rector, et pastor populi Israelitici, audi orationem, quam fundo pro ipso populo tuo. Deinde repetit primam partem, et subintelligit secundam. *Qui deducis velut ovem Joseph*, idest tu Deus qui deducis ad pascua velut ovium gregem populum descendentem ex Joseph, audi orationem, quam fundo pro ipso populo tuo, qui et Israel, et Joseph dicitur. Illud, *qui regis*, in hebraeo ad litteram est רעה *ronheh*, *qui pascis*: tamen hoc verbum non significat solum pascere corporali cibo, sed etiam *regere*, quod est officium principis nam in psal. 2. ubi legimus, *reges eos in virga ferrea*, habetur hoc idem vocabulum: illud, *intende*, significat *intende auribus*, sive *ausculta*. Nam vox hebraica האזינה *hoazinah*, proprie sonat, *auribus percipe*. Cur autem meminerit Propheta Israel et Joseph, et non aliorum filiorum Israel, ratio est, quia per Israel intelligitur totus populus Dei. Per Joseph similiter intelligitur hoc loco totus populus Dei. Nam in secunda parte versiculi repetitur quod dictum est in prima parte, ut alias cum s. Augustino admonuimus. Et quidem cur I-

srael totum populum significet, notum est, quia omnes Israelitae Israelem ut patrem agnoscunt. Cur autem Joseph, qui unus erat ex duodecim filiis Israel, totum populum significet,ratio est,quia Joseph in Aegypto totum populum pavit, et toti populo praefuit: et postea duo ejus filii, Ephraim, et Manasse duas tribus constituerunt, quod nulli alii contigit. Singuli enim filii Israel singulas tribus fecerunt, excepto Joseph, qui singulari praerogativa duas fecit: denique diviso regno post mortem Salomonis, in regnum Israel, et regnum Juda, primus rex Israel, qui praefuit decem tribubus, Hieroboam fuit de tribu Ephraim filii Joseph.

2. *Qui sedes super cherubim manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse.*

Rogavit Prophela Deum, ut intenderet aurem ad orationem populi sui: nunc addit ut regat, et intendat etiam oculo, et pie respiciat, atque ostendat serenam faciem populo suo.Dicitur autem Deus respicere aliquem, vel faciem illi ostendere, quando ei placatur: contra autem dicitur avertere oculos, vel tegere faciem suam nube, quando irascitur. *Qui sedes*, inquit, *super Cherubim*, idest,tu Deus, qui sedes in coelo super primarios angelos, qui Cherubim appellantur,et in typum hujus rei in sanctuario tuo super imagines Cherubim propitiatorium, quasi thronum tuum habes, ubi et arca est quasi scabellum pedum tuorum, *manifestare coram Ephraim, Beniamin, et Manasse*, idest, ostende faciem tuam, et respice, hoc est, placere populo tuo, filiis Israel. Cur autem populum Israel significet per Ephraim et Manasse, et Beniamin, ratio esse videtur, quia Ephraim et Manasse erant filii Joseph, per quem diximus paulo ante totum populum significari: Beniamin erat frater uterinus Joseph et ideo ab illo separandum non esse duxit, praesertim cum in castris, quando hebraei armati ordine procedebant, simul incederent tribus Ephraim, tribus Manasse, et tribus Beniamin. Vide lib. Num. cap. 2. et cap. 10. fortasse etiam nominavit Prophela hos tres potissimum ut comprehenderet praecipuas partes terrae promissionis. Nam in tribu Ephraim erat Samaria caput regni Israel, in tribu Beniamin erat Hierusalem, caput regni Juda; in tribu Manasse erat regio trans Jordanem. Cur autem inter Ephraim, et Manasse fratres, posuerit Propheta medium Beniamin, fortasse causa fuit, ut nepotes patrum honorare viderentur.Erant enim Ephraim, et Manasse filii Joseph fratris uterini Beniamin.

3. *Excita potentiam tuam et veni: ut salvos facias nos.*

Explicat clarius cur velit Deum intendere aurem et oculos ad populum suum, ut videlicet eum de tribulatione liberet. *Excita*, inquit, *potentiam tuam*, idest,potentia tua quasi sopita videtur,dum nos affligi sinis ab injustis persecutoribus nostris; ideo, *excita potentiam tuam,et veni* per auxilium tuum potentissimum, *ut salvos nos facias.*

4. *Deus converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

Cur Deus saepe nos non respiciat,causa est,quia nos evertimus ab eo faciem,et convertimus ad res creatas:sed quia sine auxilio Dei non possumus ad eum converti, ideo Propheta utrumque petit in persona populi Dei. *Deus*, inquit, *converte nos*, idest, inspira nobis amorem tuum, ut aversi a rebus creatis ad te iterum convertamur. *Et ostende faciem tuam*, idest, et simul converte ad nos faciem tuam, ut hoc modo sanctae charitatis vinculo tecum uniti ab hostibus omnibus, qui nos impugnant, *salvi esse possimus*: te enim avertente faciem, aegrotamus, et perimus; te convertente faciem, resurgimus, et sanamur.

4. *Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?*

Videbat Propheta magnam iram Dei exarsisse in populum peccantem, et ideo se non facile posse exaudiri:ideo vehementius orat,et precatur dicens, *Domine Deus virtutum*, idest,Domine Deus exercituum. id enim sonat vox Hebraica, צבאות *tzebaoth*, qui terribilis es, militia coelesti innumerabili circumdatus, *quousque irasceris* etiam mihi oranti, sic etiam legimus dixisse Hieremiam. Thren. 3. *Opposuisti nubem tibi,ut non transeat oratio.* In hebraeo non habetur, *servi tui*,sed *populi tui*, sed idem est sensus. Propheta enim servus Dei in persona populi orabat,ac per hoc Deus nolens exaudire irascebatur super orationem servi sui, qui eam fundebat, et super orationem populi sui,quae per Prophetam ipsius populi nomine fundebatur: potest etiam fieri ut Septuaginta non legerint, עמך *hammecha*, *populi tui*, sed עבדך *haudecha*, *servi tui*. in graecis quibusdam legitur, *servorum tuorum*, et sic legit Euthymius: tamen s. Augustinus, et Theodoretus legunt. *servi tui*. Illud, *irasceris*, in hebraeo est, עשנת *hasciantha*, fumabis: sed Septuaginta declarare voluerunt metaphoram: sumus enim narium inidgnationis est signum, et ideo per fumum ira significatur.

6. *Cibabis nos pane lachrymarum, et potum dabis nobis in lachrymis in mensura.*

Conjungitur hic versiculus cum superiore, et subintelligitur illud, *quousque*, ut sensus sit, *quousque irasceris super orationem servi tui? quousque cibabis nos pane lachrymarum, et potum dabis nobis in lachrymis*, idest, quousque, sines nos in tanta afflictione morari,ut nihil magis,quam lachrymari nobis libeat, et sic lachrymis quasi cibo,et potu sustentemur? Illud autem,*in mensura*, non significat, ut aliqui putant, cum moderatione, sed e contrario in mensura plenissima, et supereffluente: nam vox Hebr. שלישׁ *scalisc*, significat aliquid magnum, et triplicatum, et cum ad men-

suram refertur, significat, mensuram magnam,vel potius ter magnam, idest, maximam.

7. *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.*

Explicat populus Dei causam tanti moeroris, et lachrymarum, ac dicit esse,quia undique a vicinis gentibus oppugnatur, et superatur, et victus deridetur, et subsannatur. *Posuisti nos*, inquit, *in contradictionem vicinis nostris*,idest,cum nos auxilio tuo destituisti, fecisti ut omnes vicinae gentes auderent nobiscum contendere, et pugnare: nam illud, *in contradictionem*, in hebraeo est, מדון *madon*, *in contentionem*, ac per hoc significat contradictionem non verborum tantum, sed etiam factorum, idest, concertationes, et praelia. *Et inimici nostri subsannaverunt nos*, idest, inimici nostri nobiscum contendentes vincunt,et debellant debilitatem. In hebraeo est , ילעגו למו *ilnhagulamo*,*subsannaverunt eos*,sed omnino credibile est textum esse mutatum unius literae corruptione: nam et ipsi Septuaginta, et s. Hieronymus verterunt ex hebraeo,*subsannaverunt nos*. Itaque legerunt למו *lanu*, non ut nunc legitur, לנו *lamo*.

8.*Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

Versiculus hic est idem cum quarto, qui repetitur etiam in fine psalmi,sed hic additur vox *virtutum*, idest, exercituum, et in fine additur,*Domine*.Haec repetitio significat hunc versiculum esse conclusionem praecipue intentam in toto psalmo. Et vere nihil melius peti potest a Deo, quam *ut convertat nos ad se, et ipse convertatur ad nos*. Haec enim gratia fons est omnium bonorum. Illa vero additio unius vocis in prima repetitione, et duarum in secunda, signum est crescentis affectus, et desiderii in oratione.

9. *Vineam de Aegypto transtulisti, ejecisti gentes et plantasti eam.*

Ut impetret quod petit, commemorat beneficia Dei erga populum Judaicum, quem de captivitate Aegyptiaca liberavit, et in regna Chananaeorum introduxit. Utitur autem metaphora vineae, qua usi sunt postea etiam Isaias cap. 5. et Ezechiel cap. 15. et 19. et postremo etiam Dominus in Evangelio Matth. 21. Est autem aptissima similitudo vineae ad populum Dei significandum propter multa: sed praecipue, quia sicut lignum vitis aut producit fructum optimum et dulcissimum; et ideo gratissimum est Domino suo, et diligentissime colitur; aut si sterile sit, ad nullum opus utile est,et ideo in ignem projicitur: sic unusquisque nostrum aut ad regnum aeternum perveniet, si fructum bonorum operum adferat, aut in ignem aeternum mittetur, si bonis operibus careat. *Vineam*, inquit *de Aegypto transtulisti*, idest, populum tuum, quasi vineam de terra sterili Aegypti in terram foecundam Palaestinae transtulisti. Et quoniam terra illa optima occupabatur ab inutilibus et sylvestribus vitibus, *ejecisti gentes* idololatras tamquam inutiles vites *et plantasti eam*, vineam tuam videlicet.

10. *Dux itineris fuisti in conspectu ejus: plantasti radices ejus, et implevit terram.*

Ut intelligeremus de vinea rationali, idest, de hominibus, sermonem hoc loco haberi, admiscet Propheta aliqua verba propria multis metaphoricis. *Dux*, inquit, *itineris fuisti in conspectu ejus*, idest, cum transferres vineam de Aegypto in Palaestinam, et vinea ipsa, utpote nationalis progrederetur, tu viam ostendebas quasi Dux itineris praecedens eam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis, ut dicitur in Exodo capit. 13. et Num. 14. Moraliter etiam Dux itineris fuit Deus vineae suae, idest,populo suo ad terram promissionis pergenti, dum ei legem dedit. *Plantasti radices ejus, et implevit terram*, idest, confirmasti populum tuum in terra promissionis , et propagasti eum, ita ut totam illam terram habitatoribus repleret.

11. *Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.*
12. *Et extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.*

Describit hoc loco incrementum, et propagationem populi Israelitici quoad altitudinem, et latitudinem, idest, quoad gloriam et multitudinem et admiscet metaphoris hyperboles. *Operuit*, inquit, *montes umbra ejus*, idest, crevit in altum haec vinea adeo sublimiter, ut esset altior montibus, eosque umbra sua tegeret, imo etiam in tantam altitudinem elevata est, ut ejus palmites essent altiores cedris Libani,quae sunt arbores celsissimae, in vertice montis altissimi, ita ut palmites hujus vineae, *cedros Dei*, idest, cedros altissimas obumbrarent. Significat autem haec altitudo potentiam, et gloriam Regni Israelitici, quae superavit potentiam, et gloriam multorum regnorum. Nam sub Mose populus Israel debellavit Amorrhaeos; sub Josue vicit triginta, et unum reges;sub Davide domuit Philisthaeos,Idumaeos,et Moabitas. Describit postea propagationem, dicens, *Extendit palmites suos usque ad mare: et usque ad flumen propagines ejus*, idest, propagata est gens Israelitica, et multiplicata valde, ut replerent terram promissionis ad Occidente usque ad mare Mediterraneum, et ad oriente usque ad flumen magnum Euphratem. Et sic impleta est promissio Dei,Deuter. 11. *A flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri.*

13. *Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui pretergrediuntur viam.*

Explicata magnitudine, et excellentia populi Judaici, per similitudinem vineae, nunc persistens in eadem similitudine,deplorant miseriam ejusdem populi , in quam incidit ex indignatione Dei. *Ut*

quid, inquit, *destruxisti maceriam ejus;* idest, quare removisti ab hoc populo auxilium tuum, quod erat quasi maceria claudens undique vineam. *Et vindemiant eam omnes qui pretergrediuntur viam*;idest,quare sinis ut omnes inimici hujus populi in illum praevaleant, eumque diripiant, quo modo diripiuntur vineae ab omnibus iter facientibus quando destructa est maceria? Saepe enim regnum Israelitarum deserente eos Domino ob peccata populi provocato, datum est in praedam Philisthaeis, aut Madianitis, aut aliis vicinis gentibus.

14. *Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam.*

Deplorat nunc in particulari sub eadem vineae metaphora,gravissimam captivitatem quae contigit sub rege Assyriorum, sive Salmanasar, qui totas decem tribus, sive Nabuchodonosor, qui reliquas duas captivas transtulit in Assyrios, eversa penitus civitate regia, incenso templo, et regni solio deturbato: hunc enim regem vocat aprum sylvestrem, et singularem ferum, qui non vindemiavit,sed eradicavit penitus vineam. Aprum sylvestrem inimicum esse vitibus scribit hoc loco Theodoretus,et Nabuchodonosor regem ob carnalia vitia porco similem fuisse scribit Euthymius: utraque de causa rectissime persecutorem populi Dei apro comparatum dicere possumus. Illud autem,*singularis ferus*, in hebraeo est, זיז שדי *ziz sadai*; de qua voce diximus in explicatione Psal. 49. hoc loco verti potest *bestia agri*, quod idem est cum *apro de sylva:* nam idipsum esse repetivit Propheta, ut solet. In Graeco est, μονιος ἄγριος idest,porcus agrestis: proinde ubi nos habemus in Latino, *singularis ferus*, illud *singularis*. est potius etymologia nominis,quam signficatio.Dicitur enim bestia illa μονιος quia solitaria esse solet. Itaque per vocem singularis, hoc loco, intelligendus est porcus sylvester, qui singularitate, et solitudine gaudet. Per vocem, *ferus*, intelligendum est, quod porcus ille ferus, et agrestis sit, et in campis sylvae,non in stabulis, et domibus habitet.

15. *Deus virtutum convertere, respice de coelo, et vide, et visita vineam istam.*

Hic jam praedicit per modum orantis Propheta adventum Christi qui vineam reformavit et aliis colonis custodiendam tradidit, sicut legitur Matth. 21. *Malos male perdet, et vineam suam aliis locabit agricolis*, et clarius explicante Domino parabolam, *aufertur a vobis regnum Dei,et dabitur genti facienti fructus ejus*. Non enim ecclesia veteris testamenti, quae erat vinea Dei funditus periit, sed mutata est in melius. Primitiae enim ecclesiae Apostoli fuerunt,qui utique ex Israel erant. Et multa illa millia, quae initio praedicante Petro conversa sunt ad Dominum, ex Israel etiam erant. Et Apostolus Paulus ad rom. 11. aperte demonstrat, *gentes esse veluti ramos insertos in bonam olivam*, idest adjunctos ad ecclesiam ex Judaeis initio congregatam. Ait igitur, *Deus virtutum convertere*, idest, Deus exercituum, cui multa millia angelorum, imo omnes res creatae militant, ac per hoc potissimus es, *convertere* per misericordiam ad vineam tuam, ad populum tuum, a quo per indignationem justam jamdudum aversus es. *Respice de coelo, et vide*, idest quando longe recessisti a vinea tua, saltem de coelesti habitaculo respicere dignare, et vide quam deformata sit vinea tua ab apro sylvestri. *Et visita vineam istam*, idest et veni, ac visita per teipsum, vineam istam. De hac visitatione dixit Zacharias, Luc. 1. *Visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.* Et Christus ipse, Luc. 19. quando flevit Jerusalem illam terrenam, et praedixit ruinam illius, addidit rationem, *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.*

16. *Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

Clarius praedicit adventum Messiae. *Et perfice* inquit, *eam, quam plantavit dextera tua* idest, inchoatum opus perfice; ecclesiam testamenti veteris pene destructam reforma, et meliorem redde; quoniam tu eam initio fundasti, et quasi vineam plantasti, non ut periret, sed ut fructum faceret. *Et super filium hominis, quem confirmasti tibi*, idest respice etiam super Messiam, qui filius hominis dicetur,cum sit etiam verus filius tuus,*quem confirmasti tibi*, in colonum praecipuum vineae tuae, idest in ducem, et principem ecclesiae tuae: hunc enim locum de Christo intelligunt ad litteram non solum s. Hieronymus et Augustinus, sed, et iam Theodoretus et Euthymius graeci,Arnobius et alii, et ipse quoque Paraphrastes Chaldaeus; et accedit manifesta ratio: nam post captivitatem Babylonicam non fuit melior Respub. Judaeorum,quam antea sed longe deterior, ut sanctus Augustinus demonstrat in lib. 18. de civitate Dei, c. 55. quare sit haec prophetia de perficienda vinea,implenda sit,oportet eam ad Christum necessario referre. Sicut etiam refertur illa Aggaei cap. 2. *Magna erit gloria domus hujus novissimae plusquam prima.* Quod autem ad verba attinet, illud, *et perfice*, ex hebraeo sanctus Hieronymus reddit, *et radicem*, sed vox hebraica, וכנה *vecannà*, quamvis possit esse nomen, et significare radicem, aut plantulam; tamen potest etiam esse verbum a radice כון *con*,quod stabilire et perficere significat, et sic intellexerunt hanc vocem septuaginta interpretes. Illud, *et super filium hominis*,in hebraeo est, ועל בן , *venhal ben*, *et super filium*, sed quoniam paulo infra habetur, *super filium hominis*; visum est septuaginta interpretibus, hic etiam addere, *hominis*, explicationis gratia. Incertum autem est, an sensus sit, *respice super filium hominis*, ut nos exposuimus,an *perfice super filium hominis*,sed utrumque recte dici potest.Orat enim Propheta ut Deus impleat promissionem suam de mittendo Messia: et quoniam si genus hebraeorum omnino periisset, Messias sine dubio non venisset, ideo rogat, ut non permittat vineam istam omnino destrui; sed respiciat super Messiam futurum de semine Abrahae, et ideo conservet gentem hebraicam, unde tantum bonum expectatur: vel perficiat

super Messiam, idest adimpleat quod promisit circa Messiam, quem ipse sibi ab aeternitate stabilivit.

17. *Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.*

Declarat effectum, quem pariet adventus Messiae, futurum videlicet esse, ut vinea Domini incensa, et eradicata continuo iterum virescat, et floreat: nam increpante Deo vastatio illa vineae subito evanescet: quomodo quando Dominus increpabat tempestates, statim evanescente tempestate succedebat tranquillitas maris; et quando imperabat morbis, et morti, statim evanescente morbo succedebat sanitas, et evanescente morte succedebat vita. *Incensa*, inquit, *et suffossa*, idest, vinea incensa igni, et suffossa ab hostibus eradicantibus vites; *ab increpatione vultus tui peribunt*, idest imperante te ut cesset vastatio et quasi increpante ipsam vastationem, continuo peribunt incensio, et suffossio, et redibit viriditas, et integritas vineae. Sanctus Augustinus more suo exponit per incensionem, cupiditatem malam; per suffossionem, timorem malum: nam amor inflammat, timor humiliat: sunt autem cupiditas, et timor radices omnium peccatorum. Quicumque enim peccat, aut id facit, ut lucretur hominum temporale, quod amat: vel ut evitet malum temporale, quod timet. Porro Christus adveniens increpando expulit cupiditatem, et timorem, et contra accendit amorem bonum, et introduxit timorem bonum, idest, amorem Dei, et bonorum aeternorum: dixit enim, *ignem veni mittere in terram*, Luc. 12. et, *nolite timere eos, qui occidunt corpus*, Matth. 10. Neque est, aliud remedium potentius ad pellendum amorem mundi, vel timorem mundi, quam si quis serio cogitet, et firmissime credat, multo major bona daturum esse Deum amantibus se, et multo majora supplicia offendentibus se, quam ea sint, quae mundus polliceri, aut minari potest. Alii versiculum praesentem ita exponunt: *incensa igni, et suffossa* vinea tua est; sed hostes ejus ab increpatione vultus tui peribunt. Alii, *incensa igni, et suffossa* vinea tua est: et si ita pergas indignari vineae tuae, omnes filii Israel ab increpatione vultus tui peribunt: sed facilior et planior videtur expositio, quam attulimus. Illud certum est, incensa et suffossa, non esse generis neutri, et numeri multitudinis; sed generis foeminini, et numeri singularis tam in hebraeo textu, quam in graeco, ut ad vineam omnino referri debeant.

18. *Fiat manus tua super virum dexterae tuae: et super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

Securus de adventu Messiae, fausta illi precatur Propheta. *Fiat*, inquit, *manus tua super virum dexterae tuae*, idest, fiat manus tua ad protegendum semper et ubique virum dexterae tuae, idest, virum, quem dextera tua sola proprie formavit, et praefecit ecclesiae: Christum enim, ut hominem non cooperatio viri, sed sola divina virtus in utero Virginis formavit. Sic enim dicitur Luc. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et eumdem Christum non electio humana, sed sola voluntas divina regem ecclesiae fecit, ut ipse dicit in psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.*

19. *Et non discendimus a te, vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus.*

Christo nos regente, *non amplius discedimus a te*, quia regnum Christi aeternum erit, et portae inferi non praevalebunt adversus ecclesiam, Matthaei 16. *Vivificabis nos* vita gratiae hic in terris, et vita gloriae postea in coelis; et nos tribuum reddemus invocationis, et laudis, et actionis gratiarum in aeternum.

20. *Domine Deus virtutum converte nos; et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

Haec est ultima conclusio psalmi, de qua supra diximus in vers. 8.

PSALMUS LXXX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, pro torcularibus psalmus ipsi Asaph.

Quid sit *pro torcularibus*, ut diximus in explicatione psalmi 8. hoc solum addendum videtur hoc loco, non esse probabile quod Theophylactus scribit ad cap. 7. s. Joannis, hunc psalmum inscribi *pro torcularibus*, quod in eo gratiae agantur Deo pro collectione uvarum, et aliorum fructuum, quae fit in mense Septembri. Hoc, inquam, non est probabile, quoniam in toto hoc psalmo, ut etiam annotavit s. Augustinus, nulla fit mentio collectionis uvarum, aut aliorum fructuum. Deinde non solum hujus psalmi, sed etiam psalmi octavi, et octogesimi tertii titulus est, *pro torcularibus*, in quibus psalmis nulla mentio fit Septembris, aut collectionis uvarum. His ergo omissis, argumen-

tum est cohortatio ad festos dies rite celebrandos: et simul commemoratio beneficiorum Dei, ob quae dies festi celebrantur; et reprehensio negligentiae, et ingratitudinis hebraeorum. In quibusdam codicibus additur ad titulum, quinta sabbati, sed in hebraicis codicibus, et in correctioribus Graecis, et latinis non habetur.

EXPLICATIO PSALMI LXXX.

1. *Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob.*

Hortatur Propheta, ut cum Deum laudamus cum magna cordis laetitia id agamus : *hilarem enim datorem diligit Deus*, ut ait Apostolus in 2. Corint. 9. et si hilarem datorem, multo magis hilarem laudatorem. Hilaritas autem cordis ex desiderio, et amore nascitur; proinde qui cum acedia psallit, et qui divinum officium, non dulce canticum, sed grave onus judicat; indicat se parum amare, cui psallit. *Exultate*, inquit, *Deo adjutori nostro*, idest, cum exultatione laudate Deum, qui potens est, et fortis ad nos in omnibus rebus juvandos. *Jubilate Deo Jacob*, idest, magna, et laeta voce canite laudes Dei nostri. In hebraeo pro, *adjutorio nostro*, est, עזנו *huzenu*, *fortitudini nostrae*, sed idem est sensus: nam fortitudinem Dei celebramus, quam in nostro auxilio quotidie experimur.

2. *Sumite psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.*

Hortatur, ut non solum voce, sed etiam instrumentis musicis Deum celebremus, quod etiam si ad litteram de corporalibus istrumentis intelligatur, tamen in novo testamento praecipue intelligi debet de sonitu bonorum operum; quae verbis laudatoriis quasi ex altera parte respondere et consonare debent. S. Augustinus exponit prima verba, quasi sacerdotes dicant plebi, *sumite psalmum* a nobis, *et date nobis tympanum*, idest sumite a nobis spiritualia, et date nobis carnalia, sed quamquam id justissimum sit, et confirmatum ab Apostolo 1. ad Cor. 9. *Si nos spiritualia vobis seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* tamen hoc loco secundum litteram, *sumite psalmum, et date tympanum*, iisdem personis dicitur. Levitis videlicet, quorum officium erat canere psalmos, et pulsare tympana, psalteria et citharas. Itaque, *sumite psalmum*, significat assumite psalmum, et incipite canticum; *date tympanum*, significat proferte tympanum, et incipite pulsationem ; nec solum tympanum, sed etiam psalterium et citharam proferte, et jucunde pulsate. In hebraeo legitur inverso ordine, *cytharam jucundam cum psalterio*, pro quo graeci et latini habent, *psalterium jucundum cum cithara*; sed in sensu nulla diversitas est. Illud, *jucundum*, videtur opponi sono gravi et rudi tympanorum : psalterium enim et cithara jucunde et dulciter sonant, tympanum aspere et incondite.

3. *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae.*

Explicat, quo tempore sit praecipue jubilandum et ait, *buccinate in neomenia tuba*, idest, initio mensis, quod graece dicitur νεομηνία, quasi nova luna ; quia in noviluniis hebraei incipiebant menses, et festa celebrabant. *In insigni die solemnitatis vestrae*, idest *buccinate in neomenia*, quae est insignis dies solemnitatis vestrae. Disputant hoc loco tractatores, an Propheta hoc loco loquatur de omnibus neomeniis, an de neomenia septembris; nam omnes neomeniae, idest omnia initia mensium lunarium erant dies festi apud hebraeos, et in illis clangebatur tubis, ut habetur lib. Num. cap. 10. tamen neomenia septembris erat celeberrima omnium, quia in eam diem incidebat festum tubarum, ut habetur Lev. 23. et num. 29. Qui volunt, prophetam loqui de sola neomenia septembris, nituntur potissimum sequentibus verbis, *in insigni die solemnitatis vestrae*. Ubi videtur restringi nomen neomeniae ad unam neomeniam insignem et solemnem, in qua potissimum erat usus tubarum, quae sine dubio erat neomenia septembris, quae dicitur num. 29. *Dies clangoris et tubarum*, et Lev. 23. dicitur *sabbatum memoriale clangentibus tubis celebrandum et vocandum sanctum*, atque in eo ab omni opere servili esse vacandum. Qui autem existimant, prophetam loqui de neomenia cujuscumque mensis, dicunt verba sequentia, *in insigni die solemnitatis vestrae*, non intelligi de neomenia, sed de aliis festis ut Pascha, Pentecoste, tabernaculorum et aliis, ut sensus sit, *buccinate tuba in neomenia*, et buccinate etiam tuba in omni alia insigni die solemnitatis vestrae. Res est parvi momenti : tamen prior sententia mihi probabilior videtur, quoniam ut plurimum in psalmis, quod passim observat sanctus Augustinus, posterior pars versiculi repetit, aut declarat partem priorem. Quod attinet ad verba illud, *in insigni*, hebraice est, בכסה *bachese*, quod proprie significat, *in operimento*, sive *tegmine*, vel, ut alii dicunt, *in tempore constituto*, sive *solemni*, et ad verbum sic verti posset haec sententia, *buccinate in neomenia tuba, in tempore solemni ad diem festum vestrum*; quod idem est cum eo, quod vertunt septuaginta, quantum ad sensum attinet ; idem enim est *in insigni die festivitatis*, et in tempore solemni ad diem festum, nisi quod in hebraeo est prima persona pronominis, in graeco et latino est secunda. Nam in he-

braeo est, חַגֵּנוּ *chaggenu*, *solemnitatis nostrae*, in graeco vestrae. Sed utrumque est verum, et fortasse septuaginta legerunt in secunda persona etiam in hebraeo: advertimus enim non raro aliter legisse hebraicum textum septuaginta interpretes, quam nunc habeatur in nostris libris.

4. *Quia praeceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob.*
5. *Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Aegypti: linguam, quam non noverat, audivit.*

Reddit rationem, cur oporteat cum exultatione cantare, et instrumenta musica pulsare in die festo, quia videlicet hoc Deus ipse mandavit, quando eduxit populum de captivitate Pharaonis. Vult enim Deus, qui nulla re indiget, hoc tributum laudis, et memoriae beneficiorum suorum. *Quia*, inquit. *praeceptum in Israel est*, idest psallere, et tympana cum aliis instrumentis pulsare oportet in signum laetitiae et gratiarum actionis; quia hoc praecepit Deus populo suo Israel; et hoc praeceptum habetur et conservatur in Israel, idest in populo Dei qui a parente dicitur Israel. *Et judicium Deo Jacob*; ideo repetit aliis verbis: idem enim est praeceptum et judicium hoc loco, ut etiam in psal. 18. et 118. et alibi: idem quoque est Israel, et Jacob. Ait igitur, *et judicium Deo Jacob*, idest et hoc ipsum est decretum, quod servandum est a populo Jacob erga Deum suum. *Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Aegypti.* Idipsum secundo repetit cum additione temporis: idem enim intelligitur per Israel, per Jacob et per Joseph. populus videlicet Dei, qui totus constabat ex filiis Jacob et Joseph, ut supra diximus in psal. 76. et psal. 79. Idem quoque est praeceptum, judicium et testimonium, ut dictum est in psal. 18. et 118. *Posuit*, inquit, *testimonium in Joseph*, idest constituit hoc praeceptum in populo suo, qui Joseph dictus est a Patriarcha Joseph, qui pater fuit naturalis duarum tribuum, et pater protectione et providentia in Aegypto omnium filiorum Israel. Posuit autem hoc praeceptum Deus in populo suo, quando eduxit eum de Aegypto. Siquidem omnia praecepta, et hoc unum cum caeteris data sunt a Deo per Mosen in deserto paulo post egressionem de Aegypto, ut notum est ex lib. Levit. et Num. *Linguam quam non noverat, audivit.* Haec pars ultima versiculi duobus modis exponi solet. Prior expositio est veterum scriptorum, Hieronymi, Augustini, Theodoreti, Euthymii et aliorum, quod per linguam, quam non noverat populus Dei, intelligatur vox audita de monte Sina: non enim audierat unquam antea populus vocem Dei loquentis: et spiritualiter intelligitur vox Evangelii, quam incipiunt audire, et credere qui exeunt de Aegypto, et serio convertuntur ad Deum. Posterior expositio est aliquorum recentiorum, quod per vocem, quam non subierat, intelligitur lingua Aegyptiaca, ut sensus sit, *linguam quam non noverat audivit*, idest, populus Dei in Aegypto, unde per gratiam Dei eductus fuit, *linguam quam non noverat audivit*, ac per hoc cum barbaris ignotae linguae conversatus est. In hebraeo habetur in prima persona, אשמע לא ידעתי *jadanthi eschmanh*, *linguam quam non noverat audivi.* Sed credibile est septuaginta interpretes legisse in tertia persona, et sic fuisse in antiquis codicibus.

6. *Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt.*

Hoc est alterum beneficium Dei erga hebraeos in exitu eorum de Aegypto. Siquidem Aegyptii hebraeos cogebant serviliter laborare in operibus duris laterum faciendorum, et coquendorum, ut perspicuum est ex lib. Exod. cap. 1. 2. 5. Ait igitur, *divertit ab oneribus dorsum ejus*, idest Deus divertit ab oneribus dorsum Israel, sive Jacob, sive Joseph, idest dorsum populi sui, liberans eum ab oneribus duris luti, et laterum, quibus opprimebatur ab Aegyptiis. *Manus ejus in cophino servierunt*, idest divertit Dominus ab oneribus dorsum populi sui, cujus populi manus longo tempore in gestandis cophinis plenis luto, vel lateribus servierunt. In hebraeo habetur in prima persona, diverti ab onere dorsum ejus: et quamvis sensus idem sit, sive loquatur propheta, sive Deum loquentem introducat; tamen omnino credibile est, in codicibus antiquis, quos habuerunt septuaginta interpretes fuisse in tertia persona: nulla enim est ratio, cur vertere voluerint aliter quam in textu invenerint. Illud autem, *in cophino servierunt*, in hebraeo est, *a cophino recesserunt.* Sed manifesta est ratio diversitatis ob unius litterae similitudinem: nam septuaginta legerunt, תעברנה *tanhavodna*, quod est *servierunt*: ut nunc legitur; תעברנה *tanhavorna*; quod est, *recesserunt*, sunt enim literae simillimae ד et ר.

7. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te; exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.*

Ab hoc versiculo usque in finem vicissim commemorat Deus beneficia sua in populum, et ingratitudinem populi in Deum. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te*, idest dum in Aegypto tribulationem gravissimam patereris, invocasti me, et liberavi te, educens de terra illa, et liberans de durissima servitute. *Exaudivi te in abscondito tempestatis.* idest exaudivi te non solum cum timeres tempestates et plagas, quibus percussi Aegyptum: tunc enim abscondi te, et protexi, ne plagae illae tibi nocerent. Vel, ut alii volunt, *exaudivi te*, cum transisses per mare rubrum, et Pharao cum curribus suis, et equitibus te sequeretur, ego latens in columna nubis, et ignis excitavi tempestatem in mari et subverti rotas curruum Pharaonis, et universum exercitum interfeci. Itaque illud, *in abscondito*, potest referri tum ad populum absconditum a Deo tempore tempestatis, tum etiam ad ipsum Deum absconditum in columna nubis, et invisibiliter pugnantem cum Pharaone et exercitu ejus. *Probavi te apud aquam contradictionis*, idest post haec tam magna beneficia tentavi

te per aquae penuriam,ut explorarem fidem et patientiam tuam: sed inveni te impatientem et infidelem. Scribitur haec historia Exod. 17. et Numer. 20. ubi Deus permisit ad modicum tempus, ut populus aquae penuria laboraret, et populo murmurante, et verso in seditionem, Deus ex petra eduxit aquas largissimas. Vocata est autem aqua illa contradictionis, quoniam propter aquam populus contradicere coepit Mosi, atque ejus imperium detractare.

8. *Audi populus meus et contestabor te, Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.*
9. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, dilata os tuum, et implebo illud.*

Refert Propheta in persona Dei, quam aequas conditiones Deus in populo suo proposuerit, et quam amplas pollicitationes addiderit, si pactis conventis stare voluisset. In quo apparet ineffabilis benignitas Dei. *Audi*, inquit,tu gens hebraea,quae es *populus meus*, et palam admonebo te, sive testatum faciam tibi, quid a te requiram, et quid tibi redditurus sum. *Israel si audieris me, non erit in te Deus recens*, idest si me audire,et mihi obedire volueris; hoc a te requiro, hoc in primis tibi mando,*ut non sit apud te Deus recens*,idest Deus, quem non coluerunt patres tui, sed recens introductus. Sic enim hoc explicatur in cantico Mosis, Deuteronom. 32. Vere tamen scribit sanctus Augustinus,omnes Deos falsos esse Deos recentes, quia non sunt aeterni, nec sine principio, sed nuper in officina sculptoris effecti, vel in cerebro humanae vanitatis formati. *Neque adorabis Deum alienum*, est declaratio, vel repetitio ejusdem rei: dicuntur enim Dii alieni, Dii aliarum gentium,quos non coluerunt Patriarchae hebraeorum. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti.* Optima ratio cur non debeat gens Judaica colere Deos alienos : quoniam, inquit, *ego sum Dominus Deus tuus, quia redemi te de captivitate*, ac transtuli a servitute Pharaonis ad servitutem meam. Quae ratio multo etiam magis convincit Christianos non debere colere Deos alienos : quia Deus verus atque aeternus, non solum nos cum caeteris creavit, sed per Christum filium suum liberavit de captivitate diaboli, et transtulit in regnum filii dilectionis suae. *Dilata os tuum, et implebo illud.* Haec est promissio amplissima Dei cultoribus suis,quae sumpta est a metaphora cibi. *Dilata*, inquit, quantum potes, *os*, et fauces desiderii tui, quia replebo cibo suavissimo famem tuam. Hanc promissionem solus Deus implere potest. Quidquid enim creatum nobis detur, non satiat, neque explere potest appetitum cordis humani. Sola Dei visio, atque fruitio, quae bonum est infinitum, et omnia omnino bona comprehendit, satiare nos poterit. Recentiores referunt hunc versiculum ad orationem, ut sensus sit, *aperi os tuum*, et pete quod vis, et implebo petitionem tuam. Sed veteres, s. Hieron. s. Augustinus, Theodoretus et Eutymius referunt ad cibum, ut nos exposuimus, et vere dilatare, et implere os ad comestionem potius pertinent, quam ad locutionem. Sensus autem idem est.

10. *Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi.*

Queritur nunc Deus de ingratitudine populi sui, quod tam aequis conditionibus non acquieverit. Et mirum est valde, quod cum in terris servuli ambiant gratiam Domini sui, et pro magno beneficio reputent, si cum eis Dominus loqui, vel eos respicere dignetur; Israel tamen, idest pulvis et cinis Deum Deorum audire, et in eum intendere dedignetur. Sed vere dixit in Evangelio Luc.16. Dominus, *prudentiores esse filios hujus saeculi filiis lucis in generatione sua.* Vox hebraica pro eo, quod nos habemus, *non intendit mihi*, habet, לא אבה לי *lo ava li, non voluit me*, idest rejecit me, contempsit me, in me respicere non est dignatus.

11. *Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibant in adinventionibus suis.*

Horrendum, sed justissimum flagellum minatur Deus contemptoribus suis,ut videlicet fiat eis peccatum poena peccati, idest, sinantur in peccata semper graviora prolabi,donec ad profundum malorum deveniant, hoc est, quod dicit Apostolus ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*; et paulo post, *tradidit illos in passiones ignominiae*; et iterum, *tradidit illos in reprobum sensum, ut faciant quae non conveniunt.* Haec est illa obduratio cordis, de qua dicit Ecclesiastes cap. 7. *Considera opera Dei, quia nemo potest corrigere, quem ille despexerit. Et dimisi*, inquit, *eos secundum desideria cordis eorum*, idest permisi ut ambularent, et operarentur juxta concupiscentias suas; non dedi eis, ut filiis, disciplinam; sed ut alienos dimisit ut praecipitarentur et conderentur. *Ibunt in adinventionibus suis*, idest sequentur non semitas Patrum suorum, non vias rectas legis meae, sed cogitationes cordis sui in cultu Deorum, quos humana curiositas adinvenit ; et in omni genere turpitudinis vitiorum quibus corrumpi solet humana natura, cum Dei lumine non dirigitur, et Dei dextera non tenetur, et Dei efficaci gratia non juvatur.

12. *Si populus meus audisset me,Israel si in viis meis ambulasset.*
13. *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.*

Iterum redit ad promissiones per modum optantis, ut ostendatur innata Deo nostro misericordiae affluentia. Vere enim Deus noster, *Pater misericordiarum est, et Deus totius consolationis*, ut ait Apostolus 2. Cor. 1. Nam ubi legimus, *si populus meus audisset me*, in hebraeo est, לו *lu*, quae est particula optantis. *Utinam populus meus audisset me.* Sed quia in Deum proprie non cadit ta-

lis affectio, et est ea metaphorica locutio, septuaginta interpretes verterunt, *si populus meus audisset me, et in viis meis*, idest in legionibus meis, *ambulasset. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*, idest facillime et celerrime omnes hostes populi mei, qui nunc eum tantopere vexant, humiliassem, et dejecissem, ut caput attollere non valerent. *Et super tribulantes eos misissem manum meam*, idest quia semper persecutores populi mei misissem manum potentiae meae, atque eos contrivissem. Illud, *pro nihilo*, in hebraeo est, כמעט *chimhat*, *quasi modicum*, vel ut sanctus Hieronymus vertit, *quasi nihilum*. Et sensus est, Deo non est difficile debellare quoslibet inimicos, quoniam omnis humana potentia, quasi nihil est coram Deo; ac per hoc potest facillime et velocissime id agere, quia nihil ei resistit. Itaque illud, *pro nihilo*, exponendum est, ac si nihil essent omnes inimici, ita eos humiliassem. Illud, *forsitan*, non habetur in hebraeo, sed additum est a septuaginta declarationis gratia, ut intelligeremus Deum non necessario, sed libere agere et posse pro arbitrio, si velit, non agere.

14. *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in saecula.*

Hic jam loquitur Propheta, et confirmat, quod Deus dixerat, *et non audivit populus meus vocem meam*, proinde per inimicos intelligit Judaeos, qui ex filiis inimici facti sunt, ac tum praesertim cum Christum negaverunt coram Pilato, regem suum esse, de qua re Daniel cap. 9. diserte ait, *et non erit ejus populus qui eum negaturus est*. Ita exponunt omnes veteres, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii. Recentiores nonnulli cum Rabbinis exponunt de inimicis Judaeorum, sed nos malumus Patres nostros, quam Rabbinos sequi. Ait igitur, *inimici Domini*, idest Judaei rebelles et increduli, *mentiti sunt ei*, quia promiserunt ad radices Montis Sinai, se facturos omnia, quae Dominus imperasset, Exod. 24. *Omnia verba*, inquiunt, *quae locutus est Dominus, faciemus*, et tamen nihil eorum opere compleverunt. Ex hebraeo יכחשו לו *jechachasciu lo*, posset etiam verti, *negaverunt ei*, vel *eum*: sed rectissime etiam vertitur, *mentiti sunt ei. Et erit tempus eorum in saecula*, idest, et erit tempus defectionis et rebellionis eorum in saecula, quia vix in fine mundi reliquiae judaeorum convertentur, vel juxta s. Augustinum, erit tempus supplicii eorum in saecula, quia ignis gehennae non extinguetur. Theodoretus et Euthymius notant apud Syros per tempus interdum significari supplicium, sive calamitatem: quod s. Augustini expositionem confirmat.

15. *Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.*

Hic notatur maxima Judaeorum ingratitudo, qui mentiti sunt Domino cum tantis eos beneficiis affecisset. Possunt autem haec verba referri ad manna, quod pluebat Judaeis in deserto, et aquam quae in eodem deserto scaturivit de petra; nam cibus ille recte dicitur adeps frumenti quia erat panis angelorum, ut dicitur in psalmo 77. et habebat omnem saporem, ut dicitur Sapientiae 16. Mel de petra Moses eduxit, quia ut Theodoretus dicit, sitientibus hebraeis instar mellis videbatur. Potest tamen etiam referri totus hic versiculus ad ubertatem tritici vini et olei, quae erat in terra promissionis, quamvis magna ex parte montuosa et saxosa esset. Sic enim scribit Moses, Deuteron. 32. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*. Ubi per fructus agrorum, intelligitur praecipue frumentum, de quo paulo infra dicit, *et hircos cum medulla tritici*. Per mel de petra intelligitur mel ipsum, quod apes in cavernis petrarum producebant, necnon ficus, uvae et reliqua dulcia, quae in montibus illis petrosis gignebantur. Sed adeps frumenti, et mel de petra multo pretiosiora sunt apud Christianos, quibus adest sub specie panis corpus Redemptoris, et mel sapientiae coelestis de petra, quae idem Christus est; et tamen non pauci post abrenunciationem diabolo et pompis, et operibus ejus factam in baptismo, mentiuntur Deo revertentes ad ea, quibus renunciaverant, et post gustatum panem de coelo, et mel de petra, revertuntur, ut canes immundi ad vomitum suum. Qui timere debent aeternitatem futuri supplicii ignis, qui non extinguitur, et vermis qui non moritur.

PSALMUS LXXXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Asaph.

Argumentum hujus psalmi est exhortatio ad judices, ut juste judicent. Sed ut majorem efficaciam habeat exhortatio, inducitur Deus summus judex increpans judices minores.

EXPLICATIO PSALMI LXXXI.

1. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.*

Pronunciat s. Propheta, Deum semper adesse, cum judices sententias ferunt, et de ipsis eorum sententiis judicare, et rectaene, an iniquae sint. Quod certe multum prodesset judicibus si serio cogitarent, in conspectu summi judicis omnes causas judicari. *Deus*, inquit, *stetit*, idest, semper assistit praesens invisibili majestate, *in synagoga Deorum*, idest, in conventu, et consessu Judicum, dum causas populi judicant: et dum illi judicant populos, Deus *in medio eorum* praesens assistens *judicat ipsos judices*. Hic sunt aliqua dubia breviter dissolvenda. Primum est, quia in hebraico textu ubi dicitur, Deus stetit, vox *Deus*, est אלהים *Elohim*, quae est numeri multitudinis, et significat *Deos*, sive judices: vox autem Deorum, cum, dicitur in Synagoga Deorum est numeri singularis אל *El*, et significat Deum. Quare videntur Septuaginta Interpretes non recte vertisse, *Deus stetit in synagoga Deorum*. Respondetur primo, fieri posse ut verba illa in nostris codicibus sint transposita, et in codicibus antiquis fuerit in primo loco אל *El*, et in novissimo אלהים *Elohim*, ut Septuaginta reddiderunt. Secundo, posse hunc locum hebraice ita legi, *Deus stetit in synagoga Deorum*: carent enim hebraei casibus; tamen Septuaginta Interpretes, ut sensum clariorem redderent, vertisse, *Deus stetit in synagoga Deorum*. Tertio, posse verti cum s. Hieronymo, Deus stetit in synagoga Dei, idest, in synagoga sua: tamen septuaginta Interpretes vertisse, *in synagoga Deorum*, quia synagoga Dei nihil est aliud, nisi conventus Judicum a Deo constitutorum, quibus etiam nomen suum impertivit, quia communicavit cum illis auctoritatem judicandi, quae est ipsius propria, dicente s. Jacobo cap. 4. *Unus est legislator, et judex*. Neque obstat, quod, אלהים *Elohim*, sit numeri multitudinis: recipit enim usitate significationem numeri tum singularis, tum multitudinis. Alterum dubium est, cur dicatur in praeterito, *Deus stetit*, et non potius, Deus stetit in synagoga Deorum quando id fuit, quando stetit: et non inveniens quando Deus Pater steterit, refert hunc locum ad Deum filium, qui in carne stetit in synagoga Scribarum, et Pharisaeorum. Sed non est necesse restringere haec verba ad tempus Christi, cum hoc perpetuum sit, ut Deus semper assistat judicantibus: unde etiam sequitur, *in medio autem Deos dijudicat*: vel, ut est in hebraeo, ישפט *ispot*, dijudicabit. Itaque illud, *stetit*, significat, ab initio stare consuevit, sive constituit se praesentem. Et quia Deus non mutatur, sicut ab initio stetit, ita semper, stat, stabit, et semper judicabit. Tertia dubitatio, cur dicit, *stetit*, et non potius sedit; Judicis enim sedere est, non stare. Sed facilis est responsio: nam vox illa, *stetit*, non significat hoc loco stare ut distinguitur contra sedere sed adesse, ut distinguitur contra abesse, et praesertim hoc significat vox hebraica, נצב *nitsab*; ut perspicuum est ex lib. Judic. cap. 3. vers. 22. nam ubi legimus, *infixit ficam in ventrem ejus tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnus*, in hebraeo est, *ut sequeretur: quod stetit post ferrum*, ubi describitur capulus, qui est in gladio post ferrum: quo loco vox, *stetit*, quam etiam hic habemus, non significat, *stare*, idest, *non sedere*, sed, *adesse*, vel *manere*.

2. *Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis?*

Utrum haec dicantur a Propheta, qui reprehendit judices, propterea quod non cogitent Deum assistere judiciis ipsorum, et ideo injuste judicent: an potius dicantur a Deo, qui assistens judicantibus, et sententias eorum diligenter examinans, arguit malos judices de praecipue et frequentissimo eorum crimine, videlicet de acceptione personarum, ob quam plerumque injuste judicant, incertum est, sed sive Propheta, sive Deus haec dicat, divina reprensio est, quia per os Prophetae Spiritus sanctus sine dubio loquebatur: et quia raro accipitur persona hominis pauperis, et justi; frequentissime autem persona divitis: et injusti ideo de hac acceptione potissimum eos reprehendit. *Usquequo*, inquit, *judicatis iniquitatem*, idest, quamdiu perseverabitis in hoc peccato inique judicandi? et addit causam praecipuam iniquorum judiciorum dicens, *Et facies peccatorum sumitis*, idest, quia facies, sive personas peccatorum accipitis; hinc enim oriuntur iniqua judicia, quia judices non attendunt ad merita causae, sed ad gratiam hominum divitum, et potentium, qui hoc ipso peccatores sunt, quod cupiant a judicibus gratiam suam justitiae anteponi. Porro sumere faciem alicujus, in judicio nihil est aliud, nisi talem sententiam ferre, non qualem justitia exigit, sed qualem requirit amicus, vel benefactor, vel cognatus. Et hoc idem est respicere in faciem hominis, non in regulam justitiae.

3. *Judicate egeno, et pupillo, humilem, et pauperem justificate.*

Reprehendit Deus, sive Propheta primo loco vitium acceptionis personarum: nunc secundo addit vitium oppressionis pauperum, quos judices opprimunt, tum quando differunt eis justitiam facere, tum quando damnant eos injuste, ut adversariis potentioribus non displiceant. *Judicate*, inquit, *egeno et pupillo*, idest, causam pauperis, et praesertim pupilli libenter admittite, diligenter discutite, sollicite expedite, ne cogantur bona sua litigando consumere: *humilem*, idest, hominem abjectum, atque afflictum, *et pauperem justificate*, idest, absolvite, et justum declarate. Hoc tamen intelligitur si vere justus sit: scriptum est enim Levit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: juste judica proximo tuo*. Sensus igitur non est, ut semper pro paupere, sive in favorem pauperis judicetur; sed ut quando pauper justus est, et injuste accusatur, Judex efficiat ut justitia pauperis emineat, et non opprimatur potentia adversariorum.

4. *Eripite pauperem et egenum de manu peccatoris liberate.*

Non satisfacit Judex officio suo, si solum proferat justum judicium, nisi etiam cogat divites, et potentes, ut pauperibus, et egenis, re ipsa satisfaciant sive restituendo ablata, sive resarciendo detrimenta, quae ob calumnias, et lites passi sunt. Ideo sive Deus, sive Propheta adjungit, dicens, *Eripite pauperem*, videlicet de manu potentis, *et egenum* de manu ejusdem potentis *liberate*. Idem enim bis repetit more suo, ut res menti altius infigatur. Eripere autem pauperem de manu potentis est sententiam adversus potentem pro paupere juste pronuntiatam executioni mandare et re ipsa efficere, ut pauper nihil detrimenti a potentiore inimico patiatur. In hoc igitur potissimum deberent judices, et principes auctoritatem suam demonstrare. Sic enim et gratiam Dei, et benevolentiam populorum sibi compararent: sed quoniam ut plurimum id non faciunt, sequitur Propheta, et dicit.

5. *Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terrae.*

Deplorat Propheta voluntariam caecitatem Judicum, ob quorum injustitias totus orbis terrarum conturbatur. Nam ut Dominus dicit in evangelio Matth. 5. *Si sal evanuerit, in quo salietur?* et alibi, Luc. 11. *Si lux quae in te est, tenebrae sint, ipsae tenebrae quantae erunt?* Sic etiam dicere possumus, si apud eos, qui ex officio justitiam administrant, justitia non invenitur, ubi tandem invenietur? nonne iniquitas omnia confundet? *Nescierunt*, inquit. *neque intellexerunt*, idest, neque cognoverunt quid facti; neque intellexerunt quid juris esset in causa. Hoc enim interest inter duo verba hebraica ידעו *jadehu* יבינו *jabinu*, quae hic habentur, quod inter *cognoscere*, *et intelligere*. apud latinos. Cognoscere latius patet, ut etiam ad notitiam sensuum pertineat, intelligere proprium est mentis, et rationis, quare proprie dixit Propheta Isaias cap. 1. *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui*; non autem proprie dixisset. *intellexit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui*. Ex hac ignorantia judicum fit *ut in tenebris ambulent*; idest, errent in judicando, quomodo caeci errant inter ambulandum. Ex hoc autem errore, et injustitia sequitur perturbatio, et tumultus, seditio, et defectio populorum; quod significatur verbis sequentibus. *Movebuntur omnia fundamenta terrae*, idest totus orbis terrarum turbabitur, et quasi fluctuabit, neque alia fuit causa, cur totum regnum Israel deficeret a rege David, nisi quia persuasit Absalon populis regem Davidem non intendere causis cognoscendis, ut patet ex lib. 2. regum, cap. 15. Cur autem Judices permulti caeci sint, causam refert Scriptura in cupiditatem munerum. Isaiae 1. *Omnes diligunt munera. sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduae non ingreditur ad eos*. Exod. 23. *Nec accipias munera, quae excaecant prudentes*. Deut. 16. *Munera excoecant oculos sapientum*. Ecclesiastici 20. *Dona excaecant oculos judicum*.

6. *Ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes.*

Reprehendit hactenus Propheta, sive Deus ipse, Judices acceptionis personarum, injustitiae et ignorantiae: nunc ostendit, quam indigna sint haec vitia eo sublimi honore, in quo Deus illos constituit. *Ego*, inquit, *dixi*, pronunciavi, asserui, *Dii estis, et filii Excelsi omnes* vos judices, et principes terrae. Vocat autem filios excelsi, vel comparans eos cum angelis; qui apud Job cap. 1. et 38. *Filii Dei* dicuntur: vel ut ostendat, Judices non esse Deos proprie, ut est verus, et summus Deus, qui caret principio: sed esse Deos, quia filii Dei, idest ab uno vero Deo Dii constituti, per participationem auctoritatis judicandi et jubendi. In evangelio Joan. cap. 10. Dominus hunc locum adducens dicit, vocari Deos, *quia sermo Dei ad illos factus est. Si illos*, inquit, *dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, quem Deus sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum?* Sermonem Dei ad aliquem fieri, est Deum committere alicui officium aliquod. Sic enim dicitur, factum est verbum Dei ad Prophetas, quos mittebat ad praedicandum. Et Lucae 3. dicitur *Factum est verbum Dei super Joannem Zachariae filium in deserto*: et mox adjungitur executio, *Et venit in omnem regionem Jordanis praedicans*, etc. Et quod Lucas dixit, *Factum est verbum Dei super Joannem*. Joannes cap. 1. explicuit dicens, *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*. Atque hinc manifeste colligitur vis argumenti Christi, *Si illos dixit Deos* Scriptura, *ad quos sermo Dei factus est*, idest, quos Deus misit ad aliquid faciendum, communicans illis auctoritatem suam; quanto magis ego Filius Dei, et Deus dici possum, quem de coelo Pater aeternus misit in mundum cum plenaria potestate. Neque ex hoc loco colligi debet, omnes judices et principes habere a Deo immediate potestatem suam. Satis enim est, si eam habeant, vel immediate, ut habuit Moses in testamento veteri, et s. Petrus in novo; vel mediante consensu populi, ut habent reges et principes terrae, in quos transtulit populus auctoritatem suam, quam accepit a Deo jure naturae: *non enim est potestas nisi a Deo*, ut Apostolus scribit ad rom. 13.

7. *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.*

Ego, inquit, *dixi*, quid estis dignatione Dei, sed nunc addam, quid sitis vitio vestro; ex Dei munere Dii estis, et angelis similes; sed ex peccato, quod habetis ex primo homine, *sicut* caeteri *homines moriemini. et* ex proprio vestro vitio, quo abutimini potestate vobis tradita, *sicut unus de Principibus* coelestibus, idest, de angelis apostaticis *cadetis*, et sic de summo gradu ad imum, de magna gloria ad extremam miseriam praecipitabimini. Illud, *sicut homines*, in hebraeo est, כאדם *che-*

Adam, sicut Adam, et s. Hier. in commentario exponit, Sicut primus homo mortuus est, ita et vos ejus filii secundum carnem peccatricem moriemini. Non potest tamen septuaginta Interpretum versio improbari, quoniam vocabulum, *Adam*, ita proprium est primi hominis, ut etiam saepe toti generi humano accommodetur. Illud autem, *sicut unus de principibus*, refertur ad Diabolum, non solum a s. Hieronymo, sed etiam a sancto Augustino, Theodoreto, Euthymio, et aliis.

8. *Surge Deus, judica terram, quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus.*

Haec psalmi conclusio duplicem habet sensum, unum ut Propheta imploret auxilium Dei adversus injustitias principum, et judicum terrae, ut videlicet ipse, qui est verus Dominus et possessor totius orbis, emendet judicia hominum, puniat improbos judices et pauperes oppressos sublevet juxta sapientiam et potentiam suam: alterum, ut haec sit praedictio per formam precationis, qua praedicatur adventus Messiae, qui sicut haereditabit orbem terrae, ita etiam judicabit terram justo judicio per suos administros, id est, fideles principes et reges, dum saeculum durat, et postea per se in novissimo die. *Surge Deus, judica terram*, idest, quandoquidem abutuntur Judices potestate sua, tu Deus summe judex exurge, *et judica terram*, exercens judicia in ipsos judices, et liberans pauperes innoxios ab oppressione potentium iniquorum. *Quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus*, idest, quoniam possessio tua semper erit sicut fuit in omni humano genere. Non enim sic distribuis regna filiis hominum, ut tu supremam potestatem non semper timeas. Vel, *Surge Deus* Christe, veni in terras, *judica terram*, vindica eam a potestate tenebrarum, trade eam ministris tuis fidelibus, quoniam tu *eris haeres universorum*, ut verus naturalis Filius Dei. Et demum surge iterum, et veni de coelo cum sanctis tuis, et judica terram judicio ultimo, a quo nulla dari poterit appellatio: quia *haereditabis in omnibus gentibus*, quando *omnes inimici tui subjecti erunt sub scabellum pedum tuorum*: ut dicitur in psalmo 109. et sublato omni principatu, et potestate, tu solus pacifice cum Patre et Spiritu sancto regnabis per omnem aeternitatem.

PSALMUS LXXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Psalmi Asaph.

Hic est postremus psalmus ex iis, qui inscribuntur Asaph. De argumento tres invenio sententias. Recentiores volunt in hoc psalmo describi orationem regis Josaphat adversus Moabitas, Ammonitas, et Idumaeos; qui adversus eum conspiraverant ut dicitur, 2. Paralip. 20. Sed contra hanc sententiam facit, quod in hoc psalmo non tantum nominantur tres illae gentes, sed aliae sex, vel septem. Theodoretus, et Euthymius existimant, hunc psalmum continere bella gentium, quae erant in circuitu terrae promissionis adversus Judaeos, qui redierant ex captivitate Babylonica. Sed neque illae gentes tam multae erant, quam multae hic numerantur: solum enim 2. Esdr. 4. nominantur Ammonitae, Arabes, et Azotii: Probabilius est haec omnia contigisse tempore Machabaeorum, ut colligitur ex lib. 1. cap. 5. Machab. Sanctus Augustinus omnino contendit hunc psalmum intelligendum esse de bellis Antichristi adversus ecclesiam, quae sententia probabilissima videtur. Nam sine dubio cum Antichristo convenient omnes barbarae nationes, ac praesertim Orientales Agareni, et Ismaelitae, a quibus Mahumetani originem ducunt. Sed quicquid sit de sensu historico, non potest, nec debet negari, quin praecipua intentio Spiritus sancti ad Christum, et ecclesiam dirigatur.

EXPLICATIO PSALMI LXXXII.

1. *Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.*

Precatur Deum Propheta in persona populi, ut quoniam ipse est potentior omnibus inimicis, non amplius dissimulet vindictam sumere de persecutoribus populi sui. *Deus quis similis erit tibi?* idest nemo tibi comparari poterit in potentia, et robore cum tu solus sis omnipotens: ideo *ne taceas*, idest ne dissimules, *neque compescaris*, idest, ne te ipse mitiges, et compescas a sumenda vindicta, tu qui Deus es, cui nemo resistere potest. S. Augustinus satis apte ad Christum accomodat, qui in hoc mundo similis aliis hominibus videbatur; sed

in die Judicii nemo similis illi erit. quando apparebit *in gloria patris sui, et sedebit in sede Majestatis suae*, ut habetur Matth. 25. Qui etiam tempore passionis tacuit *sicut Agnus mansuetus*, et compescuit ipse se, sed in die Judicii non tacebit nec justissimam iram compescet; quando dicet, *ite maledicti in ignem aeternum*. Quod attinet ad verba, ex hebraeo s. Hier. sic vertit totum hunc versiculum, *Deus ne taceas, ne sileas, et non quiescas Deus*. Et quidem voces Hebraicae hunc sensum facere possunt, sicut etiam hunc, Deus ne silentium tibi sit. Sed etiam recipiunt hunc alium sensum; *Deus non similis tibi*, id est, nemo similis tibi est: quod Septuaginta per interrogationem eleganter expresserunt. *Deus quis similis erit tibi?* vox enim , דמי *domi*, deducitur a verbo, דמה *damah*, quod et *similem esse*, et silere significat. Illud, *neque compescaris* , in hebraeo proprie est, *neque quiescas*. Sed idem est sensus. Ultima vox, *Deus*, in hebraeo est , אל *El*, quae vox Deum significat, ut fortem, et robustum, ex qua intelligimus illud. *Quis similis tibi*, accipiendum esse de similitudine in potentia, et robore.

2. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput.*

Magna ratio cur Deus silere non debeat, hic adducitur; quoniam inimici ejus tumultum insolitum excitaverunt convenientes ex variis nationibus in maxima multitudine adversus populum Dei, et qui aliquando dissimulaverant, aperte se hostes professi sunt. Illud, *sonuerunt*, non significat sonitum tubae, aut tympani tantummodo, sed tumultum gravem, unde existit sonitus inconditus multitudinis; id enim proprie significat vox hebraica, המה *hamah*, quare s. Hieron. vertit, *Quoniam ecce inimici tui tumultuati sunt*. Illud, *extulerunt caput*, s. August. refert ad Antichristum, qui erit caput hostium Christi: ipso enim apparente, plurimi qui non audebant se hostes ecclesiae profiteri, palam se Antichristo adjungent, et tum ipsi efferent audacter caput suum proprium, tum etiam extollent caput commune omnium iniquorum, idest Antichristum.

3. *Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos.*
4. *Dixerunt, venite, et disperdamus eos de gente et non memoretur nomen Israel ultra.*

Hic explicat magnitudinem periculi, ut Deus non expectet diutius, neque differat auxilium: quoniam hostes non moliuntur excursionem, aut depredationem aliquam: sed ultimum exterminium, et perfectam desolationem Ecclesiae Dei. Ex hoc loco probabile fit, haec adimpleta esse utcumque, idest, tamquam in typo, et figura tempore Machabaeorum. Dicitur enim libro 1. cap. 5. convenisse omnes gentes, quae erant in circuitu, ut tollerent genus Jacob. Sed proprie pertinent haec omnia ad tempus Antichristi, tunc enim omni conatu contendent omnes impii simul congregati delere castra sanctorum. Sed verba consideremus. *Super populum tuum malignaverunt consilium*, idest, malignum consilium inierunt adversus totum populum tuum sed per malignum intelligi debet malitiosum, et astutum: nam verbum יערימו *jaharimu*, proprie significat, astute, et secreto consultiverunt, sicut etiam vox, סוד *sod*, quam *consilium* verterunt Septuaginta, significat secretum, ac per hoc consilium, quatenus secretum esse solet. Hoc autem consilium astutum, et secretum erit multiplex apud Antichristum, nam et consilium secretum habebit cum diabolo, quem occulte colet: et astuto consilio finget se Christum esse, ut Christianos decipiat; et simul circumcisionem, et sabbatha probabit, ut seducat Hebraeos. *Et cogitaverunt adversus sanctos tuos*, idest, malitiosum illud consilium excogitaverunt in perniciem fidelium tuorum, qui sanctificati sunt per sanguinem Unigeniti, et tibi proprie sanctificati, et dedicati sunt vel certe sancti tui sunt per sanctam fidem et religionem, quam susceperunt. In hebraeo legitur, על צפוניך *hal sephunecha* , *adversus absconditos tuos*, vel *abscondita tua*, vel *arcana tua*: proinde non desunt qui intelligant per hanc vocem *sanctuarii*, interiora: neque ab hac expositione dissentit graeca lectio, nam ἁγιων tam significare potest sancta tua, quam sanctos tuos. Caeterum editio latina vulgata antiquissima, quae sine variatione legit sanctos tuos, declaravit ambiguitatem, quae in hebraeo et graeco esse poterat. Recte autem fideles Dei dicuntur absconditi Dei, quoniam Deus sub umbra alarum suarum protegit eos: et quoniam (ut Apostolus dicit ad Coloss. 3.) *abscondita est vita nostra cum Christo in Deo, et cum apparuerit Christus vita nostra, tunc et nos apparebimus cum illo in gloria*: cui subscribit sanctus Joannes in Epistola 1. capitulo 3. dicens, *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus*. Itaque sancti Dei recte dicuntur absconditi, quoniam etsi Fidei professio non sit abscondita, tamen gloria et pretium inaestimabile hujus professionis abscondita sunt, et suo tempore revelanda. *Venite, et disperdamus eos de gente* , idest, efficiamus, ut non sint amplius gens, et populus, vel ut sanctus Augustinus exponit, *disperdamus eos de gente*, idest, de gentibus, ut inter gentes, sive homines nullum locum habeant. *Et nomen Israel non memoretur amplius*, idest, ne nomen quidem populi Dei supersit. Jam enim saepe monuimus per Israelem intelligi populum Dei, sive secundum carnem, sive secundum spiritum ab Israele descendat.

5. *Quoniam cogitaverunt unanimiter simul, adversum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumaeorum, et Ismaelitae.*
6. *Moab. et Agareni. Gebai, et Ammon, et Amalec: alienigenae cum habitantibus Tyrum.*
7. *Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium filiis Loth.*

Describit gentes, quae delere nitebantur populum Dei de terra. *Quoniam*, inquit, *cogitaverunt*

unanimiter simul, idest, consilium ceperunt uno animo omnes inimici Israel simul: ubi enim nos legimus, *cogitaverunt*, in hebraeo est, נוֹעֲצוּ *nohatfu*, *consultaverunt*, ac per hoc illud, *cogitaverunt*, significat inito consilio cogitaverunt. *Adversus te testamentum disposuerunt*, idest, foedus inieruut adversus populum tuum: vox enim testamentum, in sacris litteris pactum significat, et in textu hebraico expresse, בְּרִית *berith*, *pactum*, sive *foedus* legitur. *Tabernacula Idumaeorum et Ismaelitae*, etc. Isti sunt qui consultando inter se cogitaverunt, et pactum inierunt adversus populum Dei. Primum quidem Idumaei, sive potius tabernacula Idumaeorum; idest, integra castra Idumaeorum. Sunt autem Idumaei populi, qui descendunt ab Esau, qui alio nomine dicebatur Edom. Deinde Ismaelitae, idest, populi, qui descendunt ab Ismaele filio Abrahae ex Agar ancilla. Tertio *Moab*, idest, populus, qui descendit a filio Loth, qui dictus est Moab. Quarto *Agareni*, idest, populi, qui descendunt ex Agar ancilla Abrahae. sed ex alio marito, cui nupsit posteaquam dimissa fuit ab Abraham. Quinto *Gebal*, idest, populus, qui descendit a Gebal. Utrum autem Gebal sit nomen viri, an regionis incertum est, cum hoc nomen non inveniatur in scripturis, nisi hoc loco fortasse idem est Gebal cum Gebelem, cujus fit mentio lib. 2. reg. cap. 8. ubi dicitur, *Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in valle salinarum, caesis decem et octo millibus, et in Gebelem ad viginti tria millia*, vel est idem cum Geba, de qua dicitur lib. 2. Esdr. capit. 12. *de domo Galgat, et de regionibus Geba*. Theodoretus, et Euthymius dicunt, Gebal fuisse gentem vicinam Idumaeis, Sexto Ammon, idest, populus, qui descendebat ab Ammon filio Loth fratre Moab: hos enim duos genuit Loth ex filiabus suis Genes. 19. Septimo *Amalec*. idest. populus, qui descendebat ab Amalec, qui fuit nepos Esau. ut legitur Genes. 36. Octavo *Alienigenae*, idest, populus Philistinorum, de quibus frequentissima mentio est in libris regum. In hebraeo habetur, פְּלֶשֶׁת *pelescet*, *Palaestina*, sed Septuaginta hanc unam gentem perpetuo alienigenas vocare solent. Nono, habitantes Tyrum, idest, Tyrii, qui sunt populi ad mare, sic dicti a Tyro civitate, atque emporio nobilissimo. Decimo Assur, qui venit in Auxilium filiis Loth, idest. populus Assyriorum, qui juvabant Moabitas et Ammonitas adversus Judaeos. Per hos Assyrios recte Theodoretus interpretatur Samaritanos, idest Assyrios, quos constituit Salmanasar rex Assyriae in Samaria, quando transtulit decem tribus in Assyriam, ut habetur lib. 4. reg. cap. 17. Non enim legitur in scripturis; quod aliquando venerint aliqui ex Assyria in adjutorium filiis Loth, idest, Moabitis et Ammonitis: sed legimus in primo libro Machab. cap. 5. quod gentes, quae erant in Galilaea, et Samaria, conjunxerint arma cum Moabitis, et Ammonitis adversus Judaeos. Porro isti decem populi significant, ut supra diximus, gentes quae pugnaverunt cum Machabaeis, vel potius multitudinem orientalium barbarorum, qui cum Antichristo gravissimam persecutionem movebunt adversus ecclesiam.

8. *Fac illis sicut Madian, et Sysarae, sicut Jabin in torrente Cisson.*

Praedicit nunc Propheta per modum imprecationis exterminium gentium, quae cum Machabaeis praeliabantur, sed praecipue Antichristi, et exercitus ejus, comparans illos aliis persecutoribus, qui similiter perierunt. *Fac illis*, inquit, *sicut Madian*, idest, disperde eos, sicut olim tempore Gedeonis judicis dispersisti, ac penitus profligasti Madianitas. Historia haec habetur in lib. Jud. cap. 6. et 7. *et Sisarae*, idest, sicut tempore Barach judicis perdidisti Sisaram principem militiae Jabin regis. *Et Jabin, in torrente Cisson*, idest, et sicut delevisti ipsum Jabin regem Chanaam cum exercitu suo prope torrentem, qui dicitur Cisson. Habetur haec historia in lib. Jud. cap. 4. et 5. Meminit autem Propheta horum principum prae caeteris, quoniam devicti sunt non sine miraculo a paucis hominibus: et magis terrore a Deo immisso, quam viribus Judaeorum.

9. *Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terrae.*

Describit locum, ubi perierint Jabin, et Sisara cum exercitu suo; locus enim fuit Endor, cujus fit mentio in lib. Josue cap. 16. Ibi ergo perierunt, et facti sunt ut stercus terrae, quia insepulti computruerunt, et a maxima gloria ad summam ignominiam redacti sunt.

10. *Pone Principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana.*

Revertitur ad historiam Gedeonis, qui non solum exercitum Madianitarum profligavit; sed etiam paulo post interfecit quos principes Madianitarum, *Oreb, et Zeb*, et quos reges *Zebee, et Salmana*. Vide in lib. Jud. cap. 7. et 8.

11. *Omnes principes eorum, qui dixerunt, Haereditate possideamus sanctuarium Dei.*

Pone, inquit, sicut reges et principes Madianitarum omnes principes eorum populorum, qui dixerunt, *Haereditate possideamus*, idest, tamquam haereditatem, et propriam possessionem vindicemus nobis *sanctuarium Dei*, idest, civitatem Jerusalem, quae erat sanctificata Deo, ut proprium ejus habitaculum. Significat autem Jerusalem (ut saepe diximus) ecclesiam Dei, quam totis viribus sibi subjicere, et captivare conabitur Antichristus. In hebraeo pro, *sanctuarium*, habetur, נְאוֹת *nehot*, quam vocem sanctus Hieronymus vertit, *pulchritudinem Dei*. sed commodius verti posset, pulchra habitacula Dei. Septuaginta verterunt sensum. Habitacula enim Dei, sanctuaria sunt.

12. *Deus meus pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.*

Aptissima similitudine describit Propheta instabilitatem, et interitum impiorum, quae procedun-

ex justo judicio Dei. Rota enim semper circumvolvitur, cum ruit in praeceps, nec ad punctum temporis consistere potest, et tandem tota confringitur; sicut etiam stipulae stante vento huc illucque jactantur, donec dissipatae non amplius compareant. Ad hunc modum praedicit Propheta per modum imprecationis, Deum acturum esse cum impiis persecutoribus justorum: et re vera sic fieri experientia testis est, nihil enim instabilius est prosperitate impiorum; et finis eorum, mors aeterna erit.

13. *Sicut ignis, qui comburit sylvam, et sicut flamma comburens montes.*
14. *Ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos.*

Praedixit supplicium impiorum, instabilitatem in hoc saeculo, et interitum in futuro: nunc praedicit velocitatem, et facilitatem, qua Deus illos puniet: nam non contentus similitudine venti dissipantis stipulas, comparat iram Dei igni comparenti ligna sylvarum, aut foenum camporum. *Sicut*, inquit, *ignis qui comburit ligna sylvarum*, inter quae multa sunt arida, et velocissime absumuntur, *et sicut flamma comburens montes*, idest, foenum in montibus, praecipueque cum siccum fuerit, *Ita persequeris eos*, idest, pari facilitate, et celeritate persequeris, et perdes eos *in tempestate tua*: quod declarans addit, *et in ira tua turbabis eos*. Idem enim est tempestas, et ira, utrumque enim justum Dei judicium significat, quod instar vehementissimae tempestatis, et turbinis, cui resisti nullis viribus potest, impios percellet, conturbabit, et dissipabit. S. Augustinus notat impios comparari montibus propter elationem ac superbiam, et lignis sylvarum propter sterilitatem, et carentiam fructuum bonorum, ob quae jure sempiternus ignis illis debeatur.

15. *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum Domine.*
16. *Erubescant, et conturbentur in saeculum saeculi, et confundantur, et pereant.*
17. *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.*

Praedicit in fine psalmi, alios ex persecutoribus per flagella erudiendos et convertendos ad Deum; quales erunt plurimi Judaei, qui tunc demum agnoscent errorem suum et pudefacti convertentur ad Deum: alios in pertinacia, et obstinatione sua permansuros; sed eos quoque confundendos, et vel invitos cogniturós potentiam Dei singularem, et quod ipse solus sit verus Dominus omnium rerum. *Imple*, inquit, *facies eorum ignominia*, idest, confusione, ut ignominiam suam intelligentes verecundati *quaerant nomen tuum*, idest, invocent nomen tuum, vel *quaerant nomen tuum*, idest, quaerant gloriam tuam, non amplius suam, ex inimicis amici facti, et ex servis filii. Illi autem, qui ex flagellis non molliuntur, sed obdurantur ad imitationem Pharaonis, *erubescant, et confundantur in saeculum saeculi*, idest, aeterna confusione repleantur; nec solum confundantur, sed etiam *pereant in aeternum. Et cognoscant inviti quia nomen tibi Dominus*, idest, jam propria experientia edocti intelligant, tibi soli nomen Domini proprie convenire, cui ad nutum serviunt omnia, et tu nulli necessitati servis, qui nulla re indiges, in te ipso habens omnia: caeteros autem, qui dicuntur Domini, vel usurpasse nomen alienum, vel improprie Dominos dici, cum et ipsi multis rebus indigeant, ac per hoc multis necessitatibus serviant. *Tu solus altissimus in omni terra*, idest, et cognoscant, quia tu solus praemines potestate super omnes principes universae terrae; neque ullus est qui tecum contendere, vel tibi ullo modo comparari possit. Haec Prophetia nunc ex parte impletur, sed in die judicii omnino, et absolute implebitur.

PSALMUS LXXXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro torcularibus, filiis Core Psalmus.

De hoc titulo alibi diximus. Argumentum idem fere est, quod psal. 41. cujus initium est, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*. Utrumque psalmum videntur nonnulli nimis humiliter exponere dum docent, vel Davidem, vel populum in hoc psalmo exprimere desiderium redeundi ad terrenam Jerusalem, ut tabernaculum Domini visitare posset: longe autem humilius exponunt, qui docent Coritas in hoc psalmo proferre desiderium suum redeundi ex Babylone in Jerusalem, ut possent deservire tabernaculo, unde victum capiebant. Nos cum patribus existimamus, tam ardens desiderium, quale in hoc psalmo legimus etiam ad litteram, ad coelestia tabernacula

pertinere, et nihil terrenum, nihil humanum, nihil corporale Spiritum sanctum his suis vocibus exprimere voluisse: et ideo ab Ecclesia Catholica peregrinante cantica ista frequentari, etiamsi tabernaculum, quod erat in Jerusalem, jamdudum conflagraverit, et ipsa Jerusalem funditus eversa fuerit.

EXPLICATIO PSALMI LXXXIII.

1. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.*

Haec vox est hominis pii peregrinantis an patriam, et desiderium perveniendi declarantis; nascitur autem hoc desiderium, tum ex foelicitate, quae est in patria, tum ex miseria, quae est in peregrinatione. Vir enim pius, quantumvis in hoc exilio abundare videatur terrenis rebus, intelligit tamen se miserum esse, *et persecutionem pati*, ut Apostolus dicit 2. ad Timoth. 3. Quoniam ipsa etiam terrena prosperitas magna tentatio, et persecutio est. Ait igitur. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum* ! vox est admirantis, quasi dicat, o quantum diligunt omnes pii tabernacula tua. coelestes videlicet mansiones tuas o Domine exercituum ! vocat autem Dominum exercituum, quia hoc ipsum facit pulchra valde,et amabilia tabernacula coelestia, quod ibi sint innumerabiles exercitus Angelorum, idest, civium sapientissimorum, optimorum, potentissimorum, pulcherrimorum: quorum vel unus sufficeret laetificare peregrinationem nostram, si cum toto suo decore nobis appareret; sed praeter exercitum tantum tantorum Principum, ibi videtur facie ad faciem Dominus virtutum,cujus comparatione fulgor omnium angelorum tenebrae sunt. Recte notat hoc loco Theodoretus,non fuisse in terrena Jerusalem plura tabernacula Dei, sed unicum: ac propterea non de illo uno ligneo, et deaurato, ac manibus hominum constructo tabernaculo, Prophetam hoc loco intelligendum esse, sed de coelestibus tabernaculis non manufactis,de quibus Dominus dicit Joan. 14. *In domo patris mei mansiones multae sunt. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Dixerat in genere tabernacula Domini multum diligi a piis peregrinis: nunc se in eorum numero ponit, ac dicit, *Concupiscit*, *et deficit anima mea*, quasi dicat, Ego certe ita desidero atria illa, ut prae amore langueam, et anima mea defi ciat, ac deliquium patiatur, in atria Domini intendens, et pulchritudinem eorum considerans.

2. *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Declarat vim amoris et desiderii sui per effectum qui enim vehementer amat, et desiderat; corde recogitat, et ore laudat, quod desiderat. *Cor meum*, inquit, *et caro mea*, idest, mens, et lingua exultando laudaverunt Deum vivum: ipse enim est pulchritudo increata, et infinita, cui suspiro. In hebraeo pro exultaverunt est, רננו *ierannenu jubilaverunt*, sive magna voce laudaverunt; proinde illud, *exultaverunt*, non debet accipi pro sola laetitia: sed pro laetitia prorumpente in vocem jubilationis.Neque repugnat hic versiculus cum superiore, etiamsi ibi anima deficiat,hic exultet; varii sunt enim amantium affectus: nunc deflent absentiam rei amatae, et prae amore deficiunt: nunc exultant ob spem potiundae rei tam pulchrae: et in laudes ejus erumpunt. *Deum vivum*, seu viventem appellat non solum ad distinctionem idolorum, *quae oculos habent, et non vident, aures habent, et non audiunt*, ut dicitur in Psal .113. quia res inanimae sunt: sed etiam quia Deus solum propriissime vivit; vivere enim est moveri non ab alio, sed a se: res autem creatae quae vivere dicuntur, quia habent in se principium aliquod motus, tamen sine Deo non moventur; *in illo enim vivimus, movemur, et sumus*, Act. 17. Solus Deus ita vivit, ut a nullo moveatur, idest, a se solo habet intelligere, et velle, et ideo ipse solus est vita, ipse fons vitae non aliunde accipiens. sed omnibus tribuens. *In ipso*, inquit Joan. cap. 1. *vita erat lux hominum.*

3. *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi. ubi ponat pullos suos.*
4. *Altaria tua Domine virtutum rex meus,et Deus meus.*

Hi versiculi obscuri sunt, et ab aliis aliter exponuntur. Sanctus Hieronymus et Theodoretus videntur satis commode eos explicuisse. Eos secutus, hunc sensum esse existimo, optaverat sanctus peregrinus domum coelestem : sed interim dum ejus possessio differtur, consolatur se. quod vel nidulum in terris invenerit, altaria videlicet Domini sui, nihil enim habemus in terris, quod melius nobis repraesentet tabernaculum coeleste, quam sacrum altare. Ibi enim adest multiplex memoria rerum coelestium ; ibi quotidie immolatur Agnus Dei, qui sanguine suo aperuit credentibus regna coelorum ; ibi futurae gloriae nobis pignus datur, ibi Deo propius astamus, eique intentius supplicamus ; ibi effundimus corda nostra, et divinas laudes devotius et attentius, quam usquam alibi decantamus. Ait igitur, *etenim passer invenit sibi domum*, idest omnia animantia quaerunt sibi locum aliquem quietis: et ipse etiam passerculus invenit sibi domum, idest. nidulum aliquem : *et turtur nidum sibi*, idest non solum animalia,quae delectantur frequentia ut passeres; sed etiam animalia solitaria, ut turtures, parant sibi nidos, ubi ponant pullos suos.et cum eis quasi securae quiescant. *Altaria tua Domine*, idest, mihi vero, sive activam vitam ducam, more passerum, sive con-

templativam more turturum, *altaria tua nidi sunt*, ubi interim paulisper quiescam, et ubi vota mea et casta desideria, piasque meditationes et preces, et laudes, quasi pullos reponam. *Altaria*, inquam, *tua, rex meus, et Deus meus*, idest qui me regis, dum ut passer huc, et illuc vagor, et qui me consolaris, dum ut turtur solitarius gemo, sive *rex meus*, cui milito, dum aucupes mihi ut passeri laqueos tendunt, et *Deus meus*, cui vaco, dum ut turtur viduus divina contemplor. In hebraeo non habetur proprie nomen turturis, idest, תור *thor*, sed, דרור *deror*, quod proprie *libertatem* significat, et quia aviculae libere volant per aerem, hebraei hoc nomine, avem significari volunt. Caeterum fieri potest, ut septuaginta legerint *thor*, non, *deror*, facile enim fuit successo temporis, ut ex litera ת sint factae duae literae, ר, ד, *res* et *daleth*, vel si hoc non placeat dicemus, septuaginta interpretes, nomen generale avis, restrinxisse ad turturem; quomodo nunc Rabbini illud idem nomen restringunt ad hirundinem: nec enim minus libere volant per aerem turteres, quam hirundines, et mystica significatio requirebat, ut nomen turturis hoc loco, non hirundinis poneretur.

5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.*

Dixerat se invenisse nidum, ubi interim requiesceret: sed ex ipso nido admonitus, quanto melior sit domus aeterna nidulo temporali, exclamat, *beati, qui habitant in domo tua Domine*, id est, ergo quidem in hoc nidulo paulum quiesco, sed illi vere beati sunt, illi foelicissime requiescunt, *qui habitant in domo tua*, ubi divitiae et gloria, ubi mansiones multae, ubi pax et securitas sempiterna est. Et quoniam non habent necesse in sudore suo vesci pane suo, neque in aliorum gratiam laborare, ubi nulli sunt egentes: id solum illis superest, negotium, *ut in saecula saeculorum laudent te*: neque in periculum est, ut taedeat semper laudare quem numquam taedebit semper amare; et quem sine labore, sine fatigatione, sine satietate laudabunt.

6. *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit: in valle lachrymarum in loco quem posuit.*

Dixit beatum esse, qui habitat in domo Domini, nunc addit, beatum etiam esse, si non in re, saltem in spe eum qui fretus divino auxilio decernit firmiter in corde suo non haerere in valle, sed ascendere semper magis per gradus virtutum, donec ad locum perveniat, quem posuit Deus finem omnium laborum, quae est aeterna beatitudo. Duae sunt autem hujus versiculi expositiones, una si solum latinum contextum inspiciamus, altera, si eum cum graeco, et hebraeo concordare velimus. Prior haec est, *beatus* ille *vir* est *cujus auxilium* non in propriis viribus, sed *in te* Domine est: hic enim *ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum*, id est, disposuit semper ascendere, ad majorem virtutis persecutionem, dum est in hac mortali vita, quae est vallis lachrymarum. *In loco quem posuit*, id est, in valle lachrymarum, quem locum ipse sibi peccando constituit. Deus enim in paradiso eum posuerat, sed ipse sibi locum posuit in valle lachrymarum. Posterior expositio haec est, *beatus vir, cujus est auxilium abs te*, idest, qui non confidit in viribus suis, sed a te auxilium expectat. *Ascensiones in corde suo disposuit*, idest, Deus disposuit in corde ejus numquam stare, vel retrocedere, sed de gradu inferiore ad superiorem ascendere. *In valle lachrymarum*, idest, per vallem lachrymarum, dum videlicet peregrinatur in hac valle plena periculis, et tentationibus, *in loco quem posuit*, idest, usque ad locum sive habitaculum, quod idem Deus statuit tamquam metam, et finem peregrinationis. Quod attinet ad verba, in hebraeo multo aliter legitur hic versiculus: ac primum pro illis verbis, *cujus est auxilium abs te*, in hebreao habetur, עוז לו בך *hhoz lo cach fortitudo ei in te*, sed idem omnino est sensus. Idem enim est, *cujus auxilium abs te est*, et *cujus fortitudo in te est*. Pro, *ascensiones*, in hebraeo habetur *semitas*, sed per semitas intelliguntur altae semitae, vel etiam *exaltationes et gradus*: nam סלל *salal* exaltare significat: inde, מסלות *mesilloteh*, *ascensiones*, et altas semitas significat, pro *in corde suo*, in hebraeo est, בלבבם *bilbabam*, *in corde eorum*; tamen et septuaginta et s. Hieron. verterunt in singulari, *in corde ejus*: et sic etiam legit s. August. qui refert verbum, *disposuit*, et verbum *posuit*, ad Deum. Ipse enim disponit in corde nostro ascensiones ad locum, quem ipse posuit: et non est novum, ut in latina editione accipiatur, suo, pro ejus; sicut etiam aliquando accipiantur ejus, pro suo, ut Joan. 8. *Patrem ejus dicebat Deum*, idest, patrem suum. Pro, *disposuit*, in hebraeo est, *transeuntes*: sed septuaginta vocem hebraicam, עברי *hobere*, non deduxerunt a verbo, עבר *habar*, quod est *transire*, sed a verbo, עבר *habad*, quod est *servire, facere, operari*, et legerunt sine ultima litera, *habad operatus est*, quod est, idem cum verbo *disposuit*, sic legendam esse hanc vocem, non solum colligimus ex literarum similitudine, et ex convenientia cum textibus graecis, et latinis, sed etiam quia si legerimus, *transeuntes*, vix divinari posset, quis esset sensus hujus loci. Denique pro, *loco*, in hebraeo est *fontem*. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, מעין *mahian*, idest, *fontem*, sed, מעון *manhon*, locum, sive habitaculum; ex quo etiam intelligimus, per locum, sed locum commodum ad habitandum, et recte a s. Augustino referri ad mansionem coelestem, et quod nos legimus, *in loco, quem posuit*, clarius habetur in graeco, εἰς τόν τόπον. *in locum quem posuit*, et sic legit sanctus Augustinus. Interpres enim latinus aliquando non servat constructiones grammaticales: nam et apud Joan. capit. 7. legimus, *ambulabat Jesus in Galilaeam; non enim volebat in Judaeam ambulare*: pro, in Galilaea, et in Judaea.

7. *Etenim benedictionem dabit legislator ; ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Declarat Propheta, quomodo vir justus ascendens per vallem lacrymarum perveniet ad locum quietis, quem Deus posuit : ac demonstrat initium, medium, et finem hujus ascensionis. Initium est justificatio , sine qua lex impleri non potest ; medium est impletio legis; finis est visio Dei, in qua beatitudo consistit. *Etenim benedictionem dabit legislator.* idest, legislator Deus, qui dedit legem et eam viam esse voluit ad vitam, justa illud Matth. 19 *Si vis ad vitam ingredi serva mandata ; dabit etiam benedictionem,* abundantem videlicet gratiam per Spiritum sanctum justificando a peccatis, infundendo charitatem , pellendo timorem. *Ibunt de virtute in virtutem* , idest , accepta gratiae benedictione proficient quotidie in melius magis ac magis roborabuntur, superantes omnem difficultatem, et resistentes omni tentationi: per virtutem enim hoc loco intelligitur robur , et potentia. *Videbitur Deus Deorum in Sion*, idest,et sic tandem pervenient ad montem Sion coelestem , ubi videbitur facie ad faciem Deus unus, et verus, qui est Deus, non solum coeli et terrae, sed etiam angelorum, et beatorum, qui participatione sunt Dii. In hebraeo , ברכות *berachoth* , graeco textu εὐλογίας, habetur in numero multitudinis, *benedictiones*, ut intelligamus , multiplicem esse gratiam Dei, quae non solum delet peccata, sed etiam juvat ad opera bona facienda, et legem implendam. Illud autem *dabit legislator*, s. Hieron. ex hebraeo vertit, *amicietur Doctor* , ut sensus sit , benedictionibus vestietur qui docet legem Dei. Sed septuaginta Interpretes verbum, יעטה *iahter* acceperunt active, ut revera est , non passive , ut sensus sit, Benedictionibus vestire legislator ascendentes in convalle lacrymarum. Idem autem est , dare benedictionem, et, vestire benedictionibus , nisi quod prior sententia est propria , posterior metaphorica. Solent enim septuaginta Interpretes vertendo verba hebraica in graeca explicare metaphoras, ut sententia facilius intelligatur. De voce legislatoris, et doctoris non debet fieri quaestio: omnis enim legislator est doctor , quia dum leges condit, et praebet , hoc ipso docet quae sit recta via: et quoniam hoc loco de Deo sermo est , maluerunt septuaginta vertere. *legislatorem*, quam simpliciter Doctorem ; quia Deus non docet explicando legem ab alio datam , sed ipse dedit leges ipse explicat , ipse juvat ut impleantur. Illud , *ibunt de virtute in virtutem*; quamvis sit explicandum de vi, et robore, ut sonant voces hebraicae , מחיל אל חיל *mechail et chail* , et graecae ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν, hoc loco positae : tamen non male s. Augustin. exponit de virtutibus moralibus, justitia, prudentia, fortitudine, et de virtute contemplationis divinae , quia istae virtutes roborante animum adversus tentationes , et vitia; ut sensus sit, *ibunt de virtute in virtutem*, idest, de virtute actionis ad virtutem contemplationis , sive de virtutibus necessariis in via ad virtutem , quae habebitur in patria , ubi non erit necessaria ista prudentia, cum nulla mala vitanda occurrent ; neque justitia ista, cum nulla sit futura injustitia, neque ista fortitudo , cum nullus instabit timor : neque ista temperantia, cum nulla erit fraenanda libido.

8. *Domine Deus virtutum , exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Jacob.*

Revertitur ad gemitum suum cupiens esse ex illis , qui ascendunt ex convalle plorationum , et pergunt foelici itinere de virtute in virtutem. *Domine Deus virtutum*, tu qui fortissimus,et potentissimus, ac virtute plenissimus es, exaudi orationem meam,qua peto gratiam ambulandi de virtute in virtutem, et virtute corroborari in interiori homine. *Auribus percipe Deus Jacob* , tu inquam , qui es Deus fidelium tuorum, quorum Pater est s.Jacob,exaudi orationem meam, qui unus sum ex populo tuo, ex filiis Jacob secundum spiritum.

9. *Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.*

Imploravit Dei auxilium, sumens argumenta ad impetrandum, quod ipse potentissimus sit , et curam gerat populi sui: nunc eadem repetit aliis verbis , sed majori efficacia. Quod enim dixit, *Deus virtutum* , nunc dicit, *protector noster* , et in hebraeo , מגננו *magghnnenu* , *clypeus noster* , ubi ostendit, Deum esse potentissimum ad protegendum populum suum, esse videlicet Deum quasi fortissimum clypeum populi sui. Ibi dixerat , *exaudi orationem*, hic dicit. *aspice*, quasi dicat, *non solum audi me*, sed tu ipse vide, et considera pericula, in quibus versor. Ibi dixerat, *auribus percipe Deus Jacob*, hic dicit , *respice in faciem Christi tui*, idest, respice verum principem populi tui, Messiam videlicet, Agnum sine macula , qui tollit peccata mundi, ac propter eum protege nos. S. Augustinus exponit, *respice in faciem Christi tui*, idest, fac ut omnes respiciant in faciem Christi, agnoscant eum, credant in eum , obediant ei. Sed prior sensus est magis litteralis,et magis communis. Neque obstat , quod tempore Davidis nondum esset verbum incarnatum , neque *mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus interpellare coepisset pro nobis*, 1. Timoth. 2. Merita enim Christi ab aeternitate fuerunt in conspectu Dei, unde dicitur in Apocalypsi 13. *Agnus occisus ab origine mundi* , quoniam ab origine Mundi Deus propter merita passionis Christi praevisa , multa beneficia praesertim spiritualia servis suis concessit. *Qui benedixit nos*, inquit Apostolus ad Ephes. 1. *omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo. sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem.*

10. *Quia melior est dies una in atriis tuis, millia.*

11. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei , magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

Ut ostendat sanctus peregrinus Dei, se non petivisse protectionem adversus temporalia mala ,

sed adversus tentationes, et pericula spiritualia, quae impediunt ascensum ad domum Dei; subjungit, tantam esse coelestis patriae foelicitatem, ut optabilis sit unum diem tantum ibi manere, quam mille diebus alibi: et melius sit in eo loco inter ultimos sedere quam alibi inter primos. quae duae comparationes si serio cogitentur, magnum affectum in corde puro gignere possunt. Illud, *quia*, reddit causam, cur tanto affectu dixerit, *protector noster aspice*, etc. quasi dicat, ideo cupio valde protectionem tuam in hac ascensione ad patriam, quia nimis magna esset jactura, si ad patriam illam non pervenirem. *Melior est enim habitatio unius* diei in atriis illis coelestibus, quam mille, idest, innumerabilium dierum alibi: sic exponit s. Augustinus in lib. 3. de lib. arb. cap. ult. Tanta, inquit, est pulchritudo justitiae, tanta jucunditas lucis aeternae, hoc est, incommutabilis veritatis, atque sapientiae, ut etiam si non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitae pleni deliciis, et circumfluentia temporalium bonorum recte, meritoque contemnerentur: non enim falso, aut pravo affectu dictum est, *Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia.* Idem tamen s. Augustinus, et hoc loco, idest, in commentario hujus psalmi et in lib. cir. de liber. arbitr. scribit, per unam diem, intelligi posse diem aeternitatis, quae una est et eadem semper manens: per millia dierum, tempora volubilia, et instabilia hujus vitae, quae quantumvis multiplicentur, semper longe inferiora erunt die semper manentis aeternitatis. Sed prior sensus est magis litteralis, et magis cohaeret cum sequenti comparatione. *Elegi*, inquit, *abjectus esse in domo Dei mei*. idest, tanta est dignitas domus aeternae in coelis, ut malim ibi sedere ad januam cum ultimis, quam *habitare in tabernaculis peccatorum*: vox enim hebraica, quam noster Interpres vertit, *abjectus esse*, est הסתופף *histopheph*, quae proprie significat, sedere ad januam more janitoris: nam, סף *saph*, limen significat, et ducta est similitudo a janitoribus tabernaculi, qui erant infimi omnium ministrorum domus Dei, ut patet ex lib. 1. Paralip. cap. 9. Recte autem vocat Prophèta palatia hujus mundi, tabernacula peccatorum, tum quia in domo coelesti nulla invenitur iniquitas; hic autem nemo est, qui non peccet: tum quia respectu domus coelestis sunt veluti tentoria quaedam, quae facile mutantur, et fundamento carent: non enim haec est eadem vox, quae in principio psalmi. Ibi enim vox hebraica, משכנותיך *michenotheca*, proprie significat tabernacula, sive tentoria, quae transferuntur de loco ad locum.

12. *Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus, gratiam, et gloriam dabit Dominus.*

Consolatur hoc versiculo, et sequenti Propheta virum justum ascendentem in valle lachrymarum, atque ad patriam anhelantem: promittit enim illi a Deo gratiam, et gloriam: gratiam per quam justificetur, et in justitia proficiat, dum de virtute in virtutem ascendit; et gloriam, per quam glorificetur, cum ad Sion montem pervenerit, ubi Deus Deorum, non jam per fidem, sed per speciem se videndum praebebit. Probat autem, gratiam, et gloriam dandam a Deo justis hominibus, quia misericordiam, et veritatem diligit Deus. *Qui enim misericordiam diligit, miserebitur*, et misereudo gratiam dabit: quia *veritatem*, idest, justitiam *diligit*, reddet fideliter quod promisit diligentibus se, ut s. Jacobus scribit cap. 1. In hebraeo, pro his verbis, *misericordiam, et veritatem diligit Deus* habetur *sol, et scutum Dominus Deus*, et quidem probabile est septuaginta Interpretes, pro voce, שמש *scemes*, quae *solem* significat, legisse, שמן *scemen*, quae significat *oleum*. Sic etiam pro voce, יהוה quae significat *Dominus*, probabile est eos legisse, יאוח, *ieve*, quae significat, *dilige*. Denique probabile est, eos per oleum, et scutum, intellexisse misericordiam, et veritatem: quia oleum misericordiam significare solet, et de veritate scriptum est in psalm. 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus*. Tamen si quis contendat, omnino esse legendum in hebraeo, *quia sol, et scutum Dominus Deus gratiam, et gloriam dabit Dominus*, idem sensus erit: nimirum, quia Dominus Deus Sol, et scutum est; ut scutum dabit gratiam protectionis in via; ut sol dabit gloriam manifestae visionis in patria.

13. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, Domine virtutem, beatus homo qui sperat in te.*

Confirmat quod dixit, et restringit promissionem gratiae, et gloriae ad eos qui ambulant in innocentia; quasi dicat, Deus misericors, et justus non privabit bonis gratiae et gloriae, quae sola sunt vere, et absolute bona, eos qui semel justificati ambulant in innocentia, perseverantes, et proficientes in fide, spe, et charitate. Alioqui enim, si retrocedant, et ambulent in iniquitate, a gratia excident, et pro gloria confusionem accipient. Concludit psalmum conversus ad Deum. *Domine*, inquit, *virtutum*, idest, exercituum, *beatus erit* qui in te confidit confidentia vera, ac solida, quam fides vera, et conscientia bona gignere solet.

PSALMUS LXXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem filiis Core, Psalmus.

Duae sunt de argumento hujus psalmi tractatorum sententiae. Alii enim volunt commemorari a Propheta liberationem populi ab una captivitate, et inde argumento sumpto orari pro liberatione ab alia captivitate, commemorari videlicet liberationem a captivitate Ægyptiaca, et orari pro liberatione a captivitate Babylonica, vel commemorari liberationem a captivitate Ægyptiaca, et Babylonica, et orari pro liberatione a captivitate diaboli, quae per illas figurata fuerat. Alii, et fortasse rectius, existimant, in hoc psalmo de una tantum captivitate agi, idest, de captivitate generis humani sub principe tenebrarum, a qua liberamur per Christum Dominum nostrum; sed in primis tribus versiculis praedici liberationem ab hac captivitate, in reliquis orari pro executione praedictionis. Cur autem praedictio de re futura exponatur per verba temporis praeteriti, causa est, quoniam quae nobis futura sunt, in Dei praescientia, et decreto jam facta sunt.

---

1. *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.*

Initio psalmi propheta, Spiritu sancto revelante, aeternum Dei decretum de futura liberatione nobis aperit; ac primum docet primam causam, et ultimum effectum nostrae liberationis. Prima causa fuit dilectio, qua Deus dilexit genus humanum. Cur enim Deus *sic mundum dilexerit, ut filium suum unigenitum daret*, per quem redimeremur *et omni benedictione benediceremur*, ut loquitur Dominus Joann. 3. et Apostolus ad Ephes. 1. nulla ratio reddi potest, nisi ipsa Dei bona voluntas, sive beneplacitum, et misericordia. Ultimus effectus erit perfecta liberatio a captivitate, quam habebimus in resurrectione, quando perveniemus ad libertatem gloriae filiorum Dei. Nunc enim ex parte liberati sumus, sed expectamus redemptionem corporis nostri, per quam liberabimur ab omni corruptione, et necessitate. Ait igitur, *benedixisti Domine terram tuam*, idest, propter peccatum primi hominis maledixisti terrae, quam ipse feceras, et hominibus inhabitandam dederas: sed scio etiam, te revelante, quod in mente tua, in decreto tuo, *benedixisti terram tuam;* decrevisti enim in aeterno beneplacito tuo terram tuam, quam fecisti visitare, et benedicere omni benedictione, et gratia, mittens ad eam unigenitum tuum *plenum gratiae et veritatis*, ut est Joan. 1. hebraeus, et graecus codex clarius explicant hanc primam causam omnium bonorum nostrorum, quae est bona voluntas Dei. Vox hebraea est, רצית *ratzitha*, quae significat proprie, *bene tibi placuisti in terra tua*, sive bene voluisti terrae tuae. Vox graeca εὐδόκησας significat, bene voluisti terrae tuae. Inde est εὐδοκία quam saepissime legimus in evangelio, et in Apostolo commendatam, ut initium, et radicem omnium beneficiorum Dei. Sicut autem maledixit Deus terrae, non propter ipsam sed propter inhabitantes: sic etiam benedixit terram propter habitantes: quare tota ista benedictio ad homines referenda est. *Avertisti captivitatem Jacob.* Hic exprimitur ultimus effectus misericordiae Dei qui erit perfecta liberatio a captivitate, in quam incidimus per peccatum. *Avertisti*, inquit, *captivitatem Jacob*, idest, jam in aeterno decreto tuo per mortem filii tui praevisam placatus, removisti, sive dissolvisti captivitatem populi tui Jacob, ut deinceps fruatur libertate gloriae filiorum Dei. Ex hebraeo, שבת *sciabtha* pro *avertisti*. S. Hieron. vertit, *reduxisti*, sed idem est sensus. Nomine autem Jacob intelligitur, teste s. Augustino, totus populus Dei, sive ex Jacob descendat secundum carnem, quales sunt Judaei credentes in Christum, sive secundum spiritum fidei, quales sunt gentiles conversi ad Christum, *qui sunt quasi rami oleastri inserti in bonam olivam et quasi lapides vivi superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum*, ut Apostol. docet ad rom. 9. et 11. et ad Ephes. 2.

2. *Remisisti iniquitatem plebis tuae, operuisti omnia peccata eorum.*

Declarat nunc modum, quo Deus benedicens terrae suae dissolvit captivitatem Jacob: ac dicit id eum fecisse, remittendo peccata populi sui. Sicut enim peccatum fuit causa captivitatis, ita remissio peccati fuit causa liberationis a captivitate. *Remisisti* inquit, *iniquitatem plebis tuae*, id est, in mente, et decreto tuo condonasti iniquitatem populo tuo, ob quam iniquitatem tradideras eumdem populum diabolo, tamquam administro justitiae tuae. *Operuisti omnia peccata eorum*,

haec est repetitio, et declaratio ejusdem rei, *operuisti* idest, abscondisti a facie tua, ut non videres ad puniedum : quia vero Deus non potest non videre id quod re vera est, quantumvis abscondatur, et tegatur, ideo quando Deus tegit peccata, omnino illa delet, et remittit, ut nusquam sint; et, ut alibi diximus, tegit Deus peccata, quando ea remittit, non quasi velo occultante, sed quasi emplastro curante, et sanante. Dicit autem, *omnia peccata eorum*, ut explicet quod dixerat, *iniquitatem plebis tuae*, non significare unicam iniquitatem communem toti plebi, quale est peccatum originis, sed omnem iniquitatem tum communem omnibus, tum propriam singulis. In graeco habetur, remisisti τὰς ἀνομίας iniquitates: sed in hebraeo habetur in singulari, עָוֹן *havon iniquitatem*; sed idem est sensus.

3. *Mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuae.*

Hic vero reddit causam, cur Deus dimiserit iniquitatem plebi suae; ac dicit, ideo dimisisse, quia placatus fuerat, et iram deposuerat. Quemadmodum enim ira Dei causa erat ultionis, sic etiam placatio Dei causa fuit remissionis: placavit autem iram Dei, idest, justitiam punitivam Dei, *Agnus occisus ab origine mundi*, Apocal. 13. Agnum autem immaculatum dedit nobis misericordia, et bona voluntas illius, *qui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Joan. 3. Hic igitur est ordo liberationis, Benedictio sive bona voluntas Dei dedit filium liberatorem: filius morte sua placavit iram Dei, satisfaciendo justitiae pro peccatis totius mundi: placatus Deus remisit peccata: remissio peccati solvit captivitatem. Atque hoc totum mysterium absconditum in mente Dei revelavit Spiritus sanctus Prophetae suo, et ille nobis in tribus his versiculis descripsit. Illud, *omnem iram tuam*, significat, Christi redemptionem sufficientissimam fuisse ad plenam satisfactionem. Significat etiam libertatem, quam habebimus tempore suo, idest, in novissimo die, futuram omnino plenam, et absolutam, ut nihil poenae, nihil miseriae relinquatur: omnis enim poena ex ira Dei procedit. Illud, *avertisti ab ira indignationis tuae*, idipsum repetit, et hunc sensum habet, avertisti te ab ira, et indignatione tua. In hebraeo habetur, *convertisti te, sive conversus es ab ira furoris tui.*

4. *Converte nos Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.*

Incipit nunc Prophela in persona populi Dei orare pro executione, atque adimpletione decreti divini. Ac primum petit, ut Deus incipiat mitigare iram suam, cujus mitigationis primus effectus est initium salutis nostrae, idest, auxilium divinum, per quod incipiamus converti ad Deum. Neque enim converti possumus ab iniquitate ad Deum, nisi gratia ejus praeveniat nos, et vocando, illuminando, adjuvando, movendo convertat. Ait igitur, *Converte nos Deus salutaris noster*, idest, incipe salutem nostram operari tu Deus salvator noster, quod facies, si nobis bonam voluntatem conversionis inspires. Et ut hoc misericorditer facere incipias, *averte iram tuam a nobis*, idest, reconciliare nobis oblitus offensionum, quae te nobis inimicum reddiderunt.

5. *Numquid in aeternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?*

Persistit in eadem petitione, quasi dicat, satis diu iram tuam portavimus, ne differas misericordiam impertiri, et pacem nobis reddere. *Numquid in aeternum irasceris nobis?* idest, num aeterna erit inimicitia tua ad genus humanum? num *a generatione in generationem sine fine extendetur ira tua?* quasi dicat, id non convenit infinitae clementiae, et bonitati tuae. In hebraeo non habetur particula, *aut*, sed omnino subintelligitur; ideo recte septuaginta Interpretes eam expresserunt.

6. *Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua laetabitur in te.*

Declarat affectum, qui sequetur ex reconciliatione; inde enim fiet, ut homo lucretur vitam, et Deo reddatur laus. *Deus tu conversus ad nos* per depositionem irae, et reconciliationem *vivificabis nos:* nam *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna*, Rom. 6. *et plebs tua* vivificata, et respirans ob tam ingens beneficium, *laetabitur in te*, ac laetabunda cantabit laudes tuas. In Hebraeo pro voce, *Deus*, habetur, הֲלֹא *halo*, *nonne*: et sic vertit S. Hieronymus, *Nonne tu reversus vivificabis nos?* Sed facile est videre quid Septuaginta habuerint, et legerint in suis codicibus : non enim tam imperiti erant ut verterint, *Deus*, si habuissent. הֲלֹא *halo*, sed habuerunt, אֱלֹהִי *eloha*, quod significat Deus et sunt eaedem literae, sed transpositae. Pro, *conversus* s. Augustinus legit, *convertens*, ut etiam sonat vox Graeca ἐπιστρέψας, sed, sensus non est, *Tu convertens nos, vivificabis nos*, sed *tu convertens te ad nos vivificabis nos*; et hoc modo conciliatur haec lectio cum hebraica, et latina.

7. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.*

Petiit Propheta mitigationem irae divinae, petiit reconciliationem, et vivificationem, quae fit cum per gratiam remittuntur peccata: petit nunc adventum Salvatoris, per quem factum est, ut plane perspiceremus, et videremus Dei benignitatem, et misericordiam erga nos. De qua manifestatione dicit Apostolus, *apparuit gratia Dei omnibus hominibus*, ad Tit. 2. et rursum, *benignitas, et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei*. Ad Tit. 3. Quis enim dubitare potest, an Deo curae sit genus humanum, nosque verissime Deus diligat, postea quam misit filium suum unigenitum, ut nos pretioso sanguine suo de diabolica captivitate redimeret? *Ostende*, inquit, *nobis misericordiam tuam*, idest, fac, ut plane cernamus, et experimento certo di-

scamus misericordiam illam, qua in mente tua ab aeterno benedicere decrevisti terram tuam. *Et salutare tuum da nobis*, idest, et mitte nobis Salvatorem filium tuum: tunc enim vere ostendes omnibus hominibus misericordiam, et benignitatem, et gratiam tuam. Ex hebraeo verti posset, וישעך *visciuhacha*, *et Jesum tuum da nobis*: nomen enim, *Jesus*, Salvatorem significat, ut notum est. Potest etiam hic versiculus exponi rectissime, et ad litteram de salute perfecta, quae erit in resurrectione: tunc enim propriissime ostendet nobis Deus misericordiam suam, ita ut eam videamus, et quasi tangamus, *quanto coronabit nos in miserationibus, et sanabit omnes infirmitates nostras, et replebit in bonis desiderium nostrum, et renovabit ut Aquilae juventutem nostram*, ut dicitur Psal. 102. Et tunc dabit possidendum in aeternum salutare suum, quando manifestabit nobis. Sed prior expositio pertinet ad patres testamenti veteris, qui expectabant Christum in carne venturum: posterior pertinet ad nos, qui expectamus Christum venturum in gloria, *ut reformet corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*, ut habetur Philip. 3. s. August. utiliter ad mores dicit, tunc Deum ostendere misericordiam suam, quando persuadet nobis, nosque intelligere, et quasi cernere facit, nihil nos esse, aut posse ex nobis, sed ex misericordia ejus esse quod sumus, et posse quod possumus. Ita enim non extollimur, nec superbimus, sed humiles sumus in oculis nostris: humilibus autem datur gratia Salvatoris.

8. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.*

Ut certos nos reddat Propheta eorum, quae dicturus est, admonet in hoc versiculo se non loqui ex se, sed ex revelatione Domini; et ea solum canere, quae ipse prius a Domino audivit. *Audiam*, inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus*, idest, ego, quod audio a Deo, hoc loquor, ideo et nunc exposita petitione audiam quid Dominus respondeat, ut idipsum caeteris manifestem. Dicit autem, *Quid loquatur in me*; ut significet, loquutionem, Dei ad Prophetas, esse interiorem, et spiritualem. Spiritus enim Sanctus Prophetas inhabitans in illis loquebatur, quod ipsi primi aure cordis audirent, et deinde per ipsorum linguam ad aures corporis aliorum perveniret. Non habetur quidem in textu hebraico illud, *in me*, sed septuaginta Interpretes addiderunt, ut explicarent modum loquendi Dei in Prophetis, juxta illud Oseae 1. *Principium loquendi Domino in Oseae*; et Zachar. 1. *Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me.* Porro illud, *audiam*, significat praeterea attentionem, et desiderium audiendi, quasi dicat, libenter, et attentissime audiam, quonian Deus more suo loquetur bona, et utilia. *Quoniam*, inquit, *loquetur pacem in plebem suam*, id est, scio Deum locuturum esse pacem in plebem suam, ideo libenter, et attente audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Itaque summam verborum Dei est annunciatio, et promissio pacis per adventum Messiae, quem Propheta petierat dicens; *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.* Dabit igitur Deus Salvatorem; et per eum annunciabit, et praestabit verissimam pacem: unde et *princeps pacis* dicitur Isaiae 9. *Et pacificavit omnia, sive quae in coelis sive quae in terris sunt*, ut dicitur ad Coloss. 1. Pax autem complectitur complementum omnium beneficiorum Dei, neque antea perfectam pacem habebimus, quam perveniamus ad coelestem Jerusalem, quae interpretatur *visio pacis*. Pax enim opponitur bello, bello autem non carebimus *donec absorpta fuerit mors in victoria, et mortale hoc induerit immortalitatem*, ut ait b. Paul. 1. Cor. 15. tunc enim cessabit bellum cum vitiis, et concupiscentiis cum principibus tenebrarum harum, cum necessitatibus, et difficultatibus omnibus. Dum autem hic vivimus, *militia est vita hominis super terram*, Job 7. quantumvis quod in nobis est, pacem cum omnibus habere cupiamus.

9. *Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.*

Explicat quod dixit, *in plebem suam*: promittit enim Deus pacem plebi suae, sed non toti: nam in plebe Dei sunt boni, et mali: malis autem pax non convenit, sed bonis: *pax enim multa diligentibus legem Domini*, psalm. 118. et, *non est pax impiis, dicit Dominus*, Isaiae 48. Qui autem sint sancti quibus promittitur pax, explicatur per verba sequentia, *Et in eos qui convertuntur ad cor.* Tunc enim incipit sanctitas, et consequenter inchoatur pax, cum homo ab exterioribus ad interiora convertitur, unde dicitur, *Redite praevaricatores ad cor*, Isaiae 46. et de filio prodigo dicitur Luc. 15. *In se autem reversus.* Tunc autem incipit homo reverti ad se, sive redire ad cor, quando apud se cogitare incipit vanitatem rerum temporalium, et quam sit brevis, et modica dulcedo peccati; et contra, quanta sit nobilitas virtutis, quam ingens pretium bonorum aeternorum: sed proficit postea paulatim homo, cum secum habitare incipit, et de rebus, quae foris sunt, non credit judicio sensuum externorum, neque sermonibus filiorum hujus saeculi; sed conversus ad cor consulit de omnibus rectam rationem, consulit fidem divinitus inspiratam, consulit veritatem ipsam, quae Deus est. Denique perfecte ad cor suum ille convertitur, et pacem, quae superat omnem sensum, gustare incipit, qui in corde suo tabernaculum erigit Deo. et ex imagine, quae est anima rationalis ad exemplar, quod est ipse Deus, alis contemplationis ascendit: et ibi pulchritudinem infinitam Creatoris attendens, in ejus amorem ita rapitur, et accenditur, ut omnia quae foris sunt nihili ducat; ita uni Deo vinculo charitatis inhaeret, ut rerum aliarum penitus obliviscatur. Hominis autem sic affecti nulla mundi pressura pacem, quam in Deo habet, perturbare potest; sed veniamus ad verba. Codex latinus in secunda parte hujus versiculi neque cum hebraico, neque cum graeco concordare videtur. Hebraicus codex sic habet, ישובו לכסלה ואל חסיריו ושל *veel chasidau veal iasciubu lechislab, et super sanctos, et non revertentur ad stultitiam.* Graecus autem, *et super sanctos*

suos, et in eos, qui convertunt cor ad ipsum. Lectio tamen nostrae latinae vulgatae editionis antiquissima est, et eam sequitur s.Hieron. in textu,et in commentario psalmorum,nec non sanctus Bernardus in sermone super haec verba, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; neque in sensu ulla diversitas est. Converti enim ad cor, et convertere cor ad Deum, idem significant: siquidem qui convertitur ad cor, desinit attendere ad externa, et visibilia, quae temporalia sunt, et incipit considerare interna, et invisibilia, quae aeterna sunt, in quibus primum locum obtinet Deus;sic etiam converti ad cor, et non converti ad stultitiam, pro eodem accipi possunt. Neque difficile est si quis velit voces hebraicas cum latina editione concordare: nam vox, אל *al*,quae significat.*non*, potest legi, אל *el*, solius puncti facta mutatione, et significat, *in;* sic etiam vox לכסלה *lechislah*, quae significat, *ad stultitiam*, potest legi, סלה לב *leb selah*, et significat,*cor*: *selah* enim adjungitur passim in psalmis: et vel nihil significat, vel significat, *semper*, quod hoc loco optime quadrat; vel significat aliquid nobis incognitum, unde ab interpretibus omitti solet.Itaque sic reddi possunt verba hebraica: *Et in eos, qui convertuntur corde, sive ad cor, semper.*

10. *Verum tamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.*

Adveniente Messia praedicabitur pax, sed diu postea exhibebitur: verumtamen salus, idest, gratia sanitatis, et aliorum miraculorum praesentissima erit, et vicinissima omnibus credentibus in eum, ac timentibus eum timore reverentiae, et pietatis. Inde vero maxima gloria Deo exurget, laudantibus,et magnificantibus Deum omnibus,qui mirabilia ejus videbunt, cujus rei plurima testimonia legi possunt apud Evangelistas. Hoc igitur est quod nunc Propheta subjungit, *verumtamen prope timentes eum salutare ipsius*, idest, salus Dei, sive Christus ipse Salvator prope erit ad sanandum per omnipotentiam suam omnes timentes eum, omnes videlicet colentes eum timore sancto *ut inhabitet gloria in terra nostra*, idest, fient ista magnalia salvatoris frequentissima, ut gloria Dei manifestetur, et inhabitet in terra promissionis, ad quam proprie salvator mittetur. Sed si corporalis salus vicina erit timentibus eum, et inde gloria Dei magnifice orietur: multo magis salus spiritualis prope timentes eum erit: *quotquot enim recipient eum, dabit eis potestatem filios Dei fieri*, Joan. 1. et inde manifestabitur gloria ejus, *quasi unigeniti a patre, pleni gratia,et veritate.*

11. *Misericordia, et veritas obviaverunt sibi, justitia, et pax osculatae sunt.*

Aperit hoc loco Propheta mysterium aliud in adventum Messiae complendum; misericordiam videlicet, et justitiam, quae contrariae videntur, cum una ignoscat, altera puniat simul esse conjungendas. Futurum enim erat per Christi passionem, ut et genus humanum misericorditer liberaretur, et tamen divinae justitiae plenissime satisfieret. *Misericordia*, inquit, *et veritas obviaverunt sibi*, idest obviabunt sibi tempore Messiae cum alias in diversa pergere viderentur. *Justitia, et pax oscu, latae sunt*, idest, justitia punitiva, quae paulo ante veritas nominata est, et pax sub nomine misericordiae significata, amicissime conjungentur, et quasi inter se osculabuntur. Hunc sensum, qui mihi litteralis videtur,eleganter prosequitur s.Bernardus in serm. 1. de Annunciatione. S. Hier. in commentario, et sanctus Augustinus per misericordiam, intelligunt misericordiam, qua usus est Deus erga gentiles,quibus dedit Salvatorem,quem non promiserat; per veritatem autem intelligunt justitiam, sive fidelitatem, qua exhibuit Judaeis Messiam, quem patribus eorum pollicitus fuerat, unde est illud Apostoli rom. 15. *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum*: tunc enim misericordia et veritas obviaverunt sibi, cum in unam Ecclesiam convenerunt gentiles, et Judaei, illi per misericordiam, isti per veritatem adducti. Per justitiam,quae osculatur pacem,intelligit idem sanctus Augustinus justitiam, quae reddit unicuique suum, ex cujus observatione pax oritur, quemadmodum ex violatione justitiae oritur bellum; et rectissime admonet frustra illos quaerere pacem, qui sororem pacis justitiam completi recusant. Alii hunc versiculum exponunt de virtutibus, quae florebunt in populis tempore Messiae, vel de virtutibus, quae in ipso Messia maxime eminebunt.

12. *Veritas de terra orta est, et justitia de coelo prospexit.*

Hic jam explicat Propheta mysterium incarnationis, utens verbo temporis praeteriti pro verbo temporis futuri more Prophetarum. *Veritas*,inquit, *de terra orta est*, hoc est, Christus, qui veritas est, de Virgine Maria nascetur. *Et justitia de coelo prospexit*, idest, et tunc justitia de coelo manifestabitur, tum quia nato Christo coepit vera justitia de coelo descendere, et homines per fidem Christi justificare; tum quia per adventum Christi revelari coepit *ira Dei de coelo super omnem iniquitatem*, ut dicitur ad rom. 1. Numquam enim plene cognitum fuisset,quanta sit ira Dei adversus peccatum, nisi expiari Deus voluisset illud morte unigeniti Filii sui: et etiam numquam plene cognitum fuisset, quanta sit ira Dei futura in die judicii adversus iniquos, nisi vidissemus, quanta fuerit Christi passio pro peccatis alienis expiandis: nam *si in ligno viridi haec faciunt,in arido quid fiet?* ait ipse Dominus, Luc. 23.

13. *Etenim Dominus dabit benignitatem,et terra nostra dabit fructum suum.*

Pergit explicare mysterium incarnationis, atque ostendit veritatem ex terra nasciturum, non quomodo nascuntur fruges ex terra arata, et sata opera hominum, sed quomodo nascuntur flores in

campis sylvestribus, sine cultura humana ex pluvia de coelo, et radiis solis in eam cadentibus. *Etenim*, inquit, *Dominus dabit benignitatem*, idest, emittet de coelo spiritum sanctum suum, qui virginem obumbrabit, et sic terra nostra, neque arata, neque sata, sed omnino Virgo intacta dabit fructum suum. Unde in Cantico canticorum ipse dicit, *Ego flos campi, et lilium convallium.*

14. *Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.*

Concludit Propheta demonstrans, Christum omnino justum, et sanctum futurum, ita ut radios justitiae suae ante se praemittat, et luce sua sibi viam aperiat ad omnem progressum in hac valle tenebricosa hujus nostrae mortalitatis. *Justitia*, inquit, *ante eum ambulabit*, idest, Christus quasi sol quidam, et vere lux mundi radios justitiae, et sapientiae suae praemittet, sicut etiam scriptum est in psalm. 88. *Misericordia, et veritas praecedent faciem tuam:* et Isai. 58. *Anteibit faciem tuam justitia tua;* et sic, *ponet in via gressus suos*, idest, aggredietur iter peregrinationis suae, ut multos peregrinos perducat ad patriam. Possunt hi tres versiculi exponi etiam de justificatione, et bonis operibus hominum credentium in Christum: nam utroque modo exponit s. Aug. *Veritas de terra orta est, et justitia de coelo prospexit*, idest, veritas confessionis peccatorum, et laudis Dei coepit per Christum oriri ex ore hominum terrenorum, et tunc *justitia Dei de coelo prospexit*, ut confitentes peccata sua, et laudem dantes gratiae Dei justificaret; sed haec ipsa veritas confessionis non orietur ex terra per vires ipsius terrae, sed per auxilium gratiae Dei praevenientis; nam *Dominus dabit benignitatem*, qui dulcescere faciet justitiam in corde peccatorum, et sic *terra nostra dabit fructum suum*. Porro justificatus homo per Christi gratiam, semper justitiam ante oculos suos habebit, ut omnia faciat juxta regulam justitiae: sic *justitia ante eum ambulabit* praeferens illi quasi facem legem Domini, ne ambulet in tenebris, et sic securus, et gaudens ponet in via gressus suos, ut foeliciter ad patriam aliquando perveniat.

PSALMUS LXXXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Oratio ipsi David.

Titulus indicat hunc psalmum nihil esse aliud, nisi orationem Davidi a Deo inspiratam, cum amaro esset animo, et consolatione divina indigeret. David enim ut erat homo spiritualis, et in Schola Spiritus sancti eruditus, cum variis tribulationibus premeretur, non quaerebat consolationem a rebus creatis, in quibus vera consolatio animae inveniri non potest, sed ad Deum fontem omnis suavitatis per contemplationem, et orationem confugiebat. Proinde nos etiam hoc psalmo uti debemus cum tentationibus variis undecumque illae veniant, fatigati, moerore tabescimus.

EXPLICATIO PSALMI LXXXV.

1. *Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops, et pauper sum ego.*

Incipit orationem a magnitudine Dei, et vilitate sua: quae est optima ratio precandi, apta ad impetrandum: *oratio enim humiliantis se penetrat nubes*, Eccles. 35. *Inclina*, inquit, *aurem*, idest, tu qui excelsus es, inclina ad me qui in imis jaceo, *aurem tuam. Exaudi me, quoniam inops, et pauper sum ego*; haec est ratio, cur dixerit, *inclina quoniam*, inquit, *inops, et pauper sum ego*, id est, quoniam mendicus jaceo ad portam divitis; inclina ex alto aurem tuam ad humilem servulum, et quia talis est *exaudi eum*. Pauper enim, et inops hoc loco dicitur is, qui sive habeat sive non habeat opes terrenas, non in illis confidit, non inde superbit, non alios contemnit, sed ipsas potius opes contemnit, si habet, neque se meliorem aut majorem reputat iis, qui non habent. Rectissime admonet s. August. Lazarum non delatum fuisse ab angelis in sinum Abrahae propter inopiam, Luc. 16. sed propter humilitatem: neque divitem epulonem sepultum fuisse in inferno propter divitias, sed propter superbiam. Alioquin ipse etiam Abraham, qui ditissimus fuerat, in inferno sepultus fuisset. Sed quoniam Abraham *cinerem, et pulverem se esse arbitrabatur*, ut ipse de se loquitur Genes. 18. et mandata Domini ita diligenter observabat, ut non solum opes, sed ipsum filium unigenitum, cui servabat opes, pro-

pter Deum sacrificare promptissimus erat, Genesis 22. ideo non solum ad locum refrigerii post mortem ductus fuit, sed etiam ad ejus sinum congregabantur omnes, qui eo tempore in Domino moriebantur. Ipse etiam David dives erat, quod ad terrenam substantiam attinet; sed quoniam non inde superbiebat; neque eam magnificiebat et totus a Deo pendebat, in quo spem suam, et vires suas et omnia bona sua collocaverat, et sine quo nihil se esse aut posse sciebat, ideo se vere pauperem, et inopem praedicabat.

2. *Custodi animam meam quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.*

Explicat in quo cupiat exaudiri, ac primum proponit id, quod est vere primum in intentione, et quod ipse Dominus primum quaeri jussit, cum ait: *Primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.* Matt. 6. *Custodi*, inquit, *animam meam*, idest, conserva vitam animae meae, cui tam multi hostes in hoc exilio insidiantur. *Quoniam sanctus sum*, idest, ideo peto conservari vitam animae meae a te, quoniam tu mihi eam dedisti, tu me in sanguine Filii tui justificasti, et sanctificasti, et per hoc vivificasti, qui in peccatis mortuus eram. Nam, ut recte dicit s. August. cum quis per sacramenta Christi justificatum se esse confidit, et ex gratia Dei sanctum se nominat, non est superbia elati, sed confessio non ingrati; quod si quis dicere non audeat, *sanctus sum*, idest, justificatus, et mundatus: saltem dicere potest, *sanctus sum*, idest, fidelis sum, sanctae religionis, et fidei professor sum, Deo per baptismum dedicatus, et sanctificatus sum. *Salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.* Idem repetit aliis verbis. Ideo enim cupit custodiri animam suam, ut non perdat salutem aeternam sic enim loquitur s. Petrus in Epist. 1. cap. *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo.* Petit igitur salutem quam ne amitteret, petierat custodiam. Addit rationem, cum dicit, *servum tuum sperantem in te*, quia cum Deus salvum facit servum suum salvum facit rem suam: et cum salvum facit sperantem in se, fidelem, et justum se demonstrat, quia implet quod promisit.

3. *Miserere mei Domine: quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.*

Petit in secundo versiculo summum bonum, idest, salutem animae, quae est finis omnium desideriorum: nunc recto ordine petit medium ad finem, laetitiam videlicet spiritualem, qua fortiter toleret tentationes, et pericula exilii, donec ad salutem perveniat, ubi nullae erunt tentationes, nulla pericula. *Miserere mei Domine*, idest misericorditer exaudi orationem meam, *quoniam ad te clamavi tota die*, idest, quoniam ardenter, et perseveranter oravi; nihil enim magis requiritur ad impetrandum quam si oratio fundatur ex accenso desiderio, quod significatur in verbo, *clamavi;* et cum perseverantia, quae significatur in vocibus illis, *tota die. Laetifica animam servi tui*; haec est petitio, quam misericorditer exaudiri petit, et pro qua tota die clamavit. *Laetifica*, inquit *animam servi tui*, idest, undique angustiis tentationum premor, nihil mihi in hac valle lachrymarum occurrit, nisi amarum, dum non minus prosperitas terret, quam adversitas ipsa contristet. Ideo, *laetifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi*, idest, quoniam non inveniens requiem in ulla re creata, ad te creatorem pennis cogitationis et desiderii animam meam levavi. Amor animam nostram portat, et vere dictum est, anima magis est ubi amat, quam ubi anima. Alae amoris sunt cogitatio, et desiderium: qui enim amat, cogitando assidue, et desiderando rem amatam, in illam fertur, et in illa manet. Qui vere, et ex corde Deum amat, cogitando, et desiderando Deum, animam suam ad Deum levat. Contra qui terram amat, cogitando, et concupiscendo terram, animam suam ad terram deprimit. Itaque ille solus cum Propheta vere dicere potest, *ad te Domine animam meam levavi*, et jure suo petere potest consolationem spiritus, ac dicere, *laetifica animam servi tui*: qui nulla tenetur concupiscentia rei creatae, nec ullo terreno luto affixus inhaeret. Recte s. Bernard. serm. 6. de Ascensione Domini, explicans illa verba Domini Joann. 16. *Nisi ego abiero Paraclytus non veniet ad vos.* Quid est, inquit, *nisi ego abiero Paraclytus non veniet?* nisi carnis praesentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiae plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Quid vobis videatur fratres? si haec ita sunt; imo quia ita sunt, adeat qui huic sterquilinio semper inhaeret, qui carnem fovet, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernae visitationis sperare, quam ne cum ipsa quidem verbi carne percipere ullatenus Apostoli potuerunt. Errat omnino si quis coelestem illam dulcedinem huic cineri divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri hujusmodi illecebris arbitratur.

4. *Quoniam tu Domine suavis, et mitis; et multae misericordiae omnibus invocantibus te.*

Haec est ratio cur animam suam ad Deum levaverit pro consolatione recipienda, quia *Deus suavis est, et dulcis*; et sicut dicit Joann. Epistol. 1. cap. 5. *Deus lux est, et in eo tenebrae non sunt ullae*; sic dicere possumus, suavis est Deus, et in eo amaritudo non est ulla: cum e contrario in carnalibus consolationibus, suavitas sit modica, et amaritudo plurima. Neque solum Deus suavis est, sed etiam mitis, ut ad se accedentes non repellat et imperfectum nostrum toleret. Notat s. Augustinus in eo plane perspici mansuetudinem Dei, quod orantes nos patietur, cum tam saepe inter orandum ad alia cogitanda mentem avertamus: certe enim Judex homo, non pateretur reum, si dum causam agit, ad colloquendum cum amicis, de rebus praesertim nullius momenti, averteretur. Nec solum Deus suavis est in se, et mitis, quia non repellit

accedentes ad hunc fontem suavitatis, sed etiam *multae misericordiae* est, quia facile admittit, et recipit, et se gustandum praebet omnibus invocantibus se, non accipiens personas divitum, aut pauperum, Judaeorum, aut Gentilium *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.* Rom. 10. Quod si aliquos orantes non exaudit, neque eorum miseretur, causa est, quia non vere Deum invocant, aut non sicut oportet invocant. Saepe etiam exaudit, sed tempore opportuno, et non raro exaudit orantis desiderium, non verba loquentis, quando videlicet qui orat id petit quod sibi non expedire ignorat, et si non ignoraret omnino non peteret. Quod attinet ad verbum illud, *suavis* in hebraeo est, טוֹב *tob*, quod significat, *bonum*; et multi exponunt *benignum*, sive *beneficum*. Et quamvis Deus sit vere bonus, benignus, et beneficus; tamen noster Interpres, non solum hoc loco, sed etiam in psalm. 33. et 99. eamdem vocem vertit, suavis; et haec interpretatio concordat cum verbo, *gustate. Gustate et videte*, inquit, *quoniam suavis est Dominus*; gustatur enim proprie suavitas, non benignitas, et huc alludens s. Petrus in Epist. 1. capit. 2. ait: *si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus;* illud autem, *mitis*, in hebraeo est, לחם *salach*, quod proprie significat propitiabilis, et sic vertit s. Hieronym. et in sensu non est discordia; mitis enim facile propitiatur, et facile ignoscit: et sic exponit s. August. cum dicit, Deum esse mitem, quia facile ignoscit evagationibus nostris, cum oramus.

Auribus percipe Domine orationem meam, et intende voci deprecationis meae.

Repetit primam partem primi versiculi, sed aliis verbis idem significantibs, ad affectum ostendendum erga rem desideratam, et petitam.

6. *In die tribulationis meae clamavi ad te, quia exaudisti me.*

Videtur hic versiculus additus esse ad explicationem superioris; quia enim dixerat, *auribus percipe orationem meam*, poterat Deus interrogare, quando orabis? quando vis percipiam auribus orationem tuam? Respondet Propheta, omni die oravi, et omni die oro, et orabo, dum vivam in hoc exilio. Omnis enim dies peregrinationis, dies tribulationis meae est, cui enim dulcis est patria, non potest non amara esse peregrinatio. *In die ergo tribulationis meae*, idest, omni tempore peregrinationis tribulationem, et dolorem inveni, et ideo semper *clamavi ad te:* et ea fiducia clamavi, *quia tu semper exaudisti me*, idest, semper me exaudiri solitus es.

7. *Non est similis tui in Diis Domine, et non est secundum opera tua.*

Reddit rationem, cur ad solum Deum confugiat, illum invocet, atque ad eum animam suam levare conetur; quia videlicet nemo sit Deo similis, neque in essentia, neque in potentia, neque in sapientia, neque in bonitate, non tantum inter homines, sed etiam inter Deos: quod si per Deos intelligamus Deos falsos, nimirum Idola, et doemones, de quibus dicitur in psalm. 95. *Dii gentium doemonia*, absolute verum est, quod hic dicitur, *non est similis tui in diis Domine*: quoniam Idola oculos habent, et non vident, et ab hominibus pendent, ut sint, et ut custodiantur, et moveantur: Deus autem verus sine oculis corporalibus videt; et a nullo pendet, sed omnia ab ipso pendent. *In ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* Act. 17. Doemones autem ad imaginem quidem, et similitudinem perdiderunt. Si vero per Deos intelligamus Deos per participationem potentiae, et auctoritatis, quales sunt principes, et judices terrae: vel participationem sapientiae, justitiae, quales sunt Angeli sancti, tunc id quod dicitur, *non est similis tui in Diis Domine*, intelligendum erit de similitudine perfecta, quae requirit aequalitatem: illi enim sunt perfecte similes in potentia, vel sapientia, vel justitia, qui sunt aeque potentes, aeque sapientes, et aeque justi. Constat autem Deum esse infinito modo potentiorem, sapientiorem et justiorem omnibus angelis et hominibus: proinde verum est, non esse ullum *similem Deo in Diis participatione*, nisi imperfecta, et inaequali similitudine. *Et non est secundum opera tua*, non solum nemo ex Diis est perfecte similius Domino Deo nostro; sed neque est ullum opus Deorum quorumcumque, quod possit comparari cum operibus Dei nostri. Deus enim fecit ex nihilo coelum et terram, et omnia quae in eis sunt: Dii autem caeteri intra mundum operantur, et ex iis, quae Deus fecit, materiam operandi sumunt. Ergo non est opus ullum *secundum opera Dei*, idest, quod comparari possit operibus Dei.

8. *Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.*

Ex hoc versiculo intelligimus, versiculum superiorem accipiendum esse de Diis falsis, qui ab errantibus adorabantur tamquam veri, et summi Dii; probat enim Propheta, nullum ex hoc quod aliorum Deorum cultus tandem aliquando cessabit, et manifeste apparebit falsitas, et vanitas ejusmodi Deorum: cultus autem Domini Dei nostri sempiternus erit. Quod autem hic dicit Propheta partim impletum est in ecclesia Christi, partim implebitur in die judicii: nam quamvis tempore Davidis alii essent Dii Moabitarum, alli Ammonitarum, alii Philistinorum, alii aliarum gentium Idololatria cessare, et veri Dei cultus introduci coepit. Itaque *omnes gentes venerunt*, idest, ex omnibus gentibus venerunt et relictis Diis falsis Deum verum adoraverunt: sed in die Judicii omnes omnino homines nullo excepto apertissime cognoscent, Deos gentium fuisse doemonia, vel inania simulacra, et velint, nolint, curvabunt genua coram Domino, et implebitur illud Isaiae 45. *Mihi curvabitur omne genu*, quod applicatur Christo, ut vero Deo, ab Apostolo rom. 14. et Philip. 2. Illa phrasis, *adorabunt coram te Domine*, hebr. est: vox enim, ישתחוו *istachàvu*

proprie significat, *prosternent se*. Hoc autem verbum requirit particulam, *coram* : prosternimur enim coram eo, quem adorare volumus. Itaque illud, *adorabunt coram te*, exponendum est, adorando prosternent se coram te. Illud, *et glorificabunt te*, ad omnes pertinet, sed vario modo; justi enim ex amore et libentes ; injusti ex timore, et inviti glorificabunt in die judicii Dominum. ac dicent, *justus es Domine, ac rectum judicium tuum*: psalm. 118.

9. *Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus.*

Haec est ratio cur cessabit cultus inanium Deorum, et omnes gentes adorabunt, et glorificabunt Dominum, *quoniam ipse solus est Deus*, vere magnus, et Deus *faciens mirabilia*, quae nullus alius facere potest ; quod in die judicii potissimum cognoscentur, cum ad nutum Domini omnes mortui resurgent, et sine ullo impedimento, et resistentia justi exaltabuntur ad regnum; injusti deprimentur ad supplicium sempiternum. Hinc et Apostolus utitur voce, *magni Dei*, cum de judicio loquitur, quia in judicio magnitudo Dei apertissime demonstrabitur. *Expectantes*, inquit, *beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* ad Tit. 2.

10. *Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

Revertitur ad orationem, qua postulat dirigi in hac peregrinatione, et exilio, ne forte aberret a via, quae ducit ad patriam: et simul postulat consolationem spiritualem, quasi refectionem, ne deficiat in via. *Deduc me Domine in via tua*, idest, per auxilium gratiae tuae ostende mihi viam tuam nec solum ostende illuminando mentem, sed etiam movendo voluntatem; et sic *ingrediar* iter *in veritate tua*, idest, juxta veritatem fidei tuae, et legis tuae, *laetetur cor meum*, hoc est, quod supra dixit, *laetifica animam meam* ; ergo laetetur te laetificante, et consolante cor meum, *ut timeat nomen tuum*, idest, non affecto consolationem propter consolationem, sed ut per eam quasi cibo recreatus perseverem in timore sancto tuo, et timendo offensionem tuam pergam recto itinere per viam mandatorum ad patriam, ubi sine timore serviam tibi. Non displicet s. Augustini expositio, *laetetur cor meum*, sic tamen ut etiam timeat nomen tuum: hic enim exultandum est, sed cum tremore, dum ad dulcem patriam, sed inter pericula tentationum currimus. In hebraeo pro, *laetetur cor meum*, legimus, יחד לבבי *jachad lebabbi*, quod verti potest, *unitum, vel unicum sit cor meum* ; vel, *uni cor meum*, sive cum s. Hieronymo, *unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum* : ex qua lectione colligitur optimus sensus, ut videlicet optet Propheta, cor suum uniri in timore Domini, ut totum cor suum timeat Dominum, et non pars Dominum, pars mundum timeat. Caeterum nostra versio ex Graeca fideliter derivata est. Graeci autem interpretes viri septuaginta antiquissimi, et doctissimi numquam sic vertissent, si legissent, quod nos in nostris codicibus habemus: credibile igitur est eos non legisse, יחי *jachad*, sed, יחד *jechad*, cum iisdem literis, sed diversis punctis, quod significat *laetabitur*, a verbo, חדה *chada*, et habetur haec ipsa vox Exodi 18. v. 9. et eam reddit s. Hieronymus, *laetatus est*, accipiendo futurum pro praeterito, propter literam vau praecedentem. Sed hoc loco ubi non est vau praecedens rectissime vertit noster interpres *laetetur*, et potuisset etiam vertere, *laetabitur.*

11. *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in aeternum.*

Orationi adjungit gratiarum actionem; nihil enim utilius est ad impetranda nova beneficia, quam memorem, et gratum se ostendere praeteritorum. *Confitebor*, inquit, *tibi Domine Deus meus*, confessionem laudis, et gratiarum actionis, *in toto corde meo*, idest, ex vero et pleno cordis affectu. *Et glorificabo nomen tuum*, idest, potentiam tuam, *in aeternum*, donec vixero, sine intermissione.

12. *Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiore.*

Hoc est beneficium, pro quo gratias agit : quia videlicet ex magna misericordia sua Deus non ex meritis ipsius hominis supplicantis, eruerit animam ejus ex inferno inferiore, idest, justificaverit eum a peccatis, ob quae ad infernum interiorem descensurus erat, nisi per gratiam liberantur. Et vere tam magna misericordia Dei est ea, qua nos ex injustis justos facit ; quam magna est poena gehennae perpetuae a qua liberamur, et quam magna est foelicitas sempiterna, ad quam jus accipimus, et aditum apertum habemus. Unde et Apostolus Petrus dicit, *secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam.* 1. Pet. 1. Cur gehenna dicatur infernus inferior, duplicem rationem reddit s. August. unam, quod terra haec plena periculis sit infernus quidam respectu coeli, sed superior respectu gehennae. Alteram, quod in ipso inferno subterraneo sit pars superior, in qua erat Lazarus in sinu Abrahae requiescens, et inferior, in qua dives epulo cruciabatur in flammis. Addit s. Hieron. infernum inferiorem dici gehennam respectu peccati, qui est infernus quidam, sed quasi superior. Non desunt ex recentioribus, qui hoc loco per infernum inferiorem, intelligant graves calamitates, et pericula vitae hujus temporalis. Sed nos maluimus sequi ss. Patres Hieronymum, et Augustinum, quibus addi potest s. Bernard. in serm. 2. de Assumpt. qui per inferiorem, intelligit illum, ubi nemo confitetur Domino, et unde non datur egressus : praesertim cum magna misericordia, non ad res temporales, quae parvae sunt, et breves, sed ad sempiternas pertinere videatur.

13. *Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam et non proposuerunt te in conspectu suo.*

Post actionem gratiarum revertitur ad orationem qua petit liberari a multidudine hostium, qui vitae ejus insidiabantur, et quamvis nonnulli exponant haec omnia de hostibus corporalibus Davidis, vel Ezechiae: alii de hostibus Christi, qui mortem illius procuraverunt: tamen magis cohaeret cum superioribus partibus psalmi expositio s. Augustini, qui docet, haec omnia esse intelligenda de membris corporis Christi, idest, de hominibus justis, vel de quolibet homine justo, qui patitur varias tribulationes ab hostibus animarum, sive sint haeretici, sive schismatici, sive in ipsa ecclesia perdite viventes: quibus addere possumus, et doemones, qui istis omnibus praesunt. Ait igitur homo Dei, liberatus per gratiam Christi ab inferno inferiore, et interim praelians cum hostibus animae suae, et graviter ingemiscens, o Deus meus, *ecce iniqui insurrexerunt adversus me*; neque pauci, aut debiles sunt, *sed synagoga potentium*, idest, congregatio magna fortissimorum hostium, *quaesierunt animam meam*, ut eam perdant: et excaecati atque obdurati *non proposuerunt te ante conspectum suum*, idest, non cogitaverunt te esse protectorem justorum, et quod non cum homine infirmo, sed cum Domino Deo exercituum bellare audeant. In hebraeo pro voce *iniqui*, est, זדים *zedim*, quae proprie superbos significat sed idem est sensus. Superbi enim praeter caeteros omnes iniquissimi sunt.

14. *Et tu Domine Deus miserator, et misericors, patiens, et multae misericordiae, et verax.*

Dixit quot et quales hostes haberet: nunc petit adversus eos auxilium, ac primum praedicat multis nominibus bonitatem Dei, ut ostendat se non temere a tam bono Domino auxilium sperare. *Et tu*, inquit, *Domine Deus miserator et misericors, patiens, et multae misericordiae, et verax.* Miserator hebraice; רחום *rachum*, significat proprie pio et paterno affectu miserantem filios. Misericors hebraice, חנון *channun*, significat proprie gratiae largitorem, sive gratificatorem, ut loquitur Apost. ad Ephes. 1. *Qui gratificaverit nos in dilecto filio suo*, idest, gratos nos sibi fecit, sive in gratiam recepit. Patiens hebraice longanimis, ארך אפים *erech appaim*, proprie *longus naribus*, idest, longus sive tardus ad iram accipiuntur, apud hebraeos. Multae misericordiae hebraice, ורבחסד *rab chesed*, idest, Multus misericordiae, sive multus in misericordia. Verax hebraice, אמת *emeth*, veritatis, sive fidelitatis, et conjungitur cum voce multus, ut sit sensus, multae misericordiae, et veritatis, idest, multus in misericordia: et veritate, sive fidelitate. Ex his habemus, Deum esse amantem affectu paterno, inde esse facilem ad gratiam, inde esse tardum ad iram: inde denique esse multum, idest, liberalem, et promptum ad misericorditer promittendum, et fideliter adimplendum, quae omnia afferunt ineffabilem consolationem, et fiduciam hominibus piis, et ipsi Deo ex corde adhaerentibus: haec enim dicuntur timentibus Deum, ut clarius explicantur in psalm. 102. Qui enim Dei benignitate abutuntur, *ii thesaurizant sibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei*, ut dicit Apostolus ad rom. 2. quibus etiam dicit ad Hebr. 10. *Horrendum est, incidere in manus Dei viventis.*

15. *Respice in me, et miserere mei. da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.*

Explicata tot nominibus Dei benignitate, nunc petit, eam in se converti. *Respice*, inquit, *in me*, oculis tantae bonitatis tuae, *et miserere mei*, tu qui tam multus es ad miserendum. *Da imperium tuum puero tuo*, idest, in hoc peto, ut miserearis mei, ut non praevaleant hostes tam multi in servum tuum, sed contra des servo tuo robur, et fortitudinem, ad eos vincendos, et subjiciendos: et hoc modo *salvum fac me filium ancillae tuae*, ab eorum sive occultis insidiis, sive manifestis persecutionibus. Pro voce, *imperium*, in hebraeo est, עזך *hhuzecha*, robur tuum sive potentiam: ex quo intelligimus, non peti hoc loco regnum aliquod, aut imperium, prout sonat verbum latinum: sed peti gratiam fortiter resistendi hostibus, et illos subjiciendi, atque vincendi.

16. *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.*

Concludit petens aliquod externum signum, unde constet etiam apud adversarios, Deum adjutorem et consolatorem esse servorum suorum fidelium. *Fac mecum signum in bonum*, idest, ostende in me signum aliquod, quod rem bonam, id est, gratiam, et favorem tuum manifestet: *ut videant* illud signum *qui me oderunt* et confundantur diffidentes videlicet de victoria. *Quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me*, idest, quoniam re vera jam adjuvisti me in certamine, et consolatus es me in tribulatione per internam gratiam tuam, ostende etiam exterius signum aliquod favoris tui erga me, ut qui oderunt me videant hoc signum et confundantur. Potest etiam cum Euthymio sic exponi, ut videant qui me oderunt, quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me, et confundantur: sed prior expositio videtur facilior, et conformis est interpunctioni hebraicae, graecae, et latinae, quae non videtur admittere hyperbaton. Quaerunt scriptores quod sit illud signum, quod hoc loco Propheta requirit. S. Hieronymus dicit esse signum crucis Christi: illud enim est signum in bonum, quia signum redemptionis; et cum illud aspiciunt doemones, qui nos oderunt sine dubio confunduntur. S. Augustinus exponit hunc locum de signo, quod apparebit in die novissimo, quod erit in bonum electis; et eo viso confundentur omnes inimici nostri. Alii intelligunt de signo, quod accepit ab Isaia rex Achaz, cum ei dictum est, *dabat Dominus ipse vobis signum. ecce virgo concipiet, et pariet filium*, etc. Isaiae 7. Hoc enim signum vere fuit in bonum Davidi, cujus filius futurus erat Messias, et toti mundo, qui per

Christum ab omnibus hostibus liberandus erat. Fortasse vocantur hoc loco *signum in bonum* laetitia spiritualis, quam initio petivit David, cum ait, *laetifica animam servi tui*, haec enim laetitia in homine justo, atque in tribulatione posito signum clarissimum est gratiae Dei; et hoc signo conspecto confunduntur non solum doemones, sed etiam omnes alii persecutores; et tunc sensus erit, *fac mecum signum in bonum*, idest, da mihi gratiam spiritualis laetitiae, quae etiam in ipsa vultus mei serenitate resplendeat: *et videant qui oderunt me*, hoc signum patientiae, et tranquillitatis animae meae, *et confundantur*, quoniam tu Domine adjuvisti certantem, et consolatus es moerentem, et tristitiam in gaudium internum jam convertisti.

PSALMUS LXXXVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Filiis Core Psalmum Cantici.

In hoc psalmo cantatur laus civitatis Jerusalem, per quam ecclesia Christiana sine dubio intelligi debet: terrenae siquidem civitati Jerusalem, etsi convenit, quod initio dicitur, fundamenta ejus esse in montibus, tamen non conveniunt caetera, ac praesertim, quod in ea sit habitatio Babyloniorum Ægyptiorum, et Tyriorum; ecclesiae autem sive militanti sive triumphanti omnia conveniunt.

EXPLICATIO PSALMI LXXXVI.

1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.*

Incipit Propheta laudare civitatem Jerusalem a fundamentis, quae sunt montes sancti, sed antequam progrediamur, solvenda est quaestio communis, quae statim unicuique occurrere potest; quid igitur significat pronomen *ejus?* non enim videtur posse referri ad Jerusalem, vel Sion, tum quia non est antea nominata civitas Jerusalem, vel Sion; tum quia in textu hebraeo et greco, illud *ejus* est generis masculini, Jerusalem autem et Sion, sunt generis feminini. Respondeo, illud *ejus*, referri ad nomen subintellectum civitatis, quamvis enim nomen civitatis sit regulariter generis feminini: tamen habet terminationem ad modum masculinorum; dicitur enim, עִיר *hir*, et in numero multitudinis, עָרִים *hirim*, et non desunt viri doctissimi, qui velint esse etiam generis masculini. Praeterea sicut inveniuntur multa nomina, quae praeter ordinem conjunguntur cum verbis diversi generis, ut ostendimus in institutionibus linguae hebraicae pag. 4. cap. 4. sic etiam fieri potest, ut pronomen generis masculini praeter ordinem conjungatur cum nomine generis feminini, non enim ista sunt ita rata in lingua hebraica, ut sunt in graeca, et latina. Itaque sensus est, *fundamenta ejus* Civitatis, quam mente intueor, et cujus laudes praedicare incipio, *sunt in montibus sanctis.* Omisit autem Propheta nomen civitatis, et dixit, *Fundamenta ejus*, ut ostenderet se continuare verba externa cum interna admiratione: contemplans enim, et admirans magnitudinem, et pulchritudinem Civitatis novae descendentis de coelo, prorumpit in verba illa, *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Non placet autem quod aliqui dicunt, illud *ejus* referri ad Christum, neque enim Christus pendet a fundamentis, sed omnia fundamenta pendent ab ipso, qui est, ut recte monet s. August. Fundamentum fundamentorum, sicut est pastor pastorum, et rex regum, et Dominus dominantium. Ad Ephes. 2. *In quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* Multo minus placet quod dicunt Rabbini, illud *ejus* referri ad psalmum, et conjungi priorem partem hujus versiculi cum titulo hoc modo, *Canticum Psalmi, Fundamenta ejus in montibus sanctis*, idest, fundamenta hujus psalmi sunt in montibus sanctis; hoc, inquam, non placet, quia Septuaginta Interpretes viri doctissimi aperte distinxerunt titulum a psalmo, et psalmum inchoarunt in illis verbis, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*: distinctio; et interpunctio Rabbinorum est multo posterior, ac per hoc, inquam, non placet, quia Septuaginta Interpretes viri doctissimi aperte distinxerunt titulum a psalmo, et psalmum inchoarunt in illis verbis, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*: distinctio; et interpunctio Rabbinorum est multo posterior, ac per hoc minorem habere debet fidem. Porro nomine fundamentorum, juxta varias considerationes, res varias accipere debemus: si cogitemus eos, qui

primi ad ecclesiam convenerunt, et primi eam propagaverunt, fundamenta sunt Apostoli duodecim, juxta illud Apoc. 21. *et civitas habebat fundamenta duodecim, et in eis nomina duodecim Apostolorum Agni.* Si consideremus doctrinam, in qua fundatur fides Ecclesiae, fundamenta sunt Apostoli, et Prophetae, qui fuerunt immediati ministri Verbi Dei, et de his dicit Apostolus ad Ephes. 2. *Superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Si denique suspiciamus auctoritatem, et potestatem Ecclesiasticam, secundum quam id est fundamentum in domo, quod caput in corpore. Fundamenta sunt Christus, et Petrus; Christus fundamentum primarium, Petrus secundarium. De Christo dicit Apostolus 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* De Petro dicit Christus, Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Isti sunt ergo montes sancti, super quos fundata est Civitas Dei qui dicuntur montes propter altitudinem et excellentiam. sancti autem, quia non fuerunt alti altitudine superbiae, sed altitudine sanctitatis, et sapientiae, et auctoritatis. Neque obstat, quod Christus dicatur lapis angularis superpositus aedificio: psal. 117. *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic sanctus est in caput anguli*, et ad Ephes. 2. *Ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Nam lapis angularis est duplex. unus in fundamento, et alius in summo aedificio, et uterque connectit duos parietes; sed quamvis in aedificio corporali non possit esse idem lapis angularis in fundamento sustentans totum aedificium, et in vertice sustentatus a toto aedificio: tamen in fabrica spirituali unus et idem lapis, idest, unus et idem praelatus sustentat, et portat auctoritate sua totum aedificium, et simul praeest, et portatur per obedientiam a toto aedificio, idest ab omnibus lapidibus vivis: quae duo officia conveniunt principaliter Christo, qui est absolute caput, et princeps ecclesiae totius; sed conveniunt summo Pontifici, ut Vicario Christi generali: et suo modo omnibus aliis Praelatis respectu eorum, quibus praesunt; debent enim omnes Praelati portare, et portari, portare infirmitates subditorum, et portari ab eis dum imperant vel corripiunt. Sequitur alia laus civitatis Dei ducta a portis. *Diligit*, inquit Propheta, *Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Dixerat civitatem Dei fundatam esse super montes sanctos ac per hoc non posse ruere, ut solent aedificia fundata super arenam: nunc addit, non solum non posse ruere, sed nec posse expugnari ab hostibus, quia munita est portis fortissimis, de quibus dicitur in psal. 147. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum. Diligit ergo Deus portas Sion*, idest, diligit Deus Sion ob firmissimas ejus portas, quae eam faciunt inexpugnabilem; *super omnia tabernacula Jacob*, idest, magis quam diligat quaecumque tabernacula Jacob, quoniam etiamsi tabernacula illa pulchra essent, et miro ordine disposita, quando iter faciebant hebraei ab Aegypto in terram promissionis, tamen erant sine fundamento, et sine portis, ac per hoc mutabilia, et temporaria. Significatur igitur his verbis stabilitas, et firmitas ecclesiae, adversus quam portae inferi non praevalebunt, ac praesertim quando pervenerit ad patriam coelestem, ad quam etiam suspirabant Patriarchae, de quibus dicit Apostolus ad heb. 11. *Expectabant enim fundamenta habentem Civitatem, cujus artifex, et conditor Deus.* In Apocalypsi cap. 21. dicuntur *duodecim esse portae civitatis novae Jerusalem, et in illis scripta esse nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* Per duodecim portas intelligunt communiter expositores illius loci, et Sanctus Augustinus in expositione hujus psalmi duodecim Apostolos, quia per illorum verissimam, et firmissimam praedicationem intramus omnes in ecclesiam Dei: neque obstat, quod paulo post dicuntur Apostoli duodecim, esse duodecim fundamenta ejusdem civitatis; sunt enim Apostoli et portae, et fundamenta; portae praedicando, fundamenta sustinendo. Neque etiam obstat, quod Joan. 10. Christus dicit. *Ego sum ostium; per me si quis introierit salvabitur.* Nam Christus porta est ratione meriti, siquidem per ejus meritum omnes intramus, et salvamur. Praeterea (ut dicit Augustinus) hujus civitatis una porta est, et duodecim portae sunt; quemadmodum unum fundamentum est, duodecim fundamenta sunt. Christus enim in Apostolis erat, et per Apostolos loquebatur. ut dicit Apostol. 2. ad Cor. ultimo, *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Itaque cum intramus per Apostolos, per Christum intramus, quia Apostoli non se ipsi, sed Christum praedicabant, et Christus per eos praedicabat: et cum in Apostolis fundamur, et super eos aedificamur, in Christo fundamur, et super eum aedificamur. Quod autem in portis scripta erant nomina duodecim tribuum filiorum Israel, id significatur, primos qui intrarunt in ecclesiam per Apostolorum praedicationem, fuisse filios Israel, ex quibus etiam ipsi Apostoli erant; deinde intrasse gentium plenitudinem: nam et Apocal. 5. ubi describuntur electi, et salvandi, primo loco numerantur duodecim millia ex singulis tribubus filiorum Israel, deinde additur *turba magna, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, et linguis.*

2. *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.*

Propheta David spiritu ebrius, et excellentiam hujus civitatis admirans sicut ex abrupto coepit, *fundamenta ejus*, etc. sic mutat continuo formam dicendi, et ipsam civitatem alloquitur dicens, *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, idest, non mireris, o sancta civitas, si ex abrupto loqui coepi, quoniam obruor copia encomiorum tuorum; multa enim gloriosa, magnifica, praestantissima dicta sunt mihi a Spiritu sancto de te. Et vere quis posset ordine servato narrare laudes illius civitatis, ubi erit Deus omnia in omnibus, et ubi bona illa servantur electis, *quae oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt?* Quamvis autem proprie gloriosa dicta sunt de civitate Dei, quae est in coelis, et suo modo etiam de illa, quae est in terris toto orbe diffusa, tamen de terrena etiam Jerusalem, ut typum gerebat Ecclesiae, *gloriosa dicta sunt*, quod videlicet, civitas

esset regia, et sacerdotalis: quod in ea templum Domini arca testamenti, et alias id genus multa conservarentur: et quod omnium maximum est, quod in ea rex Angelorum, et Dominus omnium docuerit, miracula fecerit, redemptionem generis humani operatus sepulcrum suum reliquerit. Spiritum sanctum de coelo miserit, et ecclesiae suae perpetuo duraturae fundamenta jecerit.

3. *Memor ero Raab, et Babylonis, scientium me.*
4. *Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.*

Laudat nunc Propheta sanctam civitatem a multitudine, et varietate nationum, quae ad illam inhabitandam convenerunt: non enim soli Judaei, ut in testamento veteri ad Jerusalem pertinent: sed omnes nationes ecclesiam Catholicam, quae est vera Jerusalem in hoc psalmo laudata, inhabitaturi erant. Nominat autem Raab, et Babylonem, Palaestinos, Tyrum, et Aethiopes, quae erant nationes gentilium, sed notae Judaeis. Per *Raab* intelligunt scriptores veteres Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et alii in hunc locum, meretricem illam, quae dicebatur Raab, et excepit exploratores Josue in civitate Hiericho, ut habemus Josue 2. Sed recentiores recte adverterunt, meretricem illam, et in hebraeo, et in graeco vocari רהב *Rahab*, cum aspiratione gravi ραχάβ, in hoc autem loco scribi per lenem aspirationem, ραάβ: per Raab autem intelligunt Aegyptum, sive regem Aegypti; vox enim hebraica רהב, significat superbum, et sic vertitur in psalm. 88. et Isaiae 51. et in utroque loco, per superbum, intelligunt scriptores Aegyptum. Hic igitur erit sensus: *Memor ero Raab, et Babylonis scientium me*, idest, ego Deus conditor civitatis Jerusalem, in advocandis, et conscribendis electis civibus Jerusalem, memor ero, non Judaeorum tantum, sed etiam Aegyptiorum, et Babyloniorum, qui scient me, per fidem videlicet, et religiosum cultum cognoscent me. *Ecce* enim *etiam alienigenae*, idest, Palaestini, *et Tyrus*, idest populus Tyri, et populus Aethiopum, *fuerunt illic*, idest, istae quoque gentes, me vocante, et adducente erunt in civitate sancta Jerusalem. Ponitur enim praeteritum pro futuro, more prophetico. In hebraeo pro, *scientium me*, habetur לדעי *leiode hai, scientibus me*, et eodem modo habetur in graeco ατοι εγεννήθυσαν εκεῖ. Sed articulus ל *le*, qui habetur hoc loco, non solum deservit dativo, sed etiam genitivo, imo et accusativo ut grammatici docent. Quare si graecam interpretationem sequi velimus, non erit vertendum, *memor ero Raab, et Babylonis*, sed, *commemorabo Raab et Babylonem scientibus me*, id est, fidelibus meis. Sed quia latinus interpres vertit, ut jure potuit, *memor ero Raab, et Babylonis*, rectissime addit, *scientium me*, et est haec lectio antiquissima apud latinos, ut perspicuum est ex commentario s. Hieronymi in hunc psalmum. Illud autem, *hi fuerunt illic*, in hebraeo est זלד זה שם *jullad sciam, iste natus est ibi*, in graeco habetur in numero multitudinis, *hi nati sunt illic*, et idem est sensus, nimirum, unusquisque horum natus est illic. Quare latina interpretatio explicari debet hoc modo, *hi fuerint illic*, idest, hi omnes populi enumerati fuerunt, sive erunt in Jerusalem per novam generationem: per antiquam enim generationem cives erant Aegypti, vel Babiloniae, vel Tyri, vel Palaestinae, vel Aethiopiae, sed per novam generationem renati ex Deo per Christum, erunt omnes cives unus, atque ejusdem civitatis sanctae Jerusalem, *ubi non est gentilis, aut Judaeus, Barbarus, aut Scytha, servus, et liber, sed omnia, et in omnibus Christus.* Coloss. 3.

5. *Numquid Sion dicet, homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.*

Addit propheta praecipuam laudem sanctae civitatis, quod in ea natus sit, qui fundavit eam *altissimus Filius Dei.* Hinc enim potissimum gloriosa dicta sunt de ea, quod civis ejus esse voluerit secundum naturam humanam, qui fundator ejus est secundum naturam divinam. Sic enim intelligunt hunc locum ss. patres Hieronymus, et Augustinus et post eos Theodoretus, et Euthymius doctores graeci, et ante hos omnes vetustissimus latinorum Tertullianus in libro adversus praxeam. *Numquid Sion dicet homo*, idest, num fieri poterit, ut homo aliquis dicat Sioni rem tam novam, et tam admirandam, et inauditam a saeculo. *Et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus*, idest, numquid significabit aliquis ipsi Sioni, *quod homo natus sit in ea*, et ipse idem fundaverit eam, *cum sit Altissimus*? Hanc tam evidentem prophetiam nonnulli cum Judaeis obscurare nituntur. Sed nos majorem fidem habemus ss. Patribus, quam omnibus Judaeis. Quod attinet ad verba, illud, *numquid*, in hebraeo est, *et*; sed fortasse textus hebraicus corruptus est vitio scriptorum; et pro *vau*, legendum est *he*, quod significat *numquid*. Caeterum etiamsi maneat particula, *et*, idem est sensus. Si accipiatur per modum interrogandi, idem est enim, *Et Sion dicet homo*? et, *numquid Sion dicet homo*? In textu graeco non habetur, numquid neque, *et*, sed, *mater*, et sic legit etiam s. August. *Mater Sion dicet homo;* sed s. Hieron. in commentario aperte docet, textum graecum esse corruptum, et Septuaginta vertisse μητη quod est, numquid, sed ab aliquo sciolo additum esse, ρ, et factum esse μήτηρ. Illud, *Sion*, est in casu dandi, ut ex articulo hebraico notum est: et etiam ex eo, quod verbum, *dicet*, in hebraeo est generis masculini, et Sion est generis foeminini. Itaque homo dicet Sion, non ipsa Sion dicet. Illud, *dicet*, in hebraeo est יאמר *jeamar*, dicetur; sed remotis punctis eaedem literae faciunt, יאמר *jomar*, quod significat *dicet*, et sic legerunt Septuaginta, qui verterunt ἐρεῖ *dicet*. Illud, *homo et homo*, Rabbini, et qui eos sequuntur ita conjungunt, ut sensus sit, *homo et homo*, idest, multi homines. Sed in textu hebraico et graeco primum, *homo*, conjungitur cum verbo *dicet*, ut sensus sit. Dicet homo ad Sion: alterum, *homo*, conjungitur cum verbo *natus est*, et haec est vera interpunctio et lectio; neque debemus propter Rabbinorum glossas pervertere textum, et relinquere patrum expositio-

nem. Illud, *et*, cum dicitur, *et homo natus est in ea*, potest accipi pro *quia*, ut saepissime alias in scripturis. Si quis quaerat, quomodo Christus dicatur natus in Sion, cum constet eum natum esse in Bethlehem. Respondebimus hoc loco, per Sion significari ecclesiam, sive populum Dei; Christum autem natum esse secundum humanitatem in populo Dei, sive in ecclesia, quae coepit in Abel, cujus ecclesiae ipse est conditor secundum divinitatem. Addimus recte etiam posse dici, Christum natum esse in Sion, ratione parentum suorum Davidis, Salomonis, et aliorum, qui sedem suam posuerunt in Sion.

6. *Dominus narrabit in scripturis populorum et Principum: horum, qui fuerunt in ea.*

Respondet ad interrogationem, qua dixerat, *Numquid Sion dicet homo*; dicit enim Propheta, Dominum ipsum hoc dicturum, imo scripturum ad aeternam memoriam in libro, in quo scribit populos, et principes populorum, qui per novam nativitatem fuerunt in ipsa civitate. *Dominus*, inquit, *narrabit*, idest, annunciabit quod in Sion natus sit homo, qui ipse idem sit fundator Sionis: *narrabit autem in scripturis populorum et principum*, qui fuerunt in ea, idest, narrabit in illis scripturis, in quibus continentur nomina populorum, et principum renatorum in ipsa civitate: caput enim horum omnium est ille homo, qui simul est fundator Sionis, ac per hoc in capite libri scribetur. Porro publicatio hujus libri fiet in die Judicii; tunc enim aperientur libri, et alius liber, qui est vitae, ut dicitur Apoc. 20. de quo libro dicitur Luc. 20. *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in coelo.* Per principes, intelligit s. August. Apostolos, quos constituit Dominus principes super omnem terram. Quod attinet ad verba, in hebraeo, pro, *narrabit*, est verbum יִסְפֹּר *ispor*, quod s. Hieronymus vertit, numerabit. Verbum enim סָפַר *saphar* utrumque significat, et *narrare* et *numerare*: et utraque significatio hic locum habet: in libro enim vitae narrantur res gestae electorum, et eorum numerus describitur. Pro voce *in scripturis*, in graeco habetur ἐν γράφῃ: *in scriptura*, sed numerus non mutat sensum In hebraeo habetur ad verbum, בִּכְתוֹב עַמִּים *bichthob hammim, in scribendo populos*, idest, narrabit, vel numerabit, dum scribet populos: atque hinc exposuimus verba vulgatae editionis latinae in scripturis populorum, idest, in scripturis, in quibus scribuntur populi, sive nomina populorum: una enim editio aliam explicat. Illud, *et principum*, in hebraeo habetur transpositum post illa verba, *horum qui fuerunt in ea*, imo sequens versiculus apud hebraeos incipit per ista verba, Et principum. Sed nos sequi debemus lectionem septuaginta Interpretum, qui emendatiores libros habuerunt: ista enim transpositio videtur facta negligentia librariorum, et totum sensum obscurat. Illud, *horum qui fuerunt in ea*, in hebraeo est in singulari. *hic natus est in ea*, sed idem est sensus, hic videlicet, Dominus narrabit cum describet populos, et principes, quorum unusquisque per novam nativitatem fuit in ea.

7. *Sicut laetantium omnium habitatio est in te.*

Haec est conclusio psalmi, quae continet summam foelicitatem habitantium in illa civitate, cujus fundamenta initio psalmi descripta sunt. Haec est enim foelicitas propria civitatis sanctae Jerusalem, quod in ea nullus est miser, nullus moerens, nullus gemens: quoniam *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Apocal. 21. et quamvis haec implenda sint re ipsa in coelesti Jerusalem: tamen etiam in ecclesia militante, qui sunt descripti cives in coelo, omnes sunt spe gaudentes; et illis dicit Salvator, Joan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*: et Apostolus, Philip. 4. *semper gaudete*; et re vera si servi Dei gaudent etiam in tribulatione, quando moesti esse poterunt? Notat autem s. August. non esse dictum, *laetantium*, sed quasi laetantium, ne putaremus laetitiam patriae esse laetitiam, qualem hic videmus in filiis hujus saeculi, qui laetantur in acquisitione auri, et argenti, vel in carnalibus deliciis, aut aliis ejusmodi rebus. Erit ergo habitatio in coelesti Jerusalem similis habitationi, ubi convivium, vel nuptiae, cum laetitia et canticis jucunde celebrantur, sed non erit eadem causa laetitiae, hic et ibi, ac si diceretur, Non erit habitatio tripudiantium, vel potantium; sed sicut tripudiantium et potantium neque erit habitatio laetantium in nuptiali convivio, sed sicut laetantium in nuptiali convivio. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *Et cantores quasi in choris, omnes fontes mei in te.* Sed ut supra diximus, septuaginta Interpretes habuerunt codices magis correctos, et verba illa, וְשָׁרִים *vesarim*, quae s. Hieron. legit in hoc ultimo versiculo, et vertit, *et cantores*, ipsi legerunt in versiculo superiore, et verterunt, *Et principum*: nam vox שָׁרִים *sarim*, si legatur cum puncto in dextro cornu primae literae, significat *cantores*, a verbo שׁוּר *sur*, si legatur cum puncto in sinistro, significat *principes*, a verbo, שָׂרָה *sarab*, et sic legerunt septuaginta Interpretes. Illud quasi in choris, כְּחֹלְלִים *checholelin*, potest etiam recte verti. Sicut tripudiantium, vel laetantium, ut notum est. Denique illud, *omnes fontes mei in te*, non habet difficultatem, nisi ratione duorum vocabulorum, *fontes mei*: sed vox hebraica, מַעְיָנַי *mahianai, fontes mei*, lecta videtur a septuaginta Interpretibus, מְעוֹנִי *mehoni*, cum iod paragogico, quae significat habitationem: neque enim tam imperiti erant Septuaginta, ut pro fontibus, ponerent habitationem, nisi legissent verbum, quod ita verti posset. Sed quamvis vera lectio sit, quam ex septuaginta Interpres noster latinus expressit: tamen lectio quoque illa verum sensum habet, quam sanctus Hieronymus ex hebraeo transtulit. Vere enim beati omnes in coelis sunt quasi cantores in choris laudantes Deum, quoniam omnes fontes bonorum divinorum in coelesti Jerusalem inveniuntur.

PSALMUS LXXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Psalmi filiis Core, in finem pro Maheleth, ad respondendum intellectus Eman Ezraitae.

Obscurus titulus est, ut fere tituli caeteri esse solent. Illud, *pro Maheleth*, est ipsa vox hebraica, quam Septuaginta Interpretes intactam reliquerunt, ut Amen, Alleluja, et similes. S. Hieronymus vertit, per chorum ; alii volunt esse instrumentum musicum. Illud, *ad respondendum*, s. Hieronymus vertit, *ad praecinendum*; vox tamen hebraica לענות *lehonoth*, respondere significat. Videtur autem Eman Ezraita ille esse, qui cantor dicitur lib. 1. Paralip. cap. 6. et nepos Samuelis fuisse describitur: quamvis et alii fuerint, qui hoc nomine dicti sunt. Igitur sensus erit, Canticum psalmi filiis Core datum ad canendum et frequentandum usque in finem super instrumento *Maheleth* appellato ad respondendum alternatim canendo, in quo explicatur eruditio, sive intelligentia mysterio plena Eman Ezraitae, sive ipse, sive David in ejus persona psalmum composuerit. Argumentum psalmi ex Hieronymo, Augustino, et Euthymio est passio Domini nostri Jesu Christi, quae hoc loco manifeste praedicitur, ut in aliis multis psalmis.

EXPLICATIO PSALMI LXXXVII.

1. *Domine Deus salutis meae, in die clamavi, et nocte coram te.*

Propheta in persona Christi, ut ostendat magnitudinem passionis, multis et variis modis repetit, et inculcat quod Dominus in Cruce pendens dixit, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Incipit autem ab oratione invocans Deum patrem, ac dicens, *Domine Deus salutis meae*, idest a quo salutem expecto per celerem resurrectionem, *in die clamavi, et nocte coram te*: clamavit enim in die passionis ex cruce dicens, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* et nocte praecedente in horto ter clamavit, *Pater mi, si fieri potest, transfer calicem hunc a me.*

2. *Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.*

Exaudiatur, inquit, obsecro oratio mea: id enim significant omnia verba hujus versiculi, sed metaphoris multis poetice admixtis. *Intret in conspectu tuo oratio mea*, idest, admittatur quasi orator quidam ad praesentiam tuam haec oratio mea. *Inclina aurem tuam ad precem meam*, idest, posteaquam oratio admissa fuerit ad praesentiam tuam, praebe illi benignam aurem, ut cum fiducia exponat petitionem suam. In hebraeo pro verbis, *ad precem meam*, habetur, לרנתי *lerinnathi*, idest, *ad laudationem meam*, sive *ad hymnum meum*. Est enim oratio cum admixta laude. Laus autem est in primis verbis psalmi, ubi dicitur, *Domine Deus salutis meae.*

3. *Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit.*

Haec referri possent ad verba illa, *tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26 sed magis apte respondent illis, quae dicta sunt in cruce, *Deus meus, ut quid dereliquisti me* Matth. 27. Tunc enim plane repleta erat malis anima Christi, ob ingentes dolores totius corporis sui, et astantis matris suae, et vita ipsius propinquissima erat morti, ac per hoc inferno, ad quem tuae omnes animae defunctorum descendebant. Non desunt qui haec omnia, et sequentia referant ad morbum corporalem Davidis, aut Oziae regis: sed si ita esset, nihil mysterii in hoc psalmo esset, neque in titulo diceretur, *Intellectus Eman*, neque Ecclesia psalmum hunc cum caeteris frequentaret.

4. *Aestimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.*

Commemoravit dolores gravissimos corporis sui,

ob quos jam vicinus erat morti: commemorat nunc ignominiam et contemptum: quem patiebatur jam mortuus ex opinione hominum: existimabant enim homines illum esse quasi unum de caeteris, qui invitus descendisset in mortem, nec posset ullo modo seipse juvare, neque haberet a quo juvaretur, cum tamen ipse vere esset inter ipsos etiam mortuos liber a dominatu mortis, et a captivitate Diaboli, et posset quando vellet, mori, et quando vellet resurgere *Aestimatus sum*, inquit, *cum descendentibus in lacum*, idest, putaverunt homines me descendisse in locum animarum, sicut alii descendunt, invitum videlicet et coactum, ac per hoc existimaverunt me esse unum de numero infirmorum mortalium: *factus sum*, opinione hominum insipientium, *quasi homo sine adiutorio*: nam ideo insultabant moventes capita sua, et dicentes, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Inter mortuos liber*: idest, ego, qui inter morti addictos, et potestati ejus subiectos solus liber sum, ut nemo me ad mortem cogere possit, *et qui potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*, ut dicitur Joan. 10. Ego, inquam, existimatus sum sicut homo sine adjutorio, infirmus, et imbecillus, ut caetera turba mortalium.

5. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.*

Pergit explicare opinionem hominum de morte sua. Existimatus, inquit, sum *sicut vulnerati dormientes in sepulchris*, idest, sicut alii vulneribus occisi, et in sepulchris jacentes sopore mortis oppressi. *Quorum non es memor amplius*, idest, quorum tu Deus curam, quam de hominibus habes, deposuisti, cum amplius non sint inter homines. Quod idem repetit, et declarat dicens, *et ipse de manu tua repulsi sunt*, idest, ideo tu Deus oblitus es eorum, neque de illis amplius cogitas, quoniam a manu providentiae tuae repulsi sunt, cum non sint amplius in rerum natura. Ubi non dicit Propheta, corpora defunctorum non pertinere ad curam Dei, sed homines mortui non sunt homines, neque indigent victu, vestitu, aliisque rebus quibus indigent homines. Porro Christus, etiamsi in triduo mortis non fuerit homo, et vere vulneribus occisus jacuerit in sepulchro, tamen valde dissimilis erat aliis hominibus, quoniam ipse se resuscitare poterat, quod nulli alii possunt. S. Augustinus exponit illud, *quorum non es memor amplius*, in hunc sensum, Non es memor aliorum mortuorum, ut eos continuo resuscites: sed memor eris in fine saeculi: et ille, *et ipse de manu tua repulsi sunt*, exponit de Judaeis existimantibus Christum similem fuisse aliis mortuis, non autem de mortuis jacentibus in sepulchris. Non rejicio expositionem; sed quam supra posuimus, ea nobis videtur magis textui inhaerere. Qui psalmum exponunt de aegrotatione Davidis, vel aliis ejus calamitatibus, coguntur haec omnia explicare per tropos, et similitudines, cum tamen Christo Domino proprie, et ad litteram aptissime conveniant.

6. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis.*

Haec referuntur ab Euthymio ad sepulchrum Christi, quod lapide superposito tenebrosum erat. Sed de sepulchro dictum est in versiculo superiore: et sepulchrum tenebrosum quidem dici potest, sed non profundum instar lacus. Itaque melius referentur ad limbum, qui est locus subterraneus, et infernus etiam dici solet, et sic exponit s. Hieronym. S. August. per locum inferiorem, sine infimum, ut ipse legit, intelligit summam miseriam, qua major non sit, ut in psal. 39. *Eduxisti me de lacu miseriae. Posuerunt me in lacu inferiore*, idest, inimici mei, qui me occiderunt, fecerunt ut descenderem ad inferiores partes terrae secundum animam, qui jacebam secundum corpus occisus in sepulchro; describit autem locum inferni dicens, *In tenebrosis, et umbra mortis*, idest, in locis tenebrosis, et in umbra densissima, qualis est umbra mortis: vide in explicatione psal. 22. vers. 4. in hebraeo habetur, *posuisti me*, sed Septuaginta legerunt cum aliis punctis non. שתני *sciattani, posuit me*, sed, שתנו *sciatuni posuerunt me*: sed etiamsi legeretur, *posuisti me*, sensus esset verus: siquidem Deus Pater recte dici potest posuisse Christum in limbo, quemadmodum etiam in Cruce, et in sepulchro, quia *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ut ait Paul. Rom. 8. Illud etiam, *in umbra mortis*, in hebraeo habetur, בצלות *bimtzoloth, in profundis*. Sensus est idem, et fortasse, ut alii ante nos observarunt, literae sunt transpositae, et Septuaginta legerunt, בצל מות *betzal maveth*, quod significat, *umbra mortis*. Sunt enim literae omnino eaedem.

7. *Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me.*

Duabus metaphoris declaravit David in persona Christi magnitudinem passionis. *Super me confirmatus est furor tuus*, idest, furor tuus, quo indignabaris peccatis generis humani, sive zelus justitiae, quo peccata omnia vindicari volebas, super me non solum effusus est, sed etiam confirmatus, et roboratus, ut non inde recederet, donec plenissima satisfactio existeret. Haec est prima metaphora, ex qua intelligimus, tantam fuisse acerbitatem Dominicae passionis; quantam requirebat furor Dei omnipotentis in peccata totius mundi. Digna plane res, quam omnes redempti attentissime contemplentur. *Et omnes fluctus tuos induxisti super me.* Haec est altera metaphora, qua comparatur passio Dominica omnibus fluctibus totius maris obruentibus, sive agitantibus, et alludentibus ad varios scopulos hominem in mare praecipitatum. Sicut enim Dominus Jesus Christus omnia peccata hominum super se diluenda susceperat, sic etiam non unus, aut alter fructus poenalis, sed omnes omnino in eum irruerunt.

8. *Longe fecisti notos meos a me; posuerunt me abominationem sibi.*

Addit ad caeteras passiones aversionem notorum ab ipso. Per notos autem intelliguntur, qui eum noverant inter ipsos conversantem, et docentem; sed non credebant esse Deum, aut Messiam; de quibus dicitur Joan. 1. *In propria venit, et sui eum non receperunt. Longe fecisti*, inquit, *notos meos*, idest, permisisti, ut qui me noverant, longe recederent a me; *posuerunt me abominationem sibi*, idest, non solum recederent, tamquam si me non nossent ; sed etiam execrarentur ut seductorem, et Samaritanum,et doemoniacum,et amicum publicanorum, et peccatorum: haec enim omnia legentur in Evangelio dicta esse a Pharisaeis de Christo. Posset tamen hic versiculus exponi de discipulis Domini, qui proprie noti ejus dicuntur. Luc. 23. *Stabant*, inquit, *omnes noti ejus a longe.* Et Matth. 26. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Quod autem additur de abominatione, impletum videtur in s. Petro, qui Matth. 27. *coepit detestari, et jurare, quia non novisset hominem*; ubi quamvis re vera s. Petrus in corde suo non abominaretur Christum, tamen visus est abominari, cum juramento execratorio, se non novisse illum. Denique Discipuli ejus, cum nondum intelligerent sacramentum Dominicae passionis, et apprehenderent passionem, et mortem Domini, ut rem noxiam, et sibi, et Christo; non mirum est, si tunc eam abominarentur. Unde etiam ei dicebant, *Nunc te quaerebant Judaei lapidare, et iterum vadis illuc*, Joan. 11. Et sanctus Petrus audita praedictione passionis, abominatus eam dixit, *Absit a te Domine, non erit tibi hoc*, Matth. 16. Utramque expositionem attingit s. Augustinus, sed ante ponit primam. S. Hieronymus per *notos* intelligit Apostolos,per *abominantes* intelligit Judaeos: ut et Euthymius.Sed difficile est ita divedere, cum pronomen *sibi*,referatur ad notos:illi enim *posuerunt eum abominationem sibi*, qui longe sacti sunt ab eo, quamvis noti ejus essent.

9. *Traditus sum, et non egrediebar, oculi mei languerunt prae inopia.*
10. *Clamavi ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas.*

Explicata passionis magnitudine, revertitur ad initium passionis, et ad initium psalmi, idest, ad orationem, quia deprecatur mortem corporalem, ut fecit in horto, vel certe longiorem moram in morte. *Traditus sum*, inquit, *et non egrediebar*, idest, traditus sum quasi in carcerem, et conclusus undique in decretam a te passionem, unde egredi non potero, et ideo *oculi mei* lachrymis multis effusis *languerunt*, ut quasi siccati sint *prae inopia* humoris. Illud enim, *traditus sum*, hebraeo significat, *traditus sum in carcerem*, sive *conclusus sum in carcere.* Sed per carcerem intelligimus angustias passionis; et quoniam videbat, Dei praescientia,et praedifinitione,se traditum in ejusmodi angustias, ideo dicit, *Et non egrediebar*, id-

est, non poteram,nec volebam egredi, stante decreto patris aeterni. *Clamavi ad te Domine tota die*, hoc idem habetur in principio psalmi, et declaratur ab Apostolo ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suae, preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte cum lachrymis,et clamore valido offerens,exauditus est pro sua reverentia.* Dicitur autem clamasse *tota die*, quia et die et nocte clamavit, ut dicitur in primo versiculo: nam ex die, et nocte completur dies naturalis, ac per hoc tota dies dicitur utraque pars diei, quamvis non utraque pars integra sit. *Expandi ad te manus meas*, orando videlicet, vel expandi in cruce manus meas, ut tanto oblato sacrificio facilius impetrarem, et mihi celerem resurrectionem, et corpori meo mystico liberationem a morte sempiterna. Neque obstat, quod non expandit Christus manus tota die, illud enim *tota die*, refertur solum ad clamorem, non autem ad expansionem manuum. S. August. exponit omnia mystice, quoniam non existimabat posse ad litteram ostendi, quomodo Christi oculi potuerint languere prae inopia; neque quomodo tota die clamaverit, et extenderit manus suas.

11. *Numquid mortuis facies mirabilia, aut Medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?*
12. *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam et veritatem tuam, in perditione!*
13. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis?*

Reddit rationem Prophela in persona Christi, cur a morte salvari petierit. Possunt autem hi tres versiculi, tribus modis exponi; primum de morte aeterna, quam Christus a membris suis idest, fidelibus suis amoveri oraverit: et in hoc sensu facile est intelligere hos tres versiculos. Redditur enim ratio, cur petendum, et optandum sit, ut haec mors amoveatur a fidelibus, quia Deus erga damnatos ad mortem aeternam, non ostendere solet, nec debet mirabilia sua: neque illi unquam resurgere debent ad vitam beatam;neque narrabunt cum laude misericordiam, et veritatem Dei. Denique quia non solum non narrabunt ista, sed neque cognoscent. Contra hanc expositionem facit,quod hic nominantur sepulchra, et medici : sepulchra enim sunt corporum mortuorum , non animarum damnatarum , medici si experimentum ullum facere auderent circa corpora, non circa animas auderent. Secunda expositio est, quod per mortuos et sepultos intelligantur obstinati in peccato, apud quos parum valent mirabilia Dei, et quos medici spirituales, quantumvis magni , non resuscitant. Hanc persequitur s. Augustinus, et ex parte s. Hieronymus, sed mystica est interpretatio, non litteralis. Tertia est Theodoreti , et Euthymii , quod intelligantur haec omnia de morte corporali, quam Christus a se, et suis deprecatur, optans, et petens celerem resurrectionem, et tunc sensus hic erit, *numquid mortuis faciens mirabilia*? idest, horreo mortem cupio vitam conservari, aut brevi restitui mihi, et

fidelibus meis : quoniam mortuis, qui non vivunt nec sentiunt, frustra ostenderes mirabilia opera tua, quae tamen mirabilia honorificum est te facere, et justum est ut agnoscantur, et tibi gratiae agantur. *Numquid medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* idest mortui non solum non vivunt, nec sentiunt; sed neque arte ulla humana suscitari possunt ut sentiant, et vivant et tibi confiteantur confessionem laudis. *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?* Idest, ideo non facis mortuis mirabilia tua, quia illi in sepulchris jacent sine sensu, et mirabilia tua, narrare non possunt ; quae mirabilia sunt misericordiae, et veritatis tuae opera. Perditio autem hoc loco amissionem vitae corporalis significat: proinde jacere in sepulchro, et in perditione idem est : soli enim in sepulchris, jacent, quorum vita perdita, et extincta est. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis ?* idest, ideo non narrabunt mortui in sepulchris mirabilia tua, quia non ea cognoscunt, neque cognoscere possunt, cum degant in tenebris mortis, et in terra oblivionis, ubi nulla est memoria rerum praeteritarum, sicut nec sensus rerum praesentium. Haec expositio confirmari potest ex verbis regis Ezechiae apud Isaiam cap. 38. qui sine ullo dubio petebat vitam corporalem sibi conservari a Deo, et dicebat, *quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; vivens vivens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie.* Similia habentur in psal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum ; sed nos qui vivimus, benedicimus Domino.* Quod attinet ad verba, in hebraeo pro illis verbis, *aut medici suscitabunt*, habetur, *aut Gigantes resurgent.* Sed haec varietas nata est ex ambiguitate vocis hebraicae, ut etiam s. Augustinus admonuit ; nam vox, רפאים *rephaim*, quae significat *gigantes*, vel *mortuos* : si scribatur, רפאים *ropheim*, uno puncto dumtaxat mutato, significat *medicos*. Sic autem legisse septuaginta Interpretes certissimum est. Quod autem recte legerint, et verterint ex hoc etiam cognosci potest, quod radix hujus vocabuli est. רפא *rapha*, quae significat, *mederi*, sive *sanare*. Quando enim ה *rephaim* accipitur pro gigantibus, *vel mortuis*, debet sumi א *aleph* pro ד *he* : nam radix est, רפה *raphah*, quae significat, *dissolvere*, unde dicuntur mortui, *rephaim*, quasi resoluti in cineres, et Gigantes dicuntur, *rephaim*, quasi qui terribili aspectu suo dissolvant intuentes. Illud autem, יקומו *jakumu*, similiter est ambiguum, et potest significare tam, *resurgent*, quam, *suscitabunt*, et ideo interpretes accomodate transtulerunt, sive *resurgent*, sive *suscitabunt*. Illud, *et confitebuntur tibi*, aliqui referunt ad medicos, quasi dicat Propheta, numquid medici suscitabunt mortuos, et laudabunt te, quod tantam virtutem medicinae tradideris? Sed rectius refertur ad mortuos, ut sensus sit, numquid medici suscitare poterunt mortuos, et ipsi mortui laudabunt te? Et sic exponit sanctus Augustinus. Denique illud, *in terra oblivionis*, ambiguum est: potest enim significare, in loco, ubi est, oblivio omnium rerum, et talis est regio mortis, vel in loco oblito, cujus loci videlicet nemo amplius recordatur. Codex hebraeus ambiguus est; septuaginta Interpretes, et sanctus Hieronymus interpretati sunt posteriore modo. Consequentia autem sermonis videtur requirere priorem sensum : sed uterque sensus in idem recidit, terra enim oblivioni data, est terra deserta, et desolata, ad quam nemo vivens accedit: proinde nemo est ibi, qui ullius rei recordetur, cum nemo sit ibi vivens, et sentiens.

14. *Et ego ad te Domine clamavi, et mane oratio mea praeveniet te.*
15. *Ut quid Domine repellis orationem meam? avertis faciem tuam a me ?*

Demonstrat in fine psalmi divino decreto confirmatam fuisse Christi passionem, ut mutanda omnino non esset: et pluribus verbis (ut initio diximus) explicatur illud in cruce brevissime dictum a Domino, Matth. 27. *Deus meus, ut quid dereliquisti me. Et ego ad te Domine clamavi*, ut videlicet calix possionis transiret a me, *et mane oratio mea praeveniet te*, idest, satis tempestive in ipso exortu passionis oratio Christi in horto fusa, nocturno tempore fuerit fusa, tamen dicitur mane fusa, quia tunc oriri incipiebat ipsa passio, et erat illud tempus quasi ancora passionis. *Ut quid repellis orationem meam*, idest, quare non exaudis ? quare non facis, ut calix iste transeat a me? *Avertis faciem tuam a me?* idest, quare avertis faciem tuam a me, quasi alienus? quare derelinquis me? haec autem dicuntur, ut intelligantur magnitudo passionis, quam natura humana naturaliter horrebat: alioquin enim absolute Dominus ipse passionem, ut remedium ad tollenda peccata generis humani, omnino volebat, et Pater eum semper exaudivit in eo, quod absolute petit. In hebraico, et graeco textu habetur, למה יהוה תזנח נפשי *Lamah*, Adonai *tiznach naphsci*. ἵνα τί κύριε ἀπωθῇ τὴν ψυχήν μου, *Ut quid Domine repellis animam meam*; pro eo quod nos habemus, *Ut quid Domine repellis orationem meam*; sed tamen etiam veteres Patres Hieronymus, et Augustinus legunt, *orationem meam*. Proinde latina vulgata lectio non est nova, et una lectio aliam declarat. Sensus enim est, Ut quid Domine repellis orantem animam meam.

16. *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.*

Ne putarent homines Christi passionem trium horarum aut unius diei tantum fuisse: revelat hic nobis Spiritus sanctus, Christum in diebus carnis suae numquam sine passione vixisse. Nam praeter calicem mortis amarissimae, quem semper ante oculos mentis habuit, in omni aetate sua in laboribus et aerumnis fuit. *pauper*, inquit, *sum ego, et in laboribus a juventute mea*, idest, cum in forma Dei essem beatus, et dives, propter vos homines egenus factus sum, et in laboribus a juventute mea, sive a pueritia mea, quod significat vox hebraica, מנער *minnochar*. Poterat etiam vere di-

cere ab infantia mea, vel a nativitate mea : quod praesepe et spelunca Bethlehemitica, et in Ægyptum fuga exiliumque testantur. *Exaltatus* autem in cruce tamquam in solio regni, habens super caput titulum scriptum, *Jesus Nazarenus rex Judeorum humiliatus sum* usque ad mortem, *et conturbatus* ob coecitatem, et ruinam populi mei. Vel exaltatus autem a populis clamantibus, et dicentibus, *benedictus, qui venit rex in nomine Domini*, ut habetur Luc. cap. 19. vel, *benedictus, qui venit in nomine Domini rex Israel*, ut dicitur Joannis 12. humiliatus ea de causa usque ad flagella, et mortem crucis, et conturbatus sum videns coecitatem populi mei. In hebraeo, pro, *exaltatus autem humiliatus sum*, habetur ex versione sancti Hieronymi, *portavi furorem tuum*. Sed septuaginta Interpretes aliter acceperunt verbum ambiguum, נשאתי *nasathi*: nam et *portare*, et *exaltare*, vel exaltari significat. Itaque s. Hieronymus unam significationem, aliam septuaginta Interpretes sequuti sunt. Vocem autem, אמיך *emecha*, *furorem tuum*, septuaginta legisse videntur a verbo, מכך *mecach*, quod *humiliari*, et *depauperari*, significat.

17. *In me transierunt irae tuae et terrores tui conturbaverunt me.*

Reddit causam, cur exaltatus humiliatus sit ; quia videlicet ira Dei in peccata multa, et multiplicia totius generis humani, in ipsum Christum transierunt: nam *propter scelus populi sui percussit eum Deus*, ut Isaias cap 53. *Et ipse* (ut sanctus Petrus ait in 1. Epist. cap. 2.) *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. In me*, inquit, *transierunt irae tuae*, quae super iniquos casurae erant: *et terrores tui*, quibus iniqui percellendi erant, *conturbaverunt me*: inde est enim, quod in horto coepit pavere, et taedere, et moestus esse, quia terrores Dei conturbabant eum, ut qui peccata totius mundi expiaturus, divinae justitiae satisfacturus erat.

18. *Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.*

Declarat iram illam, et terrores Dei fuisse instar maris deglutientis, et absorbentis hominem, quod supra breviter dixerat, *repleta est malis anima mea. Circumdederunt me terrores tui sicut aqua tota die*, idest, undique, et semper me opprimebant, et absorbebant. Idem repetit, dicens, *circumdederunt me simul*; ubi in hebraeo est aliud verbum, הקיפו *hikkiphu*, sed idem significans.

19. *Elongasti a me amicum, et proximum, et notos meos a miseria.*

Hoc denique ad cumulum malorum accedebat, quod solus calicem illum amarum bibere opus illi erat, nullo participe, et socio tantae calamitatis. *Elongasti*, inquit, tempore passionis, *a me amicum, et proximum*, Judam videlicet, qui longissime ab illo recessit factus proditor, et hostis ex amico, et proximo. *Et omnes notos*, Apostolos videlicet, elongasti *a miseria mea* : nam *relicto eo omnes fugerunt*. Matth. 26. Et quamvis postea mulieres, et Joannes accesserint : illi non dolorem minuebant, sed augebant. Vere enim apud Isaiam loquitur Dominus, *torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum; circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi, et non fuit, qui adjuvaret*. Isai. 63. In hebraeo pro, *a miseria* habetur, מחשך *machsciah*, idest, *a tenebris* : sed idem est sensus, tenebrae siquidem miseriam significant, ut lux prosperitatem. S. August. a versu quintodecimo usque in finem exponit omnia de corpore Christi, quod est ecclesia, non de ipso Christo in se.

PSALMUS LXXXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Intellectus Ethan Ezraitae.

De Ethan Ezraita mentio fit lib. 4. regum cap. 4. ubi is ponitur inter viros sapientes. Est etiam Ethan unus ex principibus cantorum lib. 1. Paralip. cap. 6. Utrum autem isti sint unus, et idem, an diversi, et si diversi, quis eorum in hoc titulo ponatur, incertum est. Graeci legunt, Ethan Israelitae; sed videtur id vitio librariorum irrepsisse : codices enim hebraici, et latini habent, Ethan Ezraitae. Argumentum psalmi continet desiderium populi Dei in captivitate positi, ut citò Christus tanto ante promissus adveniat. Itaque primo loco ab initio psalmi usque ad versiculum tricesimum septimum explicatur promissio facta Davidi de perpetuitate regni ipsius. Deinde a versiculo tricesimo-septimo usque ad versiculum quadragesimum quintum, ostenditur, eam promissionem non fuisse adimpletam in filiis carnalibus, et regno temporali Davidis. Denique a versiculo quadragesimoquinto usque ad finem, ponitur desiderium, et oratio, ut promissio adimpleatur in Christo, vero, et sempi-

terno rege, de quo intelligenda erat; non autem de terreno regno. Nam ut s. Augustinus fuse docet in lib. 17. de civit. Dei cap. 9. 10. 11. 12. et 13. ea praecipue de causa voluit Deus, regnum terrenum Davidis finiri in Jechonia, et Sedechia, ut promissio de Christo Jesu Domino nostro intelligeretur: atque hoc admonet vox, משכיל *maschil*, idest, *intellectus*, in titulo posita.

EXPLICATIO PSALMI LXXXVIII.

1. *Misericordias Domini in aeternum cantabo.*

Haec est propositio, et argumentum totius psalmi. Dicit enim Propheta se in hoc psalmo cantaturum misericordias Domini stabiles, et firmas, idest, beneficia misericorditer promissa, quae numquam deficient, quae apud Isaiam dicuntur cap. 55. *Misericordiae David fideles* Illud ergo, *in aeternum*, non conjungitur cum verbo. *cantabo*, sed cum nomine, *misericordias*. Non enim David in aeternum cantare poterat, qui paulo post moriturus erat: sed cantaturum se dicit misericordias Domini in aeternum, permansuras, idest beneficia firma, et stabilia in aeternum. Parum autem refert, quod in graeco codice legatur τάς ἐλέησας σα κύριε, *misericordias tuas Domine*: in hebraeo, חסדי יהוה, *chasde* Adonai, et latino, *misericordias Domini*: nam idem est sensus, et priorem lectionem habet sanctus Augustinus, posteriorem s. Hieronymus.

2. *In generationem, et generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo.*

Hic secundus versiculus est repetitio, et explicatio primi: idem enim est, *in aeternum*, quod, *in generationem, et generationem*: idem quoque est, *cantabo*, quod *annunciabo in ore meo*: idem denique est, *misericordias fideles*, quod *veritatem tuam*. Itaque in primo versiculo dicit se cantaturum misericordias Domini, quae in aeternum erant; in secundo dicit, se cantaturum veritatem Domini, idest, fidelitatem in servandis promissis, quae in generationem, et generationem permanebit. Quod autem hoc loco illud, *in generationem, et generationem*, debeat conjungi cum nomine, *veritatem tuam*, non cum verbo, *annunciabo* ; perspicuum est ex illa additione, *in ore meo* ; ne forte enim existimaremus, voluisse Davidem dicere, se cantaturum, et annunciaturum in aeternum per ore fidelium, qui perpetuo psalmos ejus cantabunt, addidit, *in ore meo*, idest, ego ipse ore meo cantabo, et annunciabo misericordiam, et veritatem Dei sempiternam. Sed hunc esse sensum horum versiculorum, manifestius intelligetur ex versiculo sequenti.

3. *Quoniam dixisti, in aeternum misericordia aedificabitur in coelis: praeparabitur veritas tua in eis.*

Probat aeternam esse misericordiam, et veritatem Dei, idest, in aeternum duraturas, quoniam Deus ipse hoc dixit, qui mentiri non potest. Ego, inquit cantabo misericordiam, et veritatem tuam, quae in aeternum erit, *quoniam tu dixisti*, et mihi Prophetae tuo revelasti, *in aeternum misericordia aedificabitur in coelis*, idest, beneficia misericorditer Davidi promissa in aeternum aedificium in coelis consurgent, idest, firma, et stabilia erunt ut aedificium immobile, quod nulla temporum duratione destrui potest. *In coelis* autem hoc misericordiae aedificium erit, ubi sunt omnia aeterna. Non enim eventus pendebit a voluntate hominum mortalium, neque consiliis, et decretis mutabilibus nitetur; sed in coelis fundamentum suum habebit. *Praeparabitur veritas tua in eis*, idest, in iisdem coelis fidelitas tua, qua promissa adimples praeparabitur. Vox hebraica, תכין *thachin*, ducitur a verbo, כון *chun*, quod significat, *parare*, *dirigere*, *ordinare*. Itaque sensus est, fidelitas tua non poterit impediri ab ulla inferiore causa, quoniam in coelis firmabitur, et stabilietur : et similis erit ipsis coelis, qui permanent in saeculum saeculi. In hoc versiculo est aliqua varietas lectionis: nam in hebraeo legitur in prima persona, אמרתי כי *chi amarthi*. *Quia dixi*: in graeco, et latino in secunda, quoniam dixisti : sed in hebraeo unius solius literulae, quae scribitur sic י differentia est inter primam, et secundam personam. Itaque facile fuit literulam illam addere, vel demere librariis. Sensus est idem; nam si legatur *dixi*, sensus erit, te inspirante dixi : si legatur, *dixisti*, sensus erit, per os meum dixisti, vel mihi dixisti. Illud, *in coelis*, in graeco conjungitur cum verbo, praeparabitur, et omittitur illud, *in eis*, hoc modo: ἐν τοῖς οὐρανοῖς τοιμαθήσεται ἡ ἀλήτεια σα: *in coelis praeparabitur veritas tua*: sed quoniam in hebraeo habetur, בהם *bahem in eis*, distinctio, et lectio communis vulgatae editionis retinenda est, quae conjungit, *in coelis*, cum verbo, *aedificabitur:* et non omittit, *in eis*. Hebraeus codex non concordat neque cum graeco, neque cum latino: sic enim s. Hieron. ex hebraeo reddit, *coelos fundabis, et veritas tua in eis*. Et quidem hanc lectionem voces hebraicae patiuntur ; sed sententia non videtur apte cohaerere cum praecedentibus, neque facile intelligi posse. Quid enim est, *misericordia praeparabitur : coelos fundabis ;* nonne coeli ab initio fundati sunt, cur debent iterum fundari, et quemadmodum de misericordia dicitur, *aedificabitur*, non aptum erat, ut de veritate diceretur, *praeparabitur*, vel firmabitur, aut fundabitur ? Et vox hebraica, תכין *thachin*, facile potest per mutationem punctorum, et י *jod*, in ו *vau*, verti in, תכון *thiccon*, quod est, praeparabitur, vel firmabitur, et sic legisse credibile

est septuaginta Interpretes. De voce, *in coelis*, non est, facienda difficultas, quoniam etiamsi in in hebraeo desit praepositio, in, et ideo s. Hieron. verterit coelos; tamen saepe hebraei praepositionem omittunt, eamque subintelligunt: et septuag. Interpretes eam addere solent, ut hoc loco fecerunt.

4. *Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo, usque in aeternum praeparabo semen tuum.*
5. *Et aedificabo in generationem, et generationem sedem tuam.*

Explicat nunc misericordiam fidelem, quam initio cantaturum se dixit. Est autem haec misericordia, promissio quaedam pacto, et juramento firmata de posteritate Davidis, et regia dignitate sempiterna, quae promissio habetur 2. reg. 7. ubi David cupivit aedificare domum Domino, id est, templum, ubi requiesceret Arca Dei, et sacrificiis Deus coleretur. Deus autem hoc bonum Davidis desiderium remuneravit per Nathan Prophetam, promissione domus ejus aedificandae, id est, propagandae posteritatis, et regni in domo ejus stabiliendi usque in sempiternum. Hoc igitur significat, cum ait, *Disposui testamentum electis meis*, idest, percussi foedus cum populo meo electo. *Juravi David servo meo*, idest, promisi cum juramento Davidi principi populi mei electi, *Usque in aeternum praeparabo semen tuum*, idest, hoc erit pactum juratum, ut stabiliam sobolem ejus usque in aeternum, ut numquam desit filius aliquis Davidis. *Aedificabo in generationem, et generationem sedem tuam*, idest, et multiplicabo tempora regni tui in aeternum. Quemadmodum enim aedificare domum, hebraica phrasi est multiplicare sobolem: sic etiam aedificare sedem regni est multiplicare tempora regni, sive efficere, ut regnum diuturnum, vel potius aeternum sit. Haec omnia sine dubitatione in Christum solum conveniunt qui futurus erat de semine David, et regnaturus in aeternum. Declaravit hoc Isaias cap. 9. ubi ait: *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio, et justitia, a modo, et usque in sempiternum.* Id etiam declaravit Angelus Gabriel Luc. 1. *Dabit ei Dominus Deus sedem Davidis patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Neque possunt haec intelligi de regno temporali, quod jamdudum eversum est, sed de regno spirituali, et sempiterno, in quo Judaei valde hallucinantur, et erant expectantes Messiam, qui Jerosolymis temporaliter regnet. In hebraeo legitur in singulari, לבחירי *libchiri electo meo*, sed Septuaginta verterunt in numero multitudinis *electis meis*: nam populus electus per utrumque numerum significari potest. In eodem hebraico codice legitur ad verbum ברית כריתי *charithi berith, repigi pactum*, pro quo nos habemus, *Disposui testamentum*. Sed septuaginta plerumque pactum, testamentum vocant. Vulgatus quoque Interpres lib. 1. Machab. cap. 1. scribit, *Disponamus testamentum in gentibus*, quod nihil aliud est, nisi pactum faciamus cum gentibus.

6. *Confitebuntur coeli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.*

Exposita summa promissionis Dei, antequam fusius illam explicet, excurrit in laudes ejusdem Dei, ut offerat sacrificium gratiarum actionis: ac primum sanctus David videns se non esse idoneum ad agendas gratias pro tanto beneficio, dicit, angelos in coelo Deum laudaturos, gratiasque acturos. *Confitebuntur*, inquit, *coeli mirabilia tua*, idest, ego par non sum tantae laudi, quanta pro hac re tibi debetur, sed *confitebuntur*, id est, laudabunt *coeli*, idest, angeli habitantes in coelis, *mirabilia tua*, idest, admirabilem misericordiam tuam: *etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum*, idest, confitebuntur etiam laudes veracitatis et fidelitatis tuae in coetu sanctorum angelorum, qui tibi innumerabiles semper assistunt. Illi enim melius noverunt magnitudinem misericordiae, quae in aeternum aedificatur in coelis, quam nos, qui in terra jacemus. Illud, *etenim*, non est particula rationalis hoc loco, sed conjunctiva, idem valens, quod *et*, vel *etiam*: nam in hebraeo est, אף *aph*, quod significat, *etiam*.

7. *Quoniam quis in nubibus aequabitur Domino similis erit Deo in filiis Dei.*

Probat angelos non recusaturos officium laudandi Deum, quoniam sunt ipso Deo longe inferiores. *Quoniam*, inquit, *quis in nubibus aequabitur Domino?* idest, Quis eorum, qui super nubes coeli degunt; *aequabitur Domino?* quasi dicat, nullus coelitum conditori coeli aequalis est, omnes subjecti, omnes servi: ac deinde idipsum repetit, dicens, *similis erit Deo in filiis Dei*; id est, quis ex filiis Dei, quales sunt angeli sancti, qui cum sint filii Dei, consequenter etiam Dii sunt, *similis erit* similitudine aequalitatis, ipsi uni vero Deo, qui Deus est per naturam, non per gratiam; per essentiam, non per participationem. Illud, *in nubibus*, idem est, ac si dictum fuisset, in coelo. Vox enim hebraica utrumque significat; et tum Septuaginta, tum s. Hieron. eamdem vocem hebraicam, שחק *sciachak*, hic verterunt, *nubes*, et paulo infra verterunt, *coelum*, ubi dicitur, *Et testis in coelo fidelis*. Itaque non significatur hoc loco, quod angeli proprie sint in nubibus, sed quod sint in coelo. Nubes enim pro coelo ponuntur. S. Augustinus existimavit sensum esse, nullam ex nubibus aequari posse Deo, et quia videbatur nimis humilis esse comparatio nubium ad Deum, per nubes significari voluit praedicatores; per Dominum vero, Deum incarnatum, idest, Christum; sed prior expositio est magis litteralis.

8. *Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus, et terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt.*

Ostendit, vere nullum angelorum sanctorum

conferri posse cum Deo; quoniam *Deus est, qui glorificantur in consilio sanctorum*, idest, qui in coetu supernarum potestatum gloriosus agnoscitur, *magnusque* est potentia, et sapientia, et ideo reverendus, et metuendus super omnes angelos, qui in circuitu ejus sunt, ut milites in circuitu regis, et servi in circuitu Domini sui. Verbum, *glorificatur*, in hebraeo: נַעֲרָץ *naharatz*, proprie significat, *robustus est, praevalet, eminet.* S. Hieron. vertit, *inclytus est.* Illud, *in consilio*, accipitur pro loco consilii secreti: nam in hebraeo est, סוֹד *sod*, quod secretum significat. Sunt autem Angeli quasi secretum consilium Dei, non quod Deo consilium dent, (*quis enim ejus consiliarius fuit?* inquit Isaias cap. 40. et Apostolus Rom. 11.) sed quod Deus secreta consilia sua eis revelet, et per eos exequatur: atque in hoc consilio sanctorum Deus mirifice glorificatur, admirantibus supernis illis senatoribus consilia, et judicia infinitae sapientiae Dei. Illud, *In circuitu ejus sunt*, non repugnat immensitati Dei, quae omnia ambit, et replet: nam quamvis Deus sit ubique, tamen non extenditur per loca, sed est ubique, totus, et ideo possunt angeli esse in circuitu Dei, quatenus omnes illum intuentur, et totum vident, quamvis et ipse sit in circuitu Dei, quatenus omnes illum intuentur, et totum vident, quamvis et ipse sit in circuitu angelorum, eosque undique circumspiciat, et conservet. Similis sententia est Apoc. 11. *Et omnes Angeli erant in circuitu throni.*

9. *Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo.*

Quod Prophela dixit in laudibus Dei per modum narrantis: nunc idem dicit ipsum Deum alloquendo, et copiosius laudes ejus percurrendo. *Domine*, inquit, *Deus virtutum quis similis tibi?* idest, tu Domine es Deus exercituum, multorum videlicet millium Angelorum, sed in his omnibus ita emines, ut nullus sit perfecte tibi similis. *Potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo*, idest, ideo nullus est perfecte similis tibi, quia tu solus es potens, non potens facere hoc, aut aliud, sed absolute potens quia omnia potes, et nihil potestati tuae resistit: nec solus potes omnia facere, sed etiam re ipsa facis quod promittis te facturum; fidelis enim es in omnibus verbis tuis. Dicitur autem veritas, idest, veracitas, et fidelitas esse in circuitu Dei, quoniam est veluti cingulum Dei: dicitur enim Isaiae 11. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorum renum ejus*; ut enim cingulum adstringit vestes, ut corpori firmiter adhaereant: sic veracitas adstringit verba promissionum, ut non mutentur, sed impleantur, et quemadmodum cingulum facit hominem expeditum ad ambulandum, unde dicitur Tobiae 5. Angelum Raphaelem apparuisse, ut juvenem praecinctum, et paratum ad ambulandum: sic veracitas facit ut omnibus remotis impedimentis homo expendite progrediatur ad implenda promissa.

10. *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu matigas.*

Dixit Deum esse potentem, et fidelem, nunc probat Deum esse potentem, ex eo quod dominatur mari, et motus ejus mitigat. Mare siquidem horrendum in modum aliquando turbatur, et fremit; et quia latissimum, et profundissimum est, et fluctus suos usque ad coelum extollere videtur, ideo creatoris omnipotentia in eo sedando, et compescendo cernitur. De qua re sic loquitur Dominus, Job 38. *Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia, et dixi, usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*; et Hierem. 5. *Me ergo non timebitis, et a facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum mari praeceptum sempiternum, quod non praeteribit; et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud*; sed maxime Deus ostendit potentiam suam super mare, quando siccavit mare rubrum, et motum ejus ita mitigavit, ut staret quasi murus hic, atque inde, dum transiret populus hebraeus per medium sicci maris, ut dicitur Exod. 14. Illud, *potestati maris*, significat elationem, et quasi superbiam, maris; ut sensus sit, Tu dominaris superbiae maris elationes ejus comprimendo. Quod explicatur in verbis sequentibus, *et motum fluctuum ejus tu mitigas.*

11. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos.*

Haec ad litteram videntur intelligenda de Pharaone, et exercitu ejus; et recte conjunguntur cum superioribus verbis. Eodem enim tempore Deus mitigavit mare usque ad siccationem, et interfecit superbum Pharaonem, quasi vulneratum, et debilem, et dispersit exercitum ejus. Quod clarius legitur apud Isaiam cap. 51. *Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, ut transirent liberati?* Ergo, inquit, *tu humiliasti superbum*, dejiciens illum in profundum maris; humiliasti autem nullo negotio, quemadmodum prosternitur facillime is, qui graviter vulneratus est, *in brachio virtutis tuae*, idest, brachio tuo potentissimo, *dispersisti* per mare rubrum *inimicos tuos*, exercitum videlicet Pharaonis. Possunt etiam haec omnia referri ad Diabolum, qui per Pharaonem in scripturis significatur, et ad angelos ejus. Deus enim initio mundi dominatus est potestati maris, et mitigavit motum fluctuum ejus, quando sedavit seditionem, et tumultum malorum angelorum, quasi maris turbati, et aestuantis, cujus fluctus, idest, superbia usque ad solum Dei elevabatur; humiliavit superbum Diabolum, quasi hominem prae vulneribus debilem, et impecillum, et dispersit omnes inimicos suos, qui Diaboli superbiam imitati fuerant.

12. *Tui sunt coeli, et tua est terra, orbem terrarum, et plenitudinem ejus tu fundasti: Aquilonem, et mare tu creasti.*

Docet non esse mirum, si Deus tam facile com-

pescuit mare, et humiliavit superbum, quia Dominus est universorum, et ideo Dominus, quia omnia fecit. *Tui sunt coeli*, et omnes habitantes in eo: *tua est terra*, idest, mundus inferior, et quidquid in eo est; solet enim scriptura per coelum, et terram mundum universum significare, ut Genes. 1. *In principio creavit Deus coelum, et terram.* Et Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine coeli, et terrae. Orbem terrae, et plenitudinem ejus tu fundasti*, idest, ideo tui absoluti juris est orbis terrae cum omnibus rebus, quibus plenus est; quia tu eum fundasti, idest, a fundamentis fecisti, nullo praesupposito fundamento ab alio Architecto constituto. *Aliquem, et mare tu creasti*, idest, tu fundasti orbem terrae cum omnibus suis partibus, Septentrionali, Australi, Orientali, et Occidentali. Per Aquilonem intelligitur pars orbis Septentrionalis omnium consensu, sic dicta a vento, qui ab illa parte flare sentitur. Per mare aliqui intelligunt Occidentem, sed refelluntur ab ipso Propheta in Psal. 116. A *solis ortu, et occasu; ab Aquilone, et mari.* Igitur per mare intelligitur pars orbis australis, quoniam mare oceanum maxima ex parte jacet ad austrum. In hebraeo non est, ים *jam*, quod significat *mare*, sed, ימין *jamin*, quod significat dextrum, ideo vel dicendum est septuaginta Interpretes legisse, ימים *jammim*, quod est *maria*, et etiam legit s. Augustinus: vel reddidisse sensum, non verba. Mare enim, sive Auster dextra pars mundi censetur, aquilo sinistra, Oriens anterior, Occidens posterior. Sed cur propheta tam accurate meminit creationis orbis terrae, et partium ejus, et de creatione coeli nihil dicit? Opinor, quia de homibus habitatoribus terrae magis sollicitus erat, ut eis persuaderet, Deum esse verum eorum Dominum, quam de angelis habitatoribus coeli, quibus ea persuasio necessaria non erat; quamquam etiam ab una parte de toto judicium fieri poterat.

13. *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.*

Dixerat, Deum creavisse Aquilonem, et mare, idest, Austrum: nunc addit Orientem, et Occidentem. Sed more poetico describit orientem, et occidentem per montes *Thabor, et Hermon*, quorum unus est terrae promissionis ad orientem, alius ad Occidentem: sicut etiam poetico more describit creationem per effectum exultationis, ac si diceret, Oriens, et Occidens a te creati *exultabunt*, et gestient, et in laudes tuas suo modo prorumpent, ob tam insigne beneficium creationis. His dictis concludit, *tuum brachium cum potentia*, idest, ex creatione coeli, et terrae; ut etiam ex eo quod dominaris potentiae maris; et humiliasti superbum, et dispersisti inimicos tuos, colligimus, tuum brachium esse fortissimum, conjunctum videlicet non cum debilitate, vel infirmitate, sed cum absoluta omnimodaque potentia.

14. *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua: justitia, et judicium praeparatio sedis tuae.*

Duo quaedam praedicaverat de Deo sanctus Propheta in octavo versiculo, potentiam, et veritatem; ac de potentia multa dixit in quinque versiculis nono, decimo, undecimo, duodecimo, et tertiodecimo: nunc incipit explicare, et laudare veritatem, quae judicium etiam, et justitia dicitur, et cum misericordia semper conjuncta esse solet. Ait igitur, *firmetur manus tua, et exaltetur dextera: justitia, et judicium praeparatio sedis tuae*, idest, opto quidem, et gaudeo quod manus tua *firmetur*, idest, roboretur: sive potens, et robustissima sit, *et eadem dextera tua exaltetur*, idest, laudetur, et magnificetur ab omnibus, ut aequum est, sed simul *justitia, et judicium, sit praeparatio sedis tuae*, idest, misericordia, et justitia praeparent, ornent, et stabiliant thronum tuum. Existimamus hoc loco per justitiam, intelligi bonitatem, et misericordiam, quomodo accipitur nomen justitiae, Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisaeorum*, etc. et Matth. 6. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Ubi per justitiam significatur eleemosyna. Et ibid. *Primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus.* Nam hoc idem repetitur aliis verbis in sequenti versiculo, *Misericordia, et veritas praecedent faciem tuam.* Est autem hoc loco metaphora desumpta a corporali solio regum: quemadmodum enim antequam rex procedat ad solium jura daturus, praecedunt famuli, qui solium praeparant, stabiliunt, et ornant; sic ad judicium Dei praesupponuntur misericordia, et justitia, quae faciunt ut judicia Dei justissima sunt, nec possint ullo modo esse iniqua. Deus enim primo exhibet misericordiam magnam hominibus omnibus, docendo per leges, juvando per gratiam, incitando ad bonum per praemiorum promissionem, absterrendo a malis per comminationem poenarum; et postea exhibet justitiam remunerando bonos, et puniendo malos: nisi enim misericordia praecederet justitiam, omnes periremus. Hinc etiam, admonentur reges, et principes terreni, thronos eorum multo melius ornari, et stabiliri misericordia, et justitia, quam auro, et gemmis: nec minus debere bonos principes dare operam ut peccata non fiant, quam ut puniantur cum facta sunt; non enim desunt aliquando si non principes ipsi, at certe aliqui ipsorum ministri, qui laetentur multiplicatione delictorum, ut habeant occasionem lucri in exercenda justitia: quique moleste ferant, cum a viris piis excogitantur remedia ad impedienda, vel minuenda delicta, quasi hoc redundet in detrimentum causidicorum, et judicum: sed ubi misericordia, et justitia praeparant thronum, cupiditas, et iniquitas locum non habent.

15. *Misericordia, et veritas praecedent faciem tuam: beatus populus, qui scit jubilationem.*

Prior pars hujus versiculi apud hebraeos conjungitur cum superiori versiculo; nihil enim est aliud, nisi repetitio illorum verborum, *justitia, et judicium praeparatio sedis tuae.* Itaque sensus est, *misericordia, et veritas*, idest, justitia, *praecedent faciem tuam*, ut praeparent sedem tuam, cum

ad judicium venturus eris, idest, certi sumus, te non judicaturum nisi justissime, et praemissa misericordia; ut minus invenias quod punias, et fideliter reddas unicuique secundum opera ejus. His explicatis de potentia, et veritate Dei cum misericordia conjuncta, applicat haec ad populum Israeliticum, et in particulari ad ipsum Davidem; ostendens in populo Dei, et in persona Davidis maxime locum habere potentiam, misericordiam, et justitiam Dei. *Beatus*, inquit, *populus, qui scit jubilationem*, idest, vere prae omnibus populis foelix est populus Israeliticus, qui scit per notitiam et experientiam has laudes Dei, et scit jubilare, idest, magno affectu laudare Deum. Hinc intelligimus non esse beatum, qui voce tantum Deum laudat, nisi etiam vere intelligat et cogitet Deum esse laude dignissimum, imo digniorem, quam verbis exprimi possit, et ideo ad jubilum cordis recurrendum esse, dum utcumque voce, et cantu eum laudamus.

16. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.*

Explicat quare beatus sit populus, qui scit jubilare: quoniam, inquit, homines ejus populi, non ambulabunt in tenebris, sicut gentes, quae ignorant Deum, sed conversi ad Deum *in lumine vultus ejus ambulabunt viam hujus vitae*: significat autem lumen vultus Dei tum illuminationem intellectus per notitiam legis, et voluntatis Dei tum etiam favorem gratiae, qua inflammatur effectus; lux enim illuminat, et calefacit. Ex hac autem ambulatione in lumine vultus Dei, sequitur laetitia bonae conscientiae, et gratiarum actio, et ideo *in nomine Dei exultabunt tota die*, idest, jugiter exultabunt Deum laudantes, et gratias agentes. Et quoniam qui ita ambulant, quoditie magis, ac magis proficiunt, et ascendunt ad majorem Dei notitiam, et amicitiam, et inde donis majoribus cumulantur, ideo addit, *et in justitia tua exaltabuntur*, idest, exaltabuntur ad majorem vitae perfectionem, et postea ad gloriam sempiternam, in justitia Dei qua servat promissa, sive in justitia, quam Deus nobis donat, cum nos quotidie magis, magisque justificat, idest, justiores facit. Ubi admonemur, non in nostra scientia, aut viribus confidendum esse, sive cum incipimus ambulare, sive cum incipimus ambulantes: illud enim, *in lumine vultus tui*, opponitur praesumptioni de proprio lumine: et illud, *in nomine tuo*, opponitur vanae gloriationi de proprio nomine; et illud *in justitia tua*, opponitur superbiae Pharisaicae, *qui ignorantes justitiam Dei, propriam justitiam statuere volunt, et ideo justitiae Dei non sunt subjecti*, ut ait B. Paulus ad Rom. 10.

17. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.*

Pergit humiliare superbiam humanam, quae valde facile sibi tribuit, quae Dei sunt, et inde meretur amittere quae acceperat. *Dixi*, inquit *in justitia Dei exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es*, idest, virtus, et robur eorum, unde proficiunt, et ascendunt, a te est, non ab illis, et ideo in te, non in se gloriari debent: ut enim es, qui das illis virtutem, et gloriosos eos facis. Id autem facis, non quia illi merentur, sed quia tibi placet: nam *in beneplacito tuo*, id est in bona voluntate tua erga nos, a qua bona omnia procedunt, *exaltabimus cornu nostrum*, id est robusti, et fortes erimus adversus inimicos nostros.

18. *Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel Regis nostri.*

In hoc enim apparuit beneplacitum Dei, quod ex omnibus populis terrarum, placuit illi assumere populum Israel in suum, ac proprium. *Domini est assumptio nostra*, idest, Dominus ex beneplacito suo, non ex meritis nostris nos assumpsit in populum peculiarem, ac rex noster esse dignatus est; ideo enim subjungit, *et sancti Israel regis nostri*, ubi Israel est genitivi casus, ut apparet ex textu hebraico. Dicitur autem Deus a Davide, et ab Isaia, et aliis Prophetis, *sanctus Israelis*, quoniam a populo Israel peculiariter sanctificari, idest, sanctus haberi, et dici, et nomen suum nulla blasphemia, aut maledictione pollui volebat. In hebraeo pro, *assumptio nostra*, habetur, מגננו *maghinnenu protectio nostra*; sed idem est sensus. Deus enim assumpsit populum Israel, ut eum protegeret, et defenderet.

19. *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti, posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.*

Hic jam incipit descendere ad personam suam, tamquam caput populi a Deo peculiariter dilecti. Sed oritur hoc loco gravis quaestio, An haec verba, et sequenti a debeant exponi de Davide, an de Christo, an partim de Davide, partim de Christo? Sanctus Augustinus exponit omnia de Christo: sed repugnat huic expositioni quod Apostolus Act. 13. exponit de ipso Davide illa verba, *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum*, quae verba sumpta sunt partim ex hoc loco, partim ex lib. 1. reg. cap. 13. Praeterea, quod dicit infra, *Et ponam in saeculum saeculi semen ejus*, non videtur ad litteram convenire Christo, qui proprie non reliquit semen, idest, filios: sed optime conveniunt Davidi, cui Deus promisit 2. regum 7. quod post mortem ejus poneret de semine ipsius in throno regni, et regnum per ipsum semen aeternum esset. Alii exponunt omnia de Davide in persona sua; sed repugnat huic expositioni illa verba, *ego primogenitum ponam eum excelsum prae regibus terrae*, et alia multa, ut infra demonstrabimus. Euthimius exponit partem de Davide, partim de Christo, sed huic expositioni repugnat continuatio verborum, omnia enim verba ita contexta sunt, et continuata, ut ad eumdem pertineant. Existimo igitur omnia exponenda esse ad litteram de Davide, sed implenda magna ex parte per Christum, ita ut dicatur David primogenitus Dei, et excelsus

prae regibus terrae, non in se, sed in Christo filio suo; et haec videtur esse Theodoreti sententia. Sed si hoc non placeat, adhaerendum erit omnino sententiae s. Augustini: quod enim omnia dicantur de Davide in persona propria, Judaicus error est. Tunc, inquit, quando assumpseras populum Israel in populum peculiarem, providisti etiam ei regem peculiariter tibi placitum: nam locutus es in visione, sive revelatione Sanctis tuis Prophetis, videlicet Samueli primum, et postea Nathan, ut intelligi potest ex lib. 1. reg. 16. et lib. 2. c. 7. *Et dixisti, posui adjutorium in potente*, idest, posui, sive constitui auxilium populo meo in homine robusto, et forti corpore, et animo, qui facile poterit liberare populum ab omnibus hostibus ejus. *Et exaltavi electum de plebe mea*, idest, constitui adjutorium populo meo in viro potente, quia exaltavi in regem, et protectorem, ac defensorem populi hominem electum a me de omni plebe mea. Sanctus Augustinus haec etiam exponit de Christo, qui proprie potentissimus fuit, et electus, ac dilectus prae omnibus. In graeco pro *sanctis tuis* habetur τοις υἱοῖ σου σου, filiis tuis, sanctus Hieronymus in epistol. ad Suniam, et Fretellam, dicit omnes Interpretes vertisse, *sanctis tuis*, ut habetur in hebraeo, לחסידיך *lechassidecha*, excepto auctore sextae editionis, quae habet, *Prophetis tuis*, et auctore communis editionis, quae habet, *filiis tuis*. Theodoretus tamen scribit, Symmachum vertisse, *filiis tuis*; sed in sensu nulla est diversitas: iidem enim et Prophetae, et filii Dei, et sancti dici possunt.

20. *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.*

Explicat quis sit ille vir potens, ac dicit, esse ipsum Davidem, quem invenit dignum qui eligeretur, et ungeretur in regem: et quidem de Davide ad litteram haec exponi possunt, quem constat unctum fuisse a Samuele. Sed etiam per Davidem hoc loco s. August. intelligit Christum, quem Ezech. capit. 34. et 37. expresse Davidem nominat: de cujus unctione legimus psal. 44. *Unxit te Deus Deus tuus*. Quod autem dicitur, Deum invenisse Davidem, metaphoricum est: non enim Deus eget inquisitione, qui omnia quantumvis occulta, uno intuitu respicit: sed dicitur quaerere, et invenire, quia non eligit casu, neque accipit obvium quemque, sed facit sine labore inquirendi, quod facere solent homines, cum post longam, et maturam inquisitionem inveniunt quod optimum est, id est, eligit eum, qui dignissimus, atque aptissimus est.

21. *Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.*
22. *Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.*
23. *Et concidam a facie ipsius inimicos ejus, et odientes eum in fugam convertam.*

Haec quoque de Davide utcumque exponi possunt, qui Dei auxilio multas victorias de inimicis suis obtinuit: tamen longe verius exponuntur de Christo. Nam in Davide profecit inimicus diabolus, eumque decepit, cum ad crimen adulterii, atque homicidii eum perduxit: profecit quoque in eo inimicus Absalon, et circumvenit; cum eum de regno expulit, et ad fugam compulit. Sed manus et brachium Domini, quod est ipsum Dei Verbum, potentia, et sapientia Patris, ita corroboravit humanitatem Christi hypostatice sibi unitam, ut nihil in eo homine proficere potuerit ullus inimicus: neque eum ullo modo decipere, aut circumvenire; sed contra potius, omnes qui eum oderant, a facie ejus caesi, et victi in fugam conversi sint: quamvis enim Christus flagellis caesus, et cruci affixus fuerit ab inimicis: tamen haec passus est quia voluit, et hac ipsa passione diabolum vicit, et captivos illi eripuit, et de illo gloriosissime triumphavit: Judaeos quoque inimicos Christi videmus hodie dispersos per orbem terrarum, quasi exercitum fusum, et fugatum.

24. *Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.*

Haec quoque in Davide vix adumbrata, in Christo perfectissime impleta sunt: nam veritas, et misericordia Dei cum Christo semper perseveraverunt, misericordia fuit assumptio humanitatis ad unionem hypostaticam, quae numquam disrumpi potuit, ne per ipsam quidem mortem: veritas autem fuit in eo, quod fideliter implevit Deus quod Angelus promisit. Luc. 1. *Regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis*. Ex hoc autem quod veritas, et misericordia semper cum eo perseveraverunt, factum est ut *in nomine Dei exaltaretur cornu ejus*, idest, potentia jus eo usque, ut in nomine ejus omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum. Dicitur autem exaltari potestas Christi in nomine Dei, quia *gloria ejus est tamquam unigeniti a Patre* Joann. 1. ab omnibus adoratur ut Filius aeterni Patris, et ipse venit in nomine Patris sui, *et Deus Pater exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Philipp. 2.

25. *Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus.*

Ab hoc loco conveniunt fere omnes, Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, et multi recentiorum, non posse exponi verba psalmi, nisi de Christo, vel de Davide per filium ejus Christum, ita ut tribuatur Davidi, quod in Christo ejus filio impletum est; non enim David habuit potestatem in mari, sed in terra tantum, eaque satis angusta. Terra enim promissionis extendebatur usque ad mare Palaestinae, et usque ad flumen Euphratem, et non ultra. De hoc autem nostro rege dicitur, *ponam in mari manum ejus*, idest, dabo ei potestatem etiam in ipso mari, *et in omnibus fluminibus*; ac per hoc in omni orbe terrarum: mare siquidem est in finibus terrae circumiens totam terram; flumina autem sunt in medio terrae. Itaque per mare, et flumina intelliguntur omnia, fines, et mediterranea: quod aliis verbis dictum est in psal. 71. *Dominabitur a mari usque ad mare*, idest, ab uno extremo ad aliud. Possunt etiam per mare, et flumina

intelligi omnes populi, gentiles, et Judaei: nam *aquae multae populi multi.* Apoc. 17. et mare amarum, et vastissimum, significat gentilitatem, quae maximam partem generis humani tunc comprehendebat: flumina aquae dulcis et modicae, si comparentur ad mare, significant populum hebraicum, qui tunc erat populusDei electus, et peculiaris.

26. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu Deus meus, et susceptor salutis meae.*

Adhuc apertius loquitur Propheta de Christo, non de se, nisi, ut diximus, haec conveniant Davidi ratione Christi filii ejus.David enim in toto psalterio nusquam invocat Deum sub nomine patris: proinde non de ipso dicitur,*Ipse invocabit me,Pater meus es tu.* Et fortasse particulari providentia Dei factum est ut David numquam invocaret Deum sub nomine Patris, ut fecit Isaias, et alii Prophetae, ut hic locus non acciperetur de Davide, nisi ratione Christi. Christus enim initium verborum suorum, quae in evangelio leguntur,inde sumpsit: *Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc. 2. sic etiam ultima verba ejus fuerunt in hac vita,*pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. In toto autem progressu vitae, frequentissime Deum appellat sub nomine patris. *Ipse*, inquit, *invocabit me, pater meus es tu*, quoad divinitatem; *Deus meus*, quoad humanitatem; *susceptor salutis meae* quoad mortalitatem. In hebraeo pro voce, *susceptor*, habetur, צוּר *tzur*, quod petram, sive arcem, sive fortitudinem, et robur significat. Itaque sensus est, *tu es susceptor salutis meae*, idest, tu suscepisti salutem meam custodiendam, ut propugnaculum, sive arx munitissima.

27. *Et ego primogenitum ponam illum,excelsum prae regibus terrae.*

Hic vero apertissime de Christo Propheta loquitur: Christus enim qui secundum divinitatem unigenitus est, secundum humanitatem primogenitus est inter multos fratres.Dicitur autem primogenitus tribus rationibus. Primo, quia primus est in praedestinatione: in illo enim tamquam in capite nos praedestinavit Deus, ut dicitur ad Ephes. 1. secundo, quia primus est in secunda generatione ad vitam immortalem, unde dicitur *primogenitus ex mortuis.* Coloss. 1. et *primogenitus mortuorum*, Apocal. 1. Denique quoniam ipse habuit jure primogenitorum, *quem constituit Pater haeredem universorum*, Heb. 1. Nec solum posuit illum, Pater *primogenitum, sed etiam excelsum prae regibus terrae*, idest, principem regum terrae, et regem regum, ut exponit s. Joan. in Apoc. 1. et 19. Habetur in hebraeo vox, עֶלְיוֹן *helion*, quod est unum ex nominibus Dei; et significat excelsum sive altissimum; nec facile invenietur tributum creaturis. Hoc nomen habetur in psalm. 82. *Tu solus altissimus in omni terra*, et in psal. 90. *Qui habitat in adjutorio altissimi.* Sunt igitur omnes reges terrae subjecti Christo, ut regi altissimo, quo nihil altius invenitur. At certe haec de Davide, vel Salomone nullo modo dici possunt nisi ratione Christi, qui ab illis descensurus erat. Non solum enim non erant altissimi absolute, sed erant inferiores multis regibus terrae, ac praecipue regibus Assyriorum, qui eo tempore Monarchiam tenebant.

28. *In aeternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi.*

Hic jam praedicit Prophetae aeternitatem regni Christi,quemadmodum antea praedixerat excellentiam: quam aeternitatem non habuit David neque in aliis filiis vel nepotibus, qui temporaliter regnarunt in Jerusalem; defecit enim regnum illud in Jechonia. *In aeternum*, inquit, *servabo illi misericodiam meam*, idest, misericordia, qua motus promisi Davidi filium,per quem regnum ejus aeternum esset, semper manebit: nam *testamentum meum*, idest, pactum, et promissio facta illi per Nathan 2. reg. 7 fidelissime conservabitur. Sed si de Christo sint exponenda haec omnia verba, hic erit sensus, *in aeternum servabo illi misericordiam meam*, idest, misericordia, qua illum praedestinavi, et elegi ante saecula, ut esset filius Dei in virtute, primogenitus, et excelsus prae Regibus terrae, semper manebit: non enim solvetur unquam unio hypostatica humanitatis cum verbo, ac per hoc semper erit ille homo Christus filius Dei *primogenitus, et excelsus prae regibus terrae. Et testamentum meum fidele ipsi*, idest, pactum meum cum ipso de stabiliendo regno ejus in aeternum, fideliter semper observabitur. Expressit hanc promissionem Angelus Gabriel, Luc. 1. cum ait, *regni ejus non erit finis.*

29. *Et ponam in saeculum saeculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies coeli.*

Explicat modum, quo volet Deus conservare Davidi misericordiam suam in aeternum: modus autem erit, quia dabit illi semen, idest, filium Christum, qui manebit, et regnabit in saeculum saeculi, ac per hoc *thronus ejus*, idest, regnum Davidis numquam finem habebit, sed tempora ejus erunt *sicut dies coeli*, idest, sicut tempus, quo durabit coelum: quod quidem Deus ipse statuit in aeternum, et in saeculum saeculi, ut dicitur in psal. 148. s. August. per semen, hoc loco, intelligit filios Christi regeneratos ex aqua, et Spiritu sancto qui post resurrectionem manebuut in regno Dei in saeculum saeculi. Sed magis convenit litterae, ut per semen intelligatur ipse Christus; juxta illud psal. 131. *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; et in eodem psalmo paulo infra, *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in aeternum manebit.*

30. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam et in judiciis meis non ambulaverint.*

31. *Si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint.*
32. *Visitabo in virga iniquitates eorum; et in verberibus peccata eorum.*
33. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.*
34. *Neque profanabo testamentum meum, et quae procedunt de labiis meis, non faciam irrita.*

Respondet objectioni, quae fieri potuisset, ac dicit, quod si filii Davidis iram Domini malis suis operibus provocaverint, ipsos quidem peccantes puniendo corripiet; non tamen irritum faciet quod jurejurando promisit. *Si autem dereliquerint filii ejus* idest, Davidis posteri, legem meam, sive judicialem, sive caeremonialem, sive moralem. *Et in judiciis meis non ambulaverint*, id est, si vel solam judicialem legem sequi noluerint, *si justitias meas profanaverint*, idest, si vel solam caeremonialem legem polluerint: *et mandata mea non custodierint*, idest, si vel solam moralem legem non observaverint; *visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum*, idest, non relinquam eorum scelera impunita, sed castigabo paterno flagello. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*, idest, non propter peccata filiorum removebo a Patre beneficium, quod misericorditer promisi: *neque nocebo in veritate mea*, idest, neque ostendam veritatem meam, quam utique offenderem, eique nocerem, si irritum facerem quod promisi. Illud nocere in veritate, accipiendum est, pro nocere in veritati. In hebraeo clarius habetur, ולא אשקר באמונתי *velo asciaker beemunathi, neque mentiar contra veritatem meam. Neque profanabo testamentum meum*, idest, non polluam pactum meum, illud non observando: *et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita*, idest, non irritabo promissa mea. Hic duo sunt observanda. Unum est per filios Davidis, intelligi posteros Davidis secundum carnem, si per Davidem accipiatur persona ipsa Davidis filii Jesse, ut nos ad litteram accipimus: sin autem per Davidem intelligitur Christus, ut ad litteram intelligit sanctus Augustinus, et nos spiritualiter intelligi posse existimamus; tunc per filios Davidis, accipiendus erit populus Christianus, qui per baptismum in Christo regeneratur. Alterum est, ex hoc loco non esse colligendum, filios Davidis sive Judaei, sive Christiani sint, non posse perire in aeternum, si mali sint, quemadmodum haeretici aliqui docuerunt: non enim dicit per psalmistam Deus, *misericordiam meam non dispergam ab eis*, sed *non dispergam ab eo*. Itaque si mali filii, flagello paterno correpti corrigi voluerint, haereditatem non amittent, imo in gratiam, instar filii prodigi, amantissime recipientur, sed si obstinate in malo perseveraverint, ipsi quidem ab haereditate paterna excident; sed veritas Domini stabit, neque regnum Christi peribit, quoniam *potens est Deus de lapidibus suscitare filios Israel*, ut legitur apud Matth. cap. 3. quamquam qui praecogniti sunt, et praedestinati in Christo ante mundi constitutionem, sine dubio ad finem usque in fide, spe, et charitate perseverabunt.

35. *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in aeternum manebit.*
36. *Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.*

Reddit rationem, cur velit adimplere promissionem de stabiliendo regno Davidis, etiamsi filii ejus non adimpleant praecepta ipsius, et ratio est, quia juravit, idest, firmissime, et sine retractatione promisit. *Semel*, inquit, *juravi in sancto meo*, idest, irrevocabiliter, et immutabiliter juravi per sanctitatem meam. Illud, *semel*, significat immutabilitatem, quia unicum Dei juramentum aequivalet innumerabilibus aliorum juramentis. Illud, *in sancto meo*, potuisset verti, *in sanctitate mea*, sed idem est, sensus, *in sancto meo*, idest, in sancto nomine meo, sive in sancto numine meo; quod Genes. 22. dicit, *per memetipsum juravi. Si David mentiar*; existimant aliqui haec esse verba juramenti, quasi dicat, si Davidi mentiar, hoc aut illud mihi contingat. Sed improbabile est, Deum jurare juramento execratorio. Verius est illud, *si*, aequivalere particulae neganti, et sensus esse, *si David mentiar*, idest, non mentiar Davidi, quomodo dicitur in psalm. 131. *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam.* Similis locutio est apud Isaiam cap. 22. *Si dimittetur iniquitas haec vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum.* Verba juramenti sunt quae sequuntur, *Semen ejus in aeternum manebit, et thronus ejus sicut sol*, etc. idest, juravi, et non mentiar Davidi, quod filius ejus Christus in aeternum vivet, et regnum quoque ejus sempiternum erit. Illustrat autem hanc juratam promissionem tribus similitudinibus, solis, lunae plenae, et arcus coelestis. *Thronus*, inquit, *ejus in conspectu meo in aeternum manebit, sicut sol, sicut luna perfecta, et sicut testis in coelo fidelis*: quae significant regnum Christi, ac per hoc Ecclesiam ejus fore semper illustrem, et perspicuam, non obscuram, vel invisibilem, ut haeretici somniant; nihil enim clarius, et pulchrius sole interdiu; nihil item clarius, et pulchrius luna plena nocturno tempore; denique nihil clarius et pulchrius in nubibus arcu coelesti, qui testis est fidelis a Deo datus hominibus, numquam amplius fore diluvium aquarum. Per testem in coelo fidelem aliqui ipsam lunam intelligunt, sed videtur probabilius, ut intelligatur Iris, siquidem hoc loco vox, *in coelo*, non est שמים *sciamaim*, sed שחק *sciachak*, quod nubes, aut coelum aerium proprie significat, ut perspicuum est ex illo psal. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, et ex illo Deuteron. 33. *Magnificentia ejus discurrunt nubes*. Porro regnum Christi in communi prosperitate lucet, ut sol in die undique sereno: in communi perfectione fulget ut luna plena in tenebris noctis. Ubi vero admixta est persecutioni prosperitas, similis est Iridi in nubibus. Illud, *luna perfecta*, in hebraeo est, יכון *iccon*, *stabilietur*, sive *praeparabitur*. Ex quo intelligi-

mus vocem, *perfecta*, explicandam esse, ac si dictum esset, *luna stabilis*, sive *praeparata*; et si quidem agatur de stabilitate luminis, ut idem sit luna perfecta, quae sequitur, *in aeternum*, non est conjungendum cum *thronus tuus*: ut sit sensus, thronus tuus erit in conspectu meo in aeternum, sicut sol, et hunc sensum supra persecuti sumus; sed si agatur de stabilitate substantiae lunae, quae incorruptibilis est, tunc in aeternum jungi poterit cum luna perfecta, ut sensus sit, thronus tuus erit in conspectu meo sicut sol, et sicut luna, quae perfecta est quoad substantiam, et stabilis in aeternum.

37. *Tu vero repulisti, et despexisti, distulisti Christum tuum.*

Haec est altera pars psalmi, in qua Propheta in persona populi captivi orat pro adimpletione promissionis divinae; quamvis enim Deus firmiter, et cum juramento promiserit, vult tamen rogari, ut faciat quod promisit: sic Isaac Gen. 25. *Deprecatus est Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis*; et tamen Gen. 22. promiserat Deus Abrahae sobolem copiosam ex filio. *Multiplicabo*, inquit, *semen tuum sicut stellas coeli*; et ibidem, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Orat autem Propheta Deum, illum quodammodo admonendo, quod si tamdiu differat implere promissum, videbitur non velle servare pactum, et juramentum suum. Itaque sensus est hujus versiculi, et sequentium, Tu Domine promisisti cum juramento filium Davidis perpetuo regnaturum: nunc autem videmus regnum ablatum esse a filiis David, et occupatum a rege Assyriorum: ergo, ut confirmes verbum tuum, mitte filium illum Davidis, quem promisisti, et da illi regnum sempiternum, ut jurasti, alioqui ridebunt nos inimici nostri, et in te redundabit opprobrium nostrum. *Tu vero repulisti, et despexisti*, idest, promisisti bona, nunc vero reddis mala, quia repulisti nos a protectione tua, et despexisti nos, quos magnifacere videbaris. *Distulisti Christum tuum*, id est, elongasti a te regem populi tui, Jechoniam videlicet, et Sedechiam, qui captivi ducti sunt in Babylonem. S. August. aliter exponit, videlicet distulisti mittere ad nos Christum tuum, illum qui perpetuo regnaturus est. Vox hebraica, חתעברת עם משיחך *hithabartha him meschicheca*, vertitur a sancto Hieronymo, et hebraeis, *Iratus es cum Christo tuo*: cum qua sententia cohaeret prior expositio. *Distulisti Christum tuum*, idest, elongasti regem a favore tuo, et a regno suo, quod est signum irae, et indignationis in eum; tamen sententia sancti Augustini, quae est conformis graecae, et latinae lectioni, potest etiam concordari cum voce hebraica: nam eamdem vocem in psal. 77. Sanctus Hieronymus vertit, ut hoc loco verterunt septuaginta Interpretes versiculo 59. alias 62. ubi nos legimus, *audivit Deus, et sprevit*, sanctus Hieronymus ex hebraeo vertit, *audivit, Deus et distulit*. Itaque videmus eamdem vocem hebraicam, et a Septuaginta, et a sancto Hieronymo nunc verti, *differre*, nunc *spernere*, nunc *irasci*. Illa verba, *repulisti*, et *despexisti*, non necessario conjunguntur cum sequentibus, ut sit sensus, *repulisti Christum tuum, despexisti Christum tuum, distulisti Christum tuum*: nam in hebraico ponitur interpunctio post verbum despexisti, et ideo potest facile defendi expositio sancti Augustini, qui vocem *Christum tuum*, solum conjungit cum verbo *distulisti*, non cum antecedentibus, *repulisti, et despexisti*, ad quae subintelligitur, nos, aut populum tuum, aut aliquid ejusmodi, ut sensus sit, repulisti et despexisti populum tuum, et distulisti mittere Christum tuum. Utraque expositio bonum sensum habet.

38. *Evertisti testamentum servi tui, profanasti in terra sanctuarium ejus.*

Explicat quomodo Deus repulerit, et despexerit populum suum: ac primum dicit, Deum evertisse testamentum servi sui, idest, retractasse pactum initum cum servo suo David, quod intelligendum est de eversione sive retractatione, quoad apparentiam, non quoad veritatem. Videbatur enim Deus non velle regnum Davidis esse perpetuum, quia permiserat occupari civitatem Jerusalem; et totam Palaestinam a rege Assyriorum. Sed re vera non de illo terreno regno intelligenda erat promissio, sed de spirituali, et coelesti. *Profanasti in terra sanctuarium ejus*, idest, projecisti in terram, et hoc modo profanasti sacrum diadema ejus; quod factum est quod cessavit regnum Davidis, deturbatis de solio Jechonia, et Sedechia, et ablato ejus regio diademate: nam in hebraeo habetur, נזרו *nizro*, quod proprie significat diadema regium, quod sanctum, et sacrum habebatur: in graeco est, ἁγιασμὰ, quod *sanctitatem, et sanctuarium, et sanctificationem* significat. Noster interpres hoc loco vertit sanctuarium, sed in psalmo 131. vertit sanctificationem, ubi apertissime loquitur propheta de diademate, non de templo: sic enim loquitur, *Super ipsum efflorebit sanctificatio mea*. Itaque per sanctuarium videtur intelligenda sanctitas diadematis. Si tamen quis velit Theodoreti, et Euthymii expositionem sequi, qui per sanctuarium profanatum, intelligunt templum Salomonis per Nabuchodonosor regem eversum, et incensum; dicere poterit, ipsum templum vocatum esse diadema populi Judaici, quoniam re vera erat illis instar coronae gloriosissimae, et eo maximae, tamquam insigni diademate gloriabantur.

39. *Destruxisti omnes sepes ejus: posuisti firmamentum ejus formidinem.*
40. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis.*

Comparat populum Judaicum, per Davidem significatum, vineae, quae destructa saepe fit omnium transeuntium praeda; ita enim populus ille, Deo non protegente, factus est in direptionem Assyriis non semel, sed saepius capientibus, et spoliantibus Jerusalem. Historia nota est ex 4. libr. regum. *Destruxisti*, inquit, *omnes sepes ejus*, idest, tu Deus nos auxilio, et protectione tua destituens, in causa fuisti, ut instar vineae, destru-

cta sepe, diriperemur ab hostibus. *Posuisti firmamentum ejus formidinem*, idest, fecisti, ut in locum munitionis firmissimae succederet in Davidis regno, et civitate, formido; erat enim antea in eo regno fortissimi milites, sed Deo deserente facti sunt timidi, et imbelles, ut hostibus nullo modo resistere possent. Tribuit autem populus Deo causam horum malorum, quoniam intelligebat, sine Dei voluntate non fieri, et facillimum esse Deo, si velit omnia impedire. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam*, idest, diripuerunt populum Dei hostes ejus sine ulla prohibitione, quomodo diripiunt vineas omnes transeuntes per viam, quando disjectae sunt sepes, vel maceriae, quae aditum prohibebant. *Factus est opprobrium vicinis suis*, idest, inde factum est, ut omnes populi vicini irredeant populum Dei, tam imbellis factus est, ut nulli hosti resistere valeat.

41. *Exaltasti dexteram deprimentium eum, laetificasti omnes inimicos ejus.*
42. *Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello.*

Pergit narrare calamitates populi Dei, in quas incidit desertus ab adjutorio divino. *Exaltasti dexteram deprimentium eum*, idest, juvisti hostes populi tui, ut facilius deprimerent populum tuum. Exaltare, hoc loco, significat magnificare, roborare, excelsum facere. Inde vero secuta est laetitia magna apud hostes ob tam facilem victoriam, ideo subjungit, *laetificasti omnes inimicos ejus*; contra vero *avertisti adjutorium gladii ejus*, idest, avertisti adjutorium tuum a gladio ejus, regis videlicet, vel exercitus populi tui; quod clarius explicat, dicens: *et non es auxiliatus ei in bello*; ideo reges Juda resistere nequierunt Assyriis, hostibus suis.

43. *Destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terram collisisti.*

Obscurus est hic locus, sed ex posteriore parte versiculi apparet sermonem esse de privatione cultus regii, qui mundissimus, et splendidissimus esse solebat. Hebraeus textus est clarior; מגרתה השבת מטהרו וכסאו לארץ *hischatta miltoharo vechiso laaretz miggarthah*; Quod sic ad litteram verti posset, *Cessare fecisti munditiam ejus, et thronum ejus in terram detraxisti.* Graecus autem sic verti potest, *Dissolvisti eum a munditia sua, et sedem ejus in terram collisisti.* Igitur hic videtur esse sensus, Spoliasti regem vestibus regiis, et hoc modo destruxisti, et cessare fecisti munditiam ejus induens illum sordidis, et atris vestibus, et thronum regni ejus detraxisti in terram, et confregisti, ut neque cultus, neque thronus regius illi superesset. Alii volunt, per emundationem, intelligi templum, in quo per sacrificia mundabantur Judaei. S. Augustinus intelligit hunc locum de emundatione cordis per fidem Christi a quo destructi sunt Judaei, qui in Christum credere noluerunt. Sed ad litteram probabilius est accipi emundationem pro munditia, et nitore vestium regiarum, quas cum throno reges illi amiserunt.

45. *Minorasti dies temporis ejus: perfudisti eum confusione.*

Haec est ultima, et principalis calamitas, quod cum Deus promisisset Davidi regnum perpetuum, jam videretur illam promissam aeternitatem ad brevissimum tempus contraxisse: nam in Jechonia, et Sedechia finitum est regnum illud temporale Davidis, quod speraverat nullum finem habiturum; ex hac autem diminutione temporis repletus est David in posteris suis magna confusione. In hebraeo habetur, הקצרת ימי עלומיו *hiktsartha jeme haluman*, *Abbreviasti dies adolescentiae ejus.* Sed Septuaginta non videntur legisse, *halumau*, quod est *adolescentiae ejus*, ut sanctus Hieronymus vertit, sed, עולמיו *holamau*, unica litera transposita, quod significat, *saeculorum ejus*, ubi etiam indicatur promissio saeculorum, sed abbreviata postea, et contracta: qui autem legi volunt, adolescentiae ejus, intelligunt per adolescentiam, tempus virentis, et florentis regni, quasi Deus non permiserit regnum saltem pervenire ad senectutem, sed in ipso quasi flore aetatis illud occumbere voluerit.

45. *Usquequo Domine avertes in finem? Exardescet sicut ignis ira tua?*

Hic jam incipit oratio pro acceleratione adventus Messiae, ut impleatur promissio jurata Dei. *Usquequo Domine avertes in finem*, idest, quamdiu avertes te; aut faciem tuam, usque in finem, idest, usque ad ultimam perniciem, et consumptionem, sine spe reconciliationis? quamdiu *exardescet indignatio tua*, quasi ignis, qui non cessat, donec in cinerem redegerit quod cremandum suscepit. In hebraeo habetur, עד מה ירוה הסתר *had ma* Adonai *tissather*, *Usquequo* Domine absconderis; ex quo intelligimus illud, *Usquequo avertes*, requirere, ut subintelligatur, *faciem tuam*; vel, te: tunc enim Deus abscondi dicitur, cum avertit a nobis faciem suam, et sic cessat nos illuminare, et calefacere lumine gratiae suae, quae est vita vera animarum.

46. *Memorare quae mea substantia, numquid enim vane constituisti omnes filios hominum.*
47. *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem; eruet animam suam de manu inferi.*

Nonnulli sic exponunt hos versiculos, ut sensus sit, Vita nostra brevissima est, et mors omnibus viventibus imminet: proinde, nisi in vanum constituisti filios hominum, da nobis Domine solatium aliquod, dum vivimus, et accelera consolationem, ne ante rapiamur a morte, quam adveniat consolatio tua. Nimis humilis videtur haec interpretatio; et Judaismum sapit, cum ultra praesentis vitae bona non assurgat. S. Augustinus de Christo ex-

ponit, ut sensus sit, Memorare Domine, quod Christi natura humana, mea substantia est, et propter illum non vane constituisti filios hominum: ille est, qui vivet, et non videbit mortem, quia ipse solus eruet animam suam de manu inferi, et resurgens a mortuis vivet, et non videbit amplius mortem. Sed haec expositio non est litteralis; nam vox, *substantia*, hoc loco non significat, naturam, sed tempus vitae, sive subsistentiam: nam in hebraeo ad verbum sic legitur, זכר אני מה חלד *zecor ani me chaled. Memorare ego quanti temporis sim*, idest, quam sit brevis vita mea, quam brevi tempore subsistam in vivis; cui sententiae recte connectitur quod sequitur, *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem*? id est nemo vivit in terris, qui non sit moriturus: et non est diuturnum, quod finem habet. Idem repetitur, cum additur, *eruet animam suam de manu inferi*, idest, est homo, qui non sit iturus ad locum mortuorum, quasi dicat, nemo vivit super terram, qui possit evadere mortem, per quam descendunt corpora sub terram, et animae ad inferos. Eo siquidem tempore nondum apertum erat coelum, quo nunc ascendunt animae justorum. Existimo igitur Prophetam, qui spiritualis erat, ex brevitate vitae humanae, et caducitate rerum humanarum exarsisse in desiderium vitae futurae aeternae in coelis, ac Deum precari voluisse, ut Messiam cito mitteret, Patrem futuri saeculi, qui aperiret credentibus regna coelorum; nisi enim saltem pars aliqua generis humani ad vitam illam aeternam, et beatam per Christum perveniret; vere in vanum condidisse videretur Deus omnes filios hominum. Ait igitur, *memorare quae sit mea substantia*, idest, quam brevis, quam fragilis quam aerumnosa sit substantia mea in terris. *Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum*, idest, num constituisti, et creasti filios hominum, ut solus hanc vitam viverent, eamque tam brevem, et aerumnis plenam? id enim esset frustra condidisse genus humanum, si nulla ejus pars finem ultimum attigeret. *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem*? idest, quod sit brevis, et aerumnosa haec vita nostra, vel ex eo constat, quod nemo potest evadere: nemo *eruet animam suam de manu inferi*; inferus enim sine ulla exceptione omnes mortales ad se trahit.

48. *Ubi sunt misericordiae tuae antiquae Domine, quas jurasti David in veritate tua?*

Hic jam aperte Deum precatur, ut impleat promissum de Rege mittendo ex semine David, qui populum suum in aeternum regat. *Ubi sunt misericordiae tuae antiquae Domine*? idest, promissiones ex misericordia tua magna olim factae Davidi, quas etiam juramento confirmasti per ipsam tuam veritatem jurans, ac dicens, *Semen ejus in aeternum manebit, et thronus ejus sicut dies coeli.*

49. *Memor esto domine opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.*

Addit aliam rationem, cur tanto affectu postulet adventum Messiae: quoniam populi infideles exprobrare non cessant populo Dei, quod frustra speraverit regem aeternum ex semine David. *Memor*, inquit, *esto Domine opprobrii servorum tuorum*, idest, vituperationis, quam patiuntur servi tui ab infidelibus. *Quod continui in sinu meo multarum gentium*, idest, quod opprobrium ego populus tuus continui, sive *portavi*, (ut sonat vox hebraica, שׂאתי *sceethi*,) *in sinu meo*, multarum gentium, idest, a multis gentibus: dicitur autem portari in sinu, sive contineri in sinu opprobrium, quando non potest excuti per manifestam responsionem. Ita populus ille tacens, et dolens ferebat opprobrium a multis gentibus sibi obiectum, quia non poterat ostendere promissionem Dei fuisse impletam, vel brevi, ac certo implendam.

50. *Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.*

Hoc videlicet est opprobrium, quod portabat in sinu suo, quod inimici Domini exprobrarent populo Dei commutationem Christi sui, idest, qualem compensationem habuisset David a Deo, pro tam amplis promissis, destructionem videlicet regni sui: nam commutatio hoc loco accipitur pro compensatione, ut Matth. 16. *Quam commutationem dabit homo pro anima sua*? Nam vox hebraica, עקבות *hikevoth*, significat proprie calcaneum, et inde accipitur pro vestigio: nec desunt qui hic vertant, *Vestigia Christi tui*: denique significat etiam *mercedem*, quae datur in compensationem, sive commutationem meriti; ac per hoc pro compensatione, et commutatione accipi potest. Atque haec facillima ratio est concordandi textum graecum cum hebraico, qui enim vertunt, vestigia, sive itinera Christi tui, nullam rationem reddere possunt, cur Septuaginta verterint, *commutationem.*

51. *Benedictus Dominus in aeternum: fiat, fiat.*

Haec psalmi conclusio satis aperte docet, Prophetam intellexisse, promissionem factam Davidi stabilem, et firmam fuisse, et omnino implendam tempore suo, quantumvis contrarium suadere viderentur quae fiebant tempore Nabuchodonosor. Imo etiam eadem haec conclusio docet, cognovisse Davidem, ideo divinam providentiam effecisse, ut regnum illud terrenum everteretur, ne putarent carnales Judae promissionem divinam impletam fuisse. Ait igitur, *Benedictus Dominus in aeternum*, idest, laus, et gratiarum actio semper Domino deferatur, quoniam omnia bene facit, et justus est in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. *Fiat, Fiat.* In hebraeo, אמן אמן *Amen, Amem*, idest, sic opto ut fiat, ut videlicet Dominus benedicatur in aeternum. Atque hic est finis libri tertii secundum hebraeos.

PSALMUS LXXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Oratio Moysi hominis Dei.

Sanctus Hieronymus in Epistola ad Cyprianum constanter affirmat, hunc psalmum cum aliis decem sequentibus a Moyse fuisse compositos: id colligit ex titulo. Sanctus tamen Augustinus hunc psalmum exponens, constanter id negat, ea ratione, quia si hic psalmus a Mose compositus fuisset, haberetur in ejus libris, idest, in Pentateucho, ubi habentur alia cantica ejusdem auctoris. Addere possumus aliam rationem; quoniam in hoc psalmo definitur vita hominis, ut plurimum annis septuaginta; et in robustioribus, annis octoginta: at Mosis tempore plurimi centesimum annum transcendebant: ipse enim Moses obiit annorum centum viginti, ut dicitur Deuteron. ult. et octoginta annorum erat, quando fecit eum Dominus ducem populi sui, et Aaron frater ejus erat annorum octoginta trium, antequam fieret summus sacerdos, ut intelligi potest ex capit. 7. Exodi; et tamen non est credibile electum fuisse, aut Mosem ducem populi aut Aaronem summum sacerdotem, homines decrepitos, et morti proximos. Itaque aetas octoginta annorum non erat tunc extrema decrepita, sed aetas matura, et vigens, atque ad res maximas gerendas aptissima. Neque probabile est, quod reliqui decem psalmi sequentes sint compositi a Mose, cum in psalm. 98. fiat mentio Samuelis, qui diu post mortem Mosis natus est. Neque satisfacit huic objectioni Sanctus Hieronymus dicens, nomen Samuelis fuisse Prophetatum a Mose, ut lib. 3. reg. cap. 13. praedicitur nomen Josiae regis; nam de Josia sic loquitur Propheta, *Nascetur filius domui David, Josias nomine, etc*, ubi est manifesta praedictio de futuro: at in psalm. 98. narrantur res praeteritae, his verbis, *Moyses, et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos; custodiebant testimonia ejus, etc.* Non igitur hic praedicitur nomen Samuelis, quemadmodum nec Mosis, aut Aaronis, sed narrantur res ab ipsis gestae, antequam hic psalmus scriberetur. Quare videtur nobis, titulum hujus psalmi inscribi, Moysi, quod Mosem loquentem David introducit. Introducitur autem Moses fortasse, quod ipse scripserit creationem mundi, peccatum primorum parentum, et poenas inde secutas. Argumentum enim hujus psalmi est oratio ad Deum pro humano genere, quod ob peccatum primorum parentum in maximas incidit calamitates, et auxilio gratiae assidue indiget, tum ut aerumnas hujus vitae facilius toleret, tum ut ad gaudia sempiterna perveniat.

EXPLICATIO PSALMI LXXXIX.

1. *Domine refugium factus es nobis, a generatione in generationem.*

Orditur propheta orationem a gratiarum actione pro acceptis beneficiis: haec enim est Spiritus Sancti utilissima rhetorica, ut gratum se gratiae ostendat, qui nova beneficia petit. *Domine*, inquit, *refugium factus es nobis*, idest, fatemur nos multis, variisque periculis esse obnoxios; sed in nobis te protectorem, et adjutorem experti sumus, idque non semel, aut iterum, sed omni tempore per omnes generationes sibi invicem succedentes. Vox hebraica, מָעוֹן *mahon*, proprie habitationem significat. Itaque per refugium hoc loco intelligitur domus bene munita, et loco edito posita, ad quam qui refugiunt, tutissimi sunt ab omni injuria sive hostium, sive bestiarum, sive pluviae, aut ventorum. Et vere qui confugiunt ad Deum, et in eo tamquam in arce munita per Fidem, Spem, et Charitatem, cogitatione assidua, et jugi desiderio habitant, securissimi sunt ab omni incursu malo; *quoniam eis omnia cooperantur in bonum*, ut ait Paulus ad rom. 8.

2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis: a saeculo, et usque in saeculum tu es Deus.*

Probat eumdem ipsum Deum in omni generatione et generatione refugium esse potuisse sperantibus in eum; quoniam ipse semper est, videlicet aeque potens, aeque sapiens, aeque benignus,

Ut autem ostendat, Deum esse ante omnes res creatas, in quibus homines confidere solent, primum nominat montes. *Priusquam*, inquit, *montes fierent.* Montes enim cum altissimi, et solidissimi sint, multis modis refugium hominibus praebent, Fortasse etiam primo loco nominat montes quia primi apparuerunt, cum terra discooperiri coepisset ab aquis, a quibus initio creationis undique cooperiebatur: vel denique quia montes sunt pars terrae maxime eminens, et conspicua. Deinde subjungit formationem terrae, cujus partes quaedam sunt montes. Sed observanda est proprietas vocum hebraicarum: nam de montibus dicit, *fierent*, in hebraeo, *nascerentur*, ילדו *juladu*; de terra dicitur in hebraeo, *parturiretur*, תחיל *thecholel*; itaque sensus est, priusquam montes nascerentur, imo priusquam ipsa terra parturiretur. Parturitio enim nativitatem praecedit. Addit, *et orbis*, nimirum habitabilis: hoc enim significat, תבל *thebel*, ex quo intelligimus per terram hoc loco intelligi terram incultam et desertam: per orbem, terram cultam, et habitabilem: montes enim in utraque parte terrae inveniuntur. Addit ultimo, a *saeculo*, *et usque in saeculum*, *tu es Deus.* idest, non solum tu es ante montes, et terram, tum incultam, tum habitabilem, sed *es a saeculo* idest, usque in aeternum. Nec dicit, tu eras a saeculo, et eris usque in saeculum, sed tu es, ut ostendat veram aeternitatem Dei, quae est duratio sine ulla varietate et mutatione, quod in psal. 101. dicit, *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Vox, *Deus*, in graeco codice non habetur, sed in hebraeo habetur, אתה אל *attha el*, et s. Hieron. testatur in Epist. ad Suniam, et Fretellam,, haberi apud Septuaginta, et apud alios quoque interpretes. Videtur autem esse vocativi casus, ut sit sensus, Tu o Deus a saeculo, et usque in saeculum es, et idem ipse semper es.

3. *Ne avertas hominem in humilitatem, et dixisti convertimini filii hominum.*

Hic incipit oratio, qua precatur Propheta Deum ut non sinat genus humanum abire in extremam vilitatem, et ruinam. Videbat enim hominem per peccatum primi hominis aversum a Deo praecipitem ruere in deterius; ideo clamat, *Ne avertas hominem in humilitatem*, idest, ne sinas averti humanum genus a lumine vultus tui ad vilitatem, et abjectionem extremam, ut oblitum veri boni amplectatur terram, et lutum saecularium desideriorum, et per ea demergatur in interitum sempiternum. Nam vox hebraica דכא *dacca*, non significat virtutem humilitatis, sed attenuationem, et miseriam. Addit rationem cur conveniat ut Deus non sinat perire tam nobilem creaturam. Nam, inquit, *tu dixisti*, *convertimini filii hominum*, idest, tu hortatus es per Prophetas tuos externa praedicatione, et per internam quoque tuam inspirationem ad conversionem peccatores; decet igitur, ut potenti auxilio gratiae tuae juves hominem ad conversionem, et non sinas eum averti ad extremam vilitatem. Illud *et*, ponitur pro, *quia*, cum dicitur, *et dixisti*, convertimini filii hominum, idest, quia tu dixisti, et invitasti ad conversionem; non enim *vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant.* In hebraeo non habetur negatio, sed affirmatio. *Convertes hominem in abjectionem.* Nisi s. Hieronymus diceret septuaginta Interpretes posuisse in versu superiore vocem illam, Deus, possemus suspicari, septuaginta non legisse, אל *el*, quod est, *Deus*, sed, אל *al*, et posuisse hanc vocem in principio hujus versiculi: sed quoniam non audemus s. Hieronymo contradicere, existimamus vel excidisse ex codice hebraico particulam illam negantem, quod facile fieri potuit, cum eaedem literae bis repeterentur: vel esse legendam literam hebraicam cum interrogatione, *Convertes*, *vel avertes hominem in humilitatem*? quae sententia eadem est cum illa, *Ne avertas hominem in humilitatem.*

4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quae praeteriit.*
5. *Et custodia in nocte, quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

Describit abjectionem generis humani post peccatum primi hominis ex brevitate vitae comparatae cum aeternitate Dei: nam Dei aeternitas sic immensa est, ut mille anni apud Deum, sint ut unus dies, vel una pars diei apud nos: et tamen vita nostra post peccatum, non est mille annorum, neque centum, sed vix septuaginta, aut in robustioribus octoginta. Quare vita nostra comparata cum aeternitate Dei minor est quam unus dies, aut notabilis aliqua pars diei; proinde fere nihil est: et tamen si homo non peccasset, sine ullo fine in aeternum vixisset; sed explicemus verba. *Quoniam*, inquit, *mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quae praeteriit*, idest, in vilitatem maximam conversi sumus, quoniam tu quidem aeternus es, ita ut apud te mille anni sint velut una dies, quae statim praeterit, *aut veluti custodia in nocte*, idest, una nocturna vigilia, quae tribus horis absolvitur: hominum autem qui ad tuam imaginem creati sunt, ac per hoc semper vivere deberent, anni tam breves erunt, ut in nihilum reputari possint: sic enim intelligimus illa verba, *quae pro nihilo habentur eorum anni erunt*, id est, anni hominum post peccatum erunt numerandi inter ea, quae pro nihilo habentur, idest, brevissimi, ac pene nulli. In textu graeco habetur, ἔτι idest, *adhuc*, et sic legit Euthymius, adhuc erunt, sed verior lectio est ἔτη idest, *anni erunt*, nam in hebraeo habetur שנים *scianim*, quod *annos* significat, non *adhuc*. Ex hebraeo sic vertit s. Hieronymus haec ultima verba, *Percutiente te eos in somnium erunt.* Pro quo nos habemus, *quae pro nihilo habentur eorum anni erunt.* Et quidem de voce *somnii*, et *annorum*, non magna est difficultas: nam eadem vox hebraica, si legatur, שנה *sciena*, significat *somnum*, *sive somnium*: et sic legit s. Hieronymus, et legitur hodie in textu hebraico, juxta puncta Rabbinorum: sed si legatur, שנה *sciana* significat *annum*, et sic legerunt Septuaginta, et vulgatus noster interpres. Illud autem, *Percutiente te eos*, in hebraeo

est, זרמתם *zeramtham*: quod ad litteram reddi potest, *inundasti eos*. Sed potest etiam legi cum aliis punctis, ורמתם *zirmatham*, idest, *inundatio eorum*, sive *fluxus eorum*: et sic legisse videntur Septuaginta, qui nomen, non verbum verterunt, τα εξοδενωματα αυτων, id est, *contemptibilia ipsorum*, quod recte noster interpres latine reddidit: *Quae pro nihilo habentur eorum*: verterunt autem Septuaginta non tam verbum, quam sensum. Illa enim quae fluunt, et transeunt, pro nihilo habentur, quia mox evanescunt. Illud pronomen, *eorum*, in hebraeo conjungitur cum nomine, *inundatio*, sive *fluxus*, non cum nomine *anni*. Quare sensus est, inter ea quae fluunt, et pro nihilo habentur eorum, idest, hominum, anni sunt; vel clarius, anni vitae, sive tempora vitae computantur inter eas res humanas, quae contemptibiles sunt, quia celerrime finiuntur.

6. *Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat, vespere decidat, induret, et arescat.*

Declarat annos vitae esse vere contemptibiles per similitudinem foeni, quod una die oritur, viret, floret, exarescit, et perit; in hebraeo sunt verba futuri temporis, et eodem modo videntur accipienda verba latina, ut hic sit sensus, *Mane*, idest, prima parte diei homo quasi herba virens apparebit in pueritia, et non ibi sistet, sed mox transibit. Mane item in eadem prima parte diei florebit in juventute, et nec ibi consistet, sed mox transibit. *Vespere*, in altera parte ejusdem diei *decidet*, in virilitate, flore scilicet juventutis cadente, *indurabitur in senectute*, amisso vigore virilitatis, *et arescet* in morte, siccato humore vitae. Vel ut exponit s. Augustinus *mane virescet*, et florebit in vita; *et vespere decidet* in morte, *indurabitur* in cadavere, *arescet* in pulvere; et qui de pulvere factus est, in suum pulverem continuo revertetur, ut non sit aliud tempus nostrum quam nasci, et mori, incipere, et finiri. Vae caecitati hominum, qui vitam unius diei, quae pro nihilo duci deberet, sic amant, ac si esset aeterna: et vitam vere sempiternam sic contemnunt, ac si esset unius diei, et pro nihilo habenda. Neque solus David haec docet, sed ante eum sanctus Job. cap. 14. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.* Et post eum Isaias cap. 40. *Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos; quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Quod si non placeat accipere verba illa, *transeat, et floreat* pro transibit, et florebit; oportebit aliquid subintelligere, ut tu Deus jussisti, ut homo sicut herba transeat, et floreat, etc. Vel, Ergo homo juxta sententiam Dei sicut herba transeat, etc.

7. *Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.*

Reddit causam brevitatis vitae nostrae, ac dicit esse justissimam iram Dei, quam iniquitas humana succendit. *Defecimus*, inquit, *in ira tua*, id est, consumpti sumus, et mortales effecti, quoniam irritavimus iram tuam: *et conturbati sumus* mortis horrore, et terrore, ob furorem tuum, qui securi, et quieti antea vivebamus. Non est in Deo proprie furor, vel ira, vel alia perturbatio, sed metaphorice dicitur ira et furor in Deo, quando non parcit peccatori, sed eum pro meritis punit.

8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: saeculum nostrum in illuminatione vultus tui.*

Dixerat causam brevitatis vitae nostrae fuisse iram Dei: hunc dicit, causam irae Dei fuisse iniquitates nostras. Vocat autem nostras iniquitates peccatum primorum parentum, quod nobis commune fuit, et in quo multae fuerunt iniquitates, juxta doctrinam sancti Augustini in Enchiridio c. 45. et aliis in locis. Fuit enim in eo peccato superbia, inobedientia, infidelitas, curiositas, et alia. Fortasse etiam respicit David ad iniquitates posterorum, ob quas magis contracta est brevitas humanae vitae: nam usque ad diluvium vivebant homines ad nongentos annos: deinde post diluvium ad ducentos vel trecentos. Postea tempore Mosis ad centum viginti. Denique tempore David ad octoginta. Ait igitur, *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, idest noluisti parcendo abscondere peccata nostra a facie tua; sed ea ante conspectum tuum posuisti, ut ea diligenter considerares, et punires. Quod enim Deus intelligatur ignoscere, quando avertit faciem a peccatis, docet idem Propheta, cum ait in psal. 50, *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.* Quod autem additur, *saeculum nostrum in illuminatione vultus tui*, est repetitio ejusdem rei: nam per saeculum nostrum intelliguntur iniquitates vitae, sive temporis nostri, quas ne lateront posuit Deus *in illuminatione vultus sui*, idest luce vultus sui detexit, et illuminavit, ut earum turpitudo nota esset, et justo Dei judicio puniretur. Vox hebraica עלמנו *halumenu*, tria significare potest, occulta nostra, adolescentiam nostram, et saeculum nostrum. Omnia enim haec derivantur a verbo, עלם *ihalam*, quod est occultare. Addit s. Hieron. etiam quartam, videlicet *negligentias nostras*, sed omnia in idem recidunt. Nam multa sunt proprie peccata cordis, vel etiam omnia peccata, quatenus a corde exeunt: et huic voci aptissime respondet illud, *in illuminatione vultus tui*: nam *qui male agit, odit lucem*, ut habetur Joan. 3. sed Deus luce sua omnia detegit. Unde dicit Apostolus 1. Corint. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Per adolescentiam, intelliguntur peccata adolescentiae, idest primum peccatum Adami, quod actum est in prima adolescentia generis humani. Denique per saeculum nostrum (ut diximus) significantur peccata temporis nostri.

9. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua defecimus.*

Quod Deus viderit, et condemnaverit peccata nostra, poena ipsa mortis nobis inflicta demonstrat. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt*, idest omnes dies nostri abierunt, ut nulli jam supersint. *Et in ira tua defecimus*, idest, non solum dies nostri abierunt, sed et nos cum illis consumpti sumus; nam si Adam non peccasset, dies quidem praeterissent, sed numquam fluere cessassent, neque nos cum illis defecissemus; at nunc dies nostri ita fluunt, ut finem accipiant morte illorum cursum interrumpente, et nos ipsi cum illis finem vivendi accipimus, et consumimur, ira Domini peccatum illud justissime puniente.

10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur; dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.*
11. *Si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor, et dolor.*

Dixit, mortem esse poenam peccati; nunc addit, vitam ipsam, quam agimus ante mortem, esse miseram et brevem: juxta illud Patriarchae Jacob Gen. 47. *Dies peregrinationis meae, anni centum triginta sunt, parvi et mali.* De miseria dicit, *anni nostri sicut aranea meditabuntur.* In hebraeo solum habetur שנזני כמו הגה *scianenu chemo hegheh, anni nostri sicut meditatio*, idest, anni nostri nihil sunt nisi quaedam continua exercitatio, et laboriosa meditatio. Sed septuaginta Interpretes, ut clarius rem explicarent, addiderunt, *sicut aranea*; et pro, *meditatio*, posuerunt, *meditabuntur*; et sensus est, Anni nostri, idest, tempus vitae nostrae exercebitur vanis laboribus, et doloribus, timoribus, suspicionibus in temporalibus bonis procurandis, et temporalibus malis cavendis, sicut aranea exercetur in texendis retibus omni re fragilioribus, non sine propriae substantiae consumptione; transit postea à miseria ad brevitatem dicens, *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*, idest, tempus vitae nostrae in seipso conclusum, et definitum, non transcendit ultra septuaginta annos: et in robustioribus, *usque ad octoginta*; et si quid ultra sit, *erit labor, et dolor*, aetas videlicet infirma, et variis malis, et aerumnis obnoxia. Hic aliqua notanda sunt. Primum illud *in ipsis*, obscurum est propter phrasim propriam linguae Hebraicae, quae interdum ponit casum nominandi, cui nullum verbum respondet, ut in Psalm. 10. *Dominus in coelo sedes ejus*: nos diceremus, Dominus in coelo sedem habet, vel *Domini sedes in coelo est*, sic etiam in psalm. 17. *Deus impolluta via ejus*: nos diceremus, Dei impolluta via est. Sic igitur hoc loco nos diceremus, Dies annorum nostrorum septuaginta anni sunt: vel in diebus annorum nostrorum septuaginta anni. Itaque absolute legendum est. *Dies annorum nostrorum*; et postea subjungendum, *in ipsis* diebus, videlicet annorum nostrorum, septuaginta anni numerantur. Vel dicendum est, *illud*, in ipsis, redundare, ut in psalm. 121. redundat pronomen, *ejus*, cum dicitur, *cujus participatio ejus in idipsum*. Secundo illud, *in potentatibus*, in hebraeo est, בגבורת *bigburoth*, *in fortitudine, sive robore*, idest, in homine robusto: in graeco est, εν δυναστειαις, quod significare posset *in principatibus*, sive, *imperiis*; sed hoc loco ista significatio non facit ad propositum: non enim principes diutius vivunt, quam alii: quin potius contra scriptum est in Eccles. capit. 10. *Omnis potentatus brevis vita.* Ergo hoc loco vox illa significat vim, et potentiam complexionis, et sic exponunt omnes interpretes. Tertio illud, *et amplius eorum*, communiter exponitur, ut nos diximus, de vita quae producitur ultra annos octoginta: quidam tamen minus probabiliter intelligunt; quod potissima pars vitae intra ipsos septuaginta vel octoginta annos sit labor, et dolor. Prior expositio est Hieronymi, Augustini, Theodoreti, et aliorum gravium auctorum. Quarto s. Augustinus videtur subdubitare, an ad litteram hic locus intelligi debeat de vita contracta ad septuaginta, vel octoginta annos; tum quia multi robusti inveniuntur ultra annum octogesimum, et plurimi valde infirmi ante annum septuagesimum: tum quia ante diluvium vivebant homines usque ad annos nongentos; et tamem illi gravissime peccarunt in Deum, et propter ipsos potissimum contrahi debuit humanae vitae tempus. Caeterum, communis sententia Hieronymi, Theodoreti, Euthymii, et recentiorum est, quod ad litteram hic definiatur vita hominis septuaginta, vel octoginta annis, quae utcumque longa est, si comparetur ad vitam multarum bestiarum, tamen brevissima, si ad aeternitatem conferatur. Neque mirum est, aliquos ultra annum octogesimum robustos inveniri: nam et paucissimi sunt, et omnis regula patitur exceptionem. Multo minus est mirum quod aliqui reperiantur infirmi ante annum septuagesimum: nam etiam ante annum quadragesimum, et trigesimum ob complectionis vitium plurimi reperiuntur imbecilli. Phrophela vero loquitur de solo vitio aetatis, et dicit secundum communem, et ordinarium cursum, homines vivere consuevisse integris viribus, et sensibus usque ad annum septuagesimum, vel octogesimum. Tempore s. Augustini credibile est communem, et ordinarium vitae robustae cursum fuisse paulo breviorem, nunc vero experimur communem, et ordinarium cursum vitae robustae, et integrae ad quinquagesimum annum, et in robustioribus ad sexagesimum pertinere: et ex eo tempore laborem, et dolorem; quamvis non desinit hoc etiam tempore pauci quidam satis vegeti, et robusti annorum septuaginta vel octoginta, vel etiam nonaginta. Quod autem ante diluvium, et proxime post diluvium homines diutissime vixerint, factum est ex providentia Dei, ut genus humanum facilius propagaretur, quemadmodum postea pertinuit ad providentiam Dei, ut contraheret tempus humanae vitae, tum quia aequum est, ut sicut multiplicantur peccata, sic contrahatur tempus vitae, tum etiam quia si propagato humano genere adhuc homines diutissime viverent, mundus eos non caperet.

12. *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.*

Ex aerumna senectutis hoc boni consequimur, ut deposita superbia, et fastu juvenili humiliemur,

et mansuescamus conscii propriae infirmitatis, et miseriae, et corripiamur, idest, erudiamur ad subjectionem sub potenti manu Dei. Illud, *quoniam*, accipitur hoc loco pro, *verumtamen*, aut *certe*: non enim apud hebraeos כי *chi*, semper est particula causalis. Ait igitur David, *Verumtamen* ex labore, et dolore senectutis *supervenit in nos mansuetudo*, humilitas et modestia; et inde *corripiemur*, et discemus subjecti esse Deo, et id parum temporis, quod superest, in ejus timore, et amore consumere. Aliqui per mansuetudinem intelligunt mansuetudinem Dei, qua nos in senectute, laboribus et doloribus clementer erudit. Sed prior expositio videtur anteponenda, cum in sequenti versiculo dicatur, *Quis novit potestatem irae tuae, et prae timore tuo iram tuam dinumerare?* non enim recte conjunguntur mansuetudo, et ira. In hebraeo, ut nunc se habet, longe alius est sensus: sic enim legitur ad verbum, כי גז חיש ונעפה *chi gaz chisc venahuphah, quoniam tonsio celeriter, et avolabimus*; et sensum esse volunt, quod senes, ac praesertim decrepiti facillime extinguuntur, quomodo foenum aridum facile demetitur, et avolat. Miratur s. Hieronymus in Epistol. ad Cyprianum, quid legerint in codicibus hebraicis septuaginta Interpretes, ut vertere potuerint, *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur*. Sed aliquid eos legisse, quod recte in eam sententiam verti posset, dubitare non debemus, cum viri doctissimi, et fidelissimi essent, et cum eis consentiant Theodotion, et sexta editio, eodem sancto Hieronymo teste.

13. *Quis novit potestatem irae tuae? et prae timore tuo iram tuam dinumerare.*

Ex gravitate poenae redditae peccato primi hominis, colligit Propheta, magnam valde esse iram, et severitatem Dei adversus peccata; sed poetico more, et eleganti metaphora ita magnitudinem irae divinae describit, *Quis novit potestatem irae tuae*, idest, quis cogitando poterit assequi quanta sit vis, potentia, et efficacitas irae tuae Domine? *et prae timore tuo iram tuam dinumerare*? idest, et quis poterit te tantum timere, quantum timendus es, et juxta hunc timorem mensurare magnitudinem irae tuae, vel omnes ejus puniendi modos enumerare? nam ex eo quod propter unum peccatum primi parentis Deum iratus est universo humano generi, et omnes homines ad vitam laboribus, et doloribus plenam, et postea ad mortem damnavit, ac voluit ut omnes homines post multas aerumnas in pulverem suum redirent; certe recte colligitur, immensam esse indignationem divinam contra peccatum, et infinitos esse in ipsa divina indignatione modos puniendi peccatores. Ac sic ex morte ista corporis recte colligitur magnitudo irae divinae contra peccatum; quanto magis colligi deberet ex eo, quod animas et corpora iniquorum post diem judicii mitteret Deus in ignem inextinguibilem, et sempiternum: id enim omnem humanam intelligentiam longe superat. In hebraeo illud, *dinumerare*, conjunguntur com versiculo sequenti: sed nos non sequimur interpunctionem Rabbinorum recentiorum, sed septuaginta Interpretum antiquissimorum. Illud, *prae timore tuo*, aliqui ita exponunt: Quis impeditus timore, et terrore tuo poterit mensurare iram tuam? Sed prima expositio videtur melior: quoniam propositum Prophetae est ostendere magnitudinem irae Dei: non autem ostenditur ex eo quod aliquis perturbatus timore, non potest in eum intendere aciem mentis; sed ex eo, quod homo valde timet, et ex magno timore colligit magnitudinem irae. Itaque illud, *prae timore*, accipiendum est pro, a timore, vel propter timorem, vel *secundum*, aut *juxta timorem*, ut clarius habetur in hebraeo, וכיראתך *uchirathecha*.

14. *Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia.*

Ab hoc versiculo usque ad finem orat Propheta pro genere humano, ut sicut illud Deus juste punivit poena mortalitatis, ita misericorditer respicere, et adjuvare dignetur in hujus vitae mortalis peregrinatione. *Dexteram tuam sic notam fac*, idest, fac Deus, ut jam tandem innotescat nobis dextera tua, qua nos suscipias, et sustentes, et qua munera gratiae tuae nobis abundanter tribuas. Fortasse etiam per dexteram significatur Christus, quem Propheta promissum sciebat, et ut cito veniret, assidue precabatur. *Et eruditos corde in sapientia*, 1. Cor. 8. idest, et simul notos fac nobis homines eruditos corde in sapientia, idest, Prophetas, et Apostolos, qui habebant cor vera sapientia eruditum, non ut sapientes hujus mundi, qui vel habent linguam eruditam, non cor; vel si cor eruditum gerunt, non sapientia divina, et salutari, sed sapientia humana, et perniciosa, *quae inflat, non aedificat*. In hebraeo, ut nunc legitur, sic habetur, *Dies nostros sic notos fac, et veniemus corde sapienti*. Sed facile est videre, quid legerint septuag. Interpretes: nam non legerunt, ימינו *jamenu, dies nostros*, sed ימינך *jeminacha*, dexteram tuam: nec legerunt, נביא *nabi, veniemus*, sed, נביאים *nebijm*, Prophetas; tamen sensus, qui ex hebraeo colligitur, non est contemnendus; rogat enim Propheta, ut notos faciat nobis Deus dies nostros, idest, faciat ut intelligamus brevitatem dierum vitae nostrae, et non ipsi nos fallamus judicantes diuturnum id quod est brevissimum; nam si hoc intellexerimus, veniemus ad Deum corde sapienti, et inquiremus bona futura, quae sunt aeterna, et contemnemus praesentia, quae sunt brevissima.

15. *Convertere Domine usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos.*

Idipsum petit, sed oratione magis generali. *Convertere Domine usquequo*, idest, tu Domine avertisti a nobis faciem tuam, iratus nobis propter peccata nostra; sed aliquando tandem placatus convertere ad nos, et respice nos oculo benignitatis tuae, *et deprecabilis esto super servos tuos*, idest, exorabilis esto: sine te exorari a servis tuis, quos ipse formasti, et alis, ac sustentas in obsequium tuum. Illud, *usquequo*, posset accipi separatim, et cum interrogatione hoc modo, *Convertere Do-*

mine, usquequo non converteris. Sed nulla est distinctio in textu hebraeo, vel graeco, vel latino inter convertere,et usquequo: ideo praestat illud, *usquequo*, accipere pro, *aliquando*, ut supra diximus.

16. *Repleti sumus mane misericordia tua, exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.*
17. *Laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

Hi duo versiculi possunt ex hebraeo verti per tempus praeteritum, ut verterunt septuaginta Interpretes: possunt etiam verti partim per modum imperandi, seu deprecandi, partim per tempus futurum, ut vertit s. Hieron. qui sic habet. *Imple nos matutina misericordia tua, et laudabimus, et laetabimur in cunctis diebus nostris: laetifica nos pro diebus quibus afflixisti nos, et annis quibus vidimus mala.* Sed cum vertuntur per tempus praeteritum, vel subintelligendum est aliquid, in hunc sensum, *convertere Domine aliquando, et deprecabilis esto super servos tuos*, ut aliquando dicere possimus, *repleti sumus mane misericordia tua*, etc. vel certe, ut explicat s. Augustin. Propheta praenunciat res futuras per verba temporis praeteriti propter certitudinem praedictionis. Itaque versiculi isti non ad tempus vitae, sed ad tempus patriae pertinent: tunc enim dicemus, *repleti sumus mane misericordia tua*, idest, initio veraе illius diei, quo solem justitiae respicere coepimus sine ullius nubis interpositione, et nocte, ac tenebris hujus vitae recedentibus, repleti sumus magna illa misericordia tua, quae nullum locum miseriae relinquit, de qua scriptum est in psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus, qui sanat omnes languores tuos, qui replet in bonis desiderium tuum*: ideo exultavimus, et delectati sumus, hoc enim solum restat hominibus beatis, et liberatis a malis omnibus, ut exultent laudantes Deum, et delectentur fruentes Deo. Nec solum laetati sumus ob tantum cumulum bonorum; sed etiam *laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti*, et *pro annis, quibus passi sumus mala*: tum quia dulciora sunt bona post experientiam malorum; tum etiam quia patientia in malis haec nobis tanta bona promeruit, juxta illud Apostoli, 2. Cor. 4. *Quod momentaneum est, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatus in nobis.* Itaque nunc benedicimus dies illos, et annos, qui nobis materiam patiendi praebuerunt, et Deo gratias agimus, qui nobis in tempore non pepercit, ut parceret in aeternum.

18. *Respice in servos tuos, et in opera tua, et dirige filios eorum.*

Posteaquam petivit summum bonum, quod est finis ultimus humanae naturae, et omnium actionum nostrarum; nunc petit media, idest, gratiam bene operandi. Primum enim, juxta praeceptum Domini, Matth. 5. *quaerendum est regnum Dei, deinde justitia ejus.* Ait igitur, *respice in servos tuos*, idest, illumina servos tuos, atque accende ad amorem tuum. Deus enim Sol est increatus, qui respiciendo illuminat, et calefacit: item, *respice in servos tuos*, idest, oculo benevolentiae, et favoris tui respice illos ut tuos, dirige, protege, auge, *et in opera tua*, idest, in opera bona, quae tu operari coepisti in illis. Omnia enim bona opera nostra dicitur Deus operari in nobis, quia ipso excitante et adjuvante fiunt et sine illius gratia praeveniente, et comitante nulla essent. Nec solum servos tuos, sed etiam *filios eorum*, sive naturales, sive spirituales respice, et dirige, ut parentes cum filiis, te dirigente, in via mandatorum perseverent; et ad patriam pertingere mereantur aeternam. In hebraeo legitur paulo aliter, videlicet *appareat ad servos tuos opus tuum, et gloria tua super filios eorum*: sed Septuaginta non legerunt, יראה *jerahe appareat*, sive videatur; sed ראה *rehe*, dempta prima litera, quod significat, *vide* sive *respice*: deinde explicandi gratia addiderunt conjunctionem, et verterunt, *respice in servos tuos, et in opera tua*: quamvis enim in hebraico sit, *opus tuum*, licuit tamen interpretibus id esprimere numero multitudinis. Illius autem *et gloria tua* hebraice הדרך *hadarecha*, legerunt Septuaginta, הדרך *hadrech*, solis punctis mutatis, quod est, *dirige*, a verbo דרך *darach*. Itaque lectio graeca non dissidet ab Hebr. quam habuerunt septuaginta Interpretes. Sed et ipsa lectio hebraica, quam sequitur s. Hieron. bonum sensum habet, *Appareat opus tuum super servos tuos*, idest, operare in servis tuis per gratiam tuam opera bona, et sic manifeste operare, ut etiam alii videant opera eorum bona, et glorificent te patrem eorum, qui in coelis es, et qui opera bona operaris in eis: et gloria tua similiter appareat super filios eorum, ut etiam in illis opereris opera bona, et per illos nomen tuum glorificetur.

19. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.*

Idipsum petit aliis verbis, ut ostendat se valde optare, quod petit. Quod enim dixit, *respice in servos tuos*, repetit nunc dicens, *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.* Deus enim, ut diximus, respiciendo illuminat; avertendo faciem, in tenebris nos relinquit. Quod autem dixit, *Et in opera tua*, nimirum respice, nunc repetit dicens, *et opera manuum nostrarum dirige super nos*, idest, tu praesidens nobis fac ut recte operemur, et regulam rectissimam, quae est lex tua, et voluntas tua, semper sequamur. Addit *Et opus manuum nostrarum dirige*, ut ostendat omnia opera revocari ad unum opus, quod est radix omnium, et in quo continentur omnia: hoc autem est opus charitatis, *nam qui diligit, legem implevit*, rom. 13. *Et charitas patiens est, benigna est*, etc. 1. Cor. 13. In hebraeo pro voce, splendor, est נעם *nunham*, quod significat decorem, et dulcedinem: sed decor, et splendor in idem recidunt: et recte Septuaginta verterunt, *sit splendor*, quoniam decor lucis splendor est. *Deus autem lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, 1. Joann. 1. et *Pater*

luminum est, Jacobi 1. Item pro verbo, *dirige*, est in Hebraeo כוננה *chonena*, quod non solum *dirigere*, sed etiam *stabilire* significat. Itaque sensus erit, opus manuum nostrarum perseveranter dirige, ut non solum directio in bonis operibus, sed etiam perseverantia postuletur.

PSALMUS XC.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Laus cantici David.

Hic titulus non habetur in codice hebraico, neque in omnibus codicibus graecis; et sanctus Hilarius in prologo psalmorum, sanctus Hieronymus, Theodoretus, et Euthymius in commentario hujus psalmi disertis verbis dicunt, eum carere titulo. S. Joannes Chrysostomus, et s. Augustinus nullam tituli mentionem faciunt. Quare credibile est, titulum fuisse postea additum, ut intelligeremus, hunc psalmum a Davide fuisse compositum; non a Mose, ut Hilarius, et quidam alii tradiderunt. Et certe ratio, qua nonnulli adducti sunt, ut existimarent, hunc psalmum non Davidis esse, sed Mosis, infirma omnino est. Dicunt enim, psalmos, qui carent titulo, illius esse, cujus est psalmus praecedens: psalmum autem praecedentem esse Mosis, probant ex titulo illo, *Oratio Moysi hominis Dei*. At nos in explicatione psalmi superioris ostendimus, psalmum illum inscribi Moysi, non quod ille fuerit auctor, sed quod David Mosem loquentem introduxerit: et rationem adduximus, cur probabile non sit, psalmos, qui carent titulo, ejus auctoris esse, cujus nomen invenitur in psalmo praecedente. Argumentum psalmi est cohortatio ad fiduciam in Dei auxilio firmissime collocandam. Id enim in principio ponitur, et per totum psalmum variis rationibus confirmatur. Forma psalmi est dramatica: nunc enim loquitur Propheta, nunc homo justus, nunc ipse Deus. Psalmus est plenus metaphoris, et ideo non minus elegans, quam difficilis. Quam vero sit utilis, et ad mores formandos accomodatus, vel ex eo cognosci potest, quod ex vetusto ecclesiae instituto, quotidie in divino officio frequentatur; idque ad initium noctis, ut Deo protegente, nocturna pericula, hoc armati clypeo propulsemus.

EXPLICATIO PSALMI XC.

1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur.*

Hoc primo versiculo continetur insignis promissio, per quam Spiritus sanctus certos nos reddit, auxilium divinum numquam defuturum iis, qui vere spem suam in Deo repositam habent. Sed verba singula explicemus. *Qui*; haec prima vox significat promissionem esse generalem; quasi dicat Propheta, Quicumque sit, sive dives, sive pauper, sive doctus, sive indoctus, sive patricius, sive plebejus, sive juvenis, sive senex: non enim Deus personam accipit; sed *dives est in omnes, qui invocant illum. Habitat*: hoc significat, promissionem hanc tam liberalem non requirere quamlibet fiduciam, sed assiduam, constantem, firmam, ita ut homo per fidem, et fiduciam facit sibi quasi domum in Deo, in quo habitet et quiescat, et eam quocumque ierit, circumferat, quomodo testudines faciunt. Vox hebraea, *jasciab*, habet aliquid majoris energiae, quam verbum יָשַׁב *habitat*: significat enim etiam sedere, quiescere, durare; itaque sensus erit, qui habitat cum quiete, et perseverantia. *In adjutorio*, vox hebraea, בְּסֵתֶר *besether*, proprie significat, *in abscondito*, sive *in loco secreto*: sed septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram, cum dixerunt, *in adjutorio*; adiutorium enim Dei non est visibilis aliqua turris, sed arx invisibilis, et secretissima, quae sola fide invenitur, et penetratur. Vocabulum tamen graecum, et latinum admonet confidendum quidem firmissime esse in Deo, sed non esse negligenda ea, quae studio, et labore humano adhiberi possunt; exemplo nobis esse possunt agricolae, qui sperant in eo, qui dat pluvias de coelo, et solem suum oriri facit: sed interim laborant arando, serendo, metendo, quia sciunt eos adjuvari, qui aliquid cooperando faciunt. *Altissimi*. Multa sunt nomina Dei, sed nomen *Al-*

tissimi hoc loco aptissime ponitur; nam quia Deus est altissimus, idest, in altissimo loco sedet: ideo omnia videt, et nullum nostrum periculum eum latet. Rursum, quia non solum, est altissimus, quia omnia speculatur; sed etiam quia in altissimo throno sedet, et omnia subiecta habet, ideo potest ab omnibus periculis nos eruere. *In protectione Dei coeli commorabitur*: haec est altera pars versiculi, in qua promittitur merces confidentibus in Deo: et sensus est, qui vere confidit in auxilio divino, spe sua non frustrabitur, sed omnino a Domino protegetur. Et pulchre respondent verba singula singulis: verbo, *habitat*, respondet, *commorabitur*: verbo, *in adjutorio*, respondet, *in protectione*: verbo *Altissimi*, respondet, *Dei coeli*; sed singula consideremus. *In protectione*, vox hebraica, בצל *betzel*, proprie significat, *in umbra*, sive *in umbraculo*, ut s. Hieronym. vertit. Septuaginta Interpretes explicare voluerunt metaphoram, et ideo verterunt, *In protectione*. Deus enim sub umbra alarum suarum instar aquilae, vel gallinae protegit confidentes in se: potest etiam umbra significare gratiam, et favorem principum, quae umbra facillime, et longissime protegit, ut etiam cervus quidam ubique securus libere vagaretur, quia scriptum gerebat ad collum, *Caesaris sum, noli me tangere*: sic veri servi Dei ubique tuti sunt, inter leones, ursos, serpentes, ignes, aquas, fulmina, tempestates, quoniam omnes creaturae umbram Dei cognoscunt, et reverentur. Sed etiam vox latina, *protectio*, hoc loco valde ad rem facit; protegere enim est procul tegere: potest autem homo procul tegi duobus modis, si vel protector proprie adstans sagittas procul venientes repellat; vel si protector quidem procul absit, sed tamen repellat tela vicina, ut gladios, vel pugiones. Utrumque facit Deus: ipse enim manens in nobis repellit sagittas longissime venientes: videt enim prima initia periculorum, et ea, si vult, mirabili virtute in ipso primo exortu extinguit: sic etiam ipse in coelo sedens pericula nobis quantumvis proxima removet; habet enim oculos acutissimos, et manus longissimas, ut omnia mala nobis imminentia praevenire possit oculus ejus, intelligentia ejus; manus ejus, potentia ejus; et potentia ejus, voluntas ejus. *Dei coeli*, s. Hieron. vertit, *omnipotentis*, sed vox hebraica, שדי *saddai*, non solum omnipotentem, sed sibi sufficientem, idest, in se, et per se omnipotentem significat: nam et Apostolus se omnipotentem esse dixit, sed in Deo non in se. *Omnia*, inquit, *possum in eo, qui me confortat*. Philip. 4. septuaginta Interpretes verterunt, *Dei coeli*, quia nullus est sibi sufficiens, nullo egens, et per se, atque in se omnipotens, nisi Deus verus, qui coelum ex nihilo fecit; *Dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit*, psalm. 95. Et quamvis etiam terra, et mare et aer sint opera Dei magna, et mirabilia; tamen nihil est in rebus corporalibus majus, et mirabilius coelo, sive molem, sive pulchritudinem, sive efficaciam, sive velocitatem, sive stabilitatem consideres. Quare idem Propheta de coelis singulariter dixit, *coeli enarrant gloriam Dei*. psalm. 18. *Commorabitur*, hoc significat, confidentem in Deo, non semel, aut iterum, sed assidue protegendum a Deo; erit enim ei protectio Dei non tugurium in via, sed quasi domus paterna, ac propria. In hebraeo est, יתלנן *ithlonan*, idest, *pernoctabit*; quia videlicet protectio nobis necessaria est in nocte, hac tenebris hujus vitae: non autem in coelesti patria, ubi nox nulla est, sed perpetuus dies, ut dicitur in Apoc. cap. 21. Hic admirari cogimur insipientiam hominum, qui tantam promissionem tam parvi faciunt: certe enim principes terrae multa insumunt in custodes corporis sui, aut arcium suarum; et tamen ab eis saepe produntur. At nunc non homo mendax et fragilis, sed Deus omnipotens, et verax dicit; *confide, et protegam*: et vix invenitur, qui sicut oportet, illi se credere velit.

2. *Dicet Domino, susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus sperabo in eum.*

Explicat, et probat propheta propositionem suam testimonio justi confidentis in Deum, qui de experimento suo testatur. *Dicet*, inquit, *Domino*, idest, gratias agens justus, qui habitat in adjutorio Altissimi, confitebitur Domino beneficium protectionis acceptum. In hebraeo est, אמך *omae*, quod significat *dicam;* sed s. Hieronymus vertit, *dicens:* videtur enim legisse, אמר *omer*. Septuaginta interpretes verterunt, dicent, quia legerunt, אמר *amar*, et acceperunt praeteritum pro futuro: sensus semper est idem, sive legamus, *dicam ego in persona omnium justorum*; *sive dicens justus:* sive, *dicet justus Domino*. Absolute vocat Deum, Dominum, quia vere ac proprie solus Deus, Dominus est; tum quia non habet superiorem, neque parem, tum quia nulli necessitati servit, cum nulla re indigeat; tum quia omnia serviunt illi ad nutum, sine quo neque esse, neque moveri possunt; tum denique quia solus potest res omnes mutare, destruere, reparare pro arbitrio. *Susceptor meus es tu*, ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *spes mea*. Et quidem vox hebraica, מחסי *machsi*, potest quidem significare, *spes mea*, sed potest etiam significare, *susceptor meus*, nam verbum, חסה *chasah*, unde est illud nomen, significat sperare, et etiam recipere se in aliquem locum tutum: denique septuaginta viri doctissimi non ignorabant vim hujus vocis, et videntur tria ista vocabula, *susceptor meus, et refugium meum*, et *Deus meus*, continere tria beneficia Dei, pro quibus justus gratias agit, unum praeteritum, alterum praesens, tertium futurum. Primum ergo beneficium est ineffabilis misericordia Dei, qui suscipit hominem jam lapsum in lethale peccatum, et ad gehennam ruentem, de quo dicitur in psal. 117. *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me*; sic enim hunc locum exponit s. Bernardus serm. 2. in psal. 90. Signum hujus susceptionis est, quando qui ceciderat, resurgit humilior, et fortior, et cautior, ut David, ut Petrus, ut Magdalena. Hoc primum beneficium commemorat homo justus, et confidens in Deo, non quod oriatur ex fiducia (praecedit enim fiduciam, non sequitur) sed quia dicit apud se, si tam bonus est Deus, ut suscipiat inimicum non confidentem, eique poenitentiam, et

confidentiam inspiret; quam bonus, et fidelis erit erga amicum, et filium confidentem; alterum beneficium ost praesens et continetur in illo verbo, *et refugium meum*. Deus enim,quem suscipit per gratiam justificationis, non statim assumit in coelum, ubi nulla sunt pericula; sed constituit in acie praeliantium militum suorum : sed si confidat in Domino, Dominus illi refugium erit in omni tentatione, et refugium optimum, atque firmissimum ; vox enim hebraea, מצודה *metzuda*, quae hoc loco habetur, significat *munitionem*, sive *arcem munitam*. Tertium beneficium est futurum, et maximum,et significatur in illis verbis,*et Deus meus*: Deus enim est summum bonum; et quidem Deus semper in se est Deus, ac per hoc summum bonum : sed nobis tunc proprie erit Deus, *quando videbimus eum sicuti est*, ut ait b. Joan. 1. Joan. 3. Tunc enim summo bono fruemur. Justus igitur quia cogitat, et confitetur, Deum sibi fuisse aliquando susceptorem, nunc esse refugium, et post hanc vitam fore beatitudinem; ideo concludit, *sperabo in eum*, idest firmiter statuo semper sperare in eum in omni periculo et tentatione: quod b.Job faciebat: cum diceret,*etiamsi me occideris,in ipso sperabo*. Job 13.

3. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.*

Variant hoc loco codices: nam in hebr. יצילך *iatzilecha*, et graeco legimus, ῥύσεταί σε, *liberabit te*. S. Hieronymus, et s. Augustinus in commentario hujus psalmi, et s. Gregorius lib. 6. Moralium cap. 15. legunt liberabit me. Editio nostra vulgata habet *liberavit me*: quomodo legit etiam s. Bernardus ser. 3. in hunc psalmum. Res non est magni momenti: sed si legatur in secunda persona verba erunt Prophetae, et continuabuntur cum sequentibus: si legatur in prima persona, erunt verba hominis justi, et continuabuntur cum praecedentibus : sic etiam si legatur verbum temporis futuri, erit promissio; si temporis praeteriti, erit confessio; beneficium autem, quod hic commemoratur, idem omnino est, sive exprimatur in prima persona, sive in secunda; sive in praeterito, sive in futuro. Nos editionem nostram sequimur. Ergo vir justus, qui dixerat, *sperabo in eum*, subjungit rationem, *quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero*. Quibus verbis duo beneficia continentur, unum temporale, spirituale alterum : beneficium temporale est liberatio ab insidiis, dolis, fraudibus malorum hominum, ex quibus detrimenta temporalia oriuntur ; fraudes enim sunt laquei,verbum asperum est detrimentum,quod inde sequitur; verbum enim apud hebraeos passim accipitur pro ipsa re. Et quoniam fraudes et doli plerumque fiunt per instrumentum linguae; ideo Ecclesiasticus cap.51.dicit, *liberasti me a laqueo linguae iniquae*. Deus igitur singulari providentia sua fecit, et faciet deinceps, ut justis confidentibus in adjutorio Altissimi non obsint fraudes et insidiae impiorum. Alterum beneficium est longe majus liberatio videlicet a tentationibus doemonum: tanta est enim doemonum versutia, ut non immerito homines quantumvis prudentes,cum doemonibus comparati bestiolae esse videantur. Igitur venatores, doemones sunt, de quibus Apostolus dicit, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli*. Tim. 6. et, *resipiscant a diaboli laqueis,a quo captivi tenentur*. 2. Tim. 2. Sunt autem doemones, et plurimi numero, ut aerem istum caliginosum ferme totum repleant, teste s. Hieronymo in cap. 6. ad Ephes. et potentissimi, ac ferocissimi,ut in scripturis leonibus, et draconibus conferantur, 1. Petri 5. et Apocal. 12. neque aliud negotium habent, quam assidue rugiendo circuire quaerentes quem devorent, quae si serio, et attente cogiteremus cum timore et tremore magno vigilaremus in orationibus, non minus, quam fecisse Danielem credibile est, cum esset in lacu leonum, et tres pueros in camino ignis ardentis. Laquei sunt omnes res creatae, quae sensus humanos oblectare possunt, sive quae concupiscentiam carnis,vel concupiscentiam oculorum, vel superbiam vitae irritare solent : de quibus dicit Sapiens,*creaturae factae sunt in muscipulam pedibus insipientium*, Sap. 14. et, *in medio laqueorum ingrederis*. Eccl. 9. Verbum asperum, est mors animae, quam incurrit, qui laqueis istis capitur. Sic enim vertit ex hebraeo sanctus Hieron.*Liberabit te de laqueo venantium, et de morte insidiarum*: nam ut suprà diximus, per verbum res ipsa intelligi debet; quod si quis velit per verbum asperum, proprie verbum ipsum accipere, poterimus per verbum asperum, intelligere sententiam judicis supremi,*ite maledicti in ignem aeternum*; vel, ut docet s. Bernardus serm. 3. in hunc psalmum,*tollatur impius,ne videat gloriam Dei*; hoc enim verbo nihil asperius cogitari potest, cum eo significetur privatio omnium bonorum, et cumulus omnium malorum, non temporalis, sed aeternus; hanc enim sententiam justissimi judicis Dei juste merentur, qui voluntarie laqueis venatorum doemonum se implicari sinunt.

4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.*

Incipit nunc Propheta ipse loqui, et confirmat verba hominis justi, ac si dicat, merito dixisti, *sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero*. Vere enim liberavit te ; et deinceps semper liberabit ab omni periculo : nam dum eris parvulus, et impar hostibus tuis, fovebit te sub alis suis, quomodo aquila, vel gallina fovet pullos suos ; quando autem creveris, et per te pugnare poteris, dabit tibi scutum firmissimum, per quod invulnerabilis esse poteris; sed in hoc versiculo explicatur solum prior similitudo, in sequenti explicatur posterior. In scripturis sanctis duabus avibus comparatur Deus aquilae et gallinae, Deut. 32.*Sicut aquila provocans pullos suos, et super eos volitans*, Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos*. Aquila erat Deus ante incarnationem : gallina factus est post incarnationem vel si placeat ad Christum omnia referre , Christus ut Deus , est aquila ; ut homo, gallina ; vel Christus homo tempore mortalitatis

suae gallina fuit, post resurrectionem aquila. Ait igitur, *scapulis suis obumbrabit tibi*, idest, Deus instar aquilae vel gallinae sub alis suis te colliget, et sic scapulis suis obumbrabit tibi, ut neque ab ardore Solis, neque a pluvia, et ventis, neque a morsibus milvorum timeas : quare tutissime *sub pennis ejus*, idest, sub ejus protectione, et defensione constitutus, sperare poteris liberationem, et incolumitatem.

5. *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno.*
6. *A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano.*

Explicat nunc Propheta alteram similitudinem pro majoribus qui per se pugnare possunt ; hos enim Deus armat scuto admirabili. Finxerunt poetae Achillem, et Aeneam scuto quodam coelesti donatos fuisse, ut invulnerabiles fierent: sed illae fabulae sunt. Hic autem clypeus, de quo loquitur David, vere clypeus coelestis est, et invulnerabiles reddit eos, qui ipso bene uti sciunt: et dicit Propheta, *scuto circumdabit te*, quoniam scutum non est simile galeae, quae solum caput regit, vel loricae, quae tegit pectus, et scapulas: sed est generalis quaedam defensio, cum possit attolli, demitti, converti ad omnes partes, et opponi omnibus ictibus. *In omnibus*, inquit Apostolus ad Ephes. 6., *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* S. Hieronymus ex hebraeo vertit, *scutum et protectio veritas ejus.* Sed facile est videre quae fuerit causa diversae translationis: nam s. Hieronym. legit, וסחרה *vesocherà et protectio.* Septuaginta vero interpretes legerunt, ו סחרך *ischrecha*, circumdabit te. Facile autem fuit negligentia librariorum mutari primam et ultimam literam. Melior est autem lectio, quam septuaginta interpretes habuerunt, quam ea sit quam habuit s. Hieronym. nam verbum, סחך *sachar*, circuire et circumdare significat: nomen סחרה *socherà*, scutum rotundum proprie designat : non est autem verisimile, Prophetam scripsisse scutum et scutum; ad quam repetitionem vitandam, s. Hieronym. vertit, scutum et protectio : quamvis illa vox proprie non protectionem, sed scutum significet. Porro scutum hoc veritas est : sic enim dictum est, *scuto circumdabit te veritas ejus*, ac si dictum esset, circumdabit te veritas Domini instar scuti, vel clypei. Veritas Domini in scripturis sacris duobus modis accipitur, uno modo pro veracitate et constantia in servandis promissis, ut in psal. 88. *Veritas mea, et misericordia mea cum ipso* ; et infra, *misericordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo ei*, idest, non decipiam eum, *in veritate mea* ; altero modo pro veritate Fidei revelata per Apostolos et Prophetas: de qua dicitur Jo. 17. *Sermo tuus veritas est* ; et Prov. 31. *Omnis sermo Domini clypeus ignitus est*; et ad Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei*, idest, veritatis, quae sola fide percipitur, cum sit veritas supernaturalis. Utraque veritas clypeus est optimus ad propulsanda jacula omnia inimici, sive in prosperis, sive in adversis: nam veritas promissionum Dei est immobilis et firma, ut de ea dici possit : *coelum et terram transibunt; verba autem mea non praeteribunt.* Luc. 21. Est enim veritas Dei quasi terra solida, in qua anchora spei tutissime figitur: anchora, dum per aquam descendit, non firmat navim, quoniam aqua est elementum liquidum, et instabile: at dum terrae adhaeret, firmissime navim retinet. Sic spes nostra dum adhaeret promissionibus hominum, non potest non semper nutare : sed cum in Dei veritate figitur, firmissima permanet : *est enim Deus verax, omnis autem homo mendax*, inquit Apostolus ad Rom. 3. Et quis ei nocere poterit, cui protectionem promittit Deus, qui mentiri non potest? nec minus veritas Fidei instar scuti protegit, dum nos certos reddit, esse post hanc vitam paratam justis foelicitatem aeternam, et impiis supplicia sempiterna : futurum judicium in novissimo die, in quo singuli homines rationem exactissimam reddent judici Deo omnium operum, verborum, cogitationum, desideriorum, omissionum, denique otiosi cujuslibet, brevissimique sermonis. Haec enim, et similia, quae veritas fidei nobis ostendit, facile protegere nos possent ab omni tentatione tam in rebus prosperis, quam in adversis, si hoc scuto assidue uteremur, idest si veritates fidei assidue, et fideliter cogitaremus. Quis enim non fortiter adversus terrores omnes persistet, si attente cogitet illa verba Domini, Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* ; *sed potius timete eum, qui potest corpus, et animam perdere in gehennam?* Et quis vana blandimenta saeculi, et injusti lucri occasiones non facile spernet, si verba illa coelestis magistri serio considerare voluerit. Matth. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur* ; *animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem sub anima sua?* Sequitur, *non timebis a timore nocturno*, etc. In quibus verbis Propheta explicat generatim pericula, in quibus avertendis scuto veritatis opus habemus. Sunt autem verba valde obscura et a scriptoribus varie exponuntur. Duae videntur expositiones praecipuae. Una sancti Augustini, qui per *timorem nocturnum*, intelligit tentationem levem, sed occultam : per *sagittam volantem in die*, tentationem levem, sed manifestam ; per *negotium perambulans in tenebris*, tentationem gravem, sed occultam ; per *daemonium meridianum*, tentationem gravem, sed manifestam. Altera est sancti Bernardi serm. 6. in hunc. psal. qui per *timorem nocturnum*, intelligit tentationem pusillanimitatis ; per *sagittam volantem in die*, tentationem vanae gloriae : per *negotium perambulans in tenebris*, tentationem ambitionis vel avaritiae: per *daemonium meridianum*, tentationem operis mali sub specie boni. Possumus addere tertiam expositionem, quae ex parte s. Joannis Chrysostomi esse videtur, ut per noctem intelligatur tempus adversitatis, per diem tempus prosperitatis: et hic sit sensus, *non timebis a timore nocturno*, idest in nocte adversitatis non timebis ab iis rebus, quae non laedunt, si non

timeantur: talia sunt detractiones, convicia, contumeliae, quae nocent illi a quo dicuntur; non illi, in quem dicuntur, nisi ipse timendo, et eas magni faciendo seipsum laedat. *A sagitta volante in die*, id est, in die prosperitatis non timebis verba laudantium, et adulantium, quae superbiam gignunt, et instar sagittarum occidunt incautos. *A negotio perambulante in tenebris*, idest, in tenebris adversitatis non timebis veras calamitates, et persecutiones, quas homines impii negotiando negotia iniquitatis inferunt justis. *Ab incursu et daemonio meridiano*, id est, in meridie prosperitatis non timebis a gravissimis et notissimis sceleribus, ad quae nimia opulentia, vel potentia illos impellit. Possumus et quartam expositionem adjungere, quae praeter caeteras simplex, et litteralis esse videtur, ut sensus sit, non timebis ulla pericula, neque nocturna, neque diurna. Illud enim, *non timebis a timore nocturno*, significat, non afficieris timore ab ulla re, quae nocturno tempore timorem inculere potest. Accipitur enim timor pro re, quae timetur, ut 1. Petr. 3. *Timorem eorum ne timueritis*. Sicut spes accipitur pro re sperata, et desiderium pro re, quae desideratur, ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem*, idest beatitudinem, quae speratur, et psalm. 77. *Desiderium eorum attulit eis*, idest, rem quam desiderabant. Illud autem, *a sagitta volante in die*, significat, non timebis offensionem, sive calamitatem ullam diurnam. Ponitur enim sagitta pro quacumque re, quae laedere potest interdiu, species videlicet pro genere. Illud vero, *a negotio perambulante in tenebris*, est repetitio et explicatio illorum verborum, *non timebis a timore nocturno*: significat enim negotium perambulans in tenebris nocturnis. Vox hebraica, דבר *davar*, significat proprie *verbum*, sed accipitur pro re quacumque, quomodo etiam accipitur negotium pro quacumque actione, quae laedere potest. Sanctus Hieronymus vertit a peste in tenebris ambulante, quia legit, דבר *dever*, quod significat *pestem*, sed septuaginta interpretes legerunt, דבר *davar*, quod significat *verbum*, idest, rem omnem. Illud denique, *ab incursu et daemonio meridiano*, et repetitio et explicatio illorum verborum. *A sagitta volante in die*; significat enim incursus, et daemonium meridianum, omnem occursum malum, sive omnem laesionem, omnem aerumnam, quae accidere potest in die, atque adeo in ipso tempore meridiano. Sanctus Hieronymus vertit, *a morsu insanientis meridie*. Sed verbum hebraicum, קטב *keteb*, significat *morsum* et *excidium*, et *ruinam*. Ideo septuaginta interpretes non male verterunt, incursum, ut designarent generatim omnem occursum malum. Vox autem, ישוד *jasciud*, quam sanctus Hieronymus vertit *insanientis*, videntur septuaginta interpretes legisse literis transpositis, ושיד *vesced*, quod significat, *et daemonio*. Vocat autem David daemonium meridiei, sive meridianum, omnem aggressorem robustum et potentem, qui non timet in ipso meridie nocere et laedere. Quoniam enim daemon princeps est omnium iniquorum, et malefactorum, recte transfertur hoc nomen ad omnes iniquos, et malefactores, praesertim audaces et robustos. In summa continetur in omnibus his verbis generalis promissio, qua securi redduntur ab omni periculo nocturno et diurno qui confidunt in Deo, et armati sunt clypeo veritatis: nam *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Roman. 8. *Et quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis?* 1. Petr. 3.

7. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.*

Pergit Propheta, et describit victoriam hominis justi confidentis in Deo, et rite utentis clypeo veritatis. Possunt autem illa verba, *cadent a latere tuo*, exponi de sagittis, ut vult Euthymius, vel de hostibus, ut docent Theodoretus, et s. Bernardus, vel de commilitonibus, ut indicat s. Augustinus. Omnia sunt vera, sed expositio s. Augustini videtur anteponenda. Nam sagittae quidem repercussae a scuto, cadent in magna copia, sed non satis est ad victoriam sagittas repellere, nisi etiam occurratur timori nocturno, negotio perambulanti in tenebris, et daemonio meridiano. Itaque prima expositio non plene hunc locum explicat. Altera expositio melior, duobus modis potest intelligi: uno modo ut hostes dicantur casuri foelici casu: quod tunc fit, cum infideles convertuntur ad fidem, et peccatores convertuntur ad justitiam, et sic prosternuntur et occiduntur, ut moriantur peccato: et de hostibus fiant amici. Altero modo, ut hostes dicantur casuri infoelici casu, quod fit cum hostes justorum, sive daemones, sive homines mali, repelluntur a justis, et non solum non obtinent victoriam, sed etiam victi prosternuntur et cadunt: nec solum non lucrantur nova gaudia, sed graviora sibi ipsi praeparant supplicia. Tertia expositio verissima est, et simplex, ac litteralis: vult enim Propheta justos admonere, ut magnifaciant gratiam hujus victoriae, cum rara sit, et ad paucos omnino pertineat. *Cadent* enim in hoc praelio ex commilitonibus *mille a latere, et decem millia a dextris: ad ipsum autem non appropinquabit* neque timor nocturnus, neque sagitta volans in die, neque negotium perambulans in tenebris, neque daemonium vastans, et saeviens in meridie. Porro per latus videtur intelligi sinistra, cui opponitur dextera: et quidem mille dicuntur casuri a latere, idest, a sinistra, et decem millia a dextris; quoniam per sinistram intelligitur adversitas, per dexteram prosperitas. Multo autem plures ex hominibus cadunt, pereunt ex prosperitate, quam ex adversitate. Prosperitas enim dat occasionem superbiae, deliciis, licentiae, audaciae, et aliis id genus malis: adversitas vero reddit homines humiles, castos, patientes. *Tribulatio enim*, ut ait Apostolus ad Roman. 5. *patientiam operatur*. Jam vero numerus ille mille, et decem millium, nihil aliud significat nisi multos casuros a sinistris, sed multo plures a dextris. Quomodo accipiuntur hi numeri lib. 1. reg. cap. 18. *Saul percussit mille, et David decem millia*. Et Deut. 32. *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia?*

8. *Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.*

Haec est nova causa laetitiae homini justo, cui non solum promittitur victoria, sed etiam quod sit cum magna voluptate visurus propriis oculis inimicos suos jacentes, et pro meritis punitos. Quae promissio impletur aliquando in hac vita. Sic enim viderunt filii Israel Aegyptios mortuos et jacentes in littore maris rubri, Exod. 14. Sic viderunt Moses, et Aaron absorberi vivos a terra Dathan, et Abyron, num. 16. Sic Ezechias vidit cadavera prostrata exercitus Sennacherib, 4. reg. 19. Sic Judith, et populus Dei, vidit caput Holophernis amputatum, et exercitum ejus fusum, et fugatum. Jud. 15. Sed plenissime implebitur haec promissio in die novissimo: tunc enim videbimus omnes inimicos nostros humi jacentes, inermes, et nudos, et sine ullis viribus, et poenae sempiternae addictos. *Verumtamen*, inquit Propheta, *oculis tuis*, idest, non ex auditu, et fama cognosces, sed tu ipse cernes illis ipsis oculis, quibus vidisti arma hostium, et pericula; qui quidem oculi tunc proprie tui erunt post resurrectionem: tunc enim quomodo tui sunt, quos te invito curiositas aperit, somnus claudit, fumus affligit, senectus obscurat, mors extinguit? *Considerabis*, idest non obiter, et per transitum videbis, sed diligenter et accurate considerabis omnes hostes tuos, qui sint, quot sint, quid meruerint, quid patiantur. *Et retributionem peccatorum videbis*, idest, et tunc plane perspicies quam mercedem habeant omnes impiorum labores. Ex quo existet pulcherrima species rerum: nunc enim omnia confusa et perturbata esse videntur: nam cum poena debeatur culpae, et praemium virtuti, saepe accidit, ut justi affligantur, et iniqui honorentur, et per hoc justitiae copuletur dolor, et iniquitati conjungantur gaudium: sed in die novissimo omnia ponentur suo loco, et poena retribuetur culpae, eique jungetur insolubili nexu et major poena majori culpae reddetur, et minor minori: et contra, nexu pariter insolubili praemium adjungetur justitiae, et majori justitiae majus praemium, et minus minori reddetur: et tunc implebitur quod dicitur in psalm. 57. *Laetabitur justus, cum viderit vindictam*, idest, cum retributionem peccatorum viderit: non quidem laetabitur ob calamitates miserorum, sed ob decorem justitiae et sapientiae divinae; quae splendebit mirum in modum in suppliciis impiorum.

9. *Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.*

Hic versiculus facilis est quoad verba, quae sunt omnia declarata in explicatione primi et secundi versiculi: sed de connexione non levis quaestio est: nam in verbis praecedentibus loquebatur Propheta cum homine justo, dicens, *oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis*: nunc vitebitur loqui cum Deo, dum ait, *Quoniam tu es Domine spes mea*: et non apparet, quorsum haec dicat. Et rursum verba sequentia, *Altissimum posuisti refugium tuum*, ad hominem justum dirigi videntur, sed non apparet ulla connexio. Theodoretus, et quidam alii volunt subintelligi verbum, *dixisti*, ut hic sit sensus, Quoniam dixisti, tu es Domine spes mea, ideo altissimum posuisti refugium tuum. Euthymius et alii nihil existimant subintelligi debere: sed verba priora hujus versiculi esse hominis justi; verba posteriora esse Prophetae: jam enim admonuimus psalmum esse dramaticum, et ad formam dialogi factum: ut quamvis non designentur nominatim personae, tamen nunc Propheta, nunc homo justus, nunc Deus loqui intelligatur. Igitur posteaquam Propheta viro justo, dicit, *scapulis suis obumbrabit tibi Deus*, ut gallina pullo; et *scuto circumdabit te*, ut Imperator militem, et *non timebis a timore nocturno*, vel *diurno*; et multi hinc inde a dextris, et a sinistris cadent, sed tibi malum non appropinquabit, quin potius devictos hostes oculis tuis videbis: justus vir his auditis interloquitur et ad Deum conversus dicit, *Quoniam tu es Domine spes mea*, idest, vera sunt quae audivi; sed ideo vera sunt, quoniam tu es Domine spes mea, non confido in viribus, et armis meis, non in viribus et armis amicorum, sed in te uno confido, qui es unica, et tota spes mea; dicitur autem Deus ipse spes justorum, quoniam justi non sperant solum auxilium a Deo, sed ipsum Deum sperant sibi fore veluti arcem munitissimam, ad quam confugientes tempore persecutionis, et in qua per fidem, spem, et charitatem, perque orationem et contemplationem habitantes, nihil adversi pati possint. Atque hoc bene Propheta intellexit et ideo subjunxit, *Altissimum posuisti refugium tuum*, quasi diceret, recte, ac sapienter posuisti Deum spem tuam sic enim refugium tuum constituisti in arce omnium altissima, et munitissima, ad quam (ut in versiculo sequenti dicetur) nullum malum pertingere poterit. Ubi observandum est, per Altissimum non intelligi rem aliquam altissimam, sed ipsum Deum, cujus unum ex nominibus est *Altissimus*: nam in hebraeo habetur, עליון *helion*, quod est unum ex decem nominibus Dei, et significat *Altissimum*, sive *Excelsum*, et in graeco habetur ὑψιστον generis masculini, et καταφυγὴν generis foeminini. Ex quo intelligimus nomen *Altissimum* non esse adjectivum, quod cum substantivo, *refugium*, concordari debeat, ut sensus sit, posuisti tibi refugium altissimum, sed elegisti tibi Deum, qui dicitur et est Altissimus, in domum sive arcem refugii.

10. *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Explicat nunc Propheta quid boni consequatur justus ex eo, quod refugium sibi constituit in Altissimo: ac dicit eum tutissimum fore ab omni malo. Duplex est malum, culpae, et poenae. Malum culpae absolute, et simpliciter malum est; ideo de malo culpae intelligimus, *non accedet ad te malum*: malum poenae non est simpliciter malum, propterea de malo poenae explicandum existimamus, id quod sequitur, *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Malum culpae esse malum absolute et simpliciter, malum poenae non item; ex eo constat, quod malum culpae facit ho-

minem malum;malum poenae non facit malum,sed miserum: malo culpae nemo bene uti potest;malo poenae bene uti possumus: malum culpae non potest dici bonum, quia non est justum cum sit iniquitas: neque est utile, cum is qui peccat semper plus perdat, quam lucretur;malum poenae bonum dici potest, cum saepe sit justum et utile ; mali culpae non est auctor Deus, qui est auctor omnis boni: malum poenae a Deo est Judice justo. Denique id etiam colligitur ex verbis Prophetae:nam cum dicit, *non accedet ad te malum,* loquitur de malo, quod in nobis est, et extra nos esse non potest, et tale est malum culpae, quod nonnisi intra nos, idest, in libero nostro arbitrio esse potest, cum addit, *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo,* loquitur de malo , quod potest locum habere in rebus nostris, in libris , in servis, in domo, in agris, in substantia reliqua,et tale est malum poenae. Sed existit non levis dubitatio de veritate hujus promissionis: nam David unus erat ex justis,et confidentibus in Deo:et tamen ad eum accessit malum culpae, adulterium et homicidium et flagellum,imo flagella multa appropinquaverunt tabernaculo ejus: sic enim ipse dicit in psal. 72. *Lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die,* quod idem dici potest de Job. Tobia, Prophetis, et Apostolis, et de ipso Christo, quod ad flagellum attinet: omnes enim flagellati sunt,imo *Deus ipse flagellat omnem filium quem recipit,* ad hebr. 12.Duae sunt responsiones.quae dari possunt ad hanc dubitationem. Prior est,hanc promissionem non pertinere ad hanc vitam, sed ad futuram, quando impletum erit illud, *oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis*: tunc enim in tabernaculum coeleste ingressi tutissimi erimus ab omni malo tam culpae, quam poenae: nam ideo *confortavit Deus seras portarum coelestis Jerusalem* , ut dicitur in psal. 147. *et posuit fines ejus pacem,* ut flagellum ad ipsum appropinquare non possit. Posterior solutio est, pertinere quidem hanc promissionem ad tempus hujus vitae, sed sano modo esse intelligendam: nam non accedet malum culpae ad electos justos, et in Deo confidentes, non quod peccare non possint, sed quia per divinam , et singularem providentiam ipsum etiam peccatum ipsis cooperabitur in bonum: quoniam permittet Deus eos in peccatum labi, ut inde fiant humiliores, et cautiores, et tanto magis accendantur in amorem Dei , quanto se agnoscent ejus gratiae,et misericordiae magis debitores: sic de s. Petro dicit s. Gregorius homil. 21. in evangelio, quod idem de s. Apostolo Thoma, et s. Maria Magdalena , aliisque permultis dici potest. Flagellum vero, idest , malum poenae non appropinquabit tabernaculo ipsorum,quoniam ipsi habitantes per desiderium in coelesti tabernaculo , et conversantes cum Apostolo Paulo per assiduam contemplationem in coelo,mala ista temporalia vix sentient, et omnino contemnent: imo mala esse non reputabunt, sed bona, cum materiam patientiae, et segetem gloriae illis praebeant hoc certe sentiebat Apostolus cum diceret, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Corinth. 7.

11. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Hunc versiculum, et sequentem allegavit diabolus in disputatione cum Christo, Matth. 4.sed perperam; quoniam Christus non eguit custodia angelorum, ut s. Thom. docet in 1. p. qu. 113. art. 4. ad primum: Christus enim ratione divinitatis custos est angelorum, et hominum, *et omnia portat verbo virtutis suae,* ad hebr. 1. Ratione animae beatus erat,ac per hoc custodia non egebat,quem admodum neque nos egebimus , cum beati erimus. Denique ratione carnis, eguit quidem tempore mortalitatis suae protectione aliqua sed eam illi exhibebat verbum divinum, cum quo hipostatice unita erat; sed his omissis; quoniam poterat homo justus dicere, jam quidem securus sum nihil mihi mali eventurum, cum ero in coelesti tabernaculo; sed audire cupio, quis me custodiet in via, ne forte errem a recto itinere, vel incidam in latrones, aut in foveam aliquam ruam, respondet Propheta, Ne timeas, quoniam *angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Sed verba singula consideremus. *Quoniam.* particula, reddit rationem verborum sequentium, non praecedentium; est enim sensus, quoniam Deus mandavit angelis ut custodiant te in via, ideo ipsi angeli in manibus te tollent, ne unquam offendas ad lapides pedem tuum. *Angelis.* Angeli sunt spiritus beati, et principes nobilissimi, et eorum custodia tutissima est, quoniam potentissimi,sapientissimi, et optimi sunt: ex quo admonemur, quanti Deus faciat genus humanum, cui tam magnos principes attribuit quasi paedagogos:sed cur dicit,angelis,et non potius angelo? quoniam habemus quidem singuli singulos angelos custodes proprios, ut colligitur ex verbis Domini, Matth. 18. *angeli eorum semper vident faciem Patris mei,* et ex actis Apostol. cap. 12. *Angelus ejus est,* tamen habemus etiam Angelos alios custodes communes, eos videlicet, qui praesunt civitatibus, aut regnis, de quibus vide Danielem capit. 10. et sanctum Basilium lib. 3. in Eunomium. *Suis.* Hoc additur, quoniam sunt etiam angeli mali, de quibus dicitur Apocal. 12. *Et draco pugnabat, et angeli ejus*; Deus ergo mandavit angelis suis, ut te custodiant, non mandavit angelis alienis, qui non custodire, sed perdere tantum noverunt. Origenes hom. 35. in Lucam, et ex eo Joannes Cassianus collatione 13. docent, deum unicuique nostrum duos angelos attribuisse, unum bonum, qui nos protegendo custodiat, alterum malum, qui nos tentando exerceat. Sed falsa ista sententia est: *Deus enim intentator malorum est,* Jacob. 1. et mali angeli non egent mandato Dei, ut nos tentent: satis enim per se ad hoc agendum prompti sunt. *Mandavit:* haec est praecipua causa, cur angeli diligentissime nos custodiant, quia videlicet Deus id eis mandavit: quamvis enim libenter id faciant, quia nos amant, et quia malos angelos oderunt, et quia cupiunt instaurari sedes coelestis Jerusalem, et quia sciunt id esse gratissimum regi suo Christo Domino; tamen nihil magis eos movet, quam praeceptum Domini: intelligunt enim se esse ministros Dei,et Deum nihil ma-

gis requirere a ministris suis quam promptam, ac simplicem obedientiam. *De te.* Hoc significat, Deum quidem omnium hominum providentiam gerere, et omnibus, ac singulis hominibus angelum custodem dedisse: tam peculiari affectu prosequi homines justos, atque in se confidentes, et ideo peculiari studio mandavisse angelis suis de te, idest, de te homine justo, et confidente in auxilio ejus. *Ut custodiant te.* Hoc est quod Deus Angelis bonis mandavit, ut custodiant justum ab hoste invisibili, idest, ab angelis malis: quandoquidem homo, qui carne circumdatus est, et nihil cernere potest, nisi quod oculis carnis manifestatur, impar est ad praelium cum daemonibus, nisi a potentiore adjuvetur. *In omnibus viis suis.* Non dicit in via, sed in viis, et in omnibus viis; quia multae sunt viae hominis, et in omnibus auxilio angeli custodis eget. Via est lex, juxta illud ps. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, et ibidem, *viam mandatorum tuorum cucurri.* Via quoque est operatio, juxta illud Proverb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Denique vita praesens est quaedam via, ut s. Basilius pulchre docet in explicatione psalmi primi. Via legis est multiplex, quia multae sunt leges; via operationis est etiam multiplex, quia multae sunt operationes; via quoque vitae, est multiplex, quia multae sunt partes vitae multae aetates, multi status, in omnibus igitur istis viis egemus custodia, quoniam labi possumus in omni lege, in omni operatione, in omni aetate, et statu vitae nostrae.

12. *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Hic versiculus plenus est metaphoris, sed alioqui facillimus est. Itaque solum explicandum est quae sunt manus angelorum, qui lapides in via, qui pedes hominum. *Manus angelorum*, sunt intellectus, et voluntas; sive sapientia et potentia; nam intelligendo, et volendo omnia faciunt. *Lapides in via*, sunt omnia impedimenta, quae occurrunt in hac vita, sive temporalia, sive spiritualia; scandala, tentationes, persecutiones, et similia. *Pedes*, quibus ad lapides offendere solemus, sunt affectus humani. Pes tuus, inquit s. Bernardus serm. 13. affectio tua; et s. Augustin. in Psal. 94. Pedes nostri, in hoc itinere affectus nostri sunt. Duo sunt autem principales affectus, quasi duo pedes, amor et timor: et quocumque homo operando, loquendo, desiderando pergit, vel amore movetur, vel timore: amore acquirendi aliquid boni, vel timore illud amittendi, sive amore cavendi malum, vel timore illud incidendi. Tunc autem offendimus pedem ad lapidem, cum oblata occasione temporalis boni acquirendi, vel temporalis mali evadendi labimur in peccatum, unde bonum aeternum amittimus, et sempiternum supplicium incurrimus: sed qui habitant in adjutorio Altissimi ab angelo custode ita juvantur, ut vel occasio illa tollatur, idest, lapis ille de via removeatur: vel animus ita illustretur ad vera bona, et vera mala internoscenda, ut pede, idest, affectu elevato a terra, occasio temporalis boni, quod sine peccato acquiri non potest, facile contemnatur, et malum temporale, quod sine peccato vitari non potest, patientissime toleretur.

13. *Super aspidem, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem.*

Posteaquam propheta locutus est de angelis bonis, qui justum in Deo confidentem custodiunt, adjungit de angelis malis, ac dicit, eos justo confidenti non praevalituros, sed e contrario ab eo conculcandos, et conterendos, juxta illud Apostoli rom. 16. *Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter.* Vocat autem satanam Propheta serpentem propter astutiam, et leonem propter ferociam: et quoniam multa sunt genera serpentium, vocat eum aspidem, basiliscum, et draconem, quoniam cum astutia, quae omnibus serpentibus communis est, habet aspis conjunctam obstinationem, basiliscus crudelitatem, et draco potentiam, et vires maximas: quae omnia diabolo mirifice conveniunt. Neque solum hoc loco diabolus vocatur serpens et leo, sed etiam alibi saepe: nam Job 26. et Isaiae 28. *serpens, sive anguis tortuosus* nominatur, Apoc. 12. dicitur *draco*, et cap. 20. *serpens antiquus*, 1. Petr. 5. *leo rugiens*, atque haec videtur esse expositio litteralis, quam sequuntur ss. Patres Chrysostomus, et Augustinus et alii, tamen rejiciendae non sunt aliae tres expositiones, quae ad hunc locum adferri solent. Una est Theodoreti, et Euthymii, quod hoc loco promittatur subjectio verorum serpentum, et leonum hominibus justis, atque in Deo confidentibus. Scimus enim Danieli non nocuisse leones, neque s. Paulo viperam, et in historiis ss. Patrum a s. Gregorio, Sulpitio, Palladio, aliisque bonis auctoribus descriptis, non rara sunt exempla subjectionis exhibitae sanctis viris a leonibus et serpentibus, aliisque sylvestribus feris. Altera est per ista quatuor nomina intelligi quatuor persecutiones ecclesiae: persecutionem Judaeorum, qui instar aspidum surdarum obstinatissimi sunt; persecutionem haereticorum, qui per basiliscum designantur; persecutionem paganorum, qui leonibus comparari possunt; et persecutionem antichristi, qui satis apte draco nominari potest. Hanc explicationem ex parte indicavit s. Augustinus. Tertia est s. Bernardi, et aliorum, qui per ista quatuor animalia quatuor vitia significari docent; per aspidem videlicet obstinationem, vel avaritiam; per basiliscum invidentiam; per leonem superbiam; per draconem iracundiam. Sed vir justus, et non suis viribus, sed auxilio Dei fretus, facile per charitatem super aspidem, et basiliscum ambulabit, et per humilitatem conculcabit leonem, et draconem.

14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

Quoniam *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, ut dicitur Deut. 17. Propheta sanctus

tribus testimoniis probare voluit, quod initio promisit, eos omnes protegendos a Deo, qui vere confidunt in Deo. Primum testimonium fuit hominis justi, qui ex proprio experimento testimonium reddidit veritati dicens, *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, etc.* Alterum testimonium fuit ipsius Prophetae, qui ut Spiritus sancti tuba, vel praeco dixit, *Scapulis suis obumbrabit tibi, etc.* Testimonium tertium est ipsius Dei, qui in tribus ultimis versiculis confirmat omnia, quae supra dicta sunt, et multa etiam addit. Sunt enim in his tribus versiculis octo promissa Dei, quae optimo ordine incipiunt a liberatione a malis, et procedunt usque ad exaltationem ad summum bonum: et quidem quatuor pertinent ad hanc vitam, *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione :* quatuor reliqua ad vitam futuram, *eripiam eum, glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, ostendam illi salutare meum.* Ait igitur, *Quoniam in me speravit, liberabo eum*: libertas, quae hic promittitur, sive liberatio potest intelligi generatim ab omnibus malis, et potest referri ad liberationes supradictas per angelos, per scutum et per alias res ut sensus sit, non putet justus liberari se posse per scutum, vel per angelos sine me, illa enim sine me nihil possunt: sed ego liberabo eum per scutum, per angelos, et saepe etiam per meipsum sine illis, quoniam in me, non in illis, potissimum speravit. Caeterum potest etiam altiore sensu significari hoc loco libertas tyrannide vitiorum, quae est libertas propria hominum justorum perfectorum, et praeter caeteras omnes maxime expetenda, de qua Dominus dicit in evangelio Joan. 8. *Qui fecit peccatum; servus est peccati; et si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Haec vero libertas non datur omnibus, sed sperantibus in Deo. *Quoniam*, inquit, *in me speravit, liberabo eum*, ubi vox Hebraea, חשק *chasak*, adhaerere, diligere, placere significat : quare non quaecumque spes, sed ea fiducia, quae oritur ex bona conscientia et ex dilectione, et filiali adhaesione nascitur, liberat hominem a tyrannide vitiorum: nam quemadmodum cupiditas ligat, et captivum facit ; ita charitas solvit, et liberum facit; et quo magis charitas crescit, eo magis cupiditas minuitur: et cum perfectissima erit charitas, et adhaesio ad summum bonum, tunc perfectissima erit libertas, quae ab Apostolo dicitur *libertas gloriae filiorum Dei*, ad Rom. 8. Sequitur altera promissio, *protegam eum quoniam cognovit nomen meum.* Nam qui liberatur in hac vita a tyrannide vitiorum, non perfecte liberatur; sed eget protectione Dei, tum ut non iterum captivus ducatur ab hostibus, tum ut proficiat in acquisita libertate gratiae, donec perveniat ad libertatem gloriae ; ideo Deus protectionem continuam pollicetur iis, qui cognoverunt nomen ejus : dicitur autem cognoscere nomen Domini, qui ejus potentiam, et sapientiam, et bonitatem cognoscit, unde in spem, et fiduciam firmissimam erigitur. Dicitur etiam cognoscere nomen Domini, qui ex intima familiaritate novit Deum ut pastorem amicum, et patrem : de qua notitia dicitur in evangelio Joan. 10. *Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae* ; et contra de aliis dicitur Matt. 25. *Non novi vos*, et 2. Tess. I. *Dantes vindictam iis, qui non noverunt Deum.* Ineffabilis omnino benignitas Dei est, qui non solum innotescere dignatus est ut Dominus, sed etiam ut amicus, quod miratur David cum ait, *Quid est homo, quia innotuisti ei?* psal. 143.

15. *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.*

In hoc versiculo quatuor alia promissa continentur. Primum est exauditio generalis, quae soli Deo, qui omnipotens est, convenire potest ; quod autem haec sit promissio generalis exaudiendi omnes preces confidentium in Deo, perspicuum est ex eo, quod nulla restrictio adhibetur, sed absolute dicitur, *exaudiam eum.* Deinde alia loca scripturae confirmant hanc promissionem. Deut. 4. *Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest omnibus obsecrationibus nostris.* Joan. 15. *Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Marci 11 *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis , et evenient vobis.* Jo. 3. *Fiduciam habemus ad Deum, et quicquid petierimus accipiemus ab eo.* Quamvis autem conditiones nonnullae requirantur, ut semper oratio exaudiatur, tamen praecipua est, quae habetur hoc loco, cum dicitur, *Clamabit ad me* ; clamor enim significat vehementiam desiderii ex dilectione, et fiducia procedentem. Sequuntur tria promissa, *Cum ipso sum, in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum* quae promissa optime respondent tribus diebus totius anni celeberrimis: Feriae sextae, in qua Dominus in cruce pendens in maxima tribulatione fuit; Sabbato in quo erutus de omni tribulatione suaviter requievit; et diei dominico, in quo resurgens ex mortuis gloriosissime triumphavit. Ejusmodi tres dies ad omnes justos, et electos pertinent : omnes enim cum Christo tribulationes ferre debemus. Feria sexta, idest, in hac vita quae brevissima est, et pro uno die computatur: deinde requiescere in sepulchris die sabbati: denique resurgere die Dominica, et cum Christo in aeternum glorificari. Ait igitur Dominus, *Cum ipso sum in tribulatione*; qui enim clamabat, ante omnia donum patientiae postulabat, quae *necessaria est, ut reportemus promissiones Dei*, ad hebr. 10. Dominus autem, qui dixit exaudiam eum , primo loco promittit donum patientiae dicens, *Cum ipso sum in tribulatione*, in qua sententia singula verba suum pondus habent. Illud, *cum ipso*, significat, Deum quidem esse cum rebus omnibus multis modis, sed speciali quodam modo, per internam consolationem, et influxum ineffabilis dulcedinis esse cum iis, qui tribulantur, quomodo mater aegrotanti filiolo majora signa benevolentiae exhibet quam caeteris filiis bene valentibus: et nos omnes membrum male affectum diligentius fovemus , quam caetera membra sana. Illud, *sum*, est verbum temporis praesentis, cum caetera omnia sint temporis futuri, *liberabo, protegam, exaudiam, eripiam, glorificabo, replebo, ostendam*: hoc autem significat, tribulationem hujus vitae esse mo-

mentaneam: quia de tempore praesenti nihil habemus, nisi momenta impartibilia: proinde proprie Apostolus dixit 2.Corinthios 4.*quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Itaque misericordia Dei nostri facit, ut tribulatio non nisi guttatim instilletur nobis, cum futura gloria sit quasi flumen inundans, juxta illud psal. 36.*Torrente voluptatis tuae potabis eos.* Illud, *in tribulatione*, significat, Deum in hac vita donare quidem consolationes multas amicis suis, sive corporales, sive spirituales, sed non sine admixtione tribulationis. S. Basil. hom. 5. in Exameron scribit in statu innocentiae nasci solitas in campis rosas sine spinis, sed post peccatum inventas quidem fuisse spinas sine rosis, sed non rosas sine spinis, ut impleretur illud Gen. 3. *spinas et tribulos germinabit tibi.* Sed quicquid sit de veritate historiae, moralis significatio verissima est: nam tribulationes sine consolationibus aliqui habent, praesertim ex impiis: consolationes sine tribulatione in hac vita nulli habent: neque impii, neque pii, sed hoc est discrimen inter pios et impios, quod pii cum tribulationibus veras, et solidas a Spiritu sancto consolationes habent: impij cum consolationibus brevibus, et apparentibus magis, quam veris veras, et solidas tribulationes habent. *Fructus spiritus est charitas et gaudium*, ex Apostolo ad Gal. 6. qui autem spiritum non habent, quomodo fructum ejus habere possunt? Sequitur, *Eripiam eum*: quae promissio proprie spectat ad vitam futuram: justi enim in morte liberantur ab omni tribulatione praesenti, et futura: sic enim scribit S. Joan. Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: jam enim dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis*, et Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Impii vero videntur quidem eripi per mortem a tribulationibus hujus vitae, sed non vere eripiuntur a tribulatione, sed transeunt de tribulatione temporaria ad aeternam: quomodo non dicuntur proprie de carcere liberari, qui educuntur de carcere ad patibulum. Aliquando tamen sancti viri etiam in hac vita eripiuntur ab aliqua tribulatione, ut contigit Patriarchae Joseph, Job, David, Tobiae, Danieli, tribus pueris, Susannae et aliis: sed illa modica et temporalis liberatio fuit. Restat quarta promissio. *Et glorificabo eum*, quae interdum in hac vita utcumque adimpletur: sanctus enim Job post gravissimam tribulationem non solum ab illa creptus et liberatus fuit, sed etiam valde glorificatus, quod idem legimus de Patriarcha Joseph, et de rege David. Caeterum vera glorificatio ad aliam vitam sine dubio pertinet: *tunc enim justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, Matthaei 13. *Et sedebunt super sedes judicantes mundum universum.* Matt. 19. et 1. Cor. 6. de quorum gloria Propheta canit psal. 138. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Et Apostolus concinit ad Romanos 8. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.*

16. *Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum.*

Haec sunt duo postrema beneficia: quae promittuntur iis, qui habitant in adjutorio Altissimi, et continent explicationem beneficii sexti, in quo dictum est, *glorificabo eum*, gloria enim sanctorum nascetur ex adeptione summi boni; summum vero bonum est aeterna foelicitas: nam foelicitas sine aeternitate, est foelicitas misera, et aeternitas sine foelicitate est aeterna miseria: primum ergo describitur in hoc versiculo vera aeternitas: cum dicitur, *longitudine dierum replebo eum*: deinde vera foelicitas, cum additur, *Et ostendam illi salutare meum.* Per longitudinem dierum intelligitur diuturnitas temporis, sed tanta ut plane repleat desiderium humanum, hoc enim promittit qui dicit, *longitudine dierum replebo eum*, quia vero non potest repleri desiderium humanum, nisi aeterna duratione, ideo per hanc longitudinem dierum significatur aeterna duratio. Utitur autem Scriptura ejusmodi verbis in designanda aeternitate, quia nobis loquitur, qui non novimus aliam longam durationem, nisi in diebus multis, aut longis; alioqui enim in vera aeternitae non erit successio dierum, sed una dies semper manens, vel potius unum momentum, semper durans absque ulla mutatione, aut vicissitudine. At, inquies, vicissitudo temporum mirifice delectat, et videmus homines variis oblectationibus fallere taedium longitudinis dierum in aestate, et longitudinis noctium in hyeme. Respondeo, id accidere, quia tempora hujus vitae sunt omnia variis incommodis plena, et ideo semper anhelamus ad futura: sed quando veniet illa dies, qua nulla expectari poterit melior, votum omnium erit, ut illa semper duret. *Et ostendam illi salutare meum*: si per salutare intelligamus salutem, sensus erit, ostendam illi salutem meam, idest, efficiam, ut vir justus non amplius ex fide vivat credendo quod non videt, sed plane videat, et sentiat, atque experimento proprio cognoscat salutem, quae ex me est: est autem salus haec, quae nobis promittuntur, ipsa Dei visio, quae perfecta, et perpetua sanitas totius hominis erit: tunc enim sanabitur mens ab omni errore, et ignorantia, cum ad summam sapientiam perveniet, quae in visione supremae atque altissimae causae posita est. Ex illa sapientia nascetur in voluptate amor erga summum bonum ardentissimus, et stabilis, unde perfecte sanabitur affectus ab omni mala cupiditate. Redundabit autem haec sanitas in partem inferiorem, quae superiori sine ulla resistentia, vel rebellione subjicietur, et in ipsum corpus, quod immortale, impassibile, formosissimum, et sole fulgentius resurget. Quod si per *salutare*, intelligatur salvator, ut s. Aug. magis probat, tunc sensus erit, *Ostendam illi Salvatorem meum*, idest, Salvatorem, quem ego misi, et faciam, ut vir justus oculis mentis cernat eum, qua Deus est et oculis corporis cernat eumdem, qua homo est: quam ostensionem suae divinitatis promisit Chri-

stus, Joan. 14. cum ait, *Qui diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Haec autem manifestatio divinitatis, ipsa est vita aeterna, et summum bonum, et salus sive sanitas perfecta totius hominis. Quare sententia hujus loci in idem recidit, sive per *salutare* intelligamus salutem, sive Salvatorem. Sed libet in fine hujus psalmi admirari caecitatem generis humani: nam cum omnes cupiant foelicitatem aeternam, neque possunt eam non vehementer optare: tamen pro temporali, et parva prosperitate sive in divitiis acquirendis, vel cumulandis, sive in honoribus et dignitatibus adipiscendis, vel conservandis, sive in delectationibus carnis ac sensuum undecumque captandis, nihil non faciunt, currunt, discurrunt, vigilant, laborant, sudant, ingenium acuunt, linguam expoliunt, animum intendunt: et pro vera, et solida, et sempiterna foelicitate, pro veris divitiis, pro summis honoribus, pro ineffabili jucunditate, quae parata sunt diligentibus Deum, ita pigri sunt, ut pro his vix digitum movere dignentur. Horror est omnino cogitare, hominem ratione, et intelligentia praedi. tum iis rebus consectandis toto vitae suae tempore occupari, quibus saepe aditum ad aeterna, et summa bona sibi ipse praecludit. Orandus est Deus, ut qui promittere dignatus est tam ingentia bona, idem spiritum bonum nobis infundat, et illuminatos oculos cordis habere nos faciat, ut sciamus *quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus, in sanctis*, ut Apostolus admonet Ephes. 1.

PSALMUS XCI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus cantici in die Sabbati.

Hic titulus habetur in omnibus hebraicis, graecis, et latinis: et continet argumentum psalmi; est enim compositus psalmus, ut cantetur in die sabbati, ad erudiendum populum, ut discat die sabbati vacare laudibus Dei, praesertim ob creationem, et gubernationem mundi. Errant Judaei, qui otium sabbati sibi datum esse existimant ad vacandum conviviis, et deambulationi. Et judaeos imitantur christiani, quando ignorantes sabbatum cordis, in sola abstinentia ab operibus, et labore manuum sanctificationem festorum constituunt; haec enim oportet facere, et alia graviora non omittere, hoc est, sanctificandi sunt dies festi abstinendo ab operibus servilibus, sed otium illud ponendum est in considerandis operibus Dei, ex qua consideratione accenditur amor divinus, et sit in corde quies, et tranquillitas ineffabilis, quae dicitur Sabbatum cordis, sabbatum vere delicatum, et sanctum.

EXPLICATIO PSALMI XCI.

1. *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime.*

Haec est exhortatio ad laudandum Deum et psalterio, et voce. *Bonum*, inquit, *est confiteri Domino*, idest, justum, utile, delectabile, et honorificum est confiteri Domino confessionem laudis: justum, quia debitum: utile, quia meritorium: delectabile, quia dulce est amanti laudare dilectum: honorificum, quia munus est quasi proprium coelestium potestatum. *Et psallere nomini tuo Altissime*, idest, non solum bonum est confiteri corde, et lingua, sed etiam instrumentis musicis, quale in primis psalterium est, laudes personare nomini tuo, idest, gloriae tuae o Altissime.

2. *Ad annunciandum mane misericordiam tuam; et veritatem tuam per noctem.*

Haec est materia confessionis, de qua dictum est, *Bonum est confiteri*. Bonum igitur est confiteri, *ad annunciandum mane misericordiam tuam*, idest, ut annuncietur, et praedicetur omnibus misericordia tua, qua mundum creasti et veritas, sive justitia qua mundum gubernas; et quoniam opus misericordiae manifestum est, annunciatur de die: quis enim ignorat coelum, et terram, et quicquid in eis est, a Deo fuisse condita ex misericordia, et bonitate, non ex necessitate, vel debito? Quia vero opus justitiae occultum est, cum arcano Dei judicio saepe justi afflicantur, et iniqui exaltentur, ideo hoc opus annunciantur *per noctem*, in obscuro fidei, non in luce cognitionis. I-

tem annunciatur mane misericordia, et per noctem justitia, ut homines in luce prosperitatis gratias agant misericordiae Dei, et in tenebris tribulationis gratias agant justitiae Dei: nam, ut s. Augustinus hoc loco docet, non minus pater amat filios, quando blanditur, quam quando minatur: nec minus grati esse debemus Deo disciplinam correptionis danti tempore tribulationis, quam beneficia conferenti tempore prosperitatis. Quare imitari debemus hunc eumdem Prophetam, quia alibi canit, *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo*: psalm. 33.

3. *In decachordo psalterio, cum cantico in cithara.*

Explicuit materiam confessionis, de qua dictum erat, *Bonum est confiteri Domino*, nunc explicat quod adjunxit, *et psallere nomini tuo*: dicit enim psallendum esse in psalterio, et cithara, sed non sine dulci cantico vocis humanae. In hebraeo videtur distingui decachordum a psalterio: sic enim vertit sanctus Hieronymus, *in decachordo, et in psalterio*: et vere habetur distinctio in codice hebraico: sed tamen constat psalterium fuisse instrumentum decem chordarum: sic enim legimus in psalm. 32. *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi*, et in psal. 143. *In psalterio decachordo psallam tibi*, et concordat textus hebraicus cum graeco, et latino, quare hoc loco ubi dicitur in hebraeo in decachordo, et in psalterio; vel abundant illae particulae, *et, in*, et eas Septuaginta in suis libris non invenerunt: vel certe significant non distinctionem, sed explicationem, ac si dictum esset, *In decachordo, in psalterio*, inquam, sed res non est magni momenti. Quid spiritualiter significet psalterium, et cithara, diximus in explicatione psalmi tricesimi secundi, v. 2.

4. *Quia delectasti me Domine in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.*

Incipit nunc praedicare opus creationis, quod ad misericordiam pertinet, contemplatus, inquit, pulchritudinem, varietatem, excellentiam, virtutes, utilitates facturae tuae, coeli, terrae, aquarum, syderum, animalium, plantarum; admirabilem animo voluptatem percepi: sed in his omnibus non ipsa factura tua me delectavit: quoniam non substiti in ea, sed *tu me delectasti in factura tua*, ex ea enim ascendit animus ad infinitam pulchritudinem tuam considerandam, et in amorem tantae pulchritudinis raptus coepi vehementius admirari, et delectari, ac propterea jugiter *exultabo*, et exultans *laudabo te in operibus tuis*. Nota diligenter, non dixisse Prophetam, delectavit me factura tua; sed *delectasti me in factura tua*; quando enim sistimus in delectatione creaturarum, fiunt creaturae muscipulae pedibus insipientium, quomodo facta est Bethsabeae pulchritudo muscipula pedibus ejusdem Prophetae, quando eam videns in ea delectari voluit. Nota praeterea pro voce, *exultabo*, in hebraeo esse, אֲרַנֵּן *arannen*, quod significat, *exclamabo*; quare exultabo, exponendum est, prae laetitia, et admiratione, exultans cantabo laudes tuas magna voce cordis, et corporis.

5. *Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundae factae sunt cogitationes tuae.*

Quia dixerat se valde delectatum esse in operibus Domini ne quis existimaret, eum plane comprehendisse, ac penitus inspexisse omnem excellentiam operum Domini, addit opera Domini majora, et sapientiam, per quam facta sunt, profundiorem esse, quam ut ad eorum perfectam cognitionem pervenire in hac vita possimus. *Quam magnificata*, inquit, *sunt opera tua Domine*, idest, admiror magnitudinem, et excellentiam operum tuorum: non comprehendo animo, vel cogitatione tantam magnitudinem: vere enim dixit Ecclesiasticus cap. 1. *Arenam maris, et pluviae guttar, et dies saeculi quis dinumeravit? Altitudinem coeli, et latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est?* Sed haec licet magna sint valde, tamen sine comparatione major est sapientia opifex, de qua subjungit Ecclesiasticus, *sapientiam Dei praecedentem omnia, quis investigavit*; et David hoc loco, *nimis profundae factae sunt cogitationes tuae*, idest, sapientissimae illae cogitationes, quibus adinvenisti res tam mirabiles, et tam perfectas, quibus nihil addi, vel detrahi potest, tam sunt occultae, ut omnem intelligentiam superent. Ac ut in rebus minimis et vulgaribus exemplum ponamus: quis capiat quomodo in exiguo semine lateat tanta proceritas arboris: varietas ramorum, viriditas frondium, decor florum, utilitas fructuum, et ipsum etiam semen ad speciem propagandam? quis comprehendat, qua arte Dominus in minimis animalculis inseruerit vitam, et sensum, et motum? et praeterea in formicis prudentiam, astutiam in aranеis, in culicibus, et pulicibus, tantam vim fodiendi istrumento tam fragili.

6. *Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget haec.*

Concludit hanc partem psalmi, quae ad creationem rerum pertinet, affirmans non esse hominum insipientium cognoscere, quam sint magna et inscrutabilia opera Domini. Stulti enim non cogitant in rebus creatis nisi vuluptatem, vel utilitatem, quam ex illis capiunt: quod illis commune est cum jumentis insipientibus, quae neque intelligentiam habent, neque ignorantiam suam norunt. Sapientes autem tametsi non essequuntur magnitudinem operum Dei, tamen intelligunt ea se assequi non posse, et ignorantiam suam intelligunt, et quo perfectius ignorantiam suam intelligunt, eo magis admirantur opera Dei, et ad veram sapientiam propinquant. *Vir*, inquit, *insipiens non cognoscet*, quam videlicet magnificata sint opera Domini, *et stultus non intelliget*, quam profundae factae sint

cogitationes ejus; haec enim docta ignorantia sapientium tantum est.

7. *Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum; et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.*

Transit nunc Propheta ad opus gubernationis, et providentiae divinae, in quo praecipue justitia sive veritas elucet. In hoc autem summa providentiae consistit, quod impii ad tempus florere permittuntur, ut aeterna ariditate damnentur: Justi contra ad tempus ariditate mulctantur, ut in aeternum floreant. *Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum*, idest, cum repente, et in magna copia germinaverint peccatores, ut solet foenum, quod statim, et multum crescit. *Et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem*, idest, cum non solum germinaverint, sed etiam floruerint, ut sonat vox Hebraica, ויצוצו *vajatzitju*, et valde conspicui apparuerint, in sublimitate videlicet posiii; et in divitiis abundantes.

8. *Ut intereant in saeculum saeculi, tu autem Altissimus in aeternum Domine.*

Pendet sententia versiculi superioris ab hoc versiculo, et subintelligitur aliquid, ut, *hoc fiet*, vel hoc divina providentia permittet *ut intereant in saeculum saeculi*, idest, ideo dabit iniquis Deus prosperitatem temporalem, ut remunerentur aliqua bona opera eorum, et propter scelera sua juste puniantur morte sempiterna. *Tu autem Altissimus* in aeternum Domine, idest, tu Domine valde dissimilis es iniquis, quoniam illi ad breve tempus emergunt ad aliquam altitudinem, tu autem in aeternum altissimus es.

9. *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.*

Probat iniquos ad tempus solum, idque breve prosperandos. *Ecce*, inquit, *inimici tui, ecce*, inquam, *inimici tui peribunt*: illud, *ecce*, significat repentinam mutationem, quasi dicat, Qui virebant, et florebant, subito peribunt. Illa vero repetitio, *ecce inimici tui, ecce inimici tui*, auget execrationem, quemadmodum e contrario illud psal. 115. *O Domine ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillae tuae*, auget pietatis affectum. Vere enim valde execrandus est, qui ut amicus sit hujus mundi, non timet inimicus Dei constitui: sic enim scribit sanctus Jacobus in 4. cap. epist. suae, *quicumque voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituitur*. Quanta autem perversitas est propter amicitiam rei creatae contemnere amicitiam creatoris; *et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem*. Haec posterior pars versiculi est repetitio, et declaratio prioris. Quos enim vocavit inimicos Dei, nunc vocat operantes iniquitatem: et quos dixit perituros, nunc dicit dispergendos: nam hoc ipso fiunt homines inimici Dei, quod contrarii esse incipiunt voluntati ejus, quae nobis per legem divinam declarata est. Illi autem contrarii sunt legi Dei, qui operantur iniquitatem. Lex enim Dei rectissima est, et rectitudinis regula: iniquitas autem curvitas est, et recessus a regula. Porro dispergendi dicuntur impii ad similitudinem aridi foeni, cui paulo ante comparati sunt. Sicut enim foenum aridum a vento ita raptatur et dispergitur, ut non amplius compareat; sic impii ubi modicum creverint, et floruerint. Volente Deo excidúntur, et de terra tolluntur, ut etiam memoria eorum pereat.

10. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in misericordia uberi.*

Opponit nunc justos impiis, atque ostendit eos tandem a divina providentia, et justa vere exaltandos; loquitur autem in persona sua, bene sperans de se, quod videlicet sit ipse unus de numero justorum. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum*, idest, cornu meum, potentia videlicet, et gloria ac foelicitas mea crescet in altum, non sicut fragile foenum, sed ut cornu unicornis: unicornis enim animal est gerens in fronte cornu unicum sed excelsum, et robustum valde. Et senectus mea in misericordia uberi, idest, non solum potentia mea, et gloria, ac foelicitas magna erit, sed etiam diuturna, et costans usque ad ultimam senectutem: nam et senectus mea erit in abundanti misericordia apud Deum. S. Augustinus mystice per senectam intelligit vitam futuri saeculi, quae erit post hanc vitam temporalem, sicut senectus est post juventutem. Vere enim vita futura sanctorum erit in misericordia uberi tollente omnem ab eis miseriam: et erit similis senecluti ob maturitatem judicii, et vacuitatem passionum, et habebit caput ab omni parte canditum, ubi ne unus quidem capillus niger, idest, nulla cogitatio, nulla cupiditas, nulla voluntas terra inveniri poterit. In hebraeo pro misericordia, habetur, שמן *scemen*, oleo; et senectus mea in oleo uberi. In graeco quoque legitur, εν ελαιω, id est, *in oleo*. Sed noster Interpres videtur legisse, εν ελεω, *in misericordia*. Dicitur autem senectus, *in oleo uberi*; quando abundat humore, qui facit eam esse diturnam: quia vero per oleum misericordia intelligitur, recte interpres vertit, *in misericordia uberi*, etiam si forte legerit, *in oleo*.

11. *Et despexit oculus meus inimicos meos, et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.*

Adjungit justus ad foelicitatem suam, quod non timebit amplius inimicos suos. *Et despexit oculus meus inimicos meos*, idest, vidi, et contempsi praesentes inimicos, quoniam divina providentia fecit, ut mihi nocere non possent. *Et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*, idest, et quantum ad inimicos absentes, qui maligni cum sunt, in me insurgere cogitant, *audiet auris mea*, nuncium interitus eorum. In hebraeo pro *despexit*, est ותבט *vathabet*, *respexit*, sed idem est sensus; significatur enim eo verbo, quod

justus aspexit libere, et sine timore inimicos suos. Qui enim timet vim inimicorum, non audent eos aspicere, sed oculos dimittunt et fugiunt; qui vero eos contemnit, libere illos intuetur: et eodem modo posset exponi quod sequitur, videlicet quod justus sine timore audiet aggressionem malignantium in se futuram, quoniam non dubitat de victoria.

12. *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.*

Quod de se Propheta dixerat, transfert nunc ad alios justos, quos eleganti similitudine comparat palmae et cedro, ut opponat iniquis, quos comparaverat foeno. Nam foenum mane floret, vespere arescit, et nullo negotio secatur a messoribus, vel a vento dispergitur; et ad nihil utile est, nisi ad ignem. Palma vero stabilis est, et longo tempore flores, et fructus conservat: sicut etiam cedrus Libani celsissima, et robustissima est, et ex ea ornantur palatia, et laqueria regum: sic impii brevissimo tempore virent, et florent, et paulo post in clibanum gehennae mittuntur. Justi vero instar palmae in aeternum virebunt, et efflorescent, et fructus dulcissimos adferent: nec facile succumbent oneribus, sed virtute omnia superabunt: nec non ut *cedri Libani multiplicabuntur*, idest, augebuntur, et crescent in maximam altitudinem: multiplicatis ramis bonorum operum, et firmissimis radicibus perseverantiae innixi nullo tentationum vento dejicientur: et tandem utiles erunt instar ligni cedrini ad ornanda laquearia regis regum in coelesti Jerusalem.

13. *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.*

Reddit rationem, cur justi instar palmarum, et cedrorum sint futuri: quoniam non in campis sylvae, aut in desertis montibus, sed in domo Domini plantati erunt, et in atriis Dei nostri florebunt, idest, in ecclesia Dei per rectam fidem plantati, et aquis sacramentorum, et verbi Dei rigati, in charitate fundati, et radicati flores honestatis, et fructus bonorum operum parient. Siquidem extra ecclesiam, et sine fundamento fidei omnis plantatio eradicabitur, quippe quam non plantavit pater coelestis.

14. *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt ut annuncient.*

Quod de se paulo ante dixerat Propheta, quod habiturus esset senectam *in misericordia uberi*, idem nunc dicit de aliis justis, quod non solum sint prosperandi in juventute, et aetate matura, sed etiam senectutem bonam, et diuturnam habituri sint. *Adhuc*, inquit, *multiplicabuntur in senectute uberi*, idest, praeterea justi multiplicabuntur in diebus vitae idest, multiplicabuntur dies vitae suae, usque ad senectutem pinguem humore vitali, idest, viridem senectam; *et bene patientes erunt*, idest, in ipsa quoque senectute facile patientes erunt laborum, ob firmam corporis constitutionem. Illud, *uberi*, sanctus Hieronymus cum hebraeis jungit cum sequentibus sic legens, *fructificabunt in senectute*; *pingues, et frondentes erunt*. Sed vox, דשנים *de cenim*, quae significat pingues, potest etiam recte conjungi cum superioribus, ut Septuaginta voluerunt, ut haec sit translatio ad verbum, *multiplicabuntur pingues in senecta*, idest, conservantes pinguedinem vitalis humoris in ipsa senectute, quod est idem cum nostra lectione, *multiplicabuntur in senecta uberi*. Illud autem *bene patientes*, S. Hieronymus vertit, *frondentes*: et vere vox hebraica, רעננים *rahanim*, significat proprie virentes et florentes, ac per hoc etiam frondentes: sed septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram et verterunt, ευπαθουντες, quod significat *homines bene affectos*: Interpres vero latinus vertit, *bene patientes*, quia magis respexit ad significationem vocis, quam ad proprietatem sermonis: sed sensus semper est idem. Illud, *ut annuncient*, pertinet ad versiculum sequentem.

15. *Quoniam rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo.*

Haec omnia inquit, evenient justis, ut annuncient, et notum faciant omnibus, aut verbo, aut exemplo suo, quod *Dominus Deus noster*, justus et *rectus*, est, *et nulla est in eo iniquitas*, quoniam etiamsi ad tempus impios prosperari sinit: tamen suo tempore justitiae suae judicia exercet remunerando justos, et puniendo iniquos.

PSALMUS CXII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Laus cantici ipsi David in die ante Sabbatum quando fundata est terra.

Titulus hujus psalmi non habetur in hebraicis codicibus, sed solum in graecis et latinis, iisque non omnibus. Videtur autem qui titulum addidit, voluisse psalmum decantari feria sexta, quae est dies ante Sabbatum, propterea quod in hoc psalmo narretur, terram a Deo fuisse firmatam, vel ut alii codices habent, inhabitatam: quod recte dicitur factum esse feria sexta. Illo enim die formatus est homo Dominus terrae, ac per hoc tum primum stabilita est terra, quae propter hominem creata fuerat. Eodem die non solum homo, sed etiam animantia caetera quae terram incolunt creata sunt, proinde illo die primum inhabitari coepta est terra. Eodem die per Christi passionem et mortem renovata, ac reparata est terra, et stabilita in regnum Christi devicto ac triumphato mundi principe, juxta illud, *nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, Joan. 12. Porro ecclesia christiana psalmum hunc canere solet in aurora diei Dominicae, ad laudes, quoniam Christus etsi regnum acquisierit per passionem; et fundamenta novae terrae jecerit feria sexta, tamen possessionem regni accepit quando resurrexit, et tunc *induit decorem, et fortitudinem*, quod in aurora Dominicae diei factum esse credimus.

EXPLICATIO PSALMI XCII.

1. *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et praecinxit se.*

Hoc principium psalmi recte potest tum ad creationem, tum ad redemptionem accomodari; neque novum est ut sententiae Scripturae divinae plures habeant sensus litterales. *Dominus regnavit*, idem est, ac si dictum fuisset, Dominus Regnum acquisivit, sive regnare coepit. *Decorem indutus est*, gloriam videlicet, et majestatem regiam. *Indutus est Dominus fortitudinem*, idest, non solum gloriam, sed et potentiam, ac robur accepit, quod regiae majestati necessarium est. *Et praecinxit se*, idest, accinxit se ad regnandum, et gubernandum. Quod si haec ad creationem referantur, dicetur Deus regnare coepisse, quando mundum creavit, quoniam tunc primum coepit habere subditos: si referantur ad reparationem, Christus in resurrectione regnum accepit, et tunc indutus est decorem gloriosi corporis, et fortitudinem quoque indutus est, quia data est illi omnis potestas in coelo, et in terra, et deinceps nulli creaturae subiectus sit, sed omnia habeat sub pedibus suis. Denique praecinxit se ad propagandum regnum suum per apostolorum praedicationem usque ad fines terrae.

2. *Etenim firmavit orbem terrae, qui non commovebitur.*

Regnare coepit Deus ab initio mundi, quia tunc constituit ab imis fundamentis orbem terrae, *Et firmavit ac stabilivit, ut commoveri non possit*, ac per hoc praebuit hominibus, qui Deum Regem agnoscere, eique servire debent, stabilem mansionem. Christus quoque per passionem et resurrectionem suam orbem terrae, qui variis motibus a daemonibus agitabantur, dum alii aliis Diis serviebant, firmavit, ac stabilivit in una, ac verissima religione, et fide.

3. *Parata sedes tua ex tunc: a saeculo tu es.*

Quamvis, inquit, *sedes regni tui parata sit ex tunc*, idest, ex rerum creatione, vel ex resurrectione: tu tamen non tunc esse coepisti, sed *a saeculo*, ab aeternitate sine principio *es*. Ubi illud, *es*, non significat simplicem existentiam naturae divinae, sed plenitudinem essendi, in qua omnia continentur: non enim Deus antequam mundum conderet, pauper erat, aut aliqua re indigebat: neque posteaquam mundum condidit, ditior aut locupletior factus est. Mundum enim Deus creavit, non ut ipse cresceret, sed ut nobiscum bona sua communicaret. Itaque non coactus aliqua necessitate, sed charitate, et misericordia motus, mundum crea-

vit, et eadem charitate, et misericordia mundum reparavit. *Sic* enim *Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Joan. 3.

4. *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam.*
5. *Elevaverunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum.*
6. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*

Haec omnia, si ad creationem referantur, ut referri debent juxta priorem sensum; significant modum, quo Deus terram habitabilem fecit, ut esset firma sedes generis humani. Initio enim creationis, aquae terram universam operiebant, et magno motu inundationes aquarum elevabantur, sed Deus altior, et excelsior, et in infinitum potentior increpuit, et compescuit aquas, easque in cavernas terrae conclusit, eisque praecepit, ut non reverterentur operire terram. Hoc dicitur clarius in psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi: Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquae,* idest, ita initio terra formata est, ut abyssus aquarum illam undique tegeret, ita ut super ipsos montes starent aquae. *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt,* idest, sed tu Deus omnipotens increpasti aquas, et quasi tonitru imperii tunc illas ita turbasti, ut fugerent, et absconderent se intra profunda loca terrae. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.* Eadem descriptio habetur, in lib. Job cap. 38. sed hic brevissime Propheta haec omnia illis verbis complexus est. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus,* idest, omnes aquae maris, atque omnis abyssus aquarum magno fremitu elevabantur super terram, sed mirabilis Deus in excelsis habitans, omni altitudine superior aquas compescuit, terram habitabilem reddidit. Sed quoad sensum posteriorem, describitur hoc loco magnitudo persecutionum Judaeorum, et paganorum adversus Christi regnum in resurrectione inchoatum, et victoria Christi de omnibus hostibus suis. *Elevaverunt,* inquit, *flumina voces suas, et fluctus suos.* Per flumina intelligo persecutiones Judaeorum, qui continuo coeperunt elevare voces suas adversus Evangelium, illique ubique contradicere. *Mirabiles elationes maris*: per mare, quod fluminibus multo est majus, intelligo persecutiones Neronis, Domitiani, aliorumque principum romanorum. *Mirabilis in altis Dominus,* idest, sed Dominus in altis habitans mirabilior apparuit; cum de omnibus persecutoribus victoriam reportaverit, et invitis omnibus, regnum suum per omnes terras propagaverit. S. August. per flumina intelligit Apostolos, qui pleni Spiritu sancto tamquam coelestia flumina per mundum discurrebant, et voces praedicando liberrime elevabant. Per *maris elevationes*, intelligit infidelium persecutiones; quemadmodum enim cum flumina intrant in mare, aquae illae salsae ad introitum aquarum dulcium intumescunt, et fremunt, sic infideles ad praedicationem Apostolorum tamquam contrariam doctrinae, et moribus ipsorum fremere, et tumultuari coeperunt. Utraque expositio optima est.

7. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.*

Quantum attinet ad sensum priorem, respondet Propheta tacitae obiectioni, quae occurrere poterat: unde videlicet sciamus ea, quae dicta sunt de fundatione terrae, de abysso aquarum, et reductione aquae in loca humiliora, quibus rebus nullus testis adfuit, cum praecesserint hominum omnium creationem. Respondet igitur Propheta, id haberi ex testimonio Dei, qui haec revelavit servo suo Moysi: et testimonium illud valde credibile esse, cum Moses multis signis, et prodigiis, aliisque modis servum Dei fidelem, et prophetam verum se esse probaverit. Idem dici potest de sensu posteriore; testimonia enim Christi per Apostolos ad nos delata credibilia facta sunt nimis, tum ob signa, et prodigia Christi, et Apostolorum; tum quia videmus impleta, quae praedicta sunt; tum ob infinita alia, quae fidem cristianam omnino credibilem faciunt, ut nemo possit, posteaquam praedicatores audierit, sine magna temeritate non credere: ex quibus concludit Propheta, *domum* Dei, idest, ecclesiam Dei, in qua talia testimonia continentur, et praedicantur, debere sanctam, et inviolabilem conservari usque ad mundi consummationem. *Domum tuam,* inquit, *decet sanctitudo,* idest, decet ut eam omnes ut sanctam venerentur; item decet, ut qui in illa sunt, sancti sint, et moribus sanctis respondeant sanctitati doctrinae testimoniorum tuorum. Denique decet ut a te Domine inviolata, et sancta conservetur in longitudinem dierum, *ut portae inferi numquam praevaleant adversus eam,* Matth. 16.

PSALMUS XCIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus ipsi David, quarta Sabbati.

In hebraeo nullus est titulus. Legunt tamen hunc titulum tamquam olim, vel a septuaginta, vel ab aliis adiectum s. Hieron. s. August. Theodoretus, Euthymius, et alii omnes: habetur enim in graecis et latinis codicibus. Illud, *quarta Sabbati*, significat cantari solitum ab hebraeis quarta die post sabbatum, idest, in medio hebdomadae. Reprehendit occasione hujus nominis s. Augustin. homines Christianos, qui ex antiqua paganorum consuetudine diem quartam vocant diem Mercurii, ut etiam diem martis: diem quintam, diem Jovis: diem sextam, diem Veneris: et diem sabbati, diem Saturni: cum deberent Christiano more dicere secundam feriam, tertiam feriam etc. quamvis enim illa sunt nomina stellarum, tamen apud paganos stellae illae a certis hominibus nomina acceperunt, quos homines benevolentia populorum Deos fecit, et in coelum transtulit. Argumentum hujus psalmi est providentia Dei punientis tandem malos et remunerantis bonos, quamvis aliquandiu justo judicio sinat prosperari malos, et opprimi bonos.

EXPLICATIO PSALMI XCIII.

1. *Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.*

Ponit initio David propositionem unam, ex qua possent omnes, si vellent, plane cognoscere nullos malos impunitos fore. Propositio haec est, Dominus Deus judex summus, justissimus, et potentissimus est, ut ei nemo resistere possit. Nam vindicta ad judicem pertinet, et ideo privatis hominibus prohibetur. Rom. 12. *Non vos defendentes*, idest, vindicantes, *charissimi, sed date locum irae : scriptum est enim,mihi vindicta, et ego retribuam.* Et quamvis ad omnes judices pertineat vindicta scelerum; tamen absolute dicitur vindicta Dei esse, quia ipse supremus judex est, et vindictam sumet de omnibus sceleribus, non solum populorum, sed etiam judicum, principum, et regum omnium. Ait igitur, *Deus ultionum Dominus*, idest, Dominus noster, qui proprie solus Dominus est, cui omnia serviunt in coelo, et in terra: hic inquam, Dominus, est *Deus ultionum*, idest, summus judex, ad quem ultio scelerum omnium pertinet. *Deus ultionum libere egit*, quandocumque punire voluit peccatores; quia neminem timet, nullius personam accipit, nemo illum impedire, nemo ei resistere potest. Id patuit in dejectione diaboli, et angelorum ejus de coelo; in diluvio, quo genus humanum extinxit, exceptis paucis, quos ipse salvos esse voluit; in incendio Sodomae et Gomorrae, in demersione Pharaonis in mari rubro, et in aliis judiciis ejus permultis. Quod attinet ad verba, vox *Deus*, in hebraeo est, *El*, quod significat Deum, ut *fortem* et *robustum*, et recte coniungitur cum ultione, ut significetur Deum esse fortissimum ultorem scelerum. Vox *ultionum*, vel ponitur loco superlativi, quo modo *Deus scientiarum*, idest, scientissimus,*Deus misericordiarum*,idest, misericordissimus: vel significat Deum esse auctorem ultionum, quo modo ab Apostolo dicitur *Deus pacis*, *Deus spei*, *Deus salutis* rom. 15. et 16. Vere enim Deus, ultionum Deus est, quia non solum ipse per creaturas suas innumerabilibus, et occultissimis modis ultionum causa est: nam et peccatum saepe ex divino judicio est poena peccati, et ea quae maxime homines aliquando appetunt et quaerunt, Deus facit ut poenalia ipsis reddantur. Illud, *libere egit*, in hebraeo est, הופיע *hophiah*, quod s. Hieronymus vertit in imperativo, *ostendere*, sed potest etiam verti, *ostensus est*, sive apparuit,splenduit, illuxit: quod est idem cum illo, libere egit: nam qui timet, tenebras quaerit: sed qui nihil timet, et libere ultionem facit, palam et aperte illam facit. Itaque sensus est. Deus ultionis auctor apparuit, sive ultionis scelerum liberrime, et in luce coram omnibus fecit. Potest etiam fieri, ut septuaginta non tegerint, הופיע *hophiah*, sed, הופיח *hophiach*, ultima litera mutata. Hanc enim vocem habemus in psalm. 11. vers. 6. sed in futuro ; et septuaginta verterunt, παρρησιασωμαι, *fiducialiter agam*, et poterat etiam latine reddi, libere agam. Nam hoc loco habemus in graeco idem verbum, sed in praeterito, επαρρησιασατο, et noster interpres vertit, *libere egit*.

2. *Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis.*

Quia dixit Dominum esse ultorem scelerum: pregatur nunc consequenter, ut officio suo fungatur, et puniendo impios claudat ora eorum, qui providentiam ejus in dubium revocant. *Exaltare*, inquit, *qui judicas terram*, idest, ascende solium tuum, qui judex es universae terrae; *et redde retributionem superbis*, idest, profer sententiam damnationis in homines superbos, et hoc modo vindictam sume de praecipuo scelere generis humani. Superbia enim est regina vitiorum, et ea debellata, universitas vitiorum debellata erit. Nominat quoque psalmus superbos, quoniam illi soli tandem puniuntur in Judicio, qui noluerunt humiliari ad poenitentiam: *omnes enim peccaverunt et legent gloria Dei*, ut b. Paulus ait rom. 3. sed qui humiliantur sub potenti manu Dei, et cor contritum et humiliantum gerunt, salvantur: qui cervicem erigunt, et peccata sua defendent, retributionem vindictae accipient.

3. *Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?*
4. *Effabuntur, et loquentur iniquitatem, loquentur omnes, qui operantur injustitiam?*

Reddit causam, cur petat judicium in impios et superbos: et causa est, quia nimium diu jam videtur superbia, et impietas eorum durasse. Sed precatio ista Prophetae, praedictio est per modum precationis: ad consolationem enim justorum afflictorum praedicit sanctus Propheta brevi futurum, ut superbi atque impii dispereant, quamvis in praesenti tempore diuturna videatur eorum potentia. *Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur*, de viribus suis, de prosperitate sua, de sceleribus suis? *Effabuntur, et loquentur iniquitatem*, idest, jactabunt, et praedicabunt injusta opera sua. *Loquentur omnes, qui operantur injustitiam*, idest, libere, et sine timore ullo loquentur de rebus suis gestis, vel gerendis homines impii, *qui operantur injustitiam*. Illud, *effabuntur*, in hebraeo, יבּיעוּ *jabbhu*, habet majorem vim; significat enim *fudent sermonem*, sive *diffluent eloquio*, quasi dicat, ex abundantia cordis fluet in eis abundantia verborum: itaque recte sanctus Hieronymus vertit, *garrient*. Pro voce, *iniquitatem*, cum dicitur *loquentur iniquitatem*, in hebraeo est, עתק *hatak*; quod vetus, et durum significat. Sed Septuaginta non solum hoc loco, sed etiam in psalmo 74. vers. 6. verterunt hanc vocem *iniquitatem*, *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem*. Quare vel haec vox, iniquitatem etiam significat, vel septuaginta explicare voluerunt vocem hebraicam: vere enim nihil est durius iniquitate, quae facit cor lapideum ex carneo; nec male dicitur iniquitas antiqua, quia hominem ex novo veterem fecit, mortique addixit, quia quod antiquatur, et senescit, prope interitum est, ad hebr. 8.

5. *Populum tuum Domine humiliaverunt, et haereditatem tuam vexaverunt.*
6. *Viduam, et advenam interfecerunt et pupillos occiderunt.*

Explicat injustitiam, quam operantur impii, dum furere permittuntur. *Populum*, inquit, *tuum humiliaverunt*, idest, coetum piorum, qui proprie populus tuus est, a te electus, et segregatus, et tibi uni dedicatus, *humiliaverunt*, affligentes, et persequentes. *Et haereditatem tuam vexaverunt*, idest, eumdem coetum piorum, quem tuam possessionem, et haereditatem esse voluisti, vexaverunt injuste opprimentes. Nec solum populum in commune vexaverunt, sed in personas miserabiles, et omni auxilio destitutas, furorem suum praecipue effuderunt: occiderunt enim *viduas* maritorum solatio destitutas: *et advenas*, qui procul a patria inter ignotos versantur: *et pupillos*, qui parentibus, dum adhuc auxilio eorum indigerent, orbati sunt. In graecis libris legitur, *Viduam, et pupillum occiderunt, et advenam interfecerunt*: sed nostra lectio conformis est hebraico textui; et sensus est idem.

7. *Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.*

Reddit rationem, cur iniqui tam audacter peccent; quia videlicet ita stulti sunt, ut existiment Deum non habere providentiam rerum humanarum, et nullum esse judicem, cui rationem operum suorum reddere teneantur. *Et dixerunt*, idest, quia dixerunt apud se, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, idest, neque sensu videndi, aut audiendi, cognoscet opera nostra; neque mentis intelligentia illa considerabit vel examinabit. Et quidem possent haec intelligi hoc sensu ut iniqui existiment Deum quidem posse, si velit, videre et intelligere opera nostra; sed ea non curare, neque ad ea attendere: tamen verba sequentia cogunt ut dicamus, iniquos in tantam caecitatem animi aliquando devenire, ut confidentissime peccent, ac si existimarent, Deum neque videre, neque audire, neque intelligere. Sequitur enim.

8. *Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite.*
9. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?*
10. *Qui corripit gentes, non arguet; qui docet hominem scientiam?*

Illud, *qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* est refutatio ejus, quod supra dictum est, *Non videbit Dominus*, ubi videre, positum est pro cognoscere sensu exteriore, per aures videlicet, aut per oculos. Probat autem Propheta, Deum audire, et videre; quia ipse dedit hominibus aures, quibus audiunt, et oculos, quibus vident; proinde multo magis ipse audit, et videt: nemo enim dare potest quod non habet. Quod autem sequitur, *Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam?* est

refutatio ejus, quod impii dixerant, *Nec intelliget Deus Jacob.* Probat autem Propheta Deum intelligere, ac per hoc mente, et intelligentia praeditum esse, quia ipse auctor est hominibus, ut intelligant: ipse enim eos erudit, ipse docet, dum in creatione dat eis mentem rationis capacem, et intelligentiae lumen infundit. Quod attinet ad verba, illud, *insipientes in populo*, significat iniquos esse homines insipientiores toto reliquo populo: quod verissimum est, cum falsa bona veris anteponant, et temporaria sempiternis. Illud autem, *qui plantavit aurem*, est insignis metaphora significans sensum audiendi, ut etiam alios sensus non nasci ex corpore terreno, sed plantari a Deo: quemadmodum arbores non oriuntur a terra, vi ipsius terrae quae inanima est, sed plantantur ab hominibus in terra, et in ipsa terra crescunt. Itaque aures accipiuntur hoc loco non pro solo organo, sed pro organo, et sensu audiendi, qui in eo insertus est. Quod sequitur, *non audiet*, non significat Deum habere sensum audiendi corporalem, sed Deum cognoscere per suam essentiam, quae nos per sensum audiendi cognoscimus: ideo enim non dixit, *Qui plantavit aurem, non habet aures*; sed, *Qui plantavit aurem, non audiet?* illud, *qui finxit oculum*, est alia metaphora, per quam intelligimus mirabilem structuram oculi, et mirabiliorum vim, quae in ipso viget ad res videndas, a Deo factam esse ea facilitate qua figulus vas quodcumque fingere solet. Illud, *non considerat*, poterat etiam verti, non videt: hoc enim significat vox hebraica, יביט *jabbit*, sed Septuagiuta Interpretes maluerunt vertere, non considerat, ut intelligeremus, Deum non videre oculis carneis; sed mente considerare. Illud, *qui corripit gentes*, potuisset etiam verti, qui erudit: nam hanc significationem optime patitur verbum hebraicum, היסר *hajoser*, et graecum απαιδευων. Recte tamen noster interpres vertit, *qui corripit gentes*, quia sequitur, *non arguet?* et sensus est, Qui corripit omnes gentes dum per synderesim in eorum animis insertam eos admonet, ut a malo desistant; saepe etiam manifesta ultione peccata eorum punit: non arguet etiam populum suum, castigans eum per verba Prophetarum, vel etiam per flagella tribulationum, et si Deus corripit, et arguit, certe intelligit, et cognoscit, quae ab hominibus aguntur, et falso dicunt impii, *Non intelliget Deus Jacob.*

11. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.*

Posteaquam refutavit Propheta verba illa iniquorum, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, addit hanc calumniam impiorum Deo non esse novam, *ipse enim scit cogitationes hominum, quod vanae sint.* Homo enim post corruptam naturam peccato primi hominis, vanus factus est, et similis jumentis insipientibus, quae non cogitant nisi praesentia. Quare admonemur hoc versiculo, non de nobis praesumere, sed humili prece a Deo sapientiam petere. *Vani enim sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Sap. 13. et ideo monet sanctus Jacobus cap. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat*, idest, numquam exprobrat importunitatem, quasi nimium saepe, et nimis multa petamus. Dives enim est in misericordia, et usque adeo liberalis, et magnificus, ut non solum libenter tribuat, quae postulamus, sed etiam mercedem reddat, quia postulamus, *Ora patrem tuum in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Matthaei 6.

12. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum.*

Hoc sequitur ex versiculo superiore: nam si cogitationes hominum vanae sunt, quas nimirum ex se habent: certe sequitur, ut ille solus beatus sit, idest, non vanus seu inani vento distentus, sed plenus veris, et solidis bonis, quem Deus erudire dignatur, idest, cui Deus oculos aperit ad ea, quae vere bona sunt, aspicienda, atque ut ad ea perveniat, *de lege sua docet eum*, idest, intime illi persuadet, obedientiam legis divinae toto affectu mentis amplexandam esse: non enim didicit proprie legem Dei, qui solum novit quae sint, et quot legis divinae praecepta, sed qui per divinam illustrationem, et charitatis infusionem ita affectus est erga legem Dei, ut libentissime illam impleat amore justitiae, non timore poenae, et sit illi eadem ipsa lex jugum suave, et onus leve. Illud, *De lege tua*, in graeco est, *ex lege tua*: ex hebraeo posset verti, *A lege tua*, sive, *ex lege tua*, sive, *de lege tua.* Sensus igitur est, beatus est, quem tu Deus docueris ex lege tua, quasi dicat, ex libro tuo, et non solum Deus sit doctor, sed ex libro suo doceat, librum legis suae ipse explanet, et illam ipsam legem observandam esse ei, qui vere beatus esse velit, intus per gratiam loquendo persuadeat.

13. *Ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.*

Subjungit Propheta unum ex fructibus doctrinae divinae, qui est, ut homo doctus a Deo moderatius ferat persecutiones impiorum, donec adveniat impiorum ruina. *Ut mitiges ei a diebus malis*, idest, ad hoc utilis erit doctrina tua divina homini justo, ut mitiges ei tristitiam, quae oritur a diebus malis a tempore videlicet persecutionis, et tribulationis: et quamdiu mitigatione ista opus erit? *donec fodiatur peccatori fovea*, idest, donec perficiatur effossio foveae, in quam dejiciendi sunt impii: tunc enim cessabit mitigatio doloris, quia nulli erunt, qui dolore afficiant justos, cum omnis dolor fugiet a justis, et recidet in injustos. Notandum est hoc loco, delectationem legis, et gaudium spirituale, quo fruuntur in hac vita justi, non esse purum et simplex, ut erit in patria coelesti, sed admixtum tristitiae: mitigatur enim hic nobis tristitia, sed non tollitur omnino. Audi Apostolum, 2. Corinth. 1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra*, et cap. 6. *Quasi tristes, semper autem gaudentes*, ubi non dicit, tristes absolute, sed quasi tristes, quia gaudium superabundat, ut dicitur cap. 7. *Repletus*

sum consolatione, superabundo gaudia in omni tribulatione nostra. Notandum praeterea, eodem tempore texi coronam justis, et fodi foveam impiis: et non esse mirandum, si non statim impii puniantur, quoniam nondum est fovea eorum plane effossa: quemadmodum nec mirandum est, si non statim justi coronentur, quia nondum finita est coronae ipsorum textura. Sed hoc vere mirandum est, quod foelicitas et exaltatio impiorum sit effossio foveae ipsorum, et quo altius evehuntur, eo profundius fovea fodiatur. Impii enim quo magis exaltantur, eo magis superbiunt, et hoc ipso coram Deo profundius cadunt, juxta illud, *Dejecisti eos, dum allevarentur*, psal. 72.

14. *Quia non repellet Dominus plebem suam; et haereditatem suam non derelinquet.*

Reddit rationem, cur dixerit, *Donec fodiatur peccatori fovea.* Praeparatur enim interitus peccatoribus a providentia divina, *quoniam Dominus non repellet plebem suam*, quamvis ei videatur ad tempus iratus, et affligi eam sinat. Atque idem aliis verbis repetit, dicens, *et haereditatem suam non derelinquet.* Vocatur autem plebs, et haereditas Dei coetus piorum electorum. Illi enim vere sunt populus Israel electus in haereditatem.

15. *Quoadusque justitia convertatur in judicium, et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.*

Declarat Propheta, coetum justorum non repellendum, nec derelinquendum a Deo usque ad diem ultimi judicii, idest, quamdiu versamur in periculis tentationum. *Quoadusque*, inquit, *justitia convertatur in judicium*, idest, usque ad illum diem, in quo justitia divina, quae nunc videtur esse quasi in habitu, vel in potentia, dum non punit impios, nec remuneratur pios, prodibit in actum judici; et quae erat justitia quasi habitualis, fiet justitia actualis, reddens omnibus pro meritis sive coronam justitiae, sive stipendium mortis aeternae. *Et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde*, idest, et tunc juxta divinam justitiam, quae in nubibus admirabilis apparebit, qui proximi sedebunt, erunt omnes ejus amatores, qui eam non timebunt, sed diligent, cum sint recti corde, idest, conformes rectitudini ejus, ac per hoc justi. S. Hieronym. ex hebraeo vertit, *Quoniam ad justitiam revertetur judicium*, idest, judicium, quod nunc saepe injustum esse perspicitur, tunc revertetur ad justitiam, idest, justissimum erit, quia tunc non judicabunt amplius homines mortales, sed judicabit Christus judex supremus, et justissimus, qui omnia judicia injusta retractabit, et irritabit, et ultimum judicium cum exactissima justitia copulabit. Hic sensus verus est, neque a superiore dissentiens: et verba hebraica utrumque sensum ferre possunt. Illud enim, עַד כִּי *chi had*, significare potest, *quousque*, quemadmodum si dictiones invertantur, et legamus, עַד כִּי *had chi* significabit, *usquequo*. Sequentia verba aeque bene legi possunt cum Septuaginta, *justitia convertatur in judicium*, et cum s. Hieronymo, *ad justitiam revertatur judicium*: Nam in hebraeo non habentur particulae illae, *in*, vel *ad*, et nomina non recipiunt varietatem casuum. Denique illud, *Et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde*: clarius est in hebraeo, et graeco: nam in hebraeo ad verbum sic legitur, *Et post illud*, judicium videlicet, *omnes recti corde.* In graeco vero sic, *Et qui habent eam*, justitiam videlicet, *omnes recto sunt corde.* Sed in latina editione, si subintelligatur interrogatio, *Et qui juxta illam? omnes qui recto sunt corde*: vel si addatur verbum, quod saepe apud hebraeos omittitur, et legamus: *Et qui juxta illam sedens, sunt illi omnes qui recto sunt corde*: vel denique si detrahatur pronomen relativum, quod in hebraeo non habetur, et legatur, *Et juxta illam, omnes qui recto sunt corde*, sententia perspicua erit.

16. *Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?*

Dixerat in ultimo judicio cessaturam omnem injustitiam, et contra perpetuo regnaturam esse justitiam; nunc dicit, interea temporis, dum videlicet differtur conversio justitiae in judicium, valde necessarium esse divinum adiutorium adversus injustorum persecutiones. *Quis*, inquit, *consurget mihi*, idest, pro me, *adversus malignantes?* Quis me a tanto numero malignorum hominum, ac doemonum proteget? *aut quis stabit mecum*, ut me videlicet defendat, *adversus operantes iniquitatem?* Ubi posterior pars versiculi, prioris repetitio, et explicatio est. Illud, *mihi*, sanctus Hieronymus recte interpretatur, *pro me.*

17. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.*

Declarat hic magnitudinem periculi, in quo versamur ob multitudinem malignantium, qui undique nobis occurrunt. Induit autem Propheta personam omnium piorum et ait, *Nisi quia Dominus adjuvit me*, idest, nisi Dominus adjuvisset me, *paulo minus habitasset in inferno anima mea*, id est, parum abfuissem a morte sempiterna: quia videlicet tentationibus succubuissem, et de ipsa divina providentia dubitassem. Phrasis illa, *Nisi quia Dominus adjuvit me*, hebraica est, et Davidi familiaris, ut perspicuum est ex psalmo 123. et supplenda est hoc modo: *Nisi id accidisset quod Dominus adjuvit me*, etc. et planius, Nisi Dominus adjuvisset me. Illud autem, *paulo minus habitasset in inferno anima mea*, potest intelligi de morte corporali, per quam eo tempore omnes animae descendebant ad aliquam mansionem subterraneam: sed verius existimo, ut intelligatur de morte animae, et de inferno damnatorum. At inquies, ex hac sententia videtur sequi, ut auxilium Dei non sit necessarium ad superandas tentationes, sed solum ad facilius superandas: quod est dogma Pelagianum ex s. Augustino lib. de gratia Christi cap. 27. Si enim Dominus non juvisset, vix mortem animae evasissem: certe sequi videtur, ut nisi Dominus juvisset, mortem quidem animae eva-

dere potuissem, sed valde aegre, et difficulter. Respondeo, *paulo minus*, non referri hoc loco ad difficultatem rei, sed ad brevitatem temporis, ut sensus sit, Nisi Dominus adjuvisset me, paulo post habitasset in inferno anima mea. Vox enim hebraica, כמעט *chimhat*, et graeca, παραβραχη hunc sensum faciunt, et juxta eum explicanda est vox latina, *paulo minus*, idest, *paulo post*, habitasset in inferno anima mea: sive parum abfuisset a casu in infernum anima mea.

18. *Si dicebam, morluus est pes meus, misericordia tua Domine adjuvabat me.*

Explicat, in quo consistat auxilium illud, sine quo in inferno habitasset anima ejus. *Si dicebam*, inquit, *motus est pes meus*, idest, si agnoscebam, et confitebar infirmitatem meam, et me ex meipso non sufficere ad superandas tentationes: *tunc misericordia tua adjuvabat me*, illuminans intellectum, et purificans affectum, et vires tribuens voluntati, quae sufficerent ad stabiliendos pedes animae meae in via mandatorum tuorum.

19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.*

Non solum Deus justis per providentiam suam tribuit patientiam, sed etiam consolationem magnam, et ineffabilem, quae non tollit tribulationes, sed cum iis consistit, easque vertit in materiam gaudiorum. Sic enim dicit Apostolus 2. Cor. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*; quia videlicet vir justus, dum tribulatur, intelligit se purgari a scoria vitiorum, si adest; vel se probari a Domino, si ea non adest, intelligit se conformem fieri Christo patienti, ut cum eo postea glorificetur; intelligit denique magnum esse, et supra modum excellens praemium patientiae, juxta illud Apost. 2. Cor. 4. *Quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis*. Ait igitur, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo*, idest juxta mensuram dolorum, qui tristitiam in corde meo gignebant: *consolationes tuae laetificaverunt animam meam*; non enim juxta mensuram dolorum in carne, reddit Deus justis in hac vita consolationes in carne: neque enim simul esse possunt dolores in carne, et consolationes in carne: sed juxta mensuram dolorum in carne, tribuit Deus consolationem in anima, quae mitigat tristitiam cordis ex doloribus carnis provenientem. Neque repugnat hoc dictum Prophetae, *Secundum multitudinem*, etc. cum illo dicto Apostoli, *Superabundo gaudio*, etc. Verè enim gaudium spirituale majus est omni tristitia corporali, sed majus est servata proportione, ut minori tribulationi minus gaudium, et majori majus respondeat. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, *In multitudinem cogitationum meorum*, pro eo quod nos habemus ex versione septuaginta Interpretum, *secundnm multitudinem dolorum meorum*: vox hebraica, שרעף *sarhaph* est vox inusitata quatuor literarum, quae forte non habetur nisi hoc loco. Videtur deduci a verbo, שרע *surah*, quod est excrescere, et secundnm Rabbinos significat summas frondes arborum, quae excrescunt in magna copia, et ab omni flatu ventorum moventur. Metaphorice igitur hoc loco significant dolores cordis, idest, cogitationes affligentes, et torquentes ipsum cor, quae quidem multae, et molestae nasci solent ex inopia, infamia, morbo, aliisque aerumnis corporalibus: et ideo recte dicitur, *secundum multitudinem*, quia plurimae sunt, et recte comparantur frondibus excrescentibus in arbore, quia vanae sunt, et instabiles.

20. *Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in praecepto.*

Reddit rationem, cur Deus consoletur justos in tribulationibus eorum: et ratio est, quia Deus justissimus cum sit, et praecepta laboriosa hominibus dederit, aequum fuit, ut jugum legis alioqui asperum et durum, oleo consolationis liniret, et suave redderet. *Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis*, idest, numquid adhaeret, sive adjungitur tibi tamquam socius thronus inique judicantium. *Qui fingis laborem in praecepto*, idest, tibi qui in praecepto tuo observando laborem inseris sive facis, ut praecepta tua non sine magno labore possunt impleri. Haec mihi videtur hujus loci satis obscuri litteralis expositio: sunt tamen duae aliae expositiones. Una est eorum, qui considerantes illud, *qui fingis*, in textu hebraeo, et graeco esse participium, omittunt relativum, *qui*, et conjungunt participium *fingens*, cum sede, sive throno iniquitatis. Itaque sensum esse volunt, *Numquid adjungitur tibi thronus iniquitatis*, idest, numquid particeps es iniqui judicii, quod fingit laborem in praecepto, idest, quod judicium iniquorum facit praecepta divina nimis laboriosa, et impossibilia, et ideo non punit praevaricatores. Haec expositio repugnat editioni vulgatae, quae per pronomen, *qui*, declaravit participium, quod est in textu hebraeo et graeco: et illud, *fingens*, voluit referri ad Deum, non ad thronum, sive ad secundam personam, non ad tertiam. Alia est expositio s. Augustini, qui dicit Deum fingere laborem sive dolorem in praecepto, quia facit, ut ex laboribus, et doloribus, quos in hac vita patiuntur justi, erudiamur, et intelligamus quo supplicio afficiendi sunt injusti a Deo, qui justos sic affligi permittit. Itaque sanctus Augustinus ita exponit, quasi dictum esset, Qui fingis laborem in praeceptum, idest, ex labore facis praeceptum: et per praeceptum, non intelligit mandatum, sed eruditionem, qualia sunt praecepta sapientium, non mandata Principum.

21. *Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt.*

Concludit psalmum affirmans, impios inique acturos adversus justos: sed providentiam Dei vigilaturam, et utrisque pro meritis retributuram. *Captabunt*, inquit, *in animam justi*, idest, homines iniqui more suo insidiabuntur justis, ut capiant

eos, ut venatores praedam capiunt. *Et sanguinem innocentem condemnabunt*, idest, et posteaquam laqueo suo irretierint, morti eum addicent, quamvis innoxium esse non ignorent. Haec possunt intelligi, tum de malis Judicibus, tum de malis accusatoribus; tum etiam de quibusvis sceleratis homicidis, et de eorum magistris et principibus daemoniis. Verbum, *captabunt*, in graeco est θηρευσουσιν quod significat, *venabuntur*, et ideo sensus est, captabunt per insidias, ut venatores faciunt: in hebraeo est, יגודו *jaghodu*, idest, conveniet, sive *congregabuntur adversus animam justi;* sed credibile est, septuaginta Interpretes legisse, יגודו *jagudu*, uno puncto mutato, quod significat, *venabuntur*: particula, *in*, abundat apud latinos, cum dicitur, *captabunt in animam justi*. Proinde sensus est captabunt, idest, venando capient animam, idest, vitam justi.

23. *Et factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adjutorium spei meae.*

Loquitur Propheta in persona justorum, et sicut dixerat in numero singulari, *captabunt in animam justi*, sic etiam introducit justum loquentem in numero singulari, ac si dicat, illi quidem insidiabuntur mihi homini justo, meque ad mortem condemnabunt: sed *Dominus factus est mihi in refugium*, ut non mihi noceant insidiae illorum. Et *Deus meus* factus est *in adjutorium spei meae*, idest, Deus factus est quasi petra solida, in qua tuto innititur spes mea; sic enim habetur in hebraeo, Deus meus, לצור *letsur*, idest, in petram spei meae. Itaque posuerunt Septuaginta, et noster Interpres vocem, adjutorium spei, pro fundamento spei: adjuvat enim fundamentum ipsam spem, dum facit, ut non vacillet.

23. *Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos; disperdet illos Dominus Deus noster.*

Haec est justissima providentia Dei, ut tandem justos adjuvet, et iniquos disperdat. *Reddet illis*, inquit, *iniquitatem ipsorum*, idest, Deus faciet ut iniquitas impii revertatur in caput ipsius impii; dum justo non nocet, qui ob patientiam coronatur: et ipsi impio nocet, qui ob malitiam punitur. Quod explicatur sequentibus verbis, *in malitia eorum disperdet eos*, ubi notat s. Augustinus, recte dici, *in malitia*, quia Deus non tam punit eos ob id, quod fecerunt quam propter malitiam, qua id fecerunt. Tradidit enim Christum ad mortem Judas, tradidit etiam Deus Pater: sed Patri gratias agimus, *quia ex nimia charitate proprio Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*: ut ait b. Paul. Rom. 8. Judam detestamur, quia ex cupiditate, non ex charitate; et pro pecunia sua, non pro salute nostra tradidit illum. Addit Propheta, *disperdet illos Dominus Deus noster*, ut explicet quis sit, qui disperdet impios: dixerat enim, *reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos*; et non dixerat, quis haec facturus esset: explicat igitur, ac dicit, *disperdet illos Dominus Deus noster*, cujus providentiam aut negaverant, aut contempserant.

PSALMUS XCIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Laus Cantici ipsi David.

In codice hebraeo nullus est titulus: sed vel excidit, vel hunc titulum addiderunt septuaginta viri, ut indicarent, argumentum hujus Psalmi esse laudem Deo, voce, non instrumentis musicis decantatam. Theodoretus censet, psalmum compositum esse a Davide in persona Josiae regis, quem spiritu praeviderit repurgaturum templum et altare, remotis cultibus Idololatricis, et ipsis sacerdotibus idololatricis interfectis: sed non est necesse ad Josiam recurrere: psalmus enim omni tempore omnibus locis, et omnibus fidelibus, tum Judaeis, tum christianis convenit. Continet enim invitationem ad laudandum Deum, corde, voce, et opere. Quare ecclesia catholica rectissime hunc psalmum esse voluit initium nocturnae psalmodiae, quae ut longissima est; ita ista praeparatione et exhortatione indigebat.

EXPLICATIO PSALMI XCIV.

1. *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.*

Invitatio, et exhortatio est ad laudandum Deum. Illud, *venite*, est exhortatio, et excitatio ad conjungendos animos, et voces in laudem Dei, quomodo Genes. 11. est exhortatio, et excitatio ad conjungenda studia, et operas in aedificanda civitate, et turri. *Venite, faciamus lateres*: et ibidem, *venite faciamus nobis civitatem*; et ibidem Dominus dicit, *venite descendamus, et confundamus ibi linguas eorum. Exultemus Domino*, invitat

primum ad exultationem spiritus, deinde ad jubilationem vocis: non enim recte jubilamus voce, nisi prius mens excitata fit in Deum per internam laetitiam, et admirationem. Unde et de Domino scriptum est. Luc. 10. *Exultavit spiritu, et dixit, Confiteor tibi Pater*; et mater Domini de se dixit, Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus.* Ait igitur, *venite exultemus Domino jubilemus Deo salutari nostro*, idest, omnes simul uniti exultemus spiritu coram Domino prae laetitia gestientes, et voce jubilemus Deo qui est salus nostra. S. August. per jubilationem intelligit vocem laetitiae, quae non potest exprimere quod intelligit. Sed vox hebraea, נריעה *narihah*, significat potius magnum clamorem, laetum tamen, qui magnus clamor magnum potius affectum, quam magnum strepitum hoc loco significat.

2. *Praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.*

Duobus modis potest hic versiculus intelligi. Uno modo, ut Propheta admoneat, ut summo mane appareamus coram Domino ad laudandum eum quasi dicat, antequam alii surgant, nos primi simus ante faciem Domini; et hoc satis convenit tempori, quo hunc psalmum in Ecclesia canimus. Altero modo, ut Propheta doceat, miscendam esse confessionem propriae miseriae cum confessione misericordiae Dei, ut sensus sit, *preoccupemus faciem ejus in confessione*, idest, antequam Dominus ad judicium veniat, et vindictam de peccatis sumat, praeveniamus eum confitendo peccata nostra, vel praeveniamus iram ejus (potest enim facies in hebraeo, פניו *panau*, sumi pro *ira*) et antequam Deus irascatur, confiteamur peccata; *et simul jubilemus in psalmis*, magnis vocibus extollendo misericordiam ejus. Et videtur haec posterior expositio magis ad mentem patrum, s. Hier. s. August. Theodoreti, et Euthymii in comment. psal. et s. Greg. Nazianz. in orat. de plaga grandinis.

3. *Quoniam Deus magnus, Dominus, et Rex magnus super omnes Deos.*

Reddit quinque rationes, cur Deus a nobis laudandus sit. Prima est, quia Dominus noster est magnus Deus super alios omnes Deos, et magnus Rex super alios omnes reges, qui etiam Dii dici solent. Quo loco pro voce, *Dominus*, est in hebraeo nomen quatuor literarum. יהוה Adonai, quod est proprium Dei veri: et ideo nomen appellativum, *magnus*, non debet conjungi cum *Dominus*, sed cum, *Deus*, ut diximus. Porro per Deos, intelligendi sunt primo loco Dii falsi, idest, daemonia, quae sibi apud gentiles usurpabant cultum veri Dei, ut dicitur in psal. 95. *Omnes Dii gentium daemonia.* Deinde intelligendi sunt reges, et Judices terrae, de quibus dicitur in psal. 81. *Ego dixi dii estis.* In graeco legitur, *super omnem terram*; et sic legunt Theodoretus, et Euthymius; sed in hebraeo est, על כל אלהים *hal col Elohim*, *super omnes Deos*, et sic legunt s. Hieron. et Augustinus: credibile est graecum esse corruptum.

4. *Quia in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitudines montium ipsius sunt.*

Altera ratio est, quia Dominus habet in potestate sua orbem terrae: sive longitudinem, et latitudinem, sive etiam altitudinem consideres; proinde omnes, qui terram incolunt, illi subjecti sunt, et sacrificium laudis illi debent. *Quia*, inquit, *in manu ejus*, idest, in potestate ejus sunt *omnes fines terrae*, idest, tota terra usque ad ultimos ejus fines. *Et altitudines montium ipsius sunt*, idest, non solum longitudo, et latitudo terrae, sed etiam omnis altitudo usque ad altissimos montes ad ejus ditionem pertinet. In codice quodam antiquo, ex quo legitur hic psalmus communiter in Ecclesia, praemittitur huic versiculo, *Quia non repellet Dominus plebem suam*; haec verba leguntur, et exponuntur a s. Hieron. et Aug. in commentario psalmorum. Sed in codice hebraeo, et graeco, et in Latina vulgata editione non habentur, et vere hoc loco supervacanea esse, sed in psalmo superiore locum suum habent, et inde huc translata sunt, verissima autem esse dubitari non potest. In eodem antiquo codice legitur, *altitudines montium ipse conspicit*, pro, *ipsius sunt*. Sed in hebraeo, et graeco habetur, *ipsius sunt*, et sic legunt patres. Caeterum illa lectio, *altitudines montium ipse conspicit*, nihil aliud significat, nisi Dominum esse quolibet altissimo monte altiorem, ita ut commode respiciat ea, quae sunt in verticibus montium altissimorum, ad quos nullus unquam hominum penetravit. In hebraeo pro. *fines terrae*, habetur, מחקרי ארץ *mechkere arets*, *investigationes* terrae, a verbo, חקר *chakar*, quod est investigare, et scrutari. Inde aliqui existimant, significari profundas terrae cavernas, quae opponuntur altitudini montium, ut sensus sit, in manu Dei esse tum profunditatem, tum altitudinem terrae. S. Hier. vertit, *in cujus manu fundamenta terrae, et excelsa montium ipsius sunt*, cum qua lectione potest concordari lectio graeca τα περατα τησλης, et latina, si per *fines terrae*, intelligamus fines, quoad profunditatem, non quoad longitudinem, vel latitudinem, sed uterque sensus est verus.

5. *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus ejus formaverunt.*

Tertia ratio est, quoniam Deus noster non solum terrae, sed etiam maris Dominus est, quippe qui fecit illud, et arenam siccam illi circumdedit, in qua tamquam in vase continetur. Quare aequum est, ut homines, qui ex mari maxima commoda percipiunt, illi gratias agant, eumque laudibus efferant.

6. *Venite adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos.*

Quarta ratio est quia idem Dominus non solum fecit terram, et maria, sed etiam nos homi-

nos fecit, nos autem factorem nostrum peccatis nostris offendimus. *Venite*, inquit, *adoremus, et procidamus, et ploremus*, deflentes ingratitudinem, et peccata nostra *ante Dominum, qui fecit nos*, ac per hoc omni jure Dominus noster est, atque illi omnem obedientiam debemus. Ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *genua flectamus*, pro eo quod nos habemus, *ploremus*. Sed omnes codices graeci, et latini habent, *ploremus*, et sic legunt, et explicant omnes veteres tractatores, neque est verisimile, Prophetam dicturum fuisse, *genua flectamus*, posteaquam dixerat, *adoremus, et procidamus*: nam adorare in hebraeo significat *prosterni, et procumbere*. quod explicatur per vocem sequentem, *procidamus*. Plus est autem procidere et toto corpore prosterni, quam genua flectere. Itaque probabile est, veram hebraicam lectionem, quam habuerunt Septuaginta fuisse, נבכה *nibche*, quod significat, *ploremus*, sed successu temporis irrepsisse unam literam, et factum esse; נברכה *nibrecha*, quod est *genua flectamus*. Neque ullo modo credibile est, septuaginta Interpretes, homines doctissimos reddituros fuisse, *ploremus*, si ita legissent, ut nunc in codicibus hebraicis legimus.

7. *Quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuae ejus, et oves manus ejus.*

Haec est quinta et ultima ratio, quia Dominus non solum nos fecit, sed particulari providentia nos regit, quomodo pastor proprium gregem. Observat s. August. elegantem transpositionem verborum; videtur enim Propheta conjungere debuisse oves cum pascua, et populum cum manu, ac dicere, *et nos populus manus ejus, et oves pascuae ejus*; sed conjunxit populum cum pascua; et oves cum manu, ut significaret, populum esse respectu Dei instar ovium quae pastore indigent: et tamen non esse oves expertes rationis, quae baculo cogi debeant: dicuntur autem oves istae, oves manus Dei, vel quia Deus eas fecit, ut exponit s. August. vel ut alii communiter docent, quia Deus quasi manu propria eas regit; quamvis enim populus Dei habeat pastores, et doctores, a quibus pascitur, et regitur: tamen ipse etiam Deus peculiarem curam illius habet, et non finit, ut negligentia, ignorantia, vel etiam malitia Pastorum illis noceat. Ex quo intelligimus, debere populum Dei in Deo summo pastore fiduciam ponere, atque ad illum per orationem recurrere, quando pastor minus idoneus, illis contigit, ipse enim per Ezech. cap. 34. dicit, *Ego pascam oves meas.*

8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Haec est secunda pars psalmi, qua Propheta exhortatur populum Dei, ut non solum voce, sed etiam opere Deum laudet. Sacrificium autem operis Deo gratissimum est obedientia, quam exhibemus praeceptis ejus, juxta illud, 1. Reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta, et victimas, et non magis ut obediatur voci Domini?* Introducit autem prophe-

ta Deum loquentem, ut hortatio majorem vim habeat. Neque obstat illud, *ejus*: nam in scriptura saepe Deus loquitur de se, ac si de alio loqueretur, ut in loco proxime citato. *Numquid vult Deus holocausta, et non magis ut obediatur voci Domini?* Sic igitur hoc loco dicit Spiritus sanctus, *hodie si vocem ejus*, idest, Domini, *audierit*, idest, si vocem meam audieritis, qui Dominus vester sum, *nolite obdurare corda vestra*. Illud, *hodie*, significat, hoc tempore, et, ut Apostolus declarat hebr. 3. habet locum haec exhortatio, *donec hodie cognominatur*, idest, dum tempus hujus vitae durat: nam post hanc vitam non erit amplius tempus, sed aeternitas. Illud autem, *si*, videtur significare, Deum non singulis momentis nobis loqui, sed pro loco, et tempore nos admonere, vel per internas inspirationes, vel per voces praedicatorum, vel per lectionem Scripturarum, vel alio quocumque modo nobis voluntatem suam patefaciat. Illud, *nolite obdurare corda vestra*, significat, parum prodesse audire vocem Domini, nisi ea vox penetret intima cordis et inflectet ad fidem, et obedientiam: cur autem vox Dei non penetret, causa est duritiei cordis. Induratio autem cordis aliquando tribuitur homini, aliquando Deo: nam Exod. 7. dicit Dominus, *ego indurabo cor Pharaonis*, et 1. reg. 6. dicitur, *cur aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Aegyptus, et Pharao cor suum?* Porro Deus indurat corda non impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam, ut s. August. dicit in epist. 105. ad Sixtum; qui etiam in tractatu 53. in Joan. scribit, Sic obdurat Deus deserendo, et non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Cui subscribit s. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 5. Obdurare per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Homo autem obdurat cor suum, quando resistit inspirationibus, et vocibus Dei, juxta illud Actor. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis*: inducit autem hominem ad resistendum Deo, et claudendas aures interiores, peccati praesens dulcedo: quam Apostolus ad hebr. 3. vocat *fallaciam peccati*, cum ait, *ut non obduretur quis ex vobis fallaciam peccati*. In hebraico textu verba illa, *hodie si vocem ejus audieritis*, conjunguntur cum superioribus, *nos autem populus pascuae ejus, et oves manus ejus, hodie si vocem ejus audieritis*. Deinde incipit alius versiculus, *Nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione*. Sed Apostolus ad Heb. 3. citat hunc locum, ut nos in codicibus graecis, et latinis habemus. Itaque Apostolo judice melior est lectio Septuaginta, et nostrae vulgatae editionis, quam hebraica, ut nunc se habet, quicquid haeretici moderni blaterent.

9. *Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me Patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.*

Ponit exemplum obdurationis: nam Patres antiqui educti per Mosem de Aegypto, dum in itinere essent, et desertum petransirent, non semel obdu raverunt cor suum nolentes credere promissis Dei-

neque illi obedire; unde *irritaverunt eum et exacerbaverunt*, ut habet alia lectio: tentarunt etiam potentiam ejus, et experti sunt, ac viderunt mirabilia opera ejus, qualia fuerunt manna de coelo pluens, et aqua de petra scaturiens. Vide Num. 14. *Sicut*, inquit, *in irritatione*, idest, quando Deum ad iracundiam provocaverunt, *secundum diem tentationis in deserto*, idest, juxta diem illum, quo Deum tentaverunt: tunc enim tentantes Deum illum irritaverunt, Non est necesse unam diem particularem hic notari, cum multis vicibus Deum Judaei tentaverint in deserto; sed potest accipi dies pro tempore, ut sensus sit, *sicut in irritatione*, quae facta est in tempore illo, quo me saepius tentaverunt in deserto. *Ubi tentaverunt me*, idest, ubi explorare voluerunt, utrum ego vere Deus essem, possemque illis in deserto panem, et aquam, et carnes parare, quibus rebus desertus locus ille carebat. *Probaverunt me, et viderunt opera mea*, idest, ubi etiam experti sunt me esse omnipotentem, quia viderunt opera mea, qualia solus Deus verus, vereque omnipotens facere potest.

10. *Quadraginta annis offensus generationi illi, et dixi, semper hi errant corde.*

Explicat clarius tempus irritationis, et tentationis in deserto, *Quadraginta annis*, inquit, *offensus fui generationi illi*, idest, toto tempore, quo duxi eos per desertum, ut introducerem in terram promissionis, *offensus fui generationi illi*, idest, offensus fui ab illis, sive infensus illis fui, ut explicat Apostolus hebr. 3. vox hebraica, אקוט *akut*, significat, *litigavi cum illis*, vel abominatus sum illos: sed omnia in idem recidunt, in quem sensum explicanda est etiam lectio psalterii romani, *quadraginta annis proximus fui generationi huic* idest, propinquavi illis, ut de proximo illorum querelas audirem eosque variis plagis flagellarem: et quia de proximo vidi, et audivi quid agerent, aut loquerentur, *dixi, semper hi errant corde*, idest, ducuntur variis desideriis, et ideo errant, et vagantur extra rectam viam salutis. Apost. ad hebr. 3. aliter distinguit, *probaverunt*, inquit, *et viderunt opera mea quadraginta annis*: *propter quod infensus fui generationi huic*. Sed quia neque hebraei, neque graeci, neque latini ita distinguunt; dicendum est Apostolum declarare voluisse verba hujus psalmi, et ideo addidisse illud, *propter quod*, ut sensus sit, *viderunt opera mea, quadraginta annis, propter quod totidem annis infensus fui generationi huic.*

11. *Et isti non cognoverunt vias meas, ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

Declarat, cur corde erraverint, *quia non cognoverunt vias*, idest, leges *meas*, quae sunt rectae viae, per quas qui incedunt, errare non possunt: Loquitur autem de cognitione approbationis, non de simplici notitia. *Ut juravi in ira mea*, subintelligitur, non pervenerunt ad requiem, sicut juravi in ira mea, *si introibunt in requiem meam.* Itaque sensus est, Isti, qui semper errant corde, non cognoverunt vias meas quibus itur ad requiem, ac per hoc in illam non introierunt, *prout juravi in ira mea, si introibunt*, idest, quod non introibunt in requiem meam. Per requiem in sensu historico intelligitur terra promissionis, in quam non introierunt, nisi paucissimi ex illis, qui exierunt ex Aegypto: sicut Dominus juravit illis, Num. 14. *Vivo ego, dicit Dominus, sicut loquuti estis audiente me, sic faciam vobis, in solitudine hac jacebunt cadavera vestra.* In sensu anagogico, Apostolo teste ad hebr. 4. intelligitur coelestis patria, ubi erit perfecta requies. Juramentum autem Dei significat, rem esse certissimam, et immutabilem. In hebraeo habetur, אשר *ascer*, quod recte verti potest, tam *ut*, quam *quibus*. In Graeco habetur ω, ut etiam in Epistola graeca s. Pauli ad hebraeos: tamen in editione latina ejusdem Epistolae cap. 3. habetur, *quibus juravi*: sed cap. 4. *sicut juravi*. In psalterio romano, et apud Augustinum habetur, quibus juravi. Sensus semper est idem, tamen communior lectio est quae habetur in editione vulgata, et sic legit Apostolus, quando proprie citat verba psalmi, dicens, *Quemadomdum dixit, sicut juravi*, etc. ad Hebr. 4.

PSALMUS XCV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum ipsi David quando domus aedificabatur post captivitatem.

Hic psalmus apud hebraeos titulo caret: neque mirum est, quoniam videtur esse pars quaedam psalmi centesimi quarti, ut perspicuum est ex lib. 1. Paralip. cap. 16. ubi in reductione Arcae Domini canitur psalmus, cujus prior pars est principium psalmi 104. posterior est psalmus 92. Videtur enim Esdras, vel si quis alius fuit, qui librum psalmorum collegit, et ordinavit, ut numerum centum quinquaginta psalmorum compleret ex parte psalmi 104. fecisse hunc psalmum 95.

quemadmodum ex fine psalmi 56 et ex fine psalmi 59. composuit psalmum centesimum septimum, qui incipit, *paratum cor meum*, et ex fine psalmi 39. fecit psalmum sexagesimum nonum, qui incipit, *Deus in adjutorium meum intende*. Titulum ergo, quem habemus in codicibus graecis, et latinis, vel addiderunt Septuaginta interpretes vel quod verius reor, Esdras ipse addidit, et jussit cantari, cum templum reaedificabatur post captivitatem babylonicam. Quamvis autem David hunc psalmum composuerit occasione reductionis Arcae Domini, et Esdras eumdem psalmum cantari jusserit in reaedificatione templi: tamen certum est intentionem primariam Davidis, et ipsius Spiritu fuisse praedicere adventum Christi, et regnum ejus, *quando Deus eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae*, ut scribit Apostolus ad Coloss. 1. Recte enim observavit s. Augustinus in toto hoc psalmo nullam fieri mentionem aedificationis templi, nec reductionis arcae, ac per hoc vel psalmum non convenire cum titulo, vel exponendum esse, ut verba sonant de regno Christi in toto terrarum orbe propagando; hoc est, de Ecclesia in omnibus gentibus aedificanda. Atque in hanc sententiam conveniunt scriptores veteres Hieronymus, Augustinus, et Ambrosius latini; Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius graeci.

EXPLICATIO PSALMI XCV.

1. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.*

Incipit ab exhortatione, ut pro comuni beneficio communiter ab universa terra gratia agantur Deo. Ter autem repetit *Cantate*, ut etiam infra ter repetit, afferte Domino, ut obscure insinuaret mysterium sanctissimae Trinitatis, quod aperte in testamento novo praedicandum erat. *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum*, id est, laudate, et gratias agite cum cantu, et laetitia. Vocat autem *canticum novum*, canticum pulchrum, et sapienter compositum: item canticum pro novo beneficio: item canticum quod a renovatis hominibus cani debet, in quibus non amplius regnet cupiditas, sed charitas. Denique ut exponit Chrisostomus canticum, non quale fuit canticum Moysis, aut Deborae, aut alia vetera cantica, quae non poterant cantari extra terram promissionis, juxta illud psal. 136. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* sed canticum novum, quod per universam terram celebrari queat. Ideo enim subjuncitur, *cantate Domino omnis terra*, idest, non solum Judeae, sed orbis terrarum universus.

2. *Cantate Domino, et benedicite nomini ejus annunciate de die in diem salutare ejus.*

Praemissa exhortatione generali, incipit explicare materiam cantici, et laudationis, quae est Salvatoris adventus. *Cantate*, inquit, *Domino, et benedicite nomini ejus*, idest, cantando laudate potentiam ejus, quae per nomen significatur, nisi ferte per nomen insinuetur nomen salvatoris, de quo clarius fit mentio in verbis sequentibus, *Annunciate de die in diem salutare ejus*, idest, praedicate cum cantu, et laudibus venturam salutem, idque *de die in diem*, idest, omni die: quemadmodum enim sine cessatione dies diei succedit, sic aequum est ut laudatio laudationi sine cessatione succedat. Verbum hebraicum, בַּשְּׂרוּ *basseru*, significat bonum nuncium afferte, quod Septuaginta recte verterunt, εὐαγγελίζεσθε, et interpres noster vertere potuisset, *evangelizate*, vel *bene nunciate*, ut legit s. Aug. Itaque ex hebraeo, et graeco exponi debet verbum latinum, annunciate, idest, bonum nuncium afferte.

3. *Annunciate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.*

Dixit, Deum ob tam ingens beneficium omni tempore laudandum: addit nunc etiam in omni loco laudandum. *Annunciate*, inquit, *inter gentes gloriam ejus*, idest, notam facit non solum judaeis, ut faciebant Prophetae veteres, sed etiam gentibus gloriam Dei: et hoc ipsum clarius explicans ait, *annunciate in omnibus populis*, idest, omnibus gentibus, *mirabilia ejus*, idest, admiranda opera Dei, ex quibus manifestatur gloria ejus. Quamvis autem haec exhortatio pertineat ad omnes, qui noverunt mirabilia Dei; tamen praecipue pertinet ad apostolos Domini: illi enim sunt, qui omnibus gentibus notam fecerunt gloriam Dei, et mirabilia opera non solum creatoris, sed etiam redemptoris, et sanctificatoris, idest, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

4. *Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes Deos.*
5. *Quoniam omnes dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit.*

Declarat, quae sit gloria Domini, quae mirabilia opera ejus, quae paulo ante praedicanda semper, et ubique esse dicebat. *Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis. terribilis est super omnes Deos.* Haec est gloria Domini, quod magnus sit absolute, sive potentiam, sive sapientiam, sive bonitatem, sive imperium, sive divitias, sive quaecumque alia consideres; quod juxta hanc magnitudinem sit laudabilis valde, et re ipsa ab omnibus laudetur: hinc enim pleni sunt coeli, et terra glo-

ria ejus, quod denique terribilis sit super omnes Deos, idest, quod usque adeo emineat super omnes, qui ullo modo dicuntur Dii, ut non solum non audeant ei se conferre, sed ut servi, vel potius mancipia majestatem ejus contremiscant: nam de bonis angelis, qui sunt Dii per participationem canit Ecclesia, *majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates.* De malis angelis, qui sunt Dii per errorem gentium, dicit b. Jacobus in Epist. cap. 2. *Daemones credunt, et contremiscunt*: et quoniam praecipue de falsis Diis loquitur hoc loco David, ideo subjungit rationem, cur Deus noster terribilis sit super omnes Deos, dicens: *quoniam omnes dii gentium daemonia. Dominus autem coelos fecit*, idest, propterea Dominus terribilis est super omnes Deos; falsos videlicet, et gentibus per errorem adoratos, quoniam Dii gentium non sunt veri Dii, sed daemonia, idest, spiritus mali, qui a Deo creatore per superbiam recesserunt, et ab eodem aeternis suppliciis destinati sunt: *Dominus autem* non est spiritus creatus sed spiritus creator, qui *coelos fecit*, corpora omnium maxima, et pulcherrima, et omnia, quae coeli ambitu continentur, idest, res omnes creatas. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *omnes Dii populorum sculptilia.* Sed sciendum est vocem hebraicam, quae hic habetur, אֱלִילִים *elilim*, non significare proprie neque daemonia, neque sculptilia. *Daemon* enim dicitur, שֵׁד *sced*; *sculptile*, פֶּסֶל *pesel*: vox autem *elilim*, significare videtur Deiculos, ut sit diminutivum ab, אֵל *el*, quod significat Deum, ut sensus sit, *Dii gentium non sunt Dii, sed Deiculi*, vel *Deastri* inutiles, et vani: Dominus autem est Deus verus, et potens, qui coelos fecit. Itaque vocem illam septuaginta Interpretes retulerunt ad daemonia potius quam ad simulacra; quoniam Daemonia habitabant in simulacris, et erant ii, qui potissimum a gentibus adorabantur, juxta illud Apostoli 1. Cor. 10. *Quae enim gentes immolant, daemonibus immolant, e non Deo.*

6. *Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus.*

Dixerat, Deum esse magnum, et terribilem: nunc addit, eumdem esse undique laudabilem, pulcherrimum, gloriosum, et sanctissimum; idque praecipue cerni in coelesti sanctuario, ubi spectandum se praebet oculis angelorum, aliisque spiritibus beatis. Illustrabit hunc versiculum, alioqui satis obscurum, versiculus secundus ps. centesimi tertii, *confessionem, et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*: dicitur enim Deus induisse confessionem, et decorem, quia ab omni parte conspicitur laudabilis, et ideo laudabilis, quia pulcher, et decorus totus, sive quis essentiam, sive attributa, sive judicia, sive cogitationes, sive opera ejus attendat, quod brevissime dixit s. Joan. 1. Epist. cap. 1. *Deus lux est, et in eo tenebrae non sunt ullae.* Dicet ergo Propheta de Deo, *confessio, et pulchritudo in conspectu ejus*, idest, laus, seu materia laudis, et pulchritudo, sive decor, et gloria est in circuitu Dei, quia confessionem, et pulchritudinem induit, ac per hoc undique conspicit laudem, et pulchritudinem suam, et undique conspicitur decorus, et laudabilis: quomodo Sol, si sensum videndi haberet, undique conspiceret radios lucis suae, sicut undique conspicitur micans, et lucidus. *Sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus*, idest, sanctitas, sive puritas, et magnificentia, sive majestas, et gloria, quibus Deus, quasi vestimentis indutus est, conspicitur in sanctificatione ejus, idest, in sanctuario, sive in templo sancto, quod in coelis ipse Deus habet. Posset etiam hic versiculus sic exponi: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus*, idest, offeratur in conspectu Dei confessio laudis, et pulchritudo justitiae, *sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus*, idest, sanctitas vitae, et magnificentia operum bonorum in sancto templo ejus similiter offeratur. S. Augustinus per confessionem intelligit confessionem peccatorum, per quam homo deformis incipit pulchrescere, et sanctificari, et placere sponso coelesti, qui pulcherrimus, et sanctissimus est. Quod attinet ad verba, pro vocabulo, *sanctimonia*, in hebraeo est, עֹז *hoz*, quod proprie robur, et fortitudinem significat; sed accipitur etiam pro gloria, honore, substantia, opibus. Videntur igitur septuaginta Interpretes, eam vocem accepisse pro gloria, et puritate, quae sanctitatis propria est: ut in sequenti versiculo acceperunt pro honore, et conjunxerunt cum gloria. Pro vocibus, *in sanctificatione ejus*, in hebraeo habetur, בְּמִקְדָּשׁוֹ *bemikdascio*, idest, *in sanctuario ejus*, et sic etiam vertit s. Hieronymus. Neque est novum in scripturis, ut sanctificatio accipiatur pro sanctuario: sic enim legitur lib. 1. Machab. cap. 1. *Et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum*, etc.

7. *Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus.*

Praedixerat, praedicandam esse notitiam Dei omnibus gentibus per Christi adventum: nunc praedicit, convertendas esse omnes gentes, et glorificaturas Deum. Sed sicut illud praedixerat per modum hortantis dicens, *annunciate inter gentes gloriam ejus*; sic etiam nunc praedicit hoc per modum hortantis dicens, *afferte Domino patriae gentium*, idest, o familiae gentilium toto orbe diffusae, cum vobis annunciata fuerit gloria Domini, qui de coelo ad terram descendit, et peracta redemptione iterum ad coelum gloriosus ascendit; non sitis durae ad credendum, nec pigrae ad operandum, sed accurrite ad tabernaculum Domini, et afferte gloriam, et honorem, glorificando, et honorificando, verbis, et operibus Deum, et sanctum nomen ejus. Illud, *patriae gentium*, hebraice est, מִשְׁפְּחוֹת *mispecholh*, quod proprie significat familias. Sed latinus interpres reliquit hoc loco vocem graecam, πατριαι, quae significat familiam. Quare per, *patrias gentium*, non debemus hic accipere id, quod significat nomen latinum, sed quod significat graecum. Cur autem Propheta nominet

familias, ratio esse videtur, ut alluderet ad ritum hebraeorum, qui distincti per familias suas ascendebant festis diebus ad templum Domini, quod erat in Jerusalem. Significat igitur spiritus Sanctus, quod faciebant familiae Judaeorum corporaliter, faciendum esse a familiis omnium gentium spiritualiter, ut videlicet omnes ad Ecclesiam veniant, et Deo tribuant gloriam, et honorem omnium mirabilium, quae facta sunt in redemptione generis humani; non enim nostra industria, aut meritis evecti sumus ad filiorum Dei adoptionem, et gratiam; sed ex misericordia Dei, cui proinde debetur omnis honor, et gloria. Pro illa voce. *gentium*, in hebraeo est, populorum, עמים *hammim*, sed septuaginta Interpretes maluerunt vertere, *gentium*, quam populorum, ne Judaei dicerent, de populis suis tantum Prophetam esse loquutum. Itaque sustulerunt ambiguitatem vocis, et docuerunt, Spiritum sanctum locutum esse, de populis gentium, de quibus paulo ante dixerat, *Annuntiate inter gentes gloriam ejus*; et paulo infra *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*: nam utrobique in hebraeo habetur vox, גוים *goim*, quae proprie significat gentiles.

8. *Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.*

Hic etiam alludit ad morem hebraicum, juxta quem Judaei cum ascendebant ad templum, offerebant victimas, et adorato Deo revertebantur in civitates suas. Sed quia hoc loco invitantur gentiles, ut ad ecclesiam Domini veniant; intelligenda est haec oblatio de spiritualibus hostiis, de quibus loquitur sanctus Petrus in prima Epistol. cap. 2. *Offerte spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Sunt autem spirituales hostiae sacrificium cordis contriti, confessio peccatorum, oratio, jejunia, eleemosynae, et similia. Potest etiam hic locus intelligi de sacrificio Missae, quod successit omnibus sacrificiis hebraeorum, et quod juxta Prophetiam Malachiae, cap. 1. *Offertur Deo ab ortu solis usque ad occasum a gentibus conversis ad Deum per manus Sacerdotum testamenti novi.* Nam non sine mysterio in Hebraico textu non habetur vocabulum זבח *zebach*, quod significat hostiam, quae occiditur dum immolatur, qualia erant sacrificia ovium, et boum; sed מנחה *minchah*, quod significat hostiam incruentam, ac praesertim ex farina confectam. Parum autem refert quod pro, *atrio sancto*, in hebraeo habetur, בהדרת קדש *behadrath kodesc*, *in decore sanctitatis*: nam idem est sensus: vocat enim scriptura *decorem sanctitatis*, ipsum sanctuarium, quod esset decore, et sanctitate plenum.

9. *Commoveatur a facie ejus universa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.*

Hactenus quasi longe praevidit regnum Messiae et hortatus est praedicatores ad annunciandum, et populos ad recipiendum novum regem: nunc quasi propius intueatur, et ipsum venientem cernat, spiritu exultat, et hortatur ad venerationem, et laetiam, non solum gentes, sed etiam terram, coelum, maria, arbores ipsas: non quod ista sensu praedita sint, sed ut declaret affectum suum, et universalem laetitiam, quae in toto mundo futura erat in adventu Christi. Quamvis autem aliqui haec referant ad secundum adventum, quando veniet judicare vivos, et mortuos: alii ad primum adventum, *quando venit quaerere, et salvum facere quod perierat*, Luc. 19. tamen sancti patres Hieronymus, et Augustinus, necnon graeci scriptores, Theodoretus, et Euthymius ad utrumque adventum referunt, quod et nobis probabilius esse videtur. Ait igitur, *commoveatur a facie ejus universa terra*, idest, commoveantur commotione timoris, et reverentiae omnes habitatores terrae ante faciem Domini venientis. In hebraeo est, תילז מפניז כל האדע *chilu mippanau col haaretz, paveat a facie ejus omnis terra*, ubi numerus multitudinis indicat, per terram non intelligi elementum terrae, sed habitantes in terra. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*, idest, ut commoveatur terra, praedicate gentibus omnibus, quod Dominus adveniens regnum suum auspicatus est. Intelligitur autem nomine regni regnum spirituale, quo regnat per fidem in cordibus hominum; semper enim Deus regnat in coelo et in terra regno potentiae, et majestatis: sed per fidem regnare coepit in gentibus ab adventu Messiae: antea siquidem diabolus regnabat per errores Idololatriae: unde et Dominus Joan. 12. ait. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Sanctus Augustinus legit, *quia Dominus regnavit a ligno*: quam lectionem fuisse olim in septuaginta virorum interpretatione, et ab hebraeis fuisse abrasam, et sublatam testatur sanctus Justinus in dialogo cum Triphone, et Fortunatus in hymno, qui ab ecclesia frequentatur tempore Passionis, ex hac lectione accepit illud,

Impleta sunt quae concinit,
David fideli carmine,
Dicens in nationibus,
Regnavit a ligno Deus.

quamvis autem haec lectio optimum sensum habeat; tamen in libris graecis hodie non habetur, nec habebatur tempore s. Hieronymi, Theodoreti, et Euthymii, ut ex eorum commentariis perspicuum est: nec habetur in codicibus hebraicis, nec in editione latina vulgata.

10. *Etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur, judicabit populos in aequitate.*

Hoc regnum merito convenire Christo, probat duplici ratione. Primum quia ipse est, qui cum in in forma Dei esset, orbem terrarum condidit, confirmavit, et stabilivit, ut commoveri non posset: justum enim est ut ipse regnet in terra, qui terram ipsam condidit. In hebraeo est, תכון *thiccon*, a verbo, כון *con*, quod est *stabilire, firmare, dirigere*; et hoc idem verbum habetur in psalm. 92. ubi legimus, *Etenim firmavit orbem terrae, qui non commovebitur.* Itaque potest referri haec pars versiculi ad creationem mundi: et tunc, *correxit*, idem erit, quod ita directe sudavit, ut nutare non

possit: potest etiam idem verbum exponi de correctione morum per optimas leges, et instituta; et tunc sensus erit, Christum jure, ac merito regnare debere in orbe terrarum, quia orbem terrae nutantem ob pravas institutiones gentilium, ita correxit per legem suam evangelicam, quae prohibet omnia vitia, ut jam commoveri non possit, si leges illas sequatur, et observet. Unicum enim Domini praeceptum de dilectione, si observetur, totum orbem terrarum corrigit, et in summa pace constituit. Secunda ratio est in verbis sequentibus, *Judicabit populos in aequitate*, idest, non solum correxit orbem terrae sanctissimis legibus suis; sed etiam tempore suo judicabit orbem justissime: tribuet enim iis, qui legem evangelii servaverint, amplissima praemia; et iis, qui servare noluerint, justissimas poenas.

11. *Laetentur coeli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: gaudebunt campi, et omnia quae in eis sunt.*
12. *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram.*

Excitat ad laetitiam omnes res creatas propter adventum Domini, tum primum, tum secundum. Primus enim adventus omnia consecravit; secundus omnia glorificabit: *nunc enim omnis creatura ingemiscit, et parturit subjecta corruptioni; sed postmodum liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, ut dicitur ad rom. 8. *Laetentur ergo coeli, et exultet terra*, quae sunt partes mundi principales: *commoveatur etiam mare* motu exultationis, *et plenitudo ejus*, idest, omnia quae continentur in eo, sive insulae, sive pisces. *Gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt*, idest, sic erit, ut optavi: nam optavi ut terra exultaret; ipsa vero omnino exultabit, quia *gaudebunt campi, et omnia quae in eis sunt*, sive pecora, sive plantae; imo etiam *ipsa ligna sylvarum*, quantumvis sterilia, et inculta, exultabunt a facie Domini, ad praesentiam videlicet conditoris: exultabunt autem, *quia venit Dominus*, redempturus orbem terrae in misericordia, et quoniam iterum venit judicare orbem terrae in justitia. Sic enim exponunt s. Hieronymus, s. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius, qui referunt illud, *quia venit*, ad primum adventum, illud, *quoniam venit judicare terram*, ad secundum adventum. Sed si magis placeat juxta morem hebraicum, utrumque referre ad judicium, quae est simplicior, et fortasse magis litteralis expositio; tunc dicendum erit, Judicium novissimum, fore simul et terribile, et laetissimum; terribile impiis, laetissimum justis. Nam ea de causa in scripturis nunc describitur ut quid lugubre, horroris et timoris plenum, juxta illud, Luc. 21. *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore, et expectatione, quae supervenient universo orbi; nam, et virtutes coelorum movebuntur*: nunc vero describitur, ut quid jucundum, et laetum propter gloriam electorum, quae redundabit in ipsum coelum et terram, et maria, quae renovabuntur et statum omnino meliorem acquirent, unde dicitur paulo infra in eodem loco Evangelii, *his autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

13. *Judicabit orbem terrae in aequitate, et populos in veritate sua.*

Concludit, praedicens quale futurum sit judicium. *Judicabit*, inquit, *orbem terrae in aequitate*, idest, in justitia; id enim sonat vox hebraica בצדק *betzedek*, et graeca δικαιοσυνη; proinde non est accipienda hoc loco aequitas proprie, sed pro vera justitia. Repetit, et declarat hoc ipsum, cum addit, *et populos in veritate sua*: ubi quod dixerat, *judicabit orbem terrae*, explicat, cum dicit, *Judicabit populos*; non enim terram ipsam, sed populos habitantes in ea judicabit. Quod autem dixerat, *in aequitate*, explicat cum dicit, *in veritate sua*, idest, in ea veritate, et fidelitate, qua semper adimplet quod promisit: promisit autem, se redditurum unicuique secundum opera sua, non accepturum personas, juste denique judicaturum. Hoc igitur modo judicabit, et non aliter. Haec certe sententia deberet somnum, et torporem mortalium excutere, neque quia differtur judicium, et Deus interim patienter agit, credere debemus, judicium non esse futurum. Qui enim tam multa promisit antequam fierent, et reipsa praestitit: non decipit nos in hoc uno, quod tanti momenti est. An vero, inquit s. Augustinus, exhibuit nobis Deus omnia, quae promisit, et de solo die judicii nos fefellit. Vide explicationem sancti Augustini ad psalmum septuagesimum tertium prope finem, ubi copiose de hac re tractat.

PSALMUS XCVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Huic David, quando terra ejus restituta est.

Hunc titulum non habent hebraici codices; proinde vel excidit incuria scriptorum, vel eum addiderunt septuaginta Interpretes: habetur enim in graecis et latinis editionibus, et ab antiquis Patribus exponitur. Et quamvis in libris graecis non sit proprie restituta;sed καθιστατο constituta: tamen idem est sensus; cum enim restituta fuit terra Davidi,quam ei Absalon filius abstulerat, tunc *ipsa terra constituta fuit*, idest, confirmata, et stabilita, quae antea quodammodo fluctuaverat: vocatur enim terra hoc loco possessio terrae, sive regnum terrenum. Sed non videtur psalmus ad litteram intelligendus de restitutione, aut constitutione regni Davidis; nihil enim ejusmodi in psalmo legimus; sed videtur sanctus Propheta occasione terrae a se recuperatae Spiritu sancto afflatus cecinisse restitutionem, et constitutionem perfectam ecclesiae, quae futura est post ultimum judicium, quando remotis persecutionibus omnibus, et omnibus inimicis Christi sub pedibus ejus constitutis, ecclesia pace perpetua, et tranquillitate fruetur, et Christus ipse pacifice in universa creatura regnabit.

EXPLICATIO PSALMI XCVI.

1. *Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae.*

Duobus modis ad litteram potest hic psalmus exponi, primum de regno Dei absolute, deinde de regno Christi post resurrectionem, ut exponunt Augustinus, Theodoretus, Euthymius: juxta priorem intelligentiam hic sensus erit:*Dominus regnavit*, idest, Dominus Deus est verus, et supremus rex; et omnes alii Reges servi ejus sunt: ideo *exultet terra,laetentur insulae multae*,idest, exultent, et laetentur omnes habitantes orbem terrarum, sive habitent continentem terram, sive insulas, quae plurimae sunt in mari: quia si forte opprimantur a regibus terrenis, non deerit illis Dominus, qui rex est supremus, et inferiores reges nullo negotio coercere, et in ordinem redigere potest. Juxta posteriorem intelligentiam hic sensus erit, Dominus Christus, qui aliquando humilis ante reges judicandus stetit, jam regnavit: quia *data est ei omnis potestas in coelo et in terra*, Matth. 28. ut jam nulli potestati nec de jure, nec de facto subjiciatur, sed omnibus praesit, ut *princeps regum terrae, et rex regum , ac Dominus dominantium*: ideo *exultet terra*, et *laetentur insulae multae*, quia Dominus, qui regnum Mundi adeptus est, Apocal. 19. frater noster est dignatione, quamvis et Deus noster sit creatione, et Dominus redemptione.

2. *Nubes, et caligo in circuitu ejus, justitia, et judicium correctio sedis ejus.*

Juxta priorem sensum explicatur natura Dei,qui cum invisibilis sit, tamen gubernat, et regit mundum visibilem summa justitia. *Nubes et caligo in circuitu ejus*, idest, Dominus rex noster invisibilis est, *quia lucem habitat inaccessibilem*. 1. Tim. 6. et similis est soli, qui quando nube, et caligine tectus est, non potest videri , et tamen lumen, et calorem ejus sentimus, sic in psalm. 17. describitur Deus, *posuit*, inquit, *tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris*. Sic in monte Sina apparuit tectus nubibus, et caligine, ut dicitur Exod. 20. *Justitia, et judicium correctio sedis ejus*, idest, quamvis invisibilis sit, vere tamen adest, et judicat populos justissimo judicio. Illud, *correctio*, potuisset etiam verti, *firmamentum*, ut vertit sanctus Hieronymus, nec non stabilitas, rectitudo, praeparatio, ut alibi vertunt iidem septuaginta Interpretes: nam haec omnia significat vox hebraica, מכון *mecon*, a verbo, כון *con*, ut diximus in explicatione psalmi superioris. Itaque illud, *correctio*, significat hoc loco rectitudinem, sive directionem, ut sensus sit, rectitudo sive di-

rectio sedis Dei consistit in justitia, et judicio: rectissima enim est potestas judiciaria Dei, quae per sedem significatur, quia Deus semper juste judicat, nec potest ullo modo injuste judicare, cum sit ipsa sapientia, et justitia: est autem hoc proprium Dei; nam sedes aliorum regum non carent obliquitate aliqua, cum facile illis error obrepat, vel ex ignorantia, vel ex falsa informatione, vel ex passione. juxta posteriorem sensum, significatur adventus Christi ad Judicium : *veniet enim in nubibus coeli*, splendore magno circumdatus, ut ipse dixit in Evangelio Matth. 24. et 26. et ut Joannes scripsit Apocal. 11.

3. *Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

Juxta priorem sensum significatur admirabilis potentia, efficacitas, et celeritas punitionis, quam Deus exercet in impios, quando vult eos punire in hoc mundo. *Ignis ante eum praecedet*, idest, quandocumque voluerit judicare, et punire impios, ignem a sede sua emittet; idest, virtutem efficacissimam et velocissimam, quae subito *inflammabit*, et consumet *in circuitu*, undique, ut non sit ullum effugium, *omnes inimicos ejus*. Potest etiam per ignem intelligi angelorum ministerium: nam ut dicitur in ps. 103. *Facit angelos suos spiritus, et ministros suos igem urentem*. De hoc igne dicitur in Ps. 17. *Ignis a facie ejus exarsit*, et Danielis 7. *Fluvius igneus, rapidusque a facie ejus egrediebatur*. Juxta sensum posteriorem significatur ignis ille, qui praeibit ante Judicium, et comburet omnia, quae in terra sunt, homines, domos, hortos, vineas, animantia, et caetera: de qua re scribit Apostolus Petrus in 2. Epist cap. ultimo, *quemadmodum tempore Noe mundus aquis inundans periit; ita in adventu Christi ad judicium, terram, et omnia quae in ea sunt, igni exurenda, et consumenda esse*. Quod autem dicit psalmus, solos inimicos Dei illo igne inflammandos; ideo dicit, quia solis impiis ignis ille nocebit, quique qui thesaurum suum, et cor suum habent in terra. Illi enim molestissime ferent per ignem illi occidi, et absumi opes omnes terrenas; quas diligebant: Justis autem non nocebit, quia bona terrena jam spreverant, seque ad meliora transferri per mortem videbunt.

4. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae, vidit, et commota est terra.*

Juxta priorem sensum pergit David explicare potentiam Dei impios. Deus enim non solum igne virtutis suae, aut angelorum sanctorum; sed etiam corporalibus fulguribus terret, quando ei placet, vel etiam tanta velocitate interimit hostes, ut tela ejusmodi nulla arte praecaveri, aut repelli possint. De hoc etiam dicit in psalm. 17. *Intonuit de coelo Dominus, et altissimus dedit vocem suam, misit sagittas suas, et dissipavit eos; fulgura multiplicavit, et conturbavit eos*; ait igitur, *Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae*; idest, quando placuit illi, in promptu habuit sagittas fulgurum jacere, et ubi illa illuxerunt orbi terrae, terra ipsa, quasi sensum haberet, et videret horrendam speciem coelestium jaculorum, tota contremuit, et tremore commota est. Est haec poetica descriptio, qua vis maxima fulgurum demonstratur. Juxta sensum posteriorem declaratur modus quo ante judicium ignis maximus exorietur, et consumet omnia; id enim fiet per instrumenta fulgurum, quae frequentissima erunt, sic legimus Sap. 5. *Ibunt, directae emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient.*

5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra.*

Hic explicat Propheta juxta utrumque sensum potentiam Domini per effectum; et persistit in eadem similitudine ignis: quomodo enim cera non potest subsistere ante faciem ignis, quin statim liquefiat, et pereat: sic montes quantumvis maximi, et durissimi sint, imo omnis terra, quae solidissima est omnium elementorum, vim divinae potentiae sustinere non posset, si Deus eam repente consumere, et ad nihilum redigere vellet. Itaque verba hujus versiculi non ita sunt accipienda, quasi re ipsa montes fluxerint, sicut cera; sed quia ita fieret, si Deus vellet. Alii exponunt montes fluxisse veluti ceram per apparentiam, quia visi sunt liquescere, et consumi, quamvis revera non consumerentur. Alii volunt, per montes, significari homines superbos, qui in judicio prae timore liquescent instar cerae ante faciem ignis. Illud *omnis terra*, in graeco est, πασης της γης *omnis terrae*, et sic legit sanctus Augustinus, et concordat cum hebraica lectione, quam sic reddit sanctus Hieronymus, *a facie dominatoris omnis terrae*. Fieri potest, ut nostra lectio vitio librariorum sit mutata, quod facillime contingere potuit: uterque tamen sensus est verus, neque est varietas haec alicujus momenti.

6. *Annunciaverunt coeli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.*

Juxta priorem sensum, *coeli annunciaverunt justitiam ejus*, quia ex conspectu solis, lunae et stellarum, et continuis conversionibus eorum, potuerunt homines intelligere Deum esse moderatorem justissimum orbis terrae. Sicut etiam dicitur in psal. 18. *Coeli enarrant gloriam Dei*, et idem affirmat Apostolus ad rom. 1. et sapiens in lib. Sap. cap. 14. Possunt etiam, per coelos annunciatores justitiae Dei, intelligi apostoli, et prophetae, ex quorum praedicatione viderunt omnes populi gloriam ejus, idest, cognoverunt, vel certe cognoscere potuerunt magnitudinem potentiae, bonitatis Dei, ex quibus consequitur gloria, idest, claritas nominis ejus. Juxta sensum posteriorem, significatur his verbis angelica tuba, quae de coelo annunciabit venturum judicem mundi totius, et rigorem justitiae ejus in eos, qui misericordem redemptorem suscipere noluerunt; et tunc videbunt omnes populi gloriam Domini, cum apparebit in nu-

bibus cum omnibus angelis in majestate sua. De hoc adventu scribit Apostolus. 1. Tessal. 4. *Ipse Dominus in jussu, et voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo.* Ipse etiam Dominus Matth. 24. *mittet*, inquit, *Angelos suos cum tuba, et voce magna*, et Apocal. 1. scribit Joan. *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Annunciabunt* ergo *coeli*, idest, angeli de coelo, *justitiam ejus*: qui veniet reddere unicuique secundum opera ejus: *et tunc videbunt omnes populi*, omnes omnino nullo excepto, *gloriam ejus*, quando *omne genu flectetur ei coelestium, terrestrium, et infernorum.* Philip. 2.

7. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.*

Juxta priorem sensum colligit Propheta ex jam dictis, merito confundi debere omnes idolorum cultores, cum jam satis constet unum solum esse verum Deum, qui dominatur, et regnat in coelo, et in terra, quique summa potentia, sapientia, et justitia praeditus gubernat omnia. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia,* quae Dii sunt inanes, et nec se, neque alios juvare possunt, et multo magis confundantur, *qui gloriantur in simulacris*, idest, in idolis *suis*; cum errore decepti glorientur in ea re, ob quam maxime erubescere deberent. Juxta sensum posteriorem, per modum imprecationis praedicitur confusio maxima, quae operiet in die judicii omnes idololatras: tunc enim apertissime cognoscent, idola nihil fuisse, et idolorum habitatores fuisse spiritus immundos, cum quibus ad aeterna supplicia damnabuntur.

8. *Adorate eum omnes angeli ejus; audivit, et laetata est Sion.*
9. *Et exultaverunt filiae Judae propter judicia tua Domine.*

Juxta priorem sensum, ut probet Propheta merito se dixisse, *confundantur qui adorant sculptilia*, convertit se ad angelos, et invitat eos ad adorandum Deum. Si enim angeli, qui sunt nobilissimae creaturae non debent adorari tamquam Dii, sed ipsi Deum adorare debent ut ejus servi: quanto minus daemones, vel idola colenda sunt? *Audivit, et laetata est Sion*, idest, audivit populus Dei, Deum ubique regnare, idolo nihil esse, ipsos etiam angelos subjectos esse Deo nostro: et ideo his auditis valde laetatus est, quod tantum habeat regem. *Et exultaverunt filiae Judae propter judicia tua Domine*, idest, idem populus Dei, qui et nomine Sion, et nomine filiorum Judae intelligitur, exultavit propter judicia tua, idest, quia tu Deus judicas omnes justo judicio. Juxta sensum posteriorem, demonstrat Propheta Majestatem Christi venientis ad judicium ex eo quod in judicio manifeste apparebit Christum vere esse Deum ex ministerio, quod illi exhibebunt omnes Angeli. Astabunt enim angeli ut ministri, eumque adorabunt, et obedient missi ab ipso ad diversa ministeria: ex quo sequetur maxima laetitia, et exultatio in veris fidelibus, cum viderint, tanta gloria coram toto mundo affici Dominum suum. Utitur autem Prophela apostrophe ad angelos, et quasi exhortans ad faciendum, quod sua sponte facturos eos praevidebat. *Adorate*, inquit, *eum*, idest, Christum tribunali sedentem omnes angeli ejus. Confirmat hanc expositionem Apostolus ad hebr. 1. dicens, *et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit, et adorent eum angeli Dei.* Videtur enim Apostolus per illud, *iterum*, significare voluisse secundum adventum Christi, et ad illum adventum applicare ista verba psalmi, *adorate eum omnes angeli ejus*: non enim alibi, similia verba inveniuntur. Certe Theodoretus ex hoc psalmo Apostolum accepisse testimonium illud, diserte affirmat. Quod autem quidam auctor dicit, verba citata ab Apostolo, sumpta esse ex ultimo versiculo cantici Mosis quod habetur in Deuter. capit. 32. non videtur probabile, cum neque in textu hebraico; neque in versione Septuaginta fiat mentio adorationis. Per filias Judae, aliqui intelligunt oppida, subjecta civitati Jerusalem: sed quicquid sit de verbis, certum est, sensum pertinere ad populum Dei electum.

10. *Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.*

Reddit rationem, cur populus Dei exultare coeperit auditis illis, quae dicta sunt: ratio autem est, quia ex illis colligitur, Dominum populi Dei esse vere supremum Dominum, *Altissimum super omnem terram*, idest, super omnes reges, et principes terrae, et elevatum, *et exaltatum nimis*, idest, maxime, super omnes Deos, idest, super omnes angelos, qui sunt Dei per participationem, et super omnes Deos falsos, qui per errorem colebatur a gentibus. Et quamvis haec sint vera juxta priorem sensum, quia variis miraculis Deus noster se superiorem omnibus regibus terrae, et omnibus Diis manifeste probavit: tamen juxta sensum posteriorem, non minus vera, et magis clara sunt. Numquam enim Deus manifestavit gloriam suam apertius, quam faciet in novissimo die, quando, ut supra diximus, omnes omnino homines, et angeli tam boni, quam mali curvabunt genua ante illum.

11. *Qui diligitis Dominum odite malum, custodit Dominus animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.*

Concludit psalmum exhortans populum Dei ad sectandam vitae puritatem et sanctitatem, quae, et in hoc tempore, et in futuro magnum praemium habebit. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Non poterat brevius, et plenius exhortari Propheta sanctus populum Dei electum: nam cum dit, *Qui diligitis Dominum*, appellat omnes vere justos: charitas enim Dei complectitur omnes virtutes: nam *qui diligit, legem implevit, et plenitudo legis est dilectio*, rom. 13. Itaque illud, *qui diligitis Dominum*, significat, o vos omnes, qui vere, non ficte, qui non ore tantum, sed etiam corde, qui secun-

dum legis intimum, non secundum externam superficiem justi, et sancti, et Deum timentes estis. Illud, *odite malum*, comprehendit summam perfectae exhortationis, quoniam non ait, *fugite malum*, vel *declinate a malo*, quod utcumque actu externo fieri potest: sed, *odite malum*, quod nisi corde fieri non potest: Cor autem fons est omnium actionum bonarum, et malarum; ut enim ex corde procedit amor summi boni, ita *ex corde procedunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae*, Matth. 15. Subiungit deinde praemium dicens, *Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos*, idest, custos est Dominus fidelis, et diligens, fortis, et prudens diligentium se, ut vitam ipsorum defendat, et liberet de potestate iniquorum, qui ordinarie inimici sunt hominum justorum. Haec autem promissio impletur quidem in hac vita secundum priorem sensum: quoniam Deus custodit saepe vitam corporalem sanctorum suorum: semper autem custodit vitam spiritualem, quod est beneficium longe majus: et ideo fortasse dixit, *custodit animas*. Facit enim, *ut omnia cooperentur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti*, roman. 8. Sed juxta sensum posteriorem, custodiet animas sanctorum suorum in die novissimo, ut nihil eis noceant accusationes inimici: et perfectissime de manu peccatoris liberabit eos: quia post ultimam illam sententiam nihil amplius poterunt peccatores adversus justos.

12. *Lux orta est justo, et rectis corde laetitia.*

Hoc est alterum praemium justorum, quod non solum liberabuntur a malis, sed etiam implebuntur bonis. Per lucem hoc loco potest intelligi lux favoris divini, vel, quod verius videtur, lumen justitiae, et intelligentiae, de quo dicitur Sap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis, et lumen justitiae non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis*. Dicitur autem lux justitiae, et intelligentiae oriri alicui, quando cognoscere incipit non theorice tantum, sed etiam practice justum, et injustum, bonum, et malum: et illud judicat, et eligit quod vere justum, et bonum est, non quod apparet justum, et bonum menti male affectae ex perturbatione passionum. Haec igitur lux orta est justo, sine qua non esset justus, et quia gaudium est justo facere justitiam, ut Philosophus docet, recte subjungitur, *et rectis corde laetitia*: justitia enim dirigit cor, et recto cordi ineffabilis infunditur laetitia ex eo quod conforme redditur voluntati Dei, et omnia ei placent, quae placent Deo, a cujus nutu pendent omnia. Itaque nihil est, quod justum contristare possit; sed inter ipsas etiam gravissimas tribulationes gaudet, et gaudium ejus nemo tollit ab eo. In hebraeo legitur, *Lux seminata est justo*: sed corrupta videtur litera hebraica unius literae munitione, nam, זרע *zarah*, significat, *seminare*, et sic legitur hodie: זרח *zarach*, significat, *oriri*, et sic legerunt septuaginta Interpretes, et sanctus Hieronymus, et idipsum confirmat ratio metaphorae, non enim lux recte dicitur seminari, sed oriri rectissime dicitur. Itaque lectio nostrae vulgatae editionis non est corrigenda ad hebriacam; sed contra, hebraica ad nostram.

13. *Laetamini justi in Domino, et confitemini memoriae sanctificationis ejus.*

Hoc sequitur ex iis, quae dicta sunt in superiori versiculo. Si enim laetitia orta est rectis corde; utique hoc sequitur, *ut recti corde*, id est, justi laetentur non in vanitatibus saeculi, in quibus laetantur injusti; sed *in Domino*, qui eis justitiam, et laetitiam donat, imo qui est ipsorum gaudium verum, et solidum, cum sit lux pulcherrima oculis interioribus, et dulcedo maxima interno palato. Nec solum *laetari debent justi in Domino*, sed etiam, *confiteri memoriae sanctificationis ejus*, idest, laudibus celebrare memoriam sanctificationis a Deo acceptae: non enim decet unquam oblivisci tanti beneficii, quo Deus nos ex impiis, et iniquis sanctos, et justos effecit. Potest etiam per sanctificationem intelligi sanctitas Dei, qua ipse sanctus est, quae est summa, et excellentissima sanctitas. Unde dicitur Isaiae 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Est autem, confiteri memoriae sanctitatis Dei, cum laudibus semper recordari Deum nostrum sanctissimum esse, ac per hoc debere nos summo studio sanctitati studere, *haec est enim voluntas Dei sanctificatio nostra*, 1. Thessal. 4. *Et sancti estote* (inquit Dominus) *quoniam ego sanctus sum*, Levit. 11. et 1. Petri 1.

PSALMUS XCVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus ipsi David.

In hebraeo non habetur nomen Davidis, sed simpliciter legitur, *psalmus*. Quis addiderit, *ipsi David*, ignoratur: credibile est septuaginta Interpretes addidisse. Argumentum est idem fere quod psalmi nonagesimi quinti. Praedicit enim David Christi adventum primum, et secundum; illum ad salvandum, istum ad judicandum.

EXPLICATIO PSALMI XCVII.

1. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.*

Invitat homines ad Deum laudandum ob mirabilia, quae fecit. *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum*, quia videlicet novum offertur argumentum carminis, nec solum novum, sed magnum, et admirabile. *Quia mirabilia*, inquit, *fecit Dominus*: mirabiliter enim, et novo modo conceptus de Spiritu sancto, natus de Virgine peccatum nullum fecit, peccatores justificavit, surdos fecit audire, et mutos loqui, quin etiam caecos videre, claudos ambulare, aegrotos bene valere, mortuos vivere, et quod omnium est maxime novum, et mirabile, mortuus ipse se tertia die vivum exhibuit, coelum cum corpore penetravit, Spiritum sanctum de coelo misit per homines idiotas et viles, sapientibus, et prudentibus persuasit crucifixum colere, praesentia spernere, futura desiderare: denique (ut loquitur s. Augustin.) domuit orbem, non ferro, sed ligno. Possunt etiam haec referri ad Deum patrem, qui in filio suo, et per filium suum haec mirabilia fecit: ait enim Dominus Joann. 14. *Pater in me manens ipse facit opera.*

2. *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.*

Explicat quae sint illa mirabilia; et proponit unum, in quo continetur omnia. Hoc mirabile fecit Dominus, quod ipse solus virtute sua salvavit Mundum, non egut sociis, non exercitu, non armis: ipse solus principem mundi ejecit foras, et universitatem generis humani de ipsius potestate liberavit. Hic finis erat omnium mirabilium, quae paulo ante numeravimus, ac per hoc in isto uno intelliguntur omnia. Illud, *salvavit*, potest referri ad Filium, qui sua virtute mundum salvavit; et ad Patrem, qui per dexteram suam, idest, per Christum mundum salvavit: sed in idem recidunt omnia. Illud, *sibi*, secundum hebraicam phrasim idem significat, quod ipsa, ac si dixisset propheta, Dextera ipsius ipsa salvabit, sive ipsa salutem mundi operata est. Sic legimus in canticis cap. 1. *Abi post vestigia gregum tuorum*, ubi est in hebraeo, ולכי לך *ulchi lach*, *abi tibi*, et cap. 2. *imber abiit* sibi: sed illud, *tibi*, et illud, *sibi*, omissum est ab interprete, quia redundat, et in ipso verbo subintelligitur. Sed Isaiae 59. expressit interpres illud, *sibi*, cum ita vertit, *salvavit sibi brachium suum*, et capit. 63. *salvavit mihi brachium meum.* Alii tamen volunt illud, *sibi*, positum esse pro eum, ut sensus sit, *salvavit eum dextera ejus*, quia propria virtute resurrexit a mortuis. S. Augustin. refert illud, *sibi*, ad Christum, ut ad finem, ut sensus sit, salvavit Christus homines, sed sibi, idest, ad gloriam suam. Omnes sunt expositiones verae, sed prima est maxime litteralis. Quod additur, *et brachium sanctum ejus*, est repetitio, et declaratio praecedentium; idem enim est dextera, et brachium, idest, virtus, et potentia; sed additur, *sanctum*, ut intelligamus, robur hujus brachii non esse aliquid carnale, sed spirituale: non enim Christus armis, aut viribus corporis hostem dejecit, sed charitate, et patientia, humilitate, et obedientia, meritis vitae sanctissimae, sanguine pretioso ex charitate fuso; non hasta, et gladio victoriam de hoste potentissimo reportavit. Sic enim ait apostolus Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

3. *Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam.*

Potest hic etiam versiculus referri ad Patrem, qui *notum fecit salutare suum*, idest, Salvatorem, quem misit primo per prophetas, deinde per apostolos; et per eosdem *revelavit justitiam suam.* Potest etiam referri ad ipsum Filium, qui salutem, quam operatus est, ipse idem per se, et suos notam fecit: praedicavit enim ipse palam totos tres annos, et amplius: deinde misit apostolos, qui omnibus gentibus evangelium annunciaverunt. Itaque Dominus ipse praedicando, *notum fecit salutare suum*, idest, salutem suam attulerat, et dabat credentibus in eum; deinde *in conspectu gentium*, per apostolos suos, *revelavit justitiam suam*, idest, mysterium absconditum, et velatum a saeculo revelavit, et manifestavit gentibus: est autem hoc misterium justitia sua, id est, adimpletio promissionis olim facta patribus de redemptione generis humani. Sic enim intelligendam puto hoc loco justitiam, quoniam in versu sequenti declaratur haec justitia per nomen veritatis, ut mox videbimus. Si quis tamen velit per justitiam accipi hoc loco satisfactionem Christi ex rigore justitiae pro peccatis totius mundi, non repugno: sive haec referantur ad Patrem, sive ad Filium. Vere enim Pater per passionem Filii, et Filius per passionem suam, revelavit, quanto zelo punienda sit iniquitas, et quanto rigore justitiae eam ipse expiare voluerit. De hoc mysterio scribit Apostolus ad Ephes. 3. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo.*

4. *Recordatus est misericordiae suae, et veritatis suae domui Israel.*

Reddit rationem, cur Deus notus fecerit salutare suum, et revelaverit justitiam suam. Ratio autem est: quia promiserat hoc Patribus, et quamvis aliquamdiu distulerit implere: tandem tamen recordatus est, idest, fecit, quod faciunt ii, qui recordantur: non enim in Deo cadere potest oblivio, sed metaphorice dicitur recordari, cum implet, quod distulerat implere, quasi oblitus esset. Eadem metaphora utitur passim scriptura, ut Gen. 8. *Recordatus est Dominus Noe*: et Luc. 1. *Recordatus misericordiae suae. Recordatus est* igitur Deus Pater *misericordiae suae*, qua promisit Patribus Salvatorem: et *recordatus est* Deus Filius *misericordiae suae*, qua venturum se esse pollicitus est: et simul recordatus est uterque *veritatis suae*, idest, fidelitatis, et justitiae in adimplenda promissione. Addit Propheta, *Domui Israel*, promissio enim domui Israel facta est non gentibus: tametsi gentium quoque misereri Deus decreverat, et per Prophetas saepe praedixerat. Hinc Dominus Matth. 15. dicit, *Non sum missus, nisi ad oves quae perierunt domus Israel*; et Apostolus rom. 15. *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gentibus Domine.*

5. *Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.*

Hic declaratur fructus praedicationis Apostolicae, non enim frustra notum fecit Dominus per evangelicam praedicationem salutare suum. Audierunt enim gentes praedicatores Dei, et crediderunt, atque eo modo purificato cordis oculo per fidem, et experimentum gratiae, *viderunt omnes termini terrae*, idest, tota terra usque ad terminos suos, *salutem*, sive *salvatorem.* Illud, *viderunt*, energiam habet: significat enim fidem actualem, cum notitia conjunctam, quae movet voluntatem ad amandum, et desiderandum: non enim dici possunt vidisse salutare Dei, qui fide habituali contenti de Salvatore non cogitant, neque de salutare (quae ab ipso est) acquirenda solliciti sunt. Illud, *omnes termini terrae*, non significat omnes, et singulos homines, sed multos ex omni natione, et gente.

6. *Jubilate Deo omnis terra, cantate, et exultate, et psallite.*

Signum fidei est gratias agere Deo, et prae laetitia spirituali exultare, et jubilare. Sic ille, qui invenit thesaurum, Matth. 13. *abiit, et prae gaudio vendidit omnia, quae habuit.* Sic Act. 8. cum praedicasse Philippus in Samaria, et recepissent Samaritani Verbum Dei; *factum est gaudium magnum in illa civitate*, et ibidem conversus, et baptizatus *Eunuchus ibat per viam suam gaudens.* Sic. 1. Petri 1. *Credentes exultantis laetitia inenarrabili, et glorificata.* Hoc igitur gaudium praedicit nunc propheta per modum invitantis, et cohortantis. *Jubilate*, inquit, *omnis terra*, idest, omnes fideles ex universa terra conversi de tenebris ad lumen admirabile, ad notitiam veri Dei, et salvatoris Jesu Christi, magna voce laudate, et gratias agite, cantate linguis, exultate animis, psallite moribus: et quia mores, sive virtutum opera multiplicia sunt: ideo multa hic subjiciuntur genera instrumentorum.

7. *Psallite Domino in cithara, in cithara, et voce psalmi, in tubis ductilibus, et in voce tubae corneae.*

Quatuor istrumenta numerantur, quibus Deo psallere debent, qui viderunt salutare Dei per fidem, et videre cupiunt per speciem, cithara, psalterium (idem enim significat, in voce psalmi, et in sonitu psalterii) tuba cornea. Haec instrumenta erant in usu apud hebraeos secundum litteram: sed a nostris varie explicatur eorum significatio spiritualis. Mihi videntur posse satis commode applicari quatuor virtutibus cardinalibus: cithara prudentiae, psalterium justitiae, tuba ductilis fortitudini, tuba cornea temperantiae. Cithara variarum chordarum sonos miscens unum dulcem con-

centum efficit: Sic prudentia varias circumstantias operis boni conjungens perfectum opus reddit. Psalterium decem chordis instructum decalogum nobis repraesentat, idest, omnia praecepta justitiae. Tuba ductilis malleorum ictibus extenditur, et formatur, ut sonum suavissimum edat. Sic fortitudo, tribulationes, et angustias patienter ferendo ita extendit, et perficit hominem Dei, ut suavem illum sonum edat cum sancto Job, *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* cap. 1. Denique temperantia quasi durum cornu carnem mollem excedens, et superans; idest, corpus castigans jejuniis, atque vigiliis, et in servitutem spiritus redigens, tubam spiritualem efficit: qualis erat praecursor Domini, qui melle sylvestri, et locustis contentus, et pilos camelorum indutus; ac zona pellicea praecinctus dicebat, *Ego vox clamantis in deserto.* Matth. 3. qualis et beatissimus Paulus, qui diuturna temperantiae exercitatione edoctus, dulcissimos illos edebat sonos. 1. Cor. 6. *Habentes victum, et quibus tegamur, his contenti simus*, et 1. Tim. 4. *Esca ventri, et venter escis, Deus autem hunc, et has destruet*, et vere *magnus quaestus est pietas cum sufficientia.*

8. *Jubilate in conspectu regis Domini: moveatur mare, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.*

Quoniam adventus Domini communiter omnibus utilis erit, ideo Propheta invitat ad jubilandum, non solum terram in generi, sed omnes partes ejus. *Jubilate*, inquit, *in conspectu Regis Domini*, idest, cum advenerit rex magnus, qui Dominus omnium est, utpote verus Deus, *jubilate in conspectu ejus*, idest, ipso vidente, et audiente. *Moveatur ergo mare* motu exultationis, ac si sensu praeditum esset, et simul exultet *plenituto ejus*, idest, quicquid in eo est aquarum, insularum, piscium. Moveatur quoque simili exultationis motu *orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*, idest, omnes homines, quia Dominus Salvator est omnium hominum, maxime fidelium, ut Apostolus loquitur, 1. Timoth. 4. Et s. Leo. serm. 1. de natali Domini, Pro liberandis omnibus venit.

9. *Flumina plaudent manibus, simul montes exultabunt a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram.*

Mare, et terram invitavit: invitat nunc flumina, et montes, ut similiter signa laetitiae edant: sed de mari dixit, *moveatur mare*, et in Hebraeo, ירעם הים *irham haiam*, *tonet mare*, idest, magno fremitu quasi tonet: de fluminibus dicit, *Flumina plaudent manibus*; quia sonitus fluminum multo levior est quam fremitus majus; proinde recte ille comparatur tonitruo, iste complosioni manuum. Quod autem dicitur, *montes exultabunt*, in hebraeo est, הרים ירננו *harim jerannenu*, *montes laudabunt*; sed omnia sunt metaphorica, sive dicantur montes exultare, sive laudare; et semper idem significant, videlicet prophetam ex amore, et desiderio erga Messiam venturum, optare, ut omnes res creatae laetentur, et laudent eo modo, quo possunt. Illud, *quoniam venit judicare terram*, potest referri tam ad primum, quam ad secundum adventum, ut diximus in explicatione psalmi nonagesimiquinti. Si ad primum adventum referatur, sensus erit, *exultent, et laetentur terra, et mare, montes, et flumina, quoniam Dominus venit judicare*, idest, regere, et moderari optimis, et justissimis legibus orbem terrarum non solum, ut olim majestate invisibilis divinitatis; sed etiam corporali, et visibili forma, *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*, ut dicitur ad Philipp. 2. Si referatur ad secundum, sensus erit, *exultet terra et mare, montes, et flumina, quoniam Dominus venit judicare terram*, et exterminabit omnes peccatores de ea, et renovabit omnia elementa, *et liberabit ea de servitute corruptionis sub qua nunc ingemiscunt, et parturiunt*, ut ait Apostolus ad Rom. 8.

10. *Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in aequitate.*

Haec conclusio eadem est cum conclusione psalmi nonagesimiquinti, excepto ultimo vocabulo. Ibi enim erat, *in veritate*, hic est, *in aequitate*, et per aequitatem intelligitur hoc loco *directio*, sive *rectitudo*, ut sonat vox hebraica, במישרים *bemesciariam*, et est repetitio, sive declaratio vocabuli justitiae. Quod enim dixit, *in justitia*, repetit, et declarat, cum dicit, *in aequitate*, sive rectitudine: quemadmodum quod dixit, *orbem terrarum*, repetit, et declarat cum dicit, *populos*. Itaque sensus est, *Judicabit orbem terrarum*, idest, omnes populos, *in justitia*, idest, in rectitudine judicii, in quo nihil erit obliquum, nihil iniquum.

PSALMUS XCVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus ipsi David.

In hoc psalmo nullus omnino titulus est apud hebraeos: apud graecos, et latinos titulus est, *psalmus ipsi David*, quem eumdem titulum invenimus in psalmo superiore. Argumentum est cohortatio prophetae ad agnoscendum regnum Dei, eumdemque Deum adorandum, et invocandum, ut fecerunt magna cum sua utilitate Moses, Aaron, et Samuel. Est autem duplex sensus in verbis hujus psalmi; unus deserviens tempori Davidis, cum regnum stabilitum esset in domo David, neque enim negari potest, quin in hoc psalmo sermo sit de vero monte Sion, de vera arca Dei, de Patribus illis, qui hic nominantur. Alter sensus est de regno Christi, de sacrosancta ejus ecclesia, et de glorioso corpore ejus: quorum typi fuerunt regnum David, mons Sion, et arca testamenti. Utrumque sensum breviter aperiemus, ut fecimus in explicatione psalmi 96.

EXPLICATIO PSALMI XCVIII.

1. *Dominus regnavit, irascantur populi: qui sedet super Cherubim, moveatur terra.*

Juxta priorem sensum significatur in hoc primo versiculo, stabilitum fuisse regnum Dei in Jerusalem tempore Davidis, quantumvis inimici ejus idololatrae indignarentur, et turbarentur. *Dominus*, inquit, *regnavit*, idest, jam Dominus expulsis Jebusaeis, et Chananaeis idololatris regnum suum stabilivit in Jerusalem. Quamvis enim David rex esset, tamen sub Deo regnabat, et ipsi Deo principaliter regnum suum attribuebat. *Irascantur populi*, idest, *Dominus regnavit* invitis, et repugnantibus populis idololatris; *regnavit*, inquam, quantumvis irascantur, et indignentur populi: vel, ut exponit sanctus Augustinus, prophetia est, non jussio, et sensus est, *regnavit Dominus, irascentur populi*, qui regnum ejus ferre non possunt. *Qui sedet super Cherubim, moveatur terra*, idest, ille Dominus regnavit, qui sedet super Cherubim, moveatur licet, et turbetur terra. Dicitur Dominus ad litteram sedere super Cherubim, quia sedem sibi elegerat propitiatorium, quod sustinebatur a duobus Cherubim lignis, sed deauratis, sub quibus erat arca, quasi scabellum pedum Domini. Dicebatur autem Dominus sedere invisibiliter in propitiatorio, quia inde responsa dabat. Unde dicitur 1. Paralip. 13. *Arca Dei sedentis super Cherubim.* Sed altiore sensu dicitur Deus sedere super Cherubim, quia praesidet spiritibus angelicis: vel, ut sanctus Augustinus exponit, quia Cherubim interpretantur plenitudo scientiae, et Deus supereminet omnem scientiae plenitudinem. Ubi etiam monet, posse nos fieri Cherubim, et habere in nobis praesidentem Deum, si habuerimus plenitudinem scientiae, non cujuscumque, sed ejus, quam in nobis Deus requirit, quae est scientia voluntatis ejus, idest, scientia legis ipsius. *Et quoniam plenitudo legis est dilectio*, ut ait Apostol. rom. 13. tunc erimus Cherubim, et habebimus praesidentem Deum, si dilectionem habuerimus, sicut scriptum est, anima justi sedes est sapientiae. Illud *moveatur terra*, declaratio est verborum praecedentium, *irascantur populi*. Voluit enim Spiritus sanctus ostendere, eos qui irascuntur contra Deum nihil esse, nisi terram, et ideo nihil posse adversus Deum, qui sedet in coelo super Cherubim, neque esse timendos a nobis, si et ipsi fuerimus Cherubim, et Deum in nobis sedentem habuerimus. Juxta sensum posteriorem significatur hoc loco, regnum Christi declaratum post ejus resurrectionem et ascensionem: tunc enim praedicari coepit per omnem terram, et continuo irati sunt populi, et commota est terra pugnantibus pro idolis suis contra Dominum suum: sed illis invitis, et repugnantibus regnavit Dominus Christus, et contrita sunt idola. Quamvis autem ira populorum infidelium videatur praevaluisse adversus corpora sanctorum martyrum: revera tamen non praevaluit: quoniam corpora illa reformabuntur ab eo, qui mortem in se ipso occidit; et vivent in aeternum: idola vero semel contrita numquam reficientur.

2. *Dominus in Sion magnus, et excelsus supra omnes populos.*

Juxta priorem sensum redditur ratio, cur frustra irascantur populi adversus Deum, qui regnum suum stabilivit in Sion. Ratio enim est, *quoniam Dominus in Sion*, regnans, *magnus* est, *et excelsus super omnes populos*, idest, excellit omnes

magnitudine, potentia, et sapientia, ut nullo modo superari possit. Juxta sensum posteriorem significatur, Christum, qui regnat in ecclesia tum militante, tum triumphante, quae per Sion, et Jerusalem intelligitur, magnum esse, et excelsum super omnes populos, ut nullus ei resistere valeat.

3. *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, et sanctum est, et honor regis judicium diligit.*

Juxta utrumque sensum hortatur Propheta populos, ut non solum non irascantur adversus Dominum, sed potius ad illum conversi laudibus celebrent nomen ejus, *quoniam terribile, et sanctum est.* Dicitur autem nomen Domini terribile, et sanctum, quoniam nomen est judicis, sive regis potentissimi, et justissimi: et quia potentissimi regis nomen est, terribile est, et quia justissimi, sanctum, ac venerabile. Id quod sequitur, *Et honor regis judicium diligit*: est quasi ratio quaedam, cur nomen Dei, sive Christi sit terribile, et sanctum, hic enim est sensus, terribile et sanctum est nomen Domini, qui rex justissimus est, quoniam dignitas regia, vel sanctitas regia vel auctoritas regia id proprie requirit, ut rex judicium diligat, hoc est, amore justitiae recte judicet, non timore, aut necessitate aliqua, vel passione coactus. Itaque illud, *et*, ponitur pro, *quia*, ut alibi passim in scripturis. Illud autem, *honor regis*, significat regiam dignitatem, sive auctoritatem vox enim hebraea, עֹז *hoz*, multa significat, robur, auctoritatem, honorem, sanctitatem, substantiam, et similia.

4. *Tu parasti directiones, justitiam, et judicium in Jacob tu fecisti.*

Ostendit verum esse, quod paulo ante dicit, *honor regis judicium diligit*: ostendit autem per apostrophen ad Deum, sive Christum, quasi dicat, vere tu, ut rex optimus, et justissimus justitiam diligis: nam *tu parasti directiones*, idest, leges rectissimas, et ad dirigendos mores hominum aptissimas parasti, et confirmasti: et praeterea tu non solum leges ferendo, sed etiam judicia rectissima exercendo demonstrasti, te *justitiam* diligere: nam, *In populo tuo Jacob justitiam, et judicium fecisti*, puniendo peccata: et remunerando benefacta, cujus rei multa sunt exempla in utroque testamento: quamvis enim ad tempus patiatur Deus pios affligi, et impios exaltari: tamen postea pios liberat, et coronat; impios damnat, et cruciat, saepe hic in terris, semper autem in saeculo futuro.

5. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.*

Ex his colligit Propheta adorandum esse Deum, et hortatur ad id studiose faciendum, et quidem juxta priorem sensum hortatur ad Deum adorandum non solum in seipso, sed etiam in arca foederis, quae scabellum erat pedum ejus: sic enim legimus 1. Paralip. 28. *Ut requiescat arca Domini et scabellum pedum ejus.* Neque mirum est, quod arca dicatur scabellum pedum Domini, cum propitiatorium, quod sustentabatur a duobus Cherubim, esset sedes Dei, ut in primo versiculo dictum est: erat enim arca sub ipso propitiatorio, quasi scabellum subpedaneum sub solio. Ait igitur, *exaltate Dominum Deum nostrum*, corde videlicet, et voce laudando, et magnificando majestatem ejus: *et adorate scabellum pedum ejus*: corpore scilicet incurvantes, et prosternentes vox ad arcam foederis, quae est scabellum pedum ejus. *Quoniam arca*, sive scabellum hujusmodi *sanctum est*, propter relationem ad Deum, cui dicata est, et propter ejus honorem adorantur. Ex hoc loco satis aperte colligitur adversus haereticos nostri temporis, res sacras, ut imagines Christi, et sanctorum, reliquias eorumdem, et altaria, sacra vasa, et similia propter relationem ad Deum, vel sanctos, sanctas esse, et honoraria adoratione dignas. Neque obstat, quod in hebraeo ad verbum legatur, *adorate ad scabellum*, non, *adorate scabellum*: Nam vox hebraica, הִשְׁתַּחֲווּ *istachavu*, pro qua habemus, *adorate*, significat proprie prosternere se: idem est autem, prosternite vos ad sdabellum, et adorate scabellum. Neque etiam obstat, quod in graeco legatur, *Quoniam sanctus est*, non autem *quoniam sanctum est*, nam vox hebraica, קָדוֹשׁ הוּא *adosch hu*, ambigua est potest referri ad scabellum, et verti, *Quoniam sanctum est*: et potest etiam referri ad Deum, et verti, *Quoniam sanctus est*: utroque autem modo significatur, scabellum esse adorandum propter relationem ad Deum, qui sanctissimus est; et sanctitatem impertit iis, quae ad eum pertinent, quatenus ipsius sunt. Nostra autem lectio reprehendi non potest: nam s. Hieron. in commentario, ubi exponit psalmos juxta versionem Septuaginta, legit in textu, et in commentario, *Quoniam sanctum est*: et s. Augustinus quamvis uno in loco legat, *quoniam sanctus est*; tamen in textu, et in commentario pluribus in locis legit, *Quoniam sanctum est*, ex quo intelligimus, graecum textum varium fuisse. Neque obstat, quod in fine psalmi dicatur, *Quoniam sanctus Dominus Deus noster*: nam in fine psalmi non dicitur, adorate montem, sed *in monte*: et jam dictum erat, *In monte sancto*, unde non erat opus iterum repetere, quoniam sanctus mons est. Juxta sensum posteriorem, hortatur Propheta, ut omnes adorent humanam Christi naturam, quae scabellum est divinitatis longe nobiliore modo, quam esset arca lignea. In illa enim erat verbum Dei scriptum in tabulis lapideis, in hac autem est ipse Deus verbum: illi conjunctae erant tabulae legis sola unione extrinseca, quia continebantur in illa, ut in vase: isti unitum est verbum hypostatice, ut vere dictum sit a Joanne cap. 1. *Verbum caro factum est.* Neque solum adorandam esse Christi humanitatem, ut est in propria forma, sed etiam ut latet sub speciebus sacramentalibus in Eucharistia docent ex hoc loco psalmi s. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. et

s. Augustinus in explicatione hujus versiculi. Ex quo refellitur alius error haereticorum; qui negant, Christum in Eucharistia esse adorandum.

6. *Moyses, et Aaron in Sacerdotibus ejus et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.*

Hic jam ponit Propheta exemplum, quod imitemur, trium insignium virorum, qui Dominum exaltaverunt, et adoraverunt scabellum pedum ejus, atque adorantes invocaverunt Dominum, et audivit eos Dominus, et mirabilia per eos operatus est. Nominat autem tres principes viros, qui super omnes eminuerunt post rempub. Judaicam constitutam; Moses enim fuit summus Princeps politicus, et summus sacerdos hebraeorum, Aaron fuit summus sacerdos tantum. Samuel summus princeps politicus tantum. Quamvis enim nonnulli patres Samuelem sacerdotem appellent, ut sanctus Ignatius in epist. ad Magnerianos, sanctus Cyprianus in epist. 65. ad Rogatianum, s. Athanasius in homil. de semente, s. Joannes Chrysostomus homil. 2. in epist. 2. ad Timotheum, et s. Augustinus lib. 17. de civit. Dei cap. 4. et lib. 2. retract. cap. 43. et in explicatione hujus psalmi: contra tamen s. Hieron. lib. 2. in Jovinianum, et auctor quaestionum veteris Testamenti (apud Augustinum tom. 4.) quaest. 46. constanter docent, Samuelem non fuisse sacerdotem, sed simplicem levitam, et probant his argumentis. Primo, quia non erat de filiis Aaron, ut manifestum est ex genealogia ipsius lib. 1. Paralip. cap. 6. vers. 34. quae est conformis genealogiae patris sui Elcanae lib. 1. reg. 1. vers. 1. constat autem solum posteros Aaronis, fuisse sacerdotes: caeteros vero levitas, ministros sacerdotum. Num. 16. et 18. Deinde quia Samuel ministrabat amictus ephod lineo, ut patet ex lib. 1. reg. cap. 2. Is vero habitus proprius erat levitarum, non sacerdotum. Tertio quia Elcana pater Samuelis erat levita, non autem sacerdos. Quarto, quia David in hoc psalmo distinguit Samuelem a Mose, et Aaron sacerdotibus, dum eum non numerat in sacerdotibus, sed in iis, qui invocabant nomen Domini, idest, qui studiose Deum colebant et invocabant pro se, et populo.

7. *Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.*

Ostendit, viros istos fuisse amicos Dei: nam invocabant Dominum pro se, et pro populo, et ipse ut amicos fideles exaudiebat eos. Id constat ex testimonio scripturarum, de Mose quidem Exod. 31. de Aaron. Num. 16. de Samuele 1. reg. 7. Quod autem in columna nubis loqueretur Deus ad Mosem, constat ex lib. Exod. c. 33. quod etiam ad Aaronem, constat ex lib. Num. cap. 12. de Samuele nusquam legitur. Itaque vel illud, *Loquebatur ad eos in columna nubis*, intelligendum est, ad aliquos eorum: vel, ut exponit s. Augustinus, per columnam nubis significatur obscure locutio, quomodo certum est, ad Samuelem quoque Deum esse loquutum. Nam 1. reg. 3. Deus in tenebris noctis Samueli loquebatur, ita ut vocem Dei loquentis audiret, neminem autem loquentem videret.

8. *Custodiebant testimonia ejus, et praeceptum quod dedit illis.*

Haec est ratio cur Deus prompte audiret Mosem, Aaronem, et Samuelem, quoniam obedientes erant imperio ejus. Nam, ut Dominus ait in evangelio. Joann. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, ideo qui vult audiri a Deo in orationibus suis, debet audire Deum in praeceptis ipsius. *Custodiebant*, inquit, *testimonia ejus*, idest, omnia mandata, quae communia erant omnibus. *Et praeceptum quod dedit illis*, id est, non solum custodiebant praecepta communia toti populo de non colendis idolis, de sanctificando sabbato, de parentibus honorandis, de non occidendo, non moechando, et caetera ejusmodi; sed etiam praeceptum de recte gubernanda, et docenda multitudine, quod proprie ad ipsos, ut principes populi, pertinebat. Principes enim non sunt exempti a praeceptis divinis, imo debent in iis custodiendis toti populo praelucere.

9. *Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.*

Haec verba dupliciter exponi solent. S. Augustinus ita exponit, ut velit hic significari viros etiam perfectos in conspectu hominum, habere aliquid purgandum coram Deo, et Deum hoc ipso benevolentiam erga illos ostendere, quod non sinit impunita eorum errata, quamvis levia. Ponit exemplum in opificiis, quae oculis imperitorum videntur omnino perfecta, et tamen ab artifice adhuc poliuntur, quoniam aliter judicat peritus artifex, aliter imperitus inspector. Sic igitur exponit s. August. *Domine Deus noster tu exaudiebas eos*, cum juxta peterent: *Deus tu propitius fuisti*, facilis ad ignoscendum cum in te peccarent: *et ulciscens in omnes adinventiones eorum*, non sines impunita peccata eorum, Quia vero Samuelis peccatum nullum legitur in scriptura, ut neque etiam aperta vindicta, sanctus Augustinus recurrit ad communem poenam omnium Praelatorum sanctorum, quam patiuntur dum vident peccata populorum, et coguntur tolerare infirmitates eorum, et cum Apostolo 2. Cor. 11. dicere, *quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Posset etiam dici, quod hic legimus de propitiatione, et vindicta peccati, referendum esse ad Mosem, et Aaronem tantum, quemadmodum ad eos tantum proprie referendum est quod supra dictum est, *In columna nubis loquebatur ad eos*. Nam Mosis, et Aaronis peccatum, et poena peccati legitur Num. 20. ubi cum nonnihil haesitassent in educenda aqua de petra; dixit Dominus ad Mosem, et Aaron: *quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam ego dabo eis.* Altera expositio est graecorum, Theodoreti, et Euthymii, qui non

admittunt hoc loco reprehendi ullo modo Mosem, Aaronem, et Samuelem. Sic igitur exponunt, *Deus tu prophitius fuisti eis*, quando te invocabant pro peccato populi, nam in eorum gratiam toti multitudini parcebas: *et ulciscens in omnes adinventiones eorum*, idest, et ulciscens fuisti omnes injurias, quasi ipsi patiebantur ab iniquis, qui adinveniebant varias calumnias, et insidias adversus sanctos principes suos. Ubi illud, *adinventiones eorum*, volunt accipi passive, idest, *adinventiones*, quas Mosem, Aaron, et Samuel, non faciebant, sed patiebantur. Utraque expositio probabilis est, sed prior videtur simplicior, et facilior.

10. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster.*

Concludit Propheta repetens versiculum quintum, quoniam in hoc versiculo continetur summa totius psalmi, sive finis, et quasi scopus, quo omnia diriguntur. Hoc solum interest, quod in quinto versiculo dicebatur, *adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*: hic dicitur, *adorate in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster:* in hebraeo, sicut in quinto versiculo, dicebatur ad verbum, *prosternite vos ad scabellum pedum ejus*, idest, ad arcam: ita hic dicitur, *prosternite vos ad montem sanctum ejus*: et potuisset latine verti, *adorate montem sanctum ejus*, idest, montem Sion, ubi erat tabernaculum, et arca. Sed latinus interpres imitari voluit graecam interpretationem: graeci enim de scabello dixerant; προσκυνειτε τω υποποδιω, *Adorate scabellum*: de monte autem dixerant προσκυνειτε εις εροϛ *adorate in monte*. Nec solum graeci, sed etiam s. Hieronymus in sua versione ex hebraeo posuit, *Adorate scabellum*: et postea, *Adorate in monte sancto ejus.* Quare credere debemus versiculum hebraicum non debere in utroque loco eodem modo accipi: et retinendam esse lectionem vulgatae latinae editionis, quae et a graeca septuaginta Interpretum, et a S. Hieronymo testimonium habet. Igitur juxta priorem sensum hortatur David Hebraeos, ut adorent Dominum in monte Sion, ubi erat tabernaculum, et ubi futurum erat templum. Juxta sensum posteriorem hortatur christianos, ut adorent Deum in ecclesia catholica, quae mons est sanctus, et Sion spiritualis, et fugiant conventicula schismaticorum, et haereticorum: quoniam sanctus est Dominus Deus noster, ac per hoc odit montes pollutos sordibus falsarum religionum, et sicut ipse sanctus est, ita in monte sancto, in coetu fidelium adorari vult.

PSALMUS XCIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus in Confessione.

Huic titulo, qui est in hebraicis codicibus, graeci addunt nomen *Davidis*. Argumentum ex titulo cognoscitur. Hortatur enim Propheta populum Dei, ut frequenter, et diligenter Deo confiteatur confessionem laudis, tum quod Deus nos condiderit, tum quod pascat, tum quod dulcissima sit ejus commemoratio, et perpetua erga nos ejus misericordia, et fidelitas.

EXPLICATIO PSALMI XCIX.

1. *Jubilate Deo omnis terra: servite Domini in laetitia.*

Jubilare, ut saepe diximus, est magna, et laeta voce laudare; servire autem in laetitia, est non ex timore, sed dilectione obedire. *Jubilate Deo omnis terra*, idest, omnes qui Deum verum colitis, ubicumque sitis in universa terra, Deum laudate: nam et boni, et mali sunt in universa terra, admixta enim sunt zizania tritico, et spinis lilia. Et sicut in universa terra blasphemant, et murmurant contra Deum mali, si quid eis non pro voto successerit; ita par est, ut in universa terra laudent, et benedicant Dominum boni, quidquid illis acciderit: *quoniam omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti*, teste beato Paulo Roman. 8. *Servite Domino in laetitia*, idest, servite obediendo Deo, non coacte, sed spontanee, non cum amaritudine, ut mancipia; sed cum laetitia ut liberi: nam ut pulchre dicit s. Au-

gustinus, Veritas nos liberavit, sed charitas servos fecit: et qui servit ex charitate, cum laetitia servit. Causa vero potissima, cur Deo cum laetitia serviendum sit, ea est, quia summa praeceptorum ejus dilectio est, et dilectione nihil dulcius: accedit, quod servitus Dei nobis utilis est, non Deo, ut vere dictum sit, *servire Deo regnare est.*

2. *Introite in conspectu ejus in exultatione.*

Ubique quidem Deum laudare debemus, sed praecipue cum intramus in domum ejus, quae domus orationis est, ubi et ipsum Deum in sacris rebus conspicimus, et ipse nos speciali providentia respicit, et audit juxta illud 1. Paral. 7. *Erunt oculi mei aperti, et aures meae erectae ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.* Idcirco igitur monet Propheta, *Introite in conspectu ejus* in domum Dei, ubi peculiari modo conspicitis Deum; et conspicit vos Deus; sed introite in exultatione cordis, animo erecto, et inflammato, ut Deus vos prae desiderio sui exultantes videat.

3. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos.*

Ad excitandam devotionem, quae in domo Dei requiritur nihil magis prodest, quam attenta consideratio magnitudinis Dei, et beneficiorum ejus. *Scitote*, inquit, *quoniam Dominus ipse est Deus*, id est, considerate, et attenta cogitatione cognoscite, quoniam Dominus, quem colitis, et ad quem orandum, et laudandum acceditis, ipse est verus Deus, quo nihil majus, vel melius cogitari potest. Ipse est etiam, cui vitam vestram, et totum, quod estis debetis. *Ipse enim fecit nos, et non ipsi fecimus nos*, idest, non caremus principio efficiente, neque aliud habemus, quam ipsum Deum: quamvis enim parentes gignant filios, tamen prima causa, sine qua parentes nihil efficerent, Deus est. Quam multi dant operam liberis, et nullum gignere possunt? quam multi contra vellent satiare libidinem, et liberos non gignere, quibus tamen licet invitis liberi nascuntur? recte mater sanctorum Machabaeorum filiis suis dicebat: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum, et animam donavi vobis, et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi creator formavit hominum nativitatem, et omnium invenit originem.* 2. Machab. 7: s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *Ipse fecit nos, et ipsius nos.* Sed videtur corruptum textum habuisse, codices enim nostri habent, לא *lo*, per aleph, quod significat *non*: et sic legerunt septuaginta Interpretes, qui verterunt ad verbum, *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Sanctus Hieronymus videtur legisse, לו *lo*, per vau, quod significat *ipsius*, sive *ipsi* in dativo, et ideo vertit, *Ipse fecit nos, et ipsius nos.* Quidam recens auctor reprehendit vulgatam latinam editionem dicens, aliquem, sciolum conjunxisse in latino codice duas hebraicas lectiones, et fecisse, *Et non ipsi nos*; et sic omnia confudisse: sed immerito reprehendit hanc lectionem, quae optima est, et quam habent sanctus Augustinus, et ipse sanctus Hieronymus in commentario hujus loci, et alii fere omnes. Latinus enim interpres addidit illud, *ipsi*, ad vitandam cacophoniam, quae sentitur, cum dicitur, *Ipse fecit nos, et non nos*: nec volunt, *ipsi*, accipi in dativo, ut iste scriptor existimat, sed in nominativo. Itaque non conjunxit sciolus duas lectiones; sed interpres unam expressit, quam invenit in graeco, quaeque congruit cum hebraico magis correcto. At, inquiunt aliqui, nemo nescit, se non esse a se factum; proinde non erat, quod admoneret nos Spiritus sanctus, dicens, *ipse fecit nos, et non ipsi nos*: proinde melior est illa lectio, *ipse fecit nos, et ipsius nos.* Respondeo, etiam si nemo ignorare possit, se non esse sibi vitae auctorem; tamen multos esse, qui non considerent a quo facti sint, et qui ita se gerant, ac si neque Deum, neque ullum alium auctorem haberent, propterea utilissimum fuisse, ut serio admonerentur homines cogitare, se non esse sibi auctores vitae, sed vitam, et omnia uni debere Deo.

4. *Populus ejus, et oves pasquae ejus, introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confitemini illi.*

Commemorat alterum beneficium Dei, ob quod justum est, ut ei confessionem laudis persolvamus: quia videlicet non solum fecit nos, sed etiam regit, et pascit nos. *Populus ejus*, idest, populus, quem Deus peculiari providentia regit, *et oves pascuae ejus*, idest, et quos veluti rationales oves in pascuis suis doctrinae pabulo reficit, et corporalibus etiam alimentis pascit, introite portas *domus ejus*, sive tabernaculi ejus, *in confessione laudis, et atria ejus* in hymnis, et sic *confitemini illi* vos omnia ei debere, ac de manu ejus bona omnia suscepisse.

5. *Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in aeternum misericordia ejus, et usque in generationem, et generationem veritas ejus.*

Addit Propheta tres proprietates Dei; quasi tres rationes, cur dignus sit, ut ab omnibus laudetur, quia suavis, quia misericors, quia verax, quae tria ita connexa sunt, ut unum nascatur ab alio. *Suavis est Deus*, et quia suavis, facile miseretur; quia miseretur, promittit liberationem; quia verax, implet promissa. *Laudate*, inquit, *nomen ejus*, idest, laudate Deum; nomen enim pro re nominata poni solet in scripturis. *Laudate* autem, *quoniam suavis est Dominus.* Mira proprietas omnipotentis, ac tremendae Majestatis, quae lucem habitat inaccessibilem, et quae terribilis est super omnes Deos, et aufert spiritum principum, et de quo Apostolus dicit, hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*: et tamen verissime dictum est, *Quoniam suavis est Dominus*, quod non semel in psalmis aliisque divinis Scripturis repetitur: psal. 34.

Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus, psalm. 83. *Quoniam tu Domine suavis, et mitis, et multae misericordiae*, 1. Petr. 2, *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*, 2. Cor. 1. *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.* Sed facile concordantur ista, quae videntur contraria: Deus enim suavis est rectis corde ac timentibus eum: asper autem, et terribilis distortis corde; et contemnentibus eum. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*, inquit David in psalm. 72. nam planum, asperum videtur distorto, quia conjungi non possunt. Sunt autem distorti sive pravi corde, qui nolunt conformari rectissimae voluntati divinae: quales sunt contemptores, et ideo dicitur in psal. 102. *Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: et misericordia ejus ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum*; quod etiam in cantico suo Virgo Deipara posuit dicens: *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Itaque si quis incipiat cor suum dirigere, et conformare ad beneplacitum Dei, et nihil magis timere, quam ne Deum offendat, mox gustare incipiet, quam dulcis sit Dominus: et implebitur erga eum quod sequitur: *In aeternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus*, idest veracitas, et fidelitas ejus.

PSALMUS C.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipsi David Psalmus.

In hoc psalmo David explicat exemplo suo qualis debeat esse bonus princeps, tum erga familiares, et privatam suam domum; tum erga rempublicam. Et quidem in textu hebraico omnia dicuntur per verba temporis futuri; ex quo intelligimus, Prophetam regium non tam cantare laudes proprias, quam optare, et petere a Deo gratiam bene imperandi, et proponere, ac statuere sic vivere, ut pium regem decet. Sed quoniam septuaginta Interpretes verterunt fere omnia in tempus praeteriti imperfecti, et eorum interpretationem sequutus est latinus interpres, non oportet negare, quin etiam Prepheta regius narret bona opera sua ad informandos successores, ac potissimum filium: neque id superbiae, vel arrogantiae tribui debet, quando vera dicuntur coram Deo, et ad finem bonum: sic enim idem David in psalm. 17. multa cecinit de sua innocentia. Sic Job capit. 29. plurima de suis benefactis praedicavit. Sic Esther capit. 14. sic Nehemias cap. 6. sic Ezechias 4. reg. 20. sic alii. Porro Pharisaeus in evangelio non reprehenditur, quod gratias egerit Deo de suis operibus bonis: sed quod superbe illa jactaverit, et proximum suum contempserit, Luc. 18. Adde quod David ideo incipit psalmum ab aliis verbis, *Misericordiam, et judicium cantabo tibi Domine*, ut ostendat bonorum operum suorum causam efficientem fuisse tum misericordiam Dei, cujus dona sunt opera nostra bona: tum judicium Dei, cujus timore adductus justitiam coluit.

EXPLICATIO PSALMI C.

1. *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine.*

Haec est quasi praeparatio totius psalmi, qua significat Propheta, se cum cantu celebraturum misericordiam, et judicium Domini, cujus rei multae sunt causae: prima, ut omnes intelligant benefacta Davidis, quae in psalmo commemorantur; esse dona misericordiae Dei, coronanda postea per justum judicium Dei: secunda, ut Principes admoneantur, Deo maxime placere misericordiam, et judicium, et ideo ipsi quoque misericordes sint, sed non injusti; justi, sed non crudeles: tertia, ut omnes homines sperent de misericordia Dei, et timeant judicium Dei: non ita sperent, ut praesumant: non ita timeant, ut desperent. Posuit autem David primo loco misericordiam, deinde judicium, quia hoc tempus praesens misericordiae est, futurum erit judicii; et ideo nemo miretur, si hoc tempore *Deus solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Matth. 3.

2. *Psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.*

Hic versiculus pars est praefationis: dicit enim Propheta, se non solum voce cantaturum misericordiam, et judicium Dei: sed etiam per instrumen-

tum, idest, psalterium celebraturum, et mente consideraturum, et contemplaturum. *Psallam*, inquit, idest, psalterium manu pulsabo, ut voce mea, et voce psalterii decantem misericordiam, et judicium: *et intelligam in via immaculata*, idest, considerabo, attendam, cogitabo viam immaculatam, et perfectam, quae consistit in misericordia, et judicio: nam *omnes viae Domini misericordia, et veritas*: similis est locutio in psalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem*, idest, qui attente considerat miseriam pauperis, ut eam sublevet. Sic igitur hoc loco dicitur, *intelligam in via immaculata*, idest, attente considerabo viam immaculatam, ut ambulem per eam. *Quando venies ad me*, idest, id autem faciam non viribus meis, sed auxilio gratiae tuae, *quando venies ad me*, ut illumines, et doceas, et accendas, et moveas. Hanc ultimam particulam aliqui legunt cum interrogatione, *quando venies ad me*? sic s. Hieronymus in commentario, et Theodoretus, atque Euthymius, et textus hebraicus, et graecus huic lectioni favent: et tunc vox est optantis, ut sensus sit, *Intelligam in via immaculata*: O quando venies ad me, ut prefecte intelligam, et intelligens ambulem in via immaculata. Sed quamvis haec lectio verum sensum contineat, non tamen est necessarium ita legere, neque rejicienda est latina, et vulgata lectio: siquidem vox hebraica, מתי *mathai*, significat, *quando*, et potest cum interrogatione, et sine interrogatione legi: certe sanctus Hieronymus in sua versione ex Hebraeo ita reddit, *Erudiar in via perfecta, quando venies ad me.*

3. *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meae.*

Hic jam incipit explicare mores suos laudabiles, ut caeteri imitentur, tum successores, tum subditi. Ad hoc enim princeps in sublimi loco sedet, ut tamquam lucerna in candelabro posita omnibus luceat. Ac primum declarat, qualis fuerit apud se, et in oculis Dei: deinde qualis fuerit erga alios, et in oculis populi. Ait igitur, *Perambulabam in innocentia cordis mei*, idest, vitam ducebam, sive perambulabam viam hujus praesentis vitae, conservans in primis cordis innocentiam ; cogitabam bona, appetebam bona, delectabar in bonis; cavebam ne cor meum vitiosis cogitationibus, aut desideriis inquinarem: sciebam enim a corde vitam mortemque procedere. Hinc filius ejus Salomon a patre institutus postea scripsit, Proverb. 4. *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Illud, *in medio domus meae*, significat, in penetralibus domus meae, ubi non erat qui me reprehendere posset. Multi enim in foro, et plateis modeste, et temperate se gerunt; sed in cubiculo, ac praesertim in cubiculo cordis per omnia scelera volutantur: sed David etiam in penetralibus domus, etiam in cubiculo cordis innocentiam custodiebat.

4. *Non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes praevaricationes odivi.*

Dixit de innocentia cordis, nunc addit de innocentia oculorum, et manuum. *Non proponebam ante oculos meos rem injustam*, idest, avertebam oculos, tum mentis, tum corporis ob omni injustitia, sive in judicando subditos, sive in distribuendis honoribus, et praemiis; sive in commutationibus, et contractibus. Potest etiam latius hic locus explicari, ut sensus sit, avertebam oculos ab omni spectaculo vitioso, a ludis illicitis, a choreis impudicis, ab omni aspectu rerum quae mentem inquinare possunt. Codex hebraeus pro re injusta, habet, דבר בליעל *devar beliahal*, *verbum Belial*, ubi verbum pro re ponitur, et *Belial* significat absque jugo, quibus duabus vocibus significatur omne genus vitii. Dicuntur viri Belial homines indisciplinati, immorigerati, perversi. *Facientes praevaricationes odivi*, idest, non solum oculos averti a rebus illicitis, nec tantum praevaricationem legum operari nolui; sed odio habui omnes praevaricationes facientes; ac per hoc ipsam praevaricationem maxime detestatus sum. In hebraeo clarius dicitur, עשׂה פטים שנאתי *haso setim sanethi, idest, facere praevaricationem odivi*, idest, ego rem injustam nec videre, nec facere volui.

5. *Non adhaesit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoscebam.*

Docuit qualis esset apud se: docet nunc qualis esset apud alios; ac primum dicit talem se fuisse, ut perversi homines non auderent se illi adjungere. Magna virtus haec est, cum tanta est apud homines opinio de sanctitate alicujus, ut iniqui non audeant coram illo apparere: et tales omnino esse deberent principes, et praelati, qui sunt dati a Deo aliis in exemplum. *Non adhaesit mihi cor pravum*, idest, non adjunxit se mihi homo pravi cordis: sic interpretatur Theodoretus. Alii per cor pravum intelligunt affectum vitiosum: sed de cordis puritate, et innocentia supra dictum est, neque verisimile est idem hoc loco repeti: et sequentia verba melius cohaerent cum expositione Theodoreti; neque est inusitatum, ut homo valde perversus dicatur *cor pravum*, et homo scelestus dicatur *scelus*, et homo carnalis dicatur caro. *Declinantem a me malignum non cognoscebam*, idest, declinabant a me maligni etiam me ignorante, vel si declinabat a me malignus, non curabam, nihilique faciebam, vel declinantem a me malignum non cognoscebam, idest, non approbabam, neque amabam; ac per hoc non laborabam, ut rediret ad amicitiam meam. Sanctus Hieronymus aliter ex hebraeo distinguit, et vertit, *Cor pravum recedet a me: malum non cognovi.* Sed voces hebraicae utramque distinctionem, et versionem recipiunt, et sensus in eamdem sententiam recidit: tractatores autem graeci et latini editionem nostram communiter sequuntur.

6. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.*

Alia virtus plane regia hic aperitur, in qua mirifice lucent misericordia, et judicium, quoniam

enim reges potestatem habent puniendi iniquos: multi zelo justitiae, sed odio proximorum, deferunt ad reges, quasi noxios eos, quos perdere volunt, et falsis querelis, vel potius calumniis eos gravant: David rex sapiens, et justus, ejusmodi delatores iniquos gravissime puniebat; et eo modo misericordiam exercebat in injuste delatos, et judicium in delatores injustos. *Detrahentem*, inquit, *secreto proximo suo*, idest, eum, qui falsi criminis accusabat proximum suum, et secreto apud me detrahebat de fama ejus, eum, inquam, non modo audiebam, sed *graviter persequebar et puniebam*: in hebraeo pro voce *persequebar* est אצמית *atzmith*, quam s. Hieron. vertit, *interficiam*, proprie autem significat *exscindam* sive *exscidebam*, et potest exponi variis modis pro varietate criminis delatorum, ut sensus sit, exscindam ab amicitia, vel ab aula, vel a civitate, vel a provincia, vel denique a vita: non enim omnis injusta delatio meretur mortem. Itaque prudenter septuaginta Interpretes posuerunt verbum generale, *persequebar*, quod potest exponi, usque ad exilium, vel usque ad necem, vel ad poenas mitiores pro gravitate, vel levitate criminis. Extat etiam apud Ethnicos laus imperatoris Trajani, quod delatoribus operam non daret: et contra, Maximini reprehensio, quod delatoribus nimium indulgeret.

7. *Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.*

Non solos detractores, sed etiam superbos, et cupidos David detestabatur; et merito: Nihil enim tristius accidere populis potest, quam si ministri regum superbi, aut avari sint; abutuntur enim ejusmodi ministri publica potestate ad explendas cupiditates proprias, non sine magno detrimento subditorum. Ait igitur, *superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc edebam*, idest, non convescebar quasi domestico, et familiari, homini superbo oculo, idest, homini, qui oculis, vel superciliis elatis superbiam ostendit, neque convescebar, homini insatiabili corde, cujus cupiditas nullis opibus satiatur. S. Hieronymus, et Euthymius per insatiabilem corde, avarum intelligi volunt. Alii cum s. Augustino, per *insatiabilem corde, et superbum oculo*, eumdem significari docent, hominem v delicet elatum, et tumidum. Vox hebraica utrumque sensum recipit: nam. ורחב לבב *urcab lebab*, proprie significat, *latum corde*: dicitur autem *latum cor* quod impleri non potest, sive id referatur ad honores. Pro, *non edebam*, s. Hieron. ex hebraeo vertit, *non potero*. Sed septuaginta Interpretes vocem, אוכל *ucal*, deduxerunt a verbo, אכל *achal*, quod significat comedere et legerunt, אוכל *ocal*, sanctus autem Hieronymus eamdem vocem deduxit a יכול *jacol*, quod significat *posse*. Quod autem solerent ministri principales comedere in eadem mensa cum rege apud hebraeos intelligi potest ex lib. 1. regum capit. 20. Ubi David qui tunc Dux militiae erat, sedere solitum se dicit de more in mensa juxta regem: et ibidem dicitur Abner, qui erat etiam princeps militiae, sedisse in mensa ad latus Saul regis.

8. *Oculi mei ad fideles terrae, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic ministrabat.*

Explosis detractoribus, superbis, et avaris a familiaritate, et ministerio suo; David adjungit, eligere se fuisse solitum fideles, et probos; haec enim duo praecipue requiruntur in bonis ministris, ut fideles sint Domino suo, et probi ad propriam, et aliorum salutem. Saepe a principibus ministri retinentur, et chari habentur qui fideles sunt; quamvis alioqui impuri, et scelesti, et se ipsi perdant propria culpa, et alios malo exemplo; sed sanctus David non solum fideles sibi ministros quaerebat, sed etiam omni ex parte innocentes, et probos, ac sibi per omnia similes. Ait igitur, *Oculi mei ad fideles terrae*, idest, oculi mei quaerebant, et investigabant fideles, qui erant in terra, sive, ad eos, quos tales noveram, benigne respiciebam, eosque eligebam, *ut sederent mecum in mensa*, ut domestici et familiares. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*, idest, si quis erat in civitate, vel in regno meo non solum fidelis, sed etiam perfecte conversans, innocenter vivens, immaculatis moribus vitam decens, is mihi praecipuus minister erat.

9. *Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.*

Supra eos detestatus est, qui superbo oculo arrogantiam ostentabant: hic jam detestatur eos, qui manibus superbi sunt, idest, qui superbe alios opprimunt: sic etiam supra reprehendit eos, qui detrahebant secreto proximo suo; nunc reprehendit, et a suo consortio rejicit eos, qui loquuntur mendacia ad fallendos quoscumque homines. *Non habitabit in medio domus meae*, idest, non erit inter intimos familiares meos, *qui facit superbiam*, idest, qui facit opera superba; qui superbe insultat aliis, vel opprimit alios. *Qui loquitur iniqua*, idest, mendacia quibus injuste alios fallat, sive in commerciis, sive in aliis negotiis, *non direxit in conspectu oculorum meorum*, idest, non placuit oculis meis, sive non direxit cursum desiderii sui, non prosperatus est coram me; non enim invenit gratiam in oculis meis. In hebraeo pro *superbia, dolus* legitur. Sic enim vertit sanctus Hieronymus, *non habitabit in medio domus meae faciens dolum*. Sed Septuaginta viri non videntur legisse, רמיה *remia*, quae vox significat *dolum*, sed, רמה *rama*, quae significat, *alta*, sive excelsa, nisi forte ipsum, *remija*, deduxerint a verbo, רום *rum*, quod significat, exaltari, et ideo verterint superbiam.

10. *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

Concludit psalmum demonstrans zelum suum

in purganda civitate Domini, in qua purgatione faciebat misericordiam erga bonos cives, quos liberabat ab oppressionibus, et scandalis iniquorum, et judicium erga malos quos meritis poenis afficiebat, *in matutino*, idest, mature, celeriter, antequam mala radicarentur, *interficiebam omnes peccatores terrae*, eos videlicet, qui morte digni erant, et quibus vita concedi non poterat sine periculo innocentium. Id autem faciebam, *ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*, idest, ut civitati sanctae, et pacificae pacem suam, et tranquillitatem restituerem, exturbatis inde omnibus perturbatoribus. Haec omnia, quae dicta sunt in persona Davidis, aptius conveniunt Christo regi, ac praesertim hic ultimus versiculus: David enim conabatur disperdere de civitate Domini omnes operantes iniquitatem: sed non poterat, nec potuit unquam. Christus autem in matutino futuri saeculi vere, et proprie disperdet omnes operantes iniquitatem, et deinceps civitas sancta Jerusalem coelestis erit secundum nomen suum *visio pacis*.

PSALMUS CI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam.

Hunc titulum habent omnes codices, hebraici, graeci et latini: ex quo titulo habetur argumentum psalmi. Est enim hic psalmus formula quaedam orandi, qua uti poterit unisquisque pauper, et afflictus, cum valde anxius fuerit et effundere voluerit precem suam ad Deum. S. August. et s. Gregor. per pauperem, hoc loco intelligunt Christum, qui partim in sua persona, partim in persona corporis sui loquatur, eo modo, quo caput loqui solet pro toto corpore. Theodoretus, et Euthymius per pauperem, intelligunt populum captivum in Babylone, et petentem liberationem a captivitate. Alii volunt, pauperem, qui in hoc titulo ponitur, fuisse sanctum aliquem virum: qui anxiabatur pro liberatione populi, qualis fuit Daniel. Et quidem ad hos omnes accomodari possunt verba psalmi: sed tamen Propheta generatim instruere voluisse videtur omnes oratores in afflictione positos: non enim ait, *oratio pauperis cujusdam cum anxiaretur*: sed, *oratio pauperis, cum anxiatus fuerit*. Et hoc videtur sensisse b. Hieronymus, qui in Commentario scribit, Prophetam loqui in persona peccatoris. Vere enim nullus est pauperior, et miserior eo, qui indiget gratia Dei. Unde et ecclesia hunc psalmum numerat inter septem poenitentiales. Hic igitur erit sensus tituli: oratio pauperis, cum anxius fuerit idest, hic psalmus docet formam orationis, qua uti poterit omnis pauper, ac praecipue is, qui ob admissa peccata debitor est decem millium talentorum, et non habens unde reddat, anxiatur stimulante conscientia, timens judicia Dei, anhelans ad reconciliationem. *Et in conspectu Domini effuderit precem suam*, idest, hac formula orandi uti debet pauper anxius, non quocumque tempore, neque apud quemcumque Judicem, sed cum in conspectu Domini Dei, supremi Judicis, et Patris omnium, effundere voluerit ex vase cordis contriti, et humiliati cum abundanti fletu preces suas, vel ut habetur in hebraeo, שיחו *sicho*, *eloquium suum*.

EXPLICATIO PSALMI CI.

1. *Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.*

Nunc versiculum assidue pronunciat Ecclesia, tamquam praeparationem ad reliquas petitiones: didicit enim ex Propheta, petendam esse a Deo audientiam, antequam petitiones particulares explicentur, non quod Deus quasi ad alia intentus egeat excitari ad audiendum; sed quia nos egemus, ut Deus det nobis spiritum precum, imo *spiritus ejus sit, qui postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ut habetur Rom. 8. idest, faciat nos clamare, et postulare cum inenarrabili gemitu. *Domine*, inquit, *exaudi orationem meam*, idest, *fac me sic orare, ut dignus sim exaudiri*. Et rursum idem repetit ad indicandum affectum: *et clamor meus ad te veniat*, idest, fac me sic orare ut oratio mea sit vehemens clamor cordis, et ita vehemens, et accensus, ut non deficiat in via, sed ad te, qui in altissimo throno sedes, quamvis perfecta ex imo profundo, tandem perveniat. Multa sunt enim, quae impediunt, ne oratio nubes penetrat ut sunt defectus fidei, fiduciae, humilitatis, desiderii,

et similium. Itaque petit gratiam bene orandi, hoc est, apte ad impetrandum.

2. *Non avertas faciem tuam a me: in quocumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.*
3. *In quocumque die invocavero te, velociter exaudi me.*

Haec est prima, et principalis petitio pauperis tribulati, sive peccatoris poenitentis: *nemo enim potest corrigere, quem Deus despexerit*, ut dicit Sapiens, eccl. 7. Et prima gratia, et fons gratiarum est respectus Dei; ideo iste primum omnium petit respici a Deo, quasi dicat, *non avertas faciem tuam a me*, quantumvis foedus, et turpis sim: et si non provocat te ad me respiciendum imago tua, quoniam foedavi eam; provocet misericordia tua, quia quo turpior sum, eo miserior, et miserabilior sum: et nisi me respexerit, numquam ego ad te respiciendum convertar: sed quotidie magis ac magis in peccatis tabescam, et semper foedior, ac turpior fiam. Itaque qui haec dicit, jam coepit respici a Deo, sed a Deo adhuc subirato, et subinde faciem avertente: ideo gustata utcumque gratia luminis, et respectus Dei, clamat, *non avertas faciem tuam a me, ne projicias me a facie tua*; perfice quod coepisti, convertens te ad me, ut ego perfecte convertar ad te. *In quocumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.* Haec est altera petitio, sed consequens ad primam: nam ex respectu vultus Dei incipit homo agnoscere turpitudinem, et nuditatem, ac per hoc veram paupertatem suam. Inde incipit affligi, et tribulari, et medicum supremum, qui dives est in misericordia, invocare: scit enim, a Deo cor contritum et spiritum contribulatum numquam despici. Ait igitur confidenter, *In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam*, idest, quantocumque ex respectu gratiae tuae spiritum contribulatum gero; et inde clamo ad te, peto ut benigne exaudias me. Et idipsum explicans addit, *In quocumque die invocavero te, velociter exaudi me*, idest, quandocumque tribulor, et ex tribulatione invoco te medicum omnipotentem, exaudi me, et quidem velociter, ne si forte tardaveris, non invenias quem sanes.

4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.*

Reddit rationem, cur dixerit, *velociter exaudi me.* Ratio enim est, quia vita humana velocissime tendit ad interitum, et ideo nisi peccati vulnus velociter curetur, periculum est ne plaga incurabilis fiat. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei*, idest, tempus vitae meae hucusque transactum velocissime praeteriit instar fumi, qui quamvis in magnam molem intumescendo excrescat, tamen subito dispergitur, et evanescit in auras, et sine dubio sic transibit: id quod superest, *et ossa mea*, quae sunt quasi columnae totius corporis, brevissimo tempore *aruerunt*, ac per hoc debilitata sunt, ut brevi ruinam minentur. Per *cremium* intelligitur lignum, seu virgultum aridum, quod facile cremari potest, ut s. Hieron. docet in commentario ad cap. 10. Oseae: vel, ut alii volunt, lignum semiustum, ac fere crematum; utrumque autem fragile est, ac debile, ut pondus superpositum diu sustinere non possit. S. August. legit, *ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt*: quam lectionem invenimus in editione antiqua romana. S. Hieron. ex hebraeo vertit, *ossa mea, quasi frixa contabuerunt.* Vox hebraica, מוקד *moked*, non habetur nisi hoc loco, ideo unusquisque pro suo arbitrio eam interpretatur. Septuaginta verterunt, ωτσει φρυγιον συνεφρυγησαν, quae verba utrumque significare possunt, nimirum, *quasi cremium aruerunt, et quasi in frixorio confrixa sunt.* Possunt haec referri etiam ad deplorandum tempus in peccatis misere consumptum, ut sensus sit, *Dies mei*, in quibus videlicet voluntatem meam faciebam, et quos pro arbitrio, sine timore Dei in voluptatibus consumebam; illi inquam, *dies defecerunt sicut fumus*, quia tenebricosi, et brevissimi fuerunt, neque ullum sui vestigium reliquerunt. *Et ossa mea*, idest, fundamenta, et quasi columnae prosperitatis meae, *sicut cremium aruerunt*: citissime enim transit omnis mundana foelicitas, neque aliquid post se relinquit, nisi tetrum odorem quasi rei concrematae, aut frixae, malam videlicet famam, et nominis execrationem.

5. *Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

Pergit deplorare statum suum praeteritum, ac dicit, *percussus sum ut foenum*, idest, a sole prosperitatis mundanae percussus sum *ut foenum*, quod facillime exarescit; *et aruit cor meum*, quia occupatus in curis hujus mundi oblitus sum comedere panem meum, panem videlicet veritatis coelestis, qui proprie panis noster est, non communis cum bestiis, nam cibus corporalis non est proprie panis noster. Verissima sententia, et ab iis, qui prosperitate fruuntur assidue consideranda; nisi enim qui in prosperitate sunt, sub umbra alarum Dei commorentur, vel imbre divinae gratiae continuo perfundantur, fieri non potest, quin ut foenum percutiantur, et cor eorum nauseans ad coelestem panem, non penitus exarescat, *Videte*, Dominus ait Luc. 21. *ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitae*: qui enim tales sunt, obliviscuntur comedere panem verum, et ab omni devotionis gratiae aridi fiunt.

6. *A voce gemitus mei, adhaesit os meum carni meae.*

Explicat nunc dolorem vitae praeteritae, et fructus dignos poenitentiae; quemadmodum enim antea virebat caro in deliciis, et arescebat cor oblitum comedere panem suum: ita nunc e contrario *a voce gemitus sui*, idest, a continuo fletu obliviscitur caro comedere panem suum, *et sic adhaerent ossa carni*, idest, pelli suae; accipitur enim hoc loco caro pelle, ut s. Hieronymus admo-

net. Itaque commentantur hoc loco fletus, et jejunia, quae vere poenitentiae fructus, et signa sunt.

7. *Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nicticorax in domicilio.*
8. *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.*

Addit ad fletum, et jejunia solitudinem, et vigilias, quae propria sunt vere poenitentium; nisi enim quis a frequentia hominum ad tempus se subducat, et serio vigilans recogitet magnitudinem, et multitudinem peccatorum suorum, vix fieri potest, ut ea digne defleat. Tres aves commemorat Propheta, quibus poenitentem similem faciat; *pellicanus*, alias Onocrotalus, avis est in solitudine degens; *nicticorax*, alias noctua, sive bubo, degit in domibus dirutis, sive in parietibus tecto carentibus: et quod nos legimus, *in domicilio*, supplendum est diruto. Sic enim habetur in textu hebraico. S. Augustinus legit, *in parietinis*, et explicat, in aedificiis, ubi muri stant sine habitatore; *passer solitarius* habitat quidem in domibus, sed in parte domus suprema, ut magis supra domos, quam in domibus habitare dicendum sit. In graeco habetur επι δωματος: notat s. Hieronymus in Epist. ad Suniam, et Fretellam, in Palaestina, et in Aegypto non esse in usu tecta acuminata, sed plana, quae etiam solaria dicuntur, in quibus frequenter conveniunt homines ad fabulandum, apricandum, et convescendum, proinde idem esse in domate, et in tecto, quia quod Romanis est tectum, Palaestinis est *doma*: et quod dicitur Matth. 10. *Praedicate super tecta*, intelligendum esse de ejusmodi solariis, sive domatibus, ut etiam quod dicitur Act. 11. de s. Petro, *Ascendit in superiora domus, ut oraret.* Significat autem hae tres aves tria genera poenitentium: aliqui enim omnino loca deserta petunt, ut Maria Magdalena, Maria Aegyptiaca, Paulus primus Eremita, Antonius, Hilarion, et alii plurimi, qui dicere possunt cum Propheta, psal. 54. *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine*; et quemadmodum Pellicanus cum venenatis animantibus, ac potissimum cum serpentibus bellum gerit, ut s. Hieronym. scribit, sic Anachoretae cum daemonibus assidue luctantur, et ex victoriis adversus daemones quasi pascuntur. Alii poenitentiam agunt intra civitates, sed in coenobiis, et exiguis cellulis, quasi in tuguriis, et a mundo separati quasi nycticoraces magnam noctis partem in divinis laudibus decantandis consumunt: nicticorax enim dicitur, quasi noctu clamans, et sicut nicticoraces ex timore clamant; ita poenitentiam agentes ex timore judiciorum divinorum in orationibus, et hymnis, et canticis spiritualibus clamant. Denique alii, qui vel alligati uxoribus, vel officio publico fungentes, non possunt corpore ab hominum frequentia separari, veluti passeres solitarii in tectis habitant, eminentes animo non solum super turbas, sed etiam super ipsas domos. Hi quidem in mundo sunt, sed de mundo non sunt, dum non subjiciuntur opibus, aut honoribus, aut saeculi negotiis; sed ea sibi subjiciunt, illis praesunt aeque disponunt, atque dispensant, et non sinunt se ita capi, aut illaqueari quin animus libere in solitudine degat, et in coelis subinde versetur. Horum est proprium vigilare, et praedicare super tecta; vigilare adversus tentationes, et pericula sua, et suorum; et verbo, atque exemplo praedicare iis, quibus praesunt. Estque hoc genus utilissimae poenitentiae, in sublimi loco humilitatem servare, in amplis opibus sobrio victu, et tenui vestitu contentum esse, ut abundanter tribui possit iis, qui necessitatem patiuntur; in magna peccandi licentia corpus castigare jejuniis, et vitae asperitate in servitutem redigere; denique proximis ex charitate servire, eorum infirmitatibus compati, eorum molestias, et scandala sustinere.

9. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei; et qui laudabant me, adversus me jurabant.*

Semper vita eorum, qui serio poenitentiam agunt, displicet peccatoribus haerere volunt. *Gravis est nobis*, inquiunt impii, Sapient. 2. *etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viae ejus*: quamvis enim haec dicantur de justo: tamen conveniunt etiam in peccatorem poenitentem, qui ad justitiam anhelat. Ait igitur, *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*, idest, qui mihi erant amici ob communia studia iniquitatis, jam mihi in alterum hominem mutato, facti sunt inimici, et omni tempore exprobrabant mihi hanc mutationem, quasi insipienter agerem: et quia antea laudabant me, ut prudentem, et fortem socium eorum, quia laudatur impius cum male fecerit, postea *adversus me jurabant*, idest, juramento inter se praestito conspirabant. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, per me jurabant. Sed vox hebraica, בי *bi*, significat proprie, *in me*, ac per hoc recte habet nostra editio, *adversus me*: idem enim est, in me jurabant; et, adversus me jurabant.

10. *Quia cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.*

Reddit causam cur exprobrarent ei inimici ipsius. *Quia*, inquit, *cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam*, id est, quoniam insipientiam esse arbitrabantur tantum asperitatem vitae sponte assumptam. Porro cinerem tamquam panem manducare, est vesci pane sordido, et cinere asperso, quod praecipue contingit, cum comeditur panis subcinericius non diligenter excusso cinere, quod solent poenitentes, vesci videlicet, cibis male praeparatis, pane hordaceo, vel furfureo, et admisto cinere, vel terra, quod de s. Francisco testatur s. Bonaventura cap. 5. vitae ipsius, cocta, inquit, cibaria, tempore sanitatis vix admittebat, admissa vero conficiebat cinere, etc. potum autem cum fletu miscere nil aliud est, nisi inter bibendum vinum, *quod laetificat cor hominis*, non laetari, sed flere ob me-

moriam admissae offensionis divinae. Posset etiam per cinerem, intelligi poenitentia ipsa, et sensus esset, *cinerem tamquam panem manducabam*, idest, actione poenitentiae reficiebam animam, ut pane refici solet corpus: *et potum meum cum fletu miscebam*, idest, lachrymarum effusione sitim internam reconciliationis temperabam, quomodo potu aquae, aut vini temperatur silis corporalis. Denique quomodo dicitur in psal. 14. *fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte*; et Tren. 3. *Cibavit me cinere*: ita potest hic locus intelligi, ut sensus sit. Quotidie in amaritudine eram, et ipsa amaritudo, quae per cinerem significatur, erat mihi panis quotidianus; et assiduus fletus erat mihi quotidianus potus: sustentabar amaritudine, reficiebar lachrymis doloris, et desiderii.

11. *A facie irae, et indignationis tuae quia elevans allisisti me.*

Ecce cur verus poenitens cinere suturari, et lachrymis refici eligat, non ex insipientia, non ex inopia, sed quia recogitat indignationem Altissimi, cui per hanc humiliationem, et verae poenitentiae signa aliquo modo satisfacere cupit. *Manducabam*, inquit, *cinerem tamquam panem, et potum cum fletu miscebam a facie irae et indignationis tuae*, idest, quia conspiciebam iram, et indignationem tuam adversus me succensam ob admissa peccata. Cernebam autem iram, et indignationem tuam, *quia elevans allisisti me*, idest, quia elevans ex gratia tua ad maximam dignitatem amicitiae, et filiationis tuae, postea merito peccati mei allisisti me ad terram, deturbans de dignitate amici, et filii ad sortem inimici, et servi rebellis, et fugitivi. Ne putarent homines peccatores modicam esse jacturam gratiae, quam peccando faciunt, utitur Scriptura verbo allisionis: vas enim, quod ex alto loco in terram alliditur, non solum amittit dignitatem loci, sed omni ex parte confrigitur, ut nihil sani, nihil boni remanet. Sic homo peccator quamvis amore carnali caecatus non videat detrimentum animae suae; vere tamen totum amittit, cum et corpus, et anima ejus deputata sit ad gehennam ab eo, cui nemo resistere potest.

12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut foenum arui.*

Signum, et pars quaedam allisionis est haec ipsa nostra mortalitas: nam cum primus homo elevatus esset ad gloriam magnam, ut posset in aeternum vivere: per peccatum tamen allisus est cum tota posteritate, et mortalis effectus, declinantibus diebus ejus velut umbra, ipse quoque sicut foenum aruit. Ait igitur Propheta in persona poenitentis, non solum ego ab ira tua allisus sum in terram ob mala merita mea propria, sed etiam ex antiqua, et communi allisione *dies mei sicut umbra declinaverunt*, idest, velociter, et sine quiete ulla insensibiliter transierunt, quomodo umbra insensibiliter, et continuo movetur, donec occidente sole, penitus evanescat, et in tenebras noctis quodammodo transeat. *Et ego sicut foenum arui*, idest, qui creatus eram, ut semper sicut palma viverem; nunc allisus in mortalitatem, sicut foenum, quod facillime siccatur, exarui.

13. *Tu autem Domine in aeternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem.*

Haec est altera pars psalmi, in qua Propheta in persona pauperis poenitentis, post explicatam miseriam suam, spem reconciliationis concipit, et spiritu divino illustratus praedicit reparationem, et renovationem ecclesiae futuram per Christum, et verba sua ad ipsum Christum dirigit, ut Apostolus exponit ad hebr. 1. volens enim Apostolus eo loco demonstrare Christi divinitatem, allegat primo loco verba psal. 44. *Thronus tuus Deus in saeculum saeculi*. Deinde psalm. 95. *Adorent eum omnes angeli Dei*. Postremo psalmi hujus 101. *tu Domine initio terram fundasti*, etc. quae verba ad eumdem dicuntur, ad quem dicuntur ista, *tu autem Domine in aeternum permanes*. Proinde si illa dicuntur ad filium Dei, ista quoque dicuntur ad filium Dei. Neque videntur satisfacere huic rationi, qui dicunt, haec verba dici ad Deum simpliciter; sed posse tribui filio, quia filius Dei Deus est: si enim ita esset, Apostolus non probaret, sed poneret ut concessum, Christum Deum esse. Igitur sensus erit, ego quidem ut foenum arui; tu autem Domine, quem expectamus Messiam, in aeternum permanes; et nostra quidem memoria cum sonitu perit, memoriale autem tuum, idest, memoria tua propagabitur semper in generationem, et generationem, quia semper erunt per temporum successiones qui recordentur mirabilium operum tuorum.

14. *Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.*

Ideo memoriale tuum propagabitur in generationem, et generationem, quia tu quoque non obliviscaris misereri populi tui: sed *exurgens* quasi a longo somno *misereberis Sion*, et misertus advenies, et salvabis nos: quia per spiritum video, *quia tempus miserendi jam venit*, idest, jam prope est ut veniat, jam propinquat, imo in mente mea jam venit. Quoniam rem futuram ex certitudine luminis Prophetici cerno ut praesentem. Hoc est tempus de quo Apostolus ad Galat. 4. *Cum venit plenitudo tempore misit Deus Filium suum*. Et de quo Isaias cap. 49. *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te*. Quod explicans Apostol. 2. ad Corinth. 6. ait, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*.

15. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terrae ejus miserebuntur.*

Praevidit, et praedixit Propheta renovationem sanctae Sion, ex eo quod praevidit, servos Dei jam desiderio accensos ad ecclesiae aedificationem, praevidit videlicet, sanctos Apostolos, qui antea

piscationi, et rebus vilissimis intentebat, postea a Christo edoctos, et Spiritu sancto repletos relictis omnibus aliis curis, totos se dedisse ecclesiae aedificationi. *Quoniam*, inquit, *placuerunt servis tuis*, idest, iis, quos tibi in servos elegisti, et praedestinasti, placuerunt *lapides ejus*, idest, placuit aedificatio novae Jerusalem, placuit colligere, et congregare lapides vivos, qui super fundamentum jam positum superaedificantur; *et terrae ejus miserebuntur*. Et terram ipsam novae Jerusalem fovebunt, et amabunt, ut mater fovet, et diligit infantem uteri sui: nam in Scriptura verbum miserendi, significat paterno vel materno affectu diligere. Isaiae 49. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Per lapides intelliguntur viri constantes, et perfecti; per terram sive pulverem, ut sonat vox hebraica, עפר *haphar*, intelliguntur infirmi, et instabiles, de quibus Apostolus Rom. 14. *Infirmum in fide assumite*, et Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*, et 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, et ego non infirmor.*

16. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam.*

Ex hoc loco intelligimus, minus recte exponi hunc psalmum ab iis, qui docent in versiculis praecedentibus praedici reversionem Judeorum ex captivitate Babylonica, et reaedificationem Jerusalem eversae a rege Nabuchodonosor; non enim tunc omnes gentes terrae timuerunt nomen Dei, neque omnes reges gloriam ejus. Siquidem haec adventui, et glorificationi Messiae reservabantur, et ut praedictum fuit, sic et adimpletum fuisse constat. Ait igitur, *et timebunt gentes*, idest, et tunc cum aedificabitur nova Sion, Gentiles convertentur, et timebunt timore sancto, piaque veneratione *nomen tuum Domine*, Jesu Christe, *et omnes reges terrae pariter convertentur, et timebunt gloriam tuam*, idest, Majestatem tuam, ut regis regum, et principis regum terrae sedentis ad dexteram Patris donec subjiciantur sub scabellum pedum tuorum omnes inimici tui; et postea venturi Judicis omnium vivorum, et mortuorum, et reddituri singulis secundum opera ipsorum.

17. *Quia aedificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.*

Ecce cur timebunt omnes gentes, et omnes reges gloriam Christi. *Quoniam aedificavit Sion*, idest, in praesenti, invitis licet, et repugnantibus gentibus, et regibus, aedificavit ecclesiam suam, *adversus quam portae inferi non praevalebunt*, Matth. 16. *et in futuro videbitur in gloria sua*, quando veniet cum omnibus angelis, in nubibus coeli, cum potestate magna judicare saeculum. Quando coepit aedificare Sion, visus est in humiliate sua, dicente Isaia cap. 53. *Vidimus eum, et non erat ei species*: sed quando veniet judicare, tum plane videbitur in gloria sua.

18. *Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum.*

Haec refertur ab aliquibus ad preces sanctorum Prophetarum, et piorum virorum testamenti veteris, qui expectabant adventum Messiae, sed fortasse rectius sentiunt, qui referunt ad preces sanctorum martyrum, qui dicunt in Apocal. cap. 6. *usquequo Domine non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de his, qui sunt in terra?* Videbitur ergo filius Dei in gloria sua, quia respexit in orationem humilium martyrum, aliorumque piorum servorum suorum; et non sprevit preces eorum, et ideo veniet judicaturus, et vindicaturus sanguinem eorum de his, qui sunt in terra. Haec expositio melius connectit verba psalmi: nam secundum priorem expositionem, praesens versiculus reddit rationem verborum illorum, *tu exurgens misereberis Sion*. Quae habetur in versic. 14. at secundum expositionem posteriorem reddit rationem verborum, quae habetur in versiculo proxime praecedenti, imo in secunda parte versiculi, videlicet, *Et videbitur in gloria sua.*

19. *Scribantur haec in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum.*

Ne Judaei sibi tribuerunt hanc prophetiam, et ne forte intelligerentur, quae supradicta sunt de solutione captivitatis Babylonicae, et aedificatione Jerusalem terrenae; placuit Spiritui sancto disertis verbis admonere, quod postea scripsit s. Petrus in epist. priore cap. 1. *Prophetae de futura in vobis gratia Prophetaverunt*; et infra, *quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quae nunc nunciata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis.* Ait igitur Spiritus sanctus per os David, *scribantur haec in generatione altera*, idest, notentur haec mysteria pro generatione olim futura: dicitur enim, *in generatione altera*, pro, in generationem alteram, εις γενεαν ετεραν, ut habetur in graeco: vel pro, generationi alteri; sive ad generationem alteram, ut verti potest ex hebraeo. Neque multum refert, quod in hebraeo, et graeco habetur in numero singulari, *scribatur hoc*: nam idem omnino est sensus. *Et populus, qui creabitur*, idest, populus, qui erit futuris temporibus, *laudabit Dominum*, cum viderit impleta, quae tanto antea praedicta sunt. Fortasse etiam, ut notat s. August. insinuatur per populum, qui creabitur, nova creatura, de qua dicit Apostolus ad Gal. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praepulium, sed nova creatura*; et ad Ephes. 2. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis.*

20. *Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit.*

Haec est ratio, cur populus novi testamenti laudabit Dominum, quia Dominus de excelso sanctuario suo dignatus est aspicere vallem nostrae miseriae, idest, de coelo in terram aspexit, non o-

tioso intuitu, sed ut de excelso fieret humilis, et in terris videretur, et cum hominibus versaretur.

21. *Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum.*

Cur autem Dominus excelsus usque ad terram humiliaretur, ea causa fuit, ut de proximo *audiret gemitus compeditorum*, quos Princeps hujus mundi captivos fecerat, et compeditos retinebat: et ut audito gemitu solveret eos, liberosque dimitteret. Quod impletum fuisse in suo adventu Dominus testatus est Luc. 4. in hebraeo pro, *compeditorum*, habetur, *vincti*, *ut audiret gemitus vincti*, sed idem est sensus. Pro, *Filius interemptorum*, habetur in hebraeo, בני תמותה *bene themutha*, *filios mortis*, idest, homines ad mortem damnatos quomodo etiam habetur in psalm. 78. ubi non legimus, *filios mortificatorum*, sed, ut eo loco diximus, septuaginta Interpretes per *filios mortis*, intellexerunt in his locis filios parentum occisorum. Potest etiam fieri, ut Septuaginta in hebraico suo textu habuerint *interemptorum*, quod per unius literae mutationem fieri potuit. Porro per compeditos, hoc loco intelligimus homines opera diaboli alligatos propriis concupiscentiis, et gementes sub jugo passionum suarum. Per, *filios interemptorum*, intelligimus filios veteres Adami, et Hevae, qui fuerunt primi occisi ab astutia serpentis: nam ut dicitur Sap. 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*; et Dominus in Evangelio de diabolo dicit, Joan. 8. *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.*

22. *Ut annuncient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem.*

Venit Dominus solvere compeditos, et eruere de potestate tenebrarum, ut *annuncient in Sion nomen Domini*, idest, ut conversi ad Deum vivum, et verum, glorificent nomen Domini in spirituali Sion, quae est ecclesia, quod idem repetit dicens, *et laudem ejus*, supple annuncient, *In Jerusalem*, laudantes et benedicentes Deum, gratiasque agentes pro tam insigni beneficio in ecclesia catholica, quae est nova Jerusalem. Exponit hoc s. Petrus in priore epist. cap. 2. ubi dicit, *vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.*

23. *In conveniendo populos in unum, et Reges, ut serviant Domino.*

Explicat tempus, quo liberati a potestate tenebrarum laudare debeant nomen Domini. *In conveniendo*, inquit, *populos in unum*, idest, quando populi nationum, qui antea divisi erant ambulantes post varios Deos, convenient in unum, et efficientur unum corpus, et erit eis unus spiritus, unus Deus, una fides, unum baptisma, imo etiam per charitatem erunt cor unum, et anima una: quando non solum populi, sed etiam reges eorum convenient in unum corpus ecclesiae, ut et ipsi serviant Domino. In hebraeo habetur, *regna*, et sic legit etiam s. Augustinus: tamen in graeco habetur, *Reges*, et sic legunt in commentario s. Hieronymus, et s. Gregorius, et alii. Sensus est idem: nam cum dicitur, *regna serviant Domino*, sensus est, reges cum populis serviant Domino. Fortasse etiam Septuaginta legerunt, מלכים *melachim*, reges non ממלכות *mamlachoth*, regna.

24. *Respondit ei in via virtutis suae, paucitatem dierum meorum nuncia mihi.*

Hic versiculus obscurissimus est, quoad verba, et quoad sensum. S. Hieron. ex hebraeo vertit, *Afflixit in via fortitudinem meam.* Sed facile est videre rationem diversitatis: nam vox hebraea ענה *hinnah*, deducitur a verbo, ענה *hanah*, quod et *respondere*, et *affligi*, significat; ac per hoc si legatur cum puncto in secunda litera, ut legit s. Hieron. significabit, *afflixit*: si legatur sine puncto, ut legerunt septuaginta Interpretes, significabit, *respondit*. Sic etiam illud, כחי *cochi*, si legatur cum Jod, ut legit s. Hieron. *significat fortitudo mea*: si legatur cum Vau, כחו *cocho*, ut legerunt septuaginta, significat, *fortitudo ejus*, sive *virtutis ejus*. Neque refert, si vertas, *In via virtutis ejus*, sive, *In via virtutem ejus*, quia nomina hebraeorum non declinantur per casus. Itaque recta est nostra lectio, *respondit ei in via virtutis suae*; sed difficile est judicare, cum quo nomine conjungatur verbum, *respondit*. S. Hieron. in Commentario scribit sensum esse, respondit Dominus ad Jerusalem. S. Aug. contra vult sensum esse, respondit Jerusalem ad Dominum. Euthymius dicit respondisse pauperem, de quo in titulo psalmi. Quid si addamus quartam expositionem, et dicamus respondisse Prophetam ad eum, qui imperavit illi, ut scriberet haec in generationem alteram? Videtur enim haec esse contextio horum versiculorum. Dixit Dominus Prophetae, *scribantur haec in generationem alteram; et populus, qui creabitur, laudabit Dominum*, etc. *Respondit ei Propheta, in via virtutis suae*, idest, in flore aetatis suae: cum esset in via vitae suae robustissimae: *paucitatem dierum meorum nuncia mihi*, id est, fac, ut intelligam et serio mihi persuadeam, paucos fore dies vitae meae, ne forte deceptus hoc flore aetatis, arbitrer me longissimam vitam habiturum, et rapiar hinc, quando minus cogito, immaturus, et imparatus, et non pertineam ad populum, qui creabitur, et qui perpetuo te laudabit in coelesti Jerusalem.

25. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, et generationem anni tui.*

Dimidia pars hujus versiculi pertinet ad versiculum superiorem: quia enim dixerat, *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi*, addit orans: *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*, idest, ne revoces me de curriculo vitae in medio cursu, quando minus expecto mortem, quando nihil minus cogito, quando paratum me non invenies. In

hebraeo distinguuntur aliter isti versiculi, ideo sanctus Hieronymus vertit, *Dicam, Deus meus, ne rapias me in dimidio dierum meorum.* Sed illud, אמר אלי *Dicam Deus meus*, mutatis punctis potest legi, אמר אלי *dic ad me*, et sic legerunt Septuaginta, et conjungentes cum superiore versiculo verterunt, *nuncia mihi*; neque ulla ratio est, cur non sequamur distinctionem, et lectionem graecam, et latinam, cum eam optime ferant verba hebraica, demptis punctis, quae a Rabbinis addita fuerunt. Quod sequitur, *In generationem, et generationem anni tui*, ratio est, cur aequum sit, ut Deus hominem permittat tamdiu vivere, quamdiu necesse est, ut bene, et sancte moriatur, quasi dicat, anni tui, Domine, aeterni sunt, et generationi, ac generationi coexistunt sine ullo fine: aequum igitur est, ut imagini tuae spatium vivendi indulgeas amplum, et commodum, ut requiritur ad salutem aeternam acquirendam.

26. *Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli.*
27. *Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.*
28. *Et sicut operiorium mutabis eos, mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

Probat Deum solum esse aeternum ex eo quod solus ipse est immutabilis: quae et ratio plane theologica, et a priori, ut scholae loquuntur. Deum autem solum esse immutabilem, probat ex eo quod ipse idem semper manens mutavit coelos de non esse ad esse, et rursum mutabit de esse ad non esse: et quod de coelo dicitur, de toto mundo intelligitur, cujus maxima et nobilissima pars est coelum. *Initio tu Domine terram fundasti*, idest, a principio antequam mundus esset, ut Domine eras, et terram, quae est inferior mundi pars, a fundamentis fecisti, non super fundamentum aliquod praeexistens posuisti. *Et opera manuum tuarum sunt coeli*, idest, non solum terram, sed etiam coelos, qui sunt mundi pars superior, tu solus non per angelos, aut alios quoscumque opifices, sed manibus propriis, idest, propria potentia, et sapientia condidisti. Itaque mundum universum ex non esse perduxisti. *Ipsi*, coeli videlicet, *peribunt; tu autem permanes.* Duobus modis haec intelligi possunt. Primum ex hypothesi hoc modo, etiamsi coeli veterascerent, mutarentur et perirent: tu idem semper maneres. Sic in evangelio quod dicitur Matth. 5. *donec transeat coelum, et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant;* exponitur Luc. 16. *facilius est coelum, et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere.* Deinde absolute, sed de mutatione non quoad substantiam, sed quoad modum. Peribunt enim coeli, veterascent, et mutabuntur, quoad motum stellarum, quoad influxum caloris, quoad generationes rerum inferiorum: quomodo etiam terra peribit, quoad productionem herbarum, et animalium, et mundus totus consumabitur quoad figuram, et statum, quem nunc habet; scribit enim Apostolus, *praeterit figura hujus mundi*, 1. Corinth. 7. et, *Quae videntur temporalia sunt, quae non videntur aeterna sunt*, 2. Corinth. 4. Ubi omnia, quae videntur, temporalia esse dicit, quia ipsa etiam elementa, et coeli secundum eum modum qui nunc a nobis conspicitur, finem habitura sunt. Videmus enim terram vestitam arboribus, plenam pecudibus, ornatam aedificiis: videmus aquas fluentes, et saepe turbatas: videmus aerem nunc serenum, nunc nubilum: videmus sydera in perpetuo motu: quae omnia temporalia sunt, et finem habitura; *novos autem coelos, et novam terram secundum promissionem ejus expectamus*, ut b. Petrus scribit in epist. posteriore cap. 2. *Et omnes sicut vestimentum veterascent*, idest, omnes coeli, quoad externam figuram, et modum consumentur. *Et sicut operiorium mutabis eos, et mutabuntur*, idest, sicut pallium aliquod vetus, removebis a coelis externum istum habitum coelorum, et novo indues: sic mutabuntur coeli, quomodo mutatur homo cum vestimenta mutat, quoad externam faciem, non quoad internam substantiam. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*, idest, tu ullo modo mutaberis quantavis longitudine annorum. Cur autem Deus nulla ratione mutari possit, ratio manifesta est, quoniam omne quod mutari potest, est in potentia ad aliquid aliud acquirendum: Deus autem actus est purus, et perfectissimus, imo infinitae perfectionis; proinde nihil acquirere potest, cum nihil ei desit.

29. *Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in saeculum dirigetur.*

Descripta aeternitate Dei, et mundi consumatione, ac renovatione, praedicit in mundo renovato participes fore aeternitatis ejus servos ipsius, et filios ac filios servorum usque in sempiternum: non quod in futuro saeculo sit futura propagatio filiorum, sed quod ad beatam illam requiem perventuri sint omnes fideles servi Dei cum omnibus posteris, qui eorum pietatem imitati fuerint: atque haec est promissio facta olim ad Abraham, Gen. 17. *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te foedere sempiterno.* Per servos Dei, intelligimus Patriarchas; per filios eorum Apostolos: per filios Apostolorum reliquos pios Christianos. *Filii servorum tuorum habitabunt*, idest, Apostoli, cum parentibus eorum Patriarchis habitabunt in regno tuo, in renovatis coelis, in coelesti Jerusalem: *et semen eorum in saeculum dirigetur*, idest, neque illi solum, sed etiam quotquot illi per evangelium genuerint, si in fide, et in dilectione permanserint, *in saeculum dirigentur*, idest, in aeternum recti et stabiles in omni prosperitate permanebunt. In hebraeo habetur, *et semen eorum ante faciem tuam perseverabit*: Sic enim vertit s. Hieronymus. Sed vox hebraica, יכון *liccon*, amplissimae significationis est, ut dirigi, stabiliri, permanere, et perseverare, significare possit. Illud autem לפניך *lephanecha*, proprie non significat, in aeternum, sed, *coram te*, sive, *ad faciem tuam*. Sensus tamen est idem: nam permanere ante Deum, est permanere quamdiu manebit Deus, quod erit sine fine. Similis habetur lo-

quutio in psal. 71. *Permanet cum sole, et ante lunam*, idest, quamdiu manebunt sol et luna. En lector, quo perducat vera poenitentia, quae initio psalmi descripta est: perducit enim ad aeternam foelicitatem cum Deo, sine qua peccator in aeternis suppliciis mansisset cum Diabolo.

PSALMUS CII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipsi David.

Titulus significat, psalmum hunc ipsi Davidi a spiritu sancto inspiratum, ut eum ad solatium timentium Deum in hac lachrymarum valle decantaret. Et sane necesse fuit nobis revelari, hunc psalmum de coelo allatum fuisse: alioqui nemo facile fidem habetur promissionibus divinis, quae in hoc psalmo declarantur; superant enim longissimo intervallo capacitatem animi nostri. Primum igitur exponit Propheta beneficia Dei erga electos suos, quae in hac vita inchoantur; et in alia perficiuntur: deinde ostendit, unde veniant ista beneficia, et ad quos pertineant: quod videlicet sint opera ineffabilis misericordiae divinae erga timentes Deum. Denique cum impar sibi esse videretur ad agendas gratias, invitat omnes angelos, imo omnes creaturas, ut benedicant Dominum, eique pro nobis gratias agant. Psalmus dulcissimus est, et ad fiduciam in Deum erigendam, et collogandam aptissimus; modo post actam de peccatis quantumvis gravibus poenitentiam, Deum vere, et ex corde timeamus.

EXPLICATIO PSALMI CII.

1. *Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus.*

David pie credens unum se esse de numero electorum ad benedicendum Dominum. *Benedic*, inquit, *anima mea Dnmino*, cogita beneficia, lauda benefactorem tu potissimum anima mea, quae non solum beneficia recipere, sed etiam ea cognoscere ex dono Dei meruisti. Neque tu sola anima mea laudes Dominum, sed *omnia quae intra me sunt*, vertantur in linguas, et *benedicant nomen sanctum Dei*. Per ea quae intus sunt, s. Augustinus animam ipsam intelligit, ut sit repetitio, vel expositio ejusdem sententiae, et quod dictum est, *benedic anima mea Domino*, repetatur, et explicetur per sequentia, *et omnia interiora mea*, idest, omnes cogitationes, et affectiones, quae in imo corde latent, benedicant nomen sanctum ejus. Recte haec dicuntur; sed non est absurdum, si per interiora intelligamus totum quod est in homine, et exteriore hac nostra pelle contegitur: nam et alibi dicitur, ps. 83. *cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum*: et alibi, psal. 45. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?* tribuitur autem laus Dei rebus inanimis, et non sentientibus Deum, vel eo modo, quo omnia opera opificem laudare dicuntur; vel ex affectu animae, quae si fieri posset, optaret, ut omnia Deum cognoscerent, et laudarent.

2. *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.*

Iterum repetit, *benedic anima mea Domino*, tum ut vehementiam affectus ostendat; tum quia novit infirmitatem cordis humani, quod facillime frigescit in iis, quae per sensus corporis non percipiuntur, qualis in primis est Deus, *qui lucem habitat inaccessibilem*, 1. Timoth. 6. ideo adjungit, *Et noli oblivisci omnes retributiones ejus*. Vocat autem beneficia Dei, *retributiones*, quoniam non sunt beneficia simplicia, sed (ut sic loquar) sunt omnia duplicia: nam et beneficium est, quod non tribuit nobis debitas poenas, ut peccata nostra quotidiana merentur; et rursus beneficium est, quod pro tot malis nostris tanta bona nobis retribuit. Qui numerare poterit peccata hominum, quibus assidue retribuimus Deo mala pro bonis; is fortasse aliquo modo intelliget, quanta sit pietas Dei, quae assidue nobis retribuit bona pro malis; juxta illud Domini Luc. 6. *Qui benignus est super ingratos et malos*.

3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.*

Incipit enumerare beneficia Dei, et ordine progreditur a primo usque ad ultimum. Primum est remissio peccatorum, qua nos de injustis justos, et de inimicis amicos, et de mancipiis filios facit.

Qui propitiatur, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis*, idest, gratis debita condonat, quantumvis multa: gratis ignoscit culpis quantumvis ingentibus, quantumvis innumerabilibus. Nec solum propitiatur iniquitatibus; sed *sanat omnes infirmitates*, ut abscindat radices peccatorum. *Radix enim peccatorum cupiditas est*, sive, ut s. Joannes loquitur 1. Joan. 2. *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae.* Porro infirmitatem hanc, sive languorum ex peccato primi hominis in natura humana relictum curat Deus in nobis in hac vita, sed perfecta sanitas post hanc vitam erit. Attendat unusquisque, an hanc infirmitatem in se minui sentiat, et an manus Medici coelestis aequo animo ferat, qui enim Medici manus repellunt, et concupiscentiae languorem in se nutriunt, non possunt animae suae vere dicere. *qui sanat omnes infirmitates tuas*, et qui hoc dicere nequeunt, frustra ad sequentia Dei dona aspirant.

4. *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, et miserationibus.*

Transit a beneficiis gratiae ad beneficia gloriae. *Qui redimit de interitu vitam tuam*, idest, qui per redemptionem, quae est in Christo, liberat vitam tuam a morte sempiterna, et transfert in regnum suum, coronans te corona gloriae in misericordia et miserationibus: nam ut coronam justitiae accipere merereris praevenit te misericordia gratis justificans, et miserationes plurimae dirigentes, et protegentes in via, sine quibus in accepta justitia non perseverares. Nonnulli, praesertim recentiores, per, *coronat te*, intelligunt protectionem circumdantem nos, ut sit misericordia Dei quasi clypeus undique nos tegens adversus tela inimicorum: sed nos sequuti sumus veteres expositores Hieronymum, Augustinum, Theodoretum, Euthymium, et alios, qui de corona gloriae hunc locum exponunt, quae corona redditur meritis, sed merita dona sunt miserentis Dei.

5. *Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilae juventus tua.*

Explicat quid in se contineat corona gloriae. Duo enim continet, satietatem desiderii, et corporis immortalitatem, sive plenam foelicitatem animi, et corporis: tunc enim desiderium animae conquiescet, et fames cordis satiabitur, cum fruetur summo bono, quod ita continet omnia bona, ut animus eo bono plenus non habeat quod appellat, vel requirat amplius. Accedet autem per gloriosam resurrectionem renovatio corporis in beatam, et numquam senescentem juventutem. Comparatur autem haec renovatio renovationi aquilarum, non quod aquila per renovationem vitam perpetuare possit, sed quod utcumque adumbrare soleat corporum beatorum resurrectionem, praesertim cum aquila altissime volet, acutissime videat, et diutissime vivat, quae erit beatorum hominum foelicitas, ut supra coelos conscendant, et ipsam lucem inaccessibilem cernat, et aevo sempiterno fruantur. Quomodo autem aquilae renoventur, incertum est. S. Hieronymus in cap. 40. Isaiae, scribit aquilas renovari crebra mutatione pennarum. S. Augustinus in hunc locum narrat, aquilas renovare rostrum, quod cum nimium creverit, impedit sumptionem cibi, et interitum adfert, nisi ad petram allidatur, et reformetur. Rabbini more suo fabellas texunt. Quod attinet ad verba, illud, *qui replet in bonis desiderium tuum*, a s. Hieronymo sic redditur, *Qui replet bonis ornamentum tuum.* Vox hebraica, עדיך *hediech*, ambigua est: nam et *ornamentum*, et *os*, significare potest. S. Hieron. priorem significationem sequutus est, et videtur ornamentum ad coronam retulisse, ut sensus sit, qui coronam tuam ornatissimam reddit, replens eam auro purissimo, et lapidibus pretiosissimis, et vere corona gloriae Beatorum incomparabili varietate decoratur. Tamen septuaginta interpretes posteriorem significationem magis probaverunt, et per os, sive buccam, non os corporis, sed animae intellexerunt: nimis enim abjecte et humiliter hunc locum exponunt, qui volunt sensum esse, *Qui replet optimis cibis os tuum corporale*. Ergo per os recte interpres noster vertit, *desiderium*, et nos per desiderium, famem cordis accipimus, quae tunc satiabitur bonis, cum apparuerit gloria Domini.

6. *Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.*

Declaravit Propheta bona, quae justis parata sunt: declarat nunc fontem horum bonorum esse misericordiam Dei; ne quis cum Pelagio haeresiarcha delirans sibi tribuat quae Dei sunt, et hoc ipso per superbiam amittat, quae humilis accepisset. *Faciens*, inquit, *misericordias Dominus*, idest, Dominus noster ipse est, qui benefacit, qui largitur munera, qui liberaliter tribuit bona sua: et idem ipse ex bonitate sua liberat omnes oppressos de manibus iniquorum. In hebraeo habetur ad litteram, *faciens justitias Dominus*: et sic etiam vertit s. Hieronymus. Sed justitia hoc loco accipitur pro opere bono, sive pro actu charitatis, quomodo Matth. 6. Dominus eleemosynam vocat justitiam, dicens, *attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*: *alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in coelis est*: *cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te*. etc. quo sensu scripsit s. August. in lib. de natura, et gratia cap. ult. Inchoata charitas, inchoata justitia est; perfecta charitas, perfecta justitia est. Non ergo erraverunt a propria significatione, neque graecus, neque latinus Interpres, qui verterunt, *faciens misericordias Dominus*, id est, qui facit eleemosynas multas, et magnas Dominus est. Una vero ex praecipuis eleemosynis ejus est, quod, *facit judicium omnibus injuriam patientibus*: nam et ipsos patientes injurias liberat; et facientes injurias, non relinquit impunitos.

7. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.*

Explicat quod dixit in versiculo superiore: nam Moysi singulari servo suo *notas fecit Deus vias*

suas; quae sunt misericordia, et veritas, juxta illud, *universae viae Domini misericordia, et veritas. Notas autem fecit vias suas*, quia dedit ei legem sanctissimam, per quam tum ipsi Moysi, tum omnibus filiis Israel declaravit voluntates suas : quae sunt ut sicut ipse misericors est, et justus, ita et nos simus: et haec ipsa fuit magna Dei misericordia, quod nos ita instruere dignatus sit. Sed praeterea *notas fecit Moysi vias suas, et filiis Israel voluntates suas*, quia liberavit populum suum de captivitate Pharaonis misericorditer, et Pharaonem cum exercitu suo interfecit juste: ita misericordiam, et justitiam suam evidenti facto demonstravit.

8. *Miserator, et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors.*

Haec nomina Dei, quae veracissima scriptura nobis insinuat, mirum in modum consolari possunt homines bonae voluntatis. Dicitur Deus *miserator*, hebraice, רחום *rachum*. quia paternum affectum habet ad homines pios: siquidem רחם *racham*, significat *tenere, et ex visceribus diligere*. Dicitur quoque *misericors* hebraice, חנון *channun*, id est, *gratiae, et donorum largitor*: qui enim diligit affectu paterno, non potest non multa liberaliter donare. Sic igitur Deus qui ab aeterno complacuit sibi in electis suis, eosque praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui: in tempore plurima eis beneficia contulit tum naturae, tum gratiae. Dicitur tertio, *longanimis*, idest, tolerans, patiens, tardus ad iram: sustinet enim Deus infirmitatem, et imperfectionem nostram in hoc itinere ad patriam, quomodo parentes, ac matres potissimum tolerant insipientiam, et nugas, offensiones, et ingratitudinem infantiae, et pueritiae filiorum suorum. Quis enumeret evagationes nostras, dum cum Deo in oratione colloquimur? quis instabilitates cordis, appetitiones varias, ingratitudines, lapsus, delicta digne consideret; et tamen tolerat nos bonitas Dei: pro qua Dei longanimitate certe par esset, ut frequentissime, et intentissime gratias ageremus. In hebraeo habetur, ארך אפים *erech appaim*, quod proprie significat, *longus naribus*, sed nasus accipitur pro ira; ideo recte vertitur, *longanimis*, sive tardus ad iram. Dicitur ultimo, *Et multum misericors*, quod referendum videtur ad magnam illam, et ineffabilem misericordiam, qua nos Deus evehet ad aequalitatem angelorum, et similitudinem Dei, quam tunc accipiemus, cum videbimus eum sicuti est. Itaque quatuor ista nomina significant omnia beneficia Dei a primo usque ad ultimum. Primum est gratia praedestinationis, sive aeternus amor Dei: deinde sequuntur dona justificationis, et remissionis offensionum variarum; prostremo accedit corona gloriae.

9. *Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.*

Explicat per partes nomina illa Dei, quae in superiore versiculo posuit: ac primo loquitur de pio affectu Dei erga timentes se. *Non in perpetuum*, inquit, *irascetur*, idest, irascetur quidem interdum Deus peccantibus electis suis eosque flagellabit, sed brevi reconciliabitur eis. Manet enim in corde patris paterna pietas, unde et ipsa flagella procedunt. Idipsum aliis verbis repetit, dicens, *neque in aeternum comminabitur*, idest, non semper iratus minas intentabit, sed vicissim eos blande consolabitur. Haec autem promissio non favet ullo modo errori illorum, qui damnatorum poenas aliquando finem habituras existimant: non enim ad omnes pertinet, sed restringitur ad electos timentes Deum timore filiali, ut non semel in hoc psalmo explicatur. In hebraeo sunt alia verba, sed idem est sensus: sic enim ad verbum sonat hebraicus textus, *non usque in finem litigabit, neque in perpetuum servabit*, idest, non semper contendet nobiscum objurgans, et reprehendens facta nostra, neque in perpetuum reservabit iram semel conceptam.

10. *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*

Transit ad secundum nomen, ac dicit, Deum ex infinita misericordia sua non reddidisse nobis poenas, quas merebamur, sed dona multiplicasse, quae non merebamur: quid enim meretur iniquus, et peccator nisi mortem? nam *Stipendium peccati mors*, rom. 6. Deus autem non solum non retribuit mortem, sed vitam gratiae tribuit, et vitam aeternam promisit, et interim adjecit abundanter omnia, quibus in hac peregrinatione indigemus.

11. *Quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.*

12. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.*

Haec pertinent ad idem nomen secundum: probat enim Propheta Deum non retribuisse electis secundum peccata ipsorum: quoniam corroboravit misericordiam suam in beneficiis cumulandis, et in iniquitatibus longissime removendis. Utitur autem comparationibus distantiae coeli a terra, et ortus ab occasu, sive maximae altitudinis, et maximae longitudinis, ut ostendat remissionem peccati, et infusionem justitiae esse verissimam, et maximam, non autem (ut Luterani somniant) esse solam non imputationem peccati, et imputationem justitiae. *Secundum altitudinem*, inquit, *coeli a terra*, idest, secundum mensuram distantiae coeli a terra, quae est maxima, et verissima, *Deus confirmavit, et stabilivit misericordiam verae summaeque justificationis*, et gratiae super timentes se; et, *quantum distat ortus ab occidente*, idest, secundum mensuram distantiae ortus ab occasu, quae est verissima, et maxima, *longe fecit Deus a nobis* timentibus eum *omnia peccata nostra*, vere ac proprie illa delens, et remittens, ac si numquam commissa fuissent.

13. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.*

Explicat Propheta hoc versiculo, et duobus sequentibus tertium nomen, videlicet, *longanimis*, et utitur aptissima comparatione: nulli enim hominum magis patientes et longanimes sunt, quam parentes in tolerandis ineptiis, et levitatibus infantium filiorum. Siquidem amor paternus, vel maternus cogit parentes assiduo et incredibili labore servire parvulis filiis, atque eorum ingratitudinem, atque injurias invicto animo tolerare. *Quomodo*, inquit, *miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*, idest, quomodo parentes carnis nostrae intimo, et invicto quodam affectu, miserentur miseriarum infantium suorum, eorumque infirmitates, et insipientiam tolerant: sic Dominus noster *miseretur timentium se*, dum eorum errata quotidiana non ut injurias suas respicit, sed ut aegritudines filiorum considerat. *Ipse enim novit figmentum nostrum*, idest, quia probe novit, nos ex terra plasmatos, carnem mortalem, et concupiscentiis variis obnoxiam gerere, ac per hoc valde miserabilem esse.

14. *Recordatus est, quoniam pulvis sumus; homo sicut foenum dies ejus tamquam flos agri sic efflorebit.*
15. *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.*

Declarat quod dixit, non esse figmentum, ac dicit, *recordatus est quoniam pulvis sumus*, idest, consideravit, misericordia nos dignos esse, quoniam ex pulvere compositi, et plasmati sumus, et per hoc pulvis sumus, quantum ad materiam, ex qua ipse nos finxit: et cum pulvis simus, instabiles, et fragiles sumus. Dicitur autem Deus recordari, non quod unquam oblivisci possit, sed quod aliquando ita se gerat; ac si oblitus esset. Addit ad majorem fragilitatis nostrae declarationem, aliam similitudinem, dicens, *homo sicut foenum dies ejus*, idest, hominis dies brevissimi sunt, ac persimiles diebus, quibus foenum in agro perseverat, numquam enim foenum integrum annum permanet: nascitur enim in vere, et mox in estate proxima metitur, et colligitur: et sicut foenum non in toto illo tempore, quo est in agro, floret, sed mane floret, et vespere arescit: sic etiam homo brevi tempore vivit, sed multo breviore durat in flore adolescentiae, et mox arescit in senectute. Verba textus servant phrasim hebraicam, sed hoc modo supplenda sunt, *homo sicut foenum dies ejus*, idest, homo sic se habet, ut dies ejus sint veluti dies foeni, vel duratio vitae ejus similis sit durationi viriditatis foeni. *Tamquam flos agri sic efflorebit*, i. dest, et idem homo florebit flore adolescentiae, sicut floret flos foeni in agro, idest, tempore brevissimo. Quod additur de spiritu transeunte, significat vitam hominis non solum esse brevissimam, sed etiam semper mutari, donec extinguatur: hic igitur est sensus, *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet*, idest, spiritus vitalis sive ipsa vita corporalis non permanebit in homine, sed transiens in eo erit, et numquam subsistet in eodem statu, quia semper mutabitur de infantia ad pueritiam, de pueritia ad adolescentiam, de adolescentia ad juventutem, de juventute ad maturitatem, de maturitate ad senectutem, de senectute ad mortem. *Et non cognoscet amplius locum suum* idest, non redibit ad locum unde discessit, nec videbit amplius aetatem, quam semel dimisit. In quo multum distant corruptibilia ab incorruptibilibus, coelestia a terrenis: si quidem sol et luna, et stellae oriuntur mane in oriente et occidunt vespere in occidente: sed iterum revertuntur in circulos suos, et nihil immutatae vident locum, unde discesserunt: quae vero oriuntur ex terra, cursum suum peragunt, sed currendo mutantur, et non redeunt unquam ad locum, unde cursum inchoarunt, sed senescunt, et pereunt. Itaque per spiritum hoc loco non intelligo animam rationalem, quae immortalis est, et in die novissimo redibit ad corpus, sed spiritum vitalem, sive ut dixi, vitam corporalem. Quod si quis velit per spiritum hic significari animam rationalem: dicere debebit, ejusmodi spiritum non rediturum ad locum suum, idest, ad corpus vi sua, sed omnipotentia Dei: nec cognosciturum amplius locum suum, quia immutatum inveniet, videlicet corpus immortale reperiet, cum mortale reliquerit: sic Euthymius. Ex hebraeo s. Hieronymus sic vertit, *quia spiritus pertransivit eum, et non subsistet, et non cognoscet eum ultra locus ejus.* Quam sententiam Rabbini sic exponunt. spiritus, idest, ventus prentransivit eum, idest, florem foeni, et non subsistet flos foeni, sed mox vento flante siccabitur, et non cognoscet eum ultra locus ejus, idest, non apparebit ubi foenum floruerit: flos enim arescens nullum vestigium pulchritudinis suae relinquit. At nos sequimur septuaginta Interpretes, qui verba hebraica, quae ambigua sunt, et utrumque sensum recipere possunt, non de vento, et flore, sed de spiritu vitali, et corpore humano intellexerunt. Ad quam sententiam corroborandam multum valet similis locus ex psalm. 77. *Recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens.* Ubi per spiritum non potest intelligi ventus, sed vita humana.

16. *Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum.*

Hic tandem explicatur quartum nomen versiculi octavi, *et multum misericors*: pertinet autem quartum hoc nomen ad beneficium glorificationis, quod est postremum et maximum. Igitur *misericordia Domini*, quae fuit ab aeterno super timentes eum in praedestinatione, durabit *usque in aeternum* in glorificatione: atque ita erit Deus multum misericors, sive multitudinem beneficiorum, sive magnitudinem, sive durationem consideremus. Quis autem digne recogitet quid sit, quod Dominus universorum, qui bonorum nostrorum non eget; jam inde ab aeterno misereri decreverit pulveris hujus, id est, hominis, eumque coelestibus spiritibus coequare, atque in aeternum sibi summo bono foelicissime

inhaerere voluerit; certe par esset,ut tantae misericordiae ne ad momentum quidem obliviscerémur, et perpetuas ei gratias ageremus.

17.*Et justitia illius in filios filiorum,his qui servant testamentum ejus.*
18. *Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.*

Haec est quasi appendix magnae illius misericordiae, quam exercet Deus erga timentes se. Addit enim Propheta non solum timentes Deum exaltandos et protegendos ab aeterna misericordia Dei: sed etiam eam misericordiam extendendam esse ad posteritatetem timentium Deum, modo ipsi parentum, et majorum suorum pietatem imitentur. *Et justitia illius*, idest, veracitas, et fidelitas Dei, qui semper reddit quod promittit, conservabitur *in filiis filiorum his, qui servant testamentum ejus*, idest, qui observant pactum cum Deo initum, ut sint ipsi populus Dei, et Deus sit eorum Deus. *Et memorum mandatorum ejus*, non ut solum ea mente, et cogitatione revolvant, *sed ut ea diligenter adimpleant.* Sanctus Augustinus per filios timentium Deum intelligit opera bona ipsorum, et per filios filiorum, mercedem, quae debetur operibus bonis. Justi enim pariunt opera justa, et opera justa pariunt coronam justitiae.

19.*Dominus in coelo paravit sedem suam, et Regnum ipsius omnibus dominabitur.*

Demonstrat Propheta posse Deum facere, quae promisit timentibus se, et filiis filiorum ipsorum, quoniam Deus judex est omnium, *et ideo paravit* et stabilivit (utrumque significat vox hebraica) *sedem suam*, idest, thronum suum judiciarium in altissimo loco, idest, in summo coelo,unde omnes prospicere et judicare possit: et ne forte suspicemur, Deum esse judicem ab aliquo rege constitutum, addit, *Et regnum ipsius omnibus dominabitur*, idest, sedem habetur in coelo, non ut Judex sub rege, sed ut Judex supremus, et rex super omnes reges: regnum enim ipsius, idest,regia ejus potestas, omnibus omnino rebus creatis dominabitur.

20. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus,potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.*

In extrema parte psalmi invitat Propheta omnes alias creaturas ad benedicendum Domino, et praedicandas laudes ejus, quoniam videbat, se non esse ullo modo parem ad agendas gratias tanto benefactori: ac primum invitat angelos, qui sunt nobilissimae creaturae, et idonei maxime ad Deum laudandum. Nos enim minus idonei sumus, tum quia debiles, ac fragiles sumus, tum quia frequenter peccamus,*et non est speciosa laus in ore peccatoris.*Angeli vero fortissimi sunt,neque unquam fatigantur; et semper obediunt Deo, ac per hoc numquam peccant, semper grati, et amici sunt. *Benedicite Domino omnes angeli ejus*, idest, laudate communem Dominum vos angeli, qui propius assistitis, et magnitudinem ejus perfectius nostis: et non unus aut duo, sed omnes omnino quotquot estis, qui prope innumerabiles estis,convenite ad laudandum: omnes, inquam, qui angeli ejus estis,qui ab illo non solum condili fuistis,sed etiam cum illo, caeteris cadentibus, permansistis, illique in aeternum foelicissimi inhaeretis. *Potentes virtute*, id est, praediti robore maximo ad exequenda omnia mandata Dei, quique casum nullum timetis, neque est, qui vos a laudibus Dei prohibere possit. *Facientes verbum illius*, idest, qui Dei mandata semper accurate perficitis.*Ad audiendam vocem sermonum ejus.* Haec ultima particula duobus modis potest intelligi. Uno modo, ut sensus sit,*facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus*, idest,mox ut audierint vocem sermonum ejus, ita ut significetur celeritas obediendi, ac si dictum esset, *facientes verbum illius in audiendo vocem sermonum ejus.* Altero modo , ut significetur causa finalis executionis mandatorum Dei, quae est desiderium obediendi Deo; et sensus sit, *facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus*, idest, exequentes mandata Dei ad hunc finem, ut obediant voci ejus, et se fideles servos probent; non ob aliquam suam utilitatem , vel necessitatem. Atque haec videtur expositio litteralis; nam textus hebraeus et graecus non facile admittunt illum sensum , *Ad audiendam vocem* , idest , in audiendo vocem.

21. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus,ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.*

Ne forte per angelos, qui invitantur ad benedicendum Deum, intelligeremus solos angelos ultimi chori; addit Propheta in hoc versiculo, *omnes virtutes Domini*, idest, omnes exercitus coelestes, videlicet archangelos, principatus, dominationes, et caeteros ordines superiores: nam in hebraeo habetur, *omnes exercitus ejus*,et quod angeli sint militia coelestis exercitus, docet s. Lucas cap. 2. Sunt quidem milites, et ministri Dei omnes res creatae: sed in scriptura, ut plurimum per virtutes, intelliguntur angeli; ac praesertim in psalm. 148. *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*; et hunc locum ita exponunt Theodoretus, Euthymius et alii. Nam de aliis rebus creatis agitur in sequenti versiculo. Ait igitur, *benedicite Dominum omnes virtutes ejus*, id est, non solum angeli proprie dicti,sed omnis militia coelestis exercitus: qui omnes ministri Dei estis, impletis diligenter, et assidue, quicquid ille vobis mandat.

22. *Benedicite Dominum omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus. Benedic anima mea Domino.*

Posteaquam invitavit Propheta ad laudes Dei homines, et angelos,qui Dei notitiam habent,et eum proprie laudare possunt; invitat etiam omnes alias res creatas, quamvis mente, vel sensu,vel vita ca-

reant, ut etiam ipsae suo modo opificem suum laudent. Ac ne quis exciperet aliquid, et intelligeret Prophetam loqui de omnibus operibus, quae sunt in coelo, aut in terra, aut in mari, addit, *In omni loco dominationis ejus*, idest, *benedicite Dominum omnia opera ejus*, omnia omnino ubicumque sitis: nam omnia ipse fecit, et omnibus dominatur, et ipse cum eis ubique est: omnia replens, omnia portans, omnia conservans, omnia movens. Tu vero *anima mea*, quae omnia ad laudem invitasti, *benedic Dominum* in omni tempore, semper laus ejus in ore tuo sit.

PSALMUS CIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipsi David.

Hic psalmus apud hebraeos non habet titulum. Apud graecos invenitur hic titulus, *ipsi David pro mundi constitutione.* Sed ejusmodi titulum, neque s. Hieronym. neque s. August. neque Teodoretus, in suis codicibus invenerunt. Proinde a recentioribus additus videtur. In latinis codicibus habetur, *ipsi David*, vel *psalmus David.* Videtur autem hic psalmus recto ordine positus post psalmum praecedentem: in illo enim aguntur gratiae Deo pro beneficiis gratiae, in isto pro beneficiis naturae: ibi laudatur Dei misericordia, hic praedicatur Dei sapientia. Ac primum cantatur gloria Dei ex mirabilibus, quae sunt in coelo: deinde ex iis quae sunt in aere: tum ex iis quae sunt in terra: postremo ex iis quae sunt in mari.

EXPLICATIO PSALMI CIII.

1. *Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementur.*

Excitat Propheta animam suam ad benedicendum, idest, laudandum Deum, et mox anima excitata exurgit in admirationem, et laudem dicens, *Domine Deus meus magnificatus es vehementer*, idest, ex operibus tuis magnus valde factus es in oculis omnium, qui quoquo modo gloriam tuam aspicere possunt: non enim Deus in se crescere potest, cum sit immensus, et infinitus, sed apud angelos, et homines tanto fieri potest major, quanto magis notitia ejus crescit ex contemplatione potentiae, et sapientiae, et bonitatis, quae lucet in operibus ejus.

2. *Confessionem, et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.*

Declarat quomodo Deus magnificatus sit, adhibita insigni similitudine vestimenti: quomodo enim ex gloriosa veste cognoscimus Pontificem, Regem, atque alias sublimes potestates, sic etiam ex gloria, qua Deus quasi circumdatus est, cognoscimus ejus potentiam, et sapientiam, et quidem *Deus in se lux est, et tenebrae apud eum non sunt ullae*, ut scribitur 1. Joan. 1. tamen *ea lux inaccessibilis est, et eam nullus hominum vidit, sed nec videre potest, ut dicitur* 1. Timoth. 6. Sed praeter eam lucem, est alia quaedam lux gloriae, idest, splendor, qui ex operibus ejus micat, et de hoc loquitur Propheta cum ait, *confessionem, et decorem induisti*, idest, confessionem laudis, quam assidue decantant opera tua, tibi quasi vestimentum undique circumdedisti: et quoniam nihil pulchris est luce, sive gloria; ideo induisti decorem, et pulchritudinem, dum amictus es lumine gloriae, quod ex operibus tuis emicat. Hic admonendi sumus mirum valde esse, quod oculi corporis nostri, etiamsi solem ipsum intueri nequeant; tamen ex lumine quo cinctus est sol, facillime et adesse, et pulcherrimum esse judicent: et oculi cordis nostri tam difficulter erigantur ad Deum, et ejus immensam pulchritudinem vix tenuiter sentiant, cum tamen undique cinctus sit splendore maximo, et pulcherrimo, qui ex admirandis ejus operibus lucet, et ipse sit *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. Sed hujus rei nulla videtur esse alia ratio, nisi quia cor gerimus pulvere carnalium cogitationum, et affectionum quasi caecatum. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. Certe enim si cor mundum haberemus, Deum in operibus suis, et gloriam ejus omnia replentem facile intueremur; et cum Abrahamo, Elia, et Elisaeo diceremus, *Deus in cujus conspectu sto.* Vide Genes. 24. 3. reg. 17. et 4. regum 3.

3. *Extendens coelum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus.*

Incipit demonstrare lumen potentiae, et sapientiae Dei, quod cernitur in creatione firmamenti, sive coeli; et duo quaedam valde admiranda in eo considerat, et a nobis consideranda proponit. Unum est, quod Deus tanta facilitate extenderit immensam molem firmamenti, et eo circumdederit omnia corpora inferiora, quanta solent homines extendere tabernaculum unum, sive tentorium ex pellibus confectum. Alterum est, quod Deus miro artificio posuerit aquas supra coelum, quasi aquas super ignem, et tamen neque aquae extinguant ignem, neque ignis consumat aquas. De his aquis multa Scholastici disputant: sed communis Patrum sententia esse videtur, aquas esse super aethereum coelum, quod firmamentum dicitur: non autem supra coelum aereum tantum, ubi sunt nubes. Vide inter caeteros Basilium homil. 3. Hexameron, Chrysostomum homil. 4. super Genesim, Ambrosium lib. 2. Hexameron cap. 3. et 4. Augustinum lib. 2. super Genesim cap. 4. et in hunc ps. 103. Eucherium lib. 1. in Genesim cap. 3. Procopium in 1. cap. Genes. Theodoretum quaest. 11. in Genesim, Bedam lib. de natura rerum cap. 7. et 8. Quod ad verba attinet, illud, *Extendens*, valde proprie dictum est, quoniam firmamentum hebraice dicitur, רקיע *rakiah*, idest, extensio, sive expansio. Illud, *qui tegis*, contendunt aliqui recentiores, legendum esse, *qui tegit*, ex textu hebraico et graeco: et mirantur, quod latini codices habeant, *qui tegis*. At hebraei, et graeci codices habent participium, המקרה במים *hamkareh bammaim*, *tegens aquis* quod ambiguum est; et potest referri tam ad secundam personam, quam ad tertiam. Congruentius autem est, ut ad secundam referatur, cum praecesserit, *confessionem, et decorem induisti*, ubi est expressa secunda persona, etiam in codicibus graecis, et hebraicis. Alloquitur ergo Propheta Deum, et illi dicit, Tu qui induisti confessionem et decorem; tu extendis coelum sicut pellem: tu tegis aquis superiorem partem coeli, etc. Adde quod s. Hieronym. vertit ex hebraeo, *Qui tegis*, et sic etiam legit in textu, quem exponit ex versione septuaginta Interpretum, et in Epist. ad Suniam, et Fretellam contendit, hunc locum, et sequentes esse legendos in secunda persona ut nos in editione latina vulgata legimus.

4. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.*

De coelo aethereo descendit Propheta ad coelum aereum et canit admirabilem Dei sapientiam in velocitate nubium, quae vi ventorum stupenda celeritate transeunt ab una parte mundi ad aliam. Aliquando enim serenum aerem conspicimus, et mox in ictu oculi flante austro cernimus eumdem aerem obductum nubibus: et contra, videmus interdum aerem nubibus undique coopertum, et mox flante aquilone cernimus nubes omnes in puncto temporis dissipari. Describit autem haec omnia more poetico, ac si Deus insideat nubibus, quasi in curru, et utatur ventis, quasi equis pennigeris. Sed haec metaphora nihil significatur aliud, nisi Deum esse principalem auctorem omnium rerum, et ejus nutu ventos moveri, et nubes adduci vel abduci. In hebraeo, et in graeco habetur in tertia persona, *Ascensum ejus*. sive *currum ejus*. Sed s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *Currum tuum*, ex quo apparet eum sic legisse in suo codice hebraico. Sic etiam legit in commentario; et si sic docet esse legendum in Epist. ad Suniam et Fretellam; proinde nostra lectio non est mutanda, cum a tanto doctore praeponatur caeteris.

5. *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.*

Nisi obstaret auctoritas Apostoli potuisset hic locus intelligi de procellis, et fulguribus, quae fiunt in aere, ut sensus esset, *qui facis ut spiritus procellarum sunt angeli tui*, idest, nuncii tui ad homines admonendos, et *ut ignis urens*, id est, coelestia fulgura, aut fulmina, *sint ministri tui*, ad homines puniendos. Sed quoniam Apostolus ad hebr. 1. exponit hunc locum de angelis spiritibus, et hinc argumentum ducit ad probandam Christi divinitatem, et praestantiam super angelos; dicendum est, Prophetam loqui de veris angelis, ac dicere voluisse, non solos ventos, ac nubes velocissime discurrere per aerem, ut Deo jubenti serviant; sed habere Deum ministros longe sublimiores, et potentiores, angelos videlicet, quos mittat ad homines, vel admonendos, vel puniendos. Potest autem duobus modis intelligi haec sententia. Uno modo sic, *qui facis angelos tuos spiritus*, idest, qui facis, ut spirituales creaturae, quae tibi in coelo semper assistunt, *fiant angeli tui*, idest, fiant nuncii tui ad homines instruendos, *et ministros tuos ignem urentem*, idest, qui facit ut eaedem illae spirituales creaturae, quae charitate semper ardent, fiant ministri tui ad efficienda celerrime et efficacissime quaecumque jusseris. Atque haec est expositio s. Augustini hoc loco, et santi Gregorii hom. 34. super evangelia. Altera expositio facilior, et fortasse magis litteralis est. Theodoreti in hunc locum, et s. Thomae in cap. 1. ad hebr. qui sic exponunt, *qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem*, idest, facis ut angeli ministri tui habeant velocitatem spirituum, idest, ventorum, et efficaciam ignis urentis: atque ita sunt veluti quidam venti spirituales in discurrendo, et veluti quidam ignes divini in operando. Comparat autem propheta sanctus angelos ventis et ignibus, non quod non sunt velociores ventis, et potentiores ignibus, sed quia nos nihil novimus inter haec corporalia, quibus aptius angelorum velocitas et efficacitas conferri possit. Favet hinc expositioni etiam s. Hieronymus in commentario hujus loci: et quod majus est, textus graecus tum in psalmo, tum in Apostolo ad hebr. 1. nam in utroque loco videmus articulum addi ad nomina, angelos et ministros, non autem ad nomina spiritus, et ignem. Una restat difficultas, quod apud Apostolum etiam in editione latina vulgata legitur in tertia persona, *qui facis angelos suos spiritus*, quomodo etiam

legitur in textu hebraeo, עשה מלאכיו רוחות *hoseh malacav ruchoth*, et graeco in libris quos nunc habemus. In editione autem latina vulgata legitur in hoc psalmo in secunda persona, *qui facis Angelos tuos spiritus* ; quam lectionem probat s. Hieron. in epistola ad Suniam et Fretellam. Sed responderi potest, Apostolum non fuisse sollicitum de verbis, sed de sensu: sensus autem idem est, sive illum exprimamus alloquendo Deum sive narrando.

6. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi.*

Ab aere descendit ad terram Propheta, et quoniam ea est sedes nostra, et nobis notior, quam sint aliae partes mundi, diutius in ea considerandа, et admirandis operibus Dei, quae in ea conspiciuntur, describendis immoratur: ac primum incipit ab ejus creatione, et considerat admirabilem Dei potentiam, quae terram, molem utique maximam, et gravissimam sine ullo fundamento posuit in medio mundi, ita ut ipsa non in fundamento aliquo, sed in sua stabilitate nitatur. *Qui fundasti*, inquit, *terram super stabilitatem suam*, id est, non erexisti terram super aliquod fundamentum, sed voluisti ut suo pondere niteretur. *Non inclinabitur in saeculum saeculi*, idest, praeceptum tuum solidius est omni fundamento; et ideo quia sic jussisti, sic fiet, ut videlicet terra suo pondere innixa aeterna stabilitate consistat.

7. *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquae.*
8. *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt.*
9. *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum, quem fundasti eis.*
10. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.*

Deinde considerat Propheta, qualis fuerit terra initio creationis suae, quod videlicet fuerit, undique cincta aquis, quasi vestibus: et tamen solo imperio voluntatis suae Deus aquas concluserit in locis terrae humilioribus, et potentia, ac sapientia sua fecerit, ut magna ex parte terra emineret, et redderetur apta ad gignendas herbas, et fruges, et ad animantia sustentanda, et alenda. Id autem factum est ex condensatione aquarum: initio enim aquae non tam erant perfectae aquae, quam vapores aquei, qui condensati descenderunt ad concavitates terrae: et fortasse hoc significavit Sapientia apud ecclesiasticum cap. 24. cum ait, *et sicut nebula texi omnem terram*. Sed David more poetico haec describit. *Abyssus*, inquit, *sicut vestimentum amictus ejus*, idest, initio creationis terra erat cincta, et veluti amicta profunditate aquarum, quasi vestimento quodam undique cooperta. Abyssum enim vocat profunditatem aquarum, de qua dicitur Gen. 1. *Tenebrae erant super faciem abyssi*, et tunc *super montes stabant aquae*, idest, vapores aquei, sive nebula illa altissima ipsos etiam montes cooperiebat: dicit autem *stabunt*, pro, *stabant*. Haec enim vim habet futurum apud hebraeos, ut significet continuationem, qualis apud nos significatur per praeteritum imperfectum. *Ab increpatione tua fugient a voce tonitrui tui formidabunt*, idest, aquae, quae undique terram operiebant, solo Dei nutu condensatae descenderunt ad loca decliviora; fuit enim nutus divinus aquis instar terribilis increpationis, et quasi tonitruum rebus sentientibus. *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum, quem fundasti eis*, idest, tunc coeperunt apparere montes in loco sublimi ; quasi ascendissent: et simul coeperunt apparere campi in loco humili, quasi descendissent: omnia vero constituerunt in loco, quem constituisti eis; vel ascendunt montes aquarum, et descendunt campi aquarum dum ab increpatione Dei timentes aquae magno fremitu attollunt fluctus suos, et deponunt, donec ad locum sibi paratum perveniant: nam et poeta dixit, *quanti montes volvuntur aquarum*. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram*, idest, aquis recedentibus, et in cavernis terrae conclusis terminum posuisti, quem transgredientur, neque convertentur ex se, aut vi sua, cooperire terram. Nam quod tempore diluvii conversae sint, et terram cooperuerint, id factum est divino jussu, et virtute. Porro terminus, quem Deus posuit aquis, est arena, ex Job c. 39. et ex Hierem. cap. 5. arena videlicet littoris altioris: tunc autem Deus hunc terminum posuit, quando instituit naturas elementorum: aquae siquidem, cum sint naturaliter graviores aere, semper descendunt ad loca decliviora, et relinquunt aeri loca sublimiora.

11. *Qui emittis fontes in convallibus, inter mediam montium pertransibunt aquae.*
12. *Potabunt omnes bestiae agri, expectabunt Onagri in siti sua.*
13. *Super ea volucres coeli habitant, de medio petrarum dabunt voces.*

Tertio considerat Propheta mirabilem Dei sapientiam in productione fontium, et fluminum, nam si aquae recedentes a terra, aridam illam omnino dimisissent, animantia terrae siti consumerentur; ideo sapientia Dei produxit fontes aquarum dulcium, et ex fontibus fluvios, qui ubique discurrant, et potui animantium omnium deserviant. Porro fontes in montibus originem habent; sed aquae fontium ad convalles defluunt, et hic videtur esse sensus verborum, *qui emittis fontes in cavallibus*, idest, qui facis, ut aquae fontium ad convalles defluant, et inter medios montes rivuli earum pertranseant. *Potabunt omnes bestiae agri*, et praesertim *onagri*, Asini videlicet sylvestres, qui in montibus degunt, et natura siticulosi sunt, anhelabunt ad ejusmodi aquas. Nec solum animalia quadrupedia de fontibus bibent, sed etiam volucres coeli juxta aquas in locis editioribus nidos suos ponent, ut iisdem aquis frui possint, et ex cavernulis suis voces dabunt, canentes quomodo possunt laudes Domino. Illud, *onagri expectabunt in siti sua*, ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *onager reficiat sitim suam*. S. Augustinus vero legit,

suscipient Onagri in sitim suam. Vox hebraica, ישברו *iscberu*, ut nunc legitur cum puncto in sinistro cornu significat, *frangent sitim*, idest, sedabunt, et reficient, sed septuaginta legerunt cum puncto in dextro cornu, ישברו quod significat, *sperabunt*, sive *expectabunt*, et sensus est, Onagri ad sitim suam sedandam expectabunt, hoc est, desiderabunt, sperabunt, quaerent aquas fontium. In graeco non legitur προσδεξονται, idest, suscipient; sed verimile est eos scripsisse προσδοκησονται, idest, *expectabunt*. Certe noster interpres ita omnino legisse videtur. Illud, *super ea*, refertur ad fontes, et aquas inter montes discurrentes. Illud, *de medio petrarum*, sanctus Hieronymus vertit, de medio nemorum. Vox hebraea עפאים *hophaim*, significat frondes, et ramos arborum; sed septuaginta Interpretes aut legerunt, כפאים *chephaim*, quod significat *petrarum*: aut quod verus censeo, sensum respexerunt, et verba: volucres enim inter frondes quidem, et ramos arborum, sed in rupibus, et petris montium nidulos ponunt: proinde utrumque est verum, et quod ex mediis frondibus, et quod ex mediis petris cantus suos edant.

14. *Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra.*
15. *Producens foenum jumentis, et herbam servituti hominum.*
16. *Ut educas panem de terra, et vinum laetificet cor hominis.*
17. *Ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor hominis confirmet.*

Quarto considerat, et canit Propheta aliam admirabilem providentiam Dei, qui praeter fontes, et flumina, quae non possunt irrigare loca superiora montium et collium, neque ad omnes agros derivari, excogitavit pluvias quae ex nubibus, tamquam fontibus omnia omnino loca terrestria irrigare possunt, ut inde satiata terra possit herbas, et fruges producere in alimenta viventium super terram. *Rigans*, inquit, *montes de superioribus suis*, idest, Deus rigans est, sive irrigat montes, ad quos flumina non pertingunt, *de superioribus suis*, idest, de nubibus quae sunt in aere superiore. *De fructu operum tuorum satiabitur terra*, idest, de aquis, quas tu ex nubibus tuis exprimis, terra arida, et sitibunda satiabitur. *Producens foenum jumentis, et herbam servituti hominum*, idest, per hanc providentiam tu Deus producens es, sive producis ex terra foenum in cibum jumentorum, et herbam, unde fruges et vites, et arbores existunt, in cibum hominum. *Ut educas panem de terra*, idest, ut hac ratione producas ex terra cibum. Panis enim saepe accipitur in scriptura pro cibo generatim sumpto: hoc autem loco dicimus accipi pro cibo, tum quia ita explicat Theodoretus, tum quia de pane proprie dicto paulo infra fit mentio: subjungit enim Propheta: *et vinum laetificet cor hominis*, idest, et vinum a te productum laetificet cor hominis. *Ut exhilaret faciem in oleo*, idest, ut homo exhilaret faciem suam in oleo a te producto; *et panis cor hominis confirmet*, idest, panis sustentet, et roboret vitam humanam. Hoc loco pauca quaedam annotanda sunt. Primum, Deum esse auctorem omnium bonorum, quae ad vitam corporalem sustentandam, et delectandam pertinent: quamvis enim laborent homines fodiendo terram, seminando fruges, plantando arbores, poniendo, ac putando vites; tamen nisi Deus solem suum oriri faceret, et nisi de coelo plueret, et nisi foecunditatem terrae praeberet, et nisi vires hominibus suppeditaret, et cum iis cooperaretur, nihil omnino fieret; et quoniam potest Deus sine causis secundis omnia facere, ut fecit initio mundi, et secundae causae nihil sine Deo possunt efficere; verissime dicit Apostolus, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*, 1. Corinth. 3. *et non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo, et laetitia corda nostra*, Auctor. 14. et rursum, *Ipse dat omnibus vitam, et inspirationem, et omnia*; et, *in ipso vivimus, movemur, et sumus*, Act. 17. Verissime quoque canit hoc loco psalmographus, Deum esse, qui producit foenum jumentis, vinum, et oleum hominibus. Ex quo apparet incredibilis multorum hominum ingratitudo, qui etsi tanta bona, imo omnia bona a Deo recipiant, numquam tamen erigunt oculos mentis in coelum, ut agnoscant Patrem amantissimum, a quo tamquam filii ex paternis bonis aluntur, et sustentantur. Secundo notandum est Deum, ut parentem vere pium, et amantem filiorum, non solum nobis dedisse quae necessaria sunt ad vitam sustentandam, panem videlicet, et aquam; sed etiam addidisse quae jucundiorem, et suaviorem potum et cibum facere poterant, ut solatium aliquod in laboribus haberemus: dedit enim vinum ad cor laetificandum, juxta illud Proverb. 31. *Date vinum in his, qui amaro sunt animo*: dedit et oleum, vel ad ungendam, et illustrandam faciem, vel etiam ad cibum, ut Theodoretus docet: ut videlicet admixtum herbis, et leguminibus suaviorem cibum efficiat, et homo exhilaret faciem suam in eo cibo percipiendo; vel, ut Deus exhilaret faciem hominis in oleo, dum ei cibum oleo conditum porrigit, facies enim nitidior apparet cum homo nutritur iis, quae sapiunt. Hinc monachi veteres apud Cassianum in collationibus, ut hospitibus lautiorem cibum apponerent, olera, vel legumina oleo condiebant. Tertio notandum est, hinc admoneri homines, frugali victu, et potu sobrio contentos esse debere: moderata enim jucunditas a Deo est, supervacaneae deliciae, et varia irritamenta gulae, ac multo magis crapula, et hebrietas a Diabolo sunt.

18. *Saturabuntur ligna campi, et Cedri Libani, quas plantavit: illic passeres nidificabunt.*
19. *Herodii domus dux est eorum, montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.*

Quinto, considerat Propheta divinam providentiam in eo, quod Deus ipse sine ulla opera homi-

num producit, et nutrit arbores valde proceras, quales sunt cedri Libani: quae arbores deserviunt habitationi, et latibulo avium quarumdam, quemadmodum montes refugium praestant cervis, et petrae herinaciis. *Saturabuntur*, inquit, *ligna campi*, idest, ex pluviis humorem sibi debitum sument arbores sylvestres, et praecipue cedri Libani, quas Deus ipse plantavit. In hebraeo legitur, עצי יהוה *hatze Adonai*, *ligna Domini*. Sed septuaginta Interpretes explicare voluerunt, cur dicantur ligna Domini, et ideo posuerunt, *ligna campi*: dicuntur enim *ligna Domini*, quia non plantantur, nec irrigantur ab hominibus, sed jubente Domino sponte nascuntur in campis, et irrigantur pluviis de coelo cadentibus. *Et cedri libani, quas plantavit.* In hebraeo et graeco textu non habetur, *et*, sed explicatur, quae sint illa ligna campi, sive Domini et dicitur, *cedri libani, quas plantavit*, idest, ligna illa Domini, sunt cedri libani, quas Dominus ipse plantavit in campis; quare vel in textu latino irrepsit, *et*, vitio scriptorum, vel explicandum est, ut nos diximus, ligna campi, et praecipue cedri libani, quas Dominus plantavit, idest, sponte nasci voluit absque hominum industria. *Illic passeres nidificabunt*, idest, in his agrestibus arboribus nidos suos ponent aves ut tutiores sint ab aucupibus. Nam apud hebraeos nomine passerum intelliguntur omnes aviculae. *Herodii domus dux est eorum*, idest, milvi, aut fulicae, aut ardeae, aut ciconiae nidus praeeminet nidulis aliarum volucrum, tum magnitudine, tum altitudine. Vox hebraea, חסידה *chasida*, et graeca *Herodius* significat milvum apud Hieronymum; *fulicam*, apud Augustinum; *ciconiam*, apud Svidam; *ardeam*, apud Plinium. Certe magna avis significatur, quae nidum majorem et altiorem habeat, quam aves caeterae. In hebraeo habetur, *Herodio abietes domus ipsius*, idest, Herodius in abiete nidum ponit. Caeterum septuaginta interpretes non videntur legisse, ברושים *beroscim*, idest, *abietes*, sed, בראשם *beroscam*, idest, *dux eorum*, sive in ducem eorum: sed res non est magni momenti. *montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis*, idest, sicut magna arbores praebent refugium volucribus, sic montes cervis, et lapideae cavernae herinaciis. In graeco habetur leporibus pro, *herinaciis*, et sic legit sanctus Augustinus: sed sanctus Hieronymus in Epist. ad Suniam et Fretellam dicit, voce hebraica, לשפנים *lascephannim*, significari animal quoddam simile muri et urso, non majus hericio, quod in Palaestina frequens est, et in cavernis petrarum habitat.

20. *Fecit lunam in tempora, sol cognovit occasum suum.*
21. *Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylvae.*
22. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quaerant a Deo escam sibi.*
23. *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.*
24. *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.*

Sexto considerat, et laudat Prophela divinam providentiam, quae divisit tempora operibus hominum, et ferarum. Si quidem feris attribuit noctem, ut quaerant sibi praedam in cibum; hominibus attribuit diem, ut operando victum sibi parent. *Fecit*, inquit, *lunam in tempora, sol cognovit occasum suum*, idest, Dominus Deus ad usum hominum, et animantium caeterorum fecit lunam in tempora, idest, ut tempore opportuno luceret, per noctem videlicet: nam vox hebraica, מועדים *mohadim*, et graeca καιρος non significant quaelibet tempora, sed tempora opportuna, et apta ad opera facienda. *Sol cognovit occasum suum*, idest, sol quoque non semper est super terram novit suo tempore occumbere, ut det locum nocti, quemadmodum divina providentia disposuit. *Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylvae*, idest, ex vicissitudine solis et lunae tu Domine fecisti, ut suo tempore occumbente sole existerent tenebrae; et sic fieret nox: et ipsam dedisti sylvestribus animantibus, ut per sylvas discurrerent, et potissimum *catuli leonum rugientes prae fame*, in rapinam incumbant, et hoc modo *quaerant a Deo escam sibi*, idest, quaerant sibi cibum eo modo quem divina providentia statuit. *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur*, idest, divina providentia facit, ut oriente sole ferae sylvestres per noctem dispersae ad praedam congregentur in speluncis suis, et suis quasi cubilibus collocentur. *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam*, idest, exorto sole, et feras in antra sua cogente, surget homo, et in agrum exibit ad opus suum, ad agriculturam videlicet, *et operationem suam*, idest, ad laborem suum, sive ut habetur in hebraeo, לעבדתו *lahabodatho*, *ad servitutem suam usque ad vesperam*. Hinc admonemur, bestiis, quae ratione, et manibus carent, datum esse a Deo, ut per insidias nocturnas ex raptu vivant: hominibus vero, qui ratione, et manibus ornati sunt, prohibitas esse rapinas, et insidias, cum possint ex justo labore manuum suarum terram exercendo, vel mercaturam faciendo vivere. Proinde fures, et latrones, et quicumque insidiando, decipiendo, mentiendo, rapiendo vitam ducunt, ordinem divinae providentiae, quantum in se est, perturbant, et de illis recti dici potest, *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis;* psalm. 48.

25. *Quam magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.*

Haec est exclamatio ex admiratione operum Dei circa terram, et quasi conclusio sex considerationum praecedentium; miratur autem Prophela excellentiam, rationem, et numerum operum Dei. De excellentia dicit, *quam magnificata sunt opera tua Domine!* idest, quam sunt eximia, praestantia, et laude, ac praedicatione digna. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *quam multiplicata sunt*: sed vox hebraica, רבו *rabbu*, utrumque significat, *multi-*

plicata sunt, et etiam *magna, sive magnificata sunt*, quasi multae excellentiae. Quomodo nomen, *Rabbi*, significat Magistrum, quasi multae scientiae, sive magnum in scientia. Recte autem septuaginta Interpretes, quos latinus sequutus est, verterunt, *magnificata sunt*, non, *multiplicata sunt*; quoniam de multitudine agitur in fine versiculi. De ratione dicit, *Omnia in sapientia fecisti*, idest, nihil in operibus Dei factum est temere, aut casu, sed omnia facta sunt maxima ratione, et judicio, nihil deest, nihil abundat, nihil denique est, cujus non sit ratio in sapientia Dei. Demonstravit hoc Galenus in libro de partibus, ubi stupore maximo admiratur artificium auctoris naturae in frabricatione manus, et aliorum membrorum corporis humani: de numero dicit, *Impleta est terra possessione tua*, idest, haec opera, tam eximia, et tam sapienti artificio condita non pauca sunt, sed fere innumerabilia, ita ut terram universam repleverint; vocat autem Propheta res creatas, quibus plena est terra, *possessionem Dei*, quoniam Deus est Dominus omnium rerum, et ideo Dominus, quia omnia fecit; hanc enim vim habet vox hebr. קִנְיָנֶךָ *kinianecha*: derivatur enim a verbo קָנָה *kana*, quod significat *possidere* ex productione, ut Gen. 4. *Possedi hominem per Deum*, idest, genui filium et sic possedi illum. Impleta est ergo terra possessione Dei, quia plena est rebus, quas Deus possidet, et possidet quia fecit.

26. *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus; illic reptilia, quorum non est numerus.*
27. *Animalia pusilla cum magnis, illic naves pertransibunt.*
28. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.*

Laudavit Propheta Dei sapientiam ex operibus ejus in coelo, in aere, et in terra; nunc tandem descendit a mare, et decantat sapientiam Dei ex amplitudine maris, ex multitudine, et varietate piscium; ex utilitate, quam adfert navigatio, et ex inusitata magnitudine ceti, qui in eo degit; et concludit, omnia illa animalia, quin etiam omnia omnino animalia, quamvis innumerabilia a Deo nutriri, et conservari. *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus*, idest, spectandum praeterea se offert in operibus mirabilibus Dei, *hoc mare*, quod est magnum profunditate, et extensum latitudine: illud enim, *spatiosum manibus*, metaphoricum est; et metaphora sumpta est a similitudine hominis, cujus latitudo sumitur ab extensione brachiorum, et distantia unius manus ab altera; quemadmodum longitudo sumitur a distantia verticis a planta pedis. Declaraverunt hanc metaphoram, septuaginta Interpretes, qui verterunt, εὐρυχῶρος, idest, amplas habens regiones: dicitur igitur *mare spatiosum manibus*, quia est latissimum, et maximum spatium intercedit inter ejus extremas regiones. Quod alii volunt per manus maris, intelligi sinus angustiores, qui multi inveniuntur in medio terrae, ut mare Ligusticum, mare Adriaticum mare Rubrum, mare Ponticum, et alia, quae sunt veluti brachia, vel manus maris Oceani; non improbo, sed verius existimo quod supra dixi: haec enim est ratio, cur in textu graeco desit vox, *manibus*, quae expresse habetur in hebraico: omiserunt enim illam vocem Septuaginta interpretes, quia intellexerunt per eam non significari aliud, nisi magnam extensionem. *Illic reptilia, quorum non est numerus*: hoc est alterum Dei opus valde mirabile, quod in mari, ubi nullus homo dat operam conservandis piscibus, sed potius dat operam capiendis, inveniatur, et perpetuo conservetur tanta multitudo piscium, ut a nullo hominum numerari possint. Hanc faecunditatem significavit benedictio illa conditoris, de qua dicitur Genes. 1. *Benedixit illis Deus, et ait, crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris*. Nec solum vivit in mari infinita multitudo, sed etiam prope infinita varietas piscium, quod significatur in verbis sequentibus, *Animalia pusilla cum magnis*. Addit tertio Propheta, *Illic naves pertransibunt*: est enim admirandum opus Dei, quod per elementum liquidum deferantur naves onustae gravissimis rebus, et inde afferantur humano generi maxima commoda, dum summa celeritate transmutantur merces: tribuitur autem Deo adinventio navium, tum quia ipse primus docuit Noe aedificationem arcae: tum quia ipse dedit aquis eam naturam, ut naves ferre possint, et hominis ingenium, quo naves apte componeret. Adjungit quarto, *draco, iste, quem formasti ad illudendum ei*, quasi dicat, non solum naves quantumvis magnae, et onustae, per liquidum elementum maris transibunt; sed etiam *draco*, idest, piscis quidam major, et gravior omni navi non solum pertransibit per aquas maris, sed etiam in illis ludet, huc, atque illuc se circumvolvens. Hunc piscem, quem graecus et latinus interpres vocat draconem, hebraica lectio vocat *leviathan*: esse autem *leviathan* piscem maximum et horrendum valde scribit Job cap. 40. et inde hoc nomen tribuit diabolo Isai. cap. 27. vocans eum *leviathan, serpentem tortuosum*. Significantur igitur hoc nomine cete grandia, sive balenae, quae magnitudinem tam immoderatam habent, ut Olaus magnus scribat, balenam quamdam, insulam fuisse creditam. Illud autem, *illudendum ei*, variis modis exponitur, tum a Rabbinis, tum a nostris: sed simplicissima expositio videtur, ut sensus sit, ad ludendum in eo, idest, in mari: nam in hebraeo sic habetur ad verbum, *Leviathan, quem formasti, ad illudendum in eo*, et sic exponit Theodor. et Euthym. verba graeca ἐμπαίζειν αὐτῳ, et notat Theodoretus mare apud graecos esse generis femini; tamen interpretem vertisse αὐτῳ, quia sic invenit in hebraeo, ubi tam nomen maris, quam pronomen ibi positum, est generis masculini: adde quod expositio eorum, qui volunt sensum esse, Leviathan formatum esse a Deo ut illudatur ei ab hominibus, dum eum capiunt, et inter se dividunt, videtur repugnare Scripturae in lib. Job cap. 40. ubi Deus ipse describit magnitudinem Leviathan, et ostendit difficillimum esse illum capere, aut ex aquis extrahere: et formatum potius esse, ut potentia Dei per eum agnoscatur, quam ut ei illudatur ab homine. Addit postremo Propheta, ista omnia

animalia, quae vivunt in mari, non solum a Deo condita fuisse, sed etiam a Deo nutriri. *Omnia* inquit, *a te expectant, ut des illis escam in tempore*: Deus enim tempore congruo admirabili ratione, et modo cibum procurat, unde animalia ista vivant.

29. *Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.*
30. *Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.*

Declarat Propheta paulo fusius vitam omnium animalium ita pendere a Deo, ut si Deus aperiat manus, et cibos distribuat, omnia vivant: si Deus avertat faciem, et alimenta dare renuat, omnia intereant. Et quamvis proprie loquatur de aquatilibus; tamen ad omnia omnino animalia haec verba pertinent, cum sit eadem omnium ratio. *Dante te illis, colligent*, idest, si tu cooperando cum secundis causis, vel potius movendo secundas causas, illaque in omnibus adjuvando dederis animalibus cibum ipsis congruentem, *colligent*, et inde vivent: *aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Idipsum repetit aliis verbis, quae plane demonstrant, omnium bonorum auctorem esse Deum, sine quo nihil valeret terrae foecunditas, et humana industria. Illud, *replebuntur bonitate*, significat replebuntur bono, sive bonis, ut aperte est in hebraeo, ישבעון טוב *isbehun tob*. Itaque bonitas, hoc loco non significat probitatem, sed substantiam, unde homines, et animalia caetera sustentantur. Vox graeca χρησοτης ambigua est: nam et utilitatem, et benignitatem significat; hoc autem loco ad priorem significationem referenda est, si cum voce hebraica convenire debeat. *Avertente autem te faciem, turbabuntur.* Contra vero, inquit, si tu avertas faciem, et quasi iratus desinas ea respicere favore tuo, et subtrahas auxilium, continuo turbabuntur, et quasi languebuntur, *et mox deficient; auferes enim spiritum tuum*, idest, spiritum vitalem, quem eis dedisti, *et illa in pulverem suum revertentur*, idest, redibunt in pulverem aridum et inanimem, ut antea erant.

31. *Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.*

Ostendit potentiam Domini inde etiam valde laudandam, et praedicandam esse, quod potest etiam restituere spiritum vitae iis rebus, quibus abstulerat, et quamvis possit Deus restituere spiritum in individuo, ut vere restituet hominibus in resurrectione mortuorum: tamen hoc loco loquitur Propheta ad litteram de restitutione in specie. Deus enim aufert spiritum vitalem ab animantibus, cum ea variis modis interire sinit: et rursum emittit spiritum vitalem in animantia per novam generationem, et sic renovat faciem terrae, cum terra iterum repletur animalibus omnium generum. Vox illa, *et creabuntur*, non est accipienda proprie pro eductione ex nihilo, sed pro formatione, sive productione in genere. Quamvis autem haec sit expositio litteralis, non repugnat tamen veritati, ut hic versiculus exponatur mystice, vel pro resurrectione corporum humanorum, vel pro inspiratione Spiritus sancti, ut qui mortui fuerant peccato, vivere incipiant Deo per gratiam.

32. *Sit gloria Domini in saeculum: laetabitur Dominus in operibus suis.*

Explicatis admirandis operibus Dei in coelo, in aere, in terra, et in mari concludit psalmum oratione, ac primum petit, ut *sanctificetur nomen Domini*, quae est etiam prima petitio in oratione Dominica. *Sit*, inquit, *gloria Domini in saeculum*, idest, semper laudetur Dominus, non solum voce, sed etiam vita, et moribus servorum suorum. *Laetabitur Dominus in operibus suis*, idest, et inde fiet, ut Deus semper laetetur in operibus suis, et non habeat occasionem dolendi, et poenitendi quod fecerit ea: dicitur enim Gen. 6. *Videns Deus malitiam hominum, tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem quem creavi a facie terrae, ab homine usque ad animalia, a reptili usque ad volucres coeli: poenitet enim me fecisse eos.* Et quidem in Deum neque dolor, neque poenitentia, neque nova laetitia cadere potest: sed haec dicuntur more humano ad significandum, Deum in poenam peccatorum destruere opera sua; quod faciunt ii, quos poenitet ea fecisse, et contra fovere, et augere opera sua in praemium justorum, quod faciunt ii, qui ea se fecisse laetantur.

33. *Qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, et fumigant.*

Quia dixerat, res creatas esse opera Domini: id breviter probat ex eo quod tanta est potentia Dei in res creatas, ut solo aspectu minaci terram concutiat, et solo contactu montes ardere faciat. Alludit David ad caput decimum nonum Exodi, ubi describitur mons Sinai terribilis, et fumigans, descendente Domino.

34. *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.*
35. *Jucundum sit ei eloquium meum; ego vero delectabor in Domino.*

Haec est altera petitio, ut placeat Deo laus ejus. *Ego*, inquit, quemadmodum opto, ut ab omnibus Deus laudetur; sic ipse *cantabo Domino dum vixero*, et non sola voce, sed etiam psalterii sonitu celebrabo laudes ejus. Hoc autem oro, et peto, *ut jucundum sit ei eloquium meum*, idest, hymnus, quem in ejus laudem assidue decanto, gratus sit majestati ejus, et ego quoque delectabor in amore Dei, et deliciae meae erunt meditatio assidua bonitatis ejus.

36. *Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint. Benedic anima mea Domino.*

Haec est ultima petitio, ut peccatores, qui Deum

laudare nesciunt, deficiant de terra, ita ut vel conversi ad Dominum non sint amplius peccatores, vel si converti noluerint, dejiciantur infra terram, et ultra non compareant.

PSALMUS CIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Titulus hujus psalmi est *alleluja*. Quamvis enim non habeatur apud hebraeos *alleluja* in principio psalmi: habetur tamen in fine psalmi superioris: sed Septuaginta Interpretes posuerunt *alleluja* in principio hujus psalmi, non in fine superioris. et idem fecerunt in psalmis 106. 113. 114. 116. 117. 135. et 146. semper enim posuerunt in titulo *alleluja*, cum in hebraeo habeatur in fine psalmi superioris: credibile autem est, septuaginta Interpretes ita invenisse in suis codicibus hebraicis. Certe sanctus Augustinus monet in praefatione psalmi sequentis, celeberrimam ecclesiae consuetudinem habere, ut *alleluja* ponatur in titulo psalmorum potius quam in fine. Rectissime autem convenit *alleluja* in titulo hujus psalmi, et duorum sequentium; quoniam *alleluja*, significat, *laudate Dominum*, et his psalmis narrantur beneficia praestita populo Dei, ob quae omni laude dignus est. Habentur primi quindecim versiculi hujus psalmi in lib. 1. Paralipomenon capit. 16. deinde subnectuntur eo loco duodecim versiculi ex psalm. 95. et rursum tres alii versiculi adduntur in fine ex psal. 105. Hic autem post quindecim versiculos, qui habentur in lib. Paralipomenon subjiciuntur alii viginti octo versiculi.

EXPLICATIO PSALMI CIV.

1. *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: annunciate inter gentes opera ejus.*

Invitat Propheta spiritu serviens populum Dei ad laudandum, et invocandum Deum, et ad annuncianda caeteris gentibus mirabilia opera ejus, ut per hoc multiplicetur laus, et invocatio Dei: non enim contentus est verus amator, si solus ipse cognoscat, et laudet dilectum: sed cupit a multis, vel ab omnibus omnino cognosci, et laudari. Ait igitur, *confitemini* confessionem laudis vos populi Dei, et invocate nomen ejus, ut recte laudare possitis: neque enim sine auxilio gratiae ejus id praestare sufficitis. *Annuntiate inter gentes*, idest, spargite inter alias gentes sermonem *de mirabilibus operibus Dei*, ut illae quoque ex operibus incipiant cognoscere, laudare, et invocare factorem.

2. *Cantate ei, et psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus.*

Explicat, quod supra dixit, *confitemini*, dicens, *cantate, et psallite*, idest, confitemini laudes Dei cantando vocibus, et psallendo instrumentis musicis, sive laudando verbo, et opere, benedicendo, et bene vivendo: explicat quoque, quod supra dixit, *annunciate inter gentes opera ejus*; dicens, *narrate omnia mirabilia ejus*, idest, annunciate gentibus opera Dei, quae sunt omnia valde admirabilia, et laude dignissima.

3. *Laudamini in nomine sancto ejus: laetetur cor quaerentium Dominum.*

Invitat ad laudem, et cantum exteriorem: nunc invitat ad laetitiam, et exultationem interiorem, ac primum dicit, *laudamini in nomine sancto ejus*, idest, gloriamini in corde vestro, quod Deum noveritis auctorem omnis boni. Vox hebraea, **התהללו** *hithallelu*, ad verbum reddi potest, *laudate vos ipsos*, sed quia sequitur, *in nomine sancto ejus*, sensus est, *laudate vos ipsos*, et bene fortunatos vos dicite, sive, quod est idem, gloriamini non in vobis, non ex virtute vestra, sed ob nomen sanctum Dei, vobis manifestatum; juxta illud Apostoli. 2. Cor. 11. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Potest etiam vox illa accipi pro laetitia, et exultatione; ut idem sit, *laudamini*, quod laetamini: sic enim vertit s. Hieron. *Exultate in nomine sancto ejus*: per nomen Dei significatur notitia Dei, sive etiam ipse Deus. *Laetetur cor quaerentium Dominum*, idest, cum laetitia, et exultatione, non cum taedio et moerore quaerite Dominum; quia tantum bonum est Dominus, ut melius sit illum quaerere, quam caetera omnia possidere; vel, *laetetur cor quaerentium Dominum*, idest, laetabitur valde cor quaerentium Dominum, quia desinet anxie quaerere quae sunt mundi, et per hoc liberabitur a mor-

dacibus curis, et sollicitudinibus multis: deponet quinque juga boum, *et tollet jugum suave, et onus leve, et inveniet requiem animae suae*, ut legitur, Matth. 11.

4. *Quaerite Dominum, et confirmamini: quaerite faciem ejus semper.*

Id ipsum urget, ut serio, et assidue quaeratur Deus: illud enim, *confirmamini*, significat proprie, roboramini, idest, non defatigemini in quaerendo Domino; sed confirmate vires animi, et infatigabiliter quaerite. Sanctus Hieronymus vertit, *quaerite Dominum, et virtutem ejus*; quia legit, עזו *huzo*, quod significat, *robur, sive virtutem ejus*: sed septuaginta Interpretes, quos latinus interpres secutus est, legerunt, עזר *huzzu*, cum iisdem literis, mutatis tantum punctis; et ideo recte verterunt *confirmamini*, sive *roboramini*. Quod sequitur, *quaerite faciem ejus semper*, duobus modis exponi potest. Si respiciamus ad homines testamenti veteris, sensus erit, Quaerite praesentiam Domini per gratiam et favorem, idest, procurate, ut Deus vos placido vultu semper aspiciat, benefaciat vobis de coelo, non avertat faciem a vobis, neque vos iratus despiciat, et affligat. Sed si ad homines testamenti novi referantur haec verba, ut praecipue referri debent, sensus erit, *quaerite faciem ejus semper*, idest, ascendite semper corde, amando, et desiderando faciem Domini; donec ad eam videndam ali quando perveniatis, et quia nemo quaerit quod non novit, et quod aliquo modo per notitiam non invenit; recte dicit s. Augustinus, eos qui quaerunt faciem Domini, jam invenisse per fidem, et adhuc quaerere per spem, et desiderium. Ex quo intelligimus ab illis non quaeri faciem Domini, qui fidem vel non habent, vel non exercent; proinde initium quaerendi faciem Domini, sumendum esse ab exercitatione fidei, cogitando, et meditando eminentiam summi boni, sibique firmiter persuadendo ex divinis litteris, veram foelicitatem, in qua sola quiescere possit desiderium nostrum, non esse nisi in visione infinitae pulchritudinis Dei: et ad hanc visionem posse hominem pertingere, si quaerat, sicut oportet, faciem Dei. Porro quaerere, sicut oportet in duabus rebus positum est, videlicet in removendis impedimentis, et adhibendis mediis: quod Apostolus docuit ad Titum secundo. *Abnegantes impietatem, et saecularia desideria; sobrie juste, et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem.* Impedimenta ergo sunt, pravae cupiditates, affectusque rerum terrenarum: quantum enim minuitur cupiditas, tantum crescit charitas. Itaque qui cupiunt divites fieri, ac ut opes cumulent, non tribuunt necessitatem patienti, quique serviunt gulae, aut luxuriae, ii non ascendunt ad faciem Domini quaerendam, sed descendunt, et elongantur ab ea, quia non removent, sed multiplicant impedimenta. Medium ad faciem Domini inveniendam, est vera justitia, sive divinae legis impletio; dicente Domino Matth. 5. *Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus*; illud, ut finem; istam, ut medium; et, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. Quare ille quaerit faciem Domini semper, qui fidem cogitando, et meditando exercet, quique mortificat membra sua, quae sunt super terram; et saecularibus desideriis abnegatis, corde puro et conscientia bona semper juste vivit, et ad faciem Domini videndam semper anhelat.

5. *Mementote mirabilium ejus, quae fecit: prodigia ejus, et judicia oris ejus.*

Docet nunc Propheta materiam laudis Dei, et quasi scalam ad ascendendum ad amorem, et desiderium Dei; ad quae duo nos invitaverat in tribus versiculis praecedentibus. Materia laudis sunt opera Dei mirabilia, quae nobis indicant omnipotentiam, et summam sapientiam, et suavissimam bonitatem Dei: quae eadem si, ut par est, pie fideliterque cogitentur, evehunt mentem ad amorem, et desiderium Dei. *Mementote*, inquit, *mirabilium ejus, quae fecit*, idest, revocate ad memoriam, et recogitate mirabilia opera, quae a Deo facta fuisse cognovistis. *Prodigia ejus, et judicia oris ejus*, idest, mementote mirabilium quae fecit, quae mirabilia sunt prodigia, et judicia ejus. Per prodigia intelliguntur miracula, quae fecit Deus per Mosem, et Josue, et Samuelem, et alios, quae naturae viribus fieri nequeunt. Per judicia oris ejus, possunt intelligi horrenda flagella, quibus Deus justo judicio punivit Pharaonem, et alios persecutores populi Dei, ut sint eadem prodigia, et judicia, quia prodigia illa facta sunt, ut per ea judicaretur, et puniretur superbia, et injustitia Pharaonis: sic enim exponit Theodoretus. Possunt etiam per *judicia oris ejus*, intelligi sanctissimae leges, quas Deus populo suo dedit, juxta illud psalm. 147. *Qui annuncial verbum suum Jacob, justitias, et judicia sua Israel*, ut prodigia pertineant ad potentiam Dei manifestandam, judicia ad sapientiam. Sic videtur exponere s. Augustinus, et sic exponunt aliqui recentiores.

6. *Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus.*

Declarat quibus dixerit, *mementote mirabilium ejus*: quasi dicat, vobis loquor hebraei, qui estis *semen Abrahae, et filii Jacob*, idest, qui propagati estis ab Abraham per Jacob, ac per hoc etiam per Isaac, non per Esau, aut Ismaelem. Vos enim estis *servi ejus et electi ejus*, quia vos elegit Deus in proprios, et peculiares servos, quibus legem daret, et quos doceret, quo ritu coli vellet. Recte autem admonet s. Augustinus haec non pertinere solum ad filios carnis Abrahae, et Jacob; sed potissimum pertinere ad filios fidei Abrahae, et Jacob: dicit enim Apostolus, ad Rom. 4. *Signum accepit* (Abraham) *circumcisionis signaculum justitiae fidei, quae est in praeputio, ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur et illis ad justitiam: et sit Pater circumcisionis non iis tantum, qui sunt ex circumcisione; sed et iis, qui sectantur vestigia fidei quae est in praeputio Patris nostri Abrahae*; et ad roman. 9. *Non omnes, qui ex Israel, ii sunt Israelitae; neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii; sed in Isaac vocabitur*

tibi semen, idest, non qui filii carnis, ii filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine; et ad Galat. 3. *Cognoscite*, inquit, *quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae;* et infra, *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, praenunciavit Abrahae. Quia benedicentur in te omnes gentes: igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham*; et infra, *Si autem vos Christi estis, ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem haeredes.* Quod attinet ad verba, illud, *servi ejus*, in hebraeo est genitivus singularis, et sensus est, *semen Abrahae servi ejus*, idest, qui Abraham est servus ejus; sed in graeco est, ὄχλοι nominativus numeri multitudinis, et refertur ad filios Abrahae, qui sunt servi Dei, et haec est verior lectio: nam quod sequitur, *electi ejus*, tam in graeco, quam in hebraeo, est numeri multitudinis. Quod igitur nunc est in hebraeo, עבדו *habdo*, quod significat, *servi ejus*, in genitivo singulari, legerunt Septuaginta interpretes, עבדיו *habdau*, *servi ejus*, in numero multitudinis.

7. *Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus.*
8. *Memor fuit in saeculum testamenti sui: verbi, quod mandavit in mille generationes.*

Incipit narrare mirabilia opera Dei, ac primo loco ponit, quod Deus universae terrae imperans, elegerit Abrahamum, et cum eo foedus aeternum percusserit de terra promissionis in perpetuum tradenda semini ejus, quae promissio in Christo impleta est, cujus regnum nullum habebit finem: terrena enim possessio Palaestinae non semper apud filios Abrahami permansit. *Ipse*, inquit, *Dominus Deus noster, in universa terra judicia ejus*, idest, Deus, cujus judicia sunt in omni terra, quique omnem terram, ut summus rex, et monarcha judicat, ipse, inquit, Deus tam magnus *memor fuit in saeculum testamenti sui*. idest, memor fuit foederis sui, ut illud impleret, quod aeternum esse voluit. *Verbi sui*, idest, promissionis suae, *quam mandavit*, idest, jussit, et voluit habile esse *in mille generationes*, idest, in aeternum: ponitur enim numerus millenarius qui longe excedit numerum omnium generationum, quae fuerunt ab initio mundi pro quadam perfecta duratione, quae non habet finem. Sic sanctus Augustinus hoc loco, et s. Gregorius lib 9. moral. cap. 3. et perspicuum est, tum et praecedentibus, et sequentibus, ubi dicitur, *Testamentum in saeculum, et aeternum*: tum ex eo quod quocumque modo accipiatur generatio, etiamsi solum pro quindecim annis, in qua aetate homo incipit posse generare, quae est minima duratio, credibile est, mundum a prima conditione, usque ad ultimam consummationem non duraturum mille generationibus, idest, quindecim millibus annorum. Siquidem s. Joannes in prima epist. cap. 2. dicit, *novissimam horam nunc esse*, et tamen nondum effluxerunt sex millia annorum.

9. *Quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac.*
10. *Et statuit illud Jacob in praeceptum, et Israel in testamentum aeternum.*
11. *Dicens, tibi dabo terram Chanaam, funiculum haereditatis vestrae.*
12. *Cum essent numero brevi, paucissimi et incolae ejus.*

Id ipsum repetit, et declarat pluribus verbis, ad confirmationem veritatis. *Quod disposuit ad Abraham*, idest, memor fuit ejusdem pacti, quod disposuit ad Abraham; et memor fuit ejusdem pacti, quod cum juramento confirmavit Isaac filio Abrahae: *et statuit illud* pactum, sive promissum juratum ipsi *Jacob in praeceptum*, idest, in decretum, et statutum; *et in testamentum aeternum*, hoc est, foedus in aeternum duraturum. Verba autem promissionis, in pacto, sive decreto divino inclusae, fuerunt, *tibi dabo terram Chanaam*, quae dicitur terra promissionis, in qua Chananaei tunc habitabant. *Funiculum haereditatis vestrae*, idest, quam possidebunt filii tui, tamquam haereditatem funiculo illis divisam. Pro illo verbo, *in praeceptum*, in hebraeo habetur, לחק *lechok*, quod proprie *statutum, et decretum*, significat. Porro haec promissio Dei ad Abraham habetur Gen. 17. ad Isaac habetur Gen. 26. ad Jacob, qui et Israel dicebatur, habetur Gen. 28. Facta est autem haec promissio hebraeis, *cum essent numero brevi*, idest, paucissimi; et cum essent *incolae*, idest, peregrini, et advenae in ipsa terra Chanaam. Quo magis admirandum est consilium Dei, et potentia, ac sapientia ejus, et dignatio erga patriarchas; quod elegerit ex toto mundo familiam unam, eamque exiguam, cui promitteret, et postea re ipsa traderet regionem amplissimam, in qua multi reges solium suum habebant. Sed multo magis admirandum est, quod pusillum gregem electorum ex universo genere humano idem Deus elegerit, cui daret regnum coelorum in aeternam haereditatem, cujus regni sempiterni figura erat terra promissionis. Pro verbo, *incolae*, in hebraeo est *garim*, quod proprie *peregrinos*, et *advenas* significat.

13. *Et pertransierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum.*
14. *Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges.*
15. *Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari.*

Hic recenset Propheta alterum beneficium Dei, quod videlicet Patriarchas singulari providentia custodierit, atque protexerit. Attingit autem historiam Gen. cap. 12. et 20. ubi Abraham bis in periculo fuit propter pulchritudinem uxoris suae, et capit. 26. ubi Isaac simile periculum adiit, et cap. 31. et 32. ubi Jacob parum abfuit, quin multa pateretur, primum a Laban, deinde ab Esau, Sed ab omnibus periculis eruit eos providentia Dei. *Et pertransierunt*, Patriarchae videlicet, Abraham, Isaac, et Jacob cum familia sua, *de gente in gentem*, de una provincia in aliam: *et de Regno uno ad populum* Regni alterius, ut de Regno Palaesti-

nae ad populum Regni Aegypti. *Non reliquit*, idest, non permisit Deus, *hominem ullum nocere eis*; imo etiam *corripuit pro eis reges*, Pharaonem videlicet Regem Aegypti, et Abimelech regem Gerarae: dixit enim Deus Regibus istis: *Nolite tangere Christos meos*, Abraham videlicet, Isaac, et Jacob: *et in Prophetis meis nolite malignari*, idest, et in eosdem istos, qui Prophetae mei sunt, ac per hoc uncti mihique consecrati, nolite aliquid mali perpetrare, nolite eis nocere, nolite illos vexare. Prophetas fuisse sanctos Patriarchas non dubium est: nam Abraham praevidit captivitatem populi Israelitici in Aegypto, et quamdiu duratura, et quem exitum habitura esset, ut constat ex cap. 15. Genesis. Isaac paulo ante mortem praedixit Esau filio suo, quod serviturus esset Jacob fratri suo, et quod aliquando excussurus esset jugum illud servitutis; quae omnia praedicebantur de posteris eorum, non de personis ipsorum: vide cap. 27. Genesis quae impleta esse testantur libri regum. Denique Jacob plurima praedixit, quae eventura erant singulis filiis, ac praesertim Judae, ex cujus tribu Messiam venturum prophetavit: vide cap. 49. Genesis. Itaque Patriarchae illi recte Prophetae dicti sunt, et ea de causa dicti sunt Christi, idest, uncti, non quod uncti fuerint oleo visibili, quomodo postea sacerdotes, reges, et aliqui Prophetae ungi coeperunt, sed quod spiritali, atque interna unctione spiritus delibuti fuerint, de qua unctione dicitur Isai. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.*

16. *Et vocavit famen super terram, et omne firmamentum panis contrivit.*
17. *Misit ante eos virum, in servum venumdatus est Joseph.*
18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum petransiit animam ejus, docet veniret verbum ejus.*
19. *Eloquium Domini inflammavit eum; misit rex, et solvit eum; princeps populorum et dimisit eum.*
20. *Constituit eum Dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae.*
21. *Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret.*
22. *Et intravit Israel in Aegyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham.*

Hoc est tertium beneficium Dei erga populum suum, in quo est ingens materia laudis propter admirabilem Dei sapientiam qui ex magnis malis eruere novit maxima bona. Narrat igitur Propheta famen gravissimam, quae orta est super terram tempore Jacob: cujus occasione idem Jacob transmigravit in Aegyptum, ubi vixit cum tota familia sua tempore illius famis. Historia nota est ex lib. Gen. cap. 37. et seq. Ait igitur Propheta, *et vocavit famem super terram*, id est, Deus auctor fuit providentiam suam, ut gravissima fames ex penuria frumenti opprimeret terram: loquitur autem more poetico, cum ait, *vocavit famen super terram*, quasi fames esset exercitus aliquis armatus, qui de uno loco ad alium vocari posset; sed haec metaphora significat, omnia Deo servire ad nutum, et quae videntur nobis fortuita, ex decreto Dei justissimo provenire. Idipsum repetit, et declarat addens, *et omne firmamentum panis contrivit*, idest, fames illa exorta est super terram, quia Deus contrivit firmamentum panis, stabilimentum videlicet victus humani, qui in pane consistit. Fecit enim, ut annis septem, nec arari, nec feri, nec meti posset, ut dicitur in Gen. cap. 45. In hebraeo pro firmamentum panis, est, מטה לחם *mate lechem*, idest, *baculum panis*. Sed septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram baculi; dicitur enim baculus panis, sustentatio vitae ex pane, *Misit ante eos virum*, idest, occasione illius famis venturae praemisit Deus in Aegyptum ante filios Israel, *virum* magnum, idest, Josephum, qui liberaret ab ea fame Israelem cum omni familia sua. Historia Genesis testatur cap. 37. S. Josephum venditum fuisse a fratribus ex invidia mercatoribus pergentibus in Aegyptum: sed David recte dicit, cum missum fuisse a Deo, quia Dei providentia permisit eum vendi, et asportari in Aegyptum, ut per eum mirabili ratione, et modo introduceretur Jacob cum filiis in Aegyptum. Explicat autem idem Propheta, quo modo Joseph missus fuerit in Aegyptum, subdens, *In servum venumdatus est Joseph*, idest, venditus a fratribus Joseph, mercatoribus euntibus in Aegyptum, sic in Aegyptum ipse quoque pervenit. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus*, idest, in Aegypto positus Joseph, et accusatus falsi criminis ab uxore Domini sui, conjectus fuit in carcerem, pedes compedibus ferreis alligatus. *Ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus*, idest, ferrum compedum dolore afflixit animam Joseph, et quodammodo eam pertransivit per multos dies, donec impleretur vaticinium ejus, quo praedixit pincernae Regis Pharaonis, liberationem ex carcere: nam ex adimpletione vaticinii processit liberatio ipsius etiam Joseph, ut patet ex Genes. cap. 40. Illud, *ferrum petransiit animam ejus*, in graeco legitur, σιδηρον διηλιθεν η ψυχη αυτs. *ferrum petransiit anima ejus*, in hebraeo utroque modo legi potest: nam verbum, נפשׁ *naphscio*, significare potest, *animam ejus, et anima ejus*, et quamvis sensus idem sit, tamen clarior est oratio; *ferrum pertransiit animam ejus*, et similis illi Luc. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, et sic legerunt s. Hieronymus, et Augustinus in commentario, et alii latini; proinde non recte aliqui recentiores legere maluerunt, *ferrum petransiit anima ejus*, corrigentes sine causa latinum textum ex graeco. Illud, *donec veniret verbum ejus*, s. Hieronymus in commentario refert ad verbum Domini, quo Josephum liberare constituit: sed planior sensus est, si referatur ad verbum ipsius Joseph, qui praedixit liberationem pincernae Pharaonis, quae expositio est S. Augustini, et communior. *Eloquium Domini inflammavit eum*, idest, verbum illius Joseph, quo praedicebat futura, non oriebatur ex ejus ingenii sagacitate, sed ex virtute Dei, qui eloquium ignitum, et lucidum, et efficax illi tribuebat. *Eloquium enim Domini*, idest, a Domino immissum, et inspiratum, cum esset *quasi facula*

ardens, ut dicitur de eloquio Eliae Prophetae. Eccl. 48. et *ut lingua ignea, quae sedit super Apostolos*, Act. 2. *inflammavit pectus ejus*, ut libere loqueretur, quae per spiritum Domini praevidebat. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, *eloquium Domini probavit eum*. Et quidem vox Hebraica, צרפתהו *tzeraphatheu*, significat, probare; sed Septuaginta Interpretes legerunt, שרפתהו *seraphatheu*, per ש sin, quod significat *inflammare*, et hanc existimamus veram esse lectionem, quae postea incuria librariorum mutata sit. *Misit Rex, et solvit eum; Princeps populorum, et dimisit eum*, idest, Rex Pharao princeps omnium populorum terrae Aegypti, audita sapientia Joseph per pincernam suum, misit qui eum liberaret de carcere, et auctoritate sua solvit eum compedibus, et liberum dimisit. *Constituit eum Dominum domus suae*, et principem omnis possessionis suae, idest, non solum liberavit eum de carcere, sed constituit eum praepositum domus suae, et totius regni sui, ut omnia, quasi princeps, et Dominus administraret. *Ut erudiret Principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret*, idest, ea de causa praeposuit rex Pharao Josephum domui suae, non solum ut corporibus alendis tempore famis operam daret; sed etiam ut erudiret principes regni, et seniores consiliarios, qui cum rege negotia regni tractare solebant, ea sapientia, et prudentia, qua ipse pollebat. Illud, *sicut semetipsum*, s. Hieronym. vertit ex hebraeo, *secundum voluntatem suam*. Vox hebraica, בנפשו *benaphscio*, ad verbum significat, *in anima sua*; et potest sensus esse, in voluntate sua, sed septuaginta videntur legisse per caph, כנפשו *chenaphscio*, non per beth; et tunc sensus est, *secundum animam suam*, idest, ad similitudinem sapientiae, quae erat in anima sua; quod proprie dictum est, *sicut semetipsum. Et intravit Israel in Aegyptum*, idest, hac occasione ingressus est Patriarcha Jacob *cum omni familia* sua in Aegyptum; vocavit enim eum Joseph, ut habetur Genes. 45. Et Jacob accola *fuit in terra Cham*, idest, hoc modo Jacob, idest, populus congregatus ex filiis, et nepotibus Jacob, coepit habitare in terra Aegypti, quae dicitur terra Cham, quia Mizraim filius Cham filii Noe primus fuit, qui habitavit in terra Aegypti.

23. *Et auxit populum suum vehementer: et firmavit eum super inimicos ejus.*
24. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus.*
25. *Misit Moysem servum suum, et Aaron quem eligit ipsum.*
26. *Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.*

Sequitur quartum beneficium Dei erga populum suum, quem divina providentia crescere fecit, et multiplicari valde in Aegypto: et cum a rege Pharaone opprimeretur idem populus Dei, misit Deus Moysem, et Aaronem cum potestate magna in signis, et prodigiis faciendis; ob quae tandem populus Dei, gloriose discessit ex Aegypto. Ait igitur Propheta, *Et auxit populum suum vehementer et firmavit eum super inimicos ejus*. Quid hoc significet, potest intelligi ex cap. 1. Exod. ubi sic legitur, *filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram. Surrexit interea Rex novus in Aegypto, qui non noverat Joseph, et ait ad populum suum, Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est*. Ubi illud, germinaverunt, in hebraeo est, ישרצו *iscretzu*, quod significat, *producere reptilia in maxima copia*: proinde comparatur hebraeorum multiplicatio in Aegypto multitudini formicarum, aut vermium, qui ita ebulliunt ex aliquo loco, ut numerari non possint. *Convertit cor eorum*, idest, Deus convertit cor Aegyptiorum inimicorum Israelitarum, *ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus*, idest, ut astute, et fraudulenter illos opprimerent. Porro Deus dicitur convertisse cor Aegyptiorum in odium, et ruinam hebraeorum; non inserendo in cordibus eorum malam voluntatem (Deus enim non est causa peccati) sed benefaciendo populo suo, et foecunditatem insolitam illi donando, occasionem quodammodo praebuit perversis cordibus Aegyptiorum, ut inviderent alienae foelicitati, et inde illos opprimere desiderarent: benefecit autem Deus populo suo, praesciens invidiam, et odium in Aegyptiis ea occasione nascitura, quia poterat, et volebat mala eorum voluntate, quam ipse non fecerat, bene uti ad punienda peccata Aegyptiorum, et ad populum suum de captivitate liberandum. Sic exponit s. Augustinus. Si cupiat lector plenius explicari, quomodo Deus convertat corde aliquorum, ut alios odio prosequantur, et tamen non sit causa peccati, videat, quae scripsimus lib. 2. cap. 13. de amissione gratiae, et statu peccati, tom. 4. controversiarum. *Misit Moysem servum suum, et Aaron, quem elegit ipsum*; idest, occasione afflictionis populi sui misit Deus in Aegyptum Moysem, et fratrem ejus Aaronem legatos ad Pharaonem. Illud, *quem elegit ipsum*, in graeco habetur, ον εξελεξατο εαυτω, *quem elegit sibi;* ex hebraeo verti posset, *quem elegit ei*, id est, Moysi, ut sensus sit, misit Deus Moysem servum suum, et Aaronem, quem elegit ei, socium, et adjutorem. Potest tamen vox hebraica, בו *bo*, quae proprie significat, *in eo*, sive, *in ipso*, verti, *ipsum*, ut legunt hoc loco s. August. s. Hieron. in commentario, et alii: et ut habent omnes codices vulgatae editionis, ac ut recte monet s. August. apud latinos redundat illud, *ipsum*, quod apud hebraeos eleganter additur. Similis est locus in psalmo sequenti vers. 5. *ad videndum in bonitate electorum tuorum*: ubi in hebraeo est eadem propositio, *in*, ut etiam in graeco et latino, et s. Hieronymus vertit; *ut videam bona electorum tuorum. Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham*. idest, mittens Deus ad liberandos filios Israel, Moysem, et Aaron, posuit in eis verba signorum, potestatem videlicet edendorum miraculorum in terra Aegypti, ut tum filii Israel, tum etiam Aegyptii crederent, Moysem, et Aaron missos esse a Deo; et illis obedirent, ut nuncii veri, atque omnipotentis Dei. Vox illa *verba*, apud

hebraeos latissime patet, ut non solum verba, sed etiam res quascumque significare possit. Itaque hoc loco, *verba signorum*, sunt vel ipsa signa, vel, ut dixi, potestas signorum faciendorum.

27. *Misit tenebras, et obscuravit, et non exacerbavit sermones suos.*

In hoc versiculo et sequentibus octo describit in particulari prodigia edita in Aegypto, quibus Deus Pharaonem, et Aegyptios flagellavit, ubi notandum est, prophetam non recensere omnes plagas, neque eodem ordine, ut habentur in Exodo: quoniam non historiam texit, sed carmen scribit, ad laudandum Deum, quod etiam observavimus in Psalmo septuagesimoseptimo. Incipit igitur a prodigio tenebrarum, quae tres integros dies occupaverunt Aegyptum, quae plaga est una ex postremis in Exodo, cap. 10. *Misit*, inquit, *tenebras*, idest, immisit tenebras in Aegyptum, *et obscuravit* eam regionem. Fuerunt autem illae tenebrae tam horribiles, et crassae, ut nemo alterum agnosceret: et quod mirabilius est, nemo se moveret de loco in quo erat; quod sequitur, *et non exacerbavit sermones suos*, varie legitur in codicibus hebraicis, graecis, et latinis. In hebraeo sic habetur, ולא מרו דבריו *velo maru devarav et non exacerbaverunt sermones ejus*: vel, ut s. Hier. vertit, *et non fuerunt increduli verbis ejus*; idest, Moses, et Aaron audacter impleverunt mandata Domini, facientes signa, et prodigia; quorum unum fuit immissio tenebrarum; in graecis vero sic habetur, οτι παρεπικραναν τας λογους αυτου *quoniam exacerbaverunt sermones ipsius*, idest, misit Deus tenebras, quoniam Aegyptii exacerbaverunt sermones ejus, obstinate resistentes mandatis ipsius. In latinis varia lectio erat tempore s. Augustini: nam, ut ipse dicit, plerique codices habebant, *exacerbaverunt*, nonnulli, *non exacerbaverunt*. S. Hieronymus in commentario psalmorum legit, *et exacerbavit sermones ejus*, idest, populus exacerbavit sermones Dei, illis non parendo. Nostra lectio, quae habet, *Non exacerbavit sermones suos*, videtur repugnare omnibus aliis codicibus; sed facile convenire potest cum hebraica, et graeca; nam in hebraica expresse habetur negatio. In graeca verisimile est; pro οτι legendum esse, οτε, quod est *neque*; et sic legisse videtur Theodoretus, et sic absque dubio noster interpres legit: non enim vertisset, *et non*, si legisse οτι; nisi imperitissimus fuisset. Quod autem latinus habeat in singulari, *non exacerbavit*, graecus et hebraeus in plurali, *non exacerbaverunt*, non mutat sensus; nam juxta latinam lectionem sensus est, *Non exacerbavit Moses, aut Aaron sermones suos*, idest, Dei. Confundit enim latinus interpres pronomen, *suum*, cum pronomine, *ejus*, quemadmodum in graeco, et hebraeo confunduntur; at juxta lectionem hebraicam et graecam sensus est, *non exacerbaverunt* Moses, et Aaron *sermones suos*, idest *ejus*, Dei videlicet, qui jussit eos mirabilia signa facere. Cum igitur lectio quae nunc habetur in omnibus libris vulgatae editionis latinae, concordet cum graeca, et hebraica, nullo modo corrigenda, aut mutanda est, ut aliqui nimis audacter faciunt.

28. *Convertit aquas eorum in sanguinem: et occidit pisces eorum.*
29. *Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum.*
30. *Dixit, et venit coenomyia, et cinifes in omnibus finibus eorum.*
31. *Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.*
32. *Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit lignum finium eorum.*
33. *Dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus.*
34. *Et comedit omne foenum in terra eorum, et comedit omnem fructum terrae eorum.*
35. *Et percussit omnem primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.*

Haec omnia quae ad plagas Aegypti pertinent, explicata sunt in explicatione psalmi septuagesimiseptimi, et versiculo quadragesimonono, et deinceps, et nota sunt ex lib. Exod. cap. 7. et sequentibus: neque est in his octo versiculis ulla dissensio inter codices.

36. *Et eduxit eos cum argento, et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus.*

Hoc est beneficium quintum, quo Deus affecit populum suum, quia non solum liberavit eum de captivitate Pharaonis, sed etiam ditavit eum magnis opibus: jussit enim ut hebraei peterent a vicinis suis Aegyptiis, viri a viris, et mulieres a mulieribus vasa argentea, et aurea, et vestes pretiosas, et simul dedit gratiam populo suo coram Aegyptiis, ut facile illis crederent, et commodarent omnia, quae petebant, ut habetur Exod. 11. et 12. atque hoc est quod Propheta commemorat, dicens, *et eduxit eos*, de Aegypto videlicet, *cum argento, et auro*, idest, cum ingenti copia vasorum aureorum, et argenteorum, quae commodato acceperant ab Aegyptiis. Disputant Theologi, an dispensaverit Deus in praecepto, *non furaberis*, quando jussit hebraeis, ut per speciem mutui, vel commodati spoliarent Aegyptios, sed non opus erat dispensatione in praecepto naturali, cum Deus, ut Dominus absolutus rerum omnium, potuerit transferre bona illa Aegyptiorum in hebraeos: et etiam quia potuit ut summus judex, tradere bona illa Aegyptiorum hebraeis loco mercedis, quam illis debebant Aegyptii ob labores, in quibus eos servire coegerant. Sic s. Augustin. quaest. 39. in Exodum, et lib. 22. contra faustum, cap. 71. et videtur hoc ipsum affirmare liber Sap. capit. 10. in illis verbis, *Et reddit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili.* His accessit aliud beneficium, quod cum Aegyptii variis morbis affecti fuerint, et tandem primogenita omnia eorum occisa; apud filios Israel nulla plaga desaeviit, et hoc est, quod cantat hoc loco Propheta,

cum addit, *Et non erat in tribubus eorum infirmus.*

37. *Laetata est Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos.*

Hoc pertinet ad cumulum beneficii superioris: quia non solum Aegyptii non retinuerunt Hebraeos propter vasa aurea, et argentea, quae illis commodaverant; sed laetati sunt in eorum discessu ob timorem majoris mali, ne videlicet omnes perirent, sicut jam periisse viderant omnia primogenita: sic enim legitur in Exod. cap. 12. *Urgebant Aegyptii populum de terra exire velociter, Omnes moriemur.* Itaque non est opus cum s. August. anxie quaerere cur laetata sit Aegyptus in profectione hebraeorum, cum antea semper restiterit eorum profectioni: et cur non saltem repetierit vasa, quae commodaverat: neque opus est hoc referre ad tempus illud, quod secutum est post demersionem Pharaonis in mari: nam tantus timor mortis incubuerat super Aegyptios, cum viderunt una nocte occisa fuisse omnia primogenita hominum, et jumentorum, ut existimaverint paulo post omnes Aegyptios occidendos, et delendam omnino Aegyptum, nisi hebraei subito dimitterentur.

38. *Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.*

Sextum beneficium fuit columna nubis per diem, et columna ignis per noctem, quam angelorum ministerio erexit Deus populo suo, cum exisset de terra Aegypti. Quod autem hic dicitur, *expandit nubem in protectionem*, non videtur significare. nube tectos fuisse hebraeos, ne laederentur a sole per diem, ut multi existimant, et in eis Theodoretus: nam columna nubis praecedebat populum interdiu, et columna ignis noctu, non autem operiebat eos instar nubis super eos expansa, alioqui viam ostendere non potuisset, neque figuram columnae praetulisset. Sic autem legimus Exod. 13. *Dominus praecedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore; numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram pupulo.* Quid ergo sibi vult illud, *expandit nubem in protectionem?* explicatur hoc in Exodo, cap. 14. ubi cum Pharao, et exercitus ejus persequeretur hebraeos recedentes, angelus Domini cum columna nubis interposuit se inter exercitum Pharaonis et populum Israel, ut se ad invicem accedere non possent: et hoc modo expansa nubes illa inter utrumque populum protexit hebraeos ne laederentur ab Aegyptiis, itaque haec dicta sunt, si per nubem hoc loco intelligatur columna nubis, de qua fit sermo in Exodo, cap. 13. et 14. nam potest etiam dici, praeter illam nubis columna fuisse aliam nubem, quae expansa super hebraeos protegeret illos ab aestu in itinere; cujus nubis non fit mentio in Exodo. Atque hanc intelligentiam juvat lectio hebraica, quam sic vertit s. Hieron. *Expandit nubem in tentorium*, et liber Sap. capit. 10. *Et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem.*

39. *Petierunt, et veniet coturnix, et pane coeli saturavit eos.*

Septimum hic recolitur beneficium, quo Deus pavit in deserto populum suum pane coeli, idest, manna, quod pluebat e coelo, et carnibus coturnicum, quas Deus ministerio venti in desertum adduxit. Ubi notandum est, bis Deum dedisse populo coturnices, semel Exod. 16. et iterum Num. 11. et prima vice non fuisse populum a Deo punitum, ob petitionem carnium; sed altera vice gravissime fuisse punitum. In hoc ergo psalmo, ubi sola beneficia commemorantur, mentio fit prioris tantum petitionis, quae habetur Exodi 16. non posterioris, quae habetur Num. 11.

40. *Dirupit petram, et fluxerunt aquae, abierunt in sicco flumina.*

Octavum beneficium hic adiungitur, quo Deus ex petra copiam aquarum eduxit in solitudine, ex qua rivi instar fluminum decurrebant. Vide cap. 17. Exodi, cap. 20. Numerum.

41. *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.*

Ratio praecedentium, et futurorum beneficiorum tribuitur promissioni factae ad Patriarcham Abraham, singularem puerum, idest, servum Domini; quamvis enim haec non fuerint illi promissa in particulari: tamen continentur in genere illis verbis Gen. 15. dictis ad Abraham, *scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen suum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo; et post haec egredientur cum magna substantia.*

42. *Et eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in laetitia.*

Nonum est hoc beneficium quo Deus submerso Pharaone in mari rubro eduxit de servitute populum suum canentem cum exultatione, et laetitia magna, *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est*, Exod. 15.

43. *Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt.*

Hoc est beneficium ultimum, introductio videlicet duce Josue hebraeorum in regiones gentium multarum, et in labores earum, idest, in urbes, quas aedificaverunt, et arva, quae coluerant gentes illae. Apostolus, Actor. 13. narrat fuisse gentes septem, quas Deus ejecit e terra

promissionis, ut in eas introduceret populum suum.

44. *Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.*

Hoc est quasi tributum, quod Deus requirit a suis, pro tam multis bonis in eos collatis: nimirum, ut obedirent mandatis ejus; quae obedientia ipsis obedientibus utilissima est, quia perducit ad bona multo majora, quam sit terrae promissionis adeptio. Per, *justificationes*, intelliguntur hoc loco caeremoniae, et judicia, quae multa erant. Per *legem*, intelligitur lex moralis, quae reducitur ad unum praeceptum, quod est dilectio. In hebraeo habetur, ותורתיו יצרו *vethorotau intzoru, et legem ejus servarent*, sed idem est sensus: nam legem requirere, nihil est aliud, nisi in omni actione legem consulere, eamque scrutari, ut juxta eam omnia fiant.

PSALMUS CV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Titulus hujus psalmi est, *alleluja*, et juxta hunc titulum laudatur Deus; non ut in superiore, ob sola beneficia; sed etiam ob misericordiam praestitam erga ingratos, qui praeventi a Deo in benedictionibus tantae dulcedinis, Deo frequenter inobedientes, et rebelles fuerunt, et tamen per poenitentiam reconciliati in gratiam redierunt. Hujus quoque psalmi mentio fit in libro 1. Paralipomenon, cap. 16. ubi ponitur prima pars psalmi superioris: et in fine adduntur tres ultimi versiculi hujus psalmi.

EXPLICATIO PSALMI CV.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia ejus.*

Loquitur Propheta in persona fidelis populi poenitentis, et gratias Deo agentis. Invitat autem omnes ad laudes Dei: tum quia bonus est, et praevenit homines, beneficia multa in illos conferens; tum quia misericordia ejus in recipiendis peccatoribus ad poenitentiam revertentibus semper invicta manet: vincit enim misericordia Dei miserias nostras, ad quas pertinent praecipue scelera nostra, et quidem miseriae nostrae, Deo propitio, brevi evanescunt, *sed misericordia ejus manet in saeculum saeculi.* ps. 100.

2. *Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus.*

Invitavit omnes ad confessionem laudis: nunc objicit sibi, vix inveniri qui sit idoneus ad praedicandas laudes Dei. *Quis*, inquit, *loquetur*, idest, loqui sufficiet, *potentias Domini*; idest, opera potentiae, sive potius omnipotentiae ejus; et mox idem repetit aliis verbis, *quis auditas faciet*, id est, quis loquendo faciet, ut audiantur *omnes laudes ejus*? Quae videlicet laudes ex cognitione operum potentiae ejus oriuntur. Nominat hoc loco Dei potentiam Propheta, cum de omnibus operibus Dei laude dignis loquitur, quia omnia opera Dei mirabilia ad potentiam revocari possunt. Nam de sapientia scriptum est, Sap. 8. *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, et vere fortissima est Dei sapientia, quae in sua dispositione impediri non potest; et quia impediri non potest, ideo nec falli potest. Pari ratione opera misericordiae ad potentiam revocantur, quoniam ideo Deus solus obsolute misericors est, quia solus potest omnes miserias tollere; ac per hoc ideo solus proprie misericors est, quia solus omnipotens est. Ergo qui loqui posset omnes potentias Domini, posset etiam auditas facere omnes laudes ejus. Sed quis ad haec idoneus erit. Vir justus in vita utcumque, et pro modulo suo: sed longe melius, et plenius qui beatus erit in vita futura. Ideo subjungit Propheta respondens interrogationi suae, ac dicit.

3. *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.*

Quasi dicat, soli illi beati sunt, ac per hoc loqui possunt potentias Domini, et auditas facere omnes laudes ejus, *qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, idest, qui semper re-

cte judicant de omnibus rebus, quas agunt, quia regulam divinae legis in omnibus sequuntur, et semper juste vivunt, declinantes a malo, et facientes bonum. Potest etiam hic versiculus ita exponi, ut idem bis repetatur, et idem sit custodire judicium, et facere justitiam: nam pro eodem accipiuntur in multis locis psalmorum judicium, et justitia. Porro justi soli loqui possunt laudes Domini; tum quia ipsi non solum lingua, sed etiam vita laudant Dominum, ut scriptum est in psalm. 32. *Rectos decet collaudatio*, tum quia ipsi soli beati sunt, et habitant in domo Domini, vel in spe, dum hic vivunt, vel in re, cum ad patriam perveniunt, et talium officium est Deum laudare, juxta illud psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Quod autem hic dicitur, *beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, potest intelligi de utrisque, idest, tam de beatis in spe, quam de beatis in re: beati enim in spe custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore, pro modo fragilitatis humanae viventes sine crimine, et pro peccatis quotidianis veniam precantes: beati autem in re *custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, tanta perfectionis plenitudine, ut peccare nullo modo possint. Atque utrosque quidem decet collaudatio, sed pro modo perfectionis justitiae, et juxta differentiam beatitudinis.

4. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.*
5. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad laetandum in laetitia gentis tuae, ut lauderis cum haereditate tua.*

Posteaquam Propheta dixit justorum, ac beatorum esse officium laudandi Deum; optat, et precatur sibi, et suis hanc foelicissimam sortem, et breviter attingit praedestinationem, justificationem, et glorificationem, quae sunt initium, medium, et finis beatitudinis humanae. *Memento*, inquit, *nostri Domine in beneplacito populi tui*, idest, adimple Domine beneplacitum illud, quo tibi complacuisti in populo tuo, in coetu videlicet electorum, quos elegisti ante mundi constitutionem ex bona voluntate tua, in qua complacuit tibi dare pusillo gregi tuo regnum sempiternum. *Visita nos in salutari tuo*, idest, ut impleas beneplacitum aeternae praedestinationis: visita nos in Christo salvatore, justificans nos a peccatis per merita ejus, sive, *visita nos* per gratiam justificationis, quae est salus inchoata, et veluti semen salutis aeternae. Nam salutare utrumque significat, et Salvatorem, et salutem, et una significatio alteram includit. Vera enim salus sive inchoata per gratiam, sive consummata per gloriam, non potest haberi nisi per Salvatorem Jesum Christum Dominum nostrum: *non enim est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, ut dicit sanctus Petrus Act. 4. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*, idest, ut praedestinati et justificati perveniamus ad videndum bonum electorum tuorum; quae est ipsa facies Domini conspicua: *tunc enim similes ei erimus, cum videbimus eum sicut est*, ut ait beatus Joannes, 1. Joan. 3. Per *bonitatem electorum*, non intelligitur hoc loco probitas, sed ipsum bonum: et sanctus Hieronymus recte vertit. *Ut videam bona electorum*, id enim significat, טובת *tobath*. *Ad laetandum in laetitia gentis tuae*, id est, ad participandam inenarrabilem illam laetitiam, quae nascitur ex divisione divina, quae est laetitia propria gentis tuae populique tui electi, quam extranei gustare non possunt, de qua dicitur in evangelio Matth. 23. *intra in gaudium Domini tui*. *Ut lauderis cum haereditate tua*, idest, ut finis ultimus sit omnium beneficiorum tuorum, perpetua laus tua, et haereditatis tuae, ut sine fine lauderis tu, ut opifex; et haereditas tua, ut opificium; tu ut summus, potentissimus, sapientissimus, ut optimus artifex, cui nullus est similis: et haereditas tua, ut opus egregium, et incomparabile, cui nullum est simile. Per haereditatem autem intelligitur coetus justorum, quem sibi Deus elegit quasi propriam possessionem: haereditas enim, et possessio pro eodem accipiuntur in scripturis. Hic duae sunt difficultates; una, quod in hebraeo omnia sunt in numero singulari, *memento mei visita me, ut videam, ut laeter, ut lauder*: in graeco, et latino sunt omnia in numero multitudinis, *memento nostri, visita nos*, etc. sed facilis est concordia; quia in his verbis loquitur populus Dei, qui et unus est, ut possit loqui in numero singulari; et multitudinem continet, ut possit loqui in numero multitudinis. Praeterea non est improbabile, septuaginta interpretes legisse voces hebraicas in numero multitudinis, quae nunc habentur in numero singulari, sola enim differentia est inter hos numeros, quod in singulari est in fine litera *Jod*, in plurali est litera *Vau*, quae solum differunt, quod una est paulo brevior quam altera, sic enim scribitur Jod י, et sic scribitur Vau ך: itaque facile fuit librariis mutare unam in alteram. Altera difficultas est in illis verbis, *ut lauderis cum haereditate tua*: nam in hebraico, et graeco sunt tria verba modo infiniti, ad videre, ad laetari, ad laudari, quae nos latini efferimus per gerundia, ad ad videndum, ad laetandum, ad laudandum: noster autem interpres vertit per gerundia duo priora verba, et retulit ad nos, quasi diceret, *ad videndum*, idest, *ut videamus*; *ad laetandum*, idest, *ut laetemur*; et tertium variavit dicens, *ut lauderis*, cum debuisset vertere, *ad laudandum*, idest, *ut laudemur*, sive gloriemur. Hanc difficultatem notavit s. Augustin. et miratur valde, cur interpres latinus tertium membrum sententiae ita variavit. Ad hanc difficultatem respondemus, interpretem latinum variasse modum interpretationis, ut sententiam redderet clariorem: nam si vertisset, *ad laudandum cum haereditate tua*, ambiguum fuisset, quid significaret illud, ad laudandum, an ut laudemur, vel ut lauderis: ut elegit hoc posterius, ut non solum clarior, sed etiam magis indubitata sententia esset. Caeterum quicquid sit de verbis, sensus semper est idem: nam si interpres vertisset, ut laudemur, vel ut magis sonat vox hebraica, להתהלל *lehithallel*, *ut laudemus nos ipsos*, sive ut gloriemur; oportet subintelligi, *in Domino*, juxta illud psalmi superioris, *laudamini in nomine sancto ejus*, et illud

Apostoli, qui gloriatur, in Domino glorietur: quare omnis laus tandem ad Dominum referenda est, et ideo recte vertit interpres, *ut lauderis cum haereditate tua*: ut omnis obscuritas, et ambiguitas tolleretur. Fateor, hos duos versiculos potuisse etiam exponi de bonis temporalibus, qualia promittebantur, et expectabantur in testamento veteri, sed malui persequi sensum altiorem, et magis intentum a Spiritu sancto, et ab ipso Propheta in quem sensum accipit haec verba sanctus Bernardus serm. 32. super Cantica.

6. *Peccavimus cum Patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.*
7. *Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiae tuae.*
8. *Et irritaverunt ascendentes in mare, mare rubrum.*
9. *Et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.*
10. *Et increpuit mare rubrum, et exsiccatum est, et deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.*
11. *Et salvavit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici.*
12. *Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit.*
13. *Et crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus.*

Hic jam incipit Propheta in persona aliorum fidelium minus perfectorum, sed vere poenitentium confiteri peccata sua, et peccata patrum ab egressu de Aegypto usque ad sua tempora, ut simul commemorat laudes misericordiae Dei, quae numquam suum poenitentibus claudit. Sunt autem hi octo versiculi satis noti ex historia libri Exodi, et ex psalmo septuagesimo septimo; neque est hic ulla dissensio inter codices latinos, graecos, et hebraicos. Illud, *peccavimus cum Patribus nostris*, significat, socii fuimus patrum nostrorum in peccatis, quia imitati sumus peccata eorum, et sic implevimus mensuram eorum. Illud, *non intellexerunt mirabilia*, refertur ad illud tempus, quo filii Israel egressi de Aegypto, cum vidissent exercitum Pharaonis post se venientem, adeo desponderunt animum, ut etiam quererentur de Mose, qui eos eduxerat de Aegypto: vide cap. 14. Exodi. Nam si intellexissent mirabilia Dei tam multa, quae precesserant, omnino confisi fuissent de potentia, et auxilio Domini. Illud, *et irritaverunt*, significat filios Israel in angustiis illis constitutos, cum ante se cerneret mare rubrum, post se Pharaonis exercitum, irritasse Deum diffidentia, et incredulitate sua. Illud, *ascendentes in mare, mare rubrum*, difficile est; nam mare est inferius terra, ac per hoc descenditur. S. Augustinus respondet, illud, *ascendentes*, referri ad Aegyptum, ut sensus sit, ascendentes ex Aegypto, et in mari rubro, id est, ad littus maris rubri constitutos, ibi irritasse iram Dei; itaque notandam esse virgulam post vocem, *ascendentes*. Sed quia in textu latino non habetur *in mari*, sed *in mare*, et additur mare rubrum, dicendum est, illud, *in mare*, positum esse pro *ad mare*, ut sensus sit, hebraei ascendentes de Aegypto irritaverunt Deum ad mare rubrum, sive ad littus maris rubri. In hebraeo clarior est sensus, ubi sic legitur ad verbum, *Irritaverunt super mare, mare rubrum*, idest, irritaverunt Deum, cum esset super mare rubrum, idest, proximi mari rubro. Illud, *increpuit mare*, metaphoricum est: significatur autem, mare recessisse ad nutum Dei, quomodo recedit velociter, qui timet indignationem, et minas viri potentis. Illud, *in abyssis, sicut in deserto*, est locutio similis illi, Matt. 11. *Caeci vident, surdi audiunt*, idest, qui erant caeci, nunc vident; et qui erant surdi, nunc audiunt. Abyssus enim significat profunditatem aquarum, quae contraria est locis desertis, et arentibus. Itaque sensus est, *deduxit eos in abyssis*, idest, in locis ubi solebant esse aquae profundissimae, ac si eos deduceret per desertum, ubi nullae sunt aquae. Illud, *laudaverunt laudem ejus*, in hebraeo est, *cantaverunt laudem ejus*: proinde *laudaverunt*, quod nos habemus, significat celebraverunt concinentes laudem ejus: quid autem cantaverint, habetur Exod. 15. ubi ponitur canticum illud, *cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*, etc.

14. *Cite fecerunt, obliti sunt operum ejus, et non sustinuerunt consilium ejus.*
15. *Et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso.*
16. *Et dedit eis petitionem ipsorum, et misit saturitatem in animas eorum.*

Pergit Propheta in enarranda ingratitudine populi, qui cum vidisset miraculum tam insolitum in mari rubro, et Deum tam emixie inde laudasset, mox occurrente penuria panis, et aquae, obliti sunt omnipotentiae, et providentiae Dei, et in verba impatientiae, et infidelitatis proruperunt. *Cito fecerunt*, idest, festinarunt; sive acceleraverunt, ut clarius habetur in textu hebraico et graeco. Quid autem cito fecerint, et in quo festinaverint, explicat dicens, *obliti sunt operum ejus*, idest, festinaverunt oblivisci operum Dei mirabilium, quae viderant. *Et non sustinuerunt consilium Dei*, idest, non patienter expectaverunt finem divino consilio constitutum. Deus enim permittens illos ad tempus affligi, tentabat fidem, et spem, et dilectionem ipsorum: sed ipsi non intelligentes consilium Dei, murmurabant, quasi Deus curam illorum non gereret, aut eos juvare non posset. Explicat deinde in particulari, in qua re impatientes fuerint, dicens, *et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso*, idest, non potuerunt vel ad modicum tempus tolerare famem, et sitim in deserto inaquoso, ubi deerant panis et aqua. *Illud concupierunt concupiscentiam*, est phrasis non omnino inusitata etiam apud latinos; sic enim dicimus, vivere vitam, et servire servitutem. Sed apud hebraeos frequens est ponere concupiscentiam pro re concupita, desiderium pro re desiderata, et petitionem pro re petita, unde sunt illa, *Desiderium eorum attulit eis*, psal. 77. *et dabit tibi petitiones cordis*

tui, psal. 36. et in hoc ipso psalmo, versiculo sequenti, *et dedit eis petitionem ipsorum*, id est, panes, carnes, et aquam, quae petierant, *et misit saturitatem in animas eorum*, idest, satiavit appetitum ipsorum abundatia panum et carnium, et aquarum copia, ut perspicuum est ex cap. 16. et 17. Exodi, et ex cap. 11. et 20. Numeri. In hebraeo pro, *saturitatem*, habetur, *tenuitatem*, sive *maciem*. Sed septuaginta interpretes non legerunt, רזון *razon*, quod significat, *maciem*, sed רצון *raizon*, quod significat *complacentiam*, quod recte positum est pro saturitate: quia illis cibis satiamur, qui nobis valde placent, et hanc esse veram lectionem perspicuum est, quia est conformis scripturae; sic enim legimus Exod. 12. *Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus*, et in Psalm. 77. legimus, *Comederunt et saturati sunt nimis: desiderium eorum attulit eis, et non sunt fraudati a desiderio suo.*

17. *Et irritaverunt Moysem in castris, Aaron sanctum Domini*
18. *Aperta est terra, et declulivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron.*
19. *Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.*

Attingit hoc loco Propheta historiam Dathan, et Abiron: quae habetur capit. 16. libri Numeri. *Et irritaverunt Moysem in castris*, idest, Core, Dathan et Abiron irritaverunt Moysem, objicientes ei, quod imperium sibi usurpasset super filios Israel. *Aaron sanctum Domini*, idest, non solum Mosem, sed etiam Aaron fratrem ejus irritaverunt, quem Deus sibi santificaverat, ut sacerdotio fungeretur. *Aperta est terra, et deglutivit Dathan*, cum sociis ejus Core, et Abiron, et omni familia et substantia eorum. *Et operuit super congregationem Abiron*, idest, terra disrupta pasteaquam deglutivit schismaticos, iterum clausa est, et cooperuit omnem congregationem Abiron, et sociorum ejus. Illud, *super*, redundat, quamvis enim habeatur in hebraeo, tamen s. Hier. vertit, *et operuit synagogam Abiron*: sed latinus interpres imitari voluit phrasim hebraicam, quod etiam fecerunt septuaginta interpretes. *Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores*: nam, ut narratur in eodem cap. 16. Numeri, cum declutisset terra Core, Dathan, et Abiron cum tabernaculis ipsorum, divino jussu excitatus est ignis, qui combussit ducentos quadraginta viros, qui praesumpserant incensum offerre Deo; quod ad eorum officium non pertinebat: et paulo post cum murmuraret populus contra Mosem, quasi ipse viros illos occidisset, iterum exarsit ignis immissus a Deo, qui cremavit quatuordecim millia, et septingentos viros. Pro voce, *peccatores*, in hebraeo est, רשעים *resciahim*, quod *impios* significat. Itaque non significantur hoc loco quicumque peccatores, sed gravissimi, schismatici videlicet, et eorum fautores.

20. *Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile.*
21. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.*
22. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.*
23. *Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.*
24. *Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos: et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*

Detestatur nunc Propheta idololatriam populi, qui vitulum aureum fieri jussit, eumque tamquam Deum adoravit: et simul laudat misericordiam Dei, qui ad preces Mosis placatus, tam immane peccatum populo condonavit. Habetur haec historia in libro Exodi cap. 32. *Et fecerunt vitulum in Horeb*, idest, vitulum aureum ad similitudinem idoli Aegyptiaci, fieri curaverunt ab Aarone qui metu compulsus obtemperavit vocibus populi. Fecerunt autem illud idolum in Horeb, idest, in regione adjacente monti, qui vocatur Horeb, et idem est cum monte Sinai, ut Theodoretus docet, et notum est ex Deuter. cap. 4. vers. 15. et Exod. cap. 19. v. 20. *Et adoraverunt sculptile*, vitulum videlicet aureum: quamvis enim vitulus ille opere potius conflatoris, quam sculptoris factus fuerit, ut habetur in textu hebraico: tamen sculptile dictum est significatione generali, ut comprehendit omnes imagines solidas, sive ligneas, et marmoreas, quae proprie sculpuntur, sive aureas, et argenteas, quae proprie conflantur. Meminit autem David montis Horeb, et sculptilis, cum notat idololatriam populi, quia in monte Horeb non multo antea Deus apparens initio divinae legis dixerat, *non facies tibi sculptile, non adorabis ea, neque coles*. Itaque multum auget crimen hebraeorum, quod in ipso loco fecerint, et adoraverint sculptile, sive conflatile, ubi hoc ipsum praecise vetitum fuerat. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.* Exaggerat Propheta stultitiam hebraeorum, quod substituentes idolum in forma vituli Deo vero, commutaverint gloriam suam, idest, Deum verum, qui erat gloria ipsorum, in imaginem animantis bruti: nec dicit, Deum in vitulum, sed quod vilius est, in imaginem vituli, idest, rem pretiosissimam in rem vilissimam. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Hoc etiam pertinet ad augendam stultitiam Hebraeorum, qui obliti sunt Dei qui eos salvaverat de captivitate Pharaonis, ut colerent Deum, qui neque se, neque alios salvare poterat: nam Moses contrivit vitulum aureum, et redegit in pulverem; ipso vitulo non se defendente, ac ne sentiente quidem. Item obliti sunt hebraei Dei omnipotentis, *qui fecit magnalia in Aegypto*, idest, mirabilia signa, et prodigia in tota terra Aegypti, quae etiam dicitur terra Cham, *et terribilia in mari rubro*, siccans mare illud, ut transirent filii Israel, et iterum aquis replens, ut suffocarentur Aegyptii, et coluerunt Deum inanem, et imbellem, simulacrum videlicet mutum, et inutile. Hic notanda est temeritas Joan. Calvini haeresiarchae, qui scripsit, hebraeos in vitulo aureo co-

luisse Deum verum; cum David aperte dicat, *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos.* Et paulo ante: *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.* Vide quae scripsimus in libro de reliquiis, et imaginibus cap. 13. *Et dixit, ut disperdet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*, idest, tunc Deus dixit, ac pronunciavit voluntatem suam esse, ut disperdet populum hebraeorum, et fecisset, nisi Moses electus famulus ejus, intercessione sua obstitisset, *ut averteret iram ejus, ne disperdet eos.* Illud, *in confractione*, in Hebraeo est, בפרץ *bapperets*, quod significat *in divisione*, sive in disruptione. Sanctus Hieronymus secutus priorem significationem vertit, *nisi Moyses stetisset medius contra faciem illius*, idest, nisi opponens se medium divisisset Deum a populo, et eo modo fecisset, ne gladius irae Dei ad populum perveniret: sed Septuaginta Interpretes secuti posteriorem significationem, verterunt, εν τη θραυσει, *nisi stetisset in fractura*, et disruptione, hoc est, nisi opposuisset se ruinae imminenti: vel nisi disrupto jam muro stetisset in medio, ut impediret irruptionem irae Dei. Itaque metaphora sumpta est vel ab eo, qui sustinet ruentem fabricam, et impedit, ne penitus ruat: vel ab eo, qui disrupto jam muro opponit se loco muri, ut arceat ingressum hostium: summa est, magnam vim habere intercessionem sanctorum apud Deum, ut hoc loco sanctus Augustinus annotavit. Et certe si non essent preces assiduae servorum, et amicorum Dei, quibus Deus placari se patitur, Mundus, qui *totus in maligno positus est*, ut scribit B. Joan. 1. epist. cap. 5. non tamdiu subsisteret.

25. *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*
26. *Non crediderunt verbis ejus, et murmuraverunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini.*
27. *Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto.*
28. *Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et disperderet eos in regionibus.*

In parte versiculi vigesimiquarti, in qua novum versum incipiunt hebraei, et tribus sequentibus versiculis, commemorat Propheta peccatum illud populi hebraei, quo spreverunt terram promissionis, quam Deus esse dixerat fluentem lacte, et melle. Habetur haec historia in lib. Num. cap. 13. et 14. et clarius Deuter. 1. *Et pro nihilo*, inquit, *habuerunt terram desiderabilem*, idest, terram promissionis, quam uti foelicissimam desiderare debuissent, ipsi contempserunt et pro nihilo habuerunt, dicentes, *terra haec devorat habitatores suos.* S. Hieron. vertit, *Et despexerunt terram desiderabilem. Non crediderunt verbis ejus*, idest, Dei, qui toties dixerat, terram esse optimam: et murmuraverunt in tabernaculis suis adversus Dominum, qui de Aegypto illos eduxerat, ut in terram promissionis induceret. *Non exaudierunt vocem Domini*, idest, non obediverunt praeceptis ejus. *Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto: Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et disperget eos in regionibus*, idest, levavit manum suam gladio justitiae armatam super peccatorem populum suum, et eos qui tunc murmuraverant, occideret in deserto: et filios eorum dejectos, et abjectos dispergeret inter gentes, ut non essent amplius populus, aut resp. Et quidem illud prius executioni mandavit Deus: omnes enim, qui murmuraverant, mortui sunt in solitudine, ut Scriptura refert Num. 14. Illud autem posterius, non mandavit tunc executioni propter preces Mosis: sed postea iratus majoribus sceleribus omnino implevit, tum sub rege Babylonis, tum praecipue sub Tito, et Vespasiano, ut nos videmus. Quo loco notandum est, quam graviter irascatur Deus in eos, qui spernunt regnum coelorum nobis a Dei filio praedicatum, et promissum: si tam graviter iratus est hebraeis, quod spreverint terram promissionis praedicatam a Mose, quae nihil aliud nisi terra erat, et figura regni coelorum.

28. *Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.*
29. *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina.*
30. *Et stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio.*
31. *Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum.*

Attingit hoc loco David aliud peccatum populi, cujus historia habetur Num. 25. Nam, ut ibi legimus, filii Israel decepti a filiabus Moab coeperunt fornicari cum eis, et colere Idolum earum dictum Beelphegor: ex quo iratus Dominus jussit suspendi in patibulis omnes principes populi. Sed cum Phinees filius Eleazari, nepos Aaronis Sacerdotis zelo Dei ductus occidisset unum de filiis Israel una cum muliere Madianitide, in ipso actu fornicationis, placatus fuit Deus, ob meritum zeli ipsius toti populo. *Et initiati sunt Beelphegor*, idest, et addiderunt filii Israel ad alia peccata, ut initiarentur, sive consecrarentur in honorem Idoli Moabitarum, quod vocabatur Beelphegor. Dicebatur autem idolum Moabitarum Beelphegor a monte Phegor, cujus montis mentio fit Num. 23. quasi diceretur *Dominus Phegor*. בעל *Bahal* enim Dominum significat. *Bahal*, et *Behel* idem sunt: sed hebraei dicunt, *Bahal Phegor*, gracci, *Behel Phegor*. *Et comederunt sacrificia mortuorum*; id est, comederunt sacrificia oblata Diis mortuis, non Deo vivo, qui unus verus est Deus: dicuntur autem Dii mortui, vel ipsa idola, quae veluti mortua oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt: vel homines mortui, qui a paganis referebantur in Deos, quales erint in Aegypto Apis, et Serapis, apud graecos Jupiter et Apollo; apud romanos Romulus, et alii, *et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina*, idest, irritaverunt Deum in cultu novorum Deorum, quem ipsi excogitaverunt; non quod ipsi primi fuerint inventores idoli Beelphegor, sed quod fuerint primi, qui cultum illius idoli a Moabitis acceptum introduxe-

runt in populum Israeliticum. *Et multiplicata est in eis ruina*, idest, propter hoc peccatum multiplex ruina facta est in populo, plurimis videlicet misere interemptis. *Et stetit Phinees et placavit, et cessavit quassatio*; idest, Phinees zelo divini honoris accensus stetit intrepidus adversus impios desertores antiquae regionis, et placavit zelo suo Deum, et sic cessavit inchoata strages in populo Dei: vox hebraica, פלל *palal*, ambigua est: nam et judicare, et orare, atque oratione placare significat. S. Hieronymus primam significationem sequutus vertit, *stetit Phinees, et dijudicavit*. Septuaginta interpretes secuti terram significationem verterunt, *stetit Phinees, et placavit*: utérque sensus est verus. Phinees enim diudicando, et damnando, ac puniendo impios, hoc facto quasi sacrificio Deo gratissimo Deum placavit. *Et reputatum est ei ad justitiam*, idest, a Deo qui scrutatur corda, et qui probe novit optimam intentionem Phinees, reputatum est hoc factum non injusta caedes, sed justa punitio; quae non poenam mereretur; sed laudem, et praemium: *idque in generationem, et generationem usque in sempiternum*. Hoc dicit Propheta, quia propter meritum illius facti, ut habetur Num. 25. stabilivit Deus dignitatem summi sacerdotii ipsi Phinees, et posteris ejus in aeternum, idest, toto tempore, quo duraret resp. Judaica.

32. *Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis: et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.*

Transit propheta ad aliud peccatum Judaeorum, quod habetur in lib. Num. cap. 20. ubi populus altercari coepit cum Mose propter aquae penuriam: Moses autem perturbatus nonnihil haesitasse videtur dicens, *num de petra hac aquam vobis poterimus elicere*? percussit tamen bis virga petram, et egressae sunt aquae in maxima copia. Sed Deus subiratus Mosi propter haesitationem, punivit illum ea poena, ut non introduceret ipse populum in terram promissionis, sed moreretur in itinere, *Et irritaverunt eum*, idest, hebraei Deum, *ad aquas contradictionis*, idest, in eo loco, ubi propter aquae penuriam contradixerunt Mosi, et jurgati sunt adversus eum. *Et vexatus est Moyses propter eos*, idest, et anxiatus est, atque afflictus Moses propter jurgia populi, *quia exacerbaverunt spiritum ejus*, idest, quia jurgando, et murmurando adversus Mosem, ad amaritudinem, et tristitiam adduxerunt spiritum ejus, qui alias alacer, et promptus esse solebat ad omnia Dei mandata sine ulla haesitatione complenda.

33. *Et distinxit in labiis suis; non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.*
34. *Et commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.*

Aliqui conjungunt primam partem versiculi trigesimitertii, cum versiculo superiore, ut sensus sit, Moses non plena fide imperavit petrae, ut aquas funderet, quemadmodum jusserat Deus dicens Mosi, et Aaroni *loquimini ad petram, et ipsa dabit aquas*: sed cum distinctione, et dubitatione dixit, *Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere*? Itaque illud, *distinxit in labiis suis*, significare volunt, Mosem non absolute imperasse petrae, sed distinguendo et videndo verba haesitasse; sic enim hunc locum intellexit s. Augustinus, et auctores graeci Theodoretus, et Euthymius. Caeterum adversus hanc expositionem duo pugnant. Unum quod verba sic exposita non coaerent cum sequentibus, *non disperdiderunt gentes*, etc. Alterum, quod verbum tum graecum, tum hebraicum, tum etiam latinum, *distinguere labiis*, in aliis locis Scripturae, non significat dubitare, vel haesitare, sed absolute pronunciare: ps. 65. *Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea*, ubi habetur idem verbum graecum, διαχελλειν quod habetur hoc loco: ut etiam habetur Num. 30. et Levit. 5. ubi agitur de promissione voti, vel juramenti. Sic etiam vox hebraica, בטא *bata*, quae habetur hoc loco, significat loqui, promittere, pronunciare, ut patet ex cap. 5. Levit. et Num. 30. supra citatis: nusquam autem dubitare, vel haesitare. Denique vox latina, distinguere labiis, et distincte loqui, non videtur ad ambiguitatem, sed ad perspicuitatem potius pertinere. Existimo igitur, salvo meliore judicio, in hoc versiculo inchoari aliam historiam, quae habetur in libro Judicum, ubi legimus, hebraeos non disperdidisse omnes gentes idololatras ex terra promissionis, quemadmodum Dominus jusserat, sed habitasse cum illis et didicisse superstitiones, et sacrilegia eorum. Ait igitur David, *et distinxit in labiis suis*, idest, Deus aperte pronunciavit, et reprehendit hebraeos, quod non exterminaverint gentes, *quas dixit Dominus illis*, idest, quas ipse idem Dominus jusserat exterminari, Deut. 7. Videtur David alludere ad verba angeli, qui in persona Domini sic loquitur in cap. 2. Judicum: *Eduxi vos de Aegypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris, et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita dumtaxat, ut non ferietis foedus cum habitatoribus terrae hujus, et aras eorum subverteretis; et noluistis audire vocem meam. Et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum.* Id notum est ex toto libro Judicum. *Et factum est illis in scandalum*, idest, in ruinam: ea enim causa fuit, ut traderentur a Deo in potestatem diversorum regum idololatrarum, ut patet ex cap. 2. Judicum, vel potius ex toto libro. Justum enim fuit, ut qui Diabolum pro Deo elegerant, traderentur in servitutem eorum, quibus Diabolus dominabatur.

35. *Et immolaverunt filios suos, et filias suas Daemoniis.*
36. *Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.*
37. *Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum, et fornicati sunt in adinventionibus suis.*

Haec non habentur in libro Judicum: tamen vera esse necesse est, cum a Spiritu sancto per Prophetam dicantur et credibile est ea per traditionem a majoribus ad Davidem pervenisse. Semel Deus verus imperavit Abraham, ut filium immolaret; quod tamen perfici noluit, contentus praeparatione mentis ad obedientium: Dii vero falsi, doemones videlicet, inimici crudelissimi generis humani, invidentes Deo tantam servi sui Abrahami obedientiam, non contenti promptitudine voluntatis, re ipsa filios, et filias sibi sacrificari a propriis parentibus voluerunt. Et tanta erat caecitas hominum, ut non agnoscerent tyrannidem doemoniorum, et quantum interesset inter jugum suave conditoris, et compedes ferreas et durissimas destructoris. Illud, *infecta est terra in sanguinibus*, in graeco est εφονοχτονηθη, id est, *interfecta est terra*. Sed in hebraeo est, תחנף *thechenaph*, idest, *infecta, sive polluta*; sensus autem idem est: dicitur enim terra interfecta, idest, destructa in sanguinibus, quando ob multitudinem interfectorum, et copiam sanguinis effusi desoletur: sive autem dicatur terra destructa, sive polluta sanguine, significatur caedes facta filiorum, et filiarum in sacrificium doemoniorum; sed per verbum, destructa, sive desolata, significatur major caedes, quam per verbum infecta. Illud vero, *et fornicati sunt in adinventionibus suis*, significat spiritualem fornicationem, quam committebat synagoga Judaeorum, quae Deo desponsata fuerat, cum adorabat idola, illisque tamquam adulteris viris se subjiciebat. Dicitur vero cultus idolorum, propria ipsorum adinventio, quia non eam didicerant a Mose legislatore, sed ipsi per se cogitaverant bonum esse imitari gentes idololatras.

38. *Et iratus est furore Dominus in populum suum, et abominatus est haereditatem suam.*
39. *Et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum, qui oderunt eos.*
40. *Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum; saepe liberavit eos.*
41. *Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo: et humiliati sunt iniquitatibus suis.*
42. *Et vidit, cum tribularentur, et audivit orationem eorum.*
43. *Et memor fuit testamenti sui, et poenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae.*
44. *Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium, qui ceperant eos.*

In his septem versiculis decantat Propheta historiam libri judicum, in qua narratur, hebraeos ob peccata sua, quibus Deum ad iracundiam provocabant, traditos fuisse a Deo frequenter in potestatem hostium, Moabitarum, Ammonitarum, Philistinorum, et aliorum: sed cum ad poenitentiam redirent, solitum quoque fuisse Deum excitare virum aliquem strenuum, per quem liberarentur, ut Jephte, Gedeonem, Sampsonem et alios. Versiculus 41. ubi dicitur, *exacerbaverunt eum in consilio suo*, non significat in consilio Dei de liberandis Hebraeis, ut multi existimant, sed in consilio ipsorum Judaeorum, qui saepe consilium inibant recedendi a Deo: nam in hebraeo habetur expresse, *In consilio ipsorum*; proinde illud, *suo*, quod apud latinos est ambiguum, explicandum est per textum hebraicum, ubi nulla est ambiguitas. Ultimus versiculus, *et dedit eos in misericordias in conspectu omnium, qui ceperant eos*, duobus modis exponi potest. Primum, ut sensus sit, fecit Deus per providentiam suam, ut qui captivos duxerant hebraeos, eorum misererentur, et vel relaxarent, ut fecit Cyrus, et Darius: vel benigne tractarent, ut fecit Nabuchodonosor cum multis hebraeis. Ita exponit Theodoretus, sed exempla hujus misericordiae non facile invenientur, nisi post tempora Davidis, et praeterea David dicit, in conspectu omnium, qui ceperant eos: non est autem verum, omnes qui ceperant hebraeos, habuisse erga eos misericordiam, neque ante tempora Davidis neque postea. Videtur igitur probabilior sententia s. Augusti. quam etiam attingit Euthymius, ut sensus sit, *dedit eos in misericordias*, idest, fecit cum eis Deus misericordiam, sive posuit eos in sinu misericordiae suae; *in conspectu omnium, qui ceperant eos*, idest, videntibus, et mirantibus iis, qui eos ceperant: semper enim Deus tam evidenti signo misericordiae suae liberavit populum suum, sive de Aegypto sive de potestate Moabitarum, vel Philistinorum, vel aliorum, ut ne hostes quidem negare possent Deum pugnare pro populo suo: reliqui versiculi nullam habent difficultatem.

45. *Salvos nos fac Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus.*
46. *Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua.*
47. *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum: et dicet omnis populus, fiat, fiat.*

Haec est conclusio psalmi, qua precatur Deum Propheta, ut omnem populum fidelem congreget de nationibus, idest, reducat omnes dispersos ad coetum piorum, ut omnes simul gratias agant Deo, eumque laudent, et glorientur in laude ipsius. Existimant quidem aliqui, Davidem loqui de dispersione, et captivitate Babylonica, quam per spiritum praevidebat futuram; sed credibilius est, eum loqui de dispersione inter gentes, quae adhuc supererant in terra promissionis initio regni Davidis, adversus quas gentes multa ipse bella gessit, ut perspicuum est ex lib. 1. et 2. regum. Concludit postremo David Deum laudans, et dicens, *benedictus sit Dominus Deus Israel* omni tempore, vel potius in aeternum, et omnis populus confirmet benedictionem dicens, *fiat, fiat*, sive *amen, amen*. Atque hic est finis libri quarti secundum hebraeos.

PSALMUS CVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Titulus est, *alleluja*, quam vocem codices hebraici nunc habent in fine psalmi superioris: sed septuaginta interpretes ponunt eam initio hujus psalmi, quoniam ita in suis codicibus hebraicis invenerunt. Recte autem titulus psalmi est, *alleluja*, idest, *laudate Dominum*, quoniam in hoc psalmo laudantur primo misericordia Dei, quae liberat homines a quatuor communibus miseriis, quas paulo post enumerabimus, et ideo quater repetuntur duo versiculi: *clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos, et confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.* Deinde in altera parte psalmi laudatur omnipotentia Dei, quae solo nutu mutat rerum naturas. Dissensio quidem est inter Expositores de quatuor illis miseriis; alii enim volunt eas esse corporales, et ad populum hebraeorum proprie pertinere. Alii existimant corporales esse, sed pertinere ad humanum genus universum: non ad solos judeos. Alii spirituales esse censent, et liberationem ab illis esse propriam electorum. Alii denique spirituales esse dicunt, et liberationem ad omnes pertinere. Sed videntur sententiae istae facile posse ad concordiam redigi, si dicamus ad litteram de miseriis corporalibus agi, mystice de spiritualibus, et ad genus humanum universum pertinere; sed exempla poni in iis rebus, quae populo hebraeorum proprie contigerunt: liberationem vero perfectam ad solos electos, imperfectam ad omnes pertinere.

EXPLICATIO PSALMI CVI.

1 *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia ejus.*
2. *Dicant, qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos.*
3. *A solis ortu, et occasu, ab aquilone, et mari.*

Haec est praefatio totius psalmi, in qua David hortatur omnes, qui experti sunt misericordias Domini, ut confiteantur laudes Domini; ac potissimum confiteantur ipsi Domino, quod ipse sit vere bonus, et misericors, et misericordia ejus numquam deficiat. Et quidem maxime proprie invitat fideles, quos redemit sanguine unigeniti sui, de manu inimici potentissimi, a quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem, idest, Principis tenebrarum: quosque congregavit in unum, populum in unam Ecclesiam, in unum regnum filii dilectionis suae, non ex Aegypto vel Babylone, ut olim hebraeos, sed *ab ortu solis, et occasu, ab aquilone, et mari*, idest, a quatuor Mundi partibus, sive ex toto orbe terrarum, juxta illud Joan. 10. *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illa oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor*, et Joan. 11. *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non solum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Quamvis autem maxime proprie invitentur fideles, sive ex hebraeis, sive ex gentibus, tamen invitantur etiam generatim omnes homines, quos quocumque loco, et tempore liberavit Dominus de quacumque vexatione: nam redemptio in scripturis accipitur passim pro liberatione, etiamsi non fiat pretio interveniente: item quos liberavit de manu, idest, potestate cujuscumque inimici: denique quos liberavit de quocumque exilio, de quacumque dispersione, de quacumque extremitate terrae, et revocavit in patriam, atque ad populum suum congregavit. Porro illa descriptio a solis ortu, et occasu, ab aquilone, et mari, continet, ut notum est, longitudinem, et latitudinem terrae: nam longitudo incipit ab ea regione, unde oritur sol; et desinit in eam, ubi sol occidit: latitudo incipit ab ea parte unde fiat ventus, qui dicitur Aquilo, et desinit in eam, quae alluitur mari magno, quod Oceanus vocatur, quae pars Australis etiam dici solet, quia ventus Auster, Aquiloni oppositus, inde oritur.

4. *Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.*
5. *Esurientes, et sitientes: anima eorum in ipsis defecit.*
6. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos.*

7. *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.*
8. *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*
9. *Quia satiavit animam inanem: et animam esurientem satiavit bonis.*

Haec est prima pars psalmi, in qua explicatur liberatio a prima miseria. Quatuor sunt miseriae communes corporales, et quatuor etiam spirituales. Corporales miseriae sunt primo fames et sitis, quae oriuntur a sterilitate terrae, vel penuria pluviae coelestis, idest, a principio extrinseco naturali: secundo captivitas, quae oritur ab aliena violentia, idest, a principio extrinseco voluntario: tertio morbus, sive aegrotatio, quae oritur ab interna mala constitutione, idest, a principio interno naturali: quarto, periculum naufragii quod oritur a principio externo naturali, idest, ab impulsu ventorum, idest, a curiositate hominum, qui non contenti solido elemento terrae per liquidum etiam iter facere voluerunt. Miseriae quatuor spirituales eae sunt, quae a Theologis dicuntur vulnera naturae, relicta in nobis ex peccato originali, ignorantia in mente, concupiscentia in appetitu concupiscibili, infirmitas in appetitu irascibili, et malitia in voluntate: quorum vulnerum contraria sunt, prudentia in mente, temperantia in appetitu concupiscibili, fortitudo in irascibili, justitia in voluntate, quae dicuntur virtutes quatuor Cardinales. Vide s. Thom. in part. 2. q. 85. art. 3. Igitur in hac prima parte psalmi cantatur a Propheta misericordia Dei liberans a prima miseria tam corporali, quam spirituali. Videtur autem alludere ad famem, et sitim, quam passi sunt hebraei in deserto: sed tamen doctrina comunis est, atque ad omnes pertinens, ut supra diximus. Sic igitur ait, *erraverunt in solitudine, in inaquoso*, idest, multi homines quaerentes patriam suam erraverunt aliquamdiu per inviam, et inaquosam solitudinem, quod Judaeis contingit per annos quadraginta, *et viam civitatis habitaculi non invenerunt*, idest, longo tempore vacantes non inveniebant viam, quae ducit ad civitatem propriae habitationis, ubi tuto habitare, et requiescere possent. *Esurientes, et sitientes, anima eorum in ipsis defecit.* idest, erraverunt in solitudine esurientes, et sitientes, quia neque panis ibi reperitur, neque aqua: et ideo anima, idest, vita eorum in ipsis prae fame, et siti deficiebat. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*, idest, deficiente omni humano auxilio conversi sunt ad implorandum adjutorium Dei: *et de necessitatibus eorum eripuit eos*, idest, non defuit invocatus Deus, sed pro innata sibi misericordia liberavit eos. *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis*, idest. hoc modo eripuit eos de necessitatibus suis, quoniam ostendit eis viam rectam, imo in eam eos deduxit, ut per eam brevi itinere pervenirent ad civitatem suae habitationis. *Confiteantur Domino misericordiae ejus*, idest, justum est igitur, ut tanta beneficia misericorditer praestita hominibus, confiteantur Deo laudem, sive agnoscantur ab omnibus, ut vere beneficia Dei: *et mirabilia ejus filiis hominum*, idest, mirabilia opera Dei exhibita filiis hominum ad eorum liberationem, confiteantur Deo auctori laudem suam, in textu hebraeo clarius habetur, *Confiteantur Domino misericordiam ejus*, idest, homines liberati confiteantur Domino misericordiam ejus. Textus graecus utroque modo intelligi potest, cum vox, ελεη possit esse tam in casu nominandi quam accusandi: sed res non est magni momenti. *Quia satiavit animam inanem*, idest, quia mirabili modo alimoniam paravit in solitudine, et inde replevit animam inanem, homines videlicet jejunos et esurientes saturavit bonis, idest, et eosdem homines valde esurientes non solum pavit, sed etiam satiavit optimis cibis, pane de coelo Angelorum manibus allato. Haec omnia, ut dixi, de cibo corporali Judaeis praestito, possunt satis commode exponi; sed non dubium est quin hoc exemplo docere velit Propheta omnes alios, qui de errore viae, et a miseria famis, et sitis liberantur, a Deo liberari, et misericordiae ejus gratias debere. Neque dubium esse potest, quin Propheta respexerit praecipue ad ignorantiam salutis; qua plurimi laborant, et quasi extra viam in deserto vagantur, esurientes, et sitientes veritatis cognitionem, fontem sapientiae, et prudentiae. Omnes enim naturaliter bonum appetunt; neque ullus est, qui non optet beatitudinem, ac per hoc etiam notitiam viae, quae ad illam ducit: sed tamen plurimi praeoccupati cogitatione, et concupiscentia temporalium bonorum, beatitudinem quaerunt ubi non est, imo etiam beatitudinem esse opinantur eam, quae vere non est, et ignorantes finem, viam quoque ad eum ignorare coguntur. Ita vagantes, et errantes civitatem verae habitationis non inveniunt, et semper esuriunt: quia bona terrena, exigua, et temporalia cum sint, desiderium animae immortalis, et capacis infiniti boni satiare nullo modo possunt. Sed ii, quos Deus redemit de manu inimici, et de variis regionibus congregavit, ex magno misericordiae divinae munere agnoscere incipientes caecitatem suam, clamant ad Dominum, et exaudiuntur ab eo; diriguntur in viam rectam, quae ducit ad civitatem; intelligunt finem ultimum esse regnum Dei; et medium ad finem, esse justitiam ejus; inde esurientes, et sitientes justitiam, ad fontem gratiae currunt, eoque fonte interim refecti ad civitatem coelestem perveniunt, ubi replentur, et satiantur bonis omnibus, ut numquam amplius esuriant, neque sitiant in aeternum.

10. *Sedentes in tenebris, et umbra mortis, vinctos in mendicitate, et ferro.*
11. *Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt.*
12. *Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.*
13. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.*
14. *Et eduxit eos de tenebris, et umbra mortis: et vincula eorum disrupit.*
15. *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*

16. *Quia contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit.*

Haec est altera pars, in qua proponitur liberatio a secunda miseria tam corporali, quam spirituali. Secunda miseria corporalis est captivitas, per quam miseri homines clauduntur in obscuris carceribus alligati vinculis, et onerati ferro. Et videtur Propheta alludere ad captivitatem hebraeorum sub diversis persecutoribus tempore Judicum, vel etiam tempore Pharaonis. David enim in psalmis non multum laborat, ut historias ordinem temporum commemoret, sed tamen haec eadem transferri, et compedibus constitutis, quos misericordia Domini postea liberavit. Explicemus verba. *Sedentes in tenebris, et umbra mortis, vinctos in mendicitate, et ferro*, idest, novi alios, qui capti ab ostibus, et tetris carceribus inclusi sedebant in tenebris, et tenebris valde densis, quales significantur in scripturis per umbram mortis, ut diximus in explicatione psalmi 22. vers. 4. et psalm. 43. vers. 21. qui simul erant alligati vinculis, redacti ad mendicitatem, et onerati ferreis catenis, et compedibus. Illud, *sedentes*, cum sit accusativi casus, non habet, unde regatur. Ideo supplendum, *novi*, aut aliquid simile: nam quod alii dicunt, jungi posse cum verbo praecedente, *satiavit bonis*, vel cum sequente, *liberavit*, nimis durum mihi esse videtur. Illud, *vinctos in mendicitate, et ferro*, existimo legendum cum distinctione, ut tria sunt membra, et sensus sit, *sedentes vinctos, sedentes in mendicitate, et sedentes in ferro*, idest, in compedibus ferreis. *Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt*, idest, merito traditi fuerant in captivitatem, et afflicti carcere, tenebris, vinculis, mendicitate, et compedibus, quoniam non obtemperaverunt praeceptis Dei, et consilium ejus contempserunt. *Exacerbare eloquia Dei*, significat hoc loco, ad iram provocare Deum loquentem, sive praecipientem, quod facit qui praecepta ejus non servat. Potest etiam dici exacerbare eloquia Dei, qui provocat ad iram ipsa Dei praecepta; quemadmodum enim praecepta Dei coronant observantes, ita puniunt praevaricantes; ac per hoc qui praecepta praevaricantur, provocant adversus se ipsa praecepta. Itaque in his verbis figura quaedam necessario admittenda est, vel in verbis, *eloquia Dei*, quae accipiantur pro Deo loquente, et praecipiente; vel in verbo, *exacerbaverunt*, quasi eloquia, idest, praecepta Dei dicantur provocari ad iram, dum praevaricantes puniunt: similis est figura in verbis sequentibus, *et consilium Altissimi irritaverunt*: nam vel consilium Altissimi accipiendum est pro ipso Deo altissimo bene consulente, quem irritaverunt, idest, ad iram concitaverunt, qui consilio ejus adversati sunt: vel, *irritaverunt*, positum est pro contempserunt, sive spreverunt qui enim aliquem contemnit, hoc ipso cum irritat, idest, provocat ad iram. *Et humiliatum est in laboribus cor eorum*, idest, superbia cordis eorum humiliata est ob labores captivitatis, vinculorum, et compedum. Captivi enim, velint, nolint, humiles esse coguntur. *Infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret*, idest, debiles facti sunt, ut non possent resistere adversariis. *Neque fuit qui eos juvaret*, ne ab hostibus caperentur, captivi adducerentur, et in ipsa captivitate duriter haberentur. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, etc.* Hic jam ponitur imploratio divini auxilii, et liberatio tum a carcere tenebroso, tum a vinculis, et compedibus. Ac ut ostendat magnitudinem beneficii, addit, *contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit.* Qua metaphora significatur liberatio a captivitate tali, qualis est eorum, qui clausi sunt intra portas aereas, quarum vectes ferrei sunt, ita ut non nisi maxima vi reserari possint. In summa describitur liberatio a captivitate durissima, et maxima. Porro secunda spiritualis miseria est concupiscentia rerum terrenarum, idest, honorum, opum, voluptatum, quae concupiscentia instar catenae, et vinculorum, ac compedum hominem ita constringit, ut quamvis non ignoret veram foelicitatem esse quaerendam in Deo, et mortificanda esse membra, quae sunt super terram: tamen captivus maneat, et progredi non possit, nisi gratia Dei vincula illa disrumpat. Initium liberationis ducendum est ab humilitate, ut homo intelligens captivitatem suam, et debilitatem virium suarum, humiliatum habens cor in laboribus, et videns non esse alium qui adjuvet, praeter unum coelestem Patrem, corde contrito, et humiliato cum intimo gemitu dicat, *Domine vim patior: respice et miserere. Infoelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ut clamat Apost. rom. 12. Aderit enim sine dubio misericordia patris, et educet victum de carcere, et vincula disrumpet, ut homo per gratiam Dei liberatus cum laetitia dicat, *dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*, Psal. 115. Vide exemplum hujus liberationis, maxime a concupiscentia carnalium voluptatum, ex s. August. in fine libri octavi, et in principio libri noni Confessionum.

17. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.*

18. *Omnem escam abominata est anima eorum: et appropinquaverunt usque ad portas mortis.*

19. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.*

20. *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.*

21. *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*

22. *Et sacrificent sacrificium laudis, et annuncient opera ejus in exultatione.*

Haec est pars tertia psalmi, in qua narratur tertia miseria corporalis, quae est morbus, et languor gravissimus, qualis fuit filiorum Israel, cum percussit eos Dominus plaga magna per serpentes ignotos, ita ut plurimi continue morerentur; sed cum clamarent ad Dominum, liberati sunt: et eodem modo quicumque a morbis, et plagis variis cruciantur, si Dominum serio ex corde, firma fide, et cum aliis requisitis invocaverint, sine dubio liberabuntur. Sed verba consideremus, atque ea praecipue, quae

non sunt antea explicata. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum:propter injustitias enim suas humiliati sunt.* Hic aliquid necessario subintelligendum est, ut, *vidit Deus quosdam prostratos jacere; et suscepit eos*, idest, erexit de via iniquitatis eorum, in qua miseri jacebant: *nam propter injustitias suas humiliati sunt usque ad terram.* In hebraico textu legitur secundum versionem s. Hieronymi,*stultos propter viam sceleris eorum,* pro eo quod nos habemus. *suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Sed vox,אויליים *avilim*, vel,אוילים *evilim*,quae *stultos* significat, non videtur fuisse in libris antiquis, quos habuerunt septuaginta interpretes, sed vox, אילם *ajalem*, quod est, *suscepit eos*, quamvis enim a radice, איל *ajal*, in dictionariis deducatur, *fortitudo*, *aries*, *cervus*, et alia id genus: tamen apud septuaginta interpretes ea vox etiam *suscipere* significat. Hinc enim in titulo psalm. 21. posuerunt,*pro susceptione*,quod est in hebraeo, אילת *ajeleth*: et sane major fides habenda est septuaginta interpretibus,quam omnibus dictionariis. *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Hoc demonstrat gravissimum morbum, qui cum cibum non admittat, quo vita sustentatur, mors immineat necesse est. *Misit verbum suum, et sanavit eos*, explicat modum quo sanavit aegrotos illos dicens, eos sanatos verbo,idest, jussu Domini, sive Dei voluntate, non a serpente aeneo, vel aliqua alia re creata: non quod res creatae, ut pharmaca,et medicamenta caetera nullam vim habeant, sed quia vim suam a Deo habent, et sine Dei cooperatione nihil efficere possunt: Deus autem sine illis solo verbo, et imperio suo omnia sanare potest, et hoc modo intelligimus illud Sap. 16. *Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo,qui sanat omnia.* Et paulo ante loquens de iis, qui per aspectum serpentis aenei curabantur a morsibus serpentium ignitorum: *qui enim*, inquit, *conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem.* Utitur autem David figurata locutione cum ait, *misit verbum suum, et sanavit eos*,quasi verbum, sive imperium Dei sit persona aliqua de coelo missa ad sanandos aegrotos. Nisi forte praedicere voluerit missionem Verbi incarnati ad homines, per quod plurimi sanati sunt a corporali morbo: et a morbo spirituali, idest, a peccato, nemo sanatur, nisi per ipsum: *non enim est aliud nomen sub coelo datum hominibus,in quo oporteat nos salvos fieri*, ut dicitur Act. 3. Tertia vero miseria spiritualis est infirmitas, sive debilitas, et fragilitas humanae naturae per peccatum corruptae. Multi sunt enim, qui satis intelligunt quod sit agendum, et cupiunt interdum illud perficere: sed vires non habent, vel infirmas habent, donec induantur virtute ex alto. Saepe etiam taedio,vel languore quodam affecti, omnem cibum renuit anima eorum; quia quamvis jam eos neque error seducat, neque concupiscentia mala illiciat:tamen non delectat eos verbum Dei, neque ad coelestia suspirare norunt; et periculum est, ne fames eos non ex inopia, sed ex fastidio perimat: neque levis aut rara haec tentatio est. Ideo et isti clamare debent ad Deum, ut sanetur palatum cordis eorum,et assuescant lac divinae consolationis concupiscere: et cum inceperint sapere quae sursum sunt, et gustare quam dulcis sit Dominus, non sibi hoc tribuant; sed *confiteantur Domino misericordias ejus: et sacrificent ei sacrificium laudis, et annuncient opera ejus in exultatione.* Divinum enim plane opus est, non humanum, cum homo solis visibilibus, et terrenis assuetus incipit invisibilia, et coelestia dulciter sapere, et ardenter requirere.

23. *Qui descendunt mare in navibus,facientes operationem in aquis multis.*
24. *Ipsi viderunt opera Domini,et mirabilia ejus in profundo.*
25. *Dixit, et stetit spiritus procellae: et exaltati sunt fluctus ejus.*
26. *Ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.*
27. *Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.*
28. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eduxit eos.*
29. *Et statuit procellam ejus in auram; et siluerunt fluctus ejus.*
30. *Et laetati sunt,quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum.*
31. *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*
32. *Et exaltent eum in ecclesia plebis,et in cathedra seniorum laudent eum.*

Haec est pars quarta psalmi, in qua laudatur Deus ob liberationem periclitantium in mari. Hujus miseriae non occurrit exemplum in scripturis ante tempora Davidis, sed post illa tempora habemus exemplum in libro Jonae cap. 1. et in evangelio s. Matthaei cap. 8. et 14. et in Actis cap. 27. Explicemus verba,*qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo*,idest,qui navigant mare,ac per hoc operantur in aquis remigando,vel vela tendendo,vel contrahendo,experimento cognoscunt multa mirabilia opera Dei, quae aliis plurimis nota non sunt, nisi forte ex relatione aliorum, videlicet quanta sit vis procellae; quanta elevatio undarum et fluctuum, quanta vastitas et profunditas maris, quam ingentia et frequentia mortis pericula, quantus denique timor, et horror invadat pectora hominum, etiam fortissimorum. Proprie autem dictum est, *qui descendunt mare in navibus*: non enim, ut quidam interpres psalmorum hoc loco ait, ratione probatum est,altius esse mare,quam terram: sed contra, probatum est manifesta demonstratione,inferius esse mare, quam terram, quoniam alioqui terram operiret aqua, cum natura sua ad loca semper decliviora descendat. *Dixit, et stetit spiritus procellae*, idest, dixit Deus, et dicendo jussit, ut ventus procellae existeret, et continuo procella obediens creatori stetit, idest, extitit, exurrexit, exorta est: non enim, *stetit*, hoc loco significat quietem,sed exortum: et inde *exaltati sunt fluctus ejus*, idest,

maris, *et ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos*,poetica hyperbole est:quo modo etiam latinus Poeta dixit, *fluctusque ad sydera tollit. Anima eorum in malis tabescebat*,id est, iis visis anima navigantium, spiritus videlicet vitalis, vigor omnis in ipsis existens prae timore,et horrore tabescebat. *Turbati sunt, et moti sunt,sicut ebrius,et omnis sapientia eorum devorata est.* Aptissimis similitudinibus describit Prophela,quid animi gerant homines imminente naufragio: nam neque vires neque consilium suppetit.Vacillant pedes, nutat judicium, imo omnis sapientia,idest,ars et peritia navigandi a timore nimio, quasi absorpta videtur. *Et clamaverunt ad Dominum*, et sic est versus intercalaris,supra explicatus,et versiculi sequentes facillimi sunt, nisi forte aliquem moveat illud, *et statuit procellam in auram*, quod significat Deum convertisse ventum furiosum,in ventum placidum, sive tempestatem, in tranquillitatem, ut magis proprie sonat vox hebraica, דממה *demama*. Illud, *statuit*, ex voce hebraica, יקם *jakem*, significat proprie, *surgere fecit*, idest, fecit,ut procella surgeret in auram, hoc est, mutaretur in auram levem, sive ut paulo ante dixi, in tranquillitatem. Jam vero quarta miseria spiritualis est,ut supra diximus,malitia voluntatis,quae praecipue sita est in superbia, quae regina est vitiorum. Et vere cum ventus superbiae exagitare incipit mare cordis humani, tunc extolluntur fluctus desideriorum usque ad coelum: notae sunt voces illius, qui est Rex super omnes filios superbiae, *in coelum conscendam,super astra Dei exaltabo solium meum: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, Isaiae 14. Ab illo didicerunt antiqui gigantes turrim Babel aedificare, quae coelum contingeret, Genes.11. Horum nepotes sunt,qui regna regnis, et imperia imperiis adjungere satagunt,neque ullus est finis cupiditatis eorum: quod si illi ipsi intrarent in corda sua,et attente considerarent, quantis cogitationum, suspicionum, timorum, desideriorum praesumptionis quoque, et desperationis procellis continuo agitentur,et tandem demergantur in abyssum:sine dubio clamarent ad Dominum, et ipse misericors, et pius de tantis periculis liberaret eos: mitteret enim spiritum filii sui in corda eorum,ut doceret eos mansuetudinem,et humilitatem, et eo modo sedatis fluctibus desideriorum invenirent requiem animabus suis,et deducerentur in portum voluntatis suae, idest, in portum tranquillitatis, quem omnis homo naturaliter cupit. Et quoniam hoc est maximum beneficium misericordiae Dei,jure optimo cantarent,*confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Et exaltent eum*,Deum videlicet,*in ecclesia plebis*, idest, in coetu populi totius congregati ad laudes Domini celebrandas, et non solum in coetu plebis, sed etiam *in cathedra seniorum*, idest, in consessu majorum principum videlicet populi, et sapientium Senatorum *laudent eum.*

33. *Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim.*
34. *Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.*

Haec est altera pars hujus psalmi, in qua post decantatas misericordias Domini in depulsione quatuor miseriarum, laudat Deum ab omnipotentia et providentia, qua naturas rerum aliquando permutat, qua mutatione manifeste indicat se verum et solum esse illarum conditorem, et gubernatorem. Ac primum dicit, Deum aliquando *posuisse flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim*, idest, quando illi placuit,siccasse flumina, et fecisse, ut ubi rivi aquarum abundanter decurrebant, ibi fieret desertum aridum, et siticulosum. *Terram quoque fructiferam vertisse in salsuginem*, idest, in terram sterilem qualis est terra operta sale, *a malitia inhabitantium in ea*,idest, in poenam peccati eorum,qui terram illam incolebant. Exemplum hujus mutationis habemus in Genes. cap. 13. ubi dicitur,*elevatis Loth oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quae universa irrigabatur,antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorram,sicut paradisus Domini*;hanc vere terram irriguam, et fructiferam, instar paradisi,Deus sulphure et igne de coelo demisso totam siccavit,et sempiterna sterilitate damnavit, ut legitur in eodem lib. cap. 19.

35. *Posuit desertum in stagna aquarum,et terram sine aqua in exitus aquarum.*
36. *Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis.*
37. *Et seminaverunt agros,et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.*
38. *Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis,et jumenta eorum non minoravit.*

Haec est altera mutatio in contrarium, secundum quam Deus, quando voluit *posuit desertum in stagna aquarum*, idest, fecit,ut in locis desertis, et arentibus existerent flumina, et terra quae erat sine aqua, abundarent rivis aquarum.Et in iis locis alias incultis, et desertis fecit ut frequentes homines habitarent, civitates construerent, terram colerent,fructus inde perciperent,multiplicarentur denique valde, tum homines tum jumenta ipsorum. hoc enim significat illud, *non minoravit jumenta ipsorum*, idest, fecit ut non esset exiguus numerus jumentorum, sed plenus et copiosus. Ad quam historiam respiciat hoc loco Propheta, non est adeo certum: nam fecit quidem Deus in deserto propter filios Israel ex rupe saxea nasci flumina, ut habemus Num. 11. sed non collocavit illic populum suum, neque sunt illic urbes aedificatae, neque seminati agri, neque plantatae vineae. In terra vero promissionis collocavit quidem populum suum Deus, sed jam antea erant in ea terra flumina, urbes, agri culti et vineae.Existimo igitur Prophetam respicere ad antiquas historias, et primordia propagationis generis humani post diluvium, quemadmodum enim mutavit terram Sodomorum ex irrigua et fertili in aridam et desertam ; sic etiam in aliis locis existere flumina,et aedificari civitates, et coli campos, et plantari vineas, et propagari homines et jumenta. Quia vero Isaias Propheta cap. 41. hunc locum psalmi notare videtur, cum ait, *Ponam desertum in stagna aquarum,et*

terram inviam in rivos aquarum,et verba Isaiae a s.Hieron.et aliis intelliguntur de gentilitate,quae olim deserta, et inculta sine fide, sine lege, sine Prophetis,sine sacerdotio,futura erat per Christum irrigua spiritus sancti donis; ideo totum hunc locum recte s. Augustinus in sensu vel litterali, vel certe allegorico exponit de synagoga Judeorum, et ecclesia gentium ; de synagoga enim, quae olim abundabat aquis verbi Dei,et veluti terra foecunda et culta proferebat prophetas et sacerdotes, et habebat altaria,sacrificia,miracula,visiones:nunc deserta et arida versa est in salsuginem;et his tribus caret: contra vero gentilitas, quae deserta et inaquosa erat, conversa est in stagna aquarum, et facta est foecunda , ac fructibus omnium generum refertissima , idest , coepit esse populus Domini, ecclesia Dei vivi, gens sancta , regnum sacerdotale, in quo solo verum est sacrificium, veri sacerdotes , vera miracula , vera sanctificatio, vera sapientia, denique Spiritus sancti charismata omnia.

39. *Et pauci facti sunt,et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.*
40. *Effusa est contemptio super principes, et errare fecit eos in invio, et non in via.*
41. *Et adjuvit pauperem de inopia, et posuit sicut oves familias.*
42. *Videbunt recti, et laetabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.*

Docet nunc propheta, nihil in terris esse perpetuum aut stabile. Nam illi, quos Deus aliquando benedixit et benedicendo multiplicavit, paulo post exigentibus peccatis eorum imminuti sunt, et ad paucitatem redacti, et qui paulo ante florebant omnibus bonis, iidem coeperunt angustiis et persecutionibus premi: nec solum privatis hominibus hoc accidit, sed etiam principibus, quos Deus propter eorum peccata contemptibiles reddidit, quoniam sapientia, ac prudentia eos privatos permisit in multis,magnisque rebus errare.Sed eodem tempore non defuerunt viri probi,quos Deus sublevavit de inopia et pavit, ac rexit ut proprias oves.Ex quo factum est per divinam providentiam, ut tandem viri justi laetarentur, et iniqui confusi remanerent. Hoc autem, quod dictum est generatim de providentia Dei erga genus humanum,potest etiam dici de providentia Dei speciali erga ecclesiam, quae brevi tempore crevit, et paulo post per schismata, et haereses imminuta est, et vexata atque afflicta, et principes ejus, idest, Episcopi,et sacerdotes contemptibiles redditi, quia multi eorum longe recessissent a via majorum suorum, qui in omni sanctitate, et justitia populo suo praeluxerant.Caeterum non tam imminuta est ecclesia,quin multi etiam manserint, tum ex principibus, tum ex privatis, tum ex sacerdotibus, tum ex laicis, viri sancti, quos Deus bonis spiritualibus ditavit, et ut proprias oves ad optima pascua duxit et crescere fecit,sed verba consideremus.*Et pauci facti sunt*, idest, et postea cum multum crevissent, vicissim minui coeperunt: *Et vexati sunt a tribulatione malorum, et dolore*,idest,et cum aliquamdiu prosperitate vigente laeti fuissent, coeperunt vexari a tribulatione et dolore ob mala, quae illis advenerunt. Illud enim,*malorum*,non significat malorum hominum, sed malarum rerum,idest, calamitatum, aerumnarum,infortuniorum. *Effusa est contemptio super principes.* Recte editio vulgata correcta est loco: nam vitio librariorum legebatur *contentio* in omnibus fere latinis codicibus. Sed ex textibus graecis, et hebraicis,ex lectione veterum Hieronymi, Augustini, et aliorum, certum est legi debuisse, *effusa est contemptio*: accedit etiam, quod hic idem versiculus legitur apud Job cap.12. vers.21. *Effundit despectionem super principes*; et credibile est,Davidem ex Job hunc versiculum accepisse. Gravis haec poena est, tum populis, tum principibus, et magni criminis praecedentis indicium, quando Deus effundit contemptionem in Principes, idest,providentia sua facit,ut principes sive ecclesiastici, sive saeculares sint valde contemptibiles. Illud enim verbum *effundit*,significat abundantiam, sive magnitudinem contemptionis: tunc enim laxatur disciplina, et omnia in deterius ruunt.*Et errare fecit eos in invio,et non in via*:haec est causa contemptus, quia principes ob sua, et populi peccata deserti lumine sapientiae et gratiae per devia incedunt, et non per vias rectas, idest, vitiose vivunt, exemplo malo populum scandalizant,vel etiam leges iniquas constituunt,favent malis,vexant bonos. Dicitur autem Deus eos errare facere, quia in poenam peccati non eos illuminat,neque bonam voluntatem eis inspirat. S.August.in epist. 105. ad Sixtum, Non obdurat Deus infundendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam et tr. 52. in Joan. Sic excaecat, sic obdurat Deus deserendo, nec adjuvando,quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Et lib. 1. ad Simpl. q. 2. Non ab illo irrogatur aliquid , quo sit homo deterior , sed tantum quo sit melior non erogatur. Denique lib. de gratia, et libero arbitrio c. 23. Quando auditis dicentem Dominum, *ego Dominus seduxi Prophetam illum*;in eo quem seduci permittit,mala ejus merita credite. *Et adjuvit pauperem de inopia*, idest, sicut Deus superbos Principes errare permittit, et contemptibiles reddit: sic e contrario pauperes, et humiles adjuvat, et de inopia sive temporali, sive spirituali sublevat. *Et posuit sicut oves familias*, idest, posuit Deus familias pauperum justorum sicut oves, ita ut eas et multiplicaverit, et in unum congregaverit,et Pastorem eis dederit, et singulari providentia gubernaverit. *Videbunt justi, et laetabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum* , ex hac providentia Dei tandem fiet , ut justi laetentur , et ex laetitia exultent, et laudent Deum, *et omnis iniquitas*, idest , omnes iniqui obmutescant , nec audeant ullo modo contradicere. Id vero quamvis aliquando conspiciatur in particularibus judiciis : tamen absolute, et universe apparebit in judicio universali.

43. *Quis sapiens, et custodiet haec, et intelliget misericordias Domini?*

Haec est conclusio totius psalmi, in qua colligit Propheta ex dictis illum esse vere sapientem, qui

observabit, et custodiet in corde suo supra dictas vicissitudines rerum, et intelliget quemadmodum in omnibus appareat ineffabilis misericordia Domini erga pios homines, et timentes Deum; dicit autem, *quis sapiens*, quoniam paucorum est ista sapientia, et stultorum infinitus est numerus.

PSALMUS CVII.

PARATUM COR MEUM DEUS

Hic psalmus non eget explicatione: constat enim ex parte extrema psalmi quinquagesimi sexti, et quinquagesimi noni. Cur autem psalmus hic additus sit ad alios, cum nihil novi contineat, ratio videtur fuisse, ut compleretur numerus centum quinquaginta psalmorum: nisi forte subsit aliqua ratio magis recondita, quam mihi fateor notam non esse.

PSALMUS CVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David.

Non desunt ex recentioribus, qui hunc psalmum exponant ad litteram de persecutoribus David, qualis fuit Doeg Idumaeus, Achitophel, et alii: sed cum nulla fiat in titulo mentio persecutorum David; et veteres expositores, Chrysostomus, Hieron. Aug. Teodor. et Euth. simpliciter de Juda proditore, et Judaeis exponant, et sanctus Petrus in Actis Apostolorum cap. 1. de Juda proditore, psalmum hunc scriptum esse confirmet: nos quoque de Juda, et Judaeis psalmum totum simpliciter exponemus. Igitur argumentum psalmi est prophetia per modum imprecationis adversus Judam, et Judaeos Christi persecutores.

EXPLICATIO PSALMI CVIII.

1. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est.*

Verba Christi sunt similia illis, quae habentur in evangelio Joan. 17. *Clarifica me tu Pater.* Rogat igitur Christus homo Deum Patrem, ut laudem ejus, idest, innocentiam, charitatem, aliasque virtutes non taceat, quod impletum est per apostolos Spiritu sancto plenos, qui omnibus linguis toti mundo Christi laudes praedicaverunt; impletum quoque est per sequentes martyres, et confessores, et Doctores, qui vel sanguine, vel moribus, vel litteris, vel miraculis, vel praeconio vocis Christi encomia omnibus saeculis, et omnibus gentibus nunciaverunt. Reddit deinde causam, cur gloriam istam a Deo petat; quoniam non desunt, qui eam falsis criminationibus obscure conentur. *Quia*, inquit, *os peccatoris, et os dolosi*, Caiphae, videlicet et Judae, vel generatim populi Judaici, *super me apertum est*, dicit autem *peccatoris et dolosi*, quoniam persecutores Christi odio, et invidia pleni erant, et tamen dolo simulabant amicitiam, cum dicerent, *magister scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces*, etc. Matthaei 22. itaque peccatores erant, quia oderant quem diligere debuissent, et dolosi erant, quia fingentes amicitiam capere volebant in sermone, vel alii peccatores erant manifesti, qui aperte blasphemabant *eum seductorem esse, et in Beelzebub ejicere Daemonia*; alii dolosi erant, ac per hoc peccatores occulti, qui sub specie interrogationum, quasi discere cupientes, insidiabantur famae, et vitae ejus. Ex hebraeo nonnulli vertunt, *Deus laudis meae*, quia legunt in hebraeo, אלהי *elohe*, non אלהים *elohim*, sed falluntur: nam vox, *elohe*, non semper est in regimine, sed est unum ex nominibus Dei, ut s. Hier. docet in epistola ad Marcellam; adde quod nec septuaginta interpretes, nec s. Hieronymus agnoverunt istud regimen in nomine Dei, ut patet ex versionibus ipsorum. S. Hier. ex hebraeo vertit, *Deus laudabilis mihi ne*

taceas. Sed vox hebraea, תהלתי *thehillathi*, significat, *laus mea*, vel *laudem meam*: non enim hebraei declinant nomina per casus. Septuaginta interpretes intellexerunt ea voce significari, *laudem meam*. S. Hieron. autem significari credidit, *laus mea*, et ideo reddidit, *laudabilis mihi*: idem enim est, *Deus est laus mea*, et, *Deus est laudabilis mihi*, Latinus interpres graecam lectionem secutus est, quae reprehendi non potest, cum hebraicae lectioni aptissime conveniat. Illud, *ne tacueris*, opponitur illi, *os peccatoris apertum est*: aequum est, ut veritas non taceat, quando falsitas clamat.

2. *Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus et odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.*

Declarat quod dixit, *os peccatoris, et os dolosi apertum est super me. Apertum est*, inquit, *os dolosi*, quia locuti sunt adversum me lingua dolosa laudantes, ut magistrum bonum, et interim insidiantes mihi, ut caparent in sermone: apertum quoque est os peccatoris, quia *sermonibus odii circumdederunt me*, manifestantes verbis apertis odium quod gerebant in corde, dicentes, *non est hic homo a Deo: ecce homo vorax, et potator vini: tolle, tolle, crucifige eum*. Sed sive dolosa lingua, sive sermonibus odii me oppugnarent, *gratis me oppugnabant*, quia sine ulla justa causa, cum redderent mala pro nobis. Illud, *expugnaverunt*, positum est pro *oppugnaverunt*. Verbum enim hebraicum et graecum, bellare et pugnare significat. In eadem significatione ponitur hoc verbum in psalm. 128. *Saepe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi*, ubi illud, *non potuerunt mihi*, demonstrat, expugnaverunt, positum esse pro, pugnaverunt.

3. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.*

Explicat ultimam illam particulam, *gratis*, nam cum rependere deberent amorem amori, illi vice dilectionis detrahebant mihi; ego tamen non reddidi mala pro malis, sed orabam Deum pro illis. Id aperte fecit Dominus in cruce, cum ait, *pater ignosce illis*: sed credibile est, id eum occulte fecisse quotiescumque detractiones audiebat. Ex hebraeo s. Hier. vertit, *pro eo quod eos diligebam*, ubi nos habemus, *pro eo ut me diligerent*. Sed vox hebraica ambigua est: potest enim esse nomen, ut est in sequenti versiculo, et significare, *dilectio mea*, et potest esse verbum, et significare, *dilexi*, vel *diligebam*; nam a verbo, אהב *ahab*, quod est diligere, fit, אהבתי *ahabathi*, quod *dilexi*. et, *dilectio mea* significare potest. Graeca vox, αγαπαν με, quae significat, *diligere me*, est etiam ambigua, et potest accipi tam active, quam passive, pro *diligere me*, idest, pro dilectione, quam eis impendebam; et pro diligere me, idest, pro dilectione, quam mihi debebant: sed latinus interpres sustulit istam ambiguitatem, et vertit, *pro eo ut me diligerent*, et hanc intelligentiam sequuti sunt expositores veteres, tum graeci, ut Chrysostomus, et Theodoretus, tum latini, ut Hieronymus et Augustinus. Itaque veteres expositores vulgatam latinam versionem susi expositionibus probaverunt.

4. *Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.*

Idipsum clarius repetit, quasi dicat, rependerunt mihi maledictionem pro benedictione, odium pro amore, vulnera multa pro curationibus multis, mortem corporalem pro vita spirituali.

5. *Constitue super eum peccatorem, et Diabolus stet a dextris ejus.*

Transitum facit Propheta ad Judam, quem praevidebat *ducem futurum eorum, qui comprehenderunt Jesum*, ut loquitur s. Petrus Actorum 1. et per modum imprecantis praedicit, quae illi eventura prospiciebat. Ac primum, inquit, *constitue super eum peccatorem*, idest, noluit Judas super se Christum Dominum utique justissimum, et mitissimum, ideo constitues super eum spiritum avaritiae, cui serviet infoeliciter usque ad mortem. Judas enim servire voluit mammonae; ac per hoc servire non potuit Christo, *quia nemo potest duobus Dominis servire*. Matth. 7. Porro spiritus avaritiae iniquissimus est, cum honorem Deo debitum idolo tribuat, dicente Apostolo ad Ephes. 5. de avaritia, *quod est idolorum servitus. Et Diabolus stet a dextris ejus*, idest, et Diabolus erit dux ejus in operibus malis, et illi perpetuo assistet, vel potius tamquam canem allicatum vinculo cupiditatis illum trahet, et ad nocendum proprio etiam magistro incitabit. Sanctus Augustinus per peccatorem praepositum Judae, intelligit eumdem diabolum, qui tamquam ejus Dominus stabat a dextris ejus. Idem sanctus Augustinus recte monet, Judam gessisse personam totius synagogae: quemadmodum sanctus Petrus gerebat personam totius Ecclesiae; et ideo, quae hic dicuntur de Juda, illa quidem convenire, sed convenire etiam et illustrius toti synagogae, quae recusans habere Christum regem, habuit diabolum et Caesarem, et ejus loco Pilatum.

6. *Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.*

Praedicit nunc Prophetа infoelicissimum exitum Judae, ad quam prophetiam respexisse videtur Dominus Joan 17. cum ait, *quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex iis periit. nisi filius perditionis*, ut scriptura impleatur. *Ergo*, inquit, *cum judicatur* a Deo in exitu de hac vita, *exeat*, idest, exibit condemnatus, et si forte oraverit Deum, oratio ejus non solum non impetrabit remissionem peccati, sed ipsa oratio fiet illi in peccatum. Cur oratio Judae facta sit illi in peccatum, rationem reddit s. Hieron. quia oravit sine spe indulgentiae, et desperans laqueo se suspendit. S. Augustinus dicit factam esse in peccatum, quia non est facta per Christum mediatorem. Euthymius addit factam esse in peccatum, quia Judas, et etiam caeteri persecutores Christi orabant Deum pro exterminatione nominis

Christiani. Posset etiam addi, Judae orationem factam esse in peccatum, quia Judas non a Deo, sed a diabolo auxilium petiit. Diabolus autem suspendium illi suasit. Quo loco admonendi sunt lectores, orationem peccatoris, non semper esse peccatum, sed saepe multum valere ad remissionem peccatorum, ut intelligi potest ex oratione publicani Luc. 18. tunc autem fieri in peccatum, et vere esse peccatum, cum is qui orat, vel non orat quem debet orare, id est, Deum verum sed idola, vel diabolum: vel non orat pro re bona, quam aequum est a Deo peti, sed pro re mala quae Deo displicet, ut pro ruina inimicorum: vel non orat per unicum Mediatorem, qui est Christus, sed per merita sua quae superbe se habere praesumit: vel denique non orat cum spe, aut fide, aut aliis necessariis bonae orationis comitibus: eadem quae hic dicuntur de Juda, conveniunt Judaeis, quorum ille typum gerebat. Judaei enim qui credere nolunt in Christum exeunt de hac vita condemnati ad mortem sempiternam, et oratio eorum, quam assidue fundunt in synagogis suis, sit illis in peccatum, quia non orant Patrem per Filium, cum nec Filium, nec Patrem norint, et quia postulant quae Deo non placent, excidium videlicet Christianorum, et celerem adventum Antichristi, hunc enim illi pro Christo recipient, ut dicitur Joan 5.

7. *Fiant dies ejus pauci, et Episcopatum ejus accipiat alter.*

Hic est locus, quem s. Petrus allegavit Actor. 1. ut ostenderet necessarium fuisse, ut in locum Judae aliquis substituetur; et cum omnes apostoli et discipuli judicio s. Petri acquieverint, ac per hoc unanimi consensu locum istum psalmi de Juda intellexerint, nemini licet aliter exponere. *Oportet*, inquit Apostolus Petrus Act. 1. *impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David, de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum.* Videmus autem impletum fuisse hoc vaticinium in Juda perfectissime: nam facti sunt dies ejus pauci, sive cum s. Augustino intelligamus dies apostolatus, sive cum s. Hieronymo dies vitae, sive cum Euthymio dies ejus post peccatum commissum. *Et Episcopatum*, idest, apostolatum *ejus accipiat alter*, Matthias videlicet, qui omnibus modis erat alter, idest, non consanguineus, non familiaris, non amicus, non similis vitae, ac morum. Nomen episcopatus, in hebraeo est, פקדה *pekuda*, quod ab inspiciendo, et visitando deducitur. Debet enim episcopus assidue inspicere, et visitare oves suas, de quibus rationem Domino redditurus est. Id quod, qui longe absunt ab episcopatu suo certe praestare non possunt. Hoc idem impletum est in Judaeis: nam post Judae peccatum pauci fuerunt dies Judaeorum in Episcopatu, idest, in sacerdotio, sive pontificatu: et Episcopatum eorum accepit alter, quia translatum est sacerdotium Aaronicum ad sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, et nulli sunt hodie pontifices Judaeorum, et multi sunt pontifices Christianorum.

8. *Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.*

Ne quis forte existimaret, Judam condemnandum ad poenam aliquam, vita durante, et ut fierent dies ejus pauci in episcopatu, non in corpore, Propheta declarat dies ejus futuros etiam paucos, ob imminentem veram mortem, per quam filii ejus orphani, et uxor vidua remaneret. Quod impletum est, quia eadem die laqueo se suspendit, et non diu postea in excidio Hierosolymae omnes fere viri interierunt, et relicti sunt plurimi orphani, et plurimae viduae.

9. *Nutantes, transferantur filii ejus, et mendicent; et ejiciantur de habitationibus suis.*

Explicat aerumnas filiorum Judae, ac dicit, eos instabiles vagaturos et mendicaturos in aliena regione, quoniam ab habitatione sua ejicientur. In hebraeo paulo aliter leguntur ultima verba hujus versiculi. Sic enim vertit s. Hieron. *Et quaerantur in parietinis suis.* Sed septuaginta Interpretes, quos latinus sequitur, non legerunt in hebraeo, דרשו *daresciu*, quod significat *quaerere*, sed, גרשו *garesciu*, quod significat *ejicere*. Et ut saepe diximus, lectio, quam habuerunt in suis codicibus septuaginta seniores, omnino praeferenda est lectioni Rabbinorum. Illud *in parietinis suis*, optime translatum est a septuaginta interpretibus εκ των οικοπεδων αυτων, idest, *ex ruinosis habitationibus suis.* Nam idem significant parietina, idest, domus dirutae, ubi soli remanent parietes. Particula *ex*, quam habent septuaginta interpretes, habetur satis aperte in hebraeo, quamvis s. Hieronymus verterit *in*: quoniam particula, מן *min*, utrumque significare potest, sed frequentius accipitur pro *ex*, vel *ab*. Itaque sensus nostrae lectionis est, quod Judae filii, et caeteri Judaei, non solum non permittentur habere integras domos, quia Hierusalem evertenda erat, sed ejicientur etiam de habitationibus dirutis, ut ne ruinas quidem domorum suarum possidere eis liceat, quod impletum esse res ipsa testatur.

10. *Scrutetur foenerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus.*

Redditur hoc loco ratio cur filii Judae, et Judaei caeteri sunt futuri pauperrimi, ac plane mendici: quia videlicet creditores eorum quibus solvendo non erunt, diligentissime quaerent, et accipient substantiam eorum; et si quid superfuerint ex labore eorum quaesitum, diripient alieni, milites scilicet Titi Imperatoris, qui (ut scribit Josephus lib. 6. de bello Judaico cap. 15.) scrutabantur aurum etiam in visceribus hominum, ad hunc finem illos dissecantes. Et haec quidem olim passi sunt Judaei, sed nunc foeneratores effecti ex bonis pauperum christianorum ditescunt. Illud, *scrutetur*, nunc est in codice hebraico, יבקש *jenakkes*, quod *illaqueare*, vel *irretire*, significat. Sed septuaginta, et s. Hieronymus, qui verterunt *scrutetur*, videntur legisse, יבקש *jebakkes*, quod est, *diligenter quaerere*; proinde post tempora s. Hie-

ronymi, locus hic vitio librariorum corruptus videtur.

11. *Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus.*

Et hoc manifeste impletum est in Juda, et in Judaeis: Judas enim ad principes sacerdotum accessit, et pecunias retulit, ac se peccasse confessus, nihil auxilii vel consolationis accepit, responderunt enim: *quid ad nos? tu videris*, Matth. 27. Quare rejectus a sacerdotibus, et a Christo veniam non sperans, abiens laqueo se suspendit. Porro Judaei a romanis obsessi neminem habuerunt, qui eos juvare auderet.

12. *Fiant nati ejus in interitum in generatione una deleatur nomen ejus.*

Praedicit Propheta, filiis Judae mortuis delendum omnino nomen ejus in generatione una, quia videlicet non remanebunt filii filiorum, idest, secunda vel tertia generatio. Et hoc quidem de filiis carnis Judae impletum esse credimus: sed scimus etiam adimpletum in filiis spiritualibus. Nam aliorum apostolorum multi numerati sunt filii filiorum, quos illi per Evangelii praedicationem in Christo genuerunt: et posteritas eorum in aeternum manebit. Judae vero spiritualis posteritas nulla est; Judaei vero quamvis non omnino extincti sint, periit tamen in generatione una regnum, sive respublica eorum: nam post eversam Hierosolymam dispersi fuerunt in gentes, et nunc impletur in eis quod praedixit Osee Propheta cap. 3. *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine Ephod, et sine Teraphim.* Itaque illud, *interitum*, significat interitum populi, sive regni, ut non sint amplius unus populus, sive regnum, sed homines dispersi per omnes populos et regna. Ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *fiat novissimum ejus interitus, in generatione altera deleatur nomen ejus.* Sed septuaginta non male verterunt, *fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus.* Nam vox hebraea, אחריתו *acharitho*, significat ad litteram, *reliquiae ejus*, sive, quod post eum remanet. Et quamvis possit hoc significare *novissimum ejus*, ut vertit sanctus Hieronymus, quia novissimum postea erit: tamen rectissime verterunt septuaginta interpretes, *nati ejus*, idest, reliquiae ejus, sive posteritas ejus. Illud quoque, *in generatione una*, recte interpretatum est, quoniam septuaginta non legerunt, אחר *acher*, idest, *altera*, ut legit s. Hieronymus, sed, אחד *echad*, idest, *una*; literae enim simillimae sunt, et facile fuit librariis unam literam pro alia ponere.

13. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus, et peccatum matris ejus non deleatur.*

Addit Propheta ad calamitates Judae et Judaeorum, et peccata parentum in eis puniantur. Vocat autem patres non solum patrem ejus naturalem, sed omnes eos hebraeos, qui peccaverunt in deserto, et postea in terra promissionis; vocat vero matrem, non tantum matrem propriam, sed integram Synagogam, sive ipsam civitatem Hierusalem, de qua dicitur Thren. 1. *Peccatum peccavit Hierusalem.* Quod autem hic dicit Propheta, significavit etiam Dominus, Matth. 23. cum ait, *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam.* Et hoc ipsum imprecati sunt impii Judaei filiis suis, Matth. 27. *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Neque repugnat haec sententia verbis Ezechielis cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ezechiel enim loquitur de filiis, qui non imitantur peccata parentum; psalmus autem loquitur de filiis qui peccata parentum imitantur. Deus enim irritatus peccatis parentum, expectat quidem filios ad poenitentiam, sed si illi pergant parentum iniquitates imitari, et sic implere mensuram patrum suorum, tandem omnes exterminat non solum considerans peccata praesentium: sed etiam praeteritorum. Atque hoc est, quod Exod. 20. Deus dixit, cum legem populo daret: *ego sum Deus tuus fortis zelotes, visitans peccata parentum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Vide de concordia harum scripturarum s. Thomam in 1. 2. qu. 87. art. 8. et Theologos caeteros apud magistrum sententiarum lib. 2. dist. 23.

14. *Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.*

Repetit quod dixit de peccatis parentum, et eleganter opponit memoriae peccatorum memoriam gloriae Judae, et Judaeorum: quasi dicat, Vivet coram Deo memoriam peccatorum patris et matris ipsorum, ut poena semper maneat et contra dispereat de terra memoria gloriae, et foelicitatis ipsorum. Illud enim, *contra Dominum*, significat coram Domino, sive ex opposito oculorum Domini, ut semper videantur a Domino peccata illa: haec enim est vis vocis hebraicae, נגד *neghed*, et graecae, εναντιων. Illud autem, *memoria eorum*, non significat simplicem memoriam personarum, sed faustam commemorationem. Viget enim commemoratio aliorum Apostolorum, quae quotannis renovatur cum honore, et laudibus ipsorum: Judae commemoratio nulla fit, et si quando nomen ejus pronunciandum est, cum execratione et horrore pronunciatur: sic etiam gentis Judaeorum nulla fit commemoratio nisi cum contemptu, ut gentis vilissimae, quae ubique servit. Addit Propheta causam toto calamitatum Judae, et Judaeorum. *Quoniam*, inquit, *non est recordatus facere misericordiam*: nam ut scribit b. Jacobus cap. 2. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Hoc enim fuit peccatum Judae, quod cum videret principes Judaeorum fuere adversus Christum, ipse nulla misericordia motus

erga innocentem magistrum, et Dominum suum, crudelissime illum tradidit capiendum, et occidendum.

15. *Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare.*

Explicat Propheta in quo sita fuerit crudelitas Judae, et populi Judaeorum, quia videlicet persecutus est Christum, *hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare*, idest, ad eum morti tradendum. Sanctus Augustinus non audet haec de Christo exponere, quia Christus non potest dici *compunctus corde*, cum compunctio sit propria eorum, quorum est poenitentia. Ideo per hominem *compunctum corde*, intelligit Apostolos, et alios fideles, quos Judaei usque ad mortem persecuti sunt. Sed quia sanctus Hieronymus, Theodoretus, Euthymius et alii de Christo haec omnia intelligunt, et textus ipse quodammodo nos cogit, ut hunc versiculum de Christo potissimum exponamus; dicendum est Christum dici *hominem inopem*, quia cum esset dives, *propter nos egenus factus est*, ut nos inopia sua locupletaret, ut dicit Apostolus 2. Corinth. 8. Dici etiam *mendicum*, quia ex aliena misericordia in hoc mundo vivere voluit, ut verbo Dei praedicando, et orationi pro nobis faciendae totus incumberet; dici denique *compunctum corde*, non compunctione culpae, sed compunctione poenae, et anxietatis, ac sollicitudinis, quam pro salute generis humani assidue in corde gerebat. Notatur autem in his verbis summa crudelitas; nam qui hominem occidere quaerunt, vel moveri solent ab iracundia ob injuriam acceptam, vel a cupiditate spoliandi divitem, vel ab invidia alienae foelicitatis; Christus autem mitis, et humilis corde, nemini faciebat injuriam; et cum esset adeo contemptor bonorum hujus mundi, ut voluntarie mendicus factus esset, non habebat unde oculos cupidorum provocaret. Denique cum assidue hominum peccata deflerent, et ad poenitentiam agendam, ad foelicitatem mundi spernendam, ad bona coelestia desideranda hortaretur, nulla erat causa, cur eum ad mortem ullus quaeret.

16. *Et dilexit maledictionem, et veniet ei, et noluit benedictionem et elongabitur ab eo.*

Nemo est qui diligere possit maledictionem, vel odio habere benedictionem, si sub ratione maledictionis et benedictionis voluntati proponantur: sed dicitur homo diligere maledictionem, et nolle benedictionem, quando ipse sibi causa est, malis suis operibus, cur maledicatur, et non benedicatur. Sic Judas tradendo Christum Judaeis ob cupiditatem modicae pecuniae, dilexit maledictionem, quia ipse sibi causa fuit cur malediceretur a Deo: et ipse idem deserendo Christum, in qua benedicendae erant omnes generationes; noluit benedictionem, quia ipse sibi causa fuit, cur non benediceretur a Deo; quod idem de populo Judaeorum dici potest. Venit enim filius Dei de coelo, ut benediceret populum suum; sed illi Christum occidendo, sibi ipsi in causa fuerunt, cur pro benedictione maledictionem acciperent, et benedictio ad gentes transferretur. Porro benedictio Dei cumulum bonorum omnium significat, quemadmodum et maledictio cumulum omnium malorum. Videmus autem haec impleta fuisse primum in Juda, qui continuo et pecunias, quas acceperat, et vitam temporalem et sempiternam amisit, deinde in populo Judaeorum, qui regnum et sacerdotium perdidit, et excaecatus atque obstinatus in incredulitate vivit, docet ad tenebras exteriores, quae sunt in gehenna, descendat.

17. *Et induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.*

Declarat Propheta pulcherrimis similitudinibus, maledictionem divinam esse cumulum omnium malorum, tum externorum, ita ut homo maledictus a Deo cunctis malis ita repleatur, ut nulli bono relinquatur locus. Primum comparat maledictionem divinam vestimento, quod totum corpus undique tegit: et quia vestimentum non intrat ad viscera, comparat etiam aquae, quae hominem demersum in mari, non solum exterius abluit, sed etiam intrat ad stomachum, ad ventrem, ad pectus, ad omnia interna corporis humani: et quoniam aqua non penetrat ossa, imo neque carnes, venas, nervos; addit comparationem olei, quod subtilissimum est, et non solum carnes et venas, et nervos, sed ipsa etiam ossa pervadit. Sic igitur divina maledictio, non solum Judae et Judaeorum, sed omnium illorum, quibus dicetur, *Ite maledicti*, replebit malis corpus, et omnia ejus membra; replebit animam, et omnes ejus sensus; replebit et mentem, et usque ad intima intelligentiae, et voluntatis penetrabit. Quae certe si homines mortales serio cogitarent, non sine magno horrore viverent.

18. *Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, et sicut zona, quae semper praecingitur.*

Addit Propheta maledictionem illam non solum ubique penetraturam, sed etiam sempiternam futuram. *Fiat*, inquit, *ei*, Judae videlicet et populo Judaeorum, ea maledictio *sicut vestimentum, quo operitur*, idest, semper illi adhaereat, quemadmodum vestis semper adhaeret homini, ne turpitudo ejus appareat. *Et sicut zona, qua semper praecingitur*, idest, non solum maledictio illi adhaereat, sed etiam firmissime adhaereat, quo modo cingulum firmissimis, et multiplicibus nodis adstringi solet. Quis digne cogitare valeat, qualis sit nodus, quam firmus, quam insolubilis, decretum immutabile omnipotentis voluntatis Dei?

19. *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum; et qui loquuntur mala adversus animam meam.*

Concludit propheta praedictionem miseriarum Judae, dicens, *Hoc opus eorum*, idest, haec erit merces operis eorum. Accipitur enim in scriptura opus

pro mercede operis, ut Levit. 19. *non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Qui detrahunt mihi*, idest, qui me seductorem vocant, qui filium Dei esse negant, etc. *apud Dominum*, idest, haec erit merces eorum apud Dominum, sive a Domino, ut clarius habetur in textu hebraico, quem s. Hieronymus sic reddidit, *haec est retributio a Domino, his qui mihi adversantur, et qui loquuntur mala adversus animam meam*, idest, qui obloquuntur de me mala. Est enim haec pars posterior versiculi, repetitio, et explicatio prioris.

20. *Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.*

In ultima parte psalmi precatur Christus pro se, et pro corpore suo quod est ecclesia; praedicando praedicit multa bona, quemadmodum in superioribus partibus, per modum imprecationis praedixit multa mala Judae et Judaeis. Primum igitur orat Dominum, ut sibi semper adsit, seque et corpus suum adjuvet propter gloriam nominis sui. *Et tu*, inquit, *Domine, Domine.* אדני יהוה Prima vox continet nomen quatuor literarum, quod est proprium Dei, et deducitur ab esse, quia Deus est fons essendi: secunda continet aliud nomen, quod proprie Dominum significat. Itaque sensus est, *tu fons essendi*, qui es Dominus omnium rerum, *fac mecum*, idest, mecum operare, mihi te adjunge. *propter nomen tuum*, idest, ad gloriam tuam. *Quia suavis est misericordia tua*, idest, quia misericordia tua benigna est, et facile inclinatur ad succurrendum miseris. Ubi loquitur tum pro se, tum pro corpore suo, quod est ecclesia, et poscit auxilium Dei adversus persecutores ex tribus capitibus: primo, quia Deus est Dominus omnium rerum, ac per hoc potest, si velit, hostes reprimere: secundo quia hoc postulatur propter nomen Dei extollendum: tertio, quia Dei misericordia benigna est: ac per hoc Deus, non solum potest, sed etiam vult misereri. Et quoniam, ut dixi, haec est praedictio per modum precationis, vel simul precatio, et praedictio: ideo certi sumus, ecclesiam Christi semper a Deo protegendam et juvandam esse, *ut portae inferi non praevaleant adversus eam*, juxta id quod dictum est Matth. 16.

21, *Libera me, quia egenus et pauper ego sum, et cor meum conturbatum est intra me.*

Pergit in oratione prophela in persona Christi, et videtur respicere tempus illud, quo Christus dixit Joan. 12. *nunc anima mea turbata est, et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora*: vel cum in horto precatus est patrem, et apostolis dixit: *tristis est anima mea usque ad mortem. Libera*, inquit, *me ab imminente morte, quoniam egenus et pauper ego sum* idest, omni humano auxilio destitutus, non habeo, qui pugnet pro me, et anima mea turbata est intra me, idest, tristitia et horror ex consideratione mortis futurae turbavit me. Haec autem Christus dicebat, ut ostenderet, se vere esse hominem, qui mortem absolute consideratam, ut naturae contrariam exhorrebat: cum tamen eamdem mortem, ut pretium redemptionis a patre decretum, et ordinatum maxime desideraret. Quare Joan. 12. cum dixisset *salvifica me ex hac hora*, subjunxit, *sed propterea veni in hanc horam*, et Matth. 26. cum dixisset, *transeat a me calix iste:* continuo addit, *se non sicut ego volo, sed sicut tu.* Porro quod attinet ad corpus Christi, quod est ecclesia, petitur liberatio a persecutionibus, et tentationibus, quia coetus Ecclesiae egenus, et pauper est, idest, non nititur viribus, aut meritis suis, sed tamquam vere mendicus, in solo Deo confidit.

22. *Sicut umbra cum declinat, ablatus sum, et excussus sum sicut locustae.*

Haec pertinent ad comprehensionem Domini, quae facta est post orationem in horto. Comparat vero Propheta comprehensionem, umbrae deficienti, quoniam umbra sine ullo strepitu deficit, et maximo cum silentio. Sic enim et Dominus avulsus est a discipulis, et captivus ductus, imo etiam ad varia tribunalia, et ad ipsam crucem adductus sine murmure, sine resistentia, sine defensione. *Sicut umbra*, inquit, *cum declinat ablatus sum*, idest, ablatus sum a comitatu discipulorum ad tribunal Caiphae, Pilati, et Herodis eo silentio, quo declinans umbra deficere solet. *Et excussus sum*, idest, jactatus ab uno tribunali ad aliud, *sicut locustae*, vilissima scilicet animalia, a vento jactari solent ab uno loco ad alium. S. Augustinus priorem partem versiculi refert ad Christum in persona propria, posteriorem ad Christum in persona discipulorum. Ille enim ablatus est sicut umbra, illi excussi velut locustae.

23. *Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum.*

Hic videtur describi debilitas Christi ex jejunio, adjuncta vigilia, et labore illius noctis, et sequentis diei, quo passio peracta est. Quamvis etiam toto vitae tempore Dominum frequentissime jejunasse credendum sit. *Genua mea*, inquit, *infirmata*, idest, debilitata sunt *a jejunio, et caro mea immutata*, idest, macie, et pallore confecta apparuit *propter oleum*, idest, propter pinguedinem suam amissam. In hebraeo clarius habetur, *Caro mea immutata est*, משמן *misciamen*, idest, *a pinguedine*, idest, ex pingui macilenta reddita est. Varie hic locus ab aliis explicatur; sed haec nobis explicatio litteralis maxime visa est.

24. *Et ego factus sum opprobrium illis; viderunt me, et moverunt capita sua.*

Hic concludit passionem: nam post illam summam debilitatem factus est Dominus opprobrium Judaeis cum eum in medio latronum crucifixum viderunt, et viso eo moverunt capita sua stantes ante crucem, et dicentes, *vah qui destruis templum Dei*, etc. Matth. 27.

25. *Adjuva me Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam.*

Precatur Dominus de corpore exiens auxilium patris ad celerem resurrectionem, ut diximus in explicatione psalm. 21. et 68. et simul precatur corpori suo mystico, idest, ecclesiae, veram salutem corporis et animae.

26. *Et scient quia manus tua haec, et tu Domine fecisti eam.*

Ne putarent homines, Christum ad passionem, et mortem ignominiae plenam invitum pervenisse, et ne jactarent Judaei, se potentia sua in Christum praevaluisse; admonet Propheta in persona Christi, hoc totum a Deo factum esse juxta illud s. Petri Act. 3. *Deus qui pronunciavit per os omnium prophetarum implevit sic.* Ait igitur, *et sciant* homines omnes, ac praesertim Judaei, *quia manus tua haec*, idest, quia, haec res, haec passio, haec mors mea, a manu tua, hoc est, voluntate, et potestate tua processit: *Et tu Domine fecisti eam.* Neque enim potuissent Judaei, aut gentes Christo praevalere, eumque affligere et occidere, nisi Deus voluisset. Neque tamen excusantur a gravissima culpa, qui Christum occiderunt, quasi voluntatem Dei adimpleverint; ipsi enim non voluntatem Dei, sed odium cordis sui implere voluerunt: Deus autem mala eorum voluntate, quam ipse non fecerat, usus est ad mundum redimendum per obedientiam et charitatem, patientiam, et humilitatem unici sui. S. Augustinus per manum Dei, hoc loco intelligit Christum, quem Deus fecisse dicitur, quia humanitatem ejus fecit. Alii per manum Dei intelligunt potentiam Dei, sed per particulas illas, haec et eam intelligunt salutem. Sed nos Theodoretum secuti sumus, cujus expositio maxime litteralis nobis visa est.

27. *Maledicent illi, et tu benedices: qui insurgunt in me confundantur; servus autem tuus laetabitur.*

Persecutores ignorantes haec, quae dicta sunt, *maledicent mihi*, et ecclesiae meae: ut revera usque ad hanc diem Judaei blasphemare, et maledicere pergunt: *sed tu benedices*, non solum mihi, me glorificando, et exaltando ad dexteram tuam, sed etiam propter me benedices omnes gentes, eas per fidem, et baptismum in filios adoptando. Ex quo fiet ut illi, qui me persequuntur, et mihi maledicunt, tandem *confundantur*, *servus autem tuus*, ego et fratres mei laetitia sempiterna fruamur.

28. *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.*

Confirmat quod dixit, et per modum imprecationis praedicit, omnes Christi et ecclesiae adversarios tandem cooperiendos confusione, et pudore instar vestimenti duplicis undique hominem operientis. Quod quidem in die judicii omnino implebitur. Vox hebraica, מעיל *mehil*, significat vestem amplam, et honorificam, qualis erat tunica sacerdotalis, quae describitur Exod. 28. Sed septuaginta Interpretes verterunt διπλοιδα: vel quia vestis erat tam ampla, et longa, ut duplicari posset; vel quia revera ea vox significat vestem suffultam alia veste, ac per hoc duplicem, ut sunt apud nos vestes permultae. Sensus autem est, confusionem damnatorum in novissimo die fore maximam, ita ut pleni sint futuri erubescentia et pudore. Et certe, quae major confusio cogitari potest, quam ingratitudinem, insipientiam, aliaque vitia damnatorum in theatro mundi totius, coram angelis et hominibus, qui ab initio saeculi fuerunt, apertissime detegi?

29. *Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum.*

Hoc opponitur confusioni impiorum. Illi enim prae confusione obmutescent: Christus autem, et electi ejus *confitebuntur laudes Deo nimis in ore suo*, idest, magno clamore, magnoque jubilationis affectu, idque in medio multorum, in theatro orbis terrarum, in die judicii, et postea in theatro coelestis Jerusalem in aeternum.

30. *Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.*

Haec est ratio tantae confessionis, et laudis, quoniam Deus auxilio suo, *astitit a dextris pauperis Christi*, et populi ejus, *ut salvaret a persequentibus Judaeis* vitam temporalem Christi, quod factum est per celerem resurrectionem, et a persequentibus tum hominibus, tum daemonibus vitam aeternam electorum ejus. In hebraeo est, משפטי *misciophete*, idest, *a judicibus*, pro eo quod nos habemus, *a persequentibus*; et quidem quod attinet ad Christum, praecipui persecutores Christi fuerunt Caiphas, et Pilatus, qui Christum morti adjudicaverunt. Sed sapientia Dei astitit Christo, tamquam optimus patronus, et sententiam iniquam revocare fecit a divina potentia, quae Christum ad vitam revocavit. Quod vero attinet ad ecclesiam, judices qui persequebantur ecclesiam, erunt tum Imperatores, et reges ac magistratus paganorum, qui multa millia sanctorum martyrum morti adjudicaverunt, tum praecipue daemones, qui sententiam Dei in genus humanum latam proferebant, et ex illa genus humanum morti aeternae adjudicabant, sed astitit advocatus potentissimus Christus, *qui tulit de medio chirographum, quod erat contrarium nobis, illudque delevit, et affixit cruci*, et pauperum animas salvas fecit, ut scribit apostol. ad Coloss. 2. Hic illud annotandum est, Deum *assistere a dextris pauperum*, idest, eorum qui agnoscunt paupertatem suam, debilitatem, videlicet virium suarum, et ideo assidue pulsant ad ostium Dei, qui dives est in misericordia. Item *a dextris pauperum*, idest, eorum, qui exuerunt affectum rerum omnium creatarum, et spiritu pauperes effecti in solo Deo divitias suas posuerunt.

PSALMUS CIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David.

Hic psalmus celeberrimus est, tum magnitudine mysteriorum, tum obscuritate sententiarum. Sed quamvis excaecati Judaei multa fabulentur, tamen apud Christianos nulla dubitatio est, quin hic psalmus de Christi regno, et sacerdotio intelligatur, ita explicante Spiritu sancto in multis locis sanctarum scripturarum, *Matth.* 22. *Act.* 2. 1. *Corinth.* 15. *ad hebr.* 1. 5. 7. *et* 10.

EXPLICATIO PSALMI CIX.

1. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.*

Vidit in spiritu David, messiam post mortem, et resurrectionem ascendentem in coelum, et refert ad nos verba Dei Patris ad Filium, quibus eum invitat ad consedendum, et conregnandum. *Dixit*, in hebraeo est, נאם *nehum*, quod proprie significat, *dictum*, et conjunctum cum nomine sequenti, verti potuisset, *Dictum Dominum ad Dominum meum.* Sed sensus est idem, et gratia claritatis verterunt Septuaginta, *Dixit Dominus:* quamvis autem, *dixit*, sit temporis praeteriti, et tempore Davidis id tempus nondum advenisset, tamen recte utitur David verbo temporis praeteriti, quia vidit rem futuram, tamquam praeteritam. Dominus in hebraeo est nomen quatuor literarum, quod proprie soli Deo vero convenit; quod quamvis a modernis pronuncietur, יהוה *Jehova*, tamen ab antiquis non solebat pronunciari; sed loco ejus pronunciabatur aliud nomen, quod Dominum significat. Ita septuaginta Interpretes ubicumque hoc nomen proprium Dei invenerunt, verterunt κυριος, i. dest, *Dominus*, de qua re scripsimus in exercitatione grammatica ad primum vers. ps. 33. *Domino meo:* in hebraeo est, לאדני *Laadoni*, quod proprie, *Domino meo*, significat; quamvis autem Rabbini per Dominum hoc loco intelligant Abraham, ut s. Hier. refert in comment. ad cap. 22. Matth. vel Ezechiam, ut refert Justinus in Dialogo contra Triphonem, et Tertull. lib. 5. in Marcionem: tamen certum est, non alium hoc loco Dominum vocari, nisi Messiam, qui fuit filius David secundum carnem, et Dominus David secundum divinitatem: totus enim psalmus id clamat, cum neque Abraham, neque Ezechias sederint ad dexteram Dei, neque geniti sint ante luciferum, neque sacerdotes fuerint secundum ordinem Melchisedech. Quare Judaei interrogati a Christo Matth. 22. quomodo David in spiritu vocet Messiam Dominum suum; non sunt ausi negare psalmum intelligendum esse de Messia. Cur autem non repetatur hoc loco nomen proprium Dei, non est ratio, quia filius non sit verus Deus, ut est pater, ut Ariani docebant, sed quia hic non agitur de Filio Dei simpliciter, sed de filio Dei incarnato. Filius autem Dei incarnatus in scripturis passim Dominus appellatur, et pater Deus, cum simul nominantur, cujus rei ratio est, quia nomen Domini convenit filio secundum utramque naturam; nomen autem Dei non convenit ei, nisi ratione naturae divinae. Itaque si hoc loco idem nomen tributum fuisset patri, et filio, suspicari possemus, haec dici filio, tantum, ut Deus est: quod autem filius Dei incarnatus, qui etiam Christus dicitur, in scripturis passim appelletur Dominus, et pater Deus dicetur, perspicuum est ex illo 1. Cor. 8. *Unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus Christus.* et 2. Cor. 1. *Gratia vobis, et pax a Deo Patre, et Domino Jesu Christo*, et ad Ephes. 6. *Pax fratribus, et charitas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo*, et in ipsi evangeliis, atque actis apostolorum, et epistolis eorumdem apostolorum, cum ubique Christus dicatur Dominus, vix in uno, aut altero loco dicitur Deus quia videlicet, ut diximus, nomen Dei convenit Christo solum ratione divinae naturae, nomen Domini convenit secundum utramque naturam; unde etiam in symbolo dicimus, *credo in Deum. Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Sede a dextris meis.* Sessio quietem, et auctoritatem praecipue regiam denotat; haec autem Christi sessio, est ineffabilis quies et summa regia potestas. Illud autem *a dextris meis*, significat aequalitatem, et consortium regni Dei patris super omnes creaturas. Quam aequalitatem semper habuit filius Dei ratione divinae naturae, sed ad eam elevatus est ratione naturae humanae, post humiliationem usque ad mortem, mortem autem crucis. Sic enim loquitur Apost. Phil. 2. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi*

nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris. Idem enim est esse in dextera Dei, et in gloria Dei, hoc est in majestate Dei: haec autem gloria est, quod habeat nomen super omne nomen, et illi omne genu flectatur; sic etiam 1. Cor. 15. ait idem Apostolus, *oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*, ubi explicat Apostolus illud, *sede a dextris meis*, ut idem sit quod regna mecum, donec ponam, etc. Idem quoque Apostolus ad Hebr. 1. *Cui dixit angelorum, sede a dextris meis, nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi*, etc. Ubi per sedere a dextris Dei significatur differentia inter Christum et angelos, quod isti sunt ministri, et servi, et ideo non sedeant, sed mittantur in ministerium: Christus autem ut rex, et Dominus sedeat cum patre, creaturis omnibus superior. Denique s. Pet. Act. 2. *Dextera*, inquit, *Dei exaltatus effudit hoc donum, quod vos videtis, et auditis; non enim David ascendit in coelum: dicit autem ipse, dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Ubi s. Petrus docet, sedere a dextris Dei, esse ascendisse in coelum, dominari, et regnare ubique, ut dominatur, et regnat Deus.

2. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Hic versiculus continuatur cum primo apud hebraeos, juxta Rabbinorum distinctiones, sed septuaginta Interpretes, qui Rabbinos omnes praecesserunt, novum versiculum esse debere judicarunt. Significat autem his verbis propheta regnum Christi numquam finiendum, neque periculum esse, ut ab inimicis evertatur, cum Deus statuerit, paulatim omnes omnino inimicos illi subjicere, ut pacifice postea duret in aeternum. Itaque illud, *donec*, non significat, Christum non amplius sessurum, ubi fuerint omnes hostes debellati; sed significat, Christi regnum semper propagandum magis, donec nullus omnino supersit inimicus, qui illi genua non flectat, quasi dicat, perge regnare mecum, nec desistas propagare regnum, donec omnes hostes debellentur. Porro ista propagatio quotidie impletur, dum alii convertuntur ad fidem, et obedientiam, et sponte subjiciuntur pedibus Christi, ut in eis tamquam in scabello quiescat, et tandem finito exilio pergunt ad patriam, ubi foeliciter sub Deo requiescunt: alii vel pervertuntur, vel in perversitate perdurant, et tandem per mortem ad judicium rapiuntur, et damnati ad inferos detruduntur, ubi Christi pedibus perpetuo comprimuntur. In novissimo die propagatio complebitur, et tum Christo flectetur omne genu, coelestium, terrestrium, et infernorum. At cur dicit pater, *donec ponam*? nonne etiam filius ponit inimicos suos scabellum pedum suorum? Omnino quod pater operatur, etiam filius operatur: sed tribuitur haec actio patri, quia per eam redditur merces obedientiae filii, ut paulo ante apostolum dicentem audivimus, *propter quod et Deus exaltavit illum.* Praeterea omnis actio, quae ad potentiam pertinet, patri solet tribui, quamvis etiam filio sit communis, quoniam a patre filio communicatur, non patri a filio, et filio quidem, ut Deus est, communicatur per generationem; eidem filio, ut homo est, communicatur per gratiam, hypostaticae unionis. Quod autem filius patri cooperetur in hac actione subjiciendi communes hostes, dicitur in sequenti versiculo.

3. *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.*

Prophela David cum in spiritu audivisset Patrem loquentem ad filium, ac dicentem, *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*, convertit se ad filium, et eodem spiritu revelante demonstrat, unde incipienda esset propagatio Regni Christi in terris. *Virgam*, inquit, *virtutis tuae emittet Dominus ex Sion*, idest, Dominus Pater, ut ponat inimicos tuos scabellum pedum tuorum, sceptrum regalis potentiae tuae ex civitate Jerusalem, et ex ipso monte Sion extendere incipiet, et propagabit usque ad ultimum terrae. Concordat cum hac Prophetia verbum Domini, Luc. 24. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jerosolyma*, et Act. 1. *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Virga hoc loco sceptrum significat, et per sceptrum intelligitur regalis potestas: per virtutem autem significatur robur, et fortitudo ut clarius habetur in textu originali. Itaque virga virtutis est sceptrum potentiae: dicitur autem haec virga emittenda ex Sion, quasi ex monte illo germinaverit, quoniam in Jerusalem coepit regnum Christi spirituale; ibi enim fuerunt primi credentes, et ibi coepit propagatio fidei per Apostolos. *Dominari in medio inimicorum tuorum*, est quasi fausta acclamatio, et exhortatio ad propagandum imperium per omnes gentes, quasi dicat, tu igitur perge foeliciter, infer vexillum crucis tuae in medium paganorum, et Judaeorum, ubi sunt confertissimi hostes tui, ibique in medio eorum dominare, idest, illis invitis, et repugnantibus regnum tuum constitue. Quod certe brevi factum videmus: nam intra paucos annos, frustra Judaeis, et Paganis reluctantibus, ecclesiae Christi in toto orbe terrarum constitutae fuerunt. Scribit enim apostolus ad Coloss. 1. *evangelium in universo mundo est, et crescit, et fructificat*, et S. Irenaeus vicinus apostolicis temporibus lib. 1. cap. 2. Ecclesia, inquit, per universum orbem usque ad fines terrae seminata est, et cap. 4. meminit ecclesiarum Germaniae, Iberorum, Lybiae, Aegypti, Galliarum, Orientis, et earum, quae in medio mundi erant, per quas intelligit ecclesias Graeciae, et Italiae. Recte autem dicit psalmus, *in medio*

inimicorum tuorum, quia quantumlibet ecclesia propagetur et crescat, semper erit in medio inimicorum, idest, Judaeorum, Paganorum, Haereticorum, et falsorum Christianorum, dum in terris peregrinatur. Sed in consummatione saeculi fiet separatio bonorum a malis, et non erit amplius regnum Christi in medio inimicorum suorum, sed eminebit, et exaltabitur super omnes inimicos suos.

4. *Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.*

Dixerat, *dominare in medio inimicorum tuorum*, quod intelligitur in hoc tempore, dum regnum Christi ab inimicis oppugnatur: declarat nunc quid erit in novissimo die, quando omnes inimici subjecti erunt, ut scabellum pedibus ejus. *Tecum*, inquit, *principium in die virtutis tuae*, idest, tecum erit principatus manifestus, tunc apparebit omnibus tuum esse regnum, et apud te solum esse verum principatum. *In die virtutis tuae*, in die videlicet novissimo, quando potentia tua coelum movebit, solem obscurabit, terram concutiet, mortuos excitabit, et omnes ad tribunal tuum adducet. *In splendoribus sanctorum*, id est, quando circumdatus eris sanctis tuis, qui omnes fulgebunt sicut Sol. *Ex utero ante luciferum genui te*, idest, ideo tecum erit tantus principatus, quia ego Deus pater omnipotens *genui te*, non ex nihilo, ut res creata, sed *ex utero* meo, ut Filium verum, naturalem, et substantialem; idque *ante luciferum*, idest, antequam stellas crearem, ante omnem creaturam, ante omnia saecula. Haec est communis expositio patrum, Hieronymi, Chrisostomi, August. Teodoreti, et Euthymii. Sed consideremus singula verba. *Tecum*, ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *populus tuus*. Sed verbum hebraicum potest legi, עַמְּךָ *hammecha*, et significat, *populus tuus*, potest etiam legi, עִמְּךָ *himmecha*, et significat tecum, et sic legerunt septuaginta Interpretes, et recte verterunt, principium: in hebraeo est, נְדָבוֹת *nedaboth*, quod proprie significat *principes*, sed septuaginta videntur legisse, נְדָבָה *nedaba*, principatus, et sic exponit Chrysostomus hoc loco vocem graecam ἀρχή, quae et *principium* et *principatum* significare potest. Quod si placeat, non accipere principium pro principatu, sed simpliciter pro principio; exponere poterimus, *tecum principium*, idest, tecum est principium primum omnium rerum, quia tu es in patre, et pater in te. Sed prior expositio videtur praeferenda ut magis consentanea textui hebraico. *In die virtutis tuae*, in his verbis nulla est discrepantia inter codices, nisi quod in hebraico per virtutem significatur proprie fortitudo, et potentia. *In splendoribus sanctorum*, in hebraico legitur, *in montibus sanctitatis*. Sed videntur septuaginta Interpretes non legisse, הָרֵי *harere*, per, ה, quod significat montes, sed אוֹרֵי *hore*, per, א, quod significat splendores. Idem autem est, *in splendoribus sanctitatis*, et, *in splendoribus sanctorum*: dici siquidem possunt sancti homines *splendores sanctitatis*, quia sanctitas in eis resplendet. *Ex utero*: ex hoc verbo probant sancti patres efficacissime Christi divinitatem, nam si Christus creatura esset, non posset dici genitus ex utero: nemo enim dicit se genuisse ex utero domum, vel scamnum, vel aliud quidpiam ex arte factum: neque Deus unquam dixit, se genuisse ex utero coelum, aut terram. Porro per uterum intelligitur essentia Dei secreta, et intima; et quamvis uterus proprie ad matrem non ad patrem pertineat; recte tamen Deus pater dicitur ex utero genuisse, tum ut clarius ostendatur filius consubstantialis genitori; clarius enim filius est ex substantia matris, quam ex substantia patris; tum quia Deus non opus habuit uxore ad filium gignendum, et pariendum. Ipse enim genuit, ipse peperit, unde dicit Isaiae ult. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Ante luciferum*: hinc significatur aeternitas filii, qui genitus fuit ante Luciferi creationem, ac per hoc ante omnes creaturas. Sed posuit nomen Luciferi, quoniam ipse etiam filius Dei est quidam lucifer increatus. Est enim lux vera, quae illuminat omnem hominem, et omnem angelum. In hebraeo habetur, מִשְׁחַר *mischar*, quod s. Hieronymus vertit, *ex aurora*. Sed potest etiam verti, *prae aurora*, idest, ante auroram. Septuaginta Interpretes posuerunt luciferum pro aurora, sive quia cum aurora solet oriri lucifer, sive quia ipsa aurora etiam est lucifer; quare s. Hieronym. Job 11. vers. 12. vertit, *orieris ut lucifer*, cum tamen in hebraeo sit, *mane*. Itaque luciferum accepit pro mane, sive pro aurora. *Genui te*, in hebraeo nunc legitur, *Tibi ros nativitatis tuae*. Sed septuaginta non habuerunt illa duo vocabula, *Tibi ros*, et pro nativitatis tuae, legerunt, genui te; quia verba hebraica mutatis punctis utroque modo legi possunt: יַלְדָתֵךְ *jaldathecha*, est, nativitatis tuae; יְלַדְתִּיךָ *jeladthicha*, est *genui te*. Potest etiam fieri, ut septuaginta Interpretes legerunt, *tibi ros nativitatis tuae*; sed verba obscura declarare voluerint per suam versionem; et ideo dixerint, *genui te*. Id enim obscure significant illa verba, *ex utero ante luciferum tibi ros nativitatis tuae*, idest, ex utero ante luciferum fuit tibi nativitas ex me, ut est rori ex coelo. S. Augustinus addit aliam expositionem minus principalem, quod videlicet David Christo filio suo secundum carnem dicat, Ego genui te ex utero virginis Mariae, filiae meae, antequam lucifer oriretur, idest, media nocte. Tertullianus quoque lib. 5. in Marcionem exponit de partu Virginis, sed tribuit Deo illud, *genui te*, hoc modo, Ego Deus Pater genui te ex utero Virginis nocturno tempore antequam lucifer oriretur.

5. *Juravit Dominus, et non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*

Transit nunc a dignitate regia ad sacerdotalem, atque ostendit, Christum esse sacerdotem aeternum, non succedentem Aaroni, sed immediate a Deo institutum, cujus figura fuerat sacerdotium Melchisedech. *Juravit Dominus et non poenitebit eum*. Juramentum Dei promissionis stabilimentum

est, id quod declaravit addens, *et non poenitebit eum*, idest, firmissime statuit, numquam mutaturus: significat enim David his verbis sacerdotium Aaronicum fuisse mutandum, sed sacerdotium Christi numquam esse mutandum. Poenitentia enim dicitur per metaphoram, cum Deus facit id quod faciunt homines, cum eos poenitet facti: mutant enim, quod eos fecisse poenitet; sic Genes. 6. dicit Deus, *Delebo hominem, quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad animantia; poenitet enim me fecisse eos*; et 1. regum 15. *Poenitet me* (ait Deus) *quod constituerim regem Saul. Tu es sacerdos in aeternum*: dicuntur haec a Deo, non a Davide; Apostolus enim ad hebr. 5. non semel repetit, haec esse verba patris ad filium. Dicitur autem Christus sacerdos in aeternum, tum quia effectus unici sacrificii, quo corpus suum obtulit in cruce, manet in aeternum, juxta illud Apostoli ad hebr. 10. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*: tum quia vivens ipse in aeternum, sacrificium quotidie offert per manus ministrorum sibi invicem in ecclesia succedentium, quod idem apostolus ad hebr. 7. confirmat, dicens, *et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Secundum ordinem Melchisedech*: per ordinem intelligitur ritus, lex, traditio, consuetudo; haec enim significat vox hebraica, דִּבְרַת *dibrathi*; opponitur autem ordo Melchisedech ordini Aaron secundum apostolum ad hebr. 7. Distinguitur vero ordo Melchisedech ab ordine Aaron in multis. Primo, Melchisedech non legitur successisse alteri, neque ei successisse alter legitur: nam ideo dicitur *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens*, ut dicitur ad hebr. 7. in sacerdotio autem Aaronis unus alteri succedebat, quia singuli moriendo, sacerdotium filiis relinquebant: secundo, Melchisedech erat sacerdos, et rex; Aaron simplex sacerdos: tertio Melchisedech obtulit panem, et vinum; Aaron oves et boves: quarto, Melchisedech erat sacerdos universalis, non unius gentis tantum; Aaron erat sacerdos dumtaxat hebraeorum: quinto Melchisedech non egebat tabernaculo, vel templo ad sacrificandum; Aaron egebat, et ideo nunc apud hebraeos cessavit sacrificium, quia eversum est templum. Christus igitur sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, quia re vera nulli successit, neque alius ei successit in amplissima dignitate sempiterni sacerdotii: et ipse vere, ac proprie non habet patrem ut homo, neque matrem ut Deus: idem Christus rex est, et sacerdos et obtulit panem, et vinum in coena, idest, corpus suum sub specie panis, et sanguinem suum in specie vini, et non est sacerdos hebraeorum tantum, sed hebraeorum, et gentium, neque illigatur sacerdotium ejus uni templo, vel tabernaculo; sed ut praedixit Malachias cap. 1. *a solis ortu usque ad occasum in omni loco sacrificatur, et offertur oblatio mundo*. Ex his locis satis aperte convincitur haeresis Lutheranorum, qui negant sacrificium verum proprieque dictum extare in ecclesia Dei, vel ostendant Lutherani, si possunt, quo modo praedictio sit adimpleta de sacerdotio secundum ordinem Melchisedech instituendo, et numquam mutando.

6. *Dominus a dextris tuis, confregit in die irae suae Reges.*

Sanctus Joannes Chrysostomus, quem graeci sequuntur, per Dominum, hoc loco intelligit patrem, s. Augustinus intelligit filium, s. Hieronymus dicit quidem Dominum hoc loco nominatum esse patrem, tamen statim addit, illum, qui *confregit reges, judicabit in nationibus, implebit ruinas, et bibet de torrente*, esse filium. Videtur autem nobis sententia s. Augustini esse aptior, et facilior, non enim debet rationem reddere, quo modo Pater sit a dextris filii, cum paulo ante dictum sit; filium sedere a dextris patris, neque quomodo pater de torrente biberit, et caput exaltaverit. Denique melius continuatur contextus verborum prophetae, si expositionem s. Augustini sequamur. Igitur propheta posteaquam dixerat, filium a patre sacerdotem aeternum appellatum fuisse, convertit sermonem ad patrem, ac dicit Christum vere fore sacerdotem aeternum, quoniam etiamsi multi reges terrae conspirabunt, ut sacerdotium, totamque ejus religionem evertant; ipse tamen sedens a dextris patris confringet reges adversarios, et illis omnibus invitis sacerdotium, et sacra sua perpetuabit. *Dominus a dextris tuis*, id est, Christus a dextris tuis sedens, sicut illi dixisti, *sede a dextris meis, confregit in die irae suae reges*, idest, in die qua irascetur inimicis suis, regibus terrae, ecclesiam suam persequentibus, confringet eos, et jam in praenotione mea confregit; jam enim praevideo per spiritum prophetae Herodem ab Angelo percussum, Neronem destitutum sibi manus injecisse, Domitianum, Maximianum, Decium, et caeteros interfectos; Valerianum captivum in manus barbarorum devenisse; Diocletianum, et Maximianum prae desperatione imperium deposuisse; Julianum, Valentem, Hunericum, et omnes denique inimicos reges misere periisse, atque in gehennam detrusos meritas poenas dare.

7. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.*

Dixit, quid faciet Christus in praesente tempore adversus hostes suos, reges et principes terrae: nunc addit, quid faciet in die novissimo adversus omnes inimicos suos. *Judicabit*, inquit, *in nationibus*, idest, iis, qui hoc tempore confregit impetum regum, conservavit ecclesiam suam tempore persecutionum; postea in fine saeculi *judicabit omnes nationes*, sive judicium exercebit in nationibus; et condemnatis omnibus impiis, *implebit ruinas*, idest, consummabit ultimum exterminium complementum ruinae impiorum perficiet. Ex hebraeo s. Hieronymus legit, *implebit foveas*, quod etiam est verum, quia tunc implebuntur foveae inferorum, omnibus malis hominibus, et daemonibus eo detrusis: et hoc modo *conquassabit capita in terra multorum*, idest, humiliabit, et conteret omnes

superbos,qui nunc erecto capite adversus eum incedunt: tunc enim conculcabit superbiam eorum, cum coram toto mundo ostendet infirmitatem eorum, et contemptibiles, atque confusos efficiet, et hoc erit conquassare, et conterere capita eorum. Dicit autem, *in terra multorum*,quia in terra paucissimi inveniuntur veri humiles, et pii, respectu superborum, et impiorum, qui prope infiniti sunt. In hebraeo habetur, *in terra multa*, idest, in magna parte terrae; sed idem est sensus,sive quis dicat, superbos multos inveniri in terra;sive, superbos occupare multum terrae. S. Augustinus, exponit haec omnia de praesenti tempore, et in bonam partem, ut implere ruinas, sit instaurare quod cecidit; et conquassare capita, sit humiliare ad salutem per contritionem, quae pia est,et utilis expositio, sed mystica: nam ad litteram exponunt de ultimo judicio Theodoretus, Euthymius et alii communiter.

8. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Hunc ultimum versiculum exponunt magno consensu omnes veteres de Christi humilitate in carne mortali, et exaltatione in gloria coelesti, tum illi, qui verba superiora exponunt de ipso Christo,tum qui exponunt de patre. Quare mirum est aliquos recentiores aliter sensisse. Reddit igitur David rationem cur tanta sit Christi potentia, ut reges confringere, rationes judicare, implere ruinas,et conquassare capita possit, et dicit, *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, ac si diceret cum apostolo, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Torrentem appellat cursum rerum humanarum:quo modo enim torrens magno impetu, et sonitu fluit, et turbidus, ac turbatus incedit, et paulo post cessat, et ne vestigium quidem sui relinquit:sic sunt res humanae tempore hujus mortalitatis: transeunt enim omnia, et ut plurimum turbida,et turbata: audiuntur saepe maxima praelia, et turbationes gentium, et populorum, ut tempore Alexandri magni, et postea Caesaris, et aliorum similium. Sed paulo post finem accipiunt tum ipsi,tum posteri eorum,et vix inveniuntur vestigia potentiae ipsorum. Ad hunc torrentem descendit filius Dei per incarnationem suam, *et in via*, idest, in spatio vitae suae mortalis, et transeuntis, *bibit aquam* turbidam hujus *torrentis*, pertulit aerumnas nostrae mortalitatis; imo etiam in profundum torrentis descendit per passionem, ita ut non biberit aquam ad refrigerium, et delectationem, sed biberit molestissimam aquam, ut illi faciunt, qui demerguntur in aquis, juxta illud ps.68.*Intraverunt aquae usque ad animam meam.Infixus sum in limo profundi,et non est substantia: veni in altitudinem maris , et tempestas demersit me.* Merito igitur hujus tantae humiliationis sponte susceptae pro gloria patris,et salute generis humani, *exaltavit postea caput* suum ascendens in coelum, et sedens addexteram patris, constitutus Judex vivorum, et mortuorum. Aliqui legunt in praeterito, *bibit*: sed textus hebraicus, et graecus habent in futuro, *bibet:* proinde nostra communis lectio cum textibus originalibus concordat.

PSALMUS CX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hic psalmus , ut etiam multi sequentes, nihil habet in titulo, nisi Alleluja, quod significat, laudate Dominum: ex quo intelligimus, argumentum psalmi esse laudationem Dei. Notat s.Hieron.hunc esse primum psalmum perfecte alphabeticum:nam psalmus 24. 32. 33. et 35. alphabetici sunt, sed non perfecte,quia in eis aliqua litera deest,et ejus loco altera ponitur. Psalmus etiam trigesimus octavus alphabeticus est,sed non ita perfecte,ut hic qui nunc est in manibus: nam in illo sub una litera modo ponitur unus versiculus, modo duo,modo tres: in hoc autem psalmo tot sunt parvi versiculi, quot sunt literae alphabeti. Itaque psalmus continet viginti duos versiculos, quales sunt apud latinos versiculi jambici, et apud Italos versiculi septem syllabarum. Sed septuaginta Interpretes magis ad versiculi sententias , et ad similitudinem aliorum psalmorum , quam ad literas respicientes, partiti sunt psalmum in decem versus.

EXPLICATIO PSALMI CX.

Aleph. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.*
Beth. *In consilio justorum et congregatione.*

David sanctus incipit hymnum ab invocatione,et simul explicat modum quo utiliter laudari debet Deus. *Confitebor tibi Domine*, idest, laudabo, sive confessionem laudis offeram tibi. *In toto corde meo*; haec est conditio bonae laudationis, ut non fiat solum voce, sed etiam corde: et non solum corde, sed toto corde, id est, toto affectu, nihil magis vel aeque diligendo,et laudando. Est etiam, *toto corde*, summa attentione, nihil aliud cogitando: indignum est enim versantem in laude omnipotentis Dei, quem Cherubim, et Seraphim cum tremore adorant, mentem ad inferiora deflectere. *In consilio justorum, et congregatione*, idest,laudabo te toto corde, tum inter paucos justos, tum in coetu multorum, et eorum promiscua multitudine:nam per consilium justorum videtur intelligendus locus secretus, ubi soli conveniunt sapientes ad consilium. Vox enim hebraica, סוד *sod*, *secretum* significat, sive *consilium*, quod secretum requirat. Vox autem, עדה *heda* , synagoga significat sive congregationem,ad quam totus populus venire solebat.

Ghimel. *Magna opera Domini.*
Daleth. *Exquisita in omnes voluntates ejus.*

Laudat primum ab operibus in commune, quod videlicet Deus laude dignus sit, quod omnia opera ejus magna sint, et quod sint ita perfecta, ut ad omnem usum Deo serviant. Magna laus, quod artifex non faciat alia opera magna, alia parva, alia pretiosa, alia vilia, sed quod omnia omnino, quae ab ejus ingenio, vel manu prodeunt, magna sint. Talia esse opera Dei certe cognoscet , qui cogitabit in omnibus,etiam si nobis prae multitudine viluerint, infinitam Dei potentiam,et sapientiam elucere, et nullum a nobis perfecte comprehendi.Vere enim scripsit Ecclesiastes, cap. 1. *Cunctae res difficiles,non valet homo eas explicare sermone*, et cap.8. *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem.*Neque solum magna sunt opera,sed *exquisita in omnes voluntates ejus*,idest,quaesita,et parata in omnem usum Deo placitum, ut Deus de illis faciat quicquid voluerit, juxta illud psal. 118. *Quoniam omnia serviunt tibi*: nam, ut s. Augustinus recte disputat, nihil est quod magis Dei vuluntati repugnare videatur quam liberum arbitrium;quo fiunt peccata,quae Deus prohibet; et tamen de ipso libero arbitrio Deus faciat quod vult: vel enim reformat illud per gratiam, vel punit per justitiam; et nisi ipse permitteret, liberum arbitrium non peccaret. Praeclarissima laus, et soli Deo propria, facere opera quae in omnem usum quaeri, aptari et accomodari possint,de quibus Deus quicquid velit possit efficere.Vide commentarium sancti Joannis Chysostomi,qui haec omnia mira eloquentia tractat,descendens ad singula opera Dei. In hebraeo habetur in numero multitudinis, *exquisita in omnes voluntates eorum*: sed forlasse septuaginta aliter legerunt,vel certe ad insinuandam Trinitatatem divinarum personarum in una essentia divinitatis, positum est pronomen in numero multitudinis,cum nomine Domini, numeri singularis.

He. *Confessio, et magnificentia opus ejus.*
Vau. *Et justitia ejus manet in saeculum saeculi.*

Transit nunc Propheta ab opera creationis ad opus gubernationis, et ostendit hoc etiam opus omni laude esse dignissimum. *Confessio*, inquit, *et magnificentia opus ejus*, idest, operatio ejus, qua regit, et gubernat mundum a se creatum, est confessio, idest, materia confessionis laudis, et gratiarum actionis, et etiam materia magnificentiae suae omnibus declarandae. Simili modo loquitur Sapiens: cum ait, *gloria filiorum patres eorum*, Proverb. 17. *Et dedecus filii Pater sine honore*, Ecclesiastici 3. Hic enim accipitur *gloria*, vel decus pro materia gloriae, vel dedecoris. *Et justitia ejus manet in saeculum seculi*, idest, non solum Deus magnifice gubernando operatur, quia prospicit omnibus abundanter, sed etiam justissime, numquam magnificentia ejus justitia disjuncta inveniatur:semper enim Deus servat promissa, et nulli facit injuriam. Id quod videtur praecipue additum propter vulgarem illam querimoniam, cur Deus sinit impios exaltari, et pios aerumnis, et calamitatibus premi: Judicia enim Dei occulta esse possint, injusta esse non possunt. Quamtumvis igitur nobis aliter videatur; semper tamen opera Dei justa sunt, et omni laude digna.

Zain. *Memoriam fecit mirabilium suorum.*
Chet. *Misericors, et miserator Dominus.*

Descendit ad particulare quoddam opus providentiae divinae, quando videlicet pluit manna de coelo, quod fuit opus magnae misericordiae, non solum praesentibus, quos aluit in deserto, sed etiam posteris,quibus reliquit urnam manna plenam in memoriam miraculorum, quae patraverat in deserto. Sic enim habetur Exod. 16. et ad hebr. 9. Manna vero illud figura fuit sacramenti Eucharistiae, quod datum est populo Christiano in cibum spiritualem,et in memoriam mirabilium quae operatus est Christus in terris, quorum praestantissimum est gloriosa passio, quae mortem nostram moriendo destruxit, et de principe hujus mundi triumphavit.Ait igitur,*Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus.* Misericors,et miserator distingui videntur apud latinos, quod misericors ad habitum, miserator ad actum pertineat: sed hebraico textu differunt in eo,quod, חנון *channun* , significat simpliciter misericordem; רחום *rachun*, addit effectum paternum, ac tenerum, qualis est patris in filium. Itaque misericors, et miserator,hoc loco significant misericors, et paterne misericors.

Theth. *Escam dedit timentibus se.*
Jod. *Memor erit in saeculum testamenti sui.*

Haec esca est manna, *quod Deus pluit de coelo, et dedit timentibus se*, idest, cultoribus suis Hebraeis: quamvis enim plurimi in eo populo peccatores essent, tamen Deum verum colebant: nam timere Deum in scripturis colere significat. Et sicut Deus volebat ut populus memor esset mirabilium suorum, quae fecit quando eduxit populum de Aegypto, et per desertum in terram promissionis induxit: ita vicissim promittebat, se memorem futurum pacti sui, quod cum illis inierat: ideo addit, *memor erit in saeculum testamenti sui*, idest, ostendet continua providentia, et protectione se memorem esse foederis, et promissorum suorum.

Caph. *Virtutem operum suorum annunciabit populo suo.*
Lamed. *Ut det illis haereditatem gentium.*

Praecipuum caput foederis, quod cum Abraham pepigit Deus, fuit ut daret posteris ejus hebraeis terram Chananaeorum, quae ideo postea dicta est terra promissionis. Explicat igitur quomodo *memor erit testamenti sui*, dicens, *virtutem operum suorum annunciabit populo suo*, idest, memor pacti sui notam faciet populo suo virtutem hoc est potentiam, et fortitudinem operum suorum, convertendo Jordanem retrorsum, clangore tubarum evertendo muros Hierico, sistendo solem et lunam ad imperium Josue, lapides de coelo super hostes hebraeorum pluendo, et similia multa mirabilia operando. *Ut det illis haereditatem gentium*, idest, ut daret illis, fidelibus suis terram Palaestinae, quam gentiles Chananaei tamquam propriam haereditatem, et possessionem obtinebant.

Mem. *Opera manuum ejus veritas, et judicium.*
Nun. *Fidelia omnia mandata ejus.*
Samech. *Confirmata in saeculum saeculi.*
Hain. *Facta in veritate et aequitate.*

Ac ne quis injustitiam suspicaretur in eo, quod Deus terram Palaestinae abstulit Chananaeis, et donavit Judaeis: addit, *opera manuum ejus veritas, et judicium*, idest, omnia opera Domini, et in iis hoc particulare opus expulsionis Chananaeorum, et introductionis Judaeorum, facta sunt cum magna fidelitate, et justitia. Veritas enim hoc loco, ut etiam alibi passim fidelitatem significat servandi promissa. Quoniam igitur promiserat Deus Abrahae terram illam se daturum posteris ejus, hoc opus Dei factum est *in veritate*, et quoniam idem Deus non ante expulit Chananaeos, quam *impleta esset mensura peccatorum*, ob quae expelli mererentur; ideo hoc idem opus factum est *cum justitia*, quae hoc loco dicitur judicium, quod est justitiae actus. *Opera* ergo *manuum ejus veritas et judicium*, idest, fideliter et juste fiunt. Quod autem mererentur puniri Chananaei, et in poenam privari terra Palaestinae probat Propheta, quia non servaverunt praecepta Dei naturalia, quae sunt omnibus communia, et immutabilia, quia continent prima principia justitiae: nam Levit. 18. prohibet Deus incestum, adulterium, vitium contra naturam, idololatriam, et similia, et addit, *omnes execrationes istas fecerunt accolae terrae, qui fuerunt ante vos*, et polluerunt eam; cavete *ergo, ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quae fuit ante vos.* Ait igitur, *fidelia omnia mandata ejus*. idest, omnia praecepta Dei praesertim naturalia fidelia sunt, quia neminem decipiunt, cum sint rectissima, et justissima, et per hoc poenam adferant praevaricatoribus, et praemia observatoribus. Nec solum fidelia sunt, sed etiam immutabilia, et indispensabilia, cum in nullo casu inveniri possint injusta; ideo addit, *confirmata in saeculum saeculi. facta in veritate, et aequitate*, idest, stabilita sunt aeterna firmitate, quia condita sunt *in veritate*, idest, in rectitudine, *et aequitate*, idest, justitia: nam ut diximus, et rectitudinem, et justitiam absolutam cotinent. Vide sanctum Thomam in 1. 2. quaest. 100. art. 8.

Tsade. *Redemptionem misit populo suo.*
Phe. *Mandavit in aeternum testamentum suum.*

Non desunt etiam ex veteribus, qui haec referant ad litteram ad liberationem populi de Aegypto; sed videtur omnino Propheta altiorem redemptionem intelligere, ut exponunt s. Augustin. et Euthymius: nam de Judaeis jam dixerat, datum illis fuisse manna de coelo, et haereditatem gentium; neque ulla erat ratio, cur reverteretur ad antiquiora. Igitur post decantata beneficia Dei erga patres testamenti veteris, transit ad beneficium longe excellentius testamenti novi, quo vera, atque aeterna redemptio continetur. *Redemptionem*, inquit, *misit populo suo*, quasi dicat, post haec misit redemptorem tam saepe promissum, et tamdiu expectatum, de quo prophetavit etiam Zacharias, cum ait Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.* Redemit autem Christus populum suum de captivitate, et servitute peccati, et potestate tenebrarum pretio sanguinis sui. Et hoc modo vere, et proprie, *mandavit in aeternum testamentum suum*, idest, jussit (hoc enim significat vox hebraea, צוה *tzivvah*) et statuit, ut testamentum, sive pactum esset aeternum de vera et aeterna salute, et possessione coelestis patriae, nam testamentum vetus, quo promittebatur terra Palaestinae, non fuisse aeternum experientia docet. Quare et Hieremias cap. 31. ait, *ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, ut educerem eos de Aegypto, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus: sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.*

Coph. *Sanctum et terribile nomen ejus.*
Res. *Initium sapientiae timor Domini.*

Docet consequenter modum permanendi in testamento Domini, ut assequamur promissiones e-

jus, ac dicit, *Sanctum et terribile nomen ejus*, id est, is, qui mandavit in aeternum testamentum suum, sanctus, et terribilis est, et ideo odit pollutionem, et immunditiam peccati, quia sanctus est, et dicit, Levit. 11. *Sancti estote quia sanctus sum Dominus Deus vester*: et simul punit pollutos, et immundos, quia terribilis est, et *horrendum est incidere in manus Dei viventis*, Heb. 10. et propterea, *initium sapientiae timor Domini*, idest, illi vere incipiunt sapere, qui timent Dominum, et ex timore illo cavent a peccatis, observant legem, operantur bona, ut paulatim ex timore ad amorem perveniant, et incipiant odisse malum non timore poenae, sed amore justitiae. Potest etiam hic locus intelligi de timore sancto, quo timemus offensionem Dei, quia diligimus Deum, qui timor dicitur initium sapientiae, quia pertinet ad primam, et magis necessariam partem sapientiae. Sapientia enim perfecta duo requirit, et cognitionem, et amorem Dei; sed in hac vita priores partes tribuuntur amori, sive timori sancto filiali. Unde Ecclesiasticus cap. 1. ubi dicit, *Initium sapientiae timor Domini*, addit, *plenitudo sapientiae est timere Deum*: ut intelligamus timorem Domini sanctum dici initium, quia est quasi caput, idest, pars prima, et potissima, ut dici possit etiam tota sapientia.

Scin. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*
Tau. *Laudatio ejus manet in saeculum saeculi.*

Declarat quod dixit, initium sapientiae esse timorem Domini. Est enim, ac si dicat, *intelligentia quidem*, quae pars est sapientiae, *bona est*, sed facientibus eam, idest, ex timore sancto facientibus, quod scientia docet esse faciendum: alioqui intelligentia sine timore, inutilis, vel perniciosa est: *nam scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi*, Jacobi 4. Nomine intellectus, significatur hoc loco ipsa intelligentia, sive scientia, aut doctrina, ut voces hebraica, שכל *sechel*, et graeca συνεσις clarius sonant: pronomen, *eum*, cum dicitur, *facientibus eum*, refertur ad intellectum, ut referunt Chrysostomus, et Augustinus: in hebraeo habetur, *facientibus ea*, nimirum quae intelliguntur esse facienda. Itaque sensus in idem recidit. Quod autem sequitur, *laudatio ejus manet in saeculum saeculi*, aliqui referunt ad Deum, ut sensus sit, Laudatio ejus, cujus nomen est sanctum et terribile, semper manebit: ita s. Chrysostomus. Sed videtur melius continuare textum expositio s. Augustini, qui hunc versiculum refert ad alium, qui timet Dominum, et qui facit quod intelligit esse faciendum: illius enim praemium erit, ut inhabitet in domo domini omnibus diebus vitae suae, et sit unus ex illis qui laudabunt Deum in saeculum saeculi. *Quare laudatio ejus*, est laudatio, quia ipse homo timens Deum, perpetuo laudabit Dominum. Potest etiam satis commode intelligi versiculus de laude, qua ipse timens Deum, et faciens quod intelligit esse faciendum, laudabitur a Deo ut servus bonus, et fidelis, et consequenter laudabitur ab angelis, et aliis sanctis, et ejusmodi laus erit aeterna, quia ut dicitur in psal. 111. *In memoria aeterna erit justus, ab auditione mala non timebit.*

PSALMUS CXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja reversionis Aggaei, et Zachariae.

Hic psalmus recte conjungitur superiori, quia laudat virum justum, ut ille laudabat Deum, et est alphabeticus, continens viginti duos versiculos incipientes a literis alphabeti ordine positis. Eumdem quoque habet titulum, *alleluja*, apud hebraeos et graecos: sed apud latinos, teste Augustino, adduntur haec verba: *alleluja, reversionis Aggaei, et Zachariae.* Videtur enim David in spiritu praevidisse, Aggaeum, et Zachariam post expletum tempus captivitatis, rediisse ad populum eumque admonuisse, quanta sit felicitas viri justi, et timentis Deum, ut hoc exemplo exortaretur alios ad probitatem, ut non incidant in similem captivitatem.

EXPLICATIO PSALMI CXI.

Aleph. *Beatus vir qui timet Dominum:*
Beth. *In mandatis ejus volet nimis.*

Haec est propositio, quam per totum psalmum variis argumentis probat, ut suadeat omnibus pietatem. *Beatus*, inquit, *est quicumque timet Dominum.* Sed quia non quicumque timor facit beatum, addit declarans, *in mandatis ejus volet nimis.* Ubi repetendum est, *qui*, ut hic sit sensus, beatus est vir ille, qui timet Dominum, qui ex eo timore in mandatis ejus libentissime implendis versabitur: nam in mandatis velle nimis, nihil est aliud, nisi

mandata valde diligere, et ad mandata multum esse affectum,sive in adimplendis mandatis magnam habere voluntatem.In summa ille dicitur foelix,qui et interius timet Deum timore sancto, et exterius promptus est ad implenda mandata,ac per hoc justus, et pius est.

Ghimel. *Potens in terra erit semen ejus.*
Daleth. *Generatio rectorum benedicetur.*

Haec est prima foelicitas hominis timentis Deum, quod multam prolem consequetur. *Potens*, inquit, *in terra erit semen ejus*, idest, robusta erit ejus posteritas ob multitudinem filiorum: et rationem reddit, cum addit, *generatio rectorum benedicetur*, quia videlicet generatio justorum ex divina benedictione foecundissima erit. Benedictio enim in testamento veteri, ut plurimum ad foecunditatem pertinet. Haec prima foelicitas non erat in viris justis perpetua, sed frequens. Scimus enim Abrahamum longo tempore in matrimonio sine liberis vixisse, ut etiam filium ejus Isaac, et postea non paucos alios.Sed si exponatur psalmus de fructu bonorum operum, ex semine gratiae coelestis prodeunte; foelicitas erit omnino perpetua: nemo enim est vere pius, et justus, qui non assidue serat opera bona,ex quibus magnam omnino messem tempore suo collectus sit.

He. *Gloria et divitiae in domo ejus.*
Vau. *Et justitia ejus manet in saeculum saeculi.*

Secunda foelicitas est honorum, et opum abundantia, quae tamen non inducant ad peccatum,neque justitiam corrumpant, saepe enim accidit, ut honores et divitiae superbiam gignant, vel carnalibus voluptatibus deserviant, et tum non foelicitati, sed calamitati potius deputandae sunt. Ait igitur, *gloria et divitiae in domo ejus*, idest, non solum multitudine filiorum, sed etiam honoribus, et divitiis abundabit justus, et tamen (quod est omnium foelicissimum) non corrumpetur animus ejus istis fortunae bonis, sed *justitia*, et probitas ejus *perseverabit usque in finem*. Haec etiam foelicitas non est perpetua, si agatur de gloria, et divitiis temporalibus: sed de gloria interna,de bonae conscientiae testimonio, et de divitiis fidei, ac de illo quaestu magno intelligatur, de quo apostolus. 1. Timoth. 6. *Quaestus magnus est pietas cum sufficientia*, idest, pietas sine sollicitudine temporalium, ita ut animus sit contentus iis, quae habet, perpetua foelicitas erit: nam, ut ille dixit, animus dives debet esse, non arca: tunc autem animus dives est, quando alimentis, et tegumentis contentus, nihil optat amplius, sed sibi ipse sufficit,quod apostolus dixit *pietas cum sufficientia*, et graece significantius αυταρχεια, quod declaravit idem apostolus Philip. 4. cum ait. *didici in quibus sum sufficiens esse:scio et abundare,et penuriam pati.*

Zain. *Exortum est in tenebris lumen rectis.*
Cheth. *Misericors, et miserator, et justus.*

Tertia foelicitas timentium Deum,est lumen prudentiae, et divinitus affulgens in tenebris dubitationum,quae passim occurrunt in rebus gerendis, item in discernendis fraudibus falsorumf ratrum; denique lumen consolationis in omnibus calamitatibus, et aerumnis hujus vitae.*Exortum est in tenebris lumen rectis*, idest, affulsit rectis hominibus, quales sunt timentes Deum, lumen consilii, et consolationis in tenebris dubitationum,et tribulationum, quod lumen est ipse Deus *misericors,et miserator et justus*, qui misericordiam facit viris misericordibus, quia justum est, ut misericordes misericordiam consequantur.

Theth. *Jucundus homo, qui miseretur, et commodat.*
Jod. *Disponet sermones suos in judicio.*
Caph. *Quia in aeternum non commovebitur.*

Quarta foelicitas est laetitia spiritualis, quae residet in corde timentium Deum. Qui enim Deum timent,facile indulgent offensiones miserando fragilitates humanas, facile etiam commodant egentibus, et sic implent Dominicum praeceptum,Luc.6. *Dimittite, et dimittemini*; *date, et dabitur vobis.* Haec autem bona opera maximam laetitiam pariunt; sicut et contrario, qui retinent offensiones,vel negant proximo beneficium, semper amaro sunt animo, tum quia conscientia pungit, tum quia cogitant se odio haberi. Illud, *miseretur*, a nunnullis refertur ad eleemosynas, quae dantur egentibus, sed quia de eleemosyna paulo post fit specialis mentio, cum dicitur, *dispersit dedit pauperibus*, ideo maluimus cum s.August. referre ad indulgentiam offensionum,quod est genus eleemosynae spiritualis.Quinta foelicitas est prudentia in loquendo, propter quam evitantur incommoda maxima,inimicitiae, rixae, detractiones, et similia. Qui enim timet Deum *disponet sermones suos in judicio*, idest,dispensabit verba sua cum maturitate judicii, ut neminem laedat, et inde plurima bona lucrabitur. Alii per sermones, intelligunt rationes, et negotia.Sed quamvis vox hebraea,et graeca id patiantur, tamen vox latina non patitur, et versimile est, Prophetam varia bona timentium Deum enumerare, non eadem saepius repetere.De prudentia in negotiis supra jam dixerat;de prudentia in loquendo nihil hactenus dixit. Reddit autem rationem, cur disponet sermones suos in judicio, cum addit, *quia in aeternum non commovebitur*,id est,quia vir est constans in propositis suis, et stabilis, et providet prudenter omnia, ut quicquid accidat, eum commovere non possit.

Lamed. *In memoria aeterna erit justus.*
Mem. *Ab auditione mala non timebit.*

Sexta foelicitas timentis Deum est, quod vivet semper in hominum memoria,et vivet non per memoriam insignis alicujus flagitii, quomodo vivunt Judas, et Cain, Herodes, et Pilatus, Annas, et Caiphas, sed vivet per memoriam gloriosam:nam laudes ejus enarrabit omnis ecclesia sanctorum; neque solum *In memoria aeterna* erit apud mortales, sed etiam nomen ejus scriptum erit in libro

vitae quod numquam delebitur,et eo modo vere ac proprie in memoria aeterna erit apud angelos in coelo;*et ab auditione mala non timebit*,idest,non timebit a detractionibus, et reprehensionibus hominum impiorum:neque etiam timebit a sententia illa formidolosa Judicis aeterni, videlicet. *Ite maledicti in ignem aeternum* etc. Matth. 25.

Num. *Paratum cor ejus sperare in Domino.*
Samech. *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur.*
Hain. *Donec despiciat inimicos suos.*

Septima foelicitas timentis Deum est, firma, atque stabilis divina protectio, qua fretus nihil unquam malorum timebit.*Paratum cor ejus sperare in Domino*, idest, in omni adversitate,sive periculo imminenti cor ejus paratum habet refugium ad Deum; quia semper est promptum,et paratum sperare in Domino, numquam obliviscitur adjutorium Dei, numquam diffidit,numquam haesitat. *Confirmatum est cor ejus* in hac fiducia,ut nullum ei sit periculum, ne ab illa forte deficiat. *Non commovebitur donec despiciat inimicos suos*,idest,num quam timebit, dum periculum ab inimicis durabit. Multum autem minus timebit, cum eos ut prostratos et devictos despiciet.In hebraeo pro,*non commovebitur*, habetur,*Non timebit*:sed idem est sensus: pro *despiciat*, habetur, *videat*, ex quo sequitur, ut despicere hoc loco non sit proprie contemnere, sed videre ex altiore loco, ut sit despicere, quasi deorsum inspicere, juxta illud Virgilii, *despiciens mare velivolum*.Sed quia respicere inimicos ex alto, contingit illis, qui vident inimicos dejectos, et prostratos, ac per hoc illos contemnunt; recte potest exponi, *Donec despiciat*, idest, donec contemnat , ut jam devictos, et proflicatos: quamvis vox illa immediate non contemnere, sed inspicere significet,si cum voce hebraica convenire debeat. Et quoniam durante hac vita mortali numquam cessabunt pericula ab hostibus pietatis, nec videbimus eos omnino prostratos, nisi cum in coelesti sede positi,longissime abjectos despiciemus; ideo illud,*donec*,tamdiu durabit quamdiu praesens vitae durabit.

Phe. *Dispersit, dedit pauperibus.*
Tsade. *Justitia ejus manet in saculum saeculi.*
Coph. *Cornu ejus exaltabitur in gloria.*

Octava foelicitas est, gratia bene utendi divitiis: nam ex domo Dei habent amici Dei,ut intelligant, quanta sapientia sit per eleemosynas transferre thesauros suos in coelum, Matth. 6. *ubi nec tinea demolitur , nec fures effodiunt , nec furantur.Dispersit*, inquit, *dedit pauperibus*, idest,iste homo timens Deum,opes suas non abscondit,neque augere studuit, sed sparsit in pauperes, id est, abundanter effudit, sed ea prudentia,ut dederit potius multis parum, quam multum, ut multis proviaeret necessaria,nullis daret superflua.Simile est, quod habetur Isai. 58. *Frange esurienti panem tuum*, et 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.* Nec tamen negamus, quin aliquando melius sit multum uni dare, quam multis parum;ut cum virgo pauper tradenda est viro, vel ecclesia exaedificanda,vel captivus redimendus. Vide s.Thom. in 2. 2. quaest. 32. art. 10. et s. Gregorius de cura pastorali par.3. admonit. 21. Ex hac liberalitate duo bona lucratus est: unde vere beatus dici potest: primum, si pecunias diminuit, justitiam auxit, *et justitia ejus*,idest,bonum opus ejus *manet in saeculum saeculi*, conservandum apud Deum, ut suo tempore mercedem plenam accipiat: nam *qui miseretur pauperis,foeneratur Deo*, inquit Sapiens Proverb. 19. Deinde. *Cornu ejus exaltabitur in gloria*,idest,non solum mercedem habebit in vita futura, sed etiam in hoc saeculo potentia,et gloria augebitur:cornu in scripturis potentiam et robur significat. Dicitur autem exaltari cornu alicujus, quando ille fit potentior,et fortior. *Exaltari autem cornu in gloria est*, hominem fieri non solum potentem,sed etiam gloriosum, quales sunt viri celebres, et honorati,quibus alii deferunt et cedunt.Significat igitur hic versiculus per eleemosynas non fieri homines tenuiores, et despectos,sed augeri divitiis, potentia,et gloria, cujus rei multa sunt exempla in divinis litteris, praesertim in libro Job, et in libro Tobiae: et non pauca legi possunt in vitis sanctorum,ac praecipue in vita sancti Joannis Eleemosynarii, et in Prato spirituali Sophronii.

Res. *Peccator videbit et irascetur.*
Scin. *Dentibus suis fremet, et tabescet.*
Tau. *Desiderium peccatorum peribit.*

Postrema foelicitas est , quod timens Deum omnem invidiam superabit. *Peccator videbit*,idest, considerabit bona opera timentis Deum,et ejus foelicitatem, et invidia torquebitur, *et irascetur* sorti ejus.Et instar rabidi canis *fremet adversus illum*, et prae dolore tabescet:sed interim *desiderium impii*, quo cupit perditionem justi, non adimplebitur; sed una cum ipso impio brevi *peribit*. Ergo beatus, et foelix est qui timet Dominum; miser et infoelix, qui non timet.

PSALMUS CXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David.

Hic psalmus brevis, et facilis hortatur cultores Dei ad ipsum Deum laudandum ob id potissimum, quod cum sit Altissimus tamen non dedignatur ad nos oculos inclinare, et multis nos beneficiis afficere.

EXPLICATIO PSALMI CXII.

1. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.*

Nomine puerorum intelliguntur servi Dei, qui eum pure colunt: quamvis enim vox graeca παιδες, et latina, *pueri*, sint communes ad servos, et ad parvulos significandos: tamen vox hebraica, עבדי *habde* nihil significat, nisi servum; et clarius etiam id apparet ex eo quod in hebraeo vox, *Domini*, est in casu gignendi, *laudate servi Dominum, laudate nomen Domini*. Magna tamen est affinitas servis cum parvulis, ut non immerito servi dicantur pueri et pueri servi; quoniam servi sinere debent se regi a Dominis, quo modo parvuli reguntur a majoribus; unde etiam b. Paulus ait ad Gal. 4. *Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo.* Admonemur igitur voce *puerorum*, servos Dei simplices, et puros esse debere, ad nutum Domini sine tergiversatione procedere. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini*, idest, o vos omnes, qui servi estis Dei, in hoc praecipue illi servite, ut pura mente cogitetis magnitudinem Domini vestri, et toto cordis effectu laudetis nomen ejus, potentiam videlicet, et gloriam ejus infinitam. Similis exhortatio habetur in psalmo 133. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini*, et in psalmo 134. *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.*

2. *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, et usque in saeculum.*

Declarat modum, quo servi Dei laudare debent nomen Domini, ac dicit, affectu saltem, et desiderio laudandum esse, quandoquidem re ipsa nos humi repentes laudare, ut oportet nescimus. Dicite ergo, ait, intimo cordis affectu, *sit nomen Domini benedictum et nunc* a praesentibus, *et usque in aeternum* a futuris, ut ab ejus laudibus numquam cessetur, vel potius, *ex hoc nunc*, incipite laudare, *et usque in saeculum* laudate, idest, semper laudate, sive prospera, sive adversa contingant, sive in hac vita, sive in futura, semper laus ejus sit in ore vestro, et cum sancto Job semper dicite, *sit nomen Domini benedictum.*

3. *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.*

Declarat hoc versu, et sequentibus materiam laudis Dei, ac dicit ubique inveniri materiam laudis Dei, cum omnia sint plena operibus ejus magnis, et mirabilibus, quae diligenter considerata laudabilem reddunt artificem. *A solis ortu usque ad occasum*, idest, per totam mundi amplitudinem a principio usque ad finem, *laudabile* est *nomen Domini*, propter opera ejus, quibus ab omni parte plenus est Mundus.

4. *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria ejus.*

Nec solum per amplitudinem mundi, sed etiam per altitudinem ubique invenitur materia laudis Dei: nam etiamsi multi sint in terra magni principes et potentissimi reges; tamen super omnes longe eminet Deus: neque solum *super omnes gentes terrae*, sed etiam super omnes angelos coeli excelsus est Deus, et gloria ejus coelos omnes, et qui habitant in eo, transcendit. Sanctus Joannes Chrysostomus in his duobus versiculis vult contineri praedictionem ecclesiae Christianae; per quam sanctum est, *ut nomen Domini*, quod in sola fere Judaea notum erat, nunc *a solis ortu ad occasum* laudetur, et omnes gentes illi subjiciantur, et eo modo sit *excelsus Dominus super omnes gentes.*

5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in coelo, et in terra?*

Laudat nunc Deum ab admirabili benignitate, quae cunjuncta cum tanta sublimitate mirabilior apparet. *Quis*, inquit, *est sicut Deus noster, qui*

in altis habitat,videlicet in summo coelo,*et tamen humilia respicit*, homines videlicet, qui jacent in terra. Nam sic explicandus videtur ad litteram hic versiculus juxta distinctionem hebraicam, et modum loquendi scripturae,ut illud,*in coelo*,referatur ad illa verba, *in altis habitat*, et illud, *in terra*, referatur ad illa, *humilia respicit*:praesertim cum in hebraeo sint duo participia contraria *Quis sicut Dominus Deus noster exaltans* se *ad sedendum, et humilians se ad respiciendum, in coelo, et in terra*, idest,ad sedendum in coelo,et ad respiciendum in terra.Similis est sententia illa in primo capite canticorum, *nigra sum, sed formosa,filiae Sion, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*: ubi, *sicut tabernacula Cedar*, conjungitur cum, *nigra sum*: et, *sicut pelles Salomonis*, conjungitur cum, *sed formosa*. Significatur autem hac phrasi, Deum per excellentiam naturae omnia sub se habere ; et tamen per clementiam rebus omnibus quamvis humillimis adesse, ac praecipue hominibus mitibus, et corde humilibus se inclinare. Quod si non placeat haec distinctio , potest etiam recte exponi , quod Deus quamvis naturae sit excellentissimae, et sublimissimae, tamen a superbis, et tumidis oculis avertere; ad humiles, et mites libenter aspicere soleat; idque tam in coelo, quam in terra: nam et in coelo superbos angelos detestatus , humiles respexit , et ad gloriae suae participationem evexit: et in terra superbis Pharaonibus , Saulibus , aliisque similibus contemptis, ad Mosem, Davidem , aliosque mites , et humiles respexit. Sed altiore , et prophetico sensu significatur his verbis , Deum in coelo sedentem non neglexisse genus humanum in terra humiliter abjectum.

6. *Suscitans a terra inopem,et de stercore erigens pauperem.*
7. *Ut collocet eum cum principibus, cum Principibus populi sui.*

Declarat cur Deus respiciat humiles, ac dicit,id eum facere,ut eos exaltet.Quamvis autem haec applicari possint singulis hominibus, quos ex infimo gradu Deus evexit ad summum,quales fuerunt Joseph Patriarcha, Moses, David, et similes: tamen aptissime conveniunt hi duo versiculi humano generi, idest , toto gregi pusillo electorum , quibus Salvator ait, Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex quia complacuit patri vestro dare vobis regnum*: nam genus humanum jacebat in terra , et in stercore peccati originalis, et consequentium miseriarum: tamen Deus sedens in coelo respexit in terram, et inde suscitavit inopem , hominem videlicet spoliatum a latronibus , et relictum semivum, et jacentem in stercore miseriarum , ut collocaret eum *cum principibus*,non quibuscumque,sed,*cum principibus populi sui* , possessoribus coelestis Jerusalem , et participibus regni coelorum. Nam exaltatio a paupertate temporali ad opes regni temporalis , etiamsi nobis magna esse videatur ; vere tamen exigua,ac pene nulla exaltatio est,cum opes Regni caducae sint , et ad dispensandum traditae, et cum obligatione reddendae rationis in die judicii , et conjunctae cum magna afflictione spiritus, et periculo aeternae salutis amittendae. At exaltatio a statu peccati, et mortis ad statum gloriae , et beatae immortalitatis, ad aequalitatem angelorum, ad consortium boni illius, quod ipsum Deum beatum facit; haec vera, et vere magna, et appetenda maxime exaltatio est.

8. *Qui habitare facit sterilem in domo,matrem filiorum laetantem.*

Quemadmodum infoelicitas virorum est status humilis,et despectus: ita infoelicitas mulierum est sterilitas.Sed quo modo Deus respicit viros humiles ut de statu infimo erigat ad regnum; ita respicit humiles foeminas, ut de sterilitate perducat ad foecunditatem. Potest autem hoc totum referri ad singulas foeminas, ut Saram , Rebeccam, Rachelem,Annam, et similes. Sed altiore sensu pertinet ad ecclesiam ex gentibus congregatam,quae longo tempore mansit sterilis, sed in senectute peperit plurimos, juxta illud Apostoli ad Gal.4.ex cap.54. Isaiae, *laetare sterilis, quae non paris, erumpe, et clama quae non parturis ; quia multi filii desertae magis, quam ejus,quae habet virum*.Quod autem ad verba attinet, cum dicitur, *qui habitare facit sterilem in domo*; per domum intelligitur familia: sive abundantia filiorum, ut sensus sit, Qui facit ut sterilis, quae manebat solitaria, jam habitet inter multas proles, in magna familia. Id quod explicatur per verba sequentia, *matrem filiorum laetantem*,id enim est,*habitare in domo*, esse matrem filiorum, ac per hoc esse laetantem, ob filiorum multitudinem, quae erat moesta ob sterilitatem, et solitudinem.

PSALMUS CXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Decantat in hoc psalmo David mirabilia opera Dei, dum educeret filios Israel de Aegypto in terram promissionis: idque ad eum finem, ut hortetur populum ad permanendum in confessione unius veri Dei, et sperandum continuo in ejus protectione.

EXPLICATIO PSALMI CXIII.

1. *In exitu Israel de Aegypto: domus Jacob de populo barbaro.*
2. *Facta est Judaea sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.*

Narrat initio psalmi quemadmodum populus Hebraeorum in egressu de Aegypto coepit habere formam populi peculiariter Deo subjecti, et a Deo singulari providentia gubernati, ac si Deus esset proprius eorum Rex. Nam antequam ingrederetur Aegyptum, erant una familia, non unus populus: dum autem manserunt in Aegypto, multiplicati sunt valde, sed admixti erant Aegyptiis, et regi Pharaoni serviebant: sed egressi de Aegypto formam propriae reip. habere coeperunt, Mose, tamquam Dei Vicario, et interprete, summum Magistratum apud eos gerente. Hoc igitur est quod dicit, cum ait, *in exitu Israel de Aegypto, domus Jacob de populo barbaro*, ubi cum dicitur, *Domus Jacob*, repetendum est, *in exitu*, hoc modo, *in exitu Israel de Aegypto, in exitu*, inquam, *domus Jacob de populo barbaro*: quae pars secundi versiculi est explicatio primae; declarat enim per nomen, Israel, se non intellexisse hominem illum, qui proprio nomine dicebatur Israel, sed totam familiam Jacob, idest, totam illam gentem, quae a Jacobo Patriarcha, qui etiam Israel vocabatur, per carnalem generationem originem ducebat. Per populum barbarum intelligitur Aegyptus: significat autem vox hebraea, לעז *lohets*, loquentem lingua ignota, et barbarus dicitur, cujus lingua non intelligitur, juxta illud Apostol. 1. Cor. 14. *Si nesciero virtutem vocis, ero cui loquor barbarus, et qui loquitur mihi barbarus.* Dicitur igitur *populus barbarus*, populus Aegypti, quia alia lingua utebatur ab ea, qua utebantur hebraei. *Facta est Judaea sanctificatio ejus*, hoc est, tunc primum, cum egressi sunt filii Israel de Aegypto, Deus sanctificavit, sive dedicavit sibi in populum peculiarem, populum Judaicum, *Israel potestas ejus*: idem repetit aliis verbis, id est, tunc assumpsit peculiarem potestatem, ac dominium super filios Israel. Quod attinet ad verba per *Judaeam*, intelligi debet hoc loco non terra quae dicitur Judaea, sed gens Judaica: nam in hebraeo est, *Judas*, sicut paulo post, *Israel*. Solet autem scriptura populum hebraeum, nunc vocare Judam de nomine principalis filii Israel, nunc Israel, de nomine patris: unde etiam vocantur Judaei, vel Israelitae. Per illud autem, *significatio*, et *potestas*, intelligitur quasi materia sanctificationis, et potestatis, ut sensus sit, Facta est gens Judaica, sive Israelitica, gens significata Deo, et peculiariter subjecta potestati ejus. Pronomen relativum, *ejus*, refertur ad Deum, sive Dominum, qui nominatus est in titulo, *alleluja*, *laudate Dominum*: quasi dicat, Laudate Dominum, quia cum egrederentur filii Israel de Aegypto, tunc factus est populus Israel populus sanctificatus ei, et subjectus peculiariter potestati ejus.

3. *Mare vidit, et fugit, Jordanis conversus est retrorsum.*
4. *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium.*

Narrat mirabilia, quae acciderunt in egressu filiorum Israel de Aegypto, et commoratione in deserto, et ingressu in terram promissionis, ut hinc ostendat, Deum hebraeorum esse verum Deum omnipotentem, quem jure ipsi colere, et timere debeant: ac primum narrat miraculum, quo mare jubente Deo divisum est, ut populus transiret: ut habetur Exod. 14. sed narrat poetica venustate tribuens ipsi mari sensum, quasi videns majestatem Domini, ex timore et reverentia se subduxerit. Conjungit deinde aliud miraculum circa Jordanem, quoniam ad idem elementum pertinet, quamvis multo posterius, idest, post annos quadraginta contigerit. Jordanis enim fluvius divisus quoque est tempore Josue: ut populus per siccum alveum transi-

ret, ut habetur Josue 4. Deinde commemorat miracula, quae acciderunt in terra, quando acceperunt legem, descendente Deo in montem Sinai: tunc enim terra mota est, in tremore concussa a majestate Domini, quasi trepidare, et saltitare videbatur. Quod enim legimus Exod. 19. *Erat totus mons terribilis*, significat montem tremore suo terrorem aliis incussisse, ut ex textu hebraico, et Graeco clarius colligitur. Postremo addit aliud miraculum de aquis in magna copia ex petra eductis, *qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum*, sed veniamus ad verba. *Mare vidit, et fugit*, idest, ita recessit de loco suo pars illa maris rubri, ac si a conspectu Domini territa fugisset. *Jordanis conversus est retrorsum.* In libro Josue legitur, *quod steterit flumen, et in altum instar montis excreverit*; sed ex interpretatione Davidis intelligimus, non solum in altum crevisse, sed etiam ex parte refluxisse, et refluxus iste confirmari potest ex eo, quod longissimo spatio temporis cessaverit fluere, donec videlicet totus populus commode transiret, qui multa centena millia hominem complectebatur. Itaque si solum in altum crevisset, et non etiam simul ex parte refluxisset, non solum ad instar montis, sed in altitudinem multo majorem excrevisset. Simul igitur refluebat, ut David canit, et simul erigebatur, et stabat ne flueret in partem illam, per quam Israelitae transibant. *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium*, idest, montes Sinai, partes videlicet majores illius montis, et colles, partes minores ejusdem montis contremiscere, et subsilire visae sunt instar arietum, vel agnorum repentino terrore saltantium et fugientium: quamvis enim vox, *exultare*, significare soleat gestire prae laetitia; tamen hoc loco videtur omnino referendum ad tremorem; tum quia eadem est causa mari ut fugiat, et monti ut saliat: fugere autem timoris est, non laetitiae: tum quia paulo infra dicitur, *a facie Domini mota est terra*: quae verba terrorem indicant, et hunc locum exponunt.

5. *Quod est tibi mare, quod fugisti? et tu Jordanis quia conversus es retrorsum?*
6. *Montes exultastis sicut arietes, et colles sicut agni ovium.*
7. *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob.*
8. *Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.*

More poetico interrogat mare, quare fugerit, et Jordanem quare conversus sit retrorsum, et montes et colles, quare tremuerint: et respondet, id fecisse praesentiam virtutis Dei, qui non solum hoc fecit, ut mare fugeret, et terra tremeret, sed etiam, quod est mirabilius, unum elementum in alterum transmutavit: convertit enim terream rupem stantem, atque durissimam in aquas mollissimas, et velocissime discurrentes. *Quid est*, inquit, *tibi mare, quod fugisti; et tu Jordanis*, quid habes, *quod conversus es retrorsum? et vos montes quare exultastis ut arietes, et vos colles, quasi agni ovium? A facie Domini mota est terra.* Haec nimirum est causa, quia Dominus apparuit, et vim suam, et potentiam manifestavit, et ideo terra conspectum ejus non sustinens, tota contremuit. *Qui* Dominus *convertit petram in stagna aquarum*, quando Mose percutiente petram Numer. 20. egressae sunt aquae largissimae; quod factum est, quia petra, jubente Domino, *conversa est in stagna aquarum*, quod repetitur, et declaratur, cum additur, *et rupem in fontes aquarum.* Significatur enim his verbis, non parvam aliquam, et mollem petram, sed rupem saxeam, duramque instar silicis conversam fuisse in fontem aquarum.

9. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Hic incipit secundum hebraeos alius psalmus, sed nos sequimur distinctionem antiquam Septuaginta seniorum; quam etiam sequitur s. Hieronymus in sua versione ex hebraeo: quod est argumentum, non in omnibus hebraicis codicibus dividi hunc psalmum in duos. Igitur explicatis mirabilibus Dei, quae facta sunt in exitu Israel de Aegypto, precatur Propheta Deum nomine totius populi, ut non respiciat demerita populi, sed gloriam suam, et pergat protegere cultores suos, *Non nobis*, inquit, *non nobis*, idest, non meritis nostris, quae nulla sunt, gloriam, sive laudem petimus, *sed nomini tuo da gloriam*, idest propter gloriam nominis tui protege nos, non propter merita nostra.

10. *Super misericordia tua, et veritate tua; nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum.*

Indicat brevissime tres rationes, cur Deus debeat nominis sui gloriam quaerere in conservando populo suo: prima est, quia ipse misericors est: secunda, quia verax est, et fidelis in promissione servanda: tertia, ne detur occasio gentibus blasphemandi, si cultores Dei destitutos videant. Ait igitur, *super misericordia tua et veritate tua*, nimirum funda gloriam tuam, sive da gloriam nomini tuo; inde enim gloria tua demonstrabitur, si ostendes misericordiam erga populum tuum; et rursum, si implebis veritatem promissorum tuorum, quae fecisti patribus nostris. *Ne forte dicant gentes, ubi est Deus eorum*, idest, ne detur occasio gentibus incredulis detrahendi de potentia, vel etiam de existentia tua.

11. *Deus autem noster in coelo, omnia quaecumque voluit fecit.*
12. *Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum.*
13. *Os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt.*
14. *Aures habent, et non audient, nares habent, et non odorabunt.*
15. *Manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.*

Propter id, quod dixerat, *ne forte dicant gentes, ubi est Deus eorum*; adjungit pulcherrimam anti-

thesim Dei veri, et falsorum Deorum. Quasi dicat non est danda occasio gentibus blaspemandi : sed tamen si forte dixerint, *ubi est Deus eorum?* nos respondebimus, *Deum nostrum esse in coelo*, idque testari mirabilia ejus, quia fecit quidquid voluit, sed contra Dii eorum jacent in terra, et usque adeo nihil possunt facere, ut ne possint quidem exercere actiones membrorum, quae habere videntur: nam cum habeant figuram humanam, et videantur habere membra omnia, et sensus omnes; tamen nec vident, nec audiunt, nec olfacient, nec palpant, nec ambulant, nec loquuntur, ac ne vocem quidem ullam ex gutture emittunt, si non ut homines, saltem ut jumenta.

16. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.*

Haec praedictio est per modum imprecationis pronunciata, ut moris est Prophetarum. Vere enim qui faciunt idola; et qui confidunt in eis, similes illis fient in vita futura post resurrectionem: nam etiamsi habebunt sensus et membra, tamen sic habebunt, quasi non haberent; imo etiam cupient non habere; nihil enim videbunt, nihil audient, nihil olfacient, nihil palpabunt, nisi quod nollent: ligatis enim manibus, et pedibus, projecti in tenebras exteriores se commovere non poterunt. In hac etiam vita similes sunt idolis, quia videntur potius videre et audire, quam re vera videant, et audiant, cum non videant, neque audiant, quae ad salutem pertinent, et quae bona sunt, ut magis somniare, quam videre, vel audire dicendi sint, juxta illud Marci 8. *Oculos habentes non videtis, et aures habentes non auditis.* Quod si etiam placeat haec exponere per modum imprecationis, non poterunt pagani conqueri, quia non fit illis injuria, si eos fieri cupiamus similes Diis ipsorum. Monet autem sanctus Augustinus haec, quae supra dicta sunt, pertinere ad eos paganos, qui credunt ipsa idola esse Deos; quia vero nonnulli dicebant, non ipsa idola, sed numen in illis habitans esse colendum; ideo in alio psal. videlicet 95. dicit, *Dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit*, et apud apostolum 1. Cor. 10. *Quae immolant gentes, daemonibus immolant, et non Deo.* Ex his autem colligimus, imagines sanctorum non esse idola, neque earum venerationem esse idololatriam : quoniam neque ipsas imagines Deos esse credimus, neque sanctos viros, quos repraesentant, pro Diis habemus.

17. *Domus Israel speravit in Domino, adjutor eorum, et protector eorum est.*
18. *Domus Aaron speravit in Domino, adiutor eorum, et protector eorum est.*
19. *Qui timent Dominum speraverunt in Domino, adjutor eorum, et protector eorum est.*

Quia dixerat, *similes illis fiant, qui confidunt in eis*; adjungit per antithesim, filios Israel confidisse in Domino, et ideo habuisse Deum protectorem: nominat autem primo domum Israelis, id est totam gentem hebraicam: deinde dominum Aaronis, idest, tribum sacerdotalem, quia sacerdotes cum levitis caeteris peculiaris portio Domini erant, et specialiter in Deo confidere debebant : addit postremo omnes timentes Deum, quoniam non deerant aliqui extra filios Israel, qui Deum colerent, et timerent, quamvis ii pauci essent: in iis numerari solent Job, et amici ejus, et postea Naaman Syrus, et alii.

20. *Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis.*
21. *Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.*
22. *Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.*

Confirmat quod dixerat, Deum adjutorem, et protectorem esse sperantium in se. Ac se ipse constituit in numero confidentium in Deum, quippe qui praeter caeteros auxilium Dei, et protectionem expertus fuerat. Deinde eodem ordine confirmat Deum benedixisse domui Israel, domui Aaron, et omnibus timentibus Deum, sive magnis, sive parvis, quod intelligi potest de omni magnitudine, et parvitate, sive aetatis, sive potestatis, sive sapientiae, sive divitiarum. Memoria Dei significat hoc loco singularem providentiam erga cultores suos. *Memor*, inquit, *fuit nostri*, idest, singulari providentia demonstravit, se memorem esse nostri ; *et benedixit nobis*, idest, benefecit nobis adjuvando, et protegendo. Explicat autem quid sit illud, *nobis*, cum addit *domui Israel, domui Aaron, et omnibus timentibus eum.*

23. *Adjiciat Dominus super vos, super vos, et super filios vestros.*
24. *Benedicti vos a Domino, qui fecit coelum, et terram.*

Ex abundantia cordis os loquitur, ut ait d. Lucas cap. 6. quia pectus sancti prophetae ardebat desiderio gloriae Dei, et salutis proximorum; ideo multiplicat verba, nunc praedicendo, nunc exhortando, nunc bene praecando, ut hac ratione accendat homines ad Deum timendum timore sancto, et ad spem omnem in eo collocandam. Igitur conversus ad timentes Deum, quibus dixit, Deum benedixisse, ait, *adjiciat Dominus super vos*, nimirum benedictionem suam, idest, omnium bonorum copiam: nec solum, inquit, *super vos*, *sed etiam super filios vestros*. Et hoc modo sitis vox benedicti, plena, atque perfecta benedictione a Domino, *qui fecit coelum, et terram*, idest, ab eo, in cujus manu est ros coeli, et pinguendo terrae. Solebant enim sancti testamenti veteris precari suis a Domino rorem coeli, et pinguendinem terrae, quia omnes fructus terrae nascuntur ex foecunditate terrae, et ex pluvia coeli. Sed altiore sensu Deus benedicit de rore coeli, et de pinguedine terrae, quos bonis coelestibus, et terrenis cumulat, quod fecit erga Abrahamum, Isaacum, Josephum, Davidem, et similes.

25. *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*
26. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.*
27. *Sed nos qui vivimus benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Hi tres versiculi duplicem sensum habent: unum accomodatum hebraeis secundum vetus testamentum, alterum accomodatum Christianis secundum testamentum novum. Igitur priore sensu posteaquam dixerat, *benedicti vos a Domino, qui fecit coelum, et terram*; docet equum esse, ut ii, qui benedicti sunt a Domino, benedicant ipsi quoque Dominum, dum vivunt super terram, quam a Deo incolendam acceperunt, relinquentes angeli officium benedicendi in coelo, ubi est domicilium Dei, et ministrorum ejus, qui illi coram assistunt. *Coelum*, inquit, *coeli Domino*, idest, summum coelum, quod est super coelum aereum, Domino proprie dicatum est, et familiaribus ministris ejus angelis sanctis: *terram autem* cum elementis, quae illi conjuncta sunt, *dedit filiis hominum habitandam*; ac pro tam insigni parte mundi debent filii hominum Deo assidue gratias agere dum vivunt, et bonis terrae fruuntur. Nam *non mortui laudabunt te Domine*: mortui enim, cum sensibus corporis careant, neque fruantur amplius terrenis bonis, imo nec vivant secundum corpus; non laudant Dominum ore corporali, neque pro rebus terrenis gratias agunt. *Neque omnes, qui descendunt in infernum*, idest, non solum mortui, qui jacent in sepulchris non laudant Dominum, sed neque illi, *qui descendunt in infernum*, idest, spiritus mortuorum, qui descendunt in varias inferni regiones, Dominum benedicent pro terrenis bonis, quae ad illos jam non pertinent: *sed nos qui vivimus in terris*, et fruimur terrenis bonis, *benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in saeculum*, per generationes sibi invicem succedentes. At sensu Christianis accomodato secundum promissiones testamenti novi, dicendum est, per coelum coeli, intelligi supremam partem coeli, ubi est domus filiorum Dei, de qua dicit apostolus 2.Cor.5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam aeternam in coelis*, vel cum sancto Augustino per coelum coeli, intelligere possumus mentes justorum angelorum, et hominum, in quibus Deus habitat per cognitionem, et amorem. Hanc domum sibi Deus elegit; *terram autem*, idest, mundum hunc visibilem dedit *filiis hominum*, prout distinguntur a filiis Dei: et ideo subjungitur, *non mortui laudabunt te Domine*, idest, qui mortui sunt morte peccati, etiamsi vivant vita naturae, non laudabunt te Domine, *neque omnes qui descendunt in infernum*, qui in morte peccati confirmati sunt, et ad poenas aeternas descenderunt: *sed nos qui vivimus* vita gratiae, qui per fidem, et charitatem tibi inhaeremus, et jam coelestis patriae cives sumus, quamvis interim ad tempus habitemus in terra, nos, inquam, *benedicimus tibi*, et benedicemus *usque in aeternum*. Vide Chrisostomum hanc expositionem eleganter persequentem.

PSALMUS CXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluia.

Psalmum hunc exponunt aliqui cum hebraeis de temporali aliqua pressura, vel morbo, a quo liberari cupiebat Propheta. Sed nos cum sanctis patribus Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, et Augustino, existimamus intelligendum psalmum esse de homine spirituali sitiente salutem aeternam, et gemente propter tentationes, et pericula.

EXPLICATIO PSALMI CXIV.

1. *Dilexi, quoniam axaudiet Dominus vocem orationis meae.*

Anima ardens desiderio Domini absolute dixit, *dilexi*, et non explicat, quem: quoniam existimat, omnes alios similiter amare rem undecumque amabilem, ac proinde scire quem dicere velit. Sic b. Maria Magdal. Joan. 20. interroganti, *quem quaeris?* respondit, *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi*, et non declarat, quem quaerat, et quem sublatum doleat, quia putabat omnes amare quem ipsa amabat, et sollicitos de illo esse, de quo ipsa sollicita erat. Et vere cum omnia bonum appetant, ut dicitur initio Ethicorum, et in solo Deo sit om-

nis ratio boni,et absit ab eo omnis ratio mali,quod significavit b. Joannes cum ait in prima epistola cap. 1. *Deus lux est, et in eo tenebrae non sunt ullae*;deberent homines solum Deum absolute amare, et eum audiunt, *Dilexi*,intelligere deberent dilectionem summi boni significari.Sed tamen David ex ratione,quam reddit,satis indicat se de dilectione Dei esse loquutum: ait enim, *dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meae*, id est, dilexi Dominum , quoniam benignus et misericors est, et ex naturali sua benignitate exaudiet vocem orationis meae. Magna causa diligendi, quod altissimus Dominus, et qui rerum nostrarum non indiget , tam facilis sit ad audiendas preces vilissimorum servorum , ut secure promittere nobis possimus audientiam , quod in psal. 85. clarius exprimitur , cum dicitur , *quoniam tu Domine suavis, et mitis , et multae misericordiae omnibus invocantibus te*. Sensus igitur est, Dilexi Dominum, quoniam certus sum, quod exaudiet vocem orationis meae.

2. *Quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo.*

Declarat unde didicerit, Deum exauditurum preces suas dicens, inde scio,quia ipse praevenit me, ipse invitavit , dum *inclinavit ad me aures suas*: quorsum , enim inclinaret ad os meum aurem suam, nisi me audire paratus esset?Porro Deus inclinat aures ad nos,quod inspirat nobis orationem; neque enim nos oraremus , nisi Deus per gratiam praevenientem inspiraret desiderium orandi.Igitur David assuetus internis vocationibus, ex desiderio orandi sibi coelitus inspirato intellexit aurem Domini ad se inclinatam , et ideo etiam adjungit , *et in diebus meis invocabo*, idest,dum affulgent mihi dies gratiae Dei,et in hac luce video aurem Domini ad me inclinatam , non omittam occasionem, sed invocabo Dominum.Vocat enim dies suos,dies illos,quibus luce praevenientis gratiae fruebatur absente enim luce gratiae nox succedit diei , de qua dicitur, *veniet nox , in qua nemo potest operari*, Joan. 9. Sanctus Joannes Chrisostomus per illud , *in diebus meis*, intelligit omnibus diebus vitae meae. S. Augustinus per dies meos, intelligit dies hujus mortalitatis,qui nostri dies dicuntur,quia nos ipsi peccando nobis illos fecimus.

3. *Circumdederunt me dolores mortis,et pericula inferni invenerunt me.*

Explicat nunc materiam suae orationis , quae sunt tentationes, et pericula salutis aeternae,quas solas tribulationes magni pendit anima vere Deum diligens: in psal. 17. similia verba exposuimus de periculis mortis corporalis,quoniam titulus psalmi ad id cogebat, sed hic psalmus,qui nihil habet in titulo, nisi *alleluja*,ad sublimiorem intelligentiam nos invitat. Ait igitur,*circumdederunt me dolores mortis* , idest , undique tentationes mortiferae me circumstant,ut compellar clamare cum apostolo ad rom.7.*Quis me liberavit de corpore mortis hujus*? In hebraeo est vox ambigua,quae et funes sive laqueos, et dolores significare potest, et vere tentationes mortiferae funes sunt, sive laquei mortis,etiam dolores mortis , quia ex illis viri pii dolorem concipiunt, qualis est in illis, qui mortem sibi vident imminere ; declarat paulo apertius , cum addit, *pericula inferni invenerunt me*: nam ex hoc periculo omnium periculorum maximo concipiunt dolores mortis , qui in illo adhuc se versari cogitant. Vox hebraica ומצרי שאול *umt sare sceol*, proprie *angustias inferni* significat,qua voce designatur locus angustus,per quem qui gradiuntur,in puriculo praecipitii versantur,nisi singulos gressus vigilantissime observent; et talis est via salutis,arcta, atque angusta,unde nullo negotio in praecipitium inferni ruunt, qui non caute ambulant. Unde monet Apostolus, *videto quomodo caute ambuletis*, ad Ephes. 5.

4. *Tribulationem,et dolorem inveni,et nomen Domini invocavi.*

Multi sunt,qui circumdati sunt laqueis mortis,et periculis inferni, et non advertunt,occupati fortasse prosperitatibus saeculi,et quo magis circumdati sunt ejusmodi periculis, eo minus ea considerant, et ideo neque timent, neq; dolent: David autem ea considerabat, et considerando invenerat ubi esset, et ideo tremens,ac dolens dicebat,*tribulationem,et dolorem inveni,et nomen Domini invocavi*,idest, *tribulationem, et dolorem inveni*, quia blandiente licet saeculi prosperitate, et felicitate , tamen adverti me circumdatum esse funibus, et doloribus mortis,et periculis inferni expositum esse:ideo gemens nomen Domini invocavi , et dixi , *o Domine libera animam meam*. s.Basil. paulo aliter exponit,ut sensus sit,*circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me*, idest,peccatum mortale commisi , unde in mortem animae incidi, et inferno propinguavi : sed ego tribulationem , et dolorem poenitentiae salutaris inveni et hoc modo corde contrito,et animo contribulato nomen Domini invocavi dicens,*o Domine libera animam meam.*

5. *O Domine libera animam meam : misericors Dominus, et justus , et Deus noster miseretur.*

Dixerat, *nomen Domini invocavi*: nunc subjicit ipsa verba invocationis.*O Domine libera animam meam*, nimirum de doloribus mortis , et periculis inferni.In hebraeo est particula non solum vocantis , sed etiam obsecrantis, nimirum אנה *annah*. Itaque potuisset verti,*obsecro Domine,libera animam meam*,sed idem est sensus.Deinde,ut ostendat se bona spe invocasse Dominum , addit quasi rationem, dicens, *misericors Dominus, et justus*, supple, est, *et Deus noster miseretur*, misericors Dominus est,quia praevenit peccatorem gratia sua, dum ei poenitentiam inspirat , et orationem. Ipse enim prior dilexit nos, ut dicit Apostolus Joannes, 1. Joan. 4. Justus etiam est, quia non sine flagello dimittit, *flagellat enim omnem filium quem recipit* , ut ait Paulus ad hebr. 9. et iis ignoscit , qui sibi ipsi non ignoscunt,et tantem *Deus noster mi-*

seretur, quia recipit quem flagellavit, et non solum peccata indulget, sed haeredem facit. S. Joan. Chrisost. scribit, Deum dici misericordem, et justum, quia semper admiscet misericordiam justitiae et justitiam misericordiae, et addit, *Deus noster miseretur*, quia Deus magis pronus est ad miserendum, quam ad puniendum.

6. *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, et liberavit me.*

Miseretur Dominus, ut paulo ante dictum est, sed praecipue parvulis timentibus eum: id enim in psalm. 102. clarius habetur, cum dicitur, *secundum altitudinem coeli a terra corroborat Dominus misericordiam suam super timentes se*; item, *sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*. Quod idem legimus in cantico virginis Deiparae, Luc. 1. *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum*. Quoniam igitur verba illa ultima versiculi superioris, *et Deus noster miseretur*, intelliguntur de miseratione paterna, ut sonat vox hebraica, מרחם *merachem*, ideo nunc declarat, quos respiciat ista paterna miseratio, ac dicit respicere parvulos, idest, mites, et humiles, ac timentes Deum filiali timore. *Custodiens parvulos Dominus*, idest, Dominus ex paterna miseratione custodiens est parvulos suos, quasi teneros filios, quibus aeternam haereditatem paravit. Et quoniam David non ignorabat, testimonium reddente Spiritu sancto spiritus ejus, se unum ex illis esse, addit, *humiliatus sum*, idest, ex parvulis esse studui, et tandem conclusit, *liberavit me*; quod de liberatione in spe intelligi debet; praesertim cum in hebraeo sit in futuro, *et liberabit me*.

7. *Convertere anima mea in requiem tuam, quae Dominus benefecit tibi.*

Liberatus homo justus in spe, gratulatur sibi ipse tantum bonum dicens, *convertere anima mea in requiem tuam*, idest, festina passibus desiderii ad locum verae, ac sempiternae quietis, ad coelestem Hierusalem, ad sinum veri Abraham, *quoniam Dominus benefecit tibi*. In hebraeo habetur, *quoniam Dominus retribuit super te*, quo verbo significatur vita aeterna esse corona justitiae, et merces operum bonorum, ut hoc loco notavit s. Basil. Itaque textum vulgati interpretis ex hebraica proprietate explicare lucebit.

8. *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lachrymis, pedes meos a lapsu.*

Declarat, quid sit bonum illud magnum, sive magna illa retributio, de qua dictum est, *benefecit tibi*, sive, *retribuit tibi*, ac dicit esse vitam beatam, et sempiternam, *qui eripuit animam meam de morte*, idest, eripuit a morte, et donavit vitam: *oculos meos a lachrymis*, idest, dedit vitam non subjectam ulli malo, sed cumulatam omni bono; *absterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, ut dicitur Apoc. 21. *Et pedes meos a lapsu*, idest, dabit vitam non solum foelicem, sed etiam securam, ac sempiternam, ut ab ea excidere numquam possim. Ita liberabit a doloribus mortis, et a periculis inferni, et in vitae foelicissimae aeternitate et securitate constituet.

9. *Placebo Domino in regione vivorum.*

Concludit psalmum dicens, quod quemadmodum ipse secure possidebit vitam optimam, et dulcissimam, quae vehementer ipsi placebit: ita etiam placebit ipso Domino vehementer, et secure *in regione vivorum*. Dicitur regio vivorum, ubi omnes ab omni parte vivunt, et ideo placent omnibus modis Deo viventi: nam in hac peregrinatione multi mortui sunt, *et qui vivunt, secundum spiritum vivunt, non secundum corpus, quod propter peccatum mortuum est*. Rom. 8. unde clamat Apostolus Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* In hebraeo habetur, *ambulabo coram Deo in terra viventium*. Sed idem est sensus: nam *ambulare coram Deo*, idest, placere oculis Dei recte, et juste vivendo. Sic legimus Gen. 5. *Ambulabit Henoc cum Deo*, et Gen. 6. *Noe fuit vir justus, atque perfectus, cum Deo ambulavit*, et Genes. 17. *Ambula coram me, et esto perfectus*, et Luc. 1. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi, in sanctitate, et justitia coram ipso omnibus diebus nostris*.

PSALMUS CXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hunc psalmum hebraei partem esse volunt psalmi superioris : sed nos distinctionem Septuaginta seniorum sequimur : nec tamen negamus, hunc psalmum immediate subjungendum esse superiori, ut s. Basilius monet. Agit enim propheta gratias Deo, et vota se persoluturum pollicetur pro salute aeterna, quam bona spe jam possidere coepit.

EXPLICATIO PSALMI CXV.

1. *Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.*

Respicit ad illa verba *placebo Domino in regione vivorum*, et quasi aliquis interrogasset, unde nosti regionem vivorum? respondet se novisse per spiritum fidei. *Credidi*, inquit, *esse regionem vivorum* quamdam, licet oculis ea non videatur, et propter hanc fidem dixi, *placebo Domino in regione vivorum*. Citavit hunc locum Apostolus 2. Cor. 4. *Habentes*, inquit, *eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est, credidi propter quod locutus sum, et nos credimus propter quod et loquimur, scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum.* Ubi b. Paulus docet, ex spiritu fidei, non ex ulla humana demonstratione, cognosci resurrectionem corporum, et veram viventium regionem, in qua cum Domino Jesu constituendi sumus. Et quoniam haec fides requirit animam vere humilem, quae se spiritui sancto plene subjiciat ad obedientiam fidei, subjungit, *ego autem humiliatus sum nimis*, idest, ego vero ideo credidi, quia non ingenio meo nitor, sed valde humilem, ac docilem me Spiritui sancto praestiti. Sic enim et Dominus ait Matth. 5. *Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis*; et in alio loco, *quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis?* Joan. 5.

2. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.*

Varie admodum hunc versiculum exponunt auctores, ut alii referant ad quamdam quasi desperationem regni obtinendi, quod Samuel Davidi promiserit, et in excessu quodam turbatus dixerit, *omnis homo mendax*, videlicet ut etiam Samuel mentitus videatur : alii referant ad populum in captivitate Babylonica constitutum, et desperantem de promissis Prophetarum, alii aliter exponunt. Sed non video, quomodo ista, et alia id genus cohaereant cum reliquis partibus hujus psalmi. Ideo magis probo sententiam Euthymii, qui haec refert ad excessum mentis, per quem propheta ascenderit ad notitiam regionis vivorum, et dixerit in comparatione ejus regionis mendacium esse quicquid homines loquuntur de foelicitate humana. *Ego*, inquit, qui humiliavi me valde, exaltatus a Domino ad mentis excessum, *in eo excessu*, videns, quam falsa et fallacia sint, quae videntur hominibus vera, et solida bona; *dixi, omnis homo mendax*, idest, omnis homo, qui humano affectu loquitur de foelicitate, et magni aestimat bona mortalia, et caduca, mendax est: vera enim est stabilia bona non inveniuntur nisi in regione vivorum. Ex hac expositione cessat objectio, quam nomine sophistarum sibi ipse proposuit magnus Basilius : Si omnis homo mendax, igitur et David, qui est homo, mendax est : ergo mentitur cum dicit, *omnis homo mendax*, ac per hoc sibi ipsi contradicit, et dictum suum ipse destruit: hoc, inquam, sophisma cessat, quia per hominem intelligitur hoc loco homo humano affectu loquens, non autem homo loquens spiritu divino afflatus. Posset etiam dici, aliud esse hominem semper mentiri, aliud esse mendacem: potest enim homo mendax aliquando vera loqui, presertim si non ex se, sed spiritu Dei loquatur : mendax enim dicitur homo, quoniam ex natura sua obnoxius est errori, et falsitati. Quoniam intelligitur, quod scribit Apost. ad rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*, idest, solum Deus mentiri nequit; homines autem omnes mendacio sunt obnoxii : sed non continuo sequitur ut perpetuo mentiantur.

3. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi.*

Animadvertens tantis se bonis cumulatum, cum et regionem vivorum Dei beneficio agnoverit, et in eam se ingressurum sperare coeperit, imo ac si jam

ingressus esset, prae laetitia exultaverit ; quaerit, quid Domino retribuere possit. *Quid*, inquit, *retribuam Domino pro his quae retribuit mihi?* Ille me de nihilo fecit, ille de iniquitate redemit, ille regionem viventium demonstravit; ille mihi etiam se daturum promisit, quid igitur ille retribuam? Quod autem dicit, *retribuit mihi*, potest simpliciter accipi, pro, *tribuit* ; ut exponit Euthymius : vel cum s. Augustino, notari liberalitas, et misericordia Dei, qui tanta bona tribuit pro tantis malis.

4. *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.*

Non desunt, qui hunc calicem exponunt de sacrificio legis veteris, quod liquoribus, et libaminibus continebatur : vel de calice conviviali, quo in memoriam acceptae salutis utebantur ; sed ista levia sunt, et sancti patres Basilius, Chrysostomus, in 2. expositione Hieronymus, Augustinus, et cum iis Theodoretus, et Euthymius magno consensu de calice patientiae, et passionis hunc locum intelligunt, de quo calice Dominus Matthaei 20. dixit, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* et Matth. 26. *Transeat a me calix iste*, et Joan. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum ?* Nec solum in testamento novo, sed etiam apud Prophetas passim accipitur calix pro amara potione tribulationis, ut Psalmo 74. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto*, et Isaiae 51. *Elevare Jerusalem, quae bibisti de manu Domini calicem irae ejus*, et Hier. 25. *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea*, et Ezech. 23. *Haec dicit Dominus Deus calicem sororis tuae bibes profundum, et lutum ; erit in derisum, et in subsannationem, et bibes illum, et epotabis usque ad faeces*, et Habac. 2. *Repletus es ignominia pro gloria : bibe tu quoque, et consopire, circumdabit te calix dexterae Domini, et vomitus ignominiae super gloriam tuam.* Dicit igitur vir justus, et amator Dei, cum nihil habeam praestantius, quod offeram Deo meo pro tam multis bonis, quae retribuit mihi, *calicem salutaris accipiam*, idest, bibam libenti animo calicem Domini, quamtumvis amarum, sive tribulationes, sive pericula mortem ipsam pro suo honore sustinere me velit : scio enim calicem hunc amarum quidem, sed salutarem futurum. Et quia de meis viribus non confido, sed in Domini adjutorio omnia possum, ideo *nomen Domini invocabo*, ut det mihi calicem suum intrepide haurire. Vocat Propheta, *calicem salutaris*, calicem salutis, idest, calicem salutiferum. Confirmat hanc expositionem consuetudo ecclesiae, quae hunc psalmum in martyrum solemnitatibus cantare solita est.

5. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

Paratus ad calicem passionis bibendum securus dicit, sacrificium laudis, et confessionis Domini, non in angulis solum, et in cubiculis, sed palam et publice coram omni populo ejus, inimicis etiam praesentibus immolabo, etiam si mortem inde mihi imminere intelligam. *Pretiosa enim* est *in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, idest, magni aestimat Dominus mortem sanctorum pro suo honore, et confessione susceptam ; quo modo apud homines magni fiunt gemmae pretiosae, quibus regum diademata ornari solent, et quibus nihil clarius apud homines invenitur. Expendit hoc loco s. Basil. gloriam martyrum, quorum non solum animae mox coronantur in coelis : sed etiam reliquiae corporum in maximo pretio habentur in terris ; antea siquidem qui tangebat cadaver hominis, immundus erat ; nunc autem qui ossa Martyrum contingit, sanctificationem acquirit.

6. *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillae tuae.*

Non superbit vir sanctus, qui se totum Deo in sacrificium offert, sed agnoscit debitum servitutis, et juxta mandatum Domini dicit, servus inutilis sum ; quod debui facere feci, *O Domine*, inquit, quid magnum feci, quod vota mea publice reddidi, neque ob timorem mortis confessionem tuam omisi? quod debui facere feci, *quia ego servus tuus sum*, redemptus de captivitate diaboli pretioso sanguine filii tui, *ego*, inquam, *servus tuus sum*, non solum redemptionis gratia, sed etiam dono creationis, *sed et filius* sum *ancillae tuae*, idest, non emptitius tantum, sed et vernaculus, quia et mater mea ancilla tua est, duplici illo nomine, creationis, et redemptionis. Dicit autem, filius ancillae tuae, non filius servi tui, quia servitus sequitur ventrem : nam si liber ex ancilla gignant filium, ille filius servus nascitur. Unde Sara Abrahamo dixit : *Ejicie ancillam et filium ejus : non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac.* Gen. 21. Itaque Ismael servus erat, quia matrem habuit ancillam, quamvis patrem habuerit liberum, videlicet Abrahamum. S. Augustinus per ancillam intelligit ecclesiam, quae est mater nostra, ancilla ex naturae debito, et libera ex gratiae munere.

7. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.*

Docet servum se Domini esse, sed virtute bona, erutum autem a servitute mala. Quo modo Dominus in evangelio hortatur eos qui laborant, et onerati sunt, ut tollant jugum suum, *quia jugum ipsius suave est, et onus ejus leve*, Matt. 11. non liberat omnino a jugo, et onere, sed tollit jugum asperum, ut imponat jugum suave, et aufert onus grave, ut imponat onus leve. Ita omnino dirupit Deus vincula, quibus a Satana alligabamur, vincula peccatorum, et onera cupiditatum, quibus ad inferos deprimebamur : et alligat jugo suavi legis divinae, et onere levissimo charitatis, quo in altum evehimur, et exaltamur ad coelum. *Dirupisti*, inquit, *vincula mea*, idest, liberasti a servitute durissima, et servum tuum esse voluisti, cum servire, regnare est. Ideo *tibi sacrificabo hostiam* perpetuae *laudis*, et non amplius invocabo falsos Deos, mammonam videlicet, et ventrem, opes et honores : quibus antea

serviebam: *sed nomen Domini*, qui solus verus est Deus, assidue *invocabo*.

8. *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini in medio tui Hierusalem.*

Haec repetitio est quinti versiculi. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus*: additur autem in atriis domus Domini in medio tui Hierusalem, ad significandum, ut s. August. monet, debere servum Dei offerre vota sua, confessionem suam, et seipsum Deo, intra ecclesiam, quae per Hierusalem significatur: qui enim extra ecclesiam id faciunt, nihil faciunt: nam, ut scribit s. Cyprianus in libro de unitate ecclesiae, haeretici occidi possunt, coronari non possunt: et eorum mors non est fidei corona, sed poena perfidiae. Posset fortasse hic versiculus referri ad coelestem Hierusalem, ut sicut supra dictum est, *vota mea Domino reddam coram omni populo ejus*, de confessione in terris: ita nunc in fine psalmi tale aliquid dicatur de confessione laudis, et votis gratiarum actionis, quae reddetur in coelis: ut hic sit sensus, *vota mea Domino reddam*, idest, et tandem diruptis vinculis omnibus, et ad perfectam libertatem filiorum Dei vocatus, sacrificium laudis, et gratiarum actionis, *immolabo in conspectu omnis populi ejus*, jam glorificati in coelis, *in atriis domus Domini*, idest, in ingressu domus Dei: de qua dicitur in psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*; nec solum in atriis, sed etiam in domo, quae domus in medio tui est, o superna gloriosa Hierusalem, quae patria nostra es, ad quam ex peregrinatione quotidie suspiramus.

PSALMUS CXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hunc psalmum omnium brevissimum declarat apostolus ad rom. 15. ubi dicit, *Christus fuisse ministrum circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum*, et allegat haec verba, *laudate Dominum omnes gentes, et magnificate eum omnes populi*. Ex quo intelligimus Prophetam hoc loco alloqui totam ecclesiam ex gentibus, et Judaeis congregatam, eamque hortari ad laudandum Deum, quod misericordiam, et veritatem erga eam ostenderit. Sed observandum est cum apostolus dicit, *gentes super misericordia debere honorare Deum*, ad Judaeos autem pertinere *veritatem*, quam Deus ostendit confirmando promissiones patrum, non esse sensum, ad Judaeos non pertinere misericordiam, sed ad gentes pertinere solam misericordiam, ad Judaeos autem misericordiam et veritatem: quia licet miserit Deus ad Judaeos Messiam, ut impleret promissiones patrum, tamen promissiones non ex meritis eorum, sed ex mera misericordia processerunt. Sic enim cecinit Zacharias Luc. 1. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti*, et hoc tractat, ac demonstrat apostolus ad rom 3. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei*, et persequitur hoc argumentum usque ad finem capitis undecimi, ubi dicit, *Conclusit Deus omnia in crudelitate, ut omnium misereatur*, et idem docet in tota epistola ad Galatas, et ad Ephes. 2. *Eramus et nos natura filii irae, sicut et caeteri.*

EXPLICATIO PSALMI CXVI.

1. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.*

Ecclesiam ut dixi, totam alloquitur, et ad laudandum Dominum cohortatur: intelligit autem per gentes, ut apostolus monuit, gentilitatem conversam ad fidem, quam primo loco posuit, quia videbat multo majorem partem Ecclesiae ex gentibus, quam ex Judaeis congregandam. Per *populos* autem intelligere videtur populos, sive tribus Judaeorum, similiter ad fidem conversorum, ut hoc loco notavit in commentario s. Hieronymus, et similia verba psalm. 2. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* exposuerunt Apostoli Act. per gentes, gentiles; et per populos, Judaeos intelligentes.

2. *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: et veritas Domini manet in aeternum.*

Ratio laudandi Deum est, *quoniam misericordia Domini stabilita est* per adventum Messiae supe

gentes, et super Judaeos. Fundata enim est ecclesia ; *adversus quam portae inferi non praevalebunt*,Matt.26.et constitutum est regnum,cujus non erit finis. Nec solum misericordia confirmata est, sed etiam *veritas promissionum adimpleta*,in aeternum amplius non mutabitur.

PSALMUS CXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Aileluja.

Psalmus hic de Davide exponi potest ad litteram, ut facit s. Joannes Chrysostomus, tamen convenit etiam toti populo Christiano, cujus figuram David gerebat,et hanc expositionem persequitur sanctus Augustinus. Canit autem tum David, tum populus Dei multa beneficia Dei; sed illud potissimum,quo Christum, lapidem angularem, extulit in summum aedificium, ut duos parietes connecteret et conti - neret,quod factum est in die resurrectionis,et ide o ecclesia canit hunc psalmum in Dominica die a d primam, et verba illa ex hoc psalmo, *haec dies , quam fecit Dominus, exultemus , et laetemur in ea*, resurrectioni applicat, et per octavam Pasch ae frequentissime cum jubilo canit.

EXPLICATIO PSALMI CXVII.

1. *Confitemini Domino,quoniam bonus,quoniam in saeculum misericordia ejus.*

Invitat David omnes ad laudandum Deum, et rationem dedit, *quoniam bonus*, nihil brevius,nihil grandius dici potuit : nam solus Deus proprie , et simpliciter bonus est, et nihil jure laudari potest, nisi bonum; addit, *quoniam in saeculum misericordia ejus*, ut ostendat ab effectu Deum esse bonum,ac per hoc etiam laudabilem.Nam bonitas Dei nulla in re magis cognosci potest a miseris, quam in misericordia. Misericordia enim nos creavit,misericordia redemit, misericordia protegit , misericordia coronabit,ita usque in saeculum misericordia ejus.

2. *Dicat nunc Israel quoniam bonus,quoniam in saeculum misericordia ejus.*
3. *Dicat nunc domus Aaron, quoniam in saeculum misericordia ejus.*
4. *Dicant nunc qui timent Dominum,quoniam in saeculum misericordia ejus.*

Explicat qui sint,quos invitaverat ad laudandum Deum, et nominat primo loco Israelem, idest, populum Israeliticum , quoniam inde fuerunt omnes apostoli , qui primi crediderunt , et ecclesiam inchoarunt.Secundo nominat domum Aaron,quia post apostolos, *magna turba sacerdotum obedire coepit fidei*, ut dicitur Actor. 6. denique addit,*omnes qui timent Dominum*, quales fuerunt omnes gentiles, qui crediderunt, et ecclesiae jam inchoatae se adjunxerunt.Itaque totam ecclesiam ex Judaeis, et gentibus collectam invitat ad laudandum Deum.

5. *De tribulatione invocavi Dominum,et exaudivit me in latitudine Dominus.*

Incipit declarare materiam laudis divinae, quod in angustia positus cum esset,invocavit Dominum, et Dominus continuo exaudiens posuit illum in latitudinem; opponit enim pulcherrime angustias latitudini. *Ego*, inquit,*de tribulatione invocavi Dominum*, idest, cum essem *in tribulatione*, sive,*in angustia*,ut sonat vox hebraica , מצר *hammetsar*, *invocavi Dominum*, idest,non merita mea jactavi , non conquestus sum quod injuste paterer persecutionem, sed ad misericordiam Dei confugi, *et exaudivit me in latitudine Dominus*, idest, exaudivit me,et de angustiis in latitudinem transtulit.Sicut autem per angustias significatur tribulatio, ita per latitudinem significatur liberatio a tribulatione. Quod autem id possit David de persona sua merito dicere, notissimum est ex psalm. 17.et 53. et ex aliis multis. Quod idem etiam conveniat ecclesiae non minus est notum. Certe initio nascentis ecclesiae, cum Herodes s. Petrum ecclesiae totius pastorem et principem iclusisset in carcerem, *oratio fiebat ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo*: Act. 12. et continuo exaudita est,et maximo miraculo de summis angustiis tribulationum in latitudinem magnae consolationis educta est,et quoties de angustiis variarum persecutionum Neronis,Decii,Diocletiani,et similium Tyrannorum ad latitudinem pacis,et quietis Deo miserante transivit, toties dicere potuit, *De tribulatione invoca-*

vi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.

6. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.*
7. *Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos eorum.*

Experimento proprio doctus David, sive populus Dei, magna fiducia exultat, et non dicit, *Dominus mihi adjutor* est, nihil deinceps patiar: scit enim se adhuc peregrinum inter hostes multa passurum: sed dicit, *Dominus mihi adjutor*, supple, est, *non timebo quid faciat mihi homo*, idest, non turbabor propter mala quae mihi infert homo: quia Dominus omnia convertet in bonum. Sic enim Dominus monuit, *nolite timere eos qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant*, Matth. 10. *Nam capillus de capite vestro non peribit*, Luc. 21. et apostolus, *Momentaneum, et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operatur in nobis*, 2. Corinth. 4. Quare merito addit, *et ego despiciam inimicos meos*, quippe qui saeviendo in corpus gloriae meae deserviunt.

8. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.*
9. *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.*

Deducit ex dictis utilem admonitionem de spe collocanda in Deo, non in hominibus quantumvis potentibus: Deus enim et potest, et vult confidentes in se juvare; homines autem saepe non possunt, saepe etiam variis passionibus acti nolunt. Quod expertus fuerat David, cui aliquando speravit in Saule rege suo, alias in Achis rege Cetheo, alias in Achitophel consiliario prudentissimo, alias in aliis, et in nullo fidem invenit: in Deo autem numquam sine prospero eventu speravit. Ait igitur monens omnes, *bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*, idest, magis quam confidere in homine. *Bonum est sperare in Domino*, magis *quam sperare in principibus*, terrenis videlicet. Haec comparatio accomodata est infirmitati humanae, cui nota est potentia hominum, et maxime principum; Dei autem potestas occulta est plurimis, qui neque vident, neque considerant: fortasse etiam non credunt magnitudinem Dei; alioqui dicendum fuisset, bonum est sperare in Domino, malum autem sperare in homine. Sic enim ait Hieremias cap. 17, *Maledictus homo, qui confidit in homine*. Neque tamen malum est spem aliquam collocare in adjutorio angelorum, vel hominum bonorum, quia haec spes ad Deum refertur, quia non solum per se, sed etiam per suos adjuvat confidentes in se.

10. *Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*
11. *Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*
12. *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*

Ostendit exemplo suo, quam sit bonum confidere in Domino, cum ipse non semel, sed saepius obsessus a magna multitudine hostium, Dei adjutorio ita liberatus fuerit, ut hostes suos prostratos viderit: notum est si de persona Davidis agatur, quam saepe a Saule cum magna manu obsessus fuerit, et mirabiliter liberatus: sed notius est, quam saepe populus Dei a Regibus potentissimis, et a populis innumerabilibus persecutiones gravissimas perpessus divinam ultionem viderit. Verba sunt paulo obscuriora, quoniam vulgatus interpres voluit omnes voces hebraicas exprimere, et phrasis hebraica phrasi latinae non respondet. Clarius reddidisset, ut graeci fecerunt, si omisisset illud, *quia*, et illud, *in*, ac dixisset, *omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini ultus sum in eas*. Illud enim, *quia*, et illud, *in*, redundant, et illud, *eos*, est masculini generis, quia vocabulum hebraicum גּוֹיִם *goim*, quod gentes significat, est etiam generis masculini. Itaque interpres fideliter vertit, et quod in graeco deerat, addit ex hebraeo. Sensus autem hic est, *omnes gentes*, idest, tota fere multitudo gentium, *circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum in eas*, idest, in virtute Dei vidi ultionem, quia Deus ultus est innocentiam meam, dum hostes prostravit, ac delevit: addit autem, *circumdantes circumdederunt me*, ut ostendat non quomodocumque se fuisse circumdatum, sed ita arcte obsessum, ut nullum pateret effugium: addit etiam, *circumdederunt me sicut apes, et sicut ignis in spinis*, ut ostendat multitudinem, et vehementiam hostium; nam apes in tanta copia circumdant favum, ut numerari non possint: et ignis tanto impetu corripit spinas aridas, ut in puncto temporis eas consumat. In hebraeo habetur, דָּעֲכוּ *dohachu, Exlinctae, vel consumptae sunt gentes*, videlicet *sicut ignis in spinis*. Sed non est verisimile septuaginta Interpretes, vel auctorem vulgatae editionis latinae reddidisse contrarium sensum, neque satisfaciunt qui dicunt, non esse contrarium sensum, exardescere ignem in spinis, et consumi ignem in spinis, quia utraque lectione significatur celeritas actionis ignis in spinas, qui mox ut exarserit extinguitur. Qui hoc dicunt, ideo non satisfaciunt, quoniam David subjungit, *et in nomine Domini ultus sum in eos*, quod non diceret, si inimici ejus antea fuissent extincti, sive consumpti. Existimo igitur septuaginta Interpretes vocem illam, דָּעֲכוּ *dohachu*, accepisse in significatione activa, qualem habet in conjugatione *Pihel*, et *Pahal*, non in passiva: et ideo non vertisse, *extinctae*, vel *consumptae sunt*, sed *consumere cupierunt*, sive exarserunt ad consumendum, sicut ignis in spinis.

13. *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.*
14. *Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.*

Amplificavit hactenus multitudinem; et atrocitatem inimicorum: nunc confitetur infirmitatem suam, quae tanto robori par esse non poterat, ut hinc magis agnoscatur gloria Domini. Ego inquit, tantae violentiae resistere non poteram; ideo ab hostibus im-

pulsus in ruinam jam eversus ruere coeperam,*sed Dominus* in tempore *occurrens sustentavit me.* Referri potest hoc ad pericula amittendae vitae corporalis, in quae saepe incidit David. Referri etiam potest ad pericula spiritualia gravissimarum tentationum,in quae incidebat populus Christianus tempore persecutionum, qui propterea agnoscens, et confidens non suis viribus,sed ex gratia Dei vicisse, dicit, *Fortitudo mea, et laus mea Dominus*,idest, Dominus est fortitudo mea, quia viribus ejus vinco,*et ipse idem est laus mea*,quia semper eum laudare debeo, *et ipse factus est mihi in salutem*, ipse Salvator meus fuit.

15. *Vox exultationis, et salutis in tabernaculis justorum.*

Ex liberatione Davidis gavisi sunt justi,qui eam liberationem scire potuerunt; sed multo magis ex liberatione populi Christiani de ingenti persecutione, orta *est vox exultationis,et vox salutis*,idest, *salutem annuncians in tabernaculis justorum*:ubique enim resonat vox latitiae,et nuncius salutis. Notat s. Chrysostomus,justos hic in terris non habere domos stabiles,sed tabernacula peregrinorum, vel militantium.

16.*Dextera Domini fecit virtutem,dextera Domini exaltavit me:dextera Domini fecit virtutem.*

Haec est vox exultationis et salutis, quae resonat in tabernaculis justorum, quod *dextera Domini*, idest, virtus et potentia filii Dei *fecit virtutem*, idest, operata est fortiter, ac potenter: nam Filius Dei dicitur in scripturis brachium Domini, sive manus ejus dextera, quia pater per filium omnia fecit, et facit. *Omnia per ipsum facta sunt*, Joan. 1. *Per quem fecit et saecula*, ad hebr. 1. et Isaiae 53. *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est.* Luc. 1. *Fecit potentiam in brachio suo,Dextera Domini exaltavit me*, idest, in hoc dextera Domini fecit virtutem,quod depressit inimicos meos,et me exaltavit: sive id de Davide, sive de populo Dei intelligatur. *Dextera Domini fecit virtutem*, id repetitur laetitiae causa.In hebraeo non habetur, *dextera Domini exaltavit me*, sed *Dextera Domini excelsa*, ut vertit s. Hieronym. vel *Dextera Domini exaltans*: utrumque enim significat vox, רוממה *romema.* Hanc secundam significationem secuti sunt septuaginta interpretes, et addiderunt, *me*,ut sensus sit;*dextera Domini exaltans me fuit*,quod est idem cum illo, *Exaltavit me.*

17. *Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.*
18.*Castigans castigavit me Dominus,et morti non tradidit me.*

Pergit idem, sive David, sive populus Domini commemorare beneficium Domini, qui persecutiones permittit, ut pater, non ut hostis, ad purgationem, non ad mortem, quasi diceret, quantumvis magnas persecutiones passus sim,et adhuc patiar; tamen non moriar, sed vivam, idest, non exterminabor, non deficiam omnino, ut adversarii vellent; sed permanebo, et narrabo opera Domini, *qui castigans castigavit me* paterno flagello, *sed morti non tradidit me.*

19.*Aperite mihi portas justitiae,ingressus in eas confitebor Domino. Haec porta Domini, justi intrabunt in eam.*

Ex acceptis beneficiis sumit animum aspirandi ad majora, ac petit introduci tandem in coelestem Hierusalem in qua nulli injusti habitant. *Aperite*, inquit, *mihi portas justitiae*, idest, portas regni coelorum, quae ex justitia constant: Porta enim gloriae justitia est. *Quaerite*, inquit Dominus Matth. 6. *Primum regnum Dei, et justitiam ejus.Ingressus in eas confitebor Domino*, quoniam, *qui habitant in domo Domini,in saecula saeculorum laudabunt te*, psalm. 83. *Haec porta Domini, justi intrabunt in eam.* Haec porta justitiae est vera porta, et unica quae ducit ad Dominum: et ideo justi soli intrabunt in eam. Alii aliter exponunt,videlicet de portis templi, vel civitatis Jerusalem. Sed nos secuti sumus Augustinum,Chrysostomum, et Hieronymum; neque verum est,quod per portas templi, vel civitatis terrenae Jerusalem, soli justi intrarent.

20. *Confitebor tibi quoniam exaudisti me,et factus es mihi in salutem.*

Declarat quod dixit, *ingressus in eas confitebor Domino.* Dicit enim, *confitebor tibi*, quando videlicet ingressus ero in coelestem Jerusalem per portas justitiae, *quoniam exaudisti me*: nam etiamsi multa, et varia justi petant in hoc mundo, tamen omnia tendunt ad unam petitionem,de qua dicitur in psal.26.*Unam petii a Domino,hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* De hac igitur petitione dicit, *confitebor tibi quoniam exaudisti me*,et clarius adhuc exponit dicens, *et factus est mihi in salutem*,idest,qui eras spes mea, factus es salus mea: qui eras viaticum, factus es praemium.

21. *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.*
22. *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.*

Hos versiculos aliqui recentiores de Davide exponunt ad litteram, quem dicunt *factum fuisse in caput anguli*, quando factus est rex super Israelem, et Judam:sed Davidem figuram gessisse Christi, qui factus est in caput anguli, cum factus est caput ecclesiae, ex Judaeis, et gentibus congregatae. Caeterum sancti patres absolute exponunt de Christo, nulla mentione facta Davidis. Imo s.Joannes Chrysostom. qui priores partes de Davide exponit ad litteram, hoc loco scribit. Prophetam de improviso mutasse argumentum,et de Christo prophetasse. Adde quod Christus ipse pubblice hunc locum tamquam ad se proprie spectantem allega-

vit Matth.21. Marc.12. et Luc. 21. neque ullus respondit, de Davide haec verba esse intelligenda. Sanctus etiam Petrus Act.4.iterum coram omni populo hunc locum allegavit tamquam proprie de Christo scriptum, neque ullus contradixit. Sanctus etiam Paulus ad rom.9.et s.Petrus 1.Epist. cap.2. allegant Isaiam cap. 18. de hoc lapide angulari, summo, electo,probato, etc.Denique idem apostolus ad Ephes.2. Vocat Christum *angularem lapidem summum*. Certe non auderem,scripturam ita celebrem, et decantatam a Christo et Apostolis explicatam, ullo modo cum Davidis persona communicare. Accedit quod David non fuit primus,neque solus rex super Israelem et Judam,ut ideo meruerit dici lapis angularis ; nam ante ipsum fuit Saul rex super utrumque populum , et post eum Salomon: neque Israel, et Judas erant proprie duo populi, sive duae gentes diversae, ut sunt hebraei,et Gentiles. Igitur omissa illa expositione, dicendum est, quod cum David in persona sua,et populi Dei decantasset liberationem a temporalibus malis, et petiisset introitum in aeternam salutem, declarat nunc quomodo Deus aperuerit viam ad hanc aeternam salutem , et sine dubio auctus majore lumine prophetico hos versiculos scripsit.*Lapidem,quem reprobaverunt aedificantes , hic factus est in caput anguli*, idest, misit Deus lapidem vivum,pretiosum,electum in terras; sed Judaei,ad quos tunc pertinebat officium aedificandae ecclesiae , hunc lapidem reprobaverunt , dicentes de Christo , *non est hic homo a Deo,qui Sabbathum non custodit*; et, *non habemus regem nisi Caesarem*, et, *seductor ille dixit, post tres dies resurgam*,et similia. Sed hic idem lapis ab aedificantibus reprobatus quasi inutilis ad aedificium spirituale, a Deo principali architecto *factus est in caput anguli*, idest, constitutus est super duos parietes,ut eos conjungeret, et contineret , idest , factus est caput totius ecclesiae ex hebraeis, et gentibus congregatae, et tale caput ut qui sub eo non aedificatur,salvus esse non possit: et omnis, qui sub ipso tamquam lapis vivus aedificatur, omnino salvandus sit. Atque hoc *a Domino factus est*, idest, electione,et potestate divina, non consilio, vel ope humana,et ideo *mirabile est in oculis nostris*. Quis enim non miretur, hominem crucifixum, et mortuum,ac sepultum,post tres dies resurgere immortalem cum amplissima potestate, et caput, ac principem declarari omnium hominum et angelorum, et eum aditum patefieri hominibus mortalibus ad regnum coelorum, ad societatem angelorum, ad beatam immortalitatem.

23.*Haec est dies,quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.*

Haec dies, qua id factum est , est proprie dies, *quam fecit Dominus*,et ideo ob tantum beneficium, *exultemus et laetemur in ea*. Haec sine dubio est dies resurrectionis Dominicae ; quamvis enim ab ipsa conceptione propter unionem hypostaticam Dominus Jesus fuerit Christus, et caput ecclesiae: unde pastoribus ab angelo dictum legimus,*annuncio vobis gaudium magnum,quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David*:tamen debuit prius reprobari ab hominibus, et humiliari usque ad mortem crucis,et postea exaltari per resurrectionem, et tunc declarari summus angularis lapis , et praedicari per omnes gentes,*quod non esset in alio aliquo salus*,ut dicitur Act. 4. Unde ipse etiam dixit Matth.28. *Data est mihi omnis potestas in coelo,et in terra.Euntes ergo docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.Dicitur autem dies resurrectionis dies,quam fecit Dominus, vel quia Christus resurgens, ut Sol Justitiae, novo modo fecit eum diem, vel quia peculiariter Deus eam diem sibi consecravit : vel , *haec est dies , quam fecit Deus* ad hunc finem , *ut exultemus et laetemur in ea.*

24. *O Domine salvum me fac , o Domine bene prosperare; benedictus , qui venit in nomine Domini.*

Has laudes Christo dixerunt turbae in die Palmarum , ut s. Hieronymus annotavit in commentario ad cap.23. Matthaei.Quod enim illi dixerunt,*osanna , benedictus qui venit in nomine Domini* , in hoc versiculo nos habemus, הוֹשִׁיעָה נָא *hosciha na*,sed in evangelio relinquitur vox hebraica,*osanna* ; hic explicatur per illa verba , *o Domine salvum me fac*. Itaque Dominus in die palmarum voluit visibiliter exhibere , et quasi praeoccupare triumphum quem acturus erat visibiliter in die resurrectionis.Non enim poterat illi juste objici,quod triumphum ageret ante victoriam,quoniam de victoria certissimus erat.Propheta autem sicut praevidit et praedixit , Christum ut lapidem reprobandum tempore passionis , et postea a Deo exaltandum in caput anguli tempore resurrectionis : ita praevidit et praedixit ipsa verba, quae turbae dicturae erant in die triumphi Christi in die palmarum,quo significaretur triumphus resurrectionis, et optime accidit, quod utraque dies et palmarum et resurrectionis esset dies Dominica. Ait igitur , *exultemus , et laetemur in hac die*, dicentes, *o Domine salvum me fac*: in hebraeo non est aliud, *me*, sed simpliciter , *Osanna*, idest *salva obsecro*. Graeci tamen addiderunt explicandi gratia. *O Domine bene prosperare*, nimirum in inchoato isto regno tuo,*benedictus qui venit in nomine Domini*, idest, benedicatur ab omnibus Messias,rex noster,*factus in caput anguli , qui venit in nomine Domini* , idest , non a seipso venit, non sibi regnum usurpavit, ut faciet Antichristus:sed venit missus a patre suo,Domino coeli, et terrae ; sic enim explicavit Christus ipse, Joan. 5.

25. *Benedictus vobis de domo Domini Deus Dominus, et illuxit nobis.*

26. *Constituite diem solemnem in condensis , usque ad cornu altaris.*

Explicata tota prophetia adventus Christi , et triumphi ejus , convertitur Propheta ad populum , atque illum exhortatur ad celebrandum diem festum solemnem in gratiarum actionem. *Benedici-*

mus,inquit,*vobis de domo Domini*, idest, nos Prophetae benedicimus vobis populi fidelibus annunciantes mysteria divina in salutem vestram,*benedicimus autem de domo Domini*, idest, vobis qui estis de domo Domini, vel nos ex domo Domini,unde haec ex revelatione didicimus,*benediximus vobis*. Summa autem est , *Deus Dominus* , *et illuxit nobis*, idest, Dominus noster ipse est verus Deus, et ipse illuxit nobis ostendens nobis lucem miserationum suarum. Propterea *constituite diem solemnem*,idest,agite diem solemnem *in condensis*, idest, densos virides ramos adferentes,et ornantes templum *usque ad cornu altaris*. Ista varie exponuntur secundum ritus Judaeorum quae ad nos nihil pertinent.

27. *Deus meus es tu, et confitebor tibi,Deus meus es tu, et exaltabo te.*
28. *Confitebor tibi, quoniam exaudisti me,et factus es mihi in salutem.*
29. *Confitemini Domino,quoniam bonus,quoniam in saeculum misericordia ejus.*

Haec est repetitio dictorum, affectum Prophetae demonstrans.

PSALMUS CXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hic psalmns tribus in rebus omnibus aliis antecellit.Primo utilitate:est enim totus moralis,et hortatorius ad vitam secundum legem Domini instituendam; et ea causa est, cur quotidie ab ecclesia frequentetur. Secundo longitudine; continet enim versus centum septuaginta sex , cum psalmus septuagesimus septimus, qui ex reliquis longissimus est,non ascendat ultra versus septuaginta octo.Causa hujus tantae longitudinis fortasse fuit, ut populus haberet in quo pie, et cum fructu occuparetur, dum ter in anno ex omni parte ad tabernaculum ascenderet : videtur enim psalmus compositus , ut in itinere caneretur , quo psalmo finito sequuntur psalmi graduales , qui in ascensione graduum tabernaculi canebantur. Tertio, elegantia,et artificio alphabetico: siquidem primi octo versus incipiunt singuli a prima litera alphabeti , sequentes octo a secunda, et sic deinceps,ita ut octies totum alphabetum repetatur. Hujus rei causam non aliam esse arbitror, nisi ad memoriam adjuvandam , cum hic psalmus memoriter recitandus , vel concinendus esset.Explicant hunc psalmum diligenter sancti patres, Hilarius,Ambrosius,Augustinus, Hieronymus, et innumerabiles alii,tum veteres,tum recentiores. Argumentum psalmi est encomium legis divinae,et exhortatio ad eam servendam , sed interim admiscentur varii affectus, et precationes ad Deum.

EXPLICATIO PSALMI CXVIII.

Aleph.

1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

Rectissimo ordine primum argumetum ad suadendam praestantiam,et utilitatem divinae legis ducit propheta a beatitudine , quae est ultimus finis hominis: nam in scientia morali, id est finis quod sunt prima principia in scientia naturali.Est autem hic sensus primi versiculi,*beati* sunt qui in via hujus vitae non inquinantur luto,vel sordibus peccatorum, illi autem sunt, qui non inquinantur, ac per hoc beati sunt,*qui ambulant in lege Domini*,idest, qui dimissis aliis viis , eligunt viam legis Domini, quae sola mundissima, et nitidissima est. Sed singula verba expendamus. Illud,*beati*,significat tum foelicitatem aeternam , quae sola est perfecta beatitudo; tum foelicitatem temporalem, qualis in hac vita haberi potest.Itaque sensus est,Beati erunt aeterna foelicitate , et nunc etiam beati sunt, idest, laeti , atque quieti , nihil in hoc mundo cupientes qui vivunt sine macula peccati,eo quod *ambulant in lege Domini*.Quod enim recta via ad coelestem beatitudinem sit observantia legis Dei, docet Christus Matthaei cap.19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*.Quod etiam in hac vita nulli sint foeliciores iis, qui recte,ac pie vivunt,notum est tum experientia , tum ratione: nam beatus est, qui habet quicquid vult,et nihil mali vult.Viri iniqui multa mala volunt , et multa non habent eorum , quae volunt. Viri justi nihil mali volunt, et habent quicquid volunt, quia solum Deum volunt , et ejus voluntatem implere cupiunt. Illud, *immaculati*,non significat carentiam omnis peccati, etiam venialis. Sic enim nulli essent in hac vita immaculati , sed

significat carentiam omnis peccati lethalis, quod solum proprie inducit maculam. Videtur autem sumpta metaphora a maculis quae contrahunt inter ambulandum, cum iter facimus per vias lutosas, aut pulverulentas, aut alio modo sordidas. Illud, *in via*, significat in vita hac mortali, quae aptissime dicitur via, cum semper mutetur, et, ut ait Job cap. 10. *Numquam in eodem statu permaneat*, sed ab initio nascendi decurrat sine intermissione usque ad metam moriendi. Denique illud, *in lege Domini*, significat legem Domini esse quamdam viam rectam, et mundam, cum peccatum omne prohibeat. Opponitur autem lex Domini legi carnis, de qua apostolus ad rom. 8. *Quae est via cupiditatum*, et plena pulvere superbiae, coeno luxuriae, et aqua sordida avaritiae.

2. *Beati qui scrutantur testimonia ejus; in toto corde exquirunt eum.*

Declarat priorem versiculum, ac docet, non sufficere quamcumque legis observantiam ad beatitudinem acquirendam. Multi enim superficie tenus observant legem, dum non occidunt, non furantur, non moechantur, sed non vere ambulant ut oportet ad acquirendam foelicitatem in lege Domini, quia forte oderunt proximum suum, retinent opes superfluas, cum meretricibus fornicantur. Oportet igitur, si quis beatus esse velit, *ut scrutetur omnia testimonia Domini*, idest, consideret diligenter sensum totius legis, quae dicitur testimonium, quia testificatur nobis Dei voluntatem; qui enim scrutatur legem, invenit, non solum prohiberi homicidium, per legem *non occides*; sed prohiberi etiam odium, et iram, ut Dominus exposuit Matth. 5. imo juberi amorem, quia finis omnis legis est dilectio, et qui dicit *non occides*, ideo dicit, ne laedatur dilectio, et hoc idem intelliget de aliis praeceptis, qui ea scrutabitur. Ille autem scrutatur testimonia ejus, *qui ex toto corde exquirit eum*: qui enim serio Deum quaerit, et toto corde desiderat ejus gratiam in hoc mundo, et ejus praesentiam in futuro; is sine dubio in omni opere suo diligenter scrutatur quae sit voluntas ejus, et secundum eam ambulare conatur. Exemplum habemus in viatoribus: qui enim ad aliquam civitatem quam citissime pervenire cupiunt, ii sollicite scrutantur et quaerunt a quibuscumque obviis, quae sit recta, et commoda via ad eam civitatem; qui vero deambulant animi gratia, neque propositum habent locum, quo ire cupiant, non multum laborant de via. Ait igitur propheta, *beati qui scrutantur testimonia ejus*, idest, dixi beatos qui ambulant in lege Domini: sed explico, me beatos dicere voluisse illos, qui ita ambulant in lege Domini, ut diligenter scrutentur sensum totius legis, et voluntatem legislatoris: id quod illi soli faciunt, *qui ex toto corde exquirunt Deum*, nihil creatum illi anteponentes, vel aequantes, neque amorem cordis inter Deum, et creaturam dividentes, sed solum Deum diligentes in se, et creaturas propter ipsum.

3. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.*

Probat quod supra dixit, eos esse immaculatos, qui ambulant in lege Domini. Probat autem, quoniam nullus eorum, *qui operantur iniquitatem*, ac per hoc iniquitati inveniuntur in itinere, *in viis*, i-dest, legibus Domini ambulavit, id enim manifestum signum est, solam viam Domini cum omnes sancti ambulent in viis Domini, praestare immaculatos ambulantes in se. Erit igitur argumentum a contrario sensu, *qui operantur iniquitatem*, et consequenter maculati inveniuntur, non ambulaverunt in viis Domini: igitur qui ambulant in viis Domini non operantur iniquitatem, et proinde immaculati sunt. Movet hoc loco s. Augustinus quaestionem, ut ipse dicit, gravissimam, quomodo qui operantur iniquitatem, non ambulent in viis Domini, et tamen dicant cum sancto Joanne 1. Epist. cap. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; et, *omne peccatum est iniquitas*, eodem Joanne teste 1. Epist. cap. 3. Sed responderi potest. eos, qui operantur iniquitatem, non ambulare in viis Domini, quatenus operantur iniquitatem, qui enim operantur iniquitatem lethalem, ambulant contrariam viam viae Domini; qui operantur iniquitatem venialem, ambulant praeter viam Domini. Porro sancti viri ambulant in viis Domini, quia voluntatem habent in lege Domini, et in ea semper habitualiter manent, et si quando divertunt a via, quia operantur praeter legem Domini; mox per poenitentiam, et confessionem redeunt in viam.

4. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.*

Alterum argumentum ducit Propheta ab excellentia Legislatoris, quasi dicat, haec mandata non sunt mandata hominum, sed Dei, et Dei qui omnino vult a servis suis debitam obedientiam. Sed ut argumentum majorem vim habeat, alloquitur ipsum Deum, dicens, *tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, idest, tu Domine, qui libere potes servis imperare, et qui potes inobedientiam severissime ulcisci, et qui non potes ignorare, vel oblivisci praevaricatores, *tu*, inquam, *mandasti*, non consilium dando, sed plane imperando, *mandata tua custodiri*, non negligenter, et oscitanter, sed diligentissime, et summo zelo. Quis igitur erit, qui non continuo applicet animum ad parendum?

5. *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas.*

Ex auctoritate tanti legislatoris, et tam severe jubentis, motus propheta, optat quam diligentissime Dei mandata servare. Sed hoc proponit in persona sua, ut exemplo suo persuadeat omnibus aliis obedientiam exhibere Deo. Si enim ipse rex et princeps supremus, ita tremit ad mandata Domini, et tanto affectu cupit illa implere, quid facere debent homines privati? *Utinam*, inquit, *dirigantur viae meae*, id est, actiones meae, consilia mea, sermones mei, *dirigantur*, idest, conformentur rectitudini legis tuae. *Ad custodiendas justificationes tuas*, i-dest, ad observandas leges tuas: lex enim Domini

variis nominibus in scripturis, atque in hoc potissimum psalmo appellatur, ut quoniam saepissime mentio ejus facienda est, verborum varietate lectoris fastidium minuatur. Igitur nunc dicitur lex, nunc praeceptum, nunc mandatum, nunc sermo, nunc eloquium, nunc verbum, nunc alia, quae perspicua sunt: interdum dicitur testimonium, ut supra monuimus, quoniam lex testificatur voluntatem Dei: interdum Justificatio, ut hoc loco, quia justificat observatores suos, idest, justiores facit, juxta illud Apostoli rom. 2. *Factores legis justificabuntur*. Dixi autem justiores fieri, qui legem observant, quoniam prima justificatio, qua ex peccatoribus efficimur justi, non potest legi tribui, sed gratiae, dicente eodem Apostolo Gal. 2. *Si ex lege esset justitia, ergo Christus gratis mortuus est.*

6. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*

Colligit magnum fructum ex directione viarum suarum ad custodiendas justificationes Domini. Qui enim attendunt magnitudinem tanti legislatoris, si forte dum operantur, non respiciant ad regulam divinae legis, et inveniant postea opera sua distorta, et non conformia rectitudini legis Dei, miro modo confunduntur, et erubescunt, neque audent oculos ad Deum levare, dicentes intra se: *quis ego sum, qui opera mea, aut verba mea, aut cogitationes meas ausus sum non conformare rectitudini mandatorum summi Legislatoris*? qui ea tanto zelo custodiri jussit? David igitur magnum fructum existimat, ut vere est non habere causam tantae confusionis ideo dicit optavi dirigere vias meas ad custodiendas justificationes Domini, *quia tunc non confundar*, neque erit cur erubescam coram te Domine, *cum perspexero in omnibus mandatis tuis*, idest, cum respexero in omnibus actionibus meis ad regulam mandatorum tuorum, ut rectitudini ejus conformem omnes actiones meas. Porro phrasis est linguae hebraicae, *perspicere in mandatis*, pro eo quos nos dicimus, perspicere ad mandata. Ex his intelligimus quantum distent a spiritu, et pietate Davidis, qui tam multa faciunt opera distorta, et nullo modo conformia legibus Dei, et tamen confusionem illam internam non concipiunt, quia magnitudinem legislatoris non considerant.

7. *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiae tuae.*

Addit, quod non solum non confundentur, sed etiam gratias aget Deo, quod ejus gratia, et adjutorio didicerit observantiam legis divinae. *Confitebor*, inquit, *tibi*, idest, laudabo te, et gratias agam tibi, sive confitebor laudes tuas, et gratiam tuam: *in directione cordis*, idest, in rectitudine cordis, sive rectissimo corde; confitebor autem laudes tuas, *in eo quod didici*, id est, propterea quod gratia tua adjuvante didici, *judicia justitiae tuae*, idest, justissimas leges tuas. Est autem hoc loco observandum, illud, *didici*, non significare simplicem cognitionem, quae ad intellectum pertinet, sed certam persuasionem, et approbationem, quam illi soli habent, qui re ipsa legem observare firmissime apud se constituunt, quomodo accipitur vox discendi Joan. 6. ubi Dominus ait, *omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*: illi enim discunt a patre coelesti, qui intus in corde per infusionem Spiritus sancti certo persuadentur, bonum esse credere vel converti, vel legem servare, etc. nascitur autem haec persuasio ex rectitudine cordis; quia rectis corde optimus videtur Deus, juxta illud psal. 72. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*, quibus autem placet Deus, non possunt non placere omnes voluntates Dei, quae per praecepta manifestantur: quare et ipsa praecepta mirifice placent. Porro per, *judicia justitiae*, intelliguntur eadem praecepta legis divinae, quae nunc dicuntur judicia, nunc justitiae, nunc etiam judicia justitiae. Judicia dicuntur, quia sunt quaedam sententiae a Deo judicatae optimae, sive quaedam decreta, et statuta divina; dicuntur justitiae, quia sunt regulae justitiam continentes; dicuntur denique judicia justitiae, quia sunt judicia et decreta justissima. Itaque sensus versiculi est, laudabo te recto corde, ex eo quod persuasus sum leges tuas esse justissimas, et omnino custodiendas, quos totum non ex me, sed ex gratia tua me habere confiteor.

8. *Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.*

Haec est conclusio primi octonarii, quasi dicat: Igitur cum lex tua custodita faciat beatos, et a te summo legislatore sit proposita, et severissime observari mandata; ego *justificationes tuas custodiam*, idest, decrevi et statui omnibus custodire: sed tu quoque vicissim non me deseras auxilio, et gratia tua, sine qua nihil possum: et si forte justo tuo judicio ad modicum deseras me, ut intelligam infirmitatem meam, et ad te confugere, atque in te confidere discam, saltem *non me derelinquas usquequaque*, idest, omnino, et in perpetuum. In hebraeo habetur, עַד מְאֹד *had meod, usque nimis*, sive *usque valde*: quod in eamdem sententiam recidit. Sanctus enim David, bene noverat, nullum esse in hac peregrinatione, qui aliquando non sentiat gratiae subtractionem: ait enim in alio loco, *ego dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum*; *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus*, psal. 29. et in hoc ipso psal. 118. saepe David repetit, se didicisse mandata Domini, et non minus saepe rogat doceri eadem mandata.

Beth.

1. *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.*

Laudavit legem Dei a fine et ab auctore: nunc laudat ab utilitate, quam affert ei, cui datur; et quoniam nullus magis indiget lege, quam ingrediens iter vitae, idest, adolescens; ideo de illo peculiariter loquitur. Adolescens enim primo indiget lege Dei, quia in ipso maxime viget lex membrorum: secundo quia nondum acquisivit prudentiam proprio

experimento: tertio,quia sicut viatori maxime prodest initio itineris invenire rectam viam,ne posteaquam diu erraverit, cogatur majore labore , et dispendio reverti ad principium viae; sic etiam optimum est in adolescentia assuescere mandatis Domini , ut conservet innocentiam. *Bonum est viro*, inquit Hieremias Thren. 3. *cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Quaeritur hoc loco quid intelligendum sit per *adolescentiorem.*Non existimo Davidem loqui de adolescente lapso in varios errores , qualis erat filius prodigus de evangelio Luc. 25.nam ad corrigendos similes errores necessaria est gratia poenitentiae , neque sufficit notitia , vel custodia legis;neque videtur David loqui de juniore ut distingui potest , contra hominem veterem , idest , de homine renovato per gratiam ; hic enim agitur de corrigendis erroribus, qui homine renovato correcti censentur. Existimo igitur Davidem simpliciter loqui de adolescente in ratione aetatis, qui indiget remedio contra naturales impetus naturae corruptae, *quae prona est ad malum ab adolescentia sua* , Genes. 8. Est igitur sensus , *in quo corrigit*, idest, qua arte, quo modo,quo remedio *corrigit adolescentior viam suam*, idest,actiones , sive vitam suam corruptam naturali depravatione ex peccato originis , et propensam ad malum? In hebraeo , et graeco habetur in futuro , *in quo corriget*?sed in sensu nulla dissensio est:nam illud, *in quo corrigit*, idem est ac si dictum esset, in quo corrigere potest, sive qui habet, unde corrigat errores, quos committet in adolescentia sua? Respondet,*in custodiendo sermones tuos*,qui enim ab adolescentia assuescit timere Deum , et ex eo sancto timore sermones Dei,divinas videlicet leges diligenter custodire; is haud dubie multos vitabit errores, cujus rei exemplum habemus in Tobia juniore,*quem pater ejus ab infantia Deum timere docuit et abstinere ab omni peccato.Tob.*1.

2. *In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me a mandatis tuis.*

Ex hac tanta utilitate motus David , petit a Deo gratiam servandi mandata, et proponit omnino illa servare et exemplo suo idem nos facere docet, ac primum ponit rationem, cur exaudiri debeat; quae est ratio evangelii, *quaerite, et invenietis*,et, *omnis qui quaerit , invenit* , Luc. 11. *In toto corde meo*, inquit, *exquisivi te.*Haec est ratio exaudiționis,quia exquisivit Dominum toto corde,idest,quaesivit gratiam ejus, et cupivit illi placere , ejusque voluntatem adimplere. *Ne repellas me mandatis tuis*, haec est mira petitio, quasi Deus, qui *mandavit mandata sua custodiri nimis*, repellere velit aliquem a mandatis suis custodiendis. Sed hic modus loquendi significat necessitatem gratiae , quam illi soli cognoscunt,qui cupiunt mandata servare,et virium suarum imbecillitatem experiuntur. Igitur,*ne repellas me a mandatis tuis*,hunc habet sensum , Ne deseras me gratia tua , alioquin idem esset, ac si repelleres me ab impletione mandatorum tuorum , cum sine auxilio gratiae illa servari non possint.

3.*In corde meo abscondi eloquia tua,ut non peccem tibi.*

4. *Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas.*

Addit aliam rationem , cur exaudiri debeat , et rursum petit gratiam legis implendae. Ratio cur exaudiri debeat, est magnum desiderium non peccandi,ac per hoc legis custodiendae.*In corde meo*, inquit, *abscondi eloquia tua*, idest, in intimo recessu cordis posui legem tuam,sive,quod est idem, *eloquia tua*, ut numquam obliviscar eorum. Finis autem hujus absconsionis est,*ut non peccem tibi.* Itaque desiderium non peccandi,facit ut numquam oblivisci velim legis divinae, et ut numquam obliviscar, abscondi eam in intimo corde, ut nulla res inde mihi illam eripere possit. Praemissa ratione exaudiționis,addit petitionem.*Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas*,ubi illud,*doce*,ut supra diximus, non significat simplicem notitiam: hanc enim se habere testatur cum dicit, *in corde se abscondisse eloquia Domini*, et supra dixit,*didicijudicia justitiae*,sed significat gratiam implendae legis. Tunc enim Deus docet justificationes suas, cum per gratiam intus in animo inspirat delectationem legis, et facit , ut homo plane persuasus omnino velit legem servare. Illud autem , *benedictus es Domine*, additur ad confirmandam rationem exaudiționis, quasi dicat , tu Domine doce me justificationes tuas,qui ab omnibus rebus creatis benediceris,quia imples omnia benedictione,et inde vivunt et florent , unde dicitur in psalm. 83. *Etenim benedictionem dabit legislator.* Itaque Deus benedicitur,et benedicit;benedicitur dum laudatur, benedicit dum beneficia praestat.

5. *In labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui.*

6. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.*

7. *In mandatis tuis excercebor , et considerabo vias tuas.*

8. *In justificationibus tuis meditabor,non oblivi scar sermones tuos.*

In his quatuor reliquis versiculis declarat amorem suum erga legem Domini; fortasse mox benedictionem legislatoris acceperat, quam paulo ante petierat. Dicit enim se habere legem Dei in ore,in voluntate, in intelligentia, et memoria, ac per hoc in omnibus partibus animae.De ore dicit,*in labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui* , idest, assidue locutus sum, et praedico praecepta tua omnibus, qui audire volunt: per judicia enim praecepta intelligimus, et per id quod additur,*oris tui*, intelligimus praecepta illa non esse humana , sed divina,cum ore Domini manifestata sint. De voluntate, et affectu dicit,*in via testimoniorum tuorum delectatus sum , sicut in omnibus divitiis* , idest, delectatus sum ambulare in via testimoniorum tuorum, sicut delectantur avari in omni copia divitiarum. Magnus sane affectus , et rarus apud homines,cum e contrario soleant plerique pro tenui lucro contemnere omnia mandata Dei.De intelligen-

tia,sive cogitatione,dicit,*in mandatis tuis exercebor,et considerabo vias tuas*: nam,*exercebor*,hoc loco,significat exercebor meditando,ut ex voce hebraica, אשתעשע *estahasciah*, manifestum est; unde etiam subditur idem aliis verbis, *et considerabo vias tuas*. Est igitur sensus,In mandatis tuis ruminandis, et saepe mecum submissa voce repetendis , et diligenter considerandis exercebor. De alio affectu cordis dicit , *in justificationibus tuis meditabor*. Illud enim meditabor , non est idem hoc loco cum exercebor , quod recte verti potuisset, *meditabor*, sed significat, delectabo meipsum ludendo in justificationibus tuis decantandis : vox enim hebraica, אשתעשע *estahasciah*,significat, *ludere et oblectare seipsum*. Supra dixerat , *delectatus sum in via testimoniorum , sicut in omnibus divitiis* , ubi mentionem facit delectationis ex re utili : nunc dicit , *oblectabo meipsum ludendo in mandatis tuis*,ut ostendat ex lege Domini sumi etiam delectationem tamquam ex re dulci et suavi. Quomodo etiam in psal.18. comparata est lex Domini auro et melli, rei utili, et dulci.Hic igitur est sensus hujus versiculi,*in justificationibus tuis meditabor*,id est,in praeceptis tuis decantandis exercebor,ut inde delectationem animo percipiam,qualis jucunde ludendo percipitur.Addit ultimo de memoria. *Non obliviscar sermones tuos*,idest,ex tam crebra meditatione et suavi decantatione fiet . *ut sermones tuos*, idest,legem tuam,*numquam obliviscar*. Hinc colligimus legem Domini habentibus benedictionem legislatoris, idest, spiritum verae charitatis, non esse gravem, neque difficilem, sed esse,ut Dominus ait in evangelio Matth.11.*Jugum suave, et onus leve*.

Ghimel.

1. *Retribue servo tuo , vivifica me , et custodiam sermones tuos.*

In hoc octonario enumerat impedimenta legis custodiendae, et orat, ut a se removeantur. Primum impedimendum est mors animae:non enim possunt homines mortui servare mandata vitae , eo modo, quo opertet ad vitam aeternam acquirendam.David autem etiamsi sperare poterat, se esse vivum , tamen *quia nemo scit utrum odio,vel amore dignus sit*, Eccles.9. et quia transfigurabat personas peccatorum in se, ideo vel pro se. vel pro illis orat,et dicit, *retribue servo tuo,vivifica me,et custodiam sermones tuos*, idest, restitue servo tuo,si forte in peccatis mortuus sit, vitam animae,et tunc sermones tuos custodire poterit. Illud, *retribue* , posset etiam explicari pro tribue:nam vox hebraica. גלרך *ghemol* , id facile patitur : tamen hoc loco servare possumus propriam significationem latinam,si per *retribue* intelligamus *restitue*, vel redde illud:*vivifica me*, in hebraeo et graeco est,*vivam*,et tunc sensus est, *retribue ut vivam*, idest, restitue, vel redde vitam. Verba nostrae editionis sunt paulo obscuriora,sed in eumdem sensum explicanda sunt; nimirum sic,*retribue servo tuo*,idest,iterum tribue mihi servo tuo per gratiam,quod amisi per peccatum, et mox explicat dicens,*vivifica me*,hoc enim est, quod amisi; et vitae restitutus ambulare incipiam viam mandatorum tuorum , *et sic custodiam sermones tuos.*

2. *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.*

Alterum impedimentum sunt passiones animi , amor, timor, desiderium, ira, et similes perturbationes,quae saepe faciunt,ut homo non recte judicet: et hoc dicit, *revela oculos meos*, id est , tolle per infusionem luminis tui velamen passionum ab oculis mentis meae, et tunc oculo interiore purificato, *considerabo mirabilia de lege tua*,idest,mirabilem aequitatem, mirabilem sapientiam,mirabilem utilitatem, et alia id genus mirabilia, quae de lege tua emicant.

3. *Incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua.*

Tertium impedimentum est terrena peregrinatio.nam qua parte peregrinamur in terra,carnales, et terreni sumus:*lex autem tota spiritualis est*,ut dicitur roman.7. Quare nisi Deus per gratiam nos spirituales efficiat, legem spiritualem implere non possumus. *Incola*, inquit, *sum in terra*, idest,homo terrenus sum , animalis sum , in terra habito , dum peregrinor a patria:ideo peto,*ut non abscondas a me mandata tua*,idest,per gratiam efficias, ut capax fiam mandatorum tuorum. Potest etiam hoc referri ad ignorantiam viarum:vox enim hebraica,גר *gher* proprie *advenam,et peregrinum* significat; peregrini autem, et advenae ignorantes sunviarum,et facile decipiuntur a civibus regionis.Petit igitur advena et peregrinus Deus illi viam bonam ostendat, ac dicit,*non abscondas a me mandata tua*, idest, fac ut me non lateat via mandatorum tuorum , quae sola est recta via qua ducit ad vitam.

4. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.*

Quartum impedimentum est imperfectio. Pauci enim sunt viri perfecti qui toto corde diligant legem Dei,et ex amore justitiae operentur bona.Plurimi autem bonis desideriis tanguntur , sed ultra non proficiunt. In horum persona Propheta dicit , *concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore* : non potuit dicere , *concupivit anima mea implere mandata tua* , sed imperfectionem suam confessus ait: *concupivit desiderare* , et haec ipsa confessio imperfectionis est petitio perfectionis, quam Deus concedit, cum facit hominem ardenter desiderare custodiam mandatorum. Recte docet sanctus Augustinus , aliud esse concupiscentiam desiderii extra potentiam concupiscentem ; aliud concupiscentiam desiderii intra eamdem potentiam:concupiscentia enim prior potest esse sine desiderio ejus rei, quae concupiscitur; posterior non potest: exempli gratia,aegrotus qui laborat inappetentia cibi, concupiscit desiderare cibum,et tamen non habet desiderium cibi,

quia concupiscentia desiderii est in voluntate rationali, desiderium cibi deberet esse in faucibus, et palato, ubi tamen non est, dum ibidem manet inappetentia cibi. At concupiscentia desiderii mandatorum Domini, in voluntate rationali est, et in eadem esse debet desiderium mandatorum : quare fieri non potest, ut homo concupiscat desiderare, et non desideret; quia ipsa cuncupiscentia est desiderium mandatorum. Intelligendum igitur est per concupiscentiam desiderii significari imperfectum desiderium, ut paulo ante diximus; qui enim imperfecte desiderat, vult, et non vult; cupit, et non cupit: et ejusmodi sunt plurimi, qui desiderant beatitudinem regni coelorum, sed ita frigide, ac tenuiter, ut nullus inde sequatur effectus: qui si ardore illo desiderarent, quo res tanta desideranda est, sine dubio non quiescerent, donec ad illam pervenirent: sed qui tales sunt, cum Davide impedimentum suum in oratione Domino manifestent ac dicant, *concupivi desiderare justificationes tuas*, adjuva ut perfecte, ardenterque desiderem, ut desiderium in opus transeat, et mandata tua custodiam in omni tempore.

5. *Increpasti superbos, maledicti qui declinat a mandatis tuis.*

Quintum impedimentum omnium maximum superbia est, quae non sinit collum jugo submittere, sed hoc impedimentum in se David non agnoscebat, neque in sui similibus, sed solum in hostibus Dei : ideo simpliciter illud execratur. *Increpasti*, inquit, *superbos*, qui videlicet ex contemptu mandata non servant. Talis fuit initio mundi lucifer, quem Deus increpatione sua ad inferos tanto impetu deturbavit, ut Dominus dicat, *videbam Satanam sicut fulgur de coelo cadentem*, Luc. 10. Talis fuit et Adam, qui ex superbia, qua fieri voluit sicut Deus, Deo non obedivit, et a Domino increpatus tulit sententiam mortis pro se, et pro toto humano genere. Vide s. Augustinum tract. 4. in epist. Joannis, et in psal. 68. vers. 6. et lib. 14. de civit. Dei cap. 13. Denique superbos omnes terribili increpatione Deus in judicio feriet: et ideo subjungit David, *maledicti qui declinant a mandatis tuis*, nimirum qui declinant potissimum ex superbia, et contemptu Legislatoris: illis enim praecipue dicetur, *ite maledicti in ignem aeternum*, Matth. 25.

6. *Aufer a me opprobrium, et contemptum, quia testimonia tua exquisivi.*
7. *Etenim sederunt principes, et adversus me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in stificationibus tuis.*

Superbi non solum obedire Deo recusant, sed etiam contemnunt, et contumeliis afficiunt eos, qui obediunt: sed tandem contemptus, et opprobrium in eos recidet, ut hoc loco David praedicit: nam ut saepe ex Augustino monuimus; ea quae videtur in psalmis imprecationes, praedictiones sunt per modum imprecationis. Ait igitur, *aufer a me opprobrium, et contemptum*, idest, tempus erit, cum auferes a me opprobrium, et contemptum, et in superbos inobedientes rejicies: *quia ego testimonia tua exquisivi*, quae illi videlicet exquirere contempserunt. In hebraeo habetur, נצרתי *natsarti, quia testimonia tua custodivi*, sed septuaginta verterunt, *exquisivi*, quod exponi debet, exquisivi ut custodirem. Declarat autem sequenti versiculo, cur dixerit, *aufer a me opprobrium, et contemptum*, dicens *etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur, servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis*. Principes enim superbi sederunt, vel congregati in concilium, vel in thronis suis judicantes, vel quiescentes in divitiis, et potentia sua, *et adversus me loquebantur*, exprobrantes obedientiam mandatorum Dei. *Ego autem servus tuus*, non respiciens ad minas, vel opprobria eorum, *exercebar in justificationibus tuis*, videlicet, considerandis, praedicandis, et adimplendis. De quibus principibus David loquatur ad litteram, incertum est: mystice autem haec referuntur a patribus ad principes infideles, qui Martyres persequebantur.

8. *Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuae.*

Explicat quod dixit, *exercebar in justificationibus tuis*. Dicit enim, *testimonia Domini, et justificationes Domini*, hoc est, praecepta Domini, fuisse sibi loco dulcis consolationis, in rebus adversis; in dubiis autem loco fidelis consiliarii. In hebraeo habetur, *nam testimonia tua gaudium meum, viri consilii mei*, idest, lex tua mihi gaudium afferebat, et erat quasi vir consiliarius: nam in ea cogitanda oblectabar, et cum ea consultabam negotia mea. Ad hunc sensum reducenda sunt verba nostrae editionis, ut cohaereant cum textu originali. Hic igitur erit sensus: *nam et testimonia tua meditatio mea est*, idest, lex tua est mihi dulcis exercitatio, quasi ludi, vel cantici, unde consolationem accipio in rebus tristibus: *et consilium meum justificationes tuae*, idest, et consilium meum, et quasi senatus meus, quem consulo in rebus dubiis, sunt mihi *justificationes tuae*, idest, eadem lex tua.

Daleth.

1. *Adhaesit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.*

In hoc etiam octonario David induit personam hominis imperfecti, qui ex carnali concupiscentia retardatur a perfecta impletione mandatorum, et petit gratiam, et adjutorium ad servanda mandata. *Adhaesit*, inquit, *pavimento anima mea* ; idest, adhaesit terrae, hoc est terrenae substantiae, per amoris affectum anima mea. *Vivifica me secundum verbum tuum*, idest, da mihi vitam conformem legi tuae : nam adhaerendo terrae factus sum terrenus, adhaerendo carni factus sum carnalis; sed si vixero secundum legem tuam, quae spiritualis est adhaerebo Deo, et unus spiritus fiam cum eo. In hebraeo habetur, *Adhaesi*, לעפר *leaphar pulveri*; sed idem est sensus: nam pavimentum est ter-

ra, vel ex terra. Itaque qui adhaeret pavimento, adhaeret terrae. Notat s. Augustin. nunc animam adhaerere carni, sive terrae, et ideo fieri carnalem et terrenam, et impediri ab observatione perfecta legis: sed post resurrectionem gloriosam, caro adhaerebit animae, et anima Deo, et ideo tunc caro fiet spiritualis, et anima quodammodo deificabitur, et sine ulla difficultate perfectissime legem observabit, imo non egebit lege, quia sine lege, ea quae sunt legis implebit.

2. *Vias meas annunciavi, et exaudisti me: doce me justificationes tuas.*

Pergit in confessione miseriae, et petitione gratiae. *Ego*, inquit, *vias meas annunciavi*, idest, actiones malas, quae proprie meae sunt, non erubui confiteri, sed palam enunciavi, *et tu exaudisti me* parcens mihi, solita misericordia tua. *Doce me justificationes tuas*, idest, nunc reconciliatus peto, ut diceas me justificationes tuas, idest, praecepta tua servare me facias. Illi enim, ut supra diximus, in hoc psalmo docere intelliguntur, qui ita persuadentur ut faciant.

3. *Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis.*

Proficere cupit in via Domini, ideo magis, et magis precibus instar, ut doceatur a Deo, *viam*, inquit, *justificationum tuarum instrue me*, idest, diligentius doce me, quae sit via praeceptorum tuorum, quomodo videlicet ambulare debeam in lege tua. *Et exercebor in mirabilibus tuis*, idest, in schola tua edoctus exercebor in custodiendis illis etiam praeceptis, quae tam mirabilia sunt, ut prae altitudine vix per ea incedi posse videatur, qualia sunt, *diliges Deum ex toto corde*; et, *Non concupisces*; et, *Diliges inimicum tuum*, et similia.

4. *Dormitavit anima mea prae taedio, confirma me in verbis tuis.*

Iterum redit ad infirmitatem carnis confitendam, et misericordiam postulandam. Nam in hac peregrinatione vix invenitur, qui non aliquando laxetur et prae taedio continuae luctae, quam habet spiritus cum carne, dormitet, et tepidior fiat. *Dormitavit*, inquit, *anima mea prae taedio*, dum videlicet taedet ambulare viam laboriosam, carne cupiscente adversus spiritum. *Confirma me in verbis tuis*, idest, in praeceptis tuis sectandis confirma me, addito fervore gratiae tuae, quo excitatus ambulare non cessem. In hebraeo pro verbo *dormitavit*, est verbum, דלפה *dalepha*, *distillavit*. Non est improbabile septuaginta Interpretes vertisse εσταξεν, quod est, *distillavit*, et postea errore librariorum factum esse, ενυσταξεν, quod est, *dormitavit*. Certe s. Ambrosius utriusque lectionis meminit. In hebraeo autem nulla est similitudo literarum inter *dormitavit*, et *distillavit*: nam distillavit scribitur, דלפה *dalepha*; *dormitavit* scribitur, ינום *janum*; sensus tamen in idem recidit: nam *distillavit anima mea*, significat, defecit anima mea instar earum rerum, quae liquefiunt, et distillant humorem suum. Qui autem deficiunt, et liquefiunt prae tristitia, solent etiam deficiendo dormitare. Luc. 22. *Invenit eos dormientes prae tristitia.* Vox *taedium*, graece est, αχιδια; accedia autem est tristitia de bono opere faciendo.

5. *Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei.*

Declarat pluribus verbis, quod uno verbo dixerat, *Confirma me. Viam*, inquit, *iniquitatis amove a me*, idest, fac per gratiam tuam, ut longe recedam a via iniquitatis, idest, a lege peccati, quam ingredi incipiebam dormitando prae taedio: et contra, *de lege tua miserere mei*, idest, misericorditer operare, ut ambulem per legem tuam. In hebraeo habetur *viam mendacii amove a me*, et opponitur ei, quod dicitur in sequenti versiculo, *viam veritatis elegi*. sed sensus est idem: nam via iniquitatis est via mendacii, quia est via falsa, et fallax, et potius devium, quam via; et per eam ambulare, non est viam carpere, sed deviare. Illud autem, *de lege tua miserere mei*, est clarius in hebraeo, זתורתך חנני *vethoratheca chonneni*, *legem tuam dona mihi*, sed idem sensus: est enim ac si dixisset, miserere mei donando legem tuam.

6. *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.*

Hactenus confessus est miseriam, quam ex se habet: nunc in sequentibus versiculis declarat, quid possit ex misericordia Dei, quasi dicat, ex me viam mendacii elegi: sed ex misericordia tua, qua de lege tua misertus es mihi, *viam veritatis elegi*, idest, jam serio proposui veram viam, quae est via mandatorum tuorum ambulare: et ex misericordia tua, *judicia tua*, idest, legem tuam, *non sum oblitus*, quamvis caro adversus spiritum vehementer concupisceret.

7. *Adhaesi testimoniis tuis Domine, noli me confundere.*

Ex me adhaesi pavimento; sed ex misericordia tua, *adhaesi testimoniis tuis*, et quamvis carne serviam legi peccati, tamen mente servio legi tuae, et ideo *noli me confundere*: quod fieret, si auxilio tuo me destitueres.

8. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum:*

Ex me dormitavi prae taedio, sed ex misericordia tua *viam mandatorum cucurri*, idest, alacriter, expedite, cum delectatione legem tuam servavi, *cum dilatasti cor meum* per infusionem charitatis, quae facit jugum suave, et onus leve.

He.

1. *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum: et exquiram eam semper.*

In hoc octonario petit ordine quodam primo desiderium observandae legis, deinde lumen ad eam intelligendam, tertio gratiam ad implendam: postea vero petit remotionem contrariorum: David enim in hoc longissimo psalmo rem eamdem saepius repetit, sed sub variis verborum formis, ad excitandum affectum, et tollendum fastidium. Primi versiculi hic sensus est, fac Domine, ut nullam aliam legem velim, nisi legem tuam. *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum*, idest, statue mihi pro lege viam justificationum tuarum, idest, pone mihi in corde desiderium solius legis tuae. In hebraeo clarius habetur, *Domine me viam praeceptorum tuorum.* Sed septuaginta Interpretes considerantes quod a verbo, יָרָה *jarah*, sit vocabulum, תּוֹרָה *thorah*, quod legem significat, prudenter intellexerunt verbum, הוֹרֵנִי *horeni*, quod hoc loco habetur, non solum docere, sed etiam legem ferre significare posse, et ideo verterunt, νομοθετησον, quod latinus uno verbo exprimere non potuit, et ideo sensum obscuriorem fecit. Hinc cessant quaestiones, cur dicatur, *legem pone*, cum jamdudum lex tradita sit, et cur justus roget, ut sibi lex ponatur cum Apostolus dicat 1. Tim. 1. *justo non est lex posita.* Hae quaestiones cessant, quia non petit Propheta sibi legem absolute poni, sed petit, ut per gratiam Dei fiat, ut sibi non placeat lex peccati vel mundi, vel carnis, sed sola lex Dei: illam solam sibi in corde, in desiderio, in affectu poni cupit, et ideo subdit, *et exquiram eam semper*, idest, si illam solam ex munere tuo desiderabo, fiet, ut in omni mea actione quaeram quid jubeat lex tua. S. Hieronymus vertit, *vestigium*, pro eo quod nos habemus, *semper*, sed vox hebraea, עֵקֶב *hekeb*, est ambigua, *et vestigium et finem*, significat, et utroque modo sensus est bonus, sive dicat, *exquiram vestigium*, nimirum legis, hoc est, sequar eam: sive, *exquiram usque in finem*, idest, semper.

2. *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.*

Posteaquam petivit desiderium sive affectum legis, petit etiam intellectum, ut recte illam intelligat, et scrutari possit ejus utilitates, et praestantiam, ac caeteras ejus laudes, idque *ut custodiat illam in toto corde suo*: non enim cupit intelligere ad curiositatem, sed ad observantiam.

3. *Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.*

Nunc tertio postulat gratiam implendi legem. *Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum*, idest, fac me implere mandata tua, id enim est incidere per semitam mandatorum. Vocantur autem semitae, quia semitae sunt viae angustae, breves, rectae, mundae, per quas non solent incedere nisi homines pedites; non equi, non currus: et talis omnino est lex Domini, si comparetur ad leges carnis, et mundi, quae sunt viae latae, sordidae, obliquae, et per eas animalia expertia rationis, idest, homines animales, et carnales incedunt. Ratio autem cur debeat exaudiri, est in illis verbis, *quia ipsam volui*, idest, quia hanc semitam elegi, et per eam ambulare desideravi, ex munere Dei: docet enim, *ut qui dedit velle, det etiam perficere* juxta promissionem Apostoli, Philip. 2. *Qui operatur in nobis velle et perficere.*

4. *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.*

Hic versiculus respondet primo: ibi enim oraverat pro affectu cordis erga legem Dei: hic orat pro remotione affectus avaritiae, qui maxime impedit affectum erga legem Dei *Inclina cor meum in testimonia tua*, idest, infunde cordi meo copiosam gratiam, per quam inclinetur in custodiam legis tuae, *et non in avaritiam*, idest, et non inclines cor meum in avaritiam. Dicitur autem Deus inclinare aliquem in malum, quando deserendo gratia sua, sinit illum inclinari in malum. Itaque isto modo loquendi scriptura sancta demonstrat potentiam gratiae; non autem quod Deus proprie inclinet aliquando ad malum: similia sunt illa roman. 1. *Tradidit illos in reprobum sensum*, et Isaiae 63. *Quare nos errare fecisti de via tua?*

5. *Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.*

Hic etiam versiculus recto ordine respondet secundo: nam ibi petiit domum intelligentiae ad considerandam legem: hic petit, ne oculi mentis avertantur a lege ad vanitates. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*, idest, ne occupentur in cogitandis temporalibus rebus, quae vanae sunt, sed potius effice, ut totus intendam legi tuae, et sic *in via tua vivifica me*, idest, in via tua ambulantem, hoc est legem tuam custodientem vivifica, refice, et conserva.

6. *Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.*

Nonnulli significari existimant per eloquium Domini prossima Domini, et volunt sensum esse, *statue eloquium tuum*, idest, imple promissa tua. Nos autem existimamus cum S. August. per eloquium, intelligi legem, et sensum esse, *statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*, idest, fac ut per sanctum timorem tuum statuatur, confirmetur, solidetur, lex tua in servo tuo, ut immobiliter in illo haereat et perseveret. Itaque respondet hic versiculus tertio versiculo: ibi enim petitur gratia legis implendae; hic petitur remotio instabilitatis, et petitur gratia perseverantiae.

7. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum; quia judicia tua jucunda.*

Magnum erit opprobrium in die judicii, et nunc est etiam in conspectu angelorum, non perseveras-

se in lege servanda,cum lex Domini non solum utilis,sed etiam suavis sit,et jucunda. Ideo cum petiisset gratiam perseverantiae,addit quasi rationem, timorem videlicet opprobrii, quod sequetur non perseverantes. *Amputa*,inquit,*opprobrium meum, quod suspicatus sum*,idest,quod timui si non perseverarem in lege tua, cum tam bona sit : judicia enim in hoc psalmo praecepta significant.

8. *Ecce concupivi mandata tua,in aequitate tua vivifica me.*

Concludit petitiones hujus octonarii dicens, jam satis patere,quod ex corde cupiat mandata servare. *Ecce*, inquit, *concupivi mandata tua*, quasi dicat, ecce appareat quod serio cupiam mandata tua,ideo *in aequitate tua*,idest,in ipsis mandatis tuis,idest, in observatione mandatorum *vivifica me*,idest,auge, et conserva mihi spiritualem vitam. Justus enim justificatur adhuc, dum mandata custodit.

Vau.

1. *Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.*

Illud, *et*, nihil continuat, sed additur ad initium librorum, vel capitulorum ornatus gratia apud hebraeos: sic enim incipit liber levitici, liber Ruth, liber Ezechielis, sic incipiunt multa capitula, ut Isaiae 7.*Et factum est*,et cap. 8.*Et dixit Dominus*, In hoc autem octonario ad singulos versus additur, *et*,quoniam debent omnes versus incipere per Vau, et per hanc literam nulla fere vocabula incipiunt expecta conjunctiva particula *et*. Petit autem propheta initio octonarii misericordiam Dei, ac deinde in reliquis versibus declarat effectus hujus misericordiae, qui potissimum pertinent ad legis divinae custodiam, quem finem, et quasi scopum totus psalmus respicit. Ait igitur, *veniat super me misericordia*, idest, descendat ex alto gratia tua, et misericordia,*super me*. Declarat autem quae sit haec misericordia, addens, *salutare tuum secundum eloquium tuum*, idest,salus tua,sive misericordia sanans animam *secundum eloquium tuum*, quo promisisti misericordiam,et salutem sperantibus in te.

2. *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis.*

Et cum venerit super me misericordia tua secundum promissionem tuam, non timebo adversarios exprobrantes mihi,quod frustra Deum timeam:nam *respondebo illis verbum verum*, cui non poterunt contradicere,quod videlicet *speraverim in sermonibus tuis*, qui promissa tua servare potes, quia es omnipotens, et servare vis, quia bonus es.

3. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque,quia in judiciis tuis supersperavi.*

Oro autem ut hoc verbum veritatis, quo glorior adversus exprobrantes mihi, *non auferas de ore meo*, idest non efficias, me destituendo gratia tua, ut non audeam hoc verbum loqui,non claudas ora de te confidentis, et promissa tua praedicantis; vel si auferas ad modicum, ut probes me; non auferas *usquequaque*, non auferas omnino, vel in aeternum. *Quia in judiciis tuis supersperavi*;idest,quia in tua justitia et fidelitate multum omnino speravi. S. Augustinus refert hoc ad electos martyres, qui si ad tempus permissi sunt negare veritatem; non tamen usquequaque negare permissi sunt,sed post negationem fleverunt, et post confessionem coronam meruerunt, quales fuerunt s. Petrus, s. Marcellinus, et alii permulti.

4.*Et custodiam legem tuam semper in saeculum, et in saeculum saeculi.*

Hic jam subjicit effectum misericordiae sanantis animam, qui est perpetua legis divinae custodia.

5.*Et ambulabam in latitudine,quia mandata tua exquisivi.*
6. *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum et non confundebar.*
7. *Et meditabar in mandatis tuis, quae dilexi.*
8. *Et levavi manus meas ad mandata tua quae dilexi ; et exercebar in justificationibus tuis.*

His quatuor versiculis explicat per partes quae sit perpetua legis custodia,quam promisit in quarto versiculo, dicens, se corde, verbo, mente, et opere in lege Domini semper futurum,et quidem in hebraeo textu haec omnia habentur in futuro,*ambulabo, loquar, meditabor,levabo,exercebor*.Sed quia tempora variant significationes apud hebraeos, non debent reprehendi septuaginta et latinus Interpres, qui per praeteritum imperfectum ista reddiderunt. Videtur autem Propheta, ut mox exauditus mutasse modum loquendi. Dicit enim,*et ambulabam in latitudine*, idest, veniente misericordia Domini super me, jam ambulabam non in angustiis timoris,sed in latitudine dilectionis,idest, libenter, cum gaudio, magno affectu cordis legem servabam, quia *illam exquisivi*, ut rem valde desideratam et amatam, *et loquebar* libere, et sine timore de justitia sanctissimae legis, etiam *coram regibus iniquis, et non confundebar*, et assidue cum animo meo de ipsa lege cogitabam, et ejus mysteria meditando considerabam, *et levavi manus meas* ad implenda mandata sublimia,et excelsa, idest, valde perfecta et ardua ; vel, ut exponit s. Augustinus, levavi manus meas ad opera legis, quia propter finem altissimum legem custodivi;qui enim propter mercedem temporalem legem custodiunt, non levant, sed deprimunt manus dum operantur, neque dicere possunt, *ad mandata tua quae dilexi*:non enim diligunt mandata, qui legislatorem non diligunt. Denique his omnibus modis idest, corde, mente, verbo,et opere *exercebar in justificationibus tuis*.

Zain.

1. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.*

In hoc octonario canit Propheta aeternam retributionem, quam Deus legem servantibus repromisit, ac propter eam spem dicit, se et legem servasse et in tribulatione consolationem accepisse, et de iniquorum praevaricatione doluisse. Non potest oblivisci Deus, nec voluntatem mutare, neque sententiam retractare: sed per figuram quamdam sermonis humani dicitur Deus oblivisci, quando differt implere quod promisit, quasi promissi sui esset oblitus. Differt autem aliquando Deus implere promissa sua, non oblivione, sed judicio: quamvis facturus sit omnino Deus quod facere decrevit, vult tamen rogari a fidelibus servis suis, et haec oratio est unum ex mediis, per quae Deus promissa sua adimplere decrevit. Orat igitur David id persona sua, et aliorum fidelium dicens, *memor esto verbi tui*, id est, promissi tui, *in quo mihi spem dedisti*, cum dixisti servo tuo Abraham Gen. 17. et in illo omnibus filiis ejus, *ambula coram me, et esto perfectus*, Gen. 15. *ego ero merces tua magna nimis.*

2. *Haec me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me.*

Illud *haec*, non potest proprie referri ad spem, ut communiter exponitur, quoniam in textu hebraico, unde caeterae editiones translatae sunt non habetur nomen spei, sed verbum, et verti potuisset, *memor esto verbi tui, in quo me sperare fecisti.* Sensus igitur est, *haec res*, sive hoc me consolatione affecit in humilitate mea, idest, in afflictione, et despectione mea, quia *eloquium tuum*, idest, promissio tua, *vivificavit me*, idest, vitam et spiritum mihi tribuit, vel roboravit, et auxit.

3. *Superbi inique agebant usquequaque: a lege autem tua non declinavi.*

Vita et vigor, quem mihi tribuit promissio tua, in causa fuit, ut non declinarem a lege tua, etiamsi *superbi irrisores inique agerent valde*, cum me irrisionibus suis a legis custodia avertere coronarentur. In hebraeo pro, *inique agebant*, habetur, הליצני *helitsuni, irridebant me.* Sed idem est sensus.

4. *Memor fui judiciorum tuorum a saeculo Domine, et consolatus sum.*

In humilitate et irrisionibus *memor fui judiciorum tuorum a saeculo*, idest, judiciorum, quae ab initio saeculi exercuisti exaltans humiles, et superbos deprimens, reddens custodientibus legem tuam praemia magna, et praevaricatoribus magna supplicia, et hinc accepi in omni tribulatione mea solatium.

5. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*

Eadem illa spes tantae mercedis fecit, ut misererer hominum peccatorum, qui derelinquentes legem tanto bono privantur. Vox hebraica, זלעפה *zalhaphah*, pro qua nos habemus *defectio*, significat horrorem, sive *tremorem*, ardorem, sive aestum. Sed noster interpres vertit, *defectionem*, ut significaret tantum esse horrorem, et aestum, de quo agit Propheta, ut defectionem inducat: magnae charitatis indicium est, contremiscere, ardere, deficere ex misericordia erga peccatores, vel ex dolore offensionis divinae: nam de utraque defectione versiculus iste potest exponi.

6. *Cantabiles mihi erant justificationes tuae in loco peregrinationis meae.*

Iniqui legem derelinquunt, quia insuavem esse judicant; mihi autem scienti, quanta merces reposita sit custodientibus legem tuam, *justificationes tuae*, idest, praecepta tua usque adeo dulcia et suavia erant, ut in hac peregrinatione, qua peregrinamur a patria, dulce canticum fuerint. In hebraeo legimus, *carmina mihi fuerunt praecepta tua*; quare illud, *cantabiles*, significat leges Domini non fuisse sibi graves, quae cum labore portandae essent; sed suaves, quae instar carminum oblectare possent.

7. *Memor fui nocte nominis tui Domine, et custodivi legem tuam.*

Illa beata spes tantae promissionis non solum interdiu, sed etiam *noctu mihi nomen tuum in memoriam revocabat*, et ex affectu nominis tui, idest, ex ardenti amore tuo perseveravi in custodia legis tuae.

8. *Haec facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.*

Quaerunt interpretes, quid sit illud, *haec*, an haec spes an haec lex, an haec promissio, an quid aliud. Sed apud hebraeos genus foemininum ponitur pro neutro quo illi carent. Itaque sensus est, *hoc*, totum mihi evenit, nimirum, ut promissiones Dei considerarem, et spem inde conciperem, et caetera bona, quae inde nata sunt; *quia justificationes tuas exquisivi.* Vult enim propheta in hoc psalmo, qui est encomium legis, omnia referre ad ipsam legem diligenter investigandam et amandam; ut hac ratione excitet homines ad considerationem et impletionem legis.

Cheth.

1. *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.*

In hoc octonario ponitur initio haec propositio, *Dominus est portio mea*, inde deducitur desiderium legis diligenter custodiendae, et preces ad Deum pro gratia legis implendae non obstantibus quibuslibet impedimentis. *Portio mea Domine*, subintelligitur, *tu es.* Quamvis enim aliqui conjungant

cum sequentibus, ut sensus sit, *Portio mea o Domine, dixi*, erit *custodire legem tuam*, tamen multo verius est, sensum esse, *portio mea* tu es Domine, nam in graeco additur verbum , *es* , et in hebraeo ponitur distinctio post vocabulum, *Domine*, et posset etiam legi, *portio mea Dominus*, estque id conforme aliis locis, ut in psal. 15. *Dominus pars haereditatis meae*, et psal. 72. *Pars mea Deus in aeternum* , et Thren. 3. *Pars mea Dominus* , et sic exponunt hunc locum sancti Patres Hilarius , Ambrosius , Hieronymus , Augustinus. Foelix anima, quae ex corde dicere potest, *portio mea* tu es *Domine*, idest, omnibus rebus creatis abrenuncio, nihil juris in eis habere cupio, occupet ea quicumque voluerit, mihi tu Domine solus sufficis, neque aliud requiro ; aut requiram in aeternum , et quia ut te aliquando possideam, tibi soli placere cupio, ideo *dixi, statui*, firmiter proposui *custodiri legem tuam*; scio enim, quia non dignaris esse portio eorum, qui legem tuam custodiunt.

2. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum.*

Dixit, custodire legem Domini, sed quia sine adjutorio Dei vires humanae non sufficiunt, ideo *deprecatur faciem Domini in toto corde suo* , et dicit , *miserere mei secundum eloquium tuum* , idest , secundum promissionem tuam : *miserere mei* ut te adjuvante impleam, quod te inspirante decrevi.

3. *Cogitavi vias meas , et converti pedes meos in testimonia tua.*

Non satis est Deum orare, sed oportet etiam cooperari auxilio Dei, ideo Propheta posteaquam precatus est Deum, addit, *cogitavi vias meas*, rectene, an secus ambularem ; item consideravi actiones meas, an legi Dei conformes essent, *et converti pedes meos in testimonia tua*, idest, et converti affectus meos a lege carnis, et peccati, ad legem tuam Domine, quae sola est via recta.

4. *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*

Nec solum legem custodire decrevi , sed promptus fui statim aggredi opus justum ; neque ulla perturbatio me retardare potuit à custodia legis tuae. In hebraeo legitur, *festinavi et non tardavi custodire mandata tua*. Sed idem est sensus: nam qui imparatus est, non potest festinare: et qui turbatur, haerere solet, et moram facere: Ideo illud, *paratus sum*, sic explicandum: Nullum tempus observandae legis me imparatum inveniet, ut festinare non possim, sed semper paratus sum, et expeditus ad opus celeriter implendum : et numquam turbatus sum , ut propterea moram facere me oporteat.

5. *Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus.*

Non defuerunt tamen , qui me perturbare et retardare conarentur ; nam *funes peccatorum* , id est, laquei, sive retia varia tentationum, quae peccatores homines , sive daemones tendere solent , *circumplexi sunt me, et tamen legem tuam non sum oblitus*, idest, facere non potuerunt tentationes illae, ut legis tuae obliviscerer, et ab ipsa implenda retardarer.

6. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuae.*

Quia tu es Domine portio mea ; non solum interdiu , sed etiam noctu , imo etiam media nocte, quando summa quies est in terris, vocavi legi tuae considerandae ; *surgebam* enim *media nocte ad confitendum tibi* , idest , ad te laudandum *super justissima et sapientissima praecepta tua*. S. Aug. interpretatur hunc versiculum de tempore persecutionis , quod per noctem significari solet. Sed ad litteram videtur omnino intelligendus Propheta de laudibus nocturnis, ut exponunt Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, et alii fere omnes. Atque hinc didicit Ecclesia surgendum esse media nocte ad nocturnam psalmodiam: hunc enim locum allegant auctores, qui de divinis Officiis scripserunt.

7. *Particeps ego sum omnium timentium te , et custodientium mandata tua.*

Hoc etiam deducitur ex prima illa propositione, *portio mea Dominus*: omnes enim timentes Deum, et custodientes mandata ejus, colligantur tamquam membra viva in unum corpus , glutino charitatis , quae dicit, *portio mea Dominus*; et hoc modo *singuli sunt participes omnium* , quia charitas facit omnia communia : *et si gaudet unum membrum, congaudent omnia membra ; et si dolet unum membrum, condolent omnia membra*, ut ait Apostol. 1. Corinth. 12. S. August. exponit hunc versiculum de Christo , qui per assumptionem carnis humanae factus est particeps omnium timentium Deum , juxta illud Apostoli ad hebraeos 2. *Quia pueri communicaverunt carni, et sanguini , et ipse participavit eisdem*; et paulo ante , *unde*, inquit, *non confunditur fratres eos vocare*; sed prior expositio est communis, et magis litteralis.

8. *Misericordia tua Domine plena est terra : justificationes tuas doce me.*

Ego quidem *particeps sum omnium timentium te*: sed misericordiae tuae participes sunt omnes qui habitant in terra, et boni et mali ; et homines et jumenta, et animata , et inanimata. Proinde miserere mei, *ut doceas me justificationes tuas*; haec enim summa miseria est non scire legem tuam, ut sciunt qui illam implent. Hanc miseriam tollat a me misericordia tua; quia hoc unum ambio, hoc concupisco, cum tu sis *portio mea Domine*.

Theth.

1. *Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine secundum verbum tuum.*
2. *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.*

In hoc octonario petit a Deo Propheta tria dona necessaria ad custodienda praecepta Domini, et ostendit ex effectis horum donorum necessitatem. Primum igitur utitur quodam quasi prooemio dicens, *bonitatem fecisti cum servo tuo Domine*, idest, suavitatem, et benignitatem, sive mansuetudinem tuam exhibuisti servo tuo *secundum verbum tuum*, idest, juxta promissiones tuas; quamvis enim in hebraeo legatur, טוב *tob*, quod significat *bonum*, et verti possit, ut vertit sanctus Hieronymus, *benefecisti servo tuo*: tamen Septuaginta interpretes legerunt, טוּב *tub*, *bonitatem*, ut etiam in sequenti versu: et utrobique verterunt, χρηστοτητα, idest, *bonitatem*, *sive suavitatem*; sequitur postea, *bonitatem*, *et disciplinam*, *et scientiam doce me*, idest, sicut Domine bonitatem, sive suavitatem erga servum tuum ostendisti; ita rogo ut doceas me eamdem bonitatem, sive suavitatem, quam exhibeam proximis meis, ita ut nulli nocere, nullum decipere, nullum fraudare velim; sed hoc addas etiam, *ut doceas me disciplinam*, idest, prudentiam, ut caveam deceptores, et fraudulentos; et sic habeam suavitatem et bonitatem columbae, ut non desit mihi consilium, et prudentia serpentis. Intelligo autem per vocem, *disciplinam*, virtutem prudentiae, quia hoc requirit vox hebraica, טעם *taham*, quae significat proprie saporem; et *consilium*, neque vox graeca, et latina hanc significationem respuunt, cum sint vocabula generalia. Denique post bonitatem, et prudentiam, peto etiam scientiam, qua agnoscam mysteria legis tuae, quae scientia, sicut sine bonitate et prudentia inflat, ita habentibus bonitatem et prudentiam, utilissima est: sequitur, *quia mandatis tuis credidi*, idest, quia credidi mandatorum tuorum promissionibus, sive credidi mandata tua divina esse, et dignissima, quae diligentissime custodiantur. Observandum est hoc loco, plerosque homines scientiam quaerere, vel prudentiam, de bonitate parum laborare, sed prophetam a Spiritu sancto edoctum rectum ordinem esse secutum, ut primo bonitatem, deinde prudentiam, ultimo scientiam postularet.

3. *Priusquam humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum custodivi.*
4. *Bonus es tu; et in bonitate tua doce me justificationes tuas.*

Declarat necessitatem trium illorum donorum; quasi dicat, non sine causa peto bonitatem, disciplinam, et scientiam: nam ex defectu horum donorum deliqui, et propter delicta humiliatus sum a Deo justo judice. Priusquam humiliarer per immissionem tribulationum, ego deliqui per ignorantiam, quia scientia carui: nam vox hebraica, שגג *sciagag*, quae hoc loco habetur, significat *ignorare*, sive delinquere ex ignorantia: sequitur, *propterea eloquium tuum custodivi*, idest, propterea deinceps attentius custodivi legem tuam: sed tu qui *bonus*, idest, suavis et benignus es, *in hac tua bonitate*, idest, juxta hanc mansuetudinem tuam, *doce me justificationes tuas*, ut non amplius delinquam.

5. *Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.*
6. *Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego vero legem tuam meditatus sum.*

Hic significatur necessitas alterius doni, videlicet prudentiae. *Multiplicata est super me iniquitas superborum*, idest, superbi praevaricatores multiplicarunt super me mendacia sua, ut me ad transgressionem inducerent, unde prudentiae donum mihi necessarium fuit, quo dono adjutus *in toto corde meo scrutabor mandata tua*: in hebraeo pro vocabulo, *iniquitas*, habetur, שקר *secker*, idest, *mendacium*, unde intelligimus per *iniquitatem*, ipsum mendacium, quod sine dubio quaedam iniquitas est, praecipue si mendacium sit perniciosum. *Coagulatum est sicut lac cor eorum*, idest, superbi illi induratum cor habent, sicut induratur caseus ex lacte coagulato confectus; ideo illis dimissis, legi tuae meditandae vocavi. In hebraeo legitur, *adeps*, pro *lacte*: sed eaedem literae mutatis punctis utrumque significant: nam, חלב *chalab*, est *lac*, et חלב *cheleb*, est *adeps*.

7. *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.*
8. *Bonum mihi lex oris tui super millia auri, et argenti.*

Ex abundantia primi doni, quod jam consecutus erat, dicit, *bonum mihi quia humiliasti me*: neque enim hoc dicere potest nisi homo vere mitis, et humilis corde, ac per hoc vere bonus, qui per experientiam judicium de bono ferre potest. Existimat enim is, qui vere bonus est, magnum donum humiliationem ex tribulatione venientem, quoniam causa est custodiae legis, quae quantum sit bonum, explicatur in versiculo sequenti, *bonum mihi lex oris tui super millia auri, et argenti*; et vere ita est, quoniam per custodiam legis acquiritur vita aeterna, cui nulli thesauri comparari possunt.

Jod.

1. *Manus tuae fecerunt me, et psalmaverunt me: da mihi intellectum, ut discam mandata tua.*

In hoc octonario multis novis argumentis poscit gratiam legis custodiendae, ac primum ex eo, quod cum sit figmentum manuum Domini, debet illi summam obedientiam. *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me*, idest, potentia tua, et sapientia tua, quasi duae manus tuae fecerunt me, cum non essem, et plasmaverunt me, ordinantes membra, et potentias, cum essem initio quasi massa lu-

ti, vel fecerunt me, quoad animam, et plasmaverunt, quoad corpus. Ideo cum totus sim tuus, debeamque tibi summam obedientiam, peto ut des mihi intellectum, ut discam mandata tua, non ut solum sciam, sed etiam faciam. In hebraeo, pro, *plasmasti*, habetur, *parasti*, sive, *firmasti*, per quod intelligitur perfecta formatio et distinctio membrorum, unde fit, ut homo subsistat. Item pro, *da mihi intellectum*, in hebraeo, et graeco est una vox tantum, quae significat *intelligentem facere*. Itaque illud, *da mihi intellectum*, non significat, da mihi vim intelligendi, quasi sine ea formatus essem; sed da mihi lumen divinum, quo mens mea perfecte discat mandata tua, et sibi persuadeat optimum esse illa complere.

2. *Qui timent te, videbunt me, et laetabuntur, quia in verba tua supersperavi.*

Haec est secunda ratio, quae sumitur ab aedificatione proximorum. *Qui timent te*, videbunt me servantem mandata tua, *et laetabuntur*, quia videbunt me sperantem valde in verbis tuis, id est, in promissis, quae continentur in lege tua.

3. *Cognovi Domine quia aequitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me.*

Tertia ratio a confessione propriae culpae. *Cognovi*, inquit, *quia aequitas judicia tua*, idest, quod judicia tua justissima sint, et si quando *me humiliasti*, destituens gratia tua; *in veritate*, idest, in justitia tua fecisti, quia ita commerui; ideo non conqueror de tua justitia, sed ad misericordiam tuam confugio, et dico.

4. *Fiat misericordia tua ut consoletur me secundum eloquium tuum servo tuo.*

Consolatio, quam petit, est gratia servandae legis: qui enim dolet se humiliatum, quia destitutus gratia in peccatum incidit, consolationem magnam accipiet, si copiosa gratia perfusus legem Domini perfecte integreque servabit.

5. *Veniant mihi miserationes tuae, et vivam, quia lex tua meditatio mea est.*

Petiit gratiam servandae legis, ut consolationem acciperet: explicat nunc, quae sit vera consolatio, quam desiderat. *Veniant mihi miserationes tuae, et vivam*, idest, miserere mei secundum multitudinem miserationum tuarum, ut acquiram veram vitam, quae sola est vita beata, et sempiterna. Recte enim monet s. Augustinus ubi sine addito ponitur nomen, *vitae*, ut plurimum intelligi *vitam aeternam*, quae sola est simpliciter vita, Joan. 1. *In ipso vita erat.* Joan. 5. *In resurrectionem vitae.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Quia lex tua meditatio mea est*: haec est ratio, cur audeat petere misericordias Domini: docet enim, ut Deus misericorditer respiciat in eum, qui assidue meditatur in lege.

6. *Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.*

Quarta ratio ad obtinendam gratiam servandae legis, sumitur a confusione iniquorum, sicut secunda sumebatur ab aedificatione piorum, *Confundantur superbi*, idest, da mihi gratiam, per quam perfecte leges tuas custodiam, ut hinc confundantur superbi praevaricatores, qui vexando, et persequendo injuste, efficere conantur, ut etiam alii praevaricantur. Interim autem dum alii confunduntur, et erubescunt, ego multo alacrius exercebor in mandatis tuis cogitandis ex implendis. Illud, *injuste*, significat, superbos iniquitatem fecisse scienter, studiose, non casu, non ex ignorantia, non ex inadvertentia, unde ab iniquitate immunes videri possent.

7. *Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.*

Hortatur pios, ut si qui sunt, qui a praevaricatoribus decepti ad illos respicere coeperint, ad se redeant, et cum ipso jungantur. *Convertantur mihi*, idest, convertantur ad me, et mecum juncti legem Dei custodiant, timentes te, et qui noverunt testimonia tua, idest, illi omnes qui timorem Dei, et scientiam legis habent. Ex graeco textu legunt nonnulli, *convertant me*; sed antiqua lectio id habebat, quod nos habemus, ut perspicuum est ex patribus, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino; et sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo, *revertantur ad me.*

8. *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.*

Concludit petens gratiam saepe, ac saepius postulatam, qua corde perfecto mandata divina custodiat, ut neque in hoc saeculo, neque in futuro Judicio, confusionis opprobrium timeat.

Caph.

1. *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi.*

In hoc octonario inducit David personam cupientis servare mandata, et tamen inter tentationes graviter laborantis, atque auxilium de coelo miserabiliter postulantis. S. Augustinus totum octonarium ecclesiae Christum expectanti, et sanctis martyribus accomodat. Pie omnino, vere: sed quia totum psalmum ad legis costodiam commendandam video pertinere, ideo hunc etiam octonarium ad litteram de legis costodia explicare decrevi. *Defecit in salutare tuum anima mea*, idest, anima mea prae magnitudine desiderii salutis aeternae jam pene defecit. *Deficere enim in salutare*, nihil est aliud, nisi expectando, et desiderando salutem, laborare, languere, deficere. *Et in verbum tuum supersperavi*, idest, et ego tamen valde speravi in verbum promissionis tuae. Itaque dilectio salutis

deficere facit,sed spes firma promissionis erigit,et confortat.

2.*Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando consolaberis me?*

Mira Prophetae loquutio , quae oculis officium aurium et linguae tribuit. Sed oculi interiores ; et aures interiores,et lingua interior idem sunt.Intellectus enim videt, audit,loquitur. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, idest, mens mea attendendo auxilium promissum, dum diutius differtur, deficit prae desiderio , quo modo deficiunt oculi corporales,cum nimis diu respiciunt ad locum unde persona desiderata ventura speratur, *dicentes, quando consolaberis me*? idest , oculi interiores defecerunt prae expectatione , et defectum suum explicant , dicentes , quando veniet consolatio illa perfecta , ut non amplius timeam casum , et legis sanctae praevaricationem? Possent etiam haec explicari de oculis exterioribus, qui coelo inhaerentes videntur quasi deficere,et dicere Domino,*quando veniet auxilium de coelo promissum*?sic enim s. Hieronymus in epist. ad Eustochium de servanda virginitate de se loquitur , *post multas lachrymas , post coelo inhaerentes oculos* , etc. Videtur dicere debuisse Propheta secundum leges grammaticae, *quando consolaberis nos*. Sed quia oculi sunt instrumenta animae, de qua dictum erat, *defecit anima mea*,ideo per oculos quaeritur consolatio non tam oculorum , quam animae , quae per illos respicit. Est igitur sensus , quando consolaberis meam animam , cujus oculi deficiunt attendendo, et expectando.

3. *Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus.*

Non sine causa dico, *quando consolaberis me*? quia prae desolatione, et angustiis tentationum factus sum aridus, et destitutus humore gratiae consolantis; ut est uter tempore frigidissimo in medio pruinae constitutus. Similis est illa vox in psalmo 142. *Anima mea facta est sicut terra sine aqua tibi.* Sed quamquam tanta spiritus ariditate laborem, *tamen justificationes tuas*, idest , praecepta tua , *non sum oblitus*. S. Ambrosius , et s. Augustinus per *utrem in pruina* , intelligunt carnem mortificatam, et castigatam, et pruina coelesti respersam , ut spiritui subjiciatur , quasi dicat Propheta, carnem castigavi et legem tuam non sum oblitus: aequum igitur est , ut consoleris animam meam.

4. *Quot sunt dies servi tui?quando facies de persequentibus me judicium.*

Instat eidem petitioni optans consolationem et liberationem a tentationibus. *Quot sunt dies servi tui*, quibus afflictio durabit; quando finientur dies tentationis , et miseriae? *quando facies de persequentibus me judicium*? quando judicabis,et condemnabis persequentes,et tentantes me,ut iis condemnatis persecutio conquiescat.Non curiose quaerit, quot anni supersint, aut vitae suae , aut durationis mundi ; sed explicat his verbis desiderium aeternae vitae, quando omnes impii ad inferos detrusi , cessabunt vexare pios , et pii summa atque aeterna pace fruentes, in sanctitate, et justitia Domino servient, sine ullo timore cadendi.

5. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes,sed non ut lex tua.*

Haec est causa,cur maxime cupiat ab iniquorum consortio liberari ; quoniam iniqui tentantes pios narrant delectationes mundi , quae sunt merae fabulae, idest, delectationes sordidae, fugaces , magis confictae quam verae ; et nihil habent simile cum lege Domini, quae pie custodita delectationes stabiles et solidas adfert. Potest etiam *fabulatio* referri ad haereticorum colloquia,ut referunt Ambrosius , et alii. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, *foderunt mihi superbi foveas* ; sed sciendum est vocem, שיחות *scichoth*, esse ambiguam,et posse significare *fabulationes*, a verbo, שיח *sciach*, et *foveas*, a nomine, שחת *sciachath*.Sanctus Hieronymus ut verteret consequenter ad verbum, *foderunt*, transtulit, *foveas*,non enim cohaerent *fabulationes* cum verbo *foderunt*. At septuaginta seniores, quia per nomen *scichot*, intellexerunt, *fabulationes*, noluerunt vertere, *foderunt*,ne nimis impropria , et obscura esset ratio , sed sequentes non verba, sed sensum, maluerunt vertere *narraverunt*, et vere sensum expresserunt: nam *fodere*, in hebraica lingua significat *emere*,acquirere praeparare, eruere.Igitur sensus est.*foderunt mihi fabulationes*, idest,emerunt fabulationes,ut mihi eas venderent ; vel paraverunt fabulationes , ut mihi eas narrarent;vel foderunt,et eruerunt ex fodina vanitatis , ut eas mihi praeberent. Sanctus Augustinus legit,*narraverunt mihi delectationes*. Sanctus Ambrosius, *exercitationes*, alii aliter,sed verbum hebraicum significat proprie *confabulationem*, et submurmurationem submissa voce editam, quae ad colloquia clandestina haereticorum, vel impudicorum hominum recta accomodari potest:vox graeca αδολεσχια,ab Ambrosio dicitur esse *superflua loquacitas*;ab Augustino,*delectabilis in sermone exercitatio*; ab Euthymio, *garrulitas*, et *nugacitas*.

6. *Omnia mandata tua veritas, inique persecuti sunt me, adjuva me.*

Quia dixerat, non sicut lex tua: dicit nunc, *Omnia mandata tua* sunt ipsa *veritas*, idest, verissimas promissiones continent ; et inde verissimas delectationes observantibus legem tuam adferunt. Ideo injusti narrantes suas fabulationes inique persecuti sunt me , et tu Deus contra eorum insidias adjuva me.

7.*Paulo minus consummaverunt me in terra,ego autem non dereliqui mandata tua.*

Tam gravis fuit persecutio istorum,qui per dulces sermones me subvertere nitebantur , ut pene

me perdiderint in terra, et ad coelum aspirare nequirem: tamen non obtinuerunt, quoniam *non dereliqui mandata tua.*

8. *Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.*

Redit ad primam petitionem, et concludit octonarium, dicens, *secundum misericordiam tuam magnam vivifica me.* vita beata, et sempiterna; et tunc demum perfectissime custodiam legem tuam: potest etiam hoc intelligi de vita gratiae, per quam mandata Dei custodiuntur.

Lamed.

1. *In aeternum Domine verbum tuum permanet in coelo.*
2. *In generationem, et generationem veritas tua, fundasti terram et permanet.*
3. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.*

In hoc octonario a firmitate promissionum divinarum sumit Propheta argumentum ad exhortandos homines ad legem servandam, quae habet promissiones vitae praesentis, et futurae. *In aeternum Domine verbum tuum*, idest, promissio tua, *permanet in coelo*: nam etiamsi in terris videatur non permanere, dum justi opprimuntur, et injusti exaltantur: tamen in coelo apud Deum omnino permanet. Deus enim quod promisit, implebit. Faciet enim, ut justis breves tribulationes vertantur in gaudium sempiternum; et brevis gloria impiorum vertatur in opprobrium, et supplicium sine fine duraturum. Idem autem repetit, vel explicat, dum addit, *in generationem, et generationem veritas tua*, supple permanet, idest, semper manet veritas promissionum, dum semper verbum promissionis impletur *in omni generatione, et generatione*, idest, ab initio usque in finem, quod est idem, quod *in aeternum*. Probat autem Propheta stabilitatem promissionum a stabilitate ordinationum divinarum duobus exemplis. *Fundasti terram, et permanet*, hoc est primum exemplum, quasi dicat, fundasti terram immobilem, et semper manet immobilis, ut ordinationi tuae obediat. *Ordinatione tua perseverat dies*, hoc est alterum exemplum. Ordinavit enim Deus, ut e contrario coelum, sive sol moveretur semper, et motu suo diem efficeret; et obtemperat, et sic semper ordinatione divina perseverat dies. In hebraeo conjungitur verbum numeri multitudinis cum nomine numeri singularis, hoc modo, *perseverant hic dies*, sive *hodie*; ad significandum, diem transeundo, et fluendo permanere, transeunt dies, et numquam stant, et tamen semper, *hodie*, permanet: ad quod alludens Apostolus, hebr. 3. *Adhortamini*, inquit, *vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur.* Ratio hujus tantae firmitatis est quod sequitur, *quoniam omnia serviunt tibi*: nihil enim est in rebus creatis, quod Deo creatori ad nutum non pareat.

4. *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.*

Nisi, inquit, in lege tua assidue meditatus fuissem, ubi veritatem promissionum tuarum didici, forte periissem in afflictione mea, tentationibus adversariorum superatus. Pro, *meditatio*, in hebraeo est, *delectatio*, ex quo intelligimus hic agi de jucunda et dulci meditatione, quae valde recreat animum hominis in tribulatione constituti, dum promissa divina ob oculos interiores ponit, et cordi intime infigit. Per *humilitatem* autem hoc loco non significatur virtus humilitatis, sed afflictio, sive pressura, ut s. Hieronym. ex hebraeo transtulit.

5. *In aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.*

Confortatus ex meditatione promissionum, quae in lege continentur confidenter jam dico, *in aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis*, idest, super eorum observationem, *vivificasti me*, vitam gratiae augendo, et vitam gloriae promittendo.

6. *Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.*

Scriptum est in psalm. 23. *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo*: ego tamen proprie tuus sum, quia agnosco me tuum esse, et volo tuus esse, et nullius alterius Domini volo esse, et nulli cupiditati servire decreverim; ideo recte peto, ut me salvum facias, idest, rem tuam conserves, ne pereat. *Quoniam justificationes tuas exquisivi*, idest, quoniam tuus sum, et tamquam tui solius mancipium, nihil aliud quaero, nisi mandata tua ut illa perficiam. Vere pauci sunt, qui dicere possint, *tuus sum ego*, quia pauci sunt, qui per affectum nulli rei serviant, nisi Deo.

7. *Me expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua intellexi.*

Non sine causa dixi: *salvum me fac*, quoniam *peccatores* in loco opportuno ad capiendum, *me expectaverunt*, ut tentationi consentire me facerent, et sic *perderent me*: sed ego gratia tua adjutus *testimonia tua intellexi*, idest, intellexi, quid lex tua in tali articulo praeciperet, quia promitteret, quid minaretur.

8. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.*

Intelligens testimonia tua, ex eis cognovi, et *vidi finem consummationis* omnium rerum, judicium videlicet novissimum, in quo consummatis meritis, bonis, et malis, reddentur praemia bonis, et supplicia malis. Vere igitur *latum mandatum tuum nimis*, idest, vere amplum, et foecundum est

mandatum tuum, sive lex tua, cum in ea conspiciantur regulae, bene vivendi, et praemia custodientium legem, et contra regulae declinandi vitia, et supplicia praevaricatorum. Posset etiam sic exponi versiculus iste, *intelligens testimonia tua*. idest, legem tuam, *vidi finem omnis consummationis*, idest, omnis perfectionis vitae, esse *mandatum tuum*, idest, praeceptum dilectionis, quod est *latum nimis*, cum omnia mandata comprehendat, et cum ad Deum, et omnes Angelos, et omnes homines, etiam inimicos extendatur. Alii aliter exponunt, et unusquisque propriam expositionem adfert. Ambrosius, et Hieronymus, *finem omnis consummationis* dicunt esse Christum; Augustinus, *finem omnis consummationis*, dicit esse coronam Martyrii, quia consummata perfectio est mori pro Christo; Theodoretus dicit, omnia humana, opes, honores, et similia, quantumvis consummata et perfecta, habere finem. Euthymius, per *omnem consummationem*, intelligit omnem interitum tum bonorum, tum impiorum. Vidit enim Propheta finem mortis omnium, esse poenam, vel gloriam.

Mem.

1. *Quomodo dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea est.*

In hoc octonario iterum redit ad encomium legis eamque laudat a multiplici utilitate, et delectatione, quam secum adfert. Ac primum testatur amorem suum erga divinam legem, deinde reddit causam amoris, enumerans ejus utilitates. *Quomodo dilexi*, idest, quam vehementer dilexi legem tuam: signum amoris est continua conversatio cum re amata. *Tota die*, inquit, *meditatio mea est*, nihil aliud cogito, nihil aliud loquor, nihil aliud ago.

2. *Super inimicos tuos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in aeternum mihi est.*

Haec est prima utilitas legis; quia diligenter considerata, et factis adimpleta, prudentem facit hominem, ut faciat quid, et quomodo et quando, ut ubi debeat loqui, et agere, vel silere, et quiescere: quam prudentiam non habent praevaricatores, qui regulam hanc rectissimam inter loquendum et agendum non respiciunt. Ait igitur, *super inimicos meos*, praevaricatores videlicet legis prudentem me fecisti mandato tuo, id est, per mandatum tuum, dum illud assidue meditor, et adimpleo. *Quia in aeternum mihi est*, quia perpetuo mihi adest ante oculos mentis, neque unquam illius obliviscor.

3. *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.*
4. *Super senes intellexi, quia mandata tua quaesivi.*

Haec est altera utilitas legis; quia non solum prudentiam, sed etiam sapientiam gignit. Sed tamen quoniam videtur David nimirum sibi tribuere, anteponendo sapientiam suam sapientiae omnium, qui illum praecesserunt, in quibus erat Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, Samuel, et alii; sanctus Augustinus docet, haec dici in persona Christi, qui cum esset annorum duodecim, et videretur quasi discipulus audiens legis doctores, et seniores: tamen *super omnes docentes* se intelligebat. S. Ambros. in persona populi Christiani. Sed fortasse non erit necesse ad ista confugere: nam per *omnes docentes* intelligere possumus eos solos, qui Davidem puerum, vel adolescentem docuerunt, parentes videlicet, et paedagogos suos familiares. Quamvis enim non sit discipulus super magistrum, dum discipulus est: potest tamen is, qui discipulus fuit, diligentia et studio superare eum, qui magister ipsius aliquando fuerat. Sic David facile sapientia magistros suos vicit propter continua meditationem in lege Domini. Idem etiam intelligimus de senibus: non enim voluit David dicere, se sapientem fuisse *super* omnes *senes*, qui fuerant ab initio mundi, sed se adhuc juvenem sapientiorem fuisse multis senibus ob studium suum assiduum in lege Domini meditanda.

5. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.*
6. *A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi.*

Haec est tertia utilitas legis Domini, quia facit multa vitare peccata. *Ab omni via mala prohibui pedes meos* idest, cavi ne ambularem per vias iniquorum, qui pro lege habent cupiditatem suam, quae est lex carnis, et peccati, idest, cavi ne aliqua in re delinquerem: idque, ut custodirem verba tua, idest, legem tuam, quae contrarium iter ostendebant. *A judiciis* enim *tuis*, id est, a justissimis mandatis tuis, *non declinavi, quia tu legem posuisti mihi*, idest, quia hanc factam legem tu Dominus meus mihi dedisti: sive ut exponit S. Augustinus, *quia tu legem in corde mihi posuisti*, tu fecisti per spiritum tuum, ut legem sanctam ex intimo corde meo diligerem.

7. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.*

Haec est quarta utilitas, quod summam adfert lex Domini se custodientibus voluptatem. Eloquia enim Domini, idest, mandata Domini, dulcia sunt faucibus animae, magis quam mel faucibus corporis: nihil jucundius bona conscientia, et spe supernae beatitudinis, quam parit observantia legis divinae.

8. *A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis.*

Probat, ex lege Domini magnam voluptatem se percepisse eo quod lex Domini bonam conscientiam pariat. Nam, inquit, *a mandatis tuis intellexi*, idest, a mandatis tuis eruditus, prudens, et sapiens factus sum: clarior est haec sententia in hebraeo et graeco textu. *Propterea odivi omnem*

viam iniquitatis, idest, ex hac sapientia, et prudentia acquisita ex assidua meditatione legis, non solum abstinui a peccatis, sed etiam magnum odium concepi adversus omnes iniquas actiones. Hoc autem odium mirifice conservat animi puritatem, et sanctitatem, et gignit magnam fiduciam in Domino, unde oritur ineffabile gaudium, pax et tranquillitas omnibus thesauris, et voluptatibus antetponenda.

Nun.

1. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.*

In hoc octonario laudat legem divinam Propheta ab eximia quadam utilitate: deinde promittit se eam observaturum, non obstante qualibet tribulatione. Utilitas eximia est, quod lex Domini fit nobis in via vitae hujus, instar lucernae ambulantibus in tenebris. Lex enim peccati, idest, cupiditas, excaecat homines, sive maximas tenebras effundit, ut vera bona et vera mala non internoscantur; et hinc ii, qui hanc legem sequuntur, idest, qui passionibus animi rapi se sinunt, in varia praecipitia ruunt: sed lex Domini has tenebras dissipat et vera bona, ac vera mala demonstrat; et ideo, qui eam sequuntur non errant, neque caecutiunt, sed recto tramite ad patriam coelestem iter faciunt. Ait igitur, *lucerna pedibus meis verbum tuum*, idest, lex tua est lucerna pedibus meis. Et hoc ipsum repetens, et declarans addit, *et lumen semitis meis*. Lucerna enim dum illuminat semitas per quas incedendum est, dirigit pedes ambulantium: sermo est metaphoricus, sed facile intelligitur.

2. *Juravi, et statui custodire judicia justitiae tuae.*

Quia lex est lux, ac proinde res optima, et utilissima, Propheta jurat, et statuit, idest, firmissime apud se constituit custodire ipsam legem, quam vocat *judicia justitiae*, idest, judicia justissima.

3. *Humiliatus sum usquequaque Domine: vivifica me secundum verbum tuum.*

Humiliatus, idest, afflictus, et vexatus sum valde, occasione legis servandae: quia *omnes qui volunt pie vivere, persecutionem patiuntur*, ut dicit Apostolus 2. Timot. 3. sed tu Domine *vivifica me*. idest, veram vitam, quae a malis omnibus libera erit, mihi aliquando tribue, secundum promissum tuum. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. Posset etiam hic locus exponi de virtute humilitatis. Qui enim humiliant se ipsos, et jugo legis se omnino subjiciant, illi secundum promissionem merentur exaltari ad vitam beatam, et sempiternam.

4. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, et judicia tua doce me.*

Quod juravi, et statui custodire legem, non obstante qualibet persecutione, est voluntarium sacrificium oris mei: hoc igitur voluntarium sacrificium oro, ut tibi sit beneplacitum, et quia ex se id non meretur, tu Domine fac illud beneplacitum, dum benigne ex gratia tua illud approbare dignaris, ac ut rite hoc sacrificium offeram, *doce me judicia tua*, idest, doce me perfecte legem tuam observare. Alii referunt haec *voluntaria* ad sacrificia votiva ovium, et hircorum; alii, ad sacrificia laudis, et confessionis: sed continuatio psalmi videtur requirere, ut per *voluntaria* intelligamus spontaneum juramentum legis custodiendae.

5. *Anima mea in manibus meis semper: et legem tuam non sum oblitus.*

Quam serio juraverim custodire legem tuam, et hoc tibi sacrificium sponte obtulerim, ex hoc intelligi potest, quod quotidie de vita periclitor propter legis tuae custodiam, et tamen ipsam *legem non sum oblitus*. S. Ambrosius, et s. Augustinus dicunt, in plerisque libris legi, *anima mea in manibus tuis*, et hanc veriorem lectionem esse judicant. Eodem modo legunt sanctus Hilarius, et sanctus Hieronymus in commentario psalmorum: et sensus optimus, et verissimus est, Animas nostras in manu Dei esse, a quo pendet vita nostra, et in cujus potestate est ut vivamus, vel moriamur. Sed in hebraeo textu aperte est, *in manibus meis*, ut nos in editione vulgata legimus, et s. Hieronymus non solum in sua versione posuit, *in manibus meis*, sed etiam in epistola ad Suniam, et Fretellam dicit, septuaginta Interpretes vertisse, *in manibus meis*, et omnes veteres graecos tractatores explicasse hoc modo, *anima mea in manibus meis est*, idest, in periculo vitae sum, Quod enim manibus tenetur, facile potest cadere, vel eripi, nisi fortiter custodiatur, et defendatur: et sic intelligitur illud Judic. 12. *Posui animam meam in manibus meis*; hoc enim dicit Jepte, dum ad praelium valde periculosum pergit, et illud 1. reg. 19. de Davide. *posuit animam suam in manu sua: et percussit Philisthaeum*. Itaque credibile est, septuaginta Interpretes vertisse, *in manibus meis*, sed postea a sciolo aliquo textu fuisse mutatum, quod videretur lectio clarior et facilior.

6. *Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de mandatis tuis non erravi.*

Non sine causa dixi, *animam meam in manibus meis semper* fuisse, quia *peccatores posuerunt laqueum mihi*, ut me caperent, et occiderent, et tamen ego *de mandatis tuis non erravi*, idest, non aberravi a mandatis tuis. Hoc impletum est cum David quaereretur a Saule ad mortem, et tamen ipse David semel, et iterum cum facile posset Saulem occidere, seque ab omni periculo liberare, noluit id facere, ne peccaret in Deum. Vide lib. 1. Reg. cap. 23. et 26.

7. *Haereditate acquisivi testimonia tua in aeternum, quia exultatio cordis mei sunt.*

Cur de mandatis tuis non erraverim,et causa est, quia *haereditate acquisivi testimonia tua in aeternum*,idest,elegi mihi in haereditatem aeternam ipsam legem tuam , quia jucundissima et dulcissima mihi est, et summae delectationis,et exultationis causa.

8. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem.*

Porro causa tantae delectationis est merces copiosissima, quam secum adfert legis custodia. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas*, id est,cum ab una parte lex peccati traheret me, ab altera lex tua,ego inclinavi cor meum tamquam stateram,aut bilancem ad legem tuam faciendam, propter retributionem ; quia videlicet consideravi stipendium legis tuae esse vitam sempiternam. S. Hieron. ex hebraeo vertit , *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter aeternam retributionem*: textus hebraicus utramque lectionem admittit.

Samech.

1. *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.*

In hoc octonario Propheta detestatur praevaricatores legis divinae , et se contrarium eis esse demonstrat. Monet autem s.August. non dixisse Prophetam in primo versiculo, *iniquitatem odio habui, et legem tuam dilexi*, ut videbatur requirere ordo verborum; sed dixisse , *iniquos odio habui, et legem tuam dilexi*, ut ostenderet,se non solum iniquitatem, sed etiam iniquos odisse : et rursum non dixisse, *iniquos odio habui, et justos dilexi*; sed et legem tuam dilexi , ut indicaret , se non odisse iniquos, nisi quia contrarii sunt legi divinae, quam dilexit. Itaque odio habuit iniquos , non ratione naturae, sed ratione iniquitatis , sicut contra diligebat inimicos, ac per hoc iniquos,non ratione iniquitatis, sed ratione naturae.

2. *Adjutor et susceptor meus es tu , et in verbum tuum supersperavi.*

Ut non timeam iniquos,quos odi,et legem adimpleam quam dilexi, *adjutor, et susceptor meus es tu*, adjutor, in lege custodienda; et susceptor, in evadenda persecutione iniquorum.Et ego vicissim in verbum promissionis tuae valde speravi.

3. *Declinate a me maligni,et scrutabor mandata Dei mei.*

Una ex causis, cur odio habeat iniquos Propheta,est quia eorum consortium valde impedit meditationem Verbi Divini,quae quietem et pacem animi desiderat. Ideo cupit eos a se recedere, ut muscas molestissimas.

4. *Suscipe me secundum eloquium tuum , et vivam : et non confundas me ab expectatione mea.*

Ut cupio iniquos a me recedere; ita cupio ut tu Domine ad me accedas et in sinum tuum suscipias *secundum eloquium* promissionum tuarum,et tum verissime *vivam*, cum tibi,qui vita es,conjunctus ero. Et quia de benignitate tua, non de meritis meis, id expecto, *non confundas me ab expectatione mea.*

5. *Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.*

Idem aliis verbis repetit:id enim est,*suscipe me, et vivam*, et, *adjuva me,et salvus ero*.Fructus autem hujus susceptionis erit , ut sine impedimento semper meditari valeat in lege Domini.

6. *Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis , quia injusta cogitatio eorum.*

Ostendit nunc, quod si ipse odio habet iniquos, et a se recedere cupit , id facit exemplo Dei , qui iniquos justissime execratur.*Sprevisti*,inquit,tamquam rem nullius momenti , *omnes discedentes a judiciis tuis*, idest, omnes iniquos, qui discedunt a via legis divinae. *Quia injusta cogitatio eorum*, idest, quoniam ipsi cogitant , se non debere subdi legi Dei, nec ab ea pendere; qua cogitatione nihil iniquius esse potest, cum omnis creatura summo jure creatori subjici debeat.Haec fuit cogitatio luciferi,qui similis Altissimo,non autem subditus es, se ei voluit. Eadem fuit cogitatio primorum parentum, qui cupierunt esse *sicut Dii*.Eadem est cogitatio omnium superborum,qui dicunt in corde suo *quis noster Dominus est*? Hos igitur spernit Deus et non multum curat,si multa millia eorum pereant in aeternum, quia quanto pluris ipsi se aestimant, tanto minoris fiunt a Deo.

7. *Praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae: ideo dilexi testimonia tua.*

Movet hoc loco magnam quaestionem s. August. Quomodo omnis peccator praevaricator dici possit, cum Apostolus dicat, *ubi non est lex, nec praevaricatio*, rom. 4. et rursum, *qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*. Rom.2. respondet illud, *ubi non est lex, nec praevaricatio*,intelligi de lege in universum: illud autem, *qui sine lege peccaverunt*, intelligi de lege scripta tantum:proinde omnes peccatores dicendi sunt *praevaricatores* , quia omnes praevaricantur legem naturalem scriptam in cordibus. Sed cur Propheta hoc dicit? ut ostendat, peccatum, quod est maximum malorum, non aliunde nobis accidere , nisi ex praevaricatione legis. Subjungit, *ideo dilexi testimonia tua*,idest,ut tam magnum malum effugiam,dilexi legem tuam. S. Hieron. ex hebraeo vertit,*quasi scoriam reputasti omnes peccatores terrae*.Sed septuaginta interpretes,per vocem, סיגים *sighim* non intellexerunt *scoriam* a voce , סיג *sig* , sed *recedentes* , quod est idem cum, *praevaricantes*:nam verbum, סוג *sug* ,significat *recedere*; inde סוגים *sughim*, significat *recedentes*.Jod autem et vau sunt literae

permutabiles: sic etiam non legerunt השבת *hisbatta*, quod est, *reputasti*, sed, השבתי *hisbatti*, quod est, *reputavi*.

8. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.*

Postulat in fine confirmationem in timore Dei, ut in custodia legis per eum timorem perseveret. *Confige*, inquit, quasi clavis *timore tuo carnes meas*, idest, cupiditates meas carnales, ut se commovere non possint, juxta illud Apostoli, *qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis*, Gal. 5. *A judiciis enim tuis timui*, idest, quoniam jam coepi timere a judiciis tuis poenas horribiles comminantibus, ideo cupio stabiliri in hoc sancto timore, ut ab eo numquam divellar. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *horripilavit caro mea*; sed sciendum, quod verbum סמר *samar*, non solum significat *horrere*, sed etiam *clavis configere*; nam ex hoc verbo deducitur nomen מסמר *masmer*; quod significat *clavium*. Parum autem refert, quod hic ponatur verbum praeteriti temporis, et modi indicativi: nam eaedem literae mutatis punctis faciunt imperativum: proinde recte septuaginta verterunt, *confige*, vel ut Patres legunt, *confige clavis*.

Ilain.

1. *Feci judicium, et justitiam, non tradas me calumniantibus me.*

In hoc octonario petit gratiam liberationis a calumniatoribus, et auxilium ad legem perfecte adimplendam. *Feci*, inquit, *judicium et justitiam*, idest, reddidi unicuique suum, ideo aequum est *ut non tradas me calumniantibus* mihi. Calumniatores nostri perpetui, daemones sunt, quibus tradimur a Deo, quando permittimus tentari ab illis, vel potius quando Deo deferente superamur, et tentantibus consentimus.

2. *Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.*

Feci, inquit, *justitiam*; sed ut semper faciam, et non deficiam, faciendo, *suscipe servum tuum in bonum*, illum dirigendo. Clarior est textus hebraicus, habetur, *dirige*, sive *ordina, et opta servum tuum ad bonum*, ut semper placeat illi bonum, et hinc fiet, ut non calumnientur mihi superbi, sive homines, sive daemones. Qui enim bene confirmatus est in bono, et bene aptatus, ut ubique, et semper bonum illi placeat, ita perseveranter bene se gerit, ut nihil sit, cur timeat calumniatores.

3. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, in eloquium justitiae tuae.*

Confirmat, se valde ardenter desiderare perfectam illam directionem ad bonum, quae in vita aeterna dabitur electis. *Oculi mei defecerunt*, prae desiderio respicientes assidue in salutem tuam, quae de coelo nobis adveniet, et *in eloquium justitiae tuae*, idest, in promissionem tuam fidelissimam. Vide quae dicta sunt ad versiculum primum, et secundum, literae Caph.

4. *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me.*

Pergit in oratione, ac petit, ut Dominus operetur secum non secundum merita ipsius, sed *secundum misericordiam* suam, quae in eo potissimum consistit, ut doceat *justificationes* suas, idest, intime persuadeat, bonum esse implere, et custodire legem Domini, atque hoc modo doceat non tam scire, quam facere. Quod fit, quando Deus infundit magnam charitatem, non quando solam donat scientiam, quae sine charitate inflat, non aedificat.

5. *Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.*

Ista tam frequens petitio ejusdem rei, signum est magni desiderii. *Servus tuus sum ego*, ac per hoc teneor mandatis tuis obedire, *da mihi* igitur *intellectum*, idest, fac me intelligere testimonia tua, ut illa perfecte addiscam. Vide primum versiculum literae Jod, qui est huic similis.

6. *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.*

Hic versiculus duobus modis exponi solet. Sancti patres Hilarius, Ambrosius, et Augustinus, exponunt de gratia Salvatoris, ut sensus sit, o Domine, *jam tempus est faciendi*, quia satis docuisti verbis, satis mandasti; nunc tempus est, ut facias, ut exemplo doceas, ut carnes sumas, ut obedientiam usque ad mortem crucis exhibeas, ut gratiam dones, qua justificatio legis impleri possit a nobis: nam *dissipaverunt legem tuam*, Judaei videlicet, quibus data erat. At graeci, Theodoretus, et Euthymius, quos plerique recentiorum sequuntur, exponunt de punitione sceleratorum, ut sensus sit. Tempus est, Domine, ut facias judicium adversus impios, eosque punias, quoniam *dissipaverunt legem tuam*, idest, non solum utcumque violaverunt, sed penitus dissipaverunt, cum nihil ejus observent. Utraque bona est expositio, sed videtur illa magis mystica, haec magis litteralis. S. August. legit, *tempus faciendi Domino*. S. Ambrosius, *tempus faciendi Domine*, ut habet editio nostra vulgata. S. Hilarius utroque modo hunc versiculum legit. In hebraico et graeco textu habetur, *Domino*: sed idem est sensus, dummodo illud *faciendi*, tribuatur Deo, non homini: et sensus sit, tempus est ut tu Domine facias.

7. *Ideo dilexi mandata tua super aurum, et topazion.*
8. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.*

Quia multi dissipaverunt legem tuam, et ob hoc

video illis gravissimum imminere supplicium:ideo ego ex adverso magis incensus sum amore legis tuae, et pluris illam facio quam aurum, et lapides pretiosos: ideo etiam non solum legem diligebam, sed etiam custodire satagebam ; *dirigebar enim ad omnia mandata tua*, idest, recte ambulabam per viam mandatorum tuorum, non declinans ad dexteram, vel sinistram, imo etiam *omnem viam iniquitatis*, idest, omnem legem carnis, et peccati *odio habui*, et declinavi. Porro per vocem, *topazion*, quod est in hebraeo, פז *paz*, significatur lapis pretiosus, quam dicunt aurei coloris esse, et valde lucidum : vide Strabonem lib. 6. Plin. lib. 37. cap. 8. eadem vocem habemus in psal. 18. ubi septuaginta Interpretes, et s. Hieronymus verterunt, *lapidem pretiosum*: quia videbant prophetam in una specie intellexisse genus ipsum lapidum pretiosorum.

Phe.

1. *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.*

In hoc octonario iterum Propheta revertitur ad laudandam legem,et ad petendam gratiam,ad eamdem legem perfecte servandam. Laudat igitur legem, quod admirabilis sit, et ideo eam scrutatus sit diligenter. Deuteronom. 30. ubi legimus, *mandatum hoc non supra te est*, in Hebraeo habetur, *Mandatum hoc non mirabile est*. Respondeo, leges Domini sive morales, sive judiciales,sive caeremoniales non esse mirabiles,quod attinet ad sensum litteralem; nam apertae sunt, et faciles;et qui eas non servant, non possunt excusari ab inorantia:et hoc affirmat Moses in Deuteronomio.At quod attinet ad mysticos sensus, praesertim legum caeremonialium,mirabiles,et obscurrissimae sunt,cum per illas figurentur omnia mysteria Christianae religionis: atque hoc significare videtur hoc loco Propheta. Praeterea Decalogus,quo lex Domini potissima continetur, hoc ipso valde mirabilis est, quod tam claris et apertis sententiis conscriptus sit, cum tamen in summa brevitate complectatur omnia principia justitiae, ad quae reducuntur omnes leges, quae factae sunt, et quae fient. Omnes enim aliae leges, quae sunt innumerabiles, et maxima volumina repleverunt, et deinceps replebunt; omnes, inquam, vel sunt conclusiones, vel determinationes legum decalogi. Itaque sicut parva semina mirabilia sunt, quia virtute continent magnas arbores : sic Decalogus mirabilis est, quia virtute continet omnes leges totius mundi.

2. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.*

Quia dixerat,mirabilia esse mandata divina;nunc addit, quod si declarentur vel ab ipso Deo per infusionem luminis divini, vel ab aliquo perito doctore,mirifice mentem illustrant.Declaretur autem lex,tum quando aperiuntur mysteria figurarum,quae in lege caeremoniali continentur: tum quando deducuntur conclusiones ex lege morali:tum denique quando decreta legis judicialis ad facta particularia applicantur. Ex hebraeo vertit s. Hieron. *Ostium sermonum tuorum*: sed vox, פתח *pethach*, non solum, *ostium*, sed etiam, *apertionem*,ac per hoc declarationem significat. Quod sequitur, *et intellectum dat parvulis*, significat,legis declarationem parvulis esse necessariam, idest,simplicibus, et ignorantibus. Fortasse etiam, ut s. Augustinus monet, per parvulos intelligere debemus humiles: isti enim facilius res divinas addiscunt, juxta illud Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti haec a sapientibus,et prudentibus,et revelasti ea parvulis*, iis videlicet, qui non sunt in oculis suis sapientes, nec prudentes.

3. *Os meum aperui,et attraxi spiritum,quia mandata tua desiderabam.*

Et ego, ut unus ex parvulis, os meum interius aperui orando, et petendo,*et attraxi spiritum* bonum,spiritum scientiae, et pietatis, quo mandata intelligere, et implere possem. Nam ipsa mandata tua intelligere,et implere desiderabam.Sumpta est metaphora a respiratione corporali: cum enim gravamur aliquo magno labore, ac pene suffocamur; tum aperientes os, anhelantes,respiramus,et melius habemus.

4. *Aspice in me, et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum.*

Aperiendo autem os ad orandum ita dixi, *aspice in me, et miserere mei*, idest, aspice in me oculis pietatis,et miserere mei laborantis sub onere praeceptorum,quae meis viribus implere non possum: *miserere*, inquam, *mei secundum judicium diligentium nomen tuum*,idest,juxta consuetudinem, quia uteris erga amicos tuos, qui te in veritate diligunt, vox enim hebraica, משפט *mispat*, significat, *judicium*, morem, consuetudinem, modum, habitum, et alia. Sed quia septuaginta Interpretes verterunt, κριμα, et noster Interpres *judicium*, in eumdem sensum exponere debemus hoc modo, *miserere mei secundum judicium*, quo uteris in judicandis amicis tuis, qui te diligunt.

5. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.*

In hoc misereberis mei *secundum judicium diligentium nomen tuum*,si direxeris gressus meos *secundum eloquium tuum*, idest, si per gratiam tuam feceris, ut ego rectam viam ingrediar ambulans secundum directionem legis tuae, et sic *non dominetur mei omnis injustitia*,idest,nullam injustitiam committam,quae me captivum teneat:nam, ut Dominus dicit Joann.8.*Qui facit peccatum servus est peccati.*

6. *Redime me a calumniis hominum,ut custodiam mandata tua.*

Gressus meos dirige tunc potissimum, cum pe-

riculum est, ne perturbatus calumniis declinem a recta via, *calumnia enim perturbat sapientem, et perdit robur cordis illius*. ut dicit Ecclesiast. cap. 7. *Redime me a calumniis hominum*, idest, libera me a calumniis hominum, ut animo tranquillo custodiam mandata tua. Non est facienda vis in verbo, *redime*: nam apud hebraeos passim accipitur pro, *libera*.

7. *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.*

Quod supra dixerat, *aspice in me*, idem aliis verbis repetit, dicens, *Faciem tuam illumina super servum tuum*. Sicut enim Sol cum interpositione nubium obscuratur, privat nos calore, et lumine: ita Deus cum nos gratia sua non adjuvat, videtur abscondere faciem suam, vel tenebris cooperire; et contra, cum nos gratiae suae lumine collustrat, videtur nubium obstacula dissipare, et nobis serenam faciem ostendere. Ait igitur, *Faciem tuam illumina super servum tuum*, idest, sereno me vultu respice, *et* lumine ad me transfuso, *doce me justificationes tuas*, idest, legem tuam intelligere, et servare.

8. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*

Quam vehementer David legem Dei dilexerit, ostendit, hactenus tot precibus toties repetitis pro gratia servandae legis: nunc demonstrat ex magno dolore, quem concepit ex praevaricatione; non enim dicit, se unam vel alteram lachrymam fudisse, sed rivos aquarum, idest, lachrymarum, ex oculis, quasi ex fontibus produxisse, *quia non custodierunt legem Domini*. Tametsi enim peccatum, idest, transgressio legis, procedat a voluntate, sive a corde; tamen instrumenta peccati nunc sunt oculi, nunc lingua, nunc manus. Peccati autem gravissimi, quod David aliquando commisit, et pro quo *lavabat per singulas noctes lectum suum*, instrumenta fuerunt oculi. Videt enim nimis curiose mulierem nudam, dum se lavaret; inde exarsit in concupiscentiam, inde processit ad adulterium, et homicidium. Theodoretus, et Euthymius, quos aliqui recentiores sequuntur, dicunt, Davidem flevisse peccata aliorum, et sic exponunt illud, *quia non custodierunt legem tuam*. Sed sancti patres nostri Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus constanter affirmant, Davidem loqui de peccato suo, non de alieno.

Tsade.

1. *Justus es Domine, et rectum judicium tuum.*

In hoc octonario laudatur lex Domini a summa rectitudine, et justitia: ac primum demonstrat David esse justissimam legem, quoniam auctorem habet justissimum, in quem injustitia cadere non potest. Ait igitur, *justus es Domine*, id est, justus, per antonomasiam, et solus justus ea justitia, cum qua admisceri injustitia nequeat, juxta illud 1. Joan. 1. *Deus lux est, et in eo tenebrae non sunt ullae. Et rectum judicium tuum*, idest, et consequenter rectum, ac justum est judicium, decretum, mandatum tuum. Nam in hoc psalmo per *judicium*, fere semper ipsa lex intelligitur. Quamquam etiam illud verum est judicium Dei quo distribuit poenas, et praemia, semper esse justum, licet interdum non appareat ejus justitia.

2. *Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.*

Ostendit, legem Dei non solum esse justam, quia procedit a Deo justo, sed etiam, quia continet ipsam justitiam. *Mandasti*, inquit, *justitiam testimonia tua*, idest, praecepisti nobis testimonia tua, quae sunt ipsa justitia, *et veritatem tuam nimis*, idest, et sunt ipsa veritas omnino. S. Thomas 1. 2. quaest. 100. art. 8. ex hoc principio colligit, legem Decalogi esse omnino indispensabilem, quia continet ipsum ordinem justitiae, quo modo si quis juberet, ut nullus peccet; vel ut nemo sit iniquus, lex esset omnino indispensabilis, quia non potest dari casus, in quo liceat peccare, vel iniquum esse.

3. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Propter hanc tantam aequitatem legis tuae, dolore afficiebar, ita ut etiam tabescerem, et languerem prae zelo, cum viderem homines, etiam si inimicos meos, oblivisci verborum tuorum, id est, tam utilium praeceptorum tuorum. In graeco legitur, *zelus tuus*, et sic legerunt Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et Theodoretus in commentario psalmorum. Sed nostra lectio conformis est hebraico textui, nec desunt antiqui codices, qui nostrae lectioni foveant. Sanctus enim Augustinus testatur alios codices habere, *zelus meus*, alios, *zelus tuus*, alios, *zelus domus tuae*: sensus autem semper est idem, ut notum est.

4. *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.*

Iterum docet Propheta legem Dei esse justissimam, et purissimam, ex similitudine ad aurum igne probatum. Dicitur enim, *eloquium* Dei, *ignitum vehementer*, quia similis est lex Dei auro in fornace ignis constituto, ubi non laeditur, quia parum est ab omni sorde. Nam in textu hebraico habetur, צרופה *tzerupha*. quod significat, *probatum* et *examinatum igne*. Neque dici potest, septuaginta Interpretes non legisse, *tserupha*, sed, שרופה *serupha*, quod proprie *ignitum* significat: nam in hoc octonario singuli versus incipiunt per literam *tsade*, et hoc vocabulum in initium versiculi. Itaque certum est hoc loco per *ignitum*, intelligi probatum, et examinatum igni, ac per hoc significari legem Domini esse purissimam ab omni injustitia, ut est aurum igne examinatum. Simile habetur in psal. 11. *Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum*. Unde etiam sequitur, ut eadem lex summo amore diligenda sit: et merito David adjun-

git, *et servus tuus dilexit illud.* Neque tamen est falsum, sed verissimum, legem Domini esse etiam igneam, ut dicitur Deuteronom. 33. *In dextera ejus ignea lex*; tum quia instar ignis illuminat, et purificat: tum quia finis ejus est charitas, quae est ignis divinus.

5. *Adolescentulus sum ego, et contemptus: justificationes tuas non sum oblitus.*

Hoc refert David ad comparationem fratrum suorum, quasi dicat, Ego sum minimus inter fratres meos (hoc enim proprie significat vox hebraea, צעיר *tsahir*) et contemptus a patre, a fratribus; et tamen exaltatus ad regnum et a Deo prae omnibus honoratus, *quia justificationes tuas non sum oblitus.* Vide lib. 1. reg. 16. Sanctus Ambrosius, et sanctus Augustinus exponunt mystice de populo Christiano, qui est frater junior respectu fratris senioris populi Judaici et ab illo contemptus, sed a Deo magis dilectus, quia *justificationes Domini non est oblitus*, quas populus judaicus oblitus est.

6. *Justitia tua justitia in aeternum, et lex tua veritas.*

Haec est repetitio, declaratio secundi versiculi. Justitia enim Domini, idest, justissima lex Domini est justitia aeterna, quia immutabilis, et indispensabilis: et simul est veritas, quia nihil falsi continet; promissiones enim ejus, et comminationes omnino impleri debet.

7. *Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.*

Ex hac veritate fit, ut in omni tribulatione consoletur me legis tuae assidua meditatio: *Tribulatio et angustia invenerunt me*, idest, quotiescumque tribulatio et angustia invenerunt me, *mandata tua meditatio mea est*, idest, id remedii accipio, ut mediter, et oblecter in mandatis tuis considerandis.

8. *Aequitas testimonia tua in aeternum, intellectum da mihi, et vivam.*

Idem aliis verbis dicit, quod in secundo et sexto versiculo: nam per *aequitatem* hoc loco, *justitia* accipienda est, ut ex textu hebraico constat. *Aequitas testimonia tua in aeternum*, idest, praecepta tua sunt aeterna justitia, quia semper justissima sunt: ideo peto, ut des mihi intelligentiam praeceptorum tuorum, ut ea custodiendo vivam, quae si non custodirem, continuo morerer.

Coph.

1. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine, justificationes tuas requiram.*

In hoc octonario Propheta desiderium suum erga divinam legem ardenti oratione demonstrat: ac in primo quidem, et secundo versiculo exprimit vehementiam desiderii per clamorem: in tertio, et quarto per horam intempestivam. *Clamavi*, inquit, *in toto corde meo*, idest, toto affectu, totisque viribus clamavi; ideo *exaudi me Domine.* Sicut enim vocem corporalem submissam non facile exaudimus; clamorem autem non possumus non exaudire; ita Deus orationem frigidam, et remissam, quasi non audierit, non admittit: ardentem autem, et magno desiderio emissam, quasi non audire, facile admittit. *Justificationes tuas requiram*, idest, exaudi me, ut *justificationes tuas*, idest, praecepta tua, diligenter requiram: vel *exaudi me*, et ego gratia tua adjutus praecepta tua requiram, quod in idem recidit.

2. *Clamavi ad te, salvum me fac, et custodiam mandata tua.*

Potest hoc intelligi de salute in spe, quae habetur per gratiam in hoc saeculo, et de salute in re, quae habetur per gloriam in futuro saeculo. *Clamavi ad te*, idest, magno desiderio oravi: *salvum me fac*, per gratiam, quae est salus inchoata, *ut custodiam mandata tua*, quantum in hoc saeculo fragilitas humana permittit, et rursum, *salvum me fac*, in aeterna vita, ut *custodiam mandata tua*, sine ullo timore praevaricandi.

3. *Praeveni in maturitate, et clamavi: quia in verba tua supersperavi.*

Hunc locum corruptum esse aliqui putant, quia s. August. legit, *Praeveni in immaturitate.* Sed credendum est potius corruptum fuisse codicem, quem habuit s. August. nam sanctus Hilarius, s. Ambrosius, et s. Hieron. in comment. et alii, legunt, ut nos habemus, *in maturitate.* Sciendum est autem verbum *maturare*, esse ambiguum, et aliquando significare *perficere*, ut cum dicimus, *maturari fructus*, aliquando *accelerare*, et *festinari*, qua notione dixit Poeta, *maturate fugam*, lib. 1. Aeneid. et, *mature venisti*, tam significat, tempore opportuno venisti, quam satis cito venisti. Hoc igitur loco *maturitas*, non est opportunitas temporis, sed acceleratio, et anticipatio horae; et sensus est, *praeveni in maturitate*, idest, praeveni tempus surgendi, et in acceleratione, et festinatione, antequam dies illucesceret. cum adhuc tempus dormiendi esset, ego prae desiderio anticipavi vigilias, et in oratione mea clamavi; quia valde speravi in verba promissionum tuarum.

4. *Praevenerunt oculi mei ad te diliculo, ut meditater eloquia tua.*

Idem repetit aliis verbis, *praevenerunt*, inquit, *oculi mei* tempus vigilandi, et *diluculo*, idest, valde mane, ante ortum solis ad te respicere coeperunt, ut gratia tua adjuvante meditarer eloquia tua.

5. *Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine, et secundum judicium tuum vivifica me.*

Pergit in oratione, quam diluculo, remotis curis temporalibus, in magno silentio rerum omnium, attentissimo animo faciebat. *Vocem meam*, inquit, *audi*, non secundum merita mea, sed *secundum* solitam *misericordiam tuam*, *et secundum judicium tuum*, quo reddis quod promisisti, *vivifica me*, conservans, et augens vitam spiritualem, quam dedisti, et in futuro saeculo perficiens, et consummans, ut amplius mori non possim.

6. *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati, a lege autem tua longe facti sunt.*

Non sine causa peto vivificari, quoniam non desunt persecutores qui tentationibus assiduis mortificare me satagunt, qui persecutores, sive homines, sive daemones, *appropinquaverunt iniquitati, a lege tua longe facti sunt*, idest, iniquitatem diligunt, illi adhaerent, illam persuadere aliis conantur : sicut e contrario legem tuam oderunt, illam fugiunt, illam omnibus inviam reddere student. S. Augustinus, s. Ambrosius, et s. Hieron. in commentario legunt *appropinquaverunt persequentes mihi inique*, sive *iniquitate*, idest, cum iniquitate : ita ut appropinquatio sit ad hominem, ut ei noceant, non ad iniquitatem, ut illi conjungantur. Et quidem vox graeca ambigua est, et tam *iniquitate*, quam *iniquitati* reddi potest. Vox hebraica, ut nunc se habet, favet lectioni s. Augustini; nam ad verbum sic reddi potest, *appropinquaverunt persecutores iniquitatis*, idest, persecutores iniquissimi appropinquaverunt, supple, *ad me*. Tamen omnino credibile est verba hebraica non esse legenda, רדפי זמה *rodephe zimma*, idest, *persecutores iniquitatis*, sed רדפי זמה *rodephai zimma*, idest, *persecutores mei iniquitati*, quae lectio est nostrae editionis vulgatae, et habetur apud s. Hilarium, et cum lectione Graeca bene cohaeret ; et optime respondet verbis sequentibus, *a lege autem tua longe facti sunt*: ubi Propheta opponit iniquitatem legi, et dicit, persecutores suos appropinquasse iniquitati, et recessisse a lege tamen uterque sensus bonus est.

7. *Prope es tu Domine, et omnes viae tuae veritas.*

Quamvis persecutores mei *a lege tua longe facti sint*, tamen a te longe fieri non potuerunt : quia tu *prope es* illis per justitiam, *et omnes viae tuae veritas*, idest, omnes leges, omnia judicia tua justissima sunt. Itaque manum tuam punientem ipsorum scelera fugere non potuerunt. Mihi quoque *prope es* tu Domine per auxilium, et quia *omnes viae tuae veritas*, non patieris, ut mihi noceant persecutores : nam et si forte dabis illis potestatem in corpus meum, dapis in animam meam, et tandem omnis persecutio in coronam gloriae convertetur.

8. *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in aeternum fundasti ea.*

Quod autem *omnes viae tuae sint veritas*, imo etiam aeterna veritas, *initio cognovi de testimoniis tuis*, idest, jam inde a primo tempore, quo primum coepi intendere in mandata tua, cognovi ex ipsis, dum ea attente considerarem, *quia in aeternum fundasti ea*, idest, quod sint aeternae veritatis, et plane immutabilia, et indispensabilia. Nam jam supra dictum est, ea esse immutabilia, quia continent ordinem justitiae, et ipsam legislatoris intentionem.

Resch.

1. *Vide humilitatem meam, et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.*
2. *Judica judicium meum, et redime me, propter eloquium tuum vivifica me.*

In hoc octonario rursum Propheta orationem fundit ad Deum pro liberatione ab inimicis sive doemonibus, sive hominibus, qui eum tentationibus suis ad praevaricationem legis pertrahere nitebantur. *Vide*, inquit, *humilitatem meam*, idest, afflictionem, et tribulationem meam, *et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus*, idest, quamvis legem non perfecte custodiam, tamen non post tergum meum eam abjeci, sed recordor, et recogito eam, et custodire desidero; ideo aequum est, ut eripias me a tentantibus inimicis, et perficias in me, quod per gratiam tuam coepisti. *Judica* igitur *judicium meum*, idest, judica causam meam, *et redime me*, per judiciariam sententiam tuam de manu inimicorum meorum, *propter eloquium tuum vivifica me*, idest, propter promissionem tuam, sive propter legem, quam constituisti de praemiis bonorum, et suppliciis malorum vivifica me, vitam gratiae augendo, et vitam gloriae suo tempore largiendo.

3. *Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.*

Dixi, *vivifica me, quia legem tuam non sum oblitus*. Scio enim longe esse a peccatoribus salutem, quia justificationes tuas non exquisierunt. Nam in primis doemones, qui per antonomasiam *peccatores* dici possunt, longissime absunt a salute, quia numquam ad eam pervenient, eo quod legem Domini non exquisierint; sed eam potius superbiendo contempserint. Alii quoque peccatores tam longe a salute absunt, quam longe absunt a lege Domini exquirenda; neque enim frustra dictum est a Domino, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Matth. 19.

4. *Misericordiae tuae multae Domine: secundum judicium tuum vivifica me.*

Quamvis severissime punias eos, a quibus longe fecisti salutem tuam : tamen multae sunt etiam misericordiae tuae, ideo peto, ut secundum judicium tuum, quo misericorditer judicas eos, qui faciunt misericordiam, et qui diligunt legem tuam, vivifices me.

5. *Multi qui persequuntur me, et tribulant me: a testimoniis tuis non declinavi.*

Non sine causa postulo, ut vivifices me, quia multi sunt hostes mei visibiles, et plures invisibiles, qui me mortificare contendunt: et tamen ego gratia tua adjutus *a testimoniis tuis*, hoc est, a praeceptis tuis, quae sunt quasi rectissima via, *non declinavi* neque ad dexteram, neque ad sinistram.

6. *Vidi praevaricantes, et tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.*

Ostendit in hoc versiculo Propheta verum spiritum charitatis, quia non tam moleste ferebat persecutores ob propriam afflictionem, quam ob injuram Dei: quod idem antea dixerat illis verbis, *defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam:* et rursum, *tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

7. *Vide, quoniam mandata tua dilexi Domine, in misericordia tua vivifica me.*

Ego videns praevaricantes tabescebam: aequum est, ut tu videns me diligentem mandata tua, misericorditer me vivifices.

8. *Principium verborum tuorum veritas, in aeternum omnia judicia justitiae tuae.*

Duobus modis potest intelligi praesens versiculus. Uno modo, ut sensus sit, verba tua procedunt a veritate, ut a suo principio, quasi fonte, et ideo verissima sunt, et *in aeternum* manent *judicia justitiae tuae*, quae sunt ut pios maneat praemium, et impios poena: ita exponit s. August. Altero modo, ut sit sensus, *principium verborum tuorum*, quando videlicet coepisti loqui cum Adamo, et jubens sub poenâ mortis, ne tangeret lignum scientiae boni, et mali; *veritas* fuit, idest, verissimum fuit, et *judicia justitiae tuae*, quibus peccata tunc punire coepisti, sempiterna sunt: ita exponit Euthymius.

Scin.

1. *Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum.*

In hoc octonario demonstrat Propheta constantiam suam in custodienda lege Domini, et desiderium cavendi ab omni praevaricatione. *Principes*, inquit, *persecuti sunt me gratis*, idest, Saul rex, sine ulla causa me persecutus est, reddens mala pro bonis, ut etiam postea fecit Isboset filius Saulis, qui duce Abner injuste mecum bella gessit, et tandem idem fecit filius meus Absalon, qui regnum sibi usurpare, meque de solio exturbare conatus est. *Et a verbis tuis formidavit cor meum*, idest, ego tamen tantis tentationibus non succubui, ut eis nocerem, sed timens mandata tua, semel atque iterum Sauli peperci, et mortem Isboset ultus fui, et Absalonem deflevi, reddens bona pro malis. S. Ambrosius, et s. Augustinus haec verba accomodant sanctis martyribus, qui persecutionem injustissimam passi ab imperatoribus infidelibus, plus timuerunt Deum, ut fidem conservarent; quam minas principum, ut fidem negarent.

2. *Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*

Non solum timui a verbis tuis, sed etiam dilexi verba tua, et ideo *laetabor super eloquia tua*, cum dabitur occasio illa adimplendi, sicut laetatur, qui peracto praelio invenit multa spolia hostium devictorum. Aptissima similitudo, tum quia David vir bellicosus erat, et assuetus praeliis: tum quia in praeceptis dominicis observandis cum diabolo acriter pugnandum est, et ex ea pugna, qui victor revertitur, invenit illustres coronas a Deo paratas omnibus hostium spoliis pretiosiores.

3. *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum; legem autem tuam dilexi.*

Iterum repetit amorem suum erga legem divinam et odium erga iniquitatem. Quod erat manifestum indicium amoris legislatoris: nam et Dominus in evangelio dicit. *si quis diligit me, sermonem meum servabit*, Joan. 14. et ibidem, *qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Foelix, qui Spiritu sancto reddente testimonium spiritui ejus, dicere potest, *iniquitatem hodio habui, et legem tuam dilexi.*

4. *Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiae tuae.*

Et hoc est charitatis signum, sine intermissione Deum laudare, quod judicia ejus justissima sint, et leges ipsius summam justitiam in se contineant. Quamvis per numerum septenarium intelligantur hoc loco frequentissima laus, quo modo intelligitur frequens lapsus, cum dicitur, *septies in die cadit justus*, Prov. 24. tamen non sine causa ex hoc loco Ecclesia usum septem horarum Canonicarum instituisse videtur. Nam cum ad imitationem tam sancti reges vellet filios suos frequentissime Deum laudare, determinavit septenarium numerum, cui si addatur octava hora, de qua dictum est supra, *media nocte surgebam ad confitendum tibi*, fiet, ut tertia quaque hora Trinitas Deus a fidelibus laudetur, ut s. Cypr. notavit in ser. 6. qui est de oratione Dominica.

5. *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.*

Magna et verissima laus est dilectionis legis divinae: nam qui diligit legem, diligit Deum legislatorem: qui autem diligit Deum, diligit omnia in Deo, ac per hoc nullum habet ex parte sua inimicum, sed cum omnibus ex parte sua pacem habet. Deinde, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-*

num, ut dicit Apostolus Rom. 8. Nemo autem nocere potest ei, cui *omnia cooperantur in bonum*, quare qui diligit Deum, cum omnibus pacem habere debet, et ideo Apostolus ad Gal. 5. dicit, *charitas, gaudium, pax*, etc. Pari ratione non est scandalum *diligenti legem* Domini, sed sine offensione currit ad patriam: nam scandalum activum non cadit in eum, qui diligit legem, cum scandalizare peccare sit; et peccare sit legem praevaricari. Scandalum autem passivum, vel est pusillorum, qui ex ignorantia existimant, illicitum esse, quod licitum est, et offenduntur cum vident illa fieri, quae ipsi arbitrantur illicita; vel est Pharisaeorum, qui ex propria malitia in pejorem partem interpretantur, quae interpretanda erant in meliorem. At qui diligunt legem Domini, perfecti sunt in charitate, proinde nec pusilli, nec Pharisaei sunt, ac per hoc non est illis scandalum. Vide S. Thomam quaest. 43. artic. 5. et 6. in 2. 2.

6. *Expectabam salutare tuum Domine, et mandata tua dilexi.*

Induit personam perfectorum hoc loco Propheta, et ideo cum fiducia dicit, *expectabam salutare tuum*, idest, salutem aeternam, quae a te est, et rationem reddit, *et mandata tua dilexi*, idest, quia *mandata tua dilexi*. Quo modo dicit Apostolus 2. Tim. 4. *Cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi in illa die justus Judex.*

7. *Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer.*

In eadem perfecti persona loquitur, ac testatur, se mandata servasse, quoniam ea vehementer amavit. *Vere enim amor*, ut scripsit s. Gregor. *operatur magna, si est; si autem operari renuit, amor non est*; et Dominus in evangelio Joan. 14. *Qui non diligit me, sermones meos non servat*; et Apostolus ad rom. 13. *Dilectio malum non operatur: plenitudo ergo legis est dilectio*, et ibidem, *qui diligit, legem implevit.*

8. *Servavi mandata tua, et testimonia tua, quia omnes viae meae in conspectu tuo.*

Iterum in persona perfectorum, se omnia mandata, et testimonia servasse affirmat: sed ex alio motivo, quod proprium est perfectorum, videlicet quia in omnibus actionibus suis cogitabat Deum esse praesentem, id enim significat illud, *quia omnes viae meae in conspectu tuo*, idest, quicquid agebam, in conspectu tuo agebam, sciens, et cogitans, te omnia conspicere. Haec enim cogitatio mirabilem vim habet ad moderandas actiones humanas: nam si conspectus principis terreni id efficit, ut subditi coram eo peccare non audeant, imo etiam desides, et negligentes, vel timidi et parvi animi videri erubescant: quid faceret conspectus principis coelestis, atque omnipotentis, si ante oculos mentis perpetuo versaretur! Hinc Dominus Abrahamo dicebat, *ambula coram me, et esto perfectus*, Gen. cap. 17. et Abraham dicebat, *Dominus in cujus conspectu ambulo*. Gen. 24. Elias, ac Elisaeu dicebant, *vivit Dominus, in cujus conspectu sto*. 3. reg. 17. et 4. reg. 3.

Tau.

1. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum.*

In hoc ultimo octonario concluditur psalmus oratione ad Deum pro gratia et salute saepius petita; sciebat enim Propheta, quod postea in Evangelio Dominus admonuit, perseverantiam in oratione, esse ad impetrandum longe utilissimam, Luc. 11. Ait igitur, *appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine*, idest, deprecatio mea, quae suis meritis non confidit, elevetur, et ascendat aspirante gratia tua, et appropinquet tibi, ita ut eam propius aspicere, et admittere digneris. Illud, *in conspectu tuo*, positum est pro, ad conspectum tuum, sive conspectui tuo. Quid autem contineat *deprecatio*, explicatur in verbis sequentibus, *juxta eloquium tuum da mihi intellectum*, idest, juxta promissum tuum, quod audivi: in psal. 31. *Intellectum tibi dabo et instruam te*, da mihi intelligere mandata tua eo modo, qui intelligunt, qui ea opera adimplent, et qui adimplendo ad vitam perveniunt.

2. *Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.*

Repetit aliis verbis eamdem petitionem: illud autem, *eripe me*, significat finem, cur petierit intellectum sibi dari: nam finis illuminationis est liberatio a peccatis, juxta illud evangelii, *cognoscetur veritatem, et veritas liberabit vos*. Joan. 8.

3. *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.*

Promittit gratiarum actionem, si obtinuerit gratiam tuam saepe imploratam. *Cum docueris me justificationes tuas*, ita ut gratia tua illuminante, et juvante, perficiam mandata tua, tunc ex plenitudine laetitiae interioris, et agnitionis magni hujus beneficii, *eructabunt labia mea hymnum laudis*, et gratiarum actionis: nam ructus ex repletione oritur, *et ex abundantia cordis os loquitur.*

4. *Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua aequitas.*

Non solum dicit se laudaturum Deum, sed etiam docturum homines, ac demonstraturum, quanta sit aequitas mandatorum Dei. *Pronunciabit*, inquit, *lingua mea eloquium tuum*, idest, loquar hominibus praecepta mea, et docebo, quod *omnia mandata tua aequitas sunt*, idest, aequissima sunt, ac proinde aequum est, ut ab omnibus diligentissime observentur. Nisi magis placeat, hunc versicu-

lum esse repetitionem versiculi superioris,ut sensus sit, *laudabit lingua mea eloquium tuum*, id est, praecepta tua, quia aequissima sunt.Sed prior expositio est s. August. et communior.

5. *Fiet manus tua ut salvet me:quoniam mandata tua elegi.*

Pergit in oratione sua David, potens quod unice petendum est,aeternam salutem,quae est finis mandatorum, *Fiat manus tua ut salvet me*, idest, sit potentia et sapientia tua ad me salvandum.Sic enim ex hebraeo verti posset, ex quo intelligimus, illud *fiat*, positum esse pro, *sit*, quo modo etiam in 1. cap. Genesis, ubi dicitur, *fiat lux.fiat firmamentum*, *fiant luminaria*, semper in hebraeo est verbum substantivum, *sit*. Et quoniam *potentiam et sapientiam Dei* Christum esse docet Apostolus 1. Cor. 1. recte exponunt patres,*sit Christus tuus ad me salvandum:quoniam mandata tua elegi*.Optima ratio, cur praetendat salutem qui mandata elegit, quoniam scriptum est.*si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19.

6. *Concupivi salutare tuum Domine, et lex tua meditatio mea est.*

Reddi rationem, cur tantopere petat salutem, quia videlicet illam prae omnibus desideratis concupivit. Sicut re vera super omnia bona concupiscenda est, cum sola desiderium nostrum possit implere; et quoniam non satis est concupiscere salutem, si quis ad eam pervenire velit,sed necesse est ambulare per viam praeceptorum Dei; ideo subjungit,*et lex tua meditatio mea est*,idest,de lege custodienda semper cogito, et in illa custodienda me semper exerceo.

8. *Vivet anima mea,et laudabit te: et judicia tua adjuvabunt me.*

Vivet anima mea, cum salutem concupitam obtinuerit, et manus tua fuerit ad salvandam eam: et tunc officium ejus erit. et solum negotium, laudare te:nam *beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*,psal.83. *Et judicia tua adjuvabunt me*, idest, et mandata tua a me custodita adjuvabunt me,ut aliquando etiam corpore vivam, cum resurrexero in resurrectionem vitae, vel, *judicia tua*, quibus in novissimo die judicabis pro meritis vivos et mortuos, *adjuvabunt me*, ut corpore quoque vitam sempiternam possideam.

8. *Erravi sicut ovis. quae periit; quaere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

Erravi sicut a patria expulsus, et adhuc exul erro propter culpam parentis primi, toti humano generi communicatam, et *erravi*, *sicut ovis*,quae seducta periit, non sicut diabolus, leo rugiens, qui ex malitia cecidit. *Quaere* ergo *servum tuum*:quamvis enim ex parte quaesieris,et inveneris,quatenus animam justificasti a peccato, et reconciliasti Deo; tamen adhuc quaerenda est ovis perdita, quatenus expectat redemptionem corporis sui,ut tota ad montes coelestes, et uberrima pascua,ubi relictae sunt nonaginta novem, quae non errarunt, perducatur: confidenter autem peto salutem animae, et corporis, *quia mandata tua non sum oblitus*. In libris graecis veritas est propter vocabulorum similitudinem, ut notarunt s. Patres Ambrosius, et Augustinus: nam alii codices habent ζητησον, idest, *quaere*; ζησον, idest, *vivifica*: imo s. Hilarius legit solum *vivifica*; sed in hebraeo nulla est varietas,neque literarum similitudo, et habetur vocabulum, quod nihil significat, nisi, *quaere*. Non desunt ex recentioribus, qui hunc versiculum exponant de Davide errante in montibus quando persecutiones Saulis vel Absalonis fugiebat. Sed nimis humilis videtur sensus, et ab expositione veterum patrum alienus.

PSALMUS CXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Psalmi quindecim, qui proxime sequuntur post psalmum centesimum decimum octavum, omnes in titulo habent, *canticum Graduum*, et quamvis gradus tam ad ascensum, quam ad descensum referri possit; tamen hoc loco non nisi ad ascensum pertinet: nam hebraica vox, המעלות *ammahaloth*, *ascensionem* significat, et similiter vox graeca ἀναβαθμων. Igitur psalmi isti quindecim, cantica quaedam ascensionum sunt, sive cantica eorum, qui per gradus quosdam sursum ascendunt, et quidem graeci, Theodoretus, et Euthymius, docent cantica ista intelligenda esse ad litteram de ascensione Judaeorum de Babylone in Jerusalem, Spiritu sancto per os David praecinente calamitatem captivitatis Babylonicae, et laetitiam liberationis. Alii malunt hos quindecim psalmos compositos fuisse, ut canerentur in ascensione quindecim graduum templi Salomonis: toto enim fuisse gradus templi non solum scribunt Nicolaus Lyranus, et alii recentiores, sed etiam s. Augustin. tract. in psalmum postremum. *Tot sunt*, inquit, *psalmi qui appellantur graduum, quoniam tot fuerunt etiam templi gradus.* Sed quicquid sit de his opinionibus, illud certum est, ascensiones istas sive de Babylone in Jerusalem, sive per gradus templi Salomonis figuras fuisse ascensionis electorum, qui per gradus virtutum ac praecipue charitatis, ascendunt de valle lachrymarum ad coelestem Jerusalem, et de hac ascensione Spiritum sanctum potissimum esse loquutum. Certe psalmi sunt pleni affectibus in Deum, et proprii eorum, qui se peregrinos, atque exules in terra inimicorum esse intelligunt; et nunc aerumnas exilii deflent, nunc ad requiem patriae subspirant; semper autem se ad ascendendum, et in via Domini proficiendum accendunt.

EXPLICATIO PSALMI CXIX.

1. *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.*

Inter varias hujus exilii calamitates, una est maxime deploranda, videlicet lingua dolosa eorum, cum quibus versari cogimur: ab hac se liberari petiisse, et impetrasse, canit Propheta, ut exemplo suo instruat caeteros peregrinos. Ego, inquit, *cum tribularer* non respexi ad auxilium hominum, sed *clamavi* in oratione ad Dominum, et ille pro sua pietate *exaudivit me*. Verba sunt clara, codicesque hebraici, graeci, et latini conveniunt.

2. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.*

Declarat quid oraverit clamando. Dixi, inquit, *Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa*, quod est unum ex majoribus et frequentioribus malis hujus nostrae peregrinationis: *labia iniqua* preferunt detractiones, convicia, calumnias, falsa testimonia, et similia verba contra legem justitiae: *lingua dolosa* profert verba deceptionis, adulatoria, simulatoria, fraudulenta; et possunt inveniri labia injusta sine lingua dolosa, ut cum quis aperte conviciatur, vel detrahit; cum lingua dolosa adjungitur ad labia injusta, malum est gravissimum, ideo ut nihil fere addi possit, ut dicetur in sequenti versiculo. Quod attinet ad verba, illud *animam meam*, positum est pro *me*, quasi, diceret, libera me: sed nominatur *anima*, vel quia est pars nobilior, vel quia lingua dolosa parum nocet, nisi vulneret animam inducendo videlicet eam ad peccandum. Illud autem, *a labiis iniquis*, s. Hieron. legit ex hebraeo *a labio mendacii*. Sed vox hebraea, שקר *sceker*, utrumque significat, *mendacium*, et *praevaricationem*: proinde recte verterunt etiam septuaginta, *a labiis*, αδικων. idest, *iniquis*, et sententia est plenior, et gravior, ut etiam in psalmo 42. *Ab homine iniquo et doloso eripe me.*

3. *Quid detur tibi, autem quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?*

Reddit rationem, cur petierit liberari a *lingua dolosa*, quia videlicet sit tale malum ut nihil ei addi possit, quasi dicat, Quid enim mali dari, aut addi posset supra linguam dolosam? sed difficultas est in verbis, tum quia in hebraeo legitur active, *quid dabit, aut quid apponet*: tum quia illud pronomen, *tibi*, videtur cogere ut haec sententia non

referatur ad Deum,et proinde non continuetur cum superioribus verbis. Quod attinet ad primam difficultatem, verba hebraica legi possunt etiam passive,si mutentur puncta.praesertim illud, יִתֵּן *itten*, quod potest legi, יִתָּן *juttan*; et legenda esse passive perspicuum est, quia non solum septuaginta verterunt passive, sed etiam s. Hieronym. reddidit ex hebraeo passive,*quid dabitur tibi,aut quid apponetur tibi ad linguam dolosam*? Illud, *tibi*, potest esse otiosum. ex phrasi hebraica, ut in Canticis cap. 1. *Egredere tibi*, et cap. 2. *Veni tibi,surge tibi*, *imber abiit sibi*, et in hoc ipso psalmo, *multum incola fuit anima mea sibi*, quod *sibi*,ut redundans, omiserunt Interpretes,et tunc tota sententia continuabitur hoc modo,*Domine libera animam meam a labiis iniquis,et ad lingua dolosa*: quid enim mali dari,aut opponi potest *ad linguam dolosam*, idest, supra linguam dolosam ? Quod si non placeat esse hoc loco otiosum illud *sibi*, potest ita exponi,ut Propheta post orationem ad Deum vertat se, vel ad se ipsum, vel ad incertam personam, dicens, *Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa*: quid enim o anima mea, vel o quicumque hic ades, tibi dari mali, aut addi potest *ad linguam dolosam?* idest,super malum linguae dolosae?

4. *Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis.*

Declarat elegantissima similitudine quale malum sit *lingua dolosa*; ac dicit esse verba ejus, quasi sagittas, quae natura sua longe feriunt, et celeriter ut vix caveri possint, et addit amplificationem admirabilem dicens,non esse qualescumque sagittas, sed *potentis*, idest, a robusta manu cum impetu emissas,et praeterea ab artifice bene politas, et acutas; et denique adeo ignitas,ut quidvis desolare, et vastare possint, qualia sunt fulgura coelestia, quae ab omnipotenti manu mittuntur, et sunt vere ignita, et acutissima. Igitur talia sunt verba dolosa, praesertim quando sunt instrumenta diaboli ad occidendas animas, quae vocantur ab apostolo ad Eph.6. *Tela nequissimi ignea*.S.Aug. hos duos versiculos multo aliter exponit, nimirum vult esse dialogismum,ut primum homo in tribulatione potius oret.*Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa*, deinde Dominus respondeat, *quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam*? id est, quid remedii tibi dari poterit, aut apponi contra linguam dolosam : hoc videlicet unicum tibi remedium erit : *sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis*,idest, verba Dei cum exemplis charitatis igne succensis: *vivus enim est sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti*, cui si accedat exemplum ex vera charitate prodiens, quasi carbo ignitus,nihil ei resistere poterit. Utraque expositio ad aedificationem facit; sed prior videtur magis litteralis. Quod attinet ad verba, illud, *desolatoriis*, in hebraeo est, רְתָמִים *rethamim*, quod s. Hieron. recte vertit, *juniperorum*; sed septuaginta explicaverunt metaphoram.Carbones enim juniperorum sunt valde solidi, et ideo aptissimi ad incendendum, et desolandum.

5. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.*

Ex occasione tam magni mali,et tam frequentis in hac peregrinatione, suspirat ad patriam, et sic vere, et ex corde cantat canticum ascensionis. *Heu mihi*,inquit,*quia incolatus meus*,vel,ut ex hebraeo vertit s.Hieron. *peregrinatio mea prolongata est.* Cupit enim verus peregrinus cum Apostolo magis peregrinari a corpore, quam a Domino; et ideo nimis longam judicat praesentem vitam, in qua peregrinatur a Domino. *Habitavi cum habitantibus Cedar.* Non mirum videatur, si longam nimis queror esse hanc habitationem: *habitavi*, enim huc usque *cum habitantibus Cedar*,id est,cum barbaris, et efferatis gentibus, quae non habitant in civitatibus, sed in tentoriis, iisque nigris et rusticis, quales sunt Arabes. In hebraeo et graeco codice habetur, *habitavi cum tabernaculis Cedar*; sed idem est sensus:quid enim est aliud *habitare cum tabernaculis*, quam habitare cum habitantibus in tabernaculis. (Vox, קֵדָר *Kedar*, hebraica est, et nigredinem tenebrasque significat, unde Canticorum 1. opponuntur *tabernacula Cedar*, *pellibus Salomonis*, idest, tentoria nigra, et rustica, tabernaculis pretiosis, et splendidis.Vere autem civitates, et palatia regum hujus mundi, nihil sunt nisi tabernacula rusticorum, comparata ad mansiones coelestis Jerusalem.Ideo rursum lamentatur peregrinus Dei dicens,*multum incola fuit anima mea*, idest, nimis longus fuit jam incolatus meus in terra aliena. In hebraeo additur, *sibi*, sed ut supra diximus ex phrasi hebraica otiose additur, et propterea ab interpretibus saepe omittitur : idem enim est *habitavit sibi*, et, *habitavit*. Hinc potest colligi,paucos hodie repiriri,qui ex corde cantent canticum graduum, cum plerique omnes diligant adeo peregrinationem,et *tabernacula Cedar*, ut nihil tristius audiant,quam sermonem de discessu ab hac vita.

6. *Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

Concludit rationem reddens,cur sit malum tamdiu peregrinari, et simul declarans metaphoram *tabernaculum Cedar*: quod enim metaphorice, et obscure dixit.*habitavi cum habitantibus in tabernaculis Cedar*,clare exponit dicens. *habitavi cum eis, qui oderunt pacem* ; ego qui nihil diligo magis, quam pacem,idest,habitavi cum mihi dissimilibus,cum perversis,et adeo injustis,ut non solum cum hostibus.sed etiam cum amicis belligerare soleant: et si forte loqui de pace incipiebam ad illos; ipsi sine ulla causa magis me impugnabant.In textu hebraeo est alia interpunctio, quam etiam sequitur s. Hieronym. sic ibi legitur, *multum incola fuit anima mea cum his, qui oderunt pacem. Ego pacem loquebar, et illi ad bellum.* Sed melior est interpunctio septuaginta interpretum,quae

est etiam antiquior:nam in hebraeo non est simpliciter, *ego pacem loquebar*, sed hoc modo, si verbum verbo reddamus,*ego pacem,et cum loquebar*. Ex quo intelligimus,recte septuagiuta post *pacem*, posuisse punctum,et quod diximus ex hebraeo redi, *ego pacem*, potest etiam reddi, *ego pax*, ut sit sensus, cum his qui oderunt pacem,ego pax eram, idest,adeo pacificus eram ut ipsa pax dici possem; et postea sequitur alius versiculus. *Et cum loquebar*; *illi ad bellum*, nimirum provocabant; quod in sententia convenit cum eo, quod verterunt septuaginta,et nos in nostra editione latina legimus, *cum loquebar illis,impugnabant me*.Quod autem additur, *gratis*, positum est a septuaginta explicationis gratia. Totus hic psalmus convenit quidem omnibus electis, sed praecipue capiti electorum Christo,quatenus viator erat,secundum carnis passibilis conditionem.Vere enim clamavit ipse ad Dominum patrem suum pernoctans in oratione Dei,et postea in horto, et demum in cruce, et verissime exauditus est, cum exaltaverit illum Deus,et dederit ei *nomen super omne nomen*.Vere quoque passus est *labia iniqua*, et *linguas dolosas* usque ad mortem,ut ex toto decursu evangeliorum patet.Verissime dicere potuit, *incolatus meus prolongatus est*; cum in evangelio dixerit, *generatio adultera, et incredula,quamdiu apud vos ero,quamdiu vos patiar*? *Vere habitavit cum habitantibus Cedar*, quia licet ipse lux esset, ac per hoc *in Cedar*, idest, in tenebris, non habitaret, sed in lumine, tamen *cum habitantibus Cedar* visus est. et inter eos conversatus est. Denique vere cum iis, *qui oderunt pacem, eram pacificus*; quia *cum malediceretur non maledicebat;cum paleretur non comminabatur* : et cum loqueretur illis de pace, de charitate, de regno Dei; ipsi contra eum impugnabant sine ulla ratione, vel causa, quod Joan. 15. ipse idem notavit, cum ait, *Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*.

PSALMUS CXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Secundus psalmus ex gradualibus consolatur peregrinos ascendentes in Jerusalem,promittens perpetuam Dei custodiam,ac primum loquitur Prophe-ta in persona peregrini:deinde loquitur in persona propria, et consolatur peregrinum.

EXPLICATIO PSALMI CXX.

1. *Levavi oculos meos in montes:unde veniet auxilium mihi.*

Peregrini nihil frequentius aspiciunt, quam locum ad quem tendunt, si is conspici possit; sin minus locum aliquem viciniorem: inde enim consolationem magnam percipiunt; quae consolatio vires et auxilium praebet ad ambulandum, quia terrena Jerusalem in montibus erat, et coelestis Jerusalem supra omnes coelos est, ideo peregrinus, sive umbraticus, sive verus, dicit. *levavi oculos meos in montes*, ubi sedet civitas ficta, *unde veniet mihi auxilium* consolationis. In hebraeo est verbum temporis futuri:*levabo*,sed saepe variantur tempora apud hebraeos, et praeterea quod ad sensum attinet, non multum refert,sive peregrinus dicat,levavi jam oculos meos, sive levabo jam oculos meos. S. Augustin. mystice more suo, per montes, intelligit sanctos apostolos,sicut enim oriente sole primi sunt montes, qui lumen recipiunt, sic veniente Christo, justitiae Sole, primi fuerunt apostoli, qui lumen receperunt.

2. *Auxilium meum a Domino,qui fecit coelum et terram.*

Declarat peregrinus, se non expectare auxilium a montibus, ad quos oculos levavit, sed ab eo, qui praesidet sanctae civitati in montibus positae,quod clarius explicat initio psal. 122. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis*, describit autem verum Deum per opus creationis coeli,et terrae,sicut in alio psal. 95. *Dii gentium daemonia,Dominus autem coelos fecit.*

3. *Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.*

Mutat Propheta personam,et loquitur in persona propria, et respondet peregrino, quasi dicat,Bene,

et sapienter levasti oculos tuos in montes, et non respexisti vanitates, quae occurrunt in via: sed iis praetermissis a conditore coelestis patriae auxilium, et consolationem expectasti: ideo ego opto, *ut Deus non det in commotionem pedem tuum*, idest, non sinat te labi, et cader in via; sed roboret pedes tuos, ut stabiles in cursu ad patriam perseverent. *Et non dormitet qui custodit te*, idest, opto etiam, et rogo, ut Pater, qui est custos tuus, semper vigilet in tua custodia, et numquam sinat commoveri pedes tuos. Observa primo circa hunc versiculum, quod Deus metaphorice dicitur dormitare, quando permittit nos cadere, ac si non adverteret, quo modo qui dormitat, non advertit quid fiat. Secundo phrasis hebraica est, commoveri pedes, sive nutare, pro eo quod est labi in peccatum, ut psalm. 17. *Non sunt infirmata vestigia mea*, et psal. 72. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.* Tertio in hebraeo habetur in futuro, *non dabit ad movendum pedem tuum* juxta quam lectionem esset praedictio, et promissio. Sed tamen, ut diximus, tempus unum in hebraeo saepe ponitur pro alio tempore, unde non solum septuaginta, sed etiam s. Hieronym. vertit, *non det.* S. August. legit, *non des commoveri pedem meum.* Sed nescio quem codicem sequutus sit; nostri enim hebraici, graeci, et latini habent tertiam personam, *non det*, vel *non dabit commoveri pedem tuum.*

4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.*

Promittit Propheta peregrino impetrationem gratiae, quae petebatur, quasi dicat, oro, ut Pater non dormitet, qui te custodiendum suscepit, et sine dubio non dormitabit: nam numquam dormitat, neque dormit, qui custodit populum suum peculiarem, qui per Israelem significatur, et in quo populo omnes illi continentur, qui tamquam peregrini in hoc mundo versantur, et ad patriam coelestem ascendere festinant. Quod dicitur, *non dormitabit neque dormiet*, hunc habet sensum, non dormitabit subinde oculos claudendo, et aperiendo; et multo minus se tradet profundo somno. Itaque semper vigilabit, neque oculos ad momentum claudet. S. August. pulchre dicit, homines dormitare, quando carnem infirmitatis portant: dormire, quando moriuntur; et ideo non esse fidendum custodiae hominum. Domino autem fidelissimo custodi tuto credere nos posse, cum ipse neque dormitet unquam in infirmitate, neque dormiat in morte. Monet etiam idem August. recte fideles homines per Israelem significari, quia Israel Deum videns interpretatur, et fideles Deum nunc per fidem vident, visuri postea etiam per speciem.

5. *Dominus custodit te Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.*
6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.*

Dixit paulo ante Propheta peregrinum in Deo confidentem custodiendum esse ne cadat in via: addit nunc aliam consolationem, custodiendum videlicet etiam esse, ne fatigetur ab aestu solis per diem, neque a lumine lunae per noctem, quoniam Deus erit illi quasi umbraculum, quod manu dextera tenebit, eoque tunc caput, tum etiam reliquum corpus tegere poterit. *Dominus*, inquit Propheta, non solum *custodit Israelem*, idest, populum suum universe, sed te quoque in particulari custodit; custodit autem, quia est protectio, sive umbraculum, ut proprie sonat vox hebraica, *super manum dexteram tuam* ex quo fiet, ut te tali umbraculo, ministerio dexterae manus tectum, neque sol urat per diem, neque luna per noctem. In textu graeco est tempus futurum, Dominus custodiet te; sed in hebraeo non est proprie tempus praesens, neque futurum; sed participium, *Dominus custodiens te*, sive custos tuus: sensus autem idem est. Illud autem, *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam*, posset continere metaphoram, ut alii volunt, hominis armati, et ad dexteram stantis, ut sensus sit, Dominus erit, vel est protectio tua, quia stat quasi miles armatus ad dexteram tuam. Sed quod nos diximus, magis convenit litterae tum quia in hebraeo pro voce protectio est, צֵל *tzel*, umbra, sive umbraculum: tum quia et in hebraeo et in graeco est, super manum non ad manum; unde videtur Propheta respexisse ad umbraculum, quod super manum ponitur, et manu geritur; tum denique quia sequitur, *neque sol per diem uret te, neque luna per noctem*: a calore autem vel lumine solis, et lunae non defendit miles ad dexteram constitutus, sed umbraculum manu dextera super caput extensum. Porro metaphora umbraculi, et solis ac lunae, diei, et noctis significat gratiam Dei, quae peregrinum custodit tempore prosperitatis, et adversitatis; neque enim minus laedere solet in hoc itinere dies prosperitatis, quam nox adversitatis. S. August. more suo mystice exponit dexteram, et sinistram, ac dicit Deum protegere dexteram, non sinistram, quia saepe permittit hominem laedi in temporalibus, quae significantur per sinistram, et non sinit laedi in bonis spiritualibus, quae significantur per dexteram.

7. *Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.*

Addit Propheta aliam consolationem, eamque generalem, quasi dicat, non solum te Dominus custodiet, ne cadas et ne fatigeris, sed ab omni alio malo, quod in itinere occurrere possit, te Dominus protegel, atque custodiet, ex quo fiet, ut anima tua, seu vita tua incolumis omnino toto in itinere conservetur. In hebraico, graecoque textu habetur in tempore futuro, Dominus custodiet te, sed in sensu nulla differentia est: Dominus enim et custodit nunc, et custodiet postea, et hanc continuationem significare solet tempus futurum apud hebraeos.

8. *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Concludit Propheta, addendo ultimam et opta-

tissimam consolationem, quasi dicat, non solum in aliqua parte itineris peregrinus Dei, qui ascensiones disposuit in corde suo, custodietur; sed in toto itinere semper custodietur: omne enim iter consistit in introeundo et exeundo, dum enim progredimur, intramus unam viam et ea finita eximus: deinde intramus aliam et post eximus, sic etiam intramus unam Provinciam,unam civitatem, unam domum et deinde eximus et intramus aliam et eximus, donec finito itinere ad patriam perveniamus. Sic igitur in via vitae progredimur dum inchoamus, et perficimus opera bona:inchoare enim, intrare; perficere, exire est. Illud autem, *ex hoc nunc et usque in saeculum*, idem est, quod nunc et semper, quasi dicat , *ex hoc nunc*, idest, ex hoc praesenti tempore,incipiat Dominus introitum et exitum tuum custodire, et usque in saeculum non desinat custodire. S. Augustinus per introitum et exitum, intelligit introitum in tentationem et exitum ex tentatione. Alii generalius initium, et finem omnium negotiorum, sive omnium actionum nostrarum, sive omnem humanam consuetudinem, juxta illud Act. 1. *Ex quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus*, idest, ex quo nobiscum coepit conversari Dominus Jesus. Parum autem refert, quod in hebraeo legatur in futuro, *custodiet*: nam significationes temporum facile variantur. Unde ipse etiam s. Hieronymus vertit ex hebraeo, *custodiat*, ut nos in editione vulgata legimus.

PSALMUS CXXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Hic est tertius psalmus Gradualis, in quo Propheta describit pulchritudinem et nobilitatem civitatis sanctae Jerusalem; ad quam reverti cupiebant hebraei ex Babylonica captivitate. Sed ut civitas illa typus erat coelestis patriae; ita redeuntes hebraei ex captivitate ad terrenam Jerusalem figura erant peregrinationis et ascensionis nostrae ad eam, quae sursum est, Jerusalem. Itaque totus psalmus de utraque civitate, et de peregrinis utrisque intelligi debet: sed primaria intentio Spiritus sancti ad primarium finem sine dubitatione dirigitur.

EXPLICATIO PSALMI CXXI.

1. *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Verba sunt populi Dei, qui laetari se dicit de optimo nuncio accepto reversionis in patriam. Et quidem nuncius, qui significavit hebraeis, revertendum jam esse in Jerusalem, Hieremias fuit,qui praedixerat post septuaginta annos solvendam esse captivitatem, et civitatem, ac templum reaedificandum, Hierem. 25. et 29. sed clarius idipsum nunciaverunt Daniel, Aggaeus, et Zacharias, qui vixerunt illo ipso tempore, quo soluta est captivitas. Isti igitur magno gaudio populum repleverunt cum evolutis jam septuaginta annis dicebant. *In domum Domini ibimus*; idest, ad patriam revertemur, ubi montem Sion et locum domus Domini videre nobis dabitur, ibique templo reaedificato, in domum Domini rursum ingrediemur. Sed nuncius sine comparatione ulla foelicior Christus fuit qui in evangelio nobis loquitur,et dicit,-*poenitentiam agite; appropinquabit enim regnum coelorum*, Matthaei 4. et clarius, Joan. 17. *In domo Patris mei mansiones multae sunt;si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum; et si abiero, et paravero vobis locum, iterum veniam et assumam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum et vos sitis*, Joan.14.Hic autem nuncius ineffabili laetitia replet eos qui didicerunt, quam bonum sit in domum Domini ire, et in ea domo non esse hospitem et advenam, sed civem sanctorum, et domesticum Dei. Id autem novit,qui attente cogitavit illud ejusdem Prophetae , *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae*. Psalm. 34. et rursus, *replebimur in bonis domus tuae*, psalm, 64. et illud Apostoli ad Ephes. 1. *Ut scialis, quae sit spes vocationis ejus,et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis*. Iste ex corde cupit in domum Domini ire, et ideo ex corde cantat, *laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi , in domum Domini ibimus*: animalis autem homo non percipit quae Dei sunt, et ideo propinquante morte, idest, exilii, et peregrinationis fine non hilarescit, sed turbatur, et gemit et merito, quia sicut non disposuit ascensiones in corde suo dum vive-

ret; ita non sperat in domum Domini, quae sursum est, ascendere; sed ad carcerem damnatorum in aeternum puniendus descendere timet. Parum autem refert, quod hebraeus et graecus textus pro his, *quae dicta sunt*, habent participium activum videlicet, *in dicentibus mihi* : vulgatus enim interpres sensum expressit latina phrasi, ut facilius intelligeretur.

2. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.*

Explicat, cur hebraei laetentur de reditu in patriam; et rationem esse dicit, quoniam recordabantur ejus temporis, quo fuerant in patria ante captivitatem et viderant pulchritudinem et magnitudinem Jerusalem: multi enim, qui pueri, vel adolescentes abducti fuerant in Babylonem, facile recordari poterant se fuisse antea in civitate Jerusalem, multos autem rediisse ex iis qui ante captivitatem fuerant in Jerusalem et viderant civitatem et templum, scribit Esdras lib. 1. cap. 3. dicunt igitur: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*, idest, quia recordamur temporis, quo stantes erant pedes nostri in atriis tuis, idest, in portis tuis, ut expresse habetur in hebraico codice. Nominat autem Propheta portas, sive atria et quasi vestibula civitatis, potius quam fora, vel plateas, quoniam eo tempore praecipui conventus et negotia fiebant in portis civitatum, ibique erat maxima hominum frequentia, ut colligitur ex illo Prov. 31. *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terrae.* Constat etiam ex lib. 2. reg. cap. 18. fuisse in Jerusalem non simplices portas, sed duplices, et inter utrasque satis magnum spatium, quod hoc loco fortasse vocatur atrium. *David autem* (inquit scriptura) *sedebat inter duas portas*, et Hierem. 39. *Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, et sederunt in porta media*, certe magnum spatium debuit esse in illa porta media, ut tot Principes cum administris suis capere posset. Sed quomodo nos Christiani dicere poterimus, *stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*: qui in coelestis patriae atriis numquam fuimus? Imo fuimus in atriis patriae coelestis; alioqui exules, et peregrini non essemus; neque non Christus de captivitate redemisset, nisi a patria extorres, et in terra aliena captivi fuissemus. Fuimus igitur in atriis coelestis Jerusalem, quando in parente nostro Adamo paradisum terrestrem incoluimus, qui paradisus terrestris quasi vestibulum erat paradisi coelestis; et status ille innocentiae quasi atrium et porta erat status gloriae; et fortasse hac de causa Spiritus sanctus scribi non voluit, *stantes erant pedes nostri* in plateis *Jerusalem*, sed in atriis, vel portis, ut intelligeremus in hoc psalmo praecipue sermonem fieri de coelesti Jerusalem, non de terrena. Igitur laetati sumus ad vocem dicentium, *in domum Domini ibimus*, quia recordamur temporis illius, quo stantes erant pedes nostri in paradiso terrestri ac per hoc in atriis paradisi coelestis; et ex bonis illis conjecturam facimus de bonis longe melioribus, quae nobis in ipsa domo Domini conservantur, et quamvis paulo ante domus Domini nominata sit, nunc autem civitas Jerusalem nominetur, tamen unus et idem locus est. Patria enim coelestis nunc regnum, nunc civitas, nunc domus dicitur: quoniam si respicias multitudinem, et varietatem incolarum, regnum erit, cum in eo viderit Joannes Apoc. 7. *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et populis, et tribubus, et linguis.* Si consideres societatem et familiaritatem, quae est inter sanctos, et beatos, civitas est: quamvis enim multiplicetur numeris electorum, omnes se invicem noscent, et diligent, ut ejusdem civitatis cives. Denique si cogites, omnes electos unus habere patrem, unamque haereditatem, domus sine dubio erit, in qua omnes erunt quasi fratres sub uno Patre Deo.

3. *Jerusalem, quae aedificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.*

Hic jam incipit Propheta sub nomine peregrinorum ad Jerusalem properantium, laudes ejusdem Jerusalem numerare, ut ex iis se magis ac magis ad ascendendum sine intermissione inflamment. Prima laus est, quod sit civitas pacatissima, ita ut ex charitate incolentium omnibus omnia sunt communia. *Stantes*, inquiunt, *erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*, quae Jerusalem ita aedificata est, et quotidie magis ac magis aedificatur, ut sit civitas, *cujus participatio est in idipsum*, idest, simul et communiter participatur ab omnibus. Ubi notandum est, illud, *ejus*, redundare ex phrasi hebraica: idem est enim, *cujus participatio*, et *cujus participatio ejus*. Adverte praeterea, interpunctionem in hebraico codice positam esse post vocem, *aedificatur*: non post vocem, *ut civitas*: proinde non est sensus, Jerusalem aedificatur ut civitas, quasi possit aliter aedificari, quam ut civitas; sed aedificatur ut civitas talis, cujus participatio simul est. Adverte postremo illud, *in idipsum*, quod a s. Aug. refertur ad aeternitatem Dei, quae semper est eadem; ad litteram nihil aliud significare, nisi simul, vel conjunctum, ut ex voce hebraica perspicuum est, ut etiam alibi diximus. Jam vero in sensu posteriore tota haec sententia multo est clarior, et sublimior: siquidem coelestis Jerusalem vere aedificatur ut civitas, quia non est propria civitas, neque sunt in ea lapides proprie dicti, sed aedificatur ut civitas, dum quotidie lapides vivi a summo artifice expoliti, et conquadrati adjunguntur coelestis habitaculi aedificationi: ex quo sequitur, ut qui haec intelligunt, non modo persecutiones aequo animo ferant, sed gaudeant, et glorientur in tribulationis, cum sciant, eo modo se praeparari ad coelestem aedificationem. *Omne gaudium*, inquit unus ex his vivis lapidibus, Jac. 1. *existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Deinde in coelesti patria verissime est participatio in idipsum: nam in terrena Jerusalem non tam fuit, quam esse debuit participatio in idipsum, id faciente charitate, ut amicorum omnia sint communia, qualis participatio ad breve tempus fuit in ecclesia, quae erat Hierosolymis, *ubi nemo dicebat, aliquid suum es-*

se; sed erant in illis omnia communia. Act.4. Et nunc etiam cernitur in familiis ordinum religiosorum ubi regularia instituta in suo vigore persistunt. Sed in coelesti Jerusalem summa est participatio in idipsum, cum sit Deus unus omnia in omnibus, id-est, unus, et idem Deus sit honor, et divitiae, et deliciae omnibus habitantibus in domo Domini, et ea foelicissima, et summa ubertas sit vere semper idipsum, cum nullam patiatur diminutionem, vel alterationem.

4. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini

Haec est secunda laus Jerusalem, frequentia videlicet incolarum, et conjungitur hic versiculus cum secundo. Reddit enim rationem hoc loco populus Dei cur dixerit, *stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*: quamvis non omnes fuissent cives Jerosolymitani, sed diversarum civitatum incolae, tamen omnes ascendebant in Jerusalem ter per annos singulos. Dicunt igitur, *stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem. quoniam illuc ascenderunt tribus tribus Domini*: idest, multae tribus, sive omnes tribus, et ideo maxima multitudo conveniebat in Jerusalem: hebraismus est enim, tribus tribus, pro multae tribus: ibi enim legimus Gen.14. *Vallis autem silvestris habebat puteos multos bituminis*, in hebraeo est, *puteos puteos bituminis*: quod sequitur, *testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini*. explicat cujus rei gratia tanta multitudo confluereet in Jerusalem: id enim fiebat juxta testimonium, idest, legem datam Israeli, quae praecipiebat, ut non obliviscerentur visitare templum Domini, quod unicum erat in tota terra promissionis, atque ibi confiterentur nomini Domini confessionem laudis, et gratiarum actionis. Sed in posteriore sensu, quem diximus a Spiritu sancto magis intentum, redditur ratio, cur dictum sit, *Jerusalem quae aedificatur* ut civitas, ideo enim aedificatur ut civitas *quia illuc jam ascenderunt, et quotidie ascendunt tribus tribus Domini*; idest, animae sanctae ex omni tribu, et ratione, ut tamquam lapides vivi superaedificentur in domos spirituales, ut dicit s. Petrus in 1. epist. cap. 2. Ascenderunt autem animae illae Sanctorum in coelestem Jerusalem ad confitendum nomini Domini, quoniam hoc est totum quod agitur in illa domo et civitate cessantibus omnibus negotiis aliis. *Beati*, inquit idem Propheta psalm.83. *qui habitant in domo tua Domine, in saeculum saeculi laudabunt te*, et Tobias cap.13. de coelesti Jerosolyma loquens; *Per vicos*, inquit, *ejus alleluja cantabitur*, et hoc est testimonium, idest, praeceptum datum Israeli, idest, animae videnti Deum, ut numquam cesset a laude, quae numquam cessat ab amore. Quod autem testimonium idem sit, quod praeceptum, ostendimus in explicatione psalmi decimi octavi, et perspicuum est ex toto psalmo 118. ubi frequentissime accipitur testimonium pro lege, sive praecepto.

5. Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.

Haec est tertia laus Hierusalem, quod illic sit sedes regia, et supremum tribunal, et potest continuari hic versiculus cum superiore propter illam particulam causalem, *quia*: videtur enim reddi ratio cur Deus voluerit in Hierusalem esse templum, ad quod ter in anno veniet omnis populus Israel, quia illa erat civitas regia, et quasi metropolis totius regni. Dicit igitur, *quia illic*, idest, in Hierusalem, *sederunt sedes in judicio*, idest, sedes regum sibi invicem succedentium, quorum proprium est judicare populum, *sederunt*, idest, quieverunt immobiliter constitutae, et fixae, quod dicitur ad differentiam sedis Saul primi regis, quae fuit in Gabaa Beniamin; sed ibi non quievit, cum paulo post translata fuerit, et similiter ad differentiam sedium Judicum, qui fuerunt ante reges, quae non sederunt alicubi, sed frequenter transmutabantur de loco ad locum: at sedes Regnum de familia David sederunt in Hierusalem immobiliter. et ideo subjungit, *sedes super domum David*, idest, sedes regni, quae super familiam David fundatae quietem, et stabilitatem invenerunt: sic enim dictum est Davidi a Deo 2. reg.7. *Fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in aeternum, et thronus tuus erit firmus jugiter*. Igitur non dicuntur *sedes super domum David*. quia regerent domum David: regebant enim totam domum Jacob, idest, omnes duodecim tribus Israel, non solum familiam David; sed dicuntur sedes fundatae super domum David, quia ex illa domo nascebantur Reges populi Dei. In hebraeo non habetur, super domum David, sed domui David, idest, sedes datae domui David. Sed haec omnia longe melius in Christum, et in coelestem Hierusalem conveniunt. Nam ne forte Judaei crederent, verba psalmi intelligenda esse principaliter de terrena Hierusalem, ac non potius de ea, ut coelestis Hierusalem figuram gerebat, permisit Deus, ut non solum sedes regia de Hierusalem tolleretur, sed ipsa etiam Hierusalem everteretur. Promissio igitur illa ad Christum, et ad Hierusalem, quae sursum est, pertinet, juxta vaticinium Isaiae cap.9. et Danielis cap.9. et angeli ad virginem Luc. 1. *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis*. Vere enim ac proprie in coelesti Hierusalem sederunt sedes in judicio, tum quia firmissime stabiliti sunt in coelo throni Christi, et throni eorum, qui cum ipso regnant: tum quia ipsi sancti cum Christo regnantes et judicantes sunt sedes Dei: nam anima justi sedes est sapientiae, et istae sedes vere etiam sedent in judicio. juxta promissionem Domini Matth.19. *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*. Et sedes sunt super domum David fundatae, quia omnis Sanctorum potestas, regia, et judiciaria a Christo dependet. qui filius David in evangelio dicitur, et accepit sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.

6. Rogate quae ad pacem sunt Jerusalem, et abundantia diligentibus te.

Hortatur jam Propheta peregrinos de captivitate revertentes,ut salutent saltem a longe civitatem Jerusalem,bene precantes ei pacem,et abundantiam, quae sunt duo potissima bona,quae faciunt beatas civitates: nam pax sine abundantia,est secura possessio miseriae; abundantia sine pace,est dubia et incerta foelicitas;sed quando abundantia cum pace jungitur , nihil deest ad statum foelicissimae civitatis. Dicit igitur, *rogate quae ad pacem sunt Jerusalem*, idest precamini patriae vestrae a Deo veram et solidam pacem,et ut sit abundantia non solum ipsi civitati Jerusalem, sed omnibus diligentibus te civitas sancta. In hebraeo habetur simpliciter.*Rogate pacem ipsi Jerusalem*:proinde illa verba, *quae ad pacem sunt*, nihil sunt aliud,nisi periphrasis pacis.

7. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.*

Ponit propheta ipsa verba,quae dicenda sunt ab iis, qui salutantes Jerusalem precantur illi pacem, et abundantiam, quasi dicat, cum salutatis Jerusalem dicite, *fiat pax in virtute tua,et abundantia in turribus tuis.* Per *virtutem*, recte S.Hieronym. vertit,*muros*:vox enim hebraica,חיל *bechelech*, significat proprie *virtutem*, hoc est, robur , et vires.Sed accomodatur etiam ad omnia,in quibus robur consistit ut ad muros , in quibus consistit robur aedificii;item ad exercitum,in quo consistit robur amorum; item ad multitudinem populi, in qua consistit robur civitatis. Sed hoc loco accomodari debet ad muros,ut cohaereat cum sequentibus verbis, ubi turres nominantur. Itaque septuaginta Interpretes,qui verterunt virtutem, expresserunt significationem verbi hebraici , ut sonat *generatim* sed s. Hieron. expressit significationem.ut hoc loco accomodanda erat. Dicitur autem ; *fiat pax in virtute tua*, idest, in muris tuis fortissimis , quia quando pax est in muris, idest , quando muri non oppugnantur ab hostibus,tota civitas est in pace.Per turres autem, de quibus dicitur,*et abundantia in turribus tuis* , significantur magna palatia , quae turrita esse solent: nam vox hebraica, ארמנותיך *armenothaich* significat palatia , potius quam turres, et s.Hieron.vertit,*in domibus tuis.* Porro vox, *abundantia* , tum in hoc versiculo , tum in superiore , deducitur a voce hebraica , quae significat, pacem , sed cum septuaginta viri , et s. Hier. verterint, *abundantiam*, dubitare non debemus quin hoc vere significet;neque absurdum est a vocabulo pacis derivari vocabulum abundantiae,cum vere sit pax quasi mater abundantiae , ut bellum pater est caritatis , et inopiae. Porro duo isti versiculi , quatenus pertinent ad coelestem Jerusalem,continent quidem salutationem,et imprecationem pacis et abundantiae: sed non significant, periculum esse, ne civitati illi supernae desit unquam vel pax, vel abundantia, cum de ea scriptum sit in psalmo 147.*qui posuit fines tuos pacem,et adipe frumenti satiat te.* Exprimunt igitur solum pium affectum, et laetitiam, quam habemus de bonis coelestis Jerusalem , quo modo etiam dicitur in Apocalypsi cap.7.*salus Deo nostro, qui sedet super thronum et agno.*

8. *Propter fratres meos, et proximos meos loquebar pacem de te.*
9. *Propter domum Domini Dei nostri , quaesivi bona tibi.*

Claudit psalmum propheta , dum breviter explicat ob amorem civium sanctae civitatis , quos fratres et amicos suos agnoscit , et multo magis ob amorem Dei conditoris,et habitatoris ejusdem civitatis, vel domus, se impulsum fuisse,ut precaretur eidem civitati pacem, et abundantiam omnis boni. In hebraeo codice verba illa, *loquebar*,et, *quaesivi*.futuri sunt temporis:sed qui periti sunt linguae hebraicae, sciunt, tempus futurum saepissime poni pro perfecto, vel imperfecto: saepe etiam significare continuationem actionis,quae i'a facta est,ut sit etiam futura.

PSALMUS CXXII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Orationem continet hic psalmus hominis peregrinantis ad coelestem Jerusalem, et in exilio, vel itinere pressuram patientis.

EXPLICATIO PSALMI CXXII.

1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis.*

Loquitur propheta tum in persona peregrini, tum etiam in persona sua qui unus erat ex veris peregrinis, ac dicit, se in quibuscumque pressuris non respicere ad alium adjutorem, nisi ad eum, tum quoniam ipse solus habitat in summo coelo, et inde omnia inferiora conspicit, et moderatur: tum quia ipse est, qui per malos non flagellat, ac propterea frustra confugimus ad alios, cum sit nemo, qui de manu Dei nos possit eripere.

2. *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum.*
3. *Sicut oculi ancillae in manu dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

Explicat cur oculos ad Deum levaverit, ut videlicet respiciat Deum flagellantem, ut eo aspectu miserabili moveat ipsum ad misericordiam, et flagellare desinat. Id quod illustrat similitudine servorum, qui dum caeduntur a Dominis, respiciunt moesti ad manus caedentium, ipso aspectu quasi petentes, ut miserti ipsorum cessent a plagis. Illud autem, *sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum*, clarius est in hebraeo, ubi habetur, *ad manus dominorum suorum*, et respondet applicatio, *ita oculi nostri Dominum Deum nostrum*. Posita est autem similitudo, non servorum tantum, sed etiam ancillarum, vel quia non soli viri, sed etiam foeminae peregrinantur ad patriam; et in peregrinatione flagellantur; vel quia viri fortes, proprie viri sunt; viri debiles, et delicati foeminae dici possunt: et utrique tamen sua flagella in hoc itinere patiuntur. Ad flagella vero quibus a Domino castigamus, non solum pertinent manifestae persecutiones, et calamitates; sed etiam tentationes occultae, quibus anima vexatur assidue; item timores, angores, tristitiae, quibus nemo caret in hac vita; et ideo non dicit psalmus oculos nostros aliquo certo tempore levandos ad Deum, sed sine intermissione, *donec misereatur nostri*: quod non fiet, nisi cum ad patriam pervenerimus: tunc enim *coronabit nos Deus in misericordia, et miserationibus, cum sanaverit omnes languores nostros, et repleverit in bonis desiderium nostrum*, ut dicitur in psal. 102.

4. *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.*

Non contentus Propheta oculis ad Deum fixis misericordiam implorasse, voce etiam cordis, et corporis clamat, et clamorem ingeminat pro se, et pro sociis peregrinationis dicens, *miserere nostri Domine, miserere nostri*. Et sane qui recte adverteret, atque attente consideraret, quid sit quod sequitur, *quia multum repleti sumus despectione*, plane intelligeret tantam esse nostram miseriam, ut cessare ab isto clamore non posset. Homo enim ad imaginem Dei creatus, et super omnia opera Domini constitutus; saepe etiam ab ipso Dei in filium adoptatus, et ad regnum coelorum praedestinatus; ita in hac peregrinatione, non solum a daemonibus, et pravis hominibus; sed etiam ab animalibus, etiam minimis, et ab ipsis elementis despicitur et assidue vexatur, ut propheta verissime dixerit, quia non despicimur solum, sed etiam *repleti sumus despectione*, nec solum repleti sumus, sed multum repleti sumus. Quid enim est quod hominem, etiam justum et sanctum, in hac lachrymarum valle non despiciat? sed praecipua tamen despectio, de qua proprie loquitur hoc loco Propheta, est ea, quam patiuntur boni a malis, et justi ab iniquis. Verissima enim, et universalis est illa apostoli sententia, *omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patientur*, 1. Tim. 3. Joan. 15. et illa Domini, *si de mundo fuisselis, mundus quod suum erat diligeret. sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus*: et ratio est manifesta, quoniam bonum et malum contraria sunt, et contraria pacem inter se habere non possunt. Et quoniam justi patientes sunt, et mites, et didicerunt a Domino non resistere malo, et percutienti maxil-

lam, praebere etiam alteram,ideo ab improbis superbe despiciuntur: et conculcantur, vexantur, et irridentur.

5. *Quoniam multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis.*

Docet hoc ultimo versiculo David contemptum, ac despectionem, de qua supra loquebatur, accidere pauperibus, et humilibus, peregrinis ab hominibus copiosis,et superbis.Quamvis enim aliqui auctores velint, illud, *opprobrium abundantibus, et despectio superbis*, esse imprecationem,ut sensus sit, Opprobrium recidat super abundantes, et despectio super superbos: tamen, si respiciamus textum originalem, et velimus concordare versionem s.Hieron. cum versione Septuaginta interpretum, cogemur sequi s. August. et dicere sensum hunc esse, *multum repleta est anima mea*, confusione videlicet,quia factus sum opprobrium abundantibus, et despectio superbis. S. enim Hieron. ex hebraeo recte vertit, multum repleta est anima opprobrio abundantium, et despectione superborum: cum qua versione rectissime cohaeret, quod habent septuaginta interpretes,et latina editio vulgata, si subintelligatur verbum,*factus sum*,et continuetur, opprobrium,etc. Ait igitur Propheta,multum repleta est anima mea,quod est idem cum eo, quod supra dixit,*multum repleti sumus despectione*.Sed hoc loco explicandi gratia nominat animam, quoniam respectionis sensus proprie ad animam intelligentem pertinet: quae enim anima intelligente carent, sentire possunt dolorem,sed non despectionem: illud autem, *repleta est*,in hebraeo legitur, *satiata est*, quae vox mirum in modum auget significationem:si enim qui multum satiantur,idest, ultra satietatem replentur, etiamsi bonis cibis repleantur, magnum dolorem percipiunt, quid sentient, qui nimium satiantur malis cibis,qualia sunt opprobria,et despectiones?Quod vero sequitur;*opprobrium abundantibus,et despectio superbis*, idem omnino significat:idem enim sunt opprobrium, et despectio;et iidem etiam sunt abundantes,et superbi. Omnes enim superbi inflati sunt, et proinde abundantes sunt, sed abundant vento,non solido bono,idest, abundant opinione et existimatione sui ipsorum: nam si divitias terrenas habeant, putant suas esse, neque cogitant Deo reddendam esse de earum dispensatione rationem.Si in dignitate et honore constituti sint arbitrantur sibi illa omnia deberi, et sua bona esse, et non intelligunt data esse ad aliorum utilitatem,et rationem gravissimam de ea dignitate reddendam;neque ad se aliud quam onus pertinere.Proinde non minus desipiunt, si de tali onore inflentur,quam si bajulus gloriaretur,quod valde oneratus incederet.Si virtutes aliquas, si ingenium, si doctrinam habeant, sibi persuadent multo majora esse quam sint, et sibi tribuunt quae sunt Dei dona. Denique si carent divitiis. dignitatibus,honoribus,et contra si puniuntur, et flagellantur, existimant sibi fieri injuriam,et de Deo murmurant, et blasphemant; quod totum inde oritur,quia pleni sunt, vel potius inflati vento propriae existimationis.Sed veniet tempus quo opprobrium,et despectio in ipsos revertetur, quando videlicet in die novissimo dicent, quod scriptum est in lib. Sap.cap.5. *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum,et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore.Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.* Et infra, *quid nobis profuit superbia?aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia tamquam umbra.*

PSALMUS CXXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Hic psalmus continet exultationem eorum, qui de gravissimis tribulationibus liberati fuerant et quidem filii Israel, qui de captivitate Babylonica redierunt in Jerusalem, in itinere nullas graves persecutiones passi fuisse leguntur : sed solum dum captivi detinerentur, et inter aedificandam civitatem, et templum, ut ex utroque libro Esdrae intelligi potest. Itaque psalmus hic quatenus ad carnales Israelitas pertinet, referendus est ad eas afflictiones, quas passi sunt, vel dum essent in captivitate; vel dum templum, et civitatem iterum aedificarent: quatenus autem ad spirituales Israelitas, idest, ad christianos ad coelestem Jerusalem ascendentes pertinet ; referendus est ad persecutiones paganorum, aliorumque impiorum, a quibus liberati sunt martyres sancti, et electi caeteri quotidie liberantur.

EXPLICATIO PSALMI CXXIII.

1 *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.*

Sermo imperfectus, et interruptus, initio psalmi, signum est magnae, atque insolitae exultationis, quae loquentem non sinit perficere sententias inchoatas. Dicit igitur multitudo sanctorum de magnis tentationibus liberatorum, *nisi quia Dominus erat in nobis*, idest, nisi Dominus omnipotens nobiscum fuisset, numquam evadere potuissemus. Sed antequam compleat sententiam, prae laetitia gestiens invitat Israelem, idest, totum populum Dei ad confessionem, et laudem dicens, *Dicat nunc Israel*, et iterum repetit, *nisi quia Dominus erat in nobis*. Quod attinet verba, illud, *quia*, in hebraico textu habetur post verbum, *Dominus*, hoc modo, *nisi quia Dominus erat in nobis*. Sed interpretes septuaginta, ut sententia esset clarior, ordinem verborum immutasse videntur. S. Hieronymus eam particulam, ut redundantem, et otiosam ex hebraica phrasi in sua versione omisit. Sic enim vertit, *nisi Dominus fuisset in nobis*. Si quis tamen velit eam retinere ita supplere, poterit, *nisi Dominus quia erat in nobis*. nos liberasset, vel secundum Septuaginta, *nisi liberati essemus, quia Dominus erat in nobis*. Quid autem factus fuisset, nisi Dominus nos liberasset, explicatur in sequentibus.

2. *Cum exurgerent homines in nos. forte vivos deglutissent nos.*
3. *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.*

Ecce quid accidisset nobis, nisi Dominus fuisset in nobis, neque juvisset potentissima sua virtute. *Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos*, idest, cum nostri persecutores exurgerent adversus nos, periculum fuit ne tanta velocitate nos perderent, quanta solet mare, vel flumen vivos deglutire eos, qui illud forte praecipitantur. Tria sunt hoc loco consideranda. Primum vocantur homines, persecutores piorum, quia ducuntur sola ratione humana, qualis remansit in natura per peccatum corrupta : ratio enim humana post naturae corruptionem, nihil altu n sapit, nihil divinum, nihil spirituale, neque alium finem propositum habet, nisi conservationem, et augmentum propriae temporalis foelicitatis. De his dicit Apost 1. Cor. 3. *Cum sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* et paulo infra, *nonne homines estis*; ubi pro eodem Apostolus accipit, carnalem esse, et hominem esse; secundum carnem ambulare, et secundum hominem ambulare. Deinde difficultas non exigua est de particula, *forte*; quae etiam bis repetitur paulo infra. Videtur enim haec particula non bene posita in editione vulgata, cum potius affirmativa, ut, certe, utique, sane, poni debuisset. Nam si legamus, *forsitan*, sequetur, non necessarium esse auxilium Dei in magnis tentationibus superandis, quandoquidem Propheta non audet certo affirmare, sed sub dubio relinquit, an gravissima tentatio nos dejectura sit, si Deus non sit in nobis. Sed quamquam non desint ex recentioribus, quibus ista particula non placeat, et verbum tum hebraicum, אַף *azai*, tum Graecum, ἀρα, non velint reddi per, forte aut forsitan, sed per, utique, aut, certe: nos tamen non audemus ullo modo a lectione vulgatae editionis recedere : nam s. Hieron. vir doctissimus, et utriusque linguae peritissimus fuit; et major ei fides, quam ullis dictionariis habenda est. Is autem ex hebraeo constanter vertit, *forsitan*; et in expositione psalmorum, in qua

editionem septuaginta interpretatur,similiter legit, *forsitan*; denique in emendatione psalterii ad Suniam,et Fretellam,nihil in hoc loco emendat.Sanctus quoque Hilarius,Origenem sequutus, sanctus Joannes Chrysostomus, s. August. magno consensu, *forsitan*,legerunt:neque in bibliis hoc loco ulla est varietas lectionis.Neque timendum est et particula ista detrahere nos cogat aliquid de gratia Dei, non enim illud, *forsitan*, significat, potuisse nos forte resistere inimicis in nos irruentibus sine auxilio gratiae protegentis; sed potuisse fieri, ut non vivi deglutiremur.quia forsitan inimici non eo usque desaevissent. Sed quoniam periculum erat etiam, ut usque ad internecionem crudelissimam desaevirent, ideo dicitur, *nisi Dominus fuisset in nobis, forsitan vivos deglutissent nos.* Postremo diximus illud,*vivos deglutissent nos*,sumptum esse a similitudine maris,vel fluminis deglutientis, sive absorbentis eos, qui cadunt in aquas : tum quia nullae sunt fere bestiae quamvis crudelissimae, quae vivos deglutiant homines,sed lacerant ac discerpunt, ut notum est:tum etiam quoniam hoc requirit versiculus sequens, qui de more psalmorum, idipsum aliis verbis repetit : sic enim habet, *cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos* : sensus enim est, forsitan ut aqua absorbuisset nos,idest,furor hostium nostrorum instar aquae profundissimae repente absorbuisset nos.Neque in hoc solo versiculo,sed etiam in sequentibus persistit Propheta in similitudine aquarum, ut mox videbimus.

4. *Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*

Persistit in eadem similitudine comparans adversariorum persecutiones torrenti rapido et profundo, qui sine potentissimo auxilio pertransiri non potest.Et si quis cogitet,quales fuerint persecutiones paganorum,et haereticorum in sanctos martyres,et tentationes daemonum adversus sanctos eremitas, aliosque Christi Confessores, videbit simillimas fuisse torrenti violentissimo, quoniam licet sancti martyres,et sancti confessores gloriosi evaserint:tamen plurimi,ac fere sine numero,quasi vi torrentis abrepti, et absorpti perierunt, ut cognosci potest ex Cypriano in sermon. de lapsis, et Eusebio Caesariensi in lib. 8. histor. cap. 1. ex versione Rufini.Dicit igitur Propheta in persona sanctorum,*torrentem pertransivit anima nostra*, id est, persecutionem, quasi torrentem pertransivit anima nostra: caro enim succubuit,et cessit persequutorum furori, sed anima gloriose pertransivit : sed *nisi Dominus fuisset in nobis* : *forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem*,idest,intrasset torrentem nimis profundum,unde evadere non potuisset. Itaque illud, *pertransisset*, non significat, transivisset, vel evasisset; sed intrasset,et pertransire coepisset, sive pertransire coacta fuisset.Illud autem, *intolerabilem*, recte verterunt septuaginta, ανυποστατον.idest, *sine substantia*, *sine hypostasi*, sine fundamento.sine fundo,ubi pedes figi possent, quo verbo significatur profunditas aquarum, quae transmitti non potest. Sed occurrit hoc loco contrarietas aperta inter codicem hebraicum,et versionem septuaginta Interpretum. Codex enim hebraicus diserte habet, *torrens pertransivit super animam nostram* et editio Septuaginta habet,*torrentem pertransivit anima nostra* ; et paulo post hebraicus textus habet.*forsitan pertransissent super animam nostram aquae intolerabiles.* Editio autem septuaginta habet, *forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*Et quidem sanctus Hieronymus in expositione hujus loci non tacet, meliorem esse lectionem hebraicam. Sed existimamus posse conciliari has lectiones duobus modis.Primum enim fieri potest,ut septuaginta interpretes non habuerint in suo textu particulam, עַל *hal*, quae significat, *super*; remota autem illa particula, quae determinat vocabulum animae ad casum accusandi, remanet ambiguum,utrum vocabulum animae, sicut etiam vocabula torrentis, et aquarum, sicut casus nominandi, aut accusandi. Proinde utramque lectionem patiuntur verba hebraica, illam videlicet sancti Hieronymi, *torrens pertransivit animam nostram*.et illam Septuaginta, *torrentem pertransivit anima nostra*; et quoniam septuaginta interpretes meliores codices habuisse credibile est, quam s. Hieron. habuerit, et fidelissime transtulerunt quod invenerunt,sequitur, ut lectio septuaginta,quae est etiam nostrae vulgatae editionis, retinenda, et hebraicae, quae nunc extat, anteponenda sit. Deinde potest etiam fieri, ut septuaginta legerint quidem, ut legit sanctus Hieronymus,sed maluerint sensum potius transferre,quam verba.Nam cum aliquis pertransit profundum torrentem, simul sit, ut et ipse transeat torrentem, et torrens pertranseat super eum.Sed clarior sententia esse videtur,si dicatur homo pertransire torrentem, quam si dicatur torrens super eum transire. Potest enim torrens transire super hominem,etiam immobilem,et jacentem in profundo, sed non potest homo transire per torrentem, quin torrens transeat super eum. Ut ergo significarent septuaginta,torrentem transire super hominem non jacentem, sed ambulantem, vel natantem ; maluerunt dicere hominem transisse per torrentem,quam torrentem per hominem.

5. *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.*
6. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium:laqueus contritus est,et nos liberati sumus.*

Aggreditur Propheta aliam similitudinem,ex qua magis adhuc illustretur, et intelligatur magnitudo beneficii divini. Comparat igitur persequutionem, sive tentationem laqueo aucupis,ac dicit gratias esse Deo agendas.Deumque benedicendum,quod non dederit nos in captionem dentibus adversariorum, idest, non permiserit capi, occidi,ac devorari.Quomodo autem id fecerit, explicat, dicens:*anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*, idest, anima nostra incidit quidem in persecutionem,et tentationem,sicut passer, aut quaecumque alia avis (nomen enim hebraicum, צִפּוֹר *tzippor*,

generatim aves significat) in laqueum venatoris, sive aucupis: sed tamen liberata est ab illa tentatione, et persecutione antequam caperetur a tentatore, et occideretur ; quo modo aliquando avis capitur quidem laqueo, sed eripitur inde, antequam ab aucupe capiatur manibus, et occidatur, et manducetur. Id autem factum est, quia *laqueus contritus est, et nos liberati sumus*, id est, quia tentationi per gratiam Dei finis impositus est, antequam anima fidem negaret, vel alio modo in peccatum consentiret, quo modo aliquando laqueus, qui avem comprehenderat, frangitur, et avis avolat, et spem aucupis, in praedam inhiantis frustratur.

7. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram.*

Concludit cum laude Dei humiliter agnoscens, victoriam tantam, et liberationem de tam periculosis tentationibus, non viribus suis tribuendam; sed adjutorio coelesti Dei omnipotentis: cujus omnipotentiae manifestum est argumentum, quod fecerit coelum, et terram. Modus autem, quod Deus solet de magnis tentationibus eripere servos suos, insinuatur dum dicitur, *laqueus contritus est*: laqueus enim frangi solet, quando avis, vel exterrita aliquo clamore, vel allecta meliore esca, vim facit, et sic laqueum frangit. Quando enim avis quamvis laqueo irretita, inhaeret escae ab aucupe propositae, nec intelligit se comprehensam, non conatur aufugere, et eo modo facile capitur, et occiditur. Sic igitur anima hominis in tentatione posita, cum primum a Deo illustrata, et vel clamore Judicis divini, et gehennae exterrita, vel promissionibus coelestis gloriae allecta, incipit cogitare, dura quidem esse tormenta praesentia; sed duriora sine comparatione ulla tormenta futura, et sempiterna: vel dulce esse vitam praesentem, dulcem voluptatem, dulces divitias; sed dulciora sine comparatione praemia vitae futurae; incenditur amore bonum supernorum, et metu suppliciorum gehennae, atque eo igne divinitus accenso vires concipit, et magno impetu firmissimae deliberationis non peccandi in Deum, laqueum tentationis frangit, et liberata volat, et cum jubilatione canit, *adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum, et terram.* De hoc modo evadendi scribit s. Cyprianus in lib. de exhortatione martyrii cap. ultimo. *Has cogitationes quae persecutio potest vincere? quae tormenta superare?*

PSALMUS CXXIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

In hoc psalmo consilium bonum dat sanctus Propheta peregrinis ascendentibus in patriam tum terrenam, tum coelestem. Consilium autem est, ut in Deo totam spem suam ponant. Deus enim potentissimus, et fidelissimus est, neque unquam confundet sperantes in se, atque ad se toto desiderio properantes.

EXPLICATIO PSALMI CXXIV.

1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum, qui habitat in Jerusalem*

Ponit initio Propheta generalem atque certissimam promissionem, eamque bis repetit ad majorem veritatis asseverationem. Dicit igitur, *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion*, idest, omnes qui vere confidunt in Domino, erunt immobiles et securi, quaecumque tandem ingruat tempestas, sicut est ipse mons Sion, qui non solum immobilis est, quia mons est, sed etiam quia Deo sacer, et charissimus est. Addit repetens, et quasi explicans quod dixerat, *non commovebitur in aeternum qui habitat in Jerusalem:* ubi quod dicitur, *non commovebitur in aeternum*, respondet illis verbis, *erit immobilis sicut mons Sion:* quod sequitur, *qui habitat in Jerusalem*, respondet illis, *qui confidunt in Domino.* Illi enim qui habitant cogitatione et spe in coelesti Jerusalem, ipsi sunt qui confidunt in Domino. Sic enim explicatur fiducia in Deum in psalmo 90. *Qui habitat in ad-*

jutorio Altissimi, *in protectione Dei coeli commorabitur*. Quod attinet ad verba in hebraeo codice habetur alia interpunctio, et proinde alia ordinatio verborum. Sed quia interpunctio non erat in antiquis codicibus, sed a Rabbinis addita est, ideo, non tanti facienda est, ut propter eam contemnamus interpunctionem septuaginta Seniorum et latinae nostrae vulgatae editionis. Praeterea illud, *qui habitat in Jerusalem*, ambiguum est in hebraeo, utrum ad montem Sion, an potius ad hominem confidentem in Deo referendum sit: sed Interpretes septuaginta declaraverunt referri ad hominem, non ad montem: nam *mons* graece ὄρος, est generis neutri, et illud, *qui*, tam graece, quam latine est generis masculini. Adde quod *mons* non tam proprie dicitur habitare in civitate, quam homo. Quia vero omnibus, qui habitant in terrena Jerusalem convenit *non commoveri in aeternum*, cum ipsa Jerusalem stare non potuerit in aeternum; et quia *habitare in Jerusalem* hoc loco idem est, quod *confidere in Domino*, ideo diximus cum s. Augustino, hic agi de habitatore coelestis Jerusalem per spem et desiderium, quo modo habitabant, qui dicebant, *conversatio nostra in coelis est*, Philippenses 3.

2. *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Probat quod dixit, montem Sion securum et stabilem esse; sed multo magis eos, qui confidunt in Domino. Siquidem Sion montes habet *in circuitu*, quasi pro muro; sed qui *confidit in Domino*, ipsum Dominum omnipotentem habet in circuitu; et montes, qui Sion montem circumdant, complanari possunt et cadere; sed Dominus in circuitu est populi *ex hoc nunc et usque in saeculum*. Sententia igitur horum duorum versiculorum est, omnes qui confidunt in Domino, securos esse debere, quia Dominus protegit eos ab omni malo et quamvis interdum temporaliter affligantur, id etiam cooperatur illis in bonum; et si forte permittit Deus illis auferri divitias, vel sanitatem, vel aliquid ejusmodi, reponit aliquid melius, idest, patientiam et consolationem cum merito gloriae sempiternae. Sed hoc loco per confidentiam non debet intelligi vana praesumptio, sed fiducia illa, quae ex fide non ficta, ex corde puro, ex conscientia bona, ex dilectione ferventi nasci solet.

3. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.*

Explicat paulo clarius, qua ratione Dominus protegat confidentes in adjutorio ipsius. Quod si, inquit, permittet Dominus aliquando justis de causis, iniquos dominari piis, non diu hoc permittet, ne pii desperantes incipiant etiam ipsi facere opera impiorum: sic igitur ait: *quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*, idest, dabit quidem aliquando Dominus impiis virgam, idest, sceptrum, quod est insigne potestatis *super sortem*, idest, super haereditatem, sive partem et portionem *justorum*, sed non diu relinquet virgam in manu impiorum. In hebraeo est ad verbum, *Non requiescet virga peccatoris super sortem justorum*, quae verba eumdem habent sensum; sed metaphora quietis, eleganter explicat brevitatem temporis, quo peccatores permittuntur regnare super justos, quamvis enim tempus quo regnant impii super justos, longum videri possit iis, qui non cogitant aeternitatem; tamen iis, qui certi sunt ex divina promissione regnum sanctorum cum Christo sine fine duraturum, momentaneum videtur omne quod finem habet. Ait igitur, *non requiescet virga peccatoris super sortem justorum*, idest, erit quidem potestas peccatoris aliquando super justos ad eorum probationem, vel exercitationem, vel correctionem sed erit quasi stans, non sedens; transitura, non manens; temporalis, non aeterna. *Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas*, hoc est, ne justi non perseverent in justitia, si videant foelicitatem iniquorum tam esse diuturnam, ut credi possit nullum finem habitura.

4. *Benefac Domine bonis, et rectis corde.*

Quia dixerat, periculum esse ne justi scandalum paterentur ex nimis diuturna potestate iniquorum, convertit sed ad Deum, atque precatur, ut benefaciat bonis, liberando videlicet eos velociter a potestate impiorum, aut certe patientiam illis et consolationem internam copiose suppeditando: et simul admonet ac docet illos vere esse bonos, qui sunt *recti corde*, idest, qui non scandalizantur de judiciis Dei, sed in bonam partem accipiunt omnia quae Deus facit, etiam si permittat impios dominari quantumvis diuturno tempore. Illi enim sunt recti corde, qui conformant cor suum, idest, judicium et voluntatem, cum rectissima regula judicii, et voluntatis Dei, etiam si non intelligant, cur Deus hoc, aut illud faciat, vel fieri permittat; de his scribitur in alio psalmo, *quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde!* Isti enim acquiescunt in omnibus Deo, et placet illis Deus, et illi placent Deo, quo modo lignum rectum in pavimento recto optime collocatur et quiescit; lignum autem distortum non potest collocari, nec quiescere nisi in loco distorto.

5. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax super Israel.*

Occasione ultimi verbi versiculi superioris, quo bona optabantur rectis corde, subjungit Propheta terribilem comminationem iis, qui declinant a rectitudine cordis, ac dicit eos qui declinant a rectitudine ad tortuositatem, et in persecutione, vel tribulatione perdunt sustinentiam, ac vel fidem negant, vel de Deo queruntur, ac murmurant, eos *cum operantibus iniquitatem*, idest, cum ipsis persecutoribus, atque impiis hominibus in judicium adducendos: quoniam, ut ait s. Jacobus cap. 2. *Qui totam legem servaverit, offendat autem in*

uno, factus est omnium reus, et tum demum separatis omnibus malis de medio bonorum pax vera et sempiterna erit *super Israel*, idest, super populum Dei. Hoc loco magna est quaestio de verbo illo, *obligationes*, et quidem alii alia dicunt: sed ego, ut permitto unumquemque abundare in sensu suo, ita si debeat hic versiculus cohaerere cum superiore et si conciliandi sunt codices latini cum graecis et hebraicis, nihil dubito, quin latinus interpres scripserit, *obligationes*, non tam respiciens ad rem, quae ligatur et stringitur per obligationem, quam ad ipsam obliquitatem et tortuositatem, quae cernitur in fune, dum aliquid ligatur, neque enim obligari potest aliquid, nisi funis alioqui directus torqueatur, et in circulos ducatur. Id ita esse primo colligitur ex voce graeca, quam Euthymius explicat, per obliquitatem et perversitatem. Denique ex ratione continuationis: nam si per *obligationes* intelligamus obligationes ad aliquid faciendum, ut sunt vota, juramenta, promissa, pacta et similia, vix percipi poterit, quid sibi hoc loco Propheta velit: si vero per *obligationes* intelligantur nodi, et tortuositates, quae opponuntur rectitudini cordis, de qua proxime fuerat loquutus, omnia optime cohaerebunt. Interpres igitur vulgatus obscure quidem, sed vere et proprie loquutus est.

PSALMUS CXXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Psalmus hic apertissime loquitur de reversione a captivitate, et ascensione ad patriam et convenit proprie in tempus illud, quo decretum Cyri de solvenda captivitate judaeorum primum promulgatum est: quod quidem figura fuit evangelii, quo nobis annunciata est remissio peccatorum, et ascensio ad coelestem Jerusalem.

EXPLICATIO PSALMI CXXV.

1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus, sicut consolati.*

Latinus interpres voluit ad verbum reddere verba graeca, et ideo minus latine loquutus videtur. S. Hieron. sententiam non verba secutus ita reddidit, *cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sunt somniantes.* Vere enim vox hebraica, חלמים *cholemim somniantes* significat et sensus est cum primum auditum est a nobis decretum relaxationis et reversionis in patriam, prae gaudio vix credere potuimus quod dicebatur, et nobis non videre et audire, sed somniare videbamur. Simile quid accidit Patriarchae Jacob Genes. 45. qui cum audisset filium suum Joseph vivere, quem jam dudum mortuum luxerat, quasi de gravi somno evigilans non credebat. Sanctus etiam Petrus Act. 12. de carcere praeter spem mirabiliter liberatus, existimabat se visum videre. Porro septuaginta Interpretes verterunt, *consolati*, quia ex nimia consolatione fiebat, ut sibi Judaei somniare viderentur. Sed perspicua erit lectio, si utrumque jungamus hoc modo; *cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus ex nimia consolatione, et laetitia quasi somniantes* nos liberatos; vel si placeat, hic esse potest sensus. *facti sumus sicut consolati*, idest, facti sumus ut sunt ii, qui consolationem post magnam tribulationem accipiunt, idest, hilares et jucundi ex tristibus et moerentibus. Hanc ineffabilem consolationem vere experiuntur, qui serio convertuntur ad Deum et contempta spe saeculi, atque omnium rerum terrenarum cupiditate deposita, dirigunt pedes suos in viam pacis. Intelligunt enim quam ineffabile bonum sit, erui de captivitate Diaboli, et de profundo gehennae et ad veram libertatem, atque aeternam pacem in coelesti patria possidendam, Deo vocante, et ducente praeparari.

2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.*

Ex consolatione interna prodiit laetitia externa, quae in hilaritate vultus, et in voce exultationis

agnoscitur. *Tunc*, inquit, idest ubi auditus est bonus nuncius liberationis, *repletum est gaudio os nostrum*, idest, facies nostra prorupit in verba laetitiae et jubilationis. In hebraeo, pro *gaudio* habetur risus: sed in idem recidit sententia: risus enim laetitiae signum est. Si quis autem velit per *os*, non intelligere faciem, sed quod proprie dicitur *os*, sensus erit, repletum est os nostrum laetis vocibus et laudibus et idem significabitur per verba sequentia, *et lingua nostra exultatione*, quae repetitio est in psalmis frequentissima.

3. *Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum eis.*

Nuncius bonus hujus liberationis, sicut eos qui liberati sunt, affecit ingenti laetitia; ita etiam alios, qui hoc audierunt, magna admiratione replevit, et ideo dixerunt, *magnificavit Dominus facere cum eis*, idest, magnifice gessit se Dominus cum populo suo: quamvis enim Cyrus fuerit, qui populum hebraeorum ex tam longa captivitate liberavit; tamen omnes facile intelligebant, id factum esse divino instinctu; jam liberatio facta est ipso tempore, quo Deus per Hieremiam praedixerat esse faciendam, idest, post annos septuaginta, et Cyrus ipse lib. 1. Esdrae, cap. 1. agnoscit imperium orbis terrae a Deo coeli sibi tributum, et ab eodem Deo jussum se templum in Jerusalem aedificare, populumque dimittere: denique numquam sperandum erat, ut rex ullus sponte sua, et sine ullo pretio tot millia captivorum dimitteret, nec solum dimitteret, sed etiam magnis donis oneratos dimitteret. Itaque merito gentes omnes tam magnum beneficium divinae providentiae tribuebant. Sed cur Propheta utitur hoc loco tempore futuro, cum paulo ante usus sit tempore praeterito? dixit enim, *tunc repletum est gaudio os nostrum*, unde consequens erat, ut diceret, tunc dixerunt inter gentes. Cur igitur ait, *tunc dicent inter gentes*? hebraeus codex utrumque verbum ponit in tempore futuro, quod tamen secundum consuetudinem linguae hebraicae, utrumque verti potest in tempus praeteritum. Sed codex graecus, quem secutus est Interpres latinus, primum posuit in praeterito, secundum in futuro. Fortasse igitur hic est hebraismus, et accipiendum est tempus futurum pro praeterito. Fortasse etiam illud, *tunc*, hoc loco non significat tempus liberationis jam praeteritum, sed tempus divulgationis hujus rei ad gentes etiam longe positas, quod erat futurum, ut sensus sit, cum perveniet fama hujus rei ad gentes longe positas, tunc dicent inter se gentes, *magna fecit Deus cum populo Judaeorum*. Neque minus haec admiratio gentium locum habet cum homines qui de hoc mundo sunt, vident aliquos, qui de mundo erant, mundo terga vertere, et ad patriam coelestem per viam verae virtutis, et Christi imitationis ascendere. Mundus enim non diligit quidem eos, qui de mundo non sunt, sed miratur tamen et Deum in illis, et cum illis esse negare non potest.

4. *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes.*

Approbant liberati quod gentes dicunt, quia vera dicunt, ac si ita subjungerent, vere Dominus magnifice se nobiscum gessit, et praeter meritum et spem nostram egit nobiscum, cum de tam miserabili captivitate nos ad dulcissimam patriam revocavit: et ideo facti sumus laetantes, qui sub jugo captivitatis gemebamus moerentes.

5. *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro.*

Quoniam non statim omnes captivi reversi sunt, sed primum aliqui cum Esdra, deinde alii cum Nehemia: ideo qui primi redierant, precantur Deum pro plena, atque integra reversione captivorum. Utuntur vero similitudine torrentis, qui stante austro plenissime et velocissime fluere solet. Dicunt igitur, *converte Domine captivitatem nostram*, idest, fac ut revertantur captivi nostri, qui adhuc remanent in terra aliena, plane omnes, et quam citissime, ut sit plena et velox reductio, qualis esse solet earum rerum, quas torrens secum abripit et devolvit, quando flante austro tum pluviis de coelo cadentibus, tum nivibus liquefactis et de montibus fluentibus impletur. Sed multo magis spiritualibus peregrinis haec precatio necessaria est: quamvis enim jam aliqui ad patriam pervenerint, tamen multi adhuc peregrinantur: plurimi etiam amare coeperunt captivitatem et affixi rebus temporalibus, de patria nihil cogitant, ideo necesse est, ut Deus instar torrentis austro flante violenter eos compellet, et quasi cogat ascendere. Denique tum isti, tum illi, adhuc ex parte captivi tenentur, omnes enim expectant, ut liberetur omnis creatura a servitute corruptionis, et ipsi etiam in coelo beati expectant redemptionem corporis sui. Pro hac igitur perfecta libertate filiorum Dei, de qua loquitur Apostolus ad rom. 8. recte precamur, *converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro*. Quod attinet ad verba in hebraico et graeco codice habetur, *torrentes*, sive *rivos aquarum*, in numero multitudinis, et casu accusandi: sed probabile est in graecis antiquis, et magis correctis fuisse χειμαρρος, idest, *torrens*, non χειμαρρους, idest, *torrentes*. Nam s. Hieron. in commentario, ubi exponit editionem septuagiuta legit, *torrens*, et sanctus Augustinus similiter legit, *torrens*; verbum autem hebraicum potest intelligi tam in casu nominandi quam accusandi: sed in sensu nulla difficultas est. Nam idem est sensus sive dicamus, *converte captivitatem nostram*, ut torrens convertit et trahit omnia secum: sive, *converte captivitatem nostram*, ut torrentem protrudis, et impellis, quando Austro flante impletur aquis. Major quaestio est de nomine austri; siquidem recentiores quidam accurati, et docti contendunt, nomine, *austri*, non debere intelligi *ventum* sed regionem australem desertam et aridam, qualia sunt deserta Arabiae: ac sensum hujus loci esse volunt, *converte captivitatem nostram*, sicut torrentes fluunt in locis aridis et desertis: sic enim laetifica-

bit nos reversio captivorum:quomodo laetificantur loca arida fluentibus aquis. Sed nobis veneranda est Patrum auctoritas: nam septuaginta Interpretes sine dubio per *austrum*, intellexerunt *ventum*: id enim proprie significat νοτος, qua voce hoc loco usi sunt:deinde s.Hieron., s.August.,Theodoretus, Euthymius, et alii veteres tum graeci, tum latini agnoscunt hoc loco similitudinem venti Australis liquefacientis nives, et congregantis nubes, atque eo modo torrentes implentis. Ratio etiam connexionis, et nomen torrentis, huic expositioni favere videtur.Utitur enim Prophela nomine *torrentium*, ut significet plenitudinem reversionis captivorum; per loca vero deserta, et arida rivuli quidam fluere solent,non autem torrentes pleni et magni,quos ingentes pluviae vel nives de montibus fluentes faciunt. At, inquiunt, vox hebraica, נגב *negheb*, non significat *ventum*, sed *australem plagam*, vel loca arida et deserta. Respondeo quod saepe respondi, non debere restringi significationes vocum hebraicarum ad hebraica dictionaria : major enim fides habenda est septuaginta Interpretibus, et s. Hieron. quam omnibus dictionariis: et quemadmodum vox graeca νοτος significat proprie ventum australem, et inde transfertur aliquando ad significandam regionem, unde ventus ille spirat: sic etiam fieri potest, ut vox hebraica *negheb* quam ipsi volunt significare *plagam australem*, transferatur etiam ad significandum ventum australem, et hoc loco ita accipiendam esse hanc vocem veterum auctoritas satis nobis persuadet.

6. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.*

Posteaquam rogavit Prophela Deum, ut reducat ad patriam omnes captivos, exhortatur ipsos captivos, ut libenter suscipiant laborem ambulandi, et ascendendi, neque retineantur amore earum rerum, quas in terra aliena possidebant, quoniam in patria sua, multo plura, et meliora invenient. Utitur autem similitudine aptissima seminantis, et metentis. Seminans enim ordinarie in lachrymis seminat, idest, cum dolore et gemitu, quia cogitur tritlcum suum projicere in terram, neque scit, an unquam illud recuperabit, ac proinde videtur laborare et fatigari,ut opes suas amittat:sed quando messis venit,cum magno gaudio metit, quia videt triticum suum, quod videbatur, dum seminaretur, amissum, non solum non perfisse, sed cum maximo foenore redditum sibi fuisse. Sed haec exhortatio apud spirituales peregrinos praecipue locum habet. Qui enim captivitatem diligunt, et amore mundi capti,de coelesti patria nihil cogitant, ii existimant justorum iter ad coelum,nihil esse aliud nisi jacturam,et detrimentum. Qui enim vere peregrini sunt, et ad patriam coelestem ascendunt,opes suas pauperibus largiuntur, qui numquam restituent: sine pretio vel praemio laborant, ut fratres suos doceant, ut apostolus faciebat, sponte seipsi voluptatibus,et delectationibus privant, quae stultitia esse videtur iis, qui nesciunt quid ista pariant.Sed hoc nihil est aliud,nisi seminare in lachrymis, et postea tempore suo cum exultatione metant:quod si ii qui captivitatem adhuc amant,attente considerarent,certe ipsi etiam mutato consilio,ascendere inciperent,et sua omnia, licet cum sensu aliquo doloris,interim seminarent, ut paulo post in coelesti patria cum exultatione meterent.

7. *Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua.*
8. *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Describit paulo fusius, et clarius morem seminantis, et metentis.*Euntes*,inquit,*ibant*, id est,rustici ex domo sua exeuntes ibant ad agrum, *et flebant mittentes semina sua*,idest,cum dolore spargebam triticum suum in terram, videntes se privavari interim opibus suis non sine sudore quaesitis. Sed postea *venientes* ex agro tempore messis, *venient* domum *cum exultatione portantes manipulos suos*,idest,referentes pro paucis granis integros manipulos spicarum.Neque curavit Propheta similitudinem applicare, quia facile erat unicuique id per se facere. Utitur hac eadem similitudine Apostolus 2. Cor. 9. *Qui parce seminat, parce et metet.*Et quoniam similitudo admirabilis est, non erit inutile considerare quibus in rebus sementis cum eleemosyna comparetur,ut magis animentur qui ascensiones in corde suo disponunt, ad opes suas libentissime cum pauperibus communicandas.Primum igitur granum quod seminatur,res est exigua, et tamen producit tantam granorum multitudinem, ut incredibile videatur : sic etiam eleemosyna res est in se vilis, cum sit actio humana et temporaria, et per organum corporis corruptibilis facta, et tamen producit non multas pecunias,aut panes,aut vestes, sed regnum sempiternum,quomodo si granum trilici seminatum non produceret spicam triticeam,sed spicam auream plenam gemmis pretiosis loco granorum. Deinde granum seminatum debet corrumpi et perdi, alioqui non nasceretur, juxta illud evangelii,*nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*: sic eleemosyna debet donari,non commutari,et donari iis,qui non possunt retribuere;denique debet amitti ac perdi sine ulla spe recuperationis in hac vita ; ita enim corrupta et perdita iterum nascitur, et fructum plurimum parit in aeterna vita.Denique seminatum granum eget sole,et pluvia ut germinare possit: sic etiam eleemosynae,ut alia omnia bona opera, egent sole divinae gratiae; et pluvia sanguinis mediatoris, idest, requirunt,si meritoria esse debeant,ut fiant ex gratia Dei,quae nascitur ex Christi sanguine: tunc enim res in se minima efficitur maxima ratione virtutis, quam ex gratia recipit: et sit non solum meritoria de congruo, sed etiam de condigno, ut scholae loquuntur, meritoria est vitae aeternae. Sed hoc interest inter sationem trilici,et distributionem eleemosynae recte factam, quod plurima sunt, quae facere possunt, ut qui seminavit in lachrymis triticum, in exultatione metat:nam et potest seminatum granum deficiente imbre non nasci;et potest natum a bruchis vel nebulis corrumpi ; et potest jam maturum a furibus diripi, vel incendio perdi.At eleemosyna ex charita-

te facta, salva est, quippe in coelo reconditur, ubi nec bruchi, neque nebulae, neque fures accessum ullum habent. Igitur qui spirituale semen in lachrymis seminat, in exultatione fructum magnum sine ulla dubitatione metet.

PSALMUS CXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum Salomonis.

Psalmus hic semper mihi visus est supra modum obscurus, et nunc etiam post longum studium fateor me non perfecte assequi litteralem sensum. Probabilior expositio videtur esse illa, quam tradiderunt graeci, s. Joannes Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius; quod videlicet pertineat haec prophetica exhortatio, sive admonitio populum hebraeorum post reversionem a captivitate Babylonica, quando laborabat in aedificanda domo Dei; et restauranda civitate Jerusalem, et a vicinis gentibus toto fere illo tempore vexabatur, et impediebatur. Huc etiam pertinere videtur titulus, *canticum graduum Salomonis*: tribuitur enim Salomoni haec exhortatio, quoniam ipse prior aedificavit domum Domini, et civitatem Jerusalem amplificavit, et multis bonis replevit. Ipse igitur commode introducitur, qui admoneat Zorobabelem, qui fuit quasi alter Salomon, quomodo se gerere debeat in domo et civitate raedificanda, custodienda, et amplificanda. Sed altiore sensu verus Salomon, idest, *pacificus* Christus, qui est *pax nostra*, juxta Apostolum, admonet eos, qui ad veram pacem aspirando ascendunt de valle lachrymarum ad visionem pacis, Jerusalem coelestem, quomodo debeant aedificare et custodire domum, sive civitatem Ecclesiae: tum etiam quia unusquisque sibi per bona opera domum aedificare debet in coelo, eamque custodire, ut ad eam suo tempore foeliciter inhabitandam perpetuoque possidendam ascendat. Scio nonnumquam in scripturis, per *aedificationem domus*, intelligi foecunditatem, sive copiam filiorum. Sed hunc psalmum communis expositio patrum de vera domo Dei, idest, de templo, sive materiali, sive mystico, non de carnali filiorum copia, intelligendum esse docuit.

EXPLICATIO PSALMI CXXVI.

1. *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam.*

Haec dicuntur Judaeis adificantibus domum Dei, idest, templum, quando infoeliciter opus procedebat, impedientibus vicinis gentibus, ut scribitur in 1. lib. Esdrae. Admonentur autem, ut cogitent, nihil valere opera hominum, nisi primarium aedificator Deus adsit; et ideo non solum operetur manibus, sed etiam corde, et ore Deum invocent, et in ejus adjutorio praecipue fidant. *Nisi Dominus aedificaverit domum*, idest, nisi Dominus, invocatus cum fiducia, operantibus adfuerit. *In vanum laboraverunt qui aedificant eam*, idest, omnis labor frustra consumptus est, et frustra etiam deinceps consumetur. Haec eadem dicitur Praepositis Ecclesiae, qui praedicatione verbi Dei convertere nituntur homines ad Deum, et ex iis templum Domino, idest, ecclesiam, aedificare, juxta illlud 1. Cor. 3. *Dei aedificatio estis*, et ibidem, *ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat*: sed nisi adsit ille principalis architectus, qui dixit Matth. 16. *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, in vanum aedificant homines, frustra praedicant doctores verbi Dei, dicente Domino, *sine me nihil potestis facere*, Joan. 16. Denique dicuntur eadem uniquique nostrum, qui domum nobis per actus fidei, spei, et charitatis, in coelo aedificare debemus: domus enim Dei, ut s. Augustinus ait serm. 22. de verbis apostoli, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur; neque ullus in coelesti patria civis admittitur, qui talem domum non ante paraverit. Sed haec domus magis orando, et gemendo, quam operando fabricatur, quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis*. 2. Corinth. 3.

2. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.*

Cum civitas Jerusalem post captivitatem aedificaretur, simul aedificanda, et simul custodienda erat, ut testatur scriptura in lib. 2. Esdrae. Gentes enim quae in circuitu erant, non solum impedire conabantur aedificationem, sed etiam demoliri quod

aedificatum fuerat:et ideo filii Israel una manu gladium tenebant: altera faciebant opus, et multi eorum dispositi ad custodiendum perpetuas agebant excubias.Sed nihilominus tot vigiliis suis nihil profecissent, nisi Dominus civitatem custodire voluisset.Hoc idem contingere certum est praepositis ecclesiae , qui simul aedificare ecclesiam , et simul custodire debent: versamur enim in medio inimicorum , qui nihil magis oderunt , quam ecclesiae amplificationem. Et quamvis episcopis ad hoc detur in ecclesia locus altior,ut quasi e specula omnia prospicere, et populum custodire possint , tamen neque corda penetrant neque ubique cum omnibus esse possunt: ideo,*nisi Dominus custodiat civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.*Hoc ipsum singulis nobis accidere solet,ut dum per bona opera domum nobis aedificamus,non desint hostes,qui variis tentationibus destruere moliantur aedificium inchoatum , unde nos Apostolus armat , scribens Ephesiis cap. 6. cum dicit , *accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Et infra, *in omnibus sumentes scutum fidei , in quo possit omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Sed nisi Dominus nobis adsit,et nos saepe dormitantes custodiat,et pro nobis pugnet,frustra erit omnis labor noster.

3. *Vanum est vobis ante lucem surgere : surgite postquam sederitis,qui manducatis panem doloris.*

Filii Israel prae nimia sollicitudine, dum in angustiis essent ante lucem opus aedificationis aggrediebantur, ideo monet illos spiritus sanctus nihil profuturum,quod ante lucem operari incipiant, nisi Dominus illis adfuerit, sed si Dominum adjutorem habuerint , et in illo spem suam posuerint, opus prospere successurum,etiamsi post necessariam quietem,orto jam sole operi se accingant.*Vanum*,inquit,*est vobis ante lucem surgere*,ad opus videlicet aedificationis prosequendum : ubi subintelligendum est , *nisi Dominus aedificaverit domum*, vel *custodierit civitatem*, et ideo confidentes in Domino, et illum assidue invocantes.*surgite postquam sederitis*, id est, post nocturnam, ac necessariam quietem , surgite ad opus: *qui manducatis panem doloris*,idest,vos, qui in angustia, et oppressione nunc vivitis propter infestationem continua inimicorum. Sed in sensu magis intento a Spiritu sancto monentur Praepositi ecclesiae, et singuli etiam fideles, ut in aedificanda domo, sive communi, sive particulari , non magis fidant operationi , quam orationi , sed imitentur Dominum, qui per noctes vigilabat in oratione juxta illud Luc. 6. *Erat pernoctans in oratione Dei , et interdiu concionabatur,et miraculis sermonem confirmabat*, nec non Apostolus imitentur,qui in actis cap. 6. dicunt,*nos autem orationi, et ministerio verbi instanter erimus. Vanum*, inquit, *vobis est ante lucem surgere*, idest, totum tempus consumere in aedificatione vel custodia. *Surgite postquam sederitis*,idest,surgite ad opus postquam sederitis vacantes quieti contemplationis, et orationis. *Qui manducatis panem doloris*,idest,vos qui prae desiderio coelestis patriae assidue gemitis et dicitis, *fuerunt mihi lachrymae meae panes die ac nocte*, dum dicitur mihi quotidie, *ubi est Deus tuus.* Qui enim valde amant,dum non possunt frui praesentia rei amatae, sustentantur interim desiderio, et gemitu , et eo modo lachrymae fiunt illis panes die ac nocte, idest,in prandio et coena.In hebraeo non habetur illud,*surgite*,sed videntur septuaginta legisse paulo aliter quam nunc habeatur in nostris codicibus: ubi enim nunc est , קום *kum*, idest, *surgere*, ipsi videntur legisse, קומו *kumu*, *surgite* , et quamvis Euthymius ex graeco codice legat,*surgere*,tamen veteres patres legunt,*surgite*, ut s.Hieron. et s. August. in commentario,et videtur etiam s.Joannes Chrysostomus ita legisse;denique ita legit s.Hilarius, qui ut s.Hieron. scribit in lib.de scriptoribus ecclesiasticis,imitatus est Origenem in explanatione psalmorum.Certum autem est, Origenem,et alios veteres graecos et latinos habuisse codices correctiores,quam unus Euthymius habuerit, nisi forte Euthymius etiam legerit,*surgite*, sed corrigendum putaverit esse textum,unius literae mutatione: nam ελειρεϑαι , est *surgere* , et ελειρεσϑε, est *surgite*.

4. *Cum dederit dilectis suis somnum , ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris.*

Post exhortationem,et admonitionem,addit Propheta consolationem,praedicens fore.ut post praesentes tribulationes, det Dominus pacem, et quietem populo suo, et tunc filios Israel manifeste futuros Dei haereditatem,et potentissimos atque fortissimos , ut nullos deinceps hostes passuri sunt, quae Prophetia respicit novum populum , id est , ecclesiam Christi, cujus typus erat templum,et civitas ipsa Hierusalem.Nam ut s.Augustinus demonstrat lib. 18. de civitate Dei c.45. Judaeis post civitatis,et templi instaurationem omnia in deterius prolapsa sunt , donec per Vespasianum , et Titum iterum civitas eversa , et templum incensum fuit. Ait igitur,*cum dederit dilectis suis somnum*,idest, cum pacem,et quietem Dominus populo suo dederit,mittens ad illos verum Salomonem,qui templum verum, idest,ecclesiam suam fundabit,et propagabit, atque ipsos etiam Imperatores orbis terrae illi subjiciet, *ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris*, idest, ecce tunc apparebit , quod haereditas Domini erunt filii plurimi , juxta illud psalmi 2.*Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam,et possessionem tuam terminos terrae*;et *merces* ejusdem Christi Domini erit *fructus ventris* filii videlicet plurimi,juxta illud Isaiae,53. *Si posuerit pro peccato animam suam , videbit semen longaevum.* Nam, ut saepe monuimus,frequentissime in psalmis idipsum bis repetitur. Itaque idem est, *haereditas Domini, filii*; et *merces fructus ventris*, idest,Christi Domini haereditas,et merces, erunt multi filii, qui nihil aliud sunt, nisi fructus ventris.Atque haec expositio est conformis hebraico textui, ubi vox illa, *fructus*, est nominativus casus, non genitivus. Sed in editione graeca vox, *fructus*, est casus genitivi;et ideo juxta graecum codicem sensus erit, quod filiarum multitudo

erit haereditas Domini, et merces Christi, qui Christus vere proprieque *fructus ventris* fuit, cum non ex viro, sed ex sola Virgine ortum habuerit: et haec fortasse verior est expositio, quoniam verbum hebraicum potest mutatis punctis reddi per genitivum; sed verbum graecum non potest reddi per nominativum. Proinde si codices omnes conciliandi sint, haec posterior expositio priori anteponenda erit. Jam vero si psalmus explicetur secundum altiorem sensum, in hoc versiculo praedicetur foelicitas coelestis Jerusalem, quae post somnum mortis temporariae in resurrectione manet eos, qui sicut oportebat ad patriam sempiternam passibus amoris et fidei ascendere prophetarunt. Ait igitur, *cum dederit dilectis suis somnum*, idest, cum post varios labores et certamina dederit Deus omnibus dilectis suis, tam Praepositis ecclesiae aedificatoribus, quam privatis fidelibus domum sibi per opera bona fabricantibus, somnum beatae mortis, *ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris*, idest, tunc apparebit in die ultimi Judicii, quod filii Dei sint ipsius Dei haereditas, quia tunc dilecti salutem aeternam consequentur, et post hoc transibunt in aeternam Dei possessionem, et haereditatem, et iidem filii erunt merces Christi, qui est *fructus ventris*, quia salus electorum est Christi merces: ipse est enim, qui gratiam et gloriam electis suis patiendo et moriendo promeruit. Non multum autem refert, quod in hebraeo habetur, *sic dabit dilecto suo somnum*, pro eo quod nos habemus in graeca, et latina versione, *cum dederit dilectis suis somnum*: nam particula hebraica, כֵּן *chen*, multa significat, nimirum *sic*, *vere*, *tunc*, etc. Itaque reddi potest, *tunc dabit*, idest, post illas tribulationes dabit, et sensus in idem recidit; vox autem לִידִידוֹ *lididò*, *dilecto suo*, potest etiam legi, לִידִידִיו *lididau*, *dilectis suis*, et sic legerunt Septuaginta et s. Hieronymus: qui habuerunt codices sine punctis, quae a Rabbinis postea addita sunt, et si forte necessario legendum esset, *dilecto suo*, exponeremus unicuique dilecto suo, vel dilecto populo suo, quod est idem cum eo, quod nos habemus, *dilectis suis*.

5. *Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum.*

Declarat his verbis Propheta potentiam filiorum Christi, qui sunt ejus haereditas et merces, ac dicit fore potentissimos, quales sunt sagittae in manu viri robustissimi, quae maximo impetu jaciuntur, et omnia perrumpunt: loquitur autem de spirituali potentia servorum Christi, quae non minus cernitur in actione quam in passione, nam et cum instar tronitrui, et fulguris terrefaciunt, et convertunt infideles ad fidem, vel peccatores ad poenitentiam, efficacia praedicationis, splendore sanctitatis, et miraculorum virtute; et quando tormenta omnium generum, incredibili patientia et fortitudine, ad mortem usque decertantes pro fide et pietate tolerant, quid sunt aliud nisi *sagittae in manu potentis*? sed cur filii isti tam fortes dicuntur, *filii excussorum*? quia filii sunt hominum ejectorum, et expulsorum a mundo quasi quisquiliae, et rejectamenta: videlicet filii Prophetarum et Apostolorum: nam de prophetis Apostolus dicit hebr. 11. *Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres, tentati sunt, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, et in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* De Apostolis dicit idem Paulus 1. Corinthios 4. *Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus, tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Et tamen isti ita excussi, et rejecti, fortissimi fuerunt, et de mundo, et de daemonibus mirabiliter triumpharunt. Horum filii sunt omnes electi, qui sicut sagittae in manu potentis hostes vulnerarunt, et vicerunt. Scio locum istum varie tam a veteribus, quam a recentioribus exponi, sed, ut alias dixi, unusquisque in suo sensu abundet, ubi nullum subsit fidei periculum. Neque refert quod sanctus Hieronymus, ex hebraeo vertit *filii juventutis*, ubi nos habemus *filios excussorum*, et versionem suam defendit in Epistola ad Marcellam de quaestionibus super hunc psalmum: nam vox hebr., נְעוּרִים *nehurim*; utrumque significat et *juventutem* et *excussorum*; proinde versio Septuaginta et nostra vulgata editio non repugnat textui originali. Neque reprobamus sancti Hieronymi intelligentiam, siquidem electi ut sunt *filii excussorum*, quia filii prophetarum et apostolorum a mundo reprobatorum: ita sunt etiam filii juventutis, quia sunt per regenerationem, et renovationem juvenes facti, ac per hoc alacres, et fortes, et expediti ad bellum contra spirituales hostes. Sed in futuro saeculo, ac praesertim in die resurrectionis et ultimi judicii, maxime apparebit quam sint potentes isti *filii excussorum*; qui tunc per resurrectionem gloriosam erunt veri filii juventutis; quia *renovabitur ut aquilae juventus* eorum, *stabunt enim in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*, ut dicitur Sap. 5. et adversarii *videntes turbabuntur timore horribili, et dicent, hi sunt quos aliquando habuimus in derisum*, etc. et psal. 143. *Gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria haec est omnibus sanctis ejus.*

6. *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.*

Concluditur psalmus per epiphonema acclamando ipsi Domino Christo, *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*, idest, vere foelix est ille, Christus videlicet, *qui implevit desiderium suum ex ipsis* filiis, quoniam perduxit ad finem desiderium suum, quod erat videndi salutem, et glo-

riam filiorum suorum, pro quibus tam multa fecit, et pertulit, et ideo *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*, idest, in ultimo judicio, quod exercebitur in amplissima porta, id est in conventu totius mundi, *non confundetur. cum loquetur inimicis suis* doemonibus et hominibus iniquis, sed eos potius confundet, et convincet injustitiae et imbecillitatis : tota enim contentio Christi cum diabolo et ministris ejus ab initio mundi usque ad finem, fuit circa salutem generis humani, quod totum ad inferos secum diabolus pertrahere semper conatus est. Atque ad hunc finem singulis aetatibus persecutiones Judaeorum, paganorum, haereticorum, iniquorum omnis generis, adversus ecclesiam excitavit. Sed cum in die Judicii conspicientur tot millia electorum cum Christo gloriose regnantium, et triumphantium, et justissime coronatorum ; et contra sublata erit iniquis omnis potestas, et ad aeterna supplicia juste damnatis nulla spes erit bella renovandi, tunc ipse Christus non confundetur, sed confundet omnes inimicos suos. In hebraeo habetur, *beatus vir, qui implevit pharetram suam ex ipsis*, sagittis videlicet. Sed septuaginta Seniores maluerunt explicare metaphoram : et quia *implere pharetram sagittis*, significat *implere domum fortissimis filiis*; ideo maluerunt vertere, *beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*, hoc est pro voto, et desiderio implevit domum suam filiis optimis, et robustissimis. Illud autem, *non confundetur cum loquetur inimicis suis*, in hebraico et graeco codice habetur in numero multitudinis, non confundentur, cum loquentur. Non est improbabile in aliquo textu vitio scriptorum esse numerum variatum : non enim verisimile est interpretem latinum, vel graecum de industria numerum mutasse. Et cum s. Hieronymus, et s. Augustinus in commentario legant in singulari, *non confundetur, cum loquetur*; et contra s. Hilarius, et sanctus Joannes Chrysostomus legant in numero multitudinis, *non confundentur cum loquentur*, necesse est, ut graeci codices fuerint varii, sicut etiam latini codices vulgati varii sunt : sed utraque lectio vera est : nam et de Christo vere dicitur, *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*, et de electis filiis Dei vere etiam dicitur, *non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta*, cum scriptum sit Sap. 5. *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*. Illud autem, *in porta*, interpretati sumus, *in ultimo judicio*, quoniam, ut diximus in explicatione psalmi 121. apud hebraeos in portis civitatum conveniebat multitudo populi ad judicia : et praeterea ex doctrina s. Augustini in expositione hujus versiculi, *in porta loqui*, est, *publice loqui*, sicut *loqui in cubiculo*, est *loqui occulte, et secrete*. Quoniam igitur ultimo judicium palam et pubblice, et in conspectu omnium hominum, et angelorum fiet, rectissime dicitur *in porta* fieri, et Christus, atque electi ejus recte, *inimicis suis loqui* dicuntur *in porta*.

PSALMUS CXXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Videtur hic psalmus s. Hilario, et Augustino juxta litterae corticem ita de temporalibus bonis, quorum promissio propria testamenti veteris est, agere, ut necessarium sit misticum sensum invenire, si ad Christianorum mores accomodari debeat. Sed fortasse non erit difficile ita illum exponere, ut simul ad testamentum vetus, et ad novum ad bona Jerusalem terrenae et coelestis pertineat. Est igitur argumentum hujus psalmi exhortatio ad pietatem, proposita ingenti mercede virtutis.

EXPLICATIO PSALMI CXXVII.

1. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.*

Docet Propheta redeuntes a captivitate quomodo se gerere debeant, si nolint iterum in captivitatem reverti ; sed perpetuo frui bonis Jerusalem ; quae doctrina utrisque peregrinis convenit, tam iis, qui peregrinabantur a patria terrena, atque ad eam ascendere cupiebant, quam iis, qui peregrinantur a patria coelesti, atque ad eam redire festinant. Ait igitur, *Beati omnes, qui timent Dominum*, idest, illi omnes sive viri, sive foeminae, sive magni, sive parvi, sive nobiles, sive ignobiles, sive domini, sive servi, sive docti, sive indocti, deni-

que omnes omnino nullis exceptis tunc solum vere beati erunt, idest fortunati, contenti, hilares, in optimo statu constituti, quem statum omnes desiderant, si Deum vere timuerunt, idest, si Deum offendere formidaverint, atque eo timore muniti a Dei gratia, quae fons est omnium bonorum numquam exciderint. Signum autem sancti hujus timoris est, si *in viis ejus*, idest, in praeceptis ejus ambulaverint. Nam timor iste sanctus ex amore procedit, et Dominus ait Joann. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate*; et iterum: *qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me*: et iterum, *qui non diligit me, sermones meos non servat.*

2. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.*

Incipit enumerare foelicitates hominis timentis Deum, atque ad eum ipsum sermonem dirigit, dicens prima foelicitas tua erit, quod *manducabis labores manuum tuarum*, idest, frueris iis bonis, quae labore manuum, sive operum tuorum acquisieris. Quo loco diligenter considerandum est, non ponere Prophetam foelicitatem piorum in magna copia divitiarum; sed in iis bonis, quae proprio labore acquiruntur, quae ordinarie modica esse solent. Magnae enim divitiae vel ex haereditate parentum, vel ex rapina et usura, aliisque malis artibus plerumque habentur. Laudat s. Hieronymus in epist. ad Hedibiam, quaest. 1. vulgatam illam sententiam, *dives aut iniquus, aut iniqui haeres.* Quare idem Propheta in psalm. 36. dicit, *melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* et in psalm. 72. *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias*, et in psalm. 143. *Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud, oves eorum foetosae abundantes in egressibus suis, boves eorum crassae, non est ruina maceriae, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui haec sunt. Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Itaque sanctus David non hebraeis tantum, sed etiam Christianis concionatur, cum non ponat foelicitatem in magnis divitiis, sed in eo solum, quod vivant de suis justis laboribus: ubi duo vitia extrema reprehendit: unum eorum qui labores aliorum manducant: alterum eorum, qui ne suum quidem laborem manducant, sed avare recondunt ut divitias augeant: illi igitur soli beati sunt, qui labores manuum suarum manducant. Quod si forte aliqui timentes Deum, et ambulantes in viis ejus non possint frui bonis suis, sed esurire et sitire cogantur, quod bona sua ab aliis direpta fuerint; non propterea falsa erit promissio, quae hoc loco habetur: nam si Deus quibusdam amicis suis permittit, ut cupiant saturari de micis, quae cadunt de mensis divitum, ut de Lazaro inendico legimus, Luc. 16. et nemo illis eas micas tribuit: dat sine dubio illis Deus aliquid longe melius, videlicet *gaudium de tribulatione*, ut Apostolus dicit ad hebr. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*, et de se ipso dicit 2. Corinth. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, et tunc sensus hujus versiculi hic erit, *labo-rem manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit*, idest, nunc manducabis laborem, idest, de gaudio laboris, et tribulationis reficieris; postea vero de fructu ipso laboris, idest, de praemio bonorum operum saginaberis; et ideo nunc *beatus es* in spe, et postea *bene tibi erit* in re. Atque hoc proprie pertinet ad spirituales peregrinos, qui gaudent in tribulatione inopiae, et aerumnarum, scientes quod *tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, rom. 5. Quod attinet ad verba, in hebraeo est, *labores manuum*, ut nos habemus, sed in graeco videtur esse *labores fructuum*, et sic plurimi vertunt, et legunt ex graeco. Sed vox graeca, καρπων, et *fructus*, et *volas manuum* significat. Proinde septuaginta propriissime verterunt hebraicam vocem כַּפַּיִךָ *cappau*, quae proprie *volas manuum* significat. Igitur nostra editio vulgata plane concordat cum originali hebraïco, et cum editione septuaginta.

3. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae.*

Haec est altera foelicitas timentis Deum, et ambulantis *in viis ejus*, quod si forte uxorem ducere voluerit, unam tantum ducet, eamque non ad libidinem explendam, sed ad filiorum procreationem accipiet, ut angelus Tobiam monuit dicens, *accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus*: et ipse Tobias vere dixit, *Domine tu scis, quia non luxuriae causa accipio sororem meam conjugem, sed solo posteritatis amore* Tob. 6. et 8. Ait igitur, *uxor tua*, non uxores, non concubinae tuae, *sicut vitis*, abundans, idest, multos pariens filios, ut vitis foecunda multos racemos, *in lateribus domus tuae*, idest, intus manens, ut modesta et pudica, et curam domus interioris habens dum vir de his, quae foris sunt, cogitat. S. Hieron. vertit, *in penetralibus domus*, quoniam de lateribus interioribus hoc loco agitur. Sed quamvis haec foelicitas quaedam sit, tamen ut intelligamus, non magnam esse foelicitatem, Deus multis magnisque amicis suis, etiam conjugatis, hanc foelicitatem non dedit, ut Abrahamo, et Sarae, Isaaco, et Rebeccae, Zachariae et Elizabethae: multis etiam inspiravit desiderium et propositum sanctae virginitatis, ut creditur de sanctis prophetis Elia, et Hieremia. et sicut de b. Virgine Maria, s. Joan. Baptista, s. Joseph, et aliis prope infinitis, quos certe Deus non privasset foelicitate conjugii, et foecunditatis carnalis, si non esset virginitas donum longe excellentius. Adde quod sancti viri, qui vel conjuge caruerunt, vel sterilem sortiti sunt, non fuerunt privati foelicitate foecunditatis, sed eam habuerunt alterius generis et sine comparatione majorem. Christus in primis, qui caput est omnium sanctorum, non habuit carnalem uxorem, neque filios carnales, sed habuit tamen sponsam ecclesiam, et filios spirituales innumerabiles. Sic etiam Abraham unum habuit filium ex Sara, sed per fidem factus est pater multarum gentium: omnes enim fideles *filii Abrahae*

dicuntur ab Apostolo rom. 4. et quod mirabile est, viri Sancti non solum patres, sed etiam matres sunt eorum, quos ad fidem, vel ad poenitentiam convertunt: patres enim sunt praedicando verbo aut exemplo, et matres gemendo pro eis, et orando. Idem enim Apostolus *patrem* se dicit 1. Corint. 4. cum ait, *non ut confundam vos haec scribo, sed ut filios meos charissimos moneo, nam et si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam per evangelium ego vos genui*: alibi vero se *matrem* dicit, cum ait ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quod si placet spiritualibus filiis assignare patrem, et matrem, quamvis ab eodem homine generentur, et pariantur, dicere poterimus, *patrem* esse amorem Dei, et proximi, *matrem* esse sapientiam; vere enim amor est qui filios gignit, sed per sapientiam gignit, dum sapienter loquens, et scripturas explanans persuadet auditoribus fidem, aut poenitentiam. Sic enim de sapientia scribitur, Sap. 8. *Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius.*

4. *Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.*

Tertia foelicitas hic describitur, educatio videlicet filiorum. Viri enim timentes Deum et ambulantes *in viis ejus*, non tantum filios multos, sed etiam bonos et bene moratos habebunt, quoniam ab infantia illos docebunt timere Deum, et ambulare *in viis ejus*. Sic igitur ait: *filii tui sicut novellae olivarum*, idest, similes erunt arbusculis optimis, quales sunt oleae, quae semper virent, et fructum dulcissimum faciunt; non autem similes erunt rubis, aut spinis, aut sterilibus plantis: erunt autem *in circuitu mensae tuae*, ut eos omnes simul videns, et cum eis convivens, et convescens, majorem ex illis delectationem capias. Quae omnia conveniunt etiam in filios spirituales, quos cum pater Verbo Dei pascit, et proficere videt, mirifice gaudet, et cum Apostolo dicit, *gaudium meum, et corona mea, sic state in Domino charissimi.* Philipp. 4.

5. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.*
6. *Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitae tuae.*
7. *Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.*

Quarta est haec foelicitas, quod videlicet vir timens Deum non solum de bonis propriis gaudium habere debeat, sed etiam de communibus. Ideo addit, quod ita sit a Deo, qui habitat in Sion, benedicendus, ut videat civitatem suam Jerusalem abundantem omnibus bonis toto tempore vitae suae et videat in ea civitate filios filiorum similiter beatos, et foelices; et denique pacem, quae omnia bona conservat, et custodit, stabilem videat super populum Israel. Sed altiore sensu, et magis proprio, atque a spiritu sancto intento, hic describitur foelicitas tanto major tribus superioribus, quantum distat coelum a terra, et Deus a creaturis: et propterea non eam narrando, sed imprecando Propheta proponit. *Ecce*, inquit, praeter omnia quae dicta sunt, *sic benedicetur homo, qui timet Dominum*, nimirum dicetur illi, *benedicat tibi Dominus ex Sion*, idest, non solum benedicat tibi Dominus de terra, temporalia bona tribuens, sed etiam benedicat ex monte sancto suo, ex altissimo habitaculo suo, tibique praestet, ut *videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae*, idest, videas Deum in quo sunt omnia bona Jerusalem, *omnibus diebus vitae tuae*, idest, in aeternum et in saeculum saeculi: nam cum anima sit immortalis, et corpus etiam post brevem somnum mortis temporalis, sit resurrecturum ad vitam immortalem, certe bona quae hic videmus, non videmus omnibus diebus vitae nostrae, sed per minimam partem dierum vitae nostrae, ut vere cum Jacob dicere possimus, *dies vitae nostrae*, quibus in terra peregrinamur, *pauci sunt et mali*; sed bona coelestis Jerusalem vere videbimus omnibus diebus vitae nostrae, qui sine fine erunt: sicut etiam omnes iniqui videbunt mala Babylonis omnibus diebus aeternae mortis suae. Neque mirum est, quod non dixerit Propheta, ut possideas bona Jerusalem, sed *ut videas*, quoniam vera bona Jerusalem videndo possidentur; siquidem in visione Dei perfecta beatitudo consistit. *Similes*, inquit Joannes in 1. Epist. cap. 3. *ei erimus*, idest, beatissimi, et foelicissimi, et quasi Dii quidam, *quoniam videbimus eum sicuti est.* Accedet ad gaudium beatorum quod videbunt in patria illa coelesti *filios filiorum suorum*, idest, non solum illos, quos ipsi per se Deo genuerunt; sed etiam, qui per filios suos spirituales, et per *filios filiorum*, usque ad mundi consummationem ad Deum adducti fuerint; et de omnibus, tamquam de propriis, et ad se pertinentibus gaudebunt. Denique accedet ad consummationem foelicitatis, quod videbunt *pacem super Israel*, pacem firmam et stabilem, quae securissimos reddet omnes habitatores Jerusalem usque in aeternum: videbunt enim omnes suos inimicos perfecte subjectos sub scabello pedum Christi, idest, in profundam gehennam detrusos, aeternis vinculis alligatos: *terra* enim *scabellum est pedum Dei*, iniqui autem omnes sub terram conclusi jacebunt per saecula sempiterna.

PSALMUS CXXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

In psalmis gradualibus, ut initio ammonuimus, vicissim Propheta nunc deplorat aerumnas peregrinationis, nunc bona patriae coelestis laudat, ut am ille quam ista ad ascendendum et festinandum hortentur. Quoniam igitur in praecedenti psalmo multa dixit de bonis Hierusalem: nunc redit ad mala Babylonis, in qua exules sumus et peregrini.

EXPLICATIO PSALMI CXXVIII.

1. *Saepe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel.*

Consolatur se populus Dei in tribulatione positus, quod jam sit assuetus talibus angustiis, et semper Deo adjuvante liberatus fuerit. Conveniunt autem haec verba populo Judaeorum, dum in reaedificatione templi, et civitatis, a vicinis gentibus oppugnaretur; et conveniunt etiam ecclesiae Christi, quae vix unquam ab oppugnatione paganorum, vel haereticorum, vel falsorum Christianorum respirare potuit. Ait igitur, *saepe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel*, idest, populus Dei, qui *Israel* vocatur, non miretur si ab hostibus oppugnatur, quia nihil novi patitur, sed revocet ad memoriam praeteritas angustias, et dicat, *saepe expugnaverunt me inimici mei* jam inde a prima mea aetate: nam vix nata ecclesia, passa est in Abele persecutionem Cain ac deinceps saepissime similia pertulit. Quod attinet ad verba, id solum notandum est, verbum *expugnaverunt*, positum esse pro, oppugnaverunt: nam vox hebraica, צָרַר *tzarar*, significat, *angustiare*, et vox graeca significat, *bellaverunt*, et ex versiculo sequenti manifeste colligitur, non praevaluisse hostes in populum Dei: proinde pugnasse, sed non expugnasse; bellasse, sed non debellasse.

2. *Saepe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi.*

Reddit rationem, cur saepe hostes repetierint praelium, sive pugnam; ac dicit, causam esse quia numquam praevaluerunt: nam si semel praevaluissent, et populum Dei penitus extinxissent, non fuisset opus tot praeliis toties renovatis. Verissimum esse quod hic asseritur, ecclesiastica historia testatur. Illud, *non potuerunt mihi*, vel positum est pro, non potuerunt in me, vel subintelligitur aliquid, ut, non potuerunt mihi nocere, vel praevalere.

3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.*

Quod propriis verbis Propheta dixerat, id nunc per similitudines et metaphoras repetit, et confirmat: dicit igitur populus Dei de persecutoribus suis, *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, idest, supra dorsum meum artem fabrilem exercuerunt utentes dorso meo pro incude, quam fabri ferrarii assidue percutiunt. In hebraeo habetur verbum, חָרַשׁ *charas*, quod septuaginta verterunt *fabricare*, et sanctus Hieronymus, *arare*: sic enim ad verbum reddidit, *Supra dorsum meum araverunt arantes*, et vere utrumque significare potest; quamvis enim non habeamus locum in scripturis (quod ego sciam) ubi, חָרַשׁ *charas* significat *fabricare*, habemus tamen Gen. 4. vers. 22. et 3. reg. 7. vers. 14. vocem *chores*, ab eadem radice, quod significat fabrum ferrarium, ex quo sequitur ut *charas* significet fabrilem artem exercere. Neque dubium esse potest, quin septuaginta Interpretes, homines doctissimi, ex nomine *fabri* deduxerint verbum, *fabricare*, quod hoc loco non significat, aedificium erigere ex lapidibus et lignis (inepta enim similitudo videretur, si quis diceret super dorsum hominis domum, vel aedificium quodlibet fabricari) sed, ut diximus significat juxta proprietatem vocis Hebraicae, fabricare instrumenta ferrea super dorsum, quasi super incudem; quae similitudo significat assiduam, et durissimam persecutionem: nihil enim crebrius, et fortius percuti solet, quam incus a fabris. Idem significatur verbis sequentibus, *prolongaverunt iniquitatem suam*: prolongatio enim iniquitatis est, continua-

tio persecutionis, quam semper boni patiuntur a malis. Sanctus Hieronymus vertit, *prolongaverunt sulcum suum*. Sed quamvis vox hebraica, quae nunc habetur in hebraico textu, significet *sulcum*; tamen si una litera postponatur, vel altera anteponatur, significabit iniquitatem et hoc modo sine dubio legerunt septuaginta seniores; et quod litera *vau* debeat anteponi, perspicuum est ex eo, quod ubi nunc est, otiosa est, et supervacanea. Itaque septuaginta non legerunt, למענית *lemahanitham, sulcum suum*, sed, למעונותם *lemahavonotham, iniquitatem suam*, a voce *havon*, quod est *iniquitas*. Sed licet nos hoc modo concordemus lectionem graecam et latinam cum hebraica, et sententiam vulgatae lectionis omnino sequendam esse existimemus; tamen non negamus, lectionem s. Hieronymi habere etiam bonum sensum, si ita exponatur, *supra dorsum meum araverunt aratores, prolongaverunt sulcum suum*, idest, supra dorsum meum jugum gravissimum posuerunt, et me quasi bove abusi araverunt arantes, et non parvo tempore me jugum ferre compulerunt, sed tempore longissimo, quoniam longissimum sulcum ducere voluerunt.

4. *Dominus justus concidet cervices peccatorum: confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.*

Consolatur nunc Propheta populum Dei, praedicens non procul abesse vindictam divinam in impios persequutores justorum, quasi dicat, bono animo estote justi, quoniam persequutores quidem vestri, injuste dorsum, sive cervicem vestram nunc premunt: sed paulo post Dominus justus juste cervices ipsorum non premet, sed concidet et in frusta comminuet gladio suo, ut numquam amplius vobis nocere possint: et tunc demum confundentur, qui antea superbe exultabant, et convertentur retrorsum fugientes, et cadentes omnes illi, qui oderunt, et persequebantur populum Domini. Observa primo, illud, *concidet*, in textu graeco, et hebraico esse in praeterito *concidit*. Sed tamen s. Hilarius et s. Augustinus legunt, et exponunt, *concidet*; proinde videtur fuisse varia lectio in textu graeco, quam illi sequuti sunt. Hebraica vero lingua facile patitur mutationem temporum, ut possimus praeteritum accipere pro futuro. Itaque non est facile mutanda lectio nostra latina. Sed sive legamus, *concidit*, sive *concidet*, sensus constat. Deus enim jam concidit cervices multorum persequutorum, ut Pharaonis, Nabuchodonosor, Balthasaris, Antiochi, Neronis, Domitiani, Diocletiani et similium et in futuro etiam concidet cervicem omnium aliorum, qui similiter persequutores piorum vel erunt, vel sunt. Observa secundo, pro verbo, *cervices*, in hebraeo esse, *laqueos*, sive *funes*; sed verisimile est, septuaginta non legisse, עבות *habot*, ut nunc est in Hebraeo, sed, גבות *gabbot*, quod *cervices* significat, sive dorsum; nec minus verisimile est, Davidem conservasse eamdem similitudinem; et sicut dixerat, *supra dorsum meum*, גבי *gabbi*, ita postea addidisse, *concidet dorsa*, גבות *gabbot*, ut ostendat simili poena puniendos peccatores, sed graviore. Observa tertio, quod dicitur Deus *concidere cervices peccatorum*, intelligi de peccatoribus superbis, vel obstinatis; nam peccatoribus, qui humiliter confitentur peccata sua et emendare cupiunt, Deus non concidit cervices, sed medetur languoribus ipsorum. Observa quarto illa verba, *confundantur, et convertantur retrorsum*, non esse proprie imprecationem, sed praedictionem, ut saepe monuimus. Sed si quis velit accipere ut verba sonant, poterit pie imprecationem exponere, ut nimirum sit imprecatio bonae confusionis, quae poenitentiam adducit et conversionis a peccatis ad Deum; sed prior expositio est magis ad litteram.

5. *Fiant sicut foenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.*

6. *De quo non implebit manum suam, qui metit et sinum suum, qui manipulos colligit.*

Alia est imprecatio, quae similiter praedictionem notat; significat enim brevissimam fore persecutorum foelicitatem et mirabili amplificatione comparat eam foeno, quod est res per se vilis, et fragilis et sicut dicitur in evangelio, *hodie est, et cras in clibanum mittitur*, sed non contentus foeno comparasse, addit, similem esse foeno, quod non in campis, sed in tectis domorum nascitur, idest, herbae minutissimae, quae nascitur super tecta, quae nullius est pretii, nullique usui apta, ac propterea nemo illam metit, neque in manipulos redigit, sed arescere, et perire permittit. Sed quamvis haec amplificatio sit apud nos, qui nihil videmus vilius et fragilius, tamen cum ad judicium novissimum venerimus, fortasse haec non amplificatio, sed extenuatio nobis videbitur: quid enim erit tunc cernere viros quondam potentissimos, et ditissimos, et qui se domos suas regnis, et imperiis stabilivisse crediderant, cernere, inquam, abjectos projici in locum totius mundi infimum? et qui deliciis et voluptatibus assueti, ne levissimum quidem incommodum ferre poterant, sempiternis cruciatibus addictos videre, sine ulla consolatione in aeternum perseveraturos?

7. *Et non dixerunt qui praeteribant, Benedictio Domini super vos, benedeximus vobis in nomine Domini.*

Quia dixerat, foenum tectorum non solere meti, et colligi, addit non futurum etiam, ut messoribus ejus a praetereuntibus benedicatur, quomodo benedici solet messoribus tritici, vel foeni, quod in campis nascitur, et crescit; quod pertinet ad majorem confusionem iniquorum, qui foeno nascenti in tectis comparati sunt. Dicit igitur, non contigit vobis, neque continget, ut qui transeunt per vias benedicant iis, qui vos metunt: nulli enim vos metent, sed qui tecta purgant projicient vos in ignem vel in cloacam. Quamvis autem benedictio praetereuntium proprie ad messores pertineat, tamen redundat etiam in id, quod metitur; precantur enim praetereuntes, ut copiosa, et matura sit messis; sic igitur benedictionis carentia, et privatio redun-

dabit in ipsos iniquos, quibus in judicio novissimo nemo benedicet, nemo eorum miserebitur; sed ab omnibus despicientur, et contemnentur, quod ad maximam eorum ignominiam pertinebit. Nemo igitur illis dicet, *benedictio Domini super vos*, neque dicet, *benedeximus vobis in nomine Domini*, sed contra potius a Christo judice, et ab omnibus sanctis ejus dicetur, *ite maledicti in ignem aeternum*.

PSALMUS CXXIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Brevis hic psalmus est, sed plenus saluberrima doctrina, ut non sine causa in ecclesia praeter caeteros frequentetur: unus est ex gradualibus, quia deplorat miseriam exilii; unus est etiam ex poenitentialibus, quia docet rationem agendi veram poenitentiam; pro defunctis quoque recitari solet in ecclesia frequentissime, quoniam si dicatur in persona animae in purgatorio detentae, omnia optime quadrant: nam et animae illae sunt in quodam profundo, et ascendere cupiunt, et expectant misericordiam Dei per redemptoris nostri pretium. In summa tria continet, orationem ad Deum, exhortationem ad populum et praedictionem redemptionis futurae.

EXPLICATIO PSALMI CXXIX.

1. *De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.*

Oraturus Propheta Deum, primo postulat audientiam, deinde exponit petitionem suam. Audientiam postulat in primis duobus versiculis. Incipit autem a similitudine hominis jacentis in ima valle, vel in profundo puteo, qui nisi magna voce clamet, non potest exaudiri ab iis, qui sunt in altissimo monte; et vere aptissima similitudo est: nam licet Deus sit ubique per essentiam, et potentiam, tamen ratione dissimilitudinis homo peccator longissime distat a Deo. Deus enim semper est justus, et beatus, et in altis habitat; homo peccator semper est malus, et miser, et similis Jonae Prophetae, qui cum Deo noluisset obedire, dejectus fuit non solum in profundum maris, sed etiam in profundum ventrem Ceti, et tamen inde clamans exauditus est: oratio enim fervens omnia perrumpit, et penetrat. Dicit autem David, *de profundis*, non de profundo, quia verus poenitens ex duobus profundis clamare debet, ex profundo miseriae tamquam ex valle lachrymarum, sive ut in alio psalmo dicitur, ex luto faecis, et profundo lacu, et ex profundo cordis idest, ex intima consideratione, et cognitione propriae miseriae: qui enim non cogitat, et non cognoscit profundum, in quo est, non curat inde ascendere sed contemnit, et sic in majus profundum cadit, juxta illud proverb. 18. *Impius cum in profundum venerit, contemnit*: qui autem profunda consideratione intelligit se exulem esse, et peregrinum, et in magno periculo versari, ne forte ad patriam numquam perveniat, et quod infinitae miseriae est se jam in inferno inferiore, si non praesentia, certe merito peccatorum suorum jam locum habere coepisse; non potest non toto corde horrere, et pavere, et magno affectu clamare ad eum, qui solus potest eum ex tam horrendo profundo eripere et manum ad ascendendum porrigere. Sequitur, *Domine exaudi vocem meam*, idest, quamvis in profundo sim, et tu in altis habites, tamen quia magna voce clamo, potes me exaudire, ideo peto ut exaudias vocem meam.

2. *Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae.*

Non sufficit, ut quis magna voce clamet ut audiatur, sed requiritur, ut is ad quem clamatur, attendat. Saepe enim fit, ut quis ita animum defixum habeat in alia re, ut non attendat ad vocem loquentis secum: et tunc frustra sonitus verborum pulsat ad aures ejus. Deus autem omnia quidem semper videt, et audit; sed quando non facit quod petimus videtur ita se gerere, ac si non attenderet ad vocem orantis, quasi alia cogitaret; ideo David omnino audiri cupiens, non contentus magna voce clamasse, rogat etiam ut Deus dignetur attendere, id est, admittere preces, et donare quod petitur.

3. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine qui sustinebit?*

Captata jam audientia, exponit petitionem suam

quae est, ut Deus non judicio utatur secum, sed misericordia; non rigide quaerat rationem debitorum, sed misericorditer ea condonet. Sed hanc petitionem non simpliciter proponit, ne nimis audax videatur, sed illam involvit in ratione, propter quam Deus moveri potest ad eam concedendam, quae est mirabilis rhetorica, et ab ipso Spiritu sancto hausta. Sic igitur loquitur, *Domine si iniquitates* hominum *observare volueris* omnes condemnabis: non decet autem infinitam bonitatem tuam omnes omnino perdere; igitur non debeo nimis audax videri, si peto, ut peccata mihi condones, et de hoc profundo eruas, in quod me iniquitas sola demersit. Quod attinet ad verba, nomen, *iniquitates*, significat omnia genera peccatorum, ut sunt praevaricatio legis, ut dicitur **1. Joan. 3.** *et peccatum est iniquitas*; alioqui enim non omnia peccata proprie sunt iniquitas, idest, injustitia, cum alia sint peccata luxuriae, alia superbiae, etc. illud, *observaveris*, in textu originali, et in editione septuaginta proprie significat *custodire*, ut sensus sit, si iniquitates, quae sunt debita quaedam nostra in tuo libro rationum diligenter custodias, ut exigas de illis rationem, nemo nostrum tibi satisfaciet; ideo peto, ut eas de libro tuo deleas, et misericorditer indulgeas, cum solvendo non simus. Illud autem, *quis sustinebit*, non significat patienter expectare, ut paulo infra, *propter legem tuam sustinui te Domine*; sed significat, sustinere in judicio sive in reddenda ratione non deficere: quamvis enim in latina editione idem sit verbum in hoc versiculo, et in sequenti; tamen in textu hebraico et graeco sunt verba diversa. Vere autem si Deus sine misericordia nos judicare velit, nemo omnino subsistet: nam offensio in Deum est infinitae magnitudinis, et nos sine gratia ejus non solum condigne satisfacere non possumus, sed neque sufficientes sumus ad peccati gravitatem agnoscendam, vel ad dolorem pro admissis concipiendum; vel ad poenitentiam ipsam inchoandam: praeterea nos non scimus numerum, neque gravitatem peccatorum nostrorum: nam *delicta quis intelligit*? Deus autem scit exactissime numerum peccatorum, et in libro suo omnia scripta tenet. *Tu quidem*, inquit Job, *gressus meos dinumerasti*; idem etiam scit, et solus cognoscit gravitatem infinitam peccati mortalis quomodo ergo poterit homo tam ignorans, et tam infirmus reddere rationem tam sapienti calculatori, et tam potenti exactori? Itaque sicut potest homo se in puteum dejicere, sed non inde ascendere; ita potest peccare, sed non satisfacere, nisi misericorditer adjuventur.

4. Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine.

Vera poenitentia, quam in hoc psalmo poenitentiali Propheta nos docet, duo potissimum requirit, cognitionem propriae miseriae, et cognitionem misericordiae divinae: qui enim miseriam propriam ignorat, non quaerit medicinam, nec agit poenitentiam; qui misericordiam Dei nescit, desperat veniam, et poenitentiam inutilem agit. Igitur Propheta in tribus versiculis praecedentibus ostendit, se plane cognoscere miseriam suam, cum de profundo clamet, et cum dicat, peccata ejusmodi esse ut si Deus ex solo judicio agere velit, nemo subsistere possit: nunc ostendit, se nosse etiam misericordiam Dei maximam, et ideo non obstante magnitudine, vel multitudine peccatorum, se sperare veniam et salutem. Sic igitur ait, *quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine*, idest, quamvis nemo subsistere possit, si observare velis iniquitates nostras; ego tamen quia novi te ex natura misericordem esse, et scio apud te inveniri propitiationem, et quia tu legem posuisti tibi, ut cum impoenitentibus severissime te geras, cum poenitentibus misericorditer, et suaviter; ideo *propter* hanc *legem tuam sustinui te Domine*, sperans, et expectans indulgentiam peccatorum. Nota, illud, *quia*, non reddere rationem superiorum, sed sequentium, nimirum ejus quod dicitur, *sustinui te Domine*. Nota praeterea, illud, *apud te propitiatio est*, ab Augustino referri ad pretium sanguinis Redemptoris, qui vere est propitiatio pro peccatis totius mundi; tamen hoc loco simplicior intelligentia esse videtur, ut sensus sit, quia tu facile propitiaris poenitentibus: nam de pretio redemptionis agitur in fine psalmi, ut paulo post videbimus. Illud autem, *propter legem tuam*, non significat legem, quam nobis dedit; (nam secundum illam nos condemnaret, non absolveret) sed legem suam, quam ipse servare solet; juxta illud, *Omnes viae Domini misericordia, et veritas*: et alibi, *misericordiam, et judicium cantabo tibi*. Itaque Deus *juxta legem suam*, idest, quam sibi ipse praescripsit, primo peccatoribus misericordiam offert, ut poenitentiam agant, deinde justitiam, si impoenitentes esse perseverent. Recte ergo s. August. dicit, hic agi de lege charitatis, non de lege justitiae. Sed mira est in codicibus varietas: nam in hebraeo est, *ut timearis*, vel ut s. Hieron. reddit, *cum terribilis sis*; in graeco *propter nomen tuum*; in latino, *propter legem tuam*. Quae tamen varietas facile tolli poterit, si verbum hebraicum, תורא *tivvare*, legatur cum aliis punctis, *torah*, et sine dubio septuaginta interpretes legerunt, *torah*, idest, legem; neque obstat, quod, תורה *torah*, in fine habeat literam *he*, et *tivare*, habeat literam *aleph*, nam illae sunt literae permutabiles, et saepe una ponitur pro alia. Porro graeca exemplaria variant, ut Chrysost. notavit, et alia habent, *propter nomen tuum*; alia, *propter legem tuam*, quae lectio optima est, et eam habent s. Hilarius, s. Hieronymus, s. Augustinus, et sanctus Gregorius in Comment. hujus loci, neque difficile fuit in graeco textu ponere *nomen* pro lege, cum in graeco idiomate nomen, et lex iisdem fere scribantur literis. Itaque lectio latina vulgatae editionis omnino conservanda est, cum a vero textu hebraico et graeco non discordet et habeatur in Commentar. sanctorum patrum, et sensum optimum faciat. Verbum *sustinui*, in hebraico et graeco clarius est: significat enim *expectare*, sive *sperare*; quod etiam declaratur in verbis sequentibus hujus psalmi.

5. *Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.*

Hic jam incipit exhortatio ad alios, quos exemplo suo hortatur ad spem in Deo ponendam. Ego, inquit, in profundo miseriarum fui, sed non desperavi de misericordia Dei; siquidem anima mea peccatorum vulneribus saucia *sustinuit*, idest, expectavit medelam, *in verbo ejus*, idest, juxta promissionem ejus. Saepe enim Deus per Mosem in Deuter. et alibi promisit indulgentiam poenitentibus. *Cum quaesieris*, inquit Deuter. 4. *Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae.* Hinc ipse David in psal. 118. dicebat, *memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Quod autem paulo obscurius dixerat, iterum repetit verbis clarissimis dicens, *speravit anima mea in Domino*, nimirum indulgentiam se accepturam, quam petebat. Multum autem valere debet Davidis exemplum: fuit enim ipse in profundo miseriarum, sive culpam, sive poenam respicias; culpa ejus gravissima fuit, nam adulterium commisit, cum abundaret uxoribus; occidit militem innocentem, qui sibi fidelissime serviebat, offendit Deum, a quo acceperat regnum et donum prophetiae, item robur, pulchritudinem, prudentiam, divitias, etc. Sed etiam in profundo miseriae fuit quando persequebatur eum rex Saul, ut saepe in periculo mortis fuerit: tamen quia non desperavit, sed speravit potius, liberatus est.

6. *A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.*

Quod ego, inquit facio, totus Israel, idest, omnis populus Dei faciat; speret videlicet in Domino, cum in quocumque profundo fuerit: sive peccatis, sive peccatorum poenis prematur, in Dei adjutorio confidat. *A custodia matutina usque ad noctem*, idest, tota die, a summo mane, usque ad noctem extremam, ita ut nullo tempore desinat sperare in Domino. Dicitur autem *custodia matutina*, sive vigilia matutina, tempus aurorae: nam veteres dividebant noctem in quatuor partes, quarum quaelibet tres horas continebat: et dicebantur custodiae sive vigiliae, quia custodes, sive vigiles civitatum, vel castrorum tribus horis vigilando custodiebant civitatem sive castra, ac deinde tradebant alteri officium vigilandi, et custodiendi. *Custodia* igitur *matutina* est tempus a nona hora noctis usque ad exortum solis: in codice hebraico et graeco bis repetitur *custodia matutina:* et in hebraeo non habetur, *usque ad noctem.* Ex quo videtur latina vulgata editio partim esse mutila, partim redundans, cum non habeat bis, *a custodia matutina*, ut habet hebraica veritas; et habeat, *usque ad noctem* quod non habet eadem veritas hebraica. Sed si quis diligenter omnia consideret, videbit, lectionem latinae vulgatae editionis cum hebraica veritate plane congruere. Nam s. Hieronymus ex hebraeo ita reddidit, *a custodia matutina usque ad custodiam matutinam*, et vulgatus latinus interpres hoc ipsum significavit, cum posuit, *a custodia matutina usque ad noctem*: non enim dixit, a custodia matutina usque ad vesperam, quasi per diem tantum, et non per noctem sperare debeamus in Deo, sed *usque ad noctem*, totam videlicet, quae terminatur in custodiam matutinam, sive auroram, quae in evangeliis dicitur quarta vigilia noctis. Itaque idem est, ac si dixisset, a summo mane usque ad summam noctem, sive ab initio diei, usque ad finem noctis: et hoc modo acceperunt hanc sententiam, Chrysostomus, et Euthymius, qui scripserunt, admoneri hoc loco fideles, ut tota die, et tota nocte sperent in Domino. Ratio cur tota die et nocte sperandum sit, duplex est, una quia semper in periculis versamur, nec est momentum in quo Dei auxilio non egeamus: altera, quia in omni tempore licet sperare in Domino, et semper accepta est conversio et poenitentia, sive id fiat mane, idest, in adolescentia, sive in meridie, idest, in virilitate, sive ad vesperam, idest, in senectute, et sive fiat de die, idest, tempore prosperitatis, sive de nocte, idest, tempore adversitatis. Scio textum hebraicum paulo aliter distingui, quam textum graecum, vel latinum; sed quoniam id accidit ex punctis recens a Rabbinis additis, non est difficile, remotis punctis distinctionem eamdem in codicibus invenire. Fateor quidem graecos codices, qui habent, *a custodia matutina usque ad noctem*, *a custodia matutina speret Israel in Domino*, non omnino concordare cum codice hebraico, et cum latina vulgata editione: sed credibile est, in codice graeco aliquid redundare, quod forte relictum est et adjunctione alicujus alterius versionis ad versionem septuaginta Interpretum. Fortasse etiam variae sunt lectiones editionis graecae: nam Chrysostomus videtur omnino legisse in codice graeco, ut nos legimus in latino.

7. *Quod apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.*

Reddit rationem, cur oporteat semper in Deo confidere, et simul praedicit redemptionem generis humani, quae futura erat per Jesum Christum Dominum nostrum. Merito sperare possumus in Domino tota die, et nocte, quoniam apud ipsum *misericordia est.* Sunt quidem extra Deum opera misericordiae; unde dictum est, *misericordia Domini plena est terra*; et alibi, *misericordia tua usque ad nubes*; est etiam in piis hominibus participatio quaedam misericordiae, sed ipsa misericordia apud Deum tantummodo reperitur, inque solo ejus sinu requiescit: misericordia enim miserias tollit: quis autem potest miserias tollere, nisi qui miser esse non potest? quis potest defectus omnes curare; nisi qui defectu omni caret, omnipotens est? Deo soli proprie convenit, quod idem Propheta dicit, *tu Domine suavis, et mitis es, et multae misericordiae omnibus invocantibus te.* Itaque rectissime sancta mater ecclesia precibus Deum appellans dicere solet, *omnipotens et misericors Deus.* Neque solum sperare debemus in Deum, quoniam apud eum *misericordia est*, sed etiam quoniam apud eumdem *copiosa redemptio est*: nam misericordia Dei, quae generi humano misereri decreverat, ut ju-

stitiae quoque satisfaceret, invenit ipsa pretium magnum, sanguinem videlicet Unigeniti, qui redimeret copiosissime omnes omnino captivos: potuit enim homo seipsum vendere sub peccato, et a divina justitia subjici diabolo tamquam tortori, cui homo consenserat ad peccatum. Sed non potuit ullo modo seipsum redimere, neque de potestate diaboli eruere. Ergo quod homo non potuit, misericordia divina fecit, ut per sanguinem Unigeniti fieret. Sed haec redemptio apud Deum erat, cum psalmus iste scriberetur, idest, in consilio, et decreto Dei; nunc autem *misericordia Domini plena est terra*, quando quotidie pretium illud in redemptionem captivorum expenditur, unde ab Apostolo dicitur, *empti estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in corpore vestro*, 1. Cor. 6. et clarius a b. Petro, *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, et incontaminati Christi*, et Petri 1. Dicitur autem haec redemptio copiosa, tum quia *propitiatio est pro peccatis nostris: et non tantum nostris, sed etiam totius mundi* 1. Joann. 2. tum quia non solum hoc pretio redimimur a captivitate, sed etiam evehimur ad participationem haereditatis, et regni, ut sumus *haeredes Dei, cohaeredes autem Christi*: Rom. 8.

8. *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Redemptio, quae erat apud Deum, tum plane manifestabitur, cum redimetur Israel, idest, populus Dei, non ut Judaei carnales expectant a potestate regum temporalium, sed ab omnibus suis. Quod angelus de Jesu Christo exposuit, cum ad sanctum Joseph ait, Matth. 1. *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Haec redemptio jam quidem inchoata est, sed perfectissime complebitur in die novissimo liberabimur non solum a peccatis, sed etiam a poenis omnibus peccatorum, et a periculo deinceps peccandi, quod significavit David in psalm. 102. cum ait: *quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*; et initio psalmi, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui replet in bonis desiderium tuum*, etc. et perspicue Daniel cap. 9. *Ut consumetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna.*

PSALMUS CXXX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Cantat in hoc psalmo David humilitatis suae virtutem, et cantat non coram tribus, aut quatuor hominibus, sed in theatro orbis terrae; et tamen cum hoc sit vehementer se laudare, non fecit contra praeceptum illud Prov. 20. *Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua.* Siquidem, ut laudare se turpe est, cum absque necessitate id fit, sic non se laudare, quando necessitas id requirit, stultum est. Itaque b. Paulus, qui dixerat, *non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*; seipse mirifice commendavit in 2. ad Corint cap. 12. quia vidit id necessarium esse ad pseudo-Apostolorum calumnias retundendas. David igitur in hoc psalmo humilitatis virtutem sibi ipsi tribuit, quoniam saepe accusatus fuerat superbiae et ambitionis, a quo vitio maxime abhorrebat. Lib. 1. reg. c. 17. dicit ad eum frater ejus, *ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui*: lib. eodem cap. 22. et alibi saepe Saul queritur de Davide, quod illi insidiaretur; et lib. 2. reg. cap. 16. Semei maledicens Davidi, objicit ei, quod regnum Saulis invaserit. David igitur ad ejusmodi calumnias refellendas Deum vocat in testem summae suae humilitatis, ac modestiae singularis. Praeterea etiamsi nulla calumnia praecessisset, poterat humilitatem suam praedicare, non ut virtutes suas jactaret, sed ut ostenderet, se, quamvis robore, potestate, sapientia, et opibus omnibus hominibus sui temporis in Palaestina excelleret, tamen non in suis viribus fiduciam unquam posuisse, et ideo debere omnes alios ad ipsius exemplum in solo Deo sperare, ut in fine psalmi dicitur. Est autem hic psalmus ex gradualibus unus, quoniam docet in quo humilitas vera consistat, et nulla est via securior ad ascendendum humilitate, dicente Domino, *omnis qui se humiliat, exaltabitur.*

EXPLICATIO PSALMI CXXX.

1. *Domine non est exaltatum cur meum, neque elati sunt oculi mei.*

Securus Propheta, quod vera dicturus esset, Deum ipsum alloquitur, quem nemo fallere potest : dicit autem coram Deo se vitio superbiae numquam fuisse obnoxium, sive cor internum, sive signa oculorum externa considerentur. Multi enim occulte superbi sunt in corde suo, magni se aestimantes; tamen extrinsecus humilitatem simulant: multi etiam non minus elato supercilio despiciunt proximos suos, quam eos corde tumido atque inflato contemnant. David autem neque cor elatum, neque elatos oculos gerebat; sed erat humilis corde, et eam humilitatem oculos praeferebat.

2. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.*

Dixerit superbia cordis et oculorum: nunc addit de superbia verborum et operum : aliqui enim jactant, se posse facere, vel fecisse, aut esse facturos majora et mirabiliora, quam re vera possint, et hoc modo ambulant, sive ascendunt super se inter loquendum: aliqui etiam re ipsa praesumunt aggredi opera quae superant vires ipsorum, et isti ambulant, sive ascendunt supra seipsos opere et factis. David autem stabat in gradu suo, in vera humilitate fundatus, et ideo neque loquendo, neque operando ambulabat super seipsum in magnis et mirabilibus, id est, neque gloriebatur se magna et mirabilia fecisse supra vires suas; neque tentabat facere, quae sciebat se non posse perficere.

3. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.*
4. *Sicut ablactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea.*

Non contentus Propheta, ipsi Deo, qui corda scrutatur, dixisse, se ab omni superbia semper abhorruisse, idipsum confirmat juramento execratorio, ut tanto major fides ipsius verbis ab omnibus habeatur. Dicit igitur, *si non humiliter sentiebam* de me ipso, *sed exaltavi animam meam* ; vel ut significatus loquitur textus originalis, *si non composui me ad aequalitatem cum caeteris, sed supra caeteros me extuli. Sicut ablactatus est super matre sua*, idest, sicut infans recens ablactatus manet in sinu, vel super genua matris suae moestus et plorans, quia privatus est dulcedine lactis, quae pro illo tempore summae deliciae ipsius erant : *ita retributio in anima mea* sit, idest, sic anima mea privetur dulcedine consolationis divinae, quae meae potissimae, ac pene solae deliciae sunt. Quantum sit hoc supplicium, quod sibi Propheta sanctissimus imprecatur, soli illi intelligere possunt, qui eodem spiritu repleti gustaverunt, quam dulcis sit Deus. Quod enim David nihil facere opes, et delicias terrenas, et ipsam regiam celsitudinem, ac majestatem prae amore divinae suavitatis, psalmi ab ipso compositi, tamquam amatoria cantica, manifeste testantur: *quam magna*, inquit psalmo 30. *multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te?* et rursum psalm. 33. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*, et psalm. 26. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram, ne avertas faciem tuam a me:* et psalm. 76. *Renuit consolari anima mea, memor fui Deo, et delectatus sum:* et psalm. 85. *Laetifica animum servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi, quoniam tu Domine suavis et mitis:* et psalm. 103. *Ego vero delectabor in Domino:* et psal. 62. *In velamento alarum tuarum exultabo, adhaesit anima mea post te:* denique in psal. 72. *Quid mihi est in coelo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum*, et ibid. *Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Quasi dicat quaerant alii bona quaecumque, sive in coelo, sive in terra: *mihi adhaerere Deo*, summum est bonum, ipse Deus est *cordis mei*, ipse pars, haereditas, portio, omne meum bonum, ipse uno contentus sum, et in aeternum ero. Cum ergo David humilis, et simplex, quasi infans lactaneus, in lacte divini amoris omne suum bonum haberet, non poterat sibi majus aliquod malum imprecari, quam ut fieret sicut infans ante tempus ablactatus, qui consolationem nullam admittit cum se ab uberibus matris removeri videt. Quod attinet ad verba, illud, *si exaltavi animam meam*, ex hebraeo vertit s. Hieronym. *Si silere feci animam meam.* Sed septuaginta, non legerunt דוממתי *domamthi*, quod est, *silere feci*, sed, רוממתי *romamthi*, quod est, *exaltavi*: nam literae (d) et (r) in hebraeo simillimae sunt: neque dubitare debemus, quin libros correctiores habuerint septuaginta Interpretes, quam sanctus Hieronymus habuerit. Sic etiam, *ita retributio in anima mea*, s. Hieron. ex hebraeo reddit, *ita ablactata ad me anima mea.* Sed in hebraeo eadem vox, *ablactatum*, et *retributionem*, significat, punctis paulum immutatis: nam, גמל *gamal* est *ablactatus*, גמול *ghemul retributio*. Igitur septuaginta, ubi habetur, *ablactatus*, legerunt, *gamul*, ubi habetur *retributio*, legerunt *ghemul*: s. autem Hieronym. utrobique legit, *ghemul*: sed lectio septuaginta, cui concordat nostra vulgata editio, est longe melior, tum quia vix intelligi potest quid sit, *ita ablactata ad me anima mea*, tum quia secundum lectionem septuaginta habetur in hebraeo elegantissima allusio vocis retributionis ad vocem similem, *ablactati*.

5. *Speret Israel in Domino, ex hoc nunc, et usque in saeculum.*

Ex hac psalmi conclusione intelligi potest, quo tendat illa humilitatis praedicatio: non enim vir vere humilis propositum habuit se laudandi, sed admonendi populum suum, quam parum de se praesumere, et quam multum in Deo confidere debeat. Ait igitur, *speret Israel in Domino*, idest, si ego rex, et propheta non me efferre audeo, propter potentiam, et sapientiam, neque de me ipso praesumo, sed omnem spem meam in Deo collocatam habeo, certe par est, ut populus meus Israel, qui et-

iam populum Dei est, non se existimet aliquid esse,cum nihil sit,neque in viribus suis confidat,sed speret in Domino,et non hodie solum,aut cras,sed omni tempore speret.

PSALMUS CXXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Psalmum hunc vel Salomon composuit,cum aedificato templo intulit arcam Domini in locum ei praeparatum, vel certe compositum a Davide,sibique datum ad concinendum post templi aedificationem Salomon cecinit: id perspicuum est tum ex fine cap. 6. in 2. lib. Paralipom. tum ex tota serie hujus psalmi, ac praecipue ex illis verbis, propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Continet autem ad litteram Psalmus hic, primo commemorationem ardentissimi desiderii, quo tenebatur David aedificandi templi: secundo,petitionem ad Deum, ut stabiliatur regnum in domo David, ut sanctificentur ministri Domini,et alia id genus, juxta promissiones Dei, quas multis ante David acceperat.Numeratur hic psalmus inter graduales,tum quia cani debebat a populo redeunte a captivitate, ut excitaretur ad imitandum desiderium Davidis,et diligentiam Salomonis in templo reaedificanto; tum, ut admoneatur spiritualis peregrinus quando fervore flagare debeat in aedificando spirituali templo, tum in corde suo,tum in coelesti Jerusalem, cum pro templo lapideo, in quo arca lignea locum quietis acceptura erat, tam ingenti desiderio arserit cor Davidis, et sumptus propre infinitos fecerit Salomon, et tantos labores susceperint longissimo tempore multa hominum millia.Nam ut legimus in lib. 3. reg. cap. 5. Erant octoginta millia latomorum, et septuaginta millia portantium onera, et tria millia trecenti praefecti operum.Neque tamen supervacanea, aut nimia dicenda sunt, cum ad illius honorem pertineant, cujus magnitudinis non est mensura, vel finis.

EXPLICATIO PSALMI CXXXI.

1. *Memento Domine David,et omnis mansuetudinis ejus.*

Verba Salomonis haec sunt, qui Deum orat per merita patris sui David. *Memento*, inquit, Davidis amici tui,et meritorum ejus,inter quae praecipuum fuit studium mansuetudinis. Illud, *memento*, non arguit oblivionem in Deo,sed significat Deum,quando non miseretur filiorum viri justi, ita se gerere quasi non recordaretur,quid apud se vir ille justus meruerit.Nihil igitur isto modo loquendi significatur, nisi Deum orari velle per merita hominum justorum: et propter eadem merita multa concedere, quae alioqui minime concessisset: id cognosci potest ex lib. 3. reg. cap. 11. ubi Deus per Prophetam loquitur ad Hieroboam, ac dicit, se valde irritatum esse peccatis Salomonis, sed tamen conservaturum illi regnum omnibus diebus vitae suae *propter David servum suum,qui custodivit mandata, et praecepta sua*: ex quo loco apparet, orationem hujus psalmi fuisse exauditam. Meminit autem Salomon mansuetudinis Davidis, omissis aliis virtutibus, tum quia mansuetudo in Davide potissimum elexit,ut patuit ex eo,quod noluit Saulem occidere, cum posset,cum tamen ab eo sine ulla causa quaereretur ad mortem, lib. 1. reg. cap. 24. tum etiam quia mansuetudo mirabiliter placet in oculis Dei, quia individua comes est humilitatis, et charitatis, et quia similem facit hominem Deo, qui *suavis, et mitis est, et multae misericordiae omnibus invocantibus eum*,psalm.75. Itaque ante Davidem,Moses amicus Dei maximus fuit,quia *mitissimus erat super omnes homines*. Numer 12. et post Davidem Christus Dominus, plenus gratia, et veritate, non aliam virtutem magis in se imitandam esse docuit, cum ait,*discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*,Matth.11. Neque repugnat mansuetudini Davidis, vel Mosis, quod uterque multos homines occiderit, neque mansuetudini Christi, quod ejecerit ex templo ementes et vendentes,mensasque eorum subverterit: nam mansuetudo non est contraria justitiae, imo soror est zeli honoris Dei; et qui facile tolerat injurias proprias, quod est mansuetudinis, aptior est ad vindicandas injurias Dei, et proximi, tum quia omnes vident eum non moveri ex affectu proprio, sed ex solo justitiae zelo, tum quia oblitus quodammodo sui, totus occupari potest in Deo honore quaerendo, et propugnando. Sanctus

Hieronymus ex hebraeo vertit, *Memento Domine David, et omnis afflictionis ejus.* Sed vox hebraica, עניתו *hunnotho*, quam hebraei, *humiliari eum*, reddere solent, potest cum aliis punctis legi, ענותו *hanvatho*, quod significat, *mansuetudinis ejus*: et sic legerunt septuaginta interpretes.

2. *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.*
3. *Si introiero in tabernaculum domus meae, si ascendero in lectum strati mei.*
4. *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem.*
5. *Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*

Effectum exponit Salomon mansuetudinis et humilitatis David patris sui: quoniam enim mitis erat, et humilis corde, indignum putabat, ut ipse haberet domum ad habitandum, et lectum ad quiescendum; et arca Dei non haberet sedem stabilem, templum videlicet, in quo honorifice permaneret, sed huc et illuc transferretur: propterea juravit, et vovit, se non intraturum domum suam, nec in lectum ascensurum, imo etiam neque extra lectum dormiturum, aut quietem ullam capturum, donec inveniret locum quietis arcae Dei. Quando David hoc votum voverit, non habetur expresse in divinis litteris, sed tamen colligi videtur ex lib. 2. reg. cap. 7. ubi David dicit ad Nathan Prophetam, se constituisse aedificare templum Domino, eo quod erubesceret ipse habitare in *domo cedrina*, dum arca Dei manet in tentorio. Sed eadem nocte jussit Deus per Nathan significari Davidi, non velle, ut ipse aedificaret templum, sed hanc provinciam filio suo relinqueret; quod ipsum repetit ipse David in 1. lib. Paralip. cap. 22. et 28. Sed quaestio est, quid proprie David voverit. Qui hebraeos sequuntur, existimant, Davidem ignorasse, ubi Deus vellet sibi erigi templum, et ideo vovisse se non acceptarum ullam quietem, donec sibi a Deo locus templi revelaretur; ac ne nimis longo tempore cogant Davidem extra domum sub dio mane; addunt, hoc votum susceptum fuisse a Davide, quando vidit angelum percutientem populum, et illo ipso die revelatum ei fuisse per Gad Prophetam velle templum sibi aedificari in area Areunae Jebusaei in monte Moria. reg. 24. Sed ista sine fundamento dicuntur, et ad fabulas Rabbinorum fortasse rejici possunt: non enim de situ templi, sed de ipso templo aedificando sollicitus erat David: neque vovisset quod non erat in sua potestate, quale est, habere Dei revelationem; sed quod ipse praestare poterat suo sumptu, et labore. Quando igitur dicit, *Donec inveniam locum Domino*, per *locum* non intelligitur situs, sed templum, quod erat futurum locus, idest, habitaculum Dei: quod explicatur per vocem sequentem, *tabernaculum Deo Jacob*, idest, donec tale templum extraxero, ut in eo digne possit arca Domini collocari. Verum est quidem situm templi fuisse a Deo demonstratum Davidi, ut dicitur in 2. Paral. cap. 3. sicut etiam demonstrata fuerant omnia, quae ad templum pertinebant, ut dicitur 1. Paral. 28. *omnia*, inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me*: sed nulla fit eo loco mentio juramenti, aut voti; neque vero si David juravit, se non ingressurum in domum suam, donec estrueret templum, periculum erat ne nimis diu pernoctaret sub dio; verba enim illius juramenti amplificationem continent Scripturae divinae familiarem: proprie autem significant sollicitudinem magnam rei faciendae. Simile est illud in 1. psal. *Sed in lege ejus meditabitur die ac nocte*: et illud psal. 33. *Benedicam Dominum, in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*: et clarius Isai. 62. *super muros tuos constitui custodes. tota die, et tota nocte in perpetuum non tacebunt*: et Prov. 6. praescribit Salomon talem sollicitudinem ei, qui promisit aliquid proximo suo, qualem hoc loco tribuit Davidi dicens, *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis nec dormitent palpebrae tuae.* Simile est illud in testamento novo, *oportet semper orare et numquam deficere.* Luc. 18. et cap. 21. *Vigilate itaque omni tempore orantes.* Neque enim ista significant, omni hora, et omni momento esse orandum, sed habendam esse orationem in maximis negotiis, et non permittendum, ut ab aliis terrenis occupationibus impediatur. Sic igitur juramentum illud intelligimus, *si introiero in tabernaculum domus meae*, idest, *juro me non intraturum in domum* meam, ita ut obliviscar domus Dei aedificandae. *Si ascendero in lectum strati mei*, idest, juro me non ascensurum in lectum strati mei, ita ut non cogitem de lecto, idest, de loco templi ubi proprie arca Domini requiescat. *Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem*, id est, juro, me non dormiturum neque dormitaturum, ita ut non vigilem circa templum Domini erigendum: *et requiem temporibus meis*, id est, juro, me non compositurum caput meum ad quiescendum, ita ut quiescam a sollicitudine domus Domini praeparandae. Quod juramentum, et votum, quod in se fuit, accuratissime adimplevit, ut intelligi potest ex verbis ejus, 1. Paralip. 29. *Ego*, inquit, *totis viribus meis praeparavi impensas domus Domini Dei mei: aurum ad vasa aurea. argentum in argentea, aes in aenea ferrum in ferrea, lignum in lignea; et lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem et marmor parium abundantissime, et super haec, quae obtuli in domum Dei mei, de peculio meo aurum, et argentum do in templum Dei mei, exceptis his, quae praeparavi in aedem sanctam, tria millia talenta auri de auro ophir, et septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi.* Ac praeter has ingentes opes, paravit etiam idem David descriptionem omnium partium templi, atriorum, porticuum, coenaculorum, exedrarum, et similium rerum, ac praeterea omnium ornamentorum, ut habetur 1. Paralip. cap. 28. Haec omnia typi fuerunt, ac figurae veri Davidis Christi, qui ut templum vivum, et tabernaculum aeternum Deo pararet, pernoctans in oratione, vere non intrabat in domum suam, neque ascendebat in lectum suum, neque dabat oculis somnum, neque temporibus requiem; *et non corruptibilibus auro, vel argento*, sed pretioso sudore, ac sangui-

ne pretiosissimo paravit sibi *gloriosam ecclesiam non habentem maculam, neque rugam*, et civitatem illam aedificavit in coelis, quam vidit s. Joannes in Apocalypsi ornatam *omni lapide pretioso*. Apocal. 21. Ex his denique unusquisque nostrum intelligere debet, quanta vigilantia, sumptu, et labore sit opus, ut in corde nostro templum Domino erigamus.

6. *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvae.*

Adfert rationem, cur David optaverit templum Domino aedificare; quoniam arca Domini sedem propriam, et stabilem non habebat. *Ecce*, inquit, *audivimus eam*, arcam videlicet, *fuisse in Ephrata*, idest, in terra Ephraim, quando videlicet erat in Silo tempore Samuelis 1. reg. 4. deinde *invenimus eam in campis sylvae*, 1. reg. 6. quando dimissa a Philisthaeis inventa est in agro Josue Bethsamitae, quem esse locum sylvosum perspicuum est ex proxima civitate Cariathiarim, quo fuit transportata ex agro Josue: nam *Cariathiarim* dicitur civitas sylvarum; sed singula verba consideremus: per pronomen, *eam*, dicimus significari arcam, ut Chrysostomus, Euthymius, et alii docent, tametsi enim antea nominata non fuerit, tamen significata est implicite in illis verbis, *Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*; neque enim Dominus, et Deus Jacob eget loco pro se, sed pro arca sua, in qua ipse tamquam in sede sua manere, vel tamquam in scabello pedes habere videbatur, cum inde responsa daret. Quod autem s. Hieron. reddit ex hebraeo, *audivimus eum in Ephrata, invenimus eum in campis sylvae*, nos movere non debet. Nam fieri potest, ut s. Hieron. inciderit in textum corruptum: nunc enim in hebraeo habetur *eam*, non *eum*, ut etiam in codice graeco, et latinis omnibus, et graeco, et hoc modo patres legunt. Per vocabulum *Ephrata*, exposuimus terram Ephraim, in qua erat Silo, ubi longo tempore mansit arca: quamvis enim *Ephrata* in uno, vel in altero loco Scripturae significet Bethlehem, tamen hoc loco non potest Bethlehem significare, cum in ea non legatur unquam fuisse arca Domini, et cum minore fundamento alii quidam per *Ephrata*, hoc loco intelligi volunt Jerusalem, quod non longe absit a Bethlehem. Per *campos sylvae*, non desunt qui intelligant arcam Ornan Jebusaei, quae erat in monte Sion, quos irridet s. Hilarius, quia nihil simile habeat arca cum sylva. Alii intelligunt Cariathiarim, quae interpretatur *civitas sylvarum*: sed scriptura non dicit, inventam fuisse arcam in civitate, sed in campis; et verbum, *invenimus*, significat casu inventam, cum esset amissa: cum autem esset in Cariathiarim, non erat quaerenda, vel invenienda tamquam amissa, cum in ea civitate studiose collocata fuisset. Respicit igitur Scriptura, ut nos diximus, ad illud tempus, quo arca jam dudum a Philisthaeis capta inventa est in agro Josue Bethsamitae, quo eam detulerant vaccae indomitae, quibus a Philisthaeis fuerat alligata. Verba illa, *audivimus*, et *invenimus*, volunt quidam significare, arcam fuisse in Silo ante tempora Davidis, sed Davidis tempore fuisse in Cariathiarim: ideo enim de priore mansione dictum esse *audivimus*, quia non ipse viderat, sed a majoribus acceperat: de posteriore dictum esse *invenimus*, quia tempore suo id acciderat. Sed nos existimamus non esse verum, Davidis tempore fuisse arcam inventam *in campis sylvae*: fuit enim eo loco inventa post septem menses a captivitate sua, ut patet ex lib. 1. reg. cap. 6. quo tempore David nondum natus erat, ut ex collatione temporum manifeste colligitur. Itaque verba illa non dicuntur a Davide, vel a Salomone in persona sua, sed in persona populi, et idcirco dicitur in numero multitudinis, *audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvae*, q. d. audivimus a majoribus nostris arcam aliquando fuisse in Silo, in terra Ephraim, et rursum postea invenimus, et vidimus eam *in campis sylvae*; non enim deerant senes, qui ejus rei meminisse potuissent: ex quo refellitur argumentum, quo nonnulli demonstrari putant, hunc psalmum non fuisse compositum a Salomone, quia videlicet ipse nondum natus erat, quando arca inventa est in campis sylvae. Si enim hoc argumentum concluderet, demonstraretur etiam; Psalmum non fuisse a Davide compositum: nam neque ipse natus erat, quo tempore arca Dei reperta est in campis sylvae.

7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.*

Exposito voto et desiderio patris sui Davidis, reducturus Salomon arcam in templum a se aedificatum, ait, *introibimus in tabernaculum ejus*, id est, fuit hactenus Dominus quasi hospes in variis locis, sed nunc habebit stabilem domum, et ideo nos introibimus *in tabernaculum ejus*, jam erectum, et constructum in monte Sion, et *adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*, idest, adorabimus conversi ad arcam sanctam, quae est scabellum, ubi steterunt, ac stare solent pedes ejus. Sic enim sanctuarium in interiore parte tabernaculi constructum erat ut arca esset quasi *scabellum pedum Domini*, et super arcam esset propitiatorium, quasi sedes Domini, quae tenebatur a duobus Cherubin. Itaque illud, *adorabimus in loco*, positum est pro, adorabimus ad locum, vel adorabimus locum ut in hebraeo clarius est, *adorabimus scabellum pedum ejus*. Adorabant enim hebraei arcam, non ut Deum, sed ut scabellum pedum ejus unde dicitur etiam in psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Est autem hoc loco notandum, verbum *adorandi* in hebraeo, ישתחוה *istachave*, proprie significare: *incurvare* se, et ideo construi cum dativo, vel cum accusativo addita praepositione, *ad*, ut incurvate vos arcae, vel ad arcam: et non recte diceretur incurvate vos arcam; et haec est ratio, cur aliquando interpretes vertant, *adorate ad scabellum*, aliquando, *adorate scabellum*, quia aliquando servant phrasim hebraicam, aliquando latinam.

8. *Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.*

Introducturus Salomon arcam in templum magnificentissime aedificatum poetico more eam invitat ad templum ingrediendum, et inhabitandum. *Surge*, inquit, Domine de loco, ubi hactenus, quasi hospes habitasti, et ingredere in domum tuam propriam, in qua deinceps requiesces, idest, unde non transibis de loco ad locum, ut usque modo fecisti. Explicat autem se loqui Domino, non ut est in se, sic enim coeli coelorum Deum non capiunt, ut idem Salomon alibi dicit, sed ut peculiari modo in arca testamenti erat, quia ex illa responsa dabat, et ideo addit, *tu et arca sanctificationis tuae*, idest, tu cum throno tuo, et scabello pedum tuorum: quod scabellum est arca sanctificationis tuae, idest, arca in qua, et per quam tu ab omnibus qui illam sciunt sanctificaris, et honoraris. In hebraeo habetur, *arca fortitudinis tuae*, et hoc modo legitur in 2. Paralip. cap. 6. non solum in textu hebraico, sed etiam in graeco, et latino. Videntur igitur septuaginta interpretes hoc loco voluisse non tam reddere verbum verbo, quam explicare sententiam. *Arca* enim *fortitudinis Dei* dicitur, quia per eam ostendit Deus fortitudinem suam; nam Josue 3. cum arca intrasset Jordanem, portantibus eam sacerdotibus, continuo aquae Jordanis conversae sunt retrorsum; item Josue 6. cum arca septies civitatem Hiericо circuisset, muri Hiericо corruerunt. Item libro primo reg. cap. 5. cum arca capta fuisset a Philisthaeis, et posita in templo idoli Dagon, mane sequenti inventus est Dagon jacens pronus in terra coram arca, et quocumque circumferretur arca a Philisthaeis, interficiebat innumerabiles homines, ita ut Philisthaei dicerent, *non maneat apud nos arca Dei Israel, quia dura est manus ejus super nos, et super Dagon Deum nostrum.* Denique Bethsamitae cum arcam Dei ad se delatam curiose inspexissent, occisi sunt supra quinquaginta millia ex ipsis, ut habetur lib. 1. reg. cap. 6. et cum Oza teligisset arcam Dei, continuo a Deo occisus est, 2. reg. cap. 6. Sed haec ipsa fortitudo Dei, quae per arcam demonstrabatur, efficiebat, ut Deus ab omnibus sanctificaretur, timeretur et honoraretur. Siquidem Bethsamitae cum interficerentur ob arcam Dei a se visam, dixerunt, *quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* in idem igitur recidit, *arca fortitudinis tuae*, ut habetur in hebraeo, *et arca sanctificationis tuae*, ut habetur in codice graeco et latino.

9. *Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultent.*

Introducta jam arca in templum, orat Salomon primo pro sacerdotibus, secundo pro rege, idest, pro se: nam ab his dependet salus totius populi. Sacerdotes enim regunt populum in spiritualibus, et reges in temporalibus. Pro sacerdotibus duo quaedam postulat, ut sint justi et sancti, quales esse debent, ut recte funganlur officio suo, et ut alacriter Deum laudent, quod est proprium eorum munus. Debent enim pro se, et pro toto populo reddere Deo tributum laudis et gratiarum actionis pro beneficiis, quae omni tempore accipimus a Deo et gratias agendo, ac laudando benefactorem, provocare benignitatem ad continuanda et augenda beneficia. Dicit igitur, oro Domine, ut per gratiam tuam *sacerdotes tui induantur justitiam*, idest, non solum justi sint intus in corde, et animo, sed etiam exterius in omni eorum vita, in verbis et operibus cernatur justitia, et nihil turpe in eis appareat, qui tibi ministraturi et populum tuum docturi sunt. Metaphora enim indumenti ad hoc adhibetur, ut intelligamus quemadmodum vestis tegit turpitudinem, et ornat hominem, ac distinguit a ceteris: ita debere sacerdotes per opera justitiae id efficere, ut nihil turpe in eis appareat, et per eximiam sanctitatem discernantur a reliquo populo, et non possit dici, *sic populus, sic sacerdos. Et sancti tui exultent*, idest, et iidem sacerdotes, qui sancti tui proprie sunt, cum ad ministrandum tibi sanctificati, et dedicati sunt exultent alacriter laudando te, et sic bene fungantur munere suo. In hebraeo habetur, *et sancti tui laudent te*, sive jubilent tibi: ex quo intelligimus, exultationem, quam in nostro textu habemus, ex graeco non esse quamcumque exultationem, sed exultationem in laudando Deo, et gratias agendo illi, sive dum sacrificant sive dum psallunt. Et si tanta justitia et sanctitas, et alacritas requirebatur in sacerdotibus illis, qui sacrificabant oves et boves, et laudabant Deum pro temporalibus beneficiis; quid quaeso requiritur in sacerdotibus illis, qui sacrificant divinum agnum, et gratias agunt pro beneficiis sempiternis? vae nobis miseris, qui ministerium altissimum sortiti, tam procul absumus a fervore, quem Salomon in umbraticis sacerdotibus exigebat.

10. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.*

Orat nunc pro rege, idest, pro se, Salomon, et ut facilius impetret, adducit merita patris sui David. Orat autem, ut quandocumque accesserit ad precandum Deum, Deus exaudiat orationem ejus. *Propter David*, inquit, *servum tuum*, idest propter fidele obsequium, quod tibi praestitit pater meus dum in terris vixit, *ne avertas faciem Christi tui*, idest, non facias, ut ego, qui loco patris mei unctus sum in regem populi tui, confusus recedam a te, rejecta videlicet prece mea, et eo modo facias me avertere faciem meam a te. Quod enim *avertere faciem orantis*, sit eum non exaudire, sed confusum dimittere, perspicuum est ex lib. 3. reg. cap. 2. ubi cum mater Salomoni dixisset, *petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam*: respondit Salomon, *pete mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Sed quamvis haec vera sint, tamen videor mihi altiorem sensum in his verbis videre. Omne bonum nostrum in duplici respectu positum est, in respectu pio Dei ad nos, et in respectu nostro pio ad Deum, ut videlicet ille nos patris pietate respiciat, et nos illum filiorum pietate respiciamus; mutuus enim iste pietatis aspectus fons est et origo bonorum omnium, sed prior est respectus Dei, et ab

illo respectus noster oritur. *In hoc* (inquit Joan. in prima Epistola cap. 4.) *est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Itaque Deus dum nos diligit, facit etiam nos diligere, et dum nos respicit ut filios, facit, ut eum respiciamus ut patrem: quamvis autem nos peccando, libere avertamus faciem a Deo; tamen si Deus respicere nos voluerit, et misereri; respiciendo, et miserendo faciet, ut peccare non libeat, et ut faciem a Deo non avertamus; vel si averterimus, iterum convertamus. Quo modo Luc. 22. quando conversus Dominus respexit Petrum jam aversum, continuo illum convertit, ita ut *egressus foras amare fleverit*: atque hoc est, quod David orat in psalm. 24. *Respice in me, et miserere mei*; at hoc loco Salomon, *ne avertas faciem Christi tui*, idest, ne sinas averti a te faciem meam, quod facies si non avertis a me faciem tuam.

11. *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

Hic jam incipit commemorare promissiones factas a Deo Davidi patri suo, ut iis commemoratis facilius impetret quod petit, cum quasi debitum reposcere videatur. *Juravit*, inquit, *Dominus David veritatem*, quasi dicat, juravit David Domino, se domum illi aedificaturum, et Dominus vicissim juravit Davidi se regnum in domo ejus in sempiternum stabiliturum: Deus enim vinci se liberalitate non patitur, et non solum opera, sed etiam voluntates, et desideria cumulatissime remuneratur. *Juramentum* Dei significat rei immobilitatem, et hoc loco praesertim, ubi dicitur, *juravit David veritatem*, idest, rem per se veram ex Dei promissione, certiorem et firmiorem reddidit juramento. Addit postea aliam firmitatem, dicens, *et non frustrabitur eum*, idest, non faciet irritum juramentum, quod alias dicere solet, *juravit Dominus, et non poenitebit eum.* Quo loco recte admonet s. August. poenitentiam in Deum cadere non posse, sed metaphorice dici, *poenitere*, quando rem aliquam mutat; non poenitere, quando non mutat, sed stabilem et firmam esse decernit. Ponit exemplum ex lib. 1. reg. cap. 15. ubi Dominus dicit, *poenitet me, quod constituerim Saul regem*: et in eodem capite dicit Samuel, Deum non esse ut hominem, *ut poenitentiam agat.* Ergo, inquit Augustinus, cum Deus immutabili suo consilio aliquid mutat propter ipsam rei, non consilii, mutationem, *poenitere* dicitur. Neque multum refert quod in hebraeo et graeco legatur, *non frustrabitur eam*, idest, veritatem promissam, et in latino *textu* legamus, *non frustrabitur eum*, idest, Davidem, ut legit etiam s. Hilarius: nam sensus est idem. Pergit Salomon, ac docet, quae sit veritas promissa, et juramento confirmata a Deo, et ait, *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, idest, dabo tibi successorem in regno filium tuum: quae verba videntur intelligenda ad litteram de Christo, non de Salomone, nisi forte de Salomone dicantur, ut typum Christi gerebat: nam de hoc eodem juramento dicitur in psal. 88. *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus in aeternum manebit et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.* Itaque illud *ponam*, cum dicitur, *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, non significat simpliciter, *ponam*, sed *constituam*, et *firmabo*: quae certe Salomoni non conveniunt: adde, quod b. Petrus Act. 2. dicit de Davide, *propheta cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus; providens loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Ubi s. Petrus unam scripturam psalmi quintidecimi exponit ex alia psalmi centesimi trigesimi primi, quem nunc explicamus. Atque hoc est, quod Luc. 1. angelus dicit ad Virginem, *dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum.*

12. *Si custodierint filii tui testamentum meum et testimonia mea haec, quae docebo eos.*
13. *Et filii eorum usque in saeculum sedebunt super sedem tuam.*

Juramentum et promissio sine poenitentia, est de uno filio, idest, de Christo, cujus regni nullus unquam erit finis: sed de aliis filiis promissio conditionata est, idest, *si custodierint testamentum*, hoc est, foedus Domini de non habendis Diis alienis; et si custodierint *testimonia*, idest, praecepta Dei, *sedebunt super sedem tuam*; sin minus projicientur. Sic enim expressius dicit ipse David Salomoni, 1. Paralipom. 28. *Si quaesieris Dominum, invenies eum: si autem dereliqueris eum, projiciet te in aeternum;* et paulo ante de eodem Salomone dicit Deus, *firmabo regnum ejus usque in aeternum, si perseveraverit facere praecepta mea et judicia, sicut et hodie*, et in psal. 88. ubi legimus, *si dereliquerint filii ejus legem meam, visitabo eos in virga virorum*, non addit, *misericordiam meam non dispergam ab eis;* sed non *dispergam ab eo*, idest, a Davide, quia videlicet thronus David erit firmus jugiter, propter aeternum Christi regnum, etiamsi regnum terrenum Salomonis, et Roboam, et similium deficiat, et destruatur. Quod attinet ad verba, in hebraeo pro *testamento*, est, *pactum*, sive *foedus*; sed septuaginta vertere solent illam vocem hebraicam, בְּרִית *berith*, per vocem graecam διάθηκην, quae *testamentum* significat, nec solum septuaginta, sed etiam b. Paulus ad rom. 9. ad Galat. 4. et alibi *testamentum* vocat, quod hebraei dicunt *foedus*. Verisimile igitur est, vocem illam hebraicam utrumque significare, vel etiam praecipue *testamentum*: major enim fides habenda est septuaginta interpretibus, quam Rabbinorum dictionariis: constat autem ex sancto Hieronymo in cap. 2. Malachiae, septuaginta interpretes semper vertisse, *testamentum*. Fortasse autem divina providentia voluit, ut in ecclesia extarent duo ista vocabula *testamenti*, et *pacti*: quoniam re vera pactum Dei cum populo non est simplex pactum, sed habet conditiones testamenti, cum sit pactum de haereditate danda, et

quod non habuit vim, nisi intercedente morte testatoris Christi, ut dicitur Hebr.9. ad hoc enim significandum Moses aspersit sanguinem cum pactum nomine Dei cum populo sancivit, Exod. 24. Et praeterea testamentum hoc non est simplex testamentum, sed habet rationem pacti, cum requirat conditionem de observantia mandatorum, et perseverantia in fide.Est igitur testamentum simul et pactum. Illud autem, *usque in saeculum*, non conjungitur cum,*sedebunt super sedem tuam*,sed cum verbis praecedentibus, *si custodierint filii tui, et filii eorum*, ut aperte colligitur ex textu hebraico. Igitur sensus est. Si filii tui. et filii eorum custodierint pactum, et praecepta usque in saeculum, idest, si perseveraverint in timore Dei, non deturbabuntur a solio regni tui; si autem non perseveraverint,regnum ipsorum ad alios transferretur, ut factum est, et experientia docet.

14. *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.*
15. *Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Possent aliquo modo haec accommodari ad arcem, sive civitatem Sion terrenam, ut figura erat Ecclesiae nunc militantis et postea triumphantis: elegit enim Deus civitatem illam pro tempore, ut esset civitas regia, et sacerdotalis, ita ut ibi esset thronus regius et etiam templum Domini. Sed tamen quia brevi diruenda erat, et evertenda et regnum ex ea tollendum, et templum ipsum incendendum, dicendum est, haec pertinere ad ecclesiam, quae est regnum Christi, et ipsa est Jerusalem, et Sion de qua dicitur in psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, et continuantur haec verba cum illis, *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eum,de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, idest, juravit Davidi,se positurum,et stabiliturum filium ejus Christum super fidem ejus quae est Sion, quae ideo dicitur civitas David,quia *elegit Dominus Sion*, idest, ecclesiam, in habitationem suam perpetuam; et de ea dixit, *Haec requies mea in saeculum saeculi*, idest, non deseram unquam hanc ecclesiam, sed in ea perpetuo requiescam,quoniam transferam eam ad perfectam beatitudinem in coelis,et ibi habitabo in ea in sempiternum, quoniam firmissimo, atque aeterno decreto elegi eam. Dicitur autem Deus *requiescere*, ut s. Augustinus notat, quando facit nos requiescere: tunc autem perfecte requiescemus, quando pars ecclesiae peregrinans in terris perveniet ad eam partem, quae gloriosa triumphat in coelis.

16. *Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.*

Hic versiculus cum sequentibus, promittit civitati David, quae est Sion, multa bona,quae utcumque applicari possunt terrenae civitati, ut figura erat ecclesiae: sed ipsi ecclesiae proprie et perfecte conveniunt. Primum igitur promittit abundantiam rerum temporalium tantam, ut etiam viduae, quae solent esse maxime destitutae, et alii pauperes satiari possint: benedictio enim Dei abundantiam in scripturis significare solet.Sed haec abundantia in sensu altiore significat copiam cibi spiritualis verbi Dei, et sacramentorum,quibus abundant filii ecclesiae, illi praesertim,qui sunt spiritu pauperes. Antiqua haereticorum calumnia occurrit hoc loco breviter refellenda. Ridet enim Calvinus editionem nostram vulgatam, quod pro,*victu*, substituerit, *viduam*.Dicit enim presbyterum aliquem lusciosum existimasse c, et t, esse unum, d, et sic pro *victum*, legisse, *vidum*, et quia *vidum* nihil significat, addidisse, a, et fecisse viduam;et neminem fuisse in ecclesia nostra qui hanc corruptionem advertere potuerit. Sed facile est calumniam refutare. Latinus enim Interpres rectissime vertit, quod invenit in graeco: in graeco autem sine dubio invenit, χήραν,quod viduam significat omnium consensu: neque solus noster Interpres in graeco legit, χήραν, sed etiam Patres,Hilarius,Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Prosper, Cassiodorus, et alii. Immo s. Hilarius meminit utriusque lectionis, et contendit veram lectionem esse, *viduam*,et sic lectum fuisse antequam Christus nasceretur. Verum quidem est in hebraeo non haberi *viduam*, sed *venationem*, vel *victum*, neque ullam esse similitudinem literarum, ob quam suspicari quis possit illos scripsisse *viduam* : siquidem vidua Hebraice dicitur, אלמנה *almana*, et *victus*, seu *venatio* dicitur, צידה *tzeda*, et hanc vocem in omnibus codicibus invenimus: sed in graeco idiomate magna similitudo literarum est inter χήραν, quod significat *viduam*, et θήραν, quod significat *victum*.Igitur necesse est,vel in hebraeo mutatum esse textum, et septuagiuta legisse longe aliter, quam modo se habet: et haec sententia s. Hilarii est. vel in graeco textu esse corruptionem factam vitio scriptorum. quia unam literam legerunt pro alia, ut sanctus Hieronymus putat. Sed in sensu nulla fere diversitas est, cum per utrumque vocabulum significetur, abundantiam ciborum fore in civitate Dei. Et quoniam, ut idem Hieronymus dicit, usus obtinuit, ut legeretur, *vidua*, non est lectio latina ullo modo mutanda,cum non a luscioso sacerdote, ut Calvinus dicit, sed a veneranda antiquitate ortum habuerit.

17. *Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exultatione exultabunt.*

Alterum bonum sanctae civitatis erit, quod sacerdotes ejus sanctitate, et justitia conspicui erunt. Salus enim animae justitia est, sicut morbus animae iniquitas est: et quia precatus fuerat Salomon,ut sacerdotes induerentur *justitiam*,ideo nunc Deus dicit se id effecturum,ut sacerdotes induantur *salutari*, idest, salute, quae est eadem cum justitia, cum de salute spirituali agatur. Fortasse etiam aliore sensu per *salutare*, intelligitur hoc loco Salvator Christus,ut in Cantico Simeonis, *quia viderunt oculi mei salutare tuum*,et ab hoc loco psalmi accepit fortasse b. Paulus modum illum loquendi ad rom.13.*induimini Dominum Jesum Christum*, idest, facite ut in vestris moribus

conspiciantur sanctitas, et justitia Christi. Illud autem, *et sancti ejus exultatione exultabunt*, respondet ei quod antea dictum erat, *et sancti ejus exultent*: nam ut eo loco per exultationem intelligebatur laus Dei cum alacritate: ita hic quoque intelligitur; et ut ibi per sanctos intelligebantur sacerdotes, ita hic. Eadem enim verba sunt in textu hebraico in utroque loco.

18. *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.*

Tertium bonum, et quidem maximum sanctae Sion erit, quod ibi orietur regnum David: nam pro voce, *illuc*, in hebraeo et graeco est, *ibi*. Accipiendum est igitur, *illuc*, pro, *illic*, idest, in Sion. Per, *cornu*, significatur metaphorice potestas, et excellentia regia: ut enim cornu est durissimum, et elevatum, ita regia dignitas est potens, et supereminens. Significatur autem ad litteram per *cornu David*, regnum Messiae, quod erat inchoandum in Sion, et inde per totum mundum propagandum. Explicuit hoc Zacharias in suo Cantico Luc. 1. cum ait, *erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui*; et idem praedixerunt omnes prophetae. Isaias cap. 9. *Super solium David, super regnum ejus sedebit, ut confirmet, et corroboret illud usque in aeternum.* Hierem. cap. 23. *Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium, et justitiam.* Ezechiel cap. 1. non solum praedicit regnum Christi, sed etiam currum ejus triumphalem, qui vehebatur a quatuor animalibus, homine, leone, vitulo, et aquila: quae sunt quatuor Evangelistae. Daniel cap. 2. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur.* Zach. cap. 9. *Exulta satis filia Sion, ecce rex tuus venit tibi justus, et Salvator, ipse pauper; et ascendens super asinam*, etc. Ex quo manifeste apparet, non posse intelligi versiculum istum psalmi de Salomone, nec de regno ejus; tunc enim Salomon regnabat, hic autem de futuro dicitur, *illuc producam*, idest, oriri faciam, et quasi germinare cornu David: quasi aperte praediceret eversionem regni temporalis, quod tunc vigebat, et suscitandum postea in eadem civitate regnum aeternum Messiae. Quod autem sequitur, *paravi lucernam Christo meo*, potest duobus modis intelligi. Primum enim per *lucernam* potest intelligi Messiam, et per *Christum* David: Scriptura enim passim vocat *lucernam* filium, sive posteros; nam in filiis parentes vivunt, et lucent: vide lib. 3. reg. cap. 11. et 15. et tunc sensus erit, *illuc producam cornu David*, quia *paravi lucernam*, idest, filium, successoremque ejus Messiam, *Christo meo*, Davidi: et erit quasi explicatio ejus, quod antea dixerat, *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ut enim hoc non intelligerent carnales Judaei de Salomone, explicatur hoc loco de Messia futuro. Potest tamen etiam aptissime intelligi, et s. Augustinus exponit, de praecursore Domino, et ipso Domino, ut lucerna sit Joannes, et Christus Dominus Jesus, quoniam enim Messias venturus erat sine opibus, et comitatu regio, non facile a Judaeis expectantibus Messiam, regem temporalem, agnosci potuisset, nisi praecessisset Joannes, qui singulari sua sanctitate, et vitae austeritate, omnium oculos in se converteret instar lucernae lucentis in caliginoso loco: dicit igitur, *illuc producam cornu David*, idest, regnum aeternum Messiae, et jam praeparavi *lucernam*, idest, praecursorem, qui erit quasi lucerna, *Christo meo*, idest, ipsi Messiae: atque ad hunc locum videtur Dominus aspexisse, cum ait Jo. 5. *Ipse erat lucerna ardens, et lucens.*

19. *Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

Praedicit, Christum multos habiturum inimicos, ut revera habuit Judaeos, qui dixerunt, *Nolumus hunc regnare super nos.* Luc. 19. et ad Pilatum: *Non habemus regem, nisi Caesarem*, Jo. 19. Sed praedicit quoque poenam inimicorum Christi. *Inimicos*, inquit, *ejus induam confusione*, idest, implebo ignominia maxima, quod etiam impletum esse scimus, et oculis nostris videmus. Nam paulo post Christi mortem venerunt Romani, et civitate illorum eversa, ipsos magna strage affecerunt, et eorum qui superarant, alios vilissimo pretio vendiderunt, alios in pubblicis ludis bestiis objecerunt: et ab illo tempore gens Judaeorum ubique servit, ubique contemnitur. Sed in die novissimo, non solum Judaei, sed etiam omnes pagani, haeretici, et omnes falsi fratres, qui Christo in membris ejus inimici fuerunt, induentur confusione. *Super ipsum autem*, idest, super Christum, *efflorebit sanctificatio mea.* Illi induentur confusione, Christus induetur gloria: nam sanctificatio, quae in mundo erat quasi semen in terra absconditum, tunc florebit in gloriam, idest, germinabit flores sanctificationis. Nec solum Christus, sed etiam omnia membra ejus induentur gloria, quae tunc sanctificatio emittet flores incredibilis pulchritudinis, quando gratia vertetur in gloriam. In hebraeo vox est, נזרו *nizro*, quae significat *diadema ejus*: sed quamvis Exod. 24. illa vox significet *tiaram Pontificis*, et lib. 4. reg. cap. 11. accipiatur pro *corona regia*: tamen potest etiam significare *sanctificationem*, ut hoc loco verterunt Septuaginta Interpretes; nam venit a verbo נזר *nazar*, quod significat, *separare*, et *consecrare*, unde dicuntur *nazarei*, quasi *sanctificati*, et consecrati Deo: et *corona pontificia*, vel *regia* dicitur, נזר *nezer*, quia consecrat quodammodo Pontificem, vel regem, et a vulgo separat. Sed in sensu non est diversitas: nam *gloria sanctificationis* rectissime corona, vel diadema dici potest: nec multum interest, si dicatur, *florebit sanctificatio*, idest, sanctificatio emittet flores gloriae; sive, florebit sanctificatio, idest, micabit diadema gloriae. Neque etiam multum refert, quod nos legamus, *sanctificatio mea*, et in hebraeo sit *sanctificatio*, *sive diadema ejus*: nam septuaginta legerunt, *jod*, ubi nunc est, *vau*: et eadem sanctificatio vel diadema, et Dei est, quia ab illo datur, et nostra est quia nobis datur: proinde utraque lectio veritatem continet; sed nostra praeponenda est, cum sit in codicibus graecis, et latinis, quibus Ecclesia semper usa est.

PSALMUS CXXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Compositus videtur hic psalmus, ut a Judaeis cantaretur, quando post reditum a captivitate, et raedificata civitate, ac templo, coeperunt simul pacifice habitare, et esse unus populus remota distinctione vel schismate, quod erat ante captivitatem inter regnum Israel, et regnum Juda. Sed convenit etiam omni multitudini, ubi viget concordia, et communio, quales sunt multitudines servorum Dei in monasteriis, ubi regularis observantia viget. Sed potissimum locum habet hic psalmus in coelesti patria, et cantatur ab iis, qui finita peregrinatione ad eos perveniunt, ubi omnes sunt consummati in unum ut loquitur Dominus, Joann. 17. et ubi Deus est *omnia in omnibus* juxta Apostolum, 1. *Cor.* 15.

EXPLICATIO PSALMI CXXXII.

1. *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum.*

Vox est eorum, qui jam experiri, et gustare coeperunt utilitatem et dulcedinem perfectae charitatis. Vocat enim *bonum*, id quod est utile, et *jucundum*, id quod est dulce: quamvis enim aliqua sint bona, quae non sunt jucunda, ut labor poenitentiae et quaedam jucunda, quae non sunt bona, ut voluptas peccati; tamen in concordia et pace fratrum simul habitantium haec duo conjuncta inveniuntur. Nam virtus unita est major et fortior, et melius ac facilius conservatur; quod pertinet ad utilitatem: et ubi per charitatem multi sunt cor unum et anima una, unusquisque gaudet de bono aliorum non minus quam de suo; quod pertinet ad jucunditatem.

2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*
3. *Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*

Duabus similitudinibus explicat jucunditatem, et utilitatem habitantium in unum: ac primo jucunditatem comparat unguento pretioso, quo ungebatur caput summi Pontificis, quod erat odoris suavissimi, ut patet ex cap. 30. Exodi., quod quidem unguentum effusum in caput Pontificis, inde defluebat ad barbam, et a barba in oram vestimenti, idest, in illam partem quae circumdat collum, quae immediate subjecta est barbae: non enim per oram intelligitur extremitas vestis, sed summitas, ut notavit s. Augustinus, et ut sonant vox hebraica, et graeca, et ut ratio ipsa demonstrat: non enim tantum unguenti effundi solebat in caput, ut usque ad extrema vestis deflueret. Sed illud hoc loco notandum est unguentum non communicari a capite, nisi partibus unitis: nisi enim barba capiti adhaeret, sed abscissa alicubi maneret, sine dubio defluxum unguenti non participaret; et nisi vestis unita esset corpori, sed plicata maneret in arca, similiter unguento non perfunderetur; sic igitur, nisi fratres habitarent in unum, et inter se glutino charitatis conjuncti essent, dona coelestia a capite Christo defluentia, non descenderent in barbam, idest, in praelatos, neque a barba in vestimenta, idest, in reliquum populum. Ait igitur, *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam*, idest, jucunditas fratrum habitantium in unum, et inter se conjunctorum, ac debita proportione invicem subiectorum, est sicut unguentum pretiosum, et fragrantiae suavissimae, quod in capite effusum descendit in barbam. *In barbam Aaron*, idest, non loquor de quocumque unguento, sed de illo, quod descendit in barbam Aaronis tempore consecrationis suae: quae etiam descendit *in oram*, superiorem videlicet partem vestimenti ejus. Deinde comparat utilitatem eorumdem fratrum habitantium in unum, rori qui descendit in montem: neque enim montes ex rore jucunditatem ullam percipiunt, sed utilitatem magnam: quoniam pluvia ad montes vel non descendit, vel non haeret, sed ex montibus ad valles continuo descendit: ros autem haeret in montibus, eosque infundit, et germinare facit: nominat autem duos montes, Hermon, et Sion, qui quamvis loco conjuncti non essent, cum mons Hermon esset trans Jordanem ad orientem; et mons Sion citra Jordanem ad occidentem: tamen conjuncti

erant quoad similitudinem qualitatum,cum uterque sit verus mons , et unus major et altior , videlicet Hermon,alius minor humilior, id est, Sion.Ex quo voluit nos Spiritus sanctus admonere, conjunctionem fratrum habitantium in unum debere esse cordium magis , quam corporum ; nam de primis fratribus habitantibus in unum,scriptum est,*erat autem multitudinis credentium cor unum et anima una.* Actor. 4. Dicit igitur, *sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*,idest, bonum utilitatis habitantium in unum , est *sicut ros Hermon , qui descendit in montem Sion*,sive,ut est in hebraeo, *in montes Sion.* Quomodo autem ros montis Hermon,qui longe distat a Sion,descendat in montem Sion, variis modis exponunt interpretes.Mihi videtur,Prophetam considerasse montem Hermon esse altissimum, et amplissimum, atque in eo magnam esse roris abundantiam : montes autem Sion esse multo humiliores, et aridiores:et ideo more poetico dixisse, et monte Hermon descendere rorem in montes Sion, quasi communicet mons Hermon rorem, quo abundat, cum montibus Sion, qui eo carent: non quod idem omnino res, qui est in monte Hermon descendat in montes Sion,sed quod similis ros descendens in montes Sion videatur quodammodo ex monte Hermon descendere. Et aptissime convenit haec similitudo in conventum fratrum habitantium in unum: sunt enim fratres concordes quasi tot montes, sive colles Sion, in quos descendit ros coelestis a Christo , qui est quasi Hermon altissimus , et rore coelesti plenissimus : unde dixit Joannes, *et de plenitudine ejus omnes accepimus*, Joan. 1. Non communicat autem Christus nobiscum eam ipsam gratiam, et gloriam numero, quam in se habet; sed aliam similem,et minorem.

4. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in saeculum.*

Reddit rationem, cur tantis bonis abundet conventus fratrum concorditer,pacificeque viventium, *Quoniam*, inquit,*illic mandavit Dominus benedictionem*, idest,illuc misit Dominus benedictionem suam , quae est fons omnium bonorum ; Domino enim, *benedicere benefacere* est : quoniam igitur Deo gratissima est concordia, et charitas fraterna, ideo replet eam copia bonorum omnium;idque non ad breve tempus, sed in aeternum: nam ideo cum benedictione misit ad eos *vitam usque in saeculum*;quae omnia hic in terris habentur in spe, sed in patria habentur in re.Recte igitur initio diximus, hunc psalmum ab illis proprie cantari, qui ex peregrinatione perveniunt ad patriam. Ibi enim perfecta est concordia,ibi unguentum perfectae charitatis continuo defluit a capite Christo in omnia membra , et ros luminis gloriae a monte Hermon in omnes colles Sion: dicitur enim *Hermon*, lumen elevatum; et *Sion*, specula: proinde recte ab altissimo lumine descendit participatio ejus in eos,qui digni sunt speculari Deum facie ad faciem: ibi est benedictio Domini, idest, affluentia omnium aliorum bonorum : ibi denique est vita *usque in saeculum*, quae numquam deficiet.

PSALMUS CXXXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Hic est psalmus postremus gradualium, qui eos qui jam foeliciter ascenderunt, hortatur, ut vacent perpetuis laudibus: quod est officium habitantium in domo Domini , juxta illud psalmi 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.*Pertinet tamen suo modo hic psalmus ad eos, qui post aedificationem templi in illo habitabant; et ad eos , qui dum peregrinantur in terra, corde habitare nituntur in coelo , et cum Apostolo dicere possunt , *conversatio nostra in coelis est.* Philip. 3.

EXPLICATIO PSALMI CXXXIII.

1. *Ecce nunc benedicite Dominum , omnes servi Domini.*

Ecce,inquit,nunc liberati a tentationibus,et persecutionibus, tempus est,ut toti intenti sitis laudibus Domini; proinde *benedicite Dominum* vos omnes *servi Domini*, qui non habetis aliud in quo illi jam serviatis,nisi in persolvendo tributo perpetuae laudis, et gratiarum actionis.

2. *Qui statis in domo Domini,in atriis domus Dei nostri.*

Vos, inquam, *qui statis in domo Domini*,idest,

qui permanentem habetis domum, et non amplius tamquam peregrini in tentoriis habitatis;et praeterea statis, idest,securi consistitis non timentes casum.quo modo ille,*qui in veritate non stetit*,Joan. 8. Nec solum domum , sed etiam atria possidetis, ita ut et interiorem domum,ubi Deus videtur et exteriorem ubi videntur creaturae , quae sunt veluti atria, foelicissimi habeatis.

3.*In noctibus extollite manus vestras in sancta,et benedicite Dominum.*

Tempus maxime opportunum orandi et laudandi Deum nox est,quando quies ubique esse solet.Itaque David psalm. 118. *Media nocte surgebat ad confitendum Domino*; et Isaias c.26. dicit,*Anima mea desideravit te in nocte*, et Hieremias Thren. 2. hortatur, *consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.* Et ipse Dominus noster, Lucae 5. pernoctabat *in oratione Dei*; et Apostolus cum Sila Actor. 16. in ipso carcere *media nocte orantes laudabant Dominum.* Recte igitur admonet Propheta servos Dei,ut nocturno potissimum tempore extollentes manus in sancta, id est, ad sancta sanctorum, ubi erat prophitiatorium, et arca Dei , benedicant Dominum. Moraliter autem significat hic versiculus,servos Dei debere benedicere Deum non solum in die prosperitatis , sed etiam in nocte adversitatis. Sed in sensu praecipue intento, significatur hoc loco, in coelesti patria, sicut semper est dies, si de luce, et tenebris agatur; ita semper esse noctem si agatur de labore, et quiete. Intrantibus enim in illam requiem *dicit spiritus,ut requiescant a loboribus suis,quia opera eorum sequuntur illos*;et illa est *nox*,de qua dicitur in psal.138. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis* ; et de qua dicit Dominus Joan. 5. *Venit nox,in qua nemo potest operari*,et proinde solis Dei laudibus vacare oportet. In his igitur quietissimis,sed lucidissimis noctibus *extollite manus vestras* beati servi Dei;et ad sanctuarium verum,ubi Deus ipse residet, conversi *benedicite Dominum.*

4.*Benedicat te Dominus ex Sion,qui fecit coelum et terram.*

Hortatus est Propheta sanctos Dei servos, ut assidue Dominum benedicant:nunc vicissim ipse benedictionem illis a Domino precatur:sed utitur numero singulari , quia videbat eos ita esse glutino verae charitatis unitos,ut essent unum in Domino. Illi igitur unitati servorum Dei dicit, *Benedicat te Dominus ex Sion , qui fecit coelum , et terram.* Quod ad verba attinet , in Hebraeo codice desunt illa verba, *in atriis domus Dei nostri.* Sed verisimile est, in codicibus correctoribus, quos habuerunt septuaginta interpretes,illa verba non defuisse , praesertim cum in psal. 134. idem versiculus repetatur, et in eo verba illa legantur etiam in codicibus hebraicis. Illud vero,*in noctibus*,hebraeus codex conjungit cum superioribus hoc modo, *qui statis in domo Domini in noctibus*;et postea incipit alium versiculum ab illis verbis, *extollite manus vestras*,etc.Sed interpunctio Rabbinorum modernorum,qualis nunc est in codicibus hebraicis, non debet praejudicare auctoritati gravissimae septuag. interpretum, qui illud, *in noctibus*, principium esse versiculi,et cum sequentibus verbis conjungi debere censuerunt.

PSALMUS CXXXIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Duo psalmi sequentes ejusdem sunt argumenti: hortatur enim fideles ad laudes Dei:quod argumentum in titulo demonstrat , et recte subjunguntur psalmis gradualibus , quoniam optime conveniunt iis, qui ex captivitate in patriam redierunt: quique jam gradus perfectionis, Deo juvante ascenderunt, vel in ascensione non modicum profecerunt.

EXPLICATIO PSALMI CXXXIV.

1. *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.*
2. *Qui statis in domo Domini,et atriis domus Dei nostri.*

Illi duo versiculi habentur etiam initio psalmi superioris; sed ideo repetuntur,ut continuetur laudatio, quae ibi fuerat inchoata. Alloquitur igitur Propheta servos Domini, eosque hortatur, ut laudent *nomen Domini*, et ipsum *Dominum*, hic enim est sensus, ut colligitur ex principio psalmi centesimi duodecimi, *laudate* pueri idest , *servi Dominum, laudate nomen Domini.* Qui sint autem *servi*,quibus indicitur laudatio , explicat dicens : *qui statis in domo Domini,in atriis domus Dei nostri*,idest, qui non estis exules,non in via positi,non peregri.

ni, quibus oratio magis quam laudatio necessaria sit, sed jam pervenistis,jam *statis in domo Domini*, de qua dicitur in alio psalmo, *beati qui habitant in domo tua Domine,in saecula saeculorum laudabunt te.*Itaque videtur hic psalmus praecipue convenire iis, qui ad coelestem patriam pervenerunt,et domum Domini non manufactam,sed aeternam in coelo introierunt. Convenit tamen illis etiam, qui spe ac desiderio in ea domo degere incipiunt, et cum apostolo dicere possunt, *nostra autem conversatio in coelis est*:convenit denique speciali quadam ratione sacerdotibus,quorum officium est stare in domibus Deo sacris,et ipsi Deo immediate et proprie ministrare. Sunt quidem omnes fideles servi Domini, sed illi praeter caeteros, qui toti sunt Domini obsequio addicti, et mancipati.Ex hebraeo legunt aliqui, *laudate servi Domini*,quia vox,עַבְדֵי *habdeservi*,secundum regulas grammaticae, regit genitivum.Sed hoc non est perpetuum, et legendum esse,*laudate servi Dominum*,perspicuum est ex versione non solum septuaginta, sed etiam s.Hieronymi. Sunt etiam qui,*stare in domo*, tribuunt sacerdotibus; *stare in atriis*, tribuunt laicis. Sed probabilius est, pro eodem accipi hoc loco *domum domini*, et *atria domus Domini*; nam ut plurimum secunda pars versiculi repetit, et explicat priorem; unde sensus est, *qui statis in domo Domini*,qui statis,inquam,*in atriis domus Dei nostri.*

3.*Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave.*
4. *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.*

Hortatus est Propheta populum Dei ad laudandum Dominum, nunc adducit tres rationes, quibus persuadeat, ita esse faciendum; primam, quoniam Deus dignissimus est omni laude; secundam, quia id nobis bonum, et jucundum erit; tertiam, quia tenemur, cum nos praeter caeteras gentes Deus maximis beneficiis affecerit. *Laudate*, inquit, *Dominum, quoniam bonus est Dominus*: bonum enim laude, malum vituperatione dignum est. Deus autem ita bonus est, ut solus sit absolute bonus, et omni ex parte bonus, et non aliunde, sed ex se ipso sit bonus, et nihil sit bonum nisi participatione et dono ejus: denique caetera sint bona in certa specie et cum addito, ut bonus homo, bona domus, bona vestis, Deus autem sit ipsa bonitas omnem omnino boni rationem continens. *Psallite nomini ejus, quoniam suave*; haec est secunda ratio, quasi dicat, *psallite nomini ejus*, quoniam istud psallere, et laudare, non erit vobis opus molestum, et laboriosum, sed dulce, jucundum, suave. Vox hebraica, נָעִים *nahim*, significat *dulce*, et *dulcis*; et ideo referri potest tum ad Dominum, tum ad nomen, tum ad psallere,et sensus esse potest, *psallite nomini ejus*, quoniam suavis est Dominus, item *quoniam suave* est nomen Domini: denique *quoniam suave* est psallere nomini Domini. Sed vox graeca et latina, quae sunt generis neutri, non possunt referri ad Dominum, sed vel ad nomen, vel ad psallere; et haec postrema acceptio videtur esse magis propria. Caeterum in sententia nulla dissensio est.Ideo enim laudare Deum suave est, quia Deus suavis est: quo modo dulces cibos comedere dulce est, quoniam ipsi cibi dulces sunt. Et quidem beatis in coelo psallere Deo suavissimum est,et ideo ne ad momentum quidem cessant a laudibus, quoniam dulcedinem Dei in ipso fonte suavitatis sine intermissione degustant; nobis autem nunc dulce est canere Deo; nunc laboriosum, quoniam non semper gustamus, quam suavis sit Dominus; sed tunc solum,cum ex gratia Dei, et praecedente meditatione assurgimus ad cognitionem, et accendimur ad amorem. *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus*, elegit, inquam, *Israel in possessionem sibi.* Haec est tertia ratio, quae ducitur a debito, et jure obligationis: cum enim Deus singulari dono gratiae suae filios Jacob in populum peculiarem sibi delegerit, certe justum est,ut is populus praeter omnes alias gentes Deum laudet. Hic sunt aliqua notanda: Primo Deum conditorem universitatis omnium gentium providentiam gerere, et omnibus dedisse lumen rationis,et legem naturalem scriptam in cordibus, et angelos custodes tum singulorum hominum, tum etiam provinciarum, et regnorum: sed praeter haec omnia, quae communia sunt populo Israelitico cum aliis populis: suscepisse Abrahamum et posteros ejus per Isaac et Jacob descendentes in proprium populum, qui esset quasi ejus haereditas,et portio et possessio, eisque dedisse legem scriptam in tabulis, et caeremonias,quibus coli volebat, et Prophetas, quasi internuncios a quibus de notitia Dei erudirentur. Secundo hoc fuisse admirabile beneficium Dei: elegit enim Deus populum illum in possessionem sibi, ut eis benefaceret, eosque diligenter excoleret, quasi vineam dilectam; addo, fuisse hoc beneficium gratis omnino illi populo collatum, non enim elegit Deus populum illum ob eorum merita, sed quia sibi ita placuit: quod perspicuum est ex praedestinatione aeterna, cujus meminit Malachias cap. 1. et Apostolus ad rom.9. Nam antequam nati essent Jacob, et Esau, et cum nihil boni, vel mali egissent, dictum est, *major serviet minori, quoniam Jacobi dilexi,Esau odio habui.* Tertio,hoc idem et etiam majus beneficium collatum esse populo Christiano ex gentibus congregato: nam, ut Apostolus docet rom.11.Gentiles erant quasi oleastri respectu Judaeorum, qui erant naturales rami olivae: sed cum fracti essent multi rami naturales ob incredulitatem, Deus assumpsit oleastros, et inseruit in bonam olivam, idest,super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum superaedificavit gentiles, vocans eos per fidem ad populum suum: et faciens cives sanctorum et domesticos Dei. Nobis igitur convenit,et ex debito obligationis tenemur laudare Deum, sed propriissime Jacob, sive Israel, electus in possessionem, est coelestis Jerusalem, coetus videlicet beatorum,cui dicitur, *lauda Jerusalem Dominum*; *lauda Deum tuum Sion.*

5. *Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus et Deus noster prae omnibus diis.*

6. *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in coelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis.*

Respondet Propheta objectioni, quae fieri poterat, cur ipse tanto ardore invitaret populum Dei ad laudes Domini. *Quia*, inquit, *ego cognovi, quod magnus est Dominus*: et non solum magnus super omnes homines, sed etiam super omnes Deos: et ideo silere non possum, ideo clamo, ideo canto, et psallo, et ad canendum et psallendum omnes invito. Deinde probat utrumque, nimirum Deum esse magnum Dominum, et esse majorem omnibus Diis ac primum, quod sit magnus Dominus, probat ab omnipotentia, quia *omnia quaecumque voluit, fecit* in universa creatura, *in coelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis*; ubi per *mare* intelligit mare Oceanum, per *abyssos* intelligit maria mediterranea, quasi diceret, in mari magno, et in aliis aquarum profunditatibus. Ita Chrysostomus sed possunt etiam per *abyssos*, intelligi loca subterranea inferorum, ubi est gehenna, de quibus legimus in Evangelio, rogatum fuisse Dominum a daemonibus, ne eos mitteret in abyssum. Sic enim comprehendentur omnia loca, summum coelum, imi inferi, media terra, et mare. Sed placet breviter conferre nostram infirmitatem cum Dei potentia. Ille *fecit omnia quae voluit*, nihil enim impossibile est illi: nos autem multa volumus facere, et non possumus. Item Deus fecit, quia voluit, idest, libera voluntate fecit, non aliqua necessitate, quia nulla re indiget; nos maxima ex parte operamur, quia indigemus, et nisi cogeret necessitas, otiaremur. Denique Deus in omnibus rebus fecit quaecumque voluit, quia Dominus est rerum omnium: nos ne in nobis quidem facere possumus omnia, quae volumus, quanto minus in aliis rebus. Aequum igitur est, ut non nos ipsi, sed Deum nostrum assidue laudemus.

7. *Educens nubes ab extremo terrae, fulgura in pluviam fecit.*

Ponit exempla aliquot eorum, quae Deus facit, quando vult, in aere, in terra et in aquis. Facit quidem Deus mirabilia in angelis, et in coelis superioribus, et rursum in abyssis subterraneis. Sed quia incognita nobis sunt, ponit exemplum eorum, quae facit in coelo aereo, in terra, et in aquis, quae a nobis videntur, quamvis causas ignoremus. Primum igitur ponit exemplum in nubibus, quae oriuntur ex terra, sed formantur in coelo aereo, et conversae in aquas revertuntur ad terram. *Educens* inquit, *nubes ab extremo terrae*, idest, qui educit nubes ab extrema parte terrae. Accommodat se Spiritus sanctus in scripturis sensibus nostris: nos autem videmus ordinarie nubes ascendere, vel ab oriente, vel ab occidente, vel a meridie, vel a septentrione, quae sunt quatuor extrema terrae, sed varia pro varietate regionum; et quamvis ista assiduitate viluerint, tamen omnino mirabile est, unde tanta copia vaporum repente existat, ut totum coelum in puncto fere temporis nubibus quasi velo cooperiat: nisi ideo mirabile esse desinat, quia ab omnipotente fit. Sed mirabilius est, quod sequitur, *fulgura in pluviam fecit*, ubi *in pluviam*, positum est, pro, *in pluvia*, quo modo 2. Corinth. 12. dicit Apostolus, *nocte et die in profundum maris fui*, pro, *in profundo maris fui*. Sensus autem est Deus in pluvia fecit fulgura, idest, inter pluviam miscuit fulgura, quae res est omnino mirabilis: nam fulgura sunt ardentia, arentia, acutissima; et pluvia est res humida, frigida, mollis: et tamen nec fulgura absumunt aquam, nec pluvia extinguit fulgura. Ita exponunt antiquissimi patres, Hilarius, et Chrysostomus, et confirmari potest eorum expositio ex cap. 9. Exodi, *grando, et ignis mista pariter ferebantur*, ad quem locum videtur allusisse Propheta David; omitto alias expositiones recentiorum, quae minus probabiles sunt.

8. *Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus.*

9. *Et misit signa, et prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem et in omnes servos ejus.*

Tertium exemplum magnitudinis Dei sumitur a generatione ventorum, venti enim notissimi sunt et quotidie sentiuntur a nobis; et tamen nihil est obscurius generatione ipsorum; unde et Dominus Joan. 3. ait, *spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat*, idest, audis strepitum venti, *et nescis unde veniat, aut quo vadat*, idest, quo modo oriatur, et quo modo desinat, praesertim quando repente ventus existit, et paulo post repente cessat. Illud autem, *de thesauris suis*, metaphoricum est: non enim venti inclusi manent in speluncis, aut abditis locis, ut fabulantur Poetae, sed ita repente producuntur a Deo, quasi educerentur de thesauris, idest, de locis absconditis. Vere autem educuntur de thesauris Dei, idest, de potentia Dei secretissima et ditissima, quae numquam exhauriri potest. Cum hoc tertio exemplo conjungit Propheta quartum de occisione omnium primogenitorum Aegypti tam hominum, quam jumentorum, quae habetur Exodi 12. conjungit autem hanc occisionem cum productione ventorum, quia quemadmodum venti spiritus quidam sunt corporales, qui non videntur ob nimiam subtilitatem, et tamen maximas edunt strages arborum in campis, domorum in civitatibus, et navium in mari: sic spiritus angelici invisibiles oculis hominum, incredibili celeritate ad nutum Domini interfecerunt omnia primogenita Aegypti, tum hominum, tum jumentorum: neque enim occisio illa poterat tribui pesti, aut morbo naturali, cum eadem nocte perierint omnia, et sola primogenita Aegyptiorum, tum hominum, tum pecorum: et apud hebraeos, qui in Aegypto degebant, nullus omnino homo, aut bestia perierit. Adjungit denique in summa omnia signa et prodigia, quae fecit Deus per Mosem in Aegypto; quae legi possunt in Exodo cap. 7. 8. 9. 10. 11. et 12.

10. *Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes.*

11. *Sehon regem Amorrhaeorum: et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan.*

12. *Et dedit terram eorum haereditatem, haereditatem Israel populo suo.*

Post mirabilia Dei edita in Aegypto adversus Pharaonem, addit mirabilia edita in itinere adversus duos potentissimos reges, Sehon, et Og, quos populus Dei debellavit magis extraordinario auxilio Dei, quam armis: vide lib. Num. cap. 21. Et denique addit mirabilia, quae fecit Deus in ipsa terra promissionis adversus triginta et unum reges qui regnabant in illis provinciis. Ubi multa miracula acciderunt; ac praeter alia, ut muri Hiericho ad sonitum tubarum Sacerdotalium corruerint: et sol, et luna steterint ad imperium Josue; vide lib. Josue cap. 6. 10. et 12. Ipse igitur Deus dedit totam illam terram possidendam, et quasi propriam haereditatem populo suo Israelitico: quo modo etiam regnum coelorum per terram promissionis significatum vult quidem Deus a fidelibus suis bellando et laborando capi;sed quia nisi ipse praeveniret, et comitaretur, et subsequeretur gratia sua labores nostros, nihil omnino facere possemus; ideo ipse est, qui nos salvat, ex captivitate liberat et haereditatem aeternam donat.

13. *Domine nomen tuum in aeternum, Domine memoriale tuum in generatione et generationem.*
14. *Quia judicabit Dominus populum suum, et in servis suis deprecabitur.*

Concludit Propheta priorem partem suae probationis, qua demonstrare instituerat magnitudinem Dei: ea enim satis aperte demonstrata, dicit, *Domine nomen tuum in aeternum*, idest, propter haec tanta mirabilia, *nomen tuum*, memoria tua, fama tua in aeternum vigebit,et idipsum more suo repetens, *Domine*, inquit,*memoriale, tuum*,idest, recordatio nominis tui *in generatione et generationem* permanebit. *Quia judicabit Dominus populum suum*, idest, semper manebit celebris memoria Dei, quoniam Deus semper, ut hactenus fecit, *judicabit populum suum*, idest, justo judicio vindicabit de persequentibus eum, puniens iniquos hostes ejus. *Et in servis suis deprecabitur*, idest, erga servos suos exorabilis erit: accipiendum enim est passive illud, *deprecabitur*, pro *exorabitur*. In cantico Mosis Deuteron. 32. eadem sententia sic vertitur a latino interprete, *Judicabit Dominus populum suum,et in servis suis miserebitur.*

15. *Simulacra gentium argentum et aurum,opera manuum hominum.*
16. *Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt.*
17. *Aures habent, et non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.*

Probat his versiculis David, Deum nostrum magnum esse prae omnibus Diis, quod erat alterum quod affirmaverat in quinto versiculo. Quamvis enim non magnum sit Deo, majorem esse Diis aureis, et argenteis, ut s. Hilarius admonuit, cum longe major sit regibus, daemonibus et Angelis tamen voluit Propheta conferre Deum cum simulacris, ut clarius ostenderet infirmitatem Deorum gentilium; tum etiam quoniam licet Dii gentilium essent daemonia, ut dicitur in psal. 95. tamen multi gentilium hoc non sciebant, sed arbitrabantur ipsa simulacra esse Deos, ut perspicuum est 1. reg. de statua Dagon. Denique quia ex his argumentis colligitur etiam infirmitas ipsorum daemonum, qui simulacris suis non potuerunt dare sensum, et vitam, quo modo Deus verus simulacro suo, quod est homo, dedit spiritum vitae, sensum et motum, et quod est excellentius,dedit rationem et arbitrii libertatem. Recte igitur David probat, Deum esse magnum prae omnibus Diis,quia *simulacra gentium*, sive ipsa,sive inhabitatores eorum habeantur pro Diis, *oculos habent,et non vident*; *aures habent, et non audiunt*; *os habent, et non loquuntur;* manus, et pedes habent, et nec movere, nec moveri possunt, quia non est spiritus vitae in facie ipsorum; ubi alludit Propheta ad id quod dicitur Gen. 2. de simulacro veri Dei, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae.* Caetera, quae ad hos versiculos pertinent, vide in explicatione psal. 113.

18. *Similes illis fiant, qui faciunt ea; et omnes qui confidunt in eis.*
19. *Domus Israel benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino.*
20. *Domus Levi benedicite Domino ; qui timetis Dominum, benedicite Domino.*

Facta collatione Dei veri cum diis falsis confert cultores falsorum Deorum cum veri Dei cultoribus et illis praedicit per modum imprecationis similitudinem Deorum suorum, videlicet illos fore mutos, caecos, et surdos quoad vera bona intelligenda, et quaerenda et laudanda: cultores autem Dei invitat ad benedicendum Dominum,quoniam cultores Dei vident, audiunt, loquuntur, ut imagines vivae Dei viventis et ideo debent exercere linguam ad laudandum Deum, a quo habent sentire,vivere, intelligere. Invitat autem primum in genere *Domum Israel*, idest, populum Dei, deinde per partes,*domum Aaron* in primis,quia illa erat domus sacerdotalis, tum *domum Levi*, unde erant Levitae, qui sacerdotibus ministrabant, denique omnes *timentes Deum*, idest, laicos omnes.Porro quamvis haec comparatio cultorum Dei ad cultores idolorum proprie conveniat idololatris paganis respectu christianorum: tamen convenit etiam iis, qui sequuntur avaritiam, quae est Idolorum servitus, et iis quorum Deus venter est, et denique illis omnibus qui fatentur se nosse Deum, factis autem negant: respectu hominum vere piorum, quorum *conversatio in coelis est.* Illi enim veluti simulacra Idolorum, non vident vera bona,nec vera mala,quamvis oculos habere videantur; neque audiunt quid loquatur in illis Deus;quamvis auribus non careant denique non loquuntur laudes Dei, quamvis ore, et lingua praediti sint. Contra, viri pii et qui cor habent in coelo, oculos interiores habent, et vident;aures cordis apertas habent et intelligunt,os,

et linguam soluta et libera habent, ut Deum benedicant in omni tempore, et semper laus ejus sit in ore ipsorum. Lege p. 11.

21. *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.*

Concludit orans, ut ex Sion procedat benedictio Domini, *qui habitat*, tamquam in propria regia sua *in Jerusalem*, idest, ut omnes cives Sion, et Jerusalem non cessent benedicere Domino, qui rex magnus est et in ipsa Jerusalem sedem regni sui collocavit: quae conveniunt ecclesiae christianae militanti, sed multo magis triumphanti, quae omni labore vacua, et ab omni molestia libera, unicum habet negotium, vacare et videre, quoniam Dominus ipse est Deus.

PSALMUS CXXXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Psalmus iste idem habet argumentum, quod psalmus superior. Invitat enim populum Dei ad laudem misericordiae Dei, et in singulis versiculis repetit, *quoniam in aeternum misericordia ejus*; ut ostendat omnia opera Dei, sive ad creationem, sive ad providentiam, sive ad redemptionem pertineant, ex misericordia Dei profecta esse. Deus enim, qui nulla re indiget, et rerum omnium absolutus Dominus est, nihil facit ex necessitate, nihil ex debito: sed omnia ex misericordia, quia placuit illi bonitatem suam effundere et communicare. In hebraeo non habetur, *alleluja*, in principio hujus psalmi, sed solum in fine superioris. Caeterum septuaginta interpretes initio psalmi posuerunt, *alleluja*, vel quia invenerunt in suis hebraicis codicibus in principio hujus psalmi, et non in fine superioris: vel, quod credibilius est, invenerunt in utroque loco, ut habetur in fine psalm. 104. et in principio psal. 105. qui idem habet initium cum 135. videlicet, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus*; et postea negligentia scriptorum excidit ex hebraico codice in principio hujus psalmi, *alleluja*. Ut se res habeat, aptissime ponitur initio hujus psalmi titulus, *alleluja*.

EXPLICATIO PSALMI CXXXV.

1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
2. *Confitemini Deo deorum, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
3. *Confitemini Domino dominorum, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

In primis tribus versiculis laudatur Deus Trinitas ab iis, quae in se habet: in sequentibus autem laudatur ab operibus suis. In primo versiculo habetur nomen quatuor literarum יהוה *Jeovah*, quod soli Deo vero proprium est, et numquam communicatur cum rebus creatis: significat autem hoc nomen ipsum esse, ut Exod. 3. ipse Deus explicuit, cum ait, *ego sum qui sum*. Et quoniam esse et bonum convertuntur, et omne quod est, bonum est, et quod summe est, summum bonum est: ideo hic adjungitur bonum absolute ei qui absolute est. *Confitemini*, inquit, *Domino*, idest, confitemini confessionem laudis ei qui est, *quoniam* absolute *bonus* est: nec solum in se bonus est, sed etiam *in aeternum misericordia ejus* est: nam ipse qui est summum bonum, nullum habet admixtum malum, nullam miseriam: et ideo solus potest mala et miserias aliorum tollere, et re ipsa semper tollit et tollet in aeternum, magna miseria est nihil esse. Deus igitur dum conservat esse rerum quarumdam in aeternum, in aeternum erga eas misericors est, et dum beatos facit sanctos angelos, et homines in aeternum, misericordiam aeternam illis exhibet, non tollendo miseriam infoelicitatis, quae sit, sed quae esset nisi beatitudinem aeternam illis donaret. Porro haec prima confessio tribui potest personae patris, quoniam pater fons est essendi, et communicat ipsum suum esse filio per generationem, et spiritui sancto per spirationem, sibi filioque communem. Secunda confessio potest tribui personae filii, nam dicitur filius Deus Deorum, quoniam Dii creati dicuntur angeli et homines quia sunt filii Dei, juxta illud psalm. 81. *ego dixi Dii estis, et filii excelsi omnes*. Filius autem Dei unigenitus est Deus deorum, quia filius est Dei naturalis, caeteri adoptati; ille natus est Deus de Deo, isti sunt Dii facti, ac per hoc tanto inferiores Deo filio, quanto res creata inferior est creatore. Et quamvis aliquo modo dicantur Dii respectu inferiorum: tamen respectu filii unigeniti non sunt Dii, sed creaturae. Ergo confitemini confessionem laudis Deo Deorum, idest, filio Dei unigenito, cujus participatione dicuntur Dii, filii Dei adoptivi. *Quoniam in aeternum misericordia ejus*, idest, quoniam ipse cum patre in aeternum miserias tollit a rebus creatis. Tertia con-

fessio tribui potest spiritui sancto; dominium enim fundatur in natura liberi arbitrii. Illi sunt Domini qui faciunt, quod volunt; illi servi, qui aliorum voluntati subjiciuntur. Princeps autem libertatis spiritus sanctus est, de quo dicitur, *ubi spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3. *et spiritus ubi vult spirat*, Joan. 3. et, *haec omnia operatur unus, atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Ait igitur David, *confitemini Domino Dominorum*, idest, laudate spiritum sanctum, amorem increatum, et omnipotentem, cui omnia serviunt, quoniam in aeternum misericordia ejus. Notat hoc loco s. Joan. Chrysost. in psalmo superiore dictum esse, *Deum magnum prae omnibus Diis*, sed in hoc ps. multum accessisse ad laudes Dei, quod appellatus sit *Deus Deorum*, et *Dominus Dominorum*, ut non solum caeteri Dii minores sint Deo nostro, sed ejus sint creaturae, atque mancipia.

4. *Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Ad hunc versiculum, ut ad caeteros omnes sequentes, subintelligendum est, *confitemini Domino*. Incipit igitur laudare Deum ab operibus magnis, et mirabilibus quae solus ipse facere potuit, qualia sunt opera creationis, nam in caeteris usus est Deus opera angelorum, vel aliarum creaturarum. In his autem operibus laudatur praecipue misericordia, quia, ut supra diximus, nihil fecit Deus ex necessitate, quasi egeret creaturis, sed ex misericordia sua magna et ineffabili.

5. *Qui fecit coelos in intellectu, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Primum opus Dei fuit coelum, ut notum est ex cap. 1. Genes. *Fecit autem Deus coelum*, sive coelos, *in intellectu*, idest, in sapientia sua, sive per sapientiam suam. *Fecit* autem, *quoniam in aeternum misericordia ejus*, idest, quia placuit ei coelos ex nihilo educere, et simul parare aeternam domum angelis et hominibus. *Fecit* igitur *coelos* per sapientiam et bonitatem suam, intelligendo, et volendo, quae sunt quasi duae manus ejus. Itaque non laboravit, non faticatus est, non eguit mora temporis, non instrumentis variis, non merita circa quam operaretur, non adjutoribus administris.

6. *Qui firmavit terram super aquas, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Alterum opus principale fuit terra. Fecit enim in principio Deus coelum, et terram. Coelum enim factum est, ut esset palatium immortalium civium: terra, ut esset mansio mortalium. Aer et aqua sunt elementa intermedia, quae in usum hominum deserviunt. Porro dicitur terra stabilita *super aquas*, non quod aqua sit infra terra in imo loco mundi; sed quod superficies terrae magna ex parte sit altior superficie aquae, ut possint superficie terrae homines, et caetera animalia vivere. Quod enim terra sit in imo loco mundi, scribit idem David in psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi.* Itaque terra intra civitates suas ita continet aquas, ut ex una parte aquae super terram quiescant, et tamen ex altera parte terra superemineat aquis. In hebraeo pro, *firmavit*, est, *extendit*, ut sensus sit, terram, quae initio erat cooperta undique aquis, et erat minus extensa, quam aqua, Deus congregando aquas in cavitates terrae, extendit super aquas, idest, fecit, ut latius pateret quam aqua. Uterque sensus est verus, et juxta utrumque sensum in hoc facto triplex cernitur misericordia Dei; una respectu terrae, quam eduxit ex nihilo; altera, respectu aquae, cui sedem stabilem praeparavit; tertia respectu hominum quibus dedit terram aquis discoopertam, et tamen aquis irrigatam, ut possent in ea degere, eam colere, et frugiferam reddere.

7. *Qui fecit luminaria magna, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
8. *Solem in potestatem diei, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
9. *Lunam, et stellas in potestatem noctis, quoniam, etc.*

Tertium opus magnum, et mirabile fuit fabricatio solis, lunae, et stellarum, quae ad coelum, et terram pertinent: siquidem coelum mirifice exornant, et terrae mirifice prosunt, dicuntur autem omnia *luminaria magna*, quia re vera majora sunt, quam ut a nobis eorum magnitudo mente comprehendi possit, cum stellae firmamenti, quae nobis ob longinquitatem perexiguae videntur, totum orbem terrae molis magnitudine superent: dicitur autem sol factus in potestatem diei, et luna cum stellis caeteris in potestatem noctis; quia lucendo, et illuminando terram, praesunt operibus nostris, tum diurnis, tum nocturnis, ut dicitur cap. 1. Geneseos. Et quidem in libro Geneseos duo sola dicuntur luminaria magna, sol, et luna, quia ista duo majus lumen in terras effundunt, quam omnes aliae stellae simul: tamen hoc loco videtur David non solem tantum, et lunam, sed omnes stellas appellare *luminaria magna*, quia in se talia sunt, et si astronomis credimus, longe majores sunt stellae firmamenti, quam luna sit.

10. *Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
11. *Qui eduxit Israel de medio eorum, quoniam etc.*
12. *In manu potenti, et brachio excelso, quoniam etc.*
13. *Divisit mare rubrum in divisiones, quoniam etc.*
14. *Qui eduxit Israel per medium ejus, quoniam etc.*
15. *Et excussit Pharaonem, et virtutes ejus in mari rubro, quoniam in aeternum, etc.*
16. *Qui perduxit populum suum per desertum, quoniam, etc.*
17. *Qui percussit reges magnos, quoniam etc.*
18. *Et occidit reges fortes, quoniam etc.*
19. *Sehon regem Amorrhaeorum, quoniam etc.*
20. *Et Og regem Basan, quoniam etc.*
21. *Et dedit terram eorum haereditatem quoniam, etc.*
22. *Haereditatem Israel servo suo, quoniam etc.*

In his versiculis laudatur Deus ab opere provi-

dentiae,et sunt omnia perspicua tum ex libro Exodi, tum ex psalmo superiore. Illud quaeri posset, cur dicantur *opera misericordiae*,percussio Aegypti, occisio primogenitorum, interfectio regum, et cactera, quae videntur ad justitiam potius, quam ad misericordiam pertinere. Respondetur, opera illa fuisse respectu impiorum percussorum et occisorum opera justitiae; sed respectu populi Dei fuisse opera misericordiae; et quia liberatio populi erat praecipue a Deo intenta, ideo illa omnia tribuuntur simpliciter misericordiae. Quamquam etiam impiis misericordiam facit Deus, cum eos cito de hoc mundo tollit,ne diutius vivendo gravius peccent, et graviorem iram sibi ipsi thesaurizent *in die irae, et justi judicii Dei.* Circa verba horum versiculorum pauca notanda sunt.Vers.12. *In manu potenti, et brachio excelso*, metaphora est, significans Deum graviter puniisse Aegyptum plagis multis,ut cogeretur dimittere liberum Dei populum, quomodo si vir bellator robusta manu, et brachio fortissimo uteretur ad ejusmodi opera. Vers.13.illud, *in divisiones*, fabulantur hebraei significare duodecim divisiones maris rubri factas fuisse, ut unaquaeque tribus per suam divisionem transiret.Sed fabula sine fundamento est:nam Exod. 14.dicitur Deus immisisse ventum calidum,qui tota nocte flaret,et siccaret partem quamdam maris, ita ut a dextera, et a sinistra essent aquae stantes instar murorum, et in medio esset terra arida, per quam transivit populus Dei. Itaque *in divisiones*, significat divisionem maris in duas partes.Versicul. 15. illud, et *virtutem ejus*, significat,et exercitum ejus: id enim sonat vox hebraica, et aperte dicitur Exod. 15. *Currus Pharaonis, et exercitum ejus projecit in mare.*

23. *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
24. *Et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Haec referri possunt ad liberationem Judaeorum a servitute Pharaonis, Philisthinorum,et Nabuchodonosoris; item ad liberationem ecclesiae a persecutionibus Tyrannorum, et haereticorum; denique maxime proprie ad liberationem electorum a captivitate diaboli, et omnibus periculis hujus saeculi. Illud, *quia*, non refertur ad versiculos immediate praecedentes; sed ad illa verba, quae in singulis versibus subintelliguntur, nimirum *confitemini Domino*, ut sensus sit, *laudate Deum, quia in humilitate nostra*, idest, in afflictione, et tribulatione,et humiliatione nostra,*memor fuit nostri*, etc.

25.*Qui dat escam omni carni,quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Hunc versiculum adjunxit Propheta pro iis, qui non patiuntur persecutiones; ne putarent sibi non esse necesse confiteri Domino. Dicit igitur, *confitemini Domino* omnes omnino, quia ipse est, qui nutrit,et conservat omnem creaturam viventem,ac praecipue omnes homines.Id quod facit,*quoniam in aeternum misericordia ejus.* In hebraeo est, *qui dat panem omni carni*, sed *panis* accipitur pro omni cibo apud hebraeos.

26. *Confitemini Deo coeli, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
27.*Confitemini Domino Dominorum,quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Concludit repetendo duos ultimos versiculos ex primo ternario:nam per *Deum coeli*,intelligit Deum Deorom, ut notat s.Augustinus. Dicitur enim *Deus coeli*, tum quia ipse solus verus Deus coelum fecit, juxta illud Psalmi 95.*Dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit*, tum quia residens in summo coelo tamquam in proprio throno,hoc ipso demonstrat se Deum Deorum esse. Ultimus versiculus non habetur in hebraeo, nec in graeco, nec apud Hilarium et Chrysostomum,sed habetur apud Augustinum, et Hieronymum in commentario: et apud Chrysostomum habetur repetitio primi versiculi loco tertii. Ad extremum hujus explicationis reddenda est causa, cur a s. Augustino dissentire coactus sim in expositione verborum illorum *quoniam in aeternum misericordia ejus.* Existimat S. Augustinus, haec verba non esse referenda ad singula opera Dei, quae narrantur in toto psalmo, sed solum ad prima illa verba, *confitemini Domino*, et vult hunc esse sensum totius psalmi,*confitemini Domino*, qui est *bonus*, qui est *Deus Deorum*, qui est *Dominus Dominorum*, qui *fecit mirabilia*, qui *coelos in intellectu*, qui *firmavit terram super aquas*,etc. *quoniam in aeternum misericordia ejus* est in peccatores, quos redemit a servitute peccati, etc. Ratio ejus est,quoniam opera quae narrantur, ut effectio mirabilium,formatio coeli et terra et similia,non sunt opera misericordiae, sed bonitatis et benignitatis Dei. At nos sequuti sumus Hilarium et Chrysostomum,qui verba illa, *quoniam in aeternum misericordia ejus*,accommodant ad singula opera,quae in singulis versiculis narrantur:alioqui enim frustra repeterentur in singulis versiculis,si ad opera illa non pertinerent.Accedit quod vox *misericordia* in divinis litteris, et hebraice, חסד *chesed*, non restringitur ad misericordiam, quae tollit miseriam proprie dictam; sed extenditur ad bonitatem et benignitatem. Adde ultimo, quod non est difficile in singulis operibus Dei invenire veram misericordiam, ut nos ostendimus, et comprobatur ex verbis illis, *universae viae Domini misericordia, et veritas.*

PSALMUS CXXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David Hieremia.

Hic titulus non habetur in hebraeo, et a Theodoreto confictus dicitur ab aliquo audaculo. Sed extat in libris graecis et latinis, neque ratio Theodoreti convincit, titulum esse confictum, quia Hieremias non fuerit unquam in Babylone. Titulus enim non significat, Hieremiam in Babylone fuisse sed psalmum compositum fuisse a Davide praevidente, et praedicente captivitatem Babylonicam, quam postea Judaeis imminentem Hieremias praedicavit et praesentem deploravit et finem ejus post septuaginta annos futurum denunciavit. Fieri quidem potest, ut hunc titulum David non addiderit praesenti psalmo, sed postea additus fuerit vel a septuaginta interpretibus, vel ab aliquo alio; tamen non ideo rejiciendus est, quasi falsam historiam contineret. Argumentum psalmi continet lamentationem captivorum et desiderium patriae, ac praedictionem severissimae animadversionis in Babylonios et Idumaeos: quae a Davide scripta sunt, non tam ut simplicem historiam futuram narraret, quam ut admoneret hebraeos, ut quando in Babylonem ducerentur captivi, non afficerentur rebus Babylonis, sed assidue ad patriam suspirarent. Et quoniam Propheta spiritualis erat, et noverat, Babylonicam captivitatem figuram esse captivitatis humani generis, et terrenam Jerusalem figuram esse coelestis patriae; simul admonet omnes electos, quomodo se gerere debeant in exilio et captivitate. Et sine dubio ad hunc praecipue finem ecclesia cantica ista spiritualia frequentat, ut ex his intelligere possint homines, an sint cives Babylonis, an Jerusalem, idest, an sint cum electis in coelesti patria regnaturi, an cum reprobis et hoc mundo damnandi.

EXPLICATIO PSALMI CXXXVI.

1. *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.*

Verba sunt captivorum, qui ab Hierusalem in Babylonem abducti fuerant: qui quidem, ut Chrysostomus docet, non in ipsa civitate primaria habitabant, sed in agris ad varia opera vilia deputati degebant, et ad ripas fluminum, quibus ea provincia abundat, aliquando fessi sedebant, et ex recordatione, et desiderio patriae flebant. Dicuntur autem *Flumina Babylonis*, non quod omnia per ipsam civitatem labantur (solus enim Euphrates per Babylonem fluit) sed quod ad ditionem Babylonis pertinerent; nisi placeat per Babylonem, totam provinciam hoc loco significari: quo modo Samaria civitas est, quae toti etiam regioni nomen dedit. Sed spiritualiter verba sunt electorum Dei, qui corpore captivi tenentur in mundo, quamvis corde a mundo separati, cives se noverint coelestis Hierusalem: isti enim sancti peregrini super flumina consistunt, non in fluminibus demersi volvuntur, et praecipitantur ad mare. *Flumina Babylonis* sunt bona temporalia hujus mundi, quibus qui affixi sunt per desiderium ut avari, ambitiosi, voluptarii, magno sonitu contentionum, et litium alliduntur ad saxa, et cum ipsis aquis volvuntur in praeceps, donec ad abyssum magni maris in aeternum puniendi praecipitentur. Haec igitur est prima conditio civium supernae patriae et primum signum, unde quisque intelligat, ad quem populum pertineat: qui enim supereminent rebus temporalibus, et corde in coelum defixo, non abripiuntur desiderio rerum terrenarum; hi sunt, qui non ad Babyloniam sed ad Hierusalem pertinent. Deinde iidem cives sanctorum sedent ad ripas fluminum, idest, in humili loco se ponunt, non erigunt se ad excelsa, non ambiunt dignitates, non superbe sapiunt, et si forte contingat eos elevari ad regimen Babylonis ut vere contigit Danieli et non paucis sanctis christianis regibus; isti in alto positi non alta sapiunt, neque existimant exaltationem suam esse honorem; sed onus, sub quo gemant, non in quo glorientur, ac semper, quod ad se attinet, discumbunt in novissimo loco, si vere spiritum illius habent, qui mitis fuit et humilis corde. Tertio, non solum in humili sedent, sed gemunt, ac plorant non jacturam temporalium rerum, sed captivitatem suam, dum recordantur dulcissimae patriae, quae est in sancto monte Sion; qui enim obliviscuntur patriae exultant cum filiis Babylonis: qui autem desiderant et ex desiderio recordantur patriam; etiam tunc cum abundant rebus temporalibus, non in eis laetantur, sed gemunt ex desiderio patriae, neque ullum manifestius signum habere possumus unde cognoscamus, utrum cives Babyloniae, an Hierusalem simus, quam si attente consideremus, quid nos delectet, quidve nobis cordi sit. *Ubi enim thesaurus noster est, ibi et cor nostrum erit.* Luc. 12.

2. *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.*

Captivi hebraei organa laetitiae, citharas videlicet, ut est in hebraeo, suspendebant *in salicibus in medio* Babylonis, idest, palam et publice Babyloniis videntibus abjiciebant a se instrumenta laetitiae, ut ostenderent, sibi fletum magis cordi esse, quam cantum. Quod ipsum imitantur viri Dei, qui intelligentes captivitatem et exilium suum dicunt cum eodem Propheta, *renuit consolari anima: memor fui Dei, et delectatus sum*: quamvis enim non delectet cives Hierusalem cantare, et laetari cum Babyloniis, et de bonis Babyloniae, tamen cantant in cordibus suis Domino, et gaudent in spe futurae beatitudinis. Illud, *in salicibus in medio ejus*, idest, Babylonis, significat, *in salicibus*, quae sunt ad ripas fluminum, quae per mediam regionem Babylonicam fluunt. Suspendere autem citharas in salicibus fluminum Babyloniae, nihil est aliud, nisi relinquere instrumenta laetitiae hominibus hujus saeculi, qui tamquam arbores infructuosae irrigantur assidue aquis Babyloniae, et fructum nullum ferunt: ipsi pulsent citharas, ipsi cantent in hoc saeculo, quibus manet in alio luctus sempiternus.

3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.*
4. *Et qui abduxerunt nos: hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

Non solum ob moestitiam suspenderunt citharas suas in ramis arborum captivi Judaei, sed etiam ne obsequerentur Babyloniis, audire, et irridere cupientibus sacros hymnos, quos in celebritatibus Domini cantare soliti erant. Ubi notat sanctus Joannes Chrysostomus ex tribulatione illa Judaeos factos esse meliores, idest, magis religiosos, et magis timentes Deum: antea siquidem ridebant Prophetas, imo et occidebant, nunc autem captivi in terra aliena, non audent hymnos sacros gentilium irrisioni exponere. Ajunt igitur, *quoniam illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum*, ideo, *suspendimus organa nostra*, et noluimus illis uti, ne sacra cantica irrisioni gentilium exponeremus, *quia ii, qui nos captivos duxerunt, illic*, in sua regione, *interrogaverunt nos verba cantionum*, idest, de verbis cantionum, et dixerunt, *qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion*. Per verba *cantionum* intelliguntur cantica, idest, verba ad cantum accommodata; quasi dicant, Interrogaverunt nos de canticis nostris, cur videlicet non caneremus ut in patria nostra faciebamus. Posset etiam illud, *interrogaverunt*, verti, *rogaverunt*, ut sensus sit, *rogaverunt nos verba cantionum*, idest, petierunt, ut caneremus. Illud autem, *et qui abduxerunt nos*, quod in hebraeo est, תוליונו *tholalenu*, alioqui vertunt *spoliaverunt nos*, volentes ת, positum esse more Chaldaico pro ש, alii, *afflixerunt nos*, quasi ejulare fecerunt, a verbo, הלל *thalal*: sed non video cur non possit verti, *extulerunt nos* quod est idem cum, *asportaverunt nos*, vel *abduxerunt nos*, ut septuaginta verterunt: nam הלל *thalal*, est *elevare, extollere, suspendere. Extollere* autem non solum significat tollere in altum, sed etiam tollere ex uno loco, et asportare in alium, et hoc modo acceperunt hanc vocem septuaginta interpretes. Illud, *hymnum cantate*, in hebraeo est, *laetitiam cantate*: sed sensus est idem, nam *hymnus* est carmen laetum; proinde *laetitia*, hoc loco accipienda est pro cantico laetitiae. Denique parum refert, quod pro illo, *de canticis Sion*, sit in singulari, *de cantico Sion*: accipitur enim numerus singularis pro numero multitudinis.

5. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.*

Haec est responsio captivorum ad petitionem illam, *cantate nobis de canticis Sion*. Aliqui existimant legendum esse, *in terra alieni*, idest, in terra Dei alieni: atque ideo noluisse Judaeos cantare ne honorem Dei veri tribuerent falsis Diis. Sed quamvis secundum regulas grammaticae illa vox, *in terra*, regat post se genitivum, tamen septuaginta interpretes et ipse etiam sanctus Hieronymus verterunt, *in terra aliena*; quia vel sciebant regulas grammaticae non esse infallibiles, vel acceperunt illud, *in terra alieni*, pro in terra alieni populi, quod est idem cum, *in terra aliena*. Sensus igitur est, respondisse Judaeos ob moerorem captivitatis, non se potuisse cantare cantica laeta, ut in patria sua solebant. Quamvis enim, ut supra diximus, ideo cantare nolebant, ne sacri hymni ab infidelibus riderentur: tamen non hoc responderunt, ne Dominos suos offenderent, sed quod justae causae speciem habere poterat. Spiritualiter viri justi, cives supernae Hierusalem, scientes laetitiam propriam esse patriae, gemitum exilii, et captivitatis, dicunt, quomodo possumus laetis canticis operam dare, inter tot pericula et tentationes? *risum reputavi errorem, et gaudio dixi, cur frustra deciperis?* Sed illi quoque cantant canticum Domini in terra aliena, qui sacros hymnos, et psalmos ita decantant, ut carnalem aurium voluptatem solum aut praecipue quaerunt, quique audientium carnales aures delectare variis vocum inflexionibus satagunt: cantica enim sacra instituta sunt ad mentem erigendam in Deum, et spiritum potius quam corpus recreandum. Contra autem nonnulli sunt, qui canticum Babyloniae in domum Dei, et sanctam Sion ducunt, illi videlicet, qui verba sacra modulis profanis ita vestiunt, ut qui audiunt, non tam verba considerent, quam profanam modulationem attendant.

6. *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea.*
7. *Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.*
8. *Si non proposuero Hierusalem in principio laetitiae meae.*

Qui dixerant, *quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena*; nunc una voce, quasi unus

homo, totus populus introducitur jurans, et firmiter statuens, se numquam oblivioni mandatorum patriam : et quia signum oblivionis fuisset pulsare citharam,et canere canticum Domini in terra aliena,ideo imprecatur sibi per juramentum execratorium, ut manus, qua pulsari solet cithara, exarescat, lingua,quae cantui deservit,adhaereat immobilis faucibus, si unquam obliviscetur patriam, et in signum oblivionis pulsare citharam, vel canere canticum Domini in terra aliena decreverit.*Si oblitus*, inquit, *fuero tui Hierusalem*,quod fiet si pulsare incipiam citharam in terra aliena, *oblivioni detur dextera mea*, idest,pereat dextera mea,arescat, non sit ulli usui: quorum enim obliviscimur, ea non amplius curamus,neque conservamus.Sanctus Hilarius, et sanctus Augustinus legunt active, *Obliviscatur me dextera mea*,et sic putant recentores vertendam esse vocem hebraicam, תשכח *thiscach*, sed vox hebraica rectissime accipitur etiam passive:unde sanctus Hieronymus ex hebraeo vertit,*in oblivione sit dextera mea*:et sanctus Hilarius testatur vocem Graecam passive accipiendam, et dum reprehendit lectionem sui codicis, laudat lectionem nostram,quae respondet graecae, et Hebraicae voci.*Adhaereat lingua mea faucibus meis*,ut moveri nequeat,*si non meminero tui* Hierusalem,idest,sic cantando in terra aliena demonstrabo, me tui non amplius meminisse. Imo etiam *oblivioni detur dextera mea et adhaereat lingua mea faucibus meis*,si non solum obliviscar,et non meminero tui Hierusalem;sed etiam nisi proposuerunt te in principio laetitiae meae, idest, nisi initium, et summa laetitiae meae fuerit civitas sancta Hierusalem.In hebraeo pro verbo *proposuero*,est, אעלת *ahale*, quod significat *ascendere faciam*, sive *extollam*, pro nomine in principio, est, על ראש *al rosc*, *ad caput*, quod et *initium* et *summam* significat. Itaque sensus est, nisi extulero Hierusalem super omnes jucunditates meas,ut ipsa mihi prima et summa laetitia sit. Haec vero propria qualitas est civium patriae coelestis, et certa nota electorum Dei, si neque in prosperis, neque in adversis obliviscantur patriae supernae,et si optent carere manu et lingua, si gloriae Dei atque aeternae saluti deservire non debeant; et si nulla in re serio laetari noverint, nisi in desiderio, et spe coelestis illius domus non manufactae,ubi est gaudium Domini,de quo dicitur in evangelio,*intra in gaudium Domini tui*. Matth. 25.

9.*Memor esto Domine filiorum Edom in die Hierusalem.*

10.*Qui dicunt,exinanite,exinanite usque ad fundamentum in ea.*

11. *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.*

12.*Beatus qui tenebit,et allidet parvulos tuos ad petram.*

Praedicit David in fine psalmi perditionem Idumaeorum et Babyloniorum,qui persecuti sunt filios Israel : Babylonii enim sub rege Nabuchodonosor everterunt Hierusalem, et transtulerunt hebraeos captivos in Babyloniam,ut notum est ex lib.4.reg. et lib. 2. Paralipom. in fine. Idumaei autem, qui descendebant ab Esau fratre Jacob, qui et *Edom* dictus est, hortati sunt babylonios, ut everterent Hierosolymam, et populum captivum abducerent. Id aperte narrat Abdias Propheta, et multo ante id futurum praedixit David hoc loco:incipit igitur David ab Idumaeis,vel quia ipsi incitaverunt Babylonios adversus Israelitas,vel ut a minoribus ad majora praecedat, multo enim minus nocuerunt hebraeis Idumaei, quam Babylonii. *Memor*, inquit, *est Domine filiorum Edom, in die Hierusalem*,id est, memor esto filiorum Edom,quid videlicet egerint in die Hierusalem, idest, quando Hierusalem affligebatur et evertebatur a Babyloniis.Quid autem egerint,explicat in sequenti versiculo.*Qui dicunt*, idest,qui dicebant Babyloniis,*exinanite*,evacuate, effodite *usque ad fundamentum in ea*, idest,vertite eam a fundamentis. Illud, *memor esto*,intelligitur ad puniendum:Deus enim dicitur *non recordari*, quando non punit, *et recordari*, quando punit, Ezech. 18. *Iniquitatem ejus non recordabor amplius*, et Tob.3. *Ne reminiscaris delicta mea*, vel parentum meorum. Transit deinde ad Babyloniam, et per modum imprecationis praedicit ejus ruinam. *Filia*, inquit, *Babylonis misera*, idest,civitas Babilon, quam ego miseram esse praevideo, licet nunc tibi foelicissima videaris:*beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*, idest,rex Medorum,et Persarum beatus erit quia prosperabitur adversus te,et retribuet tibi mala, quae retribuisti nobis. Quod factum esse testatur Daniel cap. 5. et Isaias cap.13. praedixit,quod hoc loco David etiam praedicit, tanta crudelitate saevituros Medos et Persas in Babylonios,ut etiam infantes eorum ad parietes allisuri sint,et sine ulla miseratione interfecturi. Illud, *parvulos tuos*, in hebraeo, et graeco, et in multis latinis libris manuscriptis, legitur,*parvulos suos*,neque est incredibile in nostram editionem Impressorum vitio irrepsisse *suos*,pro *tuos*,proinde recte correctus est hic locus apostolica auctoritate. Sensus autem est idem, si illud *suos* accipiatur non ut reciprocum secundum proprietatem linguae latinae, sed juxta phrasim graecam et hebraicam,accipiatur pro *ejus*, ut significentur parvuli Babyloniae. Spiritualiter haec omnia dupliciter intelligi possunt. Primo allegorice ut per *Idumaeos*,intelligantur Judaei;per *Babilonios*,pagani:vere enim Pagani sunt,qui praecipue conabantur ecclesiam christianam et fundamentis diruere, sed Judaeis exhortantibus, incitantibus, et gaudentibus. Nam ipsum etiam Christum Judaeis accusantibus, Pagani crucifixerunt. Jacobum occidit,et Petrum vinculis alligavit Herodes, quia videbat id placere Judaeis. Apostolum Paulum Judaeis apud romanos reum mortis facere conati sunt. Alias etiam Judaei concitaverunt animos gentilium adversus christianos, teste sancto Luca auctor. 14. sed memor fuit Deus,ut utrosque puniret.Nam Judaeorum urbem primariam everlit, regnum destruxit, et ipsos per totum orbem terrarum dispersit.Paganorum quoque,qui toto fere orbe imperabant, potentiam et regna ita sustulit, ut jam paucissimi restent pagani reges. Et quoniam

idololatria,et potentia paganorum non armis et violentia,sed praedicatione verbi Dei superata est,ideo dicit propheta, *beatus qui retribuet tibi*,etc. nam pagani infoeliciter persequebantur Christianos,sed foelicem persecutionem a Christianis passi sunt. Utilissimum enim illis fuit,ut idololatria extincta ipsi morerentur peccato, et justitiae vivere inciperent: quod praecipue parvulis eorum contingit,idest,iis, qui minus radicati erant in erroribus et vitiis paganorum. Scimus enim,maximam multitudinem puerorum , et puellarum , aliorumque simplicium hominum,facillime conversam ad Christum,et ad martyrium usque decertasse pro Christi gloria adversus paternam idololatriam:quod significatur illis verbis, *beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos* , sive parvulos ejus, *ad petram* , id est , qui admovebit parvulos Babyloniae ad petram Christum, ut foeliciter allisi moriantur homini veteri , et resurgant in hominem novum. Secundo possunt haec intelligi moraliter , ut per *Idumaeos* intelligantur carnales homines,ut Augustinus exponit,per *Babylonios* intelligantur daemones; quod est magis conforme principio psalmi:Babylonica enim captivitas figura fuit , ut initio diximus , captivitatis generis humani, quae captivitas adhuc ex parte durat,dum caro concupiscit adversus spiritum , et electi clamant,*quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Rom. 7. et Apostolus dicit, *nos ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri* , Rom. 8. et denique hospites, et peregrini habitamus in terra aliena,et in mundo damnabili sumus,licet de mundo non simus.Retribuet ergo Deus Babyloniae retributionem, quam retribuit nobis , quoniam sicut rex Babyloniae Diabolus captivos nos fecit,et alligavit vinculo culpae,quo vinculo alligati nascuntur omnes filii Adam: sic in die judicii captivum fiet Christus, rex Jerusalem, Diabolum, et alligabit, vinculis aeternae poenae, ut nulli amplius nocere possit , de quo dicit beatus Judas, *angelos,qui non servaverunt suum principatum,sed dereliquerunt suum domicilium,in Judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Neque solum Diabolum ligabit Christus vinculis aeternis,sed etiam omnia membra ejus , sive omnes ministros ejus , mundanos videlicet homines qui pios persequebantur, et captivos tenebant, alligabunt angeli *in fasciculos ad comburendum* , ut dicitur Matth. 13. Sicut autem rex Babyloniae seducit praecipue , et captivos facit *parvulos* Christi, idest, eos, qui non creverunt,nec profecerunt in Christo;quibus semper lacte opus est: sic e contrario beatus est , qui parvulos Babyloniae, idest,qui minus creverunt in vitiis mundi , foeliciter allidit ad petram occidens peccato, et justitiae vivant, Non est omittenda spiritualis expositio sanctorum patrum, Hilarii,Hieronymi et Augustini, qui per *parvulos Babyloniae*, intelligunt initia tentationum , quae facile superari possunt , si continuo exortae allidantur ad petram, quae Christus est.Vere enim *beatus* dici potest , qui semper vigilat , et incentiva tentationum crescere non sinit.

PSALMUS CXXXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

In Graecis libris, quos nunc habemus,invenitur titulus, *Aggaei et Zachariae* , sed videtur additus a recentioribus : nam non solum in hebraeo nihil est, nisi,*David*,sed neque ullus veterum legit,*Aggaei, et Zachariae*, nec Hilarius,nec Hieronymus, nec Chrysostomus,nec Augustinus,nec Theodoretus,nec Euthymius.Itaque merito contemni potest. Argumentum est gratiarum actio,quod exaudiverit Deus humilem orationem suam: pro qua re autem oraverit, et quid acceperit, alii aliter sentiunt:sed nobis videtur petiisse adventum Messiae , et gratias agere, quod exauditus praeviderit , et praedicere potuerit Christi gloriam,et conversionem gentium.

EXPLICATIO PSALMI CXXXVII.

1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo:quoniam audisti verba oris mei.*

Initio psalmi pollicetur Propheta sacrificium laudis, et toto corde, quia pro beneficio omnium maximo gratias auctorus erat pro salute sua, et totius populi sempiterna.*Confitebor tibi Domine* confessionem laudis , et gratiarum actionis , non verbis tantum, sed ex intimo corde, summa attentione,et ardore mentis, eo quod exaudieris verba oris mei, orationem videlicet meam. In hebraeo non habentur haec verba, *quoniam audisti verba oris mei.* Sed credibile est excidisse , et esse debere : habentur enim apud antiquos patres, Hilar. Hieron. et August. in commentariis hujus psalmi. Apud graecos autem habentur quidem , sed post verba,

In conspectu angelorum psallam tibi: sensus semper est idem.

2. *In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.*

Declarat confessionem suam fore talem qualem requirit excellentia auditorum. *In conspectu angelorum psallam tibi*, idest, scio me psallentem tibi, ab angelis, qui tibi assistunt, videri, et attendi, et ideo ita considerate me geram in psallendo, ut qui intelligam in quo theatro consistam. Et certe, si nos quoque cum psalmos recitamus, intelligeremus, vel cogitaremus ab angelis sanctis videri, et audiri, nostram attentionem, et devotionem laudari, vel contra, evagationes, et negligentiam reprehendi; perfecto longe aliter caneremus, quam nunc facimus. S. Joan. Chrys. addit illud, *in conspectu*, significare, *et regione*, ut re vera significat vox hebraica, נֶגֶד *neghed*, sensum esse psallam e regione angelorum, quasi unum chorum faciant angeli: alterum homines, ut non solum nobis canendum sit audientibus et videntibus angelis, sed etiam illis ex altera parte concinentibus, et respondentibus. Quare multum omnino prodesset ad attentionem et diligentiam, si recitaturi divinum officium intra nos cogitando diceremus, *in conspec'u*, vel regione *angelorum psallam tibi*: id enim efficeret, ut vere in toto corde confiteremur Domino. *Adorabo ad templum sanctum tuum*, idest, in templo manufacto, quod *orationis domus* psalmos decantans, *adorabo*, hoc est, *incurvabor*, et prosternar ad templum factum tuum, quod est non manufactum, sed aeternum in coelo: et in eo templo animo et contemplatione positus, *confitebor*, laudes *nomini tuo*. In hebraeo pro *Angelorum*, habentur *Deorum*. Sed septuaginta interpretes intellexerunt per *Deos*, hoc loco significari *angelos*, ut etiam in psalmo octavo, *minuisti eum paulo minus ab angelis*: et videmus ab apostolo hanc interpretationem approbari ad hebr. 2. proinde verissima interpretatio censenda est. Illud autem, *adorabo ad templum*, potest accipi de templo, sive tabernaculum, in quo erat arca Dei, et potest sensus esse, *adorabo ad templum*, idest, in templo, vel etiam, *adorabo ad templum*, idest, versus templum, quod faciebant hebraei, quando aberant a Hierosolyma: tunc enim adorabant, et orabant conversi ad eam partem mundi, ubi erat tabarnaculum Domini, ut intelligi potest ex cap. 6. Danielis. Sed quoniam David dixerat, se in toto corde laudaturum, et in conspectu angelorum psalmos cantaturum, credibile mihi est, eum de templo coelesti esse loquutum, ubi sunt angeli, et ubi praesidet ille, qui intuetur corda.

3. *Super misericordia tua, et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.*

Antequam exponatur hic versiculus, constituenda est littera ex concordia codicum. In Hebraeo habetur sic, *super misericordia tua, et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen tuum, verbum tuum.* In graeco illud, *sanctum tuum*, est generis neutri, το αγιον σδ, nec desunt, qui existiment, graecum textum esse corruptum, et legendum esse, λογιον, pro αγιον, idest, *eloquium*, sive *verbum*, pro, *sanctum*. Sed cum antiqui Patres, Hilarius, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, et alii, in comment. et ipse s. Hieronym. et epist. ad Suniam, et Fretellam, ex graeco legant, *sanctum tuum*, non facile adducor, ut credam textum graecum esse corruptum. Existimo igitur sic textum hebraicum cum graeco et latino sic esse concordandum, ut per *sanctum tuum*, intelligamus filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, ut s. Hiero. admonet loco citato epistol. ad Suniam et Fretellam. Ipse enim est verbum Dei, ut dicitur in hebraico codice, et est sanctus Dei, ut dicitur in graeco et latino: neque refert, quod in graeco sanctum sit generis neutri: nam angelus quoque Gabriel Luc. 1. dixit: *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Dicitur autem Filius Dei, *sanctum* absolute, quia res est sanctissima, neque est in coelo, vel in terra aliquid eo sanctius. His ita constitutis, sensus versiculi erit, *confitebor nomini tuo super misericordia tua, et veritate tua*, idest, haec erit materia canticorum meorum. In toto corde laudabo te super magna illa misericordia tua, et fidelitate tua, qua sicut promisisti patribus, misertus generis humani, *magnificasti* Christum tuum, qui est *Verbum tuum* et *sanctum tuum, super omne nomen*, quia dedisti illi nomen, quod est super omne nomen. Nam hoc facto misertus es generis humani misericordia prorsus ineffabili, et ab omnibus in aeternum praedicando, cum genus humanum depressurum per peccatum usque ad inferos, exaltaveris in Christo super omnes coelos, et super omnes res creatas; et sic implevisti cumulatissime veritatem tuam, qua promissis tuis stare solitus es. Quia vero in hebraeo non est absolute, *super omne nomen*, sed *super omne nomen tuum*, dupliciter potest accipi nomen *Deo*. Primo, pro potentia, et gloria, quam Deus communicare solet cum creaturis, et tunc sensus est, *magnificasti* filium tuum *super omne nomen tuum*, idest, super omnem potentiam, et gloriam, quam alii a te acceperunt, quod est idem cum illo, *dedit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* Secundo, ut nomen *Dei* accipiatur pro fama, et gloria, quae redundat ex operibus Dei, et tunc sensus est, *magnificasti* filium tuum *super omne nomen tuum*, idest, ex nullo alio opere acquisivisti majus nomen, famam, et gloriam, quam ex glorificatione filii tui.

4. *In quacumque die invocavero te exaudi me; multiplicabis in anima mea virtutem.*

Ex eo quod *magnificasti sanctum tuum*, confidenter peto, ut semper per illum advocatum nostrum exaudias me, *in quacumque die*, idest, quocumque tempore, *invocavero te*: ille enim dixit, *quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Multiplicabis in anima mea virtutem.* Hoc autem est, quod peto invocans te, ut multiplices,

sive dilatas, ut proprie sonat vox hebraica, non annos vitae corporis meo, aut opes, aut filios, aut alia ejusmodi, sed *virtutem in anima mea*, id est, robores animam meam (*virtus* enim hoc loco, *robur significat*, ut vox hebraica et graeca demonstrant) ut resistam cupiditatibus, ut tolerem patienter adversa; ut ambulem sine fatigatione in via justitiae, ut vim inferam regno coelorum, ut ad eum, quem magnificasti, aliquando perveniam.

5. *Confiteantur tibi Domine omnes reges terrae, quia audierunt omnia verba oris tui.*

Quemadmodum paulo ante dixit, *magnificasti sanctum tuum*, praedicens futurum per verbum praeteriti temporis, quoniam videbat per spiritum rem futuram, quasi praesentem, vel praeteritam more prophetico: sic nunc praedicit futuram conversionem gentium per modum imperantis. *Confiteantur*, idest, magnificato sancto tuo per resurrectionem, et ascensionem ejus confitebuntur tibi confessionem laudis omnes reges terrae, quoniam per apostolorum praedicationem *audierunt omnia verba oris tui*, idest, quicquid mundo revelare dignatus es per prophetas et apostolos tuos; quae *verba oris Domini* antea in sola Judaea erant, ut dicitur apostolus roman. 3. *Illis tradita sunt eloquia Dei*: sed postea per apostolos audierunt omnes reges, et omnes populi terrae: nam *in omnem terram exivit sonus eorum.*

6. *Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.*

Pergit Propheta explicare mysterium vocationis gentium. *Et cantent*, inquit, *in viis Domini*, idest, ambulabunt reges, et eorum populi *in viis Domini*, quae sunt misericordia et veritas: isti, enim viis Deus ad nos descendit, et nos ad illum ascendimus; ille misericorditer condonando peccata poenitentium: et juste puniendo impoenitentes, et coronando justos, nos misericorditer condonando peccata proximorum, et juste cum omibus conversando, atque Deo, et proximo reddendo quod debemus: ambulabunt autem non inviti, et moesti, sed laeti, et volentes, cantando, *quoniam magna est gloria Domini*. Cognoscent enim, et admirabuntur quotidie magis ac magis quam magna Dominus fecerit, et quam magnifice glorificaverit Christum suum, caput nostrum, et quae sint divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctos.

7. *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit.*

Haec est magna gloria Domini, quod cum excelsus, imo altissimus sit natura, dignitate, potentia, sapientia, imperio; tamen *humilia* de proximo respicit, quoniam ad humiles descendit: et vere in filio suo in terris visus est, cum hominibus conversatus est: *alta* autem *a longe cognoscit*, quoniam a superbis longe recedit, vel eos longe a se projicit: quomodo regem superborum diabolum de coelo ad inferos praecipitavit. Haec doctrina sanctae humilitatis omnibus quidem necessaria est, sed praecipue regibus, et aliis in sublimitate constitutis: ipsis enim maximum periculum est a spiritu superbiae. At cur Deus excelsus, non diligit excelsos, sed humiles, cum omne simile diligat sibi simile? Diligit Deus excelsos vera celsitudine praeditos, non elatos celsitudine falsa: illi enim similes Deo sunt, isti dissimiles. Porro humiles, qui se nihil esse ex se agnoscunt, implentur a Deo veris bonis, et exaltantur ad celsissimam dignitatem: superbi autem, qui se existimant esse quod non sunt, inanes remanent, et solo vento distenti, et inflati procul abjiciuntur.

8. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: et super iram inimicorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.*

Quoniam Deus excelsus humilia benignissime respicit, David conscius propriae humilitatis, cum fiducia sibi pollicetur auxilium Domini in omni tribulatione. *Si ambulavero*, inquit, *in medio tribulationis*, ita ut undique tribulantibus, et tentantibus cinctus sim; tu tamen *vivificabis me*, id est vivum, illaesum, incolumemque servabis. *Et super iram*, idest, nam super iram (*et*, pro, *quia*, passim legitur in scripturis, ut saepe monuimus) *inimicorum meorum* me undique circumstantium et devorare cupientium, *tu extendisti manum tuam*, ut eorum furorem compesceres, et conatus impedires; et sic *salvum me fecit dextera tua*, idest, potentia et virtus tua, quae Christus est. In hebraeo habentur omnia in futuro, *vivificabis*, *extendes manum tuam*, *salvum me faciet dextera tua*, sed idem est sensus. S. Augustinus more suo utiliorem, sed spiritualem sensum excogitavit: *Si ambulavero in medio tribulationis*, idest, si ex amore coelestis patriae invenero praesentem vitam esse laboriosam peregrinationem, et sic invenero tribulationem et dolorem, quem non inveniunt, qui vitam praesentem amant, tunc *vivificabis me* vita gratiae tuae: *et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam*, idest, *in medio tribulationis* ambulo, quia tu extendisti manum tuam ad me feriendum magis, quam ira inimicorum ferire me possit. Inimici possunt spoliare, vulnerare, occidere, amplius non possunt; tu differs reditum in patriam, et adoptionem coelestis beatitudinis, quod mihi gravius est omni tribulatione corporali, sed tamen non despero, quia *salvum me facit dextera tua*, spe, et promissione; postea quoque re ipsa, et visione salvum me faciet eadem dextera tua.

9. *Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in saeculum, opera manuum tuarum ne despicias.*

Explicat modum, quo *dextera Domini salvos nos facit*. *Dominus*, inquit, qui est, *dextera tua*, *retribuet pro me*, retribuet autem tibi Deo Patri pretium pro peccatis meis, sicut alibi dicit, *quae non rapui, tunc exolvebam*: retribuet etiam vindictam inimicis meis, quam ego retribuere non

possum. *Domine misericordia tua in saeculum durat*, finem non habet ; ideo peto , ut *opera manuum tuarum ne despicias*, idest, quae tu misericorditer inchoasti opera, inspirans fidem, spem, et charitatem, non deseras, sed conservando, augendo, perficiendo consummes.Recte autem dicit, *opera manuum tuarum* , non opera manuum nostrarum, quia quidquid boni habemus, illius dono habemus, sine quo non solum nihil possumus facere,sed neque sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.

PSALMUS CXXXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Ad hunc titulum additur in graecis codicibus , *zachariae in dispersionem.* Sed haec verba non habentur in hebraeo; et Theodoretus monet , non haberi apud septuaginta, neque apud ullum interpretum: neque ea nos invenimus apud veteres tractatores.De argumento magna controversia est. S. Hilarius totum psalmum ad Christum accommodare nititur. S. Augustinus partim de Ecclesia, partim de Christo exponit. Theodoretus , prophetiam esse dicit de rebus gestis Josiae regis. Alii volunt Davidem de se proprie loqui,et Deum scientem omnia in testem adducere, quod ipse amicos Dei amaverit, inimicos oderit. S.Joannes Chrysostomus quem Euthymius sequitur, exponit,maxime secundum litteram, de scientia et providentia Dei. Chrysostomum praeter caeteros, sequens existimo, Davidem voluisse admonere genus humanum, Deum esse magnum remuneratorem operum bonorum, et contra,severum Judicem operum malorum,atque ut id persuadeat, prolixe disputare de scientia Dei qua exactissime,et profundissime omnia nostra novit, naturam, opera, verba, cogitationes, ut nemo dicere possit, Deus non novit, aut non considerat res nostras, ideo vel judicium ejus effugiemus, vel pro meritis non coronabimur.

EXPLICATIO PSALMI CXXXVIII.

1. *Domine probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam , et resurrectionem meam.*

Haec David non de se solum dicit: sed assumit personam generis humani, et in persona omnium affirmat, Deo nos, et nostra omnia esse notissima. *Domine*, inquit, *probasti me*, idest, examinasti,et scrutatus es me: id enim sonat vox hebraica. Dicitur autem Deus *examinare et probare*, per metaphoram, quia vult perfectissime,et exactissime cognoscere omnia; ut re vera cognoscit: et quia qui volunt exactissime cognoscere, diligenter scrutantur, examinant, et probant; ideo David utitur hoc modo loquendi, non quod Deus egeat examine, et scrutinio.Itaque sensus est,tu Domine non es contentus quacumque cognitione rerum nostrarum, sed voluisti accuratissime cognoscere, ut faciunt, qui examinant et probant et re ipsa accuratissime cognovisti me. *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.* Quod dixerat generatim , nunc per partes explicat. Tu, inquit, cognovisti ab aeternitate, quando, et quomodo et qua de causa sedere, vel surgere deberem: nec solum corporaliter, sed etiam moraliter, idest, quando cur et quomodo humiliandus , vel exaltandus essem. Et si Deus haec de omnibus hominibus novit,multo magis novit de Christo, qui est caput hominum,et angelorum: et ideo recte ecclesiae in die resurrectionis Christo accommodat haec verba , *cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.*

2. *Intellexisti cogitationes meas de longe; semitam meam, et funiculum meum investigasti.*

Docet, Deum non solum cognoscere humiliationem et exaltationem , quae ad totam vitam pertinent, sed etiam in particulari omnes cogitationes, omnia consilia, omnem eventum. Vel cum docuisset David, Deum cognoscere exteriora nostra, humiliationem et exaltationem , nunc docet , Deum cognoscere etiam interiora, cogitationes, et desideria. *Intellexisti*, inquit , *cogitationes meas de longe*, idest, multo antea quam cogitare inciperem tu nosti quid essem cogitaturus,item nosti *de longe semitam meam*, idest, progressum meum, itinera mea tum corporalia, tum multo magis spiritualia, quae sunt consilia et deliberationes , denique *funiculum meum investigasti*, idest, finem et metam, ad quam perventurus essem, quam haereditatem, quam quietem asseculturus. In summa intellexisti ab aeternitate principia, media, et finem actionum mearum. Ex hebraeo s. Hieron. vertit ,

malum meum pro *cogitationes meas*; sed s. Hieron. existimavit vocem hebraicam deduci a, רוע *roah*, et legit, רועי *rohi*, *malum meum*: sed septuaginta interpretes deduxerunt eamdem vocem a, רעה *raha*, et legerunt, רעי *rehi*, quam vocem etiam si aliqui vertendam putent, *amicum meum*, tamen recte vertere possumus, *cogitationem meam*, ut ipsi etiam Judaei fatentur. De voce, *funiculum meum*, magna controversia est: in hebraeo habetur, רבעי *ribhi*, *accubitum meum*, sive, *accubationem meam*, ut vertit s. Hieronymus, ut sensus sit, *cognovisti ambulationem meam, et accubitum meum.* S. Augustinus legit, *semitam meam, et limitem meum*, et recte, quia finis itineris est limes, sive terminus, et quia in termino homo quiescit, recte dixit David, *semitam meam, et accubitum meum.* Hoc idem significare voluerunt septuaginta interpretes per *funiculum*: nam secundum scripturas *funiculus* significet *haereditatem*, sive *possessiones*, quae funiculis dividebantur, Ezech. 47. Joseph *duplicem funiculum habet*, idest, duplicem haereditatem, sive possessionem, quia Joseph duas tribus habuit, Ephraim et Manassem. Omitto eos, qui per *funiculum*, intelligunt itinera longa, vel distorta, et alia id genus, quae cum voce hebraica nulla ratione cohaerent.

3. *Et omnes vias meas praevidisti, quia non est sermo in lingua mea.*

Dixerat, Deum praevidisse cogitationes, consilia et eventus: nunc addit generatim omnes alios motus etiam otiosos, ut verba permulta. Praevidisti omnes alios motus meos usque ad verba inutilia et otiosa, *quia non est sermo in lingua mea*, supple quem tu non praevideris: hinc enim Dominus in evangelio testatur, homines de omni verbo otioso reddituros esse rationem in die Judicii: quia Deus omnia observat, omnia considerat, ut omnia in tempore suo in judicium adducat. Unde et s. Job perterritus dicebat, Job. 14. *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.* In graecis codicibus legitur, *non est dolus in lingua mea*, sed videtur esse nostra lectio verior. Nam s. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam testatur, non solum in hebraico esse, מלה *milla*, *eloquium* sed etiam septuaginta interpretes vertisse λογον, id est, *sermonem*. Sanctus etiam Chrysost. varias lectiones adducit, quarum alia habet, *non est sermo*, alia, *non est dolus*.

4. *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima, et antiqua: tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.*

Persuadet Propheta duobus argumentis, Deum omnia scire quae ad nos pertinent, primo quia novit omnia praeterita et futura unde non est mirum si etiam res humanas exacte sciat, quae inter caetera non ultimum locum obtinent: secundo, quia ipse fecit hominem, ipse gubernat: ergo dubitari non debet quin sciat omnia, quae ad illum pertinent. *Ecce*, inquit, *Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua*, idest, futura in novissimis diebus, et praeterita ab antiquissimo tempore. *Tu* praeterea *formasti me*, tu fecisti hominem, et posteaquam fecisti, non dimisisti, ut caeteri opifices faciunt, sed *posuisti super me*, super hominem a te formatum *manum tuam*, ut eum regeres, conservares, et quasi portares; alioqui enim in suum pulverem, imo in suum nihilum reverteretur. In hebraeo, quod nos legimus *novissima et antiqua*, possunt etiam legi, *retro*, et *ante*, et sic legit s. Hieronymus. Ratio cur ita legat, est, quia conjunxit illa verba cum sequentibus, *formasti me*, non cum praecedentibus, *cognovisti omnia*; non autem cohaerebant, *novissima et antiqua*, cum *formasti me*, sicut coherent *retro et ante*. Contra autem septuaginta interpretes, quia conjunxerunt cum praecedentibus, ideo verterunt, *cognovisti omnia novissima et antiqua.* Quamvis autem recentioribus quibusdam valde placeat illud, *retro et ante formasti me*, tamen vulgata editio praeferenda est, tum quia maxima est auctoritas septuaginta interpretum tum quia sic legunt omnes patres graeci et latini: tum quia non est res magna, neque mirabilis, quod qui formaverit hominem, formaverit partes et membra omnia, anteriora et posteriora, id enim omnes artifices statuarum et picturarum et aedificiorum faciunt. Sed quod Deus sciat *omnia novissima et antiqua*, id vere magnum et mirabile, et soli vero Deo proprium, et prophetica commemoratione dignissimum est.

5. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam.*

Quia demonstraverat Propheta duobus illis argumentis, scientiam Dei ad omnia, quae hominis sunt se extendere, ne quis putaret scientiam Dei nobis jam satis cognitam et perfectam esse, subjunxit hunc versiculum ut intelligeremus, scientiam Dei notissimam esse, quoad existentiam, id est, quod sit scientia maxima in Deo, sed obscurissimam esse; et plane incognitam, quoad modum idest, incomprehensibilem esse, quo modo Deus praevideat futura, praesertim libera, quae pro arbitrio hominis possunt esse, et non esse, qualia sunt cogitata, desideria, verba, et pleraque opera hominum. Idem dici potest de essentia et attributis Dei. Deum esse, et esse potentem, sapientem, bonum, justum misericordem, etc. notissima sunt: quid autem sit Deus et quomodo tot attributa sunt una simplicissima res, una essentia, unum esse, quis novit? quis dicere poterit? Ait igitur, *mirabilis facta est scientia tua ex me*, idest, mirabilior, quam ego assequi possim. Illud enim, *ex me*, phrasi hebraica significat, *prae me*, vel *super me*, quod explicatur per verba sequentia, *confortata est*, *et non potero ad eam*, idest, praevaluit supra capacitatem meam, sive elevata est altius, quam ego conscendere possim ut rem apprehendam. Duae sunt aliae, quae dantur a patribus ad hunc versiculum expositiones. Prima est s. Basilii oratione nona in Hexameron, quod illud, *ex me*, significet ex iis, quae sunt in me, ut sensus sit, Ex hebraica

humani corporis, mirabilem ostendi scientiam, et sapientiam Dei, non minus quam ex fabrica coeli, et stellarum. Haec expositio veram doctrinam continet, sed non est ad mentem Prophetae, ut intelligi potest, ex verbis sequentibus *confortata est, et non potero ad eam.* Altera s. Joannis Chrysostomi, qui existimat Davidem loqui de scientia naturae, et attributorum Dei, ut sensus sit, *mirabilis est scientia tua*, idest, de te, de tua essentia et attributis; quamvis enim sciamus te esse, et esse bonum et misericordem, tamen non capimus quid sis. Haec expositio vera est, sed debet restringi ad unum solum attributum, idest, ad scientiam, quae est in Deo: de hac enim Propheta loquitur. Imo in textu hebraico non habetur pronomen, *tua*, sed *mirabilis facta est scientia prae me*, idest, ista scientia, de qua supra dictum est. *Tu cognovisti omnia novissima et antiqua: et omnes vias meas praevidisti, et intellexisti cogitationes meas de longe*, ista, inquam, scientia mirabilis facta est *prae me*, idest, mirabilior, quam ego cognoscere possim.

6. *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?*
7. *Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.*
8. *Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris:*
9. *Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.*

Addit aliud argumentum ad probandum, neminem esse, qui posset latere scientiam Dei, quia videlicet Deus ubique est, et omnia penetrat. *Quo ibo a spiritu tuo*, ut videlicet abscondar a te, a tua mente, et intelligentia? et idipsum clarius repetit, dicens: *quo a facie tua*, idest, ab oculis tuis. *fugiam? si ascendero in* summum *coelum, tu illic es; si descendero in infernum*, in profundum abyssi longissime a coelo situm: ibi quoque tu ipse idem ades. *Si sumpsero pennas meas*, idest, si dentur mihi pennae, et mane surgens velocissime fugam ab oriente, *et habitem in extremis maris*, idest, in ultimo occidente; non tamen effugere te potero: nam *manus tua deducet me, et tenebit me*: quia sine Dei auxilio moveri non possumus, et quocumque imus, Deo nos portante imus. *In ipso* enim (ut ait Apost. Act. 17.) *vivimus, movemur, et sumus.* In hebraeo habetur pulcherrima figura poetica: sic enim habetur ad litteram, *si sumpsero pennas aurorae, et habitavero in extremis maris.* Aurora enim vox ut apparuerit in oriente, spargit radios suos usque ad occidentem, ut videatur quasi pennis velocissime ferri ab ortu usque ad occasum. Porro per, *extrema maris*, intelligamus ultimum Occidentem, non ut quidam volunt, quia Scriptura soleat per *mare*, intelligere occidentem; sed quia hoc loco extrema maris opponuntur orienti, ubi oritur aurora: nam absolute Scriptura per *mare* intelligit Austrum, non Occidentem. Psalm. 106. *A solis ortu et occasu; aquilone, et mari*: et quamvis terra promissionis habeat ad occasum mare mediterraneum, habet tamen ad Austrum mare Rubrum, et mare Oceanum. Et hoc loco non terram promissionis, sed totum mundum Propheta describit, a summo coelo usque ad imum infernum, et a mari Orientali, usque ad mare Occidentale, quo spatio totius orbis terrarum continetur, ut diximus in explicatione psal. 71. Denique observandum est, illa verba, *si ascendero in coelum, si descendero in infernum, si sumpsero pennas*, esse accipienda conditionaliter, non absolute, in hunc sensum. Etiamsi ascendere possem in coelum, vel descendere in infernum, vel volare ab ortu ad occasum, non possem a te abscondi, vel a te fugere.

10. *Et dixi, forsitan tenebrae conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis mei.*
11. *Quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus.*

Objicit ipse sibi, posse fieri, ut abscondatur a Deo beneficia tenebrarum. Et respondet id non posse fieri, quia tenebrae apud Deum non sunt tenebrae. *Deus* enim *lux est*, ut scribit s. Joann. 1. epist. 2. *lux autem in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt*, ut idem scribit in 1. cap. evangelii. Sicut enim lux solis corporalis non potest obrui tenebris, quia tenebras praesentia sua fugat, et ubicumque sol est, dies est: sic etiam lux spiritualis, et increata, quae Deus est, nullis tenebris impediri potest, quia praesentia sua tenebras omnes dissipat. Itaque nullum omnino latibulum homini relinquitur, in quo ab oculo Dei abscondi queat. *Et dixi, forsitan tenebrae conculcabunt me*, idest, forsitan tenebrae densissimae operient me, et sic effugiam oculos Dei. Ubi illud, *conculcabunt*, non significat, conterent, sed tegent, et obscurabunt sua densitate: id enim sonat vox hebraica, quam s. Hieron. recte vertit, *operient me*. Verbum autem graecum et latinum metaphoricum est: quod enim calcatur, in profundo ponitur, et absconditur. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*: Haec est responsio ad objectionem factam: quae responsio in codice hebraico clarissima est, secundum versionem sancti Hieronymi, videlicet, *et nox lux est circa me*, idest, nox respectu oculorum Dei non est nox, sed illuminatio *circa me*. Septuaginta Interpretes non verterunt *circa me*, sed *in deliciis meis*, quia vocem hebraicam, בעדני *bahadeni*, duxerunt ab, עדן *heden*, quod est voluptas, et rectissime reddiderunt, *in deliciis meis*: sed quia haec interpretatio obscurior est, s. Joannes Chrysostomus, et alii multi, qui eum sequuntur confugiunt ad metaphoram, et volunt per *noctem* et *tenebras* significari tribulationes, et hunc sensum esse horum verborum, forsitan tenebrae tribulationum conculcabunt me; sed per gratiam Dei consolantem me, nox ipsa erit mihi illuminatio, tribulatio vertetur in consolationem in deliciis meis spiritualibus. Sed non est opus ad metaphoram confugere; et totus contextus psalmi melius continuabitur et cohaerebit, si de veris tenebris hic versiculus explicabitur. Hic igitur est sensus litteralis, *nox illuminatio mea in deliciis meis*, idest, nox ipsa

per se obscura coram oculis Dei, non erit nox, neque obscura, sed erit illuminatio mea, idest, illuminabit, et patefaciet me in deliciis meis nocturnis versantem nam qui deliciis impuris vacant, tenebras noctis quaerunt, existimantes se a nomine videri, et ita securius peccare: unde et Apostolus ait, *qui dormiunt, nocte dormiunt*; *et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*: et poterat addere, Qui in cubilibus, et impudicitiis deliciae quaerunt, in noctibus eas quaerunt. Sed frustra; nam oculus Domini sole ipso lucidior tenebras omnes penetrat, et nihil est ei absconditum. Induit autem hoc loco personam impiorum Propheta sanctus, dum haec dicit; et sequentibus clarius idem repetit. *Quia tenebrae*, inquit, *non obscurabuntur a te*. In hebraeo elegantius, quia tenebrae non tenebrescent apud te. *Et nox sicut dies illuminabitur*, idest, et nox non erit obscura, ut solent noctes, sed erit lucida, ut lucidi sunt dies. *Sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus*. In hebraeo paulo clarius, *sic tenebrae, sicut lumen*. Sed addiderunt septuaginta pronomen, *ejus*, generis foemini, αυτης, et sensus est, *sicut tenebrae ejus*, idest, noctis, *ita et lumen ejus*, id est, diei; perinde enim est apud Deum, sive sint tenebrae noctis, sive lumen diei: quia non minus videt in tenebris noctis quam in luce diei.

12. *Quia tu possedisti renes meos : suscepisti me de utero matris meae.*

Probat, Deum in tenebris videre, et nihil ei esse absconditum; quamvis occultissimum, ex formatione membrorum nostrorum internorum in utero matris adhuc reconditorum : duplex enim hic est obscuritas; una quia membra sunt interna; altera, quia sunt in utero matris. *Quia tu possedisti renes meos* idest, hinc apparet, tibi perinde esse noctem, et diem, tenebras, et lucem, quia tu formasti, et formando tuos effecisti, *renes meos*, partes videlicet secretas, et absconditas, ubi est sedes internae cupiditatis: proinde effectus mei, et desideria mei, in manu tua sunt: neque solum *renes meos*, sed me totum in utero latentem suscepisti formandum, et fovisti formatum. Illud, *possedisti*, est in hebraeo, קנית *Kanitha*, quod significat, *producere*, et ratione productionis possidere, ut rem suam. Sic Gen. 2. dicit Eva, *possedi hominem per Deum*, quando genuit Cain, et Proverb. 8. dicit Sapientia Dei, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Ubique est idem verbum hebraicum: illud autem *suscepisti me*, non significat suscipere quomodocumque, sed suscipere formandum, sive fovere, et tegere. Unde sanctus Hieronymus vertit, *orsus es me*; alii *obumbrasti me*. Illud denique, *de utero*, in hebraeo est, *in utero*, et colligitur ex versiculis sequentibus, omnia haec intelligenda esse de conformatione humani corporis in utero. Quare ut verba graeca et latina concordent cum hebraicis, et cum sensu ipso Prophetae, illud, *suscepisti me de utero*, non debet exponi de egressu ab utero, sed de tempore quo erat in utero, in hunc sensum, Suscepisti me formandum, et fovendum de ipso utero, idest, antequam exirem de utero, dum adhuc essem in utero. Sicut intelligitur illud Isaiae 49. *Dominus ab utero vocabit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei*: sive enim hoc intelligatur de Christo, sive de sancto Joan. Baptista, id significat, Deum vocasse nomen ejus, et destinasse illum ad magnum officium ab ipsa conceptione, dum adhuc esset in utero.

13. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua, et anima mea cognoscet nimis.*

Interrumpit Propheta narrationem de officio humano per apostrophen ad Deum, et admirans magnitudinem scientiae, et sapientiae Dei in hoc opere, *confitebor*, inquit, *tibi*, idest, cogitans haec opera tua, confitebor tibi confessionem laudis, quia terribiliter terrore admirationis, et reverentiae magnificatus es. Declarat autem in quo sita sit haec admirabilis magnificentia, dicens, *mirabilia opera tua, et anima mea cognoscet nimis*, idest, admiranda sunt opera tua in formatione hominis in utero matris tam recondito, et obscuro; et anima mea valde sataget, ut cognoscat magnitudinem horum operum tuorum. Ubi non significatur perfecta cognitio operum Dei, sed cognitio, quod magna et mirabilia sint. Quo modo non videmus, nec scimus, quanda sit magnitudo maris, sed cognoscimus mare esse amplissimum, et ex hoc ipso cognoscimus esse amplissimum, quod ex nullo loco totum cernere possumus. Quo modo etiam solem adversum intueri nequimus, sed hoc ipso intelligimus, solis lucem esse maximam. In hebraeo nunc legimus, *magnificatus sum*; sed Septuaginta legerunt in secunda persona, non in prima. Sensus autem est idem; nam ideo Deus magnificatus est valde in hoc opere, quia magnificum opus fecit, cum nos ita magnificavit.

14. *Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terrae.*

Revertitur ad scientiam, et sapientiam Dei in opificio humano. *Non est occultatum*, inquit, *a te os meum*, idest, non latet scientiam tuam ossatura mea, ut sic loquar, idest, qualia et quam multa ossa lateant intra carnem humanam, quia tu ipse ea fecisti, et in occulto fecisti, videlicet in utero matris et intra pellem et carnem nostram. Idem repetit aliis verbis dicens, *et substantia mea in inferioribus terrae*, id est, non est occultata a te substantia corporis mei, adhuc etiam latens in profundo utero, quasi metallum in visceribus terrae : vel si non placeat per *inferiora terrae* intelligere uterum matris; possumus exponere proprie de ipsa terra, quae infima est inter elementa: nam ad admirationem operum Dei, pertinet quod tam nobilem substantiam formaverit in hac infima terra. Porro qui viderunt anatomiam corporis humani, satis mirari non possunt sapientiam Dei in fabrica tot ossium magnorum, parvorum, minimorum, mirabiliter inter se connexorum, atque id totum sine instrumentis in loco angustissimo, et obscurissimo peractum. Potest etiam hoc intelligi simul de ossibus corporis,

et animae,idest,de robore,et fortitudine animi humani, quod tantum est, ut homo natus inermis et nudus audeat,auxilio Dei fretus,non solum bestias, sed et ipsos doemones ad bellum provocare.In hebraeo, pro, *quod fecisti*, habetur, *quod factus sum*? sed credibile est Septuaginta legisse, עשית *hasitha*,fecisti, non, עשיתי *hussethi factus sum*, et sensus interpretationis septuaginta est longe clarior. Pro illo autem, *et sapientia mea*, in hebraeo legitur, רקמתי *rukamti*, idest,*variegatus sum*, ut sensus sit, *non occultatum est a te os meum, quod fecisti in occulto*,neque etiam occultatum est a te,quo modo variegatus sim a te varietate membrorum, et potentiarum, et partium similarium, *in inferioribus terrae*, idest, in utero matris, sive in hac ima terra, in qua degimus: quae sententia elegans est, et vera.Sed septuaginta non legerunt, רקמתי *rukamti*, sed unica littera paululum immutata, et aliis punctis subintellectis, וקמתי *vekomati*, *et erectio mea*, sive exaltatio, a non esse ad esse, quod est ipsa substantia: et sic legerunt omnes veteres.

15. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, et nemo in eis.*

Pergit in ostendenda scientia Dei erga humani corporis opificium: et per *imperfectum*, intelligit corpus informe, quod vocant embryonem, in quo nondum apparet forma, et distinctio membrorum. Hoc, inquit, *imperfectum meum viderunt oculi tui*, nec simpliciter viderunt,sed cognoverunt quid inde fieri deberet, et quo tandem evasurum esset. Reddit mox rationem subjiciens, *et in libro tuo omnes scribentur*, idest,quia habes apud te exemplaria, sive ideas omnium, quo modo pictor, vel sculptor scit, ex informi materia,quid futurum sit, quia videt exemplar. Itaque illud, et, accipitur pro *quia*. Quia, inquit, *in libro tuo*, idest, in mente tua, omnes homines, imo etiam res omnes descriptae invenientur.*Dies formabuntur et nemo in eis.* S. Hilarius legit, Die formabuntur, et in graeco textu est casus accusativus, ac per hoc subintelligitur aliquid, ut sensus sit, in dies formabuntur informia corpora et perducentur ad perfectionem suam, ut in exemplari relucent. *Et nemo in eis*, supple, deerit, vel ut est in hebraeo, nihil in eis deerit. Ordinarie siquidem nullus homo conceptus in utero, ad perfectionem suam non pertingit, neque aliud ex iis, quae naturaliter requiruntur, in eis deficit: cum enim secus accidit, ut in abortivis, vel iis, qui nascuntur coeci, aut muti;id non accidit ex defectu primae causae,sed secundarum.Possent haec omnia intelligi etiam de perfectione hominis quantum ad animam idest,de sapientia,prudentia, virtutibus moralibus gratia et gloria. Novit enim Deus *imperfectum* nostrum, et nos ex nobis nihil esse, nisi massam informem, sed juxta descriptionem in libro vitae, in dies formamur, et perficimur, donec efficiamur conformes imagini filii Dei, et configuremur corpori claritatis ejus. Atque ad hanc perfectionem tam excellentem corporis, et animae, ad quam ex tanta imperfectione perducuntur amici Dei, respiciens Propheta exclamat id quod sequitur.

16. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus,nimis confortatus est principatus eorum.*

Exclamatio ob admirationem nascitur, ut dixi, ex eo quod Propheta consideravit ex quanta abysso imperfectionis Deus perducat amicos suos ad summam et eminentissimam perfectionem, in qua simul ostenditur providentia Dei considerantis, et curantis res humanas, ut maxime proprias, et merita hominum altissime remunerantis, et demerita severissime punientis. *Mihi autem*, inquit; idest, apud me,sive meo judicio,*nimis honorificati sunt amici tui Deus*, idest,valde omnino et supra quam intelligam *honorificati sunt amici tui*,valde omnino confortatus est,roboratus et stabilitus principatus eorum: nam educti ex massa perditionis, et ex diabolica captivitate, transferuntur ad regnum aeternum, facti angelis aequales,filii Dei et haeredes fratres autem et cohaeredes unigeniti, quem constituit Deus haeredem universorum. Non desunt, qui illud, *mihi*, interpretentur, *a me*,ut sensus sit a Davide honoratos semper fuisse amicos Dei. Sed prior expositio est communior, et verior et melius cohaeret cum verbis sequentibus. *Nimis confortatus est principatus eorum.* Qui enim honorificavit amicos Dei,ille idem confortavit principatum eorum; Deus autem, non David confortavit principatum omnium amicorum. In hebraeo, et graeco habetur in numero multitudinis, *confortati sunt principatus eorum*, Sed idem est sensus: principatus enim justorum et unus est, et multi: unus, quia unum est regnum Dei commune omnibus sanctis; multi, quia omnes et singuli reges sunt et principes magni: ejus enim naturae et conditionis est regnum coeleste, ut sine contentione, vel aemulatione,vel detrimento a singulis possideri possit in solidum.Quod autem dicitur,*confortatus est*. non solum referri debet ad robur, sed etiam ad multiplicationem subditorum: tunc enim confortatur principatus, cum crescit, et propagatur, et hoc declaratur in sequenti versiculo.

17. *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur, exurrexi, et adhuc sum tecum.*

Declarat, quo modo confortatus sit principatus amicorum Dei; et dicit, confortatum esse,quia mirifice brevi propagatus est. Quod quidem verissimum est, tum quia ipsi principes tot sunt futuri,ut s. Joannes dicat, Apoc. 5. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et linguis*, etc. tum etiam quia omnes res creatae, et ipsi etiam daemones, et homines reprobi subjecti erunt post judicium pedibus sanctorum, atque ad principatum eorum pertinebunt. Ait igitur, *Dinumerabo eos*, idest, conabor numerare vel amicos Dei,qui principatu fruentur, vel subditos eorum,et prae multitudine numerare non potero, quia *super arenam multiplicabuntur*, idest, plures erunt quam grana arenae in littore maris.Est autem haec amplificatio quaedam

sed familiaris divinae scripturae. Genes. 13. dicit Dominus Abrahae, *faciam te sicut pulverem terrae*, idest, multiplicabo posteritatem tuam, secundum multitudinem granorum pulveris terrae, quae numerari non possunt. Genes 22. *Crescere te faciam sicut arenam, quae est in littore maris.* His dictis Propheta de se loquitur, atque ostendit, ex cognitione tam ingentis gloriae Sanctorum amicorum Dei, se quoque exarsisse in affectum Dei, et desiderium participandae ejusmodi gloriae. *Exurrexi*, inquit, sive ut sonat vox hebraica, *evigilavi* ad hanc novam lucem et surrexi per amorem et desiderium in te: *et adhuc*, idest, usque ad hoc tempus *tecum sum*, tibi inhaereo, a te pendeo, cupidus perseverandi usque in finem. Scio haec pauca verba mille modis exponi a veteribus, et recentioribus; sed piguit ea describere, quae alii dicunt, cum in ipsorum libris legi possunt. SS. Patres Hilarius, et Augustinus exponunt de Resurrectione Christi, quos sequuta ecclesia in Missae introitu, haec verba posuit, *resurrexi,et adhuc tecum sum posuisti super me manum tuam, mirabilis facta est scientia tua.* Sed nimis difficilis est continuatio verborum, si haec ad litteram intelligantur de Christi resurrectione; ideo dicendum videtur,haec posse applicari ad Christum, quia illi maxime proprie conveniunt, quamvis de alio dicta sint, quomodo exposuimus illud, *tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam*, de humiliatione et exaltatione omnium hominum: et tamen admonuimus, Christi passioni, et resurrectioni potissimum convenire, quo modo etiam ecclesia in missa de Assumptione applicat b. Virgini Deiparae illa verba, *optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea*,quoniam in eam optime conveniunt; quamvis de Maria Magdalena dicta esse constet ad litteram. Luc. 7.

18. *Si occideris Deus peccatores,viri sanguinum declinate a me.*
19. *Quia dicitis in cogitatione,accipient in vanitate civitates tuas.*

Dixerat Propheta, Justos Dei amicos valde honoratos esse a Deo,et optaverat consortium eorum nunc e contrario dicit, Impios inimicos Dei interficiendos justo Dei judicio, et recusat amicitiam,et consortium ipsorum. *Si occideris Deus peccatores*; idest, si tu Deus justo tuo judicio, ut probos honorificabis et exaltabis, ita peccatores reprobabis, et ad interitum sempiternum damnabis: ego nolo consortium istorum, ideo dico vobis, impiis, *viri sanguinum declinate a me.* Vocat autem *viros sanguinum* non solum homicidas,qui sanguinem humanum injuste fundunt, et proprie dicuntur *viri sanguinum*, sed omnes alios improbos, scelestos, qui aliis nocere cupiunt, vel nocent, et occidunt animas proprias per peccatum et animas aliorum per scandalum et vere etiam odio habentes proximum homicidae dici possunt, quia odium principium est homicidii.Quare s.Joannes in Epist. 1. cap. 3. dicit: *Qui odit fratrem suum,homicida est. Quia dicitis in cogitatione*, idest, quia cogitatis apud vos et in corde vestro dicitis, *accipitis* justi videlicet, *in vanitate*, idest, frustra et in vanum, *civitates tuas*, idest, civitates Dei, frustra inquam, accipient, quia brevi auferemus ab eis. Haec referuntur ad id quod supra dictum erat, *nimis confortatus est principatus eorum*, idest,valde propagatus per conversionem infidelium ad fidem et impiorum ad justitiam. Quoniam igitur per propagationem ecclesiae civitates, idest, coetus plurimi ablati fuerant a daemonum servitute et idololatrarum dominio; ideo dicebant impii,qui reliqui erant, in corde suo, invidentes propagationi regni Christi, *accipient in vanum civitates*, quoniam sperabant brevi fore, ut eas recuperarent. Observanda sunt aliqua hoc loco. Primo, magnam esse in graecis textibus varietatem, quod pertinet ad illud, *quia dicitis in cogitatione*; sed cum lectio vulgatae latinae editionis concordet cum hebraica lectione, non dubitamus, illam ex graecis veriorem esse, quae cum hebraica latinaque concordat. Secundo, in hebraico haberi, *quia dicunt tibi*, sed in nostra lectione omissum esse illud, *tibi*, quia facile subintelligi poterat: qui enim dicunt *in cogitatione*, non verbis externis, illi non audiuntur ab hominibus, sed a solo Deo; ideo dicunt tibi Deo, non nobis hominibus. Tertio, illud *civitates tuas* recte correctum esse,cum antea haberetur *suas*: nam, *tuas* habetur in textibus non solum hebraicis,sed etiam graecis et in manuscriptis latinis: et errore librariorum mutatum erat in impressis, *tuas*, in *suas*.

20. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam: et super inimicos tuos tabescebam?*
21. *Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.*

Qui evigilavit in Deum, et illi pleno corde adhaesit, nihil mirum est,si profiteatur se odisse eos, qui Dominum oderant: et si tabescebat ex taedio et dolore, cum videbat offendi ab impiis Dominum suum. Quod autem dicit, *perfecto odio*, s. Augustinus refert ad virtutem charitatis, quae diligit personas, et odit iniquitatem. Sed potest etiam significare odium consummatum et inimicitiam irreconciliabilem:quo tamen odio vir justus persequebatur peccata, non personas: ideo enim adjungit, *inimici facti sunt mihi*, quasi dicat, non ego illis, cum eos diligam et emendari cupiam, sed illi mihi, qui oderunt increpationem, et converti ad justitiam nolunt.

22. *Proba me Deus, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas.*
23. *Et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via aeterna.*

Quod initio dixerat,Deum fecisse; nunc ipse rogat, ut faciat, idest, ut pergat scrutari, et examinare cor, et semitas ejus idest, cogitationes, desideria, progressus, et actiones ejus. Finem autem scrutationis esse cupit, ut si Deus videat in ipso

viam iniquitatis, quae ducit ad acquirenda temporalia; abstrahat eum inde, et deducat in viam aeternam idest, ad ea cogitanda, desideranda et facienda, quae pertinent ad bona sempiterna.

PSALMUS CXXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem, Psalmus David.

Recentiores sequuti Theodoretum, psalmi hujus argumentum esse docent precationem Davidis adversus Saulem regem, et ministros ejus. Sed veteres patres, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, argumentum esse volunt, precationem corporis Christi adversus Diabolum, et iniquos homines, qui instrumenta, vel satellites Diaboli sunt. Sanctus autem Hilarius non solum ita exponit, sed etiam refellit expositionem, quam recentiores sequuntur: dicit enim hunc psalmum non debere exponi de Davide persecutionem patiente a Saule, tum quia nihil proprie in hoc psalmo de Saule, vel Davide dicatur; tum quia non desint multa, quae non possunt Sauli, et Davidi accommodari, ut illud *tota die constituebant praelia*: non enim quotidie Saul adversus Davidem bella constituit; imo numquam Saul praelium adversus Davidem constituit, si proprie loqui velimus: sed fugientem persequebatur, vel delitescentem perscrutabatur; bella enim et praelia inter duos exercitus constituuntur, non inter unum insequentem et alium fugientem. Adde, quod quando placuit Davidi se suis persecutoribus psalmos canere, in titulo nomina eorum posuit, quod videmus in psalm. 141. 142 143. et aliis plurimis, et quia hic factum non est, dicamus cum patribus, psalmo praesenti doctrinam generalem tradi.

EXPLICATIO PSALMI CXXXIX.

1. *Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me.*

Christus loquitur secundum Hilarium in persona sua, et membrorum suorum: vel, quod est fere idem, loquitur corpus Christi, id est, coetus fidelium, ut alii patres dicunt. Per *hominem malum*, intelligit sanctus Augustinus Diabolum, qui dicitur Matth. 13. *inimicus homo*: alii intelligunt homines malos, qui a diabolo excitantur, et reguntur. Utrumque est verum et simul conjungi potest, ut sensus sit, *Eripe me ab homine malo*, sive Diabolus, qui est inimicus homo, per se, sive per homines sibi subjectos, me infestet. Et quemadmodum illud, *me*, non significat, unum certum hominem patientem, sed coetum justorum; sic etiam illud, *ab homine malo* non significat unum certum hominem infestantem, sed coetum iniquorum sive omnem iniquum. Quod sequitur, *a viro iniquo eripe me*, est repetitio ejusdem rei: quamvis enim aliqui sint mali, qui non videntur esse iniqui, idest, injusti: tamen aliquo modo omnis malus est iniquus, quia nocet saltem ipse sibi, nocet etiam aliis saltem exemplo, et sanctus Joannes in Epistola 1. cap. 3. dixit, *qui facit peccatum, iniquitatem facit et peccatum est iniquitas.*

2. *Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant praelia.*

Reddit rationem, cur dixerit, *eripe me*, et dicit rationem esse, quia patitur infestationem cogitationum, verborum, et factorum et infestationes tales, quae dici possint praelia assidua, ut nullae dentur induciae, nulla intermissio: proinde non sine caussa hortatur Apostolus ad Ephesios 6. *ut sumamus armaturam Dei*, graece πανοπλιαν, idest, *omne genus armorum*, galeam, loricam, scutum, gladium, ut possimus resistere, et in omnibus perfecti stare. Ac primum de praelio cogitationum, *qui cogitaverunt*, inquit, *iniquitates in corde.* Illud *cogitaverunt*, demonstrat verum esse quod supra diximus, per *hominem malum*, non intelligi unum certum hominem, ut Saulem, sed coetum iniquorum, daemonum, et hominum. Porro, *cogitare iniquitates in corde*, est meditari deceptiones parare insidias, ordiri stratagemata. *Tota die constituebant praelia*, idest, per omne tempus sine ulla intermissione instruebant praelia, quae in corde meditati fuerant. Possent haec fortasse praecipue intelligi de praeliis internis cogitationum malarum, quae opera principis tenebrarum nobis immittuntur, qualia sunt desideria impudica, tentationes, infidelitates, scrupuli et perplexitas mentis, quae miro modo nos cruciant, et perturbant.

3. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum.*

Hoc est alterum malum, quod patimur ab inimicis, malum verborum, videlicet calumniarum, detractionum, conviciorum, fraudum et aliorum id genus malorum, et quidem finis hominum malorum

conviciantium, detrahentium, fraudantium, est lucrum temporale, vel vindicta temporalis. Sed finis Diaboli est pertrahere hominem ad impatientiam, vel iracundiam, vel odium proximi, et ad peccata, quae inde sequuntur; potest etiam per *linguam serpentium* intelligi praedicatio haereticorum, quae molliter serpit, sed lethale virus inspirat et occidit. *Acuerunt*, inquit, viri illi mali, *linguas suas sicut serpentis*, ut facilius penetrarent in aures, et in corda: *venenum aspidum*, nocentissimum, *sub labiis eorum*, absconditum est, quod per linguam jaculantur in auditores. Illud, *sicut serpentis*, antea legebatur, *sicut serpentes*: sed merito correctum est, quia in hebraeo erat ambiguum, an esset legendum, *sicut serpens*, an, *sicut serpentis*: sed textus graecus declaraverat ambiguitatem, et posuerat, *sicut serpentis*. *Serpentes* autem in numero multitudinis, neque in hebraeo legebatur, neque in graeco, sed in sensu nulla diversitas est.

4. *Custodi me Domine de manu peccatoris et ab hominibus iniquis eripe me.*

Hoc est tertium malum, quod ad rem ipsam pertinet, ac primum petit coetus justorum protectionem, ne manus peccatoris appropinquet, et noceat ubi videtur per *peccatorem*, intelligere principem ipsum tenebrarum; deinde addit ad petitionem; ut etiam eripiat *ab hominibus iniquis*, qui membra sunt Diaboli, ne et ipsi nocendi potestatem accipiant. Quid autem mali potissimum timeat, et a quo liberari cupiat, explicat in duobus versiculis sequentibus.

5. *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi.*
6. *Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.*

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos. Hic est finis principis tenebrarum ut nos impediat a via salutis, ex qua ille irreparabiliter excidit. Itaque ipse et angeli ejus in hoc unum semper intenti sunt, ut supplantent gressus nostros, ut non ambulemus in via Domini, ut cadamus in ea, ut retrocedamus ut saltem lente progrediamur. Id autem faciunt abscondendo et multiplicando laqueos, eosque juxta viam constituendo. *Absconderunt*, inquit *superbi laqueum mihi*; non poterant daemones aptius designari, quam nomine *superborum* siquidem peccatum eorum non est ortum ex concupiscentia carnis, idest, luxuria, vel concupiscentia oculorum, idest, avaritia, sed ex sola superbia vitae, quia *similes altissimo* esse voluerunt Tob. 4. *Superbiam in tuo sensu, aut in tuo verbo numquam dominari permittas: in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio;* et Job. 41, dicitur Diabolus, *rex super omnes filios superbiae*. *Abscondit* autem Diabolus *laqueos*, quando in actionibus humanis manifestat bonum, abscondit malum idest, facit, ut homo cogitet utilitatem, aut voluptatem, non cogitet jacturam et amaritudinem adjunctam: manifestat adultero pulchritudinem mulieris, abscondit turpitudinem peccati; manifestat furi lucrum pecuniarum, abscondit jacturam regni coelorum; manifestat ambitioso excellentiam gradus altioris, abscondit periculum lapsus gravioris; denique manifestat dulcedinem culpae, abscondit amaritudinem poenae, *Extendit* autem *funes in laqueos*, dum multiplicat laqueos, quasi dicat, extendit funes, ut inde multiplices efficiantur laquei: nam cui tendit laqueum adulterii, tendit paulo post laqueum homicidii, ut adulterium tegatur; et cui tetenderat laqueum homicidii, tendit postea laqueum perjurii, ut justam sententiam Judicis evadat. Denique, *juxta iter ponit scandala*, idest, laqueos, id enim sonat vox hebraica, מוקשים *mokescim*, *laqueos et offendicula*; quia *in ipsa via, quae est lex Domini*, nulla offendicula, sive laquei esse possunt, juxta illud psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Sed cum incipimus declinare a via, ibi continuo inveniuntur laquei, et offendicula. Quare unicum remedium est, caute ambulare, ut Apostolus monet et pedem extra viam legis Domini numquam ponere.

7. *Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meae.*
8. *Domine, Domine virtus salutis meae, obumbrasti super caput meum in die belli.*

Adversus tot pericula invocat auxilium Dei, sine quo nihil possumus facere. *Dixi*, inquit, *Domino, Deus meus es tu*, ac per hoc ego sum populus tuus Dominus meus es tu, servus tuus sum ego: quare ad te pertineo, ideo exaudi vocem deprecationis meae. Deinde, ut ostendat praesentia et urgentia pericula, iterum clamat Domino, *Domine virtus salutis meae*, idest, ideo confidenter te rogo, quia tu solus es robur, unde pendet salus mea: tu es virtus, idest, potentia et fortitudo, per quam ab inimicis salvus esse potero. *Obumbrasti super caput meum in die belli*, idest, jam alias protectionem tuam expertus, iterum ad te confugio; tu enim in die belli, cum videlicet graviter ab hostibus oppugnarer, tu fuisti mihi instar galeae, nam *obumbrasti*, et texisti auxilio tuo caput meum, ut mortem, quae mihi instabat, evaderem. Sed potest etiam hoc intelligi de umbraculo ad refrigerandum caput et totum hominem *in die belli* interioris, quod in aestu concupiscentiarum consistit: homo enim fatigatus, et aestuans tentationibus mali desiderii omnino aresceret, et inflammaretur, nisi Deus obumbraret illi.

9. *Ne tradas me Domine a desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me ne derelinquas me, ne forte exaltentur.*

Consequenter ad superiora petit semper obumbrari ab aestu mali desiderii: nisi enim concupiscentia mala nos ceperit, frustra daemones tentant, frustra homines saeviunt. *Ne tradas*, inquit, *me Domine*, idest, ne sinas me tradi *a desiderio meo peccatori*, daemoni videlicet vel homini tentanti. Tunc enim a desiderio nostro tradimur inimicis, quando concupiscentia mala nos captivos facit, et in potestatem satanae tradit: exempli gratia, cum vides mu-

lierem ad concupiscendam eam, concupiscentia te reum facit, et tentationi subjicit: cum persecutor mortem minatur nihil potest tradere te diabolo,nisi desiderium vitae temporalis:cum tentator offert occasionem lucri per fraudes, nihil te tradit peccatori tentanti, nisi desiderium lucri,et idem de caeteris dici potest. *Cogitaverunt contra me, ne derelinquas me*, idest, ideo cupio ut non derelinquas me sine umbraculo gratiae tuae,quia inimici *cogitaverunt contra me*, idest, meditati sunt insidias, et si forte ceperint me,triumphabunt,et gloriabuntur,et exaltabuntur,quasi non me solum,sed etiam te superaverint.In hebraeo longe aliter habetur hic versiculus, sic enim ad verbum reddi potest: *Ne tradas Domine desideria impio, scelus ejus ne effundas, exaltabuntur*.Sed septuaginta interpretes legerunt easdem voces hebraicas alio modo, quam Rabbini legant:nam vox illa, מאויי *maavaie*, quae significat *desideria*,potest legi, מאויי *meavajai*, et significat, *a desiderio meo*, et sic legerunt septuaginta, sic etiam illa vox, זממו *zemamo*, quae significat *scelus ejus*, potest legi, זממו *zamemu*, idest, *cogitaverunt*: denique illud, אל תפק *al taphek*, potest significare, *ne effundas*,et etiam, *ne avertaris*, supple a me, quod est idem cum illo,*ne derelinquas me*. Et quamvis lectio septuaginta interpretum, et vulgatae latinae aeditionis verior sit, quippe antiquissima, et quam recipiunt ss. Patres; et expositio a nobis tradita, quae est s. Augustini, et Euthymii, optima nobis videatur: tamen sensus qui eruitur ex hebraico textu, quem nunc habemus secundum puncta Rabbinorum, est etiam verus, et videtur a s. Joanne Chrysostomo traditus: hic autem est sensus, *ne tradas Domine desideria sua impio*, idest, ne permittas impium satiare desiderium suum,quod de me perdendo habet. *Ne scelus ejus effundas*,id est ne sinas scelus ejus effundi super me,ne impii exaltentur, et triumphum canant.

10. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.*

Ab hoc loco Propheta praedicit poenas,quas dabunt impii, qui persecuti sunt justos. Quod autem in hoc versiculo dicitur obscure, idem est cum eo quod dicitur clarius in psal. 7. *Convertetur dolor ejus in caput ejus*:et, *incidit in foveam quam fecit*, idest, afflictio, quam paraverunt impii justis, super eos revertetur, eosque obruet. Id impii experiunt in morte, et in die judicii omnibus manifestum erit: tunc enim omnis poena justorum convertetur in gloriam,et omnia peccata impiorum convertentur in miserias sempiternas. *Caput*, inquit, *circuitus eorum*, idest, summa insidiarum quibus impii quasi per vias distortas circuibant, ut justos perderent, quod Diabolus, ut leo rugiens *circuit quaerens quem devoret*, tota, inquam, summa talium insidiarum, *operiet eos*, in eosque recidet,et hoc idem repetens Propheta addit,*labor labiorum ipsorum operiet eos* idest, labor, sive afflictio, et miseria, quam labiis suis procurabant justis,similiter *operiet eos*, in eosque recidet,et ipsos opprimet. In hebraeo habetur in prima persona, *caput circuitus mei*, sive circuitum meorum; sed non dubium est,quin septuaginta interpretes habuerint in suis hebraicis codicibus in ultima litera *vau*, non *jod*,et legerint, מסביו *mesibbav*, quod significat *circuitus eorum*, non,ut nunc legitur, מסבי *mesibbai*, *circuitus mei*. et veriorem esse lectionem, quam habuerint septuaginta,facile unusquisque sibi persuadebit. S. Hieronymus vertit ex hebraeo, *amaritudo convivarum meorum*, pro, *caput circuitus eorum*, et quidem verba hebraica hanc etiam sententiam ferre possunt, quoniam, ראש *ros*, et *caput*, et *venenum* significat; sed ut plurimum pro *capite*,sive *principio accipitur*.Sic etiam, מסבי *messibbai*,significare potest,*circumdantium me*;sive *accumbentium in circuitu meo*: sed tamen haec sententia nec bene cohaeret cum sequentibus verbis, et vera lectio, ut diximus, est ea quam habuerunt septuaginta, quae lectio hanc sententiam non recipit. S. Augustinus per *caput circuitus*,intelligit superbiam,quae est principium peccatorum; et per, *laborem labiorum*, intelligit mendacium, quia laborant, qui mentiri volunt,non laborant qui vera simpliciter dicunt. Sed haec spiritualis potius, quam litteralis expositio est. Nos Chrysostomum sequuti sumus.

11. *Cadent super eos carbones,in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.*

Pergit explicare poenas impiorum. *Cadent*, inquit, *super eos carbones*;per *carbones ignis* intelliguntur acerrima supplicia; per verbum, *cadent*, significatur, ea supplicia ab alto descendere, a judicio videlicet Dei Judicis supremi. Ac ne putaremus paucos,aut parvos futuros eos carbones,addit, *in ignem dejicies eos*, idest, tanta erit copia carbonum super eos cadentium, ut obruantur, et opprimantur ab eis. Sic enim Deus in ignem dejiciet impios, quia cooperiet eos igne de coelo cadente, atque ad majorem explicationem addit, *in miseriis non subsistent*, idest, oppressi miseriis ita jacebunt, ut se attollere, et surgere,ac subsistere non possint.In graeco legitur in ablativo,qui servit pro accusativo,*in igne dejicies eos*, idest,igni de coelo demisso dejicies, sed idem est sensus.Ex hebraeo pro *in miseriis non subsistent*, s.Hieron. vertit,*in foveas*, ut non consurgant.At septuaginta reddiderunt sensum: dejectio enim in foveas profundissimas gehennae, intolerabilis miseria est, praesertim cum inde nulla consurgendi spes maneat. Alii exponunt, *non subsistent*, idest, non tolerabunt,et ideo deficient,et morientur,sic tamen ut numquam mortem finiant. Sed prior expositio est conformior verbis textus hebraici.

12. *Vir linguosus non dirigetur in terra, virum injustum mala capient in interitu.*

Praedixit Propheta poenas aeternas impiorum: nunc addit de poenis etiam hujus vitae. *Vir*,inquit, *linguosus non dirigetur in terra*, idest,vir promptus ad loquendum, mendax, adulator, detractor, conviciis assuetus, rixosus, non prosperabitur in terra: ejusmodi enim odio, ut plurimum, habentur

tum a bonis, tum a malis. Ideo praecipit s. Jacobus, *sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Virum injustum mala capient in interitu*, non solum non dirigetur, nec prosperabitur vir linguosus, ac per hoc injustus; sed mala, quae illum capient, non erunt ad praemium patientiae, ut justis esse solent, sed ad interitum sempiternum. Illud, *capient*, in graeco, et in hebraeo est, *venabuntur*: proinde exponendum est, *capient*, ut praedam, vel ut venationem de improviso, et non expectatam. Sic enim viri injusti dum intenti sunt, ut capiant, et spolient justos: ipsi nihil tale metuentes capiuntur a diabolo, ut ferae a venatore; nec solum a diabolo, sed etiam miseriis multis, anxietatibus, sollicitudinibus, timoribus, amoribus capiuntur: sed hoc interest inter bonos et malos, quod bonis *omnia cooperantur in bonum*, et ad vitam: malis omnia cooperantur ad interitum, et miseriam sempiternam. Illud, *in interitu*, in hebraeo et graeco habetur, *in interitum*: proinde vel in latina editione est error librariorum, vel, *in interitu*, debet accipi pro, *ad interitum*. Posset quidem sic exponi hic locus, *injustum mala capient in interitu*, idest, quando morietur injustus, tunc eum mala capient; et sic videtur intellexisse s. Hilarius, qui exponit hunc locum de Juda, quem mala ceperunt interitu, quia se ipse suspendio enecavit; prior tamen expositio, quae est sanctorum Chrysostomi et Augustini, magis convenit textui graeco, et hebraico. Quidam modernus per vocem hebraicam, לְמַדְחֵפוֹת *lemadchephoth*, contendit esse vertendum, *celeriter*, ut sensus sit; *injustum mala capient celeriter*, et allegat quamdam versionem apud Chrysost. Sed septuaginta, et s. Hieron. verterunt, *interitum*, et moderni etiam linguae habraicae periti verterunt, *ad expulsionem*, quod idem est cum interitu, in quo anima expellitur a corpore, et homo expellitur a vita. Omnes patres imo omnes alii tractatores intelligunt per eam vocem, *interitum*, aut *ruinam*: denique s. Joan. Chrysost. non adducit illam novam translationem ad hunc versiculum, sed ad superiorem; quare caret omni fundamento expositio moderni, sed alioqui docti expositoris.

13. *Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum.*
14. *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo.*

Concludit, certam esse liberationem et foelicitatem justorum, ut etiam supplicia, et miseriam impiorum. *Cognovi*, inquit, *quia fecit Dominus judicium inopis*, idest, certo scio tum ab experimento proprio, tum ab exemplis majorum, tum ipsa Dei justitia, et promissis, curae esse Deo viros humiles, et pauperes, qui, etiamsi divitiae forte affluant, non opponunt illis cor, ut ad res proprias, sed oeconomos Dei se esse intelligunt. *Cognovi*, inquit, *quod Dominus* sine dubio justissime judicabit causas pauperum suorum, et vindictam faciet illorum, puniens digna animadversione persecutores eorum. Ipsi autem *justi confitebuntur nomini Domini*, non sibi tribuentes innocentiam, sed gloriam dantes gratiae ejus: vel etiam *confitebuntur*, idest, laudabuntur in aeternum Dominum, sicut in aeternum habitabunt in domo ejus cum vult ipsius, videntes facie ad faciem, et fruentes visione ejus. *Habitare cum vultu Dei*, est eum videre, et cognoscere sicuti est: ex vultu enim persona cognoscitur; nam si totum hominem videas, vultu solo excepto, non eum cognosces; sin autem vultum solum videas, reliquum corpus non videas, omnino cognosces.

PSALMUS CXL.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hic psalmus ejusdem argumenti est cum superiore: notat autem S. Joannes Chrysostomus, decreto patrum dici solitum hunc Psalmum quotidie ad vesperas, quemadmodum psalm. 62. dicitur quotidie ad laudes matutinas. Uterque igitur est ardens oratio ad Deum; sed ille matutinus fugat tenebras noctis, et conciliat nobis solem justitiae: iste vespertinus abstergit maculas peccatorum interdiu contractas, ut securi requiescamus in nocte.

EXPLICATIO PSALMI CXL.

1. *Domine clamavi ad te, exaudi me, intende voci meae cum clamavero ad te.*

Verba sunt corporis Christi, sive coetus fidelium inter hostium agmina constituti. *Domine clamavi ad te*, ut auxilium ferres inter tot pericula laboranti; et quia clamavi, idest, magna voce interiori, magnoque affectu cordis, invocavi te, *exaudi me*. In hebraeo est, *festina mihi*, idest, ad adjuvandum me festina, et sic re ipsa, et factis exaudi me. Neque solum hodie clamantem *exaudi me*, sed *intende voci meae cum clamavero ad te*, idest, quotiescum-

que clamavero ad te, tu quoque intende voci meae aures tuas.

2. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Explicat nunc quid petat, et in quo velit exaudiri a Deo. Ac primum recto ordine petit, ut Deus adjuvet eum in bene orando : nam, ut Apostolus dicit, quid oremus nescimus; et pari ratione, quomodo oremus nescimus, nisi spiritus adjuvet infirmitatem nostram. Petit ergo, ut Deus illi auxilio gratiae suae adsit, ut bene oret. Qualitates autem bonae orationis declarat similitudine thymiamatis, quod offerebatur in templo ex praecepto Dei, mane et vesperi, Exod. 30. *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incensum*, idest, hoc primum peto, ut per gratiam tuam oratio mea dirigatur ad te ad modum thymiamatis. Porro thymiama illud has habebat qualitates. Primo, constabat ex quatuor generibus aromatum, thure, galbano, onyche, flacte, ut s. Hilarius monet: hinc efficiebatur odor suavissimus. Secundo, offerebatur in templi parte nobilissima, et interiore, quae dicebatur sancta sanctorum, ubi erant tabulae testamenti et altare aureum. Tertio, offerebatur per summum sacerdotem. Quarto, ponebatur super ignem, et inde excitabatur fumus recta sursum ascendens. Quatuor aromata sunt quatuor virtutes, *fides*, *fiducia*, *charitas*, et *humilitas*, ex his componitur oratio Deo gratissima. Templum Dei est homo. *Vos estis*, inquit Apostolus, *templum Dei*, 1. Cor. 6. sed pars interior est anima, in cujus mente est lex Domini, digito Dei scripta: et in cujus voluntate est altare aureum, cor videlicet mundum, et ornatum gratia Dei. Summus sacerdos est Christus; per illum enim, ut advocatum nostrum, semper orare debemus, et ideo singulas preces concludimus per Dominum nostrum Jesum Christum. Denique ignis, qui fumum suavissimum, et directe sursum ascendentem excitat, est fervor desiderii: sed in recta ascensione notatur recta intentio, et jugis attentio; qui enim orant ut videantur ab hominibus, illi aura temporali detorquent incensum, ut non recta ascendat, illi etiam qui evagationes mentis habent, non dirigunt orationem ut debent: evagationes enim veluti flatus ventorum distrahunt, et dissipant fumum orationis ut non recta sursum ascendat: et quia valde difficile est liberari ab omni evagatione mentis, ideo Propheta hujus rei proprie meminit dicens, *Dirigatur oratio mea*, *sicut incensum in conspectu tuo*. Quod sequitur, *elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, ejusdem rei repetitio est: nam per *elevationem manuum*, oratio significatur, quia elevando manus, orare solebant hebraei ut etiam nos facimus. Psalm. 133. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Domino*; et Apostolus 1. Timoth. 2. *Levantes puras manus sine ira et disceptatione*. Itaque a ritu elevandi manus significatur oratio. Per *sacrificium vespertinum*, intelligitur oblatio incensi, quae vesperi fiebat. Est igitur sensus, *elevatio manuum mearum*, id est, oratio, quam elevatis manibus fundo, sit veluti sacrificium incensi, quod ad vesperam offerebatur. Nisi magis placeat per *sacrificium vespertinum*, intelligi mactationem Agni immaculati, quae vesperi fiebat. Cur autem Propheta optet, orationem suam similem esse sacrificio vespertino potius quam matutino, cum tam oblatio thymiamatis, quam Agni mactatio fieret mane et vesperi; ratio est, vel quia psalmum hunc cecinit David ad vesperam, ut etiam ecclesia christiana in vesperis eumdem psalmum canit; vel quia sacrificium vespertinum nobilius erat, quia figura erat sacrificii Crucis, quod ad vesperam factum est.

3. *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis.*

Haec est secunda petitio, quam exaudiri cupit a Domino, ut videlicet detur sibi donum loquendi, et tacendi, quando oportet: nam *qui non offendit verbo, hic perfectus est vir*, ut dicit s. Jacobus, cap. 3. et *aliud est tempus loquendi, aliud tacendi*, ut dicitur Eccles. 3. Sumit autem Propheta, ut haec explicet, metaphoram a custodia portarum domus, vel civitatis: duo enim sunt necessaria ad hoc, ut exeant, qui debent exire; et non exeant, qui non debent exire; Janitor, et ostium, nam ostium sine Janitore, non sufficit, quia vel semper erit apertum, vel semper clausum: Janitor sine ostio non facile potest custodire portam, nisi semper vigilet et vires habeat ad impediendum, ne quis ingrediatur, vel egrediatur, ipso invito: sed cum ostium, et ostiarius adsunt, omnia sunt tuta, et facilia. Ait igitur, *pone Domine custodiam ori meo*, id est, os meum est quasi porta, unde exeunt verba et per verba exeunt cogitata, et facta, ideo rogo, ut adhibeas custodiam, janitorem videlicet, qui diligenter custodiat. *Et ostium circumstantiae labiis meis*, idest, quia solus janitor aegre custodire potest hanc portam, rogo etiam ut apponas *ostium circumstantiae*, idest, ostium circumstans, sive ostium munitionis idest, munitum et forte ut expugnari non possit: in hebraeo ad verbum legitur, *custodiam super ostium labiorum meorum*, ut sensus sit, *pone custodiam ori meo*, custodiam inquam super ostium labiorum meorum: sed eadem sententia est. Porro ostiarius et ostium significant in praesenti duo dona Spiritus sancti: unum ex parte intellectus, ut sciat homo quando et quomodo et quid loqui, vel tacere debeat; alterum ex parte voluntatis, ut audeat loqui quod oportet et timeat loqui quod non oportet: quae dona dicuntur Isaiae 11. *Spiritus consilii*, *et fortitudinis*: quae sunt fere eadem cum virtutibus, prudentia et charitate. Non autem haec ita petuntur a Deo, ut non debeamus etiam nos diligentiam adhibere, ut custodiamus os nostrum; sed ut intelligamus, ipsam etiam diligentiam nostram donum esse Dei, et in nullo gloriemur, quando nostrum nihil est, ut monet s. Cypr. lib. 3. ad Quirinum cap. 4.

4. *Non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.*

Haec est tertia petitio, ut quoniam adhibita et-

iam omni custodia, tamen fragilitas humana facit, ut septies in die cadat justus, et in multis offendamus omnes: Deus auxilio suo nobis concedat, ut peccata libere confiteamur; ne dum excusando sani videri volumus, a coelesti medico non sanemur. *Non declines*, inquit, *cor meum in verba malitiae*, idest, non permittas, ut quando peccavimus, cor nostrum declinet in verba mendacii, et simulationis, *ad excusandas excusationes in peccatis*, idest ad excusanda peccata variis praetextibus: nam *excusare excusationes*, phrasi hebraica, est facere excusationes, idest, texere praetextus, quo modo dicunt, *praeliari praelia*, pro facere praelia: et *judicare judicia*, pro facere judicia. In hebraeo est verbum generale, עלל *halal*, quod *operari* significat: itaque verti poterat, *ad operandas operationes in peccatis*. Sed septuaginta declaraverunt per *operari*, hoc loco significari, *praetexere* quod est idem cum *excusare*. Ipsi etiam Rabbini docent, *halal*, non esse operari quomodocumque, sed operari ex occasione, et praetextu.

5. *Cum hominibus operantibus iniquitatem, et non communicabo cum electis eorum.*

Quarta petitio est, ut custodiat nos Deus a consuetudine, et familiaritate impiorum: multi enim innocentiam conservarent, nisi in perversos amicos et sodales inciderent. Porro pars prima hujus versiculi pendet a versiculo superiore, et hic est sensus, *non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis* cum hominibus operantibus iniquitatem, idest, non patiaris me quaerere excusationes peccatorum, ut ii faciunt, qui iniqui sunt, ut non fiam socius eorum. *Et non communicabo cum electis eorum*, idest, et sic per gratiam tuam adjutus non communicabo cum conviviis eorum, sed fugiam ipsorum consortium. Illud, *non communicabo*, in graeco est, *non combinabo*, et sic legunt sancti Hilarius, et Augustinus, sed idem est sensus: nam *combinare* est conjungi binos, et binos, ut cum duo socii conjunguntur in mensa, vel in opere aliquo. In hebraeo est, *non comedam*, idest, non convivabor, non assidebo in mensa. Itaque unus textus alium declarat, ac per hoc, *non communicabo*, idem est, ac si dixisset, non communicabo in mensa; et hoc ipsum magis declaratur ex verbis sequentibus: nam *cum electis eorum*, non significat, ut ii existimant qui verba hebraica non legerunt, cum viris electis sed cum electis cibis sive, ut vox hebraica sonat, cum dulcibus cibis eorum. Itaque sensus est, *non communicabo cum electis cibis eorum*, idest, non ero particeps familiaritatis, conviviorumque ipsorum. Quamvis enim ubique noceat malorum conversatio, sed nusquam magis, quam in conviviis et compotationibus.

6. *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Quinta petitio est, ut ex gratia Dei incidamus in amicos ex charitate corripientes, non in adulatores falsis laudibus blandientes, et decipientes. Et hoc unum ex magnis Dei beneficiis est, ut inveniamus fideles amicos, qui vera nobis de nobis dicant, et nos ex magno Dei beneficio libenter eos audiamus et ex corde gratias agamus. Nam apud eos qui de mundo sunt, et qui hoc Dei donum non acceperunt *obsequium amicos, veritas odium parit. Corripiet*, inquit, *me justus in misericordia*, idest, reprehendet, ac ut vox hebraea sonat, feriet me peccantem vir justus, ut sanet, non injustus, ut occidat, *in misericordia*, in charitate, quia miseretur languentis, non in iracundia, et felle amaritudinis, quia ulcisci cupit injuriam. Iste, inquam, *increpabit me*, severius castigans delicta mea; *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Oleum peccatoris*, idest, unguentum, quo suaviter et cum voluptate perungitur caput, significat blandiloquentiam adulatoris, qui peccata extenuat, vel excusat, imo etiam sub aliquo colore, ut benefacta laudat. In hebraeo explicatur utrumque simul, et suavitas, et pernicies adulationis: dicitur enim, *oleum veneni*, sive amaritudinis, ut vertit s. Hieronymus: et est in verbis elegans allusio: nam *venenum*, et *caput*, eadem voce significantur: ראש *ros*, enim et *caput* et *venenum*, significat. Itaque, ait, *oleum, ros, non impinguet meum ros.* Neque est admittenda eorum expositio, qui utroque loco per ראש *ros*, intelligi volunt *caput*, et per *oleum capitis*, accipiunt oleum principale, et pretiosum, et sensum esse volunt *corripiet me justus in misericordia*, quia correptio fraterna est oleum principale, quod non destruit caput. Haec, inquam, expositio non est admittenda, quia non solum repugnat vulgatae editioni; sed etiam versioni s. Hieronymi, et septuaginta interpretum, et expositioni omnium veterum patrum latinorum et graecorum: neque obstat, quod pro *impinguet*, in hebraeo est frangat: nam non est certum, verbum, יצי *iani*, significare, *frangat*, cum desit litera aleph in fine et cum septuaginta, et s. Hieron. verterint, *impinguet*. Adde etiam, quod vox, *impinguet*, non repugnat voci hebraicae, quae *frangere* et *destruere*, significare dicitur, imo cum ea optime cohaeret: nam ideo septuaginta Interpretes non dixerunt, liniat aut perfundat, quae verba in bonum sonant, sed *impinguet*, quod sonat in malum: pinguedo enim deformat, et destruit caput: et prudentissime consideraverunt septuaginta viri, oleo non posse frangi, aut destrui caput, quasi malleo contunderetur, sed destrui per deformationem, quam pinguedo adfert; ideo non dixerunt, non destruat, sed *non impinguet caput meum.*

7. *Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt juncti petrae Judices eorum.*

Hic versiculus omnium judicio obscurissimus hunc sensum ex Chrysostomo habere potest: Non solum non communicabo cum impiis; sed adhuc oratio mea ad Deum est *in beneplacitis eorum*, id est, adversus eorum vitia, et scelera, in quibus ipsi sibi placent. Sed ipsi brevi peribunt, sicut Judices eorum, idest, principes eorum, et duces aliorum

ad malum, *absorpti sunt juncti petrae*, idest, allisi ad petras perierunt. In hebraeo est, *praecipitati sunt ad manus petrae*, et sensus est idem: significatur enim velox interitus impiorum, qualis est eorum, qui absorbentur a fluctibus marinis, dum agitati ab undis alliduntur ad scopulos. S. August. existimat praedici conversionem infidelium superborum, ut sensus sit, Veniet tempus, quando oratio mea, quae est, *Dimitte nobis debita nostra, erit in beneplacitis eorum*, id est, placebit, et frequentabitur ab eis: nam Judices eorum, philosophi gentiles, qui de virtutibus, et vitiis judicabant, *juncti petrae*, idest, comparati ad Christum, *absorpti sunt*, evanuerunt et nihil scivisse ostensi sunt; sed prior expositio est magis litteralis, et communius recepta.

8. *Audient verba mea, quoniam potuerunt, sicut crassitudo terrae erupta est super terram.*

Redit ad id quod dixerat, *oratio mea in beneplacitis eorum*; et addit multos impios, qui sibi ipsi in peccatis complacebant, audituros verba sua, et per ea convertendos esse ad Deum: quo modo enim terrae durities aratro scinditur super terram: sic humanum cor scinditur potentia, et efficacia verbi Dei. *Audient*, inquit, illi pro quibus oratio a me fiebat, *verba mea, quoniam* ea verba *potuerunt* sive ut legit s. August. *praevaluerunt*, efficacissima fuerunt ad conterenda corda eorum; *sicut crassitudo terrae erupta est super terram*, idest, sicut durities, et crassities terrae rumpi solet vi ligonis, aut aratri super terram. In hebraeo, et aliquibus graecis habetur, *audient verba mea, quoniam dulcia*, sive *decora fuerunt*, sed idem est sensus, verba enim tunc sunt potentia, et efficacia et praevalent in animis hominum, quando dulcia et decora sunt, atque adeo placent, et delectant et persuadent.

9. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: quia ad te Domine.*
10. *Domine, oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.*

Haec est ultima petitio, quam exaudiri initio psalmi postulaverat, ut videlicet Deus liberet animas nostras ab omni periculo tentationum. *Dissipata sunt*, inquit, *ossa nostra secus infernum*, idest, propter multitudinem et gravitatem tentationum, virtus et fortitudo nostra, quae per *ossa* significatur, ita dispersa, infirmata, et debilitata est ut ad os inferni pene pervenerit, ut videlicet pene ad nihilum redacta sit: et quia in his omnibus *ad te Domine* sunt *oculi mei*, ad auxilium tuum respexi, *in te speravi*, oro ut *non auferas animam meam*, idest, non sinas tolli vitam meam, non patiaris me perire. Juxta interpunctionem hebraicam conjunguntur illa, *sicut crassitudo terrae erupta est super terram, dissipata sunt ossa nostra secus infernum*; ut sensus sit, quemadmodum terra scinditur aratro, et rumpitur, ita ut partes terrae hinc inde spargantur, ita dissipata sunt ossa nostra secus infernum in hac magna tribulatione: sed nos interpunctionem graecam et latinam sequuti sumus quoniam interpunctio non est ab ipso Propheta apposita, sed ab interpretibus addita.

11. *Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.*

Declarat unde timeat mortem; ac dicit, se timere a laqueis et a scandalis, idest, a tentatione diaboli et a malis exemplis hominum. *Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi* insidiatores, sive is laqueus sit concupiscentia carnis, sive concupiscentia oculorum, sive superbia vitae: *et a scandalis operantium iniquitatem*, idest, ab exemplis carnalium, cupidorum, et superborum; quamvis in hebraeo sit potius repetitio ejusdem rei, idest, a laqueo quem posuerunt mihi, et a muscipulis sive laqueis operantium iniquitatem: tamen in sensu non est discrepantia: nam scandalum quoque est genus laquei, et muscipulae.

12. *Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego, donec transeam.*

Docet in fine, illos tandem casuros esse in retia diaboli, qui amant peccata; se autem, et sui similes qui oderunt peccata, liberos evasuros: quae admonitio demonstrat, hominem esse liberi arbitrii, et simul valde consolatur eos, qui timent Deum. *Cadent*, inquit, *in retiaculo ejus*, idest, in rete principis venatorum, qui est diabolus, *peccatores* idest, qui delectantur peccatis, qui sunt, et esse volunt peccatores. *Singulariter sum ego donec transeam*, idest, ego autem solitarius ero, donec transeam omnes laqueos et retia; de mundo non ero quamvis in mundo, ut peregrinus esse cogar, donec transeam ad patriam, ubi nulla erunt pericula. Per pronomen, ejus, aliqui intelligunt Deum ut sensus sit, peccatores capiendos retibus Dei ad supplicium. Ita Chrysostomus, et Theodoretus: sed quia illud, *ejus*, est relativum ad aliquid antea nominatum et Dei nulla mentio facta est; ideo probabilius est, referri ad diabolum principem peccatorum, ut s. Hilarius exponit. Illud autem, *singulariter sum ego*, s. Augustin. exponit de Christo, qui in passione fuit relictus solus, cum omnes discipuli fugerint, et in rete diaboli per negationem, vel proditionem, vel nimium metum, vel scandalum acceptum, aliquo modo inciderint. Ipse enim Dominus ait, *omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*, Matth. 26. et futurum est *ut dispergamini in propria, et me solum relinquatis*. Joan. 16. Sed haec expositio vera et pia non videtur litteralis; et ideo Chrysostomum potius in expositione litterali sequuti sumus: qui sanctus Joannes Chrysostomus rectissime monet non satis esse si aliquo tempore singulares simus, et solidarii, ac penitus segregati a moribus peccatorum; sed necesse esse, ut tales simus, donec transeamus, perseverantes usque ad vitae finem.

PSALMUS CXLI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Intellectus David cum esset in spelunca, Oratio.

Titulus demonstrat tempus, et locum et occasionem, et materiam psalmi. Tempus fuit cum fugisset a Saule ad regem Achis, et ab illo etiam male habitus contulisset se in speluncam Odollam solus atque in maximo vitae periculo constitutus, ut habemus lib. 1. reg. cap. 22. Locus, est ipsa spelunca Odolla: nam quod alii dicunt de spelunca Engaddi, de qua lib. 1. reg. cap. 24. non est probabile: quia in hac secunda spelunca Saul potius in periculo vitae fuit, quam David. Occasio fuit persecutio Saulis, et periculum a rege Achis. Denique materia, sive argumentum, est oratio ad Deum, qua liberationem petit a periculo imminente. Sensus tituli hic est, *intellectus David*, idest, in hoc psalmo declaratur prudentia et sapientia David, qui cum esset delitescens in spelunca, sapienter cogitavit unicum remedium in tantis malis esse orationem ad Deum. Recte autem totus hic psalmus altiore sensu refertur ad Christum filium David, cum oraret in horto, vel in cruce desertus ab omnibus et in mortis praesentissimae periculo constitutus.

EXPLICATIO PSALMI CXLI.

1. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.*
2. *Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuncio.*

Hoc principium psalmi nihil aliud continet, nisi argumentum, quod videlicet David orationem fundat ad Deum, sed verba singula consideranda sunt. Illud, *voce mea*, significat, Davidem non orasse sola voce corporis sui ut faciunt, qui non intelligunt, vel non attendunt quid dicant; sed orasse voce sua, quam ipse in corde formabat, et per organum corporis etiam foris emittebat. Illud, *clamavi*, significat, ut alias diximus, vehementiam desiderii. Illud, *deprecatus sum* est explicatio clamoris: clamant enim ad Dominum etiam qui blasphemant et maledicunt, sed non orant: hic autem precando et invocando clamabat. Illud, *effundo orationem in conspectu ejus*, significat orationem illam factam fuisse, ubi solus Deus videbat in spelunca, quasi in clauso cubiculo, ut Dominus postea monuit esse orandum: sed praeterea significat praecipuum clamorem fuisse in corde, ubi re vera solus Deus conspicit. Illud, *et tribulationem meam ante ipsum pronuncio*, est explicatio praecedentium verborum: nam *effundere orationem in conspectu ejus, et tribulationem ante ipsum pronunciare*, idem sunt: tunc enim effunditur oratio, cum tota paulatim ex vase cordis producitur, ut ab aliquo videatur; hoc autem fit, cum tribulatio in oratione per partes ad aures audientis pronunciatur.

3. *In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas.*

Explicat, cur, et quando pronunciaverit tribulationem suam coram Deo. *In deficiendo*, inquit, *ex me spiritum meum*, cum ex me fere discederet spiritus meus vitalis; cum deficeret vita mea et in vicinia mortis essem. Vox hebraica, significat *angustiari*, deficere, constringi et operire seipsum, ut faciunt qui valde timent. Id autem optime convenit Davidi in spelunca latitanti, et in magno vitae periculo constituto; sed verius convenit Christo in horto, vel in cruce oranti. Sanctus Augustinus applicat sanctis martyribus pro fide agonizantibus. *Et tu cognovisti semitas meas*, idest, oravi cum deficeret spiritus meus, et oravi ad te, quia tu omnium optime *cognovisti semitas meas*, actiones et studia mea et nosti, quam sine ulla justa causa haec patior.

4. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.*

Docet afflictionem suam primum incepisse ab insidiis inimicorum, deinde ab aperta violentia. Saul enim saepe procuravit mortem Davidis per insidias, mittens eum ad praelia, et sperans in praeliis occidendum, sed cum id non succederet, aperta vi illum aggressus est. Sic etiam Dominum nostrum saepissime tentarunt capere in sermone Pharisaei, ut eum perderent, sed cum sapientia vinceret malitiam, violenter ceperunt et per Pilatum crucifigi postularunt. *In via hac, qua ambulabam*, idest, in via justitiae et mandatorum Dei, in qua ambulabam, in ipsis semitis, quas tu optime nosti, *absconderunt laqueum mihi*. Explicemus hoc exemplis. Saul obtulit filiam suam Davidi in conjugem, modo ille interficeret ducentos Philisthaeos, cum quibus tunc bellum justum erat populo Dei. Id autem fecit Saul, sperans Davidem in eo praelio interficiendum: sed ille a Deo adjutus obedivit regi, et progressus ad praelium ducentos Philisthaeos interfecit. Sic etiam Pharisaei observabant Christum, an Sabbato curaret, ut postea dicerent, *non est hic*

homo a Deo, qui Sabbatum non custodit; Joan. 9. ita ponebant laqueos in via mandatorum Dei: sed ille curabat, et ostendebat, ea curatione non violari Sabbatum; sicut vere non violabatur, cum essent illa opera non servilia, sed divina: sic alias oblata adultera ponebant laqueos in via justitiae, dicentes. hanc *mandavit Moyses lapidare, tu quid dicis* ? Jo: 8. Notat hoc loco sanctus Augustinus, in ipsa via Domini non posse poni laqueos, sed juxta viam ut dictum est in psalm. 139. *Juxta iter scandalum posuerunt mihi*; unde et ecclesiasticus cap. 9, dicit, *Ignoras, quia in medio laqueorum ingrederis.* Sunt enim laquei a dextris et a sinistris, in medio est via justitiae. Quod ergo hic dicitur, *in via absconderunt laqueos*, intelligendum est, opinione ipsorum, non re vera; nam cum illi sint extra viam et existiment se esse in via, ponunt laqueos juxta viam, existimantes se ponere in via: sed vir justus non declinans a via justitiae, neque ad dexteram, neque ad sinistram, laqueos omnes evadit.

5. *Considerabam ad dexteram et videbam et non erat qui cognosceret me.*

Haec jam pertinent ad violentiam. Inimici enim, quibus insidiae non profuerunt, convertunt se ad vim apertam. In illa autem pressura, *considerabam*, inquit, *ad dexteram*, idest, ad auxilia amicorum, *et videbam*, num quis mihi socius et amicus adesset: *et non erat, qui cognosceret me*, idest, nullus mihi notum se esse confiteri ausus est. Haec Davidi conveniunt, qui Saulis persecutionem fugiens ad regem Achis pervenit, sed et ille inimicum se ostendit; proinde solus in speluncam se contulit. Sed apertius Christo accommodantur, qui in passione multos videbat a sinistris, id est, inimicos, et adversarios: a dextris autem, idest, amicos, et notos nullos habuit. Nam et Evangelista dicit, *stabant autem omnes noti ejus a longe*, et Petrus ipse, qui praecipuus erat amicorum, cum juramento dixit, *non novi hominem hunc.* Recte igitur Dominus dicebat, non erat, qui cognosceret me. In hebraeo sunt verba infinitivi modi considerare, et videre: sed modus infinitus deservit etiam aliis modis ac praesertim indicativo et sensus etiam esse potest servato modo infinito, erat mihi considerare et videre, idest, considerabam et videbam, quo modo Germani et Turcae, qui non tenent perfecte linguam italicam, vel latinam dicunt *io stare Todesco, io stare Turco*, et passim utuntur modo infinito pro indicativo.

6. *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.*

Ostendit, se in iis angustiis fuisse ut non solum ab aliis auxilium habere non posset, sed neque fuga seipse juvare posset. *Periit*, inquit, *fuga a me*, idest, nullum remanet effugium. *Et non est qui requirat animam meam*, idest, non invenitur qui sollicitus sit de vita mea, ne pereat. Et quidem David querebatur sibi aditum ad fugam corporalem non patere, quia fugere non poterat: sed Christus dicit, periisse a se fugam, quia fugere nolebat, et ipse sibi et Pater ei fugam interdixerat. Fuga enim non minus perit ab illo, qui non potest, quam ab illo, qui non vult fugere. Et vere non erat, qui requireret vitam Christi, ut eam servaret, cum ipse idem dixisset, *ego pono animam meam*, et *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Joan. 10. et Patri dixerit, *Deus meus ut quid dereliquisti me.* Matth. 27.

7. *Clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium.*

Exclusus David ab omni humano auxilio, ad Deum recurrit, cui nihil difficile est; et quoniam vir erat spiritualis et noverat Deum aliquando amicos suos in terra peregrinationis hujus affligere ut in patria gloriosius coronet; dicit, *clamavi ad te Domine*; *dixi, tu es spes mea* hic in peregrinatione; *portio mea*, haereditas videlicet, *in terra viventium.* Sed cum ad Christum haec referuntur, accipienda sunt pro corpore ejus, quod est ecclesia, vel si in persona propria Christus loquitur, accipienda sunt de expectatione resurrectionis, et gloriae corporis: quasi dicat, quia non est qui requirat animam meam, idest, vitam meam corporalem, ne pereat; *clamavi ad te Domine Pater dixi, tu es spes mea*, idest, expectatio mea, ut non des *sanctum tuum videre corruptionem*; sed ostendas illi vias vitae: tu quoque es *portio mea in terra viventium*, idest, tu facies, ut caro mea glorificata per resurrectionem, adipiscatur per ascensionem haereditatem suam in superna Jerusalem, quae est terra viventium.

8. *Intende ad deprecationem meam; quia humiliatus sum nimis.*
9. *Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me.*

Duplici argumento petit a Deo liberationem, tum quia ipse nimium depressus sit, tum quia inimici ejus nimium sint exaltati et adversum se innocentem viribus praevaluerint. *Intende ad deprecationem meam*, et tandem exaudi me, *quia humiliatus*, idest, depressus et afflictus sum valde. *Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt*, idest roborati sunt, et viribus aucti, ut facile praevalere possint. Haec David merito dicebat, cum ipse solus lateret in spelunca et hostis ejus Saul exercitum armatum duceret. Christus autem plane ad litteram dicere poterat, *humiliatus sum nimis* quia *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Item *humiliatus erat nimis*, cum penderet inter latrones, cui jure convenit sedere super Cherubim. Vere etiam inimici ejus *confortati* erant valde, quando venit hora ipsorum, et potestas data est tenebris, ut in ipsum solem justitiae ad tempus praevalere viderentur.

10. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.*

Quod attinet ad Davidem, sanctus Joannes Chry-

sostomus intelligit per *custodiam* tribulationes,et afflictiones, ob quas se in speluncam abdiderat,ut sensus sit, Educ me de his afflictionibus ut de hac spelunca egressus et libere ubique discurrens, laudem nomen tuum. Id enim *expectant* omnes *justi*, ut a tua providentia tribuatur mihi innocenti liberatio. Sed fortasse David, ut vir sanctus et a Deo mirifice illustratus,altius aspirabat et de mortali corpore, tamquam de custodia educi desiderans, cum Apostolo dicebat, *quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Illi enim vere confitentur nomini Domini, qui illuc ascendunt, ubi qui habitant, in saecula saeculorum laudant Dominum, quod confirmatur verbis sequentibus,*me expectant justi donec retribuas mihi*:expectabant enim Prophetam justum animae sanctorum Patriarcharum in Limbo, donec requies tribueretur ei: et angeli sancti in coelo, donec vera,atque aeterna foelicitas retribueretur meritis ejus. Sed quod attinet ad Christum orat educi *de custodia* corporis passibilis et animalis et induere per resurrectionem corpus impassibile et spirituale, *ad confitendum nomini Domini*, ut qui laboraverat praedicando populis, deinceps requiescat laudando Patrem.Atque ut sanctus Augustinus, sanctus Hieronymus, et sanctus Hilarius docent; Christo maxime proprie convenit quod sequitur, *me expectant justi,donec retribuas mihi*: omnes enim justi, et qui mortui fuerant ab origine mundi, et qui vivebant in carne ut Apostoli, aliique fideles discipuli, expectabant maximo desiderio Christum resurgentem et debita retributione gloriae exaltatum; quia *ex plenitudine gloriae ejus* omnes accepturi erant: nam quemadmodum dicit s. Joannes cap. 7. *Nondum erat Spiritus datus,quia nondum Jesus erat glorificatus*: sic etiam dicere possumus, nondum animae Sanctorum ex carcere Limbi ad regna coelorum ascenderant, quia rex gloriae Christus in gloriam suam nondum introierat.Ex hebraeo aliqui vertunt, *me coronant justi*,pro,*me expectant*,sed vox, כתר *cathar*, non solum *coronare*,sed etiam *expectare* et *sustinere* significat ut perspicuum est ex cap. 36. Job vers. 2. nam quod legimus, *sustine me*, in hebraeo est, כתר לי *cather, li*.

PSALMUS CXLII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, quando eum filius suus persequebatur.

In hebraeo solum habetur, *psalmus David*,caetera verba explicandi argumenti gratia septuaginta interpretes addiderunt, ut sanctus Hilarius affirmat. Quamvis autem patres latini hunc psalmum exponant de passione Christi, quem quasi alterum Davidem persequebatur Judas,ut alter Absalon secundum Augustinum, vel populus Judaicus secundum Gregorium: tamen dubitari non debet, quin ad litteram exponi possit de ipso Davide, qui persecutionem Absalonis poenam peccati sui esse agnoscens, peccata sua deplorat et misericordiam a Deo postulat. Hinc enim ecclesia catholica hunc psalmum inter septem poenitentiales numerat, quia praescribit David exemplo suo formam precandi veris poenitentibus, atque hunc sensum persequitur s. Joannes Chrysostomus.

EXPLICATIO PSALMI CXLII.

1. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam, in veritate tua: exaudi me in tua justitia.*

Postulat initio psalmi David exaudiri in veritate, et in justitia et non explicat,in qua petitione exaudiri velit,quia praesupponit, Deum intelligere,peti a se remissionem culpae commissae, ob quam puniebatur. Intelligebat autem Deus hoc eum petere et in hoc exaudiri velle, tum quia videbat desiderium cordis ejus, tum etiam fortasse ex gemitu et suspiriis verae contritionis. Sic enim s.Maria Magdalena non legitur postulasse verbis remissionem peccati, sed ex lachrymis, quibus pedes Domini rigabat, intellexit Dominus quid peteret, et ait,*remittuntur tibi peccata tua*. Ergo corde contrito David, et interno gemitu petens culpae remissionem dicit, *Domine exaudi orationem meam*, quam tu bene intelligis, quae sit; et idipsum repetens, addit, *auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua*,id est,juxta fidelitatem tuam quia servas promissa tua de remissione poenitentibus danda. Quod ipsum iterum repetit,cum addit *exaudi me in tua justitia*,ubi per *justitiam* intelligit fidelitatem,quae est pars justitiae,quam paulo ante veritatem vocavit.S.Joannes Chrysost.intelligit per *justitiam*, benignitatem qua utitur Deus erga veros poenitentes: ideo enim notat,Prophetam non dixisse,*exaudi me in justitia*,sed *in tua justitia*, qua videlicet uti soles erga poenitentes, quae non tam justitia, quam ineffabilis benignitas est.Siquidem Deus ubi viderit poenitentiam ubi audierit

confessionem, continuo indulcet offensas. *Dic tu prior*, inquit per Isaiam cap. 43. *iniquitates tuas, ut justificeris.* Judices homines quaerunt confessionem rei, ut eum damnent; Deus quaerit, ut absolvat. Denique pater filiis prodigi, per quem intelligitur Deus, mox ut vidit revertentem filium, et audivit, *pater peccavi in coelum et coram te*, cecidit super collum ejus, et absculatus eum jussit afferri stolam primam, annulum, calceos, occidi vitulum saginatum, etc. Haec expositio fere eadem est cum ea, quam supra attulimus: nam justitia illa, qua Deus promissam indulgentiam poenitentibus exhibet, nihil est aliud, nisi fidelitas praestandae benignitatis eximiae. S. Augustinus per *justitiam* Dei, intelligit justitiam, quam non ex nostris meritis, sed ex gratia Dei habemus; quae sententia vera est, sed prior magis convenit litterae.

2. *Et non intres in judicium cum servo tuo quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Petiit remissionem peccati ex promissione, et fidelitate Dei; nunc addit aliud argumentum ex conditione et fragilitate generis humani. *Non intres in judicium cum servo tuo*, idest, noli mecum judicio contendere, nequè enim ego resistere audebo, neque me justum dicam; sed peccatum meum confitebor. *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, idest, quia non ego solus, sed omnis vivens cadet causa, si tecum judicio contendere voluerit. Omnis enim vivens, aut est peccator, aut justus in via, aut justus in patria. Qui peccatores sunt, ut homicidae, adulteri, et similes, poterunt quidem justificari coram hominibus, apud quos aliorum crimina saepe occulta sunt, vel juridice probari non possunt: sed in conspectu Dei non justificabuntur, quia Deus videt corda, et conscientias, et ex ipsius conscientiae testimonio convincet eos. Qui justi sunt, sed adhuc in via, non justificabuntur in conspectu Dei, quoniam non audebunt se justificare; sed cum Apostolo dicent, 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui eum judicat me, Dominus est.* Fortasse enim ille videt in me, quod ego non video; et cum Job cap. 9. dicere debeo, *si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Item non justificabuntur *in conspectu Dei*, quoniam intelliguntur justitiam suam, non a se acquisitam, sed è Deo donatam esse, et ideo non se justificabunt coram Deo, quasi ex se justi sint, sed gratias agent justificatori suo. Denique, non justificabuntur *in conspectu Dei*, quoniam etiamsi justi sint, quia criminibus carent, tamen etiam peccatores se esse intelligunt, quia peccatis quotidianis non carent, et dicunt cum aliis sanctis, *dimitte nobis debita nostra*, Matth. 6. *et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*, 1. Joan. 1. Qui justi sunt in patria, et criminibus, et peccatis non solum carent, sed etiam inquinari non possunt; non justificabuntur *in conspectu tuo*, tum quia justitiam suam non sibi tribuunt, sed Deo, a quo illam habent, tum quia tanta est puritas Dei, ut comparatione ejus omnis alia justitia, injustitia esse videatur. *Stellae* enim *non sunt mundae in conspectu ejus*, Job 25. Sed quoniam haeretici, Lutherani, et Calviniani, ex hoc loco probare contendunt, nullam esse in homine justificato veram justitiam, sed solum imputatitiam, et omnia opera justorum esse peccata mortalia, et digna supplicio aeterno, si a Deo imputarentur: observandum est, Davidem non dixisse, nullum esse vere justum; sed contra dixisse in psal. 17. *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo: Et ero immaculatus cum eo*, etc. et in psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Neque hoc loco dixisse eumdem Davidem, nullus vere justificabitur, sed *non justificabitur in conspectu tuo*: quod intelligunt patres. Vel quia justitia justorum vera quidem est, sed ab ipsis non est quasi propriis viribus acquisita, sed a Deo gratis donata. Ita sanctus Augustinus hoc loco: vel quia justitia eorumdem justorum vera, sed non pura est, cum admista sit peccatis venialibus. Ita sanctus Gregorius hoc loco, sanctus Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, et sanctus Augustinus in libro de perfectione justitiae. Vel denique, quia etiamsi vera et pura esset absolute, tamen comparata ad justitiam Dei increatam, et infinitam, justitia esse non videtur; quo modo lux lucernae coram sole non lucet. Ita sanctus Hilarius, sanctus Hieronymus, et alii hoc loco, et sanctus Bernardus ser. 5. de verbis Isaiae. Atque hoc est quod legimus Job 4. *Numquid homo Dei comparatione justificabitur?* et cap. 9. *Vere scio quod ita sit, et quod non justificabitur homo compositus Deo.* In quem locum vide s. Augustinum in lib. ad Orosium contra Priscillianistas, et Origenistas cap. 10.

3. *Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.*

Haec est tertia ratio, quam adducit ad impetrandam remissionem peccatorum, quae sumpta est ex gravitate tentationis: non enim sponte sua, et nullo tentante peccavit, ut fecerunt angeli reprobi, qui propterea remissionem peccati non invenerunt: sed gravissima persecutione inimici nostri diaboli, qui tamquam *leo rugiens circuit quaerens quem devoret*, prostratus fuit, et dejectus ab altitudine innocentiae ad imum peccati lethalis. Itaque illa particula causalis, *quia*, jungenda est cum verbis illis, *exaudi me in tua justitia*: quasi dicat, exaudi me, quia es justus, promissa adimplens: *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; *quia persecutus est inimicus animam meam*, sollicitando ad adulterium, et tentando ad homicidium, et *humiliavit*, prostravit, abjecit *vitam meam* usque ad terram, quia me vilem, et contemptibilem reddidit in conspectu tuo, et sanctorum angelorum: et rursum humiliavit ad terram, quia terrae amatorem fecit, qui antea in coelestibus conversabar. Haec expositio communis est ss. Patrum, Chrysostomi, Augustini, Gregorii, et aliorum.

4. *Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.*

Pergit in explicatione calamitatum, quas diabolica persecutio per peccatum adfert. Postquam enim animam humiliavit ad terram, id est, terrenis cupiditatibus implicavit, *in obscuris* eam collocat, in tenebris videlicet spiritualibus, excaecans oculos interiores; ut falsa bona amplectatur pro veris; ut voraginem et praecipitia non advertat; ut viam, quae ducit ad vitam, omnino non videat; denique in iis tenebris collocat, in quibus versantur mortui saeculi, idest, jam dudum mortui, sive a saeculo mortui, vel, ut vertit S. Hieronymus, antiqui mortui, in quibus ne vestigium quidem oculorum remanet. Est enim haec amplificatio tenebrarum spiritualium, in quibus versantur amatores mundi. De quibus tenebris loquitur Apostolus ad Ephes. 4. *Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei propter ignorantiam quae est, in illis propter caecitatem cordis ipsorum*, et cap. 6. non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum; quamvis fortasse non sit dicenda amplificatio tenebrarum spiritualium, cum tantae sint, ut nihil addi posse videatur. Quae enim majus obscuritas mentis, quam propter momentaneam voluptatem contemnere foelicitatem aeternam? Sequitur, *et anxiatus est super me spiritus meus*; quibus verbis incidat, se ex divino lumine coepisse videre tenebras suas, et abjectionem animae ad res terrenas diligendas: et inde consecutam esse anxietatem spiritus ex terrore divini judicii, et ex misero statu, in quem cecidit propter peccatum. Atque hoc est initium poenitentiae. *Anxiatus est super me spiritus meus*; in hebraeo est eadem vox, quae in psalmo superiore, *in deficiendo spiritum meum*. Itaque significat magnam anxietatem, quae fere ad defectum vitae perducebat, nisi spes misericordiae consolationem attulisset. Illud, *super me*, significat super meam miseriam, super maximum languorem meum anxiatus est spiritus meus. Deinde idem repetit aliis verbis, *In me turbatum est cor meum*: nisi quod, *in me*, non est idem quod super me, sed significat hoc loco, in medio mei, sive intra me. Itaque sensus est, Spiritus meus hanc miseriam considerans, valde anxiatus est, cor meum in intimis meis conturbatum est non leviter, aut in superficie, sed serio, et in profundo cordis expavescere, et conturbari coepi. Ad hujus poenitentis imitationem debent, qui liberari cupiunt, serio, et profunde cogitare detrimenta peccati.

5. *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum meditabar.*

Docet nunc, unde ex tanta anxietate respirare coeperit, nobis exemplo suo viam ostendit ad reparationem post lapsum. *Memor*, inquit, *fui dierum antiquorum*, idest, recogitare coepi misericordiam tuam, quam ab initio mundi patribus nostris exhibuisti, portans infirmitates eorum, sanans languores, et parcens iniquitatibus. Nec solum obiter memor fui, sed *meditatus sum in omnibus operibus tuis*, idest, diligenter consideravi omnia opera tua, sive naturae, sive gratiae, et in omnibus misericordiam tuam eminere vidi: et idipsum iterum repetens addit, *in factis manuum tuarum meditabar*, idest, in operibus tuis considerandis exercebar. Posset haec cum sancto Gregorio referri ad antiquos dies, quibus in statu innocentiae homo fruebatur deliciis paradisi, et inde magis intelligitur miseria captivitatis; sed prior expositio, in qua Chrysostomum secuti sumus, videtur litterae magis inhaerere.

6. *Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

Spe concepta ex consideratione misericordiae, ad Deum aspicere et suspirare incipit. *Expandi*, inquit, *manus meas* in oratione *ad te*: quoniam anima mea ita sitit gratiam tuam, ut terra arida pluviam. Quae aptissima similitudo est. Nam sicut terra sine aqua neque consistentiam habet, neque vestitur herbis, neque ornatur floribus, neque producit fructus, sed est inanis et vacua: sic anima sine gratia Dei non resistit tentationibus, sed sicut pulvis jactatur a facie venti; neque vestem habet justitiae, neque ornamentum sapientiae, neque fructus operum bonorum: quod totum intelligit poenitens experimento suo, et ideo magis sitit, quod melius cognoscit.

7. *Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.*

Turpitudo peccati, quam agnovit, et desiderium gratiae urget animam poenitentis, ut non possit ferre moras reconciliationis; atque hoc est signum verae contritionis, quando peccator non differt confessionem, et alia remedia de die in diem; sed cito currit ad medicum animae, quo modo aegrotus in periculo constitutus cito medicum accersiri jubet, et sitibundus cito currit ad aquas. *Velociter*, inquit, *exaudi me*, non possum diutius ferre turpitudinem meam, cito lava me ab iniquitate mea; sana velociter languorem meum, quia *defecit spiritus meus*, idest, in extremis ago, vix spiritum duco: ponitur enim praeteritum pro praesenti, amplificandi gratia.

8. *Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.*

Idem petit aliis verbis, *non avertas faciem tuam a me*, idest, ne recuses reconciliari mihi, ne fias inexorabilis, converte faciem benignitatis tuae ad me misericorditer respiciendum: ne fiam similis pereuntibus, qui descendunt in lacum profundissimum gehennae. Quibus enim Deus non ignoscit, neque donat vitam gratiae, ii pereunt in aeternum. Illud, *et*, sumitur pro, *quia*, ut saepe notavimus, et sensus est, *non avertas faciem tuam a me*,

quia si everteris, *similis ero desendentibus in lacum.*

9. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.*

Rursum ad idem redit, sed alia ratione. *Auditam fac mihi mane*, idest, cito, velociter, incipiente die, *misericordiam tuam*: vel per *mane*, intelligit lumen gratiae, quod succedit tenebris peccati in reconciliatione; quasi dicat, satis diu fui, te irascente, in nocte peccati: incipiat te miserante dies gratiae, et audiam in corde meo vocem tuam dicentem mihi. *salus tua ego sum. Quia in te speravi*, idest, gratia spei, quam jam accepi, mereatur gratiam remissionis: quamvis enim peccator ex se non mereatur aliquid apud Deum, tamen ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, ut loquitur sanctus Augustinus in epist. 106. et quemadmodom eo loco s. Augustinus dicit, per Fidem impetrari justificationem: ita etiam dici potest de Spe, quod videlicet impetret justificationem.

10. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.*

Poenitens David, accepta justificatione, timens ne iterum cadat; in hac extrema parte psalmi petit sollicite gratia cognoscendi viam justitiae, et per eam ambulandi. Atque hoc etiam signum est veri poenitentis, quando post reconciliationem studet viam instituere, ut decet amicum et filium Dei. *Notam*, inquit, *fac mihi viam, in qua ambulem*, idest, illumina mentem meam, ut cognoscam viam justitiae; in qua ambulare debeo, ut ad te perveniam. Siquidem *ad te levavi animam meam*, idest, ad te direxi cursum meum, renuntiavi saecularibus desideriis, te unum desiderò: ideo lumen sapientiae quaero, ne aberrem a te. Potest etiam cum Chrysostomo, illud, *a te levavi animam meam*, intelligi per spem ut sensus sit, a te pendeo, in te confido.

11. *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Persistit in eadem petitione, rogans liberari a tentationibus diaboli, qui saepe conatur obscurare mentem, ne videat viam justitiae. Concupiscentiae siquidem a diabolo excitatae faciunt, ut res aliter appareant, quam sint, et inde contingat error judicii. *Eripe me*, inquit, *de inimicis meis*, idest, eripe me a tentationibus inimici: quoniam ad te confugi, et illi renunciavi. *Doce me facere voluntatem tuam*, idest adjuva lumine tuo, ut repulsis tentationibus veram viam inveniam, et sic intelligam, quae sit voluntas tua bona, beneplacens, et perfecta. *Quoniam Deus meus es tu*, idest, debeo, et cupio tibi uni servire, quoniam tu es Deus meus, principium et finis omnium bonorum meorum, a quo naturam, et caetera bona animae et corporis accepi, et a quo beatitudinem, et gloriam sempiternam expecto.

12. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum vivificabis me in aequitate tua.*

Petiit sapientiam, quae ad intelligentiam pertinet: nunc petit charitatem, quae pertinet ad voluntatem: tunc enim vere ambulamus per viam justitiae, quando scimus, et volumus bene agere *Spiritus tuus bonus*, idest, non spiritus meus, sed tuus qui bonus est, et de quo Salvator dicit Lucae 6. *Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se.* Spiritus bonus est Spiritus sanctus, essentialiter bonus, per quem diffunditur *charitas in cordibus nostris*, rom. 5. et hic facit, ut velimus, et operemur, et de hoc dicitur Ezechiel. 36. *Ponam Spiritum meum in medio vestri, et faciam ut ambuletis in praeceptis meis.* Hic igitur *Spiritus deducet me in terram rectam*, idest, in viam planam et directam, quae est lex Domini rectissima et planissima. Posset etiam *per terram rectam*, intelligi patria coelestis, quae est terra videntium, in qua justitia inhabitat, et in qua obliquitas vitiorum nullum locum habet. Sequitur, *propter nomen tuum vivificabis me in aequitate tua*; ut ostendat, justificationem, quae est quaedam vivificatio spiritualis, non ex meritis propriis, sed ex dono gratiae Dei nobis contingere. *Propter nomen tuum*, inquit, idest, propter gloriam tuam ex gratia tua, *vivificabis me in aequitate tua*, idest, in justitia tua; sic enim est in hebraeo. Per *justitiam* autem potest intelligi veritas, sive fidelitas in servandis promissis potest etiam intelligi justitia, quae nos justificat. Denique potest intelligi lex Domini justissima, quo modo intelligitur illud psalm. 118. vers. 40. *In aequitate tua vivifica me.*

13. *Educes de tribulatione animam meam et in misericordia tua disperdes inimicos meos.*
14. *Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.*

Concludit praedicens salutem, et liberationem suam, et perditionem omnium inimicorum suorum: quod sine dubio adimplebitur in ultimo Judicio; et quod de se David Propheta dicit, dici etiam potest de omnibus veris Dei servis, qui vel innocentiam custodierunt, vel per veram poenitentiam ad justitiae viam redierunt.

PSALMUS CXLIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David adversus Goliath.

In hebraeo habetur solum, *psalmus David:* quae sequuntur, addita esse a septuaginta interpretibus testatur s. Hilarius : sed quoniam psalmus videtur meminisse regni ipsius David versu tertio, ubi dicit, *qui subdit populum meum sub me*; existimant aliqui, verba illa adversus Goliath, non esse conformia psalmo: et liberius etiam putant haec verba posse contemni, quod Theodoretus testatur ea non haberi in exaplis Origenis, ac proinde non esse ex interpretatione septuaginta seniorum. Sed respondere possumus, psalmum scriptum esse proprie pro victoria adversus Goliath, et verba illa, *qui subdit populum meum sub me*, non intelligi de regno, sed de principatu militiae: fuit enim David dux belli multo antea quam rex fieret; neque verum est, quod aliqui dicunt, hunc psalmum esse ejusdem argumenti cum psalmo septimo decimo, ut patet ex versu octavo hujus psalmi. Itaque existimamus, hunc psalmum compositum fuisse paulo post victoriam adversus Goliath, ut habet titulus. Quod autem attinet ad versionem septuaginta, majorem fidem habere debemus s. Hilario, qui affirmat, haec addita a septuaginta viris, quam Theodoreto, qui negat. Sanctus enim Hilarius in explicatione psalmorum Originem sequutus est, ut testatur s. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis: quare credibile est, Hilarium in Origene legisse, verba illa addita fuisse Septuaginta viris: nemo autem melius novit quid esset in versione septuaginta, quae habetur in exaplis, quam Origenes qui exapla collegit. Adde quod cum hic titulus legatur in omnibus libris Latinis, et a s. Augustino, et aliis exponatur, non est ulla ratione tollendus, aut contemnendus. Argumentum psalmi ex Hilario est victoria Christi adversus diabolum: ex Augustino, victoria ecclesiae adversus eumdem diabolum: ex Theodoreto, victoria Machabaeorum adversus Antiochum. Sed nos cum s. Joan. Chrysost. existimamus, ad litteram cani victoriam Davidis adversus Goliath, ut titulus docet; spiritualiter praedici victoriam Christi, et ecclesiae adversus diabolum.

EXPLICATIO PSALMI CXLIII.

1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum.*

Laudat Propheta Deum, et gratias illi agit, quia dono singulari ejus vicerit gigantem, unde initium duxit omnis ipsius gloria. Dicit autem, *Qui docet manus meas ad praelium*, et dicit, Qui robustam fecit manum meam; quoniam in eo genere praelii, quo vicit gigantem, plus valuit ars, quam robur. *Praevaluit* enim, ut Scriptura dicit, *in funda et lapide adversus Philistaeum*, 1. reg. 17. Jacere autem lapidem ex funda, ita ut recte attingat frontem hominis, maximae artis est; quam tamen victoriam sapiens Propheta non suae arti, aut exercitationi, sed Dei dono tribuit. Pari ratione in praelio spirituali adversus Diabolum magis indigemus arte, quam robore; et Christus ipse per Davidem figuratus non potentia, sed sapientia Diabolum vicit. Patientia enim, ut humilitate superbum, et crudelem hostem prostravit: et ideo non dixit Propheta, Qui armat manus meas, sed, *qui docet manus meas*. Quod additur, *et digitos meos ad bellum*; idipsum est aliis verbis repetitum.

2. *Misericordia mea, et refugium meum, susceptor meus, et liberator meus.*
3. *Protector meus, et in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me.*

His quinque vocibus docet Propheta, quo ordine dederit illi Deus victoriam: quo etiam ordine nobis quoque dabit, si in illo spem nostram totam posuerimus. Primum Deus misericorditer Davidem respexit. Misericordia enim Dei prima origo est omnium bonorum nostrorum, et omnia omnino merita praevenit: hinc igitur primo dicit, *misericordia mea*. Deinde David misericorditer praeventus, et vocatus respexit ad Deum, atque ad eum sperando, et invocando confugit: hinc subjungit, *et refugium meum*. Tertio, Deus confugientem ad se non despexit, sed manum illi porrigens suscepit eum protegendum et adjuvandum: inde subjunxit, *susceptor meus*. Quarto, susceptum liberavit de captivitate et ab imminente periculo vitae: hinc subjunxit, *et liberator meus*. Denique liberatum, ne iterum caperetur, aut vulneraretur, protexit et protegere pergit, dum praelium durat: ideo subjunxit, *protector meus*; addit, *et in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me*, idest, Deus quidem mihi est misericordia, refugium

susceptor, liberator et protector: et ego vicissim in ipso sperabo, qui fecit plus quam petere, aut optare potuissem: nam non solum liberavit me de manu Goliath, sed etiam subjecit mihi populum meum, cum fecit me principem militiae super omnem populum meum: nam 1. regum 18. paulo post victoriam de Goliath, fecit Saul rex Davidem tribunum super mille viros: nec solum illis, sed universo populo praecrat David. Sic enim legimus ibidem, *omnis Israel, et Juda diligebat David, ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos*, quod repetitur 2. Regum 5. Nec solum subjecit, sed etiam nunc subdit, cum dono gratiae suae facit, ut populus quiete et pacifice regi se sinat.

4. *Domine quid est homo quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum.*

Ex tot beneficiis prorumpit David in magnam admirationem, quod tantus Deus, quo nihil majus cogitari potest, dignetur tanti facere hominem, qui fere nihil est, ut etiam velit ab illo cognosci, et amari. Et si haec David dicit, et tanto sensu pietatis dicit, quid nos facere, sentire et dicere par esset, quibus Deus non solum innotuit, sed formam servi accepit et in ea forma *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, et victoriam nobis tribuit non adversus carnem et sanguinem, sed *adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus*, et qui nobis non populum unum subjicit, sed evectos ad participationem regni sui constituit cum Christo super omnia bona sua: sed verba consideremus. *Domine quid est homo, quia innotuisti ei?* ex hebraeo aliqui vertunt, *quid est homo, quia cognoscis eum?* Sed s. Ioannes Chrysostomus affirmat, recte vertisse septuaginta interpretes, *innotuisti ei?* nam et vox hebraica hunc sensum patitur et est multo admirabilius, quod Deus dignetur agnosci ab homine, quam quod hominem cognoscat imo nihil admirationis habet, quod Deus hominem cognoscat, qui hominem fecit et nihil ignorare potest. Observat quoque idem Chrysostomus recte dictum esse, *quia innotuisti ei*, non autem, quia cognitus es ab eo: cognitio enim Dei in homine ab ipso Deo est, qui ei se revelare, et demonstrare dignatur. *Aut filius hominis, quia reputas eum?* Repetitio ejusdem admirationis est: nam in hoc apparet, quanti Deus hominem aestimet, quia voluit ei innotescere, et cum eo familiaritatem amicitiamque contrahere.

5. *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra praetereunt.*

Explicat causam suae admirationis; quia videlicet homo sit res modica, et id modi cùm brevi desinat esse. Non poterat magis extenuari vilitas hominis comparata ad magnitudinem Dei. Deus plenitudo est omnium bonorum et plenitudo semper stans, et manens in aeternam sine ulla imminutione, aut mutatione. Homo non est quidem vanitas, quia aliquid est, sed *vanitati similis*, quia modicum quid est et capax magnorum bonorum, si a Deo impleatur, sed donec impleatur, similis est vasi vacuo, et inani. Id autem quod est semper mutatur et transit donec deficiat: quo modo interdiu umbra montium insensibiliter transit, donec nocte superveniente penitus evanescat. Atque haec dicit Propheta de homine, quoad vitam corporalem et comparatione facta cum Deo: alioqui enim homo magna res est, ad imaginem et similitudinem Dei creatus, et ad ipsum Deum intelligendum et amandum factus; propter quem unicus Dei sanguinem profundere non dubitavit; qui denique si Deo per fidem, spem et charitatem in hac peregrinatione inhaeserit, futurus sit in patria aequalis angelis, semperque foelicissimus. Itaque quemadmodum pulverem et cinerem se reputare debet cum Deo collatus; ita dignitatem suam agnoscere debet cum ei bestiales voluptates a Diabolo suggeruntur, ut dedignetur delectari voluptatibus pecorum, quia ad angelorum aequalitatem aspirat.

6. *Domine inclina coelos tuos, et descende: tange montes, et fumigabunt.*
7. *Fulgura coruscationes et dissipabis eos: emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.*

Propheta sanctus ex beneficiis Dei prorumpit in admirationem misericordiae Dei; quod tanta majestas tantam vilitatem aspicere dignaretur: nunc vero considerans ex adverso superbiam et caecitatem multorum hominum, qui Deo contempto toti essent occupati in opprimendis hominibus piis, et in cumulandis terrenis divitiis, precatur Deum, ut ostendat potentiam suam in ejusmodi homines ut saltem timore poenae peccare cessent, qui amore justitiae, et reverentia conditoris bene agere nesciunt. *Domine*, inquit, *inclina coelos tuos, et descende*, idest, quandoquidem humana superbia ex beneficiis te non agnoscit, nec timet, ostende praesentiam tuam per nubes tenebrosas, per ignem de coelo demissum, per fulgura et tonitrua, aliaque id genus, quibus homines terreri et expavescere cogantur; dicitur autem Deus *inclinare coelos*, quando demittit nubes et densas caligines, quae videntur partes coeli aerei et eo modo *descendere* dicitur, quia demonstrat per eos effectus praesentiam suam; sic dicitur Exod. 20. Deus descendisse in montem Sina, quando implevit montem illum tenebrosa nube et caligine densissima, et simul montem calefecit, ut totus fumigare videretur: et hoc est quod addit, *tange montes, et fumigabunt*, sed praecipue Deus praesentiam et potentiam suam demonstrat fragore horrendo tonitruorum et coruscatione fulgurum, ac vibratione fulminum, quibus nihil velocius, subtilius, efficacius, horribilius. Ideo addit, *fulgura coruscationes, et dissipabis, eos*, superbos videlicet hostes piorum. *Emitte sagittas tuas*, id est, coelestia fulmina, *et conturbabis eos*: nemo enim est tam ferox, et audax, qui non expavescat fulmina de coelo, adversus quae nihil valet humana defensio. Unde dicitur 1. reg. 2. *Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in coelis tonabit.*

8. *Emitte manum tuam de alto, et eripe me, et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.*

Ex hoc versiculo apparet psalmum hunc non esse scriptum a Davide post regnum adeptum, neque esse ejusdem argumenti cum psalmo septimodecimo: nam in eo psalmo gratias agit de liberatione a manu Saul et omnium aliorum inimicorum: in hoc autem psalmo adhuc pugnabat cum filiis alienis, idest Philisthaeis, et orat Deum pro liberatione et victoria. Itaque posteaquam rogaverat Deum generatim adversus impios et superbos, rogat pro se in particulari. *Emitte*, inquit, *manum tuam de alto*, id est, de coelo potentiam tuam ostende, *et eripe me et libera me de aquis multis*, idest, a multitudine hostium infidelium, cum quibus quotidie bellum gero: et declarans ipse metaphoram, addit, *de manu filiorum alienorum*. Itaque *aquae multae*, significant multitudinem filiorum alienorum, qui ad litteram erant Philisthaei: spiritualiter sunt haeretici, ut vult s. Joannes Chrysostomus, vel generalius omnes filii hujus saeculi, sive foris, sive intus sint, ut docet s. Augustinus et conformius est versiculo sequenti et a versiculo duodecimo usque ad finem.

9. *Quorum os loquutum est vanitatem et dextera eorum dextera iniquitatis.*

Describit filios alienos, atque ait, illos esse, qui et ore et opere iniqui sunt. *Quorum os loquutum est vanitatem*; non veritatem, non legem tuam, non boni aliquid: *et dextera eorum* non operatur nisi rapinas, oppressiones pauperum, adulteria, homicidia, etc.

10. *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.*
11. *Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me.*
12. *Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.*

Interponit duos versiculos, quasi parenthesim ex affectu in Deum: deinde revertitur ad describendos filios alienos. *Deus*, inquit, *canticum novum cantabo tibi*, idest, peto alia multa beneficia, sed non sum oblitus acceptorum, ideo canticum novum, praeclarum, nondum auditum, cantabo tibi, et simul in psalterio decem chordarum psallam tibi, jungens sonitum psalterii cum laudatione vocis; id autem faciam, quia *tu das salutem regibus*, ut paulo ante dedisti Sauli regi per ministerium meum et tu *redemisti me Davidem servum tuum de gladio maligno*, idest, de gladio injusto gigantis Goliath: tu igitur sicut hactenus fecisti, *eripe me*. Erue inquam me de manu filiorum alienorum, qui verbo et opere scelestissimi sunt.

13. *Quorum filii sicut novellae plantationes in juventute sua.*

Declarat filios alienos ab affectu et opinione ipsorum: illi enim sunt filii alieni, qui non norunt, neque diligunt nisi terrenam foelicitatem, in foecunditate, et prosperitate filiorum, et filiarum: in abundantia frumenti, vini et olei, in armentis pecorum et fructibus eorum; in pace, et securitate omnium quae possident. Sed hoc loco observandum est, ex hebraeo haec omnia nunc legi in prima persona, non in tertia et sensum facere omnino contrarium nimirum hunc: *eripe me de manu filiorum alienorum*, ut sint filii nostri, *sicut novellae plantationes*, *filiae* nostrae *compositae*, *ut similitudo templi*, *promptuaria nostra*, *etc.* sed cum omnes graeci et latini codices habeant in tertia persona, et omnes patres ita exponant, non possumus approbare lectionem hebraicam, nisi dicamus, ut Genebrardus indicavit, hic introduci loquentes ipsos filios alienos et Davidem non ex suo sensu, sed in persona eorum haec dicere, ut hic sit sensus: *eripe me de manu filiorum alienorum*, *quorum os loquutum est vanitatem et dextera eorum dextera iniquitatis*, qui videlicet loquuti sunt vanitatem dicentes, sint filii nostri *sicut novellae plantationes* etc. Posset etiam facile fieri, ut verba hebraica tempore septuaginta interpretum fuerint in tertia persona et postea successu temporis incuria librariorum mutata sint in personam primam: quod facillimum fuit, cum discrimen personae primae et tertiae in literis non in syllabis consistat: nam si desit litera *nun*, erit persona prima; si adsit, erit persona tertia: praeterea vox אֲשֶׁר *ascer*, quae potest verti, *quorum*, ut nostri legunt, et potest etiam verti, *ut*, quo modo legunt hebraei; videtur hoc loco vertenda, *quorum*, non, *ut*: nam in versu 9. et 12. ubi legimus, *quorum os locutum est vanitatem*, eadem est vox, et ab omnibus vertitur, *quorum*: cur ergo non etiam hoc loco vertatur, *quorum*, et legamus, *quorum filii*? Quare lectio nostra omnino retinenda est. Ac primo loco inter humanas foelicitates ponuntur filii, quoniam illi super omnia alia desiderantur, et propter eos quaeruntur caetera. Ideo Propheta dicit, *quorum filii sicut novellae plantationes in juventute sua*, idest tunc habentur foelices filii hujus saeculi, quando filii eorum sunt in juventute sua similes novellis plantationibus arborum, idest, bene radicati et fundati et virides ac florentes, ut spes sit, eos longissimo tempore supervicturos.

14. *Filiae eorum compositae, circumornatae ut similitudo templi.*

Haec est secunda foelicitas temporalis, filiae formosae, et ornatae, ut facile viros inveniant, quibus nubant. Illud, *compositae*, videtur referendum ad naturalem pulchritudinem, quae ex compositione, sive conformatione membrorum constat: ex hebraeo vertunt aliqui, *filiae ut anguli incisi*, sed credibile est septuaginta interpretes deduxisse vocem hebraicam a זִיו *ziu*, quod splendorem significat, ut sensus sit: *filiae eorum compositae*, idest, splendidae et speciosae. Quod sequitur de similitudine templi, videtur intelligendum de ornatu tabernaculi, in quo erant multa ornamenta purpurae byssi, auri, gemmarum, ut nihil pulchrius in tota ea regione inveniretur.

15. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.*

Hoc est tertium genus foelicitatis filiorum alienorum, promptuaria ita plena variarum frugum, aliarumque rerum ad hujus vitae usum, ut necesse sit ex uno in aliud exonerare copiam rerum. Qualis foelicitas describitur in evangelio, cum dicitur, divitem quemdam cogitasse intra se, *quid faciam, quia non habeo ubi congregem fructus meos? scio quid faciam, destruam horrea mea, et majora faciam, etc.* Luc. 12. Id vero potissimum contingit, quando supervenientibus novis frugibus, adhuc supersunt veteres, quae in aliud promptuarium refundendae sunt, ut detur locus novis.

16. *Oves eorum foetosae, abundantes in egressibus suis: boves eorum crassae.*

Hoc est quartum genus bonorum temporalium, oves foecundae, et plurimae, *abundantes in egressibus suis*, idest, quae plurimae conspiciantur, cum egrediuntur ad pascua : et simul cum gregibus ovium armenta boum et quidem pinguium.

17. *Non est ruina maceriae, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.*

Hoc est ultimum bonorum temporalium, ut non solum domus et palatia, ruinam nullam minentur, sed ipsae etiam maceriae, quae ex vili materia eriguntur, integrae maneant: et nullus sit tumultus, neque rumor in plateis eorum, sed omnia tranquilla et pacata. Illud, *neque transitus* potest significare transitum per diruptas macerias, vel transitum latronum, aut militum cum tumultu circumcursantium.

18. *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt : beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

Haec est conclusio sancti Prophetae, qui refert, ex sententia filiorum alienorum beatum esse populum cui haec sunt, quae paulo ante descripsimus: sed ex propria sententia dicit, beatum esse populum, non cui haec sunt, sed cujus Deus est Dominus, idest, qui habet pro Deo verum Deum : nam vox, *Dominus*, hoc loco scribitur quatuor literis, quae nomen proprium Dei significant, quod numquam tribuitur, nisi vero Deo, qui fecit coelum, et terram. Ad finem hujus psalmi diligenter annotandum est, non facere differentiam inter filios Dei et filios alienos, copiam, vel inopiam rerum temporalium: multi enim filii Dei his bonis abundarunt et Dominus Matth. 19. promisit centuplum eorum, quae dimittimus in hoc mundo ; et postea vitam aeternam et contra multi filii hujus saeculi misere perierunt in egestate, in exilio, in triremibus, in patibulis. Sed quod differentiam facit inter filios regni, et filios gehennae, filios hujus saeculi et filios lucis, est affectio: qui enim bona temporalia magna bona esse ducunt et iis ita afficiuntur, ut prae illis aeterna bona contemnant et contra qui detrimenta temporalia magna mala esse ducunt, eaque ita timent, ut pro iis evadendis Deum offendere et vitam aeternam perdere non formidant illi sunt filii tenebrarum hujus saeculi, et gehennae et hoc significatur in illis verbis, *beatum dixerunt populum, cui haec sunt*, idest, qui tanti faciunt haec temporalia, ut in illis beatitudinem sitam esse arbitrentur. Qui vero bona temporalia, parva bona; et jacturam eorum parva mala esse ducunt, ut re vera sunt: contra autem gratiam Dei, et coelestem patriam in maximis bonis reponunt et offensionem Dei, ac vitae aeternae detrimentum, mala gravissima putant, illi sunt filii lucis, filii Dei, filii regni, qui non surda aure audierunt, *primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis*, Matth. 6. et hoc significatur in illis verbis, *beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*, idest, bona temporalia, bona sunt, sed beatum non faciunt: quod autem vere facit beatum est possessio summi boni, quod in Dei visione consistit.

PSALMUS CXLIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Laudatio ipsi David.

Titulus indicat argumentum: est enim hic psalmus perpetua laudatio Dei, quae partim sumitur ab ipsa Dei magnitudine, partim ab operibus ejus, partim a qualitatibus regni ipsius, partim a virtutibus regiis, quae in ipso perfectissime inveniuntur. Est autem psalmus alphabeticus, ut facilius memoriae commendetur et delectabilius canatur. Sanctus Hilarius et sanctus Augustinus ita exponunt titulum, *laudatio David*, idest laudatio, qua laudatur David, et per Davidem intelligunt Christum, qui filius est David secundum carnem. Sed communior expositio est, ut sit sensus, laudatio qua laudatur Deus a Davide. Neque obstat, quod in graeco dicatur in dativo, *laudatio ipsi David*: est enim sensus, laudatio Dei inspirata et dictata a Spiritu sancto ipsi Davidi. Vide titulum psalmi tertii.

EXPLICATIO PSALMI CXLIV.

1. Aleph. *Exaltabo te Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi.*
2. Beth. *Per singulos dies benedicam tibi et laudabo nomen tuum in saeculum et in saeculum saeculi.*

In his duobus primis versiculis continetur proemium, in quo Propheta docet quid in hoc psalmo canere proposuerit, sed hoc docet more poetico, per apostrophem ad Deum. *Exaltabo*, inquit, *te*, idest, in hoc Psalmo celebrabo te versibus meis, ut tu, qui altissimus es, altissimus etiam habearis et praediceris ab hominibus. Vocat autem Deum Regem suum, vel ut ostendat, se regem esse sub Rege Deo, qui omnes regit et a nullo regitur; vel quia Deum celebrare intendit ob ea praecipue attributa, vel opera, quae illi conveniunt ut rex est et gubernator hominum et caeterarum rerum creatarum. *Et benedicam nomini tuo*, repetitio est ejusdem rei: idem enim est, *exaltabo te*, et *benedicam nomini tuo*, idest, laudabo nomen tuum, celebrabo gloriam tuam. Quod autem additur, *in saeculum et in saeculum saeculi*, significat laudationem hanc fore perpetuam, ita ut hic incipiat, et perseveret per successionem hominum canentium hos psalmos usque ad mundi consummationem et deinde in coelesti patria numquam omnino deficiat. *Beati enim qui habitant in domo tua Domine*, ait ipse idem in psalm. 83. *in saecula saeculorum laudabunt te.* Hoc idem clarius repetitur et explicatur in secundo versiculo, *per singulos dies benedicam tibi*, id est, perpetuo laudabo te, sive in prosperis, sive in adversis, dum hic vivam et postea quoque in coelesti patria *laudabo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.*

3. Ghimel. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.*

Quatuor sunt quasi partes magnitudinis, latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, quae suo modo in Deo quoque considerari possunt, juxta illud Apostoli ad Ephes. 3. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum.* Igitur Propheta incipit laudare Deum a magnitudine, et potest haec laus intelligi de magnitudine essentiae divinae, quae est magna quoad latitudinem, quia est immensa; quoad longitudinem, quia aeterna; quoad sublimitatem, quia altissima; quoad profunditatem quia incomprehensibilis; vel si placet, Prophetam explicare de magnitudine Dei, ut rex est, magnus rex est Dominus; quoad latitudinem, quia omnia serviunt illi a summo angelo usque ad ultimum vermiculum; quoad longitudinem, quia regni ejus aeterna duratio est; quoad sublimitatem, quia potestate summa, et absolutissima regnat; quoad profunditatem, quia non solum corpora, sed etiam corda regit, et moderatur intimas omnium cogitationes et affectiones; denique nihil est tam abditum, et reconditum, quo virga regni ejus non penetret. *Magnus* ergo *Dominus*, ideo *laudabilis nimis*, idest, valde: *et magnitudinis ejus non est finis*, quia et latitudo infinita est et longitudo et sublimitas, et profundum pariter infinita sunt. Vox hebraica proprie *inventionem*, sive *investigationem*, non *finem*, significat. Sed septuaginta sensum verterunt. Ideo enim magnitudinis Dei nulla est inventio, quia finis ejus non invenitur, nec inveniri potest, cum non sit. Itaque magnitudo Dei est infinita et ideo a nobis, qui finiti sumus, est omnino investigabilis: dicitur autem a nobis investigabilis, non quod ignoremus magnum esse Deum et magnitudinis ejus nullum esse finem, sed quia magnitudinem illam totam non capimus, non comprehendimus. Admonet autem nos haec magnitudo infinita Dei, ut sicut magnitudinis ejus non est finis, sic etiam laudationis nullus sit finis. Ita s. August. Item, ut nos quoque non simus contenti angustiis nostris, sed quotidie magis ac magis in vera magnitudine, quae in virtutibus posita est, crescere studeamus, juxta illud psal. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum; ibunt de virtute in virtutem*, etc, nam qui crescere student potentia, vel divitiis, ut alios supergrediantur; isti non magni, sed inflati sunt; non succo pleni, sed vento distenti: aliud enim superbia, aliud animi magnitudo est. Ita sanctus Joannes Chrysostomus.

4. Daleth. *Generatio, et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronunciabunt.*

Ab essentia Dei magni regis, quae investigari non potest, transit Propheta ad opera ipsius mirabilia, ex quibus potentia intelligi potest, et non dicit ego laudabo opera tua, sed *generatio et generatio laudabit opera tua*, quasi dicat, ego solus non sufficio laudare, sed omnes generationes laudabunt *opera tua*, quia numquam deerunt qui ea considerent, admirentur et laudent. *Et potentiam tuam pronunciabunt*, idest, omnes generationes laudabunt opera tua, et inde potentiam tuam, quae in illis relucet, assidue praedicabunt. In hebraeo habetur ad verbum, *generatio generationi laudabit opera tua*, ut in psal. 18. *Dies diei eructat verbum*: qua phrasi significatur, generationes sibi invicem succedere, ut dicitur Ecclesiastae 1. *generatio advenit, et generatio praeterit*, et sicut una alteri succedit quoad subsistentiam ita etiam unam alteri succedere in laudandis operibus Dei, quasi una, defuncta numero suo, tradat alteri munus Deum laudandi, et hoc modo generatio, et generatio, idest, omnes generationes laudabunt opera Dei. Itaque lectio hebraica non est contraria lectioni graecae, et latinae, sed eas explicat et illustrat.

5. He. *Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur, et mirabilia tua narrabunt.*

Dixit in genere de operibus Dei mirabilibus, nunc distinguit tria genera operum Dei; quaedam gloriosa, et pulcherrima, ac per hoc mirabilia ob eximiam speciem et splendorem; quaedam terribilia, et ob

terrorem maximum valde mirabilia;quaedam denique amabilia,et ob ingentis benignitatis Dei significationem, non minus quam caetera mirabilia. In hoc igitur versiculo laudantur opera mirabilia ob splendorem,et gloriam operis,qualia sunt coeli superiores, quibus nihil majus, et pulchrius; de quibus dicitur psal. 18. *Coeli enarrant gloriam Dei*: ad idem opus pertinent ea,quae in coelo conspicimus, sol, luna, stellae caeterae,et earum varietas, multitudo,splendor et perpetui sine ulla intermissione , vel fatigatione discursus. *Magnificentiam* , inquit, *gloriae sanctitatis tuae loquentur*, id est, omnes generationes laudando loquentur excellentiam gloriosi operis magnificentiae tuae, et quia multa sunt in eo opere mirabilia ; ideo laudantes gloriosum hoc opus, mirabilia tua multa,et magna narrabunt:per *magnificentiam* non intelligitur hoc loco actio virtutis, quae dicitur magnificentia, sed qualitas operis magnificentissimi, quae dici potest excellentia, sive praestantia,sive decor et pulchritudo:haec enim omnia significat vox hebraea,quae hoc loco ponitur: per *gloriam*, intelligitur claritas et splendor, et per *claritatem*, et *splendorem*, ipsum opus gloriosum, et splendidum; denique per *sanctitatem Dei*,si respiciamus vocem hebraicam, intelligenda est majestas,sive magnitudo, sive magnificentia Dei , quae etiam *sanctitas* dici potest , quia majestas Dei sanctissima est : vox hebraica non est, קדש *kodes*,idest,sanctitas,sed, הוד *hod*, quam vocem in psal. 8. verterunt septuaginta *magnificentiam*, hoc loco vertit s. Hieron. *magnitudinem*, potest etiam verti, *majestas* , sive , *decor*, sive etiam,*robur*, ac. *potentia*. Itaque sensus erit, omnes generationes praestantissimum, et clarissimum opus Majestatis Dei, quae sancta idest,inviolabilis, et purissima est, decantabunt.

6. Vau. *Et virtutem terribilium tuorum dicent,et magnitudinem tuam narrabunt.*

Hoc est alterum genus operum Dei , quo terror divinae majestatis in puniendis impiis demonstratur. *Et virtutem* , inquit , *terribilium tuorum dicent*, idest,robur et potentiam terribilium flagellorum, quibus impios castigare solitus es, dicent;et ex eis *magnitudinem* potentiae tuae *narrabunt*. Ad hoc opus pertinent,diluvium generale tempore Noe ; combustio quinque civitatum igne de coelo demisso : plagae Aegypti et Pharaonis: hiatus terrae ad absorbendos vivos seditiosos , Dathan et Abiron: denique terrae motus, pestilentiae, fulmina coelestia, eluviones aquarum, procellae ventorum, et alia,quae non raro ex divino judicio terris immittuntur.

7.Zain.*Memoriam abudantiae suavitatis tuae eructabunt, et justitia tua exultabunt.*

Hoc est tertium genus operum Dei,quod ad misericordiam pertinet, quod quidem pluribus verbis , et majori significatione grati animi explicatur,quoniam ad pios Dei servos maxime pertinet. *Memoriam*, inquit,*abundantiae suavitatis tuae eructabunt*, idest , omnes generationes repletae abundantia suavitatis et benignitatis, et misericordiae tuae,quoniam *misericordia Domini plena est terra*, ex hac plenitudine eructabunt memoriam hujus abundantissimae suavitatis , idest , mandabunt posteritati memoriam horum tantorum,et tam multiplicium beneficiorum:nec solum eructabunt hanc memoriam posteris , sed ipsi *exultabunt justitia tua*, idest, ob fidelitatem , qua promissa beneficia praestitisti: ad hoc genus pertinent innumerabiles consolationes, quas toti generi humano divina bonitas tribuit ex vicissitudine dierum , et noctium , ex pluviis de coelo, ex foecunditate terrae, ex infinita multitudine pecorum, avium,piscium,quae generi humano serviunt,ex amaenitate sylvarum,pulchritudine hortorum, commoditate maris,et fluminum, aliisque id genus plurimis. Sed haec levia,et parva sunt si comparentur ad dona gratiae, ad incarnationem verbi divini, ad passionem , resurrectionem , et ascensionem Christi , ad missionem spiritus sancti, vocationem gentium,aedificationem ecclesiae, justificationem, praedicationem,promissionem, exhibitionem regni coelorum.Quae omnia cum suavi meditatione quasi comedantur , mirum non est,si ex tanta plenitudine pii omnes eructent memoriam abundantiae suavitatis Dei.

8.Cheth.*Miserator et misericors Dominus,patiens et multum misericors.*

9. Teth. *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.*

Non contentus dixisse tantam esse abundantiam suavitatis Dei, ut omnes generationes eructaturae sint memoriam hujus suavitatis : ipse eructat primus et praedicat, dicens, *misericors, et miserator Dominus, patiens, et multum misericors* Dominus est, quia tollit miserias creando, gubernando , justificando, glorificando: nec solum *misericors* est, sed etiam *miserator*, idest, paterne misericors: id enim significat vox hebraica, רחום *rachum* ; nec solum affectu paterno misericors , sed etiam *patiens*, sive longanimis,ut est in Hebraeo,idest,perseveranter misericors; etiamsi enim saepe a nobis provocetur ad iram,ille tamen non subito irascitur, sed expectat ad poenitentiam;denique haec misericordia non modica,non exigua,sed multa et copiosissima est. Id explicat in sequenti versiculo: Nam *suavis* est *Dominus omnibus*, idest , omnibus benignus et misericors, et ex se suavis, licet non omnibus videatur suavis, sed iis tantum,qui sanum palatum habent; nec solum erga omnes suavis , et bonus ac per hoc misericors est,sed etiam misericordia ejus extenditur *super omnia opera ejus* : nullum enim est opus Dei in quo misericordia ejus locum suum non habeat: sic enim intelligimus illud, *super omnia opera ejus*, idest,in omnia opera ejus, ut exponunt sanctus Chrysostomus , et s. Augustinus, et ut vertit ex hebraeo s.Hieronymus, et requirit proprietas linguae graecae. Sanctus tamen Hilarius exponit, *super omnia opera ejus*, idest, excellit omnibus operibus ejus , et hanc expositionem patitur textus hebraicus, et hinc Theologi disputant, quo modo intelligendum sit, misericordiam esse excellentiorem omnibus virtutibus;

de qua re vide s. Thomam, et Cajetanum in 2. 2. quaest. 30. art. 4. Illud autem, *suavis Dominus universis*, verum est absolute, quia Deus *solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos*, ut dicitur Matth.5. Et ne daemones quidem Deus excludit a misericordia sua, cum eis vitam, et intelligentiam tribuat,et conservet: tamen magna misericordia, quae ad salutem aeternam perducit. de qua dicit David psal.50.*Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, et Jacob. cap. 2. *Judicium sine misericordia ei,qui non fecit misericordiam*,restringitur ad timentes, et invocantes Deum: nam psal. 85. dicitur, *tu Domine suavis, et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te*, et psal. 102. *quoniam secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se*, et, *quomodo miseretur Pater filiorum,misertus est Dominus timentibus se*, et, *misericordia Domini ab aeterno,et usque in aeternum super timentes eum*; quod etiam significavit b.Virgo Luc. 1. cum ait, *et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.*

10. Jod. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi.*
11. Caph. *Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur.*
12. Lamed. *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiae regni tui.*
13. Mem. *Regnum tuum,regnum omnium saeculorum, et Dominatio tua in omni generatione, et generationem.*

Cecinit hactenus opera Dei gloriosa terribilia,et amabilia:nunc transit ad qualitatem regni Dei,cantaturus etiam postea qualitates ipsius regis. *Confiteantur*, inquit, *tibi Domine omnia opera tua*, idest, laudent te opera tua de quibus hactenus te laudavi: opera enim opificem laudant,quando pulchra sunt, et bona. Opera autem Dei talia sunt, ut nihil eis addi, vel minui possit. *Vidit enim Deus omnia quae fecit, et erant valde bona*, Gen.1.et, *magna opera Domini exquisita in omnes voluntes ejus*, psal.110. Atque his verbis concludit narrationem praeteritam.Addit deinde inchoans novam laudationem. *et sancti tui, benedicant tibi*, idest, opera tua, quae patent oculis omnium, generatio, et generatio laudabit,ut supra dictum est,sed qualitatem regni, de qua nunc dicturus sum, non noverunt nisi sancti tui,quibus per Spiritum sanctum revelata est, ideo *sancti tui*, fideles tui, populus tuus peculiaris *benedicant tibi*, laudent te.In quo autem laudaturi sint, subiungit, cum ait, *gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur. Gloria regni* est potentia regni.Potentia regni consistit in multitudine subditorum,et in magnitudine divitiarum,quibus subditi ali et sustentari possunt. Gloria, sive potentia regni Dei cognosci potest ex differentia inter regnum Dei,et regnum hominum. Est autem quadruplex differentia. Prima, quod homines reges subditos habeant paucissimos,et opes tenuissimas, homines videlicet, et opes unius, aut plurium provinciarum: Deus autem subditos habet omnes angelos, omnes homines,omnes daemones: et quicquid in coelo, in terra, et in mari est, opes ejus sunt. Altera differentia est, quod reges terreni sic dominantur subditis, ut etiam illis serviant, quia pendent ab illis, et sine illis nihil possunt;et pari ratione sic abundant opibus,ut semper ageant, et cogantur a subditis exigere vectigalia, et tributa, ut plurimum gravati sunt aere alieno: Deus autem dominatur omnibus et nulli servit, quia non eget opera illorum, abundat opibus sine ulla inopia, quia potest in memento producere ex nihilo multo plura,quam habeat. Tertia differentia sequitur ex secunda; reges enim terreni gaudent honore, ac dignitate sua, sed simul anguntur assidua sollicitudine,et formidine,ut propterea inventi sint, qui sponte imperium deposuerint:Deus autem nulla premitur sollicitudine,nullo metu,sed cum tranquillitate, et securitate regnat. Quarta est,quod reges terreni brevi tempore regnant: Deus autem in aeternum. Prima differentia attingitur in versiculo illo, *gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur*, idest, sancti tui praedicabunt gloriam et potentiam regni tui, quae in multitudine innumerabili subditorum, et abundantia infinita opum tuarum consistit. Secunda et tertia attinguntur in versiculo sequenti, *ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiae regni tui*; quae verba indicant maximum discrimen inter regna hominum, et regnum Dei.Ideo enim dicit, *ut notam faciant filiis hominum*,idest, ut faciant filios hominum intelligere,regna sua terrena nihil esse, si comparentur ad regnum Dei; et non contentus dixisse,*ut notam faciant potentiam tuam*, addidit, *et gloriam*; et hoc non contentus, addit, *magnificentiae regni*, idest, gloriam excellentissimi regni tui. Denique quarta differentia habetur in versiculo sequenti,*regnum tuum regnum omnium saeculorum*, etc.

14.Nun.*Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.*

Hic jam incipit explicare Propheta virtutes proprias regis,quae in Deo perfectissime inveniuntur, ut etiam in Christo homine, et ad quarum quasi speculum,vel exemplar reges omnes respicere deberent.Prima virtus regia est probitas vitae,et praecipue veracitas in verbis: nam *totus componitur orbis regis ad exemplum*,et de Christo rege dicitur, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. 1. Petri 2. et hoc ipsum dicit hoc loco Propheta, *fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, idest, verax, non mendax,non decipiens,non fallens, promissa omnia constanter observans, *et sanctus in omnibus operibus suis*, innocens, impollutus,immaculatus in omni opere suo.Hunc versiculum non habent codices hebraici;sed hoc ipso convincuntur esse corrupti: nam septuaginta viri nullo modo ausi fuissent verba sua, ac praecipue integrum versiculum inserere verbis Dei:praeterea cum totus hic psalmus alphabeticus sit, nulla ratio reddi potest, cur David unam literam omittere voluerit. Itaque non dubitamus in hebraico textu

quem habuerunt septuaginta interpretes fuisse hunc versiculum, cujus prima litera erat *nun*, ut re vera vox hebraica, quae *fidelem* significat, a litera ista principium habet: dicit enim, נאמן *neeman*, idest, *fideles*.

15. Samech. *Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.*

Haec est altera virtus regia, et pastoralis : nam regis et pastoris idem est officium regere subditos, ne corruant, et erigere eos qui forte corruerunt. Misericordia haec virtus dicitur, regibus maxime necessaria. Illud, *allevat*, in hebraeo est, *sustentat*, sive confirmat; proinde *allevare* hoc loco non est erigere eos qui corruerunt, sed sustentare, et allevare ne cadant, cum in proximo sunt ut cadant, juxta illud, *impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me*? At quomodo verum est, a Deo sustentari omnes cadentes, et erigi omnes elisos? nonne plurimi cadunt, et eliduntur quotidie ; sive corporaliter hoc intelligatur ? Dicitur Deus *omnes allevare ne cadant*, et *erigere elisos* : quia quicumque in tentatione non cadunt, Deo juvante non cadunt; et qui ex casu resurgunt, Deo erigente resurgunt : qui autem cadunt, aut ex casu non resurgunt, ex se habent, non ex Deo, ut cadant, vel non resurgant. Quod aliis verbis dicit Oseas cap. 13. *Perditio tua ex te Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Quod autem non velit David dicere, omnes omnino corruentes allevari, perspicuum est ex verbis sequentibus, ubi dicit, erigi a Deo omnes elisos : nam si Deus sustentaret omnes cadentes, nemo caderet, aut certe nemo cadens elideretur ; quomodo ergo verum esset illud, *erigit omnes elisos*? Atque haec de spirituali casu dicta sunt: de corde corporali autem casu dicimus, Deum omnes allevare, et erigere, quia ex natura pronus est ad allevandum, et erigendum, quod si multos non allevat, neque erigit ; imo saepe ipse dejicit, et praecipitat in ruinam: id facit vel ad probationem, coronam, ut cum justos affligit; et hoc non est proprie dejicere, sed exaltare: vel ad poenam et supplicium, et tunc exigunt peccata hominum, ac per hoc prima radix malorum ex nobis est, et semper vera est Prophetae sententia, *perditio tua ex te Israel: tantummodo in me auxilium tuum.*

16. Ain. *Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno.*

17. Phe. *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.*

Tertia virtus regia liberalitas est, pertinet enim ad reges non expilare subditos, non emungere pecunias variis artibus; eosque ad egestatem redigere: sed contra liberaliter alere ut filios; sic tamen ut tempore suo comedant, nos totos dies in comessationibus consumant. *Oculi omnium*, inquit, *in te sperant Domine*, idest, oculi omnium viventium ad te respiciunt, sperantes a te cibum, ut inde alantur, et vivant. *Et tu das escam illorum*, idest, et tu per creaturas tibi subjectas, terram solem pluvias producis fructus copiosos in escam omnium viventium : *das* autem *escam illorum in tempore opportuno*, quando tempus opportunum est ut comedant; non enim semper comedere debent. Itaque qui comessationibus superfluis vacant, non accipiunt escam a Deo, sed a cupiditate sua. Item *dat escam Deus in tempore opportuno*, idest, quando esuris, quando eges, quando necesse hebes; proinde qui recondunt, et multiplicant superflua, non a Deo accipiunt, sed furantur bona communia: et ideo mirum non est, si multi egeant, et esuriant. Item *dat escam in tempore opportuno*, quia dat quando aequum est dari: aliquando enim aequum est tolli, quia id merentur peccata hominum, quo modo medicus praescribit cibi inediam, et abstinentiam vini: hinc saepe Deus immittit sterilitates, et penuriam, ut flagellet peccatores. Denique juxta Chrysostomum, *dat escam tempore opportuno*, quia non omnes fructus dat omni tempore, sed per temporum varietates varios fructus ex terra producit. Ut autem intelligas primam causam omnium bonorum esse Dei liberalitatem, addit, *aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*; in qua sententia omnia verba sonant liberalitatem. *Aperis*, inquit, *manum*, idest, non stricta manu, sed larga atque aperta, summa liberalitate; *imples*, idest, abunde satias, omne animal, non solum hominem, sed omnia animalia; *benedictione*, idest, abundanti refectione. Sic enim accipit benedictionem Apostolus 2. Cor. 9. *Ut benedictionem, non ut avaritiam*, idest, largam eleemosynam. In hebraeo non est proprie, *benedictione*, sed, רצון *razon*, *beneplacito*, sed idem est sensus: significat enim propheta impleri omnia animalia cibo sibi convenienti, qui eis placet, et quem cupiunt. S. Hier. vertit generalius, *refectione*. Septuaginta adhuc generalius, *benedictione*. At si Deus larga manu implet omne animal benedictione; unde tot mendici? tot famelici? Jam supra indicavimus id accidere ex injustitia divitum, qui multo plura volunt, et conservant, quam necesse habent, et multa effundunt in vanitates, quae pauperibus dari debuissent; addimus etiam, id aliquando evenire ex judicio Dei, quia id exigunt peccata hominum; denique adjungimus ; ipsos pauperes saepe esse in causa, quia vel confidunt in astutia sua, ex malis artibus, non in Deo; vel non sunt contenti victu, et vestitu statui suo congruenti ; vel quod lucrantur per integram hebdomadam, uno die comessando, vel ludendo perdunt.

18. Tsade. *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.*

Quarta virtus regia est justitia, quae omnino necessaria est, ut populi pacem, et quietem habeant. *Justus Dominus in omnibus viis suis*, id est, Dominus in omnibus suis actionibus suis externis, quibus quodammodo exit ab interno conclavi suo ad nos, justissimus est: tribuit enim omnibus, quod illis videbitur; et hoc idem significant verba sequentia, *et sanctus in omnibus operibus suis.*

19. Coph. *Prope èst Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.*

Quinta virtus regia est facilem se praebere omnibus accedentibus,atque auxilium implorantibus. Hoc mirifice praestat Deus noster,*qui prope est omnibus invocantibus eum*, idest, quamvis Deus excelsior coelo sit ; tamen appropinquat facile omnibus eum,neque unquam audientiam negat;hinc gloriatur Moses Deut. 4. *Non est alia natio tam grandis,quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*: addit Propheta declarans,quo modo intelligendum sit, *omnibus invocantibus eum*, et ait, *omnibus invocantibus eum in veritate*, quae particula, *in veritate*, includit omnes conditiones bonae orationis: nam qui sine vera fide orat, non invocat Deum *in veritate*, quia non invocat Deum, sed Idolum capitis sui; et qui sine spe, et fiducia orat, non invocat Deum *in veritate*, quia non potest serio, et ex animo invocare eum, a quo non sperat se exaudiri;et qui sine charitate vel sine dilectione saltem inchoata orat, non invocat Deum *in veritate*, quia nemo invocat serio eum quem odit, et a quo se hodio haberi credit : et qui sine affectu ac desiderio erant,ut qui recitant psalmos, et orationem Dominicam absque desiderio consequendi quae petunt, non invocant Deum *in veritate*, sed invocare videntur ; denique qui sine attentione orant, nec sciunt quid dicant, ii voce tantum, non mente orant, et ideo non invocant Deum *in veritate*,quia non ipsi vere invocant,sed signum inane invocationis ostendunt.

20. Resch. *Voluntatem timentium se faciet,et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.*

Sexta virtus regis est benignitas,qua non solum facile admittit subditos ad audientiam;sed etiam benigne concedit quae ipsi petunt, modo ea petant, quae deceat regem concedere. *Voluntatem*, inquit, *timentium se faciet*, id est, audita oratione praestabit quod ipsi volunt. Sed addit, *timentium se*, quia hoc justum est, ut Deus faciat voluntatem eorum, qui faciunt voluntatem ipsius. Illi autem faciunt voluntatem Dei, qui timore sancto metuunt offendere Deum, et quidlibet potius emittere volunt, quam gratiam Dei. Id ipsum more suo repetit, *et deprecationem eorum exaudiet*. Addit postremo, *et salvos faciet eos*, ut declarat quo modo Deus semper axaudiat deprecationes timentium se. Saepe enim Deus videtur non exaudire orationem *timentium se*, ut cum apostolum non levavit a stimulo carnis, pro qua se ter Dominum rogaverat,2. Cor. 12. et tamen vere semper exaudit primarium desiderium *timentium se*,quod est salutis aeternae desiderium. Sicut enim Dominus jussit, *primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus*, idest, et gloriam, et gratiam : sic omnes timentes Deum timore sancto, primo, et principaliter in omni ratione petunt salutem inchoatam, quae est gratia, et perfectam, quae est gloria. Deus igitur exaudit semper timentes se, quia *salvos facit eos*, idest, exaudit quando, et quo modo expedit ad salutem.

21. Scin. *Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.*

Ultima virtus, sed maxime necessaria regi, est providentia, qua protegit justos, ne a multitudine peccatorum opprimantur ; et peccatores dissipat, ne justis noceant, aut non tantum noceant, quantum vellent; tametsi enim aliquando sinit justos a peccatoribus multa pati ; tamen custodit eos, ne passio illis noceat, imo gratia sua facit, ut multum prosit. Permisit Deus martyres sanctos flagellari, et occidi; sed custodivit eos,tribuens illis constantiam in fide, et patientiam in doloribus, ut animae gloriam mox adipiscerentur, et paulo post corpus etiam reciperent gloriosum, et verum esse intelligerent quod eis veritas promisit,*capillus de capite vestro non peribit*. Quod autem dicit, *omnes peccatores disperdet*,ideo verum est,quia vel peccatores convertentur ad justitiam,et non erunt amplius peccatores, vel injusti permanebunt usque ad finem, et disperdentur per detrusionem in gehennam, ut ad justos in aeternum appropinquare non possint.

22.Thau.*Laudationem Domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi.*

Concludit Propheta psalmum jungens finem cum principio, quasi dicat, propter haec omnia, quae dixi de magnitudine Dei,de operibus ejus,de perpetuitate regni ipsius, ac de virtutibus regiis,quae in ipso perfectissimae et absolutissimae inveniuntur,*laudationem* ejus semper *loquetur os meum*; nec solum ego laudare cupio, sed opto, ut omnis caro, omnis homo, omne quod spirat, et vivit, nomen Domini semper laudet.

PSALMUS CXLV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja Aggaei, et Zachariae.

Hunc titulum non habent codices hebraici, excepta prima voce, *Alleluja*; sed habent codices graeci et latini, etiam antiquissimi. S. Hilarius docet, nomina Aggaei, et Zachariae addita esse ab Interpretibus, quoniam duo illi Prophetae praedixerunt renovationem Hierusalem; et captivos consolabantur et hortabantur ad reditum in patriam, et ad ipsam civitatem instaurandam. Hic autem psalmus, ut etiam duo sequentes, coelestem Hierusalem praedicant, atque ad iter suscipiendum ad eam invitant; et quoniam nihil est quod magis retardet peregrinos ab hoc itinere, quam spes foelicitatis terrenae, quae ab amicitia et obsequio magnorum principum dependet, hortatur gravissimis verbis, ut in nullo homine, quantumvis magno, spem ponamus, sed totam fiduciam nostram in Domino collocemus.

EXPLICATIO PSALMI CXLV.

1. *Lauda anima mea Dominum laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu fuero.*

Incipit per dialogismum. Peregrinus enim homo animadvertens carnem suam gemere in labore peregrinatoris, hortatur animam suam, ut ipsa saltem quae spe beata esse coepit, Deum laudet, et canendo reficiat totum hominem, *lauda* inquit homo ad animam suam, *anima mea Dominum*. Respondet anima, *laudabo Dominum in vita mea*, idest, tunc vere laudabo, quando veram vitam vivam; nunc enim gemendum, et orandum est, potius quam canendum, et laudandum; quamvis enim et nunc Deum laudemus, tamen non est haec simplex et plena laudatio, sed admixta lachrymis, et precibus: tunc autem erit sola, et perpetua, ac jucundissima laudatio. Repetit hoc idem dum addit, *psallam Deo meo quamdiu fuero*, idest, cum ad vitam aeternam pervenero, sine intermissione psallam Deo meo. Nunc enim non possum psallere quamdiu sum, quia multa nimis psallentem interrumpunt; sed tunc ab omnibus negotiis liber et expeditus *psallam Deo meo quamdiu ero*, idest, toto spatio verae illius vitae; et sicut semper ero, sine timore moriendi, ita semper psallam sine periculo deficiendi. Ita s. Hilarius, et s. August. exponunt. Non tamen rejicimus expositionem aliorum, qui de praesenti laude hunc versum exponunt.

2. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.*

Videt sanctus Propheta multos retardari ab itinere ad salutem, quia mirantur praefecturas humanas principatus et regna: quasi possint, qui ea possident, beatos facere, quos volunt; et miseratus caecitatem ipsorum exclamat, *nolite confidere in principibus*; et mox declarat, *in filiis hominum* idest, in principibus, qui sunt hominum filii: nam unus est princeps verus, qui est conditor hominum in quo confidere licet. Adjungit rationem, cur in principibus filiis hominum non sit fidendum, cum dicit, *in quibus non est salus*. Potest autem intelligi efficienter, et formaliter; siquidem in principibus terrenis non est salus, quia salvare non possunt alios, neque ipsi salvi sunt, sed salvandi cum caeteris si digni erunt. At, inquies, Salvator noster filius hominis est; sic enim in evangelio se vocat salvator noster Dominus Jesus Christus: quomodo ergo in filio hominis non est salus? Recte s. Augustinus respondet, in Christo salutem esse, non quia filius Dei, ac per hoc Deus super omnia benedictus in saecula; ubi s. August. non negat, Christi humanitatem concurrere ad salutem nostram, ut instrumentum conjunctum, sed significat originem et fontem salutis in Christo esse, non ex eo quod sumpsit ex homine, sed ex eo quod erat in principio apud patrem; et eumdem Christum non fore Salvatorem, si filius hominis esset et filius Dei non esset.

3. *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

Non esse salutem *in filiis hominum* multis rationibus demonstrare potuisset propheta, quia videlicet infirmi sunt, mutabiles, fallaces, saepe non possunt quod volunt, saepe non volunt quod possunt; sed unicam rationem attulit, cui nemo contradicere potest, videlicet a morte communi peti-

tam; quomodo enim salvare potest alios, qui seipsum salvare non potest? nam velit, nolit, etiam in arce munitissima constitutus,et exercitu armato vallatus; etiam si orbis terrarum monarcha fuerit, *exibit spiritus ejus* ex corpore et corpus spiritu recedente *in terram*, unde sumptum est, *revertetur* ; et tunc *peribunt omnes cogitationes eorum*, qui videlicet in illo spem suam posuerunt; nam qui principis favore gaudent, magnas cogitationum fabricas erigunt, et ipsi sibi divitias, honores,dignitates ex illius Principis favore promittunt, sed cum Deus aufert spiritum principis, concidunt omnia illa palatia, quae cogitando fabricaverant, et sic illo pereunte pereunt omnes cogitationes eorum, illud *in terram suam revertetur*, non potest ullo modo referri ad spiritum, de quo dicitur, *exibit spiritus ejus*; nam in codice hebraico *spiritus* est generis foeminini, ut etiam verbum exibit; sed verbum *revertetur*, est generis masculini.Ideo vel exponendum est cum s. August. *exibit spiritus ejus*, et caro, sive corpus *in terram suam revertetur*: nam et vox *caro* , et vox *corpus* , hebraice sunt generis masculini; vel ut alii volunt, *exibit spiritus ejus*,et ipse homo *in terram suam revertetur*. Illud quoque, *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*.posset intelligi de cogitationibus principum morientium: ut sensus sit , *exibit spiritus ejus*, idest , uniuscujusque principis, ac per hoc omnium, et singulorum principum , *et tunc peribunt omnes cogitationes ipsorum*. Neque explicatio, quam supra posuimus, huic explicationi repugnat; sed utraque vera est , et simul consistere potest: non enim repugnat Scripturae divinae, ut plures habeat sensus litterales.

4. *Beatus cujus Deus Jacob, adjutor ejus.spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit coelum et terram, mare, et omnia quae in eis sunt.*

Rejecta vana confidentia in principibus terrenis docet Propheta fiduciam ponendam esse in solo Deo vero,si quis ad veram atque aeternam salutem pervenire desideret. *Beatus*, inquit, est spe videlicet beatus,et in via recta et secura ad ipsam beatitudinem in re: *cujus Deus Jacob ejus*, idest,quia adjutorem et protectorem in via Deum verum habet. Vocat enim Deum verum, *Deum Jacob*, quia familia Jacob Deum verum colebat, cum Moabitae, Ammonitae, Philisthaei,et caeterae gentes vicinae Deos falsos colerent. Illud autem ejus, supervacaneum est in lingua nostra; sed apud hebraeos in usu est, ut alibi monuimus. Declarat continuo Propheta, quis habeat Deum adjutorem, ac dicit, *spes ejus in Domino Deo ipsius*, idest, *beatus est cujus adjutor* est *Deus Jacob*; *beatus*, inquam cujus *spes* est *in Domino Deo ipsius*.Nam hoc loco subintelligitur relativum *cujus*,et superfluum est pronomen *ejus*.Esse autem Deum adjutorem omnium in se sperantium, scriptura divina passim docet. Ecclesiastici 2. *Nullus speravit in Domino,et confusus est*, et Psal. 113. *Domus Israel speravit in Domino, adjutor, et protector eorum est*; et ibidem hoc saepius repetitur. Probat denique propheta optimum esse sperare in Domino,*quoniam*, inquit,ipse *fecit coelum et terram,mare,et omnia quae in eis sunt;* ex quo sequitur, ut sit potentissimus et Dominus omnium rerum, et omnia sint ei subjecta, ac per hoc qui ab eo protegitur nihil timere debeat.

5. *Qui custodit veritatem in saeculum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus.*

Poterat peregrinus dicere, Deum omnipotentem esse scio, et posse si velit me protegere, et juvare; sed unde intelligam illum velle? Huic respondet Propheta, ac demonstrat, Deum velle, quia justus et misericors est. Et quidem quia justus est, *custodit veritatem in saeculum*, id est , semper observat promissa, promisit autem auxilium sperantibus in se. Item quia justus est,*facit judicium injuriam patientibus*,idest, juste judicat causam, quam habent justi adversus iniquos;et iniquos punit, justos coronat: quia vero misericors est, *dat escam esurientibus*, idest, per admirabiles vias providentiae suae prospicit inopiae tum spirituali, tum corporali eorum, qui sperant in se.

6. *Dominus solvit compeditos,Dominus illuminat caecos.*
7. *Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.*

Quia non sufficit peregrinantibus ad patriam, protegi a latronibus et alimonia refici; sed necesse est habere pedes solutos et oculos illuminatos et totum corpus sanum, ideo adjungit, ut ostendat Deum omnino velle juvare sperantes in se, *Dominus solvit compeditos* a compedibus concupiscentiae malae, mortificans paulatim omnes cupiditates et quia concupiscentia excaecat, *Dominus illuminat caecos*, praebens lumen sapientiae et prudentiae interioris: et quoniam ex peccato non sola cupiditas et caecitas,sed etiam infirmitas orta est, et homo per peccatum similis illi factus est, qui descendens ab Hierusalem in Hierico incidit in latrones et spoliatus, ac vulneratus semivivus relictus est; ideo addit Propheta, *erigit elisos*.Denique adjungit, *Dominus diligit justos*, ut homo per gratiam sanatus, solutus, et illuminatus speret perseverantiam de Dei benignitate. S. August. legit, *Dominus sapientes facit caecos*: et notat,non esse dictum, *illuminat caecos* , sed , *sapientes facit caecos*, ne putaremus, prophetam loqui de illuminatione corporali. Sed sciendum est, in hebraeo esse, *Dominus illuminat caecos*: ut habet nostra lectio, septuaginta autem vertisse, *Dominus sapientes facit caecos*, ut explicarent hebraicam lectionem non esse intelligendam de caecitate corporali, sed spirituali: proinde utraque lectio laudanda est.

8. *Dominus custodit advenas, pupillum , et viduam suscipiet, et vias peccatorum disperdet.*

Alia metaphora docet Propheta Deum esse adjutorem et protectorem peregrinorum suorum, qui

per viam angustam tendunt ad patriam. *Dominus custodit advenas*, qui non sunt cives Babylonis, nec filii hujus saeculi, sed peregrini in terra aliena; *pupillum et viduam suscipiet*: *pupilli* sunt homines justi, destituti humano praesidio, qui Patrem non habent in terris, neque confidunt in ulla re temporali, *vidua* autem dicitur Ecclesia, quia est quasi vidua, cum virum suum non videat in terris, et multis injuriis et calamitatibus exposita sit. Hos pupillos, et hanc viduam suscipiet Dominus in domum suam tempore suo: et tunc *vias peccatorum disperdet*, id est, prosperitates mundi, per quas ambulant peccatores, ut per vias latas quae ducunt ad perditionem, Deus in consummatione saeculi omnino disperdet, ac destruet.

9. *Regnabit Dominus in saecula, Deus tuus Sion in generationem et generationem.*

Denique peregrinatione finita et viis peccatorum cum impiis peccatoribus exterminatis, adveniet regnum Christi sempiternum. *Regnabit* enim *Dominus* cum sanctis suis *in saecula*: regnabit inquam o sancta Sion, Deus tuus cum filiis suis in saecula saeculorum. Amen.

PSALMUS CXLVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Titulus, Alleluja, in hebraicis codicibus ponitur in fine psalmi praecedentis secundum distinctionem Judaeorum, sed septuaginta interpretes posuerunt in principio psalmi, ut credibile est, se habuisse codices hebraicos tempore septuaginta interpretum. Addunt aliqui interpretes ad vocem, *Alleluja, Aggaei, et Zachariae*, ut in psalmo praecedente. Argumentum psalmi est exhortatio ad laudandum Deum, propterea quod Deus sit dignissimus laude ob ejus beneficentiam, sapientiam, potentiam, providentiam, justitiam, et misericordiam.

EXPLICATIO PSALMI CXLVI.

1. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.*

Hortatur Propheta omnes ad laudandum Deum, quoniam laudatio Dei et nobis utilissima et Deo gratissima est. Hunc sensum apertius facit litera hebraica, quae ad verbum sic reddi potest, *laudate Dominum, quoniam bonum psallere Deo nostro quoniam jucundum decora laudatio.* Ubi post jucundum subintelligitur, Deo nostro, ut sensus sit, laudate Dominum, quoniam bonum est vobis psallere Deo nostro, et jucundum est Deo, quando psallitur sicut oportet. Septuaginta interpretes paulo aliter verterunt, sed erit idem sensus si hoc modo exponamus, *laudate Dominum quoniam bonus est psalmus*, idest, quoniam nobis est utile psallere Domino. *Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio*, idest, sed efficite, ut laudatio, quam offertis Deo dum psallitis, sit illi jucunda, ut re vera erit, si sit etiam decora, idest, qualis decet ejus majestatem, pulchra, ornata, virtutum omnium choro stipata. Porro bonum nobis esse psallere Deo dubitari non potest: primo enim mercedem non parvam accipit divina laudatio: nam si is qui orat mercedem accipit, ut Dominus dicit, Matth. 6. cur non magis qui laudat? secundo, eadem laudatio animum a terrenis ad coelestia elevat: tertio, est praegustatio coelestis beatitudinis, nosque cum angelis, et beatis conjungit: quarto dulcissima est cum ex charitate procedit, nihil enim jucundius amanti, quam laudate dilectum: quinto utilis est, qui per eam solvimus debitum tributum: justum enim est, ut laudemus bonorum omnium fontem, et gratias agamus summo benefactori. Hinc enim in divino sacrificio, cum sacerdos dicit, *gratias agamus Domino Deo nostro*, respondetur, *dignum et justum est*, et sacerdos addit, *vere dignum et justum est, aequum, et salutare*, etc. Quod autem *jucunda sit Deo decoraque laudatio*, vel ex eo intelligi potest, quod ipse non alia de causa creavit Angelos et homines, nisi ut essent, qui bonitatem ejus cognoscerent, et laudarent. Isaiae 43. *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum*, neque haec est ambitio, sed justitia. Justus autem Deus est, et *justitiam dilexit, aequitatem vidit vultus ejus.* Praeterea delectatur Deus sacrificio, ut odore gratissimo, et suavissimo: sacrificium autem laudis sacrificiorum praestantissimum est, juxta illud psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Denique jucunda est Deo et decora laudatio, quia delectatur bonis nostris ac praecipue bonis magnis, quales sunt

virtutes: in laudatione autem Dei exercetur fides, spes, charitas, religio, devotio, humilitas, etc.

2. *Aedificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.*

Incipit materiam divinae laudationis ostendere, ut sciamus, unde Deum laudare possimus, ac primum dicit, laudandum esse Deum ex beneficentia erga populum suum: quasi dicat, laudate Dominum quoniam ipse aedificavit Hierusalem, et ad eam *congregarit dispersiones Israelis*, idest, filios Israel in locis variis dispersos. Potest autem hoc intelligi cum Chrysostomo, et Theodoreto de terrena Hierusalem, quae post eversionem a Nabuchodonosor coepit iterum aedificari tempore Cyri, et Darii regum Persarum et captivitate soluta redierunt in patriam dispersi Judaei: hoc autem praevidit David futurum spiritu Prophetiae. Potest etiam intelligi de aedificatione ecclesiae per Apostolorum praedicationem et congregatione dispersorum filiorum Dei, juxta illud Joan. 11. Jesus moriturus erat pro gente et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Denique potest intelligi cum sanctis Hilario et Augustino, de coelesti Hierusalem, quae quotidie aedificatur ut civitas ascendentibus ad eam lapidibus vivis: ad quam congregandi sunt omnes peregrini qui nunc dispersi sunt per regiones Babyloniae.

3. *Qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum.*

Docet, quo modo dispersiones Israelis congregabit: et quidem si hunc locum intelligamus de dispersis in captivitate Babylonica, contriti corde dicuntur illi qui magnitudine calamitatum humiliati erant, et in se non amplius confidebant: ut exponit s. Joan. Chrysost. Hos ergo calamitosos et moestos, et inde humiliatos ex corde, Deus sanavit variis consolationibus illos erigendo et laetificando et alligavit *contritiones eorum*, quando per Cyri benevolentiam effecit, ut calamitas non procederet ulterius, et ad perfectam liberationem disponerentur. Sed altiore sensu colligit Deus dispersos Israelis, quando sanat contritos corde, id est, quando cor contritum et humiliatum non despiciens, sanat a morbo peccatorum: sic enim explicat ipse idem David in psal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Quod autem hic additur, *et alligat contritiones eorum*, significat modum, quo Deus sanat contritiones. Id enim facit more Chirurgorum colligando vulnera. Sunt autem ex Augustino, alligamenta peccatorum, sacramenta visibilia; per quae Deus peccata curare solet: et quemadmodum curatis perfecte vulneribus alligamenta tolluntur: sic in resurrectione corporum curatis omnino languoribus nostris omnia sacramenta cessabunt.

4. *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.*

Secundo laudandum esse dicit Propheta Deum a sapientia. Et quidem sancti patres Hilarius, et Augustinus dicunt, non esse magnum Deo numerare stellas, quod etiam homines tentare ausi sunt: et ideo exponunt hunc locum de stellis spiritualibus idest, de electis, qui veluti stellae fulgebunt in coelesti Hierusalem. Electorum enim numerum solus Deus novit, sed nos quemadmodum expositionem horum Patrum libenter amplectimur, sic etiam ad litteram existimamus hunc locum de veris stellis accipi posse. Nam etiamsi non sit difficile Deo stellas numerare, cui non fuit difficile eas creare; tamen absolute magnum est et multae sapientiae multitudinem stellarum numerare: alioqui non diceret Deus Abrahamo Genes. 15. *Numera stellas si potes*: neque conferret Genes. 22. multitudinem stellarum cum multitudine arenae, quae est in littore maris, de qua dicitur ecclesiastici 1. *Arenam maris quis dinumeravit?* praeterea non solum hic dicitur, *qui numerat multitudinem stellarum*: sed etiam additur, *et omnibus eis nomina vocat*: quod significat, notitiam distinctam naturae et proprietatum singularum stellarum. Neque hoc solum significat, sed etiam obedientiam stellarum, quae vocatae nominatim, cum non essent, esse coeperunt. Deus enim vocat ea quae non sunt, et vocando facit, ut sint. Baruch. 3. *Stellae vocatae sunt, et dixerunt, adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Denique significat etiam stellas quasi militum exercitum, vocari ut progrediantur; quae velocissime obediunt vocanti. Isaiae 40. *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec, qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat.* Recte igitur subjungit Propheta.

5. *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus et sapientiae ejus non est numerus.*

Ubi non solum sapientia, sed etiam virtus, idest, potentia Dei laudatur, quia non solum Deus novit numerum, et naturas, et proprietates stellarum: sed etiam vocando eas nominatim, dedit illis esse et moveri. Illud autem, *sapientiae ejus non est numerus*, significat, non esse numerum earum rerum, quas Deus per sapientiam suam cognoscit. Novit enim sapientia Dei omnia quae sunt, quae fuerunt, quae futura sunt, et quae esse possunt, quamvis numquam futura sint; item, omnia verba omnes cogitationes, omnia desideria praeterita, praesentia, et futura usque in aeternum; denique novit omnia, quae sunt in Deo, idest, in essentia sua perfectiones et attributa, usque ad intima, et profunda Dei, quae sunt sine mensura, et numero.

6. *Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.*

Tertia laus Dei sumitur a justitia et misericordia; Dominus enim ut pius et misericors suscipit humiles, et mansuetos in protectionem suam, eosque exaltat usque ad coelum: contra autem ut justus Judex superbos peccatores, qui se ipsi exaltant super sydera, ut fecit rex eorum Satanas, humiliat, et

deprimit, ut humi jaceant, et viles atque abjecti vivant.

7. *Praecinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.*

In medio psalmi, antequam pergat ad laudem providentiae divinae, iterum hortatur ad canendum et psallendum Deo. *Praecinite*, inquit, *Domino in confessione*, idest, praemittite confessionem laudis canendo hymnum; deinde etiam psallite in cithara addite ad hymnum sonitum citharae. Spiritualiter significat post verba laudis Dei debere sequi sonitum operum bonorum, ut manus non discordet a lingua, neque de nobis dici possit, *dicunt, et non faciunt.*

8. *Qui operit coelum nubibus, et parat terrae pluviam.*

Materiam confessionis esse docet providentiam Dei generalem, qua suis temporibus cogit aerem in nubes, non ut coelum obscuret, sed ut pluviam necessariam terrae tribuat, sine qua nihil omnino in terra nasceretur. Spiritualiter *operis Deus coelum nubibus*, cum serenitatem prosperitatis subducit, ut ex tribulatione pluvia gratiae Dei, per patientiam, et humilitatem ad nos descendat; vel secundum sanctum Augustinum, *operit* Deus *coelum nubibus*, cum scripturas figuris, et metaphoris obscurat, ut iis explicatis per doctores, pluvia intelligentiae gratissima descendat.

9. *Qui producit in montibus foenum, et herbam servituti hominum.*

Declarat cui usui deserviat pluvia, nimirum, ut producatur in montibus foenum, et herba servituti hominum. Illud, *qui producit*, significat, non sufficere terram et pluviam ad producendam herbam, nisi Deus auxilio suo cooperetur, imo nisi Deus ut principalis auctor, sicut per nubes exprimit pluvias, ita per pluvias tamquam per instrumenta sua producat herbas. Illud, *in montibus*, significat, montibus maxime necessarias esse pluvias, quoniam valles, et campi, per aquas fluviorum irrigari possunt: montes autem, nisi de coelo pluvias acciperent, omnino arescerent. Quod sequitur, *et herbam servituti hominum*, non habetur in hebraeo, sed vel excidit, cum ibi fuisset tempore septuaginta interpretum, vel ab aliquo alio positum est hoc loco ex psalmo 103. ubi dicitur, *producens foenum jumentis, et herbam servituti hominum*: significatur autem his verbis, foenum agreste nasci in montibus in pastum jumentorum; herbam autem, quae ratione et cultura gignitur, produci in cibum hominum, vel ut exponit s. Joan. Chrysostom. foenum esse herbam jumentorum, ut jumenta homini deserviant. Vide versiculum 8. psalm. 103.

10. *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.*

Pergit in explicanda providentia Dei erga bestias, et volatilia, ut inde intelligat homo, quanto magis sperare debeat se a Dei providentia numquam esse deserendum. Quod argumentum habetur etiam in evangelio Matth. 6. et Luc. 12. Quod autem hic dicitur de pullis corvorum, valde probabiliter s. Greg. Naz. in epist. 1. ad Cledonium Presbyterum, intelligit de omnibus avibus, ut posita sit species pro genere: nam et Matth. 6. dicitur, *respicite volatilia coeli*, et Luc. 12. dicitur, *Considerate corvos*; et tamen res eadem ab utroque Evangelista narratur. Expositores tamen explicant hunc locum de corvis in specie: et quoniam corvi non possunt invocare Deum; necesse est, vel corvos, vel *invocationem* accipere per metaphoram. Sancti patres Hilarius et Aug. accipiunt *invocationem* Dei proprie, et *corvos* metaphorice. Dicunt enim per *corvos* significari paganos, per *filios corvorum* Christianos, qui invocant Deum, quem patres eorum invocare nescierunt. Alii communius accipiunt *filios corvorum* proprie, et *invocationem* improprie. Dicitur enim *filii corvorum invocare Deum*, dum crocitant quaerentes cibum, non quod Deum agnoscant, sed quia Deus est, qui providentia sua illis cibum desiderantibus procurat: quomodo etiam dicitur in psalm. 103. de catulis leonum, *quaerunt a Deo escam sibi.* Cur autem Propheta dicat potius Deum providere pullis corvorum quam ipsis corvis; ratio est, quia corvi jam assueti sunt cibum quaerere; sed pulli corvorum cito deseruntur a parentibus, et insueti per se cibum quaerere, vagantur crocitando; quasi destituti omni auxilio ut dicitur Job 38. Quod si Deus pullis corvorum, avibus immundis, inutilibus, rapacibus tanta benignitate prospicit, quid praestabit hominibus, si in ejus pietate sperare voluerint.

11. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.*

12. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.*

Quia dixerat, Deum providere *pullis corvorum invocantibus eum*, concludit psalmum dicens, Deo non esse gratos superbos, qui in suis viribus confidunt; sed humiles, qui timent Deum, et confidunt in Deo, qui similes sunt pullis corvorum infirmis, de se diffidentibus, et qui crocitando a Deo auxilium petunt. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, idest, non placet Deo, sive non amat Deus fortitudinem equi, quatenus de ea superbiunt homines. *Neque in tibiis viri beneplacitum erit ei*, idest, neque complacet sibi Deus in tibiis robustis hominum, quatenus in illis ipsi confidunt, ut Dei auxilio sibi egere non videantur ad evadenda pericula: sed *beneplacitum est Deo super timentes eum*, idest, super humiles, et trementes ad mandata Dei, et qui non in suis viribus, sed in Dei misericordia totam spem suam ponunt. S. Hilarius, et s. Augustinus pro illis verbis, *neque in tibiis viri*, legunt, *neque in tabernaculis viri*: sed in hebraicis codicibus habetur, *tibiis*, non, *tabernaculis*.

PSALMUS CXLVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hic psalmus apud hebraeos non habet titulum, quia non est novus psalmus, sed continuatio psalmi superioris; nos autem sequimur septuaginta interpretes, qui hinc incipiunt novum psalmum cum titulo Alleluja, et credibile est in codicibus hebraicis antiquis, quos ipsi septuaginta viri habuerunt, hunc fuisse novum psalmum cum suo titulo. Quod autem ad argumentum attinet, hortatur Propheta populum Dei ad ipsum Deum laudandum ob multa beneficia in ipsum collata : et quae hic dicuntur, conveniunt primo terrenae Hierosolymae, ut s. Chrysostomus docet; sed magis perfecte conveniunt ecclesiae Christianae, ut idem s. Chrysostomus, et s. Hieronymus admonent, sed perfectissime quadrant in coelestem Hierusalem, de qua hunc psalmum exponunt s. Hilarius, et s. Augustinus.

EXPLICATIO PSALMI CXLVII.

1. *Lauda Hierusalem Dominum : lauda Deum tuum Sion.*

Hierusalem civitas sancta est, Sion pars ejus civitatis nobilior, ubi templum Domini aedificandum erat, et pro ipsa tota civitate accipitur, proinde idem est, *lauda Hierusalem*, et, *lauda Sion*. Si de coelesti Hierusalem haec accipiantur, nihil potuit magis opposite dici: nam civitas illa coelestis, nullum habet negotium, vel ut sibi prospiciat, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, vel ut in alios exerceat opera charitatis, cum ibi nullus sit egens, nullus miser: ideo tota, et semper vacare potest, ut re vera vocat, laudibus Dei. Recte igitur illi dicitur, *lauda Dominum*, quae ab omni alio negotio libera es; lauda Deum tuum, quoniam prae omni alia civitate beneficiis Domine frueris; lauda denique, quia singulariter tibi pulchritudinem, et praestantiam Domini speculari, vel potius cernere datum est. Ecclesia quae peregrinatur in terris laudare quidem Dominum debet, sed nec tota, nec semper id facere potest, cum saepe sollicita esse, et circa plurima turbari necesse habeat. Et si ecclesia non potest, tota, et semper laudare; multo minus Judaeorum synagoga poterat.

2. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.*

Hae est ratio, cur debeat Hierusalem laudare Dominum, quia dedit illi securitatem, et abundantiam, in quibus summa bonorum omnium consistit: nam securitas sine abundantia est securitas egestatis ; abundantia sine securitate, est abundantia plena timoris et periculi. Deus igitur confortavit seras portarum Hierusalem, ut nulla vi expugnari possint, et qui intus sunt, securi sint, quia nihil mali intrabit, nihil boni exibit: nullus admittetur inimicus : nullus excludetur amicus : atque in hanc tam munitam civitatem benedictio divina copiam omnium bonorum intulit: non enim benedixit Deus filiis Hierusalem hac aut illa benedictione, sed benedictione absoluta, idest, ut Apostolus loqui solet, *omni benedictione spirituali in coelestibus*. Ephes. 1. Sed haec duo perfecte conveniunt coelesti Hierusalem, ubi securitas est aeternitas, et benedictio est fruitio summi boni. Ecclesiae peregrinanti in terris conveniunt etiam suo modo, sed non omnibus modis: nam *portae inferi non praevalebunt adversus eam*: et non desunt ei bona plurima : sed interim tamen multi in eam intrant mali, multi ex ea deficiunt boni; paleas cum tritico, pisces malos cum bonis, hoedos cum agnis admixtos habet. Denique conveniunt etiam utcumque, sed valde imperfecte terrenae Hierusalem: nam in montibus sita, et montes in circuitu habens satis munita videri poterat, et plena populo, atque opibus aliquando fuit, sed tamen non semel eversa, et succensa satis ostendit, non de illa potissimum intelligendum esse, quod hic dicitur, *confortavit seras portarum*: sed illud potius, quod dicitur Thren. 2. *Defixae sunt in terra portae ejus, perdidit et contrivit vectes ejus, luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est*. Quo tempore non ita abundavit copia bonorum, ut in eodem legamus. *matribus suis dixerunt, ubi est triticum et vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas in sinu matrum suarum.*

3. *Qui posuit fines tuos pacem et adipe frumenti satiat te.*

Non solum munitissima est civitas sancta Hierusalem, sed immunis a bellorum periculis, unde et nomen habet *Hierusalem*, idest, *visio pacis*. Qui enim initio pacem turbare tentavit, tanto impetu mox expulsus fuit, ut Dominus dicat, *videbam satanam tamquam fulgur de coelo cadentem*. Luc.

10. *Qui posuit*, inquit, *fines tuos pacem*, idest, pacem diffundit per universam regionem tuam usque ad ultimos ejus fines: vel fines, sive terminos tuos pacem esse voluit, ut nullo modo ad te bellum penetrare possit. Nec solum haec civitas abundat copia bonorum, sed habet bona optima, et exquisitissima, atque adeo ipsam medullam bonorum. *Et adipe*, inquit, *frumenti, satiat te*, ubi notatur excellentia ciborum in verbo, *adipe frumenti*, et ubertas maxima in verbo, *satiat te*. Haec omnia proprie et absolute soli patriae coelesti conveniunt ibi enim pax summa erit partis inferioris cum superiore; et superioris cum Deo, nec non inter omnes cives sanctae illius civitatis majores, et minores. Erunt enim vere cor unum, et anima una, et ut Dominus dicit Joan. 17. *Consummati in unum*. Ibi quoque satiabuntur omnes adipe frumenti, quoniam cibus animae veritas, et sapientia est: habebunt autem veritatem in se ipsa, non in figuris et aenigmatibus; gustabunt dulcedinem aeterni Verbi sine cortice sacramenti, vel scripturarum; apponent os ad fontem sapientiae, non ad rivulos, aut stillicidia stillantia super terram. Ita vero satiabuntur, ut non esuriant, neque sitiant in aeternum. In ecclesiae peregrinante, quae etiam Hierusalem quaedam est, habemus pacem ad Deum, sed simul in mundo pressuram sustinemus. Cum omnibus, quantum in nobis est, pacem habere curamus; sed in medio versamur eorum qui oderunt pacem. *Proinde foris pugnae, intus timores* numquam desunt: et adipe quidem frumenti pascimur, sed non sine integumentis variis. Verbum Dei habemus, sed in carne et ipsam carnem Verbi vere manducamus: sed sub cortice sacramenti. Aquas sapientiae bibimus; sed ex stillicidio scripturarum; et adeo non satiamur his bonis, ut nostra beatitudo interim sit esurire et sitire. Multo minus ista conveniebant terrenae Hierusalem, antiquae synagogae Judaeorum; quibus omnia contingebant in figuris.

4. *Qui emittit eloquium suum terrae: velociter currit sermo ejus.*

Hortatus est Propheta sanctam civitatem, ut Deum laudet pro beneficiis sibi praestitis; nunc hortatur ut laudet etiam pro beneficiis praestitis aliis nationibus, ex quibus cognoscet, quanto majora dona sibi, quam aliis concesserit Deus. Hortatur igitur ut laudet Deum, *qui emittit eloquium suum terrae*, idest, qui praecepta, et decreta providentiae suae dat universae terrae; et *ejus sermo velocissime currit*, idest, cujus praecepta et decreta celerrime deferuntur ad omnes res creatas, mox penetrant omnia, et executioni mandantur. Significatur his verbis ordo providentiae divinae, qui se ad omnia extendit, idque summa velocitate, quia Deus ubique est, *et omnia portat verbo virtutis suae*, ut dicitur Hebr. 1. *et attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, Sap. 8. unde David Deo dicit psalm. 118. *Omnia serviunt tibi*. Expendit s. Augustin. verba graeca quae pro eo, quod nos habemus *velociter*, habent, εως ταχους, *usque in velocitatem*, et sensum esse dicit, sermonem Dei tanta celeritate ferri, ut non modo aves, ventos, fulmina, quae velocissime moventur sed ipsam velocitatem currendo aequent: juxta illud Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*, non quod sapientia, vel sermo Dei proprie moveatur, sed quod omnibus in locis adsit praesens, ac si velocissime accurrisset.

5. *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.*
6. *Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?*

Ab universali providentia descendit ad effectum unum particularem, in quo apparet admirabilis potentia et sapientia Dei, ob quam merito laudari debeat Dominus etiam ab illis, qui in superna Hierusalem extra, vel supra mutationes temporum degunt. Effectus mirabilis potentiae, et sapientiae Dei qui tamen sensu percipitur et omnibus notissimus est, in frigore et calore aeris cernitur. Aliquando enim in certis regionibus tanta nivium, pruinae et glaciei copia repente existit, ut lacus et flumina et ipsa maria congelentur, et ita congelentur, ut super lacus et flumina ducantur plaustra bene onusta, ut per campos duci solebant: cujus rei testis est s. Basilius, oratione in quadraginta martyres: et nos ipsi in Gallia Belgica aliquid hujusmodi vidimus. Et cum ea glacies ferreis ligonibus vix dirumpi queat, Deus tamen cum ei placet, ventum calidum repente ex thesauris suis advocat et dicto citius solvitur glacies omnium fluminum, et lacuum et marium simul, et ubique ex tectis domorum, ex montibus et collibus defluunt aquae. Ita fere in momento Deus rigorem frigoris maximum cum caloris suavitate commutat: sed verba singula explicemus. *Qui dat nivem sicut lanam*, idest, nivem dimittit e coelo tantae magnitudinis, ut frustra singula floccos lanae imitari videantur. Comparatur enim hoc loco nix lanae, non solum ob similitudinem levitatis, et candoris, sed ut magnitudo nivis ostendatur: aliquando enim ita modice ningit, ut ψustula nivis videantur similia atomis, sed alias, ut diximus, ita granditer ningit, ut frustra nivium lanarum floccos imitentur. *Nebulam sicut cinerem spargit*. Sanctus Hieronymus in commentario hujus loci reprehendit latinum interpretem, quod nebulam verterit, cum pruinam vertere debuisset: sed latinus interpres non verba hebraica, sed graeca traduxit in latinum idioma. Verbum autem graecum hoc loco positum ομιχλην, *nebulam* proprie significat: quamvis autem vox hebraica, כפר *chephor*, *pruinam* significet, et sit ad propositum hujus loci, ubi de frigore agitur, tamen textus facile conciliantur. Siquidem quando densa pruina decidit, nebulosum, sive caliginosum aerem reddit, et ipsa pruina ex caliginoso vapore concrescit. Porro comparatio pruinae cum cinere ad densitatem pruinae pertinet, sicut diximus de comparatione nivis cum lana. Itaque sensus est, tanta densitate pruinam caliginosam, sive nebulam ex pruina diffundit, ut cinerem spargere videatur; cinis enim fusus obscurissimam nebulam facit. *Mittit crystallum suam sicut buccellas*: *crystallus*, vox est graeca et

non solum quam vulgo *crystallum* dicimus, sed etiam *glaciem* significat: et hoc loco *glaciem* significare aperte colligitur ex voce hebraica. Aliqui per *crystallum* hoc loco grandinem significari volunt, quae est aqua in aere congelata; sed grando non habet similitudinem buccellae, neque dicitur hebraice, קרח *Kerach*, sed, ברד *barad*; hoc autem loco est, קרחו *Karcho, glaciem suam*, non, ברדו *berado, grandinem suam*; denique grando in aestate potissimum descendere solet, proinde non efficit in aere frigus, de quo hic dicitur, *ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Illud igitur, *qui mittit crystallum*, non significat, qui de coelo descendere facit; sed qui jussu suo causa est, ut glacies frigidissima in terra existat: quo modo dicebatur Deus mittere Prophetas et Joannes dicitur homo missus a Deo, qui tamen non de coelo cadebant. Illud, *sicut buccellas*, significat fragmenta glaciei quae tempore frigidissimo passim inveniuntur in terra, ubicumque aliquid aquae fuerat, similia esse buccellis panis, quia figuram habent fragmentorum panis. *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit.* Haec est apostrophe Prophetae admirantis frigoris vehementiam, quasi dicat, quis tantum frigus tolerare poterit: *ante faciem frigoris ejus*, idest, coram tanto frigore, sive ad praesentiam tanti frigoris quis sustinere poterit; quis non congelabitur et peribit? est enim hebraica phrasis, *ante faciem*, pro *coram*, usitatissima.

7. *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: flabit spiritus ejus et fluent aquae.*

Descripsit hactenus vehementissimum frigus ex nive, pruina et glacie; nunc ostendit quanta facilitate et celeritate Deus illud recedere faciat. *Emittet*, inquit, *verbum suum*, idest, mandatum suum, *et liquefaciet ea.* Jubebit Deus, et mox liquescent nix, pruina, et glacies: et continuo frigus remittetur. Modus autem quo id faciet Deus explicatur, cum subjungitur, *flabit spiritus ejus*, *et fluent aquae*, idest, jubente Deo surget ventus australis, perflabit undique aerem, et nix, pruina et glacies solventur in aquas.

8. *Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel.*
9. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

Concludit ostendens, quantum intersit inter providentiam Dei erga populum suum, et alias nationes. Alias enim nationes docuit Deus per effecta naturalia, ut ex rebus creatis agnoscerent Creatorem: sed populum suum ipse docuit per Prophetas suos. *Qui annunciat verbum suum Jacob*, idest, lauda Hierusalem Dominum, *qui annunciat verbum suum* populo suo *Jacob*, loquens illi per Mosem et Prophetas; et qui demonstravit *justitias et judicia sua Israeli* per Mosem, cui Deus ipse legem dedit, ut eam traderet populo suo Israel: et ex hoc intelliges, quia *non fecit taliter omni nationi* quia tibi soli, non aliis *judicia sua*, leges videlicet suas, *manifestavit.* Porro ista conclusio convenit quidem terrenae Hierusalem, cui Deus misit Prophetas, qui annunciarent verba ejus, et docerent leges ejus: sed multo magis conveniunt spirituali Hierusalem quae est ecclesia, quae recepit ipsum Verbum Dei Incarnatum per Apostolorum praedicationem, et multo sublimiorem legem, justitias et judicia didicit: sed perfectissime conveniunt coelesti Hierosolymae, cui Deus ipse coram annunciat Verbum suum et in ipso Verbo vident omnes habitatores Hierusalem judicia Dei, ordinem ac dispositionem et rationes providentiae divinae quae nobis sunt abyssus multa. Vere igitur, *non fecit* Deus *taliter omni nationi*, sed coelestis patriae habitatores prae omnibus aliis hominibus dilexit, et diligendo foelicissimos fecit. Haec mihi visa est litteralis expositio hujus obscurissimi psalmi, in qua sanctum Joannem Chrysostomum ex patribus praecipue imitatus sum, quantum ad illos versiculos, *qui dat nivem sicut lanam* etc. Quia tamen haec pars obscurissima est, indicabo brevissime quid sanctus Hilarius, et sanctus Augustinus senserint. Igitur Sanctus Hilarius existimat, in illis verbis, *qui dat nivem sicut lanam*, etc. Prophetam declarare, quae sit via ad coelestem Hierusalem, de qua dixerat, *lauda Hierusalem Dominum.* Viam autem esse dicit per multas tribulationes, et angustias: easque significari per *nivem*, *pruinam*, et *glaciem*, et frigus ferme intolerabile sed ex his omnibus tandem liberandos peregrinos Dei, stante spiritu consolationis et refrigerii. Sanctus Augustinus paulo aliter exponit. Dicit enim, Prophetam post commemorata bona coelestis Hierusalem in tribus versiculis, commemorare bona peregrinantium in sequentibus versiculis et ejus expositio satis prolixa nota est in libris ejus: nos ad ejus imitationem aliam similem adjungemus. Igitur illud, *qui emittit eloquium suum terrae*, exponi potest de consolatione scripturarum, quam hic habemus, quasi manna de coelo pluente in desertum. Illud autem, *qui dat nivem sicut lanam*, potest exponi de consolatione, quam accipiunt Sancti ex tribulationibus: juxta illud apostoli, *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*: nam nix quidem frigore affligit, sed lana calore suo fovet, et calefacit. Itaque Deus dat nivem sicut lanam, quia dat nivem ac si daret lanam: dat enim tribulationem quae sanctis convertitur in consolationem. Illud, *nebulam sicut cinerem spargit*; referri potest ad poenitentiam, ad quam pertinet cinis: Deus enim spargit nebulam, sive pruinam tribulationis, ex qua multi compunguntur ad poenitentiam; atque ita Deus dat *nebulam sicut cinerem*; quia dat nebulam, ac si daret cinerem, quia tribulatio ad poenitentiam adducit. Illud denique *mittit crystallum suam sicut buccellas*; exponi potest de maxima consolatione, quam Deus in tribulatione concedit: tunc enim *mittit crystallum sicut buccellas*, quando ita dat glaciem, ac si daret panem, quia in ipsa glacie tribulationis infundit panem consolationis.

PSALMUS CXLVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Tres postremi psalmi, qui habent in titulo, *Alleluja*, invitant omnes res creatas ad laudandum Creatorem: et quidem in psalmo 148. enumerantur ordine res omnes creatae, et quasi vocantur ad chorum, ut suo modo omnes canant: in psalmo sequenti injungitur hominibus, ut ii potissimum Deum laudent, qui plura, et majora beneficia receperunt: in postremo mandatur iisdem hominibus, ut non solum Deum laudent, sed per omne genus instrumentorum musicorum laudent.

EXPLICATIO PSALMI CXLVIII.

1. *Laudate Dominum de coelis, laudate eum in excelsis.*
2. *Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.*

Primo loco invitantur Angeli, qui in summo coelo, tamquam in ipsa regis aeterni aula resident. Porro vox illa, *laudate*, non est imperantis neque proprie exortantis, quasi angeli desint officio suo, sed est invitantis per affectum complacentis, et optantis, quasi dicat Propheta, Dei amore vehementer accensus, Utinam omnes res creatae Creatorem laudent, et vos angeli, qui primi estis in ordine rerum creatarum, pergite, ut facitis, laudare Dominum. Illud, *de coelis*, significat locum, ubi angeli degunt, ut sensus sit, laudate Dominum de habitaculo vestro coelesti vos omnes, qui estis in coelo. Idem vero repetitur eum additur, *laudate eum in excelsis*. Deinde clarius explicatur, qui sint qui habitant in excelsis, cum dicitur, *laudate eum omnes angeli ejus*: et idem aliis verbis repetitur, cum additur, *laudate eum omnes virtutes ejus*, idest, omnis exercitus ejus, ut habetur in hebraeo. Per *virtutes Dei*, sive exercitum, et militiam Dei intelligi debere angelos, non solem, et lunam et stellas, ut aliqui volunt, perspicuum est primo ex consuetudine Davidis, qui frequentissime idem repetit aliis verbis: secundo ex patribus, qui hunc locum exponunt, ac praesertim ex Chrysostomo, qui *virtutes* hoc loco dicit esse Cherubim, et Seraphim, et caeteros angelos: tertio ex cap. 2. lucae, ubi angeli dicuntur *multitudo militiae coelestis*: quarto ex psalm. 102. ubi clarius angeli dicuntur *virtutes Dei*, et *ministri qui faciunt verbum ejus*.

3. *Laudate eum sol, et luna, laudate eum omnes stellae, et lumen.*
4. *Laudate eum coeli coelorum, et aquae omnes quae super coelos sunt laudent nomen Domini.*

Ab angelis, qui mente et intelligentia praediti Deum proprie laudant, descendit ad corpora coelestia, quae non laudant mente, vel intelligentia, qua carent, sed laudant magnitudine, velocitate, efficacitate, splendore, et pulchritudine admirabili, quo modo omne opus egregium opificem laudare dicitur. Ac primo nominat solem, qui omnium consensu princeps est luminum reliquorum: deinde addit lunam, quae vel absolute, ut patres velle videntur, praesertim s. Augustinus lib. 2. de Genes. cap. 16. vel certe quoad apparentiam et efficaciam in corpora inferiora, major est omnibus aliis stellis: postea adjungit stellas caeteras: postremo subjungit lumen, per quod intelligimus lumen a sole, luna, et stellis diffusum in corpora inferiora, ac potissimum in aerem, unde nos omnes mirifice recreat. His enumeratis, quae continentur in coelo, transit ad ipsum coelum et vocat *coelos coelorum*, idest, coelos superiores, quibus subjecti sunt coeli inferiores, in quibus nubes concrescunt, et aves volant: unde in Scripturis legimus, *nubes coeli, et volucres coeli*. His coelis superioribus adjungit aquas, quae super coelos *sunt*, ut nihil omnino sit in parte mundi superiore, cujus non meminerit. Porro de aquis istis aliqua videntur extra controversiam esse debere, alia disputationi hominum permittuntur primo certum esse debet, aquas esse corporales, non spirituales, in quo errasse Origenem convincit sanctus Epiphanius in epist. ad Joannem Episcopum Jerosolymae, quam sanctus Hieronymus latinam fecit, necnon Basilius, et Ambrosius, de opere sex dierum. Secundo, esse super coelum aethereum, non ut quidam voluerunt, in coelo aereo: nam hoc loco indicat Propheta eas esse super coelos coelorum; quia cum dixisset, *laudate eum coeli coelorum*, mox adjungit, *et aquae omnes, quae super coelos sunt*, illos videlicet quos immediate nominaverat *coelos coelorum*, et in psalm. 102. de coelo eodem loquens Propheta dicit, *extendens coelum sicut pellem, qui tegit aquis superiora ejus*: et aperte in primo capite Geneseos, ponis Moses, aquas super firmamentum, in quo firmamento paulo post stellas posuit. Et apertissime in hymno trium puerorum Danielis capite 3. enumerantur

ordine omnia opera Domini: et primo loco ponuntur angeli, deinde coeli et aquae quae super coelos sunt, postea sol et lunae, et stellae, et caetera inferiora; atque haec est sententia veterum patrum, ut notavimus in psal. 103. vers. 3. tertio esse aquas incorruptibiles, et sempiternas: nam de iis,quae hucusque numerata sunt,dicitur in sequenti versiculo,*statuit ea in aeternum,et in saeculum saeculi.*

5. *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt.*
6. *Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi: praeceptum posuit, et non praeteribit.*

Haec est ratio cur omnia, quae hactenus nominata sunt, Deum laudare debeant: quoniam ab illo facta sunt,et in aeternum incorrupta permanebunt: et quod est admirabilius, non magno labore, nec multo tempore, sed verbo, atque imperio fecit ut essent, et in aeternum essent. Ipse dixit, *fiat lux, et facta est lux.* Ipse mandavit rei non existenti, ut existeret, et mox obediens coepit existere,quae antea nihil erat. *Statuit ea in aeternum,et in saeculum saeculi*,idest,constituit,ut semper maneant, et non ad morem inferum corporum oriantur, et occidant: *praeceptum posuit*, idest, decretum de hac re fecit Deus, *et non praeteribit*, idest,et hoc decretum non praeteribit, non abibit in auras,sed manebit, et manens res ipsas conservabit, ut nec ipsae praetereant.Per hoc *praeceptum* intelligitur natura incorruptibilis, quam Deus angelis, et coelestibus corporibus in creatione attribuit.Potest etiam per *praeceptum positum*, intelligi praeceptum datum rebus coelestibus, idest, angelis, ut semper Deum laudent: soli, et lunae, et stellis,ut circumeundo, et illustrando serviant humano generi, quod praeceptum *non praeteribit*, id est, ut exponit sanctus Hilarius non irritum erit;ut re vera non irritum fuisse experimento didicimus. Euthymius legit, *non praeteribunt*: sed codices hebraici, et graeci,et latini omnes quos videri potui, habent, *non praeteribit.*

7. *Laudate Dominum de terra,dracones,et omnes abyssi.*

Transit nunc ad elementa corruptibilia, et Mundum inferiorem, ubi sunt terra, aqua, et aer, et animantia terrestria, aquatica,et volatilia: nec non tonitrua, fulmina, grandines, venti, et alia id genus. Ex quo apertissime refelluntur Manichaei,qui res istas inferiores non a Deo bono,sed a malo quodam principio condita fabulabantur. *Laudate*, inquit, *Dominum de terra*: dixerat, *laudate Dominum de coelis*; nunc dicit, *laudate Dominum de terra:*quoniam Dominus *in principio creavit coelum, et terram*: et sicut ad coelum, quod est sedes angelorum, omnia superiora revocavit: sic ad terram, quae est sedes hominum, omnia inferiora revocare voluit. Haec videlicet est causa, cur non primo loco nominaverit ignem,aut aquam:quoniam terra est altera pars mundi, et homini habitatori terrae caetera omnia, sive ignis,sive aer,sive aqua deserviunt. Sed posteaquam dixit, *laudate Dominum de terra*, idest, omnia quae estis in terra,vel pertinetis ad terram:incipit particularia numerare, et primo loco meminit aquarum et piscium, quae sunt in locis terrae declivioribus: nam per *Dracones* intelliguntur hoc loco magni pisces, et per *abyssos* intelliguntur aquarum profunda, in quibus pisces habitant: ita sanctus Joannes Chrysostomus, qui id probat ex Psal. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*, id est, mari, et psalm. 73. *Contribulasti capita Dracronum in aquis.*

8. *Ignis,grando,nix,glacies,spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus.*

Ab aquarum abysso transit ad aerem ubi inveniuntur ignes, idest, fulgura, fulmina, coruscationes: item grando, nix, glacies, item spiritus procellarum, idest, venti vehementes, qui tempestates excitant,et ingentes pluvias secum ferunt,quae omnia *faciunt verbum ejus*, idest, obediunt praecepto ejus: quod postremum addi voluit Spiritus sanctus, ne Manichaeus aliquis, aut Atheus suspicaretur, vel haec mala esse, quod saepe magnas calamitates hominibus inducant, vel casu fieri, ut fulmine quis percellatur ut grando vineas urat, ut vi procellarum navigia pereant. Deus igitur his rebus, ut instrumentis justitiae, vel misericordiae suae, ad malos puniendos, vel bonos admonendos, ac per hoc non casu eveniunt, neque res malae dici debent, sed bonae, cum bono Deo serviant.

9. *Montes et omnes colles, ligna fructifera, et omnes cedri.*
10. *Bestiae et universa pecora,serpentes,et volucres pennatae.*

Nunc tandem ab aere ad terram revertitur et enumerat primo partes ipsius terrae eminentiores, *montes* et *colles*, ex quibus subintelliguntur campi patentes, et valles; neque enim montes, et colles sine campis, et vallibus esse possunt. Deinde transit ad ea, quae nascuntur ex terra;et primo nominat ligna fructifera, deinde infructifera, quales in primis sunt *cedri*, quae tamen ad aedificandas domos, et naves necessariae sunt. Postea convertit orationem ad animantia,quae terram inhabitant, et ipsa genera breviter attingit, bestias sylvestres, jumenta, et pecora domestica: serpentes qui per terram repunt, et aves, quae per aerem volant.Atque ista omnia ad Deum laudandum provocat, non quod ista Deum noverint cogitare, nedum laudare, sed ut homines considerantes utilitatem quae ex illis capitur, Deum laudent, eique debitas gratias agant. At inquies,quae utilitas ex egrestibus feris, ex serpentibus, leonibus,muscis,et culicibus capitur?Magna omnino utilitas ex animantibus illis capitur. quae nobis vel terrorem incutiunt,quales sunt leones,et serpentes;vel molestiam adferunt,quales sunt culices, et muscae. Nam erudiunt nos ad humilitatem, dum in memoria nobis revocant inobedientiam et superbiam parentum primorum in nos

generatione transfusam,ob quam imperium in animantia magna ex parte perdidimus.

11. *Reges terrae, et omnes populi: principes, et omnes judices terrae.*
12. *Juvenes et virgines;senes cum junioribus,laudent nomen Domini,quia exaltatum est nomen ejus solius.*

Postremo genus humanum citat ad laudes Dei, atque ut omnes homines comprehendat, tres differentias hominum enumerat, potestatis,sexus,et aetatis. *Reges*, inquit, *et populi*, idest,qui imperant, et qui parent; et quoniam qui imperant, non sunt ejusdem ordinis, sed alii aliis praesunt;addit,*principes*, supremi videlicet, *et omnes judices*, qui a principibus auctoritatem habent,atque haec est differentia potestatis. *Juvenes et virgines*, idest, viri et foeminae, quod pertinet ad differentiam sexus: *senes cum junioribus*, quae est differentia aetatis. Omnes igitur sive principes, sive privati, sive viri, sive foeminae,sive senes,sive adolescentes laudent nomen Domini, quoniam *exaltatum est nomen ejus solius*,idest, quoniam non est aliud nomen vere sublime et altum, et omni laude dignum, nisi Dei nomen. Res enim creatae quamvis magnae, si ad magnitudinem Dei comparentur, nihil sunt, et quidquid magnitudinis, et excellentiae habent, ab illo habent,qui solus altissimus jure nominatur, et est.

13. *Confessio ejus super coelum et terram,et exaltavit cornu populi sui.*

Reddit rationem, cur dixerit, *exaltatum est nomen ejus solius*, quoniam, inquit, *confessio ejus est super coelum et terram*,idest,quia omnia quae in coelo, et quae in terra sunt confitentur laudes ejus: ita pleni sunt coeli et terra gloria ejus,vel,ut ait Habacuc: *operuit coelos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra*: ideo *exaltatum est nomen ejus solius, exaltavit cornu populi sui*,idest,ipse per se solus sublimis, et excelsus,exaltavit potentiam et gloriam populi sui Israel, quia elegit eum sibi in populum peculiarem, dedilque illis divinas leges proprio digito scriptas,ac singulari providentia curam illius gerit.

14. *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.*

Haec est conclusio psalmi, quasi dicat, igitur hymnus Deo canendus praecipue convenit omnibus sanctis ejus, idest, omnibus Deo dicatis, et consecratis, filii Israel videlicet, qui populus est praeter caeteros omnes,Deo ipsi propinquans vera cognitione, et fide, vero cultu, et adoratione, vera filiali fiducia, et dilectione. Sed rectissime admonet s.August.haec non dici de filiis Israel secundum carnem, sed de filiis Israel secundum spiritum,siquidem filii Israel secundum carnem dura cervice cum essent, Deo non propinquabant. Sic enim loquitur sanctus protomartyr Stephanus Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis,sicut Patres vestri,ita et vos; quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri, et occiderunt eos, qui praenunciabant de adventu justi,cujus vos nunc proditores, et homicidae fuistis.* Apostolus autem ad roman. 9. demonstrat, qui sint veri filii Israel appropinquantes Domino, cum ait, *non omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitae, neque qui semen Abrahae, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen*, idest, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine; et ad rom. 4. scribit, eos ad filios Abrahae pertinere,qui sectatur vestigia fidei patris nostri Abrahae, sive ex circumcisione, sive ex praeputio sint. Neque enim excludere debemus omnes Israelitas secundum carnem;alioqui etiam prophetas,et Aposolos excluderemus, sed eos tantum excludimus, qui solum secundum carnem Israelitae sunt,et non secundum spiritum, quales erant ii, de quibus loquitur s. Stephanus loco citato,et quibus praecursor Domini dicebat, *genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira?* et *nolite dicere, patrem habemus Abraham.* Luc. 3. et quibus Dominus ipse dicebat,*si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite*: et, *vos ex patre diabolo estis.* Joann. 8. Denique tales sunt qui post abnegatum Dominum dispersi sunt inter gentes, et sine rege, sine sacerdotio, sine Deo vivunt in hoc mundo.

PSALMUS CXLIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Psalmum hunc exponunt graeci de victoriis Machabaeorum, alii de victoriis ipsius Davidis. Sed nescio ubi legatur vel tempore Davidis,vel tempore Machabaeorum fuisse ab hebraeis alligatos reges nationum in compedibus. Alii mystice exponunt omnia de victoria spirituali ecclesiae adversos infideles. Quas expositiones ut non rejicio, ita existimo ad litteram psalmum esse exponendum de obligatione, qua tenetur populus Dei laudare Dominum suum praeter caeteras gentes,ob gloriam sempiternam sibi promissam, et ad quam finito praesenti exilio sine dubitatione perveniet.

EXPLICATIO PSALMI CXLIX.

1. *Cantate Domino canticum novum, laus ejus in ecclesia sanctorum.*

Primus hic versiculus alloquitur eos, quibus dictum est in fine psalmi superioris, *hymnus omnibus sanctis ejus, populo appropinquanti sibi.* Sunt enim hi tres ultimi psalmi inter se connexi, et unus continuatur cum alio, et ea causa est fortasse, cur in officio ecclesiastico in finem laudum matutinarum quasi unus psalmus tres isti psalmi concinantur. Ait igitur, o vos sancti qui populus estis Deo propinquans, *cantate Domino canticum novum*, idest, caeterae cantant canticum ratione creationis, quod est canticum vetus, vos autem cantate canticum ratione renovationis, justificationis, glorificationis, quod est canticum novum, super nova materia, a novis hominibus decantandum. *Laus ejus in ecclesia sanctorum* : haec est ratio verborum superiorum, quasi dicat Propheta, vos sancti *cantate Domino canticum novum*, quia decet, ut laus Dei potissimum audiatur in congregatione sanctorum.

2. *Laetetur Israel in eo, qui fecit eum, et filii Sion exultent in rege suo.*

Canticum novum magnam habet laetitiam, quoniam annunciat beneficia perfectae foelicitatis, quia ex ardentissimo amore procedit. Igitur Israel populus Dei electus, qui cantat *canticum novum*, laetetur cantando *in eo, qui fecit eum*, in ipso conditore suo, qui non solum creavit naturam; sed etiam donavit gratiam, et sic fecit non solum ut esset, sed ut esset Israel; *et filii Sion exultent in rege suo*: est repetitio per alia verba, nam *filii Sion*, ipse est Israel. Recte in bibliis recognitis sublatum est, *filiae*, et repositum *filii*: quoniam in hebraeo et graeco habetur, *filii Sion*, et sic legunt s. Augustinus, s. Hieronymus, s. Chrysostomus, Euthymius, et alii : neque deerant textus latini, qui haberent, *filii*, ut videri possit typographorum vitio irrepsisse vox, *filiae*, pro, *filii*.

3. *Laudent nomen ejus in choro, in tympano et psalterio psallant ei.*

Neque solum cantent canticum novum cum laetitia, et exultatione; sed etiam instrumenta musica ad suas adjungant, idest, non solum ore, sed etiam opere, non lingua tantum, sed etiam manu, hoc est, vita et moribus cantent: per *chorum*, intelligunt aliqui instrumentum musicum, ut etiam per *tympanum* et *psalterium*: quod clarius colligi videtur ex psalmo sequenti: dicunt autem *chorum*, cum accipitur pro instrumento, *tibiam* significare: sed possumus etiam per *chorum*, intelligere multitudinem cantorum simul canentium, ut sonat vox graeca, et latina, et ut patres intellexerunt. Ait igitur, laudent eum *in choro* vocibus consonis simul concinentes, *in tympano, et psalterio* manibus psallentes laetitiae sonitum edant.

4. *Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem.*

Haec est ratio cantici novi, quia complacuit sibi Dominus in populo suo, idest, amavit eum ab aeterno ex mera benignitate sua : hoc beneplacitum Dei graece εὐδοχια, est fundamentum, et prima radix omnium bonorum nostrorum, nam ideo praedestinavit, ideo vocavit, ideo justificavit, ideo glorificavit, *quia complacuit sibi in populo suo*. De hoc dicit Dominus Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum*: hoc beneplacitum passim in suis epistolis b. Paulus praedicat. Merito ergo materia est cantici novi, *et exaltabit mansuetos in salutem*. Non complacuit solum sibi Deus in mente sua, sed hoc beneplacitum re ipsa implebit, quia *exaltabit mansuetos in salutem*, idest, populum suum humilem, et mitem, ut vera membra ejus, qui dixit *mitis sum, et humilis cordes*, exaltabit usque ad summam excellentiam, quae est aeterna salus: quidam latini codices habent, *exaltavit*: sed emendata lectio habet, *exaltabit*: nam et in graeco et in hebraeo habetur, in futuro, *exaltabit*, utrumque est verum, nam exaltavit in spe, et exaltabit in re.

5. *Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis.*

Hic jam describit futuram gloriam electorum, ob quam toto corde cantare debebant canticum novum. *Exultabunt*, inquit, *sancti in gloria* illa coelesti, ad quam non perveniunt nisi vere sancti: et simul *laetabuntur in cubilibus suis*, in loco illo summae quietis. *A modo* enim *dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis* Apoc. 14. Itaque *sancti in gloria* requiescent a laboribus, sed non requiescent ab actione laudationis: erunt *in, cubilibus* ut quiescant, non ut dormiant.

6. *Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum.*

In illa superna foelicitate adeo non sunt otiosi sancti, ut et ore cantent, et manibus gladios vibrent. In textibus hebraicis et graecis habetur, *exaltationes Dei*, ut etiam legitur in bibliis recognitis: tamen s. August. et quidam alii legunt, *exaltationes Dei*. Facile fuit unius literae mutatione inducere hanc varietatem: sed in sensu nulla dissensio est: nam sancti cum gaudio magno laudant, et exaltant magnitudinem Dei, proinde simul exaltant, et exultant. Per *gladios* autem intelligimus potestatem judiciariam, qua sancti omnes in die novissimo ferient persecutores suos, juxta illud Deuteronom. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et si arripuerint judicium manus meae.*

7. *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.*

Ad hoc utentur sancti gladiis bis acutis, ut in die judicii vindictam sumant de ostibus suis, et eos increpent, atque eis exprobrent iniquitates suas :

suas: *stabunt enim tunc justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*, Sap. 5. Ex hoc loco intelligi potest, paulo duriorem esse eorum expositionem, qui haec referunt ad conversionem iniquorum, qui dicuntur occidi gladio verbi Dei: nam qui convertunt iniquos, eosque foeliciter occidunt gladio verbi, occidentes in eis peccatum, et resuscitantes justitiam, non sumunt de eis vindictam,sed beneficio maximo illos afficiunt.

8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.*

Diximus, per *gladios* intelligi judiciariam potestatem, ideo non debet absurdum videri, si dicantur sancti habere gladios in manibus, *ad faciendam vindictam et ad alligandos reges in compedibus*: potestas enim judiciaria utrumque facere potest, et ferire condemnando et alligare in compedibus, sententiam per ministros suos exequendo tunc igitur sancti alligabunt reges gentium *in compedibus, et nobiles eorum*, idest,principes terrae, *in manicis ferreis*, quando cum Christo in extremo die judicii sententiam ferent adversus Antiochos, Herodes, Nerones, Diocletianos, et caeteros principes infideles , ac dicent , *ligatis manibus, et pedibus projiciantur in tenebras exteriores.* Matth. 22.

9. *Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria haec est omnibus Sanctis ejus.*

Hic aperte declarat Propheta quorsum dixerit, *Ad faciendam vindictam*, et *ad alligandos reges in compedibus. Ut faciant*, inquit, sancti, qui in terris injuste judicati sunt, justum *judicium*, jam olim *conscriptum*, decretum,et firmatum, et quasi in columna, inquit Chrysostomus, incisum, ut mutari non possit. Gloria haec sedendi cum Christo in nubibus, et judicandi mundum , et principes ejus, erit omnibus sanctis ejus. Quamvis enim Beda in sermone de s. Benedicto , dicat, in Judicio duos ordines futuros electorum;unum judicantium cum Christo, alterum misericorditer judicandorum tamen illi qui misericorditer judicati fuerint,postea etiam judicabunt cum Christo persecutores suos, ut constat ex b. Paulo 1. Corinth. 6. *Nescitis quia sancti de hoc mundo judicabunt?* si ergo *in vobis* idest, a vobis. *judicabitur mundus,indigni estis, qui de minimis judicetis?* Vere igitur *gloria haec est omnibus sanctis ejus.*

PSALMUS CL.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

In hoc postremo psalmo invitatur populus Dei ad laudes Domini in summo coelo habitantis, cum omnibus musicis instrumentis, ut hoc modo demonstret ardentissimum affectum suum.

EXPLICATIO PSALMI CL.

1. *Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.*

Laudate *Dominum in sanctis ejus*, idest, o vos electi, et sancti, laudate Dominum in sanctuario coelesti habitantem. Nam vox hebraea, קדש *kodes, sanctitatem* proprie et *sanctuarium* significat, et quamvis cum aliis punctis legi posset, *in sancto ejus*, et in numero multitudinis, *in sanctis ejus*, et exponi de sanctis hominibus, ut fere patres exponunt; tamen quia in secunda parte versiculi idem repeti solet, et ibi expresse legitur, *laudate eum in firmamento virtutis ejus*, et per *firmamentum* intelligitur coelum ex 1.cap.Geneseos: ideo ad litteram videtur omnino per vocem,*in sanctis ejus*,intelligendum esse sanctuarium coeleste, quod ad hebraeos 9. vocatur *sancta* , in numero multitudinis. *Introivit*, inquit, *semel in sancta.* Quia tamen sanctuarium Dei supremum sunt animae justorum, imo ipsi sancti sunt templum Dei: ideo potest etiam cum patribus simpliciter hic locus exponi de sanctis hominibus, quatenus in eis Deus habitat, ut in praecipuo sanctuario suo. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus* vox *firmamentum*, eadem est hoc loco etiam in textu hebraico, quae est in 1. cap.Genes. proinde non est dubium, sensum esse,*laudate eum in firmamento virtutis suae*, idest, in fortissimo palatio suo, quod est coelum, habitantem , vel in firmissimo throno suo coelesti residentem: nam Dominus ait Matth. 5. *Nolite jurare per coelum, quia thronus Dei est*,et quemadmodum paulo ante diximus,sanctuarium Dei esse sanctos homines, sic etiam dicere possumus, per firmamentum syderibus plenum, intelligi posse ecclesiam sanctorum, qui veluti stellae fulgent, et in quibus Deus sedet, ut in praecipuo solio suo. Anima enim justi sedes est sapientiae.

2. *Laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.*

Docet Deum esse laudandum, non quia in coelo simpliciter habitat; sed quia in eo habitat, ut omnipotens imperator, et Dominus omnium rerum nam per *virtutes* hoc loco non intelliguntur virtutes morales, neque exercitus angelorum, sed robur, ac potentia, et per multitudinem magnitudinis intelligitur excellens magnitudo, quo modo alibi dixit idem Propheta, *quam magna multitudo dulcedinis tuae*: et alibi, *secundum multitudinem tuarum*, idest, quam magna excellentia dulcedinis tuae; et secundum eximiam misericordiam tuam: est enim phrasis hebraica per vocem, רב *rab*, significare *multum* et *excellens*. Ergo inquit, *laudate eum in virtutibus ejus*, idest, ob magnas vires, et magnum robur ejus: *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*, idest, magnifice laudate eum, quoniam eximia est magnitudo ejus, cum sit absolute, et simpliciter magnus.

3. *Laudate eum in sono tubae, laudate eum in psalterio et cithara.*

Tria sunt instrumentorum musicorum genera, vox flatus, et pulsus: omnium meminit hoc loco Propheta: nam in hoc versiculo nominantur *tubae*, quae flatu sonitum reddunt, *psalterium* et *cithara*, quae pulsu chordarum resonant, psalterium enim esse instrumentum decem chordarum, non semel legitur in psalmis.

4. *Laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis, et organo.*

Hic numerantur omnia genera: nam tympanum, et chordae pulsantur, *chorus* est, ut alibi diximus vel instrumentum musicum nobis incognitum, vel concentus vocum humanarum; *organum* inflatur; quamvis enim ignotum sit quid *organum* hoc loco significet: tamen probabiliter dici potest esse instrumentum plurium tibiarum simul conjunctarum ad cujus postea imitationem facta sunt ea, quae nos organa vocamus.

5. *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.*

Cymbala quatiuntur, et tinnitum reddunt. Dicuntur autem *cymbala jubilationis*, quae magnum laetumque sonitum reddunt, quales sunt campanae apud christianos. Mystice a patribus instrumenta ista exponuntur, vel pro sensibus corporis, ut a Chrysostomo, vel pro virtutibus animi, ut a sancto Augustino. Concludit Psaltes, *omnis spiritus laudet Dominum*. Sunt autem quatuor hujus loci explicationes. Prima sancti Augustini est, qui per *Spiritum* intelligit spiritualem vim, ut opponitur carni. Quia, inquit, sapere secundum carnem, mors est: *omnis spiritus laudet Dominum*, idest, omnis qui spiritualis est, et de Spiritu sancto vivit, *laudet Dominum*. Sed beatus Augustinus non observavit proprietatem linguae hebraicae: nam in hebraeo est, כל הנשמה *col hannesciama*, quae vox non significat spiritum, ut opponitur carni, sed ut opponitur non spiranti, et non viventi. Itaque, *omnis spiritus laudet*, hoc loco ponitur pro omni quod spirat, et vivit. Altera explicatio est Theodoreti, et Euthymii, qui per *omnem spiritum* intelligi volunt omnem hominem, quo modo accipitur illud psalmi 144. *Benedicat omnis caro nomini sancto ejus*: saepe enim in scriptura per *carnem*, vel per *animam* intelligitur totus homo. Sed mirum esset si David restringere voluisset laudis officium ad solos homines, cum paulo ante invitaverit angelos, homines, bestias, solem, lunam, stellas, ignem, grandinem, nivem et caetera omnia. Tertia explicatio est, aliquot recentiorum, qui per *omnem spiritum*, intelligunt omnia animalia; sed si David loquitur de laudatione proprie dicta, frustra bestias invitat ad laudes: si de laudatione etiam impropria, non debuit excludere ea quae non spirant. Potest igitur quarta explicatio adferri, ut per *omnem spiritum*, intelligamus generatim omnia quae vivunt, sive spirituali vita, ut Angelos; sive animali, ut bestias: sive utraque, ut homines; sive metaphorica vita, ut caetera omnia, quae licet in se inanima sint, tamen *Deo vivere* dicuntur, quoniam ita serviunt, et obediunt Deo, ac si viverent, et sentirent, et creatoris mandata perciperent: unde est illud ecclesiasticum, *regem cui omnia vivunt*: in quem sensum accipiendum est illud Baruch 3. *Vocatae sunt stellae, et dixerunt, adsumus*. Et illa ex evangelio, *Imperavit febri, et dimisit eam*, Luc. 4. et *Comminatus est vento, et dixit mari, tace, obmutesce, et cessavit ventus et facta est tranquillitas magna*, Marc. 4. Ergo Propheta cum multa percurrisset, et videret se non posse omnia singillatim enumerare, et ad laudandum Deum invitare, voluit compendio omnia comprehendere, et ait, *omnis spiritus laudet Dominum*. Sed si omnia comprehendere volebat, cur non aperte dicebat, omne quod subsistit, laudet Dominum? Ratio est, quoniam laudatio ad viventes pertinet, et absurdum videtur, res mortuas, aut inanimas vocare ad chorum, praesertim cum idem Propheta dixerit in psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine*. Et Ezechias apud Isaiam, cap. 38. *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi*. Voluit ergo David potius dicere, omne quod vivit, quam omne quod subsistit, *laudet Dominum*, ut declararet, se invitare omnes res ad Deum laudandum, quatenus aliquo modo vivunt, ut supra explicatum est. Atque hic sit finis hujus Commentarii. Precor autem Deum, ut quemadmodum dedit, ut has divinas laudes utcumque explicare possemus, ita ex magna misericordia sua donet, ut aliquando de peregrinatione perveniamus ad patriam, ubi praesentes praesentem toto corde diligamus, et sine ullo fine laudemus. Amen.

LAUS DEO.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

Prior numerus paginam indicat, Posterior Psalmi versiculum.

A

Aaron Princeps Ecclesiasticus tantum, minor Mose *pag.* 327 vers. 20.
Abimelech nomen erat commune Regibus Philistinorum 127.
Abyssus, quid 326 15.
Abyssus abyssum invocare multipliciter intelligi potest 177 9.
Abyssi nomine, aquarum profunda significantur 623 7.
Abraham per fidem factus est Parens multarum gentium 555 3.
Abundantia sine securitate est plena timoris 619 2.
Abundantia et pax, beatas faciunt Civitates 540 6.
* Accidia ejus qui psallit indicat, in ipso parum amari cui psallit 344 1.
* Adam, et Eva primi a Serpente interempti 442 21.
Adipem claudere significat, non misereri 53 11.
Adjutorium omnium maximum et potentissimum, est vultus Dei 196 5.
Adolescens, cur indigeat doceri legem Dei 510 1.
Adorare Dominum, et coram Domino idem 78 30.
Adventus Christi primus omnia consecravit, secundus omnia glorificabit 79 1.
* Aetas hominis quanta, Davidis ac Moysis tempore 387.
Aeternitas Dei 387 2.
* Affectus, per renes significantur, cogitationes per cor 50 7 et 93 2.
* Altitudo diei, pro Divino judicio sumitur 236 3.
Altaria, justorum nidi 354 4 5.
* Ambulare coram Deo quid 500 9.
Amici Dei dicuntur mortui saeculi; inimici mortui Dei 54. 15.
Amicus fraudulentus pejor est manifesto inimico 232 12.
Amicitiae specie decipere maxima iniquitas 139 22.
Amor sponsi Christi ineffabilis erga sponsam suam 192 12.
Amor animam portat, ejus alae cogitatio et desiderium 363 3.
Amorem accendere solent tria, quae in Deo reperiuntur 175 2.
* Angeli significantur per aves Coeli 32 8.
Angeli dicuntur Dii *ibid.*
Angeli an cognoverint, Christum esse Regem gloriae 84 8.
Angeli cur dicantur esse in nubibus *pag.* 377 7.
Angeli custodes hominum, et regionum 399 11.
Angeli numquam desunt officio suo 587 2.
Angeli ad Deum laudandum maxime idonei 446 9 11.
Angeli numquam fatigantur *ibid.*
Angeli ventis comparati 450 5.
Angeli, aurigae currus Dei 57 12.
Angeli mali significantur per pisces maris 32 8.
Angeli reprobi cur peccati remissionem non invenerunt 602 3.
Angelorum mira potentia 129 7.
Angelorum praesentia attentionem in oratione conciliat 584 2.
Angelos in Coelo praecedit Ecclesia, et Beata Virgo 191 11.
Angelos multos praecedent in Coelo multi sancti homines *ibid.*
Angelus unus vicem exercitus supplet 129 7.
* Anima voluntatem significat, oculus intellectum, venter memoriam 110 11.
Anima pro homine saepe usitata in Psalmis 78 33 et 126 20.
Anima quare, et quomodo dicatur unica 138 20.
Anima quo magis destituitur carnalibus bonis, eo facilius ascendit ad coelestia gustanda 257 3.
Anima spoliata gratia Dei, est sicut terra arida 603 6.
Anima nostra imago Dei quoad essentiam et personarum Trinitatem 173 4.
Anima nostra Scala aptissima ad cognoscendum Deum *ibid.*
Animae ante corpora non fuerunt 124 15.
Animae salus nemini datur sine praeveniente, comitante, et subsequente gratia Dei 125 17.
Animae sterilitas duobus modis accipitur 136 14.
Animam effundere in se, tribus modis accipi potest 175 4.
Animam primi hominis cum Deus creavit, non creavit in confuso omnes animas 124 15.
Animam in manibus esse, est periclitari de vita 524.
Animam adhaerere Deo, quid sit, et quanti faciendum 208 8.
Animalis homo propinquante exilii fine cur gemat 538 1.
Animalia omnia hominibus utilia 588 6.
Animus dives debet esse, non arca 129 9.

Animus aliquando gaudet, cum corpus dolet *pag.* 22 9.
Animus non omnino quaerit Deum, dum aliquid habet in terra, quod amet 171 3.
Antichristi astutia, et consultatio cum Diabolo 331 4.
* Apostoli dicuntur montes 536.
Apostolicae praedicationis fructus 302 16.
Apostoli vere Sapientes 391 14.
Apostoli primi Ecclesiae filii toti Orbi leges dederunt, quod Monarcha ante eos fecit 194 18.
Apostoli, et Martyres licet interfecti, de omni tamen tribulatione vere liberati sunt 132 17.
Apostoli cur Cedris similes 102 6.
Apostoli cur dicantur Coeli 64 4.
* Aquae pro tribulationibus tumuntur 118 8.
Aqua spiritualis quaenam 80 2.
Aquae initio creationis non tam aquae, quam vapores aquei erant 451 7.
Aquae vere corporales, et incorruptibiles supra Coelum 622 4.
Aquila quomodo renovetur 445.
* Arbitri libertas 487.
Area foederis scabellum pedum 430 4.
Arma Christi quaenam sint 188 5.
Arma Dei defensiva, et offensiva 133 2 3.
Arma Diaboli, astutia, et malitia 188 5.
Arrogantiae proprietas 37 25.
* Asaph quis, et quid significet 212 in tit.
Ascendere super Cherubin, quid 57 12.
Aspectus Dei ad nos, et nostri ad Deum, quam sit necessarius 567.
Aspicere iniquitatem in corde, quid sit 271 17.
* Attentionem exigit Deus, ut nobis loquatur 214 8.
Attributa Dei notissima, et obscurissima 597 5.
* Avaritia 48 6.

B

Baptismus, cur dicatur illuminatio 128 5.
* Beatitudo Coelestis qualis 143 9.
Beati quinam in hoc saeculo 355 6.
Beatitudo in operatione intellectus consistit 41 8.
Beatitudo hujus vitae, in quo consistit 9 1.
Beati expectant redemptionem corporum 549 5.
Beatitudinem Justis Deus conservat 50 5.
Beatitudinem assequimur, si quatuor praestemus 82 4.
* Benedicere Deum, ad quos pertineat 494 27.
Benedicere Deum in omni tempore, quid sit 127 1.
Benedictio Dei qualis 497 24.
Benedictio Dei in scripturis abundantiam significat et foecunditatem 569 16.
Beneficia Dei celebranda 44 6.
Beneficia Dei, quae pauci agnoscunt 294 7.
Beneficiorum divinorum summa, quae sit 237 13.
Beneficium magnum, Deum memorem esse nostri 106 4.
Beneficia omnia divina quomodo duplicia sint 449 2.
Beneficiorum Dei memoria qualis esse debeat 59 22.
Beneplacitum Dei fundamentum omnium bonorum 623.
Benevolentia Dei radix omnium bonorum *pag.* 23 13.
* Bona quandoque Deus Sanctis tribuit quandoque aufert 185 28.
Bona temporalia umbrae sunt veri boni 160 9.
Bona Coelestis Hierusalem 264 265.
Boni omnis ratio in solo Deo est 498.
Bonum omnia appetunt *ibid.*
Bonorum omnium auctor Deus 21 8 25 4.
Bonorum omnium principium lumen Dei 60 31.
* Brachium significat potentiam 39 39.

C

Caecitas humana in vera foelicitate quaerenda 402 16.
Coelum est domus nostra 93 7.
Coelum, primarius est effectus potentiae Dei 122 6.
Coelum cur opus digitorum Dei, non brachiorum 31 4.
Coelum dicitur templum Dei 56 8.
Coelum tribus modis praedicat Deum 64 2.
Coelum Beatorum mons Domini 88 23.
Coelorum regnum a Christo promissum, spernentibus quam graviter irascatur Deus 473 25 26 27.
Coeli coelorum, qui sint 204 4.
Coeli quomodo laudant Deum *ibid.* 2.
Coeli quomodo peribunt, aut veterascent 448 19.
Coeli dicuntur Apostoli et praedicatores et quare 64 4.
Coelos inclinare quid 57 11.
Coelorum sonus non concentus corporalis, sed quid 64 4.
Coelestis hereditas qua via acquirenda 288 30.
* Calix vini meri, quid 317 7.
Calix idem atque haereditas, portio, et pars 41 7.
Calumniarum et persecutionum morbo quae medicina facienda 146 6.
Cantica Dei quomodo canenda, et audienda 581 5 et 174 in tit.
Canticum vetus veteris hominis est, novum novi 19 3.
Cantare Deo canticum novum et vetus, quid sit 625 1.
Cantare in tympano, et psalterio, quid sit *ibid.* 2.
Canticum graduum pauci ex corde cantant 535 5.
* Captivitas Babylonica figura captivitatis generis humani sub peccato 582 12.
* Carnales licet otiosi, Deo vacare non possunt 198 10.
Carnalem esse, et hominem esse aliquando pro eodem in script. 544 3.
Caro quomodo dicitur sitire Deum 234 2.
Causae saecundae defectus tribuendi sunt, non primae 452 15.
Causae secundae sine Deo nihil possunt 452 17.
* Cedri Libani quinam 3.
Cervi proprietates 72 in tit.
Cervi cum amore Dei similitudo aptissima 174 1.
* Charitas Dei bonorum omnium nostrorum causa et origo 359 3.
Charitas in Deum ardens, radix confidentiae in eum 93 7.
Charitas perfecta vehementissime timet, ne in aliquo dilectum offendat 129 9
Charitas dicitur fimbria aurea 193 15.

Charitas praecipuum est inter dona a Christo in terras effusa *pag.* 278 20.
Charitas Dei virtutes omnes complectitur 424 11.
Charitatis verus spiritus molestius fert injuriam Dei, quam propriam 531 6.
Charitatis signum est, Deum sine intermissione laudare *ibid.* 4.
Charitatis magnae indicium, miseratio erga peccatores 517 5.
Christus, lapis angularis, cur dicatur 367 1.
Christus, cur in Sion dicatur natus 369 5.
Christus, cur dicatur primogenitus 382 27.
Christus, quomodo fuerit pauper 170 1.
Christus cur dicitur puer et servus 285 12.
Christus non Redemptor solum, sed et Doctor, et Magister humani generis 168 12.
Christus cur dicitur dilectus 102 6.
Christus, cur dicitur vitulus *ibid.*
Christus quomodo dici possit arbor 11 7.
Christus peccata nostra sibi tribuere potuit 72 1.
Christus resurgens comparatur Cervae, et Stellae 13 7.
Christus Advocatus potentissimus 482 30.
Christus Sacerdos aeternus 447 5.
Christus supra homines formosus dicitur, cur non supra Angelos 244 3.
Christus nuncius futuri ingressus in coelum 568 12.
Christus superavit sapientia, et justitia Diabolum 188 5.
Christus nos docuit exemplo suo clauso ostio Patrem orare 198 10.
Christus Dominus, et cum eo justi omnes ab impiis, et inimicis aliquando laudandi 260 10 262 8.
Christus quomodo dicatur inops, mendicus, compunctus corde 480 15.
Christus non eguit custodia Angelorum 401 11.
Christus, Rex jure dicitur, et Regnare 420 10.
Christus quid retribuerit Judaeis post Resurrectionem suam 173 11.
Christi amor erga inimicos excellentior, quam Davidis erga Saulem 137 17.
Christi affectus erga persequutores non solum est ut fratris ad fratrem, sed ut matris ad filium *ibid.* 17.
Christi arma quaenam sint 188 5.
Christi mors, et resurrectio 17 5.
Christi mors quare dicitur somnus 17 5 172 9.
Christi vita qualis 19 4.
Christi benevolentia erga electos 49 2.
Christi passio holocaustum 68 3.
Christi dona in instanti conceptionis 70 3.
Christi reliquiae sunt electi 71 12.
Christi passionis fructus 78 32.
Christi persecutores quomodo Deus accepit 13 4 5.
Christi generatio triplex *ibid.* 7.
Christi potestas in omnes gentes 14 8 9.
Christi judicium rectissimum significatur per virgam ferream *ibid.*
Christi morientis, et resurgentis Prophetiae 97 in tit. 1.
Christi Mortis, Resurrectionis, Ascensionis, etc. prophetia Psalm. 29 toto 105.
Christi anima nil ignorabat in passione 107 9.
Christi passiones cur plurimae fuerunt *pag.* 168 16 17.
Christi proditionis indignitas 173 10.
Christi adventus primus fructus 300 7.
Christi figura Salomon, et ejus nomina 298.
Christi passionis, et doloris vehementiam per Prophetas, ejus constantiam per Evangelistas cur Spiritus Sanctus exprimi voluit 283 3.
Christi Regnum adumbrat Propheta 327.
Christi Regnum aeternum 484 2.
Christi patientis figuram gerebat David in passionibus suis 232 11.
Christi ascensus in coelum describitur 200 5.
Christi injuriae aliquae peculiariter ad Patrem pertinebant 285 12.
Christi nativitas ex Virgine 485 4.
Christi generatio aeterna *ibid.*
Christi humilitas in carne, et exaltatio in gloria 487 8.
Christi passio describitur, ejusque dolores Psalm. 68 toto 283.
Christi virtutes, quas in passione spiravit dicuntur myrrha, aloe, et casia 190 10.
Christi humanitas vestis, et domus dicitur *ibid.*
Christi virtutum fragrantia *ibid.* 10.
Christi sponsa Ecclesia est, B. Virgo et reliquae Virgines 191 11.
Christi regnum consumet omnia Regna 197 6.
Christi innocentia quomodo Mundo innotuit 476 1.
Christi cum Diabolo contentio circa quid fuerit 553.
Christi adventu omnis creatura exultabit 421 12.
Christi mirabilia quae 426 1 2.
Christi salutare, et justitia in quo sita 427 3.
Christi humanitas scabellum Divinitatis 430 5.
Christi corporis beneficia propter passionem quaenam 70 4 5 et 71 6.
Christi Sacerdotium per coronam auream 70 3.
Christo convenit jejunare, et cilicio indui prout est in membris suis 137 16.
Christo quomodo conveniant verba Ps. 39 Comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui ut viderem, et illud Marci 6. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, et mirabatur propter incredulitatem eorum 168 16 et 172 6 et 7.
Christianorum persequutio ab imperatoribus illata describitur 182 11 et 18.
* Cicatrices quid in Ps. 37 significent 157 3 6.
Cilicium quid 137 16.
Cilicium et jejunium Christi 285 14.
Civitas Dei cur aeterna stabilitate solidabitur 196 4.
Civitatis muri, viri perfecti dicuntur 205 11.
Civium coelestium conditiones et signa 580 1.
Civium Babyloniae conditiones et signa *ibid.*
* Cogitare quomodo tribuatur linguae 224 2.
Cogitatio mirabilium Dei, radix omnium bonorum 98 7.
Cogitationes significantur per consilia 33 23.
Cogitationes per cor, desideria per renes significantur 50 7.
Cognoscere, pro approbare sumitur 296 17.
Columbae, aptissime comparatur Justus 231 6.
Commoveri pedes, in Scriptura sumitur pro labi in peccatum 536 3.

Concupiscentia dicitur necessitas *pag.* 88 18.
* Concupiscentia rerum terrenarum vacandum praecipue 198 10.
Concordia fratrum bona et jucunda 571 1.
Confessorum tentationes torrenti rapidissimo similes 305 4.
Confidentia in Deo est firma allegatio ad misericordiam impetrandam 238 1.
Confidentes in Domino qui sint, et quod vere sint montes 576 11.
Confidentes in Domino quam securi esse debeant 547 2. 3.
Confidentia in Deo cooperationem nostram non excludit 234 25.
Confiteri in Ecclesia magna, quid 139 21.
Confiteri, et laudare idem *ibid.* 21.
Conjunctio fratrum magis esse debet cordium, quam corporum 571 2.
Conscientiae stimulus per spinam significatur 117 4.
Consilium Dei mirabile in paucitate electorum suorum 458 8 9 10 etc.
Consolatio Divina quibus datur 112 23.
Consolatio interna prodit in externam, et haec est quo agnoscitur 548 2.
Consolatio Divina dolori carnis correspondet 413 19.
Constantes viri lapides, infirmi vero pulvis dicti 440 15.
Contemplatio rerum divinarum requirit animum liberum a tumultu perturbationum rerum saecularium 198 et seq. 10.
Contemplationis materia qualis 22 4.
Contemnentis temporalia praemium 19 4.
Contritio David quanta fuerit 603 4.
Contritionis signa *ibid.* 7.
Contritionis cordis efficacitas 544.
Contritionem quomodo consolatio subsequi debeat 545 5.
Convertentes se serio ad Deum quam consolationem experiuntur 548 1.
Converti ad vesperam quid sit 245 7.
Cor mundum creare quomodo dicatur Deus 221 11.
Cordis dilationis effectus 516 6.
Corda quomodo Deus obduret 416 8.
Corde effundere quid sit 255 8.
Corda feriunt sermones fraudulenti, licet aures delectent 234 24.
Cornu significat potestatem regiam 570 18.
Cornu pro superbia 274 4.
Cornu David regnum Messiae dicitur 570 18.
Corona gloriae coelestis duo continet 445 5.
Corporis salus non contingit homini sine auxilio Dei 125 17.
* Creaturae omnes instrumenta justitiae et misericordiae Dei 623 8.
Creaturae quantumvis magnae collatae cum Deo nihil sunt 624 12.
Creaturae omnes excitant ad laudem Creatoris 267 14.
Creaturae omnes sunt milites Dei 180 7.
Crux est thronus 33 4.
* Cupiditas radix omnium malorum ostenditur 198 10.

D

Daemones per Antonomasiam peccatores dici possunt 530 3.
Daemones sunt perpetui calumniatores 526 1.
Daemones significantur per pisces maris 32 8.
Daemones exultant, si quem justum ad inchoandum peccatum induxerint 44 5.
Daemones sunt insidiatores 96 17.
Daemones venatores, laquei res creatae 395 3.
Daemones nos odisse odio iniquo quid 89 20.
Daemonum peccatum superbia 603 5.
Daemonis artes 603 5 80 6.
* Damnati quomodo dicantur non esse, et non vivere 163 18.
Damnati semper in poenis vivunt, ut semper moriantur 234 26.
David in Regem cur de humili loco eligitur 335 76
David non solum res, sed etiam verba praenovit et praedixit 76 18.
David affectus erga inimicos quantus, et qualis 137 17.
David in adversis ad Deum solitus confugere 362.
David figura Christi 380 *et seq.* 19.
David cur vocet Ecclesiam filiam 192 12.
David exemplum justitiae, et misericordiae posteris 222 14.
David magis arte, quam robore vicit Goliath 92 et 605.
Davidi facta promissio de Regno aeterno in Christo impleta 376 377 3 et 4.
Davidici peccati deformitates, et circumstantiae 153 4.
Davidis, et Prophetarum mos in Psalmorum versiculis 9 1.
* Decalogus virtute continet omnes leges Mundi 470 1.
Delatores iniquos punire gravissime, regum est 436 6.
Delectari in Domino, quid 145 4.
Deliciae supervacaneae Diabolo jucunditas moderata a Deo 452 17.
Delinquere in semetipso, quid 22 1.
Delinquere variis modis accipitur 132 21.
Desideria impiorum numquam explentur 43 9.
Desiderium tribuere, et similia, quid 68 2.
Detrahentium linguae instar sagittae longe feriunt 229 6.
Deus solus vere magnus est 128 3.
Deus vigilat pro justis 131 15.
Deus aliquibus modis justum exaudit in tribulatione 19 1.
Deus auctor omnium bonorum 21 8.
Deus quando orantem contemnit 22 13.
Deus vult solum a parvulis, idest, humilibus cognosci, et laudari 31 3.
Deus laborem oppressorum, et opprimentium furorem considerat 38 37.
Deus cum irascitur quid operetur 37 9.
Deus nunc videtur in Tabernaculo, in coelis videtur in domo propria 64 5.
Deus Pastor 72 1.
Deus cur dicatur Dominus exercituum 84 10.
Deus quomodo laudandus 120 1.

Deus quibus placeat, quibus non placeat *pag.* 120 1.
Deus non solum verbis, sed etiam operibus laudandus *ibid.*
Deus et singillatim, et conjunctim laudandus *ibid.*
Deus laudandus ex cognitione creaturarum, et ex revelatione divina 121 2.
Deus cur summo affecto laudandus *ibid.* 4.
Deus cur solus timendus 123 9.
Deus cur omnia fecerit verbo *ibid.*
Deus ideo beatus, quia videt se sicuti est *ibid.* 12.
Deus aliter vigilat super justos, aliter super injustos 131 16.
Deus quem amat, securus est 134 2.
Deus quibus armis se defendit, et nos protegit *ibid.*
Deus quomodo, et quare dicatur salus animae *ibid.* 3.
Deus quare fons sapientiae, et scientiae 143 10.
Deus ordinarie per Vicarios suos regit, et docet 327 20.
Deus quo sensu dormiat 334 71.
Deus respicit aliquem, cum ei placatur: avertit oculos cum irascitur 339 *et seq.* 2.
Deus a nobis oculos avertit, cum nos ab eo faciem avertimus 340 4.
Deus quando ab omnibus cognoscetur 353 17.
Deus proprie vivus est, et vita 354 2.
Deus protector justorum, et clypeus 355 6.
Deus qua ratione loquebatur ad Prophetas 359 8.
Deus affectu paterno nos amat 366 14.
Deus cum iniquis innocentes puniri cur sinat. 185 28.
Deus pater quomodo unxit Deum filium 192 12.
Deus magnus, et laudandus in fundatione Ecclesiae 202 1 205 9.
Deus Deorum quomodo dicatur Dominus 212 1.
Deus ut nobis loquatur, attentionem exigit 214 8.
Deus in se eminenter omnia continet 215 *et seq.* 12.
Deus in periculis unicum refugium 228 1.
Deus non minus est bonus cum flagellat, quam cum parcit 229 6.
Deus quomodo errare faciat, excaecet, obduret etc. 475 39 40.
Deus quomodo convertat corda aliquorum, ut alios odio prosequantur; et tamen non sit causa peccati 459 460 22 23 *etc.*
Deus quomodo dicatur protector bonorum quamvis tribulatione eos permittat probari 261 2.
Deus quando non videt, nec audit 559 2.
Deus quando quaeratur 35 10.
Deus Sol increatus 392 18.
Deus cur dicatur Dominus absolute 567 2.
Deus cur Aquilae, et Gallinae comparetur in Scripturis *ibid.* 4.
Deus remuneratur opera bona ex justitia 59 23.
Deus regnare dicitur multipliciter 420 9.
Deus quomodo invisibilis 422 2.
Deus dupliciter dicitur custos animarum sanctarum 424 11.
Deus quomodo sedeat super Cherubim 429 1.
Deus quomodo dicitur loquutus in columna nubis 431 7.
Deus solus aeternus, quia immutabilis, et cur immutabilis 443 28.
Deus non solum necessaria, sed etiam jucunda praebet *pag.* 452 17.
Deus quomodo laetari, dolere, et oblivisci dicatur 445 32 564 1.
Deus passionibus subdi non potest 445 32.
Deus quomodo magnus juxta quadruplicem dimensionem 609 3.
Deus quomodo escam omnibus impertiat; et tamen quosdam esurire permittat 612 16 17.
Deus quomodo orandus, ut preces nostras exaudiat 613 19.
Deus praesentiam suam quibus modis demonstret 606 7.
Deus non semper minatur, sed aliquando iram effundit 29 12 13.
Deus nobis est robur, petra, arx munitissima, munitio, scutum, clypeus, cornu salutis 55 1 2.
Deus petra cur dicatur 61 34.
Deus justus per antonomasiam 528 1.
Deus prope est malis per justitiam, bonis per auxilium 529 2.
Deus coeli quomodo dicatur filius Dei 579 26.
Deus cur absolute bonus 577 1.
Deus quomodo dicatur examinare cum non egeat examine 595 1.
Dei benevolentia radix omnium bonorum 23 13.
Dei protectio est velut tentorium *ibid.* 14.
Dei respectus causa omnium bonorum, sicut sol. 25 4.
Dei gladius, et sagitta, quid 29 13.
Dei incarnatio fuit visitatio 31 5.
Dei studia, quid 35 11.
Dei promissa, qualia 42 7. 43 8.
Dei amici et inimici, quinam 54 15.
Dei currus, equi, aurigae, sagittae, quae 57 12.
Dei praesentia quid operetur, ejusque potentia 57 9 *et seq.*
Dei mors cum lepidis 80 5.
Dei protectio in tribulatione 16 3.
Dei potentia laudes 100 1 *et seq.*
Dei vocis efficacia 101 3.
Dei opera movent homines ad fidem 121 4.
Dei misericordia latius patet, quam justitia *ibid.* 5.
Dei cogitatio una, et simplex continet eminenter innumerabiles cogitationes 123 11.
Dei arma offensiva, et defensiva 134 2 3.
Dei pietatem experiri quam dulce 142 8.
Dei veritas et judicia quam profunda 121 4.
Dei misericordia erga pios et impios 252 142. 6 7 8.
Dei memoria plus delectat, quam praesentia carnalium voluptatum 332 3.
Dei indignatio igni comparatur 337 4.
Dei suavitas misericordia, et mansuetudo 364 4.
Dei nomen quatuor literarum 512 1.
Dei juramentum 485 5.
Dei veri et Deorum falsorum antithesis 496 15.
Dei rectitudo in quo consistat 423 2.
Dei mira in puniendis impiis celeritas, et aliquando tarditas *ibid.* 3.
Dei nomen quare sanctum, et terribile 430 3.
Dei magnitudinem quomodo laudare, et imitari possimus 609 3.
Dei perfecta laudatio non nisi in Patria exhiberi potest 614 1.

Dei filius, cur peculiariter Deus Deorum *pag.* 577 2.
Dei opera omnia ex misericordia profecta sunt 578 15.
Dei omnipotentia in extremo judicio quanta 423 4 5.
Deo quinam honor debeatur 101 2.
Deo quomodo fruemur in Patria 143 9.
Deo cur nemo possit comparari 165 8.
Deo quomodo conveniat poenitentia 485 5.
Deum hominis recordari, quid sit 31 5.
Deum furere, et irasci, quid sit 13 5.
Deum memorem esse nostri, magnum beneficium 106 4.
Deum pro Deo suo, quis habeat 123 12.
Deum videntes similes sunt Deo, numquam videntes, semper dissimiles *ibid.*
Deum pugnare pro nobis necesse est, ut nobis innotescat 134 3.
Deum semper laudat, qui semper bene agit 140 32.
Deum refugium suum, et virtutem, pauci ex vero affectu pronunciant 196 2.
Deum cognosci ab hominibus, quam sit admirabile 606 4.
* Dei Gentilium, vani Deiculi 418 5.
Dexterâ, Christum aliquando significat 603 4.
Diabolus non robore, sed arte, scilicet patientia vincendus 603 1.
Diabolus Rex superbiae 603 5.
Diaboli arma, astutia, et malitia 188 5.
Diabolus, Pharaoni similis 378 11.
Diabolus, unde in nos potens, et quod effugium 301 12.
Dies, prosperitatis, nox, tribulationis tempus aliquando significat 50 7.
Dies, vitae; nox, mortis tempus aliquando significat 73 2.
Dies hujus saeculi, dies peregrinationis, et doloris 364 6.
Dies transeundo, et fluendo, quomodo permanere dicantur *ibid.* 6.
Dilectionis praeceptum, finis perfectionis 523 1.
Disciplina paterna, castigatio 61 39.
Disciplina virtutem prudentiae aliquando significat 519 2.
Discordiae fratrum damna 524 2.
Dives esse debet animus non arca 490.
Divitiis bene utendi gratia 492.
Divitiae non perdunt homines, sed superbia 362 1.
Divites, dum Deum non timent, inopes fiunt 130 10.
Divites impii cur dicantur Leones *ibid.*
Divites mali, non raro ad extremam inopiam rediguntur *ibid.*
Divitiis non caret, qui divitias non desiderat 129 9.
Divitiae instabiles sunt, et fallaces 130 10.
Divitiae multis periculis sunt expositae *ibid.*
Divitias temporales qui diligunt, semper egent *ibid.*
Divitiis, aut potentiae fidere vanum, et stultum est 213 6 215 10.
Divitiae fluunt, dum affluunt 256 10.
Doeg quomodo dicatur mentitus dicendo verum 230.
Dolosi in sua lingua confidunt 42 4.
Dolosorum, et mendacium merces justa 172 6.
Dominus exercituum, et Rex gloriae soli Deo in Scriptura tribuitur *pag.* 84 10.
Domus spiritualis quomodo erigatur, et perficiatur 551 1.
Domum spiritualem aedificando, non magis fidere debemus operationi, quam orationi 552 3.
Dormire Dei, quid sit. 28 6 1.
Dormitare, et dormire quomodo dicantur homines 540 4.

E

Ecclesia, cur columba sit 213 in tit.
Ecclesia, quare, et quomodo magna 139 21.
Ecclesia Christi semper a Deo protegenda 383 36.
Ecclesia, Soli, Lunae, Iridi comparatur *ibid.*
Ecclesia quomodo ancilla, quomodo libera dicatur *ibid.*
Ecclesia brevi tempore propagata *ibid.*
Ecclesia ex gentibus diu sterilis *ibid.*
Ecclesia Sponsa Christi 191 11.
Ecclesia dicitur assistere in Coelo, non sedere *ibid.*
Ecclesia Dei, duobus capitibus mirabilis apparet 202 1.
Ecclesia cur dicatur mons Sion, latera Aquilonis, Civitas Domini virtutum 205 10.
Ecclesia Dei mons coagulatus, mons pinguis, etc. 277 15 16 17.
Ecclesia vix nata in Abel persecutionem patitur 557 1.
Ecclesia Sanctorum firmamentum Dei 114 1.
Ecclesia Catholica nova Jerusalem 438 2.
Ecclesia cur dicatur fundari, non fundata 203 2.
Ecclesiae aedificatio ex quibus lapidibus 291 40.
Ecclesiae et Christi Regni propagatio 300 8.
Ecclesiae fundamenta, quae 367 1.
Ecclesiae persecutores 482 30.
Ecclesiae dignitas praecedit Angelos 186 1.
Ecclesiae contra inimicos suos victoria mystice designata 250 10.
Ecclesiae pugna adversus hostes Deo praecipue auctore 251 13.
Ecclesiae firmitas, beatitudo, successio, 302 12.
Ecclesiam cur vocet filiam David 192 12.
* Ecstasis, quid significet 108 in tit.
* Effundere frameam, quid 134 3.
* Electi Dei sunt oves 79 1.
Electi reliquiae sunt Christi 71 12.
Electis Deus multa bona praestat 179.
Electorum propria qualitas, et nota 581 8.
Electorum salus est Christi merces 559 4.
Eleemosyna quae bona pariat 265 6.
Eleemosyna, quas circumstantias habere debeat *ibid.*
Eloquium Dei est scutum 61 33.
Eloquium Dei cur dicatur ignitum 528 4.
* Eman Ezraita quis 371 in tit.
* Epistolae, historiae, et Prophetiae sacrae quomodo differant 186 1.
Episcopi longe abesse ab Episcopatu suo non debent 478 7.
Episcopo quare in Ecclesia detur locus altior 552.

* Et, particula, in oratione Hebraica saepe redundat *pag.* 60 61 32.
Et, saepe in Scriptura ponitur pro quia 595 8.
Ethan quis 375 in tit.
* Evangelica praedicatio dicitur vox Domini 100 101 1 *et seq.*
Evangelica praedicatio quomodo dividat flammas ignis 103 7.
Evangelicae praedicationis vis 100 101 1 *et seq.*
Evangelii vis in hominibus spiritualibus, et nationibus barbaris 103 104 7 8 10.
* Exitium impiorum hoc tempore in Judaeis impletur; sed manifestius in die Judicii 135 7.
Exultatio Justi qualis 136 12.

F

Fabulationes sunt haereticorum colloquia 521 5.
Facies aliquando in Hebraeo sumitur pro ira 415 2.
Faciem avertere quomodo dicatur Deus 185 26.
Facultas exequendi non erit in inferno, licet futura sint desideria mala 231 2.
* Fideles significantur aliquando per oves et boves 32 8.
Fideles infidelium esca 337 7.
Fideles populi quomodo vocentur, commutandi, et lilia 186 in tit.
Fidelibus non promittitur carentia inopiae sed consolatio spiritualis 125 19.
Fidelium numerus magnus 77 25.
Fides requirit hominem vere humilem 501 1.
Fidei tempus aurorae comparatur; infidelitas tenebris noctis 196 4.
Fidei divinae signum quodnam sit 427 6.
Fidei propagatio coepit per Apostolos in Jerusalem 484 3.
Fidei ad justitiam reputari, quid 115 2.
Fiducia in potentia propria, aut divitiis vana ostenditur 208 6.
Filii inter humanas foelicitates primo loco connumerandi 607 13.
Filius se habet ad patrem, ut radix ad arborem 430 5.
Filiae Jerusalem quae sint 205 10.
Finis consummationis diversimode a Patribus intelligitur 522 8.
Firmamentum varie accipitur 302 16.
* Flagella quibus a Domino castigamur 542 3.
Fletus, et jejunia verae poenitentiae signa 439 7.
Fletus, cur tribuatur nocti, laetitia vero diei 106 6.
Fletus in scriptura saepe ponitur pro signo fletus 285 14.
Flumina Babylonis bona sunt temporalia 580 1.
* Fodere in Hebraica lingua varia significat 521 5.
Foelicitas iniquorum magna est tentatio 146 7.
Foelicitas vera quaenam 96 18.
Foelicitas mundana cito pertransit 436 4.
* Frangere sitim, quid sit 451 13.
Fraudulentus amicus pejor est inimico manifesto 232 12.
Fulgura sagittae Dei 57 12.
Fulgura et tonitrua praesentiam Dei maxime demonstrant 606 7.
Funiculus in scriptura pro haereditate sumitur *pag.* 597 2.

G

Gehenna cur dicatur Infernus inferior 365 12.
Gens non sancta quaenam sit 174 1.
Gentes omnes tam fideles, quam infideles Christi sunt haereditas 14 8.
Gentium ad Deum conversio 364 8.
Gentiles Deus docuit per naturalia 621 9.
* Gladius, et lancea Dei, quid 134 3.
Gloria Domini, quae sit 418 4.
Gloriari, quando malum 128 2.
Gloriam Dei Sol praecipue praedicat 65 5.
Gloriatio non semper vitiosa 128 2.
Gloriae coelestis corona, duo continet 445 5.
* Gratia praedestinationis dicitur fors 50 6.
Gratia Dei scutum 23 15.
Gratia, lux est; peccata, tenebrae 106 6 et 114 1 499 2.
Gratia est animae vita; peccatum mors 125 19.
Gratia adjuvans non tollit libertatem arbitri, sed confirmat 338.
Gratia cur aliquando subtrahatur 498 1.
Gratia praeveniens, quid 499 5.
Gratia Dei ad exterminandum peccatum multo plus quam studium nostrum valet 230 2.
Gratia Dei pinguedo animae, et ejus effectus 258 6.
Gratia excitans, et comitans, bonorum operum causa 392 18.
Gratia Dei in anima, est veluti aqua in terra arida 603 6.
Gratia est salus inchoata 529 2.
Gratiae effectus 49 3.
Gratiae Dei necessitas 19 1 21 9.
Gratiae auxilia varia 80 3.
Gratias Deo agere quinam debeant 498 27.
* Gubernatio aliorum difficilis 109 12.
Gubernatio Dei qualis 483.

H

Habitus mali, et vitia sunt hostes hominis 25 7.
* Haereditas cur dicatur calix 41 7.
Haereditas malorum, et justorum *ibid.*
Haeresis modernorum haereticorum, qui vota rerum non imperatarum a Deo omnino contemnunt refellitur 321 12.
Haereticorum dogmata de peccatorum justificatione 114 1.
Haereticorum praedicatio, lingua serpentum 603.
* Hebraeus populus aliquando Judas, aliquando Israel dicitur 495 2.
Hebraei utuntur genere foeminino pro neutro 118 7.
Hebraei ponunt futurum quando significatur quaedam continuatio 17 5.
Hebraei orantes manus extollebant in altum 98 2.
* Hierosolymae desolatio per Antiochum facta deploratur 310.
Hierusalem muri quinam sint 223 19.
Hierusalem filiae quaenam sint 205 10.
Hierusalem coelestis portae quae 367 1.

Hierusalem terrestris praerogativae *pag.* 363 2.
Hierusalem coelestis, ac terrestris laetitia 370 7.
Hierusalem everterunt Titus, et Vespasianus propter odium Judaeorum, non propter odium Dei 367 5.
Hierusalem typus coelestis patriae 538 in tit.
Historiae, Prophetiae, et Epistolae sacrae quomodo differant 181 6.
* Holocaustum gratius quodnam 68 4.
Holocaustum perfectum 270 12.
Holocausta medullata quaenam dicantur 270 13 14.
Holocausta spiritualia, et oblationes quae dicendae sint 223 20.
Homo quomodo imago Dei 20 7.
Homo ex naturae corruptae viribus quid facere possit 45 2.
Homo a creaturis omnibus despicitur in hac peregrinatione 542 4.
Homo sine adjutorio Dei, similis mortuo 97 1.
Homo propria virtute liberari non potest a malis 124 14.
Homo cur similis floribus, aliisque caducis; non autem soli, et lunae et stellis 332 44.
Homo exaltatus a Deo 494 7.
Homo quam modica res sit respectu Dei, respectu sui magna 606 5.
Homo sicut ovis seductus periit; Diabolus sicut leo ex malitia cecidit 553 8.
Hominem in judicio quid poterit reddere securum 207 5.
Homines dicuntur aliquando Dii 32 8.
Homines sunt vasa lutea recentia 14 9.
Homines cur per infantes, et lactentes significentur 31 3.
Homines iniqui membra sunt Diaboli 603 4.
Homines fideles per Israelem significantur 537 4.
Homicidae dicuntur viri sanguinum 26 9.
Horae Canonicae quomodo recitandae 121 3.
Horarum septem Canonicarum usus in Ecclesia unde 531 4.
Hostiae spirituales quaenam 420 8.
* Humanitas Christi vestis, et domus dicitur 190 191 10.
Humanae naturae post peccatum corruptae status 344 3.
Humanarum rerum currus, dicitur torrens 487 8.
Humilitas gratissima Deo 60 30.
Humilitas sal condiens recte facta 20 6.
Humilitatis doctrina Regibus, et principibus praecipue necessaria 585 7.
Humiliatio ex tribulatione veniens, magnum donum est 519 7.
Humiliari usque ad terram, quid sit 185 27.
Humilis oratio non revertitur vacua 137 16.
Humiles Deus respicit 493 5.
Humiles spiritu quomodo salventur 132 19.
Humiles significantur nomine lactentium, et infantium 31 3.

I

Iacula, tentationes aliquando significant 60 32.
* Ideae divinae res omnes repraesentant 600 15.
Idithun, quis fuerit *pag.* 158 159 in tit.
Idolorum vanitas indicatur 364 7 8.
Idololatriae similes Idolis 497 16.
* Iejunium et saccus sunt alae orationis 137 16.
Iejunare et cilicio indui convenit Christo, prout est in membris suis *ibid.*
Iejunando caput operire, quid sit 341 13.
* Illuminatio vultus Dei, multiplex super nos 272 1.
Illuminationis Dei finis, est liberatio a peccatis 532 2.
* Imagines Sanctorum 497 16.
Impedimenta in quaerendo Deo 445 4.
Imperatorum persecutio in Christianos describitur 182 11.
Impius, adepta gloria mundana, quam quaesivit, juste privatur coelesti, quam non quaesivit 211 20.
Impius aperte, et occulte insidiatur justo 29 16.
Impius quasi leo 54 15.
Impii sunt simulacra Idolorum 576 18.
Impii cum Iustos offendunt, Deum potius offendunt 23 12.
Impii timent ubique 65 9.
Impii quomodo in exitium praecipitantur, et qualis via illorum 135 7.
Impii cur trepidant timore, ubi non est timor 227 7.
Impii omnes mendaces esse convincuntur, et caeci 230 1.
Impii tamdiu Deum laudant quamdiu eis benefacit 211 19.
Impii in hoc saeculo Justis, Justi in futuro dominabuntur Impiis 210 15 211 18.
Impii quam brevi tempore regnent super justos 547 3.
Impiorum status in hac vita 164 2.
Impiorum miseria 11 5.
Impiorum mala illata justis, ipsis solum nocent 29 15 *et seq.*
Impiorum desideria numquam explentur 43 9.
Impiorum exitium hoc tempore in Iudaeis impletur, sed manifestius in die Iudicii 135 7.
Impiorum prosperitas, quasi somnium 306 8.
Impiorum mors numquam finienda 209 14.
Impiorum justa retributio est, ut male pereant, quia alios perdere student 10 9. 5.
Impiis facit Deus misericordiam, cum cito eos de hoc mundo tollit 579 10.
Improbi omnes, viri sunt sanguinum 601 18.
* Incarnatio Dei fuit visitatio 31 5.
Indignatio significat aliquando justum Dei judicium 106 5.
Infernus accipitur aliquando pro Purgatorio 51 10.
Infernus cur aliquando pro morte accipitur 56 6.
Inferni pericula qui non advertant 406 4.
Infideles sunt civitates Diaboli 34 6.
Infidelitatis tempus tenebris noctis comparatur 225 226 5.
Infirmitatis nostrae cum Dei potentia collatio 574 6.
Inimici Dei sunt inimici Iustorum 28 6.
Inimici iustorum latrare possunt, mordere non possunt 17 7.
Inimici nostri nihil magis oderunt, quam Ecclesiae propagationem 552 2.

Inimico manifesto pejor est fraudulentus amicus *pag.* 232 12.
Iniquitatis origo in pauperibus, et divitibus 305 7.
Iniquitates cogitare, quid sit 602 2.
Iniqui foeno, Iusti palmae, ac cedro comparantur 406.
Iniquo quomodo odio habendi, et diligendi 524 1.
Iniquorum insidiae dicuntur laquei 56 6.
Iniquorum finis 405 9.
Iniquorum consortium impedit meditationem verbi Divini 525 3.
Iniquis Deus miseretur ut pater, non ut Iudex 247 6.
Innocentia cordis in quo consistat 433 3.
Innocentiae oculorum quae 433 4.
Innocentia, et robur rarissime conjunguntur 61 35.
Innocentes cum iniquis cur Deus puniri sinat 185 186 28.
Insidiae quomodo nocent insidiatoribus 135 9.
Insipiens a stulto quomodo discrepet 208 209 9.
Instrumentis omnibus musicis laudari, se Deus praecepit 210.
Invidia, et odium nomine doloris, cur 29 15.
Invidiam superat, qui timet Deum 492.
* S. Joannes lucerna fuit Christo venturo 570 18.
* Ira Dei dupliciter accipitur 140 1.
Ira Dei unde colligatur 391 13.
Ira cur nobis a Deo data 19 12.
Ira, cor virtutis ibid.
Ira significat aliquando poenam, et castigationem 106 5.
Irae proprietas 37 25.
* Israelitae carnales, et spirituales, quinam sint 624 13.
Israelitae in portis civitatum convenicbant ad praecipua negotia 539 2.
Jucunditas moderata a Deo est; supervacaneae deliciae a diabolo 452 17.
Judaeorum Ecclesia, oliva bona fuit 304 4.
Judaei occisi in Paschate 311 5.
Judaei quo sensu dispersi, et non dispersi 332 42.
Judaeorum dispersionis causa fuit superbia 246 13.
Judaeorum sera conversio 247 16.
Judae, et Judaeorum in Christum crudelitas 480 15.
Judaicus populus, cur dicatur haereditas Domini 311 3.
Judas, cur in Psalmo vocatur sit homo pacis 173 10.
Judaicae Synagogae foecunditas Ecclesiae gentium sterilitate commutata 474 35. et seq.
Judices excaecantur donis 347 15.
Judices reprehensi a Deo ob acceptationem personarum 348 2.
Judicium falsum, radix peccatorum cordis 47 3.
Judicium inter homines ex novissimis faciendum 307 18.
Judicium ad quos praecipue spectet 156 18.
Judicium extremum terribile simul, et laetissimum 421 12.
Judicium in justitia, quid pariat. 349 5.
Judicii dies 601 1.
Judicia Dei occulta, non possunt esse injusta 142 6.
Judicii extremi apparatus, et effectus *pag.* 25 13 423 6 et seq. 365 9 et seq. ibid.
Judicia in portis apud Hebraeos 382 26.
Judicium et justitia quomodo differant 298 2.
Juramentum Dei significat rei immobilitatem 567 11.
Justus quomodo perpetuo legem Dei meditetur 10 2.
Justus peccata levia magna existimat 87 12.
Justus cur sapienter loquatur 150 32 33.
Justus aptissime comparatur columbae 231 6.
Justus olivae fructiferae, impius ligno arido similis 226 8.
Justus quomodo dicatur lavare manus suas in sanguine peccatoris 232 10.
Justi studium praecipuum 22 3.
Justi vitam aeternam merentur ex condigno 94 8.
Justi timentis Deum bona 192 12 et seq.
Justi peculiariter respiciuntur a Deo 125 18.
Justi timent, et sperant ibid.
Justi egent semper nova Dei misericordia 126 22.
Justi Deum semper laudant 127 1.
Justi pro se Deum habent vigilantem 131 15.
Justi exultatio qualis 136 12.
Justi contra persecutores defensio, est oratio 137 16.
Justi, filii hominis; impii jumenta 144 11.
Justi non multum debent formidare insidias impiorum 10 3 25 13.
Justi non alios habent inimicos, nisi impios 625 4.
Justi quinam sint 163 3.
Justi solatium ex tribulationibus capiunt 597 2.
Justis ab ipso Deo temporalia subministrantur 129 9.
Justitia interdum misericordiam significat 379 14.
Justitia et Sapientia Christus Diabolum superavit 188 189 5.
Justitia, et veritas Regi necessaria 189 6.
Justitia Dei quid 602 1.
Justitia justorum vera est, non imputativa, ut haeretici volunt ibid 2.
Justitia Justorum respectu Justitiae Dei nulla ibid.
Justitia pro opere bono, et Charitate ponitur 446.
Justitiae viam ambulare, quid sit 604 12.
Justitiam judicare, quid 25 4.
Justis spes est tutissima domus 21 10.
Justo melius est modicum, quam ingentes divitiae peccatoris 148 17. *et seq.*
Justorum merita ex misericordia Dei 68 5.
Justorum auxilium a Domino 55 2
Justorum in hac, et altera vita praemium ibid.
Justorum clypeus 16 3 356 9.
Justorum mors, qualis 133 22.
Justorum preces a Deo semper exaudiuntur 131 15.
Justorum prosperitas diuturna, impiorum brevis 141 2 149 21 151 37 38.
Justorum magna tentatio est, foelicitas iniquorum, et quomodo superetur 146 7.
Justorum principatus unus est, et multiplex 600 16.
Justos perpetuo respicit Deus 131 15.
Justos de tribulatione quomodo liberet Deus 22 1 132 18.

Justum justitiam suam praedicare, praesumptio quando non est 59 23.
Justificationis impii ordo 25 4.
Justificationis fit cum gratiae infusione 115 1.
Justificationis initium non nisi a Deo 359 4.

L

Laus quid 29 16.
Laus Dei quomodo a sarificio laudis internoscatur 215 16.
Laus propria aliquando non mala, et quando mala 128 2.
Laus Dei unde sumenda 617 2.
Laudari utiliter quomodo debeat Deus 487.
Laudationis bonae conditio ibid.
Laudari in Deo quid sit ibid.
Laudis Dei materia, quaenam sit 456 5 492 3.
Laudis sacrificium summam salutis complectitur 217 24.
Laudes Dei omnia confitentur 624 13.
Laudem Dei quae ore cantatur praecedere debet silentium 264 1.
Lavare manus, signum innocentiae 306 13.
Laetitia spiritualis unde oriatur 491.
* Lex Dei multis modis nominatur in scripturis 65 8.
Lex Domini quibus modis solvitur 9 1.
Lex Dei qualis sit impiis et justis 12 3.
Lex alia charitatis, alia justitiae 560 4.
Lex Domini quomodo dicatur ignea 529 4.
Lex Domini, terra sancta est, in quam ducimur a Spiritu sancto 604 12.
Lex peccati sive cupiditas excaecat homines 524 1.
Lex Decalogi cur sit indispensabilis 529 2.
Legis divinae sex encomia 65 8.
Legis divinae observatio a Dei timore promanant 131 13.
Legis Dei sedes est cor iusti 10 2.
Legis divinae nomina adversa 511 7.
Legis divinae amor qualis esse debeat 511.
Legis Dei observantiam, quae impediant 512 1.
Legis consideratio, quae bona pariat 524.
Leges Dei mirabiles in sensu mystico, quaenam sint 527 1.
Legis ad observantiam quatuor a Deo petenda 515 1.
Liberalitas, regia virtus est ac divina 612 16 17.
Liberalitas Dei bonorum omnium causa *ibid.* 16.
Liberatio a malis vitiis 402 16.
Liber viventium, et justorum, quis dicatur 233 23.
Ligna Domini quae sint 452 18.
Limbus, locus inferior 372 6.
Lingua quomodo meditatur justitiam Dei 140 32.
Lingua loqui judicium, et ore meditari sapientiam quid 141 2.
Lingua dolosa eorum quibuscum versamur valde magna calamitas 534 12.
Lingua dolosa parum nocet, nisi inducat ad peccatum *ibid.* 2.
Lingua dolosa sagittae similis, et ejus remedia 535 4.
Lingua dolosae, et iniquae descriptio, et differentia 534 2.
Linguae peccata aliis frequentoria, difficillime caventur 131 13.
Linguae quomodo tribuatur cogitare 224 2.
Linguae detrahentium instar sagittae longe feriunt 229 6.
Litteraturam cognoscere, quid sit 296 17.
* Locorum mutatio vana 39 1.
Loquendi prudentia evitantur maxima incommoda 491.
* Lucerna in scriptura passim vocantur filii, sive posteri 570 18.
Lumen Dei principium bonorum omnium 60 5. 128 31.
Lumen gloriae, ad videndum Deum, necessarium 143 10.
Lumen vultus Dei quod dicatur 380 16.
Lumine coelesti juste privantur, qui rationis lumine uti noluerunt 216 21.
Luna aliquando significat corruptionem, et mortalitatem 300 7.
Lux interdum pro laetitia ponitur 128 5.
Lux gratiam, et misericordiam saepe significat 179 3.
Lux quam Deus initio creavit, qualis fuerit 314 17.
Lux justitiae, quomodo oriri dicatur 425 12.

M

Magnificentia Dei qualis 31 2.
Maheleth quid 371 in tit.
Mala naturae corruptae 43 et seq.
Maledictio divina omnium malorum cumulus aptis similitudinibus ostenditur 479 480.
Malum simpliciter, est malum culpae 398 10.
Malorum omnium initium, mentem a Deo avertere 229 5.
Malorum conversatio numquam magis nocet, quam in conviviis et compotationibus 597 5.
Mandatum Dei, quomodo dicitur latum 523 8.
Manichaeorum haeresis circa rerum creationem refellitur 623 7.
Manna Eucharistiae figura 330 28 488.
Mansuetudinis virtute excellentes viri 564 1.
Manus peccatoris, quid 144 12.
Mare ostendit Dei potentiam 378 10.
Mare et flumina aliquando pro Gentibus et Judaeis sumuntur 381 25.
Mare quomodo manus habere dicatur 453 25.
Martyrum Christi fides et constantia 528 1 545.
Martyrum Christi de tribulationibus victoria 125 17.
Mutare ambiguum est, et varia ejus significata 529 3.
Maximus reprehensus quod delatoribus nimis indulserit 436 6.
* Medici, et Gigantes iisdem literis scribuntur Hebraice 373 11 *et seq.*
Media quaerendi Deum 456 4.
Memoria Dei plus delectat, quam praesentia carnalium voluptatum 323 3.
Memoria Dei inter operandum quomodo haberi possit 259 7.
Mendacium perniciosum, multorum malorum est causa 131 13.

Mendacium cur dicitur iniquitas 519.
Mendaces filii hominum in stateris quomodo 482 29.
Mendacium est ordinarie primum peccatum in pueris 230 3.
Mendacii coarguit Deus diffidentes potentia virtutis suae 268 2.
Mendacium, et dolosorum merces justa 513 6.
Mensa sumitur aliquando pro lectione sacrarum scripturarum 288 27.
Messias quomodo filius, et Dominus David 483 1.
Messiae adventum David efflagitat 385.
* Milites Christi fugiendo, et tolerando vincunt tentationes 195 1.
Milites Dei sunt creaturae omnes 226 7.
Miseriae corporales communes quatuor; totidem spirituales 470.
Miseriae propriae consideratio utilis 559 1.
Miseretur Deus iniquis ut pater, non ut judex 245 6.
Misericordia Dei latius patet, quam justitia 121 5.
Misericordia a miseratione quomodo differat 86 6.
Misericordia perfecta solius Dei propria est 121 5.
Misericordia Dei in quo potissimum consistit 526 4.
Misericordia Dei quam magna, et quanta erga pios et impios 14 2 5.
Misericordia est simul corona justitiae 144 11.
Misericordia Dei praecedit justitiam 366 15.
Misericordia Domini prae vita diligenda 258 4.
Misericordia in solius Dei sinu requiescit 561 7.
Misericordiae est, tollere miseriam et defectum 121 5.
Misericordiam Dei imitari debemus 90 3.
Misericordiae divinae affluentia 208 2.
Misericordiae nomen omnia beneficia complectitur 247 20.
Missae sacrificium 77 27.
Miles facile Deum habent adjutorem 86 10 128 2.
Monachi veteres hospitibus ad lautitiam legumina oleo condita apponebant 452 17.
Mons Sion quare immobilis fuerit 546 1.
Montes terrae qui dicantur 196 3.
Montis Sion variae significationes 205 10.
Montium creatio 387 2
Mortalitas, et passibilitas in Beatis conscindenda, non deponenda 108 15.
Mors peccatorum, quare pessima, 132 21.
Mors justorum, quare pretiosa, et qualis 132 21 22.
Mors Christi quare dicitur somnus 17 5 172 9.
Mors impiorum nunquam finienda 210 14.
Mortis tempus, nocte; vitae, die significatur 73 2.
Mortui cur Deum laudare negentur. 373 11.
Mortuorum an Deus curam gerat. 372 5.
Moses Princeps Ecclesiasticus, et politicus simul 327 20.
Moses, an auctor aliquorum Psalmorum 387 in tit.
Motus pravi reprimendi, et timendi 20 5.
* Mulierum infelicitas, est sterilitas 471 8.
Mulieris christianae ornamentum ad intus esse debet 193 15.
Mundus sine intercessione Sanctorum non tandiu subsisteret 467 20 21.
Mundus miratur, non diligit eos, qui de mundo non sunt 548 3.
Mundus, terra deserta, invia et inaquosa 257 3.
Mundi vanitatem agnoscentes, quid petant a Deo 163 18.
Mundum oblivisci, quid sit 192 12.
Munera quae Christo placent 301 10.
Munerum acceptio, causa iniquitatis 102 10.
Muri civitatis, dicuntur viri perfecti 206 11.
Muri Jerusalem quinam 223 19.
Mutatio locorum vana 39 1.

N

Nasus pro iracundia cur 63 51.
Nationes Barbarae desertae cur dicantur 103 7.
Natura humana non vilis apud Deum 302 14.
Natura humana propter fragilitatem infanti a parentibus neglecto comparatur 95 16.
Naturae humanae corruptio describitur 154 7.
Naturae corruptae mala 45. per tot. Psalmum.
Naturae vulnera quatuor, et eorum contraria 470 4.
Nazarei quomodo dicantur consecrati 570 19.
Necessitas gratiae Dei 19 2 4 9.
Nomen Domini cur dicatur sanctum 126 21.
Nomen Domini invocare et in nomine Domini invocare, idem 69 8.
Nox, quomodo reperiatur in coelo 363 3.
Nox orandi tempus maxime opportunum. *ibid.*
Nox occasio occulta peccandi 52 4.
Nox, aliquando significat tempus tribulationis 52 3.
Nox, aliquando significat tempus quo abest lux Gratiae 499 4.
Nox, aliquando significat mortis tempus sicut dies tempus vitae 73 2.
Noctis divisio in quatuor partes apud veteres 404 6.
Nubes, currus Dei, domus, tentorium 57 12.
Numerus septenarius sumitur pro, frequenter 531 4.
Nuptiarum sponsi, et sponsae coelestis, quis finis 194 19.

O

Obedientia summa debetur Domino quod simus figmentum manuum ejus 519 1.
Obedientia, a Deo requisita 46 9 8.
Obedientia mandatorum, tributum est, quod Deus pro collatis in suos bonis exigit 236 4.
Oblationes spirituales, et holocausta, quae sint dicenda 223 20.
Oblivio Dei radix peccatorum 36 18.
Oblivisci, quomodo conveniat Deo 78 34.
Oblivisci mundum, quid 192 12.
Obstinati, et superbi, cur cedro similes 102 6.
Octava, quid 24 in tit.
Oculus intellectum aliquando significat, anima voluntatem, venter memoriam 110 11.
Oculos mentis avertere a Deo, malorum omnium initium 228 3.
Oculis offi·ium aurium, et linguae tribuitur 521 2.
* Odor ex oblatis arietum carnibus, cur suavissimus diceretur 270 13 14.
* Olivae fructiferae Justus comparatur, Impius ligno arido 510 8.

* Opera bona sacrificium sunt justitiae 20 6.
Opera mala laboriosa 29 16.
Opera consona esse debent cordi, et ori. 46 9.
Opera infidelis qualia 45 4.
Opera bona remuneratur Deus ex Justitia 59 23.
Opera Dei movent homines ad fidem 121 4.
Opera Dei conformia sunt verbis illius 121 4.
Opera quae Deo placent sunt in fide, ut in radice *ibid.*
Opera Domini investigabilia 327 19.
Opera nostra minima unde valorem excipiant 265 6.
Operum bonorum venenum praesumptio 20 6.
Operibus Deus laudandus 121 2.
* Oratio quomodo facienda 22 3.
Oratio est domus Dei *ibid.* 8.
Oratio verbalis, et realis quae 69 3.
Oratio quae peccata remittat 86 7.
Oratio humilis non revertitur vacua 137 16.
Oratio est defensio Justi contra persecutores *ibid.*
Oratio fervens, et assidua ad impetrandum apta 351 3 559 1.
Oratio eadem ter a Psalmista iterata quod mysterium contineat 340 4.
Oratio peccatoris, quando non sit peccatum 603 6.
Orationis alae Jejunium, et saccus 137 16.
Orationis donum effectus tribulationis 113 25.
Orationem Deus inspirat 499 2.
Orantem quando Deus contemnat 22 1 2.
Orantes, quare Deus non semper exaudiat 363 4.
Orando manus levare, quid significet 258 5.
Orationis perseverantia, insigne donum Dei 271 19.
Ordo Melchisedech 485 486 5.
Ore meditari Sapientiam quid sit. 150 32.
Ornamentum mulieris Christianae ad intus esse debet 193 15.
Ossa robur significant 110 13.
Ossa Justorum, quomodo Deus custodiat, et quid sint 132 20.
Ossa pro viris perfectis; caro pro infirmis aliquando sumitur 136 12.
Ossium exultatio perfectam laetitiam significat 136 12.

P

Pabula ovium Dei, quaenam sint 79 1.
Palatia hujus mundi, cur dicantur tabernacula peccatorum 356 11.
Panis pro quolibet cibo in Scriptura ponitur aliquando 452 16.
Paradisus terrestris, atrium fuit coelestis 596 2.
Parvuli in Scriptura, vel simplices, vel ignorantes, vel humiles, intelliguntur 527 2.
Parvuli dicuntur aliquando amici hujus saeculi 65 8.
Passeres pro omnibus aviculis, Hebraea locutio est 452 453 19.
Passio Christi holocaustum 68 3.
Passio Christi a voluntate, et potestate Dei processit, sed non sine culpae Judaeorum 482 26.
Passio Christi ab infantia coepit 374 16.
Passiones Christi cur plurimae fuerunt 168 16 17.
Passionis Christi magnitudo 372 7.
Passionis Christi praedicationes. Vide Psalm. 63. toto 260. et Psalm. 68 toto 283.
Passionem Christi, quomodo Abominarentur discipuli 373 8.
Passionis Christi meditatione condemnuntur omnia 252 2 3.
Pater aeternus generando Filium, eructasse Verbum dicitur 186 1.
Patientia melior est, quam liberatio de calamitate temporali 131 17.
Patientia longe melior est divitiis 129 9.
Patientia in malis causa bonorum 392 17.
Patientes facile experiuntur in se Dei auxilium 128 2.
Per patientiam Deus est cum justis tribulatis 132 18.
Patria caelestis, Regnum, Civitas, Domus dicitur 539 2.
Patriae gentium Graeca lectio, et cur 419 7.
Pauperi quomodo Deus assistat a dextris 482 30.
Pauperi qui miseretur, foeneratur Deo 548 13.
Pauperes voluntate, ut Deum quaerant 290 37.
Paupertatis fructus 36 *et seq.*
Pauperes quos exaudit Deus 290 38.
Pax non solum habenda cum omnibus, sed optanda, et quaerenda 188 14.
Pax quomodo in hac vita quaerenda sit 73 1.
Pax perfecta haberi nequit in hac vita 131 14.
Pax coelestis Jerusalem est inquirenda ibid.
* Peccatum veniale proprie non relinquit maculam 47 2.
Peccatum mortale cur dicatur maximum 67 14.
Peccatum mors est animae; gratia vita eiusdem 125 19.
Peccatum solum miseros facit 215 12.
Peccatum primum in pueris, ut plurimum est mendacium 230 3.
Peccatum est interdum poena peccati, et gravissima 15 12 et 162 14 15 289 33.
Peccati fuga e Dei timore proficiscitur 131 13.
Peccati remissionem, et infusionem justitiae, Lutherani male dixerunt, non imputationem peccati, et imputationem justitiae 446 12.
Peccati instrumenta sunt membra externa 528 8.
Peccans graviter, praesertim peccato luxuriae, miser, et curvus 153 6.
Peccati radices duae 141 1.
Peccata recogitanda nocte 20 5.
Peccata quot modis committuntur 22 6 7.
Peccata miseriae sunt 24 2.
Peccata laquei sunt 41 7.
Peccata levia, magna justus existimat 87 12.
Peccata sunt tenebrae, sicut gratia lux est 172 9.
Peccata, quae magis misericordiam merentur 71 11 12.
Peccata Christianorum causa persecutionum in Ecclesia 248 1.
Peccata parentum in filiis, quomodo Deus castiget 479 13.
Peccata quomodo Deus operiat 358 2.
Peccata parentum Deus punit in filiis, ac posteris, cum similia peccata non vitant 337 8.
Peccata regi, et non imputari, quid 114 2.
Peccata nostra Christus sibi tribuere potuit 72 1.
Peccatorum poenitentia 25 6.
Peccatorum cognitionis effectus 24 3.
Peccatorum remissio optanda 114 1.

Peccatorum causa, cur vita hominis brevior sit *pag.* 389 7.
Peccatorum radix, quae 36 18 et 444 3.
Peccator omnis quomodo dicatur praevaricator 525 7.
Peccator dum Justo vult nocere, magis sibi nocet 147 12.
Peccator Araneae pulchre assimilatur 162 14.
Peccator Aspidi surdae similis 231 5.
Peccator quomodo dicitur longe distare a Deo 559.
Peccatoris excaecati mala 57 26.
Peccatoris manus, quid 144 12.
Peccatoris salus, quod habeat initium 165 5.
Peccatoris furor, ut furor serpentis, qui nulla arte mansuefieri potest 231 4.
Peccatores justificari possunt in conspectu hominum, sed non in conspectu Dei 601 1.
Peccatores, licet ditissimi, cur saepe laborent aere alieno gravati 149 23.
Peccatores ex peccatis suis sensum doloris, quem par esset, cur pauci percipiant 153 4.
Peccatorum usurae 302 14.
Peccatorum potentia torrenti, vel pluviae velocissime transeunti similis 231 7.
Peccatorum multorum cervices concidit Deus 558 4.
Peregrinis coelestis patriae Deus est umbraculum in die, et nocte 537 5.
Perfecti Deum timent timore filiali 129 9.
Perfecti etiam viri semper aliquid habent quod sibi petant ignosci 161 12.
Perfecti viri civitatis muri dicuntur 205 11.
Periculum salutis aeternae maximum 499 3.
Pericula Inferni, qui non advertant *ibid* 4.
Pericula ab hostibus pietatis semper sunt in hac vita 492.
In periculis Deus unicum refugium 228 1.
Pericula vitae praesentis, soli spirituales viri norunt 182 9.
Perpetuum in terris nihil 475 39 40 41.
Persecutor, quos persequitur facit aegrotare morbo poenae, seipsum vero morbo culpae 137 16.
Persecutores justorum, cur vocentur homines sine addito 544 3.
Persecutiones cur Deus permittat 505 13.
Persecutionis Imperatorum in Christianos descriptio 182 11.
De Persecutione Sancti quandoque queruntur 185 186 28.
Persecutionum tria genera, quibus Justos affligunt impii 135 9.
Persecutionum, et calumniarum morbo quae medicina facienda 146 6.
Perseverantia in oratione, insigne donum 271 19.
Perseverantiae donum, proprium Praedestinatorum 262 8.
Pes superbiae quid 144 12.
Peti nihil melius potest a Deo, quam ut convertat nos ad se, et ipse convertatur ad nos 341 8.
* Pharao, figura Diaboli 378 11.
* Filii et humiles, paucissimi respectu impiorum 486 7.
Piorum honores et opes 286.
* Plaudere manu, quid significet 197 1.
Plenitudo temporis in Scripturis, quid 440 13.
Pluvia voluntaria, quid sit *pag.* 276 10.
Poena aperit oculos, quos culpa clauserat 320 5.
Poena peccati in hac vita 440 12.
Poenitentia 499 4.
Poenitentia vera, quae requirit 560 4.
Poenitentia Deo semper grata 561 6.
Poenitentiae, et Confessionis efficacitas 88 19.
Poenitere dicitur Deus, quando rem mutat; non poenitere quando non mutat 568 11.
Poenitentium genera tria tribus avium generibus comparantur 321 10.
Poenitentium vita peccatoribus displicet 139 9.
Poenitentium officium 156 19.
Populus Dei regendus a Magistratu Ecclesiastico, et civili 327 20.
Populus Dei aptissime vineae comparatur 339 14.
Populus Dei nil timere debet 196 6.
Populus Dei, quid cupiat et oret 264 2.
Portae mortis, quid 35 14.
Portae Sion, quid *ibid.*
Postulanda a Deo 519 2.
Potentiae Dei laudes 100 1 *et seq.*
Potentiae Daemonum, et fragilitatis humanae descriptio 254 4.
Ad Poenitentiam omnia opera Dei mirabilia revocantur 463 2.
* Praedestinationis gratia dicitur sors 50 6.
Praedicatores cur dicantur coeli 64 4.
Praedicationis Apostolicae fructus 163.
Praemium contemnentis temporalia 12 4.
Praelatus portat et portatur 367 1.
Praesentia Dei mirabilem vim habet ad moderandas actiones 532 8.
Praesumptio, venenum operum bonorum 20 6.
Pravorum sodalitas cavenda 66 67 13 14 15.
Principum malorum poenae 15 12.
Principes operam dent, ne peccata fiant 368 13.
Principum contemptus, magni criminis praecedentis judicium et poena 31 22.
Prodigium fieri alicui, quid sit 294 8.
Progressus in via vitae, apte describitur per introitum et exitum 537 8.
Prophetae etiam sancti Patriarchae fuerunt 458 12 13 14.
Promissa Divina sunt dulcis meditatio in tribulatione 522 1.
Promissiones divinas consequendi modus 491.
Promissa Dei qualia 42 7 8.
Prosperitas impiorum quasi somnium 306 8.
Prosperitas iniquorum, magna tentatio justorum, et quomodo superetur 146 7.
Prosperitatis effectus 92 1.
Prosperitatis fructus in impiis 304 4.
Prosperitatis tempus dies significat; nox tribulationis 50 7.
Protectio Dei 93 2 393 496 10 497 19.
Protegere dexteram, quomodo dicatur Deus, non sinistram 537 5.
Providentia Dei singularis erga justos 192 24 *et seq.* 488.
Providentia divina in Ecclesia praesertim elucet 475 39 *et seq.*
Providentia Dei mira erga animalia 624 1.
Proximorum auxilio vacans facile colliget animum

cum voluerit, si nihil desideret eorum, quae videntur *pag.* 198 10.
* Psalmi nonnulli, cur Alphabetici scribantur 84 in tit.
Psalmi Graduales unde dicti 534 in tit.
Psalmi Graduales cujus rei figurae *ibid.*
Psallere sapienter, quid sit 200 7.
Psallendi Deo genera quatuor 427 7.
In Psalmis significatio primi verbi est regula significationis secundi 12 1.
Psalmodia omnibus operibus anteponenda 121 3.
* Pulchritudo spiritualis, quaenam sit 188 4.
Pulchritudo Sponsae Christi, quaenam 193 14.
Purgatorii ignis non contemnendus 152 1.
Purgatorii locus aliquando Infernus dicitur 51 10.

Q

Quaerere faciem Dei quid sit 437 4.
Quaerendi Deum, unde initium sumatur *ibid.*
Quaerere Deum in duobus positum est *ibid.*
Quiescere quomodo dicatur Deus 569 15.
Quoniam, particula in oratione Hebraica saepe redundat 60 61 32.
Quoniam, saepe pro, et, vel autem 74 9.

R

Rapinae cur homini, non bestiis prohibitae 453 24.
Ratio naturalis, cur dicatur lumen vultus Dei 20 7.
* Recordari et oblivisci quomodo dicatur Deus 31 5 427 582 4.
Redemptio et Redemptor 488.
Redemptio nostra perfectissime complebitur in die Iudicii 562 8.
Redemptionis humanae excellentia 166 9 10.
Redemptionem cur operatus sit Salvator in medio terrae 314 13.
Regi duo sunt necessaria, Veritas, et Justitia 189 6.
Regnum Christi consumet omnia Regna 197 6.
Regni Dei ab hominum Regno quadruplex discrimen 611 11 *et seq.*
Regnum Coelorum bellando, et laborando capitur 575 10.
Regnum Davidicum aeternum in Christo impletur 376 377 5.
Renovatio corporis in Resurrectione, cur Aquilae comparetur 445 5.
Religiosae vocationi beneficia expressa in electione Populi Israelitici 574 4.
Rerum humanarum cursus dicitur Torrens 487 8.
Res creatae, possessio Dei dicuntur 453 25.
Res sacrae quomodo adorandae 31 5.
Resurrectionis Christi dies, cur a Domino facta dicatur 453 24.
Res magnae dicuntur res Dei 142 6.
Reverentia pro verecundia sumitur 231 8.
Rex bonus quis 298 2.
Robur et Innocentia rarissime coniunguntur 61 35.

S

Sacerdotum Aaron, et Melchisedech differentia 430 5.
Sacerdotum officium quodnam sit *pag.* 566 7.
Sacramenta visibilia sunt alligamenta peccatorum 616 3.
Sacrificium vespertinum, figura sacrificii Crucis 596 2.
Sacrificium laudis summam salutis complectitur 217 24.
Sacrificium magis acceptum Deo 298 36.
Sacrificium verum, et proprie dictum extat in Ecclesia Dei 486 5.
Sagittae Domini quid, et earum effectus 152 2 3 vocantur verba Dei 11 6 7.
Salomon typum Christi gerebat 567 9.
Salvare alios nullus potest, qui se salvare non potest 614 3.
Salus corporis non contingit in homine sine auxilio Dei 125 17.
Salus animae nemini datur, sine praeveniente, comitante, subsequente Gratia Dei *ibid.*
Salutem concupiscere non sufficit 533 6.
Salutis peccatoris quod sit initium 165 5.
Salutis via arcta, et angusta 499 3.
Samuel non Sacerdos sed Levita 431 6.
Sancti, et fideles in hac vita absconditi 351 4.
Sancti appellari possunt fideles, et justi 363 2.
Sancti quandoque de persecutione queruntur 185 28 quomodo dicantur transire per ignem, et aquam 270 11.
Sancti viri Patres sunt, et Matres eorum, quos ad fidem, et poenitentiam convertunt 555 3.
Sancti omnes una cum Christo Mundum judicabunt 625 7 sunt sedes Dei 541 5 iis quandoque Deus bona tribuit, aliquando aufert 185 28 eorum opera quibus stultitia sint 550 6.
Sanctificatio pro Sanctuario aliquando ponitur in Scriptura 419 6.
Sanctuarium, quid 384 38.
Sanctus Israel est cognomen Dei 297 24.
Sapere sapientibus est vivere 143 10.
Sapientiae, et scientiae inundatio in Beatis, unde *ibid.*
Sapientes hujus Mundi, nomine inimicorum aliquando significantur 31 3.
Sapientia perfecta duo requirit 485.
* Scandalum pusillorum, et Pharisaeorum activum et passivum 531 5.
Sceptrum aliquando significat potestatem Regiam 495 3.
Scientes Deum, notitia amicitiae, quinam dicantur 144 11.
Scientia Dei tenebras penetrat 597 11 mirabilis in opificio humano, spirituali, et corporali 600 15 mirabiles ejus effectus describuntur Psal. 586 toto 597 est notissima, et obscurissima 598 5 ea neminem latere potest 85 6.
Scriptura sacra facta est Judaeis in laqueum 288 27.
* Scuta hostium spiritualium 40 3.
* Securitas, et benedictio Coelestis Patriae quaenam 619 2.
Secunda sabbati, quaenam dies apud Judaeos 306 in tit.
Semei, quomodo intelligendum sit, praeceptum fuisse, ut malediceret Davidi 162 13.

Septenarius numeros sumitur pro, frequenter *pag.* 521 5.
Septuplum in sacris litteris, significat generatim majus, et multiplex 338 13.
Sermo Dei velocissimus 620 4.
Servi Dei, quinam, qui filii, et qui filii filiorum 443 25 29.
Servorum et puerorum affinitas *ibid.*
Sessio Christi a dextris Patris 493 5.
Sion Mons, caput regni populi Judaici 311 3. Ecclesiae typus 369 4.
Similitudines sacrae Scripturae caute usurpandae 231 5.
Sibi particula saepe redundat in scriptura 535 3 5.
* Sodalitas pravorum cavenda 66 13.
Sollicitudo Dei erga homines, pulchra metaphora exprimitur 228 3.
Sol cur dicitur factus in potestatem diei, et luna in potestatem noctis 576 8 praecipue gloriam Dei praedicat 64 65 5.
* Spes est tutissima domus justo 21 10.
Spes proprie dicta in Christo non fuit, sed fiducia 48 1 cum timore jungenda 125 18 firma in Deo habenda 145 4 viva ad obtinendam vitam aeternam necessaria 133 22 ejus utilitates 561 5.
Sperans in Deo quomodo pascitur in divitiis 82 4.
Sperantes in Domino cur aliquando plus affligantur *ibid.*
Sperare in nomine Domini quid 126 21.
* Spina aliquando significat tribulationem et stimulum conscientiae 117 4.
Spiritus varie exponitur 627 5.
Spiritui sancto quomodo conveniat peculiariter dici Dominum dominorum 64 3 ejus schola nulla utilior 123 11.
Spiritus aliquando significat cor, et os 114 2.
Spiritus tribulatus, quis 223 18.
Spiritus principalis, quis 221 15.
Spirituales filii quo cibo pascantur 556 4.
Spirituales oblationes, quaenam dicendae 223 20.
Spiritualibus filiis, quis sit pater, et mater 555 3.
Spiritualis pulchritudo, quae 27 5.
Spiritualis potestas servorum Christi non minus cernitur in actione, quam passione 553 5.
* Sponsa Christi Ecclesia, B. Virgo, et aliae Virgines 191 11.
Sponsae vestis deaurata, et amictus varius quid *ibid.*
Sponsae Christi per praerogativam dicuntur qui Virginitatem in Ecclesia voverunt, non extra 193 16.
* Stellae sunt veluti castrorum coelestium acies ordinata 122 6.
Sterilitas animae duobus modis accipitur 136 14.
Sterilitas quaedam incredibilis post hanc vitam 148 19 20.
Studium praecipuum justi 22 3.
Stulti vocantur qui confidunt in divitiis suis 209 10.
* Substantia pro fundamento, aut subsistentia sumitur 283 2.
Superbia fuit causa dispersionis Judaeorum 473 23 initium omnis perditionis 144 13 ei obnoxii sunt magni viri 144 12 ejus pes quid *ibid.*
Superbi, et obstinati cedro similes 102 6 omnes vento inflati sunt 623 5 non tenent superbiam, sed a superbia tenentur 305 6 eos Deus spernit *pag.* 534 6.
Susannae innocentia manifestata 146 6.
Susceptio matutina, quid 72 in tit.
Sustinere Dominum, quid 208 9.
* Synagogae initium sub Mose 311 2.

T

Tabernaculum Arcae cur domus Dei, et locus habitationis gloriae ejus 34 8 erat figura Ecclesiae 100 in tit.
* Temporalia contemnens prodigium fit multis 294 8.
Tenebrae spirituales quaenam sint 603 4.
Tentationes diaboli sunt gladii, et tela ignea 34 6 sunt ubique 39 1.
Tentatio magna justorum, est foelicitas iniquorum 147 7.
Tentationes vincunt milites Christi fugiendo, et tolerando 195 1 eas quomodo dissolvat Deus 549 earum tempore quid faciendum 85 5.
Tentare proprium hypocritarum 138 19.
Tentatus liberatur a tentatione dupliciter 42 4 duo mala patitur 41 1.
Tempestas Passionis Christi varia significat 283 3.
Temporalia bona sunt verorum bonorum imagines et umbrae 160 161 9.
Temporalibus anxie quaerendis, frustra insudant homines 104 9 10.
Terra quomodo in Incarnatione Verbi dederit fructum suum 273 5.
Terrae amatores, terra nuncupantur 196 3.
Testimonia iniquorum, perversa arguuntur quinque capitibus 136 14.
Testamentum, et pactum quomodo conveniant in promissionibus Christi 568 569 12.
* Tharsis quid significet 309 4 *et seq.*
Thesaurus nunc res pretiosas, nunc earum locum designat 122 123 7.
Thymiamatis, quod offerebatur in templo, qualitates 596 2.
Thymiamatis qualitates habere debet oratio 83 5.
* Timere Deum in Scriptura aliquando sumitur pro colere 76 24 491.
Timor Dei idem, ac pietas 66 10.
Timor filialis *ibid.*
Timor et spes coniungi debent 125 18.
Timor cum spe vera charitatis indicium est 125 18.
Timor Domini veram vitam foelicem parit 123 11 quomodo faciat beatum 486 7 est securitas maxima 282 5.
Timoris sancti signum 63 51.
Timore filiali Deum timent perfecti 129 9.
Timorem Domini ante oculos quomodo semper habere possimus 11 8 7.
Timorem Dei abjicere, quam malum 46 7.
Timentis Dominum praemium 490.
Timentes se Deus protegit *ibid.*
* Tonitrua cur voces Dei 58 15.
Torcular, quid 30 in tit.
Torrens voluptatis, quid 143 9.

* Trajanus laudatus, quod delatoribus operam non daret 435 6.
Tribulatio significatur per spinam 120.
Tribulationis tempus nox significat, dies tempus prosperitatis 49 3.
Tribulationes sunt sacrificia 68 3.
Tribulationis effectus 92 1 112 24 *et seq.*
Tribulationes aliquando dicuntur aqua 118 8.
Tribulationes evadendi via facilior 293 3.
Tribulationes correptas, quid facere debeat 13 5.
Tribulationes justorum minores sunt, quam carnalibus videantur 249 3.
Tribulationes, quibus purgantur electi, signa sunt gravissimarum poenarum, quas luent impii post hanc vitam, *ibid.* 4 earum utilitas 595 8.
Tribulationum justorum variae metaphorae 269 9 10.
Tribulatio ad poenitentiam adducit 622 3.
Tribulatio gutta est, gloria flumen *ibid.*
Trinitas Divinarum Personarum 486 487 ejus opera indivisa 122 6.
Turpia verba foetor 46 5.

V

Vanitas varia significat 110 7.
Vaticinium de Christo, et Ecclesia 334 335.
Veniale peccatum proprie non relinquit maculam 47 2.
Ventorum cum Angelis similitudo 575. 9.
Ventus dispergens impios dicitur Angelus 135 6.
Venti, equi currus Dei 57 12.
Verbum asperum mors aeterna, vel judicii sententia 395 3.
Verbum Domini, quod sit 120.
Verba pro operibus aliquando intelliguntur 265 3.
Verba Dei sagittae vocantur 189 7.
Verbo offendere facile, ac periculosum et quando 159 1 2 3.
Verborum Christi vis 187 3.
Verecundia, quae prohibetur a Domino 183 17.
Veritas Dei quanta 142 6.
Veritas, et Sapientia cibus animae 620 3.
Veritas nos liberavit, Charitas servos fecit 432 1.
* Via duplex qua Deus ad nos descendit 585 6.
Via Resurrectionem, vita Beatitudinem quandoque significat 53 11.
Viae Domini variae significationes 86 11.
Victoria nobilissima, quae sit 152 in tit.
Victoria Justi in hac: et alia vita 398 8.
Videntes Deum similes sunt Deo, numquam videntes semper dissimiles 123 12.
Videre in lumine lumen, quid sit 143 10.
Viribus suis nemini fidendum 380 16.
Virga pro sceptro Regio 311 3.
Virtus alia in via, alia in Patria 356 7.
Viri sanguinum, et dolosi quomodo plectantur 234 27.
Viri Belial 438 4.
Virginitas longe excellentior coniugio 555 556 3.
Virtutum quatuor Cardinalium mystica significatio 427 7.
Virtute propria homo liberari non potest a malis 125 16.
Vita fundamentum est omnium bonorum 125 19.
Vita hominis ob peccatum contractior facta 389 7.
Vita aeterna corona Justitiae, et merces operum bonorum 500 7.
Vita humana spiritus dicitur 447 15.
Vita sine addito in scriptura passim significat vitam aeternam 520 5.
Vitae Christi descriptio Prophetica 536 6.
Vitae humanae brevitas 139 5 6 7 8.
Vitae praesentis pericula soli spirituales viri norunt 177 9.
Vitae beatae descriptio 500 8.
Vita, et habitus mali, sunt hostes hominis 25 6.
* Umbra mortis, quid sit 80 4.
* Unicornis filius dilectus cur dicitur 102 6.
* Voluptuariorum in die judicii angustiae 558 6.
Vota distinguere, quid sit 270 12.
* Usurae peccatorum 302 14.
* Uter in pruina, quid sit 521 3.
* Vultus Dei, ira Dei 71 12.
Vultus Dei adjutorium omnium maximum et potentissimum 196 4.

Z

Zelare super iniquos, quid sit 143 2.

FINIS

INDEX

PSALMORUM ALPHABETICUS

Prior numerus indicat ordinem psalmorum, Posterior paginas Commentarii.

A

CXIX. *Ad Dominum cum tribularer.* » 534
XXIV. *Ad te Domine levavi animam meam* . . . . . » 84
XXVII. *Ad te Domine clamabo.* . . » 97
CXXII. *Ad te levavi oculos* . . . . » 548
XXVIII. *Afferte Domino filii Dei.* . . » 100
LXXVII. *Attendite populе meus legem meam* . . . . . » 327
XLVIII. *Audite haec omnes gentes.* . » 206

B

CXVIII. *Beati immaculati in via* . . » 508
CXXVII. *Beati omnes qui timent* . . » 554
XXXI. *Beati quorum remissae sunt* . » 114
XL. *Beatus qui intelligit* . . . . » 170
I. *Beatus vir, qui non abiit* . . » 9
CXI. *Beatus vir, qui timet Dominum* » 490
XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore.* . . . . . » 127
CII. *Benedic anima mea Domino et omnia* . . . . . » 444
CIII. *Benedic anima mea Domino, Domine.* . . . . . » 449
CXLIII. *Benedictus Dominus Deus.* . » 605
LXXXIV. *Benedixisti Domine terram tuam* » 358
XCI. *Bonum est confiteri Domino* . » 403

C

XCV. *Cantate Domino canticum novum, cantate* . . . . . » 417
XCVII. *Cantate Domino canticum novum, quia* . . . . . » 426
CXLIX. *Cantate Domino canticum novum, laus* . . . . . » 625
XVIII. *Coeli enarrant gloriam* . . » 63
LXXIV. *Confitebimur tibi Deus* . . . » 316
IX. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo* . . . . » 33
CX. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio* . . . » 488
CXXXVII. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam.* . . . . » 583
CIV. *Confitemini Domino et invocate* » 456
CV. *Confitemini Domino quoniam bonus 1.* . . . . . » 563
CVI. *Confitemini Domino quoniam bonus 2.* . . . . . » 470
CXVII. *Confitemini Domino quoniam bonus 3.* . . . . . » 504
CXXXV. *Confitemini Domino quoniam bonus 4.* . . . . . » 577
XV. *Conserva me Domine* . . . . » 48
CXV. *Credidi propter quod* . . . » 501
IV. *Cum invocarem exaudivit me* » 18

D

CXXIX. *De profundis clamavi* . . . » 559
XLIII. *Deus auribus nostris audivimus* » 180
XLIX. *Deus Deorum Dominus.* . . » 212
LXII. *Deus Deus meus ad te* . . . » 257
XXI. *Deus Deus meus respice in me.* » 72
LXIX. *Deus in adiutorium meum intende.* . . . . . » 291
LIII. *Deus in nomine tuo salvum me fac* . . . . . » 228
LXXI. *Deus judicium tuum regi da.* » 298
CVIII. *Deus laudem meam ne tacueris* » 476
LXVI. *Deus misereatur nostri.* . . » 272
XLV. *Deus noster refugium et virtus.* » 195
LXXXII. *Deus quis similis erit tibi* . . » 350
LIX. *Deus repulisti nos, et destruxisti* » 248
LXXXI. *Deus stetit in synagoga Deorum.* » 347
LXXVIII. *Deus venerunt, gentes* . . . » 336
XCIII. *Deus ultionum Dominus* . . » 409
CXIV. *Dilexi quoniam exaudiet.* . . » 498
XVII. *Diligam te Domino fortitudo* . » 55
XXXVIII. *Dixi, custodiam vias meas* . » 158

CIX. *Dixit Dominus Domino meo* . » 483
XXXV. *Dixit injustus, ut delinquat* . » 141
XIII. *Dixit insipiens in corde suo* 1. » 45
LII. *Dixit insipiens in corde suo* 2. » 226
CXL. *Domine clamavi ad te* . . . » 593
VII. *Domine Deus meus in te speravi* » 26
LXXXVII. *Domine Deus salutis meae* . » 371
VIII. *Domine Deus noster* . . . » 30
CI. *Domine exaudi orationem meam* » 437
CXLIII. *Domine exaudi orationem meam, auribus* . . . . . » 601
XX. *Domine in virtute tua* . . . » 70
VI. *Domine ne in furore tuo* 1 . » 24
XXXVII. *Domine ne in furore tuo* 2 . » 152
CXXX. *Domine non est exaltatum* . » 563
CXXXVIII. *Domine probasti me* . . . » 586
III. *Domine quid multiplicati sunt,* » 16
XIV. *Domine quis habitabit* . . . » 47
LXXXIX. *Domine refugium factus es* . » 387
XXIII. *Domine est terra et plenitudo ejus* . . . . . » 81
XXVI. *Dominus illuminatio mea* . . » 92
XXII. *Dominus regit me* . . . . » 79
XCII. *Dominus regnavit, decorem* . » 407
XCVI. *Dominus regnavit, exultet* . . » 422
XCVIII. *Dominus regnavit, irascantur.* » 429

E

CXXXIII. *Ecce nunc benedicite* . . . » 572
CXXXII. *Ecce quam bonum* . . . . » 571
LVIII. *Eripe me de inimicis* . . . » 243
CXXXIX. *Eripe me Domine* . . . . » 592
XLIV. *Eructavit cor meum* . . . » 186
CXLIV. *Exaltabo te Deus meus* . . » 609
XXIX. *Exaltabo te Domine* . . . » 105
XIX. *Exaudiat te Dominus* . . . » 67
LX. *Exaudi Deus deprecationem.* » 251
LIV. *Exaudi Deus orationem meam.* » 230
LXIII. *Exaudi Deus orationem meam cum* . . . . . » 260
XVI. *Exaudi Deus justitiam meam.* » 51
XXXIX. *Expectans expectavi Dominum.* » 164
LXXX. *Exultate Deo adjutori nostro.* » 343
XXXII. *Exultate justi in Domino* . . » 120
LXVII. *Exurgat Deus et dissipentur inimici* . . . . . » 273

F

LXXXVI. *Fundamenta eius in montibus.* » 367

I

LXXXV. *Inclina Domine aurem tuam.* » 362
CXXV. *In convertendo Dominus* . . » 548
X. *In Domino confido* . . . . . » 39
CXIII. *In exitu Israel de Ægypto* . » 495
XXX. *In te Domine speravi* 1. . . » 108
LXX. *In te Domine speravi* 2. . . » 293
LXV. *Iubilate Deo omnis terra, psalmum.* . . . . . » 268
XCIX. *Iubilate Deo omnis terra, servite* . . . . . » 432
XXXIV. *Iudica Domine nocentes me* . » 133
XLII. *Iudica me Deus et discerne* . » 178
XXV. *Iudica me Domine, quoniam.* » 90

L

CXXI. *Laetatus sum in his, quae dicta* » 538
CXLV. *Lauda anima mea Dominum* . » 614
CXLVII. *Lauda Hierusalem Dominum.* » 619
CXLVIII. *Laudate Dominum de coelis* . » 622
CL. *Laudate Dominum in sanctis eius* . . . . . » 626
CXVI. *Laudate Dominum omnes gentes* . . . . . » 503
CXLVI. *Laudate Dominum, quoniam.* » 616
CXXXIV. *Laudate nomen Domini* . . » 573
CXII. *Laudate pueri Dominum* . . . » 493
CXX. *Levavi oculos meos* . . . . » 536

M

XLVII. *Magnus Dominus et laudabilis.* » 202
CXXXI. *Memento Domine David* . . » 564
LVI. *Miserere mei Deus, miserere* . » 238
LV. *Miserere mei Deus, quoniam* . » 235
L. *Miserere mei Deus secundum magam* . . . . . » 217
C. *Misericordiam et judicium* . . » 434
LXXXVIII. *Misericordias Domini* . . . » 376

N

CXXVI. *Nisi Dominus aedificaverit domum.* . . . . . » 551
CXXIII. *Nisi quia Dominus erat in nobis* . . . . . » 544
XXXVI. *Noli aemulari in malignantibus* . . . . . » 144
LXI. *Nonne Deo subiecta erit* . . » 253
LXXV. *Notus in Iudaea Deus* . . . » 318

O

XLVI. *Omnes gentes plaudite manibus* » 199

P

CVII. *Paratum cor meum Deus.* . » 476

Q

LXXII. *Quam bonus Israel Deus* . . » 304
LXXXIII. *Quam dilecta tabernacula* . » 353
II. *Quare fremuerunt gentes* . . » 12
XLI. *Quemadmodum desiderat cervus* . . . . . » 174

CXXIV. *Qui confidunt in Domino* . . » 546
LI. *Quid gloriaris in malitia* . . » 224
XC. *Qui habitat in adiutorio* . . » 393
LXXIX. *Qui regis Israel, intende* . . » 339

S

CXXVIII. *Saepe expugnaverunt me* . . » 557
LXVIII. *Salvum me fac Deus* . . . . » 283
XI. *Salvum me fac Domine* . . . » 41
LVII. *Si vere utique justitiam* . . » 240
CXXXVI. *Super flumina Babylonis* . . » 580

T

LXIV. *Te decet hymnus Deus* . . . » 263

V

XCIV. *Venite exultemus Domino* . . » 414
V. *Verba mea auribus percipe* . . » 21
LXXVI. *Voce mea ad Dominum clamavi* 1 » 322
CXLI. *Voce mea ad Dominum clamavi* 2 . . . . . » 599
XII. *Usquequo Domine oblivisceris.* » 43
LXXIII. *Ut quid Deus repulisti in finem.* » 310

ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI

CONCIONES

ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI S. J.

S. R. E. TIT. S. MARIÆ IN VIA PRESBYTERI

CARDINALIS

CONCIONES

JUXTA VENETAM EDITIONEM ANNI 1617

Ab Auctore recognitam.

TOMUS QUINTUS

NEAPOLI

APUD JOSEPHUM GIULIANO EDITOREM

1861

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Duo sunt, amice lector, studia, in quae summa vi assertoribus veritatis, et pietatis administris incumbendum. Unum in theologiae scientia, alterum in concionandi arte profundius et doctius acquirendis improbum semper e necessario laborem expostulat. Per illam fides catholica ab irruentibus undique hostibus defenditur, servaturque inviolata. Per hanc coluntur animi, extirpantur vitia, inseruntur virtutes, crescit pietas, splendet fidelium cenversatio. In superiore, quanta sit illustrissimi Cardinalis Bellarmini gloria, vel tanti protulisse dumtaxat nomen viri satis est. Certe ex Controversiis res liquet extra controversiam. Ut theologicus ibi malleus durissimas conterit perfidiae petras! ut frendent, insaniunt, rumpuntur pene invidia impii! Noctuarum quippe sublestae fidei oculi non fuerunt illum solem. In arte porro ecclesiasticae dictionis quantum jam olim illustrissimus idem Cardinalis, adhuc juvenis emicuerit, et Concionibus quas vulgo licet mecum cognoscas. Cum habitae, quasi ex unguibus futurus dignosci potuit leo: et nunc ex leone ipso, quantus quantus modo est, vel istos quasi ungues recte conjeceris. Et ut auctori ipsi haec monumenta Concionum adfecta potius sint quam confecta, (grandius quippe illud opus intervenit, et curas has omnes minores interrupit) nec tam calcographorum typis composta primum, quam auditorum auribus, an ideo otiosa aeternum ea premi ferendum privatorum custodia? Publico non tandem discent assuescere, quae commune rei christianae praestare queunt compendium? Haec vero in praestitura argumento est, quod hactenus privatim et multis studiosissime adservata sint, quod multum operae et laboris in exscribendis iis insumptum variis terrarum in regionibus. Videre et animadvertere id pii docti, et communem theatri hujus lucem summopere iis exoptarunt. Exarsi proinde et ego honesto desiderio in exemplar, recudendi causa; et diligenti studio, amica opera consecutus sum unum. Nec hoc tantum, sed et auctoris assensum expetii, impetravi: simul et sphalmata, quae priori editioni irrepserant, ab ipsomet emaculata. Fruere ergo pie lector, Auctoris benignitate, et hoc nostro qualiquali labore et studio, quo publico consultum iri bono, qua in fide, qua in moribus, docti et pii mecum judicarunt, et vel ex tanto doctore ecclesiastae munus ut adimplendum, disce.

CONCIO PRIMA

IN FESTO S. ANDREAE

THEMA

Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. *Matth.* 4.

SYNOPSIS.

Quae Deus per se ipsum operatur esse meliora, quam quae mediantibus aliis atque inde Apostolorum dignitas colligitur. Ambulandum nobis in terra ad Christi exemplum. Jordanis historica descriptio et maris Galileae laus. Deum non aspicere qualis sit homo, sed qualis fieri possit. Pastoribus Ecclesiae concordiam esse necessariam. In divinis negotiis non habendam esse affinum et conjunctorum rationem. Cur Deus abjectos ad Apostolatum selegerit: ac proinde impia Juliani calumnia in Christum firmis rationibus refutatur. Quomodo ad Christi exemplum sit piscandum. Peccatores piscibus apte comparantur; hos qui piscantur sunt Deus et Diabolus, diverso tamen modo. Rete Christi esse Sacram Scripturam ipsum Verbum incarnatum. Copiosa Diaboli piscatio ostenditur. Calumnia Porphyrii et Juliani in Apostolos similitudine et ratione refellitur. Quomodo Andreas Apostolus primus vocatus sit: et quomodo divinae vocationi acquiescendum s. Andreae exemplo docetur.

Magna et praeclara quaedam res est dignitas Apostolica, optimi atque ornatissimi Auditores, praestans, ac sane singularis excellentia eorum quos Deus ipse per se, non per administros Sacerdotes, et Episcopos, consecravit. Nec enim aliquem esse tam rudem, et imperitum existimo, qui nesciat ea, quae Deus summus, et praestantissimus artifex per se facit, multo esse et meliora, et pulchriora, quam ea sint, quae per famulos ac ministros facit. Condidit Deus initio Adamum, et Evam, parentes primos generis humani, et quis potest ambigere, quin duo isti homines formosiores, et melioris constitutionis ac temperamenti fuerint, quam ii, qui quotidie nascuntur ex hominibus et a Deo quidem; sed per homines famulos videlicet, et administros, fiunt? Et quis rursum non existimet, eos panes, et eos pisces, salubriores, et meliores fuisse, quos Dominus quondam per se ex paucissimis panibus, et piscibus multiplicavit, quam ii sint, qui labore, et industria hominum fiunt? Et illud vinum dulcius, et praestantius, quod ex aqua Dominus occulta benedictione in nuptiis fecit, quam illud sit, quod annis singulis nascitur ex vitibus. Et eos oculos perspicaciores, et pulchriores, quos idem Dominus caecis hominibus singulari munere largiebatur, quam ii fuissent, quos a natura ante receperant? Quae cum ita sint, quid tandem de praestantia singulari, et eximia dignitate Apostolorum existimare debemus, quos ipsum per se Dei verbum vocavit, erudivit, instituit, illustravit? Si membra eo sunt meliora, quo capiti viciniora, et aqua purior, quo fonti propinquior, et lucis radii eo magis splendent, quo minus a sole recedunt, quem gradum nobilitatis, et gloriae Apostolis dabimus, qui Christo capiti, et fonti omnium bonorum, et verae ac sempiternae luci propinquissimi semper fuerunt? Jure igitur ac merito Spiritus sanctus Apostolus in sacris litteris nunc principes orbis terrae, nunc Ecclesiae architectus, nunc fundamenta, et columnas, nunc pastores et doctores humani generis appellat. Horum in numero beatissimus Andreas fuit, quem quia singulari benevolentia, et charitate Dominus complexus sit, vel ex eo intelligi potest, quod eum omnium primum sibi adjunxit. Fuit itaque Andreas velut filius primogenitus Domini, atque idcirco vehementer ac pene singulariter dilectus, ut de eo non immerito mater Ecclesia versum illum hodie cum cantu laeto ingeminet. *Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis.* Quamobrem ut modum, et ordinem tantae vocationis intelligamus, historiam evangelicam hodie nobis ab Ecclesia propositam breviter, si placet, aggrediamur.

Ambulans Jesus juxta mare Galileae vidit duos fratres, Simonem, qui vocabatur Petrus, et Andream fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piscatores) ait illis: venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus et navi secuti sunt eum. Am-

bulans: Jesus liberator noster, Auditores, qui non solum verbo, sed etiam exemplo genus humanum instituebat, raro admodum sedisse, crebro ambulasse legitur. Sedit in monte,sed ut Apostolos erudiret. Sedit supra fontem, sed fatigatus ex itinere, et ut mulierem Samaritanam expectaret,et per eam ingentem multitudinem converteret. Crebro vero ambulabat, nimirum ut nos omnes admoneret, vitam istam viam esse ad coelum, nec nos in patria, sed in itinere agere: proinde tempus jam esse laborandi, ambulandi,proficiendi,non standi,non sedendi, non quiescendi. Nemo igitur seipsum fallat, nemo spatium concessum itinere in cauponis, et tabernis otiose et perniciose consumat;sed properemus omnes, et *festinemus ingredi in illam requiem*,ubi absterguntur lachrimae ab oculis venientium, et ubi *dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.*

*Ambulans Jesus juxta mare Galileae.*Dominus piscari volebat, ideo juxta mare ambulabat. Sed unum verbum de isto mari,vel lacu potius Galileae dicamus. Narrat Josephus, et ex eo d. Hieronymus in capite 16.Matth.ad radicem montis Libani duos fontes scaturire, nomen uni Jor, alteri Dan, et iis vero et appellationem;et originem accipere Jordanem fluvium longe celeberrimum, qui posteaquam aliquamdiu spatiatus est,in vallem quamdam se infundit, atque ibi efficit lacum istum, de quo loquimur.Tum ex altera parte rursum erumpit, et peragit cursum suum usque ad mare mortuum. Porro lacus iste omnes alios lacus pulchritudine, amoenitate, fertilitate,et nobilitate,sine controversia antecellit. Si pulchritudinem, et amoenitatem quaeris, silvis et nemoribus pene circumdatus est: si utilitatem consideres, praebet accolis suis abunde cibum et potum,aquam dulcissimam,et pisces optimos omnium generum, de quorum piscatione multos annos principes nostri Petrus et Andreas,Jacobus, et Joannes victitarunt. Neque vero existimet aliquis, lacum istum in aliena deserta solitudine situm esse: adiacet Galileae, alluit Tiberiadem,nec procul abest ab aliis nonnullis praeclarissimis oppidis. Hinc videlicet nunc mare Galileae;nunc mare Tiberiadis, in sanctis litteris appellatur. Dicitur etiam alicubi lacus Genezareth, vel quod ventos,et auras generet,ut Egesippo placet: vel quod terram Genezar propinquam habeat,ut Josepho verius, et credibilius videtur. Verum id, quod lacum istum mirum in modum nobilitat,atque illustrat,non tam est amaenitas silvarum, vel celebritas oppidorum vel piscium copia,quam praesentia ac visitatio conditoris. Hic enim est ille lacus,quem Dei filius frequentissime navigavit.Hic est ille lacus,super quem idem Dominus siccis pedibus ambulavit. Hic est ille lacus, in quo fluctuante navicula fidem discipulorum non semel Dominus exploravit.Hic est ille lacus fluctibus et tempestatibus sedandis omnipotentiam suam et divinitatem ostendit.Hic est ille lacus,quo discipulos suos non semel Dominus magna piscium comprehensione consolatus est. Hic demum est ille lacus, in quo statum, et progressum, et persecutiones, et tempestates Ecclesiae saepius typo naviculae Dominus adumbravit. Ad hunc igitur lacum accessit,et juxta eum hodie ambulabat, ut, quemadmodum olim Moysen edixit ex aquis, ut eum ducem faceret populi sui, sic etiam nunc ex aquis educeret, quos principes,et gubernatores ecclesiae constitueret.

Sequitur: *Vidit duos fratres.* Ipse est enim qui prior intuetur, ipse *praevenit nos in benedictionibus dulcedinis*, ut postea *in misericordia et miserationibus coronet*: Nec enim unquam homines converterentur ad Deum, nisi prius Deus converteretur ad homines. Itaque ipse est, qui oculos clementiae, et benignitatis suae in Andream, et fratrem prius convertit. Et *vidit*, inquit, *duos fratres.* Quid quaeso vidit? Num homines valde sapientes, et prudentes, et omni virtutum genere instructos, qui maxime essent idonei,ut toti orbi doctores, et magistri constituerentur? Non hoc vidit: sed homines rusticanos, imperitos; non tamen eos contempsit, quam non tam cogitabat, quid illi essent,quam quid ipse ex iis efficere posset.Pergit faber lignarius in silvam,conspicatur truncum humi jacentem, tortuosum, nodosum, impolitum, sine specie, sine forma ulla: Arripit tamen eum, imponit in humeros, et laetus revertitur domum. Videt eum aliquis imperitus artis lignariae: quod,inquit, ages de trunco isto? Quid tantum in eo ferendo laboras; Quid? inquit faber: hinc vel theca, vel cathedra, vel aliquid etiam pulchrius exibit. At truncus iste informis nullam habet thecae, vel cathedrae similitudinem. Ita est, inquit, sed expecta paulisper, donec eum dolare, polire, et elaborare incipiam: tunc videbis, si fiet aliquid,quod est cubicula, et aulas principum ornare possit. Pari ratione Deus noster, Auditores, est ipse artifex admirabilis. Vidit Andream et Petrum, homines rudes, abjectos, obscuros, et qui nulli rei minus idonei viderentur, quam Apostolicae dignitati: fretus tamen potentia, et sapientia sua incipit eos versare in hanc partem, et in illam, expolire, tornare,laborare,et tandem tales illos facit,ut trabes, et columnae esse possint,in ea domo,quae bitumine charitatis ex lignis immortalibus et pretiosis gemmis, ac lapidibus aedificatur.

Sed quid sibi vult,quod Dominus non unum,sed duos: et duos non quoscumque, sed fratres:et cur Petrum, et Andream potius, quam Jacobum et Joannem, primos omnium vocavit?Quid hic misterii latet? Sicut a duobus olim incepit, Moyse videlicet, et Aaron, cum populum suum de tenebris Aegypti liberare vellet sic etiam nunc a duobus incipit,quando orbis totus de tenebris peccatorum eripiendus erat. Fratres autem eos duos esse voluit, ut hoc exemplo demonstraret,quanta conjunctio animorum, et quanta pax, et concordia, atque amor esse deberet inter pastores, et concionatores, et principes,ac praesules ecclesiarum.Petrum vero, et Andream primos vocant; non Jacobum, et Joannem, qui affines ejus erant; ut omnibus aperte declararet, non esse in negotiis Dei affinium, et conjunctorum rationem habendam. Ac ne tu postea diceres : habeo beneficium unum ecclesiasticum, dabo illud nepoti meo, vel fratri meo, vel etiam filio meo. Ut tu igitur hoc non diceres, Petrum, et Andream, Jacobo, et Joanni affinibus suis praeposuit.

Sed quid quaeso Andreas, et Petrus agebant, cum Dominus eos vocavit? Piscabantur. *Vidit*, inquit, *duos fratres mittentes rete in mare etc.* Itaque piscabantur, hoc est, quod paulo post futuri essent non verbis, sed actionibus vaticinabantur. Verum hoc loco paucis refellenda est blasphemia impudentissima Juliani Apostatae. Julianus, qui Constantio Magni Constantini filio successerat in Imperio, cum a fide Cristiana defecisset, hoc loco uti solebat, cum adversum Christianos disserendum erat, asserens callidissime, Dominum piscatores imperitos, et simplices sibi adjunxisse,ut facilius eis imponeret. Verum nullo negotio refelletur blaspemia. Primum diabolici animi est, omnia in deteriorem partem interpretari: deinde nec illud verum est, omnes Christi discipulos rusticos, et imperitos fuisse: nam et Nicodemus, et Gamaliel, et Nathanael, juris judaici doctores erant; et Lazarus ac Josephus ab Arimathea ex nobilibus Judaeorum erant: et Paulus eruditissimus erat in lege, et magna turba Sacerdotum (ut in Actis apostolicis testatur Lucas) obediebat fidei. Praeterea, si calliditati tribuitur, quod rudes, et simplices vocaverit, numquid calliditati, an divinitati, et omnipotentiae tribuetur, quod eos repente sapientissimos, et eloquentissimos effecerit? Quod omnium gentium linguis, et oratione instruxerit? Quod splendore, et gloria miraculorum ornaverit? Quod summa, et perspicacissima ingenia in eorum litteris caecutiant? Et quando etiam nihil horum Dominus in Apostolis effecisset, adhuc tamen non calliditas in hoc facto appareret; sed maxima, et plane divina sapientia eluceret. Primum enim ad gloriam Dei maxime amplificandam pertinebat, ut ad summum negotium infimos homines adhiberet: Tanto enim magis excellentia artificis laudatur quanto minus aptis instrumentis res praeclarissimas operatur. Nonne is scriptor nobilissimus haberetur, qui melius scriberet calamo fracto, quam alius integro? Haberetur omnino, et gloria tota scriptori tribueretur: neque ullam ejus partem sibi calami bonitas vendicaret:nam alias dicerent homines; non mirum, si scripsit bene, nam calamum optimum habuit. Ad eumdem igitur modum, cum Deus loquitur per infantes diserte, et per imperitos sapienter, et cum per humiles, atque abjectos magnifice, ac nobiliter operatur, tota laus Dei loquentis, et operantis est. Deinde elegit Deus ad Apostolicum munus homines viles, quia nihil periculosius Episcoporum, et concionatorum functionibus, quae proprie Apostolorum erant, inveniri potest, ac tunc praesertim, cum bene, et cum laude haec munera exercentur, sicut et Apostoli facturi erant. Quis nescis,quam blande instet adversarius verae beatitudinis ubique spargens in laqueis *Euge*, *euge*: ut dum avide colligimus, incaute capiamur? Quis autem ignorat, quam suaviter deglutiantur verba laudantium,praesertim dum non *laudatur peccator in desideriis animae suae*; sed vir justus in donis, et charismatibus Domini sui? ut igitur possent Apostoli periculosissimam istam tentationem evadere; non sapientes, non potentes, non nobiles; sed imperitos, abjectos, obscuros elegit. Hac enim ratione semper habebant praesentissimum remedium contra perniciosissimum venenum, dum videlicet cogitabant, quales olim fuissent:et non se sua industria, suo studio, suo labore;sed Dei munere sapientiam,et eloquentiam et gradum illum amplissimum dignitatis consecutos esse. Postremo, *quia non cognovit mundus per sapientiam Deum placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*: quia superbis philosophis sapientiam suam jactantibus, mundus non tam conversus quam perversus erat, voluit Deus, ut humilibus piscatoribus ignominiam crucis praedicantibus mundus converteretur. Cum aliquando in scholis existit aliquis superbus et gloriosus adolescens,et quia metaphisicus nominatur jactat sapientiam suam,alios omnes contemnit,tum praefectus gymmasii vir bonus, et sapiens,ut morbo isti medeatur, et superbiam illam comprimat, expecta, inquit, paulisper, puerum istum, qui vix dialectica attigit,tecum disserere volo, et nihil dubito quin superaturus sit te. Ita fecit Deus; *elegit infirma, ut confundat fortia: et stulta,ut confundat sapientes.* Quid esse, inquit, existimatis eos, qui philosophi nominantur? Jam, jam intelligetis quid sint,ecce ego adducam simplicissimos,et imperitissimos piscatores, et per eos confundam, et debellabo,et evanescere faciam omnem sapientiam philosophorum. Et vere sicut olim virga Moysis virgas magorum devoravit; ita haec stultitia humilium piscatorum vicit sapientiam superborum philosophorum. Inflabant illi magnificas tubas grandiloquentiae suae,et omnes homines ad sectas suas specioso nomine sapientiae provocabant: et vix paucos quosdam a vicinis locis pertrahere ad sua dogmata potuerunt. Inflarunt contra piscatores nostri suas fistulas rusticanas,et continuo totus orbis accurrit, et evangelio coruscante, omnia dogmata Pythagorae, et Socratis, et Zenonis et Epicuri, et aliorum mundi sapientium, tamquam fumus evanuerit. Nam ut magnus Athanasius in libro de humanitate Verbi, eleganter ostendit, philosophi graeci tot, et tam ingentibus voluminibus sapientissime, et eloquentissime scriptis, ne paucis quidem e vicinia persuaserunt: at Dominus per Apostolos homines imperitos, nec eruditae linguae, omnibus gentibus mortis contemptum,paupertatem, temperantiam, castitatem, omnes virtutes,et fidem sublimissimam rerum altissimarum,et homines intelligentiam exuperantium facillime persuasit. Vicit igitur stultitia sapientiam, et piscatores Philosophos superarunt:nec Dominus callide, sed sapienter, sed divine, sed prudentissimo consilio ad munus Apostolatus piscatores elegit.

Sequitur. *Et ait illis, venite post me.* Hoc est unum ex maximis, et excellentissimis beneficiis, quae Dei verbum humano generi attulit. Non satis fuit visceribus illis charitatis Patris nostri Dei, ut nos verbo suo doceret, atque instituere: sed voluit etiam reipsa,et factis doceret: vidistis aliquando et experti etiam estis, cum pueri essetis, quid facere soleant diligentes paedagogi. Primum jubent pueros, ut scribant atque ante oculos eorum ponunt exemplar, quod imitari in scribendo debeant; verum cum animadvertunt, eos non recte pergere, nec posse, nisi alium scribentem vide-

rint, ipsi praeceptores calamum arripiunt, et pueris ajunt, eia respicite, ita scribendum est, ita lineae ducendae, ita characteres formandi, pingendique sunt. Hoc est, auditores, hoc est, quod Deus noster fecit: praecipiebat olim, ut ad exemplar legis ipsius vitam, et mores nostros componeremus: sedebat in cathedra, docebat ex cathedra, intonabat voce terribili: *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento, ut Sabbatum sanctifices. Non occides. Non furaberis. Non moechaberis. Non concupisces. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc.* Et nos pueri imperiti nihil horum faciebamus: vel si faciebamus, non sine multis, et magnis erroribus faciebamus. Quid igitur consilii cepit Deus? O quid consilii cepit? *O quis intelliget misericordias Domini, et auditas faciet omnes laudes ejus*: Descendit ex cathedra, adjunxit se pueris, coepit legem suam ipse qui dederat, observare: et interim clamabat, *venite post me*, sequimini praecedentem: Sic est ambulandum, sic vivendum, sic diligendus est Deus, sic amandus est proximus, sic divitiae contemnendae, sic honores calcandi, sic amputandae voluptates, sic dimicandum pro veritate, sic pro Dei gloria, et salute proximorum moriendum est. O dulcis veritas: o amor inexplicabilis: et quis retribuet tibi pro omnibus quae retribuisti nobis? Sequamur, auditores, sequamur vestigia Dei nostri. Non potuimus consequi Deum praecipientem; imitemur saltem Deum obedientem. Non persuasit nobis Deus dicens; persuadeat saltem Deus faciens. Et haec quidem ad omnes; sed Apostolis, et Apostolorum sectatoribus adhuc excellentiorem viam istis iisdem verbis demonstravit.

Venite, inquit, *post me, et faciam vos etc.* Ego ut commode piscari possem, reliqui domum meam, dimisi haereditatem meam et nec uxorem, aut liberos habere volo, nec pecuniis, aut honoribus acquirendis operam dabo: sed tollam in humeros crucem meam, et patri usque ad mortem obediens ero. In hoc igitur venite post me, sequimini, atque imitamini me, si piscatores hominum fieri vultis: alioqui enim non hominum, sed pecuniarum, sed honorum, sed commodorum piscatores eritis. O utinam cohortationem istam omnes christiani piscatores intelligerent. Hinc enim exiguus est concionum fructus, quod concionatores liberos pedes et expeditos non habeant: et in suis negotiis occupati nihil minus interdum, quam salutem audientium quaerant. *Non quaero, quae vestra sunt, sed vos*, inquit Apostolus Paulus piscator bonus. Homines igitur, non pecuniae, non honores, non laudes piscandae sunt.

Sequitur. *Et faciam vos fieri piscatores hominum.* Qui homines piscandos esse dicit, certe homines, vel pisces esse, vel piscium simillimos docet. Ita se res habet: homines peccatores, qui piscandi sunt, pisces sunt. Primum enim piscium est proprium in aquis marinis habitare, quae tametsi claraе, et perlucidae esse videntur, et ad bibendum invitant; tamen amarissimae, et falsissimae sunt et sitim non extinguunt, sed accendunt. Homines vero peccatores numquid non sunt in iis rebus immersi, quae pulchrae esse, et dulces videntur et tamen amarae sunt, falsae sunt, satiare et sitim sedare non possunt? Pisces vero frigidissimi sunt, ac naturali calore penae destituti esse videntur: homines autem peccatores numquid non ipsis piscibus sunt frigidiores, cum ardore charitatis non sint pene, sed penitus destituti? Legunt duo litteras Dei, Evangelistam videlicet, vel Apostolum, vel unum ex Prophetis: ambo legunt, *verbum caro factum est*, ambo legunt, *proprio filio suo non pepercit Deus*; ambo haec legunt; sed unus dum legit, rapitur, commutatur, inardescit, liquescit, lachrimas continere non potest: alter non magis mutatur, quam si Tullium, vel Aristotelem perlegisset. Quid hoc significat? Unde haec tanta diversitas? Eaedem litterae sunt, quas legunt: sed non est idem ardor in iis, qui legunt: ille calidus est et homo est: iste frigidus est et piscis est. Pergamus ad alia. Praeterea pisces delectantur sordibus, et libenter volutantur in coeno, et nec manus, nec pedes habent, ut inde se propripiant, et homines peccatores quid non faciunt pro coeno carnalium voluptatum? et cum iis dicitur, ut attendant quid agant, ut emergant ex luto, ut aspiciant semel pulchritudinem castitatis; non solum pedes, et manus non habent, ut inde egrediantur; sed nec aures habere videntur, ut audiant verba sana, et salutaria. O quanto labore ex isto luto homines extrahuntur? Saepius Dominus eos piscatur et semper relabuntur in coenum. Et quomodo possumus, inquiunt, caste vivere? quis posset oculos claudere, dum pulchrae species ingeruntur? Quis tum cogitationes, et desideria contineret? Nonne igitur fatentur ipsi se pisces esse, et nec manus, nec pedes habere, ut egrediantur ex luto? Postremo piscium alii alios devorant: id quod in hominibus peccatoribus cum ingenti animi dolore videmus. *Quare non respicis*, inquit Abacuc, *super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se?* Et Isaias: *Unusquisque*, ait, *devorabit carnem brachii sui*: *Manasses, Ephraim, et Ephraim Manassen.* Pisces igitur homines sunt. Proinde non immerito dictum est: *Et faciam vos fieri piscatores hominum.*

Duo sunt, qui perpetuo pisces istos expiscantur, Deus, et Diabolus. Sed Deus, ut in amoenissima, et lucidissima quadam piscina perpetuo victuros eos conservet: Diabolus, ut occidat, et mactet, et perdat. Atque idcirco Diabolus hamo utitur, ut dum capit, vulneret: Deus non hamo, sed retibus, ut pisces capiantur, sed non laedantur. Quid sit hamus. Diaboli instrumentum notissimum est: nempe opes, honores, voluptates, mulieres, beneficia, lucra, convivia, potationes, symphoniae hami Diaboli sunt. Haec ille stultis hominibus obiicit, haec ostentat, haec proponit: illi accurrunt, ut capiant escam, et capiuntur ab hamo, et lacerantur, et disrumpuntur intus, et tamen seipsos extricare non possunt. Sed quid est rete? Rete est verbum Dei, sive illud *verbum* intelligatis, *quod caro factum est, et habitavit in nobis*: sive etiam illud quod praedicatum est in mundo, scriptum in paginis. Rete enim est ex multis filis contextum ple-

num nodis, quod complicatum est parvum, explicatum est magnum: et partim propter plumbum tendit ad imum, partim propter suber enatat super aquas: Nam de iis retibus loquimur, quibus pisces non quibus aves capiuntur. Iam igitur verbum Dei quod scriptum in divinis voluminibus continetur, omnino est rete. Primum enim ex multis sententiis quasi filis quibusdam contexitur: deinde plenum est nodis: habet nodos innumerabilium et maximarum difficultatum, habet nodos miraculorum, quibus ita confirmatur, et roboratur, ut facile frangi non possit, habet nodos promissionis divinae, quibus fortissimum, et firmissimum redditur. *Coelum*, inquit, *et terra transibunt: verba autem mea non praeteribunt.* Habet et nodos legum et praeceptorum non parum carni et sanguini difficilium: Et tamen ii nodi solvendi non sunt: nam *qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno coelorum.* Itaque cum occurrit animo aliqua difficultas in praeceptis Domini, et dicis o quam durum est confiteri peccata? quam durum est votum castitatis? quam durum est jejunare? noli facere sicut faciunt Lutherani, qui non solum solvunt, sed etiam lacerant istos nodos, et fugiunt ex reti Domini, sed mox capiuntur ex hamo diaboli. Verum cogites, cum ista tibi occurrunt, Deum esse, qui fecit hos nodos, et non solvendos, sed ferendos esse, ut ipsum rete nos ferat et perducat incolumes ad piscinam Domini. Scriptura praeterea tamquam verissimum quoddam rete exigua est, et una manu comprehendi potest, donec non explicatur. At extensa, explicata, dilatata replet etiam amplissimas bibliothecas. Quocirca sapienter b. Apostolus Bartholomaeus, ut d. Dionysius testatur, saepe dicere solebat, theologiam et parvam, et magnam esse. Postremo rete istud scripturae divinae ex una parte attingit profundum, ex altera remanet sursum, et enatat super aquas. Profundum attingit, cum poenas, et supplicia gehennae peccatoribus comminatur; remanet vero sursum, cum gaudia, et praemia aeternae beatitudinis pollicetur.

Neque vero minus apte *verbum caro factum*, Christus videlicet ipse, rete appellari potest. Est enim Christus ex multis naturis, quasi multis filis aureis, argenteis, sericis, incredibili venustate ac varietate contextus: nempe divinitas filum est aureum, anima filum argenteum, sericum filum est caro. Habet etiam Christus nodos suos omnino indissolubiles: Qualem enim esse putatis nexum illum, quo anima conjuncta est carni, cum nullis morbis, nullis vulneribus, nulla humana vi, nisi ipso permittente solvi potuerit? *Ego*, inquit, *pono animam meam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam.* Et quamquam ad tempus ipso volente nexus iste dissolutus est, tamen deinceps nullo unquam tempore dissolvetur *Christus* enim *resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Quid vero de altero nexu dicemus, quo natura humana naturae est conjuncta divinae? qui etiam priori nodo dissoluto, et anima a carne per mortem separata, solvi nullo modo potuit, nec unquam poterit. Christus praeterea quasi verum rete, ita parvus, et exiguus erat, antequam explicaretur, ut etiam faber, et fabri filius existimari potuerit, *Parvulus*, inquit Isaias, *natus est nobis, et filius datus est nobis.* At ubi seipsum signis, et miraculis extendere coepit, ita crevit, ut orbem totum occupaverit. Nec turbae jam dicebant, *nonne hic est fabri filius?* Sed *Propheta magnus surrexit in nobis*: et, *Deus visitavit plebem suam.* Verum in cruce potissimum extensum est hoc rete cum ubique foramina vulnerum, et plagarum apparuerunt; et pars una descendit in profundum maris, caro usque ad sepulchrum, anima usque ad inferos: altera, nempe divinitas, mansit sursum et enatavit super aquas. Haec igitur sunt retia, quibus Apostoli utebantur, et quibus etiam hodie christiani oratores, hoc est, Dei piscatores utuntur. His retibus b. Petrus uno die tria millia rationabilium piscium comprehendit. His retibus d. Andreas innumerabiles pisces intulit in piscinam Dei. Haec retia apostolus Paulus ab Jerusalem usque ad Illyricum tetendit, *et cum esset astutus dolo coepit* piscium multitudinem copiosam. At vero hodie usque adeo creverunt piscatores diaboli, haeretici usurarii, meretrices, lenones, et tanta est piscium perversitas, ut piscatores Dei saepe totis noctibus laborantes nihil capiant. Rem ita se habere mores nostri satis aperte declarant, aliis non egemus testibus, nam etiam tacentibus nobis res ipsae clamant, illustrantur, erumpunt. Nonne plerique homines retia fugiunt, ad hamum properant? Invites aliquem ad potandum, ad fornicandum, ad canendum, ad audiendum verba lasciva, ad hamum denique diaboli, non diu rogabis, statim aderit tibi, imo et gratias aget: invites ad concionem, ad confessionem, ad aliquam vel eleemosynam, vel jejunium extraordinarium, rogabis diu, et saepe nihil impetrabis; quin etiam te propterea majori odio prosequetur. Nonne igitur ridentes, et gaudentes currimus ad gehennam; et plorantes atque inviti trahi vix possumus ad coelum? Sed haec de reti, et piscatoribus, et piscibus sufficiant.

Ultima verba Evangelii sunt: *At illi relictis retibus secuti sunt eum.* Rursum hoc loco impius Porphyrius, et apostata Julianus blasphemias suas in Dominum, et ejus Apostolos evomunt. Nam sicut antea Dominum calliditatis accusabant: Ita nunc discipulos stultitiae, et simplicitatis accusant, quod statim ad primum verbum relictis omnibus vocantem Dominum secuti sunt. Verum nequitia eorum excaecavit eos, et in utroque turpiter labuntur: Nam et Dominum non callide, sed sapienter sibi piscatores adjunxisse jam ostendimus: et discipulos non temere, nec imprudenter Dominum secutos esse demonstrabimus. Primum enim Evangelista Matthaeus non primam, sed postremam Andreae et Petri vocationem describit; alioqui quomodo verum esset, quod initio dicebamus, fuisse Andream filium primogenitum Domini? Siquidem in hodierno evangelio non primum Andreas, deinde Petrus: sed simul uterque vocatus est? Andreas igitur, ut ex capite primo Joannis intelligi potest, cum Joannem Baptistam audivisset Christi laudes magnifice praedicantem, atque asserentem, esse eum agnum Dei, qui tollit peccata mundi, esse Dei filium, esse Messiam, qui expectabatur: tunc pri-

mum ad Christum se contulit, non ut ejus discipulus fieret, sed ut cum eo paulisper colloqueretur, et amicitiam cum eo, ut familiaritatem iniret. Narrat praeterea sanctus Lucas capite quinto sui evangelii, non solis verbis, sed stupendo quodam prodigio Dominum ad se Petrum et Andream pertraxisse: nempe cum tota nocte laborassent, nec aliquid capere potuissent:rursum ad imperium Domini laxatis retibus tantam piscium multitudinem comprehendunt, ut rete frangeretur. Tunc igitur tanto prodigio confirmati relictis omnibus secuti sunt eum. Deinde, si Christus vere Dei filius, ac Deus erat, quid mirum, si hominum corda, et voluntates in momento permovebat? Si naturali, ac recondita quadam virtute magnes ferrum ad se trahit: Si non absimilis quaedam naturae vis succino stipulas, ac festucas copulat: Si solo anhelitu Panthera rapit ad se animantia etiam longe posita;quanto magis divina Christi virtus, et odor ille fragrantissimus innocentiae, et omnium virtutum, quem Domini vita, et verba spirabant, homines allicere, et pertrahere poterat? Solebant olim,qui columbas aucupabantur,ut magnus Basilius ad Julittam scribens ait, tali quadam arte, atque industria uti: Columbam unam, quae longo usu ad aedes domini sui redire didicisset, unguento quodam perungebant, cujus odor gratissimus esse columbis perhibetur.Tunc eam ad hunc modum delibutam dimittebant: illa de more per aerem volans varia loca peragrabat; quotquot vero columbae in eam incidebant, gratissimo illo odore allectae, ei se adjungebant, atque hac ratione, quae sola egressa fuerat, innumeris deinde sodalibus comitata, et quasi stipata redibat. Ad eumdem igitur modum, cum Deus Optimus Maximus, et sapientissimus venator intelligeret, homines quasi columbas sine corde ex paradisi nidis, et cubilibus evolasse, et misere quotidie ab accipitribus rapi, atque occidi videret, cuperetque; eas ad sua prisca domicilia, et nidos revocare, accepit columbam unam: nostri videlicet liberatoris innocentissimam humanitatem, et eam omni gratiarum,et virtutum unguento delibutam in medium aliarum columbarum misit. Hinc igitur fiebat, ut quocumque Dominus pergeret, odorem istum spargeret, atque ad se, quos vellet, facillime pertraheret. Quae cum ita sint,non temere, sed omnino maturo consilio Andreas,et Petrus Joannis testimonio primum permoti,deinde prodigio maximo confirmati, tum gratiae et virtutum odore allecti, postremo, quod caput est, divinitus admoniti, atque afflati vocationi coelesti obtemperaverunt.

Sed ego rationem aliam excogitavi, et Apostolos multo altius rem totam cogitasse, et perpendisse video. Intelligebant illi,coelum cum terra conjungi nec posse nec debere: videbant immensos tractus aeris terram a coelo disiunxisse: intelligebant a Christo se ad coelum, et vitam sempiternam invitari: intelligebant gigantem esse Dominum, et non ambulare, sed currere; quare ne tantum Ducem sequi non possent onerati, et propter amorem vilium sarcinarum aeternis illis praemiis privarentur,omnia terrena,et mortalia sibi relinquenda esse putaverunt, et excogitato consilio relictis omnibus, liberi, atque expediti secuti sunt eum. Haec nobis diligenter, atque frequenter cogitanda sunt, auditores. Eamdem viam ingredimur, quam illi sunt ingressi: ad locum eumdem, et patriam eamdem anhelamus: sed numquid nos robustiores et velociores sumus, quam Apostoli ipsi fuerunt? Si illi onusti cursum illum perficere non potuerunt, quanto minus potuerimus nos? *O quam difficile, qui divitias habent, intrabunt in regnum coelorum*? Verba sunt Christi nemo mihi succenseat: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Beati plane, nam ipsi pervenient, ipsi Dominum sequi poterunt,qui seipsos ab impedimentis istis liberarunt. O quam multos Dominus ad hanc felicitatem, ad hanc pacem,quae exuperat omnem sensum, ad hanc Apostolicam libertatem, ad hanc vitam angelorum, liberam curis et solicitudinibus quotidie vocat, qui tamen non audiunt: et beati essent, si audirent. Nihil enim felicius in hac vita mihi esse videtur, quam intelligere vocationem suam, et omnem vivendi rationem ad arbitrium Domini instituere. *Beati sumus Israel*, inquit Baruch, *quoniam quae placent Deo manifesta sunt nobis:* sed quanto magis ille beatus est, qui non communi, ac generali, sed certo ac singulari quodammodo luminatos habet oculos cordis, et in omnibus actionibus suis intelligit, *quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta*? Multi versantur in saeculo, et non bene succedit eis, et saepe jacturam faciunt animarum suarum, quod alius omnino esset status, ad quem a Domino vocabantur: sed non audierunt. Multi contra currunt ad monasteria; sed non propterea efficiuntur meliores, nec scopum aeternae beatitudinis attingunt: quod et ipsi non vocantem Dominum, sed aliqua externa commoda secuti sunt.

Quaerenda est igitur vocatio, investiganda Domini voluntas, nec immorandum est diutius: nam tempus, dum haeremus, et deliberamus, non expectat, sed volvitur, et transit, et dies nostri finiuntur, et mors quotidie fit propinquior.Sed quid agemus, ut Dei voluntatem exploremus? Unum verbum et finis erit. Quicumque rationem habent aliquam salutis suae, ii expiata prius per confessionem conscientia, loca, et tempora capiant apta contemplationi, ibique a turbis, et rumoribus separati intrent in solitudinem cordis sui,et spiritum suum vigilem,et erectum,et praesentem exhibeant Domino, eique dicant: *ecce ego servus tuus, et filius ancillae tuae: loquere Domine, quia audit servus tuus. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Domine quid me vis facere*? Jussisti, ut venirem in hunc mundum et veni. Sed quid hic ago? Cur hic sum? Quae sunt studia mea? quo tandem referuntur? Certe fecisti me ad te. Sed quam viam jubes obsecro, ut ingrediar? Equidem non dubito, quin si te ita paraveris, Dominus,qui semper pulsat, et alloquitur etiam eos, qui non audiunt, multo magis loquetur ad cor tuum et fortasse dicet tibi: confide fili,salus tua ego sum: sequere me, veni post me, quid tibi cum terra?Quid lambis me de pulvere? *Ecce ego merces tua magna nimis.* Repente vero colloquium istud Domini levabit te super te, et ignem excitabit in intimis

medullis tuis: ossa exultabunt,cor liquefiet lachrimae defluent ex oculis non amarae,sed dulces,imo vero omni risu, et gaudio saeculari dulciores, et tamen lachrimae erunt, et tamen fletus erit. Et si talis est fletus immissus a Domino, quid erit risus et gaudium Domini? Quid senties, cum intrabis in gaudium Domini tui? Tunc igitur in tali silentio constitutus convertes oculos cogitationis ad mundum, ad honores, ad voluptates, et omnia tibi in momento vilescent, et poenitebit te laborum in illis consequendis positorum.Nec solum bona et secunda, sed etiam mala,et adversa tibi vilia et parva videbuntur: sicut ei, qui ex monte res positas in valle speculatur. Tunc non solum pie, et caste sed et mori pro Christo non magni laboris judicabis. Tunc enim intelliges, sicut ligna et lapides ad aedificia construenda, et ornanda non ascendunt, nisi prius per malleos, et secures et serras, et dolabras transeant; sic et nos in regnum coelorum intrare, nisi per multas tribulationes, et pressuras, non posse. Porro haec ita se habere, et hunc esse fructum eorum,qui vere intelligunt et sequuntur vocationem coelestem,tot testes habemus,quot sancti homines hodie regnant cum Christo. Sed sufficiat nobis unius exemplum Andreae.

Hic igitur Apostolus beatissimus, vere Andreas, vere virilis, tanto mentis fervore prosequebatur Dominum, ut nulla pericula, nullae foveae, nulla praecipitia eum deterrere potuerint. Vidit Dominum ambulantem inter spinas;et ipse sequens Dominum ambulavit inter spinas. Vidit Dominum super aspidem et basiliscum ambulantem:et ipse super aspidem et basiliscum ambulavit. Vidit Dominum ascendentem super crucem,et ipse ascendit, super crucem: Et qui iam olim omnia reliquerat, quanta alacritate cucurrit ad crucem, ut ibi etiam seipsum derelinqueret? Ecce enim cum hodie ad supplicium duceretur, et procul crucem sibi paratam aspiceret,quo tempore alius toto corpore contremisceret, ille vix dici potest, qua laetitia, quo gaudio exultarit, et quasi nihil antea passus esset, et numquam sub malleo, et securi summi artificis fuisset, exultans, ac pene gestiens: *O salve*,inquit, *salve bona crux, diu desiderata*, tot annis expectata, per tot mundi plagas, et regiones quaesita, *et iam concupiscenti animo preparata: securus, et gaudens ad te venio, ut et tu exultans suscipias me.* Ac timens, ne forte crux eum amplecti non dignaretur, addit persuasionem. *Discipulus ejus sum*, inquit, *qui pependit in te.* Addit et blanditias. *O crux*,inquit,*pretiosa, quae de membris Domini decorem accepisti;amator tuus semper fui, et desideravi amplecti te.* Quid est, quod audimus? Ubi sumus? Certe ignis vibrans,non lingua loquens est. Et quis unquam tam blande, et tam officiose amasiam suam,sicut Andreas crucem suam salutavit? Et tamen crux nihil nisi crux,supplicium atrox, et acerbum est.Et unde haec mens hic animus, haec laetitia in Andrea? Nempe ex eo, quod illuminatos habebat oculos cordis,et crucem aspiciebat non tamquam supplicium; sed tamquam instrumentum, quo expoliendus penitus, et perficiendus, atque aptandus erat ad ornandum aedificium Domini. Haec igitur et tu intelliges, et cum intellexeris, *vultus* tui *non amplius in diversa mutabuntur*; et tibi *vivere Christus erit, et mori lucrum*: Et *Pax Dei,quae exuperat omnem sensum*, cor tuum custodiet, et intelligentiam tuam usque in diem Domini Jesu, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO II.

DE DOMINICA PRIMA ADVENTUS

Habita Lovanii Anno 1571.

THEMA

Hora est jam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. *Rom.* 13.

SYNOPSIS

Peccatum est somnum, quo sepulti jacent ethnici, Haeretici, et mali christiani, denique omnes peccatores solum probum catholicum vere vigilare ostenditur. Lutheranorum error obiter refellitur. De peccatorum vanis somniis. De hora matutina triplex sensus affertur. Aurora cum evangelio confertur, Ambulationem christianorum procedere, peccatorum vero retrogredi. Circa finem omnia vires quasi renovare probatur. Hora juxta Apostolum est tempus gratiae, juxta ecclesiam nativitas Christi, juxta auctorem praesens saeculum; in quo mundi fallaciae delectae, carnis concupiscentiae imminutae, daemonis vires fractae. e diverso autem omnia bona aucta, gratia Dei copiosior, majus lumen, plura exempla, deprehenduntur. Gravis dehortatio a curis saecularibus. Denique quotidiana mala quae nos a somno excitent, oculis subiiciuntur.

Initium hoc Epistolae hodiernae, Domino adiuvante, breviter explicabimus: quod quidem juxta sensum Apostoli ad unum finem inducitur, sed ab ecclesia ad alterum finem adducitur, et non poterimus ad tertium finem; ad nostrum videlicet propositum atque institutum, accommodare. Quod autem erat propositum b. Pauli cum scribebat, *hora est jam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus*? Scribebat beatus apostolus ad romanos, atque eos a somno peccatorum et negligentiae excitare volebat, utitur vero ad hoc perficiendum duobus optimis argumentis, quorum alterum a temporis opportunitate; alterum a finis vicinitate sumptum est. Quemadmodum enim, si aliquem excitare vellemus, diceremus ei, Heus tu surge, quia tempus est: nam aurora exoritur: Quod si ille esset de numero eorum, qui non multum curant, sive oriatur aurora; sed dormiunt libenter usque ad meridiem, tunc ei diceremus, Heus tu surge, imminet enim tempus magni negotii perficiendi, prandii videlicet. Ad eumdem modum Apostolus Paulus, primum hortatur Romanos, ut surgent, quia hora est surgendi, *quia nox praecessit, dies autem appropinquavit*: deinde quia prope est tempus magni illius prandii, quod fiet in coelo: *Nunc enim*, inquit, *propior est nostra salus, quam cum credidimus.*

Explicemus jam singula verba. *Hora est jam nos de somno surgere.* Cur peccatum somnus appellatur? Quid est somnus? Quid est peccatum? Est in his morbis, Auditores, elegantissima quaedam translatio: somnus enim nihil est aliud, quam mors brevis, quae omnes sensus, et omnes vires animantis suis functionibus privat, quando non sentit, non videt, non audit, non movetur: et tamen si excitaretur sentiret, videret, audiret, et moveretur: tunc enim sine dubio dormit. Et contra tum vigilat, cum sensus functiones suas exercent, oculi vident, aures audiunt: ratio praeest, intelligentia regit, voluntas movet. Jam vero spirituales sensus et motus animi nostri sunt fides et charitas: fide sentimus, charitate movemur: fides docet quid sit agendum, quid amandum, quid relinquendum, quid expectandum, quid contemnendum, quid magnifaciendum, quid timendum, quid optandum: charitas vero movet, ut agamus, quod est agendum, amemus, quod est amandum, relinquamus, quod est relinquendum, expectemus, quod est expectandum, contemnamus, quod est contemnendum, magnifaciamus, quod est magnifaciendum, timeamus, quod est timendum, exoptemus, quod est exoptandum.

Quis igitur vivit et vigilat? Non alius quam pius et probus Catholicus, qui vires sentiendi et movendi ligatas, vel sopitas non habet, sed liberas et expeditas. Qui stabilis in fide, constans in religione, fervens in charitate, numquam conquiescit, numquam otiatur, numquam faticatur, sed *tamquam scintilla* ardens *in arundineto discurrit*, et modo istum, modo illum corripit, et amore coelestium bonorum secum flagrare atque ardere facit: isti vigilant, Auditores, qui aliquando totum unum arundinetum,hoc est,integrum populum hominum vanorum, et dento superbiae agitatorum, amore divino, et coelestium bonorum desiderio ita inflammant, ut eo incendio daemonibus poenam,hominibus lucem, angelis gaudium et laetitiam pariant. Isti vigilant.

Sed qui sunt qui dormiunt? Primum Ethnici omnes, et haeretici, qui fide carent, et verum sensum Dei, et veritatis non habent.Putant illi se quidem vigilare, sed somniant. Disputant de fide, de Deo Christo, de Sacramentis: putant se in lumine esse, oculos apertos habere, et interim non animadvertunt esse omnia figmenta, et somnia, quae dicunt. Quid? Videntur ne vobis vigilare, quae dicunt infantes dum baptizantur actu credere, et usum rationis habere;Christi humanam naturam esse ubique; Christi, divinitatem in cruce passam et mortuam esse; Christum desperasse, atque adeo esse damnatum; Deum in arborem, in lapide lapidem, in ferro ferrum; vel Deum opera bona non requirere? Utrum quaeso vigilant an dormiunt, qui dicunt Apostolum Petrum numquam fuisse Romae (ut alia eorum somnia omittam) cum omnes historiae, omnes patres, omnes scriptores, et ipse locus martyrii ejus, vincula, carcer,sepulcrum,sedes, in qua sedebat, altare in quo sacrificabat, et alia innumera monumenta,atque trophea etiam hodie oppositum contestentur, et clament?

Neque vero solum haeretici atque Ethnici dormiunt, sed etiam multi Catholicorum. Nec enim Apostolus Paulus ad Ethnicos Romanos, sed ad christianos scribebat, cum dicebat, *hora est jam nos de somno surgere.* Itaque graviter errant Lutherani, cum inter alia illud etiam somniant nullum esse peccatum praeter infidelitatem:siquidem Apostolus illos ipsos excitat a somno, quorum fidem in eadem Epistola summis laudibus extulerat. *Dormiunt* igitur *somnum suum omnes viri divitiarum,* ut canit psalmographus. Dormiunt omnes ebrii, quos Joel excitat dicens, *expergiscimini ebrii et flete.* Dormiunt omnes impudici, et omnes ii, quorum *Deus venter est*, quos in hac epistola Paulus increpat,*non in commessationibus,* inquit, *et ebrietatibus non in cubilibus et impudicitiis*: dormiunt omnes isti, et patiuntur ipsi quoque mirabilia somnia. Interdum habent alterum pedem jam in sepulchro, et putant se victuros plures annos quam vixerit Mathusalem: interdum videntur sibi reges et principes, abundant divitiis, affluunt voluptatibus, cum sint miseri et miserabiles, pauperes, caeci, et nudi. Interdum superbia extolluntur, putant se sedere super nubes; interim tamquam vermiculi super terram repunt. Nonne somniabant fortasse Cajus et Domitianus, qui se Deos immortales existimari volebant,et tamen levissime in ictu gladii tollebantur de medio? Nonne somniant hodie multi, qui divitias congregant in mille annos, et cras, et fortasse repente morientur? Aspicite saecula,quae praeterierunt,et homines qui fuerunt ante nos:nonne omnes fere talibus insomniis delusi fuerunt? Ante centum annos mundus erat plenus hominibus,sicut modo est et tunc quoque isti contendebant de regnis et provinciis, isti de agris et possessionibus.illi de beneficiis, illi de mulieribus. Unus aedificabat domum, alius plantabat vineam.Denique omnes tam serio in sua negotia incumbebant, ut pene omnes vigilare viderentur: et tamen jam nullus eorum superest, et illae curae, illae solicitudines, illi clamores, illae contentiones omnes in momento siluerunt. Ubi tot sunt potentissimi imperatores, tot vanissimi philosophi,tot mendaciorum loquacissimi oratores,quorum fastum et superbiam, et tumorem mundus non capiebat? *Dormierunt* omnes *somnum suum, et nihil invenerunt in manibus suis.* Erat igitur somnium.

Ad eumdem modum veniet statim finis noctis hujus saeculi, in quo sumus: imo quotidie venit, nunc illi, nunc isti: et tunc intelligunt homines, in morte videlicet, se non vere habuisse,sed somniasse divitias, somniasse voluptates, somniasse honores: tunc respiciunt,et nihil inveniunt in manibus suis, praeter magnum aes alienum multorum et gravium peccatorum: tunc demum sentiunt se delusos, et in omnem aeternitatem, non jam somniaturos poenas et cruciatus; sed vere vigilantes perpessuros, et brevissimi somni voluptatem aeterna vigilia, et numquam finiendis suppliciis compensaturos. Quare omnibus qui ita dormiunt rectissime cum Apostolo dicimus:*hora est iam nos de somno surgere.*Expergiscimini tandem aliquando, plus satis dormivistis. Haec igitur de somno.

Nunc de hora. *Hora est,* inquit, *nos de somno surgere.* Quaenam est hora surgendi? Hora matutina, diluculum, aurora: *nam qui dormiunt, nocte dormiunt,et qui ebrii sunt nocte ebrii sunt.* Quae est hora matutina? Tempus gratiae: Siquidem ante Christi adventum,*tenebrae cooperuerant terram, et caligo populos,* ut Isaias ait;etiam ipsi Judaei, licet propheticis luminibus,tamquam sideribus quibusdam illustrati fuerint;tamen in umbra figurarum, et expectatione futurae lucis degebant. *Omnia* siquidem *contingebant illis in figura et lex ipsa solum umbra gerebat futurorum bonorum*: Christo vero exorto, et evangelio ejus gratiae coruscante, *nox praecessit, dies autem appropinquavit.* Itaque jam aurora ac diluculum, atque adeo surgendi tempus advenit. Aurora quasi media est inter tenebras noctis,et lucem meridiei: Non est obscura sicut nox, neque est clara sicut meridies. Ita quoque tempus gratiae, et evangelii medium est inter tenebras infidelitatis, et peccatorum, et lucem visionis, et gloriae beati Dei. Infidelitas, nox est: visio Dei, meridies: christiana fides, aurora. Infideles penitus nihil vident: beati in coelo omnia, et clarissime vident. *Nos ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus,*et ex parte videmus et ex parte divinamus. Et quemadmo-

dum ab aurora versus meridiem semper lumen crescit, et tenebrae minuuntur: ita sapientes christiani semper ambulant, et crescunt *de virtute in virtutem*, de lumine in lumen, de fervore in fervorem: donec veniant ad meridiem, ubi perfectum et perpetuum lumen inveniunt. Contra vero stulti homines ambulant retrorsum more cancrorum, ab aurora versus mediam noctem. Fulget eis aurora cum baptizantur, et Christiani fiunt; sed cum incipiunt per viam peccatorum, et praesertim haeresim et sectarum iter facere, semper magis ac magis tenebris involvuntur, donec in gehennam cadant, ubi nox est profundissima atque perpetua. Hinc videlicet Salomon in Proverbiis ait: *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem: Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.*

Cum igitur jam sit diluculum, et aurora, recte dicitur, *hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.* Haec est altera ratio, quae quidem non uno atque eodem modo a sanctis Patribus et Ecclesiae doctoribus explicatur. Sed omnium optimus sensus mihi videtur esse, *nunc propior est nostra salus quam cum credidimus*, hoc est, nunc post Christi adventum non distamus a gloria regni coelorum, nisi quantum distamus a morte. Est enim coelum Christi cruce tamquam clave quadam potentissima reseratum. Itaque cum morimur, si nihil remanet purgandum, statim evolamus in coelum. At vero cum primum credidimus Christum venturum temporibus patriarcharum et prophetarum, procul aberamus a perfecta salute; omnes enim et sanctissimi quique ad inferna descendebant, ibique aliqui centum, aliqui mille, aliqui plures annos expectabant. Neque moveat aliquem, quod Apostolus non ait, *Cum crediderunt*, sed *cum credidimus*. Est enim modus loquendi, sicut si doctores hujus universitatis dicerent, hodie magis floremus, quam initio, cum primum coepimus habere scholas.

Est igitur naturale argumentum a propinquitate finis: Noverat enim Apostolus omnes homines excitari, et quasi novas vires assumere, cum animadvertunt propinquare finem. In itineribus hoc est maxime perspicuum; siquidem, cum vicinus est locus, ad quem tendimus, non solum homines excitantur, et animantur, et incredibili cupiditate flagrant cito eo perveniendi; sed etiam equi instinctu quodam naturae, licet fessi, et fatigati, currere incipiunt. Nec solum animantia, sed etiam res inanimatae, ut ligna et lapides tanto celerius moventur, quanto locum suum naturalem viciniorem habent. Hinc igitur naturale argumentum sumit Apostolus. *Hora est*, inquit, *iam nos de somno surgere*. Nunc enim viciniores sumus beatitudini, quam fuerunt Patres nostri. Metam et bravium prope contingimus, post paululum coronabimur. Jam jam Deus finem cursui, et laboribus imponet. Habetis sensum Apostoli. Nunc sensum ecclesiae videamus.

Ecclesia catholica mater nostra, nihil respicit aliud, cum hodie haec Apostoli verba nobis proponit, quam appropinquantem diem Domini natalem. *Hora est*, inquit, *jam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.* Christus quidem semel de Maria Virgine natus est, neque est jam in posterum nasciturus: sed tamen fructus, atque emolumentum illud maximum, quod ortus ipsius attulit mundo, semper manet; et annis singulis eo potissimum die, quo memoria ejus religiosa devotione peragitur, illis hominibus confertur, in quorum pectoribus. Christus nascitur. Nascitur vero in iis omnibus quos paratos et vigilantes offendit. Quemadmodum enim cum in Bethlehem Augusti imperatoris tempore natus est, illi dumtaxat nuncium tanti gaudii habere meruerunt, *qui vigilias noctis custodiebant super gregem suum.* Et sicut novum sidus in Perside exortum, illi soli viderunt, qui eodem tempore vigilaverunt; ita prorsus cum dies natalis Domini advenerit, soli illi fructum amplissimum consequentur, qui somnum peccatorum excusserint, et in bonis operibus vigilare coeperint. Itaque recte ecclesia hodierna die nos admonet, dicens, *hora est iam nos de somno surgere.*

Verum enimvero, auditores optimi, non minus hoc nostrum saeculum, haec aetas, quae nunc agitur, hora est, de somno surgere, quam ipsum sit tempus gratiae, juxta sensum Apostoli et juxta sensum ecclesiae propinquitas natalis Domini: sive enim bona hujus temporis, et adiumenta, quae habemus ad salutem: sive mala et impedimenta varia, et multiplicia consideremus, undique nobis vocem illam personare audiemus, *hora est iam nos de somno surgere*. Primum enim nunc ab adiumentis incipiamus: Nunquam tam parum mundus, et caro, et ipsi daemones hostes atrocissimi humani generis, nobis nocere potuerunt, quam modo: Mundus enim ideo olim ac praesertim primis temporibus multos decipiebat, quia novus erat et pulcher, et homines diu vivebant, et ejus delitiis ad longum tempus frui poterant, et quod potissimum est, nondum didicerant quantae essent ejus fraudes. At vero modo consenuit, et ejus doli ac mendacia omnibus nota sunt, et homines vix dum nati moriuntur; Quis nostrum est, qui experientia non didicerit, quam multos mundi amicitia miserrimos fecerit, etiam in hoc mundo? Quam multos ad summum culmen gloriae et honorum evexerit, ut inde majori impetu eos praecipitaret? Quam pauci numerari possent, qui fructum laborum et sudorum suorum quiete et tranquillo longo tempore perceperint? Profecto paucissimi. At qui post maximos et innumeros superatos labores, vel in aulis principum, vel in mercatura, vel in foris et tribunalibus, vel in bellis gravissimis et periculosissimis, nihil aliud quam exilia, damna, ignominias, mortem denique ipsam saepe retulerint, tam multi sunt ut numerum omnem excedant. Quis igitur non facile contemnet hoc tempore mundum, semen videlicet inveteratum dierum malorum, servum astutum, crudelem, qui tam multos circumvenit, et suis blanditiis, et lenociniis, miseros in terris, et in gehenna miseriores fecit, atque ad perniciem sempiternam adduxit, et vivos mortuosque mactavit?

Denique caro nonne ipsa quoque jam senuit, et

ardore concupiscentiae frigescente minores et pauciores excitat motus, quam olim cum vigebat, excitaret? Erat humana caro olim initio nascentis mundi post peccatum primi hominis, equus indomitus et juvenis, qui tam primum habenas excusserat, et vincula, quibus tenebatur, confregerat: Itaque tunc maxime florebat, vigebat, furebat, insaniebat, et motus pravos ac desideria noxia excitabat. Sed quid fecit Deus? Immisit diluvium maximum ac generale, ut multitudine aquarum ea flamma fornacis humanae, si non penitus restingueretur, certe minueretur. Neque dubium est, quin post diluvium caro debilior atque imbecillior fuerit. Deinde postea singulis aetatibus, semper aliquid virium et ardoris remisit; et nunc demum aqua Baptismatis flammae ejus temperatae sunt, ut iam non sit difficile gratia Dei adiuvante, eam jejuniis et orationibus ita domare, ut nec propositum virginitatis, nec perpetuum Dei servitium impediat.

Quid jam de daemone dicemus? Quis nescit eum Christi virtute prostratum, et debilitatum, sub pedibus Christianorum gemere, et neminem posse vincere, nisi volentem? Audite magnum Antonium versutiae et virium diaboli peritissimi: *credite*, inquit, *mihi experto, pertimescit Satanas recte viventium vigilias, orationes. jejunia, voluntariam paupertatem, vanae gloriae contemptum, humilitatem, misericordiam, irae dominatum, et praecipue purum cor erga Christi amorem.* Novit terrimus coluber, ex praecepto Domini sub justorum se jacere vestigiis: Signum crucis, et fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est.

Neque vero solum hoc tempore mundi fallaciae detectae, ignis concupiscentiae imminutus, et vires diaboli fractae ac debilitatae sunt: sed etiam gratia Dei est copiosior, lumen majus, exempla plura: Aperti sunt fontes Salvatoris, pluunt de cruce Domini imbres Sacramentorum; *fluminis impetus laetificat civitatem Dei.* Numquam tot libros tot salutaria documenta, tantum lumen scientiae, tot media ad salutem habuimus, quod modo habemus; Exempla vero sanctorum pene sunt innumerabilia: Nemo est plane, qui non habeat in coelo, quem sibi imitandum proponere possit: viri, foeminae, principes, privati, sacerdotes, laici, monachi, saeculares, virgines, conjugati, philosophi, medici jurisconsulti, milites, fabri, agricolae, omnes omnium generum, sexuum, conditionis, facile reperient ex tanto numero beatorum, qui regnant cum Christo cujus vestigia sequi possint, si velint. Videor mihi viam regni coelorum ita stratam et tritam videre, ita signatam sanguine Martyrum, ita refertam sanctorum vestigiis, ita plenam trophaeis sanctorum, quae variis temporibus ob insignes victorias erecta sunt ut non solum tutissima, et certissima, sed etiam amoenissima et jucundissima sit via.

Itaque, auditores optimi, magno animo, summaque alacritate per hanc viam curramus ad propositum nobis bravium: *aspiciamus in auctorem fidei*, qui sublato vexillo nos invitat: brevi labores finientur, regnum coelorum appropinquavit. Quid nobis cum saeculo, et iis viis, quae ducunt ad inferos? Abiiciamus onera et sarcinas, quae nos impediunt, ponamus paulisper cogitationes rerum temporalium: mille et quingenti et septuaginta anni sunt, ex quo dictum audivimus; *filioli, novissima hora est et praeterit figura hujus mundi.* Quid igitur jam a mundo tabescente et casum ac ruinam ultimam minante, expectare poterimus? Atque haec quidem sunt bona, quae nos excitant ad surgendum, et ambulandum.

Verum si unquam fuit, nunc hora est nos de somno surgere; mala enim tam multa et tam gravia sunt, ut nos dormire diutius nullo modo patiantur: Nonne *si sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam*? Hei mihi, quam multi fures et latrones exierunt in mundum plena sunt omnia haereticorum, qui et fortunis, et animis, et corporibus insidiantur, numquam tot portenta, tot monstra haeresum, et sectarum extiterunt. Apertus est nunc puteus abyssi, iterum revocantur in lucem Ariani, revocantur Sabelliani, revocantur Nestoriani, revocantur Pelagiani, revocantur Manichaei, et qui tandem non revocantur? Videmus oculis nostris perire Galliam, perire Germaniam, Poloniam Bohemiam, Angliam, Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, et adhuc non excitamur? Videmus incendia vicinarum domorum, audimus quotidie caedes, direptiones, et spoliationes templorum, timemus tumultus et seditiones et adhuc dormimus? Vigilat virga furoris Domini, immittuntur pestilentiae, immittuntur eluviones, immittuntur penuriae, et si hoc est parum, veniet, mihi credite, etiam bellum neque dormiet virga Domini donec nos vigilemus: Tunc enim virga vigilat, cum dormiunt homines, et tunc dormit, cum vigilant homines. Itaque, Auditores optimi, nisi serio excitemur, nisi diligentius in negotium salutis incumbamus, nisi mores emendemus, nisi zelus honoris Domini, et salutis animarum nos inflammet, sane praedico vobis, christiani sumus, fides recedet, quaeret loca meliora, extinguetur lumen, quod in vobis est, *egredietur omnis decor a filia Sion.* Quare cum tot bona, tam magna, tam multiplicia nos invitent; mala vero quae undique nos premunt, etiam compellant exire de mundo, *faciamus de necessitate virtutem*, deseramus mundum, antequam deseramur a mundo: fugiamus de saeculo, antequam fugiat a nobis saeculum: properemus ad Deum, antequam rapiamur a diabolo. Ita nos Christus in terris laetos, in coelis beatos efficiet, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO III.

DE EADEM DOMINICA PRIMA ADVENTUS

THEMA

Erunt signa in sole, et luna, et stellis; et in terris pressurae gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum. *Luc.* 21.

SYNOPSIS

Duplex Christi adventus indicatur, unus praeteritus in humilitate, alter futurus in majestate. De modo, ac tempore signorum Christi adventum praecedentium, variae variorum opiniones adducuntur, tandem hac de re nihil certi, antequam fiat, definiri posse concluditur, diem enim judicii nobis occultum Deus voluit. Unde Lutheranorum de eo ridiculosum praesagium exploditur, et ejusdem certum tempus statuentes ridentur. Quinam ad signa ista capita levaturi sint. Similitudo fici triplici sensu explicata: historico, parabolico, et morali. Synagogam Judaicam saepius ficui comparatam fuisse probatur. Tribulationes hujus mundi nobis plurimum prodesse similitudine hiemis et Christi exemplo docetur.

In secunda parte tres causae afferuntur, cur hoc die evangelium istud legatur: prima, ne paupertas nascituri Christi nos offendat, ejus simul majestas proponitur. Secunda, quia idem evangelium aliquo modo Christi nativitatem etiam praemonstrat, in qua sol Justitiae Christus obscuratus est, et ecclesia, seu etiam b. Virgo non spargebat lumen solitum, stellae, idest, angeli de coelo lapsi sunt, et mare turbatum est, hoc est, Herodes et tota Hierosolyma. Tertia, quia frequens extremi judicii cogitatio non ad Christi natalem praeparare efficax est. Inde quomodo ad diem judicii nos praeparemus disseritur. Tantem pulcherrima similitudine humanae calamitatis, post quorumdam locorum mores taxatos, finis imponitur.

Minime dubito, ornatissimi Auditores, quin vestrum nonnulli mirentur, cur ecclesia hanc potissimum evangelicam narrationem hodie nobis proponat, quae nec tempori accomodata esse videtur, nec adventui Domini, quem hodie agere incepimus convenire? Duos enim adventus Domini ac servatoris nostri litterae sacrae nobis commendant: Unum in humilitate: alterum in majestate: ac priorem praecessisse jam credimus; posteriorem omnino futurum minime dubitamus. Jam vero cum pia mater nostra ecclesia catholica, a Spiritu sancto edocta, non posteriorem, sed priorem adventum hoc tempore veneretur, et colat; tamen illam evangelii partem inter sacrorum solemnia recitari audivimus, in qua signa non prioris, sed posterioris adventus continentur. Itaque adventum priorem ecclesia commemorat, et evangelium hodiernum explicat posteriorem. Quamobrem non solum hodie ipsa evangelii verba explicanda erunt; sed etiam breviter exponendum, quo consilio majores nostri, viri sapientissimum hoc evangelium potissimum pubblice in ecclesiis decantari voluerint.

Ut igitur ad explicationem evangelii veniamus, posteaquam Dominus diu jam de excidio urbis Hierosolymae verba fecerat, ut ex capite vigesimo primo Evangelii secundum Lucam intelligi potest, paulatim ad excidium orbis totius explicandum descendit: Interitus enim praeclarissimae, et maximae illius verbis, orbis universi interitum sine dubio designavit. Asseruit vero Dominus, horribilia quaedam signa orbis casum, et judicium extremum antegressura. *Erunt signa, in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore: Nam et virtutes coelorum movebuntur.* Itaque totus orbis signa dabit, in coelo sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, et stellae erunt decidentes; Supra coelum virtutes coelorum, hoc est, Angeli (ut b. Hieronymus in Matthaeum, Ambrosius in Lucam, Augustinus et Hesichium docent) commovebuntur: In terrra homines pressuras patientur, atque arescent prae timore: in mari denique fluctus atque undae in immensam altitudinem excrescent; quiddam maxime horrendum insonabunt. Est vero maxima quaestio, ac pene inexplicabilis, ad quem modum, et quando ista fient? Nam b. Hieronymus et Chrysostomus

solem et lunam obscurandam esse censent, non quia lumen amittent: sed quia cum claritate corporis Christi, quod tum aderit praesens, et conspicuum comparata, lucere omnino non videbuntur. Neque ab eorum sententia multum absunt b. Hilarius, aliique nonnulli. Verum, Auditores, sancti isti Patres nostram quaestionem minime dissolvunt: Siquidem ipsi solum de eo tempore loquuntur, quo Liberator noster in nubibus coeli toti orbi conspicuus apparebit: solis vero et lunae globi lumine privabuntur, atque deficient etiam antea, quam Deus in nubibus coeli gloriosus appareat, alioquin signa adventus Domini dici non possent. Nec enim Domino praesente ad eum ab aliis sanctis hominibus internoscendum signis indigebimus; Erit enim ipse omnium pulcherrimus, et clarissimus. Et quemadmodum Sole exorto, etiamsi tempore eodem Luna in coelo conspiciatur, nemo quaerit, uter eorum globorum sit Sol, satis enim Sol excellentissimo suo fulgore,et claritate se prodit. Sic etiam non difficile erit tempore judicii inter multa millia sanctorum regem,et judicem Christum ut alterum solem inter minora sidera dignoscere. Ad quem igitur modum anteipsum Domini adventum sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo? B. Augustinus in epistola octogesima, quae est ad Hesichium, et b. Ambrosius in capite vigesimo primo Lucae, ad tropos et figuras recurrendum putaverunt; ut nomine solis,et lunae,et stellarum,Christum et ecclesiam, et sanctos homines intelligamus.Sed quamquam haec ita se habent, et secundum mysticum quemdam et spiritualem sensum vera sunt; tamen dubium esse non potest, quin etiam verus sol, et vera luna obscurari, et deficere debeant, sicut vere gentes pressuram patientur, et veri fluctus, et verae undae multo horribilius quam unquam antea resonabunt. Nam si cum rex indignatur atque ira succensus tamquam leo rugit per aulam,omnes famuli atque administri timent, et tota regia conturbatur, quid futurum putamus cum summus, et potentissimus rex coeli, et terrae, tot hominum criminibus ad iram justissimam provocatus omnes suas injurias unica die ulcisci constituet? Quomodo tanto rege commoto non omnes res creatae pariter movebuntur?

Nam profecto maxime de casu stellarum omnino difficile est controversiam definire. Si enim dicere velimus, stellarum nomine accipiendos esse ignitos quosdam vapores, qui tanta habent cum stellis similitudinem, ut vulgo jam stellae cadentes dicantur, cavendum est ne evangelio repugnemus: nam si evangelium de vero sole veraque luna loquitur: num consequens est, ut non etiam de veris stellis loquatur? Quod si tanta evangelii auctoritate permoti; stellas vere casuras in illa magna rerum perturbatione affirmemus, statum occurreret infinita turba mathematicorum, a quibus nos expedire nullo modo poterimus: siquidem ipsi quasi stellarum magnitudinem dimensi essent, vociferabuntur,et clamabunt, stellas cadere non posse super terram: nam cum nulla sit fixarum, et non errantium stellarum tam exiqua, quam terrae magnitudinem longe non superet, si vel una ex minutissimis caderet,totus orbis terrarum eam excipere non posset. Et quamvis mathematicorum decretis obiicere possemus, magnum Basilium, b. Chrysostomum, Ambrosium,et virum longe doctissimum Augustinum, nec non alios permultos, qui stellas omnes,uno solis globo excepto a lunae magnitudinem superari contendunt; ex quo fit, ut multo majori ratione stellae omnes a terrae magnitudine superentur. Nam unam multo et mathematici confitentur; tamen quia non propterea mathematici conquiescerent, neque nos cum illis contendere volumus, idcirco unum e duobus omnino dicendum est, vel stellas veras hic quidem accipiendas esse;sed eas non vere ac proprie casuras, sed dumtaxat metaphorice; quia nimirum lumine penitus orbatae jam non amplius esse in coelo,sed ex eo cecidisse videbuntur. Id quod multis Theologis Doctoribus video placuisse. Velut, quod mihi multo magis placet, ut fatear aperte quam sentio, quaestionem istam antequam signa illa appareant, definiri non posse, ita ut nostrae ignorantiae confessio sit nostrae sententiae explicatio: Ea siquidem,quae Dominus de futuro judicio,de mundi interitu, et signis praecedentibus disputavit, omnia prophetica sunt. Dicta vero Prophetarum id proprium habent, ut antequam impleantur nihil fere aliud, quam aenigmata sint: impleta vero ab omnibus intelligantur. Praedixit Dominus excidium Hierosolymae; *venient*, inquit, *dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, etc.* Et nunc quidem, quia vaticinium impletum est, omnes intelligunt, dies illos a Domino praedictos fuisse anno quadragesimo ab obitu Salvatoris: inimicos vero Judaeorum, qui Jerusalem caede, et incendio vastaverunt, fuisse Titum, et Vespasianum Romanorum Imperatores. At vero, si antequam vaticinium impleretur, aliqui expositores accessissent, et unus dixisset: Dies isti a Domino praedicti post unum mensem advenient; alter vero, non,sed post centum annos.Pari ratione de hostibus Judaeorum unus dixisset: Assyrii erunt; alter, Persae erunt, non Assyrii: Tertius, Romani erunt, nonne omnes ridiculi, et divinatores potius, quam expositores essent?At nunc post eventum rei omnia perspicua, et facilia sunt. Intellexerunt hoc prisci illi patres sanctissimi, atque eruditissimi homines, ac propterea parum omnino solliciti fuerunt, An stellae vere cadere possent, et ad quem modum coeli lumina obscurabuntur: quod idem fecerunt in tempore illo investicando, quo haec futura sunt. Nam cum Lactantius anno ab orbe condito sexies millesimo judicium futurum, et post mille annos a judicio orbem totum destruendum censuerit: alii vero, ut b. Augustinus auctor est, post quadringentos: Alii post quingentos: alii post mille annos ab ascensione sua Dominum ad judicium descensurum existimaverunt.Sancti illi patres Hilarius,Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus incredibili consensione diem illum sciri non posse affirmaverunt.Nec *enim est nostrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate, et quae nemo scit, neque angeli Dei, qui semper vident faciem patris, qui in coelis est.* Et quemadmodum illi qui annos quadringentos, vel

quingentos, vel mille ab ascensione Domini definierunt, decepti sunt, eventus, et experientia docuit:sic omnes alii decipientur,qui tale aliquid definire tentaverint. Nonne haeretici Lutherani ante annos ferme quadraginta, et Vitebergae, et alibi, ut spiritum prophetiae accepisse demonstrarent, jam jam diem Domini instare praedicabant?et certum etiam quemdam diem, quo judicium esset futurum definire non verebantur? nonne jam plerique propterea, neque domos aedificare, neque agros colere;sed solum ad eum diem se comparare volebant? et tamen finita dies jamdiu praeteriit, et prophetae mendaces inventi sunt. *De fine autem temporum*, inquit d. Hilarius in Matthaeum scribens, *curam sollicitudinis nostrae ademit, diem illum dicens, nomini esse cognitum.* Et beatus Ambrosius libro quinto de fide, capite octavo. *Non prodest*, inquit, *scire, sed metuere,quod futurum est: Scriptum est enim: Noli altum sapere, sed time.* Beatus vero Chrysostomus scribens in Matthaeum, *quod*,inquit, *dixit, neque angeli sciunt, repressit eos, ne scire vellent, quod angeli nesciunt. Eo vero quod dixit: neque filius, non solum a discendo, sed etiam a quaerendo prohibuit.* Denique, ut alios omittamus, Augustinus ad Hesichium scribens: *Libenter*, inquit, *nesciamus, quod nescire nos Dominus voluit.* Et libro decimo octavo de civitate Dei capite quinquagesimo tertio. *Omnium*, inquit, *de hac re calculantium digitos resolvet,et quiescere jubet,qui ait non est vestrum scire tempora, vel momenta, quae Pater in sua posuit potestate.*

Quae cum ita sint,quis explicet quorumdam impudentiam singularem? Christus clamat: *non est vestrum scire tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* Et: *vigilate, quia nescitis diem, neque horam*, Et: *de die autem illo nemo scit, neque angeli in coelo, nisi solus Pater.*Confitetur Hilarius,confitetur Chrysostomus,confitetur Augustinus,omnes patres, omnes doctores, omnes angeli confitentur,se magna illa momenta nescire, quae Pater posuit in sua potestate; et quidam superbissimi vermiculi tempora ista,et momenta definire non erubescunt? Itaque, auditores,si in Heliam quemdam, non Prophetam ecclesiae, sed Rabinum Synagogae, et in alios ejusdem generis somniatores incideritis, qui certos annos consummationis saeculi definire voluerunt, eos me auctore deridete, atque contemnite. Omnes vero majorum, et patrum nostrorum sobrietatem, et sapientiam imitantes, haec omnia, quae Dominus de posteriore adventu suo praedixit, omnino futura esse credamus. Ad quem autem modum; et quando implenda sint, id vero Domini cognitioni, atque intelligentiae concedamus, et nostram scientiam effugere aequo animo patiamur.

Sequitur, *et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Signis vero illis tamquam praenunciis quibusdam ante suum adventum praemissis, cum maximo totius orbis stupore apparebit in aere summus ille Judex vivorum, et mortuorum;tantoque lumine et splendore quasi vestitus erit, ut soli,et lunae,et omnibus coeli luminibus tenebras offundat.Veniet vero in majestate, hoc est, in majori statu, quam antea venerit: Is enim qui quondam cum maxima humilitate, et abjectione venit, cum maxima potestate et majestate veniet.Et qui aliquando solus de coelo descendit, tunc multo, magnoque comitatu stipatus descendet: et qui olim, ut reus ab hominibus judicandus, advenit: tunc, ut aequissimus, et potentissimus judex omnes homines judicaturus adveniet: et qui jacuit contemptus in stabulo, sedebit gloriosus in nube: et angeli, qui in priori ejus adventu laeti canebant: *Gloria in excelsis Deo, etc.* In posteriori horrende insonabunt; *Surgite mortui, venite ad judicium.*

His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra. Perditi quidem, et facinorosi homines, qui male sibi conscii sunt, his fieri incipientibus non audebunt in coelum respicere: sed in humum, quam semper dilexerunt, oculos suos defigent, contabescent, arescent, deficient prae timore; quoniam appropinquat condemnatio eorum. Vos vero, qui thesaurum vestrum in coelis posuistis, qui adventum istum semper desideravistis, quos fides, et opera securos efficiunt, respicite, et levate capita vestra: et quantum in aliis metus, et odium crescit, tantum in vobis spes et desiderium augeatur. Appropinquat enim plena, et perfecta redemptio vestra: *ut* jam tandem videlicet *reformetur corpus humilitatis vestrae configuratum corpori claritatis suae.* Vos inquam, qui *intra vos gemebatis, adoptionem expectantes filiorum Dei*, redemptionem corporis vestri, respicite jam, et levate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra, qua corpora ista ab omni corruptione, et mortis injuriis vindicentur.

Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis quia prope est aestas: ita et vos cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei etc. Foecunda plane sunt haec verba, auditores: nam et historicum, et parabolicum, et moralem sensum recipiunt. Juxta historiam, sicut folia, et flores, et fructus arborum, signa sunt vicinae aestatis: sic etiam solis ac lunae obscuratio, stellarum, et siderum casus, maris ac fluctuum sonitus, et gentium in terris pressura, ac metus, signa sunt obitus mundi, et futuri judicii. At vero juxta parabolam novum signum superioribus Dominus addidit, conversionem scilicet Judaeorum: Quid enim ficulnea in scripturis, nisi populum hebraeorum significat? *Habebat quidam arborem fici plantatam in vinea sua*, ait Dominus, *et venit fructum quaerens in illa, et non invenit, etc.* Quam parabolam Dominus, ut b. Ambrosius, et alii patres exponunt, sine ulla dubitatione de hebraeis dixit. Rursum maledixit ficulneae, ut Marcus capite undecimo auctor est, quod in ea fructum quaerens nihil praeter multa folia invenisset: quo loco ficulneae nomine Synagogam Judaeorum intelligendam esse, nemo est, qui dubitet: sciebat enim Dominus non posse tunc ficus in ficulnea inveniri: non enim erat tempus ficuum, ut ipse Marcus evangelista testatur: sed aliud quaerebat, aliud desiderabat: quaerebat ficus in arbore

desiderabat opera bona in Synagoga. *Folia erant* inquit August. in psalmo 34. de hac ficulnea loquens, *et fructus non erant,verba erant*,et *facta non erant. Vide in verbis numerositatem*, et *in factis sterilitatem*.Hinc etiam Nathanaeli Dominus ait: *cum adhuc esses sub ficu*, hoc est cum adhuc sub umbra Synagogae degeres, et nihil de Messia audivisses, *vidi te*. Denique, quod in canticis canticorum legimus: *ficus protulit grossos suos*, quis ambigat ad populum hebraeorum etiam referendum? Hinc enim sumit sponsus argumentum suasionis, ut sponsa properet venire ad vineas, quia ficus jam protulit grossos suos.et in posterum meliora succedunt; grossi enim ficus quaedam sunt: sed vice florum oriuntur, et tamquam ad nihilum utiles immaturae cadunt, et dant locum maturandis. Grossi igitur quos perpetuo protulit Synagoga, opera inutilia, acerba; quin etiam perniciosa, et venenata fuerunt ut saepius repetita idololatria, ut caedes omnium Prophetarum, ut ipsa impia, et detestanda Christi Servatoris occisio. Hic enim fuit omnium postremus, et grossissimus atque acerbissimus grossus.Tunc impleverunt mensuram peccatorum suorum: tunc impleta est malitia urbis Hierusalem.Atque propter hunc ultimum grossum, dixit Dominus cultori vineae: *ecce tres anni sunt, ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac.* Veni tempore Patriarcharum , veni tempore Prophetarum: veni tempore Messiae : et nihil unquam, nisi grossos inveni: *succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat*? Cultor vero adhuc annum unum, hoc est, tempus aliquod impetravit, donec Apostoli quoque circa eam foderent, et mitterent stercora, hoc est, in oculis Judaeorum peccata ipsorum ponerent , et tum cum nulla jam esset spes conversionis , misit Dominus operarios suos, Titum et Vespasianum , et radicitus eam evulsit: et ramos ejus per omnem orbem terrarum disiecit. Vere igitur populus hebraeorum ficulnea fuit, quae bona licet Patriarcharum radice prodierit, numquam tamen in altum proficere,numquam se humo attollere voluit, numquam radici respondere proceritate ramorum,generositate florum foecunditate fructuum: sed perpetuo humilis, fragilis tortuosa, nodosa fuit , et informes atque acerbos grossos pro pulchris,et odoratis floribus tulit.Sed in fine nihilominus temporum *reliquiae salvae fient. Cum enim plenitudo gentium intraverit*, et ipse Israel licet olim incredulus convertetur , et tunc finis mundi et Christi judicium erit in foribus. *Ab arbore igitur fici discite parabolam; cum ramus ejus tener fuerit, et folia nata*, hoc est, cum ficulnea illa in adventu meo propter suam incredulitatem arefacta iterum virescere , et frondescere incipiet, et durae illae cervices Judaeorum mollescent, et leni jugo meo subiicientur, scitote quoniam prope est aestas: illa, inquam,aestas, in qua messis fiet, et bona frumenta in horreum Domini recondentur, paleae autem et zizania igni inextinguibili cremabuntur. Haec igitur de parabola.

Quid tandem et nos ex hac sententia utilitatis referemus? Multum omnino, auditores, si illud diligenter perpendamus, quemadmodum communis mundi perturbatio,atque interitus, felix et faustum signum est communis omnium sanctorum gloriae et felicitatis: sic etiam singulares uniuscujusque nostrum temporaneas calamitates, et aerumnas,signa faustissima esse perpetuae uniuscujusque nostrum prosperitatis, et pacis.O nos felices, si rem istam intelligere possemus? Rei siquidem ejus ignoratio id in hominibus efficit , ut tunc ipsi doleant, cum est maxime gaudendum et tunc saepe gaudeant, cum omni jure esset dolendum. Accipite similitudinem a segetibus, et arboribus. Cum frumenta in arvis ab agricolis seminata sunt,quam obsecro , hiemem vos vestris segetibus desideratis? Adolescentes fortasse, qui magis defuis ludis, quam de segetibus soliciti sunt , hiemem totam serenam et dies claros et temperato calore blandos, sine pluviis, sine ventis, sine glacie, sine nivibus optarent: nimirum ne deambulationes et cursus, et ludi eorum diebus feriatis impedirentur. Verum ista serenitas hiemis, iste calor intempestivus, segetibus non modo non conferret; sed etiam vehementer obesset. Continuo namque exorirentur, radices non facerent, neque aliud, quam herbas, et paleas suis cultoribus parerent. Quocirca sapientes agricolae malunt in hieme frigora, et glacies, et nives, et pluvias , quam diuturnam, et male blandam ac tepidam serenitatem. Intelligunt enim hoc pacto segetes cohiberi, ne ante tempus exoriantur; sed primum longas, et firmas radices figant: deinde tempore suo fruges uberrimas, et optimas fundant. Nos omnes, Auditores , segetes sumus in agro mundi hujus seminatae, ut aliquando bonum frumentum efficiamur , et in horreum Domini messorum, hoc est, Angelorum manibus recondamur. Ac praesentis quidem vitae tempus totum est hiems:aestas vero paulo post sine dubio consequetur. Quid igitur si sapimus, optare debemus? Nonne pluvias? nonne glacies? nonne nives? *Omne gaudium existimate fratres,cum in varias tentationes incideritis.* Ergo cum omnia prospere in hac vita succedunt, nolite gaudere, nolite extolli. *Divitibus hujus saeculi praecipue*, inquit Paulus, *non sublime sapere.* Suspecta sit nobis ista ubertas, et non naturalis serenitas: ne forte in aestate paleae sine frumento inveniamini , ac proinde colligamini in fasciculos ad comburendum.Contra vero, cum undique spirant aerumnae, pluunt imbres tribulationis, irruunt venti calamitatis, dicite vobis ipsis; faustum est hoc signum, turbida atque horrida hiems laetam, et divitem aestatem nobis adferet.Aspicite liberatorem nostrum Jesum Christum, ipse granum frumenti pro nobis fieri, et in hac terra voluit seminari: quam quaeso hiemem expertus est? Num vel unum diem laetum et serenum habuit? Nonne omnia venti, et pluviae persecutionum et tribulationum sibi vendicarunt ? Sic oportuit Christum pati, ut cresceret postea , non solum in spicam ; sed etiam in arborem magnam , et longe maximum fructum adferret. Sic igitur et nos cum similem hiemem experimur,gaudeamus et exultemus, quoniam messis vestra copiosa in aestate erit.

PARS ALTERA

Exposuimus, vel perstrinximus potius evange-

lium; restat nunc ut cur hoc tempore proponatur, breviter videamus. Hujus rei tres praecipue causae mihi esse videntur: primum enim eum diem jam agere, et celebrare incipimus, quo liberator generis humani nostrae carnis mortalitate indutus ad nos venit; quia vero nihil majestatis, nihil amplitudinis, nihil excellentiae singularis in hoc primo adventu prae se ferre videbitur, quin potius more caeterorum infantium parvulus, imbecillis, nudus vagiens, prodibit in lucem, in praesepi collocabitur, super foenum jacebit; nullus apparatus, nisi rusticanus, nulla tapetia, nisi telae aranearum; nulli famuli, et administri, nisi bos et asinus circa illum apparebunt: Quis obsecro, sibi facile persuadebit, eum et regem, et Deum et verbum et sapientiam esse? Ut igitur non nos tunc humilitas ejus offendat, ejus nunc nobis majestas, et gloria praedicatur. Et ne tunc eum ut unum de turba, contemnamus, multo ante nobis praedicitur, eum judicem orbis terrarum esse futurum, venturumque in nubibus coeli cum potestate magna, et majestate. Atque haec quidem est ratio prima.

Porro altera ratio ex illo sumitur, quid ea signa adventus Domini, quae in hodierno evangelio continentur, tametsi vere ac proprie posterioris adventus signa sint: tamen secundum quamdam mysticam, ac reconditam intelligentiam, ad priorem quoque eventum referuntur: Siquidem in die natali Domini sol obscuratus est, et luna non dedit lumen suum, et stellae de coelo lapsae sunt, et virtutes coelorum motae sunt, nec in terris defuit pressura gentium prae confusione sonitus maris, arescentibus hominibus prae timore. Quid enim sol, nisi Christum significat? qui est *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et quem jure ac merito solem justitiae nominamus? Iste igitur sol obscuratus est, cum Verbum carne circumdatum mundo apparuit. Quae major obscuratio cogitari potest, quam ut creator, et Dominus ita lucem suae majestatis abscondat, ut opificium, et mancipium esse videatur? Verum enimvero, quomodo sol, cum nobis deficere videtur lumen suum neque amittit, neque remittit: sed illud dumtaxat abscondit: sic et Dei verbum cum caro factum est, non esse desiit, quod erat: sed esse coepit, quod non erat: neque lumen divinitatis in eo defecit, sed solum obscura nube carnis humanae contectum, atque opertum fuit. Et quemadmodum solem adversum, si nulla nube tegatur, intueri non possumus, eiusque radiis acies nostra sensusque vincitur: sic et verbum usque ad diem obscurationis suae propter nimium fulgorem quem ex se emittebat, cerni non poterat, vereque tunc erat Verbum apud Deum, hoc est, in sinu et corde Patris penitus abditum, ac reconditum, ut ab oculis mortalium videri non posset. At ubi *Dominus super nubem levem*, juxta Prophetae vaticinium *ascendit*, et humana carne vestitus vim illam divinorum radiorum continuit, et nobis faciem suam nube interposita obscuratam ostendit: Tunc *vidit omnis caro salutare Dei.* Nam *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Ecce igitur vobis obscurationem solis. Caeterum lunae quae in adventu Domini nunc dedit lumen suum, quid nisi coetum fidelium, ecclesiamque designat? Ut enim luna modo magna, modo parva, modo nulla videtur; ita ut sapiens dicat: *stultus ut luna mutatur*: sic et ecclesia modo decrescit, modo brachiis orbem pene totum complectitur, modo contrahitur, in angustumque deducitur, quod his nostris miserrimis, calamitosisque temporibus videre cogimur vel inviti. Et quemadmodum luna luce lucet aliena, et radiis solis accensa convertitur: sic et ecclesia, quicquid gratiae, quicquid decoris quicquid luminis habet, id totum a Christo habet, qui sol justitiae, et appellatur, et est. Haec igitur luna, quae in ortu Domini ac Servatoris nostri lumen non dabat, ecclesia coetusque fidelium est: Numquam enim minor ecclesia fuit, numquam obscurior, numquam vilior, numquam abjectior. Tunc enim excepta Palaestina, quae exiguus angulus orbis terrarum est, ubique idola regnabant, totus orbis in tenebris errorum densissimis versabatur. Et ille ipse angulus, de quo olim Propheta canebat: *Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus*, circa Domini natalem diem, partim erroribus Sadducaeorum, partim moribus parum probatis, et flagitiosa vita Pharisaeorum et sacerdotum ita corruptus et depravatus erat, ut nihil pristini decoris ac luminis habere videretur. Nulli tunc Davides, aut Ezechiae: nulli Aarones, aut Eleazari; nulli Heliae, aut Isaiae inveniebantur: sed reges prophani sacerdotes sacrilegi, et Prophetae mendaces Hierosolymis erant. Vere igitur tunc luna, hoc est, fidelium congregatio, non dabat lumen suum. Nec immerito, auditores; nam adveniente Domino vetus ecclesia moriebatur, et nova nascebatur. Itaque novilunium erat et luna cum sole conjungebatur, ac propterea exigua ac pene nulla videbatur. An est quisquam, qui hoc ignoret in novilunio lunam pene nullam videri?

Sed fortasse a vero non aberraremus, si virginem Dei matrem lunam istam esse diceremus: de ipsa enim ecclesia canit. *Pulchra ut luna, electa ut sol.* Numquid enim obscurata non fuit haec luna, cum tam excellens foemina, tam singularis, cujus pectus domicilium erat omnium virtutum, et quae singulari privilegio mater, et virgo erat: nec non Dei patris filia, filii mater, Spiritus sancti sponsa, angelorum Regina, orbis Domina, decus humani generis, qualem alteram mundus omnino non habuit, nec habebit: cum inquam, talis foemina gloria foeminarum ab hominibus non agnoscebatur, nec ut par erat, colebatur: quin potius despiciebatur, et contemnebatur, et cum Deum gestaret in utero, in stabulum abjectissimum se recipiebat? Cum inter tot peregrinos ei soli fortasse in diversorio locus non esset? Itaque luna non dabat lumen suum. Nunc quidem haec luna defectum non patitur; nam et ipsa in omnem terram radios suos diffundit, *nec est qui se abscondat a calore ejus*: Ubique terrarum suscipitur, colitur, adoratur. Sed tunc luna non dabat lumen suum.

Et stellae cadent de coelo. Porro stellarum casus in adventu Domini maxime perspicuus fuit: nam usque ad aerem istum terrae proximum stella quaedam maximi fulgoris lapsa est, et Magis ex Perside venientibus palatium regis pauperis de-

monstravit. *Ecce*, inquit, *stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Et virtutes coelorum movebuntur.* O quam aperte hoc signum apparuit quando, ut d. Lucas testatur, *subito facta est cum angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum, et dicentium: gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis?* Postremo fuit in terris pressura gentium, prae confusione sonitus maris: Mare siquidem nihil est aliud, quam mundus, sive perditi illi homines, qui mundi nomine in sacris litteris designari solent. Quocirca b. Augustinus psalmum nonum et trigesimum exponens: *Hoc saeculum*, inquit, *mare est: habet enim amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationum, tempestates tentationum; habet homines velut pisces de suo malo gaudentes, et tamquam se invicem devorantes.* Et rursum in psalmum nonagesimum secundum. *Navicula*, inquit, *ecclesia est, mare saeculum: venit Dominus ambulavit super mare, et pressit fluctus. Quomodo ambulavit Dominus super mare? potestates et reges crediderunt, et subjugati sunt Christo.* Hoc est igitur mare, quod quidem num oriente Christo turbatum non est? Audite, quid b. Matthaeus evangelista dicat: *audiens autem Herodes*, nempe natum Christum, *turbatus est et omnis Hierosolyma cum illo.* Ecce vobis mare turbatum: ecce fremitum resonantium undarum: *turbatus est*, inquit, *Herodes, et omni Hierosolyma cum illo.* Illinc vero statim pressura gentium in terris subsecuta est: An non fuit in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, quando Maria et Joseph pene arescentes prae timore intempesta nocte fugam arripere, et in Aegyptum concedere compulsi sunt? Et quando Magi ab angelo admoniti per aliam viam in Persidem redierunt, ut eam tempestatem evaderent, quam Herodes excitabat, nonne erat in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris? Postremo cum tot millia innocentium puerorum insanientis Herodis jussu caesa sunt, et tot parentes, tot matres, tot nutrices in luctu, et squalore fuerunt, et quanta esset rabies turbati maris probe expertae sunt, nonne erat in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore? Quae cum ita sint, planum jam esse arbitror, signa, quae in hodierno evangelio continentur, tametsi proprie ad posteriorem Christi adventum referuntur: tamen ad priorem etiam aliquo modo non male, nec inepte referri.

Sed jam ad tertiam, et postremam rationem veniamus: cum hoc tempus sit quasi quaedam longa vigilia, et tamquam parasceve, ad natalem Domini diem probe celebrandum instituta, ratio ipsa exigere videbatur, ut illud evangelium Ecclesia nobis proponeret, quod maxime esset utile ad Christianorum animos praeparandos. Et quid obsecro utilius, quam futuri judicii cogitatio? Ea namque timorem sanctum in animis inserit, a peccatis revocat, ad poenitentiam cogit, in officio continet, torporem expellit, diligentiam excitat, vigilantem denique, ac solertem hominem facit. *Si mente*, inquit, b. Ambro. *cernerent homines peccatores, quale judicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate saeculari, si non infidelitate gravaretur.* Et sane, Auditores, quis manus extendere ad quodlibet flagitium perpetrandum auderet, quis non vehementissime perhorresceret, si semel attente cogitaret, quam severum judicium nobis immineat, et quam accuratam et minutam rationem de omnibus verbis, factis, cogitationibus, omissionibus aequissimo et potentissimo Judici reddere debeamus? Unusquisque nostrum, si proprii capitis causam apud severum aliquem judicem certo die dicere, et eo ipso die sententiam, vel vitae, vel mortis audire deberet, quid obsecro ageret? Imo vero quid non ageret? Quid non moveret? Quid non tentaret? O quam sollicite ac diligenter quaeret testes innocentiae suae? O quanto studio amicos et patronos, praesertim nobiles, et gratiosos, qui apud judicem, vel gratia, vel auctoritate valeret, sibi compararet? O quam saepe, et attente meditaretur causam suam, et rationes atque argumenta excogitaret, quibus innocentiam suam judici persuaderet? Certe non dormiret, non torperet, neque spatium ei superesset, quod in ludis, et amoribus poneret. Et quorsum tandem haec omnia? quo tantus apparatus? tantae solicitudines, tantae curae, tantae contentiones tendunt? Fortasse, ut non moriatur? Non sane. Quo igitur? Ut non tam cito moriatur. Nec enim mortem evadere, quod fieri non potest: sed ad paucos dies eam differre contendit. Cum igitur hodie judex ipse non per praeconem, sed per seipsum judicium formidabilissimum brevi futurum pronunciaverit? et ad ipsum coram toto orbe nos omnes citaverit, et in eo non de fundis, non de stillicidiis, non de limitibus agrorum; sed de sempiternis cruciatibus interituque perpetuo agendum sit, quis non intelligit, quanto jure nos formidare, et non dormire, neque otiari, sed studere atque contendere debeamus, ut parati ad illud inveniamur?

Et quid tandem imprimis necessarium esse censetis, ut ad illud bene nos praeparemus? Ego quidem, Auditores, diu super hoc cogitans, et multa volvens, ac revolvens animo, tandem illud serio apud me statui, nihil nobis magis in hac re nocere, quam crapulam, quam amorem carnalium voluptatum. Cur hodie, cum de judicio agitur, canitur nobis ex Apostolo: *non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis: sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum?* Cur ipse Dominus simulatque de judicio illo formidabili locutus est, statim subjungit: *attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et superveniat in vos repentina dies illa?* Et quid ex iis omnibus judicare possum, nisi comessationes et ebrietates, maxima omnium malorum, fugiendas esse, si laeti et securi ante filium virgines apparere velimus? Ratio deinde nonne et ipsa hoc docet, nulla re magis corda hominum gravari, et omnium bonorum oblivisci, quam ebrietate? Existat hic aliquis contritus, compunctus, qui conceperit vitam mutare: nonne si hac nocte adeat convivium non sobrium, gravabitur rursum cor ipsius, et vini copia spiritus conceptos extinguet, et rursum garrire, insanire, aliis detrahere, scurrilia

et impudica verba loqui, et carnis titillatione ad libidinem incitari incipiet, sicut antea? O quam multos perdit,et ad gehennam trahit ista amarissima delectatio? Accipite brevem similitudinem humanae calamitatis, et finis orationis sit.Currebat quidam per agros, et casu quodam incidit in horrendum quemdam puteum: verum dum caderet alio meliori casu manibus extensis, arbusculam quamdam apprehendit,quae de pariete putei illius prodibat; tum vero pedibus super eam compositis totus perterritus, coepit respicere, ubinam esset: et primum intuens puteum profundum,vidit horribilem quemdam draconem, ore,et naribus,et oculis ignem spirantem, qui non dormiebat: sed pendentem hominem horribilibus oculis intuebatur,et semper inhiabat ad casum ejus, et sé ad eum devorandum praeparabat.Deinde ille miserrimus homo attollens oculos,ut videret,si forte ex parte superiori pateret effugium; ecce videt ferocissimum leonem, qui rugiens,saevus nimis discurrebat circa puteum,et ipse quoque praedam illam expectabat. Tum ille inops consilii attendere coepit,quam stabilem sedem nactus esset,et an diu super illam arborem stare posset. Et ecce videt ad radicem ejus duos mures; unum album, alterum nigrum,qui perpetuo eam rodebant, et non parum aberat,quin radice corrosa tota arbor decideret in profundum. Videt quoque ex eodem foramine, ex quo arbor prodierat, quatuor aspides apparuisse, qui continuis bellis, et contentionibus radicem conculiebant, et non parum eam ad ruinam juvabant. Post haec omnia adhuc suspiciens vidit (quod causa totius ruinae illius fuit) in ramis arbusculae paucos quosdam flores, ex quibus guttae quaedam mellis distillabant, tum ille omnium malorum, et periculorum oblitus, non amplius cogitans, quid eum in profundo expectaret,neque ex parte superiori quid capite ejus immineret, neque arbusculam illam statim excidendam et casuram esse, nihil horum cogitans, totus hilaris, et jucundus effectus, dedit se totum floribus illis colligendis, et melli sugendo, quod ex eis profluebat. Haec est parabola nostrae miseriae; Huic miserrimo atque stultissimo homini similes sumus.Cecidimus omnes in hunc mundum, puteum calamitatum longe profundissimum: Intuemini, quaeso, qui infra nos lateat, Quis vestrum gehennam apertam, et viva atque ardentia illa incendia, fidei oculis non videt? Quis non intuetur immanem illum draconem, qui semper inhiat praedae animarum, nec aliud numquam cogitat, quam quomodo nos devoret?Aspicite deinde, quid nostris capitibus impendeat? An non attenditis illum de tribu Juda, cui inimici propter peccata facti sumus, semper rugientem, et judicia sua super omnem pavorem formidabilia nobis comminantem? Et non parcet, mihi credite,in die irae et furoris sui; et qui nunc, dum vivimus, Agnus mansuetissimus est: idem post mortem leo rugiens, et orribilis erit. Aspicite modo arbusculam, quam apprehendimus, intuemini firmitatem humanae vitae, an non videtis duos illos mures, album et nigrum; diem et noctem, qui semper rodunt, et consument radicem vitae nostrae? Et quis eos prohibeat?quis dormire faciat?Huc accedit bellum perpetuum, et intestinum quatuor humorum, quatuor aspidum venenatorum,quos inclusos in pectore, et in visceribus gerimus, qui vitam nostram diuturnam esse nullo modo patientur. Et tamen haec omnia mala, quae nos circumstant, nos miserrimi et infelicissimi filii Adam, et omni lachrimarum fonte plangendi, obliviscimur,non attendimus, non curamus, modo tenuissimos flores, et modicam illam dulcedinem carpere possumus, quam vita ista fallacissima praebet. Sic gravantur corda in crapula, et ebrietate,et curis hujus mundi; sic discendimus ad gehennam sine ullo numero. Pergit Antuerpiam, considerate studia mercatorum, videbitis eos ita inhiantes lucris, ita intentos melli divitiarum, ut numquam cogitent, an animam habeant? An sit judicium futurum? An reperiatur gehenna? An sit Deus in hoc mundo? Redite postea Bruxellam, considerate studia plurimorum adolescentum, videbitis nonnullos ita ebrios amore carnalium voluptatum,ita insanientes rabie libidinum, ita vanos in vestibus, ita immoderatos in potu, ita effrenatos in verbis, ita dissolutos in studiis pietatis, ut non solum non cogitare, sed neque credere videantur quae de futuro judicio,et morte, et gehenna sacrae literae praedicant.

Quare vos oro atque obtestor, per viscera Dei nostri, per salutem animarum nostrarum, nolite claudere aures verbis salutaribus, nolite vobis obstruere viam salutis, nolite obdurare corda vestra. Abstinete a crapula et ebrietate,quibus corda gravantur, et obdurantur: Accipite consilium dum licet, advocati nostri Jesu Christi,ut eum aliquando Judicem secure videre possitis, quod nobis concedat, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO IV.

DE DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

THEMA

Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. *Rom.* 15.

SYNOPSIS

Occasio hujus sententiae Pauli declaratur. Soliciti pro salute proximi esse jubemur. Sacrae Scripturae singularis excellentia, praerogativa, et privilegio, quae accipit tum ab auctore, tum a Materia quorum utrumque est Deus. Quam utile sit nos hic tribulationibus exerceri: Bonis semper malos esse admistos et contrarios: Deum justis vera, non terrena bona largiri, quae melius in adversitatibus conservari similitudine, exemplis, et historiis probatur. Justos in adversis solamen percipere, aut liberari, a simili docetur. Mundi et Dei diversa visitatio et consolatio cum Martyrum exemplis affertur. Cur Deus quosdam tribulatos non consoletur, variae narrantur causae: tandem gravi admonitione ad spem omnem in Deo collocandam concluditur.

Sententia haec Apostolica, quam hodie explicaturi sumus, ex verbis praecedentibus ita dependet, ut sine eorum cognitione intelligi sane non possit. ut igitur paulo altius repetamus. Romani, ad quos Apostolus Paulus scribebat initio nascentis Ecclesiae, partim ex Judaeis, et partim ex Gentibus ad Christi fidem conversi fuerant; et quamquam omnes Christum colebant, tamen adhuc nonnihil dissidii inter eos erat: Judaei siquidem existimabant caeremonias legis observandas, a cibis immundis abstinendum, et judicabant, ac notabant tamquam legis praevaricatores eos, qui non ita faciebant. Contra vero alii in evangelio doctiores, et in fide firmiores, nullum cibum tamquam immundum a Christianis rejiciendum censebant, et cotemnebant, ac spernebant eos, qui judaizabant, tamquam imperitos, et minus in evangelio instructos. Quid igitur Apostolus facit? Utrosque castigat, et judaizantibus quidem ostendit, nihil jam esse immundum, et nos per Christum ab observantia coeremoniarum legis esse liberatos: firmiores autem monet, ut libertate Christiana atque evangelica utantur quidem, sed non in scandalum aliorum. Itaque ait, *Is qui manducat, non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non judicet.* Et rursum ad infirmiores. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: Potens est enim Deus statuere illum.* Ad firmiores vero. *Si propter cibum frater contristatur jam non secundum charitatem ambulas, noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Item ad eosdem. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, et non nobis placere. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Quaecumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.* Hoc est, non debemus ita nobis placere, et in nostra probitate acquiescere, ut de proximo non cogitemus, sicut Pharisaei fecerunt, quibus cum Judas diceret; *Peccavi tradens sanguinem justum.* Responderunt illi: *Quid ad nos? Tu videris.* Non ita faciendum est nobis: si Christus ita facere voluisset, dixisset: ego justus sum: quid mea refert si caeteri sint peccatores? Ego bene me habeo, quid ad me si caeteri pereant? Non ita Christus egit: sed dixit, *improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Idque non tam verbis, quam factis dixit, cum omnium nostrum peccata, et peccatorum poenas super humeros suos imposuit. Ita nos quoque facere debemus, quaecumque enim patientia Christi, et aliorum Sanctorum in scripturis legimus, ea ad nostram eruditionem, et institutionem facere, existimare debemus: Ut hoc modo *per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.* Ecce igitur vobis propositum b. Pauli, et summam explicationis hujus loci; Nunc paulo diligentius partes omnes hujus sententiae consideremus.

Quaecumque scripta sunt. Nemini dubium esse potest, quin Apostolus non de omni scriptura, sed solum de sancta ac divina scriptura, loquatur. Cur igitur tam simpliciter ac generatim ait: *quaecumque scripta sunt?* et non potius; quaecumque in libris sacris scripta sunt? Num tot volumina jurisconsultorum, tot libri philosophorum, tot monumen-

ta Historicorum,scripta non sunt?sunt quidem,Auditores, multae scripturae aliae, sed haec nostra quam jure et merito divinam nominamus,ita omnibus aliis multis nominibus praestat, ut caeterae cum ea comparatae,ne scripturae quidem dici posse videantur. Radices tamen, et quasi fontes quidam privilegiorum hujus nostrae scripturae duo sunt, auctor et materia.

Quis est auctor? Deus.*Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*, ait Petrus: quae est materia? Idem Deus.Nec enim decebat ut Deus de alio, quam de se ipso scriberet;nemo siquidem praeco esse solet laudum inferiorum et obscuriorum hominum, quam ipse sit,sed omnes viros magnos, et rebus gestis claros laudandos, et ornandos suscipiunt. Itaque sicut Caesar rerum quondam gestarum commentaria ipse conscripsit;ita quoque Deus cum nominem haberet ullo modo se superiore, de quo merito scribere posset, de seipso scripsit, et historiis, legibus, vaticiniis, aliisque innumeris modis se Creatorem provisorem, Liberatorem, et Glorificatorem generis humani demonstravit.

Porro oriuntur ex his fontibus privilegia singularia divinae scripturae sine ullo numero: Hinc enim antiquissima est. Scripturae caeterae etiam si sanctorum hominum sint, semper habent aliquid imperfecti:Nam ut vita et mores sanctorum hominum, licet Deo placerent, et merito laudabiles essent; tamen habebant aliquid semper, unde orationem Dominicam legere, et Deo dicere possent: *dimitte nobis debita nostra,etc.* et *Si dixerimus, quia peccatum non habemus,ipsi nos seducimus.* Ita etiam verba, et sermones eorum numquam ita perfecta erant,quin aliquid desiderari posset.Scriptura vero Divina, propterea quod Deum auctorem habet, cujus *perfecta sunt opera*, ejusmodi est,ut nihil penitus habeat imperfecti, nihil ei detrahi, nihil addi, nihil desiderari possit. *Otiosum verbum* inquit, Basilius homil. decima de opere sex dierum, *in scriptura esse, dicere,ingens blasphemia est.*

Neque solum perfectissima, sed etiam utilissima, et omne genus eruditionis continet. Scientiae profanae tractant de pane lucrando;haec de regno coelorum acquirendo. Jurisprudentia conservat haereditates et testamenta hominum: haec ipsum Dei testamentum et coelestem haereditatem continet. Ars medicinae curat morbos et aegritudines corporum: haec animae affectis, et peccatorum vulneribus medetur. Naturalis Philosophia erigit hominem usque ad sidera contemplanda,haec hominem perducit usque ad siderum conditorem. Historiae profanae certarum urbium aedificationes, et eversiones narrant, haec mundi totius creationem et consummationem tradit.Habet humana sapientia suos Poetas, qui versibus et cantu animos oblectant:habet scriptura divina sanctos Prophetas, qui psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus in hominum pectoribus divinum amorem accendunt. Habet illa graves oratores, qui quocumque volunt homines impellunt: et hic non deest suus Ecclesiastes, et alii sapientes viri qui multo gravius et salubrius concionantur. Habet illa postremo etiam suos Grammaticos, qui elementa docent; et haec habet Apostolum, qui insipientes docet, quae sunt elementa prima cognitionis Dei. Merito igitur, jureque optimo sancta scriptura,quae omnibus scripturis excellit, et omnes continet, sola ab Apostolo Paulo scriptura appellata est.Quaecumque igitur in divinis voluminibus,ac praesertim ubi tribulationes factorum explicantur, scripta sunt, ad nostram utilitatem, et eruditionem scripta sunt.

Et quamobrem? *Ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.* Deus enim hac ratione gubernat ac regit vitam sanctorum, ut primum eos ducat in montem Calvariae, deinde in montem Tabor: primum eis tribuat materiam patiendi tribulationes, tentationes pericula, certamina, crucem, aerumnas, calamitates: Deinde eos de tribulatione eripiat et consoletur; vel etiam in ipsa tribulatione,tanta spirituali laetitia et voluptate perfundat,ut saepe malint eam molestiam cum ea consolatione, quam sine consolatione illa, de molestia liberari. Haec vero omnia, id est, patientia et consolatio sanctorum, ideo scripta sunt, ut nos elegentes sumus bono animo,et ejusmodi exemplis erecti, atque animati, nullus tentationibus, aut calamitatibus numquam cedamus. Haec ita se habere, videlicet omnes eos, qui pertinent ad sortem sanctorum, aliquid passuros, et magnam consolationem,atque uberrimos fructus inde percepturos, testatur scriptura, testatur natura, testatur experientia. Quod dum verbis breviter expono, quaeso diligenter attendite: venient enim profecto omnibus usui hoc nostro calamitosissimo tempore, haec arma spiritualia.

Primum igitur omnes electos aliquid passuros testatur Apostolus; *omnes*, inquit, *qui pie volunt vivere in Christo, persecutiones patientur.*Et Dominus in evangelio: *ego sum vitis, et pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum;et eum,qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus adferat.* Tobiae seniori angelus dixit: *quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Itaque nullum excipiunt Divinae literae, omnes omnino, qui scripti sunt in libro vitae, per multas tribulationes in regnum coelorum intrabunt, et vel corporis aegritudinem, vel animi anxietatem, vel detrimentum existimationis, vel mortem charorum,vel bonorum direptionem patiuntur, neque est, quod ullus excipi cupiat, nisi etiam excipi cupiat a regno coelorum: porro hujus rei rationem reddit sapiens in libro Ecclesiastici dicens: *contra bonum malum est, contra vitam mors; sic et contra virum justum peccator*:contraria inter se semper pugnant. Aspicite ignem et aquam: aqua nihil nocuit igni, neque ignis aquae: tamen simul atque sibi propinquant, mutuum aspectum ferre non possunt:a qua fumat, stridet, saltat, movetur. Unde hoc? Quia sunt contraria non bene conveniunt. Pari ratione boni quasi ignis ardent, lucent, zelo et charitate semper incensi, numquam quiescunt. Mali quasi aqua labuntur super terram, et lutum efficiunt, et saepe reddunt plateas ita sorditas, et lubricas, ut multos maculari, vel cadere faciant.Atque ejusmodi homines ubique reperiuntur,numquam sunt bo-

ni sine malis, quocumque eas, invenies malos. Etiam in Apostolorum collegio unus diabolus erat: Non est hortus sine malis herbis, neque frumentum sine jolio. Quid igitur miraris si tu es ignis quod aqua fumet, etiamsi nihil noceas malis, tamen semper mali te persequentur, quia dissimiles sunt mores tui moribus illorum: *si de mundo fuisselis*, ait Dominus, *mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Et sapiens, *dixerunt*, inquit, *impii: circumveniamus justum, quia inutilis est nobis, et contrarius operibus nostris; gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt vitae ejus.* Vultis exemplum unum? Erant homines duo arctissime conjuncti, et ambo amici hujus saeculi; unus a Deo vocatus mutat vitam suam: statim alteri fit gravis etiam ad videndum, murmurat de eo, ubique obloquitur ubique detrahit ei: est homo levis, inconstans, nihil boni faciet: Undenam haec omnia? Nonne ex eo, quod dissimilis factus est alteri, et immutavit in bonum viam suam? Erant ambo curvi, nunc alter rectus factus est: Quid igitur mirum si non placet curvis rectitudo?

Vultis alteram rationem, cur probitas semper ferat secum tribulationes? In promptu causa est: Dominus enim qui nos regit et gubernat, filiis suis in magna copia tribuit bona spiritualia, quae sola vera sunt bona, gratiam, patientiam, charitatem, omnem virtutem. De temporalibus autem non amplius tribuit, quam quantum necesse ad bona spiritualia conservanda, et augenda, *non enim bene provideret nobis*, ut ait magnus ille theologus Dionysius Areopagita, *si temporalium donationibus robur ac fortitudinem nostram emolliret.* Jam vero quis nescit bona spiritualia multo melius adversitate, quam prosperitate conservari? Nonne *virtus in infirmitate perficitur*? Deiiciunt quidem tribulationes homines pravos: sed probos semper robustiores efficiunt. Accipite exemplum b. Chrysostomi: sit tibi una columna rectissime constituta imponantur super eam onera, quanto plura et majora ponentur, tanto ea columna firmior erit. Existat ibi rursum alia inclinata et curva, imponatur aliquid super eam, statim concidet. Ita prorsus, Auditores, homines curvi et distorti, iniqui injusti statim corruunt, desperant, ad primum ictum malléi franguntur. At vero probi, justi, recti, laboribus et doloribus confirmantur, otio et quiete marcescunt. Aspicite duos primos reges Hebraeorum Saul cum esset vir pauper et tenuis, et asinas patris sequeretur, optimus erat, testante scriptura omnium Hebraeorum. Ascendit ad regnum non sua voluntate, sed imperio Domini, repente totus mutatus, et uno die peccatis ejus exigentibus, regnum et filios, et vitam amisit. David secundus rex, cum fugeret a facie Saul et profugus a patria uxore, et bonis spoliatus in silvis delitesceret, tam pius, et sanctus et clemens erat, ut etiam hosti suo atrocissimo, quem in potestatem acceperat, parceret. Postea vero quam rex effectus est, brevi adulterium homicidio copulavit. Et qui in tribulatione constitutus, etiam hosti pepercerat, idem in prosperitate fidelem ac devotum servum crudeliter interfecit. Et nos igitur miramur, si Deus servos et filios suos, quibus haereditatem servat in coelis castigat, et opibus ac deliciis hic in terris emolliri ac dissolvi non patitur? Haec sunt igitur rationes.

Jam vero exempla innumerabilia sunt. Percurrite scripturas sanctas, a Genesi usque ad apocalypsim: nullum prorsus invenietis virum sanctum, et qui Deo placuerit, non vexatum atque afflictum, et tanto magis, quanto justior et sanctior fuerit. Abel primus martyr ab ipso suo fratre, nulla data occasione circumventus et necatus est. Patriarchae Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, semper peregrini, semper profugi, semper in metu et periculis fuerunt. Prophetae nonne fere omnes necati sunt? Isaias sectus, Ieremias lapidatus, Ezechiel, Zacharias, Joannes et alii variis modis torti variis cruciatibus interierunt? Quid Apostoli? *Usque in hanc horam*, inquit Paulus, *esurimus, sitimus et nudi sumus et colaphis caedimur, et instabiles sumus et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur et benedicimus: blasphemamur et obsecramus: persecutionem patimur et sustinemus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Quid ipse Dominus? Nonne tota ipsius vita crux quaedam longissima et atrocissima fuit? Itaque primum, quod proposuimus, planum atque perspicuum est, *omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutiones perpessuros.*

Jam vero alterum, nempe omnes eos qui patienter et libenter passi sunt, vel cum ingenti gloria liberatos, vel incredibili sanitate, et jucunditate in ipsa tribulatione affectos fuisse, nullo negotio demonstrari potest. Neque enim mentiri potest, qui dicit, *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum.* Et rursum: *plorabitis et flebitis vos mundus autem gaudebit.* Neque mentitur Apostolus Petrus, qui ait, praenunciasse Prophetas *eas quae in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.* Deinde in corpore humano, si membrum aliquod laeditur statim naturaliter sanguis eo currit, et ipse homo ita circa illud membrum oculis, manibus, pedibus lingua, cogitatione, totus occupatur, ut reliquorum membrorum non videatur esse memor. In domibus quoque bene constitutis, si unus ex filiis aegrotet ita mater illius unius curam gerit, illum unum fovet, illi uni blanditur, ut saepe caeterae proles ei morbum illum et aegritudinem invideant. Si igitur hoc natura facit, non faciet Auctor naturae? si terrena mater hac providentia erga suas proles utitur coelestis Pater non utetur, qui filios suos tenerrimo, maximo, incredibili, atque infinito quodam amore prosequitur? Utitur sane. Et non videtur unum ex justis hominibus afflictum, quin statim ad eum tamquam ad membrum sui corporis laesum et filium proprium viscerum suorum laborantem accurrat, et complectatur, et sit cum eo in tribulatione, ut eripiat eum, et glorificet eum.

Hoc tamen est discrimen inter Deum et mundum mundus currit post eos, qui florent, qui laetantur, qui rident: relinquit vero eos, qui in egestate et pressura sunt:

Tempora felici multi numerantur amici,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Ita est praxis mundi, et filiorum ejus Causae divitum et nobilium cito expediuntur. Causae pauperum et miserorum, semper inveniunt judices occupatos. Deus vero cui Prophela canit, *patris orphanorum et judicis viduarum*, alia via ingreditur, illos visitat, cum illis versatur, illos consolatur, qui moerent. Et qua consolatione putatis? O si vel gutta una illius mellis in cor nostrum descenderet, quam facile desiperet nobis omnis caro? Hinc Paulus gloriatur in infirmitatibus suis, *quia sicut abundat per Christum tribulatio, ita per Christum quoque abundat consolatio.* Hinc Apostolus Andreas procul cruce conspecta, vix seipsum prae laetitia capiebat: hinc fortissimus ac beatissimus protomartyr Stephanus, inter imbres sonantium saxorum, in tantam exarsit flammam charitatis, ut pro suis lapidatoribus summo studio Dominum exoraret: Hinc socius ejus et collega Laurentius inter flammas et incendia quasi nihil sentiens Tyrannum irridebat: hinc magnus ille Tiburtius super ardentes prunas, quasi super rosas blandissimas et mollissimas, ambulabat: hinc ille felicissimus Theodorus temporibus Apostatae Juliani, cum totam diem jam ab hora prima usque ad horam decimam sine intermissione succedentibus sibi tortoribus crudelissime torqueretur, tum primum dolere atque angi coepit, cum de equuleis deponebatur, affirmans sibi juvenem pulcherrimum astitisse, qui tam dulciter eum consolabatur, et linteo candidissimo sudorem suum tergebat, ut sibi jam non in equuleo, sed in paradiso delitiarum esse videretur: Hinc postremo sancti omnes contumeliam, decus, injuriam, gloriam, exilium, patriam, vincula, coronas, carcerem, paradisum contemptum, honorem vel amplissimum semper duxerunt. Haec est igitur patientia et consolatio sanctorum, hoc est, quod Dominus, qui non mentitur, ait, *cum ipso sum in tribulatione.* Et sane si Deus, qui est ipsum bonum, ipsa suavitas, ipsa dulcedo, non in domo ridentium et exultantium: sed in domo maerentium et calamitosorum habitat, quis nostrum non eligat potius fletum quam risum, dolorem et laborem, quam jucunditatem et laetitiam? Quis, non dico ferat patienter, sed quaerat libenter ac diligenter ubique tribulationes?

At inquis, non omnibus ista contingunt, sed pro uno, qui legitur in scripturis de tribulatione ereptus, infiniti reperiuntur, qui sine consolatione ulla relinquuntur. Verum est, auditores, id inficiari, neque possum, neque volo, sed quae est causa cur tam multos Deus sine consolatione relinquat? Quia non quaerunt consolationem ubi est: petunt eam a carne et sanguine, quaerunt consolationem in flagitiis, et voluptatibus corporis, colligere volunt de spinis uvas, de tribulis ficus, et merito nihil inveniunt nisi majores curas et solicitudines. Sic etiam ubi reperietis homines afflictos, qui spem suam totam collocent in Deo? Alii currunt ad divites, alii sperant in mendaciis, alii confidunt in fraudibus, rapinis, furtis, perjuriis, homicidiis, relinquunt Deum et relinquuntur a Deo. Pellere volunt unum malum alio majori malo, unum daemonem alio daemone: non est ita, non est ita, falletis vehementer: Deus est qui pellit daemonem, non diabolus: Spiritus sanctus ipse est verus paracletus, non caro et sanguis, non mundus: eas ad orationem, ad confessionem, ad communionem, pelle diabolum, eiice peccatum de anima tua: et tunc conquerere, si consolationem veram et solidam non invenis. Alii praeterea sunt, qui in ipsa tribulatione, in ipso certamine fortiter dimicant et vincunt; sed statim permittunt sibi de manibus ab hoste victoriam extorqueri. Erit aliquis, qui dum accipit injuriam vel contumeliam ab alio verbis, aut factis, patitur, strenue se gerit, tolerat aequo animo, quandoque etiam ignoscit adversatio, sed quid interim accidit? Cum ille se domum recepit, ecce tibi diabolus adest, et ut vel per se, vel per ministrum aliquem suum auribus ejus incipit insusurrare: ah miser, quid egisti hodie? Talem injuriam accepisti, et tam facile condonasti? Quid igitur dicent homines? Quid cogitabunt? Nonne jam digito demonstraberis ab omnibus? Nonne jam licebit omnibus te conculcare? Denique persuadet diabolus, et homo ille infoelix jam incipit de ultione cogitare, et qui in acie vicerat, in tabernaculo vincitur, et similis illi efficitur, qui de gravi morbo evasit; sed paulo post per incuriam iterum recidit in morbum, et moritur: nec non illi, qui in campo exercitus adversariorum fudit: at postea per insidias in civitate capitur.

Quod si homines afflicti spem suam in Deo collocarent, atque ab eo solum consolationem peterent, experirentur profecto quid sit patientia et consolatio sanctorum et verum esse, quod Dominus ait, *cum ipso sum in tribulatione.* Nam quis unquam in majore tribulatione fuit, quam Daniel, qui in lacu leonum constitutus, vel devorandus a leonibus, vel fame interiturus erat? Quis in majore angustia fuit quam Ionas, qui in medio mari, in ventre ceti, tamquam in carcere inclusus erat? Quae major calamitas calamitate Susannae, cui erant undique angustiae, et simul de fama et de vita periclitabantur? Quae captivitas horribilior captivitate trium puerorum, qui manibus et pedibus colligatis in ardentem fornacem proiiciebantur? Quis gravius unquam aut vexatus fuit quam Job, qui eodem pene momento omnem substantiam, et omnes filios amisit, plagis et vulneribus coopertus fuit, et ab amicis pro consolatione increpationem, et ab uxore, quod unicum ei consolatium relictum esse videbatur, non solatium, sed maledicta et contumelias sustinebat? Et tamen hi omnes propterea quod speraverunt in Deo magnifice, et gloriose de omni angustia, ac tribulatione erepti, ac liberati fuerunt. Haec est igitur patientia et consolatio scripturarum. Quamobrem, auditores, excitemur quaeso omnes et tanto proposito praemio, non torpeamus, sed magno animo, summaque alacritate crucem patientiae, quasi signum quoddam contra spirituales nequitias, erigamus et labores omnes ac difficultates superemus. Feramus libenter crucem, ut ipsa nos ferat, et perducat ad eum, qui pependit in ea, Jesum Christum Dominum nostrum, qui est supra omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

CONCIO V.

DE EADEM DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

THEMA

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? *Matth.* 11.

SYNOPSIS

Causa, cur hodie evangelium istud legatur, ostenditur. Causa hujus legationis Joannis, et ejusdem eventus declaratur. Duo genera miraculorum statuuntur, apparentia scilicet, et vera, et quaenam ea sint. Miracula Christi, quibus suam divinitatem ostendere voluit, fuisse numero plurima, dignitate maxima, modo excellentissima, varietate clarissima eleganti discursu, auctoritatibus, et demonstrationibus probatur. Locus Joannis 14. Maiora horum faciet, *explicatur. Obiectio contra miraculorum testimonium de Christi divinitate diluitur. Polychronii Haeretici cujusdam irrita mortui suscitatio adducitur. Haereses de reliquiis sanctorum non venerandis et de miraculorum auctoritate, quae semper in ecclesia Catholica viguit, severa increpatione arguuntur: insuper Lutheri temerarius ausus in Daemonio eiiciendo notatur.*

In secunda parte, cur Dominus Joannem turbis commendet, et quo modo, docetur. Parasiti, et aulae mancipia taxantur, et de iis apologus affertur. Cur Joannes plus quam Propheta, duplex assignatur ratio, nempe quia de illo alii Prophetae sunt vaticinati; et quia ob vitam angelicam Angelus dictus sit. Ex captivitate Joannis quatuor notanda proponuntur: primo per eam significatam fuisse veteris legis abrogationem: secundo, caeca hominum judicia, quae reprehensores propriorum vitiorum more Herodis capitali prosequuntur odio, vituperantur: tertio, vingula Joannis figuram eorum genere affirmatur, qui non nisi aliqua vexatione resipiscunt, et inclamantem Christum audiunt: quarto docemur posteris nullum majus testamentum Dei Sapientia legari posse; ubi breviter Historia Eudociae narratur. Denique serio monemur, ut Christi legatis in articulo mortis apte possimus respondere: atque ea de re horrenda juvenis Angeli narratur Historia.

Quamvis multa sint, Auditores optimi, quae vel necessaria, vel utilia esse videntur, ut orbis liberator de coelo ad terras descendentem debitis officiis, atque honore suscipiamus : tamen illud cum primis maxime conducit, quis ille sit, et quantus; quem expectamus, probe cognitum, et exploratum habere: tanto siquidem majori studio, et apparatu, cum advenerit, illum excipiemus, quanto major in animis nostris fuerit opinio atque expectatio venientis. Quamobrem ecclesia catholica, mater nostra sapientissima, toto hoc tempore, quod adventui Domini celebrando consecratum est, ea fere evangelia filiis suis legenda proponit, et quibus planius tanti regis amplitudo, atque majestas intelligitur. Itaque hodie prudentissimo consilio Evangelium istud recitari voluit, in quo b. Joannis ad Christum maximi momenti legatio continetur. Cum enim Joannes vir sapientissimus intelligeret, non satis humanae linguae praedicatione divinam Christi majestatem explicare posse, misit ad eum duos ex discipulis suis, qui eum interrogarent, ac dicerent, *tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ut ipse tunc seipsum quodammodo prodere, et majestatem suam cum verbis, tum operibus ostendere, cogeretur, ac diceret; *euntes renunciate Joanni, quae audistis et vidistis.* Haec igitur legatio nobis hodie ad explicandum proposita est, ut una cum discipulis Joannis ad Christum proficisci, et ab eo, quis sit, et quantus audire ac discere mereamur.

Initium igitur evangelii tale est: *Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, misit ad eum duos ex discipulis suis.* Non me fugit hujus legationis aliam ab aliis rationem et causam reddi solere. Quia vero b. Hilarius et Chrysostomus omnium optime locum istum exposuisse mihi semper visi sunt, eorum dumtaxat sententiam aliis praetermissis, in medium adferemus. Erant Joannis discipuli animo non parum a Christo abalienato, quod eum viderent quotidie magis ac magis opinione, et existimatione apud homines crescere :

e contra suum ipsorum praeceptorem, quem illi Christo majorem esse non dubitabant, paulatim minui. Itaque Christum ipsum aliquando quasi reprehendere ausi sunt: *cur nos*, inquiunt, *et Pharisaei jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant?* Neque his contenti, sed invidentiae stimulis agitati, et dolorem, quem pro magistri honore capiebant prae se ferentes, ad Joannem dixerunt: *Magister, qui tecum erat trans Jordanem, et cui tu testimonium perhibuisti ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Joannes igitur tamquam praeceptor bonus, et qui non gloriam propriam, sed eorum utilitatem quaerebat, quos instituendos susceperat, longa oratione eis persuadere conatus est, Dominum Jesum ipsum esse Christum: se vero nihil aliud, quam ejus praecursorem, et administrum esse. Quam orationem Joannis tertio totam descriptam habetis. *Non potest*, inquit, *homo facere quicquam, nisi fuerit ei datum de coelo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis: quod dixerim: non sum ego Christus; sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, et audit, gaudio gaudet propter vocem sponsi: hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui de sursum venit, super omnes est: qui est de terra, de terra loquitur; qui de coelo venit, super omnes est. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur, et testimonium ejus nemo accipit. Qui accepit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est: Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus Spiritum: Pater diligit filium, et omnia dedit in manu ejus. Qui credit in filium, habet vitam aeternam. Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Hac tam prolixa ratione b. Joannes discipulos suos ab errore, in quo versabantur, liberare conatus est. Verum cum intelligeret vir prudens, se suis verbis et cohortationibus nihil efficere, quod illi omnia, quae dicebantur, humilitati et modestiae ejus ascriberent, captata occasione ex admirabilibus illis operibus quae a Christo patrari suorum discipulorum relatione cognoverat, misit duos ex ipsis, tamquam legatos ad Christum. Vos, inquit, qui tam multa, et tam admirabilia de illo mihi narratis, et tamen nondum potestis credere, ite ad illum, et meo nomine, si vestro non vultis, quaerite ab eo; Sitne, ipse verus Messias, expectare alium debeamus; nec enim dubito, quin ille sit et operibus facile persuasurus, quod vobis adhuc persuadere ego non potui. Perrexerunt illi, et Christum concionantem, et signa ac prodigia multa patrantem multitudine obstupescente, et acclamante, invenerunt. Statim vero legationem suam explicantes: Joannes, inquiunt, misit nos ad te dicens: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Intellexit vero Dominus rem totam, ipsos videlicet, non Joannem, esse qui non crederent. Et ait illis: *Ite, renunciate Joanni, quae audistis, et vidistis.* Addidit vero; *et beatus qui non fuerit scandalizatus in me*: ut illis ostenderet, se cogitationes eorum, et dubitationem, ac scandalum non ignorare. *Et beatus*, inquit, *qui non fuerit scandalizatus in me.* Ac si diceret; quia me a Joanne in Jordane baptizari vidistis, et quia ego ipse illi me ad tempus sponte subjeci, scandalum patimini, nec me Joanne majorem, nec amplius, quam hominem cogitare potestis: sed vere dico vobis, *beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Haec est igitur legatio, et haec est ad legationem responsio.

Nunc quoniam magni refert, ac praesertim hoc tempore, non ignorare, quantam vim habeant signa, et prodigia ad veram fidem conformandam, breviter, si placet, explicemus, An Christus se vere Dei filium, ac Deum ipsum illis signis, et prodigiis demonstraverit? Est vero primo loco quasi fundamentum totius disputationis jaciendum, duo esse genera miraculorum: alia enim sunt, quae ideo solum dicuntur miracula, quod vires humanas exuperent, et eorum causa humanam intelligentiam fugiat, alioqui et causas naturales habent, et malorum spirituum potestate non solum fieri; sed etiam facile fieri possunt. Et haec quidem mirabilia potius, et miraculorum similia, quam miracula dici debent: nec enim universis rebus creatis, sed solis hominibus mirabilia sunt exemplum unum, vel alterum ponamus: Cum Daemonis arte ignis de coelo descenderet, et sancti Job greges, et pastores eorum absumeret: Et cum Aegyptii Magi, vel virgas in dracones converterent, vel de pulvere ranas excitarent, homines mirabantur: causa siquidem novorum illorum, effectusque homines latebat, angelos minime latebat. Hoc igitur genere miraculorum, quae vere et proprie, ut ante diximus, miracula dici non debent, ea prodigia omnia continentur, quae vel ab aeris potestatibus, vel a Magis, daemone occulte agente, et Deo occultius permittente fiunt. Permittit enim aliquando Deus ejusmodi fieri, tum ob alias causas, tum ut b. Augustinus non uno loco ait, ad fallendos fallaces, ipsos videlicet Magos, qui tunc maxime falluntur a daemone, cum se fallere alios arbitrantur. Quod autem Deo non permittente nihil aut Magi, aut daemones efficere possunt, vel ex eo potest intelligi, quo Magi Pharaonis, qui Deo permittente dracones effecerant, Deo tamen non amplius permittente, ne minutissimas siquidem muscas, quamquam multum in eo laborarent, efficere potuerunt. Ejusdem generis illa quoque signa, et portenta erunt, quae ab Antichristo, et ejus administris fient. Nam ut Dominus apud Matthaeum ait: *Surgens Pseudoprophetae, et dabunt signa, et prodigia magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et ut Apostolus in posteriori ad Thessalonicenses scribit. Antichristi adventus *erit secundum operationem Satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus*: mendacia vero ea prodigia erunt, si b. Augustino in libro vigesimo de civitate Dei credimus: vel, quia non vera, sed apparentia et phantastica erunt: vel quia non ad veritatem, sed ad mendacium comprobandum fient. Hoc igitur est primum genus miraculorum. Porro alterum ea continet, quae vere ac proprie miracula sunt, quae nimirum omnem vim creatam omnemque naturae potestatem vincunt. Ac proinde non solum hominibus sed et angelis, et daemonibus, atque adeo universae naturae admirationem, et stu-

porem adferunt, nec aliam causam, quam Dei voluntatem, et imperium habent. Hujus generis illa sunt, mortuos excitare caecis aspectum, et surdis auditum restituere: nec non in momento, ac solo nutu morbos curare, tempestates compescere, et alia, quae Dominus hic in terris ferme quotidie faciebat. Tametsi enim morbi naturali vi ac ratione curari possint, et industria Medicorum saepe curentur, et procellae ac tempestates, sicut daemonum arte excitari, sic et sedari possunt: tamen solo nutu atque imperio voluntatis; et in momento haec efficere, solius est omnipotentiae Creatoris, et omnem naturam, et creatam potentiam, non solum hominum, sed etiam daemonum, et angelorum superat.

Ex quo illud efficitur, nullo modo falsum esse posse id, quod vero aliquo miraculo confirmatur. Nam si verum miraculum non nisi Dei auctoritate, atque imperio fieri potest, et Deus testis mendacii, et falsitatis esse non potest, quomodo tandem illud non verissimum erit, quod Dei testimonio, vero videlicet miraculo, comprobatur? Quare cum liberator noster tot verissimis, et maximis prodigiis omnium generum, ac praesertim tot mortuorum excitationibus claruerit, dubitare non possumus, quin divinitati suae testimonium firmissimum et omni fide dignissimum dederit, jureque ac merito dixerit; *si mihi non creditis, operibus credite.* Et, *Testimonium habeo majus Joanne: opera quae ego facio in nomine patris mei, haec testimonium perhibent de me.* Et, *si opera non fecissem, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Miracula siquidem Domini, Auditores, ut breviter dicam multitudine innumerabilia, modo excellentissima et diversitate clarissima fuerunt. Ita ut fulgor miraculorum Domini major sit, si cum miraculis sanctorum conferatur, quam est splendor solis, si cum lumine minorum siderum comparetur. De multitudine audite b. Joannem: *sunt autem et alia multa, quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Audire b. Lucam; *virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Audite Marcum; *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant:* Audite b. Matthaeum; *Vespere autem facto obtulerunt ei multos daemonia habentes, et eiiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit. Intendite,* inquit super haec verba b. Chrysost. *intendite, quantam multitudinem curatam transcurrunt evangelistae non unumquodque enarrantes; sed uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes.* Itaque ipsi Judaei, qui nihil aliud quam signa quaerunt, multitudine miraculorum Domini quodammodo satiati, aliquando dixerunt: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet?* Jam vero de magnitudine signorum Domini Dominum ipsum audiamus; *si opera,* inquit, *non fecissem, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Neque vero cunturbet aliquem id quod Dominus quodam loco ait: *qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet:* Primum enim majora illa, quae Apostoli facturi erant, non tam ipsi, quam Christum per ipsos facturus erat: Idcirco statim adjungit, et ait: *quia ego ad Patrem vado, et quaecumque petieritis in nomine meo hoc faciam.* Id quod Apostoli dum signa aderent apertissime testabantur: *viri Israelitae,* inquit Petrus, *quid miramini in hoc aut nos intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Et paulo infra; *in fide,* inquit, *nominis ejus,* nempe Christi, *hunc quem vos videtis, et nostris confirmavit nomen ejus: et fides quae per eum est, dedit integram sanitatem istam conspectu omnium vestrum.* Et alio loco idem Petrus, *Aenea,* inquit, *sanet te Dominus Jesus Christus, surge, et sterne tibi: et continuo surrexit.* Quid? Quod b. August. verba illa: *Et majora horum faciet,* non de miraculorum perpetratione: sed de Judaeorum, et Gentium conversione intelligenda esse docet? Sic enim Tracta. 71. super Joannem, super eum locum scribens ait: *quando ista dicebat verborum suorum opera commendabat. Sic enim dixerat: verba quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor; Pater autem in me manens ipse facit opera. Quae opera tunc dicebat, nisi verba, quae loquebatur? Audiebant et credebant illi, et eorumdem verborum fructus erat fides illorum. Verumtamen evangelizantibus discipulis non tam pauci quam illi erant, sed gentes etiam crediderunt: Haec sunt sine dubitatione majora: majora enim fecit praedicatus a credentibus, quam locutus audientibus:* haec b. August. Itaque *majora horum faciet,* non tam significat, majora prodigia perpetrabit, quam plures homines ad fidem meam convertet, quam ego per me ipsum converterim: vel, plures ego illius praedicatione convertam, quam ipse mea praedicatione converterim. Maxima igitur, et praestantissima Domini prodigia, et signa fuerunt. Sed quid jam de modo, quo ea faciebat, dicere poterimus? Non enim diu et multum laborando, sicut Helias et Heliseus, non orando, et obsecrando, ut fere omnes servi Dei facere solent; sed imperando, et sua, ac proprie auctoritate omnia miraculorum genera edebat. Ac ut unum de multis adferamus, ac eum immundum spiritum, quem discipuli eiicere non potuerant, et quem nisi in oratione, et jejunio eiici non posse Dominus affirmaverat, ita locutus est: *ego praecipio tibi, exi ab eo, et ne amplius introeas in eum: et exivit continuo.* Atque hujusmodi exemplis pleni sunt codices evangeliorum. Postremo varietas, ac diversitas, miraculorum Domini tanta est, ut quam miraculorum genera complexus esse videatur. Ut enim ostenderet omnia sibi, tamquam eorum opifici, et Architecto subjecta esse, nullam reliquit partem universitatis, nullum rerum genus praetermisit, in quo signum, et prodigium aliquid non ediderit. Ac primum in rebus incorporeis; deinde in corporeis, postremo in homine, qui partim est corporeus, partim incorporeus, cum daemonum turbas de miserorum hominum corporibus effugavit: Nam in angelis signa fieri non oportuit. Illi enim sponte sua accedebant, *et ministrabant ei,* ut evangelista Matthaeus auctor est. Deinde in rebus corporeis signa fecit in coelo, cum in obitu suo solis globum horrendis tenebris contexit; in ignis elemento, cum inde stellam quamdam excitavit, quae Magos ex Perside in Palaestinam addu-

ceret; in aere, cum flatibus ventorum imperavit,et facta est tranquillitas magna: in aquis, cum super eas siccis pedibus ambulavit: in terra, cum eam in obitu suo magnis et horrendis tremoribus concussit:in imperfectis mixtis.(ut Philosophi loquuntur) cum in eodem ejus obitu petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt: in mixtis perfectis,sed inanimis, cum panes, et pisces mortuos multiplicavit; et cum aquas in vinum tempore nuptiarum convertit; in arboribus, cum ficulneam maledixit, et ea continuo exaruit: in brutis animantibus, cum Apostoli admirabilem piscium multitudinem,eo jubente, ceperunt: et eum daemones ingentem gregem porcorum in mare, eo permittente, praecipitaverunt. Denique in hominibus,qui partim corporei, partim incorporei sunt, signa fecit, cum tot caecis visum, tot surdis auditum, tot claudis gressus tot aegris sanitatem,et tot mortuis vitam restituit. Quomobrem cum Dominus non solum signa, et prodigia fecerit, sed fecerit etiam varietate illustrissima, modo praestantissima, magnitudine incredibilia, numero infinita, quid miramur si dicebat; *si mihi non creditis, operibus credite.* Huc accedit quod hoc ipsum futurum esse in adventu Messiae multo ante Esaias praedixit; *Deus*, inquit, *ipse veniet, et salvabit vos: tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, aperta erit lingua mutorum.* Atque ad hoc vaticinium allusisse Dominus visus est, cum hodie ait: *renunciate Joanni, quae audistis, et vidistis: caeci vident,claudi ambulant, leprosi mundantur,mortui resurgunt, et pauperes evangelizantur.*

Caeterum occurret aliquis fortasse, et nobis illa verba Salvatoris obiiciet:*multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et daemonia eiecimus, et virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia numquam novi vos: discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Si igitur miraculorum testimonium non est satis firmum argumentum ad confirmandam hominis sanctitatem, quanto minus ad divinitatem comprobandam? Si, qui miraculis coruscat, non continuo amicus Dei censendus est quanto minus propter eadem miracula aliquis Deus censendus erit?Si potest,qui miracula facit, justus non esse, quanto magis poterit, qui similia facit, Deus non esse: verum argumenti hujus facilis est et expedita responsio: Nam cum aliquis verum miraculum edit, non inde efficitur, eum justum, et sanctum esse, nisi hoc ipsum edito miraculo confirmavit: sed illud falsum esse non posse, quod is asseruit et miraculo edito comprobavit. Iam vero si qui sunt mali, qui miracula perpetraverunt,non illi suam ipsorum sanctimoniam, et probitatem: sed Christi majestatem et divinitatem asserere nitebantur. Quod si suam quoque ipsorum sanctitatem confirmare, et in ejus rei testimonium verum miraculum edere voluissent, si vere sancti non erant, nihil, mihi credite, unquam effecissent. At vero Christus, quid tot miraculis agebat? nonne ut verum esse ostenderet, quod praedicabat? At quid tandem praedicabat? Nonne seipsum Deum,Dei filium, lucem, vitam, veritatem, mundi liberatorem et assertorem esse praedicabat? Haec igitur omnia quis ambigat esse vera, cum miraculis innumerabilibus et maximis confirmata sint? Intellexerunt hoc haeretici tam veteres, quam recentiores: et idcirco semper ad prodigia aspiraverunt,sed numquam eis pro voto negotium successit. Et contra tamen in ecclesia Catholica semper viguit donum miraculorum. Possem exempla plurima commemorare, sed hoc ero contentus uno.In sexta et clarissima synodo Act. 14. Monothelita quidam, nomine Polychronius, palam asserere ausus est, se in testimonium fidei suae, si concilio placeat,mortuum ad vitam revocaturum. Sacra igitur synodus,ut populo satisfaceret, jussit cadaver mortui hominis in medium adferri, haeretico permisit circa illud agere, quae vellet. Ille primum tabellam fidei suae super mortuum posuit: deinde cum ille adhuc non surgeret, auribus ejus,nescio quae verba,insusurravit. Verum cum multum temporis in eo labore consumpsisset, et mortuus homo obstinatissime in proposito non surgendi permaneret, et populi,qui ad illud spectaculum avidissime concurrebant,taedio affecti jam essent, Polychronius tandem se mortuum excitare non posse, confessus est. Istum videlicet exitum temeritas haereticorum habuit. Sed ut haec nimis antiqua praetereamus, nostris temporibus haeretici multa paradoxa, impiaque dogmata in orbem Christianum invexerunt.Et quidem contra illa, multa et magna miracula Deus per Catholicos operari dignatus est: pro illis,haeretici nihil unquam efficere potuerunt. Atque ut unum de multis exemplum proponamus: sanctorum reliquias haeretici hodie nihili faciunt, imo vero despiciunt, conculcant, incendio absumunt, in flumina proiiciunt. At pro iis retinendis, et venerandis, quando nihil aliud haberemus nonne essent abunde satis illa illustrissima miracula, quae ad reliquias b. Stephani b. August. patrata esse testatur? Nam in iis etiam sex mortuorum excitationes continentur. Quidque quod addit eo loco sanctissimus doctor, multos libros scribendos fuisse, si miracula omnia ad eas solas reliquias brevi tempore facta, commemorari debuissent? Haec igitur omnia et alia tam multa miracula pro iis dogmatibus, quae nunc haeretici rident, facta sunt, ut si scribi debeant, libros,et volumina sine ullo numero implenda sint. At contra, quid ipsi obiiciunt? Quid adferunt? Quid operantur? Nonne plus quam stultum est, verbis inanibus insanorum capitum credere? et tot ac tantis Dei testimoniis non credere? Voluit quidem Lutherus aliquando aliquid experiri, et daemonem expellere de quodam corpore aggressus est: sed parum abfuit, Deo providente et causas impii hominis illudente,ut Staphilus ipse, qui praesens tragoediae aderat, testatus est, quin Lutherus discerperetur, et sane optimo jure: nec enim decebat, ut daemonem daemon expelleret, et foedus atque amicitiam initam violaret. Quae cum ita sint, quis non videt, quam parum fidei haereticorum verba, atque impia dogmata mereantur cum nullis signis, nullis prodigiis, nullis Dei testimoniis confirmentur. Nonne duo ut minimum testes, ut aliquid credatur fidem facere debent? Certe fides ex auditu: sed plane etiam ex

visu alioqui uni testi, videlicet auditui, fides non adhibetur. Mittit Dominus Moysen ad praedicandum filiis Israel, et simul ei donum miraculorum faciendorum attribuit. Venit Dominus ipse et quamquam ei sine signis credendum fuisset: tamen ita sibi miracula necessaria esse putavit, ut diceret: *si opera non fecissem, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Mittit deinde discipulos, et audite quid eis praecipiat: *euntes praedicate dicentes: appropinquavit regnum coelorum.* Et statim ut crederetur eis, *infirmos* inquit, *curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eiicite.* Illi ergo quid? nimirum *profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Denique hodie Dominus discipulis Joannis numquid solum ait, *euntes renunciate Joanni quae audis is?* nonne statim addidit, *Et vidistis?* Si igitur miracula ad fidem confirmandam necessaria sunt si duo testes requiruntur, visus et auditus, quis haereticis credet, qui unum tantum testem habent, et similes Pharisaeorum sunt? *Dicunt enim et non faciunt*: et cum in eorum synagogis audiatur multum, sed videatur nihil? Si Christi fidem non nisi multis prodigiis confirmatam recepimus, quomodo Lutheri, aut Calvini fidem nullis prodigiis munitam recipiemus? Si peccatum non erat Christo ipsi non credere, si miracula non fecisset, qua fronte isti nos terrent, perituros nos, si eis etiam sine miraculis, non credamus? Credite mihi, neque oculos neque aures, neque cor, neque mentem habent, qui ab ecclesia recedere audent, in qua omnibus saeculis usque ad nostra tempora multa, et magna miracula non defuerunt: cum contra haeretici solum verbis garrire, et tumultus, et seditiones excitare, miracula autem nulla non solum vera, sed ne apparentia quidem efficere unquam potuerint.

PARS ALTERA

Illis autem abeuntibus, coepit Jesus dicere ad turbas de Joanne: quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Non potest sapientia, nisi sapienter se gerere. Intelligebat Dominus ex illa interrogatione b. Joannis, *tu es qui venturus es, an alium expectamus?* potuisse turbas non mediocriter perturbari: nam cum eos lateret, quo animo b. Joannes discipulos suos ad Christum misisset, multa absurda suspicari, et secum ita ratiocinari potuissent. Nonne Joannes multa de isto testimonia perhibuit? Quomodo igitur nunc ambigere videtur, utrum iste, an alius venturus sit? Num dissidia forsan inter ipsum, et Iesum exorta sunt? An forlasse taedio carceris victus timidior factus? An potius illa testimonia vera non erant? Et num de ipso Jesus dixit: *beatus qui non fuerit scandalizatus in me?* Haec igitur et alia ejusmodi, quae turbis in mentem venire et eas perturbare potuissent, summa sapientia et dexteritate Dominus refellit. Id vero non antea fecit, quam discipuli Joannis abiissent; tum ne Joanni assentari videretur, si coram ejus discipulis eum laudaret: tum etiam, quod quam diu illi non recesserant, in eorum curationem incumbendum fuit. Illis igitur curatis, et jam abeuntibus, coepit Deus turbarum aegritudini medicamentum adhibere. Ac primum ab ipsarum turbarum testimonio argumentum petit, ut ostendat Joannem virum constantissimum et integerrimum esse, nec facile vel prodere veritatem, vel sententiam mutare potuisse. *Quid existis*, inquit, *videre? arundinem vento agitatam?* hoc est non potuissetis relictis civitatibus atque domibus vestris una omnes tanto studio ad eremum impelli: nec ita facile ex universa Judaea omnes effusi ad Joannem videndum fuissetis, nisi magnum quemdam, et admirabilem virum, et adamantis lapidibus firmiorem Joannem putassetis: nec enim ad videndum arundinem et miserum ac mobilem quemdam hominem existis. Deinde ab austeritate, et severitate b. Joannis ad rem eamdem confirmandam alterum argumentum fuit. *Sed quid existis*, inquit, *videre? Hominem mollibus vestitum?* Hoc est, amicum hujus saeculi, qui propter suas delitias sententiam mutet? Sed talis non est Joannes: ecce enim, inquit, *qui mollibus vestiuntur* non in solitudine, non in carceribus, non in vinculis: *sed in domibus regum sunt.*

Nulli sunt, auditores, leviores, stultiores, mobiliores et arundinum vento agitatarum similiores, quam ii, qui mollibus vestiuntur, hoc est, qui amici sunt hujus saeculi, et ducunt in bonis dies suos ac molliter vestiri, laute comedere, pretiose bibere, et delitiis desiderant affluere. Ejusmodi siquidem plerumque sunt parasiti (tametsi interdum, nec dici, nec haberi velint) et in palatiis regum et nobilium, atque opulentorum hominum versantur: nec omnino insipienter: Nam ibi optime suas merces, verba videlicet, et adulationes vendunt: Ibidem etiam emunt vili pretio, quod volunt, nempe bona prandia, bonas coenas, bonos etiam nummos ut non solum corpora sua bene pinguefaciant; sed etiam mollibus ac pretiosis vestimentis cooperiant. Istos vero esse arundines vento agitatas, vel ex ipso Gnatone, qui parasitorum princeps haberi volebat, intelligi potest.

> *Est* (inquit) *genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,*
> *Eis ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul:*
> *Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant laudo id quoque.* Ecce arundinem vento agitatam.
> *Negat quis? nego, ait? aio: postremo imperavir egomet mihi omnia assentari.*

Nec solum arundines isti sunt, quod facile in hanc vel illam partem moveantur: sed etiam quod vacuum caput sine cerebro, sine sapientia, sine consilio gerant, tametsi omnium sapientissimi sibi esse videantur. Nunquam legistis doctam illam fabulam de leone, et vulpe et asino? Aegrotabat aliquando leo, omnia animantia ad eum tamquam ad regem invisendum, et salutandum veniebant: solus asinus, et vulpes defuerunt, nempe simplicissimus et callidissimus. Accersitur asinus, venit continuo et a rege vehementer objurgatus, recedit. Accersitur vulpes, paret etiam ipsa: sed adfert secum excusationem suam. Non irascatur, inquit, dominus meus rex: ego enim simul atque audivi te do-

minum meum in morbum incidisse,continuo coepi cogitare de remedio, conveni medicum,quaesivi de medicamento, atque haec est causa cur serius venerim. Recte, inquit leo, accipio excusationem. Sed quid remedii invenisti? Nihil, inquit vulpes, salubrius aegritudini tuae in toto Galeno, et Hippocrate reperiri potui, quod si capite asini alicujus amputato cerebrum ejus adhuc calidum sorberes. Ite, festinate, inquit leo, revocate asinum illum, qui paulo ante hinc discessit. Iverunt, asinum revocaverunt,caput ei praeciderunt.Tum vulpes capite excepto, conversa ad parietem, ne ab aliis videretur, totum cerebrum bis,terve sugendo ebibit; deinde caput vacuum obtulit leoni. Leo contemplatur caput. Et ubi, inquit, est cerebrum? Non habent asini fortasse cerebrum? O domine,inquit vulpes, et quomodo haberet cerebrum qui bis hodie venit ad aulam? Quis non cerebrum amitteret, si toties curreret ad palatium? Ego sane, inquit, crediderim nullum hic in aula versari, qui non amiserit cerebrum. Sic est, auditores, qui in domibus regum sunt, plerumque sine cerebro sunt: et nihil aliud, quam arundines vacuae, et ad omnem statum mobiles sunt. Talis non fuit Joannes, id quod ejus desertum, et carcer,et victus locustarum, et vestitus de pilis camelorum satis aperte demonstrabat.

At cur Dominus amicum hujus saeculi describere volens, eum esse definivit, qui mollibus vestitur? nimirum, quia in nulla re magis vanitas, et curiositas, et fatuitas saeculi amatorum cernitur, quam in vestibus.Itaque cum videtis quosdam pollitos, ornatos, et tamquam pavones incedere, dicite;ecce amicum hujus saeculi mollibus vestitum: ecce illum quem Dominus in evangelio reprehendit, et quem arundini vacuae, et a vento agitatae comparavit.

Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam Prophetam. Haec est tertia ratio;Satis enim firmo argumento demonstratur, Joannem arundinem non fuisse. Iam de eo asseritur, quod non solum Propheta fuerit. Fuit vero vere plus quam Propheta. Prophetae siquidem omnes de Christo prophetabant, de ipsis nemo. At de Joannem et Isaias,et Malachias prophetaverunt. Nec solum Propheta, sed etiam angelus, et non quivis angelus, sed Gabriel,unus ex primis principibus ortum nomen, vitam, et functionem b. Joannis praedixit. De quo, quaeso, alio Propheta tale aliquid invenire poterimus? Deinde, quis unquam antea prophetavit, quam nasceretur, nisi unus, et solus Joannes? Adhaec, Prophetae caeteri Prophetae ipsi fuerunt: sed quod alios prophetare fecerint, nusquam legimus. At b. Joannes, et ipse Propheta fuit et parentes suos prophetare quodammodo fecit. Denique alii tamquam verbi praecones diu ante Christum missi sunt: Joannes vero ita cum Christo in mundum advenit, sicut lucifer simul fere cum sole exoritur. Et ita vicinus Joannes verbo fuit, ut non praeco, sed vox ipsa Verbi diceretur. Atque haec est ratio, quam Dominus reddit, cur Joannem plus quam Prophetam appellaverit. *Hic est enim*, inquit, *de quo scriptum est etc.* Sicut enim in supplicationibus ubi longo ordine multi regem, vel episcopum praecedunt, ille omnium maximus, et nobilissimus habetur, qui proxime ante faciem regis vel pontificis graditur; sic etiam in illa serie Prophetarum qui Christum diversis temporibus praecucurrerunt, b. Joannes omnium celeberrimus; et non Propheta, sed plus quam Propheta fuit, quod Christo proximus ante faciem ejus incesserit.Sed nihilominus in iis verbis aliam etiam rationem insinuavit, qua Joannis constantia, atque integritas confirmatur. Quis enim suspicari poterit, eum arundinem esse vento agitatam, qui non solum Propheta, et plus quam Propheta, sed etiam angelus prophetica auctoritate meruit appellari? Et sane Angelus fuit Joannes non natura, sed officio, sed puritate, sed imitatione,sed aemulatione. Admirabile quoddam, et supra naturam peregit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit. Nulli hominum totos triginta annos locutus est: nullum tempore eodem conservorum vidit, nec ab aliquo eorum visus fuit, non delicate nutritus, non lecto exceptus, non tecto, non foco, non alia re humana usus est: sed ita in terris quasi in coelis cum Deo,et angelis versabatur.Perspicuum est igitur et turbarum concursu, et ipsius Joannis severitate et Domini testimonio et Malachiae vaticinio,non arundinem vento agitatam sed virum constantissimum beatum Joannem fuisse. Atque hic est finis evangelii.

Nunc quoniam aliquid adhuc temporis superest, et captivitas,atque legatio b.Joannis plena utilium documentorum sunt, aliqua si placet, ad nostrum emolumentum ex evangelio hodierno documenta colligamus. Primum igitur ex vinculis Joannis veteris legis cessationem, atque abrogationem discimus:etenim cum Joannes veteris legis figuram gereret, ut b. Ambrosius sapienter admonuit, nihil aliud ejus captivitas, quam legis quasi quamdam captivitatem designat. Illa igitur lex, quae olim arctissimis, et durissimis tot caeremoniarum, et judiciorum nexibus homines obligabat, Christo liberatore adveniente in carcerem detruditur,et non solum alios non ligat, sed ipsa perpetuae abrogationis vinculis obligatur. Neque aliud jam potest, quam homines duos, hoc est, populos duos, Judaeum, et Graecum ad Christum et legem evangelicam mittere: Nec enim hodie idcirco legem illam veterem legimus, quod ejus praeceptis et institutionibus obligatos nos esse existimemus,sed ut de lege Christi praeconia audiamus, et quemadmodum omnes figurae, atque omnia vaticinia,quae de Christo erant impleta sunt, evangelii luce coruscante videamus, hoc est igitur documentum primum.

Discimus deinde, quam sint caeca hominum judicia,et quid mundus servis Dei retribuere soleat. Equidem cum attentius cogitarem,quid sit Joannes in vinculis, pupugit, haec sententia cor meum,vehementissimeque permovit. Mira res, auditores, Joannes in vinculis, is qui liberatorem potentissimum jam jam affuturum hominibus praedicabat,quo auctore in luce, ac spe libertatis respirare populi incipiebant, is repente abripitur, et carceri teterrimo mancipatur, et manus illae, quae populo ante Christum ipsum abluerant, manibus hominum

cruentorum catenis et vinculis onerantur: hoc est nimirum, quod mundus servis Dei pro benefactis retribuere novit. Homo innocens erat Joannes, justus, Dei amicus, multa bona Herodi, et Judaeis praestiterat, mali nihil: et tamen stipendium ejus est carcer. Si quaeramus ab eo, quaenam est tua causa b. Joannes? quod tuum tantum flagitium est? quod latrocinium? quod parricidium, ut in custodiam istam trudi te oporterit? Respondebit profecto: nolo, nolo judices homines, caeca sunt hominum judicia: *judica me Deus, et discerne causam meam, de* Judaeorum *gente non sancta, et ab* Herode *homine iniquo et doloso eripe me.* Sed tamen causa mea haec est: arguebam Herodem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ejus, eique libere dicebam: *non licet tibi habere eam.* Considerate jam, quale sit mundi judicium, quot adulatores putatis, quot mendaces, quot deceptores Herodes alebat, et ad honores et magistratus evehebat? Unus erat Joannes, qui veram Herodis salutem optaret, et illum unum Herodes sustulit. Et quod magis est admirandum, *sciebat Herodes*, ut Marcus ait, *Joannem esse virum sanctum, et justum et observabat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat.* Sed quamdiu? Donec nihil de ipso dicebatur. Nam simul ac ad reprehensionem vitiorum, et scelerum ipsius ventum est, aures Herodis acclusae sunt, et Joannis amicitia terminata est. Reprehensiones proprias iniquo animo ferre, pestis est, quae ubique terrarum grassatur: omnes persequimur odio superbos avaros, ebriosos, fornicarios, adulteros, parricidas omnibus displicent vitia aliorum, omnibus placet nefarios et scelestos necari. At si vitia nostra nobis ostendantur, non nos ea, ut par esset, prosequimur odio, sed illi irascimur qui ea nobis ostendit. Et cum adversus nostra vitia armari deberemus, nos adversus emendatores, et medicos nostros armamur. Et concionator tamdiu laudatur, et sapiens et ornatus dicitur, donec ad scelera reprehendenda non descendit. Simul enim atque hoc facit homo stoicus, rigidus, durus, ferreus est, cancellos egreditur, metas excedit, audiri non potest. Hoc est igitur documentum alterum, quod a Joanne in vinculis constituto perdiscimus, nempe Herodi scelestissimo similes, quotquot propriorum criminum reprehensiones veras audire non volunt.

Porro tertium documentum, nec minus utile, ex eo colligitur, quod Joannes non prius dicatur opera Christi audivisse, et ad Christum discipulos suos misisse, quam esset in vinculis constitutus. Quid enim hoc significare existimatis? Cujus figuram gerit Joannes, dum haec agit, nisi hominis peccatoris, qui non ante redit ad cor, nec audit, quid in eo Dominus Deus loquatur, quam in aliquod infortunium, et calamitatem incidat. Numquam legistis apud Isaiam? *Verum tamen sola vexatio dabit intellectum auditus.* Est aliquis, cui omnia prospere, et ad votum succedunt, juvenis, dives, robustus, nobilis, is admonetur hodie a parente, cras a praeceptore, alio die a concionatore, ut bene utatur prosperitate, *ut in die bonorum ne immemor sit malorum*, ut cogitet nihil esse facilius, quam ut fortuna in infortunium convertatur; proinde, ne defluat vitiis, ne Deum ad iracundiam provocet. Verum quamdiu in prosperitate versatur, nihil audit, nihil intelligit, contemnit ac despicit omnia, tamquam si nihil ad ipsum pertinerent, quin etiam saepe admonitores suos irridet et pergit sicut antea extento collo, et totus jucundus, amoribus variis implicatur, et diem illum perdidisse se putat, in quo non aliquid peccaverit. Quid tum facit Deus? Iste, inquit, ut video, non intelligit sine expositore, quae dico: adhibeo igitur commentaria. Itaque immittit in eum calamitatem aliquam, vel incidit in latrones, vel capitur a piratis, vel ardenti febre corripitur, vel ab aliquo aemulo vulneratur: ea vero calamitas ita perspicue rem totam declarat, ut ille, qui antea nihil intelligebat, statim recordetur eorum, quae antea audivit. O quam saepe ista mihi praedicabantur, et ego tam stultus eram, ut nihil penitus intelligerem: jam bene recordor; jam intelligo; jam video esse verissimum. Itaque tum demum in vinculis constitutus erecta aure cordis audire incipit mirabilia opera Christi: tum denique cogitat, eum solum esse, *qui solvit compeditos, qui illuminat caecos, qui erigit elisos*: quibus auditis mittit ad eum legatos duos, verbum oris et suspirium cordis, qui dicant ei: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ille vero respondet: *Euntes renunciate Joanni quae audistis, et vidistis.* Novi ego non unum, sed plures adolescentes, qui olim perditissimi fuerunt, nec ullis concionibus converti poterant: et postea una insignis vexatio ita illis Dei voluntatem explicuit, ut sanctissimae vitae et quasi exemplar sanctimoniae efficerentur. Hoc igitur significat Joannes, cum non prius audit Christi miracula, quam in carcerem et vincula conjiciatur.

Jam vero documentum quartum longe utilissimum, quaeso, diligenter percipite. Erat Joannes in carcere, intelligebat se paulo post moriturum, non voluit spirituales filios suos orphanos relinquere. Itaque testamentum fecit, et eo non quidem divitias, vel delitias, stercus videlicet pretiosum, ut Gregorius Nazianzenus appellat, sed Christum eis reliquit: misit enim illos ad Christum, ut eum melius agnoscerent, eique perpetuo adhaerent, sciebat enim thesaurum infinitum esse sapientiam et Christi amicitiam omnibus opibus et honoribus anteponendam esse. De Athenaide, quae postea senior Eudocia appellata est, in libris historicorum legimus, eam cum a patre Leontio Philosopho omnibus liberalium artium disciplinis exculta, eruditaque esset, publico instrumento ab eodem exhaeredatam fuisse, neque aliam ob causam, quam quod ejus eximia virtus, et eruditio, ut ipse aiebat, ei pro satis ampla haereditate sufficeret. Neque vero falsum istud ejus vaticinium fuit: sola siquidem sapientiae, et doctrinae commendatione ad eum gradum dignitatis evecta est, ut conjunx Imperatoris Theodosii, et socia imperii fieret, cum pauperrima et obscurissima non multo ante fuisset. Quod si humana sapientia pro magna haereditate habetur, quanto major haereditas divina sapientia et vera in Deum pietas erit? Hanc igitur beatus Joannes discipulis suis testamento reliquit. In quo eum quicumque pastores, quicumque prae-

ceptores, quicumque patres familiarum sunt, quicumque denique aliorum curam gerunt, imitari deberent, satis nobiles, satis divites, satis eruditi posteri vestri erunt, si Christum eis, et pietatem, castitatem, sobrietatem, temperantiam, justitiam, et omnes virtutes relinquatis.

Postremo,quod ex hoc evangelio discimus,illud est, semper meminisse nos oportere, eumdem ipsum Christum, cui nunc dicitur: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* eumdem, inquam ipsum in obitu nostro unicuique nostrum per legatos suos dicturum: *tu es qui venturus es,* nimirum ad gloriam, *an alium expectamus?* Et vae nobis, si dicere non poterimus Angelis Christi legatis: *euntes renunciate Christo, quae audistis, et vidistis.* Audiunt enim et vident non solum Angeli, sed etiam daemones, quidquid agimus et ea in suos codices referunt: isti ut accusent; illi ut defendant. An non legistis quid venerabilis Beda c. 14. lib. 5.Historiae gentis Anglorum de hac rescriptum reliquerit? Erat juvenis quidam strenuus corpore, et regis amicus: sed moribus corruptissimus,et Deo summo regi maxime invisus.Hic sibi longissima vitae spatia pollicens,vitae mutationem et poenitentiam in extremam senectutem diferre volebat: verum mors non expectavit senectutem, sed eum adhuc florentem et juvenem lethali quodam morbo aggreditur. Aegrotantem rex (quippe qui pius, et humanus erat) invisit, atque ad poenitentiam, et confessionem cohortatus est. At ille: cum convaluero, inquit, istud faciam: nunc enim amici fortasse tamquam timidum et metu mortis expiatum deriderent. Itaque timuit ab hominibus irrideri, cum ipse tamen Deum tamdiu irridere non timuisset. Venit igitur post paulum dies extrema, et ecce ingrediuntur ad eum Angeli duo, pulcherrimum quemdam et elegantissimum librum adferentes, in quo lucidissimis et pulcherrimis characteribus scriptum erat, quidquid ille boni ab ineunte aetate gesserat: sed liber brevissimus, et res in eo scriptae paucissimae erant: Paulo post apparuerunt non duo, sed innumeri teterrimi daemones, qui statim protulerunt horrendum et ingens quoddam volumen, in quo nigerrimis,et maximis characteribus omnia illius flagitia, et facinora scripta erant,quae quidem prae multitudine vix numerabantur. Ut igitur ille utrumque librum de manibus offerentium accepit, et eos jussus perlegere, omnia sua opera, et verba, et cogitationes recognovit, subito in desperationem incidit: nec dicere ausus est: *euntes renunciate Christo,quae audistis, et vidistis.* Sed eo obmutescente, et stupefacto,atque attonito daemones angelis dixerunt,, quid hic agitis? Numquid hic noster est? Num adhuc contendere audetis? Quibus Angeli: vera loquimini, inquiunt, si vultis eum rapere, per nos licet. Atque in hunc modum angelis abeuntibus, ille a daemonibus raptus in gehennam perpetuo cruciandus delatus est. Haec igitur, auditores,non in ejus utilitatem, cui contigerunt: sed in nostram admonitionem, et correctionem ostendi, et videri Dominus voluit, nec ideo scripta sunt,ut legantur et audiantur, sed ut his auditis, vel lectis vitam et mores in melius commutemus. Quod si facere noluerimus, multo nos gravius, atque atrocius, mihi credite, puniemur, quam ille ipse, cui haec contigerunt. Ille siquidem talia exempla nunquam audierat, et si audivisset olim, fortasse in cinere et cilicio poenitentiam egisset. Quamobrem cum omnium operum nostrorum testes vigilantissimos, oculatissimos, et maxime auritos habeamus, qui omnia notant, scribunt, observant:Cur non metuimus vel agere, vel loqui, vel cogitare coram ejusmodi testibus ea, propter quae sine ulla dubitatione damnandi sumus? Quin potius Dei gratia aspirante contendamus, ita vitam nostram traducere, ita nos gerere, ut in eo difficillimo tempore securi ac laeti angelis Dei legatis, respondere possimus: *euntes renunciate Christo, quae audistis et vidistis*:ille vero tunc nos ad regnum suum vocare et coronare dignetur,qui est Deus benedictus in saecula. Amen.

CONCIO VI.

DE DOMINICA TERTIA ADVENTUS

THEMA

Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete.
Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est. *Philip. 4.*

SYNOPSIS

Tres mundi fallaces refelluntur opiniones. Prima, qua obiicitur, servos Dei nullo gaudio perfundi sed semper tristes esse oportere; ubi testimoniis et similitudinibus probatur, majus gaudium contingere Deo servientibus, quam mundanis: causa, cum mundani non sentiant gaudia spiritualia. Gaudium spirituale esse de Deo et suis operibus, in prosperis et adversis, de beneficio creationis et redemptionis. Altera opinio est, qua dicitur Deo servientes nil agere aliud, quam in otio cuticulam curare. Tertia demum est perversa sententiae hujus Paulinae, Gaudete, Dominus prope est, *interpretatio. Modernus dierum festorum celebrandi mos, graviter texatur. Quanta sit insana saltatio et choreae auctoritate tum sacra tum profana, imo ipsiusmet Christi, obstenditur. Profanatio festorum magnum malum: et peccatum potissimam flagellorum divinitus immissorum causam esse. Tandem ad dies festos pia celebratione venerandos seria exhortatio.*

Initium hoc apostolicae lectionis, quae hodie nobis in ecclesia recitata est tres mundi opiniones, quae multos homines ad inferos deducunt, penitus evertit. Primum enim cum incipit aliquis de salute cogitare, de vitae mutatione, de peccatis relinquendis, et servitio Dei serio amplectendo, statim mundus versipellis adest, et tamquam leno quidam corruptissimus: quid, inquit, miser cogitas? an non vides eos, qui serviunt Deo, quam sint melancolici, afflicti, moesti, numquam laetantur, numquam rident: et tu ergo vis talis esse? Absit, ne cogites talia ita mundus loquitur: et per suos ministros tamquam exploratores sollicitat corda filiorum Dei, deterret homines a servitio Dei, minuere conatur, quantum potest, exercitium Dei. Audite quid per Malachiam Prophetam, ejusmodi hominibus Dominus dicat: *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus; et dixistis: Quia locuti sumus contra te? Dixistis, vanus est, qui servit Deo, et quod emolumentum, quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?* Itaque haec est sententia mundi, non posse gaudere, et esse laetos, et hilares, qui serviunt Domino. Sed procul dubio mentitur: falsum est quod loquitur; Et tantum abest, ut servi Dei non possint esse laeti, ut nulli prorsus homines magis ac verius gaudeant, ac laetentur, quam ii, qui serviunt Deo. Legite Scripturas, consulite rationem, inspicite vitas et exempla sanctorum, videbitis quam egregie mundus mentiatur. Ego quidem audio b. Jacobum, non servis Dei, sed servis mundi, fletum et luctum indicentem: *miseri*, inquit, *estote, et lugete, et plorate, risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem.* Et rursum. *Agite nunc divites plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis: Divitiae vestrae putrefactae sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt: aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.*

Porro servis suis, quid Dominus? *Gaudete et exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in coelis:* et *Nolite fieri Hypocritae tristes:* et, *tu cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava;* et iterum, *Videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Quid Apostolus praecipit; *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus cantantes et psallentes in cordibus*

vestris Domino. Auditis quid apostolus dicat? Quo modo tristes esse poterimus, qui semper cantare jubemur? Quid est praeterea regnum Dei, quod intra nos est, non pax est gaudium in Spiritu sancto? Epistolae Petri, epistolae Joannis, epistola Jacobi, quid aliud, quam laetitiam spiritualem, et pacem, et amorem sonant? Quod totum psalterium? *Venite exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro: Praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei:* et, *beatus populus, qui scit jubilationem:* et, *cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.*

Aspicite deinde exempla sanctorum. Quid quaeso de primis christianis in Actis Apostolicis legitis? *Omnes qui credebant,* inquit b. Lucas, *erant pariter, et habebant omnia communia, possessiones et substantias vendebant, et dividebant, illa omnibus, prout cuique opus erat: quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant tribum cum exultatione, et simplicitate cordis,* et rursum. *Discipuli,* inquit, *replebantur gaudio et Spiritu sancto.* Et Apostolus de seipso, *repletus sum,* inquit, *consolatione, superabundo gaudio.* Nonne etiam Dominus aliquando exultavit in Spiritu sancto? De magno Antonio viro sancto, atque perfecto Athanasius refert, eum semper hilarem, laetum extitisse. Neque mirum est hoc, Auditores, nam ipse b. Antonius, nihil magis filiis suis contra daemonum insidias commendabat, quam laetitiam spiritualem. Hostis enim humani generis non ignorans quantum boni nobis alacritas, et gaudium in Dei servitio adferre possit, semper conatur vel terroribus vel minis, vel insomniis, vel cogitationibus malis animi nostri tranquillitatem, et serenitatem perturbare, et coelum cordis nostri, quasi nubibus quibusdam anxietatis et moeroris obducere. Sed, quemadmodum David psallendo, et dulciter citharam pulsando, daemonem pellebat: ita nos quoque hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus nebulas tristitiae dissipare, laetitiam ac serenitatem mentis reparare debemus.

Vultis nunc, ut etiam naturali ratione mendacia mundi refellamus? Quid enim est majus et capacius puteus aliquis profundissimus an exiguum poculum? Non est comparatio: ita quoque inter delectationem et voluptatem, quam capiunt homines carnales, homines spirituales, nulla potest esse comparatio: siquidem carnales homines sensibus corporeis hauriunt voluptates, et delectationes. Et quid sunt corpora nostra, nisi angustisssima quaedam pocula, quae statim replentur? Nonne si comedas per horam, eris plenus usque ad os, et omnes epulas etiam exquisitissimas fastidies? At vero spirituales homines, non poculum exiguum, sed puteum immensum et infinitum replent, intelligentiam videlicet, quae usque adeo ampla, et capax, et profunda est, ut totus mundus eam replere non possit. Deinde unde plus aquae hauriri potest, ex majori Oceano, an ex aliqua palude? non est dubium quin ex mari: ita quoque non est dubium, majorem esse sine comparatione spiritualem, quam corpoream voluptatem, in quo delectantur stulti? Delectantur in epulis, quae magno pretio comparantur, magno labore condiuntur: et si paulo largius sumantur, caput et stomacum gravat, et morbos incurabiles generant, et tandem in lutum et fimum convertuntur. Delectantur in pecuniis et vestibus, quae nihil nisi curam, et sollicitudinem, et metum, et anxietatem pariunt, et quas tandem velint nolint relinquere debent. Alii sunt, qui delectantur in aura quadam, vel potius fumo populari, et opinione hominum, qua nihil vanius, nihil mendacius, nihil perniciosius cogitari potest. At vero servi Dei, homines spirituales, in Domino delectantur, et quid est Dominus, nisi mare immensum omnium bonorum? Is est cibus qui reficit sine satietate: qui satiat sine fastidio: cibus magnus, cibus dulcis, cibus sapidus, *gustate et videte, quoniam suavis est Dominus:* non emitur argento, non generat morbos, non instat: sed contra potius locupletat mentem, curat aegritudines peccatorum, relevat gravatos, replet inanes. Quae cum ita sunt nemo deinceps dubitare debet, quin mundus apertissime mentiatur, cum servos Dei sine tristitia, et moerore esse posse negat: et ego sane, si testimonium meum recipitur, affirmare possum sine mendacio, me numquam tam veram, tam solidam, tam sinceram, tam diuturnam laetitiam sentisse, quam ab eo tempore, quo Deo servire desideravi.

At inquis, non video, nec intelligo, quae sit ista laetitia spiritualis, et nimis durum mihi esse videtur relinquere, quod video, quod sentio, quod tango, quod gusto, pro eo, quod non video, et fortasse nunquam videbo. Ego vero non dubito, neque miror te non videre; cum enim oculos clausos habeas, quo pacto videre potes? Quid prodest ad concionem venire, si venis tamquam ad Comoediam, ut scias aliis referre, bene dixit, bene egit, vel, non bene dixit, non bene egit? Hoc, mihi crede, penitus nihil valet, et si ita pergis nunquam intelliges. Sed aperi paulisper oculos, veni ad concionem paratus, veni cum desiderio proficiendi; noli considerare quibus verbis tibi proponimur veritatem; nam neque ego magnam rationem habeo verborum; sed cape ipsam veritatem, cogita quid dicatur, tolle nubes, tolle tenebras peccatorum, pelle diabolum de corde tuo, qui impedit ne videas, et tum conquerere, si non vides. *Convertimini,* ait Dominus per Malachiam, *convertimini, et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo, et non servientem ei.* Haec est igitur haeresis mundi, quam hodierna die Apostolus refellit, *gaudete,* inquit, *in Domino semper.*

Quid mundus garrit? Quid mundus strepit? *Gaudete in Domino semper.* Et ne putetis mihi hoc verbum excidisse; *iterum dico, gaudete.* Semper gaudere debemus, non sicut filii hujus saeculi, qui per vicissitudines, et alterationes, modo rident, modo plorant, modo laetantur, modo tristantur, nec aliter facere possunt, cum in iis rebus laetentur, quae non semper durant. Namsi gaudent cum pecuniae crescunt, plorant cum veniunt fures; si gaudent cum eis nascuntur filii, plorant cum iidem moriuntur. Nobis vero semper gaudendum est, qui gaudemus in Domino, solo stabili, et sempiterno bono, quod numquam senescit, et cujus anni non

deficiunt, et de cujus pulchritudine pulchri, de cujus gloria gloriosi, de cujus immortalitate immortales efficimur.

Sed quamquam semper nobis merito laetandum est, tamen duo praecipue sunt, que nobis materiam gaudiorum adferunt; atque idcirco b. Apostolus non semel, sed bis nos gaudere voluit. *Gaudete*, inquit, *in Domino semper, iterum dico gaudete*. Gaudendum est semel in Deo: gaudendum est iterum in operibus Dei. Quale gaudium esse putatis animae diligenti Deum cum se cogitat parentem habere regem potentissimum, sempiternum, pulcherrimum, optimum, ditissimum, sapientissimum? Sane qui hoc intelligunt, satiari delectatione non possunt: et etiamsi mille mundi eis promitterentur, ejusmodi parentem mutare non vellent. Hoc est primum gaudium. Porro secundum est de operibus Dei. Sunt enim omnia pulchra, et bona, addo etiam perfecta, ut nihil addi, vel detrahi possit: *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*. Et, *magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti*. Deus immortalis, quale gaudium capiunt servi tui cum quidquid intuentur, nihil nisi opes et possessiones et divitias tuas, qui pater eorum et esse et dici dignaris, vident? Delectantur certe, delectantur in factura tua et in operibus manuum tuarum, non in eis sistentes, et ea pro te diligentes, sicut impii faciunt: sed in eis potentiam, sapientiam, bonitatem et gloriam tuam laudantes. Intuentur coelum, et dicunt, Gloria tibi Domine, qui super nos tentorium tam pretiosum, et gemmis tam claris distinctum, et ornatum expandisti. Intuentur solem et dicunt, Gloria tibi Domine, qui tam decoro et tam venusto jubare non solum necessitati et commoditati, sed etiam voluptati et delectationi nostrae providisti. Intuentur aerem, et dicunt, Gloria tibi Domine, qui elementum tam necessarium, sine quo quasi sepulti viveremus, nobis contulisti. Intuentur terra et dicunt, Gloria tibi Domine, qui pavimentum domus nostrae non modo solidum ad firmitatem, sed etiam floridum ad amoenitatem esse voluisti. Intuentur mare, et flumina, et animantium plantarum, lignorum, lapidum, metallorum multitudinem, distinctionem, varietatem et dicunt, Gloria tibi Domine, qui etiam in exilio et in carcere tot bonis et commodis nos abundare voluisti. Ita igitur sancti homines gaudent, semel in Deo et semel in operibus Dei.

Rursum vero gaudent, semel dum a Deo beneficium aliquod novum recipiunt: et iterum gaudent cum ab eo tanquam filii in misericordia flagellantur. Solent reges terrae legatos et ministros suos ad civitates mittere, aliquando quidem ut privilegia eorum confirment, vel etiam augeant, sed aliquando etiam ut tributa exigant: Verum civitates non eodem vultu legatum privilegia confirmaturum et tributa exacturum excipere solent; An servi Dei non minus gaudent ad flagella, quam ad beneficia et idcirco bis gaudent. Intelligunt enim non minore charitate Deum servis et filiis suis flagella, quam beneficia dispensare.

Postremo gaudent semel boni de beneficio creationis et iterum gaudent de beneficio liberationis, Gaudent semel, quod Deus ad suam imaginem et similitudinem condiderit hominem; et iterum gaudent, quod ipse pro sua imagine et similitudine reformanda factus sit homo. Hoc est igitur quod Apostolus ait, *gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*.

Sequitur, *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Quibus verbis altera mundi haeresis refellitur. Mundus enim qui est ille Nabal Carmelus, quem scriptura stultum, et pessimum et malitiosum appellat, non contentus priori mendacio, aliud praeterea excogitavit. Quid inquit esse putatis servire Deo? Est ars ignavorum, qui volunt bene comedere et bene bibere et nihil laborare. An non cantando et sedendo lucrantur pecunias? Numquid non melius est proprio labore atque industria sibi victum comparare? Ecce vobis verus *Nabal, qui secundum nomen suum stultus est* et sibi non constat, paulo ante dicebat semper Dei servos esse tristes, et vitam nimis duram et laboriosam ducere. Nunc vero quid dicit? Eos cantando lucrari pecunias et bene comedere, bene vivere, et non laborare. Verum mentitur plane, mentitur in caput suum: Si quidem servi Dei non homines ignavi, sed milites fortissimi esse debent; quippe ipsa sua professione bellum indicunt cupiditatibus et omnes daemones ad singulare certamen quodammodo provocant: Et vae illis, qui tamquam militiae desertores, vel potius proditores sub signis Christi stipendia capiunt, et interim militant mundo. Quid enim nobis Apostolus praecipit? *Modestia vestra*, inquit, *nota sit omnibus hominibus*. Volo vos gaudere, sed in Domino: volo vos hilares ac laetos esse, sed ita, ut modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Non sit in vobis ullus excessus, sed summa in omnibus rebus moderatio; sit modus in cibo, sit modus in potu, sit modus in vestibus, sit modus in ipsa laetitia. Non dedit tibi Deus divitias, ut vestiaris serico et bysso, et epuleris quotidie splendide et interim pauperes frigore, et nuditate, et fame, et siti intereant. Si enim hoc egeris, scis sententiam tuam, jam enim est alta; cum illo divite epulone sepelieris in inferno, et guttam unam aquae desiderabis, et numquam impetrabis. Et tu cur putas tibi mitti pecunias a parentibus an eas proiicias et semines in sphaeristeriis? sterilem agrum elegisti, prorsus arenam, vel potius ipsum mare, ubi seminares, elegisti. Nihil ibi colliges, mihi crede. Si pecuniae tibi redundant, habes pauperum sinus, ubi eas reponas: Illud est fertile solum, ibi si semines, tempore suo cum exultatione metes; Nam *foeneratur Domino qui miseretur pauperis*. Deus vero nunquam sine usura, eaque, maxima reddit, quod accepit.

Porro tertia haeresis mundi in explicatione vel depravatione potius hujus apostolicae sententiae consistit: siquidem filii hujus saeculi, ita locum istum interpretari solent: *Gaudete, Dominus prope est*, hoc est, festum aliquod appropinquat, ut dedicationis, ut Epiphaniae, ut Resurrectionis, ut Pentecostes: ergo gaudeamus, et semel et iterum gaudeamus: Tunc enim a lectionibus et studiis vacabimus pro Gymnasio sphaeristerium frequentabimus, et sine metu ludis et jocis, conviviis et po-

tationibus choreis et saltationibus sonis et cantibus operam dabimus. Quid vobis de hac haeresi videtur? Fuitne aliquando error tam perniciosus? At festi dies, inquiunt, sunt dies laetitiae, et tum potissimum dicitur nobis: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete:* Verum est, sed adde quod sequitur: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Cur accipis unam partem et relinquis alteram? An ne scis festiva gaudia Christianorum modestiam et sobrietatem suo jure sibi vendicare? Gaudia nostra non carnalia, sed spiritualia esse debent, plena moderationis, plena gravitatis, plena sapientiae: denique talia, ut omnes homines etiam Ethnici et haeretici cognoscant, nos non Bacchanalia more paganorum, sed spiritualis solemnitates Christiana gravitate peragere.

Non possum equidem, auditores optimi, verbis explicare, cum quanto dolore animi mei videam, quam perverso et diabolico more hoc nostro tempore festa celebrentur. Initio mensis Septembris ibam aliquando per urbem, et ecce ibi videbam unum ebrium, ibi alium; aliquos item in fenestris aspiciebam more furiosorum horribili voce, nescio an canentes, an contendentes, ego certe eo cantu non multum delectabar: pocula praeterea in manibus tenentes quasi tubas quasdam, nisi quod ea non implebant vel inflabant: sed potius exhauriebant. Egressus deinde portas urbis, video spectaculum aliud pulchrum simul et foedum, ridendum et deplorandum; video hominem procerum hastatum, diceres militem aut centurionem aliquem, sed interim ad singulos passus cadebat, et eum foemina quaedam sobria, fortasse conjunx ipsius, incredibili labore post se trahebat. Quaesivi quid sibi ista vellent eo tempore, et cur potius initio Septembris, quam aliis diebus ista viderem? Responsum est mihi, tum celebrari dedicationem. Et ego: Quid, inquam, est dedicatio? Estne festum aliquod Ecclesiasticum, an species aliqua Bacchanaliorum? Quid Bacchanalia? ajebant, nullo modo, festum est ecclesiasticum, solennissimum, celeberrimum, quo dies festi in memoriam ac honorem sanctissimae Deiparae consecrati omnes simul ingenti laetitia recoluntur. Itane, inquam ego; festa Virginis sanctissimae, integerrimae, castissimae, quae jejunio pascebatur, ebrietate, et conviviis et impudicis cantibus, et sonis celebrantur? Sane non dubito, quin ii, qui primi festos illos dies instituerunt propositum pium et religiosum habuerint; nec aliud ea solemnitate voluerint, quam populum excitare ad agendas Deo gratias pro summis illis et infinitis beneficiis, quae toti generi humano per Virginem illam Beatissimam contulit. Sed quantus abusus irrepserit, et quantum perversi homines suis corruptissimis moribus pium institutum obscuraverint ac foedaverint, ex eo intelligi potest, quod peregrinis hominibus et quale sit istud festum ignorantibus, ex iis, quae ubique fieri vident, non festa Dei, sed festa diaboli, atque adeo Bacchanalia ipsa videantur. Neque alii festi dies multo sanctius aut religiosius celebrantur; imo vero, quando quaeso plura peccata fiunt, qua in festis? Quando plura celebrantur sumptuosa convivia? Quando plures audiuntur lascivae cantilenae? Quando magis frequentantur sphaeristeria, tabernae, prostibula? Quando plura exercentur genera ludorum, ineptiarum scurrilitatum? Quando in pluribus locis ad sonitum lyrae et citharae ducuntur choreae?

Sed fortasse malum non est, vel exiguum malum est, viros cum foeminis choreas ducere. Imo nihil perniciosius. Si possunt paleae ad ignem accedere, et non comburi; et adolescens potest cum foeminis tripudiare, et non ardere. Sed de infamia saltationum audite, quid veteres tam profani, quam sacri scriptum reliquerint. M. Tullius ita turpitudinem chorearum execrabatur, ut in defensione Murenae dixerit. *Non fere saltat sobrius nisi forte insanit: Et multarum delitiarum comes est extrema saltatio.* Et alio loco, saltationem tamquam crimen turpissimum obiicit Antonio. Erubesce igitur Christiane, erubesce, vinceris ab Ethnico, et ab Ethnico in judicio procul dubio condemnaberis. Ille solo naturali lumine, sine dono fidei docere potuit, non esse saltationem nisi ebriorum vel insanorum. Et tu filius Dei coelesti lumine illustratus, apud quem tales ineptiae, nec nominari debuerant, in ipsa celeberrima et sacratissima solemnitate maxime insanis? Relinquamus profanos dicas tu nobis, Ambrosi beatissime, senex verendissime, lumen Ecclesiae Christianae, quid tibi de choreis et saltationibus videtur? *Merito*, inquit *inde in injuriam divinitatis proceditur: quid enim ibi verecundiae potest esse ubi saltatur, strepitur, concrepatur?* Dicas et tu beatissime Hieronyme, quid sentis de choreis? *Caeterum*, inquit in libro contra Helvidium, *ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi timor Dei?* Transeamus in orientem, consulamus quoque duos ex Patribus Graecis: Dicas nobis Graeciae ornamentum, os vere aureum, magne Chrysostome, qui inter alias virtutes, ita laude jejuniorum excellebas, ut jejunator publice diceris, dicas quaeso nobis de conviviis et choreis sententiam tuam. *Audite*, inquit in homilia 49. *in* Matth. *audite haec viri, qui magnifica convivia ebrietate plena consectamini: audite, inquam et diaboli barathrum perhorrescite, ubi saltus lascivus, ibi diabolus certe adest: non enim ad tripudia haec nobis pedes praebuit Deus: sed ut modeste incedamus, non ut impudenter camelorum more saliamus. Quod si corpus turpe sit impudenter saliendo, quanto magis animum foedari credendum est: his tripudiis diabolus saltat his a daemonum ministris homines decipiuntur.* Audite postremo, quibus verbis magnus Basilius, vir sanctissimus atque doctissimus, insaniam istam oratione in ebriosos deploret; *Viri*, inquit, *simul et faeminae communibus choreis constitutis vinoso daemoni traditis animis se mutuo affectionum stimulis consauciarunt; risus ab utrisque effusi sunt, cantilenae turpes, habitus meretricii ad petulantiam invitantes. Rides et proterva delectatione te oblectas, cum lachrimas fundere oportuerat, et ingemiscere ob praeterita? Cantilenas canis meretricias ejectis Psalmis ac hymnis quos didicisti? Moves pedes et furiose exilis: ac infeliciter tripudias, cum genu flectere oportuerat ad orationem?* Haec magnus Basilius. Quod si

sancti Patres de choreis in universum haec dixerunt, quomodo quaeso exclamassent, si haec in ipsis festis Natalitiis fieri cognovissent? Sed relinquamus homines. Audiamus quid ipse Dominus, qui errare non potest, quid Spiritus sanctus, et Spiritus veritatis per Isaiam Prophetam dicat, *Cithara*, inquit, *et lyra et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicis, nec opera manuum ejus consideratis.*

Ah miseri et miserabiles, fecit Deus opus admirabile in diebus istis;*novum creavit Dominus super terram*: Virgo peperit, venit Deus ad homines novum sidus apparuit, melliflui facti sunt coeli, Angeli deseruerunt beatas illas sedes,ut parvulum viderent, qui datus est nobis et vos soli, propter quos ista fiunt, in flagitiis occupati, vino somnoque sepulti, *opus Domini non respicitis nec opera manuum ejus consideratis* Quid igitur fiet vobis? Audite sententiam Judicis nostri; *Propterea*, inquit, *dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino.*

Nescitis fortasse quantum sacrilegium sit, dies Deo consecratos profanare? Cur obsecro non ulimur passim templis, calicibus, vestibus sacerdotalibus? Quid sunt parietes isti plus, quam alii?Quid calices Ecclesiae plus, quam alii? Quid vestes sacerdotales plus,quam aliae? Quantum ad materiam nihil.Sed ideo nefariam,ideo sacrilegum,ideo scelestum est ea usus profanos convertere, quod Deo consecrata ac dedicata sint.Sed quis nescit ad eumdem modum dies festos Deo consecratos, ac dedicatos esse, et non in aliis, quam in sanctis operibus consumendos? Quaero a vobis, si videremus aliquem incredibili audacia templum intrare,et vestibus sacris uti pro vestibus profanis, templo pro taberna, altari pro mensa, corporalibus pro mappis, in sacris patinis comedere, in sacris calicibus bibere, quis nostrum non horret, quis non exclamaret?Et nunc videmus dies festos solemnissimos, celeberrimos, sacratissimos, Deo dicatos, in orationibus, meditationibus, lectionibus sacris, hymnis et Psalmis, et canticis spiritualibus consumendos, sacrilegis choreis, saltationibus, conviviis, ebrietatibus, impudicitiis, scurrilitatibus profanari, et nemo exhorret, nemo movetur, nemo miratur. Deus immortalis! *quae participatio justitiae cum iniquitate? quae societas lucis ad tenebras? quae conventio Christi ad Belial?* Quid habet laetitia carnis cum laetitia spiritus?Quid solemnitates Domini cum festis Bacchanaliorum? Ergone quibus diebus nos Deum placare debuimus, in illis eum magis ad iracundiam nostris sceleribus provocabimus?Quibus diebus Spiritus pascendus et recreandus erat in illis eum magis vino et impudicitiis obruemus? Quibus diebus agendae erant gratiae Deo, quod nos a Daemonis laqueis, et flagitiorum et scelerum servitute liberaverit, in illis nos flagitia et scelera quantum possumus,multiplicabimus? Quae est haec insania? Quae furiae infernales nos exagitant? Et nihilominus quaerimus causas, cur Deus nos punial? Cur in ipsis domibus nostris occidamur? Cur in media civitate securi non simus? Alii casui aut fortunae; alii penuriae; alii nescio quibus aliis rebus:sed voces istae voces infidelium sunt: nos qui Christum sumus, et scimus Deum omnium rerum providentiam gerere, qua ratione dubitare possumus, cur puniamur? Nonne scripturae clamant, *Miseros facit populos peccatum?* Et, *est malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Itaque peccata nostra penuriam, et pestilentiam, et seditiones, et omnia flagella nobis procurarunt, peccata nostra clamant, et clamor eorum in aures Dei Sabaoth introivit. Et jam video furorem Dei contra regiones istas ita succensum, ut non nisi magno et diuturno imbre lachrimarum restringendus sit. Annis superioribus dumtaxat Deus comminatus est, non egit serio: fuit admonitio quaedam paterna; sed quoniam in malis nostris perseveramus, iidem sumus, qui semper fuimus; nulla est emendatio morum, nullus zelus honoris Dei, omnes quaerunt, quae sua sunt: idcirco vehementer formidandum est, ne sint posteriora pejora prioribus. Sane non placabitur Deus simplici confessione peccatorum, sed requirit seriam poenitentiam, verum dolorem peccatorum, vitae mutationem; et nisi hoc fiat, desperandum est de sanitate harum regionum. Haec enim est radix et origo malorum omnium, ira atque indignatio omnipotentis Dei. Cur canes imitamur, qui lapides,quibus icti sunt, persequuntur et mordent?Cur flagellum nostrum aspicimus, et contra ipsum indignamur? Cur non potius Deum consideramus,qui propter peccata nos flagellat, nec cessabit flagellare, donec cessemus peccare. Deus igitur bonis operibus placandus est Deo per veram poenitentiam satisfaciendum, Deo sacrificium cordis contriti et humiliati,et praesertim in his festis Natalitiis,quae jam quodammodo prae foribus sunt, offerendum est. Gudeamus, sed in Domino gaudeamus; sed absint scurrilitates, absint ineptiae, absint potationes, absint saltationes. O quantum absumus a religione et fervore Sanctorum Patrum, majorum nostrorum. O quid sentiebant in diebus festis, ac praesertim Domini quanto silentio, et quam altis contemplationibus suspendebantur? cor liquefiebat, oculi pluebant dulces lachrimas, omnia ossa et omnes medullae exultabant; Non supererat illis tempus,quod in nugis et vanitatibus consumerent: Totos sibi stupor ille ingens atque admiratio tam profundi Sacramenti Incarnationis filii Dei, totos illa abyssus charitatis et humilitatis Dei nostri sibi vendicabat. Sed finis sit. Ego vos omnes, auditores optimi, per illam ipsam eximiam charitatem, per illam humilitatem, per illa viscera dilectionis Dei nostri, per adventum regis pauperis, oro, obsecro, obtestor, in diebus Domini gaudeat Spiritus, non caro luxuriet: Angeli canunt gloriam Deo et hominibus pacem, illos imitemur, cum illis voces nostras conjungamus, *Exultemus Domino jubilemus Deo salutari nostro*, qui est Deus benedictus in saecula. Amen.

CONCIO VII.

DE EADEM DOMINICA TERTIA ADVENTUS

THEMA

Tu quis es? Et confessus est, et non negavit: et confessus est, quia non sum ego Christus etc. *Joan.* 1.

SYNOPSIS

Joannes Baptista stellae Lucifero comparatus. Legationem hodiernam esse diversam ab ea, quae superiora Dominica fuit missa. Causa cur Joannes a Deo fuerit praemissus. Joannis constantia et humilitas. Duae causae, quae Judaeos in opinionem induxerunt, quod Joannem Eliam esse existimarint; vaticinium scilicet et amborum eadem prorsus vivendi ratio. Quomodo Joannes revera negare potuerit, se esse Prophetam SS. Patrum sententiae. Cur Joannes se vocet vocem clamantis, et non potius vocem clamantem: Auctoris item sententia, cur se dicat vocem potius esse quam hominem clamantem, quia nimirum ipsius opera quasi clamare ea, quae docebat, viderentur. Querela de concionatoribus non modo non clamantibus factis; sed et malis operibus clamantibus: item de variorum hominum corrupto et scandaloso vivendi modo.

In secunda parte explicatur, cur nam dixerit, in deserto, *ubi elegantissimo discursu mundus deserto assimilatur, in quo spinae tribulationum, frondes rerum apparentium, in via professionum, silis cupiditatum: Homo item arbor inversa probatur ut qui meliore sui parte terrae quasi affixus et infixus sit. Mundus item rubeto comparatur, et qui rubi sint, in iisque delitescentes latrones et ferae, aptissime ostenditur. Tandem Mundum quoque esse desertum fortunatum, utile et salutare, et quibus tale sit, ad finem usque explicatur.*

Quemadmodum inter ea sidera, quae nocturno tempore quasi solis praenuncia oriuntur, illud unum Luciferi, hoc est, lucis et solis certissimi nuncii appellationem invenit, quod proxime solem antegreditur, quodque tanta luce praeditum est, ut aliquid amplius, quam unum ex numero siderum esse videatur! Sic etiam, Auditores optimi, inter omnes Prophetas, qui noctem saeculorum praeteritorum, tamquam sidera quaedam suo fulgore illustrarunt, et diversis temporibus Christum mundi lucem et justitiae solem nasciturum praenunciarunt, unus Joannes Baptista, qui proxime Christum antevertit, quique tanto sanctimoniae, et divinorum charismatum splendore enituit, ut plus quam Propheta ab ipsa veritate appellatus sit: unus, inquam, Joannes Baptista *lucerna ardens et lucens* Christi praenuncius, *Propheta altissimi*, et *vox* Verbi, quod tamen amplissimum, est, nominari promeruit. Id vero ex hodierno Evangelio facile cognoscemus, si ipsum more nostro, breviter explicare aggressi fuerimus.

Miserunt, inquit Evangelista Joannes, *Judaei ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum; Tu quis es? Et confessus est, et non negavit et confessus est, quia non sum ego Christus*, etc. Dominica superiori exposuimus legationem Joannis ad Christum, hodierna die, ut video, exponenda est legatio Judaeorom ad Joannem. Est vero maximum discrimen inter has suas legationes. In superiori siquidem legati multo humilius et abjectius de Christo, ad quem legatio dirigebatur, sentiebant, quam par esset. Atque idcirco Domino laborandum fuit, ut non solum verbis, sed etiam splendore miraculorum gloriam suam et majestatem ostenderet. At vero hodie, qui ad Joannem mittuntur legati, longe majorem de ipso opinionem conceperunt, quam rei veritas patiatur: Proinde beatissimus Baptista in eo laborat, ut quam maxime potest, seipsum extenuet. Hinc videlicet non solum Christum, sed et Heliam et Prophetam esse se negat. Quia vero ad Christi gloriam amplificandam pertinet, ut habeat praecursores et administros, propterea se Christi praenuncium et vocem clamantis in deserto libenter confitetur.

Miserunt Iudaei ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, qui eum interrogarent: Tu quis es? Liberator noster, Auditores, lapis ille est,

qui praecisus de monte sine manibus contrivit statuam illam, quam Rex Nabuchodonosor per quietem viderat, de quo multa Propheta Daniel vaticinatus est: et quem Apostolus Petrus lapidem pretiosum, et electum nominat. Sed quamquam creverit nunc lapis est, juxta Danielis vaticinium, in montem magnum, ut plane sint caeci, qui eum non videant: tamen initio ita exiguus et parvulus erat, ut totos triginta annos ante oculos Judaeorum versaretur, et vix a paucis quibusdam videretur. *Parvulus*, inquit, Esaias, *datus est nobis, et filius natus est nobis*: Et beatus Joannes: *In medio*, inquit, *vestrum stetis, quem vos nescitis.* Ut igitur lapis iste pretiosus a Judaeis *in tenebris et umbra mortis* ambulantibus non conculcaretur: sed potius cum gaudio et aviditate tamquam thesaurus vere magnus colligeretur, divinissimo consilio Deus Pater *paravit lucernam Christo suo*, non ut eo lumine Christus videret: sed ut ipse ab aliis videretur. Itaque Joannem Baptistam praemisit, ut esset *lucernam ardens et lucens*, et populis Judaeorum lapidem illum pretiosum et electum ostenderet. Et ipse quidem probe suo munere fungebatur. Ardebat, lucebat, Christum ostendebat: Verum Judaei lucernae illius tanto et tam insolito fulgore delectari *voluerunt ad horam exultare in lumine ejus.* Itaque lucem illam integerrimae et sanctissimae vitae beati Joannis intuentes eum Christum ipsum esse suspicati sunt: quo circa communi consilio legationem ad eum decreverunt, parati tamquam verum Christum eum suscipere, si modo ipse se Christum agnoscat, atque id aperte et libere fateatur. *Miserunt*, inquit, *Judaei sacerdotes et levitas ad Joannem.* Magna profecto et periculosa tentatio; sed major firmitas Joannis, *et confessus est, et non negavit*: nec enim erat arundo, ut ab aura honoris istius agitari possit. Quid igitur? *Et confessus est, Quia non sum ego Christus.* Videbat Judaeos, ut lucernae splendorem aspicerent in lapidem pretiosum impingere: videbat lapidem illum, qui e coelo in terram ceciderat, ut eos ditaret, fieri illis in ruinam, et jam tunc esse culpa ipsorum lapidem offensionis et petram scandali; propterea memor officii sui, non solum voce et praedicatione, sed digitis etiam ipsis Christum ostendebat. *Non sum ego*, inquit, *Christus; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quid me intuemini? Ego lucerna illius sum, nec ideo sic luceo, ut sic in me oculos convertatis; sed ut lumine meo Christum verum ac pretiosum lapidem videatis. Putamusne hodie multos inveniri, qui tam praeclarum exemplar imitentur? Ecce Beatus Joannes, cum ei Messiae honor deferretur, plane exhorruit; *Non sum ego*, inquit, *Christus*: Longe absum ab ista dignitate. At hodie, si opulentum aliquod beneficium vel ecclesiastica dignitas vacet, rarissimi sunt, qui oblatum honorem recusent, et se illo indignos sincere et ex animo putent: qui vero statim advolent, et non expectent sibi offerri, sed ipsi se offerant, numerari vix possunt. Omnes dicunt: *Ego sum Christus*: *Ecce agnus Dei*, mihi beneficium istud, mihi ista dignitas convenit. Ideo res nostrae male se habent. Sed tempus non habeo digrediendi.

Sequitur. *Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et respondit: Non sum.* Duas ob causas, quantum mihi in praesentiarum occurrit, dubitare potuerunt Judaei, An Joannes esset Elias? Primum enim quemadmodum illo tempore Christus expectabatur, ita etiam Elias: Nec enim ignorabant Hebraei vaticinium illud Malachiae Prophetae: *Ecce ego mittam ad vos Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Et quamquam haec promissio vere et proprie ad posteriorem Domini adventum pertinet, ut Beatus Augustinus diserte docet in libro de Civitate Dei vigesimo: tamen eam Scribae et Pharisaei ad priorem adventum pertinere docebant, ut ex Matthaeo colligi potest. Quo loco Apostoli quaerunt a Domino: *Quid ergo scribae dicunt? Quoniam Eliam oportet venire primum?* Itaque cum temporibus Joannis Elias expectaretur, et Joannes in universa Palaestina celeberrimus esset, non omnino temere suspicabantur Judaei, eum, si Christus non esset, saltem Eliam esse. Deinde tanta fuit inter Joannem et Eliam similitudo, ut facile Judaei Joannem pro Elia accipere potuerint. Elias morebatur in eremo, et Joannes: Elias zona pellicea cingebatur, et Joannes: Elias Propheta fuit, sed novo more solum loquendo, non etiam scribendo vaticinabatur; et Joannes: Elias summa libertate Regem Achab et Reginam Jezabel arguebat, et Joannes Herodem Regem et Herodiadem Reginam non minore libertate castigabat: Elias multa propter Jezabel a Rege Achab passus est, et Joannes propter Herodiadem capite ab Herode Rege plexus est: Et quemadmodum Elias posteriorem Domini adventum juxta Malachiae vaticinium praecurret, ita Joannes priorem juxta ejusdem Prophetae vaticinium praecucurrit.

At inquis, quomodo poterant Judaei tam graviter errare in Joanne, cum eum scirent non de coelo lapsum, sed ex Zacharia et Elizabetha natum esse? Verum, Auditores, quaestionem istam mihi beatus Lucas illis verbis dissolvere videtur: *Puer autem*, inquit, *crescebat et confortabatur, et erat in desertis usque ad diem ostensionis suae ad Israel.* Itaque beatus Joannes ab ipsis primis annis in ipso primo vere aetatis suae conspectum hominum et frequentiam fugiens, petiit loca deserta, atque in eis toti mundo incognitus ad annum usque aetatis suae trigesimum commoratus est: et tum demum factum est verbum Domini super eum, isque repente tamquam novus homo, novo habitu, novis moribus, novo vivendi genere mundo apparuit. Quo tempore vel murtui erant, qui tum vivebant, cum ipse nasceretur. Et etiamsi nonnulli ortus ipsius recordabantur (quippe qui admirandus et plane singularis fuerat) tamen unde suspicari poterant eum, qui tunc ex eremo prodibat, esse Joannem illum Zachariae filium, cum eum nec puerum, nec adolescentem unquam vidissent, nec de eo quicquam a triginta annis inquam audivissent. Quae cum ita sint, mirum nobis videri non debet, si eum Judaei Eliam Thesbiten esse existimaverint. Quaerunt igitur ab eo: *Elias es tu? Et respondit non sum.* Tametsi enim spiritu, fervore, libertate officii et morum similitudine Elias a Domino

appellatus sit: tamen vere ac proprie Elias non erat.

Pergunt: *Propheta tu es? Et respondit, Non.* Graeci doctores, ut beatus Chrysostomus, et Cyrillus, Theophilactus et alii propterea quod verbis illis: *Propheta es tu?* praepositum articulum vident, et more Graecorum; ο προφητης ει συ; in ea sententia sunt, ut existiment, legatos istos Judaeorum non de communi aliquo et vulgari; sed de illo celebratissimo Propheta quaesivisse, qui Deuteron. 18. his verbis promissus erat: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus, sicut me ipsum audies.* Quamquam enim vaticinium hoc de Christo sine ulla dubitatione intelligendum est: tamen Judaei, si beato Chrysostomo et Cyrillo credimus, non de Christo, sed de aliquo alio magno propheta ipsum intelligebant. Negat vero b. Joannes se prophetam esse, non quod magnus quidam propheta non esset: sed ut ostenderet, non recte Judaeos Moysis vaticinium intelligere, atque illud non ad se, sed ad Christum pertinere. Porro nonnulli etiam sunt, qui legatos istos de Propheta aliquo jam olim defuncto quae fuisse contendant: Nam quemadmodum de Liberatore nostro, ut ex capite decimo sexto Matthaei intelligi potest, varie sentiebant, et loquebantur Judaei, et aliqui eum Joannem Baptistam, aliqui Eliam, aliqui Jeremiam aut unum ex prophetis veteribus esse censebant: Sic etiam in Joanne errare poterant, atque existimare vel Isaiam, vel Jeremiam, vel alium aliquem ex prophetis ab inferis rediisse, et eum esse, qui tunc Joannes diceretur. Atque ad hanc interrogationem vere b. Joannes respondit: *Non sum.* Erat enim propheta, verum novus quidam, et non unus ex veteribus. Neque vero est contemnenda d. Gregorii, et quorumdam aliorum Latinorum expositio, qui Judaeos arbitrantur non de magno illo propheta in lege promissio, neque de veteri, et jam olim defuncto aliquo propheta interrogasse, sed solum; An esset vir propheta, et ventura multo ante prospicere ac praedicere posset. Ille vero merito jureque optimo respondet, se prophetam talem qualem, videlicet qualem ipsi cogitabant, et similem caeterorum non esse. Erat enim b. Joannes propheta quidem: sed non, ut Isaias, non ut Jeremias, non ut Ezechiel, non ut Daniel, qui in longa tempora prophetabant, verum altioris et sublimioris cujusdam ordinis: Erat horizon legis veris et novae; erat simul principium Apostolorum et finis Prophetarum. Et quemadmodum theologi doctores veram ac perfectam misericordiam, qualis in solo Deo reperitur, non virtutem, sed quiddam nobilius et excellentius esse dicunt: et nos de Lucifero dicere possemus, eam stellam non tam stellam, quam aliquid majus et pulchrius, quam stellam videri. Sic etiam de b. Joanne vere dici potest, eum non prophetam, sed plus quam prophetam esse.

Dixerunt ergo ei: Quis es? ut responsum demus his, qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? Quicquid nos dicimus de te, tu negas te esse. Quid igitur tu ipse dicis de te ipso? Audivimus jam satis, quis non sis: cupimus jam audire, quis sis. *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto.* Ac ne quis forte miraretur, cur se novo et tam insolito nomine appellavit, adducit testimonium Isaiae Prophetae. *Sicut*, inquit, *dixit Isaias Propheta.* Vere enim admirabile est, quod se vocem, et vocem clamantis et clamantis in deserto nominare voluerit. Quis enim interpretabitur nobis, ad quem modum beatus Joannes vere sit vox. Et si vox est, cur non clamans potius dicatur, quam clamantis? Postremo, si vox clamantis est, cur potius in deserto, ubi exaudiri non potest: quam in aliqua magna et plena civitate clamet? Haec igitur omnia paucis exponenda erunt.

Ac primum, cur se vocem non clamantem, sed clamantis dixerit aperiamus. Video locum istum, auditores, incredibili consensione a veteribus theologis exponi. Legite d. Ambrosium, Augustinum, legite beatum Gregorium, Origenem, legite caeteros, nemo fere illorum est, qui non affirmet, ideo beatum Joannem se vocem non clamantem, se clamantis in deserto nominasse, quod optime sciret, se non esse, qui clamaret; sed se tubam, instrumentum, vocem denique cujusdam alterius clamantis agnosceret. Nam quemadmodum parietibus istis carneis ita separati, et quasi in diversis carceribus inclusi animi nostri sunt, ut os unius ad aures alterius admoveri non possit, idcirco vocibus corporeis, tamquam fidelibus internunciis et spiritualium verborum et conceptionum mentis tabellariis uti solemus. Sic etiam Deus Pater verbum suum, liberatorem nostrum, nobis manifestum facere volens, et simul intelligens hominem rudem et corporeum esse: nec sine strepitu, et sono vocis corporeae quicquam intelligere, praemisit Joannem, qui tamquam vox, et verbum corporeum Christum verbum incorporeum nunciaret. Itaque idcirco dicebat: *Ego vox clamantis in deserto*, tamquam si apertius diceret, Qui clamat, Deus Pater est: verbum, quo clamat, Deus filius est: Ego nihil sum aliud, quam vox, per quam Deus verbum suum hominibus manifestum facit. *Praemittitur*, inquit beatus Augustinus, *ante Jesum Christum Joannes, quasi testamentum vetus ante novum, lucerna ante solem, servus ante dominum, amicus ante sponsum, praeco ante judicem, vox ante verbum. Nam omnipotens Pater innotescere nobis volens, sapientiam et verbum illud, quod in principio erat Deus apud Deum, beatum Joannem quasi vocem, per quam ad nos verbum suum proferret, assumpsit.* Hinc etiam b. Lucas de Joanne: *Factum est*, inquit, *verbum Domini super Joannem Zachariae filium in deserto*, hoc est, Nemo putet Joannem ex se, et sua verba locuturum propterea enim factum est verbum Domini super eum, ut non suum, sed Domini verbum loquatur. Siquidem ipse nihil est aliud, quam vox et tuba et instrumentum Domini clamantis in deserto.

Sed ego auditores aliam expositionem vobis utiliorem cogitavi, cur Joannes non homo clamans sed vox ipsa nominetur. Opera, auditores, et exempla nonnumquam fortius clamant, et longius multo exaudiuntur, quam verba. *Coeli enarrant gloriam Dei*, (inquit psalmographus David) *et opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Ac ne quis arbitraretur coelestes illos globos dumtaxat loqui

non vero clamare: ego vero, inquit, affirmo tanto clamore coelestes orbes Dei gloriam assidue praedicare, ut nullus sit angulus orbis terrae, quem sonitus ille non compleat: siquidem *in omnem terram exivit sonus eorum*. Ac ne rursum Pythagoricus aliquis diceret, coelos nec clamare, nec loqui: Sed ad modum musicorum instrumentorum maximum quemdam, et jucundissimum sonitum edere: non solum, inquit David, *in omnem terram exivit sonus eorum: sed in fines orbis terrae verba eorum*. Taceant Pythagorici cum musico concentu; verbis coelum et sidera Dei gloriam et laudes praedicant, dum se Dei opera esse omnibus in se intuentibus magnis vocibus confitentur. Et unde, quaeso vos, magnus ille Aristoteles cum falsorum deorum superstitio ferme omnium mortalium mentes occupatas teneret, unde, inquam, ille accepit esse super coelos principem quemdam et monarcham universitatis, qui, cum omnia moveat, ipse tamen nulla ratione moveatur? Nonne sapientiam istam ab hoc doctore didicit, qui suis perpetuis conversionibus numquam fatigatur, nec cessat enarrare gloriam Dei? Et cur dixisse Dominum existimatis, *opera, quae ego facio illa sunt, quae testimonium perhibent de me: et si mihi non creditis, operibus credite*: nisi quod sciret opera sua miracula sua, prodigia sua, omnibus linguis facundiora et eloquentiora esse, nihilque tam incredibile reperiri, quod ea non facile persuadere possent? Hinc videlicet et Apostolus Paulus ad Corinthios scribens ait: *Epistola nostra vos estis*; Et *Epistola estis Christi*. Quia nimirum per opera bona Corinthiorum toti mundo Christus et Paulus loquebantur. Ad hunc igitur modum et beatus Joannes ait: *Ego vox clamantis in deserto*, tamquam si diceret; Sed solum verba mea sunt quaedam voces; Sed ego totus sum vox. Vates caeteri sua vaticinia conscripserunt; mihi vero scribendum non fuit; quia ego ipse sum vaticinium: Opera mea sunt verba mea, vita mea est concio mea: Jejunia zona pellicea, pili isti camelorum, haec ipsa eremus, locustae, et mel silvestre, nonne poenitentiam clamant, et ad poenitentiam omnes homines magnis vocibus cohortantur? Nec enim sine causa dixi: *Ego vox clamantis in deserto*. Quando enim ego nihil dicerem, tamen haec habitatio solitudinis homines ad poenitentiam provocaret. O utinam, auditores, intelligeremus aliquando, quanta sit in catholica Ecclesia horum concionatorum penuria, et quod magis est deplorandum, quanto plures hujus generis oratores in Ecclesia esse deberent, tanto sunt pauciores, siquidem omnes christiani ad hunc modum, exemplis videlicet et operibus, concionari debent: nullus apud Dominum sui silentii excusationem inveniet: Omnes tenentur innocentia vitae, et incorruptis moribus Ecclesiam Christi aedificare, peccatores convertere, tardos incitare, frigidos inflammare, omnes homines ad meliora et sublimiora charismata cohortari. Sed qui voces esse non volunt, ut clament bene utinam muti essent, nec clamarent male: Neque enim existimasse debetis solum opera bona clamare, clamant et mala Dominus ad Cain: *Vox*, inquit, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Et ad Abraham, *Clamor*, inquit, *Sodomorum et Gomorrhaeorum multiplicatus est*. Et beatus Jacobus: *Ecce*, inquit, *merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit*. Itaque habent et mala opera suas voces. O si Christiani homines scirent, quam vehementer in auribus Ethnicorum et haereticorum nostra scelera, nostra flagitia, nostra perjuria, nostra parricidia, nostrae libidines, nostrae usurae, nostrae comessationes, nostrae ebrietates clamarent; et quantum eos in conversione ad veram atque orthodoxam fidem impedirent, atque retardarent, non tam facile profecto in tot crimina laberentur? O si vel semel pastores et praesides animarum, nec minus adolescentium institutores, cogitarent, quantorum malorum causa sint, dum ita perniciose suis corruptis moribus concionantur: desisterent plane ab ejusmodi genere concionum. Plus enim, mihi credite, viri graves, in quorum vitam omnium aliorum oculi conjecti sunt: plus inquam una ebrietate, una fornicationis vel avaritiae suspicione persuadent in ruinam, quam omnibus cohortationibus suis persuadeant in salutem. Plus destruunt Ecclesiam Christi vocibus morum, quam aedificent vocibus verborum. O si intelligerent studiosi Lovanienses, quantum nonnulli eorum tyronibus modestioribus et simplicioribus noceant, et quam atroces propterea omnipotenti Deo poenas daturi sint, exterrerentur profecto atque exhorrerent: et se potius vel domi continerent, vel ab hac civitate discederent, quam cum tanto et suo, et aliorum detrimento, ac pernicie in studiis versarentur. Vehementius enim clamant in auribus adolescentium studiosorum exempla solidalium, quam omnes admonitiones praeceptorum. Quare cum ii, qui longiore tempore in studiis bonarum artium versati sunt, quippe patres quodammodo aliorum esse deberent; tamen sphaeristeria potius frequentant, quam gymnasia, et a studiis libenter vacant, ut portationibus commodius vacent, et mero potius, quam disputationibus incalescunt, et socios superare non in doctrina et eruditione; sed in poculis exhauriendis contendunt: quid scandali putatis tyronum animi patiuntur? Quantum, quaeso, hisce exemplis ad similia et graviora etiam perpetranda incitantur? Sic nimirum juventus corrumpitur, sic respublicae pereunt: sic paulatim homines a corruptione morum ad corruptionem mentis, et a sceleribus et flagitiis ad infidelitatem et haereses prolabuntur. Sed haec satis de querimoniis.

PARS ALTERA

Cur b. Joannes se vocem, et vocem clamantis appellaverit hactenus exposuimus: nunc illud sequitur exponendum, cur addiderit: *In deserto*. Quaenam igitur est ista solitudo? quodnam hoc desertum, in quo Joannes clamat? Eremus ista, ni vehementer fallor, orbis terrarum est. Sed non tales solitudines cogitare debetis, quales in Aegypto

et Lybia, in quibus nihil, nisi arenae inveniantur. Verum cogitare vastissima quaedam nemora, obscura, invia, inaquosa, in quibus nullae sunt arbores fructuosae, nulla pomaria, nulli fontes, nulli lacus, nulla prata virentia: homines vero perquam rarissimi, vel potius nulli, paucissimis quibusdam anachoretis exceptis. At vero stirpes silvestres, spinae, rubeta, nec non ferae teterrimae, ursi, lupi, leones, tygrides omnia longe lateque compleverunt. Talis omnino est mundus: atque idcirco non immerito sub typo deserti plerumque in sacris literis designatur. Quaeso vos si mundum istum penitus introspiciamus, an non eum videbimus obrutum spinis amaritudinum, vacuum floribus verarum consolationum? Quod regnum, quae civitas, quae domus invenitur, in qua non aliquando spinae tribulationum oriantur? Pergamus ulterius. Nonne omnia ita sunt plena frontibus rerum apparentium sed non existentium, ut vacuus fructibus rerum verarum et solidarum mundus censeantur? Nonne est invium hoc desertum, cum in eo infelices peregrini, quanto magis progrediuntur, tanto magis implicantur et erant? Ille literarum, iste mercaturae, alius militiae, alius alterius studii viam aggreditur: omnes semitas rectas et expeditas quaerunt: et nullus tamen a spinis et tribulis, locisque horridis et periculosis expedire se potest. Hinc videlicet fit, ut nemo sua sorte contentus vivat: laudat vero diversa sequentes. Et quid de ariditate hujus deserti dicemus? Nonne omnes perpetuo sitiunt? Ubi est ille dives, qui se contentum dicat, nihil quaerat, nihil appetat, nihil optet amplius? nimirum in deserto inaquoso sumus, ubi *non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Transeamus ad alia, atque mundum universum tamquam verissimam solitudinem a raris ac pene nullis hominibus habitari doceamus. Quid est homo? Arbor inversa, ait quidam. Et recte. Siquidem caput in viventibus omnibus illa pars a Philosopho definitur, unde et sumitur alimentum et ad partes caeteras derivatur. Jam vero partem istam, caput videlicet, in arboribus defixam in terra, in hominibus procul a terra abstractam videmus. Et contra pedes, qui capitibus opponuntur in arboribus coelum, in hominibus terram intuentur. Itaque vere homo, si id sit, quod esse debet, nihil est aliud, quam arbor inversa. Verum auditores, tametsi homo exterior, quem forma ista declarat, quae oculis cerni, et digito demonstrari potest, ita se habet, ut arbor inversa merito dici possit: tamen interior homo, qui vere ac proprie solus est homo, ita post peccatum inversus est, ita caput in terram abscondit, ita pedes ad coelum convertit, ut verius arbor quam homo dici posse videatur. Nam si homo est arbor inversa, quid est nisi arbor homo inversus? An non habet fortassis homo caput in terra sepultum atque defossum, qui nihil quaerit, nihil amat, nihil cogitat, nisi terram? *Ubi est thesaurus tuus*, ait Dominus, *ibi est cor tuum.* Quare si thesaurus tuus nihil est nisi terra, ubi caput tuum, ubi cor tuum, ubi mens tua, ubi voluntas tua erit nisi in terra? An non pedes ad coelum convertit, et radices quam altissime figere conatur in terra, qui coelestium bonorum oblitus, solum de possessionibus amplificandis, de palatiis erigendis, de pecuniis cumulandis, de agris ad agros, de beneficiis ad beneficia, de pensionibus ad pensiones adjungendis cogitat? Non legistis apud Marcum de caeco illo, qui cum a Domino curari coepisset interrogatus, an aliquid videret, respondit, se homines sicut arbores ambulantes videre? *Video*, inquit, *homines sicut arbores ambulantes*, ac si dixisset: Video illos quos dici homines audivi, ita capite deorsum verso ambulare ut mihi non homines, sed arbores videantur. Haec est nimirum prima hominis illustratio. Nam cum quis a Deo illustrari, et a vanitate ad veritatem converti incipit, primum quod videt, est caecitas et obscuritas aliorum. Primum quod loquitur est sententia illa; *video homines sicut arbores ambulantes.* Siquidem antea, cum etiam ipse sicut caeteri ambularet, et se capite deorsum verso ad modum arborum esse suspicari non posset, alios item omnes sui similes recte se habere existimabat. Quin etiam si unum, vel alterum forte vidisset terram pedibus conculcantem, et ad coelum oculos sublatos habentem, illum tamquam distortum et inversum et sibi dissimilem irridebat. At postquam Dei beneficio lumen veritatis aspicere potuit, tunc vere errorem suum et deceptionem agnoscit. Tunc aperte clamat: *Video homines ambulantes.* Atque utinam arbores istae pomiferae, et fructuosae, et non potius rubi silvestres et steriles essent. Cum aliquando hominum studia contemplor, plane mundum universum quasi vastissimum quoddam rubetum videor mihi videre. Arbores istae arbores humanae dicuntur; sed nihil eis inhumanius, nihil rapacius: Ejus naturae sunt rubi, ut nulli transeunti parcant, saltem indumenta, si carnem non possunt, vel auferre, vel certe lacerare volunt. Idem omnino studium nonne magna pars hominum sectatur? nonne omnes rapiunt, omnes trahunt ad se res aliorum? Nonne quam plurimi inveniuntur ubique latrones? Et praeter apertos istos latrones, nonne permulti in aulis, in praetoriis, in foris, in officinis latrones sunt tanto periculosiores, quanto sunt occultiores? Quid sunt ii mercatores, qui fraudibus ditescunt, nisi rubi, nisi latrones? Quid Ecclesiastici quidam sunt, qui non aliam ob causam beneficia invadunt, nisi ut bene comedant, et bibant nisi rubi, nisi latrones? Quid ii qui foenoribus et usuris pauperum fortunas devorant, nisi rubi et latrones sunt? Qui ii adolescentes, qui pecunias parentum suorum perdunt in sphaeristeriis, quas in libris emendis consumere debuissent, nisi rubi nisi latrones? Quid meretrices, quid lenones, circulatores, praestigiatores, adulatores, nisi grati et jucundi latrones? O rubetum sterile, atque infelix! Tibi, tibi inquam, beatus Joannes minatur, cum ait: *Securis ad radicem posita est.* Vae vobis hominibus inversis: vae vobis rubis et tribulis. Nam securis irae Dei non ramos, sed radicem petit. Figite radices, quantum vultis. Nam velitis nolitis eradicabimini. *Securis ad radicem posita est*: non de foliis et ramusculis, sed de radice, de capite, de animae salute agitur. Et *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Convertimini, convertimi-

ni homines inversi, calcate pedibus terram;erigite oculos ad coelum. *Si consurrexistis cum Christo quae sursum sunt quaerite : quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* Aspicite apostolum Paulum, qui non planta, sed homo erat. *Conversatio*, inquit, *nostra in coelis est.* Ecce ubi caput habebat apostolus Paulus. At de inversis hominibus, quid dicit? *Ambulant multi.* inquit, *quos saepe dicebam vobis, (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt : nostra autem conversatio in coelis est.* Aspicite b. Petrum, aspicite b. Joannem, aspicite caeteros, qui non plantae, sed homines erant: an non videtis eos in terra radices non jecisse, posteros suos divites non reliquisse, palatia, hortos, vineas possidere non voluisse; sed omnes suas opes, omnem thesaurum suum apud Deum custodem bonum deposuisse, *ubi neque aerugo neque tinea demolitur et ubi fures non effodiunt nec furantur*? Sed ad solitudinem nostram revertamur. An non est mundus hic noster vera solitudo,cum in eo omnes bestiae agri domicilium habeant? Quid enim aliud sunt catervae illae daemonum, quae perpetuo nobis insidiantur, nisi leonum rugientium greges? *Adversarius vester diabolus*, inquit beatus Petrus *tamquam leo rugiens circuit,quaerens quem devoret.* Quid aliud impudicae mulieres, quae solo aspectu venenum in corda adolescentium jaculantur, quam truculenti basiliſci sunt? Quid sunt obtrectatores, nisi canes? Quid arrogantes, nisi tauri? Quid versipelles, nisi vulpes?Quid luxuriae dediti, nisi sues? Quid rapaces, nisi lupi? Quid avari nisi talpae? Quid vero crudeles, nisi tygrides?Sed quid de feritate hominum dicemus?Cum illud constet etiam ipsas feras a nonnullis hominibus feritate superari? Quis nescit tempore nascentis Ecclesiae ursos et leones a sanctorum martyrum corporibus lacerandis abstinuisse, a quibus tamen crudelissime transfodiendis,et in frusta concidendis homines feris truculentiores non abstinebant? Et ea quae nostris temporibus nefarii Calvinistae gesserunt nonne omnem feritatem et immanitatem vincunt? Quae cum ita sint, dubitare jam non possumus, nec debemus,quin noster hic mundus desertum horridum, obscurum, invium, inaquosum, hominibus vacuum, et feris plenissimum sit.Atque hoc est desertum, in quo parens omnium nostrum Adam cum descenderet ab Jerusalem in Iericho a latronibus spoliatus et vulneratus fuit, et in quod pius Samaritanus Christus a spiritu ductus fuit, ut liberaret hominem. Tunc enim fuit Dominus ductus a spiritu in desertum, cum opera Spiritus sancti *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Et tunc impleta sunt vaticinia Prophetarum: *tunc exultarunt omnia ligna silvarum a facie Domini,quia venit*; tum *positum est desertum in stagna aquarum, et terra sine aqua in exitus aquarum.* Tunc *laetata est deserta et invia, et exultavit solitudo,et floruit quasi lilium: germinans germinavit, et exultavit laetabunda et laudans*, quia *gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron.* Verum antequam Dominus per se desertum nostrum visitaret,praemissus fuit Beatus Joannes, qui ideo clamat, et dicit: *Ego vox clamantis in deserto.*Sed vultis ostendam vobis,quod sit felix et fortunatum, utile et salutare desertum? Unico verbo rem aperio, et sic finem dicendi facio. *Qui curas carnis non faciunt in desideriis*, qui terrena non concupiscunt; qui tametsi inter homines,et opes,et honores versantur, tamen nulli horum amore et cupiditate adhaerent; sed ea tanti faciunt, quanti valent: et tamquam homines solitarii et eremitae spirituales habitant secum, versantur in corde, suspirant ad patriam, de Deo cogitant, cum Deo versantur, cum Deo loquuntur, isti sunt, qui solitudinem salutarem et plane beatam invenerunt. Haec est solitudo, quam Propheta David adamaverat, et de qua canebat: *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Haec est solitudo, per quam transit populus Dei de terra Aegypti in terram promissionis.Nemo putet de Aegypto mundi hujus, et de tenebris peccatorum statim uno saltu ad terram fluentem lacte et melle pervenire posse: est enim media solitudo. Et vere si quis, dum vixerit, Deum non quaerit in solitudine. et recessu cordis, et cum eo amicitiam et familiaritatem non contrahit,illum post obitum non inveniet. *Quaerite Deum, dum inveniri potest: invocate cum dum prope est.* Et nisi quis renunciaverit, saltem animo et affectu, omnibus quae possidet quod est morari in solitudine,nunquam intrabit in regnum coelorum. Haec rursum est illa solitudo, in qua pluit manna de coelo: Non habuerunt filii Israel manna illud suavissimum, donec egressi ex Aegypto in solitudinem intraverunt: nec in ipsa solitudine, donec farina illa defecit, quam secum attulerant ex Aegypto. Sic etiam, auditores, nemo speret gustare se posse coelestem illam consolationem, quae omnium dolorum et laborum oblivisci facit; donec amorem atque affectum non exuit rerum terrenarum, et in cordis sui desertum non ingreditur. Haec denique est illa solitudo, in qua verbum Dei nullo strepitu impediente auditur.*Ducam eam*, inquit Dominus, *in solitudinem et ibi loquar ad cor ejus.*Et beatus Joannes hodie:*Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto.* Illis enim solis loquitur Dominus, illis solis concionatur Joannes, qui morantur in solitudine, loquitur vero pacem, et pacem, quam mundus dare non potest, pacem, *quae exuperat omnem sensum.* Sed loquitur *pacem in plebem suam, et super sanctos suos.et in eos, qui convertuntur ad cor. Redite* ergo *praevaricatores ad cor.* Intrate solitudinem, ut vocem illam exaudire possitis, quae clamare non cessat in deserto. O desertum Deo gratum et hominibus utile. O solitudo incognita, sed tranquilla, quam rari sunt, qui te noverunt, et tu sola tamen accolas tuos inter tumultus pacatos, inter arma pacificos, inter multitudines solos, inter metus et trepidationes securos et tranquillos facis. Te prophetae atque apostoli adamaverunt: ad te suspirat, et te concupiscit desiderium animae meae: Ad te nos revocat Apostolus Paulus illa gravi cohortatione sua: *Tempus breve est: reliquum est ut qui ha-*

bent uxores, tamquam non habentes sint ; et et qui flent , tamquam non flentes et qui gaudent, tamquam non gaudentes , et qui emunt, tamquam non possidentes : et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utentes : praeterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Si igitur figura hujus mundi praeterit, si decor omnis et pulchritudo ejus, ut flos decidit, cur non properamus? cur non currimus ? cur non advolamus ad istam solitudinem? Hic est Christus, qui jejunat; hic Joannes concionatur;hic Moyses cum Deo loquitur; hic Elias absconditur ; hic pluit manna de coelo ; hac denique transiit Dei populus ad terram fluentem lac et mel, ad quam sua misericordia nos perducat,qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO VIII.

DE DOMINICA QUARTA ADVENTUS

THEMA

Si nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. 1. *Corinth.* 4.

SYNOPSIS

Duo in Ecclesia apprime necessaria, ut nimirum pastores de seipsis, et oves de suis pastoribus recte sentiant: Illi se oeconomos Dei esse meminerint, (ubi differentia inter dispensatores veteris et novae legis interseritur) nec majoris, nec minoris quam par est se existiment: In priori peccant, qui munia sua per se ipsos exercere indignum putant, qui se ut Dominos, non ut ministros gerunt, et qui rationem se reddituros non cogitantes tam facile et indiscrete quemque absolvunt: In posteriori vero peccant qui tum viris tum foeminis tamquam vilissima mancipia sese subiiciunt. S. Martini et s. Ambrosii auctoritas in Imperatores. Deinde speculum quasi Sacerdotibus proponitur, in quod oculos mentis convertant. Oves vero non nimis vilipendere, nec majoris aeque aestimare sacerdotes debent, quod primum faciunt haeretici Lutherani; et nonnulli magnates; alterum, qui sacerdotes sacramentorum dominos et non dispensatores habent; ubi de modo confitendi, et de duplici baptismate, aquae scilicet frigidae et ferventis, quod posterius aeretici tantopere fugiunt, poenitentiam videlicet, quae cum operibus poenalibus conjuncta esse debet. Tandem de confessione doctrina finit.

Apostolus Paulus una, eaque brevissima sententia, simul pastores et oves, sacerdotes et laicos admonendos putavit. Nihil enim magis necessarium et pastoribus, et ovibus quam ut pastores de seipsis, et oves de suis pastoribus rectam opinionem habeant. Quid igitur pastores de se existimare debent? Se ministros Christi esse, et non qualescumque ministros; siquidem omnes Cristiani servi ac ministri sunt Christi; *sed dispensatores mysteriorum Dei*, hoc est, oeconomos, magistros domus, quibus incumbit ex bonis Domini sui totam familiam alere. Multi sunt servi, et administri in aliqua familia, sed unus praest aliis, unus est *dispensator fidelis, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.* Ac in tota quidem familia Christi, summus oeconomus, ac generalis magister domus, est Romanus Pontifex: quia vero Christi familia non uno in loco habitat, sed multas ac varias regiones et provincias occupavit, nec potest tanta multitudo ab uno homine cibum verbi Dei, et sacramentum accipere idcirco in multas minores familias distributa est, et singulis singuli minores oeconomi attributi sunt. Id quod b. Leo in epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicae, quem vicinarium suum per totum Orientem constituerat, his verbis docet; *magna*, inquit, *dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres* (Episcopos videlicet, nam de his loquitur) *haberetur prima sententia.* Et rursus; *quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiae cura confluerent, et nihil unquam a suo capite dissideret.* Itaque omnes Pastores, omnes sacerdotes, qui quoque modo praesunt ecclesiae, vel ex delegatione, suo modo oeconomos esse, dispensatores mysteriorum Dei in animo fixum habere debent.

Sed cur Apostolus verbum Dei et sacramenta mysteria appellavit? Cur non aperte dixit dispensatores doctrinae, et sacramentorum Dei? Non sine magna ratione hoc fecit: nam ut nobis ministerium nostrum commendaret, excellentiam et sublimitatem ejus explicare voluit. Hoc igitur interest inter oeconomos veteris et novae legis, quod illi dispensabant res quasdam communes, et vulgares, triticum, oleum, vinum. Nobis vere mysteria maxima, res pretiosissimae, aurum, argentum, margaritae, gemmae creditae sunt. Quid Judaei praedicatores docebant? Unum esse Deum, qui coelum et terram fabricaverit, qui populum suum de servitute Aegyptiaca liberaverit, qui tamquam judex justus, nec malos impunitos, nec bonos irremuneratos dimittat. Vera sunt haec omnia, sed vulgaria et communia. Quid vero Christiani docent? Plane mysteria secreta, abscondita a constitutione mundi, Deum esse Trinitatem, Filium Dei carnem hu-

manam assumpsisse, Sacramentis novae legis homines justificari. Aspice deinde sacrificia et sacramenta Judaeorum. Quid illi dispensabant? Umbras futurorum, *infirma et egena elementa*: mactabant boves et oves, aedebant adipes arietum et hircorum: judicabant de lepra et maculis corporum. Ista erant munera, ista potestas eorum. Intuere modo Christianorum sacerdotum functiones: Quid nos dispensamus? Quid populis administramus? Sacramenta potentissima atque efficacissima; baptismate regeneramus, confirmatione Spiritum sanctum damus, absolutione peccata ac debita relaxamus: sub specie panis verum panem Angelorum ministramus. Ista sunt ergo mysteria, quorum nobis dispensatio credita est.

Sed multi reperiuntur hodie imperiti oeconomi, qui nec locum, nec gradum suum intelligunt: et aliqui quidem se majores, et aliqui minores, quam sint, esse se putant; et utrique decipiuntur. Qui sunt, qui se putant majores? Primum omnes illi, qui sibi indignum putant exercere per se munera sacerdotalia, qui non dignantur per se confessiones audire, per se pascere et gubernare gregem sibi creditum. Isti superbia incredibili putant se majus aliquid, quam sint; et interim non vident tum maxime se vilescere ac sordescere. Putant vile concionari, quod Christus et Apostoli faciebant; et non putant vile pecunias numerare, quod Judas faciebat. Atque utinam saltem, sicut Judam in eo, quod vile est, imitantur, in eo, quod nobile et vere magnum est imitantur. Sed rursum ille se pluris faciunt quam sint, qui se non ut ministros, sed ut Dominos intuentur, et interim fures sunt, et latrones; illi videlicet omnes, qui non contenti stipendio ac mercede, quam Deus fidelibus servis promisit, vendunt res Domini sui, beneficia, sacramenta, gratiam ipsam Spiritus sancti. Illi postremo se ministros et dispensatores non agnoscunt, qui quasi non essent Domino rationem reddituri, summa facilitate omnibus manum imponunt, et tam contritos, quam non contritos; tam plene et perfecte confitentes, quam peccata sua quadam confusa generalitate involventes: tam satisfacere paratos, quam non paratos quasi propria potestate et auctoritate absolvunt. Isti sua imperitia et superbia corrumpunt populos, et eis verae poenitentiae viam praecludunt. Nec enim esset hodie tanta facilitas absolvendi. Veniunt homines onusti peccatis, et qui millies in eadem ceciderunt: et veniunt saepe sine ullo signo doloris, vel pridie, vel ipso die summae celebritatis, et statim absolvi, et ad sanctorum mysteriorum communionem accedere volunt. Et nos judices inconsiderati, dispensatores omnibus manum imponimus, omnibus dicimus, *ego te absolvo, vade in pace.* Sed vae nobis, cum Dominus rationem ponet cum servis suis; servi sumus, dispensatores sumus, non Domino sumus, causam Dei, non nostram agimus: offensas Dei, non nostras remittimus: bona Dei, non res nostras dispensamus. Hinc videlicet beatus Augustinus in Epistola 148. *Nihil est*, inquit *in hac vita, et maxime hoc tempore, facilius, et hominibus acceptabilius episcopi et presbyteri officio, si perfunctorie et adulatorie res agatur*: *sed nihil apud Deum miserius, et tristius et damnabilius.* Et b. Joannes Chrysostomus; *Non temere*, inquit, *dico, sed ut affectus sum ac sentio*; *Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant*; *sed multo plures, qui pereant: Unius enim animae perditio tantam habent jacturam, ut nulla ratione possit aestimari.*

Veniamus ad eos, qui se minores arbitrantur, quam sint, et non studio sanctae et Deo gratissimae humilitatis; sed partim ignorantia, partim improbitate se de gradu suo deiiciunt, et omnibus contemnendos et conculcandos praebent. Quoniam isti sunt? Illi omnes videlicet, qui ambitione, vel pecuniarum cupiditate, vel utraque stimulante, viris divitibus et nobilibus nec solum viris, sed etiam foeminis, quod nefas est et horrendum, turpiter adulantur, et eis tamquam vilissimi famuli et abjectissima mancipia se subiiciunt. Quam multos videbitis etiam in his regionibus sacerdotes Domini, qui aperto capite laicis viris et mulieribus in mensa ministrabunt, qui discurrent hac et illac, ut ferant et referant nuncia, qui omnia famulorum et ancillarum munera obibunt, pudet profecto haec referre. Sed quid agemus, cum multos non pudeat ista facere, et seipsos, et eos quibus serviunt, in gehenna perducere? Certe b. Martinus laude humilitatis, si quis alius, maxime enituit: tamen cum aliquando (ut Sulpitius refert) una cum quodam presbytero suo eum imperatore maximo pranderet, et pincerna calicem imperatori attulisset, eumque imperator ad s. Martinum honoris gratia misisset, sapientissimus pontifex, non solum primum calicem non recusavit: sed posteaquam ipse bibit, non imperatori, ut omnes putabant, sed presbytero suo calicem porrexit. Existimabant enim ut res erat, in eo consensu primas partes sine controversia episcopo deberi, secundas presbytero, tertias imperatori. Itaque beatissimus Martinus presbyterum suum, etiam imperatori praeposuit: et hodie presbyteri non verentur seipsos etiam mulierculis subiicere. B. Ambrosius cum imperatorem Theodosium intra cancellos in sacrarium ingressum cerneret, ut cum presbyteris sederet, numquid timuit ei per archidiaconum mandare, ac dicere: *Egredere imperator, et cum caeteris in commune consiste*; *purpura enim imperatores facit, non sacerdotes*? D. Joannes Chrysostomus Homil. 83. in Matthaeum de Sacramenti administratione verba faciens, *Si dux*, inquit, *quispiam, si consul ipse, si is qui diademate ornatur indigne adeat, cohibe et coerce*; *majorem tu illo habes potestatem.* Sed quid opus est testimonia hominum quaerere? Ingrediantur, qui ejusmodi sunt, aliquando cor suum, ibi profecto, si attendant Deum ipsum sic loquentem audient: Ego te exaltavi: et non angelum aliquem, sed Deum quemdam inter homines esse te volui: ego te caput et judicem conservorum tuorum constitui.: tibi omnia mea bona commisi, divitias, honorem, sponsam, meipsum, et quicquid aliud habere potui: tibi credidi claves regni coelorum, tibi sacramenta, pretium sanguinis mei, tibi ipsum corpus et sanguinem meum, tibi animas ipsas, sponsas meas, pro quibus pati et mari non recusavi: denique honorem et gloriam

meam per te, et a te, et in te honorari volui, et tu calce abjecisti me, et qui lux mundi et sal terrae esse debuisti, ita insipiens et sceleratus factus es, ut propter splendorem quemdam saecularem, coronam tuam, et gloriam meam tanto dedecore, atque injuria afficeres, ut etiam mulierculis servire non erubesceres. Haec profecto Dominus (si attenderent) eorum in cordibus loqueretur. Sed quid de illis dicemus, qui non solum hominibus saecularibus, sed ipsi saeculo tamquam mancipia famulantur? Qui serviunt mammonae serviunt libidini, serviunt ebrietati, quo nihil turpius, nihil foedius, nihil execrabilius in sacerdote reperiri potest.

Quid mirum, si passim vilissimo cuique ludibrio sunt sacerdotes? Si a populis despiciuntur? contemnuntur, conculcantur, gravi diuturnaque laborant infamia? Dominus enim per Malachiam ad sacerdotes voce magna ait; *Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis.* Et Christus in Evangelio: *Vos estis sal terrae: Quod si sal evanuerit, ad nihil valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.* Hoc igitur haereticorum, et saepe etiam catholicorum populi clamant: Infatuatum est sal, ad nihil valet ultra, proiicietur foras, conculcetur ab hominibus. Quare, Auditores optimi, quicumque sacerdotes estis, vel futuri estis, attendite quaeso vobis diligenter, et ut aliquando tandem Domino adjuvante ab ea, qua jamdudum urgemus, ac premimur infamia ac turpitudine liberemur: sic vos existimate, *ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, neque amplius aliud, neque minus.

Venio nunc ad oves. Quam opinionem habere debent laici de sacerdotibus, ut non errent? Apostolus Paulus respondeat: *Sic nos*, inquit, *existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Neque enim desunt, qui minoris, neque etiam qui pluris sacerdotes faciant quam sint. Qui sunt, qui minoris? Primum haeretici Lutherani, qui invidentes Ecclesiae pulcherrimum illum ordinem ministrorum Dei, qui refert hominibus speciem quamdam coelestis Hierusalem, hierarchias et choros Angelorum, non solum diaconos et presbyteros, sed ipsos etiam summos sacerdotes in ordinem redigere, et oeconomos ac magistros domus de familia Christi tollere conantur, ut omnes servi nimirum inter se tumultuentur, et unus rapiat hoc, alius rapiat illud, et nemo sit qui puniat, vel prohibeat. Deinde proxime ad Lutheranos accedunt quidam, qui dicuntur nobiles, qui ita contemnunt sacerdotes, ut non solum eis praeponere, sed etiam ab eis serviri sibi non erubescant, et illas manus, quae corpus Domini quotidie tractant, quae coelum poenitentibus aperiunt, quas Deus sibi oleo sanctae unctionis consecravit, a quibus benedici, et quas osculari humiliter deberent: illos, inquam, in sordidis officiis in suum obsequium occupari patiantur. Sed de hoc jam admonuimus, quod modo admonendum esse videbatur.

Qui sunt igitur qui pluris sacerdotes faciunt, quam debent? Illi sunt, qui sacerdotes Dominos sacramentorum et divinae gratiae, non ministros et dispensatores putent: tales erant Apostolicis temporibus qui dicebant; *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo: ego vero Cephae*, quos Apostolus in priori ad Corinthios epistola severe castigat his verbis: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et rursum, *Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit; Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Semper errores versantur in extremis, veritas in medio. Haeretici sacerdotibus omnem potestatem, atque adeo ipsum ministerium auferunt: Imperiti catholici non ministros eos, sed dominos faciunt. Veritas est in medio: *Sic nos existimet homo ministros Christi.* Atque utinam hoc tempore non infiniti reperirentur, qui imperitos illos Corinthios imitarentur. Passim enim videbitis euntes homines ad confessionem, et licet neque dolorem peccatorum, neque verum propositum non amplius peccandi, neque desiderium satisfaciendi pro praeteritis habeant; tamen omnino cupiant absolvi: et si casu aliquo confessarium sapientem inveniant, qui eis aperte dicat; Frater ego hic sedeo non ut rex, sed ut judex, neque judex, neque judicare possum, nisi secundum allegata et probata, et nisi meliorem animum in te videam, non expectes ut te absolvam; Vade, persuadeas Deo si potes, ut sine vera poenitentia in gratiam suam te recipiat, et debitum dimittat: Ego qui servus sum, non ex liberalitate, sed ex justitia bona Domini mei dispensare debeo. Si, inquam, talem confessarium fidelem et prudentem nacti fuerint, quaerunt, sibi alium, et possunt surdum aliquem vel imperitum, et ab eo absolutionem quoque modo extorquent; et tum vere se liberos et absolutos putant, cum sint miseri duplici vinculo colligati. Auditores optimi, nolite vos et alios simul decipere: si qui sunt, qui cupiant in gehennam ire, eant quaeso soli, non trahant etiam vos secum. Dicatur ipsis, si non placet vobis venire nobiscum ad coelum, neque placet nobis venire vobiscum in gehennam. Itaque ego serio vos admoneo, quandoquidem jam est tempus confessionem faciendi quicumque vere, neque ex animo dolent se peccasse, et sine fictione proponunt vitam meliorem, et parati sunt pro admissis flagitiis satisfacere nec non relinquere, quod juste retinere non possunt; ut beneficia male parta, ut res alienas, ut concubinas, ut odium ac inimicitias: praeterea restituere quod debent; si pecunias, pecunias: si famam, famam; et de caeteris ad eumdem modum: tales absolvi non possunt, etiam diligentissime, et accuratissime peccata sua recenseant, et si absolvantur fit, quod ait b. Cyprianus, *irrita pax periculosa dantibus, nihil accipientibus profutura.* Deus enim duo baptismata instituit: unum aquae frigidae ac temperatae; alterum aquae ferventis. Percipite quaeso rem istam; hoc enim est caput praecipuum totius controversiae inter Catholicos et Lutheranos! Priori baptismate lavantur ii, qui veniunt ex infidelitate, et tunc Deus mitissime et

liberalissime agit, et omnia simul dimittit, culpas videlicet et poenas, tam aeternas, quam temporales; Quamquam enim relinquuntur eis fames, et sitis, et aegritudines, et penuriae, et aliae afflictiones atque incommoda, quae omnes patimus; tamen ea non proprie poenae dici debent, cum non infligantur intuitu peccatorum, quae plene ac perfecte in Baptismo dimittuntur; sed solum ad certamen fidei, et meriti incrementum relinquantur, et b. Augustinus ait: ut per illa erudiantur et exerceantur proficientes in agone justitiae. At vero cum homines jam priori baptismate absoluti, negligenter et dissolute vivunt, et Deo ingrati iterum maculas contrahunt, tum Deus restringit nihil manem, et sacerdotibus dicit, si rursum ad vos pro medicina peccatorum venerint homines isti, quos semel lavastis, non amplius eos lavabitis baptismo aquae frigidae; sed adhibete balneum ferventis aquae, et eorum pellem diligenter excoquite, ut alias sint prudentiores, et majori vigilantia caveant flagitia. Hoc est sacramentum Poenitentiae Auditores, baptismus lachrimarum, balneum aquae ferventis, quod requirit gemitus, contritionem, lamenta, fructus dignos poenitentiae, preces, jejunia, eleemosynas et alia id genus opera.

At haretici quidem rem istam non intelligentes, neque considerantes baptismi et poenitentiae discrimen; sed in utroque Deum neque liberaliter agere sibi persuadentes, nescio quam sibi fingunt resipi scentiam, et vitae mutationem suavem ac delicatam, quae nullam habeant contritionem et satisfactionem annexam pro praeteritis. Sed via regia est, quam Ecclesia Catholica tenet, et quam semper patres ad doctores orthodoxi ac probati fuerunt: audite b. Cyprianum, *Orare*, (inquit in sermone de lapsis) *oportet impensius et rogare*; *diem luctum transigere, vigiliis ac fletibus noctes ducere: tempus omne lachrimosis lamentationibus occupare: statos solo adhaerere: in culicio volutari et sordibus.* Audite b. Gregorium Theologum, *Recipio*, inquit in oratione secunda de baptismo, *recipio poenitentes: sed si lachrimis rigatos videro*, Audite Ambrosium quibus verbis lapsam virginem ad seriam poenitentiam exhortatur, *Lucubris*, inquit, *tibi accipienda est vestis, et mens, ac membra singula digna castigatione punienda; amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriae praestiterunt, defluant oculi lachrimas, qui masculum simpliciter non aspexerunt: pallescat facies, quae quondam viruit impudice: Denique totam corpus injuria maceretur cinere aspersum, et opertum cilicio perhorrescat. quod male sibi de pulchritudine placuit: cor vero sit liquescens sicut cera jejuniis in quietans seipsum, et cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum.* Audite Theodoretum, quas leges poenitentiae in epitome divinorum decretorum Ecclesiam habere dicat; *Sunt*, inquit, *medicabilia etiam, quae post baptismum fiunt vulnera, medicabilia autem non ut olim per solam fidem (baptismo videlicet) remissione; sed per multas lachrimas, et fletur, et luctus, et jejunium, et orationem, et laborem commissi peccati quantitati contemperatum: qui enim non sic affecti sunt eos nec admittere quidem didicimus.* At hac habet Ecclesia leges de poenitentia. Sed quid opus est tam multis testimoniis hominum, cum ipse Spiritus sanctus in scripturis sanctis semper cum poenitentia plantum amarum, cordis contritionem, cinerem, et cilicium, jejunia et eleemosynas conjungat?

Quare auditores optimi, si bonam, si utilem, si salutarem confessionem facere vultis, si vere cum Deo in gratiam redire, et ejus amicitia ac benevolentia frui desideratis, balneum istud calidum magno animo ingredi debetis, et primum diu et multum in amaritudine animae peccata praeterita recogitare; deinde ea largis et diuturnis imbribus lachrimarum abluere; tum sacerdotem probum et eruditum audite, qui non solum absolvere, sed etiam consolari, docere, increpare, monere, remedia morbis et aegritudinibus accomodata adhibere sciat; et tunc ad pedes ejus totam sarcinam peccatorum sine fastu, sine pompa, cum timore et tremore, cum dolore et humilitate deponere: Postremo totus viribus bonis operibus, et iis potissimum, quae sacerdos jusserit, insudare, et aliis poenitentiae laboribus sponte assumptis Domino satisfacere: nec enim si sacerdos pro multis et magnis peccatis parvam et brevem poenitentiam injungit, propterea nihil pati debetis: et nisi aliis modis Domino satisfeceritis, certe balneum multo ferventi in purgatorio non deerit. Aspera tibi videntur? cogita duriorem et asperiorem esse gehennam: et si vides flere te non posse, hoc ipsum defle, quod non possis flere: Certe enim si pater, aut mater, aut filius, aut frater tibi moreretur, nonne puderet dicere, non scio flere? Et nunc anima tua mortua est, qua nihil melius et pretiosius habes, et non scis flere? Quae haec amentia? Moritur pater, quem certissime credis iterum surrecturum et victurum, et tamen ploras; moritur anima, quam nescis an unquam amplius vivam habebis, et non potes flere? Ploremus igitur, *Ploremus coram Domino qui fecit nos*; et tamen non dubitemus, quin is qui publicanum, et Magdalenam et latronem poenitentem recepit, etiam nos pari charitate et pietate recipiet, et osculabitur, et consolabitur, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

CONCIO IX.

DE EADEM DOMINICA QUARTA ADVENTUS

THEMA

Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. *Isa.* 40.

SYNOPSIS

Occasione a superioris Dominicae concione sumpta agit de verbis concionis Joannis ab Isaia mutuatis; ubi de vera praeparatione via Domini disseritur. Viae Domini quae sint, et quae mundi; illas esse rectas, aequabiles et breves, has vero distortas, anfractuosas et praecipitiis horridas, in quibus fera saevissima mors stabulatur. Viae periculosae, quas divitiarum et voluptatis mancipia terunt, et ambitiosi; et a quibus hos avocat, et ad poenitentiam vocat concio Joannis, ostenduntur. Solitudinem, in qua semitae parandae, esse cor nostrum, cujus intentio et desideria sunt dirigenda.

In secunda parte agitur de tribus poenitentiae partibus, contritione scilicet confessione et satisfactione. Parvus contritionis fervor taxatur. Modi ad contritionem efficaces proponuntur, ut est meditatio bonitatis Dei, passioni Christi, divinae Majestatis et potentiae, gloriae insuper et felicitatis, de qua nos peccatorum in aeternas miserias agit praecipites; exempla denique Davidis, Petri, publicani, peccatricis et Theodosii imperatoris. Deinde reprehenduntur diversa male confitentium genera; et in primis ii, qui generatim solum et in confuso peccata confitentur, quos peccare contingit tum dicendo quae non fecerunt, tum subticendo quae fecerunt Secundo per simile reprehenduntur ii, qui quidem peccata sua omnia confitentur, sed circumstantiis debitis omissis. Praeterea crassa eorum sugillatur ignorantia, qui flagitia graviora a minoribus distinguere nesciunt. Objurgantur insuper ii, qui de beneficio ecclesiastico viventes nihil pro eo faciunt, magis de reditibus quam de precibus soliciti. Denique arguuntur ecclesiastici, qui frigide, negligenter et perfunctorie officia divina peragunt, nec id sibi religioni ducunt. Satisfactiones veterum cum nostris comparatas multo fuisse rigidiores, exemplo Potavii Episcopi alicujus probatur. Paucos esse qui vere et cum fructu confiteantur. Seria tandem ad cordis compunctionem et veram poenitentiam exhortatio concludit.

Beatissimum praecursorem liberatoris nostri Joannem Baptistam, optimi auditores, vocem esse clamantem in deserto Dominica superiori didicimus. Quid vero clamet, quod vel in primis cognoscendum fuerat, angustia temporis impediti dicere non potuimus. Quare cum et haec pars explicanda supersit, et in hunc diem maxime conveniat (hodie siquidem parasceven agimus Natalis Domini) non novum aliquod argumentum quaeremus; sed de ista ipsa concione beati Joannis, Domino aspirante, verba faciemus. Erit vero longe utilissima concio, si terram bonam, ut spero, semina ista verbi Dei in cordibus vestris invenerint. *Dominus enim veniens veniet et non tardabit*, nimirum crastimo vero hac nocte aderit et eos omnes visitabit, quos vigilantes et paratos inveniet. Et beati qui ejusmodi visitatione digni erunt; miseri vero et infelices, qui non erunt. Nec enim Dominus vacuus veniet, sed onustus donis et charismatibus, et verarum opum, verarum consolationum, verarum deliciarum copiam maximam suis cultoribus et amatoribus adferet. In eo totum est positum, ut non imparati inveniamur. Nemini vestrum desiderium et voluntatem deesse bonam existimo, id agendi et comparandi, quod necesse est. Si quis autem fortasse, quid sit agendum et comparandum ignorat, is aures et animum erigat, et non me, sed b. Joannem concionantem audiat; *Parate*, inquit, *viam Domini rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Quid est igitur via? Et ad quem modum dirigitur via? Verba sunt metaphorica: Siquidem familiare est Prophetis, saepe figuris ac praesertim translationibus uti. Itaque b. Joannes hanc ipsam sententiam propriis, ac apertis verbis ita expressit: *Paenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum.* Vis, inquit, parare viam Domini? Vis rectas facere semitas Dei nostri? Ecce tibi modum, ecce rationem. Age poenitentiam. Quid est igitur via Domini, nisi lex Domini? *Viam*, inquit David, *mandatorum tuorum cucurri, cum*

dilatasti cor meum. Et, *Beati Immaculati in via qui ambulant in lege Domini.* Quid contra est via mundi, nisi lex mundi? De qua scriptum est: *Lata est via quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui ingrediuntur per eam.* Et quidem lex Domini via angusta, via recta, via pulchra, via lucida, via vitae et salutis dicitur. Contra lex mundi via lata, via distorta, via pollua, via obscura, via inferi et semita gehennae nuncupatur. Nimis longum esset si omnes istas conditiones harum viarum explicare vellemus. Contentus ero si unam vel alteram breviter explicare potuero. Fingite animis videre vos viam quamdam rectam, aequabilem, brevem, et cujus exitus sit amplissimae et pulcherrimae civitatis ingressus. Talis omnino est via, et lex Domini. Audite Oseam: *Rectae* inquit, *viae Domini, et justi ambulant in eis.* Audite Psalmographum: *Deduxit*, inquit, *eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.* Audite Salomonem: *Justum*, inquit, *deduxit* Deus *per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Beati* plane *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Nam et primum ex ipsa via, quippe quae rectissima est, vident regnum Dei, et urbem illam, ad quam ducit. Et in eam spe ac desiderio ingrediuntur, paulo post reipsa ac vere ingressuri. Ut vero et viam mundi et carnis internoscatis, fingite rursum animis, videre vos anfractus quosdam, et quasi circulos infinitos, qui perpetuo ducant in orbem, nec unquam finem habeant, et qui non solum distorti; sed et inaequabiles sint, ut nunc ascendendum, nunc descendendum iis omnibus sit, qui per eos iter facere volunt. Talis est via et lex mundi, per quam omnes peccatores ingrediuntur; neque mirum. Diabolus enim, qui dux et princeps est omnium impiorum, non alias vias novit. *Adversarius vester diabolus*, inquit Petrus, *tamquam leo rugiens circuit* (ecce viam ipsius, *quaerens quem devoret*, quin ipsemet, ut est apud Job, interroganti Domino unde veniret, respondit, *Circuivi terram et perambulavi eam.* Et rursum capite 2, idem interrogatus respondit. De peccatoribus vero sanctus David: *In circuitu*, inquit, *impii ambulant.* Et rursum: *Audivi vituperationem multorum commemorantium in circuitu.* Quia vero anfractus isti non tam viae, quam errores quidam sunt, nec per eos ad civitatem unquam perveniri potest, rursum propheta: *Erraverunt* inquit, *in solitudine, in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Quam autem longi sint isti errores, et quam difficiles, perditi homines his vocibus aliquando testabuntur *Erravimus a via veritatis, ambulavimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis et perditionis. Viam autem Domini ignoravimus.* Sed caput omnium miseriarum, et infelicitatis hujus viae illud est, quod hinc, et inde altissima et horribilia praecipitia habet. Discurrit vero per hanc viam fera quaedam pessima, quam mortem nominamus: imo vero venientibus omnibus occurrit, et nullis parcit: non ducibus, non regibus, non pontificibus, non imperatoribus: sed nunc istum, nunc illum maximo impetu deiicit in barathrum: nec est adhuc inventus aliquis, qui ei resistere, vel impetum ejus sustinere potuerit. Ab ista igitur tam distorta, et tam periculosa via revocat nos oratio Joannis Baptistae. Nos enim partim a daemone incitati, partim a nostris cupiditatibus abstracti viam illam Domini ita deserimus, ut in ea excrescant herbae, et frondes, ac virgulta eam penitus intercludant. Anfractuosas vero et distortas vias mundi ita frequentamus, ita terimus, ita celebramus, ita unusquisque duce cupiditate viam sibi aperit in solitudine, ut lex Domini herbis et graminibus cooperta jam amplius via esse non videatur.

Hoc est igitur, quod Joannes clamat: *Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus*: hoc est, Rursum aperite, rursum terite, rursum celebrate viam Domini, ambulate in lege mandatorum Dei, facite ibi ambulando rursum viam, ubi non ambulando invium fecistis.

Id vero quanto jure clamet, nullo negotio explicari potest. Aspicite quaeso paulisper atque intuemini hominum studia: Quotusquisque est, qui via Domini derelicta, vel ad dextram vel ad sinistram non declinet? Qui vel post aurum non abeat, vel post umbram honoris, vel post concupiscentias suas non currat? Avari omnes nonne currunt post aurum? Ambitiosi nonne honores quasi umbram fugientem prosequuntur? Voluptuarii nonne ad carnem advolant tamquam vultures ad cadavera? Et quales, quaeso, sunt istae viae, numquid distortissimae? numquid longissimae? numquid praecipitiis, vallibus, montibus, latronibus, feris plenissimae? Videte quam sint longi isti anfractus. Currere incipiunt in pueritia, currunt in adolescentia, currunt in juventute, currunt in aetate matura currunt interdum etiam in senectute, ambulant vias difficiles, lassantur in via iniquitatis, nunquam tamen perveniunt. Quanto enim magis opibus vel honoribus crescunt, tanto plura et majora desiderant, nec ullum finem desiderandi et expetendi faciunt. Cucurrit aliquis post honores, et factus est comes. Caeterum nihil se esse putat, nisi fiat dux: itaque iterum currit, absolvit curriculum, efficitur dux. Estne finis? Nequaquam. Aspirat ad regnum currit, conficit aliud curriculum, efficitur rex. Num modo quiescit? Nihil minus: Ambit monarchiam orbis universi. Currat igitur rursum et currat donec deficiat. Ecce pervenit ad monarchiam. Quid jam quaeret? Num tandem erit satis? Nullo modo. Est nimis angustus orbis iste terrarum: rursum currendum est, ut novi orbes inveniantur. Ecce vias, ecce anfractus filiorum Adam. Quam multi praeterea incipiunt in pueritia aulas frequentare, ut tandem in senectute aliquem gradum dignitatis acquirant, quem tamen non acquirent, vel si acquirent vehementiori siti altiorum graduum stimulabuntur. O iter longissimum et laboriosissimum. Ecce vias, ecce anfractus, per quos currunt plerique filii Adam, donec eis mors occurrat, et in gehennae barathrum deiiciat, ubi nunquam illae voces deficient: *Erravimus in solitudine, in inaquoso: Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis: Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.*

Ut autem omittam labores, asperitates, molestias pericula hujus itineris percensere, quae tamen omnia effugere potuissent, si viam Domini, quae

ante oculos erat,quaeque brevissimo et rectissimo tramite ducit ad vitam,tenere voluissent: quis verbis exprimet stultitiam filiorum Adam?Possent per viam mandatorum Dei, viam rectissimam et brevissimam parvo cum labore, et nullo cum errore ad portum aeternae felicitatis pervenire. Non legistis apud b. Augustinum libro confessionum octavo, quid ille miles ad suum amicum dixerit, cum ambo relictis anfractibus viam Domini ambulare coepissent? *Dic, quaeso te*, inquit, *omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus pervenire quid quaerimus? Cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio,quam ut amici imperatoris simus?* Et *ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus vero Dei si voluero esse, ecce nunc fio.* O viam brevissimam et rectissimam. *Amicus*, inquit, *Dei si voluero esse, ecce nunc fio.* Et tamen filii Adam malunt per anfractus ambitionis, per errores variarum cupiditatum, errores longissimos et periculosissimos laborare, et sudare, ut tandem perveniant ad gehennam. Ubi nunc sunt, qui praeteritis saeculis tantum laboraverunt ut regibus et principibus hujus mundi placerent? Ecce omnes apud inferos sunt, et soli illi qui Dei amici esse,et Deo placere studuerunt, soli inquam laetantur, soli triumphant, *et in aeternum et ultra*, laetabuntur et triumphabunt. Quae cum ita sint, diligentissime et avidissime audienda est vox illa beatissimi praecursoris Domini Joannis: *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Vel brevius et apertius: *Poenitentiam agite appropinquabit enim regnum caelorum.* Ecce, inquit, Dominus prope est, Rex ipse coelorum ad nos venit, et merces ejus cum eo. Verum nemo putet per vias distortas et inaequabiles eum venturum. Si pergitis per istas, numquam occurretis ei. *Rectus Dominus*, et rectitudinis amator, in via recta, in via justitiae, in via virtutis occurret vobis. Redite ergo praevaricatores, corrigite vias vestras, corrigite studia vestra, requirite viam antiquam, redite in semitam, quam deservistis. Per peccata eam deservistis, per poenitentiam redite in eam, et cum redieritis, ambulante in ea, terite eam, celebrate eam facite ibi rursum viam, aperite viam Domini, rectas facite semitas ejus, per quas Dominus venturus est.

Habemus igitur quid sit parare viam Domini, et rectas facere semitas ejus. Nihil est enim aliud, quam agere poenitentiam. Sed cur addit in solitudine *Dirigite*,inquit,*in solitudine semitas Dei nostri.* Ea solitudo, de qua hic agitur, nihil est aliud quam cor nostrum. Nec aliud sibi vult sententia ista praecursoris Domini, quam hoc: Ingredimini paulisper corda vestra, deserite saltem ad tempus cogitationes rerum caeterarum, commoramini in solitudine ista, in recessu cordis, captate tempora et loca apta meditationi; et considerate studia vestra, videte quomodo ambuletis, et in quae praecipitia nescientes ruatis, et ubi cognoveritis,quam distortae, quam lubricae, quam tenebricosae sint viae vestrae,tunc dirigite in solitudine semitas Dei nostri componite hominem interiorem, dirigite gressus cordis, intentionem videlicet et desideria et tunc sine labore homo exterior componetur, et gressus et actiones omnes in viam Domini dirigentur,et vos corde dilatato summa alacritate curretis viam mandatorum Domini. Haec est oratio beati Joannis; quae quam sit non solum utilis,sed plane etiam necessaria, vita et mores nostri satis aperte declarant: Nec enim alia de causa semper versamur in eodem luto, nunquam plene ac perfecte poenitemus, nisi quod in solitudinem cordis non intramus: Id breviter, si placet, explicemus.

ALTERA PARS.

Tres partes habet vera poenitentia, contritionem confessionem,satisfactionem.Haeretici omnes haec fide et verbis negant: et solum quosdam terrores praecedentes, et quamdam apprehensionem misericordiae Dei per fidem agnoscunt.

Nos tria illa fide et verbis confitemur; factis et moribus pernegamus, et satis nobis esse censemus,si confuso quodam modo peccata nostra tamquam historiam quamdam sacerdoti referamus, sed non ita est, fallimur vehementer, a recta via aberramus. Et multi sunt, qui eo quod jam confessi sunt, pedem unum se habere arbitrantur in coelo qui tamen si recte considerent,videbunt se pedem unum in terra, alterum in gehenna posuisse. Nec enim confiteri, sed bene confiteri hominibus coelum aperit.

Incipiamus a contritione. Veniunt nonnulli ad confessionem, adferunt unam sarcinam peccatorum, quam duo equi ferre non possent: habebunt interdum decem aut viginti, et quinquaginta peccata mortalia, praeter ea, quorum non recordantur, non amplifico, extenuo potius. Multi sunt, qui nullum diem sine novis peccatis mortalibus transegerunt: et tamen nullae sunt lachrimae, nulli gemitus, nulla signa veri doloris; quin etiam nonnulli vix genua figere dignantur in terra: sed uno genu dumtaxat,et illo super pulvinari interdum posito, ita manent quasi furari absolutionem, et statim aufugere vellent: nec vestium pompam deponunt, nec ullum signum doloris ostendunt.Haeccine est contritio?*Scindite corda vestra* (inquit Ioel) scindite, scindite, corda vestra, *et non vestimenta vestra.* An scindit cor suum ille, qui numquam intrat in cor suum? Scripturae sacrae cum de poenitentia loquuntur ubique cinerem et cilicium commemorant, et nunc planctum amarum, nunc luctum unigenitum adhibendum esse docent. Doctores vero mirum est profecto quid dicunt, cum de poenitentia verba faciunt. Siquidem eam baptismum laboriosum, Baptismum lachrimarum, tabulam secundam post naufragium vocant.Beatus Gregorius Nazianzenus oratione secunda,de Baptismo. *Recipio*, inquit, *poenitentes, si lachrimis rigatos videro.* Audite beatissimum Cyprianum in sermone de lapsis. *Quam magna deliquimus*, inquit, *tam granditer defleamus; alto vulneri diligens, et longa medicina non desit:Poenitentia crimine minor non sit: Putasne Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium praeponere maluisti,cujus templum sacri-*

lega contagione violasti? Putasne facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrimis, lamentationibus occupare, strato solo adhaerere cineri in cilicio volutari et sordibus. Haec b. Cyprianus vere poenitentibus praescribit. At cur hodie, quaeso, tam raros hujus generis poenitentes videmus, nisi quia in solitudinem cordis intrare non novimus? Tanta enim est gravitas et turpitudo peccati, et usque adeo deformem et horribilem efficit animam peccatoris, ut sola ejus consideratio, si diligens, si attenta sit, claudere possit hominem in cubiculo, et hoc in eo efficere, ut nihil ei in posterum libeat, quam lachrimari. Quid? Si attenta et profunda cogitatione haec apud te voluere incipias? Heu mihi, quid miser egi cum hoc flagitium perpetravi? Primum patrem illum dulcissimum, auctorem omni boni, et mei amantissimum offendi, qui me undique beneficiis vallavit, cujus tot signa charitatis video, quot bona, vel in me vel in aliis video. Quae tanta est mea durities? Dominus meus virgis caeditur, spinis coronatur, clavis configitur, ut veteribus meis sceleribus medeatur, et ego semper addo nova? Ille nudus in cruce et sanguine perfusus, totus exhaustus, salutem et conversionem meam sitire se clamat, et ego semper pergo acetum ei et fel amarissimum propinare? Deinde illius in me iram atque indignationem provocavi, cujus est tanta majestas tanta potestas, ut omnes principes, omnes reges, omnes daemones, omnes Angeli cum eo comparati vix pulveris granum unum merito appellari possint. Nec enim tam facile nos modicum pulverem statu dissipamus, quam facile possit Deus solo nutu, et in unico momento omnem mundi gloriam atque pompam penitus delere. Quis mihi praeterea explicabit, de quanta gloria ruerim, et de quo libro vitae nomen meum deletum sit? Haeres eram regni coelestis, vitae aeternae, numquam finiendae ab hac tanta felicitate, ac sorte tam praeclara et omnibus modis maxima excidi miser per peccatum. Et quid inde lucratus sum? Jam prope ipsas sum tenebras exteriores: nec magis procul absum a gehenna, quam absint ab aquis, qui navigant mare. Quam cito frangitur tabula, tam cito ruunt illi praecipites in profundum. Quam cito frangitur maceries ista putrida corporis mei, quae momentis singulis ruinam minatur, tam cito et ego sine ullo remedio in gehennam descendam. Fortasse igitur cras, fortasse hac nocte, fortasse hodie in illis sempiternis ardoribus habitare incipiam. Haec, inquam si attente cogitare volueris, fieri non poterit, quin scaturiant ex oculis tuis fontes lachrimarum: nec laborabis, ut ad genua sacerdotis te abiicias, et manibus complicatis, oculis in terram defixis totus confusus et tremens scelera tua confitearis, quin etiam impedient verba singultus et suspiria cum oratione miscebis. Intravit poenitens David in cor suum, ideo lavabat per singulas noctes lectum suum, et lachrimis stratum suum rigabat. Intravit poenitens Petrus in cor suum, et *egressus foras, flevit amare.* Intravit poenitens publicanus in cor suum, et idcirco *non audebat oculos suos ad coelum levare*, et pectus cum dolore et lachrimis feriebat. Intravit poenitens illa peccatrix in cor suum et tantam de interiore turpitudine confusionem accepit, ut omnem confusionem exteriorem nihil esse putaret. Intravit poenitens Theodosius imperator potentissimus in cor suum, idcirco sceptri et purpurae, et omnis pompae imperialis oblitus, postea quam multos menses facinus suum defleverat, ad ecclesiam veniens coram omni populo reprehensionem atrocissimam primum patienter tulit, deinde non stans, nec genibus flexis, sed plane prostratus lachrimis terram rigabat, capillos vellebat, pectus feriebat, omnibus quibus poterat modis Domino satisfaciebat. Hi sunt igitur fructus solitudinis, haec non alibi, quam in recessu cordis oriuntur: Ingrediamur, ingrediamur cor nostrum et viam Domini in solitudine dirigamus. Diximus de contritione.

Jam de confessione breviter est dicendum: Nec enim minus vera et salutaris confessio in solitudine nascitur, quam contritio. Video multos homines, vel potius multa hominum genera sine ullo fructu ad hoc saluberrimum sacramentum accedere; nec aliam ob causam, quam quod se in solitudinem non recipiant, cum se ad confessionem parant. Aliqui sunt, qui ita negligenter ad hoc opus accedunt, ut solum generatim, atque in summa et confuso quodam modo dicere possint, se omnia peccata capitalia perpetrasse, et omnia Dei praecepta violasse, quibus non alia profecto, quam confusa et generalis absolutio conveniret: imo vero nec tali absolutione digni sunt. Nam dum ita confitentur duos errores committunt: dicunt enim quod non fecerunt, et quod fecerunt non dicunt. Quaeso te, si reum aliquem ante tribunal judicis constitueres et nihil diceres aliud, quam Iste egit contra legem: peto, ut velis ferre sententiam. Quid judex ille responderet? An non putaret se irrideri? Iste egit, inquis, contra legem. Contra quam legem, stulte? Quam sententiam feram, si, quod sit ejus peccatum, ignorem? Pari ratione si medicum adeas et dicas Mihi aliquid dolet, adhibeas quaeso medicamentum. Quid ille? Nonne dicet: Stupide, quid est, quod tibi dolet? caput, oculi, dentes, renes, pedes? Quid tandem illud est? An putas omnia medicamenta omnibus malis convenire? Quid si tu podagra labores, et ego medicamenta dentibus adhibeam? Verum ista in negotiis rerum externarum et aegritudinibus corporum non saepe evenire solent. Siquidem *prudentiores sunt filii hujus saeculi filiis lucis in generatione sua*: at in negotiis, et morbo animae, quam saepissime eveniunt, quas nesciant homines Christiani, et in aliis rebus non necessariis interdum eruditi, se ad sacerdotem tamquam ad judicem, et medicum animarum accedere, cui crimina singula et morbi singuli, quoad fieri potest, diligenter explicandi sunt, ut is et recte judicare et salubriter mederi possit.

Alii sunt, qui peccata quidem sua sigillatim referre, et ordine didicerunt; verum nullam curam adhibent, ut quoties, quo loco, quo tempore, cum quali, vel contra quem aliquid egerint, vel dixerint, recordentur. Haec etiam insignis et periculosa negligentia est. Si deberes alicui magnam sum-

mam aureorum coronatorum, atque eam descriptam haberes in variis locis, ita ut uno folio legeres debitum decem coronatorum, in alio folio debitum quinquaginta, in alio item quinquaginta, in alio viginliquinque, in alio centum. Denique in variis libris et chartis debiti tui summam descriptam haberes, quaero a te, si creditor diceret: Venias ad me cras hac hora, et adfert tecum libros debitorum tuorum, decrevi siquidem omnia debita, quae in libris tuis reperientur, mea manu delere, ut nihil jam amplius mihi debeas; sed vide ut omnem summam fideliter recites, nullam tabulam domi relinquas. Quid tunc ageres? Numquid occasionem istam negligeres? Numquid solum accipere eas chartas, quae primum occurrerent manibus et cum illis ad creditorem accederes? Non opinor: Quin potius arbitror noctem illam insomnem duceres, et omnem domum tuam everteres, ut omnes chartas, omnia folia, omnes tabulas debitorum tuorum haberes, non esset arca, quam non aperires, non angulus, quem non scrutareris; ubique quaereres tabulas tuas, et haec quidem sine dubio ageres, ut a debito paucorum nummorum liberareris. Et nunc Domino amplius, quam decem millia talentorum debemus, quot peccata mortalia admisimus, tot crimina laesae majestatis admisimus, pro singulis aeterna supplicia promeruimus. Verumtamen clementissimus et benignissimus Dominus noster omnia ista debita propria manu delere paratus est, si vel tabulas debitorum nostrorum adferre et recitare dignemur. Et quantum est hoc? Si rem grandem diceret nobis Deus, certe facere deberemus; quanto magis nunc, cum dicat, quaere tabulas tuas, et veni? Dic tu prior iniquitates tuas et justificaberis. Et tamen inveniuntur nonnulli tam dissoluti, tam negligentes, tam parum studiosi salutis suae, ut malint poenas aeternas luere, et debitum suum ad quadrantem minimum dissolvere, quam semel scrutari diligenter angulos omnes conscientiae suae et annos suos in amaritudine animae cogitare. Itaque qui non frustra, sed aliquo cum fructu confiteri cupit; ingrediatur cubiculum suae conscientiae, atque ibi diligenter quaerat, non solum, quid egerit, sed etiam qualia sint quae egit, et quoties illa egit, et ubi, et quando, cum quali, contra quem aliquid egit: Aliud est enim percutere clericum, aliud percutere laicum; aliud cum virgine, aliud cum maritata, aliud cum meretrice flagitium perpetrare: aliud semel, aliud saepius labi. Nec enim peccatum decies repetitum tamquam unum peccatum, sed tamquam decem confiteri debemus.

Sed alii postremo sunt, qui diligentiam quidem aliquam adhibent, ut omnium scelerum suorum et flagitiorum recordentur; sed tamen ignorantiae cujusdam densissimis tenebris obruti, quae graviora et majora sunt, illa non vident. Ponamus exempla ut planiora fiant, quae dicimus. Erit aliquis, qui singulis diebus desideriis fornicationum et adulteriorum aestuabit, et oculos suos impudicis aspectibus, et aures impudicis sermonibus pascet: quia tamen opere desideria sua explere non potest, nihil mali se agere arbitratur. Iste igitur ad confessionem veniet, et parva, ac venialia errata minutissima recensebit, flagitia illa cogitationum et desideriorum praeteribit. Quid? Quod nonnulli ipsam fornicationem, vel non sciunt, vel non credunt esse peccatum? Et quid quaeso de istis tenebris dicemus? O quomodo istis Dominus externas et non necessarias disciplinas exprobrabit? Sciebas, inquit, de mundo et coelo, de lineis et numeris, de syllogismis, et sophismatibus disputare, et quomode de teipso et salute tua disputare non noveras? Numquid non legeras? *Non concupisces*? Et; *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo?* Et; *Fornicatores regnum Dei non possidebunt?* Haec Dominus dicet. Vere enim non solum adulterium, sed et fornicatio: nec solum desideria, sed et cogitationes, si voluntariam delectationem adjunctam habeant, flagitia mortalia sunt: et talia, ut vel sola aeterna supplicia non poenitentibus concilient. Veniamus ad aliud genus hominum.

Erit aliquis rursum (et utinam non essent multi) qui ex facultatibus Ecclesiae vivit, et ne semel quidem cogitabit, quid ipsius manus et ecclesiastica dignitas exigat, non leget horas, non geret habitum non tonsuram, sed nec sciet, an per se in ecclesia residere, an sacris ordinibus initiari, aut aliud aliquid agere teneatur. Unum dumtaxat sciet, quot nummos videlicet ex beneficio suo recipiat. Iste igitur ad confessionem veniet, et quidem minora, ac minutiora satis aperte et diligenter confitebitur, de beneficio nihil. Interrogetur, legis horas? Non. Quare? Non sciebam mihi esse legendas. Et quid sibi iste pileus, istud pallium saeculare, istae caligae inflatae volunt? Ubi est habitus ecclesiasticus? Ubi est tonsura? Non sciebam me ad ista teneri. Cur igitur putas tibi stipendium dari ecclesiasticum? Non scio. Fieri potest, ut neque hoc scias? Vidistine unquam iis servis vel militibus stipendium dari, qui ne cogitare quidem vellent cur stipendium acciperent? Profecto non vidisti. Sed age inveniamus aliquid, quod scias. Scisne quanti sint beneficii tui proventus? Optime memoriter, ducenti et quinquaginta floreni cum dimidio. Laudo te, vales memoria. Sed si aliquando non tota ista summa adferatur, quid tunc agis? Quid? Scribo literas semel et iterum, inquiro causas, exigo rationes, ipsemet ad locum pergo: neque quiesco, donec mihi reddatur totum, quod mihi debetur. Recte jam igitur non solum memoria, sed etiam solertia vales, nec male functus esses munere Judae in collegio apostolorum.

Alii postremo item ecclesiastici sunt, qui horas quidem legunt, et sacra mysteria assidue peragunt sed ita inconsiderate, ita oscitanter, ut palam ostendant, se id non libenter facere: et si nullum inde lucrum accederet, id se numquam et nullo modo esse facturos, et tamen horum scrupulum nullum habent, et ea in confessione, nisi interrogentur, facile patiuntur sileri. Quid quaeso de istis dicemus? Divinos illos psalmos plenos coelestis suavitatis, dulciores super mel et favum, sine spiritu, sine mente, sine attentione recitant: et quasi grave onus quanto citius deponere cupiunt: et tamen, ut dixi, non propterea stimulum conscientiae patiuntur. Sed quid de illo tremendo et hor-

roris pleno sacrificio dicemus. *Quis enim fidelium* inquit b. Gregorius libro dialogorum quarto, *habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus jungi: Unum quoque ex visibilibus et invisibilibus fieri?* Et b. Chrysostomus libro sexto de sacerdotio: *Per id tempus*, inquit, *et Angeli Sacerdoti assident, et caelestium potestatum universus ordo clamores excitat et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est: id quod credere abunde licet vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur.* Haec b. Chrysostomus. Considerate jam, quam triste et deplorandum sit spectaculum, videre sacerdotem divina mysteria peragentem, angelorum choris undique septum, qui ad ea, quae ipse operatur, et loquitur, stupent, ac tremunt, et prae admiratione ingentes clamores excitant, et tamen sacerdos in medio positus totus frigidus et quasi stupidus non attendit, quod agat: non intelligit, quid loquatur: et ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba praecipitat, quasi latrones post tergum haberet, et satis temporis ad fugiendum non esset: et tamen, ut dixi, non propterea singultum conscientiae patitur: sic res sacrae contemnuntur, sic Deus irridetur, sic ridendi materia haereticis datur. Clamamus, in sacramento altaris Christum ipsum esse, et interim nonnulli ita se gerunt, ita ista sacramenta pertractant, quasi nihil minus verum esse putarent, et quasi Deum marmoreum vel plumbeum haberemus, qui nihil sentiret, nihil videret, nihil audiret. Sed, mihi credite, Deum omnipotentem, et vivum habemus, qui non dormit, nec irridetur; et omnia videt, omnia audit, omnia notat, et aliquando omnes suas injurias ulciscetur, et irrisores suos ipse ridebit, cum eis repentinus venerit interitus. Undenam igitur haec omnia mala? Certe non aliunde quam ex eo, quod non intrant homines in solitudinem: Si semel ingrederentur in cor suum, et cogitare inciperent quis ego sum? Quid ago? Quomodo vivo? Ecclesiasticus sum, ex bonis Ecclesiae redditus mihi abunde suppeditantur. Cur hoc? Ut laute comedam? Ut large bibam? Ut cum amicis meis ebrietatem miscere possim? Profecto non est ista causa. Qua igitur aequitate, quo jure ego stipendium a Deo recipio, qui Deo servire et militare non cupio? Et cur mihi manus inunctae sunt, et tot caeremoniis, tam solemnitate ad sacerdotium initiatus sum? Ut postea sine ulla religione, et reverentia peragerem divina mysteria? Si ista cogitarent, materia non deesset longissimae atque optimae confessionis.

Sed de confessione satis. De satisfactione tria verba: Olim cum multo melius Christiani intelligerent necessitatem poenitentiae quam nos faciamus, cumque apud se cogitarent, ac perpenderent quanto facilius hic in terris, quam in purgatorio satisfieri possit, pro peccatis poenitentias longissimas atque asperrimas septem, quindecim, viginti triginta annorum, interdum totius vitae libentissime admittebant et explebant, et toto illo tempore jejunabant frequenter, orabant frequentius, non utebantur balneis, non equis, non curribus, non vestibus pretiosis: abstinebant a ludis, jocis, theatris: denique tota vita eorum nihil, nisi luctus et humilitas et poenitentia erat ut ex libro Tertulliani de poenitentia, et ex aliis vetustis auctoribus cognosci potest. At vero hodie ita delicati, ita teneri effecti sumus, ut vix paucorum dierum jejunia pro multis sceleribus atque delictis sustineri possint. Cilicia vero, et cineres, vigiliae, humicubationes, flagella et aliae carnis afflictiones non solum in moribus nostris, sed vix jam in libris reperiuntur. In Concilio Toletano legimus, Potavium quemdam extitisse, qui cum episcopus esset, et semel tactu foemineo (ut concilium loquitur) sorduisset, ipse se primum nullo cogente in ergastulo quodam conclusit, atque ibi novem mensium poenitentiam egit. Deinde ad concilium, quod Toleti celebrabatur, literas dedit, quibus peccatum suum sponte sua prodidit. Patres vero consilii illius, poenitentiam ei perpetuam, quousque viveret, injunxerunt ut perpetuo in humilibus et abjectis officiis deserviret, et nihilominus affirmarunt humanius et misericordius multo cum illo actum esse, quam antiquorum regulae et severitas patiantur. Et quantum obsecro, nos ab hoc genere poenitentiae absumus? Sed quid ait scriptura? *Qui timent pruinam irruet super eos nix.* Nos exiguae et brevis poenitentiae austeritatem formidamus, et in poenas atrocissimas et longissimas purgatorii vel gehennae incurremus. Legi aliquando extitisse nobilem quemdam adolescentem et delicatum, qui cum vitam valde severam arripuisset, et eo nomine ab amicis et affinibus reprehenderetur, eique corpusculi infirmitas et teneritudo obiiceretur, sapientissime respondit in hunc modum: Ego propterea vitam istam duram et laboriosam arripui, quod meae imbecillitatis, et teneritudinis optime conscius essem: Cum enim cogitarem tam tenerum corpusculum non bene ferre posse purgatorii vel gehennae supplicia, ego delicatus haec minora et meliora elegi, ut illa graviora et majora evaderem. Haec nobis cogitanda essent, auditores: Nam si haec ferre non possumus, quomodo illa feremus? Unde igitur tantus tepor in nobis, tanta segnities tanta teneritudo, nisi ex eo quod solitudinem cordis non intramus? quod non intelligimus, nec intelligere cupimus, quid sit Deum offendere et quid hinc sequitur, nisi ut quam plurimi turmatim in gehennam descendant, et non solum ex iis, qui non confitentur: sed etiam qui male confitentur. Vere dico vobis, *dilatavit infernus animam suam* et descendunt ad eum sine numero.

Vultis enim non modo intelligere, sed videre, sed manibus tangere, quam modicus sit confessionum nostrarum fructus? Illud unum considerate, quam diu post confessionem a novis sceleribus perpetrandis abstineamus. Hodie multi et fortasse omnes crimina sua confessi sunt: quam multi erunt ex iis, qui, non dico post unum mensem, non post unam hebdomadam, sed cras, hac hora, rursum erunt in pristino suo coeno? Id vero quid significat? Nonne eos ex consuetudine confessos esse? Num quod animum haberent, et propositum vere relinquendi peccata? Quam multi veniunt onusti peccatis, in quae jam millies ceciderunt, et

veniunt pridie vel ipso die summae celebritatis et statim volunt expediri, quasi hoc negotium esset ludus puerorum. Nonne hi Deum non placare,sed irridere voluisse videntur? Et quid istis talis poenitentia et confessio proderit? Quam multi praeterea cras Domini corpus accipient, et paulo post in prandiose totos crapulae et ebrietati dabunt? Et sicut apes expelluntur fumo: ita isti Dominum majestatis fumo ebrietatis expellent. Deinde exibunt bene pasti, bene poti, et occurrent mulieribus, et quis dubitat,quin rursum desideriis aestuare incipient, et hodie in anima moriantur, cum Deus pro nobis in carne natus est? Sed quid inde lucrabuntur? Id plane, quod Judas quondam proditor Domini. Ille post buccellam Dominum vendidit, et quidnam emit? Nihil sane aliud, quam funem, quo seipsum suspendit. Ita isti hac Domini tam nefaria et tam detestanda proditione mortem aeternam mercabuntur. O si semel in cor nostrum intraremus, et quid sit peccare, quid offendere Deum, et in quanto periculo peccatores versentur attente cogitaremus, certe deinceps ita peccatum exhorremus, ut ad solum ejus nomen toti tremeremus, et ab omni occasione peccandi longius fugeremus, quam ab igne, quam a serpentibus, quam a draconibus et scorpionibus fugiamus.

Quare, auditores optimi, per amorem pauperis illius regis, vos oro, atque obtestor, sit unicuique cordi salus animae suae: ingrediamur omnes in solitudinem cordis nostri, ibi dirigamus viam Domini: Ibi cogitemus, quid simus, quo eamus, quid sit nobis agendum, quid vere egerimus, et ubi perspectum nobis fuerit, quam procul a recta via deflexerimus, redeamus celeriter in eam: abscindamus a nobis occasiones omnes et consuetudines peccandi, et super omnia quaeramus fontem lachrimarum, petamus a Domino spiritum verae contritionis. O si intelligeremus, quam vehementer commoveat viscera Dei Patris cor sic contritum et humiliatum. Non enim potest se dulcedo illa et bonitas Dei Patris continere, quin statim accurrat quin complectatur, quin labiis animae poenitentis osculum pacis infigat, quin abstergat ab oculis ejus lachrimas amaras, et eos lachrimis repleat omni favo et melle dulcioribus. Quare cum has delitias ineffabiles illi non norint, hanc pacem,*quae exuperat omnem sensum*, illi nequaquam experiantur, qui non intrant in cordis solitudinem: intremus nos in eam donante Domino Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

CONCIO X.

DE NATIVITATE DOMINI

THEMA

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc saeculo. *Tit.* 2.

SYNOPSIS

Gratiam Dei esse duplicem, unam in Deo, alteram in homine a Deo; et illis ab hac differentia; atque utramque in adventu Salvatoris apparuisse, ostenditur. Prioris quidem signa evidentissima apparuerunt in Christi Nativitate, qua se Deus tantopere demisit: posterior quoque apparuit, in eo, quod cum homo ante nesciret, quam eximium donum esset gratia Dei, nunc ex pretio magno pro ea redimenda facile cognoscere posse a simili probatur. Inter varia Dei nomina, nullum huic diei esse convenientius quam Salvatoris, cum hodie ipso facto nostrae salutis opus auspicatus sit. Gratia Dei soli comparatur, qui omnibus lucet, etsi dormientes, caeci et oculos claudentes eum non videant. Quomodo nos gratia Dei erudire possit a simili docetur. In verbis istis Pauli, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus, *totam legem contineri demonstratur, qua jubemur declinare a malo et facere bonum. Quid sit pietas, et quis pius dicendus: quid e contra impietas, et qui impii, haeretici nimirum, in imaginum venerationem, in sanctorum reliquias, et ipsa sacramenta desaevientes: uti etiam Christiani omni opere divino languidi et frigidi. Praeterea docemur saecularia desideria fugere, talia autem esse rerum transiturarum nimiam cupiditatem, quas fluvio comparatas nullus mortalium ne abeant, ut neque seipsum ne senescat, aut flaccescat, retinere aut impedire potest.*

In secunda parte asseritur triplex amor, sui, proximi, Dei, quod Paulus per haec tria verba innuit, sobrie, juste, pie: *quorum illud debetur amore in semetipsum, istud, in proximum, hoc in Deum. Quomodo homo se ipsum* sobrie *diligere debeat, scilicet fraenando cupiditatem divitiarum, honore et aliarum illecebrarum. Quomodo* juste *amandus sit proximus, et quid hac in parte incumbat mercatoribus, militibus, servis, opificibus, divitibus nobilibus, pastoribus, judicibus, et praeceptoribus, et quibuscumque, qui aliis quoquo modo praesunt. Quomodo Deus* pie *diligendus sit. Quantam vim in humana mente habeat spes futurorum, ad quam exemplo iuvenum ei aulicorum nobiliorum invitamur, quaeque est ineffabilis. De Christi adventu in majestate et de gloria beatorum nonnihil affertur. Ad Christi e praesepi docentis, et non ut olim in majestate apparentis concionem audiendam vocamur. Quomodo Christus infans concionetur; et quid, nempe ut suo exemplo desideria saecularia relinquamus, sobrie, juste, et pie vivamus. Epilogi vices agit gravis auctoris querela, quod tam pauci Christum concionantem audiant et obediant; et quod magis homo hominem ad sui imitationem trahat, quam Deus hominem, qui tamen non pro se, sed pro homine in terris natus et passus est.*

Hodiernae celebritatis magnitudo ac praestantia, optimi Auditores, tanta est, ut quasi maximum et clarissimum aliquod lumen, caeteros festos dies tamquam lumina majora facile obscuret, et non solum corda atque animos nostros totos ad se rapiat: sed etiam orationes et cogitationes ita sibi vendicet, ut in nulla alia re nos occupari, nec aliud aliquid cogitare aut loqui patiatur. Quare nos quoque ut diem istum solemnissimum et celeberrimum pro nostra tenuitate honoremus, non flores ac frondes, sed verborum serta et coronas Verbo Dei pro nobis Incarnato offeramus. Praetermissa disputatione, quam adversus fidei et religionis Christianae hostes instituimus, totam hodiernam orationem ad epistolam b. Pauli explicandam quae hesterna die in primo sacro lecta est, et ad Natalem diem Domini ornandum et celebrandum conferemus.

Initium igitur epistolae tale est, *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc saeculo.* Quibus verbis haud facile scio an alia pulchriora, suaviora, utiliora, pleniora Spiritus sanctus per illud suum praeclarissimum organum, os videlicet et linguam Apostoli Pauli, aliquando protulerit. Certe Apostolus ipse haec verba Christiano praedicatori commendans, *Haec*, inquit, *loquere et exhortare.* Et Ecclesia Catholica mater nostra, non semel, sed saepius hanc epistolam filiis suis proponit. *Apparuit itaque gratia.* Quaenam est illa gratia? Et quomodo in ortu Salvatoris apparuit? Gratia Dei, quemadmodum etiam regum et principum gratia, non unum aliquid, res duas significat; quarum tamen una ex altera dependet. Primum enim favor et benevolentia, qua nos diligit, gratia dici potest: sic enim dicimus, Recepit me Deus in gratiam, redii cum illo in gratiam. Deinde quaelibet dona et beneficia Dei, sed praecipue donum illud singulare, quo justi ex injustis efficimur, partim quod dentur gratiis, partim quod gratiam, hoc est, benevolentiam et favorem consequantur, gratiae nomen accipiunt, et quamquam utraque gratia, tam prior quam posterior, vere Dei gratia esse dicitur, et est; tamen prior dumtaxat est in Deo; posterior in homine, sed a Deo. Non secus atque lux et splendor, lumen solis, dicitur; cum tamen lux in ipso corpore solis, splendor non in sole, sed in aere sit. De priori gratia legis ab Angelo Mariae dictum: *Invenisti gratiam apud Deum.* De posteriori, *Ave Maria gratia plena*; et hodie de b. Stephano; *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine.*

Est vero magnum discrimen inter amorem et gratiam Dei, et gratiam benevolentiamque hominum: siquidem amor Dei efficacissimus et foecundissimus est; hominum benevolentia inanis ac sterilis: Deus diligendo et benevolendo confert ipsum bonum, quod vult; et idcirco ea maxima sunt bona, quae Deus maxime diligit; ea bona mediocria, quae Deus mediocriter diligit, ea parva, atque; exigua, quae Deus parum ac tenuiter diligit; ea nulla sunt bona, quae Deus penitus non diligit. Itaque omne nostrum bonum ex Dei amore dependet, et si saperemus, nihil magis nobis formidandum esset, quam ne nostra incuria ac desidia a Dei gratia excideremus. Jam vero, favor ac benevolentia hominum, si nihil aliud, quam favor ac benevolentia sit, nihil penitus gignit. Nec enim ex eo, quod alii aliis ingenium, opes, sanitatem optant ideo sunt illi vel ingeniis meliores, vel magnis opibus et sanitate abundant. Cum igitur et amor Dei, quo nos diligit, et donum illud coeleste ac divinum, quo Deus animos nostros gratiosos et amabiles facit, gratia merito dici possint, de qua tandem gratia divinus Apostolus loquitur, cum ait, *Apparuit gratia*? Quae est illa gratia, quae in adventu Salvatoris apparuit? Prior, an posterior? Utraque, Auditores, et prior et posterior.

Ac ut de priori prius explicemus: Sicut ignis calore, et sol splendore se prodit, ita amor ac benevolentia non ex verbis, sed ex beneficiis cognoscitur. Tu fortasse dicis alicui; Crede mihi, ego te vehementer diligo; ille credere potest se diligi; sed dum solis verbis agitur, certe videre non potest. At si oblata occasione pro eo aliquid praestes, vel periculis te exponas, tunc vere amorem ac benevolentiam tuam ostendis; tunc vere videt se diligi, tunc merito dicere potest, nunc apparuit quantum me, et quam ex animo diligas. Pari ratione Deus ante Christi adventum saepe repetebat, *Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis*: Affirmabat se memorem esse nostri, se diligere genus humanum, se missurum aliquando qui nos eriperet de potestate tenebrarum: caeterum ista benevolentia latebat in corde Patris, nondum se manifeste ostentabat, ita ut dicerent sancti Patres, *Domine in coelo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes.*

Quid igitur fecit Deus? Ut amorem illum infinitum, quo nos jam ab aeterno prosequebatur, ita manifestum nobis faceret, ut eum non solum videremus, sed quodam modo tangeremus; non vicarium aliquem misit, sed ipsemet in mundum venit; exilium et carcerem nostrum visitavit; miserias nostras et calamitates suscepit. Nesciebat Deus quid esset nox, et quanta miseria sit in tenebris vivere, quippe qui lux est, et *lucem habitat inaccessibilem*; et ecce his diebus ut amorem suum nobis ostenderet, in ipso horrore ac tenebris mediae noctis nasci voluit. Nesciebat Deus quid esset inopia, et his diebus in alieno stabulo, inter bruta animalia ex matre pauperrima nasci voluit. Nesciebat Deus quid esset frigus, et quae calamitas media hieme hospitium non invenire; et his diebus in mediis frigoribus, non in domo aut cubiculo undique concluso et calido, sed in parvo et frigido tuguriolo nudus collocari voluit. Nesciebat Deus quid esset fames et sitis, quid nutrice ac lacte indigere; et his diebus istas omnes miserias propria experientia discere voluit. Nesciebat Deus quid esset debilitas, atque infirmitas, quid fasciis ac bajulo opus habere; et his diebus haec omnia pro nostra salute experiri voluit. Quis igitur jam dubitare poterit an Deus hominem dilexerit, an non? Dicebant olim homines, Reliquit Deus terram, *circa cardines coeli ambulat, nec nostra considerat.* At modo quis hoc dicet, cum non solum in terra, sed in praesepio eum videamus? Numquid jam circa cardinem coeli ambulare tibi videtur, numquid nostra non considerare? Apparuit amor ac benevolentia, qua Deus non diligit, quis eam non videt? Quis non sentit? Quis non tangit quodammodo propriis manibus? Quid aliud clamat stabulum illud, quid illud praesepe, quid panni illi? Quid fames, quid sitis, quid frigus, quid nuditas, quid inopia, quid infirmitas, nisi *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus*?

Jam vero posterior gratia, ea videlicet quae nos gratos facit Deo, et quae, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*; illa quoque diebus istis in natali Salvatoris apparuit: Antea siquidem non intelligebat homo, quam eximium donum, et quanti faciendum esset gratia; sed hodie nisi sponte oculos claudat, id apertissime videbit. Accipite exemplum rustici alicujus: si casu aliquo rusticus lapidem pretiosum,

vel praeclarissimam aliquam gemamm inveniret, et ignorans quid ea sit,et nihil aliud, qaum vitrum vel chrystallum putans,eam paucis obolis vendere vellet : statim vero occurreret ei magnus aliquis mercator lapidum pretiosorum et gemmarum aestimator peritissimus , et primis verbis offerret pro eo lapide duo vel tria millia nummorum aureorum, numquid tunc rusticus manum non retraheret : Numquid non sapere inciperet;numquid non intelligeret tandem non vitrum aut chrystallum ; sed thesaurum maximum se reperisse ? Pari ratione , Auditores, nesciebat homo quid esset gratia Dei,et ideo eam non magnifaciebat ; pro uno lentis edulio, sicut, Esau, pro una fornicatione, pro una ebrietate, eam facile vendebat:sed nunc demum ex magno illo pretio, quo Christus mercator sapientissimus eam redimere voluit, apparuit quantus,et quam incomparabilis thesaurus sit gratia.Cur enim in stabulo Deus nasci voluit ? Cur in cruce mori voluit ? Cur sanguinem suum pretiosum fundere voluit? Cur famem et sitim , frigus et nuditatem , contumelias et injurias pati voluit,nisi ut eam gemmam redimeret , quam tu tanta facilitate vendis ? Magna profecto atque incredibilis hominum ignorantia est, qui eam rem non magnifaciunt,sed pro nihilo, pro amaris et sordidis,et gehennam secum trahentibus voluptatibus vendunt; pro qua Deus ipse non solum homo fieri, sed etiam pati et mori sustinuit.

Hoc igitur modo apparuit gratia: Cujusnam? *Dei Salvatoris nostri.*Scripturae divinae pro rerum de quibus agitur varietate, Deo varia nomina attribuunt : Nunc enim Deum ultionum ; nunc Patrem misericordiarum : nunc Dominum virtutum ; nunc Regem; nunc Judicem appellant. Hodie Deum Salvatorem nostrum omnino apposite,et accommodate divinus Apostolus vocavit Deum , quod viderit miserias et calamitates , quibus premebamur ; ac ut ab eis nos liberaret,exultaverit *ut gigas ad currendam viam.* Nam Dei nomen graeco vocabulo a visione et a cursu dictum esse Damascenus et Theodoretus tradunt. Salvatorem autem, quod hodie nostrae saluti et liberationi non verbis , sed factis , nascendo et patiendo principium dederit. *Apparuit igitur gratia Dei Salvatoris nostri.*

Et quibus apparuit? *Omnibus hominibus:*Non omnes quidem credunt Evangelio, ut Apostolus ait, neque omnes salvi fiunt; imo vero plures sunt omnino, qui pereunt: sed nihilominus gratia Dei omnibus apparuit,quia pretium redemptionis pro omnibus hominibus abunde sufficit : quia Christus pro omnibus natus et mortuus est , quia praeconium Evangelii in toto orbe et omnibus gentibus annunciatur. Itaque sicut sol in medio coelo constitutus omnibus lucet , tametsi omnes ii in tenebris maneant, qui caeci sunt, vel oculos claudunt, vel certe dormiunt;ita quoque Evangelium gratiae et lumen veritatis omnibus proponitur , quod si non omnes vident, id suae caecitati vel somno,vel improbitati , qua oculos claudunt , non lumini adscribant.

Sed videtur mihi praeterea divinus Apostolus in his verbis amplitudinem et universitatem Catholicae Ecclesiae comendare. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri* , non Judaeis tantum , sicut olim Moyses solis Judaeis legem tulit; sed omnibus hominibus, Judaeis et Graecis, Latinis et barbaris,servis et liberis,sapientibus et insipientibus. Lex quidem quasi stagnum exiguum, contenta fuit angustiis unius solius provinciae: Evangelium vero et gratia Liberatoris nostri angustiis illis contineri non potuit , sed quasi fons vivus in paradiso scaturiens et in quatuor flumina divisus,quae sunt quatuor codices Evangeliorum , extra ripas coepit diffluere, et brevi tempore totum orbem terrarum occupavit: quod Isaias multo ante prophetico spiritu cernens, *Repleta est* , inquit , *terra scientia Domini sicut aquae maris operientes.*In hujus rei typum scimus Servatoris Nativitatem paucissimis diebus omni generi hominum innotuisse. Innotuit viris et foeminis , Josepho et Mariae , Judaeis et Gentilibus pastoribus et Magis; senibus et infantibus Simeoni et Joanni; virginibus, viduis , conjugatis, Mariae, Annae, Elizabeth; sapientibus , claris et obscuris, divitibus et pauperibus. Neque solum Domini Natalis, sed etiam passio atque obitus Ecclesiae universitatem et amplitudinem designat. Solus enim Christus,qui pro omnibus moriebatur, quasi a toto mundo crucifixus et necatus est. Apostolum Petrum soli Gentiles necaverunt : Apostolum Jacobum fratrem Domini soli Judaei,ac sic de caeteris ad eumdem modum ; Christum vero totus pene mundus, Judaei, Gentiles amici, inimici; reges privati; sacerdotes , laici ; doctores , indocti ; viri, foeminae, denique omne genus, omnis aetas, omnis sexus, omnis conditio in unius Christi Salvatoris cruciatum ac necem conspiraruni. Sed illustrissima figura universitatis Ecclesiae Catholicae in die Pentecostes mundo demonstrata est ; Tunc enim non solum in una atque eadem domo omnium gentium linguis Deus ab Apostolis et discipulis laudabatur:sed et cum primum Apostoli legem evangelicam in urbe Hierosolyma tamquam praecones Dei clarissima voce promulgarent , erant in ea urbe Parthi, Medi, Elamitae , et qui habitant Mesopotamiam, Pamphiliam, Aegyptum et Libiam, nec non Romani, Arabes, Cretes; ac uno verbo congregati homines de omni natione, quae sub coelo est. *Apparuit igitur gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus.*

Sequitur. *Erudiens nos, ut abnegantes iniquitetem et saecularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc saeculo.* Quid est apparuit gratia erudiens ? Quomodo gratia erudit ? Optime et efficacissime.Quemadmodum enim si aliquis magnum beneficium in te conferat, tu statim dicis sane docuisti me , quid ego quoque facere debeam cum opportunitas dabitur. Ista tua benevolentia , istud beneficium tuum me officiis ac debiti mei admonuit: ita loquitur Apostolus, *Gratia*, inquit , *Dei*, benevolentia atque amor , qui per adventum filii Dei mundo apparuit,docet nos atque erudit vel potius magna voce clamat, ut non simus ingrati, sed eo modo quo possumus Deo vicem rependamus. Si Deus ita mundum dilexit,ut filium suum unigenitum daret, nonne etiam nos aliquid in gratiam Dei facere debemus : Sed quid est illud ? Nihil aliud , quam *ut abnegantes impietatem et saecularia*

desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc saeculo, hoc est tributum, quod exigit a nobis Deus : *Haec enim est voluntas Dei sanctificatio nostra*. Porro continetur in his verbis summa totius divinae legis, ad unam sententiam incredibili brevitate contracta: Neque mirum, si ita diligit Apostolus brevitatem quando etiam *Deus verbum* fecit *breviatum*. *In his igitur duobus mandatis universa lex pendet et prophetae; Declina a malo et fac bonum*. Ac peccati duo sunt munera, unum avertere hominem a Deo, alterum eumdem convertere ad creaturas. *Duo mala*, inquit Dominus, *fecit populus meus dereliquerunt me fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas non valentes aquam continere*. Quid igitur faciet qui utrumque malum cupit evitare? Abnegabit impietatem et saecularia desideria. Impietas enim avertit a Deo, quod est primum malum: saecularia vero desideria convertunt ad creaturas, quod est secundum malum. Quantum vero attinet ad bonum, tunc plene ac perfecte bonum facimus, et omnem legem adimplemus, cum Deum, proximum et nosipsos diligimus sicut oportet; hoc est cum sumus erga Deum pii, erga proximum justi, erga nosipsos sobrii. Quare ut a malo declinemus, et bonum faciamus, abneganda est impietas et saecularia desideria et sobrie, juste et pie vivendum in hoc saeculo.

Quid igitur est impietas? Vitium est oppositum pietati. Quid igitur est pietas? Donum est Spiritus sancti, unum ex septem, quae ab Isaia Propheta enumerantur, quo Deum respicimus, et colimus et veneramur ut patrem. Sicut enim religione Deum agnoscimus ut creatorem ac Dominum; ita pietate afficimur Deo ut Patri per spiritum illum adoptionis, quem misit in corda nostra, *in quo clamamus, Abba, Pater*. Itaque ille est pius, qui ex corde afficitur erga Deum, et ea quae sunt Dei; erga scripturas, erga sacramenta, erga templa ac sacerdotes, tamquam erga ea, quae ad Patrem ipsius pertinent: qui dicit cum Christo, *Nescïebatis quod in his, quae Patris mei sunt oportet me esse?* Qui libenter et frequenter loquitur de Deo et rebus divinis, qui cum audit multiplicari haereses, obscurari fidem, ubique; Deum summa audacia a vilissimis vermiculis offendi, ex animo dolet, et tamquam verus filius impatiens injuriae paternae, lachrimas et gemitus continere non potest: e contra exultat ac gestit, et magnum lucrum arbitratur, cum intelligit homines converti, et per poenitentiam ad gratiam Dei et amicitiam redire: qui postremo compelli non debet ad orationem, ad concionem, ad sacramenta, ad laudes divinas, sed sponte sua, magna alacritate, quasi filius, non quasi servus, ex amore, non ex timore, ad omne divinum obsequium se facillimum et paratissimum praebet. Habemus quid sit pietas.

Quid jam est impietas? Oppositum vitium, quod videlicet crudelem facit hominem erga Deum, quod arefacit illam dulcedinem amoris et affectus filialis quod facit homines promptos ad blasphemias, ad contemptum scripturarum, ad injuriam Dei et sanctorum, quales sunt omnes haeretici, qui nisi omnem pietatem exuissent, et essent *homines*, ut Apostolus ait, penitus *sine affectione*, numquam ita crudeliter contra venerandas imagines, et sanctorum reliquias, et ipsa sacramenta saevirent. Quis enim est filius, qui visa parentis imagine aut veste, non moveatur? Quid? Si alicujus pater etiam propter sua flagitia extremo supplicio affectus fuisset, possetne filius ejus imaginem patris in supplicio positi sine lachrimis cernere? Et si vestem aut annulum ejus haberet, numquid quoties ea videret non paterni amoris admoneretur? Quanta igitur, et quam immani impietate et crudelitate animum occupatum habent, qui venerandum illud signum Christi Domini nostri, pro nobis crucifixi, et sanctorum memorias ac reliquias nefariis manibus demoliri, raptare in ignem et in aquas, et quod foedum est et horrendum, non solum dictu, sed etiam auditu, in cloacas, in sterquilinia projicere non timent? Quomodo afficiuntur erga Christum, qui omnem ejus memoriam de mundo tollere ac delere conantur? Accedit proxime ad hanc impietatem quaedam aversio et alienatio animi a divinis rebus, quoddam taedium, quoddam fastidium, quaedam nausea in operibus Domini. Et haec impietas mirum est, quam longe et late dominetur et regnet. Ubi sunt enim qui vere gustent spiritualia? qui cum voluptate et delectatione in Dei operibus se exerceant? E contra ubi sunt, quibus non longae videantur conciones? non longa videantur Sacra? non longae et graves et molestae videantur horae canonicae? Jam de sacramentis et oratione quid dicam? Si tempus adveniat confessionis, et communionis sanctorum mysteriorum, statim animus contrahitur, et moles quaedam moestitiae et torporis hominem invadit, tanquam si magnam sarcinam levare, aut ad patibulum ire deberet. Si velint aliqui orare, statim a somno corripiuntur, vel cogitationibus vanis obruuntur. Et qui de rebus lascivis et nugis totos dies fabularentur, si incidit sermo de Deo, statim quasi muti et elingues efficiuntur; imo tristia vocant ea colloquia. Quid horum omnium est causa, nisi impietas? Non afficimur erga Deum non est ibi cor nostrum, quicquid fit, ex timore vel ex consuetudine fit. Si patrem et patriam nostram coelestem amaremus, si non essemus cives hujus mundi; sed tanquam advenae et peregrini in terra aliena versaremur; si spiritus pietatis, spiritus adoptionis, spiritus filii Dei cor nostrum occuparet, nihil nobis dulcius et jucundius, in hac peregrinatione contingere posset, quam loqui et cogitare de patria illa beata, ubi nos amantissimus Pater, et ingens charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum; qui sunt quidem de sua felicitate securi, sed adhuc de nostra incolumitate solliciti. Itaque abnegare debemus, et fugere ac detestari, id enim totum significat graecum vocabulum ἀρνησάμενοι, quo Apostolus usus est et a nobis totis viribus propulsare tamquam pestem quamdam omnem impietatem.

Sed non minus fugienda sunt ac detestanda saecularia desideria: ipsa enim impietatem gignunt. Nec enim alia de causa parum afficimur erga Deum quam quia nimis afficimur erga mundum. Ideo desideriis coelestibus non est locus, quia toti pleni sumus desideriis saecularibus, propterea cum taedio et fastidio operamur opera Dei, quia nimis a-

vide nimis attente lucris terrenis inhiamus. Et quidnam est saeculare desiderium? Nihil aliud, quam earum rerum immoderata cupiditas, quas tempus consumit, quae transeunt cum saeculo, quae velimus nolimus finem habere debent. Omnia siquidem, quae hic in terris desiderari possunt, quasi fluvius aliquis rapidissimus, perpetuo currunt, nec potest iste cursus ulla arte aut ratione sisti. Nonne si conetur aliquis impedire cursum fluminis alicujus, et multum laboret in aggeribus faciendis, stultissimus ab omnibus judicabitur? Nam si hoc loco transitum obstruat, et cursum impediat, alia via flumen erumpet, et nihilominus curret; et si ex omni parte in modum coronae aggeres faciat, nonne flumen tum transcendet aggeres, et rursum more solito fluet? Ad eumdem modum stulti sunt omnes homines, qui flumen istud rerum saecularium retinere, atque a cursu impedire nituntur, et quot sunt, qui hoc agunt? Numerari non possunt: *stultorum infinitus est numerus*? Quid enim aliud cupiunt omnes avari suis usuris, suis fraudibus, suis mendaciis, quam aggeres facere, et flumen aureum et argenteum retinere? Sed stulti sunt. Nam dum ipsi uno in loco aggeribus usurarum et fraudum exitum obstruunt, per alia multa loca flumen erumpit: aliquid rapiunt fures, aliquid exigit princeps, saepe merces non venduntur, saepe facto naufragio absorbentur a mari, saepe etiam domi putrescunt: Denique rationes multae et variae Deo non desunt, quibus viam et cursum aperiat fiumini. Pari ratione, quid aliud cupiunt omnes ambitiosi suis simoniis suis adulationibus, sua hypocrisi, quam aggeres facere, et flumen honorum ac dignitatum retinere? Sed stulti sunt; Nam flumen est flumen, et idcirco non potest non fluere. Et si ipsi uno modo conantur ascendere, altera via descendunt; Et si a nonnullis laudantur, ab aliis multis vituperantur. Quid voluptuarii? Nonne ipsi quoque suis coenis opiparis, suis frequentibus potationibus, suis assiduis fornicationibus cupiunt aggeres facere, et flumen voluptatum ac deliciarum retinere? Sed stulti sunt: Nam paulatim crumena exhauritur, aggeres conservari non possunt, et flumen labitur suo more: vel si ita magna sit crumena, ut non facile exhauriatur, immittit Deus unam aliquam aegritudinem, quae statim unico impetu aggeres dissipabit; et non modo ebrietates et fornicationes impediet; sed etiam modicum cibum cum quiete et voluptate sumere non patietur. Ut omittam potiones et pharmaca amarissima, nec non incisiones, adustiones et alias cruces, quae nimiis deliciis ut plurimum succedere solent. Neque solum stulti et miseri homines, qui desideriis saecularibus implicantur, flumina ista, quae diximus, opum, honorum, voluptatum; sed neque; seipsos retinere, ac sistere unquam poterunt. Quid quaeso tanto labore niteris fluminis cursum impedire? Siste parumper teipsum si potes; cur deseris florem istum aetatis? Cur tam cerileter curris ad mortem? Ergo si tu ipse stare non potes, quomodo facies, ut figura mundi hujus non praetereat? Quare cessemus aliquando a nostra stultitia et parvulum nostrum sapientissimum audiamus, qui non alia de causa inter homines, vel potius inter jumenta natus est, quam ut nos jumentis similes effectos, erudiret, ac impietatem ac saecularia desideria abnegare doceret.

ALTERA PARS

Quemadmodum agricolae, si semper malas herbas ex agris evellerent, et numquam bonas seminarent, nihil unquam colligerent: ita quoque non satis nobis est eradicare vitia, declinare a malo, impietatem et saecularia desideria abnegare; sed necesse est etiam serere virtutes, facere bonum; nempe sobrie, juste et pie vivere in hoc saeculo, vel ut aliis verbis utar, diligere sicut oportet, Deum, proximum et seipsum. Ille enim vivit pie, qui Deum diligit sicut oportet. Ille vivit juste, qui proximum diligit sicut oportet. Ille vivit sobrie, qui seipsum diligit sicut oportet. In hujus typum diligebat Dominus Lazarum, et sorores ejus Martham et Mariam. In Lazaro est amor sobrius sui ipsius, in Martha dilectio proximi; in Maria charitas Dei commendatur. Hoc est igitur verbum breve, quod parvulus noster, vere verbum abbreviatum hodie nos docet, trinum amorem, sui, proximi, Dei, esse legem eorum, qui colunt ac venerantur Trinitatem.

Primum igitur teipsum diligere debes, quod facies, si vixeris sobrie: hoc est, si res omnes temporales, cibum, potum, vestes, pecunias, honores delectationes cum moderatione capies. Ista siquidem non sunt in se mala, sed nobis efficiuntur mala, cum sine modo quaeruntur ac desiderantur. Sic etiam non malus, sed bonus est panis, vel potius optimus et necessarius maxime; tamen nihil est pejus et magis sanitati noxium pane immoderate sumpto. Cur quaeso capis plura, quam sint ad victum et vestitum necessaria? Cur tantopere cupis ascendere? Cur tanta cupiditate flagras honorum ac dignitatum? Existant hic duo, quorum alter habeat quantum necesse est, neque aliquid amplius cupiat; alter habeat omnia duplicata, et triplicia, servos, ancillas, vestes, pecunias, vineas, domos, etc. quae in opibus et fortunis numerantur: Quid quaeso posterior iste habeat amplius, quam prior? Estne propterea melior, aut Deo gratior, aut sapientior? Ac ut ad humilia descendamus num melius videt? aut melius audit? aut magis gustat? estne robustior, sanior pulchrior; comedit plus quam alii? habet stomachum propterea ampliorem? Nihil horum, Quid igitur habet? quid ei conferunt majores divitiae? Aliud non video quam minus bene dormiat, magis metuat latrones, majoribus curis et solicitudinibus prematur: et quod omnium pessimum est, verorum et magnorum bonorum detrimentum patiatur. Nam sicut in diversoriis illi, qui initio coenae nesciunt esse sobrii, sed stomachum grossis quibusdam cibariis replent se deceptos inveniunt, nam postea dapes pretiosas et exquisitas relinquunt, et nihilominus non minus solvunt, quam ii, qui solum exquisitis cibis vesci voluerunt; Ad eumdem modum, qui rebus istis terrenis et caducis, quae sunt grossa cibaria ad hoc solum apposita, ut famem ac desiderium excitent; qui rebus inquam istis vilissimis et abjectissimis immoderate replentur dapes illas nobi-

lissimas coenae coelestis amittunt, et in gehennam detrusi, luunt sempiterna supplicia; non minus quam si delitiae ac voluptates, propter quas peccarunt, non momentaneae, sed aeternae fuissent. Non sic sancti et sapientes homines, non sic, sed intelligentes nobilitatem ciborum, qui in extrema coena apponendi sunt, stomachum suum vacuum pro illis conservarunt, et de temporalibus rebus quanto minus potuerunt acceperunt. Pari ratione honores ac dignitates humanae, quid quaeso emolumenti atque utilitatis habent? Qui magis ab hominibus honoratur, non est propterea melior aut pulchrior, aut sanior, aut fortior; neque est aliud honor, quam opinio quaedam atque existimatio hominum. Et tu igitur tam stultus eris, ut propter nullum tuum bonum, propter solam opinionem aliorum volare velis sine alis, ascendere in mirabilibus super te, ut deinde cadas, et collum ac cervices frangas? Quare si teipsum vere ac sapienter diligis disce sobrietatem, sis contentus iis quae habes, cohibe, et coerce fraeno moderationis omnia desideria tua, et tunc mihi crede pacem et quietem invenies. Atque haec quidem erga te.

Iam vero erga proximum justitia uti debes, ut reddas omnibus debita, *cui vectigal vectigal, cui tributum tributum, cui honorem honorem, cui timorem timorem*, ut Apostolus admonet, ut neminem decipias, neminem circumvenias, nullis fraudibus utaris. Si mercator es, sis contentus justo lucro: si miles, debito stipendio: si servus, debito salario si opifex, sis contentus vendere laborem tuum justo pretio, si dives, non fraudabis operantium sua mercede: si nobilis et magnus es, noli sublime sapere, noli pauperes et humiles contemnere, memento te pauperum oeconomum a magno eleemosynario Deo esse constitutum, qui idcirco his diebus pauper pro nobis fieri, et matrem pauperem habere voluit, ut eum in pauperibus agnosceres et honorares. Pari ratione pastores, Judices, praeceptores, et qui aliis quoquo modo praesunt, non aspiciant personam hominum, non respiciant ad munera, non contemnant pauperes, nisi Christum ipsum contemnere velint. Vestis lacera, et corporis squalor raro facit hominem pejorem, saepe meliorem: et idcirco non spernendum, sed honorandum. Qui vero beneficiis ecclesiasticis fruuntur memores sint officii, horarum, inquam canonicarum, neque putent sufficere si horas b. Mariae, aut septem psalmos legant. Legite caput nonum Lateranensis concilii ultimi, videbitis beneficium propter officium dari, et fures, et latrones esse, et ad restitutionem obligari, et beneficio optimo jure posse privari, qui pecunias beneficiorum recipiunt et debitum canonicarum horarum non persolvunt. Ego sane multum timeo hominibus certis, qui se putant gratis vivere posse sumptibus crucifixi: audiant isti quid beatus Bernardus ipsis dicat, *Vae tibi*, inquit, *vae tibi, mors in olla, mors in ollis carnium*, etc. Postremo omnes patres, et qui adolescentes in suam curam et fidem receperunt, memores sint vigilantiae et sollicitudinis, quam eis debent; nec putent ad se solum pertinere, ut eis cibus et potus non desit, noverint se rationem Deo in judicio reddituros, nisi eos verbo, exemplo, imperio si opus est, ita instituant, ut Christianos decet; nec solum in domibus suis Deum flagitiis atque sceleribus offendi non patiantur sed neque vos adolescentes ad ea loca ire permittant, ubi talia exercentur, quibus offenditur Deus. Audio esse Lovanii publicas scholas, ubi docentur juvenes choreas ducere, et eas festis diebus maxime frequentari: De sphaeristeriis non audio, sed video oculis meis: fere enim numquam venio ad concionem, quin videam integras catervas ingenuorum adolescentum, qui sphaeristerium ingrediuntur, ibi quid agant vos melius nostis: Ego unum scio si illi in judicio punientur, eos qui praesunt eis non impunitos futuros, nec enim est parum miseros, adolescentem, tempus, pecunias, concionem, divinas laudes, fortasse etiam animas suas tam facile perdere. Haec hodierna die necessario admonenda esse duxi, quod apostolum Paulum in epistola, quam habemus prae manibus, praecipientem audiam, *Haec loquere et exhortare.*

Sequitur, *et pie vivamus in hoc saeculo.* Nec enim satis est sobrios et justos nos esse, nisi etiam simus pii, hoc est, Deo nostro, tamquam amantissimo patri, vere et ex animo afficiamur et sine taedio, sine fastidio, sine nausea, cum delectatione et gaudio, non coacti, sed sponte; non ex timore, sed ex amore, quaeramus quae Dei sunt. Haec igitur est summa totius divinae legis, ita vivere debemus ut non blasphemetur nomen Dei, sed ornent omnes in omnibus doctrinam Dei Salvatoris nostri.

Verum quo tandem modo ista perficiemus? Audi quod sequitur, *expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei.* Nihil enim potentius aut efficacius reperitur ad hominem a saecularibus desideriis liberandum, et in officio continendum, quam perpetua cogitatio coelestis felicitatis. Vita probi et sapientis Christiani nihil aliud esse debet quam spes et expectatio futurorum. Discrimen inter juvenes et senes illud constituit Aristoteles, quod juvenes vivant spe, senes memoria. Senes dicunt, Memini me aliquando in tali civitate fuisse et rursum, in tali vidi talia praelia, vidi talia spectacula, talia meis temporibus evenerunt: erant adolescentes minus petulantes, magis quieti, quam modo sunt. Juvenes dicunt, tali anno proficiscar ad talem civitatem, ibi mercaturam exercebo, tam revertar domum, postea illud et illud agam. Jam vero probus Christianus non senem, non veterem hominem imitari debet, sed juvenes, qui semper proficiunt, et ad majora aspirant. Aspicite b. Paulum, quomodo quae retro sunt obliviscitur, et ad anteriora se extendit: nec vivit memoria, sed expectatione, expectans illam beatam spem et adventum gloriae magni Dei. Rursum in aulis principum duo sunt genera famulorum. Quidam singulis annis vel mensibus stipendium suum accipiunt, praeterea nihil expectant: Quidam vero nullum stipendium habent, sed expectatione vivunt. Ac priores quidem humiliores ac sordidiores esse solent; posteriores nobiliores, et qui non serviunt pro mercede paucorum nummorum; sed serviunt spe magni alicujus beneficii vel dignitatis vel praefecturae. Hujus generis omnes Christiani esse debent: servi nobiles, magni, atque excelsi animi; neque

Deo servire debent pro temporalibus rebus, neque praeteritis et praesentibus bonis contenti esse, sicut ille dives epulo, qui in suis conviviis splendidis, et in sua purpura et bysso acquiescebat; et paulo post sepultus fait in inferno;sed oculos conjectos habere debent in illam *beatam spem et adventum gloriae magni Dei.*

Sed quid est illa beata spes? Cur Apostolus ita confuse loquitur? Scitis quare? Quia explicari non potest, quantum sit illud praemium, quod expectamus, ideo non dixit illud regnum, illam gloriam, illam beatitudinem; sed illam beatam spem, rem illam eximiam,maximam,infinitam spem et expectatione dignissimam, quae hic in terris, neque videri, neque dici, neque cogitari, sed solum credi et sperari potest. *Et adventum gloriae magni Dei.* Deus bone, qualem emphasim, qualem majestatem habent haec verba; Non sunt explicanda, sed admiranda. Expectamus igitur adventum illum gloriosum, quando Liberator noster, qui his diebus in humilitate venit, et parvulus dici et esse voluit, in majestate et gloria apparebit,et magnum Deum, magnum Christum, magnum orbis monarcham se ostendet. Audire vultis quam magnum? Accipite similitudinem. Nonne esset magnum convivium, si solae reliquiae ejus totum Belgium satiare possent? Cogita igitur quam magnus in illa die apparebit Christus, quando non solum in animos et corpora hominum beatorum: sed etiam in solem, et lunam, et stellas, et elementa omnia ejus gloria redundabit, et orbis totus per ejus praesentiam illustratus, pulchrior et lucidior erit. Et tunc vere dici poterit. *Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.* O Christiani, si oculos haberemus ad istam beatam spem; si intelligeremus quid erimus, cum in adventu magni Dei apparebimus cum illo in gloria, et lateri ejus sublimes, et toti mundo conspicui in lucidis nubibus assidebimus; et cum eo non solum reges et principes terrae, sed etiam Angelos apostatas judicabimus? Quanta erit illa gloria,cum similes Christo erimus, et infra pedes nostros magnos illos, reges quondam et monarchas orbis, nudo latere palpitare, et sententiam aeternae mortis expectare videbimus, si cogitare possemus, quale bonum sit videre Deum, qui tam facile dicitur, et tamen non intelligitur, certe durum nobis nullo modo videretur impietatem, et saecularia desideria abnegare, et sobrie, juste et pie vivere in hoc saeculo. Ista est concio brevis, quam hodierno die verbum abbreviatum nobis fecit.Eamus parumper ad spelunam Bethlehemiticam, ibi videbimus novum Salomonem, novo et inusitato modo ex praesepi tamquam ex cathedra concionantem, et multo sapientius atque gravius, quam ulli unquam philosophi de contemptu mundi et rerum praesentium vanitate disserentem:et vae illis,qui ad istam concionem non convenerint, et doctorem istum sapientissimum non audierint. Apparuit aliquando Deus filiis Israel, ut eos doceret atque instrueret, et legem ferret, quam observare deberent. Sed apparuit eis in potestate magna et majestate: mons universus, in quo Dominus apparebat, horribili quadam specie totus fumare atque ardere videbatur;audiebantur quoque creberrimi et maximi fragores tonitruorum, clangorque; buccinae, et voces ejusmodi, quae omnem populum vehementissime perterrebant. Itaque populus universus pavore concussus clamabat ad Moysen: *Loquere tu nobis,et audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Tunc Deus, *Prophetam*, inquit, *suscitabo illis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loquetur-que ad eos omnia quae praecepero illi qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, non audierit, ego ultor existam*: tamquam si diceret, Non volunt, vel non possunt audire me, cum eis in majestate et potestate appareo:Apparebit igitur illis filius meus in humanitate et benignitate, et eos docebit atque erudiet, *ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, juste, et pie vivant in hoc saeculo*: Sed tunc demum, si quis non audierit, nullam habebit excusationem, ego ultor existam. Itaque nemo excipitur, nemo excusatur,quicumque non volunt in iram atque indignationem Dei Patris incidere, convenire debent ad concionem istam, et audire sapientiam parvuli qui natus est nobis, et filii, quem datus est nobis.

Sed quo pacto erudire nos poterit infans unius diei? qui nondum loquitur, qua ratione concionabitur? Non loquitur, auditores, parvulus nostra lingua, sed loquitur nutibus, sicut infantes et muti facere solent, loquitur signis, moribus, exemplis. An non satis magna voce tibi clamare videtur, ut sobrie vivas, quando ipse ita sobrie vivere voluit, ut non solum supervacanea et inutilia, sed etiam necessaria recusaverit? Poteratne parcius vivere de rebus hujus mundi, quando pro divite palatio vile tugurium, et illud non suum, sed alienum;pro molli lectulo horridum praesepe, pro servis et ancillis asinum et bovem, pro tapetibus et aulaeis telas aranearum et sordes abjectissimi stabuli habere voluit? Numquid non satis fortiter clamat, ut juste vivas, quando ipse nondum natus peregrinari voluit, ut tributum Augusto persolveret, et cum in Bethlehem oppido David patris sui non esset ei locus in diversorio, et nemo eum in domum suam recipere vellet,humiliter ad stabulum divertit, neque injuriam illam ulcisci voluit?An non etiam satis clare ac perspicue te monet, ut pie vivas quando pietas in patrem eum nasci,et pati et mori fecit? *Propter te*, inquit,*sustinui opprobrium* tota die; et certe merito dicere poterat; propter te, dulcissime atque amantissime Pater, ut tibi parerem, ut te honorarem, ut injurias tuas ulciscere, propter te formam servi suscipere, propter te nasci et peregrinari, propter te famem et sitim tolerare, propter te frigus et nuditatem experiri, propter te in media hieme et in tenebris noctis hospitio carere volui. Ita igitur parvulus noster sapienter concionatur.

Sed quibus quaeso concionatur? O quam paucis? Videor mihi concionem tam sapientis ecclesiastae plane vacuam, et desertam videre. Quotusquisque est, qui eum hoc tempore audire velit? Equidem, auditores, ego vehementer timeo istam sacratissimam Domini Nativitatem, ne nobis in judicio maxime noceat. Venit Deus ad homines ut illos eru-

diat, et rationem vivendi demonstret, et ipsi totum oppositum faciunt, et tamen non ignoramus quas vires habeat ad movendum exemplum unius hominis. Deponit rex unum genus vestium, induit aliud, statim omnes aulici imitantur. Arripit dux quispiam in castris ligonem aut instrumentum aliud rusticanum ad aggeres excitandos, statim milites eo exemplo permoti, idem omnes faciunt. Ergone unus terrae vermiculus potest exemplo suo alios vermiculos ad se imitandum provocare, et Deus tam insigni pietate atque humilitate descendit ad homines, nascitur in stabulo, exemplo docet saecularia desideria esse fugienda, et nemini persuadeat? *Cur igitur Deus factus est homo*, (ut verbis utar b. Augustini) *si non corrigitur homo? Sed hoc est judicium, quia lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Videbat Christus homines tanquam insanos currere ad gehennam, et misericordia motus descendit de coelo, ut ostenderet nobis viam meliorem, et ipse dux esset itineris nostri. Et ecce tam coeci et stulti sunt homines, ut eo deserto, mundum et diabolum sequantur. *Cur igitur Deus homo, si non corrigitur homo?* Si esset aliquis pater unius integri exercitus, et videns omnes filios suos simul currere ad locum, ubi eis paratae sunt insidiae, nonne prae amore ac dolore tanquam insanus, curreret quantum posset ad oppositam partem; et interim clamaret, ad hanc partem, filii, ad hanc partem, nolite progredi ulterius, insidiae vos expectant, omnes interficiemini. Quod si tali patri et tam salubriter, et tanto affectu eos admonenti filii non crederent, sed adhuc pergerent versus insidias, nonne stultissimi et improbissimi, et omni supplicio dignissimi essent? Ita sane. Jam igitur veniamus ad nos: Certe Pater noster, qui semel nos genuit creando et iterum genuit redimendo, non alius, quam Christus est: Is igitur Pater noster, Pater sapientissimus, Pater amantissimus, is videns nos omnes nihil quaerere, nisi pecunias, nisi dignitates, nisi voluptates, quae sunt omnia retia et laquei diaboli, quid fecit? Currere coepit ad partem oppositam, elegit inopiam, ignominias, dolores, asperitates; et magna voce clamavit: ad hanc partem filii ad hanc partem, credite mihi, curritis ad laqueos, tenditis ad insidias, pergitis ad mortem et ita clamavit, ut postea diceret: *raucae factae sunt fauces meae.* Et hodie quoque; imo singulis annis per concionatores suos usque ad raucedinem clamat, et nos miseri et stulti non audimus. *Cur igitur Deus homo, si non corrigitur homo?*

Non indigebat Christus pro se nasci in stabulo et famem et sitim, frigus et nuditatem tolerare, poterat ipse sine periculo omnibus commodis abundare; sed nobis ista pharmaca necessaria erant, ideo ut nos erudiret, atque exemplum praeberet, tam pauperem, tam abjectam, tam humilem vitam his diebus inchoare voluit. *Sed cur Deus homo, si non corrigitur homo?* Vere Nativitas Domini posita est in ruinam multorum, et in signum cui contradicetur. Quis enim, quaeso, et factis et moribus ei non contradicit? Nonne tu Christum ducem, ac doctorem et magistrum tuum confiteris? Nonne ejus vestigia sequi, et diabolo ac pompis ejus renunciare in baptismo pollicitus es? Numquam ne igitur quaesivisti quam viam tenuerit doctor tuus? Nihil unquam audivisti de Bethlehem, de stabulo, de praesepi, de pannis Salvatoris? Legisti ne aliquando Dominum gestasse sericum aut aurum, vel quotidie mutasse vestitum? Vel, multa genera caligarum, calceorum, pileorum, palliorum habuisse, et tamen pauperes omnes in sua nuditate reliquisse? Quid igitur dicam? Sane judicabo te, cum te videam tam vanum, tam curiosum, tam implicatum desideriis saecularibus, non solum contradicere, sed etiam bellum gerere cum Christi Nativitate. *Cur igitur Deus homo, si non corrigitur homo*: Sed finis sit.

Ego vos oro, atque obsecro, auditores, et serio admoneo, ut saepe cogitetis, Deum factum esse hominem, ut corrigatur homo, et Christum nostra causa pauperem factum, et non qualemcumque, sed extremam paupertatem sequi voluisse ut nos ejus exemplo disceremus abnegare impietatem et saecularia desideria; et sobrie, juste et pie vivere in hoc saeculo. Quod si non fecerimus, erit nobis Nativitas in judicium et condemnationem; si fecerimus, in gaudium ac laetitiam et gloriam sempiternam, ad quam nos perducat, qui vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

CONCIO XI.

DE EODEM FESTO DE TRIPLICI NATALI DOMINI

THEMA

Generationem ejus quis enarrabit? *Isa.* 53.

SYNOPSIS

Triplex Christi nativitas adfertur, humana, divina et spiritualis, in cujus rei significationem tres hodie missae diversis horis leguntur. Quinque deinde novitates sive circumstantiae in Nativitate Christi humana considerantur, quis, de qua, quo modo, loco, tempore nascatur. 1. *Nascitur senex: habens naturam humanam, sed personam divinam; (ubi obiter Nestorii error redarguitur) et rex.* 2. *Nascitur ex ea, quam sibi in matrem elegerat prius quam conciperetur; Deus ex foemina, ubi Majestas Dei per similitudinem astruitur; ex virgine.* 3. *Nascitur in Bethlehem, in tuguriolo, in praesepio, et cur isthoc.* 4. *Nascitur sine dolore et absque obstreticum auxilio.* 5. *Nascitur medio mundi tempore, tempore pacis, monarchiae, tempore solstitiali, hiberno, nocturno, et die Solis, quorum omnium causa asseritur. Tandem piae salutationes subjunguntur.*

In posteriore parte agitur de nativitate Christi divina et spirituali. Divinam quidem esse ineffabilem, qua nil clarius, nil itidem quoad hominem obscurius, demonstratur. Cur et quomodo Dei Filius splendor paternae gloriae *et* substantiae ejus figura *dicitur. De spirituali mirum est, quod Deus hominibus innotescere voluerit, et quod Ethnici tam subito fuerint conversi. Unde cognoscamus, Christum in nobis esse natum, ex signo videlicet, quod Angelus dedit pastoribus, si eum in stabulo inveniamus; per stabulum humiles et mites denotantur, et quae sunt stabuli propria iis accommodantur. Quomodo nos oporteat fieri stabula Christi, ubi reprehenduntur ii, qui statim a confessione in peccata denuo relabuntur. Christum natum esse, ut cum mundo in certamen descendat. Cauponum consuetudo, quibus fal lax mundus assimilatur. Tandem ut hunc fugiamus, et Christum sequamur gravis exhortatio suadet.*

Liberatoris ortum, quem hoc tempore toto orbe terrarum Ecclesia Catholica singulari celebritate colit ac veneratur, optimi Auditores, non unum ac simplicem; sed varium ac multiplicem esse sacrae literae, divinaque apostolorum et prophetarum monumenta nos docent. Nascitur enim Christus in coelo sine matre; in terris sine patre: in mentibus humanis, si proprie loqui velimus sine patre et sine matre. Et quidem ex matre sine patre natus est semel: sine patre et sine matre nascitur saepe; ex patre sine matre nascitur semper. Denique ex patre in coelo nascitur Deus; ex matre in terris nascitur homo: sine patre et sine matre in mentibus humanis nascitur Deus et homo. Tres igitur sunt ortus dominici, divinus, humanus, spiritualis: atque omnes ita admirabiles et pleni stuporis, ut de omnibus tribus Prophetam Isaiam dixisse existimandum sit: *Generationem ejus quis enarrabit?* Ortus ille triplex triplici sacrificio in Ecclesia Catholica a Dei sacerdotibus hodie honoratus est: nocturno tempore et sacrificio etiam nocturno ortum illum celebravimus, quo *omnipotens sermo Dei cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium inter haberet; exiliens de coelo a regalibus sedibus in mediam exterminii terram prosilivit.* Nam idcirco tempore nocturni sacrificii evangelium istud recitari audivimus, cujus initium est, *Exiit edictum a Caesare Augusto*, et in quo hujus temporalis ortus historia continetur. Deinde aurora illucescente, altero sacrificio ortum alterum cum pastoribus egimus, nempe spiritualem illum, quo formatur Christus in nobis, et per quem animis nostris primus aurorae splendor exoritur. Postremo in medio fervore dici, atque in ipsa luce meridiana, tertio sacrificio ortum illum aeternum et splendidissimum cum cantu et laetitia venerati sumus, quo Dei Verbum, Lux vera, ex Patre luminum ab ipsa aeternitate *in splendoribus sanctorum ante luciferum* generatur. Cum igitur tres istas generationes hodie Ecclesia considerandas et venerandas filiis suis proponat, nos quoque de eis ad gloriam Dei et nostrum spiritale commo-

dum atque emolumentum verba faciemus, neque tam eas generationes explicabimus, quam ostendemus, non posse eas pro dignitate humanis vocibus explicari, vereque ac merito ab Isaia prophetа dictum esse, *Generationem ejus quis enarrabit?*

Ut igitur ab humana ac temporali generatione, ad quam praecipua temporis hujus laetitia atque celebritas pertinet, ordiamur: Admirabilis plena prodigiorum Domini generatio atque nativitas est. Salomon olim vir sapientissimus cum penitus naturae abdita contemplatus esset nihil novi sub Sole invenire potuit. Vere hodie Christus aliquid plane novum adinvenit, ac proinde vere de eo dicitur: *Ecce plus quam Salomon hic.* Ad quinque capita revocamus novitates et miracula natalis Domini: siquidem haec potissimum considerabimus, quis nascatur: de qua nascatur: et quo modo, quo loco, et quo tempore nascatur.

Quis est ille qui nascitur? Senex quidam. Quid est hoc? Senex nascitur? *Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suae iterum introire et renasci?* Ita est, Auditores, senex et valde annosus est qui nascitur; et ideo res est nova, et Isaias clamat, *Generationem ejus qui enarrabit?* Hactenus consueverunt infantes nasci et senes mori: at modo contrarium fit: Nascitur enim hodie quidam senex, et post paucos dies multa infantium millia morientur. Non legistis apud Danielem, *Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda?* Iste igitur antiquus dierum, cujus caput solum est canum, hoc est, qui ab aeternitate est, qui nec initium dierum, nec finem vitae habet, hodie natus est: Nam Danielem nec de Patre, nec de Spiritu sancto; sed de Filio loqui, b. Joannes in Apocalypsi testatur. Siquidem capite primo de Filio Dei verba faciens: *Caput autem,* inquit, *et capilli ejus erant candidi tamquam lana alba, et tamquam nix.* Hoc est etiam quod Jeremias futurum esse multo ante praedixit: *Novum creavit Dominus super terram: foemina circumdabit virum,* hoc est, mulier quaedam, vel virgo potius, utero suo non infantem, non puerum, (hoc enim minime novum esset) sed virum et virum gravem maturum, sapientissimum, senem denique complectetur. Nec enim Dominus minus sapiens, minus maturus, minus gravis, minoris prudentiae, minoris consilii hodie fuit, dum jaceret in stabulo, quam tunc essent, cum penderet in cruce: vel quam sit modo, cum regnat in coelo. Quae cum ita sint. *Generationem ejus quis enarrabit.*

Porro altera novitas in eo posita est, quod is qui nascitur, naturam habet humanam, sed non personam humanam. Itaque non solum ortus est novus, sed etiam is, qui nascitur, est homo novus. *Induite novum hominem,* inquit Paulus, *qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.* Nestorius quidem more caeterorum haereticorum, cum mysterium istud non oculis fidei, sed oculis intelligentiae propriae cernere voluisset, oppressus fuit a gloria et nimio isto splendore penitus excaecatus, naturam humanam in Christo sine persona creata atque humana videre non potuit: Quocirca duos Christos sibi finxit; unum, qui et naturam et personam humanam; alterum, qui et naturam et personam divinam haberet. Magnus error, magna blasphemia, perniciosa sententia. Nam si ita esset, nec Christus homo esset Deus; sed unus Deus solum, alter homo solum; neuter vero mundum redemisset. Christus igitur unus duntaxat, una persona, una hypostasis est; sed habet naturas duas, divinam et humanam: et idcirco Deus et homo est, pati potuit: quia Deus est, passio ipsius infinitum pretium fuit: et eo debitum nostrum summa aequitate dissolutum est. At quomodo, inquis, hoc fieri potuit? Quomodo naturae duae in unam personam coeunt, et nulla est permixtio vel confusio naturarum? Et quomodo natura humana in hypostasi non sua, sed aliena subsistere potest? Quis hoc intelliget? Quis hoc capiet? Verum idcirco, Auditores, diximus vobis rem istam esse novam et plenam stuporis, et de ea Isaiam dixisse, *Generationem ejus quis enarrabit?* Neque vos volumus, ut eam capias, sed tantum ut credas. Si ratio reddi posset, non esset mirabilis: Si exemplum haberemus, non esset singularis. Cum igitur tanto miraculo, et super omnem ordinem naturae homo quidam ita nuvus mundo apparuit, ut naturam humanam et creatam, personam vero divinam et increatam habeant, verissime dicere possumus, *Generationem ejus quis enarrabit.*

Sed ecce vobis aliam novitatem. Is qui his diebus natus est, rex natus est. Certe reges non nascuntur, sed primum eliguntur, deinde confirmantur; postremo coronantur. Tametsi enim iis, qui nascuntur ex regibus, regnum patris debetur, tamen donec ad aetatem maturam pervenerunt, non solum reges aliorum esse non possunt, sed ipsi regi ab aliis, et gubernari necesse habent. Rex enim justus et sapiens esse debet, juxta illud Jeremiae. *Regnabit rex, et sapiens erit et faciet judicium et justitiam in terra:* at homines omnes stulti et peccatores nascuntur. Solus igitur Christus rex natus est, qui ab ipsa conceptione justissimus et sapientissimus fuit. Itaque merito Isaias ait. *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus ejus super humerum ejus.* Merito igitur magi venientes ex perside exclamant: *Ubi est, qui natus est, rex Judaeorum.* Merito et nos cum superiore clamamus: *Generationem ejus quis enarrabit?*

Jam vero si oculos mentis ad eam convertamus, ex qua Dominus noster natus est, non pauciora fortasse, nec majora miracula inveniemus. Primum de ea natus est, quam ipse sibi in matrem antequam nasceretur, elegit, et quantum est hoc miraculum? Quis unquam puer elegit sibi matrem? Certe si in filiorum potestate atque arbitrio esset, ut sibi parentes eligerent, obscurae et pauperes foeminae numquam parerent, omnes tuto possent ingredi monasteria: siquidem nullus esset, qui divitem et nobilem matrem habere non vellet. Solus igitur Christus sibi matrem elegit, et idcirco ad eam angelum misit, qui ei hoc ipsum nunciaret:

nec solum filius elegit matrem, sed et mater elegit filium. In quo profecto novitas ista singulariter duplicatur. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Ergo *generationem ejus quis enarrabit?* Deinde quanta novitas est, ut Deus nascetur ex foemina: ut sit b. Maria simul mater sui patris et filii? Siquidem *homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Si oceanum universum ex parvo aliquo fonte scaturire videremus; si immensa copia frumenti, quae toti orbi alendo sufficeret, in exiguo aliquo hortulo nasceretur; si maximus et splendidissimus globus solis ex aliqua minutissima stella ortum sumeret, quis non miraretur? quis non stuperet? At hoc ipsum fit, cum Christus nascitur ex Maria. Ipsa enim est *hortus conclusus, fons signatus*; stella maris; et tamen ex ea Christus natus est, qui splendidior Sole, major Oceano, et granum illud frumenti est, quo cadens in terram tantum fructum attulit, ut inde totus orbis abunde reficiatur ac recreetur. Ergo *generationem ejus quis enarrabit?*

Sed paulo clarius explicetur; Cogita quanta sit majestas unius regis, et quam coram eo tremunt, etiam ii, qui domi suae fortasse non contemnendi principes sunt: non audent etiam viri alioquin magni et potentes coram rege, vel fabulari vel ridere vel spuere; sed stant ibi, et interdum ad multas horas capitibus detectis, et beneficium vel magnum ducunt, si rex eos aspicere, vel aliquid eis imperare dignetur. Cogita deinde quid fieret, si majestas omnium principum, regum, Imperatorum, monarcharum in unum conveniret: vel si in uno loco et uno aspectu cernere possemus, quicquid potentiae et majestatis habet omnes principes Christiani, nec non Turca, Persa, Indus, Aethiops, et quotquot sunt qui in orbe terrarum dominantur: quibus etiam addas omnem gloriam, omnem splendorem, omnem excellentiam omnium angelorum, omnium sanctorum, et totius coelestis imperii: et tunc conversus ad Deum cogites id, quod verissimum et certissimum est, omnem pompam, quam descripsimus cum Deo comparatam, vix unius formicae magnitudinem adaequare. Nec enim tam facile nos formicam unam pedibus conculcamus, quam facile posset Deus omnem mundi gloriam, et res omnes creatas non solum conculcare ac dissipare, sed penitus extinguere et in nihilum redigere. Hic igitur tantus Deus, qui immensos illos orbes, qui terram et maria, qui Solem et Lunam, et stellas procreavit; qui sine labore et fatigatione ita gubernat et sustentat omnes res creatas, ut nec folium arboris sine ipso decidat; cui denique omnes reges et omnes angeli comparati formicae unius magnitudinem non adaequant: Hic inquam, talis et tantus his diebus ex foemina nasci, et filius hominis dici et quasi unus ex nobis fieri dignatus est. Non dubito quin te talia cogitantem stupor vehementissimus apprehendet, et ex stupore flamma amoris paulatim ascendere incipiet, et cum Propheta stupefactus clamabis: *Generationem ejus quis enarrabit?*

Postremo, non ex quacumque foemina, sed ex virgine natus est. Ubi est Salomon, qui dicebat: *Nihil novum sub sole?* Quibus unquam saeculis auditum est, in quibus generationibus factum, in quibus libris et voluminibus lectum est, ut virgo conciperet, virgo pareret et virgo post partum maneret? Exivit domus de sepulchro clauso; intravit etiam ad discipulos januis clausis; sed corpore immortali et glorioso! At his diebus multo majori miraculo de clauso utero virginis matris corpore passibili atque mortali egressus est. Ergo *generationem ejus quis enarrabit?* Verum ne hoc incredibile videatur, aspicite arbores quomodo flores emittunt et vestigium non apparet, unde illos emiserint. Aspicite vites quomodo uvas et pampinos producant, et non propterea perforantur ut uvae egredi possunt. Aspicite solem et stellas, quomodo gignunt radios et signum foraminis alicujus in eis non existit. Sic igitur virgo quasi virga florens, et quasi vitis foecunda, et stella splendida et matutina, sine ullo virginitatis detrimento Christum, quasi florem pulcherrimum, et quasi uvam suavissimam, et quasi radium lucis clarissimum peperit. Quid? quod hujus rei illustrissima figura in ipsis primordiis nascentis mundi praecessit, cum terra videlicet adhuc virgo, nondum subacta, nondum inversa, non arata, et quod magis est admirandum, non seminata, ad unam vocem imperantis Dei et dicentis; *Germinet terra herbam virentem*, continuo herbis, graminibus, floribus cooperta fuit: non igitur incredibile, sed admirabile est, virginem peperisse. Neque nos dicimus, Generationem ejus quis credet? sed *Generationem ejus quis enarrabit?* Reliqua sunt locus, tempus, modus, et quibus etiam, si penitus inspiciantur, nec parva nec pauca miracula oriuntur.

Quis est igitur locus, quem sibi Liberator noster, ut in eo nasceretur, elegit? Nimirum Bethlehem Judae: locutus profecto ejusmodi, ut merito exclamare possumus, *Generationem ejus quis enarrabit?* Non elegit, urbem regiam Hierosolymorum, non Tiberiadem, non alienam celebrem et illustrem civitatem: sed infimum et abjectissimum oppidum totius Palaestinae, et in eo non aedes aliquas magnificas, atque superbas, sed obscurissimum atque vilissimum tuguriolum. Et in tugurio non lectum mollem sed rude praesepium. In qua abjectione non humilitas solum, sed etiam sapientia nostri Emmanuelis elucet. Cum enim in ortu laudari, in obitu vituperari deberet, in loco humili et obscuro nasci voluit, mori vero in loco celeberrimo atque clarissimo: ut nobis exemplo suo tam nascendo, quam moriendo demonstraret; nec laudes esse quaerendas, nec vituperia magnopere fugienda. Elegit praeterea Bethlehem, tum quod ea erat civitas David, et ipse sit filius David: tum quod Bethlehem domus panis interpretatur, et ipse sit ille *panis, qui de coelo descendit.* Elegit vero stabulum, nempe domicilium bestiarum, tum ut ostenderet sibi inter homines locum non fuisse, quod inter eos ubique Diabulus regnaret: tum etiam, ut homines propter peccatum similes bestiarum effectos esse demonstraret: *homo* enim *cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*, elegit postremo in stabulo praesepe: quia foenum pabulum bestiarum in praesepe poni solet, et ideo *Verbum*

caro factum est: quia *Omnis caro foenum*, et ipse foenum jam nostrum esse incipiebat. Quis igitur, cum audierit panem angelorum factum esse foenum bestiarum, cum Propheta non exclamet, *generationem ejus quis enarrabit*?

Jam de modo. Duplex est in modo ortus illius novitas admirabilis. Primum enim cum foeminae caeterae non sine obstreticum adjumento, nec sine summo dolore et cruciatu parant, ita ut literae sacrae cum extremas angustias et incredibiles poenas explicare voluerint, dolorem parturientium ponant: Virgo Deipara non solum sine obsequio obstetricum, sine dolore et cruciatu, sed etiam cum maxima et incredibili laetitia, et consolatione peperit. *Germinans germinabit ut lilium*, inquit Isaias, *et exultabit laetabunda et laudans*. O quis intelliget, quid illa nocte Maria senserit? quanto silentio, et quam altis contemplationibus suspendebatur? Quomodo cor ipsius liquefiebat, oculi pluebant! Ergo *generationem ejus quis enarrabit*?

Sed jam tempus est, ut de ipso tempore dicamus, quo Christus natus est. Ac ut omittam hanc esse magnam novitatem, quod tempus elegerit, in quo nasceretur, et tunc omnino natus sit, quando voluit nasci: Quis non obstupeat, si consideret, quanta sapientia Dominus non mundi initium, nec finem, nec tempus quoddam medium, non tempus bellorum, sed pacis: non reipublicae, sed monarchiae: non aequinoctium, sed solstitium: non aestivum, sed hibernum: non diem, sed noctem: et noctem non Lunae, vel Martis, vel Mercurii, sed Solis (ut multi non sine causa credunt) primam videlicet et nobilissimam, elegerit? Haec enim omnia complectitur ea temporis plenitudo, de qua Apostolus ad Galatas, *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*. Initio igitur Dominus summa sapientia mundi principium non elegit. Nam cum Deus nasciturus esset, omnino par erat, ut cum tota ea dignitate et majestate id fieret, quam tanti regis adventus postulabat. Itaque: ut magis ab hominibus ejus adventus desideraretur, eum per spatium multorum millium annorum distulit, et interim numquam cessavit eum promittere, adumbrare variis typis et figuris exprimere. Neque rursum elegit mundi finem: ne si tam diu expectaretur, desiderium Messiae in animis hominum penitus extingueretur. Non tempus bellorum, sed altissimae et incredibilis pacis elegit: quod ipse tamquam verus Salomon, rex pacificus, adventu suo pacem inter Deum et hominem, inter coelum et terram compositurus esset. Elegit tempus Monarchiae, non reipublicae; quod ipse sit unus, verus et summus omnino gentium monarcha, omnis Ecclesiae caput, omnium ovilium pastor. Solstitium vero hibernum elegit, quod eo die Sol ad nos reverti et dies augeri incipiant, et ipse sit verus justitiae Sol, qui tum nobis propinquare, atque ad nos reverti incipiebat. Porro hiemem frigidissimam et noctem obscurissimam elegit, ut hinc nos admoneret, nihil lucis, nihil coloris sine ipso in mundo reperiri: et per eum non solum lucem, sed et fervorem meridianum, hoc est, Dei gloriosam visionem, et perfectam charitatem nobis dari: per nos vero nihil esse aliud sine Christo, quam mediam noctem, frigidam, tenebrosam, horrore et squalore plenam. Postremo diem Solis elegit; tum quod ipse sit verus Sol, et dies natalis ejus vere sit dies Solis: tum quod eo die debuerit mundi reparatio inchoari, quo fuerat creatio inchoata: Denique ut ostenderet Sabatum legis veteris jam praeteriisse, et ei Dominicum diem legis Evangelicae successisse. Quando igitur venit plenitudo temporis, postrema aetas mundi, saeculum maxime pacificum, monarchia potentissima Romanorum, solstitium hibernum, dies Dominicus, noctis medium, exultantibus Angelis, et tota rerum universitate gestiente, haec nova lux mundo apparuit; tot vaticiniis praedicta, tot figuris adumbrata, tot saeculis expectata. O salve aetas postrema, in quam omnes aetates et omnia saecula intuentur. Saeculum pacificum, quod mundo verum Salomonem peperisti, et nos a metu et trepidatione bellorum cruentorum liberasti. Salve hiems praeclara, multo lucidior et serenior omni aestate. Salve nox beatissima, quae dies non tenebris tuis obfuscas, sed densissimas caligines fulgoris in te nascentis clarissima luce collustras. Salve Bethlehem sancta, *nequaquam minima es in millibus Juda*. Quae civitas, si audierit, quae fecerit tibi Dominus, non invideat tibi? Salve virgo foecunda mater tui patris, et filia tui filii. Salve dulcissime puer, tu antiquus et novus: tu novissimus et primus: tu lucens in tenebris: tu verbum infans: tu aqua sitiens: tu panis esuriens: tute nos ut pane satia.

PARS POSTERIOR

Diximus breviter de humana generatione Servatoris: nunc de divina ac spiritali pauca quaedam dicenda sunt. Ac primum de divina ita vere dici potest *generationem ejus quis enarrabit*? ut magnus Basilius affirmet homilia de natali Domini, mysterium hoc silentio potius, quam oratione esse colendum. Nihil quidem lucidius, nihil clarius, nihil splendidius ea generatione, qua lumen de lumine, Deus verus de Deo vero generatur; sed nihil esse secretius, nihil esse occultius, nihil magis abditum et reconditum: non quod tenebrae sint in Deo ullae, sed quod lux sit inaccessibilis, et aciem oculorum vincens, non solum hominum, sed etiam Angelorum. *Ubi non tempus*, inquit Basilius, *non saeculum intercessit, non modus cogitatus est, nemo spectator adfuit, nemo est, qui enarret, ad quem modum mens nostra cogitabit? Et si mens cogitatione rem tantam consequi non potest, quando minus lingua poterit oratione? Ergo generationem ejus quis enarrabit*? Deus Pater Deum Filium genuit, et tamen nec Pater senior est Filio, nec Filius junior est Patre. Quis unquam audivit talia? *Generationem ejus quis enarrabit*? Rursum, Deus Pater cum Deo Filio non substantiae suae particulam, sed totam atque integram naturam et essentiam suam communicat, et nihil ipse amittit; Ergo *Generationem ejus quis enarrabit*? Filius Dei praeterea semper est perfectus, nec unquam ei defuit aliquid; et tamen perpetuo

generatur : nec enim sicut Deus in principio fecit coelum, ita in principio genuit Verbum in principio erat ac generabatur. Coelum siquidem factum est semel, Verbum autem generatur semper. Ergo *generationem ejus quis enarrabit*? Denique Verbum Dei, ut alia praetermittam, vere Filius est, et ex utero procedit; tamen matrem non habet : et, quod magis est admirandum, solo aspectu atque intelligentia generatur : Ergo *generationem ejus quis enarrabit*? Haec atque alia ejusdem generis altissima mysteria et inexplicabilia sacramenta scriptura divina eo modo, quo potuit, exprimere conata est, cum Dei Filium paternae gloriae splendorem et substantiae ejus figuram appellavit. Quamquam enim haec vocabula nondum attigant id quod est : tamen alia aptiora et significantiora inveniri non potuerunt. Nam et splendor ita nascitur a luce, ut non sit luce posterior; et lux ita naturam suam cum splendore communicat, ut nihil interim ipsa amittat; neque splendor generatus semel cessat generari, sed perpetuo, et non a duobus, sed ab uno duntaxat generatur. Imagines quoque ac figurae omnium perfectissime et maxime expressae illae sunt quae solo intuitu in speculis generatur. Est igitur Dei Filius splendor Dei Patris, et figura substantiae ejus, et vere generatur et nascitur; sed nullum matrimonium, nulla imperfectio, nulla inquinatio, nullae sordes cogitantur: gignitur enim perfectissimo, purissimo, castissimo, sublimi ac splendido quodam modo, ut radii lucis producuntur a Sole; atque, ut figurae et imagines solo intuitu generantur in speculo.

Sed jam ad spiritualem et postremam generationem veniamus: Ea siquidem ita etiam admirabilis, et plena miraculis est, ut de ea quoque merito dici possit, *generationem ejus quis enarrabit*? Primum enim quis non obstupeat, Deum qui illis magnificis et splendidis templis, et palatiis angelicarum mentium habitabat, stabula quoque ac praesepia cordium humanorum adamasse? David certe etiamsi sapientissimus obstupescebat; *Quid est*, inquit, *homo, quia innoluisti ei*? Quid amoeni, quid pulchri, quid speciosi, inquit, vidisti in tuguriis istis nostris, ut in eis tibi per cognitionem atque amorem habitare placeret? Magna sane et admirabilis novitas, quod illa majestas vermiculis istis innotescere, atque ab eis cognosci voluerit, et multo sane major, quam si rex quispiam vehementer contenderet, ut ipsius res gestae ab aliquo vilissimo mancipio cognoscerentur; Ergo *generationem ejus quis enarrabit*?

Deinde, quis non miretur corda illa hominum impiorum, quae tot annos domicilia fuerant daemonum, et in quibus vulpes foveas habebant, et volucres coeli nidos, qui nihil de Deo cogitare sciebant, nisi Jovis adulteria, Mercurii dolos, Martis crudelitatem, Veneris prostitutionem, repente admirabili conversione templa Christi facta fuisse, ut jam de Deo, de Christo, de angelis, de gloria ac foelicitate beatorum cogitent? Ergo *generationem ejus quis enarrabit*?

Ecce igitur vobis triplicem Christi nativitatem. Credere ego, aut certe optare debeo, in animis omnium, qui hic adsunt, Christum natum esse, tamen non ignoro etiam eum saepe in cordibus nostris mori, nisi summa diligentia et solicitudine custodiatur: alioquin non diceret Apostolus Paulus, *Filioli mei, quos ideo parturio, donec formetur Christus in vobis*. Itaque Dominum Christum, quem in stabulo Bethlehemitico occidere Herodes non potuit, in domicilio cordis nostri facile diabolus occidet.

Quaeramus igitur, si placet, ortusne sit? et an adhuc vivat in nobis Christus; dicerene possumus cum Apostolo Paulo, *vivo autem, jam non ego*; *vivit vero in me Christus*? Et, *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus*? Habitat-e Christus per fidem et charitatem in nobis? Quo signo, qua conjectura id explicare possemus? Ecce vobis signum : *Invenietis puerum pannis involutum et positum in praesepio*. Hoc signum Angelus dedit pastoribus : Et certe nullo signo alio facilius indagare poterimus, an sit Christus in nobis. *Hoc*, inquit, *vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio*. Universum genus humanum quasi magnum quoddam palatium contemplari debemus in quo aulae multae, multa etiam cubicula, nec non pomaria, horrea, cellae vinariae, culinae, ad extremum etiam stabula ac praesepia sunt. Et quidem Dominus noster illud ingrediens, non aulas, non cubicula, non pomaria, non horrea, non cellas vinarias, non coquinas; sed stabulum ac praesepium elegit. *Hoc*, inquit, *vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio*.

Quinam sunt aulae, nisi superbi? Qui cubicula, nisi impudici? Qui pomaria, nisi vani et curiosi? Qui horrea, nisi avari? Qui cellae vinariae, nisi vini amatores? Qui coquinae, nisi gulae et ventris mancipia? Qui stabula, nisi humiles atque miles? Hos elegit Dominus, in his nascitur Christus. *Hoc*, inquit, *vobis signum : invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio*. Horum in numero inveniri optabat Propheta David, cum diceret : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei*, hoc est, Elegi non aula esse superba, sed humile stabulum. Quid proprii habet stabulum? Primum pars est infima atque ultima totius domus: non ascenditur ad stabulum per gradus, sed descenditur potius, haec est igitur sedes sapientiae. *Ad quem respiciam, dicit Dominus nisi ad pauperculum et contritum spiritu*, (vel super humilem et pusillum) *et trementem sermones meos*? *Hoc igitur vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio*. Deinde in stabulum proiiciuntur sordes, atque idcirco locus est abjectus et contemptus. Cum hospites adveniunt, non in stabulum, sed in cubicula et aulas introducuntur. Imo vero etiamsi tota domus hospitibus ostendatur, tamen stabulum ostendi non solet: et si forte, ut videant equos, in stabulum aliquando ducantur, si stabulum tunc sentire aut loqui posset, certe non superbiret, sed miraretur ac diceret : Quid rei est hoc? Numquid ego stabulum non sum? Cur ergo Dominus meus ad me hospites introduxit? Et hos igitur, qui tales sunt, qui se contemni ac despici patiuntur, elegit Dominus in habitationem si-

bi. *Hoc igitur vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* Quid habet praeterea stabulum proprii? Est locus ferme calidissimus totius domus; atque ad eumdem modum qui humiles atque sui ipsorum contemptores sunt, illi charitate fervent, et in eis optimo jure nuda ac tenera Domini membra collocantur: *Hoc igitur vobis signum est.*

Putamusne, auditores, inveniemus aliquem, qui vere sit vel esse velit praesepe? Vere mitem et humilem et ferventem quis inveniet? *Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Ubi est, qui cupiat contemni? qui se despici patiatur? qui non excellere, non anteponi, non videri, non laudari velit? Qui ferveat charitate? qui eligat abjectus esse? Intret unusquisque, rogo vos, in cor suum, et non aduletur, non blandiatur sibi: sed alta ac profunda cogitatione interiora sua respiciat, et fortasse videbit, se non stabulum, nec praesepe, ut putat, sed aulam vel cubiculum superbissimum esse: et si id videat, sciat ibi non nasci Dominum: *Hoc enim vobis signum; Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* At inquis, ego tamen Dominum heri in sacramento suscepi, quomodo igitur in corde meo non erit? An non erat Christus fortasse in sacramento? Imo vero erat, et ad cor tuum venit; sed si praesepe non invenit, crede mihi, non mansit, ac de te vere dicere possumus: *Surrexit Dominus, non est hic.* Sed utinam non essent multi, qui non expectaverunt, ut Dominus per se abiret, sed ipsi eum de cordibus suis ejecerunt. Cogor aliquid dicere, dolore stimulante, quod non vellem: precor Deum optimum maximum, ut verum non sit, quod ego verissimum esse puto. Existimo enim multos reperiri eorum, qui heri ad poenitentiae et eucharistiae sacramenta accesserunt, qui hodie rursum sunt in suo pristino coeno, et quomodo potest aliter fieri? confessi sunt solum ex consuetudine, ut facerent, sicuti alii faciunt: non quod vitam mutare vellent, hoc propositum non habebant; vel si habebant, in ore, non in corde habebant. Deinde heri et hodie comederunt et biberunt in prandiis multo amplius, quam solerent, in gratiam videlicet Natalis Domini; tum bene pasti et bene poti exierunt foras, occurrerunt mulieribus et quis dubitat quin rursum coeperunt desideriis aestuare? Et quid illis profuit confessio et communio sine vitae mutatione, nisi ut si antea habebant cor durum parum, nunc habeant cor durum multum? Et si aberant antea duos pedes a gehenna, nunc unum tantum absint. *Vade*, inquit, Dominus, *et jam amplius noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat.* Illis enim vere deterius contingit, et obdurantur magis, qui post confessionem statim ad eadem revertuntur. Scitis quid sit Dominum cum honore suscipere, et paulo post cum ignominia de suis cordibus eiicere? Est illud ipsum facere, quod Judas proditor post acceptam buccellam fecit: exivit continuo, et Dominum vendidit; deinde eumdem osculo prodidit. Sed quid inde lucratus est? Nihil sane aliud quam funem unum, quo seipsum suspendit. Sic etiam mercatores isti pessimi, Judae imitatores, osculantur Dominum in sacramento, eumdem etiam in domicilio pectoris sui admittunt, et tum post paululum hostibus ejus produnt: nec aliud quam poenas aeternas, et sedem in gehenna prope ipsum Judam tam nefaria atque impia proditione mercantur. Quid remedii? Certe non aliud, quam ut serio ac sincere agamus cum Deo, sicut ille serio ac sincere agit nobiscum Dominus Deus noster, cum peccata remittit, sincere agit, fideliter, serio sine poenitentia. Non remittit hodie, ut eras pro iis nos puniat; ita vult secum agi. Itaque si quis vere cupit in gratiam cum Deo redire, is serio aliquando proponat vitae mutationem; et si antea in corde suo vel aulam, vel hortos vel coquinam extruxerat, ea nunc destruat, et stabulum ac praesepe aedificet: sit vilis in oculis suis, sit mitis, sit patiens, abiiciat pompas, et vestium vanitatem: siquidem ista in stabulo non conveniunt. Et si videat in se ac sua proiici sordes convitiorum ac contumeliarum, non irascatur, ferat aequo animo, ac dicat intra se: Istis ego dignus sum, haec mihi optime conveniunt, stabulum sum enim: At si rursum extollatur ac laudetur ab hominibus, et in aliquo gradu dignitatis ponatur, rursum dicat: Unde hoc mihi, qui stabulum sum? Et si hoc tibi difficile ac durum videatur, non habeo, quid dicam, nisi in te Dominum non nasciturum: *Hoc enim vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* At si contemptis et superatis difficultatibus verum stabulum efficiaris, o quae palatia non relinquet Christus, ut ad ejusmodi stabulum descendat? O quam sublimis est haec sapientia! O quam rari ad ejus cognitionem pertingere potuerunt? Aristotelis Metaphysica nihil est: Platonis Theologia humi repit, si cum hac sapientia comparetur. *Confiteor tibi Pater* (Dominus ait) *quia haec abscondisti a sapientibus et revelasti ea parvulis.* Et rursum: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*, ego solus magister sum et doctor hujus excellentissimae philosophiae, qui vere mitis sum et humilis corde.

Videor mihi, auditores, hodie Christum videre in certamen et disputationem cum mundo descendisse: Mundus in cathedra sublimi constitutus coram maxima stultorum multitudine clamat, ac docet: Aurum colligendum, honores persequendos, libidines explendas: paupertatem, castitatem, humilitatem profligandas, atque in ultimas terras relegandas: denique aulas, cubicula, horrea, pomaria, cellas vinarias, coquinas extruendas. Christus contra in stabulo sedens, mentiri affirmat mundum et theses contrarias defendendas ac persuadendas proponit: nempe, beatos esse pauperes, beatos mites: beatos, qui lugent, beatos, qui se castraverunt propter regnum coelorum, miseros vero, qui rident et qui divitias et consolationes suas habent in hoc mundo: et omnes aulas, et cubicula, et horrea, et pomaria, et cellas vinarias et coquinas destruendas, ut stabula ac praesepia aedificentur. Nos argumenta utriusque et rationes audivimus et verbis victoriam damus Christo, et tamen factis atque operibus sequimur mundum. Longus usus, atque experientia ipsa nos docet, nihil esse fraudulentius mundo. Est enim similis hospitio, vel tabernae, ac praesertim tali, quales in Italia et aliis quibusdam in

locis reperiuntur. Cum enim iter faciens ad hospitium aliquod divertis, continuo cauponae praefectus egreditur tibi obviam totus laetus, atque hilaris, excipit peramanter, omnia dicit se optima habere, optimum panem, optimum vinum, optimas carnes, optimos lectos, addit quoque non raro de pretio nullam esse futuram quaestionem. Quid? inquit, estis domi vestrae: utimini, fruimini rebus meis, ac si vestra essent: solvetis vero quantum libuerit, deinde comitatur ad mensam, atque ibi nunc invitat ad bibendum, nunc ad comedendum, nunc arridet, nunc iocatur, nunc adulatur: Postremo finita coena deducit ad lectum, precatur felicem noctem mollemque quietem officiosissime: atque hactenus quidem putas illum non cauponem sed quasi fratrem quemdam esse amantissimum tui. Caeterum die sequenti cum est ab hospitio recedendum, occurrit tibi totus mutatus, omnino alius ab eo, qui fuerat nocte praeterita, ibi numerare incipit, quicquid tibi dedit, et aliqua fortasse etiam quae non dedit: Et omnibus supputatis: Tantum, inquit, tibi persolvendum est: tum tu fortasse obstupefactus: Quid, inquies, tam parum comedi, tam male dormivi, et tantum solvam? Quomodo hoc potest fieri? Et, ubi sunt illa tua hesterna promissa? Hinc ille torvis oculis, miror profecto te, quasi nescias consuetudinem tabernarum, postea quam comedisti et bibisti non vis solvere? Sed certe solves nec unus obolus minuetur. Haec est mundi similitudo, auditores: nos omnes peregrini sumus, ingredimur mundum istum tamquam hospitium, continuo fiunt obviam nobis divitiae, delitiae, delectationes variae, omnia bona ac felicia pollicentur invitant ad comedendum, ad bibendum, ad dormiendum, ad luxuriandum, *nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria*, et simul metum et sollicitudinem auferunt futuri judicii. Nihil solvetis, inquiunt, Deus misericors est: non fecit homines, ut eos perdat: legite semel psalmum, *Miserere*, et omnia salva erunt. O quam suaviter illabitur concio ista in animos insipientium peregrinorum? At ubi adest mors, et egredi cogimur ab hospitio, ibi dicitur nobis: Heus tu, solve quod comedisti; et quantum est, quod debeo? Quantum? Supplicia sempiterna. Quid supplicia sempiterna pro tam exiguis et amaris voluptatibus? O utinam nunquam ad hospitium divertissem: *pereat dies, in qua natus sum.* Sed dicitur ei: Non est nunc tempus poenitentiae, comedisti et bibisti, solvendum est. Intelligitisne qualis sit mundus?

Neque vero haec dicimus, ut risum excitemus, sed ut manibus ipsis quodammodo tangamus, quanta sint mundi mendacia, ad quae redarguenda et detegenda Christus venit. Sed si res ita se habet, si mundus mentitur, si fallit, si decipit; si Christus est veritas, si est sapientia, si fallere ac mentiri non potest, si id nos cognoscimus, et confitemur; cur adhuc sequimur mundum? *Usquequo claudicamus in duas partes?* Si mundus vera promittit, sequamur illum: si vero non ita est, sed Christus solus est verus et sapiens et fidelis, cur non sequimur eum? Cur ejus consilium non accipimus? Irascetur, mihi credite, aliquando vobis, atque indignabundus dicet, *cur dicitis mihi Domine, et non facitis quae dico?* Sed non pueri sumus, infantiam nostram diligimus. Ista seria et sublimia et magna non capimus, sed etsi pueri sumus, audiamus saltem puerum, qui hodie natus est nobis. Verbum Dei factum est infans, ut infantes doceret. Ecce clamat de praesepio, contemnite bona falsa, si cupitis vera: desinite umbras consectari, si lucem aspicere desideratis. Non vos decipiat mundus vanis pollicitationibus: non vos deliniat lenociniis mendaciorum: promittere potest, sed praestare non potest. Discite vero a me, qui vos diligo, qui propter vos factus sum pauper, cum essem dives, ut vos divites essetis. Veniet, veniet tempus, quando servis meis commutabo luctum in risum; moerorem in gaudium; laborem in requiem; mortem in vitam; stabulum in paradisum, ad quem nos introducat qui est super omnia benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XII.

IN FESTO SANCTI STEPHANI

SYNOPSIS

Quaeritur, cur Natalem Domini martyrium s. Stephani immediate subsequatur, cum nihil morti cum novitate sit commune? Ad cujus quaestionis resolutionem historia veteris testamenti accomodatur, ubi filiis Prophetarum ligna caedentibus uni eorum in fluvium cecidit excussa securis, quam mox Eliseus iniecto ligno enatare fecit. Eliseus est Deus Pater, filii Prophetae verbum et sapientia Dei; ferrum, homo in manu summi artificis Dei constitutus, e qua tamen in Paradiso excidit, et in fluvium hujus Mundi incidit quo non modo omnia transire caecus homo non cogitat, sed et ipse una cum fluminis impetu abripitur quod similitudine machinarum molarium ostenditur. Querelae de bonis per primum hominis lapsum amissis. Tandem lignum quod Deo Filium denotat, in hoc flumen injectum hominem et profundo extrahit, et descendit, ut nos, ut fit in bilance, ascendamus: Atque ut statim injecto hoc ligno hominem ascendisse appareat, hodie s. Stephanus per Ecclesiam venerandus proponitur.

In parte altera explicatur quaedam oratio Ecclesiae: Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti. *Cur dicatur* jacentem mundum, *et non hominem, duae causae assignantur. 1. quod homo sit parvus mundus. 2. quod omnia creata per ipsum tamquam dominum vel ferantur ab eo. Quid sit humilitas, et quod illa in Deum ut Deum cadere non possit, sed in Christum hominem, ob vilem quam induit humanam naturam: quae vilis esse probatur, quod quoad animum incorporeum sit infima, quoad corpus corporeum abjectissima. Quantum discrimen sit inter Deum et hominem. Tres esse humilitatis gradus, quorum duos tantum, ut qui alterum non potuit, non habens sibi parem cui subiiceretur, perfecte adimplevit Christus, idque sponte, nemine cogente. Camelo onorando Christus assimilatur. Ex fluvio hujus mundi secure transvadare docemur, si nimirum despecto illius cursu oculos ad ulteriorem ripam, hoc est, ad regnum coelorum defixerimus: quod s. Stephani et Christi exemplo probatur. Tandem apostrophe ad Christum pauperiem in Nativitate tolerantem, et futuros labores et dolores passurum, finem dat.*

Credo ego optimi auditores, mirari vos, quid sit, quod cum dies natalis, et dies mortis plurimum inter se differant, Ecclesia tamen Catholica mater nostra, laetissimum Domini, ac sponsi sui Natalem diem cum lugubri funere primarii filii, beati videlicet Stephani, copulaverit. Quo pacto enim ista cohaerent, ut heri propter Domini ortum diem festum ageremus, et hodie propter Stephani obitum diem festum agamus? Heri Domini ingressum in mundum coleremus, hodie Stephani ingressum de mundo recolamus? Heri omnia plena gaudiis et promissionibus audiremus, hodie omnia plena fletibus et minis audiamus. Heri enim si recordamini, cum ingenti laetitia canentes Angelos audivimus, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Hodie non sine dolore dicentem b. Lucam audivimus, *Curaverunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.* Audivimus heri: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator:* audivimus hodie: *Incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Heri denique audivimus; *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei:* hodie audivimus, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis non me videbitis amodo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et quid quaeso affinitatis ortus cum obitu, ingressus cum egressu, gaudium cum fletu, et promissio cum comminationibus habet? Neque vero existimet aliquis, se nodum istum solvere posse, si dicat casu factum esse, ut heri Dominus nasceretur, et hodie Stephanus moreretur. Nec enim hodie, imo nec in hieme, sed in aestate amore Domini flagrantissimus et fortissimus protomartyr Stephanus occubuit. Et tamen certum omnino et exploratum habemus, non sine magno consilio Domini ortum cum Stephani obitu conjunctum ab Ecclesia et copulatum fuisse. Hoc igitur sapientissimum Ecclesiae Catholicae matris nostrae consilium hodierno die pro viribus explicare Domino aspirante constitui: Res enim nisi vehementer fallor, cum tempori maxime accommodata, tum vobis omnibus utilis ac fructuosa erit. Ac ut non vagetur, sed cer-

tam sedem habeat oratio nostra, primum historiam quamdam ex veteri testamento, deinde verba quaedam, quibus Ecclesia in publicis precibus utitur, breviter explicanda suscepimus. Ex his enim id, quod quaerimus, omnino planum et manifestum fiet.

Ut igitur ab historia veteris testamenti ordiamur cum filii Prophetarum die quadam prope Jordanem fluvium ligna caederent, ut sibi quisque domicilium suum aedificaret, uni ex illis securis excussa de manibus est, et in profundum fluminis cecidit. ut ex capite sexto libri quarti Regum intelligi potest. Mox ille cui securis ceciderat, ad Eliseum se contulit: *Heu, heu, heu domine mi, et hoc ipsum*, inquit, *mutuo acceperam*. His vocibus commotus Eliseus, arripit lignum unum, atque in eum locum proiicit, ubi ferrum jacebat: continuo autem res plane admirabilis, et prodigii plena apparuit: nam ligno descendente ferrum repente ascendit, non secus ac si lignum illud nuncius ad ferrum ivisset, et ei prophetae voluntatem atque imperium exposuisset. Quid Eliseus Propheta (ut jam historiam, quam audivistis, juxta reconditam ac spiritualem intelligentiam explicemus) quid, inquam, Eliseus Propheta, nisi Deum Patrem significat? Nam ut alia omittamus, ita proprium est Dei futura multo ante providere, atque adeo prophetam esse, ut Isaias dicat, *Annunciate quae futura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos*. Quare non immerito Prophetas Deos quosdam creatos et mortales, et Deum Prophetam increatum et immortalem appellabimus. Quid autem filius Prophetae, nisi verbum et sapientiam a Deo Patre summo et vero propheta genitam designat? Porro ferrum nihil aliud, quam hominem significare ipsa ferri natura declarat. Ferrum enim, ut gladius, ut malleus ut securis, suapte nutu ac pondere ad terram fertur, et nisi in manu artificis sit. nihil penitus operatur. At in manu artificis positum tam multa et tam praeclara efficere solet, ut admirabile sit: defendit, offendit, caedit, secat, vulnerat, occidit. Denique templa, palatia, civitates, ferrorum instrumentorum opera sunt. Sic etiam homo, auditores, si in manu Dei non sit, et ab eo tamquam ab architecto non moveatur atque agatur. quid per seipsum solius naturae vi adiutus potest? Quid? Illud ipsum, quod ferrum potest, ad terram ruere, ibi jacere, otio languere ac marcescere potest. At praeclarum aliquid sine Deo, non modo non agere sed ne cogitare quidem potest. *Non sumus sufficientes*, inquit Apostolus Paulus, *cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Et vere sufficientia nostra ex Deo est. Siquidem cum Deum nostrorum operum auctorem habemus, et in ipso tamquam in architecti manibus sumus, res maximas et praeclarissimas gerimus, cum daemonibus dimicamus, nostras libidines frangimus, iram compescimus, omnes animi motus coercemus: et quod magis est admirandum, in terris sumus, et palatia fabricamus in coelis. Hoc igitur ferreum instrumentum initio in filii Prophetae manibus erat; siquidem sapientia Dei simul atque hominem condidit, eum in suam gratiam, et curam suscepit: et quamdiu homo innocentiam atque integritatem conservavit. tamdiu in manibus fuit. Ut enim sapiens ait, *Justorum animae in manu Dei sunt*. Verum cum haec securis in manibus artificis constituta die quadam in paradiso voluptatis aliquid operaretur, repente vento quodam superbiae ab Aquilone exoriente agitari coepit, et post paulum de Dei manibus exiluit, et in fluvium profundissimum maximo impetu cecidit. Hinc sunt illae voces: *Intraverunt aquae usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi et non est substantia. Veni in latitudinem maris, et tempestas demersit me. Eripe me de luto, et de profundis aquarum. Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis*. Porro casum istum miserabilem Liberator noster multis ac variis similitudinibus in Evangelio frequenter expressit. Quid enim drachma amissa? quid ovis perdita? quid filius prodigus? quid ille, qui ab Jerusalem in Iericho descendebat, nisi humani generis funestum casum, et ruinam plane miserabilem, designat?

Caeterum, quid ipsum fluvium, in quem homo cecidit, significare dicemus? Certe nihil aliud, quam mundum istum inferiorem, in quo nihil nisi fluxum fragile, caducum et mortale reperitur. Ut enim fluvius semper fluit, et est alius, atque alius, et in eo aquis aquae succedunt: sic etiam omnia, quae sunt infra Lunam (humanum animum semper excipio) id proprium habent, ut perpetuo labantur, et fluant et aliis occidentibus alia exoriantur, et ea, quae exorta sunt, paulatim augeantur, senescant, et intereant: et quo magis celeriter crescunt, ut sint: eo magis festinant, ut non sint. Id quod eleganti similitudine in libris confessionum b. Augustinus ostendit: Cum homines, inquit, loqui volunt, si primum verbum, postquam sonuit per partes suas, non decederet, ut alia verba succederent, nunquam esset totus aut integer sermo: Cur hoc? nempe, quia sermo res est ejusmodi, ut partes suas omnes simul habere non possit: Syllabis enim aliis decedentibus et aliis succedentibus constat. Talis quoque est mundi hujus inferioris natura: Nam saeculis atque aetatibus praeteritis et futuris componitur. Haec vero omnia simul esse non possunt: quare decedendo et succedendo universum efficiant, et in perpetuo quodam cursu consistant more fluviorum necesse est. Quemadmodum igitur si quis in profundo fluminis positus esset, nihil nisi aquas, et eas labentes cerneret: sic etiam homo postquam in hanc vallem miseriarum ex paradiso delitiarum corruit, ita rerum labentium et perniciarum multitudine obruitur est, ut nihil videat, nisi res perituras, nihil amet, nihil quaerat, nisi res perituras: si divitias cernit, cernit res perituras: si honores cogitat, cogitat res perituras: si voluptates amat, amat res perituras: si gloriam et celebritatem quaerit, quaerit res perituras. Denique in re nulla, quae constans et stabilis sit, pedem figere vult. Ac etsi de rebus aeternis et de cruciatibus gehennae, et gloria beatorum aliquid audit, somnia et fabulas audire se putat. Atque utinam id verum non esset, neque nos id probare non possemus, auditores. Qui fabulas audiunt, laudant inventorem: sed non propterea moventur, ut faciant

quod audiverunt, quia non rem seriam, sed fabulam audivisse se sciunt. Narrat aliquis in foro nescio quod spectaculum exhiberi, omnes continuo currunt: narrat aliquis ursum vel taurum aliquem ferocem ruptis vinculis, quibus tenebatur, per urbem discurrere, omnes fugiunt: audit mercator in aliquo loco nundinas fieri, ubi maximo pretio merces suas distrahere possit, continuo erigit aures, neque occasionem illam sibi de manibus eripi sinit: quamobrem auditores? nempe, quia ista non ficta, sed vera illis esse videntur. Clamant praecones Dei, impiis et sceleratis, fornicaris et ebriosis, ambitiosis et avaris, blasphemis et perjuris aeterna supplicia esse parata: et contra justos, pios, sobrios, castos, Deum prae omnibus quaerentes ac diligentes aeternis ac summis praemiis afficiendos esse, et quid tandem homines agunt, cum haec audiunt? Praeconem, si bene clamavit, laudant: sin minus, vituperant. Raro autem dicunt, certe verum est, quod ille ait; ergo aliter vita instituenda est, ergo mores mutandi, ebrietas relinquenda, voluptati valedicendum est, si valere in aeternum volumus. Raro inquam, ac pene nunquam hoc dicunt, quod haec illis fabulae et somnia; et sola fragilia et caduca, quae ante oculos conversantur, et quibus obruti quodam modo sunt, vera et seria esse videantur.

Ecce igitur vobis, in quem fluvium homo miserrimus cecidit, cum de Dei manibus excuti se a daemone passus est: neque solum in fluvium semper labentem cecidit, sed ipse etiam simul cum fluvio labi et currere coepit. Rapitur enim a tempore semper currente, neque prius a cursu cessat, quam scopulum aut saxum aliquod obvium habeat, ad quod allidatur et corruat. Apposita, ni fallor, similitudine rem totam illustrabo. Solent in plerisque partibus Italiae, nescio an etiam in hac nostra regione, magnae molarum moles ad triticum contundendum, ita super flumina collocari, ut terram non contingant, sed ab ipsis aquis quasi naves quaedam sustineantur. Verum ne fluvius totam illam machinam abripiat, et secum ferat, ea magnis catenis ad ripam alligari solet. Itaque moles illae tametsi super fluvium semper labentem posita est, ipsa tamen quam diu catena non solvitur, aut frangitur, immobilis perseverat. Accidit tamen nonnunquam, ut catena frangatur, et tunc omnis illa machina ab aquis deferri, et cursum eumdem tenere incipit, quem ipse fluvius tenet, donec ad primum scopulum, qui occurrit allidatur, et corruat. Ad eumdem modum, Auditores, cum Deus hominem condidit, super fluvium istum rerum praesentium et caducarum illum constituit. Ac ne ipse quoque cum rebus caeteris laberetur, et curreret, et mori ipsi aliquando necesse esset, eum ad verbum suum gratiae et charitatis vinculis alligavit. Et quoniam verbum Dei ripa est plane constans et immobilis (*verbum enim Domini manet in aeternum*) periculum non erat, ne homo ad talem ripam alligatus impetu fluminis unquam abriperetur: quin etiam tempus quidem perpetuo currere, et omnia quae sunt infra Lunam ab eo rapi, et senescere et interire vidisset, ipse tamen, neque cum tempore cucurrisset, neque senuisset, neque mortuus unquam fuisset. Sed quid interim accidit? Catena, qua homo cum Deo copulatus erat, soluta vel potius fracta per peccatum primi hominis est. *Iniquitates vestrae*, inquit Isaias, *diviserunt inter vos et Deum vestrum*. Quid igitur homo a Deo sejunctus, ac separatus super fluvium faceret? quomodo se ab ejus impetu tueretur? qua ratione evaderet, ut non cum rebus caeteris flueret, senesceret, interiret? Hinc igitur omnes cum amne currimus, donec ad scopulum aegritudinis alicujus allidimur, et corrui mus. Nam cum tempore praetereunte praeterimus et collabimur, et sicut mensibus menses, sic et nostris aetatibus aetates succedunt. Et sicut primum Januarius, deinde februarius, tum martius, aprilis, majus et reliqui in suo quisque ordine veniunt; sic et nos primum infantes, deinde pueri, tum adolescentes, juvenes, viri maturi, ac demum senes sumus; et nunc in ipso portu navis corporea frangitur, et animus carne solutus alium orbem ingreditur.

Quid igitur tunc Prophetae filius, nempe Dei verbum, fecit, cum securim suam, hoc est, humanum genus in flavium cecidisse, et una cum fluvio currere vidit? Quid? Ad Eliseum Patrem suum se contulit, et coram eo casum nostrum deplorare incepit, *heu, heu, heu, Domine mi*, quia corpus humanum ex immortali mortale factum est. Iterum *heu*, quia mens humana sapientiae lumine orbata tenebris densissimis obruta est. Et postremo *heu*, quia voluntas humana justitiae rectitudine amissa, conversa ad terram, propensa ad malum, atque adeo curva effecta est. Et rursum *heu*, *heu*, *heu*, *Domine mi. Heu* primo, quia natura hominis, et omnes ejus vires plagam magnam acceperunt. *Heu* secundo, quia gratiae decor, qui humanum animum illustrabat, omnino extinctus est. *Heu* tertio quia animal nobilissimum, princeps orbis et paradisi colonus spe gloriae et beatitudinis penitus excidit. Denique *heu*, *heu*, *heu*, *Domine mi. Heu*, quia locum delitiarum, et illustrissimas ac pulcherrimas homo regiones amisit. *Heu*, quia vallem miseriarum ingressus in sudore vultus sui vescitur pane suo, terram cum labore colit, et ea spinas ac tribulos gignit. *Heu*, quia vitae praesentis laboribus superatis illum perpetuo cruciandum gehenna suscipiet.

Hac igitur tam pia querimonia viscera Patris mota sunt, et continuo de hominis liberatione cogitationem cepit. Et quo consilio, qua ratione, qua via illum usum esse putatis? Non deerant Patri sapientissimo et sapientiae genitori consilia hominis eruendi de lacu miseriae et de luto foecis; tamen placuit ei Angeli magni consilii consilium audire, atque ait: Ecce vocibus tuis permotus hominem liberare non abnuo. Sed quid consilii capiemus? Quis ibit nobis? quem mittemus? Tum ille: *Ecce ego* inquit, *mitte me*. Ego qui dedi consilium, feram libenter auxilium. Accepit igitur lignum noster ac verus Eliseus, et misit illud in aquas. Quid enim lignum, nisi eumdem ipsum Dei filium significat? Ut enim lignum, quod leve et aerium sit, super aquas natat, neque cadere in profundum potest; sic etiam Filius Dei, qui natura ipsa talis est, ut pondere peccatorum gravis fieri non possit, nunquam

in hunc miseriarum fluvium cecidisset,neque temporum mutationibus obnoxius fuisset, nisi ipse a Patre missus,sponte ac libera voluntate in luto isto aquarum multarum mergi voluisset. Venit igitur Dei Filius infixus est in limo profundi, tempori subjacuit, natus est, passus est,fluctibus aquarum jactatus est. Sed numquid frustra? Non certe auditores: Nam ligno isto in aquas descendente, ferrum, quod ceciderat, repente super aquas ascendit. Christi enim descensus, nostri ascensus, et ejus ingressus in lutum, nostri egressus de luto, et ejus mersio, nostrae emersionis causa fuit.

Atque haec tandem est ratio,cur Ecclesia mater nostra Domini ingressionem in mundum cum Stephani egressione de mundo copulaverit. Studet enim pia quadam, et plane materna sollicitudine hoc nobis utilissimum sacramentum in memoriam revocare, atque haec festorum dierum continuatione quasi quibusdam mutis verbis id mihi dicere videtur.Nudius tertius ferrum adhuc in imo fluvio jacebat; sed heri lignum de coelo missum ad ipsum descendit, et ecce hodie ferrum super aquas, imo et usque ad ipsum coelum ascendit.Natus est Christus in terris, ut Stephanus nasceretur in coelis. Ingressus est Dominus in mundum, ut Stephanus ingrederetur in coelum.Altus ad humilia descendit, et humilis ad alta ascendit: Filius Dei factus est filius hominis, ut filios hominum faceret filios Dei. Solus Christus, inquit Fulgentius, descendit Dominus ut multos elevaret: humiliavit se rex noster; ut milites suos exaltaret. Nam non vidistis aliquando libras et stateras illas, quarum duae sunt lances? quantum una deprimitur, tantum altera extollitur? Deus noster, auditores, cum nos condidit, in una lance nos posuit, et ipse manebat in altera. Venit autem hostis humani generis, et invidens lanci nostrae,quam sublimem esse videbat, grandem lapidem super ipsam imposuit, atque hoc pondere usque ad fluminis profundum eam depressit,ut jam longissime distaremus a Deo. Sed numquid invidia charitatem et Deum Diabolus vincet? Nullo modo, auditores. Quid igitur fecit dulcissimus Pater noster ac Deus?Heri suam naturam ad profundum usque istud depressit, et nostram hodie usque ad coelum evexit.Cum aliquem cecidisse in terram vides, quonam pacto illum erigere soles? Nonne teipsum inclinas, et ei dexteram porrigis? hoc est, quod nobiscum egit Deus. Quis vestrum in libro Job sententiam illam aliquando non legit, *Operi manuum tuarum porriges dexteram*? Nos opus Dei sumus;nos ipse suis manibus tamquam figulus de luto formavit. Dextera vero omnipotentis, verbum ipsius et sapientia est. Quicquid enim Deus facit,hac dextera facit: *Verbo Domini coeli firmati sunt.Ipse dixit et facta sunt. Consurge, consurge*, inquit Isaias, *induere fortitudinem brachium Domini*. Et, *Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est*? Hoc igitur brachium,hanc dexteram heri porrexit nobis Deus. *Nusquam enim Angelos apprehendit; sed semen Abrahae apprehendit*: nempe ut ipsum educeret de lacu miseriae et de luto faecis. Jure igitur David Propheta, qui olim clamare solebat, *mitte manum tuam de alto, et eripe me de aquis multis*: hodie cum cantico et laetitia dicere posset; *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem: non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.*

PARS ALTERA.

Jucundissimum nostrae celebritatis mysterium, quod in veteri testamento, sicut jam audivistis, adumbratum fuit, Ecclesia Catholica mater nostra illis verbis exprimere voluisse videtur,quae in publicis altera Dominica post Pascha recitari solent: quae talia sunt: *Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede laetitiam, ut quos perpetuis eripuisti casibus,gaudiis facias sempiternis perfrui.* Quae quidem verba admirabilis cujusdam dulcedinis plena mihi esse videntur.Sed tamen quoniam tempus nobis ad omnia explicanda non sufficeret, neque omnia obscura, aut ad id, quod quaerimus necessaria sunt: propterea solum de primis pauca quaedam in praesentia dicenda esse putavimus. *Deus*, inquit,*qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti:* non hominem, sed mundum, hoc est, omnem hanc rerum universitatem jacere dicit. Nam cum homo cecidit,omnis cum eo mundus cecidisse videtur.

Et id quidem duplici de causa. Primum enim in hominem omnes totius mundi naturae conveniunt. Elementa quatuor sunt humores quatuor: mixta inanima, ungues, et pili: animata non sentientia, ossa et dentes: sentientia rationis expertia, nervi et caro: denique intelligens, et consilii ac mentis compos est ipse animus:Deus enim propterea postremo loco hominem condidit,ut in ejus conditione quasi epilogum quemdam totius operis faceret. Nec injuria nunc parvus mundus,nunc epitome majoris mundi homo a veteribus appellatur. Jure igitur non tam hominem, quam ipsum mundum cecidisse, et per Christum erectum fuisse Ecclesia confitetur, in quo Dominum ac magistrum suum imitata est. Non enim Dominus ait: Sic Deus dilexit hominem, sed *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Sed aliam rationem audite. Omnia, quae Deus fecit, sive ea animata, sive inanimata, sive sensu praedita, sive sensus expertia, sive mentis capacia, sive non capacia sint, Deum tamquam finem ultimum habent, et ad eum tendere, atque in eo conquiescere debent: quia vero ea, quae rationis, atque intelligentiae expertia sunt, per se Deum attingere non valent, idcirco eorum opifex et conditor Deus sapienter instituit, ut omnia homini famularentur, et per ipsum eo modo, quo possent tamquam per gradum quemdam in ipsum Deum ferrentur. Quemadmodum igitur, cum homo recta ad Deum tendit, res omnes creatae, quae homini famulantur, ad eumdem Deum per hominem aliquo modo perveniunt: sic etiam, cum homo a Deo recedit, et diaboli ac peccati servus efficitur, simul res omnes non amplius in Deum referuntur, sed iniquitati ac diabolo deservire ab homine compelluntur. Atque hac ratione simul atque homo per

peccatum in profundum miseriarum cecidit, res omnes, quae mundi nomine significantur, a suo summo et ultimo fine excidisse videntur. Id quod Apostolus Paulus ad Romanos scribens illis verbis expressit: *Expectatio*, inquit, *creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.* Omnis, inquit, creatura, coelum, terra, Sol, Luna, stellae caetereae, elementa, animantia, plantae, magno quodam ac vehementi desiderio eum diem expectant, in quo omnes filii Dei in suis gloriosis corporibus apparebunt. Et cur obsecro ita vehementer eum diem adesse cupiunt? Propterea, inquit, quod *vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe.* Cogitur enim haec omnis rerum creatarum universitas homini servire, qui propter peccatum magna quaedam vanitas factus est: Nam *universa vanitas omnis homo vivens.* Sed nihilominus, inquit, *non volens* neque libens homini peccatori deservit; sed *propter eum* dumtaxat, *qui subjecit eam. Omnia*, inquit, David, *subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas: insuper et pecora campi.* Illum igitur diem res omnes creatae expectant, in quo sublatis de medio peccatoribus, et in gehennae carcere detrusis, ipsae quoque de onere servitutis, sub quo nunc gemunt, liberabuntur, et in statum meliorem ac beatiorem positae conquiescent. Quia vero tantum munus, non nisi a communi omnium Liberatore et assertore Christo habebunt, idcirco sapientissime mater nostra Ecclesia Catholica non hominem solum sed cum eo mundum universum cecidisse, et per Christum erectum fuisse affirmat, cum ait, *Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti*; quod idem est ac si obscurius dixisset: Deus, qui lignum in fluvium demisisti, et ferrum, quod jacebat, extraxisti.

Sed jam de ipsa humilitate ac descensu nostri Liberatoris tempus nos admonet, ut dicamus. Dei Verbum ac Filium, Auditores, in duplici natura subsistere, divina videlicet atque humana, ac proinde Deum simul et hominem esse, nemo sacris nostrae religionis initiatus ignorat. Ac si de priori natura sermo sit, Dei filius vere ac proprie capax esse humilitatis non potest. Humilitas enim virtus est, quae animum retinet, ne super seipsum ascendat, neve locum altiorem, quam sibi conveniat, petat: concideret enim et collideretur. Sicut ex adverso magnitudo animi eumdem animum retinet, ne in abyssum desperationis se praecipitet.

Quocirca humilitas non cum animi magnitudine, sed cum superbia pugnat. Ipsa vero animi magnitudo non cum humilitate, sed cum parvitate atque exilitate animi bellum gerit. Cum igitur natura humilitatis ea sit, ut animum intra suos fines ac terminos contineat, ne forte altius volet, quam par est: Deus autem cancellos ac fines, quibus coerceatur nullos habeat, neque locus esse altior ullus inveniatur, cum ipse unus altissimus vere nominetur, et sit, illud profecto efficitur, ut humilitatis in Deo, si proprie loqui velimus, neque fingi, neque cogitari ulla ratione possit. Quid igitur Ecclesia sibi vult, cum ait, *Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti?* Cujus tandem haec humilitas est? Negare non possumus, Auditores, vere Dei Filii humilitas est.

Verum non ei tribuitur secundum eam naturam, quam accepit a Patre, nisi fortasse metaphorice, et per quamdam similitudinem, ut doctores Theologi dicunt; Sed dumtaxat secundum eam, quam assumpsit ex virgine. Si modo rex aliquis agricolae alicujus vestes indueret, ut fieri solet, videlicet ne passim ab omnibus cognosceretur, ei profecto rustici nomen si non ratione status ac dignitatis; certe ratione vestium optime conveniret. Neque dubium est, quin a multis agricola putaretur, despiceretur, contemneretur, fortasse etiam, si se praeberet occasio, levi de causa vapularet. Pari ratione rex noster ac Dominus, *cum in forma Dei esset*, et *non rapinam* arbitraretur *esse se aequalem Deo*; tamen *semetipsum*, ut ait Apostolus, *exinanivit.* Ad quem modum apostole beatissime? Dei formam et majestatem amittendo? Ipsum audiamus. *Formam*, inquit, *servi accipiens, et in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo.*

Itaque sicut rex ille rusticus dici poterat, quia rusticas vestes induerat: sic etiam rex noster, ut magnus Athanasius in libro de salutari adventu Christi docet, ideo humilis et pauper factus est, quia humilem et pauperem naturam accepit. Induit enim carnem nostram, vestem plane rusticanam, et cum ea *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, et tamquam unus de plebe imo ultimus in plebe, et *novissimus virorum*, nihil factus est, irrisus est, consputus est, humilis denique, et humilis valde habitus est, quem tamen *si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.*

Ut autem vestis hujus, qua Dominus noster vestiri dignatus est, vilitatem intelligamus, illud cogitare debemus, res omnes creatas duobus generibus omnino contineri. Alia enim incorporea, alia corporea sunt. Ac in incorporeis quidem ordines seu gradus decem inveniuntur, nimirum ordines Angelorum novem, et unus mentium humanarum, qui sine controversia infimus ac postremus est. Quod quidem, vel ex eo intelligi potest, quod animus humanus quasi quidam horizon in finibus intelligentium ac sentientium formarum positus est: et ab intelligentibus differt, quod ipse sentiens, seu potius sentiendi principium, et corporis perfectio est. Et rursum a sentientibus differt, quod mente atque intelligentia praeditus est: neque vero in rebus corporalibus sui gradus et ordines desunt. Nam primum et maxime sublimem locum coelum, tamquam corpus purissimum et nobilissimum obtinet: Subter coelum est ignis, subter ignem aer, subter aerem aqua, subter aquam terra tamquam foex mundi, et elementum gravissimum, obscurissimum, et rudisimum posita est. Jam igitur ex tot rerum generibus, quae obsecro ad hominem componendum convenisse existimatis? Sane res admi-

rabilis est hominis constitutio. Volebat Deus hominem duplici parte constare, et partim corporeum, partim incorporeum esse, et tamen ut omnis superbiae occasio tolleretur, non valde nobilem aut sublimen illum existere; Jam enim arrogantiam Deus hujus lascivientis vermiculi praevidebat. Quid igitur fecit? Ex utroque genere rerum id, quod infimum atque abjectissimum erat accepit: nempe mentem humanam ex incorporeis, et terrae limum ex corporatis, atque ex his naturam unam effecit, quam nunc humanam appellamus. Itaque si animum tuum inspicias, nullum alium animum vilio rem, et minus intelligentem: si materiam coporis tui, nullam ea sordidiorem, atque humiliorem reperiri videbis. Num igitur non rustica, et pannosa vestis haec nostra natura existimanda est, praesertim si cum excellentia et nobilitate tanti regis comparetur? Vere, Auditores, vere *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo.* Nam etiamsi Angeli omnium praestantissimi naturam Dei Filius assumere voluisset, adhuc vestimentum valde rusticanum induisset: tanta est Filii Dei sublimitas atque majestas. Quanto igitur magis nunc pannosam et vilem tunicam induisse dicendus est, cum non coelestem ac prope divinam Angelorum: sed terrestrem ac mortalem hominum naturam induerit? Conjunctio sane duarum naturarum tam discrepantium, tam dissimilium, tam disparium, tam extremarum, quales sunt divina atque humana, ejusmodi est, ut si facta jam non esset, numquam in hominum animos cadere potuisset esse faciendam. Multo siquidem minus esset hominem effici pulicem vel formicam, quam verbum Dei cum carne humana conjungi. Nonne abjectio maxima et humilitas incredibilis videretur, si homo posset et vellet ita formicae naturam assumere, ut vere formica diceretur, et esset? Et tamen quid interesse putatis inter hominem et formicam? Homo corpus habet, habet et formica: sensu praeditus est, et formica: homo ratione et consilio gubernatur, et formica: tametsi enim rationis est expers, ita tamen prudenter et sapienter operatur, ut Salomon homines ipsos ad scholam formicae mittere non dubitaverit, *Vade*, inquit, *piger ad formicam.* At quae lingua tam erudita, sapiens, tam diserta vel mediocriter explicare posset, inter Deum et hominem, quantum discriminis sit? Deus creator, homo creatus: Deus aeternus, homo caducus: Deus summum, et infinitum bonum, homo pulvis et cinis: et tamen hodie vere canere nobis licet, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quis loquentur potentias Domini auditas faciet omnes laudes ejus?* Si Deus hominis aliquando recordari, et ab eo cognosci voluisse tantum est beneficium, ut David stupefactus clamet, *Quid est homo, quia innotuisti ei?* Et rursum, *Quid est homo, quod memor es ejus?* Quid nos facere, quo gaudio exultare, qua laetitia gestire, quibus vocibus Dominum laudare par esset? qui (ut ante dicebamus) sine mendacio canimus, *verbum caro factum est et habitavit in nobis?* Haec eo spectant, Auditores, ut intelligamus quam eximium, quam excellens, quam singulare sit illud donum, quod his diebus accepimus: et quanta amoris dulcedo in corde sempiterni Patris recondita: ac demum, quam non immerito Ecclesia dicat, *Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti.*

Verum quando jam ostendimus Dei Filium non secundum naturam divinam sed dumtaxat secundum humanam humilem dici posse, quanta fuerit secundum hanc ipsam naturam ejus humilitas, breviter, si placet, aperiamus: Tres sunt gradus humilitatis. Unus eorum, qui superioribus se subiiciuntur: alter eorum, qui etiam pares tamquam superiores colunt: tertius eorum, qui non modo cum paribus, sed etiam cum inferioribus tamquam inferiores se gerunt. Ac primus quidem incipientium, secundus proficientium, tertius perfectiorum est. Nam superioribus subiici humilitas quaedam est: paribus subiici magna quaedam humilitas est; inferioribus subiici maxima, perfectissima atque absolutissima humilitas est. Majorem enim hac humilitatem nemo habet, quam ut se quis inferioribus subiiciat. In primo gradu Dominus noster plane enituit. Nam cum Deum superiorem haberet, ita se ei subjecit, atque ejus imperio ita obtemperavit, ut cum ab eo ad labores, ad jejunia, ad ignominiam, ad verbera, ad crucem, denique ad mortem mitteretur, non modo imperium non recusaret, sed etiam incredibili cupiditate illud perficiendi flagraret. *humiliavit semetipsum*, inquit, Paulus, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quin etiam semper Patrem Deum se homine majorem praedicabat, et omnia opera sua in eum tamquam in primum auctorem referebat. *Vado ad Patrem*, inquit, *quia Pater major me est.* Et rursum: *A me ipso facio nihil: sed Pater in me manens facit ipse opera.* In secundo gradu propterea Dominus versari non potuit, quod parem nullum, cui se subiicere posset, haberet. Est enim ipse omnino medius inter creatorem et res creatas. Deum habet superiorem, sed caetera omnia inferiora. Ipse enim, ut ait Apostolus Petrus, *profectus est in coelum subjectis sibi Angelis et Potestatibus et Virtutibus.* Et *est caput*, ut beatus Paulus aut, *omnis principatus et potestatis. Omnia enim*, ut testatur idem Apostolus *subjecit* Deus *sub pedibus ejus, sine dubio praeter eum, qui subjecit ei omnia.* Porro in tertio, atque adeo perfectissimo humilitatis gradu nemo unquam, ut noster Liberator, excelluit. Quibus enim se Dominus non subjecit? Terreno imperatori imperator ipse coelestis se subjecit, cum nondum natus in Bethlehem perrexit, ut ejus edicto pareret. Parenti Virgini et Josepho nutritori se subjecit, de quo legimus, *Et erat subditus illis.* Legis praecepto ipse legis et Prophetarum auctor se subjecit, cum offerri in templo, circumcidi et redimi voluit. Baptistae Joanni ipse verus Baptista se subjecit, cum ab eo in aquis Jordanis baptizatus est. Discipulis suis ac servis ipse verus Dominus ac magister se subjecit, cum eorum pedes lavit. Hominum judicio ac tribunalibus ipse Judex virorum et mortuorum se subjecit, cum ad crucem condemnatus est. Denique morti ac doloribus ipse vitae et salutis auctor se subjecit, cum virgis caesus, et in crucem raptus, atque sublatus est. Haec est igitur humilitas filii Dei, hae dexterae manus

porrectio,hic ligni descensus in aquas, ut securis, quae ceciderat, enataret : et homo atque orbis totus, qui jacebat, erigeretur. *Deus*. inquit Ecclesia, *qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti*.

De camelo ferunt, eum, cum onerandus est, sponte sua procumbere : deinde ubi onus semper eum impositum est, surgere et onus simul attollere. Sic, Auditores, Liberator noster fecit.Nam cum instar cameli magnus ac sublimis esset, ita ut sedem haberet in coelo et scabellum pedum suorum in terra, quisnam super humeros ejus mundum, qui ceciderat, imponere, aut eum in terra deprimere potuisset? Non dicat Romanus, Ego Deum ad terram prostravi: non glorietur Judaeus, se manus impias in regem gloriae injecisse. Nam nisi ipse sponte sua genua flectere et humi procumbere voluisset, nemo ipsum non modo laedere, sed ne attingere quidem potuisset. *Ego*, inquit, *pono animam meam:nemo tollet eam a me: sed ego pono eam*. Ipse igitur instar cameli semetipsum exinanivit, genua flexit, humi procubuit : deinde post paululum exurrexit, et nos simul in humeros suos sublatos, de imo fluvio ad summum evexit. Nec enim surgere Dominus poterat,quin natura nostra, quam ille susceperat, simul exurgeret. Non enim corpus aethereum, ut Valentinus putabat ; neque phantasma, ut Manichaeus somniabat, neque corpus sine anima, ut Apollinaris delirans asserebat, sed vere corpus humanum et vere animum humanum Dei Verbum suscepit. Neque solum corpus illud et animum illum Dominus in regnum coelorum invexit; sed nos omnes, si non re, certo spe salvos atque beatos effecit. *Cum essemus mortui peccatis*, inquit Apostolus Paulus, *convivificavit nos Christo, cujus gratia estis salvati, et conresuscitavit et consedere fecit in coelestibus*.

Verum enimvero, Auditores, illud oblivisci nullo modo debemus, nondum re ipsa, sed spe tantum salvos esse : et adventum Domini nos de lacu miseriae et de luto faecis extraxisse quidem ; sed nondum a flumine penitus eduxisse, Jacebamus in profundo, nunc in summis aquis natamus: haerebamus in luto,nunc extra aquas caput extulimus; sed nondum tamen ad ripam pervenimus : magna pars fluvii traiicienda est, adhuc impetum fluminis, adhuc flatum ventorum, adhuc casum istum formidare debemus. Quid igitur nobis faciendum est, ut sine periculo fluvium istum traiiciamus, et securi ac laeti ad ripam perveniamus? Accipite consilium meum utilissimum ac saluberrimum, et animis vestris mentibusque diligentissime commendate, et finis sit orationis.

Experientia ipsa testatur, Auditores, eos qui periculosa flumina,ac praesertim equis transmittunt, si in aquas currentes intuentur, continuo perturbari, et ex equis ruere:si vero non in cursu aquarum, sed in eam ripam, ad quam tendunt oculos conjectos habeant, feliciter pene semper evadere. O consilium singulare? Beati, plane beati, qui illud capere et sequi diligenter voluerint. Fluvius, quem transmittimus, res creatae, labentes et periturae sunt: ripa florida, pulcherrima, immobilis, ad quam pergimus, regnum coelorum est. Qui igitur cursum istum aquarum, honorum, voluptatum, divitiarum, delitiarum, et commodorum praesentium ac fragilium aspiciunt,ipsi seipsos decipiunt, et sibi ipsis ruinae et interitus causa sunt. Res enim istae, si aspiciantur, perturbant, excaecant, circum agunt, delirare atque insanire etiam homines prudentissimos faciunt. At ii,qui serio statuerunt, sibi oculos a Deo regno removendos non esse, et res adversas fortiter propter illud praemium patiuntur, et res secundas non minus fortiter propter idem praemium contemnunt, o quam, secure, quam jucunde, quam alacriter flumen transmittunt.

Aspicite, Auditores, atque intuemini, quae nobis exempla Dominus Christus, et ejus protomartyr, alter nascendo, alter moriendo reliquerunt. Stephanus beatissimus juvenis erat, sicut magna pars nostrum hodie est: carnis infirmitate circumdatus erat: fluvium, quem nos traiicimus traiiciebat : si cum die quadam fluvius intumesceret, et rapidissimo cursu ferretur, nec solùm aquae, sed magni etiam et crebi lapides cum aqua descenderent,et ipse in medio fluvio constitutus esset,quid illum fecisse putatis? num animum abjecisse?num lapidem impetum extimuisse? Nihil horum fecit. Nam in solam ripam oculos conjectos habebat.*Ecce*, inquit, *ut Deo coelos apertos, et filium hominis stantem a dextris virtutis Dei*. Ecce quid ille aspiceret, quid intueretur, quid animo cogitaret, cum fluvium istum pertransiret. Atque hac ratione brevi feliciter *obdormivit in Domino*, hoc est, ad ripam, ad portum tranquillissimum pervenit.O verum somnium! O quietem placidissimam! Obdormivit b. Stephanus, ut in die novissimo gloriosus resurgeret. Obdormivit,ut jam a laboribus penitus requiesceret. Obdormivit in terris, ut perpetuo vigilaret in coelo,et corona gloriae juxta nomen suum coronatus, et martyrii palma illustris perpetuo triumpharet.

Sed quid ipse Dominus, princeps et caput martyrum fecit? Non timebat, Auditores, quidem iste cursum aquarum, tuto in aquas respicere poterat; atque ut apertius loquar, sine periculo inter opes amplissimas, et in maximis honoribus versari potuisset; nihilominus tamen, quia dux noster esse, et exemplo nos docere volebat, in aquas, labentes numquam oculos suos defixit, et nihil plane rerum praesentium habere voluit. Respicite ortum, respicite cursum vitae, respicite obitum, et semper eum aut nudum aut seminudum videbitis.

Erubescat igitur Christianus, qui nisi in delitiis vivere non potest. Erubescat Christianus, qui dies festos agere nisi in comessationibus et ebrietatibus non novit. Ego quidem, Auditores, vehementissime timeo, ne sicut virgo beata in die festo filium amisit,sic in istis festis diebus plerique Christianorum Domini gratiam et Dominum ipsum amittant, et dum adhuc de ortu Domini gaudent, in ipsis Dominus moriatur.Nam sicut per jejunia praecedentia Dominum introduxerunt,quis dubitat quin etiam per crapulam et ebrietatem illud expellant? Respicite, quaeso, respicite ad quem modum nasci voluit.Nascitur Dominus orbis,et palatium ejus

vile tugurium est: aula ejus, stabulum pecudum est: tapetia ejus, telae aranearum sunt: lectulus praesepe, et famuli bos et asinus. Regina mater sedet in foeno, rex filius jacet in praesepio. O quam cito, dulcissime puer, rationem transmittendi fluminis demonstrare aggrederis! Nondum loqueris ut tibi ipsi prospicias; et satis loqueris, ut nos admoneas atque instituas. Vix natus es, et bellum contra voluptates ac delitias geris: et famem ac sitim, frigus, ac nuditatem et alia vitae hujus incommoda incipis sustinere. Et haec quidem initia sunt, majora te manent pro nostra salute ferenda supplicia. Cresce, puer dulcissime, cresce. Jam enim exacuitur culter, ut circumcidaris. Jam tibi fuga in Aegyptum, squalidae solitudines, jejunia intolerabilia, tentationes gravissimae, itinera frequentissima, persecutiones atrocissimae, labores infiniti, dolores incredibiles, verbera sine numero, vulnera sine mensura, jam spinae et clavi, jam crux et lancea tibi parantur. Nunc amarum calicem passionis primoribus tantum labellis degustas; post paululum autem totum usque ad faeces exhauries. Nunc jaces inter animalia mansueta, quae te fovent, venerantur, adorant: tunc tauri multi, et canes multi circumdabunt te. Nunc te simplices pastores muneribus rusticanis honorant; tunc execrabiles scribae et Pharisaei in te maledicta, convitia, falsa testimonia et blaspemias evoment. Nunc Angeli cum laetitia canunt, *gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*: tunc turbae insanae clamabunt *tolle, tolle crucifige eum*. Nunc Maria et Joseph te medium habent: tunc in medio latronum, tamquam princeps sceleratorum, pendebis. Nunc hiemis asperrimae frigus et horror lachrimas ex oculis tuis eliciunt: tunc plagae ac vulnera sanguinem ex omnibus tui corporis membris elicient. Et haec omnia, et alia multa non propter nos, et pateris et patieris: nos aegri sumus, tu pharmacum bibis: nos fures sumus, tu furtum exolvis: nos culpas admisimus, tu luis poenas: neque id solum, sed etiam lachrimis tuis risum perpetuum nobis acquiris: et nuditate vestem gloriae, et stabulo paradisum, et laboribus quietem, et morte vitam beatam et sempiternam, quam nobis concedat Deus, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XIII.

DE DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

THEMA

Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre.

SYNOPSIS

Triplici sensu praesens thema explicatur, secundum sensum Ecclesiae, Apostoli, et Auctoris. Christus nos sua Nativitate humilitatem docere voluit, unde illum Deus Pater in specie servi et parvuli, cum esset absolutus haeres, sub tutoribus Joseph et Maria ad nos misit, ne ullam eum non recipiendi excusationem haberemus. Atque hic est Ecclesiae sensus. Paulus autem reprehendere volens Galatas, quod ita ad legem veterem inclinati essent, statum legis veteris pueritiae comparat, Evangelii vero maturae aetati: ubi puerorum conditiones convenientissime Judaeis adaptantur, ut sunt, non differre a servis, non uti pleno rationis judicio, non provocari ad bonum spe magnorum praemiorum, nec metu gravium suppliciorum a flagitiis absterreri. Modernus festa celebrandi ritus improbatur. Tertio exponitur de nobis, qui etsi respectu Judaeorum viri quidem sumus, tamen respectu sanctorum adhuc pueri sumus et haeredes Christi. Quanto utilius sit homini subesse quam praecesse, exemplo puerorum docetur, et quanto studio Sancti veteres sub esse affectarint. Ubi obedientiae et vitae monasticae laus encomio egregio celebratur: et quorumdam frivola solicitudo objecta retunditur. Denique ad obedientiam et humilitatem superioribus exhibendam in omni statu, exhortatio epilogum agit.

Tribus modis Apostólicam sententiam, quam hodierna die nobis Ecclesia considerandam proponit, exponi posse video. Uno modo juxta sensum Ecclesiae, altero modo juxta sensum Apostoli, tertio modo juxta sensum alium ad nostrum propositum accomodatum. Quis est igitur sensus ecclesiae? Cur hodie infra octavam Natalis Domini sententiam istam Ecclesia legi voluit? Non alia de causa, Auditores, quam ut nobis incredibilem Dei nostri charitatem, obedientiam et humilitatem, commendaret, qua his diebus formam servi pro nobis accipere dignatus est.

Videbat Deus genus humanum morbo superbiae potissimum laborare, neque esse aliquid, quod omnes homines in suam pernitiem magis appetunt, quam regere, praecesse, dominari. Videbat praeterea medicamenta verborum, et cohortationum, quae per prophetas suos adhibuerat, parum aut nihil profuisse. Quid igitur fecit? Cogitavit de adhibendo medicamento efficaciori, videlicet de Christo. Magis enim movent exempla, quam verba, ut omnes noverunt. Ait igitur intra se: Mittam ad eos doctorem aliquem sapientissimum, cui non credere stultitia sit; et jubebo, ut servi habitum assumat, ut reipsa et factis doceat humilitatem. Sed quem mittam? Hominem aliquem? At fortasse dicent eum ideo servire, quod non potuerit regnare. Angelum aliquem? At existimabunt eum divino imperio compulsum, non libenter et ex animo in humilitate vivere? Scio quid faciam, *Verebuntur* fortasse *filium meum*: illum igitur mittam, ut cum viderint homines filium meum sapientissimum, et naturaliter Dominum atque haeredem bonorum meorum, et quem nemo cogere, cui nemo imperare potest; tam sponte sua, et libera voluntate servi formam accipere, et humilitatem verbis et factis praedicare, excusationem nullam habeant, et *convertantur et sanem eos.*

Sed quomodo fiet istud? Si Filius Dei naturaliter Dominus atque haeres est omnium divitiarum Dei Patris, quo pacto servus esse poterit? Numquid haereditati paternae renunciabit? At id, neque potest, neque decet fieri. Qua ratione igitur fiet, ut idem sit haeres et Dominus; et tamen ut servus aliorum potestati subiiciatur? Audite quale consilium salutis nostrae amator ardentissimus Deus invenerit: consideravit haeredem quanto tempore parvulus est nihil a servo differre, cum sit Dominus omnium, nec enim parvuli regere aut gubernare, vel seipsos aut alios possunt, quod proprium dominorum est; sed contra potius reguntur, gubernantur, tranctantur, moventur ad arbitrium aliorum, quod est maxime proprium eorum, qui seviunt. Faciam igitur, inquit Deus, ut filius meus, qui secundum formam Dei servire non potest, naturam humanam assumat, et non repente existat

vir maturae atque perfectae aetatis, sed primum sit infans, deinde puer, tum adolescens, postremo vir; atque hoc pacto quanto tempore parvulus erit more caeterorum infantium aut puerorum, nihil differet a servo. Hic est igitur sensus Ecclesiae: Fratres, inquit, Quanto tempore haeres Dominus noster ac liberator Christus, parvulus est, infans est parvulus est, sicut istis diebus est, nihil differt a servo, non loquitur, non imperat, non ambulat quo vult; sed sub tutoribus et actoribus Josepho et Maria est, qui eum nutriunt, custodiunt, tractant et movent ut volunt; idque usque ad praefinitum tempus a Patre, hoc est, usque ad annum trigesimum, usque ad istud tempus erit subditus illis: et tum demum a Patre constituetur *Rex super Sion montem sanctum ejus praedicans praeceptum ejus*: tunc primum incipiet praedicatione Evangelii colla vel corda potius hominum sibi subiicere, et omnem terram ad imperium suum adjungere. Istud igitur fuit Dei nostri plenum sapientia, plenum pietate, plenum charitate consilium. Ista fuit illa admirabilis, et obstupescenda adinventio, de qua loquitur Isaias, cum in illo suo pulcherrimo cantico ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et dicetis in illa die Confitemini Domino et invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus.* O qualem inventionem, Auditores! O quam dignam omni acceptione, et quam dulciter complectendam, et animo altissime infigendam! *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus*, Dicite superbis atque ambitiosis: Vide miser quid excogitaverit Deus tuus, ut te a morbo isto liberaret, Filium suum sapientissimum, potentissimum, regem angelorum, Dominum universitatis servum esse voluit, hominibus pauperibus subesse voluit, praesepi, et lacte, et fasciis et bajulo indigere voluit: istas fossas altissimas et profundissimas fieri voluit, ut arcem tuae superbiae debellaret: et tu adhuc non intelligis miser, quo te ista tua superbia ducat? Depone fastum, comprime tumorem, agnosce pulverem tuum; noli velle videri major Domino tuo, et sapientior magistro tuo. Hic est igitur sensus Ecclesiae. Nunc sensum Apostoli videamus.

Castigare volebat beatus apostolus Paulus filios suos Galatas, quod a perversis quibusdam hominibus seducti, putarent esse necessarium caeremonias veteris legis simul cum Evangelio observare, circumcidere masculos, colere sabbatum, agere neomenias, et alia, quae Judaico populo praescripta erant. Itaque comparat statum veteris legis pueritiae, statum Evangelii aetati maturae, ut inde Galatis et nobis omnibus ostendat, tam turpe esse Christiano caeremonias legis observare, quam turpe esset viro gravi cum pueris ludere. Quis non rideret, si virum aliquem quadraginta vel quinquaginta annorum videret currere, et clamare cum pueris per plateas, flagello verberare trochum.

> *Aedificare casas, plostello adjungere mures.*
> *Ludere par impar; equitare in arundine longa?*

Ita prorsus ridiculi et ridendi sunt, qui Judaicis fabulis intendunt.

Atque ut hoc paulo diligentius et accuratius explicemus, quae sunt conditiones puerorum? Primum a famulis non differunt. Nam ut scitis et experientia didicistis, in domibus bene institutis, sicut servi, ita etiam pueri, non quod volunt agunt, sed ad arbitrium aliorum vivunt, quin etiam minorem libertatem pueri habent, quam servi, et minus tractant pecunias et res caeteras, quam servi: imo saepe ipsis servis pro uno nummo aereo supplicabunt. Deinde judicium rationis nondum plenum et maturum habent, et magis sensibus more brutorum, quam ratione ducuntur: ex quo fit, ut pueris paedagogus attribuatur, qui eos elementa doceat. At ideo perverso modo instituuntur ii, qui nondum pueritiam excesserunt, et tamen gymnasia philosophorum aut jureconsultorum frequentare jubentur: Nam nec in eo studio propter judicii immaturitatem proficere possunt, et interim tempus illud amittunt, quo levioribus disciplinis ad humanitatem informari debuerant. Postremo nec spe magnorum praemiorum ad bonum provocantur, nec metu gravium suppliciorum a flagitiis deterrentur. Pueri siquidem multo facilius ducuntur pomis et placentis, quam promissione civitatum et regnorum. Et contra non usque adeo terrentur metu magnorum suppliciorum, carceris, exilii, crucis, sed id quod maxime timent, nihil est aliud quam virga.

Istae sunt igitur conditiones parvulorum, quae optime atque aptissime in Judaeos conveniunt. Prima est a famulis non differre: et lex vetus in servitutem homines condemnabat, ut Apostolus ait: in servitutem vero, non solum quod eos de diaboli et peccati potestate non liberabat; sed etiam, quod jugo multiplicium et obscurissimarum caeremoniarum subiiciebat, et quod minis et terroribus ad legem observandam compellebat: quod eosdem magis peccatores, atque adeo magis servos ex occasione faciebat. *Litera enim occidit, spiritus vivificat*: ex lege non deletio, sed cognitio peccati et *qui cognoscit voluntatem Domini sui et non facit, vapulabit multis*: Deinde lex per literam jubendo et per spiritum non adjuvando, magis concupiscentiam hominum peccatorum excitabat, et eos irae ac vindictae magis obnoxios reddebat. Itaque *lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum*; sed *peccatum occasione accepta per mandatum*, majores vires accipiens, miserum hominem in servitutem adhuc duriorem et graviorem redegit. Hoc est quod Apostolus ad Romanos scribens; *Lex*, inquit, *iram operatur.* Nam per legem cognitio peccati, per cognitionem concupiscentia (siquidem ferimur in vetitum) per concupiscentiam legis transgressio, per transgressionem reatus atque obligatio ad poenam. Servi igitur erant Judaei, nos vero liberi sumus, *ea libertate, qua nos Christus liberavit*: Nam et jugum illud grave tam multiplicium caeremoniarum de cervicibus nostris Christus amovit, et vinculum peccati, quo crudeliter astricti tenebamur a diabolo ipse confregit. Et *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, quae vere ac proprie lex nova et Evangelium dici debet, nos tales effecit ut jam Deo non

tamquam vindici et exactori, timore quodam servili; sed ut amantissimo et dulcissimo patri, liberali et spontanea voluntate serviamus. Deinde Judaei nondum plenum et maturum judicium rationis habebant, quae est altera conditio puerorum. Hinc videlicet legem tamquam Paedagogum habuerunt, et in scripturis suis non sublimes et theologicos sensus; sed literam dumtaxat et grammaticam intelligentiam assequebantur. Nec parum inter eos profecisse videbatur, qui Deum unum esse cognoscebat, et vitulos aureos et argenteos pro Deo non adorabat: Denique ita crassam adhuc, et plus quam bovinam et asininam intelligentiam habebant, ut Deus per Isaiam diceret, *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini: Israel autem me non cognovit.* Christiani vero, quorum status non puerorum, sed virorum gravium et perfectorum est, non amplius paedagogo subjecti in elementis primis versantur; sed ipsum Christum, doctorem, theologum maximum et sapientissimum, de reconditis ac arcanis mysteriis disserentem audiunt. Postremo pueri nec spe magnorum praemiorum ad bonum provocantur, nec metu magnorum suppliciorum a flagitiis absterrentur; sed pomis et placentis, et metu virgae facillime ducuntur: ita quoque Judaei tamquam vere et proprie pueri, parvis rebus movebantur, promissione, unius anguli angustissimi orbis terrarum victoria de inimicis, pace temporali. Denique nihil frequentius Dominus eis pollicebatur, quam terram fluentem lacte et melle. Et quid quaeso avidius expetunt pueri quam lac et mel? At vero Christianis hominibus jam viris effectis, non lac et mel; sed regna atque imperia Deus promittit, nempe coeli possessionem consortium Angelorum, conspectum et colloquium Dei, gloriam, beatitudinem immortalitatem. Pari ratione Judaei virgam metuebant, damna et supplicia temporalia: Christiani autem non virgam, sed patibulum; non jacturam temporalium bonorum, sed gehennam et ignem sempiternum metuunt. *Nolite timere eos*, (ait Dominus) *qui occidunt corpus*, nolite metuere virgam; *sed timete eum, qui postquam occiderit corpus, potest etiam animam perdere in gehennam.* Hinc igitur Apostolus Paulus argumentum sumit ad suos Galatas stultitiae apertissime convincendum, tamquam si diceret: O insensati Galatae, quis vos docuit repuerascere? Si tempus legis puritia atque infantia quaedam erat; si tempus Evangelii aetas gravis et matura est, unde vobis desiderium ex Evangelio ad legem redeundi? Quando visum est, ut aliqui ex senibus fierent pueri? Videmus quidem quotidie ex pueris fieri senes, sed pueros ex senibus fieri numquam vidimus.

Atque ista quidem Apostolus ad Galatas: sed quae multo majori ratione in homines Christianos hujus temporis conveniunt. Nam, ut praetermittam caetera, quid quaeso crastina die, pridie videlicet circumcisionis, et rursum paulo post pridie epiphaniae plurimi ex Christianis facient? Quales ineptiae videbuntur, quales nugae plus quam pueriles exercebuntur? Et quid est hoc aliud quam judaizare, quam repuerascere, quam ignorare Christianismum? Quid enim interest inter Judaeos et Christianos, quantum ad festorum dierum celebrationem attinet? Nonne quod illi tamquam pueri epulabantur coram Domino, bibebant vinum, comedebant pinguia, mactabant boves et oves, et carnali atque externa quadam laetitia exultabant: isti vero, Christiani videlicet, et spiritales solemnitates spiritali laetitia, spiritualibus epulis, cantantes et psallentes in cordibus suis celebrare debent? O quantum absumus a religione et perfectione patrum majorum nostrorum. O quid illi istis diebus sentiebant. O quanto silentio, et quam altis contemplationibus suspendebantur. O quomodo spiritus eorum istis diebus pinguescebat, cor liquefiebat, oculi pluebant dulces lachrimas, omnia ossa et omnes medullae exultabant! Non supererat illis tempus, quod in nugis et vanitatibus consumerent: totos dies, et magnam partem noctium stupor ille ingens, atque admiratio tot Sacramentorum, quae his diebus Deus peregit, illa abyssus charitatis et humilitatis Dei nostri sibi vendicabat. Sed jam ad tertium et postremum sensum hujus loci veniamus.

Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad praefinitum tempus a patre. Videtur mihi hoc loco Apostolus virtutem obedientiae et humilitatis, tamquam imprimis necessariam homini Christiano, commendare. Quemadmodum enim tempus legis cum tempore gratiae comparatum pueritia quaedam est: ita quoque tempus gratiae, si cum tempore gloriae conferatur pueritia est. Et nos licet cum Judaeis collati viri simus: tamen cum beatis hominibus, et coelum jam obtinentibus comparati, nihil aliud quam pueri sumus: et rectissime dicitur de nobis, ut etiam b. Hieronymus exponit, *quanto tempore haeres*, hoc est, homo Christianus, qui vere est haeres Dei, cohaeres autem Christi, *parvulus est*, per fidem videlicet ambulat et non per speciem (nam fides est parva, et imperfecta cognitio, et propria puerorum), *nihil differt a servo*, hoc est, pro suo arbitratu non vivit; *sed sub tutoribus et actoribus est*, sub obedientia praepositorum, et patrum spiritualium degit, *usque ad praefinitum tempus a patre*, usque ad finem hujus, et principium alterius melioris et felicioris vitae. Itaque omnes nos pueri sumus, et si salvi esse velimus, more puerorum vivere debemus; *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.*

Sicut igitur parvulis nihil pejus et gravius accidere potest, quam relinqui sibi: Si enim parvulus aliquis tutoribus et actoribus destituatur, et rem suam familiarem per se administrare incipiat, an non paucissimis diebus omnia bona sua dissipabit et pauper ac mendicus fiet? Ita quoque nihil nobis omnibus periculosius, quam praeesse, nihil utilius, quam subesse: nam pueri sumus. Omnes quidem homines incredibili cupiditate flagrant libertatis, neque mala est ista cupiditas, sed bona et naturalis et implebit eam Deus tempore suo: sed error noster in eo versatur, quod nimis properamus, et dum adhuc pueri sumus dominari et regere volumus. *Qui crediderit*, inquit Isaias, *non festinet*, veniet aliquando tempus, quando tutoribus

et actoribus non indigebimus, et magis liberi et domini et reges erimus, quam unquam optare potuimus. Sed *qui crediderit non festinet*: *Vanum est vobis ante lucem surgere*: expecta modicum, et dum parvulus es, tutores et actores non aspernare, bonum est tibi ad tempus subesse magis quam praeesse. Non vidisti aviculas adhuc implumes volare volentes sine alis, et miserabili casu ad terram corruentes? Non vidisti frumentum, quod nimis mature exortum est, statim exsiccari? Hinc videlicet beatus Franciscus vir sapientissimus dicere solebat; *In praelatione periculum, in obedientia lucrum, in humilitate meritum: et stultos esse illos, qui eo tempore, quod nobis ad meritum concessum est, non meritum, sed periculum magis amant*: hinc ipse idem non solum munere generalis magistri vel ministri, ut ipsi loquuntur, se abdicavit, nec solum generali et provinciali ministro, sed et privato custodi obedire voluit. Hinc etiam magnus ille Joannes, ut collatione 19. auctor Cassianus, cum annos triginta in eremo sanctissimam et sublimissimam vitam duxisset, tandem ad monasterium abbatis Pauli se contulit, et Deo gratius, ac sibi utilius, fructuosius, securius existimavit sub obedientia praelati alicujus, quam proprio judicio vivere. Hinc b. Hieronymus ad Rusticum scribens, et Bernardus in sermone tertio de circumcisione, et ante eos magnus Basilius in quaestionibus diffuse explicatis, vitam communem sub obedientia praelati utilitate et securitate vitae solitariae anteponunt. Ridebunt fortasse nonnulli, sed rideant quantum velint: ista est prudentia et sapientia vera sanctorum, quod pueri sumus, et mare magnum undosum et periculosum turbatissimum transeamus, et qui proprio sensu ducitur, propriis viribus et brachiis natat, qui vero Deo in homine obedit, et non facit quod vult, sed quod jubetur; ille a Deo quodammodo fertur, et in Dei humeris quasi quiescens, non suis, sed Dei viribus, et brachiis natat. Hinc orta sunt monasteria hinc religiones, hinc homines Deo suadente dixerunt prorsus vivere, ut pueri, non administrare rem familiarem, non uxores ducere, sed ad arbitrium aliorum vitam et mores suos componere. Id primum Apostoli fecerunt, deinde Sancti pene omnes hoc genus vitae adamaverunt: Nam praeter Antonios, Paulos, Machabios, Hilariones, etiam Basilius, Nazianzenus, Hieronymus et Augustinus, Martinus, Benedictus, Gregorius et Beda Anselmus et Bernardus, Dominicus et Franciscus monachi, et monachorum patres et pastores fuerunt. Imo vero post martyres fere omnes sancti homines, et miraculis et vitae excellentia clari ex monasteriis et religionibus prodierunt.

Dicet aliquis, in modico suades nobis, ut omnes vitam istam amplectamur: *Opto apud Deum in modico et in magno*. Quid enim eam vitam laudem, quam Dominus consuluit, quam Apostoli tenuerunt, quam Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Bernardus summis laudibus praedicarunt, quam sancti pene omnes adamaverunt, in qua ut Bernardus ait, *homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, moritur securius, praemiatur copiosius*? quae non audit querelas uxoris, nec gemitus liberorum, nec tumultum servorum: quae hominem liberat sollicitudine opum acquirendarum, metu conservendarum, dolore amittendarum quae illum transfert de ordine hominum ad ordinem angelorum: quae laetum in vita, securum in morte, beatum post mortem facit? Istam ego non laudem vitam? illos ego non praedicem, qui quanto tempore parvuli sunt sub tutoribus et auctoribus vivere decreverunt? Audi quid beatus Augustinus in epistola ad Hilarium scribens dicat; *Ego ipse* inquit, *qui haec scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, vehementer adamavi, et non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci; neque enim quod dives non fui ideo minus mihi imputabitur: nam neque ipsi apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui et illud quod habet, et quod optat habere, dimittit. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor.* Audiant haec, qui a servitio Dei homines deterrent, *Quantis*, inquit, *possum viribus ad hoc propositum alios exhortor, et in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.* Et libro tertio contra literas Petiliani, *Perrexit*, inquit, *deinceps Petilianus ore maledico in vituperationem monasteriorum et monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitae a me fuerit institutum.*

At inquis, si omnes religiosi fiant, mundus peribit: quis enim genus humanum propagabit? Quis urbes et regna gubernabit? Quis judicia et bella administrabit? Antiqua querimonia est, et ei saepius Chrysostomus et alii Patres responderunt. Sed accipe breviter responsionem meam: eas tu et probatam ac sanctam religionem ingredere, ibique maneas, et poenitentiam agas, donec omnes homines monachi fiant, et tum demum impendente periculo ne mundus pereat habeto licentiam egrediendi. Stultae et pueriles sunt istae querelae, neque tibi aut mihi cura incumbit providendi, ne mundus pereat: neque periculum est. Semper enim fuerunt, et erunt plures, qui viam latam quam qui angustam ingredientur.

Sed his omissis, quia non omnium est religiosus fieri, sed eorum dumtaxat, quod Deus singulari beneficio ad obsequium suum vocat, et quibus inspirat spiritum perfectionis, contemptum rerum praesentium, desiderium futurarum; (nec enim homines sunt, qui ista tam alta et tam sublimia persuadent, sed Deus ipse est) idcirco omnes exhortor, ut singuli in suo gradu et statu, quem elegerunt, obedientiam et humilitatem discant, ut suis episcopis, suis pastoribus, suis praeceptoribus, suis patribus tamquam tutoribus et actoribus, ut vere parvulis et haeredes regni coelestis, penitus obtemperent, eisque subiaceant, ut hac ratione tandem ad veram libertatem et haereditatem aliquando perveniant, quam nobis concedat, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XIV.

IN DIE EPIPHANIAE DOMINII

THEMA

Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. *Isaiae* 60.

SYNOPSIS

Etsi triplici mysterio festum hoc celebre sit, de uno tamen solo hac concione agitur, de vocatione scilicet Gentium per tres magos inchoata. Per Jerusalem in prophetica hac lectione intelliguntur apostoli et fideles, qui intrepidi in fide permanserunt; ubi docemus constanter Ecclesiae adhaerere, etsi multi ab ea desciscant. Prophetae poetis Etnicis comparati. Sedere in loco sublimi vel humili, pro prosperitate, familiare prophetis. Apostolos modis tribus surrexisse, et quomodo. Pauperum duo genera; et qua ratione vera gloria acquiratur per media debita. Quomodo Apostoli fuerint illuminati, per Christum scilicet, qui multis lux esse declaratur. Summa gloria Dei Patris Filius sapientissimus, et miracula etiam, quae per Apostolos homines paulo ante rudes sequenter fiebant. Judaeis obscuriores tenebras effudisse Deum quam gentibus demonstratur, quod in ridiculosis ineptiis sui Thalmud, et in reaedificatione templi tempore Ruffini miraculose impedita luculenter apparet. Judaeos vinci caecitate a nostri temporis haereticis: hos vero a nonnullis Catholicis, qui vel Soli sibi exorto oculos claudunt, vel ducentem stellam aut differunt aut facile deserunt, ostenditur.

Pars posterior propositum prosequitur thema, et in primis apostolos lumini periculose errantibus a longe apparenti comparat. Cur Deus Gentium vocationem ab humilibus et pauperibus sit auspicatus causae. 1. ut Gentium conversio soli omnipotentiae Dei, et non regum industriae adscriberetur. 2. ut primitivae Ecclesiae fundamenta jacerentur firmiora. 3. ut minus invideremus divitibus opes et honores, cum per ea nihilo sint meliores. 4. Quia facilius ignem verbi Dei instar lignorum aridorum concipiunt humiles, secus autem divites. Denique cum finis erat Evangelii homines a terrenis rebus abstractos divinis adjungere, facilius ab iis pauperes quam divites avelli quis non videt? Evangelii efficacia etiam reges convertere potuit, quod in hodiernis Magis apparet; ad quorum exemplum quisque conversionem suam instituere ad finem usque docetur.

Hodierna celebritas, Auditores optimi, multis nominibus maxima et laetissima, et nostra, hoc est gentium propria, singularem devotionem ac religionem a nobis omnibus prope suo jure postulare videtur. Agimus enim hodie Domini apparitionem, et exultantibus animis beatae spei initia celebramus, tribusque divinissimis, laetissimisque mysteriis ornatum, atque illustrem colimus diem. Hodie stella duce primitiae Gentium tribus muneribus auro, thure et myrrha, Christum regem, Deum et hominem agnoverunt. Hodie liberator generis humani proprio baptismo aquas omnes ad sordes peccatorum eluendas et homines regenerandos consecravit. Hodie primo, eoque jucundissimo prodigio idem Dominus aquas mutavit in vinum, et nos dulcedinis et suavitatis coelestis, quae aquas temporalium tribulationum post hanc vitam consequetur, admonuit. Itaque caeteri festi dies, vel simplicem vel semiduplicem, (ut Ecclesiae verbis utamur) vel ad summum duplicem solemnitatem habent, sola celebritas hodierna merito, jureque optimo triplex nominari potest. Quia tamen mysterium primum maxime proprium est hujus diei, et ab Ecclesia Catholica matre nostra, tum in lectione prophetica, tum in evangelio nobis proponitur, nos quoque praetermissis caeteris solam propheticam lectionem, quae pulcherrima et jucundissima est Domino adjuvante explicare aggrediemur.

Initium igitur propheticae lectionis ejusmodi est: *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est: quia ecce tenebrae operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur, et ambulabunt Gentes in lu-*

mine tuo et reges in splendore ortus tui. Propositum Spiritus sancti in his paucis verbis non aliud mihi fuisse videtur, quam modum,et ordinem breviter explicare, quo Gentes toto orbe diffusae, ab impio cultu daemonum, ad verum Deum convertendae erant. Et quidem scripturae divinae ac praesertim vaticinia prophetarum saepe repetebant Gentes aliquando convertendas atque ad agnitionem veri Dei adducendas fuisse. Sed mirum est, quam id parum intellectum fuerit antequam fieret: Nam ut in Actis Apostolicis b. Lucas refert, cum Apostolus Petrus Cornelium et alios nonnullos ex Gentibus baptizari jussisset,et Spiritus sanctus super eos sicut olim super Apostolos descendisset, omnes obstupuerunt, et ipsi quoque Apostoli mirabantur.Existimabant Hebraei non gerere Deum curam aliquam Gentium, sed eas penitus deservisse. Verum aliud cogitabat Deus, id quod probe intelligens Apostolus Paulus, Judaeis dicebat: *An Judaeorum Deus tantum? nonne etiam Gentium?* ac modus quidem, et ordo vocationis Gentium talis fuit: Primum misit Deus in mundum filium suum humana carne vestitum; Deinde per eum paucos, videlicet Apostolos, verae fidei lumine illustravit: Postremo per Apostolos ad Ecclesiam suam Gentes adduxit, atque hoc est, quod paucis verbis Isaias docet, cum ait: *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum*, et quae sequuntur. singula verba perpendamus.

Surge illuminare Jerusalem. Jerusalem dicuntur pauci illi Judaei, qui Christum receperunt, atque imprimis Apostoli. Antea quidem, quam Christus veniret in terras, omnes Judaei Jerusalem dicebantur, et ad populum Dei electum pertinebant; sed posteaquam Christum coram Pilato negaverunt et aperte malle se Caesarem, quam Christum professi sunt, etiam Deus negavit ac deservit eos, ut vaticinium Danielis impleretur:*Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Itaque soli illi,qui permanserunt in fide patriarcharum et prophetarum, et Christo, quem illi venturum praedixerunt, adhaeserunt, deinceps nomine sanctae et electae urbis Jerusalem censebantur. Ex quo nos etiam admonemus,ut cum videmus multos desere re fidem, et discedere ab Ecclesia, non perturbemur: siquidem Jerusalem semper est Jerusalem; Ecclesia semper est Ecclesia.Et sicut tunc scribis et Pharisaeis,et legis doctoribus et sacerdotibus et multis de plebe cadentibus, Jerusalem tamen non cecidit, sed mansit in paucis illis, qui Christo adhaeserunt: ita nunc licet homines multi, vel potius provinciae multae deserant ecclesiam; ecclesia tamen non cadit.Itaque exeat quicumque velit, exeant scribae, exeant pharisaei, exeant sacerdotes, exeant reges, exeant episcopi, exeant monachi, exeant legis doctores;numquam tamen Ecclesiam, numquam Jerusalem evertent, sed seipsos tantum perdent. Nam Ecclesia super firmam petram aedificata, et Jerusalem, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis, ruere non potest, et sive pauci, sive multi, illi Jerusalem faciunt, qui adhaerent petrae et fundamento, cui Dominus ait, *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Temporibus beati Hieronymi tanta confusio haeresum et sectarum inter Christianos erat, mundus totus nihil aliud, quam ingens quaedam Babylonia videretur; unus trahebat ad hanc partem, alius ad illam. Et quia tunc haereses non ita perspicuae et faciles et carnales erant, sicut modo sunt; sed graves et subtiles haeretici solum amore veritatis moveri videbantur, atque idcirco omnes timebant isti parti vel illi adhaerere; quid tunc sancti et sapientes homines faciebant? Confugiebant in Jerusalem,hoc est, Apostolicae sedi, sive cum paucis sive cum multis se adjungebant. *Hinc praesidiis*, inquit ad Damasum d. Hieronymus, *fulta mundi,Arriana rabies fremit: hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere festinat: ego interim clamito, si quis cathedrae Petri jungitur, meus est*; et in epistola superiori, *Ego nullum praevium, nisi Christum sequens, beatitudini tuae, hoc est, cathedra Petri communione consocior, super illam petram aedificatam ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum agnum comederit,prophanus est.Si quis in arca Noe fuerit, peribit, regnante diluvio.* Istum igitur virum sanctum et sapientem his nostris perturbatissimis temporibus imitari debet, quicumque saluti suae vere consultum cupit.

Audiamus nunc quid ad Jerusalem, hoc est, ad coetum et societatem apostolorum dicat Propheta: *Surge*, inquit, *illuminare Jerusalem.* Tales mihi omnino videntur in Ecclesia Dei fuisse prophetae, quales olim apud Ethnicos fuerunt poetae, mendaciis tamen et lascivis narrationibus semper exceptis quemadmodum enim poetis propositum erat non rem gestam simpliciter narrare; sed pulchro quodam modo,et artificiosis et venustis in volucris ita dicere,ut admirationem et delectationem simul in animis audientium excitarent: volebat alicubi Virgilius docere, quo tempore ferendae essent fabae audi quomodo loquatur.

> *Candidus*, inquit, *auratis aperit cum cornibus annum*
> *Taurus, et adverso cedens canis occidit astro:*

Rem eamdem aliquis alius sempliciter ita dixisset: ad medium mensis Aprilis fabae seminari debent: ita quoque prophetae faciunt. Poterat enim Isaias simpliciter dicere. Veniet tempus,cum pauperes quidam et obscuri, ac rudes piscatores, doctores omnium gentium carissimi et illustrissimi fient. Maluit vero more caeterorum prophetarum obscurius et venustius dicere, *Surge illuminare Jerusalem.* Existit enim in his verbis pulcherrima et elegantissima quaedam translatio. Ita enim propheta coetum illum exiguum et abjectum apostolorum alloquitur, quasi virginem aliquam captivam, et in pulverem sequentem alloqueretur,eique nuncium laetissimum liberationis et exaltationis adferret, *Surge*, inquit, *Jerusalem.* O pauperes piscatores, sedetis nunc in pulvere, surgite, sedebitis in thronis; estis humiles, eritis clari: estis peccatores, eritis sancti: estis piscatores, eritis imperatores. Familiare est sanctis scriptoribus,atque imprimis prophetis per sessionem in loco sublimi et

illustri describere felicitatem et prosperitatem: et contra per sessionem in loco humili, in sordibus et pulvere, describere calamitatem et desolationem verbi gratia Isaiae cap. 47. *Descende, sede in pulvere,virgo filia Babylon: sede in terra,non est solium filiae Caldaeorum: quia ultra non vocaberis mollis et tenera*, quasi dicat, O tu rex Babyloniae, sedes nunc sublimis in solo dominaris gentibus et populis multis, veniet Persae et Medi, et in pulvere sedere te facient: Et rursum cap.52. *Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem, solve vincula colli tui captiva filia Sion.* Ita igitur et nunc loquitur, *Surge Jerusalem*, O coetus Apostolicus, evangelizo vobis gaudium magnum; Surgetis vos aliquando de pulvere peccati ad sedem excellentissimae sanctitatis. Surgetis de statu isto humili et obscuro ad honorem et culmen apostolicum. Surgetis de Judaica servitute, et abjecta ista spe promissionum terrenarum,ad Christianam et evangelicam libertatem,atque ad spem et expectationem bonorum maximorum et sempiternorum. Tribus enim istis modis apostoli surrexerunt et ascenderunt. Cogita b. Petrum: erat olim homo peccator sicut caeteri, erigit illum Deus ad fastigium tantae et tam excellentis sanctitatis, ut esse posset doctor et magister pietatis omnibus, sicut etiam fuit. Erat olim unus quidam de piscatoribus Galileae, capiebat et vendebat pisces, ea ratione et arte se et uxorem,et caeteram familiam sustentabat: erigit illum Deus ad apostolatum, et omnes regiones et provincias orbis terrae ejus curae et sollicitudini committit. Erat olim unus de caeteris Judaeis, nihil sublime, aut altum cogitabat, aut sperabat, contentus erat illa promissione Domini, *si audieritis me, bona terrae comedetis*: erigit postea illum Deus ad spem regni coelestis beatitudinis et gloriae sempiternae. Hoc est igitur, *surge Jerusalem.*

Sed ad quem modum Apostoli surrexerunt? Dedit illis fortasse Deus multas civitates, aut multa beneficia, aut saltem magnam vim pecuniarum? Nihil horum dedit. Neque enim temporales divitiae requiruntur, ut aliquis clarus et illustris evadat: non requiritur, ut homo non fit pauper; sed hoc requiritur, ut non vincatur et superetur a paupertate. Quidam pauperes inveniuntur, qui semper conqueruntur de divitibus, semper murmurant, semper blasphemant, semper quaerunt sive per fas sive per nefas aliquid acquirere: Isti vere pauperes, jacent sub inopia, et sunt miseriores omnibus hominibus; Ferunt enim crucem, sed mali latronis, pauperes corpore, pauperiores animo, et in hoc saeculo et in futuro cruciantur. Alii sunt, qui licet nihil habeant, tamen nihil cupiunt, et scientes se patrem ditissimum habere, et conservari sibi haereditatem amplissimam in coelis, non magni faciunt inopiam istam,quae ad quinque dies durat. Istis inopia non dominatur, sed ipsi potius dominantur inopiae et ea bene utuntur ad aeternas divitias consequendas. Sane graviter multi decipiuntur, omnes enim naturaliter desideramus ascendere, omnes cupimus nomen, famam, et gloriam: locus animorum nostrorum, quasi elementum nostrum sursum est: ideo sicut ignis semper conatur ascendere, quia sursum est locus ejus;sit etiam nos omnes semper ad loca sublimia suspiramus, Sed error plurimorum in eo versatur,quod honorem et gloriam quaerunt quibusdam rationibus et modis, quae ignominiam potius, quam gloriam merentur. Ascendere volunt per viam divitiarum, ad divitias vero per fraudes et usuras, et quid mirum si et in hoc saeculo et in futuro perpetuam confusionem et infamiam acquirant? Virtus honorem parit, non pecunia. Ac virtus praesertim humilitatis. An non veritas ait; *Qui se humiliat exaltabitur*? An non videmus aquas tantum ascendere quantum descenderunt? Ita quoque nos tantum omnino ascendemus in coelo, quantum hic in terris descenderimus. Libera praeterea et spontanea Christi confessio illa est,quae honorem et gloriam incredibilem nobis acquirit. *Qui me confessus fuerit coram hominibus,confitebor et ego eum coram Patre meo.*Quanta erit illa gloria,cum Deus ipse coram Angelis et beatis hominibus omnibus patriarchis, prophetis, apostolis, martyribus, doctoribus confessoribus virginibus non in loco edito et conspicuo collocatos omnibus audientibus et videntibus laudabit? Illa erit laus plena honoribus et veritatis: *Non enim qui semetipsum commendat ille probatus est,sed quem Deus commendat.* Tunc vere plus honoribus et gloriae recipiemus, quam unquam sperare aut optare potuimus. Ista gloria erit eorum, qui Christum libere confitentur, quos non pudet, sicut multos alios, esse pauperes propter Christum, injurias ferre, et contumelias propter Christum, caste et sobrie vivere propter Christum: qui non erubescunt recusare compotationes, non ire ad choreas et saltationes cum invitantur, non audire detractiones, eos qui male agunt fraterna charitate corripere. Denique qui timorem hominum timori divino postponunt, nec erubescunt libere agere, quod Christo placere noverunt. Quicquid dicant, vel cogitent homines,isti Christum confitentur in terris, et eos cum incredibili honore et gloria confitebitur Christus in coelis. Ad hunc igitur modum apostoli surrexerunt: non habuerunt magnas divitias, sed magnam charitatem: non dedit illis Deus, ut non paterentur; sed ut cum gaudio et exultatione paterentur:dedit magnum animum et copiosam gratiam, qua mundum et carnem et diabolum vincere possent,erant piscatores, et acceperunt cor et animum dignum imperatore.

Surge illuminare Jerusalem. Quid est illuminare? Nihil aliud, quam illuminaberis. Sicut enim apostoli surrecturi erant de statu humili ad statum sublimem; ita quoque transituri erant de tenebris ignorantiae ad lumen sapientiae: et sicut de piscatoribus apostoli, ita de rudibus et imperitis summi et sapientissimi theologi futuri erant. Quid aliud aliquid significat illuminare? Quid? Gaude laetare,exulta,serena frontem tuam Jerusalem.Tristitia quidem et moeror vultum quodammodo obscurant; laetitia illustrat et serenat: *Dominus*, inquit propheta, *illuminatio mea, et salus mea, quem timebo*? Et rursum, *Deus misereatur nostri et benedicat nobis illuminet vultum suum super nos,et misereatur nostri. Illuminet vultum suum*

super nos,hoc est,laetam et serenam faciem nobis ostendat, non tristem , non iratam,non turbatam , non obscuram. Videmus homines tristes, tetricos, melancholicos gerere frontem contractam , obscuram , et quasi nubibus quibusdam et caligine obductam. Et contra videmus eos , qui laetantur et gaudent, habere frontem explicatam, apertam, serenam, et quodammodo splendere ac nitere vultus eorum. Surge ergo et illuminare, gaude et laetare Jerusalem. Quamobrem? *Quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.*Magna profecto ratio gaudendi quia venit lumen tuum. Sed cur tempus praeteritum usurpat ; cum de re futura loquatur? Nimirum,ut intelligamus tam esse certum, quod praedicit futurum , quam est certum fuisse , quod jam praeteriit.Deo siquidem,qui per prophetas suos futura praedicit, nihil est praeteritum,aut futurum;sed omnia praesentia.Lumen vero de quo loquitur, cum ait, *quia venit lumen tuum* , Christum est.Idem est enim quod hic ait.*Venit lumen tuum*, et quod paulo post apertius dicet, *super te autem orietur Dominus.* Nec immerito Dominus lumen appellatur ; Nam *Deus lux est , et in eo tenebrae non sunt ullae.* Et de Christo d. Joannes. *Erat* , inquit , *lux vera , quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Ecclesia in symbolo , *lumen de lumine , Deum verum de Deo vero.* Et Apostolus ad Hebraeos, *qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus* : Et ipse de se , *ego sum lux mundi.* Itaque *lumen tuum* dicitur Dominus, *lumen* ratione divinitatis, *tuum* ratione humanitatis. Nec enim lumen nostrum dici poterat Deus, antequam naturam humanam assumeret, quo pacto enim lumen nostrum diceretur, quod a nobis videri non poterat. et quod aciem nostram , sensusque vincebat ? Sed postea quam clarissimum illud lumen humana carne quasi nube tectum est, et nimium illum fulgorem temperavit,tunc lumen Angelorum factum est lumen hominum et splendor gloriae , fons sapientiae , verbum Dei in excelsis factus est nobis Dei sapientia. Tunc vidit *omnis caro salutare Dei.* Tunc etiam ille sanctus senex, cujus oculi fortasse caligare incipiebant dicere potuit, *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.*

Venit igitur *lumen tuum, et gloria Domini super te orta est*: fortasse idem aliis verbis dicit;nam *gloria paris est filius sapiens.* Neque fuit unquam filius sapientior Filio Dei, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae. Magna est gloria Dei Patris, quod mundum istum, tam pulchrum , tam omnibus numeris absolutum condiderit: quod Solem, et Lunam et stellas,quod tantam animantium plantarum,lapidum et metallorum varietatem,quod homines, quod angelos ex nihilo creaverit. Sed multo sine ulla comparatione major gloria est quod filium infinitae sapientiae et bonitatis genuerit.Nam mundus totus vix umbra quaedam divinae bonitatis et perfectionis dici potest:filius autem non umbra quaedam, sed ipse candor est lucis aeternae, et *splendor gloriae et figura substantiae ejus.* Itaque nihil majus, nihil excellentius , nihil gloriosius de Deo praedicare possumus , quam quod filium infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis genuerit: et vere gloria Dei Patris est Filius ille sapiens, quem ab aeternitate generavit. Fortasse etiam gloria Domini,clarissima et illustrissima illa signa et prodigia significat,quae per Apostolos fiebant. Nam cum illi,qui paulo ante homines obscurissimi et abiectissimi fuerant , omnium gentium linguis loquebantur, signa et prodigia maxima faciebant, solo verbo aegros curabant , mortuos ad vitam revocabant,daemones pellebant, rhetores et philosophos confundebant, simplicibus verbis altissima dogmata persuadebant. corda peccatorum quantumvis dura molliebant ; omnes homines admirabantur et Deum glorificabant. Dicebant enim *Digitus Dei est hic* non sunt ista opera hominum. Deus est qui loquitur, Deus qui operatur: hoc pacto majestatem et gloriam Domini in Apostolis omnes videbant, et quod nunc in Isaia legimus implebatur, *et gloria ejus in te videbitur.*

Sequitur, *Quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos.* Pergit explicare magnitudinem beneficii divini, quod Jerusalem, hoc est, apostolicus chorus accepturus erat. Ecce , inquit , rem admirabilem et stupore plenam dicturus sum; tot sapientes erant inter homines , tot philosophi, tot rhetores, tot nobiles, tot divites , et illis omnibus omissis humiles piscatores Deus elegit, quos illustraret, quibus primitias Spiritus daret,quos principes Ecclesiae constitueret : *Ecce*, inquit, *tenebrae operient terram, et caligo populos, super te autem orietur Dominus , et gloria ejus in te videbitur.* An non esset eximium et singulare privilegium hujus oppidi, in quo sumus , si Belgium totum in tenebris esset, et obscurissimam noctem pateretur, super Lovanium autem splenderet Sol, et nos soli coelum serenum,et aerem purum atque apertum videremus? Tale fuit privilegium apostolorum, quando mundus totus, terra et populi, hoc est, Judaei et Gentiles in tenebris errorum versabantur: ipsi vero soli Deum verum agnoscentes in lumine degebant.

Sed cur quaeso major obscuritas Judaeis attribuitur quam Gentibus? Cur terram operient tenebrae, hoc est, Judaeos: terrenos videlicet homines quibus nihil obscurius fingi potest; populos autem hoc est. Gentes,Paganos, Ethnicos sola caligo? Sic enim habent septuaginta. *Et caligo super Gentes.* Quod hic mysterium latet? Num Judaei magis caeci futuri erant, quam essent Gentes? Omnino, Auditores. Nam ii, quos Deus illustravit, si lumini sint ingrati, magis excaecantur. quam ii , qui lumen numquam receperunt. Tales Judaei fuerunt : habuerunt patriarchas , habuerunt legem et scripturas sanctas, habuerunt miracula divina , habuerunt angelos, et Deum ipsum maxime familiares: ad ultimum ingrati fuerunt. et veniente vera luce oculos suos clauserunt, et Deus , ut merebantur , descruit eos,et permisit tenebris majoribus et densioribus involvi, quam unquam fuerint tenebrae Ethnicorum.Ita modo videmus: convertuntur Gentes, veniunt idololatrae, publicani et meretrices ad fidem: et Judaei obstinatissimi in sua infidelitate perseverant. Ecce quam crassae et palpabiles tenebrae oculos Judaeorum teneant, vident omnis

valicinia in Christo esse completa: vident miracula a Christo et apostolis et sanctis caeteris facta esse sine ullo numero: vident mundum totum juxta valicinia prophetarum relicto cultu idolorum ad Christum esse conversum: vident se nec templum, nec regnum, nec sacerdotium, nec altare, nec sacrificium habere: vident se toto orbe dispersos omnium gentium pedibus subjectos esse atque hanc miseriam et calamitatem non annos decem, aut viginti aut triginta sicut olim, sed mille et quingentos annos pertulisse; et tamen satis intelligunt se post reversionem de captivitate Babyloniae numquam idola coluisse, et tamen adhuc non vident cur tam severe puniatur a Deo. *Quia ecce tenebrae operient terram.*

Libro decimo historiarum Ecclesiasticarum prope finem Ruffinus Aquilesiensis refert, temporibus apostatae Juliani voluisse Judaeos iterum templum in urbe Hierosolyma aedificare: sed cum de omnibus locis et provinciis convenissent, et ab imperatore facultatem et sumptus accepissent, et jam calcem et reliquam materiam praeparassent, nocte quae illum diem praecedebat, quo erant opus inchoaturi, vehementissimum terraemotum obortum fuisse, eoque non solum fundamentorum saxa longe lateque jactata, sed etiam porticus publicas, in quibus Judaei morabantur, funditus eversas, et Judaeos oppressos ac necatos: deinde prima luce reliquam Judaeorum multitudinem ad locum ruinae ad mortuos requirendos concurrisse; sed statim ex domo quadam subterranea, ubi ferramenta et alia ad opus necessaria servabantur, globum igneum prodiisse, qui per plateam discurrens exustis ac necatis Judaeis qui aderant ultro citroque ferebatur: atque hoc iterum et saepius, imo frequentissime tota illa die repetens, pertinacis populi temeritatem flammis ultricibus coercebat: et ne ista casu fieri viderentur, sequente nocte in vestibus singulorum signum crucis, ita evidens apparuisse, ut nulla arte elui, vel aboleri posset. Haec Ruffinus suis temporibus accidisse testatur, quae commemorare volui, ut omnes intelligunt quantae sint tenebrae Judaeorum, et quam vere praedixerit Isaias, *quia ecce tenebrae operient terram.*

Neque solum eo caecitatem suam Judaei produnt, quod Solem justitiae Christum jam in summo coelo constitutum, et orbem totum illustrantem non vident; sed etiam quod in suo Thalmud absurdiores fabulas de Deo finxerunt, quam unquam finxerint pagani: dicunt Deum quotidie semel irasci, et duas lachrimas effundere: praeterea orare, et poenitentiam agere. Item cum mundum crearet in parte Septentrionis magnum foramen in coelo reliquisse, ut si quando exurgeret aliquis, qui diceret, se coelum condidisse, tunc ei Deus responderet, Si tu coelum fecisti, perfice opus, claude foramen illud.

Ista sunt judicia Dei, Auditores, ista est plaga caecitatis super omnes plagas maxime formidanda qua justo Dei judicio puniuntur ii, qui divino lumini resistunt: ista plaga puniti sunt Judaei, et hoc tempore gravissime, et vere in judicio, et in furore puniri haereticos videmus. Quis crederet eos, qui olim etiam doctores Theologi fuerunt, ita vehementer excaecari, ut dicant ea, quae nec Judaei nec Turcae, nec pagani unquam fuissent ausi pronunciare? Deum velle et constituere, ut peccata fiant; eum, qui conatur bene agere, peccare mortaliter: Deum opera bona non requirere, sed potius rejicere: Deum debere obedire diabolo: naturam divinam passam et mortuam esse. Quis unquam Judaeorum, Turcarum, Ethnicorum vel joco talia dixisset? Itaque Judaei densiores tenebras patiuntur, quam Ethnici. Sed haeretici adhuc densiores, quam Judaei: sicut etiam majus lumen a Deo haeretici, quam Judaei receperant.

Neque deest similis quaedam plaga plurimis catholicorum. Quidam enim reperiuntur, quos Deus vocat interna admonitione ad vitam meliorem, sentiunt interdum se moveri et trahi ad bonum, vident oculis mentis lucem quamdam spiritalem similem stellae, quae hodie magos duxit ad praesepe; sed vel contemnunt, vel negligunt divinam inspirationem; vel etiam metuentes ne fiant nimis boni, de industria oculos claudunt: et Deus, qui non vult contemni, aut negligi munera sua, justo judicio eos relinquit, et excaecari, et in sordibus peccatorum volutari permittit: et qui magni et sancti servi Dei fuissent, si vocantem et inspirantem Deum secuti essent, fiunt postea homines perversissimi, et tandem male pereunt.

At inquiunt, Deus est bonus, et non semel sed saepius vocat: et si non sequar hoc anno, sequar anno sequenti. Verum est, Deus est bonus, sed numquid tu ideo eris malus, quia Deus est bonus? Nescis Deum simul esse justum, et judicia Dei abyssum multam? Quid vero magis contigisset, si visa stella dixissent, expectemus adhuc modicum, apparebit fortasse et anno sequenti: omnino male eis successisset. Deus enim magnus Dominus est, et non vult contemni, aut negligi munera sua. Habet duo brachia Deus longissima et robustissima: unum est misericordia, alterum justitia. Extendit primum brachium misericordiae, ut te complectatur: inspirat bona desideria: si tu resistis, et fugis, incidis in brachium justitiae, illo te apprehendit, et ad terram allidit et confringit.

Alii sunt qui sequuntur vocantem Deum et stellam praeeuntem ad aliquod tempus, incipiunt in opera bona incumbere, abstinere a flagitiis, frequentare sacramenta confessionis et communionis: sed cum maxime videntur fervere et currere levi tentatione exoriente, et aliquando nulla de causa ad unum verbum amici alicujus resiliunt: isti quoque fugiunt brachium misericordiae, et incidunt in brachium judicii. Nam qui tales sunt, facillime obdurantur, et multo pejores fiunt, quam antea unquam fuissent. Sicut piscatores dicunt aquam calidam facilius congelari, quam frigidam. Et sicut experientia didicimus eos qui de aegritudine convalescunt, si antequam perfecte curentur recidant in morbum multo gravius laborare, quam antequam convalescere inciperent. Quis non videt eum periculosius cadere, qui altius ascendit? Quis non legit, quod ait b. Petrus; *Melius erat viam veritatis non agnovisse, quam post agnitam retrocedere?* Et quod ait Dominus: *Nemo mittens manum in aratrum, et respiciens retro, aptus est*

regno Dei. Et, *Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne tibi deterius contingat;* Itaque auditores optimi, si Deum timemus, et admirabilia judicia ejus, perseverantia nobis necessaria est non possumus sine incredibili discrimine stare et retrocedere. Navigamus adverso flumine, et nisi perpetuo, sine intermissione laboremus in remigando, et quae retro sunt obliti ad anteriora et altiora nos extendamus, magno impetu retro feremur et ad saxa et scopulos allidemur. Haec de tenebris et caligine dicta sint.

PARS ALTERA.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui. Explicatur his verbis privilegium singulare apostolorum. Ipsi enim a Deo electi fuerunt, ut pro se, et prae aliis lumen et gratiam reciperent, et non solum sibi, sed etiam aliis lucerent, et sicut vitrum et crystallum, non solum ipsum intime et profunde illustratur a Sole; sed etiam Soli simillimum efficitur, et res caeteras illustrat: ita quoque apostoli non solum ipsi lumen receperunt, sed etiam lumen aliis fuerunt: ita ut aliquando Dominus eos lucem mundi appellare non dubitaverit; *Vos estis*, inquit, *lux mundi.* Et Isaias, *Ambulabunt*, inquit, *gentes in lumine tuo.*

Sed quomodo ambulabunt? Quo ibunt? Ad ipsum lumen, quod videbunt. Veniant vobis in mentem ii, qui nocte per ignotas et desertas regiones iter faciunt, vel per magnum mare navigantes oborta tempestate in medium Oceanum abducuntur, et media nocte coelo nubibus obducto, navigant in incertum, nec ullo modo conjectare licet, in qua parte mundi consistant. Si ejusmodi homines jam salute prope desperata post multos et diuturnos errores videant tandem alicubi procul aliquod lumen, an non statim in illud oculos conjicient, et arbitrati ibi esse domum vel portum aliquem, sine mora eo dirigent cursum suum? Pari ratione sub tempus illud, quo Christus venit in terras, omnes gentes in densissimis errorum tenebris per magnum mare mundi hujus in incertum navigabant, tam tetra caligo super omnes populos et provincias ac regiones incubabat, ut etiam fornicationes et adulteria et scelus Sodomae et Gomorrhae non viderentur peccata; et Deos ligneos et lapideos homines multo meliores et nobiliores adorarent, et eis res suas et seipsos stulti commendarent, qui nec audiebant nec videbant, et qui potius hominum custodia indicebant.

Quid tum fecit Deus? Excitavit repente in edito quodam monte pulcherrimam civitatem, ista est Jerusalem, ista est Ecclesia, quae in apostolis coepit, et in ea maximum et clarissimum lumen sapientiae, sanctitatis et signorum ac prodigiorum accendit: statim vero atque illud lumen splendere et procul fulgorem et radios suos diffundere coepit, omnium Gentium oculos, qui variis in locis errabant, in se unum convertit. Et ecce ex omni parte mundi ex Asia, Africa, Europa turmatim gentes ad illud lumen confluebant, dicebatque alter ad alterum: *Venite ascendamus ad montem Domini et ad Domum Dei Jacob*; relinquamus errores, renunciemus Diis ligneis et lapideis, convertamur ad verum et vivum Deum, sequamur lucem, curramus ad lucem quam videmus. Hoc igitur Isaias spiritu prophetico cernens Ecclesiae gratulabundus dicebat. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide. Ecce omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.*

Sed cur addit Propheta, *et reges in splendore ortus tui?* Numquid etiam reges in gentibus non numerantur? Cur separatim ponuntur? Voluit sanctus propheta divinae sapientiae, providentiaeque ordinem exponere. Nam, ut Dionysius Areopagita docuit, summo ordine providentia Dei per superiores causas gubernat ac regit inferiores; per summos Angelos illustrat medios; per medios illustrat infimos; per infimos illustrat homines, et inter ipsos homines prius Judaeos quam Gentes, et inter Gentes prius pauperes, quam divites, prius obscuros, quam nobiles, prius privatos, quam reges illustrari voluit. Ambulabunt, inquit, primum Gentes in lumine tuo; deinde etiam reges in splendore ortus tui. Ita legimus in Actis Apostolicis et in Ecclesiasticis historiis initio evenisse. Primi qui ad fidem veniebant erant sutores, piscatores, Simon coriarius, Lydia purpuraria et similes homines. Reges obstinati manebant, imo potius usque ad tempora Constantini non solum reges non convertebantur; sed etiam persequebantur, et necabant eos, qui converti volebant. Hinc b. Jacobus, *Audite*, inquit, *fratres mei dilectissimi, Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos?* Hinc etiam Apostolus Paulus, *Videte*, inquit, *vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes, secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Hinc etiam Dominus se pauperibus missum profitetur, *Spiritus Domini super me:* Et rursum, *caeci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

Est vero multiplex ratio cur Deus a pauperibus et privatis inceperit. Primum enim hoc Deus fecit, ut mundi conversionem suae omnipotentiae, non principum industriae homines adscriberent, si omnium primi imperatores et reges conversi fuissent, statim edictis publicis jussissent ubique confringi statuas, demoliri simulachra, cessare sacrificia, everti vel claudi templa idolorum; fortasse etiam populos suos ad fidem recipiendam compulissent. Itaque dixissent omnes, Non Deus est, qui homines convertit, sed regum ac principum edicta. Quamobrem ut omnes intelligerent, fidem esse donum Dei, et non humana virtute, sed divina potestate everti regnum diaboli, maluit Deus per pauperes regnum suum mundi Principibus non solum non juvantibus, sed etiam resistentibus auspicari, *Non quaesivit*, inquit Augustinus, *Domi-*

nus per oratorem piscatorem. sed de piscatore lucratus est imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator, per quem postea crederet non solum orator, sed etiam imperator. Nullus nobilis primo electus est, nullus doctus, quia infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Deinde primi Christiani optimi et probatissimi esse debebant. Quippe qui tamquam lapides majores et solidiores in fundamento Ecclesiae ponebantur, quod si statim ab exordio praedicationis Evangelii principes mundi conversi fuissent, debilia fundamenta tanti aedificii jacta fuissent. Primi siquidem Christiani a regibus coacti ad fidem venissent, vel si sponte, certe persecutoribus caruissent. Nunc vero quoniam initio propter crebras persecutiones Christianum fieri res erat plena periculi et ignominiae, illi, qui tum convertebantur, optimi et constantissimi et ferventissimi, et vitam ac sanguinem millies fundere paratissimi erant. Itaque hoc modo Deus bonum ac firmum fundamentum jecit. Praeterea voluit Deus nobis hoc exemplo demonstrare, quod non debeamus opes et honores divitibus invidere: hoc ipso enim quod ad fidem et evangelium prius sutores et piscatores, quam reges et imperatores vocavit, satis ostendit, non omnes, qui sunt primi in terrenis bonis, esse etiam primos in coelestibus; sed contra saepe primos apud homines, esse novissimos apud Deum. Neque esse terrenas divitias magnifaciendas, quas videmus amicis Dei saepe non dari; sicut non magnifacimus glandes et siliquas, quae suibus post paululum interficiendis in magna copia tribuuntur. Rursum ab humilibus et pauperibus Deus incepit, quod ipsi magis parati atque apti sint ad semen Evangelii utiliter recipiendum. Cor divitis simile est agro spinis et tribulis referto. Neque vero divites mihi succenseant, ita Dominus, cum de semine loqueretur, parabolam suam exposuit. Nam cum dixisset, *Aliud cecidit inter spinas, et exortae spinae suffocaverunt illud*, explicando subjecit; *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, et sollicitudo saeculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Cor pauperis terra est bona, et spinas et tribulos non habet. Est etiam dives similis ligno virenti; pauper vero ligno arido: gratia Dei et Evangelii praedicatio similis igni: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur.* Jam vero quis nescit multo celerius et facilius ligna arida, quam virentia ignem concipere? Imo vero, quod omnium pessimum est, ligna virentia omnino invita exsiccari videntur: statim enim atque ad ignem admoventur stridunt, fumant, gemunt: ita divites faciunt, ferre non possunt ignem tribulationis, quo exsiccari debent, ut in eis flamma divini amoris accendatur. Si flecti debent ad orationem, oportet eos habere pulvinar, ne frangantur genua. Si jejunandum est semel, sumunt in prandio duplo amplius, quam solerent, ne detur vacuum et stomachus conqueratur. Si eundum est ad concionem vel ad sacrum, et est aura frigidior, ipsi domi pellibus involuti apud ignem sedere debent. Itaque non mirum si pauperes prius, quam divites flammam Evangelii conceperunt; sunt enim pauperes ligna sicca, divites ligna virentia. Praeterea finis Evangelii non alius est, quam affectum et animum hominis a rebus terrenis abstrahere, et Deo ac rebus divinis adjungere, certum est autem homines divites et nobiles magis rebus terrenis inhaerere, ac proinde difficilius ab eis avelli posse, quam pauperes. Quid est facilius deponere pallium, an deponere pellem? Cum deponis pallium, dolorem non sentis. Quare? Quia pallium nullo glutino carni tuae adhaeret. At pellem sine incredibili dolore exuere non potes, quod pellis arctissime carni conjuncta, et copulata sit. Postremo sicut aves, si alas habeant luto aut visco implicatas, per terram repere possunt, in sublime ferri et volare non possunt: ita quoque homines divites quia cordis alas mentem et voluntatem luto et visco rerum terrenarum plenas habent, frustra quotidie audiunt, *Sursum corda*: confitentur, communicant, orant; sed tamen fere sine affectu sine spiritu: non gustant, quae sunt Dei, *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Pauperes vero nihil habent, et nihil cupiunt habere, facili negotio feruntur sursum, levi motione rapiuntur in Deum. Beatus Antonius, beatus Benedictus, beatus Franciscus, non erant usque adeo docti, nunquam scholas theologicas viderant; tamen facillime rapiebantur in Deum, atque altissimis contemplationibus saepissime fruebantur. Quamobrem? Quia liberas et expeditas sine luto et sine visco alas habebant. Habent reges sua regna, et divites suas divitias, in illis conquiescunt, vident se ab omnibus magni fieri et honorari: putant se esse aliquid, quotidie cogitant majora, inde est quod aegre admodum et sero convertuntur ad Deum. At vero pauperibus facile est contemnere regna, quae non habent: facile est non diligere honores, quos nunquam sperant; facile est iis rebus non adhaerere, a quibus procul absunt. Istae sunt igitur rationes cur pauperes et obscuri evangelium et fidem primi receperunt.

Sed quamquam reges et principes aegre convertuntur, et qui divitias habent, difficile intrabunt, ut Dominus ait, in regnum coelorum; tamen tanta est virtus et efficacia Evangelii, ut etiam eos aliquando convertat. *Ambulabunt*, inquit, *gentes, in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Etiam reges, inquit, qui videntur non posse converti, convertentur tamen, et ambulabunt in splendore ortus tui. Horum typum gerebant magi illi, qui nobiles et divites et sapientes et reges etiam fortasse erant: et tamen hodierna die stella duce ad praesepe Domini ex Perside venerunt, et ita venerunt, ut omnibus hominibus viam salutis et perfectionis exemplo suo demonstraverint. O nos beatos, auditores, si sanctos et sapientes istos reges imitari sciremus. Quicumque Deum ex animo quaerere, et sine errore invenire desiderant, nihil aliud agere debent, quam quod magos istos sapientissimos egisse legimus. Primum omnium terram suam, et cognitionem suam una cum magis alacriter relinquant; deinde cum iisdem non falsis hominum rumoribus credant, sed stellam fulgentem diligenter considerent: non sequantur hominum mendacia, sed vocationem coelestem, quid possunt filii hujus saeculi suadere, nisi diligere saeculum? Quid? co-

gitas de castitate, et petis consilium a lenone vel meretrice? Cogitas de relinquendo saeculum, et consilium petis ab amatoribus saeculi? Vis fieri stultus, ut fias sapiens; et consulis mundi sapientiam, quae tota est vana, totum habet foris et nihil intus? Non igitur audiant consilia hominum eorum qui nihil nisi carnem et sanguinem sapiunt; sed audiant potius quid in cordibus eorum Dominus Deus loquatur: audiant quid in scripturis veritas clamet: audiant quid Christus et apostoli consulant vel praecipiant: tum si viderint Herodem cum scribis et pharisaeis turbari, non turbentur ipsi propterea; sed pergant quod Deus vocat, et sinant mundum et daemones vociferari et comminari quantum volunt. Jam cum ad stabulum et praesepe stella duce pervenerint, non offendantur inopia et pannis Salvatoris, nec loci humilitatem et angustias considerent, sed contra potius abyssum charitatis et pietatis mirentur, qua Deus noster cum esset dives, egenus propter nos fieri voluit, ut nos inopia sua ditaret. Deinde cum magis non offerant Deo quisquilias, non quatuor, non quinque aureos; sed optimum quod habent, aurum, thus et myrrham: offerant seipsos totos tanti quanti sunt. Nec enim Deus, qui se totum nobis tam liberaliter dedit, minus quam nos ipsos totos, totum cor, totum animum, totum affectum accipere dignatur; et tum demum verum nudi, rebus omnibus Deo donatis, secure et tranquille dormiant, ut angelicum responsum in somnis accipiant. Dormiant mundo et curis ac negotiis hujus saeculi, ut vigilent Deo et negotiis vitae futurae: et cum ab Angelo per quietem in oratione et contemplatione didicerint, non esse redeundum ad Herodem, per aliam viam revertantur in regionem suam: aliam vitam, vitam novam, vitam angelicam, vitam sanctam inchoare et continuare studeant, ut per eam ad vitam beatam et sempiternam perveniant, quam nobis concedat Deus, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XV.

DE DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

THEMA

Et Jesus proficiebat sapientia, aetate et gratia apud Deum, et homines. *Luc.* 2.

SYNOPSIS

Exordio ab encomio Academiae Lovaniensis sumpto concio in duas partes dirimitur ; in quarum priore enodatur quaestio , cur Evangelista Lucas dicat Christum aetate, gratia et sapientia profecisse; cum tamen in utero materno fuerit plenus gratia et sapientia , adeo ut illi nihil addi potuerit , quod testimoniis prophetarum, evangelistarum, Pauli et ss. Patrum abunde probatur: imo ipsa ratio dictat, Christum in utero verum perfectum extitisse sapientia , animi vigore et sensuum maturitate. Dicitur tamen profecisse sapientia, quia sensus humanus in eo proficiebat , atque ea usu et experientia cognoscere incipiebat, quae antea sola cognitione et contemplatione cognoscebat. Proficiebat autem gratia , quia quotidie ejus merita et corporis gloria augebatur; quae pulchra Solis similitudine explicantur, qui splendore et ardore crescere et decrescere videtur , nec tamen illum hujusmodi mutationibus esse subjectum constat.

In altera parte docetur, quomodo Christum imitari, et sapientia simul et gratia magis ac magis proficere possimus : ubi docetur hominem Christianum ardere charitate , et lucere sapientia debere : et quem perperam agant ii , qui studia humana, utpote gladios quibus iugulantur, condemnant, multorum patrum contrarium asserentium testimoniis ostenditur. Scientias ut piis prodesse, sic malis obesse. Non sufficere humana scientia emitere, sed accedat charitas et humilitas necesse est: Cujus rei formidanda de docto viro cum daemone in extremis disputando victo, narratur historia. Tandem quomodo sapientia cum charitate sit conjungenda duo traduntur documenta : primum, ut quotidie aliquid mane et vesperi contemplationi divinae tribuatur. Secundum , ut sacramentum eucharistiae frequenter sumatur.

Humani generis assertor, optimi auditores, non alia de causa aetate , sapientia et gratia profecisse dignatus est, quam ut nobis non aetate aut sapientia solum, sed simul etiam gratia proficiendum esse demonstraret. Ac si usquam alibi tam praeclari exempli sectatores aliquos habet , certe in hac illustri ac veteri academia multos habere jure ac merito existimandus est. Etenim tot gymnasia sanctissime instituta, tot collegia a fundamentis erecta, tanta doctorum hominum celebritas , tot litterariae exercitationes, tam crebrae de rebus gravissimis disputationes , et publicae privataeque studiorum collationes, finem alium non habent, quam ut juventus , quae frequentissima et florentissima in hac urbe versatur, in sapientiae studio, doctrina ac eruditione proficiet. Quid vero tot fana religiosissima, tantus numerus sacerdotum, tantus ad res divinas concursus , tam assiduae conciones , quae nec una lingua , nec uno in loco habentur . sibi volunt? Quo spectant? Quo referunt? Nonne eo, ut qui in hac urbe sapientia et eruditione crescunt, in iis etiam divina gratia et charitas amplificetur ? ac ut de praeclarae hujus academiae juventute sine mendacio dicere possimus , *Proficiebat sapientia, aetate et gratia apud Deum et homines.*

Quae cum ita sint, gaudeo hanc potissimum sententiam se mihi in hodierno evangelio explicandam obtulisse, in qua de nobis ipsis agitur, et ad quem modum in hoc studiorum curriculo versari debeamus, ostenditur. Ac duo sunt, quae in hujus sententiae explicatione a me requirere prope vestro jure mihi videmini. Unum, cur b. Evangelista, Dominum sapientia et gratia profecisse affirmet , quem plenum sapientia et gratia paulo antea asseruit: alterum, quo pacto nos Dominum imitari , et sapientia simul , et gratia quotidie magis ac magis augeri possimus.

Ut igitur ad primam quaestionem veniamus, res est, auditores , ejusmodi , de qua agimus , ut non facile expediri possit: neque uno atque eodem modo a sanctis patribus, doctoribusque theologis explicatur. Tale enim temperamentum moderatioque

dicendi adhibenda est, ut nihil indignum Dei Filio asseramus, et simul b. Lucae sententiam integram conservamus, veramque, ut a Spiritu veritatis profectam esse demonstremus. Initio igitur illud veluti fundamentum firmissimum nostrae disputationis jaciendum est, Dei Filium Dominum nostrum secundum eam naturam, quam pro nobis et ex nobis accepit, numquam sapientia, virtutibus caeteris, gratia, gloria et beatitudine caruisse : neque minus sapientem, aut justum, aut potentem aut beatum in utero matris fuisse, quam esset, cum in templo et synagogis docebat, et signis et prodigiis clarissimus atque illustrissimus habebatur. Tantum enim sapientiae et gratiae charismatum, et donorum gloriae et beatitudinis in illo amplissimo et capacissimo pectore Deus posuit, quantum omnino capere potuit : neque locus ullus in eo vacuus est relictus. Audite prophetam: *Egredietur*, inquit, *virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Audite evangelistam. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Audite apostolum. *In quo sunt omnes thesauri* (de Christo loquitur) *sapientiae absconditi.* Audite rursum alium Evangelistam: *Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.* Audite postremo magnum illum praeconem, qui non alia de causa missus a Patre luminum fuerat, quam ut testimonium perhiberet de lumine. *Quem misit Deus.* inquit, *verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Num apostolis, num prophetis, num patriarchis? Quid ergo sibi vult apostolus cum ad Ephesius scribens, ait, *unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi?* De illo igitur dumtaxat beatissimus Domini praecursor locutus est, cum ait : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, de quo mox subiecit, *pater diligit filium, et omnia dedit in manu ejus.* Et alio loco. *Qui post me venturus est, quia prior me erat: et de plenitudine ejus omnes nos accepimus.* De patriarcha Abraham in Genesi legimus, *dedit Abraham cuncta, quae possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo.* Tale aliquid b. Joannes de Christo et reliquis sanctis hominibus dicere mihi videtur. Nempe separavit Deus Dominus a servis, et eum, qui natura est filius, ab iis, qui adoptione sunt filii: et servis quidem, ac sola adoptione filiis largitur munera, persolvit stipendia, dat spiritum ad mensuram, at ei, qui natura est filius, non munera, non stipendia, sed omnia, quae possidet, totam videlicet atque integram haereditatem. Denique ut sapientissimus doctor Augustinus ad Dardanum scribens, et rursum psalmum 9. et 120. exponens ostendit, quantum inter caput et membra, tantum inter Christum et sanctos homines discriminis est. Quemadmodum enim in capite omnes sensus inveniuntur : caetera vero membra uno dumtaxat, eoque abjectissimo, nempe tangendi sensu praedita sunt; sic etiam Dei servis atque amicis certa quaedam Spiritus sancti dona attribuuntur. *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum.* At in principe nostro, et capite Christo omnia dona, omnes virtutes, omnes spiritus, omnes gratiae, omnia privilegia singulari et excellenti quodam modo eminere videntur. Tametsi enim quaedam virtutes sunt, quae in Domino atque assertore nostro locum habere non potuerunt, ut fides, spes et poenitentia ; tamen id propterea factum est, quod eae virtutes admistum aliquid habeant, quod cum rebus melioribus simul esse non poterat. Nam nec fidei obscuritas clarissimam lucem beatitudinis ferre, nec spes cum possessiones conjungi, nec poenitentia cum innocentia in eodem pectoris domicilio habitare potest. Et nihilominus, auditores, quicquid laudis et perfectionis tres istae virtutes habent, id totum in Christo, fuit. Nam cum obedientia, fructus fidei: et adhaesio ad summum et creatum bonum, perfectio spei; et odium ac detestatio peccatorum, laus poenitentiae sit, in his omnibus nemo unquam, ut noster liberator, excelluit. Quare si fide, spe et poenitentia Dominus caruit, certe fidei, spei et poenitentiae fructu, perfectione et laude minime caruit.

Sed video, quid adhuc animum alicujus movere ac perturbare posset. Nam quod mens illa beatissima, quam Dei verbum una cum carne humana suscepit, sapientia et gratia ita sit plena, ut neque intelligentiam uberiorem, neque gratiam ampliorem capere ullo modo queat, nemo fere est, qui nesciat. Sed quod his praeclarissimis donis jam inde ab utero matris Servator noster praeditus fuerit, ut postea in sapientia et gratia proficere, sicut in aetate non posset; id vero dicet fortasse quispiam, explicandum planius, et testimonio aliquo, cui fides tuto adhiberi valeat, confirmandum est. Quem igitur vobis satis idoneum testem adducemus? Num eruditissimus doctor Augustinus nobis satisfacere posse videtur? Is enim libro altero de peccatorum meritis et remissione, amplissimis verbis mentis ignorantiam et animi infirmitatem, quae caeteros infantes non modico tempore occupatos tenet, a nostro infante removendam esse omnino existimavit. *Quam plane ignorantiam*, inquit, *nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum, ut inhabitaret in nobis: nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis.* Beatus quoque Epiphanius in eo libro, quem Anchoratam inscripsit: *Non ideo*, ait, *dictum esse in Domino Jesu Christo, Proficiebat sapientia, aetate et gratia; quod plenus sapientiae et gratiae adhuc puer, atque infans non esset, sed nimirum sapienter affirmat, concruentem aetatem Dominum ad loquendum et docendum expectavisse, ne si adhuc infans loqueretur, et sapientiam suam adhuc puer ostenderet, non*

homo verus, sed phantasma juxta Manichaeorum errorem existimaretur. Verum ego, auditores, testem habeo Augustino et Epiphanio longe majorem, et cui fidem non praestare omnino scelus nefarium sit. Siquidem Jeremiam Prophetam multo antequam Dominus ex virgine nasceretur praedixisse scio, *novum creavit Dominus super terram: foemina circumdabit virum.* Quae est haec foemina, nisi Maria? Quis est hic vir, nisi Dominus Jesus, *qui fuit vir propheta potens in opere et sermone*? Audi beatum Hieronymum diligentissimum prophetarum enarratorem: *Novam rem*, inquit, *creavit Dominus super terram, absque viri semine, absque ullo coitu atque conceptu foemina circumdabit virum gremio uteri sui, qui juxta incrementa quidem aetatis per vagitus, et infantiam proficere videbitur sapientia et aetate* (perpendite quaeso diligenter hoc verbum, *sapientia et aetate*) *sed perfectus vir in ventre foemineo, solitis mensibus continebitur.* Quod si iste nondum satis aperte vaticinium exposuisse videtur, audi, quid Bernardus homilia altera super Evangelium; cujus initium est, *missus est*, dicat; *Novum*, inquit, *creavit Dominus super terram, foemina circumdabit virum. Quae est haec foemina? Quis vero iste vir? Numquid non facile tibi est foeminam agnoscere, virum circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum a Deo Jesum suo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse Jesum non solum cum jam diceretur, vir propheta potens in opere et sermone: sed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foveret in gremio vel gestaret in utero.*

Vir igitur erat Jesus necdum etiam natus; sed sapientia, non aetate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiae vel potius non minor fuit sapientia Jesus conceptus quam natus; parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in praesepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectae aetatis docens in populo, aeque perfecte plenus fuit Spiritu sancto; nec fuit hora, in quacumque aetate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adiiceretur: sed a principio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit *Spiritu sapientiae et intellectus*, etc.

Neque vero id a ratione abhorret: imo potius consentaneum est rationi. Nam nos quidem si sapientes fieri volumus, gymnasia frequentare; si Dei gratiam aut gratiae incrementum optamus, ad sacramenta accedere; si regnum coelorum ingredi, et denarium accipere cupimus, tamquam servi in vinea Domini laborare, et pondus diei et aestus debemus. Haec vero in momento non fiunt: sed tempus ac spatium, et id non breve requirunt. At homini Christo, cui ex eo solum, quod Dei non servus, sed filius erat, omnis sapientia, gratia et gloria debebatur, neque tempus, neque merita expectanda, neque sapientia in gymnasiis investiganda, neque gratia in sacramentis quaerenda, neque laborandum pro gloria et beatitudine fuit: sed in quo temporis momento mens illa felicissima a Deo condita in corpus humanum infusa, et cum Dei verbo conjuncta et copulata fuit, in eodem justitia, sapientia, gratia et gloria penitus repleta fuit. Neque nos movere debet, quod Apostolus Paulus ad Philippenses scribens, Dominum nostrum gloriam corporis et nominis celebrationem obedientia atque humilitate sibi promeruisse testatur. *Humiliavit*, inquit, *semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Nec enim meritis illis Dominus obtinere volebat, ut sibi, quae debita non erant, debita fierent: sed ut quae uno modo ac nomine debebantur, multis modis ac nominibus deberentur.

Quae cum ita sint dubitare non possumus, quin fundamentum, quod posuimus, omnino firmum, et stabile sit. Quamquam enim in Bucerus aperte negavit, et Erasmus in dubium vertit; tamen non tanti est horum auctoritas facienda, ut propterea a communi tam veterum, quam recentium theologorum sententia recedendum sit. Sed quanto nostrum fundamentum est firmius tanto nobis propositae sententiae explicatio difficilior fit. Quo enim verius est, Dominum ab ipso utero matris sapientia et gratia plenum fuisse, eo minus verum esse videtur (cum tamen verissimum et certissimum sit) quod beatus Lucas affirmat, cum ait, *et Jesus proficiebat sapientia, aetate et gratia apud Deum et homines.*

Quid agemus, auditores, quo non vertemus? Quis nobis in hoc labyrintho viam aperiet? Quis nobis interpretabitur, quomodo possit in sapientia proficere, qui plenus est sapientia? Praestat igitur fortasse prophetae consilium audire, qui ait, *interroga patrem tuum, et annunciabit tibi; majores tuos, et dicent tibi.* Interrogemus patres, consulamus majores: nempe veteres illos theologos, qui summa cum laude in verae sapientiae studiis versati sunt. Exponens Origenes primum caput Jeremiae, et omnino probare volens illa verba prophetae, *nescio loqui, quia puer ego sum*, Domino ac servatori nostro convenire; vere illum in sapientia et rerum cognitione profecisse contendit. Sic enim loquitur: *Jesus*, inquit, *necdum vir, sed adhuc infans, quia se exinanivit formam servi accipiens, proficiebat; nemo enim proficit, qui est perfectus: sed ille proficit, qui indiget profectu. Ergo proficiebat aetate, proficiebat sapientia, proficiebat gratia apud Deum et homines. Et vera de eo esse ista, quae dicta sunt, priusquam cognoscat puer bonum aut malum, ut Isaias loquitur: et nescio loqui, quia puer ego sum, ut loquitur Ieremias.* Neque vero b. Ambrosius longe ab hac sententia abesse videtur. Siquidem in eo libro, quem de incarnationis dominicae sacramento conscripsit, sicut divinam nostri liberatoris mentem atque intelligentiam non profecisse: sic humanam profecisse, constanter affirmat. *Jesus*, inquit, *proficiebat aetate et sapientia. Quis sensus proficiebat? Si humanus, ergo et ipse susceptus est. Si divinus ergo mutabilis per profectum. Quod autem proficit, utique mutatur in melius. Sed quod divinum est, non mutatur. Quod ergo mutatur, non utique divi-*

num. Sensus igitur proficiebat humanus. Haec horum illustrium Doctorum sententia , auditores , tametsi nonnullis durior esse videtur: tamen si ita intelligatur, ut debet, verissima est.Nec enim ideo Dominum asserunt in sapientia profecisse quod aliquid antea ignoraret; sed quia usu et experientia cognoscebat , quae antea sola scientia et contemplatione didicerat. Et quamquam infusa (ut theologi loquuntur) sapientia semper Dominus sapientissimus fuit; nihil tamen prohibet, quin in ea sapientia, quam acquisitam vocant, aliquando profecerit,et de eo vere dicatur.*Antequam sciat puer vocare patrem et matrem.* Et, *nescio loqui, quia puer ego sum.*

Sed quid jam de gratiae incremento dicemus? Num ad gratiam infusam et acquisitam recurremus? Gratia , auditores , ut initio dicebamus , tanta fuit Domino in ipsa humanae naturae cum Dei verbo copulatione collata , ut crescere atque amplificari nullo modo posset. Nihilominus tamen in gratia profecisse dictus est , quia quotidie magis ac magis merita ejus augebantur, quibus gloriam corporis et nominis celebrationem sibi , nobis vero Dei benevolentiam atque amicitiam, et gratiam ac beatitudinem comparabat.

Sed ego, auditores, viam aliquam adhuc planiorem,et faciliorem et a b.Gregorio Nazianzeno,b.Cyrillo Alexandrino et Joanne Damasceno,sanctissimis et doctissimis viris ad hunc labyrinthum penetrandum aperiri video.Nec enim aliud esse censent homines isti sapientissimi, Dominum in sapientia et gratia profecisse quam sapientiam suam et gratiam hominibus detexisse,manifestamque fecisse.Beatus enim Gregorius , qui sibi theologi cognomen in omnem aeternitatem confirmavit, orationem in magnum Basilium: *Servator noster*, inquit, *proficiebat , quemadmodum aetate , sic etiam sapientia et gratia. Non quod incrementum aliquid susciperet,(quid enim ex perfectis ab initio perfectius fuit?) Sed quia haec, nempe sapientia et gratia, paulatim hominibus detegebantur.* B. vero Cyrillus libro in Joannem primo:*Si plena est*,inquit, *gloria ejus gratiae et veritatis , quomodo sapientia , aetate et gratia profecisse apud Lucam scribitur? Aut quid accedere potest ad plenum , ultra quod nihil est?Sed non ut verbum aut Deus profecisse intelligitur. Verum quia magis eum in dies homines admirabantur,illorum potius de Jesu opinio,quam illius perfecta crescebat gratia, ut magis in dies agnoscentes,magis illum procedere et gratia crescere arbitrabantur.* Porro Damascenus libro tertio de orthodoxa fide: *Proficiebat*, inquit, *sapientia, aetate et gratia:Aetate quidem crescens:per incrementum autem aetatis sapientiam, quae in ipso inerat, in apertum promens.* Quod igitur de sapientia et gratia b. Lucas Evangelista scribit , *non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat*, ut b.Bernardus loquitur,*intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei novum accederet , quod ante non haberet: sed quod accedere videretur, quando volebat ipse, ut videretur.Quando enim et quibus volebat,sapiens apparebat: quando,et quibus volebat, sapientior: quando,et quibus volebat, sapientissimus.* Similiter et cum semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum,sive quam apud homines habere deberet , pro suo tamen arbitrio etiam nunc plus, nunc minus ostentabat , prout cernentium vel meritis concruere vel saluti expedire sciebat.Ac ut similitudine illustrissima rem totam ob oculos ponamus , aspicite animis, auditores, atque intuemini clarissimum illum globum , quem Solem nominamus. Nonne Sol in ortu splendidus atque ardens: post aliquot horas splendidior atque ardentior; in meridie splendidissimus atque ardentissimus nobis esse videtur?Nonne etiam eo ad vesperam occidente,et lucem et calorem ipsius remitti, ac prope extingui vulgus hominum putat? Et tamen quis nostrum tam leviter est eruditus, qui nesciat, Solem hujusmodi mutationibus non subiacere, sed perpetuo splendidissimum atque ardentissimum esse, et non ipsum, sed ejus effectus alios esse in aurora, alios in ortu,alios in meridie,alios in occasu?Ad eumdem modum, auditores , lux mundi , et *Sol justitiae Christus Deus noster*, cum semper sapientiae splendore illustrissimus , et charitatis flamma ardentissimus esset , tamen in utero virginis constitutus solum radios quosdam,tamquam primam aurorae lucem, emittebat:quam pauci quidam,ut virgo Deipara, ut Elizabeth, ut Joseph, ut Zacharias , ut Joannes, conspicere potuerunt. Paulo post nascebatur Christus , oriebatur Sol , et tum claritas Dei circum pastores effulgebat, et radii luminis ejus usque in Persidem spargebantur.et ambulabant *gentes in lumine ejus et reges in splendore ortus ipsius.* Paulatim Sol super horizontem attollitur , diem quadragesimum Christus attingit , et jam ita splendet,ut etiam senes ac pene decrepiti quorum oculi caligare solent, ipsum intueantur. *Nunc dimittis servum tuum Domine* , canit sanctus Simeon, *secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum , quod parasti ante faciem omnium populorum , lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel.* neque ibi sistit Sol justitiae: sed altius paulo post ascendit: annum duodecimum agit , et jam augeri creditur sapientia et gratia,lumine et calore , templorum adita penetrat , oculos doctorum perstringit, insolitam lucem omnes mirantur. Demum pervenit ad meridiem, esse incipit quasi annorum triginta: et ecce *populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam* : spargit Sol radios sapientiae , et homines clamant ; *Numquam sic locutus est homo , sicut hic homo.* Calefacit corda hominum frigidissimorum, et glacie resoluta fluunt imbres lachrimarum. O quam multi , qui tamquam humidi vapores terrae incubabant, vel circum eam volutabantur , ab hoc sole illustrati et calefacti in sublime ferri coeperunt! Et post haec omnia occidit sol,et tum ita sapientiae splendor et gratiae ardor remitti visus est , ut qui sapientissimus putabatur, quasi insanus delideretur : et qui tamquam innocentiae et sanctitatis exemplar omnium ore celebrabatur, quasi princeps flagitiosorum in crucem cum latronibus raperetur. Habetis igitur quid sit, *Proficiebat sapientia, aetate et gratia.*

PARS ALTERA

Credere ego, atque optare debeo, auditores meos ita gratia et sanctimonia augeri, quemadmodum eos sapientia et eruditione proficere certo scio. *Est enim*, ut b. Bernardus loquitur, *tantum lucere, vanum; tantum ardere, parum; lucere et ardere, perfectum.* Hinc enim Domini praecursor b. Joannes, quod *lucerna* esset *ardens et lucens*, non solum propheta et plus quam propheta : sed etiam angelus ab ipso Domino meruit appellari. Sicut ex adverso daemonum princeps, quia Lucifer solum, et non etiam ignifer esse voluit, Hesperus ex Lucifero, ex angelo diabolus factus est. Non me latet, auditores, non defuisse olim, neque his nostris temporibus haereticos deesse, qui studia litterarum damnent, et praeter divinae scripturae volumina nullos theologos, nullos philosophos, nullos historicos, nullos oratores legendos atque evolvendos putent; quique suis disputatoribus argumentis et rationibus interdicant: et eos quosdam judices librorum esse velint, qui nihil, nisi testimonia scripturarum memoriter referre ac recitare sciant. Quod profecto non facerent, nisi causae suae penitus diffiderent, et sapientiae atque eruditionis lumen pertimescerent. Certe majores nostri sapientissimi homines, ii denique et Christianae reipublicae clarissima lumina et Catholicae religionis firmissima propugnacula, longe aliud nos facere docuerunt: cum ea quae vera, et nostrae fidei consentanea veteres philosophi, poetae atque historici dixerant, non solum non respuerunt: sed etiam ab illis, tamquam ab iniquis possessoribus in usum Christianum merito jureque optimo vendicarunt. Nam quemadmodum Israeliticus ille populus cum ex Aegypto divino jussu discederet, exsecranda Aegyptiorum idola et gravia onera detestans, aurea tantum et argentea illorum vasa, pretiosamque suppellectilem ac vestem, quae non quidem sua auctoritate sed Deo imperante ab ipsis male utentibus mutuatus erat, nunquam reddenda asportavit! Sic ii doctores nostri, cum studium humanarum doctrinarum et ingenuarum artium emensi sunt, superstitiosa solum figmenta gravesque supervacanei laboris sarcinas aspernati, reliqua omnia, quae usui vel pro se vel contra adversarios aliquando sibi profutura existimarant, quam diligentissime collegerunt et tenuerunt.

His armis sese instruxerunt ac munierunt veteres illi patres, qui christianae religionis causam adversus Ethnicos susceperunt, qui quidem ipsum etiam Christum quasi male ratiocinantem in evangelio accusare non dubitabant, et sacrorum voluminum auctoritatem sophisticis cavillationibus convellere, gravissimosque de mundo, de homine, de Angelis, de Deo errores asserere nitebantur. Hoc firmissimum doctrinae praesidium egregia illorum sapientissimorum hominum pietas sibi paravit, quo perditissimum haereticorum in orthodoxa religionem furorem compescerent, impetum frangerent, audaciam reprimerent, conatus eluderent, copias opprimerent, dissiparent, delerent. Itaque quod est vel in pugna, vel in omni medendi arte multo maximum, et in quo exclamant homines et admirantur, gladium extorserunt hosti de manibus; et illa ipsa acie illi caput amputaverunt, qua is ipsorum jugulum petebat : eaque re fecerunt morbo medicinam, ex qua vis ejus omnis profluxerat.

Legite stromata Clementis: Legite Justini apologias et orationem pareneticam ad gentes ; Legite Tertulliani apologeticum, Hieronymi libros in Jovianum, Theodoreti sermones ad Grecos: Denique Cypriani, Lactantii, Hilarii, Athanasii, Basilii, Gregorii, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Cyrilli volumina diligenter evolvite, et ea tanta eruditionis varietate, tanta rerum ac verborum copia, tot veterum philosophorum ac poetarum testimoniis, tot exemplis ab antiquitate petitis referta esse videbitis, ut nulli sint poetae, nulli oratores, nulli historici, nulli veteres philosophi, quos ab eis auctoribus, quos paulo ante commemoravi, lectos non fuisse judicetis, ut jam mirum nobis non debeat videri, si beatus Hieronymus ad Magnum Oratorem scribens omnes pene omnium doctorum ecclesiae libros ejusmodi eruditionis plenissimos esse confirmet. Deinde Alexandrinus ille Clemens libro stromatum primo, nonne reprehendit eos, qui nec philosophiam nec dialecticam attingere volentes, solam ac nudam fidem requirebant? Nec immerito, auditores: *Sancta quippe rusticitas*, ut b. Hieronymus ad Paulinum scribens ait, *solum sibi prodest, et quantum aedificat ex vitae merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat.* Libro vero stromaton sexto idem ipse vir doctissimus Clemens sicut Judaeis legem ac prophetas, ita Graecis philosophiam, tamquam proprium testamentum, a Deo donatam esse, neque alia de causa ab apostolo Paulo inexcusabiles appellari, contendit. Origenes autem, qui huic ipsi Clementi in ecclesiastica schola successit, philosophiae studia vituperantibus respondet, ut ex libro historiae ecclesiasticae sexto intelligi potest, se philosophiae quidem diligentem operam navasse; sed non absque virorum gravissimorum exemplo, Pantheni, Heraclae aliorumque, qui cum essent doctores apostolici, nihilo tamen secius philosophorum libros legere, et in philosophiae studiis exerceri solebant. Jam vero Theodoretus historiae tripartitae libro octavo Dydimum refert grammaticam, rhetoricam, arithmeticam, geometriam, astronomiam syllogismosque Aristotelis didicisse, quod adversus mendacium arma veritatis existerent. Et sermone ad Graecos primo, posteaquam ostendit, christianos doctores ex libris Ethnicorum, spinis relictis, solas rosas colligere et quasi prudentissimas apes etiam ex amaris floribus dulcissimum mel conficere, haec verba subjecit: *Ac veluti*, inquit, *corporum curatores e venenatis feris atque serpentibus salutares medicinas conficiunt, deque ipsis viperis alia quidem reiicientes, alia elixantes, multos harum rerum praesidio morbos propellunt, ita et nos vestrorum poetarum, historicorum, philosophorumque monimenta versantes alia ex iis ut noxia et pestifera declinamus: alia vero sparsim nostra inserentes doctrinae auxiliarem nobis ac salubrem curationem adferimus.* Quid de duobus illis Grae-

ciae luminibus Magno Basilio et Gregorio Theologo dicam? Certe Magnus Basilius oratione quarta et quinquagesima Moysen Aegyptiorum et Danielem Chaldaeorum sapientiam didicisse, et tum demum ad divinam sapientiam se contulisse commemorat: ostenditque,qua ratione Christiani magnam utilitatem ex disciplinis externis,et veterum Ethnicorum libris capere possint. Gregorius vero oratione in magnum Basilium, externae sapientiae reprehensores acriter reprehendit, eamque Christianis hominibus perutilem esse demonstrat. Dies me deficiet, auditores,si quae dici in hanc sententiam possunt, coner expromere: praesertim cum non solum apostolicos viros sed ipsum etiam apostolum poetas ac philosophos veteres legisse; et eorum testimonia sacris literis inservisse sciamus. Nonne enim cum Atheniensibus disputans illud ex Arato testimonium protulit,*Ipsius enim et genus sumus?* Nonne ad Corinthios scribens ex Euripide illud adduxit: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava?* Nonne etiam in epistola ad Titum ex Epimenide philosopho vel ex poeta Menandro, ut alii volunt, de Cretensibus dixit, *Cretenses semper mendaces malae bestiae,ventres pigri?*Et testimonium philosophi vel poetae confirmans, nonne ait, *Testimonium hoc verum est?*

Quae cum ita sint, qua fronte, quaeso, quidam improbissimi atque imperitissimi homines, qui fidem negaverunt, qui religionem contempserunt, qui moribus corruptissimis semper fuerunt, nobis invidiam constare, et tragedias excitare audent, quod philosophorum libros lectitemus, et non solum divinae sed etiam humanae sapientiae studiis animos excolamus? Intelligebat plane, intelligebat ille Christianorum acerrimus hostis Julianus,quantas vires sapientia cum pietate conjuncta ad errores confutandos et veritatem defendendam haberet. Intelligebat profecto sacrarum litterarum, quibus fidei et religionis nostrae veritas continetur, integritatem tueri etiam si pii,probique simus sine doctrinae et sapientiae adjumento nos minime posse, nec ullam scientiam magis ingenium omnibus disciplinis excultum desiderare,quam sacram scripturam, quae et propter sermonis simplicitatem et sententiarum obscuritatem, quam Hyperbatorum, eclypseon,anancapodotorum aliarumque figurarum usus frequentissimus efficit, in varios sensus trahi potest. Quocirca callidissimo excogitato consilio Christianis omnibus, lege de hoc lata, studiis artium humanarum interdixit.

Quare, auditores optimi, incumbite, ut facitis, incumbite diligenter in studia: sed illud interim non obliviscamini, non lucere solum,sed etiam ardere: nec in sapientia tantum, sed etiam in gratia proficere nos oportere. *Proficiebat* enim dux noster *sapientia, aetate et gratia apud Deum et homines.* Sunt enim omnes disciplinae artesque per se praeclarae, magnae laudabiles: sed quemadmodum si animum probum, integrum, et vere Christianum invenerint salutares sunt et expetendae: sic etiam, si a charitate et pietate Dei separentur, tamquam gladius in manu furiosi, et iis ipsis, in quibus sunt, semper, et aliis saepenumero periculum, damnum, perniciemque important.Quid enim si Christianam morum honestatem,vitaeque probitatem et internam animi erga Deum religionem sustuleris? Quid, inquam,grammatico putidius, insolentius, corruptius? Quid poeta levius, impurius, petulantius? Quid historico mendacius et ineptius? Quid rhetore vel oratore nocentius? Quid dialectico importunius aut fraudulentius? Quid philosopho intolerabilius et magis impium? Quid mathematico vanius aut dementius?Quid medico damnosius ac pestilentius? Quid jurisconsulto rapacius et inhumanius? Quid denique theologo inanius, foedius, perniciosius reperitur? Fuerunt aliquando atque utinam modo non sint, nonnulli, qui philosophiam evangeliis praeferebant, quibus Averroes Paulus erat; Alexander Aphrodisaeus, Petrus; Aristoteles,Christus;Plato non jam divinus,sed Deus ipse. Qui vero ejusmodi sunt, superbiae vento ita inflantur, ut omnes contemnant, despiciant, nihili faciant, et eos vix homines putent, qui de materia et forma, de motu et tempore, deque aliis rebus generis ejusdem loqui non possunt. Quare mirum non est, si cum ipsi Deum qui prima et summa veritas est, non quaerant, a Deo quoque destituantur, in reprobum sensum tradantur, et in errores gravissimos ruere permittantur.Nec enim sine causa Tertullianus in libro adversus Hermogenem philosophos haereticorum patriarchas appellat. Et b. Hieronymus in Luciferianos scribens, haeresim Arrianam argumentationum rivum de Aristotelis fonte mutuatum esse confirmat.

Neque vero humana sapientia solum, sed etiam divinarum scripturarum cognitio, si a charitate et humilitate sejuncta sit, plerumque obest, prodest numquam. Neque ullos homines reperiri existimo, (percipite quaeso diligenter quae dicam) nullos, inquam, homines reperiri existimo, qui circa obitum ita de fidei nostrae arduis dogmatibus dubitare, et in abyssum infidelitatis cadere permittantur, ut ii, qui soli sapientiae operam dederunt, et charitate atque humilitate, dum viverent, caruerunt. Historiam vobis non minus veram, quam formidabilem narrare volo, ut plane videatis, quid sit in sapientia et non in gratia; in eruditione et non in pietate proficere: Petrus Episcopus Patavinus vir doctus, disertus et pius, libro altero de ratione bene moriendi, duos quosdam viros eruditissimos fuisse refert: quorum alter cum obiisset, alteri in sua bibliotheca constituto totus ardens apparuit, territoque amico et quaerenti, cur in eas poenas incidisset? respondit: Cum hora illa immineret, qua diem extremum clausurus eram, ecce inquit, diabolus solitis suis armis instructus adfuit, interrogavitque de Deo, quid crederem? Cui ego: Id quod est in symbolo apostolorum. Tum ille: Rem certe, inquit, gratissimam mihi feceris, si quae in symbolo continentur, mihi planius explicares. Ego igitur ab Athanasii symbolo exorsus, apostolorum symbolum exposui, ut potui: mihi vero, inquit ille quae de Patre Deo a te dicta sunt, partim vera, partim non vera esse videntur. Illum enim ab aeternitate Deum esse certo scio; sed an etiam Pater aeternitate esse possit vehementer dubito. Hic ego

exclamo, dogma illud Arrianum atque adeo haereticum esse. Sed ille: Non est, inquit, bone vir, clamoribus, sed rationibus disserendum. Tu si probare te posse confidis, Deum ab aeternitate patrem esse, ac deinde ab aeternitate filium genuisse, age; incipe, audiam patientissime: et si istud eviceris, gravi errore me liberabis. Si vero contrarium tibi persuadere potero, non sis ingratus, sed gravi quoque errore liberatum ingenue confitere. Nec enim parum refert vera an falsa de Deo sentiens moriaris. Itaque fretus ego doctrina et laboribus tot annorum et longa exercitatione disserendi, pugnam de fidei dogmatibus non recusavi: sed ille tot scripturarum testimoniis tantas vi tantaque copia rationum et argumentationum me obruit, ut plane mihi persuaserit, neque Filium, neque Spiritum sanctum esse: interim e corpore egredior, et ante Deum ita, ut eram, nempe haeresi arriana imbutus sistor. Ille me propterea in hunc ignem dejecit, qui tametsi atrocior est quam ut vos intelligere aut cogitare possitis, tamen esset utcumque tolerabilis, si finem aliquem habiturus vel post mille saecula speraretur. O quanto mihi utilius fuisset, si minus temporis et studii in sapientia quaerenda, et plus in pietate comparanda potuissem. O me foelicem, si quantum splendore literarum enitui, tantum ardore charitatis flagrare studuissem. At nunc omnium me studiorum et laborum meorum poenitet et semper poenitebit: neque tamen poenitendo quicquam proficiam.

Et si haec ita se habent, auditores, cur nos noctes et dies in libris evolvendis consumere audemus, et de gratia atque amicitia Dei, de humilitate de charitate, de virtutibus caeteris numquam cogitamus? Non igitur sola eruditione contentus esse vir doctus, sed multo etiam magis, si salvus esse velit, studere debet, ut cum doctrina probitatem vitae cum luce ardorem et cum sapientia charitatem atque humilitatem conjungat.

Et quonam tandem modo id faciemus? Dicam equidem, auditores, modo non frustra dicam, neque longam seriem vobis proponam; sed res duas dumtaxat, quas experientia, atque usus et facillimas et utilissimas, esse docet, vobis breviter commendabo. Duo igitur sunt, quae ab omnibus bonarum artium studiosis observari diligenter velim et ejus studia literarum non modo nihil obfutura; sed etiam vehementer profutura esse ausim polliceri.

Quaenam igitur ista sunt? Unum est, ut aliquid quotidie temporis in contemplatione rerum divinarum, ut passionis dominicae, ut beneficiorum Dei, ut finis ultimi, ad quem effecti et creati sumus, ut mortis, ut judicii, ut gehennae ponant: Haec enim contemplatio illustrat mentem, accendit voluntatem, hominem totum immutat. Orabat Dominus, cum in monte Thabor, ut b. Lucas testatur in capite nono, *facta est species vultus ejus altera*: et vestitus ejus albus et refulgens, Luna non illustratur, nisi faciem ad solem convertat, et in eo quodammodo intueatur se. Et nos, auditores, illustrari minime possumus, nisi mentis aciem in Solem justitiae defigamus. In contemplatione homo agnoscit Deum, agnoscit seipsum, agnoscit praesentia, agnoscit futura; illa caduca, ista sempiterna esse videt: Et interim communem hominum caecitatem ac stuporem miratur, et se a tenebris ad lucem quotidie magis ac magis proficere gaudet. Nemo, auditores, nemo, mihi credite, Filii Dei humilitatem attente cogitabit, et continuo superbus erit: nemo quod sit mori, et in gehenna uri, serio sibi ante oculos ponet, et mundi lenociniis decipi poterit. Sed quam crebro in hujusmodi contemplationibus versari debemus? Certe non rarius, quamvis in diebus LI. quibus horologiorum cura commissa est, mane et vesperi pondera illa, quorum descensu rotae horologiorum aguntur, attollunt et in sublime suspendunt! Nec enim rotae versari in orbem possunt, quin pondera illa descendant: et si, cum usque ad terram descenderunt, non iterum attollerentur, continuo cursus horologiorum cessaret. Ad eumdem modum, auditores, etiamsi mane per contemplationem erigimur, et Dei in nobis amore excitamus; tamen cum ab oratione discedimus, ad gymnasium pergimus, literis operam damus, cum hominibus caeteris versamur, semper descendimus, et in nobis Dei amor frigescit, nec aliter fieri potest. Quid igitur agendum? Rursum vesperi pondera horologii attollenda sunt: rursus ad cordis conclave redeundum est: rursum ad ignem accendendum, vel potius ignis rursum accendendus est. Siquidem flammae charitatis, ille perpetuus ignis est, ad quem nutriendum mane et vesperi ligna supponenda sunt. Ecquis tandem hoc durum, quis arduum, quis difficile esse dicere audebit? Bis in die a studiis, et negotiis reliquis cessamus, ut corpus pascatur: et iniquum esse censebimus bis in die a rebus iisdem cessare, ut animus recreetur? Corpus dormiendo multas horas consumit, et non licebit animo sibi horam unam, ut in sinu Dei per contemplationem quiescat vendicare? Totos dies aliquando conterimus ut Galeni vel Aristotelis, aut si vultis Tertulliani vel Irenaei locum unum intelligamus: et grave nobis erit, horam unam conterere, ut viam, quae ducit ad coelum, cognoscamus? Denique quot horas quotidie doctores in gymnasiis disputantes auditis? Cur igitur non poterimus spatio horae unius Deum in cordis gymnasio de aeterna salute disserentem audire? Neque mihi respondeatis, quod imperiti quidam solent, haec monachorum, non studiosorum studia esse. Nam si monachi dumtaxat regnum coelorum ingredi debent, ipsi dumtaxat orent, ipsi contemplentur, ipsi vitae probitati ac pietati incumbant. At si salvi esse omnes cupimus, cur non omnes eam viam ingrediemur, quae ad salutem et gloriam sempiternam ducit?

Porro alterum, quod ab iis, qui in sapientia et gratia proficere student, mihi requirendum, videtur, illud est, ut quam frequentissime possunt ad sacrosanctam eucharistiam accedant. Siquidem in in eo sacramento ipse gratiae auctor et donator delitescit, in eo cibus animorum, in eo mentium robur, in eo vita et salus nostra reposita est. Et quid magnum esset, si bonarum artium studiosi, qui neque uxores neque liberos neque familiae administrationem habent, singulis diebus dominicis do-

minicam illam mensam frequentarent? Non est temeritas, ut quidam falso putant, ad Domini convivium frequenter accedere ; sed maxima contra temeritas est, credere, se sine cibo diutius valere et vivere posse. Non sine causa Dominus, et panem; et panem quotidianum sacramentum illud appellavit. Quare, auditores, contemplationem, nempe fornacem amoris et eucharistiae sacramentum, fontem videlicet gratiae frequentemus, ut hic dum vivimus in sapientia et gratia proficere, et post obitum gloriae ac beatitudinis compotes esse per Christum valeamus, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XVI.

DE DOMINICA SEPTUAGESIMAE

THEMA

Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. 1. *Cor.* 9.

SYNOPSIS

Thematis hujus occasione, pro bravio currentibus tria esse necessaria ostenditur: ut scilicet in stadium admittantur, ut admissi currant, et ut bene currant. Quae tria ad spiritualem quoque cursum applicantur. Stadium autem spirituale est donum justificationis, fidem, spem et charitatem continens: ad quod nos gratis admittimus, contra quam sentiant Pelagiani. Qui extra hoc stadium currunt, etsi currunt et fatigantur, frustra tamen laborare probatur; quod faciunt haeretici et homines improbi. Deinde currendum et bonis operibus vocandum esse asseritur, contra Lutheri doctrinam; licet solus Christus bravium capiat, et nos per ipsum. Denique bene currendum; ut comprehendamus. Cur et quomodo Christus asininam nostram tarditatem ad cursum stimulet, ut nimirum curramus sine intermissione, quod et ipse coeli cursus assiduus nos docet, et mala punica in pontificia veste praefigurarunt. Quomodo Deum incomprehensibilem comprehendere possimus a simili declaratur. Christianis cursoribus exemplo mundanorum cursorum oportet abstinere ab omnibus cursum impedientibus, ut sunt maxime ebrietas, convivia et tripudia; Quae cum Graeciam effoeminatam perdiderint, etiam regionibus nostris minantur. Germanorum insana et infamis bibacitas pro merito suo reprehenditur, uti et molles choragorum discipuli. Exortatio denique seria ad fugam Bacchanaliorum concludit.

Apostolica ista sententia, quam hodierna die, pro ratione temporis explicaturi sumus, pulcherrima est, et simul haeresim Pelagianorum et Lutheranorum, et Bacchanalia Catholicorum, quae istis diebus incipere solent, vehementer flagellat. *Nescitis*, inquit, *quod ii, qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*? Initio dicit, *Nescitis*? interrogando: quod est idem ac si dicere vellet apostolus, non dubito quin sciatis. Ea enim quae ad carnem pertinent, sensibus percipiuntur, omnes noverunt: ut si quis diceret, nescitis quam egregie homines in bacchanalibus bibere soleant? Nescitis quo mense celebretur dedicatio? Ita loquitur b. Paulus. Certe inquit scitis, quid faciant ii, qui currunt in stadio: sed non scitis fortasse inde tamquam per gradus ascendere ad spiritalia et coelestia. Hoc ego vos docebo. Fingite igitur animis gloriam sempiternam, ad quam creati estis, tamquam aliquod bravium a Deo nobis proponi, et nunc intelligetis tria vobis esse necessaria, ut aliquis propositum bravium consequatur. Quae sunt illa tria? Primum est, ut in studium ad currendum admittatur: Nam qui currunt extra stadium etiamsi currant velocissime, nihil tamen lucrantur: hoc docet Apostolus cum ait, *nescitis quod ii, qui in stadio currunt omnes quidem currunt.* Alterum est, ut cum sunt in stadium admissi, non se ad sedendum vel fabulandum vel comedendum vel dormiendum componant, sed currant; Nam in stadio qui sunt, vel currant necesse est vel egrediantur. *Nescitis*, inquit, *quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*? Postremum ut non solum currant sed bene currant, hoc est, velociter, recto cursu, continenter, sine intermissione: et hoc est, quod subdit apostolus, *sic currite ut comprehendatis.* Quod remedium ut curramus bene et sic curramus ut non frustra curramus, sed bravium comprehendamus? Remedium est, se ab omnibus quae cursum impediunt abstinere. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Quod nobis eo libentius, quam illis fa-

ciendum est, quod illi corruptibilem coronam, nos incorruptibilem accepturi simus. Jam haec omnia ad spiritale bravium et spiritalem cursum applicemus.

Primum igitur, qui gloriam sempiternam tamquam bravium accepturus est, in stadium admitti debet. Quid est hoc stadium? Donum justificationis, quod fidem, spem et charitatem continet. Nam qui vel fidem veram non habent, ut Etnici: vel habent quidem fidem veram, sed mortuam, ut qui inter Catholicos corrupte vivunt, isti vel non currunt vel ad bravium non currunt. Nam, ut dicemus, currere ad bravium, est mereri operibus bonis vitam aeternam: quod non possunt ii, qui fidem veram et vivam, hoc est fidem, *quae per charitatem operatur*, non habent. *Viam*, inquit propheta, *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Tunc homo currit, cum habet cor dilatatum. Quid est, quo cor dilatatur? Nihil aliud, quam latum illud, mandatum, de quo idem propheta, *omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis*, et omnis consummationis, omnis perfectionis, omnis praecepti finis est charitas, quae ita lata est, ut a Deo usque ad proximum, a coelo usque ad terram extendatur. Itaque stadium est justitia, fides, spes, charitas: et qui extra stadium illud existentes currunt, frustra laborant. Nam non datur bravium currentibus, sed currentibus in stadio. Laborant haeretici ut evangelium suum propagent, vigilant dies et noctes, scribunt multos libros periculis et morti se exponunt, sed frustra: Currunt enim in incertum, atque aerem verberant. Pari ratione homines improbi aliquando multum laborant in currendo, orant, jejunant, eleemosynas faciunt, sed quia currunt extra stadium, fatigantur quidem, sed interim bravium non apprehendunt. Ponamus unum exemplum: vos multa similia invenire poteritis. Sunt aliqui qui tempore bacchanaliorum exeunt de stadio, ebrietate et choreis et aliis peccatis excidunt a gratia. Deinde adveniente quadragesima ad gratiam Dei per poenitentiam non redeunt; et tamen jejunant cum caeteris, fortasse eleemosynas majores et crebriores faciunt. Isti currunt sed non in stadio; laborant cum caeteris, sed non coronabuntur cum caeteris. Quare? Quia non currunt in stadio: et opera bona sine charitate non merentur bravium. Doctrina est apostolica: *Si linguis*, inquit, *hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens.* Quamobrem, auditores, primum omnium id procurare debemus, ut admittamur in stadium: vel si semel admissi, nostra culpa ejecti simus, iterum per poenitentiam in curriculum restituamur, quod tamen, cum habuerimus, non id nostris meritis, sed Dei gratiae attribuere debemus. Nam sicut ingressus in stadium non acquiritur cursu, sed donatur favore et liberalitate principis; ita gratia justificationis non redditur meritis, sed gratis datur. In quo decipiebantur Pelagiani, qui putabant se ingredi posse stadium, et currere, etiam non vocati et admissi. *Gratia*, inquit Apostolus, *salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est*: tamquam si diceret, quod in stadium admissi estis, quod est principium salutis, et tales effecti, ut jam possitis currere, bravium promereri, non vobis debebatur, sed gratis accepistis: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Unde? Num *ex operibus justitiae, quae fecimus nos*? Nequaquam, sed *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Non intrant stadium, quia cucurrerunt, sed ut currant. Non datur gratia, quia bene operati sumus; sed ideo datur, ut bene operari possimus. Bonis operibus, inquit d. Augustinus, debetur merces, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit ut fiant.

Estne satis esse in stadio? Non est satis, sed currere necesse habent, qui in stadium intraverunt. Dicitur enim curriculum, quod in eo curratur: et stadium per antithesin, quod in eo non stetur, et qui forte stare et sedere volunt, statim eiiciuntur, ne sint aliis impedimento. Atque hinc apparet error crassissimus Lutheranorum. Quid docet Lutherus? standum ac sedendum in curriculo, docet enim nulla esse opera necessaria, sed esse bene comedendum et bene bibendum, et in utramque aurem dormiendum: et tunc venturos angelos, qui non in nostris plumis molliter quiescentes sine ulla molestia transferent ad bravium. Sed aliud profecto nos apostolus docet, dum beatitudinem comparat bravio: et nos non solum currere, sed etiam velociter et sine intermissione currere et sudare, et quasi in agone contendere jubet. Itaque, auditores optimi, cum Dei benignitate in stadium admissi simus, statim cursum operum bonorum auspicari debemus: non licet nobis ullo modo torpere vel otiari: in studio sumus, non in triclinio, non in pomario, non in conclavi: et qui secus faciunt, non mirum, in justo Dei judicio excidunt a gratia, a peccata relabuntur, ac de stadio expelluntur. Illi igitur qui in stadio currunt, omnes currunt, nulli stant aut sedent.

Sed quid sibi vult, quod sequitur, *sed unus accipit bravium*? Num unus homo dumtaxat salvus erit? Ita prorsus. Unus dumtaxat, nempe Christus, sic enim ipse ait; *nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius est hominis qui est in caelo.* Itaque solus Christus, qui *exultavit ut gigas ad currendam viam*, solus, inquam, ipse accipit bravium. Sed non idcirco nos excludimur, nec frustra laboramus in currendo, Christus enim pro se et pro nobis accepit bravium. Est enim Christus caput nostrum, et nos membra ejus; ipse est vitis, et nos palmites, *unus panis, et unus corpus multi sumus.* Non legistis de primis Christianis, *erat multitudinis credentium cor unum et anima una*? Iste igitur unus, iste Christus unus, in quo nos omnes unum sumus, iste accepit bravium.

Sequitur, *sic currite, ut comprehendatis.* Hoc est tertium et postremum, quod a nobis exigitur, si beati esse velimus. Non satis est esse in stadio, non satis est currere, sed necesse est bene currere. *Sic currite, ut comprehendatis.* hoc est, currite ut oportet, recte, celeriter, sine intermissione. Nam ut in proverbio dici solet; *non coronan-*

tur verba sed adverbia. Facere,non est quod meretur coronam; sed bene facere: non currere, sed bene currere. Quis est qui bene currit? Qui recte, celeriter et sine intermissione currit. Recte, hoc est recto cursu, non sicut ebrii, qui occupant totam plateam, et nunc ad unam partem inclinant, nunc ad aliam. Illi non recte currunt, qui non recta intentione in operibus bonis versantur. Venis ad concionem animo proficiendi? Recte curris. Venis animo explorandi, an sint verba Ciceroniana, quae proferimus? Non recte curris. Versaris in studiis, ut Ecclesiae laboranti opem feras? Recte curris. Versaris in studiis, ut fias canonicus, et sumptibus crucifixi in delitiis perfruaris? non recte curris. Doces, concionaris, scribis libros, ut amplificetur gloria Dei, et multi salvi fiant? Bene curris. Haec eadem facis, ut hominibus placeas, et gloriam propriam quaeris? Non recte curris, nec unquam pervenies ad bravium. Itaque dirigendus est cursus, dirigenda intentio: si distorta est, dicendum cum propheta: *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas.* Deinde celeriter currendum. Non placent Deo homines pigri, tardi, socordes: *maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Cur putatis prohibuisse Deum Hebraeis, ne unquam sibi offerent asinos, et primogenitum asini mutarent ove, nisi quod tardum et pigrum sit animal,et displiceat Deo tarditas et pigritia? Cur Deus tam saepe nos flagellat? Cur tu in itinere verberas equum? quia non diligis eum? Non cur igitur? Ut celeriter currat. Ita etiam Deus assidue nos verberat, non quia non diligit;sed ut ad propositum nobis bravium magis festinemus. *Mala quae hic nos premunt,* inquit Gregorius, *ad Deum ire compellunt.* Vidit benignissimus Pater cursum nobis, et cursum velocem esse necessarium: videt hostem humani generis perpetuo spargere ante pedes et oculos nostros varias illecebras, ut in iis colligendis occupati ad bravium non curramus: videt postremo nostram tarditatem esse magnam, nec minorem cupiditatem colligendi, quae daemones offerunt: quid igitur facit? Ingeminat flagella,multiplicat verbera, immittit timores periculorum, bellorum, seditionum, immittit aegritudines,*tollit* occasiones lucrandi, aufert homines charos, filios, fratres, uxores ut hac ratione saltem nos currere faciat viam mandatorum suorum.Et sane magis nos verberibus indigemus, quam multi sibi persuadeant. Cur existimatis Dominum, cum in Jerusalem in die Palmarum intravit, asinam, et pullum ejus ascendisse, nisi ut nostram quasi naturalem et asininam tarditatem designaret? Nam ut sancti pene omnes exponunt,asina illa et pullus ejus Judaeos et Paganos significabant, super quos Christus ascendens, et habenis providentiae suae gubernans, et calcaribus ac flagello tribulationum feriens, ad coelestem Jerosolymam perducit. Poterat vero equis vel mulis populos Judaeorum et Gentilium designare, sed asinis voluit: ut nos insitae nobis tarditatis admoneret,nec miraremur si tam saepe et tam severe nos flagellat. Et vere auditores, non tam socordes sumus in spiritalibus bonis, ut non tam asinino, quam testudineo gradu moveri videamur, cum tamen in stadio sumus, et velocissime nobis currendum esset.

Verum non satis est recte et celeriter currere, nisi etiam sine intermissione usque ad bravium in cursu perseveremus. *Sic currite,* inquit, *ut comprehendatis.* Nam qui currunt ad aliquod tempus, deinde fatigati subsistunt,nihil omnino comprehenderit. Multi sunt, qui incipiunt bene agere, frequentare sacramenta, abstinere se a flagitiis; sed in medio cursu aliquando parva, aliquando nulla de causa cessant a cursu: opera illa bona intermittunt: et Deus, cui ista infidelitas et inconstantia maxime displicet, eos eiicit de curriculo et aliquando,imo vero frequenter ita obdurari et excaecari permittit, ut numquam amplius cupiant redire ad stadium, et sempiterno illo praemio,ad quod creati et vocati erant, et quod facile consequi potuissent, summa cum ignominia et confusione priventur. Itaque perseverantia nobis in isto cursu necessaria est.Videmur coelos quomodo numquam vel momentum a cursu quiescant,et si quiescerent statim mundus totus, nisi aliunde suppleretur defectus, fortasse periret. Cur putatis summum sacerdotem in veteri lege, cum ornatu pontificio incedebat, in extrema veste habuisse mala punica, quae in vertice quasi naturalem coronam gerunt, nisi ut intelligeremus, extrema opera, et finem atque exitum coronari, et eos solos salvos futuros, qui perseveraverint usque in finem? *Sic igitur currite, ut comprehendatis.*

Sed quaeret fortasse aliquis, quid est hoc, quod Apostolus loquitur. *Ut comprehendatis?* Potestne aliqua res creata, quae finita est, comprehendere creatorem, qui est infinitus? Proprie comprehendere, hoc est, totum capere et concludere Deum nemo potest; sed possumus, tamen eum comprehendere, si comprehendere idem sit quod apprehendere. Itaque beati omnes Deum cognitione et amore apprehendunt, et in eo delectantur, eoque fruuntur, satiantur, replentur, non quantum ipse cognosci et amari, satiare, replere et delectatione afficere potest, sed quantum ipse capere possunt. Quemadmodum enim si dicas alicui,Vade ad oceanum, et reple amphoram istam aqua maris quantum potes: num intelligis,ut infundat totam aquam maris, ut nihil supersit, quod infundi possit? Non hoc intelligis, quod scis fieri non posse,sed ut infundat tantum, quantum amphora capere potest. Ita quoque nos currimus, ut Deum comprehendamus, eo cor nostrum impleamus, non quantum ipse implere potest, sed quantum vasa cordium nostrorum capere et continere possunt.

Omnis autem qui in agone contendit,ab omnibus se abstinet: et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Perstat in eadem similitudine, ut nos doceat quid facere debeamus, ut in cursu recto et celeri perseveremus. Quid igitur facere debemus? Id quod faciunt cursores. Quid faciunt cursores? Ab omnibus se abstinent, quae eos impedire possunt: a fornicatione, quae debilitat vires: a cibis delicatis,quae delicatam et teneram carnem efficiunt: a multis ve-

stibus et oneribus, quae corpus fatigant: a nimio potu, qui mentem, oculos, pedes, totum corpus et animum laedit. Quam egregie putatis currerent ebrii ad bravium, qui super pedes suos consistere non possunt? et si bravium est in Oriente, ipsi currerent ad occidentem. Ab his igitur omnibus illi se abstinent, et nos quoque ad eorum exemplum abstinere debemus. Ac ne forte tibi haec nimis molesta et gravia videantur, audi quid dicat; *Et illi quidem*, inquit, *ut corruptibilem coronam accipiant*, haec omnia praestant, et tibi durum videbitur idem praestare, ut *incorruptam* et immarcescibilem *coronam* accipias? Magna profecto et vehemens persuasio, et argumentum, quod in die judicii tepidos Christianos incredibili pudore et confusione afficiet. Quid? Nonne turpissimum, et homine christiano indignissimum est, ut propter coronam gloriae sempiternae, quae nullo pretio aestimari posset, propter regnum et imperium illud amplissimum, et quod sine fine durabit, et corpus et animam possidentis in summa et aeterna felicitate constituet, non velit ad paucos dies in stadio currere, et a fornicatione, ebrietate, choreis et aliis nugis abstinere? Cum Ethnici omnia ista et majora fecerint propter unam coronam ex myrto Veneri consecratam, vel ex olea consecratam Minervae, vel ex lauro consecratam Phoebo: qui sunt omnes daemones et spiritus Tartarei. Quid illis proderant coronae ex myrto vel ex lauro, quorum folia post paucos dies arescebant? At tibi numquid proderit corona gloriae, quae corpus et animam semper virere ac florere facit? Sed si haec non movent, moveant saltem ista tempora, tam turbulenta et tam periculosa, in quae incidimus. Ego sane vehementer timeo, ne si pergamus sicut alias solemus bacchanalia celebrare et Deum ad iracundiam tot flagitiis provocare, compleatur tandem nostra malitia, compleatur et ira Domini, et disperdat nos Deus, sicut aliis multis regnis accidisse videmus. Quid enim obsecro perdidit Graeciam, nisi illud ipsum quod nos facimus? Erant homines maxime dediti ebrietati, et conviviis ac tripudiis, ut ex orationibus Basilii et Chrysostomi cognosci potest. Deinde non multum solliciti erant de religione, permittebant sectas varias et haereses crescere, ut lubitum cuique erat, quod magnus Basilius in epistola quadam ad Occidentales, et d. Hieronymus in epistola ad Damasum maxime deplorant. Postremo sedem Romanam, ubi radix et caput est nostrae religionis, non magnifaciebant, neque aliud magis optabant, quam romanae Ecclesiae non subesse: quod vel ex eo perspici potest, quod toties patriarcham suum Constantinopolitanum, qui initio erat ultimus patriarcharum, primum et universalem patriarcham esse voluerunt. Sed quid fecit Deus? Quia nimis bibebant, permisit ut eis dominarentur Turcae, qui vinum secundum legem suam execrantur, et vineas succidunt ubi possunt. Quia tripudiis dediti erant, ita severum tyrannum cervicibus eorum imposuit, ut jam gemant sub jugo, et tanto onere oppressi choreas ducere et saltare, nec liceat, nec libeat. Quia de religione non erant solliciti, permisit eos excaecari, et veram fidem ac religionem perdere. Quia postremo Christiano pontifici subjecti esse nolebant, subj[ecti] cit eos atrocissimis hostibus Christianae fidei. [Et] cum Graecis actum esse videmus et dolemus. No[n] malum aliquod minari, sed quaeso, non ipsi nob[is] exitium et ruinam extremam procuremus. Nam Ge[r]maniam sororem esse Graeciae quantum ad ebri[e]tatem nemo non videt: quicquid inchoatur, vino i[n]choatur, quicquid finitur, finitur vino: Si alique[m] invisis, propinando te salutat, et tu bibendo respo[n]dere cogeris, Non sciunt amicos honorare, vel morem vel benevolentiam ostendere, nisi vocent [ad] prandium: non sciunt prandere cum amicis, ni[si] eos ebrios, hoc est, animo mortuos et corpore p[ro]ne mortuos dimittant. Quae est haec infelicitas? B[ibe] aut ter in prandio bibo, et corpore et animo ber[ne] valeo. Invitas me ad prandium tuum, certe ut mi[hi] facias rem gratam, et vis ut decies bibam, destrua[s] vinum tuum, et stomachum meum, et si non fac[is] indignaris? Intelligamus quaeso genus quoddam e[s]se stultitiae, ita amicos honorare velle: discamu[s] sobrietatem parentem esse sanitatis corporis et an[i]mi; bibamus ad sitim restinguendam, non ad lib[i]dinem explendam: illud scientes, naturae paru[m] satis esse, libidini nihil sufficere.

Jam de choreis, saltationibus et aliis illecebri[s] effraenis juventutis nihil est quod dicamus. Qui[s] enim ignorat multos esse, qui Lovanium veniunt [non] ut doctores fiant in Jure, et fiunt doctores in cho[re]is et in gladio? Quam multi sunt, qui cum ad pa[-]rentes suos redeunt, si quaeratur ab eis, quid Lo[-]vanii didicistis? responsuri sunt, si verum dicer[e] velint, didicimus vagari totas noctes per plateas didicimus districto gladio bellum gerere cum lapi[-]dibus: didicimus multa et nova genera chorearum didicimus uno haustu bibere medium poculum didicimus pecunias nostras, quae unum mense duraturae erant, una hora consumere. Praeclar[a] profecto sapientia. Quam sit hoc malum, et quan[-]torum malorum causa, quis non videt, auditores? Nam si qui versantur in studio sapientiae, qui tam eruditam et sanctam civitatem inhabitant, qui sui moribus aliis hominibus lucere debent, ita vivunt, quid alios quaeso facturos speramus? Certe qui hi instituuntur, doctores et gubernatores, praefecti ac judices aliorum locorum erunt: sed quid docere poterunt: nisi quod didicerint? Habeatur, obsecro, habeatur ab iis, quorum interest, magna ratio juventutis, unde salus et incolumitas totius rei publicae dependet.

Jam de negligentia conservandae religionis ac de conjunctione cum capite, unde salus membrorum dependet, nihil dico. Multitudo enim haereticorum, quae in tota hac regione atque in Flandria potissimum cum Catholicis impune versatur et augetur in dies, satis torporem, et negligentiam nostram redarguit.

Quare, auditores optimi, apostolum Paulum audiamus, atque in stadio constituti abstineamus nos ab omnibus, quae a cursu nos impedire possunt. Quid magnum esset si semel nos etiam unum miraculum faceremus; et quo tempore alii scelestissime et corruptissime vivunt, eo nos optime et sanctissime viveremus? Polliceor vobis, nos Deo rem

gratissimam, nobis utilissimam, et toti patriae salutarem effecturos, si ad iram omnipotentis Dei placandam, et eum toti regioni reconciliandum offeramus ei sacrificium trium sequentium hebdomadarum, ita ut bacchanaliorum obliti unusquisque se domi contineat, nulli videantur homines larvati vel personati, nulla exerceantur tripudia, nulla celebrentur sumptuosa convivia, nullus inveniatur ebrius: faciamus quod Ecclesia docet, quae hodie peccatum primi hominis ad memoriam revocat, et laetis canticis intermissis, vesteque lugubri assumpta, et nos ad luctum et poenitentiam exhortatur: hoc est, paremus nos ad quadragesimam, expiemus confusione et lachrimis praeterita peccata, ut cum fructu et utilitate postea jejunemus. Quod ut faciamus praestet nobis Jesus Christus, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XVII.

DE EADEM DOMINICA

THEMA

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Matth.* 20.

SYNOPSIS

Difficultas sensus hujus parabolici ex Origenis judicio dimetitur. Scopus et finis hujus parabolae investigatur. qui eo tendit, ut intelligamus singulare Dei donum esse, quod gratiae et evangelii, et non legis veteris et prophetarum temporibus vocati simus. Paterfamilias iste diligens, justus et liberalis fuisse ostenditur: Qui est Deus ipse, ut qui tres diversas alit familias, unam filiorum in coelo: alteram libertorum in terris; tertiam mancipiorum in pistrino gehennae. Quomodo Deus in sacris literis dicatur exire. Vineam esse ecclesiam; operarios vero praelatos et doctores demonstratur, eorumque officium et dignitas asseritur. Denarius est ipsa foelicitas, sive ipse Dei filius, (qui accommodate denario comparatur) per beatificam visionem possessus. Per quinque exitus quinque mundi aetates designari quae omnes unius diei spatio definiuntur a Deo, ut qui, cum sit aeternus, tempus nobis visum longissimum, brevissimum aestimet. Qui operarii in singulis aetatibus ad quam devoluti sumus ultimam, conducti fuerint. Quomodo e foro ad vineam eundum sit, ubi mundus eleganti similitudine nundinis comparatur, quarum mercatura puerili ranarum piscationi simillima; ex quibus nos paterfamilias increpando evocat.

Absoluta tranctatione de vocatione ad laborem, in secunda parte agit de vocatione ad mercedem. Christus fidelis et prudens est procurator, nescius decipere, nescius decipi; cur a novissimis mercedem persolvendo incipiat. Beatitudinis denarium licet singuli operarii accipiant, diverso tamen foelicitatis gradu possidere Jovinianum probatur, nam quilibet pro sua capacitate sine murmuratione accipit. Operarii novi testamenti operariis veteris anteponuntur, quia eorum sunt praestantiora merita; nam etsi hi plus laboraverint, minus tamen quam nostri, utpote quibus copiosior Spiritus sancti gratia communicata, effecerunt: quod figura duorum, qui racemum ex Palaestina ad Moysen tulerunt, aperte demonstratur. Corollarium addit eorum, qui in vinea Domini vocati otio indulgent, increpatio, qui accipitribus assimilantur, cum multi sapienter ignari foecundis gallinis similes fiant.

Quae nobis hodie ab Ecclesia Catholica propo[nitur] Evangelica similitudo, Auditores optimi, ea[m] ita reconditam abstrusam esse vir doctissimus Or[i]genes judicavit, ut ad eam pro dignitate explican[dam] ipsum Dei Filium, qui auctor ejus fuit, neces[sa]rium esse constanter assereret. Nos enim t[e]metsi Christi sensum, ut apostolus loquitur, habea[mus]: tamen ita ab hujus parabolae sublimitate a[b]profunditate abesse existimavit, ut solum pauc[a] quaedam de ea supplicari, et ea dicere atque [in] medium adferre possimus. Denique propter han[c] unam parabolam de Domino ac servatore nostr[o] prophetam cecinisse affirmat. *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.* Et, *aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.* Ac Origenis quidem de elegantissima et pu[l]cherrima comparatione judicium verissimum, sa[p]pientissimumque fuisse, non dubitabitis, audito[r]res, si quanto, et quam gravibus ea sit obruta, con[si]sideretis. Ego tamen partim temporis angustiis im[pe]peditus, partim fretus intelligentia vestra (non enim ad vulgus imperitum verba facio) multa consulto ac de industria praetermittam: et ea solum, quae magis tum ad parabolam explicandam necessaria tum ad mores nostros corrigendos utilia esse vid[e]buntur, adducam.

Sed antea tamen quam ad ipsius parabolae ve[r]ba explicanda aggredior, quem sibi finem ac veluti scopum Dominus proposuerit, mihi quaerendum atque diligenter investigandum esse videtur. Non enim alia de causa nonnulli in parabolis exponendis facile labuntur, et a veritate aberrant, quam quod verba praecedentia et sequentia non consi[de]rent; neque cur, aliquando et qua occasione p[ro]

rabola dicta sit, animadvertunt. Hujus igitur elegantissimae similitudinis exitus, auditores, is est, ut ostendat eos, qui post salutarem Domini adventum ad Ecclesiam advocantur, et legis evangelicae *onus leve* et *jugum suave* suscipiunt, multo feliciores et beatiores esse, quam ii fuerint, qui hunc eumdem Domini adventum praecesserunt, et gravissimam legis antiquae sarcinam portaverunt. Nam cum beatissimus apostolorum princeps Petrus pro se et pro caeteris apostolis a Domino quaesivisset, quid mercedis ac praemii accepturi essent, quod spretis omnibus rebus, ipsum secuti fuissent? *Ecce* inquit, *nos reliquimus omnia et secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Eis Dominus respondit: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem aut uxorem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam habebit. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Atque haec obscuriora esse videbantur, quam ut facile ab apostolis rudibus et illiteratis hominibus percipi possent: ad ea ergo illustranda et explicanda parabolam praesentem adhibuit. Statim enim ait: *Simile est regnum coelorum patrifamilias*, et quae sequuntur. Et parabola expedita, ut quo illa tenderet intelligeremus, rursum illa verba subiecit: *Sic erunt primi novissimi, et novissimi primi.*

Itaque scopus ac veluti signum, quod nostra parabola intuetur, hoc est, ut ii, qui jam evangelio coruscante vocati sunt, non modo se detrimentum nullum accepisse existiment ex eo, quod ultima aetate, et mundo tam senescente vocati sunt, sed etiam singulari privilegio se a Deo donatos esse et patribus veteris testamenti praeferendos. Ac denique duodecim tribus Israel in novissima die se esse judicaturos intelligant. Quam nostrorum temporum beatitudinem illis etiam verbis Dominus noster ac liberator expressit, Luc. 10. *Beati oculi, qui vident, quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetae et reges voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt: et audire quae vos auditis, et non audierunt.* Et alio loco: *Alius est, qui seminat, et alius est qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Et apostolus Paulus, cum ad Hebraeos scribens illos veteris testamenti patres enumerasset, qui fide maxime enituerunt: *Et hi omnes*, inquit, *testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Itaque, auditores huc omnis parabola tendit, ut nos evangelii et gratiae potius, quam legis et prophetarum temporibus vocatos esse singulare Dei donum et privilegium existimemus.

His igitur explicatis, perfacilis mihi reliquus cursus orationis ostenditur: fundamenta enim mihi videor iecisse totius disputationis. Ut igitur ad ipsam parabolam jam tandem veniamus, initio Dominus patremfamilias magnum imprimis, ac diligentem, justum et liberalem nobis scribit. Quod enim *exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, diligentiae tribuendum est: Nam, ut Aristoteles in libro de ratione domus gubernandae, scriptum reliquit; diligens paterfamilias sicut ultimus ad lectum se recipere, sic etiam primus et lecto surgere, et ad procuranda domus negotia exire debet. Quod autem iis operariis, quos hora prima conduxit, denarium diurnum persolvit, justitiae tribuo: quod vero caeteris amplius, quam eis debebantur, largitus est, liberalitati adscribo. Atque hujus patrisfamilias nomine Deus ipse sine ulla dubitatione intelligendus est. Ipse enim verus magnus paterfamilias est, cui non una, sed tres maximae, dissimillimae et locis disiunctissimis positae familiae sunt: una filiorum, altera libertorum, tertia mancipiorum. Filii in coelestibus domiciliis vitam tranquillissimam ac felicissimam degunt: liberti in terris in sudore vultus sui vescuntur pane suo: mancipia catenis onerata in tenebricosum gehennae pistrinum detrusa ac relegata sunt. Filios quidem paterfamilias nectare ac ambrosia pascit, et torrente voluptatis potat. Libertis autem calicem voluptatis spargit interdum felle amaritudinis, *et potum* dat *in lachrimis* quidem, ut psalmographus ait; sed *in mensura.* At mancipia fugitiva solo pane tribulationis, et aqua lachrimarum et felle amaritudinis sustentat. Hae porro tres illae familiae sunt de quibus divinus apostolus ad Philipphenses scribens ait: *In nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum.*

Quid igitur magnus ille paterfamilias fecit? *Exiit*, inquit, *primo mane conducere operarios in vineam suam.* Quid est hoc, Auditores? Deus exiit? Et unde exiit, Quoniam ivit? Numquid non ipse ait: *Coelum et terram ego impleo? Et, Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum?* Et rursum: *Ego Dominus, et non mutor.* Nonne de ipso Jacobus apostolus ait: *Apud quem non est transmutatio neque vicissitudinis obumbratio.* Quo igitur exiit, qui numquam movetur, et semper est ubique? Recognoscite mecum, auditores, metaphoram divinis literis familiarem. Tunc enim exire in sacris voluminibus dicitur Deus, cum se prodit, et extra se aliquid operatur. Cum Deus Pater Deum Filium mente atque intelligentia gignit, et rursus cum Spiritus paracletus, qui nec genitus, sed genitoris genitique suavitas est, a Patre et Filio tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit: operatur quidem Deus, sed ab aeternitate intra seipsum sine ullo teste et sine ullo conscio operatur. Quocirca tunc non exire, sed in seipso manere ac delitescere dicitur. At cum orbem molitur, administrat, gubernat, immutat, quia extra se operatur, et manifestum se facit, propterea tunc exire non immerito dici potest. Itaque cum coelum et terram fabricavit, exiit; cum Noe praeceptum de arca aedificanda dedit, exiit: cum Abraham de Ur Chaldaeorum eduxit, exiit: cum denique homo factus in terris apparuit, exiit: cum populum suum a Pharaonica servitute liberavit, exiit.

Et cur nam exiit?Nempe, *ut conduceret operarios in vineam suam.*Quaenam igitur est haec vinea?Qui vero hi operarii?Vinea Ecclesia est.Quamquam enim *Domini est terra et plunitudo ejus*: tamen vineam quamdam ex omni orbe terrarum sibi elegit, et eam singulari providentia colit, de qua in sanctis voluminibus frequentissima mentio est; et nos de ea dicere multa possemus, si per tempus liceret,et ad alia magis necessaria non properaremus.

Porro operarii sunt ii, quos Deus huic vineae excolendae singulis aetatibus praeficit:quales olim patriarchae, prophetae, sacerdotes et apostoli fuerunt: nunc vero pontifices, concinnatores, pastores, doctores et alii sunt, qui in hoc unum incumbunt, ut haec vinea non silvescat, nec spinis aut tribulis obruatur, nec a bestiis in eam irrumpentibus devastetur; sed floreat, vigeat, propagetur et fructus uberrimos pariat. Neque hoc munere aliud nobilius, excellentius, Deo gratius aut nobis utilius inveniri potest. Sic enim Deus hanc suam vineam diligit, ut quicquid ab initio fecit, in totum incommodum atque humilitatem hujus vineae fecisse videatur.Quare,qui a Deo ad hoc tam sublime opus assumuntur, ut operarii in ejus vinea sint, certe grave illis videri non debet,omnibus negotiis aliis,et curis et luchris valedicere; quin potius tam excellenti bono gaudeant,et strenuos se in hac vinea operarios,Deo et angelis spectatoribus,praebeant.

Profecto enim si Deus ad creandum coelum hominem aliquem aut angelum administrum habuisset, maximo honore ac dignitate homo ille,vel angelus affectum se fuisse censeret. Neque alia de causa eos, qui signis et prodigiis claruerunt, admiramus, nisi quod illustramenta Dei in illis magnificis, et vires omnium rerum creatarum superantibus operibus, fuerint. Quanto igitur jure illorum sublimitatem et excellentiam suspicere, atque admirari debemus, quibus velut instrumentis ad vineam suam colendam et hominum animos illustrandos atque ad vitam revocandos uti dignatur? Opus enim sine dubio nobilius ac praestantius est, hominis liberam voluntatem ad malum propensam ad Deum convertere, quam coelum ac terram condere: et animum dormientem excitare, quam corpus jam defunctum ad vitam a morte revocare. Quid? Quod operarii hujus vineae, praeterquam quod opus exercent per se praeclarissimum atque eximium,mercedem etiam tantam, quantam optare non possent, sine dubio consequentur.

Audite enim quid sequatur in evangelio: *Conventione autem facta*, inquit, *cum operariis ex denario diurno,misit eos in vineam suam.*Quid, obsecro, denarium istum significare existimatis? Nihil profecto aliud, quam aeternam felicitatem, vel ipsum Dei filium designant, in cujus visione ac possessione nostra beatitudo consistit.Nam quemadmodum denarius figuram principis impressam gerit; sic ipse Dei Filius,*splendor gloriae et figura substantiae* Dei Patris ab apostolo Paulo nominatur.Et quomodo denarius non figuram modo,sed etiam verba quaedam continet: sic etiam Dei Filius non solum figura, sed et Verbum Dei Patris est. Rursum, ut denarius rotunda figura praeditus est,in qua finis nec principium invenitur:sic Filius Dei,ut apostolus loquitur,*nec initium dierum nec finem vitae habet.*Ac ut pecuniis obediunt omnia, et per ipsas omnia fiunt; sic per Christum omnia facta sunt, et omnia Deus Pater ei subjecit. Haec est igitur merces nostra, *et merces magna nimis:* quae etiam non injuria denarius appellatur, cum decem praeceptorum observatione comparetur.

Sequitur: *Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis: Ite et vos in vineam meam.* Quinquies hic noster diligens paterfamilias exivisse describitur: hora prima, tertia, sexta, nona atque undecima: quae horae sic accipiendae sunt, ut ad initium primae Solem oriri, ad finem duodecimae occidere eumdem intelligamus.

Quinquies igitur exivit, quia quinque sunt mundi aetates, quibus Deus semper alios atque alios operarios ad vineam suam colendam adduxit. Itaque totum tempus,quo mundi hujus status permanere, et Dei vinea coli debet, unius diei spatio definitur. Cujus quidem diei ab orbe condito usque ad tempora Noe hora prima, secunda et tertia;a temporibus Noe usque ad Abrahae vocationem,quarta, quinta et sexta; ab Abrahae vocatione usque ad Moysen legislatorem septima, octava et nona; a Moyse legislatore usque ad primum Christi adventum,decima et undecima affluxerunt: a primo Christi adventu usque ad secundum hora duodecima ac postrema peragitur.Et quidem hora prima Adam, Seth, Enoch; hora tertia Noe, Sem, Melchisedech: hora sexta Abraham et caeteri patriarchae; hora nona Moyses et prophetae; hora undecima apostoli et eorum successores vocati sunt. Atque hoc est, quod b. Augustinus in libro altero in Julianum docet, cum ait: *Excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas aetates temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire judicat, ipsi dispensat.*

Quod vero nunc horae undecim effluxerint, et hora duodecima atque ultima agatur, et finis diei Solesque occasus immineat, testis est apostolus Joannes: *Filioli*, inquit, *novissima hora est.*testis apostolus Paulus: *Haec autem omnia*, inquit, *in figuris contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt.* Testis denique et apostolus Petrus: *Scientes*, inquit, *quia non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternarum traditionum: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati, praecogniti quidem ante mundi constitutionem; manifestati autem novissimis temporibus propter vos.*

Neque vero mirum nobis videri debet, spatium tot annorum diem unam a Domino nominari! Nam si nos, qui aliquot annos vivimus, unam horam vel alteram facile contemnimus, spatium brevissimum esse censemus: cum tamen bestiolis quibusdam,quas Aristoteles apud Hypanim nasci,et unum diem vivere affirmat,horae singulae et singulae aetates videantur et si istud cogitare istae bestiolae possent non minoris ipsae unam horam facerent, quam nos decem aut quindecim annos faciamus.

Quanto magis Deus, cujus aetas est aeternitas saeculorum, et cui sine mendacio dicitur: *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies esterna, quae praeteriit*, omne nostrum tempus brevissimum esse docet, tametsi nobis maxime diuturnum esse videatur.

Quare, auditores, si vita praesens ita est brevis, ut nemo sit, qui vel semihorae spatium vivat, cur tam solliciti in rebus praesentibus comparandis et cumulandis sumus? Contemnamus, quaeso, contemnamus ineptias (quod enim levius huic levitati nomen imponam?) et in illam aeternitatem intueamur, quam nos omnes, qui hic vel in summis voluptatibus vel in extremis doloribus positi, emetiri debemus. Vocat nos Dominus a foro ad vineam; surdi non simus, aures non claudamus, neque putemus nos a quiete ad laborem vel a labore ad quietem sed a labore ad laborem vocari. Sive in foro sumus, laborandum est. Sed labor fori inutilis, labor inanis, labor laborem parturiens est: at labor vineae mercedem magnam expectat, quietem atque otium maximum parit. Audite enim quibus verbis Dominus nos a foro ad vineam suam invitat. *Venite ad me omnes*, inquit, *qui laboratis et onorati estis, et ego reficiam vos.* Et quonam pacto, quaeso, nos reficies Domine? *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est et onus meum leve.* Itaque jugum atque onus non deponere, sed immutare nos voluit: et a labore infructuoso ad laborem fructuosum vocat, cum a foro ad vineam vocat. Neque negligenter praetereundum est, auditores, vocem illam graecam αγορα pro qua nos forum habemus proprie mercatum et nundinas (ut Origenes ait) significare. Quod enim Pythagoras dicere solebat vitam humanam magno mercatui persimilem esse, id nos quoque esse verissimum experimur. Quemadmodum enim in nundinis alii merces suas ostentant, et tabernacula atque umbracula, tamquam laqueos et retia pecuniis tendunt: alii subtiliori artificio, nempe circulatores atque praestigiatores homines cantu, tamquam sibilo aves ad se trahunt, et admirabili genere mercaturae negotiantur! Ibique mendacia dominantur; insidiae, doli, deceptiones et fraudes regnant, ac demum omnia confusis tumultibus, rumore ac strepitu plena sunt! Sic etiam in foro ac nundinis hujus mundi daemones sunt, qui quasi versutissimi mercatores, ubique figunt sua tentoria, iste voluptates, ille divitias, ille honores ac dignitates vendit. Jam qui emunt, vel voluptarii sunt vel avari, vel superbi atque ambitiosi. *Omne quod est in mundo*, clamat evangelista Joannes, hoc est, omne quod in foro et nundinis est, *aut concupiscentia carnis est aut concupiscentia oculorum aut superbia vitae. Carnis concupiscentia* quid nisi delitias, voluptates, comessationes? ebrietates, oculorum, aurium narium et omnium sensuum delectationes emeret? *Concupiscentia oculorum* quid nisi domos, vestes, possessiones et pecunias quaereret? Quae oculorum concupiscentia alio nomine avaritia non immerito dici solet: eo quod avari oculos solos oblectent, solos oculos pascant, parcissime vivant, sordidissime vestiantur: non animum sed arcam implere; non ventrem satiare, sed oculos gestiant. Porro *superbia vitae*, quod praeter honorum sedes et dignitatum splendorem ambiret? In hoc igitur foro omnia personant confusis vocibus mercatorum, et cum alius accedit, alius recedit; alius vendit, alius emit; alius vadit, alius redit; isti canunt, illi contendunt, mirum est, quantus ubique tumultus ac strepitus excitetur. Sed quod caput omnium malorum, iidem mercatores et praestigiatores sunt: siquidem amaritudinem venditant pro voluptate, ignominiam pro floribus, spinas et pro auro, carbones, qui quoniam accensi sunt, mox ut languntur, manum comburunt. Neque hoc solum, sed quod multo est infelicius, rem eamdem ut callidissimi foeneratores iterum atque iterum vendunt. Id quod rudi, sed apposita, nisi fallor, similitudine declarabo. Vidistis aliquando pueros circa paludes ranarum piscationi operam dantes? Ipsi enim ranae alicujus pellem filo alligatam aliis ranis, tamquam escam obiiciunt, continuo vero non una, sed multae undique ranae ad vscam illam occurrunt, et ea, quae caeteris esse eelocior potuit, summa aviditate escam, quam neque rodere neque devorare potest, apprehendit. Interea vero piscator filium colligit, escam ad se trahit, ranam filo appensam capit, atque occidit, et escam ab ejus ore violenter extractam aliis aperto ore expectantibus obiicit: atque hac demum ratione sine magnis sumptibus, una atque eadem ranae alicujus pelle ranas innumeras capit. Hoc est, auditores, hoc plane est, quos mundus et daemon cum hominibus ranis istis stultioribus et simplicioribus faciunt. Nam iisdem penitus rebus, iisdem divitiis, agris, possessionibus, quae saepe hominis alicujus non solum labore et sudore, sed etiam sanguine partae sunt, ac proinde pelles hominum non injuria dici possunt: istis, inquam, et hujusmodi rebus innumerabiles alios decipiunt, atque ad inferos pertrahunt. Ante centum annos multi erant, tum hic, tum in caeteris academiis, qui vel Jurisprudentiae, vel arti medendi vel aliis disciplinis operam dabunt. Quorsum tandem auditores? nempe ut escam divitiarum et honorum, quam eis mundus et diabolus ostentabant, accipere possent. Et vere arripuerunt, et divites ubique nominabantur, et ore multorum celebrabantur. Sed numquid eos honores easque divitias rodere, ac devorare, aut certe secum portare potuerunt? Nullo modo. Vix enim escam apprehenderant, cum ipsi a morte apprehensi, et escam relinquere coacti fuerunt, et illam eamdem escam ab aliis quibusdam, qui post illos nati fuerant, mundus objecit: Et eos paulo post nihilominus decepit. Illis vero alii successerunt, qui nunc in eadem studia diligenter incumbunt, et ore aperto iisdem divitiis atque honoribus inhiant: quorum exitum similem aliorum futurum, stulti sumus, si non providemus. Inspicite, quaeso, testamenta majorum vestrorum, nihil aliud ibi legetis, quam, Hoc uxori relinquo, hoc filiis relinquo, hoc amicis relinquo, hoc sodalibus relinquo et ne semel quidem dicunt. Hoc mecum fero, hoc mihi reservo. Interrogate agros, et possessiones vestras, quot nomina jam mutaverunt? olim Petri,

deinde Pauli, tum Joannis nunc Philippi, paulo post nescio cujus agri et possessiones dicentur. Cur hoc? Nonne quia homines tamquam ranae capiuntur; et esca semper eadem manet, et ad alios homines similiter decipiendos conservatur? Aspicite nunc, atque inuemini sedes pontificum, regum, imperatorum: quam multi ad istas sedes singulis aetatibus aspiraverunt? et tamen qui eas post multos labores et sudores obtinent, ante ab iis deiiciuntur, et corruunt, quam se in eis ad sedendum componere potuerunt. Heri sedebat unus, hodie moritur, et sedet alius: cras iste morietur, sedebit alius. Atque ita sedibus, et honoribus semper viventibus, homines moriuntur, et nudi atque inanes in alias regiones, ubi perpetuo mendici atque ignobiles erunt, ingrediuntur.

Haec igitur est mundi mercatura, haec communis deceptio mortalium. Ita in hoc foro daemones negotiantur. A quo nos revocare studens benignissimus hominum amator Christus in terras descendit, ad forum venit, et clamare non cessat: *Quid hic statis tota die otiosi?* Cur in istis iniquis nundinis tempus teritis? Heu fugite crudele forum. *Ite vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis.* Nonne vobis melius erit in vinea laborare, unde mercedem maximam reportetis, quam in isto turbulentissimo foro negotiari, ubi jacturam animarum vestrarum vobis ipsis summis laboribus comparatis? *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucrifaciat, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* O illos beatos, aures hisce beatis vocibus apertae sunt! O illos felices quorum corda haec salutaria verba penetrant et qui studia sua: cogitationes suas, contentiones suas in Dei honorem atque obsequium referre noverunt. Et cum omnibus hominibus in hac valle miseriarum laborandum sit, illi sine dubio vere fortunati appellari debent, qui Deum ducem secuti a foro ad vineam transeunt, et fructuose atque utiliter laborare sciunt.

PARS ALTERA.

Cum sero factum esset, dixit Dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. Duas vocationes in hac parabola Dominus describit: Unam ad laborem; alteram ad mercedem. Ac de priori quidem hactenus aliquid diximus. Nunc de posteriori pauca quaedam dicenda sunt. Idem igitur Christus, qui secundum naturam divinam vineae Dominus est, secundum humanam est procurator. *Pater enim non judicat quemquam; sed omne judicium dedit filio.* Et *potestatem dedit filio judicium facere, quia filius hominis est.* Ipse enim vere fidelis et prudens est, quales Deus procuratores requirit: Et quia fidelis est nullum decipiet, et quia prudens est a nullo decipietur. Tunc autem operarios suos vocabit, cum dicet: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Tunc enim *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.*

Nunc quidem, auditores, multi vocantur ad vineam, qui vel non audiunt, vel fingunt se non audire, vel aures occludunt, ut non audiant, vel abscondunt et fugiunt, ut non vocentur. At cum ad mercedem operarii vocabuntur, omnes erigent aures, omnes se ostentabunt: sed tamen non sperent se vocandos ad mercedem, qui ad laborem vocati laborare non voluerunt.

Voca, inquit, *operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.* Sed cur, quaeso, a novissimis incipitur? nonne aequitas postulabat, ut a primus potius, quam a novissimis inciperetur? Hoc ideo factum est, auditores, ut privilegium singulare, et excellentia eorum, qui tempore gratiae vocati sunt, ostenditur. Tametsi enim hi omnium postremi ad vineam veniunt; non tamen postremo, sed primo loco apud magnum patremfamilias erunt. Et quamquam beati in die judicii simul denarium omnes accipient, cum eis dicetur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*: tamen ii prius denarium accipere videbuntur, ut beatus Augustinus ait, qui minus expectaverunt: quemadmodum si duo a te beneficium aliquod peterent: et unus post unam horam, alius post duodecim horas, id quod petivit acciperet; ille perfecto prius beneficium accepisse diceretur, qui post unam horam, quam qui post duodecim horas illud accepit.

Sed jam isti operarii, qua mercede remunerentur, audiamus. *Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primis arbitrati sunt, quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos fecisti nobis, qui portavimus pondus diei et aestus.* Quae verba, auditores, difficillimis et obscurissimis quaestionibus plena sunt. Sed eas tamen, sicut non omnino praetermittere, ita non multis, sed paucissimis verbis expedire decrevi. Hic igitur primum quaero, cur singulos operarios singulis denariis donatos fuisse Dominus dicat? quasi beati homines, juxta Joviniani errorem, paribus praemiis afficiendi sint, et unus alio in regno coelorum clarior atque illustrior esse non possit. Sed nodum istum facile dissolvemus, si cum beato Augustino denario illo vitae beatae aeternitatem significatam esse dicamus. Quamquam enim facti homines gloria et beatitudine pares non sunt: tamen hoc uno pares sunt, quod omnium felicitas est sempiterna, neque alius alio longiori spatio temporis beatitudine perfruetur. Neque minus facile eadem quaestio profligabitur, in nos (ut initio dicebamus) denarii nomine Dei verbum, ac Deum ipsum intelligere voluerimus. Siquidem propterea operarii omnes denarium unum accepisse dicuntur, quod unum atque eumdem Deum omnis gloriae ac beatitudinis fontem possideant. Sed nihilominus quemadmodum eumdem Solem clarius aquila, quam vespertilio intuetur, eumdem gladiunt aliter miles fortis-

simus, et aliter parvus puer versare potest: eumdem librum aliter, qui solam grammaticam novit, et aliter, qui est in philosophiae studiis exercitatus intelligit: sic etiam unum atque eumdem Deum, ex cujus visione beatus est, quicumque beatus est, alii aliis sese altius erigentes proprius, clarius et felicius contemplantur. Neque vero ex hac disparitate praemiorum murmur aut quaerimonia timenda est. Nam ii, qui minus gloriae luminis et felicitatis accipient, se majoris capaces non esse apertissime omnino videbunt. Sicut enim si gigas, et pomilio a rege pretiosis vestibus donarentur, non queretur pumilio, quod vestem aeque longam, ac gigas, a Rege non accepisset; sed contra, congruentem suae staturae sibi datam esse gauderet. Ad eumdem modum, qui magis hic in terris virtutibus ac bonis operibus creverint, ii longiori atque ampliori gloriae indumento vestientur: Et omnes veste sibi consentanea se indutos atque ornatos esse laetabuntur.

Sed si haec ita se habent, quid sibi volunt illa verba: *Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias*? Quis hoc interpretabitur? Quomodo murmur esse poterit in beatis? Multis ac variis modis haec verba sanctis patribus explicantur. Sed mihi beati Chrysostomi expositio omnium verissima et optima esse videtur. Nempe docet vir iste sapientissimus, non omnibus quae in parabolis dicuntur, aliquid ex altera parte in re per eam parabolam significata respondere. Ut enim gladius ad secandum quidem institutus est, non tamen ex omni parte secat; sic etiam parabolae ad aliquid significandum fingi solent: sed non idcirco omnia penitus significare debent. Plerumque enim nonnulla quae alioqui non dicerentur ac una de causa necessaria dicenda sunt, ut per ea sequentia cum praecedentibus connectantur. Itaque in hac parabola Dominus operarios hora prima vocatos murmurasse finxit, non quod murmur in beatis in futurum, sed ut inde occasionem haberet explicandi, qui fieri posset, et novissimos faceret primos, et primos novissimos, et tamen injustitiae atque iniquitatis reprehendi nullo modo posset.

Neque a veritate aberraverimus, si dixerimus ita singulare futurum esse privilegium hora undecima vocatorum, ut si beati in coelis murmuri atque invidentiae obnoxii essent, facile murmuraturi et invidentia flagraturi existimari possent. Verum in illo pacatissimo et tranquillissimo regno ista non erunt: imo potius invidentiae charitas et murmuri congratulationes succedent.

Sed video quid adhuc aliquem movere ac perturbare posset: Aut enim operarii illi, qui murmurabant mentiuntur, aut vere amplius, quam alii laboraverunt, vereque jactare possent, se pondus diei et aestum portavisse. Quod mentiantur, credibile non est: neque Dominus vineae illos mendacii reprehendit, quod certe fecisset, si mentiri illos intelligere potuisset. Si vero mentiuntur, et vere amplius quam ii laboraverunt, neque mentitur, scriptura divina, quae ait: *Qui parce seminat, parce et metet.* Et rursum: *Reddet unicuique secundum opera ejus*, quomodo non est injustus Deus qui minus laborantes magis laborantibus anteponit? erigite animos, auditores, et hujus reconditae quaestionis explicationem accipite, et finem quaestionibus imponamus. Apostoli, doctores, martyres, virgines, anachoretae et alii, qui hora undecima vocati sunt, res propter Dominum multo majores atque excellentiores, magis arduas, magis difficiles, majoris operis, et laboris sine dubitatione gesserunt, quam ii gesserint, qui hora prima, tertia, sexta et nona vocati fuerunt. Nam ut alia interim omittamus, qui labores cum nostrorum anachoretarum laboribus confessi possunt? Quid excellentius nostris virginibus? Quid sublimius, quam mundo, daemone et ipsis corporibus sensibus reclamantibus in tetris vitam angelorum ducere? Quae praelia atrociora nostrorum martyrum praeliis unquam fuerunt? Quo studio, qua vigilantia, quando ardore animi doctores nostri in libris conscribendis, scripturis interpretandis, haereticis refellendis, Catholicis confirmandis, et in fide ac in officio retinendis, laboribus se manciparunt? Quid vero de apostolis, nostrae militiae ducibus atque imperatoribus dicam? quorum passibus disiunctissimae terrae tam cito peragrari potuissent, quam apostolorum non dicam cursibus, sed triumphis illustratae sunt? At vero patriarcarum et prophetarum temporibus, paucis quibusdam exceptis, qui ad Evangelium potius, quam ad legem pertinebant, vix aliqui fuerunt, qui cum obscurioribus ex nostris hominibus conferri possint. Ubi tunc erat maxima illa de omni orbe ad Christi imperium adjungendo apostolorum solicitudo? Ubi doctorum certamina cum haereticis? Ubi exercitus martyrum? Ubi virginum chori? Ubi agmina monachorum? Quare cum majora nostrorum et praestantiora sint merita, non est iniquus Deus, qui eos primos ex novissimis facit, et iis, qui primi vocati fuerant, anteponit.

Sed si haec ita sint, cur qui primi ad vineam venerant amplius laboravisse, et pondus diei et aestus pertulisse se jactant? Nimirum, auditores, quia vere ipsi amplius laboraverunt; tametsi res minus egregias, minusque arduas gesserunt. Siquidem undecimae horae operarii majori felicitate atque alacritate gravissima maximaque onera, quam ipsi res quasdam leves et exiguas ferre potuerunt. Id vero ex eo natum est, quod Spiritus sancti gratia multo copiosior et uberior apostolis et apostolicis viris, quam antiquorum temporum hominibus donata est. Porro divinam gratiam excellentissimorum et Deo gratissimorum operum radicem atque originem esse quis vestrum ignorat? Quis apud apostolum aliquando non legit: *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem* (scilicet solum) *sed gratia Dei mecum.* Nam quemadmodum ille, qui plaustrum habet, facillime maxima onera de uno loco ad alium ferre potest, quae alius, qui plaustrum non habet, ne movere quidem valeret: sic etiam, qui magna Dei gratia praeditus est, et maximo ardore charitatis flagrat, sine labore laborat, et nihil arduum, nihil difficile esse putat, quod illi amor imperat aut suadet. Hoc est igitur singulare privilegium evangelii, haec nostrorum temporum beatitudo, ut minus laborantes magis ardua et laboriosa opera faciamus.

Quae nostra beatitudo illustrissima quadam figura in veteri Testamento adumbrata fuit. Nam cum Hebraeorum imperator Moyses duodecim exploratores in regiones Palaestinae misisset, illi cum ad suos reverterentur, magnum quemdam palpitem cum suis unis praedicerunt, et eum vecti appensum super humeros duorum hominum imposuerunt. Illi igitur qui palmitem cum suis uvis in eo pendentibus ferebant, quorum unus praecedebat, alter sequebatur, novi ac veteris testamenti patres significabant: palmes autem ipsum Dei filium servatorem nostrum in cruce sublatum designabat. Comparata nunc, auditores, eum, qui praecedebat cum eo, qui sequebatur, hoc est, eum qui veteris testamenti personam gerebat, cum eo, qui novi testamenti patres significabat. Uterque quidem onus ferebat; sed ei, qui sequebatur palmes proumbraculo erant, eumque a Solis ardore defendebat. Rursum, si eum esurire vel sitire contingisset, palmes erant ad manum unde uvas decerpere, et seipsum reficere ac recreare poterat. Itaque non ei grave illud onus videbatur, quod commodis ac solatiis levabatur? At is qui praecedebat non solum pondus illud sed etiam aestum, et famem; et sitim et lassitudinem ferebat. Nam nec ventrem pascere, nec oculos oblectare uvis, quas portabat ei licebat. Ad eumdem modum nos, qui post Christi adventum ad fidem vocati sumus, tametsi res arduas credere, res arduas sperare, res arduas gerere debemus; tamen tanta gratiae divinae copia, et Spiritus sancti muneribus donati sumus, tot adjumenta sacramentorum et divinorum voluminum aliarumque rerum maximi solatii habemus, ut plane suave Domini jugum et onus leve esse fateamur. Qui vero Christi adventum praecesserunt ita onere legis premebantur, et auxiliis, quae commemoravimus, destituti erant, ut pondus diei et aestum portavisse quodammodo conquerantur. Et nihilominus uni eorum murmuranti jure ac merito paterfamilias ait, *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum*, Numquid liberalitatem injustitiam vocas? et bonitatem iniquitatem appellas? Placuit mihi, qui Dominus sum, et nemini quicquam debeo, istis, quos undecima hora vocavi, gratiam uberiorem largiri, et eos benevolentia singulari complecti, ut hac ratione praestantioribus virtutum operibus eniterent; et ego illos praemiis amplioribus donare possem.

Sic igitur erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi, hoc est, multi sunt, qui omnibus aetatibus et ex omnibus locis ad laborandum in hac vinea vocati sunt, et in regno coelorum aeterna beatitudine perfruentur; sed pauci sunt, quos singulari privilegio Deus elegit, ut in ipso tempore gratiae, et jam evangelio coruscante ad vineam operarii mitterentur. Haec igitur habui, quae de hac parabola pro temporis brevitate dicerem. Nunc ad nos ipsos veniamus.

Equidem, auditores, ego vehementer timeo, ne multi sint hic inter nos, qui laborandum in hac vinea conducti sunt, et se strenue laboraturos promiserunt; et tamen ita se gerunt, ut eis optimo jure Dominus dicere possit, *quid hic statis tota die otiosi*? Quid? hic vinea Domini otiosi statis? crimen erat otiosi esse in foro, quid erat in vinea? Ad laborandum venistis, locum aliorum occupatis, et otiosi manibus complicatis alios laborantes aspicitis, et ipsi non laboratis? O quam multi operarii dici volunt, qui verbarii potius, quam operarii sunt. Nemo seipsum fallat, non verbarii, sed operarii mercedem accipient. *Voca*, inquit, *operarios, et redde illis mercedem. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum.* Illi etiam, qui solum quaerunt, quae sua sunt, et non quae Jesu Christi operarii quidem sunt; sed agri sui, non vineae Domini. Certe operarii, quos ad vestros agros colendos vos conducitis, totum diem laborant vobis, ita ut vix unam horam, ut corpus curent, assumant sibi: et nisi id faciant, mercedem a vobis petere non audent. Et nos Dei operarii dici volumus, et maximam partem diei propriis negotiis procurandis conterimus. Longe aliud, auditores, nos apostoli et apostolici viri facere docuerunt, qui cum intelligerent se Dei operarios esse non posse, si omnibus aliis negotiis valedicerent, totos se ad hanc vineam colendam, rebus omnibus, quibus distinebantur intermissis, contulerunt.

Neque dicat aliquis, Mihi vineae cura commissa non est: Ego neque pontifex, neque pastor, neque concionator: Omnes enim qui in Ecclesia Catholica sumus, ad laborandum in vinea conducti sumus. Omnes si non verbo, certe exemplo ecclesiam universam juvare, et si non sermonibus, certe operibus concionari debemus. Omnes item animae propriae vitem omni studio ac diligentia excolere, et ejus curam agere omnes tenemur. Non possumus autem duobus Dominis servire: non possumus in in vinea Domini strenue laborare et animae salutem diligenter quaerere; et simul nostris divitiis comulandis onoribus augendis et explendis libidinibus incumbere. Quare non possum, auditores, non vehementer timere, ne illud de nobis aliquando dicatur, *erunt novissimi primi, et primi novissimi*: et accidat nobis, quod gallinae atque accipitri evanire videmus. Accipiter enim dum vivit nobilium hominum manibus gestatur, cibariis optimis nutritur, in ipso Domini sui cubiculo locum habet. Gallina vero si vel semel e stabulo egrediatur, et in cubiculum aliquod ingrediatur, continuo clamatur post eam, et exire compellitur. Verum in morte res omnino alio modo se habet. Accipiter enim cum moritur in cloacam proiicitur; gallina vero argenteis vel aureis patinis inclusa ad mensam Domini cum honore defertur. Pari ratione, auditores, nos qui sapientiae operam damus, de rebus divinis, de angelis, de Deo disserimus, in atriis Domini pene semper versamur, sacramenta coelestia pertractamus, primi sumus et domestici ac familiares Dei esse videmur. Multi vero reperiuntur homines illiterati, expertes doctrinarum, simplices, rudes, qui tametsi interdum magno fervore charitatis flagrant, et velut foecundae gallinae ova multa bonorum operum pariunt; tamen novissimi pene ab omnibus judicantur: et si semel gymnasium aliquod aliquo ingrediuntur, sibilis, et pedum supplosionibus expelluntur. Sed veniet tempus,

quando multi novissimi fient primi, multi primi novissimi. Multi enim sapienter indocti, et scienter ignari, qui nunc despiciuntur, contemnuntur, nihil fiunt, ad Antonios, Paulos, Benedictos, Franciscos in coelum ab angelis portabuntur. Multi vero, qui scientiae vento inflati super nubes, ut accipitres volant, ad Aristoteles et Galenos in gehennam pergent. *Surgunt indocti*, ait beatus Augustinus, *et rapiunt coelum, et nos cum nostris doctrinis demergimus in infernum.* Ecce quomodo volutamur in carne et sanguine, ebrietati studemus, comessationibus operam damus, in rebus, quae ad corpus pertinent solliciti, in iis, quae ad Dei honorem et animarum salutem spectant, pigri ac dissoluti sumus, *sic igitur erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Quae cum ita sint, auditores, si ubique primi, ubique Dei familiares et domestici esse cupimus, cum gallinae humilitate et foecunditate accipitris velocitatem et nobilitatem conjungamus et sic hic terris gratia et coelis gloria apud Deum primi erimus, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XVIII.

DE DOMINICA SEXAGESIMAE

THEMA

Ne magnitudo revelationum ex tollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me: et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. *Cor.* 12.

SYNOPSIS

Providentia Dei in servandis electis suis a periculo praesumptionis et pusillanimitatis, navis gubernatori assimilatur. Quid sit revelare. Revelationem esse triplicem, sensibilem, spiritualem et intellectualem; quarum omnes s. Paulus habuit, ut quibus unis Evangelium suum acceptum ferat. Magnam differentiam esse inter sapientiam divina revelatione et humana doctrina acquisitam. Divina dona, quorum alioquin non extollere sed humiliare, aliquando ex depravata humana natura ad superbiam inflare. Diabolus duplici de causa stimulo confertur. Quomodo Deus malorum tentationibus ad suorum gloriam semper utatur et usus fuerit, exemplis demonstratur.

Tentationes esse colaphos daemonis, quarum remedia sunt oratio et corporis mortificatio. Quantopere Deus gaudeat nostra perseverantia in oratione; et quomodo aliquando exaudit ad utilitatem, non ad voluntatem orantis. Virtus in infirmitatibus quomodo perficiatur. Sanctos infirmitatibus gloriari solere, secus quam faciant filii hujus saeculi. Tandem ad judicia mundi contemnenda et soli nutui divino obsequendum brevis exhortatio concludit.

Epistola hodierna tota quidem pulcherrima est, sed tamen prolixior, quam ut spatio semihorae explicari possit. Quocirca elegi postremam partem, quod ea mihi utiliorem doctrinam continere videatur. Docet enim apostolus quam admirabili providentia Deus utatur in electis servis suis ad portum aeternae salutis dirigendis. Nam quemadmodum periti navium gubernatores, si navim suam nimis levem esse et nimis super aquas extare videant, ut periculum sit, ne aquolibet vento quamvis exiguo facile evertatur, eam arena et lapidibus graviorem efficiunt: si vero contra nimis onustam et demersam in aquas esse animadvertunt, ut vel progredi non possit vel inter fluctus et procellas graviter periclitetur, parte aliqua oneris et mercium in mare projecta eam relevant, atque hac providentia tandem integra in navim, incolumes homines, et salvas merces ad portum deducunt. Ita quoque Deus navim animarum, corporumque nostrorum simili providentia inter periculosos fluctus magni, et ut plurimum turbati maris saeculi hujus, ad portum salutis dirigit. Duo magna pericula imminent servis Dei. Unum ne nimirum deprimantur, alterum ne nimium extollantur. Tunc deprimuntur nimium, cum in tentationibus et tribulationibus animum despondent, et desperantes posse se daemonum, et carnis ac mundi, tam multis, et tam gravibus et tam assiduis tentationibus, et partim apertis, partim occultis diu resistere, a spiritu pusillanimitatis et desperationis absorbentur, atque ab alto virtutum cadentes, haerent deinceps in profundo, et in luto aquarum multarum, animumque adiiciunt ad bona caduca et fluxa, quae ante contempserant. Quid tunc facit Deus? Relevat nonnihil navem, donat illis consolationem aliquam spiritalem, interdum etiam visionem aut revelationem aliquam, ex qua admonentur, non defuturam Dei gratiam, brevi et tempestatem cessaturam. Itaque hoc modo eriguntur in spem bonam, et dicunt cum propheta; *Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate.* Qui vero si semper consolationibus fruerentur, extollerentur nimium, extarent nimis super aquas, putarent nimis super aquas, putarent se caeteris meliores, ac periculum esset ne a vento superbiae, qui maxime dominatur in hoc mari, tandem everterentur; propterea Deus addit aliquid arenae et lapidum, eis tentationes et pugnas, et aliquando etiam sinit eos in parvis certaminibus vinci, ut intelligant, se non suis viribus, sed auxilio Dei vincere et superare majora. Hanc igitur providentiam Dei circa se b. Apostolus agnoscebat cum diceret: *Et ne magnitudo declarationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis*

meae angelus Satanae, qui me colaphizet. Jam singulas partes hujus sententiae consideremus.

Ne magnitudo revelationum. Quid est revelare? Nihil aliud, quam mysteria alioqui occulta et secreta, et quasi velo quodam cooperta aperire. Ponamus exemplum: Si Deus alicui dignetur ostendere, quid sit in posterum futurum, quod sane per se est occultissimum, verbi gratia, quis erit post centum annos status Ecclesiae; a quibus hominibus regna et imperia gubernabuntur; utrum deficient haereses, an crescent. Pari ratione si Deus aperiat alicui servo suo quid cogitent, vel quid cupiant alii, et utrum boni sint an mali, vel quae sit veritas alicujus arduae quaestionis de qua multum inter homines ambigitur, is procul dubio revelationem divinam habere, vel habuisse dicetur.

Porro tribus modis misteria sua Deus revelat. Quaedam enim est revelatio, quae ad sensus corporeos pertinet, et sensibilis dici potest, qualem habuerunt Abraham, Loth, Jacob, Gedeon et alii, qui angelos in forma corporea corporeis oculis viderunt, et per eos, quae futura erant, divina revelatione cognoverunt. Quaedam vero pertinet ad imaginationem, et spiritalis appellatur, qualis fuit Pharaonis et Nabuchodonosor: quorum priori similitudine septem spicarum plenarum, et septem spicarum inanium, ventura ubertas et penuria a Deo revelata fuit; posteriori vero similitudine statuae mutationes regnorum summorum Deus revelavit. Quaedam postremo ad ipsam mentem atque intelligentiam pertinet, quales fuerunt multae revelationes Moysis, ut ex c. 12. lib. Num. intelligi potest: atque hanc postremam et sublimissimam revelationem intellectualem b. Augustinus vocat: qui secundum ista tria genera revelationum tres coelos distinxit, quos apostolus Paulus in hac ipsa epistola se transcendisse commemorat: Habuit enim ipse omne genus revelationis, ut merito dicere posset, *ne magnitudo revelationum extollat me*: sensibilem habuit, cum ei in Damascum iter facienti Christus apparuit, et vocem illam Domini corporeis auribus audivit, *Saule, Saule, quid me persequeris*? Spiritalem habuit cum ei per quietem angelorum ministerio apparuit vir Macedo, deprecans eum, et dicens: *Transiens in Macedoniam adjuva nos.* Illo enim modo Deus ei revelavit, ut b. Lucas testatur act. 16. velle se ut in Macedoniam ad praedicandum proficeretur. Aliam quoque spiritualem revelationem habuit tempore cujusdam naufragii, cum ei per quietem Angelus apparuit ac dixit; *ne timeas Paule, Caesari oportet te assistere, et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.* Porro intellectualem revelationem tunc procul dubio habuit, cum usque ad tertium coelum raptus audivit arcana verba, quae non licet homini loqui. Quis enim vel suspicari possit, quam multa, quam magna, quam abstrusa, quam secreta mysteria de Trinitate, de Christo, de Ecclesia in illo raptu viderit vel audierat? Tam sublimis ista una revelatio fuit, ut licet multas alias saepe habuerit, tamen propter istam unam praecipue dicat, *ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet.* Neque vero quatuor istas dumtaxat divinas revelationes apostolus habuit, sed multas praeterea alias. Nam omnem scripturarum intelligentiam, omnia Christi mysteria, omnem denique theologiam divina revelatione habuit. Quod enim ad pedes Gamalielis dicerat, pene nihil erat ad eam sapientiam, qua postea praeditus fuit. Itaque ipse idem ad Galatas scribens, *notum*, inquit, *vobis facio evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi.*

Tantum vero interest inter sapientiam, quae habetur a Deo per revelationem, et eam, quae habetur ab homine per doctrinam, quantum inter diem et noctem. Est enim ista humilis et obscura, laboriosa, aspera; et quod infelicius est, saepe multis et magnis erroribus admista: Illa vero tota lucida, tota facilis, tota jucunda *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum.* Talis fuit sapientia magni Antonii, qui literas non noverat, et tamen summos philosophos et rethores, b. Athanasio teste, disputando superavit: talis fuit d. Francisci, de quo quidam ejus temporis doctissimus, testimonium praebuit; *Vere*, inquit, *hujus patris scientia instar aquilae pennis in sublime fertur, nostra graditur humilis super terram.* Talis fuit magna ex parte b. Bernardi et d. Thomae, quorum uterque plus didicit orando, quam legendo. Id quod propter adolescentes sapientiae studiosos dixerim, ne forte putent se tempus studiorum suorum amittere, cum orationi et meditationi dant operam: non amittunt, sed lucrantur. Plus enim discit hora, qui animum per orationem purgandum et illustrandum divino lumini saepe offert, quam alioqui disceret decem diebus. Sed ad propositum redeamus.

Ne magnitudo, inquit, *revelationum extollat me.* Non est natura revelationis, ut hominem in superbiam extollat: sed contra potius dona Dei hoc proprium habent, ut semper animum humiliorem efficiant. Habetis exemplum in arboribus, quanto enim magis crescunt in arbore poma, vel numero vel magnitudine, tanto arbor ramos suos deprimit ac demittit ad terram: ita sancti homines quanto plura et majora recipiunt dona Dei quanto plures et majores fructus operum bonorum in eis, et per eos Spiritus sanctus producit, tanto ipsi magis fiunt humiliores, et magis obligatos atque astrictos sentiunt divinae bonitati. Aspicite Virginem Deiparam, quae tamquam arbor foecundissima his sanctis fructibus onustissima erant: quam profunde ramos suos inclinat; *Magnificat anima mea Dominum: et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem ancillae suae.*

Unde igitur fit, ut saepe ex donis Dei homines superbiant? Ex corruptione naturae, quae ita depravata, et ad seipsam conversa per peccatum est, ut immoderatam gloriam propriam quaerat: et si quid boni habet, persuadet sibi se a se bonum illud habere, ac dicit; *Labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* Verum benignissimus Pater noster, qui figmentum nostrum optime novit,

nec ignorat, quoniam pulvis sumus, etiam huic morbo remedium optimum adhibet, cum assidue nos flagellat: et hoc est quod sequitur in apostolo; *Datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet.* In quibus verbis duae sunt pulcherrimae metaphorae. Primum enim daemonem comparat stimulo, idque propter duos stimuli effectus. Nihil enim aliud hoc loco stimulum vocavit, quam baculum praeacutum. Est enim in codice Graeco σκολοψ, quod non tam stimulum, hoc est, lignum ferro in extrema parte armatum, quam baculum ut dicebamus, praeacutum significat. Satan igitur ejusmodi baculo comparatur: primum quidem, quia sicut patres in terris, posteaquam baculo liberos suos pro aliquo scelere puniendos usi sunt, eum in ignem proiiciunt: ita quoque Pater noster coelestis utitur quidem daemone et angelis ejus, improbisque hominibus tamquam baculo, ut servos ac filios suos electos aliquando puniat, sed eos postea tamquam ligna arida et inutilia in ignem aeternum proiicit. Deinde, quia sicut stimulus acutum illud lignum, quantum est ex se nihil novit nisi ferire, pungere, nocere; et tamen homo, cujus est regere et movere baculum, utitur illa molestia, illa punctione, illo vulnere in bonum ejus, qui pungitur et feritur, nimirum ut celerius currat: pari ratione Deus noster vidit Satanam a se recepisse, propriaque voluntate impium, superbum, invidum, nocendi cupidum, denique stimulum quemdam effectum, nihil aliud moliri quam ut homines vexet, pungat, ferat, in desperationem primum, et deinde in gehennam praecipitet. Quid fecit Deus? Ait quodammodo intra se. Ego quidem possem nullo negotio omnes conatus hujus ferocissimae belvae impedire, stimulum istum retundere, et frangere possem, sed melius erit, ut permittam Satanam saevire et tentare quantum velit, et in ejus confusionem illis ipsis molestiis et tentationibus utar ad servos meos illustrandos, et usque in coelum evehendos. Ista est sapientia ac providentia admirabilis Dei nostri: quia sicut medici ex ipsa vipera, quae est animal venenatissimum et nocentissimum, medicamentum faciunt optimum et potentissimum contra venenum: ita Deus ipsis tentationibus daemonum, quae traherent homines in gehennam ipse in meritum et gloriam eorumdem hominum convertit. Filii Jacob a daemone incitari vendunt fratrem suum Joseph, et Deus illa ipsa venditione utitur ad Joseph illustrandum, et Dominum totius Aegypti, nec non fratrum suorum constituendum. Saul Davidem persequitur, ut eum de medio tollat, et Deus illis persecutionibus utitur, ut Davidem celebriorem et clariorem reddat. Judaei a daemone acti Christum morte turpissima interire faciunt, ut non solum corpus; sed etiam nomen et famam ejus simul extinguant; et Deus ipsa cruce et passione utitur ad Christum exaltandum, mundum redimendum, Satanam confundendum, infernum claudendum, coelum aperiendum; ipsam vero crucem vertit in decus et ornamentum maximum, ita ut etiam reges et imperatores eam in fronte gerant, eaque muniri et insigniri glorientur. Ita igitur sanctum Job, apostolum Paulum, martyres, virgines, sanctos, denique omnes daemones tentationibus afflixerunt, ut eis multum nocerent, et gratia Dei effecit, ut illae ipsae tentationes multum eis prodessent, ut eos tamquam stimuli ad currendum versus patriam coelestem vehementius incitaret. *Multiplicatae sunt*, inquit David, *infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* et b. Gregorius, *mala quae hic nos premunt, ad Deum ire compellunt.* Verum nos miseros saepe stimulus iste non tam procedere quam retrocedere facit. Vidistis aliquando malos quosdam equos, qui quanto magis flagello et calcaribus feriuntur, tanto ipsi magis retrocedunt? Tales nos saepenumero sumus, qui cum deberemus flagellis erudiri, et proficere, atque ad Deum ferventioribus studiis accedere, nos contra ad impatientiam vertimur, et novis peccatis longius a Deo recedimus.

Jam vero altera metaphora est in illa voce, *colaphizet. Datus est*, inquit, *mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet*: Comparat enim elegantissima similitudine tentationem colaphis. Nam quemadmodum colaphi non tam dolore, quam pudore afficiunt; ita tentationes animas castas et puras maxima quadam verecundia et rubore afficiunt. Si sponsa aliqua pudica et casta, coram sponso, quem valde diligit, et a quo vehementer diligitur, ab aliquo lenone sollicitaretur, an non maximo pudore suffunderetur? Ita quoque animae sanctorum, quae perpetuo Deum ante oculos intuentur, cupiunt toto animo puritatem, et nihil in se videre, quod Deo displiceat; et tamen aliquando pati coguntur fedissimas cogitationes: cupiunt spiritus paupertatem, et tamen aliquando ingerunt se cogitationes, et desideria pecuniarum: cupiunt veram humilitatem, et tamen aliquando sentiunt motus superbiae et inanis gloriae exoriri; ista omnia quid sunt aliud, quam colaphi daemonis, qui licet non noceant, si eis non consentiamus; tamen rubore afficiunt, et tanto rubore, ut b. Benedictus maluerit inter spinas jacere, et d. Franciscus in nive tempore frigidissimo volutari, et sancti caeteri res gravissimas pati, quam cum isto rubore vivere. Dicebat aliquando b. Franciscus, tolerabilius viro spirituali sine comparatione aliqua, maximum frigus sentire in carne, quam vel modicum ardorem libidinis carnalis in mente.

Sed si haec ita se habent, quid de illis dicemus, quorum animae frontem habent meretriciam et non solum ad huiusmodi turpes cogitationes non erubescunt, nec sibi indignantur ut deberent; sed etiam delectantur in eis, et cum spiritu fornicationis lenone foedissimo libenter loquuntur? neque id solum, sed etiam per tripudia, et lascivas cantiones et oculorum petulantium eiusmodi cogitationes procurant? Sane ejusmodi animae non sponsae Christi, sed scorta daemoniorum sunt.

Sed quod remedium contra colaphos diaboli? Multa sunt remedia. Utinam eis uti vellemus: sed praecipuum est reddere colaphos colaphis. Daemon te colaphizat, tu colaphiza daemonem. Quomodo fiet istud? Duobus modis, asperitate corporali et oratione. Non legistis de illo sancto patre apud Palladium, qui cum tentaretur a daemone, ipse intolerabiles labores corporales subibat. Interrogatus vero cur hoc faceret, respondit, *Vexo vexantem*

me. Vere enim terretur daemon, et erubescit ad jejunia, ad cilicia, ad orationes sanctorum. Utrumque remedium apostolus Paulus adhibebat. De priori habuimus dominica praecedente. *Castigo corpus meum et in servitutem redigo*. De posteriori habemus hodie. *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me: et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea*. Ter Dominum oravit, sicut etiam Dominus in horto ter oravit, tum ut intelligamus perseverantia in oratione opus esse; tum etiam, quia *Deus* licet *magnus Dominus sit, et rex magnus super omnes Deos*, non tamen fatigatur audiendo. Imo potius cupit, ut saepe ad ejus colloquium accedamus, idque propter nostrum bonum. Nostrum enim est bonum accedere, sicut bonum ejus, qui friget, est ad ignem accedere. Itaque sicut tu, si cuperes cum aliquo saepe colloqui propter eius bonum, cum ille veniret ad te negotii alicujus causa, tu eum diu aliis sermonibus detineres et postea diceres, jam non superest tempus, ut negotium tuum expediamus, sed cras redeas: Sic et Deus ideo prima vice negotium non expedivit, ut etiam secundo apostolus rediret: neque rursum secundo, ut etiam tertio rediret. Tertia vero vice tandem expedivit, ne spem fortasse amitteret, atque animum desponderet.

Sed quid ei respondit? Non dixit, Esto liber a tentatione; sed *Sufficit tibi gratia mea*. Exaudivit quidem apostolum, sed ad utilitatem, ut b. Augustinus loquitur, non ad voluntatem: non dedit quod petebat, quia non expediebat; sed aliquid aliud multo salubrius et utilius, nempe magnam gratiam qua non solum tentationi non cederet, sed etiam eam vinceret ac superaret, et ex ea gloriosissimum nobilissimumque triumphum reportaret. Itaque ait, *Sufficit tibi gratia mea*; et rationem reddens subjunxit, quia *virtus in infirmitate perficitur*. Scio multis modis sententiam istam a sanctis patribus exponi, sicut etiam multas ex superioribus; sed temporis angustiae me premunt, atque ad exitum festinat oratio.

Ad quem igitur modum *virtus in infirmitatibus perficitur*? Plane ad eum modum, quo a sapientibus imperatoribus, ea pars murorum vel castrorum magis munitur, ad quam saepius hostes accedere solent. Vult Deus aliquem servum suum excellere laude castitatis: quid facit? Permittit eum vehementer tentari a spiritu luxuriae, ut eo modo sit cautior, fugiat pericula, quaerat remedia: nec solum quaerat, sed etiam adhibeat. Idem de fide, de patientia, de humilitate aliisque virtutibus intelligendum est. Illos enim legimus in aliqua virtute magis enituisse, qui de vitio ei virtuti contrario, magis tentati fuerunt. Nec mirum: maiori vigilantia, majori studio, maiori sollicitudine eam virtutem tanquam partem murorum debiliorem, et saepius ab hostibus tentationum arietibus pulsatam custodiebant, vallabant, communiebant. Atque hinc demum nascebatur, ut tanta utilitate perspecta, cum apostolo in infirmitatibus suis gloriarentur.

Libenter igitur, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. Quid est in infirmitatibus gloriari? Nihil aliud, quam inde gaudere et animari, unde mundus dolet, et animum deiicit. Filii hujus saeculi tunc excitantur, et animantur, cum omnia prospere succedunt, cum ab hominibus magni fiunt, cum vident se laudari et praedicari. At servi Dei contraria via incedunt, in infirmitatibus, in tentationibus, in contumeliis, in afflictionibus gloriantur. Et quanto magis se ab hominibus hujus mundi contemni et conculcari animadvertunt, tanto ipsi majorem animum sumunt proficiendi in via Domini. Intelligunt enim tunc magis se Deo placere, cum magis displicent mundo, et cum magis displicet eis mundus.

Hanc viam, optimi auditores, si sapimus, ingredi debemus, non magni facientes quid de nobis sentiat, aut cogitet aut loquatur mundus. Nonne Apostoli *tamquam purgamenta*, et quasi *omnium peripsema* erant in hoc mundo? et tamen eos Deus columnas praecipuas in domo sua esse voluit, eos elegit, quibus mysteria sua revelaret, per quos mundum totum illustraret, per quos principes ecclesiae constitueret. Quicquid homines dicant tantus est unusquisque, quantus est apud Deum, non maior aut minor: falsa sunt et temeraria hominum judicia. Quare demus nos operam, ut apud Deum probati et perfecti inveniamur, et hic in terris gratiam, in coelis gloriam veram et sempiternam consequamur, per Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO XIX.

DE DOMINICA QUINQUAGESIMAE

THEMA

Si linguis hominum loquar et angelorum: charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, etc. 1 *Cor.* 13.

SYNOPSIS

Ignorantiam bonorum verorum omnium malorum radicem esse, ex perversis hominum judiciis patescit. Eloquentiam multis parasangis a charitate superari. Concionatores malae vitae et exempli sonantibus campanis assimilantur. Charitati omnem sapientiam omnem scientiam cedere, ut quae sola signum sit, quo filii Dei agnoscimus. A majore ad minus deinde probatur, temporalia bona sine charitate prorsus nil esse: ubi divites et pauperes pomis diversis conferuntur. Charitatem quoque actus omnes heroicos per se relinquere. Deinde impulsa quorumdam objectio diluitur. Quid sit, et quibus notis cognoscatur charitas, cujus principium et finis est ipse Deus, Quomodo eadem charitas sesesuis effectibus evidentissime prodat et probet, qui sunt, bene agere et mala pati. Tandem ad charitatis studium serio invitamur, et incitamur.

Altera concionis pars reddit rationem, cur Ecclesia hoc die nobis tantopere commendet charitatem; ut scilicet fures, qui illam nobis auferre conantur aut vitemus aut tollamus. Qui vero illi furunculi sint, jucundissima indicat parabola filiae cujusdam nobilis, (quae est hominis anima) quam quinque diversi proci, id est, sensus externi, matrimonio sibi jungi cupiunt, quod illa spreto regis filii connubio sequitur, praeter et contra matris voluntatem. Denique auctoritatibus tum sacris tum profanis in chorearum lasciviam invehitur auctor.

Apostolus tamquam medicus peritissimus plagas animorum nostrorum curaturus, non tam varios multiplicesque dolores nostros considerat, quam ad ipsam radicem morbi, unde languores omnes nascuntur, medicamentum adhibet. Quaenam est radix morborum aegritudinumque nostrarum? Non alia quam crassa quaenam ignorantia, vel potius caecitas, qua pluris facimus minora, quam majora bona. Bona animi tantum bonis corporis praestare, quantum animus praestat corpori, extra controversiam est. Videmus tamen quotidie homines omnium generum, aetatum, sexuum, conditionum pro bonis corporis, vel acquirendis, vel conservandis nihil non facere: de bonis animi majorem partem hominum fere nihil curare. Rursum inter ipsa animi bona, cum quaedam sint speciosa, sed inania, si sola sint, ut eloquentia et sapientia: quaedam optima et utilissima, ut charitas, humilitas, castitas, virtutes caeterae: videmus homines priora bona, bona apparentia, sed non existentia, floribus, quam fructibus, similiora, maximo studio consectari, posteriora, quae vera et solida sunt bona, et ad illud bonum perducunt, ubi est omne bonum, plerumque negligere. Quid non faciunt aliqui, ut variarum linguarum peritiam acquirant? Quos labores non superant, quos sumptus non faciunt, quas peregrinationes non suscipiunt, ut ad eximiam eruditionem aliquam, vel in jurisprudentia, vel in arte medicinae vel in ipsa philosophia aliquando perveniant? At ut charitate et gratia Dei, qua nihil in hoc mundo salubrie et pretiosius habere possumus, excellant, non solum plerique nihil faciunt, sed ne cogitant quidem unquam aliquid facere. Certe si interrogarem multos eorum, qui hic adsunt, an cupiant excellere sapientia, non dubito quin responderent, cupimus et vehementer. Si rursum quaererem, an cupiant excellere charitate, fortes dicerent, si verum vellent dicere: Sane numquam cogitavimus, an velimus excellere charitate. Quot sunt praeterea, qui non parcunt frigori, nec vigiliis, atque ad multam noctem legunt Aristotelem, vel Ciceronem, vel etiam Augustinum et Hieronymum, ut docti, eruditi evadant, quibus forlastasse numquam persuaderemus, ut totidem horas, si non semper, saltem aliquando, consumerent in oratione, ut ignem charitatis in suis pectoribus magis accenderent? Et tamen certo scimus, solam

charitatem aurum esse ignitum, quo emitur regnum coelorum : sapientiam et eloquentiam, si a charitate sejungantur, non prodesse, sed obesse. Istam igitur tam periculosam et perniciosam plagam caecitatis, qua nos pueri cupimus magis nuces et poma, quam aurum et gemmas, parva magnis, corporalia spiritualibus, temporalia sempiternis anteponimus, apostolus curare volens, ostendit hodie, nihil penitus esse, quod cum charitate comparari possit, non eloquentiam, non sapientiam, non opera alioqui heroica et illustria. Atque eloquentiam quidem audite, quibus verbis prae charitate deprimat, atque deiiciat, et semper mementote apostolum esse, qui loquitur, raptum usque ad tertium coelum, cui tuto et sine ullo metu fidem adhibere possumus: *Si linguis*, inquit, *hominum loquar et angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens.* Primum non ait, Si lingua hebraica, graeca, latina aut aliqua alia, sed si linguis hominum, hoc est, si omni genere linguarum, quibus toto orbe homines utuntur, neque id solum, sed etiam si omnibus linguis omnium angelorum, qui verbis non corporeis, sed spiritalibus conceptiones et cogitationes exprimunt suas, et sine ulla comparatione multo clarius, celerius, efficacius, dulcius loquuntur, quam homines: si, inquam, his omnibus linguis ego unus disertissime, ornatissime, suavissime, efficacissime loquar, ita ut quicquid velim facile persuadeam, admirationi et stupori sim omnibus, miraculum orbis, et Deus quidam inter homines esse videar ; si charitas absit, nihil sum aliud quam aes resonans aut cymbalum tinniens.

Quid est aes resonans? Monstrum admirabile, simul surdum et loquax, quis inquam vidit hominem ab infantia surdum et non mutum? An portentum non esset, videre hominem, qui nihil unquam audivisset, et tamen semper loqueretur? Tale monstrum est campana surdissima et loquacissima : loquitur aliis, vocat ad conciones, ad lectiones, ad arma ; et tamen ipsa non audit seisam, nec intelligit quod loquitur, et ne semel quidem descenderet ad orationem audiendam. Tale monstrum sunt omnes concionatores, qui excellunt eloquentiam, sed non charitate : loquuntur aliis, sed non sibi: istant in loco sublimi, clamant e suggestu, tamquam campanae ex turribus, et ipsimet nihil aliud faciunt, nec intelligunt, similes sunt fistulis, quae nihil habent praeter vocem, quod aliquando Demostheni Aeschines objecit : totum enim corpus earum nihil est aliud, quam collum : tolle vocem, nihil valent: tolle collum, nihil sunt. Quid praeterea habet aes resonans? Sonitum inanem, terret, sed non laedit, quando bombarda sine globo tormentario solo pulvere onerata disploditur, edit sonitum maximum, sed interim moenia et turres non cadunt: ita prorsus qui sine spiritu, sine effectu, sine charitate concionantur, feriunt quidem audientium aures sonitu verborum ; sed nequaquam deiiciunt turres vitiorum. Itaque eloquentia, vel cum charitate conjungenda est vel nihil valet.

Sed parum esset, si sola eloquentia, et non etiam sapientia sine charitate esset inanis : ideoque ulterius pergit apostolus, et ait, *et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam : Etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam ; charitatem autem non habuero, nihil sum.* Vide, quo paulatim ascendit et omnia subiicit charitati. *Si habuero*, inquit, *Prophetiam*, hoc est donum praevidendi futura, vel donum explicandi scripturas, juxta illud apostoli Petri, *omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit*: vel etiam utrumque neque id solum, sed etiamsi *noverim mysteria omnia*, hoc est, non solum spiritu prophetico aliqua mysteria futura praevideam, sed omnia, quicquid Deus unquam facturus est; vel non solum possim aliquam partem scripturarum exponere, sed omnia mysteria quamvis abdita et recondita : neque scripturarum dumtaxat cognitionem habeam, sed *omnem* praeterea *scientiam*, tam divinam, quam humanam quantam Salomon et Moyses, omnes prophetae, omnesque angeli habuerunt; addo etiam tantam fidem, ut signa et prodigia edere, atque adeo montes solo verbo, atque imperio transferre possem; si haec omnia mihi uni suppetant, et sola charitas non suppetat, non dico parum sum, sed nihil penitus sum. Quamobrem? Quia omnia ista sine charitate mortua sunt. Accipe hominem aliquem procerum, pulchrum, robustum, sanum, vestitum serico, ornatum auro, et gemmis, cujus manus, pedes, oculi totum corpus, omnia membra, omnes partes summam inter se proportionem habeant ; denique Sampsone fortiorem, Salomone sapientiorem, Absolone pulchriorem, Augustino feliciorem: quid quaeso erit, si animam tollas? Certe nihil erit. Nam nec homo dici poterit, sed statua potius vel simulachrum mutum : imo minus quam simulachrum: simulachrum enim super pedes suos stare potest, nec se aut alia facile corrumpit. At homo mortuus stare non potest, et semper foetet, et magis ac magis ad corruptionem tendit, donec tandem in modicum cinere convertatur. Ad eumdem modum, si quis abundet omnibus donis spiritalibus, dono linguarum, spiritu prophetiae, gratia sanitatum, et charitas desit, quae est vita virtutum et donorum, ille coram Deo mortuus est, nihil est. Quemadmodum enim, ut Chrysostomus annotavit, non agnoscimus nos regem ad sericum, vel aurum vel argentum, sed ad purpuram: ita Deus non agnoscit filios suos electos ad prophetiam, ad sapientiam, ad fidem mortuam, ad miracula, quae etiam non filiis communia esse possunt ; sed ad vestem illam nuptialem et purpuream charitatis, qua insignimur, cum haeredes regni coelestis per Christum instituimur.

Quod si dona ista sublimia et spiritualia sine charitate mortua sunt, quid tandem de terrenis et fluxis bonis judicandum est? Dicit aliquis, Ego sum ex illustri familia, habeo tot famulos, tot equos, tot genera vestium, tot beneficia, tot possessiones, mensam semper opiparam, non subsum alicui, facio quod volo. Et ego securus affirmo, si cum his omnibus charitatem non habet, nihil est; et si absque charitate migrat, *melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Mallem ego in aliquo sordidissimo stabulo mancipium abiectissimum et vilissimum esse

et charitate praeditus invenire, quam primus et nobilissimus omnium hominum absque charitate. Totum enim tempus, quo hic vivimus, vix est unus dies nostrae verae vitae, quae non diuturna sed aeterna in alio seculo futura est. Et quid prodest obsecro esse hic primum et nobilissimum ad unum diem, et postea ultimum et vilissimum et infelicissimum in aeternum? Ille qui est primus, nobilissimus ditissimus, pulcherrimus, sed absque charitate. similis est pomis quibusdam, quae exterius videntur pulcherrima, et optime rubent, exhibent suavem odorem; sed intus habent vermem, qui omnia consumit. Qui vero est abjectissimus, vilissimus, pauperrimus, sed cum charitate et gratia Dei, similis est pomis coctis sub cineribus, quae exterius quidem videntur horrida et deformia; sed tolle corticem, et invenies rem optimam et suavissimam. Ita prorsus, Auditores, multos videbitis nobiles, divites, formosos, qui quasi poma pulcherrima, eminent in ramis arborum, sed cum tempore mortis colliguntur, et cortex aufertur, invenitur vermis peccati, inveniuntur animae foetidae, plenae superbia, ambitione, invidentia, odiis, amoribus pravis: denique ad mensam Domini non inferuntur, sed in sterquilinium gehennae suibus Tartareis projciuntur. Contra vero videbitis aliquos, qualis erat Lazarus, ille medicus ulceribus plenus, qui videntur quidem oculis hominum homines nihili, purgamentum hujus saeculi; et interim sunt poma cocta sub cineribus paupertatis, igne tribulationis, et cum per mortem cortex aufertur, invenitur dulcissimum pomum, invenitur anima plena charitate, plena succo, plena virtutibus, plena gaudio, plena pace, plena Spiritu sancto. Itaque statim, instruitur, et quasi conditur saccaro et melle divinae gloriae et mensae summi Regis manibus Angelorum infertur. Ista est felicitas, iste est honor, ista est gloria, quam charitas parit, cujus ambitiosi esse debemus.

Sequitur, *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Non ignoro, d. Hieronymum in commentariis super caput quintum epistolae ad Galatas, de hac sententia disputasse, et pro eo, quod nos legimus *ardeam*, ipsum legisse *glorier*, sicut etiam in codice Graeco legit ipse καυχησωμαι, nos vero, καυθησωμαι: sed parum refert, nam sententia fere est eadem. Certe Chrysostomus et Theodoretus, Theophilactus et caeteri Graeci καυθήσωμαι legerunt. Non solum igitur eloquentia et sapientia, sed etiam heroicis operibus major est charitas. Si distribuero, inquit, facultates meas, non aliquas tantum, ut multi faciunt, sed omnes penitus, ita ut nihil mihi retineam, si non solum mea, sed meipsum quoque pro aliis impendam, nec solum patiar me ad supplicia, ad pericula, ad mortem trahi; sed ispe me offeram, ipse me ingeram, ipse tradam corpus meum, ita ut ardeam, quo nihil sublimius in operibus cogitari potest, si charitas absit, nihil mihi prodest cum his omnibus eleemosynis et heroicis operibus, ignem aeternum non evadam; sicut etiam haeretici, qui necantur et comburuntur procul dubio non evadunt. Nam ut ait b. Cyprianus, *Haeretici mori possunt, coronari non possunt, nec est mors illa fidei corona, sed poena perfidiae.*

Sed dicet aliquis fortasse. Si opera bona sine charitate nihil prosunt, cum animadverto me sine charitate esse, nihil faciam, non orationi, non jejuniis, non eleemosynis, non aliis bonis operibus incumbam, Non ita, Auditores, sed tum maxime, cum in peccatis sumus, bonis operibus insudare debemus, ut Deum placare possumus. Opera siquidem bona, etiam sine charitate illa, de qua loquitur Apostolus, quae filios Dei nos facit, si modo ex animo penitente et fideli proficiscantur, multum omnino juvant; Deus enim tametsi gratiam et charitatem non meritis reddit, sed donat gratis: disponit nos tamen per opera bona ad gratiae et charitatis receptionem. Hinc Joannes Baptista peccatores hortatur, ut faciant fructus dignos poenitentiae. Et Daniel regi iniquo consulit, ut eleemosynis peccata sua redimat: Et Dominus per Isaiam peccatoribus dicit; *Lavamini, mundi estote: quiescite agere perverse, discite benefacere: querite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillos, defendite viduam: et venite et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, sicut nix dealbabuntur, et si fuerint rubra ut vermiculus, sicut lana alba erunt.* Quod igitur Apostolus ait, non sic intelligendum est, quod opera bona sine charitate nullo modo prosint; sed si sola sint, ad meritum vitae aeternae non prodesse. Vere enim, qui sine charitate moritur, cum omnibus suis eleemosynis et jejuniis in gehennam descendit. Quare perspicuum est nihil esse nobilius et excellentius charitate, et eam omnibus rebus aliis sine ulla dubitatione anteponendam.

Sed quidnam est ista charitas? Quae sunt ejus conditiones? Unde cognoscimus, an charitatem possideamus? Charitas, auditores optimi, non facile cognosci potest. Est enim virtus quaedam, de qua philosophi numquam locuti sunt. Nec mirum: Siquidem ejus principium et finis est solus Deus. Virtutes morales labore atque industria humana acquiri possunt; at charitas a solo Deo infunditur. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, inquit Apostolus, *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: Vestis quaedam est charitas ita nobilis et pretiosa, ut non possit aliis manibus fieri, quam Dei summi et sapientissimi opificis. Non est opus hominum vel angelorum. Concurrit quidem liberum arbitrium a Deo excitatum et adiutum, dum anima vestem istam pretiosam induit; non enim, ut Lutherani putant, ita vestitur anima charitate, ita justificatur homo, sicut vestiretur lignum aliqua toga, quod non sentit, nec movetur, nec juvat seipsum; sed tamen vestis a solo Deo efficitur: nec venditur proprie, sed donatur. Superat enim omne pretium. Est etiam charitas planta quaedam peregrina, quae non nascitur per se in his nostris frigidis regionibus, sed a Deo agricola prudentissimo, ex pomario paradisi in agros cordium nostrorum aliquando transponitur. Atque idcireo summa diligentia conservanda est: nihil enim facilius, quam plantae peregrinae in aliena terra exarescunt.

Itaque auctor charitatis est Deus: finis quoque

verus et proprius est solus Deus. Aspice virtutes caeteras. Finis temperantiae est cohibere concupiscentiam; finis fortitudinis, moderari iram ; finis misericordiae, tollere miseriam;finis vel objectum (ut theologi loquuntur) fidei est , veritas Dei;finis religionis. cultus Dei; finis spei,bona sempiterna; finis charitatis, Deus ipse. Deum intuetur, Deo inhaeret, a Deo nascitur.in Deum terminatur,in Deo sedem habet, ubi nec fides, nec spes locum habere possunt: et quod maximum est, non solum est in Deo, sed est ipse Deus. et omnes, quos inhabitat, facit quodammodo Deos : sicut ignis quicquid apprehendit convertit in ignem,et lapis chymicus, si detur , quicquid tangit , convertit in aurum. Ita charitas Deus omnes , quos replet facit Deos. *Videte qualem charitatem dederit nobis Pater.* inquit b. Joannes , *ut filii Dei nominemus et simus.* Et b. Petrus, *magna , et pretiosa ,* inquit , *nobis donavit , ut divinae efficiamur consortes naturae.*

Quae cum ita sint, non mirum nobis videbitur , si charitatem asserui rem esse sublimiorem, quam ut a nobis perfecte cognosci possit. Sed nihilominus quaedam signa sunt quibus se prodit, quae ab apostolo hoc loco prolixe declarantur, cum ait: *Charitas patiens est , benigna est , non aemulatur, non agit perperam, etc.* Atque imprimis quidem duobus signis, quae sola explicare volumus , tota perfectio Christianae vitae continetur. Quid est proprium Christianorum?Mala pati et bene agere : reddere siquidem bonum pro bono et malum pro malo etiam ethnici et publicani noverunt:reddere malum pro bono proprium est daemonum et impiorum:at reddere bonum pro malo, sugere *mel de petra oleumque de saxo durissimo* , id vero proprium est Christianorum. His igitur duobus signis se charitas prodit , patientia et benignitate : mala patiendo et bene agendo. *Charitas* , inquit , *patiens est, benigna est.* Vis videre, utrum charitas Dei cor tuum inhabitet : Vide num sis paratus quidlibet pati et agere pro gloria Dei et salute proximorum, exponere pecunias, exponere honorem, exponere vitam , contumelias pati, a voluptatibus abstinere. Nam qui diligit, omnia tolerat, ne amittat quod diligit. Pecunias amisisti? Statim incipis quaerere, interrogare istum , illum : curris ad ecclesias,ne forte qui invenit pastori vel aedituo vero domino restituendas assignaverit. Vel etiam per praeconem significari jubes te partem aliquam donaturum ei, qui invenerit,si restituat.Ista omnia facis , quia diligis pecunias , si non diligeres non movereris. Pari ratione avari malunt saepe jejunare , et frigus ac nuditatem pati , quam videre cumulum pecuniarum minui. Quamobrem? Quia diligunt eas. Ita igitur qui Deum diligunt , omnia ferunt, omnia tolerant, omnia patiuntur, omnia vincunt,ne Deum offendant,quem diligunt. Quos daemonum conflictus , quae mundi certamina , quas carnis illecebras in sanctis confessoribus et virginibus charitas non superavit? Quae supplicia,quos cruciatus, quas mortes charitas non vicit in martyribus ? Quis vero Filium Dei ad terras descendere coegit, nisi charitas? Quid eum laboribus , doloribus, tentationibus persecutionibus exposuit , nisi charitas ? Quid eum cruci affixit et in cruce continuit, nisi charitas? Nam clavos tenere non potuisse Dei filium Sampsone fortiorem , quis dubitare potest? Ergo sola charitas invicta patiens est , benigna est, *fortis ut mors dilectio , dura ut infernus aemulatio, aquae multae non potuerunt extinguere charitatem.*Audi vocem amantis et omnia quasi ad certamen provocantis : *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum ? an persecutio? an gladius? Sed in omnibus,* inquit, *superamus.* Quamobrem ? Unde tanta fortitudo , tanta patientia? *Propter eum* , inquit , *qui dilexit nos :* charitas hoc fecit. *Certus sum enim , quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura , neque fortitudo , neque altitudo,neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei , quae est in Christo Jesu Domino nostro.*

Habetis igitur, auditores, quantae sint et quam eximiae laudes charitatis, et quibus signis se prodat. Reliquum est,ut omnes serio totis viribus summo studio operam demus , ut in ea proficiamus. Quis enim in hoc illustri sapientiae domicilio frequentat gymnasia, vel jurisprudentiae , vel medicinae, vel philosophiae vel theologiae,et non quotidie cogitat quomodo possit in sua facultate proficere, ut tandem cum laude ad lauream magisterii ac doctoratus perveniat, et non cum ignominia ac dedecore reiiciatur? Schola Christi,auditores,schola charitatis est: *Ignem veni mittere in terram , et quid volo nisi ut accendatur?* Ille proficit in hac schola, qui augetur quotidie charitate , et in die ultimi judicii, quando fiet examen generale, et magna illa promotio coram toto orbe et omnibus angelis Dei, nemo interrogabitur de textibus Aristotelis, nec de Aphorismis Hippocratis, nec de titulis et paragraphis Justiniani ; sed omnes quaestiones de charitate erunt. Et nos hoc scimus, et tamen non erubescimus tot annos in hac schola versari, et nihil promoveri? Sed si nos honor laureae et gloria magisterii non movet , cur saltem virgam non timemus? Habet magister noster virgam et optime stultos pueros punire novit, sicut scriptum est , *Virga in dorso ejus, qui indiget corde:* Et cum virga non prodest, novit etiam eos de schola proiicere. Cur tam multi hoc tempore exeunt de Ecclesia, fiunt Calvinistae, fiunt Anabaptistae, fiunt Lutherani? Nisi quia non proficiebant in schola charitatis, et ideo magister noster Christus justo judicio eos dereliquit, et de gymnasio egredi permisit. Quare si in schola ista cum gratia et benevolentia praeceptoris et nostra maxima utilitate permanere volumus, nullus dies praeterire debet, in quo non saltem cogitemus de proficiendo et ad perfectionem charitatis saltem votis et suspiriis tendamus.

PARS SECUNDA

In hac posteriori parte concionis nostrae unam quaestionem explicare volumus: et quoniam pollicitus sum, vobis velle me diebus istis aliquid utile

simul, et jucundum adferre,more prudentium medicorum, qui amaras potiones,vel saccaro,vel melle cooperiunt, quaestio nostra non minus habebit jucunditatis quam utilitatis.Quaeritur igitur,cur hodie potissimum legatur in ecclesia epistola ista, in qua laudes et praeconia charitatis explicantur? Respondetur, hoc ideo fieri, quod his tribus diebus grassentur ubique latrunculi quidam perditissimi, qui infinitos hostes, ac praesertim incautos adolescentes spolient thesauro charitatis. Itaque ecclesia Catholica mater nostra, cum gemitu et lachrimis proponit hodie in evangelio dominicam passionem. In epistola praeconium charitatis, ut omnes intelligant summa vigilantia conservandam et custodiendam hoc tempore charitatem,tum propter eum, qui dilexit nos usque ad mortem, et mortem crucis,tum propter ipsum bonum excellentissimum et penitus singulare charitatis.

Qui sunt igitur latrunculi illi pessimi, ut vel ab eis caveamus, vel eos comprehendamus, et in patibulo suspendamus?Parabola quaedam brevis rem totam vobis explicabit.Erat quondam foemina quaedam prudentissima, cui nata erat unica filia, tam eximiae pulchritudinis, ut nemo eam videret, quin statim ejus amore raperetur. Crevit postmodum puella, et simul crevit matris sollicitudo.Nam eum virgo jam nubilis esset,vehementer angebatur mater, ut adolescentem ingenuum et probum inveniret, cui eam toto in matrimonio collocaret.Interim vero dum illa fluctibus cogitationum dies et noctes agitaretur, ecce adsunt quinque fratres, quos quidem iidem parentes genuerant,sed ipsi omnino diversa studia seculi fuerant. Nam primogenitus erat leno; secundus coquus; tertius unguentarius:quartus symphoniacus; postremus politissimus, et pulcherrimus erat pictor. Isti igitur quinque fratres cum eam puellam misere deperirent, sed leno praesertim et coquus singuli seorsim matrem ejus conveniunt, et laudes suae artis explicantes, virginem sibi in matrimonium dari petunt. Primus leno, Ego, inquit, filiam tuam toto tempore vitae suae laetissime vivere faciam, ducam in varias civitates, omnes tabernas mecum visitabit, non erit domus ubi ducantur choreae, quin ipsa in primis vocetur: denique voluptates omnes, quas ars mea promittere potest, quae multae sunt et magnae, filiae tuae, uxori, ut spero meae ego promitto. Intravit deinde coquus.Ego inquit in coquinis habito magnorum virorum, omnia genera epularum coquere et condire novi; nec solum cibos, sed etiam vina condio, quocirca et coquina et cella vinaria in mea est potestate: utor vero ista prudentia, ut semper meliores partes, tam in epulis, quam in vino mihi accipiam. Audivi enim magistrum meum saepe dicentem, stultos esse coquos, qui meliores bolos ad mensam domini portari sinerent. Itaque filia tua mecum optime et jucundissime habitabit; habebit semper opipara prandia et lautas coenas: vel si voluerit, totus dies erit prandium vel coena. Isto exeunte, repente adfuit unguentarius: Domus mea, inquit,officina est pigmentorum atque aromatum, omnia spirant suavissimos odores,ut non tam domus privati hominis, quam templum vel sacrarium aliquod odoribus plenum esse videatur. Quocirca filia tua, quae procul dubio more caeterarum foeminarum unguentis et odoratis aquis valde delectatur, nusquam melius, quam domi meae erit, ibi vestes, sudaria, chirothecas, mappas, breviter omnia suavitate olentia habebit.Post unguentarium secutus est symphoniacus, qui et ipse artem suam jactans. Domus mea, inquit, semper personat vocibus musicorum, nunc ludimus fistulis, nunc citharis,nunc vero organis,nunc omnibus simul musicis instrumentis: nunc vocibus carmina lasciva, tenerosque amores concentu suavissimo decantamus. Quare filia tua, si mihi, ut spero, uxor contingat, se beatam dicere poterit, et non tam in terra, quam in coelo, atque adeo in paradiso delitiarum habitare putabit. Postremus adfuit pictor; Et quis, inquit, magis filiam tuam oblectare poterit, quam ego, qui non solum faciem ejus stibio cerussaque depingam, ut omnium oculis formosissima videatur, sed etiam totum orbem meo penicillo ante ejus oculos adducam, ibi videbit prata floribus quasi depicta: ibi flumina, et lacus et varios piscium lusus: ibi maria tumentia et naves fluctibus agitatas: ibi montes, ibi valles, ibi silvas, ibi civitates, ibi coelum modo serenum, modo turbatum: ibi praelia et conflictus exercituum. Denique quicquid oculis desiderare poterit, etiam seipsam et vultum suum in tabula vivis coloribus expressum cernet.

Vix abjerant quinque isti proci,cum ecce statim adest legatus cujusdam potentissimi et celeberrimi imperatoris,qui matrem puellae illius conveniens; Dominus meus, inquit, rex magnus et potens,quod scire te non dubito, unicum filium habet, sapientissimum, optimum, pulcherrimum, quem haeredem jam instituit omnium regnorum et divitiarum suarum: Audivit vero habere te filiam virginem, pauperem quidem et obscuram, et filio suo nullo modo parem; sed tamen pulchram, et ingenue ac liberaliter educatam, nec non optimis moribus praeditam; et quia non indiget, neque requirit filius ejus in uxore divitias aut mobilitatem,cum sit per se ditissimus et nobilissimus, et quod potissimum est,qui fama audita filiae tuae eam vehementer adamavit, me misit, ut haec tibi significarem, eripere se ut filiam tuam filio suo in matrimonium tradas: quod si feceris, et te et ipsam in palatium regium magna celebritate introduci faciet, et vobiscum omnia sua bona, omnia regna, omnem nobilitatem, omnes titulos honoris communicabit.

His auditis, vocat mater filiam,quae in altero secretiori cubiculo delituerat, et omnia quae dicta fuerant ardentissime audierat: illam,inquam, vocat et tanquam nescienti exponit breviter conditionem eorum omnium, qui eam in uxorem flagitabant. Quia vero puella, ut erat levior,verbis illorum fratrum, ac praesertim lenonis,qui choreas pollicitus erat,valde illecta videbatur; coepit mater,quae sapiens erat, ut diximus, et litteras noverat,eam vehementer objurgare: Quid, inquit, tibi proderunt saltationes et choreae illius lenonis? Quando saltaveris diu, quid tandem habebis, nisi lassitudinem corporis et aegritudinem animi? Nescis tu pericula saltationum? Quam multae putas iverunt virgines ad choreas, et redierunt meretrices? Ignoras quid

acciderit filiae Herodiadis, quae suis tripudiis causa fuit, ut lumen orbis, magnus ille Joannes, qui Dominum baptizaverat, extingueretur; et ipsa postea, ut Nicephorus tradit, cum semel traiiceret flumen glacie concretum, fracta glacie cecidit in aquas ad collum; et paulo post caput ejus frigore et glacie concretum est, deinde resectum non ferro, sed glacie, etiam super ipsam glaciem saltationem lethalem exhibebat. Nescis quid sanctus Ambrosius propter eam dicat: *Saltet*, inquit, *sed adultera filia : quae vero pudica est, orationem discat,non saltationem.*Quid vero cum coquo illo uncto et sordido facies? Et quid tandem habebis cum bene comederis et biberis, nisi dolorem capitis et stomachi? Non audivisti, quam atroci supplicio puniantur in gehenna,qui gulae dediti fuerunt? Non legisti de divite illo epulone, qui tam misere ululabat, et clamabat: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam,ut refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma*? Et cur putas lingua ejus tam atrociter cruciabatur, nisi quia lingua discernuntur sapores, et ille epulabatur quotidie splendide? Vis ergo tu,filia,esse tam stulta,ut propter delectationem, quae non est longior quam sit gula tua, incidas in miseriam sempiternam? Iam vero quid tibi unguentarius ille pollicetur, odores? Quid vanius odoribus? Nonne odor est fumus quidam? Certe crede mihi, filia, odores nec satiant, nec nutriunt, sed corpus et animum enervant ac debilitant, et tandem utrumque proiiciunt in gehennam, quae est cloaca et sentina quaedam maxima et profundissima, qua omnes faetores totius mundi congregari debent. Si igitur tam delicata es, ut sine odoribus vivere non possis, quomodo tunc vives in illis gravissimis et teterrimis foetoribus gehennae?

Jam de symphoniaco et pictore quid dicam,filia? Quid enim habebis posteaquam audieris concentum illum musicum, et videris tabulas illas depictas? Non vides ista omnia, quam cito finiuntur, et ne vestigium quidem post se relinquunt? Quin igitur potius amas filium regis,apud quem ista omnia non deerunt, et ipse vero terras et maria, et quicquid desiderare potes, non pictum sed verum exhibebit. Itaque volo, filia, ut acquiescas consilio meo, et oblita penitus pictoris mendacissimi,symphoniaci levissimi, unguentarii vanissimi,coci sordidissimi, et impurissimi lenonis,in matrimonium filii regis consentias. Tunc virgo matris sermonibus permota se omnia facturam, quae mater vellet pollicita est. Redit igitur Legatus negotio foeliciter confecto (ut videbatur) ad regem, et statim oritur utrinque gaudium et exultatio magna, utrinque aguntur dies festi.

Sed quid interim accidit? Interea dum nuptiae parabantur, veniunt dies bacchanaliorum, et nocte quadam transibant aliqui personati cum tympanis per plateas, ubi etiam erant quinque illi fratres. Tum stulta puella quasi ignem haberet in pedibus domi se continere non poterat: tandem fecit miraculum Lutheranum illius sanctimonialis apostatricis, aperuit ostium, exivit foras, exuit pudorem,induit frontem meretriciam et personatos illos sequi coepit.Sed quid fecit rex? num injuriam istam pertulit? Non sane. Sed totum amorem in odium convertit et personatos illos et puellam simul extremo supplicio affecit.

Haec est parabola.Quam quidem non dubito majorem partem vestrum optime intelligere;exponam tamen, sed brevissime, ut simul intelligant tardiores, et taedio non afficiantur celeriores. Foemina illa prudens anima est humana,quae rationis atque intelligentiae compos a Deo creata est: proles ejus est humana voluntas, quae etiam cor in sanctis libris dici solet: quinque proci, quinque sensus sunt.

Sensus videndi, qui formis et coloribus delectatus est pictor. Sensus audiendi, qui delectatur sonis et cantibus, est symphoniacus. Sensus olfaciendi, qui delectatur odoribus, est unguentarius. Sensus gustandi, qui delectatur cibis et potibus, est coquus. Sensus tangendi, qui delectatur choreis et turpibus voluptatibus, est leno. Isti sunt latrunculi, qui istis diebus maxime grassantur, quos procul dubio juvant latrunculi alii multo deteriores, quos non videmus; spiritus videlicet tartarei, spiritus fornicationis, spiritus ebrietatis,spiritus comessationis, spiritus tripudiorum, spiritus larvarum, et alii multi, quorum longum esse vel nomina recensere.Isti mirum est quantam vim habeant hoc tempore ad humanam voluntatem suis blanditiis, lenociniis, illecebris alliciendam.Porro rex magnus et potens, Deus Pater est, filius regis Dominus noster Jesus Christus, vere sapiens, et *speciosus forma prae filiis hominum.* Legati ac nuncii sunt scriptores sancti, per quos nobis perpetuo dicitur, *Filii, praebe mihi cor tuum*; Et rursum; *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Et quidem humana voluntas consilio ac prudentia rationis admonita; sensuum illecebras facile repudiat, et Dei filium eligit in sponsum. Ita vidimus in die Natalis Domini, in festo trium regum, in celebritate purificationis, multi ad confessionem et communionem accesserunt, et quasi arrham hujus sancti et felicis matrimonii susceperunt. Sed quid? Veniunt dies bacchanaliorum, et *stultus, ut luna mutatur*, perdita ista puella cordis humani contineri non potest,currit post latrunculos, explorat diligenter ubi saltatur, ubi potatur, ubi cantatur, ubi tympano et fistulis luditur. Et Deus noster, qui est Deus zelotes injuriam istam ferre non potest et sponsam et latrunculos, hoc est, cor et corpus perdit in gehennam. Non est diu,quod audivimus aliquos hoc ipso anno ebrios factos, repente obiisse: quo ierint nescimus. Hoc unum scimus, quod apostolus monet, ebriosos regnum Dei non possidere. Non licet modo per temporis angustias omnes latrunculos oratione persequi et cum eis gladio verbi Dei pugnare atque eos telis rationum et argumentorum confodere, quod sane libenter faceremus.

De choreis tantum dicam unum verbum, atque ideo potissimum, quod intelligam nonnullis non videri hoc verum malum, et sciam Lovanii esse publicas scholas,ubi docetur ars tripudiorum. Sed ego profecto, si adulterium et fornicatio est malum videre non possum, quo modo viros cum foeminis

tripudiare non sit malum, cum hoc ad illud maxime provocet? Audi sanctum Job; *Pepigi foedus*, inquit, *cum oculis, ut ne cogitarem quidem de virgine*: et tu ibis, et saltabis cum virgine, et saltando ad libidinem te concitabis, et nihil periculi imminebit? Cur igitur sapiens monet; *Cum saltatrice ne assiduus sis, ne forte pereas inefficacia illius*, nisi quia si possunt paleae ad ignem accedere, et non comburi, et adolescens potest cum foeminis tripudiare, et non ardere. Quid? Sancti viri, b. Antonius, b. Hilarion, b. Hieronymus, in solitudine habitabant, jejuniis et orationibus perpetuo operam dabant, et vix se a spiritu fornicationis, a desideriis et cogitationibus pravis defendebant; et tu ad calorem adolescentiae addes calorem potationis, deinde ibis et ridebis, cantabis, saltabis cum puellis, et nihil mali suspicabor? Sed nolo credatis mihi. Audiamus quid veteres scriptores, tam prophani, quam sacri de hac re scriptum reliquerint. Marcus Tullius, vobis satis, ut arbitror, notus, ita turpitudinem saltationum execrabatur, ut in defensione Murenae dixerit: *Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit; et multarum delitiarum comes est extrema saltatio*. Et alio loco saltationem tanquam crimen turpissimum objecit Antonio. Erubesce igitur, Christiane, erubesce, vinceris ab Ethnico, et ab Ethnico procul dubio in judicio condemnaberis. Ille solo naturali lumine dicere potuit, non esse saltationem nisi ebriorum vel insanorum et tu filius Dei, coelesti lumine illustratus, apud quem tales ineptiae ne nominari quidem debuerant, quin maxime flere deberes, maxime insanis. Relinquamus, prophanos. Dicas tu nobis, Ambrosi beatissime, senex reverendissime, lumen Ecclesiae Christianae, quid tibi de choreis et saltationibus videtur? *Merito*, inquit in libro tertio de virginibus, *merito inde*, hoc est, ex choreis, *in injuriam divinitatis proceditur: quid enim ibi verecundiae potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur?* Dicas et tu, beatissime Hieronyme, quid sentis de choreis? *Caeterum*, inquit in libro contra Helvidium, *ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyria garrit, cymbalum concrepat, quis tibi Dei timor?* Transeamus in Orientem: Consulamus quoque duos ex patribus graecis. Dicas nobis Graeciae ornamentorum, os vere aureum, magne Chrysostome qui inter alias virtutes, ita laude jejuniorum excellebas, ut jejunator publice dicereris, dicas quaeso nobis de conviviis et choreis sententiam tuam., *Audite*, inquit in hom. 49. in Matth. *Audite haec viri, qui magnifica convivia ebrietate plena consectamini, audite, inquam, et diaboli barathrum perhorrescite: ubi saltus lascivus, ibi diabolus certe adest. Non enim ad tripudia haec pedes nobis praebuit Deus, sed ut modeste incedamus, non ut impudenter camelorum more saliamus. Quod si corpus turpe fit impudenter saliendo, quanto magis animam foedari credendum est? His tripudiis diabolus saltat, his a daemonum ministris homines decipiuntur*. Haec Chrysostomus. Sed audite postremo, quibus verbis magnus Basilius vir gravissimus, sanctissimus, doctissimus insaniam istam in oratione contra ebriosos deploret; *Viri simul*, inquit, *et foeminae communibus choreis constitutis, vinoso daemoni traditis animis sese mutuo affectionum stimulis consauciarunt. Risus ab utrisque effusi sunt, cantilenae turpes, habitus meretricii, ad petulantiam irritantes. Rides, dic mihi, et proterva te oblectatione delectas, cum lachrymas fundere oportuerat et ingemiscere ob praeterita? Cantilenas cani meretricias ejectis psalmis et hymnis, quos didicisti? Moves pedes, et furiose exilis, ac infeliciter tripudias, cum genua flectere oportuerat ad orationem?* Haec magnus Basilius. Sed relinquamus homines sanctos: audiamus quid ipse Spiritus sanctus, spiritus veritatis, qui errare non potest, per Isaiam dicat; *Cithara*, inquit, *et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris et opus Domini non respicitis et opera manuum ejus non consideratis*.

O miseros vos, fecit Deus opus admirabile in diebus istis, ut vobis coelum aperiret, crucem ascendit, et usque ad mortem laboravit: audistis hoc in evangelio hodierno: Ecclesia gemit, angeli stupent, daemones tremunt, et vos soli, propter quos ista fiunt, in flagitiis occupati, vino somnoque sepulti, *opus Domini non respicitis et opera manuum ejus non consideratis*. Audite sententiam judicis nostri, *Propterea*, inquit, *dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino*. O si intelligeritis quam sit *horrendum incidere in manus Dei viventis*, quid sit, potare calicem illum amarum irae Dei, usque ad foeces, de quo legitis in Psalmo: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum. Quis ex vobis*, inquit Isaias, *habitare poterit cum igne devorante? Quis ex vobis habitabit cum ardoribus sempiternis?* Si non potestis nunc ab ebrietate, a choreis, a nugis abstinere, quomodo vivas illas flammas et acerbissimum stridorem dentium ferre poteritis? Quare vigilemus fratres, et thesaurum charitatis contra latrunculos illos diligenter custodiamus et gratiam in terris, gloriam in coelis veram et sempiternam consequemur, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XX.

DE DOMINICA QUINQUAGESIMAE

CONTRA BACCHANALIA

THEMA

Ecce ascendimus Jerosolymam, etc. *Luc.* 18.

SYNOPSIS

Exordio ab excusatiuncula de insolita concionandi methodo sumpto, praemittitur historia Israelitici populi a servitute Aegyptiaca liberati; quae deinde mystico sensu nobis accomodatur per Pharaonem diabolum, per Moysen Christum, per Aegyptum mundum, per servitutem peccatum. per mare rubrum baptismum praefigurari. Magnificentia coelestis Jerusalem Sacrae Scripturae testimonis probatur. Botrus ex terra promissa allatus figura Christi crucifixi: Quam difficile iter sit ad terram illam promissionis coelestem d. Antonii exemplo declaratur; et tamen per solam hanc tribulationum viam eo perveniri Christi et sanctorum exemplo docemur. Quomodo Christum de tribulatione concionantem omnes aversentur et excludant: immo alios hac pergere volentes retardent et evocent, quo maxime facere studeant ambitiosi, luculenta oratione demonstratur.

Altera pars in tractatione bacchanaliorum occupatur, ubi de illorum festorum origine, incremento et decremento agitur, deque eorum apud Christianos restauratione et solemni celebritate. Deinde Bacchus et Bacchi asseclae pisci asino marino apte comparantur: eorum mores, vivendi ratio, symposia ex divo Basilio, colloquia mensalia, jucunda et graphica narratione dipinguntur. Tandem contra ebrietatem, praesertim civitatis Lovaniensis, seria et severa invectio subiungitur, quae sacrarum literarum testimoniis et duabus horrendis duorum ebriosorum damnatorum historiis stabilitur.

Duo sunt, auditores optimi, quae me hodie potissimum impulerunt, ut novo quodam et mihi certe inusitato uterer genere dicendi, atque historiam, evangelicam, quae nobis hodierna die ab Ecclesia Catholica est, non ut historiam, sicut vere est; sed ut parabolam explicarem. Unum, quod viderem evangelium hodiernum, si solius historiae verba consideranda sunt, planius per se atque illustrius esse, quam ut nostrae orationis lumen desideret: Alterum, quod intelligerem, idem evangelium, si secundum spiritalem quamdam abstrusamque intelligentiam explicetur, nobis omnibus ad eam viam, quae ducit ad coelum, inveniendam, atque ingrediendam maximam lucem esse allaturum. Porro Evangelii principium tale est: *Assumpsit Jesus duodecim discipulos secreto, et ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de filio hominis.* Verum antequam ad haec verba Evangelii veniamus, pulcherrima quaedam figura veteris instrumenti praemittenda est, quae nobis viam ad evangelium sternet, atque aditum ad eam expositionem, quam molimur, aperiet.

Cum igitur Istraeliticus ille populus quondam ex Aegypto divino jussu decederet, simul atque Pharaonis tyrannide evasisset, et mare Erythraeum duce Moyse siccis pedibus transivisset, se regiones, quasdam opulentissimas atque uberrimas, quae lacte et melle fluerent, ingressurum existimabat. Verum eis longe aliud, quam arbitrabantur, evenit. Siquidem ante vastissimas, desertas atque incultas solitudines peragrare necesse fuit, quam terram illam uberem, et lacte et melle manantem conspicere potuerint. In illis vero squalidis solitudinibus locisque desertis, non solum lactis et mellis nimia copia non abundabant; sed etiam panis et aquae inopia maxime laborabant. Itaque partim taedio solitudinis illius effecti, partim labore itineris victi, variisque difficultatibus fracti, de reditu in Aegyptum cogitare coeperunt: neque semel alius alium excitavit, ut ducem aliquem sibi ipsis eligerent, signoque sublato iter in Aegyptum arriperent. Sed cum haec ad Moysis aures pervenissent, ille ut princeps vigilantissimus, mox duodenos lectissimos viros in Palaestinam direxit, eisque praecepit, ut omnem terram diligentissime perlustrarent, ac regionis totius ubertate, amoenitate, pulchritudine et elegantia explorata, ad suos redirent: futurum enim sapientissimus imperator arbitrabatur, ut cum populus Hebraeus Palaestinae fertilitatem et pulchritudinem praedicari ab exploratoribus audiret, continuo terrae illius amore inflammaretur:

nec solum praeteritarum molestiarum obliviscerentur; sed etiam ad majores superando labores, gravioraque adeunda pericula excitaretur. Pergunt igitur exploratores, et diebus quadraginta Palaestinam universam obeunt, et ad suos revertuntur, et ficus, uvas, aliosque fructus, quorum terra illa feracissima est, adferentes dicunt: Terra ad quam explorandam missi sumus, ad quam peregrinando obivimus, vere fluit lacte et melle, optima, fertilissima et pulcherrima est. Verum omnem illam dulcedinem ficuum et uvarum, quam animo jam conceperant, repente in amaritudinem vertit legatorum sequens oratio: *Verum*, inquiunt, *cultores fortissimos habet, et urbes grandes atque muratas; populus, quem aspeximus, procerae staturae est. Ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enack, de genere giganteo, quibus comparati quasi locustae videbamur.* Haec igitur exploratorum oratio quantum animos multitudinis terrae illius praedicatione inflammavit, atque erexit tantum eosdem laborum ac difficultatem commemoratione debilitavit ac fregit. Ita ut non modo vulgus Hebraeorum terram illam ipsam ingredi non vellet; sed etiam paucos quosdam, qui ingredi cupiebant, impediret, ac pene lapidibus obrueret: nihilominus tamen post aliquot annos sublatis iis, qui terram promissionis intrare non voluerunt, ac Moyse jam defuncto, Josue filium Num ducem, ac principem totius populi Deus constituit, et per eum summa facilitate veteres palaestinae habitatores a suis sedibus deturbavit, et in eis populum suum magni videlicet Abrahami nepotes, collocavit. Haec igitur est figura: nunc explicationem ejus accipite.

Ad primum, quid Pharao, quid Moyses, quid Aegyptus, quid servitus, quid mare Erythraeum, quid liberatio ipsa significet, quis vel mediocriter in sacris literis versatus ignorat? Quis nescit Pharaonem diaboli, et Moysen Christi personam gessisse? Atque Aegypto mundum servitute peccatum mari Erythraeo baptismum et liberatione liberationem designatam adumbratamque fuisse? Tunc igitur rubrum mare transmittimus, et Aegypto relicta versus terram promissionis iter aggredimur, cum baptismo culpas solvimus, et mundo ac pompis ejus renunciantes ad coelestem illam Jerusalem, quae super omnium montium cacumina coelestiumque orbium regiones posita est, properamus. Sed quemadmodum Hebraei mari Erythraeo transmisso ante vastissimas desertissimasque solitudines quam terram promissionis intraverunt, sic et nos non statim ab aquis baptismi: ad quietem et felicitatem transimus; quin potius baptismo aquae baptismus ignis succedit. Ut enim Dominus ac liberator humani generis Christus simul ac in Jordane fluvio baptizatus est, in loca deserta se contulit, ut a Diabolo tentaretur, jejuniisque ac vigiliis operam daret: sic etiam nobis post aquas baptismi varia daemonum praelia, labores, dolores, molestiae vincendae ac superandae sunt. In baptismo enim Christi militiae nomen damus, daemoni bellum indicimus: neque daemoni solum, sed et mundo et carni. Quocirca ut B. Apostolus ait, *omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Et ut primi illi sanctissimae nostrae fidei ac religionis cultores dicebant. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum coelorum.*

Quid igitur magna pars Christianorum, atque hoc potissimum tempore facit? Sane quod Hebraei, non, inquam, fecerunt, sed facere vel voluerunt vel cogitaverunt: nempe levi de causa in Aegyptum redeunt, et ultro se in potestatem Pharaonis tradunt. Itaque multo gravius, quam illi peccaverunt, nos peccamus. Illi enim verbis et cogitatione saepe in Aegyptum redierunt: nos autem verbis quidem Aegyptum detestamur, moribus in Aegypto pene semper diversamur. An non est in Aegypto, hoc est, in regno Diaboli et in tenebris densissimis versari, omni tentationi succumbere? peccandi opportunitates quaerere? vestes compositas non ad utilitatem, sed ad vanitatem gestare? comessationibus et ebrietati studere? corpus diligenter curare? animae salutem negligere? omnes artes omnesque disciplinas perdiscere? cursus coelorum atque astrorum investigare? et solam recte vivendi, recte moriendi rationem ignorare? Qui summo studio quaerunt, ad quem modum cum hominibus agere, hominum gratiam aucupari, hominibusque placere debeant; quo autem modo Deum precibus placent, cum eo in gratiam redeant, amicitiam ejus promereantur, non modo non studiose quaerunt, sed ne semel quidem cogitant, in quam obscura Aegypto, in quam crassis tenebris, in quam caeca nocte versantur? Deus igitur, qui haec omnia multo ante praevidet, nec ignorabat naturam nostram a solitudinis asperitate abhorrere, et Aegypti delitias vehementer adamare, prophetas et apostolos, ac imprimis magnum illum Josue, filium, inquam, suum ad nos misit, qui coelestis Jerosolymae venustate, pulchritudine, ubertate, elegantia, magnitudine atque amplitudine explorata, horum rerum praedicatione animos nostros accenderet atque ad eam urbem, vel vi expugnandam, excitat.

Venerunt igitur ad nos exploratores, et alii aliis verbis; omnes tamen magnifica quaedam longeque praeclarissima de coelesti nobis Palaestina retulerunt. Audite Davidem: *Quam dilecta*, inquit, *tabarnacula tua Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Audite prophetam Isaiam: *Oculos non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te.* Audite Baruch: *O Israel quam magna est domus Domini, et quam ingens locus possessionis ejus.* Audite Tobiam: *Beatus ero*, inquit, *si fuerint reliquiae seminis mei ad videndam claritatem Hierusalem. Portae Hierusalem ex zapphiro et smaragdo aedificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido et mundo omnes plateae ejus sternentur, et per vicos ejus Alleluja cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, ut sit regnum ejus in saecula saeculorum super eam.* Audite apostolum Paulum, qui et ipse unus de exploratoribus fuit: *Non sunt*, inquit, *condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Denique quod apostoli omnes exploratores ac testes fide dignissimi sint, habemus virum summa auctoritate et reli-

gione et fide apostolum Ioannem, qui apertissimis verbis id testatur: *Quod audivimus*, inquit, *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt, annunciamus vobis.*

Neque vero exploratores isti vacui redierunt. Botrum enim mirae magnitudinis et suavitatis, Christum videlicet cruci appensum attulerunt. Quid enim aliud liber psalmorum, quid volumina prophetarum, quid apostolorum, libri sonant quam Christum et hunc crucifixum? David vero quasi princeps quidam exploratorum non modo botrum ostendit, sed etiam ad gustandum invitat. *Gustate*, inquit, *et videte, quam suavis est Dominus.* Et sane, auditores, quanta sit hujus botri suavitas illi optime noverunt, qui crucem Domini assidue contemplantes usu atque experientia didicerunt. Ex hoc igitur fructu, quem hic in solitudine modicum decustamus, facile potest intelligi quanti sit ipsius terrae promissionis amoenitas, venustas, ubertas. Nam si Christus in cruce pendens, ubi non est species ei, neque decor contemplantis animum parcit, illustrat, inflammat, oblectat; quid obsecro faciet, cum in sede gloriae suae lumen et decorem indutus, se oculis nostris cernendum, et brachiis charitatis complectendum praebebit?

Sed enim auditores, si nostris exploratoribus credimus, non facile ad hanc felicissimam et pulcherrimam regionem perveniri potest. Nam praeterquam, quod ipsa civitas super altissimos quosdam montes aedificata, et moenibus, fossis vallis, munitissima est, et quamquam est amplissima, tamen portam unam dumtaxat, eamque humillimam et angustissima habet. Custodes etiam fortissimi de genere giganteo perpetuo excubant, circum eam aditus omnes observant, et quantum prudentia, consilio et viribus possunt, contendunt efficere, ut nemo omnino terram illam ingrediatur. *Non est nobis*, inquit terrae illius explorator Paulus, *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, adversus infirmos et debiles, et nostri similes hostes, qui videri, vulnerari, occidi possunt: *sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.* Isti profecto hostes, qui telis igneis utuntur, quique summa alacritate ubique discurrunt. Ejusmodi sane sunt, auditores, ut nos cum illis comparati vere locustae, et minores etiam quam locustae videamur: et tamen per medias illorum acies transeundum est, si Jerosolymam ingredi cupimus. De magno Antonio beatus Athanasius refert, eum quadam die dum oraret raptum in spiritu ab angelis, in coelum deferri coepisse: continuo autem innumerabiles daemonum legiones occurrisse, qui transitum totis viribus prohiberent. Cumque angeli a daemonibus quaererent; Cur id facerent, cum nulla penitus in Antonio crimina invenirent? Illi usque ab ortu b. Antonii rependentes omnia ejus errata, etiam levissima et minima, commemorare coeperunt. Verum angeli mox daemonum ora compescuerunt, atque dixerunt: non debere eos ab ortu peccata repetere, quae Christi essent benignitate extincta atque delecta: sed ea solum, si qua tamen esse poterant quae postea admisisset, quam monachus factus esset, et se Dei obsequio consecrasset. Et quamquam multa daemones adferebant: tamen non tam ea Antonii peccata, quam daemonum apertissima mendacia erant, et liberum Antonio iter ad coelum aperiebatur. Post paululum vero b. Antonius ad se rediens, et ea revolvens, quae viderat, et cibi, et potus, et somni et quietis oblitus proximam noctem totam fletibus et lamentatione peregit, tacitus apud se cogitans quanta esset multitudo ac ferocia hostium humanorum, et quam arduum ac laboriosum per aerem iter ad coelum. Quo si tam in b. Antonium audebant, quem semper virum bellicosissimum experti fuerant, quem omni genere virtutum armatum videbant, cum quo non veris criminibus sed solis mendaciis contendere poterant, quid in nos non audebunt? quo impetu nos adorientur? qua libertate nobis ad coelum transitum denegabunt, quos a se devictos ac prostratos non semel, sed saepius, non injuria gloriari possunt? Quae cum ita sint, an dormire, otioque vacare nobis liceat, cum hostes tales habeamus, qui numquam dormiunt, et nihil agunt, nihil cogitant, nihil moliuntur, nisi in nostrum interitum atque perniciem, vos ipsi quaeso sapienter judicate. Sed nos ad institutam narrationem revertamur.

Noster igitur fortissimus et sapientissimus Josue qui dux et princeps a Deo electus erat, ut quos Moyses non poterat, ipse in verae ac celestis Palaestinae agros introduceret, paratus ad iter, atque accinctus ad praelium, et in ipso ingressu terrae promissionis constitutus tali oratione milites suos ut in hodierno evangelio legimus, affatus est. *Ecce* inquit, *ascendimus Jerosolymam*, nunc terram promissionis ingredimur: tardis et moribundis corporibus ascendere grave est; sed aliter ad illam, quae sursum est, Jerusalem non pervenitur. Neque solum ascensionis labor superandus est; verum etiam consertissimae inimicorum acies perrumpendae, omnia conjecta tela contemnenda, per media hostium arma transeundum, et multa, magnaque vulnera non tam scuto propulsanda, quam excelso fortique animo excipienda sunt. *Oportet enim Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Neque alia sors militum et alia imperatoris erit. Verum ne forte inopinati hostium impetus vos perterreant, atque animum deponere cogant, breviter vobis, et cursum laborum nostrorum et praeliorum ac certaminum eventum exponam. *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur: et postquam flagellaverunt, occident eum, et tertia die resurget.* Itaque in Ierusalem, hoc est, ad pacem et requiem et gloriam et vitam beatam ac sempiternam tendimus. Haec enim est via, quae Jerosolymam ducit: neque putet aliquis se viam aliam faciliorem invenire posse. Haec est via, hanc ego primus teram, hanc omnes, qui salvi esse cupiunt, ingrediuntur. *Regnum enim coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Audivistis nostri ducis orationem. Verba veritatis sunt, auditores, falsa esse non possunt. *Coelum et terra transibunt, verbum Domini*

non praeteribit. Verbum enim Domini manet in aeternum.

Multi quidem reperiuntur, qui filios Ruben et Gad imitantes, hic in terris partem suam habere cupiunt, et frequenter habent. Siquidem Rubenitae et Gaditae ut ex capite trigesimo secundo Numerorum intelligi potest, antequam terram promissionis ingrederentur, loca quaedam obtinuerunt, illisque contenti nihil in ipsa terra promissionis quaesierunt. Istos igitur Rubenitas et Gaditas multi sunt, qui imitantur, qui futurorum bonorum nullam rationem habentes, solis praesentibus, licet caducis et fragilibus, inhiant: quibus omnibus cum moriuntur, dicitur: *Recordare fili, quod recepisti bona in vita tua*: ultra Jordanem partem tuam habere evoluisti. At ii, qui Christum ducem sequuntur, et bonorum caelestium atque aeternorum compotes fieri cupiunt, omnes sive uno, sive alio modo per multas tribulationes in celestem Jerusalem intrare debent. Quibus tandem gradibus Christus, et omnis ejus exercitus in gloriam aeternam intravit? Nonne vere Dominus illusus, caesus consputus, spinis coronatus et in crucem actus est? Nonne princeps apostolorum Petrus per crucem in coelum ascendit? Nonne coapostolus ejus et collega Paulus propter coelestis portae humilitatem caput amisit? Nonne apostolus Bartholomaeus propter angustias ejusdem portae, non modo vestibus sed et ipsa pelle spoliatus est? Nonne caeteri omnes per exilia, damna, vincula, verbera, ignominias, patientiam, castitatem, sobrietatem et ipsam mortem viam sibi ad sempiternam beatitudinem aperuerunt? Haec igitur una vera via ad vitam est, auditores: nemo se decipiat, haec una est via, quae tamen deserta et inculta atque interclusa iam frondibus, et virgultis mihi esse videtur. Neque alia de causa, quam propter id quod sequitur in evangelio: *Et ipsi*, inquit, b. Lucas, *nihil horum intellexerunt: et erat verbum istud absconditum ab eis: et non intelligebant, quae dicebantur.* Nulla pars est evangelii, quae difficilius ab hominibus seipsos amantibus intelligatur, quam haec, in qua de laboribus et molestiis perferendis agitur. Intelligebant Hebraei, quae de ficubus et uvis, et melle et lacte ab exploratoribus dicebantur: sed de bello cum Iebusaeis et Chananaeis gerendo, quae ab iisdem exploratoribus dicebantur non intelligebant. Sic et nos, quod Deus paradisum voluptatis nobis paraverit, satis facile intelligimus: atque per multas tribulationes transeundum sit, id vero nullo modo capere possumus. Omnes utilissimas esse tribulationes affirmant, omnes constantiam in adversis laudant: tribulationes enim calcaria sunt, stimuli sunt, fustes sunt, quae nos ad regnum coelorum compellunt: sed cum ad fores aedium nostrarum molestia aliqua vel calamitas pulsat, omnes fingit se non esse domi, et Dominam tribulationem excludunt: Rari sunt, qui cum scribis et pharisaeis non dicant: *Descendat de cruce et credimus ei.* Non libenter Domine te de isto suggestu praedicantem audimus: descende de cruce et credimus tibi: de gloria, de regno, de beatitudine disserere si volueris, te attentissimis animis audiemus: At de castitate, de sobrietate, de patientia de cruce de condonandis injuriis, de preferendis incommodis, de periculis subeundis, tetrica oratio est, obscura, involuta, recondita; non capimus, non intelligimus. *Descende* ergo *de cruce et credimus tibi.*

Nonne haec vera sunt, auditores? Quid horum negari potest? Clamat ipsa veritas: *Vae vobis, qui habetis consolationes vestras in hoc saeculo.* Quis hoc intelligit? Quis consolationes et voluptates non quaerit? Clamat imperator noster, et in crucem ascendit, ut melius audiatur. *Beati pauperes beati mites, beati qui lugent, beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Quis hoc intelligit? Quis capit? Cui non aenigmata obscurissima esse videntur? Quis paupertatem divitiis, et luctum risui, et persecutiones gratiae et favori hominum anteponit? Nonne hoc tempore surdis auribus ista canuntur?

Neque vero solum plerique hominum, quae de cruce et virtutibus dicuntur, non intelligunt: verum etiam eos, qui intelligere conantur, quoad possunt, impediunt; non secus, ac olim Hebraei illos paucos, qui terram promissionis cum Josue ingredi cupiebant, non solum impedire, sed etiam lapidibus obruere conabantur. Nam cum caecus quidam, ut b. Evangelista commemorat, secus viam per quam Dominus iter faciebat, sedens et mendicans magna voce clamare coepisset; *Fili David misere mei; qui praeibant, increpabant eum ut taceret.* Quotidie ista videmus, auditores, existat enim aliquis, qui sedeat secus viam caecus ac mendicans, hoc est, qui nondum viam illam, quae ducit Jerosolymam, viam virtutis, amoris Domini sit ingressus, quinque adhuc in communi mortalium caecitate versetur, et malum putet bonum et bonum malum; et falsa ac fragilia veris aeternisque bonis anteponat, qui denique sedeat, ut nunc aliquam dignitatem emendicet, iste si forte interius a Domino illustratus se caecum et mendicum esse et extra viam sedere animadvertat, atque ad Dominum illustratorem suum clamare incipiat, *Fili David, miserere mei*: si mendicitatem suam erubescat: si viles illas divitiarum cumulandarum et honorum augendorum cogitationes abiiciat; si spretis omnibus rebus magno, et excelso animo Christum ducem sequi, et regnum coelorum per vim capere apud seipsum statuat; quam multos emendatores et reprehensores habebit? Quam multi contendent, quantum poterunt, ut eum ob isto cursu retardent, in sua mendicitate contineant, ignem desiderii, quem in eo Christus excitavit, extinguant? Quam multi adversus eum clamabunt, ut ipse non clamet, eique dicent: Tace, quid est quod loqueris? Num incipis insanire? Currebas bene, magnam de te spem concitaveras, facile ad aliquem honoris gradum ascendisses, numquid amicis et cognatis tuis dedecori esse cupis, quibus splendori et ornamento esse debueras? Quid homines dicent? quid cogitabunt? quid suspicabuntur? Nempe te, quod cupiebas, obtinere non potuisse, ac propterea animum despondisse: neque repentinam istam mutationem futurorum bonorum desiderio, sed rerum praesentium desperationi: neque virtuti ac pietati, sed inconstantiae, ac levitati ascribent.

Haec sunt diaboli argumenta, quae illis hominibus subministrabuntur, qui Deo sapientiores et prudentiores, vel esse vel videri volunt. Sic enim legimus in evangelio: *Qui praeibant*, inquit, *increpabant eum, ut taceret.* Non dignantur isti Dominum tamquam ducem sequi sed praeire contendunt. Excitat Dominus caecum, ut clamet: increpant isti caecum, ut taceat. Sed meus caecus, si vere sapiens erit, sapienter considerabit carnis prudentiam mortem esse, et inimicos homines esse domesticos ejus. Proinde quanto magis ei silentium imperatur, tanto magis clamabit: *Fili David miserere mei: fili David miserere mei.* Domine, ut videam, ut aperiantur oculi mei, hoc a te peto, hoc a te impetrare desidero. Ex quo tandem fiet, ut a Domino penitus illustretur, et eum summa alacritate et libertate sequatur et ex caeco ac mendico nobilissimus Christi miles evadat, et una cum suo imperatore Chananaeis et Jebusaeis devictis terram promissionis obtineat,et ad ipsam coelestem Jerusalem maxima sanctorum hominum et angelorum acclamatione perveniat.

ALTERA PARS.

Quae de hodierno evangelio dicenda esse putavi, habetis jam, auditores optimi, nunc quoniam semihoram adhuc integram habemus, videndum est, quo pacto eam utiliter consumamus: nec enim arbitror vos tam cito abire velle. Quid igitur dicemus, auditores? Nescio an decipiat,certe videmini mihi aliquid velle de celebritate bacchanaliorum, quae nunc agitur, audire. Quamquam enim hujus festi ne commemoratio quidem in toto breviario reperiatur: tamen ubique terrarum summa religione colitur, estque celeberrimum, solemnissimum,duplex, triplex, amplius adhuc, si aliquid amplius reperitur, ita ut transferri nullo modo possit. Ego quidem non libenter soleo, praesertim hoc loco, res ludicras rebus seriis miscere, tamen cum ex rebus ludicris res seriae colligi possint,cur non liceat vel semel in anno,et tali opportunitate oblata in medium aliquid minus severum adferre? Parebo igitur vobis, et ad quem modum ad nos haec sacrilega sacra pervenerint, quales fuerint auctores vitia et mores illius, qui hoc ritu et caeremoniis colitur, paucissimis verbis complectar.

Bacchanalia igitur ab Aegyptiis primum celebrari coepta sunt. Deinde Orpheo auctore et magistro Graeci, ac Thebani imprimis eadem sacra didicerunt, ut altero sermone ad Graecos vir doctissimus Theodoretus commemorat: neque vero sacris istis alia antiquiora facile reperiri possunt. Orpheus enim qui horum rituum, et caeremoniarum non tam inventor et auctor,quam praedicator et propagator fuit, omnium graecorum poetarum et theologorum ut ipsi loquuntur, vetustissimus est. Ac ut b. Augustinus lib. de civit. 18. cap. 44. auctor. est, Orpheus vatibus Hebraeorum superiorum Judicum aequalis fuit. Cum igitur ad Thebas Orpheo auctore Bacchanaliorum superstitio pervenisset,non diu in illis unius urbis angustiis se continuit. Repente enim omnis Graecia earum caeremoniarum desiderio flagrare, et eas summa aviditate discere ac celebrare coepit. Deinde progressa longius foeda superstitio loca vicina infecit, Alpes transcendit, Italiam invasit, ad ipsam usque romanam urbem penetravit. Ad extremum omnia regna,omnes provincias, totum pene terrarum orbem complexa impuris ritibus, et nefandis caeremoniis occupavit. Verum Senatus Romanorum, si b. Augustino credimus, post aliquot annorum spatium ita illorum sacrorum vel potius sacrilegiorum turpitudinem erubuit,ut ea in urbe Roma celebrari omnino prohibuerit. Quae Romanorum constantia vereor ne in judicio plurimum nobis obsit, auditores. Nam, quis non timeat, ne in judicio Christianos Catholicos Ethnici Romani condemnent,quod illi bacchanaliorum ne nomen quidem audire voluerint? Et homines Christiani non solum nomen, sed et rem ipsam hactenus diligentissime conservant?Sed nos ad rem nobis propositam redeamus.

Posteaquam haec turpis religio orbem occupatum, atque oppressum tenuisset, humani generis liberator de coelo adveniens, quasi salutaris quidam fulgor mundo illuxit, ad cujus exortum continuo omnes errorum tenebrae fugari dissiparique coeperunt. Apostoli enim ardentibus taedis orbem peragrabant, ubique ignem accendebant,omnia loca non solum lustrabant, sed etiam illustrabant,et cum omnia sacrilega falsorum deorum sacra, tum potissimum bacchanalia tamquam christianae religionis puritati, integritati et sobrietati maxime contraria persequebantur: et ea de festorum dierum catalogis et calendariis expungi delerique jubebant. Bacchus igitur ex omni parte adversum se bellum atrox excitari animadvertens, tempori paulisper cedendum putavit. Itaque Christiani orbis finibus relictis nescio ubi se abdiderit, alicubi tamen se sine dubio abdidit.Post aliquot annos cum jam extincta penitus et nomen et sacra bacchanaliorum crederentur, Bacchus iterum ex antro, in quo aliquamdiu latuerat caput erexit:Atque ex administris suis daemonibus intelligens Christianorum studium in tuenda atque amplificanda religione deferbuisse, aereos quosdam principes, sagaces imprimis atque disertos ad se vocari jussit, eosque paucis ante quadragesimam diebus ad vulgus Christianorum legatos misit, ut cum illis pro sua prudentia de Baccho revocando et restituendis bacchanalibus agerent. Legati venerunt, sed initio aperte se prodere non sunt ausi, neque temere omnibus Christianis sua consilia credenda esse putaverunt. Itaque observatis quibusdam, qui de fide religione ac bonis moribus minus solliciti videbantur, quique libentius conviviis interessent, et in bibendo magis strenue se gerebant, eos primum accesserunt: sed nocte intempesta, ne videlicet agnoscerentur, et quamquam non satis aperte loquebantur, et in aurem potius, quod volebant, insusurrabant, quam clara voce dicebant, oratio tamen illorum ut a majoribus nostris accepimus,talis fuit. Tempus imminet, quod vos quadragesimam appellatis, quo tempore, neque ludis neque jocis neque conviviis vacare licet: sed inedia diuturna corpus affligendum est: templa et conciones frequentandae: peccata ad memoriam revocanda, confessioneque lachrimis expianda: multa denique

severa ac tristia munia obeunda sunt. Cur igitur his paucis diebus animum non relaxatis? Cur paulo liberius voluptatibus non indulgetis ? Certe homines estis, carnei estis. Ista continuatio laborum non modo carneos, sed et ferreos homines frangeret. Cum amicus dimittitur, magis laute, quam alias tractari solet: et vos nunc a vobis carnem quodammodo ablegatis, et spiritui nutriendo et confirmando toto quadragesimae tempore diligenter incumbetis, cur igitur carni , vel his postremis diebus non aliquid tribuitis? Haec et horum similia Bacchi legatos dulciter insusurrantes, non solum attente, sed etiam valde amice homines illi audiebant. Quod cum ipsi legati animadvertissent propius accedentes, et seipsos prudentes dixerunt: Bacchus Dominus noster, non tam suae fortunae impatiens, quam vestrorum laborum misertus, nos ad vos misit; et quamquam ille a vobis injuria affectus est, tamen et injurias condonare, et ad vos redire paratus est, neque petit, ut ei suam pristinam dignitatem et ornamenta restituatis ; sed hoc solum, ut paucos dies ante quadragesimam ei vobiscum tuto versari liceat, ut ejus aliqua saltem memoria conservetur. Placuit haec oratio vulgo Christianorum, neque solum Bacchi petitio justa, sed et honesta visa est.

Itaque neque petita venia ab episcopis , neque sapientium consilio expectato, iterum bacchanalia catalogo festorum ascribere , et dies festos agere ac celebrare coeperunt. Verum talis moderatio ac temperamentum primis illis temporibus adhibebatur, ut Bacchi festum omnino simplex esse videretur. Non ebrii fiebant , non totas noctes ludebant, non per plateas discurrebant, non larvas induebant, non choreas ducebant, non aliquid denique aciebant, quod Christianum, hoc est, sobrium hominem dedeceret. Solum enim parum per animos relaxabant, et si quod ad solitas epulas et potationes addebant, omnino modicum erat. Et siquidem hoc malum non longius progressum fuisset, neque fines cujusdam moderatae remissionis transivisset (tametsi laudandum et probandum non erat) tamen utcumque ferri tolerarique potuisset. Verum post aliquot annos festum simplex semiduplex evasit; postmodum etiam duplex. Accesserunt vesperae duplices, accessit octava,accessit solemnitas quaedam peculiaris: denique praeter vigiliam et jejunium, et id omne, quod habent caetera festa, celebritatis accessit. Jam vero ita celebre factum est ut se hominem non putet, qui his diebus multo liberius ludis, jocis, cibo, potu, quam alioqui soleret, non indulgeat. Atque ad id jam insaniae in toto pene Christiano orbe deventum est: ut non immerito Mahumetanis et Agarenis ludibrio simus. Ecce, inquiunt, qualis est natio Christianorum: nunc usque ad fauces ventrem et stomachum implent,nunc inedia semetipsos cruciant: hodie tamquam insani bacchanatur per urbes,post duos dies cinere caput aspergent, templaque atque aras religiosissime frequentabunt : neque Christianos solum, sed et ipsum Christum irrident. O qualem,inquiunt, Christiani Deum habent , quam egregium legislatorem, qui haec vel praecipit vel permittit? Non sine causa, auditores, hodie potissimum Ecclesia mater nostra illud nobis evangelii verba proponit: *Ecce ascendimus Jerosolymam , et filius hominis tradetur gentibus*, etc. Neque dubitandum est,quin multi ad fidei nostrae veritatem converterentur,nisi Christianorum corruptis ac depravatis moribus retardarentur. Quod enim a Christo et ejus sanctissima religione animo abalienati sunt nos ipsi nostris peccatis et exemplis in causa sumus.

Sed haec hactenus: Jam enim tempus est, ut de vita et moribus hujus,quem insani homines colunt, et Bacchum appellant, nonnihil dicamus. Et licet res gestae, et mores ejus, de quo agimus, longissimam prope suo jure postularent : ego tamen ea solum attingam, quae ab hominibus hujus urbis, majori religione coli solere audivi. Atque ita moderabor orationem meam , ut tempus mihi praescriptum dicendo non excedam.

Piscis quidam reperitur, quem Aristoteles tradit cor in ventre reconditum atque inclusum habere: quocirca Epicharmus comicus eleganter unico verbo eum εχτραπελογαςρον appellavit,hoc est,a communi ventris ratione descendentem, Graeci communi vocabulo ονον, nos asinum marinum nominamus. Hujus igitur monstri Clemens Alexandrinus simillimos dicit esse Bacchi sectatores. Si vero tales sunt ii, qui aliquam Bacchi similitudinem in seipsis exprimere conantur, certe licebit nobis Bacchum definire,principem illorum asinorum,qui cor in ventre reconditum, habent. Bacchus igitur et ejus sectatores, quod pace ipsorum dicam, primum asinorum similes sunt; tardi, pigri , torpentes, desidiosi, stupidi: denique fustibus et verberibus melius, quam verbis erudiuntur. Haec enim omnia ex eo nascuntur, quod cor habeant in ventre. Clamant concionatores: Tempus jam est de somno surgere, ambulandum est, currendum est, iter ad coelum est longum, vita humana brevis : periculum est, ne ante portae claudantur, quam pervenire possimus: non est hoc tempus in ludis et jocis conterendum. Non audit asinus noster, et tamen aures longissimas habet. Habet quidem cor, sed est inclusum in ventre: nihil cogitat,nihil quaerit, nisi quod ad ventrem, ad Deum videlicet suum colendum et satiandum pertinet: Ejus enim *Deus venter est*. Loquere parumper de hordeo, de conviviis de potationibus, videbis si asinus excitabitur, si eriget aures, si alacriter respondebit. Ea siquidem, quae ventrem tangunt cor etiam tangunt. Sed caetera videamus.

Mirabimini profecto naturam hujus monstri:non solum cor habet in ventre, sed etiam tale corporis temperamentum ab ipsa natura sortitum est, ut si totas noctes insomnes ducat, ut choreis vacet, ut per urbem bacchetur, et omnibus coeli injuriis caput exponat suum, nihil penitus aegritudinis contrahat. Si vero horam unam meditationi rerum divinarum vacare velit, aut ad aliquem aegrotum consolandum noctu pergere, et apud eum aliquam partem noctis excubare,vel charitas vel necessitas moneat, continuo caput debilitatur, frangitur , recreatione indiget: neque die sequente ante meridiem electo surgere potest. Rursum cum omnes libri medicorum ad bonam corporis valetudinem

inediam utilissimam et crapulam perniciosissimam esse doceant; tamen noster homo, vel raro vel numquam jejunat, quod capitis dolorem timeat: ex nimio autem cibo et potu nihil timet. Et cum alii ebrietatem gravissimum crimen esse putent, ipse exclamat, cum mensae accumbens aliquem vinum cum aqua miscentem videt, nempe eo modo res a Deo creatas temerari, atque adeo sacrilegium committi censet: ita ut nemo unquam ab igne, sicut iste ab aqua, abhorruerit.

Sed quoniam jam ad mensam, nescio quo modo oratio nostra devoluta est, de conviviis quoque illius, et de tota ratione vivendi breviter, si non displicet, exponamus.

Ratio vivendi quantum ex iis, qui cum eo aliquando fuerunt, cognoscere potui, talis ab eo observari solet. Nunquam mane e lecto surgit, antequam Solem intelligat surrexisse. Aliqui hoc ignaviae ascribunt, ego parsimoniae tribuo. Id enim propterea facit, ne nimium olei in lampade consumatur. Accidit tamen plerumque, ut post unam aut duas horas suas plumas relinquat. Verum habet excusationem suam: id enim fit, vel quod multitudo ac densitas nubium solis radios ad eum pervenire non sinit, vel quod horologium delirat, et signat horam octavam, cum sextam signare deberet. Deinde ubi surrexit vel obambulat moenia civitatis, vel aliquo ludo vires exercet, ut paulo post strenue cum perdicibus et gallinis in mensa bellum gerat. Denique viribus, et fame et siti quantum satis esse videtur excitatis, itur ad mensam: neque unquam est solus, semper aliquos compransores et compotores habet. Primum verbum pene semper esse solet, Heus tu, vide, ut vinum non desit, pocula semper sint plena. Hic ego auditores, obruor jam multitudine lancium, discorum, patinarum, aliorumque vasorum, quibus epulae inferuntur: neque facile possem totam convivii celebritatem exponere. Sed novi quid faciam, illa ipsa verbis vobis referam, quibus magnus Basilius oratione contra ebriosos hoc idem convivium aliquando descripsit. *Incipiente die*, inquit, *symposii sui variis tapetibus ac floribus aulas exornant, studiumque suum ac diligentiam in poculorum apparatu ostentant, ad perfrigerandum vinum crateraque phialas velut in pompa aliqua, ac conventu publico disponentes, ut vasorum diversitas satietatem ipsis suffuretur, et poculorum alternatio, ac permutatio longam ipsis ad potandum immorationem inducat. Accedunt ad haec quidem symposiarchae, et vino fundendo praefecti, ac architriclini, et ordo in confusione et dispositio in re incomposita excogitatur. Ut quemadmodum magistratibus exterius ex satellitibus auctoritas augetur: sic etiam ebrietati, velut reginae cuidam, famulatum adjungentes, opprobrium ipsius excellenti studio ac ornatu contegant. Ad haec coronae, et flores et unguenta, et suffitus et innumerae externae animi voluptates majorem occasionem fruentibus faciunt. Deinde procul progresso convivio certamina de ampliori potu oriuntur: et horum certaminum praefectus est diabolus, et victoriae praemium peccatum. Quae oratio turpitudinem eorum, quae fiunt, assequi possit? Omnia absurditate, omnia confusione referta sunt. Superati ebrii sunt, victores ebrii sunt ministri vero eos deridet, manus officium negat, os non suscipit, venter deiicit, et tamen malum non remittit. Miserum corpus naturali robore exolutum undequaque defluit, violentiam immodici potus non sustinens. Porro ubi iam vino exsatiati putantur esse, tunc bibere incipiunt, et jumentorum more bibunt, velut a fonte sponte manante, et aequales numero canales accumbentibus remittente. Nam progresso jam convivio ingreditur ad ipsos adoloscens quidam generosos habens humeros, nondum ebrius, phialam habens magnam vini perfrigerati, qui depulso ipsorum pocillatore stans in medio per aliquos canales aequalem compotoribus ebrietatem distribuit. Nova haec est immodestiae mensura, ut aequis portionibus inter se bibendi petulantiam exercentes, nullus in bibendo alterum excedat. Inclina te paulum ad miserum ventrem tuum, disce suscipientis vasis magnitudinem: ne respicias ad poculum, quando evacuaturus sis ipsum; sed ad tuum ipsius ventrem, qui iam dudum expletus est. Usquequo tandem vinum? Usquequo ebrietas? Deinceps consequens est, ut canum pro homine fias, adeo totus admixtus es vino, et cum ipso putrefactus et quotidiana crapula vinum oleas. Atque hoc corruptum velut vasa, quae nullius amplius sunt usus. Miserabile profecto Christianis oculis spectaculum: Vir in aetatis vigore consistens, validus corpore, inter copias militares splendidus, domum deportatur non potens se erigere, neque propriis pedibus ab re. Vir qui horrendus esse debebat hostibus pueris, in foro ridendi occasionem praebet, citra ferrum prostratus est, sine hostibus occisus est.* Haec Basilius, qui certe pulcherrime nobis Bacchi convivium depinxit.

Sed numquid in isto convivio nihil dicitur? Numquid more monachorum silentium illis imperatum est? Non sane, auditores, non sequuntur mores monachorum: imo pene non alia de re, quam de ipsis monachis loquuntur, istorum simplicitatem rident, illorum vitam contemnunt, aliquos hypocritas et magistros nimis severos, aliquos nimis liberos et dissolutos vocant: neque ab ordine presbyterorum, pastorum et pontificum abstinet. Si quis est in hoc ordine, qui confiteri cupiat et sua peccata non recordatur, eat ad convivium Bacchi, et ibi omnia diligentissime enumerari audiet. Mirum est profecto nonnullos, qui rhetoricae numquam operam dederunt, tamen inter bibendum tam copiose, vel crimina aliorum exaggerare vel recte facta extenuare, ut facillime persuadeant, etiam si falsa et incredibilia aliquando narrent. Verum ut ille sapienter ait,

Foecundi calices quem non fecere disertum?

Temporis brevitas me compellit, auditores, ut Bacchum relinquam cum suis compotoribus in mensa: sed non aegre feret. Hoc enim ipse in more positum habet, ut multas horas sedeat ad mensam, sed interdum etiam prandia cum caenis conjungat. Hoc unum tamen addam, si mihi semel hominem adire liceret, profecto non tacerem eum in magno errore versari. Nam ipse quidem voluptatem

in ebrietate quaerit, et tamen ebrietas non tam conciliat, quam arcet voluptatem. Nam quemadmodum nimius fulgor sensum videndi, et magni sonitus sensum audiendi corrumpunt, moderati autem voluptatem efficiunt; sic etiam immodicus et frequentissimus potus sensus languidos et emortuos reddit, ut omne vinum insipidum et aquam mixtum illis esse videatur. At iis, qui raro et moderate bibunt, omne vinum sapit: nam et sensus bene constitutos habent et ad potum accurrunt tamquam ad amicum accipiendum, quem multo tempore non viderunt.

Sed quoniam mihi aulam accedere, et haec regi ebriosorum significare non licet, his omissis ad vos veniam, ac serio vobiscum agam, auditores, et paucis verbis orationem meam concludam. Agunturne aliquando Lovanii ista convivia? Dicetis fortasse, aliquando quidem nos invisit, neque facile repellere tam blandam amicam possumus; neque nobis tam immane scelus videtur esse, si interdum liberiores et jucundiores sumus. Quam enim tu ebrietatem dicis nos hilaritatem potius et jucunditatem appellamus. Mihi vero auditores, tam turpe vitium hoc esse videtur, ut vehementer probem illius sancti et summi pontificis consilium qui ebriosos excommunicandos et ab ecclesiis repellendos censebat. Narrabo vobis jucundam historiam. Cum primum in has regiones ingrederer, quas audieram fertilissimas et uberrimas esse, circumspiciebam, ut formam vinearum et copiam cernerem, sed cum vineae nusquam apparerent, et ab aliis intelligerem in iis locis vinum non crescere, sed advehi aliunde, quaesivi ab aliquo, an essent hic praeclara ingenia? Praeclarissima, ait ille: neque talia in multis orbis partibus facile reperies. Tum ego: Sane non injuria; Nam cum nihil magis ingeniis obsit, quam vinum, hic ubi vinum non bibitur, quomodo non optima et acutissima ingenia erunt? Quid inquit ille, hic vinum non bibunt? Imo vero rarissimos invenies, qui non bibunt usque ad ebrietatem. Qui ego: Fortasse rustici quidam sunt impurissimi, qui hoc facere solent: nam de caeteris non auderem tale aliquid suspicari. Tum ille: Miror, inquit, simplicitatem tuam; et rustici et non rustici, et plebei et patritii et philosophi et theologi, ac demum pene omnes hoc faciunt. Jam ergo non miror, inquam ego, si hic vinum non crescat. Nam singulari Dei providentia factum est. Si enim nunc ebrii fiunt, cum vinum aliunde advectum maximo pretio emunt, quid facerent, si non emerent, sed unusquisque suas vineas haberet? Fateor vobis, auditores, ebrietas est omnibus turpis, et homine libero indigna; sed in hominibus hujus urbis et academiae turpissima esse videtur. Et cum primum hoc vitium dominari hac urbe audirem, vix adduci poteram, ut crederem esse verum. Refugiebat enim animus meus tale aliquid de tam pia et tam erudita civitate credere. Meipsum quodammodo pudebat, tale aliquid cogitare. Nam si hoc vinum vitium abesset, cui quaeso civitati in toto Christiano orbe haec una civitas invideret? Imo vero quae civitas reperiretur, quae cum hac de eruditione, de pietate (quae duo christianae religionis maxima ornamenta ac veluti lumina clarissima sunt) contendere auderet? Credite mihi, auditores, multa gymnasia, multas academias, multa musarum domicilia vidi, sed rara sunt, ac prope nulla, qua cum hac illustrissima sede ac veluti arce quadam sapientiae, vel auditorum multitudine, vel doctorum celebritate vel loci ipsius commoditate comparari possint: et tamen tam densas tenebras huic splendori turpissimum ebrietatis vitium offundit, ut omnis reliqua gloria ac celebritas, humilis obscura exigua ac prope nulla videatur. Quid enim tam indignum homine docto, quam ebrietas? Quid tam ingenium hebetat, quam ebrietas? Quid tam cum sapientia pugnat, quam ebrietas? Quae consilia momenti alicujus ab ebriis hominibus expectabimus? Deinde quid foedius, quid miserius, quid scelestius homine ebrioso? Insanorum, phreneticorum, a daemone obsessorum multo melior conditio est, quam ebriorum. Illorum enim omnes miserentur: et si quid peccant, omnes ignoscendum putant; at ebriorum miseretur nemo: tantumque abest, ut eis peccantibus ignoscendum sit, ut Aristoteles libro de moribus tertio, duplicato supplicio eos afficiendos censeat. Quid? quod nullus est morbus, qui ita totum hominem corrumpat, ut ebrietas: Febres, vulnera, plagae, aliaque id genus corpus debilitant, sed animum non modo non frangunt, sed frequenter etiam roborant, ut b. apostolus dicat. *Cum infirmor tunc fortior sum.* Insania contra, ac mentis inopia, nec non ruditas et stupiditas, animorum aegritudines sunt, sed corpori nihil nocent: at ebrietas tale venenum est, ut et corpus et animum simul inficiat. *Ebrietas*, inquit magnus Basilius, *rationis pernicies, roboris corruptio, senectus immatura brevis temporis mors.* Quid enim aliud sunt ebriosi, quam idola gentium? Oculos habent et non vident: aures habent et non audiunt: manus resolutae sunt, pedes mortificati sunt. Sed quid dicemus? ubi ebrietas est, ibi stupra, ibi adulteria, ibi proditiones, ibi cultus idolorum, ibi omnia flagitia et facinora esse solent. Nam ut fimus apes, ita vinum excitat libidines. Quid Noe patriarcham ludibrio filiorum exposuit? Ebrietas. Quid Loth hominem sanctum alioqui nefario scelere contaminavit? Ebrietas. Quid populum Hebraeorum vitulum aureum fabricare, et eum pro Deo colere persuasit? Ebrietas. Quid Holofernem ita sopivit, ut sanctam Judith ingredientem, gladium arripientem, vagina nudantem, et caput ipsius amputantem non sentiret? Ebrietas. *Iacebat enim* inquit scriptura divina, *nimia ebrietate sopitus.*

Sed ad ipsa divina volumina parumper veniamus. Audite, quaeso, quid ipse Deus spiritus sobrietatis et veritatis, qui docet nos utilia, per Salomonem dicat: *Luxuriosa*, inquit, *res vinum et tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Et rursum; *Cui vae? cujus patri vae? cui rixa? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* Audite quid idem Domini spiritus per Isaiam ebriis comminetur. *Vae qui potentes estis ad bibendum vinum: et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Et item *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, et vino aestuetis: cithara, et lyra, et*

tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis nec opera manuum ejus consideratis. Propterea dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino. Quam ob rem, auditores? nonne ut omnes ebriosos absorbeat? Audite quid ipse Dominus animorum medicus peritissimus, qui morbos nostros optime curare novit, dicat: audite, inquam, a qua re nobis cavendum admoneat. *Attendite*, inquit, *vobis ne forte graventur corda vestra crapula, et ebrietate et curis hujus mundi: et veniat super vos repentina dies illa.* Quis vestrum auditores, si ab aliquo peritissimo medico audiret, Cavete ne succum illius herbae aliquo modo sumatis, nisi repente interire vultis: quis, inquam si hoc audiret, non sibi diligentissime ab illa herba caveret? et si eam in suo horto crevisse animadverteret non eam radicitus evelli mandaret? Cur igitur eamdem fidem Christo medico sapientissimo non adhibemus, qui succum ebrietati incaute sumentibus repentinum interitum et corporis et animi comminatur? Audite praeterea, quid nostrae militiae post Christum imperator Petrus suis militibus jubeat: *Sobrii*, inquit, *estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret:* O praeceptum salutare, *Sobrii*, inquit, *estote, et vigilate.* Ut vigiletis, ut sobrii sitis. Nam ebrii vigilare non possunt. Vigilantia vero maxime vobis necessaria est, cum hostem habeatis, qui numquam dormit, neque unquam ebrius est. Olim, auditores, Carthaginenses ideo pene semper hostium suorum exercitus fundebant, quod (ut Aristoteles oeconomicorum priore auctor est) se a vino cum dimicaturi erant, abstinerent. Quid igitur nos facere par erit, si hostes incorporeos, semper vigilantes, semper sobrios vincere voluerimus?

Sed obiiciunt nobis communem illum Doctorem orbis apostolum Paulum, qui ad Timotheum scribens, ait: *Noli adhuc aquam bibere.* O impudentiam incredibilem! Apostolum Paulum ebrietatis patronum facere non verentur. Et cujus sunt illa verba; *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et rursum illa; *Ebriosi regnum Dei non possidebunt?* Quid, quod illis ipsis verbis, quibus Timotheo suo vini bibendi licentiam concedit, vobis omnibus ebrietatem et crapulam interdicit? Primum enim diligenter monet: *Teipsum*, inquit, *castum custodi*: deinde subdit. *Noli adhuc aquam bibere*, ut intelligeremus beatum illum Timotheum, quod Clemens Alexandrinus annotavit, non vino, sed aqua perpetuo uti consuevisse. Tum addi: *Modico vino utere*, utere, inquit, non fruere: nec enim ad voluptatem; sed ad usum vinum concedebat. Quod Plinius etiam fecit, cum ait: *Modico vino uti non immania quaedam pocula exhaurire debes*: sed utere, inquit, modico vino. Postremo adiecit: *Propter stomachum et frequentes tuas infirmitates.* Nec enim unquam magister temperantiae vinum bibere atque ab aqua abstinere Timotheum jussisset, si ille stomacho confirmato et corpore robusto fuisset.

Verum, auditores, ne haec documenta scripturarum tamquam verba hominum, et inanes comminationes contemnamus, brevissimas, sed verissimas et plane formidabiles historias referre volo. Beatissimus pontifex Gregorius libro quarto dialogorum virum quemdam scribit fuisse, qui cum puellam quamdam ex sacro fonte suscepisset, eamque ut spiritalem filiam in domum suam induxisset, laetitiae et vino indulcere coepit: denique ebrius effectus nocte proxima eodem se scelere polluit, quo olim Loth, vir alioqui sanctus, se polluerat. Non diu Majestas divina tam nefarium scelus inultum dimisit. Septimo enim die obitu repentino consumptus est. Cum cadaver ipsius de more in tumulo collocatum humatumque fuisset, ignis ex ipso sepulchro oriri visus est, qui non solum ossa et mortuas ejus carnes absumsit: sed et ipsum tumulum penitus coneremavit. Et si tale fuerit corporis non sentientis incendium, quale fuit et nunc etiam est incendium animae sentientis? Num intelligitis jam quale praecipitium sit ebrietas? Nec enim dicere possumus stuprum, sed ebrietas non fuisset, neque flagitium illud unquam fecisset. Sed jam historiam alteram audite.

Venerabilis Beda capite decimo quinto, libri quinti historiae Anglicanae. *Novi*, inquit, *ipse fratrem, quem utinam non noscerem, cujus etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem, positum in monasterio nobili, sed ignobiliter viventem. Serviebat enim multum ebrietati et caeteris vitae remissioris illecebris. Percussus itaque languere, atque ad extrema perductus vocavit fratres, et multum moerens, ac damnato similis coepit narrare, quia videret inferos apertos et Satanam immersum in profundum Tartari; Caipham quoque cum caeteris, qui occiderunt Dominum juxta eum flammis ultricibus contraditum. In quorum vicinia, inquit, heu misero mihi, locum aspicio aeternae perditionis esse praeparatum. Audientes haec fratres coeperunt exhortari diligenter, ut vel tunc positus adhuc in corpore poenitentiam ageret. Respondebat ille desperans: Non est mihi modo tempus vitam emendandi, cum ipse viderim judicium meum jam esse completum. Talia dicens sine viatico salutis obiit, et corpus ejus in ultimis monasterii locis humatum, neque aliquis pro eo Missas facere vel psalmos cantare, vel saltem orare praesumebat. Factum est hoc nuper in provincia Barniciorum, ac longe lateque diffamatum, multosque ad agendam, non differendam scelerum suorum poenitudinem provocavit.* Hactenus Beda. Cuinam igitur, auditores, post exempla tam horribilia adhuc ebrietas placebit? Iste, cujus funestissimum exitum commemoravimus, non haereticus, non adulter, non ambitiosus, non avarus erat. Sed quid? Ebrietati studebat: et tamen prope ipsum Caipham et reliquos Domini perditissimos interfectores in gehennae incendiis locum habere meruit. Quare nemo, auditores, qui animae suae rationem aliquam habet, nemo, inquam, dicat: Non malum est ebrietas; vel, Leve peccatum est ebrietas: sed potius rei turpitudinem, damna, incommoda sapienter consideret, et aliquando tandem ad quietem et tranquillum sobrietatis portum se recipiat: quem nobis concedat Christus Jesus, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXI.

DE EADEM DOMINICA QUINQUAGESIMAE

THEMA

Contendite intrare per angustam portam. *Luc.* 13.

SYNOPSIS

Captat benevolentiam a frequentia auditorum. Scopus et occasio praesentis sententiae, et quam exiguus sit salvandorum numerus, explicatur. Porta angusta ipse Christus est atque ut per eamdem intremus, ex parte Christi eam aperiri oportet; ex parte autem nostra, ingredi. Enodatur dubium, quomodo lex Christi sit porta angusta, quae tamen alibi jugum suave et onus leve appellatur, et respondetur quatuor modis. Primo, quod praemia proposita et spes futurorum leve reddant jugum et onus facilitent. Secundo, quod via virtutis ingredientibus initio arcta appareat, quae tamen magis ac magis dilatatur; quod et Homerus et Aristoteles non ignorasse videntur. Tertio, quod solummodo pinguibus, id est, gutosis; proceris, hoc est, superbis, et oneratis rerum terrenarum pondere angusta sit porta. Quarto, quod porta legis sit angusta, per se solum considerata, sed gratia accedente dilatetur; illa est lex vetus, haec vero evangelium.

In altera concionis parte tria genera hominum proponuntur, qui quidem quaerunt intrare, sed non possunt, et quartum penitus non conatur intrare per angustam hanc portam. Ex primo genere sunt Judaei, Mahumetani, haeretici et infideles omnes qui quia portas, latas sibi ipsis aperiunt, per angustam intrare nequeunt. Secundum genus est eorum, qui quia in itinere hujus vitae (quae anno jubilaei comparatur) terrenis curis detenti nimium morantur, tarde pervenientes excluduntur. Tertium genus est eorum, qui quod difficultatibus, et tribulationibus absterrentur, vel quia modum intrandi non norunt, non contentunt, nec laborant intrare; ubi modus intrare volentes docetur. Quartum infelix genus est peccatorum, qui Christo vocanti non aquiescant, sed surdis auribus perstant in errore. Tandem gravis invectio contra bacchanalia succedit; ubi propositis diversis calamitatibus publicis auctor serio ad emendationem vitae nos adhortatur, et refutatis quorumdam mundanorum objectionibus ab ebrietate et intempestivo bacchanaliorum cultu dehortatur.

Etsi negare non possim, auditores optimi, me non sine magno dolore animi videre dies istos spirituali moestitiae ab Ecclesia consecratos, stultissima atque inanissima laetitia ab hominibus transigi: tamen illud etiam confiteri debeo, frequentia ista, atque concursu vestro hoc potissimum tempore, in quo locus concioni esse non posse videbantur, me non mediocriter recreari. Intelligo enim in hac urbe, atque adeo in hoc illustrissimo sapientiae domicilio, sicut multi hoc tempore toti sunt in corporibus ac sensibus oblectandis occupati: ita quoque non deest, qui conscientiae curam gerant, et qui ad spiritales epulas invitari se, ac deduci facile patiuntur. Et quamquam existimo multos eorum in concione adesse, quibus maxime esset concio necessaria: tamen non propterea muneri nostro deerimus, sed imitabimur sapientes medicos, qui cum pestis in urbe grassatur, si eos curare non possunt, qui jam peste correpti sunt; saltem diligentiam adhibent, ut corpora adhuc sana atque integra suis medicamentis a morbo defendant. Quod ut facile praestare possimus, pulcherrimam et elegantissimam quamdam sententiam explicabimus, quae decimo tertio capite evangelii s. Lucae continetur, et sic quidem intelligemus, quae sit via, quae ducit ad coelum: deinde quantum ab ea via Christiani homines tempore bacchanaliorum recedant.

Sententia igitur, quam hodie suscepimus explicandam, talis est: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt.* Quis est finis, ac veluti scopus, quam sibi in hac sententia Dominus proposuit? Non alia de causa, ut ex verbis superioribus cognosci potest, hanc sententiam Dominus protulit, quam ut ostenderet paucos esse, qui salvantur, multos, qui pereunt. Ac proinde eos, qui bacchanalia celebrant, in numero salvandorum non futuros. Pinguiores enim et crassiores sunt Bacchi cultores, quam ut per angustam portam ingredi valeant. Proposuerat igitur quidam Domino quaestionem: *Si pauci sunt, qui salvantur?* Dominus vero ita sapienter respondit, ut iisdem verbis, et paucos esse diceret, qui salvantur, et simul rationem exponeret cur essent pauci. *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam. Quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt.* Quod est

idem ac si apertius dixisset : omnino sunt pauci, qui salvantur, neque ob aliam causam, quam quod angusta et arcta porta vitae et salutis sit. Hoc Dominus in animis nostris infingere conatur, cum toties repetit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et rursum clamat: *Lata porta et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem: et multi ingrediuntur per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Hoc denique et Isaias illustri, sed horribili similitudine nobis ante oculos ponit. Sic enim loquitur capite vigesimo quarto; *Haec erunt in medio terrae, in medio populorum, quomodo si paucae olivae, quae remanserunt excutiantur ex olea; et racemi, cum fuerit finita vindemia: hi levabunt vocem suam, et laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus*: hoc est, quam rarae remanent, olivae in arbore postquam excussa fuerit: et quam rarae inveniuntur uvae in vitibus post vindemiam : tam pauci ex toto numero hominum salvabuntur. Quis non tremat? Quis non obliviscatur poculorum et chorearum, si rem istam cogitare incipiat? Quot poma in arboribus reperiuntur, postea quam ab agricolis collecta fuerunt? Fortasse tria vel quatuor, quae in summitate arboris cum essent, vel oculos vel manus colligentis effugerunt. Et in vineis post vindemiam, quot racemi reperiuntur? Certe tam pauci, ut facilius grana uvarum, quam botri numerari possint. Quare cum tam pauci sint, qui salvi fient, si cum iis conferantur, qui peribunt, merito de electis Isaias ait, *hi levabunt vocem suam, atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus* : hoc est, cum finito regno Antichristi Christus venerit in nubibus coeli cum potestate magna et majestate, cum impiorum innumerabiles multitudines in gehenna deturbaverit, cum omnes blasphemos, omnes fornicarios, omnes ebriosos, omnes immundos aeternis incendiis adiudicaverit: tunc pauci illi, qui relicti fuerint, levabunt vocem suam, atque erumpent in laudes Domini et prae gaudio et laetitia toti gestient. Eant nunc, si placet, homines Christiani, et agant bacchanalia sicut Ethnici, comedant et bibant more Epicureorum, ducant choreas, induant personas, discurrant tota nocte per urbem, bacchentur, luxurientur, insaniant, et videant, quid paulo post eis eveniet. Profecto enim si paucissimi sunt, qui salvi fient, in numero salvandorum isti non erunt, sed cum iis potius numerabunt, qui *tenent tympanum et citharam, et ducunt, in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Habemus igitur in quem finem ac veluti scopum tendat haec sententia. Nunc ad eam breviter explicandam veniamus.

Contendite, inquit, *intrare per angustam portam.* Unus fuerat, qui quaestionem proposuerat ; Dominus vero non uni, sed multis ait: *Contendite intrare per angustam portam.* Tametsi enim unus proposuerat, tamen multi erant, qui solutionem quaestionis audire cupiebant. Sed quid est porta illa angusta, per quam ingredi jubemur? Certe non aliud, quam ipse Christus. Ipse enim alio loco aperte dixit ; *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur.* Et rursum: *Ego sum via, veritas et vita.* Ad quem igitur modum intratur per Christum? Duo requirunt, ut quis per Christum in coelum ingrediatur. Unum ex parte Christi : alterum ex parte nostra. Ex parte Christi quid requiritur est, ut is portam aperiat. Ipse enim habet *clavem domus David, et aperiet, et nemo claudet : claudet, et nemo aperiet.* Et hoc quidem olim est factum. Tunc enim nobis Christus beatitudinis portam aperiebat, cum hic in terra agens patiebatur, atque usque ad mortem Patri obediens erat. Ut enim prioris Adae inobedientia et superbia portam regni coelorum clausit : ita posterioris obedientia atque humilitas eamdem portam reseravit. Itaque quod ex parte Christi requiritur, praesto est: patet enim porta, et usque ad consummationem mundi patebit. Verum ex parte nostra hoc requiritur, ut Deo adjuvante portam istam, quae jam ut diximus, patet, ingrediamur. Ingredimur vero, quando ea media ad salutem consequendam accipimus, quae Christus instituit, nempe virtutes et sacramenta : quae quoniam difficilia sunt, idcirco porta salutis, porta angusta dicitur : Virtutes homini christiano necessariae, ut fides, spes, charitas, humilitas, castitas, patientia et aliae, sine quibus salutem consequi nullus potest, nonne difficultatem maximam continent? Sacramenta quoque, ac praesertim confessionis, certe sua, et magna difficultate non carent. Quid enim difficilius, quid magis arduum, quid a natura hominis magis abhorrens, quam ut quis hominem alium adire, atque ei omnia sua flagitia, omnes foeditates, omnes turpitudines, et maxime arcanas et reconditas explicare teneatur? *Angusta est* igitur *porta*, per quam ad laetissimum et maximum regnum ingredi debemus.

Sed fortasse quaeret aliquis, Si lex Domini porta est angusta, cur idem Dominus alio loco jugum suum suave et onus suum leve esse affirmat? Quomodo ista cohaerent, *contendite intrare per angustam portam*: et, *jugum meum suave est et onus meum leve*? Multis modis nodus iste explicari potest. Beatus Chrysostomus exponens caput septimum Matthaei, legem Domini asserit esse per se quidem gravem ac difficilem : sed tamen simul esse levem ac suavem, si futura praemia et futura supplicia perpendantur : *Non enim sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Si aeger propter amorem sanitatis etiam amarissima pharmacha facile sumit : si agricola propter spem messis futurae aestivos ardores atque hiberna frigora contemnit: si mercator propter aurum tempestates ac procellas, et ipsa naufragia, nec non pericula latronum et piratarum nihil esse ducit : si miles propter quamdam inanem gloriae et honoris umbram gravia esse putat onera armorum, famem, sitim, vigilias, labores, vulnera, pericula, mortem denique ipsam : quomodo homini Christiano non facilia ac levia videbuntur quaecumque Dominus jubet, si is gloriam illam maximam et sempiternam, quam Deus militibus suis promittit, considerare voluerit? Non sine causa apostolus ad Ephesios scribens, tanta sollicitudine orare se dicit, ut *Deus gloriae det* illis *spiritum sapientiae*, et, *illuminatos oculos cordis*, ut sciant, *quae sit spes vocationis ejus*,

et quae divitiae gloriae hareditatis ejus in sanctis. Intelligebat enim tantam esse coelestis praemii magnitudinem, ut sola ejus consideratio omnia gravia et amara, levia et dulcia possit efficere. *Has cogitationes*, inquit, d. Cyprianus Exortatione ad martirium, *quae perfectio potest vincere? quae possunt tormenta superare? Durat fortis et stabilis religiosis meditationibus fundata mens, et adversus omnes diaboli terrores et minas mundi animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa et solida corroborat.* Jam vero tormenta quoque ac supplicia futura ita diuturna atque atrocia sunt, ut ad ea effugienda omnes labores, quos hic in terris patimur, ne labores quidem nominandi sint.

Sed et alteram solutionem quaestionis ejusdem breviter si placet accipite. Via Domini initio angustissima est, sed paulatim magis ac magis dilatatur: hoc est, ea quae Dominus praecipit initio dura atque amara esse videntur, sed usu tamen paulatim mollescunt, et consuetudine levia suaviaque redeuntur. Hinc est illa vox b. Hieronymi: *Virtutes durae sunt incipienti, molles proficienti, suaves pervenienti.* Et illa d. Augustini: *Semitae aequitatis dum inchoantur, arctae videntur et angustae: dum autem profectum accipiunt, spatiosae videntur et latae.* Hinc Salomon in proverbiis ait accipite quarto: *Ducam te per semitas aequitatis, quas cum fueris ingressus non arctabuntur gressus tui*: hoc est, antequam ingrediaris, absterreberis fortasse, sed cum fueris ingressus, alacriter curres. Homerus princeps prophetarum graecorum, vir ethnicus, sed sapiens, scribit Ulyssem, cum per ea loca transire deberet, ubi Circe foemina maga homines in belvas suis praestigiis commutabat, se adversus eas praestigiis herba quadam communivisse, cujus nomen est moly, quaeque radices teterrimas, sed flores candidissimos, et lacti quam simillimos habet: nimirum ut ostenderet, viros sapientes, quos in Ulysse describebat, ne victi cupiditatibus ac libidinibus variis quasi belvae quaedam efficiantur, virtutis praesidium sibi comparare solere. Virtutem vero esse persimilem herbae illi, quae radices atras et flores candidos habet, cum aspera ac difficilia sint virtutis initia; fructus vero optimi ac suavissimi, per se patet. Nam et philosophus, licet ethnicus, id aperte vidit et docuit, homini studioso esse voluptatem, studiose vivere. Et noster sapiens aliis verbis rem eamdem ita expressit, *gaudium est justo facere judicium.*

Sed rursum quaestio nostra alio etiam modo potest solvi; Si cum Theophilacto dicamus, a Christo portam angustam et viam arctam esse appellatam, non tam quod talis sit, quam quod talis proceris, ac pinguibus, atque onustis Bacchi amatoribus et cultoribus videatur. Vero enim si essent homines parvi atque humiles, si multa inutilia onera deponerent, si omnia vestimenta penitus exuerent, angustiam fortasse in via, et porta Domini non invenirent. Nunc vero nihil aliud cogitant, quam quomodo perpetuo crescant, corpore pinguescant, animo intumescant, extendantur, dilatentur, inflentur, neque unquam cessant onerare se oneribus gravibus curarum ac solicitudinum terrenarum. Et quid mirum, si hominibus ejusmodi porta regni coelestis arcta atque angusta esse videatur. Non talis certe videbatur apostolis Domini, non talis iis postea visa est, qui Apostolicam perfectionem imitati renunciaverunt omnibus, quae possidebant, et nudi nudum Christum sequi voluerunt. Nec enim verbis explicari potest, quam lata atque ampla porta Domini illis omnibus efficiatur, qui semel mundum cum suis pompis conculcare, spem saeculi omnem contemnere, magno ardore animi soli Christo adhaerere, et non solum terrenis opibus se spoliare, sed et desiderium et cogitationem a se penitus abscindere ac removere poluerunt.

Postremo illud quoque ad nostrae quaestionis explicationem addendum videtur, legem ac praecepta Domini portam esse illis angustam, si per se ac soli considerentur: at vero si iis Dei gratiam atque auxilium adjungatur, non portam angustam, sed jugum suave atque onus leve appellari debebit. Hoc enim interest inter legem et evangelium, quod lex praecipiebat, ut sancti essemus; non autem dabat gratiam, per quam homines sanctificarentur. Praecipiebat, ut cum daemone certamen iniremus; sed arma ad certamen necessaria non subministrabat. Praecipiebat, ut ex carnalibus spirituales efficeremur; sed Spiritum sanctum, quo spirituales esse possemus, non donabat. Praecipiebat, ut in coelum proficisceremus, sed scalas et gradus, quibus in coelum ascenditur, nobis non dabat. Itaque lex erat jugum, sed non suave: erat onus, sed non leve. At vero evangelium illa eadem praecipit; sed simul adjumentum praebet, ut ea non solum fieri, sed etiam facile fieri possit. Quare evangelium est jugum, sed suave: et onus, sed leve: et simul via est angusta et lata; aspera et jucunda. Audite prophetam: *Propter verba*, inquit, *labiorum tuorum, ego custodivi vias duras.* Ecce jugum et onus: et viam angustam et arctam. Audite rursum eumdem. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Ecce adjumentum gratiae. Et item: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*: tunc enim via dilatatur, et cursu transmitti facillime potest, cum etiam cor igne charitatis dilatatur. Cur quaeso sancti omnes opera maxima, atque admirabilia facile perpetrabant, nos vero parva atque exigua non sine labore perficimus? Certe non alia causa est, nisi quia illi fervebant, nos frigemus. Non dubito, quin sint aliqui studiosi adolescentes, qui sobrie et caste vivant: sed qui de choreis, de larvis, de conviviis semper cogitant, fortasse non credunt; verum decipiuntur. Multi enim etiam hodie adolescentes reperiuntur, quibus non ita, ut illi putant, castitas laboriosa, et quibus non molesta, sed etiam est jucunda sobrietas. Ejusmodi vero illi omnes sunt, qui sciunt, cujus sunt haec dona: qui Dei opem implorare, et ejus gratiam atque amorem quaerere, et invenire didicerunt: qui intelligunt, quanta sit in sacramentis efficacia, in scripturis adjumentum, in oratione solatium. Postremo, qui adhuc de angustiis viae Domini conqueruntur, nondum mihi, quid evangelium significet cognovisse videntur. Quid enim evangelium,

quid gratia, quid lex amoris, quid Spiritus sanctus, quid Christus, quid Jesus, quid Liberator sonant, nisi libertatem, nisi charitatem, nisi suavitatem, nisi facilitatem?

PARS POSTERIOR

Quae sit porta, de qua Dominus loquitur, et cur angusta appellata sit, hactenus exposuimus: nunc verba illa exponenda sunt: *Quia multi, dico vobis quaerent introire, et non poterunt.* Tria sunt hominum genera, quae quaerunt intrare, et tamen non poterunt. Est etiam quondam genus eorum, qui ne quaerunt quidem intrare. Initio igitur quidam sunt, qui quaerunt in regnum coelorum intrare, sed idcirco non intrant, quia non per angustam portam, sed per latam quaerunt intrare. Hoc genere continentur Mahometani, Haeretici, Iudaei, infideles denique omnes. Mahometani quaerunt intrare, cupiunt salvi fieri; sed ideo non intrant, ideo non fiunt salvi, quod non per angustam portam Christi, sed per latam portam Mahometis ingrediantur. Mahomet enim cum videret angustias religionis christianae, aliam quamdam portam aperuit latam atque amplam, sed quae recta ducit ad gehennam. Videte quam lata sit porta Mahometis: nihil docuit credendum, quod superet cujusquam intelligentiam, non trinitatem, non incarnationem non mortem, non resurrectionem filii Dei. Nihil etiam docuit sperandum, quod oculus non viderit et aures non audierint: sed flumina lactis, et mellis et vini, ventris saturitatem, libidinum expletionem, servorum multitudinem, denique continuas ferias et perpetua bacchanalia, hanc esse docuit beatorum felicitatem. Nam quod permittat uxorum multitudinem, et habenas laxet libidinibus, et alia multa, quae portam illam latissimam faciunt, facile patior sileri. Pari ratione omnes haeretici non ferentes angustias hujus portae unusquisque sibi propriam portam aperuit: Venit Lutherus, et aperit unam portam usque adeo latam, ut etiamsi curru vel lectica vehi velles, vel si utrumque parentem in humeris gestares; tamen adhuc satis commode eam ingredi posses. Nulla continet praecepta, nullas leges, nulla exigit opera: Jejunia vero et castitatem, dolorem et satisfactionem pro peccatis, atque alia id genus, tamquam noxia execratur. Denique ita lata est haec porta, ut etiam homines ebrii (qui alioqui diu laborant, ut aedium suarum fores inveniant) per hanc sine errore et offensione ingrediantur. Veniunt denique Zuinglius et Calvinus, et aliam quandam portam adhuc latiorem aperiunt; Nam angustias quasdam de fide augustissimi sacramenti, quas Lutherus reliquerat, isti boni architecti penitus sustulerunt, quamquam haec porta bis antea aperta a Berengario semel, semel a Wicleffo, et bis ab Ecclesia cum ingenti labore obstructa, nunc tertio ad perniciem innumerabilium animarum non tam aedificata, quam restaurata atque aperta a Zuinglianis et Calvinistis est. Per has igitur portas, quae latissimae sunt, infinita hominum multitudo ingreditur, quos omnes illis verbis Dominus revocat; *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt*: quia non per angustam portam, quae sola ducit ad vitam, ingrediuntur. Non vos decipiat amplitudo portae Lutheranorum et Calvinistarum. Quid enim prodest commode, et non per angustias intrare, si intretis in gehennam? Imo potius, si sapitis, suspecta sit vobis ista latitudo portae, ista facilitas fidei. Nam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad fidem: et fides vere christiana est illa, quae propter sublimitatem et excellentiam suorum mysteriorum illud exigit, ut intelligentia a voluntate captivetur.

Porro alterum genus est eorum, qui per angustam quidem portam intrare cupiunt, sed serius veniunt, atque idcirco quaerent intrare, et non poterunt. Porta illa, quae Sancta appellatur, quam Romae anno jubilaei pontifex summus aperire solet, tam diu est aperta, quam diu tempus jubilaei durat. Tempore illo evoluto subito clauditur, ac deinceps etiam si rex quispiam adveniret atque ingredi cuperet, ea porta aperiri non posset. Ad eundem modum porta coeli, quam ipse Christus pontifex summus ac sempiternus sua morte et passione reseravit, nunc quidem patet; sed non nisi jubilaeo durante patebit. Dominus enim cum portam aperuit simul jubilaei annum instituit; cujus quidem jubilaei spatia tametsi vere ad mundi consummationem extendantur, tamen si homines singulos consideremus, uniuscujusque annus jubilaei tam diu durat, quam diu vita ipsius durat: Vita deficiente annus jubilaei finitur, et porta salutis aeternis seris et repagulis clauditur. Quia vero multi sunt, qui dum vivunt curis, et sollicitudinibus mundi hujus occupati haerent in itinere, praesertim cum se diu adhuc supervicturos, et annum jubilaei longissimum futurum arbitrantur, idcirco Dominus eorum praevidens periculum ita sollicite eos admonet; *Contendite intrare per angustam portam*; hoc est, nolite haerere in via, sed properate, currite, donec annus jubilaei durat, donec tempus habetis poenitentiae, donec porta salutis patet. *Multi enim quaerent intrare*, sed quia serius veniunt, intrare non poterunt: et frustra pulsabunt portam, frustra dicent: *Domine, Domine aperi nobis*, frustra optabunt unum diem ad poenitentiam. Haec vero, auditores, propter quos quaeso dicuntur? Certe non propter eos, qui jam objerunt, et stant foris, et pulsant dicentes, *Domine aperi nobis*: illis enim ista non prosunt, sed propter nos et nobis dicuntur, et nobis non universis sed singulis, non dicuntur homini cuidam communi, non dicitur. Ideae Platonis, sed mihi et tibi et isti et illi. Et quid quaeso dicitur; nempe hoc, (aperiamus quaeso aures cordis) hoc inquam, dicitur vobis: nunc patet janua coeli, nunc vestri jubilaei annus agitur, nunc vobis regnum coelorum offertur, nunc invitamini, ut intretis: nolite omittere opportunitatem istam. Multo enim citius quam putatis, non cogitantibus vobis porta claudetur, sicut infinitis aliis de improviso clausa est, et in aeternum miserrimi atque infelicissimi eritis et horam unam hujus pretiosi temporis, quod modo nihili facitis, toto animo cupietis, et non dabitur vobis.

Sed jam ad tertium hominum genus veniamus.

Sunt igitur alii quidam, qui per angustam portam et satis mature ingredi cupiunt; sed tamen victi angustiis portae, tandem non ingrediuntur. His Dominus ait, *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare*, hoc est, tentabunt, an possint intrare, periculum facient, an per illas angustias ingredi valeant; sed quia non contendent totis viribus, ideo tandem non intrabunt: hoc genere innumerabilis multitudo hominum continetur. Quis enim enumeraret eos, qui quotiescumque ad confessionem accedunt statuunt apud se jam deinceps ingredi velle angustam portam, fugere ebrietatem, fornicationem, contentiones, aemulationes, rixas, iras, tripudia, et alia, a quibus nos abstinere apostolus praecepit. Itaque isti quaerunt intrare, incipiunt intrare sed statim atque nonnihil comprimuntur, retrocedunt. Si unum verbum audiant, quod eis non placeat, mox abiiciunt, patientiam, et ira succensi de ultione cogitare incipiunt: sic etiam propositum sobrietatis et castitatis tamdiu servant, quamdiu peccandi occasio non se offert: quin etiam alioqui saepe renovant desideria, saepe concipiunt spiritum et numquam pariunt. Hos igitur admonet Dominus; *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam*, non pascitur Dominus sterilibus desideriis, non sufficit velle intrare, sed contendere necesse est. *Multi enim, dico vobis, quaerent intrare*, multi volent, multi capient, multi tentabunt sed quia non contendunt, neque vim faciunt, idcirco non intrabunt. *Regnum* enim *coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Cum in aliqua domo spectacula aliqua exhibentur, vel comoedia aut tragoedia aliqua agitur, numquam vidistis quam vehementer se comprimant in ingressu ejus domus? Omnes cupiunt esse primi, et tanto ardore spectandi aliquid novi ducuntur, ut non magni faciant illas angustias, neque laborem illum introeundi considerent, modo spectaculis aut comoediae interesse valeant. Iam igitur in regno coelorum ejusmodi spectacula exhibentur, ut solo eorum aspectu spectantes felices efficiantur: neque sperandum est, ut praecedant nos famuli, qui viam aperiant; sed unusquisque per se, sive dives, sive pauper, sive nobilis sit, sive ignobilis, unusquisque per se viam sibi facere, et trudi ac trudere debet, si pulcherrimis et felicissimis illis spectaculis interesse volumus. Quae cum ita sint, quis nostrum erit, qui laborem ingrediendi per angustam portam ferre non velit? Quis non facile comprimi se, et affligi ad tempus patiatur? Non dubito, quin multi ingredi vellent; sed non possunt, et ideo non possunt, quia non sciunt: nec enim sine arte per angustas et humiles portas ingrediendum est. Si porta esset humilis, et tu rectus incederes, et caput non inclinares, nonne frontem laederes, et tamen non intrares? Sic etiam si porta est angusta, nisi te ad modum crucis conformare scias, et quasi transversis lateribus ingrediaris, frustra ingredi cupies: hoc est igitur quod Dominus ait; *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt*, quia nimirum se ad formam crucis componere minime sciunt, et modum ingrediendi per angustias ignorant. Itaque debes te ad modum crucis conformare, hoc est, statuere apud te, omnes tribulationes, atque aerumnas forti, atque infracto animo tolerandas esse, et ad hunc modum facillime ingredieris. Sic Dominus auditores, intravit, sic enim *oportuit Christum pati*, nempe crucifigi, *et ita intrare in gloriam suam*; Sic apostolus Petrus, sic apostolus Andreas, sic omnes electi in regnum coelorum ingressi sunt. Omnes enim crucis figuram imitati per multas tribulationes summo cum labore, angustias portae hujus intraverunt.

Venio nunc ad ultimum et infelicissimum hominum genus, nempe ad eos, qui non solum non contendunt intrare, sed ne cogitant quidem, an velint intrare. Et si multi quaerent, et non poterunt, quid de istis fiet, qui ne quaerunt quidem? Et quam multos esse arbitramini in hoc numero? Certe hoc tempore perrari omnino sunt, qui ad hoc genus hominum non pertineant. Quis hoc tempore Dei timorem et suae salutis studium non obliviscitur? Cui non apte verba illa conveniunt; *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, et in puncto descendunt ad inferna, qui dixerunt Deo, recede a nobis scientiam viarum tuarum nolumus*, hoc est, per viam arctam, quam doces, ambulare non volumus: sed viam latam ingrediemur, bacchanalia celebrabimus, tripudiis, sonis et cantibus incumbemus. Quis hoc tempore, si non verbis, certe factis hoc non dicit? Nonne hisce diebus orbis Christianus ferme totus insanit, ut non immerito Mahometanis et Agarenis ludibrio simus. Ecce, inquiunt, qualis est natio Christianorum, nunc usque ad fauces ventrem et stomachum implent, nunc inedia semetipsos excruciant; hodie tanquam insani choreas ducunt, larvas induunt, bacchantur per urbes, post duos dies cinere caput aspergent, templaque, atque aras religiosissime frequentabunt: neque Christianos solum, sed ipsum etiam Christum irrident. Et qualem, inquiunt, Christiani Deum habent, quam egregium legislatorem, qui haec vel praecipit vel permittit. Non sine causa, auditores, hodie potissimum et Ecclesia mater nostra illa nobis evangelii verba proponit: *Ecce ascendimus Hierosolymam, et filius hominis tradetur gentibus ad illudendum et conspuendum.* Vere enim nunc Christus traditur gentibus ad illudendum et conspuendum. Sed numquid Judaei olim impune Christum ad illudendum et conspuendum gentibus tradiderunt? Non sane Siquidem post annos quadraginta Christus Judaeos gentibus tradidit non solum illudendos et conspuendos, sed etiam interficiendos atque delendos. Et quis non videt nobis idem ob causam eamdem non solum aliquando eventurum, sed in praesentia evenire? Nonne Deus assiduos comminationibus nos terret? Audimus Italia ita adhuc horrendis tremoribus concuti, ut alicubi homines desertis civitatibus in tentoris habitent, neque gelu aut nivibus in urbes compelli possint. Audimus Germaniam superiorem tanta penuria ac difficultate annonae laborare, ut calceos furfures, spongias pauperiores comedant. Quis vero inde multa latrocinia et pestem gravissimam seculturam non formidat? In his nostris regio-

nibus quot pagos superioribus temporibus mare absorpsit? Gallia et Hispania, quam atrocibus bellis proximis annis afflictatae sunt? Haeresis vero, quae est plaga omnium gravissima, quadonam vehementior, quam hoc tempore fuit? Quid de immanitate Turcarum regis dicemus? nonne singulis annis aliquas Christianas provincias suo imperio adjungit et reliquis tamquam saeva tempestas perpetuo imminet? Itaque Deus hoc tempore omnibus plagis, atque flagellis simul expugnationem cordium nostrorum aggreditur. Clamat enim his vocibus et utinam non ad cor Pharaonis, utinam non surdis auribus clamet. Et quid clamat? Sit finis flagitiorum, sit finis libidinum, sit finis insaniae, sit finis bacchanaliorum: alioqui enim, si sic pergitis, me gentibus illudendum tradere, pergam et ego vos gentibus perdendos et diripiendos tradere. Mavult enim sine dubio Turcas regnare, quam perditos Christianos. Illi enim contemnunt Deum, quem non noverunt, et cujus sacramenta non susceperunt; nos vero Deum, quem novimus et cujus Sacramenta suscepimus, conculcamus: propter nos blasphematur Dei nomen inter gentes: nec solum propter nos blasphematur, sed nos ipsi illud blasphemamus, nos gentibus pejores sumus. Refert enim d. Augustinus libro decimo octavo de civitate Dei capite decimo tertio, Senatum Romanorum ita bacchanalium turpitudinem exhorruisse, ut ea in urbe Roma celebrari omnino prohibuerit. Itaque surgent Romani in judicio, et condemnabunt generationem istam, quod illi bacchanaliorum ne nomen quidem ferre potuerunt: et homines Christiani non solum nomen, sed et rem ipsam diligenter conservarunt.

At, inquis, nimis est durum, tali hoc tempore vitam severam arripere: nunc omnia ad laetitiam et voluptatem invitant. Imo vero plane contrarium ego video. Nonne jam inde a septuagesima ecclesia mater nostra omisit hymnos et cantica jucunditatis, assumpsit indumenta tristitiae, totum hoc tempus paenitentiae et peccatorum recordationi consecravit? nonne ad funus sponsi ac liberatoris sui celebrandum praeparatur? Nonne passionem Domini hodie in evangelio audivimus? Cujus rei sunt haec signa? laetitiae, an tristitiae? Quid? quod his moribus, et hoc genere vivendi facimus mendaces omnes sacerdotes? Illi clamant in templis et praesertim hora tremendi sacrifici populum Christianum hoc tempore ob memoriam peccatorum esse in luctu, et lachrimis et squalore; et interim vero major pars Christianorum tota est in convivis, in potationibus, in tripudiis.

At juvenes sumus: dandum est aliquid aetati: et laborum continuatio non solum homines carneos, sed etiam ferreos frangeret. Imo vero auditores, quia juvenes sumus ideo continendi et coercendi sumus. Est enim aetas nostra quasi equus indomitus, non eget calcaribus ad malum, sponte sua in vitia praecipitatur. Cur novis fomentis incendium nostrum augemus? Deinde cur non possunt adolescentes aliis honestis oblectationibus recreari? Num desunt vobis infinita genera ludorum, quae sine peccato exerceri possunt? Quid necesse est viros cum foeminis tripudiare? hoc enim est stipulam igni admovere. Quid necesse est cum gladiis tota nocte per urbem discurrere, et in gravi periculo, vel pereundi vel perimendi semper versari? Quid necesse est cantica lasciva ebrietate condire? Numquid potus sobrius et honesta symphonia sensus nostros non oblectaret? Denique an adolescentes non saepius ipsos senes moriendo praeveniunt et sane dico vobis, nulla aetate homines facilius in gehennam descendunt.

At major pars hominum hoc agit. Verum est id quidem: sed ideo major pars hominum aeternis suppliciis addicetur. Ideo Dominus ait, paucos esse, qui salvantur: multos vero qui pereunt. Ideo Isaias clamat: *Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum sine ullo termino.* Quare si quis est, qui vere Deum et animam suam diligat; si quis est, qui tamquam bonus miles a parte Dei contra diabolum stare velit; si quis est, quem zelus aliquis tangat honoris Domini sui si quis est, qui dolorem aliquem capiat, ex tot et tam multiplicibus offensionibus, atque injuriis Dei hoc tempore se ostendat: non est difficile tempore pacis militiam profiteri: non est multum in quadragesima et in hebdomada sancta larvam non induere; ebrium non fieri, choreas non ducere; sed nunc, nunc est tempus, ut se veri Dei cultores et milites prodant, nunc totus fere orbis adversus Deum quasi conspirat. Si rex noster ab aliquo peteret, ut in ejus gratiam duobus frequentibus diebus jejunaret, aut domi se contineret, non dubito quin impetraret. Nunc vero Deus ipse, qui te condidit, qui te redemit, qui tibi regnum coelorum impetravit, cui non solum tua, sed etiam te ipsum debes, exiguum unum a te petit: non postulat, ut jejunes, non ut domo non egrediaris; sed hoc unum dumtaxat, ut filium suum et dominum tuum non exponas gentibus ad illudendum et conspuendum, ut his tribus diebus in officio te contineas: quis igitur ex vobis adeo ingratus ac durus, adeo immemor beneficiorum erit, ut rem tam exiguam pro Deo non faciat? Ego ipse, qui nihil sum, si ab aliquo vestrum beneficii loco peterem ut hac nocte ab ebrietate se abstineret, me profecto impetraturum sperarem: quanto igitur magis par est, ut id a vobis omnibus impetret Christus, qui semetipsum tradidit pro nobis, et in patibulo suspendi voluit, ne nos suspenderemur in gehenna? praesertim cum multo major sit voluptas futura, quam paulo post ex bona conscientia capiemus, quam sit ea molestia, quam modo libidines compescendo perferemus. Ita igitur dilectissimi, ita quaeso contendamus intrare per angustam portam, ita sobrie et modeste nos geramus, ita *luceat lux* nostra *coram hominibus, ut videant opera* nostra *bona et glorificent Patrem* nostrum, *qui in coelis, est*, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXII.

DE DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

THEMA

Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. *Cor.* 6.

SYNOPSIS

Sacram scripturam duplici sensu interpretari, Ecclesiae familiare est; hinc et thematis hujus sensus tam secundum Apostolum, quam secundum Ecclesiam explicatur. Omnium temporum commoditates quadragesimam secum adferre probatur; Sex tamen praecipue adducuntur illius utilitates. Prima comoditas quadragesimae est copiae verbi Dei et concionum frequentiae; ubi duo reprehenduntur abusus audiendi conciones, unus eorum, qui non dignantur illas adire et audire: alter eorum, qui non sine debito audiunt: et quomodo cum fructu audiendae sint conciones pulchra traditur doctrina. Secunda quadragesimae commoditas est orationis. Tertia jejunii, ubi triplex taxatur hominum genus, primum eorum qui omnino non jejunant, secundum eorum, qui male jejunant; tertium eorum, qui coacti et inviti, vel metu inducti jejunant. Quarta commoditas quadragesimae est eleemosynae. Quinta poenitentiae. Sexta communionis: et quomodo isthaec singula fieri debeant docetur.

Consuevit Ecclesia duobus modis uti verbis divinae scripturae: interdum enim adducit in eum sensum, quem verba praeseferunt, qui litteralis dicitur: interdum vere in aliquem sensum spiritalem. Cum celebratur dedicatio templi, Ecclesia illud evangelium proponit, ubi legimus, *hodie salus huic domui facta est.* Quae quidem verba secundum literalem sensum de domo Zachaei intelligi debent. Ecclesia vero eadem illa verba secundum spiritalem sensum, de templo illo intelligi vult, cujus agitur dedicatio. Quibus etiam duobus modis apostolos ipsos scripturi instrumenti veteris usos fuisse scimus. Ita igitur hodie verba ista apostolica; *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis,* quae ab apostolo Paulo dicta fuerant de gratia novi testamenti, applicat Ecclesia ad gratiam quadragesimae. Itaque sensus apostoli, et literalis talis est: Venite jam tempus illud acceptabile, quod omnes prophetae praedixerant, et omnes justi hactenus desideraverant: Deus enim misit filium suum, ut per eum sibi mundum reconciliaret. Deinde misit nos apostolos et legatos suos et posuit in nobis verbum reconcilationis: *Hortamur igitur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Venite reconciliamini Deo, dum est tempus acceptabile, et dum adhuc durant dies salutis. Sensus vero spiritalis, quo Ecclesia hodie utitur, iste est: Venit nunc tempus quadragesimae, tempus optimum saluberrimum, pretiosissimum, in quo licet a morte peccati ad vitam gratiae et charitatis resurgere. Quare *hortamur vos, ne in vacuum gratiam* istam *recipiatis*, ne tempus tam pretiosum sine fructu praeterire patiamini: Est enim hoc tempus, *tempus acceptabile et dies salutis. Omnia tempus habent*, inquit Ecclesiastes, *et suis spatiis transeunt universa sub coelo. Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quae plantatum est. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus aedificandi. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi et tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, et tempus perdendi. Tempus custodiendi, et tempus abiiciendi. Tempus scindendi, et tempus consuendi. Tempus tacendi, et tempus loquendi. Tempus dilectionis, et tempus odii. Tempus belli, et tempus pacis.*

Sed hoc tempus quadragesimae, auditores, omnia illa tempora simul complectitur. Est enim modo *tempus nascendi et tempus moriendi*; nascendi Deo, et moriendi peccatis. *Tempus plantandi, et tempus evellendi*: plantandi virtutes, et evellendi vitia. *Tempus occidendi, et tempus sanandi*: mortificandi membra nostra, quae sunt super terram, et sanandi novum hominem, qui renovatur de die in diem. *Tempus destruendi, et tempus aedificandi*: destruendi turres superbiae et Babylonis, aedificandi muros sanctae et gloriosae Jerusalem. *Tempus flendi, et tempus ridendi*; flendi ob amissam gratiam et debita contracta, ridendi ob spem remissionis. *Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi*: tempus ut concionatores spargant verba Dei, quae sunt lapides illi vivi, quibus occiditur Goliath; tempus ut populi colligant eadem verba, non ut res inanes et inutiles, sed ut gemmas et lapides pretiosissimos. *Tempus amplexandi et longe fieri ab amplexibus*: amplexandi Christum sponsum animae, et longe fieri ab amplexibus impurissimarum foeminarum. *Tempus*

acquirendi, et tempus perdendi: perdendi bona temporalia eleemosynas largiendo, et acquirendi sempiterna usuram a Deo recipiendo.Nam *qui miseretur pauperis, foeneratur Domino. Tempus custodiendi, et tempus abiiciendi*: custodiendi bona desideria, quae Deus hoc sancto tempore inspirat, abiiciendi paulisper curas et sollicitudines hujus saeculi. *Tempus scindendi, et tempus consuendi*: scindendi habitum peccati; et consuendi vestem innocentiae: vel scindendi chirographum diaboli, reficiendi legem Dei nostri,quam peccando laceravimus. *Tempus tacendi, et tempus loquendi*: tacendi verba scurrilia, inutilia, otiosa,lo-sciva, blasphema, detractiones quoque et murmurationes, et loquendi mille linquis laudes Dei, et gratiarum actiones,quod nos tam diu ad poenitentiam expectaverit. *Tempus dilectionis, et tempus odii*: dilectionis animae in vitam aeternam, odii ejusdem animae in hoc mundo.Nam *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Tempus belli, et tempus pacis*:belli cum daemone, mundo et carne, pacis cum Deo, proximo et nobiscum. Cum igitur tantae sint utilitates hujus temporis,merito ecclesia nos hortatur, ne gratiam hujus temporis a Deo nobis collatam in vanum recipiamus.

Sed quamquam tam multae sunt utilitates Quadragesimae, tamen praecipue sunt sex, juxta numerum dominicarum: Copia verbi Dei, orationis, jejuniorum, eleemosynarum, poenitentiae et communionis. Siquidem ista sex tempore quadragesimae maxime exercentur ab iis,qui gratiam temporis hujus non in vacuum recipiunt. Singula breviter explicemus.

Primum habemus tempore quadragesimae maximam copiam verbi Dei, maximam copiam concionatorum, maximam copiam spiritualium medicorum.Reliquo tempore anni vix diebus festis in uno aut altero templo habentur conciones, nunc tempore quadragesimae singulis diebus, et multis in locis habentur. Quid igitur dicit Ecclesia? *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Videte ne frustra dederit vobis Deus tot concionatores. Qui sunt, qui in vacuum gratiam Dei istam recipiunt? Ii sunt, qui vel conciones non audiunt, vel non bene audiunt. Primum aliqui non dignantur audire,et sane magnam injuriam faciunt verbo Dei, et periculum est, ne super eos veniat illa fames, quam Dominus per Amos prophetam comminatur: *non fames panis, sed fames audiendi verbum Domini.*Quid? Toto anno concionatores frangunt sibi caput,ut cogitent quid tibi velint dicere; deinde spatio unius horae ea proterunt, quae ipsi magno labore et longo tempore collegerunt, et tu adhuc eos non audies? At inquiunt, scimus quid concionator dicturus est: nimirum,ut faciamus bonum et declinemus a malo. Ponamus ita esse, videlicet nihil novi te a concionatore auditurum. An propterea conciones frequentare non debes? Concio siquidem non solum habetur, ut doceantur auditores, quod fortasse nesciunt; sed etiam ut moveantur ad bonum faciendum, quod sciunt, et non faciunt. Aliud enim est legere in cubiculo suo verba mortua, aliud in concione audire Spiritum sanctum per vivum organum suum magna virtute, et efficacia vel vitia arguentem, vel opera virtutum persuadentem. Apostolus Petrus una atque brevissima concione, tria millia hominum convertit. Quod si eadem illa verba, quae apostolus dixit, in libris tantum scripta legissent, fortasse ne unus quidem conversus fuisset. Quoniam igitur in cubiculo tuo saepe legisti, quid facere debeas, et tamen medicamentum istud non profuit, aliud medicamentum experiri, nimirum vivam vocem audire debes. Alii sunt, qui audiunt, quidem. conciones, sed ideo in vacuum gratiam istam recipiunt, quod non desiderio proficiendi, sed curiositate ducantur. Magnus est hodie abusum hominum Christianorum in concionibus audiendis.Ita enim plerique ad concionem veniunt, quasi ad comoediam aliquam venirent, ut notent, ut judicent,ut delectentur. Et sane si in egressu a concione staret in porta templi aliquis, qui singulos interrogaret, quid tu ex concione refers? Unus diceret, non habet verba Tulliana:alter diceret, non habet bonam vocem: tertius diceret, est nimis prolixus. Ista referre sciunt,de emendatione autem morum, *sicut erat in principio.* Itaque similes sunt cribro, quod frumento deiicit et paleas retinet:et ideo semper sunt iidem,numquam ex concionibus proficiunt.

Hortamur igitur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quod ut praestare possitis,ista sunt observanda: Primum.cum templum ingrederis orare debes ex animo Deum,ut concionatori donet memoriam promptam, linguam solutam et planam, et imprimis fervorem et efficaciam:loquatur ad cor,doceat utilia, non ad pompam concionetur: tibi vero donet cor docile, mentem illuminatam,animum obedientem.Deinde audire debes attente,et non respicere huc atque illuc,neque fabulari cum sodalibus,sicut aliqui faciunt, qui nec ipsi audiunt quid dicatur,et eos qui audire cupiunt impediunt.Audire etiam debes cum fide,et animo exequendi,quod utile animae tuae esse didiceris,sicut aegroti medicum audiunt.Si aliquis in hanc urbem veniret,qui diceret se remedia habere optima et praesentissima, non solum contra morbos et aegritudines varias, sed etiam contra paupertatem, et contra insidias inimicorum,quam libenter quaeso, quanta intentione, quanto silentio audiretur? Ista omnia remedia pollicetur et praestat verbum Dei. Docet enim quomodo possis curari a morbis vitiorum, quo modo possit fieri dives gratiae et virtutum, quomodo possis omnes hostes tuos, mundum, carnem, daemonem superare. Postremo concione absoluta, non debes egredi more ingratorum et rusticorum hominum insalutato Domino hujus domus, sed genua flectere, et agere gratias Deo, quod tibi per concionatorem loqui voluerit, atque orare ut bonum semen, quod seminaverit in corde tuo, fovere, rigare, conservare, ad frugem denique et maturitatem perducere dignetur.

Altera utilitas hujus temporis, est commoditas orandi. Concionator enim tametsi medicus est animarum, tamen dicit tibi morbum tuum esse gravem et periculosum, et ideo se solum non sufficere, sed necesse est tibi adhuc alium medicum sa-

pientiorem adire. Itaque mittit te ad orationem, ut medico illi coelesti ac divino, qui omnes morbos curare novit, plagas omnes animae tuae demonstres. Ecclesia vero hoc tempore quadragesimae offert filiis suis magnam occasionem et commoditatem orandi. Auget enim preces multas in divinis officiis, et subtrahit corpori mediam partem cibi, ut cibus animae, qui est oratio, hoc tempore duplicetur. Sed quia multi ista beneficia non advertunt, nec intelligunt, sibi cibum corporis subtrahi, ut possint mane maturius surgere, et habeant plus temporis, ad orandum, et liberi a vaporibus et fumis, qui ex nimio cibo oriuntur, et cerebrum opplere et obscurare solent, ferventius, frequentius, attentius, purius, diutius in oratione versentur, ideo Ecclesia hodie clamat: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Constituit, Deus hoc tempore audire te quam diu volueris, habes magnam opportunitatem accedendi, et orandi, vide ne tantam commoditatem sine fructu praeterire sinas.

Porro tertia utilitas quadragesimae jejunium est. Non dubito nunnullis non videri gratiam, nec beneficium, sed poenam potius et molestiam, et libenter, si possent, carerent isto beneficio. Sed tamen decipiuntur, et Ecclesia optimo jure jejunium gratiam appellat, cum ait; *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quando enim nihil esset aliud, numquid non magnum beneficium est, quod toto hoc tempore media ex parte liberi sumus ab eo tributo, quod ventri debemus? Sanctus quidam pater nomine Serapion Sydonius, ut Palladius refert, dicebat se in trium foeneratorum manus indicisse, in desiderium pecuniarum, desiderium voluptatum et voracitatem ventris: et quidem duobus primis ita se tandem satisfecisse, ut sibi deinceps numquam amplius molesti fuerint; tertio vero numquam satisfacere potuisse. Si enim inquit, tres dies aut quatuor praeteream, in quibus debitum ventri non solvam, statim irascitur, fremit, mortem comminatur. In horum foeneratorum manus nos omnes incidimus, auditores; Sed quadragesima hoc boni nobis praestat, quod media ex parte ab isto foenore reddendo nos absolvit. Deinde morbus noster ex repletione nascitur et idcirco verbum Dei medicus animorum ordinat nobis inediam quadraginta dierum. Sed quid dicit Ecclesia? *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Videte ne frustra venerit tempus quadragesimae.

Qui sunt, qui in vacuum gratiam Dei recipiunt? Tria genera hominum. Primum quidam sunt, qui nullo modo jejunan, et isti non solum in vacuum, sed etiam in perniciem et damnationem animarum suarum tempus quadragesimae suscipiunt. Nam, ut ait magnus Basilius oratione secunda de jejunio: *Angeli hoc tempore per omnes ecclesias jejunantes describunt: et minus periculosum est militi abiecto scuto ad aciem inimicorum fugere, quam homini christiano extra catalogum jejunantium inveniri.* Et b. Ambrosius, ut alios interim praeteream: *Non leve*, inquit, *peccatum est fidelibus indictam quadragesimam a Domino violare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. Scriptum est; qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Ille, qui peccatum non habebat, quadragesimam jejunavit: tu non vis quadragesimam jejunare, qui peccas?* Haec Ambrosius. Et sane cum nihil sit in observationibus Catholicae Ecclesiae antiquius, celebrius, communius, venerabilius, solemnius jejunio quadragesimae, et certum si hoc jejunium, ut Epiphanius, Hieronymus, Theophilus, Leo et alii Patres testantur ab ipsis apostolis institutum et ordinatum fuisse: sicut maxima et intolerabilis est haereticorum audacia, qui hoc jejunium, hanc apostolicam traditionem, hanc Dei hominis, ut beatus Ignatius ait, imitationem penitus substulerunt; ita maxima et intolerabilis est quorumdam Catholicorum intemperantia, qui toto hoc tempore, tota jejunante Ecclesia, ipsi soli jejunare non possunt vel non volunt.

Alii sunt qui jejunant quidem, vel certe putant se jejunare, sed male jejunant. Et ideo ipsi quoque in vacuum gratiam istam jejuniorum recipiunt. Qui sunt isti? Illi sunt, qui usque adeo timent, ne forte detur vacuum in stomacho, ut in prandio sumant duplo amplius, quam antea solerent, et ex jejunio crapulae occasionem sumunt, et magis inepti sunt ex uno prandio ad legendum, orandum, meditandum, quam antea fierent ex duobus. Deinde vesperi non quidem coenant, ut ipsi dicunt, sed tamen aliquid sumunt. Est autem aliud aliquid tantum quantum sufficit, ut noctu non frigeant, et sequenti die non esuriant. Itaque si bene omnia numerentur fere plus comedunt cum jejunant, quam cum non jejunant. Nemo seipsum fallat, istud jejunium non vocantur: Sed haec est regula jejuniorum: Semel tantum in die, et moderate cibus sumendus est, hoc est, semel sumere potes quantum naturae sufficit, non quantum libido flagitat. Unum et simplex prandium, non duplicatum sumi debet. Tempus sumendi cibum erat olim hora nona, hoc est, hora tertia post meridiem, quae est hora obitus Domini. Quamdiu enim Dominus feria sexta pro nostra salute in cruce penpendit vivus, tamdiu veteres Christiani in quadragesima jejunabant. Verum hoc tempore charitate refrigescente consuetudo obtinuit, ut circa meridiem jejunium solvatur. Itaque circa meridiem, vel paulo ante, vel paulo post jejunium solvi potest. Vesperi autem tametsi nihil omnino sumendum esset, tamen licebit semel aut iterum bibere. Et quia dicunt aliqui potum sine cibo nocere, quamquam ego textum istud nondum in Hippocrate viderim, licebit etiam non tam per modum cibi, quam per modum medicinae duos aut tres bolos, vel panis vel alterius cibi sumere. Sed tam multa et tam varia vel comedere, quae alicui pauperi ad duo prandia sufficerent, etiamsi tu non voces coenam, nullo modo licet.

Alii postremo sunt qui jejunant et bene jejunant, quantum ad modum et tempus sumendorum ciborum; sed inviti, et quasi coacti, et omnino servili quodam animo, et solum metu, vel Ecclesiae, vel parentum vel superiorum hoc faciunt, et mallent ipsi multo numquam institutam quadragesimam. Non placet hoc Deo: *Hilarem datorem diligit Deus. Tu autem cum jejunas*, ait Dominus

unge caput tuum, et faciem tuam lava, hoc est, ut Basilius exponit, exhibe signa laetitiae, noli tristari ob alimoniae subtractionem; sed gaude ob animae curationem, ne pluris ventrem, quam animam facere videaris. Itaque fratres *hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Non nos praetereat tempus tam salubre, amplectamur libenter magno animo, summaque alacritate sanctam quadragesimam, nutricem animarum, antidotum peccatorum, scutum nostrae militiae, parentem sanitatis.

Jam vero quarta utilitas est eleemosyna. Medicus enim animorum animadvertens morbum nostrum esse gravem, nec sufficere inediam, aliud medicamentum instituit, quo egeruntur excrementa et corpus relevatur et purgatur. Tale medicamentum est eleemosyna, qua divitias cum apostolo arbitramur ut stercora; et facile ac libenter ejicimus, ut animae sanitatem recuperemus. Habemus vero in quadragesima magnam eleemosynae faciendae opportunitatem. Quid enim magnum esset, quid nobis deperiret, si coenam, quam subtrahimus nobis, pauperibus largiremur? Sane nihil periret, sed cresceret potius: sicut aquae puteorum, ut magnus Basilius annotavit, si non hauriantur, decrescunt, si hauriantur, crescunt: sicut etiam frumentum, si in horreis conservetur putrescit; si in agro proiiciatur, multiplicatur. Nec unquam fuit ullus vere deditus eleemosynis faciendis, qui opibus indiguerit. Deus enim numquam se vinci patitur liberalitate. Non mentitur scriptura, quae dicit; *Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Magnus ille Joannes Alexandrinus, cognomento Eleemosynarius, quicquid habebat, statim dabat, et tamen semper plura recipiebat, et nesciebat. Unde b. Franciscus hoc donum a Deo acceperat, ut omni petenti aliquid daret. Et certe videmus, Deum non solum eum maximis divitiis spiritalibus (nam temporales non cupiebat) vivum et mortuum auxisse, sed etiam tam ingentem familiam ejus tot millium religiosorum, tot annos sine ullis reditibus viventium, semper aluisse. Quare *hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Date et dabitur vobis.* Nolite amittere tempus lucrandi: nunc aguntur nundinae spiritales. Simus liberales erga Deum, et Deus erit procul dubio liberalis nobiscum.

Quinta et sexta utilitas quadragesimae est susceptio sanctorum sacramentorum poenitentiae et communionis. Quamvis enim alio tempore Ecclesia solum hortetur et consulat, ut saluberrima ista sacramenta frequentemus; tamen hoc tempore materna auctoritate praecipit. Et quidem confessio peccatorum si fiat sicut oportet, medicina est, amara illa quidem et molesta, sed simul optima et efficacissima, ad omne aegritudinem quamvis gravem et periculosam, profligandam. Post ea vero sequitur sacra communio, medicina tota dulcis et suavis, in qua medicus ipse coelestis et divinus ad nos venit, et animae dicit: Noli timere, *salus tua ego sum.* Et statim unctione gratiae pristinam sanitatem, et nitorem et pulchritudinem restituit. Sed quid dicit Ecclesia? *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Magna gratia Dei est confessio peccatorum: Sed quid prodest confiteri ex consuetudine quadam sine dolore, sine poenitentia sine proposito satisfaciendi, sine animo non relabendi? Magna gratia Dei est sacrosancta communio: Sed quid prodest thesaurum istum maximum et incomparabilem a Deo recepisse, si statim per incuriam et negligentiam nostram illum amittimus? *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Illi recipiunt in vacuum, qui post confessionem et communionem nihil putant superesse, cum tam multum omnino supersit. Confessio enim et communio peccatum delent, sed habitum malum non evellunt. Itaque gratia Dei adjuvante, contra malas propensiones tam diu viriliter pugnandum est, donec habitus mali penitus extirpentur, et in locum eorum virtutes succedant; et tunc demum ingreditur anima fines pacis et tranquillitatis. Tunc sine labore, sine taedio, sine fastidio in operibus bonis versatur. Tunc perfecta charitas foras mittit timorem et dolorem. Tunc dulce est jejunare, dulcius orare, dulcissimum sacramenta coelestia frequentare. Tunc gustatur *pax* illa, *quae exuperat omnem sensum*, quae est *pignus haereditatis nostrae; et manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, quod nobis concedat Deus benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXIII.

DE EADEM DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

THEMA

De Jeiunio.

SYNOPSIS

Tentationem esse duplicem, alteram Christi, alteram diaboli:et de utraque verba hac concione fiunt.Christum nos jejunio tentare quadrupliciter. Primo, ut exploret, an vere et ex animo ipsum diligamus;et sic olim Abraham Job, Tobias et populus Israeliticus tentatus fuit.Secundo, ut cognoscat, num animas nostras diligamus,quod elucescit si carnem nostram domemus, et anima de corpore ceu vindictam aliquam sumat, quam nisi jejunante corpore refici non posse, similitudinibus ostenditur. Tertio nos Christus tentat,an vero quoque carnem nostram amemus,quod fit subtrahendo ei omnia quae nocent, ut scilicet solent medici aegrotantibus:nam et Christum ipsum,ut idem sequeremus,hoc fecisse demonstratur. Quanta sit utilitas jejunii in corpore curando, in prolonganda vita,in augenda re familiari,evidenter probatur. Quarto nos Christus jejunio tentat, num vere sponsam suam ecclesiam diligamus: ubi etiam quadragesimae antiquitas multis patrum testimoniis contra haereticos novatores asseritur.Quibus tentationibus deinde diabolus nos aggrediatur, et quomodo iis singulis obviandum sit, docetur. Cur quadraginta diebus praecise, sine interpolatione, omnibus simul sit jejunandum enucleatur. Quam mite et discretum institum sit jejunium; quam commodo tempore; quosque illud non obliget, manifestatur. Tandem ne in hoc ullus sibi blandiatur nimium, et ut serio jejunemus admonemur.

Quemadmodum hodierna die liberator noster Christus propter jejunium quadraginta dierum tentatur a diabolo, ita nos omnes, optimi auditores, hoc tempore jejunio dierum totidem tentamur a Christo. Sed longe est aliud genus tentationis,quo diabolus Christum, ab eo,quo nos tentat Christus. Diabolus enim tentat, ut ad peccatum nos alliciat, et per peccatum socios sibi in suppliciis, ac tormentis acquirat: Christus vero ideo tentat, ut exploret; explorat vero, ut tentatos et probatos merito coronet. Neque vero minus gloriosum nobis erit, in ea tentatione, qua tentamur a Christo, non succumbere, quam hodie fuit Domino omnem diabolicae tentationis conatum, et fraudes eludere. Et sicut tentationibus diaboli a Domino superatis, *accesserunt angeli, et ministrabant ei*: ita et nos si Domino tentante tales inventi fuerimus, quales oportet, sine ulla dubitatione angelorum manibucum triumpho et gloria, regnis coelestibus inferes mur. Quia vero ex his duobus tentationum generibus, hoc posterius minus est notum, et tamen ejus cognitio hominibus christianis pernecessaria est, idcirco statui hodierna concione de utroque quidem, sed potissimum de hoc posteriori verba facere.

Ut igitur ad rem nostram propius accedamus, jejunio quadragesimae tentat nos Dominus Deus noster. Verum non est una ac simplex tentatio,sed varia et multiplex pugna quadragesimae: quas tamen tentationes omnes ad quatuor capita revocare poterimus. Initio igitur praecipit Dominus jejunium quadragesimae, ut tentet, an vere et ex corde eum diligamus. Atque ut tentationem istam primam facile percipias, finge Deum ipsum tecum ita loqui: Non ignoro, te carnem tuam vehementer diligere, id mihi certe non negabis: *nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed fovet ac nutrit eam.* Hinc igitur apparebit, an vere me magis, quam tuam carnem diligas,si eam propter me parumper affligas. Ita quondam Dominus egit cum patriarcha Abraham: Siquidem post longam sterilitatem dedit ei filium unum, et filium talem, ut in eo speraret omnes tribus terrae esse benedicendas. Itaque Abraham filium illum suum incredibili amore prosequebatur. Sed quid tunc egit Deus? Legite caput vigesimum secundum libri Geneseos *Quae postquam gesta sunt*, inquit scriptura divina, *tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum.Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Magna profecto tentatio: *Tolle*, inquit, *filium:* et filium non quemcumque sed *unigenitum*: et non unigenitum quemcumque, sed *Isaac*, id est, illum probum, illum sapientem, illum maximae spei, illum, quem maxime diligis, illum tolle, ut occidatur, et concremetur in holocaustum. Neque committes hoc munus alteri, sed

tu ipse manibus tuis ipsum mactabis. Quid igitur fecit Abraham? Quid? Ut in hac tentatione probatus et fidelis inveniretur, non cepit consilium ab uxore, et munus lucis vel aurorae non expectavit, sed statim nulla interposita mora de nocte consurgens ad eum locum profectus est, in quo filium suum immolaturus erat: et sine dubio immolasset, nisi eum angelus Domini prohibuisset. Tum vero Dominus: *Nunc*, inquit, *cognovi, quod timeas Dominum, quod non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Pari ratione tentavit Deus filios Israel annos quadraginta, variis tribulationibus eos affligendo, antequam in terram promissionis, terram affluentem lacte et melle eos introduceret. Hinc Moyses dicebat: *Tentat vos Dominus Deus vester ut palam fiat, utrum diligatis eum, annon.* Et rursum: *Duxit te Dominus Deus tuus per desertum quadraginta annis,ut afflingeret te atque tentaret.* Ad eumdem modum tentatus est Iob: ad eundem modum Tobias, cui post illam gravem tentationem angelus ait: *Quia justus eras, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Postremo ad hunc modum omnes martyres tentati sunt. Cum enim capiebantur, ligabantur, carceribus includebantur virgis caedebantur, catenis onerabantur, lapidabantur, cremabantur, bestiis obiiciebantur, minutatim discerpebantur, tunc a Domino tentabantur, ut periculum faceret, an homines illi plus Deum suum, quam corpus suum diligerent. Itaque in libro Sapientiae de martyribus legimus: *Deus tentavit eos, et invenit eos dignos: se tamquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausti hostiam accepit illos.* Hoc igitur idem Deus agit nobiscum et alias saepe cum variis aerumnis et calamitatibus vexari nos patitur, et nunc potissimum, cum mediam tam longam et carni nostrae tam ingratam praecipit. Quid igitur stulti homines et mundi hujus amatores agent? Quid? Miserrimum Esau imitabuntur: *En*, inquit, *morior. Quid mihi proderunt primogenita?* Itaque uno lentis edulio *vendidit primogenita: et abiit, parvi pendens, quod primogenita vendidisset.* Sic etiam stulti homines:En morimur, inquiunt, esurimus, sitimus deficimus, capita dolent, quid nobis proderit quadragesima? Manducemus et bibamus, dum vivimus cras enim moriemur: et sic abeunt, et parvi pendunt, quod tam vili pretio infinitam haereditatem vendant. At vero probus christianus et fidelis Domino suo, Abrahamum et Jocobum, et Tobiam et sanctos Martyres imitabitur, dicetque apud se:Dominus praecepit jejunium quadragesimale, ut tentet, an diligam eum. Nunc igitur tempus est, ut me prodam, nunc humiliabo in jejunio animam meam, nunc ostendam me plus Deum, quam corpus meum diligere. Dominus vero respondebit, ac dicet: Euge serve bone,*nunc cognovi quod times Deum:* quia non pepercisti carni tuae propter me. Atque hactenus de tentatione prima.

Porro altera tentatio eo tendit, ut manifestum fiat, utrum vere animam nostram diligamus. Deus enim tametsi, ut par est, in primis diligi vult, et maxime omnium: tamen vult etiam res alias, praesertim animas nostras diligi. Neque vero fidelis servus dici potest, qui ita Dominum suum diligit, ut res Domini sui non diligat. Haec est igitur altera tentatio, num animas nostras diligamus. Nemo est, qui se animam et corpus habere, et animam esse corpore majorem non putet. Nemo est etiam, qui se animam suam magnifacere, atque adeo eam vehementer diligere non existimet, tamen cum ad praxim devenitur, multos videmus, qui ita se gerunt, ut non solum animam non diligere, sed neque animam habere videantur. Nam pro cibo, et vestibus, et commodis et voluptatibus corporis semper laborant, ac suum tempus, ingenium, ac opes consumunt;animae vero numquam recordantur. Ait igitur Dominus: Hinc apparebit, an diligas animam tuam, si jejunium quadragesimae libenter suscipias. Tametsi enim jejunium carni tuae non placeat, tamen animae utilissimum est. Nam cum aliquis singulari certamine dimicaturus est, diligenter corpus confirmat et corroborat:quia corpus corpori obiicere debet. At anima cum daemonibus bellum gerit, qui toti sunt spiritus. Non legistis apostolum Paulum: *Non est nobis*, inquit, *colluctatio adversus carnem et sanguinem* non adversus milites carneos bellum gerimus, non adversus corpora, *sed adversus Principes et potestates,adversus mundi rectores tenebrarum harum,adversus spiritualia nequitiae in coelestibus.* Cum igitur non corpus cum corpore, sed spiritus cum spiritu pugnare debeat, spiritus armandus, spiritus instruendus, spiritus confirmandus, spiritus impinguandus est. Id vero fieri non potest, nisi corpus jejuniis spolietur et debilitetur.Siquidem jejunium corporis cibus est animae, nuditas corporis lorica est animae, infirmitas corporis robur est animae. Hinc nimirum apostolus Paulus ajebat: *Cum infirmor tunc fortior sum*, hoc est cum corpore sum debilior, cum magis jejuno, cum magis laboro, magis affligor, tunc sum robustior et melius valeo. Hinc etiam Plato sapientissimus philosophorum academiam suam in quodam loco infecto ac pestifero posuit, ut magnus Basilius testatur, ne videlicet nimia sanitas carnis, animae sanitatem,hoc est sapientiam impediret. Est igitur utilissimum jejunium animae.

Praeterea caro tua quasi turris quaedam est, et tamquam arx munitissima, in qua residet lex peccati, et ex qua diabolus semper oppugnat arcem mentis ac rationis. Diabolus enim utitur corpore tamquam instrumento ad debellandam animam: Et quo corpus magis viget ac floret, eo est aptius instrumentum diaboli. Cur aegroti ac debiles malis desideriis non valde perturbantur? Quia caro languet. Cur fortes et bene valentes vehementer fornicationum, et adulteriorum cogitationibus aestuant? Quia floret caro. Cur tunc maxime ad libidinem incitaris,cum bene comedisti et bibisti?Quia tunc maxime invenit daemon carnem tuam,instrumentum suum, accommodatum ad expugnandam animam.Quid igitur tibi erit faciendum,si animam, diligis? Nonne fame et obsidione debellanda erit turris carnis tuae? Nec enim alia ratione melius, quam fame ejusmodi arces expugnari solent.

Postremo anima tua non petit a te misericordiam sed justitiam. Siquidem caro tua toto fere anno,ac praesertim in diebus bacchanaliorum, absque ulla

misericordia coegit animam jejunare: nunc vero advenit tempus quadragesimae, hoc est, adveneruntquasi quaedam bacchanalia spiritus, et certe par est, ut anima parumper reficiatur,et corpus jejunet. Quae cum ita sint, si non prorsus es acceptor personarum, si non es omnino iniquus,si vel minimum animam diligis, nonne coges corpus jejunare, ut anima recreatur? Quod vero non possit anima convivia sua exercere, nisi corpus jejunet: neque possit spiritus sua bacchanalia agere, nisi interim corpus quadragesimam faciat, nullo negotio demonstrari potest. Siquidem animae cibus est verbum Dei et oratio. Tunc anima pinguescit,cum magno fervore Dominum deprecatur: tunc affluit deliciis, cum nullo impediente Dei contemplatione frui potest: tunc mensae omnium generum dapibus instructae assidet, cum in lectione sanctarum scripturarum, et meditatione versatur. Haec vero omnia quis nescit, quantum et crapula impediantur, et jejunio adjuventur? *Qui corporali jejunio mentem elevas*, canit his diebus Ecclesia.Accipite similitudinem citharae, testudinis,lyrae atque aliorum ejusdem generis musicorum instrumentorum. Haec omnia,nisi interius vacua atque inania essent quem sonitum ederent? Certe vel obtulissimum vel nullum. Nunc vero, quod vacua sint, ita sonitu suo aures mulcent, ita oblectant, ut nihil jucundius audiri possit. Sic etiam auditores, cum nos ventrem cibo et potu replevimus, magis de somno aut de luxuria, quam de oratione cogitamus. Et si ad orandum accedimus,non nisi torpentes ac stertentes oramus.At post jejunium facillime et liberrime mens assurgit in Deum et jucundissime ac suavissime Dei laudes, hymnos ac psalmos resonamus. Magnus Basilius duas elegantissimas similitudines ad rem istam explicandam exhibet. Una est a sole et vaporibus sumpta. Quemadmodum enim crassi illi vapores, qui de locis humidis ascendunt, coelum nubibus obducunt, et radios solis ne ad nos penetrent,impediunt:sic etiam ex crapula et ebrietate sumi quidam, et quasi vapores in nobis excitantur, qui coelum rationis obscurant, et radios divini luminis nobis eripiunt. Altera similitudo a fumo et apibus ducitur. Sicut enim apes mellis procreatrices ex alveariibus suis expelluntur fumo ita sapientia Dei, quae tanquam apis quaedam in animis nostris mel virtutum, gratiae, et consolationum coelestium gignere solet,nulla re alia facilius quam fumo crapulae et ebrietatis eiicitur.Haec Basilius. Quae cum ita sint, quanto jure sit jejunandum, si animam nostram diligamus, nemo non videt.

Sequitur tentatio tertia, qua Dominus per jejunium quadragesimae illud explorat, an vere carnem nostram diligamus.Deus enim,qui non solum animam, sed etiam carnem ex nihilo procreavit,utramque naturam diligit et utramque in nobis diligi jubet. Hic vos dicetis fortasse: Haec tentatio placeat nobis; jam periculum non est, ne tentatione victi succumbamus. *Quis enim umquam carnem suam odio habuit*? Imo vero non alia de causa jejunium horremus, quam ne carnem nostram, quam vehementer diligimus, offendamus. Quid si demonstrem ego vobis, eos carnem suam non diligere, sed odisse,qui non libenter jejunant?An non constabit tunc, optimo jure Dominum jejunium praecipere, ut tentet, an vere carnem nostram diligamus? Quaero igitur a vobis;Si sit aliquis aeger qui ardentissima febri afflictetur, et vehementer sitiens gelidam aquam poscat, medicus dari prohibeat, cognati atque amici omnes eum hortentur ut non bibat,et eam tamen obstinatus in proposito omnino velit bibere, numquid eum dicemus carnem suam diligere? Ego vero hoc non dicam: nam velle immoderatas cupiditates aegrotae carnis explere nihil est aliud, quam velle eam occidere. Itaque qui amat carnem aegrotam, eam odit potius quam diligit. Qui vero odit aegrotam,ut habeat sanam atque idcirco ad tempus contristat,et siti media, pharmacis et potionibus: sectionibus; exustionibus vexat, is vere carnem suam amare dicendus est. Jam vero nos, auditores, si verum confiteri velimus, nonne omnes aegrotam et languidam carnem gestamus? Quis nostrum concupiscentiam, et variarum perturbationum multiplicem aegritudinem non experitur? Quis nostrum cum apostolo dicere non potest: *Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum*? Et, *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*? Neque vero perfecta sanitas ante diem resurrectionis et gloriosae immortalitatis expectanda est, Interim dum hic vivimus, semper aegroti sumus. Ac proinde si quis carnem suam ut sanam alat, et nutriat, sine dubio eam occidit. Quae cum ita sint,si aliquid sapimus,et vere carnem nostram diligimus, nonne eam jejuniis,et aliis medicamentis affligemus, ut aliquando eam sanam et immortalem habere possimus?Hoc enim est vere carnem diligere nempe ei veram et perfectam et sempiternam sanitatem optare ac procurare. Quid prodest carni, quod eam delicate nutris, si nutris ad gehennam? Si pascis, ut fiat ipsa pabulum ignis aeterni? Nonne magis diligeres, si hic parum inedia et siti vexares, ut eam sanam, et gloriosam in aeternum haberes? hoc est, quod Dominus quodam loco ait? *Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit in hoc mundo animam suam, in vitam aeternam custodit eam*.Qui vitam istam temporalem diligit, ac proinde non patitur ulla molestia affici carnem suam, nec eam jejuniis, vigiliis, laboribus affligit, in vitam aeternam non custodit eam.

Ac ut intelligamus, quam necessarium sit nobis aegrotis more, et legibus aegrotorum vivere, quid ipse medicus noster liber ab omni morbo et aegritudine fecerit, consideremus. Erat jam, ut dicebamus, medicus noster Christus omnino sanus, poterat suo jure vivere ut sanus, non egebat sectione venae non media, non pharmacis, non balneis, non alia re ulla: et tamen, quia inter aegrotos agebat, vivere voluit ut aegrotus. Sic enim apud se ratiocinabatur: isti, inter quos ago, et ad quos curandos veni, omnes sunt aegroti; et si quidem vivere velint, ut sani, nunquam erunt sani. Quid igitur agam? Ego ipse vivam legibus aegrotorum: utar balneo baptismatis, permittam mihi venas aperiri, longa inedia me affligam, adhibebo pharmacum orationis, et alia omnia, quae sunt aegro-

lorum, agam. Quamobrem auditores, si medicus noster et medicus sanus jejunat, ut nobis exemplum jejunandi praebeat, quanto nos magis jejunare debemus, si carnem nostram vere diligimus, et sani aliquando esse desideramus?

Quid? Quod jejunium non modo pharmacum est utilissimum ad illam perfectam et aeternam sanitatem consequendam, quae nobis in altero saeculo promittitur; sed etiam est res optima et saluberrima ad vitam istam temporalem conservandam et propagandam? Antiphanes medicus peritissimus, ut Clemens Alexandrinus libro secundo paedagogi refert, unam esse causam pene omnium morborum asserebat, ciborum varietatem. Magnus Basilius concione prima de jejunio, jejunium bonae valetudinis parentem appellandum esse existimavit: medici omnes nonne ad sanitatem restituendam in corporibus affectis inediam adhibent? Nonne vinum et carnem aegris hominibus interdicunt? Deinde, cur quaeso primi illi homines, qui ante diluvium vixerunt, ad nongentos et eo amplius annos pertingebant? Nonne una causa erat, quia neque carnibus, neque vino, neque magna epularum diversitate; sed simplici et sobrio cibo utebantur? Nam et magnus Basilius homilia undecima de opere sex dierum, et d. Hieronymus libro secundo in Jovinianum, hoc tradunt: nempe usum carnium et vini ante diluvium non fuisse. At ut ista nimis antiqua praetereamus, anachoretae nostri, Pauli, Antonii, Macharii, Hilariones, cur quaeso pene omnes annum centesimum, vel attingebant vel etiam transcendebant? Certe vix aliam causam, quam incredibilem sobrietatem inveniemus.

Vide praeterea, quam sit utilis carnis sobrietas. Quis unquam jejunans alienis pedibus opus habebat? Quis jejunans ostium domus suae invenire non potuit? Quis jejunans stomachum crapula gravatum sensit? Quis jejunans caput vertiginosum habuit, et omnia circumferri et moveri existimavit? Quid, quod jejunium est omnium ciborum optimum condimentum? Nemo enim ita laute comedit, ut is, qui ante jejunavit. Videmus istos epulones, et perdices et gallinas fastidire, at iis, qui jejunant, et coepae et alia optime sapiunt. Itaque qui crapulae et ebrietati dant operam summo cum labore cibos exquisitos et vina pretiosa quaerunt et parant, et tamen exiguam omnino voluptatem capiunt. Nihil enim est tam jucundum, quod non assiduitate vilescat, At homines sobrii, et frequenter jejunantes, ex cibo et potu etiam simplicissimo, et nullo labore quaesito maximam capiunt voluptatem. Quapropter sapienter sane voluptatis patronus Epicurus, ut d. Hieronymus libro secundo in Jovinianum refert, pomis atque oleribus dumtaxat, iis qui delicias quaerunt, esse victitandum suadebat. Major enim est labor, quo reliqui cibi comparantur, quam sit voluptas, qua comeduntur. Neque vero solum carni, sed etiam universae rei familiari, atque adeo toti vitae humanae utilissimum est jejunium. Multos crapula et ebrietas ex divitibus pauperes, ex Dominis servos effecit: Sobrietas vero ac jejunium contra, multos ex pauperibus divites, ex servis Dominos effecit. *Numera*, inquit Basilius, *quae domi habes hodie, et numera postea, nihil penitus per jejunium minuetur: at si convivia exercere incipias, nihil brevi habebis. Venter enim depositum non servat; imo vero nihil est in commerciis et contractibus ventre infidelius. At vero jejunium debiti naturam non novit, non olet usuras, mensa jejunantis non strangulat pupillum, jejunantis filium usurae paternae non premunt.* Et quid adhuc de jejunii utilitate dicemus? Non haberet vir suspectas nuptiarum insidias, si uxorem jejunantem cerneret: neque uxor consumeretur zelotypia, si virum in jejunio convivantem haberet; si jejunium coleretur nusquam esset penuria, nusquam bella, nusquam carceres, nusquam patibula: non haberent oppida sicarios, non silvae latrones, non mare piratas, non fabricarentur arma dominante jejunio, sed omnes ubique maxima atque altissima pace fruerentur: si quidem ex crapula oriuntur penuriae. Cum enim Dominus populos nimis pingues esse videt et inde lascivientes et rerum abundantia abutentes, tum eos penuria ac sterilitate flagellat: ut qui libenter et sponte jejunare non volumus saltem penuria compellente jejunemus. Porro ex penuria fraudes, contentiones, furta, parricidia oriuntur. Ad haec vero comprimenda et coercenda carceres et patibula necessaria sunt. Quamobrem si radix omnium malorum saturitas semel abscinderetur, et ei sobrietas, jejuniumque succederet, nihil prohiberet, quin in summa tranquillitate et pace viveremus.

Sequitur quarta et postrema tentatio. Tentat enim nos jejunio quadragesimae Dominus Deus noster, ut videat an Dei sponsam et matrem nostram Ecclesiam diligamus. Ecclesia siquidem Catholica cum ab initio jejunium quadragesimale ab apostolis suscepisset, illud usque ad nostra tempora diligentissime conservavit. Nec enim existimare debetis, quadragesimam esse rem novam, aut ante aliquot annos ab aliquo pontifice, aut concilio esse constitutam. In apostolorum canonibus, canone octavo, qui quadragesimam non jejunaverint, jubentur, si clerici sunt, deponi; si laici excommunicari. D. Ignatius Joannis apostoli discipulus in epistola ad Philippenses, eos solicite monet, ut jejunium quadragesimae magni faciant. Quandoquidem qui quadragesimam jejunant, non homines sed Deum ipsum imitantur, qui carnem nostram pro nobis indutus nostram quadragesimam consecraturus quadraginta dies et quadraginta noctes jejunavit. D. Thelesphorus summus, ac sanctissimus pontifex, qui septimus a d. Petro Romanae sedi et universae ecclesiae praefuit, non solum quadragesimae meminit: sed etiam in epistola illa, quam ad universos scribit, praecipit, ut clerici ab ipsa quinquagesima jejunium auspicentur, ita ut septem integras et plenas hebdomadas jejunent. D. Basilius oratione secunda de jejunio: Est quidem inquit, omni tempore jejunium utile volentibus ipsum. Neque daemonum insultus jejunantem petere audent, et custodes vitae nostrae angeli libentius perseverent, apud eos, qui animam purgatam habent per jejunium. Nunc vero, nempe in quadragesima, multo amplius cum in omnem terrarum orbem ejus praeconium annunciatur, et neque in-

sula aliqua, neque terra firma, non civitas, non gens, non extremitas est, ad quam praedicatio ipsius non perveniat. Sed et exercitus, et viatores, et navigatores et mercatores omnes aequaliter et praeceptum audiunt, et cum gaudio suscipiunt. Quare nemo seipsum ex jejunantium catalogo eximat, in quo omnia genera, omnis aetas et omnes dignitatum differentiae recensentur. Angeli sunt qui per singulas ecclesias jejunantes describunt. D. Epiphanius libro tertio contra haereses, prope extremo, quadragesimae jejunium inter apostolicas traditiones numerat. Divus Hieronymus in epistola, quam adversus Montani errores ad Marcellam scripsit: *Nos*, inquit, *unam quadragesimam ex traditione apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus.* D. Ambrosius sermone vigesimo quinto: *Non enim*, inquit, *fratres, leve peccatum est fidelibus, indictam quadragesimam a Domino violare, et jejunia consecrata menti voracitate dissolvere. Scriptum est: Qui dicit se in Domino manere debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Ille qui peccatum non habebat quadragesimam jejunavit, tu non vis quadragesimam jejunare, qui peccas?* Divus Joannes Chrysostomus in ipso principio operum suorum, in illa omnium homiliarum prima, non alia de re, quam de quadragesimae praestantia et utilitate verba facit. Theophilus Alexandrinus in opere paschali: *Habemus*, inquit, *quadragesimam ab apostolis institutam et ordinatam.* Divus Augustinus epistola centesima decimanona, quadrigesimae observationem ab ipsis divinis litteris, et veteris et novi testamenti, desumptam esse demonstrat. Denique divus Leo, ut caeteros omittamus, sermone nono de quadragesima, quadragesimae jejunium ab ipsis apostolis per doctrinam institutam atque ordinatam fuisse luculenter docet.

Porro in concilio Laodiceno ante annos mille ducentos celebrato frequentissima mentio est quadragesimae. In concilio Toletano octavo, capite nono, ita severe patres illi quadragesimam observandam esse decernunt, ut iis et corporis Domini communionem in paschate negent, et toto anno carnium usum interdicant, qui absque necessitate quadragesimam violare ausi sunt. Quae vero sit talis necessitas non homines quoscumque, sed solos Domini sacerdotes dijudicare voluerunt.

Sed quamquam haec ita se habeant, quamquam quadragesimae observatio a Domini imitatione profecta, ab apostolis instituta, antiquitate roborata, populorum consensione confirmata, Ecclesiae universae auctoritate munita, usque ad nostra tempora perduraverit; tamen haeretici tamquam superstitionem et rem inutilem execrantur. Quamobrem tentat nos Dominus Deus noster hoc jejunio, an ecclesiam magis, quam haereticorum synagogas diligamus: tamquam si diceret: Fieri non potest, ut tibi persuadeas, me tot luminibus ecclesiae; tot eruditissimis et sanctissimis viris, qui et verbo et opere quadragesimam docuerunt, contemptis quibusdam Lutheranis vel Calvinistis turbulentis et votifragis hominibus, qui quadragesimam damnant veritatem revelasse. Hinc igitur apparebit, si tibi haereses displiceant, si eas factis ac operibus refellis. Nam cum Ecclesia quadragesimae jejunium doceat, et haeretici jejunia execrentur, tunc ostendis te ecclesiae filium esse et haereticorum fidem ac morem detestari, cum illud ipsum jejunium summa devotione et alacritate suscipies, quod illi maximo et implacabili odio, tamquam veri Epicuri discipuli, persequuntur. Habetis hactenus, auditores, quae de tentationibus illis, quibus a Domino tentamur dicenda esse hoc tempore existimavi: nunc de tentationibus, quibus ob quadragesimam nonnulli tentantur a diabolo, pauca quaedam dicenda sunt. Nec enim dubitandum est, quin sicut hodie propter jejunium Christum ipsum tentare ausus est, idem etiam aliquos nostrum propter idem jejunium tentaturus sit.

Sed nemo turbetur, nemo paveat, nemo trepidet; non erit difficile hosti jam fracto ac debilitato respondere. Vicit enim Christus et dum vicit, artem vincendi nobis demonstravit. Ille igitur primum cum te propter jejunium esurientem viderit dicere incipiet: Cur praecepit tibi Deus ut his diebus jejunares? Putasne fortasse Deum tua esurie et ventris torsionibus delectari? Sed responde; Deum non esurie aut ventris torsionibus sed castitate, obedientia et fervente oratione, quae per jejunium mirum in modum adjuvantur, delectari. Rursum ille dicet: Nonne si sis praedestinatus etiam sine jejunio salvus eris? Putasne Deum, ut te praedestinaret, jejunium tuum expectasse? Et rursum tu responde: A Deo quidem homines praedestinantur, per jejunia, et alia bona opera pervenire debeant. Hoc enim Deus praedestinavit, hoc decrevit ut per haec media ad illum finem perveniamus Diabolus dicet: Christus pro te jejunavit, ut te hoc labore liberaret. Cur te frustra crucias jejunando, quasi Christi jejunium sine tuo jejunio ad tuam salutem non sufficeret? Tu responde: Christus etiam voluit baptizari, et certe pro me et non pro se: et tamen non propterea ego non debeo baptizari. Sic etiam licet pro me ipse jejunavit, tamen ego quoque ad ejus exemplum jejunare debeo. *Christus enim*, inquit apostolus, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Diabolus dicet: Postquam omnino jejunare proposuisti, cur saltem non jejunas potius ex voluntate, quam ex necessitate? non legisti: *Voluntarie sacrificabo tibi?* Cur Ecclesia vobis praecipit jejunium, nonne melius esset si vestra sponte et non coacte jejunaretis? Tu vero responde: Quemadmodum aegroti non proprio judicio, sed ex praescripto medici medicinam sumunt: ita et nos ex praescripto ecclesiae potius, quam ex sententia nostra jejunare debere. Jejunium praeterea ab ecclesia imperatum melius est, quam sponte susceptum. Hoc enim ex una virtute procedit, nempe ex temperantia, illud ex duabus, nempe ex temperantia et obedientia. Et quando jejunium etiam imperatum ex sola obedientia nasceretur, adhuc etiam tanto esset melius, et praestantius, quam jejunium sponte susceptum, quanto virtus obedientiae melior est, quam temperantiae. *Melior est enim obedientia, quam victimae.* Et hoc est sacrificium, nempe verae obedientiae, quod voluntarie non ex tristitia, sed cum gaudio et

alacritate immolare debemus. Itaque nos, licet ex obedientia, tamen voluntarie et libenter, cum gaudio et alacritate in jejunio carnem nostram Deo sacrificamus.

Diabolus dicet: Quid sibi vult ista numeri quadragesimi superstitio? Numquid jejunium triginta vel quinquaginta dierum non placeret Deo? Tu vero responde: Non ex superstitione, sed ex religione et Christi imitatione, et apostolorum traditione quadraginta dierum jejunium observamus. Primum enim, quia decem praecepta quatuor modis violamus, ore, opere, cogitatione, omissione, idcirco quater decimum numerum dierum jejunando et carnem nostram affligendo complemus. Deinde quadraginta dies jejunamus, ut Deo decimas et primitias totius anni consecremus. Nam dies triginta septem decimae sunt dierum omnium unius anni: addimus vero tres dies ad triginta septem, ut non solum decimas, sed etiam primitias Deo offeramus. Postremo ille numerus quadragenarius, ut b. Ambrosius lib. 4. in Lucam admonet, multis modis in sacris literis est consecratus. Quadraginta diebus pluit super terram in diebus Noe, antequam orbis mundaretur et nos quadraginta dies jejunamus, ut in die judicii diluvium ignis evadere, et cum sanctis gloriose et feliciter innovari possimus. Quadraginta annis fuit Hebraeus populus in deserto et coelesti cibo usus est, antequam in terram promissionis terram fluentem lac et mel, ingrederetur, et nos quadraginta diebus a cibis corporeis abstinemus, ut cibo coelesti et pane Angelorum commodius nutriamur, et tandem ad veram terram promissionis perveniamus. Quadraginta dies jejunavit Moyses, ut legem Dei digito scriptam accipere mereretur, et nos dies totidem jejunamus, ut eamdem legem facilius observemus. Quadraginta dies jejunavit Elias, antequam igneo curru raperetur in coelum: et nos totidem dies jejunamus, ut igne charitatis succensi ad regna coelestia evehamur. Quadraginta dies jejunavit Christus, antequam se tentandum exponeret diabolo: et nos dies totidem jejunamus, ut armis jejuniorum instructi diaboli tentationes facilius superemus. Quadraginta mensibus Dominus evangelium praedicavit et quadraginta horis jacuit mortuus in sepulchro, et quadraginta diebus commoratus est redivivus in terris: et nos totidem jejunamus, ut Domini Evangelium cum fructu audire, et mundo vitiisque mori, et Deo soli vivere possimus. Denique secundum legem, qui virgis caedendi erant, non amplius, quam plagis quadraginta affici poterant: et nos dies quadraginta jejunamus, quia est jejunium quasi quaedam carnis flagellatio, et numerum quadraginta plagarum secundum leges excedere prohibemur.

Postremo diabolus dicet: Si quadraginta diebus jejunandum est, cur omnes illos dies simul tanto labore jejunas? Nonne esset melius et facilius in quatuor partes jejunium secare, ut decem dies in vere, decem in aestate, decem in autumno, decem in hieme jejunares? Tu vero responde: Jejunium necessario continuandum esse, ut aliquando turris carnis nostrae et arx vitiorum fame expugnari possit. Quemadmodum imperatores exercituum, si putant se obsidione unius anni urbem aliquam occupaturos, certe continuabunt obsidionem, ne forte dum ipsi ab obsidione cessant, interim civitas illa de cibo et potu sibi provideat, ut quae uno anno capi poterat, iam ne decem quidem capi possit. Sic deinde sapientissimo consilio definitum est ut omnes uno tempore jejunemus, ut sic facilius civitates sibi de piscibus et oleribus prospiciant, et homines facilius jejunent, cum alter alterum exemplo suo ad jejunandum trahit, et omnes facilius Deum placemus, quam si singuli seorsim ac diversis temporibus jejunaremus. Sicut enim si ingens aliquod onus trahendum sit a quadraginta hominibus, si omnes simul ad funem manus admoveant, facile illud trahent: si vero quisque pro se, et unus post alium trahere conetur, omnes fatigabuntur, et tamen onus non trahetur. Ad eumdem modum Deum ad misericordiam facilius trahimus, si omnes simul quasi impetu quodam spiritus et fervoris jejunemus, oremus, in coelum clamemus, quam si hodie unus, post mensem alius jejunaret.

Quid? Quod nullum tempus commodius ad jejunandum, quam hoc, quod apostoli elegerunt, potest inveniri? Nam in aestate prolixitas dierum fastidium gignit; pisces non sunt adeo salubres, aegritudines sunt frequentes. In hieme ob maximum frigus externum augetur calor internus stomachi, ac propterea indigent homines multo cibo. Praeterea sunt pisces eo tempore nimis humidi, neque facile inveniuntur olera, quae tamen magno usui sunt in diebus jejuniorum. In autumno sunt etiam morbi frequentes, propter crebras temporum mutationes, et negotia ac labores hominum tunc sunt plurima, et maxima, propter vindemias et caeterorum fructuum collectiones. Itaque nullum est tempus ad jejunium magis aptum, quam ver, praecipue si principium veris accipiatur, sicuti nos in quadragesima facimus; tunc frigore adhuc durante corpora sunt sana, tunc pisces sunt optimi, tunc olera ubique ferme reperiuntur, tunc negotia in agris et vineis sunt paucissima, tunc sanguis et humores crescunt, tunc homines sicut caetera animalia magis ad libidinem concitantur, tunc medicorum omnium sententia evacuatio aliqua, tam pro salute corporum, quam animarum necessaria est nulla vero salubrior, facilior, expeditior, et magis secundum naturam evacuatio reperitur, quam ea, quae fit per inediam. Itaque vere b. Hieronymus ad Marcellam ait: *Nos unam quadragesimam jejunamus tempore nobis congruo.* Et vere ecclesia in oratione hesternae diei jejunium *animabus, corporibusque curandis salubriter* institutum esse confitetur.

Et vide rursum clementiam Dei et matris nostrae Ecclesiae Catholicae, tametsi jejunium quadraginta dierum praecipit, tamen non hoc praecipit, ut absque cibo ullo jejunes, sicut Dominus et Elias et Moyses jejunaverunt, illi enim fortiores nobis ac robustiores erant. Neque Dominus ait: *Qui vult venire post me, tollat* crucem meam, sed *crucem suam*, hoc est, suis humeris ac suae infirmitati ac debilitati accommodatam: neque rursus praecipit, ut cum jejunas, nihil praeter panem et aquam accipias, sicut multi sanctorum fecerunt: sed hoc solum, ut a quibusdam cibis, nempe carnibus, ovis

et lacticiniis abstineas, et semel dumtaxat in die reficiaris, idque vel post meridiem vel non multo ante meridiem. Quamquam si optimum consilium sanctorum patrum sequi velis, et duplici cum fructu jejunare, prandium, quod subtrahis tibi, pauperibus largiaris,ne lucri atque avaritiae causa jejunare videaris. Praeterea nullum ecclesia ad jejunium cogit, qui vere non possit. Itaque ab hac lege excluduntur senes, excluduntur foeminae, quae infantes vel utero gerunt vel uberibus lactant excluduntur et ii, qui in laboriosis operibus exercentur, et pedibus iter faciunt: Nam qui equitant, bene possunt jejunare, quoniam equi eorum non jejunant. Isti omnes, et si qui alii sunt, qui justis de causis a lege jejuniorum excluduntur, id solum praestare debent, quod possunt. Ac praesertim pueri paulatim ad jejunium assuefaciendi sunt, jejunent hoc anno semel in hebdomada, anno sequenti bis, et sicut crescunt aetate et mole corporis, ita etiam virtute et bonis moribus augeantur.

Sed illud omnibus vigilantissime et omni animi provisione procurandum est, ne videlicet caro nos decipiat: saepe enim fingit se debilem ac aegrotam et jejunium ferre non posse quae tamen si vellet, sine ulla dubitatione posset. Narrabo vobis lepidam historiam. Audivi aliquando hominem quemdam extitisse, qui cum esset domi suae in deliciis enutritus, fere semper aegrotabat, et vel ipsum aerem metuebat, et nisi cibos tenerrimos et optimos habuisset, se statim moriturum arbitrabatur. Is quodam tempore per mare iter faciens incidit in piratas, et ab iis ad triremes alligatus diu noctuque sine ulla intermissione laborabat: ejus cibus erat panis, isque bis coctus, potus aqua,obsonium verbera. Quis non diceret, post paucos dies iste morietur? Et tamen post paucissimos menses sanissimus,robustissimus et pinguissimus effectus est.Itaque similis est caro nostra animantibus brutis, quae nec bonis verbis, nec blanditiis nec persuasionibus sed solis verberibus obtemperare didicerunt. Alas equum hordeo, et non laboret per aliquot dies, videbis, si non statim fiat indomitus, et si non calcitrabit et mordebit cum equitare volueris: sic est caro nostra, quanto lautius nutritur tanto sit petulantior. Comparate mihi cum hebdomada sancta dies bacchanaliorum,quanta petulantia, quantae ineptiae, quantus tumultus, quot peccata, quot mala in bacchanalibus? Quis ea enumerasset? At in sancta hebdomada, quanta modestia, quanta gravitas, quanta quies, quantum silentium, quanta sanctitas ubique? Ipsae profecto plateae, ipsum forum in illis diebus sanctitatem et religionem mihi spirare videntur. Quis auctor hujus tantae mutationis, nisi sobrietas, nisi jejunium? Nam quemadmodum aliquo gravi praeceptore in scholam ingrediente tumultus omnes et strepitus puerorum sedantur: ita adveniente jejunio risus molles, cantilenae meretriciae, saltationes furiosae et ineptiae caeterae ex urbe discedunt.

Aggrediamur igitur aggrediamur magno animo, atque amplectamur Quadragesimam nutricem animarum, antidotum peccatorum sapientiae procreatricem, vitiorum expultricem, parentem sanitatis. Si rem tam exiguam, quale est jejunium pati non possumus: quomodo martyrium pateremur? Certe isti, qui quadragesimam jejunare non possunt, si infideles advenirent, non fidem unam, sed septem ut Tertullianus ait, denegarent. Et si dies quadraginta cum tot ciborum condimentis et varietatibus jejunare non possumus, quomodo in inferno sempiternum jejunium ferre poterimus? et tale jejunium, ut unam guttam aquae semper quaeramus, et numquam inveniamus? Arripiamus igitur sanctum istud malitiae spiritalis scutum, et adversus omnes diaboli terrores et minas carnis invicto atque infracto animo dimicemus: esuriamus in terris ut saturemur in coelis, praestante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in saecula.Amen.

CONCIO XXIV.

DE DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

THEMA

Rogamus vos, et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo; sic et ambuletis, ut abundetis magis. 1. *Thessal.* 4.

SYNOPSIS

Pastori tria esse necessaria, tabulas scilicet legis virgam et manna; quae omnia d. Paulo adfuisse ex ipsius epistolis probatur. Quam caute et circumspecte in via et lege Domini sit ambulandum, quae recta, ardua et arcta, esse multis ostenditur. Lutheri impia haeresis contra bona opera destruitur, et illorum utilitas astruitur. Quam utile sit exercitium, vespertinum conscientiae examen. Quomodo sedulo, expedito et sine sarcinis in via Domini ambulandum nobis sit,et quomodo id fieri debeat, pulchra similitudine nobis convenienter applicata ostenditur; videlicet moris civitatis cujusdam externum regem sibi eligentis,quem anno revoluto nudatum in insulam incultam et sterilem ableget.Exhortatio denique ad elargiendas eleemosynas, a dignitate et utilitate ipsius eleganter demonstrata, finem imponit.

Beatissimus pontifex Gregorius,in eo libro,quem de cura pastorali conscripsit,inter alia multa,quae omnibus iis, qui praesunt, necessaria esse docet, imprimis requirit, ut sicut in arca foederis erant olim simul cum tabulis legis, virga et manna: ita pastores et praesides aliorum, in suis pectoribus habeant cum eruditione divinae legis, virgam severitatis et manna clementiae, ut pios et probos blande fovere et ad perfectionem inflammare: improbos vero atque scelestos severe corripere,ac ut apostolus loquitur dure increpare sciant. Ista laude, si quis alius divinus apostolus,vehementer excelluit: Cum enim ad Corinthios scribit, in quibus quaedam gravia crimina deprehenderat, vide quomodo eos terret: *Quid vultis*? inquit, *in virga veniam ad vos*? Et rursum ad Galatas, quos facile moveri et circumferri omni vento doctrinae cognoverat, *o insensati Galatae*, inquit, *quis nos fascinavit non obedire veritati*? At Philippenses et Thessalonicenses, qui firmiores et constantiores erant,et in doctrina fidei vehementer proficiebant, semper commendat et consolatur, et tamquam bonus pater bonos filios blanda et dulci cohortatione ad magis et magis proficiendum impellit. Et philippensibus quidem inter alia sic ait, *fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, charissimi.* Thessalonicenses vero audite quomodo laudat, et laudando provocat ad bonum; *Et vos*, inquit, *imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio spiritus sancti: ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaia, sed in omni loco fides vestra, quae est ad Deum,profecta est,ita ut non sit nobis necesse quicquam loqui.*

Merito igitur tam bonos et obedientes filios (quod omnes patres et pastores imitari debent) non jubendo et imperando;sed orando et obsecrando hoc loco cohortatur. *Rogamus*, inquit, *vos et obsecramus in Domino Jesu*, hoc est,si Dominum Jesum diligitis, sicut certe diligitis, facite quod rogamus. Quid est, quod rogat? Id, quod omnes concionatores a suis auditoribus petunt. Nimirum, ut Jacobus ait; ut non sint *auditores tantum, sed etiam factores verbi*: Id cupit, quod agricolae a suis agris cupiunt, ut bonum semen in eis multiplicetur, et semper cum foenore reddant, quod accipiunt. *Rogamus*, inquit, *et obsecramus, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.*Laboravimus, inquit, in vobis verbo et exemplo ostendimus, quae sit via, quae ad coelum: Docuimus, quomodo, quam caute, quam prudenter, quam considerate per hanc viam incedendum sit. Rogamus igitur et obsecramus, ut sic ambuletis, hoc est,ut caute ambuletis, et magis ac magis in hoc itinere progrediamini. Haec apostolus. Quae quam merito, quantoque jure ab eo dicantur, facile intelligemus, si quae, et qualis sit via Domini diligenter considerare voluerimus. Si super magnum et rapidum aliquod flumen ab una ripa ad aliam pons esset constitutus, qui rectissimus et angustissimus esset, et praeterea semper ascenderet, certe nemo esset, tam audax, qui non admodum caute et considerate super illum incederet, et si videremus aliquos in eo saltantes et ludentes,numquid non horreremus ac trepidaremus, et magna voce clamaremus: Quid agitis stulti? Num non videtis ubi sitis? Videte quomodo caute ambuletis. Talis pons est lex Domini, quam Deus praeparavit, ut ambularemus in ea, et per eam ad vitam aeternam intraremus. *Si vis ad*

vitam ingredi, ait Dominus, *serva mandata*. Et sanctus David; *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Et rursum, *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*.

Est vero ista via, recta, ardua, angusta. Recta est lex Domini, quia nihil pravum, nihil distortum, nihil obliquum, nihil vitiosum admittit vel permittit. Leges humanae, etiam illae, quae bonae et sanctae sunt, multa vitia nec puniunt nec prohibent; non solum interna, pravas desideria, pravas cogitationes, pravas affectiones, de quibus judicare non possunt; sed etiam externa, ut artem lenonum et meretricum, et alia quaedam: At *lex Domini immaculata*, et justificationes Domini rectae, omnia vitia atque scelera, tam parva, quam magna; tam interna, quam externa; tam aperta, quam occulta; tam cogitationum et verborum, quam operum et factorum: Omnia denique quaecumque illa sint, et prohibent et puniunt. Neque mirum; Legis enim divinae lator est Deus, quam potens est, ut nemo effugere possit manus ejus: tam sapiens, ut renes et corda scrutetur, et melius ipse videat, quid velimus et cogitemus, quam nos videamus: tam bonus, ut omnis iniquitas quamvis parva et exigua, etiam verborum otiosorum ei displiceat.

Itaque recta est lex Domini. Neque solum recta, sed etiam ardua. Semper enim ascendit, et hominem perducit ad summam et sublimissimam perfectionem. Nihil est in homine intelligentia et voluntate praestantius: Quocirca culmen perfectionis humanae, quod etiam philosophus vidit et docuit, ut intelligendo et amando consistit, Lex autem Domini ad summam et perfectissimam sapientiam et charitatem ducit. Quantum enim ad sapientiam attinet, quid sublimius, quam Deum, qui est ipsa sapientia et veritas, facile ad faciem videre? Quantum vero ad charitatem, quid perfectius, quam ita ardenter inhaerere summo bono, ut ab eo divelli et separari non possis? Ac utrumque veri et summi boni conspectum felicissimum et amorem ardentissimum lex Domini pollicetur, et exhibet, quare similis est scalae, quam vidit Jacob, quae a terra usque ad coelum pertingebat. Quod vero arcta atque angusta sit haec via, architectus, qui eam stravit satis aperte non semel, sed saepius docet: *Arcta*, inquit, *est via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam*. Itaque non via equorum neque curruum, sed hominum; et hominum non nimis pinguium, nec nimis onoratorum.

Verum hoc loco me continere non possum, quin stultam et rediculam Lutheri expositionem in medium adferam, ut videatis quam acutum venenum draco ille teterrimus gestarit in pectore. Sic igitur scribit in sermone quodam super illa verba Domini: *Sic Deus dilexit mundum*, etc. *Ego* inquit, *dico tibi, quia angusta est via, oportet et fieri tenuem, si vis per eam venire, ac per portam penetrare. Caeterum qui operibus onorati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare, ideo oportet te tenuem atque angustum fieri. Hoc fit autem, quando in te desperas; si autem adveneris cum magnis saccis operum plenis, deponere operiebit, aliqui penenetrare non poteris*. Haec Lutherus. Qui quidem, ut videtis, more aranearum, quae ex dulcissimis floribus, unde apes mella conficiunt, venenum trahunt, et more hominum aegrotorum, qui saluberrimos quosque cibos in corruptos humores convertunt, ex illo ipso scripturae loco, qui nos ad opera bona maxime exhortatur, illo, inquam, ipso opera bona reprehendit: Via, inquit, est angusta, cave igitur ne te bonis operibus oneres. Ergo Lutheri sententia, misera erit Thabita, quae, ut Actis apostolicis dicitur, obiit *plena operibus bonis et eleemosynis*, quas fecerat. Imo juxta veterem haeresim, quam beatus Irenaeus Marcioni attribuit, Cain, Sodomitae et omnes improbi et scelerati homines in regno coelorum erunt: Abel, Abraham et omnes Sancti erunt in gehenna, quod illi nudi et vacui, isti cooperti et pleni fuerint bonis operibus. O stultam haereticorum sapientiam, quae timet onus operum bonorum, et non timet sarcinas flagitiorum! O virum prudentissimum Lutherum, qui onustus cucullo, obedientia et castitate timuit angustias viae quae ducit ad vitam, et non timuit onustus uxore et liberis servis et ancillis, magna familia, multis divitiis, et quod caput est, multis et magnis plaustris peccatorum? Sed quid quaeso aget Lutherus, cum in die judicii *reddet Deus unicuique*, ut scripturae ubique testantur, *secundum operam ejus*? Si *beati* sint *mortui, qui in Domino moriuntur*, quia *opera eorum sequuntur eos*, ut Apocalypsis docet, an non miseri sunt omnes ii, qui Luthero adhaerentes opera bona tamquam inutilia rejecerunt? Et si opera bona cursum nostrum ad salutem impediant, cur apostolus ad Timotheum scribens, tam serio divites hujus saeculi exhortatur, ut curent *divites fieri in operibus bonis*, et hoc modo *sibi* thesaurizent *fundamentum bonum in futurum*? Et cur idem apostolus Titum instituens ait: *Fidelis sermo est: et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus praesse, qui credunt Deo. Haec sunt bona et utilia hominibus*. Deinde Spiritu praevidens venturum Lutherum, qui contrarium praedicaret, statim subdit: *Haereticum hominem post unam aut alteram correptionem devita*. Non igitur opera bona, sed scelera et pravae atque immoderatae cupiditates sunt, quibus onusti esse non debemus. Nam superbia inflat, divitiae extollunt, delitiae et voluptates humeros malos nutriunt atque augent, ut superbiae, avaritiae et luxuriae deditos via illa angusta capere non possit. At humilitas, paupertas, castitas, virtutes caeterae, hominem parvum, tenuem, brevem efficiunt, denique talem, ut via Domini alioqui arcta atque angusta, amplissima latissimaque esse videatur. Humilitas enim comprimit atque evanescere fecit tumorem malum. Paupertas vero voluntaria onus divitiarum, quasi gibbum cameli, libenter deponit. Porro castitas quasi myrra et tamquam sal exsiccat humeros carnales libidinis. Denique opera bona, opera virtutum, jejunia, orationes, eleemosynae, tantum abest ut gravent, et impediant, ut quanto magis crescunt, tanto magis levem et expeditum hominem faciant, non secus atque avium alae; avis implumis volare non potest, nascuntur alae incipit volare: crescant alae crescit et volatus.

Habemus igitur viam, de qua b. Apostolus loquitur legem Domini,et esse viam rectam,arduam, angustam atque idcirco eum recte monere, ut per eam caute et prudenter ambulemus. Quia enim via est recta, si non recte incedamus, facile labemur. Quia est ardua, si non ascendamus, nihil proficimus. Quia est arcta, si onera non deponimus, frustra per eam ingredi tentamus. Quid igitur apostolus dicit? *Rogamus vos et obsecramus,ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulari, sic et ambuletis.* Quod est quod ab eo accepimus? Quid nos docuit? Id quod habet alio loco: *Videte*, inquit, *quomodo caute ambuletis.* Non existimetis vos per prata et campos ambulare: ambulatis per pontem rectum, arduum,angustum:praecedant oculi gressum,vide ubi pedem ponere debeas; Antequam loquaris,cogita quid loqui velis, et an expediat ita loqui. Et multo magis antequam ad agendum aliquid te componas, cogita quid est, quod vis agere, an Deo placeat, et saluti animae tuae conveniat, alioqui incides in detractiones, murmurationes, testimonia falsa, judicia temeraria et alios innumeros diaboli laqueos, quos facile vitare ac fugere potuisses, si verba et opera tua judicium rationis non antevertissent. *Videte* ergo *quomodo caute ambuletis.* Quam sunt hodie homines ad omne vitium projecti, quam facile detrahunt, quam facile judicant, quam facile jurant et pejerant, quam facile lites et inimicitias sumunt,quam facile rapiunt, si quid possunt?Quid apostolus clamat? *Videte*, videte, *quomodo caute ambuletis.*

Verum enimvero,auditores, quoniam iis,qui jam assueverunt inconsiderate ac temere ambulare in ipso cursu difficile esset cogitare, ubi pedem figere debeant: idcirco utilissimum et saluberrimum consilium est, saltem ad vesperam, antequam ad quietem se recipiant, seipsos quasi ante tribunal judicis quotidie sistere, et rationem omnium verborum cogitationum, actionum ab anima sua petere, ut si difficile est in ipso cursu videre, quomodo caute ambulent, saltem non sit difficile post cursum cogitare, an caute ambulaverint. Itaque si tibi salus tua cordi est,nullum diem praeterire debes, in quo ad vesperam non petas a teipso rationem, quomodo caute ambulaverit.Ac primum,quia est recta, cogita an verba, cogitationes,opera recta fuerint, an contra obliqua et distorta.Et si cogites bene, videbis te saepe ad marginem pontis cum maximo periculo cadendi jacuisse, saepe etiam te extra pontem in mediis aquis pene suffocatum invenies.

Deinde quia via est ardua,et sursum versus tendit, cogita, an ascenderis,an profeceris,an sis melior, quam esses antea.Quod si non ascendisti,scito te nec ambulasse. Et si ambulasti,et non ascendisti, procul dubio descendisti. Id quod fere accidit nostri temporis hominibus, qui modo ascendunt, modo descendunt, sicut de Penelope tradunt poetae: quae semper eamdem telam modo destruebat. Post paucos dies ederit pasca, omnes ascendere incipient, sed iterum statim descendent. Adveniet postea dies celeberrimus Natalis Domini, omnes turmatim current, omnes cupient ascendere,non sufficient ad excipiendas confessiones sacerdotes. Sed quamdiu iste fervor durabit? Usque ad profestum trium regum, vel ad summum ad bacchanalia.Ista sunt itinera Christianorum hujus temporis, istum ludum ludimus toto anno, modo ascendimus,modo descendimus,numquam vero progredimur: modo frigemus, modo tepemus,numquam fervemus. Et tamen in hoc mundo non alia de causa sumus,quam ut pontem istum ascendamus, et per eum ad montem Domini perveniamus, ubi *videbitur Deus Deorum in Sion.* Itaque, auditores, quia via est ardua,quae ducit ad vitam nihil melius agere possumus, quam cogitare ubi sumus, quo tendamus, utrum ascendamus, ne forte veniat nox, in qua nemo potest ambulare, et nos adhuc ad initium pontis a Domino reperiamur.

Postremo, quia eadem haec via non solum recta et ardua, sed etiam arcta est atque angusta, serio cogitare debemus utrum pluribus et majoribus sarcinis onusti simus,quam ut viae illius angustiae nos capiant. Nam perfecto quid nobis proderit,hic in terris operibus maximis abundare, si eas nobiscum ad locum, ubi perpetuo mansuri sumus, ferre non poterimus? Quare cum certum sit, nos oneribus supervacaneis gravatos,viam illam angustam ingredi non posse, quid utilius quaeso nobis erit, quam multos pauperes vocare atque eos rogare,ut nos in operibus nostris ad coelum transferendis adjuvare velint? Et aliis demus ferendos cibos, vestes aliis, aliis pecunias et si dispergamus, demus pauperibus, ut justitia nostra maneat in saeculum saeculi. Neque dubium est, quin pauperes multos inveniemus benignos et humanos, qui (hoc praesertim tempore) libenter et fideliter adiuvabunt.

Legi aliquando in historia Barlaam et Josaphat, quam b. Joannes Damascenus conscripsit, elegantissimam et pulcherrimam quamdam parabolam: Erat, inquit, civitas quaedam magna, cujus cives antiqua consuetudine, quae in legem jam transierat, externum aliquem hominem, et legum et consuetudinum civitatis illius penitus ignarum, sibi regem assumebant. At is quidem ad annum unum omnem civitatem,et thesauros ejus urbis maximos in potestate habebat: verum anno evoluto,eo nihil tale cogitante,et in illo honore ac deliciis suaviter et sine fortitudine quiescente, statim cives omnes antiquae consuetudinis non immemores, excitata seditione in palatium regium impetum faciebant, et regem purpura et diademate spoliatum,in insulam quamdam sterilem ac desertam deportabant;ut sicut praeter spem ad regnum evectus in honore ac delitiis vixerat, ita praeter spem regno exutus in squalore et sordibus viveret. Caeterum accidit aliquando,ut hominem quamdam regno praeficerent, qui cum animadverteret ex bonis consiliariis bonum et salutem regis et regni pendere, omnibus adulatoribus pulsis ex aula, paucos quosdam viros probos et fideles in consilium ascivit. Et sane ista consiliariorum permutatio plus regi illi, quam ipsum regnum profuit: statim enim fideles consiliarii regem de consuetudine civitatis, et infortunio brevi futuro et secuturo admonuerunt. Ille vero ut audivit rem esse in eo statu, et se post paululum

regnum illud caducum et peregrinum alienigenis relictum, et pauperem ac nudum in insulam sterilem ac desertam deportandum, apertis thesauris, quorum adhuc plenam ac liberam habebat potestatem, magnam vim auri et argenti, nec non vestium et gemmarum, ac lapidum pretiosorum per fidelissimos famulos in insulam praemisit, et palatium aedificari, atque hortos, vineas, servos, ancillas, equos, curros, et alia, quae necessaria esse videbantur, comparari jussit. Quare cum postea evoluto anno, modo caeterorum regum in insulam nudus ejectus fuisset, non sicut caeteri mendicare debuit, sed dives et felix in proprio palatio (consilium ejus omnibus laudantibus) vitam duxit. Ista est parabola, quae cum verbis apostoli Pauli mirifice consentit. Nihil est enim aliud civitas illa seditiosa et turbulentia, quam mundus iste: porro rex externus et peregrinus est homo, qui ad breve tempus vivit et regnat, et liberum est ei de suis opibus facere, quod velit, sed paulo post, cum ipse omnia in tuto esse putat, oritur intestina seditio, incipiunt humores altercari, denique tumulus febrium et aliorum morborum, de corpore animam exrudit, et solam ac nudam in aliam quamdam, et omnibus viventibus incognitam regionem deducit. Quae regio ideo sterilem solum esse dicitur, quod in futuro saeculo nullus sit locus poenitentiae, nullus jejuniis, nullus eleemosynis, nullus operibus caeteris, quibus vitam promeremur. Adulatores consiliarii daemones sunt, nostri corporales sensus, qui numquam cessant nobis in perniciem nostram consulare, ut nihil pauperibus demus, etiamsi eos ante oculos nostros fame ac frigore mori videamus, sed omnia quae habemus, et quae non habemus, in nostram vel necessitatem, vel utilitatem, vel voluptatem et curiositatem, expendamus. Fideles vero et vere sapientes consiliarii, sancti sunt patres, qui nobis consulunt, nos monent, nos hortantur, ut dum hic vivimus, dum licet, dum regnum est in nostra potestate, prospiciamus nobis in futurum, et per manus pauperum, divitias nostram in aliam vitam transmittamus. Neque solum monent, sed etiam objurgant, ut magis terreant.

Quod si hoc te non movet, ut animae tuae et pauperum miserearis, moveat saltem id, quod patres docent: simile furto et rapinae esse dicunt, cum pauperibus opes tuas, si possis, non communicas. Audi quid b. Ambrosius dicat, sermone, octuagesimoprimo, qui inter vere ambrosianos fere pulcherrimus est: *Non minus*, inquit, *est criminis habenti tollere quam cum possis et abundes, indigentibus denegare.* Audi quid b. Augustinus dicat: *Superflua*, inquit, *diviti, necessaria sunt pauperi. Aliena retinet, qui ista tenet.* Audi magnum Basilium oratione illa pulcherrima in verbum divitis. *destruam horrea mea: Num injustus*, inquit, *est Deus, inaequaliter res nobis distribuens? Cur tu abundas, ille vero mendicat; nisi ut te bonae dispensationis meritum consequaris, ille vero patientiae bravio decoretur? At tu nonne spoliator es qui quae dispensanda suscepisti, propria reputas? Esurientis est panis quem tu detines; nudi tunica, quam in conclavi reservas; discalceati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod tu defossum habes. Quare tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres? At, inquis, pulchra quidem verba, sed pulchrius aurum. O quanti pretii tibi videbitur in die illa judicii verbum illud: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi et dedistis mihi manducare: sitivi et dedistis mihi potum: nudus eram, et cooperuistis me. Quantus rursus terror, et sudor, et tenebrae tibi oborientur, ubi audieris condemnationem; Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, etc. Non illic raptor excusatur, sed qui bona non communicavit condemnatur.* Haec Basilius. Sed audi postremo quid magnus Chrysostomus oratione secunda de Lazaro dicat: *Discamus*, inquit, *quod si eleemosynas non praestiterimus, pari cum his, qui spoliant, supplicio afficiemur. Heriles enim, hoc est, Dei pecuniae sunt, undecumque eas collegeris. Et ideo plura sibi possidere concessit Deus, non ut in scortationem, temulentiam, ingluviem, in vestes sumptuosas, aliamque mollitiem consumeres sed ut eas egentibus distribueres.* Quemadmodum enim receptor quispiam, qui regis pecunias accepit, si neglexerit, his quibus jussus est, distribuere, inque proprias consumpserit delitias poenas dat; ita sane et dives receptor quispiam est pecuniarum, quae pauperibus distribui debebant. Ita cum in mandatis habeat, eas destribuere conservis suis, si quid amplius, quam postulet necessitas in seipsum insumpserit, gravissimas ille daturus est poenas. Certe audistis, qui patres ac dd. quibus nescio an quatuor alios sanctiores, doctiores, graviores antiquitas habeat, et quibus verbis, qua libertate, qua auctoritate vos maneant, omnes eos cum latronibus et praedonibus judicandos, qui eleemosynas, cum possunt, conservis suis egentibus non largiuntur. Sed non minori libertate et auctoritate Apostolus Joannes clamat dicens; *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Certe non manet. Nam ut idem apostolus ait. *Debemus non pro fratribus animas ponere.* Sed si substantiam hujus mundi ponere non potes, quomodo substantiam tuam, quomodo vitam et sanguinem tuum pones? Ergo incedis plateas, et pauperes nudos et clamantes vides, et viscera tua non commoventur, et fratres et conservos tuos non recognoscis, qui fortasse in alio saeculo majores ac patrocinio indigebis, scito in te locum charitatem non habere, atque adeo teipsum tamquam vere mortuum coram Deo jure deflere potes. Quare, fratres, *non diligamus verbo neque lingua sed opere et veritate*, hoc praesertim afflictissimo ac miserrimo tempore. adjuvemus omnes fratres nostros, illos in quibus Christus pasci et vestiri cupit. Qui potest, divitiis; qui non potest, affectum saltem et verba consolationis et precem apud Deum Patrem nostrum et illorum, non neget. Ita liberi expediti pontem illum rectum, arduum, angustum ascendemus, et per eum ad montem Domini perveniemus, ubi *videbitur Deus Deorum in Sion*, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXV.

DE DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

THEMA

Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem et omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Ephes.* 5.

SYNOPSIS

Hac concione docemur, quomodo et in quibus maxime Deum imitari debeamus, in charitate scilicet et castitate. Charitatem ad exemplum Christi secundum Deum esse ordinandam; ac proinde reprehendentur secus facientes, qui suos amore inordinata, inconstanter, verbo solum et opere diligunt, indignos ad dignitates promovent, et amicos solos ob commodum aliquod, non vero inimicos gratis amant. Quomodo Deus, plurimi sancti, imo tota rerum universitas ad diligendum inimicos nos instruant: et quam gloriosum sit remittere injurias, e diverso quam turpis ultionis et vindictae cupiditas demonstratur. Deinde de castitate agitur, quam sit praeclara virtus, et quam exosa Deo et sanctis sit fornicatio, quod multis d. Pauli testimoniis confirmatur. Falsae objectioni eorum, qui dicunt fornicarios nemini injuriam inferre, occurritur, et castitatem divina assistente gratia non adeo, ut praetenditur, esse difficilem, probatur. Tandem efficacissima pro tuenda castitate, et mentis et corporis puritate conservanda, praescribuntur remedia.

Magna et praeclara, praestans ac plane singularis est ea gloria, ad quam nos hodie b. Paulus apostolus invitat. Quotquot estis honoris et gloriae cupidi, adestote animis et cogitatione, ac mente intuemini, ad quam sublime fastigium, ad quam excelsum culmen honoris b. Paulus hodierna die nos ducat. *Imitatores*, inquit, *Dei estote.* Potestne aliquid sublimius aut excellentius cogitari, quam ut homo Deum, terra coelum, opus opificem, figmentum figulum imitetur? Certe homines non parum se profecisse putant, nec parum tument ac superbiunt, si vel in arte dicendi Ciceronem, vel in poesi Virgilium, vel in philosophia Aristotelem, vel in praeliis et certaminibus Achilem aut Hectorem recte imitati fuisse dicantur. Quo ergo loco nos eum ponemus, qui Deum ipsum probe ac sapienter imitabitur? Quare quicumque prudenter ambitiosi estis, et gloriam non brevem et falsam, sed veram et stabilem quaeritis, *estote imitatores Dei.* Ac ne forte apud vos ipsos cogitetis, vel non debere vel non posse vos Deum imitari, audite quod sequitur; *Sicut filii*, inquit, *charissimi.* Nam quis filius, quem pater vehementissime diligit, et qui parentem optimum et sapientissimum habet, imitari patrem suum vel non debet vel non potest? Ergo et vos, cum sitis filii Dei, et Spiritum sanctum in cordibus vestris habeatis clamantem: *Abba, pater*, quidam Deum imitari valetis et debetis? *Estote* ergo *imitatores Dei, sicut filii charissimi.*

Sed in quo, quaeso apostole beatissime, Deum imitabimur? Num in coeli et terrae creatione? an in hominum mortuorum excitatione? Quod est opus, quod imitari nos jubes? Audiamus, quid ipse respondeat: *Estote*, inquit, *imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Fornicatio autem et omnis immunditia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.* Itaque duae sunt praecipue virtutes in quibus Patrem nostrum Deum imitari debemus charitas et castitas.

Primum igitur, quod a nobis exigitur, si Deum imitari velimus, est ut diligamus: et non quocumque modo diligamus, sed sicut Christus dilexit nos. In quo multi decipiuntur, qui diligunt quidem proximum, parentes, filios, fratres, amicos, amicas etiam interdum et lenones ac meretrices, sed ideo Deum ista sua benevolentia non imitantur, quod non diligant, sicut Christus dilexit nos. Diligunt aliqui vel amicos vel affines inordinato perversoque amore, ita ut Deum offendere non formident, modo amicis vel affinibus placeant. Quot sunt, qui cum amicis tabernas frequentant, quod soli non facerent? Quot qui pro amicis facile mentiuntur, aut pejerant, aut falsum testimonium dicunt, aut graves inimicitias cum aliis sumunt? Non ita Christus dilexit nos, qui nihil gloriae Dei Patris anteponebat. Itaque diligamus proximum, sed ordinata charitate, ne forte nobis idola fabricemus et res creatas pro creatore colamus. Alii sunt qui diligunt quidem ordinata charitate, sed ad tempus aliquod, deinde oblata aliqua occasione amorem in

odium convertunt. Non ita Christus dilexit nos, sed constanter. *Cum dilexisset suos*, inquit Joannes, *qui erant in mundo in finem dilexit eos.* Sunt etiam alii qui diligunt in finem usque, verum amore quodam non solum imperfecto, sed saepe etiam perverso et noxio. Quot sunt, qui filios fratres, nepotes adolescentulos ac pene pueros interdum, etiam non pene, sed penitus pueros onerant ecclesiasticis beneficiis tribus aut quatuor, et ipsimet eos impellunt ad gehennam? Et tum cum ea beneficia per fas et nefas eis procurant, vel etiam emunt, si necesse est, tunc se filios, aut fratres aut nepotes suos vehementer diligere putant. Quot sunt praeterea, qui si videant afflnes aut amicos suos velle mundo ac pompis ejus renunciare, et Christum juxta ejus consilia serio imitari, tum illi, ut signa benevolentiae demonstrent, eos ad se vocant, atque a bono proposito dehortari, et ad mundum revocare incipiunt? Non ita Christus dilexit nos, sed in vitam aeternam. Dilexit Dominus matrem, dilexit apostolos, dilexit martyres, et plane sicut oportebat. Numerate palatia, possessiones, hortos, vineas, quas eis attribuit. Vae nobis, qui dicimur diligere, et odio prosequimur. Imo plus nostra benevolentia, quam odio nocemus. Vere *inimici hominis domestici ejus*, et qui amatores maxime videntur, illi saepe hostes et proditores sunt. Itaque si vis recte diligere, dilige *sicut Christus dilexit nos.* Dilige in vitam aeternam, amputa occasionem peccandi, quaere materiam bene agendi, procura salutem animae iis, quos diligis.

Sed quid de illis dicemus, qui diligere non noverunt, nisi verbo et lingua? Et cum aliquid de suo ponere debent, vel operam vel pecunias vel quid aliud, statim dilectionis obliviscuntur? Num hoc modo Christus nos dilexit? Non sane. Audi quid apostolus dicat; *Ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis hostiam et oblationem Deo in odorem suavitatis.* Et apostolus Joannes: *In hoc*, inquit, *cognovimus charitatem Dei, quod ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere*, hoc est diligere opere et veritate. In hoc Deum imitari debemus.

Sed alii postremo sunt, qui eos dumtaxat diligere solent, a quibus aliquid commodi vel honoris vel delectationis expectant: gratis diligere, quod vere est diligere, numquam didicerunt: atque idcirco inimicos nullo modo diligere possunt. Itaque diligunt eo amore, quo muscae etiam diligunt, quae quamdiu defers vas aliquod plenum melle, tamdiu te comitantur: si illud alicubi ponas nulla te sequetur amplius. Non ita Christus dilexit nos, sed gratis, vera, pura, sincera dilectione. Cum adhuc inimici essemus, dilexit, et Patri per mortem suam nos reconciliavit. Atque haec est dilectio, de qua praecipue Apostolus loquitur, dilectio eximia, heroica, Christianorum propria: dilectio, inquam, inimicorum. Nam cum dixisset; *Estote misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis*, statim subjunxit, *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, etc.*

At inquis, fieri non potest, ut inimicum diligam. Est id contra naturam: statim atque inimicum videro, totus perturbor. Est quidem dilectio inimici contra naturam, sed corruptam atque depravatam, non contra naturam Dei gratia adjutam. Nihil est impossibile credenti. Qui revera credit hominem etiam inimicum a Deo creatum, ad imaginem Dei affectum, Christi morte et sanguine redemptum; et praeterea ejus dilectionem nobis a Deo praeceptam esse, sane multum laborat in diligendis inimicis. Quid, quod Deus, et tota rerum Universitas nos exemplo suo ad dilectionem inimicorum hortatur? Nonne Deus offendimus quotidie omni genere flagitiorum, et tamen *Solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos*? Certe si Deus cum suis servis jure belli agere vellet, sicut et nos cum nostris conservis agimus, statim ad primum flagitium omnium elementa operam et obsequium suum nobis negarent. Terra nos non substineret, Sol non illustraret, ignis non calefaceret, aer spirabilem se non praeberet. At vero Deus noster, cujus misericordiae non est numerus, non ita se gerit, sed permittit nobis, licet inimicis, obsequia elementorum frui. Praeterea ipse nobis vitam, motus, sensus, vestes, alimenta perpetuo subministrat, et hostem nostrum Satanam impedit ac prohibet, ne quantum vellet ac posset nobis noceat. Aspice deinde ac intuere omnes patres hujus universitatis. Nonne terram in rebus humanis semper conculcamus, terimus, effodimus, et in eam omnes sordes et omnia purgamenta proiicimus? et tamen ipsa a Deo edocta reddit bonum pro malo, profert nobis herbas, fruges, aurum etiam et argentum et omnia metalla. Nonne vites et arbores, in rebus, quae vivunt, et non sentiunt singulis annis spoliamus et tondemus? et tamen ipsae uvas et poma liberalissime nobis producunt. Nonne canes, in animantibus brutis, aliquando vehementissime verberamus, et ipsi statim omnium injuriarum obliti motu caudae nobis blandiuntur? Veniamus ad homines. Nonne apud Ethnicos Cajus Caesar nihil oblivisci solebat praeter injurias? Nonne Pericles, ut magnus Basilius testatur, cum et plebeo et circumforaneo quodam contumeliis et convitiis impeteretur, tota die patientissime eum audivit, ac deinde vesperi accensa face domum eum reduxit? Nonne inter sanctos, in lege naturae, patriarcha Joseph fratribus suis crudelissime venditur ac pene necatus, injuriam illam non aliter, quam multis beneficiis in fratres collatis, ulcisci voluit? Nonne tempore legis scriptae rex et propheta David atrocissimo hosti non semel, sed saepius benignissime pepercit? Denique in lege gratiae novae Christus, b. Stephanus, omnes apostoli, omnes martyres, omnes sancti ista laude enituerunt. *Maledicimur*, inquit apostolus, *et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus.*

At inquis, sancti erant et perfecti, quos enumerasti. Primum, numquid etiam Pericles et Caesar sancti erant? Quod igitur illi propter gloriam vanam facere potuerunt, tu propter gloriam veram non poteris? Deinde Joseph, David, Stephanus, Paulus, sancti erant fateor et perfecti: sed interim homines erant, carnem et ossa gestabant, sensum,

et sanguinem et choleram habebant. Denique sancti erant et perfecti: sed tu quoque sanctus et perfectus esse debes, alioqui in regnum coelorum non intrabis. Tibi enim et mihi et omnibus dicitur: *Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est.* Et. *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi.*

At iniquis turpe est et ignominiae plenum, injuriam non ulcisci. Mira res profecto: Deo gloriosum est parcere, et tibi turpe erit? Est honorificum Domino et turpe erit servo? Quis hoc capere potest? Aut quid demum non persuadebit, si hoc persuadet? Deinde quid unquam de Caesare gloriosius et excellentius praedicatum est, quam quod bellando vinceret homines, parcendo vinceret victoriam? Nonne etiam Aristoteles docet, homines viles et objectos esse, qui ignoscere non noverunt? et, stomachum esse nimis delicatum, qui injurias concoquere non possit? At inquis: Interim homines digito me ostendent, et ignavum, et parvi animi esse dicent. Esto. Quid tua? Sine illos dicere et agere quicquid velint: Nam si stulti reprehendent certe Deus, et angeli et omnes viri sapientes factum tuum laudabunt. Quaero abs te, si dum coram judice cum aliquo contendis, omnes qui adsunt te causam perdidisse dicerent, et contra solus judex te vicisse affirmaret, nonne omnes illos, qui contrarium loquerentur, contemneres, ac rideres? Ita nunc Deus dicit te recte facere cum diligis inimicum, atque inde maximum lucrum et honorem aliquando relaturum: quid igitur tua refert, quid aliis garriant? *Estote igitur imitatores Dei, sicut filii charissimi*: Estis filii Dei Patris optimi et beneficentissimi, cur Satanam imitari vultis, qui est *homicida ab initio*? Quid stultis et miserius iis, qui gloriam in ultione quaerunt et tamen interim similes carnifici potius, qui nemini parcit, quam Deo videri volunt: quamquam perdidissimi isti homines, qui ultionibus et parricidiis delectantur, multo crudeliores sint omni carnifice. Carnifex enim permittit reum confessione et poenitentia peccatum expiare: deinde sine ira atque hodio occidit et quantum est in se minuit supplicium. At scelestissimi isti parricidae tamquam rabidi canes saeviunt, et corpus et animam enecare desiderant.

Sed jam ad alteram virtutem transeamus, *Fornicatio autem,* inquit, *et omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Utinam essem ego ita eloquens, ut possem auditoribus meis, ac praesertim ingenuis adolescentibus decorem, speciem, pulchritudinem, lucem integritatis et castitatis ob oculos ponere! O si scirem vel ex parte demonstrare, quam sit haec virtus, et per se eximia, et Deo grata, et angelis amica et homini salutaris! et quomodo animam illustrat, et puram, nitidam, perspicuam facit, et idoneam reddit ad fulgorem, radios divinae sapientiae suscipiendos! non dubito quin multos ad eam diligendam, et tamquam pretiosam margaritam omnibus aliis rebus venditis emendam inflammarem: Vidistis aliquando nitidos quosdam fontes, qui ita lucem concipiunt, ut toti usque ad profundum illustrentur, ut etiam nimini lapilli atque arenae in iis numerari possunt? Tales sunt animae castae, quas totas lumen divinae sapientiae penetrat, quaeque in eo lumine Dei voluntatem, decorem virtutis, verum et falsum, et minima etiam ac levissima quaeque errata vident. At contra mentes impurae similes sunt aquae turbidae, in qua sues jacuerunt, quae lucem non admittit, et in qua nec magni etiam lapides cerni possunt. Ita enim animae hominum impudicorum, in quibus tartareae sues jacent obscurae, foedae, inquinatae sunt, ut saepe etiam magna peccata et flagitia horrenda non agnoscant. Hinc igitur, Deus tam saepe nos ad castitatem et sanctitatem exortatur. *Sancti,* inquit, *estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Et, *Lavamini, mundi estote: qui fertis vasa Domini.* Et, *beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Apostolus vero Paulus in omni fere epistola clamat: *Fugite fornicationem. Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere sanctificatione et honore, non in passione desiderii. Fornicatio autem et omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Sectamini pacem et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*

Sed occurrunt aliqui, et dicunt: Fornicationem, impuras cogitationes, desideria turpium voluptatum, vel sibi peccata non videri, vel ita levia, ut aspersione aquae lustralis statim expientur. Cui enim, ajunt, injuriam facimus, cum fornicamur vel cum turpia cogitamus? Cui facimus, quod nobis non vellemus fieri? Neminem laedimus, neminem contristamus, neminem vexamus. Jam dixi vobis, sordidas istas animas, ita turbidas, et obscuras esse, ut etiam gravissima facinora non agnoscant. Sed adhibebimus lumen orationi, et ea si poterimus de tenebris eruta in solem ac lumen proferemus. Primum, cum nos Christiani et non Ethnici simus, et iamsi rationem nullam haberemus, qua ostendere possemus, haec esse mala et magna mala, nonne satis esse debet, quod Deus et apostolus ejus nobis praecipiant, ista fugiamus, et nisi paruerimus mortem sempiternam comminentur? Apostolus ait: *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, et sciat unusquisque vas suum possidere in santificatione et honore.* In quibus verbis omnia genera impudicitiae et luxuriae continentur. Si Deus ita vult, si apostolus testatur ita esse, nonne debemus caput demittere, humum aspicere, et absque ulla interrogatione facere, quod praecipitur? Sed audi, quam poenam comminetur: *Nolite errare;* inquit apostolus ad Corinthios scribens, *neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Rursum in epistola ad Galatas: *Manifesta sunt,* inquit, *opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae invidiae, homicidia, ebrietates comessationes et his similia: Quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et in epistola ho-

dierna; *Hoc*, inquit, *scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, (quod est idolorum servitus) non habet haereditatem in regno Christi et Dei.* Itaque videtis qualia sint ista crimina, quae a regno coelorum excludunt.

Sed num est verum, quod ajunt homines impudici, nulli se injuriam facere? Nullo modo. Errant toto coelo. Primum enim injuriam atrocissimam faciunt proli, quae nascitur ex fornicatione. Quaero abs te, num velles tu ex fornicatione natus esse, ita ut parentem ignorares tuum, et matrem meretricem haberes, atque esse sine fama, sine haereditate, sine institutione? Certe non velles. Cur ergo dicis te nemini facere, quod non velles tibi fieri, cum fornicaris? Deinde faciunt injuriam foeminae cum qua peccant, cujus tanto magis crescit infamia, quanto magis crescunt fornicationes. Praeterea non fornicarii solum, sed omnes impudici, etiam ii, qui solum in seipsis, vel cogitando, vel concupiscendo vel aliis modis turpitudinem operantur, injuriam faciunt corpori suo. Nam peccata caetera, ut furta, periuria, blasphemiae, *extra corpus* sunt: qui vero impudicus est, *in corpus suum peccat*, ut apostolus ait. Injuriam item faciunt Christo, qui frater noster, os nostrum et caro nostra est: quin etiam *corpora* nostra *membra Christi sunt*, et ea impudicus tollit, et facit *membra meretricis*. Injuriam faciunt Virgini Deiparae, quae mater nostra est, cum Christi filii ejus fratres simus. Maxime enim displicent matri Virgini filii impudici. Injuriam faciunt etiam angelo custodi, qui nihil horret magis, quam foetorem luxuriae. Denique injuriam, eamque gravissimam faciunt Deo, cujus templum prophanant atque evertunt. Numquid si in hoc templo, si inter hos parietes, vellet aliquis adulterium vel fornicationem exercere, nonne sacrilegus ab omnibus haberetur? Quomodo igitur non sacrilegus erit, qui corpus suum vivum templum Spiritus sancti prophanare audet? *Nescitis*, inquit apostolus, *quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti*? Habetis ergo, quam vehementer errant homines impudici, cum se nemini suis impudicitiis injuriam facere dicunt.

Sed rursum alii, juvenes, inquiunt, sumus, non possumus caste vivere, etiamsi velimus. Et hoc immane mendacium est. Nec enim non possunt caste vivere, sed non volunt. Nec est impudicitia morbus juventutis, sed corruptae juventutis; Alioqui quot milla sanctorum adolescentium et sanctarum virginum in Ecclesia extiterunt? Nonne sanctus Eduardus Angliae rex, beatus Henricus Romanorum imperator, et alii nonnulli, cum ipsa propria conjuge, quod pene videtur incredibile, in virginitate vixerunt? Et nos non poterimus, quod illi et illae? Numquid illi et illae in semetipsis potuerunt, et non in Domino Deo suo? Certe si rex noster diceret servis suis; Itote in Indiam, et naves non accipiatis, sed vel super undas ambulando, vel natando vel volando eo pertingite; merito profecto, optimoque jure conqueri possent. At si diceret; Accipite naves quotquot sunt necessariae, et eo modo iter facite; excusationem non haberent. Ad eumdem modum, si diceret Deus: Viribus vestris caste vivite, nihilque auxilii a me expectetis, mirum non esset, si obtemperare non possemus. At cum ipse nobis multa adjumenta polliceatur, multa remedia instituerit, quis ore blasphemo dicere audebit, Non possum caste vivere?

Quae sunt igitur ista remedia? Primum jejunium et oratio: *Hoc enim genus daemoniorum non eiicitur, nisi in oratione et jejunio.* Vult Deus, ut intelligas donum suum esse continentiam, atque a se eam magno desiderio petas et ipse eam tibi procul dubio non negabit. Quia etiam caro pinguis, tamquam terra aratro non subacta, semper germinat malas herbas impurarum cogitationum, debes eam jejuniis exercere ac subigere. Porro ad jejunium et orationem addere debes lectionem piorum librorum, ac praesertim eorum, quibus vitae sanctorum continentur, ut videas quibus modis, qua industria, qua arte spiritum fornicationis vicerint ii, qui nunc coronantur ac triumphant in coelis. Postremo sacramenta illa potentissima et saluberrima confessionis et communionis, si frequentare volueris, vel octavo vel quintodecimo quoque die, vel ut minimum mensibus singulis, profecto vim et efficaciam hujus medicamentis experieris. In ipso vero conflictus summo studio observare debes, ut primas cogitationes repellas; *Nolo sinas cogitationes crescere*, inquit b. Hieronymus, *dum parvus est hostis interfice. Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram.* Parvuli nostri primae sunt cogitationes: petra autem Christus est. Itaque si tibi bene consultum cupis, si victoriam in isto conflictu desideras, allide parvulos tuos ad petram: statim atque oboritur turpis cogitatio, defige oculos mentis in vulnera Domini nostri Jesu Christi. Cogita serio atque attente, ideo Deum ipsum tam atrociter vulnerari voluisse, ne animus tuus turpibus cogitationibus vulneraretur. Neque dubites quin ex illis sacratissimis fontibus Salvatoris scaturient aquae, quae ardorum tuae libidinis cogitationum et desideriorum extingunt. Si vero remedium istud non proterit, quod tamen raro ad modum accidere solet, converte oculos mentis in illas vivas et sempiternas flammas gehennae, quae omnes impuros et impudicos cremabunt. Cogita quid erit propter unam brevem, turpem, exiguam voluptatem ignem gehennae maximum et non diuturnum, sed aeternum absque ullo fine tolerare, ubi numerabis mille annos, et iterum mille, et decem milia, et mille millia, et millies mille millia, et semper erit initium. Ista aeternitas poenarum, dubium esse non potest, quin si fideli animo atque attente perpendatur, statim extinguat, aut mitiget sensum libidinis. Haec sunt igitur remedia, ista sunt arma, istis utamur, et victoriam procul dubio consequemur, praestante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum Amen.

CONCIO XXVI.

DE DOMINICA LAETARE

THEMA

De evangelio quinque panum. *Joan.* 6.

SYNOPSIS

Christus, ut se mundi auctorem et parentem hominibus probaret, factum Apellis imitari visus est. Quomodo ipse pro humana salute assidue discurrendo se fatigarit; verba Christi homines patienti vi trahebant, idque potissimum ob miraculorum virtutem, et quare hoc, a simili ostenditur. Conciliatio textus evangelici, qui sibi contradicere videbatur. Tres causae, cur Christus signa et prodigia faciebat, asseruntur. Undenam omnis haeresis et schismatum causa orta sit, luculenta narratione patefit, nempe quod plurimi Christum non propter Christum, sed ut de panibus ejus manducent, quaerunt. Causa redditur, cur Christus mons ipse plerumque montibus fuerit delectatus, nimirum ut nos eum ad montem omnium perfectionum sequeremur. Cur itidem in solitudinem secesserit. Praelatorum esse, subditis in miseria constitutis sollicite providere, Christi exemplo docetur. Panes istos figuram fuisse eucharistiae ex multis allatis probatur. Eucharistiam esse cibum bene valentium, non aegrorum; et quomodo sordes pedum, id est, peccata, ante mensae hujus coelestis accessionem sint abluendae, disseritur.

Secunda pars reliquam textus explicationem continet; ubi docemur injurias aequo animo ferre, Christi exemplo, qui hic et alias injurias sibi illatas benefactis arguere consuevit. Cur Christus ante fractionem panis, et non post, gratias egerit. De multiplicatione panum paucula quaedam inseruntur. Cur potus hic nulla fiat mentio. Quinam sint fructus eleemosynae tam corporalis quam spiritualis, demonstratur. Christum singulis annis nobis panes multiplicare, et aquam in vinum convertere probatur. Quatuor egestis causae adducuntur. Prima est diffidentia de providentia Dei. Secunda divitum avaritia et tenacitas. Tertia, pauperum superbia, luxuria et ebrietas. Quarta, divitum superbia et luxus, quae singula oratoria ante exaggerantur. Tantem exhortatio ad liberalitatem in pauperes epilogi vices sustinet.

Pictorum principem Apellem, auditores optimi, cum is Rhodum ad Protogenem venisset, et officinam ejus ingressus ipsum minime reperisset, lineam quamdam tanto artificio duxisse scribit Plinius, ut ex ea facile Protogenes intellexerit, Apellem esse, qui ad se venisset: nec enim linea tantae tenuitatis, ut prope aciem oculorum effugeret, alium, quam Apellem auctorem habere poterat. Tale quiddam mihi esse videtur, quod in hodierno evangelio de mundi hujus architecto et molitore Christo b. Joannes evangelista commemorat. Scribit enim eum, cum ad nos ex illo suo coelesti domicilio descendisset, et hujus pulcherrimi operis, quod a perfecta absolutaque elegantia Graeci κοσμον, nos mundum appellamus, auctor ac parens credi vellet; nec ignoraret homines solis verbis non facile sibi fidem adhibituros esse, lineam unam, quam nemo omnino imitari posset, illo suo divino pinicillo duxisse. et rem mundo miraculi, et prodigii plenam ostendisse. Siquidem quinque panibus et duobus piscibus quinque hominum millia pavit. At si ipsum facinus, et nostram infirmitatem consideres, res est ejusmodi, quam hodie Dominum effecisse evangelista scribit, ut vires rerum creatarum exuperet, et omnium hominum, atque angelorum facultatem ac potentiam vincat. Quocirca non immerito, qui tantae rei spectatores esse potuerunt, auctorem ex opere agnoscentes, laetissimis vocibus acclamaverunt: *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Quanti vero praeclarissimum hoc signum divini evangelistae faciendum censuerint, vel ex eo cognosci potest, quod cum alia (nisi fallor) omnia nostri Liberatoris signa, atque prodigia vel ab uno, vel ab alio praetermissa sint, hoc unum ab omnibus summa diligentia maximaque consensione aeternis litteris mandatum, et ad omnem posteritatis memoriam consecratum est. Adeste igitur animis, auditores, et dum vobis historiam evangelicam, qua hoc pulcherrimum facinus continetur, expono quaeso, diligenter, ut facere consuevistis attendite.

Abiit Jesus trans mare Galileae, quod est Tiberiadis. Nihil omnino temere aut casu sapientissimus Dominus faciebat. *Nec enim unquam temeritas*, ut Tullius ait, *cum sapientia commiscetur.* Cur igitur abiit trans mare Galilaeae; quod est

Tiberiadis? Concionem, et longam et utilem Dominus ad Judaeos habuerat, ut ex capite superiori intelligi potest: verum cum se nihil proficere apud eos animadverteret, quod illi obstinatione quadam voluntatis, et oculos, ut non viderent, et aures, ut non audirent, clausissent, egressus ab eis trans mare Galilaeae; non secus ac prudens medicus, cum de salute aegroti desperat, eum deserit,atque ad alios curandos studium suum ac diligentiam confert. Rursum nihil est, cui minus conveniat stare, et quiescere, quam Soli, cum ipse sit, qui universo orbi lumen et calorem impartit. Dominus autem se justitiae solem,et mundi lucem esse non ignorabat; neque ullo modo oblivisci poterat, non alia de causa se mundo tenebris densissimis obruto illuxisse, quam ut suo fulgore tenebras dissiparet, et homines in umbra mortis sedentes illustraret. Quocirca pene numquam quiescebat, et nunc in Galilaeam ab Jerusalem descendebat, nunc iterum a Galilaea in Jerusalem ascendebat, nunc Samariam obibat, nunc mare transmittebat, nunc Tyri et Sydonis fines peragrabaris, nunc ad urbes et oppida se conferebat, nunc etiam solitudines et loca deserta perlustrabat. Abiit igitur ex Judaea trans mare Galilaeae, ut tamquam verus Sol lumen praesentiae suae illis etiam regionibus exhiberet. Deinde non solum verbis, sed etiam factis Dominus loquebatur, et res futuras non tantum multo ante praedicebat, verum eas etiam interdum rebus gestis imitabatur,atque adumbrabat. Excessit igitur ex Judaea,Judaeisque in sua obstinatione et caecitate relictis. Tiberiadis mare transmittit ut iam nunc ostenderet *de Sion legem* exituram *ac verbum Domini de Ierusalem*:et apostolos aliquando ad Judaeos dicturos,*vobis quidem oportebat primum praedicari verbum Domini*; *sed quoniam repellitis illud et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad Gentes.* Postremo abiit Dominus trans mare, et in loca deserta se contulit: tum ut majorem sitim audiendi verbum Dei in iis, quos ad aliquod tempus deserebat, excitaret; tum ut miraculi patrandi et potestatem suam ostendendi,in panum et piscium multiplicatione opportunitatem haberet. *Abiit igitur trans mare Galilaeae quod est Tiberiadis*, hoc est, ultra eum lacum, qui in finibus Galilaeae tacet quique Tiberiadem civitatem alluit.

Et sequebatur eum multitudo magna. Verba Domini, auditores, quasi quaedam jucundissima symphonia, undique homines attrahebant. Neque mirum id nobis videri debet: non enim eloquens aut sapiens aliquis loquebatur; sed ipsum Dei verbum, ipsa Dei sapientia loquebatur. Certe plusquam Demonsthenes hic, *plusquam Salomon hic*: *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Itaque quod falso poetae de suo Orpheo jactant,id nos vere de Christo affirmare possumus: Nempe, currebant post eum, non quidem arbores et ferae, figmenta sunt haec; sed rudes et agrestes homines et obliti rectorum, obliti proliun, obliti rei familiaris, obliti operum studiorumque suorum, etiam in desertissimas solitudines, et ad multa milliaria Dominum sequebantur. *et sequebatur* inquit, *eum multitudo magna.* Solebant olim, qui columbas aucupabantur, ut magnus Basilius ad Julitam scribens ait, tali quadam arte atque industria uti: Columbam unam, quae longo usu ad aedes Domini sui redire didicisset, unguento quodam ungebant, cujus odor gratissimus esse columbis perhibetur, tum eam ad hunc modum delibutam dimittebant. Illa de more per aerem volans varia loca peragrabat; quotquot vero columbae in eam incidebant, omnes gratissimo illo odore allectae, ei se adjungebant, atque hac ratione, quae sola egressa fuerat, innumeris deinde sodalibus comitata, et quasi stipata rediit.Ad eumdem igitur modum,cum Deus optimus et sapientissimus auceps intelligeret, homines quasi columbas sine corde ex paradisi nidis et cubilibus evolasse, et misere quotidie ab accipitribus rapi atque occidi videret, cupereteque eas ad sua domicilia et nidos revocare, accepit columbam unam nostri videlicet liberatoris innocentissimam humanitatem, et eam omnium gratiarum et virtutum unguento perunctam in medium aliarum columbarum misit. Hinc igitur fiebat, ut quocumque Dominus pergeret, multitudo magna eum sequeretur. Alii siquidem odore operum allecti currebant, et clamabant: *Bene omnia fecit,et surdos fecit audire et mutos loqui*: Alius odore virtutum et innocentiae delectatus currebat, et clamabat: *Magister, sequar te quocumque ieris.* Ecclesia vero adhuc currit et clamat: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Sequebatur igitur *illum multitudo magna.* Quamobrem? *Quia videbant*, inquit, *signa . quae faciebat super his*; *qui infirmabantur.* Ecce quali odore trahebantur isti, nempe signorum et prodigiorum. Dominus enim turbas istas coelestium et spiritualium bonorum nondum capaces, curationibus corporum, veluti quibusdam muneribus alliciebat, ut hinc ad majora ascendere, et animorum etiam curationem desiderare, atque ab eo petere inciperent. Nonne apud Horatium legistis;

Pueris dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima?

Ita fieri solet,munusculis quibusdam alliciuntur pueri. ut prima elementa perdiscant. At ubi adoleverint, et philosophorum aut jurisconsultorum scholas frequentaverint, jam eos profecto puderet accipere crustula. Sic etiam Deus cum hominibus facit. Nam, ut b. Augustinus, libro quinto de civitate Dei, sapienter docet, cum videret homines quasi pueros res istas ludicras, regna, imperia, opes, honores,et alias (dicam enim) nugas magnifacere. et ea a suis idolis et simulachris petere, coepit haec ipsa suis cultoribus tradere, ut Constantino et Theodosio et aliis nonnullis, quos, ut ipse Augustinus loquitur, tantis implevit muneribus, quanta nemo auderet optare. Nimirum, ut vel hac ratione ab idolis homines revocarentur. Deinde vero cum ex pueris excessissent, et ad Christianorum maturitatem pervenissent, jam non de crustulis, non de nugis,non de terrenis opibus et honoribus; sed de regno coelesti, et gloria illa beata ac sempiterna cogitarent, et non jam a paedagogis prima elementa perdiscerent, sed ab ipso Dei ver-

bo doctore sapientissimo audirent: *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus: et haec omnia adjicientur vobis.* Haec est igitur causa, quare Dominus beneficiis curationum turbas ad se trahebat, ita ut quocumque iret, eum maxima multitudo sequeretur. *Et sequebatur eum*, inquit Joannes, *maxima multitudo, quia videbant signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur.*

Sed quo pacto quaeso, roget quispiam, ista vera esse possunt; *Sequebatur eum multitudo magna quia videbant signa*, cum paulo post, hoc in eodem capite Dominus dicat; *Quaeritis me, non quia vidistis signum, sed quia manducastis de panibus* ? Quomodo ista cohaerent? quomodo non pugnant? si verum est, quod evangelista dicit: *Sequebantur eum, quia videbant signa*: quomodo verum est, quod Dominus ait: *Quaeritis me, non quia vidistis signum, sed quia manducastis de panibus*? Duabus de causis auditores, Dominus noster signa et prodigia faciebat. Primum, ut se verum Deum ac Dei filium esse demonstraret. Deinde, ut miserorum aegritudinibus et necessitatibus opem ferret. Quibus tertiam, si placet, addamus, ut aliquid aliud se facturum polliceretur, ac veluti designaret. Nam cum lepram curabat, non se medicum aut chirurgum profiteri volebant; sed nimirum ostendere, se illum esse, qui nos a peccatorum, quae per lepram significabantur, aegritudine liberare possunt. Et cum hodie panes multiplicavit, numquid egregius aliquis pistor haberi aut sola corpora saliare voluit? Non sane, auditores. Quidnam igitur? Nempe docere, se, ad quem modum corpora panibus divinitus multiplicatis refecisset, ad eumdem animos nostros quoque coelesti pane refecturum. Quocirca paulo post de sacrosancto eucharistiae sacramento diutissime disputavit. Harum igitur trium causarum, illa prima ac praecipua erat, ut se Deum aut Dei filium esse confirmaret, et fidem animis hominum inserendo, in iisdem aeternae salutis fundamentum jaceret. Quod apostolum Joannem minime fugiebat, quippe, qui simul atque miraculum de aqua in vinum conversa exposuit, quasi miracula finem aperiens ait; *Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.* Sed quamquam Dominus hoc potissimum intuebatur, cum miracula faciebat ut homines ad fidem, et verum Dei cultum adduceret: illi tamen praecipue ac pene solum externa beneficia considerabant, ut morborum curationes, ut daemonum ejectiones, ut panum et piscium multiplicationem. Itaque quod maximi Dominus, ipsi minimi faciebant: quod Dominus minimi, ipsi maximi ducebant. Quae cum ita sint, non solum Domini, et evangelistae verba non pugnant, sed maxime etiam conveniunt. Quid enim b. evangelista dixit? *Sequebatur eum* inquit, *multitudo maxima, quia videbant signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur.* Perpendite verba postrema: *Super his*, inquit, *qui infirmabantur*, ut ostenderet eos non tam propter signa, quam propter beneficia curationis Dominum quaesivisse. Quid vero ipse, Dominus ait? *Quaeritis me*, inquit *non quia vidistis signum, sed quia manducastis de panibus*, hoc est, non idcirco me quaeritis, quia tam praeclaro prodigio gloriam meam et divinitatem agnoveritis: sed quod in maxima egestate atque inopia praeter omnem spem refecti a me et recreati fueritis.

Utinam non tam aperte in homines nostri temporis haec Domini reprehensio conveniret. *Quaeritis me, non quia vidistis signum, sed quia manducastis de panibus.* Ego quidem auditores, ita statuo, sophismata haereses, tot populorum ac regnorum a vera fide defectionem, omnes denique horum funestissimorum temporum calamitates, bella, tumultus, seditiones, non aliunde occasiones habuisse, quam ex eo, quod pastores et reliqui Domini sacerdotes, Christum quaerebant, non propter Christum, sed ut de ejus panibus manducarent. Annis aliquot antequam Lutherana et Calviniana haeresis oriretur, nulla ferme erat, ut ii testantur, qui etiam tunc vivebant, nulla (inquam) prope erat in judiciis Ecclesiasticis severitas, nulla in moribus disciplina, nulla in sacris literis eruditio, nulla in rebus divinis reverentia, nulla propemodum jam erat religio. Eximius ille cleri et sacri ordinis decor perierat: vilissimo cuique ludibrio erant sacerdotes: a populis contemnebantur, despiciebantur, gravi diuturnaque laborabant infamia. Et undenam haec omnia? Nonne ex eo, quod pastores ordine praepostero, non praecipue gloriam Christi et ovium suarum salutem, sed panes et pisces, hoc est, redditus et proventus potissimum in ecclesiasticis muneribus quaerebant? certe apostoli, qui primi ecclesiae pontifices et pastores fuerunt, cum viderent, se a proprio suo munere, hoc est ab oratione et concionibus nonnihil impediri, quod pecuniarum, quas novi Christiani ante eorum pedes proiiciebant, et aliarum externarum rerum rationem habere cogerentur, continuo eam curam a se rejecerunt, atque dixerunt; *Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos scientia et sapientia, quos constituamus super hoc opus. nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* At vere paucis ante annis, quam multi reperiebantur (quorum similes utinam nulli modo reperientur) qui si non verbis certe reipsa et factis dicebant: Non est bonum nos, ut verbo Dei vacemus, reddituum et proventuum curam negligere. Ponamus in ecclesia et in suggestu vicarium unum qui modico stipendio sit contentus, ipse praedicet verbum Dei, ipse ovium curam habeat, nos vero opibus et honoribus cumulandis et augendis instantes erimus. Haec igitur origo, hic fons malorum omnium fuit. Nam quoniam mores corrupti, vita contaminata, sacramentorum oblivio et religionis contemptus, veluti quidam gradus ad haeres et schismata sunt, lupis quibusdam, illa occasione exortis, qui pellem ovinam induti innocentiam et sanctimoniam simulabant, atque in Domini Servatoris doctrina caeculientes, nescio quam libertatem evangelicam sibi fingebant, verbi Dei puritatem pollicebantur, et Domini sacerdotes in invidiam apud populos rapiebant, continuo oves Christi non una aut altera, sed integri greges a pastoribus fugere, atque ad lupos confugere inceperunt.

Sed haec jam nimis antiqua praetereamus: utinam saltem nunc nostro malo edocti, Christum propter Christum non propter panes quaereremus. Utinam nulli essent, qui canonicatus et ecclesiastica beneficia quaererent, non ut in vinea Domini laborare possint, sed ut sumptibus Domini crucifixi vivant, et *in labore hominum non sint.* Utinam omnes, quid sibi illa verba velint, intelligeremus; *Primum quaerite regnum Dei et justitiam ejus*: et non ordine praepostero, primum cibum et vestes et alia omnia quaereremus, et postea regnum coelorum, ut quoddam additamentum, habere vellemus: Non secus ac ii, qui nucum ac pirorum putamina, et cortices diligenter colligunt, nucleum autem et ipsam rei medullam negligunt: quod extremae et maximae dementiae argumentum est. Sed ad evangelium revertamur.

Sequitur. *Subiit ergo in montem Jesus.* Quid mirum? Mons ad montem accessit. Dominus enim sicut sanctus sanctorum est, ita et mons montium est. Neque tanto montes vallibus altiores, editiores et superiores sunt, quantum evangelica Christi doctrina profunditate ac sublimitate, omnem omnium philosophorum sapientiam vincit. Deinde semper Dominus montibus delectatus est. In Nazareth, quae in monte sita erat, concipi voluit; in montibus orabat; in montibus docebat; in monte transfiguratus est; in monte mortuus est; ac demum ex monte in coelum conscendit, ut jam mirum nobis videri non debeat, si de eo in Cantico amoris dicatur; *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Haec vero omnia nos erudiunt, ut si Christi vestigia insequi, atque eum imitari cupimus vallium, hoc est, humilium operum angustiis contenti non simus, multo etiam minus per planities viliorum et voluptatum incedamus; sed semper montes ac summa vestigia virtutum et perfectionis summo studio consectemur. Denique Dominus verba facturus, et populos ad montem perfectionis ascendendum provocaturus, ipse prior subiit in montem, ut pastores et concionatores admoneret, ut primum facerent, deinde docerent. Neque ante alios in montem virtutum et perfectionis ascendendum excitarent, quam ipsi montem eumdem ascendissent. *Subiit*, inquit, *in montem.* Quem montem perfectionis ascendere nos Dominus voluit, quem ipse prior non ascenderit? Quod virtutis fastigium superare nos docuit, quod antea ipse non superaverit? Vere *coepit Iesus facere et docere*: Vere *subiit in montem Jesus.* Hortatur ad voluntariam paupertatem? At *vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Hortatur ad mansuetudinem? At ipse *homo vorax et potator vini, Samaritanus et daemoniacus* appellatus, solum hoc respondit; *Ego daemonium non habeo.* Hortatur ad fletum amplectendum et risum fugiendum? At ipse flevit saepius, numquam aut risit. Hortatur ad orandum et vigilandum? At ipse pernoctabat saepius in oratione. Hortatur ad injurias condonandas? At ipse in cruce sublatus, et injuria incredibili affectus orabat, dicens: *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Hortatur ad obedientiam et humilitatem? At ipse *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Hortatur ad charitatem? at charitas est, quae ipsum ad crucem adduxit, atque in ea usque ad mortem continuit. Alioqui enim fortior erat quam Sampson; neque funes neque clavi tenere illum unquam potuissent. Vere *igitur coepit Jesus facere et docere.* Vere *subiit in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.*

Ratione reddit b. Marcus, cur Dominus in solitudinem secesserit, et ibi sederit cum discipulis suis: nempe ut paululum ab itinerum et concionum laboribus conquiesceret. Apostoli enim, ut idem b. Marcus ait, cum in plurimis locis concionati fuissent, et multorum aegritudines curavissent redeuntes Domino referebant, quae gesserant et docuerant. Pertinet enim ad summum praesidem et pastorem cognoscere, quid praesides minores faciant, et rectene, an secus provincias sibi commissas administrent. Quocirca episcopi et concionatores Christiani, non ex caeremonia aut consuetudine aliqua, sed ex debito et necessitate summo pontifici et ecclesiae universae capiti rerum a se gestarum rationem reddere tenentur. Et si id facere recusent, non pastores, sed fures et latrones existimandi sunt. Nonne ipse apostolus scribens ad Galatas ait, se in Ierusalem ascendisse, ut Petrum videret, et evangelium suum cum eo conferret, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset?* Sed a proposito non recedamus.

Cum igitur Dominus discipulos suos ex illis summis et continuis laboribus defessos esse videret, et ipse quoque non minus fessus et fatigatus esset, ait: *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Subiit* ergo *in montem Jesus et ibi sedebat cum discipulis suis.* Verum vix omnes consederant, atque ad requiescendum paulisper se composuerant, cum attollens Dominus oculos vidit, quia multitudo maxima venit ad eum. Hoc imitari principes et pastores deberent, nempe ut dum ipsi in montibus honorum et dignitatum constituti, commode atque in deliciis sedent, pauperum et calamitosorum non obliviscerentur, sed aliquando oculos ad eos converterent, eorum inopiae et calamitatibus prospicerent. Denique ut populi, nec spiritalis nec corporalis annonae penuria et charitate laborent, quam vigilantissime providerent.

Addit hoc loco b. Marcus. *Et misertus est super eos; quia erant sicut oves non habentes pastorem: et coepit eos docere multa.* O quale et quam illustre exemplar animarum pastoribus Dominus fuit? In solitudinem se contulerat, ut paululum a concionum laboribus requiesceret; et tamen cum populos, fame verbi Dei laborantes vidit oblitus quietis iterum concionandi laborem assumpsit. Et concionem usque adeo prolixam habuit, ut apostoli dixerint: *Hora jam praeteriit, dimitte illos.* Addit quoque b. Matthaeus. *Et curavit languidos eorum.* Quod mysterio non vocat; sed ut percipiatur, illud ante explicandum est panes istos divinitus multiplicatos, ut Origenes capite decimoquarto Matthaeum exponens sapienter docet, sacrosanctae eucharistiae typum ac figuram gessisse. Primum eadem penitus caeremonia Dominus ho-

die panes multiplicavit, et in ultima coena eucharistiam consecravit. Quid egit cum panes multiplicavit? *Acceptis*, inquit Matthaeus, *quinque panibus, aspiciens in coelum benedixit et fregit, et dedit discipulis.* Quid egit cum eucharistiam consecravit? omnino idem. Deinde, sicut hodie Christi omnipotentia alia corpora vertebantur in panes ita in ultima coena ejusdem omnipotentia panis vertebatur in carnem. Et sicut hodie quinque panes vere multitudinem incredibilem satiaverunt, et tamen nihil ex eis deperditum esse videbatur, cum duodecim cophini superfuerint: sic etiam Christus, qui hoc divinissimo sacramento continetur, vere multorum millium Christianorum animos pascit, et tamen semper totus atque integer perseverat. Rursum, ut hodie turbis Dominus cibum dedit, et potum non dedit, quod cibus ille famem simul et sitim extingueret sic etiam, tametsi laici sub una tantum specie eucharistiam sumant, non tamen propterea spiritali potu, hoc est, Christi sanguine fraudantur. Postremo, quemadmodum hodie turbae istis panibus recreatae, Dominum agnoverunt, et in laudes et actionem gratiarum erumpentes dixerunt: *Hic est vere propheta qui venturus est in mundum*, sic etiam, qui hoc maximum et augustissimum sacramentum, et religiose et frequenter sumunt, mirum est, quantum in Domini cognitione et amore proficiant, fuit igitur miraculum hodiernum, typus ac figura divinissimi sacramenti. Nam cum de eo sacramento Dominus longissimum sermonem habiturus esset, voluit antea hoc miraculo auditorum suorum animos praeparare.

Eucharistia igitur, ut ad rem nostram veniamus cibus quidem, sed sanorum et bene valentium cibus est. Et quemadmodum aegri, si cibis sanorum vesci voluerint, se ipsos interimunt: sic etiam qui ad hoc divinissimum sacramentum accedit, et poenitentiae medicamento peccatorum suorum vulnera non curavit, si prudens et sciens hoc faciat, certissimum sibi interitum comparat. *Ideo inter vos*, ait divinus apostolus, *multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* Clementissimus igitur Dominus noster sicut apostolorum antea pedes lavit, quam eis panem illum divinum et sacrosanctum porrigeret: sic etiam hodie ante languidos curat, quam eos panes illos, qui eucharistiae figuram referunt, attingere patiatur. O utinam, auditores, in Christianorum animis hoc altissime documentum infigeretur, aliam profecto, aliam omnino ecclesiae speciem videremus. Undenam fieri censetis, ut qui coelestia sacramenta frequentant, adhuc tamen saepe frigidi, torpentes, infirmi et imbecilles maneant? certe Dominus, quem in sacramento illo vere suscipimus, *ignis consumens est*, lux mundi est, cibus exquisitissimus est: *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus.* Cur igitur, qui ignem tam frequenter sumimus, non ardemus? Cur alios non inflammamus? Cur verba nostra scintillae ignis non sunt? Cur, qui lucem ipsam accipimus, non fulgemus? Cur orbem totum non illustramus? Cur vita, mores et opera nostra radii quidam lucis non sunt? Cur, qui cibo tam exquisito vescimur, et ex ipso *frumenti adipe* satiamur, non pinguescimus, non roboramur? Non alia profecto hujus rei causa est, quam quod non diligenter antea pedes nostros abluimus, neque vulnera peccatorum summo studo et solicitudine, ut par esset, curamus. Ad confessionem accedimus quidem, sed sine dolore, sine proposito emendationis. Medicorum consiliis non acquiescimus, peccandi occasiones non evitamus. Et quid illa confessio? Quid prodest aegro, quod peritissimus medicus illum invisat, et pharmacum saluberrimum sumendum, et a certis rebus abstinendum admoneat, si nihil eorum postea aeger faciat, et consilio suo, non medicorum vivat? Quam multi sunt etiam, qui cum pedes sordidissimos habeant, et lutum jam concretum in pedibus gerant, ipsi tamen unam simplicem lotionem sibi sufficere credunt? Non est ita, auditores, non nos ipsos decipiamus: pedes multum sordidi, multum lavandi sunt. *Quam magna deliquimus.* Cyprianus clamat, *tam graviter defleamus, alto vulneri diligens et longa medicina non desit: poenitentia crimine minor non sit.* Non igitur sine causa Dominus ante languidos curavit quam typicum illis panem porrigeret.

PARS POSTERIOR.

Longius progressus sum, quam voluissem, sed non sine Domini exemplo. Ipse enim, ut paulo ante dicebamus, ita longam hodie concionem habuit, ut apostoli dixerint: *Hora jam praeteriit, dimitte illos.* Atque usque ad hunc locum in evangelii explicatione perveneramus. Quid igitur Dominus respondit? *Non habent*, inquit, *necesse ire date illis vos manducare.* Illi enim, qui propter spiritalia bona terrena lucra interdum negligunt, a Domino sine ulla dubitatione pascuntur. Atque hoc significare voluit, cum ait; *Non habent necesse ire, date illis vos manducare.* Cum igitur jam vellet Dominus pulcherrimo atque inusitato miraculo principium facere, dixit ad Philippum. *Unde ememus panes ut manducent hi?* Discipulum magister interrogavit, non ut ab eo consilium caperet, (*Ipse enim sciebat*, inquit Joannes, *quid esset facturus*) sed ut ciborum necessitas explicaretur, et miraculum illustrius fieret. Nam cum ex Philippo audimus, ducentorum denariorum panes satis futuros non fuisse, ut modicum quid illa hominum multitudo acciperet: et rursum cum ex Andrea cognoscimus, non plures panes, quam quinque, nec plures pisciculos quam duos, in tota illa solitudine inventos fuisse, plane intelligimus, magno miraculo fuisse factum, ut tot hominum millia ex illis panibus et piscibus non modicum quid, sed quantum vellent acciperent: sed Domini sapientiam et mansuetudinem considerate. Audierat Philippum de potestate Domini sui quasi desperantem: *Ducentorum* inquit, *denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Audierat Andream exiguae fidei verba proferentem: *sed haec*, inquit, *quid sunt inter tantos?* Poterat illos merito reprehendere et quemadmodum cum Deus populo Israelitico in solitudine carnes polliceretur, et Moyses diceret, *Sexcenta*

millia peditum hujus populi sunt, et tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? respondit Dominus, ut ex capite undecimo libri Numerorum intelligi potest: *Numquid manus Domini invalida est*? Sic etiam nunc dicere potuisset: numquid, o Philippe, manus mea invalida est? Sed maluit eos reipsa et beneficiis, quam verbis coarguere. Id quod nobiscum pene quotidie Deus agit. Nos illum offendimus, de eo conquerimur, ejus legem, et praecepta frangimus, et ipse quid? Nos beneficiis obruit, solem suum super nos oriri facit, pluvias certis temporibus ad nos mittit, fruges nostras et omnes fructus ad maturitatem perducit. Discamus igitur, auditores, discamus ab ipso Deo, ad quem modum injurias utiliter ulcisci possimus. Si quis forte avarus, vel intemperans, vel irreligiosus, appelletur, mox cum stomacho respondebit: Non est ita, mentiris: hoc ferro ostendam, me virum probum atque integrum esse. Videte hominis dementiam, et quam stultum modum argumentandi didicerit: gladio probare vult se virum probum et integrum esse. Quid habet gladius cum probitate? Etiamsi hostem ille suum occidat, numquid propterea constabit nobis, illum neque avarum, neque intemperantem esse neque irreligiosum? Optimum igitur et saluberrimum ultionis genus hoc est. Avarum te appellavit? exhibe te erga illum ipsum liberalem, obrue illum beneficiis Intemperantem te esse dixit? Sobrie vivito, jejuniis operam dato. Irreligiosum te nominavit? tu templa, sacra, conciones frequentato. Sic enim *vinces in bono malum, et carbones ignis congeres super caput ejus.*

Verum, ut ad institutum revertamur, cum videret Dominus jam miraculi faciendi opportunitatem optimam adesse: *Facite*, inquit, *homines discumbere*. Magnifica vere vox, et Leonis de tribu Iuda animo vere magno et excelso digna. Nihil ciborum aderat, quod mensae inferri posset, et tamen ait: *Facite homines discumbere*. Deinde suspiciens in coelum gratias egit. Nos convivio absoluto gratias agimus, Dominus autem ante gratias agit, quam convivium inchoetur. Cur ita, auditores? nempe ut ostendat se aeque certum esse de beneficio recipiendo, ac nos sumus de accepto. Ad quem modum etiam prophetae solent, dum res futuras praedicunt, tempore praeterito uti. Nec enim minus certum, quod veri vates praedicunt, omnino futurum, quam est certum fuisse, quod jam fuit. Post haec accipit Dominus panes et pisces, benedicit, frangit, discipulis porrigit. Illi suscepta fragmenta discumbentibus deferebant: tum ad Christum redibant, deinde rursum a Christo ad turbas et iterum a turbis ad Christum: neque aliter de manibus ejus semper nova fragmenta panum et piscium capiebant, quam si ex perenni aliquo fonte aquas haurirent. Multa hoc loco de ista admirabili multiplicatione disputari possent, sed quoniam alia quaedam magis utilia sunt dicenda, quae sit sententia theologorum de hac multiplicatione, paucissimis verbis aperiam. Non secus, auditores, in manibus Domini panum ac piscium fragmenta crescebant, quam tritici grana in sulcis multiplicentur. Nam sicut ex eo grana in sulcis multiplicantur, quod in frumentum terra convertitur, sic etiam hodie panis crescebat, quia Domini nutu in panem alia corpora vertebantur. Sed quod natura longo tempore et multis conversionibus facit, idem id in momento et unica mutatione creatoris omnipotentia faciebat.

Sed cur, dicat aliquis, nihil de potu evangelistae scripserunt? Num absque potu convivium peractum est, cum potus melior pars sit conviviorum? Certe si tale convivium in his regionibus fieret, paucos omnino convivas haberet. Fortasse igitur praevidens Dominus nostri temporis ebriosos, absque potu convivium instruxit, effecitque ut panis, et piscis, sicut famem sedabant, ita sitim extinguerent: praesertim cum hoc, ut antea exposuimus, typo divinissimi sacramenti optime conveniret. Fortasse etiam idcirco Dominus solicitus non fuit, quod fontes vicini essent, et ex eis aquam ad bibendum commode et sine labore habere possent.

Postremo refectis et satiatis turbis fragmenta diligenter colligi jussit. *Et impleverunt*, inquit evangelista, *duodecim cophinos fragmentorum*, ita ut apostoli singuli, cophinos singulos referrent, quod etiam sine miraculo factum non est. Neque vero sine causa Dominus tantam copiam fragmentorum superesse voluit. Primum enim hoc facto miraculum longe clarius et illustrius factum est. Deinde quantus sit eleemosynae fructus, non solum declaravit, sed pene in ipsis oculis hominum defixit. Ecce enim apostoli quinque solos panes habebant qui ne ipsis quidem sufficerent: et tamen jussu Domini, liberaliter eos cum aliis egentibus communicaverunt. Quid inde factum est? Primum multitudo incredibilis refecta et recreata est, deinde ipsi suos panes non modo non amiserunt, sed etiam maximo cum foenore eos receperunt. Ita vobiscum sine dubitatione fiet, auditores, si liberales in eleemosynis erogandis fueritis. Nec enim mentiri potest qui ait: *Qui miseretur pauperis, foeneratur Domino*: Neque vero id solum de corporalibus eleemosynis intelligendum est; sed etiam, si beato Cyrillo credimus, de spiritalibus. Nam quemadmodum hodie apostoli cum diligenter multitudini ministrassent, plenos cophinos retulerunt: sic etiam Praesules ecclesiarum, pastores, et concionatores, qui gregem Dei verbo vitae diligenter pascunt, plenos cophinos, in terris quidem intelligentiae et gratiae, in coelis vero gloriae et beatitudinis reportabunt. Habetis igitur, auditores, ea quae de historia evangelica pro temporis brevitate dicenda esse putavi.

Nunc quaestionem unam quae multorum animos movere solet, et cujus explicatio, si recte percipiatur, longe maximam utilitatem adferre potest, paucis expedire decrevimus: et tum demum orationi finem imponemus: Miraculum hodiernum tametsi maximum et praeclarissimum est, tamen singulis annis in toto orbe terrarum repetitur. Qui enim hodie panes et pisces multiplicavit, idem omnino annis singulis de paucis granis segetes (ut b. Augustinus loquitur) creat, et in ipsis vitibus admirabili ratione et modo aquam in vinum convertit. *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus.* Itaque sicut hodie singulari miraculo quinque hominum millia satiavit, sic etiam perpetuo providentiae

suae miraculo singulis annis alimenta procreat, quae toti sufficere possint.

Sed si haec ita se habent, unde tot pauperes, tot inopes, tot mendici, qui vix summis laboribus victum sibi comparare possunt? Numquid fortassis summus ille orbis moderator, non tantum annonae comparare potest, quantum omnibus hominibus alendis satis sit? Quid extenuat, quid obscurat continuum miraculum? Quatuor vitia sunt, auditores, quae id efficiunt, ut ex hoc ipso evangelio cognosci potest. Unum est *diffidentia*. Nam siculi Philippus statim ab impossibili argumentari coepit, ac dicere: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*: sic et nos facimus. Vix enim credi potest quam humiliter et abjecte de Dei providentia in rebus difficilibus et arduis sentiamus, et plus saepe in nostris artibus et fraudibus et mendaciis confidimus, quam in Deo. Quare mirum non est, si nos interdum Deus deserit, et difficultatibus obrui sinit, non secus ac si diceret; In vestris dolis et fraudibus confiditis, ipsae igitur fraudes et doli vos liberent, sicut credidistis, fiet vobis. Haec igitur diffidentia mirum in modum hujus miraculi splendorem obscurat. Nam sicut propter incredulitatem Nazarenorum non poterat Dominus in ea urbe multa signa facere; ita etiam propter diffidentiam nostram saepe nobis non adfert eam opem, quam alioqui adferret. Dicam hoc planius, auditores. Si tibi Judaeus aliquis mille vel duo millia coronatorum polliceatur et syngraphum ab eo scriptam et consignatam habeas, absque ulla solicitudine dormis et tamen quid aliud miser, quam syngraphum unius infidelis habes? At vero non unam, sed multas Dei syngraphas habemus, quibus nobis omnia ad vitam istam sustentandam necessaria pollicetur et tamen soliciti ita sumus, quasi Deum vel impotentem vel mendacem vel decepturum esse crederemus? Nonne ipse Dominus ait: *Nolite soliciti esse animae vestrae, quid edatis, aut corpori vestro, quo induamini: scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*? Quid apertius? Nonne rursum ait: *Primum quaerite regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis*? Nonne apostolus Petrus ait: *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis*? Nonne David clamat: *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te nutriet*? Nonne rursum clamat: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis*? O nos beatos, si intelligeremus, quid sit Deum habere patrem, omnipotentem habere patrem? Et quid sibi illa verba velint: *Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis*. Quare ab aliquo parvo puero quid facies cum ista vestis detrita et consumpta fuerit? Tu parvulus es, pecunias non habes, artem faciendarum vestium non tenes: quid igitur ages? quo te vertes? nudus sis in posterum necesse est. Sed non terrebis eum, habet enim responsionem in promptu; Pater meus, dicet, solicitus erit de hoc, et nihil mihi deesse patietur. Cur igitur, auditores, non tantum nos in Deo confidimus, quantum in suis parentibus confidunt pueri? Si pater noster est, si haereditatem illam amplissimam nobis donare constituit, quomodo necessaria ad victum non suppeditabit? certe suppeditabit; neque nobis deesset, si nos nobis non deessemus, neque manus ei nostra diffidentia ligaremus. Sed nos egere incipimus, cum jam animum ad furtum, vel ad usuram et malas artes adjecimus. At inquis; necessitas legem non habet: sed Deum habet. Caret lege sed non Deo, cui David clamabat: *De necessitatibus meis erue me*. Et omnia potius ferenda et toleranda sunt quam offendendus Deus. Nullum enim est malum majus peccato; nec ulla jactura cum aeternae salutis jactura comparari potest. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, et detrimentum animae suae faciat?*

Sed ad secundum vitium veniamus. *Divitum avaritia*, auditores, alterum vitium est, quod hoc perpetuum Dei miraculum non parum obscurat. Quaero a vobis si rex noster singulis annis alicui magnam summam pecuniarum daret, ut inde omnes hujus urbis pauperes alerentur, si his cui haec provincia commissa est, vel eas pecunias omnes, vel certe magnam illarum partem in suis loculis poneret, ac pro se retineret, miraremini, si pauperes fame atque inopia laborarent, et si principis liberalitas non appareret? Ad eumdem modum divites Deus instituit, tanquam principes et nutritores pauperum. Nam idcirco illis tantum opum ac facultatum largitus est, quantum non illis solum, sed et multis aliis sufficere posset. Sed cum ipsi omnia recondant, et a tineis potius, quam ab egenis consumi velint, quid miramur, si pauperes fame pereunt, et Dei miraculum obscuratur? Poterat quidem Deus omnes homines divites, vel omnes inopes facere: sed si omnes divites ubi tunc esset patientia? Si omnes inopes, ubi liberalitas? Quoniam igitur tempus hoc ad regnum coelorum praeclaris operibus et virtutum actionibus promerendum nobis tributum est, illud Deus sapienter instituit, ut alii divites essent, et misericordia et liberalitate sibi gloriam aeternam compararent: alii pauperes essent, et patientia ac laboribus ad eumdem felicitatis portum pervenirent. Verum avari divites Andream imitantur, ac dicunt: Habeo quidem quinque panes, sed *haec quid sunt inter tantos*? Quis pauperum petitionibus satisfacere posset? Et quid si anno sequente annonae charitas invalesceret, et ego mihi et meis ante non providissem? Neque sum ita dives, ut homines putant, imo vere, si recte cogito, ego etiam pauper sum. Ah miser, vere pauper es, pauper charitate, pauper misericordia, pauper gratia, pauper humanitate, pauper spe gloriae sempiternae. Et quid ita de anno sequenti sollicitus es? Quid si coelum rueret? Quid si tunc non viveres? Communicent ergo, communicent ii, qui divites sunt, opes suas cum indigentibus, et tum ea, quae Deus producit, omnibus abunde sufficere, et Dei miraculum splendere ac enitere videbis.

Tertium vitium, pauperum superbia, luxuria et ebriositas. Pauperes illi, quos hodie tanto miraculo Dominus pavit, super viride foenum sedebant. Quid foeno, nisi caro significatur? *Omnis caro foenum*, inquit Isaias. Quid vero viriditas, nisi luxuriem et petulantiam designat? Itaque viride foenum nihil aliud, quam lascive

petulans, indomita ac luxurians caro est, quam omnes quidem comprimere, omnes coercere, omnes super eam sedere debemus: sed pauperes imprimis, quibus ideo Deus abundantiam rerum negavit, ut temperantiam et sobrietatem meditentur. Verum hodie nostri pauperes vestiri et epulari volunt, ut divites: et mirantur postea, si eis pecuniae deficiunt. Quam multi reperiuntur, qui diebus festis cum suis compotatoribus ad tabernas pergunt, et ibi una hora potando consumunt, quod multis diebus summis laboribus acquisierant? Ut illos interim omittam; qui ludendo, et amando opes suas ac si ditissimi essent effundunt. Sedeant igitur pauperes super foenum viride, luxuriem compescant, parsimoniam discant, sobrietatem sectentur, et tum Dei providentiam non experientur solum, sed ipsis pene oculis suis videbunt.

Quartum ac postremum vitium, est superbia, et sumptus inordinati, ac pompae nonnullorum illustrium hominum. Hic enim eorum splendor splendorem obscurat providentiae Dei. Cur, quaeso, existimatis hodie jussisse Dominum, ut quod ex quinque panibus superfuerat, colligeretur, neque permittere voluisse, ut fragmenta illa perirent? Num quod famem aut penuriam in posterum formidaret? Non sane, auditores, non hoc Dominus formidabat, qui tam facile panes multiplicare, et de integro etiam creare poterat. Sed eos admonere voluit, quibus maximos opes largitus vel largiturus erat, ut non putarent, quod tibi superesset, effundendum, ac dissipandum esse; sed intelligerent diligenter colligendum, et in pauperum cophinis reponendum. Non dedit Deus principibus, antistitibus et aliis nobilibus viris tributa et vectigalia vel ecclesiastica beneficia vel amplissima patrimonia, ut equos, canes, accipitres, mimos, amicas alerent, non ut mensas mille ciborum generibus refertas atque instructas haberent, non ut sumptus immoderatos in palatiis, in vestibus, famulis, hortis, vineis, cultu et ornatu corporis facerent, non ut in assentatores atque adulatores largi atque effusi, et in pauperes parci atque avari essent. Cum Deus Soli copiosissimam illam lucem donavit, jussit ut etiam eam cum rebus caeteris communicaret: et in corporibus nostris venae majores ideo sanguine plenissimae sunt, ut venas minores implere possint, et si hoc non faciant, totum corpus in discrimen adducitur. Ita etiam cum viri illustres et divites, qui venae majores sunt, non solum venas minores, hoc est, pauperes non implent; sed etiam ab illis id parum sanguinis, quod habent, exugunt, dici non potest, quot mala oriantur, et quam vehementer Dei miraculum obscuretur. Pauperes, auditores, similes gallinarum sunt, quae ova pariunt, sed non sibi: atque ut arborum radices semper humo adhaerent, et sordidae ac obrutae terra sunt, ut succum ad ramos nutriendos et augendos mittant, sic etiam pauperes circa terram, et sicut pecudes in stabulis et agris versantur, ut nihil divitibus desit. Quis humum fodit? quis terram vertit? quis serit? quis metit? quis arbores plantat? quis putat? quis colit? quis ovium, bovum, equorum curam gerit? quis efficit vestes? quos cibos parat? quis domos aedificat? Nonne pauperes? Itaque pauperes veluti pedes in corpore sunt, qui pro stomacho divitum semper laborant: et tamen tanta est interdum divitum inhumanitas, ut vix necessarium victum pauperibus largiantur, quorum sanguine et sudoribus in delitiis vivunt. Si hominem aliquem videretis, qui caput ornatissimo pileo tectum gereret, manus pulcherrimis chirothecis, totum corpus splendidissimis et superbissimis vestibus, cui nec torques, nec monilia nec annuli deessent: et tamen pedibus nudis incederet, nonne eum stultissimum esse diceretis? Quis eum non irrideret? Quis non contemneret? etsi ex frigore illo pedum morbum aliquem contraheret, et inde interiret, nonne omnes merito hoc illi evenisse censerent? Tale monstrum sunt divites inhumani, qui tantas opes ac facultates habent, ut etiam equos et canes alere possint, qui ornatissime vestiuntur, lautissime comedunt, largissime bibunt, splendidissime habitant, et tamen non verentur pedes, qui semper pro ipsis laborant, hoc est, pauperes nudos relinquere. Et quid mirum, si ex pedum nuditate frigus concipiant, et intereant, cum erga pauperes charitatem non habeant? Nam *qui non diligit manet in morte.*

Quare auditores, quicumque divites sunt, si Dei providentiam illustrare, et ipsi valere et vivere volunt, pedes suos operiant, egenorum rationem habeant. Cum tam exiguo tempore hic in terris vivamus, cum ad alium orbem maximis itineribus properemus, cum iter difficile et periculosum teneamus, cum in eo magnae opes impedimento potius quam adjumento sint, mirum est profecto, sapientes homines non vehementer laetari, cum oneris deponendi vel cum aliis communicandi occasionem habent. Si vi tempestatis in aliquem scopulum cum multis sociis delatus esses, unde ad terram evadere, nisi natando, non posses, et magnam vim auri et pecuniarum haberes, nonne potius a sociis tuis peteres, ut te in ea ferenda juvarent, quam eam solus ferendo, et pecuniarum et vitae periculum apertissimum subires? Omnes nos auditores, nemine prorsus excepto, impetu procellae primi parentis peccato exortae, in scopulum hujus mundi delati sumus, ex quo ad portum beatitudinis pervenire nisi natando, et manibus pedibus laborando non possumus. Hoc a me saepius audivistis, et singulis concionibus repetendum esset: nempe iter, quod ducit ad coelum, neque in curru, neque in lectica neque in equo ulla ratione confici posse. Iter arduum est, laboriosum est, periculis plenissimum est. Quocirca viatorem maxime liberum et expeditum requirit. *Ecce,* inquit Petrus, *nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* Et nos putamus gravissimis divitiarum sarcinis onusti hoc iter emetiri nos posse? Decipimus, auditores, fallimur, noto coelo, erramus. Consilium igitur sapientissimum capiamus, partem oneris nostri super humeros pauperum imponamus: ut hac ratione cum nostris divitiis salvi et incolumes ad portum salutis perveniamus, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXVII.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS BEATAE MARIAE

DE INCARNATIONE DOMINI

THEMA

Iam hiems transiit, imber abiit et recessit: flores apparuerunt in terra nostra. *Cant.* 2.

SYNOPSIS

Exordium a dignitate et solemnitate hodierni festi sumitur, in quo nimirum felix ver, pulsa rigida hieme ob peccatum protoparentis nostri inducta, rediit. Quanta peracta sint hodie in sacratissimo virginei uteri templo, enarratur; videlicet creatio corporis obsolutissimi, animi praestantissimi et conjunctio Dei cum homine, de quibus singulis in progresso agitur. Pulchritudo et perfectio corporis Christi ab architecti praestantia colligitur; ubi quomodo Christus a Spiritu sancto generatus dicatur, explicatur. Corpus Christus quidem ex terra, sed tamen virginea fuisse formatum, affirmatur et confirmatur, contra Manichaeum et Valentitinum quorum hic corpus coeleste, ille vero phantasticum fuisse asserebat. Finis tam mirabilis corporis fuit, ut esset habitaculum summi Dei; quod ipsum in momento temporis efformatum divino miraculo fuisse demonstratur.

Pars altera explicat, quomodo Verbum caro factum sit, contra haeresin Apollinaris; deinde qualem animam Christus in tam excellenti corpore assumserit declaratur, nempe diversam a nobis, omni gratia, virtute, scientia, prudentia, consilio, gloria et beatitudine praeditam. De admirabili nexu animae Christi cum corpore glorioso, et quomodo sponte sua mortem objerit, atque de ipsa triumphum reportarit, disseritur. Sublimitas mysterii incarnationis convenienti similitudine pyri sobolem mali sibi insertam habendis ostenditur. Praeterea de utilitate incarnationis agitur, et cur Christus potissimum humanam naturam sibi adsciverit, ut videlicet totum mundum aliquo honoris gradu nobilitaret. Commoda incarnationis narrantur, quia est funiculus ille triplex, quod et lacu miseriae extrahimur; quia est hostia nos Deo patri placans; quia est mediatio et foedus illud confirmans pacem inter Deum et hominem; quia est via coelum; quia est medicamentum plagarum nostrarum; quia est cibus in itinere; quia denique est pretium nostrae redemptionis. Tandem ut nos commodis tantis dignos exhibeamus, et maximè castitatem sectemur, gravis exhortatio concludit.

Fuit usque adeo potens atque efficax optimi auditores, verbum illud imperantis Dei, cum post peccatum primi hominis ait: *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi*, ut repente coelum universum clarnerit, Solem prope extinxerit, terram quasi fulmine percusserit, aerem nubibus, et maria procellis ac tempestatibus repleverit. Denique rosas in spinas, flores in tribulos, et jucundissimum et spatiosissimum ver in ingratam et horridam hiemem commutarit. Ab eo die posteaquam Deus universum genus humanum gravi anathemate percussisset, non amplius aer serenus, nec sales blandi, nec flores redeuntis veris praenuncii videbantur, sed omnia sibi nubes, pluviae, et nives, et grandines et nimbi ac procellae vendicabant. At vero hodie, o laetissima et clarissima dies, vox exultationis et salutis audita est in tabernaculis peccatorum; nempe *hiems transiit, imber abiit, et recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Erigite jam tandem capita vestra, exules filii Adam, exuite indumenta moeroris, luctus in gaudium, fletus in cantum, et tristitia in laetitiam convertatur: Ecce enim *annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, quia *flores apparuerunt in terra nostra*, et Deus ex Domino ultitionum factus est pater misericordiarum: ex hoste amicus, ex judice advocatus, et anathemate sublato maledictionem, hiemis asperitatem in veris serenitatem et spinas ac in benedictionem tribulos in rosas, ac lilia mutavit. *Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Apparuit tandem, aquilonibus omnibus et daemonibus invitis, flos ille candidus et rubicundus, qui in Cantico amoris loquitur et dicit: *Ego flos campi et lilium convallium.* Floruit tandem aliqua virga illa Jesse, de qua Isaias ante praecinuit: *Egredietur virga de radice Jesse et flos de*

radice ejus ascendet. Et floruit in Nezareth, quae interpretatur Florida, et mense martio, qui est mensis florum.

Itaque, auditores, hodie primum refloruit spes nostra,Et est haec dies quasi flos quidam omnium festorum : nisi enim hodie virga floruisset, certe post novem menses fructum non peperisset.Ac nisi festum incarnationis haberemus,nec festum natalis, nec apparitionis, nec resurrectionis nec ascensionis nec festum sancti ullius haberemus. Omnes igitur dies festi, omnesque christianae celebritates in hoc die festo et in hac celebritate tamquam in flore continentur. Neque solum est hic festus dies dierum omnium caput, principiumque festorum: sed etiam ipse unus alios omnes in se dies festos quasi amplissimo quodam sinu complectitur. Est enim hodie festus dies Deo Patri, quod fecerit nuptias filio suo. Est festus dies Deo Filio, quod naturam humanam perpetuo matrimoniorum sibi conjunxerit. Est festus dies Spiritui sancto,quod ei splendidissimum templum hodie sit erectum. Est dies festus ordinibus omnium angelorum, quia ruinae eorum instaurari hodie coeptae sint.Est festus dies beatissimae Mariae, quod inusitato miraculo et privilegio penitus singulari se matrem et virginem,et matrem Dei et hominis hodie viderit. Est festus dies omnibus hominibus, quod non solum hodie ab exilio revocati, sed etiam in numerum coelestium civium adscripti, et haeredes gloriae, ac regni amplissimi et sempiterni effecti sint. Est festus dies coelo et terrae, elementis,arboribus, animantibus, ac ut breviter dicam, toti rerum universitati. Nam cum sit homo quasi parvus quidam mundus, gloria ac felicitas ejus,in ornamentum ac decus Universitatis redundat. De hoc igitur maximo et nobis utilissimo mysterio dominicae incarnationis duo mihi breviter explicanda esse videntur : quid novi hodie sit factum,et in quem fine sive quid sit dominica incarnatio et quae ejus utilitas?

Quid igitur hodie factum est in illo beatissimo templo et domicilio Spiritus sancti utero Mariae? *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Quae sunt ista gloriosa? Primum, conditum est quoddam corpus humanum omnium corporum longe pulcherrimum: deinde creatus est animus quidam humanus animorum omnium longe praestantissimus:postremo Deus cum homine, arcano atque recondito,atque inexplicabili quodam modo conjunctus et copulatus est. Haec tria cum summa angelorum admiratione et stupore totius naturae, et non minori gloria virginis nostrae hodie facta sunt ; et non alibi,quam utero Mariae.*Gloriosa* igitur *dicta sunt de te civitas Dei.*

Incipiamus a corpore. Quis fuit auctor tam eximiae fabricae? ex qua materia? in quem finem ? et quanto tempore aedificata est? Auctor fuit Spiritus sanctus materia sanguis virginalis finis ut esset vivum templum divinitatis, tempus, minutissimum ac brevissimum momentum : non potest non esse admirabile opus,qui a tanto opifice, ex tam illustri materia, in tam sublimem finem, et simul tanta celebritate factum est: vereque de eo dici potest, quod scripta divina de throno Salomonis praedicat : *non* esse *factum tale opus in universis regnis.*

Ac ut primum de artifice dicamus: Quid potentius vel sapientius Deo? *Magna opera Domini,exquisita omnes voluntates ejus. Dei perfecta sunt opera, et omnes viae ejus judicia.* Neque solum Dei, sed etiam solius Dei est hoc opus. Nam quemadmodum architecti, pictores, sutores, aliisque opifices opera minoris momenti per suos famulos et operarios faciunt : at opera quadam majora et excellentiora nulli committunt, sed ipsi per se et suis manibus moliuntur ; sic etiam Deus corpora caeterorum hominum tamquam res parvas.et quasi domos rusticorum per suos operarios fabricare solet ; utitur enim opera solis, stellarum et etiam aliorum hominum : at vero corpus istud, de quo nunc loquimur,quod futurum erat palatium magni regis, nulli servorum atque administrorum permisit, sed ipse solus suis manibus fabricavit. *Spiritus sanctus,*ait Angelus apud Lucam, *superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et apud Matthaeum : *Quod*, inquit, *in ea natum est, de Spiritu sancto est.*Quid igitur de pulchritudine et elegantia hujus corporis dicemus? quod ipsa species, ipsa pulchritudo, ipse candor lucis aeternae per re procreavit?Vero *speciosus forma prae filiis hominum* fuit Christus.*Ecce tu pulcher es dilecte mi, et decorus,* sponsa in Cantico amoris ait: Formosus certe vir fuit Adam : formosa, mulier Eva, formosa mulier Absolon, formosa Helena : sed *speciosus forma prae filis hominum* non est nisi Christus. Conferte omnes cum Christo, et videbitis quatuor exiguas lampades circa lucentissimum globum solis, quae tametsi noctu nonnihil splendoris edere videntur;tamen in meridie, et sole coruscante umbram potius,quam lumine efficiunt. Et quantum existimatis placebat Deo, et placet hoc suum opus? Certe nobis ea, quae nos ipsi facimus multo meliora esse videntur, tametsi saepe non sint, quam ea, quae alii faciunt. Si sit in tuo pomario aliqua arbor, quam tu ipse plantaveris, rigaveris, putaveris, colueris, nonne ea tibi multo est gratior quam omnes, quas alii plantaverunt? Nonne ea caeteris omnibus trunci rectitudine, ramorum proceritate,florum pulchritudine,fructuum suavitate antecellere tibi videtur? Quam vehementer te oblectat sedere ad umbram ejus,carpere de floribus, gustare de fructibus? Quis praeterea est hominum, cui non proprii filii aliis omnibus formosiores, meliores et sapientiores esse videntur? Si igitur ea quae saepe per se nullam commendationem merentur, tamen quod nos ea fecerimus, nobis pulcherrima et optima esse videntur; quanti faciet Deus artifex sapientissimus hoc opus,quod ipse solus fecit, quodque non videtur, sed est omnium operum praeclarissimum ac pulcherrimum?

Neque vero existimet aliquis propterea spiritum sanctum esse patrem Christi, quod fabricavit corpus Christi : non enim ex substantia sua Spiritus sanctus genuit Christus ad eum modum, quo filii generantur ; sed ei corpus ex virgineo sanguine procreavit, ad eum modum, quo figulus efficit vasa ex luto, et architectus domum ex lignis et lateribus.Numquid figulos appellatis fortasse vasorum

suorum parentes? et architectos aedificiorum? Non existimo: Ita igitur et Spiritus sanctus non pater, non genitor; sed conditor, sed auctor, sed architectus, sed opifex corporis Domini fuit. Haec de auctore.

Jam vero ex qua materia magnificum hoc palatium aedificatum est? Non ex auro vel argento, non ex lapide pretioso aut coelesti aliqua materia; sed ex terra. Quid? ex terra? tantus princeps, tam potens imperator domum habebit ex terra? Exigui homunciones, qui nihil aliud sunt, quam terra, tamen palatia habere non dignantur ex terra, sed ex ultimo Oriente adducunt marmora, columnas, lapides pretiosos: quin etiam lacunaria atque testudines cooperiunt auro, distinguunt gemmis, exornant margaritis: et Deus quem, *coelum et coeli coelorum capere non possunt*, in domo lutea habitabit? Admirabile et plenum stuporis est hoc quidem, auditores, et tale, ut Manichaeo et Valentino, et aliis permultis cerebrum prorsus abstulerit: sed tamen verum, et a nobis constanti fide asserendum: nempe corpus Christi domicilium divinitatis, non phantasticum, et Manichaeus putavit, neque coeleste, ut credidit Valentinus, sed terrenum, hoc est, vere ex carnibus, et nervis et ossibus compositum fuit, sicut corpora omnium nostrum sunt. De qua re nemini tutius, quam ipsi Domino credimus. Quid de se Dominus ait? *Palpate*, inquit, *et videte, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quid clarius? quid evidentius? Omitto quod evangelista Ioannes, Verbum, ait, non phantasma, nec coelum, sed carnem esse factum. Taceo quod apostolus Paulus ad Romanos scribens Christum *ex semine David*; et ad Galatas, eumdem Christum *ex muliere factum* esse, clarissimis verbis testatur. Satis est unum illud ipsius Domini testimonium, quod adduximus, ad ostendendum, nihil cum impudentia et obstinatione haereticorum comparari posse. Quid non audeat iis qui dicit Christum non aliud corpus, quam spiritale et phantasticum habere? cum ipse Christus clamet ac dicat; *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet. sicut me videtis habere.* Et si haec veterum istorum haereticorum impudentia intolerabilis, sicut vere est, ita vobis videtur, nemo dubitare debet circa fidem augustissimi sacramenti intolerabilem quoque esse impudentiam Calvinistarum. Nam nec apertius Dominus contra Manichaeos, quam contra Calvinistas loquitur: nec minus commode poterant Manichaei, si adhuc magis insanire voluissent, aliquo tropo, aliqua metaphora vel metonymia se defendere quam hodie faciunt Calvinistae. Neque tamen mirari debemus, si multi deficiunt ad calvinismum: nam etiam Manichaei et omnes haeretici, quamlibet absurdi et impii sectatores suos habuerunt: sed nolo digredi a proposito, nec laetitiam hujus diei altercationibus perturbare.

Corpus igitur Salvatoris ex terra compositum est: sed ea terra, terra virgo, terra sancta, terra conservata ac designata a Deo ad hoc opus, jam inde ab aeternitate fuit. Nec enim decebat, ut si Deus inter homines nasciturus erat ex alia, quam ex virgine nasceretur: Sicut nec illud conveniebat, ut virgo pareret, nisi Deum pareret. Deinde si primus Adam, per quem peccatum et corruptio in hunc mundum intravit, ex terra virgine natus est: quanto magis par erat, ut secundus Adam integritatis doctor et innocentiae restitutor, ex terra virgine nasceretur? Ex purissimis igitur et virgineis sanguinibus Domini corpus fabricatum est.

At in quem finem tandem condidit Deus tam novum et tam singulare palatium? Ut in eo mens quaedam sapientissima, beatissima ac divinissima perpetuo habitaret. Nec solum ea, sed ipsa etiam sapientia, ipsa beatitudo, ipsa divinitas. Siquidem haec est domus, *quam elegit* Deus *in habitationem sibi.* Et de ipsa alio loco legitis: *Sapientia aedificavit sibi domum.* Itaque sapientia Dei ipsa est, quae hoc palatium fabricavit, et non pro alio, quam pro se ipsa fabricavit. Omnia quae sunt, a fine, propter quem fiunt quasi mensuram magnitudinis et excellentiae capere solent. Si finis est parvus, et res ad finem est parva. Si finis est magnus, et res eum finem debet esse magna. Agricolae sufficit tugurium, homini plebeo necessaria est major aliqua domus, patritius vel non mediocre palatium requirit: At regibus et imperatoribus nec ipsa palatia sufficiunt. Pro Deo igitur quale Domicilium, quam amplum, quam ornatum, quam sumptuosum, quam illustre necessarium erit? *Quam domum*, ait ipse per Isaiam, *aedificabitis mihi?* Quare cum corpus nostri liberatoris proprium sit sapientiae domicilium et vivum templum divinitatis, dubitare non possumus nec debemus, quin sit omnium corporum praestantissimum atque pulcherrimum.

Sed quanto tempore existimatis hac ingens fabrica ad exitum perducta est? Quot annos putatis Deus in hac mole erigenda consumpsit? O inexplicabilis potentia creatoris? Non annos, non menses, non dies, non horas haec fabrica tanti operis postulavit: sed *in momento, in ictu oculi*, et scripturae loquuntur omnia pefecta atque absoluta fuerunt. Arca Noe spatio centum annorum fabricata est. Templum Domini tempore Salomonis minori spatio quam septem annorum, licet architecti pene infiniti in eo operarentur, perfici non potuit: tempore vero Zorobabelis idem templum quadraginta annis rursum instauratum est. Porro palatium Salomonis annis tredecim innumerabiles architectos et operarios occupatos tenuit. Et vestra corpora in quibus componendis, et coelum et elementa et omnis natura laborat, ut perfecte in utero matrum conformentur, non minus, quam dies quadraginta requirunt: nec enim omnia membra simul fiunt; sed primum formatur cor vel hepar, juxta dogmata medicorum, deinde partes caeterae: nec omnia membra simul vivere incipiunt, sed primum, quod vivit, est cor, deinde postcaquam vita arcem cordis occupavit, tum paulatim ad alias partes ac membra se diffundit: neque statim atque homines incipiunt vivere, vivunt vita hominis, sed primum vitam plantarum, deinde animantium, postremo hominum. At vero Christi corpus, quod auctorem omnipotentem habuit, eodem momento, quo coepit, absolutum perfectumque est, ut magnus Basilius oratione in sanctam Christi nativitatem docet, neque prius vixit unum genus vitae quam

aliud,neque prius vixit aut formatum est cor,quam partes caeterae : sed uno atque eodem momento , manu summi artificis operante, sanguis virgineus, quantus ad hoc opus necessarius erat, ab alio sanguine segregatus in vasa generationis positus, inde corpus conformatum, animus ei infusus , et ad hypostasim divini verbi nexu idissolubili alligatum est. O admirabile, O incredibile, O non imitabile, artificium Dei ! Satis apparet te summum atque omnipotentem architectum, nec tempore, nec loco, nec operariis nec instrumentis indigere : sed solo verbo, solo nutu, solo imperio voluntatis res etiam maximas, et difficillimas operari. Hic est Deus noster, auditores , *Deus magnus , et vincens scientiam nostram.* Non est tui similis Deus in coelo et in terra. O quantum de tanto parente nos Christiani gloriari , O quantum in ejus potentiam confidere , in ejus pulchritudine delectari , in ejus amore conquiescere debemus?Sed parumper si placet, respiremus.

PARS ALTERA.

Gloriosa *dicta sunt de te , civitas Dei.* Gloriosum plane corpus illud , quod in utero virginis , tamquam in officina Spiritus sancti, hodie fabricatum est:sed multo profecto gloriosior animus ille, qui in eadem officina ab eodem Spiritu sancto hodie conditus est. Nam quod beatus Joannes in evangelio ait; *Verbum caro factum est*, non intelligimus cum haeresiarcha Apollinare, quod verbum carnem sine animo assumserit: sed potius, ut sancti patres in ephesina synodo et chalcedonensi exposuerunt, quod Verbum caro non inanima, sed animata, et animata animo et ratione atque intelligentia praedito factum sit. Itaque nihil est aliud , verbum factum est caro, quam Deus factus est homo. Utitur vero hoc genere dicendi b. Evangelista propterea , quod mysterium est summae humilitatis, et ut apostolus loquitur, exinanitionis Dei : et melius, aptius ac significantius humilitas et exinanitio exponitur , cum dicitur ; *Verbum factum est caro* , quam si factus esse homo vel anima diceretur.

Ut igitur jam de creatione hujus nobilissimae , et praestantissimae mentis pauca dicamus : Quemadmodum toti humano generi datum est privilegium , animam ratione atque intelligentia praeditam habere, ita communis miseria atque calamitas est, ut cum primum homines vivere incipiunt,animum habeant ignorantem insipientem aversum a Deo , propensum ad malum. Cujus rei partim Catholica fides , partim quotidiana experientia nos monet.Quod enim omnes ante baptismum originalis culpae debito obstricti teneamur,docet prophetа: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Docet quoque apostolus : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , et per peccatum mors : et ita in homines omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quod vere multos annos non solum absque sapientia et rerum cognitione , sed etiam absque usu rationis vivamus , testis est experientia, Omnes enim primis annis morte brutorum animantium non consilio aliquo , sed motu quodam atque impetu ferimus , et sensus duces , non rationem, sequimur. Ignorantia vero ita mentes nostras initio obtinet, ut non nisi magno labore,magno studio , magno sumptu, multis annis et multis adjumentis pelli possit. Nemo est quidem , qui natura ipsa impellente non summopere flagret cupiditate aciendi ; sed tantam interim experiuntur omnes molestiam,tantam difficultatem in ignorantia propulsanda, ut multi sint, qui , nisi verberibus adingantur , malint nihil unquam discere , quam tanto labore cum ignorantia bellum gerere. Hinc igitur intelligemus,quam novum et quam gloriosum opus hodie Dominus fecerit. Siquidem animum quemdam procreavit , sed animum justum, animum gloriosum, animum gratia, virtutibus, cognitione, prudentia,consilio, gloria et beatitudine praeditum. Quid novius mirabilius , singularius , quam ut infans, qui lacte nutritur , imo qui gestatur in utero interius tamen animo et maximis negotiis occupetur , et mente gerat cogitationes maximarum rerum , et jam tunc incipiat agere cum Deo de reparatione generis humani? Venit quidem Christus in terras , *in similitudinem carnis peccati* , et corpus mortale , ac laboribus , et fame et siti obnoxium habuit, ut pati ac mori pro nobis,et paccata totius mundi expiare posset , sed tamen numquam is, aut peccatum aut ignorantiam novit, qui nequitiam et tenebras nostras , suo splendore dissipaturus erat. Neque vero existimare debetis , Dominum nostrum paulatim, et ab hominibus, sicut nos facimus,didicisse.Nec enim decebat,ut magister orbis et doctor coelestis hominibus praeceptoribus uteretur. Id quod neque scribae ipsi et pharisaei , ut ignorare aut negare potuerunt : sed potius cum admiratione et stupore dicebant, *unde hic litteras scit, cum non didicerit*? Dominus vero respondere solitus erat; *Doctrina mea non est mea; sed ejus qui misit me, Patris* ; hoc est , sapientiam istam , quam vos admiramini , non ego vel ab omnibus didici vel meo labore quaesivi : sed eam a Patre,qui misit me, accepi,ille animum meum in momento atque impuncto temporis omni sapientia ac eruditione replevit. Accipite similitudinem istam. Capite vas aliquod angustissimi oris, quales amphorae esse solent : si ejusmodi vas liquore aliquo replendum sit , nonne oportebit sensim liquorem illum infundere ? Ita sane. Si enim magnam copiam simul ejus liquoris infundere volueris , os vasis nimia illa copia obstruetur , et liquor peribit. Tales sunt intelligentiae nostrae, auditores, vasa sunt angustissimi oris: idcirco paulatim magno labore et multo tempore cognitio rerum in animos nostros non tam infundenda , quam instillanda est.At vero Christi animus quasi vas quoddam amplissimum,ore capacissimo praeditum est. Itaque sine labore, sine tempore , sine molestia , maxima copia sapientiae gratiae , et gloriae et omnium virtutum;imo et absque mensura in eum infundi potuit. Hinc videlicet beatae Joannes in evangelio ait: *Vidimus* eum *plenum gratiae et veritatis.* Et apostolus Paulus:*in Christo omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei absconditos* esse confirmat.

Jam vero quid de admirabili nexu dicemus, quo animus tam illustris, cum tam pulchro corpore conjunctus et copulatus est? Nec est enim gemma aliqua pretiosa, quae ita suo aureo annulo conveniat, sicut haec illustrissima et splendidissima mens suo pulcherrimo et optimo constituto corpori convenit. Nullus est animus, qui statim atque in corpus ingreditur, cum eo arctissimam amicitiam et familiaritatem non contrahat, ut non nisi vi postea separari, sejunctique possit. Sed tamen non ita animi nostri arces corporum suorum possident, neque ita communiunt, ut bello morborum et aegritudinum, vel fame, et obsidione tandem a morte non capiantur et expugnentur. At vero animus iste singularis, de quo nunc loquimur, ita corpus illud suum possidebat, ita gubernabat, ita moderabatur, ut nullum ei periculum, vel a morte, vel a morbo, vel a fame vel a siti ulla ex parte immineret.

At, inquis, tamen aliquando mortuus est Christus, et animus de corpore, vel invitus, egredi compulsus est. Imo vero, auditores, sponte sua et libera voluntate mortuus est Christus: et animus ejus ad tempus exiit de corpore et quasi fugam et debilitatem simulavit, ut mortem alliceret, et pulcherrimo stratagemate eam circumveniret et occideret. Siquidem animo isto de corpore recedente, repente mors idem corpus tamquam vacuam civitatem occupavit, et quasi victrix ac triumphans in moenibus sua insigna vexillaque suspendit, neque frigus, pallorem, frigiditatem abesse voluit. Sed quid interim contingit? Post tres dies verus Dominus ejus corporis, *Dominus fortis et potens in praelio*, cum jam de inferno ac daemonibus praeclarissime triumphasset, ac castra eorum, ac civitates diripuisset, ab inferis rediit ut etiam de morte et corruptione trimpharet. Itaque repente corpus ipse suum obstendit, neque mortem inde fugere permisit, sed eam nihil tale cogitante, et ejusmodi vim numquam expertam, de improviso oppressit, suffocavit, interemit, extinxit. Itaque hoc novo et ante illum diem inaudito genere strategamatis, de ipsa morte moriendo triumphavit: *Christus* enim *resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

Venio nunc ad tertium et postremum, quod in illo beatissimae virginis Mariae utero hodie factum est. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Gloriosa res plane gloriosi corporis constitutio: sed nihilominus gloriosior multo gloriosissimae animae conditio. Corpus enim nihil est aliud, quam domicilium animi: neque animus a corpore, sed corpus ab animi nobilitatem et pulchritudinem sumit. At de gloria et splendore tertii operis, de conjunctione videlicet Dei cum homine, tandem dicere poterimus? Nam illo duo priora, licet gloriosissima per se sint, tamen cum tertio comparata, ne gloriosa quidem dici debent. Sane ejusmodi res est Deus homo, Deus in carne, ut in cordis conclavi gustari, et sentiri aliquo modo possit; sed certe verbis exprimi, affarique non possit. Quis enim explicabit, imo vero quis animo et cogitatione consequi poterit, vel quanta potentia, vel quanta sapientia, vel quanta dulcedine charitatis hodie factum sit, ut unus et idem sit Deus et homo; et nos vere Deum patrem et fratrem appellare possimus? Quis non obstupeat, ita Deum fieri hominem, ut neque personae multiplicentur, neque naturae confundantur, nec in humanitatem vertatur divinitas, nec divinitas absorbeat humanitatem? Accipite similitudinem, quia tametsi procul abest ab hujus mysterii sublimitate, ex ea nihilominus aliquid de re tanta suspicari poterimus. Cogitate similem esse Deum hominem factum alicui pyro, quae tres ramos dumtaxat, et eos omnino aequales inter se habeat, et in uno eorum ramorum ramusculus quidam mali insertus sit: quemadmodum enim ramusculus ille mali in arbore quidem pyri, sed non in quo libet ejus ramo insitus est; sic etiam humana natura cum Deo quidem sed non cum qualibet ejus persona conjuncta est. Non enim pater aut Spiritus sanctus, sed solus Filius naturam humanam assumpsit. Rursum, sicut ramus ille pyri, in quo est insitus ramusculus mali, et pyrus et malus diceretur, et pyra et mala produceret; sic etiam secunda illa persona Dei, quae naturam humanam accepit, Deus et homo verissime nominatur et opera divina atque humana producit. Sicut item, si ramusculus mali siccaretur, non propterea ramus pyri exsiccaretur, quod non pyrus a malo, sed malus a pyro dependeat: sic etiam cum humana Christi natura per mortem in cruce eruit, natura divina ejusdem nihil penitus detrimenti passa est. Postremo, quemadmodum, si ramusculus mali iterum reviviscere et floreret, non ideo ramus pyri modo aliquo mutaretur: sic etiam cum Christus ab inferis rediit, et humana ejus natura refloruit, nullam prorsus natura divina mutationem accepit: Siquidem humanitas a divinitate, non divinitas ab humanitate pendebat. Exposui breviter quid in hoc sublimissimo incarnationis mysterio contineatur. Nunc de ejus utilitate, et de hujus beneficii magnitudine pauca dicenda sunt, ut pectora vestra incendantur, et ad tam liberalem Dominum redamandum, et ei gratias sincerissimo affectu persolvendas inflammentur.

Quis est igitur finis Incarnationis? Cur Deus hodie factus est homo? Quis amore non incendatur, et ad redamandum tam liberalem Dominum non inflammetur? Cujus cor non liquefiat, si cogitare aggrediatur, quantam abyssum bonitatis et charitatis hoc facto Deus ostenderit? Disce, o homo, disce quanta in Deo sit bonitas, quanta charitas, quanta dulcedo. Sola impellente bonitate, solaque imperante charitate olim Deus in creatione ad quemdam modum naturam atque essentiam suam nobiscum communicavit. Quid enim est aliud natura omnis creata, quam quaedam exigua atque obscura participatio Deitatis? Quia vero in Deo non solum natura, sed etiam persona reperitur, ut nihil nobiscum non communicaret, hodie *verbum caro factum est*, et personae etiam suae communionem liberalissime nobis communicavit. Elegit vero sapientissimus Deus naturam humanam, in quam potissimum hoc munus conferret, Tum quod Angeli sancto medico non indigerent: tum etiam, ut beneficium esset communius, latiusque pateret et non solum aliquod genus rerum, sed totus or-

bis, et omnis rerum universitas quasi gradum quemdam honoris et nobilitatis ascenderet. Siquidem angeli toti sunt spiritus, res caeterae totae sunt corporeae: solus homo et spiritu et corpore praeditus est. Itaque si Deus naturam angelicam assumpsisset, solae res spirituales hoc munere gauderent;si vero corpus aliquod, solae corporeae: at cum humanam naturam, in qua omnes naturae, tamquam in epilogo continentur,assumpsit,omnes res erealas ad majorem quamdam excellentiam et sublimitatem evexit.Hinc beatus Joannes ideo non ait, sic Deus dilexit hominem, sed, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.*

Ex hac vero excellentissima conjunctione quis enumeret,quot commoda atque utilitates consecutae sint? Quid enim non dedit, qui filium suum unigenitum dedit? aut *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit*? Cecideramus in profundissimum barathrum miseriarum, egebamus aliquo, qui funem nobis porrigeret, idcirco *verbum caro factum est*: nempe factus est *funiculus triplex*, qui *difficile rumpitur* ex carne, anima divinitate et hic ad nos dimissus facile nos de lacu illo miseriae et luto faecis extraxit. Egebamus hostia, qua Deum nobis iratum placaremus: et erat quidem in mundo caro, quae immolari potuisset, sed invisam oculis Dei peccatum efficiebat. Idcirco *verbum caro factum est*: nempe dedit nobis Deus sacerdotem et sacrificium: et sacerdotem *sanctum innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus*,et victimam immaculatam et placentem Deo cujus oblatione facillime ipse placaretur. Egebamus mediatore, qui litem nostram cum Deo componeret. Nam ut homo suspectus erat Deo, tamquam nimis avidus utilitatis propriae: et Deus suspectus erat homini tamquam zelator honoris et ultor injuriarum. Idcirco *verbum caro factum est*, nempe mediator advenit, qui Deus et homo simul existens causam utriusque fideliter ageret, et cui tum Deus honorem suum, tum homo utilitatem propriam committere tutissime ac liberrime posset. Egebamus, foedere aliquo vel contractu, quo pax jam composita firmaretur, ne rursum dissensione aliqua, pace turbata,fieret *novissimus error peior priore*. Idcirco *verbum caro factum est*: nempe Deus naturam nostram sibi matrimonio copulavit,atque his nuptius pax nostra perpetuo foedere stabilita est. Egebamus via, ac veluti ponet aliquo, per quam in coelum redire possemus: Siquidem per peccatum coelum a terra longe recesserat et chaos magnum inter nos et sedes beatorum positum erat. Idcirco *verbum caro factum est*: nempe descendit caro mons humiliatus,vallis impleta, ac coelum ita inclinatum,et terra ita exaltata est, ut se plane contingant, et facile atque expeditum et apertum iter viatoribus praebeant.Egebamus medicamento, quo plagae illae curarentur, quae nobis descendentibus de Jerusalem in Iericho a latronibus inflictae fuerant. Idcirco *verbum caro factum est*: nam ante quidem medicus praesto erat, qui curaret, nec aegroti deerant,qui cura indigerent; sed medicamentum deerat, sanguis Domini. Egebamus cibo, qui nos in itinere reficeret et recrearet, ne forte deficeremus in via: nam caro, quam comedere poteramus illa quidem erat ad manus,sed ea sola non proderat quicquam,verbum autem Dei, quod solum nutrire ac reficere poterat, cibus erat grandium, nec nostris dentibus aut palato conveniebat. Idcirco *verbum caro factum est*, nempe dedit nobis Deus verbum in carne, panem in lacte, pharmacum salutis melle saccharoque conditum. Egebamus pretio, quo de miserrima servitute redimeremur: Siquidem per peccatum non solum venditi hostibus nostris fueramus, sed etiam ad eam inopiam et difficultatem redacti,ut nemo seipsum liberare ac redimere posset. Idcirco *verbum caro factum est*, nempe datus est nobis Dei benignitate frater unus dives et potens, qui nos omnes, fratres videlicet suos, sumptibus suis et posset et vellet de misera captivitate liberare.Postremo volebat Deus nos omnes de carcere ad regnum promovere, et de filiis diaboli filios suos facere: Sed ut hoc interim credere, ac sperare possemus, egebamus argumento aliquo evidenti amoris Domini. Quis enim facile speret, aut credat, hominem parricidam, reum majestatis, supplicio extremo adjudicatum, laqueo ad collum appenso ad patibulum jam pergentem repente revocandum, a rege adoptandum et de patibulo ad solium evehendum? Idcirco,auditores, *verbum caro factum est*. Idcirco Dei Filius factus est hominis filius ut crederent, ac sperarent filii hominum se vere Dei filios aliquando futuros. O verbum suave! O verum evangelium! O nuncium faustissimum et felicissimum, quo promittitur salus aegrotis, indulgentia reis, captivis redemptio, servis liberatio caecis lumen et mortuis vita.

Haec dies boni nuncii est. Cur enim descendit hodie nuncius ille coelestis, nisi ut peccatoribus veniam, justis gloriam, angelis gaudium, toti orbi novum splendorem novamque laetitiam nunciaret? Sed pars potissima hodiernae laetitiae nostrae est auditores, quod nos hodie statum mutavimus,cum Deus est *de stercore erigens pauperes*, collocavit *cum principibus populi*.O gloria.O nobilitas generis humani.Non apparuit nobis in igne nec in nube sed in carne nostra vidimus Deum salvatorem nostrum. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur et simus* ut os nostrum et caro nostra sit, ille magnus Christus, qui nunc sedet in dextris Dei, et gubernacula clavumque tenet orbis universi. Intelligamus igitur, intelligamus dignitatem nostram, et sancta quadam atque humili superbia elati erubescamus deinceps versari cum pauperibus mendicare stipem, indui laceris pannis, vesci cibis grossioribus ne forte fratri nostro seniori, qui *princeps* est *regum terrae*,nostris sordibus et abiecto genere vivendi injuriam inferamus. Qui statum mutant,etiam mores, et cibos et amicos mutare solent: neque anderet hic in terris frater principis vel praesulis alicujus, vel humilibus famulis se adjungere, vel sordidum artificium exercere, semperque timeret, ne fratrem suum moribus suis offenderet. Ante hunc diem eramus omnes pauperes, mendici,servi dissipaveramus *substantiam* nostram, *vivendo luxuriose*, etiam porcos pascebamus in solitudine. Itaque mirum non erat, si cum bubulcis, cum ru-

sticis, cum daemonibus cum meretricibus versabamur, si ventrem de siliquis replere cupiebamus si carnis sordidissimas voluptates quasi stipem mendicabamus. At vero hodie non reges,non pontifices, non imperatores, sed Dii quidam facti sumus, *filii et haeredes* magni *Dei*, et magni illius *Christi* fratres et *cohaeredes*, qui est *solus potens rex regum et dominus dominantium*. O si aperirentur semel oculi nostri,et perspicue videremus quantam injuriam innocentissimae et purissimae illi carni, quam hodie Dominus assumpsit,inferant omnes adulteri,omnes fornicarii, omnes libidinum et voluptatum carnalium servi: abstinerent se profecto ab ejusmodi sordibus et castius deinceps et continentius viverent. Quid? carnem meam Deus noster tanto honore dignatus est, ut eam super omnes angelos in throno gloriae suae collocaverit, et ego tam ingratus existam, ut carnem eamdem servire faciam libidinibus et daemonibus? Quid? Tollam ego *membra Christi*, *et faciam membra meretricis*? Absit, absit: alliciat mundus, blandiatur caro, vexet, stimulet, incendat, inflammet Satanas, ego tamen Domino bene propitio non inferam hanc injuriam Domino meo, qui me de patibulo ad regnum evexit, et de vili mancipio fratrem suum ac filium fecit. Veniat, quaeso, in mentem castissimus ille Joseph, qui cum ab uxore Domini sui ad stuprum sollicitaretur;*Ecce Dominus meus* ajebat *omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non sit in mea potestate: quomodo igitur possum hoc malum facere, et peccare in Dominum meum*? obstrictum, ligatum,vinctum me vides Domini mei ut me commovere, et peccare in eum nullo modo possim. Aspiciamus, quae comparatio esse potest, auditores, inter ea beneficia, quibus obstrictus erat Joseph, et ea, quibus nos hodie obstrinxit, atque obligavit Deus.Quid enim nobis non dedit qui filium suum unigenitum dedit? Aut *quomodo non etiam cum eo omnia nobis donavit*? Contulit nobis naturam, donavit gratiam, promisit gloriam, misit filium quasi obsidem, dedit spiritum *pignus haereditatis*: jussit angelis, ut nos custodiant, toti mundo,ut nobis serviat: ipse vero tamquam amantissimus pater non removet a nobis oculos pietatis et providentiae suae: et quomodo poterimus igitur tot vinculis obligati nos commovere; et peccare in tam clementem ac liberalem Dominum? praesertim cum is nihil a nobis petat, nisi ut statum nostrum et dignitatem conservemus. Quare deinceps ne splendori nostro deesse videamur, induamus auream illam vestem charitatis, vescamur assidue pane angelorum et regalibus epulis,versemur cum coelestibus illis principibus,dicamusque eum Paulo, *Conservatio nostra in coelis est*: quaeramus delitias, et divitias et honores,sed dignos filiis Dei caelestis gloriae ambitiosi, coelestium opum avari caelestium voluptatum cupidi simus: mundum vero et ejus divitias atque oblectamenta tamquam vilissima, et nostro statu indignissima contemnamus, conculcemus, fastidiamus, et in fratrem nostrum seniorem oculos intendentes vehementer formidemus, ne dedecori illi simus, ne forte nos ipse coram angelis Dei in futuro saeculo erubescat et fratrum loco habere tam sordidos homines confundatur: sed potius enitamur ita nos gerere, ita statum nostrum dignitatemque tueri, ut Deus filios Christus fratres, angeli socios, Jerusalem cives nos habere, agnoscere atque excipere glorietur: quod nobis concedat, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXVIII.

IN DOMINICA PASSIONIS

VEL HEBDOMADA SANCTA DE MAGNITUDINE PASSIONIS DOMINI.

THEMA

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus. *Thren.* 1.

SYNOPSIS

Exordium a magnitudine passionis Christi sumitur, quam assidue considerare par est. Quatuor deinde fontes aperiuntur, ex quibus illa magnitudo hauritur, quorum primus est infinita Dei in nos charitas, quae gravissima etiam tormenta levissima effecit, quod exemplis martyrum, praesertim d. Ignatii probatur. Secundus fons a primo ortum trahens est, quod sibi omnem consolationem in tanta passione undique derelictus abesse senserit, quod in Levitico olim per duos hircos offerri solitos praeficuratum fuit. Tertius, quod in tenerrimo, quo praeditus erat, corpore, haec pertulerit. Quartus, quod omnia genera tormentorum subierit. Deinde novum praecipua passionis Christi genera graphice expressa asseruntur, et quasi repraesentantur. Primum genus est tristitia et pavor Christi in monte Oliveti, in quo omnibus angustiis undique circumdatus erat, cui causam dederunt tormenta omnia subeunda ibi repraesentata, peccata omnia omnium hominum sub oculis spectata, ingratitudo hominum, atque dolor immensus virgini matri inde excitandus.

Secunda pars, promissa prolixitatis excusatione alia quinque sequentia passionis Christi genera enumerat. Secundum itaque est, quod instar mancipii ab eo, quem ad summam dignitatem evexerat, vilissimo pretio suis inimicis sim venumdatus; ubi fornicarii Juda pejores esse probantur. Tertium, quod Judaeorum et Gentilium crudelitati omnes habenae laxatae fuerint, daemone obcaecatis et obstinatis illis pectoribus insolita genera tormentorum suggerente. Quartum est, dira illa flagellatio, vilissimorum scilicet homuncionum poena: ubi pia de illa meditatio. Quintum spinea coronatio. Sextum crucis ad montem Calvariae bajulatio; ubi docemur, quomodo crucem nostram; hoc est, tribulationes sufferendo Christum sequi debeamus.

Pars tertia, praelibatis mortis Calvariae mysteriis, ad reliqua tria genera passionis narranda progreditur; quorum septimum est ipsa crucifixio, ubi primum Christi truculenta denudatio, deinde ipsa crucifixio suis coloribus exprimitur. Octavum est, praesentia matris dilectissimae, ubi passio utrinque resultans explicatur. Nonum et ultimum genus passionis Christi est, subsannatio astantium et fellea potatio; ubi demonstratur omnes Christi sensus in cruce passos fuisse. Josephi a fratribus venditi vestis sanguinolenta patri allata, figuram fuisse corporis Christi declaratur, et quomodo nostra peccata ipsum in crucem adigunt ostenditur. Deinde subjungitur gravis ad charitatem et gratitudinem exhortatio, insuper ad contritionem a minori ad majus inductio. Epilogus denique ostendit, quanto major sit poena gehennae supplicio Christi, et quam certa peccatoribus immineat.

Atrocitas suppliciorum Domini tanta fuit, auditores optimi, ut vires humanae atque angelicae mentis exuperet, et solus Christus, qui eam pertulit, et solus Deus, qui eam ad nostram salutem instituit, quanta ejus indignitas atque acerbitas fuerit cogitatione atque intelligentia consequantur. Petrae siquidem scissae, et monumenta aperta, et velum templi laceratum, et sol atque aer tenebris coopertus, mundus denique totus horrendis, atque ante illud tempus incognitis monstris et portentis se tantum nefas intelligere atque execrari significabat. Neque dubium est, quin, *angeli* quoque *pacis*, juxta prophetam *amore fleverint*, inter se alas colliserint, facies suas pennis velaverint, cum ministri iniquitatis indignissimis probris et contumeliis afficiebant Dominum majestatis: sed nihilominus Dei Filius solum Patrem appellat, tamquam qui solus ejus rei magnitudinem plane cognosce-

rel: *Tu scis*, inquit, *improperium meum, et confusionem meam et reverentiam meam.* Solus enim Pater plane intelligebat, quid Christus ejus filius pateretur, qui solus ejusdem Christus infinitam sublimitatem et majestatem cognoscebat: nec non quanta ei omnibus rebus creatis, atque ab hominibus potissimum reverentia atque observantia deberetur. Itaque, tu solus, inquit, cognovisti improperium meum et confusionem meam, quia tu solus non ignoras reverentiam meam. Sed quamquam haec ita se habeant, et licet passionis Domini magnitudo omnem creatam intelligentiam vincat, tamen hortatur nos Dominus, ut quantum possumus enitamur, vim dolorum illorum, et cruciatuum intelligere: *O vos omnes* inquit, *qui transitis per viam*, qui curriculum istud humanae vitae perficitis, qui non haeretis, in luto terrenarum cupiditatum; sed alis desiderii ac coelestem Jerusalem magnis itineribus properatis: Vos, inquam, nolite simpliciter audire, sed *attendite et videte, si est dolor* similis, *sicut dolor meus.* Quare nos hodierna die, tum ut Christo debitas gratias, justasque referamus, nostro capiti, ut vera et viva membra condoleamus: tum, ut nos ipsos ad potentiam ac tolerantiam laborum armemus, et ad insequenda Domini vestigia infracto animo accedamus, de magnitudine atque atrocitate Passionis Domini, ipso Domino bene juvante, verba faciemus. Ac ut ordine aliquo rem tantam gravem, tam utilem explicemus, et facile quicquid dixerimus, non solum intelligere, sed etiam memoria custodire possitis, quatuor quasi capita ac veluti fontes aperiemus, ex quibus magnitudo ac vehementia Dominicae passionis, tamquam rapidus torrens profluebat, ut copiosas aquas, juxta vaticinium Isaiae, *de fontibus Salvatoris* hauriamus.

Primus fons, qui fontium caeterorum origo ac principium fuit, et jure fons fontium dici poterat, est infinita illa charitas, quae in pectore Domini, tamquam in sua ac propria fornace perpetuo ardebat: cupiebat Dominus, cum excellentissimo modo liberare genus humanum, tum plene atque perfecte divinae justitiae satisfacere: cupiebat ita plagas, ac vulnera nostra curare, ut nullae catrices, nulla vestigia, nulla signa relinquerentur; et simul ita maxima illa crimina laesae majestatis de medio tollere, ut nullae deinceps inter nos et Deum inimicitiarum aut odiorum causae remanerent. Sciebat se, quo plura et graviora pateretur, eo melius posse haec sua opera ad exitum perducere, et simul propriarum virium ac fortitudinis conscius intelligebat se quamlibet gravem sarcinam, atque onus suis robustissimis humeris ferre posse. Itaque hinc fiebat, ut sine modo ac sine mensura se sarcina dolorum ac laborum oneraret. Conjunge mihi summam potentiam cum summa sapientia: et summam potentiam et summam sapientiam cum charitate summa: ac deinde animo complectere, si potes, quid inde fiet. Vilissimi homunciones, cum in eorum cordibus amor donari ac regnare incipit, quid quaeso cogitant? quid meditantur? quid moliantur animo? Certe ita inardescunt interdum, ut infinita atque immensa quaedam pro iis agere vel pati cupiant, quos diligunt. Cum patriarcha Jacob septem annos propter Rachel servisset, et adhuc alios septem serviturus esset, non ei tempus istud tempus annorum quatuordecim, sed paucorum dierum spatium *prae amoris magnitudine* videbatur. Quid vero impurissimi amatores, non casti, ut s. Jacob, pro suis meretricibus semper fecerint, omnibus notum est. Sed ut omittam de amatoribus foeminarum et aliarum sordium dicere, aspicite sanctos homines, et amore divinae pulchritudinis vehementer incensos, ut apostolum Paulum, ut martyrem Ignatium, b. Franciscum. Isti omnes ita rapiebantur ab amore, et extra seipsos quodammodo ducebantur, ut martyria, verbera, cruces ignominias, ita quaererent, ut aurum, et gemmas ac lapides pretiosos mercatores quaerunt. Neque simplicia martyria, simplices cruces, simplices mortes, pro Domino sufficiebant illis; sed duplicia ac multiplicia desiderabant. Audite b. Martyrem Ignatium, *ignoscite mihi*, inquit in epistola ad Romanos, *ego scio quid mihi expediat: nunc incipio esse Christi discipulus: Ignis, crux, bestiarum instantia, abscissio, separatio, confractio, dissectio membrorum, interius totius corporis et flagella diaboli omnia in me veniant, ut Jesum Christum merear adipisci, nihil me juvant, quae sunt mundi hujus. Bonum mihi mori in Christo Jesu, quam regnare in finibus terrae.* Deinde quis unquam tanto affectu, et tam ex animo amicos suos rogavit, ut eum ab impendente nece liberarent, quanto affectu et quam ex animo idem iste gloriosus Ignatius Romanos rogavit, ne ipsius mortem et passionem impedirent? Itaque ardentissimi illi amatores Dei immensa quaedam animo concipiebant, quae pro Domino pati desiderarent: sed interim tamen multo minora patiebantur, quod non responderet in eis potentia charitati. Infinita pati cupiebant: sed non poterant, et idcirco Dominus non sinebat eos *tentari supra id, quod* poterant: sed faciebat *cum tentatione proventum, ut* possent *sustinere.* At vero Dominus Christus caput martyrum et singularis doctor patientiae, quod multo majori charitate flagraret, quam ullus unquam sanctus, quis ignorare potest? Charitas enim in Christo, tamquam in fonte, in sanctis caeteris tamquam in rivulis erat. Nam *de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Itaque non cupiebat, non desiderabat: sed ardebat amore patiendi pro nobis; et sicut *cervus ad fontes aquarum*, ita ipse ad calicem passionis anhaelabat, cujus sunt illa verba: *Desiderio desideravi hoc pasca manducare vobiscum.* Et illa: *Baptismo habeo baptizari: et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Quid? quod si ad hanc infinitam patiendi voluntatem, summam quoque patiendi potentiam adjungamus, quae moles passionis efficietur? Equidem, auditores, hoc unum argumentum, si attente ac diligenter perpendatur, solum sufficit, ut homo rapiatur extra se, et stuporem atque extasim mentis patiatur: et tum demum intelligere incipiet, quid sit quod Dominus ait: *Attendite et videte si est dolor, sicut dolor meus.*

Alterum caput, unde vehementia passionis Dominicae nascebatur, illud est, quod voluerit Dominus atrocissima supplicia sine ullo genere consolationis tolerare. Hoc vere secundum caput ex pri-

mo capite, tamquam rivus ex fonte, sine ulla dubitatione derivatur. Ea enim regina charitas, quae summos dolores pati voluit Christum, eadem, inquam, omnes portas obstruxit, quibus aliquod genus solatii, sive de coelo, sive de terra ad cor ejus ingredi potuisset. Itaque non solum a discipulis, amicis, affinibus: sed ab ipso proprio parente, atque adeo a seipso derelictus, desertusque fuit, ut solus ille homo Christus cum summis doloribus et cruciatibus quodammodo luctaretur. Hinc sunt illae voces: *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber*: Et, *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia*: Et, *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Hujus rei in veteri Testamento illustrissima figura praecessit. Quid enim duo illi hirci Levitici 16. significabant, qui pro peccato populi offerebantur Domino, quorum alter mactabatur, alter in solitudine libere dimittebatur nisi summum illud ac divinissimum sacrificium, quo Deus et homo, Jesus Christus, pro peccatis mundi totius oblatus est Domino? Sicut enim unus hircorum occidebatur, alter in solitudinem discedebat: ita in Christo altera naturam ejus, nempe humana sola cruciabatur; altera divina videlicet, quodammodo abscedebat, et sociam suam solam in suppliciis et tormentis relinquebat. Tametsi enim, quantum attinet ad nexum hypostaticum, verbum Dei humanam naturam quam semel assumpsit, numquam dimisit; tamen quantum attinet ad consolationem, quam patienti humanae naturae adferre potuisset, et quantum ad intolerabilium illorum dolorum mitigationem, ac temperamentum, eam omnino deseruit. Unde quaeso martyres sancti in maximis suppliciis cantabant, gloriabantur, gestiebant, exultabant: Dominus vero, qui martyribus robur et constantiam illam donavit, ita passione imminente exhorruit, ita contremuit, ita sudavit? certe non alia causa est, quam quod martyribus Dominus calicem passionis miscebat melle coelestis suavitatis, et saepe majorem partem calicis liquor dulcissimus occupabat ut vere cum propheta dicere possent: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificarunt animam meam.* Et cum apostolo Paulo: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.* At ipse Dominus sibi, ut ante dicebamus, omnes portas clausit, quibus consolatio ad eum inferri potuisset; Idque non alia de causa, quam ut nos miseros atque ingratos copiose redimeret. Cogita mihi modo, quid sit bibere ejusmodi calicem passionis, plenum felle, plenum absynthio, plenum teterrimis liquoribus, sine ullo dulcedinis temperamento? Cogita, quam crucem patereris tu, si aliquo gravi morbo laborares, et nullum consolatorem haberes; omnes te desererent, etiam amici, etiam parentes et uxor, etiam filii tibi dorsum verterent, et majorem misericordiam exhiberi videres alicui cani, qui jacet vulneratus in platea, quam tibi? Jure igitur *attendite*, inquit, *et videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

Porro tertium, quod passionem Domini mirum in modum augebat, fuit teneritudo ac nobilitas corporis Domini. Quis nescit, quantum intersit inter durum aliquem rusticumque agricolam, cujus caro laboribus assueta, solis ardore exusta, imbribus, nivibus, ventis saepe pulsata, terrae soliditatem et quasi duritiem induit; et nobilem aliquem, ac tenerum et in delitiis educatum adolescentem? nonne graviora aliqua verbera, quae rusticus ille agricola vix sentiret, tenerum istum adolescentem pene occiderent? Jam vero Dominus Christus non erat ille quidem in delitiis enutritus, quippe qui matrem terrenarum opum egentissimam, sola fide et charitate aliisque virtutibus divitem elegerat: sed tamen corpus tenerrimum, pulcherrimum, nobilissimum, optime constitutum, et temperatum habebat, quale optimo jure esse debuit, quod auctore spiritu sancto ex virgineis purissimisque sanguinibus conformatum fabricatumque erat. Itaque acerbissima illa supplicia, quae quodlibet aliud corpus, quamvis durum, quamvis crassum, quamvis rusticanum, maximis cruciatibus affecissent, quid quaeso suspicabimur in illo corpore fecisse, quod omnium praestantissimum fuit? An non ergo merito optimoque jure dicere potuit Dominus, *attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus?*

Sed jam ad quartum fontem aperiendum aggrediamur. Quanta fuerit atrocitas suppliciorum Domini ex eo facile potest intelligi, quod non unum aliquod genus supplicii passus, sed poenam quandam communem et generalem, quae omnes poenas quasi amplissimo sinu comprehendit. Si respicias eos, a quibus passus est, invenies omnia genera hominum, omnem sexum, omnem aetatem, omnem conditionem, Judaeos et Ethnicos principes et populares, dominos et servos, viros et foeminas, amicos et inimicos simul quodammodo convenisse, et in caedem atque interitum Domini conspirasse. Si respicias ea, in quibus aliquid passus est, videbis nihil penitus esse, in quo aliquid pati possit, et in quo Dominus passus non sit. Siquidem amantissima mater gladio doloris transfixa, discipuli atque amici fugati ac dissipati, vestimenta ablata, existimatio laesa, animus moerore oppressus. Quid de corpore dicam? Nonne singula membra singulique sensus suos et proprios carnifices habuerunt? Ac ut intelligatis, vel potius solis luce clarius videatis, non fuisse interitum simplicem vel unum aliquod genus tormenti, quo Dominus extinctus est, sed amarissimam quamdam atque acerbissimam compositionem innumerabilium cruciatuum, quorum singuli per se, si diligenter atque attente cogitentur, abunde sufficiebant, ut Dominum Christum incredibili dolore ac dedecore afficerent: enumerabo breviter novem praecipua genera suppliciorum, quae praeter alia multa illa una in se Domini passio comprehendit.

Primum igitur doloris genus fuit ille conflictus internus, illa immensa tristitia, illa anxietas cordis illa nubes moeroris, quae dominicum cor ita invasit, atque oppressit, ut eum quasi in agone mortis extremo constitueret. Neque id solum, sed etiam effecit, ut Dominus, qui toties solus pernoctaverat in locis desertis, jam ita paveret, ut a discipulis quodammodo peteret, ne se solum derelinquerent: *sustinete hic*, inquit, *et vigilate mecum.* Neque id etiam solum, sed et illud effecit, ut toto corpore sanguinis sudor erumperet, et tam copiosus, ut ex

fronte ac vultu per vestes descenderet in terram, eamque rigaret. Quae res ejusmodi fuit, ut nullo unquam saeculo aliquid magis novum, magis monstruosum, magis portentosum acciderit. Neque vero magnopere mirabimur, auditores, si intelligamus, quam justam causam interni hujus doloris Dominus habuerit. Siquidem anima illa beatissima ante flagellari et crucifigi, et fel atque acetum gustare voluit, quam haec eadem corpus pateretur. Itaque anima invisibili cuidam cruci affixa fuit, quae sua quatuor brachia et suos quatuor clavos invisibiles habuit, quae erant quatuor acerbissima genera cogitationum. Primum enim venerunt ad mentem omnia tormenta, quae nocte illa et sequenti die erat perpessurus, et quae corpus ordine quodam unum post aliud in diversis horis afflictura erant, ea omnia simul quasi agmine facto in animum Domini irruerunt. Et quid mirum, si tantus exercitus dolorum, tam gravium, tam immitium, tam diuturnorum sanctissimum illud corpus moerore ac tristitia replere potuerunt? praesertim cum intelligeret Dominus, singulorum vehementiam et gravitatem, et certo sciret nihil eorum vel auferendum vel minuendum; sed totum illum calicem usque ad minimam guttam, *usque ad faces*, ut scriptura loquitur, sibi exhauriendum. Deinde venerunt ad mentem peccata omnia tam praeterita, quam praesentia, et futura, quae unquam in Deum ab hominibus vel commissa sunt, vel deinceps committentur. Et ita minute, ita perspicue, ut omnia mea et omnia tua, et omnium ac singulorum hominum sigillatim, quasi omnia essent praesentia intueretur. Iam igitur is, qui tanto ardore, et zelo diligebat honorem Patris, quam vehementer existimatis affligebatur, quod tam innumerabilem multitudinem scelerum ac flagitiorum nefandorum, foedissimorum, execrabilium, in coelum clamantium et Dei honorem ac majestatem offendentium cerneret? Certe unius hominis peccata sufficere poterant, ut Dominum magis torquerent, quam ipsum supplicium crucis. Quid igitur facerent peccata totius mundi? Non est intelligentia, nec humana nec angelica, quae vim hujus doloris comprehendat. Tertio loco veniebat ad mentem ingens illa ingratitudo, primum Judaeorum, deinde multorum Christianorum, qui sanguinem istum suum pretiosum conculcaturi erant: et simul videbat, tum horribile illud supplicium, quo post paucos annos Judaei afficiendi erant: tum intolerabiles poenas gehennae, quae tantae multitudini non solum Judaeorum et Ethnicorum, sed etiam Christianorum parabantur. Quae omnia sine dubio innocentissimum et nostri amantissimum illud cor vehementissime affligebant. Si ita dolet pater aut mater obitum unius filii, ut consolationem invenire nullo modo possit: quantum credibile est doluisse Dominum Christum aeternum interitum tot millium hominum, quos multo ardentius, quam mater filios diligebat, et pro quibus non solum omnibus, sed etiam singulis millies mori paratissimus erat? Postremo veniebat ad mentem gladius ille bis acutus qui viscera amantissimae matris penetratus esset: quae cogitatio, quis dubitat, quin frangeret ac dilaceraret pectus Dominicum? Post Deum Patrem neminem ita Dominus diligebat, ut suam optimam et sanctissimam matrem. Itaque cum sciret, quanta vehementia doloris cor illud pientissimum et innocentissimum repente adoriri debebat, certe gladius materni doloris antea a Simeone praedictus ante cor filii quam matris penetravit, neque ad cor matris nisi per cor filii pertransivit. Haec est igitur crux interior, isti sunt clavi, haec est lancea, quae sudorem illum sanguinem de corpore Domini exprimebat. Qui sicut sudor fuit omnium sudorum monstruosissimus et horribilissimus. ita signum fuit dolorum et cruciatuum inauditorum, et talium, ut cum eis nulla supplicia comparari possint.

Cogita mihi, Dominum Jesum in horto Gethzemani in isto agone constitutum, tamquam alterum Isaac oblatum ad sacrificium, qui quaqua versus oculos mentis convertebat, omnia crucibus plena esse videbat, ex omni parte illae voces in auribus ejus insonabant: *Tolle, tolle crucifige eum.* Si discipulos suos intuebatur, videbat corda eorum pavore et moerore plena: si studia Judaeorum, videbat eos nihil aliud, quam suam necem moliri, et jam cum Juda proditore de modo et ratione capiendi se deliberare: si sanctos Patres in sinu Abrahae quiescentes, videbat eos ardentissimis votis mortem suam implorare: si infernum inferiorem, videbat omnes daemones in suam mortem maxime accensos et armatos, et eorum opera brevi futurum, ut principes Judaeorum cum principibus Gentium in suam perniciem conspirarent: si denique in coelos oculos levabat, videbat Deum Patrem quasi alterum, cum gladio districto paratum ad immolandum; et simul intelligebat non venturum nunc angelorum aliquem, qui necem suam impediat, sicut olim venit, et mortem Isaac impedivit, neque inveniendum nunc arietem, qui pro se in holocaustum offeratur, sed seipsum et Isaac et arietem futurum. Hinc ille sudor sanguineus, tam copiose fluebat: et quales, oro, cruciatus erunt, qui sequentur, quando in ipso principio aegritudinis in agone mortis constituitur? Quid tunc sentiet, cum revera dolores omnes illos patietur, quando sola eorum consideratio sudorem sanguinem expressit? Certe si hoc loco cum ista apud te cogitare incipies, cor tuum non moveatur et sudore sanguineo de corpore Domini erumpente lachrimae de oculis tuis non erumpant, scito te cor lapideum, non carneum habere. Nam si flere non poteris ex amore et compassione, quomodo saltem propter multitudinem peccatorum tuorum non flebis, cum eorum sola cogitatio Dominum sanguinem sudare coegerit? Non feriebant in horto Dominicum corpus gladii impiorum, non erant flagella, vel spinae vel clavi, quae sanguinem illum eliciebant; sed scelera tua: haec erant spinae, quae cerebrum ejus crudelissime penetrabant: haec erat sarcina illa tam gravis, quae Dominum opprimebat, et quam sine sudore portare non poterat. O quam caro pretio, Domine Jesu, medicamentum animae meae emere voluisti? O meus verus Adam, qui propter peccata non tua, sed mea de paradiso ejectus in sudore vultus tui lucraris panem eum, quo me nutrire ac sustentare decrevisti. Benedicat igitur te

coelum, et terra, et omnis creatura tua te laudet et glorificet in aeternum.

PARS SECUNDA

Concio hodierna paulo prolixior erit, quam aliae esse soleant: itaque adhuc semel requiescendum erit, antequam ad finem perveniamus. Neque vero molestum nobis esse debet aliquid pati, dum concionem de passione audivimus: et si Dominus tres integras horas cum incredibili dolore stetit in cruce, ut ibi salutem nostram lucraretur, cur nobis grave videri debet, adhuc unam brevem horam pro nostra salute et Domini gloria in concione stare? Ut igitur ad propositum redeamus, novem genera tormentorum in passione Domini contineri dicebamus: sed eorum unum dumtaxat breviter explicuimus, nunc reliqua non tam explicanda, quam enumeranda erunt. Nam si explicari deberent, nec novem horae nobis sufficerent.

Alterum igitur gravissimumque supplicium passus est Dominus, cum se pretio argenti, quasi vile mancipium, venundari vidit. Magna calamitas est, quod hoc quod natura ingenuus ac liber natus est, tamen pretio pecuniarum, sicut boves, et jumenta vendatur. At longe profecto est major, si ab amicis, et iis, in quos beneficia contulit, vendatur. Sed quanta esset, si non solum ab amicis venderetur, sed venderetur crudelissimis inimicis, qui non alia de causa emerent, quam ut eum pro sua libidine cruciarent? Dominus Christus venditus est et ab eo venditus est, quem ipse in summo gradu honoris ac dignitatis collocaverat: Nec enim est in terris aliquid majus apostolica dignitate. Et venditus atrocissimis mercatoribus, qui nihil praeter sanguinem sitiebant. At quo pretio venditus est? Vilitas pretii auget in immensum injuriae magnitudinem: Dic, Juda mercator pessime, quo pretio vendis Christum? Triginta denariis. Itane tam vile aestimas Dominum tuum? majore pretio bovem unum aut equum in foro non venderes? Non te tam vili, mihi crede, aestimat dominus Christus. O pretium hominis! O vilitas Dei! Venditus Deus triginta denariis, emitur homo sanguine Dei. Et tu fornicator, adulter, avare, quanti facis Dominum? Quanti eum vendis? Quod si ostendam ego tibi te viliore pretio Christum vendere, quam vendidit Judas? Vendidit Judas Christum triginta denariis: vile pretium, sed tamen pretium aliquid boni continet, argentum. Tu vero quo pretio vendis eum? una fornicatione, una brevissima voluptate, quam saepe multi labores et sumptus antecedunt, et semper dolor et amaritudo consequitur. Nonne igitur meliores sunt triginta argentei, qui nemini nocent, et multum prodesse possunt, si quis eis bene utatur, quam una fornicatio, quae exhaurit marsupium, debilitat corpus, occidit animam et solum potest nocere, eaque bene uti nemo potest? Si igitur Judas hujus impiae venditionis justas et meritas poenas aeterno tempore luet, quid de te fiet? Quae domus te, nisi gehenna, suscipiet? Et si Dominus in horto ardorem flammarum illarum considerans ex compassione sanguinem sudabat, quid patieris tu, cujus membra illae ipsae flammae aeterno tempore depascent? Sed pergamus ad caetera.

Tertium supplicium, vel potius fons quidam multorum suppliciorum fuit, quod fuerit ea nocte permissum daemoni, ut per suos ministros Judaeos et Ethnicos exerceret in Christum omne genus crudelitatis. Idque verum esse, tum ex eo cognosci potest, quod Dominus apud Lucam ait: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum:* tum etiam, quod haec erat nostris peccatis debita poena, et Dominus eam subire voluit: ut ab ea nos vindicaret. Dedit olim Deus daemoni potestatem in corpus b. Job, modo tamen vitam ejus non auferret: at Domini corpus sine ulla exceptione vitae, vel mortis daemonis potestati, traditam fuit: Hinc videlicet nata sunt nova, et antea numquam audita genera suppliciorum, quibus bellua illa cruenta per suos ministros Dominum torquebat: tum ut odio suo ac furore satisfaceret, tum ut sanctam illam animam, si quo modo fieri posset, in aliquam notam impatientiae praecipitaret. Hinc erant colaphi illi atque alapae, quibus Dominum, tamquam vile mancipium, percutiebant: hinc illa sputa, quae in faciem, et os Domini, tam blasphemi cujusdam, impurissime jaciebant: illa indumenta, vel alba vel purpurea, quibus Dominum, tamquam stultum et dementem vestiebant: hinc illi loci, illi risus, illa verba ironica, illae fictae inclinationes, quibus Dominum gloriae tamquam regem ridiculum et principem scurrarum illudebant: hinc denique fiebat, ut toties et tanta cum ignominia Dominum ligatum, lictoribus stipatum, armatis militibus undique septum, tamquam publicum latronem, per publicas plateas deducerent. Et cujus, quaeso, fuit opus, si daemonis non fuit, ille admirabilis contemptus filii Dei, quando cum Barabba latrone comparatus, et magis inutilis magisque vita indignus indicatus est, quam ille publicus sicarius? Quae verba reperiri possunt, quibus facinus tam indignum explicetur? Quis crederet, auctorem vitae parentem generis humani ad terras descendisse, et in ea civitate, ubi tot aegroshomines curasset, tot caecis lumen, tot surdis auditum, tot claudis gressum, tot mortuis vitam restituisset, quem omnes miseri et calamitosi appellabant, et a quo omnium suorum malorum remedia omnes accipiebant, eum cum homine facinorosissimo collatum, et minus utilem reipublicae, commodum civitatis, minus conservandum ac retinendum, minusque dignum vita ac salute existimatum, quam illum, qui opinione patricidiorum, et extremae crudelitatis hominibus terrori ac formidini erat? Quis ita potuisset mentem judicibus, consilium hominibus illis eripere, et eas tenebras animis illorum offundere, ut pro luce tenebras, pro Deo latronem eligerent, nisi princeps tenebrarum? Cogita igitur, et admirare, ad quantam humilitatem majestas illa pro te descenderit, quando corpus suum daemonum potestati permittere non recusaverit, quod sine dubio malorum omnium extremum et maximum est. Verum ad majora veniamus.

Quartum supplicium, fuit illa crudelissima flagellatio, quam Dominus in Praetorio a Romanis car-

nificibus accepit. Quae usque adeo vehemens fuit, ut omnes metas consuetudinum et legum excesserit, ita ut Philatus existimaverit eam abunde ad omnem rabiem et furorem Judaeorum compescendum sufficere potuisse: et certe suffecisset, nisi corda prorsus lapidea et malo daemone plena habuissent. Est hoc unum auditores, ex magnis mirabilibus et novis spectaculis, quae unquam orbis terrarum viderit vel audierit. Quis unquam suspicari potuisset, Dei humeros verberibus afficiendos? Sanctus David, *Altissimum*, inquit, *posuisti refugium tuum. Non accedat ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Quid enim magis indignum sublimitati et majestati Dei, quam humilitas et ignominia flagellationis? Non est hoc genus supplicii honestorum hominum; sed scurrarum, sed furum, sed vilissimorum mancipiorum, et illorum, qui nullius nominis et existimationis sunt. Adeo vile fuit temporibus Romanorum virgis caedi, ut nullum Romanum etiam obscurissimum et pauperrimum hoc supplicii genere affici paterentur. Nunc vero Dominus coeli, opifex mundi, decus hominum, gloria angelorum, sapientia et virtus Dei Patris, verberibus subiicietur? Equidem ego arbitror omnes choros angelorum ad hoc spectaculum concurrisse, et attonitos ac stupefactos, cum intuebantur abyssum bonitatis et humilitatis filii Dei, aerem vocibus et laudibus replevisse. Nam si id fecerunt in die natali, quando nihil nisi pannos et praesepe viderant, quid nunc facturi erant, quando etiam verbera et columnam videbant? Neque tempus neque vires meae patiuntur, ut pro dignitate misterium istud exponam. Sed quaeso vos auditores, omnes ut nullus sit, quin domi suae cum alia omnia, tum potissimum hoc misterium diligenter cogitet. Quid enim minus facere possumus pro Domino, quam ejus dolores et cruciatus cogitare? Itaque ingredere animo et cogitatione in Praetorium Pilati, et adfer tecum multas lachrimas: nam certe necessaria sunt ad ea deploranda, quae ibi fieri videbis. Ac primum aspice, quo modo Pilatus, ut populo furenti satisfaceret, Dominum undique proripi, et nudari, ac religari et virgis caedi jubet. Aspice quomodo truculenti illi et crudeles carnifices sine ullo signo humanitatis imperata facere aggrediantur. Aspice, quam solus et quam nudus non solum vestibus, sed etiam auxilio, Dominus tuus ibi existebat inter tot scelestissimos et daemone plenos satellites: ubi nullus patronus, nullus advocatus, nullus erat, qui unum verbum pro Domino dicere posset. Imo nec ullus oculus, qui clementer atque humane eum aspiceret. Aspice postremo, quomodo incipiunt milites illi, et omnis humanitatis expertes, carnes illas virgineas ac tenerrimas jam nudatas, atque ad columnam arctissime ligatas vehementissime verberare et omnia livoribus plagis, vulneribus, a planta pedis usque ad verticem capitis replere. Cum tamen Dominus inter tot dolores crepitusque plagarum, nec verbis nec signis minaretur; sed ea omnia quasi optime meritus summa humilitate et patientia toleraret. O patientiam incredibilem. O facinus inauditum! O corda plusquam adamantina, si ad hoc spectaculum non permoveamini.

Quid si huc accedat quintum supplicii ac tormenti genus, quod non minus ignominiae ac dedecoris, quam doloris et cruciatus habet? Egredere igitur anima Christiana post illa severissima flagella, aspice *Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua*: aspice, quomodo crudelissimi carnifices, et vere non hominum, sed daemonum ministri quasi verbera praeterita, et mors confestim sequutura, et tanta copia sanguinis effusa non sufficeret, coronam de spinis texuerunt et illi adorando capiti imposuerunt, ut eum sanguinem spinarum vulnera exprimerent, cui virgae ac verbera pepercerant. Quis unquam vidit, vel audivit vel legit, tale genus diadematis? Quis istud tam crudele artificium excogitavit, quo homines et torquerentur et illuderentur? Hoc certe Pilatus non jusserat, hoc consuetudines et leges Romanorum non habebant, hoc apud Judaeos in more positum non erat. Huccine pervenit humana crudelitas, ut ad liberatorem mundi poenis indebitis afficiendum vetera tormenta non sufficerent, sed nova excogitata sint? Tuum, o diabole, hoc artificium est. Tu quis es *rex super universos filios superbiae*, tu regem gloriae, regem ridiculum videri voluisti, tu ei spineam coronam in officina gehennae fabricasti. Sed nihil obtines, nihil proficis saeva crudelitas: Nam istae ipsae spinae oculos tuos excaecabunt, et nobis medicamentum salutis conficient, et Christo post tres dies in radios fulgoris ac luminis convertentur.

Jam vero sextum crudelissimumque supplicium fuit, ipsa crucis gestatio. Solent iis, qui capite plectendi sunt, oculi antea velamine aliquo operiri, ne forte instrumentum illud videant, quod eis vitam auferre debet. Hic vero omne genus humanitatis excluditur; et non solum Domino oculos non cooperiunt, ne crucem videat, sed etiam ipsam crucem super humeros ejus imponunt, ut cor et oculi prius in cruce figantur et torquerentur, quam corpus. Non recusavit benignissimus Dominus sarcinam illam, quam peccata nostra omni ferro et plumbo graviorem efficiebant: imo vero summa alacritate, quasi rem diu quaesitam et concupitam, amplexus est: Tametsi enim gravissima esset, tamen levissima ei ex amoris magnitudine videbatur. Itaque licet fessus, debilis, licet plagis et vulneribus confectus, tamen prompto ac devoto animo collum subiecit gravissimo jugo, quod ei amor nostrae salutis imponebat: crucem suscepit, ac sic ibat iter suum gemens, et poenitentiam agens scelerum nostrum, et viam sanguine ubique signabat, ut si qui essent, qui sua in humeros cruce sublata ejus vestigia sequi vellent, a recta via non aberrarent. Porro pater et filius sibi onus quodam modo diviserant: filius quasi alter Isaac ligna et victimam; pater quasi alter Abraham ignem et gladium adferebat. Haec enim duo, ignis et gladius; ignis amoris nostrae salutis et gladius divinae justitiae, Dei filium in holacaustum obtulerunt, O nos felices, si crucem nostram, et Christum in hoc itinere sequi sciremus! Consolamini, consolamini, qui-

cumque crucem tribulationum et aerumnarum in hoc mundo toleratis. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis. Tollite jugum* Domini *super vos, invenietis requiem animabus vestris.* Dominus Christus cum maxima consolatione ac refrigerio indigebat, tunc impositam sibi crucem tota alacritate expensis brachiis charitatis amplexus est. O si hoc exemplum imitari sciremus, et in iis calamitatibus quas a mundo patimur, non peteremus a mundo consolationem; si crucem Domini patienter ac libenter amplecteremur! Quantam ibi requiem, quantam pacem, quantam suavitatem inveniremus! Quid aliud nobis omnes calamitates facere possunt, quam ut Christum imitemur? Erat olim crux horrori et formidini, sed modo, cum Deus eam tanti fecerit, ut humeris suis eam portare voluerit, certe non nisi honori ac splendori esse potest. Homines duo, quos Deus vehementius caeteris amavit, et rebus omnibus praetulit, ii fuerunt Christus et Maria. Sed in quo, quaeso, signa ista singularis amoris ostenduntur? nonne in eo, quod istis duobus omnium gravissimas cruces imposuit? Sicut non fuit unquam, nec erit inter homines melior Christo, nec inter foeminas Maria; ita non fuit, nec erit aliquis magis hic in terris afflictus et vexatus, quam Christus et Maria. Neque vero te moveat, et a cruce ferenda absterreat, quod propter culpas tuas fortasse affligeris. Nam undecumque veniat tribulatio, modo patienter feratur, et propter Deum, salutaris crux est. Et si quidem pateris propter peccata, crucem portas boni latronis; vero innocens, magis gaude. Nam melius perfectiusque Christum et Mariam imitaris. Sed vae illis, vae illis, qui adorant crucem mortuam, et blasphemant crucem vivam, et similes Judaeorum sunt, qui prophetas vivos persequebantur, et mortuis sumptuosos tumulos erigebant. Quid enim est aliud adorare et laudare crucem, interim paupertatem et ignominiam et tribulationem fugere atque eas execrari, quam mortuam crucem venerari et vivam blasphemare? Non habebunt partem cum Christo, qui crucem non portaverunt cum Christo: nec poterunt esse *socii consolationis* et contemplationum, qui non fuerunt etiam tribulationum et *passionum*: et qui crucem Christi erubuerint in terris, erubescet illos Christus in coelis coram angelis.

PARS ALTERA.

Pervenimus tandem, auditores, ad sacrum verticem montis Calvariae, atque adeo ad supremum culmen mysteriorum humanae liberationis. O quam admirabilis *est locus iste.* Vere *non est hic aliud, quam domus Dei et porta coeli.* Hic mihi scalam illam sublimem videre videor, quam vidit olim patriarcha Jacob, quae coelum cum terra conjungit. Vel potius hic est paradisus et locus delitiarum. Quid enim sibi vult pulcherrima illa arbor in medio hujus horti collocata, in qua pendet fructus vitae? Quicquid sit, hic est domus orationis, et templum, atque ara, ad quam accedentibus indulgentiae amplissimae conferuntur. Itaque *sitientes venite ad aquas.* Hic enim est mystica illa petra, ex qua aquae largissime profluxerunt. Si pacem atque amicitiam cum Christo desideratis, hic est lapis quem *erexit* Jacob *in titulum fundens oleum desuper.* Si vino ad vestras plagas curandas indigetis, hic est botrus de terra promissionis adductus, in crucis torculari diligenter expressus: denique hic est vasculum olei, ex quo vidua Elisaei, Christi videlicet Ecclesia, omnia sua debita facillime dissolvet: tametsi enim vasculum exiguum esse videatur, tamen quamdiu vasa, quae impleantur, non deerunt, pretiosus liquor fluere numquam cessabit. Ascendamus igitur ad montem Domini pinguem, montem coagulatum, montem *in quo beneplacitum est Domino*, non solum habitare, sed etiam pati et mori in eo.

Septimum igitur supplicium fuit ipsa crucifixio, quae est genus mortis non minus turpe atque infame, quam acerbum atque diuturnum. Ac primum mentis oculis intuere, quomodo durissimi carnifices Dominum iterum omnibus suis vestimentis spoliare aggrediuntur, et quanta patientia et mansuetudine Dominus non contra nititur, non resistit, et nec uno verbo injuriam istam a se deprecatur: nec aliam ob causam, quam ut nos, qui vestem justitiae atque innocentiae perdideramus, sua nuditate vestiret. O quanta lux charitatis et bonitatis Dei mentis tuae oculis oborietur, si cogitare incipias, eum, qui vestit coelum nubibus et terram floribus, jam esse non solum vestibus, sed etiam propria pelle quodammodo spoliatum! Toto quidem vitae suae tempore se Dominus paupertatis ac nuditatis amatorem professus est, verum numquam magis, quam in morte. Tunc enim tam pauper fuit, ut non haberet ubi caput unum super se haberet, et sicut nudus in hunc mundum intravit, ita nudus egredi voluit, ut aperte nobis declararet, sibi mundum hunc minime placuisse, nec sibi de mundi rebus quicquam adhaesisse, ac omnes despere, ac fallere semetipsos, qui Dominum se sequi putant, et interim terrenas opes contemnere et conculcare non sciunt.

Perge deinde, ac intuere quemadmodum immites illi Dominum arripiunt et in cruce extendunt. Dum arripiunt sanctas illas ac divinas manus et illos speciosos pedes, dignos qui perpetuo devotis osculis premerentur, et eos durissimis clavis vi malleorum transfodiunt, atque ad crucem affigunt. O quam immensum cruciatum illa hora Dominus pertulit, cum clavi illi manus illas tenerrimas et pedes speciosissimos, in quibus maxime doloris sensus viget, penetraverunt, et carnem, ossa, nervos, et quicquid in illis corporis partibus continetur, malleorum confregerunt! Postremo erigunt formidabile istud vexillum, quod antea humi fecerant, non palatium dimittunt, sed magna vi atque impetu cadere sinunt. Contremuit illo casu sanctum corpus in aere, et vulnera manuum ac pedum dilatata copiosissimum imbrem sanguinis profuderunt. Hoc vero genus mortis ejusmodi est, auditores, ut qui eo moriuntur, non celeriter extinguantur; sed sola vehementia ac diuturnitate doloris vitam cum morte commutare debeant.

Huc accedebat octavum supplicium, quod ex

praesentia pientissimae matris non tam corpus, quam cor Domini cruciabat. Quis enim explicabit, quam crucem corda illa matris et filiis paterentur, quando duo illa coelestia lumina se invicem aspiciebant? Quando intuebatur filius vultum illum amantissimae matris amaritudine passionis coopertum cor vero gladio doloris transfixum, et illas angustias animi, quas patiebatur, et illos rivos lachrimarum, qui ex oculis ejus ubertim defluebant, et illos gemitus, quos ex intimo corde pondus illud tam gravis doloris exprimebat? Si enim, qui Christum vere et ex corde diligunt, cum istam ejus passionem contemplantur, continere non possunt flumina lacrimarum, quid fecisse credibile est Mariam, quae mater erat, et non oculis mentis praeteritam passionem contemplabatur, sed oculis corporis praesentem filium in tali passione constitutum cernebat? O quoties attollebat moestos oculos, ut divinam illam faciem intueretur, et in medio cursu eos revocabat, quod aspectum illum cordis teneritudo sustinere non posset. Ego quidem arbitror, linguas amborum prae nimio dolore quasi mutas effectas, vel nihil vel omnino partim dicere potuisse: sed tamen ad cor Virginis effectum naturalem filii multa locutum esse, eique dixisse: Cur huc venisti, columba mea, unica mea, amata mea, dolor tuus auget dolorem meum, et magis tormenta tua quam supplicia mea me torquent. Revertere, columba mea, revertere ad arcam, donec aquae diluvii cessare incipiant; nec enim hoc loco invenies, ubi requiescat pes tuus; ubi enim orationi et contemplationi vacabis, et levabis te super te, ac facilius multo vim hujus procellae ac tempestatis feres. Verum ad cor filii non pauciora cor matris respondisse, eique dixisse existimandum est. Cur id praecipis mihi, dilecte uberum meorum? et quomodo possum recedere à te, nisi recedam a me? cum tu sis vita vitae meae et anima animae meae? Ita vero dolor tuus cor meum occupavit, ut nihil omnino praeter illum cogitare possim sine te. Tecum igitur animus meus crucifixus est, ac tecum moriatur ac sepeliatur oportet. Ita, auditores, beatissima illa virgo, tametsi apud crucem intolerabilem crucem patiebatur, tamen non propterea fugit, nec terga vertit cruci, ut nos doceret crucem poenitentiae et tribulationum non deserere. Itaque non fugiebat, sed perseverabat; et non sedebat nec jacebat, sed stabat tamquam columna fortissima atque robustissima, et vera columna Ecclesiae, et magistra apostolorum et martyrum paulo post futura: ut sicut Eva aspiciens cum voluptate arborem, mortis nostrae ruinae interfuit, ita ipsa aspiciens cum dolore arborem vitae nostrae liberationi interesset.

Venio nunc ad postremum, gravissimum, inauditum, incredibileque supplicium. Nam cum jam Dei Filius pendens in cruce extremos, immensos et innumerabiles dolores et cruciatus pateretur, et quasi pelagus quoddam amaritudinis factus esset, ac denique eam figuram et speciem praeseferret, ut canis sic affectus corda hominum permovere posset: tamen hostes ipsius feris crudeliores et lapidibus duriores, non solum non movebantur, sed eum irridebant, eique insultabant, et sales et facetias in eum iaciebant. Neque id solum, sed cum sanctissimum illud corpus prae nimia sanguinis effusione debilitatum, et lingua, et palatum et partes interiores exsiccatae essent, atque idcirco Dominus modicum aquae peteret ad eam sitim atque ardorem temperandum, homines illi exuti omnem humanitatem, non modo aquam ei denegaverunt; sed etiam pro aqua fel et acetum obtulerunt. O acerbissimam crudelitatem! O homines feris truculentiores! Et quid, quaeso, crudelius, quid inhumanius, quid atrocius audiri vel cogitari potest? Certe diviti illi avaro, qui in gehenna cruciabatur, etsi aqua negata fuit, at non fel amarissimum propinatum; Dei autem Filio, non modo, datur, quod petit, sed etiam tormentum ac supplicium augetur. O dulcis liberator generis humani, quis referet nobis, quae in ista cruce pateris? Dura certe peccata mea fuerunt, et poenitentia tua id manifeste docet. Video te regem meum in patibulo isto suspensum, ubi nihil habes, quo corpus tuum sustineas, nisi ferreos clavos. Video pondus corporis tui deorsum trahi, et vulnera manuum ac pedum semper magis ac magis dilatari ac dilacerari, et incredibilem tibi cruciatum adferre. Video te in his angustiis propter me constitutum, ut singula tua membra, singulae partes, singuli sensus suas cruces et suos carnifices habeant. Oculi cruciantur, non solum quod propria vulnera, propriumque sanguinem cernebant; sed etiam, quod matrem illam pientissimam et innocentissimam ubertim flentem, et corde transfixo infinito quodam dolore astantem videbant. Aures cruciabantur, quod horrendas illas blasphemias, quae coelum penetrabant, quae Solem obscurabant, quae angelos exterrebant, quae iram ac furorem Domini Sabaoth vehementer accedebant, exaudiebant. Nares cruciabantur, quod in loco graviter olente et odorem terrimum spirante propter cadavera hominum mortuorum supplicium collocatum sit. Lingua et palatum cruciabantur, quod in ardentissima fame et siti nil praeter fel et acetum obtinere possent. Tangendi quoque sensus, qui in toto corpore diffusus est, toto etiam corpore cruciabatur. Cerno caput illud splendidissimum et angelis et hominibus venerandum spinis acutissimis penetrari; manus illas potentissimas, et benignissima quae coelum fabricaverant, quae tot aegros curaverant, quae panes multiplicaverant; et illos speciosos pedes, qui tantum in itineribus laboraverant, dum pacem et salutem hominibus nunciarent, illas, inquam, illustres manus et illos speciosos pedes clavis transverberari; reliquum corpus a condusionibus et percussionibus dehonestatum, ac sordibus, livoribus, plagis, vulneribus repletum aeque conspicio, ut vere nunc non sit tibi *species, neque decor*; sed sis *vir dolorum sciens infirmitatem*, et opprobriis ac doloribus, quod concupierant, saturatus.

Refert scriptura divina, auditores quondam filios Jacob fratrem suum Joseph propriis vestibus spoliasse, et cum triginta argenteis, Juda potissimum suadente, Madianitis mercatoribus vendidisse, deinde vestem ejus sanguinem respersam, ad Jacob patrem suum transmisisse, ac dixisset: *Vide utrum*

tunica filii tui sit, an non? Eum vero veste probe cognita respondisse:*Tunica filii mei est: fera pessima comedit eum,bestia devoravit Joseph.* Quid aliud vestis castissimi et innocentissimi Joseph, quam corpus Domini Servatoris significat?Haec est illa vestis talaris, vestis polymita, quam Spiritus sanctus ex aureis filiis atque argenteis contexuerat. Hanc vestem impia synagoga, fratres Domini secundum carnem, semen Abrahae et Jacob, Juda principe atque authore, Domino triginta argenteis vendito totum laceraverunt ac sanguine resperserunt: quam si quis Deo Patri ira laceratam, ac foedatam ostendat, ut videat, ac tunica filii sui sit an non, certe respondebit: *Tunica filii mei est: fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph.* Verum est, Domine pater, verum est,fera pessima devoravit eum, iniquitas mea, superbia mea, inobedientia mea devoravit filium tuum Joseph. O funestum partum! O venenatam prolem! Ecce, auditores, ecce, parturimus, cum superbia inflammamur, cum Deo et Ecclesiae non obtemperamus, cum peccamus, cum fornicamur, cum inebriamur, feram pessimam parturimus, quae suo veneno vitam ipsam extinguit. O si intelligeres,quam hoc sit verum! O si profunde semel cogitares, non tam arma Romanorum et clamores Judaeorum, quam tua peccata, tuas fornicationes, tuas usuras, tua periuria, tua mendacia, tua flagitia Dei filius occidisse,et tamquam feram pessimam eum devorasse! O quid non faceres, quid non pateris potius, quam ut peccatum, feram tam venenatam et tam immitem, parturires?

Verum, bone Jesu, si nos sumus, qui te in crucem egimus, et tamen propter nos vitam cum sanguine tam liberaliter profudisti, quid retribuemus tibi pro omnibus, quae tribuisti nobis? Pete Domine, et libere pete, nihil tibi negare poterimus:vulnerasti cor nostrum charitate tua. Quid igitur, Domine, faciemus? Quae est merces tua?

Audire cupitis, fratres mei,quod Dominus petat? Ego dicam vobis, et vere ita est, nemo non fidem adhibeat: nihil cupit, nihil optat, nihil sitit Dominus magis, quam salutem tuam: hoc ei omni felle amaris est, quod te cupiat ad coelum trahere, et tu praecipites in gehennam. Acerba crux, acerbi clavi,acerbae spinae,acerba vulnera et livores fuerunt; sed nihil acerbius cordi ejus, quam perditio tua. Quis igitur nostrum ita ingratus, ita immitis, ita crudelis erit, ut Domino aquam salutis nostrae sitienti fel amarissimum peccatorum propinet? Per crucem Domini, et Dominum in ea pendentem vos oro atque obtestor, ingrediatur unusquisque in cor suum, et summa devotione et alacritate offerat Deo sacrificium suavissimum,*cor contritum et humiliatum*, dicatque apud se:Ecce ego toties Dominum meum offendi,et toties lapsus sum et relapsus sum, et numquam vere peccatum meum agnovi, numquam, ut par erat, deflevi, ex consuetudine et sola voce exteriore confessus sum; nunc ego cum intelligam peccati gravitatem ex magnitudine passionis, quam Dominus pertulit, cum videam negotium esse maxime serium (nec enim pro re parvi momenti Deus homo factus, et tanta et tam atrocia supplicia possum nunc, inquam, cum haec videam et intelligam,statuo Deo propitio aliam vitam incedere, ad veram et perfectam conversionem et confessionem me praeparare, ac deinceps peccatum magis quam ignem, aquam, serpentes, et quam ipsam pestem evitare. O deliberationem bonam! O te beatum, si ita feceris! Nam et tu hoc pacto reficies cor Domini crucifixi, et ego tibi nomine Christi polliceri audeo, hodie cum illo eris in paradiso: hodie, imo hac hora, hoc momento senties te erui de inferno, et respirare incipies in luce libertatis filiorum Dei, modo tibi incipiant hodie peccata vere dispicere, et pristinae fornicationes et sordidae voluptates tuae amplius non arriserint.

At si haec omnia te non moveant, si flamma amoris, si ignis charitatis, quam hodie in te perspicue Christus ostendit, et quae lapides rapit, cor tuum frangere et emollire non potest; saltem moveant te illa formidabilia verba, quae in ipsa sua passione Dominus locutus est, quaeque voluit altissime in cordibus nostris infigi, cum ait: *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete. Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet*? O sententia formidabilis et incredibilis, nisi ab ipsa Veritate pronunciaretur! *Si in viridi ligno*, inquit, *haec faciunt, in arido quid fiet*? idest si in me, qui justus sum, qui sanctus, qui innocens sum, qui humore gratiae semper vireo,tamen propter aliena peccata ita ignis passionis exarsit,et Pater meus coelestis,ut odium suum implacabile contra peccatum ostenderet, me naturalem et unicum filium suum propter aliena peccata ita contrivit *in infirmitate*, ut *virum dolorum et novissimum virorum* efficeret,quis cogitare poterit,quid homines peccatores propter sua, et propria scelera atque facinora patientur?

Audivimus Domini passionem, et exterriti sumus, neque majus aliquid inveniri posse credebamus. Qualis igitur erit poena gehennae, quam ipsa Veritas praedicat multo majorem atque atrociorem esse futuram? et vere ita erit. Quando vero nihil adderetur, nisi aeternitas, nonne hoc sufficeret ad eam paenam in immensum augendam? Pependit Dominus tres horas in cruce, et omnes miramur,et jure miramur,et jure pavemus et exterremur; quid igitur facies tu in suppliciis multo majoribus, non tres horas, non tres annos, non tria saecula, non tres myriades saeculorum; sed sine ullo fine, et tam diu, quam diu vivet, et regnabit Deus? Neque permittas tibi a diabolo persuaderi, Dominum esse mitem et clementem, et nullo modo te damnaturum: Quid? Ita stupidus eris, ut hoc tibi persuaderi sinas, te etiam innumeris peccatis obrutum non damnandum? Veni, accede, palpa manibus veritatem: *numquid filio suo perpercit*, cum in eo non sua, sed nostra peccata invenit?Audistis, hodie, quam severe illum exceperit. Si igitur proprio filio suo non perpercit, et si in viridi ligno haec fecit,quomodo tibi ligno arido ad ignem praeparato, nisi cito ad poenitentiam redeas, et fontibus lachrimarum irrigatus virere ac florere incipias, quomodo, inquam, tibi parcet? Hic igitur sit finis concionis nostrae hodiernae, ut vera ac seria poenitentia et firmissimo proposito vitae melioris reficiamus cor Domini crucifixi, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXIX.

IN DOMINICA PASSIONIS

SIVE

HEBDOMADA SANCTA

De Arbore crucis et quinque fructibus ejus, qui ex ea colligi possunt.

SYNOPSIS

Praerogativa et encomia s. crucis tum ab efficacia et virtute, tum ex testimonio b. Chrysostomi producta, exordii loco praemittuntur, ejusque rei causa redditur. Deinde concio in quinque partes, seu quinque fructus ab arbore crucis decerptos, distribuitur. Primus fructus est, cognitio enormitatis et magnitudinis peccati, propter quod ipse Dei Filius passus est, ut illud detestaretur: haec autem magnitudo colligitur, tum ex gravitate poenarum, quas Deus angelis et diversis hominibus inflixit, quod etiam similitudine ostenditur; tum ex magnitudine pretii, quia unicum Filium Deus propter peccata, et non sua, ita flagellavit. Secundus fructus est, vehementia passionum, ubi ostenditur Christum ab omnibus; in omnibus, omnia passum esse, atque quindecim praecipua passionis illius genera enarrantur. 1. a dilecta matre separatus fuit. 2. a perfido Juda traditus. 3. in horto in agone constitutus. 4. per tribunalia diversa circumductus. 5. a discipulis derelictus. 6. a vilissimis homuncionibus indignissime tractatus. 7. Latroni Barabbae post habitus. 8. dire flagellatus. 9. spinis coronatus. 10. ad populum ignominiose productus. 11. crucem ipse bajulavit, et felle potatus est. 12. cruci effixus. 13. subsannatus. 14. ob praesentiam et conspectum matris et discipuli contristatus. 15. anima a corpore separata fuit. Quae omnia praecipiti judicio ipsi evenerunt omni prorsus solatio destituto. Tantem gravis ad poenitentiam et assiduam Dominicae passionis meditationem succedit exhortatio.

Secunda pars de tribus reliquis fructibus de arbore crucis decerpendis agit. Tertius Itaque est, cognitio beneficii per passionem in nos collati, quod in tribus maxime elucescere demonstratur, scilicet in consideratione bonorum nobis a Deo datorum, quae quanta sint, vel ex eo constat, quod lapsis per peccatum ab innocentiae statu omnia illa bona repromisit restituturum; deinde in modo, quo data sunt; demum in charitate, qua donata sunt. Quartus fructus est, cognitio immensae bonitatis divinae, quae potissimum habetur per considerationem, quis quid, pro quibus et qua de causa passus sit. Quintus fructus est, tam eximia omnium virtutum exempla, praesertim vero nobis proponitur Christi humilitas, obedientia, patientia, constantia, mansuetudo, charitas et contemptus mundi; quas proinde virtutes jubemur imitari. Tantem ad ferventem passionis Christi memoriam recolendam testimonio s. Bernardi, et exemplo s. Francisci et s. Clarae docti, vocamur.

Encomia sanctae crucis, cujus mysterium tota sequendi hebdomada contemplandum, atque adorandum ab Ecclesia Catholica nobis proponitur, ita sunt, auditores optimi, et numero infinita, et magnitudine excellentia et sublimitate ac praestantia singularia, ut si pro dignitate explicari debeant, immensam orationem merito desiderarent. Quid enim est crux Domini aliud, quam scala Jacob, clavis coeli, anchora salutis, vexillum coelestis militiae, arbor navis ecclesiae, lignum vitae in medio paradisi? Ea est potentia crucis Domini, ut per eam sanguis candorem, vulnera sanitatem, ignominia gloriam, dolor voluptatem, et mors vitam efficiat. Ea est virtus, ut sine crucis signo, nec templa dedicentur, nec altaria erigantur, nec Pontifices inungantur, nec doctores constituantur, nec oleum consecretur, nec ulla ecclesiastica sacramenta vel sacrificia, ut b. Augustinus admonuit, aquae purgentur, nec rite perficiantur. Denique crux dominica operatur miracula, exterret daemones, ornat ecclesiam, armat frontes fidelium, ac ut arbor foecundissima tantam copiam optimorum fructuum ex se producit, ut non immerito b. Chrysostomus adversus gentiles de Christi divinitate verba faciens in laudem crucis exclamet: *Hoc maledictum, hoc abo-*

minabile, hoc extremi supplicii symbolum crux diadematibus et coronis clarius factum est: neque enim sic regia corona ornatur caput, ut cruce, quae omni cultu dignior est, et quam omnes ante abhorrebant, ejus figuram magnopere quaerunt. Atque adeo ubique ea inveniturapud principes, apud privatos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud servos, liberos, subinde omnes ea se signant inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra quasi in columna quotidie figuratur: sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus,sic iterum cum corpore Christi in mysticis coenis fulget. Hanc ubique celebrari videre licet in domibus,in foro, in solitudine,in viis,in montibus, in collibus, in vallibus in mari, in navigiis et insulis, in lectis, in vestibus,in armis,in thalamis,in symposiis,in vasis argenteis et aureis in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutorum male affectis, in corporibus a daemone obsessis, in bellis, in pace, in diebus in noctibus, in delicatorum choreis, in monachorum ordinibus : Adeo certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira est gratia, nullus confunditur, nullus erubescit cogitans,quod maledictae mortis symbolum fuerit, sed omnes ipso magis ornantur, quam diadematum coronis vel multis gemmatis monilibus et torquibus. Et non solum non fugitur, sed et desideratur, et adamatur,et omnes de ea soliciti sunt, et ubique fulget,et sparsa est in parietibus domorum in columnibus, in libris, in civitatibus, in vicis, in locis, quae habitantur et quae non habitantur. Ipsius vero ligni, in quo positum sanctum corpus Domini, et crucifixum fuit, particulam habere totus orbis ita contendit, ut qui parvum quiddam ex illo habent, illud auro includant, tam viri quam mulieres, et cervicibus suis aptent : hinc valde honestati et magnifici, et muniti et protecti, licet contemnationis fuerit signum. Haec b.Chrisostomus.Porro ejusmodi amplissima ac splendidissima encomia sacratae crucis passim in voluminibus veterum et sanctorum patrum invenire est. Quorum ideo initio orationis hodiernae mentionem facere volui, ut quantum in me est, auditoribus meis persuadem, tota hac hebdomada, quae venerationi sanctae crucis a majoribus nostris merito consecrata est, singulis diebus non semel, sed saepius ad arborem istam semper virentem et florentem, et poma proferentem accedere, sub umbra ejus sedere, de floribus et fructibus capere. Vere enim crux Domini *lignum est vitae, pulchrum visu* gustuque delectabile,et *folia* ejus *ad sanitatem gentium* : nec ullum est spirituale exercitium totius, facilius, fructuosius, efficacius contemplatione divinae crucis. Ipsa est lac insipientium, et cibus solidus perfectorum.

Animadvertite, non paucos esse, qui non alium quasi scopum sibi profigunt in dominica passione vel legenda vel audienda, vel etiam meditanda, quam ut nonnihil commoveantur, et si fieri possit, aliquas lachrimas fundant;quod cum assecuti fuerint,satis multos et magnos fructus ex arbore sanctae crucis se collegisse putant. Verum,auditores, est ille quidem unus ex fructibus, qui ex hac sancta arbore decerpitur, ut nos Christo tamquam membra capiti compatiamur, et pro eo lachrimas ex compassione fundamus, qui pro nobis in passione sanguinem fudit:sed alii sunt praeterea plures et majores. Hinc enim (si sciamus sapienter colligere) veram et perfectam conversionem, et morum nostrorum emendationem, atque adeo vitam et salutem animorum nostrorum colligemus. Quare ut pro nostrarum virium tenuitate studia nostra, et pietatem hoc tam sacro et pretioso tempore promoveamus, de quinque fructibus, qui ex arbore sanctae crucis praecipue colligi possunt, breviter disseremus.

Quicumque igitur utiliter in passione dominica legenda vel contemplanda se exercere voluerit, quinque praecipue capita considerare poterit: magnitudinem peccatorum,quorum purgandorum causa Filius Dei passus est: vehementiam passionis, ac suppliciorum Domini: excellentiam beneficii divini, quod in nos patiendo, et moriendo Christus contulit: abyssum inexhaustam bonitatis Dei, *qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* : et multitudinem ac praestantiam earum virtutum, quae in passione dominica, tamquam speculo, enituerunt. Et magnitudinem quidem peccatorum, ut ea ex animo detestemur : vehementiam passionis, ut Christo tamquam capiti compatiamur : excellentiam beneficii divini, ut eidem debitas gratias justasque referamus : abyssum inexhaustam bonitatis Dei, ut Deum ardenti studio redamare incipiamus: multitudinem Christi virtutum,ut eas imitemur,et imitando Christo similes efficiamur: in qua similitudine supremum culmen christianae philosophiae atque humanae perfectionis continetur.

Ut igitur primum fructum, qui est cognitio peccatorum, ex arbore crucis colligere incipiamus, multis et evidentibus signis et argumentis olim Deus ostendit, quam vehementer sibi peccata displiceant, quamque implacabili odio ea perpetuo prosequatur. Hinc enim propter peccatum generale diluvium terris immisit : hinc Sodomam et Gomorrham,et alias urbes nonnullas igne et sulphure concremavit : hinc toties populum suum electum gladiis Philistaeorum, Assyriorum, Romanorum objecit : Hinc denique horrendas et formidabiles illae flammas gehennae,et alia innumera atrocissima et sempiterna supplicia peccatoribus praeparavit. De quibus vere dici potest, oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt tormenta atque supplicia, quae praeparavit Deus offendentibus se. Sed numquam tam aperte furorem irae suae contra peccatum explicuit,quam his novissimis diebus, cum suum verum et naturalem Filium, quo nihil habuit charius propter aliena peccata tam severe percussit, et contrivit in infirmitate et ea supplicia cum perferre voluit, quae nemo unquam parricidarum, proditorum, maleficorum, in terris toleravit. Ac ut rem totam aliqua similitudine perspicuam faciamus,si in aliquo pulcherrimo vasculo liquor corruptus, et graviter olens inveniretur, et paterfamilias foetorem illum

domi suae non ferens, statim juberet non solum effundi liquorem, sed etiam vasculum in mille partes comminui, et in cloacam proiici, nonne vehementer is foetor nares patrisfamilias offendisset? Et si vasculum esset argenteum, nonne adhuc vehementius foetor ei displicuisset? etsi aureum, ac gemmis et lapidibus speciosis ornatum, et nihilominus frangi et proiici vellet, nonne supra modum foetorem illum odio habuisset? Si igitur Deus pater liquorem peccati corruptissimum et teterrimum ita odit, ut propter peccatum etiam peccatorem gravissime detestetur. *Odio est Deo*, inquit Sapiens, *impius et impietas ejus.* Ac ut peccatum occidat, etiam peccatorem perdit: ut in eum liquorem odium suum ostendat, etiam vasculum quamvis pulchrum et pretiosum comminuit. Invenit Deus liquorem peccati in vasis terreis, sed maximo artificio elaboratis, hoc est in primis nostris parentibus, et continuo expulit eos de paradiso, et sine appellatione sententiam mortis in nos omnes tulit. Inde *omnes morimur, et tamquam aquae dilabimur*: licet extremum terribilium sit mors, et omnes mortem naturaliter horreamus. Invenit quoque Deus liquorem istum pessimum in vasis argenteis, in angelis videlicet, quorum natura plane argentea, pulcherrima, candidissima ac lucidissima est: et statim sine retractatione eos aeternae damnationi adjudicavit. Quis non obstupeat, auditores? Primus et nobilissimus omnium angelorum, atque adeo totius opificii divini praestantissima pars, qui nunc Lucifer, nunc initium viarum Domini, nunc signaculum similitudinis, nunc vero Cherub extentus, plenus sapientia et perfectus decore, in sacris literis appellatur: de quo Ezechiel dicit propheta: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum; et omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini ejus, et amulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quae erant in paradiso*: iste, inquam, tam excelsus, tam pulcher, tam sapiens, de coelo deturbatus, in abyssum detrusus, sapientia et pulchritudine spoliatus, miserrimus omnium creaturarum factus est. Nam praeterquam quod regnum et beatitudinem amisit, et perpetuis atque horribilibus flammis cruciatur, atque in horrendo atque formidabili, sed justo Dei judicio desertus ac relictus, et omni Dei auxilio destitutus est, ut iam in peccato penitus obstinatus semper desperet, et incredibili rabie quidquid cogitat, quidquid molitur, quidquid cupit, id totum ad nocendum referat: ut merito qui antea Lucifer, angelus, cherub, Coelestis intelligentia, nunc tenebrae, draco diabolus et Satanas appellatur. Quis hujus tam horrendae mutationis causa fuit? foetor peccati. Nam *in Angelis suis*, ait Job, *reperit pravitatem.* Et apostolus Petrus: *Angelis peccantibus*, inquit, *non pepercit: sed rudentibus inferni detractos, in Tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Et nondum intelligunt filii Adam, qualem animum, quam iratum, quam exacerbatum Deus gerat contra peccatum? Propter unam offensam tot millia angelorum, hoc est argenteorum vasorum Deus ita horrende comminuit, et adhuc vasa lignea et testacea liquore peccati usque ad facies imbuuntur, et non timent?

Sed altius ascendamus: Nam ea, quae sunt de odio Dei contra peccatum, nihil sunt, si cum iis, quae dicturi sumus, comparentur. Nec enim magnum est, Deo aliquos angelos et aliquos homines perdidisse, qui in momentos infinitos alios multo pulchriores et nobiliores solo verbo creare potest. Sed quid dicemus, quia proprio Filio suo, unico, naturali, optimo, sapientissimo, vere vasi aureo, et gemmis ac lapidibus pretiosis ornato non perpercit maxime cum in eo peccatum non proprium, sed alienum reperit? Filius Dei, auditores, nec ut Deus, nec ut homo peccatum admisit; ipse est enim de quo legis: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus.* Is nihilominus animadvertens genus humanum sub onere peccati jacere, nec se suis viribus erigere posse, misericordia motus, humeros suos sarcinae nostrae supposuit. Peccata nostra sustulit, ac pro eis se Patri satisfacere velle professus est. Hinc sunt illae voces: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Et rursum: *Deus, Deus meus respice in me quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.* Et illa b. Joannis: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* Quid igitur Pater fecit, licet Filium suum infinito amore diligeret, licet sciret vitam Filii sui toti orbi excellentia et dignitate praestare, licet videret in vase illo auro, humeris Filii sui, non propria, sed aliena peccata esse imposita: tamen ut odium suum et furorem atque indignationem contra peccatum ostenderet, *proprio filio suo non perpergit*: vas illud aureum, et pretiosissimum confregit: tamquam si Filio diceret: Tu peccata hominum in humeros tuos suscepisti, et ego ea in humeris suis flagellabo. *Propter scelus populi mei percussi eum*, ait Dominus Omnipotens.

Sed quomodo percussit eum? quomodo flagellavit? In virga virorum, an in virga ferrea? Quid eum pati voluit? Sane ita severe illum excepit, ut ego nihil dubitem, neminem esse tam sceleratum, tam funestum, tam perditum, tam deploratum hominem, qui non incipiat peccata sua deflere, atque horrere et gravissime detestari, si quis cogitare voluerit serio, quid propter ea Christus passus sit: Passio enim Domini, quae ad exhaurienda et purganda peccata instituta est, non unum ac simplex supplicium fuit: (ut iam ad alteram partem nostrae orationis, et secundum fructum crucis veniamus) sed amare quaedam compositio infinitarum amaritudinum. *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Et qualis erat ille calix? Certe tam amarus, ut eo viso *cum lachrimis et clamore valido*, ut natura horrorem ostenderet, ad patrem dixerit: *Abba, pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem istum a me: sed tamen non quod ego volo, sed quod tu vis*; *Fiat voluntas tua.* Neque passio Domini generale quoddam supplicium fuit, sed omnia genera cruciatuum ac suppliciorum comprendens. Si eos aspicias, a quibus passus est, invenies omnia genera hominum, viros, foeminas, pueros, juvenes, senes, principes, privatos, sacerdotes, laicos, liberos, servos,

Judaeos, paganos, amicos, inimicos. Ut enim pro omnibus ita quoque ab omnibus passus est. Nec solum homines omnes sed omnes etiam daemones in ejus necem conspirarunt. Hoc enim est, quod apud Lucam Dominus: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.* Neque solum impii homines et daemones, sed etiam Deus et sancti angeli, (tametsi alio consilio, alia intentione, alio desiderio) Christum ad mortem, et mortem crucis impulerunt. Hinc enim a Patre se derelictum in cruce affirmat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Denique ipse seipsum morti obiecit. *Oblatus est enim quia ipse voluit.* Sed ipse se ipsum ex obedientia tradidit; Deus et angeli ex charitate; Judas et satellites ex cupiditate; Judaei et daemones ex invidentia: Pilatus et ejus consiliarii ex timore mundano, ne Caesarem videlicet offenderent, Dei Filium et necem tradiderunt.

Si deinde ea consideres, in quibus passus est, invenies penitus in omnibus nihil integrum atque illaesum et relictum fuisse. Passus est in matre, in discipulis, in vestibus, in fama atque existimatione, in animo, in corpore, in omnibus membris, omnibus partibus, omnibus viribus, omnibus sensibus. Nam a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Et vere tunc *non* fuit *in eo species neque decor: et vidimus eum, et non fuit ei aspectus, et consideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem: unde nec reputavimus eum.*

Si postremo animum et cogitationem ad ea convertas, quae passus est, invenies sane non fasciculum myrrhae, sed multos et magnos fasces dolorum, poenarum, cruciatuum, tormentorum. Percurramus breviter, non explicando, sed enumerando, quindecim genera cruciatuum, quae in passione Domini concurrunt.

Primum fuit, amara illa separatio matris et filii, cum Dominus ad mortem iturus, amantissimae matri valedixit. Quid enim est, cogitare matrem, et talem matrem, tam duro divortio valedicere filio, et tali filio, eunti ad mortem et talem mortem? Haec meditatio prae caeteris omnibus pectus quodvis durum disrumpere posset.

Alterum fuit, horrenda illa proditio scelestissimi Judae. Quid enim obsecro erat, prodi ac vendi vilissimo pretio a proprio discipulo atrocissimis inimicis? Sane Dominus tantum inde dolorem concepit, ut in medio convivio, ut Joannes refert, turbaretur spiritu, protestaretur, ac diceret: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex nobis me tradet.*

Tertium fuit, moestitia illa ingens atque anxietas, quam in horto sustinuit; *Cum pavere ac taedere, et moestus esse, atque ait: Tristis est anima mea usque ad mortem*: tamquam si diceret, Talis me horror ac moetor invasit, ut parum absit, quin vitam excludat. Ac deinde *factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram*: quo nihil unquam a condito orbe magis novum et magis horribile apparuisse puto. Quid enim erat videre hominem alioqui sanum et incolumem, in tanto moerore, atque anxietate constitutum, ut de corpore ejus sanguinis sudor erumperet, et tam abundanter, ut per frontem ac vestes in terram decurreret, eamque rigaret?

Quartum fuit, toties duci ac reduci per publicas plateas, per tot palatia, per tot tribunalia, militibus et satellitibus stipatum, manibus ligatis tamquam publicum latronem ac sicarium in aperto maleficio deprehensum: quo pudore existimatis ingenua, imo, regia majestas afficiebatur, cum toties in oculis populi, cui cum tanta laude et admiratione evangelium praedicaverat, non modeste incedere, ut ejus gravitatem decebat, sed festinare, vel etiam currere cum impia illa turba cogebatur?

Quintum fuit, fuga, et infidelitas discipulorum, suspendium Judae, negatio Petri. Quam enim crucem putatis cor Domini patiebatur, cum ex duodecim, quos tanto labore genuerat, educaverat, instituerat, quos tenerrime diligebat, quos paulo ante tam dulci sermone, et cibo corporis et sanguinis sui refecerat, iam unum videbat a lupo infernali penitus devoratum, alterum apprehensum jam suffocari caeteros omnes fugatos ac dissipatos?

Sextum fuit, tot genera injuriarum et contumeliarum, a vilissimis ministris non aliqua lege, non ex praecepto magistratus, non ex sententia praetoris, sed ex sola scelestissimorum satellitum libidine sustinere. Certe enim non jussit Pilatus, ut cum toties alapis caederent, toties in faciem ejus spuerent, toties caput ejus arundine verberarent; non precepit, ut modo alba, modo rubea veste eum induerent, modo oculos ejus velarent, et eum feriendo ac ridendo dicerent: *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* modo genuflecterent ante eum et simulata reverentia tamquam regem ridiculum irriderent. Quis unquam vidit, vel legit vel audivit aliquem reum ante judicium et sententiam tot contumeliis impune afflictum et vexatum fuisse?

Septimum fuit, ille incredibilis contemptus Filii Dei, quo cum latrone Barabba comparatus, et minoris factus ac judicatus fuit, quam ille publicus sicarius. Quid enim horribilius cogitari potest, quam ut auctor vitae, qui omnia creavit et conservat, *in quo vivimus, movemur et sumus*, cum homine facinorosissimo conferatur, et minus meritus, magisque vita indignus judicetur, quam ille, qui opinione parricidiorum et extremae crudelitatis omnibus terrori et formidini erat?

Octavum fuit, flagellatio illa crudelis ad columnam. Quae praeterquam quod immanissima, et doloris atque ignominiae plenissima fuit, non est poena hominum ingenuorum et liberorum, sed scurrarum et nebulonum. Nec enim homines alicujus nominis, facinoribus, sed solum mancipia et latrunculi, et homines nihili supplicio verberum subiiciuntur.

Nonum fuit, illa admirabilis adinventio novi, et usque ad illud tempus incogniti diadematis, in quo simul acerrimus dolor cum intolerabili ignominia concurrebat.

Decimum fuit, egressio illa ad conspectum furentis et tumultuantis populi quando videlicet, ut Joannes narrat, et Pilato productus *exivit foras portans spineam coronam et purpureum vesti-*

mentum. et Pilatum audivit dicentem: *Ecce homo.* Et populum acclamantem : *Crucifige , crucifige eum.* Quanta, obsecro , fuit in ea ostensione confusione ac verecundia, cum se Dominus videbat in celeberrimo die paschae ea specie miserabili caesum , conspulum , spinis coronatum , purpura ad irrisionem indutum, a tanta multitudine conspui , et tamquam peccatorem et seductorem ab omnibus existimari, qui ante quatuor dies tamquam rex et propheta cum summo honore ab eodem populo salutatus fuerat? Quantus item dolor cum obstinationem et ingratitudinem ejusdem populi considerabat, et aperte videbat, eos suam ipsorum perniciem procurare, ac de eis doemones triumphare, et per eorum ora clamare: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Et, *Non habemus regem , nisi Caesarem,* quem numquam antea confiteri voluerant?

Undecimum fuit, gestatio propriae crucis. Solent carnifices oculos eorum velare, qui plectendi sunt, ne forte instrumentum videant , quod eis vitam auferet: at vero Domino Salvatori, non solum oculos non velaverunt, ne crucem videret ; sed illam ipsam crucem humeris ejus imposuerunt, ut ante cor quam corpus crucifigeretur. Cum autem ad montem Calvariae pervenerunt, ut quasi fatigatum et fractum ac viribus exhaustum reficere viderentur, (solebant enim ei saccharo et vino interdum recreari) obtulerunt ei potum. At quem potum existimatis? Vinum myrrhatum ac felle mixtum. Quod cum gustasset, nec voluit, nec potuit bibere. Quae major crudelitas fingi, aut cogitari potest? Si vinum et saccharum dare non cupiebant, cur saltem modicam aquam non dabant? Quod si nec aquam dignabantur porrigere, cur potum simpliciter non negabant? cur myrrham et fel, quibus nihil est amarius, sub specie vini Domino porrigebant? Si afflictum consolari pigebat, cur etiam afflictionem augebant? Cur ei tam crudeliter illudebant ? Diviti epuloni, si aqua denegata fuit, tamen fel aut myrrha oblata non fuit.

Porro duodecimum fuit, ipsa crucifixio, quod est genus mortis admodum crudele, prolixum ac turpe. Nam et vulnera in manibus et pedibus fiunt, ubi propter nervorum ac venarum multitudinem acutissimi dolores generantur. Et pondus corporis semper trahit deorsum, et semper magis ac magis vulnera dilatantur et dolores augentur, donec sine vulnere lethali, sola vehementia doloris anima de corpore excludatur.

Decimum tertium fuit genus quoddam crudelitatis prorsus inauditum. Nam cum Dominus in cruce penderet, et quasi pelagus quoddam amaritudinis prae multitudine poenarum ac dolorum factus esset; tamen hostes ejus feris crudeliores et lapidibus duriores, non solum non movebantur, sed eum irridebant, eique insultabant , et sales et facetias in eum jaciendo seipsos oblectabant. Carnifices vero in oculis ejus vestimenta ipsius, inter se dividebant, et super tunicam ejus sortem mittebant. Quodque his multo gravius erat, unus ex latronibus, qui pendebat in cruce cum eo , cruciatuum propriorum oblitus , quasi ad torquendum caeteri non sufficerent, in eum convitia et contumelias congerebat.

Decimumquartum fuit, matris amantissimae et discipuli, quem diligebat , continuus aspectus. Quantum enim crevisse existimandum est dolores Salvatoris, cum in omnibus illis atrocissimis cruciatibus, contumeliis, convitiis , irrisionibus, matrem et discipulum, quos prae caeteris tenerrime dilexerat, semper ante oculos habebat? praesertim cum perspicue intelligeret, quas illi cruces ac tormenta parerentur.

Decimumquintum et postremum fuit amara illa separatio carnis et animae , quae quidem tanto acerbior erat, quanto se magis dilexerant. Nec vero fuit unquam inter eas, sicut in nobis experimur , ulla pugna aut discordia sensus et rationis. Deinde in ipso flore aetatis, vivis et integris sensibus dominus moriebatur. Quocirca perspicue intelligebat quam esset amarus calix ille mortis , atque illa praesertim aetate, et omnes torsiones et poenas illius extremi agonis distincte percipiebat, quod aliis hominibus ob emortuos sensus, et turbatam imaginationem accidere non solet. Intelligebat praeterea, quam esset sibi illa mors debita, et tamen vicit amor generis humani: atque ut nos a morte liberaret ipse se morti subjecit , amarum illum potum deglutivit, et inclinato capite tradidit spiritum. Ita recessit pastor bonus, gaudium orbis terrae, lumen oculorum nostrorum. Recessit vero cum magna angustia, ut audivistis; recessit totus afflictus, totus laceratus, totus anxius, totus sitibundus, totus fatigatus.

Et quam celeriter haec omnia facta sunt? Numquid legitur unquam fuisse scelestissimorum latronum ita accelerata, ita praecipitata , ita fulminata damnatio? nonne saltem in tertium diem aliorum reorum supplicium differri solet? At Dominus Jesus noctu comprehenditur , mane offertur judici, hora tertia damnatur, ad meridiem crucifigitur, et post paululum enecatur. Quid si ad haec omnia adjungantur ista genera tam multa, tam varia, tam atrocia suppliciorum sine ullo genere consolationis fuisse? Nam quod sancti martyres fortiter et alacriter mortem oppeterent, non est mirum , cum in eis sicuti propter Christum abundabant passiones, ita propter Christum abundarent consolationes. Christus vero caput martyrum torcular calcavit solus et calicem plenum felle sine ulla gutta mellis haurire voluit.

Ecce igitur, quam gravis erat morbus noster , quem nemo poterat sanare, sed pro illius curatione Dei Filium necesse fuit occidi. Ecce quam implacabili odio Deus peccatum prosequatur, qui Filium suum ita severe propter aliena peccata flagellavit. Vae nobis miseris, quibus tam vilibus, tam indignis, tam ingratis, tantam exhibuit charitatem. Propter nos Dei Filius occisus est, propter nos vulnera doloresque sustinuit. Peccata nostra eum laborare fecerunt, peccata nostra eum accusarunt , flagellarunt, spinis coronarunt , cruci affixerunt, vitam et sanguinem abstulerunt. Et unde igitur existit adhuc in nobis tanta facilitas peccandi? unde tam parvi facimus peccare? quasi Dei offensio ni-

hil esset? Unde post peccatum cum ad poenitentiam convertimur, tam frigide ac remisse poenitemus? Quid? Christus, ut regnum peccati destrueret, tanta passus est, et tu tam facile in cor tuum peccatum admittis? tam facile fornicaris? tam facile inebriaris? tam facile irasceris? tam facile peieras? tam facile quantum in te est iterum Dei Filium crucifigis? Neque vero putes te minori supplicio dignum quod non solus ista facis, neque solus peccatis tuis Christum crucifixeris. Nam secundum justitiae legem non minori poena mulctandus est, qui una cum aliis hominem innocentem occidit, quam si solus occideret. Quare si semel ad veram et profundam cognitionem peccatorum tuorum pervenire desideres, passionem Domini diligenter meditare, et cum videbis impios et sceleratos illos satellites Christum vexare atque affligere, persuadeas tibi certo te unum esse ex illis, et vere te non minus quam illos Christi mortem procurasse, atque in ejus necem conspirasse. Cogita, te (quod sane optimo jure cogitare potes) una cum illis vere Christum irrisisse, conspuisse, flagellasse, spinis coronasse, in crucem egisse, myrrha et felle potasse, atque ad extremum crudelissime necasse. Si enim peccata nostra non fuissent, nihil unquam tale Christus pertulisset. Neque Romani, neque Judaei neque daemones omnes pares esse poterant, ut Christum Dei Filium vel minimum laederent, nisi ipse ex nimia charitate, qua dilexit nos, ad nostra exhaurienda peccata, se doloribus, atque adeo ipsi morti subiicere voluisset.

PARS ALTERA

Exposuimus breviter, qui sint duo priores fructus, qui ex arbore sanctae crucis contemplatione et affectu quasi duabus manibus decerpi debent. Superest ut qui sint posteriores tres, paucis explicemus.

Tertium igitur fructum esse dicebamus, cognitionem excellentissimi beneficii, quod in nos per crucem et passionem suam Christus contulit. Et quamquam multa valde de hoc argumento dici possint, nos tamen pro temporis brevitate solum tria capita tribus verbis ostendemus, unde magnitudo summi hujus beneficii cognosci potest. Tria sunt igitur potissimum cogitanda, qui nobis Christus donaverit, qua charitate, quo modo. Quid est quod donavit? liberatio ab infinitis malis, communicatio infiniti boni. Donavit enim indulgentiam peccatorum, gratiam, justitiam, libertatem, pacem salutem, redemptionem, merita, sacramenta, doctrinam, immortalitatem, gloriam, beatitudinem, felicitatem; breviter, bona sua omnia per crucem et passionem nobis communicavit. Inde enim pater et sponsus, et caput nostrum dicitur Christus, quod quicquid habet pater, ad haereditatem filiorum pertineat; quicquid habet sponsus, id cum sponsa libenter communicet, quicquid habet caput, id facile membris omnibus impertiatur. Enumera si potes omnia mala, in quae propter peccatum primi hominis incidimus, et tum intelligere incipies aliquid de hujus beneficii magnitudine. Erat homo ante peccatum sapientior Salomone; *comparatus est* per peccatum *jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Erat ante peccatum fortior Sampsone; factus est per peccatum debilior muscis et pulicibus; Nam ab his et similibus minutissimis animantibus se defendere non potest. Erat ante peccatum ita superior morte, ut posset, si vellet, numquam mori; factus est per peccatum ita morti obnoxius, ut velit nolit, compellatur mori. Erat ante peccatum in magna pace et tranquillitate, nec secum, nec cum aliis ullum bellum aut inimicitiam gerebat; factus est post peccatum non solum aliis omnibus, sed etiam sibi ipsi contrarius: Terra non obedit, sed pro floribus producit spinas: mare imperium non patitur, sed saepe naves et nautas absorbet: animantia bruta non obtemperant, sed contra potius hominem, tamquam communem hostem persequuntur. Sed nec ipse sibi homo obedire novit, tanti sunt motus et tumultus in humana ista repubblica propter seditiones ac lites sensuum et rationis, propter tumultus et clamores variarum passionum, ut homo saepe in mille partes distrahatur, neque aliud pectus ejus, quam aliqua Babylon plena turbarum et confusionis esse videatur. Erat homo ante peccatum amicus Dei, ejus gratia et favore fruebatur; excidit per peccatum ab ea gratia, et in iram, atque indignationem et furorem ejus incurrit. Poterat ante peccatum sine labore, sine sudore, sine ulla molestia regnum coelorum promereri, incidit per peccatum in eam miseriam, ut jam non possit suis solis viribus, nisi demereri, et ruere magis et magis versus gehennam. Erat postremo ante peccatum in paradiso terrestri, loco pulcherrimo, optimo amoenissimo: decidit per peccatum in hoc stabulum brutorum, et in hoc ipso multi sunt, qui vix locum obtinere possunt. Iam ab his omnibus malis, in quae primus Adam sua inobedientia nos conjecerat, secundus Adam sua obedientia usque ad mortem et mortem crucis, nos liberavit: et omnia illa bona, quae per peccatum amiseramus, per Christi passionem aucta et cumulata recepimus. Conferre beatitudinem primi hominis, quam perdidimus, cum ea beatitudine, quam in coelis expectamus, quam nobis per passionem suam Christus promeruit. Erat Adam sapientior Salomone: erimus nos aequales angelis Dei. Erat Adam fortior Sampsone; erimus nos ferro, et igne et leonibus fortiores. Poterat Adam non mori; nos multo feliciores non poterimus mori. Fruebatur Adam magna pace; nos fruemur maxima, tantaque erit tunc concordia corporis et animi, carnis et spiritus, ut quocumque voluerit ascendere animus, statim corpus sequatur, etiam super sidera. Erat Adam amicus Dei; erimus nos familiares, intimi, domestici. Poterat Adam non peccare; nos multo beatius non poterimus peccare. Poterat ille non cadere; nos non poterimus cadere. Denique habitabat ille in paradiso terrestri; habitabimus nos in coelo, in illis ornatissimis et splendidissimis sedibus ac domiciliis angelorum. Habetis igitur quid sit, quod Christus nobis donavit.

Sed quomodo donavit? per se, an per alium? sine labore, an cum labore? multum enim profecto beneficium crescit, cum per nos ipsos, et cum incommodo et jactura aliqua nostra amicum adjuva-

vamus. Quis igitur fuit modus nostrae liberationis? Passio illa crudelis, cujus quasi summam et compendium paulo ante audivistis. Non misit Christus vicarium angelum aut Archangelum aliquem, sed ipse suis manibus opus nostrae liberationis operari voluit. Et quamquam poterat una gutta sanguinis aut sudoris nos perfecte liberare, voluit tamen totum sanguinem profundere, et ea supplicia et cruciatus pati, quos audivistis; seipsum contempsit, ut nos honoraret; seipsum afflixit, ut nos consolaretur; dolores et poenas sustinuit, ut nobis gaudium ac laetitiam obtineret; vulnera et livores elegit, ut nos a vulneribus peccati curaret? Denique crucifigi et mori voluit, ut nos vitam beatam et sempiternam haberemus. Quare pluris faciendus est modus, quo contulit beneficium, quam ipsum beneficium, quod contulit: et majus est medium, quam remedium, quanto majus et mirabilius est Deum mala pati, quam bona facere, sustinere supplicia, quam elargiri munera.

Sed qua charitate haec omnia operatus est? non enim parum auget magnitudinem doni affectus donantis. Cum a te pauperes eleemosinam petunt, si eis amicum vultum ostendas, atque dicas, quid petitis, filii? quid vultis? qua re indigetis? accipite, parum habeo, parum vobis do, et si plus haberem plus etiam libentissime darem: o quam bene placet talis eleemosyna? sane existimaretur, nec immerito, duplo major, quam sit. Si vero torvis oculis eos aspicias, ac deinde aliquos obolos in terram proiicias, et dicas, Itote in malam crucem, ne mihi, amplius molesti sitis. Illi accipiunt quidem, quod datur, sed non multum tibi debebunt. Qua igitur charitate, quo affectu atrocissima illa supplicia pro nobis pertulit? id vero cogitari aliquo modo potest, verbis explicari, atque oratione comprehendi certe, non potest. Magna sunt, et multa, quae pro nobis toleravit, sed major, et copiosior sine comparatione fuit charitas, qua ea toleravit. Tres horas pependit in cruce, sed quis potest ambigere, quin libenter usque ad diem judicii in ea pependisset, si necessitas id postulasset? certe charitas ad hoc patiendum, et multo majora Christo non deerat. *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Et, *Ego baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque cum perficiatur?* Itaque si multum ei debemus pro tot suppliciis et tormentis, quae pro nobis pertulit, multo adhuc magis debemus pro ea charitate, qua illa supplicia, atque tormenta pertulit.

Jam vero quartus fructus, quem ex arbore sanctae crucis habemus, Cognitio est illius profundissimae abyssi bonitatis Dei: Nullum est enim Dei opus, in quo clarius et splendidius Dei bonitas elucet, quam Passio Salvatoris. Id quod facile assequeris, et multo etiam facilius, quam ego verbis explicare possim, si in singulis mysteriis crucis Christi quatuor capita attente consideres. Quis patitur? quid patitur? pro quibus patitur? qua de causa patitur? Si primum attollas ad eam majestatem, cui astant in coelis mille millia myriadum angelorum; cui terra ac coelum, et omnia elementa ad nutum obediunt; qui omnia potest, omnia novit, omnia regit, omnia gubernat, omnia moderetur; cujus comparatione omnis humana et angelica gloria, arena est exigua, de qua ita loquitur Isaias: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea, quae sub ipso erant, replebant templum; Seraphim stabant super illud, sex alae uni et sex alae alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant, et clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum? plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo.* Haec enim *dixit Isaias*, ut Joannes exponit, *quando vidit gloriam Christi, et locutus est de eo.* Si, inquam, primum istam tam excelsam, tam sublimem, tam super omnes res creatas eminentem majestatem intueris, ac deinde statim oculos convertas ad eam humilitatem et indignitatem sputorum, colaphorum, irrisionum, aliarumque poenarum, quam vere illa majestas sustinuit, idque non propter angelos, cherubim aut seraphim: sed propter nostrum lutum, propter homines, et homines peccatores, ingratos, blasphemos, superbos, inobedientes, fieri non poterit, quin obstupescas, et cum Abacuc propheta dicas, *Domine audivi auditionem tuam, et timui: consideravi opera tua, et expavi.* Hinc enim fieri saepe solet, ut mentes hominum nimio stupore adductae mirabili quodam modo suspendantur, et a sensibus corporeis abstrahantur: interdum etiam corpus ipsum procul a terra secum trahant. Quod si deinde cogitare incipias, quae fuit causa hujus tantae novitatis, quae Deum conjunxit cum luto, vitam cum morte, beatitudinem cum miseria, gloriam coeli cum ignominia crucis; et pro certo cognoscas, nullam in hoc facto utilitatem aut commodum suum Deum quaesivisse, nec ullo modo nos id meruisse; sed solam et totam causam fuisse, illa viscera pietatis, illam abyssum bonitatis, perennem illum fontem misericordiae et amoris Dei nostri, quo sine ullo nostro merito et absque ullo suo commodo bonum. esse existimavit, visitare nos ex alto: sane non solum admiraberis et obstupesces, sed senties etiam cor tuum dilatari, emolliri, resolvi, et ignem quemdam in intimis visceribus accendi, quo tantae bonitati respondere, et teipsum totum ejus obsequio consecrare ac dedicare cupies. Senties praeterea in corde tuo quemdam novum horrorem ac detestationem peccatorum oriri: senties quoque aperiri tibi oculos, et clare ac perspicue videbis turpitudinem ebrietatis, foeditatem luxuriae, deformitatem omnium vitiorum. Denique nova quadam et inusitata vulneratus charitate cantare incipies: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Nam qui cernis regem Salomonem (ut verbis utar b. Bernardi) in diademate, quo coronavit eum mater sua: qui cernit unicum Patris crucem sibi bajulante, qui cernit caesum et conspulum Dominum majestatis, qui cernit auctorem vitae et gloriae confixum clavis, percussum lancea, opprobriis saturatum, tandem illam dilectam animam gladius amoris transverberat, atque idcirco dicit: *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.*

Venio autem ad quintum et postremum fructum, qui multitudinem et praestantiam continet earum virtutum, quae in passione Domini, excellentius enituerunt. Ille siquidem cum fructu et utiliter Passionem Domini meditatur, vel certe audit vel legit, qui oculos mentis in illas heroicas et illustrissimas virtutes defigit, quas inter dolores et cruciatus tamquam flores inter spinas enitere videt, neque vero existimare debemus vitam et passionem Salvatoris nobis solum ideo propositam esse, ut eam contemplemus: sed etiam ut eam, quoad possumus, imitemur. Hinc enim se non solum vitam appellavit. Hinc etiam clamat: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, et rursum: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Hinc Apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et apostolus Paulus: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc seculo.* Et apostolus Joannes: *Ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Itaque non satis est Christum in cruce respicere, sicut olim Hebraei serpentem aeneum respiciebant; sed necesse est etiam, ejus virtutes imitari. Sicut enim olim Evae fructus mortis non multum nocuisset, si eum solum aspexisset, non etiam decerpsisset et comedisset: ita nobis fructus vitae, qui ex arbore crucis dependet, non multum prodesse poterit, dumtaxat aspiciamus, non etiam decerpamus et comedamus. Quare et apostolus hodie monet: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu*, hoc est, Conamini, contendite, efficite, quantum potestis, ut eo modo affecti sitis, quomodo Christum in passione praesertim affectum fuisse didicistis. Est enim ipse exemplar et speculum clarissimum omnium virtutum. Ille *eum in forma Dei esset*, hoc est, cum ejus natura esset divina, atque idcirco *non rapinam*, sed jus naturae *arbitratus est, esse se aequalem Deo*: tamen *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*, pedes discipulorum lavit Dominus et magister existens. Deinde contemni, verberari conculcari sustinuit. Ergo et vobis, quamvis magni, quamvis nobiles, quamvis sapientes esse videamini, non sit grave ad opera humilia vos demittere, non sit grave contemni ac despici, non sit grave cum pauperibus et humilibus (si causa postulet) conversari: imo vero scitote vos vere magnos, et nobiles et sapientes futuros, cum Christum perfecte imitari, et vos ipsos nihili facere didiceritis. Christus praeterea factus est patri obediens, et obediens in re difficillima, usque ad mortem et mortem crucis; ergo et vobis non sit difficile subjacere praepositis vestris, et eis in omnibus obedire. Quam quaeso excusationem habere poterunt, si non obediant filii parentibus, servi dominis, discipuli praeceptoribus, oves pastoribus, dum eis utilia et salutaria injunguntur, cum Christus in re tam ardua in cruce subeunda, pro nostra salute, tam alacriter Patri obtemperavit? Ergo si cupimus obsequium praestare Deo, Christumque imitari amplectamur ex animo nobilissimam istam virtutem, et parentibus, praeceptoribus, praelatis, magistratibus, magna devotione et humilitate obediamus. Christus patientiam inter tot genera sibi succedentium cruciatuum ita conservavit, ut nec verbis, nec minis, nec signis ullis tot contumelias ulcisci voluerit. Ergo et nobis durum non videatur, ad exemplum Christi convitia et injurias deglutire, et eorum penitus oblivisci. Christus constantiam et perseverantiam in bonis operibus ita coluit, ut neque flagellis, neque clavis, neque cruce a cursu nostrae salutis procurandae ac perficiendae revocari aut impediri potuerit. Ergo et vobis acerbum non sit, aliquando in bonis operibus pati contradictores, neque facile retro respicialis, aut bona inchoata opera relinquatis, licet mundus et daemones se opponant. *Recogitate eum, qui talem adversum semetipsum sustinuit a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes.* Christus enim tam insignem mansuetudinem in passione ostendit ut sicut *ovis ad victimam duceretur, et sicut agnus coram tondente se obmutesceret.* Ergo et vobis asperum non videatur, aliquando inter amicos vel inimicos tacere, abscedere et obmutescere potius, quam ut lites et contentiones serantur, unde odia et indignationes, et irae et rixae nascuntur, quae charitatem extinguunt, Spiritum Sanctum contristant, animam et corpus occidunt. Christus quoque tam ardenti charitate in ipso summo ardore passionis flagravit, ut pro ipsis suis crucifixoribus et tortoribus ingenti affectu supplicaverit. Ita etiam ardenter salutem animae, et opera bona semper sitivit, ut ipsa in cruce dolorum suorum oblitus, alterum latronem convertere studuerit, et converterit. Ergo et nobis dulce sit charitate flagrare in salutem animarum incumbere: in bonis operibus numquam defatigari: unusquisque eo modo, quo potest, vel publice vel privatim aut verbo aut exemplo, colloquendo, conversando, in domibus, in gymnasiis, in conviviis, denique semper et ubique salutem animarum esuriat et sitiat, et ignem charitatis ubi potest, et quomodo potest accendat, et illius desiderium compleamus, qui dixit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Christus postremo se ipsum perfectissimum et absolutissimum mundi hujus, et gloriae, ac divitiarum et voluptatum contemptorem in passione sua nobis exhibuit, cum in cruce pro nobis pendens non alium thronum habuit, quam patibulum: non aliam coronam, quam spineam non alias vestes, quam fortasse velum, quo partes corporis pudendae tegerentur, non alias epulas, quam fel et acetum; non alios comites, quam duos suspensos fures; non alios in suis afflictionibus consolatores, quam eos, qui clamabant: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Ergo et vobis, fratres mei, si caput vestrum agnoscitis, si Christum sequi desideratis, si vultis, ut ipse vos in regno Patris sui coram Angelis suis agnoscat, et confiteatur, incipiat jam nunc mundus vilescere et gloria ejus sordere et voluptas desipere. Amate vero quod Christus amavit, neque timete, ne decipiamini. Ipse enim est Emmanuel, qui novit *reprobare malum et eligere bonum.*

Itaque si quis vere cupit ad magnum culmen perfectionis brevi tempore pervenire, mundi gloriam contemnere, carnis petulantiam coercere, animi perturbationes sedare, metum mortis excludere, humilitatem, obedientiam, patientiam, constantiam, mansuetudinem, charitatem, mundi contemptum addiscere, ac breviter in hominem alium transformari, serio, sedulo, attente atque assidue in libro crucis legendo et contemplando se exerceat: Aspicite atque intuemini sanctos illos homines, apostolos, martyres, confessores, quorum vitam et virtutes omnes admiramur. Unde illi, quaeso, in tantam mentis altitudinem, et puritatem pervenerunt, ut angeli quidam terrestres esse viderentur? unde tantum illud robur et constantiam hauserunt, ut daemones non timerent, sed provocarent? mortem et pericula non fugerent, sed quaererent? non formidarent, sed desiderarent? Unde tam excelsum divitiarum et gloriae, et voluptatum contemptum didicerunt, ut panc et aqua, vestibusque vilissimis contenti, caetera non solum non studiose quaererent, sed etiam oblata respuerent? Nimirum in Cruce Domini ista legerant. Nam et Petrus et Andreas amore sanctae crucis ebrii fuerunt: Apostolus vero Paulus, nihil se scire profitebatur, nisi *Christum et hunc crucifixum*. Et rursum clamabat *Christo confixus sum cruci: vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus*: Martyr Ignatius, cujus sunt illa dulcissima et affectu plenissima verba; *Amor meus crucifixus est*, quanto crucis amplectendae desiderio flagrarit, testes sint stupendae ejus epistolae et praesertim ea quae est ad Romanos, cujus tot faces, quot verba tot scintillae, quot syllabae. Porro b. Bernardus unde tantum et pietate et eruditione profecerit, ipse docet in sermone 43. in Cantica, sententiam illam exponens, *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Tu quoque*, inquit, *si sapis, imitaberis sponsae prudentiam, atque hunc myrrhae tam charum fasciculum de penetrali tui pectoris nec ad horam patieris avelli: amara illa omnia, quae pro te Dominus pertulit, semper in memoria retinens, et assidua meditatione revolvens, quo possis dicere et tu, Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Et ego, fratres, ab ineunte conversione pro acervo meritorum, quae mihi deesse sciebam, hinc mihi fasciculum colligare, et inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei. Primum videlicet infantilium illarum necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in praedicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando; tentationum in jejunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, qua in salutem nostri generis, evangelica silva copiosissime noscitur protulisse. Haec meditari dixi sapientiam, in his justitiae mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiae, in his divitias salutis, in his copias meritorum; haec mihi in ore frequenter, sicut vos scitis; haec in corde semper sicut Deus scit; haec stylo meo admodum familiaria, ut apparet, haec meo sublimior interim philosophia, scire Jesum et hunc crucifixum. Hoc reficit viscera parvulorum, hoc replet ubera matrum et ideo inter ubera mea commorabitur.* Haec b. Bernardus. Jam b. Franciscus unde meruit tam singulari divini amoris privilegio in eandem crucifixi imaginem transformari, et stigmata Domini nostri in corpore suo portare, nisi quod jam ante per assiduam crucis meditationem totus animo in Christum crucifixum transformatus erat? floruit ante multos annos virgo quaedam in Italia, nomine Clara, cujus sanctitatem et vitae ac morum excellentiam (quae fuit maxima) ut totam ab amore erga crucem Domini manasse intelligeremus inventa est post obitum ejus, et adhuc hodie cernitur in corde ipsius carneo imago Domini crucifixi artificio Spiritus sancti mirabiliter expressa. Et nos quidem ista in corporibus sanctorum externa signa oculis carneis videre possumus, sed nequaquam videmus quanta eorum animae charitate fulgeant, quanto gaudio repleantur, quanta gloria coronentur. Sed aliquando tamen videbimus, si eis similes esse at eorum vestigiis insistere voluerimus: si enim cum ipsis legitime ducem nostrum subsecuti certaverimus, eadem quoque beatitudinis laurea coronabimur, quod nobis concedat, qui est benedictus in saecula Amen.

CONCIO XXX.

IN RESURRECTIONE DOMINI

THEMA

Haec est dies, quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea. *Psal.* 117.

SYNOPSIS

Exordium de hujus festi summa celebritate agit, et ejusdem cum nativitatis festivitate institui tur collatio ; tum historia gloriosae resurrectionis explicanda proponitur. Atque in primis patres in limbo detenti , qui alio modo Christum praefigurárunt , vel vaticiniis prae dixerunt , describuntur , illorumque ex descensu Christi ad se gaudium eleganter exprimitur : Christique vicissim laetitia ob tot liberatas et regeneratas animas exemplo Jo sephi ob duos filios sibi natos exultantis , demonstratur. Gloriosi corporis resurrectio similitudine Solis exorientis describitur , et figuris Josephi, Moysis, Mardochaei , Danielis , Sampsonis et Jonae declaratur; et qua ratione mors a Christo devicta et vincta iacet ostenditur , et s. Athanasii testimonio confirmatur. Facta deinde ad b. Virginem apostrophe, illius immensum gaudium, quod ex praesentia filii redivivi et sibi apparentis , conceperat , clare explicatur ; et exemplo Jacobi , ob Josephum filium , mortuum creditum at vivum perceptum, gaudio perfusi, exaggeratur: Hinc quam prompto adsit solatio Deus his , qui aliquid pro Christi nomine sufferunt, demonstratur.

Pars posterior enodat quaestionem , cur videlicet festum paschae sit nobile, et in eo celebrando semper expectetur mensis martius, et in eo tertia hebdomada Lunae , hujusque dies sextus, septimus et octavus eligatur. Cujus primi ratio assignatur , quod Martius in sacris litteris mensis novorum *appelletur, et in eo omnia quasi reviviscant et resurgant cum Christo. Cur vero in tertia lunari hebdomade agatur , duplex redditur causa ; Prima , quod a passione et resurrectione Christi tertia mundi aetas inchoetur, uti et tum temporis novus Lunae cursus. Secunda , quia Luna a Sole discedens parte inferiore illustratur , sed superiore obscuratur. contra fit ea ad Solem appropinquante: sic homines , Luna mutabiliores, quo longius a sole justitiae Christo discedunt, mundo splendidiores apparent ; contra si ad Christum accedant , (ubi obiter religionem ingredi volentium impedientes institutum, texantur) Hinc illo tempore Christus nos ad Solem reducturus pati et resurgere voluit. Quid vero certos quosdam dies, nempe sextum passioni, septimum quieti, et octavum resurrectioni, elegerit, duplex itidem causa assertur; prima; ut se ultimis tribus creationis mundi diebus confirmaret. Deinde, ut, quia omnis sanctorum vita tribus diebus peragitur , quid in illa agere , sperare et desiderare debeamus , nos edoceret : ubi illud Psalmi 90.* Cum ipso sum in tribulatione , eripiam eum et glorificabo eum, *breviter explicatur. Praeterea ut feriam sextam passionis agamus , si sabbatum quietis et dominicam resurrectionis desideremus , serio admonemur, et qui pristina peccata rursum ad confessionem asserunt , per fabulam lupi a pastori deprehensi et emendationem promittentis, notantur. Tantem sabatum hujus vitae quam sit miserum et inquietum ; e contra futurae gloriae sabatum foelix et quietum vivis coloribus depingitur.*

Dolor, quem tenebrae superiorum dierum attulerunt, si magnus fuit; magnam quoque, optimi auditores, eam laetitiam esse necesse est, quam ex luce et splendore hodiernae diei capere debemus. *Haec est* enim *dies, quam fecit Dominus.* Et certe par est, ut sicut hebdomada superiore capiti nostro tamquam viva membra et vera condoluimus: ita nunc eidem in die gloriae et laetitiae cordis ejus gratulemur: alleluja, alleluja. *Haec est dies, quam fecit Dominus; exultemus et laetemur in ea.* Caeteros dies suo exortu ac luce Sol facit ; sed hanc diem fecit ille, qui fecit et Solem. Hodie siquidem ille renatus est, qui suo fulgore et lumine etiam Soli tenebras maximas offundit. Itaque caeteri dies sunt dies Solis, *haec est dies quam fecit Dominus; exultemur et laetemur in ea.* Vidit quidem orbis terrarum, et alias hanc novam lucem, cum videlicet ex virgine natus est Christus: sed tamen clarissimum justitiae solem tunc exorientem cooperiebant nubes mortalitatis , comitabantur pluviae tribulationum, obscurabant nimbi et caligines persecutionum, et quod majus brevissimo cursu peracto, iste idem sol descendit totus obductus nubibus in occidentem. Itaque fuit illa dies hiberna quaedam dies, obscura, frigida, brevis. At vero ho-

die totus clarus, totus serenus,totus illustris,numquam amplius obiturus sol justitiae Christus renatus est.

Conferre diem natalis cum die resurrectionis. Tunc parvulus vagiens natus est, nunc gigas potentissimus resurrexit:Tunc in pago Bethlehemitico; nunc in urbe regia Jerosolymorum: tunc in humili stabulo;nunc in excelso monte: tunc agnus erat, qui suo balatu pulsabat, ac movebat viscera matris, nunc vero leo, qui suo rugitu exterruit mortem, tremefecit gehennam, conturbavit castra et principum tenebrarum legiones. Vide quid profeceris, vide quid obtinueris,daemonum et Judeorum crudelitas. Occidisti agnum,et resurrexit leo; non exuit quidem, nec amisit Dominus mansuetudinem; sed induit atque assumpsit potestatem; Itaque de illo Joannes quondam dicebat: *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.* De isto alius Joannes ait, *Ecce*,inquit, *vicit leo de tribu Juda.* Et ipse de se ipso: *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in coelo et in terra. Haec* igitur *est dies, quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea.*

Exultavit hodie caro et anima Christi, exultavit Maria mater Christi, exultaverunt omnes discipuli Christi, exultavit coelum,exultavit terra,et ad ipsas quoque obscuras inferni regiones pars hujus laetitiae penetravit: neque dubium mihi esse videtur, quin et ipse quoque sol, sicut in die passionis Domino suis tenebris deservivit: ita in die resurrectionis ejus duplicato lumine eidem Domino deservierit. Refert de se ipso sanctus quidam pater, singulis dominici diebus cum prima luce vel etiam ante lucem surgebat ad orationem,se etiam ob hujus diei memoriam, tanta laetitia perfundi solitum fuisse, ut sibi omnes res creatae, quae in coelo sunt et quae in terra, magnis vocibus cantare viderentur: *In resurrectione tua, Christe, coelum et terra laetentur, alleluja.* Quare ut nos partem quoque hujus communis gaudii et exultationis capiamus, exponam paucis, et quasi in summa, historiam dominicae resurrectionis. Deinde si per tempus licebit,de mysterio hujus diei breviter disseremus.

Ut igitur ab eo,quod primo loco posuimus,principium faciamus, posteaquam dominus Christus cruento certamini, quod a principio noctis usque ad horam nonam sequentis diei protractum fuerat, gloriose triumphans felicissimum finem imposuit, eadem charitate, qua crucem pro nobis ascenderat,ad sanctos patres in sinu Abrahae quiescentes descendit. Siquidem in eo loco congregatae erant omnes illae sanctae animae, quae ab orbe condito usque ad illam horam in fide et spe adventus domini de corporibus suis exierant. Ibi erant primi illi duo homines, propagatores generis humani, qui sicut primi fuerunt,qui peccaverunt et antiqui serpentis venenum hauserunt, ita primi in crucem et passionem domini, tamquam in aeneum serpentem aspicere et sperare coeperunt. Ibi erat sanctus Abel, qui candidus et rubicundus, hoc est virgo et martyr primus, domini Servatoris typum gessit: et primus Dei civitatem sanguine suo dedicavit,et primus novas illas inferni regiones et sanctorum sedes, habitare caepit. Ibi erat sanctus ille senex, qui molitione ingentis illius arcae simul genus humanum conservavit, et Catholicae Christi Ecclesiae figuram expressit,Ibi erat magnus ille parens omnium credentium, qui primus pactum Dei et insignia servorum ejus in carne sua recipere meruit. Ibi erat exemplar obedientiae sanctus Isaac, qui ligna propriis humeris ferens, in quibus immolandus erat, verum sacrificium ac remedium totius mundi designavit.Ibi erat sanctus ille parens duodecim tribuum, qui alienis vestibus peregrinoque habitu, benedictionem patris lucratus, quod in populis Judaeorum et gentium post multa saecula futurum esset, et majorem minori subiiciendum, hoc est, gentes in Christum credituras Judaeis anteponendas, demonstravit. Ibi vidisses, ut alios multos praeteream, unum prophetam lapidatum alterum sectum, tertium vecte in capite percussum, atque alios aliis modis propter veritatis praedicationem ac testimonium necatos. Ibi quoque erant tanquam hospites et novi accolae illarum regionum magnus Baptista, et fortunatus ille senex, qui non ante potuit egredi de mundo, quam videret propriis oculis Deum infantem,et eum in ulnis suis reciperet, et dulci cantico quasi cygnea voce laudaret. Neque deerat in illa sancta civitate suum hospitium Lazaro illi pauperculo, qui suis plagis et fame ac nuditate hunc sibi locum in sinu Abrahae procurabat, cum dives ille avarus sua purpura et bysso,et quotidianis sumptuosisque conviviis vivas in gehenna aeternasque flammas accendebat. Totusque ille sanctorum chorus ibi erat; et gemebat ac suspirabat, ut viderent diem Domini, atque in medio eorum,quasi ductor chori regius psalles,antequam illam suam lamentationem sine intermissione repetebat: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus: fuerunt mihi lachrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie; ubi est Deus tuus?* At ubi adveniente Domino viderunt tenebras omnes dissipari, obscura illa loca insolito fulgore illustrari,et suam ipsorum gloriam ac beatitudinem jam inchoari,quae lingua explicare posset, quid senserint mentes illae fortunatorum hominum et quanto gaudio, quanta laetitia, quanto tripudio diem illum exegerint? Tunc propheta Ieremias librum lamentationum clausit, quem propter eversionem Jerosolymae et templi prophanationem scripserat. Intelligebat enim post tres dies templum restaurandum, et multo pulchrius post instaurationem futurum, quam ante restaurationem fuisset. Nec ignorabat Ierusalem novam exultationem universae terrae apostolis architectis et martyribus operariis esse fundandam. Tunc rex et sanctus propheta David veterum canticorum oblitus, canticum novum cantare caepit, et dicere: *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Iacob:remisisti iniquitatem plebis tuae; operuisti omnia peccata eorum.* Tunc et Moyses et Maria sumpserunt tympanum in manu sua, et una cum caeteris, qui se videbant jam vere liberatos de Aegypto, et hostes suos submersos in mari rubro canticum illud inchoavit: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est:*

equum et ascensorem dejecit in mare. Et qua laetitia, quibus vocibus, quibus lachrimis existimatis primus parens generis humani, ante pedes filii ac Domini sui prostratus dicebat: Venisti tandem diu expectate ac desiderate domine Filii, ut culpam meam tuo sanguine expiares: non es oblitus *verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Vicit iter durum pietas, et laboris magnitudinem amoris magnitudo superavit.

Non potest certe verbis explicari laetitia sanctorum patrum: sed multo nihilominus major erat ea voluptas, quam Dominus capiebat ex ea multitudine animarum, quas praeteritis suis laboribus et sudoribus se iterum genuisse ac peperisse cernebat. Si patriarcha Ioseph, cum ei duo filii in terra Aegypti nati essent, tantam ex eo voluptatem cepit, ut jam obliviscerelur omnium laborum, quos ante illud tempus in Aegypto passus erat, et primogenito suo Manassis nomen imponeret, dicens: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei*: quid credibile est sensisse Dominum, quando post laborem ac dolorem crucis, se tot millibus filiorum ac filiarum circumdatum vidit? Quando speciosa illa oliva, se tot ramis undique ornatam et quasi vestitam consideravit? O quam fructuose collocati, quam utiliter insumpti gravissimi illi dolores Domino videbantur, quos in arbore crucis proprio sanguine irrigando sustinuit, quando tales fructus eam arborem jam edere ac proferre cernebat.

Sed quid agimus Domine? Cur non communicas partem hujus gloriae cum illo sacro corpore, quod adhuc te expectat in sepulchro? Non recordaris ejus legis, quae ait: *Aequa pars erit descendentibus ad praelium et remanentibus ad sarcinas?* Anima quidem tua, tamquam robustior, non contenta fugasse daemones de terra, persecuta est eos etiam in inferno. Corpus vero priore certamine, multis vulneribus acceptis, substitit ad sarcinas. Cum igitur jam hostium tuorum exercitus suderis, castra eorum et civitates spoliaveris, amicos tuos, qui captivi tenebantur, a servitute asseruerís, neque in his regionibus agendum aliquid supersit: cur non redis ad tabernaculum, ut cum illo collega ac socio laborum tuorum praedam ac spolia dividas. Erat, auditores, sanctum Domini corpus in sepulchro, et adhuc horribilem illam speciem conservabat, quam acceperat in morte. Iacebat super lapidem, obvolutum linteo, pallidum, frigidum, cruore foedatum, livoribus plagis, vulneribus coopertum. Medium noctis jam praeterierat, et coelum ab ea parte, qua oritur Sol, jam albescere et illustrari aurora ex oriente incipiebat: tunc sol justitiae, Christi Deus noster, Solem illum quotidianum suo cursu atque exortu antevértere volens, mira celeritate et majore potestate, natura obstupescente, corpus suum excitavit, atque a morte ad vitam et ad vitam immortalem revocavit. Quanta et quam admirabilis fuit ista mutatio? et sanctum illud corpus, de quanta obscuritate ad quantam gloriam, et quanta velocitate anima redeunte trensierit, certe verbis explicari non potest. Sed fortasse aliqua similitudine, aliquid de re tanta, suspicari poterimus. Accedere solet aliquando, ut ad plagam obeuntis Solis aliqua nubes existat, ita obscura atque atra, ut intuentium oculos exterreat: quae tamen si forte Sol occasui propinquans eam plane suis radiis ferire possit, ita repente lucere ac splendere, et toto aureo effici solet, ut pene ipse globus solis esse videatur. Pari ratione, auditores, splendidissima atque illustrissima illa mens, simul atque in corpus intravit, omnes tenebras ejus convertit in lucem, et statim ad praesentiam ejus, gloriae omni squalore, omni deformitate, omnibus sordibus evanescentibus, summus decor, summa gratia, summa lux, summa species, summa ac perfecta et sempiterna sanitas omnia illa membra et totum corpus occupavit. Quis est iste, qui post tot procellas ac tempestates de profundo mari, tam laetus et tam formosus egreditur? Iste, est Ioseph, qui jam exiit de carcere attonsis crinibus mortalitatis, et indutus vestem immortalis gloriae, et ipse deinceps dominabitur in omni terra Aegypti. Quis est iste? Iste est Moyses, qui jam prodiit ex aqua, et ex juncea fiscella, ut regem Pharaonem et exercitum ejus submergeret in mari. Quis est iste? Iste est Mardochaeus, qui jam exuit saccum et cilicium, et indumenta regia indutus, hostem suum Aman in ipsa cruce suspendit, quam ille paraverat, et universum populum ab illa tyrannide et crudelitate liberavit. Quis est iste? Iste est Daniel, qui teterrimo dracone interfecto in lacum leonum immissus, incredibili potentia eorum ora conclusit, et jam liber, sicut intraverat, exiit. Quis est iste? Iste est Sampson, qui circumdatus hostibus et in civitate Gazaeorum inclusus, media nocte surrexit, et non tam apertis, quam sublatis portis urbis illius omnia proposita et consilium hostium suorum elusit. Quis demum est iste? Iste est Jonas, qui in mare praecipitatus, ut caeteri tempestatem evaderent, et a grandi cete devoratus, tertia demum die, nihil penitus Jesus litori redditus est. Nam etsi potuit cete nostrum Jonam devorare, cum tamen laedere, detinere diutius quam tres dies non potuit. Tunc enim demum intellexit mors se circumventam, et eum devorare voluisse, a quo devoranda et occidenda erat. Dominus enim cum mortem, quae per peccatum primi hominis in hunc mundum intraverat, occidere vellet, id fecit, quod piscatores nudos hamos piscibus, sed eos in esca diligenter includunt, ut pisces accurrant ad capiendam escam, et interim capiantur ab hamo. Ita Dominus fecit: Non enim ipsum per se Dei verbum, quod mori non potest, cum sit ipsa vita et vita aeterna, cum morti congredi voluit: satis enim sciebat ausuram mortem in tale certamen descendere, sed declinaturam omnino conflictum. Quid igitur Dominus fecit? Inclusit hamum ferreum divinitatis in esca sanctae illius humanitatis: statim mors a diabolo incitata cucurrit ad devorandam escam, et videns Dominum posse caedi ac vulnerari, putavit, etiam omnino posse extingui, atque in favillam et cineres redigi. Itaque exultans quasi victrix capta praeda, aperuit os suum, et devoravit quasi dulcem escam carnem servatoris: repente vero sentiens guttur suum hamo transfigi, intellexit, quid incaute suscepisset. Intellexit vitam ac-

ternam sub intecumentis carnis humanae delitescere: intellexit se in hamum ferreum, quem fugiebat, incidisse. Dominus vero mortem captam ita fregit ac debilitavit,ut modo etiam pueri et puellae eam irrideant atque insultent, ac dicant; *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* Magnus Athanasius, libro de humanitate Verbi et salutari adventu ejus, hoc potissimum argumento demonstrat, mortem nihil virium jam habere, quod ante adventum Christi, omnes eam reformidabant: at posteaquam Dominus cum ea singulari certamine dimicavit, eamque in cruce perdomuit, non solum viri graves, et philosophi, qui de contemnenda morte multa didicerunt; sed etiam tot pueri et puellae in ipso flore adolescentiae, quando vita jucundior esse solet, carne et mundo undique blandientibus et sua fallacia gaudia pollicentibus, sola fide et cruce Domini armati mortem audacter provocaverint: et multi maluerunt pro Christo ad mortem, ad tormenta contendere, quam praesentem vitam et salutem tueri, *Quis*, inquit, *cum leonem videt, ludibriis exagitari a pueris ignorat eum, vel iam mortuum esse vel saltem omnibus viribus suis destitutum?* Et rursum; *Quemadmodum*, inquit, *ubi debellato per legitimum principem tyranno, manibusque et pedibus ejus intra vincula constrictis, omnes quotquot ad id spectaculi superveniunt,ludibriis ei insultant, probris et verberibus proscindunt, securi jam saevitiae illius et furoris ob principis sui de eo partam victoriam: Ita quoque mortem jam debilitatam,et per salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum cruce triumphatam, manibus ejus pedibusque obligatis, omnes in Christo pedibus proterunt, martyresque Christo se praebente fannis, ludibriis, conviciis exagitant, objectantes quae dicta sunt per apostolum; Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?*

At tu, triumphator, posteaquam cum isto pulcherrimo corpore tuo praedam ac spolia divisisti, num moestae matris tuae non recordaberis, quae etiam os tuum et caro tua est? Ea certe tecum affixa fuit cruci? Cur igitur etiam tecum non resurget; Apostoli tui sententia est: *Sicut socii passionem estis, sic et consolationis eritis.* Jam etiam beatissima mater tua, a die natali, usque ad crucem,numquam te deseruit: cur igitur modo etiam tantae gloriae et laetitiae particeps non erit? Serena Domine illum Solem propter te obscuratum: dissipa nubes illas tam densas, quae adhuc coelum illud obducunt. Claude cataractas coeli, et reprime copiosum illum imbrem lachrimarum,qui adhuc propter te ab illis virgineis oculis manare non cessat. Erat, auditores, beatissima illa Virgo, quantum pie conjectare licet, illa horae dominicae resurrectionis clausa in cubiculo, et fide ac spe ornata atque erecta, vigiliis atque orationibus operam dabat, ac semper magis ac magis desiderio, atque amore incendebatur, videndi tandem hunc novum splendorem; si quasi fortissima leaena ex intimis praecordiis tertia die super mortuum filium rugiebat, ac dicebat: *Exurge, gloria mea, exurge, psalterium et cithara*: Revertere de praelio, nobilis triumphator: collige, pastor bone, dissipatum gregem: exaudi clamores afflictae matris tuae. Interrupit haec suspiria atque has lagrimas benignissimus Dominus. Repente enim paupercula illa domus coelesti lumine tota completur: et multo clarior atque illustrior Dominus oculis matris appareat oculis nostris lux ipsa meridiana. Quae lingua, quae mens, quae cogitatio magnitudinem ejus laetitiae consequatur, quam beatissima ista Virgo in aspectu tantae, et tam desideratae lucis accepit? O quanta celeritate repressa suspiria, impediti singultus, siccata sunt flumina lachrimarum? Patriarcha Iacob cum post multas lachrimas, quibus Josephum charissimum sibi filium, tamquam occisum et a bestia devoratum defleverat, audivit eum rursum vivere et ipsum esse, qui dominaretur in omni terra Aegypti,tantam ex nuncio laetitiam accepit,quantam animus ejus capere non de gravi somno evigilant, non poterat penitus ad seipsum redire, neque omnino credere, id verum esse, quod audierat et posteaquam tandem conspectis plaustris et muneribus, quae Joseph miserat, rem totam credidit, *revixit, spiritus ejus, et ait: Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit.* Jam igitur, auditores, si patriarcha Jacob, qui domi adhuc undecim filios, et unam filiam, et filios filiorum vivos habebat, tam vehementer laetatus est, cum acceperat, decimum vivere, quem mortuum esse non viderat, sed audierat, et facile suspicari poterat non esse verum,sicut verum non erat:quantum credibile est,exultasse Mariam,quando filium illum unicum, quem habebat, et quem non audierat, sed viderat in cruce mori: quando, inquam, illum unum filium, et talem filium non ex aliis cognovit vivere, sed ipsa propriis oculis conspexit vivum, et non provinciae unius prorege, sed coelorum ac terrarum verum ac solum regem imperatorem effectum? Non possumus certe, non possumus ea capere, quae numquam experti sumus, et quae intelligentiam nostram longe superant: ego tamen illud mihi persuadeo, tantam hanc laetitiam fuisse tantumque gaudium, et ita Mariae totum cor occupasse, ut sine miraculo singulari,vis ejus perferri ac sustineri minime potuerit. O quam cumulati et celeriter, Domine, eos consolaris, qui pro te aliquid patiuntur? Non magnus vere erit iam ille praeteritus dolor,si cum hujus voluptatis magnitudine comparetur.O fortunati labores? o certamina gloriosa servorum et militum Dei, quae tale stipendium et tam uberem mercedem expectant? Vere foelices illi, qui cum plurimum patiantur Domino, vel in defensione pudicitiae, vel in conservatione patientiae, vel in castris aliarum virtutum, contra spiritales nequitias fortiter dimicantes, tamen renuunt hic in terris consolari: Nam *mensuram bonam,et confertam,et coagitatam et superfluentem dabunt in sinum* eorum.

PARS POSTERIOR.

Mysteriis praetermissis resurrectionis, quaestionem unam dumtaxat, tempori maxime accomodatam, nobis, ut spero, non minus utilem, quam ju-

cundam exponam. Quaeso igitur, quae causa sit, cur anniversarius dies celebrandae dominicae resurrectionis non redeat ad eumdem anni diem, sicut dies reliquarum celebritatum? Celebritas incarnationis semper incidit in diem martii vigesimum quintum, Dies, quo natus est Dominus, semper agitur mense decembri die etiam vigesimo quinto. Circumcisio, apparitio aliaeque celebritates semper ad unum et eundem anni diem revertuntur. Quae igitur causa est, cur dies resurrectioni dominicae consecratus numquam sit idem? et nunc in mense martio, nunc in aprili, nunc maturius nunc serius ad nos redeat?

Primum hoc loco, ut d. Augustinus ad Januarium scribens, hanc ipsam quaestionem edisserens, monet. *Illud nosse oportet, in Catholica Christi Ecclesia, alios festos dies in memoriam tantum alicujus rei gestae, alios in memoriam simul et sacramentum celebrari.* Prioris generis sunt dies, quo conceptus, quo natus, quo circumcisus, quo baptizatus est Dominus. Siquidem isti dies, et si qui alii eodem genere continentur, non alia de causa sacri et festi sunt, quam ut nobis in memoriam revocent, quae beneficia a Deo illis diebus acceperimus, et nos pro eis, eodem Domino sincero affectu in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus gratias referamus. Ad hoc vero nihil est opus aliud, quam revolutum anni diem, quo res gesta est, singulari celebritate ac religione peragere porro dominica passio et resurrectio, quas ascensio in coelum et missio Spiritus sancti, subsequuntur, ad posterius genus pertinent. Nec enim dies isti ideo solum celebrius peraguntur, ut Dominum pro nobis mortem obivisse, ac deinde tertia die resurrexisse recordemur; sed etiam ut aliquid praeterea a Domino gestum vel a nobis gerendum intelligamus. Hinc videlicet, ut pascha celebretur, expectamus primum mensem martium, qui *primus in mensibus anni* et *mensis novorum* in sacris literis appellatur, observamus deinde in eo mense tertiam hebdomadam Lunae, nempe a die decimo quarto, usque ad vigesimum primum, quo tempore Lunam diminui, vulgus hominum censet. Postremo in ea hebdomada non quoscumque dies accipimus, ut Hebraei faciunt; sed expectamus ad obitum Domini celebrandum diem sextum, ad sepulturam diem septimum, ad ressurrectionem diem octavum: quos etiam tres dies non temere, nec sine causa Dei sapientia, ut in eis secundum carnem moreretur, in sepulchro quiesceret et ab inferis reverteretur, expectavit. Quaenam igitur in ipsa observatione temporum et dierum mysteria latent? Cur observamus mensem novorum, et in eo mense tertiam hebdomadam Lunae, et in ea hebdomada diem sextum, septimum et octavum? Quid haec tempora nobis significant? Quae sacramenta continent? Haec paucis aperienda sunt.

Initio igitur mensem martium expectamus, quod ipse sit, ut scripturae loquuntur, *mensis novorum*. Quando enim quaeso melius commodius agi potest dominicae resurrectionis celebritas, qua mundus jam collapsus renovatur, et nos jubemur *in novitate vitae* ambulare, et expurgare *vetus fermentum, ut simus nova conspersio*: et exuere veterem hominem, et induere novum; et renovari spiritu mentis nostrae, idque de die in diem; quam eo tempore, quo omnia resurgunt, innovantur, renascuntur, augentur? Nonne hoc tempore, anno quodammodo resurgente ac innovato, resurgunt in arvis fruges, ubique in pratis flores, in arboribus frondes, in vitibus gemmae? Nonne ubique valles et montes virescentibus herbis et graminibus vestiuntur? Nonne redditur sua terrae foecunditas, mari tranquillitas, aeri serenitas, rebus omnibus vita? Ecce quam aptum et idoneum tempus elegit sapientissimus Deus, et innumerae prope resurrectiones, tum hanc unam Domini resurrectionem quasi famulae et administrae comitarentur; tum nos omnes ad resurgendum, et vitam ac mores innovandos et immutandos invitarent.

Exspectamus secundo loco tertiam hebdomadam Lunae, propter duas causas. Una est, quod in passione ac resurrectione Domini tertia mundi aetas, et ut beatus Augustinus loquitur, tertium tempus inchoetur. Prima siquidem aetas fuit ante legem ab Adam, usque ad Moysen: secunda in lege, a Moyse usque ad Christum: tertia post legem, ab obitu et resurrectione Domini, usque ad obitum totius mundi, et communem ac generalem resurrectionem omnium filiorum Adam. Altera ratio hujus observationis paulo abstrusior atque obscurior, atque idcirco pluribus verbis explicanda. Sol et Luna in sanctis literis Deum et hominem significare solent. Deus enim passim *sol justitiae* nominatur, Malachiae quarto; *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiae*. Sapientia quinto; *Erravimus a via veritatis et justitiae, Lumen non luxit nobis*. Et Ecclesia de Christo non raro canit. *Sol justitiae Christus Deus noster*. Homines vero, ac praecipue post peccatum, ideo Lunae comparantur, quia, ut Ecclesiasticus ait, *stultus sicut Luna mutatur*: et nihil stultius homine peccatore. Perpendite modo ex accessu lunae ad solem, vel recessu ejusdem a Sole, quam aperte demonstretur, quid fiat in homine cum acccedit ad Deum vel recedit a Deo. Luna cum ad Solem accedit, illustratur in parte superiori, qua respicit coelum; et obscuratur in parte inferiori, qua respicit terram. Cum recedere a sole, illustratur in parte inferiori, obscuratur in parte superiori.

Itaque tempore novilunii, cum Luna omnino objecta est Soli, nobis quidem, qui solum partem inferiorem respicimus, omnino defecisse, et nihil luminis habere videtur: et tamen ea in parte superiori tota completur lumine. Contra autem cum longissime abest a Sole, et ei e regione opponitur nobis plenissima et pulcherrima videtur: et tamen in parte superiore tota est obscura. Ad eumdem modum, cum homines per peccatum a Deo recedunt, eique opponuntur, obscurantur in parte superiore, illustrantur in inferiore: hoc est, obliviscuntur Dei et bonorum aeternorum, et omnes vires in terrena convertunt. Et ut ait Ieremias *sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt*. Sapientes sunt secundum carnem, sciunt conservare et augere divitias; sciunt non solum tueri, sed etiam extendere limites suos: sciunt

pro tribus obolis optime litigare: at vero sapientiae et coelestis doctrinae, nondum alphabetum attigerunt. Et isti quidem, quorum infinitus est numerus ab oculis terrae laudantur, celebrantur, volitant per ora et aures vulgi. Tunc Luna est plena, omnes aspiciunt, multi invident, plures adulantur. At in oculis Dei et angelorum contemnuntur, despiciuntur, faetent coram eis. Contra vero cum aliquis per poenitentiam et veram conversionem accedit ad Deum, tum illustratur in parte superiore, oculos suos convertit ad coelum, eo dirigit omnes radios suos, ea cogitat, ea diligit, ad ea suspirat, et interim obscuratur in parte inferiore. Obliviscitur enim terrae et rerum terrenarum, moritur quodammodo mundo, et crucifigitur. Neque valde studet propagandae soboli, nec honoribus acquirendis, nec patrimonio ampliando: et isti pauci sunt et pauci illi contemnuntur et irridentur. Cum enim aliquis relictis turbulentis negotiationibus mundi, serio ad Christum convertitur, et cum eo coniungi eique subiici desiderat, quid tum dicunt filii hujus saeculi? quid judicant oculi carnis? Nempe eum deficere, obscurari insanire. Quoties illas voces audimus: Adolescens tantae spei, qui tantos progressus in studiis literarum vel in aula regis faciebat, qui familiam suam multis titulis et ornamentis augere potuisset, ecce quomodo periit, abscondit se in monasterio, ubi deinceps latebit et ignorabitur. Et qui in luce honorum et dignitatum versari potuisset, nunc in tenebris monasterii otiosus versabitur, et nec sibi, nec suis, vel adjumento vel ornamento erit. O quam vehementer falleris sapientia carnis? Tu vero deficis, ille proficit. Tu autem proficis in oculis hominum, ille proficit in oculis angelorum. Tu sapis ea, quae carnis sunt; ille sapit ea, quae Dei sunt. Tu diligis ista, quia meliora non nosti, ille illorum obliviscitur, quia recordatur meliorum: tu servire potes Mammonae, quia Deo non servis; ille renunciat mammonae, quia Deo servire cupit, et nemo potest Deo servire et mammonae. Sed tunc intelliges, licet sero, tunc sapere incipies, cum in extremo die cum perditis et damnatis dices: O nos insensatos, qui *vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei; et inter sanctos sors illorum est.*

Quorsum tam multa, dicet aliquis, de cursu Lunae? Omnino ad propositum auditores: Deus enim qui est *lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, cum primum hominem condidit, ejus faciem ad se convertit, ad eum modum, quo Luna se habet, cum est conjuncta cum Sole. Itaque tunc homo subjectus Deo illustrabatur internis, gaudebat ac delectabatur in Deo neque ei valde curae erant convivia, choreae, aliaeque sensuum et carnis voluptates: habebat enim alia sine comparatione majora et meliora. Verum non diu infelix homo hac felicitate frui potuit: statim enim daemone impellente, per peccatum coepit a Deo recedere, et simul faciem ab eo evertere, atque ad terram convertere; non secus ac Luna facit cum a Sole recedit. Legite historias rerum gestarum a condito orbe, ibi plane videbitis post peccatum primi hominis, semper hominibus magis et magis a Deo recedentibus crevisse in orbe contemptum atque ignorantiam veri Dei; et simul auctam prudentiam carnis, auctas fraudes, auctam industriam male agendi, auctam nequitiam et libidinem fuisse. Quid tunc fecit Deus? expectavit ut compleretur nostra malitia, et discederent homines quam longissime poterant, et Lunae persimiles essent. Cum ad finem secundae hebdomadae, hoc est, ad diem decimum quartum pervenit, et tunc demum hac plenitudine temporum et humanae malitiae, Luna videlicet plena existente, et secundam hebdomadam complente, misit Deus Filium suum, ut moriendo ac resurgendo, rursum genus humanum ad se traheret, atque ad conjunctionem cum Sole revocaret. Itaque sicut initio tertiae hebdomadae iterum Luna ad solem faciem suam convertit, atque ad eum properat, donec ei rursum plene ac perfecte subiicitur: ita nos quoque a Christo de cruce concionante vocati et excitati ad Deum convertimur; et qui eramus longe, efficimur prope: et quanto magis ei affectu pietatis propinquamus, tanto magis exterior noster homo corrumpitur, et interior renovatur de die in diem, et mundo crucifigimur et morimur, ut soli Deo in Christo vivamus, et pascha quotidie agamus, quod transitum significat, dum transimus de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de vitiis ad virtutes, donec veniat dies faelicissimus novilunii, et Luna cum Sole, hoc est, Ecclesia cum Christo plane ac perfecte in coelo jungatur.

Haec igitur est causa cur Spiritus Sanctus, hoc nostrum pascha, atque hunc transitum non alio tempore, quam tertia Lunae hebdomada: non quoscumque dies, sed certos quosdam dominus elegerit, nempe sextum, septimum et octavum, et hoc potissimum triduum nobis moriendo, quiescendo et resurgendo commendaverit. Cujus rei duas quoque causas fuisse video. Prima est ut Christus in hoc excellentissimo opere liberationis, verus Dei Filius ostenderetur, omnino decebat, ut quemadmodum Deus sexto die hominem creaverat; ita Christus sexta die eumdem hominem, sua morte ac passione ad vitam, quam amiserat, instauraret, et septima die quiesceret ab opere redemptionis. Et sicut Deus octava die non redierat ad aliquas novas res procreandas, sed solum ad ea gubernanda et conservanda, quae ante sabbatum creaverat: ita Christus octava die resurgeret quidem; sed non ad laborem, non ad concionandum, non ad jejunandum, non ad pedes discipulorum lavandos: sed dumtaxat ad ecclesiam administrandam et regendam, quam sibi proprio sanguine et vita peperererat. Deinde voluit Dominus, ut b. Augustinus in epistola illa ad Januarium docet, hoc sacratissimo triduo nobis ostendere, quid agere, et quid sperare ac desiderare deberemus. Omnis enim vita sanctorum tribus diebus peragitur. Primum excipit nos dies passionis, dies sextus, in quo flagellamur tamquam filii, et in quo dicitur nobis: *Tolle crucem tuam et sequere me.* Et hic quidem a die nataliusque ad diem obitus durat. Sequitur deinde dies sabbati, dies quietis, ab obitu usque ad resurrectionem, quo die dicitur sanctis. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: Amodo jam dicit spi-*

ritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Postremo adveniet optatissimus dies octavus, quo absorbebitur mortalis vita, et *inimica destruetur mors*,et Dominus Christus *conformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae*:Et tunc plene ac perfecte resurgentes jam non moriemur, *mors ultra* nobis *non dominabitur*: quia vero non resurgent iterum sancti homines ad labores, nec requies illorum illis saeculorum spatiis terminabitur, ideo nec septimus dies finietur, sed continuabitur cum octavo: id quod etiam Moyses significare voluisse videtur, cum in libro primo Geneseos, soli diei septimo non adjungit vesperam:siquidem gloria resurrectionis non extinguet, sed excipiet et conservabit,ac etiam meliorem faciet requiem beatorum. Porro de hoc triduo in psalmo quodam legimus; *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* Est enim nobiscum in tribulatione Deus, dum est dies sextus, et tempus crucis peragitur; eripiet vero et liberabit de omni tribulatione, atque in quiete constituet, cum dies septimus, hoc est, dies mortis advenerit. At die octavo tum demum nos a mortuis excitabit, et gloriosos ac beatos efficiet. Itaque die sexta dicitur: *Cum ipso sum in tribulatione*: die septima, *eripiam eum*: die octava, *et glorificabo eum.*

Quae cum ita sint, auditores, omni animi provisione cavendum est, ne de illorum numero simus, qui rationem hujus sacratissimi tridui non intelligentes,hic in terris agere volunt non diem sextum ut deberent; sed septimum et octavum, nempe crucem ferre non volunt, contra spirituales nequitias arma sumere, et fortiter dimicare non volunt. Sed quid illis accidet? Num feriam sextam et tempus crucis evadent? Non evadent sane. Omnino enim tempus crucis agere debemus, vel in hoc saeculo brevissimum vel in alio sempiternum.Itaque nemo se fallat, nemo se ipsum decipiat, nemo ut hic sabbatum et sabbatum breve ac turbulentum agat,sabbatum illud pacatissimum et sempiternum quod in alia vita nobis dominus pollicetur,amittat. Quid enim stultius, quid insipientius, quam ut hic ad momentum laeteris, ac diem festum agas et incidas in eam quadragesimam,quae pascha non expectat, et in eam vigiliam, quam nullus consequitur dies festus, et in eam sextam feriam,quae sabbatum et dominicam post se non habet.

Quamobrem oro vos atque obtestor, auditores, ut hoc alte mentibus vestris infigatis, neque semen istud veri verbi Dei vobis de corde ab ullo daemone auferri sinatis: sententiam ac decretum esse Dei, ut omnes sive adolescentes, sive senes, sive nobiles sive ignobiles, sive pauperes sive divites, ad requiem sabbati,et gloriam dominicae resurrectionis non perveniant, nisi hic in terris feriam sextam egerint crucemque portaverint. Quid est portare crucem? Quid? Tolerare injurias, reddere bonum pro malo, dimicare viriliter contra vitia, coercere libidines, non fornicari, non inebriari, non alias foediores voluptates consectari, quae nec nominari honestis vocabulis possunt.

At inquis, tametsi ista non servo, tamen postea ad confessionem accedo, atque ita crucem meam fero. Verum est quidem, ad confessionem accedis, sed qua contritione? quo dolore? quo desiderio satisfaciendi? quo proposito non peccandi? Certe tales confessiones hoc nostro saeculo fiunt, ut ego vehementissime reformidem illas audire. Nonne singulis annis promittis sacerdoti, te diligentiam adhibiturum, ut non pecces? Nonne statim promissionis oblivisceris? Nonne anno sequenti cum iisdem peccatis et fortasse pluribus et majoribus ad eum accedis? Audire vultis sapientem quamdam fabulam? Ferunt aliquando lupum a pastore quodam in stabulo comprehensum:cumque jam pastor mortem minitaretur, lupum facundia sua coepisse, ac dixisse: Domine, non amplius veniam, spondeo, promitto, do fidem, nihil amplius detrimenti tuis gregibus inferam. Pastor vero, Non me decipies, inquit: Et tunc vero non amplius redibis si te interficiam. Quid ego tibi parcerem, qui non solum agnos et oves devoras; sed etiam cum stabulum ingrederis, etiam sine fame,solum libidine nocendi omnes oves occidis? Tum lupus: Vere domine, ex corde, ex animo poenitet me nequitiae meae, agnosco stultitiam meam, et deinceps, nunc polliceor,me nihil unquam accepturum,nisi fames coegerit, et fame etiam cogente, non consumam amplius, quam pretium septem obolorum. Tandem pastor misericordia motus: Vade, inquit: Tu etiam debes vivere, sed recordare promissionum. Abiit lupus, et cum in itinere meditaretur sobrietatem, ecce occurrit ei pinguissimus quidam vervex. O gravem tentationem. Et quid egit lupus? Hic, inquit, habeo prandium praeparatum: sed quid respondebo pastori, si hoc agam? Quid ei respondebo? Tandem cepit bonum consilium,atque ait:Iste vervex nihil valet: ego certe non illum tribus obolis emerem. Itaque finxit illum non valere tres obolos, et sic eum devoravit. Sequenti die invenit bovem unum, quem etiam parvulus vitulus sequebatur. Tunc lupus ex facto priore audacior factus: Bene, inquit, iste bos valere potest quatuor obolos, vitulus tres, tota summa ad septem obolos vix perveniet, et ad eum modum eos occidit. Itaque hoc modo cum plerisque hominibus agitur,auditores: exercent toto anno vitam luporum, veniunt sabbato sancto ad pastores, audiunt sibi aeternum interitum esse paratum,omnia se facturos,et numquam amplius peccaturos esse pollicentur. Sed quid? Venit pascha, occurrunt occasiones peccandi, illi statim in promptu habent, quo pacta extenuent. Invitat aliquis ad tabernam: O, inquit, promisi pastori meo, me non amplius iturum. Quid? inquit, Non hoc promisisti, sed non iturum,ut inebries te: ego idem promisi, neque volo ut inebriemur: absit hoc a nobis: sed quoniam jam agitur pascha, erimus paulo hilariores, bibemus unum poculum vini. Itaque eunt, et redeunt tam bene poti, ut vix recti per plateas incedant. Omitto de fornicationibus et aliis gravioribus peccatis dicere, nam numquam esse finis. Summa haec est, singulis annis eadem peccata ad pastores redeunt, nunquam cumulus diminuitur: et quid putatis has confessiones prodesse? Si viderem te lachrimis rigatum, et magno desiderio flagrantem patiendi, et laboriosis operibus Domino satisfaciendi, et signa

te verae conversionis aspicerem, tum dicerem, te ferre crucem. Ad solum peccata, non solum sine dolore, sed etiam sine rubore recitare, et sequenti die in eadem labi, hoc non est portare crucem: sed crucifixum irridere. Itaque non fers crucem in confessionem, quia sine dolore et poenitentia confiteris. Quando igitur cruces portas? Quando feriam sextam agis? Quando Dominum imitaris? Certe numquam. Numquam igitur ad sabbatum pervenies. Serio et ex animo loquor, semper in gehenna feriam sextam ages.

At inquis, nimis severa, nimis dura, nimis aspera nobis proponis. Non nego, non inficior illud. Dura sunt et amara; sed dulcia et jucunda illa erunt, ad quae ista perducunt. Et rursum, aspera sunt haec, sed asperiora multo erunt, quae in gehenna peccatores manent. Postremo hanc viam et non aliam Dominus Christus et virgo Deipara et omnes sancti tenuerunt.

Quamobrem, auditores, viriliter contemnamus sabbatum praesentis vitae sabbatum aerumnosum turbulentum, brevissimum, momentaneum, plenum necessitatibus et mutationibus, in quo si non comedimus, esurimus; si comedimus, gravamur; si non bibimus, sitimus: si multum bibimus: inebriamur, et corpore etiam languemus; si non dormimus, deficimus; si nimium dormimus, torpemus si ambulamus, defatigamur, et ideirco surgimus ut ambulemus: si vestimenta non induimus, frigemus si induimus, saepe nimium calemus. Contemnamus hoc sabbatum, quod numquam vacat a morbis et doloribus, in quo si abit unus, succedit alter, si abit dolor dentium, succedit dolor capitis; si confirmatur caput, debilitatur stomachus. Contemnamus hoc sabbatum simulatum, non verum. Quomodo enim est sabbatum, quod est timoribus et soliciludinibus plenum? Si es puer, times virgam: si es adolescens, morbus amoris te discruciat: si es vir, cura familiae tibi somnum et quietem auferl: si es senex, ipsa senectus est tibi oneri, cum etiam minimus labor senectutem frangat: si es dives, fortunarum conservatio tibi negotium et molestiam parit: si es pauper, semper cogitas quo pacto tibi victum comparare poteris: si es regibus subjectus, times exactiones tributorum: si es princeps, times defectionem civitatum. Contemnamus hoc sabbatum, ubi nulla aetas est perfecta, nulla caret vitio: ubi inventus est robusta, sed insana: senectus sapiens, sed infirma. Contemnamus hoc sabbatum, atque ad illud aspiremus, ad quod hodie nostrum caput Christus, *primogenitus ex mortuis et primitiae dormientium* pervenit. O dulce sabbatum sanctorum? O vere felix et solum felix sabbatum futuri saeculi? ad te suspirat peregrinatio nostra ob exitu usque ad reditum: tu neque fame, neque siti, neque ullo aestu cruciaris; tu nescis labores, dolores ignoras, curas ac solicitudines non novisti: te neque somnus torpere facit, nec vigilia fatigat, nec timores exterreni, nec molestiae premunt. Apud te est juventus sapiens et senectus robusta: et haec tam fortunata aetas numquam mutabitur numquam deficiet, numquam finietur; sed peraget annos et saecula, et centurias et myriades saeculorum, et semper erit idem sabbatum, semper aeque florens ac virens permanebit. Actio quidem otiosa et otium plenum dulci negotio, et sine fastidio satiabit, et cum eo nexum amoris conjunget, qui est ipsa beatitudo et vita aeterna, cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO XXXI.

DE FERIA SECUNDA RESURRECTIONIS DOMINI

Haec dies boni nuncii est: si iacuerimus et noluerimus nunciare, sceleris arguemur. 4. Reg. 7.

SYNOPSIS

Verba Samaritanorum leprosorum, obsidionem urbis suae, Syris fugientibus, solutam nunciantium ad hodiernam festivitatem liberationi non unius urbis, sed totius orbis solemnem, applicatur. Concio d. Petri Cornelio facta pro hujus concionis materia proponitur, in qua paucis verbis tria praecipua fidei mysteria complexus est, incarnationis, passionis et resurrectionis Christi. Bonorum vita comaediae, malorum tragoediae comparatur. Sententia s. Petri, unxit eum Deus Spiritu santo, et virtute, *explicatur, quomodo nimirum Christus bis fuerit unctus, semel in anima ab initio incarnationis, (quod impie negat Cherinthus) semel in corpore in resurrectione; et quomodo Christi unctio a nostra unctione discrepet, docetur. Cur Spiritus sancti dona oleum dicantur, septem efferuntur cum suis amplificationibus rationes. Prima, quia oleum vim habet facile penetrandi et emolliendi. Secunda, quia mira lenitate et virtute anodyna praeditum est. Tertia quia eo in certamen descensuri ungebantur. Quarta, quia res quosdam reddit magis perlucidas et transparentes. Quinta, quia illud, praesertim pretiosum, magnam de se spargit fragrantiam. Sexta; quia laetitiam parit; ubi olei moeroris et laetitiae antiquorum obiter fit mentio. Septima, quia semper liquoribus caeteris supereminet; quae omnes proprietates donis Spiritus sancti etiam conveniunt. Quomodo deinde gratia Dei sit conservanda et dispensanda, exemplo Christi similitudinibus Solis et columbariorum, demonstratur.*

Secunda pars explicationem concionis d. Petri prosequitur, et obiter ostenditur, quod nullus crucem erubescere debeat. Narratur, quam multis testimoniis Sacrae litterae nobis mysterium resurrectionis inculcent; et quam variis modis Christus suam voluit confirmare resurrectionem, per angelos, fide dignos testes, per ostensionem vulnerum per operationem vitales, per repetita miracula. Resurrectionem nostram variis argumentis a ss. Patribus probari nullum tamen haberi firmius, quam Christi resurrectionem, ex qua nostra dependet, convincitur. Vita Christi comoediae assimilatur, in qua primi omnia varia et dubia, media funesta, quae finis laetissimus et gloriosissimus excipit; hanc item comaediam plurimos sanctorum egisse declaratur. Pro conclusione pulchra subnectitur, doctrina, quomodo spe, eaque incomprehensibilis felicitatis, nobis vivendum sit.

Licebit enim mihi, auditores optimi, in tam illustri ac laeta solemnitate ac celebritate, eodem apud vos uti principio, quo leprosi quondam Samaritani nuncium jucundissimum in urbem Samariam allaturi inter se usi fuisse referuntur. Si enim illi, cum vidissent illam urbem gravi ac diuturna obsidione liberatam, exercitum Syrorum terrore de coelo immisso penitus dissipatum ac fusum, spolia inimicorum, vasa, vestes, arma, copiam bonorum omnium in viis publicis jacere, quae Syri videlicet dum turbarentur ac fugerent, sponte abjecerant, optimo jure inter se dixerunt: *Haec dies boni nuncii est: si tacuerimus et noluerimus nunciare, sceleris arguemur.* Quanto nos magis, qui non urbem unam, sed hesterna die orbem totum vidimus non solum longa et dura obsidione liberatum; sed etiam de faucibus mortis quodammodo ereptum et tartareas legiones ita prostratas ac fractas, ut jam ad solam memoriam praeteritae victoriae contremiscant, atque ad solum conspectum vexilli nostri imperatoris, nostraeque militiae terreantur: praeterea urbes inimicorum succensas praesidia eversa, castra spoliata, captivos ereptos, denique mortem mortuam, peccatum occisum, vitam revocatam, Solem coelo, et coelum terris restitutum. Quanto nos, inquam magis dicere debemus: *Haec dies boni nuncii est: si acuerimus et noluerimus nunciare, sceleris arguemur.* Annunciamus igitur *vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*; Quia redditus est nobis hodie Salvator: *Quem* enim *occiderunt.* Judaei, *suspendentes in ligno*, eum *suscitavit a mortuis Dominus tertia die*, et qui in baculo suo solus transivit Jordanem, is duabus turmis comitatus regreditur: et qui viam universae carnis, hoc est, vias mortis pro nobis intravit; is iterum adinvenit, atque aperuit vias vitae.

Porro hoc nuncium bonum, hoc verum, explicat nobis apostolus Petrus in iis verbis, quae ex capite

decimo Actuum apostolorum hodierna die Ecclesia nobis proponit. Audivistis enim inter sacrorum solemnia lectionem ex Actibus apostolorum recitari, ubi apostolus Petrus, Cornelium Centurionem gentium primitias Christianae fidei mysteriis imbuens ita concionatur: *Vos scitis*, inquit, *quod factum est verbum per universam Judaeam, incipiens a Galilaea post baptismum, quod praedicavit Joannes, Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute.* Quibus verbis tria praecipua, ac fere difficillima nostrae religionis mysteria summa brevitate complexus est. Incarnationem videlicet Salvatoris passionem ac resurrectionem. Quamquam nec reliquum cursum vitae ejus omnino intactum reliquit. Ait enim: *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.* Itaque hodie ecclesia Catholica, mater nostra, quasi epilogum quemdam faciens totum cursum Domini ab initio admirabilis istius conceptionis usque ad finem felicissimae resurrectionis nobis ob oculos ponit. Neque id absque magna et gravi ratione. Est enim cursus Domini similis comediae, quae anceps habet initium, perturbatum medium, sed felicissimum finem. Sicut rursum cursus Satanae et divitis epulonis plane tragicus fuit, Initium enim optimum habuit; sed exitum pessimum. Istos vero tam diversos fines semper in memoria retinere, atque assidua meditatione revolvere, mirum est profecto, quantum conferat ad omnem vitam bene beateque instituendam. Quis enim non cupiat (cum alterum necesse sit) comoediam potius, quam tragoediam agere? Christum, quam daemonem imitari? Fluctuari nonnihil in medio mari, sed tamen ad portum feliciter appellere, quam tota navigatione prosperis flatibus ventorum frui, et tandem in portu naufragium pati? sed aggrediamur, si placet, ad concionem apostoli Petri breviter explicandam.

Vos scitis, inquit, *quod factum est verbum per universam Judaeam, incipiens a Galilaea, post baptismum, quod praedicavit Joannes*: hoc est, Non arbitror vos ignorare, quid contigerit hisce tribus annis in Judaea et Galilaea, posteaquam Joannes baptismum poenitentiae praedicavit. Siquidem hebraico more b. Petrus nomen verbi usurpat ad res ipsas designandas, quae verbis explicari solent. *Vos scitis*, inquit, *verbum quod factum est.* Audivistis sine dubio famam ejus rei, quae gesta est. Quia vero dicere poterant, quam historiam narras? quid est, quod contigit his tribus annis? statim subjungit. *Iesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute: qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.* Loquor, inquit, de Jesu Nazareno, hoc est verbum, quod factum est. Profecto enim pervenit etiam ad vos celebritas nominis et sapientiae et prodigiorum ejus: *fuit* enim *vir propheta, potens in opere et sermone.* Hunc igitur *Deus* initio *unxit Spiritu sancto et virtute.*

Haec est prima pars concionis, qua incarnationem divini verbi attingit. Neque enim semel; sed bis unctus fuisse Christus invenitur: semel in incarnatione, iterum in resurrectione. Prior unctio proprie ad animam pertinuit, Tunc enim, in incarnatione videlicet, unctus fuit gratia, sapientia, virtutibus, gloria etiam et beatitudine, sed animae, non corporis. Posterior unctio fere corporis fuit. In resurrectione siquidem unctum fuit corpus Dominicum immortalitate, luce, gloria, exaltatione. Atque huc pertinere videtur locus ille Psal. 44. ut b. Hieronymus ad Principiam scribens exponit. *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Propterea, inquit, quia *dilexisti justitiam*, cum per passionem et mortem justum pretium pro peccatis nostris persolvisti, et unicuique suum tribuisti, Deo patri honorem, hominibus salutem, angelis laetitiam, daemonibus confusionem: quia etiam *odisti iniquitatem*, et ita odisti, ut malueris crucifigi et mori, quam regnum peccati non evertere; ideo *unxit te Deus, Deus tuus* in die resurrectionis, *oleo laetitiae*, immortalitatis et gloriae. Quod idem aliis verbis legimus in Apostolo: *Humiliavit*, inquit, *semetipsum factus obediens usque ad mortem. Propter quod et Deus exaltavit illum.* Hoc est, unxit illum in regem, ut acciperet *gentes haereditatem* suam *et possessionem* suam *terminos terrae.* Et non ipse deinceps ulli subiiciatur, sed omnia sibi subiiciat, et *in nomine* ejus *omne genu flectatur coelestium terrestrium et infernorum.* Sed quamquam haec ita se habent, tamen apostolus Petrus hoc loco non de resurrectione, sed de incarnatione loquitur. Neque enim ut Cherinthus. Tertulliano teste, blasphemavit, Servator noster in infantia, pueritia, adolescentia tamen fuit Jesus, deinde anno trigesimo coepit esse Christus, sed ab ipso primo instanti conceptionis suae, unctus fuit Spiritu sancto et virtute: atque adeo ab ipso primo instanti, quo *Verbum caro factum est*, Christus, hoc est, unctus, et rex, et sacerdos ac propheta optimo jure dici potuit.

Attribuitur vero haec unctio Dei filio ratione humanae naturae quam ex matre his diebus novissimis assumpsit, non ratione divinae, quam ex Patre ex aeternitate accepit. Nec enim Dei Filio, secundum formam Dei, convenit ungi, sed ungere: neque gratia et dona Spiritus sancti accipere; sed dare. Itaque sicut Filius Dei ratione humanae naturae ambulavit, comedit, bibit, passus est, mortuus est, excitatus est: sic etiam ratione ejusdem naturae, unctionem Spiritus sancti, hoc est, gratiam et caetera dona, in ipsa sua conceptione accepit; sed alio tamen modo quam nos accipiamus. Nos enim unctionem istam accipimus, ut filii Dei efficiamur, Christus vero non ut fieret, sed quia erat Filius Dei. Tametsi enim simul in momento uno atque eodem haec omnia facta sunt, et natura humana creata a verbo divino assumpta, et unctione Spiritus delibuta: tamen non ideo a verbo divino assumpta, quia unctione Spiritus delibuta, sed contra ideo unctione Spiritus delibuta, quia a verbo divino assumpta. Decebat enim ut ea natura per eam admirabilem ac plane singularem assumptionem sponsa summi regis affecta omnibus donis, et virtutibus et charismatibus divinis ornaretur. Itaque unctio assumptionem non praecessit, sed potius comitata et secuta est: hoc est, quod

Joannes ait: *Verbum*, inquit, *caro factum est: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiae et veritatis.* Siquidem primo loco ponit, quod ordine naturae praecedit. *Et verbum*, inquit, *caro factum est:* deinde meminit ejus,quod suo ordine sequitur: *plenum gratiae et veritatis*, hoc est, unctum Spiritu sancto,et virtute. Nec frustra addit, *Plenum*: Christus enim non ad mensuram unctionem Spiritus recepit: sed tam abundanter, ut ab ipso tamquam ex capite in nos omnes unctio derivetur. Nam ipse est caput, unde unguentum *descendit, barbam*, hoc est in apostolos Christo capiti proximos. Deinde usque *in oram vestimenti ejus*, hoc est, in nos omnes. *Nos*, enim *omnes de plenitudine ejus accepimus.* Atque hinc ipse singulariter dicitur Christus, hoc est, unctus: nos non tam Christi quam Christiani nominamur: tamquam ii, qui uncti quidem sumus sed unctionem nostram illi acceptam referimus, qui plenissime et singulariter est unctus.Haec igitur est sententia b. Petri,cum ait;*Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute.*

Sed quaeret aliquid fortasse. Cur dona Spiritus sancti oleum appellentur? Quid habet unctio cum gratia, oleum cum spiritu?Cur potius ait apostolus Petrus, *Unxit eum Spiritu sancto*, quam replevit eum Spiritu sancto? Non est hic unus locus, auditores, in quo Spiritus sanctus oleum appelletur: imo vero nihil frequentius Spiritus, quam oleum nominatur. Psal. 88. *Oleo sancto meo unxi eum.* Isaiae 61. *Spiritus Domini super me,eo quod unxerit me.* Daniel. 9. *Impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.* Actorum 4. *Convenerunt vere in civitate ista adversus puerum sanctum tuum Iesum, quem unxisti,Herodes et Pontius Pilatus.* Posterioris ad Corinthios capite primo: *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos,et dedit dignus spiritus in cordibus nostris.* Primae Ioannis secundo, *Et vos unctionem habetis*, et unctio *quam accepistis maneat in vobis,et unctio ejus docet vos.* Denique Ecclesia his et similibus vocibus Scripturarum edocta, Spiritum Sanctum spiritualem unctionem appellare solet. Quare non sine multis et magnis rationibus apostolus Petrus gratiam Spiritus sancti oleo comparavit, cum ait; *Unxit eum Spiritu sancto et virtute.*

Et mihi quidem in praesentiarum septem rationes occurrunt, juxta numerum eorum donorum, quae Isaias propheta Spiritui sancto attribuit. Primo, sicut oleum id proprium habet, ut, cum sit liquor subtilissimus ac tenuissimus, facile, suaviter ac sine strepito pene omnia penetret: sic etiam gratia Spiritus sancti cordibus lapideis, ferreisque pectoribus ita illabitur, et ea tanta facilitate et suavitate emollit et convertit, ut nihil admirabilius cogitari possit. Non enim vim adfert, neque cogit; sed incredibili suavitate ita se cordibus impiorum insinuat, ut ea faciat id velle ac desiderare, quod ante fugiebant et orrebant:id odisse ac detestari, quod ante maxime diligebant.

Deinde, sicut oleum medicamentum est, sed molle ac suave, quod non mordet, sed fovet: neque angit, sed lenit, et mitigat dolores, sic etiam gratia Spiritus sancti curat vulnera peccatorum.Et adeo potens est hoc genus medicamenti, ut una gutta hujus olei omnem morbum, quamvis deploratum et lethalem facile possit expellere.

Tertio, sicut oleo inunguntur athletae, qui certaminibus variis ad coronam contendunt;sic etiam gratia Spiritus sancti inunguntur Christiani, ut inde roborati et confirmati nullis tentationibus aut persecutionibus cedant. Id apostolis accidisse videmus. Posteaquam enim in die pentecostes oleo isto copiose delibuti fuerunt, non amplius fugam, propter metum Judaeorum aut latebras meditabantur: sed robusti et audaces effecti, licet pauci et inermes totum orbem et omnes daemones provocare atque aggredi non timuerunt.

Quarto,sicut proprium est olei illustrare et purgare, vel ut magis proprie loquamur,res quosdam magis perspicuas et magis idoneas, atque apertas ad lumen recipiendum efficere, quam antea per se essent: id quod experimur in papyraceis foliis, quae si oleo inungantur, instar crystalli lumen admittunt et transmittunt: sic etiam gratia Spiritus sancti purgat oculos animae,atque eos ita illustrat, et coelestium radiorum capaces facit,ut facile spiritus bonos a malis discernant, nec imprudentes in insidias ac laqueos daemonum incidant, et sublimia reconditaque mysteria, quantum licet, vel ad salutem necessarium est, sine labore percipiant. Itaque merito beatus Joannes; *Unctio*, inquit, *docet vos de omnibus.* Et Apostolus Paulus; *Spiritualis homo*, hoc oleo Spiritus sancti inunctus, *omnia judicat.* Et b. Gregorius, *Ungit*, inquit, *Spiritus iste sanctus citharaedum, et psalmistam facit: ungit pastorem, et prophetam facit: ungit abstinentem puerum, et judicem senem facit: ungit piscatorem, et praedicatorem facit: ungit persecutorem, et doctorem gentium facit: ungit publicanum, et facit evangelistam.* Et qualis est ista unctio Spiritus? Mox ut tetigerit, mentem docet, solumque tetigisse docuisse est.

Quinto, sicut oleum, ac praesertim pretiosum, quale est balsamum, et alia quaedam, suavissimum odorem exhalat: legimus enim; *Oleum effusum nomen tuum*; et, *curremus in odorem unguentorum tuorum*:et *Repleta est domus ex odore unguenti*: Sic etiam gratia Spiritus sancti eam fragrantiam odoris aspirat iis, quos replet,ut apostolus dicat, *Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt.* Et sicut malus odor scelerum ac flagitiorum, ita est malus et gravis, ut etiam ipsos scelestos ac flagitiosos offendat: ita bonus odor sanctitatis et integritatis, ita gratus et suavis est, ut etiam perditos ac corruptos homines mirifice afficiat: Et quemadmodum foetor peccati, peccatorem occultum esse non patitur; ita odor virtutis et gratiae semper homines sanctos manifestos facit. Absconderunt se olim plerique sanctorum in speluncis et in cavernis terrae, quaerebant abditissimas solitudines, locaque deserta,amantes nesciri; sed quanto magis ipsi se abdebant, tanto vehementius et suavius odor humilitatis, et sanctimoniae spargebatur, et hominum multitudines ad se attrahebat.

Beatus Hilarion cum quasi perpetuum bellum cum honoribus, et famae celebritate gereret, totum pene vitae suae spatium in fugiendo consumpsit, nec tamen unquam vel ad paucos dies latere potuit. Nam quocumque pergeret, statim bonus odor virtutum ejus se diffundebat, et ad eum tamquam ad communem parentem populi accurrebant.

Sexto proprium est olei laetitiam et hilaritatem parere. Quamquam enim habebant veteres, tam Ethnici quam Hebraei oleum laetitiae et oleum moeroris, quorum priori utebantur in conviviis, posteriori in funeribus: nam de priori legimus in psalmis; *ut exhilaret faciem in oleo*: et in Evangelio; *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava*: et Maria Magdalena unxit pedes Domini recumbentis: et Dominus ad Simonem leprosum; *Intravit*, inquit, *in domum tuam, oleo caput meum non unxisti*. De posteriori, legimus in litteris divinis, Jacob et Joseph patriarchas, ipsum orbis conservatorem ac liberatorem defunctos, unguentis et aromatibus conditos fuisse. Apud Ethnicos vero exstat epigramma Martialis in Fabullum, quo utriusque unguenti mentionem facit, atque conqueritur, se ad convivium invitatum, unguentum bonum, sed coenam malam invenisse.

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis, here: sed nihil scidisti.
Res salsa est, bene olere et esurire.
Qui non caenat et ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

Tametsi, inquam, esset oleum aliud laetitiae, aliud moeroris: tamen gratia Spiritus sancti non cum oleo illo funesto, quo cadavera mortuorum inunguntur; sed cum oleo laetitiae et exultationis, cujus est usus in conviviis, procul dubio comparatur. Sic etiam in Psalmo quadragesimo quarto legimus; *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis*. Itaque nulli sunt laetiores et jucundiores hominibus sanctis, amicis Dei: hoc est, oleum ita omnium laborum et dolorum, tribulationum ac difficultatum, quibus plenus est hic mundus, asperitatem lenit ac mitigat, ut ii, qui isto oleo abundant, in tribulationibus gaudeant, in doloribus exultent, in laboribus et difficultatibus quiescant. *Multi*, inquit Bernardus, *vident crucem nostram, sed non vident unctionem nostram*. Vident quid patiamur exterius, pannosam vestem, crebra jejunia, frequentes vigilias, laborem obedientiae certamen castitatis; sed non vident, quo gaudio, qua pace, qua jucunditate fruamur interius: quod si viderent, profecto crucem non horrerent. Quamquam enim crux est jugum; tamen jugum computrescit et evanescit a facie olei.

Postremo, sicut oleum, quasi natura rex, et princeps omnium liquorum, nulli unquam subest: sed omnibus dominatur et super omnes eminet: sic etiam gratia Spiritus sancti semper primum et supremum locum in corde nostro habere debet, et multo extinguitur facilius, quam deprimitur.

Quamobrem, auditores, omnes, qui hesterna die vel etiam hodierna, ad Sacramentum Dominici corporis accessimus; et oleum gratiae Dei in vasculis cordium nostrorum pro mensura divinae benignitatis recepimus, intelligamus, quid agere debeamus, ut illud in nobis conservemus. Intelligamus, gratiam esse unguentum pretiosum, quam contineri non potest, nisi omnibus rebus praeponatur. Intelligamus, neque amicis, neque affinibus, neque propriis facultatibus, neque ipsi corpori etiam esse parcendum, ut gratia conservetur. Et cum occurrerint animo, vel etiam oculis aut auribus occasiones peccandi, intelligamus, nobis tunc optionem dari, utrum mori, an vivere velimus, cadere, an stare, oleum pretiosissimum amittere an retinere. Certum est enim, non posse simul peccatum et gratiam, mortem, et vitam, balsamum et foetores: mel et absinthium in eodem pectore habitare.

Quod si remedium quaeritis, ut gratiam acceptam facile conservetis, audite quod sequitur, in concione b. Petri apostoli. *Qui pertransiit*, inquit, *benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo*. Remedium omnium optimum, ac facillimum et naturale est, gratiam Dei assidue exercere. *Numquam est amor Dei*, inquit Gregorius, *otiosus: Operatur enim, et operatur magna, si est, si vero operari renuat, amor non est*. Et apostolus Paulus: *Gratia Dei sum id, quod sum; et gratia ejus in me vacua non fuit: sed abundantius illis omnibus laboravi*. Non frustra ungit nos Deus, sed ut agamus et operemur, ad quod uncti sumus, et tam athletae fortissimi curramus, ut contendamus et pugnemus, alioqui justo Dei judicio unctio nobis subtrahitur. Hujus rei exemplum habemus illustrissimum in Christo, qui cum sciret se unctum Spiritu sancto, ut operaretur, numquam erat otiosus, numquam quiescebat, sed peragrabat modo ista loca, modo illa, dicendo, exhortando, corripiendo. Cum sciret se unctum virtute, et potentia prodigia facienda, non habebat eam virtutem tamquam gladium vaginae inclusum; sed eum exercebat, aegrotos curabat, illuminabat, daemones expellebat, mortuos excitabat. Denique *pertransibat benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo*, non secus atque Sol iste corporeus, quia oculus est mundi et pro se et pro aliis copiosam lucem a Deo creatore accepit, numquam uno in loco stat, aut radios et fulgorem suum retinet sibi, sed oritur, et semper in circulos suos revertitur, ut omnibus mundi partibus lumen et calorem impertiatur. Solent ii, qui columbas aucupantur, ut magnus Basilius ad Iulitam scribens ait, tali quadam arte atque industria uti, Columbam unam, quae longo usu ad aedes domini sui redire didicit, unguento quodam perungunt, cujus odor gratissimus esse columbis perhibetur. Tunc eam ad hunc modum delibutam dimittunt: illa de more per aerem volans varia loca et regiones perlustrat. Quotquot vero columbae in eam incidunt, omnes gratissimo illo odore attractae ei se audiungunt. Ita fit, ut quae sola egressa fuerat innumeris deinde sodalibus comitata et quasi stipata redeat. Ad eumdem igitur modum, cum Deus, optimus et sapientissimus venerator, intelligeret, et homines, quasi

columbas sine corde de paradisi nidis et cubilibus evolasse, et miserandum in modum ab accipitribus infernalibus quotidie rapi ac discerpi, ac devorari videret, cuperetque eos ad sua domicilia, nidosque revocare, accepit columbam unam candidissimam et pulcherrimam, nostri videlicet liberatoris innocentissimam humanitatem, et eam Spiritu sancto et virtute, hoc est, omnium gratiarum et donorum spiritualium unguento perunctam in medio aliarum columbarum misit. Illa vero *pertransiit benefaciendo et sanando*, hoc est, odorem gratiae suae ubique spargendo, et quocumque pergebat lateri ejus se populi et turbae hominum agglomerabant. Alii odore verborum allecti post eum currebant, et clamabant: *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Alii odore prodigiorum tracti post eum currebant et clamabant: *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui.* Alii odore virtutum et innocentiae delectari post eum currebant, et clamabant: *Magister, sequar te quocumque ieris.* Et, *Beatus venter qui te portavit, et ubera, quae suxisti.* Ecclesia quoque odore charitatis et gratiae excitata, adhuc post eum currit, et clamat: *Trahe* nos *potest te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ita columba ista prudentissima uncta Spiritu sancto et virtute pertransit benefaciendo, et multas columbas alias ad coelestes nidos revocavit. Et nos olim revocavit, fratres: tantum ne nares animorum nostrorum fragrantiae odorum, et aspirationi ejus claudamus. Aperite, quaeso auditores, aperite sensus vestros, percipite fragrantiam suavevolentis gratiae Dei, charitatis, continentiae, justitiae, mansuetudinis pietatis, virtutum omnium. Polliceor enim vobis, semel perfecte sentiamus odorem unguentorum Domini, nemo nostrum continere poterit se, quin statim totis viribus currat post eum: neque quiescet, donec in regno coelorum cum beatissimis et suavissimis illis spiritibus apprehendat: neque periculum erit, neque adolescentia, aut opus et voluptatum lenocinia nos impediant. Sicut nihil est, quod canes a cursu impedire possit, posteaquam leporem senserunt, neque foveae, neque spinae, neque aliud quid: ita nihil est neque secundum, neque adversum, quod hominem Christianum a Christi vestigiis sequendis deterrere aut avocare queat, posteaquam vere odores unguentorum Domini semel olfecit.

PARS POSTERIOR.

Quem occiderunt suspendentes in ligno. Haec est altera pars concionis apostoli, in qua explicanda immorari non possumus, tum quod alias de passione disputaverimus, tum quod modo non passionem; sed resurrectionem celebremus. Unum tamen praeteriri non debet, quod est admiratione et imitatione dignissimum. Existimarit aliquis fortasse, apostolus, gloriae Christi praedicatores, ignominiam crucis tegere, abscondere vel certe dissimulare et extenuare debuisse. Et sane ita fecissent, si humanam sapientiam consuluissent, et si spiritum hujus mundi, non spiritum, qui ex Deo est, accepissent. Jam vero longe aliter egerunt: Nam et evangelistae nihil prolixius, quam passionem dercripserunt: et apostoli semper in primis crucis, et mortis mentionem faciebant: et non solum crucem non erubescant, sed aperte crucis praedicatores se profitebantur. *Judae*, inquit b. Paulus, *signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt: nos ante praedicamus Christum crucifixum; Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judaeis atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Et apostolus Andreas cum ei proconsul crucis supplicium comminaretur: *Ego*, inquit, *si crucem timerem, crucis gloriam non praedicarem.* Et apostolus Petrus in hodierna lectione nihil penitus tegens: *Quem*, inquit, *occideret suspendentes in ligno.* Nos vero quid facimus, auditores? Num crucem erubescimus? An in cruce gloriamur? An utrumque simul? Certe cum in fronte crucem pingimus, aperte profiteri videmur, nos crucem non horrere nec fugere: sed potius gloriari nos in injuriis, in contumeliis et angustiis, in persecutionibus, in aliis omnibus, quae crucem quoquo modo referunt. At cum ad rem venitur, et aliquid contumeliae nobis irrogatur, statim professionis crucis obliviscimur, et nisi injuriam nostram ultione purgemus, vehementissime erubescimus: quia tamen dum crucem formamus in fronte omnibus clamare videmur, nos tamquam servos crucis, injurias et contumelias non erubescere. Sed interim nescio quo pacto, dum de resurrectione loqui cupio, semper oratio mea revolvitur ad crucem: fortasse, quia totum tempus, quo hic vivimus, tempus est crucis; gloriam vero resurrectionis adhuc a longe salutamus. Dicamus tamen de ea tria verba.

Sequitur. *Hunc Deus suscitavit a mortuis tertia die, et dedit eum manifestum fieri et omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Haec est pars tertia, et postrema concionis b. apostoli Petri, in qua mysterium resurrectionis non solum proponit; sed etiam testibus et argumentis confirmat. Articulus enim resurrectionis, quem nobis sacrae litterae, tam instrumenti veteris, quam novi passim inculcant, et quem in symbolo Apostolico omnes Christiani diserte confitemur, quanto nobis utilior et gratior, tanto in se sublimior, et difficilior est. Nam Athenienses, ut refert in Actis apostolicis b. Lucas, cum audissent ab apostolo Paulo resurrectionem praedicari, irridebant eum. Et idem apostolus Paulus, qui articulos caeteros simpliciter praedicabat, articulum resurrectionis diligenter confirmandum et communiendum rationibus et argumentis putavit, ut ex priori epistola ad Corinthios cognosci potest. Et apostoli caeteri, quamquam testes erant omnium eorum, quae Dominus Jesus, sive ante mortem, sive post mortem gesserat: tamen singulariter testes resurrectionis appellantur. Actorum 1. *Oportet*, inquit b. Petrus, *ex iis viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem re-*

surrectionis nobiscum fieri unum ex istis. Item capite secundo : *Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus nos omnes testes sumus.* Et capite tertio : *Vos*, inquit, *sanctum et justum negastis: et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis. Quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos omnes testes sumus.* Et capite quarto : *Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri.* Et in nostra lectione: *Hunc*, inquit, *suscitavit Deus a mortuis tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo ; sed testibus praeordinatis a Deo nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Et ipse Dominus, ut veritatem resurrectionis altissime in mentibus nostris injugeret,non solum antequam moreretur se resurrecturum, et resurreturum tertia die, non semel,sed saepius praedixit, sed etiam cum jam resurrexisset,totos quadraginta dies in hoc negotio consumpsit,frequenter apparens discipulis, et discipulis non duobus aut tribus,sed aliquando plus quam quingentis, resurrectionem suam omnibus iis modis confirmans,quibus ea confirmari posse videbatur.

Primum enim angelos misit, qui candore vestium, et splendore vultus gloriam novae resurrectionis testarentur, et mulieribus dicerent: *Jesum quaeritis Nazarenum, crucifixum; surrexit,non est hic.* Atque hoc angelorum testimonium multum omnino apud vos valere debet : Angeli siquidem cum non solum corpus, sed etiam animam intueantur, et non conjectent, sed vere videant, num corpus aliquod vere vivat, an tantum vivere videatur, decipi non possunt. Cum item sancti et beati sint, atque adeo in gratia confirmati, decipere non possunt. Itaque sanctorum angelorum asserentium Christum vivere, fidele testimonium et omni acceptione dignissimum est.

Deinde resurrectionem suam Dominus prophetis multis idoneis et fide dignis testibus comprobavit. Nam ut in Evangelio hodierno audivimus, cum Dominus ad Cleopham et socium ejus dixisset : *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae loculi sunt prophetae? Incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis omnibus scripturis, quae de ipso erant.* Praeterea, quod verum et solidum corpus haberet,non aerium aut phantasticum,ostendit cum ait, *palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quod corpus non quomodocumque solidum et verum, sed etiam humanum haberet, testabatur effigies et figura,quam eis efficiebat, et quam apostoli oculis intuebantur. Quod esset omnino corpus, quod crucifixum et mortuum fuerat, testabantur cicatrices lateris, et manuum et pedum, quas cum ob alias causas,tum ob testimonium resurrectionis conservaverat.Itaque dicebat: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* Quod vero in vero corpore veram quoque animam haberet, satis aperte demonstravit, cum opera triplicis vitae,vegetatricis, sentientis et intelligentis coram discipulis saepe exercuit. Comedebat enim et bibebat, quod est hominis viventis : loquebatur et respondebat, et praesentes salutabat, quod est vere sentientis,hoc est,audientis et videntis. Denique de scripturis disserebat, et apostolos incredulitatis accusabat, quod est apertum rationis et intelligentiae argumentum.

Ne vero discipuli ex iis argumentis, quibus resurrectionis veritas confirmabatur, fortasse colligerent, carnem Domini adhuc esse mortalem, et necessitatibus ac doloribus obnoxiam,qualem esse sciebant Lazari, et aliorum, quos Dominus ab inferis excitaverat, ostendit eis praeterea corpus suum esse gloriosum, et nec cibo, nec potu, nec somno nec ullis rebus aliis indigere.Nam non versabatur amplius cum illis, sicut antea solebat; sed ostendebat se aliquando, et paulo post iterum abscondebat. Nec, cum veniebat, aut per gradus ascendebat, aut januas pulsabat: sed repente januis clausis in medio eorum apparebat. Cum vero discedebat, pari ratione, non per gradus paulatim descendere, aut per portam abire volebat;sed statim ab oculis eorum evanescebat. Itaque recte b. Gregorius, *Palpandam*, inquit, *carnem suam Dominus tribuit, quam januis clausis introduxit, ut esse post resurrectionem suam ostenderet corpus suum, et ejusdem naturae et alterius gloriae.* Non enim januis clausis intrabat,aut repente evanescebat,quod esset aerium, aut phantasticum corpus, sed quod incredibili virtute, et celeritate praeditum esset, vel quod in sua potestate habebat, quando vellet videri, et quando non vellet videri. Postremo ut nihil ad absolutam et perfectam manifestationem deesset, ostendit eis Dominus se non solum corpus et animam; sed etiam divinitatem habere, atque ideo esse eumdem illum, qui ante mortem fuerat. Id vero ostendit, cum unum ex prioribus miraculis repetiit, eum videlicet piscantibus discipulis ipse in litore apparuit,et jussit in dexteram navigii jactari retia:quod cum fecissent, comprehenderunt piscium multitudinem copiosam, nempe pisces magnos centum quinquaginta tres: *et cum* tot ac *tanti essent*, tamen *non est scissum rete*, quod miraculi magnitudinem non parum auxit.

Atque his quidem modis per se Dominus veritatem suae resurrectionis asseruit; sed eamdem postea per servos suos innumeris signis et prodigiis et multorum millium fortissimorum, et sanctissimorum martyrum sanguine, ita confirmavit, communivit, ut testimonium Dominicae resurrectionis vere credibile factum sit nimis. Quis enim non credit, quod angeli testantur, quod scripturae loquuntur, quod ipse Christus multis modis ostendit, quod miracula tam multa et tam illustria clamant, quod tanto sanguine constantissimorum martyrum comprobatur, quod denique mundus totus ad praedicationem piscatorum credidit?

Hinc vero, auditores, et nostra resurrectio statuitur: nec enim est ullum argumentum efficacius ad nostram confirmandam resurrectionem, quam sit ipsa Christi resurrectio.Non ignoro sanctos patres multas et efficaces rationes excogitasse, quibus resurrectionem contra Sadducaeos et nonnullos veteres haereticos defenderent:scio s.Irenaeum initio lib.5. con. Haere. optime demonstrasse,non esse resurrectionem impossibilem: cum multo sit

facilius substantiam materiae et substantiam animae per mortem separatas (quas certum est non periisse) iterum conjungere,quam totum hominem ex nihilo facere: constat vero Deum id, quod est majus et difficilius, procul dubio fecisse. Scio b. Ambrosium in oratione de fide resurrectionis b. Augustinum in Epistola quadragesima nona,s.Gregorium Homilia vigesima super Ezechielem, argumentum adferre ex multis naturae stupendis effectis,quae nisi experientia videremus quotidie fieri nemo fortasse crederet posse fieri. Quis crederet ex uno seminis tantulo grano,quod prae tenuitate fere aciem oculorum fugit, tantam molem arboris excitari,ut in eam homines scalis ascendant,et vix magnis securibus ramos ejus praecidant? Deinde, ubi latebat in tam exiguo semine tanta multitudo ramorum, tanta copia foliorum, tanta varietas fructuum, tanta species florum, tot sapores, odores, colores? Scio b. Chrysostomum oratione prima de resurrectione, ab ipsa morte argumentum de resurrectione petere. Nihil est enim quod corrumpatur, quod etiam non resurgat; imo nihil resurgere potest, quod prius non corrumpatur. Moritur granum frumenti,surgit in spicam: moritur semen pyri aut mali,resurgit in arborem: moritur vesperi dies, resurgit mane. Extinguuntur mane et quasi moriuntur lumina stellarum, iterum ad vesperum eadem accenduntur. Pereunt autem tempore in pratis et arboribus frondes et flores ; sed rursum omnia reviviscunt, atque resurgunt in vere.Itaque mundus totus fidem resurrectionis praedicat.Quod vero non eadem, quae antea fuerant; sed alia in herbis et arboribus resurgant, non est quod non possint, sed quod necesse non sit eadem revocari. In hominibus autem oportet prorsus non alios,sed eosdem omnino resurgere, ut iidem sint, qui hic patiuntur, et qui ibi coronabuntur, qui hic deliciantur, et qui ibi poenas luent. Hinc enim fit, ut ibidem Chrysostomus annotavit, ut viri sancti, atque amici Dei hic mercedem suorum laborum non recipiant; sed posteaquam juste et pie et sobrie innocenterque diu vixerunt, tandem crudeli aliqua morte saepe de medio tollantur: nimirum ut sic abeuntes clament, esse post mortem aliam vitam, esse resurrectionem, esse judicium, in quo praemia et supplicia pro uniuscuiusque meritis distribuentur. Scio Tertullianum in libro de resurrectione carnis, pulcherrimum et invictissimum argumentum ducere ex eo, quod nihil fere hic anima, nisi cum carne et per carnem operatur, *Caro*, inquit, *abluitur,ut anima emaculetur:caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur,ut anima muniatur:caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur: caro Christi corpore vescitur, ut anima de Deo saginetur: non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungunt.* Deinde jejunia, vigiliae, celibatus, virginitas, viduitas et alia quotidiana, quae offerimus Deo nostro de nobis ipsis sacrificia, quo pacto, quaeso, invenirentur sine carne, et ipsa martyria, carceres, vincula, exilia, bestiae, cruces ignes quomodo tolerarentur nisi per carnem?Quis igitur credat carnem,quae animae in omnibus socia fuit, in sola gloria resurrectionis sociam non futuram? Scio ista et alia permulta in voluminibus Patrum inveniri; sed interim tamen nullum esse video argumentum potentius et efficacius eo, quo apostolus Paulus in epistola priori ad Corinthios utitur: *Si Christus*, inquit, *praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* et,*Si mortui non resurgunt,neque Christus resurrexit.*Itaque tale est argumentum apostoli:Christus sine ulla dubitatione resurrexit, non est igitur impossibilis resurrectio: quod enim factum est, quomodo non poterit fieri? Rursum:Christus caput est nostrum et certe resurrexit,igitur etiam nos omnes resurgemus.Non enim debet esse caput sine corpore.Item:Christus est Adam secundus,et surrexit, igitur,et nos, qui ejus filii sumus, cum per baptismum nos regeneraverit,procul dubio resurgemus. Nam si potuit primus Adam cadendo nos omnes delicere,quomodo non potuit secundus Adam multo et fortior et potentior resurgendo nos omnes erigere? Est igitur Christi resurrectio verum et solidum fundamentum nostrae resurrectionis. Atque inde est quod tam multis et gravibus testimoniis, scripturarum, angelorum, apostolorum, miraculorum, sanguinis et mortis innumerabilium martyrum, Deus hanc veritatem confirmari voluit.

Habetis igitur quis tandem fuerit exitus, quam gloriosus, quam laetus, quam expetendus admirandae illius comediae,quam hic in terris,quodammodo Christus exhibuit. Nam infantia Salvatoris, pueritia, adolescentia, juventus ad tempus usque passionis, quasi quatuor primi actus, varios et ancipites exitus habuerunt. Nunc enim Dominus laudabatur, nunc vituperabatur, nunc quaerebatur, nunc fugabatur; nunc esuriebat et tentabatur,nunc accedebant angeli et ministrabant ei: nunc gloria signorum,et prodigiorum coruscabat,nunc abscondebat se, et tamquam imbecillis et infirmus latitabat, nunc eum requirebant ut facerent eum regem nunc vero aut lapidibus obruere aut de vertice montis praecipitare cogitabant: nunc audiebat turmas acclamantes, quia *propheta magnus surrexit in nobis, et, hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Et, *bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui.* Nunc e contrario, *ecce homo vorax et potator vini.* Et, *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu et daemonium habes?* Et, *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Et *In Beelzebub principe daemoniorum, eiicit daemonia.* Deinde secuta est passio quasi quintus et postremus actus comoediae, cujus tempus non amplius anceps et varium,sed totum funestum et confusum ac perturbatum fuit. Discipuli fugerunt, miracula fere cessarunt: amici omnes latebant: denique omnia plena metus, infidelitatis, extremae miseriae et calamitatis videbantur; ita ut aliqui discipulorum dicerent: *Nos autem sperabamus*, hoc est, jam desperamus eum esse redemptorem Israel. Sed tandem ista omnia more comoediarum faustissimum exitum habuerunt. Passionem enim excepit resurrectio, mortem immortalitas, gloria ignominiam, virtus infirmitatem, serenitas tempestatem. *Quem* enim *occiderunt suspendentes in li-*

gno, hunc Deus suscitavit a mortuis tertia die. Suscitavit vero, numquam amplius moriturum nec laboraturum, neque aliquid passurum, sed gloriosum, illustrem, potentem, regem et gloriam universorum semper futurum.

Quanta est haec gloria, auditores, quanta felicitas, vivere vitam beatam sine metu mortis, sine periculis, sine molestia? habere corpus splendidius sole, robustius ferro, agilius vento? denique totum spiritale, hoc est, omnino subjectum spiritui? ut quemadmodum modo anima sequitur corpus, ut si corpus cadat, etiam anima cum eo cadat: ita tunc corpus animam sequatur, et anima ascendente, etiam cum ea corpus ascendat: idque sine ulla molestia aut labore. Hic est finis, quo tendunt omnes ii, qui in humeros cruce sublata Christi vestigiis semper insistunt. Haec est Comoedia, quam agunt omnes ii, quos hic in terris in laboribus, et aerumnis, in tentationibus et persecutionibus pacem et patientiam conservare videmus. Comoediam istam egit sanctus Job, qui in suis maximis calamitatibus spe felicissimi hujus finis, seipsum his verbis consolabatur: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea: et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius; Reposita est haec spes mea in sinu meo.* Comoediam istam egit Lazarus iste mendicus, qui aliquando ad fores divitis ulceribus plenus, totus famelicus et sitibundus jacebat; sed postea in sinum Abrahae angelicis manibus delatus usque ad hanc diem in gloria et benedictione fuit, et erit in aeternum. Comoediam istam egerunt omnes apostoli, omnes martyres, omnes confessores, qui *sobrie, juste, et pie* vixerunt, *expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei.* Eos nos, auditores, imitari, et comoediam eamdem agere debemus. *Fiducia Christianorum*, inquit Tertullianus, *resurrectio mortuorum*: imo vero fiducia ista et spes, vita probi et sapientis Christiani esse debet.

Quid Aristoteles de juvenibus dicit? nempe eos spe vivere, sicut senes vivunt memoria. Senes dicunt, vidi hoc, vidi illud, tale bellum, talia spectacula, tales triumphos. At juvenes dicunt, spero me hoc et illud aliquando visurum. Nos vero, si vere Christiani sumus, si veterem hominem exuimus et novum induimus, si cum Christo resurreximus, certe non senes, sed juvenes, sed pueri, sed infantes simus: nobis vero dictum. *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* Ergo non memoria sed spe vivere debemus, *exspectantes* illam *beatam spem et adventum gloriae magni Dei*: quando *reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Quid, quaeso, inter nobiles, et inter sordidos famulos interest? Nonne, quod sordidi et viles propter stipendium serviunt paucorum nummorum, quos in menses vel annos accipiunt? Nobiles vero et ingenui nullum stipendium habent, sed spe et expectatione serviunt magnae alicujus dignitatis vel praefecturae. Tales servi nobiles, ingenui, magni et excelsi animi esse debemus, et praesentibus non contenti spe vivere futurorum bonorum: atque oculos conjectos habere, *in beatam* illam *spem et adventum gloriae magni Dei.* Non dixit apostolus, illud regnum, illam gloriam, illam beatitudinem, sed confuso modo (quia res explicari non potest) illam *beatam spem*, rem illam eximiam, maximam, infinitam, spe et exspectatione dignissimam, quae hic in terris neque videri, neque dici neque cogitari, sed solum credi et sperari potest. O Christiani, *si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* O *cives sanctorum et domestici Dei*, cur aliquando oculos ad illam gloriam non attollimus, cum in adventu magni Dei apparebimus cum ipso in gloria, et *similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est?* Quae erit illa majestas, quando in lucidis nubibus sublimes, et toti mundo conspicui cum Christo sedebimus, et infra pedes nostros, magnos illos reges quondam et monarchas orbis nudo latere palpitare videbimus? Quae erit illa felicitas, cum nos de nostra gloria et incolumitate securi, una cum Christo, non solum reges et principes terrae: sed etiam angelos apostatas judicabimus? Sane si ista cogitaremus, si sursum oculos haberemus, ubi caput nostrum est Christus, durum nobis non videretur, hic ad duos dies contra vitia et peccata fortiter pugnare, et carnem nostram ad tempus contristare. Contra vero, quam horribilis et funesta erit illorum tragoedia, qui Satanam et divitem epulonem imitati, hic in terris bonos dies habere voluerunt, in suis conviviis splendidis, et in sua purpura et bysso acquieverunt; et crucem Domini semper horruerunt ac fugerunt: qui resurgent quidem, sed ad poenam, non ad gloriam. Qui semper vivent, ut semper moriantur: quorum vita numquam finietur, ut neque ipsorum tormenta finientur: qui semper ardebunt, et numquam absumentur, ut pabulum ac fomentum esse possint ignis qui non extinguetur, et vermis qui non morietur. Sed nolo laetitiam hujus diei istis moeroribus obscurare. Vos, auditores, qui *sufferentiam Job audistis et finem Domini vidistis*, cum omnibus sanctis amplectimini crucem in terris, et vos in illa die cum iisdem amplectetur Christus in coelis, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen, Amen.

CONCIO XXXII.

DE DOMINICA QUARTA POST PASCHA

THEMA

Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Joan, 16.

SYNOPSIS

More eorum, qui in longinquas terras iter parant, Christus terras relicturus familiaribus suis primo reditum pollicetur, deinde utilitatem discessus sui ostendit, ac denique illos non sine solatio relictum iri respondet; quae tria hac concione potissimum explicantur. Enodatur perplexa quaestio, quomodo Christus ad Patrem vadat, praemissis quibusdam praeludiis, quid nimirum sit de mundo recedere, quid nemine homines immundi indigeteutur. Deinde tres gradus ex mundo transeundi astruuntur, de quorum tertio Christum in hodierno evangelio intelligendus est. Aut etiam (proul aliqui exponunt) opinione et existimatione hominum, Christus vadit ad Patrem. Utilitates hujus sententiae, vado ad eum qui me misit, *enumerantur, et quomodo nobis ad Deum sit eumdum docetur, nempe, non procrastinando; et falsis mundi blandimentis aures occludendo, quod a simili ejus, qui ad supplicium ducitur, suadetur. Ostendit item nos in hoc mundo peregrinari, et semper esse in via. Eamdem demum quasi stimulum ad bonum, et fraenum ad malum esse, luculenta amplificatione declaratur.*

In secunda parte reliquum evangelii explicatur et enucleatur, passim autem inseritur, unde fiat, quod humanum cor in gaudio in immensum quasi amplietur, et in tristitia contrahatur. Taxantur parentes, qui filios suos falso et perverso prosequuntur amore. Quomodo pastores, et praesertim praelati et episcopi veritatem intrepide praedicare oporteat, etiamsi auditorum animi inde vulnerentur et tristentur: idque exemplo chirurgorum, qui in sectionibus non moventur aegri doloribus. Subnectitur praeterea triplex expositio, cur Spiritus sanctus non noverit, antequam Christus abierit: Prima explicatur passioni et morti Domini, ubi occurritur objectioni, quomodo nimirum sancti Patres ante Christi adventum gratiam acceperint. Secunda, explicatur de resurrectione Christi; tertia demum intelligitur de ascensione Domini. Tandem doctrina praescribitur, quomodo spretis terrenis et caducis virtutem induere, et ad caelica rapi debeamus, quod a simili avium alas visco illitas habentium, et ab exemplo multorum sanctorum amplificatur, et seria exhortatione concluditur.

Est hoc in more positum, optimi auditores, ut ii, qui vel terra vel mari longam, aliquam profectionem instituunt, uxorem ac liberos, quos moerentes, et eam profectionem iniquo animo ferentes, vident, dulcibus verbis ac promissionibus consolentur. Ac duo praecipue sunt, quibus dolorem illum, tristitiamque suorum lenire ac mitigare solent, spes reversionis atque utilitas profectionis: quibus etiam addunt interdum non eos desertos jure existimari posse, qui fidei ac vigilantia firmi alicujus fidelisque amici commendati sunt. Humani generis assertor ac liberator Jesus Christus, dum hic in terris cum hominibus versaretur, pater erat exiguae, sed sanctae ac religiosae cujusdam familiae, quam et ipse vehementer diligebat, et a qua vicissim non mediocriter diligebatur. Quapropter cum ab ea descendere, et in regiones longe positas, in alium videlicet orbem, proficisci pararet, multis ac variis sermonibus eam consolari, ac ut illum ejus discessum magno animo ferret persuadere coepit. Primum enim se brevi reversurum pollicitus est. *Iterum*, inquit, *videbo vos, et gaudebit cor vestrum. Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me.* Deinde fructum atque utilitatem suae profectionis ostendit: *Expedit*, inquit, *vobis ut ego vadam.* Et, *Vado parare vobis locum.* Et, *Si abiero et praeparavero vobis locum iterum veniam, et accipiam vos ad me ipsum: ut ubi ego sum, et vos sitis.* Postremo non se eos orphanos relicturum; sed Spiritum, qui animos eorum confirmet; roboret, consoletur, se missurum constanter promisit. *Rogabo*, inquit, *Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobti*

scum in aeternum. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso; sed quaecumque audiet loquetur: et quae ventura sunt annunciabit vobis. Atque haec fere sunt, quae in hujus et superioris Dominicae evangeliis continentur: et in quibus exponendis atque illustrandis hodie potissimum versari debet oratio nostra.

Initium igitur evangelii tale est. *Vado ad eum, qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Evangelium hodiernum, auditores, quanto planiorem superficiem habere videtur, tanto abstrusiores latebras in recessu habet. Quare solum ea pars fortasse, quam recitari audivistis, explicari in praesentiarum poterit. Reliquum tametsi non minus abditum, atque obscurum est, temporis tamen angustiis impediti in aliud commodius tempus differemus. Etenim si solum quid verba significent, considerandum sit, quid apertius ea sententia, *Vado ad eum, qui me misit*? At si rem ipsam diligenter contemplari, perpendereque volueris, vix aliam sententiam magis reconditam et magis obscuram invenies. *Vado*, inquit, *ad eum, qui me misit.* Quis vadit? Ad quem vadit? Deus ad Deum: Verbum et sapientia ad Verbi et sapientiae genitorem. Omitto, Deum ubique esse, omnia repetere, propterea proficisci ac locum mutare non posse. Sint illa levia, facile ad ista responderi possit. Quid? Quod ipse Dei Filius ait: *Ego in Patre, et Pater in me est.* Et rursum: *Pater in me manens ipse facit opera*; et *qui me misit, mecum est.* Si igitur Filius semper est in Patre, et Deus Pater semper est in Filio, quomodo nunc ait, *Vado ad eum qui misit me*? Num fortasse Deus Pater a Filio suo recesserat? Et quomodo Pater sine Verbo et sapientia a se genita, esse potest? At non secundum eam naturam, quam habet a Deo Patre, dicet fortasse quispiam, sed secundum eam naturam, quam habet ex virgine Christum ad Patrem vadit. Quamquam enim secundum priorem divinamque naturam Dei Filius semper est in Patre, et unum atque idem est cum Patre: tamen secundum posteriorem, quae humana et creata est, nihil prohibet, quin ad Deum Patrem proficisci possit. Verum haec responsio, auditores, non tam evolvit, quam involvit quaestionem. Nam quemadmodum Deus Pater a Verbo suo separari non potest, ita nec Dei Verbum ab eo sejungi ulla ratione potest. Sed tam Deus Pater, quam Verbum ipsius semper eam naturam inhabitabunt, quam Dei Filius ex matre virgine pro nostra salute suscepit.

Ad quem igitur modum Dominus noster, sive secundum divinam, sive secundum humanam naturam ad Deum Patrem vadit, cum eum in semetipso inhabitantem habeat? Quaestionem istam, et breviter et utiliter, nisi fallor, expediemus, si primum in universum exposuerimus, quod sit de mundo recedere, et ad Deum accedere, quod passim in Evangeliis et aliis divinis litteris cum ab ipso Domino, tum ab apostolis repeti solet. *Exivi*, inquit, *a Patre, et veni in mundum: Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.*

Quid igitur tandem est mundus? Et ad quem modum exit aliquis de mundo? Duo sunt, quae mundi nomine in sanctis voluminibus designantur unum bonum; alterum malum. Primum enim haec universitas rerum earum, quae sub aspectum nostrum cadunt, mundus appellatur: et hic quidem est mundus bonus. *Vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, et erant* non modo bona, sed etiam *valde bona.* Malus autem mundus, mali ac depravati homines sunt: De quibus Dominus ait: *Si odit vos mundus, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Et, *Pro his rogo, non pro mundo.* Et, *Hi de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.*

At cur quaeso, mundi nomen immundi atque inquinati homines sortiuntur? An non multo rectius tam praeclara nominis appellatio mundis ac sanctis hominibus conveniret? Dicam, auditores. Duae sunt partes in nobis, una mentis rationis consiliique particeps, altera expers rationis, agrestis, fera et immanis, in qua sunt sensus, et omnes animorum motus atque impetus. Ac prior quidem cum angelis, posterior cum bestiis nobis communis est. Ille igitur summus ac sapientissimus rerum opifex Deus, mundum hunc inferiorem, qui et proprie mundus nominatur, sedem esse voluit saltem ad tempus corporum humanorum, et ejus partis, quae nobis est communis cum bestiis; animis vero ratione atque intelligentia praeditis, non terram, sed coelum attribuit: neque res istas caducas et fragiles, sed illas divinas ac sempiternas sedes animorum constituit. Itaque homo sicut partim bestia, partim angelus est; ita simul et corpore in terris cum bestiis, et animo in coelis cum angelis habitare debebat. Nam quemadmodum civitas non tam domos ac plateas, quam cives ipsos, qui eam incolunt, significat: sic etiam mundus non tam aerem istum, et terram, quam homines et bestias, quae in ipso sunt, designat. Qui sunt ii homines, qui toti in mundo cum bestiis versantur? Nempe ii, qui cum apostolo dicere non possunt. *Conversatio nostra in coelis est.* Et, qui cum in honore essent, non intellexerunt: et idcirco comparati sunt jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis. Illi igitur omnes immundi, mundi nomine continentur.

Jam vero quia plerique hominum rerum praesentium ac terrenarum quasi quodam lenocinio decepti, propriae sedis animorum obliviscuntur, et ad terram oculos tam corporis quam mentis convertunt: et sicut corporibus per terram repunt, sic etiam animis circum terram volutantur, hoc est, terram cogitant, terram amant, terram colunt, terram venerantur, atque adeo toti et corpore et animo in terris sunt: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*: hinc factum est, ut mundi hujus inferioris amatores, quod toti et corpore, et animo in mundo sint, mundi quoque appellationem invenerint: nam cum animo extra ac supra mundum, nempe in ipso Deo habitare debuissent; ipsi tamen sublimi illa sede relicta in terris nidos suos ac quasi domicilia posuerunt, et mundi ac mutarum pecudum cives esse voluerunt. Ejusmodi vero, auditores, omnes essemus, nisi Dei Filius,

qui vere non erat de mundo, ad mundum venisset et nobis reditum de mundo in coelum ostendisset atque aperuisset. Omnes enim ad terram oculos declinaveramus, *non* erat *qui* faceret *bonum non* erat *usque ad unum. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.*

Tunc autem de mundo exire, et ad Deum accedere incipimus, cum fide illustrante animos nostros, spe erigente corda nostra, et charitate inflammante atque accendente pectora nostra, Deum cognoscere, de Deo cogitare, Deum diligere atque ad Deum suspirare incipimus. Sic enim non quidem corpore, sed animo terras deserimus, et in illam antiquam sedem ac domum nostram pervolamus. Animus enim tametsi corpore inclusus, tamen eminet foras, et ea,quae supra mundum sunt quibusdam quasi passibus contemplationis et amoris peragrans cum apostolo dicit: *Conversatio nostra in coelis est.*

At numquid hoc modo Liberator noster ad Deum ibat, cum diceret; *Vado ad eum, qui misit me*? Et apertius eodem loco: *Relinquo mundum, et vado ad Patrem*? Nullo modo, auditores. Hic enim transitus de mundo ad Deum, quem modo descripsimus, non aliis, quam perditis ac sceleratis hominibus convenire potest. Ipsi enim cum primum convertuntur, primum istum gradum ascendunt. Itaque non ipse modo Dominus, sed ne discipuli quidem ejus hac ratione ad Deum ire necesse habebant. Nonne enim Dominus ait; *Mundus eos odio habuit. quia non sunt de mundo sicut et ego non sum de mundo*? Et alio loco: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum: vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Si ergo de mundo non erat,de mundo eum exire nulla necessitas compellebat.

Est igitur alius gradus ascendendus nobis. Nam qui fide, spe et charitate praediti sunt,exierunt illi quidem de mundo, atque ad Deum accedere inceperunt; sed nondum ad ipsa penetralia domus Domini pervenerunt. Adhuc haerent in vestibulo,adhuc in atriis versantur:sed tum demum longissime recedent a mundo, et ipsum Dei thalamum ingredientur, cum fidei visio,spei possessio,et charitati imperfectae charitas perfecta succedet: cum lumine gloriae illustrati Dominum sibi dicentem audient, *Euge serve bone et fidelis. intra in gaudium Domini tui.*

At ne nunc quidem invenimus, quomodo nostram quaestionem dissolvamus Dominus enim in ipso suae conceptionis exordio secundum istum gradum ascendit. Siquidem mens illa beatissima simulatque a Deo affecta, et cum Dei verbo conjuncta, et copulata fuit, sapientia, gratia, gloria et beatitudine plena fuit. Itaque si de isto altero gradu sermo sit, non poterat Dominus vere dicere, *Vado ad eum, qui misit me*: cum semper apud eum ab ipsa sua conceptione fuisset. Ascendamus igitur altius.

Est enim tertius quidam ac supremus gradus, quem Dominus nondum fortasse conscenderat,cum ajebat, *Vado ad eum, qui misit me.* Hactenus solum unam hominis partem, nempe animum, de mundo extraximus, atque eum in suum pristinum domicilium revocavimus. Quare cum etiam corpus humanum gloriae, atque immortalitatis compos efficietur, et ab omnibus mundi hujus necessitatibus liberabitur: cum nec cibo, nec potu, nec somno, nec vestibus, nec pecuniis, nec domibus nec aliis id genus rebus egebit;tum demum plane exibit de mundo, tum proxime ad Deum accedet,cum iter suum conficiet, et tertium atque adeo postremum harum scalarum gradum ascendet. Iste igitur gradus adhuc Domino superandus erat, ac de ipso loquebatur, cum dicebat, *Exivi a Patre et veni in mundum*: *Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Quid est, *Exivi a Patre et veni in mundum*? Nimirum hoc corpus humanum suscepi, fami, siti, frigori, calori, aerumnis, calamitatibus, plagis, vulneribus, et ipsi interitui obnoxium. Denique tale, qualia sunt ea, quae hic in mundo atque infra Lunam mortalitatis et corruptionis jugo ac pondere premuntur. Quid est. *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem*? Non quidem exuo ac relinquo corpus humanum, ut falso quidam haeretici putaverunt, (quod enim semel assumpsit,numquam dimisit) sed exuo spolia mortalitatis et corruptionis. Deinceps enim corpus humanum geram, sed gloriosum et immortale, quod vitam vivet non eam, quam res fragiles et caducae, quae infra Lunam et in mundo sunt, vivunt; sed quam mentes beatae et sempiternae, ac ipse Deus vivit, nempe quietam tranquillam, jucundam et servitute corruptionis et aerumnarum liberam. Hoc aperte Dominus ostendit, cum post resurrectionem ad discipulos ait: *Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.* Quid sibi volunt haec verba, *Cum adhuc essem vobiscum*?An non tunc erat cum illis.quando cum illis loquebatur? *Cum adhuc*, inquit, *essem vobiscum*, hoc est, Cum adhuc mortalis cibo et potu indigens, laboribus et doloribus obnoxius essem, sicut vos omnes estis. Iam enim vobiscum non sum, sed cum Patre, quia vitam illam etiam corpore vivo, quam Pater ipse vivit, nempe omnis miseriae et mutationis expertem.

Invenimus igitur tandem, quid sibi Dominus voluit, cum ait, *Vado ad eum, qui misit me.* Quamquam et alio quodam modo sententiam istam intelligi posse video. *Vado*, inquit, *ad eum qui misit me.* Quomodo vadit? Opinione et existimatione hominum. Frequenter Dominus se Dei Filium dixerat, et se in Patre, et Patrem in se esse non semel affirmaverat: ediderat signa ac prodigia,ut hominibus fidem faceret: ipsi tamen nondum adduci poterant, ut crederent. Quid igitur Dominus ait? *Vado ad eum qui misit me.*Nunc tandem homines credent, nunc intelligent, nunc fatebuntur me verum Deum ac Dei Filium esse in Patre, et Patrem in me esse, nempe cum in crucem tollar, cum ab inferis excitabor, cum in coelum ascendam. *Cum exaltaveritis*, ait quodam loco Dominus, *filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Tunc fide, opinione et confessione vestra ad Deum vadam. Atque ita omnino evenisse videmus.Nam cum Dominus abivisset, tunc centurio exclamavit: *Vere filius Dei erat iste.* Cum ab inferis vivus redivisset tunc b.Thomas ait: *Dominus meus et Deus meus.*

Cum denique in coelum ascendisset, tunc omnis lingua confessa est, *quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Tunc ipse Christus nunciari atque adorari, tunc ejus nomen in toto orbe terrarum clarum atque illustre esse coepit. Itaque si corporis gloriam species, vere ivit Dominus, si animi beatitudinem et majestatem divinitatis, sola hominum existimatione ac fide, Dei Filius ad dexteram Patris ascendit.

At nullamne utilitatem ex hac Domini sententia, vel ad mores corrigendos, vel ad promovendam vel amplificandam pietatem capiemus? Imo vero longe maximam, si crebro apud nos ipsos cogitabimus, nos quoque ad eum, qui nos misit, proficisci. Siquidem multa sunt, quae maximo cum emolumento ab hominibus cogitari solent; sed nescio an aliud cum majore, quam hoc, *Vado ad eum qui me misit.* Experire semel vim hujus contemplationis. Intra in cubiculum tuum, et juxta consilium Domini, clauso ostio, et cogitationibus aliis paulisper exclusis revoca te ad cor tuum: ibique in maxima quiete ac silentio constitutus cogitare incipias, *Vado ad eum qui misit me.* Vado, inquit, non vadam. Non igitur verum est, quod mundus, et ii, qui mundum diligunt, mihi dicere solent, multum temporis adhuc tibi superest, potes adhuc multos annos in utramque aurem dormire, nihil adhuc imminet periculi, detur aliquid aetati, non omnia voluptatibus denegentur: cum senueris, et gravi aliquo morbo afflictaberis, tunc ad alium orbem tibi proficiscendum erit, ac tum demum cum parueris voluptatibus, illisque satiatus sponte tua eas abjeceris, atque contempseris, tum te ad Dei amorem, ac erratorum poenitentiam revocabis. Falsi sunt, deceptores sunt, hostes animae meae sunt, qui hoc mihi praedicant. Ego enim non vadam; sed nunc vado, nempe hodie, hac hora, hoc momento vado: fortasse etiam non procul ab eo loco absum, ubi me judex meus expectat. Nonne hodie pervenire possem? Et quid si rationibus meis nondum compositis pervenirem et tam multorum, tam gravium criminum reus inveniret? Quid de me fieret? Quo me verterem? Ad quem confugerem? *Vado* enim *ad eum, qui me misit*, nempe ut ei rationem rerum omnium a me gestarum atque administratarum reddam. O quam vere ac sapienter ille ait: *Stultorum infinitus est numerus.* O quam multi reperiuntur, qui solum, quomodo vadant, et non quo vadant attendentes, laetissimi atque jucundissimi sunt: qui si cor haberent, et vel semel quo vadant, intuerentur, toti contremiscerent, nec aliud eis liberet, quam flere. Nam profecto cum ad supplicium aliquis ducitur, si is, quo vadat, obliviscetur, magno honori sibi duceret, quod tanta hominum multitudo eum prosequatur, et praetorem quidem suae aulae magistrum esse cogitaret; satellites vero praetoris sui corporis custodes, reliquam multitudinem servos atque administros, illum etiam horribilem campanae sonitum honoris gratia edi censeret: nonne homo stultissimus atque amentissimus jure ab omnibus judicaretur? Nonne ei merito diceremus: Ah miser, quo vadis? Nonne vides te ad supplicium duci? Nonne post horam unam isti omnes, qui tecum sunt, ad suas aedes redibunt, et tu in patibulo appensus cibus corvorum eris? Et quidnam interest, quae vos, inter istum et illos magnos atque opulentos homines, qui *ducunt in bonis dies suos, qui tenent tympanum et citharam, et in puncto descendunt ad inferna?* Certe enim ipsi etiam vadunt, et ad supplicium sempiternum vadunt: opes autem et honores, servi atque amici, quibus ipsi stipati animos attollunt et se aliquid amplius, quam homines esse putant nihil sunt aliud, quam satellites, qui eos usque ad patibulum persequuntur: et tamen rident, ludunt, jocantur, tamquam si vel iter numquam finiendum esset, vel non ad patibulum, sed ad regnum aliquod adipiscendum properarent. Ego igitur ista non imitabor: sed cum me intelligam ad eum ire, qui me misit, illud diligentissime providebo, ut in hoc itinere ita me comparem, ita res meas componam, ut cum ad eum pervenero, qui me misit, non judicem severum, sed clementissimum patrem experiar. Iam igitur, nisi fallor, plane videtis, auditores, quam facile possit haec meditatio hominem ad cor atque ad curam propriae salutis revocare.

Quantae vero utilitatis haec eadem sententia vobis esse videtur, cum hospites et peregrinos esse admoneat? *Vado ad eum, qui me misit.* Si vado, ergo haec vita via quidem est, mundus vero non domicilium sed hospitium. Non igitur diu hic haerere possum. At cur de palatiis fabricandis et possessionibus ampliandis solicitus sum? Certe viatores caeteri illud diligenter provident, ne aliquid in hospitio relinquant, ne cultrum quidem unum, omnia vel secum ferunt vel praemittunt. Cur idem ego non facio? Cur tam stultus sum, ut omnes meas facultates ita iis rebus consumam, quae asportari non possunt, sed necessario in hospitio relinquendae sunt? Cur divitias meas per manus pauperum in patriam non transmitto? Cur non facio mihi, juxta consilium Domini *saeculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis?*

Si vero probi et sancti sumus quid jucundius cogitare possumus, praesertim cum in mediis aerumnis et calamitatibus versamur, quam hoc, *Vado ad eum, qui misit me?* Dura sunt, aspera sunt, gravia sunt, quae me circumstant: sed, *vado ad eum, qui misit me.* Ille me consolabitur, ille reddet mercedem. Ille finem laboribus et certaminibus imponet. Bene agere et malum pati, quod est proprium Christianorum, difficile atque arduum est: injurias non ulcisci, aspernari pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non ullis moveri voluptatibus, coercere omnes cupiditates, domum ac facultates relinquere, patriam, ac conjugem et liberos deserere, exilium voluntarium sustinere propter regnum Dei, cum appetitu gloriae, cum vitiis caeteris, cum ipsis daemonibus perpetuo bellum gerere, res magni laboris ac difficultatis est. Sed *vado ad eum, qui misit me:* ad pacem, ad quietem, ad gaudium, ad fontem bonorum, ad Oceanum voluptatum: brevi labores omnes finientur, et eis delitiae finem nullum habiturae succedent. Hoc est, auditores, hoc, *vado ad eum qui me misit*, quod b. Stephano lapides dulces faciebat, quod beato Laurentio flammas ignis mitigabat, quod martyres omnes ita consolabatur, ut contumeliam decus, in-

juriam gloriam, exilium patriam, contemptum honorem vel amplissimum ducerent. Quae cum ita sint, auditores, si vitam integram et incorruptam ducere volumus, quicquid cogitamus, quicquid agimus, quicquid molimur, illud semper animo in nobis obversetur, *Vado ad eum qui me misit.* Nam si bonum est, quod agimus, tanto diligentius et studiosius illud agemus: si vero malum, ab eo, etiam si delectet, procul dubio desistemus. Atque hac ratione hujus sententiae recordatio, quasi stimulus quidam incitabit ad bona, et tamquam fraenum quoddam compescet ac retinebit a malis.

PARS POSTERIOR.

Vado ad eum, qui misit me: et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Non poterat sapientissimus Dominus, auditores, tam facile oblivisci apostolum Petrum non multo ante dixisse: *Domine, quo vadis?* Et Apostolum Thomam, *Domine, nescimus, quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* Quo circa quod nunc ait: *Nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?* non sic accipiendum est, quasi dicere velit, numquam apostolos quaesivisse ab eo, quonam iret. Solum eos reprehendit, quod cum antea, nempe initio illius noctis, saepe quaererent ab eo, quo iret, nunc quasi muti et elingues effecti nihil penitus loquerentur. Initio enim cum Dominus tam aperte loqueretur significaret tamen se brevi aliquo iturum omnes apostoli soliciti esse videbantur, et cognoscere cupiebant ab eo, quonam iturus esset: at posteaquam aperte intellexerunt, ad mortem illa ipsa nocte eum profecturum, nec non mala, quae eis imminebant, *Absque synagogis*, inquit Dominus, *facient vos*: Et, *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo*, illi tam atrocem magistri sui necem, quam proprias calamitates considerantes, animum penitus abjecerant, mutique effecti nihil amplius loqui potuerunt. Quare Dominus, ut eos erigat, et consoletur, parvitatem illam animorum ipsorum dulciter reprehendit: *vado*, inquit, *ad eum qui me misit, et nemo ex vobis* jam amplius *interrogat me quo vadis?* Reddit vero rationem hujus rei: *Sed quia*, inquit, *haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.*

Tristitia igitur est, quae vobis loquendi facultatem, vel certe voluntatem abstulit. Admirabilis plane natura est cordis humani. Si laetitiam excipere debeat, non latum, non amplum, sed immensum atque infinitum est. Itaque mundus totus ipsum replere ac satiare non potest, neque ante satiabitur, quam gaudium inveniat majus, quam ipsius capacitas sit, ita ut non tam gaudium recipere, quam recipi a gaudio debeat, eique dicatur; *Intra in gaudium Domini tui*: non gaudium intret in te: nec enim capere illud posses, sed tu potius *intra in gaudium Domini tui*: hoc enim ipse Deus est. De quo beatus Joannes ait: *Major est Deus corde nostro.* Si vero tristitia in ipsum infundatur, usque adeo exiguum atque angustum est, ut vel una tristitiae gutta ipsum penitus occupare ac replere possit. *Sed quia*, inquit, *haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Quotidie hoc experimur, sumus aliquando liberi a curis hilares, laeti fabulamur, ridemus, canimus: adfertur nobis triste aliquod nuncium, ut parentem obiisse, ut navem cum mercibus amissam esse, mox Sol occidit nobis in meridie; omnia nigra atque obscura esse videntur, et omnis illa laetitiae lux in momento tamquam fumus evanescit. Tristitia enim quasi crassa quaedam nubes incubat cordi nostro, quae nullam partem nobis quietis et jucunditatis impartit. Quid, obsecro, hujus rei causam esse putatis? Undenam est, ut unum atque idem cor modo latissimum, modo angustissimum esse videatur? Aspicite, auditores, atque intuemini terrae vermiculos limaces testudines et alia animantia generis ejusdem. Cum forte in loco aliquo aprico et Soli exposito jacent, simulatque gratum quemdam ac suavem calorem sentire incipiunt, extenduntur, dilatantur aperiuntur, ut calorem videlicet illum excipiant: at cum ab aliquo punguntur aut feriuntur, mox contrahunt sese, et in angustum se reducunt. Talis est etiam natura cordis humani: Si bonum aliquod ac laetum inferatur, expandit sese, et omnes sinus ac latebras suas explicat, si vero malum ac triste sit, quod infertur, claudit se, et exiguum efficit, quantum potest. Videmus adolescentes, quo tempore bacchanalia vicina esse dicuntur, et jam homines de choreis, de lusibus, de conviviis de potationibus loqui incipiunt, nescio quo modo sibi cor dilatari, gaudere, ac gestire se sentiunt: ubi vero recedere bacchanalia, et quadragesimae, jejuniorum et confessionis tempus prope esse animadvertunt, contrahit se animus, et in seipso quasi angulum, ubi se abscondat, et latebras quaerit.

Humanum igitur cor ideo satiari non potest delectatione, tristitia vero mox repletur, quod cum perfunditur gaudio, dilatatur atque extenditur; cum vero triste aliquid patitur, contrahitur, in angustumque reducitur. Ait igitur Dominus. *Quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.*

Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam. Apostoli Dominum diligebant, sed non perfecte ordinateque diligebant. Eum salvum ac incolumem esse, et non atroci illo supplicii genere interire voluissent, sed eximiam illam gloriam, quae ex obitu Domini consecutura erat, et mundi totius salutem ac liberationem non intuebantur. At vero Dominus, qui vere ac perfecte discipulos suos amabat, non tam quid in praesentiarum ipsi cuperent, quam quid ipsis utile esset, attendebat.

Itaque aiebat, Tametsi propter ea, quae locutus sum vobis, tristitia impleverit cor vestrum, non ideo tamen praetermittam, et loqui et agere quod vobis utile est. Vos enim non perfecte me diligitis ego perfecte vos diligo. *Si enim diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Non quia ad mortem vado, gauderetis, sed quia per mortem ad Patrem et ad gloriam vado.

Exprimitur hoc loco auditores, et quid ii facere soleant, qui terrena sapiunt et quid ii facere debeant, qui coelestem magistrum imitari cupiunt Multi reperiuntur, qui vel liberos, vel nepotes, vel affines, vel necessarios alios suos maxime oderunt et tamen eos vehementissimo amore prosequi se

arbitrantur. Nam si forte beneficium aliquod Ecclesiasticum eis piscari, et humeros eorum licet infirmos ac debiles curis atque administrationibus ecclesiarum onerare possint, ut pondere illo oppressi concidant, et miserabili ruina usque in gehennam praecipitentur, tunc illi gaudent, tunc filios vel nepotes suos vere diligere se gloriantur. Neque minus gaudent, si eos in aula principis alicujus, ubi nihil nisi adulari, invidere, ambire, principem suum tamquam idolum colere, et salutis suae jacturam facere discant, collocare possint. Quid de illis dicemus, qui tunc exultant, et filiis suis magna charitatis argumenta ostendere se putant, si eis domum refertam magnis opibus, et facultatibus relinquant, quas ipsi nimirum vel fraudibus, vel usuris vel aliis malis artibus acquisierunt? Si vere ipsorum liberi vere liberi et expediti esse velint, onera ista sibi imponi recusent, atque ad ordinem aliquem hominum religiosorum se conferant, tunc tristitia implet corda illorum. Et cui dubium esse potest, odium potius, quam amorem esse, quo illi filios suos prosequuntur? Nam si vere filios suos diligerent, gauderent utique quando per crucem ad patrem vadunt; non quando per ambitionem et superbiam ad gehennam ruunt.

Sed quid ii facient, qui Dominum imitantur? Quid idem omnino, quod Dominus fecit. *Quia*, inquit, *haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam.* Haec omnes concionatores, omnes pastores, omnes episcopi, omnes principes diligenter attendere, et animis suis, mentibusque mandare deberent.

Concionatores primum, si recte munere suo fungi volunt, numquam debent a dicenda veritate deterreri, etiam populi moleste illam laturi esse videantur, etiamsi obsequium amicos, veritas odium pariat. Vere enim infelix est orator, et melius ei fuisset fodere vel mendicare, atque aratorem potius, quam oratorem agere, qui suam non Dei gloriam quaerit, quique a populis diligi, et laudari cupit et non ut Deus diligatur et laudetur efficere studet. Quaero enim a vobis, cum sponsus ad sponsam per famulum suum munusculum aliquod mittit, si famulus ille eo munusculo dominae suae placere, et ejus amorem sibi conciliare studeret, nonne adulterium cogitatione perpetrasse, et domino suo ingratus et infidelis extitisse judicaretur? Ad eumdem modum cum sponsus ille coelestis Ecclesiae sponsae per concionatorem aliquem suum munera verbi Dei, et scripturarum explicationem transmittit, si is inde formosus atque elegans videri cupiat, et missis reprehensionibus blando quodam utatur genere dicendi, ut Ecclesiam Christi sponsam ad se diligendum et laudandum alliciat, nonne adulterii affectati reus apud Dominum suum agetur? Debet quidem christianus orator, ut magnus Gregorius altera parte curae pastoralis monet, ita vivere ac loqui, ut a Dei populo diligatur, quando enim libenter, et cum fructu audietur qui non diligitur? Sed tamen ita placere hominibus velle debet, ut per ipsum magis sponsus coelestis ac Dominus diligatur. Quare probus atque integer concionator annunciet *populo* Dei *scelera eorum et domui Jacob peccata eorum.* Et si id moleste ferant, aperte dicat. *Quia haec locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum: sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis*, ut hoc dicam. Et si hoc oratores facere debent, quanto magis praesules ac principes ecclesiarum? Si canes vigilare et excubias agere circa gregem Domini debent, quanto magis pastores? Canes enim, hoc est, oratores, nihil aliud quam clamare et latrare possunt; at pastorum est non verbis tantum, sed fustibus etiam et verberibus gregem Domini in bonis pascuis continere. Et si oves indignantur, dicat bonus pastor: *Quia haec feci vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis*, ut hoc faciam. Ad exempla veniamus. Regnat in hac provincia turpissimum illud vitium ebrietatis: nisi forte, quia haec toties dico vobis, tristitia implet cor vestrum; *sed ego veritatem dico vobis expedit vobis*, ut haec dicam: Regnat in hac provincia foedissimum vitium ebrietatis. Ego quidem quod ad me attinebat, saepius feci, credo etiam idem fecisse eos, qui apud vos auctoritate et libertate multo amplius, quam ego, valent et valere debent. Sed quid jam pastores? quid episcopi facere deberent? Nempe cogitare apud se, ac dicere, Sacrosancti canones jubent, ebriosos excommunicari, atque ab ecclesiis omnino arceri. Si sint isti canones inclusi in tabulis, tamquam gladii in vaginis reconditi, distringantur aliquando eorum aciem hebescere diutius non patiamur, sentiant ebriosi pastores ecclesiae non deesse.

At si hoc fiat, tristitia implebit corda civium: implebit quidem; sed paulo post tristitia illa vertetur in gaudium et vulnus uni membro inflictum totius corporis pariet sanitatem. Si mendicus corporum a membro aliquo praecidendo non terretur ex eo, quod scit aegrotum iniquissime id esse laturum, quanto magis a vitiis amputandis terreri non debet medicus animorum? Quid vero bonus atque humilis christianus ab antistite suo baculo pastorali percussus dicet? Nempe cum psalmographo canet? *Corripiet me justus in misericordia et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Nam si medico, qui corpus curat (ut in eadem similitudine persistamus) posteaquam tibi amarissimum pharmacum propinavit, inedia te pene consumpsit, venam secuit, sanguinem abstulit, multis ac variis modis te vexavit, tu gratiam habes, munera largiris, sapientissimum medicum esse dicis: cur eodem animo erga spiritalem medicum non eris, qui te a graviore morbo nullis tuis sumptibus liberare cupit? vestigia igitur Domini omnes sequamur, omnes libenter dicamus et libentius audiamus: *Quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis*, ut hoc faciam.

Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero mittam eum ad vos. Quid est hoc, auditores. *Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos?* Quis non putasset omnino contrario modo dicendum fuisse? Nempe, si abiero, si a vobis recessero, Paracletus non veniet ad vos: Diligit enim spiritus sapientiae et veritatis ipsam Dei sapientiam et veritatem. Neque Spiritus

sanctus Dominicum corpus execrari potest ; cujus ipse opifex et fabricator fuit. Si enim quodam loco in Evangelio legimus. *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Cur igitur ait, *si non abjero, Paracletus non veniet ad vos?* Non minus pulchra , quam utilis et facilis est ista quaestio. Nec uno tantum, sed multis ac variis modis expediri potest. Nam cum Dominus ad Patrem suum proficiscens tria potissimum quasi stadia conficere, seu potius tamquam tres gradus ascendere deberet , mortem, resurrectionem , ascensionem, de singulis seorsim recte ac vere dicere potuit. *Si non abiero , Paracletus non veniet ad vos.*

Primum igitur ait , *si non abiero* , hoc est , si mortuus non fuero, *Paracletus non veniet ad vos.* Nec enim donum Spiritus sancti ad homines mitti poterat , nisi prius pace inter Deum et hominem confirmata: hoc vero Dei propositum et consilium fuit (ut apostolus ad Colossenses scribens ait) ut per crucem et sanguinem Christi , homo cum Deo in gratiam atque amicitiam rediret : *In ipso* , inquit , *complacuit , omnem plenitudinem inhabitare , et per eum reconciliare omnia in ipsum , pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.* Ait igitur: *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero,* si sanguine meo pacem inter Deum et hominem non composuero, *Paracletus non veniet.*

At multi ex antiquis Patribus , ut patriarchae et prophetae ut alii nonnulli , justi et Deo grati fuerunt: neque justi et Deo grati esse potuissent, nisi fide, spe et charitate praediti fuissent. Haec vero omnia munera sunt : *Charitas Dei* , inquit apostolus Paulus , *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum santum, qui datus est nobis.* Venerat igitur ad priscos illos Patres Spiritus sanctus , et tamen Christus neque natus neque mortuus adhuc fuerat. Quid est igitur: *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos?* Veteres illi Patres, auditores, Spiritum quidem Sanctum acceperunt , sed gratia ac benignitate ejusdem Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi. Sanguis enim ipsius non solum posteaquam effusus est ; sed jam inde ab initio mundi non quidem effusus , sed certissime effundendus, Dei Patris iram atque indignationem placavit. Hinc enim in Apocalypsi Agnus Dei *ab origine mundi occisus* dicitur.

Sed ad alteram expositionem veniamus. *Si non abiero,* inquit, hoc est, si non resurrexero, *Paracletus non veniet.* Neque vero de quocumque adventu Spiritus sancti sermo est, sed de conspicuo et celebri quodam adventu , qualis ille fuit , cujus memoriam in Pentecoste anniversario ritu, statisque caeremoniis veneramur et colimus. Non enim decebat , ut cum noster imperator Christus et sibi corporis gloriam , et nobis Spiritus sancti donum moriendo promeruisset, antea nobis donum Spiritus sancti, quam ei gloria sua redderetur. Hoc nimirum est, quod beatus Joannes quodam loco ait: *Nondum erat Spiritus sanctus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Ait igitur, *Expedit vobis, ut ego vadam. Nam si non abiero,* si corporis gloriam consecutus non fuero , *Paracletus non veniet ad vos.* Intuemini fontes , auditores : Num ex fontibus aqua redundare potest, antequam ipsi penitus pleni sunt? Certe non potest. Sic igitur cum omnis gratiae fons Christus sit, ratio ipsa hoc exigebat , ut primum Christus gratia et gloria tam animo , quam corpore repleretur ; et tum demum ex ipso in alios et gratia et gloria , et caetera Spiritus sancti munera redundarent.

Porro tertia expositio. *Expedit vobis , ut ego vadam: si non abiero,* hoc est, si coelum non conscendero , et tamquam magnus sacerdos in sancta sanctorum introiero , *Paracletus non veniet ad vos.* Cur ita? Quamobrem? Nempe , quia tanta res est praesentia, atque adventus Spiritus sancti , ut nisi advocatum haberemus apud Patrem , ipsum Dei Filium, qui appareret vultui Dei pro nobis, et interpellaret pro nobis; numquam ad nos Spiritus sanctus mitteretur. Hoc est , quod Dominus discipulis suis pollicebatur: *Rogabo* , inquit , *Patrem , et alium Paracletum dabit vobis , qui maneat vobiscum in aeternum.* Jure igitur ait ; *Expedit vobis , ut ego vadam. Si enim non abiero* , et Patrem pro vobis non rogavero , *Paracletus non veniet ad vos.*

Sed beatissimus pater Augustinus, nec non sancti Patres nostri, Gregorius et Bernardus, quartam et postremam eorumdem verborum explicationem meditati sunt. Quid igitur sibi volunt illa verba. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Nisi carnis hujus praesentiam vobis subtrahatur, Spiritus sancti praesentiam plene ac perfecte animus vester capere non potest. *Expedit ergo vobis , ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet,* si lac non subtraxero , cibus solidus vobis non dabitur. Nisi carnis cogitationes exueritis, virtutem ex alto numquam induetis. Nihil est , auditores, (ut cum hac expositione orationem nostram finiamus) quod ita Spiritus sancti adventum ac praesentiam impediat, ut amor rerum terrenarum; nec solum earum , quae sine peccato haberi non possunt, sed illarum etiam quas licite atque optimo jure possidemus. Amor enim nihil aliud, quam viscum quoddam tenacissimum est. Si igitur eo cordium nostrorum alae teneantur, ad quem modum sursum libere tendere, et ea quae spiritus sunt sapere et cogitare poterimus? Nonne videmus aviculas, si forte extremas alas, non, inquam, visco, sed vel modico luto impeditas habeant, volare eas nullo modo posse? Accidit quidem nonnumquam , ut etiam ii , qui nondum penitus terrenum amorem exuerunt , Spiritus sancti consolationibus perfundantur : verum ille Spiritus sanctus transiens , non Spiritus permanens est. Allicit enim ea ratione Deus, atque attrahit ad se corda hominum imperfectorum. At illae divinae illustrationes , illae , inquam, delitiae spirituales , illae coelestes consolationes , quae hominem ebrium amore faciunt , ei cibi ac somni oblivionem inducunt, quae integros dies et noctes in altissima contemplatione suspensum hominem tenent , et tanto interdum impetu, tantaque vi animam sursum rapiunt , ut etiam corpus abripiant, et procul a terra contra ejus naturam ferant, illorum dumtaxat sunt, qui omnem amorem alium

tamquam corruptum liquorem de suis cordibus effuderunt, qui vere dicere possunt : *Renuit consolari anima* nostra: memores fuimus, Dei, et delectati sumus. Qui non solum in cibo et potu, in vestibus, in agris, in domibus delicias non quaerunt: sed non sine dolore ac molestia id suscipiunt, quod naturae necessitas postulat. Tales beatus Antonius, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus, ac in primis apostoli omnes fuerunt, quos Dominus quasi ablactare, et ex pueris viros perfectos efficere volens, eis dicebat: *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.*

Sed si haec ita se habent, quando nos, auditores, Paracletum illum sperare poterimus, qui tantum ab illa vitae ratione absumus? Qui carnem sapimus, in carnem seminamus, carnem fovemus? Et quam tandem carnem? Eine similem, quam apostoli diligebant? An vero carnem peccatricem, genitam in peccato, assuetam peccato? *Errant, errant omnino*, inquit Bernardus, *si quis coelestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. Quis enim sectans lenocinia carnis suae sperare audeat gratiam illam spiritus vehementis, quam ne cum ipsa quidem Verbi carni obtinere apostoli potuerunt?* Nos igitur, dilectissimi, si tantae gratiae praeparati cupimus, a delectationibus miseris et caducis consolationibus evacuare corda nostra studeamus, praesertim hoc tempore, quo diem illum expectamus, quem ipse Spiritus Paracletus adventu suo illustravit, ac nobis sacratissimum ac celeberrimum effecit, ut sua nos visitatione, sua consolatione, sua confirmatione dignetur Spiritus ille benignus, spiritus dulcis, spiritus fortis, qui cum Patre et Filio vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO XXXIII.

IN FERIIS ROGATIONUM

DE ORATIONE

SYNOPSIS

Tota haec concio, uti et sequens, de oratione tractat; ubi primum oratio in vocalem et mentalem dirimitur, atque cum haec illam multum praestantia antecellat, ideo de mentali potissimum hic sermo instituitur. Quod omni statui orationis studium sit necessarium in primis multis S. Scripturae testimoniis cumulatis probatur, atque illud hominis Christiani proprium esse convincitur. Obiectio diluitur, quomodo nimirum illud Lucae intelligendum sit: Oportet semper orare et numquam deficere. *Quanta nobis offeratur perpetuo orandi occasio, asseritur, et auctoritate d. Basilii confirmatur. Eam ex Adae peccato devolutam in nos esse miseriam, ut omnia bona, ut pulli implumes cibum, emendicare cogamus. Nullum opus bonum sine oratione suam perfectionem habere posse a simili declaratur: et quomodo magna cura cor conservandum sit (quod fit maxime meditatione) testimoniis, et similitudinibus simulachri, rigidi et frigidi ferri demonstratur. Demum efficacia orationis ad animum transfigurandum, exemplo Christi et accipitris similitudine manifestatur.*

Initium secundae partis a simili pharmacorum probat, orationem internam omnes procreare; et quomodo et Philosophi sententia, virum bonum quadratum esse oporteat, multis docetur. Qua ratione eadem oratio complacentiam divinarum rerum, et nauseam terrenarum pariat, mentemque elevet, similitudine et exemplis s. Augustini et s. Benedicti, confirmatur. Quod itidem remedium naturale sit pro libidine restinguenda, quae quanta difficultate superetur, ex ipsa immundi spiritus, divo Antonio comparentis, narratione ostenditur. Tandem enumeratis summatim plurimis orationis commodis, ejusdem praeclara encomia, et digna epitheta subnectuntur; ubi effectus quidam adducuntur, et quantopere hoc studium sanctis cordi fuerit, multis historiis palam sit. Quae omnia gravis ad orationem exhortatio excipit.

Duo sunt, quae hoc sacro tempore toto orbe terrarum in Ecclesia Catholica maxime frequentantur, jejunium et oratio: sed tamen partes posteriores non jejunii sed orationis sunt. Jejunium enim propter orationem, non oratio propter jejunium institula est. Itaque jejunium diebus dominicis intermittitur, oratio vero non modo non intermittitur, sed etiam illis ipsis diebus augetur. Quamobrem ut non sine fructu hoc sanctissimum et saluberrimum tempus non praetereat, sicut concione hodierna et sequenti de oratione verba faciemus. Ac quamquam varia et multa sunt, quae de hoc argumento dici possent, nos tamen non eloquentiam ostentare, sed studium pietatis promovere, at auditoribus nostris non voluptatem ac delectationem; sed utilitatem atque emolumentum dicendo adferre cupientes, solum de utilitate, vel potius de necessitate orationis et modo ac ratione orationis pro temporis brevitate disseremus. Et quidem si Dominus, ut spero, votis nostris pro sua incredibili bonitate aspiraverit, et vos attente ac diligenter (ut semper hactenus fecistis) ea, quae a nobis dicentur, audieritis, efficiam profecto, ut neminem vestrum suae diligentiae, et studii aut laboris poeniteat.

Nunc ad rem ipsam explicandam aggredior, si de quo genere orationis potissimum disserendum sit, paucis antea exposuero. Etenim duo sunt orationis genera, unum, quod solo corde et cogitatione perficitur: alterum, quod corde simul et ore. Nam tertium illud, quod solo strepitu sonituque verborum constat, tametsi hodie maxime ab hominibus usurpetur, tamen nomen orationis nequaquam meretur: estque a nobis penitus omittendum, ne forte a Domino audiamus: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* At vero ex duobus primis generibus illud prius magis a sanctis Patribus laudari et commendari videmus: nempe utilior et efficacior est oratio solius cordis et mentis, quam oratio oris ac vocis, etiam si verbis et vocibus aliqua attentio cordis non desit. Nam qui voce orat, et psalmos vel canit vel legit, brevi tempore multa percurrit, neque ad medullam, et quasi succum eorum, quae legit, pervenire potest. Qui vero intrat in cor, et silentio cogitat et meditatur, omnia diligenter considerat ac perpendit. Itaque plus proficiet aliquis, si mysterium unum dumtaxat Dominicae passionis attente consideret et meditetur, quam si eodem tempore bis aut ter totam historiam passionis, et omnia ejus misteria cursim legat: neque vero ad hoc demonstrandum necesse nobis erit ex locis Aristotelis vel Ciceronis argumenta depromere: experientia quotidiana nos docet. Nam cum horas, vel psalmos poenitentiales, vel alias aliquas pias orationes legimus, vix attentionem in officio continemus. Incipimus legere orationem dominicam, et statim quasi nescientibus nobis cor inde se proripit, et per forum, per gymnasium et per totam urbem, aliquando extra urbem

per silvas et campos vagatur. Interdum quoque, quod est multo gravius, et in quo vehementer offenditur Deus, ipsa sphaeristeria et tabernas ingredimur, et aliquando absolvimus semel, et repetimus iterum eamdem orationem, antequam cor a sua deambulatione revertatur. Itaque incidimus, velimus nolimus, in illud tertium genus orationis, quod solo strepitu verborum, motuque labiorum constat. Et cum surgimus ab oratione ejusmodi, ita frigidi sumus, sicut antea eramus: ita facile ridemus, et jocamur et fabulamur, sicut antea faciebamus. At vero ex meditatione et contemplatione rerum divinarum toti incensi, toti graves, toti serii, toti mutati surgimus. Quocirca oratio vocis et verborum similis mihi videtur esse pluviae aestivae, quod cum impetu et sonitu descendit et terrae superficiem lavat, sed ad viscera et intima ejus non penetrat. Oratio vero cordis, et profunda rerum contemplatio similis est minutae pluviae cuidam, quae cum silentio cadit, sed perseverat diu, profundissime terram penetrat, atque inebriat, et eam multo humore gravidam, atque aptissimam ad flores et fructus producendos relinquit: nos igitur de hoc genere orationis, quod corde et cogitatione fit, potissimum disserere instituimus.

Atque ut intelligatis non solum monachis et sacerdotibus, sed omnibus penitus christianis, et iis, qui salvi fieri cupiunt, orationis hujus studium necessarium esse, testimoniis divinarum litterarum principium faciemus. Porro tam multa, et tot locis et sententiarum gravitate, tantoque pondere verborum Spiritus sanctus in divinis litteris de orationis necessitate locutus est, ut nullum amplificationibus nostris locum reliquerit. Proferam pauca de multis. *Non impediaris* (inquit Spiritus Sanctus) *orare semper*, hoc est, Nullum negotium sit tam grave, tam utile, tam necessarium, quo te impediri ab orationis assiduitate patiaris. Isaiae. 62. *Qui reminiscimini Domini*, inquit, *ne taceatis, et ne detis silentium ei*, hoc est, perpetuo et sine intermissione clamantis ad Deum. David propheta in plurimis psalmis nihil magis, quam studium orationis, et laudum Dei nobis commendat. Dominus vero ac liberator noster Christus, quid, quaeso, tam saepe, quid tam solicite, quid tam diserte nos monet, quam ut semper oremus? Marci 13. *Videte*, inquit, *vigilate et orate, nescitis enim quando tempus fiet.* Lucae. 18. *Oportet semper orare, et numquam deficere.* Non inquit, expedit, convenit, bonum est; sed *oportet*, necesse est: non aliquando, non saepe, non frequentissime, sed, *semper orare, et numquam deficere.* Tantam igitur emphasim habent haec verba? Et rursum capite 21. *Vigilate*, inquit, *omni tempore orantes; ut digni habeamini fugere omnia ista, quae futura sunt, et stare ante filium hominis.* Neque vero solum verbis; sed multo magis exemplo suo nos docuit, quanta sit necessitas orationis. Nam, ut beatus Lucas testatur, saepe ascendebat Dominus in montes, et inquirebat loca deserta, ut vacaret orationi: saepe etiam integras noctes orando consumebat. Certissimum vero est, ut divus Ambrosius monet, id non fecisse Dominum, quod ipse ejusmodi adjumento indigeret; sed ut nos exemplo suo institueret atque erudiret. Quid jam de apostolo dicam? In qua epistola non inter praecipua opera usum et frequentiam orationis commendat? Philippensibus scribit: *Nihil soliciti sitis; sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.* Colossensibus scribit: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Thessalonicensibus scribit: *Semper gaudete; sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: haec est enim voluntas Dei.* Timotheo scribit: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* Et rursum: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.* Et iterum: *Quae vere vidua est et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte et die.* Haec et alia permulta passim inveniuntur, non solum in epistolis Pauli, sed omnibus litteris divinis, ex quibus planissimum illud efficitur, non minus necessarium esse animae cibum orationem, quam sit corpori panis, et ignis et aqua.

Postremo ita propria est haec virtus christianorum, ut per eam Deus populum suum ab omnibus aliis gentibus separare voluisse videatur. Sic enim legimus in Isaia: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis*, tamquam si diceret: Aliae gentes sicut vivunt ex terra, ita corda et cogitationes eorum non sunt, nisi in terra. At Ecclesia mea novum hominum genus, sicut de coelo vitam habebit, et de coelo omne bonum et felicitatem expectabit, ita oculos semper habebit sublatos in coelum, ac mente et cogitatione morabitur semper in coelo. Itaque *domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.*

Sed video scopulum mihi obiectum, ad quem ne navis orationis meae illidatur, providendum est. Occurret enim fortassis aliquis, ac diceret: Quomodo tandem hoc fieri potest, ut semper oremus? Non comedemus, non bibemus, non dormiemus, non quiescemus? Quis potest semper orare, et numquam deficere? Non defuerunt, qui existimarent nimis difficile esse semper orare, atque dicerent, idcirco orationis nomine omnia bona opera intelligenda. Is enim semper bene orat, qui semper bene vivit, et certe si quis hoc velit dicere, omne opus bonum esse orationem, non valde repugnabo. Sed tamen non hoc Dominus significare voluit, cum ait: *Oportet semper orare, et numquam deficere.* Imo vero non quocumque opere bono, sed de vera oratione dumtaxat sine ulla dubitatione locutus est. Nam cur, obsecro, statim addidisset similitudinem de vidua illa, quae judicem durum atque inhumanum perseverantia, atque importunitate orationis flexit? Et illam de amico petente tres panes, quos non, quod amicus esset, sed importunitate nimia obtinuit, nisi demonstrare voluisset, quantum valeat *deprecatio justi assidua*? Deinde nonne Dominus aperte dixisset. Oportet bene agere, si hoc significare volebat? Hoc

igitur firmum ac ratum, tum hunc locum evangelii, tum alios paulo ante notatos de vera oratione intelligendos esse, et iis orationis studium non solum Carthusianis, aut Franciscanis, sed omnibus Christianis commendari. Neque vero dicendum nobis erit, fieri non posse id, quod Dominus praecipit. Non enim ita mathematice intelligimus, semper esse orandum, ut nec ad momentum quidem temporis ab oratione cessandum sit, sed solum quam saepissime et quam diligentissime orationi sit vacandum, neque propter alia bona opera minus necessaria utilissimum ac saluberrimum orationis studium esse omittendum. Quemadmodum si alicui medicus diceret: Vide ut semper comedas, neque unquam intermittas, non intelligeremus eum totos dies et totas noctes in mensa sedere debere, sed non debere eum suis temporibus a prandio, vel a coena propter alias occupationes vel studia abstinere: neque hic loquendi modus in sacris litteris novus aut inusitatus est. In Psalmo primo in laudibus viri justi ponitur: *Sed in lege Domini* meditatur *die ac nocte*. Nemo vero ita stupidus est, ut existimet solum eum virum justum esse, qui non comedit, non bibit, non ambulat, non loquitur, sed perpetuo absque ulla intermissione in lege Domini meditatur. Itaque ille semper orare et numquam deficere dicendus est, qui singulis diebus habet suas horas orationi consecratas, et in illis numquam se ab oratione avocari patitur, reliquo vero tempore semper id facit, cum commode fieri potest.

Verum enimvero, auditores multo frequentius homo horare, atque adeo mente et cogitatione cum Deo conjungi, et potest et debet, quam multi sibi persuadeant. Si enim aliquis amore captus vel dignitatis vel foeminae alicujus, semper cogitat de eo, quod amat: et neque dies neque noctes, neque dormiens neque vigilans quiescit: si ambulat, lachrimatur: si comedit, suspirat: si dormit, somniat: et omni tempore, omni loco, omni actione occurrit animo res amata: ubique eam videt, ubique eam audit, neque prandium, neque coena neque negotia alia eum impediunt, quin semper anima volvat formam et speciem rei amatae: quid mirum, si animus humanus cognita semel, atque perspecta excellentia divinae pulchritudinis, ita flamma amoris accendatur, ut non possit ab ea incredibili venustate cordis oculos removere, et ibi semper animum quasi affixum vel ligatum habeat, ubi thesaurum suum habet? Ad hunc modum d. Basilius exponit illa verba apostoli Pauli, *Sine intermissione orate*: ac docet, nihil nos agere, nihil videre, nihil audire, quod nos ad Deum orandum non invitet. Et si vere Deum diligimus, non solum dum vigilamus; sed dum dormimus de Deo cogitabimus: *Accumbens mensae ora: esurus panem, largitori gratiam rependito: suffulciens firmansque infirmiores corporis vires vino, ejus fac memineris, qui hoc te dono impertivit, ad inferendam cordi tuo laetitiam, ad multiplicium infirmitatum non mediocre solamen. Nulla tibi est sumendi edulii necessitas? Cave te praetereat ejus memoria, cujus liberali beneficio explesti ventrem. Tunicam indueris? Gratiam agito benigno datori. Amiciris pallio? Fac in te augescat intentior erga Deum charitas, qui contegumenta gratuito largitus est hiemi aestatique accomodata, quibus et vita conservetur, et obveletur turpitudo. Tibine dies expletus abiit? illi referto gratias, qui solem quidem nobis nihil tale commeritis indulsit in divinae operationis mysterium: ignem vero contulit illustrandae nocti, utque subserviat reliquis vitae commoditatibus. Ipsa rursum nox alias ad orationem suggerere poterit occasiones.* Haec magnus Basilius. Hac igitur quaestione explicata, et divinae scripturae testimoniis expeditis, ad necessitatem et utilitatem orationis demonstrandam propius accedamus.

Quanta sit necessitas orationis, nemo sane intelligere potest, qui non intelligit, in quam profundam miseriarum abyssum homo inciderit per peccatum: quae quidem tanta est, ut humanis verbis explicari non possit. Scriptura divina refert, nostros primos parentes simul atque in paccatum illud inobedientiae lapsi fuerunt, se nudos agnovisse. Vere enim tunc nudi effecti, et innocentia, gratia, justitia aliisque permultis bonis spoliati sumus. Neque solum spoliati bonis, sed induti, et quasi cooperti omnibus malis, ut illud Psalmographi rectissime conveniat: *induit maledictionem sicut vestimentum: et intravit sicut aqua in interiora ejus et sicut oleum in ossibus ejus.* Certe grave admodum fuisse, si maledictio illa Dei solum ut vestimentum totum hominem a planta pedis usque ad verticem corporis cooperuisset: verum justitia Dei hoc supplicio contenta non fuit; sed voluit etiam, ut ea maledictio sicut aqua in interiora hominis penetraret, ut non solum exterius homines punirentur. Quia vero aqua liquor quidam est crassus, ut qui non facile omnia penetrare potest, ne putaremus aliquam partem solidiorem, et duriorem istam maledictionem effugere potuisse, addidit sanctus propheta; *Et sicut oleum*, quod est in liquoribus subtilissimum, et maxime aptum ad penetrandum, *in ossibus ejus*, quae sunt partes in homine secretissimae atque durissimae. Itaque maledictio illa cooperuit carnem humanam, sicut vestimentum: intravit vero sicut aqua in animam sentientem, et omnes ejus motus et sensus: et sicut oleum mentem ipsam ac voluntatem, atque adeo subtilissimas et maxime reconditas partes penetravit, et in eam inopiam et difficultatem spiritualium opum homo redactus est, ut non possit ex se tamquam ex se, agere, vel loqui vel cogitare aliquid, quod Deo sit gratum: neque dicere, Dominus Deus, nisi adiutus a Spiritu sancto.

Quaero igitur a vobis quid remedii superest homini, tam mendico, tam misero, tam nudo, tam debili, qui neque patrimonium habet, neque artem aliquam novit, neque robustus ac sanus est, ut fodiendo ac laborando sibi victum quaerat? Quid, inquam, ei remedii, nisi ut si fodere non valeat, saltem mendicare non erubescat? Hoc plane superest, hoc sane necesse facere habet, nisi fame perire velit: nempe semper orare et numquam deficere: semper mendicare, semper pulsare ad fores illas divinae misericordiae, ac cum propheta dicere, *Mendicus sum* Domine, memor sis mei. Et si-

cut nos docuit Dominus, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quaero igitur a vobis, quid agere debet pullus hirundinis aut passeris, cum nec plumas nec alas habet, nec ullo modo cibum per se quaerere sibi potest? Quid ei superest nisi ut repleat aerem clamoribus et querelis ac gemitibus viscera parentum pulset? Ad eumdem modum, si homo propter peccatum magis nudus ac debilis et inops omnium rerum effectus est, quam sit illa avis quae recens prodiit ex ovo, quid ei faciendum est aliud, quam noctes et dies clamandum ad Deum et piis gemitibus pulsando viscera Dei Patris? intelligebat sane hoc rex Ezechias, atque idcirco in oratione ajebat; *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor, ut columba.* Itaque, auditores, post illud magnum naufragium, post illam jacturam omnium bonorum, quam passi sumus per peccatum, unicum et singulare remedium nostrum ad omnia mala propulsanda et omnia bona adipiscenda, oratio est. Et ipse maxime dilescet qui sciet optime et importunissime mendicare, et semper orabit et numquam deficiet.

Venio nunc ad alteram utilitatem, vel necessitatem orationis magis particularem. Ego enim illud mihi verissime affirmare posse videor, sine studio internae orationis (de hac enim loquimur) neminem unquam hominem spiritualem futurum, neque ad ullum perfectionis gradum perventurum. Videmus multos, qui aliquoties singulis annis ad poenitentiae sacramentum accedunt, et satis diligenter, quantum humana imbecillitas patitur, omnes sordes et maculas peccatorum expiare conantur: et tamen numquam proficiunt, semper sunt iidem, et si post octo dies a confessione peracta iterum ad confessionem redeant, non pauciora aut minora peccata ferunt, quam antea attulerant. Atque ut aliquid majus et tamen verum, dicamus, videmus interdum aliquos homines religiosos et non paucos sacerdotes, qui officio et vestibus sanctimoniam profitentur, neque hoc solum, sed legunt assidue divinas litteras, frequenter, si non quotidie, rem divinam celebrant, neque uxores aut liberos habent sed sunt ipsi liberi ab omnibus iis curis et sollicitudinibus, quae eos a studiis rerum divinarum avocare vel impedire potuissent; et tamen ita sunt aridi, ita sine spiritu, ita frigidi in amore Domini, ita ferventes in amore saeculi, ita saccum plenum habent ira, invidentia, cupiditate, ut nihil a saecularibus differre videantur, horum omnium illa una est causa, quod non intrant in cor, neque curant aliud, quam hominem externum. Sicut barbam et capillos, vel tondent vel radunt, ita peccata resecanda esse putant, et quid mirum, si ita rursum pullulant peccata, sicut renascuntur iterum capilli cum radices maneant? At vero interna oratio illa est, quae penetrat usque ad profunda animae, et cordis et spiritus, et non tondet vel secat, sed radicitus evellit vitia.

Scitisne, qualia sunt jejunia, eleemosynae, confessio peccatorum, lectio scripturarum et alia ejusdem generis opera sine oratione interna? Sunt quasi medicamenta quaedam externa, qualia sunt balnea, vel unguenta vel fomenta quae extrinsecus adhibentur corporibus aegrotorum. At plaga nostra auditores interna est, aegritudo nostra in intimis visceribus delitescit, in recessu cordis est morbus noster, ibi est apostema. *De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae.* Ibi sunt radices vitiorum, ibi est adhibenda curatio. *Omni custodia*, inquit sapiens, *serva cor tuum, quoniam ex eo vita procedit*, tamquam si diceret, si manibus et pedibus, et auribus et naribus careas: modo cor integrum maneat, homo eris tametsi deformis et debilis. At si manus et pedes et aures et nares et membra caetera tibi sint, si cor non vivat, homo non eris nihilque differes a simulachro. Sic etiam si neque jejunare, neque eleemosynas facere, neque docere, aut concionari valeas, si tamen homo interior bene se habeat: salva res est. Nam et Deo places, et ejus amicus et filius es: si vero illa omnia praestare potes, et tamen homo interior non vivit, nihil es aliud, quam aes sonans et cymbalum tinniens, vel simulachrum artificiose depictum et ornatum, sed mortuum. Quocirca omni custodia servandum est cor quia ex ipso vita procedit. Cordi procurandus est cibus, ne deficiat, procurandus est ignis, ne frigeat vel obduretur, nulla siquidem re facilius obduratur vel extinguitur cor, quam frigore. Ignem vero quid accendit, nisi meditatio? Psalmographus ait: *In meditatione mea exardescet ignis.* Et sicut rigidum atque obscurum aliquid ferrum quod nulla vi nec ullis malleorum ictibus flecti posse videtur tamen si in ignem coniiciatur, statim accenditur et illustratur et in quam partem volueris sine labore flectitur, sic enim ejus peccatoris, qui dum frigidus atque obscurus est, flecti ad bonum, neque admonitionibus neque castigationibus potest, statim tamen cum in istam fornacem, de qua loquimur, iniicitur, statim atque ad seipsum redire, et profunda meditatione mysteria nostrae fidei, ut Domini passionem et gloriam beatorum, ut gehennae supplicia, cogitare incipit repente et ejus intimis medullis ignis quidam excitatur, quo animus ejus accenditur et illustratur, et nullo negotio non solum flectitur, sed etiam quodammodo liquescit. Atque inde incipit vera et perfecta conversio peccatoris.

Rem ita se habere, Dominus noster hesterna die sua illustrissima transfiguratione demonstravit. Sic enim pulcherrimum hoc mysterium b. Lucas describit: *Assumpsit*, inquit, *Petrum, et Jacobum et Joannem, et ascendit in montem ut oraret: et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, et vestitus ejus albus et refulgens.* Poterat certe Dominus, si voluisset, etiam sine oratione transfigurari. At idcirco voluit id oratione fieri, ut nobis ostenderet, quantam vim habeat oratio ad animas transfigurandas. Itaque in oratione transfigurantur animus: in oratione facies animae fit Sole clarior et nive candidior. Porro hoc idem in lib. sancti Job Dominus significare voluisse videtur, cum ait: *Num quid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?* Admirabile profecto est, quod sciat accipiter tam facile excutere veteres plumas, et producere novas, atque idcirco quaerat aerem calidum, et ad

austrum se convertat, ut eo calore aperiantur et dilatentur pori: deinde expandat, concutiat atque agitet alas, ut eo motu alarum veteres plumae eiiciantur, et mox novae exoriantur. At quanto mirabilius, quod possit animus humanus tanta facilitate exuere veterem hominem et induere novum: exuere Adamum et induere Christum: exuere carnem et induere spiritum: exuere cogitationes et amorem ac desideria rerum terrenarum, et induere aliam mentem, alios mores, alia desideria: neque aliud jam, quam Deum et res coelestes concupiscere? Quanta est haec mutatio, quanta conversio? Vere *mutatio* est *dexterae excelsi*: et tamen solum fieri; sed etiam facile fieri haec mutatio potest. Si accipitrem, de quo jam diximus, imitari velimus, hoc est, si vultum et faciem nostrae animae ad illam meridianam lucem, ad illos radios accensos Solis justitiae convertamus, atque in eam lucem defixis oculis interim alas desiderii expandamus, atque agitemus petentes, obsecrantes, flagitantes non verbis, sed gemitibus, sed lachrimis, sed suspiriis, ut detur nobis spiritus bonus. O quam facile isto calore spiritus aperiuntur pori? O quam cito ista agitatione alarum plumae veteres eiiciuntur? O quanta celeritate et facilitate renovatur, *ut aquilae iuventus* nostra? Magna est igitur et admirabilis virtus et efficacitas orationis.

PARS POSTERIOR

Quemadmodum iisdem fere medicamentis in humanis corporibus et efficitur sanitas, et conservatur: pari ratione in mentibus humanis unum atque idem pharmacum orationis, non solum virtutum sanitatem efficit, sed etiam conservat effectam nec solum morbos vitiorum contractos expellit, quod paulo ante docuimus; sed etiam prohibet, ne deinceps tales aegritudines contrahantur, quae est altera utilitas orationis. Ea siquidem, quae hominem de statu deturbare, et a recta via, quam ingressurus erat, revocare solent, prosperitatum atque adversitatum vicissitudines sunt. Rebus adversis animus deiicitur, prosperis elevatur, atque ascendit in mirabilibus super se. Utroque autem modo tandem cadit: multi propter calamitates atque aerumnas a Deo et virtutis via ceciderunt, atque ad peccata, ad blasphemias, ad furta, ad parricidia, ad desperationem se converterunt. Multi rursum ob fortunarum, et amicorum, et dignitatum et rerum omnium affluentiam obliviscuntur Dei et beneficiorum ejus et quasi jam Deo non egeant, ejus gratiam et amicitiam non magni faciunt, facileque, si detur occasio, sicut frequentissime datur legem Domini et praecepta ejus violare non verentur. Utrique vero tandem pereunt, et gehennae addicuntur. Itaque praeclare Philosophus libro de moribus primo, hominem felicem et probum docet quadratum esse debere, hoc est, similem talo, qui quocumque proiiciatur, semper recte cadit. Is enim vere felix et probus (si tamen felicitas est ulla in hac vita) dicendus est, qui omnem fortunam moderate ferre potest, et neque adversis deiicitur, neque prosperis elevatur. Porro hanc felicitatem, hanc animi constantem et diutinam sanitatem, hanc veram et stabilem tranquillitatem, hanc jucundissimam et gratissimam mentis serenitatem, nulla alia re facilius, quam studio orationis et contemplationis acquiremus. Nihil enim est aliud orare et contemplari, quam agere cum Deo, agere de rebus maximi momenti, de regno, de aeternitate, de bono, in quo sunt omnia bona. Quare sicut ii, qui admittuntur ad regis consilium, et agunt ibi de provinciis, de exercitibus, de bellis, de legationibus magnorum principum, et aliis rebus magnis: cum postea redeunt ad suas privatas domos, et iis referuntur privata quaedam et minima negotia, de agro, de vinea, de colligendis fructibus, de equo, de bove, de ancilla, de famulo, vix ea dignantur audire; sed fastidiunt ac contemnunt, tamquam res nullius momenti. Habent enim, caput plenum curis et cogitationibus magnarum rerum. Sic etiam qui agunt cum Deo, et agunt de magnis illis negotiis regni coelestis, et bonorum numquam finiendorum, nec non de praeliis et certaminibus, quae contra potentes et invisibiles hostes gerenda sunt cum ad negotia istius vitae oculos convertunt, omnia fastidiunt ac contemnunt, tamquam insanissimas nugas. Vident enim esse omnia ista fragilia et caduca, et avibus persimilia, quae quando maxime teneri videntur, tum maxime fugiunt, et nihil in manibus praeter aliquas plumas relinquunt. Non recordamini sancti illius senis, de quo aliquando vobis ex hoc loco retuli, quod is, cum ab oratione surgebat, oculos claudere solebat, neque Solem aut coelum aut aliquam creatam pulchritudinem aspicere dignabatur, sed ajebat, Claudamini oculi, claudamini, nihil enim jam est pulchri, quod aspicere possitis. Quid quaeso in illo sancto ac regio propheta Davide effecerat, ut regni gloriam et abundantiam divitiarum ita contemneret, ut ex animo dicere posset. *Quid mihi est in coelo et a te quid volui super terram? Deficit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum*, nisi studium orationis, nisi contemplatio divinorum? Sed accipite similitudinem aliam.

Qui montes excelsos et turres altissimas conscendunt, nonne cum deorsum aspiciunt, omnia parva et exigua esse censent? Quid putant homines nisi formicas? Quid boves et camelos, nisi capras et oves? pecunias autem et vestes et alia minuta ne vident quidem. Iam igitur quid est oratio, nisi *ascensio mentis in Deum*? et quam alta turris est Deus? Quis mathematicus, et quo geometrico quadrante altitudinem hujus turris metiatur? Quae moles Babylonica, quis Caucasus aut Olympus, cum Dei sublimitate comparetur? Ejusmodi arx est Deus, ut inde res, et altissimae et longe inferius positae conspiciantur. Deus enim *alta a longe cognoscit*, atque idcirco solus altissimus vere nominatur et est. Illi igitur, qui per orationem et contemplationem quasi per gradus quosdam ascendunt in Deum, explicari non potest, quam exigua, quam minuta, quam vilia esse putant ea, quae hic jacent in terris, ac propterea non magnifaciunt ea neque vehementer diligunt; sed sciunt abundare, sciunt penuriam pati. Si habeant res istas terrenas non extolluntur: si non habeant, non deiiciuntur:

si crescant opibus, ac honoribus augeantur, non efferunt se inani laetitia: si contra incidant in calamitates,si divitiis vel dignitatibus spolientur,non propterea sunt animo tristiore,sed ubique et semper tranquillitatem et serenitatem animi conservant et tamquam homines vere quadrati semper recte cadunt, nec ulla fortuna, vel prospera vel adversa frangi possunt. Conferte si placet aliquem filium hujus saeculi, qui habitet in superficie terrae,cum aliquo Dei servo cujus perpetuum domicilium sit in Deo: nempe illius hujus saeculi si tres obolos amittat,totam viciniam commovebit: si aliquid pecuniae lucretur, vel ad aliquam dignitatem ascendat, hoc est, conscendat tumultum unius palmi, non capiet se prae gaudio: si injuriam aliquam accipiat, si non dicatur optimus et sapientissimus totius civitatis, non poterit injuriam illam deglutire: sed statim provocabit ad arma, fremet, rugiet, excandescet, et nisi injuriam suam ulciscatur, vitam sibi acerbam esse putabit.Et undenam haec omnia nisi quod iste jacet in terris, et ei etiam res parvae magnae esse videntur? Aspicit injuriam sibi illatam tamquam fluctus quosdam, atque undas maris, et timet ne ab illis opprimatur et obruatur: at servus Dei, qui sedem suam habet in Deo, et cor suum affixit coelo,superior est omnibus rebus creatis, et nihil ei nocere potest: *altissimus* posuit tabernaculum suum, *non accedet ad* eum *malum*, *et flagellum non appropinquabit tabernaculo* ejus, et ista inferiora, vel bona vel mala, nec aspicere, nec de eis cogitare dignabitur.

B. Augustinus libro suarum confessionum nono, referens sermonem illum, quem cum beata Monica matre apud Ostia Tyberina de Deo, de gloria beatorum habuerat, affirmat, se et illam cogitando et loquendo gradatim omnes res creatas transcendisse, et arcem illam altissimam verae beatitudinis toto ictu cordis modice attigisse, ibique mundum totum inter verba ita iis viluisse cum omnibus delectationibus suis, ut omnes corporeae voluptates, prae illa beatae vitae jucunditate non comparatione, sed ne commemoratione quidem dignae visae sint. Et si d.Augustino de Deo loquenti,et divitias illas coelestes cogitatione modica attingenti, ita mundus cum omnibus delectationibus suis vilescebat, quam vehementer existimatis et ipsi, et aliis sanctis mundus totus, non, inquam, vilescebat,parum est hoc, sed fastidio, sed oneri, sed labori erat,cum ad multas horas cubiculis suis inclusi profunda et diuturna contemplatione non modice attingebant, sed ingrediebantur, perambulabant, sed peragrabant campos illos, ubi pascit Deus Israelem in aeternum pabulo veritatis? O quam aegre inde avellebantur? O quomodo servire corporis necessitatibus erubescebant? O quam ex animo cum Petro dicebant: *Praeceptor*, *bonum est nos hic esse*, *faciamus tria tabernacula.*

B. quoque Gregorius libro altero Dialogorum de divo Benedicto illud refert, eum aliquando cum tempus nocturnae orationis praevenisset, et aliis dormientibus ipse vigiliis et contemplationibus operam daret, repenti quadam luce circumfusum orbem totum quasi sub uno Solis radio ante se collatum conspexisse. Ne vero hoc alicui incredibile videatur, addit sanctissimus Pater,non mirum videri debere, si ante oculos beati Benedicti totus orbis angustissimus fuit,quando is non in terra jacebat, sed levaverat se, et seipsum, atque omnes res creatas transcendens in Deum quasi turrim immensae sublimitatis conscenderat. Quamobrem, auditores, si quis est, qui mundum et res creatas contemnere ac despicere cupit, si quis prosperis eventibus extolli, nec adversis casibus perturbari desiderat, si quis ab amore et cupiditate rerum fragilium et terrenarum liberari, et secure ac tranquille in Domino vivere, et mortem non solum sine metu, sed etiam cum gaudio et alacritate expectare velit, is debet sese colligere et captare tempora et loca apta meditationi, et serio internae orationi operam dare.

Non me fugit, esse multas et varias daemonum molitiones: non ignoro magnam partem adolescentum detineri visco carnalium voluptatum: scio inter omnia Christianarum certamina omnium ferme atrocissima essa praelia castitatis. Legi apud beatum Athanasium daemonem ipsum, cum aliquando d. Antonio quasi puer horridus et niger,Dei jussu, apparuisset, ita locutum esse: Ego sum fornicationis amicus: ego multimoda adversus omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi, hinc et spiritus fornicationis vocor. Quantos pudice vivere disponentes fefelli? quam multo strenue incipientes ad sordes pristinas redire persuasi? Ego sum, propter quem propheta lapsos increpat dicens:Spiritu fornicationis seducti estis. Et revera illi per me fuerant supplantati. Ego sum, qui teipsum saepe tentavi, et semper repulsus sum: multos seduxi, multos decepi; nunc autem ut a caeteris sanctis, ita et tuo sum labore separatus.

Haec omnia, auditores, ut decebam, non ignoro, et simul illud vel mea, vel aliorum experientia didici, inter tot mundi et carnis et daemonis tentationes non posse hominem, ac praesertim adolescentem, sine studio intimae orationis bene beateque vivere. Nam jejunia et corporis castigationes sunt quidem utilia, et certe omnino adhibenda in remedium: sed sola nullo modo sufficiunt. Sunt enim amara quaedam pharmaca, et quasi violentia remedia. At studium orationis medicamentum est naturale, atque idcirco efficacissimum, et facillimum. Ea siquidem est nostra natura, ut sine amore, et laetitia et voluptate aliqua vivere non possimus. Et sicut ingenui pueri magis blanditiis et munusculis, quam minis et verberibus in studiis litterarum proficiunt: ita et nos qui cor nobile, ingenium liberale sortiti sumus, multo facilius consolatione coelesti, quam corporis castigationibus a voluptatibus noxiis peccatorum delectationibus avocamur. Itaque non est mirum, si multi carnales voluptates, tamquam insani et amantes in suam perniciem persequantur, cum et cor humanum ex amore vivat, et illi adhuc spiritales delitias et divinas voluptates ignorent. Sed assuescant isti vacare Deo experiantur semel hoc genus medicamenti, statuant serio certis horis internae orationi sese dedere, et sine dubio mundus illis vilescet, et caro desipiet, et daemonis machinae

tamquam fumus evanescet: et tunc videbunt quantam pacem, quantam laetitiam, quantam copiam bonorum eis studium orationis attulerit. *Semper gaudete*, inquit apostolus, *sine intermissione orate*, tamquam si diceret, si vultis semper gaudere, semper orate. Ille enim semper gaudet, qui per orationem unus spiritus fit cum Deo, qui est ipsum gaudium, ipsa laetitia, mare mellis et fons indeficiens voluptatis.

Multa ac prope infinita mihi occurrunt, quae de orationis necessitate, et utilitate dici possent; sed quoniam tempus est breve, neque vos nimis longa oratione detinere volo, percurram celerrime, quae suspersunt, nec tam explicabo, quam enumerabo utilitates orationis. Quid igitur facit oratio? Evehit mentem in Deum, et eam quasi ligat cum eo, atque unum spiritum facit ex duobus. Quid rursum facit oratio? Id facit, ut homo levet, se supra se et super omnes res creatas, atque in Deo abysso dulcedinis et suavitatis seipsum immergat. Quid facit oratio? Capit quodammodo Deum, et in corde orantis tamquam in suo regno ac templo collocat, ut eum orans possideat, atque amer, ac eo secure et libere perfruatur. Quid facit oratio? Id facit, ut anima Deum, et Deus animam vicissim respiciat. Hic vero respectus majoris virtutis, et efficacitatis est, quam aspectus omnium planetarum. Quid facit oratio? Collocat orantem quasi ad pedes Domini, ubi doctrinam coelestem et verba vitae aeternae audiat, et cum sponsa in Cantico amoris dicat: *Anima mea liquefacta est, ubi delectus locutus est.* Quid facit oratio? Occidit hominem veterem, parturit novum: plantat virtutes. Quid facit oratio? Contemptum parit, et fastidium omnium rerum terrenarum, et orantem fortem in adversis temperatum in prosperis, securum in dubiis, in omnibus jucundum, tranquillum et hilarem reddit. Quid denique facit oratio? Erigit, ungit, illustrat, inflammat animam orantis, ut ea hic erecta, uncta, illustrata, inflammata contempletur Deum, contemplando amet, amando gustet, gustando quiescat, utque in eam gloriam ac beatitudinem obtineat totam, quae hic in terris obtineri potest.

Itaque nihil est aliud oratio, quam pascum animae, quam amplexus atque obsculum Dei, quam sabbatum spiritale, quam saltus Libani, quam domus deliciarum. Oratio nihil est aliud, quam speculum candidissimum atque clarissimum, in quo mens humana seipsam, et Deum et res omnes intuetur. Oratio nihil est aliud, quam vita virtutum, interitus vitiorum, fons et origo bonorum omnium. Oratio nihil est aliud, quam lac incipientium, cibus solidus perfectorum, medicamentum debilium, suffragium defunctorum, commune refugium totius Ecclesiae. Oratio nihil est aliud, quam portus in mari, umbraculum in Sole, in proelio scutum et in triumpho corona. Oratio nihil est aliud, quam altera scala Jacob, et porta quaedam regia, qua intratur nullo prohibente ad cor Dei. Oratio nihil est aliud, quam primitiae quaedam gloriae futurae, et manna absconditum, omnem continens in se saporis suavitatem. Oratio nihil est aliud, quam regina quaedam, cui eleemosynae, jejunia, cantus psalmorum, habitatio solitudinis, libri imagines, oratoria, templa deserviunt. Oratio nihil est aliud, quam optima illa pars, quam elegit sibi Maria, quae judicio atque sententia Dei anteposita fuit excellentissimo illi operi, in quo Martha soror ipsius occupabatur. Denique oratio nihil est aliud, quam instrumentum quoddam commune ac generale, quo in omnibus nostris operibus indigemus, sine quo nihil, et cum quo omnia et difficillima et gravissima possumus. Alioquin quod miraculum unquam factum est sine oratione? Quod genus gratiae et beneficii sine oratione a Deo impetratum est? Quot et quantas victorias in atrocissimis bellis oratio reportavit? Quibus viribus aut artibus sancti homines morbos curarunt, daemones fugarunt, mortem superarunt, feras placarunt, flammis imperarunt, elementorum ordinem et cursum astrorum commutarunt? Nonne viribus orationis? Quibus armis dimicarunt, et viceruut Moyses, Josue, Gedeon, Jephte, David, Ezechias, Josaphat, nobiles Machabaei, et nostri Constantini aut Theodosii? nonne armis orationis?

Postremo, quid aliud sancti homines magis, quam orationem frequentarunt? Quis unquam sanctorum extitit, qui non omni contentione animae in hoc studium Dominus noster Christus, qui oratione non indigebat, solus, ut eos doceret, pernoctabat in oratione: neque egredi voluit ad concionem, nisi oratio praemissa, et jejunio quadraginta dierum, neque passioni, et morti se obtulit sine ferventi et prolixa oratione. Sanctus David etsi maximis negotiis et occupationibus distineretur, (quippe cui tanti regni administratio incumbebat) tamen septies in die se ad orandum recipiebat, et cum non sufficeret dies, etiam media nocte surgebat, ut ipse ait, ad confitendum Domino. Tempore nascentis Ecclesiae praecipua Christianorum occupatio oratio erat. *Erant*, inquit b. Lucas, *semper in templo laudantes et benedicentes Deum.* Et rursum idem d. Lucas alio loco: *Hi omnes*, inquit, *erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria matre Jesu.* De s. Bartolomaeo legimus, eum centies per diem, et centies per noctem genua flectere solitum fuisse ad orationem. De s. Jacobo item apostolo fertur, eum callos in genibus per assiduitatem orationis more camelorum habuisse. De apostolis omnibus simul scribit b. Lucas eos communi consensione munus distribuendarum rerum temporalium ab se abegasse, et septem diaconis commisisse, ut libere ipsi orationi et contemplationi vacare possent. Beatissimus pater Franciscus tanti fecit orationis studium, ut neque propter conciones, neque propter animarum conversionem interrupere vellet, donec divina revelatione ei munus concionandi imponeretur. Beatissimus quoque pater Dominicus ita tempus sibi dividebat, ut dies consummeret concionando, noctes orando, atque idcirco tam eximius fructus ejus conciones consequebatur: quia nimirum, quod erat interdiu dicturus concionando, id noctu discebat orando. Omitto de d. Antonio, b. Benedicto et aliis sanctis hominibus dicere. Nam eorum vita pene tota nihil aliud, quam oratio: et ideo fugiebant civitates, habitabant solitudines ut semper orationi vacarent.

Quae cum ita sint, si tales et tanti viri, ita solicite et assidue gratiam Dei in oratione emendicabant, lumen flagitabant, opem implorabant, cum essent tamen pleni Spiritu sancto, et spiritualibus opibus ditissimi, quod nos facere par esset, qui vere pauperes et mendici sumus? Haec profecto est causa, cur illi plus una concione, quam nos decem concionibus proficiamus, quod illi divites humiles erant, nos sumus pauperes superbi; illi spem suam ponebant in Deo; nos saepe in nostra sapientia vel eloquentia ponimus. Ad hanc igitur utilissimam, et saluberrimam virtutem vos cohortor, auditores, ad hanc vos provoco atque invito, si recto et brevi et facili et securo itinere ad summum bonum et vitam beatam ac sempiternam pervenire cupitis, quam nobis omnibus concedat, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXXIV.

IN DIEBUS ROGATIONUM

DE MODO ET RATIONE ORANDI

SYNOPSIS

Praemissa exordii loco probatione necessitatis orationis, de ratione et modo bene orandi dicendum esse proponitur: atque in partes quinque oratio bona dividitur, in praeparationem, lectionem, ipsam meditationem, gratiarum actionem et petitionem, de quibus singulis in progressu agitur. Ac primum quam necessario praeparatio orationem praecedat, testimoniis et similibus ostenditur; et quod ea duobus modis fieri debeat docetur, primo, commissa peccata Deo confitendo, et de iis dolendo: Deinde, considerando divinae majestatis magnitudinem, quo Deo quasi reverentia quaedam exhibetur, et animus ab evagatione retinetur; quibus insuper modus finiendi praeparationem subjungitur. Ad lectionem discendendo meditationi praemittendam, duo praescribuntur in ea servandi modi; unus, quo aliquem textus Sacrae Scripturae legamus: alter, qui etiam expeditior, quo capita decerpamus; ubi elegantissima narratione ostenditur, huic rei nihil esse aptius, quam Passionem Dominicam, quae vitae nostrae norma virtutum omnium lucidissimum est speculum.

Posterior pars in tribus reliquis partibus explicandis occupatur; atque quid sit, et quomodo perfici debeat meditatio, similibus intelligentiae, custodum portarum civitatis et canum venaticorum, docetur; eamdemque constanter frequentandam esse suadetur. Deinde, ut peragenda, unde sumenda, et quam grata Deo sit gratiarum actio, demonstratur. In petitione duo observanda monentur, quid, et pro quibus scilicet, et quomodo petendum: ubi obiter declaratur, quam magnum malum sit sui ignorantia. Quatuor adhaec conditiones orationem habere debere asseritur, ut nimirum sit confidens, quam efficiunt merita Christi, bonitas Dei, et ejus promissionum certitudo; ut sit humilis; ut perseverans; ut denique charitate ferventi fiat. Tandem orationem bonam semper a Deo exaudiri, non tamen semper impleri, quia non expedit, probatur. Quibus singulis decenti amplificatione exornatis, epilogus ad orationis studium nos invitat.

Sicut nemo est, qui ut aes alienum dissolvat, artis suae instrumenta, atque arma, quibus victum sibi quaerit vendere teneatur: sic etiam, optimi auditores, nemo qui propter quascumque occupationes etiam maxime sanctas, et saluti proximorum vel utiles vel necessarias, studium orationis debet omnino deserere, cum sit oratio instrumentum commune ac generale hominis Christiani, ad omne opus bonum recte exercendum necessarium. Nam sicut ille architectus, vel furor, qui propter debita dissolvenda suae artis instrumenta amittit, nec sibi nec aliis prodesse potest: sed cogitur ille ipse cum universa familia sua, vel fame et nuditate interire: sic etiam homo Christianus, si propter occupationes alias, oranis obliviscatur, brevi ad id inopiae, et difficultatis redigetur, ut iam nec ipse vitam suae animae sustentare, nec alii vitam spiritualem suppeditare valeat. Quid enim agat, qui illud instrumentum amisit, quo et sibi et aliis victum, et indumenta et res alias ad vitam conservandam necessarias lucrabatur? Quae cum ita sint, neminem vestrum arbitror esse, qui non vehementer cupiat in tam utili studio diligenter versari. Sed erunt fortasse non pauci, qui dicunt, velle se, et valde etiam velle in studium orationis incumbere, praesertim hoc tempore, quod totum est ab Ecclesia jejuniis et orationibus consecratum; sed se ignorare, quo pacto id fieri debeat, nec unquam solo corde et cogitatione orare didicisse. Ego igitur hodierna die ejusmodi hominis pro mea tenuitate, atque inopia; consilium et auxilium feram.

Jam vero ita de ratione orandi Deum ipso Domino adjuvante disputabo, ut nullus etiamsi tardiori ingenio praeditus sit, in oratione integras horas cum utilitate, et facilitate et jucunditate consumere, modo velit, non valeat. Etenim cum ad orandum Deum accidimus, non totum illud tempus, quod huic studio attribuere decrevimus, in sola consideratione et meditatione consumendum est: sed quinque partes plena atque perfecta oratio habere debet. Sunt vero illae partes quasi quinque diversa genera spiritualium epularum, quibus animae convivium non solum sine fastidio, sed etiam cum delectatione continuatur. Quae sunt igitur istae partes orationis? et quibus nominibus appellantur? Una dici potest praeparatio: altera lectio: tertia ipsa est meditatio vel contemplatio: quarta gratiarum actio: quinta postulatio vel petitio. Itaque meditatio, quae praecipua est, et in qua major

pars temporis poni debet, medium locum tenet, sed eam quatuor quasi sodales et sociae comitantur, duae praecedunt, praeparatio et lectio : duae sequuntur, actio gratiarum et petitio.

Jam vero de singulis seorsim pauca quaedam dicenda sunt. Ac primum de praeparatione, in qua multum omnino, ac pene totum tamquam in radice et fundamento caeterarum partium positum est. Multi sunt,qui non alia de causa toto tempore orationis mente per varia loca vagantur, et sine ullo fructu, ac utilitate surgunt ab oratione,quam quod antea non recte statuerunt animum praeparare.Est enim prima illa pars quasi principium vel prooemium quoddam orationis.Scitis vero quanti faciant omnes dicendi Magistri accurata principia, quibus animi audientium ad reliquam dictionem praeparantur. Multum enim refert, quomodo quis audiatur, attente ne et amice an cum strepitu et fastidio.Verum Rhetorica Spiritus sancti docet quidem animum esse praeparandum, sed oratoris, non auditoris. Nec enim periculum est, ut Deus,ad quem loquimur, suo muneri desit: vel si auditores praeparandus est animus,certe non alia de causa,quam quod ipse orator in hac oratione sit auditor. Plus enim omnino, qui bene orat, audit, quam loquitur. *Audiam*, inquit propheta David, *quod loquatur in me Dominus Deus.* Et Samuel : *Loquere*, inquit, *quia audit servus tuus.* Sed de ista parte orationis. ac ejus necessitate Spiritum sanctum ipsum audiamus.Loquitur in scripturis Spiritus sanctus, et ait; *Non impediaris orare semper : et ne verearis usque ad mortem justificari. Ante orationem praepara animam tuom.et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Primum inquit, *non impediaris orare semper*, hoc est, assiduus esto in oratione : neque facile permittas te ab ea occasione aliorum negotiorum avocari. Verum ut cum fructu id facias, *ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Siquidem is dicitur tentare Deum, qui expectat,ut aliquid miraculo fiat, quod alioqui sine miraculo fieri potuisset. Cum Dominus et diabolo tentaretur,ut de pinnaculo templi seipsum praecipitaret, respondit: *Scriptum est*; *Non tentabis Dominum Deum tuum* : quibus verbis satis aperte declaravit, nihil aliud esse quam tentare Deum*, velle manibus angelorum ferri deorsum, cum possis per gradus commode per te ipsum descendere. Cum igitur praeparatio ante orationem maxime necessaria sit, ut quis fructuose atque utiliter oret,velle absque praeparatione istum fructum consequi, nihil aliud est, quam miraculum non necessarium expetere,atque adeo Deum tentare.Quemadmodum etiam si quis regem adiret animo imparatus, et neque in egressione caput aperiret,neque corporis inclinatione reverentiam regi exhiberet, neque sciret ipse quid vellet dicere, nonne potentiam regis vehementer tentaret ? Valde mitis profecto esset rex, si tanta rusticitate hominis non offenderetur. Ad eumdem modum cum nos absque animi praeparatione ad colloquendum cum Deo accedimus, quid aliud, quam ejus patientiam et mansuetudinem exercemus?Ideo secundum b.Aug. in Psalmo 85. legis ; *Quoniam tu Domine suavis et mitis, et multae misericordiae*:ideo legis illud, *Mitis, quoniam tolerat Deus tot corda praecantium, et diversa res cogitantium. Omitto dicere, et noxias. omitto dicere, aliquando perversas et inimicas Deo : ipsas superfluas cogitare injuria est ejus, cum quo loqui coeperas.* Ergo *ante orationem praepara animam tuam, et noli esse sicut homo qui tentat Deum.*

Postremo, ut plane intelligatur, quam sit praeparatio necessaria, nihil est aliud animum ante orationem praeparare, quam lyram vel citharam temperare. Si lyra cithara non temperetur. Ita ut nervi atque chordae partim intente,partim remisse, cum tanguntur, varios concentus efficiant, etiam si is, qui ludit, doctissimus ludendi sit,sonitus tamen inconditus, et insuavis erit, et aures potius offendet, quam mulcebit. Sic etiam oratio nostra, si a bene praeparato corde, tamquam lyra temperata, procedat, quasi jucundissima symphonia in Dei auribus resonabit : sin minus, vel non placebit vel etiam displicebit: et sicut scriptum est, vel *Dominus non exaudiet*, vel etiam, quod multo est gravius, et formidabilius, *fiet* nobis *oratio in peccatum.* Itaque dubitandum non est, quin ante orationem aliqua sit praeparatio adhibenda.

Sed qualis erit ista praeparatio? Quid tandem agendum est nobis, ut animum praeparemus? Duo requiruntur ad plenam et perfectam praeparationem,tametsi alterum eorum non semper erit usque adeo necessarium. Unum est, ut si conscientia admonente recorderis te in aliquod peccatum incidisse, quod nondum poenitentia expiatum sit, illud primo loco confitearis Domino in oratione interna poenitentia ac dolore pro eo Domino satisfacias. Cum enim hoc facimus, quasi calceamenta solvimus de pedibus nostris,ut cum Moyse terram sanctam ingredi et visiones magnas videre possimus : et tamquam vestimenta cum populo Hebraeorum lavamus, ut Domino occurrere, atque eum excipere, valeamus. Quod si non solum Deum, sed etiam proximum offendisse te vides, non solum a Domino veniam deprecari, sed etiam cum proximo tuo saltem animo et proposito in gratiam redire debes. Sic enim Dominus ipse apud Matthaeum praecipit: *Si offers munus tuum*, inquit, *ad altare et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare,et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum.* Nam ut b. August. libro priore de sermone Domini in monte c. 20. hunc locum exponens ait: *Templum Dei animus noster est:altare fides,munus oratio.* Cum ergo in templo cordis super altare fidei munus orationis offerre volumus,certe non pigro modu corporis, sed celerrimo charitatis affectu ad fratrem, quem forte laesimus, pergendum est, deinde redeundum, hoc est, ad id, quod agere coeperamus, est intentio revocanda. Hoc genus praeparationis nos docet scriptura,docet Ecclesia, docet natura. Docet scriptura, cum in proverbiis ait:*Iustus* in principio sermonis *accusator est sui.* Et rursum apud Isaiam : *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Siquidem hostis generis humani non ignorans, quod si nos culpas nostras a-

gnoverimus, et nos ipsos damnaverimus, sine dubio justificabimur: si vero nobis tacentibus vel etiam culpas excusantibus, ille nos, quod fiet sine dubio, in judicio coram Domino prior accusaverit, sine dubio condemnabimus. Nihil cupit, neque aliud molitur, quam nobis eripere de corde recordationem peccatorum, ut ipse prior nos occuset. Ait igitur Spiritus sanctus per prophetam, non committas, ut ille te praeveniat accusando, et condemneris; Sed *dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris*. Neque solum scriptura, sed etiam ecclesia hoc nos docet. Ea siquidem tamquam spiritualis, et divinae Rhetoricae peritissima, numquam sacrificium illud tremendum Agni immaculati auspicatur, quin antea generalem confessionem clara voce pronunciet. Postremo natura quoque ipsum docet. Omnes enim, ab aliquo aliquid petere volumus, si cum fortasse laesimus, natura cogente prius errati veniam petimus, quam aliquid aliud petere audeamus. Hoc est igitur primum, quo animus ante orationem praeparatur.

Porro alterum, idque magis adhuc necessarium, id quod numquam praetermitti deberet, illud est, ut brevissimo aliquo spatio temporis, magnitudinem atque sublimitatem majestatis Domini consideremus. Haec enim consideratio docebit nos, quanto metu, quanta humilitate, quanta observantia, quanta attentione loqui debeamus. Homo quidem unus ex vermiculis terrae agit cum Domino tantae sublimitatis, et de re tanti momenti, quanti est nostra perpetua salus. Itaque cum primum ad orationem accedit, illud cogita, coelum, et terram, et pulchritudinem Solis, et numerum stellarum, et gloriam omnium angelorum, ac denique totam hanc rerum universitatem nihil esse aliud comparatam cum Deo, ut Sapiens ait, quam guttam unam *roris antelucani*. Quid est una gutta roris? Quid magis minutum, magis exiguum, magis fragile, magis vile? Quod si totus orbis, magna haec moles, et omnis angelorum magnitudo atque potentia est una *gutta roris* coram Deo; quid eris tu, qui minima portio universitatis es? Si columnae coelorum coram Deo tremunt, Cherubim et Seraphim facies suas velant, neque audent, in eam majestatem aciem oculorum intendere, sed perpetuo metu quodam a tanta majestate profecto et ingenti stupore, quasi attoniti clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, quanto affectu et quam ex animo tibi cum Abrahamo dicendum erit, *loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis*? Est vero haec consideratio quasi profunda quaedam inclinatio et reverentia, quam anima exhibet Deo cum in ejus palatium, atque ante thronum Majestatis ejus ingreditur: non secus, atque ii faciunt, qui cum regem adeunt, in ipso primo ingressu totius corporis inclinatione reverentiam quamdam exhibent regi. Et rursum consideratione ista quasi habenis, quibusdam continetur animus, ne, sicut alias, per varia loca temere discurrat atque vagetur. Si enim, qui reges alloqui debent, componunt vultum, componunt oculos, componunt pedes, vestes, verba, diligentissimeque provident, ne aliquid inconsiderate coram mortali rege, vel faciant vel loquantur; quanto magis par est, ut pulvis terrae cum summa humilitate, summoque metu ac reverentia cum Deo loquatur, quem *laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates*?

Verum posteaquam aliquamdiu ista consideratione te excitaveris, convertere debes oculos cordis ad Deum et ante divitem illam mensam te constituere, sicut parvi catelli faciunt, cum ante mensam dominorum suorum positi oculos in eos intendunt: ibique magno affectu atque ardore animi cum propheta dicere: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum: Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri: miserere nostri Domine, miserere nostri.* Et, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* His verbis, vel aliqua alia brevi oratione praeparatio terminanda erit.

Sequitur deinde lectio eorum verborum, quae nobis eo tempore consideranda proposuerimus. Nam qui cupit cum fructu atque utiliter meditari, is debet certam aliquam materiam accipere, in cujus consideratione se exerceat, non vagari huc atque illuc, et modo unum, modo aliud cogitare, prout animo se obtulerit. Materia vero ad meditationem accommodata sunt primum omnia verba divinae scripturae, ac praesertim evangeliorum et psalmorum: deinde res ipsae, quae in scripturis continentur, sed breviter collectae et quasi ad quaedam capita revocatae. Itaque duobus modis scripturis sanctis in meditatione uti possumus. Uno modo, si librum aliquem vel psalmum divinae scripturae considerandum accipiamus, et singulis diebus unum caput vel medium vel unam sententiam ejus libri consideremus. Latet enim in verbis scripturae spiritus Domini super mel dulcis quem qui diligenti meditatione invenire poterit, sentiet animam suam admirabiliter refici, satiari, impinguari, confirmari, denique laetitia et delectatione perfundi: et si quidem hoc modo uti voluerimus, statim finita praeparatione legendum etiam caput illud vel sententia illa, super qua meditatio futura erit. Alter modus, quo scripturis utimur in meditationibus, est expeditior et facilior et saltem incipientibus utilior, cum videlicet non accipimus singula verba scripturae, sed ex iis excerpimus capita potiora, ut de morte, de judiciis, de suppliciis gehennae, de gloria beatorum, de conceptione, de ortu, de baptismo, de miraculis, de doctrina, de passione, de obitu Domini, de beneficiis Dei, ut creatione, conservatione, gubernatione, liberatione, et aliis infinitis: nec non de perfectionibus et laudibus Dei, ut potentia, sapientia, bonitate, justitia, clementia, pulchritudine, magnitudine de miseriis hujus vitae, de turpitudine peccati, de insidiis daemonum, de fallacia mundi, denique de iis omnibus rebus, quae nos vel ad amorem creatoris vel ad odium peccati, vel ad contemptum mundi et praesentium vanitatum, inflammare possunt. Et si hic modus meditandi magis placuerit, tum praeparatione absoluta, loco lectionis, solum erit ad memoriam revocandum caput illud, in cujus consideratione illo tempore occupari decreverimus.

Sed quamquam tam multa sunt, quae meditationis materiam subministrare possunt; nihil tamen dulcius nihilque fructuosius cogitatur, quam passio Domini. Nam universa vita Domini, ut magnus Basilius ait, de constitutionibus monachorum, nihil est aliud, quam speculum quoddam clarissimum atque exemplar perfectissimum omnium virtutum, quod sibi ante oculos proponere debent omnes, qui pie et sancte vivere volunt, quid de ipsa passione dicemus? Quae rosae inter spinas ita micant ut illae Domini excellentissimae virtutes inter illa Domini atrocissima supplicia? Vere d. Bernardus ait: *In omnibus mirabilibus quae egisti, mirabilior passio tua Domine Iesu.*

Itaque si quis est, qui intelligere velit, quantum hactenus profecerit vel quantum absit a perfectione, quid virtutum habeat, quid ei desit, frequenter se in hoc speculo intueatur. *Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur: tradebat* enim *judicanti se injuste.* Neque hoc speculum solum ostendit maculas vitiorum; sed etiam juvat ad illas abstergendas. Quis enim superbia inflari poterit, si altissimam illam humilitatem consideret, qua dominus majestatis et rex angelorum sibi Barabbam latronem anteponi et in patibulo nudus ad supplicium simul et ignominiam suspendi toleravit? Quis ad levissimam injuriam sibi illam continuo ira excandescet, si incredibilem Domini patientiam inter tot genera succedentium cruciatuum contempletur? Quis animum in laboribus et periculis despondebit, si eximiam illam fortitudinem cogitet, qua Dominus tam intrepide hostibus suis occurrit, et morsibus ac furori quasi belluarum imminentium se objecit? Quis perseverantiam in bonis operibus, etiam laboriosis ac difficilibus, non conservabit, si constantiam perpendat, qua Dominus in oratione et suppliciis usus est, donec ad finem perduceret negotium salutis nostrae? Quis flamma amoris non succendetur, si ardentissimam illam charitatem consideret, quae sola Dominum gloriae in patibulo inter latrones quasi ligatum continuit: quaeque sola effecit, ut cum is in cruce moriens quasi Testamentum conderet, ac bona sua divideret, et animam Patri, matrem discipulo, corpus sepulchro, carnificibus vestes, et paradisum latroni reliquerat, in capite Testamenti (o flamma amoris) o fornax charitatis, in capite, inquam, Testamenti, in ipso principio hostium suorum et illusorum meminerit et eos ingenti affectu Domino commendarit? Quis inhumanus et immisericors esse poterit, si copiosam illam Domini misericordiam contempletur, qua sarcinas atque onera mundi totius in humeros suos tamquam propria sustulit? Quis jugum obedientiae non libenter feret, si obedientiam illam singularem mentis oculis intueatur, qua Filius Dei usque ad mortem, et mortem crucis Patri obediens fuit? Quis asper, quis immitis, quis erit difficilis, si illam admirabilem Domini mansuetudinem videat, qua sicut *ovis ad occisionem* ductus et sicut *agnus coram tondente se* obmutuit? Quis postremo divitias mundi, et gloriam et voluptatem non contemnet, si in hoc speculum oculos mentis defigat? Si regem regum et orbis verum monarcham ita nudum, ita afflictum, ita contemptum in cruce respiciat, ubi non alium thronum habeat, quam patibulum, non aliam coronam, quam spineam; non alias epulas, quam fel et acetum; non alios laterum stipatores, quam duos suspensos fures, non alios in tot calamitatibus consolatores, quam illos crudelissimos illusores, qui moventes capita sua dicebant: *Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo reaedificas illud: salva temetipsum, si Filius Dei es.* O si diebus singulis in hoc speculo vultum animae nostrae consideraremus, quam facile injurias condonaremus, aerumnas pateremur, juste et pie et sobrie viveremus (O quam pura, quam nitida, quam splendida essent opera nostra). O quam vehementer luceret lux nostra coram hominibus, si sordes omnes et maculas animae in hoc speculo videremus, si eas fontibus lachrimarum diebus singulis ablueremus?

Ecce igitur vobis quanta multitudo praestantissimarum virtutum, et quam excellenter clareat in crucis mysterio: et quanta utilitas atque fructus ex harum rerum contemplatione percipiatur; sed paulisper jam, si placet, quiescamus.

PARS POSTERIOR

Diximus de praeparatione, et lectione; nunc de meditatione, gratiarum actione et petitione breviter dicendum erit.

Posteaquam igitur praeparatione praemissa vel sententiam aliquam scripturae divinae legerimus vel mysterium aliquod ad memoriam nobis revocaverimus, animo erecto atque praesenti super ea sententia vel mysterio cogitare incipiamus, et summa attentione ac silentio omnia, quae in iis verbis vel rebus continentur, diligenti meditatione lustremus. Ea vero meditatio arida et quasi jejuna esse non debet, sed pinguedine affectus et oleo charitatis perungenda erit, quae duo dum conjunguntur, non jam meditatio, sed contemplatio dici solet, nihil enim est aliud contemplatio, *quam sapida quaedam, ac dulcis et affectu plena cogitatio.* Dicam hoc planius. Inveniuntur nonnulli, qui profundissima atque attentissima meditatione de Deo, de Christo, de passione Domini, de bonitate Dei et aliis rebus ejusdem generis cogitant, ac praesertim si de hujusmodi rebus in gymnasio disputare, aut in templo facere debeant verba, et in iis rationes et causas investigant, et mysteria maxime abdita, et recondita eruunt: sed interim affectus jejunat, et ipsi in sua ariditate remanent, sine amore de amore cogitant, et sine ullo sensu doloris dolores Domini meditantur: quin etiam sine compassione in passione, et sine lachrymis in lachrymis Domini considerandis versantur. Non est ista meditatio, de qua loquimur. Ista enim ad studium doctrinae, et ad mentem acuendam et exornandam pertinet: nos vero de ea loquemur, de qua animus devotione impinguandus, et flamma divini amoris accendendus est. Itaque in hac meditatione non curiose, sed simpliciter versandum est, et omnis cognitio ad affectum alendum, et roborandum referenda est.

Una vel altera similitudine rem totam explicabo. Intelligentia non secus agere debet cum voluntate atque agit nutrix cum aliquo parvo puero, quem alendum atque educandum suscepit. Quid facere debet nutrix? Primum cibos duriores ac solidiores ipsa dentibus terere, deinde ita contusos in os pueri mittere debet, ut is eos deglutiat, atque inde nutriatur atque sustentetur. Quod si nutrix illa quae cibos pro pueris in partes minutiores dividendos accepit, capta voluptate comedendi eos totos consumat, nonne fame enecabitur puer? Ad eumdem modum mens atque intelligentia, in meditatione tamquam nutrix voluntatis adhibenda est ut ea videlicet praeparet spirituales cibos, ac deinde sic paratos offerat comedendos voluntati. Quocirca non debet intelligentia totum tempus sibi vendicare, sed statim atque invenerit aliquid, illud transmittere fideliter ad voluntatem, ut ea quoque ad hunc modum sustentetur ac reficiatur. Aequum est quidem, ut eorum, quae deferuntur, ut vendantur in foro aliquid in porta civitatis relinquatur. Sed si ii, qui civitates custodiunt omnia sibi acciperent, neque aliquid ad forum deferri paterentur, certe periculum esset, ne civitas illa fame conficeretur. Sic etiam, si intelligentia, quae est quasi prima janua animi nostri, omnem annonam spiritalem retineat sibi, misera nostra voluntas tota jejuna, arida, expers omnis boni remanebit. Venatorum canes si bene sunt instituti, non devorant lepores, quos capiunt: sed eos integros fideliter dominis suis custodiunt. Pari ratione mens nostra, ubi spiritali venatione praedam reconditae alicujus veritatis nacta fuerit, non eam devorare, sed voluntati offerre debet, ut exquisito illo cibo ipsa tamquam domina perfruatur.

Atque haec quidem de meditatione sufficere possent: siquidem hoc genus orationis exerceri, sentiri et gustari potest, verbis explicari, et doceri plane non potest. Tamen illud unum addam, si quis vere cupiat in via Domini proficere, et ad aliquem perfectionis gradum pervenire, non debere eum contentum esse parvis rebus, sicut quidam faciunt, qui si tres lachrymas fundere, vel aliquam cordis teneritudinem, atque internam motionem sentire possint, existimant se jam in portu navigare. Non hic finis hujus operis. Legimus enim in Evangelio; Semen, quod cecidit super terram lapidosam, continuo exortum esse, sed paulo post exaruisse. Sic etiam multos videmus, qui cum gaudio suscipiunt verbum, et in oratione aliqua spiritali laetitia perfunduntur: tamen ad primam tentationem cadunt, si aliqua peccandi occasio se offerat, si ad aliquod flagitium invitentur, si unum verbum audiant, quod eis non placeat, statim ostendunt quid sint: nempe ostendunt se terram esse lapidosam, et in eis semen devotionis atque amoris Domini radices non jecisse. Quemadmodum igitur, ut terra flores et fructus germinare possit, non sufficit una vel altera *gutta roris antelucani* sed copiosa pluvia necessaria est, quae neque a vento, neque a Sole exsiccari possit: sic etiam nos in meditationibus nostris ingentem imbrem lachrimarum exoptare debemus, qui neque vento tribulationum neque ardore libidinum exsiccetur: ut animus noster hac salutari pluvia totus perfusus, castitate, sobrietate, patientia aliisque virtutibus instar prati pulcherrimi, quasi venustissima florum varietate vestiatur. Neque vero, si quis non statim hunc eximium fructum consequatur, desperare debet: sed illud cogitet, in lignis viridibus et humore plenis ignem excitandum esse.

Quaero a vobis, si quis velit, ut ligna viridia et adhuc madida flammam concipiant, nonne debet patienter antea non solum expectare; sed etiam fumum perferre et diu etiam flare? Sic etiam, si cupis flammam illam salutarem amoris Domini in corde tuo succendi, interdum necesse erit paulisper expectare, nec non fumum malarum, et inutilium cogitationum patienter aliquando tolerare. *Bonum est*, inquit Jeremias Threnorum capite tertio, *praestolari cum silentio salutare Dei.* Et rursum Abacuc: *Si moram fecerit, expecta eum: veniens enim veniet et non tardabit.* Et propheta David: *Expectans expectavi Dominum.* Haec igitur de meditatione sufficiant.

Post meditationem continuo sequi debet dulcissima quaedam, et ex imo cordis ducta gratiarum actio, et ne filium orationis interrumpatur, ex ipsa meditatione occasio sumi poterit Deum laudandi, et ei pro acceptis beneficiis gratias persolvendi. Nihil est enim, quod sit materia meditationis, quod etiam ad Deum laudandum, et ei gratias agendas non invitet. Si de passione Domini cogitasti, age gratias Deo, quod tam caro pretio te redemerit. Si de gravitate peccatorum, age gratias Deo, quod adhuc ad poenitentiam te expectaverit. Si de gloria regni coelestis, age gratias Deo, quod te ad tam eximium finem procreaverit. Si de cruciatibus gehennae, age gratias Deo, quod in eos te jam saepius meritum, sicut multos alios, non praecipitaverit. Atque idem de aliis meditationibus simili modo intelligatur: poterunt enim cum hoc uno beneficio alia omnia, tam communia, quam propria Dei beneficia coniungi, et pro omnibus simul sincerissimae gratiae rependi.

Porro hoc munus laudum et actionis gratiarum, gratissimum Deo sacrificium est; hoc est illud suavissimum thymiama, quod semper coram Deo in illis aris mentium beatarum sumat. Petitiones, obsecrationes, postulationes cessabunt aliquando sed laudes, et gratiarum actionis sacrificium numquam cessabit. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Denique nihil melius, ut b. Augustinus epistola septuagesima secunda ad Valerium ait, vel corde cogitamus vel ore proferimus, vel calamo scribimus quam duo illa verba, *Deo gratias*, nihilque est, quod dici brevius vel audiri dulcius, vel intelligi grandius vel agi possit fructuosius.

Venio nunc ad postremam et utilissimam partem orationis, nempe ad ipsam postulationem, quae etiam proprio vocabulo oratio dici potest. De petitione duo breviter explicanda sunt: quid sit petendum, et quomodo. Quid igitur est petendum? Primum omnium cognitio ac lumen postulandum mihi esse videtur, quo morbos nostros et aegritudines cognoscamus. Una siquidem ex maximis calamitatibus nostris ea est, quod ulcera et vulnera a-

nimae nostrae non videamus: nemo ita rudis, ita agrestis, ita stupidus invenitur, qui si corpore laboret, non statim se aegrotare animadvertat, et verbis et nutibus morbum suum ostendere non possit, etiam pueri trium annorum, etiam pecudes mutae,vel gemitu,vel rugitu,vel ululatu vel aliquo alio signo aegritudinem suam produnt. Ac ut longius progrediamur, ipsae quodammodo plantae, ipsa gramina,ipsae frondes et flores pallore et siccitate languorem suum ostendunt. Solus est homo noster interior, mens nostra, anima nostra,cor nostrum spiritale, quod saepenumero gravissime laborat et vulneribus confectum jacet, et tamen nihil sentit, neque dicere potest, Hic mihi dolet. O quam multis illa beati Joannis verba conveniunt: *Dicis, quia dives sum et locupletatus, et nullius egeo: et nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper et nudus et caecus.* O quam multi gerunt animam suam cruentam et maculis confectam vel etiam mortuam: et tamen sunt hilares, et de medico ne cogitant quidem? O quam multi sedent jam jucundi in conviviis vel in symposiis, quibus jam jam paratur locus in gehenna, et si eis dicatur, contemnunt, rident, non pallent, non tremunt, et ne cogitant quidem de mutanda vita.

Quoniam igitur *quid oremus, sicut oportet, nescimus*, primum omnium petamus a Deo, ut aperiantur oculi nostri, ut spiritus adjuvet infirmitatem nostram, ut morbos et aegritudines nostras omnes cognoscamus. Deinde eas probe cognitas sigillatim aperiamus medico illi coelesti ac divinissimo, atque ab illo humillima et ardentissima supplicatione flagitemus, ut is unctione gratiae suae eas curare pro sua infinita clementia ac benignitate dignetur: neque solum vitiorum curationem,sed et virtutum incrementum et conservationem postulemus, ac praecipue fidei, spei et charitatis,nec non humilitatis, castitatis, poenitentiae, patientiae justitiae ac sobrietatis: neque vero pro nobis solum, sed etiam pro orbe universo preces effundamus, ut omnes homines unum et verum Deum agnoscant, colant,venerentur,adorent: pro pastoribus et sacerdotibus Ecclesiae, ut ii fideles omnes ad salutis portum sua vigilantia et solicitudine dirigant: pro regibus et principibus, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Neque pro capitibus solum; sed etiam pro membris ecclesiae universae orabimus: pro defunctis quoque, ut eis gloriam et requiem aeternam largiatur. Postremo omnibus amicis, affinibus, benefactoribus nostris, omnibus afflictis, captivis,aegrotis, morientibus, opus misericordiae exiguo labore impendemus, si eos, et eorum calamitates atque aerumnas in illis benignissimis manibus reponamus, quae cruci affixae pro omnium salute et liberatione fuerunt. Haec igitur in oratione postulanda sunt.

Sed quomodo postulabimus? Quatuor conditiones bonae orationis in sacris litteris invenimus. Quatuor enim virtutes sunt, quae orationem perpetuo comitari debent, dum ea pro nobis in palatio magni regis legatione fungitur, nempe fides, humilitas, perseverantia, charitas.

Initio fides seu fiducia potius, necessaria est, ut omnino credamus, non solum posse Deum facere sed plane facturum, quod petimus. *Quaecumque orantes petitis*, inquit, Dominus *credite, quia accipietis et evenient vobis.* Neque difficile vobis erit ita confidere, si super meritis Christi, super infinita benignitate Dei, super certitudine ac veritate promissionum ejus innitamini. Haec tria, meritum Christi infinitum, quod totum est nostrum, bonitas Dei inexplicabilis, quae nulla gravitate ac magnitudine peccatorum vinci potest, et firmitas atque constantia promissionum Dei, quae tanta est ut potius coelum et terra, et omnis natura concidere possit, quam ut unum de verbis Domini non compleatur: haec inquam,tria quasi tres anchorae sunt, quae navim fiduciae nostrae ita confirmant, ac stabilem reddunt ut nullo modo fluctuare possit. Neminem terreat magnitudo vel numerus peccatorum, modo tibi peccata non placeant, sed ea vere et ex animo detesteris et concipias magnitudinem pretii nostri, et ampliudinem viscerum Dei et infirmitatem atque constantiam promissionum ejus et tum praeclara fiducia adeas thronum gratiae ejus et sine dubio quicquid petieris, impetrabis, omnia possibilia sunt credenti,etiamsi *peccata tua fuerint ut coccinum, quasi nix dealbabuntur et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Neque temen hoc sufficit:sed illud secundo loco necessarium est, ut summa humilitate atque animi demissione ad orandum Dominum accedamus, *Deus* enim *superbis resistit,humilibus autem dat gratiam.*Hanc rhetoricam docet nos Christus,cum in principio orationis dominicae ait: *Pater noster qui es in coelis.*Sicut enim Deum patrem nostrum appellamus, ut fiduciam atque amorem in nobis excitemus: ita etiam in coelis cum majestate: et gloria sedentem agnoscere nos profitemur, ut metum et reverentiam tantae majestati debitam concipiamus. Est enim vere Deus pater noster, sed non pater terrenus, non mortalis, non similis nobis; sed pater coelestis, pater divinus,pater sublimis, pater, qui nos non naturaliter genuit,sed misericorditer adoptavit. Neque solum verbo sed etiam exemplo nos docuit Christus. Itaque cum in horto Patri supplicare vellet, non stabat,neque sedebat, sed procidit in faciem suam, et eo modo orabat. Denique evangelicus publicanus undenam obsecro veniam et misericordiam impetravit, nisi ex humilitate?

Porro tertio loco perseverantia quam sit nobis in oratione necessaria, vel ex vidua illa, quae sua importunitate Judicis inclementiam superavit: ex amico illo, qui tres panes sola perseverantia orationis obtinuit; vel eo muliere chananaea, quae toties repulsa, tanquam vere canis per unam portam exibat, et statim injuriae oblita, et verberibus excussis per alteram intrabat: vel ex apostolo Paulo, qui ter Dominum pro una re atque eadem rogavit, facile potest intelligi.

Sed postrema atque potissima conditio orationis est, ut cum affectu et fervore fiat.Oratio enim optime atque convenientissime comparatur thuri:thus enim, neque sursum tendere,neque odorem ullum exhibere potest, nisi in ignem coniiciatur. Itaque

auditores, si orationem nostram coelos penetrare, si ad aures Dei pervenire volumus, currum igneum ei faciamus, necesse est. Nam verba frigida, verba languentia, verba mortua, nubes non transcendunt. Ideo in oratione Dominica dicimus: *Pater noster, qui es in coelis*, ut intelligamus, vehementer nobis clamandum esse, si nos in terra constituti ab eo, qui est in coelo, exaudiri velimus. Scriptura divina, ubique ferme et in psalmis potissimum ferventem orationem nomine clamoris appellat. Clamores vero sine dubitatione non oris, sed cordis intelligendi sunt: nempe suspiria, gemitus, lachrimae cordis clamores, ignita desideria. Haec sunt, quae Domino, quicquid volumus persuadent, non egemus Ciceronis vel Demosthenis eloquentia, neque composita, longaque oratione. Deus enim vocem desideriorum et lachrimarum facilius multo, quam politorum verborum exaudit. Non legistis: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*? Et, *Desiderium cordis ejus tribuisti ei?* Cum populus contra Dominum murmuraret, et Moyses pro eodem populo Dominum precaretur, et nihil tamen, quae audiri possent voce corporis loqueretur, Dominus ait: *Quid clamas ad me*? nempe cordis ipsius vehementem clamorem audiebat. Haec est igitur postrema conditio perfectae et Deo gratiae orationis.

Quod si his omnibus adhibitis conditionibus, adhuc fortasse Deus nos exaudire non velle videbitur, certi tamen sumus, desiderium nostrum omnino exaudiri, Deus enim solus videt quid nobis expediat: et simul videt nos nihil cupere aliud, quam quod vere bonum et salutare est. Si interdum vel noxium vel minus bonum aliquid petimus illud nobis in alia majora, et meliora bona commutat. Itaque ipse tanquam bonus pater, ea solum nobis concedit, quae aeternae saluti nostrae utilia esse novit. Et ad hunc modum verum et primum desiderium nostrum semper exaudit. Nonne si nudam, simplicem petitionem respiciamus, Deus exaudivit diabolum et non exaudivit apostolum? Oravit diabolus, ut ingrederetur in porcos, et illi concessum est: oravit apostolus, ut Sathan recederet ab illo, et non potuit impetrare, et tamen quis dubitat, quin altiore et secretiore quodam modo magis apostolum, quam diabolum Deus exaudierit? Tu petis fortasse a Domino sanitatem, petis divitias, et unde scis eam sanitatem et eas divitias tibi occasionem peccandi, et causam mortis et inopiae sempiternae non futuras? Et rursum, unde nosti aegritudinem et inopiam istam, quam pateris, tibi coronam gloriae non fabricaturam? Et si haec scires, nonne magis patientiam et fortitudinem, quam sanitatem et divitias peteres? Haec est ergo benignitas Dei nostri, vere patris, vere misericordis. Non dat, quod petis, quia nescis, quid petas: et illud dat, quod vere cupis et omnino peteres, si scires petere.

Quae cum ita sint, agamus nos, auditores, partes filiorum bonorum, et Deus sine dubio partes aget boni parentis. Delectemur *in Domino, et dabit* nobis *petitiones cordis* nostri. *Si* enim *vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se*? Quaeramus et inveniemus: petamus et accipiemus, pulsemus et aperietur nobis a regnante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXXV.

DE ASCENSIONE DOMINI

THEMA

Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. *Ephes.* 4.

SYNOPSIS

Ab occasione ascensionis Christi et Spiritus sancti missione, sumpto exordio, ratio redditur, cur non ante Christi ascensionem Spiritus sanctus descenderit; deque ascensione praesens instituitur concio. Atque rejectis variis haereticorum erroribus, vera doctrina, quisnam, et quo modo in coelum ascenderit, asseritur; ubi illa sententia; Nemo ascendit, nisi qui descendit de coelo, *explicatur. Investigatur, quonam Christus ascenderit; et an in coelo stet an sedeat. Excusatur et explicatur illa verborum geminatio*, captiva duxit captivitatem. *Quibus vinculis nos Deus sibi obstrinxerit; et in quae, illis excussis, inciderimus. pulchro discursu exaggeratur, scilicet in jugum falsae necessitatis et voluptatis, ubi vitia nonnulla gravi invectione reprehenduntur. Quomodo ruptis diaboli vinculis, relicto tamen necessitatis jugo nos Christus arctiori vinculo, redemptionis nimirum, sibi obstrinxerit, disseritur.*

Pars altera ostendit, non tam angelis, quam hominibus gaudii ansam per ascensionem Christi, esse datam; dederit hominibus enarratur, scilicet Spiritum sanctum, Christum advocatum, Fidei, Spei et Charitatis augmentum. Cur quadraginta dies cum discipulis conversari voluerit Christus, antequam ascenderet, quomodo ab iis avulsus ascenderit, quibus insuper comitibus stipatus fuerit, dilucide tractatur. Homines natura sua ascendere desiderare, et quam perverse aliqui id faciant; ubi de monte potentiae et monte sapientiae, quos mortales potissimum ascendere nituntur, plurima non tam jucunda, quam utilia habentur. Quam praeterea viam ascendendam Christus nobis praescribat, abnegationem nempe sui docetur, et ratione, quod nemo in coelum ascendat, nisi prius crucem tulerit, ad finem usque diserte corroborabat.

Divinae sapientiae et justitiae ratio postulabat, ornatissimi auditores, ut pax illa, quae tandem inter coelum et terram summa cum hominum utilitate et angelorum laetitia Christo auctore composita fuerat, ultro citroque missus confirmaretur. Ac terra quidem, quae jam tot annis coelum aeneum experta, Solisque ardoribus exusta omnino arida et exsiccata fuerat, nihil aliud, quam imbrem Spiritus sancti, et pluviam illam voluntariam sitiebat, quam (ut Psalmographus canit) segregaret Deus haereditati suae. Quamquam enim antiquis temporibus super montes terrae, patriarchas, inquam, et prophetas guttae aliquae illius aquae decideranl: tamen fluminis impetus solam adhuc laetificabat civitatem Dei. Contra vero coelum fructum illum terrae sublimem, carnem videlicet Salvatoris, jam gloriosam et immortalem, qua nihil melius ac nobilius orbis terrarum unquam habuit, jam dudum cernere cupiebat. Cum igitur et terra spiritum coelo, et coelum terrae carnem invideret, illud Deus sapienter constituit, ut Christi caro eveheretur in coelum, et Spiritus sanctus mitteretur in terras, ac deinceps mutuis istis officiis inter coelum et terram foedere stabilito, et angelis ad terras et hominibus ad coelum numquam amplius essent aditus interclusi; sed libere ac latis itineribus quocumque tempore proficisci liceret.

Quia vero bellorum faces hominum nequitia primum accensae, atque a terris tam atrocis dissidii exordium cepit, illud coelites prope suo jure petere videbantur, ut non ante descenderet Spiritus Sanctus in terras, quam Christi gloriosa caro regnis coelestibus inferretur. Id quod non obscure Dominus significavit eum diceret: *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos.* Inde siquidem par erat, ut pacis munera principium sumerent, unde initium discordiae ac bella susceperant. Hinc igitur benignissimus Christus, cum jam victor ab inferis rediisset, daemonem principem alligasset, inferni claustra confregisset sanctos patres de carceribus liberasset, mortem interemisset, discipulos docuisset, sacramenta instituisset, ut votis tandem coelitum satisfaceret, et simul nostrae utilitati consuleret, hac celeberrima ac illustrissima die spoliis inimicorum onustus, daemonibus rugientibus, angelis acclamantibus, mundi elementis prope gestientibus, non laurea mortali isignitus, sed immortalitatis diademate coronatus, non triumphali curru in Capitolium coelorum invectus, sed vi sua et propria super coelos ascendens, de tartareis legionibus, clarissime ac laetissime triumphavit.

Hujus vero tantae celebritatis tantorumque gaudiorum non minima pars nostra est, auditores: hodie siquidem cum Christo coelos penetravimus. Hodie regni coelestis possessionem accepimus. Hodie super Cherubim et Seraphim ad dexteram Dei conscendimus; et quamquam haec omnia laetissimos mihi ad dicendum campos aperiant: tamen ego orationem meam brevissimo cujusdam sententiae quasi cancellis quibusdam includam, neque facile eam extra illos egredi aut longius vagari permittam. Ea sententia apostoli Pauli est. Ipse enim ad Ephesios scribens, ac de hodierno triumpho verba faciens ait: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* Quam sententiam ex Psalmo 67. verbis paulum immutatis, accepisse videtur. Nam cum Propheta dixisset: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Apostolus dixit: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.*

In hujus igitur propositae nobis sententiae explicatione illud imprimis quaeri posse video, Quis ille sit, qui ascendit? Nam nec propheta, nec apostolus id satis expressit. *Ascendens*, inquit, *in altum.* Quisnam? Haeretici Nestoriani, qui duos Christos praedicabant, unum Deum, alterum hominem, eum Christum dumtaxat in coelum ascendisse affirmare compellebantur, qui solum esset homo. Apellitae contra, qui Christum non ex virgine sed ex elementis carnem accepisse, et eam, a mortuis excitaretur, mundo reddidisse praedicabant, illud, etiam asserebant, Verbum Dei, sicut eum de coelo ad terram descendit, carnem suam non attulerat, sic etiam cum de terris ad coelum ascendit, nullam omnino carnem secum extulisse: neque aliter intelligi posse, quod Dominus ait: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo Filius hominis, qui est in coelo.* Nam carnem illam, quam Dei Filius hic in terris gessit, de coelo non descendisse illustrius est, quam ut sit a nobis necesse monstrari. Porro in eadem haeresi eos omnes constat fuisse, qui vel in Christo naturam humanam penitus non agnoscebant, ut Cerdonistae: vel eam in divinam esse conversam asserebant, quod Eutychianos docuisse planum omnino ac perspicuum est.

Verum istos omnes ille ipse, quem hodie veneramus, imperator noster triumphus, gloriosaque in coelum ascensio reprehendit, aliis testibus non indigemus, ipsa per se Dominica ascensio satis loquitur. Nec enim fieri potest, ut is coelum ascendat, qui solum est homo, ut somniant Nestoriani: aut solum est Deus, ut Apellitae, Cerdonistae, atque Eutychiani delirant. Nam qui solum est homo, evehi quidem, et in sublime ferri ab alio potest: at evehere se ipsum, coelos omnes transcendere, atque ad ipsam Dei Patris dexteram penetrare per se certe non potest. Qui vero solum est Deus, semper et ubique, et totus, nec ulla temporum aut locorum permutatione mutatur.

Hoc sane Ecclesia Catholica mater nostra probe intelligens, Virginem illam, quam orbis Reginam, Deique parentem appellare non dubitat, quamque et animo et corpore, sempiterno aevo in coelis frui cum filio confitetur, assumptam esse ad coelum dicit, ascendisse in coelum non dicit. Vere enim ipsa veritas ait: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.* Evehuntur alii, assumuntur, extolluntur: is vero solus non ab alio accepta ac mendicata, sed sua ac propria virtute coelos ascendit, qui simul et Dei Filius et Virginis filius est, ut evehi possit ex uno et evehere possit ab altero. Quod vero haeretici negant, Christi carnem in coelum ascendisse, quia de coelo non descendit: Et *nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo*, nullam prorsus vim habet. Nam ut Augustinus libro de Agone Christiano sapienter docet, non Christi carnem, sed Christum carne quasi vestitum in coelum ascendisse praedicamus. Quemadmodum enim si quis de monte aliquo nudus descenderet, ac deinde non amplius nudus, sed vestitus ascenderet, recte diceremus de eo, qui descendit, ipse est, et qui ascendit, et nemo ascendit in montem, nisi qui descendit de monte. Sic etiam, quamvis Dei Verbum carne humana vestitum in coelum ascenderit, cum antea sine ea ad terras descendisset, vere tamen de se ait: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.* Caro enim non tam ascendit, quam evecta est, ipso evehente qui ascendit. Habemus igitur, quis ille sit, qui ascendit. Super est ut videamus, quo ascenderit.

Quonam igitur ascendit? Quo? In altum. Sic enim Apostolus ait; *Ascendens*, inquit, *in altum*, nempe super omnes coelos et super res creatas. Ascendit ita, ut b. Cyprianus dicat, Cherubim et Seraphim beatos pedes Domini ambire. Talis enim locus eum decebat, sed natura Filius erat Dei, quique ut orbis praeses totius universitatis clavum et gubernacula capiebat.

At numquid sedere aut stare in coelo Dominus existimandus est? Ista quaestio videtur habere non nihil curiositatis: tamen sua etiam utilitate non caret. Breviter igitur eam expediamus. Si verum ac naturalem situm consideremus, non sedere aut jacere, sed stare Dominicum corpus existimare debemus. Sedere enim ac jacere infirmitatis ac imbecillitatis est. Corpora vero gloriosa ac immortalia sicut fatigari ac laborare non possunt, ita nec infirma aut imbecilla esse possunt. Quod si nonnumquam in sanctis voluminibus Christus sedere dicitur id secundum metaphoram intelligendum est. Nam etiam et Deus Pater interdum sedere dicitur, cum tamen proprie nec stare nec sedere possit, quippe qui corpus non habet. Solum igitur Christi gloriam singularem ac plane regiam, et summam illam Judicis majestatem divinae literae nobis significant, cum Dei Filium sedere ad dexteram Dei Patris tradunt. Hinc enim de sanctis caeteris esse eos a dextris Dei saepe legimus. Sedere autem a dextris Dei, est in illa ipsa gloria et regno sceptrum tenere et caput ac regem caeterorum esse, quod soli Christo convenire nemo fere Christianorum ignorat.

Sequitur, *captivam duxit captivitatem.* Non me fugit, propriam esse phrasim Hebraeorum, ut dicant captivam ducere captivitatem, quod nos bre-

vius, Captivos ducere vel captivos facere, dicere-mus. Nam et in psalmo, unde haec nostra sententia sumpta est, tametsi secundum versionem septuaginta interpretum legatur, *ascendisti in altum, cepisti captivitatem*, tamen secundum b. Hieronymi versionem, quae magis ad Hebraicam veritatem accedit, legitur: *Ascendisti in excelsum, captivam duxisti captivitatem.* Et capite 21 Deuteronomii, quo loco nostri codices habent: *Captivos duxeris*, Hebraei codices habent; *Captivam ceperit captivitatem.* Et capite 28 libri posterioris Paralipomenon, pro eo, quod nos habemus, *Reducite captivos, quos adduxistis*; Hebraei habent, *Reducere captivitatem, quam captivam duxistis.* Sed quamquam haec ita se habent, nihil tamen prohibent, quin aliquam causam hujus elegantissimae geminationis reddamus. Quid igitur est, *captivam duxit captivitatem*? hoc est, quos captivos ac vinctos invenit, non tam liberavit ac solvit, quam eis catenas vincula commutavit, et ex captivis diaboli suos captivos fecit. Quae sane felicissima, et maxime expetibilis commutatio fuit. Qui enim antea superbissimi Tyranni mancipia erant, nunc ejus imperatoris administri sunt, cui servire, non tam servire, quam regnare est. Et qui oleum ferreis neque catenis onerati erant, nunc argenteas atque aureas gerunt, ut eis non tam oneri, quam honori, pro catenis torques, pro vinculis monilia esse videantur.

Quoniam attente me de his vinculis disserentem auditis, planius hoc dicam et paulo altius repetam, auditores. Magna et praeclara quaedam res est homo, praestans ac sane singularis humani animi vis atque potestas, pro qua tanquam pro urbe quadam aut arce pulcherrima et munitissima imperator coelestis ac pater luminum cum daemonum ac tenebrarum principe summa vi semper decertavit. Ea vero est utriusque principis hominem in sua potestate retinendi cupiditas, ut quicumque eum capiat, ita catenis et vinculis revinciat, ut non modo non fugere, sed ne commovere, quidem se possit. Ac Deus in primis, qui hominem, ut ejus auctor ac parens optimo jure possidebat, simulatque eum condidit, arctissimia quibusdam nexibus, ne forte diffugeret, colligavit. Quinam isti nexus? quaenam ista vincula fuerunt? Dominum ipsum per Osee Prophetam loquentem audiamus: *In funiculis*, inquit, *Adam traham eos: in vinculis charitatis.* Itaque funiculi Adam, quibus videlicet initio revinctus est Adam, nexus amoris, vincula charitatis fuerunt. Et quidnam aliud nexus amoris, et vincula charitatis, quam dona ac beneficia sunt: Nonne enim etiam in communi sermone nos beneficiis obstringi et obligari dicimus? Et quid obstringi et obligari, nisi fortiter stringi et arcte ligari significat? Deus igitur hominem retinere cupiens, circumdedit animo et corpori multa et magna vincula beneficiorum, cum ei naturam illam praeclaram condidit, gratiam atque amicitiam suam donavit, beatitudinem, gloriam et felicitatem promisit. Iste *funiculus triplex* fuit, qui ut Sapiens ait *difficile rumpitur.* Verum infelix Adam, spe quadam falsae libertatis deceptus, vires suas et robur in suam perniciem experiri voluit, et male fortis impetu facto vincula rupit et jugum excussit. Num in Ieremia Propheta querimoniam illam Dei numquam legistis? *A saeculo confregisti jugum meum rupisti vincula mea*? Sed quid tum servo fugitivo isti contigit? Liberne evasit, an in servitutem vere miseram et luctuosam incidit? Audite rursum, quid Dominus per Danielem prophetam dicit: *Vinciatur ferro et aere, in herbis foris et rore coeli conspergatur, et cum feris sit pabulum ejus.* Id vero ita omnino factum fuisse, quis vestrum ignorat, auditores? Quid hoc nostrum exilium? Quid tot ferini motus? Quid tot impetus effraenati? Quid tot labores ac dolores? Quid tot aerumnae et calamitates clamant? Excussit igitur homo jugum aureum Dei et statim ei impositum fuit jugum plumbeum diaboli. Fregit vincula serica, et injecti fuerunt ei compedes aerei: effectus est enim mancipium diaboli, qui primum vinculis peccatorum eum arctissime colligavit: deinde duplicem ei catenam circumdedit, quarum altera necessitatis, altera voluptatis dicitur. An non trahimus fortasse catenam necessitatis, qui edere, bibere, vestiri, spoliari, dormire quotidie necesse habemus? Et quam gravis ac laboriosa est haec catena? Nonne in sudore vultus nostri vescimur pane nostro? Quam multi labores et sudores necessarii sunt, ut cibum et potum, et vestes et alia quibus egemus nobis comparare possimus?

Sed est adhuc alta quaedam catena non verae sed falsae necessitatis, quam homines sponte sibi ipsis imponunt quasi vera necessitas non sit satis, et quamquam eam si vellent statim excuterent; tamen ita nonnulli ea sunt impediti, ut nullo modo ab ea expediri posse videantur. Persuasit diabolus hominibus, ac praesertim nostrae aetatis adolescentibus, non posse eos dignitatem suam atque existimationem tueri, nisi faciant id, quod caeteri faciunt. Videt aliquis nescio quem alium singulis mensibus vestes mutare, statim dicit apud se, Non sum ego illo inferior, oportet etiam me idem facere, alioquin omnes me avarum et sordidum dicent. Ecce catenam falsae necessitatis. Videt aliquis advenisse quemdam adolescentem, qui praeter alia ornamenta, etiam nescio quod appensum ad collum gerat, fortasse retia sunt, ut se a diabolo irretitum esse omnibus manifestum fiat: continuo omnes alii tamquam simii quidam imitantur, et nisi id faciunt, honoris sui jacturam facere se arbitrantur. Non sit vobis quaeso molestum haec audire. Cogor enim hoc dicere. Nam si tacerem, ipsemet in retia diaboli caderem. Invitatur aliquis ad potationem, fortasse non cuperet ipse ire, tamen ne rusticus, et inurbanus appelletur, pergit cum caeteris: quod si dicamus, cur ita agis? Ille nobis respondet. Ego quidem non ignoro vitium esse ebrietatem; optarem etiam si possem a nemine invitari, non libenter intersum potationibus et conviviis, sed quid agerem? iste est nostrae patriae mos, si velim cum caeteris vivere necesse est, ut sic agam: alioquin enim omnibus contemptui et ludibrio essem, censor morum et emendator superbissimus appellaret. O infelicitatem nostrorum temporum. Siccine diabolus nobis imponit? Siccine falsum honorem pro vero colere nobis suadet? Verus enim honor auditores,

ex veris virtutibus nascitur, quod etiam ethnici philosophi non ignorarunt. Verus honor prudentiam, justitiam, temperantiam, sobrietatem, gravitatem consequitur. Metuis jacturam honoris facere, si vanos adolescentes non imiteris et non metuis, si tu vanus etiam efficiaris? Times hominum maledicorum linguas, si amico ad potationem invitanti non pareas: et non times proborum hominum, ne dicam Dei, justas reprehensiones, si pareas? Quid? Erubescis vocari sobrius, et non erubescis vocari ebrius? Ego sane non video, quid infelicius Ecclesiae Christi accidere possit. Et quid fiet temporibus Antichristi, si jam pudet nos virtutum, et non pudet vitiorum? Erubescis confiteri te sobrium esse velle? erubesce etiam te Christianum esse; nam Christus praecepit sobrietatem. Erubescis si castus nominaris? Erubesce etiam si Christianus nominaris; Christus enim castitatem docuit. Erubesce, si injuriam accipias et non ulciscaris eam? erubesce etiam quod baptizatus es: hujusmodi homines injurias condonare tenentur. Erubescunt alii si pauperes et humiles esse eos contingat? Erubescant, etiam quod Christo nomen dederint, qui pauperrimus fuit et fabri filius appellatus est. *Dirumpamus*, auditores, *dirumpamus*, quaeso, *vincula* ista: *proiiciamus a nobis jugum* falsae necessitatis. Ego enim non dubito, si quis semel inciperet contemnere vestium vanitates, recusare etiam in magnis conviviis tam frequentes propinationes, et verum ac probum christianum non solum fide, sed etiam moribus referre, non esset ille, ut aliqui putant, ludibrio atque ostentui, sed potius, mihi credite venerationi et admirationi: nec tamquam rusticus et inurbanus contemneretur, sed ut vir gravis et sapiens ab omnibus commendaretur. Haec enim catena falsae necessitatis non aliud fundamentum quam inanem quamdam formidinem et falsam persuasionem habet.

Quid jam de catena voluptatis dicemus? Illa non una, sed multiplex est. Tot enim sunt laquei voluptatum, quot ea sunt, quae sensus nostros blande afficiunt. Sed quamquam haec omnia laquei sunt, tamen stulti homines ita currunt ad ea, tamquam si non capiendi a laqueo, sed capturi magnam aliquam praedam ipsi essent. Clamat Sapiens, res omnes creatas tentationem, et muscipulam esse pedibus insipientium, homines vero ut se vere insipientes ostendant, creatoris oblita, res creatas vehementissimo desiderio concupiscunt. Clamat apostolus Paulus: *Fugite fornicationem*: laqueus enim diaboli est at homines quanto magis absterrentur, tanto cupidius ad istum laqueum currunt. Clamat idem apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli*, at vero quotusquisque est, qui non doleat se parum fortiter his vinculis obstrictum esse? Clamant divinae scripturae: *Judicium durissimum his, qui praesunt, fiet*, at homines non solum fugiunt ab honorum et dignitatum laqueis, sed etiam certatim contendunt, quis prior collum in laqueum iniiciat. Et quod gravius est, invident captis, qui capi non potuerunt. Rogo vos, si unum, si duos, si quinque si decem homines impingere in lapidem, aut cadere in foveam aliquam videremus, nonne tot casibus aliorum nos tandem cauti et prudentes efficeremur? Cur igitur cauti non efficimur? cum tam multos quotidie his laqueis capi misereque interire conspicimus? Sed ad nostrum captivum revertamur.

Quid igitur Deus fecit, cum hominem suum, quem tot vinculis beneficiorum in creatione sibi obstrinxerat, in laqueum diaboli incidisse et ab eo captum et multiplicibus catenis circumdatum teneri animadvertit? ait intra se: Descendamus, et liberemus fugitivum nostrum: nam circumventus et deceptus a Diabolo est, qui nullum unquam poneret modum suae tyrannidi, atque immoderato illi imperio, quod super miserum genus humanum exerceat. Verum cum hominem liberaverimus, duplicemus ei catenas et multo arctioribus nexibus eum ligemus, quam initio ligatus fuisset. Venit igitur Filius Dei, singulare certamen cum diabolo iniit, ac brevi eum prostravit atque ad deditionem compulit: mox vero hominem a diaboli et peccati potestate expedivit, atque in veram libertatem asseruit; sed tamen catenas necessitatis ab eo auferre non voluit, intelligebat enim tantam esse hominis impudentiam, ut si penitus a catenis expediretur, facile negaturus fuisset, se unquam diaboli mancipium extitisse, nec dicere cum Pharisaeis dubitasset: Nos liberi sumus, *et nemini servivimus unquam*. Ait igitur Dominus, ut semper hujus beneficii recorderis, reliqui tibi signa servitutis, catenas necessitatis, ut adhuc *in labore vultus tui* vescaris, *pane* tuo, adhuc in membris tuis sentias *legem repugnantem legi mentis* tuae ut adhuc morbis et vulneribus et ipsi interitui subjaceas. Veniet tamen tempus, quando te penitus ab istis etiam vinculis liberabo.

Sed quaenam sunt ista vincula arctiora, quibus Dominus iterum hominem alligavit? Beneficia sunt redemptionis auditores, quae quidem et plura et majora sunt quam beneficia creationis. In creatione siquidem dedit nobis Dominus sua; in redemptione autem dedit sua, et accepit nostra. Ecce nobis vincula duplicata: dedit, inquam, in redemptione sua dona, charismata, gloriam, gratiam: accepit vero nostra, labores, verbera, dolores, maledicta, plagas, mortem denique ipsam, nonne haec sunt vincula duplicata? Vere ingratus est, qui non se obligatum atque obstrictum his vinculis sentit. Quid? quod in creatione *dixit et facta sunt* non laboravit non sudavit, si in redemptione non sic, sed usque ad mortem sudavit, nec sudorem solum et eum sanguineum, sed totum etiam sanguinem suum profudit. Vere igitur *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*, quando tot, et tanta dona hominibus dedit quando nos solvit a vinculis peccatorum, quando ligavit vinculis beneficiorum, quando nos omnes sic feliciter colligatos in triumphum duxit. Omnes enim si non re, certe spe cum ipso ascendimus: nam, ut apostolus ait: *Convivificavit nos in Christo, et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus.*

PARS POSTERIOR.

Sunt fortasse, qui non tam gaudendum quam dolendum esse putent, quod Dominus Ecclesia sua

quam sibi proprio sanguine comparavit, quasi deserta ad coelum ascenderit: vel si gaudendum sit, angelis certe, non hominibus, quod enim angeli receperunt, homines amiserunt. Videant tamen, qui ista sentiunt, ne forte ab ipso Domino audiat; *Si diligeretis me, gauderetis utique: quia vado ad Patrem.* Vere enim, auditores, expedivit nobis ut liberator noster in coelum ascenderet. *Ascendens* enim *in altum*, non solum *captivam duxit captivitatem*, quod ad ejus gloriam et triumphum pertinebat; sed etiam *dona dedit hominibus*, quod ad nostram utilitatem et emolumentum pertinet. Tanta vero et tot sunt ea dona, quae Dominus ascendens hominibus dedit, ut apostoli sola eorum spe et promissione erecti, non modo Domino recedente non fleverint, verum etiam in Jerusalem cum maximo gaudio et exultatione redierint, ut ex postremis verbis evangelii secundum Lucam intelligi potest.

Quae igitur ista dona fuerunt? Hoc enim dumtaxat nobis explicandum superest. Primum et maximum donum, quod et radix, et primum omnium donorum fuit, Spiritus sanctus es. Hoc enim eximium donum simulatque Dei Filius ad Patrem suum pervenit, apostolis suis procuravit, et post decem dies super illos, ut divinae scripturae loquuntur, effudit. *Dextera igitur Dei exaltatus*, inquit b. Petrus, *et promissione Spiritus sancti accepta a Patre effudit hunc, quem vos videtis et auditis.* Alterum donum est quod ipse Dei Filius ideo potissimum introjerit in sancta sanctorum, et tabernaculum illud non manu factum, ut semper *appareat vultus Dei pro nobis*, et eum interpellet pro nobis. *Non enim*, inquit apostolus Paulus, *in manu facta Sancta Jesus introivit exemplaria verorum; sed in ipsum coelum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et b. Joannes; *Haec*, inquit *scribo vobis, ut non peccetis: sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum.* Quid? Nonne hoc singulare donum, atque excellentissimum munus est? Quid jucundius homo peccator cogitare potest? Quid felicius, quam in tam formidabili judicio, ubi de aeterna salute agitur, judicem habere patrem, advocatum vero fratrem? Quis desperet? Quis causae suae diffidat, etiamsi maximorum, innumerabiliumque criminum reus sit, si modo hoc apud se cogitet, apud patrem judicem se fratrem advocatum habere. Tertium autem et postremum genus donorum, quod Dominus ascendens in altum humano generi contulit, illud mihi esse videtur, quod illae tres principes virtutes, Fides, Spes, Charitas, hinc in nobis mirum in modum nutriantur, confirmentur, augeantur. Fides, quia credimus in eum, quem non vidimus. Et *beati qui non viderunt, et crediderunt.* Spes quia si caput nostrum coelos penetravit, membra quoque eosdem penetratura confidimus. Charitas in Deum, et amor rerum coelestium, ac spiritualium, quia cum Christum, in quo spes ac salus, et omne bonum nostrum situm est, in coelum ascendisse credimus, nos quoque vota eo et suspiria nostra transmittimus, et Paulum apostolum intentis auribus audimus, cum ait: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Ascendens* igitur Christus *in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.*

At quando tandem et quo ordine ascendit? Post dies quadraginta a resurrectione sua ascendit. Cur tanto tempore expectavit? Ut praeberet *seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis*, ut christianam rempublicam constitueret, ut apostolo Petro Ecclesiae clavum et gubernacula traderet, ut poenitentiae sacramentum, et alia, si quae supererant, institueret, ut apostolos informaret, atque ad Spiritus sancti adventum praepararet ut demum charitatem atque humilitatem suam nobis adhuc vehementius commendaret. Maxime enim profecto illae virtutes in Domino extremis illis diebus enituerunt, cum jam vitam angelorum non solum animo, sed etiam corpore viveret, et tamen frequentissime et familiarissime cum discipulis suis mortalibus et abjectis hominibus versaretur.

Porro modum atque ordinem ascensionis disertis verbis explicat b. Lucas: *Eduxit*, inquit, *eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benediceret eis: et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in coelum.* Itaque Dominus, qui in Ierusalem in urbe totius Palaestinae celeberrima, et coram toto orbe terrarum in crucem cum maxima ignominia agi voluit, idem ex monte quodam pene deserto, et coram paucis testibus in coelum gloriosus ascendit, ut contumelias et ignominias etiam publicas libenter amplecti; gloriam vero et celebritatem fugere, hoc etiam postremo facto nos doceret. Benedixit vero, hoc est bene suis discipulis, ut eis valediceret, precatus est. Fortasse etiam hoc ipsum invictissimae crucis super illos signum expressit, atque inde apostoli idipsum usurpare coeperunt. Ac tum demum cunctis videntibus, et eum animis et oculis prosequentibus, sensim ab eis recedere atque elevari coepit. *Et benedicens eis ferebatur in coelum*, ut jam tum discere inciperent, supplices oculos, et manus in coelum attollere, de coelo auxilium expectare, in coelo cor suum affigere, ubi thesaurum suum esse non ignorarent. Cum autem jam satis procul a terra in sublime ascendisset, candidissima quaedam nubes suscepit eum ab oculis eorum. Nec vero nubes ideo apparuit, ut vehiculum esset Christo; sed partim ut ejus gloriam et majestatem augeret, partim ne apostoli diutius intimis oculis animisque suspensis eum prosequerentur.

Et quid jam de multitudine hominum et angelorum, qui eum comitabantur, dicemus? Hunc enim magnus ille Jacob referebat, cum de seipso quodam loco ait: *In baculo meo transivi Jordanem, et nunc cum duabus turmis regredior.* Solus Iordanem passionis baculo crucis innixus trajecit. *Torcular*, inquit, *calcavi solus et de gentibus non est vir mecum.* At non solus ad coelum, atque ad Patrem regressus est. Nam turmis duabus, altera hominum, altera angelorum comitatus ascendit. Et qua pompa? qua celebritate? quibus gaudiis illum ascendisse, et triumphum suum egisse putatis? Si

ecclesia militans inter bellorum tumultus, et strepitus tubarum canit,quid illa victrix et triumphans ecclesia faciet? Si laetentur homines in terris,quid ipsi angeli facient in coelis? O si quis hodie audiret organa, psalteria, citharas, concentum illum et symphoniam,quibus resonant templa et plateae coelestis Ierusalem? O si cernere posset nova illa spectacula, tripudia, choros, triumphos spirituum beatorum. O quam cito liquefieret anima ejus. O quibus vocibus caneret: *Ascendit Dominus in jubilo*; alleluja, alleluja.*Et Dominus in voce tubae* alleluja, alleluja. Et. *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. O quis dabit mihi pennas sicut columba? et volabo et requiescam.*

An non vos etiam ascendere desideratis, auditores? Certe desideratis. Id mihi profecto non negabitis. Nam si Philosophus ait, Omnis homo naturaliter scire desiderat,cum tamen plerique ad literas perdiscendas fustibus et verberibus adigantur, quanto nos verius dicemus, omnis homo naturaliter ascendere, et rursum ferri desiderat? Cur nostri adolescentes tam diligenter incumbunt in studia? Ut ascendant. Cur alii tam laeti proficiscuntur ad bella, et eligunt potius in castris vitam miserrimam ducere,quam domi suae commode et quiete vivere? Ut ascendant.Cur etiam interdum aliqui monachi fiunt, et humilitatem profitentur? nonne ut abbates fiant,et ascendant?Tanta est in hoc nobilissimo animante, quamvis saepe perversa ascendendi cupido. Nec mirum, auditores. Nam sedes, et quasi elementum mentium nostrarum sursum est. Cur ignis tendit sursum? Cur terra deorsum? Nonne, quia ignis elementum sursum,et terra elementum deorsum?Quoniam igitur elementum nostrum sursum est, ac de coelis animas habemus idcirco eo rapi animus desiderat: nam quemadmodum pisces extra aquam moriuntur, et res omnes extra sua et propria loca diutius conservari non possunt: sic etiam animis nostris non est bene in regionibus istis, ubi *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Nec enim minus animus suffocatur in corpore, quam corpus suffocatur in aquis. Et quamquam eum blanditiis delinire ac detinere caro nostra conetur, quippe quae novit, quantum ejus conjunctione et societate indigeat, tamen facere non potest, quin interdum animi natura se prodat, et ad loca editiora et sublimiora suspiret. Hoc igitur firmum sit et ratum, auditores, omnes homines naturaliter loca alta atque adeo ipsum coelum desiderare.

Sed quid interim illis accidit? Idem omnino, quod pueris accidere solet? Aspiciunt aliquando pueri vertices montium, a quibus coelum ex quadam oculorum deceptione non amplius uno palmo abesse videtur.Illi igitur quia nondum ratione sensuum errorem corrigere didicerunt, vere coelum non amplius uno palmo abesse a montium verticibus arbitrantur, atque ajunt. O si montem illum conscenderem, profecto coelum manibus attingerem. Sic etiam cum interdum pueri illi,qui in vallibus habitant, Solem oriri ex montibus vident,putant ipsi si in montibus illis fuissent, se omnino Solem attingere potuisse: at cum postea aliqua data opportunitate montes illos superant,tunc demum in quanto errore versentur, intelligunt. Ad eumdem modum in terris loca quaedam editiora videmus, licet non tam montes, quam colles seu tumuli quidam potius dici deberent.

Atque ut, quod volumus exemplis planum fiat, duos ex illis montibus nominabimus: unus potentiae alter scientiae mons appellatur.Cogitat aliquis vel regiam, vel pontificiam vel imperatoriam majestatem : intuetur opum affluentiam, purpurae splendorem, numerum famulorum, amplitudinem dignitatis, illustres titulos, gloriosa cognomina. continuo ardere incipit desiderio ascendendi. O qualis mons, inquit, est ille? quam excelsus?quam sublimis? profecto etiam mihi nubes superare videtur. O si semel ad ejus verticem pervenirem, nonne coelum contingerem? Nonne ita beatus ac felix omnino essem,ut Deus quidam inter homines dici possem? Age igitur excitemus industriam, manibus ac pedibus reptare incipiamus.Ac aliquando quidem fit, ut post multos annos in rependo consumptos perveniat quis ad summum montium.Verum cum ibi est, et multitudine negotiorum molestiarum, curarum, sollicitudinum obrui se videt,ut quietem nullam capere possit, omnia plena periculis ac suspicionibus animadvertit: illa civitas defecit, illa defectionem minatur, illa in officio vix contineri potest: undique supplices libelli,undique querimoniae adveniunt. Et ad haec omnia morbis et aegritudinibus non minus vexatur, quam olim cum privatus esset, tum demum se deceptum intelligit, et nihil aliud est, inquit, esse regem aut pontificem, quam hoc? Putabam me beatum futurum, et miserior mihi nunc esse videor,quam umquam fuerim. Hic ille mons est, quem Diabolus primus ascendere aggressus est. *In coelum*,inquit *conscendam: super astra Dei exaltabo solium meum.* Sed non bene ei successit. Nam repente tamquam fulgur cecidit e coelo, et ex angelo optimo et pulcherrimo, perditissimus et foedissimus Diabolus factus est.

Quid jam de monte sapientiae dicam? Si procul aspiciatur, o quam sublimis, quam speciosus esse videtur iis, quos amoris stimulus concitat? Quid enim splendidius aut gloriosius nomine sapientiae? Certe vulgus hominum putat nihil penitus latere Philosophos, sed eos omnia abdita, atque arcana naturae penetrare: tamen vos auditores, qui montem illum ascendistis, nonne plane videtis, vix exiguum tumulum dici posse? Quid certum? Quid exploratum quid non dubium? quid non sub judice adhuc positum in universa philosophia reperitur? Nihil mihi aliud, quam *virum*,in ea videre videor. *virum*, omnes replet, atque occupat libros philosopborum. Et quid aliud istud *utrum*, si in eo finis constituatur, si humilitas absit,quam *utres* efficere potest? Et utres, inquam, non tam sapientia et cognitione veritatis, quam superbia et vento vanitatis inflatos? Ita quidam veterum philosophorum intonant, ut quidam hominis appellationem aequivoce, ut ipsi loquuntur,de philosopho,et non philosopho, dici asseverarent. Ad istum montem primus noster parens aditum aperire conatus est.

Ille enim est, qui cupiditate sciendi bonum et malum ascendere voluit in montem sapientiae, et miserabili ruina in vallem ignorantiae praecipitatus est.

Quid igitur? An studium sapientiae negligendum et gymnasia omnia claudenda sunt? Non hoc dico, auditores, imo vero aperiantur, dilatentur, amplificentur, si opus est domicilia sapientiae. Quid igitur nos ab isto monte absterres? Quid sapientiae studiosos reprehendis? Eos dumtaxat reprehendimus, auditores, qui finem ultimum sibi in hujus ascensione constituunt: quique propterea de pietate ac probitate, quae vera via ad beatitudinem est, aut parum, aut nihil solicili esse videtur. Nam profecto, qui hoc agunt, in maximo errore versantur, cum propter umbram quamdam, vel potestatis vel sapientiae, veram et potestatem et sapientiam perdant. Nam ut caetera interim omittamus, quis istius potentiae et sapientiae finis est? Nonne gloria quaedam et celebritas apud homines? Ista vero gloria quam alte ascendit? quam longe lateque propagari potest? Quis non videt, quantis angustiis gloria humana etiamsi dilatari velit circumscribatur, cum nec Alexandri nec Aristotelis, quorum alter ad summam potentiam, alter ad summam sapientiam pervenisse putatur, nomen et fama vel Caucasum montem trascendere, (ut Tullius loquitur.) vel Gangem fluvium transnatare unquam potuerit? Num quidem putatis, vel in aere apud daemones, vel in coelo apud angelos magni unquam famam esse, vel potentiam Alexandri vel sapientiam Aristotelis? Nihil minus. Deinde quid illis prodest, quod hic nominentur, ubi non sunt, cum ibi torqueantur, ubi sunt? quod si id illis summis hominibus accidit, quid iis eveniet, qui cum illis nulla ex parte comparandi sunt? Nonne igitur summa dementia est, omne suum tempus, omne suum ingenium, omnes suas vires in ea gloria acquirenda consumere, quae acumen ipsum ac tectum propriarum aedium non transcendit? Et tamen horum amentium hominum non magnus, sed infinitus numerus est.

Hos igitur montes contemnamus, quorum ascensus difficillimus est et periculosissimus, ad quorum culmen pauci perveniunt, et pauci illi saepe deorsum graviore casu praecipitantur, ut ex ipsa primi angeli et primi hominis ruina intelligere potuistis. Et mirum est, homines, quorum vestigia imitantur, eorum praecipitia non perhorrescere. Sed illum potius imitemur, qui non alia de causa ad nos descendit, quam ut nobis viam demonstraret ascendendi. Quod autem verissimam certissimamque viam docuerit, nonne hodie ipsa sua ascensione apertissime comprobavit? Nonne ipse unus vere ascendit eo, quo nec homo nec diabolus ascendere potuerunt?

At quam tandem viam ipse docuit? Nempe viam quamdam mundi sapientibus et potentibus omnino incognitam. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum*, hoc est, quia per montem sapientiae ad Deum pervenire non potuerunt (atque idem de monte potentiae dici potest) *placuit Deo per stultitiam* (addere possumus et infirmitatem) *praedicationis salvos facere credentes*. Quid enim stultius, quid infirmius mundi sapientibus et potentibus videri poterat, quam ipsam Dei virtutem et sapientiam pendere in patibulo crucis, cum summa ignominia voluisse? Crucem igitur viam ad vitam et gradum ad coelum, et sibi Dominus nobis omnibus fecit. *Oportuit*, inquit, *Christum pati et sic intrare in gloriam suam*. Et hoc quidem de se. De nobis autem audite quid dicat, *qui vult venire post me*, inquit, non solis monachis, non solis presbyteris loquitur, sed omnibus, qui ad regnum coelorum eum sequi desiderant, *qui vult venire*, inquit, *post me*. Omnes nos Domine, cupimus venire post te. Sed quid agemus, ut veniamus post te? *Abneget*, inquit *semetipsum*. Quid est, Domine, *abneget semetipsum*? Non intelligimus, in parabolis loqui videris. Nondum, inquit, viam vobis ostendi, sed quid opus sit ad eam ascendendam, admoneo, ne forte, si imparati inveniatis, frustra eam ingredi nitamini. Via ista maxime ardua est, homines omnino nudos et expeditos requirit: propterea dixi vobis: *Abneget semetipsum*, hoc est, non solum sarcinas non necessarias deponere, sed etiam seipsum relinquere, ac seipsum quodammodo spoliare debet, quicumque vult venire post me. Tunc enim vere nudus, mihique simillimus erit. Et cum talis fuerit, *tollat crucem suam et sequatur me*. Haec igitur est via, auditores: vel hesterna celebritas vos admoneat. Nonne enim heri inventionem crucis, hodie Domini ascensionem celebravimus? Et quid hoc aliud significat, quam in coelum per crucem ascendi? *Quo vado*, inquit Dominus, *scitis et viam scitis*. Verum loqueris Domine. Nam et in coelum ivisse, et per crucem ivisse non ignoramus.

Quamobrem, auditores, suscipiamus, quaeso, singuli cruces nostras, et sequamur Dominum crucifixum. Ille morbo aliquo vexatur: ferat aequo animo, et gratias agat Deo et tollat crucem suam. Alius uxorem habet morosam, difficilem, iracundam: ferat aequo animo, gratias agat Deo et tollat crucem suam. Alios pro admonitione convitium, pro beneficio injuriam accipit: ferat aequo animo, gratias agat Deo et tollat crucem suam. Alius nemini obesse et multis prodesse studet, tamen ei magnam bonorum partem fures diripiunt: ferat aequo animo et tollat crucem suam. Alii vel uxor, vel filii moriuntur, vel ipse in carcerem truditur et in exilium mittitur, opibus spoliatur: ferat aequo animo et tollat crucem suam. Sed multi sunt, qui crucem, quam ipsi sibi imponunt, etiamsi gravissima sit, libenter ferunt: at eam crucem, quam Dominus eis imponit, tolerare non possunt. Jejunant, vigilant, orant, eleemosynas largiuntur. At si morbo aliquo afflictari incipiant, ferre non possunt, indignantur, conqueruntur. Quidam interdum se etiam verberibus caedunt et ab aliis nec verbum unum asperius pati possunt. Et quid hoc, nisi genus quoddam extremae dementiae est? Teipsum convenio. Quid? Cum aegrotas, et pharmacum sumendum est, sumisne quantum tibi an quantum medico tuo videtur? Certe non quantum tibi, sed quantum medico videtur. Tu enim, etiamsi artem medendi didicisses, tamen vel nimio desiderio sani-

talis nimium pharmaci sumeres, vel nimio tui amore nimis parum acciperes. Medicus vero pro sua prudentia ad aegritudinem tuam pharmacum suum accomodabit. Sic etiam in crucem pro animae salute diligenda saepe homines vel nimia severitate vel nimia indulgentia peccant. Deus vero, qui intime nos et naturam nostram, morbos nostros et vires nostras cognoscit, quique incredibili quodam ac vere paterno amore nos diligit, eam nobis crucem imponit, quae nostris humeris convenit, neque *tentari nos*, sinit *supra id, quod* possumus, quin etiam facit *cum tentatione proventum, ut* possimus *sustinere*. Id igitur libentissime omnes toleremus, quod Deo, ac Patri, et medico animorum nostrorum videbitur, sive aegritudines sive bonorum direptiones, sive liberorum amissionem, sive convitia et injurias proximorum, sive quidvis aliud pati necesse sit. Id enim nos ignorare non expedit neminem prorsus sine cruce ad coelum pervenire posse. Deus enim quos diligit, corripit: *castigat autem omnem filium, quem recipit*. Atque adeo hoc verum est, auditores, ut etiam filium suum illum naturalem atque unigenitum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, castigare voluerit. Quia vero is carnem non habebat in qua pati posset. *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Illud etiam pro comperto habeamus, quanto crucem majorem feremus, tanto latiorem et commodiorem viam nos ad coelum atque beatitudinem habere, ad quam nos perducat, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXXVI.

IN DIE PENTECOSTES

DE MISSIONE ET PERSONA SPIRITUS SANCTI

SYNOPSIS

Captata benevolentia in principio statim proponitur, quidnam praesenti concione sit dicendum. Spiritum sanctum Patris et Filii nexum esse subtili discursu declaratur. Enim a Patre et Filio mitti probatur; ejusque divinitas ab impia haeresi Arrii et Eunomii multis Sacrae Scripturae auctoritatibus vindicatur; ubi missionem non superioris solum, sed aequalis esse ostenditur. Triplex ut producendi, sic mittendi ratio in divinis dilucide asseritur, et qua ex illis Spiritus sanctus mittatur, contra Macedonianos Spiritum sanctum inter creaturas collocantes disputatur. Quid in divinis sit personam aliquam mitti, diserte declaratur. Tot modis Spiritum sanctum hominibus inspirari, quod dona ipsius sunt, probatur. Haereticorum argumento contra Spiritum sanctum diluuntur, et ii suo quasi gladio iugulantur. Multis denique exemplis ex haereticorum tam veterum faece prophositis, patefit, quantopere illi semper Scripturas corrumpendo ad sua dogmata flectere studuerint.

In parte posteriore specialim agitur de missione Spiritus sancti in pentecoste facta, et cur in forma ignis, linguarum et sonitus apparuerit, causae assignantur. Quam sint necessaria verbi Dei praeconi sapientia, charitas et donum orationis; et quibus gratia miraculorum sit necessaria, docetur. Qua deinde scientia apostoli praediti fuerint, et an rerum naturalium cognitionem habuerint, disceptatur. Quo modo et quanto temporis spatio iidem donum linguarum sint adepti, et qua miraculorum gratia donati, narratur. Charitatis insuper, qua inflammati fuerant, mirandi effectus in medium adducuntur. Charitatis perfectae duo signa traduntur, et ob eorumdem negligentiam nostri saeculi mores graviter taxantur. Tandem quomodo charitas ipsis signis sit ostendenda, conclusionis loco docetur.

Coelestium munerum magnitudo, et divinorum beneficiorum praestantia tanta est, auditores optimi, ut vires humanae mentis exuperet, et omnium mortalium intelligentiam vincat: nec immerito ita divina providentia, sapientiaque constituit, ut quod assequi prae rerum mole ratio nostra non poterat, id fides religioque conciperet: et naturae mortalis imbecillitatem firma constansque fidei persuasio susciperet. Pentecosten hodie agimus, et sancti Spiritus in terras adventum, et divini constantiam fidemque promissi, ac mysterium maximum more institutoque majorum hodie veneramur ac colimus. De quo quidem mysterio tam abdito et recondito, ut nostrorum animorum effugiat aciem et in tam frequenti ac erudita concione, qualem hic hodierna die conspicio, mihi verba facturo, idem ille sacer Spiritus, qui et ora mutorum solvit et linguas infantium disertas reddit, pectori animoque meo illapsus eam ad dicendum facultatem et copiam tribuat, qua ipsius incomprehensam, inexplicabilemque naturam, deinde gloriosum adventum, singularia munera, incredibilem vim potentiam, majestatem, non dico pro dignitate demonstrare (id enim ne coelestibus quidem aeternisque illis mentibus licet) sed quoad et mortalis ingenii tenuitas et definiti temporis brevitas patitur, aliquo modo quasi valeam attingere. Postremo docere quibus potissimum rationibus tam dignum sanctumque hospitem accipere et nobiscum retinere possimus.

Quid igitur Spiritus sanctus, nisi admirabilis et indissolubilis quidem Patris ac Filii nexus, inexplicabilisque communio? Cum enim tam Pater, quam Filius spiritus sit et sanctus, ut ex nomine, quod utrique convenit, utriusque communio significetur, amborum donum Spiritus sanctus aptissime nominatur: et quod communiter vocantur et singuli, hoc proprie appellari oportuit eum, qui non alter est eorum sed in quo utriusque communitas reperitur. Itaque nec Patris est solius nec Filii, sed amborum, ut communem, quo sese mutuo amant, amorem et charitatem ostendat. Atque hic admirabilis in illa beatissima Trinitate complexus non genitus, sed genitoris, genitique suavitas, totam hanc rerum universitatem a se productam ingenti munificentia et bonitate perfundens, atque conservans Patri et Filio, ex quibus tamquam ex uno principio et unica spiratione procedit ομοιος, et aequalis vita natura vivens, et viventium origo ac parens, Deus ex Deo, et homines deos efficiens vis praepotens et infirmorum robur ac firmitas semper proficiens, complens omnia, tempore, specie, atque habitu carens; libere agens, solutus ac liber, segregatus ab omni materia et concretione

mortali: Spiritus sanctus, non spiritus ventorum, non angelicus, non corporeus, non aereus, sed Spiritus opifex, Spiritus Deus, Spiritus tertia sempiternae Trinitatis hypostasis, constanti fide et integra religione a nobis creditur, asseritur, colitur adoratur.

Iam vero ut ad missionem ipsam Spiritus Paracleti, qui magis ad celebritatem hodiernam pertinet, veniamus, res est ejusmodi, quam modo auspicamur, ut non minus attentionem vestram, quam nostram diligentiam requirat. Duo siquidem nobis in hac missione consideranda sunt unde videlicet et quo Spiritus sanctus mittatur. Omne enim, quod mittitur, ab aliquo et ad aliquem mittitur, ac Spiritus sanctus a Patre quidem et Filio missus est. Sic enim legimus. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, quem mittet Pater in nomine meo.* Et rursum: *Si non abiero Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Itaque Dominus utrumque disertis verbis affirmavit. Et Pater, inquit, mittet, et ego mittam.

Verum non facile est explicare, quomodo una divina persona ab alia mitti possit. Hinc enim potissimum, ut b. Augustinus libro altero de Trinitate refert, occasionem acceperunt Arriani, blasphemias suas in Spiritum sanctum evomendi. Cum enim ex divinis voluminibus cognoscerent, Spiritum sanctum a Patre et Filio mitti, et rursum viderent, semper eum, qui mittitur, minorem atque inferiorem eo, qui mittit (servi enim a dominis et milites ab imperatoribus mitti solent) ad id insaniae prolapsi sunt, ut dicerent, Spiritum sanctum nec vere Deum, nec Patri et Filio aequalem; sed rem creatam, Patrisque ac Filii administram esse: quamquam primus, qui bellum tam nefarium contra Spiritum sanctum movit (si magno Basilio credimus) impius Eunomius fuerit, sed plena sunt volumina prophetarum, pleni codices prophetarum, pleni codices evangeliorum, plena apostolorum monumenta, plena scripta et lucubrationes sanctissimorum atque eruditissimorum testimoniis. Passim in divinis litteris Spiritus sancti majestas ac divinitas asseritur et praedicatur. Quid? Esse ubique, cujus est, nisi Dei? At psalmographus ait: *Quo ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* Omnia replere, cujus est, nisi Dei? At Sapiens ait: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Omnia cognoscere, cujus est, nisi Dei? At Apostolus ait: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Operari omnia, et divina charismata elargiri, cujus est, nisi Dei? At idem apostolus ait: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Creare et coelos ipsos stabilire, cujus est, nisi Dei? At regius propheta ait: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* Et rursus: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Habere templum, cui, quaeso, convenit, nisi Deo? At de Spiritu sancto apostolus ait: *An nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti? Glorificate* ergo inquit, *et portate Deum in corpore vestro.* Atque hoc Augustini, aut si mavultis, beati Pauli argumentum est. Quis praeterea ille est, qui per prophetas loqui consuevit? Nonne Deus? Sic enim legis: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae: et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui: sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum ejus.* At ego, inquit magnus Athanasius, apostolum Petrum audio dicentem Deum istum, qui per prophetas locutus est, Spiritum sanctum esse. *Non enim*, inquit, *humana voluntate allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Postremo, ut cum argumento invictissimo Basilii Magni disputationi finem imponamus, nonne clarissimis atque apertissimis verbis princeps apostolorum Petrus Spiritum sanctum Deum esse docuit, cum in Actis apostolicis ait: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? Non es*, inquit, *mentitus hominibus, sed Deo.* Quid clarius quid aptius? qui evidentius? Cum, inquit, mentitus sis Spiritui sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo. Habemus igitur mitti quidem Spiritum sanctum a Patre et Filio: sed non propterea minorem aut alterius naturae a Patre et Filio.

At numquid non illud est verum, inferiores et minores a superioribus et majoribus mitti? Duobus modis auditores, alicui convenit mittere, imperando et producendo. Nam et milites mitti ad bellum ab imperatoribus dicimus: et rursum flores et fructus ab arboribus, et radios ac splendorem a rebus perlucidis emitti affirmamus. Ac illa quidem prior missio; quae nascitur ab imperio, mittentem superiorem et missum inferiorem requirit. Sed ea in Deo locum habere non potest, ubi non solum est aequalis, sed una atque eadem trium personarum natura, potentia, sapientia, bonitas atque majestas. Missio vero posterior, quae non imperio, sed productione continetur, mittentem et missum omnino aequales postulat. Nec enim flores vilioris naturae, quam ipsae arbores sunt. Et haec est missio, quam divinis personis, Filio videlicet et Spiritui sancto, ut ex divinis litteris didicimus, attribuimus. Hinc enim Dominus quodam loco ait: *Ego ex Deo processi, et veni: non enim a meipso veni, sed ille me misit.* Quid est, *A me ipso non veni, sed ille me misit?* id est, quod paulo ante dicebat, *Ego ex Deo processi*, hoc est, non a me esse, et naturam habeo, sed ex Patre quasi germen ex planta, et tamquam ex luce splendor natus sum.

Verum illud, auditores, praetermittendum non est, Deum sicut tribus modis producit, ita etiam tribus modis ac rationibus mittere: id quod ignoratum Macedonianis gravissime errandi et haeresim perniciosissimam condendi occasionem dedit. Ac ut rem totam sub aspectum subiiciamus, Macedoniani putabant duobus modis dumtaxat a Deo aliquid produci posse, creatione videlicet et generatione. Ac angelos quidem et res creatas creatione: solum autem Verbum generatione productum esse. Ac proinde Deum Verbi quidem Patrem, rerum autem caeterarum opificem et creatorem dici debere: ex quo etiam illud asserebant, Verbum, eo quod vere Filius ac vere germen esset Patris omnino ὁμοούσιον et aequales esse Patri, in quo ab Arria-

nis ad Catholicos deficiebant: res vero caeteras, quod non genitae ex Deo, sed ex nihilo effectae ac procreatae essent, alterius penitus naturae atque substantiae, et longe Deo inferiores existere. Verum qui de Verbo Dei, et rebus creatis recte sentiebant ac loquebantur, de Spiritu sancto tamen omnino impia ac blasphema proferebant. Cum enim jam sibi persuasissent, id, quod non gignitur, neque est a se, omnino creari: et rursum intelligerent, Spiritum sanctum non gigni a Patre, neque Filium in sacris litteris appellari (est enim vere Dei Verbum unigenitum, neque plures Filios, quam unum Deus habere potuit) dualitatem pro trinitate impie ac nefarie excogitaverunt, et Spiritum sanctum a Patre et Filio separantes: eum in serie rerum creatarum collocaverunt: inde videlicet semi-Arriani, ac Spiritus sancti hostes, optimo jure appellati sunt. At vero Christi sponsa ac mater nostra Ecclesia Catholica, quae et sponsi secretorum conscia est, et filios suos in tantis rebus errare non patitur, sicut non dualitatem, sed trinitatem in Deo agnoscit; sic etiam non duobus, sed tribus modis eum operari, ac producere confitetur, nempe generatione, spiratione, creatione. Generatione Filium, spiratione Spiritum, creatione res caeteras. Nec enim minus est efficax ac foecundus amor in Deo, quam cognitio: quamquam id intelligere Macedoniani non potuerunt. Quare sicut intelligendo, ac seipsum quasi speculum quoddam intuendo Deus Pater, imaginem sui ipsius, nempe Verbum, gignit, sic etiam infinito amore se Pater ac Filius diligendo Spiritum sanctum, non duabus sed unica spiratione producunt. Et quemadmodum Pater, cum Filium generat, non aliam quam suam ipsius naturam et potentiam et sapientiam et bonitatem cum eo communicat: sic etiam Pater et Filius, cum flammam illam divini amoris spirant, non aliam, quam suam ipsorum naturam, potentiam, sapientiam, bonitatem cum Spiritu sancto communicant. Spiritus igitur sanctus a Patre et Filio, non creatione, ut angeli; neque generatione, ut Verbum sed spiratione procedit: ac proinde mittitur non tamquam servus a domino, sed tamquam spiritus ab eo, cujus est spiritus: quae missio non imperium sed productionem designat.

Itaque paucis multa complectar, Deus Pater a nemine mitti potest ac in sacris litteris venisse reperitur, missus fuisse (ut d. Augustinus libro altero de Trinitate monet) non reperitur: quia neminem habet, a quo procedat. Filius a solo Patre mitti potest, quia a solo Patre procedit: Spiritus sanctus a Patre et Filio: quia a Patre Filioque procedit. Angeli vero tamquam servi a Patre, et Filio et Spiritu sancto mittuntur: quia a Patre et Filio et Spiritu sancto non generatione aut spiratione sed affectione et creatione procedunt. Hactenus igitur unde Spiritus sanctus mittatur vidimus: nunc quonam mittatur breviter videamus. Haec enim duo in missione Spiritus sancti explicanda proposuimus.

Quoniam igitur missus Spiritus sanctus est? Divinae personae, auditores ut brevi oratione rem totam absolvam, ad ea loca mitti aut venire dicuntur in quibus aliqua nova ratione et modo esse aut habitare incipiunt. Deus enim cum semper ubique sit praesens, et coelum et terram praesentia sua ac majestate compleat, nullo modo potest ad aliquem locum venire vel mitti, in quo antequam venire, vel mitti diceretur, non esset. Ad eum igitur locum venit, vel mitti potest Deus, in quo est quidem sed non eo modo est, quo cum venerit vel missus fuerit, erit. Ad exempla veniamus. Dei Filius una cum Patre et Spiritu sancto semper in orbe terrarum fuit: *In mundo erat*, ait Evangelista Joannes, *et mundus eum non cognovit*. At Dei Filius certo quodam modo, nempe carne humana vestitus, non semper fuit in mundo. Quare tunc missus est, tunc *in propria venit*, tunc exivit a Patre, et venit in mundum, cum *Verbum caro factum est*, visum in terris, et cum hominibus conversatum est. Hinc videlicet apostolus Paulus cum ad Galatas scribens, ac de Filii Dei adventu verba faciens dixisset: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, continuo subjecit et ait: *factum sub lege*: ut intelligeremus, fieri ex muliere esse mitti. Idque b. Augustinus libro altero de Trinitate sapienter admonuit. Ad eumdem igitur modum nihil est aliud Spiritum sanctum mitti ad homines, quam in eis nova ratione et modo inhabitare, atque esse incipere.

Quaenam est ista nova ratio, iste novus modus? Non unus aut simplex; sed varius ac multiplex modus est. Tot enim modis Spiritus sancti hominibus inspiratur, quot ipsius Spiritus sancti virtutes ac dona enumerantur. Erat aliquis ethnicus vel haereticus, convertitur ad veram fidem ad eum Spiritus sanctus missus est. Antea siquidem non in eo habitabat Spiritus sanctus per fidem et charitatem nunc habitat in eo per fidem et charitatem. Erat aliquis in Ecclesia fide integra, sed corruptis moribus, fide catholicus, sed moribus ethnicus, avarus, impurus, superbus; convertitur ad Deum poenitentiae sacramento purgatur, ad eum Spiritus sanctus est missus. Antea siquidem non habitabat Spiritus sanctus in eo per gratiam, per castitatem per humilitatem: nunc in eo istis omnibus modis incipit habitare. Quocirca virtutes istae non tam virtutes, quam Spiritus in sacris litteris appellantur. *Requiescet*, inquit Isaias, *super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini*. Et apostolus Paulus: *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt, idem autem spiritus*, hoc est. Non omnes eamdem gratiam habent, sed alius gratiam sanitatum, alius donum linguarum, alius donum fidei alius donum sapientiae: omnes tamen eumdem spiritum inhabitantem habent qui et eorum donorum est auctor et per ea dona in singulis operatur. Ecce igitur quid sit missio Spiritus sancti.

Sed haereticorum imperitiam vel improbitatem potius considerate. Nihil eorum, quae diximus, eos movet: vel enim ea loca scripturarum, quae nos adduximus, non legerunt, vel si legerunt, non intellexerunt. Sed quo quaedam testimonia (ut ex magno Athanasio, magnoque Basilio, nec non ex b. Ambrosio cognosci potest) invenerunt, in quorum altero vane exultarent, in altero trepidarent. Ac pro se quidem illud ex Amos propheta adfere-

bant: *Ecce ego formans tonitruum,et creans spiritum.* Quid apertius, inquiunt? An non hic clarissimis verbis creari Spiritus sanctus dictus est?sed quid obsecro virium hoc argumentum habet? Quis nescit spiritum in scripturis modo statum ventorum modo animam, modo mentem, atque intelligentiam dici? Quod vero Amos propheta non de Spiritu sancto; sed de spiritu ventorum loquatur, vel ex praecedentibus verbis intelligi potest: *Ego,* inquit, *formans tonitruum et creans spiritum.* Quid habet commune Spiritus sancti productio cum formatione tonitruorum? Nonne credibilius est multo, post tonitruorum creationem de ventorum creatione prophetam esse locutum? Itaque hebraei codices non spiritum, sed ventum in illo ipso loco habent.

Audite vero, quid contra se in sanctis litteris invenerunt, cum evangelium b. Ioannis Arriani quidam legerunt, et ad eum locum pervenissent, ubi Dominus ait, *Spiritus est Deus, et eos, qui eum adorant, in spiritu et veritate oportet adorare.* Quid hoc est, inquiunt: *Spiritus est Deus?* Ergone tam aperte evangelista scripsit. *Spiritus est Deus?* Potuitne hoc apertius dicere? *Spiritus,* inquit, *est Deus.* Et tamen dicimus: *Spiritus non est Deus.* Quid agemus? quo nos vertemus? Quid consilii capiemus? adfuit continuo spiritus mendax, et eis pro tempore utilissimum, ut putabant, contra spiritum veritatis consilium inspiravit. Itaque ajunt,locus iste explicari non potest:sed numquid deleri aut abradi non potest? Certe potest, atque in momento, (ut b.Ambrosius lib. 3.de Spiritu sancto auctor est) tria illa verba, *Spiritus est Deus,* non amplius in codicibus Arrianorum apparuerunt. Ita argumenta refellere haeretici didicerunt. Verum plus eis illa litura, quam littera illa nocuit. Antea siquidem dicere potuissent, non tam verbis illis affirmari Spiritum sanctum esse Deum Patrem non corpus sed spiritum esse. At vero nunc sibiipsis omnem defensionis viam atque aditum praeclusérunt. Vel enim de Patre ea verba dicta esse volunt, vel de Spiritu: Si de Patre eur ea sustuleruni?Num etiam hoc dicere audebunt Deum Patrem corpus non Spiritum esse? Si vero de Spiritu, ergo Spiritum sanctum ab ipso Domino Deum esse appellatum, sua illa litura confitentur. Intelligitisne quantus sit furor, quanta rabies haereticorum? Stomachantur cum Christo quod aliud loquatur, quam ipsi vellent: malentque textum evangelii, quam suas perversas opiniones mutare. Sic etiam hodie indignantur b. Iacobo Lutherani, quod tam aperte fidem sine operibus mortuam esse pronunciet: nec minus offenduntur, quod in libris Machabaeorum suffragia et oblationes pro defunctis laudari intelligunt.Irascuntur Domino Zuingliani et Calvinistae, quod cum ipsi dicant,Eucharistia non est corpus Domini, Dominus tam aperte dicat: *Hoc est corpus meum.* Et si possent, quam libenter putatis illum locum delerent vel depravarent, vel suum illud (*significat*) pro nostro (*est*) in Evangelium intruderent, quandoquidem eorum stultissimus quidam Carolstadius dicere ausus est coenam dominicam illis verbis constare; *Accipite et manducate.* Quod vero sequitur:*Hoc est corpus meum,*ad propositum non facere,O linguam praecidendam.

Date mihi veniam, auditores, ut quia huc oratio mea devoluta est, adhuc pauca quaedam de hoc eodem argumento dicam, ut intelligatis, non solos Arrianos scripturarum loca depravare consuevisse sed commune facinus hostium Christi, Judaeorum et haereticorum esse, ut hinc haereticos a Catholicis internoscere facile possitis. Nonne sanctus Justinus fortissimus et clarissimus martyr in dialogo, quem habuit cum Triphone,ipsa luce clarius ostendit: Hebraeos non unam, sed multas sententias ex veteri instrumento sustulisse, ne convenire cum Evangelio viderentur? Nonne beatissimus Martyr Irenaeus lib. 1, in Valentinum, capite vigesimo nono, Marcionem ostendit omnia loca ex Evangeliis, et epistolis apostolicis abrasisse, quae contra suam haeresim faciebant?Nonne etiam Tertullianus lib. quinto in Marcionem, spongiam Marcionis irridet, quae licet multa in divinis litteris delevisset, multa tamen adhuc imprudens reliquerat, unde Marcionis opinio refelli posset? Nonne magnus ille Dionysius Corinthius, ut est apud Eusebium lib. 4. historiarum Ecclesiasticarum: *Quid mirum,* inquit, *si dominica verba sanctae scripturae falsare conati sunt, qui vilia haec, quae nos scripsimus, corruperunt?* Nonne Cyrillus in utraque ad successum epistola de Nestorianis conqueritur, quod epistolam magni Athanasii ad Epictetum scriptam ita corruperunt, aliis detractis, aliis suppositis, ut jam nihil aliud quam haeresim Nestorianam sonaret? Nonne etiam in Sexta Synodo, Act. 9. ab ipsis Romanis pontificiis Legatis plane convicti sunt haeretici Monothelitae, multa loca, vel sustulisse vel corrupisse in libris sanctorum Patrum, Athanasii, Ambrosii atque Chrysostomi? Sed inauditum facinus audite Apollinaristarum. Cum aliquando temporibus Damasi Papae (ut Ruffinus in Apologia pro libris Origenis refert) Catholici cum Apollinaristis disputarent,nostriqu e hoc est catholici, pro se libellum quemdam magni Athanasii protulissent, eum librum haeretici sibi ad breve tempus concedi postulaverunt: tum ex eo primum, quod pro ipsis non faciebat, deleverunt: deinde illud ipsum pessimo calidissimoque excogitato consilio rescripserunt, ut vera illa catholicaque sententia, non ab Athanasio posita: sed a nostris supposita, et liber corruptus non ab haereticis sed Catholicis videretur. Quid, obsecro, magis impium, quid hac improbitate improbius?Quid hac vere satanica versutia callidius excogitari potest? O quale portentum. O quam horrendum monstrum est homo haereticus? O quam vere et sapienter magnus et apostolicus vir Polycarpus Marcioni occurrens ait.*Agnosco te primogenitum Satanae.* Quid de nostri temporis haereticis dicemus? Num meliores sunt, quam patres eorum? Num majorum suorum non expressam imaginem referunt? Quando de uno Luthero testantur ii, qui libros ejus diligentissime perlegerunt, in sola versione Testamenti novi amplius quam mille loca eum mutasse, praeterquam quod integros libros de scripturarum sanctarum Canone tot conciliorum, tot pontificum tot patrum, tanta totius ecclesiae consensione su-

scepto penitus rejecit. An non videtur vobis spongiam Marcionis mutuo accepisse? Neque una evangelii versione vel potius eversione contentus fuit novus iste patriarcha haereticorum, sed saepius cudit et recudit et semper aliud atque aliud evangelium, ut verum esse probaret, quod alio quodam loco ait, nempe non esse tantum quatuor Evangelia. Verum loquitur. Nam ipse plura quam septem brevi tempore edidit inter se maxime dissimilia evangelia, et jam plenus est mundus Evangelistarum. Omitto de Calvinistis et recentioribus haereticis dicere. Nam nec ego finem ullum invenirem, et plerique vestrum de hisce rebus usque ad nauseam, vel per se legerunt vel ex aliis cognoverunt. Quae cum ita sint, perspicuum est, id proprium esse haereticorum, ut non scripturas divinas suae fidei regulam, sed fidem suam scripturarum divinarum regulam esse velint: nec tam ipsorum dogmata cum verbo Dei consentiant, quam ut verbum Dei cum ipsorum impiis dogmatibus velit nolit consentiat, suis nefariis depravationibus, truncationibus et abrasionibus faciant: tametsi nihil magis, quam purum et sincerum Dei verbum mendacissime et arrogantissime habere se jactent. Verum, ut b. Ambrosius ait: *Illorum stipendium est quod dum ipsi delent de scripturis verba veritatis, delet eos veritas de libro summae et sempiternae felicitatis.* Sed jam, si placet, paulisper quiescamus.

PARS POSTERIOR

Emersisse jam e vadis ac scopulos praetervecta oratio nostra videtur. Quocirca mihi perjucundus et perfacilis reliquus cursus ostenditur. Haetenus enim de ipsa missione Spiritus sancti in universum disseruimus: nunc ad ipsam hodiernam missionem veniendum est et ad quem modum hodie Spiritus sanctus ad Apostolos venerit; et quae munera secum attulerit, paucis explicandum.

Quomodo igitur tandem Spiritus sanctus a Patre et Filio missus advenit? quibus signis se prodidit? qua specie se ostendit? Novo nimirum et inusitato more. Non enim in columna nubis vel ignis quemadmodum Hebraeos olim cum aegyptiacae servitutis jugo ereptos duce Moyse interdiu noctuque proficiscentes deduceret: non in columbae specie quae super Christum, cum Jordanis aquis a Joanne perfusus ac delibutus esset, apparuit, ut divinae gratiae in eo omnem exuperantiam designaret non in levi flatu, sive oris Spiritu, sicut paulo ante cum eosdem apostolos Dominus a mortuis excitatus afflaverat, isque in hominum animas jus omne potestatemque permiserat: non denique mortali aliquo aut psallente, sicut ad Elisaeum vatem aut concionante, quemadmodum ad Cornelium Centurionem: neque in silentio, sicut ad Virginem Deiparam venit: sed cum in superiori parte domus Apostoli, ubi eos vel Judaicae impietatis et crudelitatis furor ac rabies vel potius flagrans religionis ardor divinumque studium continebat, cuncti piis precationibus et supplicationibus toto pectore animoque incumberent, et promissum numen efflagitarent ac expectarent. *Factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis: et replevit totam domum ubi erant sedentes et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque super singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Nova et insolita species sed quae tacitam vim numinis indicet: neque minus emolumenti, quam admirationis adferat et stuporis. Etenim sonum adventu suo Spiritus sanctus edit, ut adversarios, superbosque perterreat atque percellat: linguas praefert, ut ignaros doceat atque instituat ignem imitatur, in quo splendor et calor invenitur ut obscuros illustret et frigidos calefaciat et accendat: terret potentia, erudit sapientia, amore inflammat, ut unus atque idem spiritus (quia una est cum Patre Filioque substantia) non modo quod ipsi, verum etiam quod illorum personis tribuitur, prae se ferat, et quatuor illa munera largiatur. Quatuor enim dona sunt, auditores, quibus apostoli potissimum indigebant, quaeque in eos benignitate Spiritus sancti hodie collata fuerunt, sapientia charitas, donum linguarum, gratia miraculorum. Quid enim eximium ille splendor ignis, nisi lucem sapientiae? Quid ille ejusdem ignis calor, nisi fervorem charitatis? Quid ipsae linguae nisi eloquentiam? Quid sonus vehemens, nisi tonitrua miraculorum per apostolos edendorum significabant?

At vero his omnibus donis et charismatibus ad suum munus recte obeundum indiguisse apostolos quis ignorat? Hodie siquidem apostoli praecones evangelii, et forma atque exemplar Christianorum oratorum constituebantur. Existat autem concionator aliquis, qui non fulgeat luce sapientiae, quid obsecro efficiet? Nonne caecus caecis ducatum praestabit, et tam ipse, quam ii, a quibus audiatur in foveam cadent? Existat deinde alius, qui luceat quidem, sed non ardeat, sapiens sed improbus, nonne quantum sapientia et verbis aedificabit, tantum vitio et moribus destruet? Ut illud omittam, quod qui spiritum ad fervorem non accepit numquam se periculis exponet, numquam vitia reprehendere audebit, numquam auditores suos accendet. Ignis enim et fervor charitatis, non eruditio et sapientia accendit. Porro existat tertius, qui Spiritum sapientiae et charitatis acceperit, sed lingua non valeat, neque oratione sensa animi sui exprimere possit, qui haereat, balbutiat, taedium gignat, risum moveat, non illum gratam indicem voluptatis, qui leporem et gratiam dicentis consequitur; sed illum infaustum et ab oratoribus fugiendum, quem imperitia atque infantia oratoris extorquet quid obsecro, iste umquam persuadebit? Non igitur sine sapientia charitate et dono orationis aliquis umquam absolutus concionator erit. Nam gratia miraculorum non omnibus, sed iis dumtaxat necessaria est, qui novam aliquam legem aut religionem persuadere conantur. Quemadmodum enim litterae pontificiae et regiae diligenter obsignantur, et certis quibusdam signis appensis muniuntur, et si obsignatae non essent, fidem non facerent: sic etiam fidei et religionis praedicatio obsignata esse debet sigillo prodigiorum. *Illi autem,* inquit b. Marcus *profecti ubique praedica-*

verunt, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus linguis. Quod si Germani, Bohemi, Angli, Galli intellexissent, numquam novis illis praedicatoribus fidem adhibuissent. Nonne enim magna stultitia fuit, novas litteras tamquam a Deo recipere, quae tamen consueto sigillo obsignatae non essent?Praesertim cum adhuc extarent veteres litterae novis istis plane contrariae, quas initio nascentis ecclesiae non nisi Dei sigillo diligenter perspecto receperant? Nam nos auditores, signa et prodigia edere non debemus, quippe qui non fidem ac religionem novam praedicamus, sed in veteri fide ac religione homines continere studemus, neque litteras novas, sed veteres, et eas veteribus signis communitas vobis adferimus. Illorum esset miracula facere, qui nova et inaudita nostris auribus inserunt: quod tamen nec adhuc fecerunt, nec in omnem aeternitatem facient. Nisi fortasse aliqua non vera, sed mendacia, et apparentia signa faciant, qualia futura Antichristi prodigia apostolus docet.Nec enim sigillo suo litteras non suas Deus obsignare, aut testis falsitatis et mendaciorum esse potest. Sed a proposito non recedamus.

Hodie igitur chorus ille b. apostolorum Spiritu sancto auctore, sapientia, charitate, nec non dono linguarum et gratia miraculorum ornatus fuit. Ac ut de singulis istis praeclaris muneribus paucissimis verbis disseramus, intelligere vultis auditores quam hodie sapientiam apostoli a Spiritu sancto didicerunt?Earum rerum scientiam consecuti sunt ad quam mens humana suis ac propriis viribus pervenire non potest. *Confiteor tibi Pater* Dominus ait) *quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Itaque apostoli scientiam salutis, cognitionem trinitatis, incarnationis, sacramentorum, fidei, spei et charitatis, ac caeterorum perfectissimam habuerunt. *Justum deduxit Dominus per vias rectas*, ait sapiens, *et ostendit illi regnum. Dei.* Nam philosophos quem Deus ad se deducebat, sed per vias quasdam obliquas ac longas: per ipsam videlicet rerum creatarum cognitionem. Hinc nimirum apostolus Paulus posteaquam de philosophis ait;*Quod notum est Dei manifestum est in illis Deus enim in illis manifestavit:* et ne forte crederemus eos raptos fuisse in tertium coelum et ibi audivisse arcana verba, continuo subjecit, et ait: *Invisibilia enim ipsius per ea, quae facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur.* Itaque doctores philosophorum coeli, et elementa fuerunt: *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annunciat firmamentum.* At apostolos ipse Spiritus veritatis per vias rectas et breves deduxit cum eis ipse per se,non per cognitionem rerum creatarum innotuit.

Rerum vero naturalium, non omnino constat,an apostoli periti fuerint, ac non fuisse multo credibilius est. Non enim ad eorum institutum illa sapientia faciebat. Nec enim a Spiritu sancto docebantur,ut in aliquo gymnasio physicam vel methaphysicam profiterentur. Quo igitur haec eorum institutio pertinebat? Quo ? *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum.* Apostoli dicebant; *Domine nescimus, quo vadis: et quomodo possumus viam scire?* Hoc igitur Spiritus sanctus docuit, nempe finem et medium quo sit eundum et per quam viam sit eundum.Quocirca beatissimus doctor Augustinus, cum aliquando cum Felice quodam Manichaeo disputaret,et a Felice audiret, propterea Manichaeum Spiritum sanctum videri, quod docuerit omnem veritatem, ac multa de fabrica mundi de diebus ac noctibus, de cursu Solis et Lunae in suis voluminibus reliquerit, respondet: Spiritum sanctum longe alias veritates docuisse: *nam christianos*,inquit,*facere volebat non mathematicos.*Vos manichaei cum Spiritum sanctum expectabatis, aliquem doctorem mathematicum expectabatis, sed toto coelo aberravistis. Nemini tamen dubium esse potest,si beatis apostolis cum sapientibus mundi disputare necesse fuisset, quin eis Spiritus sanctus adfuisset et argumenta optima et responsiones verissimas subministrasset. Nam de b. Antonio, qui sapientia non humana,sed divina, et plane Apostolica praeditus erat, magnus Athanasius scribit, ab eo summos etiam philosophos superatos et confutatos fuisse. Atque haec quidem de sapientia.

Porro linguarum varietatem apostoli a Spiritu sancto adepti sunt? sed non erant eae linguae politiores et ornatiores, quam aliorum hominum essent, graece loqui poterant, sed non copiosius quam Demosthenes: latine loqui poterant,sed non ornatius, quam Marcus Tullius. Media enim cum fine convenire debent. Qui erat, fidem ac legem Domini, non verborum apparatu,et copia, ac pondere et gravitate orationis; sed virtute spiritus, et signis ac prodigiis persuadere: ut ejus fidei ac legis homines quidem praecones et administri;Deus autem inspirator et doctor videretur.Itaque linguae apostolorum non politae, sed ignitae erant, ut jam in posterum homines ignei, linguis igneis, verba ignea et coelestia loquerentur.

At quanto tempore divinam istam sapientiam et eloquentiam didicerunt? In momento, auditores. Admirabilis doctor Spiritus sanctus est. Mox ut retigerit mentem, docuit: solumque tetigisse docuisse est. Felix, qui ad ejus gymnasium potest admitti. Ac ut rem istam apposita similitudine illustremus, quantum inter scriptionem et impressionem interest, tantum mihi interesse videtur inter eum modum quo nos discimus et eum,ad quem apostoli didicerunt. Quid interest inter eos, qui calamo scribunt et eos,qui praelo in litteris imprimendis utuntur? Hoc interest, quod ii, qui manu et calamo scribunt, sensim procedunt, ac primum litteram unam, deinde aliam,syllabam unam,deinde aliam, dictionem unam, deinde aliam formant ac saepe characteres inaequales, distorti, imperfecti, nec sine multis et magnis lituris fiunt. At hi, qui praelo utuntur,celerrime totum atque integrum solium characteribus replent, nec prius litteram unam, quam aliam; sed omnes simul in tabellam imprimunt, notasque perfectas, directas, aequales sine maculis et lituris informant. Pari ratione, auditores, nos cum philosophiam,cum eloquentiam, cum theologiam discimus, non praelo utimur; sed quasi calamo quodam in animis nostris scribimus.

Atque idcirco multis indigemus annis, hodie rem unam, cras alteram cognoscimus, et id non sine maculis et lituris. Nam cum una vera sententia multi errores falsaeque opiniones se miscent. At in mentibus apostolorum Spiritus sanctus quasi praelo quodam usus, incorruptam sapientiam, et eloquentiam in momento, sine ullis erroribus impressit. O admirabile; O plane divinum. O non imitabile magisterium s. Spiritus in puncto temporis doctores theologos et summos oratores facit. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine.* Vere *lingua* tua *calamus scribae velociter scribentis.*

Sed quid jam de gratia miraculorum et charitate dicemus? Acceperunt illi quidem signorum edendorum eximiam potestatem, ut magna, ut mirabilia, ut stupenda efficerent. Nonne beatissimus princeps apostolorum Petrus, ut de aliis taceamus, Ananiam et Saphiram unico verbo tamquam fulmine quodam percussos, prostravit ac sustulit? Nonne rursum Tabitham eadem facilitate ab inferis revocavit: Nonne ad solam umbram ipsius omnia morborum genera curabantur? Nihilominus tamen, auditores, non semper ea potestate uti pro suo arbitrio poterant. Sed tunc solum, cum eos Spiritus sanctus, ipsorum inhabitator, admonebat. Itaque apostolus Paulus, cum saepius virgis caederetur, non ipse sua vulnera miraculo repente curabat: sed ea lavari et curari ab aliis sinebat. Cumque Timotheum suum gravi et diuturno laborare morbo non ignoraret, non ei dicebat, esto sanus, sed humana remedia eum adhibere volebat. *Noli*, inquit, *adhuc aquam bibere: utere modico vino propter stomachum et frequentes tuas infirmitates.*

At divina charitas illa est, auditores, quam hodie prae caeteris donis abundantissime apostolica illa pectora receperunt. Et quidem charitatem filii erga patrem, sponsae erga Spiritum sanctum, sponsi erga sapientiam increatam, patris ac matris erga omnes proximos apostolica vox est: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et, *ii decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: per evangelium enim in Christo Jesu ego vos genui.* Ista praeterea charitas ita corda eorum roboraverat, ita metum omnem expulerat, ut qui antea fores claudebant, jam ne ora quidem claudere dignarentur propter metum Iudaeorum. Nam sicut lateres, quia terrei et lutei sunt, antequam coquantur, ut molles, teneri, infirmi, nullum impetum sustinere, levissimoque ictu frangi possunt: at postquam in fornace ad ignem admoti, ac diligenter excocti fuerint, ita duri ac firmi efficiuntur, ut ad eos frangendos ferrei mallei necessarii sint: ad eundem modum apostoli carnei, hoc est, lutea et mollia corda ante gerebant, ut ad unius verbi sonitum frangi possent, sed posteaquam Spiritus sanctus in eorum pectoribus vehementius spirans, maximum ignem divinae charitatis accendit, ita corda eorum obduravit, ita confirmata ac roborata sunt, ut qui ante ad unius ancillae vocem formidabant, nunc inter magistratuum ac tyrannorum minas, saevitiamque imperterriti, robur animi ac magnitudinem suam declararent. Qui etiam dum in custodias dantur, dum in vincula coniiciuntur, dum catenis onerantur, dum virgis caeduntur, dum exquisitis tormentorum generibus excruciantur, tunc maxime gaudent, laetantur, exultant, quod digni divinitus habeantur, qui pro Christi nomine contumeliis et poenis afficiantur, et qui antea cum perjurio Christum se nosse negabant, nunc pro eo in suppliciis gloriantur et cujus divini Spiritus igne succensi parum ducunt esse, quod Christi causa patiantur, et qui verbis nuper terrebantur, nunc tormentis et cruciatibus confirmantur atque corroborantur, et Christum Dominum non solum verbis, sed etiam moribus et mortibus confitentur et amoris magnitudine, contempta injuriarum multitudine et sanguinis profusione testantur.

Credere ergo, aut certe optare debeo, singulis, qui hic adsunt, datum esse Spiritum sapientiae: Spiritum vero fervoris tributum nobis omnibus ita velim, auditores, ut maxime necessarium hoc potissimum tempore, esse non dubito. Multi sunt in hac urbe sapientes, multi eloquentes; sed haud scio, an itidem illo charitatis igne sint succensi. Certe signa Spiritus sancti non modo audistis; sed prope etiam oculis vestris, cum de apostolis loqueremur, vidistis. Vera *charitas foras mittit timorem.* Ecce signum unum. Vera charitas in contumeliis et injuriis gloriatur, et semper parum judicat esse, quod patitur. Ecce alterum. Non addam plura, unusquisque in animum suum paulisper ingrediatur, et quasi manu quadam diligentis considerationis ignem istum exploret. Multi fortasse timent, ne comburantur, qui glaciem potius, quam ignem invenient. Vidistine fratrem tuum aliquando peccantem? Vidi. Eumne fraterna admonitione corripuisti? Non. Quamobrem? Ne illi displicerem, metuebam. *At perfecta charitas foras mittit timorem.* Quam saepe ad poenitentiae et eucharistiae sacramenta accedis? Semel aut iterum in anno. Et quam saepe comedis. Ter aut quater in die. Et animus tuus non comedet, nisi bis in anno? Quid si octavo quoque die ad mensam Dominicam accederes? O, ne hypocrita dicar ab hominibus, pertimesco. Eia miser, *perfecta charitas foras mittit timorem.* Quam saepe ad choreas, ad ludos, ad convivia, ubi ebrietates, et comes ebrietatis luxuria regnat, ubi quodammodo certo scis, te in Deum tuum graviter peccaturum: quoties, inquam, ad haec invitatus non ivisti, et ejusmodi munera fortiter recusasti? Quod sciam, numquam. Cur ita? Ne amicos meos offendam. Eia caece: ergo tu magis homines, quam Deum offendere reformidas? *At perfecta charitas foras mittit timorem.* Num aegros, inopes, afflictos invisere et consolari consuevisti? Non sane. Cur? Pudet me cum ejusmodi hominibus versari. *Perfecta charitas foras mittit timorem.*

Vera praeterea charitas in contumeliis et injuriis gloriatur, omnemque crucem libenter perfert, quam Deus nobis imponit. Tu vexaris fortasse morbis, ille uxorem habet difficilem, iracundam, morosam: pro admonitione convitium, pro beneficio injuriam accipis: alii, vel uxor, vel liberi moriuntur, vel ipse in carcerem truditur: in exilium mittitur, opibus spoliatur: fertisne aequo animo? Agitis gratias

Deo? Nihil minus. Ergo Spiritum ad fervorem, mihi credite, non accepistis. O quam rara est haec avis in terris? Quam multos videmus hodie, qui crucem, quam sibi imponunt, libenter ferunt, eam vero crucem ferre non possunt quam eis Christus imponit. Jejunant, orant, vigilant, peregrinantur, eleemosynasque largiuntur, et tamen si Domini imperio atque voluntate morbo aliquo gravius afflictentur, ferre non possunt, conqueruntur, indignantur. Nonnulli etiam verberibus seipsos caedunt, qui ne verbum quidem unum ab aliis ferre poterunt. Quid? Nonne hoc genus quoddam extremae dementiae est? Te ipsum judicem hujus rei constituo. Cum aegrotas, pharmacumne sumis quantum tibi videtur, an quantum medico tuo videtur? Certe non quantum tibi, sed quantum medico tuo videtur. Tu enim etiamsi artem medendi didicisses, vel nimio salutis desiderio nimium pharmaci sumeres, vel nimio tui amore nimis parum acciperes. At medicus tuus pro sua prudentia ad aegritudinem tuam pharmacum accommodabit. Sic etiam in cruce pro animae salute deligenda saepius homines, vel nimia severitate vel nimia indulgentia peccant: Deus vero, qui intime nos et naturam nostram, et morbos nostros et vires nostras, hoc est, figmentum nostrum agnoscit, eam semper crucem nobis imponit, quae humeris nostris convenit: neque *tentari* nos sinit *supra id quod* possumus: quin *etiam* facit *eum tentatione proventum, ut* possimus *sustinere.*

Quae cum ita sint, auditores, tunc nos Spiritum sanctum accepisse monstrabimus, et eum nobis retinere poterimus, cum id omne libentissime perferemus, quod Deo, et patri et medico animorum nostrorum videbitur, Deus enim, quos diligit, corripit: *castigat autem omnem filium, quem recipit.* Ac ut ille se patrem ostendit, cum corripit: ita nos filios esse, cum correptionem libenter suscipimus demonstramus. Atque id usque adeo verum est, auditores, Deum quos diligit corripere, et omnem filium, quem recipit, castigare, ut etiam filium illum naturalem atque unigenitum, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, castigare voluerit. Quia vero is carnem, in qua pati possit, non habebat, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Illud postremo numquam obliviscamur auditores, quanto crucem graviorem et majorem propter Deum ferimus, tanto nos Deo gratiores et viciniores esse: viamque tanto latiorem et commodiorem ad coelum, atque ad aeternam felicitatem habere, ad quam nos perducat, qui sine fine vivit et regnat. Amen.

CONCIO XXXVII.

DE DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN

QUAE EST DOMINICA INFRA OCTAVAM

CORPORIS CHRISTI

DE VENERABILI SACRAMENTO EUCHARISTIAE

THEMA

Homo quidam fecit coenam magnam. *Luc.* 14.

SYNOPSIS

Praelibata ss. Eucharistiae dignitate et praeeminentia, eam vere esse coenam magnam contra haereticos nostri temporis, defenditur: et veritas corporis Christi in eadem tribus potissimum argumentis astruitur. Quia illius institutio erat lex, erat testamentum, erat munus, quae singula non admittunt figuratam locutionem. Eadem veritas ss. Patrum auctoritatibus in medium adductis, et firmis inde rationibus erutis, demonstratur, ut Irenaei, Hilarii, Cyrilli, Epiphanii, Augustini. Quanto praeterea cultu veteres patres ss. eucharistiam sint prosecuti, in perceptione, adoratione, invocatione, aspectu et sermone, ostenditur. Tandem per brevem enumerationem priorum argumento a minore ad majus veritas et praestantia eucharistiae probatur.

Parte secunda detegitur astutia haereticorum, testimonia patrum, auctoritates novem conciliorum, et miraculorum experientiam, de hac veritate ss. Eucharistiae, evertere nitentium. Argumenta deinde a sanctitate patrum eucharistiam colentium afferuntur; et quomodo a miraculis argumentari liceat, ostenditur. Repraesentatur actio eucharistica, quasi in judicio extremo agatur, quid nos, quid haeretici excusationis sint allaturi. Sumpta occasione ex evangelii textu, superbia avaritia, curiositas et libido, potissimae haeresium causae statuuntur: ubi etiam de avaris et ambitiosis jucunda canum venaticorum immiscetur similitudo. Insuper explicatur, quam multos sensualitas praecipitet, quam multos voluptas, et falsa libertas in haeresi detineat, qui omnes olim a coena Agni excludentur probe illusi. Exponitur quoque, quinam sint illi pauperes, caeci, debiles, claudi, coena digni habiti. Tandem ad frequentem eucharistiae sumptionem, quae vera ejus est veneratio, serio invitamur.

Multa, et varia sunt, auditores optimi, privilegia singularia, praeclaraque ornamenta, quibus Ecclesia Catholica, mater nostra, se Dei munere condecoratam, et Iudaeorum synagogae quasi testimonio quodam clarissimo atque illustrissimo antepositam merito jureque optimo gloriatur. Sed nihil est, in quo ita splendeant singulares honores Ecclesiae, ut illud augustissimum et verè maximum corporis et sanguinis Domini Sacramentum. Quid enim habent omnia sacramenta, omnes caeremoniae, omnia sacrificia Iudaeorum, si cum hoc uno christianorum et Sacramento simul et sacrificio comparentur; Quid oves et boves, quid arietes et tauri sunt, si cum ipsa divini Verbi carne integerrima et sanctissima conferantur? Quis non videt, quantum intersit inter manna veteris synagogae, et hunc coelestem cibum ecclesiae? Inter aquam de petra fluentem et illum gloriosum sanguinem de Christi latere promanantem? Neque vero solum antiquae legis ritibus et ceremoniis: sed etiam omnibus evangelicis sacramentis et dignitatis pondere et utilitatis ubertate, hoc unum, de quo loquimur, Sacramentum divinissimum antecellit. Id enim, quod est illis beatis, ac prope divinis mentibus ordo seraphicus, in globis coelestibus coelum empyreum, in stellis ac sideribus Sol, ignis in elementis, homo in animantibus, pinus in arbo-

ribus, aurum in metallis, in virtutibus charitas, et in artibus et disciplinis theologia, id est in ecclesiasticis sacramentis, et omnibus privilegiis ac praerogativis Ecclesiae summum ac divinissimum eucharistiae sacramentum. Quocirca mater Ecclesia tantis ac tam singularibus cumulata, et honestata muneribus, merito et ipsa laetatur, et filios suos ad spiritualem animorum letitiam, hisce potissimum diebus, hujus jus tanti sacramenti institutioni consecratis, accendit.

Unum est, quod communem istam laetitiam vehementer impedire et bonis omnibus non mediocrem moerorem ac tristitiam adferre videtur, furor videlicet insanus atque effrenata rabies haereticorum, qui ore nefario ac sacrilego Domini corpus eucharistiae sacramento non contineri, sed dumtaxat significari contendunt.

Verum eis mater nostra Ecclesia Catholica evangelium hodiernum sapienter opponit, et ad eorum phrenesim curandam, quasi medicamentum quoddam plenissimum adfert: *Homo quidam*, inquit, *fecit coenam magnam, et vocavit multos.* Etenim quid aliud coena ista magna, quam corporis et sanguinis Domini sacramentum designat? Nam si ciborum abundantiam, et copiam quaeris, ita magna est, ut cum toto orbe terrarum eadem celebretur, et jam tot saeculis tot hominum millia satiaverit, adhuc tamen mensae plenissimae ac refertissimae sint. Si vero ciborum eorumdem nobilitatem atque excellentiam spectes, dapes sunt Angelorum, omnem saporis suavitatem omneque delectamentum in se habentes. Sed exorti sunt infaustis auspiciis quidam filii tenebrarum, qui coenae hujus magnitudinem extenuare et splendorem obscurare totis viribus suis conantur. Et quid tandem illi ajunt? Quomodo, inquiunt, frustrum panis coenam magnam appellatis? Certe si ab aliquo ad coenam invitemini, et nihil ab eo, nisi modicum panis accipiatis, eam non modo cum panis accipiatis, eam non modo non coenam magnam, sed nec coenam quidem nominandam censebitis. Sic isti tamquam vere phrenetici contra medicum suum insaniunt: et quasi venenum quoddam pestiferum, saluberrimum medicamentum evomunt. Non vocat mihi, auditores, hoc tempore argumentum hoc accurate tractare, nostra tueri, aliena refellere, ac demum pro dignitate de tam sublimi mysterio disputare, dabitur alias fortasse melior opportunitas. Nunc vero, cum longiorem orationem temporis angustiae minime pariantur, hoc ero contentus uno, si paucis, sed apertis et invictis rationibus ostendere potuero, eucharistiae sacramentum optimo jure coenam magnam ab ecclesia nominari.

Primum igitur habemus sententiam illam expressi verbi Dei apud Matthaeum, Marcum et Lucam: *Accipite*: *Hoc est corpus meum.* Cur vero non pudet expressi verbi Dei praedicatores ab expresso verbo Dei ad nescio quas metaphoras et metonymias descendere? Perpendite, quaeso vos auditores, vim hujus rationis. Certe leges ac decreta perspicue, proprie, simpliciter, non figurate, non perplexe efferri debent. Alioquin enim nemo esset, quem non ignorantia excusaret, omnes enim, qui contra legem facerent, dicere possent, Verba legis non intelligebam: aperte loquatur legislator, si legem suam violari non vult. Jam vero quis unquam Christianus dubitavit, cum Dominus Sacramentum instituit, simul etiam praecepisse, legemque tulisse, ut idem sacramentum in Ecclesia sacerdotibus conficeretur? *Hoc facite*, ait, *in meam commemorationem.* Cum igitur haec Domini verba legem contineant, obscura profecto ac figurata esse non debent, nisi Dominum onium legislatorum insipientissimum facere velimus, quod non solum dicere, sed vel cogitare blasphemum ac sarilegum est.

Deinde, Testamenta nonne etiam propriis ac usitatis vocabulis constare debent? Nisi enim, vel qui Testamentum facit, insanus est, vel inter filios suos discordias ac seditiones exoriri post obitum suum desiderat, semper qui testatur apertissimis et maxime propriis verbis loqui consuevit: metaphorae, ac metonymiae in testamentis locum habere non possunt. Cum testator ait, meam Joanni filio meo relinquo, quis unquam intelliget non veram, sed pictam Domum Testamento esse relictam? Quare cum hujus sacramenti institutio non solum quaedam, sed etiam Testamentum Domini fuerit, ipse ait: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: certe nullo modo figurata oratione pronuncianda erat. Nec enim Dominus, aut insanus erat, aut in ecclesia sua dissensiones ac tumultus esse volebat: quin potius ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et rursum: *Habete sal in vobis et pacem habeto inter vos.*

Praeterea quaero a vobis, auditores si princeps aliquis centum coronatos auros alicui vestrum se daturum polliceretur, ac deinde in pulchra tabella eos depictos mitteret, quid vobis de ista liberalitate videretur? Et si forte, qui pictos aureos pro veris accepit, de principe suo conquereretur, eique princeps diceret. Non mireris: nam coronati, quos accepisti per quamdam metonymiam veri coronati dici possunt. Quis non eum, qui munus accepit, et re et verbis ab eo principe derideri existimaret? Ad eumdem modum carnem suam in cibus se daturum Christum pollicitus: *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quaero igitur, cum sacramentum instituit, quidnam dedit? Panem an carnem? Dices fortasse: Dedit quidem panem, sed qui per figuram quamdam caro dici potest. Praeclarum vero munus. Ergo Dominus nos deridere ac decipere voluit, cum tamen sicut ipse decipi non potest, quia sapientia est, ita nec decipere possit, quia veritas, justitia et bonitas est? Dedit igitur, quod promisit: nec frustum panis, sed coenam vere magnam et epulis exquisitissimis instructam nobis exhibuit.

Ad alterum argumentum veniamus. Quia vero hostes Christi ita vetustate delectantur, ut nullius auctoritatem admittant, qui ante mille annos non floruerit, ab illis vetustissimis patribus unum argumentum vel alterum petemus. Omitto enim singulorum testimonium percensere. Ea enim, quamquam apertissima sint, tamen miris modis in varios sensus ac haereticis torqueri solent. Afferam

igitur argumenta quaedam, quae torqueri in alium sensum nullo modo possunt.

Initio igitur usque adeo primis illis temporibus tam apud catholicos, quam apud haereticos compertum atque exploratum erat, verum ac naturale Domini corpus in Eucharistia contineri, ut nonnulli ex optimis et sanctissimis patribus hoc uno catholico dogmate, tamquam certo quodam principio, vel ad aliqua dogmata illustranda vel ad varias haereses refellendas uterentur. Quod dum vobis expono quaeso diligenter, ut facere soletis, attendite.

Scriptor vetustissimus martyrque beatissimus Irenaeus cap. 4. lib. 4. in Valentinum, demonstraturus Christum illius Dei Filium esse, qui mundum condidisset, atque adeo ipsum Christum, tamquam Verbum Patris, mundi opificem atque architectum fuisse, quod Valentinus aperte negavit, hoc argumento usus est. Si Christus rerum auctor ac parens non est, certe eas commutare ac vertere in alias naturas non potest; Valentiniani autem fatentur panem in carnem a Christo converti: quomodo igitur negant eum mundi conditorem fuisse? Verba vero ejus haec sunt: *Quomodo autem*, inquit, *constabit eis, eum panem, in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, idest, verbum ejus, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, dat primum quidem foenum, deinde spicam, deinde plenum triticum in spica?* Percipiant vim argumenti, et tum respondeant Calvinistae, si possunt. Nam si eucharistia nihil aliud, quam panis esset, nec ulla fieret vi consecrationis transmutatio, nullas omnino vires b. Irenaei argumentum haberet. Quid? quod ex eodem capite alteram Valentini haeresim expugnat? Summa rationis hujus est. Ideo corpora nostra gloriosae immortalitatis capacia esse, quia cum glorioso et immortali Christi corpore conjunguntur. Id quod b. Cyrillus libro decimo in Joannem paulo apertius his verbis asseruit: *Non poterat*, inquit, *aliter corruptibilis haec natura ad corruptam traduci, nisi naturalis vitae corpus cum ea conjungeretur.* Ponamus jam, auditores nihil aliud esse eucharistiam, quam panem, quid omnes istae rationes efficiunt? Plane nihil. Panis enim non minus corruptibilis est, quam corpora nostra sunt. Illustrat vero rem totam sanctus Irenaeus elegantissima similitudine. *Quemadmodum*, inquit, *panis post consecrationem eucharistia est, constans duabus rebus, terrena et coelesti.* (Nam accidentia panis terrrena et corruptibilia sunt; Christi corpus coeleste est et immortale) *Sic etiam corpora nostra, percepta eucharistia, quia unum cum Christo corpus efficiuntur, partim terrena, partim coelestia sunt: et re quidem corruptibilia, spe autem incorruptibilia.*

Jam vero b. Hilarius libro octavo de Trinitate, et beatus Cyrillus in Ioannem decimo, et undecimo, cum adversus haeresim Arrianorum demonstrare vellent, Deum Patrem et Deum Filium non sola consensione voluptatum, (ut Arriani dicebant) sed naturali conjunctione, ac nexu copulari, ab eucharistia argumentum accipiunt. Ac beatus Hilarius quidem ita loquitur; *Eos nunc, qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo: Utrumne per naturae veritatem hodie Christum in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est? Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget potius naturaliter, vel se in Christo vel Christum sibi inesse.* Ac ne forte aliquis Berengarius non naturaliter, nec vere nec corporaliter Christum nobis per eucharistiae sumptionem conjungi diceret, addidit beatissimus doctor, et ait: *De naturali enim in nobis Christi veritate, quae dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et nostra vere caro est et vere sanguis est, et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne*, inquit, *hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant.* Haec Hilarius. Beatus vero Cyrillus his verbis illud ipsum demonstrare contendit: *Non negamus*, inquit, *recta nos fide charitateque sincera Christo spiritualiter conjungi: sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis scripturis omnino alienum dicimus. Ac fortasse putat ignotam nobis mysticae benedictionis virtutem esse? Quae cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cum enim membra fidelium membra Christi sunt? Membra igitur Christi faciam membra meretricis?* Quoniam, inquit b. Hilarius et Cyrillus, Christi corpus naturaliter et vere cum corpore nostro conjungitur, et nos unum cum Christo non conversione, sed conjunctione naturarum efficimur, quid dicere audebit, Deum Patrem et Deum Filium non naturaliter, sed sola voluntatum concordia unum esse? Et quid obsecro auditores, hae rationes valerent, si aliquid sententia adversariorum valeret.

Porro d. Epiphanius in eo libro, quem Ancoratum inscripsit, de imagine Dei, quae est in homine, verba faciens atque ostendere volens, vere in nobis esse imaginem Dei, tametsi nulla ex parte Deo similes esse videamur, ab eucharistia argumentum sumit. Credimus enim constanti atque integra fide, verum Christi corpus in eucharistia contineri: et tamen nulla esse similitudo videtur inter Christum et eam formam, quam in altari corporeis oculis cernimus: verba vero ejus haec sunt: *Et quot sunt*, inquit, *quae similia sunt? Videmus enim, quod Salvator accepit in manus suas veluti Evangelista habet, qui surrexit a coena et accepit haec* (nimirum panem) *et cum gratias egisset, dixit: Hoc corpus meum est, hoc, et hoc. Et videmus, quod non aequale*

est neque simile, non imagini in carne, non invisibili deitati, non lineamentis membrorum: hoc enim, nempe quod extrinsecus in sacramento videmus, *et rotundae figurae, et insensibile, quantum ad potentiam, et voluit per gratiam dicere, hoc meum est, hoc, et hoc, et nemo non fidem habet sermoni*, praeter Zuinglianos videlicet et Calvinistas! Sed audiant ipsi quod sequitur. *Qui enim*, inquit, *non credit esse ipsum verum, sicut dixit is, coecidit a gratia et salute.* Quantam integritatem, quantam sinceritatem spirant haec verba vere sancti et admirabilis Patris?

Sed postremo loco argumentum etiam unum aut alterum petamus a beatissimo et eruditissimo pontifice August. Is enim c. 10 lib. 3. de Trinitate, explicaturus ad quem modum angeli in quibusdam corporis formis appareant, licet nos, quemadmodum eae formae ab angelis fiant, ignoremus: *Illas etiam nubes*, inquit, *vel ignes quomodo fuerunt vel assumpserunt Angeli? Quis novit hominum? Sicut infantes non noverunt, quod in altari ponitur ut peracta pietatis celebratione consumitur, unde vel quomodo conficiatur unde in usum religionis assumatur: etsi numquam discant, experimento vel suo vel aliorum, et numquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationes sacramentorum, cum offertur et datur, dicaturque illis auctoritate gravissima, cujus corpus et sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium; et de latere tali percusso liquorem illum omnino fluxisse.* Perpendite, quaeso, similitudinem istam. Licet, inquit, ignoremus, ad quem modum nubes illae vel ignes fiant, in quibus angeli hominibus apparere soliti sunt, illud tamen comperto habemus, vere angelos in formis illis apparuisse: sicut illi qui numquam didicerunt experimento suo vel aliorum, quid illud sit, quod ponitur in altari: et tamen firmissime credunt in illa specie vere esse Dominum, qui oculis apparuit mortalium, et de latere ejus percusso illum omnino fluxisse liquorem. Cur enim id non crederent, cum auctoritate gravissima sanctarum scripturarum admoneantur? Quamobrem, auditores, omnino perspicuum esse arbitror, apud veteres patres, ad quos tamen haeretici nostri temporis appellare nequaquam verentur, usque adeo firmum ac ratum catholicorum dogma de eucharistiae sacramento fuisse, ut ex eo res dubias explicare, obscuras illustrare, errores refellere veritatem statuere atque asserere minime dubitarent.

Sed quid de veneratione et cultu, quo tantum sacramentum primi illi patres prosequebantur, dicemus? Equidem, auditores, ego sic statuo, neminem prorsus de fide illorum sanctissimorum patrum dubitare posse, qui diligenter considerare voluerit quo honore illi hoc sacramentum colerent. Primum enim non nisi jejuni illud percipere audebant. *Placuit*, (inquit b. Augustinus ad Ianuarium) *Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti os Christiani prius dominicum corpus intraret quam exteri cibi.* Id quod etiam Tertullianus libro secundo ad uxorem affirmat. Deinde summa diligentia providebant, ne aliquid eucharistiae in terram caderet. Origenes enim Homilia 13 in Exodum ait: *Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat.* Ut omittam illud, quod olim in aureis pretiosis vasculis panem istud coelestem recondebant, ut ex sexta synodo cognosci potest. Hinc videlicet b. Victor Uticensis libro primo wandalicae persecutionis, tamquam immane facinus Arrianorum refert, quod illi eucharistiam a Catholicis consecratam in terram abjecerunt, pollutisque pedibus calcaverunt. Beatus vero Optatus Milevitanus libro altero contra Donatistas, conqueritur de episcopis Donatistarum, quod tantum sacramentum canibus porrigere non sint veriti: sed continuo canes rabie accensi, auctores tanti sceleris lacerasse affirmat. Quid? Quod hoc sacramentum, tamquam in quo Deus ipse admirabili ratione et modo vere delitesceret, adorare non dubitabant? Audite enim quid b. Ambrosius capite duodecimo libri tertii de Spiritu santo dicat: *Videamus*, inquit, *ne terram illam adorandam dicat prophetа, quam Dominus Jesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt.* Beatus quoque Augustinus in Psalmum 38 scribens ait: *Quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccamus adorando sed peccamus non adorando.* Atque usque adeo id verum est, auditores, ut ethnici propter istam eucharistiae adorationem Cererem et Bacchum a christianis coli existimarent, ut b. Augustinus contra Faustum libro vigesimo auctor est: neque solum veteres illi patres Christum in eucharistia adorabant; sed etiam certis verbis invocabant. Magnus enim Basilius libro de Spiritu sancto: *Invocationis*, inquit, *verba cum ostenditur panis eucharistiae, et populum benedictionis, quis sanctorum in scripto vobis reliquit?* Agit in eo loco de traditionibus, et hanc Christi invocationem in Eucharistia non scriptis, sed traditione contineri demonstrat. Neque vero contenti sancti illi patres fuerunt, quod ipsi tam eximium cultum ac venerationem Christo in eucharistia existenti exhiberent: sed etiam aliquid ad hoc addere cupientes, constituerunt, ut catechumeni tanta mysteria ne cernere quidem permitterentur. *Non initiatis* (inquit magnus Basilius loco paulo ante notato, de sacramento Eucharistiae verba faciens) *nec intueri fas est.* Id quod et beatus Augustinus et alii patres non semel affirmant. Sed quod omnem excellentiam ac dignitatem mihi superare videtur, illud est, quod sicut olim Hebraei Dei nomen Tetragrammaton pronunciare non audebant, ita etiam tanta veneratione hoc divinissimum sacramentum optimi illi patres prosequeban-

tur, ut de eo vix loqui apertius auderent Hinc videlicet b. Augustinus frequenter illud repetit: *Norunt fideles.* Et b. Chrysost. *Novistis vos qui estis inviliati.*

Quae cum ita sint, nonne Solis luce clarius est, haereticos nostri temporis indensissimis ignorantiae tenebris versari? Nam si ponamus, nihil aliud quam triticeum panem eucharistiam esse, unde ei tantus cultus tantaque veneratio debetur? Certe aqua baptismi majori honore digna, quam eucharistiae sacramentum esset. Nam si panis eucharistiae Christi corpus significat, et aqua baptismi spiritum sanctum, qui sine comparatione Christi corpore major est, designat. At quis unquam audivit aquam baptismi aureis vasculis inclusam aut adoratam aut invocatam fuisse? Quis unquam audivit eos homines reos fuisse, quorum culpa aqua baptismi periisset? alioquin enim magno scelere tenerentur astricti sancti illi, qui interdum in fluminibus baptizabant. Quis unquam audivit prohibitos esse catechumenos, ne baptismi aquam conspicerent? Quis unquam audivit sanctos patres non fuisse ausos de baptismi aqua apertius loqui? Aliud igitur, quam aqua baptismi eucharistia est: vere coena magna et plane divina est. Vere caeci et duces caecorum haeretici sunt. Eos igitur relinquentes ecclesiae fidem, patrum consensionem, verborum Christi veram intelligentiam amplectamur, tueamur, conservemus, retineamus.

PARS POSTERIOR

Haeretici nostri temporis vulpeculis illis mihi significari videntur, de quibus in Canticorum canticis dicitur: *capite nobis vulpes parvulas quae demoliuntur vineas.* Audite enim callidissimum istarum vulpecularum consilium. Cum intelligerent, haeresim istam de augustissimo sacramento post annum millesimum a servatoris adventu auctore Berengario exortam esse, ac post illud tempus, et patres et concilia non solum aperte et perspicue, sed etiam ex proposito adversus eam haeresim decreta et libros composuisse, suspicati sunt antiquiores patres nihil de hac re, nisi obscure et involute scripsisse: quippe quae eorum temporibus nondum in controversiam vocarentur. Itaque communi sententia decreverunt eos omnes sanctos patres, qui ante annum millesimum non extiterunt quique adversus hanc haeresim scripserunt neque vere sanctos esse neque ad veram ecclesiam pertinere. Eos vero, qui primis quingentis annis floruerunt, ad veram ecclesiam pertinere: sed nihil aperte scriptum de sacramento eucharistiae posteritati reliquisse. Verum in utroque turpissime lapsi sunt. Nam ut vetustissimos illos patres ita aperte locutos esse ostendimus, ut apertius non potuerint: sic nunc posteriores, ut b. Anselmum, b. Bernardum, b. Malachiam, b. Dominicum, b. Franciscum, b. Bonaventuram, b. Thomam et alios quam plurimos adhuc recentiores, quos haeretici nostros esse et nobiscum sentire de hoc sacramento eucharistiae confitentur, ad veram ecclesiam pertinere breviter ostendemus. Omitto enim novem concilia hoc tempore celebrata, in quibus haec veritas perspicuis verbis, vel statuitur vel asseritur: nempe Tridentinum sub Julio, Florentinum sub Eugenio, Constantiense sub Martino, Lateranense sub Innocentio, item Lateranense sub Gregorio, atque aliud sub Nicolao, nec non Turonense sub Victore, Vercellense sub Leone et Nycenum secundum sub Adriano. Nam extremae dementiae est, putare, tantum numerum sanctorum pontificum, qui hisce conciliis interfuerunt in re tanti momenti dormivisse: et plus unum Berengarium, unum Wiclephum, unum Zuinglium quam tot ecclesiae lumina vidisse. Nihil dico, quam sit absurdum, credere, Ecclesiam Christi tot saeculis, vel in solis sacramentariis, paucis et turbulentis hominibus, delituisse: vel ab obitu Berengarii usque ad ortum Wiclephi totis trecentis annis, aut nusquam fuisse, aut occultam, et tenebris plusquam cimmeriis ita obrutam, ut si quis aliquem ad eam deferri, juxta Domini praeceptum vellet, is lucernam accendere ad eam pervestigandam deberet. Taceo, quod ipse diabolus, hostis humani generis atrocissimus, aperte cum Luthero, suo per Germaniam pene universam vicario, disputans, ut ipse quodam loco testatur, ei persuadere hanc haeresim conatus est. Et quis dubitare potest, diabolum patrem mendacii, nihil aliud persuadere quam mendacium voluisse? Nam et b. Episcopus Fulbertus, cum diem extremum ageret, sic diabolum cernere affirmabat, qui tenui flatu homines ad Berengarium impellebat. Praetermitto signa et prodigia, ac visiones innumeras, quibus Deus hoc nostrum catholicum dogma confirmavit, quae ex b. Cypriano, Chrysostomo, Optato, Bernardo, et aliis viris summa fide et religione praeditis adducere possemus, si angustiis temporis non premeremur.

Haec omnia, et alia permulta, quae mihi magno adjumento esse possent, facile patior sileri: hoc solum teneo, hic haereo, hoc sum contentus uno: Si vere Christi corpus in sacramento eucharistiae non continetur, ergo beatus Anselmus, b. Bernardus, Dominicus, Franciscus, aliique quam plurimi, idololatrae. Deoque invisi fuerunt: nam eos nobiscum sensisse etiam adversarii nostri confitentur. At si idololatrae erant, quomodo signis et prodigiis vivi mortuique claruerunt? Nisi enim omnes historias negare velimus, multa et magna fuerunt beati Anselmi miracula, et plura et majora b. Bernardi, plane singularia Malachiae Hibernorum episcopi, maxima b. Dominici, innumera b. Francisci. Quin etiam hisce temporibus, pene nostra memoria, alius quidam b. Franciscus, auctor ordinis Minimorum, tot ac tantis miraculis coruscavit, ut plane admirabile sit: et tamen isti omnes romano pontifici semper paruerunt, ab ecclesia catholica numquam recesserunt, Christum in eucharistia summa religione adoraverunt, ac demum sententiam nostram, vel libris vel sermonibus vel operibus confirmaverunt. Deinde miracula, quae per istos servos suos Deus effecit, hujusmodi sunt, ut nec diaboli nec angelorum, sed solius opera Dei fieri possint: qualia sunt, sensuum restitutiones, et mortuorum ab inferiis excitationes. Et quam-

quam cum fides vera confirmanda est, et per probos et per improbos signa et prodigia fieri possint tamen cum non fides in dubium vocatur, sed Deus servum aliquem suum illustrare ac celebrare vult tunc non nisi per probos et Dei amicos edi miracula possunt. Deus enim testis falsitatis et mendaciorum esse nullo modo potest. Iam vero, neque b. Malachias cum mortuum quemdam ab inferis revocavit, ut b. Bernardus auctor est, Domini fidem miraculo non necessario confirmare voluit: et cum ad implorationem b. Francisci, ut beatus Bonaventura scribit, non unus, sed plures mortui resuscitarentur, quis dubitare potest, quin ea miracula ad gloriam tanti viri hominibus demonstrandam fierent? Quae cum ita sint, quis non obstupeat patres nostros idololatras esse, et signis et prodigiis coruscare? Hostes vero nostros et evangelistas esse, et nec unam muscam in vitam restituere unquam potuisse? Atque idololatras quidem nostros honores contempsisse, divitias conculcasse, impetum repressisse, omnibus injurias condonasse, et vitam in terris angelorum duxisse: Apostolos vero istos novos honorum cupidissimos, orbem terrarum suis tumultibus conturbare, divina atque humana jura frangere, carnis libidines non compescere, sed explere, et doemonum potius, quam hominum vitam ducere?

Intelligere vultis, quam nos justam et bonam causam habeamus, auditores? Proponite vobis extremi judicii diem, et quod nos de Eucharistiae sacramento credidimus, falsum omnino atque absurdum (quod tamen fieri non potest) fuisse: cum Dominus quaeret a nobis: Cur vos ita de meo sacramento credidistis? Cur hostiam illam adorastis? Nonne secure dicemus: Imo Domine Deus, si error est, tu nos decepisti. Primum enim verbum tuum audieramus *Hoc est corpus meum*. Numquid tibi de te fidem praestare non debebamus? Deinde ejusmodi signis ac prodigiis id saepius confirmatum est, quae nisi a te numquam fieri potuissent. Adhaec audiebamus daemonem contendere totis viribus, ut hoc, quod credidimus, non crederemus, et quid aliud patrem mendacii, quam mendacium persuadere velle credere poteramus? Postremo videbamus consensionem ecclesiae tuae majorumque nostrorum vestigia sequebamur, ac eorum praesertim, qui singulari dono gratiae tuae, tum signis ac prodigiis, tum vitae ac morum sanctimonia, quasi clarissima quaedam lumina enitebant. Quare si error est, tu nos, Domine, decepisti. Haec nos tuto sine dubio diceremus. Quia vero falsum esse non potest, quod tam aperte a veritatis ore processit, illud potius videamus, quid responsuri sint Calvinistae, cum eis Dominus in formidabili illo judicio dicet: Et quidnam vos, genimina prava atque perversa, impulit, ut ex ovili meo ad luporum coetus et caveas fugeretis? Respondebunt fortasse: Nos Calvinus decepit. At Dominus: Et quid in Calvino videbatis, propter quod antiquam fidem deserere, et novam tam facile recipere vobis liberet? Quibus miraculis ille sua dogmata comprobavit? Ad quem modum se vere apostolum meum esse vobis ostendit? Numquid apostolus meus vobis non dixerat: etiam *Angelus de coelo evangelizaverit vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*? Si angelo de coelo contra fidem jam receptam credere non debebatis, quanto minus impuris quibusdam et seditiosis hominibus? At Domine Deus, corrupti mores antistitum ecclesiae tuae nos de ea egredi compulerunt. Et quales sunt haereticorum mores? An non praeterea de malis pastoribus vos monueram; Quae dicunt facite: quae faciunt facere nolite? Itaque obmutescent, nescientes omnino quia dicant. Causae siquidem, quae illos in haeresim istam praecipitarunt, tres omnino ac quatuor sunt. Sed eas in judicio, vel quia non licebit vel quia illos pudebit, nullo modo commemorabunt.

Quae vero istae causae sint, jam ex evangelio discere potuistis. *Homo quidam* (inquit Dominus) *fecit coenam magnam, et vocavit multos. Illi autem coeperunt omnes simul excusare. Primus dixit: Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam: rogo te, habe me excusatum. Alter dixit; Juga boum emi quinque, et eo probare illa rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Nam et b. Augustinus et Gregorius docent, qui villam emit, aut superbus aut avarus est. Qui juga boum emit, curiosus est. Qui duxit uxorem, voluptuarius est. Ille siquidem, qui villam emit, aut hoc ideo fecit, ut aliquos subjectos haberet et dominus vocaretur, et est superbus: aut ideo, ut eam villam diligenter excolendo amplius lucraretur et avarus est. Quinque vero juga boum quid aliud, quam quinque sensus nostros designare possunt? Recte enim non quinque boves, sed quinque juga boum dicitur, eum omnes sensus pene geminati sint. Ille igitur, qui juga boum emit quinque, hoc est qui sensibus ducitur, et nihil credit, quod non videt, curiosus optimo jure nominatur. Nam, qui uxorem duxit, non ideo voluptuarius appellandus est, quod uxorem ducere peccatum sit, sed quod plerique voluptatem potissimum, et expletionem libidinum in matrimonio quaerant.

Haec igitur quatuor superbia, avaritia, curiositas, voluptas, innumerabiles homines ad haeresim pertrahunt, atque in ea quasi catenis quibusdam revinctos tenent. Si per tempus liceret, longissimum indicem explicare eorum, qui non alia de causa ab ecclesia defecerunt, quam quod episcopi aut cardinales esse non potuerunt. Quam multos etiam ad haeresim invitavit illa templorum spoliatio, simulachrorum confractio, altarium eversio, urbium populatio, unde ipsi maxime ditescere credebantur? Isti igitur vere dicunt: *Villam emi*: vel ambitionis mancipium factus sum. In ecclesia catholica neque ad honores ascendere, neque commode lucrari possum: quare necesse habeo de ecclesia exire, et ad videndam villam me conferre. Recte vero ait: *Necesse habeo exire et videre illam.* Ambitiosi enim atque avari, honores suos atque opes solum cernunt, nec aliter eas possidere possunt. *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Accipite illustrem similitudinem, et eam

memoriae diligenter commendate. Venatores simul atque praedam viderunt, eam canibus suis ostendunt, et clamare incipiunt, Cape, cape, rape, rape et tum canes cursu incitatissimo ad praedam accurrunt. Sed cum primum apprehenderunt eam, ecce adsunt venatores, et quibusdam baculis capita canum suorum percutiunt, et clamant, relinque, relinque, desere, desere, atque hac ratione canibus suis praedam ostendunt, ut eam videant, sed non possideant: ut eam cum labore capiant; sed mox captam cum dolore relinquant. Idem omnino avaris atque ambitiosis hominibus contingit. Diabolus enim, antiquus venator, eis tamquam canibus aliquam praedam ostendit, ut lucrum aliquod, ut aliquam dignitatem: et tum clamat, Eia rape, cape, per fas et per nefas, assentare, mentire, nega fidem, nega religionem, sic ditescitur, sic ascenditur. Verum ubi honorem aliquem adepti fuerunt, vel opes aliquas congregaverunt, tunc adest mors, et longe aliud carmen intonans ait, Relinque, desere, et nudus ac solus, velis nolis, ad aeternos cruciatus descende. At vero benignissimus Dominus noster ex adverso hic quidem dum vivimus clamat, relinque, desere opes, honores, villam, domum, liberos, uxorem, si ita res postulat, propter regnum Dei. At cum morimur, tunc dicere incipit, nunc cape, nunc implere, nunc satiare veris divitiis, vere ac solidis voluptatibus. Sed ad propositum redeamus.

Porro multi sunt, qui non tam propter opes et honores in haeresim incidunt, quam quod sensibus ducuntur: et nil credere volunt, quod non capiunt. Isti igitur cum animadvertunt, sensus vere omnes clamare, nihil aliud, quam panem et vinum eucharistiae sacramentum esse: Iuga boum quinque, inquiunt, emimus: quinque nostris sensibus magis, quam vestris argumentis credimus: atque idcirco de ecclesia egredi necesse habemus. Verum istos omnes me auctore contemnite ac despicite, auditores. Qualis enim Deus esset, si eum, non inquam sensus humanus, sed ipsa mens humana capere posset, quae vix formicae naturam plene ac perfecte capit? Cum aliquando impius Eunomius se Deum comprehendere jactaret, magnus Basilius ad eum litteras dedit, in quibus de formicae natura viginti, et eo amplius quaestiones proponit quarum cum ne unam quidem plane dissolvere Eunomius potuisset, tum vero ille ait: *Si minutissimae formicae naturam nondum cognitione apprehendisti, quomodo incomprehensibilis Dei naturam te intelligere gloriaris?* Habeant igitur sibi haeretici Deum suum, qui nihil facere potest, quod ipsi non capiant: nos vero Deum nostrum vere magnum habeamus, qui *major est corde nostro*, ut Joannes apostolus ait: qui sapientiam atque intelligentiam nostram vincit. Quin etiam gloriemur nos Deum habere, qui majora, magis abdita, magis abstrusa, magis recondita, efficere potest, quam ut ea mens nostra capere possit. Ei nihilominus fidem in omnibus, quae ad nos, vel per ecclesiam vel per scripturas loquitur, adhibeamus: quia *fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Credamus ubique Deo* (inquit Chrysostomus Homilia octuagesima tertia in Matthaeum) *nec repugnemus, etiamsi sensui et cogitationi nostrae absurdum esse videatur.*

Jam vero quis nobis enumerabit eos, qui compedibus voluptatum impediti ad ecclesiam redire non possunt? Quot homines Deo dicati, quot monachi, quot presbyteri nefario matrimonio sacrilegisque nuptiis uxores sibi inter haereticos adiunxerunt: qui proinde ajunt; *uxorem duxi, ideo non possum venire?*

Quam vero multi sunt, quos nihil aliud in haeresi detinet, quam falsa illa libertas frangendi impune jejunia, confessione non expiandi peccata, pontificum decretis non obediendi? Isti igitur omnes cum Dominus per servos suos ad coenam magnam invitat, *Rogo te*, inquiunt, *habe me excusatum.* Sed ad eumdem modum, auditores, cum ex hac vita discesserint, et ad coenam nuptiarum Agni admitti cupient, Dominus eis cum irrisione dicet; *Rogo* vos habete *me excusatum*: *Vocavi, et renuistis*: *extendi manus meas*, et contempsistis: nunc *ego quoque in interitu vestro ridebo*: *rogo* vos habete *me excusatum.* Cum vos quondam vocarem, negotiis impediti venire non poteratis, apud me excusationem invenire cupiebatis: nunc ego etiam negotiis quibusdam distineor, non possum surgere, et aperire vobis: *rogo* vos, habete *me excusatum.* Haec tunc Dominus illis respondebit.

Sed interim praecipit servis suis, ut pauperes, et caecos, ac debiles et claudos ad convivium introducant. Et qui sunt pauperes, nisi humiles, et spiritu pauperes, qui nec ambitioni nec avaritiae student: et villam non emunt sed vendunt, et pecunias pauperibus largiuntur? Qui sunt caeci, nisi qui judices mysteriorum Dei non oculos sed aures esse volunt? *Fides* enim *ex auditu*, non ex aspectu. Et cum oculi dicunt, nos panem videmus: aures vero, nos Christi corpus esse ex ipso Domino audivimus: ipsi aures patefaciunt, eruunt vero oculos; malunt vero caeci intrare in regnum Dei, quam bene videntes mitti in gehennam ignis. Et qui sunt debiles, nisi qui castigant corpus suum et in servitutem redigunt, qui jejuniis, qui vigiliis qui orationibus, qui ciliciis corpus debilitant, diabolique arma retundunt, ut animus fortis atque robustus efficiatur? Postremo claudi illi sunt, qui Deum ut par est, vehementius, quam res creatas diligunt. Pedes enim affectus designant: et tunc homo utiliter claudus est, et ad coenam magnam idoneus, cum dextrum pedem, hoc est, amorem in Deum longiorem et majorem habet, quam pedem sinistrum, qui amorem in res creatas significat. Ita nimirum claudus evasit magnus ille patriarcha Jacob, posteaquam usque ad auroram cum Deo luctatus est.

Habetis igitur, auditores, de evangelio hodierno quae ad praesentem solemnitatem accommodate dicenda esse putavimus: reliquum est, ut sacramentum saluberrimum non frustra esse institutum patiamur. Nam quemadmodum panis triticeus, qui cibus est corporis, non ideo tanto labore efficitur, ut solum videatur, sed ut manducetur, atque hac ratione sustentet, nutriat, augeat vitam, et vires

corporis humani: sic etiam panis vitae et angelorum, non ideo nobis tribuitur, ut eum solum intueamur et veneremur, sed etiam ut eum frequentius sumamus, et eo animos nostros reficiamus, et recreamus. Multi sunt in hac urbe, qui praeclare et magnifice de tanto Sacramento loquuntur et sentiunt, et illud certatim honorare contendunt. Sed, mihi credite, illi maxime hoc honorant, qui ipsum pura atque integra conscientia frequentare student. Et cur, obsecro, tantum in nobis refrixit charitas? Cur vita et mores nostri tantum absunt a vita et moribus primorum illorum christianorum, ut illi veri, nos depicti christiani esse videamur? nisi quia obliti sumus *comedere panem* nostrum: illi vero, ut ab apostolis didicerant, quotidie ad hunc utilissimum et saluberrimum cibum accedebant? Inde nimirum fortes, inde robusti, inde alacres, inde ad martyrium, et omnes labores subeundos idonei erant. Illorum ergo similes esse studeamus in terris, ut consortes quoque esse mereamur in coelis, per Christum Dominum nostrum. Amen.

CONCIO XXXVIII.

DE SANCTO JACOBO

THEMA

Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *Matth.* 20.

SYNOPSIS

Exordii loco Scripturae testimoniis probatur, concionatores, quales et apostoli fuerunt, Spiritus sancti esse organa; tum de hodierno evangelio instituitur concio. Atque primo tres causae assignantur, cur hoc evangelium hodie recitetur; quarum prima, ut videamus, quanta possit homo (qui ex se nihil boni potest) divina adjutus gratia. Altera, ut peccata spiritus, ex quorum numero etiam est ambitio, quae hodierno evangelio reprehenditur, caveamus, utpote periculosiora quam carnis. Tertia, quia ostenso d. Jacobi defectu hinc illustrior appareret; quod a simili vestis novae resartae et vulnerum Christi declaratur. Quam caeca sit ambitio, ut quae etiam bona in malam partem et peccatum trahat; quamque eadem sit versipellis, ut quae more vulpecularum sustinet, ut regnet, se subiicit, ut praesit. Ratio redditur, cur Christus quaesierit, quidnam velint hi duo discipuli? Quam difficulter a rerum terrenarum cupiditate abstrahamur, apostolorum peccaverit in ratione qualitate, fine, et re, explicatur. Quam sit plena periculi res praelaturas ecclesiasticas ambire, patrum testimoniis probatur; et quid iisdem D. Bernardus graviter intonet: Aliae praeterea pro episcopatu appetendo objectiones diluuntur. Denique quam secuturus sit locus humilis: quam lubricus sublimis, exemplis Saulis et Davidis confirmatur.

Secunda pars ostendit Romanorum exemplo, semper laborem praecedere debere praemia; Cur deinde passio Christi et dolores calix dicatur, variae afferuntur rationes. Docentur etiam pastores, quomodo crucem tum corporis tum cordis pro ovibus suis, s. Pauli exemplo, non debeant subterfugere. Serio praeterea reprehenduntur ambitiosi, qui ita obcaecantur, ut multo plura quam possint, sibi praesumant, et onera quantumvis gravia, sibi levia fingant. Quantum sit Dei donum, martyrii calice potari: et quisnam sit calix et crux hujus mundi, explicatur. Quod calicem Domini non nisi cum ipso et per ipsum, ut qui interius confortet, bibamus, ostenditur. Explicatio loci illius, Sedere ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis, *varia a variis affertur, et vera illa contra haeresim arrianam asseritur. Conclusio demum apta similitudine personam comoediae probat, coelum non personis, sed virtutibus, sed actionibus impartiri; ac proinde ad crucem ferendam et calicem bibendum exemplo sanctorum, praesertim s. Jacobi, imo ipsius Christi, hortatur.*

Neminem vestrum esse arbitror, optimi atque ornatissimi auditores, qui in sacris voluminibus aliquando non legerit, quid illis Hebraeis apparitoribus acciderit, quos Hebraeorum rex Saul ad Davidem domi suae necandum miserat: nempe quo pacto non Davidem, ut putabant, sed pro eo mutum ac frigidum simulachrum, quod Michol, foemina prudentissima ac salutis viri sui studiosissima, callide in lectulo composuerat, invenerunt. Idem omnino auditoribus meis hodierna die, nisi fallor, eveniet. Profecto enim non alia de causa huc tam frequentes convenistis, nisi ut hominem de rebus divinis concionantem audiatis. Ego vero vehementer timeo, ne non hominem audire, sed statuam vobis spectare necesse sit. Sed cur ego, auditores, simulachrum videri tantopere timeam, cum hoc ipsum ardenter optare, et a Domino sperare, ac perpetuo petere nos oporteat? Nec enim fuit aliquando ullus evangelicae doctrinae, catholicorumque dogmatum verus praedicator, qui dum suggestum ascenderat, hominis personam non deposuerit, et sibi conscius statuam se esse, organum divino Spiritui non praebuerat. Muta sunt simulachra, *os habent et non loquentur, oculos habent et non videbunt.* Denique nihil ex se, nisi stare et silere noverunt. Quod si loqui et respon-

sa dare ethnicis videbantur, non ipsa erant simulachra, quae hoc praestabant,sed impurissimi daemones, simulachrorum inhabitatores, ad imitationem humanae vocis sonitum excitabant, ut quorum imitabantur voces,ab iis venerationem et cultum extorquerent. Ad eumdem modum oratores Christiani suggestum conscendunt,ora aperunt:sed alius est, qui per illos et in illis christianam plebem alloquitur. *Dilata os tuum*, ait Dominus ad prophetam, *et ego adimplebo illud*: et ad apostolos idem Dominus: *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* An non erant omnes prophetae excellentes concionatores? Quis eorum non frequentissime ac pene tertio quoque verbo repetebat, *dicit Dominus, dicit Dominus*? Apostolus vero Paulus, summus evangelii praedicator, qui ab Jerusalem usque ad Illyricum Christi Ecclesiam propagavit, nonne de seipso testatur, ac dicit: *An experimentum quaeritis ejus qui in me loquitur Christus*? De beatissimo autem protomartyre Stephano numquam legistis: *Non poterant resistere sapientiae ejus et spiritus qui loquebatur.* Quid? quod ipse Dominus, verbum ac sapientia sempiterni Patris, non sua, sed Patris verba se loqui confirmat, cum ait: *Sermonem, quem audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris.* Denique quamobrem, obsecro, in die pentecostes in linguarum specie sese Spiritus sanctus ostendit. Quia nimirum apostoli, qui primi futuri erant sanctissimae nostrae fidei praedicatores, non suis ipsorum sed Spiritus sancti lingua locuturi erant, ac de ipsis scribi non multo post debebat: *Loquebantur variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Quare si ille idem sacer spiritus, qui ora mutorum solvit, et linguas infantium disertas reddit, pectori, animoque meo illabi, et me, tamquam statuam et simulachrum aliquod, inhabitare dignetur,non dubito, quin ea dicturi simus, quae tum spiritualem animis nostris laetitiam, tum emolumentum maximum sunt allatura.

Agonem hodie beatissimi apostoli Jacobi,et eum diem, in quo coelum triumphator intravit, sacris anniversariis, statisque caeremoniis veneramur et colimus. De quo quidem apostolo, cum historiam sane utilem nostri temporis praesertim hominibus beatus evangelista texerit, et eamdem inter sacra missarum solemnia publice decantari ecclesiae universae placuerit, nihil mihi magis accomodatum tum tempori tum auditoribus explicari posse hac ipsa, de qua nunc loquimur, historia visum est. Eam igitur si placet inspiciamus, et quantum definiti temporis brevitas patitur, explicemus.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis adorans, et petens aliquid ab eo. Video mentes omnium vestrum,auditores, suspensas expectatione tacita pendere,et evangelica narratione permotas vehementer mirari, Cur haec potissimum historia hodie decantetur, in qua nihil de laudibus aut virtutibus apostoli Jacobi sit positum, sed contra quae elationem ejus prodat, insipientiam accuset, et gravissimum ambitionis crimen complectatur. Quonam pacto, vos quaeso,ista cohaerent; ut quem beatum ac Dei amicum asserimus, ejus interim vitia publicemus? Cujus nomen, ut sancti hoc est, ut justi ut prudentis, ut temperati, ut pii, ut inanis gloriae, et rerum omnium praesentium contemptoris cum cantu et laetitia celebramus, eum et imperitum et gloriae cupidum, atque adeo ambitiosum ab omnibus cognosci velimus? ac propterea historiam, quae id continet palam in templis ex edito loco recitemus? Multae sunt causae, auditores, quae majores nostros, homines optimos ac sapientissimos, ut hanc hodie nobis historiam proponerent, impulerunt.

Primo, ut intelligeremus, quid homo per se, et a Deo destitutus possit: et contra quid possit, si Deum suorum operum auctorem habeat, et eum in omnibus suis actionibus ducem sequatur. Quid enim, obsecro, quid, inquam,homo solius rationis vi adiutus potest? Peccare quidem, et labi ac deficere potest: improbus, impurus, avarus, elatus, periurus, adulter esse potest.At bonum aliquid sine Deo non modo agere, sed ne cogitare, quidem potest, *Non sumus sufficientes*, inquit apostolus Paulus, *cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis.* At vero quodnam fastigium virtutis ac perfectionis tam excelsum reperitur, ad quod homo pervenire, Domino adjuvante, non possit? *Omnia possum*, inquit idem Paulus, *in eo, qui me confortat*, sive labores tolerandi, sive pericula adeunda, sive mors oppetenda,sive morte aliquid adhuc gravius sit perferendum, id vero libenter et aequo animo pati et tolerare possum. Siquidem *omnia possum*, omnia, inquam, nihil excipio, plane omnia possum *in eo, qui me confortat.* Porro d. Iacobus, cujus hodie memoriam veneramur, mentiri nos minime patietur. Ecce enim iste, qui aliquando sibi ac prudentiae suae relictus,humanum aliquid passus est, primasque sedes ambitiose quaerere, ac labores fugere, ac otium, et quietem consectari visus est; postea per Dei gratiam ad illud sanctitatis culmen pervenit, ut daemones coram ipse stare non auderent; et viam illam, quae ducit ad coelum, an gravissimam et difficillimam tanto mentis fervore cucurrit, ut apostolis caeteris longo intervallo post se relictis, regnum coelorum cum palma martyrii primis intraverit. Merito igitur, jureque optimo glariosisimi Jacobi nobis hodie imbecillitas ante oculos ponitur,ut Domini ac Dei nostri potentiam ac sapientiam admiremur, qui non solum apostolum ex piscatore; sed virum sanctissimum ex peccatore, et ex ignorantia ac tenebris lumen clarissimum toti orbi terrarum produxit.

Altera ratio est, ut hoc exemplo doceamur, ambitionis virum omni animi provisione esse cavendum. Duo siquidem genera vitiorum sunt: alia enim carnis, alia spiritus peccata dici possunt, juxta illud apostoli: *Charissimi, emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.* Ac priora quidem infamem hominem apud homines reddunt; posteriora apud Deum. Illa bestiis hominem similem faciunt; ista daemonibus. Denique illa, quod appareant, et in oculis omnium sint, facile caveri et evitari possunt: at ista, quod occulta sint, et in

hominum pectoribus lateant, plerumque in illis etiam, qui alioqui sanctissimi et optimi censebantur, inventa sunt. Hujus generis ambitio est, quae si in coetu apostolorum locum invenit, ubi virtutum omnium disciplina vigebat; ubi Christus ipse doctor erat, qui non solum verbis, sed etiam reipsa, et factis ad nullam virtutem magis, quam ad humilitatem hortabatur, quis nostrum ab hac peste tutus erit, nisi omni adhibita diligentia, totisque viribus in salutem suam incumbat? Proponitur ergo nobis, ac in memoriam revocatur hoc factum apostoli, ut quanto studio quantaque vigilantia ambitio cavenda sit admoneamur, quam in tanti tamque eximii viri pectus penetrasse videmus.

Est item, auditores, et alia ratio, cur hodie haec historia potissimum recitetur, nempe quia haec commemoratio ambitionis B. Jacobi nescio quo pacto clariorem ipsum et illustriorem efficere mihi videtur. Id quod hac similitudine intelligi fortasse poterit. Induit quis hodie novam et pretiosam vestem, sed casu fit, ut, dum ex foribus egreditur, vestis clavo, qui forte ex pariete prominebat, implicata alicubi laceretur, ille vestem aureis filis resarciri jubet, tantoque artificio resarcitur, ut jam non casu fracta, sed de industria scissa esse videatur. Quis praeterea dubitare potest, quin Dominicum corpus lanceae et clavorum vulneribus vehementer dehonestatum fuerit: at vero nunc adeo signa illa vulnerum in Dominico corpore micant, tantumque gratiae et decoris divinis Domini membris addunt, ut non tam ferro mortalium ad ignominiam membra lacerata, quam summa artificis manus ad gloriam auro et gemmis distincta judicentur fuisse. Pari ratione peccatum foedat, commaculat, vulnerat, lacerat, deformem denique et invisum hominibus reddit peccantem; sed si fontibus lachrimarum macula diluatur, et poenitentiae medicamento vulnus peccati curetur, tantus accedit animae decor, ut majus *gaudium* fiat *in coelo pro uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non egent poenitentia.* Cum igitur, auditores, *ubi abundavit delictum* superabundaverit *gratia*, et levis culpa ambitionis gravi ponderè meritorum obruta, et divinorum charismatum fontibus tamquam ablata atque delata, novorum gaudiorum materiam nobis attulerit, quid miramur, si hac ipsa die divo Jacobo sacra, erroris ipsius historia recitetur?

Sed ipsa jam sua narrationis verba consideranda ac perpendenda sunt: *Tunc accessit mater filiorum Zebedaei.* Tunc, inquit. Quandonam, obsecro? Nempe, cum Dominus de cruce et vulneribus loqueretur: Cum enim diceret: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum et crucifigendum.* Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei, primas sedes pro filiis postulatura. Intelligitisne, quam caeca, quam inconsiderata, quam importuna sit ambitio? Quid affinitatis habet vituperium crucis cum regni fastigio? Dominus de labore et cruciatibus agit, et sedes et otium postulas? Sed sit hoc in ambitione levissimum. Transeamus ad caetera.

Tunc, inquit, *accessit.* Quisnam? *Mater filiorum Zebedaei.* Foemina erat, auditores, Domino secundum carnem affinitate conjuncta, atque inde videlicet suum esse putabat, ut Dominum admoneret, ne affinibus suis in regno aliquos alios anteponeret. Audierat fortasse, duodecim apostolis duodecim sedes esse promissas: quare pro filiis sollicita, ne forte postremas sedes aut certe non primas obtinerent, Dominum adiit, *adorans et petens aliquid ab eo.* Memini me aliquando ex philosopho didicisse: Omne, quod recipitur, ad modum recipientis recipi, ut in vase rotundo rotundam formam aqua suscipiat, in quadrato quadratam et de aliis ad eumdem modum. Videas hominem integrum, et sanum quicquid alimenti sumat id totum in succum et sanguinem incorruptum convertere. Aeger etiam optimos et alioqui saluberrimos cibos in noxios humores convertit. Pari atrone vir pius et sanctus, et ut apostolus loquitur, spiritualis, quicquid illi detur, sive divitiae, sive magistratus, sive ecclesiastica beneficia, denique quicquid illud sit, id totum efficit spirituale, atque utitur ad ampliorem gloriam in regno coelorum promerendam. Is vero, qui blandissimae dominae voluptatis lenociniis deceptus, nihil quaerit, nihil appetit, nihil optat amplius, nisi praesentia bona, licet fragilia et caduca: quicquid habere potest, etiam sacerdotia et animarum gubernationem et sacramentorum administrationem, ad opes cumulandas et divitias augendas traducit. Quid de haereticis dicam? An est quisquam, qui ignoret, sententias divinorum, qui in ore catholici hominis veritatem confirmant, in ore haeretici ad errores confirmandos valere? Quae cum ita sint, profecto mirum esse non debet si mater filiorum Zebedaei, quae cum Domino cognationem habebat, eam ambitioni suae et commodis filiorum servire voluit: tametsi potius illi ad amicitiam Dei et charismata spiritualia comparanda valere debuisset. *Accessit* igitur *adorans, et petens aliquid ab eo.*

Ecce vobis etiam ambitionis perversitatem. Omnis ambitiosus est versipellis: descendit, ut ascendat: repit per humum, ut volet super aerem: subiicit seipsum, ac servit, ut dominatur et regnet. *Adorans et petens aliquid ab eo.* Qui montes arduos et excelsos ascendere volunt, non recta sursum tendunt, sed perambages et circuitus quosdam, unde ambitio nomen accepit. Vulpecula quoque animalium callidissima mortuam esse se fingit ascendere aves, et volitare et ludere super se patitur, interdum etiam carpi et vellicari, ut illa post paululum in aves conversa, super eas ascendere, et non carpere, sed lacerare; non vellicare, sed devorare possit. Ad eumdem modum videas ambitiosum hominem, qui forte conjecit oculos in ditem aliquem canonicatum vel pastoratum vel episcopatum, mox praelatum salutare incipit, adulari obsequi, famulum humilem se dicit; ad omnia, quae imperantur, paratum. Si forte a prelato illo injuriam accipiat, fert aequo animo: si rideatur, tolerat: si verberetur, patitur, si quid imperetur, ob-

temperat, interim tamen superbiam alit in pectore et quo modo super Dominum suum ascendat, perpetuo cogitat. O vulpecula, vulpecula, nihil in te praeter pellem est boni: nihil, inquam, nisi facies ista exterior et signa praeclara humilitatis: idcirco tibi pellis ista detrahetur, et in gehennae flaminas quod minime cogitas, praecipitaberis.

Audiamus Domini responsum. *Ait illi: Quid vis?* b. Evangelista Marcus planius explicat, quid illud *aliquid* esset, quod foemina ista petiit, et quod evangelista Matthaeus non expressit. Ait enim, filios Zebedaei dixisse: *Magister, volumus, ut quod cumque petierimus facias nobis.* Stulta plane et ambitiosa petitio, tametsi non nihil ejus turpitudo minuitur, quod ad Christum dirigatur, qui omnipotens est, et quaecumque voluerit, et cuicumque voluerit, largiri potest: nec aliquem habet, cui rerum a se gestarum rationem reddere teneatur. Ut igitur Dominus hanc petendi rationem tam absurdam reprehenderet, ait: *Quid vis?* Non decet sapientiam meam, ut quicquid petieris, me facturum pollicear: sed explicatum quid velis, ut si justa petitio fuerit, admittatur, si autem injusta, repellatur. Neque vero Dominus ideo rogavit, quid velit, quia ipse non sciret, cum ipse, et solus ipse noverit omnia corda filiorum hominum: sed id propterea fecit, ut intelligerent caeteri, qui tunc aderant, iniquam esse petitionem: tum etiam, quia quod ipse non probat, nescire se dicit, ut in eo loco: *Amen dico vobis, nescio vos.* Et rursum *Amen dico vobis, quia nunquam novi vos.*

Explicat igitur planius mulier, quid velit, et ait: *Dic, ut hi duo filii mei sedeant unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* Tanta est, auditores, naturae humanae post peccatum cum iis rebus, quae sensus nostros afficiunt, contracta necessitudo tantoque pondere et impetu in res istas corporeas ferimur, ut non sine gravi et diuturno labore ab eis animum avocare, et in aeterna et sola vera bona eum figere, et collocare possimus. Hinc videlicet apostoli, tametsi Dominum paupertatem consectari, et regnum fugere et spiritualia bona praedicare videbant, persuadere tamen sibi ipsis non poterant, eum non esse in Palaestina, et Hierusalem regnaturum, testaturque sacer evangelista, cum Dominus de cruce et cruciatibus loqueretur, eos numquam intelligere potuisse: imo vero, cum Dominus jam a mortuis excitatus fuisset ab eo petebant: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Sed in die pentecostes, cum Spiritum veritatis accepissent, tum demum divino fulgore illustrati, quae *sursum sunt* sapere et quaerere inceperunt, et *non quae super terram.* Ex illa igitur priori ignorantia et rerum praesentium cupiditate petitio prima processit. *Dic ut hi duo filii mei sedeant unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.*

Cui Dominus sapientissime respondit: *Nescitis quid petatis.* Alloquitur nunc Dominus filios, licet matris interrogatio fuerit: quia eum minime latebat: matrem verba filiorum esse locutam. Itaque b. Marcus, ut paulo ante vidimus, eam petitionem non matri, sed filiis tribuit. Mater enim a filiis edocta, quid petere deberet, et ab iisdem deducta ad Dominum fuit. Sed videte Domini sapientiam, non tacet, ne discipuli tamquam reprehensione indigni se contemni putarent: neque in Judaea regnum se habiturum inficiatur, quia nondum spirituale regnum intelligere poterant, et tamen regnaturum Dominum omnino credebant: neque asserit, se facturum, quod petunt, ne discipulos caeteros offenderet; neque negat tamen primas sedes se illis daturum, ne et matrem et filios moerore conficeret. Quid igitur ait? *Nescitis*, inquit, *quid petatis.* Fecit enim id, quod interdum magni principes facere solent, cum eis libelli supplicum offeruntur. Nam si forte contingat, ut alicujus libellus offeratur, cui princeps negare non audeat id, quod petit: neque tamen id velit concedere, rescribere solet, eum libellum non esse ea forma conscriptum, qua debuit, neque ea ratione oportuisse peti. Idem hic Dominus facit: neque enim facturum se, quod petunt, aut ait aut negat: sed petitionem in multis deficere causatur, affirmatque illos ignorare, quid sit illud, quod petant; et quidem non injuria, nam ea petitio primum deficiebat in ratione, qua ad petendum movebantur: deinde in qualitate eorum, quae petebant: tum in fine, propter quem petebant, postremo in ipsa re, quam petebant. Prima enim ratio, qua ad petendas primas sedes impellebantur, erat affinitas et cognatio secundum carnem, quae si ipsos ad petendum incitare potuit, Dominum tamen ad concedendum movere non debuit, illi vero qui petebant, inepti eo tempore minimeque idonei erant ad illum honoris gradum, quem petebant. Porro finis, quem sibi, dum peterent, proposuerunt, otium erat, et quies, quae iis, qui nondum laboraverant, minime debebatur. Res denique quam petebant, erant primae sedes in regno Palaestinae, cum potius caeleste ac spirituale aliquod donum a rege coelorum petere oportuerit. O utinam, auditores, non tam apte in haec nostra tempora, haec Domini responsio conveniret, *Nescitis quid petatis.* Petit aliquis in Ecclesia Dei locum altiorem, ecclesiasticum beneficium, pastoratum, pontificatum, nescis mihi crede, quid petas, scies autem postea, quando jam scire nihil proderit. Existimas enim divitias ac delitias, butyrum et mel petere, invenies autem rem laboris et doloris, fellis et amaritudinis plenam. Vel enim fungi munere tuo pro viribus eliges, et nihil gravius, nihil difficilius, nihil amarius, nihil tristius ullo unquam tempore pertulisti, semper animo excubare, quietem nullam capere te oportebit. Vel iis curis et sollicitudinibus praetermissis, totum te voluptatibus dabis, quibus vix degustatis perpetuo cruciandum gehenna suscipiet. Nescis mihi crede, quid petas et saepius tibi patibulum utilius, quam dignitatem ecclesiasticam peteres. *Locum* (inquit d. Bernardus ad Eugenium) *altiorem sortitus es, sed non tutiorem; sublimiorem sed non securiorem. Nihil est in hac vita*; ait Augustinus ad Valerium, *et maxime hoc tempore, facilius et laetius et hominibus acceptabilius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio si perfunctorie et adulatorie res agatur, sed nihil a-*

pud Deum miserius, et tristius et damnabilius. Hinc b. Chrysostomus in vocem illam horribilem quidem, sed veram aliquando erupit. *Non temere,* inquit, *dico, sed ut affectus sum sentio. Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, seu multo plures, qui pereant. Unius enim animae perditio tantam habet iacturam, ut nulla ratione possit aestimari. Etenim, si unius animae salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fierel homo, tantaque pateretur; perditio cogita quantam conciliabit poenam? Quod etiam alii peccant sacerdotibus imputatur: sicut cum ovis a lupo rapitur, culpa recidit in pastorem. Nescitis* ergo *nescitis, quid petatis.* Ac de seipso libro de sacerdotio ait: *Ab eo ipso die, in quo tu mihi episcopatus suspicionem injecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur, tam ingens pavor, tam ingens moestitia animam meam occupavit. Nam cum apud me considerarem Christi sponsae gloriam, sanctimoniam, venustatem spiritualem, prudentiam ornatum; tum vero animi mei vitia expenderem fiebat ut assiduis tum illam, tum me gemitibus luctibusque prosequerer. Nescitis* ergo *nescitis, quid petatis.* Deinde, quis nostrum ignorat, aut in apostolo aliquando non legit, ecclesiam Dei esse corpus Christi, ut alii in eo sint oculi, aures alii, lingua alii, alii manus, alii pedes? Quanta igitur perversitas est, si auris, lingua aut manus, oculos esse velit? Ad audiendum, frater, vocatus es, non ad loquendum. Quod si non audire, cum sis auris, sed loqui volueris, neque audies neque loqueris. Non audies, quia non vis: non loqueris, quia non potes. Quid ergo superest, nisi ut tamquam inutile membrum abscindaris, et in ignem mittaris? Ita pereunt multi, auditores, ita nonnulli ex sedibus ad gehennae incendium devolvuntur, qui, si in humili loco manere voluissent, beati jam et felices bonis coelestibus potirentur. *Nescitis* ergo, *nescitis quid petatis.*

At alliciunt illae sine labore partae opes, sedes honoris, fastigium dignitatis. Cantabo tibi, frater, canticum beati Bernardi. *Clericus, qui habet partem in terra, non habebit partem in coelo.* Et item *Clericus si quidpiam habuerit praeter Dominum pars ejus non erit Dominus.* Et rursum: *Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur: pane patrimonio pauperum, facultatibus ecclesiarum sacrilega crudelitate surripitur, quicquid ministri et dispensatores, non utique domini et possessores, ultra victum accipiunt et vestitum.* Et rursum: *Vae, vae tibi clerice; mors in olla, mors in olla carnum, mors in hujusmodi delitiis est. Nam populi constat esse peccata quae comedis; sumptus ecclesiasticos gratis habere te putas, sed bonum erit magis fodere aut mendicare. Peccata enim populi comedis; ac si propria tibi minus sufficere viderentur, sollicitus esto tanquam rationem redditurus pro iis, gemitus fundere, dignos agere poenitentiae fructus: alioqui ea noveris tibi imputanda, quae modo inter delitias comedis, et parvi pendis, et dissimulas tamquam nihil attinentia tibi. Venient, venient, ante tribunal Christi, audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata.* Intelligitisne? *Nescitis* ergo, *nescitis quid petatis.*

At, *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,* verba sunt Apostoli Pauli. Episcopatus, frater, optima res est, sed eum desiderare, malum est. Nam et qui Deum desiderat, rem excellentissimam desiderat et diabolus tamen, qui Deus esse vel Deo similis esse desideravit, ex paradiso delitiarum tamquam fulgur, in inferni barathrum ruit. In Episcopatu siquidem animarum gubernatio, fastigium sedis, divitiae et honores reperiuntur. Si gubernationem animarum desideras, rem periculi plenam desideras, et *qui amat periculum peribit in illo.* Si fastigium sedis, superbus: si divitias avarus: si honores, ambitiosus es. At charitas me, ad id petendum impellit. Cave ne decipiaris. Nam *charitas non est ambitiosa; neque quaerit, quae sua sunt,* sed quae Domini nostri Jesu Christi. At ecclesia interim bonis pastoribus destituitur, si qui sint idonei non se produnt. Quid ad me, et quid ad te? Curam istam Domino relinquamus. Numquid quia beatus Gregorius haec onera fugiebat, quia b. Ambrosius fugiebat, quia b. Augustinus et Chrysostomus fugiebant, ideo ecclesia pastoribus caruit? Imo vero istos ipsos, qui tantopere fugiebant et Deum tamen minime latebant, ad ecclesiae gubernacula Dominus evehebat. Itaque sanctos multos, qui episcopatus fugerint, legimus: aliquem qui appetierit vel quaesierit, non legimus. Numquid sanctissimi et eruditissimi illi patres ex apostolo non didicerant; *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat?* Et si didicerant, cur fugiebant? cur abscondebantur, ne pontifices fierent? Numquid apostolo non credebant? Credebant plane: sed interim intelligebant, non episcopi sedem, sed episcopi virtutes, quae multae sunt et magnae esse desiderandas: *oportet* enim *episcopum irreprehensibilem esse, sobrium prudentem, ornatum pudicum, hospitalem, doctorem,* et alia quae ad Timotheum b. Paulus late prosequitur. *Nescitis* ergo *nescitis, quid petatis,* quicumque dignitates ecclesiasticas petitis.

Denique videre vultis, quam omni luce clarius sit, humilem locum esse securum; sublimem locum esse periculosum? Aspicite atque intuemini primos reges Hebraeorum, Davidem et Saulem. Saul, cum privatus esset, erat omnium Hebraeorum, scriptura divina teste, sicut corpore maximus ita moribus optimus: evehitur ad regnum, continuo efficitur omnium pessimus, Deo rebellis, bene de se meritis ingratus, amicis infidus. Itaque Davidem tanto atrocius persequebatur, quanto plura et majora beneficia ab eo recipiebat. Ipse vero sanctus David, cum similiter privatus et facultatum pauperrimus esset, virtutibus ditissimus erat, ita, ut ne hostem quidem suum sibi a Deo in manibus datum laedere voluerit. At ubi ad regni gubernacula conscendit, adulterium homicidio copulavit: et qui privatus hosti pepercit, idem rex devotum sibi famulum crudeliter interfecit. Quae cum ita sint, auditores, quos in posterum loca sublimia et primas sedes affectabit? Si Saul et David, qui non

regnum appetebant,sed a Deo vocati sceptra oblata susceperant, tam misere corruerint, quis impune se ingeret? quis sedium fastigia non horrebit? quis veritati non credet praedicanti atque dicenti; *Nescitis quid petatis?*

PARS POSTERIOR

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Beatissimus pontifex Augustinus refert in libro quinto de civitate Dei, olim Romae templum virtutis et templum honoris fuisse, quae quidem duo templa tali aedificio fuerunt aedificata, ut nemini ad templum honoris aditus pateret, nisi per templum virtutis. Ex quo veteres illi Romani, qui honorum cupidissimi erant,intelligi voluerunt,honorem esse praemium virtutis. Tale aliquid, auditores, mihi Dominus significare videtur, cum ait; *Nescitis quid petatis.Potestis bibere calicem,quem ego bibiturus sum?* Tamquam si dicere voluisset: Crux, et regnum ita se habent, ut nemo ascendere possit in coelum, nisi per crucem: nemo seipsum fallat, ad epulas paschatis, nisi per jejunium quadragesimae nemo perveniet. *Non coronabitur,nisi qui legitime certaverit. Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Quare, si vos, qui primas sedes in regno nunc petitis, intelligeretis, quantis laboribus, sudoribus, curis, incommodis,cruciatibus etiam et tormentis regnum coelorum vobis sit comparandum, non tam inconsiderate fortasse in eo primos honores peteretis.

Idcirco ait; *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et simul auditores, videte Domini sapientiam. Poterat enim jure discipulos suos ambitionis arguere, ac dicere: O discipulorum ambitiosissimi, et quandonam id meruistis? Ostendite labores, quos toleraslis, videamus sanguinem, quem fudistis: ubi sunt merita? ubi virtutum opera? Haec est illa humilitas, quam vos docui? Ita mundum contemnere didicistis? Sed non erant eo tempore tam atrocis reprehensionis capaces, spiritalis militiae tirones: quocirca reprehensionem suam ita Dominus temperavit, ut ignorantia potius, quam ambitione lapsi fuisse discipuli viderentur: *Nescitis*, inquit, *quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*

Sed cur nam, dicet aliquis, tormenta et dolores calicem Dominus nominavit? Hujus rei, auditores, multae sunt causae. Primum enim ideo Dominus labores suos cibo, ut est apud Joannem, et dolores potui comparavit, ut intelligeremus, neminem apud nos tam libenter exquisitissimos cibos comedere, aut vina suavissima bibere, quam ipse pro nobis non modo libenter,sed etiam cupide labores ferebat et dolores patiebatur: Deinde potus restinguit sitim, et propterea nihil est, quod homines siti stimulati magis, quam potum desiderent. Vehementissima sitis vel maximis divitiis aquae poculum anteponeret. Dominus noster Jesus Christus, auditores, salutem nostram non cupiebat, sed ardentissime sitiebat: infiniti amoris flammam in pectore tamquam in fornace Dominus nutriebat. Ardebat plane, ardebat patiendi cupiditate.Ex quanta siti, obsecro, ex quanto ardore illa verba prodibant: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum?* Et; *baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor usque dum proficiatur?* Hinc igitur Dominus poenas et tormenta, quae sitim illam restinguebant, calicem et dulce refrigerium, voluit appellare. Praeterea calix quantumvis magnus et plenus brevissimo tempore hauritur. Non enim quemadmodum cibus, qui dentibus teri, et huc atque illuc volvi et revolvi linguae ministerio debet, antequam glutiatur; sed in momento tangit, sentitur et transit. Quare Dominus admonere nos voluit de brevitate laborum et poenarum, quae in hoc saeculo perferenda sunt. Pertulit Dominus acerbissimos cruciatus; verum est id quidem, sed tamen celerrime transierunt, quemadmodum citissime calix etiam plenus hauritur. At post hujus brevissimae vitae curriculum, non calices, sed torrentes et Maria poenarum vel gaudiorum inveniemus. Qui enim hic calicem Domini respuerunt, praecipitabuntur ibi *in stagnum ignis* et sulphuris, quae *est mors secunda.* Verum igitur est, quod apostolus Paulus ad Corinthios scribit dicens: *Id enim quod in praesenti momentaneum est, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Rursum, calix ebriosos homines et furiosos facere solet. Id, quod Noe Patriarchae legimus accidisse: ex quo et nudatus filio ad ignominiam patuit. Quod si ita est, quid ni passio Domini calix verissime nominetur: cum eum ita salutis nostrae ebrium fecerit, ut nudari se vestibus omnibus, et in crucem agi, et in ea pendere ad mortem usque in conspectu maximae multitudinis minime recusaverit? Neque solum ebrietatem, sed etiam somnum calix inducit: quod et in Domino passionis calix efficit. Nam ubi calicem illum exhausit, de quo scriptum est; *Calix meus inebrians quam praeclarus est*, mox dormire coepit, et cum triduo in eo somno peregisset, surrexit, *tamquam potens crapulatus a vino.* Denique auditores, in calice interdum amara, sed salubris, et ad morbum expellendum apta potio sumitur. O praeclarum mysterium. O vere sapiens et salutare Servatoris inventum! Gravi morbo, auditores, jamdudum genus humanum afflictabatur, mors erat in januis, medicamentum illi necessarium erat: sed pharmacum tam amarum et tam potens imbecilla et tenera hominum natura minime patiebatur. Quid igitur mater, et nutrix nostra divina sapientia fecit? nempe quod nutrices facere solent: quae cum vident infantulos suos laborare, et amaram potionem tam teneram aetatem ferre non posse, ipsae pharmacum sumunt, ipsae amarum calicem bibunt, ut inde lac salutare infantuli sugant. Ad eumdem modum, auditores, nutrix nostra sapientia Dei, trabea carnis induta, non egebat quidem ullo pro se medicamento, quae *peccatum non fecit: nec dolus inventus est in ore ejus*, pro nobis tamen, tamquam bona nutrix, calicem passionis accepit, ut lac sacramentorum no-

bis praeberet. Quare, auditores, *quasi modo geniti infantes*, *lac* concupiscamus, si nostra sancta nutrix ad calicem bibendum pigra non fuit, qua poena digni erimus si nos ad lac quaerendum pigri simus? Sed iam de calice satis multa dicta sunt, caetera videamus.

Post illa enim verba: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*, addit s. Marcus, *aut baptismo quo ego baptizor baptizari?* Quae verba leguntur etiam in codice graeco b. Matthaei. Neque vero, quae hic de baptismate dicuntur, mysterio carent. Dominus enim duplicem crucem passus est, unam in corpore, alteram in corde. Nam et desiderio nostrae salutis, et patiendi cupiditate et dolore, quem ex praescientia peritorum hominum cupiebat, vehementissime cruciabatur in corde: et simul atrocissimo clavorum, et spinarum, verberum et plagarum supplicio torquebatur in corpore. Crux illa interior calicis nomine significata est. Exterior vero baptismatis appellatione. Siquidem calix hominem purgat interius, baptisma eumdem lavat exterius. Neque injuria Dominus petit a discipulis, an et calicem bibere, et baptismate baptizari possint: nam praelatos, et principes et pastores, quales illi fieri cupiebant, utramque crucem et cordis, et corporis ferre necessarium est. Nam et vigilare super gregem, et de bonis pascuis cogitare et contra varios ovium morbos medicamenta, et quod caput est, maximo desiderio salutis ovium flagrare et aestuare debent. Et haec quidem est crux interior. Deinde etiam, ut crucem exteriorem ferant, concionandum est, saepe etiam itinera facienda, pauperum hominum quaerelae patienter audiendae, perversorum inimicitiae non timendae, vitia et verbis et reipsa ac factis extirpanda, denique multa illis pericula subeunda, multae moelestiae superandae, mors ipsa, si fuerit opus, fortiter oppetenda est. Vultisne ut hujus rei testem vobis gravissimum adducamus? Testis sit nobis apostolus Paulus. Quo pacto, quaeso, persuades nobis, apostole beatissime, te Christi ministrum, id est, ecclesiae episcopum esse? *Ministri*, inquit, *Christi sunt? Et ego (ut minus sapiens dico) plus ego.* Quamobrem obsecro? Audite rationes: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judaeis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis caesus sum: ter naufragium feci, nocte et die profundo maris fui. In itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore, in aerumnis, in vigiliis multis, in fame, in siti: in jejuniis multis, in frigore et nuditate. praeter ea, quae extrinsecus sunt*, praeter crucem, inquit, istam exteriorem, *instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Vere ergo b. Paulus et calicem Domini bibebat, et sanguinis baptismate lavabatur.

Caeterum quidnam b. Jacobus et Joannes Domino respondeant: audiamus. *Dicunt ei: Possumus.* Ex ambitione quid, nisi caeca et inconsiderata temeritas nasci poterat? *Dicunt ei: Possumus.* Philosophi dicere solent, propterea Solem, dum oritur aut occidit, majorem spectantibus apparere, quam in meridie, quod in ortu et occasu per interpositos quosdam vapores cernendum se praebeat. Eodem modo ambitiosus majores arbitratur vires suas, quam sunt; quia per interpositos cupiditatis suae crassissimos vapores eas intuetur. Hac ergo ratione et apostoli decepti, *dicunt ei: Possumus.* Haec est illa praeclara virtus, quam in b. Jacobo nostri temporis homines imitantur. Nam si forte petebatur ab iis, qui onera ecclesiastica et curam animarum quaerunt: Num castus esse potes respondet alacriter: Possum. Num gregem tibi commissum verbo Dei assidue pascere potes? Possum. Num praeter victum et vestitum nihil amplius accipere de sumptibus ecclesiasticis, et reliquum egenis dispensare potes? Possum: Num animam pro ovibus tuis, si necessitas postulet, ponere potes? Possum. At ubi non verbis, sed facto opus est, nihil possunt, levissimae tentationi succumbunt, super gregem dormiunt, super honores vigilant: de prolixitate breviarii, de beneficii tenuitate queruntur, ovium recordantur numquam, opum obliviscuntur numquam. Et undenam, quaeso, tam caeca temeritas, ut ad omnia, *Possumus*, respondeant? Nimirum, auditores, quia per interiectos ambitionis vapores vires suas intueantur. Deinde idem ambitiosis accidit, quod evenire iis solet, qui ex edito aliquo loco ea, quae deorsum jacent, intuentur. Scipio Africanus, quem Cicero per quietem in coelum ascendisse finxit, cum ex orbe lacteo mundum hunc inferiorem contemplaretur, vastissimas regiones quasi maculas quasdam ac veluti puncta cernebat: et contra stellarum globos inter quos ipse tunc erat, tantae molis esse videbat, ut diceret ab illi orbem terrarum facile superari. Eodem plane modo, auditores, ambitiosus ex excelso monte superbiae, in quem jam conscendit, onera praelatorum, quae multa et maxima sunt, veluti humilia et vilia, et humi jacentia ac longe posita cernit: atque ideo non mirum est, si parva, et levia, et humeris suis longe inferiora esse diiudicat: at opes et honores et caetera commoda, quae ante oculos obversantur, imo quae in corde habere se videt, magni facit, et vere eximia et excellentia bona esse censet. Hinc nimirum perversa illa et execrabilis consuetudo in ecclesiam invecta est, ut animarum gubernatio per alios procuretur, redditus nemine committantur. O ambitiose caece, siccine apostolorum proprium munus committis aliis; Judae provinciam reservas tibi? Descende, descende caece de monte, discute vaporem cupiditatis, remove nubem ambitionis accede ad curam animarum propius, magnitudinem, difficultates, pericula intuere, et tunc, si audes, responde, *Possum.* Caeterum quicquid ipse dicas, teipsum fortasse falles, Dominum certe non falles. Sed *de vobis*, auditores, spero *meliora et viciniora saluti.* Ad evangelium igitur revertamur.

Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram et sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est a Patre meo.

Videte rursum atque imitamini Domini sapientiam. Certe illa responsio ; *Possumus* , magis fuit temeraria quam fuit ambitiosa petitio. Ex quo etiam acerbiori reprehensione digni erant : Dominus tamen maturissimo consilio,neque eos objurgat;non enim omnia vitia eodem die reprehendenda sunt : sed bodie unum, cras alterum, postridie tertium , atque ita sensim omnia extirpantur. Cum ergo Dominus cerneret verum esse , quod illi responderant , quamquam nescirent , quo pacta id implendum esset, non enim viribus naturae , ut ipsi existimabant; sed gratia Dei , calicem bibituri erant. *Ait illis : Calicem quidem meum bibetis.* Dominus noster, auditores, consuevit amicis ac familiaribus suis calicem istum laborum et molestiarum propinare , quemadmodum vos in conviviis vestris facere soletis: et quo quid domino magis est familiaris, eo prius et frequentius calicem istum Dominus ei propinat.Idcirco ait;*Calicem quidem meum*, ut mihi conjunctissimi atque amicissimi , *bibetis.* Ex quo intelligi potest , quam charus b. Jacobus Domino fuerit, cum ipsi omnium primo inter apostolos martyrii calix a Domino propinatus sit. Sed rursum *calicem*, ait non vestrum,sed *meum*, quia pro justitia pati et martyrium ferre, non est humanae infirmitatis , sed benignitatis divinae. *Vobis donatus est*, inquit apostolus Paulus , *pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et b. episcopus et martyr Cyprianus, cum in sermone de lapsis ascendisset, quam multi tempore persecutionis a Domino defecissent , ad forum ultro concurrissent , daemonibus immolassent, Christo renunciassent : *Corona* , inquit, *de Dei benignitate descendit, et non potest accipi , nisi fuerit hora sumendi.* Legite epistolam Plinii ad Traianum , et ubi cognoveritis,quam facile multi a Christo ad idola tormentis territi revertuntur, dicite martyrium Dei donum excellentissimum esse; et non temere Dominum dixisse judicabitis; *Calicem meum bibetis*, quem scilicet nisi ex me habere minime potestis.

Est item et alia ratio quare suum dixerit calicem, quem non ipse, sed discipuli bibituri erant: nempe quia multi imo vero omnes homines laborum calicem bibunt , sed non omnes calicem Domini bibunt. Respicite divites , avaros , numquid calicem non bibunt? numquid crucem non ferunt ? maxime vero et crucem ferunt et calicem bibunt. Nam nec noctu dormiunt , nec interdiu quiescunt; saepe in itineribus, semper in negotiis versantur : in numerandis autem pecuniis , et tempus , et manus et cerebrum conterunt: fraudes cogitant , lucris inhiant , opes aucupantur : et interim tamen nihil retibus suis , nisi timores et dolores , curas et sollicitudines capiunt. Pauperem vident? Suspicantur furem. Dividem vident? Suspicantur latronem. Ferunt igitur crucem et bibunt calicem, sed Judae, non Domini. Quid de ambitiosis hominibus dicam? O quam grande, et quam amarum poculum bibunt, dum ad honores anhelant , suspirant ad cathedras , cum isto aequari , illum superare contendunt , et quem praeire sibi vel uno passu videant, invidentiae rabie consumuntur. Crux ista crux mali latronis est , et istum calicem diabolus, non Dominus propinavit. Porro haeretici et isti calicem bibant: nam et concionum laborem libenter tolerant , et facultatibus interdum spoliari, et caedi et cremari, sed non tam fortiter , quam pertinaciter ferunt: neque tamen inde praemia ulla aut coronam reportant ; sed potius ex brevibus suppliciis transeunt ad aeterna. Quidita? Quia non calicem Domini, sed diaboli bibere voluerunt , et idcirco supplicium , quod pro haeresi patiuntur, *non est*, ut Cyprianus ait, *fidei corona , sed poena perfidiae.* Quamobrem illis dicitur solum : *Calicem meum bibetis* , qui pro justitia, pro veritate, pro Christo;non pro avaritia, pro ambitione, pro haeresi labores et cruciatus alacriter subeunt et patiuntur.

Sed interim alia , nec minus apta hujus loci intelligentia mihi se offert : fortasse enim *calicem meum* maluit dicere, quam vestrum: quia numquam servus Christi calicem bibit , quin etiam cum illo Dominus bibat. *Calicem*; inquit, *meum bibetis* , quia numquam sine me illum bibetis. Cum Dominus Petro ex urbe fugienti occurrisset, interrogatus ab illo , quoniam iret? respondisse fertur (ut Egesippus in historia sua scriptum reliquit) *Eo Romam , iterum crucifigi* , tamquam si diceret: Tu quidem, Petre, pro me, sed non sine me in crucem agendus es. Undenam, obsecro, erat, ut Dominus in horto , cum obitum sibi imminere cerneret, timeret et moestus esset; Andreas autem ante crucem, Laurentius in craticula exultaret? Et cur Dominus Patrem rogavit , ut calicem passionis ab eo transferret , et apostoli eumdem calicem bibere ardentissime desiderarunt? Numquid famuli domino fortiores erant? Minime vero, auditores. Sed cum apostoli et martyres calicem biberent, Dominus eos juvabat : cum Dominus biberet , nemo juvabat. *Torcular* , inquit , *calcavi solus et de gentibus non est vir mecum.* Itaque dum martyres cruciarentur exterius, eos Dominus reficiebat et recreabat interius : et calicem fellis non sine mellis admistione illis propinari sinebat. Et ideo *ibant gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* At ipse Dominus calicem plenum fellis et absynthii , sine ulla dulcis liquoris admistione ebibere voluit. Merito calicem suum Dominus dixit , quem non nisi per ipsum , et pro ipso , et non sine ipso discipuli bibituri erant.

Sequitur: *Sedere autem ad dexteram meam et sinistram , non est meum dare vobis , sed quibus paratum est a Patre meo.* Multas hujus loci apud veteres expositiones invenio. Ac in primis non defuerunt , qui dicerent , eas sedes Moysi atque Haeliae esse paratas, ut quemadmodum in monte Dominus in medio eorum apparuit, ita perpetuo sit futurus in gloria. Quorum sententiam sicut b. Hilario placuisse scio , ita beato Hieronymo et posterioribus minime probatam esse video. Arriani vero, ut b. Ambrosius libro de fide quinto testis est , hic doceri existimabant , Filium Dei non esse Patri aequalem , sed potestate longe inferiorem, cum sedem in regno, cui

voluerit, dare non possit. Verum haec Arrianorum opinio, seu potius gravissimus et perniciosissimus error, facile refelletur, si vel cum b. Augustino haec Domini verba ad formam servi referamus, et sensus sit: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* hoc est, non pietate humana, sed auctoritate divina gloriam regni coelestis impartior. Idcirco iis est meum eam donare, quibus ab ipsa aeternitate sempiternus Pater, non sine Filio tamen, paravit. Vel certe cum Nanzianzeno, cum Hieronymo, cum Chrysostomo aliisque sanctis et eruditis patribus dicamus; regnum coelorum non cuique, sed laborantibus certantibus et vincentibus esse paratum, atque idcirco jure Dominum affirmasse, non esse suum, qui sapientissimus et justissimus est, illud ambitiosis et elatis concedere. Ut autem exemplo rem totam illustremus: Finge potentissimum aliquem regem coronam auream currentibus in stadio constituisse, et eam auctori se daturum promisisse, numquid si amicus aliquis regis a rege contenderet, ut ea sibi propter amicitiam corona daretur, numquid, inquam, non merito audiret: Non est meum, hoc est, aequitatis et justitiae meae non est, ut eam coronam propter amicitiam largiar tibi, quam mercedem laboris et virtutis in stadio decertantium esse volui? Eodem plana modo Dominus respondet: non enim propterea, inquit, quod aliqua cognatione mecum copulati estis idcirco primae sedes in regno dandae sunt, cum eae jam sint fortiter certantibus praeparatae: sed tum demum eas a me obtinere poteritis, tum gratia mea, tum industria et labore vestro dignos vos efficietis.

Verum hinc, auditores, eam conclusionem effici video, quae et nobis summam utilitatem et consolationem afferre potest, quam quaeso, diligenter animis nostris mentibusque mandemus. Quaenam igitur est ista conclusio? Regnum coelorum non personis, sed virtutibus dari: neque enim regibus, pontificibus, magistratibus nobilibus, divitibus: aut contra, privatis, obscuris, pauperibus, promitti videtis: sed iis dumtaxat, qui in quocumque fuerint statu, in eo bene se gesserint et virtutum operibus enituerint. Nec b. Jacobus ideo regnum coelorum intravit, quia apostolus fuit; sed quia bene in apostolatu se gessit. Agimus enim in hujus mundi theatro veluti quamdam comoediam, Deo judice, et angelis spectatoribus. Dum comoediae aguntur, iste personam regis, ille pontificis repraesentat: alius agit servum, alius plebeum, alius patritium, alius rusticum, alius magistratum. Quo autem spectant omnes actores? Ut regem potius, quam villicum agant; Minime vero. Quonam igitur? Nimirum eo, ut suam personam, quaecumque illa sit, apte et composite repraesentent. Saepe enim accidit, ut is, qui servum vilissimum egit, quia eam personam bene est imitatus, miris laudibus ab omnibus extollatur. Is vero, qui regem repraesentabat, quod frigidus in agendo fuerit, convitiis et sibilis explodatur. Ita prorsus, auditores, se nostra res habet: Comoediam agimus, et ideo illi contingit regis persona, isti pontificis, ille theologum, iste jurisconsultum agit, alius laicum, alius clericum repraesentat, et interim Deus est Judex, qui non terretur sceptris regum, neque tiaris pontificum, neque purpuris imperatorum, sed eos commendat, et praemio afficit, qui suam personam bene gesserunt, illos contra reprehendit, et tormentis addicit, qui secus fecerunt Judas apostolus, hoc est, episcopus et doctor erat, Stephanus diaconus, hoc est, minister, et discipulus fuit, exacta tamen comoedia Judas ex theatro explosus in gehennae incendium ruit; beatus Stephanus totius comoediae plausibus exceptus ad coelum cum honore sublatus fuit. Quamobrem? Quia Stephanus discipuli personam egit bene; Judas autem personam apostoli egit male. Itaque contingere potest, et saepe, ni fallor, contingit ut rex, et pontifex et jurisconsultus et theologus, aeternis cruciatibus adjudicentur, et pontificis cocus et regis mancipium, et alius, nescio quis, imperitus et plebeus aeternis praemiis affecti beatis angelorum agminibus inferantur, nec immerito: cum illi sublimes illas personas non bene praesentaverint; isti autem suas, licet viles, et abjectas personas praeclare et eleganter gesterint. Hinc beatus Gregorius ait: *In examine justi judicis mutat merita ordinum qualitas actionum.* Et b. Hieronymus, *Cernis*, inquit, scribens in Iovinianum, *quod episcopus, presbyter et diaconus non ideo sint beati, quia episcopi vel presbyteri sunt vel diaconi, sed si virtutes habuerint nominum suorum et officiorum. Alioqui si diaconus sanctior episcopo suo fuerit, non ex eo quod inferiori gradu est, apud Christum deterior erit.*

Frustra igitur auditores, frustra mortales ad sublimiora semper anhelant, cum in eo potius vehementer laborandum sit, ut in eo gradu, in quo positi sumus, ita nos geramus, ut divinae majestatis oculis minime displiceamus. In quo beatissimus Jacobus maxime enituit. Cum enim apostoli personam ageret, et ex piscatore mutorum animalium piscator hominum esset effectus, ita serio provinciam sibi commissam administravit, ut etiam, cum ad supplicium duceretur, sui muneris minime immemor, hominem quemdam piscatus sit, et non solum fidei, sed martyrii quoque consortem habuerit, ut Clemens Alexandrinus et Eusebius Caesariensis scriptum reliquerunt. Deinde cum martyris personam agere et calicem Domini bibere deberet, tanta constantia et alacritate id egit, ut velut signifer agminis apostolici primus certamen inire, atque ex certamine coronam reportare meruerit. Sed quanto ille beatior, quod calicem tam amarum tanta alacritate biberit, tanto nos infeliciores, qui eum nec videre quidem, nec olfacere sustinemus. Et tamen, auditores, cogitandum nobis esset, ac dicendum, si beatissimi Christi discipuli, si invictissimi martyres, si hic ipse apostolus eximius Jacobus, si mater Filii Dei, si ipse Filius Dei, non nisi calice laborum et dolorum epotato regnum coelorum ingredi potuerunt; quis ego sum, qui sine ullo sensu doloris in lecto plumaceo ad coelum per angelos me transferri debere praesumam? Numquid Dominus vehementius me diligit, quam illos dilexerit? Numquid mea

praesentia illi tantopere necessaria est, ut sine me regnum coelorum consistere non possit? Et si calicem istum Domini hic ad tempus ferre non valeo quomodo calicem irae Domini ferre valebo, quem perpetuo peccatores in inferno bibere compelluntur? de quo mihi scriptura praedicat, dicens: *Ignis grando, nix glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Nemo igitur, auditores, nemo se fallat, si ad eam gloriam cupimus pervenire, ad quam effecti et creati sumus, ad quam hodie beatissimus Jacobus pervenit, eadem nobis via capienda est, quam ille suscepit, serio de animae salute cogitandum, neque solum cogitandum; sed reipsa et factis omni diligentia procuranda. Neque tempus expectandum. Nam tempus est breve, iter est longum, socordia humana magna est, et animae negotium negotium negotiorum est. Quare, auditores, vos, simul et meipsum oro atque obtestor, ut in eo dissoluti et negligentes non simus, in quo verum et solum bonum nostrum positum est, ut tandem aliquando ad eum, in quem credimus, perveniamus, Jesum Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XXXIX.

DE SANCTO LAURENTIO

THEMA

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Joan.* 12.

SYNOPSIS

Breve s. Laurentii Martyris encomium exordii vices sibi vendicat, et ad propositum thema accingitur oratio. In primis itaque praemittitur, quem scopum Christus, dum haec loquebatur, propositum habuerit. Quomodo Christus, creator et creatura, et in duplici suo adventu, maximus et minimus fuerit, ex occasione seminum sinapis et frumenti, ostenditur. Duae causae afferuntur, cur Christus se grano frumenti comparet: una sumitur ex ipsius grani virtute et proprietate: altera ex fructu, quem producit; ubi catholicorum ecclesia, non vero haereticorum, spicae ex Christo grano ortae apte assimilatur. Quod sine Christi morte mundus salvari non potuisset, sed solus ipse justus fuisset, probatur; unde quantum fructum moriendo attulerit, figuris Adae dormientis. Rachel parturientis. Moysis petram percutientis, et similitudine agricolae seminantis demonstratur. Quod ecclesia catholica in suo incremento semper et ubique eadem manserit, contra vero haereticorum dogmata variare, vacillare et facile arescere, affirmare exemplis confirmatur. Per verba deinde textus triplex infringitur error: prius, eorum, qui ob mortuum granum, Christum, se animam suam amando posse salvari, existimant: Secundus Lutheranorum, fidem absque operibus sufficere credentium. Tertius denique, otiosorum, qui soli manere volunt, nec fructum bonorum operum requiri ad perfectionem autumant. Quae vita amanda, quae odio prosequenda; et quomodo aliquando in corpus nostrum saevire, non attentis ejus querelis, oporteat, docetur; atque medici exemplo, rei natura et experientia, malum malo pellere solitis, comprobatur. Quomodo praeterea ad id nos ducet Martyrum constantia et peaesertim d. Laurenti, cujus certamen breviter narratur. Tandem ad mortificationem corporis et injuriam tolerantiam, loco conclusionis efficax consequitur adhortatio.

Clarior Laurentii flammis, quam solis luce dies, et illustrissimo martyrio ad aeternam posteritatis memoriam consecratus, tantam mihi ad dicendum alacritatem adfert, optimi auditores, quantam haec tam praeclari triumphi commemoratio et ecclesiae universae laetitia debet adferre. Hic enim invictissimus Christi miles et clarissimus martyr, adolescens egregius, fide eruditus pietate conspicuus, Spiritus sancti igne succensus, divino lumine illustratus, omni fortitudine insignis, sapientia praestans, sanctitate perfectus, signis et prodigiis admirandus, morte denique et martyrio gloriosus, cum sempiternae illius beataeque vitae desiderio flagraret, ejus gloriam, qui vita est omnium, assereret, et facultates ecclesiae in pauperum sinibus pie reconderet, hujus brevissimae lucis usuram cum immortalitatis munere commutavit: ab hominibus quidem in terris injuste damnatus, sed a Christo jure et merito in coelum sublatus, et florenti laurea, pretiosis lapidibus gemmisque clarissimis coronatus.

Et quidem si de laudibus tanti martyris dicere vellem, metuendum mihi profecto esset, ne dies potius in tam illustri causa me versantem, quam oratio desereret. Verum evangelica illa et dominica verba, quae inter sacra missarum solemnia recitari audivistis, me rapiunt ad se, et elegantissima illa similitudo de grano frumenti, quod nisi moriatur, fructum adferre non potest, me quodammodo cogit, ut caeteris omnibus argumentis praetermissis ad eam explicandam aggrediar. Tantam enim utilitatem, tantumque emolumentum cum ad fidem confirmandam, tum ad mores corrigendos, in ejus expositione positum esse video; ut non sine causa mihi persuadeam, ipso quoque beatissimo Laurentio gratiorem hanc orationem futuram, quam si solum ejus laudes praedicantem. Nec enim in tam perfectae tamque excellentis charitatis gradu constitutus, magis de suis encomiis, quam de nostra utilitate sollicitus esse ulla ratione posset.

Sacra igitur evangelii verba audiamus et ea Domino aspirante breviter explicemus. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit,*

multum fructum adfert. Qui amat animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Antequam ad ipsa evangelii verba explicanda accedamus, illud est nobis veluti fundamentum jaciendum, eum sibi finem ac scopum in hac parabola Dominum proposuisse, ut intelligamus, Deum omnino decrevisse, nemini ad regnum coelorum, nisi per crucem, aditum aperire. Videt enim Deus nos, etiamsi christiani, etiamsi catholici, etiamsi clerici simus, nihil tamen aliud perpetuo cogitare quam quomodo in otio esse et in honoribus crescere et divitiis humeros onerare possimus. Videt haec, inquam, Deus, et nostri misertus clamat: O, o quo pergitis? Non est ista via, quae ducit ad coelum: sed potius quomodo laboretis, et parvuli efficiamini, et non solum divitiarum, sed etiam propriarum vestium onere sublevemini, considerare debetis. Siquidem regnum coelorum, tametsi amplissimum, latissimum et maximum est, tamen portam humillimam et angustissimam habet. Et quia nos id non videmur intelligere posse, ideo nihil frequentius in evangelio Dominus repetere solet. Cum igitur post solemnem illum ingressum in Jerusalem, quando cum olivarum et palmarum ramis laetissimisque acclamationibus Jerosolyma Servatori suo obviam processit, gentiles, quidam hac celebritate permoti Dominum videre desiderarent, idque Dominus ex Andrea et Philippo cognovisset, tamquam bona occasione sibi oblata, dicere coepit: *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* tamquam si dicere voluisset: Erit quidem tempus, quando me gentes requirent, et de numero fient ovium mearum, et vocem meam audient, et *fiet unum ovile et unus pastor*, et tunc laudes meae, et nomen et gloria ubique celebrabuntur. Sed nondum venit hora ista. Ante mihi fortis armatus, qui custodit atrium suum, debellandus, et vasa ejus diripienda, et Adae peccatum expiandum, et mors, quam incurristis, exterminanda, et vita, quam perdidistis, reparanda est. Ut enim granum frumenti non prius frugem ex se fundit, quam terrae complexu et calore Solis tepefactum, et corruptum fueritis ita neque ego ante salutis humanae fructum ferre potero, quam vitam pro vobis et sanguinem fudero. Habetis igitur, auditores, et scopum parabolae, et unde Dominus ejus dicendae occasionem habuerit. Nunc similitudinem ipsam exponamus.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Dominus noster, auditores, duobus seminibus se diversis temporibus comparavit, grano sinapis, ut est apud Matthaeum, et grano frumenti, seminum videlicet omnium minimo et maximo. Nam granum sinapis omnium seminum minimum esse ex evangelio didicimus: frumenti autem granum aut maximum, vel certe in maximis esse, experientia rerum magistra nos docet. Quod igitur hic mysterium? quod Sacramentum latere existimatis? Nimirum illud hic latet mysterium, quod Nestorius, aliique haeretici multi intelligere numquam potuerunt. Quid enim est maximum, nisi Deus? quid minimum, nisi creatura? Solus igitur Christus maximus et minimus est, *qui cum in forma Dei esset; semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Sic enim tunc divina atque humana natura in unam colere personam, ut unus prorsus atque idem creator esset et creatura, terminatus atque immensus; genitus ab aeternitate et ortus in tempore, dominus et servus, verbum et caro, Deus et homo, maximus et minimus. Deinde cum duo sint adventus Salvatoris; unus, quem fuisse jam credimus, alter, quem esse futurum minime dubitamus; in illo minimus apparuit, in isto maximus apparebit. Quid? Quod in ipso etiam priori adventu et minimum et maximum Dominum cernere licet. Nam qui nascitur in stabulo, et pannis involvitur, et in praesepio reclinatur, qui adhuc infans vulnera excipere, et regum impetum effugere, et in Aegyptum ire compellitur, qui pro beneficiis injurias, pro verbis salutaribus convitia, pro curationibus maledicta et verbera, et necem reportat, qui denique albis indumentis ut insanus vestitur, qui spineam coronam, et sceptrum arundineum et purpuram jam detritam, ut rex ridiculus, ferre cogitur: cui Barabbas homicida et vir sceleratissimus anteponitur, qui virgis caeditur ut reus, in crucem agitur ut latro, in medio latronum moritur ut princeps furum et flagitiossimis flagitiosior, numquid non minimus et novissimus virorum tibi esse videtur? Contra vero, nonne maximus est ille, qui nascitur ex virgine, cujus ortum angeli cum cantu et laetitia celebrant, quem vix dum natum stella prodit, Reges metuunt, Magi venerantur, qui siccis pedibus ambulat super aquas, qui ventis, et tempestatibus imperat et obediunt, qui caecis visum, surdis auditum, claudis gressum, aegris incolumitatem, et mortuis vitam reddit: quo moriente terra tremit, lapides franguntur, sepulchra aperiuntur, velum scinditur, Sol deficit, coelum ipsum tenebris densissimis obducitur: qui denique post triduum devicta morte et inferni carceribus reseratis mundo redivivus apparuit? Vere igitur Dominus Christus et minimus, et maximus: et granum sinapis et granum frumenti.

Multa hic, auditores, de grano frumenti dici possent: quia magnitudine, specie, sapore, utilitate, caeteris seminibus antecellit, et quia, quod est in corporibus coelum, in sideribus Sol, ignis in elementis, aurum in metallis, in virtutibus charitas, et in animantibus homo, id est in seminibus granum frumenti. Multae rationes coacervari possent, cur Dominus huic potissimum grano se comparare voluerit. Caeterum nec mihi haec persequi per temporis angustias licet, et faciliora sunt, quam ut nostra explicatione indigeant. Duas igitur dumtaxat hujus rei causas aperiam, quarum altera ex ipso grano sumitur: altera ex fructu, quem producit.

Ut igitur primam grani vim, et naturam contemplemur, granum frumenti, et quodlibet aliud semen exiguum est mole, sed virtute tantum est ut plane incredibile sit iis, qui usu vim illius non didicerunt. Constituamus enim ante oculos arboris alicujus miram magnitudinem, ligni duritiem, corticis asperitatem, ramorum varietatem, foliorum viriditatem, florum pulchritudinem, fructuum denique colorem, saporem, odorem, speciem consi-

deremus. Quis, obsecro, harum rerum tam dissimilium, et disparium, tam discrepantium originem exiguum granum fuisse non miretur? quis non stupeat? quis facile credat? Ubi enim in tam parvo semine ligni duritiem, ubi corticis asperitas, ubi saporis odorisque magnitudo, ubertas fructuum, viriditas foliorum? et tamen haec omnia latent in semine: et quod magis est admirandum, ipsum semen latet in semine. Ex semine quippe producitur radix, ex radice procedit virgultum, ex virgulto oritur fructus, ex fructu rursum oritur semen. In semine igitur et radix, et virgultum, et fructus, et ipsum semen delitescit. Deinde quis capiet, ipsum semen, quamdiu integrum est, et incorruptum, vim nullam exercere posse: ubi autem corruptum et dissolutum fuerit, tunc radices, et truncum et ramos, et flores et fructus, et omnem illam arboris molem ex se fundere? Quae cum ita sint, non sine causa Dominus grano vel semini comparare se voluit. Aspicite enim atque intuemini ecclesiae magnitudinem, sublimitatem, majestatem, senatum Apostolorum, martyrum agmina, virginumque coetus, pontifices, presbyteros, diaconos, aliosque gradus inferiores, tam multos, et tam diversos ordines hominum religiosorum, aliaque maxima et innumerabilia ecclesiae ornamenta considerate. Undenam, obsecro, prodierunt haec omnia, nisi ex illo crucifixo Salvatore? ex illo, inquam, semine, quod mole tam parvum videbatur, cum virtute maximum esset. Vere igitur Christus et granum, et semen, cum ex ipso, qui tam humilis et abjectus apparebat, illa ecclesiae arbor processerit, quae extendit ramos suos ad ultimas usque orientis et abeuntis Solis, aquilonis, austrique partes et cujus umbra cunctum operuit orbem terrarum.

Porro altera ratio ex ipsa spica, quae fructus est grani et seminis, de quo loquimur, colligi potest. Quid enim est spica, nisi multitudo granorum, non sparsa, neque confusa; sed composita, cohaerens, ordinata, et contra avium morsum munita callo aristarum? Talis, auditores, talis omnino est illa ecclesiae spica, quae ex Christo semine prodiit. Primum enim non tam arcte grana in spica sibi invicem copulata sunt, quam sunt vere christianorum et catholicorum animi fidei et charitatis nexibus colligati. *Erat*, inquit b. Lucas in Actis apostolorum, *multitudinis credentium cor unum et anima una*, hoc est, grana multa erant, sed spica una erat. Et modo quoque vere credentium est cor unum et anima una. Idem sapimus, idem sentimus omnes, grana multa sumus, sed spica una sumus. Quamquam enim, qui in peccatis versantur, charitatis vincula fregerunt; tamen si vere credentes et catholici sunt, ejusdem fidei nexibus in eadem ecclesiae spica cum caeteris colligantur. Quid enim existimatis responsuros, si interrogentur de ecclesia, de sacramentis, de pontifice, de purgatorio, de justificatione, de merito, de arbitrii libertate, aliisque rebus ad fidem pertinentibus, catholicos, qui degunt in Hispaniis? Idem quod nos. Et qui degunt in Italia? Idem. Et qui in Gallia et Germania? Idem. Et qui in Asia atque Africa? Idem. Et qui orbem nuper inventum, et latissimas Indorum regiones colunt? Omnino idem. Et patres, avi, atavi, majores denique nostri, si similiter interrogati fuissent. quid quaeso, respondissent? Plane hoc idem. Qui vero erunt post nos, nepotes, inquam et posteri nostri, de fide quid sentient? Idem omnino quod nos. Quicumque igitur catholici sumus, grana multa sumus, sed spicae unius grana sumus. At Lutheranorum et calvinistarum synagogae quid? Christi spicae? Non. Quid igitur? Infelix lolium et steriles avenae sunt, cum in eadem provincia, in eadem civitate, in eadem domo, pluribus linguis isti loquantur, quam loquerentur olim in turri Babylonica, qui eam aedificabant, neque sciunt ipsi hoc anno, quid sequenti anno crediturі sunt.

Deinde, ut grana in spica pulcherrimo quodam ordine posita sunt, ut alia sint inferiora, alia superiora, ita vero in Christi vera Ecclesia non omnes sunt sacerdotes, non omnes doctores, non omnes pastores; sed ordine quodam alii aliis muneribus praeficiuntur. Quemadmodum et in coelesti hierarchia non omnes sunt angeli, neque omnes archangeli, neque omnes principatus, neque omnes potestates, et in corporibus nostris non quodlibet membrum est oculus, aut auris, aut lingua aut manus ergo lutherana respublica, ubi omnes sunt oculi, vel potius ubi nullus est oculis. sed omnes sunt lingua, palatum et venter; non spica, aut respublica aut corpus est Christi, sed chaos antiquum rudis indigestaque moles. et eo tandem praecipitanda, *ubi nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Denique quemadmodum spica munita est vallo aristarum, ita Christi Ecclesia *terribilis est, ut castrorum acies ordinata*. Habemus enim scutum fidei, galeam salutis, thoracem justitiae, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Cum igitur tantum sit inter granum et Christum, grani spicam et ecclesiam similitudo, nemini profecto mirum jam videri debet, si grano frumenti potius, quam aliis seminibus seipsum Dominus comparaverit.

Ait igitur: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Quamquam enim Christi actiones infinitam vim ad promerendum haberent, et quodlibet Christi opus, etiam minimum, sufficere potuisset ad omnia totius humani generis peccata purganda atque delenda, quia tamen aeterno consilio Deus optimus et sapientissimus decreverat, ut non nisi per mortem filii sui orbis terrae salutem consequeretur, idcirco verissime Dominus ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit: ipsum solum manet*. Quod vero tale fuerit Dei consilium, quale nos diximus, testis est d. Lucas, qui in actis Apostolorum ait. *Convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri*. Id, quod et apostolus Paulus non obscure declarat, cum ad Colossenses ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacifi-*

cans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Deinde sanctus David et omnes Prophetae dum tam multa et tam perspicua de obitu Christi praedicunt, quid aliud, quam hoc magnum et immutabile Dei decretum hominibus praedicant. Quid postremo mors innocentis Abel, obedientia usque ad mortem Isaac, venditio Patriarchae Joseph, et tot sacrificia in lege instituta, nisi hoc unum et maximum sacrificium significabant? *Hujus sacrificii*, Augustinus ait, *multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, et sine fastidio multum commendaretur.*

Igitur *nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Et vere, auditores, ipsum inquam, manet. Nam cum mors, poena, et stipendium peccati sit, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, et qui *inter mortuos liber*, hoc est, innocens inter peccatores et inter injustos justus erat, mortis imperio subjacere non debuit. Et certe nisi propter nos moriendo aliorum onera ferre, et quae non rapuit exsolvere decrevisset, nemo illum non modo interficere, sed nec laedere unquam potuisset. *Ego*, inquit, *pono animam meam nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam. Ego dormivi*, inquit, ego sponte, voluntate, non necessitate dormivi, *et soporatus sum et exurrexi.* Ipsum igitur, nisi voluntarie moriatur, manet, non moritur, non corrumpitur, non dissolvitur, et solum manet. Cum enim omnium nostrum, qui in Adam mortui sumus, salus et vita ab istius unius grani morte, et passione penderet, si ipsum mori non voluisset, quis nostrum vivere potuisset? Neque igitur patriarchae, neque prophetae, neque apostoli, neque martyres neque confessores, neque virgines, neque caetera beatorum hominum agmina coelum tenuissent, neque in posterum aliquis ad illas beatissimas sedes aspirare potuisset, si Christus Dominus suo sanguine nos non abluisset et crucis ligno, veluti quadam clave, coelum non aperuisset, sed ipse solus, qui solus justus et innocens erat, salvus et beatus fuisset. *Nisi* igitur *granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet.*

Sed enim auditores, ideo Dominus carnem suscepit, et novus Adam, et granum frumenti dici voluit, non ut otiosus esset, et fructum nullum adferret, sed potius, ut pater fieret futuri saeculi, et ut segetes, quae ex corrupto semine tabidae et corruptae natae fuerant, iterum ex incorrupto atque integro semine nascerentur et incorruptae atque integrae fierent. *Oportet*, inquit, *vos nasci denuo*: ex patre servo servi nati estis, iterum ergo ex patre libero nasci debetis, ut liberi sitis. Idcirco sequitur, et ait: *Si autem mortuum fuerit, ipsum solum manet.*

Sed enim auditores, ideo Dominus carnem suscepit, et novus Adam, et granum frumenti dici voluit, non ut otiosus esset, et fructum nullum adferret; sed potius, ut pater fieret futuri saeculi, et ut segetes, quae ex corrupto semine tabidae et corruptae natae fuerant, iterum ex incorrupto atque integro semine nascerentur et incorruptae atque integrae fierent. *Oportet*, inquit, *vos nasci denuo*; ex patre servo servi nati estis: iterum ergo ex patre libero nasci debetis, ut liberi sitis. Idcirco sequitur, et ait: *Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Initio enim cum ex primo Adam mater omnium gentium Eva fieri deberet, immisit Dominus soporem in Adam, et dum ipse dormiret ecce de latere ejus Domino jubente Eva procedit. Evigilabat Adam, videt sibi datum adjutorium simile sibi, et ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, adhaeret uxori suae, et ecce duo sunt in carne una. *Sacramentum hoc magnum est*, auditores, *ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Quis enim Adam novus et coelestis, nisi Christus? Quaenam Eva mater nostra, nisi ecclesia? Dormit igitur Adam in paradiso, moritur Christus in cruce: Ex Adae costa fabricatur Eva, ex Christi latere procedit Ecclesia: Eva uxor efficitur Adae, Ecclesia sponsa efficitur Christi: Ibi sunt duo in carne una; hic autem non sunt duo, sed una caro. Hoc est igitur, *Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.*

Rursum pulcherrima Rachel bis peperit filios: semel quidem cum gaudio et laetitia, et Joseph, hoc est, augmentum nominavit. Iterum autem cum tam acerbis cruciatibus, ut dum filium in lucem ederet, ipsa migraret ex luce, et prolem illam filium doloris sui voluit appellare, sed pater filium dexterae nominavit. O mysterium adorandum. O nobis utilissimum sacramentum. Quid enim Rachel pulcherrima, nisi sapientiam Dei significat? quae *candor lucis aeternae, et speculum sine macula et luci comparata inventur prior.* Haec igitur aeterna sapientia bis hominem peperit, auditores: semel creando, iterum recreando, ut jure ac merito dicere possit: *filioli mei, quos iterum parturio*: verum dum crearet, minime laborabat, imo et ludebat. Sic enim legis: *Cum eo eram cuncta componens et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Et tunc hominem Joseph, idest, augmentum appellavit. Siquidem ait: *Crescite et multiplicamini et replete terram.* At cum secundo eadem sapientia carne vestita filium pareret, numquid sine labore id fecit? Non sane, auditores, sed laboravit, sudavit, fatigata est. Et idem doluit, gemuit, clamavit, et tandem moriendo filium enixa est, quem ipsa quidem filium doloris sui dicere potuisset; sed Patres aeternus dextrae et beatitudinis filium esse voluit: hoc igitur est: *Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.*

Stabat aliquando Moyses coram silice, et virgam in manu tenebat et populis sitientibus petram percutere non audebat, sed ajebat: *Num ex petra hac vobis aquam elicere poterimus?* Percussit tamen virga silicem, et ecce largissimae aquae profluxerunt. Ita plane, auditores, apparuit quondam in Sion lapis magnus, lapis angularis, lapis offensionis et petra scandali: populus sitiebat et lapis clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Verum Mosaici sacerdotes et scribae et Pharisaei impingebant in eum, et dicebant; *Non est hic homo*

a Deo, qui sabbatum non custodit. Scimus, quia hic homo peccator est. Nathanael quoque dicebat: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Sed percute Judaeae petram, feri silicem rebellis et incredule. Percutit Judaeus lapidem, clavos figit, pectus fodit, et ecce scaturiunt fontes charismatum, pluunt imbres sacramentorum, currunt flumina sanguinis pretiosi, quae peccatorum maculas abluunt, virtutum plantulas irrigant, et sitim terrenae cupiditatis extinguunt. Hoc est igitur: *Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.*

Denique, ut in proposita similitudine maneamus *seminat in lachrymis* agricola nudum granum, ut paulo post *in exultatione* metat. Emoritur quidem illud, sed mox resurgit, neque solum neque nudum, sed virescentibus foliis quasi vestitutum, et multis sibi similibus granis ex omni parte stipatum. Ad eumdem modum, auditores, Christus solus et nudus, veluti semen in terrae visceribus jacuit reconditus; sed post triduum exurrexit, immortalitatem, gloriam, et lumen et decorem indutus: et ecclesiam simul ad vitam et lucem revocavit. Itaque ipse culmus, ecclesia spica, ipse caput, ecclesia corpus, ipse radix, ecclesia virgultum, seu potius arbor pulcherrima et maxima est. Hoc est igitur: *Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.*

Verum, auditores, in initio haec spica more caeterarum frugum parva et tenera erat, sed paulatim Domino incrementum dante ad eam magnitudinem pervenit. Haeretici clamant, non erant in Ecclesia temporibus apostolorum tot templa, tot ornamenta, tot aurea vasa atque argentea, tot caeremoniae, tot festa, tot sermones: non erant, quia spica recens orta, nisi parva esse non poterat. Sed numquid propterea numquam esse debuerunt? An vero, quia in mense novembri in arvis vix herba conspicitur, in Julio et Augusto messis esse non debet? Et quia puer in primis annis, neque dentes neque barbam habet, in maturitate, postea barba et dentibus carere debet?

Crevit igitur Ecclesia, et multum vehementerque profecit, scientia, intelligentia, sapientia, ornatu et cultu rerum divinarum aucta est: eadem et tamen quae antea erat, sicut et nos pueri, adolescentes et viri non alii sed iisdem prorsus sumus. Nam quemadmodum nos dum crescimus et augemur, non alia membra acquirimus, quae initio non haberemus, sed illa ipsa, quae parva in pueris erant, magna fiunt in viris: et caput et genae pilis quodammodo vestiuntur, et totum corpus, quod nudum ex utero matris in lucem prodierat, indumentis ornatur. Ita prorsus, auditores, dum crescit ecclesia, non alios fidei articulos, aut alia sacramenta aut alia Evangelia acquirit, quae antea non haberet; sed haec ipsa explicantur. Initio nascentis ecclesiae, quot erant articuli fidei? Duodecim. At modo quot sunt? Numquid viginti quatuor? Minime: sed omnino duodecim. Et tamen, quae in illis articulis breviter continentur, in Concilio Nicaeno et Constantinopolitano quodam modo explicata creverunt. Et sacramenta quot erant apostolorum temporibus? Plane septem. Neque plura aut modo sunt aut unquam fuerunt. Et haec tamen sanctissimis caeremoniis, et aureis atque argenteis vasis, et pulcherrimo apparatu a religiosissimis pontificibus, qui *decorem domus* Domini dilexerunt, ornata atque instructa, majora et augustiora quodam modo esse videntur. Idem de rebus caeteris, quibus aucta est ecclesia, si per tempus liceret, dicere possumus.

Sed illi sunt, auditores, illi, qui hujus spicae incremento invidentes, eam eradicare conantur: non nocet domui, qui super eam aedificat, sed qui ejus diruit fundamenta: neque officit arbori, qui eam erigit, et ramos explicare, et flores ac fructus parere facit; sed multum obest, qui radices ejus evellere molitur. Et hoc est, quod haeretici faciunt, dum modo unum articulum, modo unum sacramentum, modo unum canonicum librum, modo ipsum sacramentum de ecclesia tollere nituntur. Et quia id non valent efficere (nam *portae inferi non praevalebunt adversus eam*) venit Satan, et infelices aliquot ramos et iam igni destinatos, ab ecclesiae trunco praecidit, et in sterili solo figit potius, quam plantat, et tunc exultantes haeretici vociferantur, et dicunt: *Ecce hic est Christus*, haec est arbor Ecclesiae, quae parva est, ut erat olim apostolicis temporibus: recognoscite fidei puritatem, sinceritatem, simplicitatem. Sed non credimus vobis: Nam vera spica ex Christi semine orta, et vera arbor Ecclesiae non potest, tam recens et tam exigua esse, quae jam a pluribus quam mille quingentis annis orta est. Jam adolevit, jam radices altissimas ac profundissimas habet, et ramos suos *a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* extendit.

Verum Deo gratias, auditores, rami isti praecisi, nullis nisi sibi, efficere potuerunt. Siquidem ipsi, quia radices non habent, arescent omnino, et pabulum fient ignis aeterni. Ex arbore autem Ecclesiae novi et meliores rami pro illis pullulabunt. Quis hoc ignorat, auditores? Quis hoc usu tam longo non didicit? Ubi enim iam sunt haeretici Arriani, qui orbem pene totum jam sibi subegerant, ut beatus Hieronymus diceret: *Ingemuit totus orbis, et Arrianum se esse miratus est.* Ubi Macedoniani? Ubi Donatistae? Ubi Manichaei? Ubi tot alia infelicia monstra; nec ipsi, nec libri, nec templa nec dogmata illorum apparent: et nisi in voluminibus catholicorum eorum nomina legeremus, fortasse nec si aliquando fuissent, intelligere possemus. Nec mirum; nam rami praecisi erant nec sine radicibus vivere diutius poterant. At Ecclesiae arbor, semper floruit magis ac magis: et quam radices habent in coelo, concuti, agitari ramis et foliis spoliari potest; sed eradicari, et penitus exscindi aut deiici minime potest.

Quae cum ita sint, auditores, dubitare non possumus, nec debemus, quin etiam rami recens praecisi, Lutherani inquam et Calvinistae, quamquam virorem quemdam adhuc retinere et conservare videantur, arescere tandem, et sempiternis flammis cremari debeant, nisi Dei benignitate in arborem Ecclesiae rursum inserantur. Erit etiam tempus, Domino aspirante, quando ne vestigium quidem hujus incendi, quod modo restingui non posse videtur, apparebit: Deus enim idcirco ad tem-

pus haereses oriri, et ramos ecclesiae praecidi permittit, ut ecclesiae purgetur et confirmetur, et novis prodeuntibus ramis, revirescat et innovetur.

Sequitur. *Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodit eam.* Dominus noster, auditores, hactenus de seipso, verba fecit, atque ostendit, quo pacto viam nobis ad coelum aperire ac sternere decrevisset: nunc de nobis sermonem instituit, ac docet, quid nobis faciendum sit, si ad eam gloriam cupimus pervenire, ad quam ipse, tamquam dux et princeps noster, viam munivit: et una atque eadem sententia tribus simul falsis opinionibus, quae ex praecedenti oriri posse videbantur, occurrit.

Primum enim opinari aliquis potuisset, omnes homines salvos futuros, et regnum coelorum adepturos esse. Nam si pro omnibus granum frumenti mortuum est, et inefficax seminis virtus esse non potuit, cur non omnes resurgere ad vitam, et ad gloriam debent? Verum Dominus respondet, non omnes, imo nec majorem partem hominum, sed paucos quosdam salvos fore. Siquidem ait, etiamsi granum frumenti moriatur, et fructum multum adferat, tamen *qui amat animam suam, perdet eam: et qui mihi ministrat, me sequatur.* Numeremus, auditores, eos, qui animam suam, hoc est, vitam suam non diligunt, et qui Christum per arctam illam et difficilem viam sequuntur; fortasse non multos, fortasse paucos, fortasse nec unum in hac tam frequenti concione reperiemus. Non vos decipiam, auditores, non adulabor vobis. *Populo meus, qui te beatum dicunt, ipse te decipiunt*: non ita ego a Domino didici, quem auditores suos reprehendisse frequenter lego, laudasse numquam lego. Et praecursor Domini Joannes Baptista initio concionis aiebat: *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere a ventura ira?* Haec ejus exordia erant, ita benevolentiam et gratiam sibi conciliabat.

Paucos igitur, paucos, si verum dicere volumus, numerare poterimus, qui vitam suam oderint in hoc mundo, et millies eam periculis exponere sunt parati potius quam vel levissime Dominum suum offendant. Qui autem viam illam lapidum et spinarum plenam cum Domino ingredi velint, nescio an aliquos simus inventuri: quando non solum ii, qui mundo palam inserviunt, sed etiam clerici et ministri Domini nihil aliud, quam otium et quietem consectantur. Videas adolescentem ornatis moribus, et praeclaro ingenio philosophiae et theologiae operam dare, petas ab eo, quo spectant illa studia? quo illi diuturni nocturnique labores diriguntur? num, ut armis Domini sui tam bene instructus in Solem et arenam descendat? num, ut in agro, num, ut in vinea Christi laboret? Non sane, hoc respondebit; sed, ut divitem canonicatum habere possit, ac deinceps tranquille et quiete vivat, et *in labore hominum non* sit; et nescit miser eos, qui in labore hominum hic ad tempus esse venturos. Profecto si mentis oculos in eam viam, quae ducit ad inferos, intendere volueritis, videbitis eam tam frequentem, tam celebratam, tot curribus, et equis refertam, ut vix tantam hominum multitudinem capere possit, invicem se comprimunt, alius alium pellit, ad gehennae incendium festinant, tamquam si properarent ad nuptias. At contra via illa, quae ducit ad coelum, deserta et invia quotidie magis ac magis efficitur. *Viae Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem*: ibi crescit herba, Christus pene solus est ibi, et interim clamat; *Qui ministrat mihi, me sequatur.* O saltem vos, qui ministri mei dicimini, o clerici, o sacerdotes, quid vos cum via lata, quae ducit ad inferos? cur me non sequimini? cur animarum salutem negligitis? cur spinas horretis? cur molestias fugitis? cur talentum absconditis? Tempus fuit, auditores, quando se Christo homines commendarent; nunc mihi opus esse videtur, ut nos hominibus Christum commendemus. Ne quaeso, fratres, ne ita solum Christum relinquamus, sed singuli potius in humeros cruce sublata tantum ducem per tribulos et saxa, per clavos et lanceas persequamur, ut cum pauci sunt, qui salvi fiunt, ex illis paucis esse digni simus.

Verum enimvero, auditores, non ideo pauci qui resurgent ad vitam, quod inefficax aut sterile fuerit granum frumenti, quod pro nobis mortuum est: sed quia socordia et nequitia sua homines, vel misceri se in spicam, et ejus effici grana non sinunt, vel jam grana spicae effecta excuti se, et in terram deiici, et ab avibus coeli, id est, daemonibus devorari facile patiuntur. Sic igitur profligatur quaestio prima.

Sed ecce adest Lutheranus nescio quis, si suum errorem ex verbis Domini confirmat, et ait? Si granum frumenti mortuum est, ut multum est, et multum fructum attulit, hoc est, humani generis salutem procuravit, nihil profecto nobis efficiendum dimisit: sed velimus nolimus, modo tamen credamus, salvi erimus. Falleris. Non est ita. Sed licet frumenti granum mortuum sit; et fructum multum attulerit, nisi tamen *oderit animam suam, perdet eam.* Itaque non solum credere nos jubet, sed etiam animam nostram odisse, et ejus vestigia sequi: sicut etiam dicit apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Quod exemplum, beatissime Petre, quae vestigia, sequi nos jubes? Numquid fidei exemplum? ut sicut ille credit, ita et nos credamus? At in Domino, qui faciem Patris semper videbat, fides locum habere non potuit. Quod igitur exemplum, quaenam igitur vestigia? Ipsum audiamus: *qui cum maledicerentur, non maledicebat, cum paterentur, non comminabatur.* Haec igitur vestigia sequi debemus, si salvi esse velimus: patientiam, constantiam, fortitudinem, et caeteras praeclaras et Christiano nomine dignas virtutes.

Iam vero postremus error quorumdam est nimis torpentium et desidiosorum. Invenias enim nonnullos, qui cum audierint verba illa Dominica: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* referunt ad se, atque ajunt: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,* non addidit, putrescet, con-

fringetur, in ignem mittetur: sed ipsum solum manet. Igitur manebo, et salvus ero, etiamsi fructum non attulero. Erras, frater, falleris, deciperis: non enim de te, sed de se Dominus ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* De te autem audi, quid dicat: *Qui amat animam suam, perdet eam*, hoc est, qui pati et mori, ut fructum multum adferat, noluerit, non dico, ipse solus manet; sed perdet animam suam. Vides quam bene Dominus errorem tuum et falsam opinionem refellat? O utinam, auditores, aperiat Dominus aures cordium nostrorum, et intelligamus verbum veritatis. Nemo dicat: Non occidam: non moechabor: non falsum testimonium dicam: a rebus alienis mentem, oculos, manus abstinebo. De caetero autem mihi vivam, ad proximorum calamitates oculos claudam, otium et quietem consectabor: nemo, inquam, haec dicat. Siquidem hodie necessitas nobis imposita est, aut fructum, quantum possumus, adferendi aut certe animam nostram perdendi.

Neque hoc novum est atque inauditum, auditores. Recolite mecum evangelium: qui talentum in sudario conservavit, et domino repetente integrum restituit, numquid non audivit: *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores*? Quamobrem? numquam talentum dissipavit? numquid amisit? numquid non diligenter custodivit? Custodivit sane, et integrum, ut diximus, restituit: sed cum usura reddere debuit, quod accepit. Et quia id non fecit, merito audivit: *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores.* Quae cum ita sint, auditores, excutiamus torporem, operi manum admoveamus, proximorum salutem cum Christo sitiamus, et talentum, quod accepimus, cum foenore reddere Domino studeamus.

Video, auditores, me telam, quam incepi, propter temporis angustias, non posse perficere: faciam igitur id, quod viatores facere solent, qui tametsi proposuerint ad urbem aliquam pervenire; tamen ubi solem occumbere vident, ad illud hospitium divertunt, quod primum occurrit. Sic, inquam, et ego, cum telam texere totam non possim, ubi horam fluxisse cognovero, orationis meae filum praecidam. Quemadmodum igitur illa sententia Servatoris: *Qui amat animam suam perdet eam*, tres perniciosi errores refellantur, hactenus audivistis: sequitur, ut illam ipsam sententiam breviter explicemus.

Qui amat, inquit, *animam suam perdet eam.* Duo sunt nobis hoc loco fundamenta constituenda. Unum, animae nomine vitam hic esse significatam, ut Cyrillus, Augustinus et Chrysostomus docent. Alterum, non omnino hic vitae amorem prohiberi, alioqui non adderet Dominus: *qui autem oderit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* Vitam igitur in hoc mundo dumtaxat odisse, in altero autem amare et custodire jubemur. At vero, cur et quomodo vitam in hoc mundo odisse, in altero diligere debemus, audite.

Atque ut exemplis rem totam ob oculos proponamus, fingite febri ardentissima aliquem laborare, eaque stimulatum vehementer sitire, et ab iis, qui domi sunt, magnis contendere precibus, ut sibi aquae poculum adferatur. Porro medicum interea accersitum adesse, et ubi ex concitatiore motu venae febrium exploravit, ad aegrum converti, et dicere: vena renunciat febrim, idcirco vide, ne forte incautus gelidam aquam bibas: si enim id feceris, primo quidem modicum levaberis, deinde tamen multo gravius vehementiusque afflictaberis. Quod si tunc aeger medico responderet, ac diceret: Quomodo tam saevius in carnem meam unquam esse potero, ut ei etiam aquae poculum denegem? Arctioribus, Medice, arctoribus nexibus charitatis cum ea sum colligatus, quam ut eam ulla ratione contristare possim. Nonne medicus jure cum stomacho diceret: Agas, ut lubet, vivas ratione tua, qui mea non potes: verum tamen illud scito, quod si carnem tuam sic affectam, ut est, diligere, et eam minime contristare volueris, interficies eam: si vero ad tempus carnem aegrotam oderis, et in eam pharmacis, inedia, cauteriis aliisque medicamentis saevieris, eam sanam integram et benevolentem in non modicum tempus conservabis.

Pari ratione, auditores, si natura nostra in eo vigore et integritate permansisset quam a Deo effectore in sua conditione receperat, numquam Dei verbum, medicus humani generis, deceret: *Qui amat suam animam, perdet eam*, neque jejuniorum aut vigiliarum aut ipsius martyrii nomen unquam audivissemus. Verum quando per peccatum primi hominis in gravissimum morbum incidimus, plane nobis necessarium est medici consilium audire, pharmaca ab illo constituta non spernere, et in aegram naturam nostram ad tempus saevire, ut eam sanam et incorruptam in aeternitate custodire possimus. Nam etsi interdum baptismi salutaribus aquis, vel poenitentiae medicamento vulnus peccati curatum est; tamen et saepe in morbum recidimus, et semper fomes et concupiscentia, radix peccatorum nobiscum perseverat. Unde tam multae, et tam distortae at tam effrenatae appetitiones perpetuo pullulant, et apostolus Paulus dicere cogeretur: *Scio, quia non habitant in me, hoc est, in carne mea, bonum.*

Est autem haec natura rerum, auditores, ut clavus clavo trudatur, et venenum veneno, et malum malo, et perturbatio perturbatione pellatur. Hausit quis venenum, vel nequitia inimicorum vel incuria domesticorum? mox pharmacum ex venenis variis compositum sumere jubetur. Aeger est aliquis, et consolatione et refectione indigere videtur? medicus tamen afflictum rursum affligit, et venam secat, membrum urit aut medicamentum bibere cogit, quod stomachum aegri totum conturbat. Quid ita? nimirum, ut humorum temperamentum morbi perturbatione sublatum medicamenti perturbatione restituatur. Sic etiam ille, qui homicidium fecit, reipublicae membrum praecidit, ac proinde quietem illi et tranquillitatem abstulit: venit judex, et homicidam agit in crucem, atque ita membrum alterum reipublicae praecidendo, quietem illi et tranquillitatem reddit. Ita plane, ita, auditores, Deus facere solet. Siquidem malum culpae curat malo poenae: ac propterea peccatores in gehenna poenarum malum numquam deseret, quia nec

deserent unquam malum culpae. *Superbia eorum. qui te oderunt*, ait David, *ascendit semper*. Hinc igitur benignissimus sapientissimus medicus noster Christus, dum in corpore sumus, dum morbus curationis est capax, quando quis nostrum peccat, poenitentiae pharmacum proponit, et ne quis potionis amaritudinem causetur, addit, et dicit; *Qui amat animam suam perdet eam.*

Quid igitur nos facere oportet, auditores? Plane, quod aegri facere solent vel debent. Ut enim illi, dum medicus contra aegritudinem praeliatur, non debent a partibus aegritudinis contra medicum stare, sic enim numquam morbus debellaretur: sed cum medici dextera suas dexteras jungere, et communi consilio bellum gerere contra morbum: ita et nos, cum Deus non in corpora nostra (ut sapienter, d. Basilius ait) sed in peccata nostra desaeviat, ideo crucem in humeros tollere, et gemitus fundere, et orare, et nos jubet, ut aliquando peccati pestis radicitus eruatur, et sanitatem perfectam in coelis consequi possimus.

Audire non debemus, quid aegra, et insana, et futurorum bonorum nescia caro, vel cupiat, vel postulet vel quaeratur: sed cum Deo medico sapientissimo et salutis nostrae studiosissimo dextras jungere, et in ipsos saevos ad tempus et crudeles existere decet. Igitur si peccasti frater, confitere: Si rapuisti, restitue: si petulans caro turpes ingerit cogitationes; et in flagitia te impellit, corpus caede flagellis, coerce jejuniis, compesce ciliciis, humi cubationibus reprime. Et si dura ista tibi videntur, duriora erunt tormenta gehennae, et si carnem tuam, quam diligis, contristare vel modicum times, audi, *qui amat animam suam, perdet eam.* Si qui injuria te, aut contumeliis affecerunt, non illis irascaris, sed potius ut bene de te meritos amplectere. Siquidem ut beatissimus Franciscus dicere solebat; Qui nos vexant, illi partes nostras contra pessimum inimicum, carnem videlicet nostram, quam nos ipsi domare non possumus, capiunt. Et si hoc tamquam nimis crudele factum exhortes, audi, *qui amat animam suam, perdet eam.*

Aspiciamus, fratres, atque imitemur Christi martyres invictissimos et milites Domini strenuissimos licet virgas expediri, et gladios nudari et ignes accendi, et bestias incitari, et cruces aptari, et alia innumerabilia atque exquisitissima supplicia diaboli nequitia excogitata, parari viderent, minime tamen moveri aut flecti ullo modo poterant. Quamobrem, charissimi? Nempe, quia ista Domini verba in cordibus suis jam scripta legebant: *Qui amat animam suam, perdet eam: et, qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.*

Ac ut de caeteris sanctis martyribus dicere omittamus, certe noster beatissimus Laurentius, cujus inclito martyrio ecclesia illustrata hodie potissimum exultat et gaudet, cum esset adhuc adolescens, et in ipso plane flore aetatis, quando jucundior vita hominibus esse solet, cum non aereum corpus, nec lapideum, sed carneum et sensibus praeditum haberet, sicut nos omnes habemus, et interim sibi tam acerbum, tam atrox, tam inauditum supplicii genus praeparari videret, ut lento igne corpus torrendum, et longissimis cruciatibus vita sibi finienda esset, numquid tamen ingenuit? numquid fidem abnegavit? numquid non tyrannum irrisit? Et unde in tam tenero et delicato adolescente tanta animi fortitudo? tantum robur? tanta constantia? Nimirum, quia non surdis auribus audierat: *Qui amat animam suam perdet eam; et qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* Astabat cruentus carnifex, ferream craticulam praeparabat, nudatum adolescentem, et virgis crudelissime caesum, super eam extendebat, ardentes prunas supponebat, jam stridor tenerae carnis audiebatur, jam sacrificii odor diffundebatur, jam membra delicata solvebantur, et interim aures martyris beatissimi sirenarum illae voces feriebant; Parce adolescens infelix, parce aetatis flori: quid magnum est in Christum aliquid dicere? nega fidem, et vive; Dic unum verbum, et tantis cruciatibus libera. At ille, quia non extrinsecus verba sonantia; sed intrinsecus sibi loquentem, et magnis clamoribus repetentem; *Qui amat animam suam perdet eam*, vigilanter attendebat, licet corpore semjusto, laetus tamen et hilaris tyrannum irridebat.

Audierat plane, audierat beatissimus Laurentius et in corde penitus reposuerat illa verba; *qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit*: se Christi diaconum, hoc est, ministrum esse noverat idcirco in qua urbe sacratum Domini sanguinem ministrabat, in ea pro Domini fide sanguinem suum fundere gestiebat, Nec ejus spem, et desiderium Dominus fefellit. Sanguinem igitur fudit, imperatorem in praelio non deseruit: propterea laurea juxta suum nomen coronari, et coelestem Jerusalem triumphator intrare, et ubi Christus est, et ipse tamquam fidelis minister, esse promeruit.

Nos autem, auditores, quid? numquid solum audire et laudare, et admirari gesta sanctorum, et eorum labores momentaneos, et gloriam diuturnam et praemia sempiterna debemus? Cui non potius Uriam illum imitamur, cui ex castris venienti, cum diceret David, ut in domum suam abiret, et quieti paulisper se traderet, fortiter omnino respondit: *Dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terrae manent, et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam et per salutem animae tuae, non faciam rem hanc.* Dominus meus Joab, auditores, imperator, inquam, noster Christus scalam crucis ascendit, ut regnum coelorum pro nobis expugnet: plagas excipit, lanceis foditur vulneribus conficitur neque tamen descendit: et servi Domini mei omnes sunt in acie, alii lapidantur, alii secantur, alii decerpuntur, alii bestiis objiciuntur, alii flammis torrentur, alii circumeunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis et in cavernis terrae, alii mundo, et delitiis valedicentes in monasteriis reconduntur, et ibi jugiter obedientiae holocaustum offerunt domino, donec transeant dies mali, et spiritus dicat, *ut requiescant*

a laboribus suis: et nos in umbraculis sedentes otiosi, manibus complicatis, horas et dies, et menses et annos numeramus: comedimus et bibimus, ludimus et ridemus, ducimus *in bonis dies* nostros *et in puncto ad inferna* descendimus.

O quam multi sunt auditores, qui inconsiderate viventes ante se in gehennae incendiis vident, quam de illis coeperunt cogitare? Nunc, nunc, hac hora, hoc momento incipiamus, fratres. Numquid non legistis de templo Salomonis, quo pacto dum erigeretur, sonitus mallei non est auditus? Siquidem in alio distantissimo loco lapides poliebantur et accommodabantur, ut cum ad templum deferrentur super aedificium impositi optime cum aliis cohaererent. Ad eumdem modum in coelorum regno, ubi vivis ex lapidibus Jerusalem construitur, mallei sonitus non auditur, non ibi labores jejuniorum tolerandi, non eleemosynae faciendae, non injuriae perferendae, non salus animarum procuranda est; sed hic tunsionibus, pressuris poliuntur lapides, ibi autem disponuntur permansuri per manum artificis.

Neque dicat aliquis: Ego quidem percuti et poliri, vexari et cruciari, martyrium ferre et sanguinem fundere pro Domino sum paratus, sed abest persecutor. Non credimus, frater, non credimus, neque facile id nobis persuadebis. Nam si martyrium ferre potes, quare si quis te torve aspiciat, ferre non potes? Si sanguinem dare potes, cur pecunias dare non potes? Si vulnera excipere potes, cur verbum unum, quod per aerem volat, et corpus non tangit, patienter audire non potes? Si in vinculis, et carceribus et equuleis pro Christo manere potes, cur jejunare, orare, horas canonicas paulo prolixiores recitare non potes? Cum igitur ista minima et levia non possis, neque illa magna et gravia posses. Et, si persecutor adesset, non unam fidem, sed septem, ut ait Tertullianus, abnegares.

Quocirca, auditores, per salutem animarum vestrarum, per capita vestra oro vos, statuite aliquando, imo vero statuamus jam, num regnum coelorum adipisci velimus et si quidem id volumus intelligamus, non esse istum ludum puerorum, neque in ultimis negotiis ponendum; sed primum id maxime velle, et ardentissime cupere et quotidie a Domino petere non vocibus tantum, sed gemitibus et suspiriis, et perpetuo de eo cogitare debemus. Deinde operi manus admovendae sunt, et nulla lucri spiritalis occasio dimittenda, nullis parcendum laboribus, omnia pericula, et difficultates animi fortitudine superandae sunt: omnibus autem et mundi blanditiis et carnis illecebris, diaboli molitionibus, terroribus minis, tamquam scutum opponamus illa Domini verba: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Haec verba semper in corde volvamus, ut ad eum, qui illa protulit, perveniamus Jesum Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XL.

DE ASSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

THEMA

Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. *Luc.* 10.

SYNOPSIS

Utilitates festivitatum sanctorum, et causae assumptionis b. Virginis breviter narratae, exordii vices subeunt; et ad explicationem evangelii praeparatur oratio. Quomodo nostra anima sit spiritualis domus Dei, quam in firma fide fundare oportet, secus quam faciant haeretici, pagani et Judaei. Quomodo Christus et Petrus sint Ecclesiae fundamenta subordinata; et cur haeretici extra haec fundamenta in arena aedificent, pulchro discursu probatur. Fidei articulos ad unum omnes esse tenendos, vulgari quidem, sed apposita similitudine calcei, docetur. In spirituali domo supra fidem fundata spem loco parietum esse debere, demonstratur; qua ratione spes omnia gravia facilitet, et quam vana sit impiorum spes, seu potius praesumptio, testimonio Sapientiae confirmatur. Ne tamen haec spes in teneritatem degeneret, tecto charitatis, secundum s. Scripturae doctrinam, sartatecta est custodienda; ac proinde domus spiritualis fundamento fidei innititur, parietibus spei erigitur et tecto charitatis perficitur.

Secunda pars in laudibus b. Virginis occupatur, ubi primum ipsius firma fides, singularis spes et perfecta charitas digne extollitur; illiusque exercitia et desideria post ascensionem Christi ad fidem usque vitae describuntur. Tandem obitus ipsius breviter narratur, ubi deinde probatur, corpus b. Virginis etiam in coelum assumptum fuisse. Quantis praeterea gaudiis in vicem superatorum olim sub crucem dolorum perfusa sit, mira amplificatione adducitur. Virginem Deiparam esse mulierem amictam Sole apocalypsis, et quae sint duodecim stellae in corona illius; et quomodo Lunam sub pedibus habeat, eleganter declaratur. Epilogus denique nos ad imitationem virtutum b. Virginis invitat, atque, ut patrocinium ejusdem imploremus, graviter admonet.

Cum omnes festi dies, quibus divorum pie memoriam ac vitam religiose prosequimur (ornatissimi auditores) nos ad spem beatitudinis et immortalitatis accendere, atque ad ea praemia consequenda, ad quae illi pervenerunt, quasi stimuli quidam nobis esse deberent; tum vero maxime hodiernae diei summam laetissimamque celebritatem id nobis efficere, regni coelestis amorem animis nostris inserere, mentes erigere, desideria inflammare et stimulos concitare, par esset. Beata siquidem Virgo, non Deus, non Angelus sed homo tantum erat, ejusdem naturae, ejusdem mortalitatis, cujus nos omnes sumus: quin etiam, quod magis est admirandum, humilioris. Nam foeminarum naturam infirmiorem et humiliorem esse, quam virorum natura sit, quis ignorat? et tamen hanc ipsam virginem, natura hominem, sexu foeminam, conditione mortalem, ex hominibus natam, inter homines educatam, quae aliquando esurivit, sitivit, fatigata est, jam terrae montes, spatia elementorum, coelorum regiones transcendisse, et super omnes omnium angelorum choros, ut ecclesia canit, exaltatam, proxime ad divinum Numen accessisse credimus. Nec solum animo ita illustratam, ut intelligentiam, ac sapientiam Cherubim et Seraphim, aliarumque sempiternarum, ac prope divinarum mentium longe superest, sed etiam corpore quasi vestitam immortali et glorioso, tantaque luce praedito, ut hujus Solis splendor cum eo nulla ex parte comparari possit. Haec igitur omnia nihil dubito, quin omnium vestrum animos feriant, atque in eis coelestis gloriae desiderium vehemens, et flammam amoris accendant. Sed, quid consilii capiemus, ut ad eam gloriam aliquando pervenire possimus? Quis explicabit nobis, quam viam prudentissima illa virgo tenuerit? Nam et coelum sublimius est, quam ut ad ipsum scalae admoveri possint, et nos natura ita comparati sumus ut semper ad imum pondere nostro feramur. Atque utinam vel pennas haberemus, sicut columbae, ut volando aliquid experiri liceret.

Ego quidem, auditores, diu apud me cogitans,

quibus gradibus hodie Virgo Deipara coelos ascenderit, video, eam non tam suis ac propriis viribus ascendisse, quam a Dei Filio assumptam, atque ad eam gloriam evectam admirabili ratione et modo fuisse. Nec sane immerito. Nam cum aliquando idem ipse Dei Filius de coelis ad terras descenderet, et in propria quidem veniret, sed sui eum minime reciperent.haec una optima atque sapientissima, summa alacritate occurrens,excepit illum in domum suam. Quid mirum igitur cum ipsa ex hoc nostro orbe in alium commigravit, si clementissimus Dominus ei vicem reddere, et eam excipere in suam regionem voluit? Id enim ratio hospitii postulare videtur, ut qui amice ab alio excipitur, is quoque alium libenter excipiat. Atque haec causa est, quantum opinor, cur ecclesia catholica mater nostra historiam illam evangelicam hodie nobis proponat, cujus initium est. *Intravit Jesus in quoddam castellum : et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam; et huic erat soror nomine Maria.* Nomine siquidem Marthae et Mariae una Domini Mater significatur, quae et solicitudine Martha, et contemplatione vera Maria fuit. Quae cum ita sint, nihil me utilius explicare posse hodierna die existimavi quam haec duo: ad quem modum videlicet olim Maria Christum et hodie Christus Mariam exceperit.

Ut igitur de eo, quod prius est, prius dicamus, cum Dominus in terras ad opus nostrae liberationis adveniret, omnes ferme alias domos,vel a daemonibus occupatas vel semidirutas vel parum munitas, vel saltem minus ornatas et instructas invenit. Itaque in domum Virginis Mariae,quam unam instar arcis munitissimam et instructissimam esse vidit, se recepit.

Quaerat forsan aliquis, qualis haec si domus,ad quem modum fabricata, quod fundamentum, quos parietes, quod tectum habeat? *Domus Dei*, inquit beatissimus doctor Augustinus sermone 22. de verbis apostoli, *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Habet igitur domus haec fundamentum fidei, parietes spei, tectum charitatis. Certe ecclesia in oratione hujus hebdomadae nihil aliud postulare videtur: *Omnipotens sempiterne Deus*, inquit, *da nobis fidei, spei et charitatis augmentum.* Ecce domum. At in quem finem? Et, *ut mereamur*, inquit, *assequi. quod promittis.* Quid promittit et praecipit Deus? Promittit nobis domum in coelo, si nos illi hic in terris domum exhibeamus. Ergo ut mereamur assequi domum illam, quam promittis, fac nos libenter et gratis animis domum aedificare, quam praecipis. Beati plane, qui ejusmodi domum in suis animis habent.Haec enim sedes sapientiae est,hanc *elegit* Dominus *in habitationem sibi.* Et quo tendunt omnes conciones, omnia sacramenta, omnia praecepta, omnia consilia, omnes divinae literae, omnes patrum lucubrationes, omnes nostrae contentiones? nonne huc, ut in animis nostris haec domus aedificetur? atque in eam Dominum, dum vivimus, recipiamus,ut ipse nos in aeterna sua tabernacula post obitum recipiat ? Domus igitur Dei credendo fundatur: fides enim est fundamentum initiumque justitiae. *Sine fide*, inquit apostolus Paulus, *impossibile est placere Deo.* Et rursm *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod remunerator sit inquirentibus se.*

Verum enim vero omni animi provisione cavendum est, ne forte super arenam et non super petram fundamentum nostrum collocemus. Nam, ut ipse Dominus apud Lucam admonere dignatus est, *qui fodit in altum,et* ponit, *fundamentum super petram*, ille sapiens architectus est: *inundatione autem facta* illiditur *flumen domui illi, sed non* potest *eam movere*: *fundata est enim supra petram*: Qui vero aedificat *domum suam super terram*, stultus est: mox enim ut ad eam illiditur flumen, corruit, et sit *ruina domus illius magna.* Cur quaeso haeretici, judaei,pagani orant,jejunant eleemosynas faciunt, et tamen omnibus suis operibus gehennae incendium evitare non possunt. Cur? Quia fundamentum suum super arenam posuerunt. Credunt illi, sperant, amant, domum aedificant, sed super arenam, non super petram. Quid est petra? Christus. *Petra autem*, ait apostolus, *erat Christus.* Et, *fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Itaque pagani, judaei, haeretici credunt, sed non Christo, nec in Christum: fundamentum ponunt, sed non super petram: propterea cum moriuntur, fit ruina domus eorum magna: omnia enim, quae pro salute animarum suarum operari studuerunt, repente corruunt; et ipsi cum operibus suis in gehennae barathrum praecipitantur. Fides altare illud est (ut sapienter divus Augustinus docet super quod operum sacrificia poni debent. *Cum offers*,inquit Dominus, *munus tuum ad altare*, hoc altare est fides in Christum: offerunt pagani sacrificia, offerunt Judaei,offerunt haeretici: sed Deo non placent, quia non super altare offeruntur.

Dicat aliquis: Numquid haeretici non credunt in Christum? Et quid aliud, quam evangelium sonant? Cur igitur super petram fundamentum non ponunt? Haeretici omnes supra Christum quidem, auditores fundamentum suum collocare se putant, sed vehementer aberrant: opinione et existimatione sua super petram fundamentum ponunt, re autem vera super arenam ponunt. Percipite, quaeso diligenter, quae dicam : duae sunt petrae super quas aedes nostras fundare debemus: prior Christus, posterior Petrus. De priore Apostolus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est,quod est Christus Jesus.* De posteriore Dominus ait: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* At si *fundamentum aliud nemo potest ponere*, quomodo nos Petrum tamquam fundamentum aliud ponimus? Dicam, auditores: nos Christum et Petrum non ex aequo fundamenta facimus, sed primum lapidem ponimus Christum, deinde super hunc lapidem collocamus Petrum. Itaque non Christus a Petro, sed Petrus a Christo tamquam a fundamento sustentatur. Fundamentum igitur primum, et quod super alio fundamento non

innititur, solus est Christus, ac de eo apostolus ait: *Fundamentum*, videlicet primum, *nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus.*

Jam vero quemadmodum et Christus et Petrus fundamenta sunt, breviter, si placet, explicemus. Christus ideo primum ac praecipuum fidei nostrae fundamentum est, quod ea omnia credimus esse vera, quae Christus, quae Dei sapientia, qua veritas prima, quae mentiri non potest, sive per scripturam, sive alio modo nobis revelavit. Credimus Deum nostrum unum et trinum esse: credimus Dei verbum naturam humanam suscepisse: credimus nos omnes in ultima die a mortuis excitandos. Cur ista credimus? Quia Petrus, quia Paulus quia Joannes sic docuit? Nequaquam. Cur igitur? Quia veritas prima, nempe Deus, in quem mendacium non cadit, haec ita esse, revelare dignatus est. Itaque fides nostra super Christo, qui veritas est, tamquam super firmissimo fundamento innititur. Atque hactenus, auditores, ab haereticis non discrepamus. Siquidem et illi palam affirmant, quicquid Christum dixisse constiterit, omnino esse credendum. Et si nihil aliud requireretur, nullus inveniretur haereticus. Quid igitur haereticum facit? in quo dissensio posita est? quidnam in quaestione versatur? Nimirum hoc. Quid illud sit, quod Christus sine dubio revelavit. Multa enim illi a Christo veritate prima revelata esse contendunt, quae nos ab ipso mendacii parente revelata dicimus. Et contra, multa illi figmenta esse putant, quorum nos auctorem non alium, quam Deum agnoscimus. Quis igitur erit judex? Num Christus Dei sapientia, in Ecclesia nullam reliquit, ad quem in rebus dubiis recurramus? Plane reliquit. Alioqui enim qualem rempublicam haberemus? Quis igitur ille est? Fremant haeretici omnes licet, non alius, quam Petrus. Illum enim vicarium suum constituit, illum post se ecclesiae petram et fundamentum fecit. Illum in cathedra, tamquam omnium christianorum doctorem et magistrum posuit. Illi uni ait: *Ego oravi pro te, ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Illi ait: *Pasce agnos meos*; *Pasce oves meas*, hoc est, et matres et filios et episcopos et plebeios, unus tu pascere doctrina et verbo veritatis debes. Ecce igitur vobis quemadmodum Petrus post Christum Ecclesiae fundamentum est. Christo credimus quicquid ille revelare dignatur: sed quid revelet vel revelaverit Christus a Petro, et ejus successoribus in eadem cathedra sedentibus, discimus. Quae cum ita sint, cum haeretici omnes super hanc posteriorem petram aedificare, cum a Petro et ejus successoribus discere dedignentur, et ex suis capitibus dogmata fidei sibi fingant, quid mirum, si toto coelo aberrant et super arenam aedificant, cum super Christum aedificare se credunt? Atque haec quidem de fundamento domus esse potuissent satis, nisi quidam mihi necessario admonendi essent quos in maximo errore versari intelligo.

Nonnulli sunt, auditores, qui omnia ferme constanti fide tenent, quae catholici homines tenent: unum est aut alterum dumtaxat, quod nondum sibi plane persuadere potuerunt ut purgatorium existere, ut sacras imagines venerandas esse, ut summum pontificem esse Christi vicarium et Ecclesiae universae caput, et quoniam multa sunt, quae credunt, unum dumtaxat aut alterum, quod non credunt, idque minimi ponderis, si cum articulis caeteris conseratur, existimant se satis bene super Christum fundamentum posuisse. Quid, inquiunt, et si in illo uno, quod adhuc credere non possum errarem, numquid Dominus in judicio ad illud unum respiciet? Et tam multa et tam difficilia, quae credidi, non respiciet? Ita nimirum isti sibi blandiuntur; quibus ego serio denuncio, eos a gratia excidisse, super arenam fundamentum fecisse, et nullam cum Christo partem habituros. *Unus dominus, una fides, unum baptisma.* Aut integre fides habetur, aut non habetur penitus. Quaero ab ste (ut rem ipsam crasso exemplo ostendam) cum tu calceos tibi a sutore fieri jubes si cum perfecti, absolutique sunt, uno digito sunt pedibus tuis breviores, num eos induere, num eis uti potes? Dices, Non possum. At non sunt nisi uno digito breviores, cur non potes cum tam parum illis ad justam mensuram desit? Ut igitur calcei tui, aut aequales sunt pedibus tuis aut nihil penitus valent: sic etiam fides aut integra est, aut fides non est. Nemo igitur seipsum fallat. Si domum aedificare cupimus, quae a ventis et pluviis moveri non possit, super utramque petram, hoc est, super Christum et Petrum fundamentum ponere debemus.

Iacto verae fidei fundamento, parietes spei erigendi sunt. Nec enim secus a fide nascitur spes, ac parietes a fundamento surgunt. Nam cum Deum esse, et liberatorem hominum esse, et gloriam sempiternam diligentibus se paravisse credimus, continuo sperare incipimus, ejus benignitate et misericordia nos aliquando tandem per opera bona, quasi per gradus quosdam, ad eam gloriam perventuros. Mirum vero profecto est, quantum haec spes animos nostros erigat, et ad omnes labores perferendos idoneos faciat, *Qui sperant in Domino*, inquit Isaias, *mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae: current et non laborabunt: volabunt et non deficient.* Hic est eximius fructus hujus praeclarissimae virtutis ut hominem praesentem, robustum, fortem, erectum efficiat, et a laboribus difficultatem, a doloribus poenam, a felle amaritudinem, ab aerumnis et calamitatibus moestitiam et animi dejectionem auferat, et ii quidem, qui in actione inter homines versantur, *current et non laborabunt*: illi vero, qui in contemplatione rerum coelestium et divinarum versantur, *volabunt et non deficient.* Equidem, auditores, ego sic statuo, nihil omnino grave aut arduum ei videri posse, qui semel probe intellexerit, quam excelsa atque sublimis sit spes Christianorum hominum. Quid enim judaei aut pagani sperant, nisi res quasdam exiguas et quae corporis delitias non transcendunt? At vero Christiani homines Deum ipsum fontem et oceanum omnium bonorum aliquando se plane, sicut est, esse visuros et possessuros confidunt. Quod quidem bonum tantum est,

ut non modo cogitationem et intelligentiam sed et desiderium nostrum longe superet: ut illa minora interim omittam, quod aliquando non solum animis angelis aequales, sed etiam corporibus sole illustriores et clariores effecti, non attingemus, ut ille ait, *vertice sidera*; sed calcabimus pedibus sidera, et eam regionem perpetuo incolemus, a qua tam procul abest omne malum, quam procul a gehenna abest omne bonum. Intelligebat hoc apostolus Paulus, cum ajebat: *Existimo enim quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Et, *Id enim, quod in praesenti momentaneum est, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*

Verum ad quem modum de fide paulo ante dicebamus, cavendum esse ne super arenam fundamentum poneremus: ita et nunc de spe admonendum existimamus, ne ea *baculo arundineo* innitatur. Multi sunt enim, qui quidem beatitudinem et immortalitatem sibi proponunt; sed ad eam, vel per affluentiam opum vel per amplitudinem dignitatum vel per amicitias et necessitudines principum ascensuros se credunt. Isti omnes ponunt *carnem brachium suum*, hoc est, super re maxime infirma et fragili innituntur: aedificant parietes, sed ex luto, non ex marmore, ita, ut levissimo ictu deiici possunt. Audite, quid ipsa Sapientia et ejusmodi architectis dicat: *Spes impii quasi lanugo est, quae a vento tollitur: et tamquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur: et tamquam fumus, qui a vento diffusus est: et tamquam memoria hospiti unius diei praetereuntis.* Et quid, obsecro, facilius cadit, quam lanugo? Quid facilius dissolvitur, quam spuma? Si opes fures diripiant, et ubi erit spes avari? Si propter aliquam, sive veram sive falsam suspicionem a gratia principis aliquis excidat, ubi manebit spes ambitiosi? Ergo *spes impii quasi lanugo est; et tamquam spuma, quae a procella dispergitur.* Et quando nihil penitus horum occideret, nonne tandem aderit mors, et uno impetu luteos istos, muros deiiciet? Nam propterea Sapientia addit, atque ait: *et tamquam fumus, qui a vento diffusus est; et tamquam memoria hospitis diei psaetereuntis.* Aspicite vestros caminos, nonne tantum fumus ascendit, quanto est longitudo camini? Ita sane: nam simul atque caminus deficit, fumus a vento diffunditur et in auras evanescit. Pari ratione spes impii tam diu durat, quam diu vita ipsa durat: vita deficiente, spes omnis, quae in opibus et honoribus posita erat, continuo deficit, et parietes corruunt: ergo *spes impii tamquam fumus est, quia vento diffunditur.* Quid amplius? *Et tamquam memoria*, inquit, *hospitis unius diei praetereuntis.* Illustrissima sane similitudo, et ipsa Dei sapientia digna. Cum amicus aliquis, quem multis annis non vidimus, iter faciens ad nos divertit, quo apparatu, qua laetitia, quo studio illum excipimus? Nihil loquimur, nisi de eo: nihil cogitamus, nisi de eo: nihil agimus, nisi pro eo: toti denique sumus in eo curando occupati. At posteaquam die sequenti recessit, alia negotia occurrunt animo, et statim amici hospitis obliviscimur. Ad eumdem modum cum in hunc mundum ingredimur, qui (ut saepe vos admonui) non domicilium, sed hospitium est, continuo amicis, affinibus, opibus, honoribus, voluptatibus, tamquam hospitio excipimur, omnia nos circumstant, omnia ad se capienda et cumulanda invitant. At ubi mors, quasi nos quaedam, vitae diem claudit, nosque de hospitio recedere cogimur, omnia nos deserunt, et domum aeternae oblivionis ingredimur, illi quidem, qui remanent in hospitio, satis in iis excipiendis qui adveniunt, occupantur: nec eorum, qui recedunt, diutius recedunt, diutius recordari possunt. Quid igitur *spes impii* est, nisi *memoria hospitis unius diei praetereuntis.*

Rursum alii quidam sunt, qui in Deo sperant, sed male et perverse sperant: nimirum ii, qui Deum suis flagitiis et facinoribus ad iram provocare non cessant: et tamen securi dormiunt, sperantque se ab eo aeternam beatitudinem accepturos. Ista, auditores, non tam spes vana, quam temeritas et praesumptio est. Quid, inimicitias cum Deo perpetuas geris, et ab eo praemium speras, cum supplicium potius reformidare deberes? Non frustra ait Scriptura divina: *Spera in Domino et fac bonitatem.* Non sunt ista separanda, *spera in Deo et fac bonum. Spes enim* ideo *non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Nam quemadmodum parietes nisi rectam superponatur, facile moventur et nutant: recto autem superposito, confirmantur atque stabiliuntur; sic etiam spes nostra firma constansque esse non potest nisi eam charitas et opera bona comitentur.

Tectum igitur charitatis ad hanc spiritualem fabricam perficiendam plane necessarium est: neque vero ad parietes confirmandos tamen sed etiam quia domicilium sine tecto, nec ab aestu, nec a frigore, nec a flatibus ventorum, nec ab imbribus, et procellis, nec ab aliis multis et gravibus coeli injuriis satis tueri potest. Porro, quam apte charitas tectum dicatur, quis non videt? Nam si tectum a tegendo dicitur, certe tectum est charitas. *Beati, quorum remissae sunt, iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*, inquit David. Et quid, obsecro, tegit peccata, nisi charitas? *Charitas*, inquit apostolus Petrus, *operit multitudinem peccatorum*, Et, *Remissa sunt ei peccata multa*, ait Dominus, *quoniam dilexit multum.* Si rectum est pars altissima et amplissima domicilii, recte rectum est charitas. *Nunc*, inquit apostolus Paulus, *manent tria haec, fides, spes, charitas, major autem*, sublimior, celsior, latior, *horum est charitas.* Si denique tecto absolvitur, perficiturque domus, certa tecum est charitas. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Animadverti, inquit regius psaltes, intellexi, cognovi, omnis perfectionis atque absolutionis domicilii spiritalis finem esse laetissimum atque amplissimum illud mandatum, quod et Deum, et proximos et inimicos comprehendit. Domus igitur, optimi auditores, quam *elegit* Deum *in habitationem si-*

bi, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.

PARS POSTERIOR.

Ex iis domibus, quae credendo fundantur, sperando eriguntur, diligendo perficiuntur, constat Jerusalem *civitas regis magni*, non illa, quae sursum est, quae laetatur atque triumphat in coelis; sed ista, quae adhuc est deorsum, et peregrinatur in terris.

Sed si sanctorum Ecclesia Jerusalem dicitur, quid Mariam fuisse dicemus, nisi arcem Sion vel templum Salomonis? Si omnes animae justae sedes sunt sapientiae, quid tandem esse Mariam existimabimus? Quae omnium istorum uno Christo excepto justissima fuit, et ipsum solem justitiae peperit? Singulari igitur ratione et modo *elegit* Mariam Dominus *in habitationem sibi*. Quantum fidei, quantum spei, quantum charitatis in Maria extitisse censetis: *Beata quae credidisti*, exclamat Elizabeth, *quoniam perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino*. Quam alte Maria fundamentum jecerat fidei, quae cum se nihil aliud, quam humilem et exiguam ancillam crederet, credidit, tamen ad mysterium incomprehensum, ad commmercium admirabile, ad inscrutabile sacrosanctum a Domino se electam, et inusitato miraculo supra ordinem naturae sine ullo exemplo cum virginitate foecunditatem copulandam, et se vere parentem Dei atque hominis mox futuram. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, patriarchis videlicet prophetis, propterea *diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Vere fuit filia Abrahae, cujus egregia fides singulari praeconio in sanctis litteris celebratur. *Fide obtulit Abraham*, ut apostolus ait, *filium suum Isaac, arbitrans quia potens est Deus et a mortuis excitare*. Et quid minus fecit Maria? Nonne et ipsa fide obtulit filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, cum in monte illo funesto juxta crucis patibulum staret? et cur die tertia cum aliis sanctis mulieribus ad ungendum Dominum venisse non legitur, nisi quia firmissima fide credebat, non esse eum in tumulo requirendum qui juxta verbum suum jam ab inferis rediisset. Nec enim suspicari fas est, eam timore perterritam ad sepulchrum cum caeteris sanctis foeminis non venisse. Quomodo enim timebat; quae ipso turbulentissimo tempore Judaeis furentibus, omnibus mortem intentantibus juxta crucem imperterrita stabat? Enituit igitur fides in Maria, propterea *elegit eam* Dominus Deus *in habitationem sibi*.

Neque vero de spe et charitate Mariae pauciora dicenda essent, si per otium nobis liceret. Tanto siquidem fidei fundamento parietes spei et tectum charitatis respondere par est. Quocirca nonnulli id, quod legimus in psalmo, *Singulariter in spe constituisti me*, non immerito transferunt in Mariam. Quomodo enim non singulari spe praedita Maria fuisset, quae tot et tanta pignora divinae dilectionis acceperat? Nos gloriam illam beatam servi speramus a domino: quomodo non magis eam mater speraret a filio? aut quomodo sempiterna et coelestia bona simpliciter non speraret Maria, quae omnia fragilia et terrena tanto mentis ardore despexerat? Singulariter igitur in spe Maria constituta fuit, propterea *elegit eam* Deus *in habitationem sibi*.

Porro charitas, regina virtutum, in qua magis, quam in ipsa orbis regina enituisset? Si perfecta charitas in rebus adversis potius cognoscitur, quam in secundis quomodo non perfecta charitas in Maria, quae omnium molestiarum et passionum Christi socia fuit? quae a primo die usque ad ultimum fidelissima perseveravit? quae maximum illud et postremum lancea vulnus pro filio suo ipsa animo crucifixa excepit? Nec enim tunc in pectore Domini anima Domini fuit sed anima Mariae, quae, ut d. Bernardus loquitur, inde nequibat evelli. Si *perfecta charitas foras mittit timorem*: quomodo non perfecte charitas in Maria, quae in medio tumultu militum strepituque amorum, amicis omnibus recedentibus, ipsa charitatis nexibus colligata a cruce Domini non recedebat? *Si majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: quam excellens charitas Mariae fuit, quae filium illum pro amicis posuit, quem multo vehementius, quam animam suam diligebat? Si demum charitatis implere praecepta, quid de Mariae charitate dicemus, quae incredibili mentis fervore, antequam evangelica consilia orbi promulgarentur, sola magistra charitate, consilium perpetuae virginitatis arripuit? ipsa est igitur *mater pulchrae dilectionis*, ipsa *mulier amicta sole*, ipsa *rebus ardens*, ipsa *gratia plena*, ipse est illa *amica*, illa *columba*, illa *formosa* et *speciosa*, illa *soror*, et *sponsa*, quam *introduxit rex in cellam vinariam*, et in quam *ordinavit charitatem*. Ipsa est domus David, ipsa aedes Salomonis, ipsa arca foederis, quam *elegit* Dominus *in habitationem sibi*. Ipsa denique est illa, quae venientem Dominum, et in castellum quoddam intrantem; ut hodierna die toto orbe terrarum Ecclesia canit excepit laeta in domum suam.

Quemadmodum summo apparatu in hoc nostro exilio Maria Dominum exceperit, hactenus explicuimus. Sequitur ut quo apparatu hodie ipsa a Domino excepta fuerit breviter exponamus. Nemini dubium esse puto, Virginem beatissimam post gloriosam Domini ascensionem, quotidie ardentissimis desideriis, summisque votis cupivisse dissolvi, et esse cum Christo: mihique omnino credibile videtur, quod a nonnullis dicitur, nihil ei dulcius in hac vita fuisse, quam frequenter sanctissima illa loca, si non corpore, certe animo et cogitatione lustrare, in quibus filium suum et Dominum, vel egisse aliquid vel passum fuisse meminerat. Itaque nunc descendebat in Bethlehem, nunc ascendebat Hierosolymam, nunc morabatur in Golgotha, nunc ingrediebatur sepulchrum, nunc Bethaniam, nunc montem Olivarum, unde Dominus in coelum ascenderat, invisebat. Et quis ambigere potest, quin saepius illa verba peteret: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. De Silvano abbate le-

gimus, eum, cum surgeret ab oratione, ac magnitudinem Dei contemplatus esset, ita contemnere et despicere solitum res omnes creatas, ut oculos clauderet, nec eas aspicere dignaretur: quin etiam ad oculos suos diceret, Claudamini oculi claudamini, nihil est in orbe jam pulchri, quod videre possitis. Et haec beato Silvano accidebant, quid de illa dicemus, quae tanto clarius Dei bonitatem, sapientiam, pulchritudinem, majestatem, contemplationis oculis intuebatur, quanto saepius, et familiarius et liberius cum ipso Dei verbo triginta tribus annis conversata fuerat? Itaque dicebat et ipsa, Claudamini oculi, claudamini; Nihil est enim pulchri, quod jam videre possitis. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vinum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei? Fuerunt mihi lachrimae meae panes die ac nocte; dum dicitur mihi: Ubi est Deus tuus? Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est. Quis dabit mihi pennas sicut columbae et volabo, et requiescam?* Atque ad hunc modum beatissima Virgo divini amoris flamma accensa totum illud tempus transegit, quod ab ascensione Domini usque ad suum extremum diem intercessit.

Verum hodierna laetissima et clarissima die, vivendi curriculo probe confecto a Domino tandem promeruit audire, *jam hiems transiit, imber abiit et recessit: surge amica mea, et veni.* Equidem, auditores, ego mihi persuadeo, ad hoc verbum non expavisse, sicut olim cum ab angelo salutaretur, sed liquefactum plane fuisse cor Mariae. Sed deinde, vel oratione, vel cogitatione consequi poterit, quale gaudium illud fuerit, cum filium suum omnibus angelorum ordinibus comitatum ad se venientem vidit? et cum in ejus clementissimas ac benignissimas manus secura ac laeta spiritum illum sanctissimum exhalavit? et cum demum tota coelesti Jerusalem reginae suae obviam procedente, ipsa enixa super dilectum *deliciis affluens, in vestitu deaurato, circumdata varietate, sicut virgula fumi* de hujus mundi deserto, apostolis acclamantibus, angelis plaudentibus, aereis potestatibus fugientibus, mundi elementis probe gestientibus, in coelestem regiones ascendit?

At numquid solus Mariae animus evolavit in coelum? et quid tandem de sanctissimo illo corpore factum est? ubi jacet? ubi latet? quis locus thesaurum illum habet? Breviter hoc expediam, auditores optimi, et orationi meae finem imponam. Cum homines primum in hunc nostrum orbem terrarum ingrediuntur, corpus praecedit, anima subsequitur. Nam cum haec regio proprie corporum locus sit, ratio ipsa postulat, ut corpus, tamquam hujus urbis civis, primum adveniat, et animae, tamquam peregrinae, aditum patefacial; at cum ex hoc orbe terrarum in coelestes regiones commigrandum est, contrario modo res agitur. Animus enim, tamquam ejus urbis civis, statim admittitur: corpus vero, tamquam peregrinum, usque ad ultimum judicii diem residere cogitur in sepulchro, et tum demum in gratiam animorum in coelum etiam corpora admittentur. Verum auditores, lex ista privatorum hominum est, non regis aut reginae. Nec enim reges et domini in suis regnis et ditionibus aliorum patrocinis indigent; sed possunt ipsi pro suo arbitratu ducere secum, quos volunt, sive ii cives, sive peregrini sint. Quin etiam licet eis, quos volunt pellere, quos volunt revocare. Quocirca liberator atque assertor noster Christus quia non privatus civis, sed rex ac Dominus coelestis Jerusalem erat, simul et corpus, et animam in coelorum regnum invexit: neque multo secus de ipsa regis matre atque orbis domina sentire; ac loqui debemus. Nimirum Dei Filius post obitum beatissimae suae matris non diu corpus illud separatum iacere in tumulo passus est; sed illud pro privilegio singulari post modicum tempus et revocavit ad vitam et evexit ad gloriam. Nec enim decebat, ut cujus anima corruptionem non viderat, ejus corruptionem videret. Et quis, absecro, credere posset, arcam sanctitatis, domicilium verbi, templum Spiritus sancti corruisse? Exhorret plane animus meus vel cogitare carnem illam virgineam, quae Deum genuit, peperit, aluit, gestavit, vel in cinerem esse conversam vel in escam vermibus traditam. Et quomodo fieri posset, ut corpus tantae virginis adhuc esset in terris, et jam tot saeculis incognitum et sine ullo honore jaceret? Quid? homines ex ultimis orientis et occeuntis solis, aquilonis, austrique partibus ad corpora principum apostolorum Romam concurrunt: Corpus b. Jacobi est et fuit iam tot annis toto orbe celeberrimum: ossa martyrum et caeterorum divorum aureis et argenteis thecis includuntur, et singulari Dei providentia tot sanctorum corpora, quae latebant. summa Christianorum laetitia diversis temporibus inventa sunt. Adeo non patitur justissimus Deus corpora servorum debito cultu et honore privari: et nos dicemus Dei Filio matrem ipsam suam ita parum charam, ne dicam ita vilem esse, ut corpus ejus in alio deserto loco contemptum, neglectum, oblivione sepultum, jam tot saeculis sine ullis honoribus delitescere patiatur? Non ita est, auditores, sed probe retinens Dei Filius verba illa Patris: Ingredere *in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*: neque ignorans arcam sanctificationis suae esse corpus beatissimae matris suae, posteaquam ipse prior in requiem suam gloriosus intraverat, primo quoque tempore arcam illam sanctisssimam, universa coelesti Ierosolyma exultante, in templum veri ac summi Salomonis induxit, et tunc renovata sunt gaudia supernorum civium; renovata tripudia, renovati triumphi, propter adventum tantae virginis agebantur. Numquid legistis, qua laetitia, qua pompa, quibus plausibus arca Domini, vel in domum David vel in templum Salomonis initio ducta fuerit? Quid igitur mirum, si arcam hanc sine comparatione praestantiorem et sanctiorem, cum cantu et laetitia omnium illarum aeternarum, et prope divinarum mentium in coelestia templa Dominus introduxerit?

Sed si magna fuerunt, ac pene incredibilia gaudia caeterorum, quid ipsam virginem beatissimam sensisse cogitandum est? Ac tum praesertim, cum primum pedes intulit in illius sublimissimae ac pulcherrimae civitatis januas, cujus splendorem, cujus delitias, cujus gloriam, nec hominum nec angelorum linguae explicare pro

dignitate possent? Et quantam, obsecro, laetitiam ei primus aspectus attulit? O quantum interest inter hunc diem, et eum quo aliquando in Golgotha coram filio suo cruci affixo stetit? Quid enim tunc cernere poterat, quod non et moerorem ac tristitiam augeret? Si montem, in quo erat, considerabat, ubique mortis vestigia et horrorem videbat: si ad coelum oculos levabat, solem et lunam moerentes, et aerem tenebricosum et diem in noctem conversum intuebatur. Si eos, qui juxta ac prope se erant aspiciebat, hinc quidem Joannem afflictissimum et collachrimantem, inde vero turbas insanientium et furentium militum, et Judaeorum cernebat. Si demum in eum qui cruci appensus erat, oculos intendebat, videbat Christum, id est, animam, et cor et omne suum bonum, gaudium cordis sui et lumen oculorum suorum extinctum: et tum vere vaticinium illud implebatur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* At vero hodie ita sunt omnia illa tristia et luctuosa spectacula in jucunda et felicia commutata, ut quaqua versus oculos suos convertat, nihil penitus spectet, quod eam summa laetitia non afficiat. Aspicit enim locum, et videt paradisum voluptatis, hortum delitiarum, urbem regnis magni, portas ex auro mundo, plateas lapidibus pretiosis, gemmisque clarissimis stratas. Aspicit incolas regionis, et videt illustrissimas et maximas acies angelorum, ornatissimum coetum patriarcharum, longissimum ordinem sanctissimorum vatum, nec non sanctas mulieres, quae sexus infirmitatem animi robore et magnitudine superarunt. Aspicit sedentem in throno, et videt filium suum gloriae et honore coronatum, et lumine amictum, sicut vestimento, coeli et terrae atque adeo orbis totius gubernacula tenentem intuetur: caput non jam spinis, sed radiis coronatum. Intuetur oculos solis luce clariores, signa manuum et pedum omnibus carbunculis pulchriora, auream quoque portam lateris, primum quidem ad ignominiam ab insano milite reseratam, sed ad gloriam postea a Christo resurgente conservatam. Postremo aspicit et seipsam, et videt se super omnes omnium angelorum ordines exaltatam, in omnibus rebus creatis principem locum tenere: videt omnium beatorum principum oculos in se unam esse conjectos: videt se sole amictam et stellis duodecim coronatam, sub pedibus lunam habere. Et quanta haec majestas? Et quantam adfert secum materiam gaudiorum? *Egredimini filia Sion.* Egredimini mentes Christianae, et *videte* reginam vestram *in diademate*, *quo coronavit* eam filius suus. Videte reginam vestram, quam laudant astra matutina, et cujus pulchritudinem sol et luna mirantur.

Porro gloriam istam imperatricis nostrae se vidisse Joannes in Apocalypsi testatur: *Signum magnum*, inquit, *apparuit in coelo*: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quid enim aliud mulier amicta sole, quam Mariam in abyssum divinae lucis quasi immersam significat, ut sicut ipsa quondam Deum vestiit, ita quoque nunc ipsa a Deo quodammodo vestiatur? Quid vero corona designat stellarum duodecim; nisi quicquid eminet sparsim in omnibus membris ecclesiae, quae omnino duodecim sunt, id totum in Mariae corona fulgere? nimirum in patriarchis enituit fides, in prophetis cognitio futurorum, in apostolis charitas, in martyribus fortitudo, intelligentia in doctoribus, patientia in confessoribus, sanctimonia in sacerdotibus, contemplatio in eremitis, in monachis humilitas, in virginibus puritas, in viduis continentia, in maritis et maritatis foecunditas. Jam vero, quis audeat inficiari extitisse in Maria fidem patriarcharum, lumen prophetarum, fervorem apostolorum, nec non martyrum fortitudinem, doctorum intelligentiam confessorum patientiam, sanctimoniam sacerdotum, contemplationem anachoretarum, humilitatem monachorum, postremo virginum puritatem, continentiam viduarum, foecunditatem conjugatorum. Et quemadmodum hic in terris ex omnibus omnium ordinum donis et virtutibus Mariae corona intexta fuit: sic etiam nunc in coelis, quicquid gloriae et splendoris fulget in coronis ordinum singulorum, id totum admirabili quodam et divino penitus artificio in Mariae diademate vario clarissimoque fulgore coruscat. Haec est igitur *in capite ejus corona stellarum duodecim.* Porro, *et luna sub pedibus ejus.* Quid ni enim luna sub pedibus ejus sit, quam sol vestit, et stellae coronant? Luna mutationem in sanctis litteris significare solet: et Maria hodie omnis mutationis expers facta est. Ergo *et luna sub pedibus ejus.* Luna praeterea ecclesiam universam designat; et Maria hodie thronum tam sublimem singulari Dei munere sortita est, ut non solum ecclesiam istam, quae peregrinatur in terris, sed etiam illam, quae triumphat in coelis, sub pedibus suis videat: nempe collum est inter caput et corpus reliquum, medium: media inter Christum et Ecclesiam Maria: ergo *et luna sub pedibus ejus.* Neque minus apte homines peccatores luna significare potest, *stultus enim*, inquit sapiens, *ut luna mutatur*: justus autem ut sol permanet. Et quis nescit, Mariam singularem advocatam et patronam esse hominum peccatorum: *Vultum tuum*, inquit David, *deprecabuntur*, *omnes divites plebis*: ergo *et luna sub pedibus ejus.* Postremo diabolus quoque lunae nomine intelligitur. Ipse est enim omnium stultorum et peccatorum princeps, qui plane ut luna, mutatus est, cum ex angelo optimo et pulcherrimo, nequissimus et teterrimus diabolus factus est. Eum vero Maria non solum sub pedibus habet, sed et pedibus suis caput ejus contrivit: ergo *et luna sub pedibus ejus.*

Haec habui, auditores optimi, quae de hodierna celebritate pro temporis brevitate dicerem. Reliquum est, ut si aliquando in regnum illud coeleste a Domino recipi, si in requiem et gaudium Domini ingredi, si reginam nostram in diademate, quo hodie coronata est, intueri desideramus, beatae Mariae vestigiis insistamus, eamque, quantum nostra infirmitas patitur, imitemur. Audivistis, quid Maria Virgo prudentissima fecerit, nempe excepit Dominum in domum suam, in domum fi-

de fundatam, spe erectam, charitate perfectam: in hoc eam imitari debemus. Fundemus, fundemus, auditores, domicilium nostrum supra firmam petram, *non simus* instabiles et *fluctuantes*, nec *omni vento doctrinae circumferamur*, quemadmodum illi faciunt, qui ubi semel circa fidem naufragaverunt, perpetuo tamquam undae instabiles fluctuant, et singulis annis fidem commutant. Habemus Christum petram, illi fide adhaereamus: habemus et Petrum petram, ab illo quicquid credendum sit, discamus: habemus ecclesiam Dei vivi, columnam et firmamentum veritatis, quae nos peperit, quae nos aluit, quae nos instituit, in ejus gremio secure conquiescamus. Neque vero speremus *in incerto divitiarum*, *sed in Deo vivo*, qui vera et stabilia bona in se sperantibus praeparavit, quae *nec oculus vidit*, *nec auris audivit nec in cor hominis* ascenderunt. Neque minus tectum, quam parietes et fundamentum nobis curae sit: parietibus jam erectis, tectum charitatis super ponamus, diligamus Deum, diligamus proximum, et *non lingua et verbo*, *sed opere et veritate diligamus*: non parcamus pecuniis, non parcamus laboribus, non parcamus vitae et sanguini, ut amplum et sumptuosum habeamus tectum charitatis. Quia vero hujus tanti operis praecipuus auctor et architectus Deus est: *Nisi* enim *Dominus aedificaverit domum*, *in vanum labaraverunt*, *qui aedificant eam*. Beatae Mariae pedibus provolvamur, ejus patrocinium imploremus, ejus preces flagitemus, eam advocatam apud Deum habere toto animo cupiamus, ut per eam Deus in animis nostris domicilium sibi aedificare, atque in eo semper habitare dignetur, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XLI.

DE S. BARTHOLOMAEO

THEMA

Haec mando vobis, ut diligatis invicem. *Joan.* 12.

SYNOPSIS

Exordium sibi vendicat charitas a s. Joanne evangelista tantopere inculcata, eaque pro concionis materia proposita, quid de eadem potissimum dicendum sit praemittitur. Sine charitate neminem divitem dici posse demonstratur, ut quae hominis sit vita, ignis, aqua, tectum, cibus, potus, vestis, arma et pecunia, quae singula in progressu exaggerantur. Ac primo, quomodo charitas vita sit, simul et sententia d. Jacobi, fides sine operibus mortua est, explicatur. Quam necessaria sit ad hominis perfectionem charitas, pulchra quadam inductione ostenditur. Charitatem ignem esse, ex variis inter ignem et charitatem proportionibus declaratur; ubi deinde iste ignis inveniendus, et quomodo idem tribulationis aqua nutriatur et prosperitatis oleo extinguntur, affirmatur, et eventibus quotidianis confirmatur. Quomodo item eadem charitas aqua sit, et proprietatibus variis aquae palam redditur, ubi obiter causa assignatur, cor apostolus admoneat, qui stat videat ne cadat. De hujus demum aquae miranda virtute in restinguenda sili terrenarum rerum, multa afferuntur.

Altera pars reliquum propositi prosequitur, atque primis probatur charitatem domum esse, eumque altissimam, in qua justi de die sole prosperitatis non uruntur, neque nocte luna adversitatis vexantur, quod multorum exemplis sanctorum confirmatur; quomodo Deus in amante, et amans in Deo maneat. Probato deinde, charitatem esse cibum et potum, qui in vino, oleo et pane potissimum consistit, disseritur, qua ratione charitas vinum, et oleum sit; et quia panis cibus est robustorum et agrestium, illius loco lac amantibus ministratur: ubi convenienti similitudine canum venaticorum declaratur, quomodo mortales antequam suavitatem Domini gustaverint, in incertum ferantur. Ut insuper charitas sit vestitus et lorica, et quomodo iis indui et armari oporteat, docemur. Quod charitas denique pecunia sit, et quam studiose cavendum, ne hanc habeamus adulterinam; quamque necessaria ea sit Ecclesiae pastoribus luculenter explicatur. Charitatis comites perpetuas esse sapientiam et eloquentiam asseritur. Tandem apostrophe ad d. Bartholomaeum, qua venia petitur, quod de illo non pro materiae dignitate sit prolixior facta mentio, finem imponit.

Evangelista Joannes, optimi auditores, cum Ephesi moraretur, et usque ad ultimam senectutem pervenisset, ut vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec ejus vox aut latera concionandi laborem ferre diutius possent, nihil aliud nisi, *filioli, diligite alterutrum*, in singulis concionibus dicere solebat. Itaque discipuli, ut sanctissimus doctor Hieronymus in Commentariis epistolae ad Galatas scriptum reliquit, taedio jam affecti, quod eadem semper audirent, aliquando dixerunt: *Magister, quare semper hoc loqueris?* Qui respondit: *Quia praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit.* Praeclara vero vox, et beato Ioanne, viro sancto ac sapiente digna. Nec enim ea sententia aut plenius aut brevius aliquid dici vel excogitari potuit. Siquidem ea significatur, hoc uno charitatis praecepto, praecepta omnia contineri: et qui charitatem habeat, eum omnes virtutes habere. Ex quo non sine causa in festis diebus beatorum apostolorum et principum ecclesiae, illae evangeliorum historiae publice in tempus decantari solent, in quibus hujus excellentissimae virtutis, seu potius virtutum omnium principis commendatio continetur. Qualis ea est: *Haec mando vobis, ut diligatis invicem.* Et rursum illa. *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem.* Sic enim decebat, ut principes orbis terrarum et Christianae Reipublicae maxima lumina, in ea virtute quae princeps et regina virtutum est, maxime cognoscerentur enituisse. Cum igitur et evangelia, quae in diebus festis apostolorum legi in ecclesia consueverunt ad dicendum de charitate me invitent et provocent ad hoc ipsum b. apostoli Bartholomaei martyrium illustrissimum, quod quanto magis atrox et exquisitum fuit tanto perfectioris et

excellentioris charitatis argumentum extitit: et demum emolumentum, atque utilitas maxima, quam ex hac oratione percipi posse video, me ad idem alliciat,ac pene impellat,de nulla re aut nobis magis salutari aut tempori accommodata dicere potero, quam de hac virtutum principe charitate.

Hoc igitur nobis hodie propositum sit, non quidem in illis quaestionibus laborare, cur Deus nobis charitatem praecipiat, cum ea donum ipsius maximum et praestantissimum sit? et quomodo charitas a gratia differat? quam habeat naturam? quam habeat sedem? quomodo crescat? quomodo minuatur? Haec enim in Gymnasiis commodius, quam in suggestis, et concionibus explicantur.Sed eos fructus, eaque commoda percensere, et exemplis appositis illustrare, quae secum charitas solet adferre, ut eorum magnitudine et copia, tamquam quibusdam stimulis, ad eam virtutem, vel comparandam vel augendam, vel conservandam et retinendam incitemur. Non tam enim naturam charitatis investigare,et de ea sapienter et copiose disserere, quam ejus igne fervere et frigidos inflammare Dominus jubet. Quod igitur constanter asserimus,et quod aptissimis argumentis Domino bene juvante confirmare conabimur, tale est,charitatem parentem et nutricem esse omnium bonorum ut si loqui possit, verissime dicat: *Omnibus omnia* facta *sum*, et qui eam sit consecutus cum sapiente pronunciet: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa*: et demum jure optimo b. Joannes dixisse videatur, *Filioli, diligite alterutrum: quia praeceptum Domini est, quod solum fiat sufficit.*

Dicam hoc planius, auditores. Existat hic in oculis omnium nostrum vir aliquis potens, purpura et bysso indutus, auro et gemmis ornatus, stipatus undique famulis, et qui marmorea palatia, pecuniarum acervos, agros, vineas, hortos, pecora, servos et ancillas habeat, et solam charitatem non habeat: hunc assero pauperem et nudum, et nec domum, nec pecunias, nec cibos, nec vestes habere, et miserum, et mancum ac membris omnibus captum ac debilem,imo et mortuum esse.Contra vero alius nobis sistatur, et sit hic ipse gloriosissimus Bartholomaeus, quem ita mente concipiamus, ut erat eo tempore, cum ab insanis judicibus pelle detracta, ludibrioque expositus, non homo vulneribus confectus, sed ipse totus ingens plaga et horrendum vulnus videbatur: certe iste non modo auro, et argento, et agris et tecto, et cibariis et vestibus, sed ipsa pelle indigere videtur, et tamen quia charitate non indigebat, eum ego pecuniis, domibus cibariis, vestibus, aliisque rebus omnibus affluentem ac redundantem assero. Quale igitur bonum sit charitas; et quantum pro ea, vel acquirenda vel retinenda laborare par sit, cogitare. Ut autem ad certa capita haec omnia revocemus, charitatem vitam ignem, aquam, tectum cibum, potum, indumentum, arma et pecunias esse confirmo. Neque arbitror aliquid esse relictum quod homines desiderare possunt.

Primum igitur et maximum,quod hominibus esse videtur, et in quo conservando, quam diligentissime omnes laborant, vita ipsa est. *Pellem pro pelle dabit homo et cuncta, quae habet, pro anima sua*, hoc est, non solum pecunias et caetera bona externa, sed et ipsam pellem periculis obiiciet, ut pellem conservet. Nam si quis districto gladio caput, unde vita dependet, ferire conetur, nonne vestem incidendam et brachium ipsum vulnerandum opponet, ut salvum et incolume caput custodiatur? Vita igitur nihil charius, nihil dulcius nihil majus homines habent. Iam vero charitatem esse vitam, testis est apostolus Joannes. *Qui non diligit, manet in morte.* Neque vero qualiscumque vita charitas est, sed coelestis ac prope divina: *Videte* inquit idem apostolus, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Et apostolus Petrus: *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Quantum sit hoc donum, auditores, plane est inexplicabile: et non solum verbis declarari non potest, sed ne cogitatione quidem comprehendi. Primum enim, qui hanc vitam vivunt, ii sunt, qui in regno coelorum Deum perpetuo laudabunt.*Non mortui laudabunt te Domine; sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino.* Deinde iidem sunt,qui jure suo corporis Dominici sacramento divinissimo nutriuntur. Non enim mortuorum, sed viventium cibus est. Postremo, quemadmodum animus noster mentis et rationis compos, dum corpore isto conjungitur, non solum efficit, ut corpus ipsum vivat,sed etiam ut omnium sensuum organa vivant, et munera sua ac functiones exercere possint: ita etiam a charitate,quae ipsius vitae vita et animae anima est,non ipse modo animus perficitur et formatur; sed virtutes omnes, quae veluti facultates et vires sunt hominis interioris, ab ea formantur et animantur, ut earum actiones vim et efficaciam habeant ad gloriam regni coelestis promerendam. Hinc videlicet beatus Paulus,quae caeterarum virtutum propria sunt, uni charitati attribuit: *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est, charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum,non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Et alio loco, fidem per dilectionem operari confirmat quomodo et justitiam, et temperantiam et caeteras virtutes per charitatem operari verissime dici potest ac debet. Vultis, ut exemplis rem istam ob oculos proponam? Qui sunt medicinae artis periti, nonne dicunt, medicamenta nullam vim in corpus affectum habere, nisi a naturali calore formetur,et tamquam animetur? Sane hoc dicunt: Imo vero nemo non dicit, qui magnum illum Hippocratem diligenter lectitarit, qui medicamentum asserit non esse id, quod curat, sed naturam, quae pharmaco tamquam instrumento utitur ad curandum. Ita igitur et fides non operatur, nisi ab illo vivo et divino igne charitatis, quasi vitam recipiat.Ex quo sapienter ab apostolo Iacobo, *Fides sine operibus mortua* nominatur.

Neque vero ita est hoc accipiendum,quasi fides naturam suam et nomen amittat, et omnino nihil sit, si a charitate separata sit; sed eo modo fidem

sine charitate mortuam esse dicimus, quo eas aquas, quae in paludibus jacent, mortuas appellamus: non quod vere ac proprie aquae non sint; sed quod more fontium et fluviorum non moveantur, non fluant, non labantur. Quare b. Jacobus prudentissime, et quasi seipsum explicans, ut is, qui spiritu jam futuras haereses praevidebat, non ait, fidem sine operibus mortuam esse, sicut homo sine anima, mortuus est: siquidem homo sine anima non modo mortuus est, sed omnino homo non est. Quid igitur b. apostolus dixit? *Sicut corpus*, inquit, *sine spiritu mortuum est, sic et fides sine operibus mortua est.* Iam vero corpus sine spiritu mortuum quidem est, sed verissime tamen corpus est. Sic igitur et fides sine charitate fides est, sed viva non est, quod in adulteris, meretricibus, lenonibus, aliisque sceleratis hominibus, et in ipsis daemonibus apparet. Nam *et daemones credunt, et contremiscunt*, quamquam non leve discrimen est, inter diaboli et peccatorum hominum fidem. Hi enim fidem infusam et veram, licet mortuam, retinet, illi autem non aliam fidem habent, nisi quam ipsi sibi comparaverunt. Haec propter haereticos dicta sint.

Ut igitur ad rem nostram revertamur, charitatem animae vitam esse hactenus, ni fallor, accepistis: nunc ut quam haec vita homini non modo utilis, sed plane necessaria sit, intelligatis, constituendum et confirmandum nobis est, neminem sine charitate integrum, perfectum et absolutum hominem esse posse, sed plane mutilum et imperfectum. Tunc enim unaquaeque res perfecta, et absoluta dicitur, cum talis est, ut cum suo fine, propter quem est effecta, conjungi et copulari possit. Quis, obsecro, aedium finis est? Habitatio. Quamdiu igitur aedes, aut recto, aut aliquo pariete carent, ut habitari non possint, tamdiu imperfectae et non absolutae sunt. Quis brutorum animantium finis est? Ea sensibus probe percipere, quae naturae eorum consentanea sunt. Non igitur perfectum est animal, si vel sensum videndi, aut audiendi, aut gustandi aut aliquo alio careat, vel non careat illis quidem, sed corruptos et depravatos habeat. Neque rursum perfectum dici posset, si praeter sensus istos aliquo habitu, quem minime haberet, ei ad sentiendum opus esset. Jam igitur quis hominis ipsius finis et summum bonum est? Certe, vel ipso Philosopho teste, non alius est hominis finis, quam actio animae secundum optimam et perfectissimam virtutem. Sic enim, ut verba ipsius proferamus, in libro de moribus primo scriptum reliquit: *Humanum bonum actio animae secundum virtutem est, et si plures sunt hominis virtutes, secundum optimam et perfectissimam.* Quaenam igitur est haec optima et perfectissima virtus? Scio quid Philosophus responderet, sed malo apostolum audire, qui cum ad Corinthios scribens excellentissimas virtutes enumeraret, ait; *Nunc autem manent tria haec fides, spes, charitas: major autem horum est charitas.* Et rursum ad Colossenses: *Super omnia autem charitatem habete, quae est vinculum perfectionis.* Charitas igitur illa optima et maxima virtus est, quae praestantissimam partem animae nostrae cum Deo, fonte omnium bonorum, conjungit. Quare tum demum perfectus et absolutus homo dici potest, cum charitatem habet. Et hoc est, quod beatissimus martyr Irenaeus significare volebat, cum diceret, hominem tribus constare, animo, corpore et Spiritu sancto. Quia nimirum perfectus homo sine charitate non est. Et *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Neque aliud Ecclesiasten voluisse crediderim, cum ait; *Deum time et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Idem est, ac si apertius dixisset: Tunc homo totus perfectus et absolutus est homo, cum Deum timet et mandata ejus observat, Quia vero, qui diligit proximum, legem implevit, et Domini praeceptum hoc est, ut diligamus invicem, propterea est totus et perfectus homo, cum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex omnibus viribus Deum diligit et proximum suum, sicut seipsum. Habemus igitur charitatem esse vitam.

Postquam nihil est homini magis necessarium, quam ignis et aqua, quippe cum ei, cui aqua et igni interdictum est, ipsam quoque vitam esse interdictam necesse sit. Charitas vero utrumque, hoc est, aqua et ignis est. Ac ut de igne, qui nobilior est, prius dicamus, numquid non de charitate Dominus loquebatur, cum diceret: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Et Deus ipse, cur *ignis consumens* ab apostolo nominatur, nisi quia ipsa *charitas Deus est*, ideo et *ignis consumens* est. Denique quid dicimus amantes ardere? Cur poeta de amante dixit:

Et coeco carpitur igni?

ac ut de nostris potius loquamur, cur discipuli duo ab oppido Emaus venientes dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret nobis scripturas?* Certe non alia de causa, et sacri et profani scriptores et ipsum hominum vulgus ita loquitur nisi quia omnino similes sunt ignis et charitatis effectus. Ac ut caeteros omittamus, ignis semper ascendit, quia sursum est locus, nec ipse solum, sed ea etiam, quae circa terram volutantur, si calorem concipiant, rursum tendere compelluntur. Videas interdum paulo ante lucem terram nebulis et vaporibus coopertam ubi autem igneus sol exoritur, et ex loco superiori vapores calefacit, et ignem in eos quodammodo iaculatur mox ascendere, et in sublime ferri incipiunt. Ita plane auditores, et charitas facit. Homines enim natura terrestria animantia, hoc est graves et frigidi erant et suopte nutu ac pondere ad terram ferebantur, et nihil, nisi terrenum et caducum et fragile noverant cogitare. Venit autem sol justitiae Christus Dominus noster, et super nostrum horizontem apparens, clara voce clamavit: *Ego autem si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Neque dixit et non fecit, sed fecit omnino, sicut dixit. Ascendit enim in coelum, et post decem dies ignem misit in terram, calefecit vapores, qui volutabantur adhuc circum terras, et ecce repente attollunt capita, relinquunt terram, et domos et agros et parentes, et

liberos, et pecunias et voluptates et clamant, *Trahe nos post te; curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cur tot millia sanctorum hominum initio nascentis ecclesiae, spretis omnibus, quae in terris possidebant, ad martyrium cucurrerunt, nisi quia vapores calefacti a sole justitiae sursum trahebantur? Et quid, obsecro, sanctos illos patres Antonios, Paulos, Hilariones, Macharios, Benedictos et alios tam multos, ex urbibus expellebat, in eremos agebat, et pro conviviis jejunia, pro somno vigilias, pro mollibus indumentis cilicia, pro frequentia solitudinem, pro quiete ac otio labores tam duros et tam diuturnos eligere faciebat, nisi illa flamma divini amoris, quae ab eo in ipsorum cordibus accensa fuerat qui dicebat, *Ignem veni mittere in terram et quid volo, nisi ut accendatur*? Quid postremo beatissimum Franciscum, ut de caeteris taceam, et mundi totius et pene sui ipsius oblivisci, et solum coelum intueri, ad ipsum solum sitire cogebat, nisi ignis divinus, nisi incendium, quod tam magnum in tam exiguo pectore Dominus excitaverat, ut quasi in illis angustiis se continere non valens, in quinque locis corpusculum aperuerit, et inde tamquam ex fornace violenter eruperit? O vis admiranda. O potentia incredibilis charitatis. Quicumque igitur, auditores, ad illas sedes beatorum aspiramus, frustra agimus, quicquid agimus, si duri et frigidi lapides permanemus, et charitatis incendio non flagramus non enim coelum, sed centrum lapidum locus est. Hinc enim Judaeis Dominus aliquando dicebat: *Quo ego vado, vos non potestis venire*: nimirum, quia ipse ignis erat, et rursum habitat: Judaei autem terra et lapides erant, et nisi deorsum ire non poterant. Et nos quoque si charitatis igne accensi non sumus, merito a Domino audimus. *Quo ego vado, vos non potestis venire.*

Verum quia nobis longa restat via, et ad eam trasmittendam breve tempus constitutum est, non ambulare, sed currere necessarium erit: Ut igitur paucis multa complectar, et caeteras ignis et charitatis comparationes ostendam potius, quam exponam. Ignis rubiginem ferri, charitas rubiginem peccati consumit. *Remissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Ignis aurum a caeteris metallis, charitas sanctos et pios a peccatoribus sejungit: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Tamquam diceret, ut b. Augustinus exponit, alia munera mea habere vobiscum possunt etiam non mei: non solum naturam, vitam, sensus rationem, et eam salutem, quae nominibus pecoribusque communis est, verum etiam linguas, sacramenta, fidem, scientiam, distributionem rerum suarum pauperibus, et traditionem corporis sui, ut ardeant; sed quoniam charitatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest: nihil ergo in illis, quamvis bonis muneribus meis, quae habere possunt etiam non discipuli mei. *Sed in hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

Sed roget fortasse quispiam; et ubinam hic ignis invenitur? Audi regium psallem; *in meditatione mea exardescet ignis.* Et vere ita est. Nam dominicae passionis et rerum coelestium assidua contemplatio vere fornax est, ubi divini amoris flamma succenditur. Quid enim est oratio, nisi ascensio mentis in Deum, qui ignis est et unus spiritus sit cum eo, et illustratur et inflammatur, cum studio orationis et contemplationis vacat: neque poterit unquam, mihi credite, ad aliquem perfectae charitatis gradum pervenire, qui non serio, et totis viribus in hoc pium, et vere sanctum et salutare studium incubuerit.

Ut autem, et quo pabulo nutriri hic ignis debeat, et quibus rebus extinguatur percipiatis, illud considerare debetis, non esse similem flammam charitatis illi igni, quo ubique et passim homines utuntur, qui aquis extinguitur et oleo succenditur sed potius illi, qui admirabili quodam artificio excitatur, et contrario modo, atque alius ignis, oleo extinguitur, et aqua pascitur et nutritur. Quid enim aliud aqua significat, quam vexationes, calamitates, aerumnas, inopiam, aegritudinem, tormenta, supplicia, exilia, damna et alias res naturae nostrae contrarias atque adversas? De quibus Dominus per prophetam ait: *Intraverunt aquae usque ad animam meam*, Oleum autem, quid, nisi blanditias et delitias, commoda et voluptates designat? *Oleum autem peccatoris*, inquit idem propheta, *non impinguet caput meum.* Ignis igitur charitatis non vulgaris est ignis, sed in officina summi artificis elaboratur: oleo, hoc est, otio et voluptatibus corporis praefocatur; aquis autem tribulationum et poenarum nutritur: *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem.* Ita legis in cantico amoris. Hinc Dominus sanctos famulos suos apostolos et martyres, et ipsam integerrimam et optimam matrem suam, in quibus hunc ignem conservare volebat, non delitiis affluere, non opibus abundare, non honoribus multis ac dignitatibus clarere, sed per multas tribulationes transire, et sic intrare in regnum coelorum voluit, hoc est enim pabulum charitatis. At contra ignis amoris rerum creatarum qui ubique reperitur, et quem omnes in suis aedibus, imo et in cubiculis accendunt, oleo, ut diximus, delitiarum nutritur et aquis tribulationum extinguitur. Cur enim existimatis Deum his diebus tantam copiam aquarum super nos effudisse, nisi quia ignem istum amoris rerum terrenarum nimium crescere perspiciebat? Ingrati igitur sumus, si de eo conquerimur, cum ille, ne ab igne consumamur pluvias mittit. O utinam auditores, voces istas Dei nostri blande ac benigne ad se vocantis audiremus. Ut enim mater, cum filium jam a lacte abstrahere, et cibo solidiori assuefacere cupit, felle et absynthio aspergit ubera nutricis, ita benignissimus et nostri amantissimus Deus noster, quia nos non cibum istum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, vult quaerere, quia amorem carnis extinguere, et secum ascendere cupit, ideo omnes nostras voluptates amaritudine aspergit; hinc pestem minatur, inde famem, hinc bella, inde haereses oriri permittit: in aestate serenitatem negat, in hieme fortasse pluvias denegabit, ut aliquando evigilemus, et *quae sursum sunt* sapere, *quae sursum sunt* quaerere incipiamus, et *non quae super terram.* Si enim hanc brevem et exiguam

mundi dulcedinem tanto felle admixtam, adhuc tam vehementer adamamus, quid faceremus, si felle admixta non esset? Si omnia prospere et ad votum succederent, quis de coelesti gloria cogitaret? Quis non perpetuo hic in terris vivere vellet? Gratias igitur gratias tibi agimus, Domine qui nos dulci baculo tuo, licet invitos, ad summum et verum bonum nostrum redire compellis. Sed satis multa de igne. Nunc de aqua breviter explicemus.

Charitatem igitur aquam esse docet Dominus per Ezechielem: *Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Cur autem charitas aqua dicatur, explicat b. Martyr Irenaeus in libro tertio contra Valentinum: *Ut enim*, inquit, *ex multis granis unus panis efficitur, quia aqua veluti quodam glutino invicem copulantur et multa pulveris grana, si aquae humor accedat, unum laterem faciunt, alioqui vero sicca grana sine humore in unum coalescere quomodo possunt? Ita quoque et nos, qui terrae ac pulveris grana sumus. Pulvis es, ait Dominus, et in pulverem reverteris; numquam per nos, vel nobiscum conjungi vel cum Deo possemus: sed accedit humor charitatis, et ita nos cum hominibus caeteris copulat ut apostolus dicat, unus panis et unum corpus multi sumus.* Et rursum ita cum Deo nos unit, ut idem apostolus confirmet: *Qui adhaeret Domino* unum spiritum cum eo effici. Est vero tam fortis, atque indissolubilis haec unio, ut in sanctis martyribus prius corpus ab anima, quam animus a Deo superetur: et in beatissimo apostolo Bartholomaeo saevissimi carnifices pellem a carne sejungere possent, cor tamen ipsius a Deo sejungere numquam possent. Quid de apostolo Paulo dicemus? Qui ad Romanos scribens, et quod nos dicimus, confirmans, ait: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis) Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Ecce aquam, ecce humorem, ecce gluten. *Propter eum*, inquit, *qui dilexit nos.* Et addit: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro. Fortis* igitur *ut mors dilectio, dura ut infernus aemulatio*: neque gluten est aliquod, quod cum ea comparari possit.

Quid igitur, dicat aliquis, semper vigilare, semper timere, semper animo excubare jubemur, ne a charitate excidamus? et cur apostolus tam solicite monet, ut qui stat, *videat ne cadat*, si neque mors neque vita, neque coelum, neque terra, neque angeli, neque daemones, neque creatura alia potest nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Domino nostro? Insidias, auditores, insidias, dolos cavere nos jubet. Ut enim arx aliqua munitissima viribus expugnari non potest, et tamen insidiis et proditione capi potest, ita nexum istum admirabilem charitatis, omne quod est, dissolvere non valet; et tamen id, quod nihil est, peccatum videlicet, non modo solvere, sed etiam frangere et violenter disrumpere valet. *Peccata nostra*, ait propheta, *diviserunt inter nos et Deum* nostrum. Et sicut Troianos, quos

Non anni domuere decem, non mille carinae,

parvus homuncio, sed callidus, sed vafer, sed versipellis, nomine Sinon, ad exitium, et ultimam perniciem adduxerit: sic et nos totius mundi atque inferni vires a Deo separare non valent, et peccatum, quod nihil est, valet.

Sed rursum charitas aqua nominatur, quia sitim restinguit. Nemo est, auditores, qui non sitibundus nascatur. Ex uteris matrum infinitas cupiditates nobiscum trahimus, nisi potius ab illis trahimur, quae nos perpetuo miris modis excruciant, et plane sedari, nisi hac aqua, non possunt. *Qui biberit*, inquit Dominus, *ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Sed *qui biberit ex aqua hac*, ex aqua, inquam, quam mundus habet, *sitiet iterum.* Ecce sitis aureos nummos centum, dantur, incipis sitire ducentos. Sitis unam aliquando voluptatem, adipisceris, incipis aliam confestim sitire, et numquam est finis; quia *qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum.* Istae enim.

Quo plus autem potae, plus sitiuntur aquae, falsae sunt, amarae sunt, sitim accendunt, non extinguunt. At *qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Veritas haec dicit, et verum dicit. Nam gustato spiritu, desipit omnis caro. Non ante igitur speremus auditores, nos sitim terrenae cupiditatis extinguere posse, quam hanc Domini aquam bibamus. Tunc enim *fiet in* nobis *fons aquae salientis in vitam aeternam.* Nam si philosophis credimus, quantum aqua descendit, tantum ascendit. Haec igitur aqua, quae de coelo descendit, (*Omne* enim *datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*) procul dubio et ad coelum usque conscendet, et *fiet fons aquae salientis*, et secum abripientis vasa sua, corda videlicet nostra *in vitam aeternam.* Et cum caeterae aquae nihil nisi frigefacere noverint, haec aqua, quia coelestis est, refrigerat et accendit. Ea est enim virtus coelorum, ut contrarios et pugnantes effectus producant. Ut igitur ad unum atque eumdem solem et cera liquescit et lutum duratur, sic ad hujus coelestis aquae aspersionem mens amore divinorum incalescit et sensus et caro et tota haec inferior portio refrigeratur. Postremo aquae caeterae funibus cum labore trahuntur sursum; hae autem precibus ac suspiriis trahuntur deorsum.

PARS POSTERIOR

Charitatem instar omnium bonorum, hoc est, vitae, ignis, aquae, tecti, cibi, potus, vestis, loricae, et pecuniarum nobis esse, initio asseruimus. At de vita, igne et aqua satis, ni fallor explicuimus, nunc de caeteris dicendum est. Et quamquam multo plura supersint, quam ut semihorae spatio expediri

possint si pro dignitate explicari debeant, tamen ita mihi moderabor, ut tempus praescriptum et definitum non excedam.

Is igitur qui vitam et ignem et aquam jam habet de domo fortasse solicitus erit, sed habeat charitatem et domum habet non lateritiam aut marmoream, sed plane coelestem ac divinam. Nam *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Magna est enim ac praepotens vis amoris et cor amantis rapit ac transfert in rem amatam. *Anima*, inquit Augustinus, *magis est ubi amat, quam ubi animat.* Et rursum Dominus: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Cur quaeris cor tuum in pectore tuo? *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Et quia corpora nostra, anima recedente, deficiunt, ideo qui Deum amant, deficere ac languere se dicunt: si videritis *dilectum*, inquit sponsa, renunciate *ei quia amore langueo.* Et sanctus David; *Defecit cor meum et caro mea, Deus cordis mei et pars mea, Deus in aeternum.* Et idem ille propheta flebiliter aliquando canebat; *Cor meum dereliquit me*: avolaverat enim in pectus rei amatae. Quicumque igitur Deum amant, in Deo tamquam in proprio domicilio, commorantur.

Sed dices: Quomodo qui Deum amat, in Deo manet, et Deus in eo? Numquid in suo habitatore domicilium habitare potest? Potest plane, si et amatus amantem redamare potest. Tu pecunias diligis? in pecuniis manes, sed non pecuniae in te manent, quia redamare amantem non noverunt. Deus autem diligentes se diligit, imo vero prius ipse diligit, quam diligatur. *Qui diligit me*, Dominus ait, *diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ergo qui manet in charitate, quia diligit Deum manet in Deo, et quia vicissim diligitur a Deo, Deus manet in ipso.

O nos beatos, auditores, si talem domum nobis comparare, et eam, quocumque pergimus, nobiscum circumferre studeremus, ut Diogenes de suo dolio satagebat, fortasse non tam frequenter moesti essemus, nec tam saepe damna accepta defleremus, sed de nobis caneret propheta David: *Altissimum posuisti refugium tuum non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Contenderent hostes nostri arcus suos; sed ad arcem istam jacula non pervenirent, aeque *sol per diem* ustularet *te, neque luna per noctem.* Quid enim dies auditores, nisi tempus prosperum significat? Tunc enim quia lux micat secundae fortunae, multi numerantur amici: omnes se ostentant, omnes blandiuntur, omnes adulantur. Quid vero nox designat, nisi fortunam adversam? Tunc enim tamquam si densissimis tenebris obrutus esses, nemo te videt, nemo cognoscit, transis per plateas? nemo occurrit, nemo salutat: quaeris amicos? nemo te novit: quaeris affines? se tibi conjunctos omnes negant. Quod si iterum lux tibi prosperitatis oriretur, mox innumerabiles cognatos, consobrinos, nepotes et pronepotes haberes. Et qui paulo ante in tenebris adversitatis affinitatem videre non poterant, nunc arctissimam conjunctionem viderent. Dies igitur secundum nox adversum tempus significat. Ac in die quidem sol hoc est, concupiscentiae ardor exurit. Qui enim cernunt sibi quodlibet licere, ac impune esse cupiditates suas explere, mirum est, in quae scelerum ac flagitiorum praecipitia nonnumquam dilabantur. At vero in nocte luna hoc est, inconstantia et mutabilitas nocet. Quoniam enim tunc ex claris obscuri, pauperes ex opulentis, ex felicibus miseri efficiuntur, saepe vim adversae fortunae non ferentes, vel ad laqueos, vel ad aquas, vel ad venenum vel ad gladium currunt.

Sed haec omnia auditores, illis accidunt, qui domum non habent. Nam qui se abscondunt *in abscondito tabernaculi* Domini sui, eos nec *sol per diem* erit, nec, *luna per noctem.* Certe sanctus Abraham, et rex Ezechias, et imperator Theodosius, et pontifex Gregorius, et rex Gallorum Ludovicus, et Boemorum Wenceslaus, et Ungarorum Stephanus, et Anglorum Ofwaldus, et alii per multum die fuerunt: divitiis, honoribus et aliis hujus mundi bonis abundabant: numquid propterea a sole exusti sunt? numquid divitiae talibus obfuerunt? numquid non magis per eas sibi gradum ad coelum effecerunt? Et hoc unde? Nisi quia in charitate manentes, in Deo manebant, et Dei amorem rebus omnibus caducis et fragilibus anteponebant? Ista enim non magnopere diliguntur, nisi ab iis, qui meliora diligere non noverunt. Rursum autem sanctus Job, et pene omnes prophetae et apostoli ac martyres Domini in nocte fuerunt. Audi quid apostolus dicat: *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus et laboramus operantes manibus nostris, maledicimur et benedicimus persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc*, et cum tanta paterentur, non propterea tristes erant, sed e contrario gaudebant in infirmitatibus: quia *virtus in infirmitate perficitur*, scientes *quia tribulatio patientiam operatur patientia autem probationem, probatio vero spem spes autem non confundit.* Quare? *Quia charitas Dei* (vides quo pacto omnia charitati accepta referuntur) *diffusa est in cordibus nostris.* Isti igitur, quia in Deo proferunt nidum suum, nihil amittebant, quia nihil diligebant, nisi in Deo, qui amitti, aut perire nullo modo potest. Vis et tu non sentire jacturas? non diligas res perituras: sed ibi fige mansionem tuam, ibi cor tuum requiescat, ubi nihil transit, sed vera et aeterna et stabilia sunt bona.

Jam vero aedibus constitutis, victus est quaerendus. Quid enim juvat amplam et elegantem domum sed vacuam rebus omnibus possidere? Verum non longius abire debemus, ut victum quaeramus, Nam ipsa charitas, quae domus est, etiam victus est. Ad victum enim tria omnino necessaria esse videntur panis oleum et vinum juxta illud psalmi: *A fructu frumenti vini et olei sui multiplicati sunt.* Et item Ieremias ait: *Confluent ad bona Domini super frumento et vino et oleo.* In Genesi quoque non legistis, quibus verbis patriarcha Isaac Jacob filio suo benedixerit? *Det tibi*, inquit, *Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti*

et vini et olei. Et in eodem capite loquens ad Esau: *Frumento*, inquit, *vino et oleo stabilivi eum et tibi post haec, fili mi, ultra quid faciam?* Is enim omnia, quae ad victum pertinent, habere videtur, qui frumentum, vinum et oleum habeat.

Charitas, auditores, vinum est. *Introduxit me in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem.* Ut enim vinum homines hebrios et furiosos facit, ita charitas sanctos viros ad eam sapientissimam dementiam adducere solet, ut in rebus adversis, summisque difficultatibus glorientur, et contumeliam decus, injuriam gloriam, contemptum honorem vel amplissimum ducant. Quid enim illud erat, quod in sanctis hominibus faciebat, ut nihil arduum, nihil grave, nihil difficile esse putarent, ut omnia se posse pro Domino crederent, difficultatem numquam causarent, nisi sobria et sancta vini hujus ebrietas? Nonne ebrius Benedictus, nonne ebrius Franciscus, quorum alter in spinis tamquam in rosis, alter in nive tamquam in plumis volutatus est? Nonne ebrius Bartholomaeus, qui pellem ita sibi detrahi passus est ac si veste solum aliqua spoliaretur? nonne ebrii et musto pleni omnes apostoli, qui cum duodecim tamen essent, totum tamen orbem aggredi non timuerunt? Ad hanc ebrietatem sponsus invitat, qui *tamquam potens crapulatus a vino*, in cantico amoris dicit: *Comedite amici; et bibite, et inebriamini charissimi.* Hoc enim non est *vinum, in quo est luxuria*, sed *vinum germinans virgines*! Hoc item est illud vinum, quod quia novum est, non nisi in utres novos poni debet. Quocirca, auditores, si quando nobis pro Domino pericula subeunda sunt, vel caro petulans edomanda, vel diaboli molitionibus resistendum, et ne succumbamus vehementer timemus, cur non ad vinum et ebrietatem istam confugimus? Qui ultimo supplicio afficiendi sunt, et aliquibus locis, usque ad ebrietatem bibere compelluntur, et quamquam non bona consuetudo est, tamen id propterea fit, ut qui ad tale supplicium ducuntur, tamquam mentis inopes, sensum doloris vel nullum vel minimum capiant. Ita igitur et nos, si Dei amore ebrii effici veluerimus, res maximas minimo negotio peragemus, sine labore laborabimus, et summos dolores sine sensu doloris perferemus.

Charitas rursum oleum est. Primum quidem quia curat vulnera peccatorum, deinde quia, ut oleum super omnes liquores ascendit, ita charitas, quae excellentissima virtus est, nisi supremum in corde locum habeat, in corde esse minime dignatur. Postremo, quia summam homini laetitiam affert: *Propterea*, inquit, *unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae.* Et item: *Ut exhilaret faciem in oleo.* Hinc videlicet Dominus ait: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum*, hoc est, laetum et hilarem te praebe. Et vere, auditores, nulli tamquam tam jucundi et laeti fuerunt quam Dei amici, quorum delitiae hoc oleum fuit, qui in tribulationibus gaudebant quorum et lachrimae dulces erant. *Multi vident*, ait b. Bernardus, *crucem nostram, sed non vident unctionem nostram. Qui si viderent, profecto crucem non horrerent. Nam et si crux jugum videtur, tamen computrescit jugum a facie olei.* Charitas igitur et vinum et oleum est.

Sed numquid est etiam panis? Non sane. Charitas, inquam, panis non est: nec injuria. Nam hic non messorum, non rusticorum, non robustorum, sed amantium cibum quaerimus. Amentes autem aegri et languidi sunt. *Stipate me malis, quia amore langueo*, ait sponsa. Charitas igitur non panis est, sed pro pane lac est. Talis enim cibus ad languidos reficiendos accomodatus est. *Meliora sunt* (inquit sponsa) *ubera tua vino.* Et Isaias: *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.* Lac igitur, auditores, cibus, quo sponsa cordium nostrorum amatores suos alere, nutrire, reficere etiam et recreare solet. Quid enim est lac, nisi inexplicabilis et eximia, et omnem sensum exuperans quaedam dulcedo, quam vere spirituales, et qui mundum propter Dominum contempserunt, ex uberibus sponsae interdum sugunt? auditores, et dicam qui plane hujus lactis est expers, neque vel semel gustavit, quam suavis est Dominus, quietus et tranquillus numquam esse potest. Vidistis aliquando canes in venatione, quo pacto dum leporem aut perdicem pervestigant semper incertos et vagos cursum ineunt? nunc hac, nunc illac discurrunt, nunc montes ascendunt, nunc per valles impetu feruntur, nunc prata vel arva circumeunt: at ubi olfaciendi sensu praedam, licet longe positam, senserunt, nec amplius incerte vagantur. Pari ratione mortales omnes veluti quidam canes nihil aliud, quam beatitudinem et felicitatem venamur. Sed quam diu odorem aliquem Dei, in quo solo nostra beatitudo posita est, spiritalibus naribus non haurimus, tamdiu incerti et vagi sunt gressus nostri; nunc post istam, nunc post illam voluptatem currimus et ubi videmus eas non esse leporem, quem quaerimus, mutamus consilium, et honores ac dignitates venari incipimus. Ubi autem iam multum lassi umbram quamdam amoris apprehendimus, et nec ibi esse cernimus leporem, quem quaerimus, iterum nos ipsos excitamus et scientiam rerum et cognitionem persequimur, tamquam ibi certissimam quietem et tranquillitatem inventuri. Sed ubi omnia plena opinionibus, plena labyrinthis, plena difficultatibus, et veritatem in abdito positam esse videmus, quasi consilii inopes: iterum aut pecunias aut voluptates corporis consectamur. Ita ambulamus *vias difficiles*, et tempus, et vestes, et membra in venatione terimus: et tamen, quod quaerimus, non invenimus. Quaerimus enim quietem, et voluptatem, et nihil nisi labores et dolores, et timores et solicitudines capimus. Et merito. Nam petimus a mari dulcedinem, a spinis uvas, a tribulis ficus. At si forte Dei benignitate, et industria ac labore nostro semel perfecte cor convertimus ad Dominum et odorem verae felicitatis sentimus, et ex uberibus ejus, vel modicum lactis sugimus, tunc diriguntur gressus nostri, et *vultus* nostri *non amplius in diversa* mutantur: nulli tunc circuitus, nulli anfractus, nulli ascensus aut descensus: sed iter rectum et expeditum, nec ad dextram nec ad sinistram, semper hilares, semper gaudentes ad coelum recta tendimus. Consulite, obsecro, consulite

vitas sanctorum, ut Benedicti ut Dominici, ut Francisci, ut aliorum : et quales ante conversionem et quales post conversionem fuerint, considerate : et plane videbitis omnino verum esse quod dicimus. Sed quia tempus transit et nos transimus et caetera.

Post victum igitur sequitur vestitus. Sic enim apostolus ait : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Charitas, auditores, sicut victus, ita et vestitus est. *Charitas*, inquit apostolus Petrus, *operit multitudinem peccatorum.* Haec est illa vestis nuptialis, sine qua tutum omnino non est inveniri, cum ad Domini convivium introducimur. Haec vestis amplissima et maxima debet esse, ut etiam proximorum nuditatem et ignominiam tegat. Vides fratrem tuum a diabolo circumventum in crimen aliquod incurrisse? Noli illum Cham, Noe filium, imitari, noli caeteris prodere, quod vidisti, noli fratri tuo aliquid mali nominis conflare ; sed operi plagas ejus veste charitatis, et eas curare potius, quam aliis ostendere satage. Hanc vestem beatissimus Bartholomaeus ne amitteret, non solum alias vestes omnes, sed et ipsam pellem sibi detrahi passus est. Ut enim latrones in silvis non vitae hominum, sed marsupiis insidiantur: gladios quidem distringunt, et mortem intentant; non tamen animam sed marsupium petunt : ita nostrae fidei persecutores a diabolo incitati, non ideo fortissimos martyres tam diris suppliciis cruciabant, quia poenis eorum et crutiatibus delectarentur; sed quia fidei gemmam pretiosam et charitatis ornatissimam vestem eis detrahere gestiebant. Intellexit hoc beatissimus Bartholomaeus, et bene sibi conscius thesauri, quem gestabat, naturale pallium corporis sui latronibus in deserto dimisit; et in tabernaculum Domini sui cum thesauro fidei et veste charitatis aufugit.

Neque solum vestis est charitatis, sed etiam lorica. Nam, ut apostolus docet : *Charitas omnia suffert* : et ut sponsa dicit in cantico : *Fortis, ut mors dilectio: dura, ut infernus aemulatio.* Hanc loricam Dominus discipulis promittebat, cum ajebat: *Vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Hinc videlicet apostoli, ubi in die pentecostes loricam istam induissent, non amplius fugam propter metum Judaeorum, non tenebras meditabantur: sed liberius tunc, et audacius in publico versabantur, veritatemque promulgabant, quam timidius ante delitescerent.

Sed ut jam ad extremam orationis partem veniamus. Si quid est, quod propter vitam, ignem, aquam, domum, victum et indumenta quis requirat, id omne pecuniis emi potest. Quare postremo loco charitas etiam pecuniis comparatur. *Suadeo tibi* (Dominus loquitur in Apocalypsi) *emere a me aurum ignitum.* In regno coelorum, auditores, nulli nummi, nisi aurei accipiuntur : aerei autem atque argentei nisi auro tecti sint, omnino reiiciuntur: hoc est, (ut apertius loquar) charitas est velut aurum, quae coelum comparare potest : fides autem, et castitas, et caeterae virtutes, velut nummi aerei aut argentei sunt : et nisi auro tegantur, id est, cum charitate jungantur, non recipiuntur a rege coelorum: neque, etiamsi multa millia talium nummorum numerarentur, gloriam illam unquam emere valerent. Inspicite nunc, auditores, inspicite loculos vestros. O quam multi sunt, qui se divites putant, et auro abundare se credunt, et interim tamen nisi aurichalcum habent, vel folia quaedam, quae colorem auri et sonitum quemdam habent, sed pondus et aestimationem auri non habent. Isti sunt, qui diligunt *verbo et lingua* non *opere et veritate.* O quam multi reperiuntur hoc tempore, qui si verba spectes, charitate plenissimi videntur: pecunias et vestes, et domum et seipsos offerunt, et amicis dicunt. Quicquid est meum, pariter est et tuum: utere fruere bonis meis, non secus ac tuis: operam meam in nullo sive loco, sive tempore desiderabis. At ubi reipsa aliquid ab illis petitur, nihil habent, nihil valent, nihil possunt : pecunias fures rapuerunt: vestes tineae comederunt: frumentum totum est consumptum. Ah miser, charitas ista, charitas aulicorum est, non charitas christianorum est. Siccine aurichalcum venditis pro auro, et judicium Dei non timetis? Foeminam unam his diebus vidimus in patibulo, quia adulterinum argentum in hanc urbem adferebat : sed o quam multos pariter in patibulis videremus, si de omnibus supplicium sumeretur, qui non pro argento stannum, sed pro auro aurichalcum venditant? Cur igitur tam stultus es, ut cujus facta imitaris, ejus exitium non perhorrescas? Sed enim, auditores, incidimus in foecem saeculorum, in illa, inquam, tempora incidimus, de quibus apostolus praedicebat: Futuros in eis *homines sine affectione seipsos amantes. O quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus!* Ubinam est hoc tempore charitas illa primorum christianorum, quorum *erat cor unum, et anima una? Nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid suum esse dicebat*: et ideo nullus *egens erat inter illos.* Ubi est charitas illa beatissimi Martini, qui pallium dimidium habere voluit, ut charitatis vestem integram retineret? Ubi charitas Paulini, qui cum nihil jam praeter seipsum haberet, se quoque ipsum vendi voluit, ut viduae filius redimetur? Exulat, charitas: ad inopiam redacti sumus, volentes divites fieri, pauperes facti sumus.

Verum enimvero, auditores, quicumque pastores, aut esse debetis aut jam estis, vos, inquam, arcam auro plenam habere necesse est : profecto enim recordamini, cum Dominus apostolum Petrum primum et summum pastorem efficere vellet quidnam petierit ab eo: Num quidnam rogavit, ex quam illustri stirpe descendisset, aut quem patrem, quem avum, proavum, atavum, quos majores habuisset? Aut quot praedia, quot famulos, quam supellectilem haberet? aut quot annos in curia versatus fuisset? Non sane, non haec Dominus rogavit. Sed quid? *Simon Joannis, diligis me plus his*? hoc est, Marsupium charitatis estne tibi majus et plenius quam his? Et b. Chrysostomus in altero dialogo de sacerdotio, qua ratione convincit, suum illum Basilium dignissimum pontificatu fuisse? nonne quod bonus ille Basilius, cum salutem proximi in discrimen adduci videret, ipse se in aperta pericula coniecit? cum hoc ejus factum ab amicis reprehenderetur, ait: *Non aliter ego ama-*

re didici nisi, ut pro fratribus animam ponam. Videtis igitur, videtis, quomodo charitas aurum sit.

Sed forte his aliquid non contentos divitias mentis, hoc est, sapientiam et eloquentiam requirat. Verum et hoc charitas habet. Nam aurum ignitum, cum pondere et colore etiam lucem et sonitum habet. Quid vero lux, nisi sapientiam? quid sonitus, nisi eloquentiam ostendit? Hinc b. Joannes ait: *Unctio docebit vos.* Et quid unctio, nisi charitas? Et ipse Dominus: *Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Mysteria igitur et arcana divinae sapientiae amicis, id est, iis, qui diligunt, et diliguntur nota fiunt. Hinc b. Bernardus et b. Thomas Aquinas plura oratione, quam lectione didicerunt. Hinc beatus ille et magnus Antonius alioqui simplex et imperitus, doctissimos philosophos confutavit. De eloquentia vero quid dicam? quando charitas magistra sanctorum, ipsa rhetorica afficacius persuadeat? Videte matres, quando filios retinere conantur, ne pergant ad bellum, quam multa faciunt, et dicunt ad persuadendum accomodata? Quis, obsecro, eas rhetoricari, quis ubera ostentare, quis gestationem in utero, quis partus dolorem, quis laborem educationis commemorare docuit? Nonne charitas eloquentiae et omnium bonorum mater? Charitas enim verborum et sententiarum vim, copiam, ornatum deesse non patitur. Quis nostrum aliquando tam fructuose concionabitur, ut b. Franciscus concionabatur, qui non verba cogitabat, et ignem charitatis accendebat? Sanctus Athanasius refert, cum b. Antonius ab episcopis Aegypti accersitus Alexandriae contra Arrianos haereticos praedicaret, innumerabiles homines ad Christi fidem esse conversos: neque tamen b. Antonius Tulliana volumina, sed charitatis liber eloquentiam edocuerat. O utinam oratores christiani in hoc omnes incumberent, ut verba non tam polita, quam ignita proferrent: neque tam aures delactarent, quam corda succenderent: fortasse enim aliam Ecclesiae faciem videremus. *Quid pateis ad triticum? Dominus: Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petras?* Ignis est verbum Dei, malleus est verbum Domini: non ergo molle et languidum, sed vivum et efficax esse, et non mulcere, sed terrere; non adulari, sed minari: non refrigerare, sed inflammare debet.

Sed tu o beatissime Batbolomeae! apostolicum sidus! O marthyrum decus! O Indiae lumen! O ecclesiae ornamentum, ignosce, quaeso, ignosce supplicio tuo. Tibi jam sermo deberetur, neque materia deesset. Tu pro Christo Lycaoniam, Indiam, Armeniam peragrasti. Tu reges et populos ad Christi imperium adjunxisti: tu gladio verbi Dei vicisti gentes immanitate barbaras multitudine innumerabiles, locis infinitas. *Bonum certamen* certasti, *cursum* consummasti, *fidem* servasti. Tu pro Christo in terris mortalibus spoliis exutus fortiter occubuisti. Tu a Christo in coelis stolam decoris indutus gloriose triumphasti: et si cateri commilitones tui, in qua parte corporis vulnera susceperunt, in ea praecipuo splendore clarebunt; quid corpore splendidius aut admirabilius tuo, quod totum ea gloria, eo fulgore micabit? Et quantam haec nobis ad dicendum materiam, quantam ad ornandum copiam, quantam facultatem ad agendum ministrarent? Sed charitas, de qua loquimur, non patitur, ut auditores meos, cultores tuos, audiendo fessos amplius defatigem. Tu igitur, o beatissime, de coelo nos respice, et ignem illum, quo in terris flagrasti, quo aditum tibi in locum istum aperuisti, a Christo nobis orationibus impetra; ut qui de te gaudemus in terris tecum perpetuo laetemur in coelis. Amen.

CONCIO XLII.

DE NATIVITATE B. MARIAE VIRGINIS

THEMA

Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata? *Cant.* 6.

SYNOPSIS

Illustrium foeminarum laudes propositis earum praeclare gestis a vulgi opinione vindicantur: et ad propositum thema Divinae virgini applicandum et explicandum descenditur. Quantam laetitiam nativitas b. Virginis toti universo attulerit declaratur, et a simili aurorae amplificatur. Maria eleganti comparatione lunae assimilatur, ubi quasi per transennam lunae magnitudo ex sacris litteris et patribus contra astrologorum scita ostenditur. Dignitas et excellentia Deiparae virginis contra Lutherum eidem omnes homines aequantem, ferventer defenditur, et testimoniis patrum, et Chrysostomi, Epiphanii, Augustini, Ambrosii, Hieronimi, Bernardi et Anselmi confirmatur, ubi etiam a quarumdam haeresum enumeratione probatur, haereticos semper medio relicto, virtutis sede, ad extrema exorbitare. Quomodo ex imputativa justitia perverse Lutherus ratiocinetur et seducatur; et qua ratione justitia in homine a Deo proveniat, luculentis argumentis colligitur. Quam variis modis Maria pulchrior sit luna, et electa ut Sol, docetur. Deinde corpus ecclesiae misticum in sua membra convenienti divisione dirimitur, in quo Christus caput, Spiritus Sanctus cor, b. Virgo collum, Praelati humeri, martyres et doctores brachia, prophetae pectus, poenitentes renes, virgines viscera, monachi genua, coniugati pedes, et demum ecclesiastici stomachus sunt. Subnectuntur praeterea varia aeque pulcherrima d. Virginis encomia; simul et causa redditur, cur illa castrorum acies ordinata *dicatur. Duae denique utilitates, paupertatis scilicet et laborum tolerantia; et adversitatum modesta sine querimoniis perpessio, nobis b. Virginis Deiperae exemplo propositae, juncta ejusdem invocatione, concludunt.*

Foeminarum genus, auditores optimi, ineptum minimeque idoneum ad res magnas et praeclaras gerendas, vel quod animi magnitudinem prudentia et consilio careant, vel quod ab ipsa natura insitam quamdam timiditatem, levitatem et tarditatem habeant, plerique omnes existimant. Verum si sacra volumina diligenter evolvere voluerimus, intelligemus profecto, foeminas non paucas fortissimis etiam viris in sanctis litteris anteponi. Ac propterea non temere de omnibus pronunciandum, nec facile sententiam esse ferendam. Quid enim, obsecro, excellentius, quid sublimius viri commemorare possunt, quam quod gravi et sapienti oratione mentes hominum flectant? quod prudentia, consilio, auctoritate concilia coetusque hominum jure sociatos, qui civitates appellantur, moderentur ac regant? quod urbes expugnent? quod exercitibus imperent? quod plagis, nec vulneribus nec mortibus terreantur? Istae enim sunt laudes, in quibus tamquam propriis viri se jactant, et quibus se superiores foeminis esse, arbitrantur. Verum consulite sacram historiam: legite orationem quam habuit Abigail uxor Nabal ad David, et plane videbitis tantis eloquentiae et prudentiae opibus instructum animum mulieris, ut majores in viro jure desiderari non possint. Dum enim vir fortissimus David cum quadringentis militibus armatus descenderet, ut Nabal, et uxorem et liberos, et servos et pecora ejus interficeret, atque deleret, occurrit ei Abigail, et ubi Nabal ipse prae timore loqui non potuisset, ipsa imperterrita in medio armorum, coram hoste sibi irato, et furore justissimo succenso ita egit, ita crimen diluit, ita denique locuta est, ut non modo David placaretur, et omnem injuriam condonaret; sed etiam ita ingenio et facundia ejus delectaretur, ut eam mortuo Nabal in uxorem ducere desideraverit. Quid Debora? Nonne et prophetae, et Judicis et imperatoris munere functa est? nonne exercitum ductavit? nonne populo praefuit? principes et primores regni in officio continuit? Quid vidua illa honestissima, quid,

inquam, Judith? Nonne ducem exercitus potentissimum Holophernem, qui orbem totum armis domare aggrediebatur; nonne patriam liberavit?nonne auctor salutis suis civibus fuit? Esther autem pulcherrima et sanctissima nonne vastitatem et caedem ab omni gente Judaeorum avertit? nonne gladius ab eorum omnium cervicibus amovit? nonne incendium ab Aman accensum prudentia, et consilio pene sola restinxit? Jam vero quid dicam de fortitudine animique magnitudine Theclae, Agnetis, Ceciliae, Catharinae, Barbarae, aliarumque non quatuor aut quinque, sed pene innumerabilium castissimarum, fortissimarumque virginum, quae et carnis propriae cupiditates,et mundi blanditias et daemonum machinamenta, et bestias, et cruces, et rotas, et ignis et gladios superaverunt? Si de iis dicere aggrediar, immensam orationem suscipiam. Verum enimvero, auditores, quando genus foeminarum nihil horum, quae diximus haberet, jure tamen ac merito propter eam solam, quae hodierna die mundo veluti fulgor salutaris illuxit, vehementer laetari,gaudere et gloriari posset. Haec enim una post Deum et Christum in tota rerum universitate parem omnino non habet;nec solum hominum sed etiam angelorum splendori hujus unius gloria tenebras maximas offundit. Ac me quidem, ut nihil est, quod magis delectat, ita nihil est quod terreat magis, quam laudes et gloriam virginis praedicare. Siquidem tam alte sentiunt omnes, ut par est, de excellentia Matris Dei, ut nihil dici possit tam sublime, quod non humile et abiectum, et inferius ejus laudibus videatur.Te igitur virgo beata, quae nobis a Deo stella maris, et dux ac regina constituta es, te, inquam, appello, tuam opem imploro. Tu mihi vocem, et verba et vires suppedita, ut ea per te dicam, de te, quae Deo et tibi honorem et gloriam,et nobis utilitatem aliquam ac emolumentum adferant.

Ut igitur non vagetur, sed certam sedem habeat oratio mea, illa verba explicanda suscepi, quae in Canticis canticorum de hac virgine scripta esse ecclesia universa testatur, quae talia sunt: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*? Etenim hac sententia edocemur, virginem nostram longe aliter natam esse, quam caeteri Adae filii nasci soleant. Non enim tenebris circumdata peccatorum; sed granae splendore illustris, quasi aurora valde rutilans orbi terrarum illuxit:nec orginalis culpae maculis foedata, sed pulchra, ut luna: nec velut una de turba, sed instar solis electa: nec diaboli imperio addicta, sed daemonibus omnibus ut castrorum acies ordinata formidabilis atque tremenda. Quid enim est aurora, nisi medium quoddam inter noctem et diem? Vere igitur Maria ut aurora consurgens apparuit, quae mater Christi, justitiae solis, existens, et nostrae salutis exordium,et media inter legem et gratiam, hoc est, inter noctem et diem fuit. Cum noctis tenebrae, quae mundum involverant, et loca omnia horrore et metu repleverant, aurora exoriente fugere incipiunt, qua laetitia, quaeso, mundus hic omnis afficitur? Aviculae omnes quam laetis vocibus diem salutant? Nonne et coelum, et terra, et omnis natura gaudere ac probe gestire videtur? Quod si haec fiunt,cum quotidie aurora ad nos revertatur, quid fieret, si forte aliquando contineret, si forte aliquando contingeret, ut Deo sic providente, per unam aut alteram hebdomadam noctem perpetuam haberemus, et solis aspectu eo tempore privati essemus, neque sciremus extinctusne esset, an virtute aliqua superiore detentus, redire ad nos, et orbem nostrum illustrare non posset? Quid obsecro, ageremus? Qui gemitus, qui clamores exaudirentur? Quis enim laetitiae in illis tenebris,in eo horrore locus esset?Quid edere,quis bibere,quis dormire,quis loqui auderet?Quam saepe ad Orientem miseros et lachrimabundos oculos converteremus?At ubi aurorae tam diu et tam cupide expectatae primus fulgor appareret,et solem ac diem certissime venturum praenunciaret,quis prae laetitia capere seipsum posset? quis non exultaret? quis non clamaret? Quae cum ita sint, quis explicare queat, auditores, quid senserint sancti Patres nostri patriarchae, inquam, et prophetae et caeteri justi, qui per saecula in tenebris fuerant, quando Mariam velut auroram ortam esse didicerunt? et choros angelorum, quem plausum dedisse, quibus vocibus, qua laetitia, quo cantu hunc hortum excepisse existimatis? Ego sane mihi persuadeo, non modo angelos et homines sed etiam solem et Lunam, et caetera sidera, coelum quoque, et elementa et totam hac rerum universitate exultasse: quippe cum Christi Servatoris adventu, et divinae atque humanae naturae conjunctione illustranda et exornanda esset. Sancti igitur patres cum admiratione et gaudio hodie dicunt, *quae est ista,quae progreditur quasi aurora consurgens*? Daemones quoque et omnis exercitus inferorum cum stupore simul et horrore exclamant:*Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens*? Angeli vero non semel, sed saepe cantibus ingeminant:*Quae est ista.quae progreditur quasi aurora consurgens*? Nostrum, auditores, est tanta laetitia et gaudio respondere, ac dicere: *Maria est, quae progreditur quasi aurora consurgens.* Nec enim tam illustri die alia aurora digna erat, nec aliam auroram talis dies postulabat.

Sequitur, *pulchra ut luna.* Si quis est, auditores, qui plane cognoscere cupiat, cui similis sit nostra virgo, attollat aliquando oculos in coelum, auratum illud gemmisque distinctum lacunar,quod Deus terrae pavimento floribus quasi depicto superimposuit intueatur, ubi viderit tot lumina, tam nitida et tam splendentia, quae coelum, ut prata flores exornant, non existimet ea splendore illum ex seipsis habere. Nam sol,dux et princeps, et moderator luminum reliquorum, ipse est mundi oculus, et fons luminis, qui omnia sidera sua luce lustrat, et complet. Verum lunae, tamquam sorori ac sponsae longe majorem luminis copiam tribuit. Ita cogitare debemus, auditores, sanctos omnes in coelis veluti stellas fulgere, Mariam ut lunam, Christum ut solem. Quamquam enim sanctorum alii magis, alii minus lucent, ut apostolus ait; *Alia charitas Solis, alia lunae, alia stellarum*; tamen omnes, quicquid luminis habent, hoc

est, quicquid gratiae, quicquid gloriae, quicquid potentiae, quicquid sapientiae, quicquid beatitudinis habent, a Christo habent, qui gratiae,et gloriae et omnium bonorum fons est. Et quemadmodum luna pene incredibiliter magnitudine, decore et claritate stellis caeteri antecellit, et ipsi soli quam simillima est : ita et Mariae gloria pene incredibiliter major est Sanctorum omnium gloria. Et sicut Luna luce aliena, et radiis solis accensa convertitur,sic et Maria non secus ac alii coelites, quicquid habet decoris et luminis ad totum Christo Soli acceptum refert.

Neque objeceris mihi astrologorum decreta qui lunam pene minimam stellarum esse volunt. Primum enim neque ipsi id facile demonstrabunt,neque nos, si negare id voluerimus: propterea haeretici erimus, praesertim cum Moyses tam aperte dicat, fecisse Deum duo luminaria magna,luminare majus, videlicet solem, ut praesset diei et lunam, ut praesset nocti. Deinde d. Augustinus cap. 16 lib.21 super Genesim,nonne apertissime docet, multo esse melius scripturae divinae et lunae magnitudine, quam astrologis credere, cum ipsi non solum luna, sed etiam sole stellas aliquas majores esse contendant. Quod, ut eo loco idem Augustinus ait, nisi absurdissime dici non potest. Quid? Magnus Basilius Hom. 6 quae est de opere quartae diei,stellarum globos uno solis globo excepto, a lunae magnitudine superari confirmat. Neque ab hac sententia b. Chrysostomus et b.Ambrosius absunt.Verum quicquid de hac controversia statuendum sit, neque enim astrologorum inimicitias gerendas mihi esse unquam putavi, illud certe asserimus, gloriam virginis nostrae tanto excellentiorem esse gloria coelitum caeterorum, quanto lunae decor et magnitudo,decorem et magnitudinem luminum reliquorum, vel vincit vel vincere aspectibus nostris videtur.

Alia quaestio est, auditores, quam ego pluris facio, et ad quam profligandam mihi vocem, et latera, et impetum et ordorem ministrari vehementer cupio. Lutherus enim luteus plane, et qui nihil, nisi in luto et coeno volutari desiderabat, in sermone, quem habuit aliquando de natali die b.Virginis, matris Dei in istam vocem blasphemo atque impuro ore prorupit:*Omnes Christiani aeque magni sumus, sicut Mater Dei, et aeque sancti, sicut ipsa.*O linguam praecidendam!O blasphemiam inauditam! Dignare me laudare te, virgo sacrata : da mihi virtutem contra hostes tuos. Tunc Deiparae virginis acqualis, qui castitatem vovisti, et monachus monialem, hoc est, sacrilegus sacrilegam uxorem duxisti? qui paupertatem voluntariam professus es, et templa, atque altaria spoliasti? qui obedientiae jugo collum subiecisti, et jugum postmodum excussisti, et sacra vingula disrupisti, et majoribus tuis, et sanctis pontificibus, et ecclesiae matri, et Deo parenti obtemperare recusasti? Tu qui gloriam Deo, sanctis venerationem, templis ornatum, vim sacramentis, cultum debitum imaginibus sacris, canonicis libris auctoritatem, majoribus obedientiam, et multis millibus miserorum, et per te deceptorum hominum vitam et salutem aeternam eripuisti?Et quomodo tam excors, tam stultus es, ut tam aperte tecum ipse pugnes, ut cui te parem esse dicis, ejus diem festum celebres, et de laudibus ejus ad populum verba facias? Sed enim auditores, verum est proverbium graecum, *κακὸ κοράκος κακὸν ὠὸν mali corvi malum ovum*: quales parentes, tales filii. Jovinianus enim, quem nostris temporibus Lutherus expressit, qui (ut b. Hieronymus testatur) virginitatem matrimonio aequabat, jejunia reprehendebat, ut Epicuri vel Aristippi discipulum diceres;idem peccata paria et virtutes pares et praemia paria, juxta Stoicorum haeresim, asserebat; neque aliquid interesse volebat inter gloriam virginis Deiparae, et eorum infantium,qui mox suscepto baptismate moriuntur. Sanctus quoque martir Irenaeus, cap. 24 lib. contra Valentinum scribit, Carpocratis sectatores eo impudentiae devenisse, ut non modo Virginis, sed ipsi etiam Christo se pares dicere auderent. Ecce quales magistros Lutherus imitatus est! Nam si non istos, sed eorum antagonistas, sanctos illos patres, qui eorum haereses refellerunt, illa, inquam, Ecclesiae lumina, quae horum tenebras dissiparunt, imitari voluisset, profecto non tam absurdas opiniones neque errores tam crassos in Germaniam suam invexisset.

Audite enim quid b. Chrysostomus in Lyturgia dicat: *Ut vere dignum ac justum est, glorificare te Deiparam, et semper beatissimam, et penitus incontaminatam Matrem Dei nostri, honoratiorem Cherubim, et gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, quae citra corruptionem Deum peperisti, vere Deiparam te magnificamus.* Quid est, Luthere? Audis, quid hoc Dei oraculum, et vere aureum os, et Graecia ornamentum dicat? Si Dei Mater honoratior Cherubim, et gloriosior incomparabiliter Seraphim est, quomodo omnes Christiani aeque magni sumus, sicut Mater Dei, et aeque sancti, sicut ipsa? Numquid omnes honoratiores Cherubim, et gloriosiores incomparabiliter Seraphim sumus? Quid de illo sancto sene Epiphanio dicam? Qui cap. 78 libri tertii contra Haereses, tantam videri hujus virginis excellentiam confitetur, ut vehementer dubitet,an singulari privilegio ipsa una, quae vitam ex se genuit, mortis imperio non subiacuerit.

Ac intelligatis, haereticos semper extrema sectari, non medium, in quo virtus est posita, in capite sequenti idem Epiphanius refert, haereticos quosdam eo usque virginem nostram extulisse, ut ei, tamquam Deo, sacrificium immolarent. Ecce vias haereticorum. Sabellius unam naturam in una dumtaxat persona in Deo constituit, et ad judaismum defecit. Arrius contra, tres personas trium differentium naturarum asserit,et ad paganismum deficit. Pelagius naturam atque arbitrium nostrum liberum extollit,et etiam sine gratia posse nos non peccare confirmans, plusquam angelos facit. Lutherus ex adverso liberum arbitrium auferens, et semper peccare nos asserens, inferiores belvis facit. Denique ut caeteros omittamus, Collyridiani Virginem Dei Matrem, tamquam alterum Deum, colunt. Lutherani eidem optimae et sanctissimae Virgini impurissimos homines, vel dicam pecudes aequare contendunt. Illa igitur, illa via regia est,

per quam Ecclesia Catholica mater nostra nos ducit, quae et trinitatem personarum in naturae unitate agnoscit, ut cum arbitratu libero gratiam jungit, et Virginem nostram non tamquam Deum, sed tamquam Dei Matrem, et corporis Ecclesiae nobilissimum et praestantissimum membrum veneratur et colit. Et quidem ex partibus orienti duos istos gravissimos testes produxisse sufficiat.

Veniamus ad Meridiem, quaeramus et ibi nostrae Virgini testimonium. Quomodo obsecro, testem magis idoneum Augustino reperiemus? Dic igitur Augustine sanctissime et eruditissime, dic Virgini Deiparae testimonium. *Excepta sancta Virgine Maria*: (loquitur de natura et gratia contra Pelagianos, estque cap. 36.) *de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur habere volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Haec ergo Virgine excepta si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare: Utrum essent sine peccato? quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc, quod iste dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis si interrogari potuissent, una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Haec Augustinus. Qui, ut audivistis, tres gradus constituit. In primo Christum posuit, de quo ait: *Quem constat nullum habuisse peccatum*, nimirum, quia Dei Filius ac Dominus erat, et hoc habebat a natura, ut peccare non posset. In secundo b. Virginem collocavit, cui gratiam tributam asserit ad vincendum omni ex parte peccatum: ac si apertius dixisset, nec ipsam Virginem ullum habuisse peccatum verum id non naturae ipsius, sed gratiae Salvatoris fuisse. In tertio ac postremo sanctos caeteros constituit, quos omnes peccatum habuisse constanter asseruit. Sed cur obsecro, Augustine beatissime, sanctam Virginem excipis, cum de peccatis agitur? Cur eam a caeteris separas? An nescis omnes Christianos ita esse magnos et sanctos sicut Dei Matrem? Ita est, inquit, nescio, et utinam nec Anglia unquam didicisset.

Pergamus ad Aquilonem, et Mediolanensem Ambrosium ac Stridonensem Hieronymum interrogemus. Dic, antistes optime, dic Italiae decus, dic nostrae Virgini testimonium. Audite quid libro secundo de Virginibus Ambrosius dicat. *Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit? Talis fuit Maria ut eius unius vita omnium sit disciplina.* Dic et tu Hieronyme beatissime, dic testimonium Mariae Te enim, qui linguarum peritissimus et vas eruditionis es, latere nihil potest: nec decet, ut qui Mariae speluncam obtines, non dicas testimonium Mariae. *Taceo*, inquit in prologo super Sophoniam, *de Anna et Elizabeth, et caeteris sanctis mulieribus, quarum velut siderum igniculos clarum Mariae lumen abscondit.* O preclarum et luculentum testimonium! Ergo non omnes Christiani aquae magni et sancti sunt sicut Mater Dei, si sanctissimae foeminae et alioqui clarissima lumina, cum Mariae comparatae parvi igniculi sunt; imo nec ut igniculos clarum Mariae lumen videri permittit.

Non gravemur, auditores, propter gloriam Mariae occidentis etiam regiones perlustrare: siquidem in ea plaga beatum Bernardum et beatum Anselmum reperiemus, in quorum voluminibus quot sunt litterae, tot fere sunt nostrae Virginis testimonia. Dic ergo, sancte senex, dic Bernarde castissimae Virginis amator, dic testimonium Mariae. *Non est equidem*, inquit, *quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quam de gloria Virginis Mariae habere sermonem. Ut enim sileam interim ineffabile privilegium meritorum, ac praerogativam penitus singularem, tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt, ut dignum est universi,* (Lutheranis videlicet exceptis) *ut licet de eo loqui gestiant omnes, tamen quicquid dicitur, de indicibili, et ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur.* Sic ait sermone tertio de assumptione. Iam vero, Anselme praesul ornatissime, et Occidentis lumen ut ultimum, ita gravissimum, dic nostrae Virgini testimonium. Audite quid capite decimoctavo de conceptu virginali dicat. *Decuit, ut ea puritate Virgo niteret, qua major sub Deo nequit intelligi.* Itane, Anselme beatissime? Quis ergo, nisi impudentissimus, et vanissimus et superbissimus sit, se tanta Virgini comparare audeat? Quid, quod ipsa natura clamat et Anselmi testimonio testimonium dicat? Nam quis ita stupidus est, ut non videat etiam in corporibus ea puriora et nobiliora esse quae altiora et superiora sunt? Nonne aqua purior est, quam terra? et aer, quam aqua? et Ignis, quam aer? et caelum, quam ignis? Et mentes angelicae numquid non pene in immensum puritate et excellentia vincunt globos coelorum? Illa ergo Virgo Deipara, quae terrae montes, et spatia elementorum, et coelorum regiones transcendens, et super omnes omnium angelorum choros, ut Ecclesia canit, exaltata proxime ad Deum accessit, nonne ea puritate, et decore et gloria debuit enitere, qua major sub Deo nequit intelligi?

Haec igitur testimonia tot sanctorum hominum, quis tam stultus et tam improbus erit, qui non unius apostatae testimonio anteponat? Certe Deus ipse ita mihi de Lutheranorum, vel stupiditate vel improbitate conqueri videtur: Quomodo fieri potuit ut credere aliquando posse tis, me Deum ac Dominum vestrum, qui sapientissimus et optimus sum, tot sanctissimos, integerrimos, eruditissimos viros qui signis ac prodigiis claruerunt, qui vitae sanctimonia et eruditione tamquam sidera in Ecclesiae firmamento praefulserunt, quos columnas in domo mea, quos oculos in corpore meo esse volui, me, inquam, hos omnes abjecisse ac dereliquisse, et ad unum impurissimum Lutherum accessisse, et ipsi veritatem aperuisse, qui me tot injuriis affecit per quem nomen meum in Germania blasphema-

tur, qui Ecclesiam domum meam perturbavit, concussit, foedavit, qui mihi gratissima sacrificia, virgines, inquam sacras eripuit et daemonibus immolavit: qui denique tot animarum millia meo sanguine expiata, meoque charactere insignita, in gehenna barathrum praecipitavit? Haec ergo cum dicat Dominus noster, quis tam justa quaerimonia non moveatur? Quis Lutheranorum nomen et mores, et facta et dicta non exhorreat? Nos ergo, auditores, Deo parenti, et Ecclesiae matri, et sanctis pastoribus, ac doctoribus nostris adhaerentes laetis vocibus confiteamur, sanctam Virginem Deiparam tanto sanctis caeteris praestare, quanto luna caeteris sideribus antecellit.

Antequam ad caetera progrediamur, fortasse aliquis intelligere cupit, qua ratione adductus Lutherus in eam tam grandem blasphemiam eruperit? Dicam, auditores, et eo libentius, quod videam id utilissimum esse ad fontem et originem caeterorum errorum illius hominis cognoscendam. Illud igitur tamquam firmissimum principium sibi persuasit, justitiam, qua justi nominamur et sumus, non in nobis vere ac proprie; sed in solo Christo esse, ac propterea justos nos esse ac dici, quod Christi justitia nobis imputetur. Ex quo fit, ut eadem omnes justitia justi simus, quicumque eam, quae in Christo est, justitiam fide quasi manu quadam apprehendimus. Hinc videlicet tamquam ex fonte rivuli illi errorum profluxerunt, sola fide hominem justificari: si fides non amittatur, justitiam amitti non posse, peccata non deleri, sed abscondi et non imputari, hominem, modo credat, dubitare non posse nec debere de sua justitia, justas actiones omnes esse peccata, non esse justorum alium alio magis justum, ex quo tandem blasphemia illa manavit: *Omnes christiani aequo magni sumus, sicut mater Dei, et aeque sancti, sunt ipsa.* Ita verum est, quod quodam loco Philosophus ait: Si semel aliquid absurdum admittatur, infinita postea sequi. Sed quanto, quaeso, efficacius, et verius conclusisset, si argumentum invertere, et contrario modo ratiocinari voluisset? Nimirum si hoc tamquam principium accepisset, non omnes justos aeque justos esse sed alium alio justiorem, quod tam verum tamque exploratum est, ut pene oculis ipsis perspici et manibus tangi possit; praesertim cum apostolus dicat: Aliam esse charitatem solis, aliam lunae, aliam stellarum: et stellam a stella in claritate differre. Si hoc, inquam tamquam principium accepisset, nonne perspicue inde concluderet: Unum quemque nostrum suam habere justitiam? et quamquam justitia nostra a Christi justitia, tamquam a causa, sit, tamen nos justos non ab ea justitia dici, quae in Christo est, sed ab ea, quae in nobis a Christo est? Quemadmodum enim lux a sole in luna et astris, et in ipso aere diffunditur, ita etiam ut apostolus ait, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Iam vero luna et stellae, et ipse aer vere ac proprie in se lumen habent. Et quamquam non a se, non tamen ea luce lucent, quae est in sole, sed ea, quam ipsa habent a sole. Sic igitur, ut sepienter in Synodo Tridentina definitum est, et nos, non quidem a nobis, sed in nobis tamen vere manentem justitiam habemus: nec ea justitia justi sumus, qua justus est Deus, sed ea, quam dedit per Christum nobis Deus. Hinc b. Cyrillus c. 24. l. 9. in Joannem: *Impressa*, inquit, *in nobis charitas, qua invicem diligimus, sincerum atque integrum suae conjunctionis vestigium est.* Quid clarius? Quibus verbis apertius significare potuit, charitatem, quae ipsa justitia est, non imputari tantum; sed vere inhaerentem esse, quam illis, *impressa in nobis charitas est*? Beatus quoque Augustinus in Ioannem, Tractatu 26, apertissime rem istam demonstrat. *Quid est*, inquit, *justitia Dei, et justitia hominis? Iustitia Dei dicitur non quae justus est Deus sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum.* Quibus verbis ostendit sanctissimus pater, eam justitiam quae in nobis est, et Dei justitiam et hominis justitiam esse: Dei, quia a Deo est; hominis, quia in homine est. Sed de iis fortasse nimis multa.

Ut igitur ad propositum argumentum revertamur: *Pulchra* est Maria, *ut luna*: nec id solum, sed pulchrior, quam luna. Luna siquidem numquam certis maculis caret: Maria vero *tota pulchra* est, *et macula non est in* ea. Luna raro tota completur lumine, et modo magna, modo parva, modo nulla apparet: Maria autem semper gratia et gloria plena est nec ulla temporum permutatione mutatur. Denique propterea Maria pulchrior est, quam luna, quia simul *electa* est, *ut sol.* An non perspicitis, quam eleganter scriptura divina omnem mundi pulchritudinem conferat in Mariam? Quid enim habemus nisi noctem et diem et medium inter noctem et diem? In nocte, quid pulchrius luna? In die quid clarius sole? Inter noctem et diem quid aurora splendidius? Omnem ergo pulchritudinem jure sibi vendicat Maria, *quae progreditur ut aurora consurgens, pulchra ut luna electa, ut sol.* O quam pulcher et decorus est ille fulgor salutaris quem solem nominemus, quod spectaculum jucundius esse potest, quam praeclarum illud jubar intueri, cum post longas horrore plenissimas tenebras noctis, quas tot millia stellarum dissipare non poterant, super nostrum horizontem apparens, omnia sua luce profundit? Quid porro esset vita nostra sine sole, cum ipse non solum lucem et calorem tam liberaliter largiatur; sed sit quasi communis quidam parens omnium viventium? nam sine ipso, nec arva fruges, nec prata flores nec uvas vineae, nec arbores poma, nec animantia vitam haberent. Iure igitur ac merito beneficiorum Dei sapientissimus aestimator beatissimus Pater Franciscus, cum solem oriri videbat, incredibili mentis fervore ad Deum laudandum excitabatur, quod tam benigne tantum et tam salutare ac decorum jubar quotidie mortalibus indulgeret. Magna igitur et praeclara res est sol.

Sed vultis dicam, auditores, quid longe majus, et melius et splendidius sit, quam sol? Ille, inquam, ille sol, qui fecit hunc solem Christus, sol justitiae, splendor gloriae, verbum Patris, lux hominum, decus angelorum. Corporeum hunc solem etiam belluae cernere possunt, at illum solem sola munda corda conspiciunt. Quocirca sapienter idem

b. Franciscus; cum ei suaderetur a medico, ut oculos a lachrimis abstineret, nisi vellet solis aspectu privari, respondisse fertur: *Non est, frater me dice, ob amorem istius luminis, quod habemus commune cum muscis, visio sempiternae atque internae lucis repellenda vel modicum.* Neque sol est, auditores, qui fruges nobis, et flores, et arborum fructus et animantium foetus adfert, sed Christus rerum, omnium opifex, ipse est, qui ista per solem, tamquam per famulum ad nos mittit. Rogo te, cum amici tui servus heri sui nomine tibi munusculum aliquod adfert, utri gratias agis? Utri magis acceptum refers? Herone, qui misit, an servo, qui tulit? Non servo, qui tulit. Cum igitur id omne, quod per solem accipimus, a Christo donetur, licet a sole, tamquam famulo, adferatur, non soli, sed Christo habendae sunt gratiae. Atque hic est Sol, cui similem esse Mariam divinae literae praedicant, cum ajunt: *Electa, ut sol.* Ut enim Christus est *electus ex millibus* virorum, (ut in Canticis dicitur) ita et Maria est electa in millibus foeminarum. Et sicut inter natos mulierum non surrexit major homine Christo; ita inter natas mulierum non surrexit major virgine Maria. Eminet Christus velut *malus inter ligna*; floret Maria velut *lilium inter spinas.* Christus caput est ecclesiae; et Maria collum est ecclesiae. Omnia munera, omnes gratiae, omnes coelestes influxus a Christo, tamquam a capite, et per Mariam, quasi per collum in Ecclesiae corpus descendunt. Plures sunt in corpore manus, plura brachia, plures humeri, plures tibiae, plures pedes; sed unum est caput, et unum est collum. Ita et in ecclesia plures sunt apostoli, plures martyres, plures confessores, plures virgines, plures viduae; sed unus est Filius Dei, et una est Mater Dei.

Ac ut quod dicimus clarius et illustrius fiat, ad elegantissimam illam comparationem apostoli Pauli, qui ecclesiam corpori humano similem facit, paulisper, si placet, animum convertamus et ad memoriam revocemus.

Ecclesia igitur integrum quoddam et pulcherrimum corpus est, cujus caput est Christus Deus et homo: *Ipsum*, inquit apostolus, *dedit caput super omnem ecclesiam.* Quid est caput? Principium corporis. Caput igitur Christus, qui ait: *Ego sum principium, qui et loquor vobis.* Quid habet caput prae caeteris membris? Hoc habet, quod cum reliquum corpus uno sensu dumtaxat, eoque omnium abjectissimo praeditum sit, in capite omnes vigent. Ergo caput est Christus, in quo sunt oculi providentiae, quibus semper nos respicit: aures clementiae, quibus semper nos audit, nasus judicii, quo bonos a malis secernit, et palatum experientiae, quo de virtutibus electorum periculum facit. Quod est praeterea capitis munus? Sensum et motum omnibus membris suppeditare, Christus igitur caput, qui sensum et motum, id est, fidem et charitatem et caeteras virtutes ac dona liberalissime fidelibus impertitur. Et quamquam interdum sensuum aliquorum functionem hominibus permittit, vel potius committit, ut doctoribus oculorum, praedicatoribus linguae, et pastoribus oculorum, aurium, narium et caeterorum; munus tamen tribuendi sensum et motum, quod capitis est maxime proprium sibi uni reservat.

Cor autem, quod in medio corpore invisum, atque non aspectabile residet, et per omnia membra vitam et calorem spargit, Spiritus sanctus est, qui non est humana carne vestitus, ut cerni possit, sicut caput nostrum Christus. Mentiuntur enim, mentiuntur, qui vel Melchisedechum vel Manichaeum Spiritum sanctum esse volebant. Non est aspectabilis, nec videtur Spiritus sanctus, et tamen occulto et admirabili quodam modo ecclesiam regit ac fovet et ei vitam et calorem tribuit.

Iam vero collum, ut diximus, virgo Mater est: ipsa est enim capiti proxima, ipsa corpus cum capite jungit, per ipsam coelestes capitis influxus in membra descendunt.

Porro humeri apostoli, et Episcopi pastores caeteri dici possunt. Ut enim super humeros onera imponuntur, ita super apostolos aedificata ecclesia est, et nunc quoque episcoporum ac pastorum humeris sustentatur. Hinc episcopatus non honor, sed onus a sanctis patribus dicebatur. Hinc etiam pontifex summus, cui gravissimum onus impositum est, se servum servorum appellat. Et sicut Aaron, figura pontificum ecclesiae, in superhumerali nomina filiorum Israel scripta gerebat; ita pontifices nostri non nomina, sed animas Christianorum humeris suis impositas, tamquam boni pastores ad regnum coelorum ferre debent.

Brachia vero qui, nisi martyres fuerunt? qui scuto, et gladio verbi Dei armati cruentum bellum cum hostibus ecclesiae commiserunt, et sanguinem proprium effundentes acies inferorum fuderunt, dissiparunt, profligarunt. Nec solum martyres, sed etiam doctores brachia fuerunt. Nam cum duo sint genera hostium ecclesiae unum paganorum, alterum haereticorum: contra primos martyres dimicarunt; doctores contra secundos. Illi cominus gladiis et pugionibus: isti eminus jaculis et sagittis. Et quidem martyrum bellum atrocius, doctorum periculosius: utrumque gloriosum est, et lauream ac triumphum suis bellatoribus utrumque parit.

Pectus autem qui, nisi prophetae dici debent? Ipsi enim secreta Spiritus sancti, qui cor est, noverunt, ipsi futura praedixerunt, quae latebant in pectore Domini. Et sicut cor in pectore, ita Spiritus sanctus in prophetis potissimum habitabat: *Non enim humana voluntate*, ut ait apostolus Petrus, *allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Hinc inter apostolos solus Ioannes propheta fuit, et apocalypsim scripsit plenam mysteriorum, quia solus ipse supra pectus Domini recubuit.

Renes vero illi sunt, qui poenitentiae, jejuniis, vigiliis, aliisque id genus rebus incumbunt, et renes ac lumbos accincti contra libidines ac voluptates fortiter pugnant. Est enim et hoc grave et periculosum belli genus. Nam, ut ait Iob, diaboli potestas potissimum in lumbis dominatur.

Viscera virgines sunt. Non secus enim ac viscera cordi, ita ipsae Domino adhaerent, et ab eo foventur, diliguntur, custodiuntur. O si intelligerent pecudes istae haeretici nostri temporis, Veneris

cultores, animalia ventris, quanti meriti sint virgines apud Deum, quomodo sequantur *agnum quocumque jerit*, et cantent *canticum novum, quod nemo* cantare potest, qui virgo non sit. O si legissent apud Isaiam: *Non dicat eunuchus; Ecce ego lignum aridum, quia haec dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, et elegerint, quae ego volui, et tenuerint foedus meum: Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Itaque *eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum Dei*, locum et nomen melius habebunt a filiis et filiabus, nomen videlicet sponsi et sponsae, et thalamum in palatio Omnipotentis Regis. O si facerent canes isti flores virginitatis. O si viderent quantum ecclesia virginibus condecoratur. O si scirent lupi isti rapaces, se viscera Domini lacerare, et ab ejus corpore violenter abstrahere, dum sacras virgines nubere cogunt, fortasse non tam furiose et impie in sanctam et dulcem, et Domino dilectam virginitatem debaccharentur.

Genua, auditores, illi sunt, qui genibus flexis, fundendis precibus, vel in eremis vel in monasteriis recondili semper incumbunt.

Denique pedes, qui duo sunt et terram perpetuo tangunt, matrimonio copulatos designant: qui licet divisi sint, ut apostolus ait, et de rebus terrenis aliquando cogitare pene illis necessarium sit: tamen si permaneant in fide et charitate, *et operibus bonis divites fieri* satagant, bonum gradum sibi acquirent. Ecce igitur quale sit corpus ecclesiae.

Sed ubi stomachum partem corporis tam necessariam reliquimus? Certe nisi hic tam multos clericos vidissem, fortasse stomachi oblitus fuissem. Stomachus igitur, auditores, qui latet in corpore, et cordi proximus est, et cibus coquit, et omnibus membris alimentum subministras, clerici sunt. Ipsi enim primum latere debent, nec implicari negotiis saecularibus. Deinde cordi, hoc est, Spiritui sancto vicini esse debent, ut calorem ad cibos pro toto corpore coquendos habeant. Postremo ipsi solliciti esse debent, quomodo membris omnibus spiritualia alimenta praebeant. Locus hic admonebat, ut multa clericis dicerem; sed tempus admonet ut nihil dicam. Quid agemus, auditores? consilium reperi nec isti nec illi, *sed dividatur*: nec multa, nec nihil, sed pauca quaedam dicantur. A stomacho bona valetudo corporis dependet. Medicos, cum aegrum visitat, primum de stomacho, quo pacto suo munere fungatur. Et Dominus, cum Jerosolymam intrabat, primum omnium ad templum se conferebat; et mentes et vendentes eiiciebat. Et nunc, auditores, *tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei.* Quid non videt, quam graviter afflictetur corpus ecclesiae? quam atroci et quam diuturno morbo laboret? quam debilitatem et lassitudinem membra omnia prae se ferant? Et hoc uno, nisi quia stomachus calorem ad cibos concoquendos non habet? Si clerici, qui duces aliorum, et matres et nutrices esse debent, lac non habent, perfectionem ignorant, quomodo caeteros alere, docere ac ducere possunt? *Soror nostra parva est, et ubera non habet: quid faciemus sorori nostrae in die, quando alloquenda est?* Quid? quod haeretici nihil habent in ore, quam corruptos mores clericorum? Qui igitur illis discedendi occasionem fortasse aliquando dedimus, obsecro, et redeundi occasionem demus. Conservemus conservemus, auditores, ignem charitatis, muneribus nostris diligenter incumbamus, et tum sine dubio sanitas sua et pristinae vires Ecclesiae corpori restituentur.

Ecce igitur quale sit corpus Ecclesiae, in quo quis non videt, quam praeclaram et quam insignem partem Virgo Mater obtineat? Nihil est enim in toto corpore, quod magis emineat, et magis ornari soleat, quam caput et collum. Caput ornatur diademate, collum aureo torque, et monilibus ex aureo et gemmis condecoratur. Sic igitur caput nostrum Christus est, omni gratia et gloria ornatum. Ad ipsum autem proxime Maria, quae collum est, accedit, ut verissime dicatur: *Electa, ut sol.* Zeuxis excellentissimus pictor, cur formosissimam imaginem pingere vellet, fertur multas pulcherrimas virgines ante conspectum suum constituit, ut unius frontem alterius oculos exprimeret, hujus imitaretur manus illius pedes: denique illud a singulis accipies, in quo maxime enitebant, pulcherrimam imaginem efficeret. Sic etiam.

(*Si parva licet componere magnis*)

summus artifex Deus noster, cum collum istud ecclesiae ornatissimum esse vellet quicquid decoris et gratiae in caeteris sanctis posuerat vel positurus erat, id totum transtulit in Mariam, ut merito primis verbis Gabriel Archangelus diceret: *Ave gratia plena.* Etenim Maria est arca foederis auro purissimo contecta: Maria est thronus Solomonis, de quo scriptura dicit; *non est factum tale opus in universis regnis*: Maria est templum Dei, civitas sancta, sedes sapientiae, domicilium Spiritus sancti. Maria Rebecca est pulchrior, Anna religiosior, Abigail prudentior, Judith fortior, Debora sapientior. Maria patriarcharum et regum et filia, magistra angelorum, martyrum fortitudo, confessorum solamen, et virginum decus. Maria ut luna lucet incipientibus, ut aurora proficientibus, ut sol perfectis: Daemones autem, *ut castrorum acies ordinata* perterret. Nominatur Maria, et Tartara tremunt: nominatur Maria, et exultat coelum: nominatur Maria, et corda sanctorum liquescunt. O illos miseros, auditores, qui tale collum non recognoscunt, non venerantur, non colunt! Ut enim membrum aliquod, si a capite influxum recipere velit, et per collum illum recipere dignetur, arescet omnino et morietur: ita ut haeretici, qui vitam a Christo et gratiam cupiunt, et per Mariam habere recusant, jejuni et aridi manent, et perpetuo permanebunt. Non sic sancti patres nostri, non sic: sed omnes cultores hujus sanctissimae virginis fuerunt. Quae quidem in hoc etiam ostenditur electa esse ut sol, quod sicut Christus sol diligit misericordiam et judicium, habet-

que cum lenitate conjunctam severitatem, et est pater et est judex: ita Virgo sancta pulchra est ut luna, blanda ut aurora, ut sol aspectabilis et jucunda; simulque *terribilis* est, *ut castrorum acies ordinata.* Illa priora mansuetam matrem, ista posteriora potentem reginam ostendunt.

Multa, hic dicenda essent, sed breviter pertransibo. Quotquot nascimur ex Adam, auditores, exercitum habemus, membrorum, sensuum, virium, facultatum, sed dissipatum et sine ordine. Ratio enim, quae imperatoris obtinet munus, imperat quidem, sed ei ab exercitu non obeditur. Atque hinc fit, ut hostis humani generis facillime exercitum istum fundat ac profligat. Non sic nostra virgo, non sic: sed ita prodiit in lucem, *ut castrorum acies ordinata.* Ratio imperabat, sensus parebat: nec sensus contra Deum unquam insurgebat. Et propterea omni armorum et praesidiorum genere Mariae exercitus instructus erat. Illi aequitas contra iniquitatem: temperantia contra luxuriam; fortitudo contra temeritatem: honestas contra turpitudinem: fides contra incredibilitatem: pietas contra scelus: omnes virtutes contra omnia vitia in illo exercitu stabant. Quocirca diabolus magna daemonum caterva comitante cum ad Mariam accessit, et ubi eam talem expertus est, fugere coepit et clamare: *Castra Dei sunt haec*: *fugiamus Israelem.* Non est ista sicut caetera: *caput meum doleo, caput meum doleo*: numquid forte haec est illa, de qua olim audivi: *Ipsa conteret caput tuum*? Vere ipsa est. Jam sentio, jam conteret caput meum. Atque hic esset finis orationis.

Sed nihil nos, auditores, utilitatis, nihil emolumenti domum referemus? Nimirum magnam utilitatem salutaria documenta, optimum laboris nostri fructum capiemus, si istam tantam potentem, tam excelsam reginam qualis fuerit, dum hic viveret, consideremus. Vixit enim, auditores, Mater Dei et orbis Domina in extrema paupertate manibus victum quaeritabat. Et quamquam pro peccatis satisfaccre opus ei non erat; tamen, ut beatus Ambrosius ait, in libro secundo de virginibus, jejuniis, vigiliis et orationibus corpusculum affligebat. Labores autem et dolores, itinera et fugas, timores et vexationes, quas propter Dominum, sive ipse viveret mortalis, sive in morte, sive post mortem passa est, quis numerare valeat? Et vim illius gladii, qui animam illius pertransiit quis pro dignitate valeat explicare? Cur hoc, auditores, cur hoc? Num Dominus ista non videbat? num opem ferre non poterat? Num virginem non diligebat? Nihil horum dici potest. Quid igitur dicemus? O dives paupertas! O nobilis humilitas! O dulces tribulationes! Quam pauci thesaurum in vobis tamquam in agro reconditum, noverunt; In magno errore versamur, auditores, laboramus ignorantia nimis crassa. Ab hanc nos Deus Mariae exemplo liberare voluit. Quotus quisque enim est, qui non magni faciat opes, honores, voluptates? et tamen si vere aliquid essent, credere posses tam exiguam eorum portionem Mariae Deum daturum fuisse? Dicit igitur Deus: Ego justus ac sapiens sum, et tamen res istas aeternas saepe largior peccatoribus et non largior justis. Non igitur credas res pretiosas. Ego enim sum, qui dixi: *Nolite proiicere margaritas ante porcos*, non ergo margaritae, non aurum, non argentum sunt: sed mala putrida, et quisquiliae, quas illis ut porcis proiicio. Quare, auditores, discamus hic vera a falsis bonis; aurum a carbonibus internoscere. Noli divitiis te onerare, nisi velis esse, ut Arnobius ait, viator onustus in parvo itinere. Quid stultius eo qui usque Mechliniam profecturus, onerat se panibus et vestibus ac magna supellectile, quasi triennium in itinere esset futurus? Et tamen hoc stulto stultiores nos sumus, qui tres dies in hoc saeculo supervicturi, viaticum in milles annos comparare studemus. Numquid non utilius ac melius esset, pauperes advocare ac diceret: Eia; fratres, levate me hoc onere, comedite cibos istos, induite vestes istas: nec enim in urbe, ad quam tendimus, haec nobis usui erunt.

Deinde aliam adhuc utilitatem Mariae exemplum nobis adfert, nimirum ut cum in varias tentationes inciderimus, non conqueramur. Numquid enim non praeclare nobiscum agitur, similes Mariae efficimur? Mater Dei sine peccato existens nihil in hac vita, nisi tribulationes invenit, et tu terrae vermiculus, in peccatis natus, in peccatis vivis, et tamen indignaris, si non omnia pro voto succedunt? Discamus ergo, discamus exemplo Mariae, quod Christianorum est proprium, bona agere et mala pati. Tu autem, Virgo beata, quae quicquid velis impetrare potes, ut regina nos rege: ut mater fove, ut patrona tuere: ut stella maris in hoc Oceano profundo et tam aestuoso viam nobis ad portum ostende, ut aliquando tandem e vadis emergamus, ac scopulos omnes praetervecti ad portum aeternae salutis feliciter perveniamus. Amen.

CONCIO XLIII.

DE DOMINICA DECIMASEPTIMA POST PENTECOSTEN

THEMA

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua : hoc est maximum et primum mandatum. Matth. 22. *Marc.* 12.

SYNOPSIS

Quomodo prudentia et charitas, virtutum omnium reginae, in Christi responsionibus ubique enituerint; et quomodo ille in triplici genere quaestionum, sibi proponi solitarum, videlicet utilium, curiosarum, recto fine carentium, se habuerit, aliquibus evangeliorum locis manifestatur. Quam caute cum haereticis sit ineunda disputatio exemplis ss. Patrum praesertim sancti Antonii et Macharii abbatis ostenditur. Hinc ad legisperiti quaestionem hodierno in evangelio propositam descenditur; illius difficultas proponitur, quanta prudentia in illa solvenda, simul et notanda, Pharisaeorum iniquitate, usus fuerit Christus; declaratur. Quinque dein rationes assignantur, cur mandatum charitatis dicatur primum et maximum. Prima est, illius finis. Secunda, ejus amplitudo. Tertia, praemium. Quarta, id, quod praecipit, quod est charitas. Quinta, modus, quo diligere Deum praecipit; cujus etiam explicatio ex d. Gregorio Nysseno et Augustino affertur, et insuper auctoris ipsius subjungitur. Quomodo et cur Deus sine modo sit diligendus; docetur: et quomodo itidem ille nos sine modo diligat, ex innumeris in nos collatis beneficiis eleganter probatur. Gravis tandem in ingratos invectio priorem partem concionis concludit.

Unde fiat, quod tam paucos nos amemus, et tamen ipsi ab omnibus amari cupiamus, auctoris sententia affertur, et stabilitur. Cur non etiam specialis lex de diligendo seipsum data sit, causa assignatur, et de fraenanda philantia, insignis doctrina subjungitur. Justa reprehensione describuntur nostra tempora, in quibus tam frigide salus proximorum, et poenitentia in calamitatibus publicis, secus quam olim, tractatur. Propositis deinde pro exemplo dilectionis proximi duobus ss. Stephanis, disseritur, quaenam sit maxima expedita et secura via ad charitatem; nempe cognitio rei amandae; nec solum cognitio theorica sed et practica. Deum in intimis cordis penetrabilibus quaerendum esse; ad quae per ferventes preces et per adversitates viam aperiri, pulchro discursu probatur; ad eamque quaerendam, inventam ingrediendam, brevi exhortatione finitur.

Si quantum hujusce evangelii historia continet utilitatis, et doctrinae, tantum esset in me ad eam enarrandam et explicandam dubito, auditores optimi, quin longe majorem et uberiorem fructum ex hac una oratione, quam ex multis aliis caperemus. Et enim duae sunt omnium duces, et tamquam reginae virtutum, *prudentia et charitas*: Charitas movet, prudentia regit: sine prudentia caecae, sine charitate mortuae sunt: itaque charitas vita, prudentia lumen virtutum est: porro evangelium hodiernum utramque complectitur. Nam et exemplo Domini prudentiam, et praecepto Domini charitatem docet. Ut enim Dominicum pectus domicilium erat omnium virtutum, ita responsa ejus semper erant, et igne charitatis inflammata et prudentiae sale condita.

Ut igitur prudentiae documentum videamus, nota quod tria genera quaestionum Domino proponi solebant unum utilium et salutarium, alterum curiosarum et inutilium quidem, sed non recto et bono, sed iniquo et perverso consilio ac voluntate. Ad primas quidem quaestiones, quod omnino bonae essent, semper Dominus respondebat. Ad secundas, quod nihil boni haberent, numquam respondebat. Ad tertias, quod partim essent bonae, et partim non bonae, interdum aperte, interdum obscure respondebat: interdum obscure responsione indignas contemnebat. Primo genere continentur quaestiones nonnullae apostolorum, ut illa: *Quare nos non potuimus eiicere illum?* Quibus Dominus ait: *Propter incredulitatem vestram. Hoc autem genus daemoniorum non eiicitur, nisi per orationem et jejunium.* Ejusdem generis est

illa quaestio apostoli Petri: *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?* Cui Dominus: *Non dico tibi usque septies sed usque septuagies septies.* Secundi generis est illa quaestio discipulorum: *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Quibus Dominus: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* Et illa b. Petri: *Hic autem quid?* Cui Dominus: *Quid ad te? Tu me sequere.* Videtis quo pacto curiosis quaestionibus praetermissis solas utiles dissolvebat? Jam vero tertium genus totam est scribarum, qui utilia quidem et salutaria saepe petebant, tamen quia non discendi voluntate, sed accusandi et reprehendendi cupiditate et interrogandum Dominum incitabantur, propterea non semper apertum responsum accipiebant, sed tunc solum, cum Dominus ex responsione sua fructum aliquem redundaturum in auditores perspiciebat. Itaque cum scribae et seniores aliquando dicerent: *Dic nobis, in qua potestate haec facis; et quis tibi dedit hanc potestatem?* non inutile illis fuisset, si Dominus illis respondisset, Ego, qui Dei filius naturalis sum, a quo potui, nisi a Patre Deo potestatem accipere? Sed non erant hujus veritatis capaces ita atque odio excaecatae mentes Judaeorum. Ideo prudentissime Dominus ait: *Interrogabo vos et ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, et ego dicam vobis, in qua potestate haec facio. Baptismum Joannis unde erat, e coelo an ex hominibus?* *Dicunt ei*: *Nescimus. Ait illis et ipse: Nec ego dico vobis, in qua potestate haec facio.* Rursum, cum pharisaeorum discipuli cum Herodianis a Domino peterent: *Licet censum dare Caesari an non?* Videns Dominus calliditatem et nequitiam eorum, caute et prudenter respondit, ut et veritatem aperiret, et tamen ab illis reprehendi non posset. Ait enim: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo.* Postremo quod habemus in evangelio prae manibus continetur, cum Pharisaei Dominum convenissent, et interrogaret eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Apertissimis verbis Dominus respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Tametsi enim illi iniqua intentione petebant, tamen bonum erat valde, quod petebant; et Dominus praevidebat eum legisperitum non clausurum oculos veritati. Itaque, ut beatus Marcus refert, legisperitus veritati cedens responsum Domini comprobavit; et Dominus videns eum perversam voluntatem deposuisse, illum commendans, ait: *Non es longe a regno Dei.*

Haec est igitur prudentia, quam sancti patres nostri Dominum imitantes in suis sermonibus adhibebant, sive cum Ethnicis, sive cum haereticis disputarent. Quod si autem ullo unquam tempore haec prudentia necessaria fuit, certe nunc est, quando tam multae et tam perniciosae haereses olim a majoribus nostris sanctissimis viris confutatae, damnatae, sepultae nunc iterum ab impurissimis hominibus in lucem revocantur, et quasi ab inferis excitantur. Non igitur quilibet cum haereticis disputare debet: et ii, qui debent, nec in omni tempore, nec cum quibusvis facere debent. Sed quid dicam, quid in plerisque locis pessima quaedam consuetudo inolevit, ut inter patinas et pocula de fide et sacramentis Catholici cum haereticis disputent, nec tam argumentis et rationibus, quam convitiis et clamoribus rem agant? Et quidem Catholici imperite, haeretici improbe, utrique periculose faciunt. Istae enim disputationes utilitatis nihil, incommodi plurimum habent. Nam nec propterea Catholici fidei suae firmius adhaerebunt, et haereticis contentione illa exacerbatis et vino calefactis, immanissimas blasphemias in Deum, et in sanctos evomendi praebetur occasio. Certe magnus Antonius, ut sanctus Athanasius de eo refert, non solum non disputare, sed nec loqui cum haereticis dignabatur. Et b. Abbas Macharius, ut Cassianus in collatione 15 scriptum reliquit, eum Eunomianus quidam dialectis sophismatibus, et inani loquacitate Aegypti populos deciperet, noluit cum eo argumentis agere, quorum imperita illa multitudo jam pene decepta capax non erat: sed haereticum hominem, et omnem illam multitudinem ad sepulchrum mortuorum deduxit, atque ibi non verbis, sed miraculis haereticum fugavit, et circumventum populum ad fidei integritatem revocavit. Ac de prudentia quidem hactenus.

Nunc si quis forte putet, levem esse quaestionem, quam pharisaei Domino proposuerunt, nec esse minus puerilem, quam si nunc doctissimus aliquis theologus ab alio item doctissimo theologo quaereret, quot sunt ecclesiae sacramenta? vel quia sit potissimum sacramentorum? is audiat non modo non levem nec puerilem, sed gravissimam et difficillimam quaestionem fuisse. Siquidem praecepta legis Judeorum ab ipsis Judaeis sexcenta et tredecim numerabantur et usque adeo admixta sunt magna cum parvis, ut Origenes super hunc locum dicat, Hebraeorum doctores ab ipso tempore Moysis semper de hac re contendisse, ne unquam certi aliquid invenire potuisse. Praesertim cum hoc dilectionis praeceptum non inter prima, sed inter postrema et in ultimo libro legis, hoc est, Deuteronomii 6. c. tandem conspiciatur. Augebat vero pharisaeis difficultatem, quia non solum de maximo, sed et de primo mandato petebant. Cum enim dicat Matthaeus, eos interrogasse de magno mandato, et Marcus eamdem historiam texens dicat, eos interrogasse de primo, compertum omnino atque exploratum nobis esse debet, eos de primo et maximo quaesivisse. Quod quidem callidissime fecerunt. Arbitrabantur enim nullum esse fortasse primum simul et maximum, cum in Decalogo primum illud sit: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* Quo tamen primo mandato majus esse videtur dilectionis mandatum, sicut fide posterior quidem, sed major tamen est charitas. Ajunt igitur, Videamus an iste fabri filius, et qui litteras numquam didicit, ab ista quaestione se expediet. Magister, quod est primum et maximum mandatum in lege? Sed quid ait scriptura divina? *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Et: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Nam Dominus est quidem fabri filius, sed ejus fabri, qui coelum et

terram fabricavit, et litterae numquam didicit, quia in eo *absconditi sunt omnes thesauri scientiae et sapientiae* Dei. Dominus igitur, qui auctor legis illius fuerat, quia plane intelligebat, mandatum dilectionis non solum esse maximum et praestantissimum, sed etiam primum, non quod in libro legis primo loco scriptum sit, sed quod primum fuerit in intentione legislatoris, idcireo ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua: hoc est primum et maximum mandatum.* Et simul videte Domini sapientiam, non solum respondet, et nondum quaestionis dissolvit, sed una illis iniquitatem ipsorum, et mentis perversitatem ante oculos ponit. Occulto enim et tacito quodam more Dominus hoc illis dicit: Cognoscere vultis, quod sit primum et maximum mandatum? Illud est, quod vos vere ignorare, et minime omnium custodire videmini, dum ad me tentandum compositis verbis et simulata religione acceditis. Nam dilectionis mandatum summum et antiquissimum est, et tamen vos odii atque invidiae stimulis ad me tentandum incitamini.

Sed nos, auditores, scribas et pharisaeos relinquamus et Domini mandatum diligentes consideremus. Duo nobis de hoc primo et summo mandato dicenda esse videntur. Unum, quare primum et maximum mandatum appelletur: Alterum quid sibi velint illa verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Ut igitur ab eo, quod primo loco positum est, incipiamus, quinque sunt causae, propter quas dilectionis mandatum est primum et summum.

Quaenam est prima ratio? Nimirum ista; quia dilectionis mandatum est finis omnium mandatorum: *finis praecepti est charitas*, inquit Paulus: nec solum praecepti, sed et legis et prophetarum, sed omnium virtutum, omnium donorum, omnium sacramentorum, omnium denique quae Dominus in terris egit, et quae sancti postmodum egerunt, et quae in posterum usque ad mundi consummationem agent. Haec enim omnia eo tendunt, ut hominem cum Deo, fonte omnium bonorum, perfecte conjungant, quod nisi per charitatem fieri non potest. Haec est glutinum, haec est vinculum, quod cum Deo nos unit. Hinc videlicet in coelesti illa Jerusalem, ubi perfecta charitas in omnibus est, et ubi *Deus est omnia in omnibus*, nec fides, nec leges nec sacramenta locum habent. Ut enim cum domus aedificatur, multi pontes, multa instrumenta, multae machinae necessariae sunt: at postquam tectum est superpositum, et domus perfectionem atque absolutionem accepit, tunc destruuntur pontes, instrumenta et machinae removentur: ita dum in animis nostris Dei domus aedificatur, multarum virtutum, legum, sacramentorum, aliarumque rerum adjumentis opus habemus: at ubi perfectae charitatis tecto superposito domus haec ad finem et consummationem suam pervenit, tunc sola charitas manet, *sive propheliae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.* Mandatum igitur dilectionis, quia finis mandatorum est, ideo primum et maximum est.

Altera ratio ex eo sumitur, quod mandatum dilectionis ita mandata omnia comprehendit, ut latius pateat ipsum solum, quam alia simul omnia. Nam qui Deum ex toto corde diligit, certe omnia alia diligit, quae Deus ipse diligit, et ea magis diligit, quae a Deo magis diligi novit. Deus autem diligit omnia quae sunt, et nihil odit eorum, quae fecit: sed ea tamen praecipuo amore complectitur quae ad suam ipsius imaginem et similitudinem fecit. Quare nemo est, qui vere et ex corde Deum diligit, qui proximum simul non diligat: *qui vero proximum diligit, legem implevit.* Dilige, inquit Augustinus, et fac quod vis. Nam *justo non est lex posita*: sine lege enim legem impletis. Quid enim aliud leges volunt, quam ut malum non fiat? At *dilectio malum non operatur.* Nam quomodo fieri potest, ut qui proximum diligit, aut ei pecunias suffuretur, aut uxorem ejus adulteret, aut contra eum falsum testimonium dicat, aut ipsum occidere, vel vulnerare, vel percutere, vel etiam laedere inimicum possit? Deinde nonne haec est apostoli Pauli clarissima et efficacissima demonstratio? *Dilectio malum non operatur; ergo plenitudo legis est dilectio.* Vere igitur propheta de charitate loquens ait: *Latum mandatum tuum nimis.* Et ipse Dominus: *Hoc est primum et maximum mandatum.*

Porro tertia hujus rei ratio est, quia primum, summum et maximum hoc mandatum implentibus Deus maxima quaeque promisit. Audi enim quid apostolus dicat: *Oculos non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus.* Quibus? Credentibus solum? Non. Signa et prodigia edentibus? Minime. Eruditis in lege? Magistris et doctoribus? Nequaquam. Quibus igitur? *Iis, qui diligunt illum.* O si verba illa cor nostrum penetrarent, *nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* O quam cito puerilia negotia dimitteremus, pueriles cogitationes deponeremus, et Domini amorem omni animi provisione quaereremus. Quid enim est illud; *nec in cor hominis ascendit*? Nimirum hoc multa vidisti, multa audivisti, multa legisti, sed nihil ista sunt. Ascende altius: Cogita, exopta voluptates, opes, honores, fastigia, regna, imperia. Ascende in coelum, super coelum, ultra coelum, ultra omnes terras, ultra omnia maria: Quaere, investiga, cogita et concupisce, si potes: et tamen habeas pro comperto ex ejus veritatis testimonio, quae nec falli, nec fallere potest, cogitationem et desiderium tuum adhuc esse longe inferius eo bono, eaque gloria, quam Deus tibi, tibi, inquam, qui hic ades, et praeparavit, et reipsa dabit, si dilexeris eum. Nonne igitur primum et summum mandatum est, cui summum et maximum praemium jure debetur?

Iam vero quarta ratio ex ipsa charitate sumitur quae hoc mandato praecipitur. Charitate enim nihil prius, nec majus habemus, quod Deo dare possimus. Siquidem charitas radix, fons et origo est omnium bonorum. Si forte incipis aliquem diligere, et in eo amoris donum collocare, nihil est, quod ipsi postea non libentissime dones, nihil quod pro eo non facias. At contra, si non diligas, quam

multae machinae adhibendae erunt, ut ei vel minimum obolum largiaris? Et hoc unde? nisi quod aperto fonte charitatis, fluunt rivuli donorum. At eo clauso, vix parvae guttae summo labore exprimi queunt. Qui turpi atque insano amore foeminas prosequuntur, quicquid habent nonne illis tanta facilitate largiuntur, ut semper parum se dedisse putent, nisi ipsi ad extremam inopiam redigantur? At Christi pauperibus si forte nummum vilissimum casu aliquo dare debeant, quia nec Christum nec ejus pauperes diligunt, quoties suspirabunt, antequam marsupium aperiant? Itaque si diligis, nihil clausum, nihil obsignatum habes: si non diligis, ita sunt omnia clausa, ut nullis clavibus reserari possint. Quare videtur quidem Deus noster parum petere, dum pro tam multis et tam magnis beneficiis, quae quotidie in nos confert, nihil nisi amorem nostrum petit, nam si reges et principes nostri non alia vectigalia et tributa exigerent, quam ut eos diligeremus, certe nimium liberales judicarentur, et tamen auditores, nullum poterat Deus majus tributum petere tributo charitatis. Est hoc exiguum quidem, et longe impar beneficiis ejus, tamen nihil majus nos habemus. Nec vero injuria rem tam grandem Deus petit: *Ipse* enim *prior dilexit nos*, et sicut inter ea, quae nos offerimus Deo, nihil est excellentius charitate; ita inter ea, quae nobis largitur Deus, nihil est sublimius charitate. Nam vita, salus, incolumitas, gratia, virtutes, sacramenta, coelum, terra, animantia, plantae et alia quaecumque, quae nobis dedit Deus, finita sunt; sola charitas, qua nos diligit, et qua ista dedit, et majora etiam dabit, sola inquam, est infinita. Nos, auditores, si uberem messem, si sanitatem, si pacem habeamus, si lucra nostra crescant, si honores augeantur, si negotia prospere succedant, haec consideramus: et quia haec finita sunt, non nisi finitas et exiguas Deo gratias agimus. Sed si amorem illum cogitaremus, unde manant haec omnia, o quam infinitas, et quam sine modo gratias ageremus. Certe si diceretur tibi, rex Philippus ita te diligit, ut de te cum primoribus regni loquatur, ac de te perpetuo pene cogitet, nonne hoc tibi tantum videretur, ut vix adduci posses, ut crederes esse verum? Quid ergo facere debes, cum verissime dicere possis, *Rex regum et Dominus dominantium* Deus de me cogitat, et ab aeterno cogitavit. Ac de te Pater cum Filio et Spiritu sancto loculus est. Ipse mihi panem, quo vescor, indumenta, quibus operior, largitur: et hoc est parum ac pene nihil, si cum amore, quo me prosequitur, comparetur. Huic igitur tanto muneri, quod munus aliud debebatur, si munus charitatis non debebatur? Jure igitur Deus in lege carnem sacrificiorum sacerdotibus concedebat: adipem autem, qui est circa cor, semper reservabat sibi: illud recte significans, affectum cordis et vectigal charitatis sibi uni deberi. Ac propterea dilectionis mandatum, quod rem primam: et maximam praecipit, primum et maximum esse constat.

Iam quinta ac postrema ratio ex modo charitatis quo Deum amare jubemur, accipitur. Modus enim quo Deus diligi debet, ut Bernardus ait, est sine modo et mensura sine mensura, et terminus sine termino.

Atque hoc est, quod ipse Dominus significare voluit, cum ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua.* Quae quidem verba (ut ea jam, sicut promisimus, explicemus) non uno atque eodem modo, sed diverso ac vario a sanctis patribus exponi video. Verum quia res ista non est tanti ponderis, ut in ea multum temporis consumi debeat, duas referam dumtaxat, et quidem brevissime, sanctorum patrum explicationes.

Gregorius igitur Nyssenus magni Basilii frater, in libro de Creatione hominis, tribus illis vocabulis, corde, anima et mente, ita tres animae nostrae partes comprehendit, ut cor ad partem vegetantem animam ad sentientem, mentem ad intelligentem referat, et hujus mandati sensum esse velit, ut omnibus animae nostrae partibus Domino, a quo illas habemus, serviamus B. vero Augustinus libro altero Meditationum capite secundo, tribus illis nominibus, corde, anima, mente, tres intelligentis animae facultates significari existimat, ut cor intelligentiam, anima voluntatem, memoriam mens designet. Nec multo aliter mandatum hoc explicat in primo libro de doctrina christiana cap. 22. At has duas expositiones, aliae pene omnes mihi revocari posse videntur.

Et quidem horum ecclesiae luminum expositionem non rejicio, imo vero complector ac suscipio. Sed fortasse tamen dicere possemus, etiam sic istum locum intelligi posse, ut illa tria vocabula augendae orationis gratia pro uno ponantur, et nihil aliud sibi velint, quam summo amore et sine ullo modo Deum esse diligendum. Nam si quis in sacris voluminibus vel mediocriter sit versatus, intelligit profecto unum pro alio non semel, sed saepius in sacris litteris usurpari. Id vero ex eo etiam confirmatur, quod in capite sexto Deuteronomii, et capite duodecimo Evangelii secundum Marcum, additur, tamquam superiorum explicatio; *Ex tota virtute tua.* Vel ut beatus Lucas habet, *Et ex omnibus viribus tuis.* Ac ne quis existimet vires in eo loco, non vim ac vehementiam amoris, sed animi facultates significare, omnes codices graeci, tam b. Marci, quam b. Lucae proprium vocabulum habent, ita ut sensus sit ex omni virtute et potentia, quantum potes et quantum vales. Cum igitur trium illorum vocabulorum veluti explicatio quaedam sit id, quod additur: *et ex tota virtute tua*, sensus praecepti, ni fallor hic erit: Diliges Dominum Deum tuum maximo ac sincerissimo affectu cordis tui, quantum potes, quantum vales, ita ut in nulla re alia majorem conatum adhibeas, quam in hac, ut diligas Dominum Deum tuum sine modo et sine mensura.

Sed cur dicat aliquis, sine modo diligendus est Deus? Cur? Quia Deus bonum est sine modo, bonum est infinitum, bonum est immensum. An est quisquam, qui hoc ignoret, nihil nisi bonum posse diligi, et bonum mensuram dilectionis esse, ut majus bonum magis, et minus bonum diligatur minus? Cum igitur omne, quod Deus non est, bonum quidem sit, sed finitum ac terminatum, et solus Deus infinitus atque immensus sit: amori omnium rerum creatarum statuendus est modus, soliusque

Dei amor esse debet sine modo. Deinde, nonne philosophus libro de republica primo et ipsa experientia docet, appetitionem finis esse sine modo cum eorum omnium, quae propter finem expetuntur, sit aliquis modus? Nam cum morbo aliquo graviter afflictaris, et ad te medicum vocas, admones quidem, ut modum adhibeat medicamentis, ut inediam cum modo jubeat; ut sanguinem si munere velit, cum modo minuat; ut potionem nec nimis amaram, nec nimis potentem nec nimis multam sumi praecipiat. At numquid mones, ut cum modo sanitatem in corpus affectum inducat, caveatque ne nimis sanum te faciat? Non plane, non id mones. Quamobrem? Quia sanitas finis est, et finis amor modum non habet. Cum igitur Deus verus et summus finis omnium nostrum sit, sine modo et sine mensura diligendus est.

Quid? quod ipse Deus sine modo nos diligit. Profecto, si quid est, quod nobis persuadere possit, Deum esse sine modo diligendum, hoc certe est. Nonne pauperes divitum amicitias expetere, et non divites pauperum solent? Deus noster, auditores hoc est, aeternitas, immensitas, omnipotentia, sapientia, bonitas, principium est et finis omnium rerum, qui bonis nostris non indiget, cujus est coelum et terra, et quicquid coeli ambitu continetur, sine modo nos diligit, nos terrae vermiculus humi jacentes, qui nihil sumus et nihil habemus ex nobis, nos, inquam tantillos tantus Deus diligit sine modo, et ab aeternitate dilexit, et nos modum quaeremus in amore? Taceo, quod cum nondum essemus, a solo amore persuasus nos creavit. Omitto, quod ad suam ipsius imaginem et similitudinem nos fecit. Nihil dico, quod nos inter tot rerum genera ab ipso creata solos orbis dominos et socios angelorum esse voluit, quod corpus nostrum tot membris, et animum tot viribus ornavit, quod armavit prudentia instruxit eloquentia, sapientia et lumine illustravit. Haec omnia et alia innumerabilia et maxima amoris illius argumenta praetermitto. Illud unum silere non possum, quod cum adhuc inimici essemus, quia pro illis beneficiis nos illum injuriis affeceramus, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos filium suum, quem infinito amore prosequebatur, ad nos misit. Hoc teneo, auditores hic haereo, hoc sum contentus uno. Omitto ac negligo caetera: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Sic*, inquam, sic sine modo, sic sine termino, sic sine mensura, sic supra omnem et hominum et angelorum intelligentiam *Deus dilexit mundum* hoc est, hominem, qui parvus est mundus, licet valde immundus, inquinatus, distortus perversus, *ut filium suum*, non adoptione, sed natura primogenitum, *unigenitum* Deum, Deo aequalem, *daret*. Jam vero ipse Deus Filius, quem modum adhibuit in amore? Moyses et Elias dum cum ipso loquerentur in monte, quid nisi *excessum ejus dicebant, quem completurus erat in Ieruralem*? Excessit ergo, excessit Dominus modum. At in qua re illum excessit, in cibo et potu? At jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. In cultu et numero vestimentorum. At non nisi duas pauperes vestes habuisse legitur. In somno et quiete? At pernoctabat saepe in oratione. In quaerendis et cumulandis divitiis? At *vulpes foveas habent et volucres coeli nidos, filius autem hominis non* habebat *ubi caput* reclinaret. In nulla re igitur Dominus modum excessit, praeterquam in amore. Nam cum non ille nobis, sed nos illi debitores essemus, ipse tamen prior ad nos venit, ut pacem offerret: et cum una sudoris vel sanguinis gutta orbem totum abluere posset, voluit tamen, ut tot spinae capiti ejus infigerentur, tot clavi carnem ipsius transverberarent, tot verberibus terga lacerarentur, et tot tamque exquisitis doloribus ac suppliciis et corpus et animus cruciaretur. Non credis frater, amorem in te Domini infinitum, ac sine modo fuisse? Aspice quaeso signum illud, intuere simulachrum Domini tui, numera plagas, si potes, numera vulnera, numera livores. Quot enim sunt in corpore Domini plagae, quot livores, tot et multo plura sunt in ejus corde vulnera amoris, et tot sunt etiam ejus amoris testimonia. Inspice a planta pedis usque ad verticem capitis, ubi vides sanitatem? Quod membrum cernis non afflictum? Omnia igitur Domini membra, omnia supplicia, omnes poenae, voces quaedam sunt, si aures surdas non habes, et ingenti clamore amoris excessum contestantur. Quis igitur tam multis et tam idoneis testibus non credat? Quis credat, et non confestim flammam amoris concipiat? Hoc est, hoc est auditores, quod sanctos viros pene amentes efficiebat: propter hoc nihil esse putabant fortunis privari, ab honoribus deiici, suppliciis torqueri, ignominiis, aerumnis, poenis, exiliis, morte mulctari. Isti vero, ut ait ecclesiastes, oculos habebant in capite, cum contra stulti eos habere in calcaneis videantur. Nihil enim stulti respiciunt, nisi terram; nihil cogitant, nisi terram; nihil nisi terram admirantur; nihil nisi terram concupiscunt. At sapientes oculos habent in capite, et quod est caput nostrum, nisi Christus? Christum igitur intuentur, amorem ejus taciti cogitant, et ex illo amore tamquam ex igne in suis pectoribus similem ignem accendunt. Et sicut serpens animalium prudentissimus, ita caput diligit et custodit, ut caeterum corpus verberibus et jctibus exponat, modo caput abscondere, tegere, salvum et incolume custodire possit: ita et ipsi caput nostrum Christum ita ex corde diligebant, ut facultates direptioni, corpus flagellis, seipsos ignominiae ac dedecori libenter offerrent, modo Christi capitis honorem et gloriam integram et incolumem conservarent: *Non sic impii non sic*: sed Domini amoris obliti, ut vel minimam consequantur voluptatem, vel aliquam honoris falsam umbram consectentur, vel quinque miseros nummos suis pecuniis addant, usuris, mendaciis, assentationibus et sexcentis aliis turpissimis facinoribus sese dedunt, et contra Deum tam benignum amatorem suum bellum gerunt. *Haeccine reddis Domino*, fili *stulte et insipiens*? Ecquid unquam injuriae tibi fecit Deus, ut tam atrociter in eum arma sumeres? Te nobilem creaturam ex nihilo fecit, te principem orbis terrae constituit, te unum mentis et orationis compotem esse voluit. Ecquid injuriae tibi fecit Deus? Effecit terram propter te, aquam et aerem pro te, animantia et plantas, et flores, se-

getes et fructus et ipsum coelum, et solem et sidera propter te. Ecquid injuriae tibi fecit Deus? Misit Filium suum ad te, ut jejunaret, ut laboraret, ut tentaretur, ut affligeretur, ut colaphis caederetur, ut spinis coronaretur, ut vitam et sanguinem funderet propter te. Ecquid injuriae tibi fecit Deus, Christus Dominus meus et Dominus tuus, in illo, inquam, die, quando propter nimiam charitatem suam, *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta?* Siccine reddis Domino vicem amoris? Ideone charitatis ille modum excessit, ut tu ingratitudinis modum excederes? Sed finis sit, auditores, et modicum quiescamus, ut ad ea, quae sequuntur, vires aliquas habere possimus.

PARS POSTERIOR

Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut seipsum. Duas arbores prae caeteris insignes Deus initio posuerat in paradiso voluptatis: unam scientiae, alteram vitae. Et quidem noster primus parens, arbore vitae praetermissa, in arborem scientiae oculos et manus conjecit. Inde videlicet, nisi fallor, insitam omnes habemus admirabilem quandam sciendi cupiditatem, ut Philosophus dicat: *Omnis homo naturaliter scire desiderat.* Inde etiam factum est fortasse, ut tam parum de arbore vitae solliciti simus, quam quidem vitae arborem non aliam, quam charitatem esse Joannes Evangelista testatur, cum ait: *Qui non diligit, manet in morte.* Verum quam non modo inutiliter sed etiam inscienter fecerit Adam, cum vitae arbori scientiae arborem anteposuit, hinc perspicuum esse potest, quod vitam, quam neglexerat, amisit; et scientiam, quam quaerebat, non invenit: quin potius in crassissimas ignorantiae tenebras posteritatem suam conjecit. Eae vero tenebrae cum aliis rebus multis, tum maxime in amore se produnt. Nam quotusquisque est, qui non existimet melius esse diligi, quam diligere? Verbis quidem poterit aliquis id negare, sed certe reipsa et factis, quod nos dicimus, verum esse clamabit. Nam diligi ab universo orbe, et ab omnibus hominum ordinibus vellemus, et ab omnibus dona et beneficia libenter accipimus. At quam paucos nos diligimus? Quam aegre nostras facultates aliis elargimur? Quid dico elargimur? Vix adduci possumus, ut sine foenore commodemus. Et tamen vere Dominus ait: *Beatius est magis dare, quam accipere.* Si beatius est, ergo utilius, ergo melius, ergo gloriosius. Nos ergo vehementer erramus, qui bonum utilitatem et gloriam quaerimus, et tamen accipimus libentius, quam damus. Deinde charitas omnibus gemmis et Margaritis est pretiosior. Quam quis, obsecro, possidet, qui diligitur, an qui diligit? Certe qui diligit, non qui diligitur. Denique quando magnus ille paterfamilias mercedem operariis reddet, quos putatis majori praemio afficiet, eosne, qui fuerint magis ab aliis dilecti, an eos, qui alios magis dilexerunt? Nimium stupidus est, qui hoc judicare non potest. Quid? quod ipse Philosophus in libro de moribus octavo, eos irridet, qui amicitias expetunt, non ut ament, sed ut amentur? Quare noster legislator Deus, ut ab hac ignorantia nos liberaret, et a scientiae arbore ad vitae arborem adduceret, in prima sua lege ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum.*

Sed dicet aliquis: Ecce audio legem ferri, ut diligam Deum, et rursum legem, ut diligam proximum: et ubinam est lex, ut diligam quoque meipsum? Ubinam est? Nusquam est. Lege, relege, volve, revolve sacram scripturam, et de amore tuiipsius mirum, ubique silentium invenies. Cur ita? Nempe quia in hac arte diligendi seipsum omnes doctores, et plus etiam quam doctores sumus. Ubi enim invenies hominem tam rudem, tam agrestem, tam imperitum, qui sententiam illam non didicerit: *Charitas incipit a seipso?* Certe si petas aliquid ab aliquo, etiam rustico et illiterato, quod tamen sine aliquo ipsius incommodo fieri non possit, statim audias. *O amice charitas incipit a seipso.* Itaque sicut timendum non est ne nimium diligamus Deum, ita timendum non est, ne parum diligamus nos ipsos. Imo sicut amor in Deum calcaribus indiget, ita amor in nos ipsos fraeno, atque habenis indigere videtur. Quocirca legislator Deus non praecipit quidem ut nos diligamus, nec enim necesse erat: sed sciens nos id naturali lege facturos, hoc solum jubet, ut proximos sicut nos ipsos diligamus. Apostolus vero Paulus modum praescribens, quo nos erga Deum, proximos et nos ipsos gerere debeamus ait: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie juste et pie vivamus in hoc saeculo.* Ecce quo pacto vitae ratio nobis instituenda est in Deum pii, in proximum justi, in nos ipsos sobrii esse debemus. Quid est hominem esse pium in Deum? hoc est, ut eum toto corde, tota anima, tota mente et ex omnibus viribus suis diligat, colat, suspiciat, veneretur. Quo pacto in proximum justi erimus? Si eum, ut nosipsos diligamus; si quod nobis fieri non volumus, alteri non faciamus; si reddamus omnibus debita, cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem. Si denique cum plorantibus ploremus, cum gaudentibus gaudeamus, et invicem in hoc itinere dum a Domini peregrinamur, onera nostra portemus. Quid est postremo, ut sobrie in hoc saeculo vivamus? Nimirum hoc ut amor nostri mensuram non excedat, ut ab illicitis et supervacaneis voluptatibus corpus et animam abstineamus: licitas autem et necessarias, quales eae sunt, quae cibum, potum, quietem et indumenta consequuntur, sobrie, temperate et cum maximo modo capiamus, nisi ab illis capi, irretiri, suffocari et opprimi velimus. Verum his nostris miserrimis et calamitosissimis temporibus, amor suiipsius vasa cordium humanorum ita replevit, ut charitati in Deum ac proximum nullus jam relictus esse locus videatur: ita lolium infelicissimum execrabilis philantiae in horto pectoris humani succrescit, ut Deus, ubi serat bonum triticum charitatis non inveniat.

Dicet aliquis, ista tua nimia amplificatio est, non ita rem parvam exaggerare, et magnam facere de-

bes. O utinam, auditores, ita se res haberet: utinam probare non possem, quod proposui, quam libenter jamiam orationem concluderem et descenderem. Sed non ita se res habet, non amplifico, non exaggero, extenuo potius ac diminuo, quia verba, quibus pro dignitate hoc dicam, non habeo. Nonne etiam silentibus nobis res ipsae clamant, illustrantur, erumpunt? Quid enim est aliquem prosequi charitate? Nonne charum illum habere? Iam vero quis ille est, cui anima proximi sui aeque sit chara ac praedia, vel pecuniae? Amisisti nummum unum, et domum everris, ut illum invenias: nullus est in domo a quo non sciscitetis, si vidit, si invenit. Cur, obsecro, ita turbaris? Cur tam sollicitus es in quaerenda pecunia? Nonne, quia tibi chara erat? Ergo si anima proximi tui, non dico charior, ut deberet, sed saltem aeque chara esset ac pecunia, quomodo tam dissolutus ac negligens esses in ea quaerenda, quando eam periisse vides? Deinde equus e stabulo aufugit, quam multos mittis, qui quaerant? Nonne totam commoves vicinam? Cur ita? Quia tibi equus tuus charus erat. At quam saepe animam proximi a diabolo pertrahi ad interitum vidisti, sive haeresis, sive blasphemiae, sive flagitii aut facinoris alicujus laqueo implicatam, et numquid ingemuisti? Numquid vel minimum suspirium emisisti? Si vero audiat aliquis, merces suas in Oceanum decidisse, vel ab aliquo honoris gradu dejectum se esse, quot noctes insomnes ducet? per quot menses vel annos de ea re cogitabit, et consolationem nullam admittere volet? Et nunc audimus quotidie stragem et caedem animarum, quam Diabolus per haereticos ministros suos in tam multis locis exercet, et jacemus, et non movemur tamquam si fratres nostri et membra nostra non essent illi, qui pereunt, et tamquam de illis diligendis praeceptum nullum haberemus.

Sed quid de calamitatibus et aerumnis, quae Galliam apprehenderunt, dicam? Ecce enim quibus fluctibus haeresum et bellorum jactetur vetusta et nobilis Ecclesia Gallicana? quae pericula imminent tam nobili membro Ecclesiae? Quam miserabilem illius regni statum ac speciem cernimus? Et tamen nullum adhuc in his partibus doloris et moestitiae signum vidi. Si ejusdem corporis membra sumus, quomodo uno membro tam graviter affecto, non condolent caetera membra? Perpendite, quaeso, quae dicam et animis vestris mentibusque mandate. Legite iudicum et regum historias, plane videbitis hoc in more positum apud Judaeos fuisse, ut cum a Deo affligerentur, semper ad poenitentiam, ad lachrymas, ad jejunia, ad cilicia confugerent: et numquam non placabatur Deus, et pacem illis ac serenitatem restituebat. Iam vero si certum et exploratum est, quod b. Paulus ait, quod quidem est certissimum et exploratissimum, et sacris litteris, rationibus et experientia confirmari posset: nimium Judaeos cum Christianis comparatos non viros, sed pueros fuisse, et idcirco legem tanquam paedagogum accepisse, quis non miretur, quis non stupeat, quod cum opus esset, illi tam aspera poenitentiae genera susciperent, et publica jejunia tam magnis quam parvis indicerent, et clamarent *ad Dominum in fortitudine*, et semper Dominum placarent, et hac ratione omnia Dei flagella deprecarentur; et nos qui cum illis comparati viri dicimur, in tam gravibus periculis, quae non Galliae modo, sed universae ecclesiae imminent, non moveamur? Nam si forte aliquid instituatur, erit supplicatio aliqua, quae tamen tepidissime sine ullo affectu, sine ullis lachrimis, sine jejuniis, sine ciliciis transigitur, neque ullus fere erit, qui vel modicum a solitis deliciis, conviviis, compotationibus, ludis et jocis abstineat. Ecquod signum hoc vobis esse videtur? Ego certe vereor, ne phrenetici signum sit, qui quanto magis obitui propinquat, tanto minus morbi gravitatem sentit. Haec igitur non dialectica vel topica argumenta, sed plane demonstrationes evidentissimae sunt, quae nobis proximos nostros charos non esse convincunt, et convincent in judicio coram summo et aequissimo judice Deo.

Videre vultis, auditores, verum dilectorem proximorum? Veniat vobis in mentem beatissimus Stephanus protomartyr, qui cum lapidum imbrem sustineret, pro se quidem stans orabat, pro lapidatoribus autem in genua procumbebat: illi lapides in eum, ipse preces pro illis ingeminabat: quia plus de eorum facinore, quam de suis vulneribus sollicitus erat: et plus eorum animas, quam suum corpus diligebat. Et apud beatum Gregorium in dialogis de altero Stephano non legistis, qui cum audiret omnes suas segetes ab scelerato quodam igne immisso consumptas fuisse, pro se nihil doluit, pro illo doluit? Nam cum alii dicerent, Heu, heu, pater Stephane, quid contingit tibi? Ille respondebat, Heu, heu, quid contingit illi, qui hoc fecit? mihi enim nihil contingit. Isti igitur vere proximum sicut seipsos diligebant.

Cupio, auditores optimi, ut in judicium conveniamus. Rogo, multum comedere et ventrem cibis implere, et tamen eos non concoquere, et inde non nutriri, quid prodest? Satius fuisse profecto jejunare. Ad eumdem modum, audiri conciones multas et prolixas, et inde non fieri meliores, nec nutriri aut augeri, nullo modo utile est. Nam *servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, vapulabit multis.* Non dubito, quin de charitate multa in gymnasiis vestris audiatis: multum interest tamen in gymnasio aliquid, vel in concione audire. Nam in gymnasiis discimus, ut sciamus: in concione discere debemus, ut faciamus: ibi doctores Theorici, hic practici fieri debemus. Cum igitur omnis perfectio Christiani hominis in eo posita sit, ut quam maximam charitatem adipiscatur, vultis, ut quae vita maxima sit expedita, ut parvo cum labore, et nullo cum errore ad palatium charitatis ducat, breviter aperiamus?

Illud igitur primum tamquam fundamentum jaciamus, amorem a cognitione pendere. Nihil enim, ut Augustinus, et experientia docent, diligi potest non cognitum. Quam multa sunt apud Aethiopes, apud Arabes, apud Indos optima et pulcherrima, quae nos non movent, quia non novimus ea, et tamen si semel videremus, fortasse magnam in nobis cupiditatem excitarent. Ista igitur praesentia

bona diligimus et valde diligimus. Quamobrem? Quia semper nobis ante oculos observantur, et quousque non incipimus meliora gustare, eousque non poterimus ab illis avelli. Pete ab avaris hominibus, num in pecuniis augendis non laborent? maxime laborare, et quietem nullam capere se dicent. Rursum pete, num eas pecunias secum sint in infernum ablaturi? nisi plane desipiant, non se ablaturos, sed hic relicturos respondebunt. Cur ergo tantis et tam inutilibus laboribus se conficiunt? cur eis valedicunt? Quia talis est natura nostra, ut si meliora non videat, id quod possidet, numquam derelinquat. Idem de voluptuariis, ambitiosis aliisque sceleratis hominibus dicere possemus. Hoc igitur firmum sit et ratum, ut mundum contemnere, et Deum vehementer diligere possimus, esse nobis cognoscenda et gustanda meliora, quam ea sint, quae mundus habet.

Dicat quispiam; Nihil novi nobis dicis. Ecquis nescis Deum esse bonum longe melius, quam sint ulla bona creata? Quis nescit? Multi nesciunt, et nulli nesciunt theorice, et multi nesciunt practice. Et haec posterior cognitio necessaria est ad diligendum Deum. Fides Christianorum, fateor, tam sublimi est, ut vel unus articulus sufficere possit ad hominem probum et sanctum efficiendum, si diligenter consideretur, perpendatur animo et memoriae infigatur. Qui enim attente cogitabit Deum immortalem mortalem fieri, et mori voluisse, ut peccatum extingueret atque deleret, et manum extendere poterit ad aliquod peccatum vel levissimum perpetrandum? Non igitur fides et cognitio theorica deest, sed consideratio et practica deest. Habemus enim fidem tamquam gladium in vagina reconditum, et tamquam pharmacum in officina pharmacopolae. Quid prodest gladium domi appensum habere et medicamentum reperiri apud pharmacopolam, si nec pharmaco, cum aegrotas, utaris? Quicumque igitur ad amicitiam Dei, et colloquia illa *super mel et favum dulciora* pervenire volunt, ii debent non totum tempus Aristoteli, vel Galeno, vel Justiniano, vel Ciceroni, vel Virgilio dare; sed aliquas horas pro animae utilitate sancta quadam versutia sibi suffurari, ut alterius vitae negotiis, et lectioni, quam Deus in corde legit, vacare possint.

Verum hoc opus, hic labor, auditores. Nam Deus est intimior intimis nostris: non in foro, non in plateis, non in campis invenitur Deus: sed sicut intra corpus est anima, cor seu mens; ita intra mentem et cor est Deus. Quocirca prius laborare debemus, ut ad cor nostrum viam inveniamus. Et quantum mea tenuitas sapit, hoc est primus et maximus passus, quem homo superare debet, ut ex mundi amore ad Dei amorem transeat. Quo superato labore, facillimus et jucundissimus reliquus cursus ostenditur. Nam ubi quis cor suum intrare potuit, facillime inde transit ad Deum, et tunc illi Deus dulcescit, tunc mundus desipit, tunc corpori necessaria praebere onus maximum judicat, tunc Deo vacare atque assistere veras epulas putat; tunc denique homo spiritalis, homo interior, homo Dei dici potest et debet. Undenam esse putatis, ut magnus Antonius et beatus Franciscus tanta facilitate pernoctarent in oratione? ut beatus Isaac (quod Gregorius in Dialogis refers) integrum triduum in oratione cum jucunditate consumeret; et nos fatigemur si minimam horulam in oratione esse contingat? Non alia causa est, nisi quia sancti illi Patres viam ad cor optime tenebant, et intrabant, quae sunt ultra cor: ubi tam multa et tam varia conspiciebant, ut satiari delectationem non possent. At nos ante ostium cordis erramus in tenebris, quas in eo loco, et eo potissimum tempore princeps tenebrarum effundit, ne cor nostrum ingredi possimus, et idcirco molestum et longum tempus nobis esse videtur.

Quid igitur agendum est nobis, auditores? precibus, et votis, suspiriis clamandum ad Deum, ut *illuminet vultum suum super nos*, et tenebras nostras suo lumine dissipet, ut ipse ad corda nostra nos ducat, ipse portam aperiat, ipse introducat. Nec dubitandum de benignitate Domini: nam patres hominum norunt *bona data dare filiis* suis, *quanto magis Pater* noster Deus *dabit spiritum bonum petentibus se*? Imo *haec est voluntas Dei. sanctificatio vestra.* Nec aliam ob causam aliquando, ex divitibus inopes, ex claris obscuros, ex valentibus aegros, servos suos solet efficere, nisi ut viam cordis inveniat. *Ducam* eos, ait Dominus, *in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* Et quando ducit in solitudinem, nisi quando tribulationibus vexat? Cum enim Deus videt hominem propter nimiam prosperitatem, turbis adulatorum circumdari, negotiisque saeculi hujus ita implicari, ut sibi vacare non possit, tum ait; Iste filius noster nimium amicis abundat, qui tamen non ipsum diligunt, sed sicut apes et muscae advolant, ad mel divitiarum et honorum ejus, ergo onere illum sublevabo antequam succumbat: auferamus ei vas illud mellis, quod gestat in humeris, et apes ac muscae confestim discedent. Efficit igitur, ut ille fortunatus homo fortunas suas amittat, et gratia principum excidat, in morbum incidat, in vingula conijciatur, et tunc ab omnibus desertus, in solitudine incipit habere: neque ibi Deus, qui eum ad solitudinem adduxit, statim occurrit et loquitur ad cor ejus, et dicit; Vides quomodo amici illi tui, in quibus confidebas, non te, sed mel honorum opumque tuarum diligebant? Et opes illae tuae, quas numquam te amissurum putabas, nonne vides quomodo ut tenues vapores evanuerint? Ubi est sanitas pristina? Quo robur corporis, quo principum gratia, quo adulationes hominum recesserunt? Non intelligis, nihil infra lunam esse, nisi caducum et fragile? et verum, et summum et solidum bonum tuum me esse solum amicus fidelis sum, et in tribulationibus non desero, et nec in mortem familiares et dilectos derelinquo? Tum ille haec audiens, verissima esse experientia sua cognoscens paradisum invenit in solitudine, agitque gratias Deo, quod dulci baculo suo illum excitaverit, et pauca abstulerit, sed multa contulerit: et etiam optione data nullo modo ad statum pristinum rediret, nec minimam cordis voluptatem cum omnibus corporis delitiis commutaret. Hac eo spectant, auditores, et intelligamus mundum contemni, et Deum diligi perfecte non posse, nisi quam

suavis sit Dominus gustare incipiamus: quod numquam fiet, nisi in cor nostrum intrare, et ibi commorari discamus.

Quapropter, auditores, quicumque salutis nostrae rationem aliquam habemus, quicumque videmus, quam fugacia, quam fallacia, quam brevia et instabilia sint vitae praesentis gaudia; quicumque intelligimus, nos maximis itineribus ad mortem properare, et hodie esse et cras non esse obsecro. ut alterius vitae bonis, veris et sempiternis, mente, cogitatione, amore inhaereamus, de illis cogitemus, de illis loquamur, ad illa suspiremus: earum divitiarum avari, eorum honorum ambitiosi, illarum cupiditatum cupidi sumus. Qui tempus habemus, tempus non expectemus, hic jam in terris vitam illam incipiamus. Si quis est, qui lectionem illam Domini in gymnasio cordis sui frequentare nondum coepit, incipiat, obsecro, experiatur: tum non mihi, sed sibi ipsi credet: hodie principium audiendi faciat, horam aliquam, ut dicebam, aliis negotiis suffuretur, ut sibi ac Domino vacet. Nam si amicus ab eo id peteret, certe faceret, quanto magis ergo id facere debet pro anima sua? Neque hoc dispendium temporis, sed lucrum aeternitatis erit, et vitae beatae et sempiternae, ad quam nos pervenire faciat, qui est benedictus in saecula, Amen.

CONCIO XLIV.

DE DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN

THEMA

Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. Iterum misit alios servos, etc. Usque ad finem. *Matth.* 22.

SYNOPSIS

Ubi in principio ostensum est, nos regnum Dei, et vicissim Deum nostrum regnum esse, ad explicandam parabolam praeparatur oratio, et per regem Deus, per regis filium verbum Dei, per sponsam humana natura, per nuptias incarnatio nuptis comparetur septem rationes afferuntur, nempe sponsio, mutuus consensus, carnis unitas, indissolubilitas, honorum communio, nova cognatio et finis; qui hic sextuplex recensetur, proles, remedium contra peccatum, pax, familiae conservatio, opes et amor; quae omnia ut in hominum nuptiis fiunt, ita in incarnatione facta esse ostenduntur. Affirmatur patriarchas et prophetas esse servos illos, quibus Deus ad futuras incarnationis nuptias gentem Hebraeam invitabat, eorumque quaedam invitationum voces adducuntur! Ad praesentes vero convocarunt invitatos primo Joannes Baptista et apostoli: secundo iidem apostoli, post acceptionem Spiritus sancti quasi alii effecti. Judaeorum invitatorum venire recusantium malitia ex divitiis et delitiis, depingitur, et quanto errore multi christiani hoc imitentur, subjuncta seria reprehensione declaratur. Hujus conviviis magna pars Christus ipse, tauri vero et altilia prophetae fuisse probantur, ejusque rei rationes allegantur.

In parte altera docetur ex d. Basilio, quomodo Deus irasci dicatur. Quomodo idem Deus de Judaeis suarum nuptiarum contemptoribus vindictam sumpserit per Titum et Vespasianum, qui non modo successu felicissimo Hierosolymam irreparabili clade expugnarunt, sed et ab ipso Deo praemiis remunerati videntur. Quomodo gentes vocati; et cur in viis fuisse dicantur, explicatur. Quanto rex convivas suos visurus intrabit, nempe in consummatione mundi, indigatur. Per unum malum hoc loco omnes malos designari declaratur. Cur idem amicus dicatur, triplex explicatio. Lutheranorum deinde duo errores refelluntur; primus, in Ecclesia non esse malos: alter, per vestem nuptialem fidem designari, cum tamen charitatem significet. Explicatur demum, quid sit manum et pedum ligatio; quid tenebrae exteriores; quid fletus et stridor dentium, et brevi narratiuncula poenarum gehennae concluditur.

Quam vere ac sapienter, auditores, in psalmis propheta cecinerit: *Universae vitae Domini, misericordia et veritas.* Et rursum: *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine*, ita plane ea, quae in hodierno Evangelio continetur, similitudo declarat, ut vere sit excors et stupidus, qui id non videt. Nihil enim aliud in ea parabola Domino propositum est, quam ut misericordiam et benignitatem, et item severitatem et justitiam ostendat, quibus Deus in Judaeos primum, deinde etiam in gentes et hactenus usus est, in posterum etiam utetur. Quae omnia quoniam ex ipsius parabolae explicatione intelligi poterunt; orationem non ponam in ejus argumento longiorem.

Principium igitur elegantissimae et maxime appositae illius similitudinis tale est. *Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Regnum coelorum quam varias ac multiplices significationes in sanctis litteris habeat, nemo nostrum, nisi fallor, ignorat. Nunc enim ecclesiam, nunc coelestem beatitudinem, nunc ipsum Deum, nunc ejus gratiam, nunc divinam legem designat. Non desunt, si hoc loco Deum ipsum regnum coelorum appellatum esse velint. Et id quidem non sine causa! Nam et nos regnum Dei, et Deus regnum est. Nos regnum ejus sumus, quia regnat in nobis, dum ejus gubernationi sponte subiicimur, et voluntati ac praeceptis ejus obtemperamus. Ipse regnum nostrum est, quia in eo omne bonum, omnis splendor, omnes opes, omnes deliciae nostrae positae sunt. Et qui Deum possidet,

rem possidet omni regno atque imperio ampliorem, jucundiorem, illustriorem. Mihi tamen, auditores, Origenis expositio vehementer probatur, qui regnum coelorum non cum homine rege, sed cum regno hominis regis comparari hoc loco existimavit: ita ut regem regi, filium regis filio regis, reginam reginae, nuptias nuptiis, invitatos invitatis, ministros ministris, et exercitum exercitui per quamdam similitudinem conferamus. Res igitur Deus est, regis filius verbum Dei, nuptiae incarnatio, sponsa humana natura.

Porro quam apte Dominus reconditum Incarnationis mysterium nuptias appellaverit, planissime intelligemus, si ad ea, quae in nuptiis hominum fiunt animum convertere, et ad memoriam paulisper revocare velimus. Initio igitur antequam nuptiae celebrentur, sponsio fieri solet, et matrimonium contrahi, per verba ut loquuntur, de futuro. Id vero nonne Deus fecit, cum tam saepe patriarchis et prophetis matrimonium hoc facturum etiam cum juramento promisit? Quam certus de hac sponsione sapientissimus Salomon fuit, qui tanto ante istarum nuptiarum tempus jucundissimum cecinit epithalamium, Canticum Canticorum? Deinde ut matrimonium rite perficiatur utriusque partis consensio necessaria est. In his autem sanctissimis nuptiis voluntatem filii sui Deus per Gabrielem archangelum Mariae significavit. Maria vero, quae mater sponsae erat pro filia sua respondit, *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Et quemadmodum per matrimonium fit, ut vir et uxor duo sint in carne una, vel potius non sint duo, sed una caro, ita per hoc adorandum et sacrosanctum mysterium factum est, ut divina tam atque humana natura arctis atque insolubilibus nexibus conjungerentur, ut non duae, sed una atque eadem esset ambarum hypostasis. Et cum omnis matrimonii vinculum tale sit, ut nisi per mortem solvi non possit: hoc unum, de quo loquimur, ita caeteris omnibus antecellit, ut nec in morte solvi potuerit. Cum enim assertor ac liberator noster cum morte singulari certamine dimicaret, potuit quidem Domini corpus ad tempus ab anima separari, Deus tamen ab eo corpore eaque anima, hoc est, sponsa divelli nec ad momentum potuit. Matrimonium praeterea apud homines facit, ut omnia insignia, omnes illustres tituli, omnes honorum appellationes, quae sponsi prius erant, sint deinceps ei cum sponsa communes, id quod omnino per incarnationem factum esse videmus. Nam et homo mundi opifex, effector prodigiorum, orbis liberator, angelorum et hominum caput, ut rex et princeps nominatur, quae tamen solius sponsi, antequam matrimonium fieret, appellationes erant. Et contra, Deus foeminae filius, cibi et potus indigens, morti obnoxius, imo mortus appellatus est, quae omnia sponsae ante illud tempus fuerant. Et quomodo per matrimonium nova quadam cognatione sponsi et sponsae junguntur affines: et sponsi necessariis ac familiares, cum sponsae necessariis ac familiaribus amicitias ineunt: ita per hoc mysterium quicumque homines sumus, quia humanitati illi, quae cum verbo copulata est, naturae affinitate conjungimur, ipsius verbi affines quodammodo effecti sumus, et angeli, qui Dei ministri et familiares semper fuerunt, jam cum hominibus ita versantur, et eos non tamquam inferiores, sed tamquam socios et conservos habere velint.

Jam vero finis, propter quem matrimonia celebrantur, nuptiis Verbi humanitatis minime deest: propagatio humanae naturae, et remedium contra peccatum. Si vero non tam nuptiarum, quam ipsorum nubentium finem considerare volueris, eum quadripartitum esse videbis. Sint enim, qui propterea jungant matrimonia, ut pacem cum parentibus vel fratribus sponsi vel sponsae componant. Sunt etiam, qui non alia de causa ad nuptias adducuntur, quam ne illustris aliqua domus sine haerede manens penitus extinguatur. Et sunt, qui nihil aliud in matrimonio spectant, quam ut haereditatem sponsae vel sponsi consequantur. Sunt postremo, qui solo sponsi et sponsae amore incitati ad nuptias veniunt. Propter quem horum finium, auditores nuptias verbi et humanitatis esse celebratas existimatis? Si vere sapientes judices estis, non propter unum aliquem horum finum, sed propter omnes simul respondebitis. Nam quod hujus matrimonii finis sit proles, Ioannes evangelista testatur, cum ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est.* Idem est enim ac si apertius dixisset, quotquot Dei filii et regni coelestis haeredes sumus, omnes hujus sacrosancti matrimonii fructus sumus. Non enim ad tam sublimem honoris gradum evehimur, quia ex viro et foemina generati, sed quia ex ipso Deo nati sumus. Et quonam tandem pacto ex ipso Deo? *Et verbum*, inquit, *caro factum est*: tamquam si diceret, Deus Verbum humanae carni tamquam sponsae copulatum est, et nos omnes novo et inaudito quodam modo et vitam aeternam generavit. Hinc videlicet ipse Dominus de apostolis suis dicebat: *Numquid possunt filii sponsi, filii nuptiarum quamdiu sponsus cum illis est, jejunare?* Et apertius alio loco eosdem filiolos appellabat: *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Quod autem remedium etiam contra peccatum finis hujus matrimonii fuerit, nemo christianorum est qui nesciat, praesertim cum apostolus dicat, *fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* De pace vero, quid dicam? Nam quis nescit atrocissimum illud bellum, quod humanum genus cum Deo gerebat, hoc matrimonio salutari sublatum fuisse, et pacem tam firmam ac stabilem inter coelum et terram esse compositam, ut ipsi coelites in his nostris regionibus, tempore matrimonium hoc celebratur, cum cantu et laetitia dicerent: *Gloria in altissimis Deo; et in terra pax hominibus bonae voluntatis?* Num non est pacis evidentissimum argumentum, quod nobis ad coelum semper aditus pateat: et angeli tam frequenter et tam familiariter hic in terris sanctorum hominum colloquiis misceantur? Porro si nuptiae istae non fuissent, quis non videt quam illustris fa-

milia funditus periisset? Nam genus humanum jam sterile et infoecundum affectum, totum erat interiturum, nisi hoc sancto matrimonio refloruisset, et domui tam praeclarae jam inclinatae et plane collabenti his sanctis nuptiis Dominus succurrisset. Nam cum aliis multis de causis, tum etiam propter hoc, cum angeli et homines perirent, Deus non cum angelis, sed cum hominibus matrimonium jungere voluit, quia nimirum non omnis angelorum familia perierat, sed pauci de multis. At hominum domus tota ab inferis absorbenda erat, nisi hoc matrimonium intercederet. Quare *misericordiae Domini, quia non sumus consumpti* omnes nos. *Nisi* enim *Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.* Postremo sicut humanam naturam ad has nuptias, sponsi haereditas opes infinitae incitare poterant, ita Deum ipsum nihil nisi vehementissimus amor ad hoc matrimonium provocavit. *Sic* enim *Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.* Cum igitur tam multiplicia sint harum nuptiarum bona, merito jureque optimo, ut in nuptiis hominum fieri solet, tunc angeli tripudiis, choreis, cantibus et sonis diem festum egerunt, et usque ad aerem nostrum descendentes ut idem facerent hominibus persuaserunt. Habemus igitur quid illud sit, *simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.*

Sequitur. *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* Non ignoro, auditores, de istis servis diversos diversa sentire, et eos ab aliis ad apostolos, ab aliis prophetas et patriarchas referri: nihilominus tamen sine dubitatione dicendum mihi esse videtur, non eosdem esse, qui ad futuras nuptias regis amicos invitarunt, et qui ipso tempore nuptiarum invitatis ut venirent significarunt. Non enim evangelium dicit: *Misit servos suos* invitare, sed *convocare* jam invitatos, ut ad nuptias convenirent. Constat autem, et omnium consensione perspicuum atque apertum est, eos, qui ad invitandum missi sunt, patriachas et prophetas fuisse, qui quidem hoc in mandatis habebant, ut Dominum Israel et omnem populum Hebraeorum (isti enim sunt, quos ad nuptias Dominus invitavit: nam et ex ea gente sponsa assumenda erat) hoc, inquam, in mandatis habebant, et eum populum erudirent, ut Messiam venturum praedicarent, ut serio illis denunciarent tempus nuptiarum instare, ac propterea paratos illos esse debere, ut quocumque tempore ad nuptias advocentur, non tunc vestem nuptialem quaerere incipiant, sed rebus omnibus multo ante comparatis, obviam sponso et sponsae ad nuptias celebrandas cum alacritate et gaudio proficiscantur.

Vultis, auditores, invitantium voces audire? Patriarcha Jacob ait: *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi asinam suam. Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Salutare tuum expectabo Domine.* Moyses ait: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus ipsum audies.* Propheta David ait: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna, et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum.* Salomon ait: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Isaias ait. *Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur, et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclitum tuum. Transite, transite per portas, praeparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, et elevate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terrae, dicite filiae Sion: Ecce salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo.* Aggaeus ait: *Nolite timere, quia haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam et movebo omnes gentes et veniet desideratus cunctis gentibus.* Zacharias ait: *Exulta satis filia Sion jubila filia Jerusalem: Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator ipse pauper, et ascendens super asinam et super pullum filium asinae.* Denique Habacuc, ut caeteros omittam, ait: *Adhuc visus procul et apparebit in finem, et non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit.* Hoc est, sponsum advenientem video, sed adhuc longe positum. Sed qui veritas est, non mentietur et in fine saeculorum apparebit; quare si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit. Istae ergo sunt voces, quibus Deus per servos suos, patriarchas et prophetas, gentem Hebraeorum ad nuptias incarnationis invitabat, et ad Messiam recipiendum praeparabat.

Cum autem tempus nuptiarum advenisset, hoc est Christus Deus et homo in terris apparuisset, ut ii, qui fuerunt a prophetis et patriarchis invitati, ad nuptias venirent, videlicet per fidem et charitatem Christo adhaererent, tunc misit Dominus servos suos vocare invitatos ad nuptias. Quinam igitur servi isti, nisi Ioannes Baptista, apostoli et discipuli Domini fuerunt? Isti enim sunt, qui omnium primi Dominum advenisse Judaeorum populis nunciarunt: et quanta maxima sollicitudine poterant invitatos ad nuptias convocabant. Sed quoniam ut evangelium loquitur, Judaei semel vocati noluerunt venire, idcirco iterum misit alios servos. Qui sunt igitur servi, qui secundo ad invitatos Judaeos mittuntur? Iidem apostoli et discipuli sunt, qui etiam primo hoc est ante obitum Domini missi fuerant: sed tamen alii jure optimo nominantur, quia nunc Spiritum sanctum, qui homines alios facit, acceperunt, quem primo illo tempore non acceperant. Numquid verba Samuelis ad Saul non legistis, quibus ait: *Insiliet in te Spiritus Domini, et mutaberis in virum alium?* Apostoli igitur post adventum Spiritus sancti plane alii e-

rant, quia alia facundia, alia eruditione, alia efficacia, aliis viribus, alio ardore, alio impetu praedicabant. Nam et ipsi auditores jam eos ut longe alios admirabantur.

Sequitur: *Dicite invitatis; Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata, venite ad nuptias.* Ideo enim fortasse, qui fuerant invitati, non venerunt, quia nihil de prandio audierunt. Dominus igitur prandium lautissimum et maxime opiparum instruxit. Ejus vero prandii magna pars Christus ipse fuit. Ipse enim est Agnus optimus et tenerrimus, ejus corpus est panis, ejus sanguis est vinum. Quae omnia tempore passionis cocta, condita et parata fuerunt. Et quoniam prandium circa meridiem sit, et meridies hora sexta apud Hebraeos erat, idcirco Dominus sexta mundi aetate, et hora etiam diei sexta in crucem agi et immolari voluit. Porro tauri et altilia prophetae Domini sunt, qui pene omnes propter Dominum necati fuerunt. Cur tauri prophetae dicantur perspicuum est: nam ut tauri valentissimi, Hebraeorum idololatriae, impietati, et aliis flagitiis et facinoribus resistebant: *Dedi faciem tuam* (alloquitur Dominus Ezechielem) *valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Deinde tauri vitulos gignunt, et prophetae apostolos genuerunt: *Pro fratribus tuis*, inquit Propheta, *nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Nec sine causa iidem prophetae altilia nominantur. Nam illae aves, altilia dici solent, quae in hunc usum domi aluntur et pingue fiunt, ut delitiae convivarum sint: et prophetas, si contemplationis sublimitatem spectes, vere aliis et pennis instructos dices: si devotionis pinguedinem respicias, vere altilia et saginata esse videbis. Nec mysterio vacat quod in codicibus graecis tauri et altilia non simpliciter occisa, sed τεθυμενα, hoc est, immolata nominantur. Hoc enim in more positum apud veteres Hebraeos erat, ut nuptiarum convivia ex immolatis animalibus fierent: et ipsius Domini ac Prophetarum mortes, nonne sacrificia quaedam fuerunt? Vere igitur post passionem Domini Deus dicere potuit; *Prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa*, et immolata *sunt*.

Sed quid tum Hebraei fecerunt? Num tanto convivii apparatu allecti ad nuptias perrexerunt? Evangelium audiamus: *Illi autem*, inquit, *neglexerunt, et abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationem suam, reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.* Quid est hoc auditores? Quis unquam audivit talia? Quis tragoediam tam funestam umquam vidit? Quae est haec ferocitas, ut prandium offerentes vulneribus conficiant? Et quonam vocabantur? Nonne ad nuptias? Quis non libenter ad nuptias venit? O perversitas filiorum Adae. Ad nuptias maximas et celeberrimas vocantur et renuunt. Cur hoc auditores? Et dixi saepius, et adhuc dicam: delitiae et divitiae laquei diaboli sunt, quibus stulti homines irretiti se ad gaudia trahi putant, et ad inferni supplicia petrahuntur. Cur isti ad nuptias Domini non iverunt? Nonne quia vel delitiarum laqueo ad villam vel divitiarum nexibus ad negotia et lucra trahebantur? Non enim in villam ibant, ut foderent, aut ararent, sed ut commodius et liberius piscationi, aucupio, venationi et aliis voluptatibus possent vacare. Nec enim credibile est, tantum regem agricolas et messores ad nuptias invitasse. Illi igitur pigri, illi tardi ad fidem suscipiendam fuerunt, qui istis laqueis implicati erant. Numquid de pharisaeis non audistis, cum Dominus de contemptu divitiarum dissereret: *Audiebant omnia haec pharisaei, qui erant avari, et deridebant illum*? Et apud b. Martyrem Cyprianum in sermone de lapsis non legistis, illos in persecutionibus maxime defecisse, qui cum opibus abundabant, fugere de civitatibus ut facultates suas relinquere non audebant? Quod vero nonnulli Judaeorum servos Domini tenuerint, injuriis affecerint, et occiderint, illustrius est quam ut sit a me necesse narrari. Petrum apostolum catenis et vinculis onerarunt apostolum Paulum quinquies quadragenis uno minus verberibus affecerunt, beatum protomartyrem Stephanum lapidarunt, et duos Iacobos, alterum gladio extinxerunt, alterum praecipitio sustulerunt. Verum quid unquam potuerunt? Nec mirum, auditores, si hoc Judaeis accidebat, ut nuptias Domini tamquam supplicium exhorrerent, cum idem pene nostris hominibus contingat. Quam multi enim reperiuntur, qui dum a nobis ad studium christianae perfectionis invitantur, se ad vincula et carceres invitari putant? Quique dum eis sobrietatem, jejunia, morum compositionem, verborum gravitatem et quod caput est, rerum coelestium ac divinarum contemplationem assiduam commendamus, sibi moestissimum et infelicissimum, et maxime horridum et perturbatum vitae genus laudari existimant? Ne, quaeso vos, ne ista cogitetis. Ad nuptias, ad gaudium, ad alacritatem, ad veram pacem et tranquillitatem invitamini. Quanto enim animus ac mens corporis sensibus praestant, tanto cordis gaudia et voluptates, quae in contemplatione percipiuntur, omnibus corporis oblectamentis et gaudiis antecellunt. Certe majores nostri, viri sanctissimi, Antonii, Pauli, Hilariones, Macharii, Hieronymi, quorum alii nonaginta, alii centum, alii plures annos vixerunt, numquam ad tam provectas aetates pervenire potuissent nisi summa animi alacritate, pace, quiete, laetitia et gaudio vitam transegissent. Non ficte, non simulate, non fallaciter, sed vere ipsa veritas ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est et onus meum leve.* Quid asperi in his Domini verbis appareat? Num non ad nuptias et delitias nos invitat? Illi, illi sunt, auditores, qui verbis quidem ad nuptias, re autem vera ad summos labores vocantur, quos Pharao crudelissimus in operibus duris luti et laterum occupatos tenet, quique, ut stulti venatores post parvum lepusculum totum diem consumunt, vestes lacerant, calceos frangunt, vires amittunt, et tandem aut nihil capiunt, aut praedam tam exiguam, ut nec minimam illius facturae partem compensare possit. Isti sunt qui honoribus et lucris inserviunt, et tot suo-

rum laborum mercedem nullam, nisi fortasse poenas accipient, qui aliquando apud inferos dicent: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis. Ambulavimus vias difficiles. Iustitiae lumen non luxit nobis.* O si nonnullis qui ut ista credant, adduci non possunt, vel ad momentum temporis experirentur, quam sincera quam vera, quam lepida gaudia, probam, piam et sanctam vitam consequantur, intelligerent profecto plus mellis in via Domini reperiri, quam ipsi credere unquam potuerunt.

PARS POSTERIOR.

Rex autem, cum haec audisset, iratus est. Dominus noster, auditores, sapientissime, quem antea hominem regem, nunc solum regem appellat. Nam homo nomen humanitatis, rex nomen potestatis est. Et sicut ei, qui nuptias celebrat, nomen humanitatis, ita ei, qui iratus describitur, nomen convenit potestatis.

Sed quomodo, roget quispiam, Deus irascitur? Numquid in Deum affectus et perturbationes cadere possunt? Magnus Basilius psalmum trigesimum septimum exponens ita respondet, ut dicat iram et alios motus non proprie, sed per quandam similitudinem Deo attribui. Tunc enim irasci dicitur Deus cum id facit sine perturbatione, quod cum perturbatione nos facimus. Quid illi faciunt, qui vehementer alicui irascuntur? Quid? In illum pugnis, morsibus, calcibus invehuntur, quicquid ad manus venit pro telo ad eum vexandum et lacerandum assumunt. Tunc igitur Deus irasci dicendus est, cum sine perturbatione talia agit, hoc est, cum fame, peste, bello, aliisque armorum generibus de sceleratis hominibus poenas sumit. Quid igitur iste rex iratus effecit? *Missis*, inquit Evangelista, *exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.* Fecit enim Deus cum Hebraeis, ne forte conquererentur, id quod lex ipsorum postulabat. Judaei enim legem habebant, ut cum ad aliquam urbem expugnandam proficiscerentur, primo hostibus suis pacem offerrent, si vero pacem hostes recusarent, eos ad unum usque occiderent, ut ex cap. Deuteronomi cognosci potest. Sic igitur Deus, et semel et iterum pacem et salutem populo Judaeorum obtulit. Ubi autem illos non pacem, sed bellum concupiscere vidit: Bellum inquit, vultis, bellum habebitis: dilexistis maledictionem, et veniet vobis, noluistis benedictionem, et elongabitur a vobis. Itaque misit Vespasianum et Titum cum maximis et instructissimis copiis, qui tali clade genus Judaeorum affecerunt, ut curari adhuc ea vulnera non potuerint. Et id quidem nec Iudaei inficiantur, nec etiam, si maxime vellent, ulla ratione possent. Nam praeterquam quod Iosephus et Egesippus eam historiam litteris mandaverunt, extat adhuc Romae arcus Vespasiani et Titi triumphalis, in quo arca testamenti, et candelabrum et alia Hebraeorum ornamenta ad aeternam posteritatis memoriam in marmore incisa conspiciuntur, et quod sine singulari Dei providentia factum esse non arbitror, in tot arcus romanorum imperatorum nullus fere est, qui ita integer et conspicuus, ut hic, de quo loquimur, perseveret. Quid vero Vespasiani et Titi exercitum, suum exercitum hoc loco Dominus vocet, sententia est b. Hieronymi et b. Chrysostomi, et aliorum nonnullorum patrum. Deinde in eo bello ita prospere omnia Romanis, ita sinistre omnia Judaeis succedebant, ut ipsimet hostes animadverterent, et palam affirment, non tam se quam Deum Judaeorum contra Judaeos bellum gerere. Postremo et illud accedit, quod Deus Vespasianum et Titum, et totum Romanorum imperium amplissimo praemio remuneravit. Nam Vespasianus et Titus ex praefectis unius exercitus imperatores et principes orbis terrarum evaserunt et imperium Romanorum, quod eo tempore bellis civilibus ardebat, et turbulentissimis factionibus totum erat perturbatum, mox bello Judaico confecto multis annis singulari Dei beneficio pacatum et tranquillum fuit. Neque est hoc novum aut inauditum, auditores. Nam ob similem causam dedit aliquando Deus Aegyptum diripiendam et spoliandam exercitui Nabuchodonosor regis Babylonis. Sic enim legimus in c. 29. Ezechielis: *Filii hominis Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum. Omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est, et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. Propterea haec dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti et accipiet multitudinem ejus, et depraedabitur manubias ejus et diripiet spolia ejus, et erit merces exercitus illius, et operi, quo servivit adversus eam. Dedi ei terram Aegypti, pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.*

Hactenus, auditores, misericordiam et judicium in populum Israel audivimus, superest ut misericordiam pariter et judicium in gentes audiamus. Ait igitur Dominus servis suis: *Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, bonos et malos, et impletae sunt nuptiae discumbentium.* Hoc autem tunc factum est auditores, cum Apostoli videntes Judaeos repellere a se verbum Dei, et *indignos* se judicare ut apostolus ait, *aeternae vitae*, a Deo admoniti gentibus praedicare aggressi sunt. Quae quidem Gentes non in urbe, sed in viis esse dicuntur; quia non sub unam legem, nec sub unius veri Dei cultum et religionem vivebant, sed quisque suum idolum pro Deo venerabatur, ac pene plures dii, quam cultores erant. Sed quid ait scriptura divina? Annunciaverunt, et *multiplicati sunt super numerum.* Statim enim ubi apostolicae tubae insonuere ex omni plaga orbis terrarum, ab ultimis usque orientis et occidentis solis, aquilonis austrique partibus frequentissimi homines ad nuptias Agni convenire coeperunt.

Intravit autem rex, ut videret discumbentes. Quando futurum arbitramini, auditores, ut intret rex, et videat discumbentes? Et quando nuptiae plenae erunt? Nempe circa mundi consummatio-

nem. Quando enim, qui debent in ecclesiam intrare, omnes intraverint, tunc et ipse Dominus intrabit, ut videam, qui nuptiis interesse digni sint, et vestem nuptialem habeat, et qui non habeat. Ut enim Eusebius Emissenus docet, cum Deus malum fieri videt, et patitur, tolerat, dissimulat, non punit, sed ad poenitentiam peccatores expectat, tunc quodammodo foris esse videtur! Sicut cum pueri ludunt, clamant, perstrepunt, vociferantur, dicimus praeceptorum non esse domi. Tunc igitur Deus intrabit quando non amplius peccata dissimulans, ad videndum et judicandum veniet. O quam acutos oculos Dominus habet! Nec aquilae, nec lyncis oculi cum Domini oculis comparari possunt. Nam propterea in Canticis Canticorum nomine capreae sponsus designatur, quia caprea oculos perspicacissimos habet. Itaque nemo dicere poterit, abscondar in angulo, parvus sum, non me videbit. Quid? Quod non solum oculos optimos habet, sed etiam lucernas accensurus est? Numquam verba illa Domini horroris et formidinis plena apud Sophoniam non legistis: *Scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in facibus suis*? Nihil ergo tam abditum, nihil tam reconditum, nihil tam exiguum erit, quod Deus non discutiat. Quid levius otioso verbo? Et tamen ipsa veritas non ioco, sed serio dicit: *Quoniam omne verbum otiosum, quod loculi fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* O quam multa nunc caecae nostrae prudentiae bona et sancta videntur, quae coram illis lucernis iniqua et mala esse omnes videbunt!

Sed quid sequitur in Evangelio? Quot iniquos homines Deus inveniet admistos cum bonis? *Et vidit*, inquit, *ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Quod est hoc, auditores? Ergo unus tantum inter tot millia discumbentium sine veste nuptiali invenietur? Quid igitur nos doctores exterrent, cum dicunt multo plures esse, qui pereunt, quam qui salvi fiunt? Verum dicunt, ita est, plures omnino daemoniorum quam angelorum socii erunt. Nam iste unus, magnus gigas est, et multa millia impiorum comprehendi. Siquidem omnes sceleratí, de quibus paulo ante dixit, *congregaverunt omnes, quos invenerunt, bonos et malos*, omnes, inquit, isti mali hujus unius nomine designantur. Cujus rei causa est, vel, ut Hieronymus dicit, quia omnes mali scelerum foedere et nefaria societate conjuncti et copulati sunt! Sic adulteri et adulterae in flagitio, sic fures et latrones in facinore, sic omnes in oppugnatione veritatis copulantur. Vel certe, quia peccatores etiam innumerabiles, ita contemuntur a Deo, ut pluris apud eum fiat unus justus, quam mille impii. Nonne propter ducem justos omni regioni Sodomorum et Gomorrhaeorum Dominus pepercisset? Et tamen propter tot millia impiorum non pepercit. De beatissimo quoque Francisco mihi videor aliquando legisse, propter eum solum famem in orbem terrae immissam non esse. Ut igitur Deus ostendat, non se jacturam aliquam facere, si multa millia sceleratorum hominum pereant, illa omnia unius hominis nomine significavit.

Verum quid misero huic homini Dominus ait? *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem*? Amicum appellat, vel propter fidem informem et characterem baptismi, quem in eo, ut signum suae militiae regnoscit; vel quia miser ille amicus videri voluit, cum ad nuptias intraverit: vel certe ironice.

Sed ubi nunc sunt haeretici Lutherani, qui malos in Ecclesia non esse contendunt? Utrum tandem iste bonus erat, an malus? Si bonus, cur reprehenditur? Si malus, quomodo intravit? Dicturi sunt fortasse, istum malum fuisse, quia veste nuptiali, hoc est, fide carebat. Sic enim audio apud eos locum istum exponi. Verum unquam rem involent. Nam qui fidem non habet illis ipsis testibus et malus est, et in ecclesia non est. Iste autem vestem nuptialem, hoc est, fidem, ut ipsi exponunt, non habet, et tamen in ecclesia est. Nam si negare voluerint, Domino contradicent, qui ait: *quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem*? Quae cum ita sint, auditores, ex hoc uno loco duo Lutheranorum errores apertissime refelluntur? unus, solos esse bonos in ecclesia: alter, veste nuptiali fidem esse significatam. Siquidem hinc plane perspicuum est, usque ad mundi consummationem malos esse cum bonis admistos, et nuptialem vestem significare. Nam si iste fide caruisset, in ecclesiam non intrasset. Ut enim d. Gregorius hoc loco ait: *Sine charitate ingrediuntur: sine fide ingreditur nemo.* Deinde charitas est, quae nuptias maxime decet. *Charitas* est, quae ut vestis amplissima *operit multitudinem peccatorum.* Charitas est, quae bonos a malis distinguit. Nam fidem habere, sacramenta suscipere, signa et prodigia edere, montes transferre, facultates in cibos pauperum erogare, corpus suum tradere, ita ut ardeat, possunt etiam mali: charitatem malus, nullus non bonus, nullus non Dei amicus habere potest. Quare b. Chrysostomus homilia nona in Joannem, quasi Lutheranorum perniciosissimam haeresim praevideret: *Nolimus*, inquit, *nolimus, dilectissimi, fidem nobis ad salutem satis esse existimare: nam nisi vitam puram exhibuerimus, et haec coelesti vocatione digna nos induerimus, charitatis vestimenta, cum illo misero excludemur.*

Jam vero, auditores, postrema evangelii verba audiamus, et finis orationis sit: *Tunc ait rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus mittere eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* O sententia formidabilis! O conditio peccatoris omni lachrimarum fonte lugenda! Manus primum ac pedes aeternis vinculis colligantur, ut adulteria, ut latrocinia, ut comessationes et ebrietates, ut alia vitia in posterum exercere, etiamsi maxime velit, non possit: deinde ut qui bonum facere, cum potuit noluit, jam ita vinculis obstinationis revinctus sit, ut bonum nec agere, nec cogitare, nec velle amplius queat.

Tenebrae vero exteriores jacturam summi boni, quod in aspectu increatae lucis consistit, plane designant: nam ut idcirco tenebrae exteriores dicuntur. Non enim lumen intelligentiae naturale, atque adeo internum tollunt, sed illud aliud lumen, quod in sanctis membris lux increata diffundit.

Quod quidem gravissimum et beatissimum lumen externum dici potest, si cum naturali intelligentiae lumine conferatur. Porro tenebrae istae non tam externae, quam exteriores a Domino nominantur, ut quam tam crassae erunt, ut pene exterioribus sensibus percipi queant: vel ut d. Augustinus ad Honoratum scribens ait, quia peccatores dum vivunt in exteris tenebris sunt, post mortem autem in exteriores, hoc est, longe densiores proiiciuntur. Nam nunc quidem iniqui omnes in tenebris sunt, sed exteris tantum, unde eripi possunt: tunc autem in exterioribus, hoc est, crassioribus erunt, unde eripi nullo unquam tempore poterunt. Denique exteriores dicuntur, quia, ut idem Augustinus docet, quanto lumen sanctorum interius et jucundius penetrabit, tanto tenebrae impiorum exterius et horribilius se diffundent.

Fletus autem ac stridor dentium quid nisi horribiles illos et sempiternos cruciatus corporis et animi declarant? Qui quidem, auditores, quam atroces, quam inauditi, quam intolerabiles sint, neminem esse arbitror, qui non dico verbis explicare, sed vel animo et cogitatione consequi valeat. Id enim vires humanae mentis exuperat, et omnem mortalium intelligentiam vincit. Nam si quis hic in terris dentium dolore teneantur, gemit, rugit, ardorem intolerabilem in ore habere se dicit, ac pene inops mentis et rationis efficitur: non dormire, non quiescere, non voluptatem aliquam capere, sed solum dolorem suum cogitare, atque huc illuc se jactare, se miserum, se infelicem appellare potest: et tamen quantus est iste dolor? Si tempus consideres, numquam ad unum diem perseverat, si quam late pateant spectes, non totum corpus, sed exiguam omnino particulam occupat. Deinde ipse dolor quantusquantus sit, quot medicamentis leniri et mitigari solet? Hinc medicus consolatur, inde blandiuntur amici: aequo animo feras, celeriter pertransibit, visitatio Dei est, qui corripit quos diligit.

Si igitur dolor tam modicus, tam brevis, tot consolationibus admistus, intolerabilis videtur quid de illis cruciatibus cogitare debemus, qui erunt in immensum atrociores, qui totum corpus, omnia membra, omnia ossa, omnes nervos, omnes medullas occupabunt, qui non diem aut mensem, aut annum unum, sed in omnem aeternitatem perdurabunt; quando tortores multi, consolator nullus invenietur? *Quis poterit habitare de vobis*, inquit Isaias, *cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Non putemus carnem aeneam aut corpus marmoreum nos habituros. Nam caro caro erit, et nervi nervi erunt, et sensus sensus erunt. Certe his diebus homines supplicio affici vidistis, ferventibus aquis coqui vidistis, flammarum incendio cremari vidistis. Ego quidem spectacula ista non vidi, sed arbitror tamen neminem vestrum interfuisse, qui non sit vehementer commotus. Et si ad unam horam supplicia illa protacta fuissent, quis vestrum continere lachrimas potuisset? O caecitas cordis humani! O dissolutio! O vecordia! O stupiditas! in alieno dolore, qui ad momentum durat, continere lachrimas non valemus: et interim quae nobis ipsis imminent supplicia, sine ulla comparatione acerbiora, et quae tam diu vivet, quomodo effugiamus non providemus. Discamus ergo, discamus, auditores, aliorum exemplo, quid nobis, dum per Dei misericordiam licet, faciendum sit: descendamus saepe, dum vivimus, cogitatione in gehennam, ut ab ea in morte liberi esse per Christum mereamur, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO XLV.

DE DOMINICA VICESIMAPRIMA POST PENTECOSTEN

THEMA

Ideo assimilatum est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, etc. *Usque ad finem. Matth.* 18.

SYNOPSIS

Brevis commendatio gratitudinis; et detestatio ingratitudinis, hujus scilicet concionis materia, loco exordii praeeunt. Quem scopum Christus in praesenti parabola sibi propositum habuerit; quare s. Petrus speciatim numerum septenarium commemoret; et num tamquam sacerdos, vel tamquam privatus potestatem acceperit peccata remittendi, breviter transcurrendo explicatur. Per regnum coelorum hoc loco ecclesiam intelligi demonstratur; et quare ita dicatur, ostenditur. Quanta sit summa, decem millia talenta, ex Budaeo, quidque eadem significent asseritur. Peccatores non esse solvendo debita affirmatur; et temeritas de gratia Dei praesumentium serio reprehenditur. Error Pelagii servitutem peccatoris sub diabolo negantis refellitur; et quomodo servitus illa diverso respectu justa et justitia fuerit declaratur. Quid per uxorem et filios intelligatur, Eusebii et Theophylacti sententia adducitur. Duplex enodatur quaestio; prima, cur servus iste tantopere horrueris servitutem, cum tamen jam coeperat peccando servus esse: altera, unde tantam spem ab aere alieno tam gravi se liberandi conceperit. Justificationem respectu Christi esse justitiam; respectu nostri vero misericordiam, probatur. Tandem pars prior in laudem humilitatis desint.

Pars altera gravem in primis continet ingratitudinis et vindictae cupiditatis animadversionem. Deinde indicat angelos et sanctos, nostros esse conservos. Injurias non dimittere debere, non item pecunias, nisi saltem spatium solutionis dando, affirmatur. Peccata semel dimissa secundum se numquam redire; sed iteratas poenas augere, a simili docetur. Quam periculosa sit poenitentiae procrastinatio, itidem a simili mercatoris ad nundinas profecturi manifestatur. Hinc ut tempus acceptabilem in tempore amplectamus, epilogus admonet.

Quemadmodum beneficiorum acceptorum recordatio, et accepta retinere et accipere nova meretur: non secus, ornatissimi auditores, ingrati animi crimen, cum vetera beneficia tollit, tum novis omnium aditum intercludit. Ut enim flamina ideo constantem perpetuo cursum tenent, quia *ad locum, unde exeunt, revertuntur, ut iterum fluant*: et nisi hoc facerent, Oceano exhausto confestim a cursu cessarent: ita dona illa optima, et data perfecta, quae secundum beati Jacobi sententiam, *desursum* sunt, et *a Patre luminum* descendunt, nisi sursum iterum per grati animi significationem ascendant, veluti exhausto fonte coelestium gratiarum pluere posse, ac descendere amplius non videntur. Nam et terra ferrea, et coelum aeneum ingratis efficitur, ut nec illud pluere, nec illa parere flores ac fructus amplius queant. Quae omnia cum Dominus in ea parabola, quam inter sacratum missarum solemnia recitari audivistis, elegantissime comprehenderit, nostrae partes esse videntur, ut eam quanta maxime perspicuitate, brevitate et diligentia possumus, explicemus.

Ideo assimilatum est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, etc. Duo nobis potissimum de proposita similitudine dicenda esse videntur: unum, quem sibi Dominus in hac parabola finem ac veluti scopum proposuerit: alterum, quid ipsa parabola, et quae in ea continentur, sibi velint. Ac finis quidem et scopus parabolae quis sit, ex iis verbis, quae proxime similitudinem antecedunt intelligi potest. Ait enim evangelista Matthaeus: *Accedens Petrus ad Iesum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?* Quem numerum idcirco b. Petrus commemoravit, vel quia *septies cadit justus*: vel, quia septem sint veluti capita omnium peccatorum: vel certe, quia decem mandatorum septem omnino sunt, quae de proximi charitate praecipiuntur, et ne injuriis ullis afficiantur cavetur. *Ait illi Dominus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quibus verbis certis numerum ac definitum pro incerto et indefinito posuit. Illud sine dubio significare volens, quoties injuriam proximus fecerit,

toties injuriam proximo esse condonandam. Et ne existimaret aliquis nimis grave ac molestum esse toties proximorum peccatis ignoscere: vel id facere ad consilium pertinere, non ad praeceptum: liberalitate quadam ac benignitate, non etiam necessitate fieri: propterea Dominus addit: *Ideo assimilatum est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis*, etc. Hoc igitur Domini in hac parabola propositum est, ut admoneat atque ostendat, cum nobis a Deo debita remittuntur, atque condonantur, tum nobis imponi necessitatem, ut proximos nostros a similibus debitis relaxemus.

Non me fugit, auditores, hoc loco a theologis disputari doctoribus, utrum beatus Petrus hic de remittendis peccatis mandatum receperit, ut privatus, an ut sacerdos et pontifex. Duplicem enim personam, ut optime nostis, D. Petrus gerebat. Verum ista quaestio cum facilem, tum etiam perspicuam habet dissolutionem. Siquidem omnino necesse habemus dicere, apostolo Petro non ut sacerdoti, sed ut privato praeceptum fuisse, ut septies, hoc est, semper peccata proximis condonaret. Primum enim apostolus Petrus erat quidem eo tempore designatus Pontifex, ut ex c. 16. Matthaei intelligi potest: ait enim illi Dominus: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Sed tamen nondum claves illas acceperat, nec magistratum suum injerat: ac tum demum summum pontificatum adeptus est, cum ei tertio Dominus diceret; *Pasce oves meas.* Deinde non semper debita sacerdos remittere debet, sed tunc solum, cum debitor vere et ex corde dolere se dicit, et cum si quid rapuit se restiturum pollicetur. Denique ipsa apostoli Petri interrogatio satis perspicue, quod nos dicimus, verum esse declarat. Ait enim: *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei?* Atqui, si non ut privatus, sed ut sacerdos loqueretur, non diceret: *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei?* Sed quoties, Domine peccabit in te frater meus, et dimittam ei? Peccata enim, quae ac sacerdotibus relaxantur, non in sacerdotem, sed in ipsum Deum sunt. Quemadmodum et ipsi sacerdotes, dum hoc faciunt, non suam ipsorum, sed ipsius Dei personam gerunt. At de fine quidem et scopo similitudinis hactenus. Nunc verba ipsa evangelii et totam parabolae seriem videamus.

Assimilatum est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Quid hoc loco regnum coelorum potissimum designet, non est omnino certum atque exploratum. Nam si verba respicias, ipse Deus regnum coelorum intelligitur: Deus enim est, qui homini regi comparari, et rationem ponere cum servis suis voluit. Si vero non tam quid verba videantur significare, quam quid Dominus velit, perpendere diligenter volueris, intelliges profecto per regnum coelorum nihil hoc loco aliud, quam ecclesiam significari. Nec enim solum Dominus ait: *Assimilatum est regnum coelorum homini regi*: sed *homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis*, et quae sequuntur usque ad finem parabolae. Itaque similitudo non ad hominem regem tantummodo, sed ad ea omnia, quae in parabola narrantur, referri debet: et non tam persona cum persona, quam negotium cum negotio referri, ut hanc verba Domini sententiam faciant. Quemadmodum in regnis hominum accidere solet, ut si rex magna debita suis servis remittat, velit etiam, ut idem faciant servi cum conservis suis, si eos forte debitores habeant: et si secus faciant, eos ut ingratos et regiae liberalitatis immemores punit. Ita plane in regno coelorum, quod ipsa ecclesia est, contingit. Dominus enim, qui in hoc regno dominatur, quotidie debita ingentia ac pene infinita suis servis liberalissime condonat; sed tamen ab eis hoc tributum exigit, ut eadem benignitate erga conservos debitores utantur. Et si non faciant, quantum in condonandis debitis benignus ac liberalis fuit, tantum in puniendo severis ac formidabilis erit.

Nec enim injuria regnum coelorum ecclesia nominatur: quamquam enim in terris commoratur, tamen coelestem regem, coelestes custodes, coelestes leges, coelestia sacramenta, coelestia arma, coelestia praesidia, coelestes denique pollicitationes habet. In terris versatur, verum sedes habet in coelo. Nam qui in hujus regni negotiis, vel mediocriter sunt versati, ii sane intelligunt, nos hic advenas et inquilinos esse, et in tentoriis ac tabernaculis habitare, et aliquando tandem non esse a nostro coelesti rege in coelestia domicilia transferendos. Nec *enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Itaque vix dici potest in quanto errore, in quantis tenebris, in quam caeca ignorantiae nocte versentur nonnulli, qui in ecclesia quidem, hoc est, in regno coelorum manere, et coelestis reipublicae partem se esse iactant: et interim tamen toti in terrenis palatiis erigendis, in terrenis possessionibus amplificandis, in terrenis divitiis augendis, in terrenis honoribus comparandis, in terrenis voluptatibus undique summo studio conquirendis occupantur. Nesciunt isti, mihi credite nesciunt quid sibi regnum coelorum velit. Non ista Domini Jesu Christi regis nostri, non ista apostolorum principum ecclesiae, non ista martyrum, non ista procerum reliquorum fuerunt. Quicumque igitur in regno coelorum terrenos animos gerunt, in ecclesia quidem dum vivunt manent, et fidem, licet mortuam, retinent. Sed tamen tunc non manebunt, cum ab exilio ecclesia revocabitur, et in proprias, hoc est, coelestes sedes, cum ingenti laetitia hominum et angelorum commigrabit. Et quid miserius est, quam in ecclesia esse dum exulat, non esse dum regnat?

Regnum igitur coelorum ecclesia est: in quo regno cum rex aliquando *rationem ponere* vellet *cum servis suis*, hoc est, intelligere ac videre, qui creditores ac debitores regiorum thesaurorum essent, *oblatus est ei unus, qui debeat ei decem millia talenta*: quae quidem pecunia, si ad nostras pecunias, revocetur, efficit sexagies centena millia coronatorum, ut vir eruditissimus Budaeus, et in iis rebus non mediocriter exercitatus annotavit. Verum ad rem nostram nihil aliud debitum decem millium talentorum significare videtur, quam crimen universae legis violatae. Deus enim admirabile quoddam negotiationis genus cum servis suis

exercet. Proponit enim decem praecepta, omni studio, omni cura, omni diligentia et solicitudine custodienda. Et quicumque totis viribus laboraverit, ut ea custodiat, ei Deus debitor esse dignatur decem millium talentorum, ita pro singulis praeceptis mille talenta, hoc est gloriam infinitam ac sempiternam recipiet. Quicumque autem ea contempserit, fregerit, violaverit is contra Deo mille talenta, hoc est, poenam ac supplicium sempiternum pro singulis praeceptis violatis debebit. Iste igitur qui decem talentorum debitor erat, homines impios ac sceleratos designat. Tunc vero ejusmodi homines Deo offerri dicuntur, cum conscientia stimulante et gratia Dei praeveniente res suas gestas discutere apud seipsos incipiunt, et incredibilis summae debitores se esse cognoscunt.

Sequitur enim in evangelio. *Cum autem non haberet unde redderet.* Cum omnes hominis vires, omnes opes, omnes facultates, nullo modo tam grandi debito pares esse possint: praeterquam enim quod nihil nostrum habemus: *Quid enim habes, quod non accepisti?* illud ipsum, quod habemus, finitum et terminatum est atque exiguum: aeris autem alieni magnitudo, et lethalium criminum gravitas finem ac terminum habet. Quocirca verissime peccator non habet, unde reddat. Et quemadmodum homo seipsum interficere potest: at ab inferis gradum revocare, et seipsum excitare nullo modo potest: ita plane peccare quidem, et aes alienum infinitum conflare unusquisque per se potest, redire autem cum Deo in gratiam, culpas expiare et aes alienum dissolvere, Dei gratia non praeveniente, nemo potest. Respexit Dominus Petrum, excoepit flere: et si numquam Petrum Dominus respexisset, flere Petrus numquam incepisset. Cur enim apud inferos perpetuae tenebrae sunt, et damnatorum corda in glacie sunt durata? Nonne, quia illorum sic exigentibus meritis divinae misericordiae radius in eum locum numquam defigitur, neque in omni aeternitate defigetur? Quis igitur stultitiam eorum et caecam temeritatem satis poterit admirari, qui ajunt; Peccata peccatis addamus; nam postea confitebimur, et omnia simul expiabimus. Heu miser, et unde tibi praevenientem Dei gratiam audes polliceri? Et si Deus non praeveniat, quando tu ad poenitentiam salutarem pervenies? Quod si hac pericula, tam ingentia, tam evidentia aliquando homines cogitarent, fortasse non tam facile, ut faciunt, in peccata prolaberentur. Nunc enim tanta facilitate quidam ore impuro blasphemias evomunt, et in alia facinora se praecipitant, ut quasi in manibus suis Dei misericordiam habere videantur. Sed ad evangelium redeamus.

Cum igitur ille debitor solvendo non esset. *jussit eum domus venumdari, et uxorem ejus, et filios et omnia, quae habebat, et reddi.* Haec est illa evangelii pars, auditores, quam Pelagius, gratiae Dei hostis acerrimus intelligere non potuit. Nam Filium Dei humana carne vestitum in terris apparuisse confitebatur ille, sed tantum propterea eum venisse dicebat, ut nos instrueret atque erudiret, non ut a servitute et captivitate, quam ille nullam esse putabat, nos liberaret. Verum si res ita se habet, cur hoc loco Dominus ait: *Jussit eum dominus venumdari, et uxorem ejus, et filios et omnia quae habebat, et reddi?* Cur Isaias ait, *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini?* Cur Apostolus ait: *Ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem?* Cur in scripturis sacris, nunc *princeps mundi*, nunc *princeps tenebrarum* diabolus appellatur? Cur tam saepe Dominus in Sacris voluminibus redemptor, servator, liberator humani generis vocatur? Catholica igitur mater nostra ecclesia longe aliter sentit ac docet. Asserit enim hominem per peccatum in potestatem ac ditionem diaboli devenire, et ab ea nisi per Christum vindicem nostrae libertatis eripi non posse; ipse enim est, qui fortem armatum alligavit, et omnia vasa ac spolia ejus diripuit. Deinde etiam illud catholici patres confitentur, potestatem in genus humanum non a Deo traditam fuisse diabolo, sed diabolum callide hominem decipisse, deceptum tyrannice oppressisse, homine tamen seipsum voluntarie subiiciente, et Deo non quidem jubente, sed tamen justissime permittente. Audite enim quid b. Augustinus libro tertio de Trinitate dicat: *Quadam justitia Dei in potestate diaboli genus humanum traditum esse.* Et infra: *Modus autem ipse, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi tamquam hoc Deus fecerit aut fieri jusserit, sed quod tantum permiserit: Juste tamen.* B. quoque Cyrillus (ut ex duorum gravissimorum testium ore unius latini, alterius graeci, haec veritas confirmetur) capite 11 lib. 10 in Ioannem, exponens illa verba Domini, *venit enim princeps hujus mundi*, etc. sic loquitur: *Quem*, inquit, *non ideo mundi principem appellat, quia ejus vere dominus sit: sed quod tyrannice decepit et rapuit eos: subjecit enim sibi delictis hominem, et ab ovili divino abstractum vi detinebat.* Quare non injuria a tyrannide sua dejectus est. At si tyrannice nos diabolus opprimebat, cur, quaeso, roget quispiam, non vi illum Dominus ab hac tyrannide deturbavit? Cur secundum justitiae leges eum eo agere voluit? Nimirum, auditores, quia tametsi diabolus tyrannice opprimebat nos; tamen juste ab illo opprimebamur, et una atque eadem injustissima servitus erat. Si diabolum opprimentem consideres, tyrannus erat: si hominem oppressum, justa servitus erat. Nam diabolus decipere hominem et tyrannidem aucupari non debebat: homo tamen, quia sponte ac voluntate libera peccato consensit, merito diaboli jugo oppressus fuit. Itaque ille injuste dominus: nos tamen jure servi eramus: ac propterea secundum aequitatis ac justitiae leges ac jura liberandi. Neque vero incredibile nobis videri debet, unam atque eamdem captivitatem justam et injustam, bonam et malam fuisse. Nam quid melius, et prius Domini nece? Si ipsum qui patiebatur respicias, nonne dices, necem illam pretiosam et salutarem fuisse? Si contra impios homines, qui Dominum interficiebant, consideres, quid nece illa magis nefarium? quid execrabilius?

Dominus igitur ut ad rem redeamus, servum, qui solvendo non erat, jussit venumdari: hoc est,

peccato et inobedientia hominis exacerbatus, eum juste deseruit, et in potestatem diaboli venire permisit. Sed quid uxorem, et filios significare dicemus? Eusebius Emissenus uxorem animam, et filios sensus interpretatur. Verum Theophylactus, ni fallor, magis accommodate, uxorem carnem, et filios opera significare voluit. Ut enim uxor imbecillior et insipientior viro est, et propterea viro subjecta esse debet: ita caro menti atque animo, qui viri locum obtinet, subiici, et ab eo regi et gubernari debet. In animo enim, non in carne prudentia ac sapientia est. Deinde ut Eva virum ad peccandum adduxit, ita caro est, quae animo turpes atque illicitas cogitationes suggerit, et eum saepenumero ad peccandum inclinat. Porro istorum conjugum filii opera ipsa sunt: quae opera, et qui actus, quoniam voluntarii, filii et vere liberi sunt: si viro similiores sunt, quam uxori, hoc est, si animo dominante et carne obtemperante gignuntur, boni ac religiosi filii sunt, et *fructus spiritus*; ab apostolo nominantur. Si vero uxori sunt similiores quam viro; secundum carnis concupiscentiam procreantur, *opera carnis* ab apostolo eodem dici solent, et nefarii et furciferi filii sunt. Haec omnia, nempe vir, uxor et filii animus caro et opera in diaboli ditionem veniunt, cum homines peccant.

Caeterum iste debitor quamquam summam integram se solvere posse non videbat, tamen triste nomen servitutis exhorrens, continuo abjecit se ad pedes Domini sui, et ait: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Videtis quo pacto, sicut superbia, peccatorum omnium origo fuit, ita humilitas initium justitiae est. Verum hoc loco duas graves quaestiones oriri posse video. Quomodo iste oret, ne servituti addicatur, cum jam tamen coeperit esse servus, quando debitor esse coepit? Statim enim atque aliquis peccat, diaboli servus efficitur. Vere, auditores, praeclare omnino cum isto debitore egetur, si quam facile nos nodum istum solverimus, tam ipse facile aes alienum possit dissolvere; nos enim mox omnem difficultatem profligabimus, si dicamus, duplicem esse venditionem; unam absolutam, secundum quam id, quod venditur, sine ulla spe redemptionis venditur: alteram non absolutam, quae tunc fit, cum venditor sibi retinet redimendi potestatem. Primo genere continetur venditio eorum omnium, qui teterrimis gehennae carceribus addicti sunt. Illi enim soli sunt, qui sine ulla spe redemptionis in potestatem diaboli pervenerunt. Secundo genere venditionis venditi sunt omnes peccatores, qui hic in terris commorantur: nec enim spem redemptionis ante amittunt, quam vitae curriculum sibi a Domino constitutum confecerunt.

Verum hic oritur alia quaestio! Undenam speraret se tantum aes alienum posse dissolvere? Iam enim ostendimus, quodlibet lethale crimen tam grande debitum esse, ut omnium mortalium facultatem exuperet. Quo igitur iste spectabat? Quodnam perfugium habebat? Cur tam audacter adjecit: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi?* Dicam, auditores, magnum illum amicum totius generis nostri cogitabat: illum, inquam, primogenitum inter multos fratres, quem advocatum habemus apud patrem, ille enim qui cum esset dominus noster, frater noster fieri voluit, marsupium plenissimum habet, et nulli fratrum suorum ad aes alienum dissolvendum pecunias petentibus denegare solet. Nam et in hunc usum infinitas illas divitias comparavit, ut fratribus suis ipsius opem implorantibus adjumento esse possit. Ait igitur iste, domini sui et fratris sui liberaliter fretus, *patientiam habe in me*, donec cum advocato generis mei, filio tuo et fratre, et domino meo in gratiam redeam, atque ab eo petam pecunias, et tunc omnia reddam tibi. Nam si culpa mea offensio est infinita, et meritum domini mei satisfactio est infinita.

Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. Quid est hoc, auditores, non poterimus hodie a quaestionibus liberari? Ecce enim statim oborta est alia quaestio: Si Christus pro suo debitore aes alienum dissolvit, cur nunc evangelista dicit, *misertus ejus dimisit eum, et debitum dimisit ei?* Quid, obsecro, dimisit ei, si pro eo Christus plenissime satisfecit? Nimirum magnum in his verbis mysterium latet. Cum enim aliquis ex impio justus efficitur, semper Deus et justitiam et misericordiam suam ostendit. Justitiam erga Christum, qui gratiam, et pacem et salutem nobis proprii sanguinis effusione promeruit misericordiam erga homines, quibus non propter eorum praecedentia merita, quae nulla erant; sed propter suam maximam benignitatem ac liberalitatem merita Christi largitur, et per ea gratiam et justitiam donat. Quae omnia apostolus ad Romanos scribens paucissimis verbis ita complexus est: *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quae est in Christo Jesu.* Quid enim ista verba significant? Ut quid gratiam Dei cum redemptione Christi apostolus copulavit? Nempe, ut ostenderet nostram reconciliationem Christo debitam, nobis indebitam: Christo justitiam, nobis gratiam esse. Vere igitur evangelista Matthaeus dicit, *misertus dominus servi illius dimisit eum, et debitum dimisit ei.*

Verum quis hoc loco laudes humilitatis sine scelere tacitus praeteriret. Nam quis non videt, quantum momenti in tam difficili causa, ad remissionem tanti debiti humilitas habuerit? *Ut leo fortissimus bestiarum*, qui *ad nullius* expavescit *occursum*, solis exiguis et impotentibus animantibus parcere solet: ita rex ac dominus noster, qui *leo de tribu Juda* nominari dignatus est, et *in altis habitat*, sed *humilia respicit, et superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quae virtus Domino virtutum humilitate familiarior fuit? Quae sententia ex ore ejus sacrosancto frequentius prodiit, quam illa; *Amen dico vobis, qui se humiliat, exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur.* De Achab quoque viro nefario et sceleratissimo in libris Regum non legistis? *Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Surge, et descende in occursum regis Achab, regis Israel, qui est in Samaria. Ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam etc. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: Si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres coeli:* et tamen iste

Achab sub alis humilitatis securus latuit, et Domini furorem optime declinavit. Nam paulo post in iisdem sacris litteris ita legimus: *Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* O dulce nomen humilitatis. O virtus praeclarissima, mundi sapientibus minime nota, sed ab ipsa Dei sapientia mirifice commendata. Tu furorem justissimum Omnipotentis Dei placasti, tu manus ejus dulciter colligasti, te unam daemones reformidant, te coelites omnes apertis brachiis complectuntur, tu custos omnium fundamentumque virtutum. Qui colligit sine te spargit, qui non aedificat super te, destruit, qui te repellit a se, etiam si sedem haberet in coelo, a Domino repelletur et qui in sinu collocat te, etiamsi in coeno peccatorum jaceret, in sinu Domini collocabitur. Sine te virgines a coeli foribus excluduntur, et meretrices per te cum cantu et laetitia coelum ingrediuntur. Diligamus itaque, suspiciamus, complectamur, auditores, parentem, nutricem, custodem omnium virtutum; ut qui cultui Dei et sacrosanctae religioni mancipati sumus, fundamento religionis non careamus, et qui hisce sanctis nexibus revincti non sunt et mundi negotiis liberius implicantur, sub alis humilitatis a daemonis insidiis tuti sint.

PARS POSTERIOR.

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens: Redde, quod debes. Ecce nobis non adumbratum, sed expressum exemplar ingratitudinis. Habebat iste servus creditorem et debitorem: creditori debebat decem millia talenta, hoc est, sexagies centena millia coronatorum: a debitore autem centum denarii, hoc est circiter decem coronati sibi debebantur. Abiicit se ad pedes creditoris tempus et spatium rogaturus et debiti totius remissionem consequitur. Paulo post eadem die, fortassis eadem hora videt, conservum suum debitorem suum pariter tempus et spatium rogaturum procidisse, et non modo debitum non relaxat, sed nec horae unius dilationem concedit. Nonne hoc est ingratissimi animi signum? Quo pacto enim cum illa ipsa verba ex ore sui debitoris audiret quibus ipse gratia et remissionem adeptus erat, non erubuit? Quomodo cum ad suos pedes, non servum, sed conservum, jacentem vidit, furorem non deposuit?

Quosnam igitur, auditores, tangit haec parabola? Imo vero quos non tangit? Quotus enim quisque est, qui si vel minimam injuriam accipiat, eam cum foenore hoc nostro infelicissimo tempore non reddat? Te torve aliquis intuitus est? tu non tibi satisfactum putas, si par pari referas, et torve etiam illum aspicias, sed quiescere numquam potes, donec eum damno aliquo vel dedecore affectum videas. Age vero videamus; si quotiescumque tu Deum offendisti ille confestim poenas de te sumere voluisset, ubi quaeso nunc esses? Quoties jam aeternis suppliciis adjudicatus esses? Si igitur Deus tuus tam patienter sustinuit, imo debitum infinitum tam saepe liberalissime condonavit, qua fronte tu de injuriis tuis levissimis ac pene nullis verbum facere audes? Equidem, auditores ego duritiem cordis humani satis admirari non valeo, dum apud me mente pertracto, Deum ipsum, ut in libro de patientia Tertullianus demonstrat, Deum, inquam, ipsum exemplar patientiae esse voluisse, dum tot tantaque beneficia in hostes suos quotidie confert homines autem injurias sibi ab hominibus illatas tanti facere, ut sibi potius moriendum putent, quam injurias non ulciscendas. Quid? Quod eadem abjectionis et humiliationis significatio Deum permovit et hominem non permovit? Certe patriarcha Jacob ab angelo audivit; *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. Quia si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis?* Et tamen, auditores, humilitas servi regem Deum placare valuit, et humilitas conservi conservum placare non valuit. Sed quid mirum, hominis humilitatem lapideum et plane adamantinum hominis cor non commovisse, cum nec ipsius Dei, quo nihil majus dici aut excogitari potest, humilitas ipsum commoverit. Venit enim Filius Dei, et se ut amentem, ut furem, ut legis violatorem teneri, vinciri, verberari permisit, nec non faciem suam conspui, manus colligari, membra omnia lacerari sivit, ut his duabus fortissimis machinis patientiae et humilitatis, duas munitissimas et pene inexpugnabiles arces prosterneret atque deiiceret iram videlicet Omnipotentis Dei et arrogantiam cordis humani. Et quidem priorem arcem continuo prostravit: nam ira atque indignatio Dei, justissimo furore in genus humanum succensa, Christi patientia et humilitate victa statim quievit et Omnipotens illud pectus mitissimum et clementissimum est effectum. At arcem nostrae superbiae minime prostravit. Adhuc regnat Amalech: adhuc superbimus: adhuc injuriarum recordamur: adhuc arrogantissimus ille vermiculus, si levissime pungatus totum se concitat nec potest quiescere. Obstupescis tu, quia Deum usque adeo abjectum vides, ut tamquam latro scelestissimus pendeat in cruce? Ego autem obstupesco, quia post tantam Filii Dei humilitatem, adhuc te superbum, arrogantem, injuriarum memorem esse video. Quomodo pharmacum tam potens superbiae tuae vulnus non curavit? Qui fieri potuit, ut tanta vis humilitatis turrim arrogantiae tuae non debellarit? Parum igitur, parum omnino propheta dixit, qui cor hominis, *cor lapideum* nominavit: et jure ac merito ecclesia canit; *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, et miserando*, hoc est, hominem ex injusto justum, et cor ipsum carneum ex lapideo, *manifestas.*

Verum quid sequitur in evangelio? *Videntes*, inquit, *conservi ejus, quae fiebant, contristati sunt valde.* Conservi isti, auditores, sancti angeli et sancti homines sunt, qualis erat ille qui dicebat; *Vidi praevaricantes, et tabescebam*: qui non propterea de perversitate et ingratitudine peccatorum conqueruntur apud Dominum, quod illum latere aliquid existiment, sed ut ipse, qui solus potest, remedium aliquod tantis malis adhibeat.

Tunc igitur vocavit eum. Haec posterior vocatio sine ulla dubitatione in obitu uniuscujusque erit. Tunc enim illa vox, tamquam tonitruum vehementissimum, hominem suae conscientiae conscium perterrebit. Neque ibi finis erit. Sed horribile illud tonitruum a fulgure sempiternae damnationis confestim excipietur. Tradetur enim tortoribus debitor et tamdiu cruciandus erit, quam debitum non dissolvetur, et sicut debitum, cum infinitum sit, dissolvi numquam totum poterit: ita nec supplicia finem ullum unquam habebunt.

Sed fortasse movet aliquem argumentum, quod Dominus in persona regis facere videtur, quasi dicat: Ego tibi pecunias, quas mihi debebas condonavi, igitur et te fratri tuo pecunias, quas tibi debet, condonare oportet. Non enim aequum hoc esse videtur, si creditor meus liberalis esse voluit, quo jure, qua lege, qua aequitate ego quoque tenor esse liberalis? Primum auditores, non hoc Dominus ait. Sed quid? *Nonne ergo*, inquit, *oportuit et te misereri conservi tui*? hoc est, si debitum relaxare non tibi placebat, nonne saltem oportuit, ut misertus conservi tui dilationem aliquam concederes? Nam licet pecuniarum debitum condona re debitoribus non teneamur, quamquam simile debitum nobis creditor noster condonaverit, tamen misericordiam et humilitatem aliquam exhibere semper tenemur. Id enim quod nobis fieri cupimus et aliis facere nos debemus. Et praesertim debitor hic evangelicus misericors esse debuit erga conservum, quia si secus faceret, id in contemptum regis facere videretur. Et idcirco Dominus de industria personam non aliam quam regis introduxit. Neque vero scopo aberrabimus si dicamus, aliud esse de pecuniis, aliud de injuriis loqui. Nam legem illam habemus in evangelio frequentissime repetitam, ut qui facinorum suorum a Deo relaxationem cupit habere, ipse quoque injurias atque offensiones inimicis suis relaxet. *Date*, inquit Dominus, *et dabitur vobis. Dimittite, et dimittemini.* Et rursum: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Item; *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Denique hinc est quod memores hujus praecepti in oratione Dominica dicere solemus; *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Verum hinc, auditores, quaestio confestim alia exoritur. Siquidem ex hac Domini sententia omnino sequi videtur, quod peccata olim admissa, et per poenitentiam expiata iterum redeant. Ait enim *Iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* Quod si ita esset, quomodo quaeso, intelligere debemus, quod apostolus ait; *Sine poenitentia esse Dei dona*? Et quod Ezechiel; Quotiescumque ingemuerit peccator iniquitatum ejus. Deum non amplius recordaturum? Ita igitur ad istam quaestionem respondebimus, ut dicamus, peccata quidem ipsa secundum se numquam redire: vere enim apostolus ait; *Sine poenitentia Dei dona*: neque mentitur propheta, qui ait; Quotiescumque ingemuerit peccator iniquitatum ejus non recordaturum Deum. redire tamen eadem peccata per quemdam modum dicuntur, quia nimirum efficiunt, ut peccatum, quod post aliorum remissionem perpetratur, multo gravius sit, quam alioqui fuisset, et multo etiam gravius et severius puniatur. Id enim exigit peccantis ingratitudo. Quemadmodum enim puerorum institutores (ut exemplo notissimo rem illustremus) ubi semel atque iterum discipulorum suorum erratis ignoverunt, cum tertio peccant, tunc illis dicunt: Errasti semel, et peperci: iterasti, et iterum peperci: tu vero patientia mea abuteris, et quotidie evadis deterior: si igitur posthac, vel levissimum errorem commiseris, de omnibus simul tuis erratis, mihi crede, poenas dabis. Ita et Deus facit. Cum saepius nostris erratis ignoverit, et tamen pergimus eum offendere, non poenitet illum quidem benignitatis ac misericordiae suae, qua nobis toties debita condonavit: sed tamen id nostra exigente ingratitudine pro ultimis et non expiatis delictis; maximis et atrocissimis suppliciis et cruciatibus non addicit.

Sed cur, obsecro, iste miserrimus atque infelicissimus, nunc secundo non se ad pedes sui regis abjecit? Cur non dixit, *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi*? Fortasse enim et nunc, vel remissionem, vel certe dilationem promeruisset. Nimirum id non fecit, quia divino sic agente judicio, qui peccata peccatis addunt, et poenitentiam usque ad obitum differunt, donum fiduciae et humilitatis saepe non habent. Imo ipsi contra seipsos damnationis sententiam dicunt. Atque haec est justissima poena malae fiduciae. Qui enim dum viverent vias suas corrigere noluerunt, freti poenitentia, quam sibi ipsis in ultima aetate promittebant, justissimo Dei judicio, hac poena mulctantur, ut cum ad extremum spatium veniunt, tam se poenitentiam agere fructuose non credant. Quibus idem plane contingit, quod imprudenti cuidam mercatori evenit: qui cum equos mercibus onustos ad nundinas duceret, et animadverteret eorum equorum tres juvenes et alacres esse, unum jam senem atque infirmum, dicere coepit apud se. Quod si juvenes et optimi isti equi propter sarcinas laederentur, quam grandem jacturam ego facerem. Ita onus, quod equi quatuor ferre debebant, totum super senem et debilem illum equum imponit. Ferat, inquit, ut poterit: et si cum ad nundinas pervenero, moriatur, non magnam propterea jacturam faciam. Coepit itaque imprudens mercator debilem equum supra vires onerare, et ecce statim cecidit sub onere, et non solum equum unum mercator amisit, sed etiam equorum onus, et adhuc etiam eorum equi jam mortui super illos juvenes equos imponendum fuit. O quam multos hujus mercatoris similes inveniemus? Quis eos numerare poterit, auditores, qui cum quatuor aetates ad poenitentiam agendam a Domino acceperint, adolescentiam, juventutem, virilem aetatem et senectutem, ita tamen apud se stultissime ratiocinantur, et dicunt; juvenes sumus, non est hoc tempus poenitentiae. Juventus flos aetatum: eam igitur prius colligamus quam marcescat, coronemur rosis, perfundamur unguentis, *nullum sit pratum quod non*

pertranseat luxuria nostra, ubique relinquamus signa laetitiae. Veniet ad ultimum, sero, utinam post mille annos veniet, ven et, inquam, debilis et tristis senectus, tunc frui voluptatibus non poterimus, tum toti Deo, poenitentiae et religioni operam dabimus. O stulta ratiocinatio, O consilium perditissimum, non senectus, sed juventus tempus est poenitentiae, nec enim senes ciliciorum, jejuniorum, peregrinationum, humi cubationum, et aliorum poenitentiae laborum patientes sunt. Quid? Quod saepe homines hac nostra aetate ad senectutem non perveniunt; et qui perveniunt non modo poenitentiae oneribus non gravari, sed ab omnibus curis et sollicitudinibus relaxari volunt. Igitur *nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis*: quaeramus *Dominum, dum inveniri potest*: invocemus *eum dum prope est.* Veniet tempus veniet mihi credite, cum unam horam desiderabimus hujus tam pretiosi et salutaris temporis, quod nunc tam inutiliter, tam inconsiderate in negotiis puerilibus plane, et in nugis et jocis consumimus, et non impetrabimus. Tunc enim clave aeternitatis divinae misericordiae porta claudetur, et justitiae et ultionis aperietur. Tunc deceptis istis hominibus continget, ut qui dum viverent poenitentiam agere fructuose non voluerunt apud inferos, in omni aeternitate sine ullo emolumento poenitentiam agere, intolerabilibus illis suppliciis compellantur, quae nos effugere Jesus Christus concedat qui est benedictus in saecula. Amen.

DE QUATUOR NOVISSIMIS

CONCIO PRIMA

DE MORTE

SYNOPSIS

Mortis meditationem veram esse sapientia, aliter quam pro mente Platonis, probatur et amplificatur; quam proinde diabolus et mentibus humanis eripere conatur. Proposito deinde ordine dicendi, exaggeratur, quam improvisa et inopina sit mors, ut quae omnia consilia humana turbat et evertit; et quam amara ejusdem cogitatio, praesertim autem animae a corpore separatio, in qua cogitationi occurrunt tum animae, tum corporis status, sepulchri squalor, sententiae incertitudo, quod exemplo regis captivi illustratur, judicii rigor, peccatorum pungens conscientia, et interior pugna, daemonum praesentia et tentatio, mortis denique certitudo; quae singula elegantibus, ut solet, amplificationibus in prima concionis parte pertractantur.

Pars posterior commendatione animarum in purgatorio exordiltur, et quantae utilitatis et pietatis opus sit, illis subvenire ostendit. Deinde nos ipsi nobismet commendamur. Quam efficax medicamentum sit fortis medicatio, non tamen solum auditum, sed et intime receptum et probe digestum, declaratur, et exemplo monachi cujusdam redivivi ex Climaco confirmatur. Reditur postmodum ad institutum sermonem et graviter ea proponuntur, quae post mortem homini eveniunt, ut sunt circa corpus, foetor et horror; circa exequias, fovea paucorum pedum et linteum, quod etiam potentissimis regibus non aliter evenit. Repraesentantur praeterea animis ea, quae circa Dei tribunal sunt futura, et parte judicis severi et aequi, judicii strictissimi, inquisitionis exactissimae, accusatorum daemonum. quae omnia suis coloribus depinguntur. Tandem ad praeparationem mortis invitamur, et sub nomine Belgii et Brabantiae omnes a crapula abstrahimur.

Etsi princeps ingenii et doctrinae Plato, cum sapientiam mortis meditationem esse definivit, non eo spectavit, ut frequenter de obitu cogitandum esse hominibus persuaderet: tamen in hanc quoque sententiam mihi verissime videor affirmare posse, veram mortalium sapientiam, esse mortis meditationem. Nam ea demum vera sapientia est, omnes actiones suas ipso fine, ad quem referuntur, tamquam regula quadam ita metiri, ut nec ab eo unquam dissentiant, nec jure reprehendi ab aliquo possint. Jam vero cum humanae vitae fines plurimi sint, eorum unum obitum ipsum esse, quis quaeso inficiabitur? Huc igitur omnia studia, huc omnes curae, huc omnes cogitationes dirigi debent, ut vivendi curriculum a Deo nobis concessum, ita conficiamus, ut cum voluptate et laetitia ad exitum perveniamus. Equidem, auditores, sic statuo, hinc omnes hominum errores principium ducere, quod vitae finem, quem perpetuo ob oculos habere debent, obliviscuntur. Hinc enim superbia, hinc ambitio, hinc immoderata corporis cura: hinc ille turres, quas super arenam fabricamus, initium sumunt. Etenim si quales post paucissimos dies futuri simus, aliquando cogitaremus, ratio nostra vivendi humilior fortasse, et moderatior esset. Quis animos elatos haberet, si in sepulchris aliquando humanum pulverem intueretur? Quis ventrem pro Deo coleret, si eum vermium escam paulo post esse futurum serio cogitaret? Quis amore divitiarum incitatus, per omnes terras et omnia maria velut insanus curreret, si se praeter illud vilissimum indumentum, quo cadaver est involvendum, omnia relicturum intelligeret? Omnes denique nostri errores corrigerentur, si mortem tamquam scopum prae oculis haberemus. Hinc videlicet illi philosophi, qui Brachmanes sunt appellati, ante ipsarum suarum aedium fores, aperta sepulchra habere volebant, ut sive ingrederentur, sive egrederentur, mortis memoriam praesentem haberent, et ea tamquam fraeno, libidines omnes cohiberent. Et Jeremiae prophetae aliquando Deus ait; *Descende in domum figuli, et ibi audies verba mea.* Certe poterat etiam Deus alibi, quam ubi circa lutum ho-

mines occupantur, alloqui sanctum prophetam; sed tamen non sine sapientissimo consilio ita constituit. Si quidem nos omnes admonere volebat, sepulchra, in quibus universum humanum lutum tamquam in domo figuli congregatur, gymnasium esse verae sapientiae. Ibi enim loquitur Deus, et profundissima, maximeque recondita suae sapientiae arcana, auditoribus suis exponit. Ibi non dialecticis sophismatibus; sed evidentissimis demonstrationibus ante oculos ponit vitae brevitatem, carnis miseriam, mundi deceptiones, rerum praesentium vanitatem, et quo tandem recidat omnis humana pulchritudo, et universa mundi gloria.

Quae cum ita sint, dubitare nec possimus, nec debemus, quin daemon atrocissimus humani generis hostis, contendat quantum potest, ut mortis saluberrimam memoriam de nostris mentibus auferat. Alioquin enim quomodo fieri posset, ut rei tam formidabilis, et quam fugere aut declinare nullo modo possimus, unquam oblivisceremur? Si levis suspicio jacturae alicujus, vel facultatum vel honoris tantum apud nos valet, ut somnum saepe numero nobis auferat, quid mortis certissimae cogitatio facere deberet, quae omnibus terribilior est? Quare sicut ii, qui in publicis ludis ad scopum tela dirigere debent, multo ante diem illum meditantur, et plurima tela, manus et arcum exercentes consumant, ut in die ludorum praemii scopum attingant: et quemadmodum ii, qui singulari certamine dimicaturi sunt, quotidie de suis viribus, de armis, de peritia praeliandi periculum faciunt, vigilantissimeque providerent, qua ratione variis ictibus occurrere possint, ut in ipso vero certamine, ex tanto honoris ac vitae discrimine feliciter possint evadere: ita nos, auditores, quibus praemium sine ulla comparatione majus propositum est, si bene nos mori contingat; et qui si secus eveniat, damno ac dedecore inexplicabili mulctandi sumus, dum per Dei misericordiam licet cogitatione frequenter moriamur, ut cum vere moriendum erit, bene beateque mortem excipiamus.

Ordinem vero oratio nostra non alium habebit quam illum, quem ipse obitus secum ad ferre solet. Ut enim illi qui ad bravium aspirant, quod cursui equorum propositum est, equos suos frequenter per stadium ducunt, ut omnia loca, omnes lapides, omnia impedimenta, quae in eo sunt, videant, ut cum dies certaminis aderit, stadium recognoscant, et a nullis impedimentis occurrentibus in cursu retardentur; ita et nos, qui (velimus nolimus) stadium morti, meriti debemus, optimum erit, si jam cogitatione et memoria cursum istum aspiciamus, et omnia, quae in eo sunt, diligenter consideremus: praesertim cum iter obscurrissimum, anfractibus et impedimentis variis refertissimum, et usque adeo periculosum sit, ut pauci omnino sint, feliciter illud emetiantur. Qui vero in eo labuntur, nullam amplius in omnem aeternitatem spem salutis inventuri sunt.

Ut igitur inde incipiamus, unde hoc atrocissimum praelium exordium sumit, illud primum considerare, ac perpendere debemus, tum maxime mortem advenire solere, cum minus homines de ea cogitant: Hinc est illa vox apostoli Pauli: *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet*: Et ipsius Domini in Apocalypsi: *Ecce venio sicut fur*. Siquidem fures hoc proprium habent, ut tunc domos ad furtum faciendum ingrediantur, cum homines altius dormiunt, et cum minus tale aliquid suspicantur. Idem etiam per Amos prophetam Dominus ait: *In die illa (dicit Dominus Deus) occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis*. Quam formidabilia sunt haec verba, si diligenter considerentur, auditores? Quid enim est, *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis*? Nimirum hoc, cum homines meridiem suae aetatis esse putant, cum plurimos annos se victuros adhuc arbitrantur, cum de luchris de negotiis de aedificiis, de honoribus, de nuptiis, de voluptatibus cogitant, cum dicunt animae suae. *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe*, laetare: tunc illis repente dicitur, Ecce mors est in foribus, *stulte, hac nocte repetent a te animam tuam, et quae parasti, cujus erunt*? Tunc inopinata mors omnia nostra consilia eludit, omnes cogitationum telas praecidit, et omnes illas turres in aere fabricatas unico ictu dejicit atque prosternit, O quam amarum est hoc nuncium! O quale vulnus recipit cor peccatoris et praesentem vitam vehementer diligentis, cum ei medicus dicit, non amplius de vita, sed de morte cogitandum esse. Vir fortis ac strenuus erat ex Hebraeorum Saul, multis praeliis interfuerat, multos homines interfecerat, multas etiam praeclaras res gesserat, tamen ubi a Samuele, qui jam obierat, audivit: *Cras tu et filii tui mecum eritis*, hoc est, cras in bello tu cum filiis tuis certissime morietis; continuo vehementissimo timore perculsus cecidit semivivus in terram. Quid ergo sentiet tunc unusquisque nostrum, cum tale nuncium accipiet? Hic enim primum sese offerent cogitationi omnia quae diligebat, a quibus omnino velit nolit avellendus per mortem, ac separandus erit. Corpus quidem morientur semel, sed cor toties morietur, quot ea sunt, quae diligebat. Tunc vere in tenebras lux clarissima convertentur, quia tunc quae ante majorem laetitiam adferebant, horribiles carnifices erunt, vehementiusque cruciabunt. Jucundissima res est iis, qui vivunt, dulces filios, dilectam conjugem videre, opes intueri, honorum recordari, de futuris et praeteritis voluptatibus cogitare: at haec omnia, quales cruces, quam amarae potiones in obitu erunt! Solent eo tempore prudentes conjuges abscedere, et dulces filii ante conspectum patris venire non permittuntur: ne praesentia sua, et inferre, et suscipere tam acerbos dolores compellantur. Nam quia tunc, qui moritur, in tam distantem et ignotam regionem proficiscitur, et iter est tam longum, quod tunc moriens ingreditur, dolor non pateretur, ut regulas bonorum morum in ea separatione servaret. Sed si ab istis rebus, quae hominem non contingunt, et externae, sicut appellantur, ita sint, tam durum est avelli quam, quaeso, amarum erit corpus ab anima separari? Si duo peregrini, qui unum aut alterum diem simul iter fecerunt, et mutua fabulatione se invicem recrearunt, non sine dolore ab invicem separantur, quid

fiet cum disiungentur duo tam intime familiares, et tam vehementi amore se invicem prosequentes, quales sunt corpus et anima quae ab ipso utero matris semper jucundissime vixerunt, et tot beneficiis se invicem obstrinxerunt? Si bos mugire solet, cum quo aratrum trahere consuevit, qualem mugitum unusquisque nostrum dabit, cum a corpore animus abstrahetur? Quid erit, cum corpori dicet, Jam in postremum iter sine te facere debeo? Quid cum corpus animae respondebit, Et ego quo pacto esse potero sine te, a quo et vitam, et motum et sensum habebam? Tunc igitur et animus flebiliter iterum, et iterum repetet: *Siccine separat amara mors? Siccine separat amara mors.*

Verum cum hujus tam acerbae separationis cogitatio altissimas in animo radices fixerit, tunc doloribus dolores succedent. Occurret enim confestim animo, quam mirabilis conditio, et corpus et animum post separationem expectet. Ac primum cum apud se revolvere incipiet, corpus post paucissimas horas in obscurissimo tumulo claudendum esse, tam abiectae et miserae conditionis ab admiratione cessare non poterit. Quid? Corpus quod nunc vivit, quod spirat, quod videt, quod loquitur, quod audit quod in lectulo requiescit, post unam horam in momento coecum, surdum, mutum, sine sensu, sine spiritu, sine vita efficietur? Corpus tam multiplicibus delitiis enutritum, cujus ventri ac gulae terrae ac maria serviebant, cujus indumenta erant byssus ac sericum, cui dum viveret lectulus mollissimus parabatur, propter quod, ut a frigore et calore et ab ipso aere defenderetur, mille artes excorabantur, quod nisi in amplis domibus habitare non poterat; nunc in domo tam tetra, tam graviter olente, ossibus et vermibus plena cum cadaveribus mortuis in posterum habitabit? Ergo ne amplo palatio humile sepulchrum; molli lectulo humus horrida; vestibus pretiosis vilissimum linteum, delitiis putredo. odoribus foetor; et famulis vermes succedent? Et ista quidem sepulchri cogitatio vehementissime hominem in illis angustiis constitutum perterrebit: sed tamen multo vehementius perhorrescet unusquisque nostrum, cum quae sors animam maneat, cogitare incipiet. Tunc enim cum in illam aeternitatem oculos infiget, ei novam illam regionem, et viventibus omnibus incognitam intuebitur, quam ipse tunc solus et nudus ingredi debebit: et rursum intelliget in ea, et gloriam, et miseriam sempiternam inveniri, et nescit utra sors sibi contingat, dici non potest, quo metu, qua sollicitudine, qua anxietate torquebitur. Quid? Pro comperto habere post duas horas vel in aeternis gaudiis vel in aeternis suppliciis se futurum, nonne est crux omni cruce atrocior? (Nam de purgatorio nihil dicimus, non quod locum illum non esse credamus, sed quod qui in eo degunt, cum certi de sua salute sint, inter beatos, ac felices numerentur.) Quamquam enim spes erigit animum; tamen recordatio peccatorum et cogitatio divinae justitiae timore expelli non sinunt; praesertim dum ad mentem veniet, judicia Dei esse abyssum multam. Et sicut Jacob cum filiis Joseph benedicere vellet, manus commutavit, et dexteram super minorem, sinistram super majorem natu posuit; ita et Deus interdum facere solet. Nam quis nescit latronem ex patibulo in coelum ascendisse, Judam ex culmine apostolatus in gehennae incendia descendisse? Haec igitur incertitudo sententiae, vel aeternae beatitudinis vel cruciatuum sempiternorum, quam post duas horas audire debet, explicabile non est, quam vehementer in illo statu positum affligat.

Ac ut exemplo aliquo rem istam illustremus, attendite! Si christianus aliquis rex in manus barbarorum devenisset, et legatis christianorum regis liberationem a barbaris petentibus, et munera ac pecuniarum magnam summam afferentibus, princeps ille barbarus constitueret, ut regis vita et mors fortibus committeretur, et si quidem sors illi faveret, in suum regnum cum honore restitueretur; si vero sors illi contraria esset, in ardentem fornacem vivus proiiceretur: Rogo vos, cum jam dies fortis adesset, et rex ille infelix hanc ardentem fornacem, et vivos illos flammarum globos intueretur, inde suos legatos moestos conspiceret, et in conspectu maximae multitudinis, quae ad spectaculum illud concurrisset, omnibus silentibus, nec non pro salute regis trepidantibus, jam praetor manum ad urnam mitteret, ut scriptam regis sententiam educeret: vos, inquam rogo, quo animo rex ille esset, quam turbato vultu, quam pavidus, quam territus? Quid Deo non offerret, ut ex tanto periculo eum eriperet? Jam vero quid hoc est, auditores, si cum eo periculo, de quo loquimur, et quod omnibus nobis, qui hic adsumus, imminet, et in quo unusquisque nostrum brevi se videbit, quid, inquam, est, si cum hoc periculo conferatur, nisi tenuis umbra vel somnium? Quanto regnum, ad quod aspiras, est amplius? Quanto fornax, quam times, formidabilior? Hinc enim aderunt angeli ut in coelum nos evehant: inde daemones: ut in gehennae incendia nos praecipitent; et nemo nostrum certo scire poterit, utrum horum duorum, tam dissimilium, tam disparium, tam diversorum exituum post unam horam sortiri debeat. Cogita igitur quale tum cor tuum in illo periculo erit, quam pavidum, quam humile, quam dejectum ante oculos ejus, qui solus ex tanto discrimine eruere, potest. Equidem arbitror, nullum omnino reperiri posse, qui rem tantam, ita ut est, exprimere vel explicare possit.

Verum huic perturbationi alia longe major succedet, cum in mentem veniet ratio, quam de omnibus verbis, actionibus et cogitationibus Dei reddere debemus. Nam et per se horrendum est cum Deo in judicium intrare; et hunc ipsum horrorem daemones mirum in modum augebunt. Ut enim ipsi dum vivimus Dei misericordiam nobis praedicant et amplificant, et quantum possunt contendunt efficere, ut de justitia ac judiciis Dei non cogitemus; ita tunc ex adverso misericordiam extenuant, et magnitudinem ac severitatem divinae justitiae ante oculos ponunt. Ibi igitur peccator totus tremere, ac in desperationem declinare incipiet: nec non ita apud se ratiocinabitur: Si Deus proprio Filio suo propter aliena peccata non pepercit, unde parcet mihi qui tam multorum mihi con-

scius delictorum sum? *Si in ligno viridi haec faciunt in arido quid fiet?* Si prophetae, si apostoli, si martyres posteaquam tot annos innocentissime vixerant, non nisi per supplicia regnum coelorum ingressi sunt, quis locus me, nisi gehenna suscipiet, qui nullius boni mihi conscius sum? Si non mentitur scriptura, quaedicit: *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Ego qui res tam nefarias gessi, quid nisi aeternos cruciatus expecto? Si verum quod apostolus ait: *Quae seminaverit homo, haec metet*, quid nisi mortem aeternam metet, qui tam execrabilem sementem fecit? Si nihil inquinatum in Dei regnum intrabit, quomodo ego, qui totus sordidus sum, sperare possum ingressum tam beatum? Tunc igitur omnia peccata, quae dum viveret tanta facilitate perpetravit, velut agmen hostium irruent in hominem peccatorem. Tunc oculos poenarum timor aperiret, quos clauserat sopor culpae. Tunc ambitio, tunc furta, tunc adulteria, tunc fornicationes, tunc commessationes, tunc ebrietates, tunc verba et cogitationes impurae, tunc dissolutio ac socordia in bonis operibus, tunc demum et ipsa otiosa verba ad mentem veniet, et o quam gravia videbuntur, quae nunc tam levia videntur, et quae cum tanta jucunditate perpetrantur, quam atrociter tunc animum peccatoris torquebunt.

Post haec omnia cum jam anima festinat ad exitum, tunc pia mater ecclesia coelestibus sacramentis filios suos communit, et omnium sanctorum in tam ingenti periculo opem imploral. Quid enim illae voces significant quae circa morientem saepius repetuntur, sancte Petre, ora pro eo, sancte Paule ora pro eo, nisi tantum morituro tunc periculum imminere, ut ad omnia coelorum tabernacula pulsandum, et omnes sanctos implorandos esse, ut animae in tantis angustiis constitutae adiumento sint. Nam quis explicet postremum illum agonem, in quo anima, et cum gravissima valetudine, et cum daemonum insidiis, et cum timore futuri judicii, uno tempore bellum gerit? Primum enim illa ultima perturbatio, et omnium sensuum titubatio, velut vicinae mortis praenuncia quam vehementer exterret? cum intumescit pectus, vox raucescit, oculi excavantur, pedes moriuntur, genua frigefiunt vultus pallescit, ot omnes artus frigidum sudorem emittunt?

Et haec quidem gravia et horrore plena, quae extrinsecus apparent; sed ea sine comparatione graviora et horribiliora, quae intus geruntur. De Beato Hilarione sanctus Hieronymus scriptum reliquit, eum dum viveret nihil magis optasse, quam dissolvi, et esse cum Christo, et tamen in extremo agone constitutus, ita perterritus est, ut exitum anima ejus quodammodo recusaret, et his verbis eam vir sanctus alloqueretur: *Egredere anima, egredere, septuaginta annis servivisti Deo et mori times?* Si igitur in obitu timuit ille, qui tot annis servierat Domino, quid facient illi, qui totidem annis diabolo servierunt, et nefariis suis sceleribus Deum ad iracundiam provocaverunt? quo ibunt? quem implorabunt? quid consilii capient? Si rursum aspicient, districtum glaudium divinae justitiae videbunt: si deorsum, hinc tumulum apertum inde gehennae barathrum intuebuntur. Si tempus praeteritum, omnia tamquam umbram praeteriisse conspicient, si futurum, saeculorum aeternitatem sine fine duraturam cernent.

Daemonum vero impetus, qui tum omnes nervos suos contendent, quonam pacto, quaeso, sustinebunt? B. Gregorius quemdam fuisse refert, qui cum in extremo illo tempore cum daemonibus disputare cogeretur, victus fortasse daemonum argumentis tremere, pallere, sudare vehementer coepit, oculos ad parietem convertebat, et in eo loco continuo daemones apparebant. Denique horribili voce clamabat. Inducias vel usque mane, inducias vel usque mane, sed quia dum potuit, bene agere noluit, tunc cum voluit, minime potuit. Nam induciae concessae non sunt, sed in ea voce non Deo, sed diabolo spiritum reddidit. Quid igitur, auditores, quid homines peccatores in simili statu positi facturi sunt? Egredi non volent, retrocedere non poterunt, et in eo statu permanere diutius eis non permittetur. O si intelligere possemus, quale sit hoc praelium, quanti ponderis in illa hora negotia transigantur, profecto alii, alii omnino, quam ante hac fuimus, deinceps essemus. Et tamen quid prohibet, quin haec intelligamus? Quis enim aliquid horum negare aut inficiari potest? Numquid non sunt omnia solis luce clariora? Numquid aliquis nostrum dubitare potest, se in eo statu, quem descripsimus, aliquando futurum? Nonne et fides docet, et natura testatur et ipsa experientia clamat nullum nasci non moriturum? Quis nostrum majorum suorum catalogum usque ad Adam proferre non potes? et tamen ex tam multis majoribus, qui aliquando vixerunt, quam multos? solum duos, quam multos? unum tantum, quam multos? nullum numerare possunt, qui vivat aut vivere aliquando non desinat. Deinde quis nescit illud *fortasse*, ut sapienter Augustiuus in omnibus ferme rebus humanis locum habere, praeter quam in morte. Nasceturne puer? fortasse Natus vero putas adolebit? fortasse. Literas discet? fortasse. Uxorem ducet? fortasse. Liberos gignet? fortasse. An morietur? omnino, plane, sine dubitatione morietur: Hic solum *fortasse* locum habere non potest.

Cum igitur, auditores, nobis omnibus, qui hic adsumus, compertissimum et exploratissimum sit, nos paulo post ad eum statum deventuros, in quo toto corde desiderabimus ab omni scelere nos continuisse, omnium virtutum opera exercuisse, in omni sanctitate vixisse, et nec momentum unum sine spirituali lucro nobis praeteriisse, stultos homines non imitemur, qui solum praesentia intuentur. Provideamus prudenter futura, et ita divina aspirante gratia nos comparemus, ut illa hora, quae caeteris principium dolorum est, nobis gaudiorum et felicitatis esse possit. Sed jam paululum quiescamus, et paucis, quod restat, absolvamus.

PARS SECUNDA

Duo genera pauperum vobis commendare debeo, antequam ad alteram partem orationis accedam. Primum enim tempus me monet, ut vobis sanctos illos pauperes commendem, qui in purgatorio degunt. Et certe si quantum ipsi vestra libe-

ralitate indigent, tantum esset in me ad hoc vobis persuadendum facultatis, non dubito, quin hodie multum vestris eleemosynis recrearentur. Nam sive commodum eorum, sive fructum vestrum, sive quid jus ipsum postulet respicialis, ipsa luce clarius esse videbitis, optimum atque utilissimum esse, mortuorum animis opem ferre. Ac primum quidem vix dici potest, quam parvo labore possimus efficere ut ab intolerabilibus crucialibus anima una, vel plures, aut omnino liberentur aut saltem ad tempus releventur. Qui vero animam unam eripit a crucialibus purgatorii, non solum ei minuit tempus poenae, sed etiam auget tempus gloriae. Quod beneficium tantum est, ut vix aestimari possit. Itaque majus beneficium in mortuum hominem conferre te puto, si pro liberatione ejus aliqui facis, quam si conferres in aliquem viventem pauperem, si ei omnes tuas facultates largireris. Iam si fructum etiam tantum spectare volueris nullo modo dubitare debes, quin fructuosius omnino sit mortuis, quam viventibus opem ferre. Eleemosyna quidem semper fructuosa est, si propter Deum fiat, sed tamen non parum interest in bonum ne, an in malum hominem conferatur. Bonus enim beneficii memor erit, et pro te Deum exorabit, ut tibi pro parvis magna, pro terrenis coelestia largiatur. At improbus, vel non orabit vel orans non audietur; *scimus enim quia peccatores Deus non exaudit.* De justitia vero et probitate sanctarum illarum mentium, quae in purgatorio degunt, quis jure ambigere potest? Quamobrem pro illarum liberatione satagere, vere nihil est aliud, quam amicos multos nobis conciliare, qui cum defecerimus, in aeterna tabernacula nos recipiant. Nec enim periculum est ne cum in gloria et gaudio Domini, sui erunt, more illius pincerne apud Pharaonem, nostrorum beneficiorum obliviscantur. Ius vero quid obsecro postulat? Nonne ut cum de eleemosyna elargienda cogitas, minus egenti magis egentem anteponas? Quis vero illo calamitosior est, qui et in maximis aerumnis versatur, et nec seipsum juvare, nec aliorum opem implorare potest? Quare quam maxime possum vobis animas defunctorum commendatas esse cupio.

Neque vero viventes pauperes de nobis conqueri poluerunt, quasi eleemosynas vestras ab illis ad mortuos transferamus. Nam si vultis potestis utrique uno tempore satisfacere: *Qui enim miseretur pauperis, foeneratur Domino*, ut scriptura testatur. Quare si de facultatibus vestris viventibus pauperibus aliquid tribulatis, et deinceps foenus, quod pro illis a Deo accepturi, et vestris spiritualibus loculis addituri eratis, in animarum fidelium liberationem transferre volueritis, et viventibus simul et mortuis pauperibus adjumento esse poteritis. Ac de commendatione quidem pauperum mortuorum hactenus.

Nunc vos ipsos vobis commendare cupio. Siquidem animae vestrae sunt illud alterum genus inopum de quo agere volebam. Quemadmodum igitur auditores, inter medicamenta illa potentius et efficacius operantur, quae usque ad ipsa viscera penetrant, quam quae solum extrinsecus corpori adhibentur: sic inter monita ac documenta salutaria, illa quae ab ore concionatoris ad aures usque auditorum perveniunt, et ibi quiescunt, parum omnino aut nihil efficiunt: at illa multum prosunt, quae in animo reconduntur, ac diligenter considerantur ac perpenduntur. Quocirca si cupitis magnam eleemosynam animis vestris elargiri, accipite consilium meum. Hodie vel cras unusquisque sibi unam horam eligat, et ingressus cubiculum suum tacite et quiete apud se ea, quae de morte diximus, et dicturi sumus revolvat, et ipsemet potentiam hujus pharmaci sine dubio admirabitur. Nam mortis meditatio incredibilem vim habet ad hominem a mundi nugis abstrahendum, et ad seria invocandum, Nec enim mentiri potest, qui ait: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.*

B. Joannes Climacus refert, monachum quemdam sui temporis fuisse, qui cum negligentius vixisset, quam monachum vivere par est, et jam ad exitum pervenisset, raptus de hac vita, et ad tribunal aeterni judicis adductus fuit: tamen divina providentia, tum propter illum, tum propter nos, ita jubente, ad vitam iterum revocatus est. Quid in eo judicio expertus fuerat, verbis quidem referre vel non potuit vel non voluit; sed tamen factis apertissime demonstravit. Nam primum cellae suae aditu lapidibus obstructo, ita in suo angustissimo cubiculo se conclusit, ut se commovere vix posset. Deinde pane solum et aqua usque ad vitae finem vesci voluit. Tum per duodecim annos, hoc est, toto reliquo tempore, quo hic in terris supervixit, e cubiculo numquam egressus est, nec cum aliquo est collocatus. Imo quod magis est admirandum nec oculos ab eo loco umquam removit, in quem primo conjecti fuerant; sed omnino attonitus et stupefactus, ea semper animo ac mente agitabat ac revolvebat; quae in alio saeculo vidisset, nec unquam ferventes lachrimae in ejus oculis quoad vixit defecerunt. Cum vero obitus illius iterum immineret, obsecratus a fratribus, ut eis de ratione sancte ac religiose vivendi aliquid diceret, hoc solum ait: *Nemo, qui vere mortis memoriam agnoverit, unquam peccabit.* Quae sententia incredibilis nobis videri posset, nisi etiam divinae litterae nobis praedicarent, *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Haec igitur vir sanctus scribit, et de eo scribit, quem ipsemet suis oculis vidit, et cui semel, et iterum morienti cum aliis multis astitit. Ex quo perspicuum fit, quae dicebamus, nimirum mortis memoriam pharmacum esse utilissimum, ac saluberrimum, cujus si singulis hebdomadis semel potionem unam sumeremus, vel raro vel numquam in lethalem morbum incideremus.

Sed tamen, auditores, servanda est regula medicorum, qui ajunt, post sumptam medicam potionem aliquantulum esse quiescendum, et si fieri posset etiam dormiendum. Qui concionem audit, vel per se aliquid legit, pharmacum quodammodo sumus; sed nisi postea in quiete ac somno meditationis de illis apud se in silentio cogitet, parum omnino proficit. Quocirca, ut initio dicebam, optarem, quin etiam vos oro atque obsecro, ut sumpto hoc pharmaco, quod nunc animis vestris per aures vestras infundo, sanctae meditationis somnum

aliquem capiatis. Et si adhuc magis fructuosam hanc medicinam vobis esse desideratis,non debetis mortem, tamquam rem alienam,et post centum annos futuram cogitare;sed existimet unusquisque cum ad meditationem accedit, se iam in lecto decumbere, et ad caput accensam candelam habere ad latus vero sacerdotem adesse,qui animam ipsius solitis precibus Deo commendet. Atque ita compositus cogitare incipiat corporis dolores, animi formidines,sensuum titubationes,et quomodo paulo post erunt omnia, quae diligebat, relinquenda: corpus vermium escam futurum,et animum ad severissimum Dei judicium rapiendum.

Ut igitur ad nostrae narrationis seriem revertamur, hactenus quid morienti usque ad ipsum exitum accidat explicuimus.Nunc quid post illam tristem et horrore plenam corporis ab animo separationem, cum corpore et animo fiat considerare debemus. Ac primum quidem corpus ad sepulchrum deducamus, deinde animum quoque ad Dei tribunal prosequemur.

Animo igitur e corpore, tamquam ex antiquo carcere egresso, jacet ibi non amplius corpus humanum, sed vilissimum atque abjectissimum cadaver, sine vita, sine sensu, sine viribus, et tam foedum ac horribile, ut vix ejus aspectus tolerari possit,denique tale est corpus equi aut canis,quod in campis mortuum jacet, et omnes qui transeunt, nares occludunt et gressum accelerant,ne conspectum eius ferre,et foetorem illum teterrimum haurire diutius compellantur. Tale, inquam, remanet corpus humanum, etiamsi pontificis aut imperatoris cadaver sit. Quid obsecro,apud homines pluris sit, quam principis corpus? Quid contra magis abjectum et vile esse potest, quam idem corpus jam defunctum? Ubi enim nunc est illa antiqua majestas, illa amplitudo, illa auctoritas, quam tremebant, qui intuebantur, et non nisi apertis capitibus, et genibus flexis coram illa esse permittebantur? Quo abiit omnis illa tam bene instructa pompa? Verum aliquid erat, an somnium et umbra erat? Post haec funus paratur, quod quidem est solum munus, quod ex omnibus divitiis et regnis secum homines auferre possunt et hoc ipsum adduc non auferrent, nisi viventes hac ratione suae dignitati ac existimationi consultum esse putarent. Vere enim propheta David ait; *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Hic iam fovea septem aut octo pedum excavatur, etiamsi Alexandro Magno pararetur, quem totus orbis capere non poterat, atque in eo loco aeternam domum et solium perpetuum cadaver acquirit: cui quidem advenienti vermes occurrunt et aliorum mortuorum ossa loco cedere coguntur. In hac domo perpetuae oblivionis et silentii linteo obvolutum, ac manibus et pedibus colligatis cadaver includitur,quamquam et ille supervacaneus labor est: non enim ex illo carcere effugeret,etiamsi manus et pedes solutos haberet. Ii, qui Iezabelem reginam viderant, cum pulchritudine singulari praedita esset, et amplissimi regni splendore fulgeret et post eamdem viderunt, quando Dei providentia sic violente,eam canes laceraverant, et nihil nisi capitis ossa, et extremos pedes ac summas manus reliquerant, stupefacti dicebant: *Haeccine est illa Iezabel?* Et omnes qui per ea loca transibant, iterum atque iterum repetebant: *Haeccine est illa Iezabel? haeccine est illa Iezabel?* Haeccine est illa tam excellens regina, tam potens,tam illustris,quam omnes metuebant, quae regnum universum administrabat, in cujus manus vita et mors omnium regi subjectorum posita erat? Iam vero si nos quoque saltem cogitatione descendamus ad sepulchra principum et regum eorum, quorum gloriam et majestatem vidimus,dum hic in terris nobiscum versarentur,et horribiles illas figuras,quas nunc praeseferunt intueamur, numquid non stupefacti exclamabimus: *Haeccine est illa Iezabel?* Haec est illa facies, quam ego tam vivam, tam hilarem aliquando conspexi? Hi sunt illi oculi, quorum nutus homines perterrebat? Hoc est illud corpus tam tenerum, tam elegans, tam adornatum? Et ubi est lingua, quae tam diserta, tam erudita, tam volubilis erat, et cujus praecepto regna atque imperia movebantur? Ubi sunt crines aurei? Ubi aureum diadema? Ubi sceptrum? Ubi purpura? Quonam, obsecro, ordines obsequentium famulorum, quo lautissima illa convivia, quo aucupia, venationes, symphoniae, facetiae, assentationes, aliaeque innumerabiles delitiae recesserunt? Ergone illa omnia, ut sumus, continuo evanuerunt,et nihil jam praeter cinerem, horrorem et foetorem relictum est? Intelligebat plane, intelligebat Deus, quam *grave jugum super filios Adae* imponebat; cum diceret: Memento homo, *quia pulvis es,et in pulverem reverteris.* Sed jam corpore in tumulo derelicto, quo pacto animus novum illum orbem ingrediatur consideremus.

Continuo igitur animus carne solutus incognitam regionem peragrare aggreditur,ubi est coelum novum et terra nova, novum genus incolarum, nova jura, novi mores, novae consuetudines et nova forma judiciorum et nova omnino ratio vivendi. Quid igitur tunc miser peregrinus faciet, cum in tam insolita regione, horrore et umbra mortis plena se solum videbit? Quo pacto se a ferocissimis illis latronibus et horribilibus monstris defendet, qui in illis vastissimis solitudinibus viatores aggrediuntur,nisi dum viveret angelorum praesidia promeruerit? Formidabile profecto est hoc iter,sed tamen longe formidabilius est judicium, quod in eo loco exercetur. Quis, obsecro, explicare queat, quam aequus judex,quam severum judicium,quam diligens inquisitio, quam multi et quam solliciti accusatores? Iudex quidem aequissimus erit, et nihil plane sine praemio aut poena dimittet. Et apud eum tunc nec lachrimae valebunt, nec preces audientur, nec promissiones admittentur, nec poenitentia fructuosa erit, opes autem et illustres tituli et generis nobilitas et doctoratus, et pontificatus et sceptra ac diademata multo minus proderunt, imo *durissimum judicium his, qui praesunt fiet et potentes potenter tormenta patientur.* Judicium vero secundum eam legem fiet, quae ait: *Oculum pro oculo, dentem pro dente,manum pro manu,*

pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. Porro inquisitio tam exacta, tam diligens, tam accurata erit ut nec unum otiosum verbum, nec una levis cogitatio praetereunda sit. Non enim joco, sed serio Veritas ait: *Omne verbum otiosum, quod loculi fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Et si otiosa verba tam severe judicabuntur quid de adulteriis, furtis, rapinis, fornicationibus, ambitionibus, comessationibus, ebrietatibus et blasphemiis fiet? *et si* tunc *justus vix salvabitur*, ut Petrus ait apostolus, *impius et peccator ubi parebunt?* Quid, obsecro, respondebimus, cum de vita, de fortunis, de honoribus, de ingenio, de eruditione, de inspirationibus, de occasionibus bene vivendi et de ipso tempore a nobis ratio postulabitur? O quam multi, qui nunc cum tanta facilitate peccant, quasi Deum ligneum et lapideum haberemus, qui nihil videret et nihil posset, tunc attoniti et infinita confusione ac rubore perfusi illic obmutescent. Iam vero quid de accusatoribus nostris dicemus, quando solus eorum conspectus nos perterrebit? Procedent ergo daemones, et ante tribunal judicis constituti dicere incipient. Non potes o rectissime atque aequissime judex, non istos reos condemnare, siquidem ipsi nostri hactenus semper fuerunt. Tui erant, quia ad imaginem tuam eos creasti; sed nostri facti sunt, quia tuam imaginem spreverunt, et nostram dilexerunt. Iugum tuum abjecerunt, et nostrum libenter susceperunt. Legem tuam, praecepta tua, consilia tua, admonitiones tuas contempserunt, et nostris libentissime paruerunt. Spiritum nostrum et non tuum, mores nostros et non tuos; vestigia nostra et non tua sequi voluerunt. Denique vide quam omnino semper nostri fuerunt. Tu naturam illis dedisti, gloriam promisisti, pro illis in cruce pependisti; nos contra nihil illis dedimus, nihil promisimus, nihil pro illis passi sumus, et tamen obedientiam denegaverunt tibi, praestiterunt nobis. Tu si quid jubebas, si jejunare, si orare, si pecunias pauperibus elargiri, si injurias inimicis condonare, si sobrios esse si ebrietatem eos fugere volebas, vel non faciebant vel inviti et cum lachrimis faciebant; at nos commessationes et ebrietates, et alia vitia non tam imperabamus, quam suadebamus, et continuo obtemperabant et adhuc amplius quam praecipiebamus faciebant. Hortabamur, ut jurarent, et ipsi peierabant: ut injurias suas ulciscerentur, et ipsi pro quadam falsi honoris umbra vitam ponebant: ut paulo amplius biberent, quam par sit, et ipsi quotidie ebrii usque ad vomitum efficiebantur. Numquid ergo nostri non fuerunt? Quare si verum est quod aliquando dixisti: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari et quae sunt Dei, Deo*; non potes nunc istos nobis non reddere qui nostri sunt, et nobis debentur. Quid si tunc his auditis sententia judicis erit, ut sempiternis incendiis addicaris, quales angustiae animum tuum apprehendent? quid loqueris? quem appellabis? ad quem confugies? O qualis laetitia? O quam grandis exultatio, tunc propter te in taburnaculis hostium tuorum erit. Exultabunt enim tamquam victores capta praeda. Tunc implebitur quod Jeremias ait: *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt et fremuerunt dentibus, et dixerunt, devorabimus: En ista est dies, quam expectabamus: Invenimus vidimus.* Tunc cithara tua vertetur in luctum et cantus tuus in vocem flentium. Tunc dies laetitiae tuae finietur, et sempiternis tenebris involveris. Tunc aeternitatis clave porta voluptatibus omnibus claudetur, et doloribus, ac suspiriis aperietur.

Quae cum ita sint auditores, rebus nostris sapienter prospiciamus, consiliumque capiamus ab eo, qui ante advocatus, quam judex esse voluit. Nemo est enim, qui ita noverit, quid nobis ad illum diem necessarium sit, ut is, qui causam nostram judicare debet. Is igitur clamat: *Attendite vobis ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis hujus vitae, et superveniat in vos repentina dies illa.* O Lovanium, O Brabantia: O Belgium, vide ne crapula, vide ne ebrietas, quae tibi tam familiaris esse solet, vide ne curae et judicii oblivisci faciant. Non possum tibi non vehementer timere, cum illud ipsum vitium tibi familiarissimum esse cognoscam, quod maxime omnium fugiendum esse, tam sollicite Dominus admonere voluit. Vigilemus, fratres, sobrii simus, orationi vacemus, caute ambulemus, mortem frequenter cogitemus, ut nobis non ad gehennam janua, sed aditus ad vitam et gloriam per Christum sit, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO II.

DE EXTREMO JUDICIO

SYNOPSIS

Utilitas timoris judiciorum Dei contra Lutheranos variis Sacrae Scripturae et Patrum testimoniis asseritur. Hac quasi via strata oratio de Judicio extremo habenda promittitur, quae in duo capita dividitur; unum de magnitudine illius et signis formidabilibus praecedentibus aget; alterum de mortuorum resurrectione, et Judicis adventu tractabit. Diem judicii fore horrendam vel ex eo ostenditur, quod ea dies Domini in sacris litteris revocetur; et in ea generalis erit conflictus, cujus magnitudo Sacrae Scripturae auctoritate probatur. Signa praevia describuntur, et rerum tremenda facies graphice ob oculos ponitur: quam in immensum metus futurorum ex praesentibus conceptus augebit. Quomodo haec eadem bonis gaudio, malis terrori sint futura diserte explicatur.

Pars posterior exorditur ab utilitate et opportunitate sermonis de extremo judicio habendi. Deinde ad alterum orationis caput descenditur, ad resurrectionem scilicet mortuorum. Ac in primis de disparitate corporum resurrecturorum agitur. Beatorum corporum cum anima lacta et festiva conjunctio; et impiorum e contrario querelae, suis coloribus depinguntur. Repraesentatur deinde judicis adventus, damnatorum ploratus ejusque variae causae adducuntur. Operum tam bonorum, quam malorum, imo et cogitationum libros aperiendos esse declaratur. Bonos judicium futurum magis hic timere quam malos, exemplo Davidis, Pauli et Job: ostenditur. Affertur exemplum ex Ioanne Climaco de Stephano monacho quodam in dubio salutis aut perditionis mortuo. Paedicta terribilia omnia longe superabit, tremendi judicis damnatos in abyssum ablegantis sententiae promulgatio. Epilogus denique nobis seriam et severam ad Judicium extremum praeparationem per similitudinem laurea doctorali insigniendorum inculcat.

Cum omnes Lutheranorum errores mihi et absurdi et perniciosi videantur, auditores optimi, tum illum absurdissimum et perniciosissimum semper judicavi, quem in hominum pectoribus inserere conantur, cum ajunt; Timorem illum, qui ex cogitatione judiciorum Dei et cruciatuum gehennae oriri solet, hominem hypocritam et magis reum efficere. Primum enim haec sententia authoribus suis viam ad salutem praecludit: Nam cum *timor Domini initium sapientiae* sit, et plerique omnes metu poenarum et suppliciorum a flagitiis et sceleribus abstrahantur, et ad bonam ac sanam mentem revocentur, qui timorem istum a pectoribus suis excludunt, ipsi sibi januam poenitentiae salutaris occludunt. Ut enim scriptura divina testatur: *Timor Domini expellit peccatum* et, *qui sine timore est, non poterit justificari.* Quod eleganti similitudine b. Augustinus ostendit: *Si nullus*, inquit, *est timor, non est qua intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum. quando aliquid suitur! Seta prius intrat, sed nisi seta exeat, non succedit linum. Sic timor occupat mentem: non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introducere et charitatem.* Deinde blasphemam in Deum et contumeliosam esse illam vocem Lutheri quis non videt? Nec enim Deus hypocritas homines et peccatores facere potest, et tamen ipse est, qui saepe nos in peccatis dormientes excitat, et timorem illum salutarem in animis nostris ingenerat. Quorsum enim Dominus tam frequenter tenebras exteriores, dentium cruciatum, incendia sempiterna et alia gehennae supplicia in evangelio comminatur, nisi ut metu saltem poenarum a flagitiis et facinoribus mentem, oculos manus abstineamus? In quem, obsecro, sensum Lutherani verba illa torquebunt? *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, post haec autem non habent amplius quid faciant. Ostendam vobis, quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit corpus potestatem habet corpus et animam perdendi in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Et mater nostra ecclesia catholica, num hypocritas filios suos efficere contendit? Et tamen ut ad natalem Domini celebrandum nos praepareret, judicium horroris et formidinis plenum hodierna die nobis proponit. Neque magnus Basilius hypocritas homines facere nititur, cum dicit: *Timor salutaris, qui ad sanctitatem deducit, et animae divinitus insitus est, qualis existat, si cupis audire, attende. Quando forte ad aliquod peccatum te videris paratum, illud horribile mandatum et Christi judicium cogita, in quo judex in alto sedens tribunali, circumfusos undique populos coram habebit, astabitque omnis creatura, ejus adventum gloriosum exhorrens, rationem gestorum redditura. Haec tu timebis. Hoc demum timore institutus quodam*

quasi freno a pravis concupiscentiis animam tuam cohibebis. Neque d. Ambrosius virginem illam corruptam hypocritam studebat efficere, cum et persuaderet, et sibi gehennae incendia et tenebras exteriores ante oculos poneret. Sanctus quoque Hieronymus hypocrita non erat, cum de seipso confiteretur, et ad Eustochium scribens diceret; *Ille ego sum, qui ob gehennae metum tali me carcere ipse damnaveram.* Quid Augustinus? Nonne initium conversionis suae attribuit timori, quem de futuro judicio semel conceptum, et in medio aestu libidinum semper retinuit? Denique tantum abest ut metus iste malus aut periculosus sit, ut non modo utilis, sed plane necessarius censeri debeat. Nam, ut sapienter Tertullianus ratiocinatur, cum via, quae ducit ad inferos, latissima et facillima sit, nonne omnes per eam incederent, si nihil in ea timeretur? Horremus nunc terribiles minas creatoris, et vix ab ea via declinamus: quid fieret, si nihil Deus comminaretur, et omnibus impune in coeno vitiorum sese volutare liceret? Hoc igitur firmum sit et ratum, auditores quasi parentem et custodem justitiae, temperantiae, charitatis et omnium virtutum esse Domini timorem. Quem quidem in nobis cum alia multa gignere potissimum recordatio magnae illius diei, in qua omnes omnium hominum causae judicandae, et omnia negotia finienda sunt. Quodcirca rem vobis non ingratam me facturum esse censui, si de futuro judicio quod ecclesia in hodierno evangelio nobis proponit, hodie verba facerem.

Ac ut dispositionem nostrae orationis intelligatis, ea, quae de divino judicio dicturi sumus, ad duo capita revocabimus. Primum enim de magnitudine ac horrore illius diei, et signis formidabilibus, quae illam praecedent, deinde de mortuorum excitatione et judicis adventu, breviter et perspicue, quantum in nobis erit, disseremus.

Etenim usque adeo formidabilia et horrore plena sunt, quae de illa die nobis sacrae litterae praedicant, ut nisi eorum auctor esset Deus, omnino incredibilia videri possent. Quocirca liberator et assertor noster Christus, cum aliquando de hac die coram discipulis suis disseruisset, intelligeretque ea, quae dixerat, pene vincere hominum fidem, quasi jusjurandum interponens ait: *Amen dico vobis, quia non praeterebit generatio haec, donec omnia haec fiant. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Cum aliquando divinus apostolus (ut in Actis Lucas evangelista scriptum reliquit) de judicio extremo coram praefecto palaestinae verba faceret, ita vehementer homo romanus et idolorum cultor perterritus est, ut pavere ac trepidare inciperet. Ex quo perspicuum sit, magna omnino et horribilia fuisse, quae de futuro judicio apostolus disserebat, quando solos eorum sonitus satis fuit ad hominem ethnicum, et qui ea fortasse non credebat, perterrendum. Quod si haec futuri judiciis commemoratio tantum valuit apud Ethnicum, quantum apud nos valere deberet, qui usque adeo, quae de hoc judicio in sacris litteris continentur, vera esse credimus, ut ad ea confirmanda et defendenda mortem etiam oppetere parati simus?

Ac magnitudo quidem et horror illius ultimae diei, vel ex eo cognosci potest, quod *dies magna* et *dies Domini* in sacris litteris appellatur. An non vere magna erit dies, quae omnes omnium saeculorum tam praeteritas, quam futuras dies comprehendet? in illa enim die omnium praeteritarum dierum rationem homines reddent: in illa die thesaurum illum infinitum irae atque indignationis suae Deus effundet, quem omnium praeteritorum saeculorum spatio congregavit: in illa die cessabunt motus coelorum, siderum conversiones ortus atque obitus rerum mortalium, dierum ac mensium vicissitudines, et omnes hominum cogitationes, omnia studia, omnes artes disciplinae, omnia negotia et omnia consilia aeterno silentio conquiescent. Denique in illa die irrevocabili summi atque aeterni judicis sententia ac definitione constituetur, quem statum unusquisque nostrum sortiri, et in omni saeculorum aeternitatem retinere debeat. Tunc enim *ubicumque ceciderit lignum, sive ad aquilonem, ibi erit* in aeternum. Itaque non sine causa dies magna appellatur, quae omnium dierum magnitudinem in se complectitur.

Neque vero immerito etiam diem Domini sacrae litterae vocaverunt: ut enim omnes praecedentes dies, omnium dies appellantur, quod in illis vigilent homines, ut efficiant, quicquid velint, et Deus ferat, patiatur, toleret, expectet, dormiat quodammodo, et quiescat: sic tunc dies Domini illucescet, in qua vigilabit ipse, et efficiet quicquid volet, et nostrum erit, velimus nolimus, pati ac tolerare. Tu nunc blaspemas, pejeras, ebrietati studes, tuas libidines exples, et Deus ad omnia tacet. Cur ita? Quia dies iste, dies tuus est. Sed veniet, mihi crede, veniet dies Domini, qui eam diuturno silentio finem imponet, ut omnes suas injurias ulciscetur. Itaque dies duas dumtaxat omnis aeternitas comprehendit, unum hominis, alterum Dei. In illo vigilant homines et Deus dormit, in isto dormient homines et vigilabit Deus.

Porro hujus rei figura illustrissima praecessisse mihi videtur in eversione Jerusalem. Aliquando enim populus Judaeorum prophetas interficiebat, sacerdotia vendebat, avaritiae, studebat, denique Deum ipsum hominem factum in crucem agebat: et ad haec omnia Deus dormiebat. Quamobrem, auditores? Nempe quia dies illorum nondum tota praeterierat. Quod apertissime Domini illis verbis significavit? *O si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi*, et quae sequuntur. Illuxit autem post paululum dies Domini et ecce evertitur Jerusalem, et omnis populus partim servituti miserrimae mancipatur, partim gladio partim fame extinguitur, incendio concremator. Sic igitur nunc nostra dies agitur, confestim autem Dominii dies consequetur, quam horribilis futura sit, non quidem plane intelligere, sed tamen quasi subolfacere ex praesentibus calamitatibus possumus. Nam ut b. Clemens in recognitionibus se a b. Petro didicisse commemorat, diem quamdam Deus jam ab aeternitate designavit, in qua exercitus omnium poenarum, cum exercitu omnium culparum toto impetu confligat, et eam diem, diem Domini scripturae nominare

solent. Verum quemadmodum in praeliis hominum ante ultimum et generalem conflictum, multae excursiones et brevia certamina fieri solent: sic ante magnum et maxime formidabile illud certamen, quod in die Domini futurum est, consuevit Deus cum agminibus suis excursiones quaedam facere et nunc famem, nunc pestem, nunc bellum, nunc motus terrarum, nunc aquarum illuviones, nunc terrae siccitatem, quasi equites armatos ad nos mittit: qui cum aliquo damno nos affecerint, retrocedant, et in sua castra se recipiant. Si igitur pestem, et bellum, et famem, et terrae motus et alia id genus tantopere formidamus, cum initia dolorum et breves excursiones sint, quid obsecro fiet, cum ultimus ac generalis conflictus agetur? Audite enim quibus verbis conflictum istum sapientia nobis describit. *Accipiet*, inquit, *armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum. Sumet scutum inexpugnabile aequitatem, acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient, et a petrosa ira plena mittentur grandines. Excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tamquam turbo venti dividet illos.* Propheta autem Sophonias verbis adhuc magis formidabilibus rem eamdem nobis proponit: *Juxta est*, inquit, *dies Domini magnus, juxta est et velox nimis. Vox diei Domini, amara. Tribulabitur ibi fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubae et clangoris super civitates munitas et super angulos excelsos. Et tribulabo homines, et ambulabunt, ut caeci: quia Domino peccaverunt. Et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora. Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die irae Domini. In igno zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.*

Quod si adhuc planius cognoscere cupimus magnitudinem, horroremque illius ultimae diei, ad ea signa, quae diem illum praecedent, paulisper animum convertamus, et in memoriam revocemus. Ante igitur quam magna illa dies illucescat, coeli et terra et omnia elementa signa dabunt: *Erunt* enim *signa in Sole et Luna et stellis: et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi.* Ut enim cum homo, qui parvus mundus, ad exitum appropinquat, humores in eo velut elementa quadam conturbantur, et coeli qui instar Solis et Lunae sunt, obscurantur, et reliqui sensus quasi stellae minores paulatim decidunt ac deficiunt, et mens ac ratio velut virtus coeli a sua sede movetur, vagatur et errat: sic in obitu atque occasu totius hujus machinae, quae magnus mundus appellatur, Sol vertetur in tenebras, et Luna in sanguinem, et stellae cadent de coelo, ac demum orbis totus finem suum adesse praesentiet, et prius horrendo sonitu contremiscet, ac mutabitur, quam penitus ruat et collabatur. Verum, auditores, si coelum et Sol deficiet, et sidera corruent, quid quaeso in terra et mari et aere fiet? Si mundus hic inferior (quod etiam ethnici Philosophi cognoverunt) a coelestibus globis regitur, et gubernatur, in quo statu elementa erunt, cum virtutes coelorum movebuntur, et motus extraordinarios sidera peragent, et ad naturalem ordinem sese revocare noti poterunt? Qualis aer tunc erit? Nonne turbinibus nimbis, coruscationibus, tonitruis et crinitis sideribus plenus? Qualis terra? Nonne horrendis tremoribus et vastis hiatibus plena erit? Tales tunc terrae motus futuri perhibentur, ut non modo turres et aedificia privata prosternant; sed integras ac totas urbes evertant et hiatus ejusmodi, ut maximos montes et totas civitates absorbeant. Sed mare prae caeteris elementis, nunc ferox et saevium existet, et usque adeo fluctus ejus intumescent, ut omnem orbem terrarum obruere velle videatur. Mugitus autem et fremitus ferocium undarum, et resonantium fluctuum, etiam procul positos perterrebunt vehementissime. Quid, obsecro, tunc homines facient? quid loquentur? quam pavidi, quam attoniti, et quam inopes virium et consilii erunt? Quod ipsa Veritas de hominibus in illo statu positis loquitur ejusmodi est, ut amplificationibus nostris locum nullum reliquerit: Ait enim, *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi.* Quantam, quantam emphasim habent haec verba? Arescent igitur prae timore, et pallescent, et dicent, Quid sibi haec prodigia volunt? Quid putas haec monstra tam insueta portendunt? Quid mundus ita parturiens comminatur? Quem finem haec tam novae, et tam insolitae rerum omnium conversiones habebunt? Cum autem se mutuo homines intuebuntur, et facies illas pallentes et mortis figuram prae se ferentes videbunt, dici non potest, quantum in eis metus et horror augebuntur. Itaque tunc munera omnia pubblica, et etiam privata cessabunt. Nemo forum, nemo gymnasium, nemo curiam frequentabit. Nemo tunc honorum ambitiosus, nemo pecuniarum cupidus, nemo voluptatum insectator invenietur. Nam usque adeo pavor et trepidatio corda humana replebit, ut nec parentum, nec amicorum, nec magistratuum, nec principum, imo nec cibi, nec potus homines recordentur, sed in id solum omnes incumbent, ut loca tuta ab aquarum illuvionibus et terrae hiatibus et tremoribus nanciscantur.

Et praesentia quidem mala gravia ac molesta erunt, sed sine comparatione graviora et molestiora, quae timebuntur futura. Nam cum ingenti pavore ac trepidatione expectabunt, quid tandem pariant monstra tam nova, et quem exitum habebunt, tam horrenda principia: et interim mala futura praesenti sua formidine metientur. Hic verba desunt, auditores, nec inveniri oratio potest,

qua res tanta ita ut est, et pro dignitate declaretur. Qui per mare aliquando iter fecerunt, et vim nimborum, ac procellae experti sunt, intelligent ac probabunt profecto quae dicam. Cum in mari aliqua tempestas exoritur, et navem insani fluctus iactare incipiunt, simulatque homines, qui in ea sunt, caput attollunt, et coelum crebris ignibus micare, et horrendis fragoribus concuti, nec non ventorum furentium impetu mare totum a suis sedibus commoveri, et se nunc in summis et in fluctibus pendere, nunc ad abyssum descendere animadvertunt, confestim plorare, pavere, trepidare, misericordiam implorare, vota multiplicare, tempus poenitentiae postulare, omnibus sanctis salutem suam commendare, denique de morum correctione cogitare ac proponere meliora incipiunt. Cogita igitur, quo animo tunc homines erunt, cum et coelum, et terra et omnia elementa suam ac propriam tempestatem excitabunt: cum Sol horrendis tenebris horrorem incutiet, et Luna in sanguinem conversa, juxta prophetae vaticinium, intuentes perterrebit: et stellae suis casibus minabuntur, cadent enim creberrimae, ut coelum omne caecum sine ullis hominibus appareat, et aer assiduis coruscationibus micabit, et frequentibus fragoribus immugiet, et mare ferociens, atque insaniens in immensum excrescet, et montes alissimi, terrae montibus concussi cum ingenti sonitu concidant. Quis tunc edere, quis bibere, quis dormire, quis vel minimam quietem capere inter tot procellas et tempestates, audebit? O miseros atque infortunatos homines peccatores, quorum capitibus haec omnia signa mortem et extremam calamitatem portendunt! O illos felices, et ter et quater et decies ac millies beatos, quos conscientia recte sanctorum laetos ac securos efficiet? Eadem enim prodigia, et malis hiemem ac procellas, et bonis aestatem adesse significabunt. Illis initia dolorum; istis principia gaudiorum erunt. O quam laetis vocibus cum propheta cantabunt; *Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris!* Hos enim dulcissimis illis verbis Dominus consolabitur: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra.* O qualem voluptatem percipient ex omnibus operibus bonis, quorum sibi conscii erunt! O quam jucunde jejunia, eleemosynae, orationes et alia in genus opera, ad mentem venient! et fructus poenitentiae, qui nunc tam amari videntur, o quam suaves tunc et amoeni videbuntur! Contra vero, iniquos et sceleratos homines omnium operum suorum poenitebit, et gaudium eorum in luctum, et risus in fletum, et mellis dulcedo in fellis amaritudinem, et omnis voluptas praeterita in dolorem ac tristitiam convertetur.

PARS SECUNDA

Nonnulli quibus ea oratio, quam de morte habuimus, aliquid emolumenti attulisse visa est, mihi significarunt, rem me cum Deo gratam, tunc auditoribus utilem facturum, si de aliis quoque novissimis verba facerem. Quatuor ea sunt, ut nostis, mors, judicium, cruciatus gehennae et gloria beatorum. Ego vero horum consilio libentissime acquievi, quod viderem non solum utile, sed etiam tempori accommodatum esse de novissimis disputare. Est enim hoc tempus parasceve ad natalem Domini celebrandum; qua re autem melius praeparari poterimus, quam memoria et cogitatione novissimorum? Novissima enim attente et diligenter cogitata timorem sanctum in animis inferunt, a peccatis avocant, in officio continent, corpore expellunt, diligentiam excitant, vigilantem denique et solertem suum contemplatorem efficiunt. Utilitas vero, quae ex cogitatione ac memoria extremi judicii capi potest, tanta est, auditores, ut non alia de causa Ecclesia mater nostra Evangelium, in quo de judicio disputatur, non semel aut bis sicut caeteras historias evangelicas, sed saepius nobis proponat. Nam et hac die dominica et praecedente et feria secunda post primam dominicam quadragesimae, et rursum cum parabolam zizaniorum vel sagenae missae in mare, vel alias nonnullas in sacris missarum solemniis legendas assumit, semper nobis judicii diem in memoriam revocat. Vere enim b. Ambrosius ad virginem lapsam scribens ait, si mente cernerent homines peccatores, quale judicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate saeculari, si non infidelitate gravaretur. Et b. Augustinus affirmat, si nullum aliud Evangelium Christiani homines audirent, quam illud, in quo judicii praedicatio continetur, illud unum satis posse, et perversos a sceleribus abstrahere et abstractos in officio continere. Sed tamen, sicut cum de morte agerem, admonuisse me memini, in audiendo parum, in meditando multum fructus atque emolumenti positum est. Ut igitur nostrae narrationis seriem prosequamur, hactenus et magnitudinem ultimae illius diei, et signa praecedentia explicuimus, nunc de mortuorum resurrectione et judicis adventu, quod unum superest, breviter dicamus.

Post illa igitur signa et prodigia, quae diem Domini praecedent, archangelus de coelo descendet, ut apostolus Paulus ad Thessalonicenses scribens testatur, et horrendo sonitu tubae signum dabit mortuis omnibus, ut resurgant, et ad judicium Dei conveniant. Haec est illa tuba, quam beatus pater Hieronymus sive comederet, sive biberet, semper se audire putabat. Et merito; quis enim ab hac citatione appellare, quis hoc judicium recusare, quis morbum aut negotium aut aliam causam praetexere poterit? Tunc igitur mors omnia spolia, quae mundo abstulerat, in momento reddere compellet-tur, et ipsa ultra omnes terras, et omnia maria, ultra mundum et fines omnium viventium in aeternum exilium relegabitur. Nam, ut beatus Joannes in Apocalypsi refert, tunc mare mortuos, quos absorbuerat reddet, et mors atque infernus similiter facient. Quale igitur spectaculum erit, cum terra, et mare tot corpora, tam dissimilia, tam differentia, tam disparia ubique parturietur et cum ad unum atque eumdem locum tot exercitus ex omni orbe terrarum concurrent? Siquidem in eo loco parens

omnium gentium Adam omnem suam posteritatem in unum convenisse mirabitur. Ibi Xerxes, Darios Alexandros, Caesares et alios orbis monarchas intuebimur; sed tamen alium habitum, alios mores et aliam omnino mentem, quam cum hic viverent, praeseferentes. Ut enim beatus Hieronymus ait; *Tunc ad vocem tubae pavebit terrae, cum populis lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur cum prole sua Venus: Tunc ignitus Iupiter adducetur; et cum suis stultus Plato discipulis, Aristoteli argumenta non proderunt.*

Caeterum quamquam omnes homines ad vitam revocabuntur, multum tamen intererit inter corpora, quae sanctis hominibus restituentur, et quae improbi ac probi ac scelerati recipient. Illa enim sole clariora et pulchriora incredibili luce fulgebunt; ista autem foedissima, teterrima, et ipsa morte horribiliora erunt. Qua, quaeso, voluptate beatae mentes afficientur, cum suis corporibus, quasi dulcissimis fratribus, post exilium tam longum iterum conjungentur, separationis metum nullum amplius in omnem aeternitatem habiturae. Quid, obsecro, sentiet caro, cum ex pulvere excitabitur, et insolitam lucem accipiet? Et animus occurret ac dicet, Soror et sponsa jucundissima salve: *Iam hiems transiit, imber abiit et recessit; surge amica mea et veni*, implevit Deus desiderium nostrum. Tu comes itinerum et laborum meorum fuisti: tu mecum persecutiones et injurias propter Deum pertulisti: tu jejuniorum et vigiliarum laborem, tu crucem poenitentiae, tu victus difficultatem, tu rerum omnium inopiam mecum superasti. Quam saepe tibi cibum ac potum ut Dominum in pauperibus aleres, eripuisti? Quam saepe vestes, ut nudum Dominum vestires, tibi ipsi detraxisti? Aequitas igitur ac ratio postulat, ut quae mecum in lachrymis seminasti, mecum etiam in exultatione metas. Et quae in laboribus comes fuisti, in voluptatibus etiam comes efficiaris, et partem harum divitiarum, et gloriae modo recipias, quae mihi, ut eas lucraret, adjumento fuisti. Tunc igitur animus carnem, et caro animum dulciter complectetur, et felicissimis atque indissolubilibus nexibus simul colligabuntur. Et o quam laetis vocibus cantabunt: *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum?* Et vere in unum: Nec enim deinceps appetitio cum voluntate, nec sensus cum ratione pugnabit; sed pacis ac consensionis perpetuae foedere copulati coelestibus delitiis et gaudiis aeternis perfruentur. At contra qua cruce torquebitur animus peccatoris, cum ei corpus illud obscurum, grave deforme, squalidum atque horridum offeretur? Quibus verbis existimatis se muluo salutabunt? O corpus infelix, animus dicet, tu initium ac finis calamitatis meae: tu me ad haec supplicia tuis lenociniis pertraxisti et modo non quasi in domum, in qua quiescam, sed velut in carcerem, in quo torquear, in te iterum vel invitus ingredi cogor. Haeccine est illa caro, propter quam tam saepe comessationibus et ebrietatibus operam dedi? Propter quam tot fornicationes, tot sacrilegia, tot adulteria perpetravi? Haeccine est illa facies, quam tanto studio a Sole ne nigresceret defendebam? O palatum infelicissimum, propter te ego terras ac maria fatigabam. O venter infortunate, et quomodo tam stultus fui, ut te pro Deo venerarer, et colerem. Ergone propter istum abjectissimum truncum, propter hanc omnium sordium et immunditiarum foedissimam sentinam, regnum coelorum amisi et supplicia sempiterna mihi ipsi comparavi? O furiae, O spiritus Tartarei, quid moramini? cur me non discerpitis? cur ad nihilum me non redigitis? Haec igitur atque alia generis ejusdem, tunc animus in carnem suam cum ingenti rabie atque odio dicturus est: quam tamen dum hic in terris in illa moraretur, usque adeo diligebat, ut illam tamquam Deam ac dominam suam coleret, atque ut ejus libidinibus satisfaceret, Dei legem ac praecepta frangere et violare non vereretur.

Postea vero quam omnes resurrexerint, et in loco, quem Dominus ad hanc judicii celebritatem designaverit, congregati fuerint, tunc apparebit in nubibus coeli cum potestate magna et majestate is quem Deus judicem vivorum ac mortuorum constituit. Neque solus veniet, sed innumerabili multitudine coelestium principum undique stipatus. Metus vero, qui ab ea majestate proficiscetur, tantus erit, ut Isaias Propheta dicat: *Ingredientur scissuras petrarum et in cavernas saxorum*, et in voragines terrae *a facie formidinis Domini et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.* Apostolus autem Joannes addit et dicit: *Vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit coelum et terra, et locus non est inventus eis.* Quamobrem, obsecro, fugitis, o coelum et terra? cur abscondimini? cur formidatis? Quid in Deum atque effectorem vestrum peccastis? Tu terra, nonne semper herbas virentes ut tibi fuerat imperatum protulisti? Et tu coelum, nonne in orbem agi jussum, nec ad momentum umquam quievisti? Sed forta se nomine coeli ac terrae angelos atque homines sanctos divinae literae intelligi voluerunt. Quid igitur vos, o divini spiritus, et mentes beatissimae trepidatis? quid egistis? quid peccastis? cur fugitis? cur timeris? Nimirum, auditores, non ideo formidabunt, quod sibi ab aliqua poena aut supplicio pertimescant; sed quemadmodum, cum Oceani fluctus intumescunt atque insaniunt, etiam ii trepidare solent, qui in littore constituti nihil detrimenti pati possunt, sic cum Deus iram atque indignationem suam in homines impios effundere coeperit, sancti quoque, quibus nihil periculi imminebit, quodammodo trepidabunt. Sed si sancti pavebunt, quomodo impii non pavebunt? *Si coeli columnae* contremiscent, quid ligna putrefacta atque arida factura sunt?

Equidem, auditores, simulatque Deus apparuerit, et fronte, oculis, superciliis, vultu denique toto iram atque indignationem suam ostenderit, continuo fragor et ululatus magnus in populis excitabitur. Tunc enim, ut ipse Dominus ait, *plangent omnes tribus terrae. Aspicient* enim in eum *quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum sicut doleri solet in morte primogeniti.* Et o quam mul-

tas causas plorandi, et ejulandi miseri atque infelices habebunt. Plorabunt, quia remedium nullum suis malis inveniri posse videbunt. Plorabunt, quia poenitentiam jam nimis seram, et infructuosam esse cognoscent. Plorabunt, quia nec a sententia Dei appellare, nec judicium imminens fugere poterunt. Et tamen judicio interesse, et sententiam aeternae damnationis audire, intolerabile illis videbitur. Plorabunt, quia dum hic in terris viverent, bene monentes contempserunt. Plorabunt, quia voluptates, quae velut umbra transierunt, immortales dolores, et numquam finiendos cruciatus illis peperunt. Denique ut ab omnibus partibus obsessi, et in angustias inexplicabiles redacti, omnis consilii et auxilii inopes plorabunt, quia nec plorando et pectus ac faciem lacerando se quicquam proficere animadvertent. Nec tamen his gemitibus et clamoribus judex ullo modo commovebitur; sed potius plorantes a gaudentibus, hoc est, impios a piis *separabit, sicut pastor segregat oves ab hoedis; et statuet* pios *quidem a dextris suis*, impios *autem a sinistris*.

Continuo autem singulorum causae discuti incipient, neque periculum erit, ne alicujus delicti Deus non recordetur. Si quidem omnia in libros relata videbimus, et ex libris illis omnes homines judicabuntur. *Et vidi* (inquit evangelista Joannes) *mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitae, et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Itaque auditores, omnia opera nostra in libros referuntur. Vixdum fornicationem animo perpetrasti, cum in libro Dei scriptum id flagitium invenitur. Et quidnam, obsecro, in libris istis scribi existimatis? Numquid sola sacrilegia et parricidia et perjuria et caetera crimina ejusdem generis? Decipitur, qui sibi hoc persuadet. Nam et cogitationes impurae et verba otiosa et risus immoderatus: nec ista solum, sed etiam opera bona omissa, vel non ad finem bonum relata, in judicium adducentur. Tu fortasse dicturus es, non pejeravi, neque ebrius fui. Respondebit vero judex, ac dicet, At filius tuus pejeravit, famulus tuus ebrius fuit, cur id fieri non prohibuisti? Cur remedium nullum adhibuisti? Atque idem de caeteris vitiis intelligi volo. Tanta est enim sublimitas Christianae integritatis ac puritatis, ut nullum nec minimum vitium Christianis hominibus permittatur.

Sed si haec ita se habent, undenam, obsecro, in nobis, qui ista verissima et certissima esse non dubitamus, tanta dissolutio, tanta incuria, tantus torpor existit? Unde securitatem concipimus? Unde nobis blandimur, tam severo judicio nostris capitibus imminente? Quid, quaeso, in causa est, ut quibus timendum est, non timeant, et qui vix rationem ullam timendi habent, ii maxime timent? Sanctus erat propheta David, et tamen ita hoc judicium formidabat, ut diceret: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Sanctus erat apostolus Paulus, et tamen ait: *Nihil mihi conscius sum sed non in hoc justificatus sum qui autem judicat me, Dominus est.* Idem enim est, ac si apertius dixisset: Ideo me justum pronunciare non audeo, quia qui judicat me Dominus est. Siquidem oculi Domini ejusmodi sunt, ut stellae non sint mundae coram eis: Et ibi saepe reperiant pravitatem ubi nos nihil nisi sanctitatem videbamus. Denique sanctus erat, ut caeteros omittamus et Dei amicus Job, et tamen dicebat: *Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quaesierit quid respondebo illi?* Quae verba, auditores, quam pavidum cor, et metu plenum nobis demonstrant? *quid*, inquit, *faciam cum surrexerit ad judicandum Deus?* Una me cogitatio affligit, clavus unus infixus inhaeret cordi meo, qui mihi minimam quietem capere non permittit. Quid agam? quid loquar? Quo ibo? Quid consilii capiam, cum mecum in judicio Deus contendere voluerit? Cur, quaeso, vir iste Dei ore laudatus, et tam justus ac simplex, ut dicere sine mendacio posset: *Oculus fui caeco et pes claudo*, et item: *non me reprehendit cor meum in omni vita mea*: cur, inquam, tam singularis innocentiae vir, ita Dei judicium reformidat? Nempe, quia novit Deum non oculos carneos habere, et longe aliter judicare, quam homines judicant. Quod ut adhuc planius fiat, historiam non minus veram, quam formidabilem narrabo.

Beatus pater Ioannes Climacus monachum quemdam nomine Stephanum virum fuisse refert tantae sanctitatis atque innocentiae, ut leopardum, ferocem alioqui et immitem feram, quasi catellum mitissimum aleret. Is igitur cum annos circiter quadraginta in eremo vixisset, jejuniis, lachrimis, orationibus aliisque virtutum operibus ornatus, cordis puritati assidue studuisset, ad exitum pervenit. Cum autem in extremo illo agone constitutus a daemonibus multorum criminum reus fieret, repente obstupuit animo, et apertis oculis nunc ad dexteram, nunc ad sinistram lectuli partem se convertebat, et quasi ab eo vitae praeteritae ratio exigeretur, clara voce respondebat, aliquando quidem. Ita sane revera ita est; sed poenitentia et lachrimis crimen dilui, aliquando vero, non est ita, mentimini, hoc ego non feci. Deinde rursum, verum loquimini, sed flevi, sed ministravi. In quibusdam tamen aliquando ajebat, vere me accusatis; et quid respondeam non habeo. Atque ita obiit, ambiguum omnino relinquens, salvusne an reprobus esset. Iam igitur si vir tantus, qui annos circiter quadraginta in eremo vixit, et sibimet omnibus delitiis interdictis soli Deo vacavit, et adhuc signis et prodigiis claruit, aliquid tamen sibi a daemonibus obiici audivit, de quo rationem reddere non posset, quid nobis accidet, in illo severo judicio, ubi Deus scrutabitur *Jerusalem in lucernis*? Equidem, auditores, qui rem istam attente et serio cogitaret, non dubito quin eo admirationis ac stuporis deveniret, ut somnum omitteret, et cibi ac potus obliviscere-tur.

Caeterum omnium hominum causis diligentissime et accuratissime discussis, proferet judex in impios aeternae damnationis irrevocabilem sententiam. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* O verbum asperum, quod qui audierit, tinnient

ambae aures ejus. O sententia intolerabilis, quae omni bono spolias, et omne malum adducis. Maledixit aliquando ficulneae Dominus,et continuo non modo folia,sed et truncus et radices penitus aruerunt. Nec minus efficax erit illa ultimae diei formidabilis maledictio. Nam super quos ceciderit, eos velut grando quaedam aduret, et usque adeo humore gratiae divinae destitutos relinquet, ut numquam amplius boni aliquid,vel agere, vel loqui vel cogitare vel sperare possint.Tunc igitur impii sententiae hujusmodi fulmine percussi montibus dicent, *cadite super nos*; *et collibus, operite nos.* Tunc ponent in coelum os suum, et immanes blasphemias in Deum judicem evoment.Tunc maledicent diei, et horae, in qua nati sunt,et parentibus qui eos genuerunt, et uberibus quae eos aluerunt, et aeri, quem spiraverunt,et terrae quam calcaverunt.Sed non diutius in praesentem judicem haec dicere eis licebit: Repente enim spiritus Domini involvet eos, et in abyssum magno impetu praecipitabit, id quod his verbis in apocalypsi refert evangelista Ioannes: *Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens, hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur*:: et claudetur abyssus portis aereis et repagulis ferreis, quae nulla vi perrumpi et nulla arte reserari poterunt. Ibi autem bibent de calice irae Domini, *et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum*: *Nec habebunt requiem die ac nocte.* Iusti ex adverso plenae beatitudinis et gloriae sempiternae compotes effecti, in laudes Domini et gratiarum actionem ora reserabunt, et cum cantu et laetitia Dominum atque imperatorem suum ad coeli gaudia revertentem prosequentur, et comitabuntur et cum eo sine fine regnabunt,et bonis coelestibus ac sempiternis perfruentur. Et quinam erunt, Domine Deus, quibus sors tam beata continget? Si tribulationes pati necesse est, hic tunde verberibus, hic flagellis affluge, hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas.

Verum nos, auditores, usquequo haec de judicio literae sacrae nos docent, tamquam aniles fabulas vel historias nihil ad nos pertinentes, audiemus? Si vera sunt, si negari non possunt, si nostra res agitur, si periculum magnum omnibus imminet, ne in aeternum pereamus, cur non excitamur, antequam mortis nocte ac tenebris obruamur? Cur, qui tempus habemus, tempus expectamus? Percipite, quaeso, quae dico, et animus vestris mentibusque mandate. Solent in quibusdam regionibus iis, qui doctoratus laurea donandi sunt, quaestiones quaedam explicandae assignari, et spatium temporis, horis quatuor et viginti definiri. Quae cum ita sint, nonne stultissimi essent,si suis quaestionibus praetermissis, aliis studiis et negotiis illo ipso tempore operam darent?Essent plane et ideirco hoc illi intelligentes, sese in cubiculis claudunt, et parum,aut nihil cibi et somni capientes illis suis quaestionibus totos se dedunt. Et si forte ad eos familiares accedant, et ad convivium, ad venationem, ad piscationem, ad alia oblectamenta invitent,cum stomacho illis respondent,cras lauream doctoratus capere vel infamia insigni notari necesse est, et quaestiones mihi difficillimae propositae sunt et spatium temporis brevissimum conceditur et audietis me a studio et meditatione avocare? Sic illi respondent: quia *prudentiores sunt filii hujus saeculi filii lucis in generatione sua.* Discamus igitur vel saltem ab illis, tametsi potius illi a nobis discere prudentiam debuerunt. Cogitemur diem illum, in quo coram Deo et angelis et omni orbe terrarum ad quaestiones difficillimas respondendum erit, et vel corona gloriae decorandi vel ignominia infinita afficiendi erimus. Cogitemus nobis temporis spatium omnino breve praescriptum et definitum esse, quod cur quaeso totum in Cicerone et Aristotele evolvendo terimus? O insipientia. O tenebrae filiorum Adam. Omne studium, omnem curam, omnem aetatem ponimus in rerum natura perscrutanda et cursu siderum investigando, de quibus in judicio non interrogabimur, et virtutum atque operum bonorum rationem nullam habemus: a quibus tamen gloria, vel ignominia sempiterna dependet. Non reprehendo rerum cognitionem et studia literarum; sed nimiam in iis sollicitudinem et nimium in virtutibus et operibus bonis torporem vitupero.Claudamus igitur nos in cubiculis cordium nostrorum, atque ibi serio aliquando statuamus, inanes nugas omittendas esse, et in ea totis viribus incumbendum, de quibus judici nostro rationem reddere nos oportebit, carni autem et mundo ad inania lucra et falsos honores et fallaces delitias nos invitantibus, libere respondeamus,ad ea nobis tempus non suppetere, judicium nimirum severum imminere, non esse pro brevibus et caducis aeternorum jacturam faciendam. Quod si fecerimus, et in morte securi et judicio parati inveniemur ut respondeamus ei, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO III.

DE CRUCIATIBUS GEHENNAE

SYNOPSIS

Loco exordii duorum magnorum malorum tres assignantur causae: Primum malum, quod tam multi inveniantur infideles: alterum, quod infideles ipsi tam libere peccent. Causae hujus rei sunt, prima inconsideratio, secunda ignorantia gravitatis peccati (quam ex offensi dignitate, remedii praesentia et proposita poena metiendam esse docetur) tertia philantia, quae plurimos in errores induxit; cui tamen occurritur, considerando, quam severe Deus in angelos, imo in ipsum Filium aliorum peccata animadverterit. Obviatur stupidae quarumdam interrogationi de poenarum gehennae certitudine, per rationem et apologum vulpis vestigia non redeuntia considerantis. Deinde ad poenam gehennae descenditur, quae duplex a theologis statuitur: poena damni et poena sensus; atque in primis de poena damni agitur, quae sine comparatione major exili poena apud Romanos. Quanta praeterea poena sit summi boni amisso, testimonio s. Chrysostomo ac similitudine pueri plebeiae sortis in regnum substituendi, sed paedagogi monita negligentis, dilucida amplificatione accomodata, demonstratur. Graphice insuper depingitur poena sensuum, et primo quidem internorum, uti sunt phantasma, memoria, intelligentia et voluntas, quomodo nimirum singuli sint excruciandi; damnatorum etiam miser discursus et horrenda blasphemiae finem primae parti addunt.

Proemissa in secunda parte visione Jeremiae, eaque breviter explicata, ostenditur a contrario generalem omnium membrorum cruciatum futurum: ac deinde singillatim de sensibus externis agitur. Atque in primis quomodo oculi terribili daemonum aspectu et personarum praesentia, quae quoquo modo causa peccati fuerunt, affligentur, exemplis declaratur; ubi serio iuventutis seductores taxantur. Aurium tormenta adducuntur, et Syllae Dictatoris crudeli facto exaggerantur. Modus poenarum sensus olfactus per historiam 4996 Martyrum in uno carcere inclusorum atque authoritate Virgilii adumbratur. Cruciatus gustus ex divite Epulone guttam aquae flagitantis probatur. Sensum tactus intolerabili frigori et calore esse cruciandum. Poena, eaque perpetua, qua membra singula sunt affligenda, particulatim explicatur; et quomodo aeternitas altius consideranda sit, epilogus brevi dictorum anacephaleosi comprehendit.

Duo sunt, auditores optimi, quae mihi de initiis et progressu Christianae religionis cogitanti, et memoria signa et prodigia nostri liberatoris repetenti, maxime admiranda ac pene incredibilia videri solent. Unum, inveniri aliquos, qui nostram sanctissimam fidem amplecti recusent: alterum eos peccare audere, qui eam fidem susceperunt. Nam quis non miretur, post fidei nostrae praedicationem, tot prophetarum vaticiniis promissam, tanta populorum consensione susceptam, tanto miraculorum numero fundatam, spe nutritam, charitate auctam, antiquitate roboratam, episcoporum successione confirmatam, ipsa denique Romanae ecclesiae auctoritate munitam, adhuc aliquos reperiri, quibus Catholica Christi doctrina minus probetur, et novarum sectarum auctoribus magistrique errorum nomina dare non verentur? Quis item audient, credidisse nonnullos, iis, qui Dei legem violaverint, aeterna supplicia esse proposita, et tamen eos ipsos, qui id crediderunt, summa facilitate atque audacia in Deum peccare, non obstupescat? Etenim in edicto Regis cautum esset, ne quis certa ora portas civitatis egrederetur, suspendio proposito, quis ita stultus et suae salutis negligens invenitur, qui ea ipsa hora coram multis testibus pedem extra portam efferre tentaret? Et si forte causa aliqua id faceret, nonne postea non solum testes, sed portam etiam ipsam tamquam patrati criminis consciam pertimesceret? Unde igitur fieri dicemus, ut cum Christianis omnibus jam persuasum sit, Deum Optimum Maximum irrevocabili sententia statuisse, ut qui legis ipsius violatae reus diem extremum clauserit, aeternis vinculis alligetur, et suppliciis inexplicabilibus sine ullo fine torquetur: nihilominus tam multos quotidie videamus, qui nec compulsi, nec rogati, saepe etiam nec invitati, sponte sua et libera voluntate, ac libenti animo Deum offendant; quin etiam occasiones querant peccandi, et inventis gaudeant, doleant non inventis?

Mihi quidem, auditores, hujus rei tres praecipuae causae esse videntur, inconsideratio, ignorantia, et amor suiipsius, quem Graeci φιλαυτιαν commodius, et significantius dicunt. Etenim inconsideratio non minima causa, imo fortasse prae-

cipua ratio est, cur nos a peccando non revocet periculum, quod nobis omnibus impendet cruciatuum sempiternorum. Nec enim permultis fides deest; sed attenta diligensque consideratio eorum, quae fides proponit ac docet, maxime deest. Quocirca rem Deo gratissimam et vobis utilissimam me facturum existimavi si quemadmodum concione superiori promisi, hodie vobis ad memoriam revocem et in ipsis prope oculis ponam, quam horribilia, quam atrocia, quam diuturna supplicia impiis sceleratisque hominibus Deus paraverit. Sed antea tamen, quam de gehennae cruciatibus dicere incipiam, duae illae reliquae causae, quas paulo ante commemoravi refellendae sunt.

Initio igitur quia peccati gravitatem et magnitudinem ignoramus, propterea vix adduci possumus, ut credamus, cruciatus gehennae tales esse, quales sacrae literae nefariis hominibus comminantur. Quod his verbis d. Augustinus affirmat: *Sed ideo*, inquit, *poena aeterna dura et injusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimae purissimaeque sapientiae, quo possit sentiri, quantum nefas in illa prima praevaricatione commissum sit.* Profecto enim si culpae gravitatem intelligeremus, de poenarum acerbitate minime dubitaremus. Vultis autem ut uno verbo dicam, quanta sit gravitas peccati? Tanta est, auditores, quam tam animus noster complecti nullo modo potest. Nam vires humanae mentis exuperat et omnem mortalium intelligentiam vincit: Si enim offensionis magnitudinem ipsius offensi dignitate ac nobilitate metiri oportet, certe peccatum, quod infinitam dignitatem nobilitatemque laedit, malum infinitum atque immensum erit. Denique quam periculosus, et quam gravis sit morbus peccati, ex ipsius medici, et medicamentorum, quae ad ipsum curandum necessaria sunt, praesentia ac dignitate cognosces. Cum enim aliquem ita aegrotare audimus, ut iis medicis, qui in urbe sunt, non contentus, undique peritissimos medicos, et ex distantissimis locis accersat, et medicamentis exquisitissimis, et maximis sumptibus comparatis opus habeat, nos quoque, qui medici non sumus, gravissimos aliquo morbi genere hominem illum laborare asserimus. Quid igitur de peccati morbo cogitare debemus, quem omnium angelorum atque hominum sapientia, ingenium, potentia, vires, curare numquam potuissent? Et plane genus humanum toto morbus ille ad interitum perduxisset, nisi ex ipso sinu Patris Dei Sapientia descendisset, et medicinam exquisitissimam ex ipso sui corporis dignissimi sanguine confecisset. Certe, auditores, quando nullum aliud argumentum ad gravitatem peccati demonstrandam haberemus, hoc unum tale est, ut plane omnibus persuadere possit, quamlibet culpam in Deum admissam, scelus esse tam immane, ut de poena ei culpae debita jure optimo dicere possimus: Oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascenderunt supplicia, ac tormenta, quae praeparavit Deus offendentibus se. Cur enim Deus, qui ipsa sapientia est, et homo fieri, et in crucem agi, et mori voluisset, ut regnum peccati destrueret, nisi res magnas, et creatas vires exuperans exterminatio peccati fuisset? Haec igitur si aliquando cogitaremus non ita faciles ad peccandum essemus, et de gehennae cruciatibus multo aliter sentiremus. Sed jam ad alteram causam nostri torporis veniamus.

Amor sui ipsius, execrabilisque philautia, mirum est auditores, quamdam vim habeat ad persuadendum. Est enim tam blanda conciliatrix, et quasi suadela potens natura, ut ejus suasu plerique omnes facile credant quamquam improbe et scelerate vivant, tamen aut nullas, aut breves et exiguas poenas se daturos. Hinc enim primum orta est illa sententia quorumdam Philosophorum, qui ut Aristotiles scriptum reliquit, res praeclare gestas sibi ipsis tribuebant, et earum auctores se credi, atque haberi cupiebant: flagitiorum autem et scelerum, quae interdum committebant, omnem culpam in externam quamdam causam reiiciebant. Itaque si bene aliquid egissent, praemiis affici; si male, poenam luere nullam volebant. Porro ex eadem radice Christianorum etiam scriptorum illi errores pullularunt, quos lib. 12. de civit. Dei d. Augustinus et commemorat et refellit. Alii enim nullas esse poenas aeternas Christianis Catholicis, licet corrupte viventibus, paratas crediderunt: alii non solum catholicos, sed haereticos etiam, qui cum catholici aliquando fuissent, a poenis aeternis suis sententiis liberaverunt, alii nullum sacramento baptismatis initiatum, sive catholicum, sive haereticum, aeternis suppliciis addici posse asseruerunt. Alii progressi longius, homines omnes sive christiani, sive judaei, sive ethnici sint, extremo judicio salvandos esse, vel suis ipsorum meritis et aliorum patrocinio et suffragiis putaverunt. Alii denique non hominibus solum, sed daemonibus quoque spem veniae et salutis aeternae ademptionem promiserunt. Quos omnes quid nisi execrabilis philautia, ita male misericordes, et tam abjecte de cruciatibus gehennae sentientes effecit? Quae cum ita sint, mirum profecto nobis non debet esse, si haec eadem philautia, his etiam nostris temporibus in nonnullis efficiat, ut difficile atque aegre in animos suos inducant, aeternorum intolerabiliumque suppliciorum sibi periculum imminere, nec non ut stulte apud se ratiocinentur, ac dicant: Certe numquam me Deus tam grandi pretio redemisset, et tanta propter me hic in terris pertulisset, si propter blasphemiam unam vel aliud aliquod crimen, aeternis me carceribus mancipare in animo habuisset.

Verum occurrendum est, auditores, huic falsae et perniciosae opinioni, et quam debili fundamento innitatur demonstrandum. Quaero igitur a vobis si rex noster obscurum aliquem hominem adamare incipiat, ad honores evehat, publicis muneribus ornet, denique arci totius imperii sui instructissimae, ac pulcherrimae illum praeficiat; si is cum hostibus in regem suum conspiret, atque arcem suae curae commissam, in manus illorum venire patiatur: postea vero casu aliquo capi eum et ad suum regem adduci contingat quid regem facturum existimatis, num quia proditorem istum vehementer aliquando dilexit, de eo poenas proditoribus debitas non sumet? Certe sumet, et eo atrociores

quo majora beneficia in illum ante contulerat. Sic igitur, tametsi Deus nos vehementer dilexit, cum Filium suum ad nos misit, et eum pro liberatione nostra tam multa pati ac tolerare voluit, tamen nihilo secius nos aeternis cruciatibus puniet, si ad castra hostium transfugerimus, et arcem animae nostrae daemonibus prodiderimus. An est quisquam qui patriarchae Joseph historiam vel non audierit vel non legerit? Is enim cum venditus a fratribus suis, atque in Aegyptum adductus fuisset emit eum princeps exercitus Pharaonis, et ita vehementer eum dilexit, ut omni domui illum praeficeret, et omnium fortunarum suarum administrationem illi commiserit. Et tamen simulatque suspicari coepit, ab eo conjugem suam sollicitatam de stupro fuisse, vehementissime commotus, non modo eum a praefectura domus deturbavit, sed etiam in teterrimum carcerem conjecit. Quid de damnatis angelis dicemus? Nonne daemonum princeps princeps angelorum fuit? Ita sane. Nam ut b. Gregorius, et eo multo antiquior Tertullianus, et alii permulti ecclesiastici scriptores docent, primus et nobilissimus omnium angelorum, atque adeo totius opificii divini praestantissima pars ille fuit, qui nunc humillimus, miserrimus et abjectissimus est. Hinc in sacris literis nunc *Lucifer*, nunc *principium viarum Dei*, nunc *signaculum similitudinis plenus sapientia et perfectus decore* nominatur. Atque de eo Ezechiel Propheta dicit: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Et rursum: *omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini ejus.* Et item: *Et aemulata sunt eum omnia ligna voluptatis quae erant in paradiso Dei.* Jam igitur si praestantissimus, sapientissimus et maximus omnium angelorum propter peccatum unum e coelo exturbatus, et in abyssum praecipitatus fuit; unde nos cum in coeno innumerabilium peccatorum haeremus, de Dei nobis benevolentia et charitate blandimur? Quid? quod non angelos modo, sed ipsum etiam Filium propter peccata Deus afflixit. Nihil est, auditores, quod Deus diligat vehementius, quam ipsum verum et naturalem Filium, et tamen cum is peccata nostra in humeros suos sustulit, et pro eis satisfacere se velle professus est, percussit eum Deus, et contrivit *in infirmitate* ut Isaias Propheta loquitur, et eos dolores ac supplicia perferre eum voluit, quae nemo umquam hominum hic in terris toleravit. Magnum ergo et implacabile Dei odium contra peccatum est, quando in ipso Filio, ita severe alienum scelus ulciscitur. Sed *si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* Si Dominum ipsum omnium virtutum floribus ornatum, et omni gratia et decore spirituali virentem passionis flamma ex alienis sceleribus excitata, ita vehementer exussit, ut *novissimum virorum et virum dolorum* illum efficeret; quid in lignis aridis hoc est in hominibus humore gratiae et virtutum destitutis, gehennae fornax efficiet, quam tot flagitia, tot facinora, tot scelera succenderunt? Haec igitur cum ita se habeant, dubitare, auditores, nullo modo debemus quin gehennae supplicia inexplicabilia atque intolerabilia sint.

Sed adhuc tamen mihi videor audire, nescio quem obstrepentem, ac dicentem: Ecquis umquam ex gehenna rediit, qui haec vera esse renunciaret? O stultam interrogationem. Imo propterea vehementius carcer ille est timendus, quod ex eo nullius umquam reverti potuerit. Si enim aliqui redirent, omnes sperare possent, se aliquando redituros. Nunc autem cum nullus umquam revertatur argumentum est, puteum illum tam profundum esse, ut nemo inde emergere possit. Quam prudentiam, si non aliunde, vel ab ipsis fabulis discamus, eae siquidem tradunt, vulpem cum multa ad leonem introeuntia, et nulla exeuntia vestigia cerneret, non dixisse apud se, Nemo redit, qui periculum aliquod apud leonem esse renunciet, nihil igitur apud eum periculi erit. Hoc inquam, eam dixisse non tradunt; sed contra, propterea vehementer ad leonem accedere timuisse, quod multa animantia ad ipsum proficisci, et nulla inde reverti cernebat. Quid? quod multi ad vitam divina ope revocati sunt, qui et verbis et factis magnitudinem earum poenarum non modo non explicari, sed neque cogitari a nobis posse testati sunt? De quibus multa beatus Gregorius, Joannes Climacus et alii nonnulli sancti et eruditi homines retulerunt.

Venio nunc ad illud quod est proprium orationis nostrae. Quemadmodum in peccato quolibet duae perversitates reperiuntur, aversio a summo et increato bono, et conversio ad bonum exiguum et creatum; sic in poena, quae ei culpae respondet duo dolores reperiuntur. Unus, qui ex amissione sempiternae beatitudinis, alter, qui ex suppliciis et tormentis, quae corpori et animo inferentur, oritur. Quos duos cruciatus, poenam damni et poenam sensus theologi vocant.

Ac ut de amissione felicitatis, quae poena gravior, prius dicamus: Nulla potest, auditores, poena tam immanis, aut fingi aut cogitari, quae a jactura summi boni non vincatur. Etenim si ignis ardor corpori admotus ita cruciat, ut tolerari non possit, cum tamen solum auferat bonam corporis constitutionem et naturale temperamentum, quod bonum omnino modicum et exiguum est, quam vehementer torquebit illa avulsio ac separatio a Deo, cujus solus conspectus tantum est bonum, ut repente beatum ac felicem hominem efficiat? Supplicium ingens ac pene omnium gravissimum, Romanis civibus videbatur, cum propter maxima aliqua crimina ab urbe abesse et civium conspectu privari, et in insulis quibusdam semidesertis inter barbaros habitare cogebantur. Quocirca Marcus Tullius, cum ab exilio revocatus, quasi novum orbem ingressus esset, et coelum cum terra commutasset, stupefactus ajebat; Quae species Italiae? quae celebritas oppidorum? quae forma regionum qui agri? quae fruges? quae pulchritudo urbis? quae humanitas civium? quae reipublicae dignitas? quae vestra majestas? Quantum igitur doloris percipient ii, qui a coeli palatiis, a republica sanctorum, ab illis felicissimis regionibus, ubi regnat pax, charitas, tranquillitas, gaudium, ubi resonat vox laudis et exultationis, et perpetuum alleluja cantatur, ab illa denique purissima luce, quae laetos ac beatos efficit intuentes abesse, et in teterri-

mis carceribus, et omnium sordium foedissima sentina, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, ubi nulla vox, nisi gementium et blasphemantium, ubi nullus sonus, nisi percutientium malleorum, et flagellorum audietur, cum daemonibus omnibus barbaris immanioribus, et cum omni scelestissimorum hominum colluvie perpetuo versari cogentur?

Sed video, quod nonnulli vitae praesentis amatores dicturi sunt: Numquid in praesentiarum istis omnibus rebus, quas commemorasti, non caremus? Quis nostrum in coeli palatiis versatur? Quis illa luce purissima fruitur? Et numquid propterea tristamur? numquid torquemur? Imo vero si nobis in corpore isto semper esse, et bonis praesentibus frui liceret numquid de bonis illis coelestibus cogitaremus? Haec est, auditores, communis imperiorum hominum deceptio, qui nesciunt nos post mortem alios oculos, et aliam rerum cogitationem atque intelligentiam habituros, quam nunc habeamus. Quod b. Chrysostomus pulchre his verbis expressit: *Qui in gehenna uritur, et coelorum regnum prorsus amittit. Quae certe poena major est, quam cruciatus ille flammarum. Novi autem, quia plurimi pertimescunt gehennam, ego tamen illius gloriae amissionem multo amarius, quam ipsius gehennae dico esse supplicium. Si vero id non possum sermone monstrare, nihil est omnino mirandum. Neque enim novimus illorum beatitudinem praemiorum, ut infelicitatem quoque de eorum amissione scire possimus. Nos autem hanc absque dubio discemus, cum experimento coeperimus edoceri. Itaque tunc operientur oculi, tunc velamen auferetur, tunc cum ingenti dolore impii videbunt, quid inter bonum aeternum et summum, et haec fragilia et caduca discriminis sit.*

Ac ut rem istam quantum possumus illustremus, hanc, si placet, comparationem accipite. Rex quidam potentissimus, cum filium nullum haberet, qui in regni administratione succederet, puerumque nescio quem elegantem et forma liberali, sed obscurum et tenuem, conspicatus aliquando fuisset eum ad se vocari, et paedagogis instituendum tradi jussit: deinde in testamento scriptum reliquit, ut si puer ille, cum adoleverit, eruditus, sapiens, gravis omni genere virtutum ornatus, et denique ad clavum reipublicae regendum idoneus inveniatur, rex et princeps legitimus habeatur, atque in solio regum collocatus, diademate et sceptro insignitus, totius regni gubernacula suscipiat. Si secus eveniat tamquam omnium ignavissimus, catenis honustus ad triremes cum ignominia et dedecore, quo dignus est, ejiciatur. Continuo principis imperio ministri ejus obtemperant. Adducitur puer, paedagogis traditur, ut litteris et moribus imbuatur diligentia adhibetur. Sed ille ab aliis puerulis illectus, nec quid secum ageretur intelligens, simulatque magister domo pedem extulerat, librum in imum angulum proiiciebat, et diem totum in quibusdam domunculis ex fragmentis vasorum erigendis, et aliis puerilibus ludis conterebat. Circa vesperam paedagogus redibat, rationem lectionis exigebat, puerulus vix ubi librum reliquisset recordari poterat. Commotus paedagogus verberibus puerum efficiebat, pede domunculas ab illo fabricatas evertebat, eique dicebat; O si intelligere posses, quid istis tuis puerilibus oblectamentis amittas, et quantum tibi detrimenti negligentia in ediscendis litteris adferat! Sed intelliges paulo post, quando istud intelligere nil proderit. Ille quod vere esset, propter vespera et objurgationem paedagogi flebat; sed multo magis propter domunculae eversionem. De verbis autem magistri, et regis testamento nihil cogitabat, quin etiam die sequenti verberum et objurgationis oblitus, iterum domunculam extruebat, et in suis consuetis ludis puerilibus occupabatur. Tandem cum adolevisset, et eum rudem atque imperitum, et omnino ineptum ad regnum gubernandum regiae voluntatis executores vidissent, coram eo primum regis testamentum legerunt, deinde vinculis alligatum ad triremes cum ignominia maxima expulerunt. Quid, obsecro, illum magis flevisse, quid acerbius tulisse existimatis remigandi laborem an regni amissionem? Ego certe sic statuo, illum quod triremibus manciparetur, vehementissime doluisse: nec enim statum infeliciorem hic in terris inveniri posse arbitror: siquidem nullius rei, qui sunt triremibus addicti, praeterquam verberum copiam habent: tamen sine ulla dubitatione, multo gravius atque iniquius accepisse illum censeo, quod regni amplissimi et maximi honore spoliaretur. Quid enim miserius, quid infelicius dici aut cogitari potest, quam propter nugas pueriles regni pulcherrimi et nobilissimi jacturam fecisse? Haec igitur parabola quem nostrum non tangit, auditores? Nos enim omnes dum hic in terris vivimus, pueri sumus: nihil altum sapimus, nihil sublime cogitamus: toti sumus in rebus ludicris et nugis puerilibus occupati. Quanta solitudine domos luteas extruimus? quae nisi paulo majores essent, in quo ab illis puerorum domunculis differrent? Sic etiam studia mercatorum, ambitiones clericorum et aulicorum, molitiones artificum, regum ac principum contentiones de civitatibus, de provinciis, de regnis: nec non lites privatorum de possessionibus, de stillicidiis, de limitibus nugae sunt, sed paulo majores, quam illae puerorum, et idcirco, ut Augustinus ait, negotia nominantur. Sed tametsi haec omnia, quae commemoravi nugae sint, si cum alterius vitae negotiis comparentur; tamen ita plerosque occupatos tenent, ut de negotio regni coelestis, quod unum, verum ac serium negotium est, cogitare non possint. Videt haec paedagogus coelestis, qui nos instituendos suscepit, ut ad regnum coelorum capescendum idonei inveniamur, ut nostras vices dolens clamare non cessat: *Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea, quae sibi sunt noxia, cupient? Ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Deinde pede evertit domunculas. Saepe enim consilia nostra eludit. Expectabat mercator navem onustam mercibus ex Oriente, et ecce audit naufragio facto merces omnes in Oceanum decidisse. Alius nescio quis, omnem spem suam in filio collocaverat, eum doctorem, canonicum, pontificem brevi futurum confidebat: denique su-

per ipsum altissimas cogitationum turres fabricabat, et ecce audit illum febricula quadam correptum decubuisse, et post paucos dies extremum diem clausisse. Alius invitatus ad nuptias ad optimum prandium, ad egregiam potationem se comparabat, et ecce in morbum incidit, et a vino abstinere, et inedia morbum curare cogitur. Quis, obsecro, nobis ista facit? Quis ita hominum consilia et cogitationes eludit? Paedagogus noster, auditores, qui non quod nos oderit, sed quo vehementer diligat, haec facit. Impedimenta enim abscindere cupit, quae nos ad coelum currentes retardant, et ne lectione coelesti operam demus efficiunt. Verum nos puerorum vere insipientium more eversionem domunculorum, facultatum terrenarum jacturam et caetera Domini verbera iniquo animo ferimus, et iterum ad easdem domunculas construendas aggredimur, et de regno coelorum, ad quod per ista flagella vocamur, non cogitamus. Sed venient, (mihi credite) veniet tempus, quando per januam mortis alium orbem ingrediemur, et ibi statim viros atque adultos non esse videbimus nemo enim in illa nova regione puer inveniri potest. Nam omnes, cum hinc egrediuntur, in ipso itinere in viros commutantur. Ibi dicetur nobis quidem regnum coelorum et pulcherrima illa domicilia parata erant, si verae sapientiae dare operam voluissetis: sed quia pueri stulti esse voluistis, et paedagogi vocem atque admonitiones contempsistis, cum ignominia ac dedecore in tenebras exteriores proiiciemini, ubi *erit fletus et stridor dentium*, et alii cruciatus ac supplicia sempiterna. Quid tunc dicturi sumus, auditores? Quid nobis tunc de istis domunculis, de istis ludicris honoribus, de istis puerilibus negotiis videbitur, quando solis luce clarius intuebimur bonorum inexplicabilium vere permanentium, et unquam periturorum, propter umbras et somnia quaedam jacturam nos fecisse? O cum quanto animi dolore tunc dicent homines peccatores; *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?* Quid profuit per omnes terras et omnia maria discurrere, ut opes congregaremus? quid profuit in palatiis principum cum tanto labore versari, et tanta arte magnis hominibus hoc est, terrae ac cineri adulari, ut honores aliquos assequeremur? Quid profuit ingenium torquere, et noctes integras vigilare, ut obscurissimos scriptores intelligere, et inde nescio quam auram captare possemus? Ecce enim haec omnia tamquam umbram transierunt, et veros honores, veras divitias, veras voluptates, veram sapientiam, verum et summum et aeternum bonum ignoravimus, et sine ulla spe recuperationis amisimus. Tantus erit hic dolor, auditores, ut quamquam certo sciant damnati omnes, sibi omnes aditus ad aeternam beatitudinem interclusos, et chaos maximum inter ipsos et locum beatorum interpositum, tamen naturali desiderio impellente, ab illis vocibus cessare non poterunt: *Domine, Domine, aperi nobis: Domine, Domine, aperi nobis.* Noster igitur sapientissimus doctor Ioannes Chrysostomus ait; intolerabilis quidem res est etiam gehenna: quis nesciat et supplicium illud esse horribile? Tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatae illius gloriae honore depelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo, *non novi vos*: atque argui, quod esurienti et sitienti negaverimus cibum et potum. Est enim satius mille fulmina sustinere, quam vultum illum mansuetudinis pietatisque, nos tum aversantem videre, et illos totius tranquillitatis oculos nequaquam nos aspicere sustinentes. Quid? quod summi boni jacturam secum adfert? Nec enim oculi damnatorum speciem ullam pulchram, nec aures eorum ullos dulces concentus, nec sensus olfaciendi odorem ullum suavem, nec sensus gustandi saporem ullum iucundum, nec sensum tangendi quicquam amplius molle percipiet. Qui enim a Deo consortio semel excludetur, in Oceanum omnium calamitatum et acrumnarum sine ulla spe occasionis uno tempore demergetur. Atque haec quidem de jactura summi boni habui quae dicerem.

Nunc ad eum cruciatum veniamus, quem ideo poenam sensum theologi vocaverunt, quod sensibus et viribus, tam externis corporis, quam internis animae admovendus sit. Ac ut de sensuum internorum supplicio prius dicamus: quatuor sunt, quae ad rem propositam pertinent, animae facultates, quae miris in gehenna supplicii torquebuntur. Prima enim ea, quam Graeci phantasiam, nos cogitationem dicere possumus. Secunda memoria. Tertia intelligentia. Postrema voluntas.

Cogitatio igitur cruciabitur vehementissima quadam comprehensione eorum tormentorum, in quibus tunc et animus versabuntur. Nam si nunc gravis aliquis dolor ita sibi cogitationem vendicat, ut homo non possit, etiam si maxime velit, de eo dolore non cogitare, quid gehennae supplicia, quae sine comparatione majora erunt, in animis damnatorum efficient? Et cogitatio igitur dolores acuet, et dolores cogitationem excitabunt; et se mutuo ita fovebunt, ut nullum locum in animo, et corpore damnatorum quieti permittant. Istae igitur erunt perpetuae contemplationes eorum, qui dum hic fructuose possent haec meditari, non voluerunt, et qui hic utilissimis cogitationibus tamquam fraeno libidinum uti dedignantur, et crudelissimos carnifices patientur.

Deinde memoria non exigua etiam crux animus damnatorum erit, cum antiquae felicitatis, et praeteritarum voluptatum recordari incipiet, propter quas ad ea tormenta devenerunt. Tunc enim tandem intelligent, quanto sale aspersae, et quam acri pipere conditae illae epulae fuerint, quae olim tam dulces illis videbantur. Sed multo etiam vehementius torquebuntur, cum voluptatum praeteritarum, brevitatem, cum praesentium dolorum aeternitate comparabunt. Nam quis tam eruditus mathematicus inveniri posset, qui nobis explicaret, quanto spatio tempus ab aeternitate superetur? Quales igitur mugitus dabunt, et qualia suspiria ex imis praecordiis trahent, cum diligenter subductis rationibus, invenient, voluptates vix ad punctum temporis durasse, et velut umbram ac somnium praeterisse: dolores autem finem et terminum nullum habituros?

Verum intelligentia, sicut facultas praestantior

et perspicacior est, ita cruce intolerabiliore torquebitur. In hac facultate ille vermis existet, quem tam saepe divinae literae peccatoribus comminantur, cum ajunt: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Nam ut vermis ex ligno oritur, et ipsum lignum unde est ortus perpetuo rodit; sic iste vermis nascitur ex peccato, et cum peccato perpetuum bellum gerit. Nihil enim est aliud, quam perpetua quaedam, et rabie ac desperatione plena poenitentia, ac dolor, quem ex peccatis capiunt, cum intelligunt propter ea se regnum coelorum amisisse, et illos inexplicabiles cruciatus incurrisse. In genesi legimus, habuisse quodam Aegyptios septem annos tantae fertilitatis atque abundantiae, ut loca, in quibus frumenta reconderent, non haberent, deinde septem annos alios tantae sterilitatis ac penuriae, ut pecunias, agros, jumenta et seipsos pro frumento tradere cogerentur. Quo tempore posteriore, quid explicare posset, quam vehementer eos poenitebat, quod tam negligentes in conservando frumento fuissent, quando ejus copia eorum horrea redundabant? Et quod tempus futurae penuriae non providissent, quando frumentum diligenter servatum eos non modo ab inopia et fame liberasset, sed etiam ditissimos effecisset? Talis est vermis damnatorum, auditores, qui nec noctes nec dies quiescit, sed perpetuo mordet, rodit, consumit, depascit viscera miserorum nec umquam oblivisci possunt tam praeclarae opportunitatis, quam hic in terris habuerunt, non solum poenas eas parvo negotio evadendi; sed etiam regnum coelorum vilissimo precio comparandi. Itaque perpetuo ipsi secum altercantur, et dicunt; Nos miseros, quibus regnum coelorum offerebatur et gratis donabatur: quin etiam obsecratum est, illud acciperemus, et renuimus. Si vel paccatorum nos poenituisset, et ea ipsimet confessi fuissemus, omnia condonabantur. Quid magnum erat poenitere? quid magnum confiteri? Si misericordiam implorabamus, facillime concedebantur: si Dei opem postulabamus, praesto erat: si vel poculum aquae frigidae propter Deum dedissemus, vitam aeternam consequebamur, et nunc perpetuo jejunabimur, affligemur, et fructum nullum reportabimus. O tempus illud aureum, et quod jam prateriit, nec in aeternum revertetur! Et quidnam mundus offerebat, ut tam terribilem Deum provocare ad iracundiam auderemus? Etiamsi omnia regna et omnia imperia totius orbis obtulisset, et illis multis annorum millibus tranquille frui nobis licuisset, quid erat illud tamen, si cum levissima harum peonarum sempiternarum compararetur? Cum igitur non regna, neque imperia, neque saeculorum diuturnitatem, sed umbram quamdam amarissimae voluptatis obtulerit, propter hanc non pondus ferre debemus cruciatum sempiternorum? O cur tam caeci, cur tam stulti fuimus? Quis nobis mentem abstulit, quis oculos clausit, quis aures obstruxit? Quis nos ita fascinavit, ut haec supplicia numquam cogitaremus; ut in haec tempora numquam respiceremus; ut hanc inopiam numquam praevideremus; et bene monentes non audiremus? Et si haec intelligentia patietur, quid tandem de voluntate dicemus quae praecipua causa peccatorum est?

Voluntas igitur rabida quadam invidia perpetuo cruciabitur, quam de ipsius Dei, et omnium sanctorum gloria et honore concipiet. Ut enim psalmographus ait: *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet*: nec enim quod cupit consequetur, nam *desiderium peccatorum peribit.* Hinc autem odium implacabile contra Deum in iisdem peccatorum voluntatibus orietur: ex odio vero horrenda illa maledicta et blaspemiae inauditae nascentur, quae eorum linguis et ore numquam deficiunt. Quoniam enim tunc hinc spem recuperandae salutis nulla habebunt, certoque scient se numquam amplius cum Deo in gratiam redituros, neque cruciatus umquam finiendos, aut muniendos, et illinc Deum esse videbunt, qui eos tamquam catena quadam alligatos in illis perpetuis suppliciis tenet, et ipsum esse, qui in eos ab alto fulmina iaculatur, et suo omnipotenti flatu fornaces illa gehennae succendit, tamquam rabidi canes ferocient, et numquam a latratu, blaspemiis et contumeliis cessabunt. Maledicent Deo, quod eos creaverit, et morti addixerit, et tamen eos semper interficiendo, numquam penitus interficiat. Maledicent ejus tunc potentiae, quod tam vehementer illos torqueat. Maledicent ejus sapientiae, quod eam nullum ipsorum flagitium fugere valeat. Maledicent ejus benignitati, quod pro illis versa sit in sententiam et asperitatem. Maledicent ejus cruci et sanguini super eam effuso, quod tam multis profuerit, et illis non profuerit. Maledicent reginae coelorum, quod tam multis peccatoribus janua vitae et misericordiae fuit, et illis noverca crudelis fuisse videbitur. Denique sanctis omnibus maledicent, quod eos laetari et gaudere de ipsorum tormentis intelligent. Ista erit illorum perpetua symphonia. Ista horae matutinae et verspertinae. Isti psalmi atque hymni, qui in istis funestissimis templis daemonum cantabuntur: Ubi sulphur pro thure, pro cereis fumus ex pice et igne egrediens, et pro citharis atque organis stridor catenarum, sonitus verberum et malleorum erunt.

Jam vero si sola rerum tam horrendarum commemoratio, terrorem incutit, honorem igenerat, quid erit in eo ipso loco perpetuo commorari ubi haec dicuntur et audiuntur? Et quid ergo nos facere par est, ne tam funestis celebritatibus interesse cogamur? Sed modicum quiescamus.

PARS SECUNDA

Prophcta Jeremias duos calathos plenos ficubus sibi a Domino ostensos fuisse commemorat: quorum unus ficus bonas continebat et bonas valde, alter ficus malas et malas valde ut comedi nulla ratione possent. Quibus duobus ficum generibus duos hominum status post hanc vitam, nisi fallor, designavit. Omnes enim vel statu bonum, bonum valde, vel malum, malum valde obtinebimus. Nec enim est aliquis medius status inter statum beatorum, qui est bonus, bonus valde et statum perditorum, qui est malus, malus valde. Nam ignis purgatorius, qui

medicus esse videtur, usque ad certum quoddam et finitum tempus manebit, et demum omnes, qui in eo sunt vel erunt, sempiternae felicitatis et gloriae compotes efficientur, et ad statum bonum, bonum valde pertinebunt. Et quidem quod status beatorum sit bonus et bonus valde, proxima concione Dei aspirante demonstrabimus. Quod vero status damnatorum sit malus, et malus valde, partim ex iis, quae diximus, partim ex iis, quae jam dicemus, intelligi poterit. Hactenus enim eum dolorem, qui ex amissione summi boni oritur, et quem internae animae vires patiuntur, maximum atque inexplicabilem esse, quoad potuimus, ostendimus. Nunc eum etiam dolorem atrocissimum esse demonstrabimus, quem in externis sensibus hominum damnatorum ipsa supplicia et cruciatus efficient.

Initio igitur, quemádmodum praemium beatorum non est unum aliquod certum bonum sejunctum ac separatum ab aliis, sed quoddam commune ac generale bonum, quo omnia bona et omnes delectationes ac delitiae continentur, atque ita a Boetio definitur, *status omnium bonorum aggregatione perfectus*: Sic poena damnatorum non est unum aliquod genus doloris, ut capitis, ut renum, ut dentium, ut oculorum, sed est poena quaedam generalis, quae omnes omnium membrorum et compagum et sensuum dolores comprehendit. Hic in terris, sicut bonum illud generale beatorum, ita malum istud generale damnatorum, numquam experimur. Nam qui oculis dolet, non simul dentibus dolet, et qui dentibus, non simul oculis, et sic de caeteris ad eumdem modum. At apud inferos atrocissimi dolores, et in capite et in oculis et in pectore et in renibus, denique in omnibus compagibus, omnibus nervis, omnibus medullis, omnibus viribus sensibus uno tempore perferentur: uti enim peccator omnibus membris contra Deum usus est, sic etiam in omnibus membris patietur, et nulla, nec minima pars erit, quae suum ac proprium tortorem et carnificem non habeat. Rogo vos, si unus aliquis nostrum spatio unius diei, generali ista poena torqueretur, quid sentiret? quam longam diem illam esse judicaret? Nonne singula momenta mensibus longiora, et horae singulae annis diuturniores illi viderentur? Equidem, auditores, si canem unum in plateis tot dolorum generibus simul torqueri videremus, non dubito quid vehementissime commoveremur. Haec igitur poena, hic dolor est, si tamen ulla ratione explicari potest, quo damnati homines non unius diei spatio, sed in omni saeculorum aeternitate apud inferos cruciabuntur. Sed jam haec omnia poenarum genera paulo diligentius atque occurrentius consideremus.

Oculi, quia omnia inspiciunt, merito primo loco inspiciendos se offerunt. Isti igitur oculi, qui nunc satiari delectatione non possunt, qui pulchras formas tanta aviditate conspiciunt, qui ad ludicra nugatorum spectacula intuenda tamquam principes curiositatis confestim advolant, qui ut impurissimi lenones, tam frequenter meretricias imagines in cordis cubiculum introducunt, qui solas inopum et miserorum calamitates et aerumnas videre non queunt, qua cruce putatis apud inferos torquebuntur? Sane horrendas primum daemonum figuras videbunt. Est vero tam horribile diabolum intueri, ut nonnulli sensum nonnulli vitam amisisse in ipso aspectu daemonis referantur. D. Bernardus nonagesimum psalmum exponens, quemdam ex suis monachis refert fuisse, qui cum ei nocte quadam horribilis quaedam figura se ostendisset, tota illa die vix rationis compos fuit, numquam se securum esse putabat. Denique in tam horribilem vocem prorupit, ut omnes monachos, qui tum forte dormiebant, excitaverit, vehementissimeque perterruerit. Cassianus quoque in Collationibus refert, tantum extitisse aliquando apud veteres anachoretas daemonis terrorem, qui eis variis, sed horrendis semper figuris se prodebat, ut nec soli habitare, nec ii, qui in eadem cella morabantur, simul omnes dormire auderent. Itaque aliis dormientibus, alii in excubiis vigilabant, et numquam psalmos et hymnos canere intermittebant. Iam igitur si daemones hic in nostris regionibus tantum in nos imperii sibi assumunt et tam vehementer eos formidamus, quid, quaeso, in suis regionibus facturi sunt, ubi neque timebunt exorcismos neque aquam lustralem neque merita et orationes sanctorum? Si hic ita grassantur, unde tam potenter expelluntur, quid ibi facient, ubi dominantur et regnant? Si homini coemeterium aliquod ingredienti sola suspicio praesentiae illorum, et erigi capillos, et vocem faucibus haerere facit, qualis motus peccatores invadet, cum in illo communi damnatorum coemeterio horrore et umbra mortis pleno, obviam tot monstra, tot phantasmata, tot chimaeras habebunt? Deinde quam crucem patientur oculi damnatorum, cum uxores et parentes et filios in iisdem suppliciis intuebuntur? Egesippus de excidio Ierusalem scriptum reliquit, Alexandrum Hircani filium et ducem Habraeorum, cum atrocissimas poenas de certis hominibus sumere vellet, jussisse, ut octingenti simul in media urbe in cruces tollerentur, et cum adhuc viverent, ante eorum conspectus uxores et liberi singulorum crudelissime trucidarentur, ut hac ratione non una, sed multis mortibus miseri interirent. Neque vero hoc supplicii genus apud inferos deest. Ibi igitur cum ingenti dolore, et filii parentes et parentes filios, et viri uxores et uxores viros et omnes qui aliis causa peccandi fuerunt, se cum illis in crucialibus gehennae videbunt. Ego quidem, auditores, in hac florenti academia tantam, tam modestam, tam quietam, tam studiosam, et vere religiosam juventutem ali atque institui, partim ex aliis audiens, partim etiam ipsemet videns, vehementer gaudeo, et communi omnium nostrum Domino gratias ago; sed tamen molestissime fero, quod inter tot probos adolescentes, nescio quos corruptos et corruptores versari intelligo, qui simplices circumveniunt, et nunc ad comportationes, nunc ad choreas, nunc ab alia libidinum incitamenta suis verbis alliciunt. Sed vae tibi, vir nequam, daemonis imitator, pestis adolescentiae. Siccine tantum bonum invidere et eripere audes reipublicae? Et quid ages, cum te una cum illis, quos decepisti, in illis vivis flammarum incendiis videbis? O quam saepe tunc dices,

Pereat illa dies, qua te primum vidi, qua alloqui ac decipere aggressus sum: te enim in vitium ebrietatis, et alia scelera ac flagitia, et me in haec supplicia uno tempore praecipitavi. Tibi vero ille respondebit, pereat illa dies, quae te latronem ac carnificem animae meae obtulit, et qua tuis venenatis sermonibus aures praebui. Hae carminum alternatione, haec symphonia illorum miserorum erit. Sed haec symphonia nos monet, ut jam ab oculis ad aures transeamus.

Aures igitur, quae usque adeo lascivis cantibus delectabantur, et ad proximorum detractiones atque infamiam gaudebant, quaeque in foro circulatores per multas horas sine labore audivissent, in templo autem concione unius horulae defatigabantur, nihil apud inferos, nisi gemitus, rugitus, ululatus, contumelias, blasphemias et maledicta auditurae sunt. Nam quemadmodum in regno beatorum semper laudes divinae, et dulcissimum Alleluia cantatur; sic in carceribus damnatorum perpetuo clamores et blasphemiae resonabunt. Isti erunt hymni, qui ad sonitum malleorum et verberum cantabuntur. Memini me apud Plutarchum in Sylla aliquando legisse, severum illum dictatorem quadam die sex hominum millia in parvo circo congregari mandasse, et simul in templo, quod non procul ab eo circo aberat, senatum coegisse deinde militibus imperasse, ut cum ipse in senatu orationem haberet, tum ipsi sex illa hominum millia, quam celerrime possent, trucidarent. Itaque ubi Sylla dictator verba facere ad senatores aggreditur, continuo exaudiuntur innumerabiles crepitus atque ictus ferientium gladiorum, eorum clamoribus, et gemitibus admixti, qui trucidabantur, et quamquam dictator senatores admonebat, ut iis, quae dicebantur attenderent, non curiose, quae foris agerentur, considerarent; tamen attoniti omnes et pavidi effecti vix in ea concione contineri poterant. Hinc igitur cogitare possumus, qualem symphoniam, qualia organa, quales citharas audiremus, si semel nobis ad fores gehennae aures admovere liceret, ubi non sex millia, sed multo sine comparatione plura, perpetuo caeduntur, verberantur, perculiuntur, ululant, rugiunt, exclamant.

Quid vero de sensu olfaciendi dicemus? Nulla reperiri sentina tam immunda, nulla tam graviter olens cloaca inveniri potest, quae cum gehennae lacu comparari possit, in quem omnes totius orbis sordes proijciendae sunt. D. Victor Africanus describens supplicia, quae Wandali arriani sanctis martyribus inferebant, unam ex atrocissimis poenis eorum, carceris foetorem fuisse confirmat. Sic enim loquitur de quatuor millibus nongentis nonaginta sex martyribus, qui simul in eodem carcere torquebantur. Iactabantur, inquit, confessores Christi super invicem, angustia coarctante unus super alium, ut agmina locustarum, et ut proprie dicatur, ut grana pretiosissima frumentorum. In qua constipatione secedenti ad naturale officium nulla ratio sinebat loci, sed stercora et urinam urgente necessitate ibidem faciebant, ut ille tunc foetor et horror universa poenarum genera superaret. Ad quas aliquando dantes ingentia munera Mauris, dormientibus Wandalis, vix clam admissi sumus intrare, qui introeuntes velut in gurgite luti usque ad genua coepimus mergi: Illud tunc Ieremiae videntes fuisse completum: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Conferte nunc auditores, hanc martyrum poenam cum suppliciis damnatorum. In carcere confessorum Christi pauci quidam erant, in carcere gehennae innumerabiles homines erunt. In illo solae aliquot hominum sordes foetorem excitabant, in isto omnes totius mundi sordes omnes foeces, omnis colluvio omnis denique teter et gravis odor congregabitur. Si igitur illius carceris foetor omnia poenarum genera superabat, quis gehennae foetorem sine ulla comparatione graviorem et horribiliorem tolerare poterit? Quis item sine horrore legere potest, novum illud tormenti genus, sive id verum, sive falsum sit, quod latinus poeta describit, cum ait:

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus atque oribus ora.
Tormenti genus et sanie, taboque fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

Quid? Nonne hoc est horrendum, non solum aspectu, sed etiam auditu, ut homo vivus sanus cum mortuo cadavere colligetur, ut inspiratione teterrimi illius foetoris, et corruptione ac vermibus a cadavere egredientibus homo miserrimus contabescat, et a mortuo vivus extinguatur? Sed si hoc genus supplicii durum atque immane, sicut est, ita nobis videtur, quid de gehennae foetore dicemus, qui ex tot spurcissimis corporibus oritur?

Sed si haec odoratus patitur, gustandi sensus, qui multo plurium et graviorum criminum causa esse solet, numquid immunis a supplicio erit? Non sane, auditores, verum tunc primum intelligent homines ebriosi atque impurissimi helluones, quanti exquisitas epulas et potationes illas emerint quas hic tam vili pretio se emisse arbitrabuntur. Iste igitur sensus incredibili fame et siti torquebitur, et qui nunc duorum dierum jejunium ferre non possunt, et nisi usque ad ebrietatem et vomitum biberint, se naturae satisfecisse non putant, tali tunc inedia, et siti cruciabuntur, ut major neque cogitari, neque fingi possit. Quem non moveat illa vox divitis Evangelici: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma?* Quae major inopia cogitari potest? Quid minus petere poterat iste dives, qui quondam *epulabatur quotidie splendide?* Non audet plenum aqua poculum petere, cui olim exquisitissima vina non sufficiebant, sed neque postulat ut manum totam, imo quod magis admirandum est, nec ut totum digitum Lazarus in aquam intingat, sed extremam dumtaxat digiti partem, et hoc ipsum impetrare non valuit. Quae propterea nobis narrantur, ut intelligamus, ita generalem fuisse illam interdicti et excommunicationis sententiam, quam Dominus protulit in damnatos, ut nemo sit, qui eis vel minimum consilium aut auxilium praebere possit. Itaque quocumque oculos vertent, quocumque manus extendent, ad omne consilium atque auxilium sibi aditum interclusum

cognoscent. Et quemadmodum ii, qui in medium Oceanum ceciderunt, dum suffocantur, et cum morte luctantur, frequenter manus ac pedes extendunt; sed nihil nisi liquidam aquam inveniunt, quae omnes illorum conatus et contentiones eludit, sic ii, qui in illud altissimum miseriarum pelagus lapsi sunt, et in eo perpetuo suffocantur, omnium rerum opem, etiam mortis ipsius implorant sed frustra. Nemo est enim, qui minimam opem illis adferre ulla ratione possit. Utrum tandem haec vera sunt, auditores? Unde didicimus? Quis ista narravit? Num Homerus, num Plato, num Virgilius? Ipsa veritas, ipsa Dei sapientia, is qui mentiri non potest, haec locutus est. Est igitur fides in orbe? Utuntur homines ratione? Iudicare aliquid possunt? Unde in illis, qui ista credunt, tantus torquor existit? Qui in aliis minoribus malis arcendis tam diligentes sumus, cur ista, quomodo evadamus, non providemus?

Neque tamen sunt haec omnium poenarum gravissimae, adhuc aliae multo graviores supersunt. Siquidem sensus tangendi, propter quem tot flagitia, tot scelera, tot sacrilegia, tot stupra, tot adulteria perpetrantur, divinae justitiae ratio postulat, ut multo atrocius, quam caeteri sensus torqueatur. Itaque tortor hujus sensus ignis erit, tam potens, tam vivus, tam efficax, ut noster ignis cum eo comparatus non verus, sed pictus esse videatur. Nam cum in hunc usum dumtaxat a Deo creatus sit, ut justitiae ipsius instrumentum existat, dubitare non possumus, quin vehementissime afflicturus et cruciaturus sit. Siquidem, auditores, si quis attente cogitaret, quid doloris perciperet, si in ardentem aliquam fornacem vivus iniiceretur, et ore fornacis diligenter occluso ad unam horam ibi relinqueretur, non quidem plane intelligeret; sed tamen aliquo modo subolfaceret, quid sit apud inferos vivere. Quaeso vos, qui humeri vivas illas flammas tolerare poterunt? Quod pectus illa suppliciorum aeternitate non frangeretur? *Quis de vobis*, inquit Isaias, *habitare poterit cum igne devorante? Qui ex vobis habitabit cum ardoribus sempiternis?* Quid? quod cum hac poena alia non minor conjungetur? Nec enim ignis ardore solum, sed intolerabili etiam frigore cruciabuntur. Nam si b. Basilio fidem adhibemus, nullus pene cruciatus est, qui cum eo comparari possit, quem vehementissimi frigoris asperitas infert. Ut enim ipse oratione in quadraginta Martyres declarat, cum saevissimus ac truculentissimus quidam tyrannus inexplicabili supplicio sanctos illos martyres torquere vellet, considerare coepit asperrimam hiemem tunc vigere, et regionem, in qua erant, natura frigidissimam esse, ita ut super maximum quemdam lacum in glaciem conversum, homines cum jumentis et plaustris iter facerent et maxima flumina a cursu cessassent, et non tam flumina quam viae strata marmoribus viderentur. Itaque nocte quadam observata, in qua vehementissime boreas flaret, sanctos martyres nudos sub dio esse praecepit, et diuturnis inexplicabilibusque cruciatibus interire.

Hic igitur, auditores, ludus est damnatorum; haec alternatio delectationum, a calore nimio ad aquas nivium, et ab aquis nivium ad calorem nimium, ut Job loquitur, transferentur. Neque haec figmenta, nec fabulae poetarum sunt. Audite enim quid ipse Dominus Iobum alloquens dicit: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quae praeparavi in tempus hostis in diem pugnae et belli?* Audite psalmographum: *Ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et si haec pars tam est amara quid erit totum calicem exhaurire? O homines infelices, quanto melius vobis fuisset, numquam nati fuissetis? O miserabiles oculi, quos horrendae daemonum figurae terrebunt, quos fumus densissimus cruciabit, qui semper aperti ad vestras intuendas miserias eritis! O miserabiles aures, quae sonitum flagellorum et blasphemias ac gemitum miserorum semper audieris. O miserabiles nares, quae foetorem loci spurcissimi, et corporum spurcissimorum semper haurietis! O miserabiles ventres et ora miserabilia, quae inedia sempiterna et fame ac siti intolerabili torquebimini. O membra miserabilia, quae puteum illum sulphureas flammas evomentem incoletis? Num annos decem aut viginti aut centum aut mille? Non sane. Nam et hoc aliquod genus consolationis esset. Verum in aeternum et ultra, si ultra inveniri potest. O verbum breve, rem nobis tam diuturnam significans!

Haec aeternitas, auditores, res est ejusmodi, ut sine ea nullum supplicium grave, cum ea nullum leve judicari possit, et tamen hoc sale poenae damnatorum condiendae sunt. Primum enim tot saeculis torquebuntur, quot stellae lucent in coelo, deinde quot arenarum grana jacent in littore, tum quot guttae aquarum inveniuntur in mari. Et his evolutis iterum dolores incipient, et sine ullo fine rota ista versabitur. *Sicut oves*, inquit, *in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Ut enim oves summa folia herbarum depascunt et radices non evellunt, ut iterum herbae nascantur, et iterum tonderi ab ovibus possint; sic in pascuis gehennae, ubi oves damnati, pascua tormenta, et pastor ovium mors est, damnati ad pascua a morte deducti tormenta semper depascent, nec pabula ista umquam finientur, neque Domini calix, quem bibent, umquam exhaurietur. Tamdiu carcer gehennae manebit, quamdiu regnum coelorum manebit. Tamdiu torquebuntur damnati, quamdiu laetabuntur beati. Denique tamdiu reprobi morientur, quamdiu Deus ipse vivet. Et nisi desinat esse Deus, quod est, non desinent ipsi esse, quod sunt. O vita mortifera. O mors immortalis, et quomodo tandem te appellabimus? Vitam an mortem? Si vita es, quomodo occidis? Si mors es, quomodo duras? Neque igitur vita, neque mors dicenda es. Nam utrumque horum boni aliquid habet. Vita quietem et mors finem. Tu vero neque quietem neque finem habes. Quid igitur te esse dicemur, nisi id totum mali, quod et vita et mors habet? A morte enim cruciatus, a vita durationem accepisti. Et vitam igitur, et mortem eo bono, quod in illis erat, spoliavit Deus, et in te posuit reliquum. O venenata compositio. O pharmacum amarum, quo ex calice Domini omnes peccatores potabuntur.

Magna profecto res esset, auditores, si vel me-

diocriter intelligere possemus, quid sit aeternitas poenarum. Haec enim sola cogitatio, tamquam fraenum quoddam, omnes nostras libidines coerceret, et ita nostrae vitae moderaretur, ut non Christiani modo, sed etiam monachi vel anachoretae sanctissimi omnes videremur. Cogita enim crucem, quam patitur spatio unius noctis is, qui gravi aliquo morbo afficitur, quam frequenter se nunc ad istam, nunc ad illam partem convertit, quam longa illa nox esse videtur, quomodo numerat omnes horas, et quam diuturnam unamquamque earum esse judicat, quo desiderio aurorae ac lucis tenetur, quam saepe rogat quantum adhuc noctis supersit, et num lucis radii apparere incipiant. Iam vero si tam ingens iste dolor nobis esse videtur, qualis erit eorum, qui non lectulo molli, sed in vivis atque ardentissimis flammis jacebunt, toto spatio illius noctis, quae auroram non habet nec diei lucem expectat? O profundissima obscuritas. O nox aeterna. O nox, O nox ipsius Dei ore maledicta, quae lucem diei et aurorae splendorem non videbis. Verum, auditores, si sola huius aeternitatis cogitatio nos perterrel, quid erit non cogitare, sed reipsa in aeternis suppliciis versari? Tam horrenda profecto res est sine fine torqueri, ut quando unus dumtaxat ex Adae filiis tali supplicio mulctandus esset, merito omnibus pavendum ac trepidandum esset. Unde igitur sit, ut nunc non moveamur, cum certissime sciamus infinitum esse numerum stultorum et viam, quae ducit ad vitam, angustam, et paucos qui inveniunt eam, et viam perditionis latissimam et innumerabiles, qui per eam incedunt? Si ista non credimus, ubi est fides nostra? Si credimus, ubi judicium? Si sanae mentis sumus; si fidem scripturis adhibemus, quo pacto nobis tam horrendo periculo imminente adhuc dormimus? Qui fieri potest, ut crapula et ebrietas adhuc placeant? Adhuc otiose vivere delectet? Excitemur igitur aliquando torporem excutiamus, ut in terris gratiam, deinde post obitum gloriam Dominus largiatur, qui est in saecula benedictus. Amen.

CONCIO IV.

DE BEATITUDINE COELESTI ET GLORIA BEATORUM

SYNOPSIS.

A figura Abrahami terram promissam lustrare jussi, beatitudinem a nobis in terris cogitatione esse peragrandam, exordium docet. Eamdem beatitudinem esse maxime notam et minime notam probatur: illud, quia innata est cuique ejus aliqua cognitio; hoc, quia de nulla re tam diversae fuerunt philosophorum veterum opiniones, cujus rei duplex assignatur ratio. Quod felicitas non in sapientia humana, neque in divitiis, nec in potentia, nec in honoribus neque demum in voluptatibus consistere possit, ostenditur. Veram tamen felicitatem in se continere infinitas divitias, immensam potentiam, incomparabiles dignitates, (ubi vanitas honorum mundanorum ob oculos ponitur) et incomprehensibilem voluptatem, quae omnia fuse et eleganter priori parte pertractantur.

Cur proxime sequens concio de humana miseria instituatur, causa redditur. Dona, quibus beatorum corpora sunt donanda, enumerantur, ut sunt, praeter alia pulchritudo, impassibilitas, agilitas et subtilitas, claritas, sensuum denique omnium delectatio, atque in primis oculorum ex intuitu beatorum, praesertim multorum et variorum martyrum, b. Virginis, imo ipsius Dei Filii: aurium ex suavissima symphonia omnigenarum vocum et instrumentorum, siquidem aequum esse videntur ut corpus, quod miseriae fuit particeps, etiam praemiorum aequalitate congaudeat. Locus deinde coelestis beatitudinis describitur, eiusque sublimitas, amplitudo, pulchritudo et venustas multis commendatur praecipue vero a multitudine, nobilitate, pace et concordia inhabitantium. Praeterea quasi per antithesim proponitur ingressus coelestis gloriae, occursus sanctorum, et de superatis mundi miseriis victoria et triumphus. Tandem conclusione ad coelestem patriam exhortatoria finitur.

Cum Deus Optimus Maximus Abrahae patriarchae regiones Palaestinae se daturum polliceretur, id ei simul praecepit, ut omnia illa loca diligenter circuiret ac peragraret: *Omnem terram*, inquit, *quam conspicis tibi dabo, et semini tuo usque in sempiternum. Surge* ergo, *et perambula terram in longitudine sua: quia tibi daturus sum eam.* Quae verba, optimi auditores, nobis etiam, quibus regnum coelorum promissum est a Domino, dicta esse merito, jureque optimo existimare debemus. Nec enim aliquis in illa felicissima loca ingredi permittitur, neque ad ea alicui aditus unquam patebit, qui ea non diu, multumque desideravit, et ad ea vehementissime non aspiraverit. Quis vero tanta cupiditate ejus pulcherrimae regionis videndae flagrabit, quanta nos flagrare par est, si nihil de ejus excellentia et pulchritudine noverit? Quare surgendum nobis paulisper est, et terrae cogitationes et negotia relinquenda sunt, ut alis spiritus in sublimes illas ac illustres regiones delati, longitudinem aeternitatis et latitudinem felicitatis earum inspicere et contemplari attente ac diligenter valeamus. Et quamquam multa ac varia sunt, quae de sempiterna felicitate regnoque coelorum dici possunt, nobis tamen duo potissimum hoc tempore, et his auditoribus dicenda esse videntur. Primum enim de ipsa beatitudine ac felicitate; deinde de regionibus ac domiciliis beatorum, quoad angustias temporis patientur, disserendum erit.

Principio igitur beatitudo propter sui eximiam atque excellentem naturam id fere proprium habet, ut maxime nota et minime nota esse videatur. Eam enim rem quamdam optimam, et praeclarissimam esse, ac ut Boetius ait, statum omnium bonorum aggregatione perfectum, quem adeptus qui sit, nihil quaerat nihil appetat, nihil optet amplius, nemo est qui nesciat. Cum enim omnibus hominibus amor quidam beatitudinis a natura insitus sit, et quod penitus ignoratur, amari non possit: cognitionem quoque beatitudinis aliquam omnibus hominibus ab ipsa natura insitam esse, necesse est. Quid tamen illud sit, in cujus possessione beatitudo consistat, et quod hominem collocet in eo statu, quem esse diximus, omnium bonorum aggregationem perfectum, id vero usque adeo priscis saeculis obscurum fuit, ut nulla quaestio sit, cujus major discrepantium opinionum perplexitas olim inter philosopos fuerit. Hinc enim aliis in rerum scientia et contemplatione: alii in virtute, quam noverant, hominis beatitudinem posuerunt: alii voluptate metiri cuncta voluerunt: alii ad ea, quae prima secundum naturam nominabant, omnia retulerunt: alii nescio quam indolentiam, seu vacuitatem expetendorum, extremum et ultimum statue-

runt:alii virtutis usum cum vitae perfectae prosperitate copulaverunt, fuerunt etiam alii, qui honestatem vel voluptatem addiderunt, vel vacuitatem doloris adjunxerunt. Denique ut ex Varrone d.Augustinus ostendit,usque ad ducentas octoginta sex opiniones de summo bono discrepantes pervenerunt.

Et quamquam veteres philosophi maximo labore, perpetuo studio et summa contentione animi summum illud bonum investigare conati sint, tamen duplici, potissimum de causa et veritate longissime aberraverunt. Primum, quod id, quod unum et simplicissimum est, in multis ipsi partes ac veluti membra secuerunt. Cum enim probe intelligerent, qui vere felix ac beatus appellandus sit, affluentem divitiis, praeditum potestate, clarum atque illustrem esse oportere, neque ei honestas, licitasque voluptates ac delitias deesse debere: et rursum cum haec omnia et alia permulta, quae status hominis beati prope suo jure postulare videtur, non posse in una aliqua re inveniri arbitrarentur, ad multarum rerum adjumenta confugerunt et multorum diversorumque bonorum aggregationem, beatitudinem definierunt.

Deinde altera illius orandi causa fuit, quod infra lunam, ubi nihil est, nisi mortale et caducum, praeter animos generi hominum Dei munere datos, beatitudinem quaesierunt. Ex quo errore ille antea commemoratus error dimanavit. Nam idcirco nihil unum invenire poterunt, cui omnes beatitudinis partes convenirent, quod non in aeternitate, ubi erat, sed in tempore, ubi non erat, illud investigare voluerunt. Etenim si veri judices atque aestimatores rerum praesentium sumus, non dubito, quin et divitias tam animi, quam corporis, et potestatem, et honores, et voluptates, et alia, quae hic in terris inveniri possunt, non modo, non partes ac membra, sed vix umbras quasdam verae beatitudinis esse judicabimus. Quales enim hic animi divitias habere possumus, ubi ille omnium judicio sapientissimus existimatur, qui hoc unum se scire, quod nihil sciret, constantissime praedicabat? et ubi alius quidam ex sapientioribus asserebat, maximam partem eorum, quae scimus, minimam partem esse eorum quae ignoramus. Deinde si de divitiis corporis agatur, quae sitim excitare et non sedare possunt? Quae corpori somnium et animo quidem auferunt? Quae unum divitem non faciunt, nisi faciens alterum pauperum! Quae quo sunt ampliores, eo pluribus custodibus indigent? Quae denique ab ipsa veritate spinis comparatae sunt: Et potestas qualis tandem hic in terris invenitur, quando reges ac principes, qui omnium hominum potentissimi esse videntur, sic infirmi ac debiles sunt, ut sine multis militibus, sine multis bellicis tormentis, sine multis machinis ac praesidiis, sine multis et magnis sumptibus, tuti esse non possunt? At ii, qui vere felices ac beati sunt, nullius opem desiderant, neque adjumenta rebus aliis petunt; sed in seipsis inveniunt, unde sufficiant ad omnium hostium impetus propulsandos. Honores vero ac dignitates, quas hic in terris invenimus, nonne fortunae ludibrio expositae sunt? Nonne odium, invidiam, suspiciones vix aut ne vix quidem effugiunt? nonne homines quales sint ostendunt, ac saepe ridiculos faciunt? Quemadmodum enim qui edito loco collocatur, non propterea pulchrior est, quod plures in eum intueantur; sed qualis sit pluribus innotescit: sic magistratus et gradus et sedes locorum, non homines sapientes reddunt, sed quales sunt, omnibus manifestum faciunt. Et saepe fit, ut qui privatus cum esset prudens, et gravis existimabatur, ad magistratum evectus, levem et stultum adeo ridiculum omnibus se prodat.Denique quales nostrae voluptates sunt, quae usum rationis impediunt, intelligentiae lumen obscurant, mentis aciem hebetant, et poenitentiam ac dolorem secum ferunt? Quando vero nihil horum, quae diximus, esset, et nec pauperes divitiae, nec imbecillis potestas, nec obscuri honores,nec amata voluptas? sed omnia praeclara, omnia excelsa, omnia angusta hic infra lunam invenirentur, nonne vel propterea hominem beatum non facerent, quod non modo non aeterna, sed ne diuturna quidem esse possint? Nam cum his demum dicendus sit (ut d. Augustinus ait) qui habet in omne quod vult, et nihil mali vult, cum tandem is, qui beatus dicitur, moriatur, vel ipso nolente, vel ipso volente fit: si ipse nolente, jam non habet omne quod vult, cogitur enim mori,cum maxime cupit vivere, adeoque beatus non est: si ipso volente, neque tunc beatus erit, quia male aliquid vult, mortem videlicet ipsam: quae tantum est malum, ut Deus quasi calumniam,de tam venenati germis procreatione a se repellens scribi voluerit se mortem non fecisse,sed invidia Diaboli eam in orbem terrarum aditum habuisse.

Quae cum ita sint dubitare, auditores, nulla ratione debemus, quin vera beatitudo supra lunam, et solem,et supra tempore vicissitudines quaerenda sit. Mundi vero sapientes beatitudinem veram investigasse quidem, non ideo invenisse, quod eam ubi non erat quaerere, atque investigare voluerint. Ubinam igitur beatitudinem inveniemus? Nempe, auditores, non alibi, quam in Deo. Tunc enim demum beati erimus, cum Deo (qui natura beatus est) similes erimus. Erimus autem similes Deo, cum eum videbimus sicuti est. Sic enim magnus ille theologus Joannes evangelista nos docuit, cum ait; *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus,quia videbimus cum sicuti est.* Sed mihi videor logicum nescio quem audire, qui vehementer miratur,quomodo ista cohaereant: *Similes ei erimus,quia videbimus eum sicuti est?* Quam multos enim sicuti sunt videmus, et non continuo similes illorum efficimur? Sed tamen, auditores,et vere et sapienter et plane theologice s. Joannes ait;*Similes erimus, quia videbimus ei sicuti est.* Id enim, unde beatus est. quicumque beatus est,sive is Deus, sive angelus, sive homo sit, nihil est aliud, quam primae ac summae veritatis, quae est, non qualiscumque cognitio, sed clarissima et apertissima visio.Quare sicut ex eo beatus Deus quod seipsum. optimam videlicet ac summam veritatem sicuti est,

intuetur ; ita nos quoque pro modulo nostro beati et Deo similes erimus , cum eum , nempe primam ac summam veritatem sicuti est,intuebimur. Deinde luna ac stellae lumen concipiunt, et similes solis efficiuntur , cum ei oppositae in eum quodammodo intuentur ; quanto magis mentes purgatissimae beatorum divinum lumen concipient , et Deo similes erunt, cum non amplius per speculum neque in aenigmate; sed facie ad faciem justitiae solem, et lucem increatam aspicient ? Vera igitur ac sola nostra beatitudo in Dei visione consistit, quod illis verbis Dominus affirmavit ; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et illis : *Haec est vitae aeterna , ut cognoscant te solum Deum verum , et quem misisti Jesum Christum.* Quae quidem beatitudo , tametsi una ac simplicissima res est : tamen et divitias , potestatem et honores et voluptatem et alia bona, quae mens humana desiderare potest, et multo etiam plura, ad quae nos humi strati, nec desiderio quidem perungere possumus comprehendit. Hoc est enim quod apostolus ait: *Oculos non vidit, nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.*

Ac ut a divitiis ordinamur, quales , obsecro divitiae beatorum erunt, quando Deus ipse, et cibus et potus et vestis et domus et possessio et pecunia illorum erit? Quando ita rebus omnibus abundabunt , ut nihil sibi deesse putent , nihil curent amplius , contenti denique ac satiati facultatibus atque opibus conquiescent. *Nec enim arca* , ut sapienter Tullius ait, *sed animus dives appellandus est.* Hic quidem in terris nemo dives est (nec enim fieri potest , ut animus noster expleatur) et merito nominari potest. Major enim est cordis humani capacitas , quam ut eam orbis etiam totus possit replere.Si quis globum quantumvis magnum super immensum triangulum poneret , nonne stultus esset , si eo globo immensam illam trium angulorum capacitatem conaretur explere ? Sane esset. Nec enim fieri potest, ut triangulus globum comprehendat, et extremi anguli vacui atque inanes non relinquantur. Quare cum res omnes creatae globum quemdam, magnum illum quidem,sed tamen certis terminis ac limitibus comprehensum efficiant , et animus noster tribus immensae capacitatis, intelligentia, memoria et voluntate praeditus , quasi quidem infinitus triangulus sit ; nullo modo fieri potest , ut res creatae , etiamsi omnes uni concederentur,amplitudinem et vastitatem animi humani penitus impleant. Tunc igitur tandem iste triangulus humanus explebitur, et dives erit , et penitus conquiescet , cum Deum ipsum possidebit,qui in Trinitate personarum subsistens, quidam triangulus immensus, ac nullis spatiis ac regionibus definitus est. Vere enim psalmographus ait ; *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Porro hanc abundantiam rerum omnium Dominus promittebat, cum diceret; *Mensuram bonam et confertam et coagitatam et superest fluentem dabunt in sinum vestrum* Et rursum. *Amen dico vobis , super omnia bona sua constituet eum.*Quae ubertas sermonis illarum divitiarum ubertatem atque affluentiam explicare poterit, quam his verbis veracissimis Dominus sanctis hominibus pollicetur? Sane is solus bona beatorum numerabit , qui Dei ipsius bona numerare potest. Vere enim ipsa veritas ait;*Amen dico vobis,super omnia bona constituet eum.* Atque haec quidem de divitiis.

Quid vero de potestate beatorum dicemus?quando non modo nihil eis nocere poterit, quippe qui in arce altissima ac munitissima constituti, et lorica immortalitatis induti erunt : sed etiam omnipotentem quodammodo voluntatem atque animum gerent ? Is enim omnipotens vere nominatur , et est, qui id totum, quod voluerit, efficere potest,et nihil plane reperitur, quod ejus voluntati resistat. Talis autem natura ipsa solus Deus noster est,qui *quaecumque voluit fecit in coelo et in terra ; et non est qui possit resistere voluntati* ejus ? Iam vero beatorum voluntates , quis ignorat , ita eum Dei voluntate conjunctas esse et copulatas, ut pene una atque eadem voluntas esse videatur , nihil enim ipsi volunt , quod Deus non velit : nihil Deo placet, quod ipsis non placeat; et id maxime fieri cupiunt, quod Deo potissimum placere intelligunt. Hac igitur ratione quicquid sancti volunt efficitur, et nihil efficitur , quod ipsi non velint. Proinde non modo potentes , sed plane omnipotentes illos esse , quis jure inficiari potest ? De qua potestate illa divini psaltis verba sunt : *Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis. Exultationes Dei in gutture eorum , et gladii ancipites in manibus eorum ; ad faciendam vindictam in nationibus,increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus,et nobiles eorum in manicis ferreis.Ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria haec est omnibus sanctis ejus.*

Neque vero hac potestate minores honores, dignitates , nomen splendor et gloria sanctorum erunt.Nam si principes, si reges, si Dei familiares, si filii , si Dii quodammodo erunt , et in ipso Dei throno sedebunt,quomodo non illustrissimi et clarissimi et gloriosissimi erunt ? Audite enim quid ipse Dominus dicat : *Qui vicerit , dabo ei sedere mecum in throno meo , sicut et ego vici et sedi cum patre meo, in throno ejus.* O gloria incredibilis et quorum laborum,quorum certaminum,quorum dolorum obliviscentur ii , qui victoriae palma , diademate , ac sceptro insignes coram omnibus coeli principibus ipsius Dei manibus in trono altissimo et illustrissimo collocabuntur? Merito exclamas , apostole Paule : *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam , quae revelabitur in nobis.* Et rursum : *Id enim , quod in praesenti est momentaneum , et leve tribulationis nostrae , supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Merito, David sancte , gloria ista oculos tuos perstringi t, cum ais ; *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus , nimis confortatus est principatus eorum.* Quare contemnite , auditores , et deridete eos, qui vel in bellis administrandis rebuspublicis , vel in libris conscribendis , vel in statuis et columnis et aedificiis exstruendis omne suum tempus et corporis atque animi vires consumunt, ut gloriam aliquam et celebritatem sermonis hominum consequantur. Pri-

mum enim quid illis proderit hic, ubi non erunt, laudari, cum in gehenna, ubi erunt, torquebuntur? Deinde, quam multos istorum spes ista nova fefellit? Et ecce d. Antonius, d. Benedictus, d. Franciscus, homines simplices, et expertes litterarum gloriam fugitant, honores contemnunt, aurum tamquam lutum conculcant, et tamen brevissimo spatio splendorem illum apud mortales etiam consequuntur, ad quem nemo mundi sapientum et potentum maximis laboribus, incredibili studio et summa animi contentione pervenire potuit. Quam multos in orbe Christiano reperietis, qui nomen Julii vel Alexandri vel Aristotelis vel Ciceronis numquam audierunt? At qui de beato Francisco, beato Antonio, beato Benedicto, et aliis permultis vitae sanctitate et signis et prodigiis claris, nihil audierit, nescio si vel unum invenire poterimus. Et nos, qui ista nomina in veterum libris invenimus, cum Alexandri vel Aristotelis recordamur, quantam tandem reverentiae significationem illorum nomini exhibemus? Plane modicam omnino vel nullam. At sanctorum memoriam nonne statuis, templis, altaribus, diebus festis, hymnis, cantibus et omni laetitia ac celebritate prosequimur? Quid? Nonne christiani pontifices, reges, imperatores, sanctorum statuis caput aperiunt, et eos apud Deum patronos et advocatos habere cupiunt? Et hoc unde, auditores, nisi quia mundi sapientes gloria fundamenta super arenam vel super aerem potius jacere voluerunt. Alii ex libris, quos summo labore conscribunt, nomen et gloriam aucupantur. Quid facilius, quam si liber comburatur? Alii in statuis et monumentis gloriae fundamentum ponunt. Quid facilius, quam si simulachrum frangatur? Alii magnificum aedificium testem ac praeconem suae nobilitatis habere volunt. Quid facilius, quam si aedificium ruat? At nostri Francisci, et Antonii et alii viri sanctissimi supra firmissimam petram fundamentum jecerunt. Nempe enim in fide, in charitate, in patientia, in castitate, in temperantia, in sobrietate, in contemptu rerum praesentium, et desiderio aeternarum excellere et enitere, vere magni et praestantis animi esse putaverunt.

Voluptas superest ea iis rebus, quas ad felicitatem necessarias esse dicebamus. Verum nullum auditores, tantum flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis tantaque copia reperitur, quae vel minimam partem ejus voluptatis explicare possit, quae ex ipsius Dei visione percipitur. Tria enim sunt quae ad voluptatem excitandam requiruntur: Primo, vis animae capax voluptatis, quales sunt in homine sensus et intelligentia: deinde res ipsa, quae ad eam animae vim admota gignit voluptatem, quales in rebus corporatis colores, odores, sapores et alia id genus sunt: postremo utriusque conjunctio et copulatio. Et quanto vis animae praestantior, et res objecta excellentior et conjunctio arctior et major existit, tanto voluptas, quae ex illis principiis oritur, vehementior majorque percipitur. Quae cum ita se habeant, quis vel oratione vel cogitatione consequi valeat, quem sensum voluptatis sancti percipiunt, cum ipsorum intelligentia, vis animae praestantissima, cum Deo summo et infinito bono ita conjungitur, ut unus Spiritus sit cum eo? O quale est illud osculum. O quales illi amplexus! O quale connubium auditores. Quid, obsecro, erit, vultum illum, illam lucem, illam speciem intueri, quam laudant astra matutina, et cujus pulchritudinem sol et luna mirantur? Quid erit bonum illud generale, in quo omnia bona continentur; et mundum illum vere magnum, qui omnes alios mundos comprehendit, possidere? Si regina Saba, cum Salomonem vidisset, et audivisset, stupefacta dicebat: *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stans coram te semper et audiunt sapientiam tuam*: quid erit summum illum Salomonem, aeternam illam sapientiam, primam atque increatam illam veritatem semper audire? O quale illud gaudium erit cum uno aspectu altissimum, et maxime reconditum adorandae Trinitatis arcanum intuebimur, et cum simul Deum et res omnes in Deo videbimus? Quid enim non videbit, qui videntem omnia videbit? Tunc igitur tandem mens humana quiescet, neque intelligentiam uberiorem desiderabit, cum ante oculos id totum, quod intelligi potest, habebit. Tunc et voluntas humana quiescet, cum eo bono fruetur, in quo caetera bona, tamquam in fonte et oceano bonorum omnium continentur. Tunc illae tres virtutes, quibus Deum modo veneramur, et colimus praemium suum accipient, cum visio fidei, possessio spei, et charitati imperfectae charitas perfecta succedet. Tunc demum cantabitur canticum illud quod licet semper cantetur, semper tamen est novum, Sicut enim corpora beatorum numquam senescent, sic laetitia, gloria et voluptas eorum viridis semper et florida permanebit.

PARS SECUNDA

Concione proxima, quae die Dominico sequenti habebitur, constitui, Domino bene juvante, de miseria humanae vitae verba facere, ut intelligamus, non modo futura, qualia sunt novissima, de quibus hactenus egimus; sed etiam praesentia nos ad mundi contemptum et Dei amorem incitare. Spero autem considerationem humanae miseriae, vel aeque utilem ac novissimorum considerationem futuram vel etiam utiliorem. Novissima enim, ut mors judicium, gehennae et gloria beatorum clamant quidem, et maxima voce clamant, ut mundi blandiciis non acquiescamus, et cantum sirenarum non audiamus, et aliquando voluptati, quae simul blanditur, et decipit, valedicamus; sed tamen quia procul posita vel sunt, vel esse, licet falso putantur, propterea eorum vocem non exaudimus, nisi mentem et aures erigamus, et in magno silentio constituti, diligentissime voces illas attendamus. At praesentes humanae vitae calamitates nobiscum versantur, nobiscum vivunt, nobiscum iter faciunt denique numquam nos deserunt, et earum clamores nos possumus non exaudire, nisi forte aures nostrae hoc sonitu oppletae obsurduerint; sicut quibusdam Nili accolis aures ob continuum sonum occalluerunt. Hoc igitur argumentum proximae concionis erit.

Liberalissimus ac beneficentissimus Deus no-

ster, sicut non solum Isaac patriarchae, quem elegerat, sed etiam Ismaeli propter Isaac et propter Abraham benedixit; sic non solum animos beatorum gloriosos et illustres efficiet; sed etiam corpora, propter affinitatem et cognationem, quae illis cum animis intercedit, beneficiis multis et magnis afficiet. Primum enim si animus scientiae et sapientiae divitiis affluet, corpori quoque suae ac propriae opes non deerunt, quae sunt robur, sanitas, pulchritudo, possessio regionis amplissimae et pulcherrimae, de qua paulo post dicturi sumus. Deinde si animus potens, et modo quodam omnipotens erit, et corpus immortalitatis veste contectum atque armatum ejusmodi erit, ut numquam fame, neque siti cruciari, neque morbis frangi neque igne torreri, neque ferro aperiri aut sauciari ulla ratione possit. Tanta praeterea agilitate praeditum, et usque adeo mentis, ac rationis imperio obtemperabit, ut sine labore, nullo negotio summa facilitate super omnes coelos ascendet. Quam jucundum spectaculum erit, auditores, cum terram super coelum videbimus et cum haec corpora, quae nunc parvum collem sine labore superare non possunt, tunc instar fulminum velocissime ubique discurrent. Si rursum animus gloria et honore insignis, illustrissimus et clarissimus erit, corpus quoque tanta luce micabit, ut Dominus dicat: *Tunc justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* Si vero Sol unus dumtaxat orbem totum illustrare et sua luce complere potest; si tanta est jubaris illius majestas, ut a nonnullis tanquam numen divinum coli potuerit: si denique parens laetitiae, mundi oculis et fons luminis a veteribus est appellatus, quid erit cum tot corpora beatorum, hoc est tot soles, tot lampades, tot luminaria clarissima coelestem Ierusalem illustrabunt? Postremo si animus atque mens deliciis inexplicabilibus perfruetur, suae quoque non deerunt corpori honestissimae et maximae voluptates. Siquidem omnes sensus res sibi maxime congruentes percipient, et sine fastidio incredibili delectatione satiabuntur.

Oculos primum loci amoenitas, et corporum beatorum species et gloria delectabit. Ibi enim patriarcharum coetum, ibi agmina prophetarum, ibi senatum apostolorum, ibi martyrum palmas, ibi virginum coronas, ibi confessorum et monachorum diademata intuebimur. Si verum est, quod sapientissimus Augustinus verum esse putavit, nempe martyres beatissimos in ea corporis parte, in qua potissimum supplicia propter Deum pertulerunt, signa quaedam virtutis, splendorem videlicet, et decorem eximium habituros, quale spectaculum erit, omnem illam tot signorum verae fortitudinis venustissimam diversitatem unico intuitu cernere, quae in corporibus tanti et tam invicti exercitus apparebit? Stephanus protomartyr, velut signifer quidam agminis gloriosi tot pretiosis lapidibus gemmisque micantibus insignis erit, quot ejus corpus a lapidatoribus plagas accepit. Ibi Stephani beatissimi comes, et collega Laurentius toto corpore multo splendidior et clarior erit, quam ea flammae fuerint, quae ipsum tyranni jussu concremaverunt. Ibi corpus apostoli Bartholomaei omnem purpuram quantumvis pretiosam splendore ac lumine superabit. Ibi colla Baptistae et Pauli velut quadam torque ex auro purissimo incredibili decore fulgebunt. Quale convivium corpus intercisi Jacobi, quale Agnetis, et Teclae, Caeciliae, et Catharinae, quale tot aliorum praeclarissimorum atque invictissimorum martyrum, quorum vix nomina scimus, quale, inquam, convivium, quales epulas oculis nostris praebebunt? Quis vero delitiis putatis oculi nostri fruentur, cum supra omnes angelorum choros, reginam illam, Deique matrem videbunt, cujus tanta est gloria atque majestas, ut ipsa sola chorum unum, decimum videlicet et postremum efficiat, cujus pulchritudinem angeli suspiciunt, et de cujus magnitudine homines gloriantur? Et ad haec omnia quid erit ipsum Dei Filium Christum in solio gloriae suae collocatum intueri? Si mortales homines hic in terris gaudere et diem festum agere solent, cum affinem aliquem suum cardinalem aut pontificem renunciarum esse intelligunt, quam voluptatem, obsecro, capiemus cum Dominum illum, qui frater noster, os nostrum et caro nostra est, regem, imperatorem et monarcham orbis esse videbimus? Quam jucunda res erit cernere hominem, creatorem hominum? Quam libenter homines inter angelos erunt, cum totius familiae patrem et dominum, non angelum, sed hominem esse conspicient? Atque haec quidem delectatio oculorum erit.

Porro aures perpetuo psalteria, organa, citharas vocesque illas purissimas et jucundissimas audient quae omnem tristitiam pellere et omnia humana corda quantumvis ferocia et exacerbata mansuefacere possent. De beatissimo patre Francisco beatus Bonaventura scribit, cum aliquando cithara quaedam angeli opera in ejus auribus insonuisset, tanta eum voluptate affectum fuisse, ut hoc saeculum cum alio se crederet commutasse. Quid igitur sentiet unusquisque, cum choris angelorum interesse, et hymnos illos de canticis Sion, et audire et cantare nobis licebit?

Neque vero olfaciendi, et gustandi sensus voluptatibus suis carebunt: sed plane reficientur et recreabuntur odoribus fragrantissimis et saporibus jucundissimis, non quales hic in terris habemus, sed quales status illius praestantiam et sublimitatem decebunt. Neque enim ad naturae defectum, sed ad gloriae et felicitatis incrementum erunt.

Hac igitur ratione justissimus Deus efficiet, ut ea corpora, quae cum animis suis laboraverunt, cum iisdem in coeli palatiis semper exultent. Aequum est enim, ut qui pauperes propter Christum libenter fuerunt, ii regni coelestis opes amplissimas recipiant. Aequum est, ut qui debiles atque infirmi hominibus visi sunt, et propter Deum catenis onerabantur, virgis caedebantur, bestiis obiiciebantur, in cruces tollebantur, igne et ferro crudelissime necabantur, vim vi non repulerunt, neque hostibus suis penitus restiterunt; ii potentissimi fiant, et non improbis hominibus modo, sed omnibus etiam daemonibus formidabiles sint atque tremendi. Aequum est, ut qui propter Deum humiles atque abjecti esse voluerunt, et se contemni conculcari, nihil fieri, patienter atque libenter passi sunt; ii clarissimi atque illustrissimi in regno

coelorum efficiantur. Aequum est postremo, ut qui consolationem ex rebus creatis non quaesierunt, imo delitiis omnibus sibipsis interdixerunt, et in fame et siti, in frigore et nuditate, in laboribus et aerumnis, in jejuniis et vigiliis Domino servierunt et carnis libidines fortiter compresserunt; ii delitiis et voluptatibus maximis et sempiternis in coelestibus domiciliis perfruantur.

Habetis hactenus, auditores, non expressum quidem, sed tamen leviter adumbratum praemium ac stipendium, quod animis et corporibus beatorum Deus paravit. Nunc de ipso loco, in quo tam praeclarum stipendium persolvitur, quanta maxima possumus brevitate dicamus.

Illa igitur felicissima regio beatorum, quae coelestis Ierusalem merito nominatur, tantum sublimitate, amplitudine et pulchritudine reliquas omnes regiones exuperat, quantum ejus habitatores sapientia, nobilitate et probitate reliquarum omnium regionum habitatoribus praestant. Si de sublimitate illius urbis certior fieri cupis, solem et lunam et stellas caeteras intuere. Unde est enim, ut aliquae stellae tam exiguae nobis esse videantur, cum tamen earum globi terrae magnitudinem facile vincant, nisi ex eo quod inter eas, et nos pene immensa spatia intercedunt? Quantam igitur sublimitatem urbem illam obtinere dicemus, quae super omnes montes, super omnia elementa, super omnes coelos supra mutationum et temporum omnium vicissitudines posita est? Porro amplitudinem non minorem esse, quam sublimitas ipsa sit, ex eodem siderum aspectu cognoscere facile possumus. Si enim eae sunt magnitudines omnium, quas esse numquam suspicati sumus, sique principes orbis terrae tantum spatium omnes simul in potestate non habent, quanta est unius exigui sideris magnitudo; et si stellae innumerabiles lucent in coelo, et multo etiam plures in eo esse et lucere possent, quanta tandem coeli ipsius amplitudo et capacitas erit? Vere igitur propheta Baruch exclamavit; *O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis ejus.* Jam vero quid de pulchritudine, elegantia atque amoenitate paradisi delitiarum dicemus? Noster hic orbis terrarum, qui stabulum pecudum et locus exilii et vallis miseriae et lachrimarum est, tanto artificio ab illo summo architecto fabricatus est, ut non domus belvarum sed hortus delitiarum esse videatur. Obsecro, quae species hujus amplissimi theatri? Quae pulchritudo hujus maximae domus, quae coelum ut tectum aureum, et terram ut pavimentum floridum habet? Et in ipso solo terrarum, quae celebritas oppidorum? quae majestas urbium? quae Maria? qui lacus? quae flumina? quam venustas silvarum? quae species collium? quae amoenitas vallium? Vere potissimum ineunte, cum coelum serenum et aer tepidior esse solet; terra vero ubique parturit herbescentem viriditatem, et prata floribus vestita et quasi coloribus variis depicta cernuntur, et omnes arbores solia, omnes vineae pampinos, omnia arva fruges profuerunt. Et si haec ita se habent, quantum artificii eumdem illum mundi conditorem et parentem Deum in illo coelesti domicilio aedificando posuisse par est, quod praetorium imperatoris, paradisus voluptatum, et vere hortus delitiarum regum et principum est? Si ejus domicilii partem exteriorem, quam hinc spectare nobis etiam licet, tam illustrem et tot luminibus quasi tot lapidibus pretiosis gemmisque clarissimis ornatum esse Deus voluit: quid de parte interiore, quam soli beatorum oculi cernere possunt, suspicari et cogitare debemus. Sane apostolus et evangelista Joannes in Apocalypsi, verbis fortasse non quibus voluit, sed quibus potuit urbis illius pulchritudinem et majestatem expressit, cum ait: *Erat structura muri ejus ex lapide iaspide; ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo: Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Et singulae portae erant ex singulis margaritis, et platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum. Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus Omnipotens templum illius est et agnus. Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est agnus. Et ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terrae adferent gloriam suam et honorem in illam. Et portae ejus non claudentur per diem, nox enim non erit illic. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae agni.* Haec est descriptio civitatis cujus pulchritudinem usque adeo regius propheta miratur, ut dicat: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini: Beati qui habitant in domo tua Domine in saecula saeculorum laudabunt te. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.* Et si in atriis tanta venustas, quanta in domo interiori, in aulis, in cubiculis erit?

Verum enimvero, auditores, praecipua laus civitatis est, si multos cives, si nobiles, si quietos, et tranquillos habeat: quae omnia in hac nostra, de qua loquimur urbe, singulariter eximia et praestantia sunt. Numerus enim coelestium civium plane innumerabilis est. Nam si de angelis sanctis loquamur, nonne Iob sanctissimus ait, *Numquid est numerus militum ejus?* Et David Propheta: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium.* Et s. Daniel: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Et ipse Dominus; *Putas quia non possum rogare Patrem meum; et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?* Denique magnus ille areopagita Dionysius nonne ait, multi sunt beati exercitus supernarum mentium infirmam et constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem? A qua sententia, neque d. Athanasius, neque d. Hieronymus neque b. Gregorius neque alii nonnulli sancti et eruditi patris abesse videntur.

Si vero de sanctis hominibus, qui illam urbem habitabunt; sermo sit, audite quid in apocalypsi b. Ioannes se vidisse commemorat: *Vidi*, inquit, *turbam magnam, quam dinumerare nemo pote-*

rat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum,et in conspectu Agni amicti stolis albis , et palmae in manibus eorum. Neque vero multitudo tanta confusionem ; sed potius summus ipsius ordo pulchritudinem et decorem maximum pariet.

Iam vero, quid de nobilitate coelestium civium dicemus, quando triumphatores, reges, principes, Dei filii et Dii quodammodo , quod nomen longe clarissimum est omnes coeli habitatores erunt? Siquidem ex omnibus gentibus et tribubus et linguis et populis, ex omnibus regnis et provinciis orbis terrae, et ex omnibus hominibus, qui sunt, erunt et fuerunt, summa tantum nobilitas et ipse flos eligetur. Cum summus pontifex in supplicationibus procedit , toto senatu patrum purpuratorum eum prosequente, mirum est profecto studia et concursum hominum cernere , qui ad illum intuendum confluunt. Quale igitur spectaculum erit, omnem illam innumerabilem multitudinem beatissimarum mentium et illustrissimorum hominum unico intuitu spectare? Res ista sane ejusmodi est , ut si attente, diligenterque cogitetur, attonitum hominem et stupefactum reddere possit. Quid? unus angelus dumtaxat etiamsi infimi ordinis sit,multo pulchrior est, quam id omne, quod oculis corporeis conspici potest. Quid igitur erit, non angelum unum , sed omnem exercitum angelorum spectare, et omnium munera ac functiones et gloriam ac beatitudinem intelligere?

Porro tranquillitas et pax et animorum consensio quanta sit in eo loco, ipsum nomen civitatis declarat. Non enim sine causa Ierusalem, hoc est, visio pacis, appellata est. Itaque nec superbia in ea locum habet, quae efficere solet, ut inferiores a superioribus contemnantur: nec invidentia, quae inferiores contra superiores accendit ; sed amor et charitas ubique dominatur et regnat, quae bonum singulorum facit bonum omnium et bonum omnium efficit bonum singulorum. Ibi vere est corpus unum, cor unum et anima una, ibi Deus unus est omnia in omnibus. Unde, obsecro, sit, ut civis civem magis diligat,quam externum et frater fratrem magis, quam alium hominem et caput pedem sui corporis magis, quam oculum alterius corporis ? Nempe ex eo, quod cives urbem communem , et fratres domum communem , et membra ejusdem corporis vitam,victum et vestes communes habent. Quanta igitur conjunctio,quantus amor inter omnes beatos erit, quibus unus atque idem Deus, patria , palatium, vita, cibus, potus , indumentum ac demum omnia omnibus erit? Laetitia plane, quae ex hac conjunctione nascetur,et quam singuli de beatitudine omnium capient. tanta erit, ut eam nulla oratio explicare possit. Si duorum sapientum et proborum hominum amicitia tam est dulcis, ut ille dixerit. solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e mundo tollunt, quam jucundum erit cum tot sapientissimis et optimis viris perpetuo conversari? cum apostolis loqui? cum prophetis conferre? agere cum martyribus? cum doctoribus et episcopis sanctissimis vivere?

Cogita igitur qualis tibi dies illucescet, si probe ac religiose vixeris ? quando emenso vitae hujus brevissimo curriculo a morte ad immortalitatem transibis, et in portis felicissimae illius urbis primum vestigium pones, ubi perpetuo festi dies aguntur in eorum gratiam , qui ex hoc praelio hostibus devictis, et spoliis inimicorum onusti , locum illum triumphis sanctorum consecratum, ingrediuntur. O quale gaudium animus tuus percipiet, cum tot principes nobilissimi tibi advenienti occurrent, in amplexus et oscula ruent, de adventu novi fratris inter se cum ingenti laetitia colloquentur, ac demum tibi undique circumfusi ad thronum summi imperatoris cum tympanis et organis te deducent, ibique victorias tuas praedicare incipient atque recensebunt eleemosynas, jejunia orationes, integritatem atque innocentiam vitae , patientiam in adversis, moderationem in prosperis denique justitiam, temperantiam , castitatem, sobrietatem. O qualem voluptatem ex singulis tuis bonis operibus capies. O quomodo tunc pretium ac dignitatem virtutis intelliges.

At ubi in portu tranquillissimo et tutissimo te positum cogitabis , et oculos paulisper convertes ad oceani fluctus, super quos transivisti, et scopulos, vada, procellas, vim ventorum , aestum aquarum et praedonum ac piratarum multitudinem intueberis,o quam vehementer evasisse te gaudebis? O quibus verbis liberatori ac Deo tuo gratias ages? O quam saepe repetes, *Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus inferno habitasset anima mea*, et tum potissimum, cum numerum illum infinitum pereuntium videbis,et te unum ex numero liberatorum et infelicium esse cognosces.O regnum beatissimum. O incolae beatissimi , quibus jam tentationes et insidiae longissime recesserunt,jam gladiis et loricis, palmae et diademata successerunt: jam tuto somnum et quietem capere possunt oculi, quos assiduae vigiliae atque excubiae apertos tenuerunt. Iam sanctus Hieronymus a jejuniis et lachrimis, et pectoris tunsione cessare potest. Iam beatus Paulus et beatus Antonius qui solitudines desertissimas sectabantur, ut occasiones peccatorum fugerent, sine periculo versari in medio foro coelestis Jerusalem possunt. O laetissima patria. O dulcis gloria. O societas fortunata. O mater nostra Jerusalem, cujus fundamenta in montibus sanctis, ad quos nec jacula hostium cruentorum, nec sibilus antiqui serpentis , nec turbines . aut nimbi, aut procellae pervenient: Temeritas videtur concupiscere te, sed quisnam vivere sine tui desiderio potest? *heu mihi , quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar multum incola fuit anima mea.*

Filii Adam, haec patria vestra: oves Christi, hoc vestrum ovile , haec pascua vestra: columbae seductae non habentes cor , hic vester nidus , haec requies vestra. Quid agitis? Quo curritis?Quid persequimini ? Cur tantum bonum , tam leviter vobis eripi sinitis? Cur non fortiter tanto stipendio proposito dimicatis ? Hic tempus certaminis , illic triumphi. Hic sementem facere , ibi metere oportet. Cur uvas colligitis antequam maturescant? Cur otio et voluptatibus ante tempus vocamus? An nescitis quid Jeremias propheta clamet ? *Omnis homo , qui comederit uvas acerbas , obstupescent*

dentes ejus. Nunc aestus viget,nunc uvae acerbae sunt: nunc aestus ferendus et tolerandus est. In coelo autumni jucunditate, et uvis maturis frui licebit. Qui vero haec non intelligens uvis acerbis hic vesci voluerit, maturas certe numquam habebit. Et non miretur, si dentes ejus apud inferos obstupescent. *Vanum vobis est ante lucem surgere*. Lux nostra Dominus Christus, hic sedit,hic jacuit, honores fugit, despici voluit: at post obitum tandem surrexit,gloria et honore coronatus in coelum ascendit. *Vanum* igitur *vobis ante lucem* istam *surgere*, sed *surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris*. Nunc sedeamus, fratres, nunc humiles simus, nunc laboremus, nunc nesciri cupiamus. Tunc autem *cum dederit dilectis suis somnum*, plane somnum, mortem placidam et jucundam: *Ecce haereditas Domini*: tunc surgemus, et honoribus, ac voluptatibus per Christum perfruemur, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO V.

DE MISERIA HUMANAE VITAE

SYNOPSIS

Praelibata utilitate, ex iugi miseriae humanae et vitae fragilitate consideratione, resultante, thema concionis ex cap. 14 Iobi desumitur. Ubi primum adducitur, ex quam vili materia homo compositus sit, nempe ex terra, eaque abiectissima; cujus memoriam vel ipsum nomen homò, ab humo deductum, refricat. Hominis conceptionem omnium etiam plantarum productione foediorem esse, utpote a qua Christus ipse abhorruit, et a virgine, non a foemina corrupta, concipi voluit. Status miser foetus in utero materno inclusi describitur. Miseria parientis, infantis nuditas et indigentia explicatur; et quantum a superbia abstrahere debeat hominem ortus innotescit. Humanae vitae brevitas depingitur, et quam variis rebus ea a variis comparetur, narratur. Quam mirum sit, hominem mori, cum tamen ex forma constet immortali. Quamvis sit miseriarum humanarum magnus Oceanus, tamen paucarum hominem esse capacem, vel ex historia Amanis et experientia probatur. Deinde particulatim miseriae singulorum sensuum, imaginativae, intellectus tam speculativi, quam practici, et voluntatis pulcherrime, ut omnia, declarantur; atque aetatum singularum calamitates breviter perstringuntur.

Altera pars producit miserias, quae homini a rebus circumstantibus evenire consueverunt, nimirum a coelo et elementis, a brutis, ab hominibus, a daemonibus, ab Angelis, a Deo ipso, imo a se ipso. Fragilitas humanae vitae, eiusque causae, ostenditur; Fallacia et instabilitas eiusdem rationibus et similitudinibus demonstratur. Inter tot miserias hanc non esse postremam; quod Deus omnia mala praesens observet. Miseriarum vero ultimam esse mortem; cujus cogitationem superbiam domare; pavonis exemplo docetur. Et quia nec brevissima vita certa est, idcirco epilogus nos ad vigilantiam duabus similitudinibus viam munit, convivae scilicet de venenato aliquo cibo inter ceteros admoniti, et militum in praesidiis excubitorum, ut hoc modo expediti Christo occurrere possimus.

Nihil est, auditores optimi, quod ita mundi deceptiones et rerum praesentium vanitatem ante oculos hominum ponat, ut incertitudinis, brevitatis, fragilitatis et aliarum et calamitatum humanae vitae attenta diligensque consideratio. Omnis enim humana superbia et universa mundi gloria, cum vitam ipsam humanam tamquam sedem et fundamentum habeat, certe non potest diutius permanere, quam vita ipsa permanet. Itaque divitiae, dignitates, honores, magistratus, et alia, quae homines hic in terra suspiciunt, saepe quidem adhuc viventem deserunt: numquam tamen longius, quam usque ad sepulchrum hominem persequuntur. Tunc enim cum fundamentum aedificii ruit, totum aedificium ruere necesse est. Quare si verum est, quod ille gravis poeta dicere solebat, vitam praesentem nihil aliud, quam umbrae somnium esse, quid tandem humanae gloriae pompa erit, quae brevior adhuc et fragilior, quam ipsa vita est? Haec sane consideratio oculos multorum aperuit, in illisque effecit, ut omnem hominum caecitatem demirari inciperent. Quod ut in nobis quoque efficere possit, de miseriis humanae vitae, et perspicue et accurate, quantum in nobis erit, et temporis praescripti brevitas patietur, hodie, sicut polliciti sumus, disseremus. Ac ut facilius, quae dicentur a nobis, memoria custodiri possint, notissima illa verba Job explicabimus: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra et numquam in eodem statu permanet.*

Statuae atque aedificia, et alia id genus opera, non parum et materia, ex qua fiunt commendari vel vituperari solent. Quare S. Iob, doctor sapientissimus, et humanae miseriae peritissimus, quippe qui eam ab ipsa experientia, optima rerum magistra, didicerat, ne aliquid in hac descriptione humanarum calamitatum desideraremus, ab ipsa materia, ex qua homo compositus fuit, exordiri voluisse videtur, cum ait: *Homo natus de muliere.* Homo enim quemadmodum ex duabus partibus maxime differentibus constat, quarum una nobilissima, altera abjectissima est; sic etiam duo nomina habet, unum summae nobilitatis, alterum extremae abjectionis et humilitatis. Nunc enim vir quod nobilitatis; nunc homo, quod abjectionis nomen est appellatur. Et viri quidem appellatio formam, hominis vero materiam, ex quibus hoc animal compositum est, designare videntur. Job igitur non viri, sed hominis nomine uti voluit, ut materiae ignobilitatem ostenderet, ex qua hoc animal super-

bissimum constat. Homo enim ideo ab humo dictus est, quod ex humo effectus et procreatus sit. Quocirca primus homo Adam ab ipso Deo nominatus est. Nihil enim aliud Adam significat, si magno Gregorio fidem adhibeamus; quam rubram terram. Quod etiam ad augendam hominis ignobilitatem facit. Nam cum terra multis generibus contineatur, nulla tamen rubra peior ac sterilior invenitur. Neque vero terra quaelibet, sed limus, quae pars terra sordidissima est, ut scriptura divina testatur materia humanae constitutionis fuit. Inter omnia elementa, terra ultimum locum tenet, inter omnes terrae partes nulla est limo vilior atque abiectior. Quare ex eà materia conditus homo est, qua nulla vilior atque abjectior invenitur. Quod sane Ageptii veteres intelligebant. Qui cum annis singulis diem suum natalem celebrarent, illàs herbas in manibus suis gestare solebant, quae in coenosis paludibus oriuntur. Hac enim caeremonia significare volebant, naturae cognationem atque affinitatem, quae nobis hominibus cum juncis, et et paleis intercedit, cum utrique quasi communem parentem, limum ac coenum agnoscamus.

Sed tamen hoc ab illis nos differimus, quod nostra in uteris matrum conformatio atque ortus, multo foedior ac sordidior, quam herbarum illarum est: id quod noster doctor expressit, cum ait: *Natus de muliere.* His enim paucissimis verbis, non paucas humanae conditionis miserias complexus est. Primum enim ipse modus, quo in uteris foeminarum homines conformantur, non est res digna, quae narretur aut conspiciatur; sed clausis oculis transeundum est, ne rem tam foedam atque horribilem intueri necesse sit. Sed unum dicam, usque adeo foedam hominum conceptionem esse, ut ille clementissimus Dominus, qui omnes nostras aerumnas et calamitates perpeti decreverat, ut ab eis non liberaret: tamen hanc unam ferre nullo modo voluit. Et qui sibi turpe esse judicavit, conspui, vinciri, verberari atque in crucem agi, tamen indignum omnino sua majestate censuit, ut ad eum modum conciperetur, ad quem reliqui homines concipi solent. Itaque non ex muliere foemina vitiata, sed ex virgine castissima atque integerrima; neque viri alicujus, sed Spiritus sancti opera nasci voluit.

Deinde cum homo jam conceptus est, nonne maximae calamitates sunt spatio tot mensium in utero matris tamquam in carcere vitam degere? angustissime et in tenebris habitare? foedissimi domicilii odorem teterrimum haurire? stercoribus atque urina involutum esse? ad matris terga vultum conversum habere? per umbilicum alimenta sumere? per os matris reddere aerem et accipere? in momentis singulis de vita periclitari? Atque haec omnia verissima sunt, et illis duobus verbis exprimuntur: *Natus de muliere.*

Iam vero cum in lucem prodeundum est, nonne miseria inexplicabilis vobis esse videtur, ut plerumque puer nondum natus parricida sit, et ei vitam auferat, a qua vitae beneficium recepit? Et quamquam hoc non semper accidat, semper tamen eos dolores mulier in pariendo tolerat, quos numquam suspicata esset. Qui quidem dolores, quam vehementes atque atroces sint, vel ex eo intelligi potest, quod sacrae literae, cum magnum aliquem cruciatum significare volunt, dolorem parturientis dicunt.

Sed aliam adhuc miseriam in illis verbis: *Natus de muliere*, latere video. Nam cum mulier res mollis, infirma, debilis, inops consilii et virium sit, qui nascitur et muliere, quomodo fortis esse poterit? Atque rem ita se habere experientia ipsa clamat. Nascitur enim homo nudus, inermis, infirmus, ignorans, omni consilio et auxilio destitutus. Ambulare non potest, loqui nescit, neque seipsum juvare, neque aliorum opem implorare novit. Denique nihil ei aliud libet quam plorare, nimirum ut nobis suas miserias explicet. Nascitur enim ad laborem, exul a patria inimicus Dei, paucos dies victurus, et illis ipsis diebus quietem nullam habiturus. Animantia caetera cum vestibus suis nascuntur, quae a frigore et calore ea defendunt. Alia enim squamis, alia plumis, alia pilis, alia testis operta, in lucem prodeunt. Arbores etiam suos cortices, eosque interdum non simplices, sed duplices et triplices habent. Solus homo sine ullo genere et vestium omnibus coeli injuriis expositus nascitur. Rursus animantia caetera illa ipsa hora, qua ex uteris matrum procedunt, victum sibi quaerere incipiunt. Alia natant, alia volant, alia repunt, alia gradiuntur, et sine ullo duce ad ubera matrum occurrunt. Solus homo nihil horum efficere potest, ne comedere quidem, nisi ab alio doceatur. Unum est dumtaxat, et dicebamus, quod per seipsum novit, nempe flere. Id unum a magistro non accepimus, neque didicimus, sed ab ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus. Quocirca omnes cum in hunc orbem ingredimur, ut artis, quam novimus speciem aliquod ostendamus, gemere ac plorare incipimus. Solum enim Zoroastrem ea die, qua natus est, risisse antiquitas tradidit. Neque enim boni aliquid monstrosus ille risus portendit, ut Augustinus Doctor sapientissimus annotavit: siquidem magicarum artium primus auctor atque inventor fuit.

Ecce igitur ex quibus principiis illud animal oriatur, quo tamen ad superbiam se natum existimat, et omnia miscet, invertit, perturbat, subjgit terras, fatigat maria. Neque ipsum orbis totum capere posse videtur. Et cum haec omnia facit, adhuc tamen neque iram compescere, neque libidines fraenare, neque reliquos animae motus coercere, neque seipsum vincere, neque Diaboli tentationibus resistere potest, ut senatum ex muliere, hoc est, ex infirmitate et mollitie semper recordetur.

Sequitur, *Brevi vivens tempore.* Ecce vobis aliam et non exiguam calamitatem. Tota natura vehementissime ac diutissime in hac humani corporis fabricatione laboravit, et vix aedificium ad exitum est perductum, cum vitium facere et ruinam minari, quin etiam certissime ruiturum et casurum dicitur. Vix homo in orbem est ingressus, cum de egressione, ut cogitet, admonetur, et qui cum labore intravit, cum dolore exire compellitur. Ne vero nostra urta diuturna alicui videatur, audire sanctum Job, qui post illas multiplices tentationes adhuc centum quadraginta annos supervixit: et tà-

men de vitae brevitate conqueritur : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore.* Et rursum *Breves dies hominis sunt , numerus mensium ejus apud te est.* Jacob patriarcha a Pharaone interrogatus, quot annos jam egisset, respondit: *Dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt; pauci et mali.* Ecce iste magnus patriarcha centum triginta annos, paucos dies appellat, et vitam tot annorum brevissimam peregrinationem esse dicit, et nos pisces Ephemeri vix unum diem supervivimus, et nobis de vitae diuturnitate blandimur? Quid s. David? nonne ait: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni? Si autem in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor?* Itaque summa annorum nostrorum ad quam tamen non omnes perveniunt, septuaginta annorum est, in robustioribus autem octoginta. A quibus si primum eos annos detrahamus , quos infantia et pueritia absorbet: nec enim toto illo tempore vitam hominis vivimus, nec ratione et consilio gubernamur: sed impetu quodam et motu ferimur, non secus ac si pecudes quaedam mentis atque intelligentiae expertes essemus. Si rursum illud etiam tempus auferamus , quod nobis dormientibus praeterit: nam cum dormimus non modo non hominis, sed ne bruti quidem vitam agimus. Itaque tempus illud non vitae sed mortis potius cujusdam esse videtur. Quocirca eleganter latinus poeta consanguineum lethi soporem esse dixit. Si, inquam, omne istud pueritiae et somni tempus auferamus, quod superest, vix spacium quadraginta annorum erit. Quod si cum aeternitate conferatur, quid brevius , quid vilius , quid abjectius hac nostra vita cogitari potest? Fingite animo vos in clauso atque obscuro aliquo cubiculo scintillam unam videre, quae paulisper discurrat et confestim postea extinguatur, et ei vitam humanam simillimam esse minime dubitetis. Ut enim ea scintilla , et ante et retro tenebras habet; ipsa vero lucet quidem, sed ubi modicum volitavit , extinguitur: sic humana vita tempus praeteritum et praesens et futurum habere dicitur ; sed tamen et praeteritum nihil est, et futurum nihil est; utrumque enim obscurum et mortis tenebris involutum atque obrutum est. Solum praesens aliquid vitae et luminis habet, et hoc ipsum vix esse coepit, cum extinguitur. Hinc videlicet quidam philosophus, cum interrogaretur, quid de vita humana sentiret, in orbem semel se convertit, et abiit. Illud sine dubio significare volens , nihil aliud esse vitam nostram , quam incitatissimam conversionem. Hinc etiam Apostolus Jacobus vapori vitam humanam comparavit. Et veterum sapientum alii pisci Ephemero, qui eodem die, quo nascitur, moritur: alii palmo: alii puncto: alii flammae, quae ex stuppa vel paleis excitatur: alii bullis, quae ex guttis pluviarum in aquas decidentibus oriuntur: alii foeno : alii flori: alii herbae: alii umbrae, alii somno, vitam humanam similem esse dixerunt. Pindarus nec umbram nec somnium; sed umbrae somnium appellavit. Quid somnio vanius? Quid nihilo vicinius quam umbra? Quid igitur humana vita erit, si non umbra, sed umbrae somnium est. Neque haec rhetorica amplificatio vobis videri debet , auditores : nam si tanta moles, quanta hic est totus orbis terrarum, vix punctum unum esse videtur , si cum coeli amplitudine conferatur, quid erit brevitas vitae nostrae, si cum illa infinita saeculorum aeternitate comparetur?

Rem plane admirabilem ac monstruosam contingere in vita humana videmus , ut homo vix natus moriatur, cum tamen formam habeat immortalem. Res caeterae quamdiu forma ipsorum manet, tamdiu etiam ipsae manent. Non corruit domus , si non ejus forma ac figura dissolvitur, Non moritur brutum, nisi ejus anima , quae forma ipsius est , esse desinat. At homo formam habet, quae numquam dissolvitur , videlicet animum compotem rationis; et tamen ipse vix ad brevissimum tempus vivit. Sed alia res longe adhuc monstruosior in hoc animali conspicitur , quod cum ratione et consilio praeditum sit, et vitam praesentem umbrae somnium esse sciat , futuram autem finem ac terminum nullum habituram , vigilantissime tamen vitae praesenti , quae hodie est , et cras non est prospiciat; de futura autem , quae est aeterna , ne cogitet quidem. Nescio quod monstrum aut portentum umquam inveniri poterit , si hoc monstrum aut portentum non est.

Sed jam caetera videamus. Vitam humanam brevissimam esse doctor noster sanctus Job hactenus docuit. Audite nunc , quo pacto nos consoletur, ut aequo animo hanc brevitatem toleremus: *Homo* , inquit , *natus de muliere, brevi vivens tempore.* Quid dicturum illum putatis? jucunde , quiete ac tranquille vivit? Audite : *Repletur multis miseriis.* Singula verba emphasim habent. *Repletur*, inquit, usque ad summum, ita ut locus nullus vacuus relinquatur. Et quo liquore impletur? *Miseriis.* Et quotnam? Tribus aut quatuor? Non est ausus eas numerare , quia numquam sinivisset. Idcirco breviter ait: *Repletur multis miseriis.* Ac primum quidem , auditores , etiamsi miseriae nostrae paucissimae essent, adhuc tamen homo facillime repleretur. Siquidem angusta vasa facile complentur. Humanum autem cor , sicut ad bona recipienda capacissimum atque amplissimum est , ita ut res omnes creatae ipsum explere non possint; sic ad mala toleranda angustissimum esse videtur , ita ut vel minima calamitate possit repleri. Exempla sunt ad manum. Cum noctu in tuo lectulo te ad dormiendum composuisti, si pulex unus in aurem ingrediatur, nonne ita te torquet ac vexat, ut noctem totam insomnem ducas? Ita sane. Cur ita? Nempe quia homo calamitatibus facile repletur. In libro Esther numquam legistis, quid principi cuidam illustrissimo , nomine Aman, aliquando contigerit? Erat is nobilissimus omnium principum, qui in aula Assueri regis versabantur, divitiis honoribus, potestate, splendore et rebus omnibus affluebat , quas mens humana desiderare potest; tamen quia Mardochaeus judaeus quadam die caput sibi non aperuit, ita commotus ac dolore atque ira repletus est, ut scriptura divina de eo testetur, ac dicat : *Reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos et Zares uxorem suam, et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam*

et quanta eum gloria super omnes principes, et servos suos rex elevasset. Et post haec ait: regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, praeter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. Et cum haec omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochaeum Judaeum sedentem ante fores regias. Quin etiam de omni gente Judaeorum delenda propter hanc unam causam cogitare coepit. Sed Deus in caput ipsius omne malum, quod Judaeis paraverat, convertit. Num intelligitis, quam levis miseria hominem tam fortunatum plane miserum et infelicem reddere potuit? et quam exigua gutta fellis quam copiam mellis amaram effecit? Hodie quoque si mercator aliquis qui multa millia coronatorum aureorum singulis annis lucratur, jacturam semel faciat quindecim obolorum, numquid non se mercatorem infortunatum, et cui nihil pro voto succedat, appellabit? Atque idem de ambitiosis et voluptuariis hominibus dicere possemus si per tempus liceret: facile ergo miseriis homo repletur, quia exiguum atque angustum vasculum est.

Sed numquid propterea solum? Non sane. Vere enim humanae miseriae multae et magnae sunt. Et cum vita nostra omnium aliarum rerum penuriam patiatur, solarum calamitatum maximam copiam habet; et cum ad reliqua brevissima sit, ad hoc solum saepenumero valde diuturna est, ut multis ac variis miseriis homo miserrimus repleatur. Ac ut de peccatorum ac scelerum miseria nihil dicam, quae tamen maxima est, et magnam partem occupat cordis humani, non est membrum non est sensus, non est facultas in homine, quae hic in terris suam gehennam non patiatur. Deinde omnia elementa, omnia animantia, omnes daemones, angeli quoque, et ipse Deus contra hunc unum Adae filium conspirasse atque arma sumpsisse videntur.

Sensus tangendi, ut hinc potissimum ordiamur, quot generibus febrium, apostematum ulcerum, plagarum et aliorum morborum affligitur? Plena sunt volumina medicorum aegritudinibus et remediis contra ipsas aegritudines; et tamen quotidie novae species morborum, et nova contra ipsos remedia inveniuntur, et inter ipsa remedia utinam vel unum reperiretur, quod non vehementius, quam ipse morbus hominem aegrotum vexaret. Inediae longissimae, pharmaca amarissima, venarum incisiones, membrorum adustiones, dentium evulsiones, remedia morborum sunt, ut jam ego non mirer, si plerique hominum magis laborare et mori, quam remediis istis uti velint. Deinde eumdem ipsum sensum tangendi, nunc immoderatus calor, nunc immoderatum frigus, nunc immoderata siccitas, nunc immoderatus humor laedit. Sensum autem gustandi modo fames, modo sitis, modo cibaria incondita, amara, acida, falsa discruciant. Sensus olfaciendi, quot foetores, quot graves anhelitus, quot res male olentes ferre cogitur? Sensus audiendi, quot injurias, quot maledicta, quot mala nuncia audit, qui veluti acutissimi mucrones cor ipsius transverberant? Et sensus videndi, quam multa non cernit, quae vellet; et quam multa cernit, quae non vellet?

Deinde cogitatio quam frequenter spectris, somniis, phantasmatibus deluditur? Si quem in loco obscuro ac deserto solum esse casu aliquo necesse sit, is quam vehementer laborat, ut cogitationem continere possit; ne monstra horrenda ac formidabilia sibi fingat? Tanta vero vis est cogitationis, ut nullo periculo imminente, erigi capillos, et frigidum sudorem erumpere, et nullo persequente hominem fugere et exclamare compellat.

Quid jam de intelligentia ac mente dicemus? Quae ludibrio errorum exposita, saepe falsitatem recipit pro veritate. Mihi sane de sectis innumerabilibus philosophorum cogitanti, qui etiam de rebus levissimis altercantur, mens humana similis videri solet parvulo puerulo, cui nodus inextricabilis oblatus est, et ipse contendit quantum potest, ut eum solvat, et cum ex una parte nodus incipit aperiri, ille gestit, exultat, exclamat, et interim non videt ex altera parte nodum magis claudi. Sic enim Deus hanc rerum universitatem condidit, deinde menti humanae illam inspiciendam obiicit, atque ait, Rationes et causas harum omnium rerum scrutare, atque investiga, si potes; et simul mirabilem in ea sciendi cupiditatem insevit. Hinc hominum ingenia exerceri in rerum natura coeperunt. Sed quia rei veritas profundior atque obscurior est, quam ut ab humana intelligentia in corporis carcere constituta, erui possit; propterea in tot tamque varias sectas philosophi abierunt, et tot inter ipsos natae sunt de rebus omnibus, etiam minutissimis, dissensiones. Ex qua re mundus est orfus? Ex igne, inquit Heraclitus. Non est ita, inquit Anaximenes; sed ex aere. Erratis ambo, inquit Thales; nam ex aqua mundus constat. O quam egregie fallimini, clamat Democritus; cum ex atomis corpusculis principium mundus habeat: atque ita inter se altercantur, dum falsitas vestem veritatis induta omnes deludit. Hoc est enim quod sapiens ait: *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio, usque ad finem.* Et rursum: *Hanc occupationem pessimam*, id est, laboris et afflictionis plenam, *dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.*

Sed major adhuc miseria practicam intelligentiam occupatam tenet. Nam quot modos, quot rationes, quot vias excogitat, ut ad gradus altiores ascendere, et in opinione atque existimatione hominum crescere possit? Quocirca vere psalmographus ait: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Ut enim aranea toto vitae suae tempore in telis texendis occupatur, et ex suis ipsius visceribus extrahit ea fila, quibus retia ad muscas capiendas efficiat, et saepe fit, ut cum aranea nihil mali suspicatur, famulus aliquis domum purgaturus accedat, et telam cum aranea scopis abreptam in ignem proiiciat. Sic etiam magna pars hominum, omne suum tempus, omne suum ingenium, omnes suas vires consumit, vehementissimeque laborat, ut retia parata habeat, quibus muscas honorum et divitiarum aucupetur. Et cum multas muscas cepisse

se gloriantur, et sibi quietem in posterum pollicentur, ecce mors Dei administra cum scopis diversarum aegritudinum adest, et homines istos in utramque aurem dormientes arripit, et in gehennae incendium proiicit, atque ita opus cum architecto simul in momento temporis perit.

Neque vero immunis a miseriis voluntas existit; imo vero quis numeret appetitus, amores, odia, suspiciones, zelotypias, spes vanas, invidias, timores et molestias voluntatis humanae? Nihil sine formidine aggredi audet. Si male agit, timet judices, exilium, verbera, ignominiam, cruciatus. Si bene agit, linguas timet obtrectatorum, quid iste dicet, quid ille cogitabit? Iste nimis sanctum, ille hypocritam suspicabitur. Si dives est, timet latrones; si pauper meruit creditores. Si amat, zelotypia illum consumit, si odit, odium illum excruciat. Deinde quis explicet, quanta cupiditate omnes flagrent statum suum cum statu alterius commutare. Omnes enim aliorum statum meliorem, quietiorem et beatiorem esse existimant, quam suum. Agricolae mercatores mercatores agricolas beatos appellant. Privati magistratibus invident potestatem et tribunalia; magistratus privatorum ortum, et tranquillitatem laudant. Clerici statum laicorum laici statum clericorum tranquilliorem esse contendunt, et hoc est argumentum, nullum plane non miserum atque infelicem esse. Cum nemo sua sorte contentus vivat, et *laudent omnes* (ut ille ait) *diversa sequentes*, et aegros homines imitentur, qui nunc ad istam, nunc ad illam lectuli partem se convertunt, et nusquam tamen quietem invenire possunt.

Intuere post haec omnes aetates, quam imbecillis, quam ignorans pueritia quam levis adolescentia, quam rapida juventus, quam gravis et molesta senectus? Quid est puer, nisi brutum hominis figuram praeseferens? Quid adolescens, nisi equus indomitus? Quid senex, nisi domicilium omnium aegritudinum et dolorum? Et in omnibus istis aetatibus quanta multitudine miserrimarum necessitatum obruimur? quotidie comedere, quotidie bibere, quotidie dormire, quotidie spoliari; quotidie vestiri, quotidie aliis innumerabilibus necessitatibus servire cogimur, et quod multo miserius atque infelicius est tot laboribus et sudoribus occupationes istas nobis emere necesse est, ut jam mirum non esse videatur, si Democrito et Heraclito in mentem venit, ut eorum alter fleret semper, alter semper rideret: nempe ille miserias, iste vanitates humanae vitae sapientissime considerabat.

PARS SECUNDA

Humanae vitae calamitates ita graves et multiplices sunt, ut Ecclesiasticus dicat: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium.* Beatus quoque Bernardus scribere ausus est, vitam praesentem paulo minus infelicem sibi videri ea, quam damnati in inferis gehennae carceribus trahunt. Quis enim, obsecro, non obstupeat, si cogitare incipiat omnia quae nos circumstant, in unum genus humanum saevire, atque impetum facere, quasi ea, quae hactenus commemoravimus, ad sinum humani cordis miseriis replendum non sufficerent? Ille clarissimus fulgor quem sole nominamus, qui quasi quidam communis pater omnium viventium est, aliquando radiis suis ita saevit, ut omnia comburat; aliquando tam longe recedit, ut omnia frigore moriantur. Terra vero, quae nostra communis mater esse dicitur, quot homines quotidie suis praecipitiis, voraginibus, tremoribus absorbet? Et si parentes nostri sic agunt nobiscum, quid de stellis et elementis caeteris expectabimus? Quid effundent in nos Luna, Saturnus, Mercurius, Mars? Quid facient maria? Quam multos quotidie devorabunt? Et vere tot scopuli, tot vada, tot sirtes, tot charybdes, tot loca periculosa inveniuntur in mari, ut difficillimum omnino sit evadere naufragium. Mors autem ab iis, qui vehuntur in mari, numquam longius abest, quam sit asserum illorum crassitudo, ex quibus navis composita est. Quid tam de nostro aere dicemus? Nonne frequentissime levi de causa corrumpitur, et nebulas, caligines, pestes et aegritudines generat?

Neque vero animantia bruta principem suum hominem reverentur, et non solum leones, ursi, tigres, dracones et aliae ferae majores, sed ipsae etiam muscae, culices, pulices et alia minutissima animalcula, mirum est quam vehementer hominem torqueant, vexent, affligant, discrucient.

Atque utinam sola bruta nobiscum bella gererent et nihil ab ipsis hominibus timeremus. Verum non ita se res habet. Quid enim tot gladii, tot sagittae, tot bombardae, tanta copia pulveris tormentarii, tot moles, tot machinae, quas homines invenerunt, sibi volunt? Nonne plures gladius, quam morbus absumit? Ab uno Iulio Caesare, qui clementissimus fuisse dicitur, historiae tradunt, undecies centena millia hominum in diversis praeliis necata fuisse. Et si vir clementissimus id fecit, quid tot crudelissimos tyrannos fecisse suspicari et cogitare debemus? Quid? quod nec terrae, nec maria, nec loca deserta, nec publicae plateae, nec privatae domus a furibus, latronibus, piratis tuta sunt? Nonne aegrorum vastationes, urbium populationes, fortunarum direptiones, incendia domorum, vincula, verbera, ignominiam, plagas et ipsam mortem quotidie homines ab hominibus patiuntur? Et hoc est illud animal, quod politicum, quod sociale, quod humanum, et quod sine cornibus et unguibus nascitur, ut pacem et charitatem colat. Quid? quod non solum hostes, sed et amici et pacis ac justitiae defensores in homines saeviunt? Neque aliter fieri potest. Interrogate praetores et praesides urbium quot carceres, quot genera compedum ac vinculorum, quot supplicia, quot patibula, quot rotas paratas habeant; et in quos tandem? Nonne in homines? O homo, domus calamitatum, et adhuc domari non potes? Adhuc superbis? Adhuc erigeris? Et quot praeterea sollicitudinibus et curis propter uxorem, filios, fratres aliosque conjunctos et

necessarios angitur ? Si eos odit, odium illum excruciat; si diligit, amor illum consumat, si filiis caret, torquetur habendi desiderio; si eos habet, angitur amittendi metu.

Neque solum corporeos hostes, quos videre et evitare nobis licet; sed quod multo est infelicius, etiam incorporeos, a quibus ipsi videmur, et quos videre non possumus, habemus Daemones enim qui callidissimi, saevissimi et potentissimi numero et viribus sunt, nihil agunt, nihil moliuntur, nihil cogitant aliud, quam quomodo tentare, decipere, laedere, ac in gehennam praecipitare homines possint.

Sancti etiam angeli nonnumquam in homines arma capiunt. Qui enim Sodomam et Gomorrham cum habitatoribus igni et sulphure cremaverunt ? Angeli. Qui centum octoginta quinque hominum millia in castris Sennacherib trucidarunt? Angeli. Qui tot plagis et mortibus Aegyptum affecerunt ? Angeli. Qui cum Iosue contra Cananaeos et Iebusaeos; cum Machabaeis contra Lysiam et exercitum ejus pugnaverunt? Angeli. Qui denique cum Theodosius imperator contra Persas et Sarracenos in fluvium Euphratem praecipitaverunt? Angeli.

Neque Angeli solum, sed ipse etiam Deus interdum cum homine, tamquam cum hoste, se gerit: *Cur faciem tuam abscondis*, inquit Iob, *et arbitraris me inimicum tuum?* Quid hoc est, Domine Deus? Etiam tu, qui parens et custos meus esse solebas, jam mihi bellum indixisti, et mecum, ut cum hoste, te geris?

Atque adhaec omnia accedit bellum intestinum, quod homo secum perpetuo gerit. Quis enim non experitur inimicitias et contentiones appetitus et voluntatis, sensus et rationis ? Quis non aliquando contrarias appetitiones, et contraria judicia simul habet, ut ipsemet homo seipsum non intelligat, ut nesciat ipse quid velit ? Quis igitur jam non videt, quam vere Job dixerit : *Repletur multis miseriis*? Quis non cernit nunc vilissimum vermem, quem hominem nominamus, quasi in centro sphaerae constitutum, ut ad eum omni ex parter miseriae pluant, et omnia tela ac spicula dirigantur ?

Sed jam quod sequitur videamus. *Qui quasi flos egreditur et conteritur.* Pergit enumerare praeclaras conditiones humanae vitae. Eam enim brevem et miseram esse hactenus docuit; nunc addit fragilem quoque et fallacem esse. *Qui quasi flos egreditur et conteritur.* Res sane pulcherrima et venustissima est flos; sed tamen idcirco nihil fit, quod nihil eo magis fragile et caducum inveniatur. Sic etiam homo, cum adhuc puer vel adolescens est, admirabili specie ac venustate praeditus esse videtur : sed cur id magni fieri debet, cum omni vitro fragilius sit? Certe vitrum in multa saecula integrum servari posset, si clausum in arca diligentissime custodiretur, at homo, sive custodiatur, sive non custodiatur, diu servari non potest: Siquidem mortis causam in venis et visceribus inclusam habet. Deinde quid hac nostra carnea domo fragilius, quae unico aspectu deiici prosternique potest? Bullae, quae fiunt in aquis, tenui flatu dissolvuntur quaedam sed non intuitu. At hoc si ab aliquo venenato oculo conspiciatur, continuo languere incipit, et saepe etiam moritur. O arx munitissima, quae sine tonitruis bombardarum solo intuitu deiici potest ? Neque vero mirandum est, si hoc pueris contingat, quorum adhuc est recens aedificium, sed quod viri jam maturi, levioribus aliquando de causis repente intereant, id vero aliquid justae admirationis habet. Nam quis nescit, modicum frigoris, modicum caloris, aciculam unam, morsum unius exigui anguis, denique sexcentas res alias minutissimas hominem vita spoliare posse? Si quaeras, quid Lucium Crassum, summum illum suae aetatis oratorem, interfecerit, tibi Marcus Tullius respondebit, eum quadam die paulo vehementius dum oraret, incaluisse, inde septimo die lateris dolore consumptum. Quid? quod plerumque nulla ratio obitus hominum reddi potest? In Synodo Florentina literis proditum est, Constantinopolitanum patriarcham, nomine Josephum, vesperi sanum ac valentem in cubiculum se recepisse, et mortuum mane inventum fuisse. Neque id singulis centum annis semel contingere existimare debemus, ego enim senex certe non sum, tam multos tamen repente obiisse cognovi, ut longissimum catalogum nominibus repente sublatorum hominum possim implere. Verum enimvero auditores, si sapienter rem totam consideremus, non mirabimur, hominis vitam plane fragilem, et caducam, et flori simillimam esse; sed contra, jure mirari deberemus, si paulo firmior ac robustior esset. Si domum luteam plenam rimis videretis, miraremini, si levis impulsus eam deiiceret? Non sane. Iam igitur quid miramur, si corpus humanum quod nihil est aliud, quam ex luto recenti compositum aedificium, levi flatu ventorum facile corruit? Et cur, obsecro, tam facile cursus horologiorum impeditur? cur tam crebro sunt falsa? Cur aliquando penitus a suo cursu cessant? Nonne quia tot rotas, et tanto artificio constitutas habent, ut si vel una impediatur, omnes impediantur? Quod si hoc in horologiis ferreis contingit, quanto facilius in humano horologio contingere poterit, quod majori artificio, et non ex fero, sed ex luto fabricatum est? Non igitur nobis corporis humani fragilitas, sed animi humani stultitia admirationi sit, quae super tam fragile fundamentum, tam altas turres erigere consuevit.

Porro altera miseria, quae floris comparatione nobis significatur, deceptio est humanae vitae, quae quidem maxima miseria est. Nam sicut virtus simulata duplex vitium est; sic ficta felicitas, duplex est calamitas. Si vita praesens talem se ostenderet, qualis est, non multum ejus miseria nobis obesset. Sed nunc ideo mirum in modum nos laedit, quae falsissima est. Et cum sit foeda, pro pulchra se venditat; cum semper mutetur, stabilis et constans vult videri, cum sit brevissima, tam diuturnam se simulat, ut homines decepti ad omnes suas libidines explendas se tempus habituros credant, et adhuc ad poenitentiam agendam satis multum spatii super futurum. Flos cum mane colligitur, rubet, nitet, colorem denique maxime vivum et permanentem habere videtur, tamen paulo post marcescit, et omnem speciem ac decorem amittit. Saepe etiam venustus ille color suavem o-

dorem pollicetur et nihilominus si propius accesseris teterrimum odorem percipies. Talis est humana pulchritudo. Hodie adolescentem formosissimum videbis; cras, si levi febricula forte corripiatur, pallentem, squalidum et mortis figuram prae se ferentem cernes. Cur ita? Nempe, quia *homo quasi flos egreditur et conteritur.* Et illo ipso tempore, quo floret, tametsi oculis nostris, qui solam extremam superficiem intuentur, pulcher esse videatur, tamen si quod intrinsecus in ipsis viscerum recessibus lateat, cernere aliquo modo possemus, plane sepulchrum dealbatum hominem esse judicaremus. Quid enim homo, nisi vasculum corruptum; in quo quicquid ponitur, statim corrumpitur; Et quae tam immunda cloaca reperitur, unde tot sordes et tam graviter olentes et ex tot partibus egrediuntur? Multae herbae, nonnullae arbores, aliquot etiam animantia odorem suavissimum spirant, cum homine vero satis praeclare ageretur, si non foeteret. Ecce igitur quid sit, *quasi flos egreditur et conteritur.*

Sequitur: *Et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.* Quarum duarum sententiarum posterior prioris explicatio est. Utraque autem magnam quamdam humanae vitae calamitatem declarat. Non enim solum brevis, misera, fragilis et fallax est, sed etiam instabilis atque inconstans. Est vero ab iis orologiis sumpta similitudo, in quibus umbra numerum horarum designet. Ut enim umbra ulla semper movetur, et spatium in horologio mutat, et horas diversas ostendit, tametsi stare oculis nostris videatur: sic etiam vita nostra semper est alia atque alia, et nec ad momentum temporis quidem quiescit. Ii qui navi vehuntur, licet iaceant, sedeant, dormiant, semper tamen iter conficiunt, et spatia aliqua transmittunt. Sic et nos, auditores, laboremus quiescamus, vigilemus, dormiamus, scribamus, legamus, quidquid voluerimus, faciamus; semper tamen magis ac magis ad portum nostrum, qui est mors, appropinquamus. Hinc videlicet s. Job. dies suos velociores cursore fuisse conqueritur. Nam cursorem etiamsi magna negotia festinare cogunt, aliquando tamen etiam quiescere necessitas naturae compellit. At anni nostri, nec ad punctum temporis propter ullam necessitatem quiescere permittuntur. *Fugit* igitur *homo velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.*

Aspicite nunc, auditores, atque intuemini homines aetates, et apertissime humanae vitae mutationes cognoscetis. Pueritia tam animo, quam corpore est imbecilla: Iuventus animo imbecilla, corpore robusta; aetas matura, et animo et corpore robusta; senectus animo robusta, corpore imbecilla: aetas decrepita rursum tam animo quam cordore imbecilla: *Fugit ergo velut umbra et numquam in eodem statu permanet.* Quid? quod nunc sapiens, nunc insipiens, nunc laetus, nunc moestus, nunc sanus, nunc aeger, nunc robustus, nunc imbecillis, nunc amat, nunc odit, nunc timet, nunc sperat, nunc ridet, nunc plorat, nunc vult, nunc non vult. Denique nec luna nobis tot facies ostendit, neque Protheus tot formas se convertebat, neque Chamaleon tot colores permutabat, quot sunt hominum, quotidianae ac pene repentinae mutationes. *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium?* O clementissime Pater noster Deus, non est satis, quod iste vermiculus, qui nominatur homo, vitam vivit brevissimam, miserrimam, caducam, fallacem et inconstantem? Cur etiam hoc ad cumulum calamitatum addis, ut tu Deus oculos ab eo numquam removeas, et passus ejus numeres, et verba et cogitationes consideres, et tamquam severus magister nullum erratum impunitum dimittas? *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium?* Quam crucem, quas molestias patit parvus puer, quam nec unam lineam recte ducere novit, cum magistrum sibi astare, et manum, et virgam attollere, et omnes erratus observare videt? Non minor formido nos occupatos teneret, auditores, si Deum a nobis numquam oculos removere, et omnia opera nostra considerare, ut secundum ea nos judicet, aliquando cogitaremus. O nos miseros, auditores, si haec intelligimus; miseriores, si non intelligimus! Quod quidem maximae parti hominum accidere, quis non videt? Quam multi enim reperiuntur, qui quasi illis reliquae calamitates non sufficerent, etiam istam patiuntur, ut tamquam phrenetici vivant, et suas miserias non cognoscant? Jam intelligo quam sapienter b. Gregorius dixerit solos primos parentes nostros, qui beatitudinem status illius gustaverant, in quo illos initio Deus posuerat, miserias, in quibus versamur, plane intelligere potuisse. At nos eorum filii, qui in exilio nati, et in valle miseriarum educati sumus, sicut nihil de felicitate status illius novimus; ita parum omnino de nostri status miseriis intelligimus. Imo vero ita plerisque natale suum placet, ut liceret, de exilio patriam, de carcere domum propriam facerent.

Verum neque hoc hactenus licuit, neque unquam licebit. Nam mors tamquam epilogus omnium calamitatum, omnium hominum vitam concludit. Haec est illa ultima et maxima calamitas, quam fugere aut declinare nullus unquam potuit. Qui enim cum labore vivimus, cum dolore mori debemus. Nonnulli quidem fuerunt, qui se remedia contra mortem habere jactarent, sed et ii, quibus remedia ista promittebant, et ipsi, qui promittebant, perierunt, et se mendaces suo ipsorum exitu demonstraverunt. Quid? Patriarchae mortui sunt, prophetae mortui sunt, apostoli mortui sunt, virgo Deipara mortua est, ipse Dominus Christus mortuus est: reges moriuntur, pontifices moriuntur, et audebit aliquis sperare se non moriturum? Imo vero, auditores, vix homo conceptus in utero est, et jam ad mortem condemnatus est. Cum vero ex utero egreditur, ex carcere egreditur, non ut sit liber, sed ut ad patibulum deducatur. Itaque omnes idcirco fugimus velut umbra, et numquam in eodem statu permanemus, qui perpetuo tendimus ad patibulum, sed alii ad unum miliare, alii ad duo, alii ad tria, alii ad plura progrediuntur atque hinc fit ut alii maturius, alii tardius moriantur.

Quae cum ita sint, quis nostram stupiditatem et

insaniam interpretetur? Ad patibulum pergimus et in itinere saltamus, ridemus, jucundi sumus, tamquam si ad nuptias pergeremus? Sed in hoc errore ideo versamur, quia numquam de morte, ad quam miximis itineribus currimus, cogitamus. Pavo gloriosum animal, cum venustissimam illam rotam quam ex pulcherrimis suis pennis efficere solet intuetur, gaudet, laetatur, gestit, nunc istam, nunc illam partem suae rotae circumspicit. At cum in pedes, quos nigerrimos et turpissimos habet, oculos conicit, continuo cum stridore et gemitu alas demittit, rotamque dissolvit. Ad eumdem modum, auditores, non pauci reperiuntur, qui cum se divitiis atque honoribus affixere vident, gloriantur, et sui ipsorum amore capti suam fortunam suspiciunt, seipsos admirantur, nec non in multos annos, quid sibi sit faciendum, proponunt. Hoc anno, inquiunt, magistratum illum, anno sequente illum geremus; deinde provinciam illam administrabimus, tum palatium in ea urbe aedificabimus, cui hortos illos et illam vineam adiungemus. Atque hac ratione telas cogitationum in immensum extendunt, qui si aliquando pedes ipsi suos intuerentur, si extremum, si finem, si exitum suum mortem esse cogitaret, si dicerent aliquando; magistratus geremus, provincias administrabimus, palatia erigemus, et post haec omnia quid erit? Certe moriemur, et haec omnia deseremus. O quam celeriter alas demitterent, superbiam exuerent, mentem consilia, vitam, et mores commutarent!

Sed age videamus, num hoc vitae spatium saltem, etiamsi brevissimum sit, nobis tuto polliceri possumus; ita ut certo sciamus, nos usque ad annum quinquagesimum vel sexagesimum sine dubitatione victuros? Non multum, auditores, laborandum est, ut hoc investigemus. Nam excepto rege Ezechia, cui Dominus annos quindecim donavit, experientia ipsa clamat, nec punctum temporis ita esse in nostra potestate, ut certo affirmare possimus, in illo nos non morituros. Sive enim comedimus sive dormimus, sive iter facimus sive quiescimus, in periculis semper versamur. Quocirca non sine causa tam frequenter in evangelio Dominus clamat: *Vigilate, quia nescitis qua hora filius hominis veniet.* O si vim rationis hujus intelligere omnino possemus, quantum utilitatis atque emolumenti hodie ex hac una concione referremus! *Vigilate*, inquit, *quia nescitis qua hora filius hominis veniet.* Quod est idem, ac si apertius dixisset: Quia horam illam nescitis, horis omnibus vigilate. Et quia diem illum nescitis diebus omnibus vigilate. Et quia mensem atque annum illum nescitis, omnibus annis et mensibus vigilate.

At ut rem istam similitudine aliqua illustremus: Si ad convivium aliquod invitatus fuisses, et cum jam mensae accumberes, et multa ac varia ciborum genera ante te posita cerneres, si familiaris aliquis tuus secreto te admoneret, ac diceret, in tanta copia ciborum unum quemdam esse, in quo venenum lateat: quid ageres? quid acciperes? quem cibum attingere auderes? Nonne omnes tibi suspecti essent? Ego sane sic arbitror, etiamsi vehementissime esurires, tamen ne in illum incideres, in quo venenum latet, omnibus manum abstineres. Quaero nunc ab ste, quot annos adhuc te vivere posse putas? Dicturus es, fortasse circiter triginta aut quadraginta. Liberaliter tecum agam. Domini tibi ut vivere possit etiam sexaginta. Jam igitur pro comperto habes, et hoc minime negabis, in aliquo horum sexaginta annorum mortem tuam latere, et penitus te ignorare, quis ille annus sit. Quae cum ita sint, quomodo non omnes tuos dies suspectos habes? quomodo non omnes reformidas? quomodo non in omnibus vigilas? Non audes e tot cibis vel unum contingere, quia familiaris tuus, qui mentiri et te decipere potest, te admonuit de veneno; et non timebis neque vigilabis omnibus diebus vitae tuae, cum Deus, qui metiri non potest, te admonere dignatus sit, in uno illorum dierum mortem tuam latitare? Quid, obsecro, responderi ad hoc argumentum potest?

Sed adhuc aliud argumentum audite. Cur in aciebus et praesidiis perpetuo milites excubare et vigilare solent? Nonne ex eo, quod nesciunt qua hora venturi sint hostes? Profecto enim si hoc scirent, multis vigiliis, et laboribus parcerent. Sed idcirco semper in armis, semper parati, semper vigilantes sunt, ne tunc forte dormiant, et inermes atque imparati inveniantur, cum hostes arcem oppugnare incipient. Cum igitur unusquisque nostrum arcem unam, nempe animam suam, custodiendam acceperit, et quam arcem, auditores? nempe eam, quam ipse Dei Filius proprii sanguinis effusione a daemonum tyrannide liberavit: eam vero perpetuo hostes obsideant, qui nunquam dormiunt, et semper insidias et molitiones et machinamenta contra eam excogitent, et nos incauti, dissoluti, inconsiderati erimus? Hostis semper vigilat; nos semper dormiemus? Hostis non comedit, non bibit, non mercaturam exercet, non ambit honores denique nihil penitus agit, ut totum se in expugnatione animarum nostrarum occupet, et nos omnia alia agemus, de omnibus aliis rebus cogitabimus, in omnibus solliciti ac diligentes erimus, et solum arcis nostrae propugnationem negligemus? vigilemus ergo, vigilemus, quia nescimus diem neque horam.

Cum igitur, auditores, vita praesens talis sit, qualem audivistis, neque remedium ullum contra mortis venenum reperiatur, per Jesum Christum Dominum nostrum, et per salutem vestram vos oro atque obtestor, ut rebus vestris mature et sapienter consulatis. Et quoniam, nisi nos ipsos periculosissime fallere volumus, in rebus praesentibus spem nullam ponere possumus, obsecro, ut ad bona futura, animum, vota, cogitationes et contentiones nostras transferamus. Ibi, ibi, auditores, nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia: et tamquam ii, qui de rebus praesentibus desperabimus, regnum coelorum violenter ingredi statuamus. Neque nobis imperator deerit, quem sequamur, post octo dies dux Israel Jesus adveniet. Et quoniam sine sarcinis, sine impedimentis nudus et expeditus veniet, nos quoque sarcinis relinquamus, impedimenta abiiciamus, nudi et expediti Domino occurramus, ut hac ratione commodius et celerius in terram promissionis, cum et per ipsum ingrediamur, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO PRIMA

SUPER

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, etc. *Lucae* 1.

SYNOPSIS

Significato instituto, de dominicae scilicet Incarnationis mysterio agendi, in primis breviter solemnitas angelicae legationis ostenditur, quam commendat mittentis dignitas, ejus ad quam mittitur praestantia, internuncii eminentia et negotii magnitudo. Occasio verborum, quibus utitur evangelista, indicatur. Cur Christus aequinoctio verno conceptus, solstitio hiberno natus; Joannes vero Baptista aequinoctio autumnali conceptus et solstitio aestivo natus fuerit, duplex assignatur hujus rei misterium. Dignitas angelorum extollitur; et cur angelus ad b. Virginem missus sit, quatuor redduntur causae. Cur Gabriel, utpote summus aliquis angelorum, huic legationi sit destinatus, et quam bene nomen Gabriel *huic legationi conveniat demonstratur. Nominis Dei triplex etymologia, ejusque occurratior consideratio affertur, ex qua triplex nobis aurienda proponitur utilitas; nam fiduciam excidat, torporem expellit, ad vigilandum excuscitat. Quantopere deinde praesentiae Dei consideratio nos a peccato abstrahere debeat, rationibus, et exemplo Eremitae scortum convertentis, docetur.*

Pars posterior de legationis loco et persona, ad quam directa fuit, agit. Cur Christus in Nazareth concipi voluerit tres causae cum rationibus adferuntur; et quantopere Christus delectetur flore virginitatis et aetatis, ex occasione ostenditur. Cur b. Virginis consensum Deus requisiverit. Cur itidem Matrem Dei Virginem esse oportuerit, rationibus quinque allatis declaratur. Iudaeorum error et Basilio Magno et D. Hieronymo refutatur. Quare Maria fuerit desponsata, ex SS. Patribus sex enumerantur causae. Quali viro fuerit desponsata, ubi ejus cum Josepho comparatio instituitur. Tandem nomen Mariae miris. ut par est, extollitur encomiis, et ut illud veneremur, gravis admonet conclusio.

Dominici adventus sacrum tempus et sua celebritate et nostra consuetudine nos monet, optimi atque ornatissimi auditores, ut conciones variis de causis hactenus intermissas nunc demum, Deo auctore, repetamus. Quia vero superioribus annis de evangeliis et Epistolis, quae hoc tempore inter sacrorum solemnia in ecclesia recitantur, locuti sumus, iis in praesentiarum omissis, historiam dominicae Incarnationis, quam b. Lucas Evangelista conscripsit, quaeque pulcherrima et suavissima, et tempori magis consentanea, Domino adjuvante, exponendam suscipiemus. Sed necesse est, antequam ad ipsa b. evangelistae verba explicanda veniamus, pauca dicere de magnitudine atque excellentia totius legationis, quam idem b. Lucas divinitus admonitus atque edoctus scribere instituit. Sic enim fiet, ut opus non sit a vobis petere, ut diligenter attenteque audiatis. Neque enim hoc argumentum nostra commendatione indiget, sed ipsum per se non attentationem ac diligentiam modo impetrabit, sed etiam admirationem ac stuporem incredibilem excitabit.

Quatuor omnino res sunt, quae legationem aliquam illustrare solent: auctoritas ejus ad quem legatio mittitur; dignitas mittentis, praestantia legati pondus ac magnitudo negotii. Quae quidem in hac una legatione, ita sunt omnia magna atque eximia ut talem alteram orbis terrarum nullo unquam tempore viderit. Is enim, qui legatum mittit, Deus est. Quid vero est Deus? *Magnus Dominus et rex magnus super omnes Deos: qui* solo nutu *aufert spiritum principum, terribilis apud* omnes *reges terrae; rex regum et Dominus dominantium*: cujus potentia, sapientia, bonitas, majestas, ita nullis terminis coercetur, ita nullo fine concluditur, ita modum et mensuram omnem excedit, ut ne suspicari quidem tantam magnitudinem cogitando possimus. Ea vero, ad quam legatio mittitur virgo quaedam est; quae suam quidem a clarissimis viris, patriarchis, prophetis, ducibus, regibus originem trahit; sed eos omnes verae nobilitatis splendore longo intervallo post se relinquit. Neque enim fuit unquam, neque deinceps est futura talis altera virgo, quam solam optimo jure lumen ac

decus orbis terrae, domicilium virtutum, aciem sanctitatis, florem ipsum generis humani nominare possumus. Atque is, qui tanta legatione fungitur est angelus Gabriel, virgine quidem, ad quam mittitur, divinae gratiae muneribus et charismatibus minor, sed certe naturae praestantia et dotibus major. Unus enim est de magnis illis principibus ac senatoribus, qui in aula coelestis regni divinorum sacramentorum et mysteriorum conscii et participes estant perpetuo coram Deo. Jam vero de negotii magnitudine ac pondere, quod hac legatione peragitur, quid dicemus? Est enim ejusmodi, ut ab eo salus totius humani generis dependeat. Neque negotium majus aut admirabilius, aut nobis omnibus utilius, salutarius, suavius ulla unquam legatione confectum est. Hoc enim agitur, ut humana natura Dei Filio stabili matrimonio adjungatur, atque hujus affinitatis gratia genus humanum aeternae morti adjudicatum de ipsis faucibus mortis eripiatur et ad imperium coeleste ac sempiternum evehatur.

Quae cum ita sint, necesse non erit a vobis attentionem aut diligentiam auscultandi petere: Sed potius omnes simul, cum apostolo Paulo, a Deo nostro flagitemus, *ut det* nobis *spiritum sapientiae et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis* nostri: ut cognoscamus magnum illud pietatis sacramentum, quod ab angelo nunciatum, ab evangelista conscriptum, ab apostolis praedicatum, universa hoc tempore colit ac veneratur ecclesia. Veniamus nunc, si placet, ad initium hujus divinae historiae breviter explicandum.

In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen virginis Maria, etc.

Exordium est hoc historiae accurratissimum et pulcherrimum, quo tempus et locus rei gestae, nec non personarum, quae rem tantam peregerunt, nomina et conditiones brevissime describuntur. Exposuerat enim paulo ante b. Lucas Praecursoris Domini conceptionem, admirabilem illam quidem et miraculis prodigiisque plenam; sed nullo modo cum novitate et miraculo conceptionis Dominicae comparandam. Propterea cum dixisset: *Concepit Elizabeth, et occultabat se mensibus quinque, dicens: Sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines*: statim subiecit, *in mense autem sexto*, a conceptione videlicet Praecursoris, *missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae*. etc. Quasi Dicere vellet, Rem magnam exposui, mulierem videlicet anum et sterilem, praeter omnem naturae ordinem concepisse; nunc vero multo majorem et difficiliorem, nempe conceptionem, et partum virginis enarrare aggredior. Illud enim quamquam raro, aliquando tamen factum esse meminimus, et exemplum Sarae, Rebeccae, Rachelis, Annae et aliarum nonnullarum sterilium foeminarum in ipsis divinis voluminibus legimus. Hoc vero, neque factum est unquam, neque fiet, ut merito de hac virgine ille christianus poeta cecinerit:

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Sed mysterium ejus temporis, quod sapientia Dei tam ad suam, quam ad praecursoris sui conceptionem et nativitatem elegit, silentio praeteriri non debet. Quis enim casu factum esse sibi persuadere poterit, ut praecursor et Dominus quatuor praecipuos dies totius anni, duo aequinoctia et duo solstitia inter se quodammodo diviserint? Ut praecursor in aequinoctio autumni conciperetur, Dominus vero aequinoctium veris eligeret ad conceptionem, et solstitium hibernum ad nativitatem? Quid igitur haec sibi volunt? si casu facta non sunt, ergo mysterio non vocant. Joannes (auditores) legem, Christus evangelium significabat: propterea non immerito Ioannes in aequinoctio autumni? Christus in aequinoctio veris concipitur. Quemadmodum enim tempore autumnalis aequinoctii collectioni frugum et fructuum finis imponitur, cadunt folia de arboribus, omniaque, quae in agris sunt arescere et interire incipiunt: Ita Joanne adveniente lex Moysis interitui appropinguabat, omnesque caeremoniae illae legales, et sabbata et neomeniae et sacrificia, quasi arentia folia decidebant: *Lex* enim *et propheta usque ad Joannem*: Et sicut ineunte vere, novus annus inchoatur, et omnia virere ac florere incipiunt, erumpunt de vitibus et arboribus gemmae, ac omnis ubique terra herbescente viriditate quasi vestitur; ita Christo ad terras descendente, novus populus, novae leges, nova sacrificia, nova sacramenta, novae caeremoniae inchoabantur. Et haec deinceps sola virere ac florere, et per omnem terram disseminari ac propagari, augeri et confirmari oportebat. Ioannes praeterea hominis veteris, Christus hominis novi figuram gerebat. Proinde optimo jure nascitur Jannes in aestivo solstitio et Christus in hiberno. Quemadmodum enim in aestivo solstitio sole recedente dies minuuntur; in hiberno vero sole redeunte crescunt: ita Joannes adventu suo veterem hominem paulatim minui dedebere significabat; Christus autem novum hominem crescere jam oportere demonstrabat. Hinc est illa vox ejusdem beatissimi Joannis: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Hinc etiam, quod majus admirabilius est, scimus Joannem, quem minui oportebat, capite fuisse diminutum: Christum autem, quem oportebat crescere, in crucem sublatum, exaltatum actumque fuisse: Recte igitur et divino prorsus consilio, sexto mense a conceptione Joannis, hoc est, die martii vigesimaquinta, quo etiam die mundus conditus a multis non sine causa creditur, mundi liberator atque assertor, Patre mittens, Spiritu sancto operante, angelo nunciante, virgine concipiente, in utero matris humana carne indutus apparuit. Atque haec quidem de ejus tempore: nunc de ipso legato dicamus.

Missus est angelus Gabriel. Angeli (auditores)

mentes quaedam sunt spiritales sempiternae, coelestes ac prope divinae. Eorum locus coelum empyreum. Ibi enim tamquam praesides orbis ab imperatore Deo collocati sunt. Eorum divitiae thesaurus quidam est infinitus sapientiae. Eorum officium perpetuo amore creatoris arderet, ejus pulchritudinem et magnitudinem admirari, diligere et laudare et semper cum stupore clamare: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Porro naturae praestantissimae et pulcherrimae sunt, adeo ut merito homines, cum aliquem a pulchritudine laudare volunt, cum angelicam faciem habere dicant: merito quoque d. Ambrosius angelos flores universitatis appellandos putaverit. Potentia vero tanta, tamque incredibili praediti sunt angeli unus eorum pene in puncto temporis centum octaginta quinque millia hominum interfecisse legatur. Talis igitur tantusque nuncius multis magnisque de causis missus est. Primum, ut ex dignitate legati, auctoritatem mittentis et legationis magnitudinem intelligeremus. Deinde ut liberatio ruinae responderet: et sicut olim ad nostram quaerendam perniciem infernus motus est, et de grege suo malum angelum misit, qui mulierem in paradiso circumventam falleret, ac per eam primus Adam negaretur, et ejus morte nos omnes periremus; ita postmodum ad nostram liberationem procurandam moveretur coelum, sanctumque angelum de suo coetu emitteret, qui virginem suo obsequio salutaret, et ex eâ secundus Adam nasceretur, cujus gratia nos omnes a morte ad vitam rediremus. Praeterea cum secunda persona divinissimae Trinitatis carnem humanam susceptura esset, secundumque peccatum ejus adventu purgandum ac delendum (primum enim primi angeli, secundum primi hominis peccatum fuit) res ipsa postulabat, ut nuncium istud non alia quam secundum, hoc est, angelica natura quod cum cognata sit angelis virginitas, et in carne praeter carnem vivere non sit humana vita, sed angelica; nemo melius et congruentius, ad Virginem castissimam et integerrimam mitti potuit, quam angelus. Quamquam enim conditione naturae b. Maria homo; tamen vitae puritate angelus terrestris erat, et corpore quidem versabatur in terris, sed certe vita, moribus, animo, desiderio, contemplatione, mentis fervore, perpetuo habitabat in coelo. Quis vero melius ad angelum terrestrem, quam angelus colestis mitteretur?

Missus est igitur *angelus*: Et angelus non quicumque, sed *Gabriel*: quem non immerito virginis custodem et non de minoribus aliquem, sed unum de primis et summis principibus esse, d. Bernardus hunc locum exponens; existimat. Quamquam enim caeterorum hominum infimi ordinis angeli custodes credantur: tamen ea, quae Mater Dei et angelorum regna quandoque futura et super choros angelorum exaltanda erat, quid mirum, si unum de summis angelis custodem habuisse dicatur? Et licet multo crebius minores, quam majores mittantur; tamen et ad Isaiam unum de seraphim volasse legimus. Et apostolus ad Hebraeos scribens testatur, *omnes* esse administratorios spiritus *in ministerium* missos, *propter eos, qui haereditatem capient salutis.* Neque dicere possumus, divinum apostolum non de omnibus sed solum de minoribus loqui. De iis enim sine dubitatione loquitur, de quibus paulo ante dixerat; *Adorent eum omnes angeli Dei* et, *cui enim dixit et quando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et, ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium?* Et, *Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* statim enim nulla interposita sententia sequitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui haereditatem capient salutis.* Jam vero quis dubitare potest, quis omnino angelis, neque minoribus neque majoribus, neque ipsis cherubim et seraphim, numquam a Deo dictum fuisse; *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Et, *sede a dextris meis.* Neque enim Angelorum quamvis excellentium et sublimium, sed Dei solius est sedere; illis vero tamquam famulis et administris stare et ministrare convenit. Itaque sicut pontifex maximus princeps ecclesiasticae hierarchiae, communia et vulgaria negotia, per privatos homines procurat; per legationes, tamen ad summos reges, non nisi summis principibus purpuratisque senatoribus credit: Sic etiam Deum hierarchiae coelestis caput ac regem, credibile est, ut plurimum minores Angelos ad terras mittere; sed tamen ad nuncia perferenda rerum maximarum, qualis imprimis Verbi Divini Incarnatio fuit, non angelos quoscumque, sed primos ac summos destinare.

Neque vero nomen Gabrielis a legatione dissentit, quid enim est Gabriel, si vim nominis considerare velis nisi fortitudo Dei? Quid autem forfius, potentius mirabilius nunciari poterat, quam Virginem pariturum, creatorem creandum, aeternum nasciturum, beatum passurum, immortalem moriturum, unum et eumdem simul domi et foris, in patria et in exilio, in delitiis summis et in summis doloribus futurum? Denique eum, qui nondum totum pugillo complectitur, in utero summae unius claudendum? Quare merito jureque optimo archangelus Gabriel tanti mysterii nuncius missus est. Qui etiam quod hujus sacramenti prae caeteris angelis arcana cognoveris, vel ex eo intelligi potest, quod ipse idem, et olim Danielem docuit numerum hebdomadarum, quae supererant usque ad Christum, et deinceps pontifici Zachariae praedixit conceptionem, nomen, vitam et mores Praecursoris.

Venio nunc ad eum, a quo legatio missa est. Quis igitur legatum misit? Deus. *Missus est Angelus Gabriel a Deo.* Tribus modis Deo nomen exponitur, ut ex Theodoreto et Joanne Damasceno intelligi potest. Nam et a verbo θεειν, quod est currere vel a verbo αιθειν, quod ardere? vel a verbo θεαθης, quod est, videre vel providere, Dei nomen deduci posse censuerunt. Hae vero expositiones omnes huic loco pulcherrime atque apertissime conveniunt. Nam si Deus a currendo dicitur, quando, quaeso, magis cucurrit, quam cum naturam assumpsit humanam? quando *exultavit ut gigas ad currendam viam?* quando *venit* quasi caprea cervusque camporum, *saliens in montibus, tran-*

siliens colles? Si vero dicitur a comburendo, quando, quaeso, magis vim flammarum suarum ostendit, quam cum *ignem* venit *mittere in terram*, et eas faces amoris in cordibus sanctorum accendit, quae nullis aquis tribulationum unquam restingui poterunt? Si postremo a videndo sive providendo nomen Deus accepit, quando majore ratione Deus dici potuit, quam cum afflictionem nostram et miserrimam captivitatem vidit, et liberatorem potentissimum nobis providit? Nam ut Clemens Alexandrinus sapienter annotavit, in nulla re magis elucet sapientia Dei, quam in adventu servatoris. Sicut enim princeps ille pictorum Apelles, ut refert Plinius, ex una subtilissima linea, summo artificio in tabula depicta, a Protogene cognitus est; sic etiam Deus, ut provisor et procurator rerum humanarum agnoscetur, argumentum providentiae per incarnationem Filii ostendit, quo nullum majus evidentius desiderari potest. Quid enim facere potuit Deus, quod non fecit? se ipsum nobis dedit; quid amplius postulabimus? Quis modo dicere poterit; *Dereliquit Dominus terram; circa cardines coeli perambulat nec nostra considerat*? Quomodo enim *dereliquit terram*, qui nullo suo commodo, ob solam hominum salutem descendit ad terram? Aut quomodo *nostra non considerat*, qui civis noster, frater noster, os nostrum et caro nostra est, ut aerumnas et calamitates nostras tolleret, et bona sua omnia nobiscum communicaret? Qui hominis filius factus est, ut nos faceret filios Dei? Et de coelo descendit ad terram ut nos de terra transferret ad coelum? Quae cum ita sint, vere a Deo, hoc est, a currente, ab urente, a vidente et providente angelus Gabriel missus est.

Sed nullamne nos utilitatem hinc capiemus? Neque enim solum evangelium exponere, sed etiam ex evangelii expositionem admonendi et cohortandi sumere debemus. Nullamne igitur ex nomen Dei utilitatem capiemus? Imo vero, magnam omnino, si sapimus. Nam et fiduciam excitare, et torporem excutere, et vigilantiam comparare, ex ejus nominis interpretatione possumus. Primum, quantam fiduciam in quibusvis adversis rebus nobis Dei nomen adferret, si menti atque animo infixum habitaremus, Deum nostrum, qui nostri curam gerit maximam nosque diligit vehementissime, tanta velocitate afflictis succurrere solere, ut a currendo nomen acceperit. Et quid causae esse potest, cur non omni fiducia, omnem sollicitudinem nostram in Deum proiiciamus? Ignorat fortasse, quid agamus, ubi sumus, quid toleremus? At ita omnia ubique videt, ut a vivendo nomen traxerit. Sed forsitan non potest nos juvare? At idcirco ab eo urendo nomen habere voluit, quod sit *ignis consumens*, et nihil omnino ejus potentiae, virtuti, efficacitati resistere possit? Quid igitur superest? Num dicturus es: Videt quidem Deus et potest, sed non consuevit, nisi raro admodum miseris opem ferre? Minime vero. Nam propterea currens dici voluit, quam ubique summa, incredibilique celeritate semper accurrere, et omnibus se invocantibus atque in se confidentibus adesse soleat. Consule divinas litteras, nihil frequentius invenies, quam: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum*. Et, *Nullas speravit in Domino et confusus est*. Et, *quoniam in me speravit, liberabo eum*. Et, *omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*. Experti sunt profecto, nisi fallor, plurimi superioribus mensibus in illa bellorum et periculorum magnitudine, cummunique totius patriae trepidatione, qualis clypeus sit fiducia in Deum. Certe enim parentem et propugnatorem habemus, cujus auxilium neque acies armatae impedire; neque sagittae globique tormentarii praevenire, neque valles, neque montes, neque flumina, neque maria, neque fossae, neque moenia, neque obstacula ulla retardare possunt.

Deinde ad torporem ex animis nostris excutiendum quantum valet, quaeso, saepe ac serio considerare parentem nostrum Deum, ignem consumentem esse, et ab urendo nomen accedisse? Nam si filii Dei nominamur et sumus, parenti nostro persimiles, et si non ignes tamen igniti esse debemus. Quid? quod non solum ex divino igne nati sumus; sed etiam igne divino quotidie alimur? Quid enim est aliud corpus Dominicum, quo a Deo in hoc exilio pascimur, quam ignis spiritalis? Nec immerite, auditores, nascimur ex igne, et igne nutrimur, et ignes nos fieri necesse est. Siquidem elementum nostrum, quo tendimus, et in quo tamquam in loco naturali quiescemus, sursum est, coelum est. Sursum, quo non terra, non aqua, non etiam aer, sed solus ignis ascendit. Hinc enim Dominus prae aliis frigore torpentibus Judaeis aliquando dicebat: *Quo ego vado, vos non potestis venire*. Ibat enim Dominus sursum, illi vero, qui marmorei ac ferrei erant, quo irent nisi deorsum: Sed omittamus Judaeos et nosipsos consideremus. Vis, frater, coniecturam de te ipso facere, atque utcumque cognoscere, an ad filios Dei Christique fratres et haeredes regni pertineas nec ne? Admovere manus pectori, vide quid ibi reperias. Sentis cor tuum ardere? anhelas ad elementum ignis? ad coelestem patriam, ad sedes beatorum? Ardes desiderio Deo placendi, ejus honorem promovendi, animas proximorum adjuvandi? Num eos, qui tecum versantur, accendis? Num scintillae divini amoris de corde tuo per os tuum prodeunt? Quid est, quod loqueris? Quid agis? Quid meditaris? Quod tua, et cogitationes tuas dirigis? Nam si Dei, hoc est, ignis et filius, et si igne spirituali aleris, non potest certe non ardere. Si vero glaciem sentis in pectore, si perpetuo terram intueris, si de coelo isti regno, quae regio est ignis, numquam cogitas, si eos, qui te tangunt, tecumque versantur, efficis frigidiores, male profecto tecum agitur, et nisi mature provides tibi, actum est de te. Istud enim frigus quid aliud, quam signum mortis est?

Sed ad postremum documentum, quod ex nomine Dei sumi potest, veniamus, scilicet quod ex hujus nominis consideratione ad vigilantiam excitemur. Hoc enim interest, auditores, inter Deos Ethnicorum et Deum Christianorum, quod illi videntur, sed non vident; hic vero videt, sed non videtur. Nam *simulachra gentium argentum et*

aurum, opera manuum hominum; oculos habent et non videbunt. At vero Deus noster, quem *nemo vidit umquam*, quique *posuit tenebras latibulum suum*, et qui *vere* est *Deus absconditus*, nihil est, quod non videat. Num enim, *qui finxit oculum non considerat?* Nonne *oculi Domini contemplantur in omni loco bonos ac malos?* et *non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda sunt et aperta oculis ejus.* Denique ita omnia videt, ut a videndo nomen trahere voluerit. Recte igitur veteres Aegyptii, Dei naturam exprimere volentes, oculum sceptro regali superpositum depinxerunt: nimirum, ut omnes eam imaginem intuentes intelligeremus. Deum nihil esse aliud, quam oculum omnia videntem, et auctoritate ac potestate plane regia, quod sceptro designatur, praeditum, neque malum ullum impunitum, neque ullum bonum irremuneratum dimittentem. O utinam eam imaginem, oculum divinum sceptro regali superpositum exprimentem, semper in corde expressam haberemus, sicut habebat b. Abraham, qui a Domino audierat; *Ambula coram me et esto perfectus*: et magnus ille Elias, qui tam crebro repetebat; *vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu* hodie *sto.* Et regius vates David, qui providebat *Dominum in conspectu* suo *semper*, ut ipse quodam loco in psalmis testatur. Equidem iste divinus oculus superpositus sceptro suo, et impressus cordi tuo, a quo tandem flagitio te non revocaret? Quis enim vel agere vel loqui, vel cogitare turpe aliquid auderet si se ab oculo Dei videri serio existimaret? Nam si media nocte, cum solus in cubiculo es, et forte adulterium vel fornicationem, daemone suggerente animo volvis, et ea cogitatione te oblectas, si te a me videri crederes, non saltem erubesceres? Sic opinor. Et tamen quis aut qualis ego sum? Homo, peccator, conservus tuus, et qui in idem flagitium si Deus permitteret, facile possem incidere. Et quid tibi obest, quod te viderem? Num ego te perpetuis flammis adiudicare, vel saltem aliquo tormenti genere afficere possum? Nihil horum. Quid igitur fieret, quam vehementer erubesceres, quanta contentione cum vitiis pugnares, si tu quicquid agis, quicquid cogitas, quicquid moliaris etiamsi in abditissimis recessibus cordis tui deliteas, tamen ab eo cerni tibi serio persuaderes, qui te creavit et conservat, qui te sanguine suo redemit, qui te beatum et miserum facere potest, in cujus voluntate vita tua est, et cui nihil displicet magis quam peccatum? In mentem vobis quaeso, veniat sanctus ille Eremita, qui ad meretricem ingressus et flagitii committendi se cupidum simulans, secretius cubiculum petiit, in quod deductus magis remotum postulabat, affirmans emori se malle, quam in tali crimine deprehendi: ulterius autem ingresso ajebat scortum; En locum, ubi praeter Deum nemo nos videre poterit, cui tandem ille; Ergone hoc parum tibi videtur, quod nos Deus videat? eamque materiam ita deduxit, ut quam meretricem inveneral, Dei gratia adjuvante, continentem relinqueret. Habetis igitur quantam utilitatem ex solo Dei nomine percipere possumus. Paulisper quiescamus et mox ad caetera veniamus.

PARS SECUNDA

Diximus de tempore legationis de legato et de rege, a quo legatus missus est: superest ut de loco et persona, ad quam legatus mittitur, dicamus.

Sequitur igitur; *in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth.* Hic est locus, quem Dei Filius prae omnibus locis orbis terrae adventu suo consecrare atque ornare dignatus est. Tres vero causae potissimum mihi esse videntur, cui Nazareth potius quam aliam urbem Palaestinae ad conceptionem suam Dominus elegerit. Primum erat Nazareth Galilaeae civitas obscura, propter quod neque reges, neque prophetas, neque alios viros illustres, ut aliae multae civitates, unquam peperisset. Hinc est enim illa vox Pharisaeorum ad Nicodemum; *Scrutare scriptura, et vide, quia a Galilaea propheta non surgit.* Et illa Nathanaelis ad Philippum: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Deinde in ea non Hebraei solum, sed etiam Ethnici versabantur, ex quo *Galilaea gentium* ab Isaia Propheta dicta est; *Terra Nephtalim et terra Zabulon via maris trans Jordanem Galilaeae gentium.* Postremo, si nominis interpretationem quaeras, sancta ac segregata et florens interpretatur. Dominus igitur in civitate Nazareth concipi voluit. Primum quidem quod sicut Nazareth obscura atque humilis habebatur, ita ipse non ut regnaret ac dominaretur, veniebat, sed ut serviret et contemneretur, ut malediceretur, ut occideretur, ut verbo et exemplo nos ad humilitatem mundique contemptum hortaretur. Deinde, quod sicut Nazareth Hebraeos simul et Gentiles complectebatur, sic ipse et Hebraeos et Gentes amplissimo sinu gratiae et misericordiae suae complecti volebat. *Parum est*, Dominus ait, *ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob et faeces Israel convertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Postremo quod sicut Nazareth, licet obscura et vilis haberetur, tamen sancta, separata, florida interpretatur, sic ipse humilis, pauper, despectus esse voluit, sed non peccator: imo vero *sanctus*, *innocens*, *impollutus*, *segregatus a peccatoribus*, *excelsior coelis factus*, et omnium virtutum floribus ornatus vel potius non floribus ornatus, sed flos ipse *candidus et rubicundus, flos campi et lilium convallium.* Candidus enim innocentia, rubicundus charitate: de quo sanctus Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini.* Ex eo vero (auditores) quod Christus *flos campi et lilium convallium* ex urbe florida, et mense martio, qui est mensis florum pupullare voluit, illud ego intelligo, eum vehementer delectari floribus, et licet omnes homines, qui serio recte vivere instituunt, recipiat, tamen singulari quodam amore eos complectitur, in quibus florem sanctae virginitatis, florem suavissimi odoris invenerit. Sicut etiam quamvis nullam aetatem a poenitentia et regno coelorum excludat, tamen quis dubitare: potest, eos esse Christo multo chariores, multoque ab eo vehementius diligi, qui non foecem senectutis, sed florem adolescentiae in obsequium ejus consecrarunt?

Sequitur. *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.* Est hoc in more positum, auditores, ut cum nuptiae celebrandae sunt, non ante matrimonium concludatur, quam sponsae consensus requiratur. Ita quondam cum servus Abrahae Rebeccam pro Isacco uxorem postularet, parentes et fratres respondisse legimus: *Vocemus puellam et quaeramus eius voluntatem.* Sic igitur et nunc cum esset humana natura Verbo Dei matrimonio copulanda, misit Deus angelum suum ad virginem ut ejus quodommodo consensum et voluntatem requireret. Poterat quidem Deus, etiam Virginis non expectata voluntate, matrimonium istud concludere: Sed tamen et majore cum merito Mariae, et cum illustriore gratia et dignatione Dei ejusmodi voluntas expectata est.

Porro matrem liberatoris multis de causis virginem esse docuit. Primum, ne Filius Dei, quod turpissimum videri poterat, duos patres haberet. Deinde, ne qui peccata tollere veniebat, ipse in peccato nasceretur. Rursum ut sicut in coelo patrem habet sinè matre, sic in terra matrem haberet sine patre. Praeterea, ut sicut Adam sine patre et sine matre natus est, nos vero ex utroque parente nascimur, Eva patrem habuit sine matre, ita unus esset, qui quadratum generationum impleret et ex matre sine patre nasceretur. Postremo, ut verbis utar d. Augustini, *oportebat caput nostrum propter miraculum secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine ecclesia secundum spiritum nascitura.* Et sane si corpus primi Adae ex limo terrae fabricatum non ab angelo aliquo, sed a solo Deo formatum effectumque est, quanto majore ratione corpus secundi Adae, ex integerrima, virgineaque carne, non opera viri alicujus, sed sola Spiritus sancti virtute procreandum fuerat? Et si olim nascente mundo ad illam solam vocem imperantis Dei, *Germinet terra herbam virentem*, omnis ubique terra nullo suscepto semine in momento concepit ac peperit herbam omnis generis, quanto magis conveniebat, ut mundo renascente, ad imperium solius Dei sine ullo humano semine terra nostra conciperet, et daret fructum suum? Quocirca verum est omnino vaticinium Isaiae: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.*

Quod vero insania ac pertinacia Judaeorum obiicit, hebraeum vocabulum, quod eo loco Isaias posuit, non tam virginem, quam puellam significare neminem movere debet. Nam ut magnus Basilius hanc ipsam objectionem refellens annotavit, tamquam magnum prodigium Isaias ponit, virginem parituram. Quale autem prodigium est, puellam viro conjunctam et liberis operam dantem, tandem concipere et parere? Nonne foeminas nuptas quotidie parere audimus? Deinde ut beatus Hieronymus, hebraicae linguae peritissimus, sapienter ostendit, verbum illud hebraeum *Alma*, puellam quidem significat, sed puellam absconditam, magnaque parentum diligentia custoditam, et quae virorum aspectibus numquam patet; neque in divinis litteris unquam pro non virgine ponitur. Itaque recte septuaginta interpretes non puellam, sed virginem transtulerunt, recteque nos beatissimam Deiparam peregrinae illi plantae comparabimus, quae simul et fructum profert et retinet florem. Ipsa enim inter mulieres sola fructum nuptiarum protulit, et florem virginitatis non amisit.

Sed cur, quaeso, virgo Deum paritura desponsabatur viro? Sic enim legimus; *Ad Virginem desponsatam viro.* Veteres patres, Ignatius apud Hieronymum in Matth. lib. 1. Origenes homilia de vigilia Nativitatis, Basilius oratione de Nativitate, Ambrosius in Lucam lib. 2. Hieronymus contra Helvidiam et in Matth. lib. 1. et Bernardus serm. 2. super *Missus est*, hujus desponsationis sex causas tradiderunt. Primam, ne Virgo Maria adultera crederetur ab iis, quibus hoc mysterium ad tempus occultum esse oportebat. Alteram, ut solatium atque auxilium comitis haberet, cum erat fugiendum in Aegyptum. Tertiam, ut per Iosephi genealogiam Mariae, atque adeo Christi ipsius secundum carnem origo monstraretur. Quartam, ut beata Maria Iosephum testem pudicitiae suae gravissimum, fideque dignissimum haberet. Quintam, ne virginibus sinistra opinione viventibus velamen excusationis praeberetur, si dici posset, etiam Matrem Domini aliquando infamia impudicitiae laborasse. Postremam, quam ex divo Ignatio doctores caeteri didicerunt, ut beatae Mariae partus, cum virginitate conjunctus, ad tempus diabolo celaretur. Quamquam enim naturae celeritate ac subtilitate facile diabolus omnia penetrat, nec ullis portis aut parietibus excludi potest; tamen quin divina virtute impeditus, neque ad virginem propinquare neque mysterium partus virginei videre potuerit, minime dubitamus.

Fuit igitur virgo beatissima viro desponsata, et viro sine dubitatione optimo et sanctissimo. Si enim in matrimoniis caeteris prudentia hominum in primis requirit, ut vir et mulier sint opibus, nobilitate, aetate omnibusque rebus aliis, quantum fieri potest, pares, quanto magis credendum est Deum hujus castissimi matrimonii auctorem illud voluisse, ut qui suae matris sponsus eligi deberet, esset ei non solum aetate et nobilitate, sed etiam morum integritate vitaeque probitate, quam maxime similis? Itaque sicut Maria a stirpe regia descendebat; ita et Ioseph. Sicut Maria adolescentula; ita et Ioseph, non omnino senex, (ut pingitur) sed maturus juvenis erat, alioquin neque ei in itineribus, in puero ferendo atque educando, aliisque periculis et laboribus subeundis, multum prodesse, neque virginem adulterii suspicione liberare potuisset. Quae tamen praecipue causae desponsationis, matrimoniique fuerunt, et quod majus et gloriosius est, sicut Maria virgo, ita et Joseph. Sicut Maria sapientia et prudentia spirituali ornatissima, ita et Joseph. Denique sicut Maria Deum ipsum filium suum appellare potuit, ita et Joseph. Alioqui virgo ipsa non diceret; *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Et quamquam Deus Christus non natura filius sicut Mariae, ita etiam et Joseph fuerit, tamen magis ac verius filius ejus fuit, quam si adoptione fuisset. Erat enim verus filius verae conjugis ejus. Sed quicquid de hoc sit, cui parum vi-

detur sanctum Joseph patrem Dei saltem dici atque haberi potuisse imo et oportuisse ac decuisse quid ei magnum videatur ignoro.

Sed ut ad finem orationis veniamus : sequitur postremo; *et nomen virginis Maria.* Merito b. Lucas hujus virginis nomen tam diligenter expressit, quo nullum post Dei et Christi nomen, neque dulcius, neque venerabilius, neque salutarius, in auribus eorum, qui vetum Deum agnoscunt, insonare potest. *Et nomen virginis Maria.* Quoties hoc nomen audimus, toties nobis in memoriam venire deberet magna illa mater humani generis, quae nobis Deum Majestatis, affinem, fratrem parentem effecit. Unde nobis omnia bona, quae habemus, et quae deinceps habituri sumus tamquam ex fonte quodam profluxerunt. *et nomen Virginis Maria.* Maria (auditores) domina, illuminata et mare amaritudinis interpretatur. Et quid ni domina ac regina dicatur, quae veri Dei, qui solus est Dominus, vera mater nominatur, et est? Quis vero dubitet eam illuminatam appellare, quae veram lucem mundo peperit? Si Moyses 40 dies cum Domino familiariter colloquens, ita luce perfusus est, ut in ejus vultum filii Israel oculos intendere non valerent, quid de ea existimare par est, quae ipsum justitiae Solem in utero, in sinu, in ulnis gestavit, et non dies quadraginta, sed annis amplius triginta, cum eo intime ac familiariter in eadem domo, in eadem mensa versata est? At mare amarum nunc quidem non est, sed certe fuit Maria, cum hic in terris viveret, fuit enim filio suo in omni labore ac tribulatione socia, in paupertate, in itineribus, in persecutionibus, in doloribus, in angustiis individua comes: Deus enim quos diligit affligi permittit in hoc saeculo, ut postea tanto gloriosius coronet in coelo. Itaque haec ipsa virgo, quae quondam mare amaritudinis erat, nunc stella maris effecta, et super omnes coelos exaltata, radios suos ubique diffundit, nec est qui se abscondat a calore ejus, nec frustra in ejus fulgorem mundus intuetur, ac post Deum et Christum in ea confidit. Nam quia mare amaritudinis fuit, nostrasque calamitates experta est, compati nobis et condolere novit: quia Regina est, quicquid voluerit, a rege filio impetrare potest: quia illuminata est, nostras aerumnas et calamitates non ignorat. Quamobrem, auditores, quotquot in mari hujus saeculi inter tot pericula navigamus, si mergi non volumus, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Si ventis agitamur tentationum, si ad scopulos allidimur tribulationum, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Si avaritia, si ambitione, si carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Si criminum immanitate turbati, conscientiae foeditate confusi, judicii horrore perterriti, barathro tristitiae absorberi incipimus, respiciamus stellam, invocemus Mariam. In periculis, in doloribus, in angustiis, in rebus dubiis, in omni denique itineris et navigationis hujus labore, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Non enim frustra dictum est, *et nomen Virginis Maria.* Nemo est prorsus, qui aliquo nomine ad Mariae thronum aditum non habeat. Si virgo es, invoca virginum virginem, si matrimonio copulatus, invoca matrem et sponsam Dei: si dives ac nobilis, invoca coeli reginam, si miser atque afflictus, invoca amaritudinis mare, si peccator, invoca matrem misericordiae: si justus, invoca matrem solis justitiae. Ita omnes experientia discent, quam vere dictum sit, *et nomen Virginis Maria.* Ejus interim unigenito Domino nostro sit omnis honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO II.

SUPER

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, etc. *Lucae* 1.

SYNOPSIS

Concio haec secunda angelicae salutationis verba explicanda suscipit, et χαῖρε Graecum latine significet, interpretatur ; et d. Virginis cum Eva instituitur antithesis, Tres ob causas Mariam posse dici gratiam plenam declaratur, quod nempe gratiosissima, quod mater fontis omnium gratiarum, quod omnibus gratiae donis refertissima, et ab omni peccato semper libera, quod variis testimoniis confirmatur. Amor vanitatum mundanarum atque hominum caecitas suis coloribus graphice depingitur. Quomodo Dominus fuerit cum Maria, dilucide exponitur. Quomodo sola Maria a communi mulierum maledictione exempta fuerit; et quomodo ob florem virginitatis, et fructum foecunditatis sit benedicta declaratur. Quot filios peperit b. Virgo, ostenditur. Mysterium nominis Mariae, quod ex primis litteris quinque nobilissimarum foeminarum constat, quarum singularum virtutes Maria unitas expressit, nimirum Mariae Moysis sororis, Annae matris Samuelis, Ruth, Iudith, Abigail.

In parte secunda tres enodantur quaestiones. Prima, cur concionatores initium dicendi ab angelica salutatione faciant, cujus duplex affertur causa. Secunda, Quae specie Gabriel b. Virgini apparuerit, ubi triplex angelorum apparitio adducitur, in corpore, in imagine, in natura ; sic etiam tripliciter videntur ab hominibus, oculis corporis, cordis et mentis : hoc vero loco in corpore aereo apparuisse affirmatur. Ubinam b. Virgo ab angelo fuerit inventa, nempe in cubiculo conclusa. Atque hinc eruitur pulchra doctrina, quam tutum sit secum habitare : et quam periculosum comparationibus et tripudiis interesse, quod etiam ad finem usque extenditur.

Beatissima Deiparam, auditores optimi, cujus hodierna die felicem, totique mundo salutarem Conceptionem in vespertinis precibus, solito, debitoque cultu, venerari coepimus, multi veterum sanctorum excellentibus ingeniis, summaque animi contentione et singulari, ac prope incredibili devotione laudum praeconiis certatim attollere, ornare ac praedicare conati sunt: sed nihil umquam gloriosius, nihil majus, nihil splendidius, nihil ipsi virgini jucundius dici potuit, quam id, quod archangelus Gabriel nova illa et inaudita salutatione, quam ipsa quoque virgo mirata est, non suo, sed Dei nomine protulit, cum ait: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quam quidem salutationem, cum ea in historia evangelica, quam explicandam suscepimus, hodierna oratione suo ordine explicanda se offerat, eidem nos gratissimis animis, et simul nostrae orationis obsequium, in hac ejus laetissima celebritate tamquam munusculum aliquod offeremus.

Angelus igitur Gabriel ad virginem ingressus, eam tamquam Dei parentem coelique reginam mox futuram, primum reverenter salutat: deinde tribus amplissimis titulis honorat. Ac verbum quidem graecum χαῖρε, quo b. Lucas salutationem expressit, non solum *avere*, sed etiam *gaudere* significat. Nec ulla potuit angelus uti voce magis apta et apposita. Quae enim verae salutis auctorem conceptura, et illum, quem Eva miseris mortalibus moerorem in gentem invexerat, erat sempiterno gaudio commutatura, quoniam alio, quam salutis, et gaudii vocabulo appellari oportebat? Deinde quam pulchre factum est, ut in ipso primo verbo, quo nuncium salutis, et prima gaudia mundo adferuntur, nomen primae nostrae matris eisdem literis, sed ordine converso, legamus expressum? Illa siquidem dicebatur *Eve* et prima vox hujus nuncii salutaris est *Ave*: quo quid aliud significatur, quam donatam esse nobis alteram Evam, alteram communem matrem, sed multis priori contrariam? Illa enim fructum vetitum carpens, paradisum clausit, gehennam aperuit, mortem accersivit, laboribus et doloribus, plagis et vulneribus aditum praebuit: ista contra, fructum salutarem proferens, paradisum nobis restituit, a gehenna liberavit, mortem extinxit, labores sustulit, morbos curavit. Itaque haec mater omnium viventium et beatorum dici potest, illa mater omnium morientium et miserorum. Illa a viro mortali appellata est *Eva*, ista merito jurequè optimo ab angelo dicitur *Ave, Ave*, inquit, virgo beata, neque enim tu anathemate et excommunicatione illa teneris, qua

filii Adam, ut tibi *Ave* dici non liceat, quin potius brevi ex te nascetur summus quidam pontifex, cujus auctoritate benedicentur atque ab excommunicatione absolventur omnes gentes. Nec solum *Ave* sed etiam *gaude* mater felicissima. Ecce enim annuncio gaudium magnum, quod erit primum tibi, deinde etiam omni populo. Iam de te coelum exultat, exultabit postimodum et terra. Nunc angeli gaudent, gaudebunt paulo post et homines, et te beatam dicent, tibique gratias agent omnes generationes.

Ave igitur gratia plena. Tribus modis fuisse mihi videtur b. Maria gratia plena. Primum enim gratia plena dici potest, quod gratiosissima prae omnibus rebus creatis apud Deum fuerit. Sic enim angelus haec sua verba paulo inferius explicat; *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero et paries filium.* Non est quod timeas tu, quam Deus prae omnibus rebus diligit, quae adeo ei charissima es, ac tantopere placuisti, ut singulari prorsus privilegio, te unam ad hoc elegerit, ut ejus filii sis mater, cujus Deus ipse est pater. Et sicut ipse sine uxoris consortio filium genuit: ita quoque tu sine mariti opera prolem concipias.

Deinde gratia plena dicitur quia ipsum gratiae et salutis fontem, et omnium bonorum auctorem in utero suo tamquam sanctissimo templo habitantem habuerit, quoque omnis gratiae plenitudo quae postea per omnem terram diffundenda erat, in unius virginis sinum, admirabili ratione et modo se infuderit. Atque huc respicit pulcherrima illa figura de rore et vellere, quam ex libro Judicum cognoscere potuistis. Quemadmodum enim tempore Gedeonis primum solum vellus, deinde area tota coelesti rore perfusa est, sic etiam destillantibus coelis, primum soli Mariae, quae merito puritatis et innocentiae candidissimo et tenuissimo velleri comparatur, tota se infundit plenitudo divinitatis, deinde ex ea plenitudine nos omnes accipimus, qui vere sine illa non aliud quam terra arida sumus. Id quod apertius regius vates David ostendit, cum ait: *Descendet sicut pluvia in vellus et sicut stillicidia stillantia super terram.* Pluvia siquidem voluntaria quam segregavit Deus haereditati suae, placide prius et absque strepitu operationis humanae, suo se quietissimo illapsu virgineum demisit in uterum, postmodum vero ubique terrarum diffusa est per ora praedicatorum, nec jam *sicut pluvia in vellus*, sed *sicut stillicidia stillantia super terram*, cum quodam verborum strepitu, ac sonitu miraculorum decidit. Nam et *in omnem terram exivit sonus eorum.*

Postremo gratia plena beata Maria appellatur, et est, quod gratiae donis, fide, spe, charitate, prudentia, justitia, temperantia, fortitudine, timore, pietate, humilitate, aliisque magnis virtutibus, muneribusque divinis prae omnibus angelis et hominibus repleta fuerit. Si enim quanto quis ad fontem magis accedit, et aquam puriorem, et in majore copia haurire potest, et quo quis ad solem propinquat magis eo magis luce solis completur, beatissima Deipara, numquid non plena gratia, quae fonti gratiarum conjunctissima fuit? Num et justitiam in omnibus non induit, quae ipsum justitiae solem carnis nube vestivit? virtutibus vero quibus carere potuit Mater Domini virtutum? Deinde cum inter se maxime pugnent peccatum et gratia, et simul in eodem pectore versari non possint, num illa gratia plena non fuit, quam omni peccato non solum mortali sed etiam veniali vacua semper fuit?

Sed unde hoc scimus? Cur rem tam magnam ac difficilem, ut vix fieri posse videatur, sine ullis testibus credemus? Quid enim majus, ac difficilius, quam per viam vitae hujus viam luto et sordibus plenam, ubi alii usque ad verticem ingrediuntur foeminam unam iter facere, et pedes suos non solum a sordibus et luto, sed etiam a minutissimo pulvere mundos conservare potuisse? Quis igitur hoc nobis persuadet? Primum sponsus ejus Spiritus veritatis, cum de ea in cantico amoris quasi gloriatur, ac dicit: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et rursum apertius: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Deinde ecclesia mater nostra, de hoc praestantissimo et pulcherrimo, et omnium suorum gloriosissimo membro idem confitetur, cum anathema dicit iis, qui hominem semel justificatum, affirmant omnia venialia peccata toto vitae tempore vitare posse, nisi ex Dei privilegio speciali, quale beatissimae virgini concessum, eadem synodus ecclesiam tenere confirmat. Num id sancti patres Dei et Virginis ardentissimi et castissimi amatores non praedicant? Audi beatum Ambrosium psalm. 118 extremum versum explicantem: *Suscipe*, inquit, *me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit virgo: sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Audi beatum Augustinum de natura et gratia disputantem; *Excepta*, inquit, *Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur habere volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Hac igitur virgine excepta si omnes sanctos et sanctas, cum hic viveret, congregare possumus, et interrogare, utrum essent sine peccato, una voce clamassent, neque humilius neque verius; *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Audi b. Bernardum in epistola ad canonicos Lugdunenses; *Ego*; inquit, *puto, quod copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quam ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quae dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitae et justitiae obtineret omnibus.* Quid de Athanasio, Nazianzeno, de Chrysostomo, de aliis graecis patribus referam cum ii passim virginem nostram integritate et puritate ipsis beatissimis spiritibus cherubim et seraphim anteponant? Quid de illo sene sanctissimo Ephrem, qui in oratione de laudibus Deiparae, in-

finitis pene verborum ornamentis; et splendidissimis nominibus ac laudum titulis eam honorat? *Intemerata*, inquit, *prorsusque pura virgo Deipara, regina omnium, spes desperantium, domina nostra gloriosissima, eademque optima; sublimior coelicolis, purior solis radiis et splendoribus, honoratior Cherubin, sanctior seraphin et sine comparatione caeteris omnibus superis exercitibus gloriosior.* Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin virgo beatissima, sicut nullo unquam nec mortali nec veniali peccato contaminata fuit, ita fuerit etiam omni gratia et splendore virtutum ornata.

Accedit postremo, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Neque enim montes, sed valles implentur: *Inter medium montium* (inquit propheta) *pertransibunt aquae.* Non in verticibus montium, sed in profundis vallium aquae congregantur, et quo vallis profundior, eo majorem aquarum copiam recipiet. Illa igitur virgo, quae quanto major erat, tanto humiliabat se in omnibus, et tamquam vas quoddam amplissimum et capacissimum, omnique vanitate vacuum erat, quomodo non gratia usque ad summum repleretur? Nos vero, auditores, qui toti vanitate pleni sumus, quid mirum si tam parum coelestium bonorum possidemus? Alioqui Deus noster, mare gratiarum immensum et infinitum, et quod exhauriri numquam potest, in nos effunderet, aut certe quotidie divinis charismatibus augeret, si locum in nobis ullum inveniret. Qui enim filium suum unigenitum tam liberaliter dedit, quomodo non cum illo omnia nobis donaret? Sed amor vanitatis, amor mundi, amor luti, amor tripudiorum, amor potationum, amor puerilium nugarum; ita cor nostrum occupavit, ut locum nullum vacuum reliquerit. Quotus quisque est, qui non aliqua vanitate tamquam visco teneatur? unus delectatur vestibus, et incredibili curiositate tamquam sponsa aliqua comptus et ornatus incedit, et insatiabili desiderio varias formas calceorum, caligarum, palliorum, pileorum aliarumque vestium quae nomina nondum habent investigat: et nisi omni accuratissime incisa, elaborata, ornata fuerint, frigus non pellunt, neque simplicibus contentus nisi triplicia et quadruplicia indumenta habeat, quibus etiam perticae domi vestiantur, nihil se habere putat. Alius omni genere musicorum instrumentorum ludit, omnes lusiones, artem etiam gladiatoriam didicit, omnem tripudiorum et saltationum varietatem novit, omnes amatorias cantiones memoria tenet, et qui est ejusmodi, non curiosus aut vanus, sed elegans et politus appellatur, quasi ad ista perdiscenda nati simus, quasi tempus hujus vitae, non ad peccata deflenda receperimus; quasi non in exilio, non in terra aliena, non in regione hostium sed in patria versaremur: quasi Christus magna voce non clamaverit: *Vae vobis, qui ridetis; quia flebitis*, quasi mors non instet a tergo, et jamiam nos abreptura videatur. Quid de aliis multo adhuc miserioribus dicemus? Quot sunt, qui cor ambitione plenum gestantes, nihil umquam somniant, nisi de gratibus, de titulis, de honoribus? Quot sunt, qui amore irretiti foeminarum, ita luto et coeno carnalium cogitationum ac desideriorum pleni sunt ut per oculos, per aures, per nares, per linguam coenum effluat, et alios etiam contaminet? *Sed usquequo parvuli* diligent *infantiam et stulti ea quae sibi sunt noxia, cupient? Usquequo gravi corde? Usquequo* diligemus *vanitatem et* quaeremus *mendacium?* Habet Deus manus auro et argento plenas, in sinum nostrum proiicere, eumque implere paratus est, si modo plumbum nostrum reiicere velimus. Habet balsamum, vinumque dulcissimum; eoque cor nostrum replere desiderat, si modo lutum et coenum nostrum effundamus; et nos mercatores insipientissimi ad illas veras et sempiternas opes, quas Deus gratis nobis venderet, oculos clausos habemus, ad ista vero caduca et fluxa, quae maximo pretio vix emuntur, tamen oculos apertos et intentos semper retinemus. Et sicut qui dicebat: *Villam emi, ne necesse habeo exire et videre illam*, qui villam nondum viderat, et tamen emerat, nondum viderat et tamen usque adeo diligebat, ut pro ea caenam divinam contemneret: nondum viderat, et tamen ita vinculis amoris ab ea tenebatur, ut necesse haberet omnia relinquere, exire, et videre illam: ita nos auditores, villam hujus mundi, mare istud magnum, in quod influunt omnia flumina vanitatum, nondum vidimus nondum bene novimus, nescimus quantum in eo amaritudinis, quantum laborum, quantum periculorum, quam duri scopuli sub aquis mollissimis lateant, et tamen ita diligimus, ut pro eo Deum animaeque salutem, vitam beatam negligamus. Clamat Deus: *Reddite praevaricatores ad cor* et nos tamen adhuc dicimus: *Necesse habeo exire et videre villam.* Quae est haec necessitas? Quis te compellit? Quis urget? Nonne si cor haberes, animae salus prae omnibus rebus te movere et urgere deberet? O si cor nostrum semel totum effunderemus ut nihil ibi vanitatis remaneret, si exueremus ac deponeremus omnem mundi amorem, si pectus vacuum et purgatum et paratum Deo exhiberemus, certe Deus, qui vacuum non minus, quam natura exhorret, continuo illud balsamo pretioso gratiae et virtutum repleret, et tunc experientia disceremus, quam excellenti bono illa fruebatur, cum dictum est ab angelo, *Gratia plena.*

Sequitur, *Dominus tecum.* Quibus duobus verbis singularis quaedam providentia Dei erga Mariam explicatur. *Dominus tecum*, inquit hoc est, merito laetari et gaudere potes virgo sanctissima; Nam quicquid agere instituas, quocumque te vertas, Dominus tibi adest, ut dirigat gressus tuos ut in nullo te opere errare patiatur. Ipse oculis providentiae suae semper te respicit, ille adiutor et protector tuus est. Simili genere locutionis legimus a Samuele dictum ad Saul: *Post haec insiliet in te Spiritus Domini, et mutaberis in virum alium*, et tunc *fac quaecumque invenerit manus tua: quia Dominus tecum est.* Quasi dicere vellet cum adveniente Spiritu Dei in te, mutatus fueris in virum alterum, age quicquid volueris, quia Spiritu Dei ageris, et Dominus in omnibus tibi aderit et cuncta opera tua prospere succedent. Sicut enim cum populus contra Dei voluntatem praelium adversus Amalech suscipere vellet. Moysem dixisse

legimus: *Nolite ascendere,non enim est Dominus vobiscum*; hoc est, non adiuvat vos Dominus, propterea si ascenditis, corruetis coram inimicis vestris. Denique in eadem significatione angelus ad Gedeonem: *Dominus tecum*, inquit, *virorum fortissime.* Quam salutationem ille prudenter intelligens, respondit continuo: *Obsecro, mi Domine,si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos haec omnia?* Ita Dominus cum Maria fuit, propterea quod ei providentia et auxilio quodam singulari semper adfuit, et ita singulari, ut numquam in peccatum ullum non solum mortale: sed ne veniale quidem (ut ante diximus) incidere permiserit: Cum aliis viris sanctis et amicis Dei satis praeclare agitur, si Dominus ita cum illis sit, ut cum ceciderint supponat manum, et eos collidi et conteri penitus non patiatur: at cum Maria longe aliter fuit, quam non solum non collidi, sed neque cadere unquam passus est. Fortasse etiam ad conceptionem divini verbi angelus respexit, cum ait: *Dominus tecum.* Tunc enim non solum Dominus cum Virgine, sed etiam solus Dominus cum sola virgine fuit.Neque enim ad opus Dominicae Incarnationis, opus maximum et divinissimum, et angelis et hominibus adorandum,ulli omnino praeter Deum et Virginem convenerunt.

Iam vero tertium et postremum Virginis encomium est: *Benedicta tu in mulieribus.* Quod quidem non ita accipiendum, quasi ipsa sit prae caeteris, hoc est, magis quam caeterae benedicta;sed quasi caeterae omnes maledictioni obnoxiae fuerint et ipsa sola in toto genere foeminarum benedicta. Aliae siquidem omnes vel filios non procreabant, et maledictionem ac notam sterilitatis effugere non poterant: vel procreabant illos quidem, sed Evae maledictionem incurrebant, cui dictum legimus, cum a Domino malediceret: *In dolore paries filios et sub viri potestate eris*: at virgo beatissima sola inter mulieres benedicta utramque maledictionem declinavit. Nam nec sterilis fuit, nec cum dolore peperit.Sicut enim Eva superbiae vento inflata, amplius quam par erat crescere volens, ita exigua et angusta evasit, ut in ejus utero minima etiam proles angustias pateretur, nec sine labore portari, nec sine dolore,eoque maximo et acerbissimo deponi posset: ita Virgo Deipara humilitatis virtute coelo major, terra fortior et orbe toto latior effecta eum sine labore portavit,qui portat orbem, et quem coelum et coeli coelorum non capiunt, eum ipsa utero suo conclusit, sine molestia tulit, sine gemitibus peperit. Deinde duo sunt, propter quam mulieres benedici ac laudari solent, fructus foecunditatis et flos virginitatis: quorum tamen alterum amittet necessario,quorum alterum elegerit. Proinde sola Maria inter mulieres benedicta, quae gloriam virginitatis laude fecunditatis cumulare potuit. At qualis tandem est ea foecunditas, dicat aliquis quam in Maria tantopere praedicamus? Quot filios quaeso procreavit? Num duos aut tres saltem numerare poterimus? Unum quidem auditores, dumtaxat Virgo sanctissima filium peperit, sed ita tamen unum,ut ille solus et major et melior omnibus filiis aliarum foeminarum sit: sicut etiam Deum omnibus rebus creatis naturae foecunditate anteponere non dubitamus: non quod filios multos, sed quod unum infinitum et immensum generaverit. Praeterea si omnes pii et sancti viri Christi fratres sunt, certe etiam Mariae filii sunt, atque ad ejus clementissimum sinum, et materna ejus ubera pertinere credendi sunt. Itaque sicut apostolus Paulus Christum non unigenitum Patris, sed primogenitum vocat: ita etiam apostolus Matthaeus eumdem Christum non unigenitum matris, sed primogenitum appellat: *Et non cognoscebat eam*, inquit, *donec peperit filium suum primogenitum.* Et divus Lucas: *Et factum est*, inquit, *cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum.* Quae cum ita sint vere Maria benedicta in mulieribus, hoc est, foecundissima super omnes mulieres, cujus tantum numerum filiorum videmus, ut vere nunc sit semen ejus sicut stellae coeli, et sicut arena maris, quae prae multitudine numerari non potest.

Quinque nobilissimas foeminas, et prae caeteris benedictas, in sacris voluminibus legimus,Mariam sororem Moysis, Annam matrem Samuelis, Ruth, Judith, Abigail: earum vero nomina, si prima litera singulorum capiatur, nostrae virginis nomen componunt, ut intelligamus eas omnes beatae Mariae quasi typos et figuras fuisse, et eas omnes laudes unam Mariam simul complexam, quae in aliis sparsae et separatae fuerunt. Haec igitur est *Maria*, quae prima inter mulieres mare rubrum saeculi hujus siccis pedibus ab humore carnalium voluptatum pertransire potuit, et ideo chorus virginum ducens, prima cantare meruit: *Cantemus Domino gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare.* Haec est Anna illa faelicissima,quae post multas lachrimas, multa jejunia, tandem a Deo filium multo Samuele majorem, obtinuit, eumque statim ab infantia in templum allatum Domino consecravit. Haec est illa Ruth Moabitis, quae oblita populum suum, et demum patris sui, a sene Booz audire meruit: *Benedicta es filia tua Domino, quia non es secuta juvenes pauperes sive divites; plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti et sub cujus confugisti alas*: Vere enim Maria non solum populum suum et domum patris sui, sed etiam totum mundum oblita, ad Deum Israel et alas ejus confugit, neque juvenes pauperes secuta est, sed ditissimum antiquum dierum sponsum habere voluit.Haec est fortissima et castissima Iudith,quae non caput Holofernis amputavit, sed caput draconis conculcavit et contrivit, et idcirco benedicit eam omnis ecclesia sanctorum dicens: *Benedicta tu a Domino* in omni tabernaculo Jacob: *Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri, eo quod castitatem amaveris: ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in aeternum.*Haec est illa prudentissima et pulcherrima Abigail, quae Davidis iram justissima indignatione succensam contra stultum Nabal mitigare potuit, et ab eo audivit: *Benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quae prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem et ulciscerer me manu mea.* Quis enim est Nabal, nisi

homo peccator, et quis est David, nisi Deus, et quae est Abigail, nisi Maria, quae vere mater misericordiae et peccatoribus justissimam Dei iram praecibus suis et intercessione avertit?

PARS SECUNDA

Angelicam salutationem breviter explicuimus, sequenti die Dominica, Virginis responsionem (si tamen Deo placuerit) exponemus. Nunc quia parum temporis superest, nec solum quaestiunculas, nec inutiles nec injucundas, nec a proposito alienas proponam et solvam.

Quaero igitur primum, quae causa sit, cur omnes concionatores initium dicendi a salutatione angelica faciant? Unde enim tanta dignitas salutionis angelicae, ut ea potius oratores utantur, quam alia prece? Duae mihi in praesentiarum rationes occurrunt. Primum enim illud concionatores fortasse cogitant, beatissimam Deiparam, qua die salutationem angelicam audivit, ea verbum Dei, quod antea, neque videri neque audiri neque capi poterat, humana carne quasi vestivisse, atque effecisse, ut non solum videri et audiri, sed etiam manibus tangi potuerit, juxta illud b. Joannis: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostrae contrectaverunt, de verbo vitae.* Itaque propterea eamdem virginem initio dicendi omnes salutant, ut ipsi quoque precibus ejus adiuti, eam copiam, eam facultatem, eam ubertatem, eam facilitatem orationis obtineant, qua verbum Dei, quid pertractandum susceperint, ita plenum atque perspicuum faciant, ut pene manibus sentiri possit, et ab omnibus qui audiunt, etiam tardioribus et rudioribus capiatur. Deinde munus concionatoris, munus angelicum est, et sicut angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro missus est, ut ea virtute Spiritus sancti conciperet Filium Dei; ita concionatores ad ecclesiam mittuntur, quam apostolus Paulus despondit *uni viro virginem castam exhibere Christo*, ut ea quoque Filium Dei fide concipiat, charitate pariat, bonis operibus nutriat. Quocirca merito virginem Dei Matrem salutant, ut quae ab angelo salutata Christum non solum spiritu, sed etiam carne concepit, illud eis a Domino precibus suis obtineat, ut et ipsi angelica puritate munere suo fungantur, et ecclesiae virginis, ad quam mittuntur, felix conceptus partusque succedat.

Altera quaestio est, qua specie angelus Gabriel beatissimae Deiparae se ostenderit? Quemadmodum enim tribus oculis diversorum generum homines vident, oculo corporis, oculo cordis, oculo mentis: sic etiam tribus modis angeli hominibus se videndos exibere solent, in imagine, in natura. Ac ut a postremo incipiamus, in sua, ac propria substantia et natura non nisi oculo mentis angeli videri possunt. Sunt enim natura mentes quaedam spirituales, ab omni materia liberae, omnisque corporeae qualitatis expertes. Spiritus autem ac mens, spiritu dumtaxat ac mente comprehendi potest. Itaque angelorum substantiam atque naturam, ita ut est in se sola mentes beatorum vident. Porro in imagine angeli oculo cordis videntur, hoc est, sensu quodam interno, qui a Graecis φαντασια, a nobis cogitatio dici potest. Ita sanctus Joseph beatae Mariae sponsus, ita Magi, qui ex Perside ad Christi incunabula stella duce venerunt, ita alii nonnulli sanctos angelos per quietem vidisse credendi sunt. Legimus enim apud Matthaeum: *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* Et rursum de Magis: *Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Jam vero luminibus istis oculisque corporis in corpore ex aere assumpto angeli videntur: non enim proprio ac naturali, quod nullum habent, neque in corpore aliquo vere humano, quasi angeli naturam nostram aliquando ita assumant, ut unus et idem verus angelus et verus homo dici possit. Id enim Origenes sensit, ejusque sententiam tamquam explosum errorem divus Hieronymus in Malachiam et Aggaeum scribens reprehendit. Est enim solius Dei proprium summumque ac singulare miraculum supra naturae potestatem, supra intelligentiam rationis, et penitus sine ullo exemplo solisque Dei Filio reservatum, ut duabus perfectis naturis in unam coeuntibus personam, unus et idem verus Deus et verus homo esset. Corpora igitur, quibus angeli Abrahae, Loth, Josue, Gedeon, Tobiae aliisque tam multis non solum se audiendos, sed etiam manibus tangendos praebuerunt, ex aere sumpta erant. Possunt enim angeli virtute quadam admirabili atque arte, qua praediti sunt, aerem in corpus densum, ac solidum cogere, eidemque varias membrorum figuras variosque colores attribuere, atque ea corpora ita movere, ut humana vera ac viva, non quidem sint, sed tamen omnino esse videantur. Qua igitur forma archangelus Gabriel beatae Mariae virgini apparuit? Qua specie sese prodidit? Dubitari non potest, auditores, quin in corpore assumpto. Quid enim aliud illa verba significant: *Et ingressus Angelus ad eam dixit:* nisi angelum Gabrielem corpus accepisse, quo ad virginem ingrederetur, quo loqueretur, quo cerneretur? Deinde oportebat virginem certissimam esse de nuncio, et multo sunt certiora, quae in luce videmus, quam quae nocte somniamus, et quae auribus corporis, audiuntur, quam quae sola cogitatione capiuntur. Illud etiam conveniebat; ut sanctus angelus beatae virgini apparens, eam formam susciperet, ac suscipiendo honoraret, quam ab ipso Deo paulo post suscipiendam et consecrandam esse nequaquam ignorabat. Itaque pulcherrimi atque splendidissimi juvenis formam imitatus est, sed habitu quodam, et specie augustiore, quam caeteri homines videri soleant, ut facile possit intelligi aliquid hominem majus et praestantius in eo corpore latere, neque hominem mortalem, sed angelum coelestem advenisse.

Sed ubi, quaeso, virginem nostram sanctus angelus offendit? Haec enim est postrema quaestio, quae nobis explicanda superest. Num igitur angelus Gabriel virginem nostram in plateis vagantem reperit? Aut certe in domo aliqua, ubi convivium celebraretur, et saltationes ac tripudia ageretur? Minime vero. Neque enim tunc licentiati et docto-

res creabantur, si adolescentes et puellas ad choreas ducendas invitarent : et ignem ad stupam ad moventes, concupiscentiae flammis augerent. Neque sancti ejusmodi domos praesentia sua aut visitatione dignantur. Ubinam ergo sanctus angelus virginem nostram reperit? Domi suae clausam in cubiculo, ut veras virgines decet: *Sola*, inquit b. Ambrosius *in penetralibus*, *quae nemo virorum videret solus angelus reperiret.* Et b. Bernardus: *Suspicandum*, inquit, *non est quod apertum invenerit angelus ostiolum virginis. Clauserat illa hora suum seper se habitaculum virgo prudentissima*, *sed hominibus*, *non angelis. Proinde etsi ad eam potuit intrare angelus*, *sed nulli hominum facilius patebat accessus.* Atque hoc est, quod b. Lucas expressit, cum ait: *Ingressus angelus ad eam.* Et quod de ea in Canticis canticorum legimus, dicente sponso: *Hortus conclusus soror mea sponsa*, *hortus conclusus*, *fons signatus.* Preciosas et nobiles plantas, et quae de ultimis terris allatae, vix usquam inveniuntur,non solemus in apertis campis collocare, ubi et ventis, et frigoribus et bestiis et latronibus pateant : sed in conclusis munitisque pomariis. Ita igitur et b. Maria merito domi se continebat,quod esset planta illa singularis, cujus *pretium* procul *et de ultimis finibus*, et quae fructum saluberrimum ad salutem omnium gentium paritura erat.

Quid vero nos hinc colligere debemus? Illud nimirum, ut si ab angelis sanctis visitari, si eorum colloquiis frui, si gratia Dei repleri, si Dei Filium sanctis desideriis concipere,et bonis operibus parere volumus,discamus habitare nobiscum, diligere solitudinem,fugere frequentiam hominum,eorum praesertim,qui nihil nisi de mundo cogitant;saepe in cubiculum cordis intrare,ibique extra tumultum et strepitum rerum hujus mundi obstructis diligenter portis ac fenestris sensuum corporis nostri, cum Deo et sanctis, angelis confabulari, et de rebus vere magnis cum eis conferre, de vita aeterna, de salute animae, de magnitudine coelestis gloriae, de horrore atque aeternitate poenarum gehennae, de illa humilissima atque ardentissima charitate, qua Deus ita nos dilexit, ut filium suum unigenitum daret. Neque dixeris mihi, ista est vita perfectorum, non omnes possumus esse perfecti Haec enim est vita Christianorum, qui omnes perfecti esse debent, *ut* sint *filii Patris* sui, *qui in coelis est.* Deinde, qui hic sumus, magna ex parte vel homines ecclesiastici, vel bonarum artium studiosi sumus : et homo quidem Ecclesiae, homo Dei, homo sacratus, quid aliud cogitare debet, quam quomodo placeat Deo?Quid ei tam proprium esse potest, quam habitare secum, et dies noctes in lege Domini meditari? Qui vero ad studia doctrinae, honestarum artium huc venerunt, si opibus sapientiae et eruditionis pectus implere desiderant certe ita agere debent, ut semper oratio lectioni et lectio orationi succedat.

Si vero haec ita se habent, quanto jure auditores meos, et praesertim ingenuos adolescentes, admonere possum ut convivia declinent, sphaeristeria fugiant, symposia detestentur, a tripudiis et saltationibus tamquam ab igne se abstineant? Si enim apostolus Paulus scurrilitatem, et stultiloquium, et hujusmodi alia, quae ad rem non pertinent, tam severe prohibet, ut ne nominari velit inter nos, *sicut decet sanctos*, quanto magis insaniam tripudiorum et chorearum vetuisset, quae non solum ad rem non pertinet, nec solum vana et otiosa, sed etiam periculosa, et perniciosa est? Etsi angelus sanctus dominos invenire, et orationi vel lectioni intentos esse desiderat, quomodo credibile ; eum ad ea loca venturum, ubi compotationes vel tripudia exercentur,et ubi daemonum catervas adesse.imo et praeesse dubitari non potest? Nam et b. Chrysostomus ait:*Ubi saltus lascivus*, *ibi diabolus certe adest*, *et his tripudiis diabolus saltat*,O si quis vobis in mediis choreis oculos aperiret, ut daemonum frequentiam tripudiantibus admixtam cernere possetis!O si quis vobis aliquando demonstraret, quanta illi sollicitudine ad singulos saltantium accedant, et invisibilibus follibus concupiscentiae fornacem virorum erga mulieres, et mulierum erga viros accendere satagant, et quomodo ipsi quoque saltent, quomodo tripudient, quomodo gestiant, quomodo exultent, quomodo triumphent, quomodo inter se clament: *Euge*, *euge*, *devorabimus*, *devorabimus eos.* Ac tum praesertim,cum aliquos vident foedis amoribus implicatos; quibus offenditur Deus, impediuntur ingenia, exhauriuntur marsupia, optimae spei adolescentes perduntur, et domus ac civitates stupris, atque adulteriis replentur, multique se filias virgines habere credunt,ante eas uteros gestare coeperint, Ista enim sunt lucra chorearum, lucra daemonum, damna hominum. Itaque recte d. Ambrosius: *Saltet*, inquit, *sed adulterae filia*: *quae vero pudica est*, *quae casta est*, *religionem discat*, *non saltationem.* Neque vero te saltationibus operam dare dicas,ut corpus exerceas.Non enim desunt mille artes corpus exercendi, Si domi pomarium habes, sume sarculum vel ligonem, et in horto aliquid operis facito, neque tibi turpe esse ducas, quod summi reges Assuerus,Cyrus aliisque plures sibi honestum ac decorum putaverunt. Quod si id non placet, egredere civitatem, perambula campos apertos, ubi neminem offendes, neque ab aliquo offenderis, ibique si cupis currito,saltato quantum libet: at cum puellis choreas ducere, et tanto animae periculo ac detrimento corpus exercere,nulla ratio permittit. Quid enim? Num ut digitum curares caput tibi faceres amputari? Non opinor.At multo certe nobilior est anima corpore, quam caput digito. Quae igitur est ista prudentia, pro sanitate corporis, animae vitam in discrimen adducere? Sed inquis? Ego me ipsum satis novi, et saepius choreis interfui, nec unquam turpe aliquid cogitavi. Sit plane ut dicis quamquam aegre omnino id credi potest. Sed unde nosti semper ita esse futurum? Et quod scis, quod illa patiatur, cum qua tripudias? Quid cogitet, quid cupiat, quid meditetur, quomodo uratur? At non eo animo, inquies, ad choreas accedo, ut aliqua ad libidinem concitetur. Recte. Sed si quis tibi colaphum infigeret ac diceret,Noli aegre ferre, non enim eo animo feci, ut tibi nocerem, quid tibi videretur? Num tibi igitur placet,ut

propterea anima illa pereat, pro qua Christus mortuus est? Apostolus Paulus non comedet carnes in aeternum, si in eo frater scandalizatur; et tu ab una eaque minima voluptate non abstinebis, ne proximam tuam animam, occidas? Si oculus tuus scandalizat te, hoc est, si occasionem peccandi tibi praebet, eruere eum juberis, et proiicere abs te. Et consuetudinem istam abscindere, et proiicere abs te non poterit, quae tantam occasionem, et tibi et aliis praebet, et majorem vix cogitare possimus? Juvenis quidam formosissimus, ut d. Augustinus lib. quaest. veter. et novi testamenti, quaestione 115. auctor est, cum videret multas foeminas propter sui corporis formam, turpibus desideriis uri, ipse sibi faciem turpi vulnere deformavit, idque eo solum fecit, quod Christianus esset, nulloque modo ferendum esse judicas, ut christianis christianus peccandi materiam adferret. Et tu tam dilicatus christianus eris, ut non saltem exigua delectione carere possis, ne ubi et aliis peccandi materiam praebeas? Sed nolo esse prolixior, tantum quaeso, ut nos recordemur esse christianos, et ejusmodi vanitatibus repudiatis cor nostrum ad angelorum illustrationem, et divinam visitationem, ac Spiritus sancti consolationem praeparemus. Cui cum Patre et Filio omnis honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO III.

SUPER

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, etc. *Luc.* 1.

SYNOPSIS

Textus evangelici continuatur explicatio ; et quomodo b. Virgo angelicam salutationem exceperit praesens declarat concio. Ubi praecipue quinque virtutes in b. Maria eluxisse diserlis verbis manifestatur, scilicet verecundiam, virginitatem, constantiam, prudentiam et humilitatem , quarum priores duae turbationem et metum ; duae sequentes silentium et cogitationem in virgine excitarunt : quas omnes comitata est eximia humilitas. Tres humilitatis gradus enarrantur, et quanto studio Christus triginta annis integris hanc virtutem docuerit , ostenditur. Quam pauci ad primum gradum , pauciores ad secundum , paucissimi ad summum pertingant, cum luculentia superbiae humanae descriptione, declaratur , et quam perfecte ad summum illum humilitatis gradum Maria penetraverit, et quaenam vero sit humilitas , priori parte docetur.

Pars altera aliam textus particulam explicandam suscipit, ostendendum se offert, quomodo apparitio boni angeli a daemoniaca discerni possit. Quanta sit dignitas esse Matrem Dei. Haereticorum variorum, Christum ex Maria corpus sumpsisse negantium , impiae blasphemiae redarguntur. Quam necessarium fuerit, mundi salvatorem Deum et hominem esse , demonstratur. Varii modi , quibus Christus in Jesu fuit praefiguratus , enumerantur. Quanta sit vis nominis Jesu multis testimoniis probatur : et mysterium quinque litterarum ejus enucleatur. Tandem quatuor genera hominum producuntur , primum eorum , qui Jesum concipere omnino non volunt. Secundum eorum , qui conceptum sua negligentia enecant. Tertium eorum, qui jam natum non conservant. Quartum denique eorum, qui b. Virginis exemplo eum usque ad mortem conservant.

Quam vere ac sapienter, auditores optimi beatus Ambrosius beatissimae Deiparae laudes praedicans dixerit: *Talis fuit Maria , ut ejus unius vita omnium disciplina sit.* Cum ex aliis multis divinae scripturae locis,tum vel maxime ex eo,qui hodierna oratione tractandus occurrit,facile potest intelligi. Etenim ex historia evangelica dominicae Incarnationis hodie suo ordine pars illa explicanda se offert , in qua b. Lucas exponit , ad quem modum virgo sanctissima angelicam salutationem exceperit. Qui quidem locus plures fere virginis praeclaras virtutes indicat, quam verba contineat.

Quae cum audisset , inquit beatus Lucas, *turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Quis in isto silentio et commotione , tacitaque virginis cogitatione , virgineam teneramque verecundiam , prudentiae zelum singularem, virilem in foemina constantiam , consilium , ac prudentiam admirabilem , veram profundamque humilitatem elucere non videat? Duae siquidem priores virtutes , verecundia et virginitas, turbationem et metum; duae posteriores, constantia atque prudentia, silentium et cogitationem in animo virginis pepererunt.Porro humilitas,quae quinta et prostrema,sed non postremo loco ponenda est, tam ad turbationem,quam ad cogitationem merito referri potest.

Primum igitur, ut singulas virtutes in virgine breviter ostendamus, non consueverat sancta Virgo cum viris, ac praesertim adolescentibus, et in cubiculo et sine teste sola cum solis confabulari, propterea cum repente angelum, formam pulcherrimi juvenis praeseferentem, in cubiculum ingressum vidit, et se blande salutantem audivit, merito ex verecundia turbata est. Numquam enim ut beatus Hieronymus ad Eustochium scribit , eo modo a viro salutata fuerat. Deinde virgo sapientissima non ignorabat foeminarum benedictionem ad foecunditatem praecipue referri solere. Legerat enim profecto? *Et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam , masculum et foeminam creavit eos: benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram,*et item *Dixit quoque Deus ad Abraham; Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram; et benedicam illi, et ex illa dabo tibi filium* , et rursum : *Super Ismael quoque exaudivi te: ecce benedi-*

eam ei, et augebo et multiplicabo eum valde et infra: *Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli, et sicut arenam, quae est in litore maris.* In quibus et aliis multis similibus locis, nihil est aliud Deum alicui benedicere, quam foecunditatem ad filios procreandos tribuere. Cum igitur se benedictam in mulieribus salutari audiret, quid aliud suspicari poterat, quam sibi eximiam foecunditatem ab angelo promitti? Cum vero ea foecunditas, cum proposito virginitatis, quod animo conceperat, et voto etiam coram Deo firmaverat, tam aperte pugnaret, nonne merito virgo castissima, de thesauro virginitatis suae vehementer solicita, turbari debuit, et cogitare qualis esset ista salutatio? Itaque *turbata est in sermone ejus, et cogitabat*, cur ego benedicta in mulieribus salutor, quae jam dudum benedictioni foeminarum nuncium remisi? Quid mihi cum foecunditate, quae soli Deo placere et virum omnino ignorare decrevi?

Verum quamquam verecundia et virginitas alicujus commotionis et timoris causa erant, tamen non ita perturbata est, ut inops consilii fieret, nesciretque quid agere deberet, sed contra potius, quod summae constantiae et prudentiae fuit, animo praesenti ac erecto apud se tacita cogitabat, quid sibi vellet ea salutatio, et omnia verba, quae ab angelo audierat, diligenter secum animo expendebat. Nondum scriptum erat ab apostolo Iacobo; *Sit autem omnis homo velox ad audiendum tardus autem ad loquendum*, atque id tamen virgo prudentissima a Spiritu sancto edocta solerter observabat. Prima parens generis humani cum non angelum, sed colubrum humana voce loquentem, et non rem quamcumque, sed divinitatem pollicentem audiret, non tantae prudentiae fuit, ut si turbari nolebat, saltem apud se parumper cogitaret, qualis ea promissio esset; sed incredibili levitate serpenti credens, Deo incredula, seipsam et nos omnes, quos quasi in utero gestabat, in hanc vallem aerumnarum misera praecipitavit. Contra vero Zacharias, cum Gabriel angelus in templo astitisset, et filium Dei nomine promisisset, non solum vehementer perturbatus est, et magnus *timor* ut beatus Lucas ait, *irruit super eum*, sed etiam quasi oblitus, quam multi ante se, et senes et steriles Dei beneficio filios insignes genuissent, angeli verbis fidem, ut par erat, non adhibuit. At virgo fortissima et sapientissima, inter levitatem atque audaciam Evae, et tarditatem ac metum extremum Zachariae media incessit, et nec ad dextram, nec ad sinistram declinans, turbata quidem est ex verecundia et zelo pudicitiae, sed interim ex fortitudine, et prudentia animo infracto *cogitabat qualis esset ea salutatio.*

Quinta restat causa turbationis ac silentii beatae Mariae, quae, ut ante diximus, ejus maxima et profundissima humilitas fuit. Quamquam enim gratia et virtutibus plenissima, et apud Deum gratiosissima erat; tamen nihil horum in se agnoscebat et quanto apud Deum major et sublimior, tanto in oculis suis abjectior et vilior erat. Itaque propterea cum se tantis laudibus ab angelo praedicari, gratia plenam appellari et omnibus foeminis anteponi videret, non potuit non commoveri et cogitare, quid sibi vellet ista salutatio. Justus enim dum laudatur in facie, flagellatur in corde: et ut sapiens ait; *Quomodo probatur in conflatorio argentum et in fornace aurum; sic probatur homo ore laudantis.* Et quoniam haec est praecipua causa, cur virgo sanctissima non statim angelo responderit, ut perspicue intelligatur, quam praeclara et rara sit virtus, quam beata Maria ista sua turbatione nos docuit. Enumeremus (si placet) humilitatis gradus.

Quot sunt humilitatis gradus? Tres. Unus incipientium, alter proficientium, tertius perfectorum. Primus eorum est, qui seipsos in speculo veritatis inspicientes et sordes et maculas suas turpitudinem ac foeditatem suam cognoscentes, sibi displicere ac seipsos horrere incipiunt. Alter eorum est, qui non solum ipsi seipsos pauperes, et nudos ac peccatores agnoscunt; sed etiam gaudent se ab aliis tales haberi, quales ipsi se habent. Quocirca nec falsas laudes admittunt, nec vera vitia excusant; nec adulatores patiuntur, nec justos reprehensores aegre ferunt, quin potius sicut ipsi sibi displicent, suamque turpitudinem oderunt, ita ab aliis contemni ac despici, et tamquam purgamenta hujus mundi reiici desiderant. Tertius eorum est, qui cum multis et magnis Dei donis praediti sint, atque ad culmen perfectionis ascenderint, tamen, viles atque abjecti sunt in oculis suis, neque se ulli aliorum, aut verbis aut factis anteponunt; sed omnibus potius ex vera humilitatis virtute subiiciunt: non secus atque arbor quo magis fructibus oneratur, eo magis ramos suos ad terram inclinat. Hic est summus ac supremus humilitatis gradus: hic vertex humanae perfectionis; huc Maria vel sola vel cum paucis admodum ascendit. Haec est altissima illa Philosophia, ad quam docendam Dei Filius de coelo descendit: nam cum ad caetera tradenda tres annos sufficere putaverit, in hac una ostendenda, totos triginta annos consumere voluit: quamquam nec aliis tribus umquam ab hujus virtutis commendatione cessavit. Quid enim putatis Dominum a die, qua natus est, usque ad annum trigesimum fecisse? Certe neque populos docuit, neque signa et prodigia fecit, neque ulla praeclara opera in conspectu populi edidit: nam nec praecursorem suum praevenire debuit, quem constat anno aetatis Domini trigesimo ex eremo primum prodiisse: et aperte b. Ioannes mutationem aquae in vinum, quae post annum Domini trigesimum facta est, initium signorum ejus scribit fuisse. Denique si magnifica illa opera multo ante annum trigesimum efficere coepisset, quomodo ita obscurum ejus nomen ac fama tamdiu esse potuisset, ut etiam post annum trigesimum, faber et fabri filius appellaretur, cum posteaquam miraculis coruscare coepit, brevissimo tempore ita in tota Palaestina innotuerit, ut filius David etiam a caecis vocaretur? Quid igitur toto illo tempore egit? Num semper otiosus fuit, qui ad salutem nostram procurandam venerat? Imo vero numquam minus otiosus fuit. Quid igitur egit? Gladium humilitatis fabricavit, quo superbissimo giganti Goliath caput amputaret: hoc est,

seipsum exemplum perfectissimae et verissimae humilitatis constituit, ut merito dicere posset; *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Quanta enim illa humilitas erat hominem Deum et sibi suae conscium majestatis, inter homines quasi unum de turba versari et fabrum et fabri filium, hominem rudem, imperitum, simplicem haberi? Si quis nostrum aliqua eruditione vel nobilitate ut cumque clarus forte ad eum locum deveni at, ubi ejus eruditio aut nobilitas ignoretur, et errore hominum tamquam indoctus et obscurus contemnatur, quomodo is uretur interitus? Quam vehementer cupiet occasionem aliquam offerri, qua seipsum prodat? Ut igitur nos quamvis magnam tum nobilitatem, tum eruditionem consecuti, et nobiles et sapientes videamur; tamen ignorari. contemni, despici, nihili fieri velle disceremus Dominus noster tam longo tempore, ignorari, contemni, despici, nihili fieri, rusticus, imperitus, inutilis haberi voluit. Credibile siquidem est, homines, qui eum ab infantia noverant, saepe dicere solitos, o quam egregie nostram exspectationem iste fefellit? cum esset puer magnam de se spem concitavit, multa promittebat, videbatur aliquid magni futurus, et ecce jam crevit et neque litteras novit, neque saltem procurat, ut discat, nihil facit, quod non quilibet facere posset. At de quo tandem et quamdiu ista dicebantur, auditores? Nempe de eo, qui Deus erat, summa et infinita sapientia, et non dies paucos, sed annos multos ista dicebantur. O utinam ex tanta medicina morbum nostrum, et ex tanta misericordia miseriam nostram intelligeremus. Magna enim miseria est superbus homo; sed major misericordia est humilis Deus: et ex tam immensa misericordia, nondum miseriam nostram intelligimus. Certe enim Deus doctrinam humilitatis non multis, sed paucis vel paucissimis potius ac rarissimis persuasit. Quotus enim quisque est, qui vel primum gradum humilitatis attigerit? Ubi sunt, qui seipsos vere cognoscunt, et qui sibi displiceant qui seipsos oderint? qui se vere malos, vere inutiles, vere abiectos et viles existiment? Et tamen apostolus clamat: *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Non ait. Qui se magnum, optimum, sanctissimum, sed qui aliquid se putat, qui aliquid se valere, aliquo loco dignus sibi esse videtur, ipse se seducit. Neque Dominus ait, cum legem transgressi fueritis, tum dicite servi inutiles sumus: sed *cum feceritis*, inquit, *omnia, quae praecepta sunt vobis*, tum *dicite, Servi inutiles sumus: quae debuimus facere fecimus.* At si in primo atque infimo gradu humilitatis, tam paucos invenimus, quanto pauciores reperiemus, in secundo? Ubinam gentium quaeremus eos, qui licet ipsi utcumque se noverint, tamen ab aliis tales haberi, ac dici velint, quales ipsi se esse sciunt? Nonne quotidie id experimur, ut si nostrae falsae laudes praedicentur statim animo intumescamus, vultum ad gravitatem componamus, ac tales nos esse credi cupiamus? Et contra, si nostra vera vitia, quae nos ipsi conscientia teste in nobis cognoscimus, ab aliis reprehendantur, nonne statim erigimur, indignamur, commovemur, et verbum tam leve et tam verum longo tempore concoquere, ac digerere non valemus? Quod si aliquando nos ipsi vel laudes nostras refellimus, aut extenuamus, vel certe nostra vitia accusamus; nonne si in intimas latebras cordis penetremus, ibi videbimus ea omnia ex majore superbia proficisci, qua superbi dici timemus et humiles haberi desideramus? Quid? In ipsa confessione peccatorum, quam tamquam rei laesae majestatis divinae ad pedes sacerdotis deponimus, posteaquam scelera atque flagitia nostra confessi ac detestati sumus si in ea sacerdos paulo vehementius invehatur, nosque paulo acrius reprehendat, nonne aliquando molestissime ferimus, et quasi injuriam accepissemus, commovemur, et ea vel extenuare vel excusare, vel etiam negare conamur, quae confessi sumus? O superbiam, o nequitiam, o hypocrisin cordis humani. Vere hypocritae sumus et nostra conscientia teste sumus, et tamen dici nolumus. Vere *mendaces filii hominum ut decipiant*, et decipiantur, *de vanitate in id ipsum.* Vere quamdiu tales sumus, non in veritate, sed in vanitate ambulamus. Vere *pravum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud?* Sed si haec ita se habent, num spes ulla remanet ut aliquos in tertio ac summo gradu reperiamus? Si pauci sunt qui in suis sordibus non delectentur, et pauciores, qui vera sua vitia reprehendi sinant, si paucissimi, qui falsis laudibus non gaudeant, si pene nulli, qui sine fundamento et ad solam suspicionem boni, quod se habere vel esse, sibi videntur, non superbiant ubinam, erunt, qui vere multis et magnis Dei donis ornati, aliis nec se praeferant, nec praeferri velint? *Et tamen*, ut d. Augustinus loquitur, *non utile solum, sed etiam plane necessarium est, ut mensura humilitatis uniuscujusque ex mensura magnitudinis ipsius sit, juxta illud Sapientis: Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus. Magnitudini enim est periculosa superbia, quae amplius amplioribus insidiatur.* Alioqui vir magnus, vir doctus, vir sapiens, addo etiam vir castus vir fortis, vir misericors, quid aliud sine humilitate erit, quam magna arbor sine radicibus vel magna domus sine fundamento, quae levi ventorum aut aquarum impulsu prosternitur? Et sane sicut accensa candela, quantum aliis prodest, tantum sibi nocet, quae ardendo et lucendo seipsam paulatim consumit, et quanto magis excitatur, ut clarius luceat, tanto seipsam celerius perimit; sic et qui doctrina et eruditione illustres alios docent nisi in humilitate fundati et radicati sint, quantum aliis prosunt, tantum sibipsis nocent, et saepe instar aquae alios purgant, et coelo dignos efficiunt, et ipsi interim superbiae coeno sordescunt et in cloacam gehennae proiiciuntur. Sed ad virginem nostram redeamus.

Quicquid de aliis sit, beatissimam Deiparam in hoc summo et excellentissimo gradu humilitatis perpetuo conversatam esse, dubitari non potest. Vere enim gratia plena, vere benedicta in mulieribus fuit: nec angelus sanctus a mendacio et assentatione legationem suam exordiri voluisset. Itaque habuit prorsus unde prae omnibus angelis

et hominibus gloriari posset. Sed numquid fecit? Nihil minus. Tantum enim abest,ut magnitudinem atque excellentiam virtutum suarum unquam iactaverit, ut eam ne agnoverit quidem. Hinc enim audita illa magnifica angeli salutatione, vehementer mirabatur, et *cogitabat qualis esset ista salutatio*, unde sibi tantae laudes tribuerentur, quarum ne minimam quidem partem in se agnoscebat. Hinc etiam postea cum Dei Filium, non spe ac desiderio, sed reipsa jam gestaret in utero, et non angelo credere necesse haberet,sed ipsa sentiret, sine viri opera se concepisse, et lumine Spiritus sancti mentem ejus illustrante aperte cognosceret, Deum verum, veri Dei Filium esse, quem utero suo gerebat,nihil inde animus ejus intumuit sed statim *exurgens ascendit in montana cum festinatione*, ut cognatam Elizabeth salutaret et major minori, mater Dei matri praecursoris, regina ancillae ad tres menses ministraret. Et cum ab ea summis laudibus efferretur, atque audiret; *Unde hoc mihi,ut veniat mater Domini mei ad me?* Et, *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Et, Beata quae credidisti, quoniam perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino*: quid humilis virgo respondit? Numquid aliquid suae virginitati, suae sanctitati, suis meritis attribuit? Nihil omnino: sed totum gratiae ac benignitati Domini adscripsit; *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum,et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillae suae.* Ubi non virtutem humilitatis praedicat; sed abiectionem, parvitatem, nihileitatem, nihilum suum agnoscit. Propterea inquit; *Magnificat anima mea Dominum*, quia nihil in me dignum tanto suo munere videns, tamen abjectionem et vilitatem meam respicere dignatus est. Haec est humilitas, auditores, humanitas vera, humilitas cordis, quam imitari debemus, quae seipsam deprimit et Deum exaltat. Vis Deum valde efferre, laudare, exaltare? Imitare Mariam, deprime atque humilia teipsum. Sicut enim in libra quantum una lanx deprimitur, tamen altera elevatur, ita quanto minus sibi homines tribuunt tanto plus tribuunt Deo, et quo se magis deprimunt, eo magis Deum extollunt.Et contra homines impii atque superbi, quanto sibi plus tribuunt, tanto minus tribuunt Deo, et quo seipsos magis extollunt, eo Deum magis deprimunt. Quia vero Deus honorantes se honorat, et contemnentes se contemnit, inde vere, qui se usque ad profundum humiliaverit, usque ad coelum exaltabitur, et qui se usque ad coelum exaltaverit,usque ad profundum inferni demergetur.

PARS SECUNDA

Quoniam b. Maria, audita angeli salutatione, nihil respondit, sed *turbata in sermone ejus, cogitabat qualis esset ista salutatio*,praeterea sanctus angelus antequam legationem suam exponat, animum virginis ab omni metu et suspicione doli et insidiarum liberare cupiens: *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Proprio nomine eam appellat, et ne timeat jubet, ut se familiarem et amicum doceat, a quo nihil mali timendum sit. Magnus Antonius apud Athanasium de angelis et daemonibus disputans, eo bonorum et malorum visitationem angelorum internosci ac discerni posse demonstrat quod angeli sancti,licet initio nonnihil exterreant, tamen continuo metum et pavorem omnem abstergunt, et gaudium ac laetitiam in animis relinquunt eorum, quos visitant, Daemones vero horrorem incutiunt, sed animum refovere et consolari nequaquam noverunt, quin potius pavorem duplicant, stuporem ingerunt, et usque ad profundam impietatis foveam, ut homines sibi prosternantur, impellunt. Hinc angelus Raphael Tobiae parentibus ait; *Pax vobis, nolite timere.* Et Angelus Gabriel prophetae Danieli;*Noli metuere Daniel.* Et Zachariae; *Ne timeas Zacharia.* Et pastoribus; *Nolite timere.* Hinc etiam modo idem Gabriel, ut se vere angelum sanctum demonstraret: *Ne timeas*, inquit, *Maria*: nihil hic fallaciae, nihil adulationis, nihil insidiarum suspiceris, neque mireris, quod te gratia plenam et benedictam in mulieribus salutaverim; *Invenisti enim gratiam apud Deum.* Ille te talem gratia et benignitate sua fecit, qualem dixi. Neque ego id meritis tuis, quae ipsa non agnoscis, sed dono gratiae Dei totum adscribo.

Qua oratione finita, et omni ex animo Virginis metu depulso, angelus Gabriel his verbis nuncium quod adferebat, exponit: *Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen ejus Jesum hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Haec est tota atque integra legatio, cujus nos hodie priorem partem breviter exponemus: posteriorem in Dominicam sequentem differemus.Primis igitur verbis alludere voluit angelus ad vaticinium Isaiae, ut virgo prudens nuncium audiens, ex ipsa forma verborum intelligat, se illam felicissimam mulierem esse, quam Isaiae vaticinium intuetur. Sicut enim Isaias dixerat; *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel*: ita et Angelus dicit; *Ecce concipies et paries filium,et vocabis nomen ejus Jesum.*

Porro his verbis primum summa et infinita quaedam nobilitas, atque dignitas b. Mariae explicatur, ut merito exclamare potuerit: *Ex his beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens, est.et sanctum nomen ejus*: nam cum mater et filius inter se referantur: sicut Filius Dei est infinitum quoddam bonum; ita matrem esse Dei tanta et tam eximia praestantia est, ut prope infinita esse videatur.Accedit vero ad cumulum felicitatis, quod hoc tam excellenti bono, non solum beata Maria fruitur, sed sola ipsa fruitur.Multi enim patriarchae, multi prophetae, multi reges, multi apostoli,multi martyres, multae virgines fuerunt: at mater et virgo et Mater Dei, sola Maria fuit, ejus hoc solius privilegium est. In caeteris multum est, si anima tam pura et sancta reperiatur, ut Dei sapientiam hospitio incipere digna sia- neque majus aliquid ponere sapiens in laudibus

sanctorum potuit, quam quod anima justi sedes sit sapientiae. Quanta igitur felicitas, quanta puritas quanta integritas Mariae, cujus non anima modo, sed etiam et caro sedes est sapientiae? Cui ab angelo dicitur; *Ecce concipies et paries filium*: et quae sine mendacio dicere poterat; *Cor meum et caro meo exultaverunt in Deum vivum.* Et, *Sitivit anima mea in te, quam multipliciter tibi caro mea.*

Deinde haec ipsa verba: *Ecce concipies et paries filium*, omnes illas haereticas blasphemias refellunt, quas olim Marcion, Apelles, Manichaeus et nostris diebus Schwenckfeldiani, et quidam Anabaptistarum commenti sunt, nihil ex Maria Christum accepisse. Ac praesertim blasphemiam evertunt Valentini, qui ut est apud Tertullianum, Christum de coelo corpus attulisse, et per Mariam tamquam per fistulam transiisse, docebat, nec non scelestissimi Copronymi, qui ut refert Suidas, Christum auro, Mariam loculis comparabat, ut sicut loculi tam diu magnifiunt, donec pleni sunt auro: ita Mariam eo solum tempore colendam atque honorandam efficeret, quo Christum gestabat in utero. Verum haec et hujusmodi blasphemias et horrenda deliria, nec tam errores, quam furores hominum perditissimorum, uno verbo evangelista, vel potius angelus Gabriel apertissime confutavit, cum ait: *Et paries filium.* Aliud est enim Christum in utero Mariae utcumque fuisse, aliud ita fuisse ut ab ipsa conceptus ac genitus, et verus ac naturalis ejus filius fuerit. Alioqui etiam in ulnis Simeonis eumdem Christum olim fuisse scimus, et nunc in manibus sacerdotum, dum tremenda mysteria peraguntur, et in ore christianorum, qui coelestia sacramenta percipiunt, esse non dubitamus; et tamen quis umquam tam stultus inventus est, qui propterea vel Simonem vel Sacerdotes vel christianos caeteros, etiamsi quotidie sacramenta perciperent, cum beatissima Deipara comparandos censeret? Non igitur Christus verus Deus, et verus homo in Maria tamquam aer in fistula, vel tamquam aurum in crumena fuit, sed tamquam germen in vite, tamquam flos et fructus in arbore et tamquam verus filius in utero verae matris, *Ecce concipies in utero et paries filium.* Hoc Isaias praedixit, hoc angelus nunciavit, hoc evangelista conscripsit, hoc nos credimus, asserimus, extollimus, praedicamus. Itaque sicut inter mortales regis mater, non tunc solum regis mater vocatur, cum regem filium habet in utero, nec tum solum colitur, et honoratur; sed multo magis postea, cum filius ejus in solio regali conspicitur: quemadmodum de Bethsabee, matre Salomonis legimus, quam Salomon rex sapientissimus, in throno sublimi, ad dextram suam sedere volebat: ita quoque beata Maria non solum fuit, sed etiam est Mater Dei: nec tunc solum honoranda erat, cum Filium Dei ac suum gerebat in utero, sed nunc etiam cum filius ejus de principe mundi gloriosissime triumphavit, et non solum ipse in solio regali ad dexteram patris sedet, sed etiam matrem suam in throno sublimi super omnes choros angelorum collocavit. Atque haec de eo dicta sint quam Angelus ait: *Ecce concipies et paries filium.*

Sequitur. *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Quod idem mihi esse videtur cum eo quod Isaias ait: *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quod enim est Emmanuel? *Nobiscum Deus.* Quid est Jesus? *Salvator*, id est, homo Deus: *Ipse enim*, inquit b. Matthaeus, hujus nominis rationem reddens, *salvum faciet et populum suum a peccatis eorum.* Talis autem salvator nisi Emmanuel, nisi nobiscum Deus, nisi homo, Deus esse non poterat. Oportebat enim salvatorem generis humani, cui propter Adae peccatum, tam crudeliter ac tyrannice mors dominabatur, moriendo mortem occidere et vitam resurgendo reparare. Jam vero solus homo mori poterat: sed mortem occidere et vitam reparare non poterat. Quam multi jam cum morte bellum gesserant, et omnes victi, ac prostrati succubuerant, et nullus eam non solum occidere, sed ne vulnerare quidem poterat. Solus autem Deus mortem occidere et vitam reparare poterat, sed mori ipse non poterat, quare factus est Deus homo, quo mori posset ex uno et mortem occidere posset ex altero. Atque; hic est Emmanuel, hic est Jesus, hic est vere Salvator mundi.

Et vocabis nomen ejus Jesum. Merito Maria omnium primam filium suum Jesum appellare potuit, qui ab eo est conservata antequam nata, et cui tam singulariter Iesus, hoc est, salvator fuit, ut eam toto vitae tempore a peccato immunem conservaret, quod nemini alteri, ut oratione superiore dicebamus, donatum esse creditur. Tu igitur omnium prima vocabis nomen ejus Jesum. Tres homines hujus nominis in scripturis fuisse legimus, Jesum Syrach, Jesum Jezecech et Jesum Nave: qui omnes nostri Jesu figuram et typum gesserunt; sed praecipue Jesus Nave siquidem Jesus. Syrach, propter sapientiam, Iesus Jezedech propter sacerdotium, sed Jesus Nave propter salutem, quam attulit populo, quem de solitudine in terram promissionis introduxit, nostri veri et summi servatoris nomen praetulerunt. Verum cum nostro Jesus Jesum filium nave comparemus. Ille filius Nunc, quod aeternus seu permanens interpretatur: iste Filius Dei, qui solus habet immortalitatem. Ille Moyse defuncto, populum circumcisione purgavit, qui ejus tempore semper fuerat incircumcisus: iste lege vetere, quae per Moysen significabatur, sublata, spirituali circumcisione effecit, ut qui incircumcisi cordibus auribusque semper Spiritui sancto resistebant, jam corpora sua templa spiritus sancti exibeant. Ille moenia Hierichuntina, non arietibus aut bellicis machinis, sed sacerdotalium tubarum clangore subvertit: iste toto orbe idolorum fama apostolorum et martyrum praedicatione prostavit. Ille cum Gabaonitis acie decertans solem et lunam stitit: iste adversus aerias nequitias in monte Calvariae confligens solem et lunam tenebrarum velo involvit. Illo hostes Dei debellante pluit Deus super eos lapides et grandinem de coelo, iste sub mundi finem pugnans spiritu oris sui contra insensatos *pluet super peccatores laqueos, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum* ejus. Illo peracto bello duode-

cim tribubus sorte terram divisit sibi nihil reservans, sed oblatam portionem acceptans : iste in coelesti patria suis commilitonibus distribuet, his martyrii palmam, illis doctoratus aureolam, aliis virginitatis lilium, ipse interim, cum summum et infinitum bonum sit, seipso contentus erit, in mediis tamen suorum pectoribus admissus, gratiarum actiones hilari vultu suscipiet.

Et vocabis nomen ejus Jesum. Innumera pene sunt encomia, quae de hoc magno nomine in scripturis legimus. In hoc nomine certum praesidium constitutum habemus : *Turris fortissima*, inquit Sapiens, *nomen Domini.* in hoc nomine fiunt miracula ; *In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt.* In hoc nomine petimus a Deo quicquid volumus et impetramus : *Amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* In hoc nomine remissionem peccatorum accipimus : *Huic omnes prophetae*, inquit d. Petrus, *testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere in nomine ejus.* In hoc nomine quicquid agimus, si bonum et sanctum esse velimus, fieri debet: *Omne, quodcumque agitis*, inquit apostolus, *sive in verbo, sive in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.* Tanta est hujus nominis dulcedo, tanta suavitas, ut pro eo pati apostoli delicias magnas esse ducerent. *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et apostolus Paulus, et etiam evangelista Joannes tertio fere quoque verbo in suis litteris nomen istud inserere voluerunt. Nam in paucis epistolis d. Pauli ducenties et vicies: et in evangelio Joannes, quod est omnium pene brevissimum, adhuc saepius quam ducenties et vicies, hoc nomen scriptum legimus. Ita vehementer, ita dulciter, ita suaviter, in ore et corde eorum sapiebat. Denique tam suave est hoc nomen, ut a sponso *oleum effusum* nominetur: tam salutare, ut *non* sit *aliud nomen sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri*; tam venerabile ut in eo solo *flectatur omne genus coelestium, terrestrium, et infernorum.*

Neque vero numerus litterarum in isto nomine, *quod est super omne nomen*, mysterio vacare credendus est. Quinque enim literas habet, vel propterea quod Deum et hominem significat. Nam cum Dei nomen quatuor literarum sit, una addi debuit, ad humanam designandam naturam; vel certe quod illa quinque nomina, quae sunt apud Isaiam: *Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis*, hoc unum nomen complectitur. Fuit enim vere noster Iesus admirabilis in parabulis, consiliarius in doctrina, Deus fortis in praelio contra diabolum, pater futuri saeculi, cum tamquam alter Adam novos filios genuit, et princeps pacis, cum inter Deum et hominem pacem restituit. Vel si vultis, admirabilis fuit nascendo, consiliarius vivendo, pater futuri saeculi resurgendo, princeps pacis tamquam mediator ad Deum ascendendo. Num etiam quotidie in conversione peccatorum Jesum nostrum admirabilem, consiliarium, Deum fortem patrem futuri saeculi et principem pacis nos experimur? Quis enim hominem mundi laqueis irretitum, qui nihil nisi de pompis, de choreis, de conviviis, de voluptatibus, de vanitatibus cogitare noverat, tanta et tam repentina mutatione aliquando ita convertit, ut alius homo esse videantur, nisi ille qui est admirabilis? Quis eumdem jam Deo servire cupientem, tam sapienter ad statum et locum sibi, et proposito convenientem dirigit, nisi ille qui vere et consiliarius? Quis vero tyronibus Dei in militia contra daemonum et hominum tam varias ac multiplices tentationes, robur, et constantiam praebet, nisi Deus fortis? Quis eosdem unius mortis in domo, in summa castitate et charitate vivere facit, ut non homines, sed angeli, nec filii hujus saeculi sed futuri esse videantur, nisi pater futuri saeculi? Quis postremo in terra hostium adhuc positis pacem illam gustare facit, quae exuperat omnem sensum, et tamquam manna eos in solitudine pascit, nisi is, qui vere est princeps pacis?

Verum non omnibus, auditores, haec omnia est Jesus, sed illis dumtaxat, qui ad exemplum b. Mariae, non solum concipiunt ; sed etiam pariunt filium : nec solum pariunt filium, sed etiam filium suum Jesum vocare possunt. Sunt enim quatuor hominum genera, quae si breviter enumeravero, finem faciam. Primum genus est eorum, qui raro aut numquam concipiunt, et saepe de industria timentes concipere, ad conciones non veniunt : isti vero miserrimi et infelicissimi a salute longissime absunt, aperte siquidem Spiritui sancto resistunt, de quo solo spiritui salutis concipi potest.

Alterum genus eorum, qui bona desideria concipiunt quidem, sed vires pariendi non habent. Audiunt mundum esse proditorem, et fallacem, et jam innumeros homines circumvenisse, atque ad gehennam suis lenociniis pertraxisse ; audiunt mortem instare, nos non posse diu in voluptatibus vivere, in morte vero omnium, quae hic agimus, severissimo et potentissimo judici reddendam esse rationem: audiunt beatam et quietam, et facilem et suavem esse vitam eorum, qui Deo servire et placere student, et sempiternam mercedem eis in coelo post mortem conservari : his vero auditis bona desideria de Spiritu sancto concipiunt, mundi vanitatibus renunciandi, choreas et potationes fugiendi, frequenter et serio peccata confitendi, sed tamen more stultarum foeminarum, quae postquam conceperunt, non se diligenter custodiendo, quin etiam currendo, saltando, ludendo in utero prolem occidunt. Et quantum hoc est detrimentum ei, qui conceperat? Quanta injuria Spiritui sancto? Animae siquidem nostrae post Adae peccatum, non nisi singulari Dei favore ac beneficio Spiritus sancti sancta desideria concipere possunt; et tu beneficium tam singulare, quo spiritum salutis conceperis, quod in utero Jesum habeas, tam parvi facies? Quid si numquam amplius Spiritus sanctus te respicere dignetur? Quid si in tua sterilitate in aeternum relinquaris? Quid si

propterea ad salutem non pervenias,qui tamen facile pervenisses,si conceptum in utero Jesum non occidisse?

Iam vero in tertio genere alii sunt qui concipiunt et pariunt, sed prolem conservare ac nutrire non valent usque ad diem octavum, in quo vocandum erat nomen ejus *Jesus*. Atque isti quidem quo saluti propinquiores, eo miseriores, quod ab illa nihilominus tam infeliciter excidant.Isti sunt, qui bona desideria implere incipiunt, ad confessionem, ad communionem accedunt, a fornicatione, ab ebrietate aliisque sceleribus se abstinent; sed quamdiu? Donec Herodes non quaerit puerum ad perdendum eum, donec ab amicis et sodalibus non invitantur: et quid prodest homini in concipiendo laborasse, si ante Herodi necandus offeratur, quam vocetur nomen ejus *Iesus*? Numquid salvare poterit, si ad octavum diem non perveniat et non vocetur nomen ejus *Iesus?*

Illi igitur soli felices,qui b. Mariam imitati,concipiunt desiderando, pariunt bene operando, et vocant nomen filii sui Jesum usque ad mortem perseverando, quod nobis concedat, qui est, benedictus in saecula, Amen.

CONCIO IV.

SUPER

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, etc. *Lucae* 1.

SYNOPSIS

Per brevem praefatiunculam hac praesenti cum superiore annexa concione, declaratur, cur angelus dicat: Hic magnus erit, *cum Christus jam antea ab aeterno fuerit magnus. Variae figurae et vaticinia de Christo adducuntur. Variae idem haereses circa illius nativitatem exortae refutantur. Ostenditur quod notum fuerit Judaeis Messiam filium David, ejusque regnum aeternum futurum. Dissolvitur quaestio duplex; prior, Quomodo Angelus dicere potuerit Christum regem futurum, cum illum honorem hic in terris semper subterfugerit; et ipsi Judaei cum latent negarint; ubi elegans inter Christi et Davidis regnum instituitur comparatio. Altera quaestio, Quomodo Christus in bonos et malos imperium, sed diverso modo, exerceat; ubi assignatur differentia inter Christi regnum, cui servire regnare est, et regna mundana. Christi et Sanctorum regnum perpetuum futurum asseritur, et ad illud consequendum efficaciter admonemur.*

Pars posterior prudens b. Virginis explicat responsum, quamque de virginitate custodienda fuerit solicita, ex d. Augustino et Bernardo probatur. Demonstratur magnae fortitudinis argumentum fuisse in virgine Deipara, quod illa prima Deo virginitatem sine exemplo voverit; unde jure merito primitiae virginum dici debet. Virginitatis encomia ex diversis authoribus collecta in medium adducuntur. Atque e contrario luxuria nostri temporis, praesertim inter clericos, severa reprehensione taxatur.

Legationis divinae summam, auditores optimi, qua Servatoris adventus nunciabatur, orator insignis archangelus Gabriel his potissimum verbis comprehendit: *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Cujus quidem legationis partem priorem, quae conceptionem; atque ortum et nomen Servatoris complectitur, exposuimus oratione superiore: nunc sola posterior explicanda restat, quae conditio, et gradus ac dignitas Servatoris continetur.

Prosequitur igitur cursum orationis suae coelestis legatus, et ait: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur.* Magnus erat Christus antequam de virgine nasceretur: nam *in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum:* quod si Deus, certe et magnus. Nam quis magnus, sicut Deus noster? Neque magnus est Deus, quod una aut altera laude excellat, quomodo magnum Alexandrum et magnum Pompeium ethnici dixerunt: et nostri magnum Athanasium et magnum Basilium, sed quod omnibus modis sit magnus natura, quia infinitus: magnus quantitate, quia immensus: magnus qualitate, quia justissimus: magnus potentia, quia omnipotens: magnus cognitione, quia sapientissimus: magnus bonitate, quia optimus: magnus forma, quia pulcherrimus: magnus loco, quia supremus; magnus duratione, quia sempiternus. Itaque magnus erat Dei Filius in sinu Patris existens, neque ad sinum matris descendit, ut cresceret, cum potius hunc descensum Filii Dei de sinu matris, apostolus *exinanitionem*, et propheta *minorationem* appellare soleat: et aperte Isaias dicat: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis.* Cur igitur Angelus ait: *Hic erit magnus*, quasi ante non fuisset? Nonne verius dicere poterat, Hic erat quidem magnus, sed jam fiet parvus? Ita sane loqui debuisset, si de Christo secundum formam Dei loqueretur. Nunc vero quia de Christo loquitur, non secundum eam naturam, quam a Patre jam acceperat, sed secundum eam, quam a matre jam accepturus erat, ideo rectissime et verissime ait: *Hic erit magnus.* Erat enim Christus ac fuit semper Deus magnus, sed non homo magnus. Quare factum est verbum caro, ut qui erat magnus Deus, fieret etiam magnus homo, magnus rex, magnus sacerdos, magnus *Propheta, potens in opere et sermone*, eique a populis acclamaretur, *quia propheta magnus surrexit in nobis; et quia Deus visitavit plebem suam.*

Porro de magnitudine ejus nihil amplius dicam, quam ipsum esse, quem omnes figurae veteris in-

strumenti, omnes res gestae patriarcharum atque omnia vaticinia prophetarum intuentur. Ipse est semen mulieris, de quo in cap. 3. lib. Gen. scriptum legimus, futurum aliquando, ut caput serpentis conteret. Ipse est Melchisedech, qui panem et vinum novo ritu in sacrificium obtulit. Ipse est Isaac, qui ligna propriis humeris tulit, in quibus immolandus erat. Ipse est Joseph primum a a fratribus, Iuda authore, venditus, deinde etiam ab Aegyptiis, mundi salvator appellatus. Ipse est Iosue, qui Moyse defuncto in terram promissionis populum introduxit. Ipse est Sampson ab infantia Nazaraeus quem non funes, non vincula tenere, sed solum amor Dalilae, hoc est, Ecclesiae ligare, et illudendum hostibus suis praebere potuit, et qui morendo inimicos suos simul omnes occidit. Ipse est David puer parvulus, rufus et pulcher aspectu, qui licet invidentibus et repugnantibus fratribus, tamen in ligno et lapide cum superbissimo Goliath pugnavit et vicit. Ac ut caetera praetermittam, quae pene sunt infinita, ipse est *Emmanuel*, apud Isaiam: *Germen justum*, apud Jeremiam: *Pastor unus et princeps* apud Ezechielem: *Lapis de monte excisus sine manibus* apud Danielem: *Rex Sion justus et salvator* apud Zachariam: *Dominator Israel* apud Micheam: *Desideratus omnibus gentibus* apud Aggaeum: *Doctor justitiae* apud Ioelem: et *Sol justitiae* apud Malachiam. *Hic* igitur *erit magnus.*

Verum ne virgo beata fortasse crederet nihil aliud, quam magnum hominem se parituram, et quia Spiritus sanctus praevidebat venturos Simones, et Samosatenos, et Arrios et Nestorios, et multa ejusdem generis monstra atque portenta, qui cum legissent in evangelio veritatis: *Hic erit magnus*, dicturi erant, Christum vel ante Mariam non fuisse verum Deum, vel esse quidem Deum, sed alium ab eo, quem virgo peperisset: propterea contra omnes futuros errores angelus sanctus, postquam dixerat: *Hic erit magnus*, addidit continuo: *Et filius altissimi vocabitur.* Non enim hoc futurum erat, ut Christus esset filius Altissimi, sicut futurum erat, ut esset homo et magnus homo, sed jam erat, et ab aeternitate fuerat filius altissimi, licet in sinu Patris delitesceret, nec agnosceretur nec vocaretur ab hominibus. Itaque de illo ipso, qui jam erat filius Altissimi, non de alio aliquo, ut somniat Nestorius, angelus ait: *Hic erit magnus*, scilicet homo; *et filius Altissimi*, sicut est verus, ita agnoscetur deinceps et vocabitur. Quod si autem b. Mariae filius, est etiam filius Altissimi, fallitur Ebion, decipitur Samosatenus errat Arrius, somniat ac delirat Nestorius. Pater enim altissimus non in tempore, sed ab aeterno filium genuit, juxta Micheae prophetae vaticinium: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat, populum meum Israel, et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis*, ex quo Ebionis et Samosateni error abunde confutatur. Deinde sicut homo hominem gignit, leo leonem; ita Deus Deum, omnipotens omnipotentem, infinitus infinitum, altissimus altissimum sine dubio generavit, *qui non rapinam* arbitretur *esse se aequalem Deo*, id quod Arrii perniciosam haeresim penitus destruit. Postremo si ille ipse quem beata Maria concepit et peperit, filius erat Altissimi, unde somniat Nestorius alium esse Dei, alium Mariae filium? Nonne angelus aperte clamat: *Hic erit magnus*, nempe quem tu virgo sancta concipies et paries, hic ipse et non alius aliquis erit magnus, et ipse idem filius Altissimi vocabitur.

Sequitur. *Et dabit illi Dominus sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Quibus verbis angelus docet magnum istum filium, quem beatae virgini promittit, ipsum esse Christum et Messiam, quem populus Hebraeus tanto desiderio semper expectabat. Potuisset enim virgo prudentissima non sine causa mirari, cur tantus filius sibi promitteretur, et quae ratio esset tantae, et tam insolitae novitatis, ut filius Altissimi filius foeminae esse deberet. Sed eam admirationem sustulit angelus, cum eum, quem venturum nunciabat, Messiam esse docuit. Non enim ignorabat virgo sapientissima, Messiam a Deo promissum expectari, eumque filium David et regem futurum, et non suo tantum saeculo, ut alii reges, sed in aeternum regnaturum. Legerat enim, cum in aliis multis locis de Christo multa, tum illud apud Isaiam, ubi apertissime, de Christo loquitur: *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.* Et usque adeo et omnibus Hebraeis promissum erat, Christum ex semine David nasciturum, et aeternum regnaturum, ut in evangelio ipsas turbas dixisse legamus: *Numquid a Galilaea venit Christus? Nonne scriptura dicit, quia ex semine David et Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Et alio loco: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum, et quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis?* Cum igitur virgo sanctissima optime sciret Christum venturum, de semine David nasciturum, regem in Israel futurum, et in omnem aeternitatem regnaturum, mox ut audivit: *et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*, mox intellexit, non alium, quam Messiam illum celeberrimum, tot saeculis expectatum, tot vaticiniis decantatum, tot votis ac suspiriis desideratum, ab angelo sibi promitti.

Verum ex iis, quae dicta sunt, duas quaestiones exoriri video, quae breviter solvendae atque explicandae sunt. Primum igitur quaeret fortassis aliquis, cum ex evangelio didicerimus, Christum in terra regem non fuisse, quid est, quod modo angelus dicit: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in aeternum et regni ejus non erit finis?* Quomodo sedit in solio David patris sui, qui ne rex a turbis fieret de conspectu earum se eripuit, et in montem solus fugit? Aut quomodo regnabit in domo Jacob in aeternum, quem ipsa domus Jacob, non solum regem suum coram Pilato negavit, sed etiam ad necem tamquam reum postulavit? Ita est, auditores: non sedit Christus in eo solio, in quo David, et Salomon, et Isaias et Ezechias, et alii

tam multi reges Hebraeorum sederunt, sed neque de ea sede angelus locutus est: neque enim decebat, ut rex coeli et terrae, qui sedit super Cherubim, in angustissimo angulo orbis terrae,tamquam unus de turba regulorum imperaret: neque Deus etiam cum Davidi loquebatur: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam; et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum et testis in coelo fidelis*,Thronum illum intelligi volebat, quem non diu post ab Assyriis, deinde ab Herode, tum a Romanis, et nunc demum a Turcis occupari passus est; sed eum potius, quem ille significabat. Sicut enim duas novimus Jerosolymas, unam in terra,alteram in coelo, et duas circumcisiones, unam in carne, alteram in Spiritu,et filios carnis Abrahae,a filiis fidei Abrahae ab apostolo edocti facile discernimus: ita quoque duo solia David et duas domos Jacob agnoscere debemus.

Quemadmodum enim si rex aliquis unum ex principibus suis ducem crearet, et in tabula depicta regionem ostendens diceret,omnem hanc provinciam, ista oppida, hos pagos, hos portus tibi dono dedi, certe non intelligeremus regionem illam dumtaxat depictam, quam digito tunc ostendit, a rege esse donatam, sed veram provinciam, veros pagos et portus, quorum in tabula expressae imagines cernebantur: sic etiam cum angelus ad virginem de Christo ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem David*, non typicam, sed veram, non temporalem, sed aeternam intellexit, cujus illa ita expresse imaginem praetulit,ut Christi regnum sedes David aptissime nominetur. Nullum enim fuit unquam regnum, Christi regno similius quam regno David,qui ab ipsa pene infantia rex inunctus fuit, nec tamen ad regnum,nisi per varios et multiplices labores pervenire potuit: et Christus in ipsa sua conceptione unctus fuit Spiritu sancto,et virtute et a magis ex Perside venientibus vix dum natus rex Judaeorum salutatus est:*Ubi est qui natus est rex Iudaeorum*? Et Isaias de eo:*Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis et factus est principatus super humerum ejus*: Et tamen multa eum pati necesse fuit, ut ipse idem diceret; *Nonne oportuit pati Christum et ita intrare in gloria sua*? Accipit igitur Christus sedem David patris sui. David praeterea cum iis regnare coepit, *qui* (ut scriptura loquitur) *erant in angustia constituti, et oppressi aere alieno et amaro animo*; denique cum pauperibus exulibus, fugitivis: et Christus cum peccatoribus, publicanis,meretricibus,qui debita peccatorum suorum agnoscentes, et pro iis gementes, relictis omnibus mundo fugiebant,regnum suum auspicatus est. Denique regnum Davidis magnis continuisque praeliis inchoatum auctumque est, sed postmodum tempore Salomonis,devictis ubique hostibus ac belli terroribus ac tumultibus sopitis pacatissimum fuit:et Christi regnum cum persecutionibus coepit, persecutionibus crevit, et usque nunc bella contra haereticos, contra vitia, contra daemones Christi Ecclesiae numquam defuerunt.Semper in acie armatos et paratos esse nos oportet,neque tutum est nobis unquam,vel justitiae loricam exuere vel galeam salutis deponere, vel fidei scutum abiicere, vel gladium verbi Dei ad manus non habere post ultimi judicii diem cum rex noster non amplius David, sed Salomon dicetur, hostibus ecclesiae cum ipso principe diabolo in gehennam detrusis, et vinculis aeternis ad ignes sempiternos alligatis, tum demum positis armis, finitisque praeliis,laeta felicique pace, ubique regnante,in toto Christi imperio *Alleluja*, cantabitur. Quae cum ita sint, accepit prorsus rex noster sedem David patris sui.

Altera quaestio est, cur Imperium Christo sola domo Jacob, quae fidelium ecclesiam designat, promittitur? *Et regnabit*, inquit, *in domo Jacob in aeternum*. Nonne etiam domo Esau, hoc est, super impios et sceleratos regnabit, et regnat? Et qui sunt illi, quos reget *in virga ferrea, et tamquam vas figuli* confringet? Nonne ipse ait; *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*? Nonne ipse est, ut Joannes ait, *Princeps regum terrae, et habet in vestimento et femore suo scriptum, Rex regum et Dominus dominantium*? Nonne ipse percutiet gentes, ut idem Ioannes ait, et dabit *carnes regum et carnes tribunorum et carnes fortium* avibus coeli, et bestiis terrae comedendas? Regnabit quidem et regnat, auditores, liberator noster in domo Iacob, et in domo Esau, hoc est, in Ecclesia fidelium et electorum, et super multitudinem infidelium et impiorum;sed alio atque alio modo. Siquidem in domo Esau regnat per justitiam, impios et sceleratos regit *in virga ferrea et tamquam vas friguli* confriget *eos*; illi jugum praeceptorum Domini excutiunt per inobedientiam, sed imponetur eis jugum poenarum et suppliciorum, quod excutere non valebunt per justitiam: manum divinae misericordiae subterfugiunt, sed manum divinae justitiae non effugient.

Denique tamquam mancipia fugitivo aeterno pistrino teterrimisque gehennae crucialibus tamdem mulctabuntur. At vero in domo Jocob longe aliter regnat: nam potentissima mirabilique gratia cordibus servorum suorum illabitur, eaque sceptro atque imperio suo suaviter subiicit,sibique ea amoris et obedientiae tributum solvere facit. Quia vero modus iste regnandi proprius est Christo;idcirco sanctus Angelus solius regni super domum Iacob mentionem faciendam esse judicavit.

Non ita Nabuchodonosor, neque Cyrus, neque Alexander, neque Augustus, neque David, neque Salomon, neque nostri Constantini et Theodosii, et Caroli unquam regnaverunt. Isti enim solis corporibus imperare, sola corpora movere, et nisi paruissent, sola corpora necare poterant: Christus vero in domo Jacob, in ecclesia sanctorum,in cordibus electorum ita regnat, ut animos et voluntates moveat, et eas ad omne suum obsequium paratas, et promptas efficiat, replens eas fide, spe, charitate, justitia, pace, gaudio, quae idcirco regnum Domini Apostolus nominavit. *Non est*, inquit, *regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax et gaudium in Spiritu sancto*: in quibus vero ita regnat Christus, et ipsi sine dubio regnant cum Christo: nam *servire Deo, regnare est*. Hinc est illa vox faelicium Sanctorum:*Redemisti nos*,Domine Deus *in sanguine tuo,et fecisti nos Deo no-*

stro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. Et vere, quo magis se homo subiicit Deo, et ei servire, placere et obtemperare studet, eo magis omnes res inferiores sibi subjectas et obedientes experitur. Unde quaeso Daniel inter leones tamquam inter oves mansuetissimas jacuit? Unde tres pueri et tam multi martyres in mediis flammis ardere non potuerunt? Unde magnus ille Gregorius Neocaesarius episcopus, montem loco movit, lacum exsiccavit, flumen compescuit? Unde Antonio, Hilarioni, Benedicto, Francisco, aliisque sanctis viris (ut de apostolis interim taceam) mundi elementa, bestiae terrae et ipsi daemones superbissimi, quasi ad nutum obtemperabant? Nonne ex eo quia ipsi perfecte obediebant Deo, et Christus in eis regnabat, et ipsi simul cum Christo regnabant? Atque ista quidem gloria miraculorum quasi regni specimen exterius apparebat: sed lumen et splendorem regni Dei, qui intus latebat, admirabilem illam justitiam, pacem illam, *quae exuperat omnem sensum*, gaudium illud, omnes humanas voluptates longe superans, quis explicare posset? *Omnis gloria filiae regis* (inquit David) *ab intus*, et vere ab intus: *nam regnum Dei intra nos est*: extra vero persecutiones potius, labores, paupertatem, ignominias Christus electos suos exspectare atque habere jussit. Sicut enim qui multum auri et argenti, et lapidum pretiosorum secum portant, si silvas transire debeant, ubi latrones versantur, vestes laceras et sordidas induunt et extremam inopiam simulant: sic etiam sancti homines, qui thesaurum regni secum habent, donec in silvis hujus saeculi iter facere coguntur, ubi non dubitant innumeros latrones inveniri, abjecti et viles et pauperes exterius inveniri volunt, Quis beatum Franciscum sacco suo involutum atque horridum videns, non mendicum aliquem homunculum esse putasset? Et tamen rex magnus erat et purpuram, ac diadema et sceptrum regni, sacco illo prudenter abscondebat, ne a latronibus cognosceretur. Sed cum ad patriam suam sancti pervenerint, ubi sine hoste, sine meta, sine periculo ullo regnabunt, tum demum laceras vestes abiicient, vestem gloriae assument, et toti pulchri, toti lucidi, toti gloriosi interius atque exterius apparebunt. Hic enim regnum Dei solum inchoatur, sed in coelo perficietur. ac praesertim in die ultimi judicii, cum *reformabit* Dominus *corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*; et cum sanctis omnibus a summo rege dicetur; *Venite benedicti Patris mei*, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Quod regnum quotidie petimus, cum in oratione Dominica dicimus: *Adveniat regnum tuum.*

Et quamdiu regnum istud in domo Iacob permanebit? decem annis? viginti annis? Angelum sanctum audiamus: *Et regnabit, in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Quando etiam sancti cum eo regnabunt in aeternum, et regni eorum non erit finis. O regnum lucidum regnum pacatum, regnum gloriosum, et cum his omnibus in omni aeternitate sine ullo fine duraturum. Et quid est, fratres quod permansura non ambiunt, quod ambiunt transitura? Quis nos fascinavit caducos honores auro comparare et nolle gratis accipere sempiternos? Quaeso vos, si modo optio nobis daretur et posset fieri, quis non mallet se Antonium vel Franciscum fuisse, quam Caesarem vel Alexandrum? Quis non mallet cum illis paucos dies, in fame et siti, in frigore et nuditate, in laboribus et aerumnis Domino servivisse, et nunc in coelis cum iisdem sine fine regnare, quam cum istis brevissimo tempore mundi monarchiam tenuisse, et nunc in gehenna cum iisdem sine fine cruciari? Isti ut monarchae toti orbi imperarunt delitiis, divitiis et honoribus abundarunt; sed haec omnia uno propemodum momento abierunt, eaque poena, ignominia et confusio inexplicabilis consecuta sunt. dies paucos laeti exegerunt nec ea laetitia sine tristitia fuit, et jam tot saeculis calicem irae Dei, plenum absynthio sine ulla intermissione biberunt, tot saeculis jam habitarunt cum igne devorante, et sudarunt in ardoribus sempiternis, nec ullum finem calamitatum expectare licet. Illi vero dies paucos in laboribus et aerumnis Domino servierunt, contempti a quibusdam aliquando, ab aliis honorati, quamvis honorem illum non quaererent, sed fugerent, externis opibus caruerunt, sed a molestiis ac sollicitudinibus, quae divitias consequuntur, liberrimi fuerunt, nec tamen eorum aliquem fame periisse audivimus: quos ipsos post mortem coelestis Ierusalem excepit, ubi saeculis multis feliciter jam regnarunt. Atqui nunc optio datur, et potest fieri vel potius debet omnino fieri, non quidem ut fueris Caesar vel Alexander, Antonius aut Franciscus, sed certe ut sis deinceps vel stultis ethnicis vel sapientibus christianis similis, et vel ad domum Esau pertineas, et in virga ferrea regaris, et tamquam vas figuli confringaris vel in domo Jacob numereris, et cum Christo regnes in aeternum. Et cum optio ista detur, cum possis talis fieri, qualem te fuisse desiderares, si jam obiisses, cum tanti hoc referat, ut nihil prorsus sit cum hoc negotio comparandum, cur quaeso teipsum ita fallis? Cur quasi unus de insipientibus agis? Cur non ita vivere instituis, quomodo te vixisse paulo post optabis? Me miserum, praeterit figura hujus mundi, volat irrevocabile tempus, videmus quotidie homines mori. nos ipsi statim moriemur, certo scimus summis votis nos tunc optaturos, bene, sancte, caste, vitam traduxisse: et tamen quasi quodam lethargo correpti non movemur, non excitamur, non semel dicimus, Dormivi satis, mea res agitur, nolo mihi amplius mundus imponat, nolo propter temporalia amittere sempiterna. Fratres, qui stipendium cupit, iam nunc militare incipiat: qui magnus in coelo esse desiderat, hic magnus virtutibus esse studeat. Hic enim parantur officia, hic decernuntur loca, hic honores designantur, et qui hic bene vivendo coelestis haereditatis non acceperit codicillos, post mortem certe mendicum et vacuum se inveniet.

PARS SECUNDA

Dixit autem Maria ad Angelum; Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Laudavi-

mus superiore oratione, beatissimam Mariam de silentio, nunc multo magis de gravi et sapiente responsione laudanda est. Legimus enim in libro Ecclesiastici; *Adolescens, loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum: in multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quaerens.* Quod praeceptum Virgo sancta diligenter et sapienter observavit. Salutatur ab angelo, et compellatur semel, et nihil respondet, sed cogitat secum quid sibi velit ea salutatio: compellatur secundo, et tum caput, seu initium incipit habere responsum ejus: neque tunc multa loquaciter garrit, sed una, eaque brevissima interrogatione complectitur id totum, quod eam ab angelo quaerere oportebat: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Felix Eva, si cum a serpente audivit: *In quacumque die comederitis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii,* continuo respondisset, quomodo fiet istud? qui fieri potest, ut comedentes de ligno, quod Deus prohibuit, efficiamur sicut dii? Itaque ex ejus errore Maria prudentior facta, etiam Angelo respondere non timuit. *Quomodo fiet istud?*

Verum quod in hac Virginis nostrae responsione sive interrogatione potissimum admiramur, est incredibile studium, novus et inauditus ardor virginitatis conservandae. Primum enim ex hoc loco apertissime cognoscitur, virginem Mariam virginitatem non solum elegisse, sed etiam voto confirmasse: alioqui nulla prorsus esset causa, quam reddit quaestionis suae, cum ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Jam enim nupta erat viro, et si nupta non fuisset, nubere, virum cognoscere, de viro concipere et parere certe potuisset. Ita locum istum d. Augustinus intelligendum docet. *Quomodo fiet istud, ait Virgo, quoniam virum non cognosco? Quod profecto,* inquit *non diceret, nisi Deo virginem se ante novisset. Sed quid hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam noverat.* Et b. Bernardus hunc ipsum exponens locum: *Non dubitabat,* inquit, *de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim quaerit, An fiet istud, sed, quomodo fiet istud. Quasi dicat, cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? Si oportuit me frangere votum, ut pariam talem filium et gaudebo de filio, et dolebo de proposito fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam virgo et pariam, quod utique, si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio vere quia respexit humilitatem ancillae suae: Quomodo ergo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Itaque, auditores, sicut viri religiosi certorum ordinum, cum dicunt Nos vinum non bibimus aut carnibus non vescimur, non id significare volunt se tunc non bibere vinum nec vesci carnibus, cum id loquuntur, sed lege se et voto prohiberi, ne unquam aut vinum bibant aut carnibus vescantur: Sic etiam virgo beata, cum ait, *Virum non cognosco,* nihil intelligi voluit aliud, quam voto se obstrinxisse coram Deo virginitatem perpetuo servaturam. Haec vero quanta est laus? *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Quae major fortitudo cogitari potest, qua ut nobilis adolescentula, ad palmam praeclarissimae et difficillimae virtutis, per iter insuetum et invium seculoris virginibus exemplo suo aditum aperire, et tamquam dux praeire tentaverit? Si nunc magnum est virginitatem conservare, cum eam Dei Filius docuit, apostolus consuluit patres laudarunt, multi sexûs utriusque tenuerunt et exemplo suo servari posse demonstrarunt, quanto majus singularem istam virginem et virginum reginam tunc ad palmam hujus nobilissimae virtutis adspirare potuisse, cum neque praeceptum habuerat, neque consilium audierat, neque viderat exemplum et cum nullo in pretio apud homines habebatur?

Neque vero existimet aliquis, se gloriam istam singularem virginis Deiparae extenuare posse, si dicat eam non ante de voto virginitatis cogitasse, quam se matrem Dei futuram esse praesciret, nam ut d. Augustinus sapienter monet, et verba ipsa virginis aperte docent, virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quod esset conceptura nesciret. Sicut igitur primitiae resurgentium Christus primitiae credentium apostoli; ita primitiae virginum Maria et sicut primitiae aliis fructibus ejusdem generis excellunt, ita Mariae virginitas magis Deo, quam aliorum omnium virginitas placuit.

Neque solum ex hoc loco primum florem ecclesiae divinam Mariam fuisse cognoscimus, sed etiam ad ejus perpetuam virginitatem contra Helvidianos asserendam, testimonium firmissimum habemus: quae enim thesaurum virginitatis sedibus et regnis anteponeret, qua unquam spe, quibus promissis eam sibi deinceps auferri pateretur? Si qua puella, licet obscuris et pauperibus parentibus nata, oblatum sibi summi alicujus regis connubium amore virginitatis recusaret, num credibile esset ulla alia ratione eam aliquando flectendam? Iam igitur beatissima Maria, si angelo veritatis tantum filium promittente, nempe regem et regem aeternum, et quod his omnibus majus est, Deum verum, ita ut certo sciret se Dei matrem, orbis dominam, angelorum reginam esse posse, tamen virginitatis ab amore non recessit, sed ait; *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Quibus, quaeso, machinis, quibus motibus firmissimam turrim animi ejus deiici unquam potuisse credemus? Nemo igitur de fortissima virgine tale aliquid, quod nefas est, suspicetur, sed hinc potius quanti virginitatis thesaurus fieri debeat, omnes discamus, quem a Virgine Dei Matre tam ardenter amatum, tantoque studio conservatum videmus.

Nec immerito Dei mater futura, virginitatis decus tam vehementer adamavit, quod ab ipso Deo maximi fieri Spiritui sancto docente cognoverat. Nondum quidem scriptum erat in evangelio veritatis: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere capiat.* Nondum scriptum erat ab apostolo Paulo; *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium*

autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis: Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Et, mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. Et, qui jungit matrimonio virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit. Nondum scriptum erat ab apostolo Joanne, virgines dumtaxat, et qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sequi Agnum quocumque jerit, et canticum novum cantare, quod nemo alius cantare potest. Nondum scriptum erat a Cypriano; *Flos est virginum coetus ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritalis, laeta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, illustrior portio gregis Christi gaudet per illas et in illis: largiter floret ecclesiae matris gloriosa foecunditas, quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto gaudium matris augescit. Magna Dei virgines merces manet; praemium grande virtutis, munus maximum castitatis.* Nondum virginitatis laudes ecclesiasticae illae tubae, Athanasius, Basilius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus decantaverant; sed tamen Virginem nostram unctio Spiritus sancti de omnibus docuerat, jamque patrem suum David dicentem audierat; *Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est dominus Deus tuus. Et, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Et, Adducentur regi virgines post eam, proximae ejus afferentur tibi.* Nec illud Isaiae vel Dei potius per Isaiam ad eunuchos, qui se castraverunt propter regnum coelorum, dictum ignorabat; *Haec dicit Dominus eunuchis; Dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quanta, quaeso, est haec promissio? Cujus animum ad amandam castitatem non alliciat? *Dabo eis*, inquit, *locum, et nomen melius a filiis et filiabus.* Quis capiat quid sit virginitas apud Deum, cui locus et nomen filiorum et filiarum parum est, et aliquid majus, nobilius, illustrius, gloriosius praeparatur? Et quid est, obsecro, Agnum sequi quocumque jerit? *Quo ire putamus hunc agnum? Ad quos saltus et prata? ubi credo* (ut verbis s. Augustini utar) *sunt gramina gaudia, non gaudia, saeculi hujus vana, insana, mendacia, neque gaudia, qualia in ipso regno Dei caeteris non virginibus erunt, sed a caeterorum omnium gaudiorum sorte distincta*, gaudia maxima et inexplicabilia et propria virginum Christi. Et qualis erit gloria, cum omnis multitudo sanctorum virgines Christi videbit agnum sequi, ipsi sequi non poterunt, et videbit, nec invidebit; sed collaetando illis, quod in se non habet, habebit in illis? et qualis voluptas illa erit, cum ad nuptias Agni cantabunt virgines canticum novum, non quale cantat universa Ecclesia, cui dicitur; *Cantate Domino canticum novum cantate Domino omnis terra*; sed canticum dulcius multoque suavius, quod sola ora virginea canere digna erunt, canticum proprium virginum, quod caeteri sancti dicere non poterunt, sed tantum audire poterunt, et delectari fratrum suorum tam excellenti bono; Virgines vero qui et canere et audire poterunt, jucundius exultabunt, feliciusque regnabunt? Quae cum ita sint, non mirum, si virgo sapiens, pretium virginitatis intelligens angelo respondet: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et vos, fratres, praesumite, fidite, roboramini, permanete qui redditis Domino Deo vestro vota perpetuae continentiae. Vos etiam, qui hoc nondum vovistis, qui potestis capere capite: perseveranter currite, ut comprehendatis. Ardua quidem militia, sed infinitum stipendium, dura certamina, sed immortalis corona. Terret mundus, minatur diabolus, regnat caro, sed consolatur, et invitat, Deus. Neque ipsa virginum regina, et post eam tot millia sanctorum et sanctarum virginum in seipsis potuerunt, quod potuerunt, sed in Domino Deo sunt.

Sed quid ego in tam corrupto saeculo de virginitate disputo. Utinam ab adulteriis, a fornicationibus sordidis, a desideriis pravis, a verbis lascivis, ab aspectibus impudicis, ab occultis et horrendis flagitiis, quae filii gehennae in seipsis operantur, contumelia corpora sua afficientes, quae nominare non audeo, hujus saeculi homines se abstinerent. Utinam vel in tenera aetate locum castitas inveniret, et non etiam pueri vix dum nati omnia genera turpitudinum discerent, loquerentur, exercerent. Utinam majores natu, qui uxores ducere decreverunt, tales se illis conservarent, quales eas invenire desiderant. Utinam qui matrimonio juncti sunt, suis thoris contenti, exemplo suo uxores docerent, quantam pudicitiam a Christianis conjugibus Deus requirat. Utinam in ordine ministrorum Dei nulli reperirentur qui tremenda mysteria impudicis manibus tractare, impudico ore, et corde sumere auderent. Et quanta est haec injuria terribili illi majestati? Quid? Cujus Pater foeminam nescit, cujus mater virgo est, cujus ministri angeli sunt, ejus tu purissimum et sacratissimum corpus manibus impudicis contingere, et in sordidum ac coenosum pectus excipere audebis? Parumne tibi videntur templum Dei, corpus tuum polluisse, nisi etiam polluas et Deum tuum? Et si *qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* quid oro illi fiet, qui Deum ipsum polluere ac violare conatur? Num quia solus in cubiculo, sine conscio, sine teste vel cogitationibus sordidis ac desideriis impudicis polluis animam tuam, vel quod horrendum et nefandum flagitium est, et contumelia afficis corpus tuum, putas te oculos Dei latere? Falleris, impudice, falleris. Clarius ea Deus videt, quam tu ipse ea videas. Nec solum Deus videt, sed etiam tempore suo in die ultimi judicii, ab omnibus hominibus ea videri faciet. Tu quidem in tenebris scelus operaris, Deus vero in conspectu Solis hujus tamquam in theatro toti mundo turpitudinem tuam spectandam exhibebit. O qualis erit ea confusio, cum eos, qui habitu et professione, saepe etiam opinione hominum sancti videbantur, turpissima quaeque cogitasse et egisse mundus totus intelliget? Sed

fortasse perpauci aut nulli sunt hic tales. Id ego vehementer cupio, sed tamen haec dicere volui, ut etiam in posterum non sint, ac ut omnes intelligant angelica puritate nitere, et Solis radiis mundiores eos esse debere, qui agnum immaculatum, qui Dei et virginis filium qui corpus a Spiritu sancto formatum, manibus quotidie tractant, et qui aliis hominibus, tamquam soles quidam in firmamento ecclesiae constituti, vitae et morum splendore praelucere debent.

Caeterum omnes, auditores, si non solum poenas impudicis constitutas effugere, sed praemia castis hominibus praeparata promereri cupimus, ad exemplum Dominae nostrae, matris Dei nostri, zelum magnum pudicitiae concipiamus, atque hoc praesertim tempore, quo diem natalem Domini celebraturi acturique sumus. Si enim oriente sole bruta animantia in antris et speluncis suis absconduntur: num sole justitiae exoriente, homines impudici, brutis animantibus stupidiores, in publicum prodire, basilicas intrare, tremenda mysteria vel sumere vel cernere audebunt? Num inter choros angelorum, quibus eo die plena erunt ecclesiae, sordidissimae sues impune apparere tentabunt? Quare ut nemo nostrum in tam laeta celebritate merito abscondi debeat, ut nemo confundatur, ut omnes cum gaudio et laetitia spirituali diem illum celebremus, nemo se brutis impudice vivendo similem efficiat, sed angelos potius et angelorum reginam, vitae sanctitate ac puritate imitetur. Quod nobis concedat, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO V.

SUPER

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, etc. *Luc.* 1.

SYNOPSIS

Connexione hujus concionis cum superiore praemissa, duo in Incarnatione consideranda proponuntur; unum, toti Trinitati commune; alterum, soli Verbi personae peculiare. Causae assignantur, cur incarnatio Spiritui sancto attribuatur, cum sit opus toti Trinitati commune. Quantae deinde charitatis opus illa fuerit, per oppositionem Dei et hominis manifestatur. Quid sit virtus Altissimi, et cur Incarnatio per obumbrationem significetur, patefit. Christum peculiari ratione sanctum dici, affirmatur; et num Spiritus sanctus pater Christi dici possit, disputatur. Ostendendo demum quanta reverentia nomini et corpori Christi debeatur, graviter reprehenduntur blasphemi; et taxatur sacerdotum negligentia et spurcities in conservandis vasis et linteaminibus altari inservientibus.

Pars altera textus explicationem continuando quinque affert causas, ob quas angelus Virgini concepturae praecursoris conceptionem manifestavit. Enodatur insuper illa dubitatio, quomodo potuerit Elizabetha cognata fuisse Mariae, cum ex familiis diversis genitae fuerint; quod multis exemplis fieri potuisse affirmatur. Exponitur praeterea, quam brevibus verbis multas virtutes b. Virgo respondendo ostenderit, praesertim vero humilitatem, fidem, obedientiam et charitatem. Narratio etiam breviter Christi conceptionis modo, eleganti similitudine generis humani liberatio ob oculos ponitur, et cur aliqui non salventur causa affertur. Tandem duplici sale patientiae scilicet et misericordiae proposito, quinam hoc vel illo condiendi sint, ad finem usque docetur.

Si coelestium mysteriorum magnitudini, de quibus hodierna die adjuvante Domino dicturi sumus, parem orationem aliqua saltem ex parte adferre possemus, non dubitarem, optimi auditores, quin essent omnes facile intellecturi, quantum linguae hominum a linguis angelorum differant. Differendum est enim de illa Angeli sapientia, qua simul paucissimis verbis, et virginis quaestioni respondetur, et totum dominicae Incarnationis sacramentum explicatur. Quaesierat virgo castissima, de thesauro virginitatis suae vehementer sollicita, ad quem modum futurum esset, ut ipsa juxta angeli promissionem conciperet, et pareret filium, quae Deo virginitatem suam novo exemplo jam dedicavisset. Ei vero quaestioni ita sanctus respondet archangelus, ut doceat, eam sicut novo exemplo virginitatem suam Deo didicaverat, in novo et inaudito prorsus modo concepturam, non ex semine viri, sed opera Spiritus sancti: neque virginitatem eo conceptu partuque violandam, sed ornandam. *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Duo quaedam, auditores in Incarnationis sacramento praecipue consideranda sunt, Unum toti divinae augustissimaeque Trinitati commune: alterum solius personae verbi proprium. Utrumque vero sanctus angelus iis verbis, quae modo recitari audistis comprehendit. Ac toti quidem beatissimae Trinitate commune fuit, id omne, quod incarnatione dominica ad Deum, tamquam ad efficientem causam refertur, ut animae servatoris creatio, ut corporis conformatio, animae cum corpore conjunctio, ut animae et corporis cum divinitate copulatio. Deus enim potentia, sapientia, voluntate, imperio operatur. Una vero potentia, una sapientia, una voluntas, unum imperium, sicut una natura atque substantia in Patre et Filio et Spiritu sancto est. Itaque (ut verbis utar d. Leonis) *quicquid in dispositione rerum omnium agit divina moderatio, ex totius venit providentia Trinitatis. Una est ibi benignitas misericordiae, una censura justitiae: nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum.* At vero solius personae Verbi proprium fuit, humana natura ad subsistentiae propriae consortium ita assumere, ut ea natura non humana et creata, sed a divina et increata hypostasi sustentetur. Quam enim una est in Trinitate natura, una operatio, una voluntas; tamen non est una subsistentia, una hypostasis, una persona, sed tres, alioqui Trinitatem nullam haberemus: ex tribus vero divinis personis Patre, Filio et Spiritu sancto, sola persona Filii suam ac pro-

priam subsistentiam sive hypostasim cum natura humana communicavit. Nec enim Pater aut Spiritus sanctus, sed solum *verbum caro factum.* Sed jam ad ipsa angeli verba veniendum est.

Spiritus sanctus superveniet in te. Quibus verbis efficientem causam dominicae Incarnationis ostendit. Quamquam enim, ut paulo ante dicebamus, efficiens causa hujus excellentissimi operis tota Trinitas fuit, tota Trinitas animam Christi creavit, tota Trinitas corpus ejusdem in utero virginis conformavit, tota Trinitas animam cum corpore, et corpus et animam cum Verbi divini hypostasi copulavit; tamen secundum consuetudinem scripturarum, totum hoc opus Spiritui sancto tribuitur. Neque id sine causa. Primum enim quemadmodum vox ista corporea, qua verbum nostrae mentis spirituale incorporeum quasi vestimus, ut auribus corporeis sentiri possit, a spiritu oris humani formatur; ita decebat, ut opus illud, quo verbum divinum humana carne tamquam voce corporea vestitum est, spiritui oris Domini tribueretur, qua videlicet per hujusmodi similitudines ad intelligentiam aliquam tanti mysterii perveniremus. Deinde, consuevit scriptura divina ea opera personis singulis attribuere, quae cum earum proprietatibus magis conveniunt. Ut quoniam personae Patris proprium est principio carere, et Filii et Spiritus sancti principium esse, inde potentia, et ea, quae ad potentiam pertinent, qualis est orbis creatio et conservatio Patri potissimum tribuuntur. Quia personae Filii proprium est a patre per actum sapientiae et cognitionis generari, inde sapientia, et ea, quae sapientiae sunt, ut rerum gubernatio providentia, dispositio, Filio tribui solent. Postremo, quia personae Spiritus sancti proprium est amorem esse Patris et Filii, atque ab eis per actum charitatis non duabus, sed unica spiratione procedere, inde charitas, misericordia, benignitas, bonitas, et ea, quae a charitate et bonitate divina proveniunt, Spiritui sancto praecipue adscribuntur. Hinc igitur incarnationis Dominicae Spiritus sanctus auctor merito jureque optimo praedicatur. *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te*, et rursum: *Quod in ea natum est de Spiritu sancto est.* Non quod Pater et Filius in hoc opere nihil egerint, sed quod opus Incarnationis, opus maximae et infinitae charitatis fuerit: *Per viscera misericordiae Dei nostri*, inquit Zacharias, *in quibus nos visitavit oriens ex alto*, et apostolus Paulus; *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Et evangelista Joannes; *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Et ipse Dominus magnitudinem hujus amoris quasi vehementer admirans: *Sic Deus*, inquit, *dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Patriarcharum et prophetarum temporibus guttae spiritualium donorum, quasi pignora quaedam divini in nos amoris aliquando cadebant; sed novissime istis diebus apertae sunt cataractae coeli, et tamquam diluvium quoddam charismatum divinorum effusum est super terram. Qui enim filium suum tam liberaliter dedit, *quomodo non etiam cum illo vobis omnia donavit?* Sic igitur, *sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.* Magnum profecto clementiae signum est, ab ingrato et fugitivo mancipio poena non quaerere: majus, post multa et gravia latrocinia atque scelera in gratiam ac benevolentiam illud recipere: maximum, non in gratiam solum recipere, sed etiam novis muneribus et beneficiis ornare. Sed haec omnia quamvis rara, quamvis eximia, quamvis mirabilia, aliquando tamen et intra homines audiuntur: at quis capiet, vile mancipium furari, et pro eo filium regis, rege jubente suspendi? *Sic igitur Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.*

Nos vermiculi superbissimi vestium multitudine et pulchritudine luxuriamur, et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut tempore frigidissimo nudus jaceat in praesepi. Nos in conviviis inter patinas et pocula potando et fabulando multas horas conterimus: et Deus et Filium suum pro nobis mittit, ut fame et siti innocentissimum corpus suum affligat. Nos otiosi lusibus variis oblectamur, et cantando ac ridendo tempus transigimus: et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut de nostra salute soliicitus (ne forte in aeternum pereamus) peregrinetur, concionetur, laboret; quietem nullam capiat integras noctes pro nobis orando consumat. Nos terra et cinis minimas verborum injurias sine stomacho devorare non possumus: et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut maledicta et contumelias, ut sputa et alapas accipiat, ut virgis caedi, ut spinis coronari, ut vulnerari atque occidi se aequo animo patiatur. *Sic igitur*, sic sine modo, sine mensura, supra intelligentiam, supra rationem *Deus dilexit mundum*, hoc est, hominem coeno peccatorum a planta pedis usque ad verticem capitis sordidum atque immundum; *ut filium suum*, eumque unigenitum, optimum sapientissimum, pulcherrimum, sanctissimum, *daret.* Quamobrem, si opera illa, quae a divina benignitate procedunt, Spiritui sancto tribuenda sunt, certe imprimis dominicae Incarnationis opus sibi Spiritus sanctus optimo jure vendicare potest. Atque haec quidem de eo dicta sint, quod angelus ait: *Spiritus sanctus superveniet in te.*

Explicat deinde alteram partem dominicae Incarnationis, quam solius personae Filii Dei propriam esse diximus, *et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid enim est aliud virtus Altissimi, quam *verbum* illud potentissimum, per quod facta sunt omnia; et quod Isaias *brachium Domini*, et apostolus Paulus *virtutem et sapientiam Dei* appellare solent; *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini*, inquit Isaias. Et rursum; *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est?* Apostolus vero Paulus: *Nos*, inquit, *praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judaeis et Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Itaque tunc virtus Altissimi beatissimam virginem obumbravit cum majestas Filii Dei, quasi lucidissima quaedam nubes, super eam descendit, et humanam naturam opera Spiritus sancti de purissima ejus carne formatam, sibi arctissimo atque indissolubili nexu copulavit;

Neque moveat quemquam, quod angelus non ait, obumbrabit te. *sed obumbrabit tibi*: graeca siquidem vox επισκιαζω, quo Lucas usus est, idem significat, sive cum dativo sive cum accusativo jungatur; et sicut hoc loco legimus, *obumbrabit tibi*, ita cap. 9. ubi de transfiguratione agitur, legimus apud eumdem evangelistam; *Facta est nubes et obumbrabit eos.*

Sed cur, quaeso (roget quispiam) descensus iste Filii Dei obumbrationis vocabulo explicatus est? Primum, ad secretum hujus mysterii designandum. Siquidem secretissimo atque arcano prorsus modo quasi in umbra, sola divinitas cum sola virgine conceptum est operata divinum. Non oculus humanus, sed ne angelicus quidem eo penetrare potuit: *Deus* enim qui *lux est et lucem inhabitat inaccessibilem*, totam illa hora felicissimam virginem suae majestatis gloria cooperuit: et hoc est: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Deinde, ut omnes intelligerent, non ita Dei Filium in uterum matris descendisse, ut more caeterorum infantium ibi esset inclusus, et extra Virginis uterum nusquam esset, propterea angelus ait: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, ad modum ingentis nubis totam te virtus Altissimi comprehendet: in utero tuo erit et in manebit, et tu in eo, vesties illum, et vestieris ab illo. Vesties tu illum substantia carnis, vestiet ille te gloria suae majestatis: vesties solem nube, et sole ipsa felicius multo vestieris, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Postremo, quia mirari potuisset aliquis, quomodo lucis inaccessibilis accessum ferre, solis amictum sustinere, et in tam vehementi fervore subsistere tam fragilis natura potuerit, ideo etiam ait angelus; *Et virtus altissimi obumbrabit tibi*: idem enim Justitiae Sol, qui virginem totam praesentiae suae luce vestivit, idem, inquam, potentia sua infinita atque virtute umbraculum ei fecit, *Nec mirum*, (ut verbis utar d. Bernardi *si sub tam umbraculo, talis etiam a muliere sustineatur amictus.*

Sequitur. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Apte omnino et apposite, auditores angelus ait, *quod nascetur ex te sanctum*; non enim Christus homo, sicut caeteri sancti, sed singulariter et modo quodam ipsi soli proprio sanctus fuit. Caeteri omnes vel peccatores nascuntur, et postea sancti fiunt: vel nascuntur quidem sancti, ut Ieremias, et Ioannes. sed in peccatis concepti fuerunt. Quod si d. Mariam sine peccato conceptam fuisse placet, tamen ex dono gratiae, non ex natura conceptionis talis fuisse credenda est. Solus Christus non ex complexu conjugii, sed de Spiritu sancto ex virgine conceptus est, ex ipsa natura et genere conceptionis sanctus est. Solus ipse ea excellentissima sanctitate pollet, ut nec peccatum fuerit, nec facere potuerit. Itaque non injuria a Daniele *Sanctus sanctorum*, et hoc loco *Sanctus* absque ulla additione nominatur.

Ideoque, inquit, *et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed quid sibi vult illud: *Ideoque* Quare *ideo*? Num, quia Spiritus sanctus superveniet in te, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei? Ut sicut Pater genuit Verbum secundum formam Dei, ita Spiritus sanctus genuerit Verbum secundum formam servi? Minime vero. Neque enim Spiritus sanctus ulla ratione pater Verbi dici potest. Nam non quicumque aliquid agit, continuo pater illius est, alioqui et figulis vasorum et sutor calceorum, et architectus aedium, et omnis artifex sui operis pater diceretur; sed iis dumtaxat patris nomen dignus censendus est, qui ex sua et propria substantia filios gignit. Itaque Verbum secundum formam Dei patrem agnoscit in coelo, dum *ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur*; secundum formam servi matrem agnoscit in terra eam, quae ab angelo plena gratia salutatur. Nam et a Deo Patre substantiam divinitatis et a Virgine matre substantiam carnis accepit. Porro Spiritus sanctus, qui corpus Filii Dei, non ex sola virginis substantia fabricavit, non utique pater aut genitor, sed opifex et architectus corporis dominici vocari debet. Non igitur quia *Spiritus sanctus superveniet in te*, sed quia *virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Nam cum verus et naturalis Dei Filius, qui et verbum, et sapientia et brachium et virtus Altissimi nominatur, ipse in uterum matris descenderit, et humanam carnem ex ea assumptam ad hypostasim suam adjunxerit, inde videlicet qui conceptus et natus de virgine est, non virginis solius, sed etiam Dei Filius appellatur.

Ait igitur; *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* At quis non obstupeat, cum quanto verborum honore Archangelus nominet, quod vilissimi homines tam facile vel manibus tractant vel ore sumunt vel lingua blasphemant? Certe de Christo homine loquitur, nec satis esse putavit, si diceret, Sanctus ille venerabilis, qui ex te nascetur; sed quasi nullum nomen excellentiam sanctitatis ejus explicaret, generali voce uti maluit. *Ideoque*, inquit, *et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi sunt modo, qui sanctum sanctorum, ad quem nominandum latis magnum nomen angelus invenire non potuit, tanta felicitate blasphemant, ut saepe etiam nulla de causa iocando ac ridendo id faciant? Qui si intelligerent in quantam majestatem os suum aperiunt, quam graviter totam aulam coelestis regni offendunt, et quam atrocia supplicia ipsis interim in gehenna parentur, mallent profecto labia sibi unum cum altero consui vel certe lingua carere, quam vel otiose tam venerabile nomen usurpare. Ubi sunt etiam, qui hunc eumdem sanctum sanctorum, quem angelus nominare non audet, his proximis feriis in domicilium pectoris sui cum aliquo honore introduxerunt, sed paulo post propter aliquam fallacissimam voluptatem et verissimam vanitatem, majore cum ignominia ejecerunt? Quale judicium, quaeso, fiet iis, qui thesaurum gratiae Dei, qui carnem illam de Spiritu sancto conceptam, et cum ipsa Verbi persona tam singulariter copulatam contemnunt, ut ei vel inanissimas nugas anteponant? Quid enim ei non anteponerent, qui pro aspectu unius mulierculae, pro una saltatione, pro uno vini poculo, Christum ven-

dunt? Certe majori pretio a Iuda traditore venditum eum fuisse legimus. Et tamen de illo scriptum est; *Vae homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum ei erat, si natus non fuisset homo ille.* Ubi sunt postremo sacerdotes Domini, qui hunc sanctum sanctorum, cum tremenda mysteria peraguntur, in ara praesentem, et multitudine angelorum stipatum esse non dubitant, et nihilominus quasi non eum viderent, vel ab eo non viderentur, incredibili festinatione, sine spiritu, sine affectu, sine timore et tremore sacra perficiunt, et quod pudet dicere, vel potius horreo dicere, sordidissimis linteis, quae corporalia vocamus, qualia in mensa famulorum suorum ponere erubescerent, illud sanctorum involvunt, quod angelus nominare non audebat? Omitto, quae altaria plena sint saepe pulveribus: taceo, quod etiam araneis liceat circum aras Dei suas telas extendere et muscas aucupari. Praetereo, quod in tam magno atque horrendo sacrificio saepe unam particulam candelae dumtaxat videamus, eamque tam tenuem, ut vel modicus ventus eam non solum extinguere, sed etiam totam de altari exsufflare possit. Nihil dico, quod saepe ministri tanto sacrificio adhibeantur pueri dissoluti, petulantes, procaces, qui semper oculos huc atque illuc circumferunt, vel turpiter sedent vel astant impudenter. Denique ita sine ulla pietate ac devotione ministrant, ac respondent, ut aliquid aliud agere videantur. nec postea tamen corripiuntur, ut saltem intelligant se male agere. Sed tamen haec omnia facile patior sileri, sint parva et levia, si ita placet, quamquam Deo non placeat. Sed quod ipsa corporalia, quibus Domini sacrosanctum corpus imponitur, ita sordeant, quod purificatoria, quibus sacer calix purgatur, ita quibusdam locis nigra, turpia, olentia et pene corrupta sint, ut nauseam provocent, et vix manibus sine horrore tangi possint, haec profecto tolerari nullo pacto deberent, nec certe tolerarentur, si ii, ad quos pertinet ista curate, decorem domus domini diligerent, et si Dominum suum, propter quem ab hominibus honorantur, ipsi honorarent. Sed ad vos, o sacerdotes, ait Dominus per Malachiam, qui respicitis nomen meum, et *vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege; propterea et ego dedi vos contemptibiles, humiles omnibus populis.* Sed nolo ulterius verenda patrum detegere quae, magis tegere cuperem, si non res ipsae clamarent, illustrarentur, eruperent. Quia vero non dubito, multos esse in ordine sacerdotum viros probos et doctos, quibus haec discipliceant, eos ego cohortatos volo, ut zelum magnum honoris Domini incipiant, et eos, qui sanctum sanctorum ita contemnunt, admoneant, castigent, confundant, verbis non parcant, neque dubitent, apud Deum sed pro eo zelo bonum gradum acquisituros et magnam fiduciam in Domino.

PARS SECUNDA

Sequitur. Et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi, quae vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Multis de causis angelus sanctus posteaquam ad quaestionem virginis respondit, et Incarnationis dominicae sacramentum exposuit, de conceptione praecursoris beatissimam Mariam certiorem facit. Prima causa est, ut eam, licet credentem, tamen quia res difficillima credenda proponebatur, adhuc magis in fide confirmet. Tametsi enim minus est, si unum cum altero conferatur, quod anus sterilis, quam quod virgo concipiat, tamen utrumque, Deo facillimum est, utrumque naturae vires ac potentiam superat: quocirca non inepte unum ex altero confirmatur. Atque hanc rationem angelus reddit cum ait: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*: quasi dicere velit, Haec tibi de Elizabeth cognata tua significare volui, ut intelligas, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Altera causa est, ut dum sterilis conceptus Virgini nunciatur, et dum miraculum miraculo additur, gaudium etiam gaudio cumuletur. Tertia, ut miraculum Dei, quod praesertim non parum ad Incarnationis mysterium pertinebat prius ciret virgo per angelum, quam audiret ab homine, et Dei mater mox futura, etiam consiliorum Dei particeps fieret. Quarta, ut dum nunc servatoris, nunc praecursoris edocetur adventus, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus ac praedicatoribus Evangelii reseraret veritatem. Quinta, ut audiens cognatam vetulam ac gravidam, cogitet adolescentula de obsequio, atque interim locus et occasio detur praecursori in utero matris exultandi, et officii sui Domino quasdam quasi primitias offerendi.

Sed quaeret aliquis fortasse, quomodo potuit Elizabeth cognata esse Maria? Nonne d. Lucas initio evangelicae suae historiae ait aperte, Elizabeth de filiabus Aaren fuisse? Nonne b. Mariam certum est esse de filiabus David? Alioquin enim neque angelus dixisset: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Neque b. Matthaeus initio evangelii scriberet: *Liber generationis Jesu Christi filii David filii Abraham.* Neque apostolus ad Romanos scribens de Christo diceret: *Qui factus est ex semine David secundum carnem.* Denique neque ipse Dominus in extrema Apocalypsi se radicem et genus David, stellam splendidam et matutinam appellare. Constat enim Christum non aliter esse Filium David, quam ratione Mariae. At in libro Numerorum jubentur faeminae viros non sumere, nisi de sua tribu. Quomodo igitur fieri potuit, ut cognata esset Mariae Elizabeth, cum una de tribu Levi, ac de filiabus Aaron, altera de tribu Juda, et de filiabus David esse cognoscatur? Verum quaestionis hujus facilis est et aperta responsio. Neque enim in postremo capite libri Numerorum lex lata de nuptiis, ad omnes mulieres debet extendi, sed solum ad eas, quae fratres nullos habent. Tales erant filiae Salphaad, quarum occasione qui scripturas legunt, legem illam latam fuisse sciunt. Foeminae enim, quae fratres non habent, juxta aliam legem ejusdem libri Numerorum in paternam haereditatem succedunt, et ipsae dumtaxat viros ducere, nisi de sua tribu non poterant:

ne videlicet haereditas de una tribu in alteram flecteretur, et sortes et possessiones tribuum confunderentur. Caeterum aliis omnibus, quae haereditates non erant, liberum erat plane nubere quibus vellent. Itaque Moyses, qui legem illam promulgavit uxorem Zephoram Madianitidem duxit: Aaron de tribu Levi, uxorem habuit Elizabetham de tribu Juda: Booz de tribu Juda Ruth Moabitidem accepit uxorem: David quoque de tribu Iuda, Michol filiam Saul de tribu Beniamin: et Salomon filius ejus filiam regis Pharaonis in matrimonio habuerunt. Denique Joiadas pontifex (ut caeteros omittam) Josabeth filiam Ioram et sororem Ochoziae regum Juda uxorem habuisse legitur. Quae cum ita se habeant, mirum profecto esse non debet, si Maria de tribu Juda et familia David cognatam Elizabeth habere potuit de tribu Levi, ac de filiabus Aaron. Quid enim prohibeat, quo minus aliqua soror beatae Annae, virum duceret de filiabus Aaron, atque inde existeret Elizabeth? Sicut beata Anna Ioachimo nupsit de filiis David, ex quo nata est Maria: quin non solum nihil prohibeat, sed etiam valde deceat, ut Messias rex et pontifex futurus, cum utraque familia, regia scilicet et pontificia, cognationem haberet. Vere igitur angelus ait: *Ecce Elizabeth cognata tua.*

Sequitur deinde, et ait: *Et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis est sextus illi, quae vocatur sterilis.* Quibus verbis satis aperte demonstrat, conceptionem praecursoris divino miraculo adscribendam esse. Nam Elizabeth iam anus erat, et naturaliter vires ad concipiendum non habebat, et praeterea senectuti sterilitas accedebat, quae usque adeo omnibus nota erat, ut vulgo sterilis appellaretur.

Concludit tandem angelus orationem suam, atque ait: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*, Ubi vel more Hebraeorum, verbum ponit pro eo, quod significatur verbo, ut eo loco: *Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum quod factum est.* Vel certe divinam promissionem verbum vocavit, ut sensus sit, Deum quicquid loquitur facere, quicquid promittit facile praestare posse: non sicut homines, qui suae imbecillitatis ignari multa saepe pollicentur, quae praestare non possunt.

Iam vero his omnibus diligenter auditis, virgo sanctissima certa de nuncio ac de virginitate secura, statim respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Praeclara sententia et virgine Dei matre digna. Quot enim illustrissimas virtutes his paucissimis verbis prodidit? Quantam verborum moderationem? Quam profundam humilitatem? Quam firmam fidem? Quam promptam obedientiam? Quam ardentem charitatem *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quid brevius, verecundius, moderatius, sapientius dici potuit? Una eademque brevissima sententia, et Deo pollicetur obsequium, et nuncio defert honorem. Sed quanta humilitate? *Ecce ancilla Domini.* Nondum viderat in ecclesia sacerdotes, antequam divinum corpus accipiant, indignos tanto hospite se profiteri, ac dicere: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum* Atque id tamen Virgo humilis eumdem Christum castis visceribus exceptura, diligenter observat, cum honore matris oblato, se ancillam potius agnoscit ac profitetur: *Ecce ancilla Domini.*

Quae vero sequuntur, *fiat mihi secundum verbum tuum*, quantae fidei verba sunt? Quam nihil penitus dubitat, quae ita loquitur? Abrahae fidem Paulus ad Romanos scribens miris laudibus praedicat: *Qui contra spem*, inquit, *in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium: Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum cum iam fere centum esset annorum neque emortuam vulvam Sarae.* At certe tanto majorem fides Mariae, quam fides Abrahae, quanto majus et mirabilius est virginem concipere, quam senem generare. Itaque multo ipsa magis *contra spem in spem credidit*, ut fieret mater Domini sui. Neque consideravit portam uteri sui voto virginitatis obstructam, ac munitam. *In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia sed* confortata *est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quaecumque* promittit, *potens est et facere.*

Denique ait; *Ecce ancilla Domini.* Iam vero de obedientiae promptitudine nihil est quod dicam. Ipsa enim ejus oratio quid aliud, quam summam in obediendo alacritatem spirat? Non enim cogitavit, Quid maritus meus dicet, si me gravidam videat? Neque ab angelo petiit, ut ipse Joseph mysterium revelaret: neque inopiam suam considerans meluere coepit, ne Filium Dei, ut par erat, alere non posset. Nihil horum cogitavit vel timuit, sed parata suspiciones mariti sustinere, parata prae filio stipem mendicare, si opus esset, solo obediendi studio fervens; *ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

At de charitate quid tandem dicemus? Quamvis zelus honoris divini humanaeque liberationis virgineum ejus pectus exurebat, quae promissione audita de adventu Servatoris, non contenta praebere consensum, etiam preces, desideria, vota, addenda putavit; *ecce*, inquit, *ancilla Domini fiat mihi* ut locutus es. Non solum divinae voluntati assentior, sed etiam opto ac peto, ut *fiat mihi secundum verbum tuum.*

Qua oratione finita, nulla interposita mora, credibile est Spiritum sanctum in eam supervenisse, et mirabili artificio de purissimo ejus sanguine, quantum satis erat, in locum conceptioni attributum separasse, atque ex eo pulcherrimum corpus in puncto temporis formasse, eoque animam praestantissimam, non solum mente et ratione praeditam, sed etiam sapientia, et gratia ac virtutibus plenam infudisse, neque alio postea tempore, sed in eodem prorsus momento Altissimi virtutem, aeternum Dei verbum de sinu patris in uterum matris descendisse et carnem illam a Spiritu sancto formatam, et mente sapientissima atque optima animatam, sibi aeterno felicissimoque matrimonio adjunxisse. Tunc igitur primum jacta sunt fundamenta nostrae liberationis. Tunc spes nobis affulsit recuperandae antiquae libertatis. Tunc virgine Dei matre novo atque insolito genere gaudii perfusa, totaque coelesti curia exultante, cani coepit, quod his diebus mater ecclesia tanta signi-

ficatione laetitiae, cum cantu et gaudio spirituali toties repetit: *verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Tunc artificio Spiritus sancti novus homo novo modo conceptus, venit in mundum, qui nos omnes ablata peccati vetustate renovaret, et de miseris atque afflictis foelices et beatos efficeret.

Ac ut humanam liberationem brevi similitudine comprehendam et illustrem, et tunc demum dicendi finem faciam, quaeso animadvertite. Quemadmodum si princeps aliquis in pomario suo manibus propriis cedrum arborem plantasset, eamque vehementer diligeret, summoque studio ac diligentia conservaret: deinde exorta tempestate cedrus aresceret, et omnia ejus poma adhuc immatura deciderent: adveniret vero post aliquod tempus artifex aliquis admirabilis, qui cedrum aliud naturae ac generis ejusdem cum iis, quae aruerant sed integrum, totum ac virens, et odorem suavissimum spirans, non ex arbore excitaret, sed novo atque insolito more manibus suis ipse formaret, et saccharo ac melle summa arte conditum regi gustandum offerret: rex autem ita eo delectaretur ut statim apud se constitueret, magnam eorum, quae ceciderant, pomorum partem de humo colligere, similique modo condita in apothecis suis perpetuo conservare: ita prorsus casus et liberatio nostri generis se habet. Plantaverat enim olim Deus naturam humanam quasi pulcherrimam cedrum in paradiso voluptatis, eamque tamquam a se satam, nutritam, auctam, vehementer, ut par erat, diligebat. Accidit vero ut coorta tempestate, vento superbiae concussa atque agitata, tandem a radicibus arefieret, et omnia ejus poma adhuc immatura corruerent, hoc est, nos omnes qui ab Adamo, tamquam a radice dependebamus ipso peccante et per peccatum arescente mirabili casu, ad terram afflicti atque illisi pene mortui jaceremus. Verum cum multo iam tempore quasi poma semicorrupta suibusque infernalibus apposita jacuissemus, adfuit tandem Spiritus sanctus, artifex sapientissimus, qui optimo excogitato consilio, novum quemdam hominem, quasi novum cedrum, servatorem videlicet nostrum, non ex corrupta radice, non ex viri semine, qui non nisi Adae filius esse potuisset, sed novo inauditoque miraculo, sua virtute atque arte ex virginis carne formavit, nec solum innocentiae viriditate pulcherrimum et omnium virtutum odore suavissimum esse voluit, sed etiam melle ac saccharo divinae gloriae coelestisque felicitatis condivit. Hinc enim apud Isaiam de ista novo cedro legimus; *ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Nos quidem omnes auditores, prius malum Dei gratia adiuti reprobamus, et bonum eligimus, denique et multum bonis operibus insudamus, quam ad butyrum et mel suavissimum divinae coelestisque beatitudinis gustandum admittamur. At noster Emmanuel Christus, in ipsa sua conceptione butyrum et mel divinae gloriae non gustavit modo, sed abundanter etiam comedit. Et quis nostrum de torrente voluptatis, nisi in patria bibet, ubi *fluminis impetus laetificat civitatem Dei*? Noster vero Emmanuel *de torrente in via bibit.* Fuit enim semper, et in ipso quoque utero beatus. Itaque cedrum novum et suave, ac melle et saccharo conditum Christus est, qui quidem Deo patri oblatus, ita vehementer placuit, ita majestatem ejus oblectavit, ut certo constituerit, nos omnes ex humo colligere, deque ipsis faucibus daemonum eripere, a sordibus et corruptione purgare, ac demum saccharo beatitudinis conditos in coelestibus apothecis collocare, hoc est, magnos, illustres, beatos, felicissimos, immortales, angelorum et archangelorum cives, atque adeo Deos quosdam efficere.

Sed numquid omnes eo perveniemus, ut melle ac saccharo condiamur? Minime vero, auditores. Sed tamen vae illis, qui non pervenient. Melius erat eis, si nati non fuissent. Sed cur non omnes pervenient? In promptu est causa: nos enim, ut ante dicebam, per peccatum quasi poma corrupta jacebamus: corrupta vero poma prius a corruptione purganda et lavanda, et sale atque aceto conficienda et praeparanda sunt, quam melle et saccharo condiantur. Iam vero multi sunt qui melle et saccharo condiri cupiunt: sed pauci qui a corruptione purgari et lavari et sale atque aceto confici velint. Purgamur enim et lavamur a sordibus peccatorum aquis baptismi et lachrimis poenitentiae et quidem baptizati omnes sumus, sed sordes post baptismum contractas Deus novit, quam multi vere diluant. Certe lachrimae verae contritionis, ita sunt hoc tempore pretiosae ac rarae, ut vix unquam reperiantur.

Porro aceti et salis duo sunt genera, quorum altero necessario condiri debent omnes, qui ad mel et saccharum divinae gloriae praeparantur. Unum dicitur patientia, alterum eleemosyna. Sal patientiae pauperibus, sal misericordiae divitibus datur. Itaque quotquot inopia rerum externarum ac facultate laborant, intelligant sale patientiae se condiendos esse, nec animo deiiciantur, nec contra Deum murmurent, nec divitibus res istas caducas ac fragiles invideant, sed intelligant et probent consilium Dei, qui omnium curam gerit, et optime novit qui sale patientiae, qui sale misericordiae condiri debeant. Et quamquam inopia res est per se insipida et ingrata, tamen si salem patientiae habeas, etiam hic in terris sapere et dulcescere tibi incipiet. Quotquot vero dites estis, intelligite sale misericordiae vos condiendos, etsi non pati, saltem compati; si non dolere, saltem condolere aliis debere: compati vero et condolere non verbis tantum, sed opere et veritate. Tu pecuniis abundas et vestibus, et lignis et cibo et potu, et idcirco neque fame neque siti neque frigore unquam vexaris. Quid igitur ages? Salem tuum accipies, nosti pauperes multos, qui nihil horum habent, qui fame pereunt, qui frigore moriuntur: compatere illis ex animo, adiuva quantum potes: alioqui enim si neque pateris neque compateris, et nec sale patientiae nec sale misericordiae condiris, non video quae spes tibi remaneat. Noverat Deus te delicatum ac tenerum futurum, nec per viam duram atque asperam inopiae

et miseriae facile ambulaturum, propterea divitem te esse voluit, ut saltem per viam misericordiae ac eleemosynarum, quae planior et facilior est, ad salutem pervenires. Quod si neque hoc tibi placet, quid superest, nisi ut excidas a salute atque a regno beatitudinis excludaris? O si divites homines intelligerent, quam vili pretio nunc infiniti et immortales thesauri emi possent, longe aliter opes suas consumerent. Cum urbes vi captae spoliantur ac diripiuntur, milites, qui eas diripuerunt nihilo fere res maximas et pretiosissimas vendunt, quae alio tempore multo auro vix emi potuissent. Atque hoc tempus nunc agitur auditores, *regnum* enim *coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*: Christus autem qui jam illud obsedit, oppugnavit, occupavit, spoliavit, nunc vilissimo pretio ac fere nullo, spolia illa divina, indumenta illa gloriae, coelestia illa palatia vendit. Nunc vel calice aquae frigidae, sempiternae divitiae emi possunt. At vero post mortem, nullae pecuniae, nulli labores, nec ipsa vita sufficiet, ut vel exigua domuncula, in regno coelorum ematur. Quare agite nunc divites et caducas opes, ludibria ista fortunae, quae et alioqui hic relinquetis, cum aeternis et immortalibus commutate: de iniquo mammona facite vobis amicos, qui vos, cum defeceritis, in aeterna recipient tabernacula. Deinde ita agite, ut pro parvis magna, pro terrenis coelestia, pro temporalibus aeterna aliquando recipiatis. Amen.

CONCIONES DUODECIM

Argumenta totidem continentes ad hominem catholicum in sua fide confirmandum, et haereticum a perfidia sua convertendum.

CONCIO PRIMA

DE LUMINE FIDEI

SYNOPSIS

Exordium breviter causam reddit, cur potissimum haec argumenta tractanda suscipiantur, nimirum ob periculosa et tot sectis haeresum refertae haec nostra tempora. Duas res catholicos in ecclesia continere, lumen fidei internum et notae quaedam externae; et quaenam illae sint, ex divo Augustino probatur. Docetur, lumen fidei se per modum intellectus principiorum habere. Fidei necessitas contra Pelagianos, multis astruitur, ejusque efficacia et praestantia variis similitudinibus asseritur. Ostenditur praeterea quibus item amittatur. Causae assignantur, cur tam facile et tam brevi multae haereses tantum sumpserint incrementum. Tandem graviter reprehenduntur ii, qui fideles verbis, factis tamen fidem negat; qui proinde Deum irritant, ut nos in infidelitatem labi patiatur.

Cum semper maxime necessarium esse duxi, optimi auditores, in ea ecclesia permanere, in qua vera atque orthodoxa fides, verus Dei cultus, vera remissio peccatorum, verum salutis atque aeternae haereditatis pignus reperitur; tum hoc potissimum tempore, quando propter haeresum et sectarum multitudinem, tam densae errorum tenebrae toti pene orbi terrarum offusae sunt, et nox terra mundum prope universum occupavit atque involvit, ut jam periculosa illa tempora adesse videantur, de quibus Dominus in evangelio; *Multi*, inquit, *surgent pseudoprophetae, et seducent multos: et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Et rursum: *Cum venerit filius hominis, putas inveniet fidem in terra?*

Aspicite enim, et intuemini faciem orbis terrarum, quot in eo reperiuntur Athei, Pagani, Judaei? Quot regiones, quot regna, quot provinciae a Christo ad mahometismum defecerunt? Schisma atque haeresis Graecorum, Jacobitarum, Nestorianorum nonne Orientem pene totum absumpsit? Septentrionem nonne lues Arriana, Sabellica, Lutherana ex magna etiam parte Graecorum tabes, penitus infecit? Africam universam, ubi quondam tot sedes archiepiscoporum et Episcoporum fuerant, nonne partim Mauri, Mahometi sectatores, partim Aethiopes, solo nomine Christiani, et vera Christi Ecclesia jam olim separati, occupant? Quid de Occidente dicemus? Quis enumeret sectas confessionistarum, anabaptistarum, calvinistarum? nonne tot fere haereses spatio quinquaginta annorum nostri diebus exortae sunt, quot ab apostolorum temporibus, per totos mille et quingentos annos? Praeterea avaritia, superbia, luxuria, ambitio, doli, fraudes, mendacia, omnia scelera, omnia flagitia sibi pectora atque animos mortalium ita vendicarunt, ut periculum sit, ne *in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi*, ac dicere incipiant, Estne Deus in nobis? sumus haereditas et peculium Domini, an non?

Sed quamquam haec ita se habeant, manet tamen sententia Domini; *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* manet sententia beatissimi Cypriani: *Quisquis ille est, qualiscumque, christianus non est, qui in ecclesia Christi non est.* Et alio loco: *Quis ab ecclesia separatus adulterae jungitur, a promissis ecclesiae separatur, nec pertinet ad Christi praemia, qui relinquit ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est, habere non potest Deum patrem, qui non habet ecclesiam matrem.* Si potuit evadere, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra ecclesiam pacis fuerit, evadet. Quoniam igitur extra veram Christi Ecclesiam neque salus, neque remissio peccatorum reperitur, et tamen tam grande periculum nobis, hodie ubique imminet ab istis latronibus atrocissimis animarum, neque aliud facilius est, quam ut homines incauti ab arce ecclesiae aberrantes, in laqueos ac retia infidelitatis incurrant; nihil me fructuosius atque utilius in concionibus istius anni tractare posse, existimavi, quam argumenta ali-

quot, quibus perspicue ostendatur, religionem, quam Dei beneficio amplexi sumus, omnibus sectis ac superstitionibus Iudaeorum ac Paganorum, imo haereticorum etiam, jure ab omnibus, qui sapiunt, anteponi, et eam solam esse, qua Deus pie sancteque colatur, quaeque cultores suos ad verum aeternae felicitatis portum perducat.

Quia vero haec disputatio pene tota in fidei confirmatione versabitur ut etiam aliquid detur moribus, conciones nostras in duas partes dividemus in priori argumento, quod iam diximus, explicabimus: posteriori primam sententiam ejus epistolae, quae inter sacrorum solemnia lecta fuerit, ad morum aedificationem exponemus.

Duo sunt, quae nos praecipue movent ad credendum, lumen fidei internum, et argumenta quaedam externa. Atque argumenta quidem, de quibus agere instituimus, sunt omnino duodecim: nempe religionis christianae veritas, puritas, efficacitas, antiquitas, amplitudo, firmitas, lumen propheticum gloria miraculorum, probitas vitae, testimonium ac approbatio inimicorum, mores Ecclesiae veteris et mores veterum haereticorum. Quae argumenta non quidem omnia, sed eorum aliqua, quid in d. Augustino viro sanctissimo atque doctissimo effecerint, olim ipse in libro, quem contra epistolam Manichaei, quam vocant Fundamenti, scripsit, his verbis docet: *Multa sunt*, inquit, *quae in gremio ecclesiae catholicae me justissime tenent. Tenet consensio populorum et gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli successio sacerdotum.* Haec ille vir, qui non minus divino lumine quam acerrimo gravissimoque judicio praeditus erat, quique omnium optime, quid inter sanam doctrinam ecclesiae et insana haereticorum dogmata intersit, judicare poterat.

Ac de argumentis quidem externis alias, hodie solum de lumine fidei: quam eximium sit, quam necessarium Dei donum, et qua cura et sollicitudine conservandum, pro tempore disseremus. Etenim lumen fidei non mihi minus necessarium esse videtur ad ea dogmata credenda, quae nobis ecclesia catholica proponit, quam sit lumen intelligentiae naturale ad prima principia cognoscenda. Quemadmodum enim omnes homines naturali quodam lumine praediti sunt, quo prima principia, sine labore, sine argumentis, vera esse intelligunt: nec enim est quisquam, qui rationes et argumenta petat, cum ejusmodi principia proponuntur, scilicet bonum esse prosequendum, malum fugiendum, tria plura esse, quam duo, tria et duo esse quinque: sic etiam omnes christiani lumine quodam divino et supernaturali a Deo illustrati, principia prima nostrae fidei, etiamsi difficilia et rationem excedentia, verissima esse et certissima confitentur. Quaenam est causa, cur bruta animantia doceri non possunt? Accipe brutum aliquod animal, equum accipitrem, vide utrum possis ei persuadere aliquam veritatem. Certe non poteris, etiamsi omnem dialecticam et rhetoricam adhiberes. Unde hoc? Quia naturali lumine intelligentiae caret. Ad eumdem modum omnes nostrae conciones, nec solum conciones, sed omnia alia nostra signa, et prodigia non sufficiunt, ut fidem nostram ethnicis et haereticis persuadeamus, nisi Deus ipse doctor accedat, et mentem eorum hoc divino lumine illustret.

Pelagiani quidem divinae gratiae contemptores et suarum virium superbissimi laudatores, affirmare non dubitabant, nos isto lumine non usque adeo indigere, neque fidem alia ratione in sacris litteris donum Dei appellari, quam quod gratia et dono Dei fiat, ut Scripturas sanctas et praedicationes Evangelii habeamus. Sed longe aliud nobis. Christus ostendit, aliud apostoli docuerunt, aliud experientia et usus testatur. Quid enim non viderunt, et audierunt, qui Christum ipsum, hoc est, verbum et Sapientiam Patris concionantem et signa facientem viderunt et audierunt? Et tamen beatus Ioannes de eis scriptum reliquit: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Quid sapientius sapientia? Quid eloquentius verbo? Quid sanctius eo, qui dicere poterat; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quid eo mirabilius, qui etiam quatriduanos mortuos solo verbo ac imperio ad vitam revocabat? Et tamen cum tanta signa fecisset, tantus ac talis esset, non credebant in eum. Itaque recte Dominus dicebat eis: *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Sunt quidam ex vobis, qui non credunt: propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Apostolus Paulus ante conversionem certe audierat, si non alios, saltem beatum Stephanum *plenum Spiritu sancto* ita concionantem, ut nemo posset *resistere sapientiae et spiritui, qui loquebatur* in eo, eumque viderat *signa* maxima *et prodigia in populo* facientem, et nihilominus tanto odio fidem nostram persequebatur, ut aliquando *spirans minarum et caedis in discipulos Domini, epistolas* peteret a principe Sacerdotum *in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viae viros ac mulieres, eos vinctos perduceret in Ierusalem.* At posteaquam *circumfulsit eum lux de coelo*, quae oculos ejus excaecavit et mentem illustravit, repente totus mutatus est, et qui antea Christi nomen persequebatur, is postea coram regibus et principibus toto orbe idem portavit; et qui ecclesiam antea omnibus viribus devastabat, is postea in iisdem aedificandis ecclesiis plus omnibus laboravit; et qui stulta et ridicula esse dicebat, quae a christianis dicebantur, is postea solam Christi ecclesiam solam columnam ac firmamentum veritatis solus appellavit. Quae tantae et tam mirabilis mutationis causa fuit? Quis in momento Paulo persuasit, id quod antea nec verba nec miracula persuadere potuerant? Certe non aliud, quam unctio Spiritus sancti; unctio docuit eum, internum doctorem ac testem habuit eum, de quo beatus Ioannes ajebat: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in semetipso.* Non legistis quid b. Augustinus de hoc testimonio dicat? *Audiam*, inquit, *et intelligam quomodo in principio fecisti coelum et terram: scripsit hoc Moyses, scripsit et abiit, transivit hinc ad te, neque enim nunc ante me est. Nam si esset, tenerem eum, et rogarem eum, et*

per te obsecrarem,ut mihi ista panderet.et praeberem aures corporis mei sonis erumpentibus ex ore ejus; et si hebraea voce loqueretur, frustra pulsaret sensum, nec modo mentem meam quicquam tangeret; si autem latine, scirem, quid diceret. Sed unde scirem, an verum diceret? Quod si et hoc scirem, num et ab illo scirem? intus in domicilio cogitationis, nec hebraea nec graeca nec latina nec barbara veritas, sine oris ac linguae organis, sine strepitu syllabarum diceret, Verum dicit, et ego statim certus confidenter illi homini tuo dicerem, Verum dicis. Hoc igitur est lumen fidei, auditores, testimonium quoddam Dei quo intus in domicilio cordis dicitur nobis. Ita est nihil haesites. *Argumentum est non apparentium*, quo videlicet hoc credit, quod non videt: vel potius ut b. Augustinus scribit, quo *certissime videt, nondum se videre, quod credit.* Atque hoc argumentum, hoc lumen,hoc testimonium Dei internum, si cum externis illis argumentis ac testimoniis adiungatur,(de quibus in aliis sequentibus concionibus disseremus) ita manifestum et perspicuum efficiet, credibilia, et omnibus sectarum atque haeresum decretis anteponenda esse, quae nos ecclesia catholica docet, ut nemo sit, qui non exclamet; *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Quae cum ita sint, non arbitror nobis esse diutius laborandum, ut vos hortemur,ut hoc eximium Dei donum hoc coeleste ac divinum lumen omni animi providentia conservetis:praesertim hoc tempore,quo tam facile illud in tam multis ab eo vento, qui ab aquilone spirat, extingui videmus. Si quidem miserum est et amarum a Domino separari, et jacturam facere charitatis: sed multo miserius est et amarius circa fidem naufragare. Quid enim est fides nisi semen, nisi radix, nisi basis fundamentumque justitiae? Quis magis arbori nocuit, qui ei solum truncum praecidit, an qui eam funditus eradicavit? Quis majus detrimentum attulit aedibus, qui tectum diruit, an qui fundamentum evertit? Quanto labore jaciuntur fundamenta? Certe non parum fecit quam fundamenta jecit. Et in arboribus licet radix sine trunco et ramis fructus non ferat; tamen si denuo sol eam respiciat, si rursum coelestibus imbribus irrigetur, iterum ex ea et truncus et rami pullulabunt. Sic etiam quamquam fides sine charitate mortua sit, neque fructus bonorum et Deo gratorum operum pariat, tamen si sol justitiae Christus Dominus Deus noster, misericordiae radiis agrum cordis iterum respiciat, et eum pluvia voluntaria, aqua Spiritus sancti, lachrimis compunctionis inebriet, o quanta celeritate charitas iterum pullulabit, et inde flores et fructus bonorum operum renascentur. Itaque magnum donum est etiam fides mortua et informis, et omni conatu ac viribus conservanda.

At quibus rebus conservatur fides? Bonis operibus, auditores. Quibus rebus tandem amittitur? Operibus malis, flagitiis, facinoribus, luxuria, ebrietate, avaritia. Non dico ego quidem, ut lutherani mentiuntur ac delirant, *omne peccatum esse infidelitatem, et esse non posse in peccatoribus fidem*: hoc ego non dico, novi enim ecclesiam sagenam esse plenam bonis et malis piscibus; nec illud ignoro, in ecclesia neminem esse posse sine fide. Quid igitur dicimus? nempe peccatorum multitudinem, peccandi facilitatem, consuetudinem corrupte vivendi viam esse, et quasi gradus quosdam ad infidelitatem. Homines enim ita comparati a natura sunt, ut id facile ac libenter credant,quod cupiunt, quod placet, quod delectat. Non est difficile voluptariis et carnalibus hominibus persuadere, sacerdotes uxoratos esse debere, castitatem impossibilem esse, jejunia esse superflua,ciborum delectum esse superstitiosum. Non est apud avaros difficile usuras excusare, apud ambitiosos simoniam, apud luxurios fornicationem. Legite Evangelium Lucae: *audiebant*, inquit, *omnia haec Pharisaei, qui erant avari, et deridebant eum.* Non credebant Pharisaei disserenti Domino, ac dicenti: *nemo potest duobus Dominis servire non potestis Deo servire et Mammonae*, quin et deridebant eum.Quare? Quia erant avari,neque a Mammona avelli se patiebantur. Rursus alio loco ad ambitiosos; *quomodo*, inquit Dominus, *vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis et gloria, quae solo Deo est non quaeritis*? Non miror, inquit, quod non creditis; mirarer potius, si credederetis, quando superbia et ambitio ita oculos vestros excaecavit, ut humilem incessum, honorum contemptum, agnoscere non possitis. Accepissent sane Pharisaei libenter Christum, si non crucem nec humilitatem praedicasset, sed *primos discubitus in conviviis, primas cathedras in synagogis, salutationes in foro*, denique opes et honores sectatoribus suis promisisset. Itaque non mirum est, si tam multi et tam facile Mahometo primum deinde Luthero nostris temporibus carnis libertatem praedicantibus, et habenas libidinibus laxantibus se adiunxerint.Erant enim utroque tempore, ut ex historiis cognosci potest, mores hominum Christianorum magna ex parte corruptissimi: sacramenta, religio, disciplina ecclesiastica contemnebantur, conculcabantur, et regnabant omnia genera vitiorum, ita ut homines jam ita affecti, *sanam doctrinam non* sustinerent, *sed* quaerebant *sibi magistros prurientes auribus.* Non fiebant haeretici, quod nemo eis haereses praedicaret;sed ipsi jam satis erant ad haereses suspiciendas praeparati: ligna erant arida atque ad flammam concipiendam maxime idonea, solum desiderabatur,qui ignem mitteret et accenderet. Non defuit Diabolus muneri suo, sed repente ministros excitavit, qui et sermonibus et operibus ignem accenderent. Et jam videmus tantum brevi tempore plerisque in locis incendium excitatum, quantum multis annis et magno labore restingui non poterit.

Quare, fratres mei,aliorum exemplo edocti,*ambulate dum lucem habetis, ne tenebrae vos comprehendant*: laborate, operamini, nolite torpere, ne vos sicut multos alios infidelitatis tenebrae comprehendant. Et sicut is,qui noctu et flantibus ventis lucernam manu tenens iter facit, opponit manum lumini: ita et nos, auditores, opponamus manus bonorum operum sanctae fidei, ne ventorum flatibus, qui regionem istam perflare coeperunt, extinguatur, et nos tenebrae comprehendant. Vis,

frater, non amittere fidem erga sacramenta? honora sacramenta: utere sacramentis: accede frequenter et ex animo ad confessionem, communica sanctis mysteriis. Vis non amittere fidem erga jejunia, erga indulgentias, erga bona opera? Ama jejunium, amplectere indulgentias cum opportunitas datur, exerce te assidue in bonis operibus. Alioquin quid mirum est, si Deus permittat te circa fidem naufragare?

Sane, fratres, nos ridiculi sumus, et plus quam paradoxa dicere videmus. Dicimus et certo asserimus, sacram eucharistiam fontem ipsum gratiae et omnium bonorum continere, tamen vix singulis annis, et tunc compulsi ad sumendam eam accedimus. Quid est hoc, quod agimus? Intelligimus, quae dicimus? Quis eredet nobis? si diceremus, in tali parte urbis jacet acervus maximus pecuniarum et licet omnibus accipere inde, quantum volunt; quis non statim iret? Certe plateae non caperent euntes homines et redeuntes. Sic etiam clamamus contra haereticos, sacrosanctam eucharistiam verum, verissimum ipsissimumque Christum Deum et hominem continere. Interim tamen ita nos gerimus, ut nihil minus credere videamur. Sacra altaria in plerisque locis sunt plena pulveris, dependent hinc inde telae aranearum, corporalia, purificatoria, sacra vasa ita in multis locis sunt sordida, ut vomitum provocare possint. Sacerdos ipse tam praecipitanter, ita indevote, ita frigide sacra illa et Angelis tremenda mysteria peragit, ut clamare omnibus videatur, se neque Christi neque angelorum praesentiam agnoscere. O quam atroces poenas luent, qui recipiunt pecunias beneficiorum et in usum ecclesiae unum obolum non expendunt.

Quae cum ita sint, nolite mirari, si tollitur a vobis regnum Dei, et datur aliis, qui nunc recens in oriente et occidente, et in novo orbe convertuntur. Deus enim ita nobiscum agit. Vos, inquit, contemnitis poenitentiam, tollam a vobis sacramentum poenitentiae, contemnitis eucharistiam, tollam eam a vobis. Contemnitis sacerdotes, tollam a vobis sacerdotes. Vos enim ita agitis, quasi haec nihil sint et ego permittam, ut veniant homines, qui serio dicent haec nihil esse, et id vobis in perniciem et damnationem animarum vestrarum persuadeant: extinguam modicum lumen, quod in vobis est: patiar ut tenebrae vos comprehendant, et in tenebris vivatis, in tenebris moriamini, et ex tenebris, interioribus ad tenebras exteriores in gehennam descendatis. Neque fides mea detrimentum patiatur. Nam si hic minuatur, alibi propagabitur. Et hoc ita esse quis non videt, auditores? Quam multi quotidie convertuntur in oriente in regionibus latissimis Indiarum? Quam multi in septentrione in regnis Iaponiae? Quam multi in occidente in regnis Americae? Quam multi in meridie in regnis Brasiliae et in finibus Africae? Fides recedit, auditores abit ipsa a nobis, neque ipsa detrimentum patitur quae alibi propagatur, sed nos detrimentum patiemur, nos tenebris involvemur. Ergo *ambulate, dum lucem habetis, ut tenebrae vos comprehendant.* Amen.

CONCIO II.

DE ANTIQUITATE CATHOLICAE ECCLESIAE

SYNOPSIS

Praeparatione quadam ad dicendum praemissa, enumerantur argumenta fidei externa, inter quae primum antiquitas ecclesiae catholicae, de qua et praesens habetur concio. Atque in primis nostrae legis antiquitas et comparatione sacrarum et profanarum litterarum atque earumdem authorum dilucide ostenditur; et a contrario omnium haereticorum novitas vel ex uno Luthero manifestatur, et in medium adducitur. Nugatorium hac super re haereticorum effugium refutatur et valido dilemmate retunditur. Origo papatus investigatur, et quam plurimis ss. patrum et conciliorum testimoniis stabilitur. Haeretici ss. patres adulatores censentes, ipsi Christi testimonio redarguntur. Non modo Petro, sed et successoribus commissam esse universalis ecclesiae curam, probatur. In nomine papistarum et homousianorum merito esse nobis gloriandum asseritur; et haereticis sua novitas per patrum auctoritates diversas exprobatur. Ac demum ut novitatem istam fugiamus admonemur.

Duo sunt, optimi auditores, quae nos ad eam fidem et religionem, quam in baptismate suscepimus, et quam in ecclesia catholica didicimus, et ad hunc usque diem professi sumus, conservandam ac retinendam in primis juvant; lumen fidei internum, quod diffusum est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Argumenta etiam ac testimonia quaedam externae, quae si diligenter inspiciantur ac considerentur, perpendanturque, non parum lucis adferent ad illustrandam nostrae fidei veritatem. Ac de lumine quidem fidei, quas vires habeat, et quanta cura ac sollicitudine sit conservandum, ea disseruimus oratione superiori, quae hoc loco et hoc tempore disserenda esse existimavimus. Nunc argumenta illa externa proponenda sunt atque explicanda, ut catholicum hominem et salutis suae studiosum, tam adversus praesentes, quam adversus futuros Christianae religionis hostes armemus, et super firmam petram jam gratia Dei collocatum ita confirmemus ac stabiliamus, ut nulla vi nulloque impetu eorum ventorum, qui a spiritibus erroris et seductionis excitati, ab aquilone perpetuo spirant, commoveri possit.

Radix igitur et quasi fons externorum argumentorum est excellentia atque praestantia nostrae legis. Ea siquidem multa complectitur, quibus omnibus sectis et superstitionibus paganorum et haereticorum facile antecellit: videlicet, antiquitatem, amplitudinem, firmitatem, veritatem, puritatem, efficacitatem, lumen propheticum, splendorem miraculorum, probitatem vitae, et alia quae concione superiori enumeravimus. Hodie solum de primo argumento, nempe de antiquitate disseremus: caetera suum locum in concionibus sequentibus habebunt.

Initio igitur lex nostra vetustissima est sive scripturam, qua ea continetur, sive religionem ipsam considerare volueris. Quemadmodum enim Deus prior est diabolo, et bonum prius, quam malum, et veritas prior mendacio; ita Scriptura Dei et civitas et religio Dei prior omnino est, quam scriptura et civitas et superstitio diaboli, ut b. Augustinus et Tertullianus evidenter ostendunt. Libri quos Moyses noster conscripsit, non solum libros, sed et ipsos Deos et oracula, et templa gentilium multis saeculis vincunt. Ac philosophi quidem omnes graecorum partim aequales, partim posteriores, nullo modo superiores nostris prophetis fuerunt. Porro Orpheus, Musaeus, Linus, inventores Graecarum fabularum primi ante prophetas quidem nostros, sed non ante Moysen extiterunt. Itaque Graecorum superstitio sine ulla dubitatione, multo est nostra religione recentior. Jam vero sapientia, quam vocant, Aegyptiorum ante Moysen nostrum aliqua jam fuisse reperitur: alioqui non diceret in Actis apostolorum b. Stephanus, eruditum fuisse Moysen in omni sapientia Aegyptiorum: sed num Aegyptii sapientes priores patriarchis nostris fuerunt? Nonne ab ipsis in terra eorum peregrinantibus, omnem sapientiam hauserunt? Nonne Isis, quae literas docuit Aegyptios, temporibus nepotum Abrahae nata esse perhibetur? Quid vero de Enochdicemus, qui septimus fuit ab Adam, et membrum Ecclesiae nostrae existens, de temporibus nostris prophetavit, ut b. Apostolus Judas id epistola sua canonica scriptum reliquit.

Sed et haec nimis antiqua, neque hoc tempore adeo necessaria praetereamus, et ecclesiae aetatem, non ab initio mundi, sed ab eo tempore consideremus, quo liberator noster Christus filios Dei, qui erant dispersi, congregare coepit. Certe christiana religio non heri aut nudiustertius, sed mille quingentis septuaginta annis a Christo, Dei et virginis mariae Filio, inchoata in Palaestina pri-

mum, deinde toto orbe usque ad ultimum terrae seminata et propagata est. Sic enim prophetae praedixerant: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem.* Et rursum: *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob et faeces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.*

Jam vero quis nesciat omnes haereses esse posteriores? Certe enim Arriani ante Arrium non erant, neque Macedoniani ante Macedonium, neque Nestoriani ante Nestorium, neque Pelagiani ante Pelagium, neque Mohometani ante Mahometum, neque Lutherani ante Lutherum. Hos vero omnes, quis ignorat post annum trecentesimum vel quadringentesimum vel quingentesimum vel millesimum quingentesimum a Christi Servatoris adventu exortos esse? Nonne magnum argumentum veritatis est, quod nos possumus ita origines singularum haeresum ostendere, ut nominemus auctorem, notemus annum, designemus locum, ostendamus causam vel occasionem potius novorum dogmatum? Ac ponamus exemplum in Luthero, quis nescit sectam vel sectas potius eorum qui dicuntur Luthero quondam monacho augustiniano, anno decimoseptimo supra millesimum quingentesimum a partu Virginis, Wittenbergae, quod oppidum est Saxoniae, occasione indulgentiarum a Leone Decimo pontifice concessarum, primum incepisse? Nam ante illum annum, neque unquam vel per somnium nomen lutheranorum auditum est: Sed neque ipse Lutherus tunc erat Lutheranus, imo vero in catholica ecclesia Sacerdotem et Doctorem et Monachum et romani pontificis obedientem filium se profitebatur. Deinde quando primum se ab ecclesia Romana separavit, nullum penitus invenit suae sectae, sed *ipse primus nulli succedens, et a seipso incipiens*, (ut b. Cyprianus de Novatiano loquitur) *novum hominum coetum congregare coepit.* Erant enim tunc temporis sectae variae et permultae praeter romanam, hoc est, veram et catholicam religionem, ut Judaeorum, paganorum, Graecorum, Iacobitarum, Armenorum, Waldesium, et Bohemorum, sive Hussitarum. Certum est autem, vel ipso Luthero teste, nullam earum sectarum, quae tunc extabant, ei placuisse, ab Ecclesia vero Romana sponte sua eum recessisse. Quid igitur superest, nisi ut novam haeresim condiderit? Nam si non est ita, ostendat originem antiquiorem, numeret suos praedecessores, notet loca et tempora, ubi et quando fuerunt. Nam nisi profecto in aliquo abditissimo penuario invenerit aliquos suae sectae doctores et antistites, et eos ibidem perpetuo inclusos continuerit, suspicari non possumus, vel unum, qui eum in ea haeresi praecesserit.

Dicet fortasse, se nullum quidem invenisse, sed non ideo novam religionem inchoasse, imo potius veterem, quae Christi et apostolorum temporibus florebat, excitasse. Sed solis luce clarius est, nullum unquam apertius cum Christi et apostolorum dogmatibus pugnasse. Numquid extincta erat, ut eam Lutherus quasi ab inferis revocare deberet? Et si res ita se habet, ubi est illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*? Ubi est illud: *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*? Ubi est illud: *Ego rogavi pro te; ut non deficiat fides tua?* Ubi est illud: *Regni ejus non erit finis*? Ubi illud Cypriani; *Ad Romanam ecclesiam perfidia non potest habere accessum*? Et illud Hieronymi: *Romanam fidem apostolico ore laudatam praestigias non recipere, et etiamsi angelus aliter annunciet, quam praedicatum est Pauli apostoli auctoritate munitum non posse mutari*? Et illud d. Bernardus: *Dignum arbitror ibi potissimum* nempe in ecclesia Romanam, *resarciri damna fidei, ubi possit fides sentire defectum?* Quod si non perierat, sicut vere non perierat, ubinam erat antequam Lutherus exoriretur? Num apud Judaeos aut apud Mahometanos? an apud Armenos et Graecos? An apud Waldenses et Hussitas? At apud ista monstra et portenta, vel ipso Luthero judice, non erat. Quid ergo restat, nisi ut in Romana ecclesia, quae sola reliqua est, vera Christi fides et religio permaneret? Quid horum negari aut infirmari potest?

Hoc igitur teneo, auditores, hic haereo. Vel perierat vera religio, cum Lutherus prodiit vel non perierat. Si perierat, etiam Christi promissio periit, et veritas mentita est, quae eam non perituram affirmavit. Si non perierat, apud aliquos erat: at non apud Paganos vel Judaeos vel Graecos vel Hussitas; igitur apud Romanos. Igitur Lutherus a Romana ecclesia discedens, a vera et antiqua religione discessit, et falsam ac novam fabricavit.

Ostendant nunc haeretici, si possunt, quo loco, quo auctore coeperit ea religio et fides, quam impugnant, quam nos antiquam, illi recentem; nos veram, illi falsam; nos catholicam, isti papisticam appellant. Quis est error papistarum praecipuus? Certe non alius, si aliquis, quam Romanum papam toti orbi Christi nomine praesidere, et non solum populorum, sed etiam episcoporum omnium, episcopum et patrem et doctorem esse. Nam ab hac haeresi (ut ipsi putant tamquam prima et praecipua nos papistas vocant et vocandos censuerunt. Videamus igitur, quando coeperit hic error. Dicite Lutherani, quo tempore papismus pro christianismo introductus est? Fortasse regnum pontificum regno scholasticorum Theologorum coepit? nempe tempore Innocentii Tertii, quando Lateranense concilium celebratum est, et in eo ecclesia Romana mater et magistra omnium Ecclesiarum appellata, et Praedicatorum ac Minorum familiae exortae sunt. At ego lego b. Bernardum illis omnibus superiorem, virum doctrina, miraculis, et vitae sanctitate clarissimum, ita ad Eugenium Romanum Pontificem scribentem: *Sunt quidem et alii coeli ianitores et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae caeteris nomen haeredasti: habent enim illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus nec modo ovium, sed et pastorum tu unus ovium pastor. Ergo juxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur et in ipsos, qui super alios potestatem acceperunt.*

Nonne si causa exiterit, tu episcopo coelum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere, etiam et tradere Satanae potes? Sed fortasse b. Bernardus Eugenio, monacho sui ordinis adulabatur et idcirco non theologi scholastici, sed b. Bernardus primus papistarum haeresim excogitavit. Quid igitur de magno Gregorio dicemus? qui multis saeculis Bernardo superior ad Mauritium imperatorem ita scribit; *Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium apostolorum principi Petro apostolo totius Ecclesiae cura commissa est.* Quid de beatissimo Leone? qui sermone de anniversario suae assumptionis die ita loquitur: *De toto mundo unius Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctis Ecclesiae patribus praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit Christus.* Sed fortasse et Gregorius et Leo propriae sedis causam agentes istam haeresim primo invenerunt. Quid igitur toti Chalcedonensi synodo maximae et sanctissimae respondebimus, qui Leonem pontificem universalem patriarcham et Romanam ecclesiam caput omnium ecclesiarum appellavit? Quid Nicaeno concilio ex generalibus primo et antiquissimo, quod statuit episcopos omnes e toto orbe ad Romanum pontificem tamquam ad supremum judicem appellare et ad Romanam sedem tamquam ad matrem confugere posse? Id quod et Athanasius et Marcellus, et Paulus, et Chrisostomus, et Theodoretus et alii patres de suis sedibus pulsi, saepe fecerunt. Quid respondebimus beatissimo Cyrillo Alexandriae episcopo, qui in Thesauro de Romano pontifice loquens: *Ut membra,* inquit, *maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum pontificum, a quo nostrum est quaerere quid tenere, quid credere debeamus?* Quid respodebimus magno Athanasio, qui epistola ad Marcum Romanum Pontificem universalis Eccclesiae papam et Romanam ecclesiam caput et magistram omnium ecclesiarum appellat? Quid respondebimus magno Chrysostomo, qui ait: *Petrum universo orbi Christus praeposuit?* Et rursum: *Ecclesiae pater et caput homo piscator atque ignobilis?* Quid sancto Oprato Milevitano, qui inquit: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse se collocatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus: unde et Cephas appellatus est, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri apostoli singulas sibi cathedras defenderent, ubi jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocasset?* Quid respondebimus s. Martyri Irenaeo, qui docet, *ad ecclesiam Romanam: maximam et antiquissimam, propter potentiorem principalitatem necesse esse convenire omnem ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles?* Quid respondebimus sanctissimo pontifici et Martyri, et apostolorum discipulo Anacleto? qui, *Haec sacrosancta,* inquit, *Romana et apostolica Ecclesia, non apostolica Ecclesia, non ab apostolicis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas ecclesias et totum populi christiani gregem assecuta est?* Quid aliis vetustissimis et sanctissimis patribus graecis et latinis respondebimus, quorum gravissimis testimoniis ita abundamus ut adversarios nostros plane obruere, et ad singula quae ipsi proferunt, nos centum et eo amplius proferre possimus.

At inquiunt, multi quidem veterum hoc dixerunt, sed adulabantur pontificibus. O impudentiam haereticam; Ergone Irenaeus, Cyrillus, Chrisostomus, Optatus et alii patres integerrimi, sapientissimi, optimi pontificibus adularentur? et quamobrem tandem? ut opes ab iis consequerentur? At pontifices eo tempore pauperrimi temporalium divitiarum, solis virtutibus divites erant. Ut episcopatum sibi compararent? At episcopatus eo tempore ianua mortis erat. Nam primi qui rapiebantur ac necem et ad martyria, erant episcopi. Non itaque sanctissimi patres adulabantur pontificibus, quibus potius liberrime in faciem restitissent, si aliquid praeter fas aut aequum sibi usurpare voluissent. Sed esto, adulabantur. Numquid et Christus b. Petro adulabatur? Quid igitur Christo respondebimus? qui, ut s. Joannes commemorat, Petrum nomine proprio appellans, et addito nomine patentis ab alio Simone discernens, et interrogatione quadam ab aliis apostolis aptissime separans: *Simon,* inquit, *Joannis, diligis me plus his?* Et statim: *Pasce agnos meos.* Et rursum: *Pasce agnos meos.* Et tertio: *Pasce oves meas.* Tibi, inquit, Simoni Filio Joannis, qui me amplius caeteris diligis, tibi universum gregem meum pascendum committo, hoc est, agnos et oves. Agnos videlicet populum Gentilem: et oves, episcopos videlicet, qui quasi matres et nutrices populorum sunt. Quid: obsecro, clarius dici poterat? Quid evidentius? Quid expressius? Illi igitur Petri oves, et agni esse recusant, qui Christum pastorem primum et praecipuum non agnoscunt, et in die judicii cum hoedis a sinistris collocari cupiunt. Nam profecto, qui Christi vicarium hic in terris non sequuntur tamquam oves, illi in die judicii cum hoedis ad sinistram collocabuntur.

Neque vero putandum est, soli Petro et non successoribus ejus hanc amplissimam potestatem esse collatam a Christo. Neque enim Christus ecclesiam instituebat, quae viginti aut triginta annos dumtaxat permaneret: et si apostolicis temporibus caput in ecclesia necessarium erat, ut schismatis occasio tolleretur, ut Hieronymus loquitur contra Jovinianum, quando Christiani pauci erant et boni, et episcopi erant apostoli, qui neque contra fidem errare, neque mortaliter peccare poterant; certe posterioribus temporibus non minus ecclesia summo pontifice indigebat, quam corpus capite, quam exercitus imperatore, quam magnis inter fluctus et procellas constituta duce et gubernatore indigeat.

Habemus ergo, non papismum, sed lutheranismum esse novum, neque nobis quicquam obest, quod haeretici nunc homousitanos, nunc papistas nos vocent. Imo vero haec ipsa vocabula vetustatem et nobilitatem Ecclesiae nostrae designant.

Quid enim est, Christum esse Patri ὁμοούσιον, nisi naturam et divinitatem cum Patre habere communem? Ergo Homousitani cum dicimus, a Christi substantia et divinitate nominamur. Pari ratione, si ita nos papistae a Papa, ut Lutherani a Luthero dicuntur, quis non videat quanto sunt papistae lutheranis et calvinistis, antiquiores? Nam et Clemens, et Petrus papae, id est, patrum patres et pontifices summi fuerunt. Itaque vocent nos haeretici papistas, vocent Homousianos, numquam tamen ab alio certo homine, sicut nos illos a Luthero et Calvino, jure potuerunt vocare.

Quae cum ita sint, auditores, tuto nos in arce Ecclesiae constituti omnes haereticos, homines novos irridemus, eis cum Tertulliano dicimus; *Qui estis vos? Unde et quando venistis? Unde modo proditis? Ubi latuistis tam diu? Numquam hactenus de vobis audivimus.* Et cum b. Optato: *Vos vestrae cathedrae originem ostendite qui vobis vultis sanctam ecclesiam vendicare.* Et cum beatissimo Hilario: *Sero venistis, nimis tarde surrexistis. Jam olim didicimus, quid de Christo et ecclesia et sacramentis credere debeamus. Non bona suspicio est, quod nunc primum apparetis. Siquidem bonum frumentum non post, sed ante zizania et seminatum est et natum est.* Recte quoque cum beato Hieronymo graviter illos admonemus: *Quisquis es, assertor novorum dogmatum, quaeso te, ut parces Romanis auribus: parcas fidei, quae Apostolico ore laudata est. Cur post annos quadringentos docere nos niteris, quod antea nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus et Paulus edere noluerunt? Usque ad hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus fuit. Illam fidem senex tenebo, in qua puer natus sum.* Et recte eumdem Hyeronymum paterne admonentem audimus: *Sicubi audieris*, inquit, *eos qui dicuntur Christiani, non a Domino Iesu Christo, sed a quocumque alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos, Campenses sive Montenses, scito, non ecclesiam Christi, sed Antichristi synagogam esse. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse judicant quos apostolus futuros pronunciavit.* Recte postremo apostolum terribiliter comminantem, formidamus: *Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis anathema sit.*

Intelligitis tandem quanto timore, quanta cura quanta sollicitudine quanto zelo sit novitas fugienda, antiquitas conservanda, quando nec ipsis apostolis atque angelis liberum aut integrum est aliter docere, quam semel docuerunt. *Sed licet*, inquit, *nos.* Quid est *nos*? Sed licet, inquit, Petrus licet Andreas, licet Joannes, licet ego, licet chorus apostolicus, adeo etiam omnis exercitus Angelorum *evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ac ne forte putaremus hoc verbum ei incaute excidisse, nec eum ex animo dixisset, iterum repetit: *Sicut praediximus vobis, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit.* Quare cum nec apostolis, nec angelis, liceat novam aliquam fidem condere, sine dubio nec nobis licet, nisi cum detrimento nostrae salutis et pernicie animarum nostrarum eum recipere.

CONCIO III.

DE MULTITUDINE CREDENTIUM, ET FIRMITATE NOSTRAE RELIGIONIS.

SYNOPSIS

Ad probandam fidei orthodoxae firmitatem, quinque in primis adferuntur argumenta firmissima, quae ex historia conversionis gentium desumpta sunt. Instituitur deinde comparatio inter doctrinam fidelium et Philosophorum gentilium. Amplitudo catholicae et universalis ecclesiae, et paucitas haereticorum idem sentientium sibi opponuntur: Firmitas et duratio Romanae ecclesiae ostenditur, atque Romanorum pontificum continuae successiones ex multis patrum testimoniis abunde probatur. Quam variis et gravibus persecutionibus Ecclesia ab ipsa sua origine semper impetita fuerit, quae inde nihilominus magis solidata incrementa sumpsit; quod tamquam firmum argumentum propositi confirmandi adducitur.

Argumenta, quae hodierna oratione, Domino adjuvante, pertractanda atque exponenda sunt, si accurate ac diligenter explicentur, non dubito, optimi auditores, quin magnum adiumentum ad veram et antiquam fidem confirmandam allatura sint. Nam cum catholicam atque orthodoxam nostram religionem esse vetustissimam, oratione superiori demonstraverimus, recto ordine sequitur, ut de amplitudine et firmitate ejusdem Religionis disseramus. Haec vero sunt argumenta duo cum primis potentia atque efficacia ad omnes profanas haereticorum novitates repellendas et fidem veterem, sacrosanctamque religionem in pristino statu atque honore retinendam.

Ac primum, conversio totius orbis argumentum est multis nominibus invictissimum et admiratione atque stupore dignissimum, quod tam innumera hominum multitudo omnium gentium, omnium aetatum, omnium conditionum, pauperes, divites, nobiles, ignobiles, eruditi, inerudili, viri, mulieres, iuvenes, senes, tanta fuerint celeritate et facilitate conversi. Deinde, quod ad praedicationem hominum ignotorum, pauperum et abjectorum, nec usque adeo eloquentium, antiquas leges et ritus majorum suorum abjecerint. Tertio, quod Christi legem, legem carni et sanguini contrariam, legem quae mysteria continet omnem captum hominum vincentia, legem, quae nihil in hoc saeculo nisi cruces et tribulationes promittat, tanta alacritate ac devotione susceperint. Quarto, quod non solum susceperint, sed ita susceperint, ut millies torqueri et mori, totumque sanguinem profundere maluerint, quam legem semel susceptam deserere. Postremo, quod ita res evenerint, sicut prophetae ante praedixerant: ac ut alios praetereamus. *Adorabunt eum*, inquit David, *omnes reges terrae, omnes gentes servient ei:* et rursum: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* et alibi: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Cujus rei illustrissima figura in die pentecostes mundo demonstrata est. Tunc enim non solum in una atque eadem domo, quae totius ecclesiae typum gerebat omnium gentium linguis Deus laudabatur a fidelibus, sed etiam cum primum apostoli legem evangelicam in urbe Jerosolyma, tamquam praecones Dei, clarissima voce promulgarent, erant in ea urbe simul congregati Parthi, Medi, Elamitae et qui habitabant Mesopotamiam, Iudaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam Aegyptum et Libyam, nec non Romani, Arabes, Cretes, et uno verbo, homines de omni natione, quae sub coelo est. Quod nihil aliud, quam ecclesiae universitatem et amplitudinem significabat. Sane qui ex hoc argumento non intelligit, christianam legem veri et omnipotentis Dei esse legem, non video, quo pacto non ratione atque intelligentia carere existimandus sit.

Si philosophi Paganorum et haeresum inventores multos ad suos errores pertraherent, minime mirum videri deberet. Nihil enim ii docent, quod rationem superest: nihil praecipiunt, quod facile fieri non possit. Denique sectae eorum viae sunt latae, nec ullas angustias vel in rebus credendis vel in perficiendis habent. At persuadere hominibus, unam atque eamdem naturam in tribus personis existere, hominem in patibulo crucis suspensum esse Deum, virginem quamdam sine detrimento virginitatis concepisse et peperisse, omnes homines in sua ac propria carne resurrecturos, etiam eos, quos incendium absumpsit vel belvae devorarunt, praeterea, diligendos inimicos, non reddendum malum pro malo, ferendas calamitates condonandas injurias, contemnendos honores, et alia id genus altissima et subtilissima dogmata, quis potuit nisi Deus? Unde b. Augustinus lib. contra epistolam Manichaei, quae Fundamenti appellatur; *Quis*, inquit, *tantam multitudinem induceret ad legem carni et sanguini contrariam, nisi*

Deus? Et lib. 22. de Civitate Dei, aperte ostendit, esse quidem arduum ac pene incredibile, mortuos resurrecturos, sed non minus incredibile, mundum pene totum credidisse rem tam incredibilem: sed omnium maxime incredibile, id mundo non ab eloquentissimis et sapientissimis philosophis, nec multis annorum centuriis, sed ab humilibus piscatoribus, paucissimis annis esse persuasum. Ille igitur,quo auctore brevissimo tempore oracula toto orbe, quasi lapidibus obstructis obmutuerunt et daemonum cultus et sacrificia cessaverunt, et omnes pene homines legem carni et sanguini contrarium susceperunt, quis esse potest, nisi Deus?

Legite librum beati Athanasii de humilitate verbi vel certe sermonem Theodoreti de legibus ad Graecos, ibi videbitis, quantis conatibus summi philosophi, praestantissimis ingeniis maximaque eloquentia, quam parum profecerint. Vix enim ullus est eorum, qui aliquos paucos, saltem e vicinia, ad suas leges pertrahere potuerit. *At nunc illi piscatores*, inquit Theodoretus, *sutorque tentoriorum cunctis nationibus legem evangelicam detulerunt, neque solùm Romanos, quique vivunt sub Romano imperio;sed Scythas quoque et Sauromatas et Indos: praeterea Aethiopes, Persas, Syros, Hircanos, Britannos, Cimmerios, Germanos, utque semel dicatur, omne hominum genus nationesque omnes crucifixi leges accipere persuaserunt.*Neque est haec amplificatio Theodoreti auditores, nam et d. Leo fide dignissimus testis sermone de nativitate Petri et Pauli, Romanam urbem alloquens; *Per sacram*,inquit, *b.Petri sedem caput orbis effecta latius praesides religione divina, quam dominatione terrena.Quamvis enim multis antea victoriis jus imperii tui terra marique protuleris; minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subjecit*, Itaque temporibus b. Leonis major erat orbis Christianus, quam orbis Romanus et plures populi Romano pontifici,quam Romano imperatori parebant. Et quod majus est, beatus Martyr Irenaeus, qui temporibus apostolorum fuit vicinissimus lib.1. contra haereses,*hanc praedicationem*, inquit, *et hanc fidem cum accepit ecclesia,et quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans et similiter credit quasi unam animam habens et unum cor, vt constanter praedicat, docet, et tradit quasi unum possidens os: neque hae quae in Germania fundatae sunt ecclesiae, aliter credunt, neque hae quae in Iberis, neque hae quae in celtis, neque hae quae in oriente, neque hae quae in occidente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Libya,neque hae quae in medio mundi sunt constitutae, sed sicut Sol omni creaturae Dei in universo mundo unus et idem est sic et lumen et praedicatio veritatis ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad agnitionem veritatis venire.* Haec b. Irenaeus. Quid? quod ipsis apostolicis temporibus jam pene in toto orbe evangelium coruscabat? Apostolus enim Paulus est,qui ad Ecclesiam Colossenses scribens, ait: *Si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles et immobiles a spe evangelii, quod audistis, quod praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est.*

Habemus igitur,quanta celeritate,quantoque miraculo in omnem orbem terrarum sese religio sancta diffuderit,et diversissimas gentes, linguis,moribus regionibus dissitas, tanta pace conjunxerit, ut omnes unam domum inhabitare, et unum cor, unum os, unum animum habere videantur. Quae unquam haeresis, licet facilia et credibilia praedicans, ac carni et sanguini blandiens, et principum atque imperatorum fulta praesidiis,hos progressus habuit? Quae unquam, non dico orbem totum,sed totam provinciam aliquam occupavit? Valentiniani et Marcionitae in magnam quidem multitudinem excreverant, sed Irenaeo teste, vix duo aut tres in tanta multitudine de eisdem rebus eadem dicebant. Arriani orbem pene totum infecerant, sed neque ipsi de rebus iisdem eadem loquebantur. Vixdum enim Arriana haeresis nata erat, cum in varias dissentientes sectas divisa est. Aliud Acatiani, aliud Eunomiani, aliud Macedoniani de summis nostrae fidei mysteriis dicebant: tamen omnes unum et eumdem Arrium parentem agnoscebant. Impietas Mahometana magnam partem Africae atque Asiae absumpsit: sed ipsa quoque, praeterquam quod in sectas varias supra septuaginta in ipso suo exordio divisa perhibetur, numquid aliquando Italiam, Galliam, Germaniam occupavit, aliasque orbis christiani regiones, sicut catholica Christi ecclesia Orientem et Meridiem tenuit,et ex parte etiam nunc tenet? Haeretici nostri temporis quando Asiam et Africam viderunt?Quando nomen Lutheri aut Calvini in Aegypto, Libya,Arabia, aethiopia, Perside auditum est? Et in isto angulo orbis terrarum, ubi nidum suum posuerunt, nonne ita sunt inter se divisi, ut vix duo reperiantur, qui secum in omnibus consentiant? Nonne eis cum b. Augustino dicere possumus: *Vos autem et tam turbulenti et tam novi nemini dubium est, quin nihil dignum auctoritate praeferatis*? Non est igitur, nec fuit una aliqua hominum congregatio idem dicentium ac sentientium, et Deum eumdem iisdem ritibus ac caeremoniis colentium, qui totum orbem occupaverit, praeter Christi veram et orthodoxam ecclesiam, quae sola optimo jure, invitis et reclamantibus haereticis, catholicae et universalis nomen semper obtinuit.

Sed fortasse ista religio, sicut celeriter crevit, ita est et celeriter extincta. Non est ita, auditores, sed contra potius, ita firmas et altas radices iecit, ut nullum unquam imperium armis et exercitibus munitum,et ab hominibus prudentia et eloquentia excellentibus gubernatum, tam diu durare et permanere potuerit. Atque hoc est argumentum alterum, quod jam sequitur explicandum. Ac ut omittam regna atque imperia saecularia, quae sicut armis inchoantur et augentur, ita etiam armis debilitantur et evertuntur:Haereses omnes nonne post ecclesiam exortae,et ante ecclesiam extinctae sunt? Recenset Irenaeus haereticorum sectas varias post Christi Ascensionem circiter viginti, Tertullianus viginti septem, Epiphanius octoginta, Theodoretus septuagintasex, Damascenus centum, Augustinus octoginta octo, Philastrius centum viginti octo: ex

illis omnibus non vel una reperitur, quae aliquando funditus non interierit. Ubi sunt modo Simoniani, Menandriani, Marcionitae et alia tam multa genera sectarum? Nec ipsi, nec eorum successores, nec eorum libri, nec monumenta ulla remanserunt, et nisi eorum nomina in libris catholicorum Patrum, qui cum eis decertarunt, legeremus, nec si umquam ejusmodi sectae extitissent, scire possemus. Excitantur quidem hoc tempore atque ab inferis revocantur veterum errores, sed propterea aliquando non interierunt? Certe Theodoretus tempore suo testatur, omnes antiquas haereses, paucis exceptis, plane defecisse. Quid haeresis arriana, quae magnam partem orbis infecerat, et imperatores, reges, episcopos sine ullo numero deceperat, ita ut plane immortalis videretur, nonne ita tandem defecit, atque extincta et sepulta fuit, ut multis annorum centuriis, nec nomen ejus in orbe terrarum extiterit? Sed quid imus tam procul? Haeresis lutherana nonne temporibus nostris exorta, jam plane exaruit? Tametsi enim multi sunt, quos Lutheranos vocamus, tamen paucissimi sunt, qui ipsa dogmata Lutheri, ut tradita sunt, integra et inviolata custodiant. Et si is nunc ab inferis rediret, periculum esset, ne nullum inveniret, qui se recognosceret. Sed nec ipse sua dogmata amplius cognosceret, ita nepotes ac posteri ejus in aliam formam lutheranam fidem atque evangelium redegerunt. Ecclesia vero Christi super firmam petram aedificata, nullis umquam procellis aut tempestatibus everti potuit. Semper enim Romana ecclesia, quae caput est Ecclesiarum, mansit: nec unquam defecit in Apostolica sede sacerdotum successio nec unquam homines aliqui, imo nunquam populi aut episcopi defecerunt, qui cum isto capite tamquam vera membra cohaererent. Saepe capta atque eversa fuit Roma, saepe dominos mutavit: nunc eam principes pagani, nunc imperatores christiani, nunc reges arriani tenuerunt, ea tamen fidem numquam mutavit. Cecidit sedes Augusti, sed Petri sedes numquam cecidit. Interrumpi potuit series Romanorum imperatorum, sed pontificum series et Petri successorum numquam potuit. Et quod magis admirandum, ex ecclesiis caeteris eae solae diuturnae et stabiles esse potuerunt, quae se ab isto capite non separaverunt. Ubi quaeso, nunc est patriarcha Alexandrinus? Ubi Antiochenus? Ubi Constantinopolitanus? Ubi Ierosolymitanus? Ubi sunt sedes atque ecclesiae Africanae? Ubi sunt ecclesiae ab apostolis fundatae, Corinthia, Ephesina, Thessalonicensis, Colossensis, Philippensis? Nonne statim atque ab ecclesia Romana recesserunt, tamquam rami a radice praecisi exaruerunt?

Atque ista perpetuitas, ista continuatio, ista constantia religionis, ista numquam interupta series et summorum in ecclesia principali successio sacerdotum, argumentum illud est, quo semper majores nostri ora haereticorum obstruxerunt. Cum enim haeretici apud se veram ecclesiam et sinceram doctrinam esse jactarent, quaerebant ab eis patres nostri, catholici doctores, et unde vobis haec doctrina? Per quorum manus a Christo ad vos devenit? Ostendite successionem episcoporum vestrorum. Quod cum facere non possent, obmutescebant. Ipsi vero sancti patres, tametsi in suis propriis ecclesiis et sedibus perpetuam successionem episcoporum demonstrare non poterant, eam tamen in Romana sede, cujus ipsi membra erant, aptissime demonstrabant. b. Irenaeus lib. 3. contra haereses: *Maximae*, inquit, *et antiquissimae et omnibus cognitae, et a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habent ab apostolis traditionem et annunciatam hominibus fidem, per successionem episcoporum pervenientem usque ad nos judicantes, confundimur omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam vel vanam gloriam et caecitatem et malam sententiam, praeter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est, convenire omnem ecclesiam, hoc est, qui undique sunt fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, quae est ab apostolis traditio.* Haec b. Irenaeus. Quibus dictis enumerant ordine Romanos pontifices ab apostolo Petro usque ad s. Eleutherium, cujus tempore ipse vivebat, et tunc demum subdit; *Hac igitur ordinatione et successione ea quae est ab apostolis in ecclesia traditio, et veritatis praedicatio, pervenit usque ad nos, et est plenissima haec ostensio.* Iam vero Septimius Tertullianus lib. de praescriptione adversus haereticos: *Edant*, inquit, *haeretici origines Ecclesiarum suarum evolvant ordines episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui cum apostolis perseverarerit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos referunt: sicut Romanorum ecclesia b. Clementem a sancto Petro ordinatum refert. Confingant tale quid haeretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est?* Porro b. Cyprianus epistola sexta, lib. primo de Novatiano haeresiarcha loquens; *Pastor*, inquit, *haberi quomodo potest, qui manente vero pastore, et in Ecclesia Dei ordinatione succedanea praesidente, nemini succedens, et a seipso incipiens, alienus sit et profanus?* Quae verba nonne optimo jure, et Luthero et Calvino et omnibus haeresiarchis convenire possunt? Nonne unusquisque eorum nemini succedens a seipso incepit? Sed quid de Optato, Epiphanio, Augustino, Hieronymo dicemus? Nonne d. Optatus libro secundo contra Parmenianum, posteaquam enumeratis omnibus Romanis pontificibus catholicae ecclesiae originem et continuationem ostendit, haereticis quasi insultans; *Vestrae*, inquit, *cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Nonne d. Epiphanius contra haeresim vigesimam septimam scribens, et b. Augustinus in epistola 165. ad idem propositum eorumdem Romanorum pontificum indicem texuerunt? Et si quaeramus beato Augustino, quid eum tam firmiter in gremio ecclesiae catholicae tenuerit, nonne respondebit, quod in libro contra epistolam Fundamenti scriptum reliquit: *Tenet me in ipsa sede Petri apostoli, cui pascendus oves suas*

post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum? Quod si postremo a b. Hieronymo consilium petamus, in qua potissimum ecclesia sit permanendum, nonne respondebit, quod in dialogo contra Luciferianos posuit: *Brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam: in ea ecclesia est permanendum, quae ab apostolis fundata usque ad hanc diem durat.*

Quae cum ita sint, auditores, quis non videt, quale et quantum sit hoc argumentum? Cur enim sancti Patres tanta sollicitudine Romanorum pontificum indicem texebant? Et si Irenaeus tanti fecit tredecim Romanorum pontificum non interruptam seriem, et ecclesiae ad centum et octoginta annos continuationem: si Optatus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, tanti fecerunt seriem et continuationem non multo longiorem, nempe annorum quadringentorum et sexaginta, et romanorum pontificum ad summum quadraginta; quid hoc tempore dicerent, quomodo exultarent, quomodo triumpharent, qua libertate lutheranis et Calvinistis ora obstruerent, si in ecclesiam eamdem annis mille quingentis et septuaginta permansisse, et Romanos Pontifices supra ducentos numerari, et numquam eorum interruptam seriem successionemque viderent?

Sed fortasse non habuit catholica ecclesia hostes ullos, qui eam impugnarent; imo vero nihil umquam tanta hostium multitudine, tanta potentia, tantis viribus oppugnatum est. Coeperunt initio judaei Christi ecclesias devastare, sed cum hoc de more non bene succederet, imperatores orbis daemon excitavit. Itaque monarchae potentissimi, non unus, aut duo sed decem aut duodecim variis temporibus totis sui imperii viribus nomen christianum delere aggressi sunt. Sed quid tandem profecerunt? O rem incredibilem et tamen veram deleverunt imperatores Romani urbes potentissimas, fuderunt exercitus barbarorum innumerabiles, domuerunt armis ferocissimas nationes et Christi ecclesiam sola patientia ac fide armatam et non repugnantem nec resistentem vincere non potuerunt. Mactabantur sancti martyres usque ad carnificum defatigationem et glaudiorum obtusionem, et semper major ac major christianorum numerus apparebat. Itaque recte Tertullianus martyrum sanguinem semen appellavit. Et b. Leo sermone de s. Petro et Paulo: *Non minuitur*, inquit, *persecutionibus ecclesia, sed augetur, et semper ager Dominicus segete ditiori vestitur, dum grana, quae singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Ita est auditores, occidebatur unus, et convertebantur decem, occidebantur decem et convertebantur centum occidebantur centum et convertebantur mille. Et quemadmodum aquae diluvii domicilia regum et principum operiebant, et prosternebant: Arcam vero Noe in sublime ferebant et extollebant: ita prorsus persecutiones mundi regna et imperia evertunt, sed Christi ecclesiam semper sublimiorem et illustriorem reddunt. Quid de philosophis et oratoribus dicam? Quibus sapientiae et eloquentiae facibus prisci illi philosophi et rhetores contra christianam religionem in hominum pectoribus odium incendere conabantur? Quam multa scripsit Porphyrius? quam multa apostata Julianus? quam multa Libanius sophista? quam multa epicureus Celsus? quam multa platonicus Proclus? quam multa omnium hominum scelestissimus Lucianus? Quid? quod publice edebantur acta Pilati, in quibus multa turpissima et contumeliosissima fingebantur de Christo, et ea praeceptores pueros suos docere compellebantur ut cum ipso pene lacte odium contra Christum imbiberent? et tamen de omnibus tandem invictissima triumphavit ecclesia. Finierunt demum aliquando bella, et persecutiones ethnicorum, sed repente eis haereticorum arma, multo graviora et periculosiora successerunt. O quoties daemon haereticorum acies renovavit? O quot victorias, quot palmas, quot triumphos Christi ecclesia reportavit. Vincebantur Sabelliani succedebant eis Arriani. Vincebantur Arriani succedebant eis Nestoriani. Vincebantur Nestoriani, succedebant eis Eutychiani. Iure igitur ac merito d. Augustinus lib. de utilitate credendi exclamat: *Dubitabimus nos ejus ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successionem episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit?* Et nos auditores, dubitabimus eam ecclesiam non esse de faece lutheranorum triumphaturam, quae de centum et eo amplius haereticorum exercitibus triumphavit? Quare certissimi simus, Romanam ecclesiam eam esse, adversus quam *portae inferi non praevalebunt*: et *regnum* istud, juxta Danielem, *quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet autem et consumet universa regna, et ipsum stabit in aeternum*; et de quo angelus ad Mariam; *Et regni ejus non erit finis.*

CONCIO IV.

DE VERITATE ET CONSONANTIA CATHOLICAE DOCTRINAE

SYNOPSIS

De veritate et consonantia catholicae doctrinae dicturus probat, veritatem semper sibi constare, mendacium vero contra sibi contradicere, quod etiam ipsius Lutheri testimonio confirmat. Consonantia in primis ostenditur sacrae Scripturae, et exempli loco plurima de Christo testimonia ex veteri Testamento adducuntur, quibus totidem ex novo respondent. Concordia conciliorum et decretalium tribus potissimis argumentis confirmatur. Manifestatur rei veritas de Synodo Francofordiensi, quam haeretici in suum favorem trahere niluntur. Aliae nonnullae obiectiones haereticorum diluuntur, quibus contra conciliorum consonantiam insurgunt. Haereticorum singulorum perpetuum dissidium, longissimam seriem enumerando, patefit. Quo theologi scholastici dissentiant; quomodo item haeretici inter se et contra se ipsos pugnent declaratur, et a tribus haeresiarchis, Simone mago primo, Arrio medio et Luthero extremo probatur. Qua ratione Lutherus undique sibi contradicat, adductis pluribus ex ipsius scriptis locis sibi contradicentibus, ob oculos ponitur. Hinc etiam ei et aliis heereticis locus ex Apocalypsi convenienter applicatur.

Veritatis certissimum signum esse consonantiam doctrinae, errores vero ac mendacio semper seipsa destruere, usque adeo verum et omnibus notum ac perspectum est, auditores optimi, ut id non solum viri sapientes doceant, sed etiam confirmet vulgus, et ipsi quoque mendaces veritatis hostes, saepe fateri vel inviti cogantur. Nam quemadmodum inter virtutes et vitia illud interesse scimus, quod virtutes quasi chorum quemdam faciunt, et sunt inter se quadam naturae cognitione, et societate ita conjunctae et copulatae, ut omnes inventur ab omnibus, et nulla a caeteris sejuncta ac parata vim et dignitatem ac perfectionem suam retinere possit: contra vero in republica vitiorum, jus colitur nullum, nulla sunt foedera pacis, sed perpetuo ligant avaritia cum prodigalitate, cum pusillanimitate contendit audacia, et de caeteris ad eumdem modum: pari ratione non solum verum cum vero non pugnat, sed etiam veritas ornat et illustrat veritatem; mendacia vero superbiae plena sunt, et unum alterum non patitur, atque idcirco semper dissident inter se, et unum evertitur atque destruitur ab altero. Hinc enim vulgo ab indoctis passim dici audimus, *Oportet mendacem esse memorem*, cum nihil facilius et quasi naturalius sit, quam in fabulis narrandis, et praesertim si prolixae sint, et ex multis mendaciis constent, narratorem oblivisci sui, et secum pugnare. Nec solum vulgus; sed adversarii nostri, huic veritati testimonium praebent, atque omnium nomine unius Martini Luteri testimonium apertissimum et verissimum recitabo, ut omnes intelligant catholicos et haereticos, qui in aliis rebus pene omnibus dissident, inter se in hoc uno principio mirifice convenire. In libro, quem de monasticis votis scripsit, his verbis nos admonet: *Mendacia certius dignoscere non potes, quam quando sibimet: ipsis contraria: a Deo enim ordinatum est, ut impii semper seipsos confundant, et ut mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testentur.* Testitimonium hoc verum est, auditores, et nos in ejus disculiendis sententiis eo libenter utemur. Disserendum est enim hodierna oratione de veritate seu consonantia et concordia admirabili catholicae doctrinae, quae est quarta laus nostrae Religionis, et post antiquitatem, amplitudinem et firmitatem de quibus superioribus concionibus egimus jam recto ordine quarto loco sequitur explicanda.

Scripturas igitur nostras, nec non conciliorum decreta et summorum pontificum definitiones, verissima esse et a spiritu veritatis dictata, satis abunde testatur incredibilis quaedam et plane divina consensio, quae in scripturis sanctis et christianis dogmatibus reperitur. Ac ut de scripturis propter Mahometanos et Ethnicos, qui eas non recipiunt, prius dicamus. Quanta, quaeso, admiratione ac stupore dignum est scriptores sanctos non unum aut duos, sed multos et varios fuisse, et variis linguis, occasionibus, locis, temporibus scripsisse, et nihilominus ita secum in omnibus consentire, ut ab initio Geneseos usque ad extremam Apocalypsim, nulla in eis dissensio reperiatur: Unum atque eumdem multa scribere, et numquam a se dissentire, magnum est multos de multis et variis rebus disputare, et unum cum alio numquam pugnare, simile prodigio est. Quid igitur de scriptoribus sanctis dicemus? qui non solum multi et varii fuerunt, sed ita locis dissiti ut saepe inter unum et alium infinita maris et terrarum spatia interiacerent, ita temporibus separati, ut saepe unus alium non solum numquam viderit, sed nec de eo quicquam unquam audierit, et tamen ita scripse-

runt, ut sancti libri non a multis, sed ab uno quasi pluribus linguis et calamis scripti esse videantur. Quocirca divina prorsus consilio Spiritus sancti, ut b. Augustinus 18. de Civ. Dei, sapienter monet, nec nimis multi nec nimis pauci sancti scriptores esse debuerunt: nec nimis multi, ne multitudine vilesceret quod clarum religione esse oporteret: non nimis pauci, ut semper in eis esset praedicanda et admiranda consensio. Porro sanctae scripturae non ea solum ratione aliae aliis, posterioribus cohaerere dicendae sunt, quod secum non pugnent, quod est unum genus concordiae; sed etiam quod quicquid vetus scriptura futurum praedixit, id totum scriptura nova factum atque impletum esse demonstret, quod est aliud concordiae genus, multo sine ulla comparatione nobilius. Cujus rei typum gerebant duo seraphim illi qui ut apud prophetam Isaiam legimus, admirabili consensione clamabant alter ad alterum: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum*: nec non duo cherubim, quae alis tegebant propitiatorium, unde Deus loquebatur, et quorum vultus aller ad allerum semper intuebantur. Haec enim sunt duo testamenta, vetus et novum, quae ita se invicem aspiciunt, et allerum ad alterum clamat, ut quicquic unum loquitur promittendo, alterum repetat adimplendo. Exemplum ponamus, in Christo, cujus jam imminet dies natalis, et quem omnino divinae pugnae tamquam finem et scopum intuentur. Vetus testamentum dicit: *Ecce virgo concipiet in utero et pariet filium*: Novum respondet; *Quod in ea*, nempe in virgine Maria, *natum est, de Spiritu sancto est.* Vetus dicit; *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus, Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel*: Novum respondet; *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda.* Vetus dicit: *Orietur stella ex Jacob*: Novum respondet; *Vidimus stellam ejus in Oriente.* Vetus dicit; *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes*: Novum respondet: *Obtulerunt ei munera aurum, thus et myrram.* Vetus dicit: *Dabitur ei nomen novum, quod os Domini nominabit*: Novum respondet; *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur.* Vetus dicit: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum.* Novum respondet; *Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Aegyptum.* Vetus dicit: *In mari via tua et semitae tuae in aequis multis*: Novum respondet; *Venit Jesus ambulans super mare* Vetus dicit; *Mittam piscatores et piscabuntur eos*: Novum dicit; *Venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum.* Vetus dicit: *Prophetam suscitabit tibi Dominus de fratribus tuis*: Novum respondet; *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Vetus dicit; *Aperiam in parabolis os meum*: Novum respondet; *Locutus est eis multa in parabolis.* Vetus dicit; *Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum*: Novum respondet; *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Vetus dicit; *Ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator*: Novum respondet; *Adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.* Vetus dicit; *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos*: Novum respondet; *At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Vetus dicit: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*: Novum respondet; *Tunc expuerunt in faciem ejus et colaphis eum ceciderunt.* Vetus dicit: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*: Novum respondet; *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Vetus dicit: *Et non erit populus, qui eum negaturus est*: Novum respondet; *Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Caesarem*: Vetus dicit: *Et cum sceleratis deputatus est*: Novum respondet: *Crucifixi sunt cum eo duo latrones.* Vetus dicit; *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*: Novum respondet; *Diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes*, Vetus dicit; *Os non comminuetis ex eo*: Novum respondet; *Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* Vetus dicit; *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*: Novum respondet, *Hunc Deus suscitavit a mortuis.* Vetus dicit; *Ascendit pandens iter ante eos.* Novum respondet; *Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Vetus dicit; *Effundam spiritum meum omnem carnem*: Novum respondet; *Effudit hunc, quem vos videtis et auditis.* Vetus dicit; *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad etremum terrae*: Novum respondet; *Audientes autem gentes gavisae sunt, et glorificabant verbum Domini, et crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.* O consensio incredibilis! O concentus! O armonia vere divina divinarum literarum! Ecquis erit ita stupidus, vel obstinatus, qui tam admirabili concordia scripturarum nostrarum perspecta, ea a Spiritu sancto, ab ipsa sapientia et veritate profecta esse non confiteatur? Quod si vellemus omnia loca percurrere, dies non sufficeret; et si non verba solum, sed etiam res gestas et umbras ac figuras cum rebus figuratis atque adumbratis conferre conaremur, immesam orationem susciperemus.

Neque Vero Scripturae dumtaxat, sed etiam omnia probatorum conciliorum catholicae ecclesiae a primo Nicaeno usque ad ultimum Tridentium, et omnium summorum pontificum a b. Petro usque ad Gregorium decimum tertium, definitiones atque decreta, ita sibi cohaerent, ita secum in omnibus consentiunt, ut quamvis diversis locis diversis temporibus, et diversas et saepe contrarias haereses promulgata atque edita sint nulla tamen in eis, audacter dicimus, nihil timemus, nulla in eis vel minima discordia reperiatur. Cujus rei argumentum est primum, quod omnia simul recipit ac veneratur catholica Christi ecclesia, quod certe non faceret, si unum cum alio ulla ratione pugnaret. Deinde, quod non extat, neque unquam legimus aut audivimus, extitisse concilium aliquod vere catholicum, in quo prius aliquod concilium, aut omnino aut ex parte repudiatum vel reprehen-

sum fuerit : sed potius contra videmus posteriora semper venerari priora, eorum vestigiis insistere, et sua decreta eorum decretis annectere, quasi catenas catenis et annulis, quibus fortissime astringitur, vincitur, conservatur et exornatur ecclesia : et quae a prioribus saepe dicta sunt, ea a posterioribus confirmari, exponi, illustrari, augeri: numquam tamen destrui aut everti. Postremo, quod adversarii nostri nullam adhuc pugnantem sententiam in nostris dogmatibus atque decretis ostendere potuerunt. Sed fortasse non sunt conati: Quid? Non sunt conati? Ita perstringit tanta lux veritatis oculos omnium haereticorum, ut nihil aliud egerint his quadraginta annis, quam omnes historias evolvere et omnes angulos bibliothecarum diligentissime perscrutari, ut aliquid tandem invenirent, in quo nostra concilia reprehenderent. Sed nihil tandem praeter nugas inanissimas proferre potuerunt, ut de eis vere propheta dixisse videatur : *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet* : et ad ultimum, *desiderium peccatorum peribit*. Nec enim fieri potest, ut illa ecclesia non sibi constet, quae ore apostolico *columna et firmamentum veritatis* appellata est : quae pastorem et doctorem sequitur eum, cui dictum est a Veritate: *Ego pro te rogavi, ut non deficias fides tua.*

Invenerunt ante paucos annos, cum jam diu laborassent ac sudassent in quaerendo, synodum quamdam Francofordiensem, jacentem in pulveribus, et fortasse cum blattis et tineis bellum gerentem: legerunt in ea, patres anathema dixisse concilio cuidam constantinopolitano, in quo nescio quid de imaginibus decretum fuerat, statim triumphabundi exclamare coeperunt: Ecce qualia sunt concilia papistarum, unum alteri dicit anathema? Ecce quomodo synodus Francofordiensis septimam synodum damnavit, in qua receptus ac approbatus fuerat usus imaginum? Sed scitis quid isti suo triumpho consecuti sint? Nihil aliud, quam ut notam imperitiae vel improbitatis effugere non possint. Siquidem toti mundo notum est, septimam synodum non Constantinopolitanam, sed Nicaenam secundam fuisse, illam autem synodum Constantinopolitanam, quam synodus Francofordiensis damnat, non Concilium ecclesiae, sed comitia inconomachorum fuisse, quae etiam septima synodus repudiavit. Jam igitur vel historiam illam sciebant adversarii vel non sciebant: si non sciebant, imperiti erant ; si sciebant, et tamen populos circumvenire suis mendaciis volebant, improbi sunt ; atque eis recte cum divo Hilario dicere possumus; *O vos scelesti, siccine de ecclesia ludibrium facere voluistis?*

Neque meliora sunt, auditores, argumenta caetera. Obiiciunt enim, synodum Arinensem, quae pugnat cum Nicaena: synodum Ephesinam secundam, quae pugnat cum Chalcedonensi : synodum Cathaginensem quae papa Stephanus reprobavit. Sed obiiciant ista pueris et mulierculis. Quis enim ignorat, synodum Ariminensem, Ephesinam secundam, Cathaginensem sub Cypriano, et alias nonnullas quas nobis obiiciunt, non concilia catholica, neque a summis pontificibus probata; sed potius semper rejecta et reprobata ab ecclesia fuisse. Nos vero id solum asserimus, et nullo negotio probamus ac defendimus, nullum esse concilium a Romano pontifice confirmatum, quod cum alio concilio pariter confirmato non consonet. Et hoc est argumentum, in quo merito exultamus et triumphamus. Ista enim admirabilis concordia et harmonia catholicorum dogmatum illustrissimum atque evidentissimum est testimonium praesentiae Spiritus sancti.

Piget profecto ac pudet referre, quales nugas soleant adferre haeretici contra primam, quartam ac septimam synodum, contra Romanam sub Nicolao secundo, contra Constantiensem, et quasdam alias, atque adeo contra ipsam primam in urbe Ierosolyma ab apostolis celebratam. Ponam exemplum unum, ex quo qualia sint caetera, facile possit intelligi. Reprehendunt, in primis sanctissimi isti homines, et castitati praecipui amatores, Chalcedonensem synodum omnium maximam in qua sexcenti et triginta patres convenerunt. Sed cur, putatis? Quid ibi dissonantiae a caeteris invenerunt? nimirum ingens blasphemia eis visa, quod in eo concilio cavetur, ne monachi et virgines Deo sacrae, post promissam ac devotam Deo castitatem perpetuam, ullo pacto ad matrimonia et nuptias admittantur. Quaeso vos, qui ista tamquam errores in conciliis reprehendunt, frontem habent, an sunt homines sine fronte? Sani sunt an insani? Sobrii an ebrii? Vigilant an dormiunt? Quando enim ecclesia oppositum docuit? Quando id non probavit? Quando non praedicavit? Quid ergo sanctum concilium statuere debebat? Ut virgines et monachi datam Deo fidem non servarent? nempe id voluissent Lutherani. At religio et natura, et ipse sensus communis reclamat.

Conferte modo, si placet, Ierusalem cum Babylon, tam admirabilem catholicae doctrinae concordiam cum sectis et dissensionibus haereticorum. Quando, quaeso, paganorum atque haereticorum Babylon in suo gremio non simul fovit innumeras controversias hominum dissentientium, non de agris et domibus, sed de primis ac summis divinitatis mysteriis? Ac ut omittam veterum philosophorum dissensiones, quae multis notae sunt, et quarum non paucas b. Augustinus recenset libro de civit. 18. c. 41. Quae unquam haeresis fuit, quae in ipso suo exordio multas et inter se pugnantes sectas non pepererit? Certe a Simone Mago haeresiarcharum principe sunt Menandriani, Basilidiani, Saturniani. A secta Gnosticorum Carpocratiani, Caiani, Ophitae, Setheani, Valentiniani. Rursum a Valentino Secundiani, Ptolomaei, Marcitae, Colorbusii, Arechontici et alii plures. Ab haeresi Cerdonis Marcionistae, Lucianistae, Apellistae, Manichaei. Ab haeresi Cataphrygarum haereses aliae Aeschinis, Blasti, Florini, Tertulliani et aliorum sine ullo numero. Donatistas in multas ac varias sectas divisos fuisse, testatur libro primo de haeresibus b. Augustinus. Ab Arriana peste natos fuisse Eunomianos, Macedonianos, et omnes fere posteriores haereses, quae in oriente extiterunt, et ipsum quoque Mahometismum omnibus vel mediocriter in historiis versatis notum est. Jam vero Hussitas in Bohemia in sectas varias dissectos atque distractos, Orebitarum, Adamitarum

et Orphanorum, omnes novimus. Postremo nostris temporibus Lutherus, quam numerosam familiam genuerit, et quomodo viderit filios filiorum in tertiam et quartam generationem, sectae innumerabiles confessionistarum, Anabaptistarum et Sacramentariorum satis aperte declarant. Itaque videtis haereticos semper sibi similes fuisse, et sicut semper pax, veritas, et concordia vinculum catholicae ecclesiae fuit; ita lites et dissensiones et sectarum multitudinem in haereticorum caulis numquam defuisse patet.

Offenduntur Lutherani dissensionibus scholasticorum theologorum; sed miseri non intelligunt, se festucam in oculis aliorum videre, trabem in oculis suis non videre. Scholastici siquidem doctores ac praesertim b. Thomas et Bonaventura, sanctissimi atque eruditissimi viri, et caeteri omnes dissentiunt quidem inter se aliquando, sed sicut etiam beatus Hieronymus et divus Augustinus, Chrysostomus et Epiphanius, Cyprianus et b. Stephanus, b. Anicetus et b. Polycarpus; et ut altius repetam b. Apostolus Barnabas et Paulus dissentiebant. Sed primum servata compage charitatis: deinde cum humilitate et moderatione, sine convitiis et maledictis: postremo, de rebus iis ut plurimum, quae ad fidem et ad salutem non admodum pertinebant. Nam in iis, quae sine detrimento salutis ignorari non possunt, quaeque ad ipsa fidei pertinent fundamenta, tam veteres, (ut beatus Augustinus libro primo contra Julianum ostendit) quam recentiores theologi, ut ex eorum libris potest cognosci, mirifice consentiunt. Et si quid aliqui aliter sapiunt, subiiciunt se tamen et judicium suum ecclesiae definitioni. Ea vero (quippe quae a Spiritu Dei vivit, et ab eo gubernatur et regitur) facile verum a falso aurum ab aurichalco, triticum a zizaniis separat. Itaque remanet semper in Ecclesia lumen et pax et gaudium in Spiritu sancto et est semper *multitudinis credentium*, quantum attinet ad fidem, *cor unum et anima una*. Sectarii vero tantis odiis tantaque animorum acerbitate contendunt, ut plura fere sint in eorum libris convitia, quam verba. Neque res quasdam leviores reconditioris doctrinae ad ingenia exercenda, ut scholastici faciunt, sed ipsos articulos apostolici symboli ad fidem evertendam et labefaciendam in dubium et in quaestionem vocant. Peragrate Germaniam, tot invenietis religiones, quot loca. Quid ego dixi loca? Non est civitas, non est pagus, non est domus, non est cubiculum tam exiguum, ubi saltem duo reperiantur (sunt autem semper ut minimum duo: nullus enim audet, fortasse propter latrones, sine socia cubitare) non est, inquam, cubiculum tam exiguum ubi non sit una parva turris Babylonica. Ipsimet confitentur, ita inter se dissentire, ut spes pacis et concordiae nulla sit.

Sed parum esset, si solum alii ab aliis, et non etiam quilibet a seipso discordaret. Ac ut de omnibus sectis judicium ferre possitis, cum tamen gratia brevitatis non omnes enumeraverimus, attingam primam, mediam et extremam, caeteras praetermittam. Haeresis omnium prima Simonis magi fuit. Ille igitur nonne sicut primus haeresim condidit, ita primus secum pugnare coepit? Ipse enim d. Epiphanio et Augustino testibus, docuit aliquando, legem Dei non esse a Deo, sed a sinistra virtute et omnes, qui Vetus Testamentum recipiunt, in aeternum perituros. Deinde sui oblitus affirmare non dubitavit, se Deum summum et verum esse, ac in Samaria apparuisse, ut Patrem, in Judaea, ut Filium, in Gentibus, ut Spiritum sanctum: et eumdem se in monte Sina legem veterem per manum Moysis Judaeis dedisse. Arriani, quorum secta in serie sectarum, quasi medium locum tenet, nonne ita leves et inconstantes fuerunt, ut singulis fere annis, et fidem et symbolum mutarent? et jam non dicerent, sic docet fides apostolica, sed sic docet fides tali anno edita vel tali anno? Hinc est illa b. Hilarii justissima querimonia ad Constantium augustum: *secta*, inquit *fides temporum potius, quam evangelium, dum et secundum annos scribitur et secundum baptismi confessionem non tenetur. Periculosum nobis admodum est atque etiam miserabile, tot nunc fides existere, quot voluntates: Nam dum plures fiunt ad id coeperunt esse, ne ulla sit.* Et rursum libro primo ad eumdem Constantium, Arrianos comparat aedificatoribus imperitis, quibus sua semper displicent, et qui semper destruunt, ut semper aedificent: *Novis*, inquit, *vetera subvertis, nova ista rursum innovata emendatione scindis, emendata autem iterum emendanda condemnas.* Haec ille de Arrianis, sed quae non minus in Lutheranos quadrant, quorum est secta sicut novissima, ita etiam pestilentissima. Quoties enim, quaeso, illam suam Augustanam Confessionem, tantopere apud eos celebratam, commutarunt? Nonne et apud illos fides est annorum potius, quam evangeliorum? Nonne ipsi etiam semper destruunt, ut semper aedificent? Quam levem Spiritum sanctum, si tamen Spiritum sanctum, et non potius nequam, lutherani habent?

Sed fortasse Lutheri discipuli sibi non constant Lutherus vero, qui notam mendacii docuit esse certissimam, a seipso dissentire, numquam ipse a seipso dissensit? Imo, auditores, sine mendacio et amplificatione dici potest, nullum unquam haereticorum suiipsius et dictorum suorum fuisse tam parum memorem, quam Lutherum. Quid? nonne extant integri libri a viris doctissimis conscripti, qui nihil aliud, quam Lutheri antilogias et pugnantes inter se sententias continent? Quid? Quod de uno articulo, de communione videlicet sub altera specie vel sub utraque specie, triginta sex inveniuntur in ejus libris contrariae sententiae? Ac ut nihil dicam, quod Missam aliquando non solum partem summam et compendium evangelii esse voluit, aliquando nihil magis detestatus atque execratus est? Ut taceam, quod sacramenta ecclesiastica, modo septem, modo tria, modo duo, modo unum dumtaxat esse affirmavit. Ut praetermittam, quod aliquando in Romani Pontificis primatum nihil dici vere posse asseruit, aliquando tam multa et tam contumeliosa ipse dixit, quanta aures piorum ferre non possunt. Ut ne verbum quidem faciam, quod aliquando Ioannem Hus tamquam seductorem et haereticum publice exhorruit, ali-

quando eumdem Joannem et sanctum martyrem, et omnes ejus articulos catholicos et apostolicos appellavit. Sicut etiam Joannem, magistrum suum Wiclephum jure ab ecclesia damnatum esse docuit aliquando eumdem et sanctissimum et optimum doctorem praedicavit, et animam suam cum anima ipsius esse desideravit. Ut haec et similia facile patiar sileri, unum solum ejus opusculum consideremus. Audite, quid in sua Babylonica captivitate de fidei virtute et efficacia dicat: *Tam dives, inquit, est homo christianus sive baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere.* Et rursum: *Nec alia via potest homo cum Deo convenire aut agere, quam per fidem, ope a ille nihil curat.* At in libro de visitatione Saxonica, quem posterius scripsit, audite, quam aperte istud praecipuum dogma suum evertat: *Multi* inquit, *dum audierunt, ut solummodo credant, omnia ipsis peccata remitti, fingunt sibi fidem, et putant se mundos esse, per quod fiunt temerarii ac securi ejusmodi autem carnalis securitas prior est omni errore, qui ante hoc tempus umquam fuit.* Haec ille. Quid, quaeso, nos aliud contra eum dicere possemus, quam quod ipse dicit? Si credere sola fide sibi peccata remitti figmentum est, temeritas est, carnalis securitas est, error gravissimus est, ut ipse jam dicit, cur quaeso, super hoc fundamentum evangelium et omnem suam doctrinam aedificavit? Quid? quod in eodem libro de visitatione Saxonica, omnem prorsus doctrinam suam evertit. In eo libro docet, hominem esse liberi arbitrii ad facienda vel omittenda, ut ipse loquitur, opera externa. In eo libro docet, Deum requirere a nobis non solum fidem, sed externam etiam justitiam. In eo libro eos reprehendit, qui christianam libertatem esse putabant, non obedire superioribus, non jejunare, comedere carnes in quadragesima, non confiteri peccata. In eodem libro docet ac suadet, Turcis resistendum, et cum eis bellum audacter gerendum. Denique de missis, de psalmodia, de diebus festis, de excommunicatione, de campanis, de scholis, de superintendentibus, (sic enim episcopos novo nomine appellandos censuit) de Hymno *Te Deum laudamus*, et cantico, *Benedictus*, in precibus matutinis legendo, nova praecepta ac decreta, quae numquam reperit in verbo Dei, plura in uno libro congessit, quam omnes Romani pontifices unquam constituerunt. Attamen etiam pueri sciunt, semper antea Lutherum contrarium docuisse. Quid saepius repetit, quam liberum arbitrium esse rem de solo titulo, vel figmentum in rebus et titulum sine re? Quid saepius monet, quam Deum praeter fidem nihil a nobis exigere? Quid saepius docet, quam libertatem christianam omnes homines fecisse pares, omnes sacerdotes, omnes episcopos, omnes pontifices, etiam foeminas et pueros? Quid saepius clamat, quam Turcis resistere, esse bellum gerere cum Deo? Quid inculcat saepius, quam evangelium nulla praecepta ac leges humanas tolerare? Ac ne ipsum quidem evangelium legem ullam aut praeceptum continere et vehementer cavendum, ne de Christo Moysen et de evangelio legem faciamus? Quid saepius ridet, quam missas, campanas, psalmodias, dies festos, excommunicationes? Quae cum ita sint, quis erit tam caecus, qui ex symbolo, quod nobis ipse dedit ad mendacia cognoscenda, non facile videat esse omnia figmenta et mendacia, quae docuit.

Legimus in Apocalypsi: *Et quintus Angelus tuba cecinit, et vidi stellam de coelo cecidisse in terram: et data est ei clavis putei abyssi, et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aer de fumo putei.* Vaticinium istud qui non videt diebus nostris in Luthero esse completum? Siquidem ante Lutheri casum erat pene universus occidens labii unius, et sermonum eorumdem, summa quoque lux concordiae et unitatis erat in ecclesia. Cecidit Lutherus de firmamento catholicae ecclesiae, ubi tamquam stella quaedam lumine verae fidei et orthodoxae doctrinae eruditione lucebat. Accepit clavem erroris et seductionis, aperuit puteum abyssi, et ecce tanta vis fumi erupit de puteo, et Germaniam fere totam involvit, ut non solum justitiae solem Christum Jesum, Deum nostrum tenebris errorum obscuratum jam non videat, sed nec amicus amicum, nec frater fratrem, nec pater filium, nec filius patrem, nec mater filiam, nec filia matrem agnoscat. Ecce vobis quam mirabile fecerit Deus inter possessiones Israel, et possessiones Aegyptiorum, quanto miraculo separaverit Israel ab Aegypto. Ubicumque Aegyptii sunt hoc est haeretici, qui sedent *super ollas carnium, et quorum Deus venter est*, ibi sunt tenebrae adeo horribiles atque palpabiles, ut se mutuo in eadem domo non agnoscant. In terra autem Jesse, ubi veri Israelitae et catholicae ecclesiae filii sunt, ibi lux est et tanta lux, ut fratres nostros etiam apud Indos et extremum orientem positos agnoscamus. Quare conservemus, auditores, hanc lucem, enitamur bonis operibus, ita lucere *in medio nationis pravae*, ut simus quasi lucernae ardentes *in caliginoso loco*, et ecclesia catholica verum coelum et verum firmamentum, plenum multis et magnis luminibus videatur, ut postremo videntes ethnici atque haeretici lumen fidei, operumque nostrorum, tenebras suas agnoscant, et ab iis ad veram lucem aliquando Domino propitio convertantur.

CONCIO V.

DE PURITATE CATHOLICAE DOCTRINAE

SYNOPSIS

Ostenditur, legem Dei hoc singulare habere, quod omni errore careat, siquidem vel ipso Luthero teste, unicus error arguit legem non esse Dei. Puritas ecclesiae ex sacra scriptura, Canonibus et decretis pontificum et conciliorum, atque instituentibus SS. Patrum sufficienter patere confirmatur. Quam ridiculos se faciant haeretici pravam vitam nobis obiiciendo, vel ex unius Lutheri inconstantia deprehenditur. Ob oculos ponitur impuritas et absurditas legum quarumdam gentilium, eorumdem etiam, qui apud eos sapientissimi et sanctissimi habentur, quales fuere Lycurgus, Plato et Aristoteles. Lex mahometana, quae tamquam farrago omnium haeresium, quanta impuritate scateat, explanatur. Ad legem haereticorum descendendo, praecipui quidam Lutheri et sectariorum errores enarrantur, et obiter refelluntur; quos tamen omnes superat ille, quo Deum causam et auctorem peccati faciunt. Demonstratur ex impuritate doctrinae sequi impuritatem vitae; et per consequens, Lutherus polluta sua doctrina malorum Iliada Europae invexisse convincitur.

Religionem christianam solam esse veram et a Deo institutam religionem, et in ea sola remissionem peccatorum, et spem salutis atque haereditatis aeternae pignus reperiri ex antiquitate, amplitudine, firmitate, et consonantia atque concordia admirabili catholicae doctrinae, quibus ea omnibus sectis et superstitionibus antecellit, sine controversia satis, ut arbitror superioribus orationibus demonstravimus. Sequitur nunc, optimi auditores, ut ex puritate et sinceritate ejusdem doctrinae Domino bene iuvante, rem eamdem ostendamus. Id enim est quintum ex iis, quae in nostra oratione prima explicanda proposuimus.

Est igitur legis nostrae singulare privilegium, eximia quaedam puritas. Nam cum omnes sectae et leges philosophorum paganorum, haereticorum cum aliquibus veris sententiis, aliquos simul exploratos errores et cum paucis vitae humanae non inutilibus institutis, multa probitati et honestati morum adversa contineant, sola *lex Domini* vere *immaculata*, nullum omnino errorem cum tam multis et sublimibus veris sententiis, quas praedicat, nec ullum turpe praeceptum cum innumeris sanctissimis, et hominum societati utilissimis et saluberrimis institutionibus admixtum habet, quod est argumentum apertissimum et maximum, solam nostram legem veri Dei esse legem. Nec enim fieri potest, ut cum Dei perfecta sint opera, ipseque sit ipsa sapientia et bonitas, ut aliquid falsum vel turpe recipiat. Et non solum nostri, sed etiam adversarii confitentur, unum solum exploratum errorem sufficere, ut aliqua lex jure non Dei, sed hominum vel etiam daemonum lex esse judicetur. Certe Martinus Lutherus in Embseri librum scribens, ita loquitur: *Si semel deprehenderer ita mentitus, falsus et crasse stolidus, jam mea doctrina et honor et fides et fidelitas finem penitus haberet. Unusquisque me pro nequam et infami nebulone, ut aequum est habiturus esset.* Rursus idem de coena Christi verba faciens; *Quando Schwermert*, inquit, *in uno articulo falsi manifeste deprehenderentur, per hoc essemus nos sufficienter a Deo admoniti, ne eis crederemus.* Item contra Angliae regem Henricum: *Quis credat* inquit, *cum velle in loco verum dicere, qui tam manifeste ac impudenter hoc in loco mentitur?* Quae Martini Lutheri apertissima et verissima testimonia diligenter retinenda et memoriae commendanda sunt, erunt enim causae nostrae paulo post non parum utilia.

Iam igitur catholicam ecclesiae nostrae doctrinam, ea qua dicimus puritate et sinceritate nitere nullo negotio etiam ab hominibus mediocriter eruditis ostendi ac defendi potest. Legite scripturas divinas, legite canones et decreta pontificum et conciliorum, legite sanctorum patrum institutiones, ut Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci, certe videbitis nihil turpe, nihil flagitiosum, nihil iniquum in ecclesia catholica doceri, et contra naturalem legem perfecte exprimi, Deum ut finem omnibus praeponi, omnes homines inter se vinculo pacis et charitatis conjungi coli et laudari omnes virtutes, omnia vitia reprehendi et prohiberi. Testes sunt vita et mores sanctorum nemo enim unquam perfecte legem evangelicam observare conatus est, qui non homo integerrimus et sanctissimus, omnibus venerandus et admirandus evaserit. Praedicantur quidem in ecclesia mysteria sublimia, et quae rationem omnem et intelligentiam superant: sed et b. Thomas Aquinas, ut alii non pauci, ostenderunt, nullum esse christianorum mysterium, quod cum evidenti et aperta ratione naturali pugnet. Posse etiam Deum multa facere sublimiora et abstrusiora, quam ut ea nos cognoscere possimus, stultus est, qui non intelligit, cum videamus in rebus vilissimis et abjectis-

simis nos vehementer caecutire. Quis enim hominum posset, vel unius formicae naturam explicare? Pari ratione multa praecipit vel consulit catholica doctrina, difficilia, ardua ut dilectionem inimicorum, perpetuum coelibatum, voluntariam paupertatem, sed quid horum cum probitate et honestate pugnat? Quid non admirandum et suspiciendum potius, quam vituperandum et contemnendum est?

Huc accedit, quod nihil adhuc adversarii nostri reperire potuerunt, in quo cum leges nostras reprehenderent, non ipsi potius ridiculi omnibus apparent. Piget profecto ac pudet eorum nugas retexere. At multa sunt flagitia et scelera papistarum, et in ecclesiasticis praecipue regnat ambitio dominatur avaritia, viget et floret luxuria, usura, simoniae, concubinae, omnem religionem obscurarunt ac foedarunt. Negare non possumus nec volumus, multos in ecclesia corrupte et contaminate vivere, sed unde probabunt nobis haeretici, malos istos mores, quos in hominibus ecclesiae reprehenduat, ex ecclesiae doctrina proficisci? An non eosdem malos mores nos ipsi semper reprehendimus? An non mater Ecclesia usuras, simonias, concubinatum, et alia, quae nobis obiiciunt, semper prohibet? semper punit? semper deplorat? semper detestatur? Si ergo Lutheranis mali nostri mores displicent, quare leges et praecepta Ecclesiae, quibus prohibentur et puniuntur, non placent? Fuit illa insania et inconstantia Lutheri, cum magna contentione corruptos mores ecclesiasticorum arguebat, et simul canones ss. Patrum, quibus mores illi prohibebantur, publice exurebat: nonne simul voces illas suas et omnem contentionem condemnabat? Numquid non illis flammis praedicare omnibus videbatur, exustis canonibus, qui legem vivendi continebant, licere jam omnibus impune, et sine legibus ac regula vivere, et nihil jam iniquum, nihil nefarium, nihil sacrilegum esse?

Conferamus modo, si placet, castitatem ecclesiae cum synagogarum satanae corruptionibus legite librum Theodori primum ad Graecos, intelligetis ex eo, nullas unquam leges veterum ethnicorum extitisse, qui non errores aliquos, quasi maculas habuerint, et eas ipsas leges turpissimas et humano generi incommodas maxime fuisse, easque praecipue, quae maximo erant in pretio. Persae incaestis nuptiis contra omne jus humanitatis matribus miscebantur. Ab Hircanis et Bactris homines senes non propter flagitia, sed ex consuetudine religionis, canibus ad hoc ipsum nutritis devorandi objiciebantur. Apud Scythas, ii qui ab animam agentibus prae caeteris amabantur, cum mortuis vivi in sepulchris confodiebantur. Apud Massageras, ab ipsis affinibus senes publica lege, honoris gratia, mactabantur, et devorabantur, ut nimirum non mortua et inania, sed viva et animata sepulchra suis exhiberent. A Carthaginensibus et aliis multis populis proprii filii jugulabantur.

Sed fortasse erant barbarae istae nationes, et idcirco barbaris et crudelibus legibus vivebant? Lycurgi tamen; Platonis atque Aristotelis leges optimae et sanctissimae habebantur: imo nihil inquinatius, nihil turpius nihil inhumanius. Siquidem leges Lycurgi non solum adulteria, sed etiam nefandum illud flagitium permittebant, propter quod Sodoma et Gomorrha igne et sulphure de caelo emisso conflagrarat. Plato vero praeterquam quod uxores communes esse, et foeminas non minus, quam viros in palaestris nudas exerceri, et equestrem artem discere volebat, quae turpissima et foedissima sunt, illam etiam crudelissimam et plus quam barbaram legem tulit, ut viri et foeminae, posteaquam aetatem ad gignendum idoneam excessissent, explerent quidem pro suo arbitratu libidines suas, sed conceptum foetum vivum numquam ederent, vel si casu aliquo ederent eum fame ac frigore enecarent: quam legem etiam Aristoteli philosophorum sapientissimo, placuisse videmus. Quid? Quod Plato non solum vitium illud horrendum, et contra naturam cum Lycurgo permisit; sed etiam, qui eo se exercerent beatos post hanc vitam futuros, et praemia magna recepturos promisit? Ecce igitur quales ejus hominis leges fuerunt, quem veteres Deum philosophorum et divinum appellandum censuerunt et tamen solum pauca de moribus attigi. Somnia et deliria philosophorum circa Deum, de industria praetermisi, ne ego ipse delirare viderer, si in eis recensendis occuparer. Nam profecto sapientius mihi fuisse videtur aliquando vulgus Ethnicorum qui Jovem adulterum, et Venerem meretricem, et Mercurium furem, et Vulcanum claudum, vel certe Solem et Lunam et stellas colebant, quam philosophi isti, qui tanto fastu sapientiam suam jactabant. Illi enim saltem res aliquas, quae erant vel fuerant, isti sua somnia et phantasmata pro Deo venerabantur. De quibus apostolus ad Romanos scribens; *Evanuerunt*, inquit, *in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua. Tradidit eos in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt.*

Jam vero lex Mahometi impurissimi, quam multa habet cum apertissima ratione et morum honestate pugnantia? Nihil est aliud lex Mahometi, ut ex libro Joannis Damasceni de centum haeresibus cognosci potest, quam monstrum quoddam horrendum, informe, ingens, ex multis haeresibus et superstitionibus conflatum. A Judaeis habet horrorem carnis suillae, multitudinem uxorum, libellum repudii, circumcisionem, creberrima baptismata. Ab haereticis Arrianis habet Verbum Dei non esse Filium, neque Patri consubstantialem, sed creatum et servum. A Nestorianis habet Christum Dominum de virgine quidem natum, sed solum esse hominem non etiam Deum. A Manichaeis habet, Christum neque passum neque mortuum esse, et a vino perpetuo abstinendum. Ab Aristippo et Epicuro habet summam beatitudinem in hortorum amoenitate et uxorum multitudine cibo et potu aliisque corporis voluptatibus positam esse. Porro jejunium religiose colunt Mahometani, sed ab ortu solis usque ad occasum: Noctu vero quando periculum non est,

ne saltem a sole videantur et apud suum Deum violati jejunii rei accusentur, liberum esse comedere et bibere usque ad satietatem. Neque jejunant quovis tempore, sed dumtaxat in diebus canicularibus contra omnem rationem et humanitatem, tunc enim jejunium corporibus humanis maxime noxium est, et ad libidines comprimendas non usque adeo necessarium. Postremo, quod maxime stultitiae signum est, cum lege Moysis et Christi evangelio pugnat, et tamen Christum et Moysen tamquam prophetas veracissimos et sanctissimos veneratur. Itaque Mahometi propositum non fuit aliud, quam omnem difficultatem profligare, quam Christiani homines in credendo et operando patiuntur. Quia difficile erat, unica uxore contentum esse et eam non posse dimittere, adhaesit Judaeis. Quia difficile erat, credere unam personam esse in duabus naturis, adhaesit Nestorianis. Quia difficile erat credere Deum Christum pati et mori voluisse, adhaesit Manichaeis. Quia difficile erat, propter spiritualia et futura, quae non videntur, contemnere corporalia et praesentia, quae videntur, adhaesit Aristippo et Epicureis. Quia difficile erat postremo, Christum et Moysen, tam perspicue sanctos et Dei amicos non recipere et non minus difficile cum lege Moysis et evangelio Christi suam legem conjungere, Christum et Moysen recepit, sed legem et evangelium repudiavit.

Venio nunc ad haereticos. Habet quidem omnis haeresis speciem boni et veri, si non aliud, saltem veritatis et pietatis pollicitationem: alioquin sectatores non haberet. Sed hoc interest inter ecclesiam Christi et haereticorum synagogam quod ecclesiae doctrina nihil penitus habeat vel rectae rationi vel bonis moribus contrarium. Haeresis vero nulla est, quae non alios evidentes et manifestos errores contineat. Sunt omnes haeretici similes iis, qui dicuntur lunatici, qui aliquando lucida intervalla habent, et videntur sapere, modo autem delirant. Ac ut Gnosticos et Manichaeos aliosque veteres, gratia brevitatis, praetereamus, qui hoc ipso, quod defecerunt, satis ostendunt, se veram fidem et religionem numquam habuisse: Ioannes Wicleph patriarcha haereticorum nostri temporis, nonne claris et disertis verbis inter alia turpissima dogmata, quae in concilio constantiensi enumerantur et reprobantur, asserebat: *Deum debere obedire Diabolo*? Quis phreneticus, quis furiosus, etiam totus diabolo plenus, haec diceret? Quae dubitatio esse potest, an hoc sit verum an falsum? Ioannes Hus licet nihil doceret aliud, nonne hoc ipso se impium, et Dei ac veritatis hostem probavit, quod Wiclephum pro apostolo et evangelista recepit? Martinus Lutherus cultor et laudator utriusque Joannis Wiclephi et Hus, nonne simul etiam illorum insanis erroribus et furoribus potius implicatur? Sed hic iam tanta et tam vasta, sed tamen confusa errorum silva et mendaciorum se offert, ut si eam ingrediar, non facile confidam, me egredi posse.

Omitto primum, quod Lutherus ita fraenum liceat per ejus evangelium moechari et fornicari, cum Christi evangelium etiam aspectum impudicum prohibueris: liceat Christo fidem datam de virginitate non servare, imo non liceat servare, cum Christus ipse et apostolus ejus tantis laudibus virginitatem extulerint et verbo et exemplo homines ad eam colendam inflammaverint: liceat postremo omnia scelera ac flagitia impune perpetrare, imo aliquid boni agere non liceat, sed peccet omnis, qui bene agere conatur, cum evangelium totum, et omnis divina scriptura ad vitia fugienda et virtutes consectandas, et opera bona cum recta et sana fide conjungenda nos hortetur.

Omitto, quod non solum epistolam Iacobi et Judae, et alia quaedam, sed etiam ipsa Evangelia Matthaei, Marci, Lucae, poenitus nihil facit. Nam in praefatione super Novum Testamentum claris verbis docet, abolendam esse communem illam opinionem, quod sunt tantum quatuor evangelia. Unicum enim et pulchrum esse Joannis evangelium et verum. Ex quo apte sequitur, vel nulla vel foeda esse Matthaei, Marci, Lucae evangelia. Neque alia de causa tam severus contra Matthaeum, Marcum et Lucam extitit, quam quod evengelia ab eis conscripta, leges et praecepta vivendi continere, et operum bonorum necessitatem ei persuadere viderentur.

Omitto, quod Lutherus una cum Wiclepho et Calvino, aliisque sectariis pene omnibus, quin etiam cum Stoicis et Manichaeis affirmare non timet, nihil esse liberum vel contingens, sed fatali omnia et absoluta necessitate evenire.

Omitto, quod Zuvinglium nestorianismi reprehendens, incidit ipse nescio an volens, an imprudens, in errorem multo graviorem, nempe in eutychianismum: *Negotium*, inquit, *alicubi fuit mihi cum Nestorianis* (Zuvinglianos intelligens) *qui pertinacissime disputabant, quod Christi divinitas non posset pati.* Itaque existimavit Lutherus Christi divinitatem posse pati. Unde fluxit illud Andreae Osculi praeclarum dogma, divinitatem in cruce passam et mortuam. Quo furore quid, quaeso, furiosius cogitare potest? Putatis intelligunt, quid sit: *Divinitas in cruce mortua est*? Nonne divinitas est aeternitas? Nonne de ratione et essentia ejus est semper esse? Quomodo igitur divinitas mori potest? Potestne aeternitas aliquando non esse? Quae est haec insania Lutheri et discipulorum ejus? qui in re tam facili tam facile hallucinantur, quid facient in rebus difficilioribus?

Omitto quod Philippus in apologia pro sua confessione Augustana, omnino contendit, ante tempora Gregorii, hoc est, ante annum sexcentesimum, nullum veterum meminisse invocationis Sanctorum: cum tamen nullus veterum non meminerit. Meminit B. Augustinus tractu 84 in Joannem: meminit Hieronymus in Epitaphio s. Paulae: meminit Ambrosius in libro de viduis: meminit Maximus in oratione sanctam Agnetem: meminit Nazianzenus oratione in Basilium: meminit Basilius in oratione in quadraginta Martyres, breviter omnes meminerunt.

Omitto quod Calvinus in illa praeclara sua institutione, numerum ordinum minorum commentum esse docet canonistarum et sorbonistarum, cum sigillatim omnium minorum ordinum meminerit b. Ignatius in epistola ad Antiochenos: meminerit b.

Clemens secundus a beato Petro Romanus pontifex in epistola ad Fabianum Antiochenum: meminerit quartum Concilium Carthaginense meminerint alii plures, qui sorbonistas et canonistas multis saeculis antecesserunt. An non Eusebius Caesariensis libro sexto ecclesiasticarum historiarum ex epistola Cornelii refert, in unius Romanae ecclesiae clero fuisse temporibus illis circa annum Domini ducentesimum quinquagesimum, presbyteros quadraginta quinque, diaconos septem, subdiaconos septem, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas cum lectoribus et ostiariis quinquaginta duos? Poteratne igitur splendidius et illustrius Calvinus in hac parte mentiri?

Ista omnia et alia infinita mendacia apertissima, quae defendi, et excusari nullo modo possunt, etiamsi coetum cum terra miscerent, et omnes daemones ab inferis excitarent, quibus illi imperitos populos misere circumveniunt, facile patior sileri. Unum dumtaxat, in quo sectari pene omnes conveniunt, commorabo. Nam ut ex Luthero didicimus, cum unum exploratum errorem aliquo detegimus, satis a Deo admoniti sumus, ne ei deinceps in aliquo credamus. Lutherus igitur in libro de libero arbitrio, et Calvinus lib. primo institutionum capite octavo et alibi frequenter, ex Wiclepho acceptum dogma mordicus defendunt: *Omnium scelerum et flagitiorum causam efficientem esse Deum, ipsum velle ipsum constituere, ut peccata fiant.* Quam sententiam Philippus Melanthon Annotat. in epistolam ad romanos, illustrare volens ore sacrilego affirmare non dubitavit; *non minus proprium opus Dei Judae proditionem, quam vocationem Pauli fuisse.* Quid vobis de istis dogmatibus videtur? Nonne invenerunt sectarii nostri temporis turpiores magistros, quod imitantur, quam Manichaeos, quos semper ecclesia catholica tamquam omnium scelestissimos et impurissimos exhorruit? et tamen eos ipsos imitari non contenti quantum ad impietatem et blasphemiam, eos longo post se intervallo reliquerunt. Manichaei enim auctorem quidem peccatorum Deum fatebantur, sed Deum quemdam, quem ipsi fingebant natura ipsa malum, quem etiam materiam et daemonem vocabant. Neque tam stulti unquam fuerunt Manichaei, ut in bonum et verum Deum peccatorum causam referrent. At novi isti magistri in Israel, ipsi summo et bono et vero Deo causam peccatorum attribuunt: horret sane animus, fugit mens, haec tam profana, tam nefanda, tam perniciosa referre. An Iudaei perfidi, an immanes Turcae, barbaraeque gentes de Deo non rectius saepe philosophantur? Quis non videt ab istis, qui omnem sapientiam sibi assumunt prima fidei elementa, vel crasse nesciri vel insane contemni vel superbe violari? Quid vero si beatus Hilarius nunc adesset, an non in vocem illam sibi consuetam erumperet; *O miseras aures meas, quae tam funestae vocis sonum audierunt.* Et beatus Irenaeus nonnquid non diceret, quod contra Florinum istam ipsam haeresim introducentem, aliquando dixit: *Haec dogmata sanam doctrinam non habent. Haec dogmata dissentiunt ab ecclesia: Haec dogmata in summam impietatem eos conjiciunt, qui eis obtemperant. Haec dogmata ne haeretici quidem unquam fuissent ausi pronunciare.* Itaque non haeretici sunt, sed plus quam haeretici sunt, qui haec dicunt. Quod si et apostolicus vir Polycarpus nunc adesset, an non suas obturaret aures, ac pro consuetudine sua gemens iterum diceret; *O bone Deus, in quae me tempora reservasti, ut haec audirem?* Quid enim hac blasphemia intolerabilius? Ergone Deus est auctor peccatorum? ergo ex veritate mendacium, ex ipsa bonitate flagitia, ex luce tenebrae, ex dulcedine et suavitate sed et absynthium peccatorum nascitur? Cur igitur b. Irenaeus, b. Basilius et alii patres libros inscribunt, quod Deus non sit auctor peccatorum? Cur ipsa scriptura tam expresse ait: *Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit peccandi spatium*, et *odio est Deo impius, et impietas ejus?* Cur apostolus clamat; *Numquid iniquitas apud Deum? Absit?* alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Si Deus, inquit, est auctor peccatorum, qua fronte in judicio puniet peccatores? Si non minus est opus Dei proditio Judae, quam conversio Pauli, qua aequitate Judam tormentis addicet, Paulo attribuet gloriam sempiternam? Quae tyrannis immanior cogitari potest, quam ut Deus vivos et mortuos puniat peccatores, quos si sectariis credamus, peccare coegit? Certe videtis qualia sint dogmata sectariorum: et putatis credibile esse per ora tam impia et sacrilega Spiritum sanctum loqui potuisse?

Quae cum ita sint, mirum non est, si tam profana dogmata profanos penitus et paganos mores introduxerint. Neque id nos soli, sed ipsi etiam conqueruntur et deplorant. Ipse enim Lutherus est qui in sermone quodam de Adventu conqueritur, homines multo esse deteriores tempore sui evangelii quam fuerint unquam in papatu. Audite vero quam serio Paulus Huberus, qui post Lutherum et Philippum archisynagogus extitit, in praefatione super commentaria Philippi in epistolam ad Corinthios, mores suorum deplorat; *Videbis*, inquit, *religionis et libertatis christianae foedissimum abusum, contemptum et neglectum sancti mysterii, disputationum profanitatem, direptionem bonorum ecclesiae, ingratitudinem erga fideles ministros, disciplinae laxationem, effrenem contumaciam juventutis et aliorum vitiorum segetem in dies uberrimam succrescere; quae mala intuens non potest non vehementer animus percelli, et interdum quassari fluctibus dubitationum, ambigens an hic coetus possit esse ecclesia, in quo tantum sit distractionum, confusionum et enormium vitiorum.* Haec ille.

Sed cessent istae vanae Lutheranorum querimoniae. Quis enim et sibi et nobis pacem et serenitatem astulit? Quis tantos motus, tantos tumultus, tantas et tam implacabiles tempestates excitavit? Quis tot latrociniorum et caedum, tot sacrilegiorum causa fuit? Quis tantum luti, et coeni fornicationum et adulteriorum fecit? Quis tantam corruptionem morum, tantumque cumulum vitiorum in Europam invexit? An non Lutherus et ejus posteritas, cum docuerunt Deum bona opera non requirere, imo etiam reiicere? Cur igitur homines

bene agerent? Clamaverunt ex ipso suggestu, esse impossibilem castitatem, et si non vult uxor, veniat ancilla : cur igitur miratur, si omnia implentur adulteriis? Admonuerunt auditores suos, christianam libertatem omnes homines fecisse pares, et nullum esse superiorem, nullum inferiorem; cur igitur conquerúntur, si eis populi non obediunt? Persuaserunt miseris hominibus, non esse hominem liberi arbitrii, ab ipso Deo cogi ad peccandum : cum vero facit, quod in se est, peccare mortaliter : praeterea sola fide remitti peccata, nullam requiri contritionem, nullam confessionem, nullam satisfactionem, et quid, quaeso, hinc sequitur nisi quod homines sine ullo metu, sine ullo pudore, sine ullo fraeno, summa libertate et audacia sese in omnia vitiorum barathra praecipitent? Cur enim conentur bene agere, si nec possunt nec est necessum, et perinde est quicquid agant? Vidit haec infelix Lutherus, et idcirco tanto labore in illa sua Saxonica visitatione conatus est postea contra suum ipsius evangelium tam multis praeceptis et institutis vitiis et sceleribus occurrere. Sed frustra sunt omnia, nisi ad veram fidem et puram doctrinam castamque revertantur. Nec enim potest malum semen doctrinae bonam segetem operum producere: neque malus corvus bonum ovum: et ut Dominus ait; *Non potest arbor mala fructus bonos facere*, Haec de puritate doctrinae catholicae sufficiant.

CONCIO VI.

DE GLORIA MIRACULORUM

SYNOPSIS.

Ut sol et luna in coelo, oculi in corpore se habent; ita lumen miraculorum et prophetiae in ecclesia catholica se habere declaratur. Atque ut demonstretur, gloriam miraculorum semper in ecclesia viguisse, sedecim a Christi adventu seriatim recensentur saecula, in quibus singulis homines sanctitate claros et miraculis illustres extitisse ostenditur: Maxime vero praeter alios plurimos celebrantur passim Blandina foemina Martyr, milites in Marci Aurelii imperatoris exercitu Christiani, Gregorius Neocaesariensis episcopus, b. Eugenius, s. Joannes papa, Marcus monachus, s. Maurus et b. Pater Benedictus, episcopi quidam ab Arrianis linguis praecisis loquentes, b. Malachias, s. Bernardus, s. Dominicus, s. Franciscus, s. Catharina Senensis, s. Franciscus de Paula; qui postremus per accuratam comparationem Luthero, utpote suo coaetaneo, opponitur. Tandem miracula quae nostro hoc saeculo in Indiis a b. Francisco Xaverio societatis Jesu edita sunt, narrantur, et ad fidem tot miraculis stabilitam conservandam serio admonemur.

Quemadmodum optimus ille et sapientissimus artifex Deus magnum hunc globum, quem cernimus et in quo habitamus, duobus clarissimis luminibus sole et luna, quasi duobus oculis, tum ad speciem et decorem universi, tum ad utilitatem et commodum rerum viventium exornavit; et in corpore humano, quod tamquam parvus mundus quidam est, et cum ipso magno mundo partium multitudine et veritate contendit, duos oculos, quasi solem et lunam, in summo vertice posuit. Ita quoque, optimi auditores ecclesiam suam Christus quam instar corporis cujusdam optime constituti, et tamquam coelum quoddam et firmamentum esse voluit, duobus maximis luminibus, splendore miraculorum et luce prophetica, ita illustravit, et ab omnibus Satanae sinagogis separavit, ut vere sint caeci, qui eam non vident. *Surge illuminare Hierusalem, quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos: super te autem orietur Dominus et gloria ejus in te videbitur.* Hoc est discrimen inter Ierusalem, quae est Christi ecclesia, civitas Domini, civitas sancta, civitas regis magni, civitas super montem posita, et terras ac populos ethnicorum et haereticorum, quod cum terras et populos eorum tenebrae operuerint et caligo involverit, sola Hierusalem coelesti luce micat; sola claret miraculis, sola fulget prophetico lumine, sola radios suos in omnem partem orbis terrae diffundit, et oculos sanos catholicorum illustrat, aegros haereticorum excaecat.

Atque haec sunt argumenta duo, de numero illorum duodecim; quaeque initio adventus proposuimus, quae hodierna et duabus sequentibus orationibus ad fidei et religionis nostrae confirmationem explicanda sunt. Ac de miraculis quidem primo loco dicturi, ostendimus primum ab apostolicis temporibus nullis, unquam saeculis catholicae ecclesiae multa et praeclara miracula defuisse. Deinde videbimus, quid ad ea miracula haeretici respondere soleant. Postremo, ut etiam haereticos sua laude non fraudemus, eorum miracula breviter commemorabimus.

Percurramus igitur, si placet, sedecim saecula, quorum ab adventu Servatoris quindecim jam effluxerunt, sextumdecimum nunc agitur. De primo saeculo nihil est quod dicamus. Extant enim in manibus omnium et toto orbe leguntur volumina Evangeliorum, Liber Actuum apostolorum; Egesippi, Eusebii et aliorum veterum historiae, quibus vel Christi vel apostolorum ejus miracula continentur.

Alterum saeculum, quod ab anno Domini centesimo usque ad ducentesimum duravit, sanguine et prodigiis sanctorum martyrum et vitiorum apostolicorum illustrissimum fuit. Tunc enim sanctis martiribus fere omnibus commune erat, ut eos ignis et leones aliaque feroces bellae attingere non auderent cujus miraculi, ut communis, ac pene vulgaris meminit etiam s. martyr Ignatius in epistola ad Romanos. Unum dumtaxat miraculum ejus saeculi recensebo. Floruit ea tempestate in galliis inter alios celeberrimos martires Lugdunenses, (ut Eusebius initio libri 41. Historiarum Ecclesiasticarum scriptum reliquit) foemina quaedam nomine Blandina, quae cum putaretur ab omnibus ob nimiam corporis teneritudinem statim in primis suppliciis defectura, tamen Dei virtute confirmata, inaudita, atque exquisitissima tormenta a mane usque ad vesperam per multos dies cum admiratione omnium superavit. Porro interrogata, unde tantas vires haberet ad patiendum, respondebat, se quoties vocem illam bonae confessionis emisit: *Christiana sum*, toties sibi vires in integrum restauratas fuisse. Quod miraculum alio illustriori miraculo cumulavit: saepius enim ferocissimis feris objecta, nihil unquam ab eis laesionis aut molestiae pati potuit. Atque haec duo genera miraculorum majori parti sanctorum martyrum, illis temporibus communissima fuerunt. Eodem tempore cum impera-

tor Marcus Aureus in Germania bellum gereret, et undique montibus conclusus ipse cum eximio exercitu maxima fame et siti laboraret,et ab innumerabili Marcomanorum , Quadorum , Wandalorum , Sarmatarum,et Suevorum multitudine premi atque obrui se videret, vota Diis patris de more paganorum nuncupabat;sed cum diu orati atque obsecrati Dii nullam opem tantis malis adferrent, christianos rogavit,quorum aliquos in exercitu esse didicerat, ut ipsi pro sua et cuncti exercitus salute Christo supplicarent.Et ecce statim atque christiani illi milites in genua procubuissent ac Deo preces offerre coeperunt, magna vis diversis generis pluviae effusa est, quae Romanos quidem largissime et sine injuria reficiebat;Barbaros autem igne et grandine, crebrisque fulminum ictibus perterritos, praesertim cum plurimi occiderentur in fugam convertebat quorum terga Romani usque ad internecionem caedentes,gloriosissimam victoriam,et omnibus antiquorum tabulis praeferendam , rudi parvoque militum numero, potentissimo Christi auxilio reportarunt. Haec vero ita se habere testatur Tertullianus ad Scapulam et in Apologetico: testatur Eusebius in quinto Historiae eccles. libro capite 5 testatur Paulus Orosius libro septimo suae Historiae: testatur ipse Marcus imperator in litteris ad Senatum datis,quae nuper ex Vaticana Bibliotheca in lucem prodierunt. Denique testatur nomen novum ejus legionis , ex tunc enim legio illa christianorum, legio fulminea vel fulminatrix appellata est.

Iam vero tertium saeculum multos peperit viros illustres ex sanctitate ac miraculis claros. Sed omnium illustrissimus et clarissimus fuit magnus ille Gregorius Neocaesariensis episcopus,qui ob operum admirabilium perpetrationem magnus et mirificus a Graecis dictus est.Nam et montes transtulit,lacus exsiccavit et baculo suo in terram defixo, qui postea in arborem excrevit, fluminis impetum exercuit et foeminam quamdam a morte ad vitam revocavit, ac oraculo Apollinis respondendi facultatem, quando placuit, ademit, et quando placuit, restituit. Haec vero non Ruffini commenda sunt,ut Magdeburgenses historiae somniant: nam et Basilii Magni in libro de Spiritu sancto, et Nysseni in historia, quam de vita et gestis eius, de quo loquimur magni Gregorii accurate conscripsit, et b.Hieronymi lib. de viris illustribus aliorumque veterum et sanctorum Patrum testimonio comprobantur.

Porro quartum saeculum, si quod aliud virorum sanctissimorum signis ac prodigiis clarissimorum feracissimum fuit. Tunc in Orientem claruerunt s. Antonius,Hilarion, Nicolaus Myrensis, b. Martinus Turonensis, b. Ambrosius Mediolanensis, aliisque plures, quorum innumera et maxima miracula magnus Athanasius, b.Hieronymus, Gregorius Nyssenus , Sulpitius , Palladius , Sozomenus , Socrates, Theodoretus, divusque Paulinus memoriae prodiderunt.

Quinto saeculo cum in aliis locis , tum potissimum in Africa tempore Wandalicae persecutionis, multi sancti homines signis et prodigiis enituerunt. In eo fuit b. Eugenius,quem Victor Uticensis libro altero Wandalicae persecutionis scribit caeco cuidam in tota civitate notissimo ad invocationem augustissimae Trinitatis,quam Arriani tunc oppugnabant, edito signo crucis lumen restituisse. Sed illustrissima sunt ea viginti duo miracula , quae b. Augustinus libro vigesimo secundo de civit. suis temporibus hoc ipso quinto saeculo edita fuisse commemorat,qui etiam addit,vix minimam partem miraculorum se attigisse ; atque affirmat multos libros scribendos fuisse, si vel sola miracula , quae ad solas reliquias protomartyris Stephani in sola Africa sola biennio edita fuerant,recenseri debuissent.

Saeculum sextum quanto numero maximorum prodigiorum illustre fuerit, ex libris 4 dialogorum b. Gregorii Romani et ex historia Gregorii Turonensis facile cognosci potest. Sciorideri hos libros ab haereticis; sed ipsi potius ridendi ac simul deplorandi sunt.Magnus enim Gregorius non ea scribit , quae ante duo vel tria annorum millia facta fuerant, sed gesta et miracula sanctorum sui saeculi,et praesertim Italorum quae ipse omnium optime noverat, et quae facillime ob recentem memoriam a multis reprehendi potuissent, si falsa fuissent.Itaque velint nolint haeretici,eo saeculo omnia apostolica signa revocata sunt. Tunc s. Joannes pontifex Romanus Constantinopoli omni populi inspectate coeco lumen restituit: tunc s. Agapitus,et ipse Romanus Pontifex in eodem loco eodem inspectante populo post sacrorum solemnia claudum simul et mutum curavit: tunc Marcus Monachus magnam rupem orando loco movit: tunc s.Maurus b. Benedicti discipulus super aquas siccis pedibus ambulavit:tunc beatissimorum et innumerabilium sanctorum parens Benedictus,inter alia miracula,quibus quotidie coruscabat , puerum quemdam casu ruentis parietis oppressum,et non solum extinctum, sed etiam confractum et contritum, ut non nisi in sacco portari potuerit,orando ad vitam et sanitatem subito revocavit:tunc in Africa catholici quidam episcopi ab Arrianis radicitus praecisis linguis rectissime et plenissime loquebantur.Et b.Gregorius lib. 3.dial.c.32. se episcopum quemdam senem vidisse affirmat, qui eos sanctos episcopos sine linguis loquentes audivit. Asserit quoque unum eorum,cum peccatum quoddam luxuriae incidisset, statim donum loquendi sive linquam amisisse,ut intelligant fornicarii et impudici homines, quantum Deo nostro flagitiosa et impudica vita displiceat , qui donum , quod propter bonam confessionem contulerat , propter fornicationem abstulerat.

Jam septimo saeculo Christi ecclesiam non periisse, ut multi haereticorum mentiuntur; sed magnum incrementum suscepisse,testis est insula Britannia, quae illo saeculo ad praedicationem, et signa et prodigia b.Augustini et sociorum ejus fidem Christi recepit? testis venerabilis Beda, qui in Historia gentis suae miracula ejusdem b. Augustini, nec b. Melliti et sanctissimi regis Osuvaldi et aliorum commemorat.

Porro saeculum octavum in eadem insula Britannia tunc recens ad fidem conversa,ut alias interim ecclesiae catholicae partes omittamus, multos edidit viros clarissimos , ac in primis sanctum Cuthbertum et sanctum Joannem , quorum virtutes et

miracula, in quibus etiam et mortuorum excitationes continentur, venerabilis ille Beda in eadem historia memoriae tradidit.

Tria sequentia non tam viris sanctis et prodigiorum effectoribus, quam bonis et diligentibus scriptoribus claruerunt. Habet tamen saeculum nonum, licet sterile admodum fuisse videatur, cum aliis nonnullis magnum illum Tharasium Constantinopolitanum patriarcham, qui in septima synodo contra iconomachos pro vera fide acerrime pugnavit quam hoc tempore Calvini sectatores acerrime impugnant, quia miraculis non exiguis claruit, ut ex Ignatio Nicaeno, quam vitam ejus litteris mandavit intelligi potest. Vidit et idem saeculum nonum, in posteriore translatione corporis sancti Remigii Rhemorum archiepiscopi, omnia pene morborum genera divinitus curari.

Decimum saeculum tametsi scriptorum penuria maxime laboret, habet tamen nihilominus, praeter alios quosdam illustrissimum regem Bohemorum Wenceslaum: habet s. Conradum, habet s. Udalricum: postremo, ut caeteros omittam, celeberrimum illum Romualdum Ravennatem, cujus vitam et miracula Petrus Damianus conscripsit.

Undecimum saeculum in Anglia felicissimum regem et virginem Eduardum; nec non sanctissimum et eruditissimum episcopum Anselmum; in Italia vero b. Petrum Damianum, et b. Ioannem Gualbertum, quorum habemus miracula multa et magna a fide dignis et probatis auctoribus tametsi minus eloquentibus, conscripta.

Jam quinque ultima saecula ab haereticis nostri temporis maxime contemnuntur: se mihi, quantum attinet ad miracula, florentissima et felicissima esse videntur. Habuit enim Romana ecclesia saeculo duodecimo, ut alios omittam pene infinitos, duo illa clarissima lumina, b. Bernardum et b. Malachiam, quorum uterque Romanae sedi addictissimus fuit, quod nec haeretici necant, uterque signis innumerabilibus claruit, quod negare, etiamsi velint, non possunt. De b. Malachia ita loquitur b. Bernardus, posteaquam nulla ejus miracula enumeravit: *Haec*, inquit, *dicta sunt pauca quidem de pluribus, sed multa pro tempore: unde satis apparet, Malachias meus quantus in meritis fuit, qui multus in signis extitit. Quo enim antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? Si bene advertimus, pauca ipsa, quae dicta sunt, id clare docent, non prophetia defuit illi, non revelatio, non ultimo impiorum, non gratia sanitatum, non mutatio mentium, non denique mortuorum suscitatio.* Beati vero Bernardi (in quo ita summa religio et probitas cum summa eruditione et eloquentia conjuncta fuit, ut merito a nonnullis apostolus XIII nominetur) signa et prodigia tam multa, tam varia, tam admirabilia fuerunt, ut si pro dignitate referantur, multos libros occupare possint: ego sane istis diebus conatus sum ea miracula enumerare, quae in quinque libris de vita ejus conscriptis, ab ipso edita referuntur: sed fateor, multitudine, victus destiti. Quid enim enumerarem, cum uno solum die et uno et in loco circa pagum quemdam Constantiensis dioecesis caecos undecim, mancos decem, claudos decem et octo, sola manuum impositione curasse, ii qui viderant, attestentur?

Jam saeculo tertiodecimo excitavit Deus in ecclesia sua duo alia lumina clarissima b. Dominicum et b. Franciscum, qui tum per se, tum per alios suae familiae sanctissimos viros mundum totum innumerabilibus, et maximis signis et prodigiis illustrarunt. Ac b. Dominicus quidem, praeter alia minora, tres mortuos homines, dum in terris viveret, ad vitam revocavit: post obitum vero adhuc plures sua apud Deum intercessione revocasse fertur. Beatus vero Franciscus nullum fere diem sine multis et magnis miraculis transigebat: nec solum dum viveret inter homines, sed etiam dum ad coeleste domicilium commigrasset, signorum gloria in hominum utilitatem coruscabat: ex quibus beatus Bonaventura, qui vitam ejus diligenter scripsit, supra nonaginta commemorat, atque in iis octo mortuos excitatos et septem caecos curatos refert. Sed signum maximum et singulare, ac quasi prodigium prodigiorum sacra illa signata fuerunt. Quid enim quaeso, erat, videre hominem, Christum ipsum et hunc crucifixum, in suo corpore ad vivum referentem? manus et pedes (ut verbis utar d. Bonaventurae) clavis divinitus transfixae videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum et superiori parte pedum apparentibus, et eorum acuminibus extentibus, ex adverso, erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra: ipsa vero acumina oblonga, retorta et quasi repercussa, et de ipsa carne surgentia et carnem reliquam excedentia. Dextrum quoque latus quasi lancea percussum, rubra cicatrice obductum erat et saepe sanguinem sacrum ostendebat. Sane qui virum istum tam humilem, tam sanctum, tam sapientem, tanta gloria signorum coruscantem, ab ipsis Domini crucifixi sacris stigmatibus in testimonium ardentissime charitatis consignatum Dei amicum et singularem amicum fuisse, et veram fidem coluisse et docuisse non credit, cum obstinatis daemonibus optimo jure numerari potest. Fidem vero ejus nostram fidem esse, haeretici non negant, et quando etiam negarent, testamentum ejus clamat, in quo nihil magis fratribus suis et nobis omnibus, quam fidem Romanae Ecclesiae commendavit. De sacramento Dominici corporis ita sentiebat, ut diceret, eos, qui viderent speciem illam panis oculis externis, et oculo interno verum Christi corpus sub ea specie existere non credunt, non minus ad gehennam contemnari quam scribas et pharisaeos, qui Christi humanam naturam videbant, et in ea divinam delitescere, credere non volebant.

Saeculo quartodecimo praeter alios obscuriores sanctos duae admirabiles foeminae claruerunt, Brigitta Svecа et Catharina Senensis; ac ut de posteriori, quae mihi notior est, aliquid dicam, ea non solum ab infantia sua sponsum animae suae Christum incredibili fervore dilexit, et multis et magnis miraculis claruit; sed etiam, quod magis admirandum est, tanta sapientia divinitus infusa, tantaque efficacia dicendi praedita fuit; ut plures ipsa homines peccatores privatis colloquiis ad Deum converteret, quam multi simul concionatores convertere potuissent. Unum ejus factum breviter commemorabo. Erat quidam eo tempore celeberrimus peccator, cujus conversionem pene omnes desperaverant: istum igitur b. Caterina cum aliquando convenire

coepisset,multa de salute animae ipsius loqui coepit, sed cum ille verbi sanctae virginis quasi lapis non flecteretur,illa paululum collecto spiritu intra se breviter oravit, et statim percussit Dominus petram et fluxerunt aquae.Ille siquidem totus perfusus lachrimis, corde lapideo in cor carneum repentina mutatione converso, poenitentiam promisit et inchoavit. Dum beata illa quasi subridens : Disce, inquit, quid intersit inter dulcedinem Patris nostri Dei et hominum duritiam: tam longa oratione tecum egi, et numquam me audire voluisti ; oravi Deum oratione brevissima, et statim audivit.

Saeculo quinto decimo multa lumina in ecclesia sua Deus accedit,ex quibus duo mihi occurrunt in praesentiarum b.Vincentius Ordinis Praedicatorum et b. Bernardus ordinis Minorum; utriusque vitam miraculis illustrem scribit archiepiscopus Antoninus, qui eodem saeculo sanctitate ; eruditione et miraculis claruit.Ista haeretici non solum non credunt, sed nec scire quidem dignantur,quod auctorem recentiorem habeant, et testimoniis veterum destituantur:quasi vere potuerunt veteres de rebus novis scribere. Sed cur, quaeso, b. Antonino de miraculis eorum sanctorum non credam, qui ejus aetate floruerunt, et credam istis insanis hominibus, qui heri aut nudiustertius nati sunt?

Postremo hoc nostro saeculo illo fere tempore, quo Martinus Lutherus sua zizania seminare coepit, floruit in Italia alius quidam Franciscus, auctor et parens hominum illorum religiosorum, qui in Gallia Boni homines, in Italia Minimi dicuntur, qui tam multis et eximiis signis enituit, ut nullus sit ex veteribus, cum quo merito comparari non possit, et nonnullos adhuc hodie superesse credibile est, qui ea signa vel ipsi viderunt.Itaque eodem fere tempore (perpendite quaeso rem istam) homines duo contrarii inter se extiterunt, Lutherus in Germania, Franciscus in Italia. Lutherus cucullam,quam habebat abiecit;Franciscus induit, quam non habebat.Lutherus docuit nihil valere jejunium et ciborum delectum esse superstitiosum; Franciscus ordinem instituit, in quo qui vivere volunt, frequenter jejunare et perpetuo a carnibus et lacticiniis se abstinere debent. Lutherus coelibatum, obedientiam et voluntariam paupertatem tamquam res inanes et hominum commenta detestatus est; Franciscus res easdem tamquam utilissima Christi consilia incredibili devotione complexus est. Lutherus quotquot potuit ex monasteriis ad saeculum vocavit; Franciscus quotquot potuit a saeculo pertraxit ad monasteria. Lutherus Leonem decimum Antichristum videri et haberi voluit,Franciscus eidem Leoni, cum nondum esset pontifex, pontificatum praedixit, eique ut vero Christi vicario ordinem suum debita humilitate ac devotione subjecit.Uter istorum a recto tramite deflexit?Franciscus an Lutherus? Nam uterque recta via procul dubio non incedebant,cum eorum vita et mores et studia essent contraria omnino. Sed quod haeremus in plano?Quid caligamus in sole?An non Deus ipse quaestionem istam dissolvit, cum unum miraculis maximis ornaverit ; alterum vitiis et sceleribus cooperiri permiserit ? Quid ? Praedicat b. ille Franciscus adhaerendum apostolicae sedi,frequentanda jejunia,colendum coelibatum, sanctos invocandos eorum reliquias et imagines honorandas,et miraculis coruscat ; praedicat Lutherus omnium contrarium, et ne pulicem quidem unum unquam excitare potuit,et nos dubitavimus a qua parte stet veritas? An non Deus cum b. Francisco doctrinam et mores miraculis caelitus confirmat, simul Lutheri doctrinam et mores illis omnino contrarios condemnabat?

Quid? Quod etiam nostra memoria in extremo Oriente et Septemtrione, in Indiis et insola Japonia, a Catholicis praedicatoribus in ejus fidei confirmationem, quam Lutherus et Calvinus impugnant, omnia genera miraculorum esse patrata constat ? Unum solum exemplum si recitavero finem faciam. Scribit b.Franciscus Xaverius,homo nostri ordinis, qui ab India usque Iaponiam per immensum spatium maris, et terrarum Christi evangelium seminavit, et multa hominum millia a tenebris errorum ad lucem veritatis adduxit ; scribit, inquam, ad ipsum generalem praepositum nostrae societatis cui (certe mentiri numquam auderet) se cum esset pene solus, et per se omnibus, qui curationem corporis, aut animi postulabant, satisfacere non posset, misisse pueros recens baptizatos, qui symbolum apostolicum et christianas preces super aegros recitarent, et multos eo modo non solum corpore sanatos, sed etiam beneficio commotos ad fidem et baptistum accessisse.De ipso vero Francisco viro sancto, scribunt ii,qui cum eo versati sunt,quique eum saepe viderunt et audierunt,eum raro admodum orationem Dominicam super aegrotos recitasse, quin statim curarentur: nec solum aegros quoscumque,sed etiam mutos,surdos,caecos,paralyticos, oratione et manuum impositione curasse, daemones ejecisse, mortuos excitasse, et quod majus est, corpus ejus virgineum (nam virgo erat) adhuc integrum, incorruptum, vividum et suavem odorem spirans perdurare, cum tamen initio totos quindecim menses in calce defossum jacuerit.Quid unquam tale haeretici fecerunt? Proferant ipsi sua miracula. Ista faciunt ii, quos non Lutherus, non Calvinus, sed Romanus pontifex ad praedicandum mittit, quique novum orbem a cultu idolorum, non ad lutheranismum, sed ad obedientiam Romanae sedis adducunt.

Quare nos, auditores optimi, habentes fidem tot miraculis confirmatam, ut vere cum Ricardo et S. Victore dicere possimus, si error est quem tenemus, tu Domine nos decepisti, habentes literas Dei sigillo magni regis divinitus consignatas, atque munitas, eas, quaeso, omni diligentia conseruemus : neque comittamus ; ut literis Dei quibus solis haeredes regni coelestis instituti sumus, dolo haereticorum nobis ereptis, ipsi suas tabulas nullo sigillo communitas obtrudant. Tabulae enim haereticorum, tabulae mortis sunt, et testimonium infernorum, iisque literis persimiles, quas Urias Hethaeus ferebat, quae nihil aliud, quam ejus damnationem et necem continebant.

CONCIO VII.

DE MIRACULIS HAERETICORUM

SYNOPSIS

Obiectiones haereticorum contra gloriam miraculorum diluuntur; qui in primis illa simpliciter negant, quod absurdissimum esse confirmatur, Deinde, ea fieri daemonum praestigiis impudenter blaterant, qua objectione se pharisaeis, et haereticis priscis conformant, ubi daemonem non posse vera miracula facere convincitur, et Calvini mendacium diluitur. Praeterea obiiciunt, illa non esse necessaria nec firma: quod tamen falsum esse multis sacrae scripturae testimoniis probatur.et qua de causa Ioannes Baptista nullum ediderit miraculum disseritur. Cur etiam mali aliquando faciant miracula, exponitur. Modus effugiendi optimus haereticis suggeritur, ut nimirum vicissim miracula fingant.Enumerantur deinde haereticorum miracula, ut sunt Simonis magi Manichaei, Donatistarum, Arrii, Cyrolae episcopi arriani,Eunomiani, Polyehronii, veterum; nostri vero temporis. Tandem quid impudens Lutherus pro miraculo habeat, cum detestatione miraculorum haereticorum,ostenditur.

Apostolicam fidem, auditores optimi, quam semper docuit atque docet apostolica et catholica Christi ecclesia, ingenti gloria miraculorum singulis aetatibus coruscare oratione superiori, quod meminisse vos puto, ex hoc loco docuimus. Nunc nebulae quaedam, eaeque pertenues, quibus haeretici fulgorem prodigiorum nostrorum obscurare conantur, luce veritatis dissipatae sunt.

Quid igitur adferunt primo loco?Negant ea miracula a nostris edita, quae recensuimus. Asserunt, multa de Antonio et Hilarione ab Athanasio et Hieronymo fabulosa narrari;d.Hieronymum in Paulo et Malcho, ut bonum rethorem lusisse,non historiam serio scripsisse;Gregorium in Dialogis multa mentitum; Palladium multorum vitam edidisse, qui numquam vixerunt:et simili ratione ab aliis se parvo negotio expediunt. Quid istis hominibus faciemus? Quod argumentum ista responsione non solvent. Proponimus vitam sancti Pauli,et miraculum duorum leonum, qui coram b.Antonio sepulchrum b. Pauli unguibus effoderunt. Respondent,fabulam esse duorum leonum, et Paulum ipsum numquam extitisse. At scripsit Hieronymus. Hieronymus, inquiunt, non scripsit serio; sed lusit, ut rhetor. At s. Hieronymus in extrema narratione optat sibi tunicam b.Pauli cum meritis ejus. Respondent,est color Rhetoricus. At Hieronymus in praefatione vitae b. Hilarionis conqueritur de iis, qui docent Paulum numquam extitisse:et in libro de viris illustribus inAntonio affirmat b.Antonium ea narrasse de Paulo quae ipse literis commendavit. Iste ipse, inquiunt, est alius color.

Sed si ita disputandum est, quid prohibet, quin et nos dicamus, historiam Magdeburgensium, unde didicimus istos novos colores rhetoricos fabulam esse? historiam Illyricum cum sociis non serio scripsisse, sed ioco? Itaque insania est nimis aperta, ea velle negare facta, quae illustrissimi et fide dignissimi scriptores facta esse tradunt.Quid? Non credemus Athanasio? Non credemus Basilio? Non Hieronymo? Non Augustino? Non utrique Gregorio? Non Bedae? Non Bernardo? Non Bonaventurae? Non caeteris viris sanctissimis et doctissimis, et qui suo tempore miracula scripserunt? Credemus vero Magdeburgensibus, quorum quotidie crassissimis errores et apertissima mendacia deteguntur? et credemus de iis rebus, quae ante mille annos contigerant?Quae major stultitia cogitari potest, quam non credere Athanasio de Antonio et Hieronymo, de Hilarione, Bernardo de Malachia, qui eorum temporibus vixerunt; et credere hominibus de iisdem, qui eos numquam,neque per somnium viderunt? Huc accedit, quod multa eorum miraculorum, quae concione superiore circa finem commemoravimus, adhuc viventes et oculatos habere testes credibile est.

Altera haereticorum responsio est, nonnulla a nostris prodigia facta esse quidem, sed praestigiis daemonum, non virtute divina, sicut etiam Antichristus miracula faciet,si apostolo credimus.Nam et Magdeburgenses beatissimum Martinum necromanticum, et b. Brigittam magnam fuisse volunt. Imo Martinus Lutherus et Calvinus passim sanctorum miracula praestigiis attribuunt. Et Calvinus quidem praefatione in suas Institutiones invictissimo argumento sibi visus est demonstrasse, vera miracula aliquando daemonum arte fieri, Docet enim, olim Aegyptios sepultum apud se Ieremiam prophetam, sacrificiis aliisque honoribus prosecutos,atque adeo sancto propheta ad idololatriam abusos, et tamen ea sepulchri veneratione; quae apertissima erat idololatria,multa beneficia,quasi divino miraculo esse consecutos.

Sed vultis dicam,quid hac tam acuta responsione nobilia ista ingenia assequant?Illud assequuntur, ut se veros nepotes atque haeredes Judaeorum,

Ethnicorum et veterum haereticorum esse prodant. An non et Pharisaei de Christo dicebant; *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia?* An non sanctos martyres propter admirabilia signa et prodigia, quae faciebant, cum eos famelici leones attingere non auderent, et ignis, quo nihil est voracius ejus appropinquare quodammodo formidaret, passim Ethnici magos, necromanticos appellabant? An non beatus Hieronymus in lib. contra Vigilantium, Eunomio et Vigilantio impurissimis haereticis, haeresim istam placuisse docet, qui miracula sanctorum daemonum praestigiis adscribunt? An non s. Ambrosius sermone 56 de Gervasio et Prothasio, in Arrianos sui temporis invehitur, quod miracula, quae toto inspectante populo ad sanctorum reliquias publice fiebant, soli ipsi calumniarentur, et vera miracula esse negarent? An non sanctus Victor uticensis libro altero de persecutione Vandalica testis est fide dignissimus, cum in Africa s. Eugenius in fide Trinitatis notissimo quidam caeco lumen restituisset, statim Arrianos clamasse, id Eugenii maleficiis procuratunt, et magis caecum illum interrogationibus variis Arrianos vexasse, quam olim Parisaei caecum a Domino curatum vexarunt? Multa talia exempla adferri possent, ex quibus facile discimus, haereticos nostri temporis nihil penitus a majoribus suis degenerare.

Sed quando nihil istorum esset, quis unquam audivit, daemonum praestigiis caecos, aut surdos curari vel mortuos ad vitam revocari? Alia sunt, quae daemonum praestigiis fieri solent, ea videlicet, quae neque rei creatae potentiam superant, neque in hominum commodum et utilitatem sed in ruinam et detrimentum credunt. Poterit magus daemonum praestigiis stannum pro argento, et cuprum vel etiam carbones pro auro tibi dare, poterit homines et jumenta, Deo permittente, vexare, debilitare, sensuum functionibus privare, fauciare etiam et interficere, poterit segetes comburere, domos evertere, arbores radicare, ignem aliunde allatum quasi de coelo demittere: ista et similia facere possunt et faciunt aliquando daemones et magi daemonum cultores. Nam et in historia s. Job talia facta fuisse legimus: et etiam talia futura Antichristi miracula, satis aperte d. Paulus docet, cum ea miracula appellat mendacia. Sic enim loquitur in epistola posteriori ad Thessalonicenses: *Cujus*, inquit *est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute et signis prodigiis mendacibus.* At vera miracula, quae omnem potentiam creatam hominum, daemonum, angelorum et universae creaturae vincunt, et in hominum commodum et utilitatem fiunt, ut excitatio mortuorum, caecorum surdorum liberatio, mentium penetratio et conversio, qualia a sanctis hominibus facta fuisse se docuimus, daemonum praestigiis adscribi non possunt.

Quod vero Calvinus adducit de miraculis Jeremiae, quae hominibus illis quasi divinitus praestabantur, qui sanctum prophetam tamquam aliquem Deum sacrificiis aliisque divinis honoribus colebant, non est argumentum, sed mendacium apertum, qualibus plena sunt scripta sectariorum. Epiphanius enim et Isidorus in vita Jeremiae tradunt quidem, quod in precio et veneratione apud Aegyptios erat, ideoque non immerito miracula fieri, non solum Christianis, sed etiam ethnicis beneficia multa praestari, quod causam nostram vehementer juvat: sed vel Aegyptios vel alios quoscumque sacrificiis divinisque honoribus Jeremiam aut ejus sepulchrum prosecutos, nusquam legitur, nisi apud Calvinum. Itaque hoc ipsum argumentum eis maxime nocet. Si enim Deus propter s. Prophetae merita, etiam ethnicis beneficia praestabat; quomodo non credibile est (quod tamen haeretici non credunt) propter intercessionem et merita sanctorum martyrum ipsis christianis et fidelibus eadem beneficia posse praestari?

Dicent, non magnifacienda esse miracula, etiam vera, quod illa quidem aliquando sint divina testimonia, sed neque necessaria neque firma. Nam quod necessaria non sint, unus Joannes Baptista docet, qui *signum quidem fecit nullum*, ut Evangelium loquitur: et tamen *fuit homo missus a Deo, ut testimonium perhiberet* veritati. Quod vero infirma ac debilia, vel ex eo cognosci potest, quod etiam per improbos et sceleratos homines aliquando Deus miracula operetur: *Multi dicent mihi*, ait Dominus, *in illa die*; *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et nunc confitebor illis, Quia numquam novi vos.*

Sed facilis est et aperta responsio: Scripturae siquidem illustriores sunt quam ut illorum tenebris obscurari possint. Nam si non sint miracula ad fidem persuadendum necessaria, cur Dominus ait; *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent?* Cur idem Dominus, cum apostolo ad praedicandum misit, simul signorum faciendorum potestatem attribuit? *Euntes*, inquit, *praedicate dicentes*; *Appropinquavit regnum coelorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eiicite.* Si vero infirma ac debilia testimonia sunt, cur Dominus per Isaiam verum Christum ac pseudoprophetis internosci volens, tamquam signum certissimum dedit, narrationem miraculorum? *Deus ipse*, inquit, *veniet et salvabit nos*? et tamquam aliquis quaesisset, quod signum das nobis adventus ejus? *Tunc*, inquit, *aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt: Tunc saliet sicut cervus claudus et soluta erit lingua mutorum.* Si non sint miracula firma testimonia, cur Dominus discipulis Joannis quaerentibus, An ipse esset verus Messias, coram eis, ut Lucas ait, *in ipsa hora curavit multos a languoribus et plagis et spiritibus malis et caecis multis visum donavit*, et tunc respondit: *Euntes renunciate Joanni, quae audistis et vidistis; caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*? Si non sint miracula firma testimonia, cur Deus Judaeorum incredulitatem illis verbis castigavit; *Si mihi non credite*? Et, *Ego testimonium habeo majus Joanne: Opera quae ego facio in nomine Patris mei, illa sunt, quae testimonium perhibent de*

me? Si non sint miracula firma testimonia, cur nos apostolus exterret illis terribilibus verbis: *Quomodo*, inquit, *nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est: contestante Deo signis ac portentis ac variis virtutibus et Spiritus sancti distributionibus?* Et in lege veteri cur Dominus tam frequenter, ut Judaeos in fide et religione contineat, ad memoriam revocat illa ostenta et prodigia, quae fecit in Aegypto? Non igitur supervacanea et infirma, sed necessaria et firmissima sunt vera miracula ad fidem et religionem confirmandam. Non vero inficior, auditores, tantam fidem lutheranis esse, ut vere nullis miraculis indigeant. Quis enim neget eos magnam fidem habere, qui credunt se etiamsi inquinatissime vivant, tamen amicos Dei esse et optimum locum in regno coelorum habituros? Stulti sumus, lutheranos insigniter credulos non arbitramur, qui apostatae Luthero praedicanti malum esse bonum et bonum malum, album nigrum nigrum album, et omnia dogmata pietatis evertenti sine ullis signis et prodigiis credere potuerunt. At nos qui homines sumus modicae fidei, et illud sapientis, formidamus: *Qui cito credit, levis est corde*, eam fidem, quam cum infinitis et maximis, et soli Deo propriis miraculis confirmatam scimus, Deo propitio non facile deserimus.

At *Ioannes* Baptista *signum fecit nullum.* Ita est, sed neque necesse erat, neque oportebat, ne si ad illam eximiam vitae sanctitatem miracula accessissent. Christum postea similia facientem, populi vel contemnerent vel non magnifacerent. Deinde, non est mirum, si Joannem, etiam sine miraculis, populi audiebant et venerabantur. Nam et sanctissimam atque innocentissimam vitam ducebat, et ab ecclesia ejus temporis, et a principibus sacerdotum et scribis et pharisaeis, apud quos tunc vera fides conservabatur, testimonium habebat. At nos quomodo Novatores istos audire poterimus, quos ecclesia Christi et summus sacerdos anathematis fulmine percusserunt, tamquam morbidas oves a reliquo grege separaverunt, et quos scimus non solum miracula non edere, sed etiam scelestissime et corruptissime vivere?

Quod vero dicunt, per improbos etiam aliquando fieri miracula, atque idcirco sanctos homines, qui in Ecclesia catholica signis enituerunt enituerunt et prodigiis, cum illis suis prodigiis, impios et Dei hostes esse potuisse, facile refellitur. Siquidem vera miracula, cum veri Dei testimonia sint, frustra numquam fiunt, sed vel fidem veram confirmant, et tunc tam per probos quam per improbos fieri possunt: vel non tam Christi fidem, quam servorum Christi vitae sanctitatem et excellentiam declarant, et tunc nemo dubitat, quin per solos pios et probos fiant. Deus enim, qui ipsa veritas est, testis mendaciis esse non potest. Eligant iam haeretici quod volunt: vel miracula sanctorum Benedicti, Francisci, Bernardi, Malachiae et aliorum, quos nobis hoc est Romanae ecclesiae, libenter concedunt fidem Christi confirmabant; vel sanctitatem eorum declarabant. Si fidem confirmabant, vera est nostra fides lutheranorum, nec enim illi aliam fidem, quam suam, quae eadem nostra est, confirmabant. Si vero eorum sanctitatem declarabat Deus per miracula illa, igitur vere sancti et Dei amici erant benedictus, Bernardus, Malachias, Franciscus et caeteri, quos diximus. Sanctus vero Dei amicos, quis nescit sine vera fide ut religione esse non potuisse? cum sit fides radix, principium, fundamentum justitiae, et *impossibile* sit, ut apostolus ait, *sine fide placere Deo.* Quod si vera fuit sanctorum nostrorum fides haereticorum, quae cum illa ex diametro pugnat. Itaque quocumque se vertant; quicquid elegerint aut dixerint, se penitus captos et irretitos invenient.

Sed docebo ego illos optimam viam elabendi, neque mihi succenseatis, si eis aliquam opem fero: debemus enim etiam inimicorum misereri. Quid igitur ipsi respondebunt? Si sapiant, miraculis opponent. Multa sunt enim et admirabilia valde prodigia haereticorum. Nam ut omittam prophetas Baal, qui cum Elia propheta Domini contendentes, flammam de coelo ad holocaustum incendendum demittere voluerunt, et sane fecissent, nisi Baal eo tempore dormivisset: certe animus bonus miracula faciendi non defuit. Ut nihil dicam de miraculo illo stupendo Dathan et Abyron, qui vestiti et calceati ut liberis suis et uxoribus, et omni substantia sua vivi descenderunt in infernum. Ut taceam de miraculis Aegyptiorum magorum, qui Deo permittente suis praestigiis virgas in dracones converterunt, et eodem non permittente, minutissimas muscas excitare non potuerunt. Ac ut ista et nonnulla alia miracula pseudoprohetarum veteris instrumenti praeteream, quis non admiretur celeberrimum Simonis Magi primi haeresiarchae prodigium? qui ut Egesippus auctor est, mortuum hominem ad vitam revocare voluit, sed cum hoc ei non successisset, et apostolus Petrus eum mortuum postea excitasset, offensus injuriis Galileorum (sic enim sanctos apostolos Petrum et Paulum appellabat) in coelum evolare decrevit. Sed scitis quid acciderit? Cum hoc miraculum tota Roma inspectante futurum esset, etiam Galilaei, hoc est, apostoli, adfuerunt: et Simon Magus ferentibus daemonibus per aerem volare, et apostolus Petrus ad terram prostratus Dominum orare coepit. Pervenit autem prior in coelum oratio, quam volatur, et a Domino impetravit, ut is qui iam volare sciebat et pedibus non indigebat, continuo graviori lapsu pedes amitteret. Itaque infelix Simon, quasi fulmine quodam ad terras dejectus supervixit quidem aliquamdiu, sed crucibus fractis, ut qui non contentus ambulare, sed etiam volare voluerat, jam nec volare posset, nec ambulare.

Sequitur miraculum Manichaei, qui ut Epiphanius haeresi sexagesima sexta, et Theodoretus libro altero fabularium haereticarum scriptum reliquerunt, cum se Spiritum sanctum esse, et omnia nosse et posse praedicaret, rogatus ut filium regis Nersarum, qui morbo aliquo, forte non usque adeo gravi laborabat, susciperet curandum, atque eo modo sapientiam et potentiam suam ostenderet, assensit. Sed paucis post diebus ita illum suis me-

dicamentis curavit,ut numquam amplius deinceps non solum medico,sed nec cibo nec potu indigueri. Quare rex persarum graviter (ut par erat) contra Manichaeum commotus,statim arundine praeacuta, ei viventi et videnti pellem detrahi, et deinde. canibus jussi obiici devorandum.

Jam Donatistae, quorum haeresis non diu post haeresim Manichaeorum orta est, duo vera miracula ediderunt. sed inviti, et idcirco laudem non merentur. Scribit d. Optatus libro altero contra Parmenianum, voluisse Donatistas plusquam impio et nefario miraculo tentare, utrum Domini sacratissimum corpus,quod in eucharistiae sacramento continetur, possit a canibus devorari. Et utrum ampulla sancti chrismatis, quo homines Christiani confirmantur, ita firma esset, ut allisa ad lapides non frangeretur.Itaque sacrosanctam eucharistiam, quod horreo dicere, canibus obtulerunt: et ampullam sancti chrismatis per fenestras magna vi projecerunt: sed statim quidem canes iidem rabie accensi, ipsos suos dominicos dentibus laniarunt; et ampulla sancti Chrismatis angelica manu suscepta,inter durissimos lapides integra et illaesa consedit.

Porro Arrius magnus ille princeps haereticorum, qui nostris diebus in Luthero et Calvino,ut suo loco demonstrabimus, resurrexit, unus fuit de numero illorum, qui in morte primum incipiunt miraculis coruscare. Is enim cum aliquando in urbe Constantinopolitana magna multitudine stipatus episcoporum et aliorum suae sectae haereticorum, ad templum procederet, ut etiam invito episcopo in communionem fidelium reciperetur, accidit, ut ad quamdam naturae necessitatem ad publica loca declinare deberet. Itaque perrexit ad locum,et interim (quod sane pulcherrimum erat) omnis illa caterva episcoporum magnorumque virorum Arrium exonerantem alvum in platea praestolabatur. Sed cum diu jam exspectassent et Arrianus reverti non velle videretur, mittunt qui eum vocaret:ille vero fidelissimo miraculo intestinis ac visceribus omnibus in latrinas effusis, jam daemonibus foetidam animam perpetuis flammis cruciandam reddiderat. Rem ita se habere testatur Epiphanius haeresi sexagesima nona,testatur Ruffinus et Theodoretus, uterque in libro historiarum ecclesiasticarum primo.

At quo loco tandem ponemus illustrissimum prodigium Cyrolae episcopi Arriani? Iste siquidem,ut beatus Gregorius Turonensis libro secundo historiarum scriptum reliquit,cum vidisset sanctum Eugenium episcopum catholicum,signo crucis notissimo cuidam caeco lumen et oculos restituisse, voluit, ipse quoque tale quid agere, hominem quamdam ignotum quinquaginta nummis aureis subornavit, qui se caecum fingeret,ac repente lumen oculorum ab se recepisse diceret. Re igitur ita composita,praetereunte quadam die Cyrola haeretico cum sancto Eugenio, et duobus aliis episcopis, his qui se caecum simulabat, magna lugubrique voce Cyrolam appellare coepit? Audi me (inquit), mi beatissime Cyrola, audi me sanctae sacerdos Dei,respice caecitatem meam, experiar ego medicamenta,quae saepe caeci a te reliqui meruerunt, quae ipsi etiam mortui persenserunt. Tunc Cyrola homo misericors, non se diu rogari passus est,sed statim accedens, et manum ejus oculis admovens: Per fidem, inquit, nostram, et rectam, quam de Deo habemus, persuasionem, facescant tenebrae ab oculis tuis. Vix ille haec dixerat, cum infelicem impostorem tantus oculorum cruciatus invasit,ut eos manus quanta poterat vi comprimere cogeretur, ne forsitan e capite prosilirent: mox clamare coepit; Vae mihi, qui Deum propter pecuniam irridere voluit. Et ad Cyrolam,Ecce aurum tuum,quod abstulisti. Quod cum ille praestare non posset, nec tentare auderet, sanctus Eugenius episcopus, ad aeternam Arrianorum confusionem, hominem illum iam vere caecum et haeresim Arrianam detestantem,edito signo crucis pristinae sanitati restituit.

Eodem fere tempore, vel non multo ante, Eunomianus quidam, ut ex Collatione decimaquinta Cassiani didicimus, Aegypti populos Aristotelicis syllogismis ab orthodoxa fide ad suam haeresim pertrahere conabatur: ea re audita, s. Macharius haereticum convenit, et Eliam prophetam immitatur, eum ad miraculum faciendum, hoc est, ad mortuum excitandum invitavit: assensit haereticus; Quid enim coram populis, quos circumvenerat, aliud facere auderet? sed tamen sapienter intelligens, syllogismis Aristotelicis numquam esse mortuos excitatos, clam se subduxit,et fuga pudori suo et confusioni consuluit,nec unquam amplius in illis regionibus apparuit.

Porro miraculum Polychronii celeberrimum fuit, sed alias ex hoc loco vobis recitavi. Is enim tempore sextae synodi, ut ex ea Synodo act. 15. cognosci potest, in maxima populi frequentia mortuorum hominem excitare conatus est, ad haeresim Monothelitarum confirmandam; sed accidit illi quod superioribus, gloriam falsam quaesivit et ignominiam veram invenit. Mortuus enim non revixit, sed ipse auctus cognomina novi Simonis Magi, cum summo dedecore in exilium deportatus est.

Sapientior fuit hrereticus quidam de grege iconoclastarum, cujus miraculum a Paulo Diacono libro ultimo rerum Romanarum explicatur.Is in quodam sepulchro se abscondit, atque inde voces dabat, et Constantinum Copronymum imperatorem pessimum, qui tunc contra sacras imagines bellum gerebat, mirifice commendabat, ut eo commento populus terreretur,et iconoclastarum haeresim etiam hominum mortuorum testimonio confirmari putaret. Ista sunt commenda ridicula et miracula puerilia haereticorum.

Sed de nostri temporis haereticis quidnam dicemus? Num a suis majoribus degenerant? Nullo modo. Est enim genus illud hominum a daemone penitus obsessum. Calvini quoque miraculum,quo fertur hominem vere vivum occidisse,quem simulate mortuum excitare volebat, toto orbe celebratur. Martinus Lutherus et in vita, et in morte miraculis claruit. Nam ut ex epistola cujusdam Germani Mansfeldensis civis, de obitu Lutheri scripta didicimus,is dum viveret praeter alia multa in singulis prandiis et coenis unum sextarium vini dulcis

et exotici bibebat: quod intelligite, absque cervisia et aliis generibus vini. In sponte praeterquam, quod non aegrotavit, nisi paucas horas, et ore contorto et toto uno latere denigrato, mortuus est. Numquis non magnum miraculum fuit, quod in maximis frigoribus, quando corpora ad integros menses durare solent, illud quarto die aut quinto intolerabilem foetorem spirabat licet stanneo loculo diligentissime clausum esset. Ante annos paulo amplius quam centum obiit beatus Laurentius Iustinianus, primum patriarcha Venetorum, papista et monachus, et ut ille scribit, qui ejus miracula in primo filio expertus, sexaginta septem dies inhumatus mansit, semper odorem suavissimum spirans, incorruptus, vividus genis rubentibus, et tamen febri putrida laboraverat, unde medici putabant eum vix unam horam sine foetore duraturum. Talia vero miracula sunt nostris sanctis propria. Sed ad Lutherum redeo.

Quis non miretur gratiam daemonum expellendorum, qua praeditus erat Lutherus? Is enim ut Staphylus, qui toti actioni interfuit, testatur, aliquando daemonem ex quadam mulierculam eiicere voluit: sed confestim ita a daemone territus et in tanta necessitate alvum exortandi coniectus fuit, ut quam citissime se ex eo loco proripere vellet. Verum daemon ita fores obstruxerat, ut necesse fuerit Staphylo securi fores effringere et eo modo magno exorcistae Luthero viam patefacere.

Unum addo miraculum multo recentius et illustrius, et finem facio. Ante annos quatuordecim inter Hungariam et Poloniam non procul ab urbe Cracovia, unus ex fratribus Evangelicis tanto desiderio incensus erat novae istud doctrinae propagandae, etiam ficto miraculo ad rem tantam in perniciem innumerabilium animarum abuti voluerit. Itaque cum Matthaeo quodam et ejus uxore convenit, ut certa die Matthaeus tamquam mortuus ad sepulchrum efferretur: uxor vero de more afflicta et ejulans funus prosequeretur. Venit dies constituta, effertur defunctus ad ecclesiam, ibi novus iste Simon ascendit suggestum, et longa oratione renascentis Evangelii gloriam amplificavit: tum affirmat se tam certum ac securum esse de sua doctrina, ut nihil dubitet Deum ipsum eam miraculo confirmaturum, et quoniam tunc allati defuncti pulchra occasio se obtulerat, ad eum conversus, magna voce exclamans; in nomine, inquit, Christi, cujus hodie evangelio testimonium praebui, Matthaee, surge. Respiciunt omnes. Matthaeus non surgit. Ille rursum majori voce; Tibi dico, inquit, Matthaee surge: sed sane clamare potuisset usque ad mortem; Mathaeus enim iam vere extinctus, vere ad inferos descenderat.

Quae cum ita sint, quae dubitatio remanere potest, utrum errent sectarii, Deoque displiceant, an non? Quis non aperte videant, in quam tetra nocte versentur, qui non solum ecclesiam Dei vivi, nova luce novorum miraculorum omni aetate fulgentem, atque in monte positam non vident, sed etiam, ut ab ea oculos catholicorum avertant, fictis et vere mendacibus signis et prodigiis abutuntur? Perpendite, quaeso, quam vehementer se splendor ille, illa gloria, iste fulgor tantorum miraculorum, quibus omnibus saeculis catholica ecclesia illustris fuit, aegros haereticorum oculos vexarit, ut Lutherum nescientem quo se verteret, et tamen cupientem summis votis aliquid invenire, quod nobis imponeret, non puduerit tamquam miraculum praedicare, turpissimam fugam uniùs sanctimonialis virginis de monasterio. Ista, inquit, sunt vera miracula. Quid daemonum torsiones et expulsiones sunt, si cum isto admirabili Dei opere conferantur? O tenebras palpabiles! O plagam caecitatis! O peccatum in Spiritum sanctum! Opus nefarium, scelestissimum, diaboli arte procuratum, miraculo divino attribuit! Hoc sane supererat, ut qui vera opera Dei daemonum praestigiis attribuerat, iam opus diaboli apertissimum inaudita blasphemia Dei adscriberet. Vere percussit eos Dominus plaga crudeli, in furore suo percussit eos plaga caecitatis et obdurationis, ut dicant bonum malum et malum bonum. Istane sunt miracula, de monasterio fugere, de monacha apostatam, et virgine meretricem, de sponsa Christi scortum fieri Antichristi? Habeant sibi sane ista miracula: tale miraculum fecit Satan, cum de angelo pulcherrimo et optimo foedissimus ac nequissimus diabolus factus est, ista miracula replent gehennam, ista miracula replent ecclesia. Nimis enim frequenter, et nimis facile fiunt ista miracula.

CONCIO VIII.

DE DONO PROPHETIAE

SYNOPSIS

Brevicula propositione praemissa, donum prophetiae soli Deo competere, et iis, quibus ab illo peculiariter datum est, probatur; quodque illud semper fuerit et sit evidens verae ecclesiae signum, ab enumeratione multorum prophetarum testamenti veteris confirmatur, et quomodo ii cum evangelio consentiant specialim ostenditur. Transitur deinde ad Testamentum novum, et plurimi sancti, qui dono prophetiae enituerunt, nominatim enarrantur. Quantopere daemones per oracula divinitatem effectarint, et qualia illa fuerint, declaratur. Lutheri diversa quaedam vaticinia producuntur. Vaticinium item Munceri et quorumdam anabaptistarum, cum refutatione multorum mendaciorum, adducuntur.

Splendorem miraculorum et lumen propheticum, auditores optimi, quasi duos pulcherrimos et clarissimos oculos in corpore ecclesiae eminere, et orbem totum suis fulgoribus illustrare omnes, qui prorsus caeci non sunt, facile indicabunt. Ac nos quidem, qui non solum Dei benignitate in horum oculorum contemplatione vehementer delectamur, et per eos in amorem pulchritudinis ecclesiae catholicae magis ac magis semper rapimur; sed etiam cum aliis, ac praesertim miseris et infelicibus haereticis dolo Satanae circumventis, hoc bonum, quo nos fruimur, communicare vellemus de utroque lumine ante duas hebdomadas verba facere instituimus. Et quidem de splendore miraculorum oratione proxima et superiore pauca quidem de pluribus; sed tamen satis multa pro temporis brevitate dicta esse non dubito: nunc ratio atque ordo argumentorum postulat ut de altero oculo, de luce videlicet prophetica, breviter disseramus.

Praedictio igitur futurorum; ut ab excellentia et praestantia hujus luminis ordiamur, tantae sublimitatis est, ut soli vero Deo, et iis, quibus Deus singulari privilegio hoc donavit, convenire possit. Ea siquidem futura, quae creatas causas, non necessarias, sed liberas habent, vel certe tales, ut impediri possint, (nam de his loquimur, quae nec in se, nec in causis suis certo existunt) nec in se, nec in causis ab ulla sive angelica intelligentia cognoscuntur. Una dumtaxat est causa, Dei voluntas, in qua res omnes, quae quoquo modo futurae sunt, sive necessario sive libere, certo existunt, et jam inde ab aeternitate extiterunt. *Sed quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Certe sicut nemo novit quid sit in homine, nisi spiritus hominis: ita nemo novit quid sit in Deo, nisi spiritus Dei, et cui voluerit spiritus revelare. *Non enim humana voluntate*, ut apostolus Petrus testatur, *allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et, *Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum ejus. Multifaria* enim *multisque modis olim loquens Deus patribus in prophetis.* Hinc apud Isaiam capite 41 Spiritus sanctus loquitur, et dicit: *Annunciate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos.* Et rursum capite sequenti. *Ego Dominus, hoc est nomen meum gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. Quae prima fuerunt, ecce venerunt, nova quoque ego annuncio, antequam oriantur, audita vobis faciam.* Haec est igitur gloria singularis veri Dei, quam certe sculptilibus non dabit: neque a falsis diis falsisque prophetis occupari permittet, quae ventura sunt annunciare, antequam oriantur audita facere. Quocirca in libro Deutheronomii capite decimo octavo, idem Spiritus sanctus: *Propheta*, inquit, *qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi, ut diceret aut in nomine alienorum Deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominum non est locutus? Hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum.*

Quamobrem, auditores, cum praedictio futurorum ita Deo propria sit, ut ad eam nullo modo vel homines vel daemones vel sancti etiam angeli sine Dei revelatione aspirare possint, nemo dubitare debet, eam solam veri Dei ecclesiam esse, in qua verum lumen propheticum reperitur. Quare si ostenderimus, solam Romanam ecclesiam hoc praeclaro lumine semper ornatam fuisse, necessarie et perspicue efficietur, solam Romanam ecclesiam veram veri Dei ecclesiam esse, quicquid latrent omnes daemonum synagogae.

Jam igitur in ecclesia catholica, in qua sumus, quis negare potest non solum ab adventu Servatoris, sed etiam ab exordio mundi, omnibus fere saeculis prophetiam floruisse. Nam ante diluvium Adam, Enoch, et Noe prophetae fuerunt, Adam, d. Hieronymo teste, capite quinto in epistolam ad E-

phesios,et Divo Prospero initio libri de promissionibus et praedictionibus Dei:nam Christi et ecclesiae matrimonium praedixit. Enoch propheta fuisse, et de novissimis temporibus multa praedixisse apostolus Judas in epistola sua testatur.Porro Noe, cum verbis tum operibus dum ingentem illam arcam fabricabat,generalem eluvionem futuram praedicasse et homines ejus temporis ei non credidisse,apostolus Petrus in epistola priori testis est. Post diluvium vero Abraham, Isaac,Jacob, Joseph, Moysen, Davidem, Salomonem, quatuor prophetas maiores, et duodecim minores, et alios praeterea multos, vel sermonibus vel operibus vel libris scriptis multa de Christo, de ecclesia, de haereticis, de futuro Judicio vaticinatus, nemo fere christianorum ignorat. Ac ut ponamus exemplum in Christo, cujus brevi passionem et resurrectionem celebraturi sumus, et quem omnes divinae paginae tam quam finem et scopum intuetur.Quis non miretur nihil de Christo legi in libris instrumenti novi, quo non legatur praedictum in libris instrumenti veteris? Hujus rei typum gerebant duo illi Seraphici spiritus,qui ut apud Isaiam prophetam videre est, admirabili consensione *clamabant alter ad alterum, Sanctus, sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Nec non duo Cherubim, qui, ut in Exodo legimus, alis tegebant propitiatorium,et quorum alter alterum semper intuebatur. Haec enim sunt duo testamenta, vetus et novum, quae ita se invicem aspiciunt et unum ad alterum clamat,ut quicquid unum loquitur permittendo et praedicendo, alterum repetat jam factum, et impletum asserendo. Conceptus est Christus de virgine?Praedixit hoc Isaias:*Ecce virgo concipiet et pariet filium.*Natus est in Bethlehem Judae? Praedixit hoc Michaeas:*Et tu Bethlehem terra Iuda.nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux,qui regat populum meum Israel.* Reges primitiae gentium ad eum munera detulerunt? Praedixit hoc David: *Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum. et Saba dona adducent.* Praesentatus fuit Christus in templo? Praedixit Malachias; *Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti. quem vos vultis.* Fugit deinde in Aegyptum? Praedixit hoc Osee: *Ex Aegypto vocavi filium meum.* Loculus est in parabolis? Praedixit hoc David: *Aperiam in parabolis os meum.* Caecos, surdos, claudos, mutos curavit? Praedixit hoc Isaias: *Deus ipse veniet et salvabit nos.Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum.* Ambulavit super aquas? Praedixit hoc David: *In mari via tua et semitae tuae in aquis multis.* Sedit super asinam et pullum ejus?Praedixit hoc Zacharias: *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator: ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae.* Proditus fuit a discipulo? Praedixit hoc David:*Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.* Triginta argenteis venditus fuit. Praedixit hoc Zacharias: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Contumeliis et colaphis effectus? Praedixit hoc Jeremias: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Reges gentium et principes Judaeorum in ejus necem conspirarunt? Praedixit hoc David: *Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Christum ejus.* Flagellis coesus fuit? Praedixit hoc Isaias: *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus.* Quod si vellemus omnia vaticinia de Christo percurrere, dies non sufficeret:et si non verba solum, sed etiam res gestas et umbras ac figuras cum rebus adumbratis et expressis conferrem,immensam orationem susciperemus. Magnum igitur et invictum contra judaeos et Paganos ex ista tantorum et tam multorum vaticiniorum impletione colligimus, et cum apostolo Petro merito gloriamur, habere nos *firmiorem propheticum sermonem*, cui benefacimus *attendentes tamquam lucernae lucenti in caliginoso loco.*

Sed ut ad novum testamentum veniamus.An non Christus ipse, magister et doctor omnium prophetarum, apertissimis verbis excidium urbis Jerosolymae praedixit? Et numquid post annos quadraginta non ita, ut praedixerat,evenit? Quamvis enim Iosephum et Egesippum, qui rem totam diligentissime scripserunt, non haberemus, abunde sufficeret arcus triumphalis Vespasiano et Tito erectus qui adhuc Romae aliis pene omnibus vel eversis vel sepultis, integer et conspicuus perseverat: in ea siquidem arca testamenti, candelabrum aliaque Hebraeorum ornamenta,nec non ipsorum Hebraeorum turba manibus post tergum revinctis,ad memoriam posteritatis semper in marmore incisa conspiciuntur.Deinde apostolicis temporibus numquid non apostolus Petrus, apostolus Paulus, apostolus Joannes et apostolus Judas uno eodemque spiritu de futuris haereticis multa praedixerunt, quae oculis nostris jam impleri videmus? Nonne etiam propheta Agabus et filiae Philippi diaconi et alii nonnulli, eodem tempore lumine isto prophetico enituerunt? Jam vero Gregorium Neocaesariensem magnum illum et admirabilem prophetam fuisse scribit magnus Basilius. De b. Antonio celeberrimo et toti orbi notissimo, b. Athanasius refert, praedixisse eum vastationem illam ecclesiae, quae per Arrianos facta est,cum altaria everterunt, sacra vasa contaminaverunt, sacerdotes occiderunt, virgines sacras stupraverunt, orbem denique totum suis tumultibus et seditionibus, sicut hodie calvinistae faciunt,turbaverunt. De quodam sancto anachoreta qui Joannes dicebatur, et Palladius et Theodoretus et alii complures historici prodiderunt, eum ita celebrem in vaticiniis fuisse, ut imperator Theodosius numquam bellum aliquod egressus sit, quin eum antea tamquam oraculum consuluerit,et ab eo totum bellum eventum audierit. B. Benedictum regi Totylae praedixisse, eum urbem Romam occupaturum, deinde mare transiturum, tantum novem annos regnaturum, postremo anno decimo moriturum, et omnia sicut ipse pronunciaverat evenisse b. Gregorius testatur. B. Malachiam Hibernorum episcoporum, prophetico lumine claruisse testis est fide dignissimus Bernardus. Ipsum vero b. Bernardum non unum aliquot, sed multa praedixisse, et omnia

prorsus juxta ejus vaticinium evenisse, testantur libris de ejus vita et gestis conscripti. Unum ejus vaticinium commemorabo. Praedixit aliquando Andreae quidam, eum brevi cistertiensem monachum futurum. Ille hoc audito obstupuit. Nihil enim unquam minus somniaverat, imo nihil magis unquam exhorruerat. Itaque cum stomacho ait: In hoc scio falsum te esse prophetam. Hoc enim certus sum, te locutum esse verbum, quod omnino non fiet. Hoc ego tibi coram rege et principibus, in omni publico conventu improperare non parcam, ut tua omnibus falsitas innotescat. Deinde abiit pene furiosus, blasphemans et imprecans sancto illi monasterio extremum exitium: neque solum monasterium, sed totam illam vallem radicitus eversam videre cupiebat. Quid postea factum est? O rem admirabilem ac pene incredibilem! Vix nox una praeterierat, ille totus mutatus, morae impatiens ante exortam lucem currit ad monasterium, postulat habitum, efficitur monachus. Quid hic dicent haeretici? Quis tantam mutationem, quae a sola dextera excelsi fieri poterat b. Bernardo demonstravit, nisi Deus? Quid de b. Francisco dicemus? Quam multa de eo refert b. Bonaventura? Erat aliquando bellum inter paganos et christianos, instabat jam dies certaminis, servus Dei Franciscus totum belli eventum ante prospiciens christianis significavit, ut eo die se a praelio abstinerent, alioquin videre se magnam stragem christianorum futuram. Non crediderunt homini Dei, sed freti multitudine et potentia conflictum inierunt. Repente enim juxta vaticinium viri sancti exercitus christianorum fusus est, et omnes fere vel capti sunt vel interfecti. B. Catharina Senensis numquid non aperte praedixit schisma illud inter Urbanum et Clementem, quo nullum acrius horribilius, diuturnius ecclesia unquam vidit? Sed longum esset, minimeque necessarium omnes prophetas catholicae ecclesiae recensere. Hoc in summa et sine amplificatione dixerim, auditores optimi, vaticinia sanctorum, et eorum sanctorum, quod nostros fuisse, hoc est, Romanae ecclesiae membra fuisse omnes haeretici confitentur, esse pene sine ullo numero. Legi ego bonam partem historiarum, quibus vitae sanctorum catholicae ecclesiae continentur, et sine mendacio affirmare possum, vix ullum fuisse sanctum hominem, ac praesertim his quinque saeculis postremis, quae tempore displicent haereticis, qui hoc excellentissimo et nobilissimo Dei munere praeditus non fuerit. Multos praeterea enumerare possem nostrae fidei et religionis sanctos homines, qui non solum dono prophetiae; sed etiam admirandis visionibus et revelationibus, et quod sublimius est, gratia cordium cognoscendorum et spirituum discernendorum ornati fuerunt. Neque solum praeteritis saeculis, sed etiam hac nostra aetate, sicut miracula, ita prophetiae donum ecclesiae catholicae non defuit. Habemus enim praeter alios multos, duos illos Franciscos, auctorem ordinis Minimorum et Xaverium inter patres societatis Jesu antesignanum et Indiae novum apostolum, de quibus alias diximus, qui hoc nostro saeculo ac pene memoria non solum multis et magnis miraculis claruerunt; sed etiam multa divina revelatione praeviderunt, et eo modo sicut praedixerant, evenerunt.

Quid unquam talae synagogae daemoniorum habuerunt? Proferant, quaeso, suas praedictiones. Quis non obstupeat nostros papistas, idolatras, Dei hostes, non solum miraculis, sed etiam prophetiae lumine enitere: istos vero fratres evangelicos, nisi mentiri? Nam daemones quidem semper hanc laudem praedicendi futura tamquam veram divinitatis notam affectaverunt. Hinc videlicet ante Christi adventum tot in locis oracula Apollinis, Clarii, Pythii, Delii, Dodonaei celebrabantur, quae tamen omnia Deo in carne adveniente repente obmutuerunt. Id quod non ex nostris solum b. Antonius apud Athanasium, sed etiam Plutarchus ex gentibus, tamquam rem maxime miram et prodigiosam annotaverunt. Inde siquidem Plutarchus librum inscripsit, ut est apud Theodoretum in libro de oraculis, quae defecerunt: et causam quaerit, tam novae et tam mirabilis mutationis. Quid enim admirabilius, quam tanta celebritate omnibus oraculis toto orbe silentium indici, et ora eorum quasi lapidibus in aeternum obstrui.

Sed quales, quaeso, erant daemonum praedictiones? Interdum obscurissimas ambages et aenigmata respondebant, ut quicquid eveniret, ipsi verum praedixisse viderentur, et culpa tota caderet in interpretes. Interdum aperte quidem et perspicue loquebantur, sed ea praedicebant, quae ipsi Deo permittente facturi erant vel quae iam coepta erant fieri, quod non est tam divinare vel coniectare, quam praesentia absentibus nunciare.

Neque praestantiora sunt haereticorum vaticinia: exempla multa in medium adferre possem, si falsa vaticinia pseudoprophetarum, tam veteris quam novi testamenti percurrere nobis liceret, sed quantum temporis angustiis premimur, solum de falsis praedictionibus aereticorum nostri temporis pauca dicemus.

Martinus Lutherus et sua et suorum opinione propheta fuit. Hoc enim ipse de se in libro quodam ad Germanos pro scholis christianis erigendis scribit: *Neque vos*, inquit, *impedire debet, quod aliqui gloriantur de spiritu, et scripturas parvi faciunt: sed bone amice, spiritus huc, spiritus illuc: ego quoque fui in spiritu, atque etiam vidi spiritus forte plus quam illi ipsi adhuc intra annum videbunt.* Deinde nihil saepius repetit, quod os suum os Christi et verba sua esse verba Christi: et, certum se esse, doctrinam suam se habere in coelo. Videamus igitur quid ei spiritus revelaverit. Quid, quaeso iste tam insignis propheta, qui fuit in spiritu et vidit spiritus plus quam alii intra unum annum videbunt, quid futurum praedixit: Praedixit primum in libro contra Thomam Munceram post annos duos a vaticinio, ita Romanam ecclesiam ruituram, ut neque pontifices, neque cardinales, neque episcopi, neque presbyteri, neque monachi, neque moniales, neque templa, neque turres neque campanae usquam amplius reperientur. Ait praeterea in responsione contra regem Angliae Henricum: *Dogmata mea stabunt, et papa cadet invitis omnibus portis inferi et potestatibus aeris et terrae et maris.* At quid tandem evenit?

Praeterierunt anni sex et quadraginta, et papa stat vel sedet potius, cardinales, episcopi, Presbyteri, monachi, moniales augentur in dies: Templa et turres vel instaurari, si labebantur vel ex integro aedificari vidi: cadere vel cecidisse non scio, nisi ex parte hic Lovanii turrim sancti Petri. Doctrinam vero Lutheri iam pene funditus interijsse, vel ex eo cognosci potest, quod paucissimi sunt veri lutherani, et illa ipsa dogmata, quae Lutherus pro oraculo habere voluit, iam non solum catholici, sed etiam discipuli ejus execrantur. *Non* igitur vaticinium illud *Dominus locutus est, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: et idcirco non timebimus eum.* Rursum alias praefatione super Alcoranum praedixit idem Lutherus, prope diem futurum, ut Mahometani ad fidem Christi iuxta evangelium suum, non iuxta Romanam ecclesiam, converterentur. At numquid et in hoc propheta mendax inventus non est? Ego ipse vidi Romae Mahometanos baptizari, nec raro veniunt aliqui ad fidem. In Indiis vero non pauci, sed multi Mahometi cultores ad fidem Christi et ecclesiae Romanae obedientiam conversi sunt, et convertuntur in dies: Lutherani vero proferant vel unum si possunt. *Non* igitur *hoc Dominus locutus est, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: et idcirco non timebimus eum.* Postremo, ut alia ejus vaticinia praeteream, cum ante annos aliquos rustici a lutheranis excitati tumultuarentur, et contra principes suos ac dominos arma cepissent, tunc Martinus Lutherus sese vatem ostentabat, et non rusticos, sed Deum ipsum contra principes pugnare dicebat, et ultimum exitum extremamque ruinam principibus vaticinabatur. Sed quid tandem factum est? Rustici coesi sunt, principes superiores evasere. Quid tum Lutherus? Num erubuit? Falsum se prophetam agnovit? Nihil minus. Sed quasi nihil antea pro rusticis dixisset, coepit contra eosdem rusticos maledicentiam suam exercere, et videns sibi non successisse vaticinium de futuris, coepit vaticinari de praeteritis. *Ego sane*, inquit, *arbitror nullum daemonem in gehenna remansisse, sed omnes in rusticos illos seditiosos et pessimos nebulones ascendisse. Non* igitur vaticinium illud *Dominus locutus* erat, *sed per tumorem animi sui propheta* confinxerat: *et idcirco non* timebimus *eum.*

Quid Tomas Munccrus, Lutheri probatissimus discipulus? Nonne multitudini rusticorum, quibus praeerat, Dei nomine et auctoritate tamquam unus aliquis ex prophetis, ita victoriam certissimam pollicebatur, ut se alterum Gedeonem diceret: iactaretque omnes globos bombardarum in sua manica sine laesione se excepturum? Et tamen rustici caesi sunt, et ipse ne unum quidem ictum gladij sine laesione sustinere potuit. Non igitur Dominus victoriam illam locutus erat, sed per tumorem animi sui Propheta confinxerat, et idcirco non timebimus eum.

Ante paucos annos cum Anabaptistae quidam Calabriam Italiae provinciam occupassent, et tandem comprehensi cum extremo supplicio afficiendi essent, palam affirmabant (ut ex viro quodam magno et fide dignissimo, qui, si recte memini, supplicio interfuerat, accepi) se nihil detrimenti passuros, si de altis turribus deijcerentur, statim enim adfuturos Angelos, qui eos exciperent, ne forte ad lapides pedes suos offenderent. Deiecti sunt infelicissimi ex turribus, et non pedes tantum, sed capita, et colla offenderunt ad lapides, et prius ad terra pervenerunt, et capita omnes fregerunt, ac cerebris suis plateas resperserunt, quam Angelis vacaret eis opem ferre. Exempla talia proferri possunt sine ullo numero. Nam sicut vera Catholicorum sanctorum vaticinia prope sunt infinita; ita haereticorum mendacia, et falsae praedicationes numerum omnem excedunt. Quoties Pseudomartyres istis nostris diebus asseverarunt se etiam in mediis flammis non comburendos? et tamen postea combusti sunt usque ad cineres. Quoties contra se in momento absumendos affirmarunt? et licet pulvere tormentario onusti essent, tamen ad longissimum tempus antequam mori possent torquebatur? ex quo sine dubio, si excaecati penitus et obstinati non essent, intelligerent, tandem aliquando se spiritum veritatis deseruisse, et spiritibus erroris, et seductionis in suam aliorumque perniciem, et sempiternum exitium adhaesisse.

CONCIO IX.

DE PROBITATE DOCTORUM ECCLESIAE, ET SCELERIBUS HAERETICORUM.

SYNOPSIS

Deum suos sanctos potentia, sapientia, et charitate sibi conformare, ostenditur, et a sanctitate doctorum ecclesiae probatur: ubi apostolorum, patrum et multorum religiosorum mira sanctitas extollitur, et quam utile sit vitas sanctorum legere, declaratur. E contrario, qualesnam fuerint assertores paganismi et Mahometismi breviter ob oculos ponitur. Decem deinde haeresiarchae enumerantur, additis causis, quae illos ad haeresim impulerunt. Praeterea diligentiori trutina examinatur vitae probitas haeticorum, atque in primis impudentia et superbia, (quae specialim in Luthero deprehenditur) eorum maledicentia, familiaritas cum diabolo et varia fraudulentia suis circumstantiis demonstratur. Quales martyres et qualia martyrologia habeant haeretici, et quem finem iidem sortiantur, ab enumeratione miseriae quorumdam mortis ostenditur.

Quaemadmodum in Deo, quem unum in Trinitate et Trinum in unitate veneramur, tria quaedam singulariter eminent, potentia, sapientia, bonitas; ita quoque, auditores, singulares amicos et filios suos, patres ac doctores nostros Deus, ut sibi quam simillimos, et gentibus omnibus suspiciendos atque admirabiles redderet, potentissimos, sapientissimos, optimos, sanctissimosque esse voluit. Primum ea potentia eos armavit, qua multa praeter solitum cursum, ordinemque naturae in elementis, in arboribus, in brutis animantibus, in ipsis hominibus plane admirabilia et singularia facerent. Deinde sapientia ita mentes eorum instruxit, ut non solum sapientia et praeterita cernerent; sed etiam futura multo ante praeviderent atque praedicerent. Postremo dilatavit corda eorum summa atque ardentissima charitate, tum ut ipsi magno animo opus aggrederentur; tum ut ii, qui convertendi per eos erant, non solum verbis et miraculis, sed etiam exemplis et vitae probitate moverentur. Atque haec tria, splendor miraculorum, lumen propheticum et vitae probitas, quibus praediti fuerunt praedicatores et Doctores nostrae legis, et quibus omnes inventores sectarum atque haeresum caruerunt, sunt argumenta ex duodecim illis, quae nobis explicanda proposuimus. Quare cum praeteritis orationibus de gloria miraculorum et luce prophetica, hoc est, de potentia et sapientia doctorum ecclesiae disputaverimus, restat nunc, ut de probitate et integritate eorumdem disseramus.

Praedicatores igitur nostrae legis, tam ii, qui primi ad nos fidem detulerunt et evangelium, quam ii quos deinde singulis saeculis Deus excitavit ad fidem eamdem confirmandam vel propagandam, quales fuerint, quam pii, quam iusti, quam religiosi totus mundus novit. Aspicite primum Apostolos. Quid sublimius atque excellentius moribus apostolicis? Homines erant divini, nihil in hoc mundo quaerebant, aurum contemnebant, honores fugiebant, omnia sustinebant, charitate flagrabant, legem naturae perfectissime observabant, cum omnibus hominibus pacem habebant, omnes homines salvos facere cupiebant, atque idcirco omnes provincias et regiones quamlibet barbaras, omnes terras et omnia maria perlustrabant: ad labores prompti, ad pericula imperterriti, ad mortem paratissimi, vivi denique et mortui miraculis clari. Amor Dei quasi currus igneus ferebat eos: nihil erat penitus, neque mors, neque vita, neque praesentia, neque futura, neque daemones, neque homines, qui eos ab instituto cursu honoris Dei propagandi et animas hominum salvandi, revocare possent. Isti sunt Patres nostri, isti dracones nostrae fidei, istos magistros et doctores habuimus. Aspicite deinde sanctos illos homines, quos patres et doctores vocamus, lumina illa clarissima, quae Deus in firmamento ecclesiae lucere voluit, ut iis omnes haereticorum tenebrae dissiparentur, ut Irenaeum, Cyprianum, Hilarium, Athanasium, Basilium, duos Gregorios, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Cyrillum. Vita et mores eorum nonne in iis monumentis, quae nobis reliquerunt, quasi in speculis quibusdam elucent? Nam *ex abundantia cordis os loquitur*. Quanta, obsecro, apparet in libris sanctorum patrum cum summa eruditione coniuncta humilitas? Quanta sobrietas? nihil ibi obscoenum, nihil turpe, nihil subdolum, nihil arrogans, nihil inflatum. Quam multis modis Spiritus sanctus, qui eorum pectora inhabitabat, in paginis eorum se prodit? quis legere potest attente Cyprianum, qui non statim ardeat amore martyrii? Quis in Augustino diligenter versatus est, qui non profundissimam didicerit humilitatem? Quis Hieronymum saepe evolvit, qui non virginitatem et ieiunium adamare incipiat? Spirant scripta sanctorum, religionem, castitatem,

integritatem, charitatem. *Isti sunt igitur episcopi et pastores* (ut verbis utar d. Augustini) *docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui catholicam fidem in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt: cuius lac et cibum parvis magnisque ministraverunt.* Talibus post apostolos sancta ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Aspice postremo anachoretarum et aliorum hominum religiosorum duces, quos diversis temporibus ecclesiae suae senescenti tamquam columnas firmissimas Deus donavit ut Antonium, Hilarionem, duos Macharios, Benedictum, Bernardum, Dominicum, Franciscum. Quid perfectius, quid gravius, quid maturius eorum moribus? Homines erant integerrimi, patientissimi, cum Deo coniunctissimi, gloriae et voluptatum usque ad stuporem et miraculum contemptores: pernoctabant in orationibus, gloriabantur in cruce et laboribus, ieiuniis pascebantur, in contumeliis laetabantur, quasi carbones igniti, toti flamma quadam divini amoris succensi in Deum ferebantur et rapiebantur. Quis unquam eorum vel contentiones vel rixas vel clamores, aut verba non dico inflata vel obscena vel scurrilia vel turpia; sed otiosa unquam audivit? Denique ut b. Augustinus in libro de moribus ecclesiae catholicae notat, in tantum processerat temperantia et continentia sanctorum catholicae fidei christianorum, ut restringenda nonnullis et ad humanos fines revocanda videretur: usque adeo supra hominum illorum animos evasisse ab iis etiam, quibus id displicet, indicatur. Utinam dignarentur haeretici, et qui inter catholicos perdite et corrupte vivunt, legere vitas sanctorum: sane non multum nobis in earum conversione laborandum esset. Plus enim omnino loquuntur, et magis virtutem persuadent simplices illae historiae, facta et exempla sanctorum, quam omnes conciones. Scio ego aliquos, qui millies conciones audierant, et libros multos legerant, et tamen semper erant iidem: rogati deinde ut vitas sanctorum aliquando legerent, aspernabantur initio, et tamen postea ubi ceperunt, brevissimo tempore toti mutati viri sanctissimi et perfectissimi facti sunt. Habetis Athanasium, Hieronimum, Theodoretum, Gregorium, Romanum, Gregorium Turonensem, Bedam, Metaphrastem, et nuper Lippomanum et Surium, qui vitas Sanctorum vel ipsi conscripserunt vel ab aliis scriptas collegerunt. Ab eis petant solidum cibum animae, qui in fide viva et vera proficere desiderant, theologi et doctores haereses refellunt argumentis verborum: sancti vero, quorum vitas vos legere cupio, easdem refellunt argumentis factorum. Illi quasi digito et voce demonstrat, quae sit via quae ducit ad coelum: isti viam ipsam ingrediuntur, et nos suis passibus et vestigiis multo facilius et fidelius docent.

Conferte modo, si placet, cum tantis et talibus praedicatores paganismi vel haeresum et sectarum inventores. Qui fuerunt praedicatores paganismi? Nonne turba quaedam Poetarum, hoc est, hominum levium, mendacium, flagitiosorum: qui ut vitia et scelera hominibus commendarent, Deos quosdam omnibus vitiis coopertos induxerunt, et eorum furta, et adulteria, bella, lites, contentiones dolos, fraudes, mendacia cum cantu et versibus, ad nos detulerunt, ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed coelestes Deos imitatus videretur? De Mahomete tametsi multa haberem omnino turpia et horrenda, quae referrem, tamen quod secta illa, ut alias ostendimus, nihil sit aliud quam monstrum quoddam ex iudaismo, arrianismo, nestorianismo, manichaeismo et aliis quibusdam haeresibus, et superstitionibus conflatum ut refutatur, satis est si haereses istae refellantur. Ad haereticos veniam.

Haeresiarchae igitur nonne omnes ambitiosi, omnes superbi, omnes impuri, omnes flagitiosi fuerunt? nonne omnes sicut perdite vixerunt, ita quoque misere perierunt? Consideremus initium, medium et finem cursus praecipuorum haeresiarcharum. Quantum ad initium, quod si vobis ostendam omnes praecipuos haeresiarchas vel ambitione vel contentione vel invidentia vel denique privato aliquo affectu stimulatos de ecclesia recessisse an non tunc apertissime constabit eorum sectas non a Deo esse sed a diabolo? Aspiciamus decem primarios et celeberrimos haeresiarchas. Nam de omnibus dicere angustiae temporis non paterentur.

Quis princeps fuit omnium haereticorum? Si Egesippo et Eusebio credimus, Thebulus fuit. At is, ut ex Egesippo refert Eusebius, ideo haeresim excogitavit, et ecclesiam usque ad illa tempora virginem corrumpere tentavit, quod in petitione episcopatus repulsam passus esset. Superbia igitur atque ambitio initium haeresibus dedit.

Quis fuit deinde secundus? Simon Magus. At is pecuniis emere voluit pontificiam auctoritatem Spiritum Sanctum communicandi: cum ei hoc non successisset, haeresim fabricavit.

Quis tertius? Valentinus. At eum egressum de ecclesia et haeresiarcham factum, quod alium vidisset adeptum episcopatum, quem ipse ambiebat, testatur Tertullianus in lib. quem adversus huius Valentini haeresim conscripsit.

Quis quartus? Marcion Ponticus. At is propter stuprum virgini illatum ab ecclesiae communione praecisus, Romamque profectus, non solum absolutionem petiit, sed etiam praefecturam ecclesiasticam ambivit, sed cum non impetrasset, Romanis presbyteris indignabundus ait; *Ibo igitur et Ecclesiam vestram scindam.* Atque ab eo tempore haeresim suam pestilentissimam et perniciosissimam disseminare coepit. Rem ita se habere partim ex Tertulliano de praescriptionibus adversus haereticos, partim ex Epifanio in haeresi Marcionis facile cognosci potest.

Quis fuit quintus? Montanus. At eum refert Thodoretus l. 3 de fabulis haereticorum, sola cupiditate primum locum obtinendi, haeresim suam condidisse.

Quis fuit sextus? Novatianus. At eum maximo desiderio Romanum episcopatum flagrasse, et cum eum adipisci non potuisset, simul haeresim et schisma in ecclesiam induxisse, refert Eusebius ex epistola quadam b. Cornelii l. 6 hist. ecclesiasticarum.

Quis septimus? Arrius. At is quoque auctore Theodoreto initio l. 4 de fabulis haereticorum, in-

videntiae stimulis agitatus, quod s. Alexandrum compresbyterum suum ad episcopatum evectum et sibi praelatum videret, occasionem accepit de ecclesia recedendi.

Quis octavus? Macedonius. At is nonne eo, quod episcopatu constantinopolitano ab ipsis arrianis privatus fuisset, ut iniuriam suam ulcisceretur, novam haeresim excogitavit?

Quis nonus? Nestorius. At enim quis ignorat quanta simulatione et hypocrisi episcopatum Constantinopolitanum ambierit? Refert enim Theodoretus l. 4 fabularum haereticarum, cum multos annos, et colore vestium et pallore vultus et verborum compositorum artificio et omnis sanctitatis simulatione, se in animos et benevolentiam vulgi in eum finem insinuasse.

Quis decimus? Martinus Lutherus, auctor et parens omnium haereticorum nostri temporis. At is nonne in Lipsica disputatione vocem illam emisit, se nec propter Deum incepisse nec propter Deum cessaturum? Quid clarius? quid apertius quid illustrius? Deinde in epistola illa notissima ad Argentinenses; nonne diserte affirmat, se non Christi amore, sed papae odio inflammatum tragoediam illam suam excitasse? Unde vero odium illud primo conceperit, omnibus notum est, nimirum ex ambitione et avaritia. Quod enim munus publicandarum indulgentiarum, unde monasterium eius honorem et lucrum referebat, ab eo ad praedicatores translatum fuisset, ideo Lutherus iniuriae et iacturae illius impatiens contra indulgentias primum, deinde contra pontificem, postremo contra fidem et omnia Christiana dogmata scribere, docere et praedicare coepit. Haec igitur de primordiis haereseon.

Iam in reliqua vita si quis omnia omnium haeresiacharum scelera prosequi vellet, immensam orationem susciperet: attingam solum pauca paucorum, ex quibus facile de caeteris iudicari possit. Initio quanta, quaeso, fuit omnium haeresiarcharum, sed praecipue Lutheri et Calvini iactantia? Simon magus se Deum esse iactabat; testis Irenaeus lib. 1. contra haereses. Menander Simonis discipulus se missum esse Salvatorem mundi asserebat; teste Eusebio lib. 5 Historiarum. Carpocratianorum aliqui se Domino Iesu aequales, aliqui etiam maiores et potentiores praedicabant; teste Theodoreto lib. 1 de fabulis haereticorum. Montanus se Spiritum sanctum Paracletum; testis magnus Basilius libr. 2 in Eunomium. Noetus se Moysen et fratrem suum Aaronem; testis Epiphanius in haeresi eiusdem. Manichaeus se quoque Spiritum sanctum, sicut olim Montanus, faciebat: testis Augustinus lib. de haeresibus. Nestorius se primum et solum scripturas probe intellexisse, et omnes patres, Martyres, et confessores totamque ecclesiam ante se errasse praedicabat; ut Vincentius Lyrinensis in commonitorio testis est. Arrium, Dioscorum, Eutychem incredibili superbia patres contempsisse, ex prima actione septimae synodi cognosci potest. Ac ut ad nostros veniamus. Num Lutherus se os Christi, et Heliam tertium, Osiander Enoch secundum, Thomas Muncerus Gedeonem, Servetus unicum orbis prophetam, David Georgius verum Messiam, alii novos prophetas, apostolos, evangelistas se esse praedicare erubuerunt? Num Lutherus in libro contra regem Angliae Henricum, et alibi saepe, non ait? *Divina maiestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, si mille Cypriani, mille ecclesiae Henricianae contra me starent. Augustinus et Cyprianus, sicut omnes electi errare potuerunt et erraverunt.* Et rursum: *Ego vere adversus dicta patrum, hominum, angelorum, pono non antiquum ecclesiae usum, sed unius maiestatis aeternae verbum et evangelium.* O ventriculum piger, mala bestia! Quasi vero sancti patres et sancti angeli et antiquus ecclesiae usus contra verbum Dei, et Evangelium pugnaret? Atque eiusmodi verba tumida, inflata, superba, in singulis paginis librorum eius reperiuntur. Num Calvinus in libro de Coena Domini, non aperte confitetur, omnes veteres missam sacrificium appellasse et tamen improbavit; *Ego minime probo.* Num in institutionibus non ait? *Haec fabula de limbo patrum, ad quos liberandos Christum descendisse narrant, tametsi magnos habeat auctores, nihil tamen aliud quam fabula est.* Nonne ibidem in tantum superbiae excessum erupit, ut b. Hieronymum asinum appellare non dubitaverit? O virum sapientissimum Calvinum, qui plus videre potuit solus, quam omnes patres et tota simul ecclesia! et cuius comparatione b. Hieronymus, alioqui doctor maximus et sanctissimus, nihil aliud quam asinus est! O Dei amicum singularem, cui tandem revelatum est fabulas fuisse, quas hactenus ecclesia pro veris dogmatibus habuit!

Sed ut ad Lutherum parumper redeamus: extat liber quidam de actis in conventu Wormatiensi ubi ab imperatore Carolo et reliquis Germaniae principibus, Lutheri causa initio cognita fuit. In eo libro miris laudibus attollitur Lutherus, et cum nomen potentissimi imperatoris semper fere nudum ponatur, ut, *Carolus hoc dixit, Carolus illud egit*, cum de Luthero mentio est alias scribitur, *Doctor Martinus, Lutherus pro sua incredibili humanitate et comitate benigne respondit*: alias, *Benignissimus pater benignissime respondit.* Quis, obsecro, librum illum conscripsit? Non alius, quam Lutherus. Credibile non videtur, sed tamen est ita. Finxerunt igitur unquam poetae talem Thrasonem qualem se Lutherus reipsa nobis exhibuit? Tametsi enim liber sine nomine auctoris prodierit, certum est tamen eum foetum esse Lutheri. Nam in illo ipso libro Lutherus commentitiae personae oblitus quodam loco de se ita ait: *His itaque actis, imperii actor asperioribus verbis obiurgans ait; Nihil me ad rem ipsam respondisse, nec debere ad oecumenicis semel synodis definita a me rursum in quaestionem vocari: proinde expectari a me planum et simplex responsum, utrum erroribus renunciare vellem, nec ne. Tum ego ita respondi.* Quid vobis videtur? Potestne horum superbia maiore arrogantia fastuque ullis verbis amplificari? An non toti pleni erant eo spiritu, qui est *rex super universos filios superbiae*? An non Spiritu sancto prorsus vacui, qui *superbis resistit, humilibus dat gratiam*, et non requiescit, nisi super humiles et contritos et timentes sermones Dei?

Iam vero quid de maledicentia et scurrilitatibus

de convitiis et verborum turpitudinibus dicemus ? Vix una sententia integra in libris eorum sine convitiis maledictis reperitur, Lutherus vero loqui non poterat, nisi tertio quoque verbo porcos, asinos, diabolos, stercora, merdas nominaret, ut pectus eius quasi putrefacta sentina vel immundissima latrina nihil nisi teterrimos foetores spirare posse videretur. Unde merito aliqui Lutherum stercoreum prophetam appellandum esse definierunt. Certe non toties apostolus Paulus et sancti patres nostri nomen Dei et Christi, quoties novi isti evangelistae nomen diaboli in suis voluminibus reliquerunt: Nec mirum, *ex abundantia enim cordis os loquitur*.

Et non minus isti diabolo et angelis eius, quam sancti patres Deo et beatis spiritibus familiares erant. Et Lutherus quidem satis ingenue in suo libro de missa singulari confitetur, inter se et diabolum magnum intercessisse familiaritatem, et se cum eo amplius, quam unum modium salis comedisse, ut eo magistro ac doctore multa didicisse. Zuvinglius quoque non obscure, in libro, quem eucharistiae supplementum inscripsit, se nocturno quodam spiritu in argumentis contra sacramenta excogitandis adiutum esse docet, quem ater esset an albus, dignoscere non potuerit. Sed quis ambigat, atrum, tartareum et teterrimum fuisse ? Angelus enim lucis claritatem suam non abscondit, neque mentem, quam visitat, in horrore et tenebris deserit. Porro Calvinus ad Bucerum scribens, aperte testatur, non esse ingenii, sed genii sui morem, numquam in scribendo a convitiis et maledictis abstinere.

Aliud vitium omnibus haeresiarchis, tam veteribus, quam novis commune fuit, quod fraudibus, dolis, technis, fictis miraculis, apertis mendaciis et scripturarum corruptelis, sectas suas promovere semper studuerint. Cum Arriani aboleri vellent vocem illam ομουσιον, qua divinitas Christi et maiestas asseritur, ut ex Ruffino lib. 10 historiarum c. 21 intelligi potest, ab episcopis latinis linguae graecae imperitis in Ariminensi concilio quaerebant; Num in Christum an potius in Homousion credere vellent: quasi tantum interesset inter Christum et Homousion, quantum inter Christum et Antichristum: ut eo dolo catholicos episcopos circumvenirent, sicut etiam circumvenerunt. Dolus item Apollinistarum, ex eodem Ruffino in Apologia pro Origine notissimus est. Cum enim aliquando librum quemdam b. Athanasii a catholicis, cum quibus disputabant, accepissent mutuo, omnia loca, quae contra se faciebant, deleverunt. Ac deinde incredibili versutia rescripserunt, ut non tam ab Athanasio posita, quam a nostris supposita, et librum illum non haeretici sed catholici corrupsisse ac depravasse viderentur. Arrianos verba illa de Ioannis Evangelio delevisse, *Spiritus est Deus*, testis est fide dignissimus Ambrosius lib. 3 de Spiritu sancto. Marcionem ex omnibus scripturis, ea quae contra suam haeresim faciebant abrasisse, testes sunt Irenaeus lib. 1 contra Valentinum et Tertullianus lib. 5 contra Marcionem; et Cyrillus in utraque ad Successum epistola, conqueritur Epistolam b. Athanasii ad Epictetum, ita Nestorianos corrupisse, aliis detractis, aliis suppositis, ut iam nihil aliud, quam haeresim Nestorianam sonaret. In sexta Synodo actione nona ab ipsis Romani Pontificis legatis plane convicti sunt haeretici, multa loca vel sustulisse vel corrupisse in libris sanctorum Patrum, Athanasii, Ambrosii atque Chrysostomi. At Lutheranorum et calvinistarum mendacia, doli, fraudes, corruptelae pene sunt infinitae. Unus Hieronymus Embserus praefatione annotationum in novum testamentum Lutheri, constanter profitetur, Martinum Lutherum non solum omnes libros, sed omnia fere capita Bibliorum corrupisse, ac fere mille quadrigendos errores haereticos et mendacia immiscuisse. Ac ut non eamus procul, nonne in epistola hodierna, quam explicaturi sumus, abstulit illa verba. *Ut abstineatis vos a fornicatione* ? Et merito sane. Nimis enim aperte pugnabant cum illo dogmate lutherano. *Si non vult uxor, veniat ancilla.* Itaque extingui debuerunt. Et in epistola Iacobi, quam tamen stramineam appellat, nonne illa verba; *Ostende mihi fidem tuam sine operibus.* Lutherus de more depravavit: *Ostende mihi fidem cum operibus* ? In epistola ad Romanos, ubi legimus: *Arbitramur hominem iustificari per fidem*: nonne ipse corrupit: *Arbitramur hominem solum iustificari per fidem* ? Cumque amicus quidam quaereret, cur addidisset illam vocem (*solum*) arrogantia intolerabili respondit: *Si papista tuus*, inquit, *multa vult garrire de hac voce* (solum) *ei confestim respondeo: Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, atque papistam et asinum esse unum. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim papistarum esse discipuli, sed magistri ac iudices.* Surius pagina 261. Deinde sectarii, nonne omnes miseris populis persuaserunt, ea nos credere, quae nunquam somniavimus ? et multa esse nuper inventa, ut ordines minores sanctorum invocationem, imaginum venerationem ? quae tamen in libris veterum passim inveniuntur. Nonne fictis miraculis (quod alias ostendimus) fidem suam propagare voluerunt ? Nonne, ut suis persuaderent, se quoque magnum numerum sanctorum martyrum et confessorum habere, et Foxus et alii martyrologia composuerunt, et ea omni genere nebulonum repleverunt ? Unum dumtaxat exemplum proponam. Certe Foxus hominem quemdam nomine Guilelmum Cubrisium in numerum sanctorum martyrum retulit. Et sane si sciret vulgus haereticorum, quis Cubrisius ille fuerit, nihil dubito, quin statim totum martyrologium laceraret. Ille enim, ut ex ipsa eius confessione cognosci potest, ideo vivus adustus est, quod assereret Christum non venisse mundi redemptorem, sed futurum mundi deceptorem, et nomen Christi foedum esse nomen, et illud se ubicumque in libris reperisset, destruxisse, et omnes, qui in nomine Christi crediderunt, et gehennam esse damnatos. Denique numquam se Christi nomen esse confessurum. Ecce vobis qualem daemonem pro sancto colendum martyre proposuit ille, et quibus dolis caeteri populos decipiunt. Quaeso vos, potestne ista perfidia ullo modo excusari ? Etiamsi vera esset doctrina haereticorum, num fictis prodigiis, apertis mendaciis, scripturae corruptelis

eam confirmare debuerunt? Nonne satius est millies obmutescere, quam semel mentiri? Quid unquam tale in libris catholicorum invenerunt? Quod erit unquam opus Diaboli, si hoc non est?

Sed ut ad extremam orationem veniamus, numquid exitus haereticorum ab eorum vita unquam discrepavit? Nullo modo. Horrendum Simonis, Manichaei, Arrii interitum alias recensuimus. Martinus Lutherus nonne sicut epicureo more vixit, ita quoque more epicureo extinctus est? Nam cum nocte quadam optimam coenam sumpsisset, sicut semper solebat et fabulis et facetis omnibus convivis risum movisset, in lecto molli ac pretioso, ut ille quondam dives epulo, post paucas horas ore contorto animam diabolo reddidit. Quis unquam sanctorum ita mortuus est? Calvinum nonne viri fide dignissimi retuleruut, et scripserunt, a vermibus consumptum expirasse, sicut olim Antiochum et Herodem? Zuvinglium nonne in bello, quod catholici Helvetii pro fide felicissime gesserunt, misere trucidatus est? Oecolampadius nonne Zuvinglii morte audita post triduum repente obiit? Carolstadium nonne ipsi Basileenses ecclesiastae, in epistola, quam de eius obitu ediderunt, a diabolo occisum volunt? Habetis igitur quales praedicatores ecclesia, et quales haereticorum synagogae semper habuerunt. Inter quos tantum interest, quantum inter diem et noctem, inter lucem et tenebras, inter Deum et diabolum, inter Christum et Belial, inter bonum et malum, inter verum et falsum, inter aurum et carbones.

CONCIO X.

DE COMPARATIONE VETERUM ET RECENTIUM HAERETICORUM, QUANTUM AD FIDEM.

SYNOPSIS.

Christianissimum imperatorem Theodosium imitatus author, duabus subsequentibus concionibus, fide et moribus tam catholicorum et haereticorum veterum comparatis, haereticos convincere aggreditur. Atque Novatorum haereses de fide sine operibus, de libero arbitrio, de Deo causa peccati, de resurrectione universali, de realitate Christi in eucharistia, de humanitate Christi, de incarnatione eiusdem, de poenitentia et confessione tollenda, de ss. Trinitate, de baptismi necessitate, de dignitate sacerdotum, de precibus pro mortuis offerendis, de virginitate, de sanctorum invocatione, de peccato originali et iustificatione, de omnipotentia Christi, de usu eucharistiae, de Deo passo, de sanctorum imaginibus, de consubstantialitate Filii cum Patre: has, inquam, haereses omnes veterum haereticorum, et quorum, fuisse deliramenta iamdudum condemnata, dilucide disseritur. D. Hieronymus a calumnia Lutheri, de verbo Homousion, *vindicatur. Quam bene conveniat Luthero et Calvino cum Arrio in multis apparet. Qua ratione ex falsis haereticorum dogmatibus in peius semper ruat mundus; adeo ut misero huic nostro aevo diabolus omnibus vinculis solutis libere grassari videatur, ut eleganter, sic vere demonstratur.*

Quo consilio senior Theodosius, christianissimus ac potentissimus imperator, et ideo potentissimus, quia christianissimus, aliquando hereticis profligandis usus fuisse legitur, eo mihi potissimum, auditores optimi, utendum esse in tam multis, et tam variis diversorum haereticorum erroribus refellendis hac nostra tempestate videtur. Is enim, ut Socrates in quinto libro historiarum scriptum reliquit, cum videret propter Arrium, Eunomium et Macedonium ecclesias Orientis in sectas atque haereses innumerabiles esse distractas, patronos singularum sectarum ad se vocari iussit, atque ab eis quaesivit, num eos magistros ac doctores audire ac sequi parati essent, quos ante exortam haeresim Arrianam catholicos atque orthodoxos fuisse, et ecclesiam Dei probe administrasse constaret? Ea vero sola interrogatione admirabile est, in quantas angustias christianus imperator turbam illam haereticorum coniecerit. Nam neque iudices illos ab imperatore propositos accipere conscientia prophanarum novitatum eos patiebatur: neque rursum eorum iudicium recusare ulla vel iusta vel apparente ratione poterant. Ad eumdem igitur modum nos hodie et oratione frequente cum haereticis nostri temporis agemus. Comparabimus enim fidem et mores, tam catholicorum quam haereticorum recentium, cum fide et moribus catholicorum et haereticorum veterum. Nam fides et mores ecclesiae veteris et veterum haereticorum (quod vos meminisse puto) sunt duo argumenta pene postrema ex illis duodecim, quae vobis in concionibus huius anni explicanda suscepimus. Et si ostendere poterimus, fidem, religionem, vitam, mores lutheranorum, zuvinglianorum, anabaptistarum, calvinistarum, non similia, sed prorsus eadem esse cum fide, religione, vita, moribus veterum perditissimorum et millies damnatorum haereticorum, tum demum petemus, ut sicut illos haereticos omnes communibus votis execramur, anathematizamus, aeternis cruciatibus addicimus, ita novos istos, qui eamdem fidem, eamdem religionem, eosdem mores coluerunt ac tenuerunt, pari anathemate ac supplicio dignos iudicetis. Et contra fidem ac religionem catholicae ecclesiae, quae nunc est, tamquam rectam et piam retinendam et conservandam censeatis, quam sancti illi patres olim tenuerunt et coluerunt, quos tamquam vere pios et orthodoxos omnes hoc tempore tam catholici, quam haeretici amplectimur et veneramur.

Ut igitur de fide primum, deinde de moribus dicamus, quod Lutherus nostris temporibus docuit et tamquam fundamentum quoddam suae doctrinae esse voluit, *fidem sine operibus ad salutem sufficere, et tam divitem esse hominem christianum, ut etiam volens perdere non possit salutem suam quantiscumque peccatis modo nolit credere*: certe olim omnino idem pseudoapostoli et eunomiani docuerunt. De pseudoapostolis ita loquitur Augustinus in libro de fide et operibus, ca. 14. *Iam illud excutiendum est a cordibus religiosis, ne mala severitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putaverint: bene autem vivere, et bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus apostolorum, non intellectis quibusdam obscuris sententiis apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere.* Et paulo infra: *Quoniam ergo* inquit, *haec opinio tunc fuerat exorta, aliae apostolicae epistolae Petri, Ioannis, Iacobi, Iudae contra eo maxime dirigunt intentionem, et vehementer*

struunt, fidem sine operibus nihil prodesse. Sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum credimus, sed eam salubrem planeque evangelicam definivit, cuius opera ex dilectione procedunt. Haec Augustinus. Eamdem haeresim et iam Simonis magi fuisse, testatur b. Irenaeus libro 1. contra Valentinum, capite vigesimo. Eunomium vero animo et corpore leprosum, et omnium pene haereticorum scelestissimum, d. Epiphanius initio libri tertii contra haereses, et b. Augustinus de haeresibus, cap. 55 tradunt ita inimicum bonis operibus fuisse, ut diceret, fidem solam sufficere: opera vero usque adeo non necessaria, ut enim scortationes et alia peccata nihil nocent, modo homo credat. Quod nonne est idem cum eo, quod Lutherus ait: *Non posse hominem christianum perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere*? Itaque Lutherani se proles esse pseudoapostolorum, quos apostoli ipsi damnaverunt, et Simonis atque Eunomij discipulos, nisi frontem omnino amiserint, negare non possunt.

Cursum vero, quod Lutherus et Calvinus, et sectarii pene omnes docent, *hominem non esse liberi arbitrii, et omnia absoluta necessitate evenire*, quod est alterum novae doctrinae fundamentum: olim idem omnino docuerunt primo Simoniani, teste d. Clemente lib. 3 Recognitionum; deinde Manichaei, teste d. Hieronymo praefatione in Dialogum suum contra Pelagianos.

Quod Wiclephus, Lutherus, Melanton, Calvinus et caeteri docent, *Deum vere proprie non permittendo, sed efficiendo causam esse omnium peccatorum*, olim Simon magus docuit, teste Vincentio in commonitorio: deinde etiam Florinus, teste Eusebio lib. 5 historiarum. c. 20.

Quod Libertini et Servetus in Gallia, vel ipso teste Calvino, *corporum resurrectionem futuram esse negant*, haeresis est antiquissima, quam Apostolus Paulus in Himeneo et Phileto, et b. Epiphanius in Simone mago et Menandro reprehendunt.

Quod Sacramentarii docent, *sacrosanctam eucharistiam non esse veram carnem Domini*, idem iisdem verbis quidam perditi homines initio nascentis ecclesiae docuerunt, quos Ignatius Ioannis Apostoli discipulus refellit, teste Theodoreto dialogo 3 qui inscribitur Impatibilis.

Quod nonnulli Anabaptistarum docent, *Christum solum esse hominem, non etiam Deum, et antequam de virgine nasceretur, non fuisse*, olim Ebionitae, Paulus Samosatenus, et Photinus docuerunt.

Quod rursum Anabaptistae docent, *Christum de Virgine Maria nihil sumpsisse, sed corpus vel coeleste, vel ex elementis habuisse, et per virginem tanquam per rimulam aut per fistulam transisse*, quid est aliud, quam ad veritatem verbi Dei et christianam religionem penitus abolendam, impiorum doctorum, Valentini et Apellis, extinctos revocare furores et horrenda deliria innovare? Nam eorum haereticorum ista fuisse somnia testatur Tertullianus lib. de praescriptionibus haereticorum. Neque vero putetis istum Anabaptistarum furorem esse sopitum. Nondum annus praeteriit, ex quo in parte quadam Germaniae (quod sane pudet referre) Anabaptistis publica facta fuit potestas, de ista quaestione disputandi, An substantiam carnis suae Christus ex Virgine Maria, an aliunde assumpserit? Ecce quo nos isti novatores deduxerunt, ut iam publice inter christianos disputetur, An Christus sit homo et filius Mariae? Sed pergamus ad caetera.

Quod poenitentiam et confessionem sectarii hodie tollunt, idem olim Montanistae et Novatiani fecerunt, teste b. Hieronymo in epistola ad Marcellam de erroribus Montani, et Teodoreto lib. 3 de fabulis haereticorum.

Quod Michael Servetus, quem Calvinus, tametsi alioqui condiscipulum suum, extremo supplicio affecit, aperte sacrosanctam Trinitatem impius negavit, et quam sublimes in coelo Spiritus Seraphim ter adorandum esse noctes et dies profitentur, ipse homo impurus et blasfemiae spiritu plenus, triceps monstrum ac cerberum quemdam tripartitum, sed et diabolicum phantasma et illusionem Satanae, et Deos imaginarios et tres daemoniorum spiritus, et Geryonis monstrum audet appellare: unde in Transilvania existunt hodie ministri, qui b. Augustinum et alios veteres, qui tres veras et subsistentes personas in Deo statuunt, Trinitarios et Sophistas vocant: nonne haec est ipsissima haeresis Noethi et Sabellii, quam ecclesia semper exhoruit? et quam d. Basilius, Augustinus, omnes patres et omnia concilia damnaverunt!

Quod Lutherus et Calvinus praeterea baptismum aquae non vult esse necessarium, nonne iisdem verbis idem blasphemabant et docebant Manichaei? De quibus illud etiam Theodoretus refert, libro de fabulis haereticorum, egregie videlicet eos praestigiis uti consuevisse, et scelerata quaedam mysteria atque orgia habuisse, quibus ita auditores suos dementabant, et Satanae possidendos tradebant, ut omnino aegre ac difficile converti possent. Quae omnia quis ambigere potest, non minus in nostros anabaptistas, quam in manichaeos convenire? Nam quis ignorat, habere anabaptistas secreta sua orgia, suas incantationes, quibus ita se daemonibus tradunt, ita ab eis possidentur, ut sint ipsi omnium haereticorum obstinatissimi, licet nulla extiterit, unquam secta turpior aut absurdior? Sed pergamus.

Quod Lutherus docuit, *etiam pueros et foeminas esse sacerdotes*, et Anglicana Synagoga non solum foeminam, sed foeminam spuriam, haereticam, summum caput ecclesiae suae Anglicanae esse docent: nonne idem omnino olim Pepusitae docuerunt: testes sunt Epiphanius et Augustinus in catalogo haereticorum.

Quod sectarii hodie docent, *non esse pro mortuis suffragium offerendum, nec statuta ecclesiae ieiunia observanda*, nonne Arriani idem prorsus ante mille annos docuerunt? Nonne propterea haeretici ab ecclesia habiti sunt? Non idcirco Epiphanius et Augustinus eos in catalogo haereticorum retulerunt?

Quod Lutherus docuit, *virginitatem non praestare matrimonio, peccata esse paria, omnes aeque sanctos, ieiunia nihil prodesse*, nonne olim

docuit Iovinianus Stoicus simul et Epicureus, quem b. Hieronymus duobus gravissimis libris confutavit?

Quod lutherani, zuvingliani, calvinistae, omnes sectarii simul contra sanctos et eorum reliquias fremunt, et nec eos tamquam intercessores et advocatos apud Deum invocari, nec etiam honorari volunt: nonne eodem furore idem voluit olim Vigilantius, cuius audaciam b. Hieronymus, acerrimus veritatis propugnator, libro adversus eum doctissime et eloquentissime scripto, respuit et fregit? Quamquam Centuriatores Magdeburgici pro sua in Deum et sanctos pietate, incredibili metamorphosi Vigilantium vel potius ebrium Dormitantium, Divo Hieronymo anteponere non verentur, et non tam Vigilantium a beato Hieronymo confutatum, quam b. Hieronymum a Vigilantio emendatum videri volunt: et tamen indignantur, si eos novatores appellemus. Quid quaeso, est novare et mundum invertere, si hoc non est? Quis unquam his mille annis audivit non Vigilantium haereticum et b. Hieronymum catholicum sed b. Hieronymum haereticum et Vigilantium catholicum fuisse? Nonne hac lege etiam magnum Leonem haereticum, Eutychem catholicum; b. Cyrillum haereticum, Nestorium catholicum; b. Augustinum haereticum, Pelagium catholicum; d. Basilium haereticum, Eunomium Catholicum: b. Athanasium haereticum, Arrium catholicum; Irenaeum haereticum, Valentinum catholicum; Cyprianum haereticum, Novatianum catholicum; ac breviter b. Petrum haereticum, Simonem magum catholicum faciemus? Sed ad seriem orationis redeamus.

Quod Zuvinglius, Bucerus, Calvinus et quidam alii volunt, *filios Christianorum nasci sine peccato et haeredes regni, et posse hominem naturae viribus sibi beatitudinem aeternam comparare*, sicut Catonem et Scipionem putat Zuvinglius comparasse; nonne est haeresis Pelagiana, quam d. Augustinus toto fere septimo tomo operum suorum expugnat?

Quod Lutherus epistolam ad Hebraeos exponens asserit, *Christum non esse hominem omnipotentem*, ex quo sequitur non esse hominem Deum; atque *duas esse in Christo personas*: unde non desunt hodie, qui dicant sanctam Mariam non esse Dei genitricem, nonne est ipsa haeresis Nestoriana, quam Ecclesia universa in prima Ephesina synodo damnavit.

Quod multi lutheranorum docent, *non esse corpus Domini in eucharistia extra sumptionem et usum sacramenti*, nonne idem olim duo docuerunt, quos b. Cyrillus in epistola ad Calosirium insanire affirmat?

Quod Lutherus in libro de conciliis, *Christi divinitatem passam esse* docet; et Servetus ac Schuvenckfeldius, et alia quaedam plusquam insana capita, naturam Christi humanam ac divinam confundant, nonne est haeresis Eutychiana, quam Synodus Chalcedonensis omnium maxima et illustrissima confutavit?

Quod calvinistae tanto furore saeviunt in sacras sanctorum imagines, et omnem penitus memoriam crucis Christi, et nostrae liberationis sublatam videre vellent, nonne ille idem furor est et impietas, quae ante annos octingentos in Oriente grassabatur, et contra quam Synodus Nicaena secunda frequentissima et sanctissima convenit?

Quid iam de arriana peste dicemus, quam ad ultimum tamquam omnium gravissimam et perniciosissimam reservare voluimus? Certe Arrii haereticorum omnium pestilentissimi et contra quem synodus prima Nicaena antiquissima habita est, haeresis praecipua fuit, Filium Dei non esse homousion Patri, hoc est ejusdem naturae atque essentiae cum Patre: testes sunt Augustinus et Epiphanius ac pene omnes patres. Nullus enim fere est veterum, qui istam haeresim non confutaverit. Porro blasphemiam istam, quae totam religionem christianam evertit, nonne Luthero et Calvino, et eorum discipulis placuisse facillime demonstrari potest? Primus Lutherus contra Iacobum Latomum virum eruditissimum scribens, nonne ait: *Anima mea odit hoc verbum* Homousion? Quid, quaeso, vel sentiet vel diceret aliud Arrius, si ab inferis redivivus adesset? Nam tota illa tragoedia, quae ecclesiam misere foedavit ac vastavit, propter hanc unam vocem excitata est, cum patres catholici nihil aliud suis libris et conciliis conarentur, quam hanc sententiam stabilire, quae Christum homousion Patri, hoc est, Deum verum, Patri aequalem, consubstantialem esse docet. Haeretici contra nihil aliud decem conciliabulis suis, quin etiam armis et exercitibus molirentur, quam hanc vocem abolere, et non solum de symbolo et conciliis, sed etiam de dictionariis tollere. Unde etiam catholicos hoc nomine Homousianos probose vocitabant. Sed audite inauditam impietatem et calumniam ac mendacium perniciosissimum ejusdem Lutheri, in eodem illo contra Latomum libro, non contentus dixisse: *Anima mea odit hoc verbum* Homousion, addit etiam d. Hieronymum hanc ipsam vocem recipere non voluisse, quod nescio quid veneni latere in syllabis arbitraretur. Quid faciemus hominibus istis, qui non sciunt causam suam tueri, nisi mendaciis? Nam d. Hieronymus in illo ipso loco, quem Lutherus adducit, qui est in epistola ad Damasum de Hypostasibus, saepius recipit, amplectitur, praedicat, homousion Trinitatem: venenum autem latere aliquod in syllabis arbitratur, non vocis *Homousion*, sed vocis *Hypostaseo*. Sic enim loquitur; *Proh dolor, post Nicaenam fidem, post Alexandrinum iuncto pariter Occidente decretum, trium hypostaseon ab Arrianorum praesule et Campensibus novellum a me homine Romano nomen exigitur: qui, quaeso, ista apostoli prodidere? Quis novus magister gentium Paulus haec docuit? Interrogemus, quid tres hypostases posse arbitretur intelligi: tres personas aiunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet.* Ecce audistis ubi venenum latere dicat, scilicet in nomine *Hypostasis*, quod est ambiguum, et substantiam et personam significare potest. Ideo enim cupiebant Arriani tres personas, tres hypostases dici, ut tres substantiae in Deo esse putarentur, atque adeo homousion tolleretur. Itaque tantum abest, ut d. Hieronymo vox *Homou-*

sion displicuerit, ut potius solo metu, ne ea vox nobis ab Arrianis eriperetur, tres personas, tres hypostases dicere formidaverit. Quaeso vos, quale scelus est hoc, simul b. Hieronymum, haereticorum malleum, mendacio Arrianum facere, et ea calumnia simplicium animos circumvenire? Quid? Quod non solum nomen *Homousion*, sed etiam nomen *Trinitatis* Luthero displicuit, ut ipse confitetur, et ex Germanorum litaniis illam pulcherrimam et antiquissimam precandi formulam submovet; *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.*

Sed ad Calvinum veniamus. Is primum, quod magni criminis suspicione non vacat, cum in Genesim et in Joannem scribit, alio detorquet testimonia, quae fidem sanctissimae Trinitatis et divinitatis Christi non parum illustrant. Deinde in Synodo quadam Lausanensi (ut Petrus Carolus, qui eidem synodo interfuit, ad cardinalem Lotharingum scripsit) confiteri numquam voluit, Christum Deum esse de Deo vel substantia Patris: imo vero pulcherrima et significantissima illa verba Symboli: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*, absurdam et ridiculam battologiam appellavit. Nomen Trinitatis quod Ciceroni esset insuetum, non probavit: Symbolum Nicaenum, contra Arrianos ante mille ducentos annos editum minime recepit: Symbolo b. Athanasii se neque credere neque discredere ait, donec illud ad scripturarum normam examinasset. Quid, quaeso, unquam magis fecerunt vel dixerunt Arriani? Sed quando horum nihil esset; quo pacto Calvinum ab Arriana impietate excusare poterunt, cum ille disertis verbis velit illa verba Pauli: *Tunc et ipse filius subiectus erit ei, qui subjecit sibi omnia*, ad utramque Christi naturam esse referendam? Si docet Calvinus secundum utramque naturam, divinam et humanam, Christum Patri esse subiiciendum, quomodo non docet Christi divinitatem etiam esse diversam a Patris divinitate, atque adeo Deum filium Deo Patre esse minorem, quae est ipsissima haeresis Arriana?

Itaque videtis quo Novatores isti tendant. Ab indulgentiis inceperunt, et paulatim eo rem deducunt, ut Trinitatem, Incarnationem, omnia mysteria omnia sacramenta nobis tollant, mundum faciant arrianum, et Christi religionem penitus extinguant. Nam ex istis fontibus processerunt, qui nunc aperte praedicant, unum et solum Deum esse Patrem, et Christum Dei Filium Deo Patre minorem, et propterea Symbolum beati Athanasii, Symbolum s. Athanasii contumeliose vocant. Porro arrianismus nonne aperte ducit in paganismum, qualem iam in Polonia excitatum audimus, ubi non desunt, qui docent esse tres omnipotentes, tres aeternos, tres essentias, tres Deos? Ex paganismo vero nonne in atheismum veniemus? Iste scopus, iste finis, illud propositum satanae est, ut tandem christianos homines atheos efficiat, qualis fuit, Luthero teste, Carolstadius, qui tamen est pater omnium hujus temporis sacramentariorum. Graviter enim Lutherus asseruit, usque adeo Carolstadium atheum fuisse, ut nullum esse crediderit neque in coelis neque in terris Deum. Et nondum intelligunt misere seductae Germania et Gallia, quo spiritu ducantur stulti atque impii pseudoprophetae, qui eas deceperunt? Qui si stulti atque impii non essent, non ita temere in primos ac praecipuos fidei articulos, quibus aeternae salutis nostrae summa continetur, impingerent: neque e Satanae spiritu eadem nobis profana dogmata depromerent, quae blasphemi olim haeresiarchae, totius orbis judicio saepe damnati, ad firmamenta religionis atque omnis doctrinae Christianae prima fundamenta evertenda sacrilege fabrificarunt. Quis non credit, Satanam hoc tempore vinculis esse solutum omnibus, qui adversus Dominum et Christum ejus tam aperto marte, tanto rerum successu grassatur, et per suos istos satellites et ministros, tantis ludibriis Deum immortalem afficit omnemque subsannat ecclesiam? Et haereses quas olim diversis temporibus excitavit, nunc omnes simul instaurat, ut quo minus temporis in suo regno sibi superesse videt, eo studiosius in hoc unum totus incumbat, ut quod Paulus vocat *mysterium iniquitatis*, in suis filiis uterque Antichristi praecursoribus strenue operetur.

Sed finis sit. Iam enim nisi fallor intelligitis, fidem haereticorum veterum et novorum eadem prorsus fuisse; sicut patrem eamdem spiritum seductionis et mendacii omnes habuerunt: ac proinde eadem nos ratione Lutherum, Zuvinglium, Calvinum et caeteras pestes execrari debere, qua Simonem, Manichaeum, Arrium et alia vetera monstra atque portenta execramur.

CONCIO XI.

DE MORIBUS HAERETICORUM VETERUM ET NOVORUM

SYNOPSIS.

Moribus potissimum haereticos a catholicis discerni affirmatur; atque ad morum comparationem institutam nostrorum haereticorum cum veteribus descenditur. Omnes haereticos ecclesiam Romanam oppugnasse, testimoniis s. Augustini, Optati Milevitani, Ambrosii et Hieronymi confirmatur; quod idem haereticos nostri saeculi facere ostenditur: Atque hinc hanc veram esse ecclesiam, supra petras portas inferi et insultus haereticorum spernentem fundatam, evidenter concluditur. Haereticos solummodo verbum Dei scriptum recipere probatur; ubi de traditionum necessitate et energia multa interserunt, et variae caerimoniae per traditionem acceptae enarrantur. Quod haereticis solemne sit scripturas reiicere, receptas vero mutilare et depravare, id quod vel in uno Luthero manifestum sit. Scelera et immanitates quae veteribus haereticis cum recentioribus sunt communes, ex fide dignis auctoribus longa narratione adducuntur; ubi Arrianorum et Donatistarum crudelitas praesertim describitur, quam lutherani et calvanistae si non superant, saltem adaequare deprehenduntur.

Quae duae res in ecclesia catholicos ab haereticis hoc tempore maxime secernunt, eaedem ambae ab ipso Christi Servatoris adventu eosdem ab omnibus sectis separaverunt, sapientia et iustitia, fides et mores. Quemadmodum enim, optimi auditores, semper ecclesiae catholicae sapientia cum haereticorum ignorantia, veritas cum erroribus, fides cum infidelitate pugnavit: ita quoque semper ecclesiae probitas, integritas, innocentia, pudor, humilitas, gravitas, cum haereticorum sceleribus, corruptelis, flagitiis, impudentia, arrogantia, levitate conflixit. Ac fidem quidem vel perfidiam potius veterum haereticorum, cum opinionibus variis atque haeresibus, quae hoc nostro calamitosissimo tempore in Europa grassantur, comparavimus superiori oratione, et satis, nisi fallor, ostendimus, nihil modo sectarios docere, quod non ante mille annos in suis primis auctoribus, illis blasphemis haeresiarchis, quorum nunc vix nomina supersunt, orbis totius iudicio ecclesia universa damnaverit. Hodie, sicut promisimus, mores haereticorum veterum cum moribus haereticorum novorum conferemus, ut omni ex parte similitudo appareat, nec ullus dubitare possit, quin haeretici isti novi eiusdem Satanae soboles sint, cuius prisci illi quondam fuerunt.

Ut igitur a primo ordiamur, nihil communius haereticis fuit, quam Romanam ecclesiam atque apostolicam fidem insectari atque odisse. Neque mirum. Nam etiam fures praetorem et iudices oderunt, Praeterea novit Eaemon, ubi sit fundamentum ecclesiae: ubi sit arx religionis, ex qua fontes coelestis sapientiae deriventur; itaque semper eo suas acies, sua arma, suos arietes direxit. Testimoniis plurimis abundare possemus, si vel temporis brevitas pateretur vel causa flagitaret: sed quoniam neque licet, neque volo nimium immorari, contentus ero, si in singulis capitibus explicandis, paucos graves et probatos testes adhibuero.

Prodeat imprimis beatissimus et doctissimus Augustinus. Is enim in libro secundo contra litteras Petiliani, capite quinto, ita haereticum Donatistam alloquitur; *Cathedra tibi quid fecit ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit, et in qua hodie Anastasius sedet? Quare appellas cathedram pestilentiae cathedram apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui et non facere, numquid Dominus Iesus propter pharisaeos, de quibus ait; Dicunt et non faciunt, cathedrae, in qua sedebant, ullam iniuriam fecit? Nonne illam cathedram Moysi commendavit, et illos servato cathedrae honore redarguit? Ait enim; Super cathedram Moysis sedent: quae dicunt, facite: quae autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim et non faciunt. Haec si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis cathedram apostolicam, cui non communicatis.* Haec ille. Cum quo et sanctum Optatum Milevitanum coniungere possumus, qui in libro contra Parmenianum, his verbis donatistas hostes fuisse cathedrae apostolicae docet; *Claves salutares*, inquit, *accepisse legimus Petrum scilicet nostrum: Unde ergo est, quod claves vobis, donatistae, usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri vestris praesumptionibus, et audaciis sacrilegio militatis?* Haec Optatus. Porro b. Ambrosius oratione funebri in Satyrum fratrem suum; *Advocavit*, inquit, *ad se episcopum* (de Satyro loquitur) *nec ullam veram putavit, nisi verae fidei gratiam, percunctatusque, ex eo est, utrum nam cum episcopis catholicis, hoc est, ecclesia Romana conveniret?* Itaque iidem tunc erant, b. Ambrosio teste,

episcopi catholici, qui cum Romana ecclesia conveniebant: iidem haeretici, qui ab ea dissentiebant. Addamus his tribus et quartum testem beatissimum Hieronymum, cuius est illa praeclara et omnibus nota vox; *Qui cathedrae Petri iungitur, meus est.* Beatus igitur Hieronymus Marcellae Epitaphium describens, ac de b. Athanasio et b. Petro eius successore loquens, affirmat duos illos sanctissimos et doctissimos Alexandrinos Patriarchas, haeresim arrianam fugientes, se ad Romanam ecclesiam tamquam ad tutissimum suae communionis portum contulisse. Ex quo facile intelligimus, quantum Romana ecclesia et haeresis arriana, eo tempore dissiderent: quandoquidem hostes arrianorum omnium acerrimi et maximi ad Romanam ecclesiam, tamquam ad posita castra, vel, ut loquitur beatus Hieronymus, tamquam ad portum tranquillissimum et tutissimum confugerunt.

Iam vero nostri temporis haereticos eodem odio vel graviori, ecclesiam Romanam insectari nemo est qui nesciat. Nam et Berengarius sacramentariorum primus parens, ita Romanam ecclesiam insectatur, ut Leonem Nonum *sanctissimum et reverendissimum ecclesiae Dei speculum* (ut verbis utar Guilmundi, qui eo tempore floruit et scripsit) *summum non pontificem, sed pontificem atque pulpificem contumeliose vocaret.* Lutherani vero et calvinistae atque sectarii caeteri, Arrianorum et Donatistarum verissimi haeredes, non alia de causa nos papistas nominandos censuerunt, quam quod apostolicae sedi cum Athanasio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Optato et caeteris sanctis patribus adhaereamus.

Sed scitis, quid hoc suo in Romanam ecclesiam odio faciant omnes haeretici? Nihil aliud, quam ut quasi certissima quadam nota intelligamus, Romanam ecclesiam, veram veri Dei esse ecclesiam. Nam ut d. Augustinus in libro primo de Symbolo ad catechumenos sapienter admonuit? *Ea sine dubitatione vera Ecclesia est, quae contra omnes haereticos pugnat, et quam omnes haereses impugnant, sed non expugnant: quod fundata supra firmam petram numquam ruat, neque adversus eam portae inferorum praevalere possint.* Porro notam istam Romanae ecclesiae optime convenire, iste ipse haereticorum omnium in eam unam furor et rabies satis docet. Evolvite indices haereticorum, tam veterum quam recentium: legite diligenter historias atque concilia et perspicue intelligetis, nullam haeresim unquam extitisse, quae se a Romanae ecclesiae communione non separaverit, et quam Romani pontifices, vel per se vel per concilia quibus vel ipsi vel eorum vicarii praefuerunt, non damnaverint. Itaque Romana ecclesia quasi firmissimus quidam scopulus, in isto vastissimo huius mundi Oceano, semper eminet, atque ad eam variarum haeresum tamquam tumentes atque spumantes fluctus, spiritu Satanae impulsi, singulis saeculis alliduntur et franguntur. Irruit in eam haeresis simoniana, fluctus ingens sane et horrisonus; sed statim alluditur et frangitur. Irruit haeresis arriana: alliditur et frangitur. Irruit haeresis Nestoriana: alliditur et frangitur. Irruit haeresis eutychiana, haeresis pelagiana, haereses caeterae; sed omnes cum magno fragore ac sonitu ad eamdem petram tandem alliduntur et franguntur. Quare haeretici quanto magis contra ecclesiam istam fremunt, tanto magis intelligentibus et sapientibus clamant, eam veram ecclesiam esse, nosque magis ad eam impellunt atque compellunt, ut cum b. Augustino dicamus: *Dubitabimus nos eius ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per episcoporum successionem frustra circumlatrantibus haereticis culmen maiestatis obtinuit?* Sed tam ad alios haereticorum mores veniamus.

Secundo loco omnibus veteribus haereticis commune fuit, a traditionibus, a conciliis, a patribus ad scripturas appellare, atque adeo solum verbum Dei scriptum velle recipere. Ita Valentinus et Marcion haeretici vetustissimi fecerunt, testibus Irenaeo libro tertio contra haereses et Tertulliano libro de praescriptionibus haereticorum. Ita Arrius et Aerius, teste Epiphanio in haeresibus eorumdem. Ita Nestorius, Eutyches, Dioscorus et Iconomachi, teste Ancirano Basilio, cuius oratio in septima generali Synodo scripta continetur. Sed audiamus ipsa verba unius ex primis satrapis arrianorum, quae cum audiremus, non tam priscum illum arrianum, quam novum aliquem lutheranum nos audivisse existimabimus. Beatus igitur Augustinus initio libri primi contra Maximinum episcopum Arrianorum loquentem, et fundamentum doctrinae suae iacentem introducit: *Maximinus dixit: si quid de divinis scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus. Hae vero voces, quae extra scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur, cum ipse Dominus moneat nos, et dicat; Sine causa colunt me, docentes mandata et praecepta hominum.* Haec ille. Quas voces easdem nonne frequentissime usurpavit Lutherus? Nonne eadem sunt hodie, et fuerunt semper omnium sectariorum? Nonne Lutherani secta exoriente, in monetis et in vestibus magnis litteris in Germania scribebatur; *Verum Domini manet in aeternum?* Quamquam stulti sunt et ridiculi omnes haeretici, qui verbum Dei ad solas scripturas alligare volunt, et quicquid scriptum non est, id non verbum Dei, sed mandata et praecepta hominum vocant. Quasi vero barbarae gentes, quibus praedicatum est evangelium, et scripturas numquam viderunt, verbum Dei non habuerint? de quibus ita b. Irenaeus in tertio libro contra haereses, capite quarto: *Quid*, inquit, *si neque apostoli quidem scripturas nobis reliquissent, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, qua tradiderunt iis, quibus ecclesias committebant? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charactere, vel atramento scriptam habentes per Christum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes: quibus si aliquis annunciaverit ea, quae ab haereticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium.* Haec est vis traditionis, quae non sicut verbum scriptum adulterari aut corrumpi

potest. Quid? Quod si traditiones, necessario etiam, ut magnus Basilius testatur, scripturas ipsas repudiare debemus? Nec enim alio modo, quam traditione, quae sint verae scripturae, quod sit verum evangelium, quae sint verae epistolae apostolorum scimus. Cur epistolam ad Romanos recipimus, et epistolam ad Laodicenses non recipimus, cum utraque extet, et epistolae cuiusdam ad Laodicenses meminerit apostolus in epistola ad Colossenses: epistolae autem ad Romanos numquam meminerit? Certe vel sunt omnes scripturae reiiciendae vel omnes etiam apocryphae recipiendae, vel ad traditionem non scriptam recurrendum. Magnum igitur Basilium audiamus: *Dogmata* inquit capite 27 de Spiritu Sancto, *quae in ecclesia servantur ac praedicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quae utraque eamdem ad pietatem vim habent, et nemo his contradicit, qui vel modicam saltem ecclesiasticorum iurium experientiam habet. Si enim aggrederemur non scripto proditas consuetudines, velut non magnam vim habentes, reiicere, imprudentes etiam ipsis evangelii partibus damnum inferemus.* Deinde traditiones nonnullas enumerans, illa ipsa ponit, quae haeretici nostri temporis volunt incredibili mendacio, heri aut nudiustertius excogitata fuisse: quod signamur cruce, quod aquam benedicimus, quod item oleum benedicimus, quod baptismum percepturi renunciamus diabolo, et angelis eius, quod ter mergimur in sacrum fontem, quod post baptismum sacro chrismate inungimur, quod genibus flexis oramus, quod in altaris sacrificio sacrosanctam Eucharistiam populo ostendimus, et certis verbis adoramus, quod post pascha quinquaginta dies laaetitia spiritali transigimus quod templa atque oratoria orientem versus fabricamus. Haec atque huiusmodi non commenta nova, ut haeretici delirant, sed antiquas traditiones affirmat magnus Basilius: sicut etiam quod pro defunctis sacrificium offerimus, et quod diebus dominicis non ieiunamus, quod summa diligentia cavemus, ne corpus dominicum in terram decidat, traditiones sunt apostolicae, teste Tertulliano in libro de corona militis. Quod unam quadragesimam observamus, traditio est apostolica, teste b. Hieronymo in epistola ad Marcellum, de erroribus Montani. Quod crucem et imagines Christi et sanctorum veneramur, traditio est apostolica, teste Ioanne Damasceno libro quarto de fide, capite tertio. Atque idem de aliis ecclesiae catholicae observationibus ostendere possemus. Itaque videtis, qui hoc tempore cum antiquis haereticis traditiones formidantibus: et qui cum antiquis catholicis traditiones recipientibus et venerantibus, conveniant.

Tertio loco priscis haereticis commune fuit, ex ipsa divina scriptura eos dumtaxat libros recipere, qui contra ipsorum haeresim non faciebant, et illos ipsos egregie corrumpere ac depravare. Ista fuit semper admirabilis diaboli versutia. Initio haereticis persuasit, ut scripturam solam pro verbo Dei recipient, atque hoc modo magnam partem sanae doctrinae eis eruit. Deinde iisdem persuasit, ut modo unum librum, modo alium de corpore sanctarum scripturarum resecarent, et hoc modo aliam partem verbi Dei ab illis abstulit. Persuasit postremo, ut ad suas opiniones commode defendendas, illos ipsos libros, quos recipiebant, variis in locis ullo scrupulo depravarent, atque ita tandem iis, qui tantopere de verbo Dei gloriantur, solum et nudum nomen verbi Dei diabolus reliquit: et tamen ipsi haec non intelligunt, sed pergunt in suam perniciem insanire ac furere, et seipsos et multos alios praecipitare, quo spiritus deceptionis atque mendacii eos compellit. Haec ita se habere nullo negotio demonstrari potest: nam totum Instrumentum vetus reiecisse Cerdonitas et Manichaeos testatur d. Augustinus de haeresibus capite 21 et 46. Ex quatuor evangelistis solum b. Matthaeum recepisse Ebionitas, Marcionitas vero solum Lucam, testis est Irenaeus libro primo contra Valentinum. Acta Apostolorum et omnes epistolas b. Pauli Severianos repudiasse, testis est Eusebius libro quarto Historiarum ecclesiasticarum. Denique Evangelium secundum Ioannem et Apocalypsim reiecisse Alogianos, testis est d. Augustinus de sermone Domini in monte cap. 40. Iam istam ipsam viam ambulasse Lutherum, eamque suos discipulos docuisse, non alio, quam eius testimonio confirmabimus. Primo enim in sermone quodam, de Moyse, quem anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto, Wittenbergae dicitur habuisse, ita in vetus Testamentum insanivit, ut etiam decem praecepta recipi non velit: et ridiculis argumentis omnino contendit probare, nihil ad nos Moysen pertinere, ita ut qui eum sermonem legit, non hominem christianum, sed vel turcam nescio quem, vel Cerdonem aut Manichaeum loqui putet. Deinde praefatione in novum testamentum, ita Evangelia Marci, Matthaei et Lucae contemnit ac despicit, ut admirabile sit. Monet in primis ut falsam opinionem aboleamus, quod sint quatuor evangelia. Deinde addit, Ioannis Evangelium esse unicum pulchrum, verum ac principale evangelium, aliisque tribus longe de longe praeferendum et anteponendum: adeo ut etiam Pauli et Petri epistolae, longe praecedant tria illa Evangelia Matthaei, Marci et Lucae. Qualis est haec blasphemia, auditores? Nonne satis aperte tria evangelia repudiare videtur? Nam qui opponit evangelium Ioannis aliis tribus, et cum affirmat illud nunc esse unicum, pulchrum, et verum, nonne simul docet alia tria nec esse pulchra nec vera, ac ne evangelia quidem? Quid? Quod in sermone de pharisaeo et publicano beatum Lucam aperte irridet ac reprehendit, quod ubique resonet opera? Quid? Quod perspicue et sine involucris libros Machabaeorum, epistolam beati Iacobi, secundam Petri, secundam Ioannis eripuit? Quid? Quod illos ipsos libros, quos eis permisit, mille modis depravavit? Ecce igitur vobis, ad quantas angustias verbum Dei illi redegerunt. Qui tamen nihil in ore habent, aliud, quam verbum Dei, verbum Dei. Non sic ecclesia Dei vivi, non sic: sed integrum canonem sanctarum scripturarum ab initio recepit, et ad hanc usque diem conservavit. Illum enim ipsum numerum librorum sanctorum, quem ante annos mille, in Concilio Chartaginensi tertio ecclesiam rece-

pisse videmus, etiam nostris diebus in Concilio Tridentino et non diu ante in Florentino recepit.

Iam quarto loco illud, auditores, commune ac vulgare fuit haereticis antiquis, ac praesertim Donatistis et Arrianis, quod nostris lutheranis ac calvinistis familiarissimum semper fuisse, ac esse non audivimus, sed vidimus: non legimus, sed experti sumus: nimirum seditiones excitare, altaria evertere, sacramenta polluere, calices vendere, sacerdotes interficere, templa spoliare. Audite quid magnus Athanasius in historia de vita et gestis magni Antonii dicat; *Post annos duos*: inquit, *saeva Arrianorum irrupit insania: tunc ecclesiarum fuerunt rapinae, tunc divinorum temeratio vasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus sacra polluta sunt mysteria. Proh scelus, horret animus replicare, quae gesta sunt: Virginum matronarumque ereptus pudor, sanguis ovium Christi in templo effusus veneranda respersit altaria.* Haec b. Athanasius. Qui similia, vel etiam maiora et graviora de arrianorum crudelitate refert in Apologia pro fuga sua. Porro iidem arriani ut crudelitatem impudentia cumularent, post huiusmodi caedes, ut lib. 4 historiarum refert Theodoretus, unum aliquem in ipso templo totum nudum ad suggestum mittebant, qui ita ad impudicitiam et turpitudinem hortabatur, ut non in templo, sed in prostibulo tamquam Veneris orator ad meretrices verba facere videretur. Audite quid sanctus Victor initio libri primi de Wandalica persecutione de iisdem Arrianis dicat: *In ecclesiis*, inquit, *basilicisque et coemeteriis ac monasteriis sceleratius saeviebant. Quanti tunc ab eis praeclari pontifices, et nobiles sacerdotes diversis poenarum generibus extincti sunt, ut traderent, si quid auri vel argenti proprium vel ecclesiasticum haberent. Et dum haec, quae erant, urgentibus poenis facilius proderentur, iterum crudelibus tormentis oblatores urgebant, autumantes quamdam partem, non totum esse oblatum: et quanto amplius dabant, tanto amplius quempiam habere credebant. Aliis palorum vestibus ora reserantes, foetidum coenum ob confessionem pecuniae faucibus ingerebant. Nonnullos in frontibus et tibiis nervis remugientibus torquendo cruciabant. Plerisque aquam marinam, aliis acetum, amurcam liquamenque, et alia multa atque crudelia sine misericordia porrigebant. Non infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reverentia sacerdotalis crudeles animos mitigabat: quinimo exaggerabatur ira furoris, ubi honorem cospexerant. Sed etiam parvulos ab uberibus rapiens maternis barbarus furor insontem infantiam elidebat ad terram. Alii parvulum pedibus tenentes a meatu prorsus naturali usque ad arcem capitis dissipabant.* Et Paulo infra: *Tempore*, inquit, *quo sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes arriani maximo furore corpus Christi et sanguinem pavimentis sparserunt, et illud pollutis pedibus calcaverunt.* Haec b. Victor. Cuius tres libri de Wandalica persecutione nihil fere aliud continent, quam huiusmodi crudelia atque horrenda facinora arrianorum, qui pro fide quidem se pugnare dicebant, sed interim re ipsa pro auro atque argento, et suis explendis libidinibus; ut audivistis, pugnabant. Quorum calvinistae sicut fidem imitantur, ut superiori oratione docuimus, utrum etiam mores exprimant, res ipsa clamat. Sed duo verba de Donatistis prius.

Audite quid sanctus Optatus libro sexto contra Parmenianum de impietate Donatistarum dicat: *Quid est*, inquit, *altare, nisi sedes corporis et sanguinis Christi? Haec omnia furor hic aut rasit aut fregit aut removit. Atque hoc immane facinus geminatum est dum fregistis et calices Christi sanguinem portatores, quorum species revocastis in missas, mercem nefariis nundinis procurantes. ad quas nec emptores eligere voluistis, sacrilegi dum inconsiderate vendidistis: emerunt forsan in usum suum sordidae mulieres, emerunt pagani facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium? O facinus inauditum, auferre Deo, quod idolis praestes, subducere Christo, quod proficiat sacrilegio!* Sed audiamus postremo quid b. Augustinus in psalmo decimo de iisdem Donatistis dicat: *An forte dices*, inquit, *quod scriptum est: Ex operibus eorum cognoscetis eos? Video plane mira opera, quotidianas violentias Circumcellionum sub episcopis et presbyteris ducibus circumquaque volitare, et terribiles fustes Israelis vocari.* Idem in epistola quinquagesima ad Bonifacium comitem: *Taceo* inquit, *crudelissimas caedes, et domorum depraedationes per nocturnas aggressiones, et incendia non solum privatorum habitaculorum sed etiam Ecclesiarum, in quas flammas non defuerunt qui etiam codices dominicos mitterent.* Et Paulo ante: *Episcopum*, inquit, *Vagiensem stantem ad altare irruentes horrendo impetu et furore crudeli, fustibus et huiusmodi telis, lignis denique ejusdem altaris effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percusserunt.*

Audistis quid haeretici veteres olim fecerint, et quomodo evangelii ac religionis praetextu mi sere ecclesias foedaverint ac devastaverint. Quae omnia solis mutatis nominibus, nonne ita in novatores conveniunt, ut illi veteres lutherani et calvinistae, isti novi arriani et donatistae dici posse videantur? Nonne Lutherus aliquando serio asseruit, eam indolem esse evangelii, ut bella et seditiones moveat? Nonne occasione lutheranorum seditionum Hungariam regnum florentissimum et christianae reipublicae pernecessarium amisimus? Nonne occasiones earumdem seditionum Turcarum imperatorem Viennam usque cum innumerabili exercitu traxerunt, et in magnam spem totius Europae occupandae erexerunt? Nonne in Germania propter lutheranas seditiones brevissimo tempore supra centum millia rusticorum caesa sunt? Nonne monasteria atque castra tam multa vexata, direpta, eversa in tota Germania, ut in sola Franconia aliqui ad trecenta numeraverint? Nonne Zuvinglii dictum celebratur: *Evangelium vult sanguinem?* Nonne vere sanguinarii Zuvinglii evangelium omnem Helvetiorum regionem caedibus et sanguine replevit?

Sed ad Gallos veniamus. Nonne in ipsa urbe Parisiorum ante annos decem furentes per plateas

scelerati Calvinistae strictis gladiis personabant, *Evangelium evangelium*? Quot sana, quot monasteria, quot pagos, quot oppida spoliarunt ac diripuerunt calvinistae? Quot in locis altaria everterunt, sacros calices rapuerunt, sacras imagines confregerunt, sanctorum reliquias disperserunt? et quorum sanctorum? Illustrissimorum, maximorum: b. Irenaei, b. Martini, b. Hilarii, combusserunt, et in aquas vel cloacas abjecerunt. Sacramenta coelestia ad terram sparserunt, pedibus conculcaverunt, avibus objecerunt, globis tormentariis petiverunt. Quid vero de caedibus horrendis, et ipsa crudelitate crudelioribus dicemus, quas vel ad pecunias extorquendas vel ad vires experiendas vel ad delectationem et voluptatem capiendam in infinitis locis exercueruni? Nonne infantes, ut olim arriani, medios diviseruni? Nonne sacerdotum vultus excoriaverunt? Nonne eorum capita uno ictu in duas partes secuerunt? Nonne auriculas ecclesiasticorum pro monilibus et torquibus gestaverunt? Nonne aliquibus, viventibus et videntibus viscera lento gradu explicuerunt? Nonne plurimos ad stipitem alligatos ictibus bombardarum animi gratia petiverunt? Nonne multos in puteos conjecerunt? Nonne aliquos etiam vivos sepelierunt? Nonne sacerdotem quemdam in Cenomanorum civitate amputatam sui corporis partem pudendam devorare coegerunt: ac deinde vi ventrem aperuerunt, ut videre possent, num concoqueret edulium hujusmodi stomachus humanus? Nonne prope Aureliam cum ingenui aliquot pueri in turri cujusdam ecclesiae metu calvinistarum latitarent, impiissimi Calvinistae eos simul cum ecclesia combusserunt, et aliquos fuga per fenestras elapsos iterum in incendium vivos rejecerunt? Nonne ista omnia et multo plura, quae numquam recenseri possent, adhuc hodie vivos et oculatos testes habent? Nonne crudelitatem omnem tyrannorum barbarorum, immanium ferarum atque etiam daemonum ipsorum superant? Omnes omnium qui fuerunt unquam tyrannorum annales ac historias legite, nec non omnes seu barbarorum seu haereticorum res crudelissime gestas, tragicas item poetarum fabulas ac fictiones quas ad homines terrendos excogitaverunt, speluncas atque antra tygridum, ursorum, leonum, perlustrate, nulla profecto unquam, nec inter homines nec inter feras nec inter ipsos infernales daemones talia crudelitatis exempla reperietis: ut jam mihi meliores et humaniores anthropophagi et tygrides vel etiam daemones, quam calvinistae videantur: Tantum abest, ut eis vel micam religionis divinae aut christianae pietatis tribuendam censeam. Neque vero putetis esse jam caedibus calvinistas satiatos. Nondum est biennium, ex quo quadraginta simul fratres meos, ac deinde post aliquot menses quindecim aut sedecim ejusdem nostrae societatis inter Lusitaniam et Brasiliam interceptos, eo nomine, quod ad Barbaras nationes christianae fidei propagandae causa navigarent, multis vulneribus confectos in mare projecerunt, ut duplici morte interirent, et simul ferrum et aquas experirentur.

De Anabaptistis nihil dicam, sola historia illa tragica Monasteriensis, quam omnes noverunt, satis docet, anabaptistas, si semel caput attollere permittantur, decies calvinistis truculentiores et crudeliores futuros.

CONCIO XII.

DE MORIBUS HAERETICORUM EFFICACIA DOCTRINAE CATHOLICAE ET TESTIMONIO ADVERSARIORUM.

SYNOPSIS

Prosequitur alios haereticorum mores; atque enumeratis in priori concione quatuor praecipuis. jam quinto loco ponit, quod omnibus haeresibus sit commune in plures sectas dividi, quod et testimonio et experientia notum fit. Deinde in illo quoque haereticis convenit, quod omnes dicant ecclesiam errasse. Praeterea quod omnes odio Vatiniano prosequantur monachos et qua de causa illud; ubi vitae monastica laudes s. Augustini auctoritate asseruntur. Quod vero nostri haeretici ordinibus omnibus careant, non modo a catholicis, sed et a veteribus haereticis discrepare videntur. Transitur deinde ad reliquas duas verae ecclesiae notas efficaciam scilicet doctrinae catholicae et testimonia inimicorum. Quanta itaque sit efficacia catholicae doctrinae (quam non in verborum lenociniis consistere variis similibus probatur) ex gestarum rerum philosophorum veterum cum catholicorum actibus comparatione dilucide manifestatur. Aliquot ethnicorum de christiana probitate testimonia, simul et causae, cur multi a lege catholicorum abhorreant, adferuntur. Tandem per brevem anacephaleosin superiorum concionum argumenta repetuntur ac proinde duodecim verae ecclesiae et totidem haereticorum notae enumerantur. Quam magnum sit donum vera fides et quantopere oporteat vitare haereticos, historia ex Theodoreto adducta ac salutari adhortatione docetur.

Die dominica propter quamdam altaris dedicationem, quae in hoc templo celebratur, concio haberi non poterit, sicut etiam, si meministis, duobus superioribus annis eadem de causa, eo die intermissa est. Itaque proxima concio in dominicam palmarum differetur, atque in ea, Deo bene audiuvante, aliquid de passione Domini disseremus, et fortasse septem verba, quae in cruce Dominus locutus est, breviter explicabimus. Hodie vero in posteriori parte nostrae orationis, ea, quae ad argumenta contra haereticos pertinent, necessario absolvenda putavimus: tum quod sequentes orationes temporis, in quod incidunt, celebritas, totas sibi iure suo vendicet: tum etiam, quod epistola hodierna ita sit obscura et magnis quaestionibus implicata ut melius in gymnasiis scolastico more, quam in concione, oratione ista populari explicari possit.

Ut igitur ad primum institutum redeamus, explicuimus quatuor praecipuos mores, tam veterum, quam recentium haereticorum. Quinto loco commune priscis haereticis fuit, statim in ipso initio in sectas varias ac inter se penitus dissentientes dissecari. Nam de Valentiniano testatur b. Irenaeus libro contra haereses primo, non fuisse inter eos duos aut tres, qui de rebus iisdem eadem responderent. Arrianos statim in Acacianos, Eunomianos et Macedonios fuisse divisos, omnibus notum est. Sicut etiam Manichaeos in Cataristas, Macharios et proprie dictos Manichaeos. Porro de Donatistis, ut omittam caeteros, de quibus alias disseruimus, ita loquitur Augustinus l. 3 c. 4 contra epistolam Parmeniam: *In ipsa*, inquit, *Africa dicant Donatistae Carthaginenses, vel quicumque sunt in civitate Carthaginis, quot partes per Numidiam et Mauritaniam facta sunt de ipsa parte Donati?* Et rursum lib. 1 de baptismo contra Donatistas, c. 6 haeresim Donati in multa minutissima frusta concisam suo tempore fuisse commemorat. De nostri temporis haereticis non est necesse dicere. Qui enim ignorat, ad hanc diem ferme ad centum sectas varias ac diversas excrevisse familiam Lutheranorum quando unquam magis, quam hoc tempore enituit nota falsi evangelii? Credo sane posteri nostri vix credent spatio annorum quinquaginta haeresim unam in centum haereses diversas distrahi aut dissecari potuisse. Itaque quod magnus Basilius oratione de opere sex dierum de philosophis affirmat, sufficere eos inter se ad suam ipsorum eversionem dissidere, cum quod unus asserit, alter continuo neget, id nos multo maiore ratione de haereticis dicemus.

Sexto loco haereticis veteribus commune fuit, cum ad argumenta doctorum catholicorum respondere non possunt, impudenter asserere, totam ecclesiam ante se errasse vel etiam funditus interiisse: id Nestorium consuevisse dicere, testatur Vincentius in commonitorio. Idem b. Augustinus de unitate ecclesiae c. 12, donatistis attribuit: *Isti* inquit, *vel fallaciter agentes colligunt de scripturis talia, quae vel in malos bonis usque in finem permixtos, vel de vastatione prioris populi Iudaeorum dicta reperiuntur: et volunt ea detorquere in ecclesiam Dei, ut tanquam defecisse ac periisse de toto orbe videatur.* Haec ille de Donatistis. Quae eadem non minus in nostros lutheranos et calvinistas, quam in donatistas veteres conveniunt. Cum enim catholici rogant, ubinam esse Ecclesia antequam Lutherus nasceretur, non pudet eos respondere, eam tunc extinctam ac sepultam in tenebris, nescio quibus, iacuisse: quae est apertissima et maxima blasphemia contra Domini

cam promissionem, *Rogavi*, inquit Dominus, *pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Et rursum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.*

Porro septimo loco haereticis veteribus commune fuit summo odio monachos et monasticam vitam insectari. Nam ut omittam arrianos, qui etiam ipsas solitudines locaque deserta penetrabant, ut monachos caperent atque occiderent, quique ut Ruffinus est auctor l. 11 Historiar. c. 3. aliquando tria simul monachorum millia delere aggressi sunt. Audite quid b. Augustinus in psalmo 132 de Donatistis dicat: *Quando vos*, inquit, *recte haereticis de Circumcellionibus insultare coeperitis, ut erubescendo salventur, illi nobis insultant de monachis. Primo si comparandi sunt, vos videte. Quid opus est, ut verbis nostris comparentur, ebriosi cum sobriis, praecipites cum consideratis, furentes cum simplicibus vagantes cum congregatis? Sed tamen dicere consueverunt, quid sibi vult nomen monachorum? Quanto melius dicimus nos, quid sibi vult nomen Circumcellionum?* Certe videtis quorum sint proles ii, qui hodie tanto furore bacchantur in monachos, ut ne nomen quidem audire sustineant. Alia fuit ecclesiae veteris religio, alia devotio, alia pietas, quae monasticam vitam ab apostolicis temporibus semper est admirata. Sane encomia antiquorum monachorum talia in libris sanctorum patrum passim leguntur, ut nonnullis etiam nimia videantur. *Quis*, inquit d. Augustinus in libro de moribus ecclesiae, *non illos miretur et praedicet? qui contemptis atque desertis mundi huius illecebris in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati simul aetatem agunt, viventes in orationibus in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intensissimam in Deum gratissimum munus offerunt, a quo ista posse meruerunt. Nemo quicquid possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est.* Haec Augustinus. At haeretici semper torvis oculis monachos aspexerunt. Sed cur, quaeso? Quid eis nocuerunt? Quid rapuerunt? In quo tandem offenderunt? Nonne si saperent, magnas gratias monachorum regno (ut ipsi vocant) agere deberent? Nam si monachi non fuissent, nunquam ipsi fortasse suum apostolum lutherum, nec tam multos alios prophetas et evangelistas habuissent. Sed video quis haereticos in tam acerbum odium contra monachos impulerit, nimirum spiritus ille mendax, qui, ut ait apud Athanasium magnus Antonius omnes Christianos vehementer odit, sed monachos et virgines angelorum vitam in terris imitantes, tolerare non potest.

Octavo et postremo loco commune est novis haereticis, neque Episcopos neque presbyteros neque diaconos neque Ordines habere, in quo non solum a catholicis, sed etiam ab haereticis veteribus discrepant. Nam cum ante hoc semper omnes, tam catholici, quam haeretici suos episcopos, suos presbyteros, suos diaconos, et caeteros ordines ecclesiasticos habuerint, haeretici nostri temporis cum fide et religione etiam nomina religionis amiserunt. Et sicut ex christianis lutherani, vel calvinistae ita etiam ex episcopis superintendentes ex presbyteris Ministri facti sunt: At cur, obsecro, ista nomina reiecerunt? Num ea in sacris literis non invenerunt? Certe superintendentes in scripturis sacris nunquam legi: at episcopos, presbyteros, diaconos in apostolicis actis, et in epistolis b. Pauli passim legi. Audite vero quod b. Ignatius apostolorum discipulus ad Antiochenses scribat, quorum ipse episcopus erat: *Saluto*, inquit, *sanctum presbyterum vestrum, saluto sanctos Diaconos, saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas atque confessores: saluto pudicissimas virgines: saluto plebem Domini a minimo usque ad maximum et omnes sorores meas in Domino.* Porro Ecclesia Romana tempore b. Cornelii pontificis et Martyris, ut Eusebius l. 6. Historiarum auctor est, presbyteros viginti quatuor, diaconos septem, subdiaconos septem, acolytos quadraginta duos, exorcistas, lectores et ostiarios simul quinquaginta duos, viduas cum pauperibus mille quingentas habuit. In libris autem sanctorum Patrum fere non est pagina, in qua episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi et ordines caeteri, sed et sacerdotes quod nomen haeretici maxima execrantur, non cum honore nominentur. Quare perspicuum est, novatores et sectarios nostri temporis, qui nihil horum habent, et materiam et formam et rem nomen et fidem et mores antiquae et christianae verae religionis penitus amisisse.

Habetis actenus argumenta decem, quibus ostendere voluimus, ac (ni fallor) ostendimus, solam catholicam ac Romanam ecclesiam veram veri Dei ecclesiam esse. Reliqua sunt duo, undecimum et duodecimum, efficacia nostrae doctrinae et testimonium atque approbatio inimicorum, quae tribus verbis expediri possunt.

Una igitur ex praecipuis ac singularibus catholicae doctrinae laudibus, efficacia est: Si quidem *lex Domini immaculata* convertit *animas*, *testimonium Domini fidele sapientiam* praestat *parvulis.* Et. *Sermo Domini vivus est et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Scripturae profanae quasi statuae quaedam sunt magno laboratae artificio et optimis coloribus depictae; sed mortuae spiritum vitae, et sensum ac motum nullum habent, et species illa externa externos hominis sensus nonnihil oblectat, praeterea nihil. At vero *lex Domini immaculata*, non tam pompa aut lenocinio verborum, non numeris et coloribus, sed Spiritu Dei vivi, quem in se habet, convertit animas, illustrat mentes, accendit voluntates, eregit homines ad Deum, omnia caduca et mortalia contemnere facit. Quam multi una sola sententia huius scripturae lecta vel audita, perfecte ad Deum conversi sunt? Hoc de b. Antonio, hoc de b. Augustino, hoc de b. Benedicto, hoc de multis aliis legimus. Numquam experti estis, non posse vos legere scripturam illam, ac praesertim extremam partem Evangelii Ioannis, qui cor in lachrimas melleas, ac dulcissimas liquefiat? Unde tanta virtus eorum verborum? Non est ibi rhetorica Tullii, sed rhetorica Spiritus sancti, quae non indiget luminibus orationis neque coloribus, aut numeris ad movendum. Rhetorica Tullii tota est externa, sicut

etiam sapientia mundi tota est in superficie, intus vero nihil habet: at omnis decor divinae rethoricae ab intus est. Itaque sicut margaritae et uniones, qui tanti ab hominibus fiunt, vilissimae testae innascuntur, eaque nutriuntur, augentur et occultantur et lapides pretiosi, gemmaeque clarissimae quae ornandis regum capitibus destinantur, alio quodam abiectissimo atque obscurissimo lapide vestiuntur: et aurum atque argentum, aliaque metalla, quarum amore homines fere insaniunt, terra atque arena, quibus nihil est vilius, obteguntur: et sicut aurum, postea quae impressis notis, regioque caractere obsignatum est non in aureis loculis conditur, sed in thecis lignеis aut coraceis conservatur: denique sicut animus humanus, quo nihil in rebus creatis praestantius, atque excellentius reperitur, non in corpore aliquo sidereo ac coelesti, vel certe aureo aut argenteo; sed in luteis et moribundis membris a Deo artifice sapientissimo inclusus est: ita quoque sensus illi arcani et divini, sublimissimi atque efficacissimi divinarum scripturarum simplicibus et planis, nulloque fuco vitiatis verbis contineri debuerunt.

Si vero catholicae doctrinae vim et efficaciam plane cognoscere desideratis, conferte christiana tempora cum antiquis illis temporibus quibus ubique florebant ac regnabant doctrinae philosophorum: tunc vel unum hominem vidissent opes et honores contemnere, totus mundus admirabatur: ita ut unius Epicteti lucernam tribus millibus drachmarum, ob vitae admirationem, venditam fuisse Lucianus tradat. At christianis temporibus doctrina evangeli coruscante, quot millia hominum id fecerunt, et quotidie faciunt? Tunc si unus aut alter caelibem vitam ducere visus fuisset, instar prodigii erat: at christianis temporibus quot millia non vivorum solum, sed etiam foeminarum nobilium, divitum, iuvenum solo Christi amore castissimam vitam vel in virginitate vel in viduitate duxerunt? Tunc si unum aliquem fortiter mortem oppetere contigisset, omnes stupebant, atque is omnium ore celebrabatur: at christianis temporibus quot millia vel potius quot millium millia sanctorum Martyrum omnium generum et omnium aetatum non solum fortiter, sed etiam alacriter, pro Christo cruces et ignes et bestias et gladios toleraverunt? Haec igitur est virtus et efficacia catholicae doctrinae. Non habent quidem haereticorum synagogae heroicas illas virtutes, non habent homines, qui patrem et matrem, fratres et sorores, domos aut agros iuxta Christi consilium relinquunt: non habent eunuchos, qui se castrare voluerunt propter regnum Dei: sed ecclesia catholica habet velint nolint haeretici: habet etiam hodie multa millia sacerdotum, sanctorum religiosorum, sanctissimarum virginum, qui non verbis sed factis haereticos refellunt, et operibus ostendunt Deo adiuvante posse fieri, quod haeretici non posse fieri blasphemant. In una sola Florentia oppido Italiae non ignoto, non pauciora quam sexaginta virginum numerantur monasteria, et in plerisque ducentae aut trecentae, vel etiam plures virgines Deo sacrae angelicam vitam et puritatem aemulantur.

Venio nunc ad duodecim et postremum argumentum. Tanta vis est, auditores, veritatis et sanctitatis, quae in sola ecclesia catholica reperitur, ut eam etiam hostes nostri approbare et laudare cogantur. *Non enim est Deus noster, ut Dii eorum et inimici nostri sunt judices*: Nota est Plinii Secundi epistola ad Trajanum, qua innocentiam christianorum, quos ipse ex Traiani praecepto variis suppliciis afficiebat, attestatur: atque affirmat christianos non esse fures, non adulteros non parricidas non seditiosos; in hoc solum peccare, quod horis antelucanis Deum hymnis et laudibus celebrent; quodque Christo semel datam fidem usque ad mortem constantissime servent. Nota est etiam epistola Marci Aurelii sapientissimi imperatoris ad senatum populumque Romanum, qua suorum deorum imbecillitatem, et Christi potentiam, quam ipse Germanico bello expertus fuerat luculenter ostendit. Refert quoque Tertullianus in Apologetico, ita prospectam fuisse Christi persecutoribus innocentiam christianorum, ut licet in omnes saevirent, et passim necari juberent, nollent tamen discuti causam eorum quod certo scirent, eos nullius criminis convinci posse. B. Antonium, b. Hilarionem etiam Ethnici venerabantur, ut b. Athanasius et b. Hieronymus tradunt. Sultanus cultor Mahometis, cum ad eum b. Franciscus evangelii praedicandi causa navigasset, incredibile est, quam vehementer sancti illius Christi servi sanctitate et innocentia admiratus et veneratus sit, ut vere tunc dicere liceret, *non est Deus noster, ut Dii eorum, et inimici nostri sunt judices.* Hodie quoque in orbe nupер invento, cum vident ethnici novorum christianorum religiosam gravitatem, modestiam, sobrietatem, castitatem, charitatem, patientiam, mundi contemptum et longe alios esse mores, aliam sanctitatem, aliam severitatem christianorum sacerdotum, quam sacerdotum idolorum, admirantur, obstupescunt, convertuntur, et dicunt; Vere non est Deus sicut Deus christianorum. Denique nemo unquam inventus est, qui lege nostra diligenter perspecta, non eam laudaverit atque probaverit. Nec ullus unquam serio studiosus ac solicitus fuit salutis suae, quin tandem Christianam religionem non elegerit, et eam omnibus sectis et superstitionibus non praetulerit.

Quod si multi nihilominus legem nostram oderunt et ab ea vehementer abhorrent, in causa sunt primum corrupti et depravati mores nonnullorum christianorum: quod si secundum legem nostram si secundum Evangelium viveremus, o quam facile esset ethnicos omnes et haereticos, vel convertere vel confundere, ut neque os aperire contra ecclesiam et religionem nostram auderent. Sed quia non perdite vivimus, et qui legem nostram ignorant putant ea, quae nos facimus contra legem, lege jubente aut permittente fieri, ideoque ipsam tam quam fontem et radicem vitiorum nostrorum execrantur. Deinde sunt etiam in causa innumera mendacia, quae diabolus per suos ministros semper spargere consuevit. Cur initio nascentis ecclesiae nonnulli christianos maximo odio persequebantur? Quia diaboli opera sparsum erat in vulgus, christianos caput asini adorare atque adeo idololatras esse. Cur hodie multi simplices haeretici pontificem ut Antichristum, ecclesiam ut Babylonem de

testantur? Quia praecones novi evangelii miseris populis persuaserunt, nos evangelium abjecisse, nec aliud quam humanam sapientiam et sophistarum quaestiones explicare: sanctos homines Deo relicto solum invocare: imagines pro Deo colere: Christi passionem contemnere: propriis operibus velle gratiam et justificationem promereri ut gratia jam non sit gratia, sed merces. Praeterea nos multa introduxisse, quorum veteres numquam meminerunt, ut oblationem pro defunctis, signum crucis, sanctorum invocationem, cultum imaginum, benedictionem aquae et olei, et quaedam alia. Quae sunt omnia apertissima mendacia et crassissima, sane tam crassa, ut pene manibus tangi et sentiri possint. Nam paulo ante ex magno Basilio ostendimus ista omnia esse apostolicas traditiones: et tamen ita sunt alte in animis eorum infixa, et tam firmas radices jecerunt, ut etiam si nos audiant aperte clamare et jurare nos non ita credere, non eam esse catholicam doctrinam, ista esse mendacia, etiamsi videant nos innumeris testimoniis scripturarum, patrum ratione nostra dogmata confirmare, tamen non credunt et malunt de nobis suis deceptoribus quam nobis ipsis credere, et satis fortiter omnia nostra argumenta se refellere putant, si dicant; *tu es papista, ergo asinus. non novit argumentari, ergo tuum argumentum nihil valet.* Sed aperiant miseri oculos, deponant falsam persuasionem, intelligant quod Ecclesia semper docuerit, et videbunt se vehementer deceptos, et in causa aeternae salutis sibi ab ipsis pseudoprophetis egregie fuisse impositum.

Habetis ergo argumenta duodecim, quorum singula sufficiunt ad hominem catholicum in sua fide confirmandum, et haereticum a sua perfidia convertendum, nisi sponte velint lumini ac veritati oculos claudere. Si quis hic est inter nos, qui vel sinistre sentiat de fide vel certe haesitet ac dubitet, eum ego per salutem animae suae oratum volo, ut depositis passionibus atque affectionibus privatis, quae et oculos sapientum caligare faciunt, solo studio veritatis atque amore illius, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, ista duodecim argumenta diligenter consideret: cogitet ostendisse nos atque apertius et prolixius ostendere paratos, si opus sit, catholicam atque apostolicam ecclesiam, cujus pastor est episcopus Romanus, primo esse antiquissimam, nec ullum ejus auctorem inveniri, nisi Deum. Deinde toto orbe aliquando diffusam fuisse juxta vaticinia prophetarum, et hodie quoque magnam partem Europae, Asiae et Aphricae obtinere. Tertio, numquam penitus defecisse, tametsi judaei, pagani, haeretici, philosophi, imperatores, tyranni eam saepe delere atque extinguere aggressi sint. Quarto numquam secum pugnasse, neque contrarium docuisse, licet multa in multis conciliis variis temporibus definierit. Quinto, nihil unquam docuisse, quod vel cum certa ratione vel cum honestate et probitate morum pugnet. Sexto, miraculis maximis et innumeris omnibus saeculis enituisse, et hoc nostro saeculo enitere. Septimo, prophetico lumine, dono videlicet praevidendi et praedicendi futura, omnibus item saeculis, etiam hoc nostro, praeditam atque ornatam fuisse et esse. Octavo, praedicatores ac propagatores nostrae legis viros fuisse ita excellentis et eximiae sanctitatis, ut certum sit eos, nisi Dei homines esse nullo modo potuisse. Nono, eamdem prorsus fidem et religionem ecclesiam Romanam modo colere, quam ante mille annos vera Christi ecclesia coluit. Decimo, eosdem esse mores Ecclesiae, quae nunc est, et veteris ecclesiae: tametsi haec duo argumenta propter angustias temporis explicare non potui, sicut voluissem. Undecimo, doctrinam nostrae ecclesiae esse efficacissimam. Duodecimo, etiam hostes atque inimicos nostrae ecclesiae veritati et innocentiae attestari.

Cogitet deinde, ostendisse nos et rursum ostendere et defendere paratos, si opus sit, omnem haeresim atque adeo omnia dogmata lutheranorum, Anabaptistarum, calvinistarum esse nova, et nullo modo a Christo sed a Luthero incepisse. Deinde, numquam vel unam integram provinciam aut regionem occupasse. Tertio, antiquas haereses omnes defecisse nunc vero non continuari, sed excitari, et quasi ab inferis revocari. Quarto, haeresim omnem, sed maxime lutheranorum, perpetuo secum pugnare, atque de una et eadem re contraria loqui. Quinto, omnem haeresim semper aliquid docere rectae rationi et bonis moribus adversum. Sexto, haereticos, ac praesertim nostri temporis, nullis miraculis, nisi fictis et simulatis clarere. Septimo, haereticos multa praedicere futura, et nihil eorum evenire, quod in Luthero et Lutheranis pene manibus tangi potest. Octavo, haeresiarchas omnes fuisse viros pessimos: id quod in nostris omnes norunt, siquidem ipsa faex orbis Christiani homines apostatae, sanguinarii, rapaces, ambitiosi voluptarii ad eos defecerunt. Et deinde non alio modo, quam mendaciis, fraudibus, scripturarum corruptelis et falsis miraculis sectas suas promovere voluerunt. Quae sunt omnia solis luce clariora. Nono haereticos nostri temporis easdem haereses docere ac docuisse, quae olim Simon Magus Manichaeus, Arrius, Nestorius et caeteri docuerunt quos omnes communibus votis merito execramur. Decimo, eosdem nostros novatores eorumdem veterum haereticorum perditos mores et scelera, atque flagitia et horrenda facinora non solum imitari sed etiam superare. Undecimo, doctrinam haereticorum sterilem, atque inefficacem esse. Duodecimo, haereticos solum a se ipsis testimonium habere, caeteris vero omnibus hominibus, etiam Turcis et Paganis merito esse invisos. Ista si cogitent et serio cogitent, perpendant, examinent, invenient profecto extra viam salutis omnes eos ambulare, qui ab ecclesia antiqua et catholica atque apostolica recesserunt. Atque haec quidem ad haereticos.

Vobis vero, auditores, id quod saepe a me audistis, in memoriam revocabo, ut cogitetis donum Dei maximum et singulare esse donum fidei verae et ejus tamquam sponsae pulcherrimae, et charissimae, ardentissimi amatores ac plane zelotes esse velitis. Non sine causa sancti patres, nec loqui quidem cum haereticis audebant. Magnus Antonius apud Athanasium numquam amicabilia verba hae-

reticis dixit: discipulis vero suis praecepit, ut ne prope quidem haereticos unquam accederent, non secus atque prope eos accedere formidamus, qui peste laborant. Et sane haeresis pestis perniciosa et contagiosa adhaeret verbis, adhaeret libris, solo colloquio inspiratur. Quo circa libros, colloquia, familiaritatem omnium haereticorum fugere debemus, et magno odio prosequi, non quidem homines, sed pestem sed haeresim, sed vitia illorum.

Scribit Theodoretus pulcherrimum et imitatione dignissimum exemplum: Cum aliquando Valens haereticus imperator episcopum quaedam sanctum nomine Eusebium in exilium ejecisset, et Eunomium haereticum in ejus locum suffecisset, populus vero urbis illius retinens salutaria monita antiqui et veri pastoris Eusebii, episcopum haereticum numquam adiit, numquam audivit, numquam salutavit, tametsi sciret hominem humanissimum et mitissimum esse. Concionabatur haereticus, sed scamnis et parietibus. Deinde cum episcopus idem haereticus in balneis publicis se lavisset, nullus deinceps in iis balneis lavari voluit, donec totam aquam, quae haereticum tetigerat, ejecisset. Cumque Sunomius ita solitarius, et omnibus exosus vivere non posset, sponte sua discessit. Arriani rursum alium episcopum haereticum nomine Lucium eo miltunt: sed populus in priori sua constantia et catholicae fidei soliditate perseveravit. Cumque aliquando Lucius haereticus asello insidens per forum transiret, accidit ut pila lusoria, qua tunc multi pueri in eo foro ludebant, pedem aselli tangeret, quo haereticus utebatur: statim pueri omnes exclamantes pilam arripuerunt, et maximum ignem extruentes in medias flammas eam conjecerunt. Iste fervor, iste zelus, ille ardor fuit veteris ecclesiae. Hunc si Germani, si Bohemi, si Angli, si Galli imitari voluissent, aliam faciem ecclesiae videremus. Sed quoniam illi stulti fuerunt, nos eorum saltem exemplo sapiamus: et praesertim adolescentes caveant sibi a libris prohibitis, fugiant colloquia eorum, quos male de religione loqui audiunt: sciant haereses, quae grassantur hoc tempore, esse omnium quae unquam fuerunt, pestilentissimas: intelligant amicitiam cum haereticis esse suam certissimam perniciem, atque ita ab eis caveant, ut ipsi Domino fidem in baptismo datam servent, et ipsis Dominus gloriam et beatitudinem sempiternam largiatur. Amen.

CONCIO I.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

Authoris propositum et occasio harum concionum loco exordii indicatur; simul et obiectioni occurritur, cur de tribulatione tempore calamitoso agatur, et quanta undique sit miseriarum abundantia ostenditur. Tribulationis etymon a planta ejusque definitio cum suis rationibus assignatur, et quanta sit tribulatio amissio Dei declaratur. Aliud insuper etymon hujus voculae, a genere quodam vehiculi, triticum a paleis segregantis et triturantis ductum, tribulationi accommodatur, quae et ipsa bonos a malis separat, quod testimonio s. Cypriani et aliorum comprobatur. Quid prosint et quomodo invaluerint haereses nostri temporis in prima parte absolvitur.

In secunda parte duplex tribulatio ex sacris litteris colligitur, praesentis nimirum et futurae vitae; haec aeterna, illa temporalis. Enumerantur deinde variae tribulationes temporales quarum plurima multitudo hominem obruit, quales sunt a parte sensuum externorum, tum a parte intellectus, memoriae et voluntatis. Postea enumerantur ea, quae extrinsecus turmatim ingruunt a sole, a terra, ab aqua, ab igne et aere, a bestiis et hominibus, ab angelis et daemonibus. Omnium vero praecipuae tribulationes sunt tres, pestis, fames, bellum, quae cum sua amplificatione ad finem usque extenduntur.

Cum a Deo, Patre orphanorum et iudice viduarum, optimi auditores, hodierna die humili prece flagitarem, ut qui iusto suo iudicio calamitosam hanc regionem, tam insignem alioqui partem haereditatis suae adeo graviter nostris diebus castigari et flagellari voluit, idem ipse mihi ad dicendum argumentum inspiraret, quo auditores meos in tanto patriae luctu aliqua saltem ex parte consolarer, occurrit animo in primis ista ipsa communis patriae calamitas, de qua si accurate dicerem, videbam facile futurum, ut unde ingentem moerorem ac detrimentum non exiguum iamdudum caepimus, inde non minorem utilitatem et consolationem caperemus. Neque enim frustra scriptum legimus: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Et, *bonum mihi, quia humilias i me, ut dicam iustificationes tuas. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam*: Deus enim more sapientis medici, non vulnerat, nisi ut sanet: neque perdit, nisi ut servet: vulnerat carnem, ut sanet mentem: perdit corpus, ut servet animam. Itaque statui, auctore atque adiutore Deo, odierna et sequentibus Dominicis diebus ad ferias usque paschatis, octo vel decem orationibus de tribulatione disserere. Ac primum de nomine ac natura tribulationis: deinde de multiplici earum genere et varietate: tum de causis et effectibus: postremo de remediis atque armis tribulationum dicere.

Sed erunt fortasse nonnulli, qui dicent, quid opus est in tam tristi oratione versari? An satis tibi non esse videtur, si tribulationes continuo patimur, nisi etiam earum, tam crebra commemoratione molestia nos afficias et afflictos magis affligas? Atque auditores, non ideo de tribulatione disserere instituimus, ut affligamus afflictos, sed ut eos potius consolemur: *Dominus dedit mihi linguam eruditam*, inquit Isaias, *ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.* Scriptura divina est haec lingua, cuius eloquia dulciora super mel et favum, mirifice recreant et consolantur exules filios Adam. Quocirca magnus ille Ionathas, Iudae Machabaei frater, in angustiis illis maximis acerbissimorum bellorum, quae libri Machabaeorum continet, scripturarum assiduam lectionem tanti faciebat, ut Spartiatis scribens affirmaret, se sanctorum librorum consolatione contentum nulla re alia indigere. Itaque nostra haec de tribulatione suscepta disputatio, propterea quod tota de fontibus scripturarum deprometur, tristis aut ingrata nullo modo esse poterit. Quod si etiam nonnullis tristis videretur, tamen iam ab apostolo et ab ipso Domino edocti sumus, non continuo praetermittendum esse id, quod tristitiam aliquam adferat, si modo saluti animarum expediat. *Sed quia haec dixi vobis*, ait Dominus, *tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, ut ego vadam.* Et apostolus Paulus; *Et si contristavi*; inquit, *vos in epistola, non me poenitet: et si poenitet, videns quod epistola illa (et si ad horam) vos contristavit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam: contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur, Saeculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed*

timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam. Salutaris tristitia quae revocat a peccando et hominem de iniquo iustum ac de impio facit sanctum. Quae cum ita sint, nihil est, quod tristitiam ex orationibus de tribulatione metuamus. Vel enim non tristabimur omnino, vel si tristabimur, tristitia nostra, non tristitia huius saeculi erit, quae exsiccat et consumit corpus, et animam occidit: sed tristitia secundum Deum, tristitia sancta et salutaris, quae laetam et pinguem et divitem efficit animam, quae poenitentiam, solicitudinem, studium, ardorem, sanctimoniam parit.

Neque vero solum non iniucunda, nec insuavis, sed etiam utilis et fructuosa disputatio erit. Nam si caeteris in rebus sapiens ante quadam opus habet, qua seipsum gubernet et regat, quanto magis in rebus adversis, quae tantam vim habent ad humanum animum deiiciendum ac prosternendum, ut hinc haereses, hinc desperatio, hinc furta, hinc adulteria, hinc homicidia, hinc omnia scelera nata esse videantur: et quibus ita homines omnes abundant, ut sive magni sive parvi sive mediocres, sive divites sive pauperes, sive clari sive obscuri, sive privati simus, semper plus calamitatis, quam foelicitatis habeamus. Siquidem ab eo die, quo dictum est; *Maledicta terra in opere tuo*; *spinas et tribulos germinabit tibi*, nulla unquam terra inventa est, quae spinarum et tribulorum ferax non fuerit: frumenti penuriam et vini et olei et fructuum caeterorum charitatem saepe videmus, certe penuriam tribulationum nunquam vidimus si mali sumus, ambulamus *vias difficiles*, lassamur *in via iniquitatis et perditionis*, ut Sapiens ait, si Boni, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum coelorum*, ut in Actis apostolorum legimus. Denique Spiritus sanctus ait; *Occupatio magna creata est omnibus, et iugum grave super filios Adae.* Quamdiu? *A die exitur de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium.* Nullusne excipitur? Nullus omnino. *A residente*, inquit, *super sedem gloriosam usque ad humilitatem in terra et cinere: ab eo, qui utitur hyacintho et portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo.* Itaque nullus excipitur, non magnus, non parvus, non dives, non pauper, non iustus, non peccator, et saepe qui beatissimi et felicissimi nobis videntur, ii magis quam caeteri cruciantur. Cum igitur magnae sint vires tribulationum, et earum tanta sit ubique copia et necessario nobis per medias acies terrorum et periculorum transeundum sit, optimum erit si earum naturam et varietatem, causas etiam et effectus perdiscamus, atque ad eas superandas arma nobis de armamentario scripturarum divinarum comparemus.

Tribulationis vocabulum, ut a nomine et definitione exordiamur, licet apud auctores prophanos perraro legatur, tamen in sanctis voluminibus frequentissimum est, et vel a tribulo vel a tribula vel ab utroque deducitur. Est autem tribulus herba quaedam spinis minutis, et praeduris, instructa, a qua veteres, qui fere nudis pedibus incedebant, et eam herbam non facile ab aliis internoscebant frequenter laedebantur. Inde punctio illa tribulorum, quam acutus quidam sensus doloris sequebatur, tribulatio nominata est. Atque ab eo uno genere molestiae nomen tribulationis postea translatum est ad omnem afflictionem significandam, quam homines et animantia caetera patiuntur, vel cum proprio bono spoliantur, vel contrarium malum recipere atque amplecti, velint nolint, compelluntur. Habent sensus omnes atque vires animantium, propria quaedam atque naturae suae consentanea bona; ut sensus videndi pulchros colores: sensus audiendi bonos concentus: sensus olfaciendi suaves odores: sensus gustandi iucundos sapores: et de caeteris ad eumdem modum: quae cum praesentia esse sentiunt, extenduntur, dilatantur, aperiuntur, ut ea videlicet tota recipiant: cum vero vel absunt ea bona vel eorum contraria inferuntur, mox contrahunt sese et in angustum deducunt. Videmus saepe limaces, testudines aliosque vermiculos terrae, cum forte in aliquo loco solis radiis expositi iacent: simulatque gratum quemdam ac suave calorem sentire incipiunt, extendi, dilatari, aperiri, explicari: et si ab aliquo pungantur aut feriantur, subito contrahi, atque ad exiguum et angustum redigi, quantum possunt. At ut de hominibus potius quam de vermibus loquamur, quo tempore feriae dedicationis ecclesiae vel bacchanalium appropinquant, et iam homines de choreis, de lavis, de lusibus, de potationibus, de conviviis loqui incipiunt, nescio quomodo humanus animus gaudet, dilatatur, expanditur, sese et omnes sinus ac latebras suas explicat, et cum festis laetisque diebus recedentibus, ieiuniorum ac poenitentiae dies adveniunt, contrahit se, et in seipso, quasi angulum ubi se abscondat, et latebras quaerit. Hinc est illud quod vulgo dici solet, Tribulationem sequuntur angustiae. *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum*, ait apostolus Paulus. Et rursum alio loco; *Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis.* Et regius psaltes; *Tribulatio et angustia invenerunt me*, et elegantissime alibi cum tribulationem in consolationem mutatam significare vellet; *In tribulatione*, inquit, *dilatasti mihi*: nam cum tribulatio angustias, consolatio dilatationem efficiat quid est, *in tribulatione dilatasti*, quam tribulationem in consolationem commutasti?

Illa igitur afflictio atque molestia, quae ex praesentia mali vel ex absentia boni generatur; et contrahit atque in angustum animum deducit, tribulatio nominatur. Ex qua definitione facile potest intelligi, quod si integros sensus haberemus, nulli nobis gravior tribulatio videretur, quam Deum amittere. Quanto enim bonum est maius et praestantius, quod amittitur, tanto tribulatio maior quae iacturam illam sequitur, videri debet. Qui enim perdis pecunias? Modicum terrae. Quid perdis, cum perdis honores? Modicum sumi. Quid perdis, cum morbo laboras? Modicum sanitatis. Quid perdis, cum filius moritur? Vermiculum unum, qui ea lege natus est, ut aliquando moreretur. An non tristaris et tribularis cum ista perdis? Certe ita. Tu igitur res vilissimas perdis, et vehementer doles: perdis vero Deum, summum et sempiternum bonum, et nihil doles? Quid hoc aliud tibi significare videtur, quam quod sensus corru

ptos, quod palatum cordis depravatum habeas, et idcirco amarum dulce et dulce amarum esse putes? Hinc igitur Deus, medicus animarum optimus et sapientissimus, tribulationes multas quasi potiones amaras, nobis dari iubet. Aufert tibi divitias, aufert honores, aufert sanitatem, aufert uxorem et liberos, quos tantum diligimus, ut hinc disceremus, quam sit grave atque amarum Deum amittere, qui istis rebus omnibus multo est melior atque utilior. Denique parvas tribulationes immittit, ut a magna tribulatione nos liberet, et anima hoc intelligens ad Deum serio convertatur, illi soli adhaereat, atque in eo tamquam in portu aliquo tranquillissimo atque tutissimo conquiescat.

Iam vero tribula, vel tribulum, genus est vehiculi, quo in area frumenta teruntur, atque a paleis separantur: et sic poeta;

Tribulaeque trahaeque, et iniquo pondere rastra.

Et scriptura; *Populum, qui erat in Rabba, eduxit David, et fecit super eos tribulas et trahas et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur et contererentur.* Et capite sequenti *dixit Ornan ad David*: inquit; *do boves in holocaustum et tribulas in ligna et triticum in sacrificium.* Porro a tribula tribulationis nomen aptissime deducitur, tum quod tribulatio instar cuiusdam tribulae, dum premit ac terit, simul etiam purgat: tum quod tribulatio non minus bonos a malis separat, quam triticum a paleis tribula seiungit. Pacis ac prosperitatis tempore omnes Christiani esse videntur, et Deo gratias agere eumque laudare noverunt; at si communis ac publica tribulatio acciderit, qualis est pestilens morbus, qualis caritas annonae, qualis aquarum eluvio, ut ea fuit, quam initio huius anni passi sumus, tum demum boni separantur a malis, tum veri et probi servi Dei nascuntur. Tum enim videre est aliquos, qui ponunt in coelum os suum et blasphemis atque sacrilegis maledictis impatientiam suam testantur: et contra aliquos, qui ad exemplum s. Iobi nihil loquuntur aliud, quam: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum*, et, *si bona suscepimus de manu Domini mala autem quare non sustineamus?* Augustinus libro primo civit. cap. 8. *Sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat: sic in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant boni autem precantur et laudant.* Ita omnes ecclesiae persecutiones nihil aliud, quam tribulae quaedam videntur fuisse, quibus Deus aream suam purgare voluit. Nam ut Caesariensis Eusebius et b. Martyr Cyprianus annotarunt, quando longa pax datur ecclesiae, semper paleae multiplicantur. Paulatim enim inertia, dissolutio, torpor irrepunt: deinde subintrant etiam et vitia graviora, fornicationes, comessationes, ebrietates: postremo, nullum crimen excluditur, non usurae, non simoniae, non adulteria, non parricidia, non sacrilegia. Quid tum agit divina censura: Tribulas immittit in aream suam, laxat habenas hostibus ecclesiae, ethnicis, haereticis, daemonibus ut triticum a paleis separetur, et qui probati sunt, manifesti fiant. Audite beatum Cyprianum de suis temporibus disserentem, et simul de nostris temporibus cogitate: *Quia*, inquit, *traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, et pene dixeram dormientem censura coelestis erexit: studebant augendo patrimonio singuli et obliti quid credentes, aut sub apostolis ante fecissent aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba est viris, in foeminis forma fucata: adulterati post Dei manus, oculi, capilli mendacio colorati, ad decipienda corda simplicium, callidae fraudes, circumveniendis fratribus, subdolae voluntates. Non iurare tantum temere, sed ad hoc etiam peierare. Praepositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus sibi invicem dissidere. Episcopi plurimi, quos et ornamento esse oportet caeteris et exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum sacularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes negotiationis quaestuosae nundinas aucupari*, et quae sequuntur. Quae quidem eo pertinent, auditores, ut intelligamus, multum paleae pacis tempore in area dominica extitisse. Audite vero, quid persecutione succedente, et tribula aream expurgante factum sit. *Ad primum*, inquit, *statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam perdidit, nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit. Non expectaverunt saltem, ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehensi. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti: ultro ad forum currere, ad mortem sponte preparare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent.* Quae quidem omnia nostris diebus numquid non vidimus saepe, et adhuc etiam vidimus? Certe antequam graves istae tribulationes orirentur, quas Lutheri et Zuvinglii et aliorum pseudoprophetarum haereses attulerunt, tantum erat paleae in ecclesia, quantum area vix capi et contineri poterat. Nulla prope erat in iudiciis ecclesiasticis severitas, nulla in moribus disciplina, nulla in sacris litteris eruditio, nulla in rebus divinis reverentia, nulla propemodum recta erat religio, parumque aberat, ne Christus a christianorum coetibus et conventibus excluderetur. Eximius ille et sacri ordinis decor pene perierat: vilissimo cuique ludibrio erant sacerdotes, a populis contemnebantur, despiciebantur, gravi diuturnaque laborabant infamia: multa beneficia simul possidere, canes et equos bonis ecclesiasticis alere, concubinam domi retinere, vix peccata esse putabantur. Ebrietas autem etiam laudabatur. Sacramenta vero coelestia, panis ille divinus et quotidianus, ita venerat in oblivionem, ut si quis saepius, quam semel in anno eo refici vellet, tamquam nimis sanctus et hypocrita notabatur. Sed et ipsa divina atque tremenda sacrificia debito cultu atque honore

indignissime privabantur. Itaque Dei iustitiam, ut ad tanta corrigenda delicta remediis severioribus uteretur, et solitas tribulas per aream circumduceret, nostra flagitia coegerunt. Et quantum paleae de area dominica avolarit, quantumque inde ecclesia relevata sit, haeresibus ortis, iam videmus. Nam qui facile de ecclesia exierunt, atque ad haereticos defecerunt, qui Christo et eius vicario derelicto, vel Luthero vel Calvino vel aliis pseudoprophetis se adiunxerunt, quid aliud quam paleae erant? Erant certe etiam ante paleae, erant homines leves parati circumferri *omni vento doctrinae*, sed ventus deerat, qui eos circumferret. Erant iam antea ventris et veneris cultores, et perlibenter accepissent, ieiunia non prodesse, virginitatem non licere, confessionem non requiri, inutilem et supervacaneam esse satisfactionem, sed nemo eis ista praedicabat. Quid igitur mirum, cum ventus ab Aquilone exortus aream dominicam perflare coepit, si multae paleae extra aream evolaverint? Atque utinam iam finis esset: utinam qui remanserunt area omnino purgata ad acervos tritici omnes pertinerent; brevi enim flagellis ac tribulis remotis tribulationem exortam conquiescere videremus. Sed quoniam iidem sumus, qui semper fuimus, et morum emendationem vel exiguam vel nullam videmus, ego quidem vehementer metuo, ne gravibus istis incommodis, quae hactenus passi sumus, etiam graviora succedant. Sed paulisper quiescamus.

PARS SECUNDA.

Exposuimus breviter, quid tribulatio sit, nunc de generibus, de multitudine, de varietate tribulationum pauca dicenda sunt. Atque in divinis quidem litteris tribulationum duo genera nefariis scelestisque hominibus parata esse legimus: unum aeternarum in gehenna; alterum temporalium in hoc saeculo: *Via peccantium complanata lapidibus et in sine illorum inferi et tenebrae et poenae.* Quibus verbis utrumque genus tribulationis breviter Sapiens complexus est. Nam veluti, si reus quidam per iter asperum ac molestum ducatur ad crucem duo genera tormentorum experitur, laborem itineris et cruciatum mortis: ita etiam hic quidem in terris vita perditorum hominum quasi via quaedam est *complanata lapidibus*, id est, dura, difficilis, laboriosa; atque haec est tribulatio prior. Deinde post mortem in gehenna manent eos *inferi, tenebrae et poenae*; quae est tribulatio posterior. Vultis idem alio modo ab eodem Ecclesiastico audire? *Quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas, plagae illius non est sanitas.* Magna profecto vis est peccatorum, quae tamen tanta facilitate perpetrantur. *Omnis*, inquit, *iniquitas*, quodcumque lethale crimen, quamvis exiguum et leve nobis videatur: una fornicatio, una ebrietas, vel etiam unum fornicationis et ebrietatis desiderium, si libera consentiente voluntate plenum perfectumque sit, quasi gladius quidam est bis acutus atque uno dictu duo vulnera peccatori infigit: unum est poena ac tribulatio temporalis, alterum cruciatus ac supplicium sempiternum. Atque ea est plaga, cuius *non est sanitas.* Nam *in inferno nulla est redemptio.* En quam lethale venenum bibunt, qui vel semel lethale crimen admittunt.

Sed ne solus ecclesiasticus duo ista tribulationum genera nobis comminari putetur, audiamus etiam unum aliquem ex prophetis. *Quid cogitatis*, inquit Nahum, *contra Dominum? consummationem ipse faciet. Non consurget duplex tribulatio*: hoc est, duo sunt quidem genera tribulationum; sed tamen, qui hoc saeculo non ob scelera sua priorem tribulationem patietur, is certe in saeculo futuro posteriorem non sentiet. Nam *non consurget duplex tribulatio. Recordare fili*, inquit Abraham, *quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Addamus adhuc si placeat unum testimonium: *In sex*, inquit, *tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* Quae sunt sex tribulationes? Omnes angustiae atque aerumnae et calamitates hujus vitae. *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua; septimo autem die sabbatum Domini est. Nam facies omne opus in eo.* Quae est tribulatio septima? Cruciatus gehennae, et supplicium illud horrendum quod eos manet, qui post hanc vitam ad sabbatum beatorum non pervenient: quod quidem propterea septimum dicitur, quia eo ipso tempore impios cruciabit, quo beati in coelum sabbatum agent, et tamdiu durabit, quamdiu sabbatum beatorum durabit.

Habemus igitur ex divinis litteris, alias esse temporales, alias aeternas tribulationes. Ac temporales quidem tot sunt, ut eas nullus, quamvis perfectus arithmeticus enumerare possit: non tot sidera lucent in coelo, neque tot pulveris grana jacent in littore maris, neque tot floribus aut frondibus prata vel nemora vestiuntur in vere, quot genera sunt calamitatum atque aerumnarum obruitur quotidie ac pene suffocatur generatio filiorum Adae. At si praesentes tribulationes aegre numerari possunt, quid agemus cum futuris, quae non modo mensuras numerorum vincunt, sed etiam temporum spatia ita superant, ut cum ipsa aeternitate contendant? Res est sane admirationis ac stupore plena, quod vilem hunc abiectumque vermiculum Deus tot aerumnarum procellis ac tempestatibus jactari voluerit, ut si partes et membra corporis ejus percurras, in oceanum tribulationum a planta pedis usque ad verticem capitis immersum videas. Si vires ac potentias animae ejus respicias, nullas prorsus invenies, quae etiam hic in terris suas gehennam non patiatur. Si ea, quae ipsum circumstant, intuearis, coelum et terram, elementa, cetera animantia bruta, angelos, daemones, omnes videas contra unum hominem quodammodo conspirasse, ut quasi in centro sphaerae, tamquam scopus quidam constitutus videatur, quo ex omni parte omnium rerum creatarum tela dirigantur. Considera sensum tangendi, quot genera febrium, apostematum, ulcerum, plagarum, eum affligunt. At si multae sunt aegritudines, multa quoque sunt remedia. Ita est fateor. Sed qualia tandem sunt ista remedia? Num vel unum invenitur, quod non vehementius, quam ipse morbus, hominem aegr

tum vexet? Inedia, pharmaca, potiones amarae, venarum incisiones, membrorum adustiones, dentium evulsiones, remedia morborum sunt: ut iam ego non mirer, si C. Marius, ut Plutarchus est auctor, posteaquam varices unius cruris sibi secari magna constantia passus esset, alterum crus curari noluit; sed ait: *Non est dignum tanto dolore remedium.* Neque solum cum aegri sumus, sed etiam cum valemus, multum patimur. Nam si aestas est, immodicus calor languere nos cogit: si hiems, immodicum frigus, nives, pruinae, glacies nos torquent. Deinde sensum gustandi modo fames, modo sitis, modo cibaria incondita, amara, acida, falsa discruciant. Sensus olfaciendi, quot foetores, quot graves anhelitus, interdum patitur? Sensus audiendi, quot injurias, quot maledicta, quot mala nuncia audit, quae veluti acutissimi mucrones usque ad intimum cordis penetrant? Sensus videndi, quam multa quotidie cernit, quae non vellet? Quam multa vellet, quae non cernit? Quam multa etiam grata et pulchra videt, quae habere non potest? Et quanto attentius in ea defigitur, tanto magis cor desiderio vulneratur, uritur, torquetur. Sensus interni quam frequenter vanis imaginibus, spectris, somniis, phantasmatibus deluduntur? Quam saepe nulla de causa cum in tenebris vel in caemeterio vel in nemore aliquo soli versamur, adeo terribilia monstra ac spectra sibi animus fingit, ut erigantur capilli, frigidus sudor toto corpore manet, ac saepius ad mortem usque timeamus. Jam intelligentia, portio animi tam illustris, quanto labore, quanto tempore naturas rerum etiam vilissimarum vix perdiscit: quam saepe decepta errorem pro veritate complectitur? experiuntur homines docti, quam vere scripserit Salomon: *Hanc occupationem pessimam*, id est, laboris et afflictionis plenam, *dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea: et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus, ab initio usque ad finem.* Sed major adhuc miseria practicam intelligentiam occupatam tenet, de ea mille immanissimas cogitationes suscipit, vel chimaeras potius sibi fingit, ac mille artes, mille rationes, mille vias excogitat, quibus ad gradus altiores ascendere, et in opinione atque existimatione hominum crescere possit. Memoria custos et thesaurus omnium rerum, quam frequenter nos eludit? Quam saepe in medio cursu oratores destituit? Cui non aliquando contingit, ut id quod maxime cupit, et quod alias sponte sua occurrisset, recordari nullo modo possit? Veniamus ad voluntatem. Quis, quaeso, unquam enumeret appetitus varios, amores, odia, suspiciones, zelotypias, spes vanas, invidentias, timores, molestias voluntatis humanae? Nihil sine formidine aggredi audet. Si male agit, timet judices, exilium, verbera, ignominiam, cruciatus: si bene agit, timet linguas maledicorum atque invidorum: Quid iste dicet; quid iste cogitabit? postremo timet mortem videt se omnia relicturum, quae diligebat, vellet saltem filios divites relinquere: relinquit onustos aere alieno. Itaque undique miserrimus filius Adae aquis tribulationum immersus, qua exurgere possit omnino non videt.

Sed parum esset si omnis hominis labor ac difficultas ex interna infirmitate ac debilitate sensuum et membrorum ejus proficisceretur, nihilque iis, quae extra hominem sunt, timeri oporteret. Verum ut initio dicebamus, coelum terra, aqua, ignis, aer, animantia, daemones, angeli, mundus denique totus contra genus nostrum post Adae peccatum conspirasse atque arma sumpsisse videntur. Ille clarissimus fulgor, quem Solem nominamus, nonne aliquando radiis suis ita saevit, ut omnia excoquat atque adurat? Aliquando adeo procul a nobis recedit, ut omnia frigore constringi atque emori patiatur. Terra vero, quae nostra communis parens esse dicitur, quot homines quotidie suis praecipitiis voraginibus, tremoribus, hiatibus, ruinis absorbet? Quid de mari et de ejus filiis fluminibus et lacubus dicemus? Quanto in metu sunt qui navigant mare? Quam aegre evadunt naufragium? Quam saepe mortem ante oculos obversantem vident? Deinde quot piratae? quot scopuli? quot vada? quot brevia? quot syrtes? quot Charybdes? quot loca periculosissima atque importunissima reperiuntur in mari? Ut omittam quantae sint miseriae, videre se per alienum elementum, quasi ligneo carcere inclusum, ad arbitrium ventorum pendere de fluctibus, et semper iactari atque agitari potius quam duci? Porro flumina quantas saepe clades adferant civitatibus, ante annos ferme 19 tota prope Italia, maximo suo incommodo sensit. Quid vero initio hujus anni, tam exiguus fluvius in hac urbe fecerit, vos melius nostis. Ignis et aer elementa tam necessaria, quid mali non pariunt, cum Dei Omnipotentis jussu contra homines irascuntur? Quam est horrendum, cum domus aut civitas aliqua igni corripitur, haurire tetrum illum odorem, videre volantes globos illos flammarum, sonitum et fragorem elementi furentis audire? At vero aer, qui frequenter levi de causa corrumpitur, et nebulas, caligines, pestes, aegritudines generat? et nimbi, grandines, procellae, fulgura, tonitrua unde nobis existunt, nisi ex aere? Neque vero animantia bruta principem suum hominem reverentur: nec solum ursi, tygres, leones, serpentes, sed etiam muscae, culices, pulices et alia minutissima animalia, ita hominem vexant, ut nullam ei quietem impertiant. Atque utinam sola bruta animalia nobiscum bellum gererent et nihil homines ab hominibus timeremus. Verum non ilares se habere; Nam praeterquam quod nec terrae, nec maria, nec loca deserta, nec publicae plateae, nec privatae domus, a furibus, a latronibus tutae sunt: nullum fere habet homo majorem et potentiorem et crudeliorem inimicum, quam alium hominem. Nonne propter levissimas injurias verborum, propter parum terrae, propter opiniones honorum occiduntur homines? Quid? Quod non solum hostes, sed etiam amici, et pacis ac justitiae defensores in homines saeviunt? Neque aliter fieri potest. Quid enim tot carceres, tot patibula, tot rotae, tot alia infinita genera suppliciorum sibi volunt? Et quot praeterea sollicitudinibus et curis propter uxorem filios, fratres, aliosque conjunctos et necessarios homines cruciantur? Si eos oderis, odium te torquet: si amas, amor te consumit. Qui filiis caret,

angitur habendi desiderio: qui habet, angitur amittendi metu. Neque solum corporeos hostes, quos videre, et evitare nobis licet, sed quod multo est infelicius, etiam incorporeos, a quibus videmur, et quos videre non possumus, habemus Daemones. enim, qui versutissimi, crudelissimi et potentissimi numero et viribus sunt nihil aliud negotii videntur habere, quam tentandi, decipiendi, vexandi, tribulandi, praecipitandi miseros filios Adae. Sancti etiam Angeli nonnunquam Dei jussu in homines arma capiunt: Angeli Sodomam et Gomorrham everterunt: Angeli tot cladibus Aegyptum affecerunt: Angeli tot millia in castris Sennacherib trucidaverunt: Angeli cum Iosue contra Chananaeos et Iebusaeos; cum Machabaeis contra Lysiam, et exercitum ejus pugnaverunt; Angeli denique tempore junioris Theodosii circiter centum millia Sarracenorum in flumen Euphratem praecipitaverunt.

Sed ut ad epilogum aliquando tandem veniamus quamquam humanae tribulationes nullo numero comprehendi possunt, tria tamen sunt quasi capita quaedam, et tamquam fontes tribulationum, pestis fames, bellum. Pestis ejusmodi tribulatio est, ut brevissimo spatio temporis creberrimas urbes desertas efficiat. Tunc unus alium juvare non potest tunc nihil divitiae nihil honores, nihil parentes et affines possunt: tunc multi sine sacramentis, sine ulla consolatione atque auxilio spirituali, quasi canes aut equi moriuntur. Fames deinde magnum flagellum Dei est, cum vides tibi victum deficere, nescis quo te vertas, sentis te mori sine morbo, nec remedium ullum adhibere potes. Inde videlicet multi ad furta, ad homicidia, ad sacrilegia adducuntur. Inde multae ad pudicitiam suam vendendam, et prostituendam impelluntur. Inde quod gravissimum atque acerbissimum est, contra omnia jura naturae, aliquando matres proprios filios devorare coguntur. Bellum postremo quid mali non parit? Agrorum vastationes, urbium populationes, fortunarum direptiones, stupra, caedes, incendia, nonne fructus bellorum sunt? Quam multi in hac afflicta et calamitosa regione ante unum annum divites erant, qui nunc sunt pauperes? Quam multi filios et fratres habebant, qui modo non habent? Quid? Quod bellum, ut plurimum pestem et penuriam post se relinquit? Haec omnia mala atque incommoda, auditores, Deus partim immittit, parti permittit, tum ut discamus, unde omnia bona m bis proveniant, tum ut bonis rebus, quas Deus utilitatem nostram creavit, nos in nostram perm ciem non abutamur. Nos enim saepe cum florem et bonis omnibus abundamus, id totum vel nat rae vel fortunae vel industriae nostrae tribuimu Quid igitur Deus? Ego, inquit, ea tibi dederam, vero me auctorem non agnoscis? En illa tibi ru sum auferam, ut incommodo tuo discas, quis a ctor et donator bonorum sit omnium. Nos item cu divitiis et honoribus atque aliis bonis affluimus lis uti nescimus, sed ad convivia, ad ebrietates, a scortationes illis abutimur. Quid igitur Deus? Eg inquit, tibi divitias dederam, ut inde gradus ef ceres, quibus in coelum ascenderes: ut facer tibi *amicos de Mammona iniquitatis*, ut veste gloriae et locum aliquem in coelo comparares: vero contra gradus tibi facis ad gehennam, et tar quam insipientissimus mercator, nihil emis, n funem, quo teipsum suspendas. En igitur aufera tibi divitias, auferam dignitates, ut quando div et honoratus coelum intrare non potes, salte pauper et obscurus ingrediaris. Et nos quiden auditores, vere nulla re alia, quam plagis et ve beribus digni sumus: tamen si ad poenitentiam ad sobrietatem, ad humilitatem serio convertam sperandum est omnino, Deum nostrum, qui pius misericors est, *et praestabilis super malitia*, ta dem aliquando benedictione maledictionem mut turum. Nec enim ignoratis, quod patriarcha Iacc aliquando fecerit, cum magnopere metuebat, maledictionem pro benedictione a patre recipere nempe consilio matris indumenta mutavit, et indu tus vestibus primogeniti ad Isaac patrem suum a cessit, atque ea demum ratione benedictionem p maledictione reportavit. Ita nos, auditores, lic flagellis et tribulationibus dignissimi sumus, t men si vestes mutemus, si filii primogeniti, id es Christi Servatoris nostri indumenta sumamus, qu sunt innocentia, castitas, sobrietas, caeteraequ virtutes, dubium non est, quin benedictionem p maledictione capiemus et omnes plagae tribul tionum ac flagella cessabunt, quod nobis conce dat, qui est in saecula benedictus. Amen.

CONCIO II.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

De causis tribulationum verba facturus, Deum effectricem causam illarum constituit, idque sacrae Scripturae testimoniis confirmat; et quibus plerumque instrumentis Deus nobiscum quasi velitetur, indicat. Duae deinde statuuntur tribulationum origines, divina providentia et peccatum; ubi similitudinibus et auctoritatibus veteres philosophi providentiam Dei negare ausi, redarguuntur. Duplex docetur esse ratio, qua nos Deus cruciat, vel iis scilicet, quae sine sua culpa nocent; vel iis, quae non nisi peccando id agunt, atque haec suis exemplis illustrata proferuntur. Deum non esse causam peccati ostenditur: tribus tamen modis Deum ad malum concurrere, nimirum cooperando in bono malis conjuncto, permittendo fieri malum, et ex patrato malo majus bonum eruendo, adductis similitudinibus probatur, et auditores in spem boni eriguntur.

Pars posterior pulchre, ut omnia, docet, hominem, licet in summis gratiis sit creatus tamen ob inobedientiam morti obnoxium factum, quae est paena omnium severissima; praesertim cum non possit evitari: Atque hinc necessariam esse ad illam praeparationem affirmatur. Peccatum non modo mortis, sed et omnium aliarum calamitatum esse causam astruitur, ubi multis aggregatis exemplis docetur, quod calamitates publicas semper praecesserit peccatum, uti et in nostri temporis moribus illud demonstratur. Inde epilogus graviter peccata maxime vero frigidam quadragesimalis jejunii observationem, taxat.

Ingressi Dominica superiore de tribulatione disputationem eo animo sumus, auditores optimi, ut toto hoc sacro inediae tempore, quod est si quod aliud tempus sanctae tribulationis, in ea versaremur et eam si ullo modo fieri poterit, octo vel decem orationibus absolveremus: et quamquam nobis multa occurrebant, quae de tribulatione dici potuissent, nos tamen ea, quae hoc tempore dicenda esse duximus, ad quinque quasi capita revocavimus. Naturam, varietatem, causas, effectus, remedia sive arma tribulationum. Ac de natura quidem et varietate diximus concione superiore, nunc de causis, Domino adiuvante, dicemus.

Quaenam igitur est efficiens causa tribulationum? Deus. Ita enim sacrae litterae ubique nos docent. *Bona et mala*, inquit Ecclesiasticus, *vita et mors, paupertas et honestas, a Deo sunt.* Et apud Isaiam: *Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum. Ego Dominus faciens omnia haec.* Et Amos nonne magna voce clamat: *Si erit malum in civitate, quod non fecit Dominus?* Denique ut alia, prope infinita testimonia praetermittat, sanctus ille Iob, cum omnes suas opes, cum omnes filios et filias, cum ipsam corporis sanitatem una die perdidisset, cum eam iacturam partim a Sabaeis, partim a Chaldaeis, partim ab igne, partim a vento daemonis arte concitato se accepisse didicisset, num forte dixit, Dominus dedit, diabolus abstulit? Minime vero. Sed quid? *Dominus dedit*, inquit, *Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Neque rursum ait: *Si bona suscepimus de manu Dei*, mala de manu diaboli *quare non sustineamus?* Non ita vir sanctus et sapiens locutus est: Sed, *si bona suscepimus de manu Domini, mala* de eiusdem videlicet manu, *quare non sustineamus?* Quamobrem auditores, sive grando, sive pruina, sive aquarum eluvio, sive nimbi sive procellae, sive fures, sive latrones, sive ethnici, sive haeretici, sive angeli, sive daemones, sive coelum, sive terra, nos cruciet quovis modo, et undecumque tribulatio veniat, ille nobis metuendus, ille orandus, ille placandus est, cuius imperio res omnes creatae, sive volentes, sive nolentes obsequuntur. Ipse est, qui armat *creaturam ad ultionem inimicorum.* Pro ipso pugnat orbis terrae *contra insensatos.* Denique *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum*, cum in homines irascuntur et saeviunt, quid aliud quaeso *faciunt*, quam *verbum eius*? Scribit in Recognitionibus b. Clemens, Deum in die ultimi iudicii quasi generali conflictu, quam flagitiis et sceleribus hominum perditorum pugnaturum, et tunc futuram magnam illam tribulationem, quam Dominus tanto praedixit, qualis neque fuit ab initio, neque postea erit. Sed interim ne forte putet homines, Deum semper dormire, ut idem Clemens ait, frequenter ad nos cum suis militibus excurrit, et brevibus praeliis nunc uno in loco, nunc alio aliqua clade hostes suos afficit. Ponamus exemplum unum aut alterum. Corrumpitur interdum aer, generatur inde pestis, quae brevissimo tempore multa millia hominum assumit. Alio tempore oritur bellum inter duos reges, et omnia stupris et rapinis, caedibus atque incendiis replentur. Rursum alias nivibus liquefactis intumescunt flumina, et magna de-

trimenta civitatibus adferunt. Crebro item cum arbores ubique florent, et in agris virentes segetes magnam spem ubertatis ostendunt, repente aquilonibus stantibus gelu et frigore omnia constringuntur, et pereunt. Quid ista esse putatis? Solum res quasdam naturales, coeli ac planetarum effectus? Ita sane philosophantur, qui Deum ignorant: sed revera secundum oracula prophetarum, milites Dei sunt, qui cum vitiis nostris confligunt. Idcirco vero perpetuo tribulationes istae non durant, neque mundum totum evertunt, quia tempus generalis conflictus nondum venit. Itaque imperat Deus pesti, penuriae, aquis, pruinis, frigoribus ut sint quasi equites quidam levis armaturae et cum ad celeriter excurrerint, seque nobis ostenderint, et aliquo damno atque incommodo nos affecerint, gradum paulatim revocent, et in castra se recipiant. Sed potentiam suam Deus eo potissimum ostendit, quod non strenuis militibus, sed muribus, culicibus, muscis, maximas potentissimasque gentes debellare solet. Hinc Aegyptum non ursis et leonibus, sed muscis et ranis et locustis devastavit. Hinc Azotum, ut liber primus Regum narrat, murium multitudine pene totam delevit. Hinc moenia urbis Iericho, non arietibus vel magnis globis bombardarum, sed solo clangore sacerdotalium tubarum evertit. Hinc etiam tempore Gedeonis lagenarum complosione tubarumque sonitu castra Madianitarum fudit. Hinc ad preces episcopi Iacobi, Nisibin urbem a diuturna obsidione solis culicibus liberavit. Nam ut Teodoretus scriptum reliquit, cum Sapores rex Persarum eam urbem obsideret, episcopus eius loci b. Iacobus a sancto Ephrem Syro aliisque piis viris rogatus conscendit moenia, et ut vidit multitudinem barbarorum tamquam locustas omnia quaqua versus replevisse, id unum a Deo precatus est, ut minutissimis animalculis quales sunt culices, tumorem eorum comprimeret et superbiam cohiberet. Repente vero immisit Deus quasi nubes et examina culicum in exercitum barbarorum, qui nares equorum et elephantorum ingressi, mox eos huc atque illuc sine ordine currere, bacchari, furere, et tota castra turbare ac dissipare in puncto temporis coegerunt. Habemus igitur Deum afficientem causam esse tribulationum.

Sed quaenam est via, quae porta, per quam tribulationes in orbem terrarum intrarunt? Duas, auditores, video esse quasi portas, quibus tribulatio ad nos venit: una est providentia Dei; altera peccatum, ac praecipue primum illud quod in paradiso a parentibus humani generis commissum est. At ut de prudentia, quae prior est, prius etiam disseramus, non defuerunt olim philosophi, si tamen eo nomine digni sunt, qui omnem providentiam ac procurationem rerum humanarum a Deo sustulerunt, quorum princeps (ut Lactantius docet) Democritus et Epicurus videntur fuisse. Quoniam enim in otio vivere, et vacare ab omni munere pulcherrimum quiddam esse iudicabant, atque adeo pulchrum, ut in eo potissimum summum bonum collocarent, propterea ne miserum Deum facere viderentur, si ei totius mundi procurationem imponerent, ab omni eum mundi gubernatione atque administratione suis sententiis liberaverunt. Quam praeclaram philosophandi rationem Lutherus quoque et posteri eius amplexi, quoniam duram ac difficile esse censebant, certis diebus carnibus se abstinere, sacerdotes et monachos xores non ducere, peccata per confessionem poenitentiam expiare, docere coeperunt, nihil horum a Deo esse profectum. Neque id solum, sed Deo etiam ista omnia displicere. Perversi philosophi isti sunt, auditores, qui secundum suas cupiditates Dei voluntatem metiuntur: ad quem modum, si ratio esset in belluis, quaelibet sibi similem Deum esse contenderet. Longe aliter prophetae, aliter apostoli, aliter Deus ipse nos docuit. quidem tantum interest inter philosophorum prophetarum de Deo cognitionem, ut b. Iustin sapienter annotavit, quantum inter duos homin qui de sententia regis contenderent, et eorum alt rex ipse mentem suam aperuisset, alter regem vidisset quidem unquam sed ex suo sensu, de s su regis divinare vellet. Ita enim philosophis borantibus in investigatione veritatis, et ex m bus, signis, coniecturis, effectibus de Deo iudic tibus, atque inde et contrarias vias abeuntibu Deus apostolos et prophetas elegit, et alios sc ptores sanctos quibus seipsum inspiraret, eos docuit, se rerum omnium etiam vilium et min rum curam gerere, et sine labore, sine moles sine sollicitudine, sine fatigatione, summa quad pace et tranquillitate res omnes creatas conser re, dirigere, gubernare. Audi prophetam Ezeci lem: *Iniquitas*, inquit, *domus Israel, et don Iuda magna est nimis valde, et repleta est te sanguinibus, et civitas repleta est aversione.* Q mobrem? Rogo, quae haec iniquitas? *Dixer enim*, inquit, *Dereliquit Dominus terram, et minus non videt. Igitur et meus non parcet o lus, neque miserebor.* Et quam graviter ostendi Deus perniciosa haeresi, quae divinam provid tiam tollit? Audi Sapientem: *Pusillum et magn ipse fecit, et aequaliter est ei cura de omnib* Et, *Attingit igitur a fine usque ad finem fortit et disponit omnia suaviter.* Et alibi: *Tua aut Pater, providentia ab initio cuncta guber* Audi verbum ipsum Patris ore proprio divi providentiam praedicans: *Nonne duo passeres c veneunt, et unus ex illis non cadit in terr sine patre vestro? vestri autem et capilli cap omnes numerati sunt?* Quid? Quod non scri rae solum, sed et ordo iste pulcherrimus quo tam varias, tam dispares, tam diversas, tam i se naturis et locis dissidentes gubernari cernim providentiam aliquando in mundo esse clam Veluti si citharam aliquam (ut ait magnus Ath sius) audires e longiquo vario aequabiliter c centu resonantem, etiamsi citharoedum non vi res, tamen statim intelligeres, eam non per se veri, nec ab aliquo mure, aut fele, sed ab homi eoque docto et perito pulsari: Et si currum vel vim procul cerneres summa quadam ratione at ordine procedere, saxa declinare, vias meliore ligere, etiamsi aurigam vel magistrum navis videres, esse tamen et aurigam, qui currum nautas, qui navim, dirigerent, minime dubita

Cum igitur extra controversiam sit, mund

hunc universum divina providentia gubernari, quonam pacto, quaeso ratione providentiae Deus auctor tribulationum dici debet? Duobus modis. Interdum iis homines cruciat, quae sine ulla sua culpa aliis nocent: interdum iis, quae non nisi peccando id agunt. Quod attinet ad primum modum, multa sunt exempla: Cum ignis domum comburit, cum lupus devorat agnum, cum pestis hominem occidit, nulla sua culpa id faciunt, at non sine providentia Creatoris. Quare sine culpa? Quare non sine providentia? Sine culpa, quia, naturam sequuntur suam: non sine providentia, quia naturae leges a divina providentia datae sunt. Etenim Deus, ut b. Iustinus et b. Augustinus docent, duo genera rerum in hac universitate esse voluit: unum temporalium, alterum aeternarum. Et quidem res aeternae, ut Angeli, ut coeli ut Sol et Luna, et stellae caeterae, generatione non egent, ut conserventur. Sicut etiam homines cum adepta corporis immortalitate, aequales Angelis erunt, neque nubent amplius neque nubentur. Rex vero fluxae et caducae, quae diutius permanere non possunt, ortu atque interitu opus habent, ut aliis recedentibus, aliae succedant, et eo modo si non res singulae saltem singula rerum genera conserventur, non secus atque in oratione fieri videmus, ubi non omnes voces sonant atque audiuntur simul, id enim fieri non potest, sed ordine quodam aliis abeuntibus, aliis venientibus oratio conficitur. Est vero in hoc genere rerum eiusmodi ordo a divina providentia constitutus, ut semper debilius potentiori cedat, atque ad eum modum unum alatur et conservetur ex alio. Leo fortior est ove, igitur iure suo devorat ovem, et conservatur. Ovis fortior est herbis, igitur iure suo pascitur herbis, et conservatur. Herbae terra sunt fortiores, igitur iure suo succum trahunt ex terra, et conservantur. Pari ratione cum doles capite vel pede, ille dolor ab humore quodam efficitur, qui est potentior et fortior corpore tuo, atque idcirco sine culpa sua optimo iure dominatur, et vicit: ea est enim lex aequa et bona providentiae Dei.

Veniamus nunc si placet ad alterum modum, quo utitur Deus ad homines cruciandos, non sine culpa eorum, qui cruciant. Cum latrones in silvis viatores vel spoliant, vel occidunt: cum haeretici nostri temporis more veterum persecutorum sacerdotes et monachos vexant: cum avari mercatores suis usuris multos pauperes de divitibus, et multos mendicos de pauperibus faciunt: cum iudices et advocati lites semper protrahendo miseros homines ad extremam paupertatem redigunt: cum petulantes iuvenes parentum pecunias in sphaeristeriis perdunt: cum aliqui bis nequam non contenti soli perire, etiam alios a proposito pie sancteque vivendi revocant vel impediunt, magnae certe tribulationes, sed non sine gravi culpa eorum accidunt, qui auctores earum existunt: dum enim haec agunt, Dei legem non solum non servant, sed etiam violant. Nec enim Deus tantum non praecipit, sed aperte etiam prohibet furta, homicidia, usuras, iniquitatem, petulantiam, improbitatem. Num igitur ista sine providentia divina sunt? Nullo modo. At quo pacto fieri potest, ut se Deus in eiusmodi sceleribus immisceat? Tribus modis. Primum cooperando in eo, quod bonum est: deinde permittendo fieri, quod est malum: postremo ex patrato iam malo maius aliquod bonum eruendo.

Sed antea tamen quam hoc explicemus, a nostra oratione immanis ista blasphemia removeatur, qua novi evangelistae, Melanthon et Calvinus, evangelium suum ornare voluerunt, quod Deus sit auctor peccatorum: Deus enim, qui summum ac sempiternum est bonum, peccati auctor esse non magis potest, quam humor exsiccare, quam frigus calefacere, quam aestus refrigerare: *Mundi sunt oculi tui*, inquit sanctus Habacuc, *ne videas malum, et respicere ad iniquitates non poteris. Odio sunt Deo impius et impietas eius*, ait Sapiens. Deinde quis prohibet peccata? Deus. Quis punit in hoc mundo peccatores? Idem Deus. Quis illis in saeculo futuro paravit gehennam? Nonne Deus? Et unde igitur credibile est auctorem esse peccatorum Deum? Absit omnino, absit ab animis et vocibus piorum tam immanis blasphemia. Sed tamen tribus illis modis quos diximus, sceleribus hominum se interserit Dei providentia.

Primum cooperando in eo, quod bonum est. Nihil enim est tam malum, quod aliquod bonum conjunctum non habeat, et nullum est tam exiguum bonum, quod a Deo, fonte et Oceano bonorum omnium, non sit. Accipe hominem claudum, ut hoc exemplo rem totam illustrem. Quid est hominem claudicare? Est ambulare, sed perverse. Ambulare bonum est, perverse malum. Unde homo habet illud bonum, quod ambulet? Ab imperio voluntatis, a spiritibus, musculis, nervis aliisque instrumentis animae motricis. Unde illud malum, quod perverse? Num a voluntate? Non certe. Mallet enim, si posset non claudicare. Unde igitur? A tibiae nimis brevis vel nimis curvae perversitate. Ad eumdem modum cum latro viatorem occidit, et manum extendit, gladiumque vibrat, et eum perimit, quem non debet. Quod igitur manum extendat et gladium vibrat, et bonum est, et a Deo est. Alioqui etiam carnifex et milites peccarent, cum simili ratione manus extendunt, et gladios vibrant. Quod vero eum perimit, quem non debet, malum est, et non a Deo, sed a sola hominis iniqua et perversa voluntate est, quam quidem Deus nec impellit, nec hortatur, nec iuvat ad malum; sed tamen permittit agere, quod cupit: qui est secundus modus, quo se Deus in peccatis admiscet. Et quamquam posset malum non permittere, et si non permitteret, non fieret; tamen quia humanam voluntatem liberam creavit, et ut magnus Dionysius docet, non est Dei corrumpere, sed conversare naturas: *melius esse iudica*, ut verbis utar d. Augustini, *de malis bona facere, quam nulla mala esse permittere*. Et hic est tertius modus, et postremus, quo in peccatis locum providentia Dei habet. Quare tu pateris domi tuae ligna comburi? Quia vides maiora bona indebiti nasci, quam sit damnum illud paucorum lignorum: nempe inde coquuntur cibi, calefiunt homines, illustratur domus. Pari ratione Deus numquam peccata ulla esse sineret, nisi tam esse potens ut valeret, tam prudens ut sciret, tam bonus ut vellet maiora bona ex iis effice-

re. Quod maius malum esse potuit, quam tot prophetas, tot apostolos, tot martyres, et Christum ipsum verum Filium Dei occidi? Num Deus impedire non potuit? Facillime. Sed noluit. Et nunc quantam gloriam et felicitatem ipsis, qui passi sunt, quantam laudem et honorem Deo, pro quo passi sunt, quantam salutem, quanta commoda, quanta emolumenta toti mundo mortes et passiones eorum attulerunt? Nec unquam Ecclesia persecutiones ethnicorum vel haereticorum passa est, quin effecta sit clarior, illustrior, melior, doctior, vigilantior, ac demum tamquam aurum in fornace purior non exierit. Quae cum ita sint, hoc etiam tempore auditores, licet omnia sacra et prophana misceri, et rursum ac deorsum ferri videamus, sperandum est tamen, cum non sit abbreviata manus Domini, ex tantis malis magnum aliquod bonum Deum effecturum, et post tam saevas tempestates et procellas aliquando quietem et serenitatem redituram.

PARS SECUNDA.

Duas esse dicebamus quasi vias, vel portas, quibus ad nos ingrediuntur tribulationes, providentiam Dei et peccata nostra. De priore iam diximus, nunc de posteriore dicamus. Homo igitur, si naturam eius dumtaxat considerare velis, talis initio creari debuit vel certe potuit, quales sunt res caeterae, quae secundum legem divinae providentiae aerumnis, et calamitatibus, et ipsi morti obnoxiae sunt: cum semper infirmior ac debilior a potentiore et fortiore consumatur: sed tamen voluit Deus singulari gratiae beneficio hominem ita creare armatum atque instructum, ut posset, si vellet, et morte et miseriis esse superior. Itaque sicut carnes, quae natura sua facile corrumpi solent, arte quadam condiuntur sale et conservantur: sic etiam hominem per se ac natura sua mortalem et fragilem, Deus mirabili quodam artificio gratiae suae sale ita condivit, ut si salem illum retinere vellet, neque unquam moreretur, neque ullas aerumnas vel calamitates pateretur. Poterat vero salem retinere, si mandatum, quod acceperat, quod unum et facillimum erat, conservare voluisset. Quis hoc docet? Spiritus sanctus. Sic enim loquitur apud Ecclesiasticum. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui: adiecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te.* Verum noluit Adam servare mandata. Quid igitur Deus? Itane, inquit, durum est tibi salem retinere? Non vis mandata servare, nec illa conservabunt te. More igitur rerum caeterarum naturae tuae relictus corrumperis, et putresces. Nam *pulvis es et in pulverem reverteris.* Atque eo die totum humanum genus una sententia morti adiudicatum est. Magnum profecto iudicium, et quod unum abunde sufficeret, si oculos cordis apertos et purgatos haberemus, ad omnem peccati gravitatem et magnitudinem aperiendam. Severa illa sententia fuit, qua Deus Pharaonem cum omnibus curribus, et equitibus suis, ita fluctibus Erithraei maris involvit, ut ne unus quidem evaserit: severior adhuc fortasse illa, qua Sodomam et Gomorram et alias nonnullas civitates igne et sulphure demisso de coelo conflagrare voluit: severissima vero illa, qua totum orbem temporibus Noe, et omnes homines, qui tunc videbant, iis exceptis, qui in arca erant, aquis diluvii interfecit; sed nulla sententia, nullum iudicium cum isto comparari potest, quo propter unum Adae peccatum omnes homines, qui unquam futuri essent, etiamsi mundus mille myriades annorum permaneret, certissima morte condemnati sunt. Grande certe peccatum immane scelus, quod tam severa atque atroci sententia puniri debuit. Scribit quidem Galenus, nescio quem extitisse, qui se remedium contra mortem habere profiteretur: at ille idem seipsum suo remedio liberare non potuit. Scribit quoque Tertullianus, Menandrum haereti cum iactare solitum fuisse, omnes qui suo baptismo abluerentur, mox evasuros immortales. Verum ne ipse quidem suo tam potenti baptismo mortem suffocare potuit. Nam et ipse mortuus est, et discipuli eius omnes mortui sunt: nec solum isti, qui mille mortibus digni erant, sed omnes etiam patriarchae, omnes prophetae, omnes apostoli mortui sunt. Magnus ille Ioannes, quo *maior inter natos mulierum non surrexit*, mortuus est. Ipsa Deipara Virgo, omnium rerum creatarum longe optima et sanctissima mortua est. Enoch et Elias nondum mortui sunt, sed morientur tamen. Denique Filius Dei, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, tamen propter aliena peccata et ipse mortuus est. Quare quicquid stulti homines vaticinentur et somnient, nihil certius nobis esse potest, quam quod cum nascimur, sententiam mortis nobiscum adferamus, et simus omnes similes illis aegrotis, de quorum vita medici omnes iam desperaverunt, sed solum variis potionibus aluntur et sustentantur, ut unum aut alterum diem diutius vivant, et vel testamentum facere vel peccata confiteri sacerdotibus possint. Ita enim nos omnes, non ideo comedimus, bibimus, dormimus, ut nunquam moriamur: id enim fieri non potest; sed ut ad paucos dies vitam nostram producamus, atque interim operibus bonis, eleemosynis, ieiuniis, precibus, nos ad mortem praeparemus: ut quemadmodum piratae in medio mari a satellitibus regis comprehensi ad littus perducuntur, ut in patibulis ibi suspendantur, spem vitae longioris non habent, quam sit spatium illud maris inter navem et littus interiectum: ita nos omnes, qui mare saeculi huius navigamus, quasi piratae quidam a ministris divinae iustitiae iamdudum comprehensi, captique tenemur, et cum ad certum quemdam locum aetatis nostrae pervenerimus, ibi sine dubio absque ulla misericordia trucidamur. Et nos hoc scimus, auditores, et tamen in itinere tam funesto libet cantare, libet saltare, libet iocari, libet inebriari, libet luxuriari. Vae miseris nobis. Quid faceremus, si non ad mortem, non ad iudicium illud horrendum et formabile, sed ad convivium vel ad nuptias pergeremus?

Habemus igitur, peccatum primi hominis fuisse, quod morti immanissimae, et teterrimae belluae aditum aperuit, quod etiam divinae Scripturae non tacent: *Per unum hominem*, inquit apostolus Pau-

lus, *peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit.* Et in libro Sapientiae loquitur Spiritus sanctus, et ait: *Deus creavit hominem inexterminabilem. Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Et rursum: *Deus*, inquit, *mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum: sed impii manibus et verbis accersierunt illam*, quasi dicere velit, non cupit Deus, ut homines moriantur, sed tamen recte se habet fustis super dorsum asini et aptissime perdent fures in patibulis. Itaque sicut iudex non mentitur, cum ait latroni, non ego te latro suspendo, sed furtum tuum est, quod te agit in crucem: sic etiam Deus, licet impios et nefarios homines morte damnaverit, rectissime tamen dicitur, mortem non fecisse, propterea quod nunquam eam in humanum genus immisisset, nisi antea homo peccasset. Iam vero quod de morte dictum est, idem de fame, siti, de frigore, de morbis, de vulneribus, de aliis aerumnis et calamitatibus potest ac debet intelligi. Siquidem omnis exercitus tribulationis, ducem suum atque imperatorem sequens, mortem videlicet, per eamdem peccati portam ad nos venit, et sicut de morte legimus in Apostolo, *Stipendium peccati mors*: ita de tribulationibus caeteris legimus in Proverbiis, *Miseros facit populos peccatum.* Magnus Basilius, et qui eum sequitur d. Ambrosius, rosas sine spinis ante peccatum fuisse confirmant; postea vero quam propter peccatum terrae dictum est, *Maledicta terra in opere tuo: spinas et tribulos germinabit tibi*, natas quidem esse spinas sine rosis, sed non rosas sine spinis. Ex quo intelligimus, si primus homo non peccasset, habituros nos fuisse sine spinis, sine ulla molestia virentes rosas, multas et magnas voluptates: postea vero quam peccavit, posse quidem nos tribulis, hoc est, tribulationibus variis sine ullo genere florum, hoc est, consolationis abundare; sed ullo flore, ulla delectatione frui, quae spinam suam molestia admixtam non habeat, nullo modo posse. Ante peccatum, via quae ducit ad coelum quasi planities quaedam florentissima et pulcherrima: nunc vero post peccatum, mons est arduus et praeruptus, spinis, feris, latronibus plenus.

Verum enimvero, auditores, aequum non est, et solum de primo nostro parente conqueramur: enim propter illud primum, et unum Adae peccatum dumtaxat, sed etiam propter innumerabilia, quae addidimus et addimus quotidie, tribulationes ad nos veniunt. Legite sacras omnes et ecclesiasticas historias, et aperte videbitis, nullas unquam persecutiones, nullas afflictiones, nullas plagas, nulla flagella in ecclesia extitisse, quibus aditum hominum peccata non praebuerint. Afflixit Deus olim gentem Hebraeorum, nunc per Philistaeos, nunc per Madianitas, nunc per Assyrios, nunc per Romanos: at semper ante peccaverant, et Deum ad iracundiam provocaverant, ut liber Iudicum, libri Regum, liber Tobiae, liber Iudith et libri omnium Prophetarum docent. Afflixit olim Deus Ecclesiam Christianorum per Nerones, per Domitianos, per Decios, per Diocletianos, per alios tam multos et tam acerbos persecutores: at ex b. Cypriano et ex Caesariensi Eusebio dominica superiore ostendimus, earum omnium persecutionum causam fuisse vitia christianorum. Afflixit Deus olim Africam, Italiam, Hispaniam, Galliam, partim per Hunnos, partim per Wandalos, partim per Gothos: at eas plagas peccata hominum exegisse, cum d. Augustinus in epistola, quae est de afflictionibus piorum, tum Victor Africanus in libro de Wandalica persecutione, constanter affirmant. Afflixit olim Deus, et nunc etiam frequenter affligit populum suum, modo fame, modo bello, modo peste, modo grandine aut pruinis, modo terrae motibus modo aquarum eluvionibus: at horum omnium causam esse peccata, Magnus Basilius et d. Gregorius Theologus luculenter ostendunt. Afflixit Deus Ecclesiam Graecam per immanes illas et truculentas belluas imperatores vel tyrannos potius Turcarum: at quis ignorat, Graecos in Spiritum sanctum fuisse et esse blasphemos? et cum in Conciliis Lateranensi, Lugdunensi, Florentino errorem suum apertissimis Scripturarum testimoniis convicti revocaverint, semper tamen ad vomitum suum, more canum, rediisse? Quis nescit Graecorum superbiam nunquam aequo animo Romano Pontifici pastori ac doctori universorum obtemperare potuisse? Quis item ignorat, apud eos ebrietatem, comessationes, saltationes, aliasque insanias semper regnasse? Et quomodo adhuc haeresis et schisma et corrupti mores apud eos manent, ideo etiam virga Dei et flagellum super eos manet.

Sed ut ad nosipsos tandem veniamus, afflixit Deus et affligit tot plagis calamitosam hanc provinciam, ut pestem, penuriam, bellum quae alias seorsim mitti solent, uno tempore in nos irruisse videamus. At nimis est coecus, qui causas horum malorum non videt. Non est, quod elementa vel sidera vel homines vel daemones accusemus, cum radix amara tribulationum nostra dissolutio, atque socordia in conservanda et tenenda fide, nostra corrupta ac depravata vita, qua spiritum fere extinximus, nostra scelera atque flagitia, quibus graviter offendimus, fuerint. Nunc enim nihil novi nobis accidit, olim haec praedicta et praenunciata nobis sunt. *Si autem*, inquit Spiritus sanctus per os David, *dereliquerint filii tui legem meam et in iudiciis meis non ambulaverint: si iustitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum.* Et apud Aggaeum; *Haec dicit Dominus exercituum; Ponite corda vestra super vias vestras: Seminastis multum et intulistis parum: comedistis et non estis saturati: bibistis et non estis inebriati: operuistis vos et non estis calefacti: et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus, et intulistis in domum, et exsufflavi illud. Quam ob causam dicit Dominus exercituum? Quia domus mea deserta est, et vos festinastis unusquisque in domum suam: propter hoc super vos prohibiti sunt ne darent rorem, et terra prohibita est, ne daret germen suum, et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vi-*

num, et super oleum et quaecumque profert humus: et super homines et super iumenta et super omnem laborem manuum. Alloquitur propheta sanctus populum Hebraeum, eumque vehementer reprehendit, quod cum de ca captivitate Babylonis rediisset, et primum omnium de aedificanda domo Dei cogitare debuisset, ipsi de suis privatis rebus, de suis domibus, de suis vineis, de suis facultatibus cogitavit. Atque ea de causa demonstrat posteriorem calamitatem penuriae ac sterilitatis accidisse. Quae tota reprehensio utinam in nos, atque in nostra tempora non aptissime conveniret, auditores. An obliti estis ante paucos annos similia iis, quae nunc patimur, huic toti provinciae accidisse? an etiam simul non recordamini, quam celeriter tanti motus et tumultus conquieverunt? Quid igitur cessante tribulatione agere debuissemus? Certe unusquisque pro virili sua parte, emendationi morum, conversioni haereticorum, ecclesiae denique aedificationi operam dare debuimus ut suus cultus atque honor Deo imprimis, deinde sanctis sacramentis, templis, altaribus redderetur. Sed numquid fecimus: Numquid non festinaverunt omnes in domos suas, et domus Domini deserta est? Quis damna temporalium bonosum primo quoque tempore resarcire non voluit? At fidei et religionis de morum et pietatis damnis, quam pauci solliciti fuerunt? Cui domus eversa et combusta fuerat, numquid eam iterum aedificavit? Cui arbores succisae numquid eas iterum plantavit? Cui pecora vel iumenta sublata, numquid ea iterum sibi comparavit? At num aliqui de instauranda ecclesia, de sanandis haereticis, serio cogitaverunt? Num qui beneficia male parta habebant, ea restituerunt? Num qui de beneficiis ecclesiae vivunt, et qui nihil agunt pro ecclesia, nunc saltem horas canonicas legere inceperunt? Num festi dies, ut Christianos decet, non conviviis, et lusionibus, sed sanctis precibus et lectionibus iam celebrantur? Num avaritia, impudicitia, simonia, ebrietas, aliaque tam multa vitia, quae nobis antea dominabantur, nunc tolluntur vel saltem minuuntur? Num hoc sacrum et venerabile quadragesimae ieiunium sancte et religiose servatur? Exposuerunt quidem episcopi vestri sancte et sapienter in sua Mechliniensi synodo, sine periculo lethalis criminis sacrosanctum hoc ieiunium non posse violari, sed quam multi enumerantur Lovanii, qui sine ullo scrupulo, solemnissimum, antiquissimum, celeberrimum, saluberrimumque hoc ieiunium temerare non metuunt?

At inquis, imo vero, vel omnes vel pene omnes ieiunamus: nam et a carnibus atque ovis nos abstinemus, et semel dumtaxat prandemus in die. Ita est, fateor, semel prandetis; sed coenatis etiam semel. Minime vero, inquis. Nec enim coena, sed coenula vocantur, quam ad vesperam sumimus. At coenula ista vestra, si talis est, qualem audio, non minus violat ieiunium, quam si vocaretur coena. Intelligo enim apud plerosque hoc solum differte coenulas a magnis coenis, quod in coenulis non totae mappae super mensas extenduntur: alioqui et panis, et ficus, et uvae, et pisces, et olera et alia permulta in coenulis istis comeduntur, atque interim ieiunium sacrosanctum irridetur, et *propter escam* perit anima, pro qua *Christum mortuus est.* Quid igitur, si rursum plagae, rursum flagella, rursum tribulationes nobis immittuntur? Nam si prioribus erudiri atque emendari voluissemus, certe posterioribus opus non fuisset.

Quamobrem, auditores, si cessare cupimus tribulationes, ad radicem securim ponamus, emendemus vitam, corrigamus mores, expiemus peccata, serio et ex animo convertamur ad Deum, et tum sine dubio, qui nos iuste pro peccatis afflixit, idem ipse pro misericordia et benignitate consolabitur; qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO III.

DE TRIBULATIONE

De fructibus tribulationum haec tertia agit oratio. Atque in primis explicatur, quomodo tribulatio secundum triplicem respectum bonitatem aut malitiam sortiatur, quae in progressu diligenter enucleantur. Hinc fructus malus tribulationis, quem in mala terra producit, triplex assignatur. Primus est jactura bonorum temporalium, ubi multos ob solam apprehensionem falsi mali affligi ostenditur. Secundus est lapsus in omnia vitia, cujus rei potissima docetur esse causa impatientia, quod in ethnicis, fidelibus et omni genere peccatorum probatur. Tertius est obstinatio in malo, quae et illa originem suam impatientiae debet. Descenditur deinde ad enumerandos fructus bonos, quos tribulatio in mala terra profert, quorum itidem tres. Primus, quod per tribulationes a certis flagitiis prohibeantur improbi. Secundus, quod ex providentia Dei illustrant, aliisque exemplo sint, uti historiis sacris et profanis confirmatur. Tertius, quod insuper misericordiam et justitiam divinam arguant, quod exemplo solis explicatur et suis rationibus stabilitur.

Parte secunda quinque indicantur modi, quibus Dei providentia bonorum et malorum vitam gubernare posset, et cur ultimo, quo bonis et malis indifferenter bona vel mala indulget, in hoc mundo potissimum utatur, et cur vicissim non caeteris uti velit, causae assignantur. Praeterea quatuor adferuntur causae, quare Deus impiis saepe bona temporalia, etsi non donat, tamen permittit: quarum prima est, ob libertatem arbitrii nobis congenitam. Secunda, ob inexhaustam Dei misericordiam, qua variis modis homines ad se trahit. Tertia, ob justitiam divinam, quam tribus modis exercet. Quarta, ob electorum utilitatem. Tandem spiritualium bonorum, quae non nisi bonis contingunt, praestantia declaratur, similibusque et exemplis illustratur.

Antequam de fructibus tribulationis, auditores optimi dicam, ea quae hoc tempore dicenda arbitror, quaeque suo jure postulat ordo nostrae disputationis, exponam breviter; quemadmodum fructus, vel semper bonos vel semper malos, vel nunc quidem bonos, nunc vero malos arbor tribulationis pariat. Etenim aliter de tribulatione judicamus, cum eam secundum se ac naturam suam, et ut a peccato procedit, inspicimus: aliter cum ad ejus auctorem Deum, providentiamque divinam mentem animumque convertimus: et aliter cum ad terram, in quam cadit, hoc est, homines quos ea vel punit vel probat, consideramus. Et si quidem ipsa secundum se ac naturam suam inspiciatur, cum nihil sit aliud quam malum, quam dolor, quam molestia, calamitas, afflictio, quae aliud malum, peccatum videlicet, consequitur, certe nisi malos fructus parere non potest: *Nec enim potest arbor mala bonos fructus facere.* Si vero tribulationis auctor Deus cogitetur, cujus providentia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, et quem optimum et justissimum esse nemo tam est improbus, qui negat, nemo tam imperitus, qui ignoret, tribulationis fructus, nisi boni esse non possunt: *nec enim potest arbor bona malos fructus facere.* At si terrae varietatem, in quam tribulatio cadit, hoc est, homines bonos vel malos, ad quos mittitur, consideremus, tum pro terrae varietate, varios esse videbimus fructus tribulationis: siquidem una atque eadem tribulatio, idem morbus, eadem inopia in homine probo, qui ex tribulatione proficere studet, (quam bonam terram hoc loco nominamus) optimos et dulcissimos fructus facit: in improbo vero, qui nec ad horam patientiam conservare novit (quam malam terram esse dicimus) fructus pessimos et amarissimos producit.

Ut igitur ab his posterioribus, quae brevius et facilius ostendi possunt, ordiamur, primus amarus fructus tribulationis, quem omnes satis per se noverunt, est jactura ac detrimentum bonorum temporalium. Nulla enim tribulatio est quae vel opes, vel honores, vel sanitatem, vel parentes, filios, fratres, amicos, vel certe otium, pacem, quietem, tranquillitatem animi non tollat. Interdum enim inveniuntur quidam, qui bonis externis et corpore ita florent, ut in eorum pectoribus nullus locus tribulationi esse posse videatur: sed interim aliqua falsa opinione dedecoris, vel alterius mali, quod se pati credunt, re autem vera ipsi sibi fingunt, et apud se animo et cogitatione vehementer exaggerant, magis cruciantur ac torquentur, quam omnes aegri et mendici suis morbis et doloribus. Exemplum habemus in libro Esther, ubi legimus, Aman fuisse unum de primis principibus regni Persarum, qui cum opibus abundaret, affluaret voluptatibus, gradu honoris et dignitate omnibus ejus regni principibus anteiret, prole numerosissima et pulcherrima felicissimus haberetur, denique auctoritate et gratia tantum apud summum illum

orbis Monarcham valeret, ut eum ille parentem suum appellaret : tamen quoniam Mardochaeus quidam Judaeus, et transeunti non assurgebat, neque pileum honoris gratia deponebat, se miserrimum atque infelicissimum esse putabat, atque eo dolore stimulatus, neque noctes, neque dies quiescebat. Ita igitur tribulatio etiam ditissimos et potentissimos quandoque vexat.

Alter fructus multo adhuc peior et acerbior, est lapsus quidam miserabilis, sive praecipitium potius in omne genus vitiorum. Si quidem haeresis, desperatio, furta, adulteria, sacrilegia, peccata caetera inde fere nascuntur omnia, quod nesciant homines tempore tribulationis patientiam conservare. Quare tam multi olim inter ethnicos cum Democrito et Epicuro divinam providentiam tollebant? Quia cum viderent aliquando sceleratis omnia ad votum succedere; secus autem sibi, et aliis, quos pios et probos esse existimabant, et simul ejusmodi tribulationem aequo animo ferre non possent cogitare incipiebant; Haec non bene se habent: si ulla esset in mundo Dei providentia, quomodo res humanae non aliter gubernarentur? Ergo fortuna et casus dominantur in rebus. *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Neque enim solum ethnici, sed etiam populus Dei aliquando propter tribulationem de providentia dubitavit. Legimus enim populum Hebraeum cum aquae penuriam pateretur, dicere incepisse: *Estne Dominus in nobis an non?* In libro quoque Judicum, cum Madianitae, qui erant homines feri et silvestres, et per agros incerta sede vagabantur, quod etiam Scythae et Arabes facere dicuntur: cum, inquam, Madianitae essent hostes Hebraeorum, et annis singulis ad initium aetatis regiones eorum cum omnibus armentis et gregibus suis ingrederentur, et omnia quaquaversum more locustarum devastarent, apparuit Angelus Gedeoni, atque ait: *Dominus tecum virorum fortissime.* Cui mox ille respondit: *Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cum ergo apprehenderunt nos haec omnia? Ubi sunt mirabilia ejus, quae narraverunt patres nostri?* Quid? quod propheta de seipso scribit: *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei; quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Quia non est respectus morti eorum et firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt; et cum hominibus non flagellabuntur. Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum et lavi inter innocentes manus meas? Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis?* Parum, inquit, abfuit, quin ego quoque videns tam praeclare cum peccatoribus agi, in errorem inciderem, et iam poenitere inciperet, quod justitiam atque innocentiam tanto studio quaesivissem.

Deinde quaenam, quaeso, fuit origo caeterarum haeresum ? An non meministis quantam multitudinem haeresiarcharum anno superiore, hoc ipso tempore vobis ostenderim, qui non alia de causa novas haereses condiderunt, quam quod episcopatum obtinere in Ecclesia Catholica non potuerant? Itaque illis omnibus ambitio tribulationem generabat. Angebantur, cruciabantur, torquebantur, ardebant ascendendi et praesidendi desiderio. Quia vero cupiditatem illam, neque in ecclesia catholica explere poterant, neque virtute humilitatis et patientiae coercere didicerant, inde quasi amentes ac furentes de ecclesia sese eiiciebant. En quam facile tribulatio de providentia dubitare facit?

Sed parum esset, si solum fides providentiae propter tribulationem in discrimen adducerentur, nisi etiam caetera omnia vitia ex isto fonte redundarent. Nam cur tam multi omnibus saeculis inventi sunt fures? quia pauci tribulationem, quam parit inopia, ferre sciunt. Cur tam crebra ubique patrantur homicidia? Quia pauci tribulationem, quam parit iracundia, tolerare noverunt. Cur tot passim admittuntur stupra, incestus, adulteria, sacrilegia? Quia tribulationem carnis, stimulos videlicet concupiscentiae, et daemonum tentationes pauci superare didicerunt. Cur nonnulli interdum contra omnem rationem propensionemque naturae tibi manus inferunt, seque ipsos occidunt? Quia vincendarum tribulationum artem non tenent, sed velut quidam equi, qui ad quamlibet umbram exterrentur, ut saxum vel truncum declinent, in quaevis praecipitia se proiiciunt: ita ipsi calamitatem praesentem non valentes ferre, nihil cogitant, quo tandem devenient, si seipsos interimant; sed clausis ad caetera omnia oculis id unum spectant, ut se a tribulatione praesenti quocumque modo eripiant, maluntque a seipsis per mortem fugere, quam tribulationem non fugere, quamquam eo modo fugiendo in aliam tribulationem incidant, a qua fugere numquam valebunt. Postremo, quod multi maledicta et contumelias in Deum et sanctos evomant, quod magos et divinatores adeant, quod daemonum opem implorent, seque illis tradant, quid aliud, quam fructus amari et venenati sunt, quos arbor tribulationis de radice peccati procedens in agro sterili ac lapidoso impii pectoris producit?

Iam tertius ac postremus fructus tribulationum omnium pessimus et acerbissimus, obstinatio quaedam est, atque obduratio cordis in malo, atque adeo verissimus et certissimus gradus ad gehennam. Nam quemadmodum lutum, quo magis radiis solis exco-quitur, eo magis duratur, cum caetera fere omnia ad solem atque ignem admota mollescant, sic etiam homines impii, qui cor non carneum, sed luteum vel lapideum habent, quoad ad ignem tribulationis admoventur propius, eo saepe indurantur magis. Cujus rei exemplum illustrissimum in Pharaone habemus, qui quanto magis flagellabatur, tanto magis indurabatur, donec regnum et filium et vitam et animam amisit. Hi sunt igitur fructus tribulationis, cum in malam terram cadit; spoliat primum temporalibus bonis, deinde trahit atque impellit in omne genus vitiorum, postremo cordis obstinationem operando recto tramite ducit ad gehennam.

Sed quamquam arbor ista tribulationis, auditores, nihil umquam boni pareret in mala terra, si solum ex ipsa terra succum atque alimentum traheret quia tamen de coelo etiam irrigatur, et rorem percipit providentiae divinae, propterea nonnullos etiam bonos fructus in mala terra aliquando producit. Nam et revocat homines impios a certo ge-

nere peccatorum,et providentiam divinam illustrat ad magnam aliorum hominum utilitatem, et misericordiam atque justitiam Dei quam longe lateque pateant, ostendit.

Incipiamus a primo. Dico impios homines per tribulationem impediri a certo genere flagitiorum, tametsi in alia quaedam per eamdem tribulationem impellantur. Duo sunt genera peccatorum: quaedam tunc potissimum perpetrantur, cum animus premitur, atque in angustiis et amaritudine quadam se esse videt, qualia sunt odium,ira, invidentia, blasphemiae, homicidia, et haec quidem tribulatione ut plurimum non minuuntur, sed crescunt. Alia sunt flagitia, quae cordis dilatationem atque expansionem, gaudium et laetitiam exigunt, ut crapula, ebrietas, luxuria, saltationes, cantus lascivi, lusiones omnes, atque haec sunt, quae tribulatione tamquam severo aliquo judice vel censore adveniente, aut cessant omnino aut saltem magna ex parte minuuntur. Qui enim gravi aliqua tribulatione vexantur, neque tempus, neque animum habent luxuriandi, saepe etiam neque facultatem. Cur hoc anno Lovanii, Mechliniae, Antuerpiae atque in aliis multis hujus provinciae celeberrimis oppidis, solitum furorem atque amentiam bacchanaliorum non vidimus? Cur nulli in plateis occurrebant ebrii? nulli larvati,nullae audiebantur citharae, nulli cantus? Cur nullae agebantur comoediae? Cur rara, eaque sobria convivia? Quis istam sapientiam et sobrietatem tantos populos tam repente docuit? An non domina tribulatio? Certe omnes hujus provinciae doctores et concionatores quamvis eruditi et diserti, etiamsi diebus singulis contra bacchanalia disputare vel declamare voluissent,numquam tantum perfecissent, quantum brevi tempore tribulatio perfecit. Hunc igitur optimum et suavissimum fructum de arbore amara tribulationis, ille nobis produxit,qui elicere novit *mel de petra oleumque de saxo durissimo.*

Veniamus ad alterum fructum. Quid praeterea tribulatio facit, cum in malam terram cadit? Illustrat, ut dicebamus, providentiam Dei. Nam cum est aliquis homo nefarius et sceleratus, qui vel usuris dives effectus est vel multa ecclesiastica beneficia per simoniam acquisivit, vel concubinam aut meretricem alit, vel superbe ac tyrannice cum omnibus se gerit, si is casu aliquo in gravem tribulationem incidat, et mendicus ac miser de divite et florente fiat, tunc omnes, qui eum noverunt, dicere inter se incipiunt, en videtis Deum esse in hoc mundo et judicia ejus non semper dormire. Itaque unus punitur et mille trepidant,mille admonentur, mille corriguntur. Denique facit Deus id, quod judices hujus mundi facere solent. Nollent judices ullum esse furem et homicidam, qui ultimo supplicio afficiendus esset, tamen quia oportet justitiae satisfacere, cum aliquis reus illis offertur dicunt: Perditus iste homo omnino debet mori. Quando igitur eum juste liberare non possumus, faciamus, ut publice et cum solemnitate moriatur, ut si caeteris in vita non profuit, saltem aliquid prosit in morte. Itaque primum diem nundinarum expectari jubent, quo maximi concursus hominum ad urbem fieri solent. Deinde in medio foro conspicuum atque editum theatrum extrui, tum circa meridiem bis aut ter pulsari maximam campanam totius civitatis; et tum demum in conspectu totius populi producunt reum, eumque manu carnificis cum ignominia, et cruciatu mactant. Pari ratione Deus interdum aliquos manifesta ac publica tribulatione punit, ut caeteri omnes eorum exemplo moveantur et corrigantur. Exempla hujus rei pene sunt infinita in scripturis sanctis. Ita enim Pharaonem, ita Core, et Dathan et Abiron, ita Nabal Carmelum, ita Iezabel uxorem Achab, ita Antiochum et Herodem legimus fuisse punitos. Sed neque ethnicis exempla sua defuerunt, quibus providentiam et judicia Dei pene manibus tangere ac sentire potuerunt. Scribit Gregorius Nissenus initio libro de Providentia,poetam quemdam nomine Ibycum apud Ethnicos fuisse, qui *cum a quibusdam clam occideretur, et nullum, neque adiutorem neque testem insidiarum haberet, grues forte supervolantes intuens,dixit: O grues indices estote quaeso, necis meae.* Contigit vero non diu post,ut cum homicidae illi Corinthi publico spectaculo interessent, iterum grues supervolarent, quos illi cum vidissent ridendo inter se dixerunt; Ecce ultores Ibyci. Quidam autem eorum, qui prope illos in theatro assederat, quique Ibycum interemptum fuisse non ignorabat, retulit ad principem, quod audierat. Mox illi comprehensi et quaestionibus admoti crimen confitentur, et extremo supplicio afficiuntur. Scribit quoque Eusebius Caesariensis, in historia veterum ethnicorum extare,cum lex esset, quae sacrilegos aut praecipites ex alto deiici, aut in mari submergi, aut igne cremari juberet, cumque tres simul perditi homines, Philomelus, Onomarchus et Phaylus Delphicum templum spoliassent, omnes brevi tempore secundum legem divinitus dedisse supplicia. Unum enim cum per aspera scanderet loca,praecipitem decidisse,atque ita esse extinctum: alterum cum secundum littus maris equitaret in profundo lapsum una cum equo periisse, porro tertium sacro igni eodem tempore esse consumptum. Quae omnia quis nisi amens casu accidisse putabit? Quid? Omnes tres iisdem temporibus propter idem delictum, non aliis suppliciis, quam lex volebat, esse punitos, nonne apertissime providentiam Dei scelerum et flagitiorum ultricem esse clamat?

Neque vero providentiam solum, sed etiam misericordiam et justitiam Dei tribulatio illustrat,qui erat tertius et postremus fructus, quem in mala terra producit. Deus enim ut b. Augustinus scribit persimilis esse videtur soli, qui toti mundo prodesse cupiens, omnia loca sua luce complet, sed interim tamen, sicut oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti blandius et tranquillius apparet; ita in oculos aegros, et lippos,quasi tela aspera jaculatur: sic etiam et Deus, qui natura sua optimus et liberalissimus est, initio ingredi in animos nostros et eos totos luce suae bonitatis perfundere, ac donis et charismatibus divinis implere desiderat; verum, ut videt animam perversam refugere, lippos oculos claudere, ad bona creata converti, tum demum et ipse quodammodo pervertitur: sicut in Psalmo legitur: *Cum sancto sanctus eris, et cum*

perverso perverteris,hoc est ita se gerit, ita hominem punit ac tribulat,ut asper et perversus videatur. *Quam bonus Israel Deus*, inquit David ; sed quibusnam? *his, qui recto sunt corde.* Illis enim suavis et bonus est Deus qui recto sunt corde, qui optimè cum regula divina consentiunt, quibus omnia placent, quique omnia probant, quae placent et probantur Deo. At vero iis, qui perverso ac distorto sunt corde, non potest regula rectissima cordis divini non dura atque aspera videri. Sed haec est lex aeterna, haec est justitia,haec est aequitas, ut mali male pereant,et amarum illis detur qui dulce recusant: et qui nolunt benedictionem elongetur ab eis. Et sicut unus clavus altero clavo truditur; et qui venenum hausit,altero veneno curatur; ita venenum culpae veneno poenae tolli debet. Et quoniam pro mensura morbi mensura medicinae sumatur necesse est, idcirco tamdiu tribulatio durat, quamdiu peccatum durat. Hinc enim damnatorum tribulatio in gehenna non finitur,quia peccatum eorum numquam finitur. O utinam ad hanc severam Dei justitiam oculos aliquando converteremus.Quis esset ille judex tam crudelis,tam saevus, tam inhumanus, qui reum aliquem fractis omnibus membris in rota, vel ad ignem ferreis catenis alligatum multos dies vivere sciret, et quotidie cum videret, quotidie audiret, et tamen non misereretur? At hoc ipsum non crudeliter, sed juste facit Deus. Semper enim gravissime foetet in naribus ejus peccatum damnatorum, *Superbia eorum, qui te oderunt,ascendit semper.*Idcirco neque Deus, neque angeli, neque sancti unquam damnatorum miserentur.Aspice sanctum Abraham adeo ille erat mitis, et misericors, cum hic in terris viveret, ut sexies pro Sodomitis supplicaverit: nunc vero post mortem, quia justitia regnat, nec pro uno divite epulone vel semel unum verbum loqui voluit. Habetis igitur qui sint fructus tribulationis,cum forte in malam terram cadit.Paulisper quiescamus.

PARS SECUNDA.

Exposuimus, cur Deus tribulationibus impios quandoque flagellet: nunc quoniam eadem est disciplina contrariorum, exponemus breviter, cur etiam aliquando multa bona iisdem largiatur. De tribulationibus vero et prosperitatibus justorum dominica proxima Domino volente, disserere incipiemus.

Quinque modis poterat providentia Dei vitam justorum atque impiorum in hoc mundo gubernare: vel ita ut justis semper bona, impiis semper mala tribueret: vel contra ut justis semper mala, impiis semper bona: vel ut tam justis, quam impiis semper mala: vel tam justis,quam injustis semper bona: postremo, ut nullis sive justis sive impiis, aut semper bona aut semper mala; sed confusione ac per mixtione quadam, et justis modo bona modo mala, et impiis modo bona modo mala largiretur. Ex his quinque generibus sive formis gubernationis, quamquam nulla iniqua poterat videri: et prima non modo non iniqua, sed optima et justissima erat, ut videlicet omnibus justis semper bona; omnibus impiis semper mala tribuerentur, eaque utitur Deus, (ut Gregorius Theologus ostendit) in omnem aeternitatem, in futuro saeculo, ubi nulli boni non semper beati; nulli mali non semper miseri et infelices erunt: tamen postremam tamquam aptissimam praesenti rerum statui, Deus elegit, ut videlicet bona et mala ita confunderet,ut neque res adversae neque prosperae justos aut injustos,satis aperte demonstrarent. *Quis novit*,inquit in eodem loco Nazianzenus, *utrum hic propter malitiam plectatur, ille vero propter virtutem extollatur, et non potius e converso hic propter malitiam exaltetur,quo gravius etiam cadat; ille vero propter virtutem tamquam aurum in camino probetur ? Alius igitur in his audax sit et confidens, seu potius nemo sit. Ego omnino supplicium, quod hic irrogatur, pravitatis adscribere non audeo, quemadmodum nec pietati remissionem malorum. Nam est quidem nonnunquam adversitas improborum, et prosperitas bonorum at non semper nec omnino.* Haec ille. Porro hujus rei, auditores, ratio est, quod status praesens status fidei sit. Nam fide justificamur, ex fide vivimus, per fidem ambulamus, fidei vero status hoc exigit, ut ratio, qua regimur et gubernamur, neque nimis perspicua,neque nimis obscura sit; sed medio quodam modo se habeat,sicut media est aurora inter tenebras noctis et lucem meridiei. Nam si nimis esset clara, non indigeremus fide: si nimis obscura, facile perderemus fidem.

Prima igitur illa ratio gubernandi, ut omnes pii semper floreant, omnes impii in aerumnis et calamitatibus semper versentur, nimis aperta et perspicua est, atque hoc tempore idcirco minus idonea. Siquidem impii, si ita mundus regeretur, salutem desperarent, vel solum timore poenae atque spe praemii temporalis Dei legem servarent. Deus vero non servorum, sed liberorum Deus esse vult neque coactis atque invitis,sed spontaneis et promptis obsequiis delectatur. Itaque ut intelligant homines bona et mala ista temporalia, non esse ultimum praemium ac poenam virtutum ac vitiorum: nec semper bonis istis caducis consolatur justos, nec semper contrariis malis castigat et punit injustos.

Iam vero tres, quae sequuntur formae gubernandi, secunda, tertia, quarta ac secunda potissimum, nimis obscurant providentiam Dei. Quid enim si perpetuo, dum hic vivimus, omnes impios laetos atque alacres volitare, omnes probos miseros atque afflictos lugere videremus, quam gravis esset tentatio infirmioribus?In quanto periculo versaretur fides? Neque enim omnes boni continuo perfecti esse possunt, atque instar Pauli et Francisci toti mundo crucifixi, omnia tamquam stercus arbitrantur propter Christum. Si modo cum aliquando bonos premi, improbos exultare cernimus totaudiuntur ubique querimoniae,parumque abest, ne aliquando dicant: *Estne Dominus in nobis, an non*?Et illud prophetae:*Ergo sine causa justificavi* cor *meum et lavi inter innocentes manus meas*? Quid tunc fieret? quis patientiam conservaret, quis in fide perseveraret, si semper improbi laeti ac felices triumpharent? Quae cum ita sint,

recte b. Augustinus docet, Deum, quamquam semper multa largitur hostibus, quae negat filiis, ut fidem et patientiam nostram exerceat; tamen saepe etiam aperte impios flagellare et praemiis afficere pios, ut providentiam suam ostendat: atque ad hunc modum fides nec a nimia luce evacuetur, nec a nimiis tenebris extinguatur.

Atque haec quidem quaedam generalis est ratio cur saepe improbis bona temporalia Deus largiatur. Veniamus nunc, si placet, ad alias magis proprias et particulares rationes.

Quaeris, cur homines impii, nefarii, hostes Dei qui mille crucibus digni sunt, tam facile ditescant, floreant, omnia, vel pene omnia sua negotia pro voto perficiant? Petis, quo pacto cum ejusmodi tam secundis eventibus impiorum cohaereat providentia et gubernatio Dei? Respondeo primum, impios homines multa saepe lucrari, possidere ac retinere quae Deus illis non donavit, sed tantum acquirere atque habere permisit. Num enim existimas, ei, qui usuris et fraudibus dives effectus est, Deum opes illas donasse? Num injustus est Deus? Num sibi contrarius? Nonne ipse usuras et fraudes prohibet? Non igitur ipse divitias impiis donat, quamquam habere permittat.

Cur autem id permittat, multae sunt causae. Prima, quoniam humanam naturam cum arbitrii libertate creavit, et sicut peccatum non tollit naturam, ita nec libertatem. Itaque liberas voluntates pro sua libertate agere sinit; quod maxime decet providentiam summi et sapientissimi moderatoris.

Altera causa est, quam etiam b. Augustinus reddit in eodem loco, ut illam dulcissimam et inexhaustam misericordiam suam ostendat, cujus amplissimus sinus nullos neque bonos, neque malos excludit, ad cujus imitationem nos provocat, cum ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos.* Neque solum in eo Dei misericordia declaratur, quod bona temporalia inimicis suis concedit; sed etiam quod per ea bona tamquam per quaedam munuscula, eos ad conversionem et poenitentiam attrahere atque allicere studet. Nam profecto, si quicquam saperes, apud te cogitare deberes, unde mihi tantae opes, tanta commoda, tanta affluentia omnium rerum? Domus, agri, servi, pecuniae? Num ea mecum tuli, cum nascerer? At nudus natus sum. Num illa meo ingenio comparavi? At multi meliori ingenio praediti adhuc in sua inopia remanent. Quid si ego ex patre divite natus sum, quis me de tali parente nasci fecit? Quam multi me justiores et meliores, qui quotidie de pauperibus nascuntur? Deus igitur, Deus est, qui me sua bonitate et benignitate praevenit. Nolo esse ingratus tantis beneficiis, velo deinceps secundum ejus leges vitam meam instituere. Sed alio modo etiam Deus misericordiam suam cum peccatoribus ostendit. Id enim efficit, cum eis bona ista temporalia habere permittit, ut si omnino peccare volunt, saltem minus peccent. Quidam enim reperiuntur, qui si non habeant, unde suae libidini satisfaciunt, mox ad maledicta se convertunt, vel insidiantur, furantur, occidunt. Quid igitur Deus? Alligemus, inquit, hunc draconem, proiiciamus in os ejus hanc haereditatem, et illas pecunias, licet male partas, tamen eum habere sinamus. Quod si cum his omnibus ipsius furor non quiescit, non multum oberit, descendet magis pinguis ad gehennam et suibus illis erit similis, qui diligenter nutriuntur, ut macten-tur pinguiores.

Iam tertia causa est, ut simul cum misericordia etiam justitia ostendatur. Primum enim nullus est tam malus, quin aliquid boni aliquando facial, Deus autem omnium bonorum remunerator promptissimus et liberalissimus est. Itaque licet posset avaros homines impedire, ne usuris et fraudibus lucrarentur, sinit tamen eos lucrari, ut mercedem suam hic recipiant exigui boni, quod forte gesserunt, quandoquidem post hanc vitam nihil eos, nisi supplicia manent. Itaque d. Augustinus, bonis moribus et artibus Romanorum eximiam illam gloriam tam excellentis imperii, tamquam mercedem quamdam a Deo redditam esse confirmat. Ita quoque propheta Ezechiel exercitui Nabuchodonosor diripiendam Aegyptum traditam fuisse a Deo docet, tamquam stipendium quoddam quia pugnaverant contra Tyrum. Deinde ostenditur etiam in eo divina justitia, quod saepe concedit iratus, quod negaret propitius. Videt Deus aliquem qui unum habet ecclesiasticum beneficium et posset ex eo commode et quiete et sancte et religiose vivere: interim videt eum non posse quiescere, frequentare curiam assentari praelatis omnemque lapidem movere, ut adhuc alterum, et tertium obtineat. Quid igitur Deus? Tu, inquit, manibus et pedibus quaeris perditionem tuam. Age justitiam ostendamus, fiat tibi sicut vis, sentias tuo malo, quae tu quaeris non esse beneficia, sed supplicia. Sinamus eum dorsum onerare sacco beneficiorum, qui eum deprimat ac demergat in gehennam. Postremo illo etiam modo divina justitia declarat, quod saepe Deus unum impium per alterum punit. Unus malis artibus dives evasit; quid agit justitia et providentia Dei? Permittit alium venire, qui similibus artibus eum spoliat omnibus, quae sibi pepererat. Sed vide suavitatem ac dulcedinem Dei, qui cum iratus fuerit misericordiae recordatur, etiam cum isto rigore justitiae misericordiae lenitatem admiscet. Saepe enim facit ut qui male agendo peccati turpitudinem agnoscere non poterat, is mala patiendo eam agnoscat, atque inde ad cor per poenitentiam convertatur. Avaros quispiam multo tempore a pauperibus usuras acceperat, et lucri desiderio excaecatus nunquam turpitudinem ejus iniquitatis videre potuerat: deinde justo Dei judicio, ad eam inopiam et difficultatem redigitur, ut pecunias restituendas cum foenore petere ipse cogatur, et tum demum peccati foeditatem in alio incipit videre, quam in se videre non poterat. Tunc incipit cogitare ac dicere, bone Deus, quae est haec iniquitas tam aperta, ut ego recipiam unum, et exigam decem? Haeccine est charitas Christianorum? Itane proximi in ecclesia adjuvantur? Cum vero ad seipsum, et praeteritam suam vitam oculos convertit et se quoque talem fuisse olim recordatur, tum vero et seipsum, et plagas ac foeditatem suam agno-

scit. Quod vero de avaro diximus, idem de iracundo, de superbo, de lascivo, de ebrioso potest ac debet intelligi.

Quarta et postrema ratio est, utilitas electorum. Nam ut b. Augustinus sapienter monet, praeterquam quod prosperitatibus impiorum exercentur et probantur electi; voluit etiam Deus bona haec temporalia bonis et malis esse communia, ne boni ea tamquam magna Dei munera concupiscant. Videtur enim nobis dicere Deus; Adeone insine insipientes estis, ut credatis me bona ista temporalia, si alicujus momenti essent, tamen tam impudicis, avaris, ebriosis, tyrannis, latronibus, hostibus meis donaturum fuisse? An ego sapiens et justus non sum? Num ego non dixi; *Nolite proiicere margaritas ante porcos*? Quin potius intelligitis, ista peccatoribus tamquam panem et aquam mancipiis dari, vobis autem integram haereditatem in coelis, amplissima regna et imperia conservari. Cur igitur tanto studio ista quaeritis? cur ita istis in hoc itinere vos oneratis? cur non pauperes conservos vestros in exilio, et collegas futuros in regno convocatis, ac dicitis; Eia fratres, accipite partem oneris nostri, nec enim ista in patria ad quam imus, necessaria erunt, et nos levius et expeditius proficiscemur? Habetis rationes, cur in hoc saeculo saepe Deus temporalia bona impiis largiatur.

Verum enim vero, auditores, quamquam bona et mala ista exigua, quae praecipue ad corpus pertinent, Deus confundere ac permiscere voluerit, tamen magna et vera illa bona vel mala, quae ad spiritum spectant, numquam miscet, id quod utinam hoc tempore a multis intelligeretur. Quae sunt quaeso vos, majora et praestantiora bona, animi an corporis? carnis an spiritus? Certe animi, certe spiritus. Nam quemadmodum oculi sanitatem pluris facimus, quam digiti, quia oculus est digito praestantior; et sicut si mendicus quispiam vehementer verberetur, nemo se opponit; at si filius regis vel leviter tangatur, regnum totum commovetur, quia purpura regia mirifice splendet in oculis hominum, panni vero mendicorum, ut sordes contemnuntur: Ita quoque animi bona, ut gratia, sapientia, justitia, charitas, virtutes caeterae, dona et charismata Spiritus sancti multo sunt majora et praestantiora corporis bonis, opibus, voluptatibus robore, pulchritudine, sanitate. Nam et animus corpore sine ulla comparatione est excellentior: praeterea sola animi bona hominem bonum et ditem et beatum et contentum et foelicem reddunt. Atque haec sunt bona vere bona, quae etiam hoc mundo non dantur, nisi bonis. Existat hic liquis, qualis erat sanctus Iob vel Lazarus ille mendicus, qui totus sit a planta pedis usque ad verticem capitis aerumnis et calamitatibus coopertus; ingredere animum ejus, reperies eum hilarem, tranquillum, quietum plenum pace, charitate, patientia, gaudio et qui in doloribus invenerit id, quod homines improbi quaerunt, et numquam inveniunt in deliciis. Non legistis in Actis apostolicis de Paulo et Syla, qui cum virgis caesi multas plagas accepissent, ac deinde compedibus constricti in tetrimum carcerem conjecti fuissent, media nocte psalmos et hymnos Domino laetissime decantabant? Nec mirum. Ipse enim apostolus Paulus in tribulationibus suis, non mendaciter dicere solitus erat: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et, *sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Existat dein de hic alius, qualis erat epulo ille purpuratus, vel aliquis Nero aut Decius aut Maximinus, qui corporis et caeteris bonis omnibus abundet; ingredere animum ejus, reperies eum turbulentum, inquietum, et insatiabilem, plenum odio, invidentia, suspicionibus superbum, elatum: arrogantem, fo tentem denique tamquam omnium sordium sentinam, vel quasi sepulchrum aliquod dealbatum. Ita igitur Deus animi bona, quae vera et magna sunt bona, non miscet: licet permisceat ea quae etiam ab ethnicis fortunae ludibria appellatae sunt, quae quasi mutuo hic accipitur, quae velimus nolimus, brevi relinquenda sunt, et quae nec praemia nec poenae animorum esse possunt. Quomodo enim exiguo poculo Oceani aqua tota contineri non potest; ita gloria, et supplicia animorum, quae sempiterna esse debent, ad paucorum dierum angustias, quibus nunc vivimus, contrahi non possunt.

Quae cum ita sint, auditores, fragilibus atque instabilibus bonis contemptis, eo mentem atque animum dirigamus, ubi vera et sempiterna sunt bona. Quid his quadragesimae diebus, quibus in itinere sumus, nobis contingat, sive malum, sive bonum, sive tribulatio, sive consolatio, sive pluvia, sive serenitas, parum certe curare debemus, modo securi et laeti, conscientia benefactorum nos consolante et erigente, ad illam aeternam et beatam domum perveniamus, ubi vivitur et regnatur per omnia saecula saeculorum. Amen.

CONCIO IV.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

Tractat ista concio de fructibus tribulationis, quando ea in bonam terram cadit; quos tamen fructus cognosci in altera vita, exemplo puerorum sub disciplina viventium, declaratur. Explicato itaque breviter modo, quo ex malo, qualis est tribulatio, aliquid boni fieri possit; tres fructus tribulationis in bonam terram cadentis statuuntur, qui sunt purgare, illustrare perficere. Ostenditur autem tribulationem purgare triplici modo. Primo peccata diluendo, ubi etiam gravitas peccatorum, quae tollit, ob oculos ponitur. Secundo, purgatorii poenas minuendo, id quod simili, sociorum simul hospitium intrantium dilucidatur. Tertio, prohibendo ne sordes expurgatae denuo contrahantur; ubi etiam tres omnium malorum fontes ex epistola sancti Ioannis adstruuntur, quos tribulatio omnes obstruere solet, simul et ab imminente malo praeservare: unde ad eam tolerandam aequo animo incitamur.

Pars altera duos reliquos prosequitur propositos fructus: quorum secundus est illustrare. Hinc tribulatio felli Tobiae, collyrio Ioannis, et solitudini Osee aptissime assimilatur. Docetur tribulationem illustrare, ut videamus quatuor. 1. Quae infra nos sunt, qualia sunt infernus et res omnes corporales, et quomodo hoc fiat pulchra amplificatione interseritur. 2. Quae supra nos, ut est Deus, angeli, et omnes sancti quod in Hebraeo populo, ethnicis, et maxime in Iuliano apostata apparet. 3. Quae circa nos sunt, ut sunt amici et familiares, ubi tribulatio scalae Iacob, et torculari comparatur 4. Quae sunt in nobis ipsis, quid scilicet possimus sine Deo, quid item cum Deo. Tertius fructus est perficere, quo loco probatur perfectionem istam in charitate consistere. Tandem Deus, qui nos affligit, fabris, nutricibus, venatoribus et equitibus congruenter assimilatur, ejusque rei causa disquiritur.

Tribulationis fructus, auditores optimi, de quibus hodierna die adiuvante Domino, dicturi sumus, usque adeo copia et nobilitate excellunt, ut ego facile mihi ipse persuadeam, eos a minime prorsus ad plenum intelligi posse, donec ad illam aeternam et beatam domum ad quam nunc per ipsas tribulationes tendimur, perveniamus. Etenim simile aliquid nobis contingit, quod pueris evenire solet toto illo tempore, quo subiecti censurae ac ferulae praeceptorum ac parentum in litterario ludo et labore versantur. Certe enim si quaeras a pueris, qui ipsi de virgis et verberibus iudicent, dicent, nihil gravius atque acerbius, et quod ipsi magis oderunt in orbe reperiri. Sed propterea de exigua illa molestia, tam inique sentiunt, quod nondum cernant, quam pulchri, et quam suaves non modo flores, sed etiam fructus sapientiae et eruditionis, de illis duris, ut videntur, atque horridis spinis verberum et virgarum oriantur. Itaque postea cum ad maturam aetatem perveniunt, et nomine doctrinae ac morum ubique se commendari intelligunt, et ea de causa nihil sibi, neque opes ad vitam, neque honores ad dignitatem conservandam ac tuendam unquam posse deesse: et simul vident, si metus, et castigatio parentis, et magistri defuisset, se neque litteras, neque mores, neque educationem habituros, neque aliud, quam idiotas, quam rusticos, forte etiam quam sicarios et latrunculos futuros fuisse; tunc demum ferulae ac virgae utilitatem agnoscunt, et correctoribus et emendatoribus suis magistris et parentibus debitas gratias, iustasque referunt. Sic etiam nos, auditores, dum in laboribus et tribulationibus quasi in ludo litterario versamur, nihil novimus, nisi gemere et plorare; at cum in coelo tribulationibus finitis in libro divinae providentiae legemus, si modo una, modo altera tribulatione tamquam ferula quadam castigati non essemus, fuisse nos cum impiis ad aeterna supplicia descensuros: tum certe prelium intelligemus tribulationum: *tunc implebitur gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.* Tunc securi laetique cantabimus: *Laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Quamobrem recte apostolus Paulus; *Omnis*, inquit, *disciplina in praesenti quidem non videtur esse gaudii, sed moeroris: postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae.*

Sed quamquam res ita, ut diximus, se habeat, et fructus tribulationis non ante plane cognoscere poterimus, quam ad vitam beatorum, omnis miseriae et tribulationis expertem, pervenerimus: tamen hic etiam multum refert, diligenter et saepe de eis loqui et cogitare, ut earum suavitate atque utilitate confirmati, neque praesentibus calamitatibus frangamur, neque futuras magnopere metuamus, et ex utrisque in vera pietate et religione proficiamus.

Aggrediar igitur ad eos fructus, quos in bona terra, hoc est, in hominibus, qui ex ea iuvari cupiunt, tribulatio parit, diligenter explicandos : si tamen antea breviter exposuero, quemadmodum intelligamus, quod dicimus, et saepe repetendum nobis erit, tribulationem, quae per se nisi mala esse non potest, bonos fructus facere. Exponit istam loquendi formulam d. Augustinus lib. 13 civit. c. 4. 5 et 6 quibus in locis docet, mortem et miserias in hominibus sanctis bonos fructus facere ; non ita etiam accipiendum, quasi quod erat antea malum, postea fiat bonum, vel tamquam id, quod est malum, sit per se causa boni : id enim fieri non potest: sed illud eiusmodi sententiis significari, Deum et sanctos homines, occasione mali utuntur male etiam bono, ita bonos uti bene etiam malo. Aspicite et intuemini sanctos martyres, num illi mortem, extremum malorum, in maximum et excellentissimum bonum non convertebant? At num propterea caedes illa sanctissimorum martyrum erat bona? Nullo pacto. Sed Deus erat bonus, qui sua potentia illo modo utebantur bene. Sicut etiam non ideo petra est dulcis aut saxum molle, quia Deus sua omnipotentia educit *mel de petra oleumque de saxo durissimo.*

Quot igitur sunt fructus tribulationis, cum forte in bonam terram cadit? Tres: purgare, illustrare, perficere : quae sunt tria illa hierarchica opera, quae magnus Dionysius in libro de eccles. hierarchia describit. Incipiamus a primo. Quo pacto tribulatio purgat? Tribus modis. Nam et sordes peccatorum iam contracta eluit; et poenas, quae sceleribus debentur, minuit; et ne iterum sordes contrahantur, facit.

Primus igitur et praestantissimus fructus tribulationis est, qui eluat sordes peccatorum. Unde hoc habemus? Ex divinis litteris. Sic enim legimus ; *Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facis, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.* Et in libro Ecclesiastici ; *Quoniam pius* (inquit Spiritus sanctus) *et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata.* Sed quomodo, inquies? qua via? qua ordine per tribulationes Deus peccata remittit? Dicam, auditores, et dicam plane aperte, ut intelligatur. Tribulatio id habet proprium, ut hominem revocet et reducat ad se, sicut contra prosperitas eum abducit atque avocat procul a se: non secus atque in ipsa carne fieri videmus, qui cum ab abliquo pungitur, contrahitur cum bene habet, extenditur. Audi sanctum David ; *Conversus sum*, inquit. Quando? *In aerumna mea, dum configitur spina.* Audi Dominum, quid de homine illo prodigo dicat, qui cum divitiis abundaret, abierat *in regionem longinquam*, et cum egere coepisset, *in se reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam et ibo ad patrem meum*, et *dicam ei* : *Pater, peccavi in coelum, et coram te.* Veniamus ad praxim. Videas adolescentem nobilem, divitem, sanum, florentem, numquam esse domi: sed hodie ad venerationem, cras ad aucupium, alio die ad convivia, ad potationes, ad officinas gladiatorum, ad magistros chorearum ire : denique sicut corpore, sic etiam animo semper vagari, ad cor numquam redire, de Deo, de morte, de iudicio numquam cogitare. Adveniat tribulatio, incidat in gravem morbum, vel quod facile fieri potest, propter aliquod scelus rapiatur ad carcerem, damnatur ad mortem; statim incipiet mores mutare, ad seipsum reverti, et ubi viderit animam suam totam sordidam, totam foetentem, totam plagis et vulneribus peccatorum confectam, et quod si ita ex hoc mundo exeat, aeternam mortem evadere non poterit : tunc demum totus concussus convertetur ad Deum, et dicet; *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: et exaudivit me. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* Neque eo contentus sacerdotem advocabit, crimen confitebitur, poenitentiam recipiet, et eo modo tandem ad gratiam et misericordiam perveniet. Dic mihi sceleste, quis te modo cogit confiteri, nisi tormentum, nisi tribulatio? eras antea tam superbus, tam arrogans, tam obstinatus, et confiteri nolebas id, quod eras: tum si quis dixisset, non esse te optimum et sapientissimum omnium hominum, eum tu vivum devorare voluisses. Quod igitur Deus fecit? Quaestionibus te admovit, misit tortorem, qui tormentis a te confessionem extorqueret. Et qua de causa extorqueret? ut confitentem ageret in crucem? Minime vero. Non est Deus noster, ut praetores mundi : illi reum si confiteatur, occidunt, si neget, absolvunt. At contra Deus, si confitearis, absolvit; si neges, occidit. O suavissimum et amantissimum nostri generis Deum, qui non alia de causa nos flagellat quam ut a morte peccatorum ad veram vitam redire nos cogat! Itaque ad hunc modum per tribulationem ad veniam peccatorum, et misericordiam pervenitur, quod quidem tantum beneficium est quantum mens humana cogitando assequi non potest. Quis enim unquam sapiet, quam grave malum sit peccatum? Quis tibi unquam explicabit, quid supplicii merearis, cum Deum a domo tua, animo tua, violenter expellis? Si horrendum est facinus a servis proditoribus regem ab ipsa sua regia detrudari: si flagitium atrocissimum, sponsam a sponso propter adulteri amorem eiici de thalamo : si impietas inaudita, patrem et matrem propria domo a filiis excludi ; quo nomine scelus illud appellabimus, quo tu tantulus homuncio, tu unus de terrae vermiculis, Deum, cui plus multo, quam regi, quam sponso, quam patri et matri debes, de domo illa expellis, quam ipse suis manibus fabricavit, suo sanguine instauravit, suo baptismate consecravit? Magnum igitur est praetium, magna utilitas tribulationis, quae a scelere tam immani atque atroci animum purgat.

Quid praeterea tribulatio? minuit cruciatum, quem post hanc vitam in purgatorio luere debemus. Accipe similitudinem. Si duo socii tabernam simul ingrediantur, et uterque usque ad satietatem comedat et bibat, deinde ad vesperam, cum est hora solvendi, alter clam inde se subducens, deserat sodalem suum, num is, qui solus manet, totum solvere non cogetur? Cogetur sane, etiam si pallium in taberna relinquere deberet : Sic etiam,

auditores, animus et corpus socii quidam sunt, simul ingrediunt et bibunt: et quamquam animus superbiendo, corpus luxuriando peccant, simul tamen debitum peccatorum contrahunt: verum mortis vespera adveniente, cum iam est hora solvendi, alter sociorum, corpus videlicet, deserti sodalem suum, atque ab eo fugiens sub terram in sepulchro se abscondit: porro animus solus rapitur continuo ad carcerem, et vingula purgatorii, ibique severissime excipitur et flagellatur, nec ante dimittitur quam et pro se et pro socio usque ad ultimum quadrantem satisfecerit. Ne igitur nobis id contingat, quid facit Deus? Tribulationem aliquam permittit super nos venire quae corpus cogat, etiam si nolit, solvere partem suam, antequam ab animo per mortem separetur. Quod vero Deus ita cogat, magnum beneficium. Nam omnino debita solvenda sunt. Non est quod quisquam se decipiat. Sordes multas contraxisti? Purgari debes. Comedisti et bibisti? Solvere debes. Cum delactione peccasti? Cum dolore puniri debes. Quod si hic, dum vivis, neque tribulationes oblata a Deo libenter admittis, neque per te castigationem ullam, ac praesertim ieiuniorum et eleemosynarum assumis, nihil dubites in purgatorio omnem poenam, quam debes, exactissime te persoluturum. Cur enim putas paulo ante diem ultimi iudicii futuram magnam illam tribulationem, quam Dominus tanto ante praedixit, qualis non fuit ab initio mundi neque postea erit, nisi ut exponit d. Irenaeus, ut omnes electi, qui tunc in vivis erunt, perfecte purgati, statim post iudicium ad coelum evolare possint? Neque enim post eum diem amplius erit, vel tempus vel locus purgatorii. Quare cum evadere non possis, quin solvas alicubi, quanto melius atque utilius tibi est, ut caro partem suam hic solvat, quam ut in purgatorio summa tota exigatur ab anima? Praesertim cum fine ulla comparatione mitius ac remissius cum debitoribus agatur in hoc saeculo, quam in futuro. Sicut enim nostri mercatores multo vilius merces suas vendunt, si prompta et parata pecunia numeretur, quam si in longum tempus solutio differatur: ita quoque et Deus multo clementius agit, si hic, dum vivimus, alacriter patiendo satis facere velis, quam si post obitum in futurum saeculum differas solutionem.

Sed iam tertium modum et postremum videamus, quo tribulatio purgat. Quid igitur est tribulatio? Pharmachum saluberrimum, quod praeservat a malo peccati. Nam qui rebus omnibus abundant, qui semper fruuntur pace, qui nihil molestiarum habent, totos se desidiae atque otio dedunt. *Multam vero malitiam docuit otiositas*, inquit Ecclesiasticus. Et Moyses; *Ingrassatus est dilectus, et recalcitravit; ingrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo.* Et prophela Ezechiel; *Ecce haec fuit iniquitas Sodomae, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum eius.* Hinc in libro Iudicum aperte legis, nunquam voluisse Deum Chananeos omnino deleri, ne si filiis Israel bella etnichorum deessent, otio diffluere atque ad omnia vitia declinare inciperent. Dubitabant olim Romani, num expediret delere Carthaginem? Scipio Nasica, qui unus ex senatu optimus iudicatus erat, contentebat non expedire, ne terrore illius aemulae civitatis sublato, inventus Romana nimis secura atque otiosa fieret: et inde innumera flagitia atque scelera in urbem irruerent, quae plus Romano imperio, quam omnia externa bella nocerent. Nec eum sententia fefellit, reipsa probatum est, quam verum diceret. Nam cum senatus (ut b. Augustinus notat) Catonis potius, qui contrarium suadebat, quam Scipionis sequi voluisset consilium deleta Carhagine, magno terrore urbis Romanae depulso atque extincto, tanta de rebus prosperis orta mala subsecuta sunt, tam atrocia bella intestina, tam suavae cruentaeque seditiones, tantus proscriptionum ac rapinarum furor, ut Romani plura et crudeliora paterentur a civibus quam unquam metuere potuissent ab hostibus. Quid igitur tribulatio facit? Continet homines in officio, excitat homines torpentes, occupat vigilantes excludit otium, luxuriam, desidiam, securitatem.

At quomodo id facit? Nempe cohibendo ac debilitando belluam istam immanem, quam intus habemus, quae dicitur concupiscentia, quae mater est omnium flagitiorum, et quasi hydra quaedam trium capitum vel alter cerberus infernalis. Quae sunt tria illa capita? Apostolus Ioannes in sua epistola nos docebit: *Omne, quod est in mundo*, inquit, *concupiscentia carnis est aut concupiscentia oculorum aut superbia vitae.* Ista tria sunt capita, tres radices, tres fontes viliorum. A concupiscentia carnis oriuntur crapulae, ebrietates, fornicationes, adulteria, et his similia. A concupiscentia oculorum, quae alio nomine dicuntur avaritia, nascuntur furta, rapinae, usurae, lites, contentiones, et ille amor immoderatus semper coniungendi domos ad domos, agros ad agros, beneficia ad beneficia, pecunias ad pecunias. A superbia vitae existit ambitio, simonia, convitia, contumelia, homicidia, certamina singularia, multitudo equorum et servorum, denique pompae et vanitates innumerae, adversus hanc Hydram et cerberum istum mittit Deus tribulationes: contra carnis concupiscentiam, aegritudines: contra concupiscentiam oculorum, paupertatem: contra superbiam vitae, notas ignominiae sempiternas. Ita sapientissimus et nostri amantissimus Deus pugnat pro nobis contra inimicum nostrum, quem nos domare et coercere numquam possemus. Disce igitur, o homo, disce aliquando bonitatem et Dei sapientiam. Tu dicis, Ego nemini sum molestus, studeo rebus meis, adiuvo caeteros quantum possum, nihil ago mali: cur ergo tribulationibus flagellor? cur mihi invertitur domus? diripiuntur fortunae? dissipantur liberi? Cur ego modo capitis, modo stomachi, modo dentium dolorem patior? Nimirum, quia praeservari debes a morbo peccati. Diligit te Dominus Deus tuus, et quia videt in te, licet bonae sis voluntatis, adhuc tamen hydram concupiscentiae vivere, eam tribulationibus domare ac debilitare cupit. Numquid tu melior apostolo Paulo? At ille vir tantus, tam intimus amicus Dei, nonne alicubi ait; *Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum?* Agnoscebat videlicet hydram, agnoscebat cerberum tricipitem intus in pe-

ctore semper mordentem et latrantem, et idcirco non contentus tribulationibus, quas patiebatur ab aliis, ipse etiam carnem suam affligebat: *Ego*, inquit, *castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Cum igitur omnes post Adae peccatum aegroti simus, morbo isto concupiscentiae omnes laboremus, cur molestum nobis esse debet, si medicus noster Deus, tamquam aegros, non tamquam sanos in hoc mundo nos gubernat, et pro morbi varietate varia pharmacha tribulationum sumere nos iubet? Certe ut magnus Basilius ait; *Nemo medicum corporis sui unquam reprehendit, quod venam secuerit vel carnem adusserit, vel inediam instituerit vel amaram potionem sumere praeceperit; sed laudavit potius tamquam doctum et sapientem, et gratias egit ac pecunias obtulit: quia satis intelligunt omnes, medicum non cum aegroto sed cum morbo pro aegroto bellum gerere.* Ad eumdem igitur modum, auditores, et nos, si sapimus, agemus cum Domino Deo nostro, qui est medicus animorum longe optimus et doctissimus, et non cum homine, sed cum peccato suis tribulationibus pugnat: non solum eius providentiam non arguemus, sed etiam ei gratias debitas agemus. Nec tantum de ipso medico non conqueremur, sed neque de instrumentis, quibus ad salutem nostram uti voluit. Numquam prudentes aegros dicere audimus, medicus placet, sed ferrum, quo utitur, non placet. Quis enim melius novit, quo instrumento sit utendum, quam ipse medicus, qui ullo uti debet? Quare nos quoque, si Deus nobis medicus placet, ut placere debet, si medendi artem, qua utitur, non possumus non probare, etiam de instrumentis, de hominibus, quibus nos tribulat, conqueri non debemus, ne Deum docere atque instruere, quae summa est insania, velle videamur.

SECUNDA PARS

Quaemadmodum tribulatio hominem purget, qui erat primus eius fructus, cum forte in bonam terram cadit, hactenus exposuimus: sequitur, ut alios duos fructus persequar, qui ad illustrationem et perfectionem pertinent.

Ac primum quidem, ut ab illustratione incipiamus, tribulatio mihi persimilis esse videtur felli, quo Tobiae oculos ab angelo Raphaele curatos esse novimus. Poterat enim Angelus sanctus multis aliis rebus, vel etiam sine ullis rebus, tamquam minister Omnipotentis Dei, Tobiae oculos restituere, sed voluit felle, quod est amarissimum, et felle piscis, qui salsum elementum incolit, id facere, ut nobis fructum atque utilitatem tribulationis ostenderet, quae quamvis salsa, quamvis amara, quamvis in mari turbulento huius saeculi oriatur, tamen si recte utamur, non parum luminis internis oculis adferre potest. Aptissime quoque in Apocalypsi eadem tribulatio collyrio comparari mihi videtur. *Collyrio*, inquit Dominus, *inunge oculos tuos, ut videas: Ego quos amo, arguo et castigo.* Collyrium enim ex pulveribus quibusdam efficitur, qui rodunt et consumunt pravos humores qui in oculis interdum existere solent. Tribulatio autem similiter quodam modo inanes non humores, sed amores atque affectus rodit, qui mirum in modum oculos mentis impediunt, ne rectum et bonum videre ac iudicare possint. Homines enim, quod etiam philosophus vidit et docuit, ut affecti sunt ipsi, ita plerumque de rebus iudicat. Quid ergo Dominus ait? Tu, inquit, non bene vides, pravos humores debes in oculis, sine adhiberi tibi collyrium tribulationis, ut videas. Ac ne forte dubitares, eum de tribulationis medicamento loqui, statim subiungit: *Ego enim, quos amo, arguo et castigo.* Postremo tribulatio terra illa deserta et solitudo est, de qua loquitur Dominus per Osee; *Ecce ego ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius.* Quae est haec solitudo, nisi tribulatio? Siquidem

Tempore felici multi numerantur amici:

si divitiis et honoribus affluas, turba sodaliurn et adulatorum, tamquam te relinquit: et Deus quidam vellet tibi de negotio salutis tuae aliquid loqui, sed audientiam obtinere non potest. Quid igitur agit? Deponit potentes de sede, de divite pauperem, de claro obscurum facit: ita recedentibus falsis amicis, derelinqueris solus, ita cultor atque habitator efficeris solitudinis, et tum venit Deus et loquitur ad cor tuum, et luce sapientiae suae interiores oculos tuos totos illustrat.

Sed quid illud est, quod tribulatio videre facit? Non est unum aliquid, sed multa et varia: nimirum ea, quae sunt infra te, quae supra te, quae circa te, atque ad ultimum etiam teipsum. Magna sane lux, magna eruditio quam domina magistra nostra tribulatio adfert.

Quae sunt ea, quae iacent infra nos? Primum inferi, deinde res omnes corporales. Nos enim qui animo et corpore praediti sumus quasi medium locum incolimus, inter corporum et spirituum regiones, et omnia corpora cernimus infra nos, omnes spiritus supra nos. Atque inferos quidem e tribulatione facile cognoscimus: nam cum aliquis dentium vel capitis vel stomachi dolore laboramus, tunc dicimus, si tantulus dolor ita cruciat, quid faciet ignis gehennae? si modo una tuum partem corporis dolemus, et brevi sanitatem speramus et tot remedia, tot solatia, tot consolatores habemus; et tamen vix dolorem toleramus, quid erit apud inferos toto corpore, et animo torqueri, et finem nullum remedium, nullum solatium, nullum consolatorem habere? Vere igitur clamat Isaias: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

Verum non inferos solum, sed etiam res corporeas tribulatio cognoscere facit. Siquidem in cognitione et aestimatione corporalium rerum duobus contrariis modis decipimur. Quidam res istas corporeas, ut opes, ut sanitatem, cum habent, non plane cognoscunt, neque tanti faciunt, quanti deberent, nec unquam cogitant unde eae ad nos veniant, quis eas conservare et augere, imminuere etiam et auferre possit: atque idcirco neque Deo gratias agunt, et facile pecunias suas profundunt

facilius etiam nimis comedendo, nimis bibendo, nimis ludendo variorum morborum, periculo se exponunt: at cum tribulatio adest, cum inopia premi incipiunt, tunc discunt, quam pulchra virtus sit parsimonia: et cum aliquo morbo laborant, tunc dicunt, O quam suave et dulce est bene valere? O quam praeclarum Dei donum est sanitas! O qui fruuntur tam excellenti bono, quanto iure agere gratias Deo auctori deberent? Atque idem de pace, de fortunis, de aliis rebus generis eiusdem dictum esse, intelligatur. Omnia enim melius absentia, quam praesentia cognoscuntur atque aestimantur. Quidam alii sunt, qui ad alterum extremum declinantes, multo pluris ista faciunt, quam revera facienda sint. Nam cum sint fragilia et caduca, et sine ullo dubio casura et peritura, tamen non minus eius adhaerent, quam si forent sempiterna: non minus eis serviunt, quam si Dii quidam vel idola essent. Quocirca non immerito apostolus avaritiam idolorum servitutem nominavit: et de quibusdam ait: *Quorum Deus venter est, quorum finis interitus, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* At cum adest magistra tribulatio, et illi omnia, quae magno labore et sudore multis annis sibi comparaverant aliquando in puncto temporis amittunt, tum dicunt: O quam eramus nos insipientes, qui vanitatem non credebamus esse vanitatem, et res caducas numquam casuras, res fragiles numquam frangendas: nunc intelligimus, non aurum esse omne quod lucet, neque tanti ista temporalia aestimanda, quanti venduntur atque emuntur in nundinis stultorum. Praeclare sane, auditores, Gregorius Theologus; *Nihil*, inquit, *in rebus humanis stabile est, nihil quod in eodem statu semper maneat: sed circulis quidam res nostras circumrotat, et varias saepe fert mutationes, nonnunquam in die uno, frequenter in hora: ac ventis potius credendum est instabilibus nec non vestigiis navis per mare currentis, noctiumque somnis fallacibus, et iis quoque, quae pueri ludentes in arena fingunt, quam prosperitati humanae.* Haec ille. At quotus quisque est, qui ista in prosperitate noverit, et e contra quotus quisque est, qui ista in tribulatione non noverit? Novi ego viros clarissimos, opulentissimos, florentissimosque intra paucos menses exutos honoribus spoliatos facultatibus, in vincula coniectos, et tandem cum ignominia ultimo supplicio affectos, qui tamen adeo multum ex tribulatione profecerunt, ita mundum et eius inanissimas et mendacissimas voluptates contemnere didicerunt, ita sancte, ita pie ita religiose diem extremum clauserunt, ut admirabile esset. Tanta igitur, auditores, est utilitas tribulationis.

Sed quid praeterea tribulatio videre facit? Id quod est supra nos, nempe Deum, angelos sanctos, qui simul vivunt cum Deo et regnant. Nam tempore prosperitatis facile Deum et sanctos obliviscimur: at cum tribulatio aliqua forte ingruerit, si in mari vento saeviente iactamur, vel hostes a tergo insequentes videamus, si fulmina cadere de coelo, si terram sub pedibus concuti, si ardere, si ruere domum, tunc invocatur Deus, tunc sanctorum agnoscitur patrocinium, tunc breves sunt litaniae, nullus sanctorum negligitur, evolvitur calendarium totum. De populo Hebraeorum legimus in Exodo, nec non in libris Iudicum et Regum tempore pacis et prosperitatis saepe vel aureos vitulos vel Baalim et Astaroth, vel alia Gentium idola pro Deo adorasse: tempore vero tribulationis semper idolis contemptis ad unius veri Dei numen confugisse. Hunc enim sunt illae voces sancti David: *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine.* Et rursum: *Cum occideret eos, quaerebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.* Scribit quoque Lactantius, ipsos idololatras qui tempore prosperitatis alacres currunt ad simulachra, iis libant, iis sacrificant, ea coronant, tempore tribulationis non Iovem aut Martem, non idola ulla invocare, sed oculos ac manus ad coelum tollere, unum Deum obtestari, atque ab eius divino atque unico munere misericordiam et veniam implorare. At ubi relinquimus impium illum apostatam, Christique hostem atrocissimum Iulianum? Is enim, Gregorius Theologus scribit, cum aliquando in adytum multis inaccessum et horrendum cum suis necromanticis daemones consulturus descendisset, et iam sonitus quosdam insuetos audiret, nec non teterrimos odores sentiret, ac ignea quaedam spectra et phantasmata videret, re inexpectata vehementer perculsus, subito ad signum crucis, Christianorum clypeum, confugit, et eum sibi adiutorem fecit, quem persequebatur. Praevaluit signum crucis, evanescunt spectra, daemones superantur, solvuntur timores. Quid inde? Ut se Iulianus collegit, rursum animatur, rursum daemones advocantur: sed iterum etiam redeunt spectra, iterum timores, denuoque signum reperitur, denuo daemones compescuntur. Ita igitur, auditores, illustrat tribulatio, ut etiam caecos, etiam etnicos, etiam idololatras, etiam Dei iuratos hostes etiam homines profligantissimos sursum aspicere, et verum ac solum Dei nostri numen agnoscere faciat.

Veniamus ad ea, quae circa nos sunt, ad homines videlicet caeteros, ad fratres, ad proximos nostros; num tribulatio docet animos veros a falsis, homines probos ab improbis separare? Et quidem optime et facillime. Pulchre enim Tertullianus tribulationem comparat paleae, quae in area purgat frumenta. Quando prosperitate frueris, et tamquam in area quietus iaces, mutate paleae amicorum tibi adhaerent multi gnatones se tibi adiungunt. At si palea tribulationis te agitare, et sursum proiicere ac iactare incipiat, statim paleae recedunt, et tu solus in aream redis. Neque solum tribulatione docente amicos tuos falsos a veris cognoscis, sed etiam amicos Dei falsos a veris discernis. Nam ut idem eodem loco docet Tertullianus, persimilis est tribulatio scalae, quam vidit patriarcha Iacob, per quam angeli quidam ascendebant, quidam descendebant. Sic enim in tribulatione veri Dei servi semper magis ac magis per patientiam ad Deum ascendunt: amici vero mundi, qui pati non didicerunt, semper magis ac magis ad inferos per impatientiam suam descendunt. Nec dissimilis est tribulatio torculari, in quo oleum secernitur ab amurca, et fornaci, in qua aurum et plumbum et caetera me-

talia, qualia sunt, apparent, ut b. Augustinus eleganter docet.

Sed quid postremo tribulatio videre facit? Teipsum; quid sis, quid valeas, quid possis per te, quid possis cum Deo. Quid homo per seipsum potest? Nihil. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis*, inquit apostolus. Quid potest cum Deo? Omnia. *Omnia possum*, inquit idem doctor, *in eo, qui me confortat.* At hoc totum numquam melius, quam in tribulatione cognoscimus. Nam saepe multa putamus nos posse: proponimus, promittimus, vovemus ieiunia, peregrinationes, opera caetera: verum ad primam tentationem prosternimur, et veniente iubilaeo oportet statim vota commutari. Recte igitur s. Ieremias; *Ego*, inquit, *vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* Tempore tribulationis inopiam nostram, pulverem nostrum, nihilum nostrum agnoscimus: e contra quoque antequam tribulatio adsit, aliquando trepidamus, animum despondemus, nihil ferre nos posse, putamus, et tamen in ipsa tribulatione, Domino adiuvante, ita nos gerimus, ut nosipsi miremur, tam facile nos ferre ea, quae ante gravissima atque intolerabilia videbantur. Itaque et nihil per nos possumus, et omnia possumus cum Deo, et hoc nihil melius quam tribulatio docet. Atque haec quidem de secundo fructu.

De tertio et postremo quamquam multa dicenda fuissent, quia temporis angustiis premor, dicam solum tria verba, et finem faciam. Tertius igitur fructus tribulationis est perficere. Quid est, in quo potissimum perfectio humana consistit? Charitas. Interrogate, si placet apostolum Paulum. Quae est *legis plenitudo*? Charitas. Quis *finis praecepti*? Charitas. Quod est *vinculum perfectionis*? Eadem charitas. Quid iam tribulatio facit? Provocat hominem atque impellit, vel si vultis, etiam compellit et cogit ad amorem Dei: felix necessitas, quae ad meliora compellit. Vidistis aliquando fabros, qui ut ferrum celerius calefaciant, modicum aquae aspergunt super ignem: non enim aqua illa ignem extinguit sed per antiperistasim, ut philosophi loquuntur, magis accendit. Ita quoque in te ignis charitatis, quo diligis Deum, quoniam enim ille ignis ad multa alia se extendit, ad uxorem, ad libe-ros, ad opes, ad honores, propterea exiguus ac de-bilis est, nec multum servet circa Deum: quid ig-tur faber noster ille sapientissimus, qui coelum e terram fabricavit, quid ille facit? Spargit aquam tribulationis, aufert uxorem, tollit e medio liberos, spoliat opibus, exuit honoribus. Quamobrem? Ut ignis charitatis contrahat vires suas, colligat se to-tum circa centrum, ubi est Deus, ubique vehemen-ter ardeat atque ferveat. Vidistis etiam aliquando prudentes nutrices, quae ut infantes a lacte avocare atque ad solidos cibos provocare possint, aliqui absynthii ponunt super capita mamillarum: sic e iam Deus spargit amaritudines varias, super ma-millas carnalium voluptatum, ut aliquando tande ablactemur, et solidum iustitiae cibum, cibum sa-pientiae, cibum charitatis, cibum omnis virtutis e perfectionis quaeramus. Vidistis postremo sapien-tes venatores atque aucupes, qui saepe canes e accipitres suos ieiunare cogunt, ut libentius poste ad praedam capiendam accurant. Vidistis equite et aurigas, qui equos suos modo calcaribus feriun modo fustibus tundunt, modo clamoribus terren-num ut occidant. Nequaquam, sed ut magis exci-tent ad ambulandum: ita Deus, auditores, mod cogit nos ieiunare, modo pungit, modo flagellat ut non haereamus in via, et via longa et periculosa via plena insidiarum et laqueorum, sed curramus transeamus celeriter, apprehendamus vitam aeter-nam. Ibi tempus et locus erit quiescendi, quand ad nos *malum non accedet et flagellum non ap-propinquabit tabernaculo* nostro. Interim vae il-lis, qui obliviscuntur esse se filios Adae. Vae illis qui sibi paradysum faciunt in hoc mundo. Vae il-lis, qui otiari volunt et quiescere, dum tempus es currendi et laborandi. Tunc demum se decepto invenient, cum errorem suum emendare non po terunt. Quare, auditores, si sapientius agere, e nobis utilius consulere volumus, intelligamus fru ctum tribulationum, conveniamus cum Domin Deo nostro, si pungit, curramus; si flagellat inci temur. Ita facile et celeriter ad vitam perveniemu aeternam, ipso adiuvante, qui est benedictus i saecula, Amen.

CONCIO V.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

Enumeratis quibusdam viris sanctis tum veteris Testamenti, tum Christianorum Ecclesiae, qui etiam in hac vita prospere vixerunt, cur Deus aliquando bonos florere prosperitatibus velit, quinque assignantur causae. Prima, ut se summum omnium rectorem ostenderet. Secunda, ut refelleretur error Manichaei, docentis, omnia corpora esse mala et non a Deo. Tertia, ut ostenderet non esse in se malum possidere divitias, quod falso affirmabant Apostolici. Quarta, ut manifestaret quanta benevolentia suos prosequeretur, quod et a simili medici diversis aegrotis diversa remedia praescribentis declaratur; ubi etiam apparet, ex bonis hujus mundi futurorum bonorum posse colligi excellentiam. Quinta, ut sic pauperibus et afflictis provideret, atque inde cognoscerent divites se non sibi esse divites. Exinde quoque colligitur divina potentia, quod aliquibus similibus docetur. Quomodo demum divitiis uti oporteat, pulchra praescribitur doctrina.

Explicatis in concionibus superioribus natura varietate, causis et effectibus tribulationis, jam in hac secunda parte de armis et remediis contra eamdem, agere incipitur, et verba s. Pauli militem Christianum instruentis, explicanda suscipiuntur. In praesentiarum vero agitur de cingulo, quod proprium militis symbolum, per quod castitatem designari ostenditur, idque quatuor de causis. Primo quia ut cingulum lumbos constringit, ita castitas libidinem coercet, ubi de duplici tractatur castitate, matrimonii scilicet et coelibatus. Secundo, quia ut cingulum sustinet gladium, ita castitas ad Verbum Dei (qui gladius spiritualis) conducit. Tertio, quia uti cingulum partem superiorem ab inferiore separat sic castitas partem hominis brutalem, a parte ratione praedita, quod convenienti lampadis similitudine illustratur. Quarto, quia facit expeditos ad iter, et coniugatos quidem liberat a zelotypia et amore externo, coelibes vero a gubernatione uxoris, solicitudine liberorum et lucrandi cupiditate. Explicatur deinde cingulum verum, nimirum castitatem non fictam, sed solum propter Deum esse debere. Docetur praeterea castitatis cingulum a solo Deo comparari, idque mortificationis pretio, custodiendo sensus, vitando prava consortia, frequenti confessioni et sacra lectioni vacando, insuper oratione et jejunio, exemplo multorum sanctorum libidinis insultus retundendo.

Etsi plerique sanctorum auditores optimi, non sine multis variisque tribulationibus vitam in hoc mundo duxerint, tamen non defuerunt etiam, qui vel magnis opibus abundarent vel summis honoribus clarerent, vel bella feliciter gererent, et multis magnisque victoriis Dei beneficio potirentur. Etenim si volueritis ad sacras divinasque historias cogitationem paulisper convertere et ad memoriam revocare, invenietis primo magnum illum Abrahamum, non tam patriarcham et prophetam, quam patriarcharum et prophetarum omnium patrem, virum integerrimum et sanctissimum, adeoque eximium Dei cultorem atque amicum, ut Dominus coeli et terrae singulari quadam ratione Deus Abraham nominari voluerit, qui nihilominus usque adeo dives auri atque argenti, armentorum et gregum, servorum et ancillarum fuit, ut Scriptura divina teste, vix eum terra capere posset: aliquando etiam cum servis et pastoribus suis, quatuor potentissimos reges qui simul copias suas conjunxerant, uno praelio superaret. Invenietis deinde patriarcham Iacob, qui cum solus ad Laban affinem suum profectus esset, post paucos annos ditissimus rediit, nec unquam ei technae et fraudes Laban, Domino ipsum gubernante et protegente, nocere potuerunt. Quid de Ioseph viro castissimo atque optimo dicemus? Scriptura divina ait: *Erat vir in cunctis prospere agens*: et a rege Pharaone toti Aegypto praepositus, non tam oeconomus aut prorex, quam alter Pharao videbatur. Omitto de David, de Salomone, de Iosia, de Ezechia, de Machabaeis, de aliis multis dicere, qui et viri sancti Deique amici et simul reges et principes ditissimi potentissimique fuerunt.

Veniamus ad Ecclesiam Christianorum. An est quisquam, qui de gloria et prosperitate Magni Constantini numquam audierit? *Quem*, ut b. Augustini verbis utar, *tantis terrenis implevit muneribus Deus, quanta optare nullus auderet.* Quis ignorat vel in Eusebio Caesariensi aliquando non legit, quanto miraculo is Maxentium tyrannum sine ulla suorum strage superaverit? Iam vero Theodosius senior optimus et sanctissimus imperator, ut Theodoretus scribit, primum Gothos in Thracia, deinde Maximum et Eugenium tyrannos in Gallis cum parvo exercitu tribus praeliis, orando potius, quam pugnando debellavit. Theodosius junior, ut Socra-

tes auctor est, Persas et Sarracenos, nec non tyrannorum quemdam nomine Ioannem, non tam hominibus, quam angelis pugnantibus vicit. Honorius Theodosii senioris filius, ut beatus Augustinus refert, copias innumerabiles Gothorum in media Italia tanta felicitate ac celeritate delevit, ut ne uno quidem militum Romanorum, non dicam extincto, sed nec vulnerato, supra centum millia Gothorum una die ceciderint, et simul rex ipse Gothus et liberi capti, necatique fuerint. Porro Caroli Magni pietas et religio, et simul potentia gloria et opes ac victoria notiora sunt omnibus, quam ut a me necesse sit narrari. Ejusmodi vero praeclaras divinasque victorias, tam veteres, quam recentes prope innumeras proferre facillimum mihi esset, si locus et tempus postularent. Sed pauca ista, quae diximus, satis ostendunt id, quod nobis propositum erat, non solum res adversas, sed etiam prosperas bonis et malis in hoc mundo esse communes, praesertim cum non ignoremus non qualescumque Christianos, sed excellentissimos atque in divorum numerum relatos; aliquando maximorum regnorum gubernacula tenuisse, qualis in Gallia Ludovicus, in Anglia Eduardus, in Germania Henricus, in Bohemia Wenceslaus, in Hungaria Stephanus fuit.

Quare cum oratione superiore exposuerimus, quo fructu providentia Dei probos ac pios homines vexari saepenumero patiatur, nunc illud explicandum superest, ad quem finem eadem providentia Dei, temporali prosperitate servos atque amicos suos aliquando florere velit. Ac mihi quidem praecipue hujus rei causae quinque esse videntur.

Primum enim se rerum omnium summum rectorem ac moderatorem esse Deus ostendere, et simul Manichaeorum et Apostolicorum errores refellere voluisse videtur. Quid Manichaei docebant? Omnia corpora esse mala, et non a Deo, sed a diabolo, qui princeps tenebrarum et Deus hujus saeculi in Scripturis dicitur, dispensari. Gravis et perniciosus error, sed qui nullo negotio de Scripturis sanctis confutatur. Ac ut caetera praetermittam, audi, quid sanctus Daniel dicat: *Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum tuum transibit a te, et ab hominibus eicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua: foenum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, det illud.* Verum non alia ratione Deus melius et facilius errorem istum evertit quam cum regna et opes terrenas servis atque amicis suis largitur. Nam si princeps tenebrarum mundum hunc inferiorem gubernaret, unde servis Dei regna et imperia? Num draco ille teterrimus hostes suos provinciis suis praeficeret? Et si opes terrenae per se malae et perniciosae essent, num eas Deus amicis suis, quos tam vehementer diligit, largiretur? Secundus error veterum quorumdam haereticorum fuit, qui ut d. Augustinus refert, affirmabant, non licere Christianis proprias opes et facultates possidere, neque posse eos salvos fieri, qui more apostolorum et religiosorum pauperes non essent. Itaque ea quae Christi Ecclesia semper intellexit esse consilia, ipsi praecepta esse voluerunt, atque idcirco sectatores suos speci[ali] nomine apostolicos nominaverunt. Tale aliquid [fuit] postata quoque Iulianus, vel sentiebat, vel [se] ut erat versutus et callidus, sentire se simulat[bat]. Scribit enim Gregorius Nazianzenus, tulisse [eum] leges, ne liceret Christianis gerere magistratu[s], neque ulla ratione se defendere, etiamsi spoliar[en]tur, caederentur, si de urbibus eiicerentur, si [non] quam tyrannice opprimerentur. Causam vero hu[ius] legis reddidisse, ut Christianos cogeret, vel invi[tos] evangelium observare, ubi scriptum esse dicer[et], ne judicaremus, ne gladium portaremus, ne p[os]prium aliquid possideremus, ut pallium aufere[ret], etiam tunicam daremus, ut unam maxillam feri[ret], alteram continuo praeberemus: denique ut omn[ia] praesentia tamquam si non essent, pro nihilo [ha]ceremus. Quid igitur Deus facit? Evehit aliquan[do] veros et fideles amicos suos ad magistratus, [ad] regna, ad imperia, vult eos magnos opes possid[ere] atque administrare, ut omnes intelligant, non e[sse] ista prohibita atque interdicta Christianis, et q[uo]si quidam vel etiam multi divites ad inferos d[a]nantur, id non eo fieri, quod malum sit possid[ere] divitias, sed quod ipsi nesciant uti divitiis, nec t[am] ipsi opes possideant, quam ab opibus tamqu[am] mancipia vilissima possideantur. Alioqui enim c[um] pacto Abraham et David et Tobias et b. Gregor[ius] b. Ludovicus, b. Eduardus aliique tam multi s[an]ctissimi viri, qui divites fuerunt, in coelum asc[en]dissent, si nullis divitibus coelum paterent? Qu[em]sicut in coetu symphoniacorum ille commendat[ur] qui bene canit, sive acuta voce sive gravi uti [de]beat, id enim parum refert: ille autem vitupe[ra]tur, qui male canit, quacumque tandem voce [ut] necesse sit: ad eumdem modum illos Deus pro[bat] et laudat, et sempiternis praemiis honorat, qui [in] suo statu, quicumque ille sit, sive altus, sive h[u]milis, sive clarus, sive obscurus, bene se geru[nt]; illos arguit et vituperat, et perpetuis afficit s[up]pliciis, qui in suo statu, quicumque ille sit, m[al]se gerunt. Itaque non divitiae, sed usus malus [di]vitiarum Christianis hominibus prohibitus est.

Iam quarta ratio est, ut etiam Deus in hoc mu[n]do ostendat, quanta benevolentia servos et fil[ios] suos prosequatur, et quantam prosperitatem om[ni]bus largiretur, si ita expediret, et quanta sit i[lla] gloria atque felicitas, qua tempore suo omnes [do]nabit. Hic igitur est fructus prosperitatis sanc[to]rum, ut intelligant homines Deum usque adeo [a]micos suos diligere, ut etiam res minimae ac [vi]lissimae ipsorum ei curae sint. *Nolite tange[re] Christos meos*, ait per os David, et per Zacharia[m] *Qui retigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Qu[od] si non semper servos suos liberat a tribulationib[us] id facit, quia novit eorum saluti non expedire, [et] quod pulcherrima elegantissimaque similitud[ine] Boëtius illustrat. Si medicus, inquit, aegrotos d[u]o simul invisat, et uni amarissimam potionem d[a]re jubeat, alterum quem forte longa aegritudine f[ra]ctum ac debilitatum videt, optimis carnibus, et vi[no] refici praecipiat, quis eum reprehendere audeb[at]? Et si prior ille aeger diceret, cur ita mecum in[iu]ste agis, o medice? Quid ego tibi nocui, ut m[ih]i vinum et carnem dari prohibeas, et praetereа

marissimo isto pharmaco me vexes, cum tamen socium meum in delitiis esse velis? Nonne optimo jure medicus responderet? Quid mea interest, quid tu sumas? Ego tam libenter optima et dulcissima quaeque te sumere permitterem, quam illum, sed aliud morbus tuus, aliud illius requirit: et si te carnibus et vino alerem, sicut illum, te non curarem, sed occiderem. Itaque non minori benevolentia tibi amarum pharmacum, quam illi suavissimum vinum dari jubeo. Pari ratione Deus, qui languores nostros et morborum varietatem optime cognoscit, non ex odio aut invidentia, sed ex arte, ex providentia, ex vera et perfecta charitate alios servorum suorum temporali prosperitate tamquam vino et carnibus recreat, alios, quorum contrariam aegritudinem esse cernit, pharmaco paupertatis et tribulationis purgat: sed tamen tempore suo cum ad patriam nostram coelestem pervenerimus, tunc omnes simul amicos et filios suos aeterna prosperitate consolabitur. Ea vero quanta futura sit, ex iis bonis, quae hic in terris sanctis hominibus quandoque donat, facile si non intelligere, saltem conjectare et suspicari possumus. Si enim in hoc stabulo, ubi cum belluis habitamus, et quo non ut delitiis fruamur, venimus, sed ut poenitentiam delictorum agamus, et tamquam rei laesae Majestatis ad metalla damnati sumus, homo enim ad laborem nascitur, sicut avis ad volandum, tamen Deus tot commodis servos suos abundare voluit: quid, quaeso, sperandum est, nobis in coelo, in patria, in regno, in ipsa domo patris nostri esse paratum? Magnus igitur fructus est prosperitatis sanctorum, quae ut divinum in nos amorem tam luculenter ostendit, et animos nostros erigit ad bona maxima et sempiterna firma fide et spe desideranda.

Veniamus ad quintam et postremam rationem, quare Deus aliquos servos suos vel multis opibus affluere vel in summis honoribus constitui voluit? Quare, putatis, nisi ut eo modo pauperum inopiae et difficultatibus provideret? Voluit quidem Deus multos esse in mundo pauperes et viros sanctos atque in libro vitae scriptos majori ea parte non abundare divitiis, propterea quod vento tribulationis flante multo tutius et facilius versus portum salutis navigatur, quam flante vento prosperitatis, ut ante dicebamus: sed quamquam res ita se habeat, tamen non vult Deus pauperes a divitibus destitui, sed juvari ac foveri. Impia et diabolica est illa vox eorum, qui dicunt, si vellet Deus, posset statim omnes pauperes divites facere; sed non vult, placet ei ut sint pauperes, ut patiantur, ut laborent, ut fame et frigore enecentur. Ergo ne Deo contrarii esse videamur, vociferentur, et clament, quantum velint, nihil eis dabimus. Impia et diabolica vox, et quam Gregorius Nazianzenus in illa sua pulcherrima oratione de cura pauperum habenda, summa eloquentia redarguit. Deus enim ideo multos pauperes esse voluit ut tu, qui dives es, occasionem habeas misericordiae et liberalitatis exercendae. Atque idcirco nihil frequentius in Scripturis sanctis, quam pauperum curam commendat. Verum quoniam non ignorabat, impios homines nihil nisi seipsos quaerere, seipsos amare, omnia ad seipsos per fas et nefas rapere, propterea etiam aliquos de suis servis divites et potentes esse voluit, qui quasi parentes vel occonomi pauperum essent. Nam si nunc cum aliqui sint divites et nobiles, et potentes boni, tamen adhuc miserrime pauperes tractantur, quid quaeso fieret, si omnes divites, omnes nobiles, omnes principes essent mali? Quo pacto mundus non continuo interiret? Itaque quotquot divites estis, intelligite, datis esse vobis divitias ea conditione, ut eas cum pauperibus communicetis. Estis enim in corpore ecclesiae, sicut venae majores in corpore animalis, quae ideo sanguine abundant, ut omnes venas minores repleant, et sicut sol, qui non sibi soli, sed toti mundo, lumen et calorem accepit: et tamquam fontes quidam, qui aquam non sibi retinere, sed effundere liberaliter, et totam terram irrigare debent. Ita magnus papa Gregorius faciebat, qui praeter tria millia sanctimonialium virginum, et innumeros pauperes, quos Romae perpetuo alebat, totius pene orbis pauperes diligentissime variis modis investigabat. Ita Dominus discipulos suos facere docuit: cum panes quinque dumtaxat secum haberent, tamen eos benigne ac liberaliter turbis pauperum distribui fecit: ac ut fructum eleemosynarum intelligeremus, idem Dominus potentia sua effecit, ut non solum quinque illi panes quinque millibus hominum abunde sufficerent, sed etiam ut apostoli pro quinque, quos dederunt, panibus, duodecim cophinos plenos reciperent. Quod vero de divitiis dictum est, idem de honoribus et potentia dictum esse intelligatur. Quia enim improbi homines et seipsos amantes, si pro se apud principem vel magistratum agere volunt, diligentissime et prudentissime id faciunt, nec aliquid praetermittunt, quod ad causam suam promovendam valeat: at si pro aliquo paupere loqui debeant vel nihil agunt omnino, vel tardissime ac frigidissime agunt: propterea Deus aliquos servos suos magnos et potentes esse voluit, ut ad eos tamquam ad communes quosdam parentes, viduae, orphani, pauperes, miseri, denique et calamitosi omnes libere confugerent. Quod utinam homines hujus saeculi intelligerent. Utinam, qui divites et potentes sunt, aliquando cogitarent, ea conditione sibi opes et honores accepisse, ut proximos suos magis juvarent nec unquam obliviscerentur sibi, cum de hac vita migrabunt, dicendum a Domino: *Redde rationem villicationis tuae*, majorem certe videremus pauperum curam, pauciores audiremus querelas, saepius et manifestius Dei beneficentiam et liberalitatem in nos experiremur. Ea siquidem est natura Dei, ut numquam vincatur liberalitate et ingratos nihilominus severissime puniat.

Altera ratio est, ut Deus potentiam suam ostendat. Quamquam enim, ut diximus, licet hominibus Christianis divitias possidere, tamen res maxima et difficillima est hominem divitem et in maximis honoribus constitutum ad aeternam salutem pervenire. Nonne esset magna ars, efficere, ut camelus per foramen acus transiret? At veritas ipsa docet, *facilius* esse, *camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum coelorum*. Nonne etiam magna ars esset semper adverso vento navigare, et tamdem feliciter ad portum appel-

lere? At omnes divites adverso et prorsus contrario vento navigant. Quamquam enim vulgus divitias prosperitatem, et tribulationem adversitatem vocant, tamen revera tribulatio, quae a mari huius saeculi recedere, atque ad Deum verum salutis portum accedere facit, ventus prosper dici debet. Divitiae vero atque honores, quae ad medium maris compellunt, venti contrarii optimo jure nominari possunt. Cum igitur omnes divites contrario vento navigent, nonne magna industria uti debent, si ad portum salutis pertingere volunt? Hinc nimirum est illa vox Domini Servatoris: *Quam difficile qui divitias habent, in regnum coelorum intrabunt.* Et illa apostoli Pauli, *Scio abundare, scio et penuriam pati.* Quem locum diligenter considerat b. Augustinus. Nam sicut penuriam pati quorumcumque est, at scire penuriam pati paucorum? ita abundare quilibet potest, sed scire abundare, non nisi perfectorum et magnorum est. Hinc et alio loco Scriptura tam vehementer laudat eum, qui potuit transgredi et non est transgressus: non enim magnum est, si pauperes sobrii sint, qui unde crapulam exerceant, non habent: neque si multos famulos non requirant, qui vix seipsos sustentare possunt: at quod homo potens, dives, magnus, qui et facile et impune multa scelera patrare potest, tamen modestiam, humilitatem, castitatem conservet, vere magnum et admirabile est: *Quis est hic et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Ista igitur miracula Deus ostendit, cum servis suis maximas opes et summos honores tribuit: quod enim *impossibile est apud homines*, ut Dominus, ait, *apud Deum possibile est.* Quod majus miraculum fieri potest, quam quod de sancto Eduardo rege Angliae legimus? Is cum omnibus bonis externis et corporis floreret, non solum in tanta potestate modum, in tanto fastigio humilitatem, in tanta copia atque affluentia rerum omnium sobrietatem semper retinuit: et non solum ab adulteriis et fornicatione alienus vixit, sed et cum ipsa sua uxore, nec adolescentiae stimulis victus, nec amore liberorum superatus, perpetuam virginitatem coluit.

At quomodo tandem ista miracula fiunt? Quo pacto id assequemur, ut honores et divitiae ingressum ad regnum coelorum non impediant? Nimirum si ea non super humeros, neque in capite ponamus, ne nos deprimant ad gehennam, sed sub pedibus, ut per eas tamquam per gradus ascendamus in coelum. Si quis non posset ascendere in locum aliquem, et propterea ei scabellum daretur, ipse nesciens usum scabelli poneret illud in capite, quis non rideret? O stulte, quis te docuit scabellum ponere in capite? Pone sub pedibus, et bene ascendes. Ita etiam et tu non ponas opes tuas in humeros, vel in capite, sed sub pedibus, et bene in coelum intrabis. Quod si autem eas sub pedibus collocare non audes, certe foris extra cubiculum cordis eas teneas, et non nocebunt. Quaero enim abs te, si amicus aliquis tuus diceret tibi, quaeso te, ut serves mihi hoc pallium, donec redeam, et quidem nescio quando redibo, an media nocte an circa auroram an alio tempore, sed quandocumque rediero, fac obsecro, ut statim illud habeam. Quid tu responderes? Nonne diceres, [illegible] quidem pallium tuum servabo, sed non in cu[illegible] culo meo. Nolo enim propter pallium tuum me[illegible] nocte vel circa auroram excitari: ponam illud in[illegible] trio iuxta portam, ut quando volueris venias et [illegible] cipias. Ita prorsus, auditores, ita sancti fecer[illegible] Videbant sibi divitias a Deo tamquam deposit[illegible] dari servandum ad tempus, et brevi restituendu[illegible] quando videlicet Domino placuisset: atque idci[illegible] non eas in cubiculum cordis admittere, non [illegible] amare ac diligere tamquam proprias voluerunt, [illegible] foris extra portam eas collocarunt, ut quandoc[illegible] que Dominus veniret, easque repeteret, ipsi pac[illegible] et quietem suam non amitterent, sed cum b. [illegible] dicerent: *Dominus dedit, Dominus abstulit, [illegible] nomen Domini benedictum.*

PARS SECUNDA.

Quae de tribulatione dicenda nobis hoc temp[illegible] videbantur, si bene meministis, ad quinque ca[illegible] revocavimus, quae erant, natura, varietas, caus[illegible] effectus, et remedia sive arma tribulationum. [illegible] pedivimus quatuor prima capita, nunc ad quint[illegible] et postremum quod est omnium utilissimum, [illegible] mino adiuvante, veniendum est.

Quae sint arma Christianae militiae, aposto[illegible] Paulus his verbis docet: *Assumite*, inquit, *arm[illegible] turas Dei, ut possitis resistere in die malo, et [illegible] omnibus perfecti stare. State ergo succincti lu[illegible] bos vestros in veritate, et induti loricam iu[illegible] tiae, calceati pedes in praeparatione Evang[illegible] pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in q[illegible] possitis omnia tela nequissimi ignea extingue[illegible] et galeam salutis assumite, et gladium spiri[illegible] (quod est verbum Dei) per omnem orationem [illegible] obsecrationem orantes omni tempore.* Quor[illegible] verborum haec sententia est: Incidimus, fratr[illegible] inquit apostolus, in tempora turbulenta et peri[illegible] losa a fronte atque a tergo, a dextris et a sinis[illegible] hostes potentissimos et crudelissimos habem[illegible] Quare *assumite armaturam Dei*, non clypeum [illegible] hastam dumtaxat; sed omne genus armorum, [illegible] enim significat verbum Graecum παναπλια, quo[illegible] postolus usus est) *ut possis resistere in die ma[illegible]* hoc est, in tempore tribulationis. Dicuntur en[illegible] dies tribulationis dies mali, quia non clari, n[illegible] laeti, non sereni, non tranquilli, sed tetri, obs[illegible] ri, molesti, turbulenti sunt. *Et in omnibus per[illegible] cti stare*, hoc est, quicquid acciderit, sive pest[illegible] sive fames, sive bellum, sive aliud genus tribu[illegible] tionis numquam frangi aut prosterni. Pulchre p[illegible] losophus virum sapientem et perfectum compa[illegible] talo vel pilae, quae quoniam perfectissima figu[illegible] praedita sunt, eodem se modo habent, nec unqu[illegible] nisi recte cadunt. Sume pilam vel talum, proi[illegible] sursum ac deorsum, volve ac revolve quantun[illegible] bet, numquam efficies, ut non recte cadant. Ta[illegible] sunt viri perfecti, qui ulla neque prosperitate, [illegible] que adversitate moventur, neque divitiis et ho[illegible] ribus extolluntur, neque inopia et ignominia de[illegible] ciuntur. Talis erat in primis apostolus Paulus, t[illegible] psa, non verbo philosophus, cuius illa verba s[illegible] in epistola ad philippenses: *Ego enim didici*,

quibus sum, sufficiens esse; scio abundare, scio et penuriam pati, et satiari et esurire, ubique et in omnibus institutus sum. Tales quoque nos omnes esse cupit, cum ait: *Ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate. etc.* Describit nobis militem, non equitem sed peditem, omnibus rebus, quae ad bellum requiruntur, armatum atque instructum. Primo loco habeat, necesse est, cingulum militare, deinde loricam, tum calceos in pedibus, quarto loco clypeum ad sinistram manum, quinto gladium in dextra, sexto ac postremo ad caput tegendum ac muniendum, aerea galea comparanda est. Ubi vero miles noster ita instructus atque armatus erit, sine ullo timore certus de victoria hostes suos aggredial. Ac ut magis eos perterreat, non in silentio procedat, sed more militum Gedeonis magno clamore irruat in acies inimicorum: id quod ultimo loco imperator noster monet, cum ait: *Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore.* Haec est sententia d. Pauli breviter explicata. Iam de singulis armis seorsum dicendum est. Hodie igitur, quia parum temporis superest solum dicemus de cingulo.

State ergo, inquit, *succincti lumbos vestros in veritate.* Cingulum istud quamquam non uno modo a doctoribus sanctis exponatur, aptissime tamen a nobis in paesentiarum intelligetur virtus castitatis, de qua duo breviter exponemus. Primum, cur virtus castitatis cingulum appelletur, ex quo simul cognosci poterit, quae sint cinguli huius utilitates: deinde quibus in officinis eiusmodi cingula conficiantur, et vendantur, ut inde quisque unum sibi, si velit, comparare possit.

Primum igitur cinguli nomine castitas designatur, quod sicut cingulum lumbos constringit, ita ut virtus castitatis libidinem, quae in lumbis potissimum residet, continet et coercet. Hinc d. Gregorius dominicam illam sententiam exponens: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris*, *Tunc*, inquit, *lumbos nostros praecingimus; cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Sunt autem duo genera cingulorum, unum uteumque longum et latum alterum brevius et angustius. Cingulum longum et latum est castitas matrimonii, quod iis accommodatum est, qui pinguiores sunt, et grassos magnosque ventres gerunt, nec se nimium constringi facile patiuntur. Cingulum brevius et angustius est castitas coelibatus, quod viduis et virginibus, atque iis omnibus servit, qui aequo animo ferunt vehementer constringi, modo venusti ac formosi Deo, et sanctis angelis videri possint. Atque altero horum necessario uti debet quicumque Deo militare et stipendium vitae aeternae obtinere cupit. Nullum enim apud veros Dei cultores et milites tertium genus cingùli reperitur. Et sicut cingulum militare adeo proprium legitimae militiae ornamentum apud veteres erat, ut idem apud eos esset cingulum deponere et militia se abdicare: quocirca et impius Iulianus, ut Ruffinus testatur, cum edicto publico christianos a militia prohiberet, nihil scribebat aliud, quam ne cingulum christianis daretur: sic etiam virtus castitatis proprium ornamentum christianae divinaeque militiae est. Permittit quidem synagoga Iudaeorum uxorum multitudinem, et libellum repudii: lex vero impurissimi Mahometis praeter gregem maximum uxorum, etiam omnes ancillas libidini dominorum subiicit: Haeretici quoque nostri temporis etiam monachis et sacerdotibus uxores, et virginibus Deo sacratis maritos attribuunt, sed propterea omnes isti, qui cingulum militare non habent, a legitima Dei militia excluduntur. Sola Christi Ecclesia, quae cingulum castitatis religiose ac diligenter servat, vere dici potest *castrorum acies ordinata.* Quae cum ita sint, non dicat impudicus, fornicari nihil est aut leve peccatum est Una siquidem fornicatio sufficit, ut cingulo exuaris, ut omnia perdas, ut tamquam militiae spiritualis desertor ab imperatore Deo gravissime puniaris.

Altera causa, cur castitas cingulo comparetur, est, quod sicut cingulum militare continet et conservat gladium; sic etiam virtus castitatis facile comprehendit et servat Verbum Dei, qui est spiritalis. Multi saepe, ut Scripturas intelligant, varios libros conquirunt, multa adhibent commentaria, et benefaciunt, sed tamen optimus commentarius est castitas et puritas animi. Nam in sordidam animam non intrabit Sapientia; et. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Magnus Antonius; ut in eius vita scribit Athanasius, cum aliquos videret, qui vehementer mirabantur, daemones aliquando praedicere posse futura, dicere illis solebat. *Habeat homo Christianus purum cor, et non dubito, eum plura scire posse, quam daemones.* Et revera sanctus ipse Antonius propter eximiam, quam Dei dono et suo ipsius labore ademptus fuerat animae puritatem, non solum Scripturas per se intelligebat, et futura atque absentia tamquam praesentia cernebat; sed etiam saepe animas ex hac vita migrantes, et in coelum evolantes clarissime videbat. Itaque stude puritati, purga oculum cordis, eme tibi cingulum castitatis, et tu ipse experieris plus te proficere in intelligentia Scripturarum sola meditatione, et plura et solidiora et dulciora, te invenire, quibus et teipsum, et alios ut spirituali cibo consolari, ea recreare peteris, quam si multas horas in legendis commentariis consumeres.

Iam tertia ratio cur cingulo castitas comparetur, pulcherrima et verissima est. Nam, ut magnus Basilius docet, Deus initio composuit hominem ex duabus naturis, quasi centaurum quemdam, qui a capite usque ad pectus formam humanam prae se ferret, et mente ac ratione vigeret: ab umbilico vero et lumbis usque ad pedes equi naturam feram ac silvestrem haberet. Verum ne forte pars inferior atque equina limites suos transcenderet, et totus homo quasi equus indomitus fieret, et ei per Ieremiam merito diceretur: *Equi amatores* in foeminas *et emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat*; quid fecit Deus? Attribuit homi vinculum castitatis, quo se medium cingeret, et eo modo pars equina ab humana separaretur. Hinc igitur virtus castitatis recte cingulum nominatur, quia cingit hominem in medio, nec un-

quam simil permisceri partem illam feram atque agrestem, in qua sunt motus atque impetus libidinis, cum ea parte, quae ratione et consilio regitur, et in qua lumen divinae gratiae et sapientiae residet. Vultis aliam similitudinem eiusdem magni Basilii adhuc fortasse clariorem? Sume lampadem accensam : ibi videbis in parte inferiore iacere aquam , in parte superiore super aquam natare oleum in medio vero olei ardere ac lucere fomitem. et si casu aliquo oleum cum aqua misceatur, continuo lampadem extingui, et pulcherrimae luci fumum tetrum ac foetentem succedere. Tale quiddam est homo: habet in parte inferiore aquam,carnem videlicet istam fluxam et inconstantem, quae nisi ieiunio saepe purgetur , multas sordes ex nimio cibo et potu secum involvit. Habet deinde in parte superiore oleum , hoc est, animum levem , subtilem , perlucidum, atque in eo lumen sapientiae et gratiae suae Deus accendit. Verum quoniam saepenumero accidit,ut oleum misceatur cum aqua, ut spiritus fiat carnalis,et animus carnis propensionem sequatur ad luxuriam , ad fornicationes , ad impudicitiam, atque inde lumen sapientiae et gratiae extinguatur , et fumus teterrimus scelerum et flagitiorum succedat , quid agemus? Quid? Remedium est in promptu.Comparabimus nobis cingulum castitatis. Eius enim munus est hominem in medio cingere , aquam ab oleo , carnem a spiritu separare , et in suis regionibus divisa et disiuncta continere.

Veniamus ad quartam et postremam rationem, ob quam virtus castitatis cingulum appellatur:quia accingit hominem ad iter, expeditum, et paratum efficit ad currendum post Christum, sicut in libris Regum legimus de Elia, qui accinctus renibus currebat ante Achab. Et cingulum quidem latum coniugalis castitatis expedit coniugatos, ac liberat a duobus maximis impedimentis: quorum unum dicitur zelotypia. Quantum , quaeso, impedit zelotypia, ne maritus et uxor communi consensu quiete et tranquille per viam mandatorum currant? Hinc enim maritus quidem semper torquetur , et quicquid videt ab uxore sua, in partem deteriorem interpretatur, omnia timet, omnia suspecta habet. Uxor autem videns se, etiam si bene agat, tamen malas suspiciones effigere non posse,affligitur, cruciatur et saepe etiam secum dicit. Melius erit ut faciam, ne deinceps vir meus falso putet me non servare fidem. Impedimentum aliud est effraenata libido coniugatorum, qui numquam propriis uxoribus contenti , aliarum saeminatum, quandoque etiam meretricum amoribus implicantur. Inde exhauciunt domum suam penuriis. et morbis variis eam replet, inficiunt uxorem, inficiunt liberos, et neque ipsi quietem ullam capiunt, neque alios capere permittunt. Ab iis omnibus malis atque incommodis, ab isto genere tribulationis, liberat cingulum castitatis. Qui enim hoc cingulum habet, nequae ullos amores externarum faeminarum in animum suum admittunt, et ipsas suas uxores secundum Deum caste et moderate diligunt.

Verum enimvero cingulum angustum perpetui coelibatus est, quod vere hominem ab innumeris impedimentis liberat. Expedit primum a cura et gubernatione uxoris, quae quanta sit, coniugati experiuntur. Illud extra controversiam est, facilius esse decem viros, quam unam foeminam gubernare. Deinde liberat a cura et sollecitudine liberorum, qui nutriri, educari.instrui,gubernari debent, alioqui perditi ac scellarati sunt, et parentes suos perpetuo cruciant. Postremo liberat ad avaritia, et, lucrandi desiderio. Qui enim filios non habet, quibus thesaurizet, facile suis falcultatibus contentus vivit,facile etiam totus fertur in Deum,et si opus sit, facile propter Deum, quam elegit sibi in sponsum, reliquit omnia, peragrat varias regiones, omnibus pericolis se committit, denique facile omnia praeclara et plane heroica facinora propter Deum aggreditur, ad quae coniugati propter suas tricas et compedes aspirare non possunt. Itaque cum tanta sit utilitatis angusti illius cinguli.quid mirum si Christus Imperator noster, deinde Apostoli tribuni, ac duces divinissimae hujus militiae, et post eos tantus exercitus sanctorum Martyrum, sanctorum Sacerdotum,sanctorum Monachorum.sanctissimarum Virginum, et viduarum eo accingi desideraverunt?

State ergo Apostolus clamat. *state succincti lumbos vestros*, sed *in veritate*. Quid est, *in veritate*? Nolite fingere, nolite simulare, verum cingulum habetote.Si corpore continentiam servas, sed animo, et cogitatione ac desiderio perpetuo fornicaris, non es accinctus in veritate, et homines decipis, sed non Deum. Si animo et corpore castus es, sed propter inanem gloriam, ut laudaris ab hominibus non es accinctus in veritate, et cingulum quidem habes, sed militiae diabolicae, non divinae. Si avaritia, si ambitio, si aliud quodlibet vitium, si ardentissimum studium literarum libidinem carnis absorbet, ita ut de luxuria non cogitas quidem, non es tamen accinctus veritate, neque tua castitas Deo placet. Si postremo vel natura eunuchus natus, vel ab homibus postmodum factus es, noli gloriari. non es accinctus in veritate: neque ista castitas. cui excellentissimum est praemium promissum. Qui sunt igitur accincti lumbos in veritate? Nempe ii dumtaxat, *qui se ipsos castraverunt propter regnum Dei*, qui et corpore, et animo, et opere, et desiderio casti sunt: et casti sunt non propter gloriam hominum, non propter lucra temporalia, non propter studia literarium, non propter sanitatem, non propter ipsam virtutem, sed propter Deum, ut placeant Deo, ut illi soli perfectius, et purius, et arctius.et familiarius servire atque inhaerere possint. Isti sunt *accincti lumbos in veritate*.Isti habebunt *in domo Dei locum, et nomen melius à filiis, et filiabus, nomen sempiternum, quod non peribit*. Isti sequentur *Agnum quocumque ierit*, et cantabunt *canticum novum*, quod nemo alius cantare poterit.

At ubinam tandem ista cingula venduntur? ubi reperiuntur? quibus pecuniis comparantur? Opifex, Auditores, cinguli tam pretiosi est solus Deus. Loquatur Salomon sapientissimus;ut scivi,inquit.*quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det:et hoc ipsum erat sapientia scire cuius esset hoc donum ; adii Dominum,et deprecatus sum illum*. Loquatur Dominus, qui plusquam Salomon est, cum Apostoli dixissent : *Si ita est causa hominis cum*

uxore, non exspedit nubere: Quid Dominus respondit? *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Quasi dicere vellet: Verum est quod dicitis, nubere non expedit, sed impedit potius. Quid enim sunt nuptiae, nisi tricae quaedam in pedibus? Sed tamen *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Itaque cingulum castitatis conficitur, ac donatur a Deo, et continuis praecibus et lachrimis petendum est, nec ullo modo per se, ac solus homo ad excellentissimam istam virtutem aspirare potest: aliquid tamen ex parte nostra requiritur. Cingulum enim militare non ex lana, vel serico, sed ex corio mortui animalis conficitur. Corium vero istud pellis nostra est. Quare pellem tuam, sensus tuos, teipsum mortificare debes, si cingulum habere cupis: frustra cogitat de castitate, quicumque sensus suos custodire, et continere non studet. Nihil enim sunt aliud quinque sensus, quam quinque perditissimi leones, semper parati ad fornicationes et adulteria fabricanda. Hinc enim Scriptura clamat: *Mors intravit per fenestras, et oculus meus depraecatus est animam meam. Caste mulieres*, inquit Basilius, *numquam aperiunt totas fenestras, sed quasi per rimas aspiciunt id quod volunt, ut si quid videant, quod offendat, continuo claudere possint.* Sic etiam anima hominis christiani, qui serio diligit castitatem, numquam fenestras oculorum, aurium, aliorumve sensuum suorum prorsus aperit. Itaque primum omnium summa diligentia, atque custodia sensibus nostris adhibenda est. Deinde iuvat etiam plurimum occasiones peccandi, et consuetudinem, ac familiaritatem impudicorum fugere; *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava*, et pestis ac lepra luxuriae facillime iis adhaeret, qui cum infectis et corruptis agunt. Si vides te alicubi sine periculo esse non posse, cur non fugias alio? Cur Deus tibi pedes dedit? Cur bonos et castos amicos non quaeris, cum quibus cum fructu et utilitate verseris? Magnum praeterea remedium contra morbum luxuriae est, legere saepe ac serio Scripturas sanctas. *Ama studium Scripturarum*, inquit Hieronymus, *et carnis vitia non amabis.* Lege vitas sanctorum, lege confessiones Augustini, lege alios pios et sanctos libros, et tu ipse experientia disces, quod facile gustato spiritu desipiat omnes caro et illa omnia tibi foetere incipiant, quae modo tam vehementer amas. Postremo frequens confessio peccatorum dici non potest, quantas vires habeat ad animam integram et puram perpetuo conservandam. Sicut enim rex Syriae numquam regibus Israel praevalere potuit, donec vixit Eliseus, qui omnes eorum insidias detegebat, ita numquam spiritus fornicationis in te praevalebit, si conscientia tamquam alter Eliseus per confessionem peccata semper aperiat. Quod si aliquando ad majorem gloriam tuam, et hostium tuorum confusionem Deus permittat, ut magno impetu carnis concupiscentia et daemonum acies te oppugnent, et cingulo castitatis spoliare conentur, arripe magno animo solita arma sanctorum, orationem, jejunia: castiga corpus tuum et in servitutem redige. Quid aliud unquam, quaeso, sancti fecerunt? D. Benedictus nonne in spinis diu nudus volutatus est at carnis vulneribus vulnera mentis curaret? D. Franciscus ob similem causam nonne in media hieme nudus in nivibus jacuit? D. Bernardus nonne, ut libidinis ignem extingueret, cum adhuc adolescentulus esset, in frigidissimum lacum se conjecit? Alius quidam sanctorum nonne digitum unum ad ignem admovit, atque ardere voluit, ne mens turpi desiderio aestuaret? Ita ergo sancti patres majores nostri fecerunt. Eorum nos vestigia sequi, atque exempla imitari debemus. Nec enim fieri potest, ut nos ventrem cibo et potu replendo, usque ad meridiem dormiendo, oculis et auribus semper vagando, ad palmam excellentissimae virtutis perveniamus, ad quam sanctissimi illi fortissimique milites non nisi orando, jejunando, vigilando, laborando pervenerunt. Quare, auditores, praeliari non pigeat, si coronari delectet. Sequamur intrepide principes nostros in bello, et sine dubio consequemur eosdem feliciter in triumpho, ipso nos adjuvante et confirmante Domino Jesu Christo, qui est in saecula benedictus. Amen.

CONCIO VI.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

Tria alia arma sumuntur explicanda, quibus nos indui vult apostolus, nempe gladius, galea et lorica. Atque primo triplex redditur ratio, cur verbum Dei gladius dicatur, quia scilicet secet, vulneret, occidat; ubi varii hujus gladii effectus producuntur. Quinque item afferuntur rationes, cur idem Verbum Dei gladius spiritus appelletur. Deinde explicatur hujus gladii usus, tum in bello tribulationis, tum in pace prosperitatis. Iuvat autem in tribulatione terrendo et consolando; in prosperitate hostem nostrum carnem debilitando, et diviles inter spem et metum continendo; in utroque vero tempore prodest illustrando et docendo, quae singula suis testimoniis, similibus, et exemplis amplificantur. Ad galeam deinde accedendo, virtutem spei illam designare affirmatur, et cur spes galea dicatur explicatur. Galeae praeterea hujus efficacia declaratur, atque ex d. Paulo anchorae triplici fune alligatae assimilatur, videlicet veritatis, juramenti et subscriptionis Dei, quae omnia pulcherrima arte tractantur.

Parte altera ostenditur, qua ratione lorica et charitas et justitia esse possit. Cur eadem charitati comparetur triplex affertur ratio; et vis charitatis rationibus et exemplis depingitur. Deinde ad ejus usum veniendo quatuor enumerantur modi, quibus charitas in tribulationibus nobis utilitati et auxilio maximo esse solet. Primo, dum patientiam gignit, cujus etiam encomium subjungitur. Secundo, dum pectus charitatis fervore calefacit. Tertio, dum inebriat, quo inebriationis modo varios sanctos veteris et novi Testamenti ebrios fuisse demonstratur. Quarto, dum ex necessitate virtutem facere studet. Tandem docetur, quomodo charitas nobis in prosperitatibus pro lorica inservial, atque ut eadem induamur efficaciter suadetur.

Quamquam arma Christianae militiae, auditores optimi, quae adversus tribulationes ab apostolo Paulo iubemur induere, et de quibus oratione superiore verba facere instituimus, magnam ad dicendum nobis materiam praebeant, et arma singula orationes singulas desiderarent, tamen quia pascha instat, faciam id, quod peregrini et viatores facere solent, cum in longo itinere temporis angustiis et brevitate, premuntur. Etenim contendam quantum potero, ut partim compendia viarum eligendo, partim cursum orationis incitando, ad locum, quo tendimus, definita die perveniamus. Hodie igitur Domino bene adiuvante, de tribus armis simul explicabimus, de gladio, de galea, de lorica. Ac primum de gladio qui ad cingulum, de quo iam disseruimus, appendi debet, et qui apostolo interpretante, nihil aliud est, quam verbum Dei, duo quaedam breviter exponemus: Primo cur verbum Dei dicatur gladius spiritus: deinde quis eius sit usus, tam in bello tribulationis, quam in pace prosperitatis.

Veniamus ad primum. Cur Verbum Dei dicitur gladius? Quia secat, vulnerat, occidit. Quosnam? Hostes Dei, homines peccatores, vel si magis proprie loqui volumus, ipsa peccata, idololatriam, haereses, schismata, ambitionem, luxuriam, avaritiam. Iste est gladius utraque parte acutus, quem divus Ioannes initio Apocalypsis, ex ore Domini procedere vidit: et de quo Isaias propheta scripsit: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Iste est gladius, quo apostolus Petrus in Actis Apostolicis in omnia genera bestiarum occidere iubetur, et praecipue quadrupeda, reptilia, et volatilia, hoc est voluptuarios, avaros, superbos. Voluptuarii enim more quadrupedum semper ventrem, et ea, quae sub ventre sunt, aspiciunt. Avari autem ad instar reptilium toto corpore amplectuntur terram. At superbi tamquam volatilia quaedam ambulant in mirabilibus super se. Tunc vero eiusmodi bruta animalia occiduntur, cum bruta animalia esse desinunt, hoc est, homines, qui vitam brutorum imitando quasi bruta evaserant, iam non amplius bruta, sed homines esse incipiunt, et de voluptuariis casti, de avaris liberales, et humiles de superbis fiunt. Iste est gladius, apostoli omnes in die pentecostes armati totum pene orbem ad imperium Christi adiunxerunt. Iste est gladius, quo beatissimus Paulus ab Ierusalem usque Illyricum maxima strage obvios quosque prostravit. Denique iste est gladius, qua semper de hostibus suis ethnicis, haereticis, peccatoribus per milites doctores et concionatores suos Christus triumphat.

Sed cur, quaeso, verbum Dei non solum gladius, sed et gladius spiritus dicitur? Multae sunt causae. Prima, quia gladius iste a solo Spiritu Sancto fabricatus est. Neque enim noverunt fabri isti vulgares gladios talis conficere, gladios vivos et efficaces, qui etiam spiritus incorporeos vulnerare

possint. *Spiritu sancto inspirati* (inquit apostolus Petrus) *locuti sunt sancti Dei homines.* Secunda ratio, quoniam Spiritus sanctus est, qui gladio isto praecipue utitur. Nam ipsius est proprium contra vitia bellum gerere, hominem veterem occidere, ad poenitentiam peccatores convertere. Nos enim nihil aliud, quam armigeri atque ministri eius sumus. *Non enim vos estis, qui loquimini*, ait Dominus, *sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Tertia ratio quoniam gladio isto, non pro carne, sed pro spiritu dimicatur. Nam cum homo ex carne spiritu compositus sit, et haec duo, ut apostolus ait, sibi invicem adversentur; gladius carnis crapula, ebrietas, fornicatio; gladius spiritus est verbum Dei. Quarta ratio, quoniam finis huius gladii non alius est, quam ut Spiritus sanctus in eos veniat, contra quorum vitia bellum geritur. Ita legimus in actis Apostolicis: *Adhuc loquente Petro*, inquit sanctus Lucas, *cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.* Iste finis esse debet concionatorum, non lucrari pecunias, non aucupari inanes plausus, non oblectare animos et aures curiosorum, sed efficere, quantum in ipsis est, ut Spiritus sanctus, Spiritus veritatis, Spiritus mansuetudinis, Spiritus sobrietatis, Spiritus pietatis, Spiritus timoris Domini super auditores veniat. Quinta et postrema, sed potissima, ratio est, quoniam nemo sine Spiritu sancto, gladio Verbi Dei uti potest. Etenim verba divinae scripturae, si sola et nuda accipiantur, non tam gladius, quam vagina esse videntur. Potest autem ea vagina et verum et ferreum gladium, et gladium plumbeum sive ligneum continere. Si verba scripturae secundum ecclesiae catholicae sensum, qui idem est sensus Spiritus sancti, accipias et intelligas, gladium spiritus ferreum atque acutissimum habes: Si vero sensum capitis tui, sensum distortum, falsum haereticum, in vagina sacrarum literarum includas, quid habebis nisi gladium plumbeum in vagina aurea? Nam vagina erit, sed gladius non item. Atque haec est deceptio omnium haereticorum, qui nihil aliud habent in ore, quam verbum Dei, nec ulli magis, quam ipsi gloriantur de gladio: et tamen revera nihil ipsi praeter vaginam habent. Deus enim facile patitur literam Scripturae, vaginam istam spiritus, catholicis atque haereticis esse communem; sed gladium spiritus, sensum verum Scripturarum in sola Ecclesia Catholica esse voluit, cui sensum aperuit, ut intelligeret Scripturas, *quae est columna et firmamentum veritatis*: *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cuius apertissimum signum est conversio infidelium. Quinam olim Iudaeos et Graecos ad fidem catholicam converterunt? Num Simoniani vel Marcionitae vel Manichaei vel Arriani vel Pelagiani vel Nestoriani? Minime vero: sed Apostolici viri. Qui nostro hoc saeculo in regionibus latissimis Indiarum, in America, in Brasilia, in Iaponia tantas infidelium multitudines gladio Verbi Dei prostraverunt, et captivos ad imperatorem Christum adduxerunt? fortasse Lutherani? fortasse Calviniani? Affirment, fraudeant. Nonne Catholicae Romanaeque Ecclesiae milites, quorum est bellare bella Domini praeclaras istas divinasque victorias de hostibus fidei retulerunt? Huius autem rei causa, quae alia esse potest, quam quod haeretici verum gladium non habent? Et vehementer errant, si sola vagina se pugnare ac vincere posse confidunt. Non enim vagina, sed gladio homines occiduntur. Habemus igitur, cur Verbum Dei gladius spiritus nominetur.

Nunc illud videamus, quis eius sit usus, tam in bello tribulationis, quam in pace prosperitatis. Quo pacto gladius Dei in tribulationibus iuvat? Duobus modis, terrendo et consolando.

Veniamus ad praxim. Si te variis tentationibus hostis aggreditur, accipe gladium, excipe et repelle ictus inimici sententiis scripturarum, sicut ducem nostrum Christum fecisse, non ignoras, cum in deserto a Diabolo tentaretur. Itaque si Spiritus ambitionis tibi desiderium immittit praesidendi, si abbas, si episcopus, si magnus aliquis daemonis tentatione fieri cupis, sume gladium, lege sententiam illam; *Iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet*, et, *Potentes potenter tormenta patientur.* Si spiritus avaritiae desiderium immittit multas pecunias congregandi, sume gladium, lege sententiam illam: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum Diaboli, et desideria multa nociva et inutilia, quae mergunt hominem in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.* Si spiritus luxuriae desiderium immittit carnalium peccatorum, sume gladium, lege sententiam illam: *Fornicatores et adulteros iudicabit Deus.* Et illam: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Si spiritus huius mundi desiderium gloriae et delitiarum immittit, sume gladium, lege sententiam illam: *Quantum glorificavit se et in delitiis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Atque ad eumdem modum contra tentationes caeteras sententiis illis divinae Scripturae pugnandum est, quae terrendo et comminando revocant a peccatis.

Si vero aliud genus tribulationis patiaris, quod effugere non possis, ut inopiam, ut aegritudinem, ut mortem parentum vel filiorum; tunc sententiae illae praelegendae et considerandae tibi erunt, quae divinas promissiones et exempla sanctorum continent. Sicut enim Scriptura impios homines vehementer terret, ita miseros et calamitosos mirifice consolatur. *Quaecumque scripta sunt*, (inquit Apostolus,) *ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.* Et in libro primo Machabaeorum quid Machabaei dicunt, cum in tribulationibus gravissimis constituti, ad Spartiatas scriberent? *Nos enim*, inquiunt, *cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem et amicitiam, ne forte alieni afficiamur a vobis.* Itaque verbum Dei quasi mamilla nutricis lacte divinorum eloquiorum parvulos gementes, et plorantes recreat. Ibi enim

non semel, non saepe, sed frequentissime in singulis fere paginis legitis, Deum promittentem se omnibus adfuturum, qui ad se in tribulatione confugerint. Eiusmodi vero promissiones infinitas exemplis confirmatas videbis, si historiam Abrahae, Iacob, Ioseph, Moysis, Iob, Tobiae, Mardochaei, Davidis, Machabaeorum aliorumque multorum legere volueris. Isti enim in magnis tribulationibus fuerunt, et de omnibus eripuit eos Dominus; nec solum eripuit sed etiam gloriosiores et feliciores effecit. Ex quibus illam conclusionem efficies, quam fecit David: *Iunior fui, etenim senui, et non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem.* Et cum Ecclesiastico dicens: *Respicite filii nationes hominum, et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est.*

Veniamus ad pacem et prosperitatem, quae ut saepe dixi, plus multo, quam bellum et tribulatio periculosa et noxia est. Quomodo gladius spiritus in pace prosperitatis iuvat? Duobus etiam modis. Primum enim carnem, hostem nostrum domesticum, qui se fratrem et amicum simulat et interim crudelissimam necem nobis machinatus, non parum debilitat. Siquidem *vivus est sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae et spiritus.* Si duo doces copias simul coniungerent, et unam atque eamdem urbem iunctis viribus expugnare vellent, magnum profecto negotium illi urbi facerent; at si paulo post coorta seditione militari, alter eorum ducum cum toto exercitu suo se ab altero duce separaret, nonne vires prioris exercitus valde minuerentur? Ad eumdem modum in homine flagitioso, et anima cum suis sensibus et motibus inferioris partis, et spiritus cum sua mente et ratione aliisque viribus partis superioris coniunguntur, et eodem prorsus tendunt, nimirum ad carnem pingue faciendam, oblectandam, roborandam; sed cum gladius verbi Dei huius hominis pectus ferit, statim penetrat usque ad divisionem animae et spiritus, et tunc spiritus amore Dei vulneratus irascitur quodammodo animae, eique dicit, nolo deinceps tecum militare, volo fungi munere meo, volo considerationi, orationi, lectioni operam dare, quae sunt partes meae. Atque ita spiritus ab anima, hoc est, pars superior ab inferiori dividitur et separatur et eo modo vires carnis hostis domestici fiunt debiliores. Et quamquam initio divisionis spiritus est parvulus atque imbecillis, tamen paulatim verbo Dei, quod etiam est cibum, alitur, nutritur, augetur, et interdum etiam ita corroboratur, ut fiat multo robustior atque fortior carne, et tunc iniurias suas ulciscitur. Et sicut milites quandoque rusticos vel hostes suos, quos ceperunt in bello, cogunt sarcinas suas, et onera portare: sic etiam spiritus cogit carnem ieiunare, vigilare, laborare, orare, eleemosynas dare aliaque facere, quibus ipse ad finem suum consequendum adiuvatur.

Alter modus, quo verbum Dei in prosperitate iuvat, est homines divites et florentes inter spem et metum continendo, id quod in praesenti vita maxime necessarium est. Nam apud inferos quidem spes in desperatione, et metus in dolorem vertitur: in regno vero beatorum spei possessio, et timori securitas sempiterna succedit: hic autem in terris nihil utilius, ac praesertim opulentis et fortunatis hominibus, quam inter spem et metum ambulare, id quod verbum Dei optime docet; loquitur enim quodammodo ad cor divitis, et ait: Sta in timore: noli superbe *sapere, neque sperare in incerto divitiarum.* Memento Cain, qui primis in terris coepit esse dives et potens, et urbem aedificavit, et postea male periit. Memento Pharaonis, et Caltazaris filii Nabuchodonosor, et Antiochi, et Herodis, qui reges nobilissimi et potentissimi erant, et tamen ad ultimum miserrime perierunt. Memento Nabal Carmeli et illius divitis epulonis, qui ditissimi erant, et crapulae atque ebrietati studebant, et in puncto ad inferos descenderunt. Memento illius alterius divitis Evangelici, cui uberes fructus attulerat, et iam dicebat animae suae: *Habes multa bona in annos plurimos, ede, bibe*, quiesce laetare. Cui dictum est; *Stulte, hac nocte repetunt a te animam tuam, et quae parasti, cuius erunt?* Deinde, ne forte dives desperet, ac dicat. Quis ergo poterit salvus fieri? loquitur idem verbum Dei ad cor eius, et ait, Confide, spera, poteris, si volueris, salvus fieri. Memento Abraham, Isaac et Iacob, nec non Davidis, Tobiae, Iosiae aliorumque multorum, qui et divites fuerunt, et Domino placuerunt. Pari ratione, et tu, si divitiis utaris ad quod factae sunt, non te impedient, sed iuvabunt.

His igitur quatuor modis verbum Dei seorsim in tribulatione, et seorsum in prosperitate juvat. Accedit vero quintus et postremus modus, qui utriqúe tempori convenit, qui est illustrando ac docendo. Nam *testimonium Domini fidele sapientiam praestans parvulis* et *praeceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Videbat Deus multos esse in mundo Epicureos, quorum fides ultra nubes non ascenderet, et qui de superis et inferis, de Deo, de morte, de iudicio numquam cogitarent. Quid igitur fecit? *Misit verbum suum et sanavit eos.* Et quomodo sanavit? Illustrando, erudiendo, docendo, ostendendo aliam esse vitam post hanc vitam, et alia bona et mala sine ulla comparatione maiora et diuturniora. Quae enim videntur, temporalia; quae non videntur aeterna sunt. Homines autem ad ea diligunt, quae noverunt. Cur infantes nihil expetunt praeter lac? Quia aliud non noverunt. Cur pueri suos trochos, et pilas et alia instrumenta ludendi tantum diligunt? Quia maiora bona non noverunt. Cur plerumque homines nihil quaerunt nisi ditescere, nisi pinguescere, nisi opes et honores suos augere? Quia nihil aliud a magistris huius saeculi didicerunt. Si rusticus aliquis, qui nunc felicem se putat si panis et cervisia non desit, in aula regis ad unum mensem cibo et potu regio aleretur, numquid ille suum atrum panem, et cervisiam non contemneret? Ita prorsus, auditores, qui verbo Dei docente atque illustrante bona illa magna et sempiterna videre et gustare incipiunt, quae in saeculo futuro sanctis hominibus conservantur, facile despiciunt mundi huius gloriam perituram, opes falsas, inanes honores, et exiguas et breves, et multo felle admistas voluptates. Sed de gladio satis et fortasse nimis dictum est.

Veniamus ad galeam. *Et galeam*, inquit, *salutis assumite*. Quaenam est ista galea? Virtus spei. Sic enim apostolus alibi seipsum exponit: *Induti loricam*, inquit, *charitatis et galeam spem salutis*. Itaque spes salutis, expectatio summae sempiternaeque felicitatis est galea. Dicitur vero galea, quia tegit ac defendit caput, et reliquum corpus nudum atque inerme dimittit. Quod est caput hominis christiani? Christus. *Omnis viri caput Christus est*, inquit apostolus. Itaque galea solum tegit caput, quia spes aeternae vitae facit ut homo contemptis omnibus aliis rebus, etiam fortunis, etiam dignitate, etiam fama, etiam vita, totus in id incumbat, ne sibi Christus auferatur, ut fides in Christum, ut honor et gloria Dei salva sint, etiamsi caetera omnia pereant. *Sapientis oculi in capite eius*, inquit Salomon. Siquidem stulti oculos non in capite, sed in calcaneis videntur habere, cum nihil aliud quam terram et res terrenas intueantur. At homo christianus, homo sapiens oculos habet in capite, quia more serpentis totum corpus libenter exponit, ut servet ac defendat caput, non ignorans salvo existente capite, facile posse totum corpus ab interitu revocari. Hoc est igitur munus galeae, caput defendere. Est vero fortissima illa galea, et plane digna, quae membrum praestantissimum, quale est caput, custodiendum acceperit? Siquidem adeo robusta et firma est, ut non solum ictibus malleorum non cedat, sed etiam quod pene est incredibile quanto magis percutitur, tanto fortior fiat. At quis hoc docet? Apostolus Paulus *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur: patientia vero probationem: probatio vero spem: spes autem non confundit*. Utinam magnam copiam gelearum ad exercitum nostri regis mittere possemus. *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur*. Non enim patientia est singulis dialecticae et rhetoricae, quae discuntur in libris; discitur in laboribus, discitur patiendo. Ille qui saepius patitur, ille celerius patientiam discit. Itaque *tribulatio patientiam operatur: patientia probationem*. Nam qui saepe et multum et aequo animo patitur ille commendatur, et probatur, et dignus palma et corona iudicatur a Deo. Sicut enim in castris non pulchra atque splendida arma militem Duci commendant, sed fortia facta et multa vulnera adverso corpore accepta: et sicut figulus multa vasa efficit ex eodem luto, sed qualia sint in fornace probat. Sic etiam Deus nos omnes in fornace tribulationis coquit, et eos quidem, qui ignem sustinent, nec franguntur, probat: qui ferre non possunt, reprobat. *Ergo patientia probationem operatur: probatio vero spem*. Qui enim animadverit se multa pati et alacriter pati, nec ullo modo frangi, sentit procul dubio intus in corde spiritum Dei, qui *testimonium reddit spiritui* suo, quod filius Dei sit, atque inde semper seipso fortior, semper promptior ad patiendum, et erectior ad sperandum efficitur. *Spes autem non confundit*. Deus enim potens est et paratus ad plura et maiora nobis danda, quam nos sperare possumus.

Sed iam, si placet, huius galeae usum explicemus. Quis igitur est usus galeae? Quomodo nos in prosperis et adversis iuvat? paucis dicam, auditores. Iuvat mirum in modum, erigendo animum, eumque ad coelestia et sempiterna praemia convertendo. Nec enim explicari potest, quantas vires habeat spes futurae quietis et felicitatis ad extenuandam et minuendam molestiam, quamvis magnorum et gravium laborum. Quid facit, ut avarus non sentiat laborem peregrinandi, navigandi, nundinas adeundi, merces emendi et vendendi? Nonne spes divitiarum? Quid facit, ut agricola in mediis imbribus, in maximis aestibus, in saevis frigoribus, noctes ac dies numquam quiescat, et semper tamen laetissimus cantet? Nonne spes uberis messis? Quid facit, ut miles neque onus armorum recuset, neque longis vigiliis terreatur, neque de morte et vulneribus cogitet? Nonne spes praedae vel honoris? Ita igitur et fortis Christi miles in mediis aerumnis et calamitatibus galea ista munitus erigit oculos ad coelum, et dicit, maioribus praeliis digna est splendidissima illa corona. *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*. Veniet aliquando illa dies, qua laboribus finitis admittar in gaudium Domini mei. Itaque sicut verbum Dei militem Christi consolatur exterius, divinas promissiones proponendo et explicando; ita virtus spei consolatur interius ad easdem promissiones contuendas animum erigendo solum, sed etiam quodammodo affiggendo. Spes enim non solum id facit, ut animus coelum aspiciat; sed etiam, ut coelo constanter inhaereat, nec se inde avelli ullis tribulationum fluctibus patiatur. Quocirca d. apostolus Paulus eamdem spei virtutem in epistola ad Hebraeos elegantissima similitudine anchorae comparandam putavit. Nam quemadmodum naves, quae corpora quaedam sunt ad terram communem omnium corporum parentem in tempestate confugiunt, et ei anchoram quasi brachium porrigunt, atque eo modo fluctus et procellas non timent: sic etiam animae navicula, quae de coelo originem habet, in coelo anchoram suam figit, ac per eam coelo constanter adhaerens, vexari ac iactari potest in hoc mari saeculi huius fluctibus tribulationum, sed certe abripi et demergi in profundum non potest. Neque vero periculum est, ne funis, quo anchora spei alligata est, aliquando frangatur. Siquidem est *funiculus triplex* qui *difficile rumpitur*. Unus funis est veritas Dei: Deus est, cuius promissionibus spes Christianorum adhaeret. Quid fortius isto fune? Si d. Paulus promitteret aliquid, quis ei credendum non esse putaret? Si angelus de coelo promitteret aliquid, quis de eventu ambigere auderet? At nunc non apostolus, non angelus, sed Deus ipse est qui promittit. Veritas prima, sapientia summa, bonitas infinita, quae nec falli nec fallere potest. Alter funis est iuramentum Dei. Quamquam etiam sine iuramento simplici promissioni Dei sine dubio continuo esset credendum, tamen ad maiorem fidelium suorum consolationem etiam iurare voluit. Sic enim in epistola ad Hebraeos Apostolus loquitur; *Abundantius Deus volens ostendere pollicitationes haeredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui*

confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam. Iam funiculus tertius est subscriptio, quam Deus proprio sanguine adhibere voluit chirographo promissionum. Quis enim testamento non credat, quod proprio sanguine consignavit? Hic est igitur *funiculus triplex*, qui *difficile rumpitur*, quo spei anchora alligata, et in coelo affixa, naviculam animae firmissime tenet, atque in isto periculoso mari, ab omni ventorum et fluctuum impetu defendit.

PARS SECUNDA

Diximus de gladio, et galea, nunc de lorica duo breviter dicenda sunt. Primum, quid sit haec lorica; deinde quis sit eius usus. Quid igitur est lorica? Virtus charitatis. Sic enim Apostolus ait; *Induti loricam charitatis, et galeam spem salutis.* Et quamquam in epistola ad Ephesios loricam dicit esse iustitiam, cum ait: *Et induti loricam iustitiae,* tamen iustitiam pro charitate accepit, quod saepe alias facere solet: nec immerito, cum nihil aliud sit charitas, quam eximia quaedam perfectaque iustitia. Etenim duae sunt partes iustitiae, quarum altera in commutatione, altera in distributione versatur. Ambas autem in charitate facile est invenire. Quid enim est charitatis, nisi quaedam nobilis commutatio, in qua homo seipsum totum donat Deo; et simul totum recipit Deum? Nam *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Quid item est charitas, nisi ars quaedam iuste recteque distribuendi unicuique quod suum est? Iustitia enim quae in distributione versatur dignitatem et merita personarum considerat, et maioribus maiora, minoribus minora, summis summa et minimis minima tribuit. Secundum quem ordinem virtus etiam charitatis Deo primas partes defert, secundas animae, tertias corpori, quartas honori et famae, et de caeteris ad eumdem modum. Itaque recte charitas iustitia dicitur, inchoata charitas inchoata iustitia, aucta charitas, aucta iustitia, perfecta charitas, perfecta consummataque iustitia.

Sed cur, quaeso, virtus charitatis dicitur lorica? Tribus de causis. Primum enim sicut lorica armatur pectus, et pectore eae partes corporis humani defenduntur, in quibus vita potissimum residet, ut cor, hepar, stomachus, intestina omnia; sic etiam charitas animae vitam conservat ac tuetur. *Nam qui non diligit, manet in morte.* Deinde quemadmodum lorica ex multis annulis inter se cohaerentibus efficitur, sic etiam charitas multas virtutes pulcherrimo ordine simul coniungit. *Charitas* enim, ut Apostolus ait, *patiens est, benigna est: charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Ex istis annulis simul consertis malleo Spiritus sancti lorica charitatis fabricatur. Postremo sicut loricae non ex panno vel ex corio, sed ex aere conficiuntur, ut omnes ictus lancearum et gladiorum sustinere possint: sic etiam charitas non est res quaedam mollis, ac tenera; sed fortissima durissima, robustissima; *Fortis ut mors dilectio, dura ut infernus aemulatio.* Sed parum diximus. Nam etiam fortior est quam mors, et durior quam infernus. Mors enim est illa quidem fortissima, et non solum homines quamvis magnos et potentes, sed etiam ursos et leones posternit: sed tamen peccatum adhuc est fortius. Peccatum enim etiam in coelum conscendit, et angelos etiam inde disturbavit, quod mors numquam efficere potuisset. At charitas utroque est fortior, quippe quae statim atque in cor hominis penetravit, peccatum extinguit, nec magis coram charitate potest consistere peccatum, quam coram igne aridae stipulae vel telae atanearum. Quid? quod non solum res omnes creatas charitas vincit, sed etiam quodammodo creatorem? Quid enim non potest, quid non audet sincera charitas? Ipsam Dei sapientiam docet, ligat potentissimum, vulnerat immortalem. Voluit aliquando Sodomam et Gomorrham sceleratissimas civitates igne et sulphure concremare: audivit hoc Abraham, et statim imperante charitate, loqui coepit ad Deum, ac dicere: *Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.* En quam libere fortissima charitas etiam Deo consilium dare non timet. Rursus alias iratus Deus contra gentem Hebraeam, propterea quod vitulum aureum tamquam alterum Deum colere incepisset, voluit eam penitus delere ac perdere. Sed quid? Opposuit se charitas servi eius Moysis, et ait: *Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Aegypti in fortitudine magna, et in manu robusta? Ne quaeso dicant Aegyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus et deleret de terra.* Deus autem, quasi charitas Moysis manus ei ligasset, eumque vinctum captumque teneret, dicebat; *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam*; praevaluit tamen charitas, nec dimisit. Magna igitur est virtus, magnum robur charitatis, nec immerito aeneae fortissimaeque loricae comparatur.

Veniamus ad usum: Quomodo nos lorica ista in bello tribulationis iuvat? Multis modis. Primum efficiendo, et tamquam gignendo patientiam. Est enim patientia quasi filia primogenita charitatis. *Charitatis*, inquit Apostolus, *patiens est, benigna est*, et quae sequuntur. Est autem patientia virtus quaedam praeclarissima, qua tela inimicorum non repellimus, sed accipimus et frangimus: et hostes nostros non feriendo et prosternendo, sed patiendo et cadendo miro modo superamus. Magnum est vincere iacula repellendo et hostes occidendo: sed multo est maius et gloriosius vincere plagas accipiendo et moriendo. *Melior est patiens* (ait scriptura divina) *viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Hinc milites Testamenti veteris, ut Abraham, ut Moyses, ut Iosue, ut Gedeon, ut Iephte, ut David, pugnando, feriendo, interficiendo: at milites Testamenti novi, quod sine ulla dubitatione est excellentius, patiendo et moriendo vicerunt. Aspice imperatorem nostrae mi-

litiae Christum. Quid ille fecit? Id quod antea tamquam in typo et figura egerat Sampson : quando una asini maxilla mille Philistaeos occidebat, magnas se vires a Domino accepisse demonstrabat: at cum robustissimis nervis et funibus se ligari patiebatur et tamen paulo post summa felicitate vincula rumpebat et hostes suos fugabat, multo fortiorem ostentebat: Ita liberator noster fortem et potentem se ostendit, cum mundum sine labore fabricavit; sed multo fortiorem et potentiorem, cum eumdem patiendo et moriendo reparavit, et se tamquam alterum Sampsonem ligari, conspui, caedi, vulnerari, crucifigi permisit: sed paulo post omnia illa tanquam tela aranearum confregit, et ipsa cruce ac morte de hostibus gloriosissime triumphavit. Quid vero apostoli et martyres fecerunt? Nonne ipsi quoque imperatorem Christum imitari patiendo potius, et tolerando, quam agendo et resistendo bellare voluerunt? Et nonne patientia sua plures provincias ad Christi imperium adiunxerunt, quam unquam armis potuissent? Nonne aliam principes Romanos, et ipsam orbis dominam patiendo et moriendo domuerunt? Tantus es, ac fuit semper ubique splendor patientiae, ut etiam perditorum oculos perstringat. Hinc enim ethnici philosophi et haeretici permulti, et omnes hypocritae multa libenter patiuntur, ut patientiae virtutem iactare possint; sed tamen vera patientia proles est charitatis, et propria hominum Christianorum, qui vere dicere possunt: *Nonne Deo subiecta erit anima mea? Ab ipso enim patientia mea.* Scribit Ioannes Cassianus, fuisse Alexandriae sanctum quemdam senem, qui cum turbis infidelium quadam die obrueretur, et multis variisque iniuriis, et contumeliis afficeretur, et ab irridentibus atque insultantibus interrogaretur, quid unquam miraculi Christus effecisset, audacter respondit. Hoc miraculum Christus fecit, ut istis omnibus iniuriis et contumeliis nihil moveat, et multo etiam plura et maiora pro eius nomine tota alacritate ferre possim. Hic igitur est primus modus, quo charitatis lorica nos iuvat.

Deinde juvat etiam eadem charitas mirum in modum stomachum animae calefaciendo, ut quamvis duras et graves tribulationes facile digerat. Qui fervore charitatis destituti sunt, frigidum stomachum habent, et unius verbuli injuriam concoquere non possunt, et ideo non mirum si inde saepe aegrotent, quandoque etiam moriantur. Nam cibus qui non digeritur, non nutrit, sed occidit. At qui fervent charitate, qui stomachum calidum habent, qui diligunt Deum et proximum, statim digerunt omnia non solum verba, sed etiam verbera: et propterea omnibus nutriuntur, pinguescunt omnibus, omnibus proficiunt. Ratio vero hujus est, quia qui diligit non accipit injurias tamquam injurias, sed tamquam signa quaedam intimae familiaritatis. In tertio libro Esdrae cap. 4. legimus de quodam, qui mulierum potentiam praedicabat, qui cum multa commemorasset, quae viri ob mulierum amorem saepenumero patiuntur, tandem adiecit: *Videbam concubinam regis sedentem juxta regem ad dexteram, et auferentem diadema de capite ejus, et imponentem sibi, et palmis cadebat regem sinistra manu; et super haec aperto ore intuebatur eam.* Unde haec auditores, ut rex non duceret contumeliam auferri sibi diadema, et praeterea faciem suam colaphis caedi? Nonne ex eo, quod ista fiebant ab ea, quam vehementer diligebat? Ita igitur, qui diligunt Deum, qui diligunt proximos, qui diligunt inimicos, numquam agnoscunt nec putant ullam injuriam sibi fieri, sed omnia in partem meliorem interpretantur. Ita sanctus quidam abbas nomine Libertinus, ut scribit b. Gregorius, cum eum de equo, in quo sedebat, quidam dejecissent, et equum abstulissent, nullo modo injuriam sibi fieri credens laetissimo vultu etiam flagellum obtulit dicens, Heus accipite fustem, ut equum melius ducatis. Ita Dominus acerbissimam passionem, non tamquam passionem, sed tamquam calicem optimi vini sibi ab amantissimo Patre propinatum accepit: *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater*, non crudelissimus aliquis Dominus, sed amantissimus Pater meus, *non vis ut bibam illum?* Itaque beatus Stephanus saxa illa dura, quibus lapidabatur, non saxa et lapides, sed pretiosas gemmas existimabat. Et revera sic se res habebat, auditores. Semper enim tribulationes, si tamquam Dei beneficia considerentur in vera beneficia convertuntur. Ignominia in gloriam, contumelia in ornamentum, inopia in divitias, vulnera in sanitatem et mors in immortalitatem. Et homines quidem vident exterius crucem nostram, quam portamus in terris. Sed vident angeli coronam nostram, qua fabricatur in coelis. Quocirca recte Dominus de crucifixoribus suis dicebat; *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Illi enim se Christum valde deprimere, ejusque gloriam penitus obscurare credebant, sed vere nesciebant quid facerent. Nam eo modo maxime extollebant et illustrabant.

Sed quid praeterea charitas facit? Quomodo etiam in tribulatione nos juvat? Juvat tertio ad eum modum, quo juvat vinum, inebriando scilicet. *Vinum* enim *laetificat cor hominis*, inquit David. Et filius ejus Salomon; *Date*, inquit, *siceram maerentibus, et vinum his, qui amaro sunt animo.* Qui ebrii sunt semper laeti sunt, saltant, cantant, nec ullius miseriae recordantur, non paupertatis, non aegritudinis, non acceptae injuriae, non contracti aeris alieni: denique omnem tristitiam ac moerorem facile de animo abstergit ebrietas. Pari ratione, auditores, sancta ebrietas charitatis, quae est vinum illud, quo apostoli pleni erant, cum de eis in die pentecostes diceretur: *Musto pleni sunt isti*, facit homines semper laetos, nec ullum eos laborem vel dolorem sentire permittit. Patriarcha Iacob quatuordecim annos propter Rachelem socero suo incredibili labore servivit, ita ut ipse aliquando diceret; *Die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*: et tamen ut scriptura testatur, *videbantur ei pauci dies prae amoris magnitudine.* Ita nimirum amore ebrius erat sanctus Tobias, cum totum diem in operibus charitatis consumpsisset, deinde reversus domum, quasi pro mercede, utroque lumine orbatus esset, uxor vero quae eum solari debuisset, non oleum consolationis, sed acetum exprobrationis in plagas infunderet: tamen harum omnium calamitatum obli-

tus et uxorem et filium dulcissime consolabatur: *Pauperem quidem*, ajebat, *vitam gerimus; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum et recesserimus ab omni peccato et fecerimus bene.* Unde hoc in Tobia? Nonne quod amore divino ebrius erat? Apostoli quoque cum plagas multas a Judaeis accepissent, cur *ibant gaudentes a conspectu concilii?* Nonne quia eodem amore ebrii erant? Paulus et Sylas virgis caesi, catenis constricti, et in obscurum carcerem detrusi, quare psalmos et hymnos laetissime canebant? Nonne quia simili modo ebrii erant? b. Laurentius ad ignitam craticulam alligatus, et jam semicombustus, unde tam laetus, et summi illius doloris oblitus erat, ut festive ac lepide tyrannum irrideret? Nonne ex eo? quod vino charitatis ebrius erat? O dulce vinum charitatis. O sancta sobriaque ebrietas. Utinam faceret Deus, ut ebrietatem illam nefariam, quae tanto tempore in hac regione regnavit, quaeque tantarum tribulationum causa magna est, aliquando tandem ista sancta et sobria ebrietate mutaremus: perfecto enim plus ebrietas charitatis valeret ad omnem tribulationem superandam, quam fuerit ebrietas vini ad inferendam.

Sed jam ad quartum et postremum modum veniamus, quo charitas a tribulatione defendit. Quid igitur charitas facit? Docet hominem mirabili quadam arte de hoste clypeum, de necessitate virtutem efficere. O beatum exercitum. O fortunatos milites qui artem istam didicerunt, qua ipsos hostes arripere, et eis pro clypeo uti possint. Quis praecipuus hostis noster est? Nonne caro, quae omni hoste crudelior, dum blanditur occidit, et assueta reddere malum pro bono, quanto magis diligitur et fovetur, tanto magis nocet, et cujus ictus nemo satis cavere potest? Quid igitur charitas facit? Quando utitur carne pro clypeo? Ad hunc modum. Cum tribulatio adest, non sinit charitas, ut te injuste puniri existimes, vel ut de Deo aut hominibus conqueraris, procul hoc est a vera et perfecta charitate: sed statim docet, peccata tua causam esse tribulationis atque ita cogit, ut carnem tuam sic alloquaris, non meministi caro, quando fornicabaris, cum tam saepe epulabaris, quando totos dies ludebas, quando tot pocula exhauriebas, quando jejunia sacra frangebas, quando pupillum opprimebas? Nunc igitur quid mirum si poenas luis? Sed quandoquidem huc venisti, nec potes non peccasse, et quia peccasti castigari debes: quid utilius tibi esse potest, quam ut facias de necessitate virtutem et aequo ac libenti animo patiaris? Nam si cum molestia ac tristitia pateris, non propterea calamitas tua recedet, quin potius ad cumulum miseriae etiam tristitiam et impatientiam tuam adjunges, et nihil apud Deum ex tribulatione lucraberis, nisi graviorem fortasse tribulationem. At si libenter, si alacriter, si aequo animo istam crucem feras, et hic in terris tribulatio plurimum minuetur, et post hanc vitam tota purgata atque illustris tamquam aurum de fornace prodibit, ac demum in patientia tua possidebis animam tuam. Ita igitur homo a charitate edoctus, ipsa carne, per quam peccavit, tamquam scuto quodam ita se protegit, ut ab ictibus tribulationis nullo modo laedatur.

At num in sola tribulatione lorica ista charitatis juvat? Nonne etiam in prosperitate? Imo vero, auditores, maxime juvat in prosperitate. Si quidem ipsius proprium munus est, erga omnia, quae diligi debent, affectus moderari. Ipsa docet Dei honorem omnibus esse rebus anteponendum. Atque idcirco si vel ecclesiasticum honorem, vel civilem magistratum facile obtinere valeas, et tamen ineptum atque indignum eo munere te esse vides, charitas monet, ut alteri te meliori et digniori cedas, et si hoc non facis, non induisti loricam charitatis, vulnerat te, et nisi diligenter caveas, fortasse occidet jaculum prosperitatis. Ipsa praeterea docet animae salutem corporis voluptatibus esse praeferendam. Itaque licet possis, quantum ad copias tuas attinet, indui purpura et bysso et epulari quotidie splendide, tamen charitas monet, ut sobrie vivas, et ecclesiastica jejunia religiose observes, ut ad templum, ad concionem, ad confessionem, ad sacram communionem cum caeteris ire non negligas. Ipse docet corpora proximorum pluris facienda, quam nostras pecunias. Quocirca magis timere debes sine misericordia, quam sine pecuniis inveniri. Et si quidem ecclesiasticus es, charitas docet, non debere te divitias congregare, nisi cum pauperes desunt, quod raro eveniet, et cum forte desunt, posse te quidem eas congregare, verum ut res pauperum, non ut res tuas et futuris pauperibus fideliter conservandas. Si vero uxorem et liberos habes, eadem charitas docet, ut filiis tuis thesaurizes quidem, sed moderate. Nam si probi erunt filii, parvo contenti erunt; sin improbi bonum est eos egere, ut fiant probi. Saepe enim accidit, ut quae parentes magno labore, multo tempore per fas et nefas congregarunt, ea filii paucis diebus male vivendo profundant, et eo modo parentes ad inferos praecedant, et eos deinde filii consequantur.

Quae cum ita sint, induamus, quaeso fratres, induamus omnes loricam istam praeclaram charitatis armati procedamus ad bellum, et neque tela tribulationum neque jacula prosperitatis unquam formidabimus, et victoriam ac palmam certissimam laetissimamque referemus, ipso adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in secula. Amen.

CONCIO VII.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

Ad militem Christianum omni ex parte armandum, praesens concio duo paria calceorum suppeditat, unum poenitentiae, exemplorum alterum, et praemissa brevi explicatione sententiae Pauli, et praedicatorum instructione, primum par calceorum ex confessione et poenitentia conficitur, ubi apta calceorum cum confessione interponitur comparatio. Explicatur deinde quomodo confessio in prosperis prosit, quomodo item in tribulatione, nempe tollit peccatum, fontem et causam tribulationum, aufert tristitiam, morbum animi, minuit quoque tribulationem satisfaciendo. Denique seria ad satisfactionem exhortatio, praescripto brevi confessionis, et satisfactionis modo, primam partem concludit.

Pars altera par alterum calceorum assuit, et astruit, nimirum exemplorum, ut quae mentem illustrare, memoriam juvare et voluntatem movere soleant. Duo deinde affirmantur esse exemplorum genera, unum factorum alienorum alterum passionum. Calceus ex malorum exemplis sinistro pedi adaptatur; ubi varia studia tam fervida impiorum, avariorum, superborum, philosophorum, haereticorum et militum depinguntur, quibus merito confundi frigidi catholici deberent. Calceus adhaec pedi dextro accommodatur ex exemplis Christi et sanctorum confectus, atque ibidem praesertim Christi passio a magnitudine patientis, a parte passionis, a multitudine malorum, atque aliis multis circumstantiis diffuse, et eleganter exaggeratur. Finem horum calceorum esse, ne deficiamus tribulati, ex s. Paulo docetur. Tandem exempla sanctorum proponuntur, nosque ad crucem magna animi constantia suscipiendam ac sustinendam invitemur et excitamur.

In eorum armorum numero, quae beatus apostolus Paulus, tam in bello tribulationis, quam in pace prosperitatis Christiano militi necessaria esse judicavit, si memoria tenetis, optimi auditores, etiam calcei erant. Quamquam enim in propria domo vel in amoenis pratis non usque adeo calceis indigemus, tamen in longo itinere vel in bello, cum per montes, per rupes, per saxa, per domos, per aquas et lutum, aliasque sordes transeundum est, calceis carere sine gravi detrimento atque incommodo certe non possumus. Itaque tum demum calceos exuere ac deponere tuto secureque poterimus, cum praesentis vitae confecto curriculo, ad coelestem atque aeternam illam domum pervenerimus, et jam non amplius per loca aspera vel inculta peregrinandum et vagandum, sed quiescendum ac sedendum in paterna domo, vel etiamsi libuerit inter flores ac lilia deambulandum erit. In cujus rei typum ac figuram sancto Moysi ad Deum appropinquare incipienti dictum esse legimus: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas terra sancta est.* At vero dum hic in terris cum tot generibus hostium bellum gerimus et per solitudinem hujus saeculi vastam atque horridam iter facimus, et saepe lutum, saepe saxa, saepe spinae scandalorum, timorum, dolorum de improviso nobis occurrunt: saepe etiam in quaedam florentissima atque amoenissima prata felicitatis humanae repente incidimus, quae flores quidem et rosas, sed etiam spinas et carduos partim admistos habent, et multos angues, multas bestias venenatas suis herbis et graminibus tegunt, nulla re alia magis, quam bonis et firmis calceis indigemus. Ego igitur hodierna oratione ad explicationem ejus sententiae, *Calceati pedes in praeparationem evangelii pacis*, quae suo ordine post loricae expositionem sequitur in apostolo, de calceis verba faciam. Et quoniam non facile in officinis vulgarium sutorum calcei tales inveniuntur, agam vobiscum liberaliter, et duo paria calceorum vobis dabo. Unum ex confessione, et poenitentia peccatorum, alterum ex veterum exemplis, tam bonis quam malis conficietur. Sed necesse erit, antequam ad nostros calceos veniamus, sententiam ipsam apostoli breviter explicare.

Calceati pedes, inquit apostolus, *in praeparationem evangelii pacis*. Sensus horum verborum quantum ad litteram scripturae et apostoli mentem attinet, non alium esse puto, quam ut evangelii praedicator, si cum fructu atque utilitate concionari debeat, pedes, hoc est, affectus mundos, nitidos, liberos etiam et expeditos habeat: non diligat munera, non delectetur plausibus, non affectet gratiam et favorem hominum, non sectetur apparata convivia, non quaerat ullo modo seipsum. A crapula vero atque ebrietate, a fornicatione, a verbis impudicis, a contentionibus et jurgiis, a simonia et avaritia, ita sit alienus, ut ne minima quidem suspicio ejusmodi vitiorum unquam de ipso in populo oriatur. Alioqui enim qua fronte ebriosus de

sobrietate disputabit? Quo spiritu contra avaritiam dicet, qui pluris nummos, quam animas facit? Qua vehementia impudicus et concubinarius a fornicatione alios deterrebit? Quo animo superbus atque ambitiosus, qui omnibus placere cupit, ulla unquam vitia reprehendet? De hujusmodi malis doctoribus, qui quae verbis praedicant, moribus impugnant, loquitur Dominus per Ezechielem; *Vos cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, et oves meae, quae pedes vestri turbaverant, haec bibebant.* Aquam quippe limpidissimam, ut beatus Gregorius exponit, praedicatores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt; sed eamdem aquam pedibus turbant, cum studia sanctae meditationis male vivendo corrumpunt. Porro aquam eorum turbatam pedibus oves bibunt, cum auditores non sequuntur verba, quae audiunt; sed sola, quae conspiciunt, perversa opera imitantur. Quocirca ne talia saepe contingant, apostolus Paulus diligenter monet, ut simus *calceati pedes in praeparationem evangelii pacis.* Et ipse Dominus apud Marcum, cum discipulos suos binos et binos ad evangelium praedicandum mitteret, praecepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem neque in zona aes: sed tamen bene calceati sandalis ambularent, ne quid pulveris aut luti terrenarum cupiditatum eorum pedibus adhaereret: ut vere de illis illud apostoli diceretur: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Haec igitur est sententia hujus loci breviter explicata.

Verum mos in praesentiarum ista ipsa apostoli verba paulo aliter exponemus, ut tam tribulationibus, de quibus hactenus, disseruimus, quam paschalibus seriis, quae jam imminent, oratio nostra conveniat. Itaque evangelium pacis, paschae celebritatem, vel si mavultis, Agnum illum paschalem sacrosanctum corporis Dominici sacramentum interpretabimur. Calceos vero, quos induere jubemur in praeparationem evangelii pacis, confessionis sacramentum accipiemus. Nam quemadmodum olim in veteri Testamento, qui pascha celebraturi et Paschalem Agnum manducaturi erant, cum aliis rebus multis instructi, tum praecipue calceati pedes esse debebant, ut ex libro Exodi cognosci potest: sic etiam qui ad verum pascha peragendum, et verum paschalem Agnum comedendum praeparantur, non solum jejuniis et precibus, aliisque sanctis operibus, quod hactenus fecimus, operam dare convenit, sed etiam confessione ac poenitentia, quae praecipua est praeparatio, pedes illos calceare oportet.

Sed quid habet affinitatis confessio cum calceis? Multum omnino. Nam quemadmodum calcei pedes mundos ac puros conservant, eosque impediunt, ne terram et sordes contingant: ita confessio peccatorum humanos affectus, qui quasi sunt pedes animae, et animam non minus ferunt, quam pedibus ferantur corpora, purgatos nitidosque servat, eosque a terra et rebus terrenis revocat atque abstrahit. Et sicut ii, qui calceis sunt assueti, pedes teneros ac delicatos habent, adeo ut vel minimos lapillos et minutissimas stipulas facile sentiant, nec aliquid pati possunt, quod pedes affligat; ii vero, qui fere nudis pedibus incedunt et solum in dedicatione vel in paschate calceos induunt, ut agricolae et operarii multi, jam occalluerunt, nec modo lapillos et stipulas non sentiunt, sed neque magnis lapidibus aut tribulis offenduntur: sic etiam qui crebro ad confessionem redeunt, teneram conscientiam habent, facile sentiunt spinas, etiam minutissimas peccatorum, nec quiescunt, donec eas de conscientia sua exemerint, et animam languentem atque aegrotam curaverint: at qui raro, qui solum in paschate ad confessionem accedunt, ii rusticos pedes, et assuetos tumoribus et punctionibus habent, non solum parva et levia, sed neque magna, neque gravia, neque horrenda, neque immania crimina atque delicta eos perturbant. Amplissimum stomachum gerunt, facile deglutiunt multitudinem beneficiorum, Simonias, usuras, adulteria, crapulas, ebrietates: et tamen securissime dormiunt, nihil eos angit vel torquet conscientia. Hinc existunt illi, qui aliquando petunt, An fornicatio sit peccatum? Nam de cogitationibus ac desideriis flagitiorum, ne dubitant quidem, ita nimirum pedes eorum occalluerunt, ut licet vulnerentur licet findantur, licet intumescant, nihil tamen ipsi sentiant. Assuescite calceis miseri, vivite more nobilium, non more agricolarum. Si ad regnum coelorum aspiratis, ubi nulli rustici, nulla mancipia, omnes reges et principes erunt, frequente sacramentum tam utile, tam facile, tam salutare, quod incredibili benignitate liberator noster instituit. *Si rem grandem dixisset tibi propheta*, aiunt servi ad Dominum suum Naaman, *certe facere debueras: quanto magis nunc, cum dixerit tibi Lavare et mundaberis?* Si rem grandem, auditores, nobis Dominus praecepisset, nonne pro animae salute facere debuissemus? Quae igitur excusatio reliqua esse potest, cum solum dixerit: Sume calceos, quos non vendo, sed dono: utere calceis, qui offeruntur gratis: stude puritati, ama sanctimoniam dilige innocentiam, assuesce spinas peccatorum cito sentire, et ante eruere, quam in pedibus tuis putrescant. Habemus igitur cur peccatorum confessio calceis comparetur, nunc illud videamus, quomodo in tribulatione et prosperitate nos juvet.

Quomodo juvat in prosperitate? Ad eum modum quo juvat naviculas sentinae evacuatio. Vidistis aliquando naviculas, quae rimas aliquas habent, et sensim aquam admittunt, quae nisi frequenter aqua ejecta releventur facile submerguntur. Tales sunt animae nostrae. Naviculae sunt in Oceano hujus saeculi constitutae, nec ulla tam integra reperitur, quae aliquas rimas non habeat, et aquam peccatorum non admittat. Nam *si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Verumtamen istas rimas tribulatio minuit, prosperitas auget: plures enim peccandi occasiones, majores tentationes divites quam pauperes habent, et plura peccata in prosperitate, quam in tribulatione fiunt. Quocirca s. David experientia propria edoctus, veram illam sententiam de fortunatis hominibus pronunciavit in Psalmo: *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos su-*

perbia, operti sunt iniquitate et impietate sua: prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Quare cum tempore prosperitatis animae navicula rimas multas et magnas habeat, et multum aquae peccatorum semper accipiat, nisi frequenter per confessionem exhauriatur et purgetur, non potest tandem non submergi.

Iam vero contra morbum tribulationis remedium praesentissimum et saluberrimum est confessio peccatorum. Siquidem fons et radix tribulationis, quid est aliud quam peccatum? Nonne scriptura clamat; *Miseros facit populos peccatum?* Et, *priusquam humiliarer ego deliqui.* Et, *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum.* Nonne Dominus paralyticum curaturus, ut ejus morbi radicem ostenderet, dixit ei: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua?* Et ad eum, quem sanaverat ad piscinam, nonne ait: *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat?* Nonne Apostolus Paulus de iis, qui sine debito cultu atque honore tremenda illa mysteria pertractabant vel sumebant, in epistola prima ad Corinthios ait: *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt*, hoc est, moriuntur *multi?* Deus enim initio nascentis ecclesiae; ut hujus sacramenti venerationem et majestatem fidelibus commendaret, saepe repentina aegritudine, vel morte eos mulctabat, qui indigne ad tantum sacramentum sumendum accedebant. Id quod etiam Cyprianus in sermone de lapsis, exemplis aliquot atque miraculis confirmat. Quae cum ita sint, quod efficacius medicamentum contra morbum tribulationis cogitari potest, quam poenitentia et confessio peccatorum, quae cum peccatum tollit, ipsam radicem tribulationis tollit? Itaque valet aliquid contra tribulationem oratio, valent supplicationes, valent eleemosynae, valent jejunia, valet spiritualium lectio librorum, sed omnia ista et alia permulta generis ejusdem numquam sufficient, nisi ad peccatum, radicem videlicet tribulationis, securis poenitentiae et confessionis admoveatur.

Deinde juvat etiam plurimum confessio peccatorum ad omnem moerorem ac tristitiam ab animo abstergendam. Est vero tristitia morbus maximus, qui ut Ecclesiasticus ait, multos occidit: et ut pulchre Salomon docet: *Sicut tinea vestimento et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Tinea enim nascitur ex panno et pannum consumit, vermis oritur ex ligno et lignum rodit: ita tristitia nascitur ex corde et ipsum cor perpetuo rodit, consumit, affligit, cruciat, neque ex ulla re quietem et consolationem capere permittit. Denique tristitia est quasi anima, et vita tribulationis, ita ut si tristitia absit, jam tribulatio non amplius tribulatio dici possit: Si vero non absit, etiam prosperitas quaedam tribulatio esse videatur. Istum igitur morbum sanat confessio. Nam quemadmodum per peccatum intrat in hominem diabolus et cum eo mille furiae infernales, mille suspiciones, mille timores mille sollicitudines, et simul vermis conscientiae excitatur, qui tristitia et amaritudine animam replet. Sic etiam per confessionem deleto peccato et diabolo exeunte, ingreditur in animam gratia Dei, ingreditur iustitia et charitas, et pax et gaudium in Spiritu sancto. Vidisti hominem plenum malis humoribus et conturbato stomacho? quam ille, quaeso, male se habet. Omnia fastidit, ad omnia nauseat, nescit quid velit, sibi ipsi est gravis. At si illos malos humores evomat, quam celeriter stomachus relevatur, et laetitia ac serenitas redeunt. Hoc ipsum in animo spiritualiter facit confessio, nempe medicamentum est, quo pravi humores, atque adeo venenum ipsum peccati totum evomitur, et tunc animae stomacho relevato spiritus bene se habet, exultat, gaudet, gestit, et conscientia bona et charitas Dei, quae in ipso est, eum tristem esse nullo modo patitur. Lege vitas sanctorum, et videbis nullos esse homines, qui majore et solidiore perfruantur gaudio et pace, quam eos, qui toto animo serviunt Deo; et dulciores esse lachrymas sanctorum omni risu et cantu hominum peccatorum. Quamquam enim vel inopiam vel aegritudinem vel persecutiones quandoque sancti patiuntur exterius, tamen regnum Dei, et consolatio Spiritus sancti, quam habent interius, multo est major, et externam miseriam atque molestiam prius absorbet, quam ad cor perturbandum penetrare possit.

Postremo juvat etiam confessio peccatorum ad repellendas et superandas tribulationes, ex eo, quod facit, ut homo poenam aliquam a sacerdote sibi propter scelera sua injunctam libenter accipiat. Deus enim cum hoc videt, retrahit saepe manum, quam ad punienda peccata filiorum suorum extenderat, et fructibus poenitentiae delectatus quodammodo dicit, res se bene habet, agnoscunt isti peccatum suum et justitiae zelo vehementer accensi, ipsi scelera et flagitia sua castigant: ego igitur retraham manum meam, cessare faciam tribulationes, bellis et tumultibus finem imponam, dicam angelo percutienti. Sufficit iam, compesce manum tuam. In quo tamen studio, auditores, pudet dicere quam nos Christiani a Judaeis turpiter superemur. Illi enim nobis comparati, non viri, sed pueri erant: et idcirco legem quasi paedagogum acceperant, et tamen illi pueri cum necessitas id postulabat, semper aspera poenitentiae genera sponte suscipiebant, praedicabant jejunium, induebant saccos, incumbebant cineri, clamabant ad Dominum in fortitudine, et eo modo omnia Dei flagella facile deprecabantur. Nos vero, qui cum illis comparati viri sumus, in tam gravibus periculis, quae totius patriae ruinam et eversionem minabantur, et adhuc fortasse minantur, quando fides et religio non hominis unius, non unius civitatis, non unius provinciae, sed tot provinciarum simul in discrimen maximum adducebantur, et adhuc etiam forsitan adducuntur, quid nos fecimus aut facimus? Quos fructus dignos poenitentiae demonstravimus? Una aut altera supplicatione excepta, eaque tepide ne dicam frigide peracta, quid aliud, quaeso, possumus ostendere? Aliud omnino, aliud necessarium est, si Deum quem tam graviter nostris sceleribus offendimus placare volumus: *facite fructus dignos poenitentiae*, clamat magnus ille Ioannes, *et ne velitis dicere, Patrem habemus Abraham.*

Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Non ait, peccastis quiescite deinceps male agere, et satis est. Ita sane Lutheranus quispiam dixisset. Neque rursum ait, Poenitentiam agite, quod tamen multo amplius erat: sed quid: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Quam magna deliquimus (inquit b. Cyprianus) tam graviter defleamus: alto vulneri diligens et longa medicina non desit: poenitentia crimine minor non sit. Ac ne forte quis nobilitatem generis vel gradum honoris opponat, ipse addit: *et ne velitis dicere, Patrem habemus Abraham. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Quid est omnis arbor? Omnis homo quicumque ille sit, sive rex, sive dux, sive comes, sive episcopus sive abbas, sive doctor sive magnus, sive parvus, sive dives, sive pauper, sive nobilis, sive ignobilis, si fructus non facit dignos poenitentiae, excidetur et in ignem mittetur. Non accipit Deus personas, non admiratur purpuram et sceptrum: non terretur ad magnas opes et longos ordines famulorum, sed omnem arborem, quae non facit fructum bonum, excindet eam et in ignem mittet. Quamobrem, auditores, cum et sacrum hoc tempus, in quo sumus et solemnissima paschalis celebritas, quae iam imminet, et praesentes totius patriae calamitates ad veram et plenam confessionem, et poenitentiam nos invitent: agite quaeso, et magno animo atque ardenti justitiae zelo positis paulisper negotiis caeteris, unusquisque in cubiculo cordis recogitemus primum in amaritudine animae dies nostros, excutiamus diligenter omnes sinus et latebras conscientiae nostrae; deinde pedibus sacerdotis tamquam Domini ipsius pedibus advoluti, cum omni humilitate et veritate delictorum nostrorum confessionem deponamus: postremo injuncta nobis a spiritali judice poenitentiae opera libenter accipiamus, alacriter expleamus, et quantum possumus poenitentiae fructibus Domino satis faciamus. Luceat, quaeso, poenitentiae studium, et verum emendationis propositum in vestium honestate, in verborum gravitate, in omni parsimonia et sobrietate. *Quae enim societas luci ad tenebras? Aut quae conventio Christi ad Belial?* Quomodo ista cohaerent, agere poenitentiam et indui variis et curiosis et magno studio laboratis vestibus? Agere poenitentiam et celebrare convivia? Agere poenitentiam et a jocis, a ludis, a verborum turpitudine et levitate non abstinere? Agere poenitentiam et sphaeristeria frequentare? Agere poenitentiam et eleemosynas nullas facere? Certe veteres christiani, ut ex Tertulliano et Cypriano et aliis scriptoribus vetustissimis intelligi potest, cum poenitentiam agebant, cibo et potu parcissimo et simplicissimo utebantur, non equis aut curribus vehebantur, terrae ac cineri incumbebant, non balnea frequentabant, vestes viles vel etiam sordidas induebant, corpus jejuniis et animum moeroribus affligebant: omnes denique sibi delitias ac voluptates interdicebant, totique in eleemosynas, in orationes, in fletus ac lacrymas incumbebant. Imitemur, quaeso, nos teneri ac delicati christiani, vel minimam horum partem. Quiescat paulisper cocus et servus et ancilla, qui ventri nostro tamquam implacabili domino toto anno ministrant, nec ullas unquam ferias habent. Cibo modico et simplici contenti simus. Nam et Christus felle et aceto contentus fuit. Non videamus hac hebdomada ullam in vestibus vanitatem, quando Christus etiam necessariis indumentis spoliatus fuit. Claudantur saltem ad tempus omnia sphaeristeria, demus aliquas horas orationi, tempus in passione dominica cogitanda ac veneranda ponamus. Ita fiet, ut *calceati pedes ad evangelium pacis*, hoc est, ad paschales ferias praeparemur, et gratia atque amicitia Dei nobis conciliata, omnem calamitatem et tribulationem facile superemus.

PARS SECUNDA.

Duo paria calceorum promisimus, unum iam exhibuimus, exhibemus nunc Domino adiuvante etiam alterum. Proxima vero oratione de evangelio pacis et scuto fidei, quae duo supersunt, breviter disseremus.

Iam igitur alterum per calceorum ex veterum exemplis fieri debet. Quomodo enim calcei, quibus iter facimus, non ex holoserico, sed ex corio mortuorum animantium fiunt; ita pedes animae, affectus omnes nostros in hac difficili et laboriosa peregrinatione tegere debemus pellibus mortuorum, hoc est, memoria ac recordatione veterum exemplorum. Sunt autem tres praecipuae utilitates exemplorum. Una est, quod mentem illustrant, altera quod memoriam iuvant, tertia, quod movent atque accendunt voluntatem. Primum, illustrant mentem: sunt enim quasi quidam aquaeductus, quibus aqua veritatis in animum nostrum infunditur. Legimus in scripturis: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe ei et alteram.* Quid est hoc? Sume exemplum, et intelliges. Vide quid Christus fecerit, cum alapam in passione a scelerato quodam accepisset. Quid ille fecit? Num alteram praebuit? Minime vero, sed ait: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me caedis?* Hinc ergo discimus alteram maxillam esse praebendam quantum ad animi praeparationem, hoc est, ita patienter ferre debemus unam alapam, ut parati simus, si necesse sit, accipere etiam alteram: alioqui cum nulla necessitas id postulat, quid opus est praebere alteram, et dare occasionem scelerato homini, ut iterum peccet? Itaque sapienter Isidorus optimum scripturae commentarium esse docet, facta atque exempla sanctorum. Deinde iuvant memoriam. Nam exempla multo avidius audiuntur, et propterea altius infiguntur memoriae, quam verba. Sed potissima vis exemplorum in eo posita est, ut moveant voluntatem. Tria sunt, quibus homines persuaderi ac moveri possunt, Scriptura, viva vox et exempla: Scriptura ultimum locum obtinet. Nihil enim habet aliud, quam verba et verba mortua. Idcirco si legis multos pios libros et non moveris, eas ad concionem, audi vocem vivam, et fortasse moveberis. Verum quamquam multum possit vox

humana, et multum sibi vendicet rhetorica in affectibus movendis, tamen nullo modo cum efficacia exemplorum comparandi potest. Quid enim sunt verba nisi verba et voces? At exemplares sunt, opera sunt, facta sunt, quae videri oculis et manibus tangi possunt. Hinc saepe magis delectat simplex historia, quam ornatissima oratio, et magis movent vita et res gestae sanctorum, etiam rudi et impolita oratione expositae, quam omnia argumenta et ornamenta rhetoricae.

Sunt autem duo genera exemplorum: quaedam ostendunt, qui alii egerint, et haec quidem magnam vim habent: quaedam vero demonstrant, quid alii passi sint, et haec suum gradum efficacitatis obtinent. Hinc verba Christi multum movent, multum etiam movent miracula et opera praeclara, quae in terris gessit; sed nihil tamen ita movet, ut eius passio, cum quis cogitare incipit, quanta maiestas pro vilissimis vermiculis sputa, colaphos, flagella, spinas, et ipsam crucem pati voluerit. Videbatur Christus in cruce pendens nihil agere, sed numquam tanta egit, quam tunc. Movebat terram, scindebat lapides, frangebat velum, obscurabat solem, aperiebat coelum, mortuos excitabat, et quod maius est, peccatores ad poenitentiam convertebat, ita ut a cruce multi redirent percutientes pectora sua. Denique tunc implebat, quod dixerat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Philosophi olim multa dicebant, sed quia parum agebant et nihil patiebantur, nemini persuadebant, rhetoricam istam ignorabant, quam Dei Filius docuit: at apostoli a Christo edocti simpliciter loquendo, sed multa faciendo, et maiora patiendo, quicquid voluerunt, persuaserunt: non voluptates, et Epicurus, sed passiones, dolores, crucem. Et quibus? Toti mundo, regibus, imperatoribus, tyrannis. Magna igitur est vis, magnum robur exemplorum. Ex hoc igitur tam nobili ac pretioso corio calceos nobis conficiamus.

Quo vero duos pedes habemus, dexterum et sinistrum, duo etiam calcei necessarii erunt. Et sinistrum quidem ex malorum, dextrum ex bonorum exemplis consuemus. Incipiamus si placet a sinistro. Vis unum insignem calceum efficere, qui sinistro pedi tuo optime conveniat? Constitue tibi materiam ante oculos: aspice atque intuere rempublicam iniquorum, quae ex daemone tamquam ex capite, et omnibus avaris, ambitiosis, voluptariis, ethnicis, haereticis, schismaticis, tamquam membris et partibus constat. Converte oculos imprimis ad ipsum ducem, et vide qualis quondam fuerit, et qualis modo sit. Quid fuit aliquando is, quem nunc Diabolum et Satanam appellamus? Primus et nobilissimus Angelorum omnium, atque adeo totius opificii divini praestantissima portio. At iste idem quid est modo, et quid erit in aeternum? Sentina quaedam omnium miseriarum, spiritus terrimus, superbissimus, invidus, obstinatus, qui nihil cogitat, nisi malum: nihil molitur, nisi malum. Agitur perpetuo infernalibus furiis: angitur torquetur, et fumus tormentorum eius ascendet in saecula saeculorum. Converte deinde oculos ad teipsum, et pedibus tuis corium istud accomoda, dicas apud te, Deus bone si princeps angelorum optimus et sapientissimus vim prosperitatis ferre non potuit, et propterea tam facile, tam celeriter, tam admirabili conversione postremus de primo, pessimus de optimo, miserrimus de felicissimo factus est, quid mecum fiet, qui sum pulvis et cinis, nisi contemptis rebus omnibus omnique pompa et prosperitate calcata sub alas tuas Domine confugiam, tibique uni constanter adhaeream? Aspice deinde partes et membra huius capitis avaros, ambitiosos, ethnicos, haereticos, perditos denique et sceleratos omnes et videbis in tota republica iniquorum nullum esse otiosum, nullum qui crucem et crucem gravissimam non ferat, et libentissime ferat. Videbis eos noctes et dies numquam quiescere, semper ambulare, semper progredi, semper proficere in via iniquitatis et perditionis, etiam usque ad lassitudinem et fatigationem, ut postea dicant: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis et ambulavimus vias difficiles*, et quis eorum est finis? quid tantis laboribus et sudoribus quaerunt? Quo tam longis et laboriosis itineribus tendunt? Ut parum terrae, ut parum fumi, ut res nullius momenti et ponderis sibi comparent. O quot martyres diabolus habet, quorum tamen non alius finis est, quam usque ad summum replere gehennam.

Aspice hominem avarum, aestuat perpetuo variis curis, raro comedit, rarius dormit, nunc est in mari, nunc in terra, saepe in itineribus, semper in periculis, tolerat aestum, frigora, ventos, pluvias, nives. Et quamobrem? Ut aurum congreget, et ubi congregaverit, moriatur, et ipse quidem ad inferos recta descendat, aurum vero illud ab belluonibus et potatoribus filiis tribus diebus totum dissipetur. *Thesaurizat* enim, sed *ignorat cui congregabit ea.* Nam *cum* perierit, *non sumet omnia, neque descendet cum eo* pecunia eius.

Aspice hominem superbum atque ambitiosum, quid ille non facit, quid non aggreditur, nonne coelum cum terra quodammodo miscet, ut ad honorem aliquem perveniat? Blanditur adulatur, assentatur nobilibus viris, versat naturam suam, et regit ad tempus, atque huc et illuc torquet ac flectit: cum tristibus severe, cum remissis iucunde, cum senibus graviter cum iuvenibus comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivit. Denique ubi spem aliquam novi honoris affulgere videt, eo se totum convertit, et tamquam ad aviculam capiendam sua retia et laqueos tendit, et saepe miser nihil retibus suis nisi maiores curas et sollicitudines capit. Istum aequare, illum superare contendit, et si quem praeire vel uno passu videat, invidentiae rabie pene conficitur, et tamen non alio cibo, quam fumo paleae alitur et nutritur.

Aspice philosophos veteres, quid illos, quaeso, vana spes sapientiae, et ingens quaedam sciendi cupiditas facere cogebat? Aliis sibi voluptatibus omnibus interdicebant, aliis omnes suas opes in mare demergebant, alii remotissimas regiones incredibili labore et periculo adibant. Quidam etiam inventi sunt, qui seipsos occiderent, ut corporibus liberi facilius philosophiae operam darent. Sic Pythagoras Memphiticos vates magno labore adiit. Sic Plato Aegyptum et iram oram Italiae, quae ma-

gna Graecia dicebatur, laboriosissime peregravit, et cum literas quasi toto fugientes orbe persequeretur, captus a pyratis, et venumdatus, etiam crudelissimo tyranno paruit. Sic Apollonius, ut in epistola ad Paulinum ex Philostrato divus Hieronymus refert, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima indiae regna penetravit, et ad extremum latissimo Phison amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, Parthos, Syros, Phoenices, Arabes, Palaestinos: reversus Alexandriam, perrexit in Aethiopiam, ut Gymnosophistas et famosissimam solis mensam videret in sabulo.

Aspice postremo fervorem ac diligentiam haereticorum in suis deliriis et somniis propagandis. Scribunt quotidie maximos libros, ferunt laborem assiduum concionandi, semper vigilant ad capiendas animas blanditiis, promissionibus, mendaciis, fraudibus, fictis miraculis, librorum corruptelis, armis etiam et terroribus errores suos persuadere conantur: saepe quoque torqueri se, et cruciari, et vivos cremari non tam fortiter, quam pertinaciter ferunt. Nam supplicium quod haeretici patiuntur, (ut sapienter b. Cyprianus ait) non est fidei corona, sed poena perfidiae, et de incendio temporali, transeunt ad aeternum.

Sed ubi relinquimus milites, quorum exempla toto hoc anno spectare potuimus? Si quis militiae finem ignoraret et videret homines tam alacriter, tam audacter, inter gladios et hastas, bombardas et ignem ac aquam versari, nulla discrimina metuere, non vulnera recusare, non mortem subterfugere, nonne putaret magnum aliquid eos quaerere? Et quid tandem et aliud? Fortasse regnum aut imperium aliquod? At neque hoc tantis laboribus dignum videtur: Sed tamen pro regno vel imperio milites pugnant, sed pro tribus nummis, pro re incerta, et si vitam perdant, quod plerumque accidit, simul omnia perdunt.

Et nos Christiani non erubescimus, qui non parum terrae, ut avari; non parum fumi, ut ambitiosi; non incertissimam cognitionem, ut ethnici philosophi; non errores et somnia propagare, ut haeretici; neque stipendium tantum nummorum, ut milites; sed regnum aeternum, regnum coelorum, vitam beatam, et immortalem, sanctorum consortium, angelorum aequalitatem, Dei similitudinem quaerimus, non erubescimus, inquam tanto proposito praemio, nihil posse aut nolle pati? Surgent profecto, surgent in iudicio servi mundi, et servos Domini iudicabunt: quod illi diligentius et alacrius tyranno crudelissimo servierint, qui iugum durissimum onusque gravissimum imponebat, et res vanissimas in stipendium promittebat, quam nos optimo et benignissimo Patri, qui iugum suave et onus leve, quod imponebat, ipse nobiscum simul ferebat, et summam ac sempiternam felicitatem in mercedem laboris liberaliter offerebat. Surgent ethnici philosophi et nos Christianos iudicabunt, quo multo illi plura propter solam sciendi cupiditatem, quam nos propter animae salutem et divinam charitatem effecerimus, quodque plus apud eos vana curiositas, quam apud nos summa Dei veritas potuerit. Surgent postremo etiam haeretici, et Catholicos iudicabunt, quod illi, qui miracula non viderunt, qui sanctos homines nullos habuerunt, qui omnibus fere spiritalibus armis atque adiumentis caruerunt; tamen audentius, alacrius, ferventius phantasmata et somnia sui capitis seminare propagare, defendere studuerunt, quam nos veram et sanam et antiquam ac fundatam ecclesiae fidem: qui tot miracula Christi et sanctorum omnibus saeculis vidimus: qui innumera exempla excellentissimae sanctitatis habuimus: qui tot sacramentis, tot sanctis libris, tot auxiliis, tot magistris ac doctoribus abundavimus. *Erubesce Sidon, ait mare*: erubesce catholicae, qui tamquam civitas in monte posita supra firmam petram es fundatus, et tamen turbaris, nutas, deiceris flante minimo vento tribulationis, cum ipsum mare, id est, haereticus, qui semper agitatur, et circumfertur *omni vento doctrinae*, tamen errores suos usque ad mortem obstinatissime tueatur. *Transite ad Insulas Cethim, et videte, et in Cedar mittite et considerate vehementer: et videte si factum est huiusceмodi. Si mutavit gens Deos suos*, ait Hierem. c. 2 *et certe ipsi non sunt dii: populus vero meus mutavit gloriam suam idolum. Obstupescite caeli super hoc, et portae eius desolamini vehementer dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. Numquid servus est Israel aut vernaculus? Quare ergo factus est in praedam? Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam, posuerunt terram eius in solitudinem, civitates eius exustae sunt, et non est qui habitet in eis.* Verba sunt prophetae Hieremiae, quae utinam non tam apte in haec nostra tempora convenirent. *Transite* enim et vos, si placet, *ad insulas Cethim, et videte: et in Cedar mittite et considerate, si mutavit gens Deos suos, et certe ipsi non sunt Dii.* Animadvertite studia Calvinistarum et Anabaptistarum, et videte quam pauci, quam difficulter, quam aegre fidem suam deserant, etiam quibusvis tribulationibus, terroribus urgentibus: et certe illa non est fides, sed perfidia: neque ibi est salus, sed certa damnatio. Considerate mores avarorum, et ambitiosorum, et videte quam raro mutent ipsi Deos suos, idola illa sua, pecunias, et honores: et certe ipsi non sunt Dii, neque in eis ulla est quies, sed maior miseria. *Populus vero meus mutavit gloriam suam.* Utinam, utinam hoc verum non esset: quam multi summa levitate, summa facilitate, summa inconstantia propter exiguam aliquam tentationem vel tribulationem verae fidei gloriam haeresi, religionem impietate, pudorem impudicitia, sanctimoniam sceleribus mutaverunt: et Deum quidem *fontem aquae vivae dereliquerunt*; *cisternas* autem *sibi foderunt, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas?* Quid igitur mirum, si tamquam servus et vernaculus populus meus nunc flagellatur: si factus est in praedam, si super eum rugiunt leones, si terram eius ac civitates eius diruunt, spoliant, exurunt, ad solitudinem et vastitatem vocant? Id enim merito patimur, ut sciamus et intelligamus, quam *malum et amarum est reliquisse* nos *Dominum Deum* nc-

strum. Sed de sinistro calceo et malorum exemplis satis dictum est.

Veniamus ad calceum dextrum, ad exempla sanctorum. Aspice in primis caput ac regem Christum: deinde prophetas, apostolos, martyres, confessores, doctores, anachoretas, virgines, sanctos caeteros, ex quibus civitas Dei, et respublica iustorum constat, et videbis, nullum unquam extitisse virum sanctum, qui per multas tribulationes, aerumnas, et calamitates non transierit: tandem ad teipsum oculos converte, et vide, num conveniat, ut tu solus a communi lege excipiaris, et propter te alia via, et alia porta aperiatur, praeter illam arctam et angustam, quae iam tot saeculis frequentata ac celebrata est. Consideremus igitur paulisper ducem atque imperatorem exercitus sanctorum. Audiamus quid de eo Apostolus dicat: *Deponentes omne pondus*, inquit, *et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet. Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Utrumque par calceorum nos induere iubet hoc loco apostolus Paulus. Vis, inquit, ambulare, et currere, et pervernire ad bravium? Sume in primis calceos confessionis et poenitentiae, depone pondus, et circumstans te peccatum: deinde si hoc non sufficit, sume etiam calceos exemplorum, accipe Christi exemplum: et ne tibi fortasse vile atque abiectum id videatur, et magis velis Alexandros et Caesares imitari, cogita Iesum auctorem et consummatorem fidei, hoc est, eum qui donat et coronat fidem, qui est principium et finis, qui est vita et via, quid ducit et perducit: qui nunc facit ut credas, et postea faciet ut non frustra credas, cum ipse dator et remunerator fidei, qui in te coepit opus bonum, ipse perficiet et fidem consummabit, hoc est, beata atque aeterna visione commutabit. Aspice igitur istum auctorem et consummatorem fidei tamquam speculum sine macula, et quasi aeneum serpentem in deserto exaltatum, et sicut novi et rudes pictores diligenter aspiciunt insignem aliquem pingendi magistrum, cum forte manus habet in tabula: sic et tu aspice diligenter peritissimum hunc magistrum patiendi, dum in tabula crucis sanguine suo ipsam ideam patientiae dipingit. Et quomodo pingit? Quid agit? *Qui proposito sibi gaudio*, inquit, *sustinuit crucem confusione contempta*: hoc est, qui sponte sua, et libera voluntate, non compulsus, non coactus, elegit potius in hoc mundo tribulationem quam prosperitatem. O christiani, quid hic dicemus? Num adhuc recusabimus pati? Ecce Christus hic est alter Salomon, vel etiam plus quam Salomon Emmanuel est, qui novit reprobare malum et eligere bonum, amicus et frater noster est, qui nos nullo modo decipiet: ipse igitur proposito sibi gaudio, cum posset in coelesti gloria semper manere, et miserias nostras numquam gustare, vel etiam posset, si vellet homo fieri, et regnum orbis possidere, nec unquam vel famem vel sitim vel nuditatem vel contumelias vel vulnera vel mortem experiri, tamen sponte et libere crucem elegit, ut nobis viam bonam et rectam exemplo suo demonstraret. Poterat ipse vivere ut sanus, et nec vigiliis et nec ieiuniis nec aliis poenitentiae operibus indigebat, quippe qui peccatum non fecerat, et in quo caro spiritui non repugnabat: tamen quando nos aegrotos difficiles, impatientes ac pene phreneticos esse videbat, et tamen sanare cupiebat, sumpsit ipse primus pharmacum amarum, et aegrotorum legibus vixit, ut idem nos, si non praecepto, saltem exemplo eius persuasi faceremus. *Recogitate*, igitur *eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.* Non est satis cogitare semel, sed iterum et iterum cogitare, tum ut simus animantia munda, quorum proprium est ruminare, tum quod non unum genus passionis, neque unam aliquam virtutem, neque unum aut simplex beneficium in cruce spectandum nobis exhibetur, sed innumeri cruciatus, innumerae virtutes, innumera beneficia. Recogitate eum. Quem? Quis est iste quem recogitare debemus? Unius tantum exemplum nobis proponitur. Eum recogitate, qui rex et pontifex et propheta et doctor ac magister universo orbi datus est. Eum recogitate, qui solo verbo, solo imperio, solo nutu daemones fugabat, languidos curabat, mare et ventos compescebat, claudis gressum, surdis auditum, mutis vocem, coecis lumen, mortuis vitam restituebat. Eum recogitate, qui *in forma Dei* existens, *non rapinam* arbitrabatur *esse se aequalem Deo*: et quem sanctus Isaias *sedentem* vidit *super solium excelsum et elevatum*, et quem seraphici illi supernique spiritus non sine admiratione et stupore et quasi metu quodam semper aspiciunt, *et clamant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terrra gloria eius*, istum recogitate. Hic est enim qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, seipsum nobis exemplum patientiae exhibere voluit. Et quid passus est? Quid sustinuit? *Talem* inquit *contradictionem.* O Christiane, tu superbus es, et vis humilis praedicari; impudicus es, et castus vis haberi; avarus es, et tamen vis dici liberalis imperitus: et indoctus es, et tamen si quis hoc dicat, ferre non potes; scribis iniuriam in tabulis aereis, et nulla unquam oblivione deleatur. Recogita igitur eum, qui talem sustinuit contradictionem: qui sanctus sanctorum erat, et tamen Pharisaei dicebant: *Nos scimus, quod hic homo peccator est.* Ipsa Dei sapientia erat, et tamen tamquam stultum et furiosum aliquem ligare voluerunt. Ieiuniorum et sobrietatis amantissimus erat, et tamen dicebant; *Ecce homo vorax et potator vini.* Totum hominem in sabbatho curabat et tamen dicebant, *non est hic homo a Deo, qui sabbathum non custodit.* In Spiritu et virtute Dei ab hominibus daemones effugabat, et ipsi tamquam insani et phrenetici dicebant; *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.* Denique verbo et exemplo viam salutis ostendebat, et tamen

eum Samaritanum, daemoniacum, seductorem appellabant. Ipse vero quid? *Sustinuit*, inquit. Nam *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur*, neque reddebat malum pro malo neque maledictum pro maledicto: sed vere mitis, vere mansuetus ferebat, sustinebat, patiebatur. Sed parum esset, si verborum dumtaxat contumeliam et contradictionem, non verberum etiam, et plagarum sustinuisset. Sed hoc est admirabile, hoc pene est incredibile, quod filius Dei, qui bonis nostris non indigebat, non sua, sed nostra causa, pro nostra utilitate, pro nostra salute in mundum venerit, et pertransierit *benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo*, et tamen ita ab hominibus ei sit contradictum, ut eum modo tamquam furiosum ligare, modo praecipitare voluerint: deinde vendiderint, comprehenderint, ligaverint conspuerint, flagellaverint, spinis coronaverint, in crucem egerint, occiderint, idque tanta rabie, tanto furore, ut uno atque eodem die accusaverint, damnaverint, trucidaverint: id quod nec in latronibus, nec in parricidis, nec in proditoribus nec in ullis quamquam immanissimis et facinorosissimis reis fieri consuevit. *Talem igitur contradictionem ille sustinuit*, qualem nullus unquam antea: ut *a planta pedis usque ad verticem capitis non* fuerit *in eo sanitas*; talem, ut merito Simeon dixisse videatur, futurum eum tamquam signum, cui contradiceretur; talem, ut quantum ad locum, in urbe clarissima et celeberrima Ierosolymorum; quantum ad tempus, in paschalibus solemnissimis seriis, quantum ad aetatem in ipso flore iuventutis; quantum ad durationem, ab infantia usque ad obitum; quantum ad multitudinem et varietatem, omne genus tormentorum et cruciatuum contineret. Denique talem, ut enim Dominus Christus omnia fecerit in numero, pondere et mensura, solum labores et dolores sine numero, et mensura pati voluerit, et vere in Psalmo diceret: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*: et cum neque in cibo, neque in potu, neque in somno, neque in ulla re alia unquam excesserit, tamen in patiendo et tolerando omnem modum et mensuram excessisse: adeo ut merito in die transfigurationis Moyses et Elias cum stupore dicerent *excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*. Talem igitur et tantam contradictionem Christus sustinuit. Nam non cecidit, non deiectus et prostratus est, sed omnia tanta patientia, tanta mansuetudine, tanta animi constantia et aequitate sustinuit, *ut* etiam *praeses* Pilatus *mirarelur vehementer*, et centurio quidam diceret: *Vere filius Dei erat iste*. His omnibus accedit, quod talem et tantam contradictionem a peccatoribus sustinuit. Saepe homines audimus dicentes, utinam aliquis alius mihi hanc iniuriam intulisset, ferrem aequo animo, sed ab isto homine nequam, ab isto nebulone, quem semper odi, acceptam iniuriam deglutire non possum. At si eum aliquando recogitares, qui talem a peccatoribus sustinuit contradictionem, ista non dicere. Quid enim magis Christus odit, quam peccatum? Quid magis contrarium summae illi bonitati et puritati esse potest, quam sordes et turpitudo flagitiorum? Et tamen a sordidissimis, ab impurissimis, a scelestissimis Christus passus est, nec solum a talibus, sed etiam, quod magis est admirandum, pro talibus passus est. Itaque nulla remanet excusatio, sed a quocumque tribulatio veniat, ad exemplum Domini aequo ac lubenti animo toleranda est.

At quisnam est finis horum calceorum? *Ne fatigemini*, inquit apostolus, *animis vestris deficientes*. Si nudis pedibus ambulare volueris, facile pedes intumescent, et a spinis et lapidibus laesus progredi non poteris, fatigaberis deficiens in media via: at si calceos indueris, si cogitaveris quanta pro te Christus pertulerit, si videris te nondum usque ad sanguinem restitisse, mutabis fortitudinem, ambulabis et non deficies, curres et non fatigaberis.

Sed fortasse dices, quid mirum, si Christus tantam constanter pati potuit? Deus enim erat. Quid enim Deus non posset? At nos homines tantum, infirmi ac debiles sumus. Aspice igitur castra sanctorum, intuere agmina prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum: num vel unum quiescere atque otiari vides? Quid? Isaias secatur, Hieremias lapidatur, Ezechiel interficitur, Ioannes Baptista capite punitur, Petrus et Andreas crucifiguntur, Paulus, et Iacobus gladio occiduntur, Bartholomaeus excoriatur, alter Iacobus de pinna templi praecipitatur. Audi vero quid Apostolus de se, et apostolis caeteris dicat: *Usque in hanc horam*; inquit. *et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur et benedicimus, blasphemamur et obsecramus: persecutionem patimur et sustinemus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc*. Et alio loco de sanctis omnibus: *Alii vero*, inquit, *ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carcere; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis et in cavernis terrae*. Quis nostrum vel minimam partem horum unquam sustinuit? At isti omnes homines erant, carnem et ossa gestabant, et quod potuerunt, non in se potuerunt, sed in Domino Deo suo. At vehementer fallitur, et toto coelo aberrat, qui per aliam viam et portam, quam per viam et portam crucis se ad veram beatitudinem et felicitatem pervenire posse confidit.

Quae cum ita sint, auditores, ex tam nobili corio calceos nobis conficiamus, et spinas ac tribulos non tam fugiamus, quam conculcemus, et cum mundus, et caro ad quiescendum nos invitant, cum fortissimo illo Uria respondeamus: *Dominus meus Ioab, et omnes servi domini mei super faciem terrae manent. et ego ingrediar in domum meam, ut comedam et bibam et dormiam cum uxore mea*? Absit hoc a me, *non faciam rem hanc*. Quid? Imperator meus Christus descendit in campum, ieiunat, orat, vigilat, tentatur, vulneratur,

occiditur : et omnes servi Domini mei, tribuni et centuriones, prophetae, apostoli, Martyres, confessores, omnes sunt in acie, omnes in solo et pulvere, cum aereis potestatibus fortiter pugnant vulnera et plagas accipiunt, et patiendo ac moriendo triumphos ac palmas inveniunt, et ego umbram et delitias quaeram ? Absit hoc a me, *non faciam rem hanc*. Ita, fratres mei, ita, quaeso, omnes respondeamus, et illi, qui crucem inopiae vel aegritudinis vel alterius tribulationis ferunt, laeto atque alacri sint animo, spem bonam concipiant, sciant se ad castra Domini et sanctorum pertinere, et tempore suo stipendium magnum laboris et coronam immortalem patientiae percepturos : illi vero, qui divites et fortunati sunt, ei fere nihil quod patiantur habent, quaerant et ipsi crucem suam, crucem poenitentiae, crucem eleemosynarum, divites fiant in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi thesauros in coelo : et ipsi quoque misericordiae et pietatis mercedem recipient a rege regum Iesu Christo, qui est in saecula benedictus. Amen.

CONCIO VIII.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

Duo praesenti concione proponuntur pertractanda, cur scilicet sacramentum eucharistiae evangelium pacis dicatur: et qua ratione illud ipsum tam prosperitatis, quam tribulationis tempore prosit. Manifestatur, ad veram pacem tria requiri; justitiam esse parentem pacis, hancque e coelo esse delatam. Triplex deinde asseritur ratio, cur evangelium pacis dicatur ss. Eucharistia. Praeterea quomodo tribus modis eadem eucharistia nobis in prosperis auxilio sit, ostenditur. Quomodo item tribus aliis modis in tribulationibus praesto sit, nimirum passionem dominicam in memoriam revocando; admirabilis patientiae speculum ob oculos ponendo, ubi non vere poenitentes Judae et Judaeis assimilantur; denique instar panis subcinericii vires augendo et roborando, ubi frequens communio suadetur, raram vero diabolum suadere convincitur.

Pars altera ultima christiani militis arma explicat, nempe scutum, quod est fides. Quas utilitates afferat in prosperis fides narratur, docet enim, alia his terrenis multo sublimiora bona inveniri post hanc vitam. Deinde tria delegit vitia, quibus terrena omnia bona laborant, quod parum durent, quod non faciant, et quod de iis exacta Deo sit reddenda ratio. In tribulatione vero ex ea sex eruuntur veritates. Prima, nullam tribulationem graviorem esse peccato. Secunda, nullam tribulationem nobis supervenire nisi a Dei manu profectam. Tertia non esse murmurandum de divina justitia et providentia. Quarta, omnes homines esse peccato obnoxios. Quinta, tribulationem a Christo summum decus accepisse, ac proinde non aegre eam ferre oportere. Sexta, tribulationes esse magni aestimandas, quae singula exacte pertractantur.

Quemadmodum in omnibus sacris, festisque diebus, auditores optimi, nullum Ecclesia Catholica, mater nostra, majore gaudio ac laetitia veneratur et colit, quam eum, quo agitur paschae celebritas et illustrissimus de morte Christi triumphus: ita in omnibus, quae de coelo accepimus, summis divinisque muneribus, nullum neque majus, neque gratius esse solet, quam donum tranquillitatis et pacis, qua non solum ii, quibus mentem, et rationem Deus attribuit, sed etiam animantia bruta et fruges et arbores, ac ut longius multo progrediar, etiam terrae et maria laetari mihi videntur. Quare cum hujus diei laetitia et celebritate mirifice oratio nostra consentiet, si de evangelio pacis, ut concione superiore promisimus, disseramus. Et enim duo maxima atque utilissima sacramenta, si memoria tenetis, apostolica illa sententia; *Calceati pedes in praeparationem evangelii pacis*, nobis a Spiritu sancto diximus commendari; nomine calceorum poenitentiam, evangelio pacis eucharistiam. Ac de calceis quidem poenitentiae comparandis et induendis tota superiore hebdomada, ut par est, solliciti fuimus, in his vero paschalibus feriis in evangelio pacis debito honore suscipiendo, et vero Paschali Agno comedendo toti summo jure occupati esse debemus. Quare de evangelio pacis duo quaedam, si placet, breviter exponamus scilicet cur eucharistiae sacramento potissimum tribuatur? et ad quem modum, tam in prosperitate, quam in tribulatione nos juvet?

Quae igitur causa est (ut a primo incipiamus) cur sacramentum eucharistiae pacis evangelium nominetur? Quid habet cognitionis Agnus Paschalis cum evangelio pacis? Facile id exponam, auditores, si prius de ipsa pace, pauca quaedam dixero. Tria sunt quae sua significatione pacis vocabulum complectitur et sine quibus pax esse aut intelligi nullo modo potest, scilicet conjunctio voluntatum et animorum, bonus et rectus ordo rerum copulatarum, et ejus ordinis firma stabilisque tranquillitas. Conjunctio voluntatum atque animorum quantum ad pacem constituendam necessaria sit, externa signa, quae in componenda pace adhiberi solent, satis apte demonstrant. Neque enim alia de causa, qui ad pacem et amicitiam redeunt, dexteras jungunt, seque amplectuntur et osculantur, quam ut ostendant, ita voluntates animosque pacis foedere copulari, sicut manus et ora et pectora mutuo complexu et osculo conjunguntur. *Pars mihi pacis erit* ait quidam apud poetam) *dextram tetigisse Tyranni*. Verumtamen ista conjunctio, si recto ordine careat, vera et bona pax non erit, ut si uxor dominetur viro, si filius patri, si servus domino, si corpus animo, si caro spiritui, si sensus rationi, et in eo quiescant, et conveniant, conjunctio tamen erit, pax certe non erit: nisi illa fortasse, de qua Dominus ait: *Non veni pacem mittere sed gladium*. Siquidem pax vera munus Dei est: quae autem a Deo sunt, ordinata sunt. Neque vero quicumque erectus ordo, sed ordo stabilis et tranquillus ad veram et bonam pacem constituendam

requiritur. Quocirca b. Augustinus recte pacem definit, ordinis tranquillitatem.

Porro quasi parens et nutrix ac veluti custos pacis justitia est. Iustitia quidem civilis et humana, humanam et civilem pacem: justitia vero coelestis atque divina, quae charitas est, divinam et coelestem pacem efficit et conservat. Unde lites et contentiones, bella et tumultus inter homines? An non ex eo, quod unus alterius bona injuste possidere ac retinere cupit? Tollatur ergo injustitia, et pax erit. Pari ratione, unde tribulationes, morbi, penuriae, terrae motus, tonitrua, fulmina, grandines, siccitates? An non ex inimicitia, quam Deus gerit cum homine? Et unde haec inimicitia? Ex iniquitate, ex eo, quod homo vel Deum non diligit, sicut debet vel non diligit quantum debet, et saepe magis homines offendere timet, quam Deum et sua commoda, suas utilitates, suas voluptates injustissime anteponit Deo. Tollatur haec iniquitas, succedat charitas, vera divinaque justitia, et pax erit. Nam *non est pax impiis, dicit Dominus.* Et Isaias inquit: *Erit opus justitiae pax.* Et sanctus David: *Iustitia et pax osculatae sunt.* Et alio loco. *Declina a malo et fac bonum: Inquire pacem et persequere eam.* tamquam si apertius diceret. Tu quidem pacem desideras, nec immerito: nam pulchra et formosa est valde, sed frustra laboras, frustra fatigaris in ea quaerenda, nisi in domo matris ipsius justitiae illam quaeras. Ergo *declina a malo et fac bonum*, quod justitiae: et tunc demum *inquire pacem et persequere eam.* B. quoque Augustinus octuagesimum tertium psalmum exponens; *Fac justitiam*, inquit, *et habebis pacem: diligunt se mater et filia. Osculantur se justitia et pax, si parentem et amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te.* Si igitur pacem habere cupis, quare litigas cum justitia? Ecce justitia dicit tibi, ne fureris, et tamen non audis. Ne forniceris, et tamen non audis. Non facias alteri quod tu pati non vis, non dicas alteri, quod et tibi dici non vis, et non audis. Itaque es inimicus amicae meae, inquit, pax, et hostis matris meae, et me amicam putas habere? falleris vehementer. Nam ubicumque justitiam esse videro, et ego statim ad eam osculandam advolabo.

Hanc pacem, auditores, nobis Filius Dei attulit de coelo, et moriendo et resurgendo confirmavit, qui ut Apostolus ait: *Traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram; ut justificati per fidem pacem habeamus ad Deum. Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum: et in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris sive quae in coelis sunt.* Atque idcirco, sicut in die natalis eius angeli canebant; *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis*; Sic in die resurrectionis primum verbum, quod ad discipulos loqui voluit, illud fuit; *Pax vobis.*

Quae cum ita sint, facile, nisi fallor, intelligemus, cur Eucharistiae Sacramentum Evangelium pacis nominetur. Nihil enim est aliud panis ille coelestis, quam bonus quidam nuncius in pacis signum praesentis et inchoatae, pignus futurae atque perfectae. Siquidem per hoc divinissimum Christi convivium, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur. Si te ad mensam suam Deus vocat, et tu libenter accedis et cibis ejus plane regiis vesceris nonne signum est te cum eo jam rediisse in gratiam et pace atque amicitia ejus frui? Neque enim hostes et inimici, et amici et familiares invitantur ad mensam. Deinde si in hac valle miseriarum in exilio, in carcere, in stabulo, ubi cum bestiis et feris habitamus, Deus tam excellenti cibo, pane coelesti atque angelorum nos alit, quid quaeso, in regno coelorum, in patria, in domo ipsa fiet? Est igitur eucharistia verum signum praesentis charitatis, et pignus certum futurae gloriae atque adeo perfectae divinae pacis evangelium. Huc accedit, quod panis iste divinus, cum cibus sit animae, ad istam alendam institutus, juxta verbum Domini: *Qui manducat me et ipse vivet propter me*, id proprium habet, ut conservet atque augeat charitatem, quae est ille vivificus calor per quem vitam coelestem, ac divinam animae vivunt. Quod si conservet atque augeat charitatem, certe etiam conservat atque auget pacem, quae ut ante diximus a charitate seu justitia, tamquam a matre filia, separari non potest. Habemus igitur eucharistiae sacramentum cur pacis evangelium nominetur.

Nunc ad illud veniamus, quemadmodum in tribulatione et prosperitate nos iuvet. Quomodo iuvat in prosperitate? Tribus modis. Primum enim exemplo Domini, ad mensam ipsius discis non superbe sapere, neque viles atque obiectos homines contemnere, quis tibi magnus, et potens videaris. Nam si Deus rex regum ad mensam suam omnes admittit, et tam splendide, tam magnifice, laute excipit pauperes, quam divites, obscuros, quam nobiles, parvos, quam magnos, quis tu es, qui conservos tuos te fortasse meliores, quod terrenis facultatibus careant, et non tam bonis vestibus induuntur, tibi contemnendos ac despiciendos putes?

Deinde numquam, puto, audivisti in mensa Domini a sacerdotibus dici, Tu quis es? Magnus princeps es? Sedeat ergo vestra maiestas in throno illo sublimi. Et, Tu quis es? Nobilis quidam comes? Bene, sta igitur ibi iuxta regem. Et, Tu quis es? Homo miser et mendicus? Itane? Maneas igitur procul in extremo templo, operto capite, et flexis genibus et expecta donec isti magni et nobiles viri coenam suam absolverint: tum si quid supererit, dabitur tibi. Non ita profecto: sed vides non minus regibus et imperatoribus, quam vilissimis eorum servulis, necesse ad hanc mensam non sedere, non fabulari, non respicere huc atque illuc, sed aperto capite, flexis genibus iunctis manibus, cum timore ac tremore consistere. Quae cum ita esse videas, mirum certe est, si non dicis apud te ipsum, ego non tantus sum, quanti meipsum facio: neque istae opus vel honores quibus caeteris antecellere videor, me vere maiorem et nobiliorem caeteris reddunt. Nam si vere maior et nobilior essem, cur in mensa Domini locum nobiliorem non haberem? Cur tamquam unus de turba mendicorum sederem? Cur mihi non amplius, quam caeteris daretur? Num iniustus aut invidus est Deus?

Fallitur ergo, fallitur, qui ex rebus istis terrenis, quae malis et bonis sunt communes, verum splendorem et nobilitatem metitur.

Postremo exemplum clarissimum sanctae humilitatis tibi ante oculos eucharistia ponit, si tamen oculos ad hoc videndum aperire dignaris : nempe coelestis ille panis non solum ignominiam et dolores Christi patientis, sed etiam gloriam et triumphum resurgentis repraesentat. Hinc enim statim post consecrationem hostiae salutaris sacerdotes dicunt: *Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta ejusdem Filii tui Domini nostri, tam beatae passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in coelis gloriosae ascensionis*, et quae sequentur. Dominus autem cum ab inferis victor mortis et peccati rediisset, et corpus gloriosum atque immortale iam induisset, et possessionem regni sempiterni a patre recepisset, vitam viveret, multo quam antea nobiliorem et beatiorem, tamen non propterea piscatorum suorum est oblitus, sicut ii faciunt, in quibus honores mutant mores, et qui si gradum aliquem dignitatis ascendant, non amplius amicos veteres agnoscunt. Non ita Dominus facit, sed ad suos pauperes, ad suos piscatores, solita benignitate veniebat, loquebatur, nec minus comiter et familiariter quam antea, denique etiam fratres suos eos vocabat; *Vade*, inquit ad Magdalenam, *ad fratres meos, et dic eis, Ascendo ad patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Disce igitur et tu, si Dominum tuum imitari non dedignaris, in quamvis magnis honoribus humilitatem, non te efferas super alios, non tibi turpe esse ducas versari cum pauperibus, eosque et verbis et rebus consolari.

Veniamus nunc ad bellum tribulationis. Quomodo sacramentum istud in tribulatione nos iuvat? Tribus aliis modis. Principio siquidem, ut ante dicebamus, dominicam passionem ad memoriam nobis revocat. Quocirca cum ad sacram communionem accedis, apud te ipsum dicere debes ; Si Filius Dei tanta pro me vilissimo vermiculo pati voluit, quanta mihi hoc sacramentum magnum repraesentat, quid magnum est, si aliquid ego pro eius gloria et mea salute patiar? Et si ipse vitam mihi semel donavit, cum me de nihilo fecit, et eam deinde tam benigne restituit, cum in cruce pependit, et nunc iterum vitam donat per hoc admirabile sacramentum, et rursum quoque vitam aeternam donabit in coelo: si ipse inquam, mihi vitam toties tam liberaliter donat, numquid non est aequum, ut ego vitam meam pro eius amore atque honore vel semel impendam? Nonne b. apostolus ait: Ideo *Christus pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit*? Certe magnus Basilius in utroque libro de Baptismate docet, nos, cum ad mysteria percipienda accedimus, nova quadam ratione novoque pacto obligari ad vitam pro Christo si opus erit libenter ponendam. Id quod etiam b. Augustinus ex libro Proverbiorum ostendit: *Nimirum*, inquit, *hoc est, quod legitur in proverbiis Salomonis, si sederis coenare ad mensam potentis, considerans intellige, quae apponuntur tibi, et sic mitte manum tuam, scient, quia te talia oportet praeparare. Nam quae mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus et sanguis eius, qui animam suam pro nobis posuit? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Quid vera considerare et intelligere, quae opponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? Quid postremo sic mittere manum, ut scias, qui talia te oportet praeparare, nisi quod iam dixi, quia sicut pro nobis Christus suam animam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere?* At si vitam ponere, auditores, et sanguinem totum profundere pro Dei gloria eucharistia nos docet, quanto magis iniurias et contumelias, famae diminutionem et fortunarum direptionem, et alia minora atque leviora aequo ac lubenti animo pati docebit, si ad eius scholam humiliter et frequenter accedere voluerimus?

Deinde iuvat etiam mirum in modum eucharistiae sacramentum, cum nobis admirabile quoddam patientiae speculum ante oculos ponit. Nonne insignis illa patientia fuit, qua Dominus Iudae proditori osculum non negavit? At quot modo Iudas putatis fere diebus singulis Christus patitur? Quam multos ante paucos dies Dominus videbat, quo toto anno luxuriae, avaritiae crapulae, ebrietati operam dederant; deinde vero confessione peccatorum leviter peracta, sine ullo dolore, sine ullis lachrimis, sine ullis dignis poenitentiae fructibus, ad se osculandum ad recipiendum venturi erant, et paulo post novis peccatis rursum vendituri atque ejecturi. Qui quidem impios Iudaeos egregie imitantur, qui in dominica palmarum cum cantu et celebritate Domino occurrerunt, et in suam civitatem summa laetitia exceperunt, et post paucos dies eumdem Dominum coram Pilato ingratissimi negaverunt, nec solum suis vocibus crucifixerunt, sed etiam ad eum damnandum renuentem, et repugnantem praesidem suis clamoribus coegerunt. Hos, inquam, impios et ingratos Iudaeos imitantur illi, qui in his paschalibus feriis Christum cum gaudio et laetitia receperunt, et post paucos dies illum rursum cum ignomia et dedecore novis peccatis eiiciunt. Poterat vero Christus si voluisset, vel tam iniquos homines repente occidere, vel in lapidem aut in ignem aut in aliam formam, in species illas sacramentales commutare, quod non semel, sed saepius legimus esse factum et tamen nihil agit horum, sed incredibili patientia, tam atroces iniurias tolerat ut homines peccatores ad veram et seriam poenitentiam aliquando perducat. Sane tanta est quorumdam hominum iniquitas atque perversitas, ut cum Dei mansuetudine et patientia suis ipsis sceleribus et flagitiis contendere videantur. Deus dicit, Ego tibi dabo divitias, beneficia, dignitates, honores, atque ad extremum me ipsum in sacramento recipies, ut vel muneribus provocatus praecepta mea custodias. Et homo dicit, Et ego profundam omnia, ludam totos dies, donabo meretricibus, leonibus, potatoribus, neque de Deo, neque de animae salute unquam cogitabo : et si parcus vel avarus esse debeam, tunc solum ero cum pauperibus quando eleemosynas tribuere oportebit. Quid vero Deus? Patitur, sustinet, expectat, atque ad

pacem, ad amicitiam, ad mensam, ad convivium suum eos recipere paratus est, si modo praeteritorum scelerum eos poeniteat, ac meliorem vitam in posterum pollicentur. Eiusmodi vero tam praeclarum patientiae speculum, quantum, quaeso, nos ad nostras tribulationes fortiter perferendas iuvaret, si in eo saepe oculos nostros defigeremus?

Sed postremo etiam iuvat eucharistiae sacramentum ad eum modum, quo panis subcineritius iuvit Etiam: nempe vires adauget, confirmat, roborat, consolatur cor humanum. O utinam hoc genus consolationis afflicti omnes intelligerent! Utinam scirent vel experirentur potius, quid illud sit, quod saepe canimus; *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoriae passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.* Cur martyres sancti tanto fervore, tanto ardore, tanta alacritate currebant ad ignes, ad cruces, ad rotas, ad bestias? Cur non exiguas brevesque molestias ferre non possumus? An non ex eo, quod illi pane isto coelesti assiduo alebantur? Nos vero oblii sumus comedere panem nostrum, cum *panis* sit, qui *cor hominis confirmat.* Intelligebat hoc beatissimus martyr Cyprianus, et idcirco ad sanctum Cornelium scribens, etiam lapsis, quibus alioqui ecclesiastica disciplina pacem et communionem longissimo tempore denegabat, instante persecutione corpus dominicum dandum esse censebat: *Statueramus*, inquit, *ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent, ac sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu poenitentiam plenam, et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent; sed cum videamus diem rursum alterius infestationis appropinquare coepisse, communicatio illis a nobis danda est, ut quos excitamus et exhortamur ad praelium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus.* Nam idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab ecclesia non armatur ad praelium, et mens deficit, quam non accepta eucharistia erigit et accendit. Intelligit etiam hoc hostis humani generis diabolus, atque ideo tantum per administros suos ubique laborat, ut praesidium nobis huius vilissimi ac saluberrimi sacrificii possit eripere. Neque vero per haereticos solum, sed etiam per seipsum omnibus, quibus potest modis, suadere conatur, ut quam rarissime, ut semel in toto anno, et tunc coacti, et compulsi ecclesiasticis legibus et censuris ad mensam Domini accedamus: ut eo modo, videlicet longa inedia debilitatos et fractos facile ipse prosternat, et in quaelibet vitiorum abrupta praecipitet. Quam vero multis id non suadeat solum, sed plane etiam persuadeat, imbecillitas hominum nostri saeculi perspicue nobis ostendit, qui nullis tentationibus, quantumvis levibus et exiguis, imo nullis diaboli tyrannicis imperiis resistere posse videntur. Imperat daemon, ut currant ad spectandas vanitates, et statim currunt. Iubet, ut crapulae et ebrietati se debant, et semper obtemperant. Iubet, ut impudicos oculos in omnes foeminas, quas vident, sine ullo timore defigant, et libentissime faciunt. Iubet, ut in animo suo turpissimas atque obscoenissimas formas depingant, et imaginem Dei commaculent, atque inde in libidinem concitati, contumelia afficiant corpora sua, et numquam non obediunt. Iubet, ut acceptas iniurias, numquam dimittant, et conceptum odium numquam deponant, et diligenter observant. Iubet, ut avaritiae et ambitioni fideliter serviant, et plusquam fideliter serviunt. Denique quicquid dicit, credunt: quicquid iubet, faciunt. At si ad mensam Domini cum debita praeparatione frequenter accederent, evaderent profecto brevi tempore fortiores. *Surgerent enim*, ut Chrysostomus ait, *tamquam leones ignem spirantes, Diabolo formidolosi, assuescerent praeliari praelia Domini; nec solum discerent hosti resistere, sed etiam provocare et vincere, et gloriosos triumphos palmasque referre. Festinate ergo*, ut d. Ignatii verbis concludam, *ad sacram eucharistiam frequenter accedere. Cum enim hoc agitur, expelluntur Satanae potestates, qui actus suos convertit in ignitas sagittas ad peccatum.*

PARS SECUNDA.

Arma militiae Christianae, quae non minus contra aperta tela miseriarum, quam adversus occultas insidias prosperitatis valent, ab apostolo Paulo in epistola ad Ephesios septem enumerantur: Cingulum castitatis, gladius verbi Dei, galea salutis, lorica iustitiae, calcei poenitentiae, evangelium pacis et clypeus fidei. Ac de primis quidem sex armis hactenus disseruimus; unus clypeus superest, quem si hodierna die breviter exponamus, institutae de tribulationibus disputationi finem, adiuvante Domino, imponemus.

Quis igitur est clypeus Christiani? Fides. Sic enim Apostolus in epistola ad Ephesios loquitur: *In omnibus sumentes scutum fidei.* Et apostolus Petrus; *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Et apostolus Ioannes: *Haec est*, inquit, *victoria, quae vincit mundum, fides nostra*, fides igitur est clypeus. Dicitur vero, nisi fallor, propterea clypeus, quod totum hominem tegere atque armare possit. Galea salutis solum tegit caput, lorica iustitiae solum pectus, calcei poenitentiae solos pedes: at clypeus fidei, et pectori opponi, et erigi ad caput, et demitti ad pedes, et omnium denique hostium telis quacumque ex parte veniant, obici potest. Hinc enim apostolus clypei huius utilitatem demonstrare volens, non inquit, in aliquo, sed *In omnibus sumentes scutum fidei: in quo possitis*, non aliqua, sed *omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Et David; *Scuto circumdabit te*, hoc est, totum tegit ac muniet *veritas eius*, quibus verbis non solum utilitas, sed usus etiam clypei explicatur. Quis enim est usus clypei? Quomodo nos in prosperitate et tribulatione defendit? Nempe ostendendo ac proponendo aliquot veritates.

Ac ut a prosperitate incipiamus: Prima veritas, quam fides docet, est, alia quaedam bona post hanc vitam inveniri, quibus ista terrena et instabilia comparata, non modo non magna vel diuturna bona,

sed ne bona quidem dici posse videantur. Est enim fides persimilis perspicillis, quibus utuntur ii, qui aciem oculorum debiliorem habent. Multos invenimus, qui sine perspicillis nihil fere vident, praeter ea, quae habent ante pedes: et quae adeo magna et crassa sunt, ut non solum videri, sed etiam tangi queant. Si vero perspicillis uti velint, longissime vident, etiam cruces minutissimas in verticibus turrium facile discernunt; tales sunt omnes homines, si spiritales oculos considerare velis. Nihil enim per se vident, nisi res istas corporeas, quas etiam canes, et equi vident: utpote, dulce esse bene comedere, bene bibere, bene dormire, libere vagari, luxuriari, otiari, ludere. At si fidei perspicillis utantur, si scripturas fideliter legant et sapienter intelligant, nec aquilae, nec lynces tam procul respicere poterunt: Videbunt enim ultra omnes coelos, ultra omne tempus, ultra omnem rerum corruptionem et mutationem, bona quaedam divina perpetua, solida, stabilia, permanentia, quae praeparavit Deus diligentibus se: et tunc facile erit ista bona praesentia et caduca contemnere. Nam quis non facile spernat gloriam, quae usque ad nubes non pertingit, et in puncto temporis evanescit, si gloriam illam fidei perspicillo intuentur, quae transcendit omnes coelos, et cum cum ipsa aeternitate contendit? Atque idem de aliis praesentibus bonis dictum esse intelligatur.

Altera veritas est, quod omnia praesentia bona tribus gravissimis vitiis laborent, quod parum durent, quod mentem non satient et quod ad ultimum exactissimam rationem de eis Domino reddere nos oporteat. Quod parum durent, quamquam usus quotidianus id satis ostendat, docet etiam s. David: *Vidi impium*, inquit, *exaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi, et ecce non erat: quaesivi eum, et non est inventus locus eius.* Hinc Isaias et beatus Iacobus et beatus Petrus hominis gloriam foeno comparandam putaverunt, quod mane floret, ad meridiem exsiccatur, et ad vesperam cadit. Sanctus vero David non solum gloriam, sed ipsum totum hominem foeno comparavit: *Mane*, inquit, *sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat.* Mane, inquit, hoc est, in pueritia homo sicut herba viridis apparet, sed non diu permanet in eo statu, transit ad meridiem iuventutis et tunc viget nonnihil ac floret: sed neque ibi diutius consistere potest, transit ad vesperam senectutis, et tunc demum decidit, moritur, ex homine fit cadaver, quod a cadendo dictum est, tunc induratur, et arescit. Nam neque cadaver in suo statu diu permanet. Initio est utcumque calidum, et moveri ac tractari potest: sed paulo post frigescit et duratur, atque ad ultimum in aridum pulverem convertitur totum, et sententia Domini adimpletur: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Itaque et ipse homo, et omnis eius gloria atque prosperitas brevissima sunt, et tamen valde longa ac diuturna esse se simulant, et stultos homines saepe decipiunt. Similia esse mihi videntur omnia ista praesentia bona tortoribus et carnificibus. Quid tortor facit? Habet iam rerum in theatro habet nudum gladium iam in manu, iamiam est percussurus, et tamen dicit, Ne timeas, esto bono animo, recita *Pater noster*, non feriam donec absolueris. Incipit ille, *Pater noster qui es in coelis sanctificetur nomen tuum.* Sed vix ad medium pervenit, et carnifex eum occidit. Ita prorsus non absumus quandoque tres dies a morte, paulo post sumus omnia relicturi, et tamen mundus et caro non desinunt longissimam nobis vitam promittere, atque adhortari, ut simus hilares, ut *coronemus nos rosis et unguentis impleamus: ut nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra: ut ubique relinquamus signa laetitiae*, et quando minus cogitamus repente obtruncamur et morimur.

Iam quod eadem ista bona non solum brevia et fugacia sed etiam inania et vacua sint, et humanam mentem explere et satiare non possint, solis luce illustrius est. Sicut enim pauci dies comparari non possunt cum aeternitate, neque paucae guttae roris cum aquis totius maris, ita nec omnia ista bona, quae parva et exigua sunt, cum animorum et mentium nostrarum capacitate, quae est infinita. Itaque nemo est tam dives, qui non cupiat esse ditior. Sicut hydropici, qui licet toti pleni sint aquis, semper tamen sitiunt: et sicut de laboribus Herculis fabulantur poetae, Hydra humanae cupiditatis numquam unum caput amittit, quin alia septem emittat: nec unquam fons concupiscentiae uno in loco obstruitur, quin in aliis multis erumpat. Sed quamquam tam opibus, quam voluptatibus, quam honoribus et dignitatibus commune est, non satiari, tamen singuli quodam modo in honoribus convenire videtur. Honor enim si quid habet boni, id totum in eo est, qui exhibet honorem: ad eum vero cui honor exhibetur, nihil transit praeter tenuissimum quemdam fumum. Pascere igitur si potes, explere, satiare, pinguesce isto tuo tam excellenti cibo. Valde profecto spiritalis est, qui tam subtili cibo ali potest. Relinquamus, quaeso, auditores, relinquamus fumum halecibus istis fumosis, vel nigris illis hominibus qui purgant caminos, nos vero solidum cibum, non fumum quaeramus. *Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate?* Quae ista stultitia est? Quis vos fascinavit? Quid vobis prodest tantis laboribus et sudoribus emere fumum qui satiare non potest? quin potius laboratis et sudatis, ut ad verum honorem, ad veram gloriam, ad veram beatitudinem et felicitatem aliquando perveniatis.

Sed postremo, quod omnium gravissimum est, praeterquam quod humana prosperitas nec diu durat, nec animum satiat, sumus de ea exactissimam rationem reddituri. Audistis hebdomada superiore, quo pacto Iudas Dominum prodiderit. Accessit, osculum dedit, salutavit; *Ave Rabbi.* Salve, inquit, Magister, atque interim Iudaeis flagellandum et crucifigendum tradidit. Ita nobiscum mundus et caro et daemones agunt: blandiuntur: dum hic sumus, delicias et voluptates varias proponunt, ut eo modo funibus peccatorum nos constringant, et reos aeternae poenae apud Deum efficiant. Veniet enim dies Domini, ad eius tribunal velis nolis pertraeris, dicetque tibi: *Redde rationem villicationis tuae.* Tot beneficia, tantas opes, tot honorum

titulos a me accepisti: cur, putas? Ut posses luxuriari liberius? Ut carnem tuam delicate nutrires? Itane bona mea, quae tibi credideram dissipasti? Quid ille miser tunc respondebit? Et tamen in his rebus, quae tanto cum animae periculo possidentur, ita omnes homines gloriantur, ut perpetuo contendant ac cernent, quis eis magis se honorare, quis periculosius vivere, quis ad inferos celerius pervenire possit.

Veniamus nunc, si placet, ad tribulationem. Quomodo nos in tribulatione clypeus fidei et veritatis protegit? Ad eum modum, quo protegit in prosperitate: nimirum quasdam alias veritates proponendo. Quae est veritas prima? Quod nulla sit maior tribulatio quam peccatum. Itaque cum vel inopia vel morbus vel quaevis aerumna et calamitas alia te ad iracundiam provocat vel ad furtum faciendum invitat, vel certe ad desperationem conatur adducere, obiice continuo clypeum, statim cogita apud te, quod si peccatum illud feceris, ad quod tribulatio te impellit, non solum non minuetur? sed etiam augebitur miseria, et de levi brevique molestia in gravissimam et sempiternam incides: et similes illis pisciculis eris, qui dum friguntur in sartagine, et ardorem olei tolerare non possunt, de sartagine saltant in ignem.

Altera veritas est, quod nulla unquam tribulatio ad nos venit, quae per manus Dei prius non transeat. Et certe posset Deus, si vellet, impedire, et sine dubio impediret, nisi nobis utilissimam eam esse iudicaret. Magis enim ipse nos diligit, quam ulla mater unicum filium suum. Si hostem haberes, qui te veneno de medio tollere vellet, non posset autem id nullo modo facere, nisi cum parentibus tuis communicato consilio, et nisi venenum ab illis acciperet, quam secure atque in utramque aurem dormies. Quomodo enim fieri posset, ut parentes tui cum hoste tuo in necem tuam consentirent, et non potius pro veneno saccharum tibi darent? Ita prorsus, auditores, diligit nos Dominus Deus noster: et sic nos diligit, ut proprio Filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus illum traderit. Nihil vero possunt in nos, neque homines, neque daemones, neque coelum, neque terra, nisi vel imperante vel permittente Deo. Ex quo facile nobis persuadere possumus, si Dei gratiam atque amicitiam bene vivendo conservare studebimus, numquam Deum esse permissurum, ut in ullas calamitates et molestias, nisi utiles et salutares incidamus.

Iam tertia veritas est, quod Deus, cum sit iustus et sapiens, res omnes humanas non minus prudenter, quam suaviter administrat: et sicut iudices mundi non statim atque reos in manibus habent, sententiam proferunt; sed graviter et mature procedunt, examinant testes, considerant causam, tormentis, et cruciatibus eliciunt veritatem, saepe etiam homines innocentes quaestionibus admovent, ut contrariae parti sitis fiat: ac tum demum cognita causa et rebus caeteris diligenter peractis, certa die sedentes pro tribunali sententiam dicunt: sic etiam Deus audit nunc accusationes, et querimonias varias, examinat testes, praeparat mundum ad iudicium: quandoque etiam innocentes torqueri atque affligi permittit, ut parti contrariae satisfiat: at ubi advenerit iudicii dies, tunc sententiam ultimam, iustissimam aequissimamque pronunciabit, et omnia, quae perturbata et confusa nunc esse videntur, in optimum statum atque ordinem redigi, disponique videbimus. Itaque sicut ii, stulti sunt, qui cum litem et causam suam apud optimum et sapientissimum iudicem disposuerint, tamen antequam lata sententia sit, de iudice conqueruntur, ac dicunt, Iste iudex nihil boni faciet: ita stulte atque improbe faciunt, qui Dei sententiam, iudiciumque praeveniunt, et in hoc saeculo vel de malorum prosperitate vel de sanctorum afflictionibus offenduntur. Si figuli officinam intrares, quod exemplum etiam beatus Augustinus ad rem istam illustrandam adhibuit, et massam luti pertractantem, et rotam illam suam vertentem videres, atque ab eo cum quaesivisses quid ageret et ille poculum se facere respondisset, tu illum irridens dicere, quis te docuit facere pocula? Non ita fiunt: ista enim luti massa nullam habet poculi figuram. Quid figulus diceret? Tu nimis festinas, expecta parumper respice finem, sine rotam adhuc aliquamdiu agitari, et tum iudica si velis an ita fiant pocula. Pari ratione imperiti homines saepe dicunt, non est iustitia, non est providentia apud Deum. Omnia converso ordine fieri videmus, qui bene agunt, affliguntur, qui perverse atque sceleratè vivunt, maxime triumphant ac florent. At quis nam es tu, qui Deum docere velis? Sine rotam huius saeculi adhuc paulisper versari. Veniet tandem iudicii dies, tunc rota sistetur, tunc videbis vasa facta in honorem et vasa in contumeliam et nullum malum impunitum et nullum bonum irremuneratum. Hoc igitur, fides Christiana nos docet, quicquid in mundo fieri videmus, numquam esse de Dei iustitia, aut providentia murmurandum.

Quarta veritas est, neminem esse nostrum, qui peccator non sit. Nam *in multis offendimus omnes.* Et *si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Legite sacras scripturas, et aperte videbitis sanctissimos etiam viros, ut Tobiam, ut Danielem, ut Mardochaeum, ut martyres Machabaeos, ut omnes prophetas, semper causam tribulationis in propria vitia retulisse. Cum igitur vel saeculo hoc vel in futuro peccata punienda et castiganda sint, quis non libenter cum sancto Habacuc propheta dicat: *Ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat; ut requiescam in die tribulationis?* Et cum beato Augustino; *Hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas?* Deinde si, ut beatus Cyprianus adversus Demetrianum scribit, homo hominem parere sibi et obedire compellit, et cum nobis eadem sit sors nascendi, conditio una moriendi, corporum miseria consimilis, animarum ratio communis, aequali iure et pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo postmodum recedatur: tamen errata servorum homines ferre non possunt, et ea carceribus, vinculis, verberibus puniunt: quid mirum, si Deus, cuius imperio cuncta servire atque ad nutum parere deberent, tam crebra hominum vitia atque scelera aliquando punire velit? Et si tam saepe nos ille

peccantes sustinuit, nonne aequum est etiam, ut nos etiam aliquando flagellantem sustineamus? *Sustinuit te Dominus*, inquit Bernardus, *sustine tu Dominum: viriliter age, et omnia recte succedere tibi videbis.*

Quinta veritas est, fuisse quidem olim ignobiles et viles tribulationes, sed iam in Christo summum decus atque ornamentum consecutas esse. Ipsae enim septem illae mulieres sunt, de quibus Isaias loquitur, cum ait: *Apprehendent mulieres septem virum unum, dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Ita enim verum sanctum: tribulationes, fames, sitis, nuditas, mors, iniuriae, labores contemnebantur, despiciebantur, et tamquam si pestem adferrent, vel essent propter aliquod scelus excommunicatae, fugiebantur et fugabantur ab omnibus. Quid igitur ipse fecerunt? Ad Christum accesserunt, et eum simul omnes apprehenderunt, atque dixerunt: *Panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur*, hoc est, naturam et formam nostram retinebimus, fames erit fames, sitis erit sitis, mors erit mors, et iniuriae erunt iniuriae, tantummodo adhaereamus tibi, et bene erit nobis: *aufer opprobrium nostrum.* Fecit id Christus, et complexus omne genus tribulationis summum eis splendorem ac nobilitatem tribuit, ita ut postea innumeri sancti martyres et confessores, non solum non fugerint, sed etiam quaesierint summo studio tribulationes. Et quamquam mundus ferre id non possit, sed irascatur, sed fremat, vociferetur et clamet, Fugite laborem, fugite ignominiam, fugite paupertatem: persequimini otium, divitias, pulchras vestes, voluptates, dignitates; tamen clamat etiam Christus, qui patrocinium suscipit tribulationum, et ut melius exaudiatur, locum editum ascendit: ex illa cruce clamat, mendacem ac fallacem esse mundum, cuius insipientia vel ex eo cognosci potuit, quod Barrabam latronem et seditiosum donari sibi maluit, quam ipsum vitae et salutis auctorem. Et quid est, quod Christus inde clamat? *Vae vobis, qui ridetis nunc, quia flebitis consolationem vestram* in hoc saeculo: et, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati estis cum maledixerint vobis* homines, *et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.* Si reges et principes mundi omnes una die purpuram et sericum exuerent, et pannosis et rusticanis indumentis vestirentur, nonne id omnes homines, atque aulicis in primis imitari vellent? Nonne iam pluris rusticus pannus, quam holosericum fieret? At nunc summus orbis monarcha, princeps regum terrae id fecit, induit vestem tribulationis, et quod antea rusticum sagum, nunc regia chlamys effecta est: cur igitur nos servos et famulos tantopere pudet principem nostrum imitari? Cur nobis gloriosum non ducimur aliquid pati, et in paupertate et labore vivere cum id tantopere in nostro Rege atque imperatore laudemus?

Sed ad sextam et postremam veritatem veniamus. Quid postremo fides Christiana nos docet? Id docet, non solum non contemnendas, sed etiam magnifaciendas esse tribulationes, quippe quibus regnum coelorum, et summi honores atque opes comparentur. Legimus enim b. Franciscum, cum esset aliquando nudus, et urgente frigore a quodam per iocum interrogaretur, an vellet aliquid sudoris vendere, eum graviter et sapienter respondisse; *Tibi quidem non vendam, qui eum contemnis, sed Christo, qui magno pretio illum emit.* Merces enim, Auditores, non bene venduntur, ubi magna earum est copia. Quocirca in hoc saeculo, ubi nullus est, qui domi suae non abundet tribulationibus, ipse ubique parvi fiunt, nec ullus in eis emendis unum obolum expenderet, etiamsi totius mundi tribulationes afferrentur. At in coelo, ubi numquam toto anno ullae conspiciuntur tribulationes, sine dubio magni fiunt. Hinc primum ipse Christus gloriam illam coelestem tribulationibus emit. *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Deinde omnes sancti a Christo edocti, quibus pecuniis coelum vendatur, per multas tribulationes in regnum coelorum intraverunt. Neque vero tribulationes solum pecuniae sunt, quibus emitur coelum, sed etiam sacrificium suavissimum, quo numquam non placatur Deus. Ipsae sunt abominationes illae Aegyptiorum de quibus Moyses dicebat in Exodo; *Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* Quid enim magis abominatur atque execratur Aegyptus, hoc est, insipiens iste mundus, quam aerumnas et calamitates? Et tamen ista sacrificium sunt gratissimum Domino Deo nostro. Dicas avaro, bonam esse iacturam pecuniarum, statim abominabitur. Dicas homini diviti, bonam esse paupertatem, statim execrabitur. Dicas ambitioso, bonum est despici et contemni nullo modo feret. Dicas luxorioso, bonum esse ieiunium, bonam sobrietatem, bonam castitatem, exhorrebit statim. At nos ista nihilominus, si sapimus, libenter amplectemur, avide suspiciemus, et abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Ipse vero nobis pro paupertate divitias, pro ignominia gloriam, pro fame saturitatem, pro labore quietem, pro exilio paradisum, pro morte vitam beatam et sempiternam reddet, cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO I.

IN PSALMUM XC.

Qui habitat in adiutorio Altissimi, etc.

SYNOPSIS

Exordii loco praemittitur, quanta sit calamitas fames verbi Dei, quod verum animae est pabulum: Deinde occasio, cur de hoc psalmo suscipiatur Oratio, indicatur, quia videlicet elegans et moralis, sed quem obscurum reddunt auctor, inscriptio, argumentum, variae metaphorae, phrasis ipsa et personarum mutatio, quae singula hac concione explicanda proponuntur, ubi prius generalia quaedam fuerint expedita. Summa totius psalterii, et quod illud historiam, vaticinia et morum documenta, utpote tres scripturae partes, contineat, ostenditur. Cur psalterium carmine conscriptum, caulusque utilitas asseritur. Triplex ordo psalmorum tribus jubilaeis respondere deprehenditur, quorum primus poenitentibus, secundus proficientibus, tertius perfectis attribuitur. Demum cur Psalmus iste nonagesimus in ordine secundo, et quaenam sit ratio hujus ordinis Psalmorum declaratur.

Pars altera ad particularia hujus psalmi descendit, et in primis de tituli obscuritate et de auctore primario, qui Spiritus sanctus, ut et totius Sacrae Scripturae, esse creditur, agit. De argumento variis allatis sententiis probabiliori subscribitur. Duplex sensus psalmorum esse affirmatur, magnus et parvus, atque similitudine architecti dilucidatur. Quid sit Psalterium et quam apte hoc nomen libro psalmorum conveniat, per comparationem manifestatur. Tandem qui sint, qui Psalterium portant, nec eo delectantur, ostenditur, atque ad illud audiendum seria subnectitur exhortatio.

Cum omnis cognitio veritatis quasi cibus quidam animae sit, auditores optimi, sicut humanas disciplinas pomis ac pyris, ita verbum divinum pani rectissime comparabimus. Etenim quemadmodum poma et pyra, caeterique arborum fructus, interdum magis sapiunt, avidiusque sumuntur, quam panis; semper tamen alimentorum omnium maxime necessarium panis iudicatus est, cum sine caeteris cibis convivium instrui possit, sine pane non possit: et panis etiam solus tuto, suaviterque sumatur, praesertim si fames, condimentum minime sumptuosum, accesserit: poma sine pane non solum non possint, sed plerumque etiam vehementer obsit: ita studium eloquentiae aut philosophiae, aliarumque humanarum doctrinarum alimentum est suave quidem ac dulce; sed solidus ac necessarius cibus, qui nutrit, qui vires suppeditat, qui cor hominis vere confirmat, panis est verbi divini. Cur inter viros doctos, tam multi reperiuntur vani, superbi, curiosi, ambitiosi? Quia pomis vescuntur sine pane: et poma sine pane stomachum inflant, morbos ac dolores generant: *Scientia inflat*, clamat divinus Apostolus. Et rursum alio loco; *Evanuerunt*, inquit, *in cogitationibus suis.* Et sanctus David; *Cogitationes hominum vanae sunt. Beatus homo quem tu erudieris Domine, de lege tua docueris eum.* Et Isaias *Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate?* Quare, inquit, tantopere in cognoscendis philosophis atque oratoribus, alïsque prophanis scriptoribus desudatis, in quibus tamen veros panes; et qui vere animum alere ac satiare possunt, non invenitis? Et alius quidam propheta: *Beati sumus*, inquit, *o Israel, quia quo Deo placent, manifesta sunt nobis.* Atque ad extremum propheta Amos famem verbi Dei summam omnium calamitatum, clarissimum signum irae divinae, ac malorum omnium causam esse testatur: *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet Sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis: et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum: et inducam super omne deorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium, et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima eius quasi diem amarum.* At quo pacto tandem istud erit? *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Domini: et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab Aquilone usque ad Orientem, circuibunt quaerentes verbum Domini, et non invenient.*

Quae cum ita sint, non opinor valde nobis necessarium erit, ut vos ad praedicationem divini verbi hoc potissimum sacro tempore audiendam cohortemur; praesertim cum et ego iam satis noverim, in hoc praeclaro sapientiae domicilio sicut humanarum disciplinarum poma non contemnun-

tur ; ita panem scripturarum divinarum in pretio maximo haberi. Quia vero superioribus annis ex novo instrumento, tamquam ex penu quodam spiritali alimoniam dispensavimus, et ciborum varietas non parum solet delectare, non ingratum vobis fore existimavi, si hoc anno ex instrumento veteri panes depromeremus. Itaque Psalmum nonagesimum, cuius initium est; *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, in concionibus huius anni, quas per adventum et quadragesimam, Domino adiuvante, habituri sumus, tractandum exponendumque suscepimus.

Psalmus est totus elegans ac florens, et ad mores hominum componendos ac formandos accomodatus, et breviter omnium fere Psalmorum simul utilissimus et iucundissimus. Sed eget explanatione, si quis alius. Tantis enim difficultatibus est implicatus, ut quantum elegantia atque utilitate homines ad se legendum provocat, tantum difficultatibus, atque obscuritate deterreat. Testimonium utilitatis nobis Ecclesia Catholica praebere potest, quae divinitus inspirata psalmum hunc nostrum nullo prorsus die intermitti, et in feriis quadragesimae adhuc frequentius cantari instituit. Obscuritas vero ita scipsam prodit, ut testimoniis non indigeat. Primum enim, quae in aliis psalmis certissima sunt, hic sunt incerta fere omnia: auctor, inscriptio, argumentum. Deinde obscurae translationes in hoc psalmo frequentissimae sunt, qualis illa est; *Liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero.* Et rursum illa; *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis.* Et ea, quae statim adiungitur; *Scuto circumdabit te veritas eius.* Modus vero ac forma loquendi propria Hebraeorum, quam neque Graeci neque Latini interpretes satis commode imitari potuerunt, non parum adfert obscuritatis. Quid enim sibi voluit, cum ait; *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano?* Postremo, mutatio ipsa personarum, quae in hoc psalmo loquentes introducuntur, mirum est profecto quantas tenebras intellectui adferat. Nunc loquitur Deus, nunc homo iustus, nunc ipse propheta, et vix unquam indicatur, quia verba cui personae attribuenda sint. Cum igitur psalmus sit pulcherrimus et difficilius, utilissimus et obscurissimus, quotidie cantandus, et sine molestia cantari, quo non intelligitur, non possit, nemo mirari debet, si eum prae caeteris suscepimus explicandum.

Caeterum hodierna die, auditores, verba ipsius Prophetae non attingemus, sed orationem totam in quibusdam quasi prolegomenis, quae viam psalmo intelligendo aperiant consumemus: ac primum qui liber psalmorum contineat, deinde quis sit eorum ordo ac distributio, tum quis auctor, quaeve inscriptio, et quod argumentum Psalmi nonagesimi, postremo si tempus patietur, de nomine et significatione Psalterii breviter explicabimus.

Etenim psalmorum liber, ut ab eo, quod primo loco posuimus, ordiamur, nihil mihi aliud esse videtur quam summa quaedam atque epitome sanctarum scripturarum versibus conscripta. Quicquid enim Genesis, Exodus: Deuteronomium aliaque omnia scripturarum volumina, tam Instrumenti veteris, quam novi, simplici oratione describunt, id totum summa brevitate atque elegantia, non solum ad legendum, sed etiam ad canendum accomodata regius psaltes versibus comprehendit.

Scripturam universam in tres potissimum divisam esse partes, b. Hieronymus in Prologo super librum Regum docet: quarum una historias rerum gestarum, altera futurorum praedictionem, tertia vitae et morum documenta contineat: atque haec quae partim a Moyse et prophetis, partim ab apostolis et evangelistis copiose scripta sunt, omnia psalmographus uno volumine incredibili brevitate complectitur. Absolutam narrationem atque historiam continet eorum omnium, quae populo Iudaeorum vel temporibus patriarcharum, vel in Aegypto et solitudine, vel in Palaestina usque ad ipsius Davidis tempora contigerunt. Porro vaticinia, praedictionesque futurorum, tam multae, tam admirabiles, tam manifestae continentur in psalmis, ut cum prophetam simpliciter nominamus, omnes facile intelligant, Davidem nominari. Certe liberator noster Iesus Christus, qui finis est legis et prophetarum ne passum quidem unum movisse videtur, quem Psalmographus non ante praedixerit: ita diligenter ac dilucide Servatoris adventum, vitam, mores, doctrinam, miracula, passionem, obitum sepulturam, descensum ad infernum, reversionem ab inferis, ascensionem ad caelos, Gentium conversionem, Iudaeorum excaecationem, Ecclesiae ortum et progressum: belli victorias triumphos, coronas atque alia omnia liberationis nostrae mysteria cantu et carminibus celebrat. Quid nunc de documentis vitae, quam tertiam partem scripturarum fecimus, dicemur? Quid illa cohortatione suavius? *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Declina a malo et fac bonum; inquire pacem et prosequere eam.* Quid illa comminatione severius? *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit et paravit illum. In eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Vis gemitum gementium audire? *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* Vis affectum incipientis? *Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas, in omni tempore.* Vis affectum proficientis? *Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae.* Vis affectum profectorum? *Quid mihi est in coelo? et a te quid volui super terram? Defecit cor meum et caro mea: Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum.* Vis affectum monachi? *Media nocte surgebam ad confitendum tibi:* et, *Septies in die laudem dixi tibi.* Vis principis severitatem? *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae.* Vis zelum praelati? *Vidi praevaricantes et tabescebam, quia non custodierunt eloquia tua.* Ac ut breviter multa complectar, reperies reprehensionem omnium vitiorum, cohortationem ad omnes virtutes, instituta, praecepta, consilia ad omnem statum, ac vitam hominum confirmandam: et remedia ac medicamenta

ad omnes morbos et aegritudines animarum curanda. Fuit igitur David non solum vates eximius, sed etiam historicus atque orator insignis.

Sed cur, obsecro, liber iste Psalmorum, summa atque epitome scripturarum, carmine scribenda fuit? Nimirum, ut opera Dei ac beneficia eius in nos collata, non solum legere, sed etiam canere possemus et ea cum cantu et laudibus saepius commemorantes Deo tributum debitum persolveremus. Tanta est, christiani auditores, Dei nostri benignitas ac liberalitas, ut pro tam multis ac multiplicibus suis muneribus, quibus nos afficere, ornare, augere, cumulare, numquam cessat, nullum a nobis aliud vectigal exigat, quam laudis, quam memoriae, quam actionis gratiarum; *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Verum ne forte homines dicerent, neque id se posse facere, neque scire quibus laudibus delectaretur Deus, ipse idem ad praedicandam Dei nostri benignitatem, cantica nobis composuit, quibus cum laudare possumus: non secus atque si rex quispiam adeo in suos populos munificus ac liberalis esset, ut pecunias eis donaret, quibus vectigalia persolverent.

Est vero et alia, eaque maxima, horum carminum utilitas. Quam enim, ut magnus Basilius admonuit, multa in psalmis praecepta contra carnem, contra sensus istos corporis, contra delitias ac voluptates continentur, quae homines corrupti et perditi, non solum non perdiscere, sed ne audire quidem possent: Deus ea dulcissimis verbis conscribi voluit ut cum laetitia ac delectatione canendo ac ludendo, quae nobis sunt utilia, disceremus: quemadmodum etiam prudentes medici, cum forte metuunt, ne pharmacum salutare medicamentum, propter amaritudinem aegroti respuant, aliquid mellis admiscent. Recte igitur ac sapienter magnus Basilius psalmorum laudes praedicans: *Quid*, inquit, *psalmus est? Daemonum fugator, angelici auxilii ductor, scutum in timoribus nocturnis, laborum diuturnorum requies, infantibus securitas, vigentibus ornamentum, senibus solatium, mulieribus exornandis mundus convenientissimus. Solitudines habitabiles facit, forum moderatum reddit, elementorum loco est his, qui introducuntur, proficientium incrementum, perfectorum fulcrum, ecclesiae vox. Hic festivitates exhilarat, hic moestitiam secundum Deum creat, et ex lapideo corde lachrimas elicit. Psalmus angelorum opus, coelestis reipublicae spiritalis suffitus. O sapientis doctoris inventum, qui simul canere et utilia discere nos excogitavit.* Haec Basilius.

Venio nunc ad ordinem ac distributionem psalmorum: ac ut omittam partitionem illam hebraeorum, secundum quam Psalterium totum in quinque libros distribuitur, quae nec b. Hilario, nec b. Hieronymo placet, et ad nostrum institutum parum aut nihil facit, solidam illam, et a Patribus receptam psalmorum amplector divisionem, quae psalmos omnes numero centum quinquaginta, in tres ordines ita distribuit, ut singuli quique ordines parem numerum Psalmorum, id est; Psalmos quinquaginta contineat. Magnum siquidem ac divisione mysterium latet. Numerus enim quinquagenarius iubilaeum atque indulgentiam in sacris literis significare solet: in tribus vero iubilaeis, ad quae divina ista cantica referantur, omnis nostra salus ac beatitudo consistit. Quod est Iubilaeum primum? Remissio peccatorum, conversio et iustificatio impiorum. Illa denique prima beatitudo, de qua legis in psalmo; *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.* Haec est prima incipientium ac poenitentium salus: haec est futurae beatitudinis fundamentum: haec totius nostrae principium atque origo felicitatis. Ad hoc primum Iubilaeum merito peccatores anhelent, sine quo frustra de caeteris cogitant. Alterum deinde iubilaeum maiore cum gaudio a proficientibus celebratur, qui post acceptam sola Dei clementia ac benigitate iustitiam, non se torpori atque otio dedunt, sed *ascensiones in corde suo* disponunt, pergunt de virtute in virtutem, satagunt operibus bonis certam suam vocationem atque electionem facere. Atque haec secunda est beatitudo de qua psalmographus alio loco canit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Porro tertium ac postremum iubilaeum est illa vera ac perfecta et consummata atque absoluta felicitas, quam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, quam *praeparavit Deus diligentibus se*: de qua rursum psalmus ait; *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Triplex hoc iubilaeum tres illi dies mihi significare videntur, de quibus Dominus in evangelio, *Ecce*, inquit, *daemonia eiicio et sanitates perficio, hodie et cras et tertia die consummor.* Quid enim est expulsio daemonis, nisi remissio peccatorum? Quando vero perficitur sanitas, nisi cum renovatur homo de die in diem? cum debilitatur cupiditas, augetur charitas: minuuntur vitia, crescunt merita, et oblitus homo, quae retro sunt, ad anteriora totis viribus se extendit? nam illa beata ac felicissima consummatio, quae tertia die futura promittitur, quid aliud significare potest, quam vitam et gloriam sempiternam? Tribus igitur iubilaeis, tres psalmorum ordines respondent. Primus ordo ad poenitentes ac incipientes pertinet, ac propterea, in eum psalmum terminatur, cuius initium est; *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Secundus ordo proficientium iustorum est, quocirca psalmo illo aptissime concluduntur, qui incipit; *Misericor iam et iudicium cantabo tibi Domine, psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* Postremus ordo perfectis ac beatis convenit, qui non pugnant in via, sed triumphant in patria: et quorum magis propria est laudatio, quam hortatio. Itaque Psalmos omnes, quorum titulus est *Allèluia*, et quorum principium est; *Laudate Dominum* vel, *Confitemini Domino*, vel, *Benedic anima mea Dominum*, aliique fere omnes, qui iucundius cantari solent, nec tam ad petendum, quam ad laudandum referuntur, hic tertius ordo complectitur, cuius illa sunt verba postrema; *Omnis Spiritus laudet Dominum.*

Quae cum ita sint, facile omnes, ni fallor, intelligunt, quam sapienter Psalmus nonagesimus, quem

Deo volente sucepimus, exponendum, in secundo ordine collocatus sit, cum totus ad hominem iustum, sed proficientem et in via constitutum, et Dei atque angelorum praesidio indigentem, et cum vitiis et tentationibus pugnantem referatur.

Praeclare b. Hilarius Psalmorum seriem perturbatam atque confusam esse ait, sed eam confusionem summo ordine, atque ex ipsius Spiritus sancti consilio factam affirmat. Etenim si tempora, quibus Psalmi conditi sunt, spectare volueris, nullum horum ordinem reperies. Psalmum tertium David iam senex, ac pene decrepitus composuit, cum eum armatus filius insequeretur. Psalmum vero quinquagesimum tertium in media aetate, quo tempore arma Saulis fugiebat. At centesimum quadragesimum tertium idem adolescens, ac pene puer cecinit, cum de Goliath gigante triumpharet. Itaque in hoc divino psalmorum ordine constituendo, non temporis, sed mysticarum et spiritualium significationum ratio habita est. Et sive Esdras, ut Athanasio in Synopsi placet; sive septuaginta Interpretes, ut Hilarius sentit; sive Ezechias, ut alii volunt, hunc ordinem psalmis attribuit, certe non sine providentia singulari Spiritus Domini id factum esse existimandum est.

PARS SECUNDA.

Quid liber psalmorum contineat, et quae partitio atque ordo sit Psalmorum iam exposuimus: nunc de titulo, auctore et argumento psalmi nonagesimi dicendum est. Nam tria ista fere coniuncta esse solent, cum titulus non solum auctorem, sed etiam argumentum saepenumero indicet. Quoniam enim ex inscriptione literarum facile est cognoscere, quo epistola dirigatur, et in officinis pharmacopolarum ex vasculorum inscriptionibus, etiam artis illius imperiti noverunt, quid in quoque vase contineatur, an mel rosaceum, an aqua, an acetum, an quid aliud: ita ex titulis psalmorum non est difficile auctorem atque argumentum totius psalmi deprehendere. Verum hoc tam magno praesidio in huius psalmi expositione prorsus destituimur. Quamvis enim in quibusdam Graecis codicibus huius Psalmi titulus sit, *Laus cantici ipsius David*, tamen Hebraici codices nullum titulum habent; veteres quoque patres, Hilarius, Hieronymus, Theodoretus, Euthimius, hunc Psalmum titulo carere affirmant: Chrysostomus et Augustinus, cum ubique diligenter titulos exponant, nullam loco tituli mentionem faciunt. Itaque sicut primus et secundus et quidam alii psalmi, titulis carent, et propterea caeteris sunt obscuriores, ita psalmus hic noster et inscriptione carere et obscurus ac difficilis esse iudicandus est.

Iam vero de auctore, duas esse video veterum sententias: Chrysostomus enim, Theodoretus, Euthimius et Cassiodorus in prologo Commentariorum in Psalmos, nec non Augustinus in libro de Civitate Dei, Psalmorum omnium unum Davidem auctorem faciunt. Athanasius autem in Synopsi, Hilarius praefatione explicationum in Psalmos et Hieronymus in epistola ad Sophronium, iis auctoribus Psalmos adscribunt, quorum nomina leguntur in titulis: eos vero, qui titulis carent, eius auctoris esse volunt, cuius est psalmus praecedens. Quare cum Psalmus octogesimus nonus Moysen auctorem in inscriptione prae se ferat, psalmus etiam noster, qui est nonagesimus, Moysi erit attribuendus. Sed quid opus est, auditores, tantum nos in auctore investigando laborare? An non certum atque exploratum est, sicut omnium divinorum voluminum, ita etiam libri psalmorum auctorem primum ac praecipuum esse Spiritum sanctum? Nonne in ipso principio Actuum apostolorum b. Petrum dicentem audivimus; *Oportet impleri scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David*? Quid igitur Moyses, quid David, quid alii sacri scriptores fuerunt, nisi calami *scribae velociter scribentis*? Et quid, quaeso, interest scire, quo calamo scripserit Deus, cum illud constet, Deum esse, qui scripsit?

Restat argumentum, quod eo difficilius hoc loco reperiri potest, quod interpretes praesidio tituli destituti in varias opiniones abierunt. Non defuerunt in primis, qui totum hunc psalmum de Christo intelligendum censuerint, quod quidem probabile non est. Quo pacto enim illa Christo conveniunt, quae in hoc psalmo leguntur: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Neque enim Filius Dei ab angelis portari solet, cum ipse portet *omnia verbo virtutis suae*. Neque angelorum eguit custodia, qui homines omnes angelorum custodit. Legi quidem in scripturis; *Accesserunt angeli et ministrabant ei*: sed custodiebant, vel portabant eum, nusquam legi. Alia igitur est sententia aliorum, Psalmo hoc nonagesimo describi singulare illam providentiam, qua Deus Hebraeum populum ex Aegypto in Palaestinam per vastam solitudinem deduxit, atque idcirco tam saepe mentionem fieri serpentum, praeliorum, insidiarum, variorum, periculorum ac tentationum, quales in eo itinere populo Iudaeorum occurrisse scimus. Sunt et alii, qui psalmum nostrum non ad populum universum, sed solum ad regem Ezechiam referunt, in quo secundum literam illud impletum est, quod in psalmo legimus: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum*, etc. Fuit enim Deus cum Ezechia in illa gravi tribulatione, cum a rege Sennacherib longissima ac molestissima obsidione premeretur. Deinde, eripuit eum, et glorificavit eum, cum paucarum horarum spatio exercitum Sennacherib pene totum delevit. Atque ad extremum longitudine dierum replevit eum, cum ad vitam eius quindecim annos adiunxit. Verum, auditores, eam sententiam nos potius amplecti volumus, quam Chrysostomus atque August. caeterique patres ante nos secuti sunt, qui psalmum nostrum communem ac generalem esse et ad omnes homines pertinere voluerunt. Nam si principium psalmi diligenter consideres, in ipso argumentum totius psalmi reperies. Quod est psalmi principium? *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur*: hoc est, quicumque spem suam ac fiduciam totam in Deo collocaverit, is ab omni periculo et afflictione

certo protegetur. Itaque propositum psalmographi est, nobis omnibus persuadere, ut spem nostram totam in Deo ponamus, ac propterea multa et varia beneficia enumerat et exponit, quae Deus in se confidentibus largitur.

Sed illud observandum memoriaeque tradendum est, auditores, verba psalmorum plerumque duos sensus continere, alterum parvum, ut sic dicam; alterum magnum. Et quamquam parvus est prior, tamen magnus est praecipuus. Accipite similitudinem. Cogitat architectus insigne templum erigere, et tamen priusquam opus ipsum aggrediatur, apud se in cubiculo vel in tabula exprimit coloribus futurum templum, vel certe extruit ligneam aediculam, quae licet exigua sit et angustam cubiculi partem occupet, tamen totam molem futuri templi exacte referat. Itaque duo templa quodammodo facit, sed alterum simulachrum veri. Ita quoque Spiritus sanctus Testamentum novum condere volebat, et tamen condidit prius Testamentum vetus, tamquam typum et simulachrum novi. Res magnas, aeternas, coelestes, spirituales in psalmis explicare volebat; sed antea nihilominus de rebus parvis, temporalibus, terrenis, corporeis locutus est, quae tamen typi sunt figurae rerum coelestium, et sempiternarum: quod ut intelligeremus, nec errandi occasio hominibus carnalibus daretur, cum de rebus parvis maxime serio, atque ex instituto loqui videtur Deus, tum potissimum quaedam admiscet, quae de parvis illis rebus nullo modo intelligi queunt, nisi ut res illae parvae figurae sunt rerum magnarum. Sume Psalmum septuagesimum primum: *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis.* Psalmus iste totus de Salomone scriptus videtur: nam et titulus est in Salomonem: qui tamen permulta continetur in hoc psalmo, quae Salomoni convenire non possunt, nisi ut figuram Christi gerebat, quale est illud: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum: et adorabunt eum omnes reges terrae omnes gentes servient ei.* Idcirco cogimur, dum ista canimus, erige animos, et non praecipue Salomonem, sed Christum cogitare. Pari ratione, auditores in Psalmo nonagesimo, qui nunc est prae manibus, duos sensus reperiemus: alterum parvum quae angustum, secundum quem temporalia beneficia, victoria de hostibus mortalibus, diuturnitas vitae praesentis, liberatio de calamitatibus saeculi, in Deo sperantibus et confidentibus, promittuntur; alterum vero magnum et praecipuum, secundum quem bona spiritualia, auxilium in tentatione, victoriam contra daemones, triumphum de vitiis, vitam beatam, gloriam sempiternam, regnum ipsum coelorum a Deo sperare iubemur. Ac Iudaei quidem, qui parvuli erant, priorem sensum tantum sequebantur, pro temporalibus beneficiis Domino serviebant, de sempiternis parum cogitabant: at nos christiani, qui viri perfecti sumus, vel certe esse debemus, sensum posteriorem amplectamur oportet, nisi iterum parvuli efficiamur, ut ad vetus Testamentum eiici velimus. Quid enim Christus ait? *Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius: et haec omnia adiicientur vobis.* Itaque ad illa vera, et magna bona, quae nobis conservantur in coelis aspirare atque anhelare; ista vero caduca et fragilia, tamquam additamenta quaedam, a Domino sperare debemus.

Sed quid? Hoc infelici saeculo nonne fere omnes contrarium faciunt? Est aliquis futurus canonicus, pastor, episcopus; quid primum quaerit? Quot nummos aureos canonicatus vel pastoratus vel episcopatus reddat. Itaque primum quaerimus temporalia: deinde si tempus superest, illud spiritalibus attribuere volumus: propterea iusto Dei iudicio utrisque caremus. Quam multos ubique reperietis, qui dies et noctes in quaerendis corporis commodis sunt occupati, et pro animae salute unam horam vacuam invenire non possunt? Quam multos, qui cum integram hebdomadam obsequio carnis consumpserint, etiam de die festo, quem solum Deo atque animae suae reliquerant, aliquas horas suffurantur?

Sed iam tempus est, ut de nomine et significatione Psalterii breviter explicemus, et toti orationi finem imponamus. Psalterium, ut ex epistola b. Hieronymi ad Dardanum, et ex oratione magni Basilii in primum psalmum, intelligi potest, musicum instrumentum erat decem cordis instructum, figuram habens rectam et quadratam, sive altera parte longiorem, sonitum reddens parte superiore, contrario modo atque in cithara, et lyra, et testudine fieri videmus. Postremo grave admodum et molestum ad portandum, se iucundum et suave, si quis non ipsum portare, sed ad eius sonitum canere, vel tripudiare voluisset. Ac si haec ita se habent, si Psalterium musicum est instrumentum, unde, quaeso, liber iste divinorum carminum Psalterii nomen invenit? An ex eo fortasse, quod ad sonitum psalterii carmina ista canebantur? Sit ista una ex causis, quamquam liber primus Paralipomenon non in psalterio solum, sed etiam in cymbalis et lyris aliisque musicis instrumentis, Davidicos hymnos cantatos fuisse demonstret. Sit tamen illa una ex causis: sed certe ratio praecipua est, quia liber iste Psalmorum, illi musico instrumento, quod psalterium dicitur, si spiritualem significationem attendas, quam simillimus esse videtur. Psalterium decem chordas habet; et Psalmorum liber decem divina mandata. Quamvis enim multis et variis modis Psalmorum liber nunc admonere, nunc praecipere, nunc hortari, nunc arguere videatur; semper tamen aliquam harum decem chordarum tangit. Psalterium figuram habet rectam; et lex Domini, quae in Psalmorum libro continetur, iustitiae atque aequitatis rectitudine maxime excellit. Nam cum leges hominum semper aliquid pravum et distortum aut iubeant aut tolerent aut permittant; sola Domini lex omnes virtutes praecipit, omnia vitia prohibet, nec ullum bonum sine praemio, nec ullum malum sine supplicio relinquit. *Iustitiae Domini rectae laetificantes corda*: et, *Lex Domini immaculata convertens animas.* Psalterium quatuor angulis constat; et mandata atque praecepta Psalmorum quatuor angulos orbis terrarum intuentur, Orientem et Occidentem, Austrum et Aquilonem: nullus enim excipitur, omnes ubique homines in Psalterio cantare iubentur. Psalterii sonus a superiore parte descendit; et liber

Psalmorum, et quae in eo praecepta vitae continentur, e supernis sonant. Non ea Lycurgus aut Solon excogitavit, sed e coelo ab ipsa Dei sapientia descenderunt. Postremo Psalterium cum labore portatur, sed cum voluptate in eo cantatur; et sancta ista mandata gravia et molesta sunt, si quis ea timore poenae servare, id est, non cantare, sed portare voluerit: sed *dulciora super mel et favum*, si amore ac delectatione iustitiae observentur. Qui solum ideo servat mandata, quia timet supplicium, confitetur in paschate, quia timet excommunicari; non occidit, non furatur, non fornicatur, quia impune non potest; audit sacrum, sed invitus: ieiunat, quia prandium non datur; is non cantat sed portat Psalterium, imo non portat quidem, sed cadit sub onere, opprimitur ab onere, reus ac praevaricator efficitur. Quid igitur mirum, si semper est tristis? At qui serio vitam mutare, et toto animo, toto corde, tota devotione, tota alacritate, totis viribus Deo servire et placere studet, is vere canit in Psalterio, et canit canticum, canticum novum, quod soli homines novi cantare possunt, quos non premit Psalterium onere ponderum, sed sublevat vice pennarum, qualis imprimis fuit David, qui totus viribus suis coram arca saltabat, quia ex toto corde suo Dominum diligebat, vereque dicebat: *Deus canticum novum cantabo tibi, in Psalterio decem chordarum psallam tibi.* O canticum! O tripudium! O si carnales homines, qui canticis lascivis et choreis ac tripudiis tantopere delectantur ista cantica sanctorum, iucundissimas istas choreas experiri possent? O semel intelligerent, quam incredibilem voluptatem adferant in vita, et quantam postea in morte laetitiam et securitatem, celeriter sane a nugatoribus et inanibus choreis se expedirent, et ad haec sobria iucunda tripudia convolarent.

Sed si praesens utilitas ac delectatio eos non movet, moveat saltem ingens periculum, quod iis omnibus certe impendet, qui ad sonitum psalterii canere ac saltare recusant. Quis enim est adversarius, de quo Dominus monet in Evangelio, dicens: *Esto consentiens adversario tuo cito dum eo in via, ne forte tradat te adversarius iudicii, et iudex tortori, et mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Quis iste est adversarius, nisi divinum Psalterium? Nec enim daemonem aut mundum aut carnem adversarium illum fas est suspicari, cui consentire ac obtemperare iubemur. Adversarius igitur divinum Psalterium est, quoniam iis omnibus adversatur, qui ad sonitum suum saltare non volunt, quibus etiam in die iudicii exprobrabit; *Cantavimus vobis, et non saltastis.* Quid vero consulit nobis magni consilii Angelus? *Esto consentiens*, inquit, *adversario tuo cito dum es cum eo in via.* Cito, inquit. Nam mors aderit cito, et citius multo quam putas. Nihil enim medium est inter animam et gehennam, nisi paries carnis, qui singulis horis ruinam minatur. Cito igitur dum es cum eo in via, dum vivis, dum tempus habes. Vae enim tibi, si causa non composita discedis e vita: tradet enim te adversarius iudici, et iudex tortori, et in carcerem illum terrimum atque horrendum detruderis, ubi tristes choreas ad sonitum flagellorum cum daemonibus duces. Et quando putas aegredieris? *Amen dico tibi* (Veritas ait) *non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*, id est, universum debitum. Debitum vero est infinitum, nec solvi potest nisi tempore infinito: tunc igitur exies, tunc liberaberis, quando finietur infinitum. Et quando finietur infinitum? O amaram consolationem! Miseros ac stultos, qui ista non cogitant! Evigilemus, fratres mei, et mature cum adversario componamus, ut aliquando iudex vertatur in patrem, adversarius in amicum, carcer in paradisum, quo nos perducat, qui est benedictus in saecula. Amen.

CONCIO II.

SUPER PSALMUM XC.

DE PRIMO VERSU

Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur.

SYNOPSIS

Cum in imitatione Christi consistat christiana perfectio, docemur in exordio, in quibus potissimum eum debeamus imitari; atque inde ad textum psalmi propositi particulatim explicandum descenditur. Versum primum totius psalmi argumentum continere, declaratur et vocabulum qui, *explicatur, per quod omnis personarum acceptio a Deo secluditur, secus quam apud homines fieri solet. In adiutorio Altissimi non modo sperandum, sed per firmam spem continuo habitandum esse, a simili docetur. Quatuor deinde hominum genera considerantur, et quinam ex iis in adiutorio Altissimi habitent investigatur. Primum genus est desperantium, quibus convenientia praescribuntur remedia; atque ii non in Deo, sed in patibulis habitant. Secundum genus est sperantium in solis rebus creatis, atque ii habitant domos luteas, quae facile ruunt. Tertium praesumentium, quales potissimum sunt Lutherani; atque ii in arena habitaculum suum fundant. Quartum denique est eorum, qui nixi fide, charitate, bona conscientia et operibus, bene sperant: atque ii tandem in adiutorio Altissimi habitant.*

Pars altera textus explicationem prosequendo, a simili, et ab exemplo Davidis et Goliath ostendit, omnia terrena in Deum confidentibus videri parva et vilia. Quid sit protegere, et quomodo sancti sub umbra et protectione divina delitescant exponitur. Cur Deus, Deus coeli appelletur, varie rationes, maxime vero s. Hieronymi et s. Bernardi adducuntur. Tandem explicata breviter voecula Commorabitur, *gravis exhortatio ad fiduciam omnem in Deo collocandam, concludit.*

Christiani hominis vera ac solida perfectio, auditores optimi in eo tota posita esse videtur, ut Christum summo studio imitari, eumque quam proxime potest sequi contendat. Etenim ille caput, nos membra: ille imperator, nos milites: ille doctor, nos discipuli sumus. Sed nemo trepidet, nemo turbetur, nemo desperabundus dicat, qua ratione fieri potest, ut homines lutei Deum imitari, et gigantem maximum nos pumiliones sequi valeamus? Neque enim Christum sequi, atque imitari jubemur in ea gloria et majestate, qua sedet in coelis ad dextram Patris, neque in ea potentia ac virtute, qua mundum universum regit, et signa ac prodigia operatur: sed in eis dumtaxat, quae hic in terris propter nos accepit. Propter nos autem quid nisi labores, dolores, supplicia, flagella, vulnera, mortem accepit? Itaque nusquam opinor in scripturis legisti; Qui non ambulat super mare, non est me dignus: et, qui non excitat quatriduanos mortuos, non potest esse meus discipulus, et, beati qui futura praedicunt, et signis ac prodigiis clarent, quoniam ipsorum est regnum coelorum? Sed quid? *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Et, *qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Et, *beati pauperes, beati mites, beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Id quod praeclare sane omnes nostri apostoli intellexerunt, qui cum linguis loquerentur omnium gentium, cum gloria miraculorum essent clarissimi, cum se praesides ac principes orbis terrarum non ignorarent, tamen in eo solo gloriabantur, quod *digni habiti* essent *pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et beatissimus Paulus cum praeter ea, quae sibi cum Apostolis caeteris erant communia, in tertium coelum raptus, et in paradisum introductus arcana quaedam audivisset, *quae non licet homini loqui*, non tamen propterea se Christo similiorem ac viciniorem esse judicabat, sed propter ea solum, quae ipse in epistola posteriore ad Corinthios enumerat, *Ministri Christi sunt*, inquit, (*ut minus sapiens dico*) *plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Haec igitur sunt, quae nos in imperatore ac duce nostro Christo imitari necesse est. Patientia in adversis, in arduis fortitudo, in omni periculo ac labore constantia. Quae quidem nusquam neque melius, neque facilius discere poterimus,

quam in eo psalmo quem Deo auctore suscepimus explicandum. Is enim demum in omni casu et calamitate non modo patientiam atque constantiam, sed etiam tranquillitatem et laetitiam animi conservabit, qui in adiutorio Altissimi, quasi arcem quamdam sibi constituerit, atque ad eam tempore belli confugere, et in ea perpetuo commorari didicerit. Quare, si placet, ad ipsa prophetae verba diligentius pertractanda et exponenda aggrediamur.

Qui habitat, inquit, *in adjutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur.* Continetur his verbis, auditores, complexio quaedam brevis ac propositio eorum, quae in toto psalmo argumentis et rationibus variis confirmantur. Istam enim unam sententiam psalmus totus intuetur: qui spem suam ac fiduciam in omni periculo atque adversitate ponit in Deo, is ab eo sine dubio protegetur. Sed verba singula seorsim, ac per se consideremus.

Initio ut promissionem Dei generalem et communem esse propheta demonstraret, et nullos omnino homines excluderet, nullum genus hominum nominandum esse existimavit. Itaque non ait, Dives qui habitat in adiutorio Altissimi, ne pauperes excludi viderentur. Neque ait, Pauper, qui habitat in adjutorio Altissimi, ne excludi viderentur divites. Sed generatim, *qui*, inquit, ut omne hominum genus, omnem aetatem, omnem sexum, omnem gradum et statum comprehenderet. Magno sane vitio laborat Mundus, qui in donis ac muneribus distribuendis, non merita plerumque, sed personas intuetur. Si quispiam dives ac nobilis seipsum domi tuae invitet ad coenam, accipis id loco magni beneficii, eumque non solum excipis quam lautissime, sed etiam urges atque impellis verbo atque exemplo ad patinas et calices quam plurimos evacuandos. Deinde etiam agis gratias, et te novo beneficio obstrictum atque obligatum confiteris. Quod si aliquis pauper id faceret, quas verborum contumelias non audiret? Pari ratione causae divitum confestim expediuntur, causae pauperum vix aditum ad judices inveniunt. Ac ne multa: Sicut omnia flumina currunt ad mare, ita copiae atque opes mundi ad opulentos et locupletes confluunt. Neque ratio est obscura. Quia enim nemo est tam dives, ut non aliorum opera, vel opibus indigeat, propterea in eos beneficia unusquisque libentius confert, a quibus paria vel majora etiam expectat. Hinc igitur Deus, qui solus vere est dives et qui bonorum nostrorum non eget, personas non respicit, sed omnibus adest, omnibus consulit, omnibus providet omnes defendit, qui ad se in tribulatione confugiunt. *Omnis* enim *quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.* Et, *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, quicumque tandem ille sit, sive dives sive pauper; sive magnus sive parvus; sive nobilis sive plebeus; sive princeps sive privatus, *in protectione Dei coeli* sine dubitatione *commorabitur.*

Altera Psalmi vox, *Habitat*, magnam vim atque energiam habet. Non enim tantum dictum est. Qui sperat vel confidit, sed *qui habitat in adiutorio Altissimi*, ut intelligeremus, non esse ad auxilium divinum confugiendum, quomodo cum forte pluit, sub aliquam arborem, vel porticum confugere solemus: sed quomodo pueri solent, cum aliquid metuunt, in domum paternam se recipere. Videmus pueros in plateis cum sodalibus suis ludentes, simulatque aliquid adversi timent, nihil cogitare; nihil quaerere, sed recta concito gradu in domum patris currere, ibi se tutissimos fore non dubitant, nec decipiuntur: sciunt enim se domi parentes habere, qui pro se vitam et sanguinem fundere paratissimi sunt. At qui vel arboris, vel porticus perfugium quaerunt, ii multa prius loca vel animo vel oculis perlustraverunt, et cum nullum perfugium aliud invenire potuerunt, coacti atque inviti sub arborem vel porticum sese recipiunt. Cur igitur aliqui auxilium divinum precibus implorant, nec tamen impetrant, confidere videntur Deo, et tamen ab eo non protegunturs? Quia non vere habitant in adiutorio Altissimi, neque ad providentiam Dei tamquam ad paternam domum, sed tanquam ad arborem in via se conferunt, postea aquam nec in hominibus, nec in daemonibus nec in suis artibus, fraudibus, dolis, mendaciis remedium malorum invenire potuerunt. Quare necessarium nobis est, auditores, longo usu confugiendi ad Deum, longaque exercitatione confidentiae in ipso Deo quasi domum quamdam fabricare, ubi tempore malo tuto habitare possimus, et eam quocumque iverimus nobiscum conferre, ad eum modum, quo testudines facere videmus, quae licet huc atque illuc libere vagentur, semper tamen inveniuntur domi.

Sequitur: *In adiutorio.* Quo uno verbo brevissime indicatur, quae sit, et qualis, ea fiducia cui divina protectio certo promittitur. Neque enim quaevis confidentia talis est: alioqui coelum ignavis, perditis, sceleratis, furibus, latronibus, et quod est gravius, Luteranis et Calvinianis compleremus. Qui enim homines magis confidunt, quam ii, qui sine ullis bonis operibus imo cum multis sceleribus se regnum coelorum adepturos nullo modo dubitant? Quatuor hominum genera nobis considerandi sunt, ut eos tantem inveniamus, qui vere habitant in adiutorio Altissimi. Quidam enim non tam in aedibus, quam in patibulis habitant: quidam degunt quidem in aedibus, sed luteis, debilibus, ruinosis: porro alii incredibili temeritate marmoream domum super arenam aedificare voluerunt: sed alii postremo sunt, qui arcem munitissimam super firmam petram collocarunt, quos solos in adiutorio Altissimi iure optimo dixerimus habitare.

Primum genus eorum est, qui nec in Deo nec in hominibus nec in ulla re alia sperant, et semper anxii, semper tristes, semper miseri sunt. Nec solum praesentibus malis praemuntur, sed etiam futuris, et iis etiam, quae fortasse numquam erunt. Nam sicut ii, qui a praetore torquentur, quamvis non ignorent, si dilectum confiteantur, se continuo ad mortem rapiendos; tamen ut praesentem cruciatum ad tempus evadant omnia confitentur, quae gesserunt, et plerumque etiam quaedam, quae non gesserunt. Ita miseri isti homines, qui non adversa pati, nec in adiutorio Altissimi confidere didicerunt ut praesentem calamitatem effugiant, aut laqueo aut ferro aut veneno aut praecipitio sibiipsis vitam crudelissime eripiunt. Quibus quidem (ut eis medicinam consilii atque orationis

meae, si quam potero, adferam) nullum remedium efficacius adhiberi posse video, quam frequentem atque assuetam cogitationem beneficiorum Dei. Etenim in quantumvis gravi miseria et calamitate verseris, certe eriges animum, certe consolationem accipies, si te hominem esse cogites, Dei ipsius manibus formatum, ratione atque intelligentia praeditum, qua Deum et omnes res creatas contemplari vales, qua omnibus animantibus longe excellis, qua artes inventae, urbes constitutae, et ipsum mare navigabile factum est. Nonne in te, quamvis inops et nudus terrenarum copiarum videaris, divini numinis imago clarissime splendet? Non ne Sol et Luna ardentem facem coram te noctes ac dies perferunt? Quid? Quod angeli circum te semper excubias agunt, beati omnes patrocinium tuum apud Deum susceperunt, Deus ipse tibi coronam gloriae, regnum sempiternum et paradisum voluptatis praeparavit? Quid? Quod Filius Dei tanti te fecit, ut vitam potius suam, quam animam tuam perdere voluerit? Ac ne grave et durum tibi videretur, inopia premi, famem et sitim, frigus et nuditatem, contumelias et convitia pati, ipse haec omnia et multo etiam graviora tolerare voluit. Et quam multos quaeso, numerare posses, qui sponte sua istam inopiam tuam, quae tibi molesta esse videtur, elegerunt, ut liberius, expeditius, facilius, imperatorem nostrum Christum sequerentur? Quam multos, qui vincula, carceres, flagella, supplicia et cruciatus omnis generis, atque adeo mortem ipsam propter Christum summis votis expetiverunt? Et quid, obsecro, si daemones atque homines in te omnes armentur? Quid, inquam gravius in te committere poterunt, quam ut de hac valle lachrimarum ad patriam beatorum te transmittant? Denique illud attende, diffidentiam ac desperationem non solum mala praesentia non minuere, sed augere: verum etiam ad mala sempiterna et intolleranda sine dubitatione perducere. Sicut contra spes et confidentia, vel a malis praesentibus liberationem, vel quod melius et utilius est, patientiae donum impetrare solet.

Alterum genus eorum est, qui spem suam totam in rebus creatis posuerunt, nec in adiutorio Altissimi, sed in carne sua, in opibus, honoribus, pulchritudine, eruditione, amicitia et gratia hominum habitant: quos omnes certum est tam esse stultos, quam ea sunt vana in quibus confidunt. Divitiae nonne Evangelio teste, spinae ac tribuli sunt, quae manus eorum pungunt ac lacerant, qui in ipsis innituntur? Nonne Dominus clamat: Filioli, *quam difficile confidentes in pecuniis regnum Dei introibunt?* Ut omittam, quam facile transeant de una domo in aliam, et quos hodie beatos faciebant, cras nudos et vacuos relinquant. Species ac forma corporis, quam facile marcescit? Nonne videmus quotidie homines etiam pulcherrimos et formosissimos tandem in cadaver commutari, adeo foedum atque horrendum, ut nec sensus videndi eos tollere possit? Sapientia quoque atque eruditio baculus est arundineus, qui facillime frangitur, et manus innitentis periculosissime gravissimeque sauciat. Nulli enim in errores perniciosos facilius cadere, et in eis obstinate perseverare sinuntur a Deo, quam ii, qui in eruditione sua confidunt. Videmus haereticos, qui iudicium suum toti Ecclesiae anteponunt, adeo interdum insipientes evadere, et ea dicant, quae pueri trium annorum intelligerent esse figmenta, et non tam loqui, quam delirare et insanire videantur: *Fili*, inquit Sapiens, *ex toto corde tuo habe fiduciam in Domino, et ne innitaris prudentiae tuae.* Et rursum alio loco; *Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit.* Vere impie, quia idolum sibi quodammodo fabricat, et a Domino recedit cor eius. Iam vero quid honoribus et dignitatibus levius, qui gratia, et opinione principum sustentantur? Nonne vel levissima suspicio sufficit, ut qui hodie coelum attingere videtur, cras usque ad inferos deiiciatur? Et quando horum nihil penitus acciderit, nonne tandem aderit, mors, quae uno impetu luteas illas domos super arenam aedificatas deiiciet, atque evertet? O fallacem eorum spem! O eorum inanes contentiones! O miseros ac stultos, qui ponunt carnem brachium suum! Audite, audite quid sapientia Dei, qui mentiri non potest, de eiusmodi dicat architectis; *Spes impii*, inquit, *quasi lanugo est, quae a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur, et tamquam fumus, qui a vento diffusus est.* Quid celerius cadit quam lanugo? Quid facilius dissolvitur, quam spuma? Fumus vero nonne tantum ascendit, quantum est longitudo camini, ac deinde statim dissipatur, et evanescit? Ita igitur et spes impii, tamdiu durat, quamdiu vita ipsa durat. Vita ipsa deficiente spes omnis deficit, et ei desperatio et damnatio sempiterna succedit.

Tertium genus est eorum, qui in Deo quidem confidunt, sed perverse, temere confidunt, qui videlicet in suis flagitiis ac sceleribus perseverare volunt, et tamen secure dormiunt. Quales inprimis sunt haeretici Lutherani, de quibus Scriptura loquitur, dicens: *Sapiens timebit, et declinat a malo: stultus transilit et confidit.* Ita isti faciunt, transgrediuntur ieiunia, transgrediuntur vota, transgrediuntur praecepta, transgrediuntur consilia: et tamen se Deo amicos esse non dubitant. Itaque opinione atque existimatione sua in Altissimi adiutorio habitant; re autem vera in domo phantastica atque imaginaria degunt. Nesciunt enim isti nesciunt prorsus quis sit verus Deus: Deus enim verus, *Deus Zelotes* est, ultor peccatorum mirabilis, qui diligit iudicium et iustitiam. Isti vero fingunt sibi Deum quamdam totum levum, mollem, dormientem, qui zelum non habeat, qui nescit irasci, vel non possit vel non velit punire peccata. Falleris Epicureae, Lutherane falleris, non est iste Deus noster, sed phantasma tuum: vel si Deus est, certe Epicuraeorum, non Christianorum est. Sed nomen ipsum adiutorii, quod in hoc psalmo legimus, nonne satis ostendit, quam sit inanis ista Lutheranorum, et ignavorum hominum fiducia? non enim recte dicitur adiuvari, nisi qui etiam aliquid confert, aliquid conatur, aliquid operatur. Id quod filii huius saeculi satis intelligunt: et in eo asina Balaam sapientior est, quam Balaam, id est caro nostra atque homo exterior, doctior est, quam animus homoque interior, Agricolas interroga: an

quia non dubitant sine Dei auxilio nihil posse fieri, num propterea otientur, et neque agros serant neque vineas plantent neque hortos colant? Si quis nostrum domum ardere videat, solum dicat, Dominus providebit, et non conetur quantum in se est ignem aqua restinguere, utrum ea confidentia, an socordia et negligentia dicenda est? Ad eumdem igitur modum, si miseriam tuam agnoscis, et ab ea liberari cupis, si vides te etiam post confessionem peccatorum factam non gustare quae Dei sunt, ad vomitum peccatorum saepius reverti, ebrietas, crapulae, fornicationis aliorumque vitiorum amorem ac desiderium magnum adhuc in corde tuo locum habere, debes quidem, idque praecipue in adiutorio Altissimi spem collocare: sed etiam praeterea ex parte tua nihil omittere, devotis precibus instare, sanctorum libros legere, occasiones peccatorum fugere, poenitentiae sacramentum frequenter accedere, spiritualium virorum consilia quaerere: Deus enim adiuvat, quidem sed vigilantes, et strenue ac impigre laborantes. Ex quo non difficile erit, auditores, quartum genus hominum confidentium, quod solum superest, agnoscere.

Quartum igitur genus eorum est, quorum spes ac fiducia quatuor quasi radicibus nititur, fide, charitate, conscientia pura et operibus bonis. De fide legis apud Apostolum in epistola ad Ephesios: *Habemus fiduciam per fidem eius.* Fides enim fiduciam generat, dum nobis Deum, ut parentem, benignum, fidelem, liberalem, qui possit et sciat et velit in se confidentes protegere ac defendere. Neque enim fieri potest, ut in eo confidas, cuius promissionibus fidem non habes. Itaque fides est prima radix confidentiae, sed fides catholica: Nam fides haereticorum, quae perfidia quaedam est, non fiduciam, sed praesumptionem gignit. De charitate apud eumdem apostolum alio loco legis: *Spes non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Nam sicut nemo est, qui tuto confidere possit in hoste, et si confidit, stultus est, et fiducia eius confundet eum: ita qui amat et amatur, nihil habet, quod sibi secure de amico confidere non possit. Iam de conscientia bona legis apud sanctum Ioannem: *Charissimi, si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Et in libro sancti Iob: *Si iniquitatem, quae est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo iniustitia; habebis fiduciam in proposita tibi spe, et defessus securus,* id est, absque cura et sollicitudine, *dormies.* Et sane, auditores, sicut conscientia peccatorum timorem ac desperationem inducit, ita conscientia pura, et a sordibus peccatorum purgata dici non potest quantam in omni periculo confidentiam et laetitiam adferat. De operibus vero bonis divinus Apostolus: *Qui bene,* inquit, *ministraverint, bonum gradum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Iesu.* Et rursum ad Hebraeos: *Vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem.* Si enim qui hominis gratia aliquid egit, cum fiducia postea ad eumdem accedit, nec repulsam pati metuit: quanto maiore ratione qui in bonis et Deo gratis operibus se exercuerit, cum fiducia magna ad thronum eius accedere poterit? Haec igitur est, auditores non haereticorum inanis fiducia, sed vera confidentia Christianorum, cui soli protectio divina promittitur.

PARS SECUNDA.

Exposuimus tria verba prima primi versus psalmi nonagesimi: *Qui habitat in adiutorio*: sequitur ut de quarta voce, quae est, *Altissimi*, pauca dicamus.

Multa sunt, auditores, in sacris literis nomina Dei, sed nullum huic loco aptius conveniebat, quam, *Altissimi.* Nam hoc uno vocabulo facile potest intelligi, cur qui habitent in adiutorio Altissimi, etiam inter mille pericula constituti, nihil timeant. Res enim quo longius absunt ab oculis, eo minores videntur, quo vero oculis sunt propriores, eo maiores apparent. Certe nos, qui terram istam incolimus, montes, quos ante oculos habemus, immensae magnitudinis iudicamus, sidera vero, quae procul a nobis absunt, vix aureis nummis comparari nobis posse videntur: at si coelum ascendere possemus, tunc sane contra stellarum globos incredibilis magnitudinis, et nostros montes Alpes et Pyrenaeos, Olympos, etiam et Caucasos caeterosque editos montes non parvos, sed minimos ac pene nullos esse iudicaremus. Ad eumdem igitur modum, qui habitant in adiutorio Altissimi, in arce illa excelsa ac sublimi, explicari non potest, quam parva, quam exigue, quam minuta esse censeant pericula, flagella, tormenta, mala denique omnia, quae hic reperiuntur in terris. Vident armatas acies militum et agmina formicarum existimant, quae uno pede summa facilitate contererentur. Auxilium vero divinum, quod semper eis obversatur, vere magnum, et invictum, ut est, ita eis videtur. Quocirca neque metuere, neque turbari sciunt, sed quicquid accidat, confidenter dicunt: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et, *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a Charitate Dei.* Quo tempore magnus ille Goliath in castris Philisthinorum militabat, nemo erat Hebraeorum, qui cum eo singulari certamine confligere auderet, sed eo propinquante, et ad praelium singulos provocante, omnes tamquam cuniculi fugiebant. Venit autem eo quodam die sanctus David, tunc adhuc adolescens ac pene puer, et quoniam in Altissimi adiutorio habitabat, eum, quem alii gigantem maximum esse dicebant, ipse quasi pigmaeum vel pumilionem contemnebat. Itaque pergit ad regem, et ait: *Non concidat cor cuiusquam in eo, ego servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philistaeum.* Cui rex: *Non vales,* inquit, *resistere Philistaeo isti, quia puer es;*

Hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. Tum David: *Et quis est iste Philistaeus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis?* Ac ut eum intelligeremus non in viribus aut armis, sed in adiutorio Altissimi spem victoriae posuisse, ad Philistaeum ait: *Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo: ego autem ad te venio in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel; quibus exprobrasti hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te.* Conferte, si placet, aliquem filium huius saeculi, qui habitat in superficie terrae, cum aliquo servo Dei, qui in adiutorio Altissimi domum suam fabricavit. Ille si tres obolos amittat, totam vicinian commovebit, si iniuriam aliquam accipiat, si non dicatur optimus, et prudentissimus et nobilissimus et pulcherrimus totius civitatis, non poterit contumeliam istam integro anno concoquere. Cur ita? Quia iacet in terra, et ei etiam res parvae, magnae esse videntur. At servus Dei (quales innumeri sancti martyres fuerunt qui sedem suam habent in Deo, et cor suum affixit coelo, superior est omnibus rebus creatis, nihil ei nocere potest. Aspicit ignes, gladios, bestias, rotas, cruces, aliaque supplicia diaboli arte excogitata, quasi morsus pulicum et muscarum: vel tamquam sagittas parvulorum, quae non tam repellendae, quam contemnendae sunt. Habemus igitur quid sit in adiutorio Altissimi habitare.

Sequitur: *In protectione Dei coeli commorabitur.* Quae est altera pars complexionis, quam initio huius psalmi constitui diximus: et tam apte priori parti respondet, ut admirabile sit. Sed verba singula consideremus.

Protegere, auditores, si grammaticos consulamus, nihil aliud est, quam procul tegere, id quod duobus modis fieri potest. Nam et procul tegit, qui ipse procul existens, tamen clientem suum ab ictibus et vulneribus defendit: et procul etiam tegit, qui prope astans tela adhuc procul volitantia prohibet, nec ea ad corpus clientis sui propinquare sinit. Utrumque magnis viris, atque imprimis Deo rectissime convenit. Quoniam enim longissima brachia Deus habet, et *attingit a fine usque ad finem*, etiamsi in coelo sedere atque habitare dicatur, facile potest nos tegere, quocumque in loco tandem fuerimus, nec solum ad nos procul existentes brachium adiutorii sui extendere, et nos eo modo protegere; sed etiam tela miseriarum et calamitatum adhuc procul existentia, adhuc ex arcu non emissa, adhuc ex pharetra non educta, adhuc in cunis suis latentia, a nobis prohibere, comminuere et confringere potest. Quod vero beatus Hieronymus ex Hebraeo ad verbum transtulit: *In umbraculo Domini commorabitur*, sententiam non mutat: neque enim novum aut inusitatum est, ut favor et gratia magnorum virorum, umbra nominetur. Itaque sicut famuli et clientes regum et principum, sub umbra dominorum securi delitescunt, et saepe multa impune committunt, nec ullos metuunt, quamvis alioqui maiores et potentiores: ita servi Dei sub umbra Domini sui securissimi tutissimique sunt. Nihil est enim, quod umbram Dei non vereatur. Cur enim existimatis Paulum, Antonium, Hilarionem aliosque permultos viros, qui vastissimas eremos incolebant, inter ursos, lupos, serpentes, scorpiones, aliasque ferocissimas bestias sine ullo metu vitam traduxisse? Cur non Danielem a leonibus, nec tres pueros ab igne, nec Paulum a vipera, nec Petrum a fluctibus maris laedi potuisse, nisi quia et animantia bruta, et elementa omnia Creatoris umbram, quae sanctos homines undique tegit, pertimescant.

Sequitur: *Dei coeli.* Quod nomen multis magnisque de causis positum esse videtur. Primum, ut vocabulo, *Altissimi*, quasi e regione responderet. Altissimus etiam ipse est *Deus coeli*, hoc est, coeli altissimi domicilii habitator. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* inquit David. Et rursum: *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Et sanctus Moyses: *Respice*, inquit, *de sanctuario tuo, de excelso coelorum habitaculo.* Et Salomon: *Tu*, inquit, *exaudies de coelo, de* sublimi scilicet *habitaculo tuo.* Altissimus igitur altissimum posuit domicilium suum, et Deus coeli dici voluit, quia coelum sedes eius ac thronus est, quod non ita est accipiendum, quasi certo spatio ac terminis contineatur Deus, cum ipse de se dicat: *Coelum ac terram ego impleo*: sed quia in coelo se videndum facie ad faciem beatis Angelis, et hominibus exhibet. Deinde Deus coeli appellari voluit ut nobis veri Dei protectionem promitti non dubitaremus. Nihil est enim, quod magis Deum verum a dīs falsis discernat, quam fabrica coelorum. Nam *Dii Gentium daemonia*: *Dominus autem coelos fecit.* Itaque sicut Apelles, pictorum omnium facile princeps, ut etiam absens a Protogene cognosceretur, miro artificio incredibilis tenuitatis lineam duxit, quam nemo unquam imitari posset: sic etiam (si parva licet componere magnis) Deus noster admirabili illo opere, quo coelos ex nihilo in momento fabricavit, se verum ac solum Deum esse, facile ostendit. Quamvis enim terram quoque et maria, quicquid in eis continetur, idem Dominus creaverit, tamen nulla re alia maiestatem et potentiam ac sapientiam suam magis declaravit, quam opere coelorum, ut iure sanctus David cecinisse videatur: *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum.* Est enim coelum omnium corporum longe maximum et pulcherrimum, tot luminibus illustre, ut numerum omnem excedant; tanto inter se ordine constitutis, ut admirabile sit; eamdem semper legem, et constantiam in tanta mortuum et cursuum diversitate servantibus, ut stuporem intuentibus adferant, denique tanta virtute et efficacitate praeditis, ut nihil in terris sine ipsorum adiumento ac beneficio generetur. Itaque merito Deus verus, Deus coeli nominari voluit.

Sed illud hoc loco praetermitti non debet, quod in epistola ad Marcellam b. Hieronymus tradit, Hebraeum verbum, *Sadai*, pro quo nos Deum coeli in nostris codicibus habemus, unum esse ex decem nominibus Dei, et robustum et fortem, omnipotentem atque ad omnia sufficientem significare: rectissime enim ei, *qui habitat in adiutorio Altissimi* protectio promittitur *Dei coeli*, id est, robusti, fortis, potentis, invicti: non quales sunt Dii

aurei atque argentei Ethnicorum, qui custodibus indigent, et adeo sunt infirmi ac debiles, ut ne verbis quidem seipsos defendere valeant. Fortasse etiam, ut b. Bernardus annotavit, propterea Deus coeli appellatus est, qui nos a periculis et miseriis sua protectione defendit: quia sub coelo sunt aereae potestates, quae semper vigilant, ut nobis pestem et perniciem machinentur: sub coelo sunt homines improbi, fures, nefarii, scelerati, latrones, piratae, impostores, leones, venefici, schismatici, haeretici denique omnes, qui vel corporibus vel mentibus insidiantur: sub coelo sunt aegritudines, morbi, penuriae, bella, praecipitia, ferae silvestres ac venenatae: sub coelo denique est ipsa caro, quae perpetuum bellum cum spiritu gerit: est amor honoris, qui instar visci retinet eos, qui super ramos arborum volitant: est amor deliciarum ac voluptatum, quae ut Sirenes miseros blanditiis circumveniunt, et occidunt. Optime igitur dictum est: *In protectione Dei coeli*, ut nihil eorum, quae sub coelo sunt, timere possit, quicumque protectionem eius habere meruerit.

Restat verbum postremum, *Commorabitur*. Quod quidem sua vi atque energia non caret. Primum enim aptissime respondet verbo, *Habitat*: quomodo enim homo iustus non semel aut iterum in Deo confidit, sed semper idcirco in Altissimi adiutorio, tamquam in propria domo, habitare dicitur: ita quoque non semel aut iterum; sed semper a Deo coeli protegetur, atque ideo in eius protectione tamquam in propria sede commorabitur. Deinde vox hebraea non solum hoc loco, *commorabitur*, significat, sed etiam *commorabitur in nocte;* ut illud nimirum intelligeremus, divinam protectionem in nocte huius vitae solum esse necessariam: in altera siquidem vita, quae noctem non habet, non in protectione, sed in gaudio et in regno Dei coeli commorabimur. Atque hic finis est versiculi, quem hodie suscepimus exponendum.

Reliquum est, auditores, ut iis rebus auditis ad confidentiae virtutem nobis comparandam accendamur: Certe videtis, quam multum sit, quod Deus promittit, quam parvum, quod requirit. Si diceret Deus, centum aureos nummos singulis annis mihi numerabis, et ego te in omni periculo tam corporis, quam animi salvum conservabo: quis non mallet domum et vestes, et quicquid habet, statim vendere, et pecuniam Deo numerare, cum pericula, quae nos circumstant, sint maxima et infinita, et semper plura et maiora exoriantur? At nunc Deus noster non hoc dicit, sed solum spem tuam et fiduciam in me collocato, et sine dubio protegeris. Non habet mundus conditiones et pacta tam bona: et tamen homines libenter illis acquiescunt. Nonne qui vineam suam vel arcam custodiri cupit, libenter aliquid solvit? Nonne reges ac principes arces, et civitates ipsorum, ut tempore belli custodiantur ab hostibus, maxima stipendia militibus numerant? At nunc Deus noster, qui bonorum nostrorum non eget, nihil tale a nobis exigit, et tamen corpus et animam, et omnia nostra custodire paratus est, et *non dormiet neque dormitabit*, ut diligenter nos custodiat: si tamen in eo confidere, peccata fugere et bonis operibus incumbere voluerimus. Hanc igitur praeclaram virtutem tamquam pretiosam margaritam rebus omnibus venditis, fratres mei, si sapimus, comparemus. Non fidamus in divitiis, quae gratiae coelestis pauperem efficiunt: non in sapientia, quae *stultitia est apud Deum*: non in corporis forma, quae cito corrumpitur, et animam deformem saepenumero reddit: non in vanis mundi huius honoribus, qui sunt iactura coelestis gloriae, et ignominiam sempiternam adducunt: sed spes nostra et fiducia tota collocetur in Deo, ut ab ipso tandem protectionem ac defensionem in terris, et gloriam ac felicitatem in coelis percipere mereamur, ubi cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO III.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU SECUNDO

Dicet Domino, Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus, et sperabo in eum.

SYNOPSIS.

Ducto exordio ab excusatione exquisitioris enucleationis singulorum verborum, ad versum secundum explicandum acceditur, qui duplici sensu a superiori dependere deprehenditur. Domini nomen Deo soli proprie convenire probatur, qui solus nulli subest, solus sibi ipsi sufficit, solus omnia pro libito disponit. Quam magnum sit beneficium iustificationis, quod per vocem Susceptor, *denotatur, multis dilucidatur et de diversitate casus electorum reproborum agitur. Quomodo se Deus aliis atque aliis aliter arcem refugii praebeat, docetur a simili, quo cervis in montem excelsum confugientibus assimilantur perfecti, erinaceis vero in petris se salvantibus simpliciores iusti. Cur subiungatur* Deus meus, *et quomodo nos quoque exempla sanctorum, qui semper in Domino speraverunt, imitari oporteat disseritur.*

Cum in priori parte multa de fiducia in Deum dicta sint, in hac secunda parte agitur de periculis, quae poenitentiam differentibus imminent. Et in primis aliquot de hac re sacrae Scripturae adducuntur testimonia. Deinde quatuor enumerantur causae, quae conversionem peccatorum reddunt difficilem, nimirum consuetudo peccandi, diaboli vigilantia, Spiritus sancti absentia, et languor quidam animae. Quam sit difficilis inveterati peccatoris conversio figuris, similitudinibus et exemplo lignisae, ab angelo cuidam anachoretae ostensi, demonstratur. Per poenitentiae dilationem non modo bona spiritualia amitti, sed et damna maxima accersiri: et quam sit indignum, pro aeterna mercede non uno momento inservire, et pro optimo quod accepisti, nempe vita, facem senectutis tantum Deo offerre ostenditur. Mortis meditationem ad poenitentiam maturandam egregium calcar esse, convincitur. Tandem obiectionibus occurritur, quod scilicet divinae promissiones, non impiis, sed iustis factae sint; et Dei misericordia, cum iustitia coniuncta, ob oculos nobis proponitur.

Scripturarum divinarum praestantia atque utilitas tanta est, auditores optimi, ut eas thesauro pretiosi metalli non immerito beatus Chrysostomus oratione tertia in Genesim, comparaverit. Etenim sicuti ex nobili metallo, quamvis modicam atque exiguam partem accipias, tamen continuo dives efficeris: ita divinorum eloquiorum numquam tam parum exponitur, quin magnam inde utilitatem, qui diligenter audiunt, consequantur. Tota siquidem Scriptura pretiosa est. Singula verba, vel auri integrae solidaeque partes vel margaritae aut gemmae clarissimae sunt. Quare nemini mirum aut novum videri debet, si in hoc thesauro effodiendo paulatim ac sensim procedimus: et ne aliquid forte cadat aut pereat, quantum possumus, provideamus. Exposuimus versiculum primum Psalmi nonagesimi, nunc ad secundum, Domino bene juvante, exponendum accedemus.

Propheta igitur, posteaquam verbis illis: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur*, omnibus in Deo vere confidentibus certam protectionem, defensionemque promiserat, statim subiicit: *Dicet Domino, Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus et sperabo in eum.* Quae verba cum utraque parte praecedentis versiculi connecti possunt, Et si quidem cum priore connectantur, propositum prophetae erit exponere, quis ille sit, qui habitat in adiutorio Altissimi: et sensus verborum ejus talis erit, *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* Is autem in adiutorio Altissimi habitare dicendus est, qui in omni casu, in omni periculo, quicquid evenerit, quicquid acciderit, non se ad desperationem ad blasphemias, ad magos, ad divinos ad fraudes et mendacia convertet: sed auxilium divinum magna cum fiducia implorabit, ac dicet: Tu es Domine susceptor meus, tu refugium meum, tu Deus meus. Deinde ad se conversus, sibi ipsi loquetur, et dicet *Sperabo in eum.* Si vero cum posteriore parte superioris versiculi, secundus hic versiculus, conjungatur, sensus iste erit: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, is in protectione Dei coeli commorabitur.* Et tunc, id est, cum in protectione Dei coeli commorari coeperit, et semel atque iterum,

tertio ac saepius divinam protectionem expertus fuerit, tunc, inquam, cum actione gratiarum, et interna atque incredibili animi laetitia et delectatione dicet, Tu es Domine susceptor meus et refugium meum, tu Deus meus. Deinde totus erectus et confirmatus sibi ipsi dicet: *Sperabo in eum.* Hoc deinceps meum votum ac studium erit, ut in spe et confidentia, quae tantum hucusque mihi profuit quam maxime proficiam.

Nunc partes singulas nostri versiculi consideremus. *Dicet Domino.* Quis iste Dominus sit, neminem prorsus, quamvis rudem, ignorare arbitror. Tanta siquidem est hujus nominis maiestas atque amplitudo, ut nulli omnino proprie conveniat, praeterquam uni et soli Deo. Dicantur homines, si placet, reges, pontifices, imperatores; certe Domini, nisi valde improprie, dici non possunt. Quocirca secundus ac potentissimus romanorum Caesarum Octavius Augustus, cum hujus nominis vim et significationem non ignoraret, se principem atque imperatorem appellari facile patiebatur, Domini nomen tamquam divini numinis proprium semper recusavit, ut in Apologetico auctor est Tertullianus. Et sane non immerito. Primum enim caeteri omnes qui Domini dici volunt, sicut quibusdam imperant, ita quibusdam etiam serviunt; solus Deus vere est Dominus, qui nullum habet majorem vel parem, nullum praesidem, nullum socium, nullum collegam, sed ipse unus omnibus dominatur. Deinde ille solus jure Dominus appellatur, qui sibi ipse sufficiens nullius adjumento eget, nec ulli de servire cogitur, ut in libro de Genesi ad litteram octavo, b. Augustinus sapienter tradidit. Deus vero nonne sibi ipse sufficit? Antequam mundum crearet, tam dives, tam potens, tam felix ac beatus erat, quam modo est. Atque ut hanc rerum universitatem conderet, nulla re opus habuit, non materia, non instrumentis, non famulis, non tempore, non loco, nunc etiam, ut mundum universum regat, ut tam numerosam familiam alat, ut multa praeter solitum ordinem cursumque naturae efficiat quae miracula dici solent, nullius rei adjumento eget. At quis, obsecro, regum vel principum invenietur, qui non solum Deo, angelis, elementis, sed etiam aliis hominibus non indigeat? Certe sicut pauperes egent divitum pecuniis, ita divites pauperum opera, et quo aliquis ditior et potentior efficitur, et magis regnare ac dominari videtur, eo pluribus indiget, et pluribus servit. Denique is vere ac proprie Dominus dici debet alicuius rei, qui eam ita habet in potestate ut pro arbitrio de ea statuere possit. Atqui solus Deus, qui omnia quae sunt, verbo atque imperio suo creavit, idem potest omnia quae sunt mutare, transferre, convertere, augere, minuere, conservare, destruere, atque etiam ad nihilum si placuerit, in puncto temporis redigere. Homines vero quamvis magni et potentes esse videantur, quid, quaeso, ita habent in potestate, ut eius vere domini dici mereantur? An est quisquam, qui *adiicere* possit *ad staturam suam cubitum unum*; aut *unum capillum album facere aut nigrum*? Quid? Quod omnes reges et Principes orbis terrae, omnes etiam angeli et daemones, si vires et potentiam et industriam suam conjungerent simul, adhuc non possent, vel unam stipulam ex nihilo creare, vel unam formicam ad nihilum redigere? Solus igitur Deus, qui nullum habet maiorem vel parem, qui sibiipsi sufficiens, nullius rei adiumento eget, et qui tamquam creator et opifex omnium rerum, pro arbitrio voluntatis suae de omnibus quicquid voluerit, statuere potest, merito iureque optimo Dominus appellatur.

Dicet Domino. Susceptor meus es tu et refugium meum|Deus meus, et sperabo in eum. Enumeraturus homo iustus beneficia Dei, quae se percepisse laetatur, propterea quod in Deo spem suam et fiduciam collocaverit, a beneficio iustificationis initium facit. Quamvis enim iustificationem creatio praecedat, tamen creationis munus propterea hoc loco recensendum non erat, quod spem et confidentiam non sequatur, sed praecedat. Quid enim sperare potest, qui non est? Incipit igitur a primo et maximo Dei dono, quod sperantibus et confidentibus confertur. Quod ut facile percipias, finge animo, in media platea iacere hominem multis vulneribus confectum, et ab omnibus destitutum, qui nec patrem, nec matrem, nec affines nec amicos nec domum nec pecunias ullas habeat; denique qui nec seipsum iuvare queat, nec ullus inveniatur, qui eum iuvare velit: si post aliquod tempus medicus quispiam christianus et pius per eam plateam transiens, atque aegroti illius misertus, eum, licet ignotum, susciperet, atque in domum suam delatum non modo sumptibus sed etiam manibus propriis diligenter curaret, nonne is, qui in platea iacuerat, medico suo rectissime diceret; *Susceptor meus es tu*? Tu, inquam, es, qui hominem miserrimum, et omni ope distitutum, atque ab omnibus hominibus derelictum suscepisti. Iam igitur, auditores, omnis peccator talis est, qualem aegrotum istum modo depinximus: Sis licet magnus in oculis hominum, et magna sociorum atque amicorum caterva comitatus tibi videaris, tamen si lethale peccatum cor tuum occupatum tenet, nihil penitus dubites, te saucium, deformem, horribilem, in coeno ac sordibus ab omnibus destitutum ac derelictum iacere. Qui enim Deum offendit, omnes res creatas offendit, et omnibus invisus cum sit, ab omnibus supplicium, a nullo praesidium expectare debet. Qui vero tibi adsunt, et quos tu amicos et socios arbitraris, ii plerumque sunt maximi hostes animae tuae, et eam per se cadentem in gehennam magis impellunt, ut celerius cadat. Sed tamen contingit interdum, ut hominem sic ab omnibus desertum, Deus ipse, qui minime omnium ad hoc beneficium tenetur, incredibili benignitate suscipiat, et redimat ab interitu vitam eius, et sanet omnes languores eius, et eum in misericordia et miserationibus coronet: et tunc homo beneficium liberatoris agnoscens exclamat, et dicit: *Susceptor meus es tu, Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

Sed alio modo, et fortasse clarius, rem eamdem explicemus. Lex Domini, auditores, via quaedam est instar pontis, ardua, recta, sublimis, angusta, et infra se praecipitium habet, adeo profundum, ut finis eius non sit alius, quam gehenna. Per

hanc viam iter facimus, dum *sobrie, iuste et pie* conversamur *in hoc saeculo*, ac de nobis dicitur in Psalmo: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*: sed cum forte ad dextram vel ad sinistram declinamus, et vestigium extra pontem figere volumus, hoc est cum mandatum aliquod divinae legis transgredimur, continuo de ponte cadimus, et nisi Deus singulari misericordia ruentes excipiat, (quod tamen non semper facit, nec tenetur facere) semper deorsum, magis et magis, imo celerius ferimur, donec ad profundum inferorum, perveniamus, et ibi tibias et collum et cervices confringamus. Audiant haec et perhorrescant, qui tanta facilitate et libertate peccant, ut flagitia iocos arbitrentur. Ubi, quaeso, te pedes habere putas, quicumque vel unum lethale flagitium admisisti? tu fortasse, qui oculos mentis apertos non habes, super terram consistere te credis? at ego te de ponte cecidisse video, et miserabili ruina quasi lapidem vel plumbum deorsum ad gehennam properare. Quia vero nonnullos Deus singulari misericordia in ipso casu excipit, et ad profundum pervenire, hoc est, in peccato usque ad mortem perseverare non sinit: propterea quidam ei cum actione gratiarum dicunt: *Susceptor meus es tu.* De quibus in alio Psalmo legis: *Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Et rursum: *Impulsus eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me*, idest, nihil profecit spiritus tentationis qui me de ponte mandatorum Dei in praecipitium peccati deturbaverat, quia Dominus suscepit me. Ac ut intelligeremus magnus hoc beneficium proprium esse eorum, qui totam spem suam in Deo collocaverunt, paulo ante idem Psalmographus, dixerat: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* Itaque hoc discrimen inter electos confidentes, et reprobos desperantes invenitur, quod cum utrique quandoque de ponte cadant: nam *septies cadet iustus*, tamen electi manus Dei cadunt, et casus ipse sicut caetera *omnia*, eis *cooperantur in bonum*: reprobi vero usque ad profundum inferorum cadere sinuntur. Cum igitur vides eum, qui cecidit, statim surgere, fortiorem, cautiorem, diligentiorem, humiliorem, nihil ambigas cum in manus Dei cecidisse, ac merito dicere posse; *Susceptor meus es tu.* Aspice atque intuere principem apostolorum: cecidit quondam beatissimus Petrus, cum a spiritu timoris impulsus, Christum non semel, sed ter abnegavit. Caeterum supposuit manum suam Deus, ne collideretur: atque idcirco qui erat ante casum audacior, quam par erat, et de sua fortitudine nimium confidebat, ita ut diceret: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: is post causam proprio periculo edoctus humilior et prudentior evasit. Itaque cum alio tempore ab eo Dominus quaereret: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* non est ausus praecipitare sententiam, sed ait: *Domine, tu scis, quia amo te.* At si numquam lapsus esset, fortasse audacter respondisset, Quid? Ambigis an te diligam? Nonne vidisti in horto quid gesserim? Nonne solus ego districto gladio hostes ferire et fugare coepi? Magnum igitur et singulare donum est, posse Deo dicere: *Susceptor meus es tu.* Possunt enim omnes res creatae Deo dicere: Creator meus es tu: et omnia animantia. Pastor meus es tu: et omnes homines. Liberator meus es tu: at *Susceptor meus es tu*, solus ille vere dicet, qui vere habitat in adiutorio Altissimi.

Sequitur: *Refugium meum.* Quoniam enim qui a Domino suscipiuntur, non statim ad quietem et otium suscipiuntur, sed ad militiam et laborem, unde etiam in hoc Psalmo dicitur *Scuto circumdabit te veritas eius* et Ecclesia, in qua interim scripti sumus, Ecclesia militans appellatur: propterea necessarium erat, ut militibus suis Deus arcem aliquam demonstraret, ad quam sese reciperent, cum forte praelium ingruere, et hostes praevalere viderent. Verum non aliam arcem Deus, quam seipsum constituere voluit: quod intelligens homo iustus, posteaquam dixerat: *Susceptor meus*, continuo adiunxit: *Refugium meum*, sive arx mea, ut ex Hebreo non minus apte verti potuisset. Sed quamquam omnibus Deus arx ac perfugium esse solet, aliter tamen veteranis militibus, aliter tyronibus, unde in Psalmo centesimo tertio sanctus David: *Montes*, inquit, *excelsi cervis, petra refugium erinaciis*, vel leporibus, ut alii legunt. Qui enim sunt ii, qui cervorum nomine designantur, nisi perfecti et spiritales viri, qui more cervorum degunt in montibus contemplationis, et semper desiderant ad Deum fontem vivum, sicut cervus ad fontes aquarum, et saepe cum gemitu dicunt: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* Quos vero lepores vel erinacii significant, nisi iustos minores, qui innocentiam et simplicitatem colunt, sed parvi meritis et virtutibus sunt, et multis spinis minutorum ac levium peccatorum non carent? Utrisque tutissimum et singulare perfugium est Deus: sed aliter atque aliter. Siquidem ut mons excelsus cervis, ut petra leporibus atque erinaciis refugium praebet: Christus enim in throno gloriae suae mons est magnus atque excelsus supra dignitatem omnium coelestium spirituum collocatus, atque ad eum cervi spiritales, viri sancti atque perfecti, in afflictionibus suis contemplatione ascendunt, et cum Apostolo dicunt *Conversatio nostra in coelis est.* Et, *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Et, *Quod enim in presenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Itaque gloria illa, illud decus, illa summa et sempiterna felicitas, in omni casu et calamitate, cervos in montibus excelsis consolatur. Idem vero Christus in cruce pendens, foramina petrae leporibus exhibet. Quicumque lepores sunt, et misteria vitae futurae contemplari, atque ad eos montes ascendere non didicerunt, in foraminibus petrae se abscondant, passionem dominicam cogitent: ibi videbunt, quam sit bonum pro Christo aliquid pati, qui tanta pro nobis tolerare voluit. Ibi seipsos consolabuntur, ac dicent: *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?* Indignaris, quia persecutionem aliquam pateris? Sed vide qualem Deus tuus per-

secutionem pro te sustinuerit. Moleste fers, quod tibi opes tuae diripiantur? Sed vide Deum tuum, nudum in cruce suspensum, et qui *non habet ubi caput suum reclinet*. Doles quod fame et siti quandoque laboras? Sed quid haec ad ea, quae pro te Dominus tuus patitur, cuius delitias fel et acetum, et vinum myrrhatum esse vides? Grave tibi esse videtur, quod variis morbis et doloribus cruciaris? Sed vide Dominum, tot plagis, tot livoribus, tot vulneribus coopertum, *ut a planta pedis usque ad verticem capitis non* sit *in eo sanitas*. Ita igitur Christus et mons editus atque excelsus cervis, et petra foraminibus plena leporibus refugium praebet: ut iam utrique dicant Domino: *Susceptor meus et refugium meum es tu*.

Sed cur additur et, *Deus meus*? Coeperat homo iustus Dei beneficia recensere, sed anima advertens ea tam multa multiplicia esse, ut numerum omnem excedant, et nec vocabula ad ea significanda nec tempus ad ea commemoranda sufficere, idcirco utili excogitato consilio, uno verbo omnia comprehendit. Itaque ait, *Deus meus*, id est, omne bonum, a quo solus dependeo, in quo solo totus innitor, cui soli debeo quicquid sum, quicquid habeo. Nec dicit: Deus noster, sed, *Deus meus*: quia tam praesens Dei auxilium unique iustorum adest, atque ea diligentia et vigilantia singulos regit, fovet, protegit, defendit, conservat, ut uni soli, dimissis caeteris, adesse videatur.

Ex quo sapienter homo iustus, et qui divinam providentiam frequenter est expertus, firmiter apud se statuit et proponit, semper deinceps, in Deo confidere, ac dicit: *Et sperabo in eum*. Haec sane vox omnium sanctorum fuit, et nostra debet esse, auditores, ut quicquid nobis contingat, semper dicamus; *Et sperabo in eum*. Praesertim cum tot millia exemplorum ante oculos habeamus, quot millia sanctorum ab exordio saeculi usque ad hunc diem extiterunt. Quis enim eorum non totam spem suam in Deum collocavit? Et an vel unus demonstrari poterit, qui in Deo frustra speraverit? Quando enim nihil hic in terris commodi et consolationis habuissent, an non tanta est gloria illa coelestis qua nunc beatissimi et securissimi fruuntur, ut ea sola sufficiat, ut non frustra in Deo spem suam posuisse videantur? Si enim in hoc exilio quondam ut lutum conculcati fuerunt, nunc ut clarissima sidera lucent in coelo: si hic fame et siti laboraverunt, ibi pane angelorum satiantur, et torrente voluptatis inebriantur; si hic frigus et nuditatem passi sunt, ibi gloria et immortalitate vestiuntur: si olim domo te civitate expulsi exules, profugi peregrini fuerunt, nunc in aeterna tabernacula recepti exultant *sancti in gloria*, et letantur *in cubilibus suis*. Merito igitur homo iustus, et spe ac fiducia plenus *dicet Domino*: *Susceptor meus es tu et refugium meum, Deus meus et sperabo in eum*.

PARS SECUNDA.

Quemadmodum ex iisdem floribus et apes mel, et araneae venenum fugere atque elicere solent: sic etiam ex iisdem Scripturae divinae promissionibus iusti confidentiam, et operum bonorum desiderium, impii vero socordiam, et peccandi libertatem atque audaciam trahunt. Equidem ego ut mihi persuadeo, auditores, infinitum numerum animarum iam periisse, et quotidie etiam perire, propterea quod freti homines spe misericordiae Dei, quam sibi in extrema aetate non defuturam confidunt, et ea poenitentia, quam in exitu de hoc saeculo acturos se arbitrantur, et iis lachrimis, quas in morte se copiose profusuros esse non dubitant, semper conversionem vitaeque mutationem in aliud tempus differunt: Cras, inquiunt, faciemus modo, ecce modo, sine paululum: sed modo, et modo non habet modum, et sine paululum in longum, abit, atque interim dilatat infernus os suum, et descendunt ad eum sine ullo numero. Quoniam igitur de utilitate confidentiae in priore parte orationis satis multa dicta sunt, nunc de periculis eorum, qui spe misericordiae Dei, conversionem, et poenitentiam differunt, pauca dicemus. Ac primum quid Scripturae divinae de hac re nos moneant, videmus.

Certe Spiritus sanctus cum in aliis locis, tum praecipue in libro Ecclesiastici clamat, et dicit: *Ne dicas; Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te*. Quam terribilia, formidabilia verba, et verba illius, qui mentiri non potest! Et rursum alio loco: *Confiteberis*, inquit, *vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius*. Et item: *Quae*, inquit, *in iuventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies*? Et sapientissimus Ecclesiastes nonne concionem suam ita conclusit: *Memento creatoris tui in diebus iuventutis tuae, antequam veniant tempora afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent*? Et sanctus Ieremias: *Bonum est*, inquit, *viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua*. Et Dominus in Evangelio: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos, quoniam ipsorum est regnum coelorum*. Neque magno sacramento caret, quod ad probaticam piscinam, posteaquam Angelus aquas commoverat, non qui diutius expectarat, sed qui primus in aquam descendebat, solus curabatur. Ex quo intelligimus, eos dumtaxat ad spiritalem salutem pervenire, qui cum divinam motionem atque inspirationem persenserint, non dicunt. Cras faciam, sine paululum: sed qui cum apostolo Paulo mox respondent: *Domine, quid me vis facere*? Ad quod etiam nos regius Psaltes adhortatur: *Hodie*, inquit, *si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, ut responsionem de die in diem differatis: sed si hodie etiam respondete. Sed quamquam haec divina testimonia Christiano homini satis esse deberent, ut nihil dubitaret, inanem prorsus, et plenam periculi esse spem illorum, qui conversionem et poenitentiam vel unam horam differunt: tamen ut etiam iis, qui modicae fidei sunt, aliquo modo satis

faciamus, argumentis et rationibus ita rem explicemus, ut cerni et sentiri possit.

Quatuor sunt praecipuae causae, cur homo peccator non sine magno labore ac difficultate se a vitiis ad virtutes revocare potest. Prima causa est consuetudo peccandi, quae tamquam altera natura, difficillime superatur; ac ut agri, domus, vestes et res caeterae, temporis diuturnitate tandem praescribuntur, et cum praescriptae fuerint, sine singulari principis privilegio recuperari non possunt: ita quoque et vitia, ubi longa consuetudine animum peccatoris sibi praescripserint, frustra litigatur, nisi summus princeps Deus singulari gratiae privilegio (ut d. Bernardus in 1. libro de consideratione ad Eugenium scribit) cor lapideum in carneum commutare voluerit. Altera causa est summa quaedam et incredibilis daemonis vigilantia, qua servos tuos et captivos custodit: *Qui enim facit peccatum, servus est peccati*, et laqueis diaboli captivus tenetur, (ut Apostolus ait) *ad ipsius voluntatem*: diabolus autem est ille fortis armatus, qui summa diligentia, summo studio, summa cura atque industria custodit atrium suum. Tertia causa est absentia Spiritus Dei. Ut enim Spiritus Domini cor nostrum inhabitans viam virtutis planam et suavem solet efficere, ita ut iustus dicat: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Et: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilasti cor meum*: sic contra absentia Spiritus sancti viam eamdem asperam et difficilem reddit. Et sicut praesente lumine solis, coeloque tranquillo ac sereno, nemo est, qui non libenter iter faciat: at cum luci et serenitati noctis horror ac tenebrae successerunt, quis non potius domi apud ignem sedere, quam per agros ambulare evellet? Ita prorsus iustitiae Sole in cordibus nostris lucente et gratiae suae radios in iisdem cordibus diffundente, voluptas est non ambulare, sed currere viam mandatorum Dei: sed luce gratiae recedente et peccatorum nocte animum tenebris atque horrore complente, nihil difficilius, nihil gravius, nihil molestius, quam in via Domini vel semel vestigium ponere. Atque hoc est, quod Dominus per Oseam peccatoribus comminatur: *Vae*, inquit, *cum recessero ab eis.* Et per Ieremiam: *Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Postrema causa est, morbus quidam et languor omnium virium animae. Nec enim ita poma a vermibus, nec fruges a grandine, nec vestes a tineis, ut animae vires a vitiis et sceleribus corrumpuntur. Intelligentia obscuratur, iudicium hebetatur, voluntas depravatur, et quantum rationis libertas et potestas in peccatore minuitur, tantum inferioris appetitus rebellio atque inobedientia crescit. Ex quibus ingens labor ac difficultas oritur bene sancteque vivendi. Nam cum animae vires instrumenta sint omnium actionum bonarum, et quasi rotae quaedam horologii: sicut horologia destructis vel impeditis rotis munere suo fungi non possunt: ita homines improbi animae viribus per peccata vitiatis, recte vivere nullo modo possunt.

Quae cum ita sint, quis non videt, in quanto periculo atque errore versantur, qui de die in diem conversionem suam differentes, quod modo difficile esse experiuntur, postea facile futurum putant, quando omnes difficultatis causae creverint? Nonne poenitentiam differendo peccata peccatis addunt? Et peccata peccatis addendo, nonne causas laboris et difficultatis augebis? Nonne semper mala consuetudo radices suas altius figet? Nonne daemon arcem suam, animam tuam, semper magis muniet? Nonne Deus, lux animae tuae, semper recedet? Nonne animae vires vulneribus multiplicatis semper debiliores atque ad bonum ineptiores efficientur? Quid igitur est quod te consolatur? An non aperta stultitia est credere, quo magis nexus et catenae multiplicantur, eo solutionem futuram esse faciliorem? et quo morbus magis confirmatur, eo facilius eum posse curari? An non ita Spiritus sanctus per Ecclesiasticum loquitur: *Languor prolixior gravat medicum: sed brevem languorem praecidit medicus?* Et cur putas Dominum in excitatione Lazari, quatriduani tam ingenti clamore, gemitu quoque et lachrimis uti voluisse, qui tanta facilitate viduae filium et filiam archisynagogi ab inferis revocaverat, nisi ut nobis ostenderet, quam laboriosum sit, hominem ad poenitentiam converti, qui multo tempore iacuit in peccatis? Deinde si flumen, quod semper crescit atque intumescit, summo mane traiicere non audes, quando vix ad genua aqua pertingit, quomodo speras te ad vesperam transiturum, quando toto corpore tuo aquae altiores erunt? et si plantam hodie natam, adhuc recentem ac teneram, non possis revellere; qua ratione poteris cum se corroboraverit, cum in arborem creverit, cum radices in terram altissime firmissimeque defixerit? An non perspicue vides, dum ita agis, similem te esse malis debitoribus, qui semper differunt, ut numquam solvant? Non cernis dolos antiqui serpentis, qui tibi suadet dilationem, ut cum peccata in immensum creverint, incidas in desperationem, vel certe morte praeventus prius te apud inferos videas, quam de poenitentia cogitare coeperis?

Praeclare sane istam dementiam hominum peccatorum sancto cuidam patri, ex iis, qui olim solitudinem incolebant, angelus Domini declaravit. Siquidem eum in agrum aliquando deduxit, eique rusticum ostendit, qui ligna ex arboribus caedebat, et cum non exiguum fascem confecisset, cum in humeros suos levare aggrediebatur, sed cum se tanto oneri parem non esse videret, iterum ligna caedebat, et fascem suum augebat: deinde iterum tentabat, si quo modo posset fascem attollere, sed cum adhuc minus se posse cerneret, quam ante, rursum ad silvam accedens plura et majora ligna caedebat, fascemque suum graviorem efficiebat, tanto se onus illud facilius portaturum arbitratus, quanto magis crevisset. Quod cum sanctus ille anachoreta vehementer admiraretur: Talis, inquit angelus, stultitia atque insania est hominum, qui cum pondere flagitiorum suorum oppressi non sine magno labore surgere se posse videant; tamen poenitentiam differentes addunt peccata peccatis, onus oneri, pondus ponderi, et sarcinam suam gravissimam atque intolerandam efficiunt, et tamen se in ultima senectute surrecturos, et onus poenitentiae

facillime portaturos, incredibili temeritate confidunt.

Sed quando haec omnia, quae diximus, nihil apud te valerent, quae tamen, si sapis, plurimum valere debent: quid, quaeso, dices de illa coelestium divitiarum jactura, quam facis, dum conversionem, vitaeque mutationem semper differs? Cum opulenta aliqua civitas direptioni traditur, et milites omnes summa festinatione domos penetrare, arcas reserare, auro atque argento, varia et pretiosa supellectili se onerare student; si unus eorum militum illo ipso tempore in foro cum pueris luderet, et spoliorum direptionem in aliud tempus differre se diceret, nonne filii hujus saeculi eum militem stultum ac dementem esse judicarent? Cum igitur hoc tempore regnum coelorum direptioni traditum, vim patiatur, et violenti rapiant illud et sancti omnes festinent, quantum possunt, coelestes illos maximosque thesauros bonis operibus rapere quae tua sapientia est, hoc ipso tempore, nugis et jocis puerilibus operam dare, et opportunitatem tanti boni adipiscendi tam leviter perdere?

Quid? Quod ista conversionis dilatione non solum ingentis thesauri jacturam facis, sed etiam detrimenta atque incommoda gravissima tibi ipse acquiris? Nam voluptatem ac delectationem, quam nunc in vitiis et sceleribus capis, magno cum foenore, mihi crede, aliquando restitues, sive apud inferos, sive in purgatorio, sive in hoc saeculo solvas. Ut enim pecuniae a foeneratore susceptae, nisi mature restituantur, quotidie debitum augent, sic etiam scelera atque peccata, quae mox per poenitentiam non delentur, suo pondere trahunt ad alia, atque inde usurae, inde foenora existunt, quae tam diu crescunt, quam diu solutio debitorum differtur. Hoc igitur est quod agis, dum poenitentiam differs, auges quotidie debita poenarum, quas omnino alicubi solves. Quanto enim diutius in moraris in culpa, tanto etiam diutius immorari cogeris in poena, si tamen poena temporalis et non aeterna erit.

Ad haec omnia illud accedit, quod apud hominem ingenuum ac liberalem, plurimum valere deberet, quod cum Deus tam inde ab aeternitate de nobis cogitaverit, nosque dilexerit, nulla ratio admittit, ut liceat Deo nobis tam esse ingratos, ut solum in ultimis nostris diebus de Deo cogitare, eique obsequium debitum praestare velimus. Quid? Ille te a principio suae aeternitatis amavit, et tu illum in fine vitae tuae solum amabis? Deinde, si merces, quam Deus nobis praeparavit, aeterna erit id est infinito tempore permanebit, quo pacto quaeso convenit, ut obsequium tam breve nos Deo praestemus? Si stipendium accepturus es, quod tam diu durabit, quam diu Deus regnabit in coelo, nonne par etiam esset, ut obsequium, quod exhibiturus es Deo, tam diu duraret, quam diu hic vivis in terra? Et quid est vita unius hominis cum aeternitate comparata, nisi momentum unum? Qua igitur fronte, qui obsequium aeternum Deo debes, momentaneum non praestas, et de ipso momento maximam partem suffurariis? Denique si Deus optimum quod habuit, tibi largitus est, vitam scilicet unici filii sui, quae majoris pretii est, quam vita omnium hominum et angelorum, quo jure, quo titulo florem aetatis tuae Deo negare audes, et solum ei faeces, faeces, inquam, senectutis polliceris? Deus clamat in lege: *Non habebis in sacculo diversa pondera, sed pondus justum et verum habebis.* Et tu tam iniqua pondera habere audes, ut daemoni, hosti animae tuae, tres aetates vitae tuae, et Deo creatori ac liberatori solum unam, eamque extremam et vilissimam concedas? *Maledictus dolosus.* (ait Dominus per Malachiam) *qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Domino: quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.* Itaque injuriam maximam gravissimeque puniendam facit tanto regi, qui primitias fructuum vitae suae largitur daemoni et reliquias senectutis, quas mundus respuit, conservat Deo: non secus atque si quis tam rusticus esset, ut optima poma proiceret suibus, et corrupta ac rancida, quae sues comedere noluerunt, regi offerenda putaret.

Verum, ut aliquando finiamus, si cor lapideum habes, neque aliquid eorum, quae diximus, te movet, moveat te saltem id quod Dominus tam saepe et tam serio repetit? *Vigilate vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Quaero enim, quicumque es, qui post aliquot annos poenitentiam acturum esse te confidis, quis tibi, non inquam, annos aut menses, sed vel crastinum diem certo promisit? Habes fortasse chirographum Dei manibus obsignatum? Aut nullos unquam vidisti, qui vesperi laeti et sani cubitum discesserunt et mane reperti sunt mortui? Et quae major stultitia atque temeritas cogitari potest, quam ut audeat vermiculus terrae, de emporibus et momentis certi aliquid constituere, *quae Pater posuit in sua potestate?* Ergo si nihil certius morte, et nihil incertius die mortis et tam multos usque ad hanc diem inanis ista fiducia decepit, nonne satis erit, fratres mei, ut aliorum periculis edocti praesens ac certum vitae spatium pro futuro atque incerto non dimittamus.

Sed, inquit, passim in Scripturis promissiones vitae et salutis sperantibus et confidentibus factas legimus. Itaque et sperabo in eum. O te miserum, qui in tam magna causa toto coelo aberras. Sunt enim magnae Dei promissiones et majores quam tu vel suspicari valeas; sed non ad te, nec ad tui similes pertinent. Ad solos justos, et eos, qui justi esse cupiunt, boni isti nuncii diriguntur. *Dicite justo,* (ait Dominus per Isaiam), *quoniam bene: quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Et per Davidem: *oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* Et ea spes et confidentia in sacris litteris commendatur, quae eum bonis operibus conjuncta est: *Spera in Domino, et fac bonitatem,* inquit David. Et rursum: *Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino.* Denique beneficia Dei, protectio, defensio, indulgentia, pax, gaudium, regnum, non nisi justis vel ad justitiam anhelantibus promittuntur: iis vero, quibus peccata placent, et quos in coeno ac sordibus permanere delectat, undique minas, undique terrores, undique flagella et cruciatus intentari video. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Et, *Mors peccatorum pessima.* Et, *ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Et, *nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit, arcum*

suum tetendit, et paravit illum. Et, *quia vocavi ei renuistis, extendi manus meas et non fuit qui aspiceret: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Et, *Omnis arbor, quae non fecerit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.* Itaque vel non bene litterarum inscriptionem legisti, vel fur es et latro, assumens tibi ea, quae justorum sunt propria.

At, inquit, misericors et miserator est Dominus qui pro me Filium suum misit in terras, et tam admirabili pretio me redemit, ipse me perire non patietur: itaque et ego sperabo in eum. Falleris miser falleris: non est misericordia Dei, ut tu arbitraris, inimica justitiae, sed charissima et conjunctissima soror, et qui misericors et miserator dicitur, ipse idem est *justus Dominus, et justitiam dilexit, et aequitatem vidit vultus ejus.* O si posses animo intueri summam illam majestatem, quae ex altissimo throno gloriae suae conspicit animas in illis intolerandis gehennae ardoribus, et plurimas videt, quae mille et mille annos sine ulla consolatione, vel poenarum intermissione torquentur, et tamen nulla misericordia erga eas unquam flectetur, sed gaudebit potius et laetabitur, quod sine fine, sine remedio, sine ulla spe liberationis torqueantur; intelligeres profecto in Deo esse justitiam, nec tibi tantum de sola misericordia blandireris. O si mentis oculos aperires quid sit, quod d. Petrus ait; *angelis peccantibus non pepercit.* O si cernere posses, quales gemmae, qualia lumina, qualia ornamenta illa erant in coelesti palatio, quae propter unum superbiae peccatum de coelo detracta in profundum inferorum demersa sunt profecto non tibi vilissimo vermiculo in flagitiis perseveranti, tam facile divinam misericordiam pollicereris; sed judicium illud horrendum, et abyssum profundissimam divinae justitiae formidares.

Nos igitur, auditores optimi, misericordiam a judicio et spem a timore nusquam disiungamus; sed misericordiam et judicium Domino decantemus. Non misericordiam solum, ne temere confidamus: non judicium solum, ne penitus desperemus; sed misericordiam et judicium, ut cum spe timeamus, et cum timore speremus, donec spes et timor absorbeantur a gloria, quam nobis concedat, qui est in saecula benedictus. Amen.

CONCIO IV.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU TERTIO

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero.

SYNOPSIS

Praesens concio venationem continet in qua peccatores ferae, diabolus venator est. Duplici quoque sensu explicatur tertius versus: secundum priorem sensum laqueus venantium sunt insidiae hominum reproborum, quibus vitam, honores et opes nostras aucupantur; verbum autem asperum damna sunt, quae ex hujusmodi insidiis consequuntur: vel etiam clamor venatorum capta praeda. Secundum sensum posteriorem quatuor consideranda proponuntur; qui sint, qui laqueos tendant; quibus tendant; quos laqueos tendant; et quid sit verbum asperum. Et in primis daemones esse venatores a triplici venatorum conditione probatur. Deinde horum venatorum graphice depinguntur astutia, fortitudo et multitudo; ac proinde docetur quanta vigilantia et cautione nobis opus sit ad vitandos eorum laqueos.

In parte altera, facta divisione animantium in silvestria et domestica, ostenditur, daemones potissimum silvestribus, qui sunt homines probi et sancti, laqueos tendere: quod et pulchra historia ex s. Gregorio probatur, ubi etiam efficacia signi s. Crucis contra haereticos obiter asseritur. Perditos homines, qui animalibus domesticis comparantur, diaboli esse mancipia quibus non raro ad venationem aliorum utuntur. Deinde docetur, omne id, quod nos ad peccandum pertrahit, laqueum esse, praesertim vero est laqueus honorum divitiarum, linguae ebrietatis et luxuriae, ubi severe libidinosi taxantur, et gravitas peccati in templo amoribus operam dantium, ostenditur. Tandem verbum asperum venatorum infernalium, et Christi judicis irati adiungitur, et cum exhortatione concluditur.

Si quantum gaudii atque laetitiae iustus et verus honor adferre solet, tantum moeroris ac tristitiae verum iustumque deducus adferat, non minus hodie, auditores optimi, ad verba psalmographi dolere, tristarique debemus, quam superiore die domino ad eiusdem laeta carmina exultavimus. Tunc enim in eo gradu honoris ac dignitatis a regio psalte collocati fuimus, ut quasi summi regis filii, dicere possemus Domino; *Susceptor meus es tu, refugium meum et Deus meus*: nunc vero ab eodem psalmographo ita deprimimur, ut tamquam silvestres ferae dicere cogamur; *Ipse liberavit me de laqueo venantium.* Quis enim non moleste ferat, si ab homine mendace se belluam audiat nominari? At nunc non homo mendax, sed spiritus veritatis, non feras, et feras, quibus laquei et retia a venatoribus tenduntur, esse confirmat. An igitur non iure tristabimur? an non merito irascemur? Imo vero vehementer tristari atque irasci nos convenit, auditores, non in Deum, qui vera nobis loquitur, sed in vitia, quae nos bestias ex hominibus effecerunt, et in nos ipsos, qui scelera et peccata commisimus: et in daemonem, qui ut ea committeremus auctor et suasor fuit. Sed quoniam qui nos suis artibus et fraudibus bestias fecit; ea calamitate nostra non contentus, nunc retibus canibus nos insequitur, tunc tristari atque irasci multum nobis profuerit, si qui fuimus homines stulti, simus deinceps bestiae prudentes: et si dolos, quibus bestiae facti sumus, evadere non potuimus vel noluimus, saltem nunc retia, et laqueos, quibus ad necem quaerimur, evadamus, quae victoria tanto nobis gloriosior et hostibus nostris acerbior erit, quanto maius et difficilius est prudentia, et consilio daemonem a bestia, quam ab homine superari.

Sed iam ad explicationem nostri versiculi veniamus. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero.* Magna est hoc loco lectionum textuumque varietas: Hebraeus enim, Chaldaeus, et Graecus Codex ita habent; *Ipse liberabit te.* Latinorum quidam, *liberavit me*; quidam, *liberabit me*, ut non praeteritum, sed futurum beneficium significetur, quemadmodum etiam sanctus Augustinus legit. Sed quoniam variae istae lectiones parum aut nihil sensum verborum immutant, eam nos sequemur, quae in nostris Latinis

codicibus habetur. Sed necessarium erit, antequam longius progrediamur, eius meminisse, quod prima concione admonebamus, in plerisque locis divinarum Scripturarum, duos sensus contineri; alterum, ut ita dicam, magnum, alterum parvum; siquidem utrumque sensum habent verba, quae nunc explicamus, cum laquei venantium, et verba aspera, tam corporalia damna atque incommoda, iuxta sensum priorem, quam spiritualia, iuxta posteriorem significare possint.

Ac ut a sensu priore incipiamus, non aliud hoc loco *laquei venantium* significant, quam dolos et fraudes, quibus homines nefarii aliorum bonis, ut vitae, honoribus et opibus insidiantur. Tales laquei erant ii, quos liberatori nostro Iudaei tendebant, cum ab eo quaererent, liceretne censum dare Caesari an non? Et, an mulier in adulterio deprehensa esset continuo lapidanda? Nec enim ista quaerebant, ut discerent, sed ut eum caperent in sermone, et apud magistratum vel potifices accusarent. Tales etiam laquei sunt, quos opifices et mercatores marsupiis emptorum tendunt, cum eis unum pro alio, mala pro bonis, mixta pro puris, antiqua pro recentibus vendunt; in quo etiam genere venatorum circulatores et praestigiatores primas tenent, qui oleum et aquas et medicamenta quaedam, de quibus numquam Galenum et Hippocrates somniaverunt, vel certe suam loquacitatem et saltationes et cantus et histrionicas actiones vendunt. Videmus enim ad eiusmodi nugas avidius homines convolare; quam turdi soleant ad sibilum vel cantum, quo vehementissime delectantur. Sed in eo tamen stultitia hominum excellit, quod cum turdis non nisi in silvis retia tendantur in foro. Caeterum, auditores, quicumque eiusmodi laqueis ad homines decipiendos uti volunt, ipsi proprio laqueo, et prius et periculosius capiuntur. Clamat enim divina Scriptura: *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Et in Ecclesiastico: *Qui laqueum alii ponit, peribit in illo.* Nam cum ipsi venantur pecunias aliorum, daemones venantur animas eorum. Nec unquam ipsi suis retibus praedam capiunt, quin animae ipsorum retibus diaboli capiantur.

Iam vero *verbum asperum* est ipsum damnum, quod ut plurimum ex insidiis consequitur, ut mors, et ignominia, ut bonorum fortunarumque amissio: siquidem familiare est scriptoribus sacris, ut rem ipsam verbum appellare soleant, quomodo apud sanctum Lucam in Evangelio legimus: *Videamus hoc verbum, quod factum est.* Et, *Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.* Quibus in locis verbi vocabulum non aliquas voces, sed res ipsas et miracula significat, quae in ortu Servatoris demonstrata sunt. Quocirca divus Hieronymus ex Hebraeo ad verbum transtulit, non *a verbo aspero*, sed, *de morte insidiarum.* Quamquam fortasse non inepte verbum asperum esse diceremus, clamorem illum venatorum, qui cum occisione ferarum ad laqueum captarum coniunctus esse solet. Mox enim ut feram comprehensam esse vident, vociferantur, et clamant, Tene, occide, vide ne fugiat, cave ne evadat. Recte vero propheta laqueos a verbo aspero separavit. Aliud enim est ad laqueum rapi, et aliud a venatoribus occidi, propterea quod saepe contingit, ut laqueus ante frangatur, et praeda diffugiat, quam venatores ad locum insidiarum pervenire valeant: quod sane illis contigit, qui dicebant: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Quod etiam Susannae evenisse legimus, quae cum iam capta teneretur laqueo mendacium senum, et tamquam adultera ad supplicium raperetur, Deo providente, in quo spem suam illa collocaverat, veritas effulsit, mendacia evanuerunt, laqueus contritus, et ipsa liberata est, non de laqueo venantium, sed a verbo aspero, sive a morte insidiarum. Ait igitur homo iustus, *Ipse liberavit me de laqueo venantium*, providens scilicet, ne in insidias hominum sceleratorum incidam: vel si certa aliqua de causa in insidias illorum incidere permiserit, laqueum confringet, et a verbo aspero, sive e morte insidiarum, sine dubio liberabit, et nihil me detrimenti capere ex insidiis illis patietur. Sed de sensu priore satis multa dicta sunt.

Venio ad posteriorem, secundum quem liberatio a magnis et spiritalibus malis, in Deo sperantibus et confidentibus promittitur: de quo sensu quatuor investiganda sunt. Ac primum, qui sint ii, qui laqueos tendunt, deinde quibus eos tendant, tum qui sint laquei, quos tendunt, postremo quod sit verbum asperum, a quo tantopere homo iustus liberari cupit, explicandum erit.

Qui sunt igitur venatores? Daemones. Primum enim, ut venatores, cum serio feris capiendis operam dare incipiunt, obliviscuntur omnium aliarum rerum, neque cibi neque somni, neque quietis, neque uxoris, neque familiae, neque ullius alterius rei memores esse videntur, nihil nisi de canibus et retibus de silvis et nemoribus cogitant: sic robusti illi, crudelissimique venatores spiritus infernales, toti sunt in laqueis faciendis, in insidiis struendis, in feris investigandis occupati: neque cibi, neque somni, neque rei familiaris cura illos tenet, neque re ulla se ab eiusmodi venatione unquam impediri patiuntur. Itaque in sacris litteris diabolus quasi proprio nomine tentator, id est, venator appellatur: *Cum ieiunasset Dominus quadraginta diebus et quadraginta noctibus*: (ait Matthaeus) *postea esuriit, et accedens tentator dixit: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Et apostolus Paulus ad Thessalonicenses: *Misi*, inquit, *ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentaverit vos is, qui tentat.*

Deinde studium venationis ludo alcarum simillimum esse videtur, in quo una lusio aliam trahit, et qui eiusmodi lusionibus delectantur etiam si pecuniis spoliari se videant, tamen donec pallium vel indusium habent, finem non faciunt, nec unquam de victoria et lucro desperant. Sicut etiam in litibus fieri videmus, quarum una aliam serit, et una extincta, plures orientur; ideoque saepe qui litigant, maiores sumptus in litigando fecerunt, quam sit ea summa, pro qua litigatur, nec tamen animum unquam despondent. Tale est etiam studium venatorum, quamvis enim plerumque nihil capiant nisi molestias, tamen non desperant, non

fatigantur, non franguntur, nec sumptibus neque laboribus parcunt. Si hodie nihil capiunt, cras se capturos esse confidunt. Sic etiam et daemones, credi non potest, quanta spe teneantur animarum capiendarum, et quam indefessis laboribus in ejusmodi venationem incumbant. Vident hominem in summum gradum perfectionis ascendisse, sentiunt laqueos suos millies jam detectos et confractos fuisse, intelligunt suas artes adversus quosdam saepius nihil valere: et tamen adduci non possunt, ut eorum capiendorum spem deponant, quosque habitum in corpore nostro esse vident, numquam desperant. Denique etiam superatus a Domino recessit quidem Satanas, sed usque ad tempus, ut b. Lucas ait, nimirum alio tempore rediturus, et novas illi insidias positurus. Ex quo intelligimus, quanto studio nobis sit vigilandum, qui tam vigilantes hostes habemus, et quam assidui et perseverantes in bonis operibus esse debeamus, qui etiam hostes habemus, qui nullis laboribus fatigantur.

Postrema conditio venatorum est, ut non tam lucrum, quam voluptatem in venationibus quaerant. Hinc enim etiam magnos reges, qui lucro nullo modo egent, venationibus delectari videmus. Nec solum nihil venatores ex venatione lucrantur, sed etiam jacturam non mediocrem faciunt temporis, vestium, pecuniarum, quas in alendis canibus et accipitribus consumere necesse est, et tandem si quid capiunt, non inde pecunias faciunt, sed viris nobilibus et principibus donant. Quod igitur venatores et sumptibus et laboribus quaerunt, nihil est aliud, quam crudelis voluptas, quam de nece innocentium animalium capiunt, quae conditio daemonibus aptissime convenit. Quid enim existimas diabolum lucrari, cum animam tuam capit? Nihil inde lucratur, nisi maiora supplicia: et tamen ita vehementer ardet cupiditate nocendi, atque adeo nostris damnis, nostra pernicie, nostro sempiterno exitio delectatur, ut licet non ignoret tanto magis cruciatus suos augeri, quanto plures ad gehennam animas adducit, tamen satiari nostra miseria et calamitate non potest: nec unquam, vel ad breve tempus, ab eiusmodi venatione conquiescit. Neque mirum id nobis videri debet, cum daemonis studia, studiis Dei contraria sint; Nam et Deus animas nostras venatur, non ut occidat et mactet et perdat: nec lucrum aut commodum in ea venatione spectat, sed solum ut animas nostras de laqueis crudelium venatorum liberet, et ad nemora paradisi transmittat, ubi nullum erit periculum laqueorum, neque canum latratus aut venantium clamor unquam audietur.

Habemus igitur, qui sint venatores: nunc ut in quanto periculo versemur, et quam sit nobis necessarium in adiutorio Altissimi semper habitare, perspicue cognoscamus, pauca dicam de calliditate, de potentia, de multitudine infernalium venatorum.

Ac versutia quidem, et calliditas adeo in eis viget, partim propter naturae subtilitatem, qua praediti sunt, partim propter longum usum atque exercitationem decipiendi, ut homines, quamvis astutissimi, nihil aliud, quam simplices bestiolae videri possint, si cum daemonibus conferantur. Hinc apostolus Paulus in epist. ad Ephesios, *Induite* igitur *vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiae in coelestibus.* Ubi miro modo expressit daemonum calliditatem. Non enim eos astutos et vafros, sed ipsam astutiam et vafriciem appellavit. *Contra spiritualia nequitia in coelestibus*, hoc est contra spiritales nequitias sive astutias, quae in coelo, hoc est in aere sedem habent. Nam graecum vocabulum πονηρια quo apostolus usus est, non solum nequitiam, sed etiam astutiam significat: atque id eum exprimere voluisse, ex eo potest intelligi, quod paulo ante dixit: *ut possitis stare adversus insidias diaboli*: sive ut significatius in graeco legimus, μεθοδειας, id est fallacias dolosque varios, artes et stratagemata Satanae. Quomobrem passim in reliqua scriptura, nunc draco, nunc serpens nunc aspis, et basiliscus nominatur.

Iam vero daemonum vires adeo divina scriptura magnas esse demonstrat, ut nihil super terram maius et potentius esse videatur, apostolus Paulus ubique daemones, principes et potestates, mundique dominos et rectores vocat. Apostolus Petrus, *Adversarius*, inquit, *vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.* Et ipse Dominus in libro sancti Iob, primum daemonis formam horribilem prorsus et formidabilem depingit, qualem b. Antonio aliquando visam esse, s. Athanasius refert. *De ore* inquit, *eius lampades procedunt sicut taedae ignis accensae: de naribus eius procedit fumus, sicut ollae succensae, et ferventis, halitus eius prunas ardere facit, et flamma de ore eius egreditur*, et quae sequentur. Deinde subdit: *Non est super terram potestas, quae comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeat: omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiae.*

At quot tandem esse putatis hos potentissimos et callidissimos venatores? Facile dici potest. Plenus est mundus daemonibus. B. Hieronymus in com. cap. 6. epist. ad Eph. *Haec*, inquit, *omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui coelum et terram medius dividens inane vocatur, plenus sit contrariis fortitudinibus.* Atque huic veterum DD. sententiae B. Antonii et caeterorum sanctorum visiones mirifice consentiunt.

Quae cum ita sint, utrum tandem hic locus est dormiendi et ridendi, jocandi et lasciviendi, an vigilandi et plorandi, et totis vocibus ad Deum clamandi et vociferandi? Quid? si non solum aerem plenum daemonibus, sed etiam terram plenissimam laqueis cerneres, quomodo eam b. Antonius aliquando vidit, an cum propheta non clamares; *heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea*? Quid enim Cedar significat, nisi Tenebras? Et quae tenebrae densiores, quae caecitas major cogitari potest, quam ut credat homo, quod credit, et vivat quomodo vivit? Credat se inter un-

gues et dentes leonum versari, et tamen ita se gerat, quasi nullo in periculo versaretur? Si in aliqua solitudine lepusculus aut caprea constituta, nihil aliud quam ursos et lupos et leones ex una parte conspiceret; ex altera vero innumerabiles et infinitos laqueos cerneret, ita ut spes nulla effugiendi remaneret, in quo statu tibi esse videretur? Atqui in eo vel etiam majori periculo nos versamur. Quid enim sunt illae ferae ad has collatae? Illae per terram vagantur, istae volant etiam per aerem. Illae corporeae cum sint, et videri, et muris, et foveis excludi possunt; istae, quae spiritus sunt, neque videri, neque ullis obstaculis arceri queunt. Illae, quia bestiae sunt, a nobis, si non viribus, certe consilio et rationibus vincuntur; istae et viribus et ratione nos vincunt. Denique illae, nisi prius irritatae et provocatae, vix unquam hominem aggrediuntur, istae etiam non irritatae, nec provocatae, semper circumeunt quaerentes quos devorent. O si oculos fidei apertos haberemus, videremus profecto pericula maxima et infinita in quibus versamur: videremus cruentas illas bestias circum nos perpetuo fremere: videremus acies venatorum contra nos instructas, quibus nec ingenium ad excogitandum; nec vires ad exequendum desunt. Videremus ex multis hominum millibus vix unum evadere, nec sine magna difficultate et labore. Haec videremus, et non, sicut facimus, ita ridere et lascivire nobis liberet: sed tristes et horrore pleni, oculis ad coelum sublatis diceremus, *heu mihi quia incolatus meus poolongatus est. Exurge Domine, adiuva nos et redime nos propter nomen tuum.* Nec enim fieri potest, ut hos laqueos atque venatores sine tuo praesidio evadamus.

PARS SECUNDA

Diximus de venatoribus, nunc de iis, quibus tenduntur laquei, et de ipsis laqueis et verbo aspero breviter dicemus. Duo sunt brutorum animantium genera: unum eorum quae hominum potestati facile subiiciuntur, et iisdem libenter obsequuntur, et serviunt, ut equi, muli, canes accipitres: alterum eorum, quae hominum consuetudinem fugiunt nec eis subiici ulla ratione dignantur, ut cervi, capreae, lepores, aliaque id genus animantia, quae silvestria dici solent. Atque haec posteriora non solum carnes multo meliores, et suaviores habent, quam priora, sed etiam quadam naturali prudentia et ingenita nobilitate longe prioribus antecellunt. Quocirca de mulis et equis in Psalmo legimus; *nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus.* Si enim vires suas equi et muli cognoscerent, numquam se ab homine tam imbecilli ligari et onerari, et frena sibi in os immitti paterentur. Venatores igitur non equis et mulis et canibus laqueos tendunt, sed cervis, capreis, leporibus: tum quod priora illa animantia in potestate sua habeant, tum quod caro eorum parum aut nihil ad comedendum valeat: tum etiam, quod quaedam eorum, ut canes atque accipitres adeo perversa et crudelia, et suo generi inimica sint, ut homini contra animantia alia in venatione deserviant.

Qui sunt igitur, qui domesticis animantibus designantur nisi homines perditi et flagitiosi, in quibus non est intellectus, qui se ad imaginem Dei creatos non cogitant, et libenter jugum satanicae servitutis ferunt. Quin etiam daemoni, quo nihil horribilius fingi potest, canes atque accipitres in venatione animarum Christi sanguine redemptarum se praebent. Quid enim sunt haeretici, quid lenones, quid meretrices, quid corruptissimi quidam juvenes, qui caeteros ad peccandum vel suasionibus vel blanditiis impellunt, nisi canes et accipitres diaboli? At silvestria animantia, homines sanctos justosque significant, qui non dignantur daemoni deservire, et in montibus virtutum, ac perfectionis degunt, et quorum caro, id est, vita et consuetudo, adeo suavis et dulcis est, ut etiam ab improbis commendetur, licet eos imitari pigeat, quos laudare delectat. Quamobrem in Cantico amoris, tam crebro illud repetitur: *Adiuro vos per capreas cervosque camporum* et illud: *similis est dilectus meus capreae hinnuloque cervorum*: quibus verbis dubium non est, quin et sponsus ipse et amici sponsi, sancti perfectique homines cervis et capreis conferantur. Atque isti sunt in quibus venandis et capiendis daemones potissimum occupantur. Quamvis enim etiam impiis et scelestis laqueos tendant, ut quos captos et irretitos tenent, adhuc magis et magis irretiant et involvant: tamen sine ulla comparatione magis laborant in hominibus justis capiendis. Et sicut majus *gaudium est in coelo* coram angelis Dei *super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis*: sic etiam majus gaudium est in gehenna coram angelis Satanae super uno crimine hominis justi, quam super nonaginta novem sceleribus impiorum. Scribit magnus Athanasius, tantam daemonum multitudinem occupatam fuisse, ut uni Antonio, tamquam cervo optimo et praestantissimo, laqueos tenderent, ut aliquando mons ille, in quo sedebat, totus plenus daemonibus cerneretur. Scribit quoque b. Gregorius in 3. lib. Dial. historiam pulcherrimam et cognitione dignam, quam ego paucis referam.

Fuit episcopus quidam nomine Andreas, vitae sanctimonia atque integritate cum primis excellens sed in eo minus providus, quod foeminam sanctimonialem, tam sua, quam illius continentia fretus domi sua habitare permisit. Animadvertens itaque daemon, esse in ea domo venandi opportunitatem eam non praetermisit, sed muliere illa tamquam laqueo utens continuo insidias episcopo struere coepit, nec cessavit ab opere, donec rem eo perduxit, ut jam uno pede episcopum irretitum teneret. Interim Judaeus quidam iter faciens, et noctis tenebris praeventus, cum ad urbem, ad quam ibat pervenire non potuisset, ad fanum quoddam vicinum ab ethnicis Apollini consecratum divertit, et quamquam Christianus non esset, tamen quia multa de virtute Crucis audierat, et ei vehementem timorem injecerat cum loci solitudo, tum noctis horror, tum etiam domicilium illud, quod daemonum esse non ignorabat, se Crucis signo diligenter munivit. Et ecce ad mediam noctem; cum eum ingens metus dormire non pateretur, vidit principem daemonum magna spirituum immundo-

rum caterva stipatum, in fanum ingredi, ac deinde in solio quodam sublimi collocatum a singulis famulis atque administris suis rationem diei illius exigere ac petere, quantum quisque in venatione animarum profecisset. Ibi tunc immania atque horrenda flagitia audiebantur, quae unusquisque eorum suo suasu atque impulsu commissa esse eo die gloriabatur, atque inter alios adfuit quidam, qui prae caeteris gestiens dixit, se laqueos Andreae Fundano episcopo tetendisse, et aliud magno labore sese jam effecisse, ut episcopus humeros sanctimonialis hesterna die blandiendo pulsaverit. Quod ut princeps daemonum audivit, adeo delectatus est, ut magna illa scelera, quae ab hominibus perditis patrata esse commemoraverant, nihili faceret: hoc unum factum laudaret, hoc extolleret, hoc dignum praeclaro venatore esse diceret. Atque hucusque historiam narrasse sufficeret: hinc enim intelligimus, qui sint, quos praecipue daemones venentur. Tamen quia pulcherrima et utilissima est, paucis verbis absolvam. Iudicio illo atque discussione tandem expedita, convertit se daemonum princeps, et Iudaeum in angulo templi illius latitantem conspicit: Et quis inquit, ille est, qui nostro consilio interesse non timuit: Itaque statim rapi, atque ad se adduci iubet, advolant, expediti satellites, sed ubi crucis signo munitum esse animadvertunt, non ausi propinquare exclamant: Vae, vae, vas vacuum, sed signatum. Et in momento tota illorum immundorum spirituum turba disparuit. En vobis quanta sit virtus, et potestas crucis. Haeretici dicunt nos muscas abigere, cum extensa manu signum crucis exprimimus. Et quamquam nesciant ipsi quid dicant, et tanquam inimici crucis Christi, crucis mysterium irridere se putant, verum tamen dicunt, siquidem muscae sunt daemones, et Beelzebub princeps muscarum interpretatur, et eas muscas nos abigimus, cum et frontem et pectus cruce signamus.

Sed redeo ad historiam. Summa haec fuit: Iudaeus in urbem ingressus episcopum admonuit de concepto flagitio, et episcopus ut ei gratiam referret, Iudaeum admonuit de sua longa atque inveterata perfidia, et simul episcopus foeminam a se dimittens, et Iudaeus perfidiam de suo pectore excludens, uterque ad aeternam salutem pervenire meruit.

Sed quoniam de iis, quibus laquei tenduntur, dictum est: nunc de ipsis laqueis, et verbo aspero dicendum erit. Qui sunt igitur laquei? Ea sunt omnia, quae nos ad peccandum impellunt. Nimirum omnia ista bona fragilia et caduca, quae sensibus corporeis blanditur. *Creaturae Dei*, inquit Sapiens, *in odium factae sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.* Et quis laqueus istos enumerabit? Tanta est laqueorum multitudo, ut Ecclesiasticus dicat: *In medio laqueorum ingredieris.* Et sanctus David eos guttis pluviae comparaverit, quae numerum omnem excedunt: *Pluet*, inquit, *super peccatores laqueos.* Et miseram nostri generis conditionem, quae non solum pedibus, ut animantia caetera: sed etiam manibus, oculis, auribus, naribus, lingua, membris denique omnibus capi possumus! Et tanta est omnium fere hominum caecitas, tanta stultitia, tanta vecordia, ut paucissimi sint, qui non modo laqueos non fugiant, sed etiam quaerant.

Quales, quaeso, laquei sunt honores? *Sicut perdix* (inquit Ecclesiasticus) *inducitur in caveam et ut caprea in laqueum, sic et cor superborum.* Et Apostolus ad Timotheum, scribens diligenter eum monet, ne ad episcopatum eligatur Neophitus, *ne in superbiam* inquit, *elatus, in iudicium*, in opprobrium et in laqueum *incidat diaboli.* Hoc laqueo Diabolus ipse captus fuit, et propterea vim eius intelligens, quotquot potest, eodem laqueo irretire conatur. At quid homines faciunt? Numquid fugiunt? Fugiunt sane, qui homines sunt. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius fugiebant. Ita ipse Dominus non sibi, sed nobis timens, ut exemplo suo laqueos nos fugere doceret, ne rex a turbis fieret, fugit in montem. Nunc vero si prepositum eligi debeat, si abbas, si episcopus, certatim homines contendunt, quis prior in laqueum collum inserat. Et quod gravius, et miserius est, invident captis qui capi non potuerunt.

Deinde quales laquei sunt pecuniae? Quid apostolus ait? *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem.* En finem avaritiae: mergit hominem in interitum et perditionem in hoc saeculo, et in futuro. Quam multos pecuniarum amor latrones effecit? quam multos in carcere detrusit? quam multos ad patibulum adduxit? quam multos in mare demersit? quam multos sibimet manus inferre coegit? quam multos denique ad inferos demisit? Et tamen homines, ut se vere insipientes esse demonstrent, gaudent irretiri, dolent expediri, atque ita festinant ad laqueum quasi non ipsi laqueo capi, sed magnam praedam capere ipsi deberent. Rogo vos, si in media platea magnum lapidem aut ingentem foveam videremus, et unum, duos, tres quinque, decem homines qui nos praecedunt, vel in lapidem impingere vel in foveam cadere, et collum vel tibias frangere conspiceremus, nonne tot casibus aliorum edocti periculum declinaremus? Beati sane, qui cum apostolo Petro dicere possunt: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*: quorum *anima sicut passer erepta est de laqueo venantium.*

Quid iam de laqueo linguae dicemus? Quanto iure Ecclesiasticus gloriatur liberatum se a laqueo linguae iniquae? Quam multos capiunt linguae venenatae haereticorum? Qualis, quaeso, laqueus erat lingua Arrii, qui Epiphanio authore, adeo suavis ac dulcis eloquii erat, ut brevissimo tempore septingentas virginis sacras, multosque episcopos, et omnis generis homines deceperit? Qualis laqueus erat lingua Photini, cui summam eloquentiam cum summa eruditione coniunctam Vincentius Lirinensis attribuit? Quid ille Faustus Manichaeus, de quo b. Augustinus: *Magnus*, inquit, *erat laqueus diaboli, et multi implicabantur in eo per illecebram suaviloquentiae.* Et nostro tempore quales laquei fuerint linguae Lutheri, Zuinglii, Calvini, comprehensorum multitudo satis

declarat. Qualis praeterea laqueus est lingua maledici? Quam suaviter, atque in conviviis praesertim, detractiones atque obloquia audiuntur? Quales laquei sunt linguae blandiloquae, mendaces, adulatrices? Quis matronis adulteria, stupra virginibus persuadet? Nonne lingua blandiloqua? Quis bonae spei, magnaeque indolis adolescentes saepe corrumpit? Nonne lingua petulans perditorum sociorum? Quis homines ad vitam perfectiorem anhelantes, Christique consilia sequi cupientes, ab instituto cursu saepe revocat? Nonne lingua pestifera huius saeculi amatorum? Felix igitur, qui cum Ecclesiastico dicere potest? *Liberasti me de laqueo linguae iniquae.*

Sed quemadmodum lingua laqueus est auribus, sic etiam vinum laqueus est linguae, Sicut enim capit lingua loquendo; sic etiam capitur ipsa gustando. O qualis laqueus est ebrietas, quae totum hominem ita ligat, ut nullum membrum, nullum sensum, nullam partem hominis, functiones suas exercere sinat: sed mentem delirare, oculos caligare, pedes titubare, manus tremere, totum corpus et animum languere facit, et quos semel comprehendit, ita implicatos et constrictos tenet, ut vix absque miraculo se expedire possint. Itaque fugite laqueum ebrietatis, qui estis adhuc iuvenes, ne cum senueritis, etiamsi velitis, pedem revocare minime possitis. Scribit Salvianus, vetustus et praeclarus auctor, in sexto libro de Providentia, quater brevi tempore expugnatam fuisse urbem Trevirorum, neque minorem calamitatem passas esse permultas alias nobilissimas Galliae civitates. Totius vero illius excidii causam fuisse confirmat laqueam ebrietatis, quo ita ligati atque implicati tenebantur earum urbium habitatores, ut nec in ultima senectute, nec in extremis periculis, a mensis et poculis se revocare possent: *lacebant.* inquit, *in conviviis obliti honoris, obliti aetatis, obliti professionis, obliti nominis sui principes civitatis cibo confecti, vinolentia dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi: atque ad hoc postremo rabida vini aviditate perventum est, ut ne tunc quidem de conviviis surgerent, cum iam urbem hostis intraret. Adeo etiam Deus ipsis evidenter, ut credo manifestare voluit, cur perirent: cum per quam rem ad perditionem ultimam venerant, eam ipsam agerent cum perirent, Vidi ego illic res lacrimabiles, nihil inter pueros differre et senes: una erat scurrilitas, una levitas: simul omnia luxus, potationes, perditiones, cuncta omnes pariter agebant, ludebant, inebriabantur, enecabantur, lasciviebant, in conviviis voluti et onerati, ad vivendum prope imbecilles, ad vinum praevalidissimi, infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum: ad grassum nutabundi, ad potandum expediti: et mirum post omnia ista, si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tanto ante mentibus corruerunt? Nemo itaque urbes illas tandem excidio suo periisse credat: ubi enim talia acta sunt, prius iam perierant, quam perirent.* Haec Salvianus. Quae quidem an etiam in nos aptissime conveniant, aliorum sit iudicium: nolo ego aliquid gravius hisce regionibus ominari, quam hucusque passi sumus. Tamen quod nulla fere conspiciatur morum emendatio, quod finem perditioni huic nec excidia tot civitatum attulerunt, quod flagellis DEI continenter caedamur, nec erudiamur, non video quid aliud, quam signum desperatae salutis esse possit.

Sed cur laqueum illum praeterimus, quo Fundanus episcopus, ut modo dicebamus, pene captus fuit? Magnus est, auditores, et periculosus laqueus mulier. *Lustravi,* inquit Ecclesiastes, *universa animo meo: et inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est sagena cor eius: vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.* Sed si haec ita se habens, si tantum periculi secum adfert consuetudo mulierum, cur tam parum isti laquei fugiuntur, vel potius cur tam diligenter utrique quaeruntur? Quid ancillae faciunt in domibus clericorum? Quanto tutius et honestius esset viros viris deservire? Et cur, quaeso nullum unquam convivium, ne ab ecclesiasticis quidem et Deo dicatis hominibus fieri potest, quin eo vocentur et deducantur mulieres? Et quis, obsecro, legem illam tulit, ut nemo gradum scientiae vel doctoratus accipiat, quin saltationes adolescentium et foeminarum instituat, nisi venator animarum diabolus? Oportet me haec dicere, ne ego ipse cadam in laqueum. Si beatissimus Augustinus ne sororem quidem suam domi suae unquam videre voluit, ut in eius vita Possidonius refert: si beatissimus Hieron. in epistola ad Asellam, mulieres illas, quibus familiaris esse videbatur, numquam manducantes se videsse scribit: si beatus ille Andreas Fundanus episcopus propter sanctimonialis frequentem conspectum tam parum ab interitu abfuit; si tam multa Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus patres omnes de mulierum consortio fugiendo, scripta reliquerunt, et non flagitia tantum, sed et flagitiorum suspicionem cum omni provisione evitari voluerunt: unde, rogo, in tam erudita civitate, ubi nihil horum ignorari potest, tam parum isti laquei fugiuntur? Sed quid ego de illorum adolescentium procacitate et petulantia dicam, qui matronas et virgines, non minus quam ipsae compti, ubique tanto studio quaerunt, comitantur, deducunt, nec solum si quas in plateis offendant, in eas oculos data opera coniiciunt, studioseque contemplantur; sed etiam in templis, quod horribile non solum visu, sed etiam auditu, dum tremenda mysteria celebrantur, in ora foeminarum oculos defigunt, eisque nutibus loquuntur, annuunt, arridentur. Fateor vobis, auditores, cum id primum audivi, totus inhorrui, nec facile rem ita se habere credere potui. Tamen si ita est, nihil iam miror, si Deus permittat haeresibus omnia repleri, sacramenta coelestia nobis eripi, sacrificium illud divinum, quo Deus humano generi reconciliari solet, haereticorum opera de medio tolli, ut his firmissimis praesidiis destituti, funditus intereamus. Nescis fortasse, o tu homo impudentissime, cum sacrificium illud peragitur, in medio angelorum te consistere? Nescis Christum vere esse praesentem? Nescis te in illa hora non tam in terra, quam in coelo versari? Et quo pacto igitur fieri potest, ut cum lachrimas fundere, Deo

supplicare, totusque in Deum raptus et absorptus esse deberes, tu contra scelera et flagitia mediteris? Sanctus Ioannes Chrysostomus in oratione quadragesima ad populum, cum nescio quos de populo inter sacrorum solemnia collocutos inter se, et subrisisse cognovisset, mirari se vehementer dixit, quod fulmine de coelo omnes, qui in templo aderant, percussi non fuissent. At si fulmine digni sunt, qui colloquuntur vel rident in templo, quo supplicio digni erunt, qui incredibili petulantia, non templum modo, sed et Deum ipsum quodammodo violant, et qui ad templum fortasse non venissent, nisi se ibi amicam suam inventuros credidissent? Quantam existimas malitiam illorum peccatorum, qui Deum crucifixerunt? Quantum illorum sacrilegium, qui divinissimum sacramentum pedibus conculcarunt? At modo quodam maius tuum peccatum est. Milites enim hominem nefarium se crucifigere, haeretici frustum panis se calcare putaverunt; tu autem eo quem Dominum et Deum esse non dubitas, abuteris quodammodo, ad flammam nutriendam sceleris tui.

Et quid miser respondebis, cum in die iudicii ad tribunal Dei adductus de ore infernalium venatorum, verbum asperum in te proferri audies? Quando anima tua de corpore exeunte exultabunt daemones, tamquam victores capta praeda, Deoque dicent, Non potes, o summe iudex, istum nobis non concedere devorandum, quem laqueo captum detinemus. Neque enim invitum et repugnantem potentia et viribus oppressimus, sed ipse sponte sua in laqueos nostros se dedit. Tuus quidem erat, qui eum ad imaginem tuam creasti, et sanguine pretioso filii tui redemisti: sed noster esse voluit, imaginem tuam neglexit, et nostram adamavit. Iugum tuum proiecit, et nostrum suscepit: legem tuam, praecepta tua, consilia tua repudiavit et nostra diligenter observavit. Denique vide quam serio noster, et non tuus fuerit, nihil nos ei dedimus, nihil promisimus, nihil pro eo egimus vel passi sumus: tu naturam ei condidisti, gratiam donasti, gloriam promisisti, pro eo in cruce pependisti, et tamen nostro imperio et non tuo, parere ac subesse voluit. Tu si quid iubebas, si ieiunium trium dierum, si confessionem peccatorum, si iniuriarum condonationem, vel non faciebat vel coactus et invitus faciebat. Nos vero, ut iuraret imperabamus, et ipse peierabat. Ut animi gratia aliquando luderet, et ipse totum suum tempus, et parentum suorum pecunias in sphaeristeriis consumebat. Ut biberet quandoque largius, et ipse se quotidie inebriabat. Ut amoribus operam daret, et ipse etiam in templo, te praesente, corde et oculis fornicabatur. Quis igitur eum nobis iuste poterit eripere, quem tanto iure possidemus? O te miserum, quid respondebis? Nunc ebrietas et fornicatio, ioci et ludi esse videntur: sed quid tunc ad verbum asperum? Obmutescet puto. At non ibi finis erit; Siquidem verbo aspero asperius verbum succedet, cum iudex dicet; Tollatur impius, ne videat gloriam Dei; *Ite maledicti in ignem aeternum.* O verbum vere asperum. Et quid erit a Deo maledici? Quid in ignem proiici? Quid in aeternum? Sed finis sit. Evigilemus, fratres mei, et dum spatium nobis conceditur, vitam et mores emendemus, ut aliquando pro verbo aspero, verbum dulcissimum audire mereamur: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum; quod paratum est vobis a constitutione mundi.* Amen.

CONCIO V.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU TERTIO

DE PRIORE PARTE QUINTI VERSUS.

Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.
Scuto circumdabit te veritas ejus.

SYNOPSIS

Occasione militiae christianae, quae nobis passim in divinis litteris indicitur, ad versum quartum et primam partem quinti explicandam acceditur. ubi Psalles nobis protectionem et tutelam promittit. Tres autem in hoc textu deprehenduntur similitudines, una a militibus sumpta est, altera ab avibus, a clypeo tertia. Prima relucet ex variis historiis, et quotidiana etiam experientia, quomodo Christus semper et ubique suos defendat. Deinde Christus duabus avibus assimilatur, aquilae tamquam Deus et gallinae tamquam homo: Ubi qua ratione natura aquilae et gallinae duplici naturae Christi Dei et hominis conveniat, eleganti et dilucido (ut omnia) discursu per factam comparationem demonstratur, et quanta consolatione sub alis Dei gaudeant pii, parte prima discutitur.

Pars altera tertiam similitudinem, quae in priori parte quinti versus continetur, aggreditur explicandam; veritatemque Dei, quae scutum est undique nos tegens, esse multiplicem probat. Prima est fidelitas et justitia Dei, quae nec fallere, nec falli potest. Altera est victrix contradictionis et mendacii, cujus mira efficacia in illustri s. Athanasii falso accusati exemplo declaratur; et veritatem esse perpetuam, et Dei propriam ostenditur. Tertia veritas, quae nos instar clypei tegit, et veritas sinceritatis, quae potissimum in Sacra Scriptura consistit: ubi diserte affirmatur, nullum esse malum praeter peccatum et gehennam, et e contra nullum esse bonum, nisi Deum et virtutem. Quarta veritas nos tegens, ipse Christus est, qui se Patri irato et arma paranti pro nobis opposuit: Ubi elegans assertio quod nullibi magis necessarium sit scutum, quam in articulo mortis, epilogi locum sustinet.

Vereor multos hoc tempore, auditores optimi, in magno et periculoso errore versari. Plerique enim in adventu novi ducis, pacem iam compositam aut certe tempore brevi componendam sibi persuadent, et fortasse *gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces*, iuxta vaticinium prophetarum, convertere iam cogitant. Ego vero ex omni parte continuos belli rumores et nuncios adferri audio, ut si unquam opus fuit conflare vomeres in gladios et falces in lanceas, vel tunicam vendere et arma sibi comparare, nunc maxime necessarium id esse videatur. Audio siquidem Iob clamantem; *Militia est vita hominis super terram.* Audio b. Paulum Timotheum suum cohortantem: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.* Audio nos omnes ab eodem admoneri, ut galeam et loricam, gladium, et clypeum, ac denique *πανοπλίαν*, id est, omne genus armorum nobis procuremus. Audio eumdem de se ita loquentem: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Audio praeterea coetum Christianorum, nunc militantem Ecclesiam nominari, nunc vero castrorum aciem ordinatam, atque in ea quosdam video per baptismum ad militiam scribi, quosdam per manuum impositionem armis coelestibus communiri, aliis divinum panem in stipendium dari, nonnullis etiam graviter vulneratis poenitentiae medicinam adferri: denique per ordinis sacramentum tribunos et centuriones institui. Quae omnia nonne satis ostendunt, bellum adhuc geri? Quid vero noster Psalmus? nonne magna voce bellicum canit? Quid enim opus est protectione, arce atque perfugio? et cur nobis illa promittuntur: *Scapulis suis obumbrabit tibi et sub pennis eius sperabis*: et *Scuto circumdabit te veritas eius*, si nullum est belli periculum? Et unde, quaeso, stratagemata illa nocturna et sagittae volantes in die? Et qui sunt mille, qui a sinistris, et decem millia, qui dextris cadent, si hostes non habemus? Neque vero pax illa, quam istis diebus angeli nunciaverunt, bellum omnino profligavit, sed solum mutavit. Erat nobis antea cum Deo et virtutibus inimicitia, cum vitiis, et daemonibus foedus: Nunc vero opera novi ducis, qui de coelo ad terras descendit, a Deo rursum in gratiam recepti, eius signa sequi cepimus,

atque idcirco *multitudo coelestis militiae*, ut b. Lucas ait, de tanta commilitonum accessione gaudens, ac Deum laudans canebant: *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Sed quemadmodum cum in castris daemonum militaremus, et membra nostra arma iniquitatis peccato exhiberemus, Deum hostem et inimicum habebamus; sic etiam nunc, cum in Dei castris militamus et membra nostra arma justitiae Christo exhibemus, gravissimum cum daemonibus bellum suscepimus. Neque dubium est, quin illi nobis vehementer irati atque infensi omnibus suis copiis totisque viribus nos oppugnabunt. Sed nemo trepidet, nam si hostibus, tentationibus, periculis ex omni parte circumdabimur, non deerit etiam, qui nos ab omni parte armis et praesidiis circumdet. Id enim regius Psaltes in iis verbis pollicetur, quae hodierna die Domino bene iuvante exponenda sunt.

Scapulis, inquit, *suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis: Scuto circumdabit te veritas eius.* Quibus verbis tres elegantissimae similitudines, secundum Theodoreti et aliorum Graecorum expositionem continentur. Prima a militibus, secunda ab avibus, tertia a scuto sive clypeo sumitur. Et quamquam non desint illustres auctores, qui solum duas esse velint, propterea quod hebraeum vocabulum, pro quo septuaginta interpretes *scapulas* reddiderunt, non tam scapulas, quam alas illis significare videatur, tamen nihil oberit, si omnes tres similitudines cum Graecis explicemus. Nam in his tribus etiam illae duae continentur, quas Hebraei solas recipient. Igitur sensus verborum talis est: Nulla causa est cur timeas, quicumque spem tuam totam et fiduciam in Deo collocasti. Ipse enim te proteget atque defendet, ad eum modum, quo strenuus miles solet, cum amicum debiliorem scapulis suis tegit, et contra hostes pro eo fortissime pugnat. Vel si mavis, ad eum modum, quo gallina sub alas pullos suos colligit, et ab unguibus milvi atque accipitris salvos conservat. Vel denique ad eum modum, quo scutum omnia tela inimicorum excipere, et a corpore militis prohibere atque arcere solet. Nunc de singulis diligentius et copiosius disseramus.

Scapulis suis obumbrabit tibi. Haec est comparatio prima. Noli metuere, inquit, psalmographus: nam si quando adversum te bellum orietur, Deus in medio se constituet, et te quidem scapulis suis teget; hostes vero tuos plagis et vulneribus afficiet: id quod non frustra scriptum esse testantur victoriae, quas non sine magno et evidenti miraculo olim Iudaei et potissimum Christiani, de hostibus suis frequentissime retulerunt. Cum populus Iudaicus quodam ex Aegypto decederet, et insequentem Pharaonis exercitus vehementissime formidaret, dixit ad eos Moyses: *Nolite timere; Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Quod ita factum esse liber Exodi apertissime docet. Mox enim Angelus Domini medium se constituit inter castra Aegyptiorum, et castra Israel, ita ut ad se invicem accedere non valerent. Deinde coepit Dominus exercitum Aegyptiorum caedere, et rotas curruum subvertere, et dicebant Aegyptii: *Fugiamus Israelem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* An non istos evidenter scapulis suis Deus obumbrabat? Alterum exemplum, non minus illustre, (ut alia multa interim omittam) in libro Machabaeorum secundo, capite decimo, continetur. Cum enim Judas machabaeus et qui cum eo erant, cum Timotheo et exercitu eius confligerent: *apparuerunt adversariis* inquit Scriptura, *de coelo viri quinque in equis, fraenis aureis decori, ducatum Iudaeis praestantes, ex quibus duo Machabaeum medium habentes armis suis circumseptum incolumem servabant: in adversarios autem tela et fulmina iaciebant.* His non dissimilia sunt, quae Esebius de magno Constantino: Theodoretus et Socrates de utroque Theodosio referunt, qui non semel maximas hostium copias sine ulla suorum strage, non tam hominibus, quam Angelis pugnantibus fuderunt. Sed haec magna quidem sunt, at nihil tamen ad ea, quae quotidie Deus pro nobis adversus hostes nostros invisibiliter agit. Quoties putas te diabolus aggreditur, et sine dubio expugnaret, nisi Deus in medio existeret, scapulis suis te obumbraret, Daemonis impetum frangeret, et vires eius debilitares? Et cur istis diebus natus est Christus; nisi ut pro nobis contra daemones bellum gereret? Ipse est enim, qui fortem armatum devicit, et spolia eius ac vasa diripuit, et nunc semper nobis adest, nec sinit unquam tentari supra id quod possumus. Itaque si vere cupis mores tuos emendare, et vitam deinceps rectius constituere, dubium non est, quin hinc daemones, inde caro te oppugnabit. Sed noli timere, magnum patronum habes, qui seipsum tibi negare non potest, aderit sine dubio laboranti, in medio se constituet, et scapulis suis te obumbrabit. Iam alteram similitudinem videamus.

Et sub pennis eius sperabis. Pulcherrima atque elegantissima comparatio est, et duobus modis explicari potest. Ut enim liberator noster Christus duas naturas habet, divinam atque humanam; sic et duabus avibus comparatur, aquilae et gallinae. De priore sanctus Moyses ait: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expendit alas suas et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* De posteriore Dominus ipse ait: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti:* Christus igitur secundum formam Dei, aquilae; secundum formam servi, gallinae comparari potest. Quocirca b. Ioanni, qui de Christi divinitate plura scripsit, aquila tamquam proprium insigne merito attribuitur.

Sed videamus, an ea, quae aquilae et gallinae propria sunt, duabus etiam Christi naturis apte conveniant. Aquila princeps est regina omnium avium, et Deus est rex et princeps omnium spirituum. Aquila tam alte volat, ut vix eam oculi caeterorum animantium consequi valeant: et Deus naturae sublimitate ac praestantia ita procul ab omnibus aliis rebus abstractus est, ut ad ipsum nec hominum, nec angelorum oculi pertingere ullo pacto queant, nisi gratia Creatoris supra naturae conditionem, ac dignitatem eos evehat, et in quodam quasi monte gloriae et beatitudinis collocet. Aquila

oculorum aciem acutissimam habet, ut etiam res minutissimas, et longe positas facillime cernat: et Deus eiusmodi oculi praeditus est ut etiam cordium cogitationes et res post multa saecula futuras videat. Aquila unguibus adeo firmis ac robustis instructa est, ut ei nulla vi eripi possit, quod semel comprehendit: et Deus quos ab aeternitate eligendo ac praedestinando suscepit, ita tenet, ut ipse idem aliquando dixerit: *Non rapiet eos quisquam de manu mea.* Aquila provocat ad volandum pullos suos, et super eos volitat: et Deus inspirationibus, scripturis, exemplis, miraculis, nos perpetuo ad volandum in sublime virtutum et perfectionis cohortatur. Aquila, ut Plinius in libro decimo naturalis historiae scribit, capite tertio, pullos suos ad solem convertit, et si quis forte solem intueri recusat, eum tamquam degenerem et spurium de nido suo deturbat, ita ut vel casu illo vel certe fame tandem enecetur: et Deus, auditores, ideo nos erectos, et facie ad coelum conversa efficere voluit, ut semper coelestia spectaremus, haec inferiora contemneremus, in unum iustitiae solem oculos defigeremus, et vae nobis, si ab ea luce oculos avertamus, ac pecudum more nihil nisi ventrem, et ea, quae sub ventre sunt intueamur. Hinc enim Apostolus clamat: *Quae sursum sunt quaerite: quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* Aquila postremo id proprium habet, ut quamvis pullos suos quandoque deserat, et longissime ab eis volando recedat, tamen oculos suos a nido suo numquam removeat; et si forte accipitrem aliquem ad nidum suum propinguare videat, repente, instar fulminis descendat, accipitrem capiat, et occidat et in nidum pullis suis devorandum deferat. O quam saepe atque praeclare id nostra Aquila fecit. Volavit aliquando Dominus in coelum, et nidum Ecclesiae suae reliquit in terris: et ecce crudelis quidam accipiter, *spirans minarum et coedis*, circa nidum volitare incipiebat eumque evertere, et pullos omnes trucidare cogitabat. Sed quid? An existimatis aquilam etiam de mediis nubibus nidum suum videre non potuisse? Imo vero de summo coelo pullos suos intuebatur, et tuebatur, et oculos clementiae ac providentiae suae ab eis numquam removebat. Itaque incredibili celeritate descendit, et accipitrem illum summo impetu prostravit, trucidavit, in nidum asportavit, et ex eo pullos suos longo tempore sustentavit. Non, arbitror, necessarium erit, ut nobis quis iste accipiter sit, exponamus. Quis enim ignorat, apostolum Paulum accipitrem aliquando fuisse, Christique Ecclesiam devastare totis viribus contendisse: deinde vero occiso in eo vetere homine in nidum Ecclesiae a Servatore delatum, et ex eius pectore spirituali cibo totam Ecclesiam longo tempore sustentatam, nutritamque fuisse? Quod idem de Cypriano, Augustino aliisque permultis dicere possemus. Cum igitur tanta sit huius aquilae potentia, tantaque erga pullos suos providentia, nonne merito dicitur nobis: *Et sub pennis eius sperabis*? Si aquila pro nobis, quae avis contra nos? Certe nihil est quod metuat, qui tanto praesidio communitur, modo de nido et sinu aquilae non recedat.

Verum enimvero iste idem Liberator noster, qui secundum formam Dei tamquam ingens aquila in montibus coelorum habitat; secundum formam servi, istar humilis gallinae novissimis diebus istis in domiciliis nostris habitare coepit. *Post haec in terris visus est*, inquit propheta Baruch, *et cum hominibus conversatus est.* Et quoniam non in cubiculis nec in aulis, sed in stabulis cum iumentis, gallinae collocari solent; propterea Christus etiam non in palatio regali, sed in stabulo Bethlehemitico inter bovem et asinum versari voluit. Et sicut gallinae aliena ova in nidum suum libenter recipiunt, eis incubant, ea fovent, donec tandem pullos excludant: sic etiam ipse fecit. Quid enim nos eramus, nisi semen idololatrarum, filii nequam, ova aliena? et tamen incredibili pietate in nidum suum recepit, alis suis texit, fovit, regeneravit, pullos suos effecit. At quo tandem modo? Plane ad eum modum quo solent gallinae. Multas aves novimus, quae in conspectu nostro nidos et pullos suos habent: hirundines, passeres, ciconias, columbas, omnes pariunt, omnes incubant ovis, omnes suos foetus diligenter custodiunt: tamen nulla est, quae sic infirmetur affectu pullorum, sicut gallina. Videmus caeteras aves, vel in nidis quiescentes vel extra nidum volitantes, nec intelligere possumus, an foetus habeant, gallinam vero mox agnoscimus: Siquidem amore pullorum languet, sudat, plumas relaxat, vocem commutat; et tamen si forte necessarium sit, quanto infirmior et debilior esse videtur, tanto contra milvum acrius et fortius pugnat. Ita igitur et nos peperit mater nostra sapientia Dei; quia nos infirmi eramus, et Christus infirmum se fecit; *qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Quae maior exinanitio aut fingi potest, quam ut Deus conspiciatur in stabulo, infans lactetur, pannis involutus et vagiens in praesepi? Quid Deo et stabulo? Quid verbo et infantiae? Quid sapientiae infinitae, et cunis ac lacti? Quid sancto sanctorum, et fami et siti, frigori et nuditati, lachrimis et doloribus, quae tamquam stipendia nostris sceleribus debebantur? Et vide an vocem etiam instar gallinae non mutaverit, cum pro illis magnificis vocibus, quae in monte Sina olim audiebantur: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes*, nunc inter brachia matris infantium more, ploratum et vagitum edat? Agnosce, christiane, charitatem huius matris. Quid maius, quid mirabilius, quam ut ille, quem laudant astra matutina, qui sedet super Cherubin, et volat super pennas ventorum, qui mundum totum pugillo complectitur, qui portat *omnia verbo virtutis suae*, cui spiritus illi coelestes perpetuo clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria tua.* Ille, inquam, propter nos terrae vermiculos, ad tam extremam inopiam et miseriam descendere voluerit, ut eum in die natalis sui mater poneret in praesepi, propterea quod non esset ei locus in diversorio? Quae mulier tam vilis atque abiecta unquam fuit, quae locum alium non haberet, quam praesepe iumentorum, ubi filium suum recens natum collocaret? Res est profecto eiusmodi, si pie atque attente cogitetur; ut non possit non vehementem stuporem in animo gene-

rare, nec solum stuporem, sed etiam mundi contemptum, deliciarum horrorem, paupertatis amorem, et ardens imprimis pro Christo patiendi desiderium. Sed neque hic finis infirmitatis et laborum Domini fuit, sed principium potius: siquidem cum aetate et mole corporis, simul etiam molestia et infirmitas crevit, ac demum in ultimis suis diebus, cum tanquam vera gallina pullos excluderet, atque eos in lucem ederet, tum vero sudare non aquam, sed cruorem: tum plumas laxare atque deponere: tum vocem commutare: tum corpore toto languere et aegrotare coepit: et tamen quanto ex passione infirmior et debilior erat, tanto contra milvos infernales acrius et fortius dimicabat. Numquam enim tantum detrimenti daemonibus attulit, nec unquam maiore plaga eos affecit, quam cum pro nobis in cruce pependit. Haec igitur avis est, Auditores, sub cuius pennis sperare debemus: quae enim tanto labore nos peperit, dubium non est, quin etiam omni diligentia more gallinae alis suis tegat, fovebit, calefaciet, consolabitur, ab aestu et frigore, a milvis et accipitribus proteget.

O utinam quos mundi et carnis illecebrae irretitos tenent, quique tantopere carnalibus voluptatibus delectantur, experirentur aliquando, quas delitias praebeat sinus Christi? quam dulce sit sub alis Domini requiescere? et quid illud sit quod Propheta canit: *In velamento alarum tuarum excitabo*? profecto eis desipere ac vilescere mundus inciperet. Et unde, quaeso, sancti Martyres, tam horribiles cruciatus nihil faciebant? Unde beati confessores tot laboribus et periculis non frangebantur? Unde b. Paulus Eremita tantam solitudinem, b. Antonius tam varia et tam multiplicia daemonum certamina, b. Franciscus tam extremam paupertatem, sancti omnes tot mundi terrores, persecutiones, inimicitias, tam crebra ieiunia, tam longas vigilias, tantam corporis castigationem, tanta animi laetitia superare potuerunt? An non ex eo, quod sub alas Domini frequentissime colligebantur, ibique incredibili quadam consolatione reficiebantur, quae gustari et sentiri, sed certe dici et explicari nullo modo potest? Sed si delitiae spiritales eos non movent, qui eas non gustaverunt, an saltem milvorum ubique volantium multitudo eos ad gallinae sinum compellere non deberet? O si videres, qualem stragem animarum diabolus facit, cum eas extra Christi sinum vagantes offendit, totus sane contremisceres, et miseram sortem tuam magnis vocibus deplorares. Quid? Quod daemon cum revera sit milvus, tamen gallinam se esse fingit, abscondit ungues, expandit alas, et ad sinum suum omnes invitat, et tam multi eo se conferunt, ut pleno iam sinu, unus alium extrudat. Quantum contenditur, quantum certatur, quot lites instituuntur, quot peccata perpetrantur, pro nugis huius mundi? Et quid est hoc aliud, quam socios pellere ac trudere, ut amplum ac comodum locum habeas in sinu diaboli? Simus, quaeso, sapientiores, nec tanti emamus interitum animarum: ad sinum Domini confugiamus, et sub pennis eius sperémus, ubi non solum quiete et commode, sed etiam tuto iucundeque versabimur.

PARS SECUNDA.

Scuto circumdabit te veritas eius. Haec est tertia comparatio, qua nobis divinam protectionem regius Psaltes exponit, de qua quoniam cum duabus superioribus coniuncta est, licet ad sequentem versiculum pertinere videatur, hodierna die breviter disseremus. Caetera, quae de hoc eodem psalmo restant, quae multo plura et meliora sunt, quam ea quae hucusque disputavimus, in Dominicam septuagesimae, et sequentes vestra bona venia differemus. Interim scutum, quod nobis de coelo allatum est, diligenter, si placet, inspiciamus.

Scuto, inquit *circumdabit te veritas eius.* Non dubito, quin ex nova ista forma loquendi magnitudinem et utilitatem huius clypei conspicialis: Siquidem clypei isti usitati, quos in humeris militum videre solemus, non nisi partem anteriorem corporis tegunt: at clypeus veritatis, qui non ex fabrorum officinis, sed de coelo prodiit, totum hominem tegit; sive a fronte, sive a tergo, sive a lateribus iacula emittantur, tutissimus eris, quoniam *scuto circumdabit te veritas eius.* Neque vero suspicari debemus, aliud esse scutum, aliud veritatem, quamvis propheta suis verbis ea separare videatur. Idem enim est, ac si dixisset, Tamquam scuto, vel ad modum scuti circumdabit te veritas eius: quod etiam apertius ex hebraeo d. Hieronymus vertit, scutum et protectio veritas eius.

Quae igitur est haec veritas, quae instar scuti nos proteget? Non est una, et simplex veritas, sed multiplex et varia. Primum veritas Dei, quae etiam fides, et fidelitas, et iustitia et constantia dici potest, qua facit, semper quod promittit, de qua legis in Psalmo octuagesimo octavo; *Veritas mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu eius.* Et in paulo inferius; *Misericordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo,* (sive ut alii legunt.) *neque decipiam in veritate mea.* In Genesi quoque sanctus patriarcha Iacob: *Minor sum*, inquit, *cunctis miserationibus tuis et veritate tua, quam explevisti servo tuo.* Denique passim in scripturis veritas fidelitatem et constantiam significat. Est vero tanta in Deo veritas, ut potius coelum et terra, et omnes naturae concidere possint, quam unum Dei verbum non impleri. Tanta est in Deo veritas, ut in ea tamquam in firmissimo solo anchoram spei nostrae figere nos posse apostolus confirmet. Denique tanta est in Deo veritas, ut omnis hominum et angelorum veritas cum ea collata non veritas, sed mendacium videatur: *Est autem Deus verax*, (inquit Apostolus) *omnis autem homo mendax.* Siquidem soli illi naturaliter convenit, non posse mentiri, cui convenit soli, non posse mutari, quod proprium esse Dei nemo est qui nesciat, cum scriptura aperte clamet: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur, Dixit ergo: et non faciet? Locutus est, et non implebit?* Minime vero id de eo suspicari licet, qui si verax non esset, etiam Deus non esset. *Fidelis* igitur *Deus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Atque haec

veritas, haec fidelitas, tamquam scutum circumdabit te, si spem tuam et fiduciam in Deo posueris. Habes verbum eius, quo protectionem certam omnibus in se sperantibus promisit, tenes chirographum eius, litteras de coelo allatas manu Spiritus sancti scriptas, iuramento Patris confirmatas, sanguine Filii consignatas. Sed haec omnia quid velerent, si Deus mentiri, et fallere, et promissis suis non stare posset? Certe non propterea tutus esses. Scutum igitur et protectio veritas eius. Ideo, *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum : si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo*, quoniam protectionem in se sperantibus ille promisit, qui fallere et mentiri nullo modo potest.

Altera veritas, quae etiam ad modum scuti Dei milites circumdat, est ea, quae semper in litibus et contentionibus cum mendacio et falsitate confligit. Numquam enim exoritur inter duos contentio, quin partem unam veritas tueatur, alteram falsitas defendat: sed ille tandem vincit, a cuius parte veritas pugnat. Nihil enim est fortius et potentius veritate: neque audet unquam falsitas cum veritate congredi, nisi induta atque armata vestibus, et nomine veritatis. Et quamquam interdum obscurari videtur veritas et succumbere: tamen exurgit fortior et illustrior, non secus ac sol, posteaquam aliquamdiu nebulis impeditus, radios suos explicare non potuit, tandem nebulas omnes dissipat et consumit, et clarius micat, quam si tectus nebulis numquam fuisset. Qui singulari certamine dimicaverunt et vicerunt, id palam testari solent, nihil sibi magis animum et vires addidisse, quam conscientiam veritatis: quod scirent videlicet a se stare veritatem. Quid? Quod veritas sola saepe praesentia sine ulla contentione maximas lites diremit? Quid? Quod saepe falsitas multum loquens et garriens a tacente veritate superata est? Proferam unum exemplum de multis ex libro decimo Ecclesiasticae historiae. Quo tempore haeresis Arriana Ecclesiam devastabat, et magnus Athanasius quasi signifer quidam christianae militiae eidem haeresi fortissime resistebat, multis et variis modis conati sunt haeretici eum de medio tollere: sed cum aliae artes non succederent, tandem falsis criminibus, in publico episcoporum concilio, cum opprimere se posse crediderunt. Itaque cum clericum quemdam Athanasii Arsenium nomine, qui propter culpam, correptionem metuens, ab eo recesserat, apud se diligenter custodirent, brachium mortui hominis a corpore reliquo amputatum circumferebant, atque id Arsenii esse, et id ab Athanasio abscissum in usum Necromantiae, constanter affirmabant. Neque eo contenti, mulierculam quamdam pecuniis conduxerunt, quae diceret se Athanasium hospitio accepisse, et ab eo vim passam, stupratam violatamque fuisse. Deinde criminibus ita compositis Synodum episcoporum in urbe, quae Tyrus dicitur, coegerunt. Tum Athanasium in judicium vocaverunt. Is vero clypeo veritatis munitus, intrepidus ad concilium venit, praesertim cum Dei providentia, quae suos nunquam deserit; paulo ante factum esset, ut Arsenius ille, de cujus brachio quaestio movebatur clam ad Athanasium rediisset. Igitur ubi ad iudicium ventum est, obiicitur Athanasio imprimis crimen atrocissimum necromantiae, profertur brachium in eum usum ab ipso amputatum, exultat mendacium et triumphat ante tempus. Tum vero Athanasius: Estne hic aliquis (inquit) qui Arsenium noverit, ut ejus hoc esse brachium dicere possit? Et cum plurimi sibi notum Arsenium affirmarent: eum continuo per suos accersiri jubet, atque eo in conspectu omnium collocato: En (inquit) Arsenium. Haec ejus dextra, haec sinistra: est brachium istud abscissum cujus sit, vos videritis, nisi tria brachia Arsenium habuisse velitis. Ita mendacium primum luce veritatis dissipatum evanuit. Venitur mox ad alterum de muliere. In medio vero patrum impudentissima meretricula virginitatem suam miserabili querimonia satis deploravit. Magnus Athanasius qui se ab illa ne visum quidem esse unquam sciebat, annuit Timotheo presbytero suo, ut se Athanasium esse fingat, et mulierculae respondeat. Timotheus igitur; Verone, inquit, mulier ego tibi vim intuli? Tu, inquit illa, mihi vim intulisti, tu illo in loco maculasti virginitatem meam, testor Deum iudices non aliter esse, quam indicio. Tum vero ingens pudor, et quasi nox quaedam omnibus Athanasii accusatoribus offusa est: atque ad hunc modum sola praesentia tacentis veritatis orationem confutavit eloquentissimae falsitatis.

Sed quod maxime vim et potentiam veritatis mihi demonstrare videtur, illud est, quod cum ab initio nascentis ecclesiae simul haeretici cum catholicis in libris conscribendis occupati fuerint, et scribente Irenaeo scripserit etiam Valentinus, scribente Athanasio scripserit Arrius, scribente Basilio scripserit Eunomius, scribente Hieronymo scripserit Iovinianus, scribente Augustino scripserit Pelagius, scribente Cyrillo scripserit Nestorius, et de caeteris ad eumdem modum : tamen haereticorum opera omnia perierunt, et periisset etiam nomen et memoria, nisi in libris catholicorum, qui usque ad hanc diem manent, conservata fuissent. Et unde hoc? Nisi quod monumenta haereticorum domicilia sunt mendaciorum, quae statim evanescunt et pereunt : libri vero catholicorum sedes sunt veritatis, *et veritas Domini manet in aeternum.* Quae cum ita sint, si tibi calumniae ab invidis aliquando struuntur, si falsa crimina obiiciuntur, si contra te lites instituuntur, si vere a tua parte stat veritas, et habitas in adiutorio Altissimi, esto securus de victoria, quoniam *scuto circumdabit te veritas eius.*

Sed cur dicitur *eius*, cum nostra sit veritas, de qua nunc agimus? Nimirum quia sicut primus auctor et parens mendacii diabolus est, et propterea omne mendacium, et ex ipso, et ipsius esse dicitur : sic etiam quoniam Pater veritatis Deus est, ideo omnis veritas dicitur veritas eius.

Iam vero tertia veritas, quae scutum appellari optime potest, ea est, quae in divinis litteris scripta continetur. Nam et Dominus ait in Evangelio: *Sermo tuus veritas.* Et Salomon in Proverbiis: *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est.* Neque vero mirum nobis videri debet, si verbum Dei apostolus Paulus gladium esse voluit, cum in epistola ad Ephesios ait : *Et gladium spiritus, quod est verbum* Dei.

Eadem enim scriptura, et ferit, ac vulnerat adversarios, quod est gladii; et iacula hostium repellit, quod est clypei. Quocirca in illa praeclara monomachia Christi et diaboli iste scripturae gladio pugnabat, ille scripturae clypeo resistebat; Ac ut nobis clypeum istum Dominus vehementer commendaret, omnibus telis Satanae numquam alium clypeum, quam scripturarum opposuit. Tentatur primo, ut panem ex lapidibus faciat. Respondet, *Scriptum est*; *Non in solo pane vivit homo.* Tentatur secundo? ut de pinnaculo templi se praecipitet. Respondet: *Scriptum est non tentabis Dominum Deum tuum.* Tentatur tertio, ut Diabolum quasi mundi Dominum adoret. Respondet: *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Si inter tam varia mundi pericula, inter hastas et gladios tutus incedere cupis, in omnibus actionibus, et negotiis tuis, tam in rebus prosperis, quam in adversis, sume clypeum veritatis; consule literas Dei, non audias voces hominum mendacium et adulatorum, *qui* dicunt *malum bonum, et bonum malum*: amarum dulce, et dulce amarum: qui magni faciunt res parvas, et res magnas contemnunt: qui si fornicaris, dicunt, nihil est: si doles capite vel stomacho, id vere magnum malum esse censent: et si perdis animam nihil curant, si perderes digitum unum, omnes me dicos urbis convocarent. Hinc enim omnes nostri errores nascuntur, quod non iusto pondere res aestimamus, et carissime illa emimus, quae nihil valent, et ea quae vere magna ac pretiosa sunt, vilissimo, ac pene nullo pretio emere volumus. Sume igitur clypeum veritatis, consule librum Dei, qui omni mendacio atque adulatione vacat. Quid scriptura, quid veritas dicit? Nullum esse malum valde metuendum, nisi peccatum et gehennam: nullum esse bonum nimis appetendum, nisi Deum et virtutes; eum vere divitem, et nobilem, et pulchrum et sapientem esse, qui patientia, humilitate, charitate, castitate caeterisque virtutibus praeditus est: eum vere pauperem, et vilem, et deformem et amentem esse, qui fornicarius, qui ebriosus, qui avarus, qui superbus, qui vitiis caeteris tamquam lepra et scabie coopertus est. Neque sunt haec paradoxa Tulliana, sed Christiana, quae in libro Dei, in scriptura veritatis apertissima et indissolubili argumentatione ita probantur. Christus (inquit liber veritatis) cum Deus esset, et in potestate sua positum haberet, ut in terris annos triginta tres habitaturus, eum vitae statum quem vellet eligeret, vilissimum et abiectissimum elegit, pro domo stabulum, pro lecto praesepe, pro tapetibus foenum: et ea non propria sed mendicata. Deinde matrem pauperrimam, cibum tenuissimum, vestes rusticanas. Denique nihil pomparum, nihil commodorum, nihil deliciarum huius mundi quaesivit, et contra nihil laborum, nihil afflictionum, nihil miseriarum, nihil malorum recusavit, praeter peccatum, quod unum malum a se, et a suis omnibus, quam longissime abesse voluit. Neque dicere potes, eum non potuisse, vel nescivisse statum meliorem eligere. Nam si Deus erat, ut revera erat, certe potentissimus, sapientissimusque erat. Et quid aliud magis in eo praedicat Isaias, quam quod Emmanuel vocandus esset, et sciret *reprobare malum et eligere bonum*? Quid igitur? An non aperte atque evidenter efficitur, quod dicebamus, nullum esse malum valde metuendum, praeter peccatum et gehennam, quae stipendium peccati est; et nullum bonum nimis appetendum, praeter Deum et virtutes. Quid? Si vere magna bona essent, quae mundus magna esse praedicat, cur ea Dominus sapientissimus repudiasset, et matrem suam, aliosque sibi coniunctos et charos egentissimos eorum esse voluisset? Et si vere magna essent mala, quae mundus magna esse docet, cur Dominus sapientissimus eis tantopere, et se et suos ornasset? Quae cum ita sint, si (ut modo dicebamus) mundi pericula securus pertransire cupis, sume clypeum veritatis, iusto pondere omnia trutina, tantique aestima quanti valent. Aspice sempiterna ut sempiterna, temporalia ut temporalia, permanentia ut permanentia, fugacia ut fugacia; ita non decipieris, nec metues inopiam, nec affectabis honores, nec invidebis divitibus, nec ulla te adversitas franget, nec prosperitas extollet, et in omnibus *scuto circumdabit te veritas eius.*

Sed omittere non possum pulcherrimam illam expositionem eorum, qui veritatem, quae tamquam scutum nos protegit, Christum ipsum esse volunt. Is enim de se quodam loco ait; *Ego sum via, veritas, et vita.* Et sane, auditores, nihil verius, quam Christum clypeum nostrum aliquando fuisse. Nullum ei bellum cum Deo Patre unquam fuit, et tamen clamat in Psalmo; *Sagittae tuae infixae sunt mihi*, et totum corpus plenum tumoribus et foraminibus habet. Cur ita? Unde hoc in eo, *qui peccatum non fecit*, nec parentem suum Deum unquam offendit? Dicam, Auditores. Vidit Filius Dei parentem suum in nos armatum, vidit arcum et sagittas iam paratas, vidit gladium exacutum ac districtum: vidit ab altera parte nos omnes inermes, et qui neque viribus neque prudentia tela irae divinae declinare possemus. Quid igitur? Misericordia motus, inter nos et Deum se medium constituit, et tamquam si clypeus noster fuisset, omnes plagas, omnes ictus, omnia vulnera, omnia tela, quae in nos a Deo dirigebantur, in corpore suo ipse excepit. *Propter scelus populi mei percussi eum*, ait Pater. Hoc est, Ipse quidem nihil meruerat, sed quoniam clypeus esse voluit hominum peccatorum, ideo percussi eum. *Ipse autem*, inquit Isaias, *vulneratus est propter iniquitates nostras, et attritus est propter scelera nostra. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et quam mature id coepit? In ipso die natalis sui frigus et nuditatem patitur, in die octavo circumciditur, post paulum fugere compellitur in Aegyptum, deinde numquam persecutiones, numquam insidiae, numquam labores, numquam dolores defuerunt. Et quamvis Daemon nostrae saluti invideret, et per ora Iudaeorum clamaret; *Descende de cruce*, non tamen id fecit, non recessit, mansit, perseveravit, donec iram Patris mitigatam et pharetram sagittis evacuatam vidit. Audierat enim illum dicentem: *Et sagittas meas complebo in eis.* Itaque iaculatione finita, cum omnia tela in suo corpore infixa videret, tum

demum ait ; *Consummatum* est, pharetra vacuata est.

Intelligis frater, quantum te Christus amavit? Quid poterat maius tibi praestare, quam ut se clypeum tuum faceret,ut ipse perculeretur, et tu post terga eius tutus maneres? An non igitur par esset, ut tu quoque in gratiam eius aliquid faceres? Et quidnam est, quod a te Christus requirit, nisi ut diligas Deum, ut fugias vitia, ut curam habeas salutis tuae? Ut sic te geras dum vivis, ut in morte quoque eum habere pro clypeo mereatis? Perpendite quae dicam. Numquam magis clypeus iste necessarius erit, quam in exitu de hoc saeculo. Mox enim ut animus a corpore separatur, aspicit hinc supplicia horribilia damnatorum, inde gloriam inexplicabilem sanctorum: hic sulphureos globos flammarum, inde virentem paradisum delitiarum: hic lamenta et gemitus miserorum,inde cantica iucundissima beatorum. Itaque summo et infinito quodam desiderio tenetur poenas aeternas evadendi, regnumque coelorum adipiscendi. Sed occurrunt sagittarii spiritus infernales, et verba tamquam tela iaculantur et dicunt. Heus tu quo tendis? non ad te pertinet sedes illa beatorum. Quo iure, quo titulo adspiras ad regnum, cui perpetuus carcer praeparatus est? Nescis primum tuum parentem, cum sibi, tum omni posteritati ius ad eum locum perdidisse? Non recordaris, quam multa tu deinde ad originale peccatum crimina addidisti? At si Christi amicus fueris, nihil, tibi iacula ista nocebunt, quoniam *scuto circumdabit te veritas eius*. Poteris enim respondere ac dicere, Ego quidem ex me nihil habeo, unde regnum coelorum mihi deberi censeam,imo nec illud inficior, me gehennae cruciatus non semel meis flagitiis meruisse, tamen propiera iacula vestra non timeo, quod Christus Dominus meus duplici iure paradisum obtineat: Iure haereditatis, quia Filius est: et iure victoriae, quia regnum illud armis sibi comparavit: ex duobus autem titulis priore ipse contentus, posteriorem donavit mihi. Sed vae illis, qui clypeum non habebunt. Quales omnes illi erunt, qui fidem in Christum non habuerunt, vel solum mortuam habuerunt. Frustra enim sibi de nomine christiano tam haeretici,quam mali Catholici blandiuntur: Siquidem scutum militum Christi, neque extra castra Ecclesiae ab haereticis deferri potest, neque in ipsis castris illis prodest, qui non pugnant, qui fugiunt, qui cadunt, qui vulneribus peccatorum confecti et mortui iacent. Et o quam confusi, quam decepti, quam miseri erunt, cum se solos et nudos, et prorsus inermes inter acies crudelissimorum daemonum videbunt.Quare, auditores optimi, clypeum tam necessarium, qui non habet, comparare: qui habet, conservare diligenter studeat, ut eo protecti atque muniti, castra daemonum securi pertransire, et ad regnum illud felicissimum pervenire valeamus, ubi Dux noster vivit et regnat in saecula saeculorum.Amen.

CONCIO VI.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU QUINTO ET SEXTO

Non timebis a timore nocturno. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, et daemonio meridiano.

SYNOPSIS

Sumpto exordio a difficultate sacram Scripturam intelligendi, ad sequentia oratio procedit, ubi praemissae interpretationi literali mystica subsequitur: atque quid secundum literam sit timor nocturnus.quid sagitta volans in die.quid negotium perambulans in tenebris.quid incursus, et daemonium meridianum, breviter perstringitur. Secundum sensum mysticum quatuor assignantur tentationum genera, unum est tentatio occulta, sed levis, quae est timor nocturnus: Alterum est tentatio occulta, sed gravis, quae est negotium perambulans in tenebris: Tertium est tentatio aperta sed levis, quae est sagitta volans in die: Quartum denique genus est tentatio aperta, sed gravis, et haec est daemonium meridianum, quae singula suis exemplis accurate illustrantur, et tandem contra graves tentationes et praesertim libidinis, copiosa et efficacia praescribuntur remedia.

Posterior pars tertiam continet explicationem, quatuor scilicet tentationum militi Christiano obvenire solitarum. Prima est timor difficultatis in via virtutum,et haec est timor nocturnus ubi copiose probatur, quam facilis sit via virtutum, utpote quam amor maxime facilitet, et quam aequum sit aliquem laborem (si tamen aliquis sit) in via Domini suscipere, a contrario, via scilicet peccatorum laboriosissima docetur, atque d. Augustinus, ut qui utramque viam ambulaverit, in testimonium adducitur. Altera tentatio militis Christiani, est vana gloria, quae est sagitta volans in die. Tertia tentatio est corruptio sensuum,quae est negotium perambulans in tenebris. Quarta denique tentatio est palliata alicujus boni et veritatis ostensio, quae est incursus daemonii meridiani quae singula coloribus suis et doctrina exornata exaggerantur.

Recte ac sapienter ii fecisse, multumque omnino vidisse mihi videntur, auditores optimi, qui sententiam illam Dei, qua primi nostri parentis contumacia punita fuit, cum ei doctum esse legimus: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, non solum ad panem corporis, sed etiam cordis: nec minus ad animi curas, quam ad corporis labores referendum esse censuerunt. Nam uti terra, nisi magno agricolarum studio prius colatur et exerceatur, fructum non profert, et saepe diligenter culta spinas ac tribulos pro frugibus et fructibus gignit: Sic ager scripturarum, nisi meditatione assidua quodammodo subigatur, et piis devotisque lachrimis irrigetur. fructum intelligentiae non parit. Nec raro spinas effundit molestissimarum quaestionum, quibus mirum in modum studiosorum animi cruciantur. Quare perspicue mentiuntur haeretici, cum sanctas literas apertissimas esse, et explicatione non indigere contendunt. Nec mirum, si ex campo scripturarum non triticum ipsi, sed lolium colligunt: nam *in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et illum regius propheta beatum esse praedicat, qui scrutatur testimonia Dei, et in lege eius meditatur die ac nocte. Neque alia de causa liberator noster, pastores et doctores in Ecclesia esse voluit (ut ait Apostolus) quam ut essent, qui campum istum scripturarum diligenter excolerent, atque inde alimoniam spiritualem toti familiae dispensarent. Unus ex difficilibus atque obscuris locis, propter quos non sine causa dictum esse arbitramur, *in sudore vultus tui pane tuo vesceris*, is est, quem hodierna oratione Domino adiuvante tractaturi sumus. Nam si meministis, Psalmi nonagesimi explicationem ad eum produximus versum, ubi legitur; *Non timebis a timore nocturno.* Quem locum s. Augustinus et caeteri Psalmorum tractatores cum primis difficilem atque implicatum esse confirmant. Quamobrem, ut dilucide, quantum fieri poterit, obscuram sententiam exponamus, nitemur primum litteralem sensum ex his propheticis verbis eruere. Deinde ad intelligentiam spiritualem iacto litterae fundamento liberius veniemus.

Igitur sanctus propheta cum superioribus versibus divinam protectionem in Dei auxilio confidentibus promisisset, et praesidia atque arma ostendisset, quibus Deus in se sperantes instruere et

communire solet, nunc hostes et iacula demonstrat, a quibus defendendi ac protegendi sumus. Atque in summa docet, numquam noctu neque interdiu, neque clam neque palam eum laedi posse, qui scuto veritatis aliisque divinis armis communitus fuerit. Nam ad quatuor ista capita mala omnia atque incommoda revocantur. Quid enim detrimenti capere potest, ad quem neque diurna, neque occulta neque manifesta aditum unquam habent?

Primum igitur, qui habitant in adiutorio Altissimi, et scuto veritatis proteguntur; tuti liberique sunt *a timore nocturno*: hoc est, ab ea molestia, ab iis damnis, ab illis gravissimis incommodis, quae interdum solus timor ac terror nocturnus secum adferre solet. Multi enim sunt qui a solo timore laeduntur. Nam id efficit horror tenebrarum, ut homines timent, etiam ubi non est timor. Si quis forte in media aliqua silva, vel in templo aut coemeterio solus noctem transigere debeat, an non vehementer timebit, quamvis periculum nullum immineat? Si truncum aut lapidem videat, lupum aut ursum putabit: si arborum folia a vento agitata sonitum dederint, latrones continuo somniabit. Neque solus iste timor hominem affligit, sed etiam in gravissima quaeque mala interdum compellit. Temporibus Gedeonis quid innumerabiles illas copias Madianitarum tam facile dissipavit? Timor nocturnus. Neque enim Gedeon vi telorum aut gladiorum, sed noctis horrore, lagenarum complosione, tubarum sonitu, terrendo non feriendo, vociferando non dimicando, clamoribus non viribus Madianitis vicit. Itaque Madianitis ingentem illam cladem timor nocturnus solus attulit quam profecto nequaquam accepissent, si ex iis fuissent, qui habitant in adiutorio Altissimi. Cur enim sancti anachoretae (ut de aliis interim taceam) securi in vastis, desertisque locis soli degebant, quamvis daemones formidolosis umbris et spectis ad terrendum aptissimis nusquam eis non occurrerent, nisi quia in Deo plurimum confidebant? Cur beatus Franciscus templa solitaria et deserta quaerebat, et in eis solus absque ullo timore totis noctibus orando vigilabat, nisi quia fiduciae clypeum nunquam deponebat? Quid enim timeat, qui patrono omnipotenti, et ubique praesenti se totum commisit? Ergo qui habitat in adiutorio Altissimi, non timebit a timore nocturno.

Neque vero solum metum noctis inanem sancta ista fiducia exeludit, sed etiam a iaculis, quae de die volitant, a veris periculis, a veris damnis, veris incommodis, [quae non in tenebris cogitamus vel suspicamur, sed clara luce ipsis oculis cernimus et sentimus, defendet. Id enim significat, quod statim sequitur: *A sagitta volante in die.* Ubi elegantissima translatione sagittis volatum attribuit, quod alatae et velocissimae sint. Itaque neque noctu inanis timor nec interdiu vera arma laedere illum possunt, qui vere in Deo confidit.

Porro quod sequitur: *A negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano,* ad occulta et manifesta mala referendum est. Quaedam enim sunt mala occulta, ut proditiones, insidiae, stratagemata militaria, dolí, fraudes, quibus ubique plenus est mundus: atque haec quidem negotia dicuntur in tenebris ambulantia. Non quod solum in noctibus fiant, cum et noctu et interdiu fieri soleant, sed quoniam secreto atque occulto in angulis et latebris pertractantur. Quocirca non dixit propheta a negotio perambulante in nocte, sed in tenebris. Saepe enim claras noctes propter Lunae splendorem videmus, claras tenebras numquam videmus. Alia vere mala sunt manifesta, ut cum hostis non a tergo sed a fronte: non in latebris vel angustiis, sed in medio campo te palam adoritur: nec dolo sed vi spoliat vel sauciat vel occidit. Atque eiusmodi calamitas apte incursus, et daemonium meridianum appellatur. Incursus quidem, quoniam hostis posterior non expectat, ut ad se inimicus veniat, sed ipse prior incurrit, et magno impetu in adversarium ruit. Daemonium vere meridianum propterea dicitur, quod adversarius sit valens et audax, nullumque timeat, et in media luce apertissime grassetur. Atque haec de primo et litterali sensu dicta sint. Venio nunc ad sensum alium altiorem nobisque omnibus utiliorem.

Quatuor sunt genera tentationum, quibus dum hic vivimus, pene semper exercemur. Siquidem aliae sunt occultae, aliae manifestae: et rursum tam istae, quam illae, partim repentinae et leves, partim graves et importunae. Tentatio occulta, sed levis, ipsa est timor nocturnus; occulta sed gravis, negotium ambulans in tenebris: aperta et levis, sagitta volans in die: aperta et gravis, daemonium meridianum. Sed luce exemplorum, illustranda sunt haec, quae breviter proposita, nec tam explicata, quam enumerata sunt. Tentatio igitur occulta, sed levi illa est, quae specie alicuius boni hominem fallit; sed ita tamen, ut mox ad primam lucem veritatis evanescat. Cogitat aliquis perceptionem corporis Domini non semper differre usque ad pascha, sed mensibus singulis, vel decimo quinto quoque die, aut etiam octavo coelestem illam mensam frequentare: sed protinus tentator accedit personatus pietate: et melius, inquit, erit more consueto solum in paschate divina sacramenta percipere. Sic enim et avidius atque ardentius sumes, et plus temporis ad animum praeparandum habebis. Occulta tentatio est, et timor nocturnus, qui enim propterea timet, plane timet, ubi non est timor. Sume igitur clypeum veritatis: dic tentatori, Non est ita ut loqueris. Nam cibus ille divinus non fastidium, sed desiderium gignit: similisque est sali, et sitim atque esuriem secum adfert: quo magis comeditur, eo magis desideratur. *Qui edunt me*, ait Sapientia, *adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient.* Quod vero ad praeparationem attinet, si tantam habere nitor, quantam sacramenti ipsius maiestas postularet, frustra laboro, nam in paschate quidem, nec illam habebo: si vero quantam ab infirmitate mea Deus requirit, paucae horae sufficiunt. Deinde usus an non aperte docet, nullos magis imparatos ad sacramentum accedere, quam eos, qui totum annum ad se praeparandos habere volunt? Nec enim annum totum in peccatis purgandis, sed in perpetrandis, cumulandis, augendis consumunt: et cum toti sordibus usque ad verticem pleni fuerint, tum in Sabbato sancto, vel ipso paschatis horulam unam sufficere volunt, tam ad

sordes confessione expiandas, quam ad tremenda mysteria capienda. Similis tentatio est, cum diabolus in corde tuo dicit, Quid opus est tanto labore confessionem peccatorum facere? nam paulo post peccabit iterum, et quid tunc proderit prior confessio? Nonne igitur satius esset iucunde vivere dum licet, et postea aetate ingravescente, cum de mundo recedendum erit, omnia simul peccata una confessione delere? Sed cito responde, Quid si repente improvisa atque inopinata mors adveniat, et prius animam de corpore meo eiiciat, quam ego de poenitentia cogitare coeperim, an non certo certius me gehenna suscipiet perpetuo cruciandum? Deinde si confiteri non debeo, quoniam iterum fortasse peccabo, maiori certe ratione comedere non debeo, nam iterum esuriam: bibere non debeo, nam iterum sitiam: ungues praecidere non debeo, nam iterum crescent: capillum tondere non debeo, nam iterum exorietur: manus et vestes lavare non debeo, nam iterum sordescent. Quod si filii huius saeculi istis ratiunculis nihil moventur, nec propterea cibum et potum, et balnea et reliquam corporis curam omittunt: quanto magis filii lucis timere non debent a timore nocturno, nec specie boni a tentationibus decipi.

Porro tentatio occulta, sed gravis et periculosa esset, si homini pauperi et multos liberos habenti forte occasio sese offerret, marsupium nummis aureis plenum, diviti alicui clanculum ac tuto eripiendi, et simul intus in animo eius ita diabolus loqueretur? Quis novit, an Deus miseratus inopiam tuam, et divitem istum castigare volens, hanc tibi tam praeclaram occasionem obtulerit? Certe tibi saepe erepta sunt bona tua. Quid igitur peccabis, si auro isto tua damna redemeris? praesertim cum Deus omnia communia esse initio voluerit, et tamen dives iste supervacaneis abundet, tu necessariis indigeas. Magna sane tentatio, et vere negotium ambulans in tenebris, quo Tartareus negotiator infinitas animas quotidie capit. Sed et soli tamen nocebit, qui non habitat in adiutorio Altissimi, et veritatis clypeum abiecerit. Nam qui serio cogitat, quod *fures et rapaces regnum Dei non possidebunt, quod facile est in oculis Dei subito honestare pauperem*, quod *nullus, speravit in Domino, et confusus est, quod Pater*, noster coelestis *scit, quia his omnibus* indigemus, et qui totam haereditatem nobis daturus est, etiam ista minima non negaret, si ad animae salutem expedire cognosceret, is facile tentationem vincit, et non de furto sed de patientia cogitat.

Iam vero tentatio levis et aperta illa est, quae nudum et apertum malum suadet, sed tanta celeritate, ut prius homo se vulneratum videat, quam advertere possit, unde ad se malum illud penetraverit. Quocirca istiusmodi tentatio sagittae volanti per diem aptissime comparatur. Sagittae siquidem quamvis non tegantur: sicut hami et laquei, neque tempore nocturno sed diurno iactentur, tamen celeritate nocent. Prius enim vultus sagittae sentitur, quam sagitta ipsa conspici possit. Talia sunt, cum forte tibi per plateas ingredienti occurrit aliquis te ditior vel doctior, et subito pungeris sagitta invidentiae: occurrit inimicus, et mox vindictae atque odii stimulis incitaris: occurrit speciosa aliqua mulier, et statim amoris iaculo vulneraris.

Sed eadem haec tentatio gravis et molesta efficietur, et daemonium meridianum appellari poterit, si quis ad nudum atque apertum malum tanta vi tantoque impetu impellatur, ut nisi singulari Dei praesidio, maximoque suo labore non resistat: quales tentationes maximis bellatoribus suis Deus non raro permisit, ut inde videlicet gloriosius triumpharent. Talis erat illa atrocissimae persecutionis tentatio, qua crudelissimi Ecclesiae persecutores, cum viderent votum esse Christianis pro Christo mori, non eos sinebant statim occidi, sed cruciatibus variis tam diu torqueri sanctos martyres iubebant, donec vel Christum negarent, vel horrendo spectaculo in suppliciis vitam finirent. Ita confessor Theodorus, Ruffino authore, temporibus Iuliani apostatae ab hora prima usque ad decimam, tanta crudelitate totque mutatis carnificibus tortus est, ut simile factum nulla aetas meminerit. Ita illustrissimus martyr Cassianus, ut Prudentius tradit, a puerulis, quos docuerat, iussu tyrannorum pro Christi fide stylis cultrisque pennariis minutissimis vulneribus, longissima acerbissimaque morte interemptus est. Ita celeberrimus ille Marcus Arethuius, ut Gregorius Theologus oratione prima in Iulianum scribit, post innumera, immanissima, crudelissimaque superata supplicia, tandem melle perunctus in ardentissimo Sole apum et vesperum morsibus interiit.

Quid remedii auditores optimi, adversus tam acrem tribulationem, in quam nos etiam hoc tempore facile incidere possemus? Fiducia in Deum, et clypeus veritatis. Nam, ut sanctus Augustinus in hunc ipsum locum annotavit, illi dumtaxat in persecutionibus a daemonio meridiano vincebantur, qui de se praesumebant, qui in suis viribus confidebant, qui in Altissimi adiutorio non habitabant. Itaque primum spes tota ac fiducia collocetur in Deum, qui etiam per infirmos et debiles, non solum fortiter pugnare, sed etiam vincere et triumphare saepenumero solet. Deinde clypeo veritatis miles Christi diligenter instruatur, cogitet saepe ac serio, beatos esse mortuos, *qui in Domino moriuntur*. Fortunatam mortem, quae naturae debita, pro Deo potissimum redditur; et non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae nos manet in coelo, nec ad futuras poenas, quae manent impios in gehenna. Has enim cogitationes (ut verbis utar d. Cypriani in exhortatione ad martyrum in fine) quae persecutio potest vincere? quae possunt tormenta superare? Durat fortis et stabilis religiosis meditationibus fundata mens: adversus omnes diaboli terrores et minas mundi, animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa et solida corroborat. Claudantur oculi in persecutionibus terrae, sed patet coelum. Minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur. Mors infertur, sed immortalitas sequitur. Occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur. Vita temporalibus extinguitur, sed aeterna reparatur. Quanta est dignitas et securitas exire hinc laetum, exire inter pressuras et angustias gloriosum! claudere in momento oculos, quibus homines vi-

debantur et mundus, et aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus? Tam velociter migrandi quanta felicitas, ut terris repente subtraharis, et in regnis coelestibus reponaris? Haec oportet mente contemplari et cogitatione, haec die ac nocte meditari, si talem persecutionis dies Christi militem invenerit. Vinci non potest virtus ad praemium prompta: vel si accersitio ante praevenerit sine praemio non erit fides, quae ad martyrium praeparata: sine damno temporis merces Deo iudice redditur: in persecutione militia, in pace conscientia coronatur.

Sed enim, auditores, daemonium istud meridianum, si passionis igne Christianum militem expugnare non potest non quiescit propterea, sed ardore libidinis eum aggreditur. Talis illa tentatio carnis fuit, quae b. Benedictum aliquando coegit nudum se in acutissimis spinis longo tempore volutare. Talis illa flamma libidinis, in pectore sancti Francisci diaboli arte succensa, quam vir sanctus, ut restingueret, nudum se tempore frigidissimo in altissimis nivibus immergebat. Talis denique, ut caetera praetermittam, illa tempestas cogitationum: quam s. Hieronymus ad Eustochium scribens, in eremo se pertulisse, his verbis testatur: *Pallebant*, inquit, *ora ieiuniis, et mens desideriis aestuabat in frigido corpore, et ante hominem suum iam carne praemortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Iesu iacebam pedes, irrigabam lachrimis, crine tergebam, et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam: memini me clamantem diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino imperante tranquillitas.* Haec si facerent nostri saeculi homines, non tam facile dicerent, castos se esse non posse. Quid enim mirum, si casti esse non possunt, qui ieiunium et orationem arma castitatis oderunt? Qui non solum occasiones et pericula non fugiunt, sed etiam ea diligenter quaerunt? Qui oculos defigunt in omnes foeminas quas vident? qui nihil magis cupiunt, quam conviviis et potationibus interesse? Qui magnam artem esse ducunt scire agere cum mulierculis? Qui hoc sacro tempore, quod pudor est dicere, ad Calvariae montem, ad memoriam nostrae redemptionis, profecturi non sunt, nisi ut mulierculas comitentur? Atque ego tamen serio illos admoneo, nunquam eos castos futuros, etiamsi millius peccata sua confiteantur, nisi sobrietatem prius addiscant, et foeminarum conspectum, colloquium, consuetudinem fugiant. Si vero casti non erunt, neque unquam beati et felices erunt. Scimus enim, quia *fornicarii et immundi regnum Dei non possidebunt.*

PARS SECUNDA

Attulimus expositiones duas, ut obscurum hunc psalmi locum pro viribus illustraremus: addemus nunc tertiam, quam duabus primis non minus veram, nec certe minus utilem futuram esse non dubitamus.

Quatuor tentationes sunt, quae gradatim et ex ordine Christi militem adoriuntur. Prima, eaque, ut mihi videtur, quidem difficilior. illos aggreditur qui vitam et mores serio mutare, et saeculi pompis delitiisque relictis ad crucis vexillum evolare desiderant. Istos enim initio conversionis, ut plurimum occupat timor nocturnus, hoc est metus quidam atque horror laborum, difficultatum, angustiarum, quas in via Domini esse sibi persuaserunt. Et quamquam aegrotorum more medicamentum virtutis utile et salutare esse non ignorant, tamen propterea ab eo vehementer abhorrent, quod omni felle amarius illis esse videatur. Tentatio ista prima merito timor nocturnus appellatur; timor, quoniam non labores, sed timor laborum hominem affligit: nocturnus autem, tum quod adversitas nocte significetur, sicut prosperitas die: tum etiam, quod iste metus ex ignorantiae tenebris totus nascatur. Quare si luce veritatis tenebrae dissipentur, etiam timor nocturnus subito evanescet. Quid igitur est, quod decipit Christi tyrones? Quid eos a Christi militia absterret? Qua ignorantia laborant? Nimirum, auditores, in eo decipiuntur, quod oculos tantum coniiciunt in externos labores, quos homines sanctos tolerare vident: nihil vero cogitant de magnis illis adiumentis ac praesidiis, quae Deus nobis praeparavit. Itaque tale quiddam patiuntur, quale patiebatur olim minister Elisei, qui cum videret domum domini sui ab exercitu hostium esse circumdatam, et agmina angelorum, qui Eliseum defendebant, non videret, actum esse putabat de domino suo, vehementissimeque timebat, ubi nulla prorsus erat causa timendi. Ita isti novi milites idcirco solum de virtute adipiscenda desperant, quoniam difficultatem virtutis cogitant, adiumenta divina non cogitant.

Sed quaeso te, quicumque es, qui virtutis viam adeo difficilem et laboriosam esse conquereris, et times a timore nocturno, cur Dei Filius venit in terras? cur sanguinem suum fudit? cur sacramenta instituit? cur Spiritum sanctum misit? nonne ut salutis viam facilem et expeditam nobis efficeret? Et cur legem suam evangelium, gratiam, libertatem, iugum suave et onus leve appellari voluit? Nonne ut tibi his nominibus persuaderet, Isaiae vaticinium nunc esse completum, quo tanto ante praedictum est: *Erunt prava in directa et aspera in vias planas*? Si per Ezechielem Dominus tale nobis auxilium pollicetur, ut dicat: *Auferam* a vobis *cor lapideum, et dabo cor carneum*: et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut ambuletis in praeceptis meis, quid est quod metuamus? Num times ne Deus facere non possit, quod promittit? Si Deus per Isaiam dicit, *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae: current et non laborabunt: volabunt et non deficient*: quod quaeso respondere possumus? An Deus fortasse mentitur, qui est ipsa prima et sempiterna veritas?

Sed omitto adiumenta caetera, sacramenta, Scripturas, orationem, sacras meditationes coelestes consolationes, aliaque permulta, quae hominem iustum per viam mandatorum Dei tamquam per amoenum pratum iucundissime currere faciunt. Unus amor, quem Deus petentibus et quaerentibus non negat, nonne sufficit, ut omnia gravia reddat

levia; amara dulcia; laboriosa iucunda? Unam habeas charitatem, et nihil tibi difficile esse videbitur. Vere enim dixit Augustinus sermone nono de verbis Domini; *Omnia saeva et immania prorsus facilia et prope nulla efficit amor.* Quos aestus, quae frigora, quae pericula ab equis, a fossis, a praecipitiis, fluminibus, a feris perferunt venatores, piscatores, aucupes? At num propterea dicendi sunt laborare? Minime vero. Nam animi gratia et delectationis id faciunt. Et tamen ei, qui venationes non amat, continuus ille discursus summus labor esse videretur. Quis facit, ut parentes laborem non sentiant, quem in liberis suis alendis, educandis, instruendis ferunt? Nonne amor? Quis facit, ut aves animantia muta pro pullis suis tantis laboribus consumantur, nidos luto aedificent, aut virgultis et frondibus construant, ciborum expertes incubent ovis, tum pullis iam natis ex remotis regionibus cibos convehant, et totos dies in huiusmodi discursatione consumant? Nonne amor? Quis Paulum, Ignatium, Laurentium, tot alios fortissimos, illustrissimosque Martyres laetari et gaudere in passionibus faciebat? Nonne amor? Quis tam multos sanctos patres ita affecit, ut sponte sua se divitiis omnibus spoliarent, perpetuam continentiam Deo voverent, vigiliis, ieiuniis orationi vacarent, ciliciis, se affligerent, martyrii desiderio pene languerent? Nonne amor? Certe b. Franciscus non semel ad Barbaros navigavit, ut martyrium quaereret. Quis vero credat ei penuriam vel nuditatem laboriosam esse potuisse, qui tanto ardore martyrium sitiebat? Iam igitur qui martyribus dedit, ut gladios, bestias, cruces, ignes, sartagines, cum delectatione et voluptate perferrent, quique tot sanctis patribus dedit, ut praeter iugum legis Domini, tam graves sarcinas confiliorum, ieiuniorum, vigiliarum summa facilitate paterentur, tibi saltem non dabit, ut iugum suave et onus leve mandatorum Dei alacriter feras? Valde igitur erras, et times ubi non est timor, quicumque viam Domini tamquam difficilem atque arduam fugis.

Sed quando etiam in via Dei laborandum esset, qua fronte istos labores recusare posset, si parumper cogitares, quale praemium iustis hominibus sit praeparatum: quales poenae maneant impios in gehenna; quanta Deo pro tantis et tam multis beneficiis debeas; quanta denique pro salute corporis quotidie facias: nam beata illa et sempiterna requies nonne laboribus maximis et sempiternis digna esset? Si immanissimis bellis atteritur miles, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quam in otio quieturus, quid Christi militem tolerare par est, cui otium beatum et sempiternum praeparatur? Qui vero sulphureos gehennae ardores assidua cogitatione revolvet, labores huius vitae nonne delitias putabit? Quid, quaeso, ageret dives ille purpuratus, si ad homines redire posset, et facultas ei concederetur, tormenta illa, quae iam novit, laboribus huius vitae redimendi? At idem certe tibi faciendum est. Nam si improbus fueris, idem te locus recipiet, et desiderio eodem, frustra quidem sed tamen flagrabis. Deinde si Deus tibi corpus et animam dedit, si te peccantem, tam benigne toleravit, si tam diu ad poenitentiam expectavit, si tibi quamvis inimico, Solem suum, et pluvias non negavit, si Filium suum pro te pati et mori voluit, magnumne tibi esse videtur, si in obsequium eius non nihil labores? Denique si corpus istud, vermium escam paulo post futurum, tam diligenter, tam libenter, tam ex animo curas, si secari atque exuri te pateris, ut corporis mortem non evadas, sed differas, nonne aequum etiam esset, ut pro aeterna animae salute modicum aliquid patereris?

Quid si his omnibus addamus, viam peccatorum, suis etiam difficultatibus et laboribus non carere, vel potius magis laborare impios, ut ad inferos cito perveniant, quam iusti laborant, ut vitam adipiscantur aeternam? Nam via, quae ducit ad vitam via est humilitatis. Quid vero facilius esse potest, quam descendere? Neque solum facilis, sed etiam tota et tranquilla est humilitatis via. Quis enim invideat, quis insidias struat, quis nocere quaerat ei, qui nihil quaerit eorum, quae mundus amat, et omnia illa relinquit, propter quae saeculi homines altercantur, tumultuantur, contendunt? At vero itinera superborum; ambitiosorum, avarorum, voluptuariorum, itinera sunt arduа, laboriosa, difficilia, insidiis et periculis plena, vix pedem in ea via posueris, et statim exurget ex adverso, qui se tibi opponat, qui litem instituat, qui dolo vel vi transitum intercludat. Itaque omnes improbi laborant, et tandem per gehennam unam ad gehennam alteram perveniunt, ubi frustra suum agnoscunt errorem, ac dicunt: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis: ambulavimus vias difficiles, et sol iustitiae non luxit nobis.*

Sed fortasse nihil te ista movent, et apostolum Thomam imitatus adduci non potes ut credas, nisi rem ipsam manibus tangas. Inducam igitur hic aliquem, qui multis annis in vitiis et sceleribus vixerit: et multos itidem annos vita et virtutibus floruerit, atque ab eo quaeremus, quid ei de istis itineribus videatur, et an molestiam ac difficultatem illam in via virtutis invenerit, quam se inventurum suspicabatur, et quam tantopere metuebat. Iste enim optimus iudex nostrae controversiae esse poterit, eique fidem non adhibere aperta insania erit, non minus quam si quis inter Lovanium et Coloniam mare Oceanum interiacere arbitraretur, atque idcirco proficisci eo non auderet, neque fidem adhibere vellet iis qui quotidie inde huc veniunt, et toto illo itinere nusquam se mare vidisse testantur. Multos eiusmodi testes proferre possemus: sed unus Augustinus, Latinorum doctor excellentissimus, qui annos fere triginta viam peccatorum ambulavit, ac deinde annos supra quadraginta viam legis Domini incredibili fervore cucurrit, nobis abunde sufficiet. Is igitur in libro Confessionum octavo, capite undecimo, de seipso ita scribit; *Punctum*, inquit, *temporis, quo aliud futurus eram, quanto propius admovebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem: retinebant me nugae nugarum et vanitates vanitatum, antiquae amicae meae, et succutiebant vestem meam carneam, et submurmurabant; Dimittis ne nos? Et a momen-*

to isto non erimus tecum ultra in aeternum? Et a momento isto non tibi licebit hoc et illud ultra in aeternum? His et similibus verbis ingenue vir sanctus confitetur, vehementer se ante conversionem a timore nocturno timuisse. Sed audi quid statim in initio libri sequentis dicat, ubi vestigium in via Domini figere coepit; *Domine*, inquit, *ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillae tuae. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Laudet te cor meum et lingua mea et, omnia ossa mea dicant, Domine, quis similis tibi? Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum? Et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat, Eiiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas: eiiciebas et intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior. Iam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi et acquirendi, et volutandi et scalpendi scabiem libidinum, et garriebam tibi claritati meae, et divitiis meis, et sa'uti meae Domino Deo meo.* En tibi, quam luculentum testimonium sanctus Augustinus nostrae causae dedit? Quid hic dicere potes? Si iste, qui utrumque iter confecit, qui diu in flagitiis vixit, qui timuit vehementer a timore nocturno nunc errorem suum ingenue confitetur, et suavitatem sine comparatione maiorem in via Domini se reperisse testatur, quam unquam invenerit in itineribus peccatorum? Quid, quaeso, iam times? Quid te captivum adhuc retinet? Mavis per gehennam vitiorum ad gehennam suppliciorum, quam per virtutum paradisum, ad gloriae paradisum pervenire? Quin potius magno animo opus aggredere, idem est Deus, qui olim erat, aeque potens, aeque benignus, aeque liberalis, modo tibi initio vim facere velis, et in Dei auxilio spem tuam ponas: vix ambulare in via Domini coeperis, cum tibi Deus occurret, atque ad amplexum et osculum admittet, et omnia dulcescere tibi faciet, quae nunc felle amariora tibi esse videntur. Quid? Si circulator aliquis, quem deceptorem et mendacem non ignoras, tibi artem aliquam polliceretur, qua ex plumbo argentum vel aurum ex aere brevi tempore posses efficere, nonne saltem tentare et experiri velles, quamvis absque sumptibus et laboribus id fieri non posse constaret? At nunc Deus ipse, qui mentiri non potest, artem tibi ostenderit, qua teipsum coelum ex terra, spiritum ex carne, angelum ex homine possis efficere, et propter nescio quam umbram laboris, non saltem periculum facies?

Sed postremo, quoniam aliquando, sive sero, sive mature, sive in futuro, rem istam omnes cognoscemus, obsecro, auditores optimi, ut unusquisque domi suae serio apud se cogitet, quam se deceptum et confusum in die mortis inveniet, qui metu laborum ac difficultatum viam Domini deseruerit, cum aperte ibi videbit iter iustitiae expeditum et planum fuisse, et solum ad veram et sempiternam felicitatem ducere potuisse. Ita igitur timor nocturnus Domino adiuvante excutiendus est. Iam tentationes caeteras, quoniam parum temporis superest, paucissimis verbis absolvemus.

Posteaquam prima ista tentatio diabolo non successit, et Christi miles timore contempto, in via Domini alacriter pergit, tum hostis callidus totus mutatus accedit, qui antea metu laborum a bono opere deterrebat, nunc laudat operantem, et iaculo vanae gloriae vulnerare nititur, quem timore nocturno opprimere non potuit. Atque haec est sagitta volans in die, nimirum in luce et fervore spiritualis prosperitatis, quando *sic* lucet *lux* nostra *coram hominibus, ut videant opera* nostra *bona, et glorificent Patrem* nostrum, *qui in coelis est.* Leviter hoc volat telum, sed non leve infligit vulnus, nisi provide caveatur. Nam quomodo vermis latenter interius ita pomum tuum corrumpit, ut solam exteriorem speciem ei relinquat: sic etiam inanis gloria totum boni operis meritum ita consumit et perdit, ut quamvis exterius laude atque honore dignum esse videatur, tamen vacuum et inane sit. Quam vero sit haec sagitta periculosa, vel ex eo colligi potest, quod saepe homines iaculo isto vulnerati, multa faciunt inanis gloriae cupiditate, quae Dei charitate se facere arbitrantur. Ita monachus quidam, ut in quinta collatione auctor est Cassianus, dum in communi coenobio versaretur, et ab omnibus videri poterat, integras hebdomadas sine ullo cibo summa facilitate transibat: cum autem ad solitudinem tamquam perfectior discessisset, summo mane fame pulsari incipiebat, cui sanctus Macarius causam eius rei petenti, ita respondit: Propterea ieiunium modo ferre non potes, quia nullus est in eremo testis ieiunii tui, qui te suis laudibus nutriat: in coenobio vero digitus hominum et inanis gloriae vitium te saginabat. Quare necessarium est, auditores, in omni opere bono scutum veritatis assumere, sibique ipsi crebre dicere. *Amen dico* tibi *receperunt mercedem suam*, et, *Quid superbit terra et cinis? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

At neque hic quidem est finis. Nam ubi daemonum Princeps, neque timorem nocturnum, neque sagittam volantem in die, aliquid effecisse videt, continuo coetum infernalium senatorum cogit, et negotium cum eis in tenebris tractat, an civitas, quae vi expugnari non potuit, proditione saltem obtineri valeat. Denique ait, Vanam gloriam respuit, quoniam vana est: forte solidius aliquid affectaret, forte honores, forte divitias, forte delicias. Itaque muneribus istiusmodi custodes potarum, id est, corporis sensus corrumpere nititur, ut civitatem animae prodant. Ita quondam sancto Antonio nunc auri ingentes massas, nunc speciosas mulieres offerebant. Sed proditores suspendi atque occidi debent, auditores, ut civitas tota metu liberetur. Sensus, inquam, nostri mortificandi sunt. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum: si manus tua scandalizet te, abscinde eam*: Ita haec membra habeas, quasi non habeas: si caecus et surdus oportet, ad ea, quae mundus offert, nisi animam tuam perdere, et divinis praemiis carere velis.

At num hic finis tentationum est? Minime vero. Nam cum Daemon omnes suas fraudes luce veritatis detegi et dissipari videt, alia via Christi militem aggreditur, et mendacia sua pallio veritatis tegit, et ipse se in angelum lucis et lucis

meridianae transfigurat. Itaque verum et magnum aliquod bonum offert cogitationi, quod instar lucis meridianae oculos perstringit: Sed ideo tamen offert, ut ad magnum aliquod malum inde sumpta occasione Christi militem pertrahat. Sic pastores et doctores, qui utiliter versantur in populis, ad solitudines vocat: et contra monachos atque anachoretas, qui multum in solitudine proficiebant, ad concionandum et docendum pertrahit. Sed et illi et isti quantum vocati non a Deo, sed a diabolo sunt, nihil agunt boni: et illi taedio et moerore in solitudine contabescunt, et isti facile a peccatoribus decipiuntur, nec tam ipsi alios convertunt, quam ab aliis ipsi pervertuntur. Quid remedii? Non omni spiritui credere, non propriis viribus fidere, sapientiorum consiliis acquiescere, atque in primis lumen a Deo quotidie flagitare oportet. Ita fiet, ut omni ex parte tentationibus superatis, securi ac laeti ad palmam et coronam tandem aliquando perveniamus, quo nos perducat, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO VII.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU SEPTIMO ET OCTAVO

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis.

SYNOPSIS.

Summatim textus versuum praesentium explicatur, ac inde ad eorum prolixiorem enucleationem descenditur. quae triplex habetur. Prima est secundum d. Augustinum, qui mille et decem millia a dextris et sinistris cadentia, commilitones esse exponit; ubi variis testimoniis ostenditur, prosperitatibus, quae per latus dextrum designantur, multo plures superari, quam adversis, quae latus denotat sinistrum: et quam serio proinde nobis sit ad vigilandum docetur. Secunda expositio est secundum Euthymium, qui tela et sagittas esse vult scilicet Diaboli, quae suo fine frustrantur. Tertia est secundum Theodoretum, et Bernardum, qui de hostibus illa verba dici intelligunt. Nobis a dextris adesse bona aeterna, a sinistris bona temporalia, quorum his homines improbi, illis daemones insidientur, demonstratur, atque dextrum potius quam sinistrum latus custodiendum esse, exemplo sanctorum, testimonio psalmographi et similitudine docemur et serio admonemur.

Obtenta de tot millibus hostibus victoria, in versu sequenti a Psalte regio proponuntur gaudia, quae oculis propriis homo victor videbit; et cur dicat oculis tuis, *triplex redditur ratio. Qua ratione beati de poenis damnatorum possint laetari explicatur, nempe non de illorum malis laetantur, sed de mirabili et sapienti dispositione Dei, atque aliquot inde resultantes utilitates enumerantur: quales sunt, aucta laetitia, perfecta securitas, et maior sanctorum splendor. Quam utile sit poenas peccatorum nunc hic considerare, quas olim videre erit delectabile, exponitur, et ad eiusmodi diligentem considerationem gravis et severa exhortatio epilogi vices obit.*

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis. Laetissimum, gratissimumque nuncium, christiani auditores, his verbis Prophetae hodierna die vobis omnibus adferemus. Is enim, qui futurum ingentem belli apparatum, et hostium atque armorum multitudinem et varietatem dominica superiore praedixerat, idem hodie prosperum belli eventum nobis exponit, et singularem atque inauditam victoriam pollicetur. Cadent, inquit, a dextris et a sinistris, tum commilitones, qui tecum pari labore, sed non pari fortuna pugnabunt, tum sagittae, quas partim scuto, partim gladio felicissime excipies; tum etiam hostes tui, atque ii potissimum cadent, non fugient, ne iterum fortasse redeant; neque comprehendentur vivi, quoniam neque divites sunt, ut ab eis summa aliqua pecuniarum expectari possit; neque probi et fideles, sed improbi et proditores, ut eos tutum non sit mancipiorum loco domi retinere, sed cadent humi prostrati, vulnerati, occisi. Ad te autem non appropinquabit, neque timor, ut terreat, neque telum, ut feriat, neque hostis, ut capiat. Quin etiam parta victoria ad locum certaminis aliquando redibis, et cadavera occisorum ubique prostrata cum delectatione et voluptate considerabis.

Haec est brevis summa totius propheticae sententiae, quae, ut animadvertere potuistis, tribus modis explicari potest. Nam mille et decem millia, quae a dextris et a sinistris cadent, vel commilitones sunt, ut beatus Augustinus exponit: vel tela et sagittae, quod Euthimio magis placet: vel postremo hostes, ut Theodoretus et Bernardus docent. Et quamquam expositionem primam magis literalem et veram esse arbitramur, tamen quia omnes illustrium auctorum sunt, atque utilissimam doctrinam continent, omnes breviter persequemur.

Initio igitur sanctus propheta laetitiae magnitudinem, qua in hac victoria perfruemur, a magnitudine periculorum ostendit. Nam cum hostes tam multos commilitonum nostrorum prosternent, qui mille a sinistris, et decem millia a dextris misere cadere videamus, nos tamen in tanta strage sociorum tuti liberique erimus. Pariter quidem oppugnabimur, sed non pariter concidemus. Ad nos autem non appropinquabit, nimirum timor nocturnus, sagitta volans in die, negotium ambulans in tenebris,

incursus et daemonium meridianum. Ista siquidem omnia mala clypeus veritatis facile propulsabit. Quod vero dicitur, mille et decem millia, non ita accipiendum est, quasi certus aliquis numerus designetur, id enim solum divinus propheta significare voluit plurimos futuros, qui a sinistris cadent, sed multo plures, qui a dextris: quo genere locutionis illud etiam in primo libro Regum scriptum legimus: *Percussit Saul mille, et David decem millia.*

Sed quaeret aliquis fortasse, quae causa est, cur plures a dextris, quam a sinistris cadent? Quae est ista tam periculosa dextra? Facilis et expedita responsio est. Dextera tempus est prosperitatis, opum, honorum, delitiarum: sinistra tempus adversitatis, inopiae, ignominiae, miseriae. Utroque tempore homines impugnantur, utroque etiam tempore plurimi vincuntur et cadunt: Sed longe et sine comparatione major fit strages tempore prosperitatis, quam adversitatis: multo siquidem facilius dolor, qua voluptas superatur: et multi blanditiis illecti in flagitia corruerunt, qui fortiter suppliciis ante restiterant. Intellexit hoc daemon, atque idcirco, ut sanctus Hieronymus in vita Pauli primi Eremitae scribit, cum videret sanctos Martyres suppliciis necari posse, superari non posse, id persecutoribus persuasit, ut quos tormentis vincere non valerent, eos voluptatibus et delitiis oppugnarent. Itaque adolescentem quemdam cruciatibus variis frustra longo tempore tentatum in amoenissimos hortulos tyrannos praecepit abduci, ibique inter lilia candentia, et rubentes rosas, cum juxta levi murmure serperet rivus, et molli sibilo arborum folia ventus perstringeret, super extructum plumis lectum resupinari, et ne se inde posset excutere, blandis ex serico nexibus irretitum relinqui jussit, quo cum recedentibus cunctis meretrix speciosa venisset, coepit delicatis stringere colla complexibus, et quod dictu quoque nefas est, virilia manibus attrectare, ut corpore in libidinem concitato, victrix se impudica superiaceret. Quid ageret miles Christi et quo se verteret nesciebat, quem tormenta non vicerant, superabat voluptas, tandem coelitus inspiratus, praecisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum, succedens doloris magnitudo superavit. Sanctos patres, qui deserta et solitudines incolebant, nunc daemon terroribus et verberibus affligendo, nunc voluptatum illecebras, vel cogitationi vel oculis ingerendo ex eremo fugare, atque ad mundum revocare totis viribus conabatur. Sed minis et terroribus nec unum quidem unquam de eremo fugavit: carnis vero illecebris non paucos ad mundum, quem reliquerant, revocavit. Sanctus David cum adhuc privatus et pauper, armaque Saulis fugiens in montibus delitesceret, tam eximia virtute excellebat, ut non semel hosti ac persecutori pepercerit: postea vero quam ad regnum perveniri, et otium atque occasionem nactus est, simul adulterium atque homicidium perpetravit. Et quae causa fuit iniquitatis Sodomae? *Saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus*, inquit propheta Ezechiel. Nam abundantia saturitatem, saturitas otium parit. *Multam* vero *malitiam docuit otiositas*, inquit Ecclesiasticus. E contra, mala, quae hic nos premunt ad Deum ire compellunt. Denique Iudaeis adeo noxia prosperitas, adeo salutaris adversitas erat, ut David precetur, et dicat: *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum Domine*, et, *cum occideret eos, quaerebant eum; et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.* Itaque non sine causa Dominus clamat in Evangelio: *Beati pauperes; beati qui lugent. Vae vobis, qui ridetis. Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram* in hoc saeculo, quandoquidem mille quidem a sinistris, id est, in adversitate propter impatientiam cadunt: sed decem millia a dextris, hoc est, in prosperitate multo plures propter innumeras peccandi occasiones pereunt.

Sed si haec ita se habent, quid, est, quod tam pauci statum securiorem amant? Cur plerique omnes afflictionem fugiunt, prosperitatem quaerunt? Cur etiam in tanta commilitonum strage, tam parum timemus, si ex undecim millibus vix unus evadat? Certe in loco periculoso versamur, neque tempus videtur esse dormiendi. Quid? Si divinitus modo nobis significaretur, et hoc nostro numero unum post mediam horam moriturum, atque ad inferos sine ullo remedio descensurum, quis nostrum prae anxietate et metu non palleret, sudaret, trepidaret? At nunc spiritus veritatis, oraculum divinum aperte et sine ambagibus dicit, non unum ex multis certo moriturum; sed ex multis millibus vix unum evasurum et tamen quasi ad nos ista non pertinerent, nihil penitus movemur. Videbat haec magna pericula Dominus, quae nos videre, et cogitare non volumus: et propterea tam saepe, tam serio tam ex animo nos monebat *Vigilate vigilate.*

Sed nunc ad secundam expositionem veniamus, secundum quam mille et decem millia, quae cadent non commilitones, sed tela et sagittas intelligere debemus, de quibus etiam id quod sequitur accipiendum est: *Ad te autem non appropinquabit*, nimirum tela et sagittae ad hominem justum et clypeo veritatis munitum, non appropinquabunt. Quamvis enim codices latini, qui habent *non appropinquabit*, numero singulari, et *cadent*, numero multitudinis, admittere non videantur, ut eadem esse intelligamus, quae humi cadent, et quae ad justum non appropinquabunt: tamen ex codicibus graecis, qui habent *cadet*, numero singulari, istum esse hujus loci sensum intelligimus, cadet a latere tuo quasi pluvia quaedam mille sagittarum, et a dextris tuis tamquam imber decem millium telorum: ad te autem non appropinquabit, neque pluvia illa sagittarum, neque imber multo densior telorum. Tum vero cadere sagittae, et non appropinquare dicuntur, cum diabolicae tentationes sine suo frustrantur, nihilque detrimenti Christi militibus adferunt. Veram autem esse propheticam hanc promissionem bene diabolus novit, si verum confiteri vellet aut posset, quippe qui adversus Iob, adversus Tobiam adversus Paulum, Antonium, Hilarionem aliosque nonnullos magnos bellatores Dei omnes suas machinas adhibuit, omnes artes expertus est, omnia tela et jacula contorsit, et ne semel quidem aliquid profecit.

Restat expositio extrema, secundum quam mille hostium cohortem a sinistris, et legionem decem

millium a dextris intelligimus esse casuram, et ad hominem justum minime propinquaturam. Homo justus, auditores, semper cum impiis, et peccatoribus bellum gerit, quos tamen ita vincere et trucidare studet, ut eos mundo, et sceleribus mori faciat: et quoniam dextera gladium tenet, quod est verbum Dei, quo pungit ac ferit corda peccatorum: sinistra vero clypeum fidei et patientiae, quo non solum ictus adversariorum excipit, sed etiam eos quandoque percutit et prosternit: propterea quidam a dextris cadere dicuntur, et quidam a sinistris. Quia vero plurimos quidem sancti homines exemplo et patientia sua convertunt, sed multo plures verbo praedicationis, idcirco *cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem*, inquit, *non appropinquabit*: tu converles eos, sed ab eis tu minime perverteris. Utinam aliquos hoc tempore tales milites haberemus, videremus profecto pulcherrima spectacula. Quid, quaeso erat olim cernere sanctos apostolos milites veteranos, exercitatos, doctos a Deo? Quale spectaculum videre Petrum in die pentecostes una excursione, uno impetu tria millia hostium prosternere? O si vidissemus Paulum semel inter tot adversarios modo gladium vibrantem, modo clypeum obiicientem; nunc hos, nunc illos trucidantem: nihil sane dubito, quin nullum cum eo Caesarem aut Rolandum comparassemus. Nemo enim tam multos unquam interfecit gladio, quot ille sceleribus mori fecit verbo Dei. Siquidem ab Ierusalem usque ad Illyricum quocumque ibat ubique strages felicissimas agebat. Beati sane, qui ita vincuntur et cadunt; sed beatior multo, qui ut bonus Christi miles, in hoc bello ita se gerit, ut a latere ejus cadant mille a dextris vero decem millia. Sed roget forsitan aliquis, si tum hostes trucidare dicimur, cum eos de peccatoribus justos efficimus, quod de obstinatis daemonibus et hominibus dicemus? an ab eis vinci possumus, et eos vincere non possumus? Imo vero auditores, modo velimus, modo strenue dimicemus de istis etiam cadent a latere nostro mille, a dextris vero decem millia.

Sed multum refert in hoc genere belli recte intelligere, quid sit in dextra, et quid in sinistra. Quid igitur dextera est? Bonum aeternum. Quid sinistra? Bonum temporale. Perpendite quaeso diligenter, quae dicturus sum. Duo genera bonorum duabus manibus tenemus. Dextera, bonum aeternum, salutem animae, regnum coelorum, Deum ipsum summum et infinitum bonum; haec manu dextra tenemus, quicumque Christiani Catholici sumus: haec tenemus: nondum quidem re, sed firma et solida spe. Sinistra vero quid? Bona fragilia et caduca, domos, agros, pecunias, res caeteras: haec est duplex illa benedictio in rore coeli et in pinguedine terrae, quam sancti patriarchae posteris suis a Domino precabantur. Duobus his generibus bonorum duo genera hostium insidiantur: bonis aeternis quae in dextera nostra sunt, daemones; bonis temporalibus, quae sunt in sinistra, homines mali quamvis enim et daemones non raro temporalia nobis incommoda vel conantur inferre, vel gratulantur inferri; et homines improbi frequenter ea nobis suadeant unde non parum dextera nostra lacdatur; tamen et illi omnes suos conatus ad oppugnationem dexterae praecipue conferunt et isti sinistrae spoliandae potissimum incumbunt. Cum Daemon alicui suadet furtum facere, quid arbitraris praecipue in eo furto spectat, nisi ut unus inique agendo, alter impatienter ferendo uterque animam suam perdat? Sed cum homo homini futurum suadet, nihil certe optare videtur, praeter emolumentum temporale, nisi forte in corpore humano animum non humanum, sed diabolicum inclusum gerat? Cum igitur sinistrae homines, dextrae daemones insidientur, et multo sint daemones plures et fortiores, quam homines, si bona temporalia contra fraudes et machinationes hominum Deo protegente servare poteris, *cadent a latere tuo mille*: si vero bona sempiterna contra daemonum insidias, tentationes, incursum, impetumque defenderis, tunc vero *cadent decem millia a dextris tuis*.

Quae cum ita sint, quid graves, sapientesque Christiani agere debent, cum a duabus partibus sese oppugnari vident? Plane, si sapiunt, praecipuam curam, praecipuum studium, praecipuam diligentiam et industriam ad latus dextrum custodiendum adhibebunt. Et si pauciores milites habere se videant, quam ut lateri utrique defendendo sufficiant, more sapientum imperatorum sinistro latere deserto, omnes ad latus dexterum convenire facient. Id certe vobis et verba et exempla sanctorum ostendunt. *Cor sapientis* (inquit Salomon) *in dextera ejus: cor stulti in sinistra illius.* Dominus vero *Quaerite primum*, inquit, *regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adiicientur vobis.* Quid apostoli quid martyres, quid sancti omnes fecerunt, nonne parentibus, filiis, fratribus, divitiis, honoribus, voluptatibus, vitae ipsi, ac toti denique sinistro lateri nuncium remiserunt, ut latus dextrum in tuto collocarent? Quid? Ipse Deus nonne, ut hanc sapientiam sanctorum probatam sibi et gratam esse doceat, nosque omnes admoneat, non esse cum periculo dextrae sinistrum latus magni faciendum, saepenumero dissimulat damna servorum suorum in parte sinistra, eosque spoliari, vexari, affligi, occidi permittit, ut defensa et custodita maneat pars dextra? *Providebam Dominum in conspectu meo semper*, inquit sanctus David, *quoniam a dextris est mihi ne commovear.* Et rursum: *Tenuisti manum dexteram meam.* Et *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.* Ita igitur sapientes, qui paucissimi tamen rarissimique sunt homines vero stulti, quorum infinitus est numerus, ita cor et animum, et oculum ad sinistram habent, ut de parte dextera ne cogitare quidem unquam videamur, quae sane caritas atque sultitia nullis verbis explicari potest. Sed fingite animis existere hic aliquem, qui dextra manu gemmam pretiosam teneat quae multis millibus aureorum vendi quaeat, sinistra vero nucem vel pomum oboli unius, vel duorum et a dextris quidem decem viros habeat callidos, robustos, armatos qui vel vi vel dolo gemmam ei de manu extorquere summo studio laborent: a sinistris vero inermem, ac debilem aliquem puerum, qui nuci vel pomo insidietur: quae esset (quaeso vos) ejus hominis stupiditas et stultitia

praedicanda, si gemmae pretiosae oblitus, utraque manu, totisque viribus in solo puero repellendo occuparetur, et gemmae jacturam nihil esse duceret, modo nucem suam vel pomum conservaret?At nonne morbo eodem mentis parum sanae plurimi hodie laborant, quamvis sapientes dici et haberi velint, qui pro pinguedine terrae, pro nucibus et pomis huius mundi, quae velint nolint, brevi relicturi sunt, totos dies contendere, et in omni praetorio litigare;imo et vitam periculo exponere parati inveniantur: et pro rore coeli,pro gemma illa, clarissima et pretiosissima gratia Dei,qua una regnum Dei emi potest, et cui eripiendae integrae legiones robustissimorum daemonum dies ac noctes advigilant, nihil agere dignantur? non jejunare- saltem eos dies, quos Ecclesia praecepit: non eleemosynas facere, saltem de eo, quod superest. Et quam multos in hac afflicta regione inveniremus, qui cum ipsis hostes et coelum et terram invideant, et fidem et opes eripere moliantur; si terram, si opes, si bona temporalia servare possent,fidem perdere, et religionem; et animam, et Deum ipsum non multum curarent?Quando igitur fiet in extremo judicio, formidolosa atque horribilis illa divisio et oves quidem in dextro,hoedi vero in sinistro latere collocabuntur, quo isti miseri sinistrae amatores, nisi ad sinistrum latus omnes pertinebunt. Nam sinistrum elegerunt, sinistrum habebunt, sinistre etiam judicabuntur. Quod si partem sinistram in judicio sortiri vehementer, ut par est, perhorrescimus, et dexteram potius nobis votis omnibus praeoptamus, nunc dum licet cor nostrum in dextra constituamus, nunc eam partem nobis bonis operibus praescribamus, iisque virtutum, praesidiis et munitionibus eam confirmemus, ut nullis hostium dolis vel conatibus eam nobis eripi,neque vivi neque mortui patiamur.

PARS SECUNDA.

Verumtamen *oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.* Ad cumulum nostrae laetitiae post victoriam tam praeclaram id accedebat, ut praeliis omni ex parte finitis, etiam aspectu et contemplatione cladis hostium nostrorum mentem et oculos oblectemus, et quamquam hic in tantis non numquam accidere solet,ut homines iusti oculis considerent, et retributionem peccatorum et hostium suorum videant: nam et populus Iudaicus Pharaonis exercitum fluctibus Erythraei maris divinitus involvi, et enecari: et rex Ezechias castra Sennacherib brevissimo tempore ab angelo deleri: et magnus Constantinus tyrannum Maxentium in Tiberim fluvium divina vi praecipitari vidit,tamen post diem altissimi iudicii quando inimica destruetur mors, ac diabolus et angeli eius, et omnes filii perditionis in stagnum ignis ac sulphuris proiicientur, tunc vere cum incredibili voluptate ac laetitia *oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.*

Neque frustra sapientissimus propheta non contentus dicere, oculis considerabis, addit *tuis: oculis*, inquit, *tuis considerabis.* Primum ut ostendat illos ipsos oculos, qui nunc bellum et afflictionem vident, tunc pacem sempiternam, et hostium miseriam visuros: illos, qui nunc fletibus et persecutionibus atteruntur, tunc adversariorum clade mirifice consolandos. Deinde *tuis*, inquit, ut intelligamus non oculos novos esse nobis a Deo donandos, sed nostros restituendos. Si enim capillos capitis nostri Deus numeravit, et unus ex eis non peribit, quanto maiore ratione pars corporis nobilissima et pulcherrima, qualis est oculus,integra nobis in illa die restituetur? Denique *tuis*, inquit propheta, quod tunc primum nostri esse incipient oculi,cum eos tuto ac libere possidemus: nunc enim quomodo nostros appellabimus, quos nobis etiam repugnantibus saepe curiositas aperit, sopor claudit, pulvis discruciat, fumus affligit,senectus obscurat, obitus excaecat? Tunc igitur oculis tuis considerabis, quando libertatem filiorum Dei plane assecutus, non oculis modo,sed toti etiam corpori summa potestate dominaberis.

Sed cur, quaeso, peccatorum supplicia iusti homines videre delectabuntur? Quid enim crudelius ac inhumanius, quam pascere velle oculos alienis miseriis, et delectari suppliciis miserorum? Nulla erit immanitas, auditores, nulla crudelitas, sed sancta et honesta laetitia, quando etiam Deus, qui mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum; tamen in interitu peccatorum ridebat. *Quoniam*, inquit, *vocavi et renuistis: extendi manum meam et non fuit qui aspiceret; ego quoque in interitu vestro ridebo.* Neque miseria et calamitas erit, quae tantopere beatorum oculos oblectabit: sed splendor divinae iustitiae, ordo rerum longe pulcherrimus,mundi totius sapientissima dispositio, quae non minus in cruciatibus impiorum, quam in praemiis beatorum mirabiliter elucebunt. Nam quae modo confusa et perturbata sunt, ibi suis locis aptissime collocabuntur. Frequenter modo culpa et poena, et virtus et praemium, quae coniuncta esse deberent, divisa et separata reperiuntur: nam saepe flagella, calamitates, aerumnas extra suum locum, in aedibus videlicet iustorum nunc habitare videmus: et contra, divitiae, honores, prosperitas nonne crebro praeter omne ius in domibus nefariorum degunt? Ut illa minora nunc omittam, quod cum improbi puniantur, saepe fit, ut qui peccavit magis, ille puniatur minus: et cum iusti munus aliquod accipiunt, non raro accidit, ut ille plus accipiat, qui minus merebatur. Itaque nunc adeo confusa et perturbata sunt omnia, ut mundus totus quasi chaos quoddam esse videatur. At in die ultimi iudicii, optime et sapientissime omnia componentur,nihilque erit quod extra suum locum usquam reperiatur: ibi poena perpetuo adhaerebit culpae; ibi cum virtute felicitas nexu indissolubili coniungetur; ibi summa et exactissima proportione singuli quique homines, singula membra, singuli sensus, singula opera sua, et propria vel praemia vel supplicia Deo iudice recipient.

Quod igitur fulgor divinae iustitiae in poenis damnatorum ita splendeat, id est, quod et sapientiam et sapientes, omnes mirifice delectabit: neque vero sola delectatio, sed multa praeterea commoda, et utilitates ex eo nascentur, quod iusti oculis suis considerabunt,et retributionem peccatorum

videbunt. Primum, quod sicut impiis dolor; ita iustis laetitia, ex mutuo conspectu non modicum augebitur. Nam et illis aliquod solarii genus esset,si tormenta sua inimicos suos latere arbitrarentur, et istis incredibile gaudium erit,tam aperte videre, quid evaserint. Deinde securitas perfecta iustorum erit visa retributio peccatorum. Quid enim deinceps sancti homines formidabunt, cum oculis suis viderint omnes, qui se affligebant, in carceres gehennae esse conclusos, idque clavi illa divina, quae claudit, et nemo aperit? Quam securus tibi videris, si unum dumtaxat inimicum haberes, et illum propter aliquod eius flagitium ad carceres perpetuos damnatum tuis oculis videres? Quam liberi ab omni metu et sollicitudine,etiam noctu iter faceremus, si certo nobis constaret, omnes fures, omnes latrones, omnes nebulones de tota hac provincia esse sublatos? Talis erit, et longe maior securitas beatorum, cum extra puteum inferorum nullus unquam improbus toto orbe invenietur. Postremo illud etiam censeret impiorum conspectus, quod pulchriores et splendidiores sanctos homines efficiet; semper enim contraria contrariis comparata maiora seipsis quodammodo esse videntur. O quanta luce fulgebit tunc virginum continentia, quando cum stupris et adulteriis impurissimorum hominum conferetur: O quam pulchra et mirabilia sanctorum ieiunia tunc apparebunt, quando cum istorum conviviis et compotationibus comparabuntur! O quam heroica videbuntur tunc sanctorum martyrum certamina, quando cum eorum mollitie et teneritudine conspicientur, qui morsum unius pulicis ferre non possunt! O quam ingens erit tunc laetitia sanctorum et dolor miserorum,cum in conspectu totius mundi praedicari audiemus, ac dici, Ecce iste homo erat, et ille homo erat, iste iuvenis erat, et ille iuvenis erat, iste dives et nobilis,et ille dives et nobilis; et tamen iste perpetuo virgo fuit, ille ne uxore quidem contentus alienum thorum commaculavit. Iste ieiuniis operam dedit,ille ne a crapula quidem et ab ebrietate se abstinuit. Iste sanguinem suum pro Deo fudit, ille ne terram quidem pro Deo perdere voluit. Ita *laetabitur iustus cum viderit vindictam, et manus suas lavabit*, hoc est pulchriores nitidioresque reddet, *in sanguine peccatoris*.

Reliquum est, auditores optimi, ut quod sanctus propheta nos praedicit aliquando esse facturos gratia voluptatis, nunc utilitatis causa faciamus. Nempe in die ultimi Iudicii oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis, ut inde plus gaudeas: nunc vero, si sapis, oculis tuis non minus frequenter considerabis, et retributionem peccatorum videbis: ut inde videlicet plus metuas, ut vitia diligenter fugias, ut sollicite ambules cum Domino Deo tuo. Quam enim causam esse censetis, cur tam facile, tam saepe,tam sine ulla ratione homines hodie peccent, nisi quoniam oculis suis non considerant, nec retributionem peccatorum vident? An non permulti tam sine ullo metu, tam audacter, tam libere, tam temere peccant, quam facerent, si Deum ligneum vel lapideum se habere arbitrarentur? Quis hominum est tam audax, qui si vel debilissimo puero iniuriam facere velit, non prius apud se cogitet, an ille quandoque, aut per se aut per alium iniuriam ulcisci poterit? Cur igitur contra Deum omnipotentem, qui omnia videt, qui ubique est praesens, qui ultor est peccatorum acerrimus, in cuius manus horribile est incidere, absque ulla consideratione peccamus, nisi quia oculis nostris non consideramus,nec retributionem peccatorum videmus? Deinde si semel temere peccaremus, ut primus angelus, ut primus homo, magna res esset, sed excusationem aliquam haberemus: at quod tam crebro, quod singulis fere horis Dominum offendamus,ut facilius capilli capitis nostri, quam peccata animae nostrae numerari possint, quae ratio est, nisi quia oculis nostris non consideramus,nec retributionem peccatorum videmus? Sed quid postremo est, quod nos ad peccandum, hoc est, ad iacturam faciendam summi boni et sempiternae poenae debitum contrahendum invitat? Umbra quaedam honoris, pauci nummi, una brevissima delectatio,saepe etiam plane nihil.Multi enim reperientur, qui sine ira, sine causa, per iocum,ridendo blasphemant: ergone pro nihilo Deum offendis, regnum caelorum amittis, mortem mererearis aeternam? Et cur hoc, nisi quia oculis tuis non consideras, nec retributionem peccatorum vides? Quamobrem, auditores optimi, si prophetae monitis obtemperare,et nostrae saluti bene consultum esse velimus, baiulos illos atque operarios imitemur oportet, qui ferendis oneribus victum quaerunt. Quid enim illi faciunt, cum ad onus aliquid fovendum conducuntur? Num temere et inconsiderate quidvis capiunt? Minime vero: sed potius diligenter prius totum onus circumspiciunt, et virium facultatem, oneris gravitatem, itineris longitudinem sollicite metiuntur, saepiusque tentant,an pares humeros oneri ferendo se habere sentiant. Ad eumdem igitur modum, cum te ad peccandum, sive daemones sive homines, sive mundus sive caro provocat, oculis tuis considera, et retributionem peccatorum vide. Cogita tecum, an pondus illarum poenarum tolerare poteris, cui te peccatum sine ulla dubitatione subiiciet. Et ne forte, quoniam illae nunc ab oculis tuis absunt,te ipsum decipias, eas poena cogita, quas hic experimur, et eis condimentum aeternitatis adde. Sola enim aeternitas eiusmodi est, ut sine ipsa nullum supplicium grave, cum ipsa nullum leve iudicari possit, et tamen hoc sale poenae omnes damnatorum condiendae sunt. Cogita igitur quam crucem patereris, si absque alia poena in hoc templo, ita ut modo stas, perpetuo stare deberes, nonne malles millies mori, quam in aeternum hoc modo stare? Quid igitur erit non in templo stare, sed in vivis atque ardentibus flammis iacere, totoque corpore et animo sine intermissione cruciari, atque id in aeternum, et ultra, si aliquid ultra reperitur? Quaeso vos, qui humeri viva illa incendia tolerare poterunt? Cuius pectus illa tormentorum aeternitate non frangetur? *Quis ex vobis*, clamat Isaias, *poterit habitare cum igne devorante? Quis habitabi tex vobis cum ardoribus sempiternis?* O Christiani, si parvos dolores, parva incommoda, parvas aegritudines, tam diligenter cavemus, sumptibus non parcimus, omnes medicos advocamus, quis in

re tanta rationem et consilium nobis eripuit, ut oculis nostris non consideremus, nec retributionem peccatorum videamus? Quid cogitamus, si periculum aeternorum suppliciorum non cogitamus? Quid videmus, si hoc non videmus? Quid timemus, si hoc non timemus? Quid providemus, si hoc non providemus? An falsa haec esse dicemus? Sed non fabulae poetarum neque philosophi gentium, sed ipsa Veritas est, quae nos ista docuit. Si Deus alicui flagitioso homini nunc diceret, Eo tibi optio datur, vide quid eligas, vel ab hac hora usque ad mortem podagra laborabis, quae ne ad momentum quidem, neque noctu neque interdiu quiescere te patietur: vel si nunc morbum effugere cupis, modo monachus Carthusianus ut fias oportet. Quid ille, si rationis est compos? num dubitabit e vestigio ad monasterium convolare? potius quam toto tempore vitae domi conclusus atque in lecto iacens cum acerbissimis doloribus colluctari? Iam igitur cum gehennae supplicia multo sint maiora, quam quivis podagrae dolor: cum spatium aeternitatis infinitis partibus excedat omne tempus huius vitae; cum id, quod Deus a nobis requirit, multo sit minus et facilius, quam monachum carthusianum fieri, quid est quod dubitamus? Quae tanta suavitas in sceleribus reperitur, ut tam caro precio emi debeat? Si sapientiam Salomonis, robur Sampsonis, speciem Absalonis, divitias Croesi, potentiam Augusti, annos Mathusalem peccando tibi comparares: quid tandem omnia ista prodessent, si postmodum in morte, neque corpus a vermibus neque animam a gehenna liberare posses? Itaque non sunt ista, non sunt haec (mihi credite) quamvis magna et rara esse videantur, non sunt, inquam, ullo modo digna, quae sempiternis doloribus comparentur. Ergo si oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis, et nunc bene sancteque vives, et postmodum beate feliciterque morieris, quod nobis omnibus concedat, qui est in saecula benedictus. Amen.

CONCIO VIII.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU NONO ET DECIMO

Quoniam tu es Domine spes mea; Altissimum posuisti refugium tuum. Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

SYNOPSIS

Enodatur in principio difficultas quaedam, tum de cohaerentia horum duorum versuum cum praecedentibus et subsequentibus, tum de persona loquente, quae diversa statuitur, scilicet hominis sancti et prophetae. Altissimum *hoc loco non de adiuncto loci, sed de Deo intelligendum esse significatur. Differentia inter malum et flagellum quae sit assignatur, quorum illud est peccatum, quod solum verum malum dici debet; hoc vero poenae et miseriae ex peccato ortae. Resolvitur deinde quaestio, quod nimirum non in hac vita, sed in futura iustorum tabernaculo non accedet malum, vel non appropinquabit flagellum. Quod ut evidentius intelligatur quinque enumerantur hominum genera. Primum, in quibus malum, id est, peccatum proprium suum habet domicilium. Secundum, in quibus quidem habitat, sed ab eo liberari facili negotio possunt. Tertium eorum, in quibus quidem peccatum ipsum non habitat, sed in iis adhuc concupiscentia vivit. Quartum, soli fuere Adam et Eva in statu innocentiae. Quintum, sunt homines perfecte beati; ubi aeterna beatitudo describitur, nosque eo serio invitamur.*

Pars altera exponit, in hoc etiam saeculo suo modo posse impleri promissionem psalmographi: cur et quomodo Deus aliquando iustum permittat labi, ex d. Gregorio docetur. Solos malos proprie flagellari, utpote quibus flagellum ad animam usque penetrat; sanctis vero non nisi ad extrema pertingit, exemplo s. Bernardi et s. Stephani Presbyteri, S. Gregorii et omnium martyrum prolixe ostenditur. Sanctis non modo non obesse, sed et prodesse flagellum declaratur, quia ad cursum incitat, quo destinamur, quod variis exemplis et similitudinibus confirmatur. Tribulationes potius flagellum quam flagellum esse demonstratur ex comparatione, quia flagellum refrigerat, muscas abigit, reficit et recreat, quae omnia et flagellum egregie praestat, uti exemplo Arnulphi, cuiusdam divitis a d. Bernardo conversi, et variis sacrae Scripturae testimoniis comprobatur.

Quoniam tu es Domine spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum: Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Psalmum nonagesimum, auditores optimi, quem Deo auctore atque adiutore suscepimus explicandum, carmen esse dramaticum, summoque artificio compositum, in prima nostra oratione breviter admonuimus. Id nobis in iis verbis intelligendis, quae hodierna die suo ordine exponenda se offerunt, magno usui esse poterit. Nam primus ille versiculus: *Quoniam tu es Domine spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum*, totus est apertus et facilis, et a nobis etiam expositus, cum in explicatione primi et secundi versus huius psalmi, de vi et significatione vocabulorum, *Altissimi*, *Spei et Refugii*, disseruimus. Sola connexio et connexio et continuatio huius sententiae cum praecedentibus et sequentibus verbis, aliquid obscuritatis et difficultatis habet. Alloquebatur enim prophetа in verbis praecedentibus hominem iustum, atque dicebat; *Verumtamen oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis*: nunc vero mutata persona, quasi non alteri, sed sibi ipsi hactenus locutus esset, statim subiungit: *Quoniam tu es Domine, spes mea.* Mox autem ad priorem personam redit, et hominem iustum alloquens ait: *Altissimum posuisti refugium tuum.* Itaque non videntur ullo modo inter se hi versus posse cohaerere. Illud enim: *Tu es Domine spes mea*, neque cum praecedentibus recte coniungitur, *Oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis*, neque cum sequentibus connecti potest: *Altissimum posuisti refugium tuum.* Nodum istum variis modis ac rationibus dissolvere atque expedire plurimi conati sunt. Theodoretus et alii quidam ex Graecis nullam hoc loco personae mutationem fie-

ri volunt, ac ut oratione tota cohaereat, sufficere, si voculam unam dumtaxat subintelligamus, videlicet *Dixisti*: ut sit sensus. *Quoniam* dixisti, *tu es Domine spes mea*. ideo *Altissimum posuisti refugium tuum*; et ea de causa *non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*.

Sed quamquam non inepte neque absurde ista dicuntur: tamen nulla videtur esse necessitas, cur vocem illam subintelligamus, et aliquid prophetae verbis addamus, cum etiam absque ulla voce, tum integer verborum sensus, tum bona cum praecedentibus et sequentibus connexio reperiatur. Etenim, ut modo dicebamus, negari non potest, quin psalmus hic nonagesimus sit carmen dramaticum, quales comaediae et dialogi esse solent, et qualia sunt in sacris literis Cantica canticorum, in quibus variae personae inter se agunt sine ulla scriptoris, sive auctoris interlocutione. Nam paulo inferius in hoc eodem Psalmo Deus introducitur ita loquens: *Quoniam in me speravit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum*: cum tamen in verbis praecedentibus non Deus, sed propheta ad hominem iustum loqueretur, ac diceret: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et dragonem*. Neque hoc loco ullo modo illa vox inferi potest, *Dixisti* vel *Dixit*. Hoc igitur imprimis firmum et ratum sit, fieri hoc loco personae mutationem; et cum dicitur; *Tu es Domine spes mea*, hominem iustum colloqui cum dicebatur; *Oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis*, cum homine iusto loquebatur.

Hoc autem ita constituto, illud expediendum restat, quousque hominis iusti oratio se extendat: quidam enim totos hos duos versus homini iusto attribuunt: *Quoniam tu es Domine, spes mea; Altissimum posuisti refugium tuum*; *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, qui nos sententiae consentire non possumus. Siquidem vocabulum illud *Altissimum*, non est, ut illi putant, adiunctum loci, sed nomen Dei. Neque enim cum dicitur; *Altissimum posuisti refugium tuum*, sensus est, sublime atque excelsum domicilium tibi fabricasti; sed Altissimum, id est, Deum tamquam tutissimam arcem, vel portum ad quem confugeres accepisti. Nam et hebraei codices illam ipsam vocem hoc loco habent, quam initio Psalmi, ubi dicitur: *Qui habitat in adiutorio Altissimi*: et codices graeci, qui habent τοῦ ὑψίστου, articulo generis masculini, satis aperte indicant, vocabulo *Altissimi* Deum significari. Quam vero absurde dicatur Deo, Tu Deus Altissimum, id est, Deum posuisti refugium tuum, nemo non videt. Deinde cui dicitur, *Altissimum posuisti refugium tuum*. Et, *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, eidem profecto dicitur, quod statim sequitur: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, cum nulla fiat in his omnibus versibus personae mutatio. At Deo dicere: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, non solum leve et puerile est, sed etiam impium et blasphemum.

Quamobrem id solum superest, ut orationem hominis iusti paucis illis verbis: *Quoniam tu es Domine, spes mea*, totam contineri dicamus, eamque cum praecedentibus, et sequentibus prophetae verbis ita continuemus Audivit homo iustus, quam multa et magna beneficia sibi ex nomine Dei sanctus propheta promiserit: ut quod liberabitur de laqueo venantium, quod in umbra alarum Dei tutus requiesceet, quod clypeo veritatis protegetur, quod non timebit a timore nocturno, quod cadent a latere suo mille, quod oculis suis considerabit et retributionem peccatorum videbit, propterea nunc, ut non ingratus, omnia illa cum ingenti laetitia cognoscere se confitetur, et cum debita, iustaque humilitate respondet: *Quoniam tu es Domine, spes mea*, hoc est, agnosco non solum beneficia, sed etiam causam et rationem beneficiorum: *Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me*: sed *tu Domine, spes mea*: cadent, fateor, a latere meo mille, et decem millia a dextris meis, sed non propter robur et virtutem meam, nec propter hominum amicorum meorum praesidia; sed *quoniam tu es Domine, spes mea*. Sperent alii si velint in incerto divitiarum, in astutia saeculi, in hominum gratia, in potentia et nobilitate; ego vero propter te *omnia detrimenti feci, et arbitror ut stercora*, et scio quia non confundar, *quoniam tu es Domine, spes mea*: *Si exurgat adversum me praelium*, si exurgant adversum me castra, si saeviat mundus, si diabolus fremat, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, non timebit cor meum, intrepidus dimicabo; *quoniam tu es Domine, spes mea*, quod si denique adversus hostes fortiter pugnavero, si praevaluero, si vicero, si mihi palmam et coronam praeparatam esse cognovero, non etiam inde superbiet cor meum, neque in suis viribus temere gloriabitur, *quoniam tu es Domine, spes mea*. Haec est oratio sancti viri, cui mox propheta respondet: *Altissimi posuisti refugium tuum*, tanquam si diceret, recte et sapienter facis, cum in solo Deo sperare te dicis. Sic enim non humile et abiectum, terrenum ac debile domicilium tibi fabricasti, sed Altissimum posuisti refugium tuum, nempe in ipso Deo, quo nihil altius, nihil fortius, nihil stabilius, tibi asylum, et arcem et profugium quaesivisti, quocirca nihil tibi nocere poterit, cum ne bombardae quidem tam alte globos suos eiaculari queant.

Atque hoc est quod sequitur: *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*: quibus verbis omnia penitus mala atque incommoda ab homine iusto semel removit. Siquidem omne malum aut peccatum est aut poena peccati. Peccatum est malum, quod sponte agimus: poena peccati malum, quod patimur inviti. Et quidem peccatum malum est magnum, malum simpliciter, ac de eo propheta dicit: *Non accedet ad te malum*: poena vero malum est parvum, nec simpliciter malum dici potest. Quocirca sanctus David eiusmodi miserias non malum sed flagellum appellavit: *Et flagellum*, inquit, *non appropinquabit tabernaculo tuo*.

Haec vero ita esse facile demonstrari potest: id enim est vere et proprie, et simpliciter malum,

quod hominem facit malum, quo nemo utitur, nisi male: quod a Deo, qui est summum bonum, nullo modo proficisci potest: eiusmodi autem qui est nisi peccatum? Nam poenas, aerumnas, calamitates, quomodo simpliciter malas appellabimus, cum nec hominem faciant malum, et plurimi eis utantur bene, et eas Deus efficiat, et in homines mittat, qui totus est bonus? Existat aliquis pauper, obscurus, contemptus, plagis et vulneribus plenus: sed tamen iustus, pius, castus, sobrius, patiens, qualis quondam erat Lazarus ille mendicus, cum ad fores divitis epulonis stipum mendicaret, quid cum esse dices? Malum an bonum? Certe bonum. At plurima patitur mala. Fateor: sed illo uno caret, quod solum hominem facit malum. Contra vero, quid eum divitem, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, et inter tot bona solam vitam non habebat bonam: quid, inquam, bonum, an malum fuisse iudicabis? Nonne malum? At multis bonis abundabat. Ita est. Sed eiusmodi erant illa bona, ut quamvis omnia, quae toto orbe reperiuntur, uni soli concrederentur, adhuc bonum illum facere non valerent: imo vero quo magis ea bona multiplicantur, eo turpitudinem, stultitiam et stupiditatem habentis facilius produnt. Quid enim turpius, quid stultius, quid stupidius, quam ut omnia velis habere bona praeter teipsum? Bonam velis domum, bonam mensam, bonos liberos, bonum pallium, bonam tunicam, bonos calceos, et solam vitam, solam animam velis malam: atque ita calceos tuos praeponas animae tuae. Itaque non immerito Ethnicus ille philosophus, cum divitis cuiusdam ornatissimam domum ingressus forte spuere necesse haberet, postquam diu circumspexit, tandem in faciem divitis, cum quo loquebatur, spuit: et cum ille stomachatus id acciperet, et rusticos mores philosophi reprehenderet. Ne mireris (inquit philosophus) nam diu quae in hac domo sunt omnia consideravi, et nihil turpe ac sordidum, ubi spuere possem, reperi, praeter te. Habemus igitur, auditores, verum malum, quod ad hominem iustum, et in Deo sperantem non accedet, nihil esse aliud, quam peccatum: flagellum vero, quod eius tabernaculo non propinquabit, esse poenas et miserias, quae ex peccato natae sunt.

Sed magna quaestio hic exoritur, ut prophetica ista sententia, non tam explicatione, quam defensione indigere videatur. Si enim ad hominem iustum peccatum non accedet, quid est, quid Salomon clamat, *Septies cadet iustus*? Et, *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, et non peccet*? Si vero flagellum iustorum tabernaculis non propinquabit, cur idem ipse sanctus David in alio psalmo dicit: *Lavi inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis*: et in eodem loco de peccatoribus: *In labore, inquit, hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Itaque contrarium plane ei, quod psalmus noster docet, rei veritas habere videtur, quando iusti flagellantur, impii non flagellantur. Ut igitur quaestionem istam explicemus, illud imprimis constituendum est, propheticam hanc promissionem ad vitam futuram praecipue pertinere. Nam quae causa est, cur ad hominem iustum malum non accedet, et flagellum eius tabernaculo non propinquabit? Nonne illa, quoniam Altissimum posuit refugium, sive tabernaculum suum? idem enim hoc loco refugium et tabernaculum significare ex hebraeo vocabulo facile cognoscitur. Quocirca beatus Hieronymus non refugium, sed tabernaculum vertit. Itaque cum in caelesti tabernaculo fuerimus, de quo David; *Quam dilecta, inquit, tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini*, et Dominus in Evangelio: *Facite, inquit, vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula*, et Paulus ad Hebraeos; *Christus, inquit, assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius. et perfectius tabernaculum, non manufactum, hoc est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum; sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa*, et Ioannes in Apocalypsi: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis*: tunc vere ad nos malum non accedet, et flagellum non appropinquabit tabernaculo nostro.

Ac ut magnitudinem huius promissionis, et quantum boni nobis in caelesti tabernaculo repositum sit intelligamus, quinque hominum genera, sive status et conditiones consideremus. Primum genus eorum est, in quibus peccatum tanquam in propria domo semper inhabitat, et a quorum dorso flagellum, idque durissimum, nunquam removetur. Tales sunt omnes ii qui iam ad inferos descenderunt, quibus nihil miserius, nihil gravius, nihil infelicius, neque dici, neque cogitari neque fingi potest. Semper peccant, semper puniuntur, et tanquam vasa irae et contumeliae ad hoc solum conservantur, et vivunt, ut in ipsorum poenis et cruciatibus Deus potentiam et iustitiam suam immensam atque infinitam ostendat.

Alterum genus eorum est, in quibus peccatum habitat quidem et dominatur; sed ita tamen ut redimi, et liberari possint. Tales sunt ii, qui in hoc saeculo in vitiis et sceleribus vivunt: quamvis enim omnes peccatores dignissimi essent, quibus continuo sub pedibus terra deficeret, et eos adhuc vivos Tartara absorberent; tamen Deus incredibili sua benignitate ita constituit, ut cum aliquis animam suam tanquam domum diabolo et peccato vendit, semper dum vivit possit eam lachrimis poenitentiae, et vera atque humili confessione redimere. Sed istorum quoque miserrimus et infelicissimus status est, et eo etiam infelicior, quo minus infelicitas eius in hoc mundo cognoscitur. O si homines intelligerent, quam breve sit spatium inter peccatum et gehennam, et quam celeriter de culpa transeatur ad poenam, non possent (mihi credite) non vehementer perhorrescere. *Fiant* inquit David, *viae illorum tenebrae et lubricum: et Angelus Domini persequens eos.* Talis via est omnium peccatorum, qua properant ad gehennam, non solum brevis, sed etiam tenebrosa, ut nesciant quo vadant: sed etiam lubrica, et quasi glacie recta, ut pedem figere non valeant: et his omnibus accedit Angelus Domini persequens eos, ut quamvis per

lubricum, quamvis ad inferos, tamen festinare et currere compellantur.

Tertium genus eorum est, in quibus peccatum quidem ipsum per se non habitat; sed aliquem tamen in eis habet, qui causam suam diligenter agit; plane ad eum modum, quo litigatores agere solent, qui cum forte aliquo discedunt, procuratorem loco suo relinquunt. Tales sunt omnes ii, qui sine lethalibus criminibus viventes in hoc saeculo, Deo famulantur et serviunt. Quamvis enim in eis non vivat, neque maneat id, quod proprie dicitur peccatum tamen concupiscentia adhuc manet, quae peccati est procuratrix: et quam propterea sanctus Paulus, nunc legem membrorum, nunc legem peccati, nunc etiam peccatum ipsum vocat. Ut enim quondam Chananaeis e Palaestina eiectis Iebusaeus mansit ad exercitum Iudaeorum: ita nunc per fidem et sacramenta peccato de cordibus nostris expulso, fomes relictus est, cum quo litigare ac disceptare usque ad mortem debeamus.

Porro statum quartum multo beatiorem, soli duo primi homines noverunt, quos brevi illo tempore, quo in paradiso habitaverunt, neque peccatum inquinabat, neque flagellum perterrebat, neque ulla concupiscentia mala ad peccandum provocabat. Magna sane, et expetenda felicitas huius status, sed nondum tamen talis erat, ut de eo cani posset; *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Nam etsi peccatum et flagellum nondum aderant, tamen non longe aberant: imo vero quae tam celeriter adfuerunt, ut non prius Adam os ad pomum comedendum aperuerit, quam peccatum in intimum pectoris et animi penetraverit, nonne prae foribus iam expectare videbantur?

Restat igitur quintum genus hominum plene perfecteque beatum, ad quod unum, et solum malum non accedet, nec ullum, unquam flagellum propinquabit: isti sunt beatissimi ac felicissimi illi homines, quos tarbernaculum coeleste iam recepit, quibus dicitur per prophetam; *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum*: nimirum ut neque malum unquam accedere, neque flagellum propinquare posset. Et de quibus Ioannes in Apocalypsi, *Ecce*, inquit, *tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis: et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis, erit eorum Deus: et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra.* O tabernaculum beatum? O tutissimum refugium? O regio lucida, regio pacifica, quae nocturnos horrores, et nimbos ac procellas, ventos et tempestates ignoras: quae supra omnes montes, supra omnia elementa, supra omnes coelos collocata, neque iacula hostium times, neque tumultus bellorum exaudis: ubi praeliis triumphi, et gladiis palmae, et galeis, diademata, et gemitibus cantica succedunt. Ubi vita est sine morte, quies sine labore, securitas sine fastidio, sine metu, ubi nihil est quod displiceat, nihil deest quod delectet: unde exulat omne malum, quo confluit omne bonum. O ter et quater, et centies et millies beatos, qui in ea civitate ascripti sunt cives: qui inter magnos illos principes sedem habebunt, qui post brevissimum cursum huius periculosae navigationis ad portum illum tantae securitatis aliquando pervenient! Quid agimus, fratres mei? Quo currimus? Quid persequimur? Cur tantum bonum negligimus? qui minima lucra tam diligenter persequimur, cur tantos labores pro vilissimis rebus sucipimus, quibus bonum illud offertur, in quo est omne bonum? Evigilemus aliquando, excitemur, somnum discutiamus, et cum ad laborem nati simus sicut aves ad volandum, et quocumque nos vertamus, laborem fugere non possimus, faciamus (quaeso vos) pro Deo, pro vita aeterna, pro veris et magnis bonis, quae stulti homines pro mundo, pro vita brevissima, pro falsis et exiguis bonis facere non recusant. Ita nobis in coelo tabernaculum erigemus, quo malum non accedet neque flagellum propinquabit.

PARS SECUNDA.

Etsi prophetica promissio, quae malum et flagellum, a iustorum tabernaculis removit, ad saeculum futurum praecipue pertineat: tamen etiam tempore huius vitae suo modo completur. Nam et Dominus in Evangelio non solum vitam aeternam, sed etiam centuplum hoc tempore sectatoribus suis promisit: et Apostolus ad Timotheum scribens, pietatem affirmat *promissionem* habere *vitae, quae nunc est, et futurae*! Videamus igitur si placet, quo pacto etiam hoc tempore ad homines iustos malum non accedat, nec flagellum tabernaculis eorum appropinquet.

Atque imprimis malum, hoc est, peccatum, ad homines iustos et in Deo sperantes numquam accedere facile is videbit, qui vocis hebraeae vim et energiam perspectam habuerit. Vox enim hebraea, quam Latinus interpres vertit *accedet*, non simpliciter accedere; sed casu, temere, fortuito accedere, vel potius accidere significat, Iam vero ad hominem iustum etsi peccatum quandoque accedit; tamen non casu accedit, quoniam sine consilio et providentia Dei non accedit, qui hominem a se electum ac praedestinatum ad gloriam peccare numquam permittit, nisi possit et velit efficere, ut illud ipsum malum servo suo cooperetur in bonum. Itaque sinit aliquando Deus electos suos a serpente morderi; sed ipsum morsum in medicamentum vertit, quo vel superbia occulta detegitur, et comprimitur; vel futura prospicitur et cavetur: vel etiam alienis morbis remedium praeparatur. Hinc d. Gregorius Homilia vigesima prima in Evangelio: *Considerandum*, inquit, *nobis est, cur omnipotens Deus Petrum, quem cunctae Ecclesiae praeficere disposuerat ancilla vocem pertimescere, et seipsum negare permisit: quod nimirum magnae actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, ut is, qui futurus erat pastor Ecclesiae, in sua culpa disceret, qualiter aliorum misereri debuisset. Prius itaque cum ostendit sibi, et tunc praeposuit caeteris, ut ex suae infirmitate cognosceret, quam misericorditer aliorum infirmitatem toleraret.* Haec sanctus Gregorius, qui etiam in libro Dialogorum tertio, capite decimo quarto, ma-

gno divinae providentiae consilio saepe fieri docet, ut viri sancti atque perfecti parva quaedam vitia numquam perfecte superent, quamvis in eis superandis totis viribus summoque studio laborent: videlicet ut inde admoneantur, non se suis viribus magnos et potentes hostes devicisse, quando sibi relicti a parvis minimisque vincuntur. Cum igitur numquam electi in peccata cadere permittantur, quin eis ipse etiam casus cooperetur ad bonum; vere propheta nunc dicit, temere ac fortuito ad te malum non accedet.

Quod vero subiungit: *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* verissimam atque utilissimam doctrinam continet. Nam velit nolit mundus, sive id capiat, sive non capiat, soli sunt mali, qui vere in hoc saeculo flagellantur. Tunc enim homo proprie flagellatur, cum non solum affligitur corpus, sed etiam ad animam verbera penetrant: corpus enim non est homo, sed quasi domus et vehiculum hominis: tunc vero usque ad animum penetrare dicitur flagellum, cum est in causa, ut homo Deum offendat, ad haereticos transeat, furetur, irascatur blasphemet, seipsum vel alium occidat: id quod solis mundi amatoribus quotidie videmus accidere, quippe qui levissimis de causis ad minimas iacturas, continuo perturbantur.

Dicam hoc ipsum planius tunc homo flagellum sentit, et dolet, ac gemit, cum id affligitur ubi est anima. Si digitus praecidatur, non potes non dolere. Si vero capillus tondeatur, neque sentis, neque doles; propterea quod mortui sunt capilli, anima non est ibi. Iam igitur ubi est anima saeculi amatorum? In saeculo, in uxore, in filiis, in carne, in domo, in arca, in pecuniis. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*: et anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Quid ergo mirum est, et mundi amator sentit, si gemit, si dolet, si blasphemat, si furit, si insanit, cum in temporalibus bonis flagellatur? Id enim ab eo violenter abstrahitur, cui tenacissime inhaerebat: membrum plane vivum ab eo praeciditur, in quo magna pars animi habitabat. Sancti vero homines, qui Altissimum posuerunt refugium suum, qui nihil amant, nisi in Deo et propter Deum, qui in coelesti tabernaculo animo, affectu, desiderio, cogitatione versantur, temporalia damna non percipiunt, quoniam *flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Sanctus Bernardus, ut in tertio libro vitae ipsius, capite sexto, legimus, cum ei nunciaretur a suis, ingens pondus argenti, quod integro monasterio aedificando sufficere potuisset, furto esse sublatum, adeo flagellum eius damni non sensit, ut nihil prorsus commotus placidissime responderet: *Benedictus Deus, qui nobis pepercit ab onere.* Presbyter quidam sanctus nomine Stephanus, ut de eo beatus Gregorius in quarto libro Dialogorum cap. 19. refert cum totam suam messem ab invido quodam in area combustam esse didicisset, eique discipuli eius dicerent, Vae, vae Pater Stephane, quid contigit tibi? mox respondit, Vae, vae quid contigit illi, qui hoc fecit? mihi enim nihil mali contigit. Ita nimirum vir iste sapiens et sanctus verissime iudicabat, illum potius flagellari, qui iniuriam facit, quam qui patitur. Quid ipse s. Gregorius praefatione suorum Moralium ad Leandrum scribens tantopere deploraret, quod se a monasterio ad palatium, et a cella monastica ad sedem pontificiam raptum et abstractum esse cerneret: flagellum ne, an beneficium putasset, si eum Deus iterum a palatio ad monasterium revocare voluisset? Nam quid ego de illis dicam, qui mundum exilium, et carnem carcerem esse ducebant, et cum propheta magnis vocibus clamabant; *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est* et cum Apostolo; *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* et, *Quis me liberabit de corpore mortis huius*? Nam ii tandem mortis flagellum magni faciebant? Minime vero. Et quamobrem? Quoniam ut flagellum volitare videbant, mox animo, et cogitatione in caeleste tabernaculum confugiebant, quo malum non accedit neque flagellum appropinquat.

Aspicite atque intuemini sanctos Martyres. Veniebant olim cruenti carnifices cum fustibus et flagellis, non tam corpora, quam animas flagellare cupientes: nam quomodo latrones in silvis gladius ostendant, nec tamen dicunt, da iugulum, sed da pecunias: ita carnifices olim flagellum intentabant, sed interim thesaurum fidei postulabant, martyribusque dicebant, vel Christum abnegate, vel acerbissima morte peribitis. Quid tunc martyres? Ita faciebant, quod olim patriarcha Ioseph, cum ab impudica foemina de stupro interpellatus, relicto pallio aufugit. Ita et ipsi cum thesauro fidei in caeleste tabernaculum animo confugiebant, atque inde tamquam ex edito loco, quid fieret corpori suo, saepe cum ingenti laetitia prospectabant: et cum viderent corpus a tortoribus caedi, comburi, non aliter affecti erant, quam si ex alta turri domum suam incendi aut everti conspicerent ab iis, qui solum propterea id facerent, ut se vivos comprehenderent vel occiderent. Quocirca non raro tortores suos ipsi qui torquebantur lepide irridebant, cum eos frustra laborare perspicerent. Nonne beatus Laurentius extensus in craticula, et semiustum latus tyranno dabat, cum ei diceret; *Assatum est, iam versa et manduca*? Quid magnus ille Marcus Arethusius? Nonne, ut Gregorius Theologus oratione prima in Iulianum scribit, cum membris omnibus confractis melleque perunctis, et in sporta suspensus partim a vespis et apibus comederetur, partim ab ardentissimo sole desuper coquente torreretur, persecutores suos festive irridens dicebat, placere sibi omen illud, quod ipse in sublimi existens eos humiles humique iacentes videret? Itaque recte beatus Bernardus sermone sexagesimo primo in Canticum. *Stat*, inquit, *Martyr tripudians et triumphans, toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed et alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem.* Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra. Si enim in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet et negaret. Quae cum ita habeant, si volumus nos quoque non sentire iacturas, non diligamus res perituras: sed in eo cor nostrum et amorem totum collocemus, qui solus perire non potest: et tunc ardeat licet mundus totus, diripiantur urbes, concutiantur provin-

ciae, mutentur regna, transferantur imperia, coelum cum terra denique misceatur, nos tamen ne capillum quidem unum amittemus: quoniam altissimum posuimus domicilium nostrum, quo malum non accedit neque flagellum appropinquat.

Sed parum esset, auditores si nihil detrimenti sancti homines caperent ex flagellis: nos vero dicimus magnam praeterea cum utilitatem, tum voluptatem flagellum adferre secum, si de manu Domini recipiatur. Id quod vel ex ipso nomine flagelli discere poterimus. Quid enim est flagellum? Instrumentum, quo equi ad cursum incitantur, quod in itinere quidem utile ac necessarium est, sed cursu peracto in aliquem angulum abiicitur. Nos omnes, auditores, ad patriam caelestem properamus: iter est longum, tempus est breve, equus est piger: quis igitur negare audeat, flagellum esse necessarium? *Multiplicatae sunt infirmitates eorum*, ait Propheta, *postea acceleraverunt*. Et sanctus Gregorius: *Mala, quae hic nos premunt, ad Deum ire compellunt*. Quid enim mundus, dum nos penuria, peste, bello, aliisque miseriis et calamitatibus flagellat, nonne aperte clamare videtur, Noli hic haerere, quid hic agis? Noli me diligere, dilige quod debes? Quomodo si spinae ab aliquo pro rosis forte carperentur, et illae non loquendo, sed pungendo dicerent, Cur tangis? deciperis, spinae sumus, non rosae. Itaque utilis est in hoc itinere aliqua tribulatio: sed cum ad patriam et domum nostram pervenerimus, tunc demum flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Sed dicet aliquis, Ego quidem flagellum non recuso, paratus sum interdum, vel aegrotationem vel penuriam aliquam pati, cum Deo id bene placuerit: at illud mihi displicet, quod homines improbi sine ulla causa mihi mea surripiunt: volo meipsum ieiuniis et vigiliis aliquando flagellare; sed quod unus nequam iniuriam mihi faciat, id vero aequo animo ferre non possum. Dic mihi, oro te, si forte esset in itinere, et festinatio tibi esset necessaria, et equum tuum incitare non posses, an tibi non placeret, si quis a tergo equum tuum flagello verberaret? Ita igitur videt Deus te desiderium bonum habere, sed non pares vires: et quamtum non bene scis, ut oportet equum tuum flagellare, et nimis tenere eum diligis, mittit Deus aliquem, qui te iuvet.

Sed accipite nunc aliam longe maiorem flagelli utilitatem. Similis est afflictio, quam hic patimur, palmitibus vitium, qui etiam flagella dici solent. Quid deformius, quid debilius, quid tortuosius vite? Et tamen quid parit vitis? Si videret aliquis vites in hieme, et ea tum usum atque utilitatem ignoraret, nonne quasvis myricas vineis anteponeret? Ad eumdem modum, auditores, flagellum afflictionis flagellum est vitis, deforme atque asperum esse videtur, sed vinum gloriae et beatitudinis parit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum*. Intelligunt hanc sapientiam rustici nostri, qui dolent cum feriari iubentur, gaudent cum multum in agris laborare possunt: quoniam labor frumentum, quies inopiam illis producit. Intellexerunt hoc martyres sancti multo melius, quorum unus beatissimus Ignatius ad bestias damnatus, ad Romanos ex Asia scribit: *Utinam fruar bestiis, quae mihi paratae sunt, et si illae noluerint, ego ipsis vim ingeram, ego urgebo: ignoscite mihi, ego scio quid mihi expediat*. Alius vero illustrissimus Cyprianus (ut Pontius in eius passione refert) viginti aureos tortori suo numerari voluit, ut se ab eo non supplicium sed beneficium accipere testaretur. Intelligebant isti quam pretiosum vinum afflictionis flagella producerent: et cur, quaeso, existimatis mensuram tribulationum tam bonam, tam confertam, tam coagitatam, tam supereffluentem dedisse Dominum in sinum Matris, apostolorum, martyrum aliorumque amicorum suorum, nisi quoniam fructum atque utilitatem earum probe intelligebat. Si quis in carcere propter contractum aes alienum misere vitam ageret, neque egressurum se inde speraret, nisi cum esset educendus ad crucem: interim vero aliquis amicorum marsupium plenum auro atque argento per fenestras in carcerem iniiceret, et casu fieret, ut marsupium cadens caput eius miseri leviter percuteret, ille certe initio cum caput feriri sentiret, et nondum sciret quid esset, non posset non dolere, fortasse etiam diceret, Vae mihi hominum miserrimo, hoc sane deerat, ut etiam in carcere lapidarer? Sed ubi ad marsupium conversus, videret, sumeret, aperiret, aurum esse cognosceret, quo de carcere liberari, possessiones emere, dives evadere, et reliquum vitae beate feliciterque traducere posset, o qua laetitia exultaret! O quas gratias illi haberet, a quo caput suum pulsatum ante conquerebatur! Ita nobis accidit, auditores, sumus in carcere corporis huius, multum contraximus debitorum mittit nobis Deus genus aliquod afflictionis, quod initio quidem dolorem et molestiam aliquam parit: sed si prudenter, diligenter, si rectis oculis afflictionem consideremus, videbimus, eam aequo animo toleratam marsupium esse pecuniarum, quibus et pro debitis peccatorum Deo satisfacimus et vitam beatam ac sempiternam comparabimus.

Grammatici docent, quod nunc flagellum appellamus, olim flabellum esse nominatum; sed pace ipsorum contra potius, quod olim flagellum dicebatur, nunc flabellum dici debet. Siquidem olim ante Christi in terras adventum, cum nondum sciretur tribulationis pretium, tunc vere tribulatio affligebat, atque urebat, et flagellum a flagrando nominari conveniebat. At posteaquam liberator noster flagellum in manu suscepit, continuo illud in flabellum commutavit, et dulces atque expetendas tribulationes fecit. Primum enim flabellum refrigerat: id et afflictio facit. Est aliquis forte adolescens, fervet in eo sanguis, ardor libidinis eum quietum esse, et boni aliquid agere, vel cogitare non patitur: Sumit Deus flabellum aegritudinis, facit illi ventum, protinus refrigeratur. Nam viribus deficientibus deficiunt simul mala desideria. Deinde, flabellum muscas repellit: id et afflictio facit. Est aliquis dives, nobilis, potens, multae muscae, multi gnathones, multi adulatores ad eum accurrunt non quidem propter ipsum, sed propter mel divitiarum atque honorum, quo delibutus videtur. Sumit Deus flabellum tribulationis, facit illi ventum,

redigit eum parumper ad inopiam, subito muscae diffugiunt. Magnum sane beneficium, magna utilitas huius flabelli. Praestat enim multo amicos non habere, quam adulatores habere qui suis mendaciis, suis assentationibus, suis blandis sermonibus vitia amicorum alunt, et corpora atque animas eorum perdunt, et cum unum miserum effecerunt, tunc eo relicto ad alios pergunt: et more eorum gallorum, qui in verticibus turrium ventos designant, semper ad eam partem canunt, unde aura prosperitatis spirare videtur. Flabellum postremo id proprium habet, ut mirifice recreet, reficiat, consoletur: id et tribulatio de manu Dei suscepta verissime facit, siquidem spem vivam, certamque fiduciam gignit beatitudinis. *Tribulatio*, inquit beatus Paulus, *patientiam operatur*, *patientia vero probationem*, *probatio vero spem:* ea vero spes, ea fiducia nullis verbis explicari potest, quale gaudium, quam verum, quam magnum, quam solidum in corde patientis generet, Cum sanctus Bernardus aliquando in provinciam Flandriae venisset, ubique retibus verbi Dei multos homines caperet, cepit inter alios virum quemdam magnum, nobilem, divitem, delitiis deditum, nomine Arnulphum, eumque Monachum Cisterciensem, id est, sui ordinis fecit. Porro eum Deus flabello tribulationis tamquam ab aestu saeculi venientem refrigerare volens, gravissima aegritudine acerbissimisque doloribus longo tempore vexavit. Ille vero cum maxime torqueretur, creberrime repetebat: Vera sunt Domine, quae dixisti: Vera sunt Domine, quae dixisti. Cumque fratres, qui aderant, dicerent inter se, vim doloris eum ad insaniam redegisse: Non est ita, respondebat, non insanio, sed vera esse dico atque experior, quae Dominus locutus est. Ipse siquidem centuplum in hac vita promisit, iis qui temporalia bona dimisissent, ego vero centuplum istud nunc testor, ac fateor me recipere. Siquidem in his magnis ac pene intolerandis doloribus tanta laetitia, tantaque voluptate perfundor ex quadam certa et viva spe felicitatis, quam Dominus mihi brevi se donaturum certo promisit, ut millies malim hos dolores perpeti, quam mihi temporalia mea bona, etiam centuplicata restituit. Vere igitur, auditores optimi; vere sanctus Propheta clamat: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Merito sanctus Iacobus monet: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Iure Apostoli omnes *ibant gaudentes a conspectu concilii*, quando *digni habiti* fuerant *pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et si flabellum sunt in hac vita tribulationes propter Deum aequo animo toleratae, quando nondum re, sed solum spe beati sumus, quid erit in futura? Tunc vere flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, tunc vere mutabitur penitus in flabellum tunc vere dicere poterimus, *Transivimus per ignem, et aquam, et eduxisti nos in refrigerium et Laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala*; et *bonum mihi quod humiliasti me.* Tunc vere dicemus, Benedictum sit flagellum, benedicta sint jejunia, benedictae contumeliae, benedictae injuriae, benedictae persecutiones, et super omnia benedictus Deus, qui eas permisit vel etiam misit, et nunc in dulcedinem et delicias vertit, cui est honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO IX.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU UNDECIMO ET DUODECIMO

Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.
In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

SYNOPSIS

Quandoquidem hoc eodem versiculo usus sit Diabolus in tentando Christo, quatuor propterea manifestantur peccata, quae ille in allegando hoc sacrae Scripturae loco commisit. Primum est quod illum ad Christum retulerit, qui numquam habuit Angelos custodes, bene autem administros. Secundum, quod ad malum finem eum adhibuerit. Tertium. quod nuda et simplicia verba adduxerit, quae tamen metaphorica sunt. Quartum, quod mutilam et truncam sententiam attulerit. Deinde ipse versus de verbo ad verbum explicatur; atque in primis quonam vocabulum Quoniam, *referatur ostenditur ejusque causa assignatur. Quanta cura Deus hominem custoditum velit, ex voce* Angelis *colligitur. Quare plurali numero* Angelis suis, *potius quam singulari utatur Psaltes, duplex habetur ratio, tum quia non modo a proprio Angelo, qui cuique attributus, homo custoditur, sed etiam ab aliis, qui praesunt regno et provinciae unicuique : tum etiam quod episcopi sacerdotes et concionatores Angeli dicantur. Additur autem* suis, *ut intelligamus, Deum nos suis, hoc est, bonis Angelis commendasse, non malis, quales sunt daemones ; ubi probatur, haereticos quoque esse angelos malos. Causae referuntur, cur angeli libenter nostri curam suscipiant. Docetur deinde, quid et quaenam sit via, in qua nos custodiendos esse Deus mandavit, quod duplici modo exponitur, et quod in hac vita, quae via est, non sit subsistendum, rationibus demonstratur.*

Altera pars docet, quomodo nos angeli custodiant ne offendamus ad lapides. qui sunt scandala, et occasiones peccandi. Praeterea duo praecipua beneficia angelorum explicantur, instructio scilicet et defensio. Docent autem nos primo surgere de peccato, ubi pulchra figura Petri in carcere inter duos milites secure dormientis peccatoribus applicatur. Secundo docent vitare prava consortia, quod exemplo Loth ex Sodoma educti comprobatur. Tertio, fortiter in via Domini pergere, quod Elias in via roboratus confirmat. Quarto, fugare daemones, quod exemplo Tobiae junioris ostenditur. Tandem docent nos vincere et triumphare quod in historia Gedeonis contra Madianitas pugnaturi clarum est. Deinde manifestatur, a quibus nos angeli defendant, scilicet a daemonibus ab hominibus malis, a feris, ab inanimis rebus, imo et ab ipsa ira Dei, quae singula suis exemplis vera esse comprobantur. Tandem novum adducitur Angelorum beneficium, ni mirum quod nos functos vita ad caelum deferant; ac proinde merito illos esse audiendos et honorandos convincitur.

Etsi plurimi sint, optimi auditores, qui terram magno labore, vel per se vel per alios fodiunt, ut novos auri atque argenti, vel pecuniarum gemmarumque pretiosarum thesauros aliquando reperiant: tamen non pauci nihil unquam aliud, quam ossa mortuorum, vel cineres et carbones inveniunt. Idem omnino sacrarum litterarum studiosis nostro potissimum tempore usu venire videmus. Etenim multi divinas scripturas diligenter evolvunt, et dies ac noctes in lege Domini meditantur; sed non omnes ad ipsum verae intelligentiae, divinaeque sapientiae thesaurum perveniunt. Imo vero quid haeretici omnes, quos in scripturis legendis, vertendis, perdiscendis, memoriae commendandis assidue versari negare non possumus: quid, inquam, tot suis laboribus et sudoribus tandem reperiunt, nisi cadavera mortuorum? nisi cineres? nisi carbones? sensus quosdam nisi videlicet nigros, tartareos, veritati pietatique contrarios: atque imprimis ossa et cineres quondam extinctorum, sepultorumque errorum. Sed nemini mirum id videri debet; *Non enim est discipulus super magistrum*, sed *sufficit discipulo si sit sicut magister ejus*. Quis enim magister, ac doctor Haereticorum est, nisi ille, quem sacrae litterae nunc spiritum erroris, nunc spiritum mendacem, nunc spiritum vertiginis appellant? Is vero tunc omnibus haereticis ad scripturas depra-

vandas,et in alienos ac monstruosos sensus detorquendas aditum patefecit, cum adversus Christum, hoc est, adversus ipsam Dei sapientiam et veritatem, illis Psalmi versiculis pugnare ausus est,quos hodierna die, Domino iuvante, explicaturi sumus. Etenim cum spiritus ille mendax frustra Domino suasisset, ut de lapidibus panes efficeret, mox eum ad verticem divini templi perduxit, atque ait; *Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim; Quoniam Angelis suis mandavit de te, in manibus tollent te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Nos igitur more prudentium agricolarum, qui non prius bonas atque utiles herbas in agris ferunt, quam eos a malis, noxiisque purgaverint: Primum Satanae sententiam breviter refellemus: deinde veram atque a sanctis patribus acceptam hujus loci intelligentiam adferemus.

Quatuor sunt praecipua peccata, quae daemon in hujus testimonii allegatione commisit; primum longe aberravit a scopo: Siquidem Psalmus hic nonagesimus non ad Christum refertur,sed hominem justum inter pericula constitutum multis rationibus consolatur. Et cum aliae psalmi partes, tum praecipue ista,quae Angelorum custodiam homini justo promittit,ad Christum nullo modo pertinere potest. Nam cum tria quaedam in una atque eadem Christi persona reperiantur, *Deus anima, caro*: Deus nulla eget, neque eguit unquam angelorum custodia, cum ipse sit,qui *portat omnia verbo virtutis suae*, et homines omnes angelosque custodit. Anima etiam nullis angelorum praesidiis unquam opus habuit, propterea quod semper beata, semper felix, semper in patria fuit. Custodiae vero atque praesidia angelorum solis iis necessaria, qui de mundi hujus exilio ad illam coelestem et beatam patriam inter insidias atque arma inimicorum pergunt. Sola Domini caro brevi illo tempore, quo mortalis et passibilis erat, custode ac protectore aliquo indigebat; sed eum tamen angelum esse, neque decebat, neque necesse erat, cum beatam et felicem illam carnem tamquam proprium templum ac domicilium Deus inhabitaret, qui eam per se regebat, defendebat, tuebatur, conservabat. Itaque angeli quidem (ut evangelium docet) Christo famulabantur interdum et serviebant; sed eum minime protegebant vel custodiebant.

Deinde in eo diabolus peccavit, quod scripturae testimonio, re videlicet optima, sanctissima, ad finem pessimum abuti voluit, ut Christum ad peccandum provocaret: quomodo si medicus peritus, sed improbus, potenti aliqua medicina ad aegrotum occidendum uteretur. Sed bene habet, quod sicut Deus mala vertit in bona, ita daemon bona vertit in mala, et bonis utitur male.

Tertium diaboli peccatum est,quod nuda et simplicia scripturae verba pro se adduxit,et verba illa: *In manibus portabunt te,ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, quae figurata et metaphorica sunt, ita simpliciter et proprie intelligi voluit, ac si propheta dixisset, posse nos clausis oculis tuto ac libere iter facere, et neque saxa, neque praecipitia metuere, et idem esse omnino sive per gradus paulatim ad portam descendamus, sive per fenestram uno saltu ad terram veniamus; propterea quod angelis a Deo imperatum sit, ut nos ubique diligenter custodiant, et etiamsi velimus numquam impingere neque cadere nos patiantur. Atqui levem et puerilem hanc intelligentiam,quam daemon non tam habebat, quam habere se simulabat,sapienter Dominus confutavit, cum ait; *Scriptum est*; *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tamquam si diceret, Deus quidem angelis suis mandavit, ut homines justos ubique custodiant;sed non propterea debet aliquis Deum tentare, neque miraculum expetere, ubi nulla necessitas miraculorum est: aliquin si sponte aliquis seipsum de monte praecipitet, angeli non custodient, quo minus ille vel collum vel tibias frangat.

Postremum quod in hac daemonis allegatione sancti patres reprehendunt, illud est, quod mutilam et truncatam sententiam attulit; Nam cum dixisset: *Scriptum est: Quia angelis suis mandavit de te*: non addidit, quod sequitur, *ut custodiant te in omnibus viis tuis*, sed mox ad illud transit: *In manibus tollent te.* At cur mediam illam sententiam praetermisit? Quoniam contra eum aperte faciebat: Psalmus enim perspicue dicit, nos in viis non in praecipitiis custodiendos. Quod si praecipitia quoque aliquo modo viae dicendae sunt, certe diaboli viae sunt, non Christi, nec sanctorum. Et cur etiam verba sequentia: *Super aspidem et basiliscum ambulabis,et conculcabis leonem et draconem*, daemon silentio praeteriit,nisi quoniam in iis suas insidias aperiri videbat? Itaque recte Gregorius Theologus oratione in sanctum lavacrum: *O sophista malitiae*, inquit,*cur sequentia supprimis? Recte enim id novi, tametsi tu sileas, quoniam super te aspidem et basiliscum ascendam, et super serpentes et scorpiones Trinitate circumseptus ambulabo.*

Habemus igitur ineptam atque absurdam esse diaboli expositionem, et cum ipse magister et doctor sit haereticorum, vos ipsi cogitare, quid ab eis nos possimus, nisi corruptelas,nisi depravationes,nisi mendacia expectare? Sed nos beatum Hieronymum potius audiamus, qui in extremo Dialogo adversus Luciferianos monet non esse unquam haereticis credendum,quamvis de scripturis multa garrire videantur, cum etiam diabolum sciamus de scripturis aliquando esse locutum:sed in ea ecclesia permanendum,quae ab apostolis fundata usque ad diem hanc durat, et quae non solum verba, sed etiam verum et legitimum sensum scripturarum tenet.

Sed iam ad ipsorum versiculorum expositionem veniamus, et singula verba seorsim et per se consideremus. Atque imprimis vox illa, *Quoniam*,non praecedentium,sed sequentium verborum rationem reddit. Quid est quod praecessit? *Non accedit ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Quid est quod sequitur? *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Iam igitur media haec sententia, *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* non est cum praecedentibus ita connectenda: *non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: Quoniam angelis suis mandavit de*

te,ut custodiant te in omnibus viis tuis: sed cum sequentibus hoc modo, *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*Ideo *in manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Nam sententia illa praecedens jam sua ratione confirmata erat. Si enim quis petat, cur ad hominem justum malum non accedet, et flagellum ejus tabernaculo non propinquabit? Respondebit Propheta, Quoniam Altissimum posuit refugium suum. Deinde neque tabernaculum coeleste, quod sua altitudine munitissimum est, custodia angelorum eget, neque congruentem rationem propheta redderet, si diceret, Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam angeli te custodient in via.Quare sequentium, non praecedentium verborum, hic ratio redditur,et simul novum atque insigne Dei beneficium commemoratur, quod tamen cum praecedentibus rectissime aptissimeque conjungitur. Poterat enim homo justus, cui superiore versiculo dictum erat: *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, jure ac merito dicere, bene habet quod in coelesti tabernaculo tutissimus ero, quandoquidem neque eo accedere malum, neque flagellum propinquare potest: at si dum adhuc versor in itinere, me forte latrones intercipiant,vel in foveam aliquam incidam,aut certe aberrem a via, quid mihi tabernaculum proderit? Respondet propheta,nihil est omnino quod metuas nam qui tibi tabernaculum paravit in patria, idem angelis suis mandavit, ut te custodiant ac tueantur in via. Atque haec de illa voce, *quoniam*.

Sequitur, *angelis*. Quod unum verbum rem magnam et pretiosam, praestantem, et sane singularem esse hominem nos perspicue docet. Res enim magnae et pretiosae multis claustris et clavibus custodiri solent: at quot claustris, quot clavibus, quam diligenter, quam sollicite Deus hominem custodiri voluerit, quae unquam oratio explicabit? Primum Deus ipse semper vigilat, ut nos custodiat nec unquam oculos providentiae suae a nobis removet: *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Quid faciam tibi*,inquit sanctus Iob, *o custos hominum*? Deinde, lege naturae, lege divina, lege humana tamquam triplici muro, vel quasi moenibus,fossa et vallo nos cinxit: tamen ne forte moenia transiliremus funibus innumerabilium beneficiorum nos arctissime sibi devinxit atque obligavit: et quoniam periculum erat, ne funes quoque aliquando frangeremus, *unicuique mandavit* Deus *de proximo suo*:nimirum ut unusquisque omnes quoad posset custodiret,et ipse vicissim ab omnibus custodiretur. Quia vero facile fieri poterat, ut homo hominem contemneret vel decipere, vel etiam inter se homines latronum more convenirent, et unus alium ad malum adjuvaret addidit postremo firmissimum tutissimumque praesidium sanctorum angelorum, qui neque muneribus corrumpuntur, quoniam optimi sunt: neque fraudibus decipiuntur, quoniam sapientissimi sunt neque vi coguntur, quoniam fortissimi sunt: neque celeritate vincuntur, quoniam spiritus sunt: neque numero superantur,quoniam innumerabiles sunt.

Angelis,inquit, *suis mandavit de te*.Neque vero solum hoc loco, sed passim divinae scripturae nos docent,unicuique nostrum esse proprium angelum tamquam praesidem et paedagogum et nutritium assignatum. Ac ut alia praetermittam, nonne Dominus ait in Evangelio: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* Nolite despicere,inquit Dominus, istos pauperculos, quos saepe videtis corpore squalido, vestibus laceris, summa humilitate divitibus supplicare. Nam Deus illos non despicit, et quamquam certis de causis inopia premi atque affligi nunc eos permittat, tamen tanti eos facit, ut singulis eorum ex magis illis principibus, qui in aula coelesti degunt custodes et magistros assignaverit. In actibus etiam apostolicis, cum sanctus Petrus de carcere divinitus liberatus, ad domum quorumdam Christianorum venisset, et illi non crederent esse Petrum,dixerunt; *Angelus ejus est.* Adeo semper in animis piorum haec veritas impressa fuit, Itaque merito sanctus Hieronymus superiorem evangelii locum exponens, ait: *Magna dignitas animarum, ut unaquaeque ab ortu nativitatis in sui custodiam angelum delegatum habeat.*

Sed si unusquisque nostrum unum dumtaxat Angelum custodem habet, cur Psalmus dicit; *Angelis suis*, et non potius Angelo suo mandavit de te? Duae sunt hujus rei praecipuae rationes. Prima, quoniam etsi homines singuli angelos singulos tamquam suos et proprios custodes habent; tamen praeter eos babent etiam multos alios, cum caeteris hominibus communes. Nec enim solum hominum singulorum, sed etiam civitatum, provinciarum et regnorum sunt angeli custodes. Nam et apud Danielem unus angelus Iudaeorum, alius Graecorum, alius Persarum princeps appellatur. Et sanctus Basilius libro tertio in Eunomium constanter affirmat, tantum praestare angelos, qui regnis et provinciis praesunt, iis qui praesunt hominibus singulis quantum regna et provinciae singulis hominibus praestant.

Altera ratio est, quoniam non solum coelestes illi, ac prope divini spiritus Angeli in sanctis litteris nominantur; sed etiam episcopi, et sacerdotes, concionatores. Nam et Ioannes in Apocalypsi septem episcopos Ecclesiarum Asiae, septem Angelos nominavit. Et Malachias de sacerdotibus dicit: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Et de Ioanne Baptista primo ac summo Christi praecone Dominus per Malachiam ait: *Ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam.*Istis vero hominibus,Deus mandavit, ut te verbo et exemplo custodiant, ut semper vigilent,tamquam rationem pro anima tua reddituri, ut viam bonam tibi ostendant, ut in ea te comitentur, ut omnia impedimenta, quoad poterunt, auferant, ut te salvum atque incolumem ad caeleste tabernaculum perducant. Cum igitur tot angelos, vel potius tot genera angelorum custodes et praesides habeamus, nonne merito nunc propheta dicit: *Angelis suis mandavit de te.*

Sed cur addidit *Suis*? An satis non erat *Angelis* dicere? Non sane, auditores, non satis erat. Habet enim et diabolus angelos suos, quibus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; nimirum, ut si sceleratus et improbus fueris, non facile convertaris: si vero pius et probus, etiam pervertaris. Et sicut Deus praeter spiritus illos coelestes, etiam episcopos, sacerdotes, concionatores, custodes animarum esse voluit: ita quoque et Satan praeter spiritus illos Tartareos, utitur etiam lenonum et meretricum, atque imprimis Lutheranorum et Calvinistarum opera in hominibus custodiendis, ne a via haeresum et flagitiorum aliquando discedant. Quare cum angelos tam bonos, quam malos habeamus, et utrique nos in viis suis custodire satagant, ne putaremus omnibus id a Deo esse mandatum, Psalmus aperte dicit: *Angelis suis mandavit de te*, hoc est, imperavit Deus angelis sanctis, ut te iuvent: non imperavit angelis malis, ut tibi noceant. Neque probabile est ullo modo, neque scripturis, aut rationi consentaneum, quod Origenes et Cassianus ex libro Pastoris docuerunt, unicuique angelos duos a Deo esse attributos: unum bonum ad custodiam, alterum malum ad exercitium: Deus enim nemini mandavit impie agere, neque homini, neque daemoni, et nec per se, nec per alium homines tentat, sed *intentator malorum est*, ut ait Apostolus Iacobus: quin potius conqueritur ipse per Ieremiam de falsis prophetis, de malis angelis, de novis haereticis; *Nolite*, inquit, *audire verba prophetarum, qui prophetant vobis et decipiunt eos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini: dicunt his, qui blasphemant me, locutus est Dominus: Pax erit vobis. Et omni. qui ambulat in pravitate cordis sui dixerunt; Non veniet super vos malum. Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo avertissem utique eos a via sua mala et a cogitationibus suis pessimis.* O utinam tot prophetae mendaces, qui miseris nostris temporibus visionem cordis sui loquuntur, et tantum numerum animarum tam misere perdunt, haec verba serio apud se quandoque meditarentur. Quinam enim sunt, qui templa et altaria spoliantibus, qui Deum et sanctos blasphemantibus, qui cum sacris virginibus incesta matrimonia contrahentibus, qui omnia iura divina et humana violantibus, qui more latronum et piratarum ubique grassantibus, qui denique ab Ecclesiae gremio, a Christi corpore, ab ovili Dominico se separantibus dicent: *Pax erit vobis; non veniet super vos malum*, nonne novi haeretici, Lutherani, Zuingliani, Calvinistae? Quis enim eos misit? Unde, quando, quomodo venerunt? per quam portam intraverunt? Unde spiritum istum seditiosum, turbulentum, sanguinarium, voluptarium hauserunt? In Evangelio Christi? an potius in Alcarano Mahomenti vitam istam simul epicuream et piraticam didicerunt? quae virginitatem odit, quae continentiam execratur, quae ieiunia ferre non potest, quae omnibus libidinibus habenas laxat, quae terras et maria nefariis armis, nec tam bellis, quam latrociniis infestat? Visionem igitur cordis sui loquuntur, et non de ore Domini, non missi currunt, et non jussi praedicant: At si stetissent in consilio Domini, in consilio justorum et congregatione, si ab Ecclesia matre, quae eos peperit et educavit, impii et ingrati non recessissent, avertisset utrique Dominus eos a via sua mala: si in aliquo videlicet errore fuisset, si quid minus recte sensissent, eos Deus in Ecclesia permanentes, sine dubio illustrasset, atque ab erroribus revocasset, neque tam misere perire sivisset. Nunc vero proficient semper impetus errantes, et in errorem mittentes, et de nocte ad noctem, de caecitate ad caecitatem, de tenebris ad tenebras progredientur, donec tandem ad exteriores tenebras gehenna perveniant.

Sequitur; *Mandavit de te.* Multis de causis angeli sancti libenter nos protegunt ac tuentur. Primum ut Christo regi suo et nostro gratificentur. Nec enim ignorant, nihil gratius Christo fieri posse, quam ut diligenter animae custodiantur, quas proprio sanguine ipse redemit. Deinde ut ruinae caelestis Ierusalem instaurentur, et supernorum civium gaudia quotidie cumulentur et crescant. Tum, ut sanctae atque ardentissimae illi charitati satisfaciant, qua nobis ut imaginibus Dei vivis ac veris, afficiuntur. Tunc etiam propter odium illud perfectum ac sanctum, quo daemones hostes atrocissimos humani generis prosequuntur. Sed maxima potissimaque ratio est, quantum Deus ita mandavit. Nam qui Deum infinito quodam amore diligunt, et ei perpetuo sancta voluntate et charitate cohaerent, nihil dulcius, nihil suavius, nihil iucundius habent, quam divinis obsequi et obedire mandatis. Itaque merito sanctus propheta caeteris praetermissis hanc unam causam et rationem expressit: *Quoniam*, inquit, *Angelis suis mandavit de te.*

At quid illud est, quod mandavit? *Ut custodiant te in omnibus viis tuis. Via*, si propriam eius significationem inspiciamus, spatium illud terrae significat, quod est tamquam regula quaedam ambulationis. Vult aliquis de uno loco ad alium proficisci, si nullam videat semitam, nulla hominum vestigia, sed omnia aeque herbis et graminibus, vel aquis aut nivibus cooperta, fieri non potest, quin saepius vagetur et erret: idque non alia de causa, quam quod certam regulam non habeat, quam in ambulando sequatur. At si inter medios campos quasi longissimam quamdam lineam aspiciat calcatam, tritam, nullis herbis coopertam, nullis virgultis interclusam, vestigiis euntium et redeuntium plenam, tum et in eam ingressus, eam tamquam regulam quamdam in ambulando intueatur, plane errare non potest. Hinc igitur factum est, ut vocabulum *viae*, ad omnes leges et regulas significandas derivatum sit, quas ne in agendo atque operando erremus, intuemur et sequimur: atque hinc vias artium, vias disciplinarum, vias morum etiam vulgo, et usitate nominamus. Aggreditur opus aliquod artifex imperitus, videt eum alius in ea arte peritior, et Heus tu, inquit, non recte pergis, non bene ambulas, non invenies exitum. Quod est idem ac si aperte diceret. Non bene servas regulam artis, non est ad istum modum se-

cundum artem faciendum. Pari ratione inter Philosophos illi viam Platonis, isti Aristotelis, illi Zenonis, isti Epicuri sequi se, ac tenere affirmant, propterea quod secundum illius vel istius praecepta et instituta philosophentur. Denique in vita et moribus, qui legem Dei, legem iustitiae, legem temperantiae, legem charitatis perpetuo loquitur, et secundum eam vivere studet, is viam bonam et rectam ambulare dicitur : qui vero legibus mundi et carnis obtemperat, legibus ambitionis, legibus avaritiae, legibus gulae et ventris et libidinum, cum viam malam et distortam et periculosam accepisse omnes clamant.

Iam vero nemo est, qui multa et varia legum genera observare, hoc est, multa simul itinera conficere non teneatur. Est aliquis paterfamilias, habet superiores, habet inferiores, habet aequales, cum multis agere, vivere, ambulare debet: ut recte ambulet, hoc est, versetur et vivat cum uxore, servare debet legem matrimonii : ut cum liberis, legem patris ; ut cum servis, legem Domini, ut cum episcopo, cum pastore, cum rege, cum magistratu, cum Deo, leges ecclesiae, leges regni, leges civitatis, leges Evangelii; et si artem aliquam exercet, simul etiam legem eius artis. Quoniam igitur multas vias omnes ambulamus, et in omnibus istis viis multa pericula, multi lapides, multa praecipitia multi latrones, multae peccandi occasiones inveniuntur, propterea nunc Propheta dicit ; *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, nimirum, ut quocumque eas, quicquid agas, quicquid cogites, quicquid aggrediaris, quicquid loquaris, semper te angelus comitetur, ne forte a recta via et regula unquam recedas.

Possumus tamen in aliter hunc locum exponere. Siquidem, ut magnus Basilius oratione in primum Psalmum, eleganter docet, via in scripturis praesens haec vita nominatur, propterea quod semper festinet, ad finem. Ut enim ii, qui curru vel navibus vehuntur, etiam dum sedent et dormiunt iter conficiunt: sic et nos omnes quamquam in aliis rebus occupati vitae nostrae cursum non sentimus, et saepe quiescere, otiari, ludere nobis videmur, semper tamen vita consumitur, et nos ad mortem maximis itineribus properamus. Deinde viator omnia celerrime praeterit, ac post tergum suum relinquit. Occurrunt pulchra palatia, sistit parumper, aspicit, admiratur, et transit. Occurrunt agri et vineae, prata florentia, ea quoque parumper aspicit, admiratur, et transit. Occurrunt horti, silvae, lacus, flumina, et similiter facit. Occurrunt loca deserta, viae difficiles, asperae, sordidae, saxa, lutum, spinae, ibi quoque haeret nonnihil, sudat, laborat, angitur, sed paulo post transit ulterius, et molestiae prioris non amplius recordatur. Ita prorsus et nos facimus, auditores, nunc laeta et iucunda, nunc tristia et acerba nobis occurrunt, sed omnia dicto citius praetereunt. Evehitur aliquis ad magnum honorem : quid censes? Incidit in via in amoenum pratum, sed mox alibi se videbit. Pari ratione coniicitur quis in carcerem, torquetur, vexatur, affligitur : quid putas id esse? Est difficilis aliquis locus, incidit in lutum vel in spinas ; sed protinus transibit, et laborum omnium oblivisceatur, Denique in itineribus hoc videmus quod ubi unus modo vestigium figit, ibi paulo post figet alius, et rursum alius atque alius, neque ullus est, qui diu in eodem permaneat loco. At numquid non talis est hominum vita? *Interroga*, inquit Basilius, *agros et possessiones tuas, quot nomina iam mutaverunt, olim dicebantur illius, deinde illius, tum illius, nunc huius dicuntur, paulo post alterius nescio cuius agri et possessiones dicentur.* Cur ita? Quoniam via quaedam est humana vita, et unus alterum sequitur, unus alterum expellit. Aspice sedes pontificum, regum, imperatorum ; quam multi ad istas sedes singulis aetatibus aspiraverunt? et tamen qui eas post multos labores et sudores obtinent, ante consurgent, et sequentibus locum facere coguntur, quam se in eis ad sedendum componere potuerunt. Heri sedebat unus, hodie moritur, et sedebit alius. Cras iste morietur, et sedebit alius : ac breviter, nullus adhuc ibi remanere potuit, sed istum ludum omnes ludunt, ascendunt, sedent, salutant, descendunt et abeunt. Itaque via est vita, et vae illis, qui se in itinere esse obliviscuntur ; vae illis, qui in hospitiis omnia sua consument: vae illis, qui in iis rebus contemplandis, quae occurrunt in via, nimium immorantur, qui in aliena republica curiosi esse volunt. Veniet enim, et cito veniet nox, in qua nemo potest ambulare, et ipsi ad patriam non pervenient. sed esca nocturnarum ferarum et infernalium luporum erunt. Quocirca Dominus in Evangelio clamat: *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebrae vos comprehendant.* De hac igitur via Psalmographus ait: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in via*, hoc est, in vita tua. Et merito sane in via solum angelorum custodia hominibus adhibetur : id enim custodiri debet, quod amitti potest : qui autem ad gehennam descenderunt plane amissi perditique sunt, nec angelos custodes, sed daemones tortores habent : qui vero iam ad patriam coelestem pervenerunt, in toto collocati sunt, nec ullo modo amitti queunt, et angelos sanctos socios gaudiorum, non propulsatores periculorum habent.

PARS SECUNDA.

Angelis a Deo mandatum esse ut nos in via custodiant, sanctus Propheta hactenus docuit : nunc quomodo nos custodiant docet, atque ait : *In manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Quae oratio quamquam tota figuris et translationibus constet, tamen aperta et perspicua est? Quid enim sunt manus angelicae, nisi potentia et providentia, quibus quasi duabus manibus nos regunt. Quid vero lapides in via nisi scandala, et peccandi occasiones, quibus humana vita refertissima est? Igitur saepenumero dum ambulamus, dum operamur, dum agimus cum hominibus, multi lapides, multa scandala, multae peccandi occasiones sese offerunt : et nos quidem in eos facile incideremus, et animae pedem, hoc est, affectum ac voluntatem laederemus : sed angelus sanctus cum nos incautos lapidi propinquare videt, admirabili ratione et modo a terra nos elevat, et in momento ultra lapidem transportat. Tu fortasse cum vides

aliquem peccantem fraterna charitate illum corripis, via recta et bona ingrederis : sed ecce tibi lapidem,ille non solum errorem non agnoscit,neque gratias agit, sed graviter etiam tibi succenset : quoniam igitur fieri posset, ut hac de causa non amplius fungereris officio charitatis, atque ita ad lapidem offenderes pedem tuum ; venit angelus sanctus, et intus in animo loquitur tibi, ac dicit, non esse curandum quid homines cupiant,sed quid Deus iubeat : neque mercedem boni operis ab hominibus requirendam,sed a Domino expectandam: et sicut propter hominum gratiam non sunt mala opera facienda, ita non esse etiam propter hominum gratiam bona opera dimittenda. Pari ratione bonus aliquis opifex aut mercator simpliciter cum hominibus agit, artem suam exercet, neminem decipit, regia via incedit ; sed ecce lapidem : venit aliquis impostor, et decipit ipsum, atque ei falsam monetam pro vera, et stannum pro argento,vel pro auro aurichalcum obtrudit. Is igitur si propterea scandalum patitur, et dicat, Itane agitur? Ego quoque astutus fiam, ille falsa ista moneta me decepit: ego eadem alium decipiam : ac si ita dicat, sine dubio impegit in lapidem. Sed angelus sanctus saepe adest, et in corde illius dicit: Quid turbaris modicae fidei? Non meministi te esse christianum? Si reddas bona pro bonis, et mala pro malis, quid amplius, quam Ethnici, facis? Nonne et Gentes hoc faciunt? An ignoras hominum perditissimorum esse, reddere mala pro bonis : hominum politicorum, reddere bona pro bonis : hominum christianorum, reddere bona pro malis? Ita igitur angelus custos diligentis paedagogi officio fungitur.

Neque vero solum hoc beneficium,sed alia praeterea multa et magna, quae ex hoc uno propheta nos intelligere voluit,ab angelo custode recipimus, quae tamen ad duo capita revocari possunt. Ut enim ex peccato duo praecipua mala,vel potius duo fontes malorum exorti sunt, ignorantia, et difficultas, cum quibus omnes homines usque ad mortem semper colluctantur : sic etiam duo sunt generalia beneficia angeli custodis,instructio et defensio.

Quibus in rebus angeli nos instruunt? In iis quae ad salutem maxime necessaria sunt, ut quomodo a somno peccatorum excitabimur, quo pacto malorum societatem fugere poterimus, qua ratione, in via Dei non deficiemus, quibus armis daemonem fugabimus, et qua industria si fugatus iterum redierit, eidem resistemus. Quae omnia figuris divinarum scripturarum nullo negotio demonstrari possunt. Erat quondam apostolus Petrus in carcere *inter duos milites vinctus catenis duabus*, et sequenti die ad populum producendus, et extremo supplicio afficiendus erat : et tamen ipse tamquam si omnia essent tutissima, altissime dormiebat. Sed ecce adfuit Angelus custos, et lumen refulsit in habitaculo, et mox ad vocem angeli Petrus excitatur,catenisque solvitur,de carcere egreditur et liberatur. Haec est figura et imago hominum peccatorum. Nam saepe numero versantur homines in obscurissimo carcere ignorantiae, constricti funibus peccatorum, et brevi ad tribunal iudicis ducendi, et sempiternae morti adiudicandi sunt: et ipsi tamen inter duos milites securissimi dormiunt. Qui sunt duo milites ? Unus longa peccandi consuetudo ; alter spes vana longissimae vitae: vel si mavultis, unus misericordia Dei, de qua sibi perpetuo blandiuntur ; alter exempla caeterorum, nolunt enim videri caeteris sapientiores. Ista sunt, quae hominem dormire, nihil videre, nihil audire, nihil sentire faciunt. At cum venit Angelus Domini, et sancta quadam illustratione docet hominem in quanto periculo sit constitutus, eique dicit. Heus tu, dormis? Surge velociter, Tunc lumen refulget in habitaculo, et homo tamquam de gravi somno excitatus, incipit videre, quod antea non videbat, suam turpitudinem,suam foeditatem,suam miseriam, sua pericula, ac se comprehensum ac ligatum cernens dicit; Hei mihi,ubi sum? Quid ago? Quo tendo?*Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus, habitasset in inferno anima mea.* Itaque totus perterritus, et compunctus currit ad ecclesiam, quaerit sacerdotem, solvitur a peccatis, de carcere liberatur. Hoc igitur primum est Angeli beneficium : audite nunc secundum,

Morabatur aliquando Loth in medio Sodomorum, urbe pessima et corruptissima et quamquam ipse iustus erat, tamen mala illa societas ei nullo modo conveniebat. Quapropter angelus ad eum venit,eique dixit ut de illa urbe protinus exiret : Et cum ipse egredi cunctaretur, Angelus apprehendit manum eius, et exire coegit. Deinde monuit, ut non aspiceret retro, sed in monte salvum se faceret, et eo modo incendium illud evaderet, quo Sodomitae omnes perituri erant. Ad eumdem modum, auditores, homini iam converso, et sancte vivere incipienti angelus custos numquam cessat suggerere, ut fugiat malas societates, ut cum flagitiosis, cum potatoribus, cum scortatoribus,cum lusoribus,cum haereticis etiam et impiis non conversetur,ne cum eis similiter pereat, et cum is forte cunctatur, vel aures cordis angelicis inspirationibus claudit, tunc sanctus angelus peramanter et dulciter cogit : impetrat enim a Deo flagellum aegritudinis vel aliam aliquam afflictionem, qua is velit nolit cogatur deserere, quod diligebat. Et tum demum a malorum societate tamquam de Sodoma eductum et in via salutis constitutum diligenter monet, ut numquam aspiciat retro : ut non iterum cupiat, quod bene semel reliquit: ut in monte virtutum et perfectionis salvum se faciat, ut cum in die ultimi iudicii pluet incendium super terram Sodomorum, et Gomorrhaeorum, et omnes ubique peccatores involvet, ipse salvum et incolumem se esse gaudeat.

Sed beneficium tertium videamus. Pergebat quondam sanctus propheta Elias ad montem Oreb, ubi Dominum alloculturus et visurus erat, sed accidit in via, ut fatigatione, somno ac moerore oppressus, subter unam arborem se prosterneret et dormiret : tunc autem adfuit angelus Domini, qui Eliam excitans et panem illi ostendens ait; *Surge, comede,grandis tibi restat via.*O quam frequenter ita nobiscum sanctus angelus facit : quo enim nos omnes properamus : nisi ad montem illum excelsum, montem pinguem, montem coagulatum,montem *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*, de quo Psalmographus canit : *Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto*

eius? ubi vera perfectaque felicitate *videbitur Deus Deorum in Sion*? At quamvis ad locum tam praeclarum properemus, tamen saepe nos torpor invadit, fatigamur, deficimus, iacemus, dormimus: sed angelus sanctus muneri suo non deest, accedit, alloquitur, cohortatur: Surge, surge, quid hic dormis in via? Excutere de pulvere, refice vires pane illo sancto, quem tibi Dominus in hunc usum reliquit: grandis tibi restat via: longa est via de terra ad coelum; magnum negotium est salutis nostrae, quin potius negotium negotiorum, et quod summam vigilantiam summumque studium requirit.

Quid praeterea angelus docet? quod est quartum beneficium? Illud quarto loco docet, quod si partem cordis super carbones ignitos posueris, inde fumus ascendet, quo continuo daemon fugabitur. Ita Raphael angelus Tobiam iuniorem docuit, et ipse ita esse experientia didicit. At quid hoc sibi vult? Quid est partem cordis super carbones ponere? Id est, auditores, non totum cor in Aristotele, vel Cicerone, vel Galeno, vel Iustiniano vel etiam Augustino ponere, sed saltem partem unam cordis ad eos ignes cogitandos conferre, qui parati sunt omnibus peccatoribus: vel certe ad illam flammam ardentem divini amoris, qua Deus noster *sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Ex istis enim sacris meditationibus oratio quaedam fervens et ignita procedit, quae caelos penetrat, quae Deum placat, quae instar calidissimi fumi daemones omnes quasi muscas expellit.

Quod si daemon semel expulsus atque eiectus iterum maioribus copiis, acie instructa redire voluerit, angelus te docebit quo pacto non solum fortiter resistere, et pugnare, sed etiam vincere et triumphare poteris. Erat olim vir fortissimus Gedeon cum exercitu Madianitarum pugnaturus, et cum in multitudine militum spem victoriae positam esse existimaret, triginta duo millia armatorum brevissimo tempore congregavit: Sed angelus Domini docere volens atque instruere Gedeonem, iussit voce praeconis in castris proclamari, ut omnes timidi et formidolosi recederent, et confestim viginti duo millia recesserunt. Imperavit secundo, ut reliqua decem millia ducerentur ad aquas, et Gedeon attente consideraret, quo modo unusquisque eorum biberet: nam eos, qui humi prostrati more canum ore lamberent aquas, ineptos esse ad bellum, et eos dumtaxat idoneos, qui genu modice curvato altera manu aquas ad os proiicerent. Quo facto soli trecenti ex triginta duobus millibus remanserunt, et ii soli victoriam maximam retulerunt. O praeclaram, et verissimam angeli instructionem! Multi sunt homines christiani, multi nomen suum eidem imperatori dederunt, sed ex triginta duobus millibus vix trecenti victores evadunt: nam timidi et formidolosi, quorum magnus est numerus, nihil unquam boni facient. Qui sunt timidi et formidolosi? Qui metuunt, ne ieiunium quadragesimae capiti noceat: qui timent inopia premi, si eleemosynas pauperibus largiantur: qui verba et cogitationes hominum verentur si pie vivere incipiant, si iniurias condonent, si convivia et propinationes recusent: qui denique metu laborum, et difficultatum vitam mutare non audent. Isti, inquam, nihil unquam boni facient: nam virtus christianorum est charitas, et *timor non est in charitate*, quoniam *perfecta charitas foras mittit timorem*. Neque vero timidi solum, sed etiam nulli eorum unquam diabolum vincent, qui toto corpore humi postrati more canum summa aviditate bibunt aquas terrenarum delitiarum, et stomachum replent temporalibus bonis, quae instar aquae perpetuo labuntur et fluunt: sed illi dumtaxat, qui altera manu solum necessaria capiunt *Habentes* victum et vestitum, inquit Apostolus, *his contenti simus*. Beati sane, qui angeli sui doctrinam intelligunt: qui erecti stare, et coelum respicere didicerunt; ipsi enim soli cum ingenti gaudio contra diabolum pugnabunt et vincent, coronabuntur et triumphabunt.

Sed quoniam de instructione ac doctrina angeli aliqua diximus, restat ut etiam de protectione et defensione pauca dicamus. A quibus igitur hostibus nos angeli defendunt? Ab omnibus, a daemonibus, ab hominibus, a feris, a rebus inanimis, et quod maius et mirabilius est, ab ira omnipotentis Dei. De daemonibus apertum testimonium habes in libro Tobiae, ubi angelus Raphael daemonium Asmodaeum in solitudinem Aegypti relegavit, ut neque hominibus neque pecudibus, neque arboribus nocere posset. Et quam frequenter putas daemones, qui nobis adsunt, et qui summo odio nos persequuntur, vel in ignem vel in aquas vel in foveas nos proiicerent, vel per se etiam in partes discerperent, nisi angeli nostri potentiam formidarent? Certe sanctus Hilarius et sanctus Cyrillus hanc potissimam causam esse volunt custodiae angelorum. Quod vero etiam ab hominibus malis angeli nos eripiant, testis erit s. Iacob, qui in Genesi dicit: *Angelus Domini eruit me de cunctis malis*. Testis Iosue, pro quo contra Chananaeos angeli pugnaverunt. Testis Ezechias, qui centum octoginta quinque millia Assyriorum hostium suorum ab Angelo trucidata esse vidit. Testis Eliseus, quem integer exercitus angelorum contra impetum Syriorum defendebat. Testis castissima illa Iudith, quae cum ad suos rediret Holoferne trucidato, dicebat; *Vivit Deus, qui custodivit me Angelus eius et hinc euntem et ibi commorantem, et inde huc revertentem*. Testis denique, ut alios multos praeteream, Theodosius iunior imperator, quo cum Persis et Sarracenis pugnante, circiter centum millia Sarracenorum in fluvium Euphratem angelus Domini praecipitavit, ut Socrates tradit. Iam vero quod a feris nos angeli defendant, ex Tobia et Daniele facile cognosci potest, quorum prior ab ingenti quodam pisce liberatus, posterior in lacu rugientium leonum angeli praesidio securus fuit. Iam de rebus inanimis quid ego dicam, cum etiam in fornace ignis ardentis tres pueros angelus incolumes et illaesos conservaverit? Sed summum maximumque beneficium mihi esse videtur, quod angeli sancti cum Deum nobis iratum esse vident patrocinium nostrum suscipiant, et tamquam diligentes advocati, Deum orare, placare, flectere, nobis reconciliare, summo studio laborent. Veniat in mentem parabola illa Domini de ficulnea sterili, de qua Dominus vineae agricolae dicebat; *Ecce tres anni*

sunt, ex quo venio fructum quaerens in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? Agricola vero pro ficulnea Dominum exorabat, atque aiebat*; Domine dimitte eam etiam hoc anno, donec fodiam circa eam, et mittam stercora.* Istae ficulneae nos sumus, auditores : vinea est Ecclesia, cultores sunt angeli, sed venit primus annus, venit pueritia, et in ea quaerit Dominus fructum puritatis, simplicitatis, devotionis, et nihil invenit nisi malitiam, nisi contentiones, nisi pugnas, propterea quod parentes non bene filios suos instituerunt. Venit vigesimus annus, aetas adolescentiae, et quaerit Dominus fructum operum bonorum,et nihil invenit nisi folia vanitatum, amores, potationes, sphaeristeria, tripudia, vestium ornamenta, musica instrumenta, carnis oblectamenta, daemonis emolumenta. Venit annus trigesimus, aetas matura et gravis,et maiore ratione quaerit Dominus fructum in ficulnea, et saepe nihil invenit,nisi grossos ambitionis,usurae, crapulae, ebrietatis, aliorumque innumerabilium vitiorum fructus. Succide ergo illam, ait, proiiciatur in ignem,ut quid etiam terram occupat? Magna et metuenda est ira Domini, *horrendum est incidere in manus Dei viventis, qui postquam occiderit corpus, etiam animam perdere potest in gehennam ignis.* Sed angelus Domini sollicite intercedit. O Domine, dimitte, quaeso, eum etiam hoc anno, dona illi, Domine,adhuc tempus et spatium poenitentiae: ego fodiam circa illum et mittam stercora, auferam de corde eius nimiam illam terram, terrenas nimirum cogitationes,et ponam in oculis eius stercora peccatorum, ut ea videat, cognoscat, detestetur : ego efficiam, ut recogitet dies suos in amaritudine animae suae et fructus dignos poenitentiae,et operum bonorum aliquando producat. En vobis, fratres mei, quam multa, et quam magna sunt beneficia angeli custodis,et quam multum ei honoris et amoris debeamus.

Et haec omnia nobis sancti angeli praestant,dum nos custodiunt in via: sed itinere tandem confecto, tunc nos in manibus tollunt, atque in sedes beatorum deferunt. Ita Lazarum illum mendicum in sinum Abrahae angeli portaverunt: ita multi sanctorum in coelum ab angelis deferri visi sunt. Quis enim per regionem illam novam, obscuram, incognitam, per se ingredi valeret? Et o quam duri lapides ibi reperiuntur! ibi ille iacet, qui se in lapidibus adorari faciebat, et quantum potest viam transeuntibus intercludit, quot peccata nunc facimus, tot ibi lapides ponit. O quam multi sunt, qui se ad coelum evolaturos putant, qui aditum interclusum atque obstructum invenient. Quapropter, auditores, angelum nostrum honorare, opem eius implorare, sanctos mores imitari, monitis eius obtemperare diligenter studeamus, ut quem patronum et custodem habemus in terris, eumdem civem et sodalem habere etiam mereamus in coelis. Amen.

CONCIO X.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU XIII.

Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.

SYNOPSIS

Daemon Protheo in diversas formas transformari solito comparatur; et inde etiam hoc loco vocatur, aspis, basiliscus. leo , et draco. Quatuor deinde haec animalia quatuor atrocissimas Ecclesiae persecutiones denotare probatur. Prima est Iudaeorum, quae aspidi confertur. Altera Imperatorum Ethnicorum,quam leo denotat. Tertia haereticorum,quae omnium gravissima, ac basilisco comparatur. Quarta futura est. scilicet, Antichristi,et draconi assimilatur. Quae quatuor persecutiones etiam in Christo deprehenduntur completae. Porro quomodo singulos diabolus ut aspis tentet exponitur , simulque remedium praescribitur. Cur diabolus aspidi comparetur ratio redditur , nimirum propter obstinationem , cuius duo sunt fontes , unus est sapientia terrena , cui nimium affixi praecipue haeretici,et inter hos Calvinus ; alter est mala vita. Contra obstinationem remedia praescribuntur, et differentia inter aspidem Dei et Diaboli asseritur. Diabolum basilisco comparatum invidiam diffundere ostenditur , et quantum malum sit invidia multis declaratur, utpote qua nil miserius, nil detestabilius , nil incurabilius , nihil tamen communius , ut quae etiam inter fratres sese immisceat. Remedia insuper duo contra invidiam constituuntur, quorum primum est , rerum caducarum vera aestimatio; alterum, cogitatio fructus invidiae , qui invidenti plerumque noxius, inviso utilis, quod multis exemplis demonstratur.

Secunda pars agit de diabolo in leonem , et in draconem transformato. Tamquam leo nimio terrore percellere conatur , cui firma spe , et fiducia resistere docemur. Tamquam draco iram diffundit,ubi iram,quae rationem sequitur,laudabilem esse multis exemplis probatur; quae secus , detestandam esse , utpote quae turpis, quae caeca, quae insana, quae noxia, et perniciosa. Contra iram praeterea varia constituuntur remedia , nempe cogitare , nos quoque ; Deum assidue offendere, nos nudos, et inermes esse natos, nos nobis magis, quam hosti nocere , nos cedendo sublimiores fieri , omnes homines esse membra unius corporis , nos medicamen ex hoste, ut medici ex vipera, sumere debere , proponere exempla Ethnicorum. Tandem duabus obiectionibus satisfaciendo, draconem conculcandum, et iniurias perferendas esse docetur.

Tradunt fabulae poetarum , auditores optimi , quemdam olim extitisse marinum prophetam,nomine Protheum, quem Neptunus Deus maris, phocis, ac thynnis, aliisque cetis,belluisque marinis,quasi praesidem et pastorem praefecerat. Is ea vi ac potestate praeditus erat , ut se in mille formas aliquando converteret,et nunc aqua, nunc ignis,nunc leo , nunc draco , nunc monstrum aliquod videretur. Verum enimvero quamquam ethnici poetae figmentis et mendaciis se ludere, dum talia scriberent , arbitrabantur : tamen nolentes atque imprudentes suis coloribus eum depinxerunt,quem vere pro Deo in lignis et lapidibus adorabant. Quis enim alius erat Deus Ethnicorum , quam spiritus ille transfuga, quem sacrae litterae daemonem appellant ? *Dii Gentium daemonia* , inquit Psaltes. Et apostolus Paulus : *Quae immolant Gentes , daemoniis immolant et non Deo.* Quare daemon revera est ille caeruleus Protheus , qui in mari amaro et turbulento huius saeculi turpibus phocis, immundis videlicet spiritibus, et hominibus praeest, et mille artes nocendi habens , in mille quoque formas et figuras se transferre solet. Certe magno Antonio , ut in eius vita d. Athanasius tradit , nunc daemon ut puerulus horridus ac niger, nunc ut gigas immanis tanta corporis proceritate conspiciebatur , ut coelum ipsum contingere putaretur : nunc vero eodem inspectante et audiente Antonio , varias bestiarum et serpentum formas induens, ut leo rugiebat , occidere volens, ut bos mugitu et cornibus minabatur , ut serpens sibilo personabat , ut lupus ad praedam summo impetu inhiabat. Scribit quoque s. Hieronymus in Hilarione , non raro daemonem simul infantum edidisse

vagitus, belatus pecorum, planctum quasi mulierum, murmur exercitus, ac breviter diversissimarum portenta vocum, ut magnum illum Christi bellatorum, si quo modo posset, de eremo fugaret. Denique verum istum Protheum apostolus Paulus transfigurari dicit in angelum lucis: et eumdem Iob et Isaias colubrum et serpentem tortuosum: Petrus leonem rugientem: Ioannes in Apocalypsi serpentem antiquum, et noster Psalmus aspidem basiliscum, leonem et draconem appellavit. *Super aspidem*, inquit, *et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Quae verba cum hodierna oratione Domino adiuvante exposituri simus, tria ex ordine disputabimus: ostendemus initio quatuor istis nominibus, quatuor maximas persecutiones significari, quas daemon Ecclesiae per suos ministros, partim excitavit, partim etiam excitabit. Deinde persecutiones easdem, et ordine eodem, in ipso capite Ecclesiae Christo, vel expressas vel adumbratas fuisse docebimus. Postremo de praecipuis quatuor tentationibus, quibus daemon: vel per se vel per alios, unumquemque nostrum sigillatim oppugnat, et propter quas aspis et basiliscus, leo et draco dicitur, differemus. Nam quod quidam volunt, prophetam hoc loco de veris leonibus et serpentibus esse locutum, et hominibus iustus, atque in Dei auxilio confidentibus promisisse, nullam eis quamvis venenatam et ferocem bestiam esse nociturum, nos minime negamus, quin potius libenter agnoscimus et confitemur, quippe qui non ignoramus, neque Danieli leones, neque Paulo viperam, neque cetum Ionae, neque feras omnium generum sanctis anachoretis, qui in earum medio versabantur, nocere potuisse; tamen praeter istum abiectum atque humilem sensum, alium altiorem magisque praecipuum in his verbis agnoscimus.

Ut igitur ad ea, quae proposuimus, veniamus: Aspis, Leo, Basiliscus et Draco, quatuor summas atque atrocissimas persecutiones significant. Aspis, Iudaeorum, Leo paganorum, Basiliscus haereticorum, Draco Antichristi. Iudaei omnium primi contra Christi Ecclesiam, daemone authore, arma sumpserunt. Nam et Apostolos omnes flagellis ceciderunt, et Stephanum lapidaverunt, et duos Iacobos, unum per se de summo templo praecipitem egerunt, alterum per Herodem gladio necaverunt. Et Petrum in carcerem et vincula coniici fecerunt: et Paulum non semel dolis atque insidiis ad necem quaesierunt. Aptissime vero Iudaei aspide designantur, quae surda dicitur, propterea quod aures suas obstruere solet, ne vocem incantantis exaudiat. Quid enim passim prophetae clamabant, atque Isaias imprimis, nisi *Aggravatum est cor populi huius et auribus graviter audierunt.* Et cum eos b. Stephanus quasi divinis carminibus incantaret, quid ille fecerunt? *Continuerunt aures suas*, inquit b. Lucas: quocirca merito s. Stephanus tamquam aspidi surdae eis dicebat: *Incircumcisi cordibus et auribus vos semper Spiritui sancto resistitis.* Caeterum Christi Ecclesiae, iuxta prophetae promissionem, iam aspidem illam conculcavit ac super eam ambulavit. Quid enim sunt modo Iudaei, nisi servi omnium gentium, sine rege, sine pontifice, sine templo, sine sacrificio, sine prophetis, sine miraculis, sine Deo in hoc mundo? Neque alia de causa vivere et toto orbe vagari divina providentia voluit, quam ut ubique suos illos vetustissimos et probatissimos libros deferrent, ex quibus nos ea, quae de Christo et Ecclesia praedicamus, non a nobis conficta, sed Prophetis vere praedicta multis ante saeculis ostenderemus.

Sed aspidi leo successit, aperta illa videlicet et cruenta ethnicorum imperatorum persecutio. Neque enim secus atque immanes et feroces leones, truculenti illi tyranni christianorum corpora laniabant. O quam multi leone rugiente in speluncas atque antra se abdebant! quam multos etiam solus rugitus huius leonis prosternebat! Quot vero ferox iste leo non rugitu, sed unguibus ac dentibus confecerit, solus Deus novit. Siquidem, ut in libro historiarum ecclesiasticarum octavo Eusebius refert, interdum integrae urbes cum omnibus habitatoribus incendio absumebantur: interdum integrae legiones, quasi unus homo obtruncabantur. Temporibus vero imperatoris Diocletiani uno solum mense septemdecim millia sanctorum martyrum occidebantur. Sed vicit tandem, quae victura erat Ecclesia Servatoris, et ad fidem imperatoribus et regibus conversis, qui antea propter idola persequebantur Christum, postea coeperunt propter Christum persequi idola: et Roma, quae olim Petrum, ut impium egit in crucem, nunc eumdem ut optimum praesidem et patronum se habere gloriatur.

Secuta est leonis rabiem crudelitas basilisci, quo impium atque insanum haereticorum furorem significari diximus. Basiliscus enim venenum habet in oculis: haeresis vero ita mentis oculos fascinat et depravat, ut album pro nigro et nigrum pro albo cernere faciat. Quae maior fascinatio cogitari potest, quam, ut in quibus libris maxime veritas lucet, ibi nubes infinitorum errorum haeretici videant? Certe in literis sacris ubi nos ieiunium legimus, ibi Lutherani crapulam legunt: et ubi nos virginitatis consilium praedicari videmus, ibi Calvinus videre se dicit prohibitam atque interdictam esse virginitatem. Haec sane persecutio multo est gravior et diuturnior et periculosior, quam superiores: illae corpora occidebant, ista iugulat animas: illae aperto marte Christum oppugnabant, ista Christi signis et armis quasi pro Christo contra Christum pugnat: tunc lupi lupinam pellem praeferebant, et lupos se esse non negabant, nunc lupi ovina pelle induti oves se esse simulant, et veras oves lupos videri volunt. Deinde persecutio Iudaeorum annos circiter quadraginta ecclesiam vexare potuit: persecutio paganorum annos circiter trecentos; persecutio vero haereticorum iam supra mille annos grassata est, nec ullus novit, praeter Deum, quando finem habitura sit. Tempore primae persecutionis semel dumtaxat exercitum contra ecclesiam diabolus eduxit: tempore secundae bene decies copias suas instauravit. Tot enim imperatores fuerunt a Nerone usque ad Iulianum, qui novis copiis, et armis et viribus cum ecclesia conflixerunt. At in hac tertia persecutione plus quam ducenties iam Daemon exercitum instruxit:

tot enim haeresiarchas numeramus,qui omnes novorum exercituum duces atque imperatores fuerunt. Caeterum magna ex parte basiliscum istum ecclesia conculcavit : sunt Arriani , profligati sunt Manichaei, perierunt Nestoriani: iam caput et corpus basilisci contritum est, sola cauda conculcanda et conterenda restat. Neque dubium esse potest, quin illa gloriosa ecclesia caudam istam conculcabit, ac de faece lutheranorum aliquando triumphabit, quae ita ducenties collatis signis dimicavit et vicit : quae caput et corpus basilisci contrivit,quae Arrianos funditus delevit,qui orbem fere totum occupaverunt,et potentissimos monarchas atque episcopos innumeros in castris suis habuerunt.

At ne tunc quidem finis persecutionum erit: Siquidem basilisco draco teterrimus atque immanissimus succedet: ipse erit perditissimus ille Antichristus,cuius persecutio quanto brevior caeteris tanto crudelior atque periculosior erit. Hactenus enim, neque Iudaei,neque Pagani neque Haeretici ulla signa aut prodigia edere potuerunt : propria Ecclesiae Catholicae gloria miraculorum semper fuit. Sed in illa postrema et maxima persecutione *surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Erit enim Antichristi *adventus*, ut Apostolus ait, *secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus.* Quare merito S. Gregorius: *Pensemus*, inquit, *quae erit humanae mentis illa tentatio, quando pius martyr et corpus tormentis subiiciet , et tamen ante eius oculos tortor miracula faciet? Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatitur, quando is,qui flagris cruciat, signis coruscat ?*

Vultis nunc ut in ipso Christo, quasi figuras quasdam et umbras harum persecutionum ostendamus ? Quid igitur aliud circumcisio Domini fuit, nisi quaedam quasi persecutio Iudaeorum.Quamvis enim nulli peccato obnoxius esset, nec purgatione ulla opus haberet, tamen zelo mosaicae legis a Iudaeis in tenera aetate vulneratus fuit. Quid vero Herodianus ille furor, qui Dominum in Aegyptum fugere coegit, et propter ipsum tot millia innocentium puerorum trucidavit, nonne persecutio quaedam ethnicorum ? Porro illae tot insidiae , tot calumniae , tot iniuriae scribarum et pharisaeorum, qui specie pietatis et religionis totos tres annos Dominum exercuerunt, quis non videt, quam perspicue longissimam et molestissimam haereticorum persecutionem designaverunt? Nam passio illa Domini, quando a Iudaeis et Gentibus simul oppugnabatur , quando signa et prodigia tot edebat , quando ut princeps latronum crucem suam ad locum supplicii ipse portabat, an apertissime Antichristi persecutionem non significavit? Ut igitur ipse persecutionibus quatuor devictis atque seperatis victor ab inferis rediit,atque in coelum triumphator ascendit, et imperium sine fine obtinuit : ita quoque et catholica eius ecclesia quatuor illis bestiis conculcatis,et persecutionibus omni ex parte finitis,sempiterna pace et gloria tandem perfruetur.

Venio nunc ad id, quod est proprium huius loci, ut eas persecutiones exponam , quas hominibus, singulis diabolus excitat , et propter quas nunc aspis, nunc leo, nunc basiliscus , nunc draco nominatur. Aspis , auditores , venenum gerit in lingua , lingua venenum inspirat , veneno somnum conciliat , somno illo tandem occidit. Haec omnia Diabolo convenire prima omnium experta est Eva. Venit serpens ad eam , linguam venenatam protulit, atque ait : *Cur praecepit vobis Deus , ut non comederetis de omni ligno paradisi*? Deinde, ut eam securissimam redderet , atque in utramque aurem dormire faceret : *Nequaquam*, inquit , *moriemini*, nihil periculi est , tuto licet vobis etiam de hoc pomo comedere. Ita illam vulneravit, infecit, corrupit, occidit. Quam saepe tecum frater ad eumdem modum diabolus agit ? Quoties venit, ac dicit, Cur praecepit tibi Deus, ut ieiunares : Eget fortasse tuo ieiunio ? et cur praecepit ebrietatem et fornicationem fugere ? Cui facis iniuriam si tuis sumptibus potas,vel cum amica volente fornicaris? Et quid deinde subiungit ? *Nequaquam morieris.* Communia et levia sunt ista peccata , misericors Dominus est, non recordatur iniuriarum , non te creavit , ut perderet. Atque interim astutissimus serpens calcaneo tuo insidiatur, calcaneum tuum observat, expectat avide quando cadas, quando labantur pedes tui. Nam labi non potes , nisi in os eius et tunc non aspis, sed leo et draco erit.

Quid remedii? *Ipse conteret caput tuum*, inquit divina Scriptura. Aspis calcaneum nostrum observat, nos caput eius observare debemus,ut ante nos caput illius conteramus, quam ab illo calcaneum nostrum mordeatur. Quid est caput ? Primus peccati motus, prima tentatio , prima suggestio. Suggerit tibi Diabolus, non esse ieiunandum? noli audire,contere caput. Suggerit aliquid contra fidem? noli cum sophista contendere, contere caput. Suggerit impuras voluptates, illicita lucra , simoniacos contractus? obstrue aures, contere caput. Nam profecto, auditores, neque citius , neque facilius, neque celerius aut certius diabolus vincitur, quam cum a nobis ad colloquium non admittitur , sed contemnitur et reiicitur. Nam et orator facundissimus et sophista callidissimus est: novit omnes modos fallendi,nihil argutiarum eum latet: si cum eo disputare volueris , aut vincet et flagitium tibi persuadebit, aut certe more vesparum aculeum infixum , hoc est , scrupulum et moerorem atque anxietatem in animo tibi relinquet. Itaque ille felicius cum diabolo pugnat , qui celerius diabolum fugit.

Aspis praeterea inter omnia animantia obstinatione excellit, id quod etiam daemoni convenire omnes noverunt. Nihil vero est, quod magis diabolus cupiat, quod magis quaerat, in quo diligentius ac studiosius laboret, quam ut homines sibi similes, hoc est obstinatos atque obduratos in malo , atque adeo surdos aspides efficiat. Unde oritur obstinatio ? Ex duobus principiis. Solet enim aspis cum seipsam surdam atque obstinatam vult efficere, aurem unam terrae quanto pressius potest admovere, alteram extrema cauda obturare. Quid est auris ? Sensus disciplinae, ut ait philosophus , et mentem atque intelligentiam nostram significat. Quid est terra ? Sapientia terrena , iudicium pro-

prium. Isti igitur aurem cordis terrenae admovent, et obstinati fieri incipiunt, qui nimium terrenae sapientiae adhaerent, qui plus aequo in eruditione sua confidunt, qui scientiam suam vel ignorantiam potius aliorum omnium scientiae anteponunt : cui veneno haeretici potissimum obnoxii esse videntur. Nec enim terrenam sapientiam hoc loco Geometriae arithmeticae cognitionem appellamus ; Sed scientiam illorum, qui cum se in scripturis valde versatos existiment, omnes alios, ut ignorantes contemnunt : et clamet licet orbis totius academiae, clamet apostolica sedes, clamet generale concilium, clamet consensus omnium doctorum, ipsi tamen nihil audiunt, aurem habent defixam in terra, et plus capiti nunquam omnibus alis credunt : talis olim fuit Nestorius talis photinus talis Petrus Abelardus, talis Ioannes Wicleph tales omnes haeretici, in quibus nostris temporibus Ioannes Calvinus sine dubitatione excelluit, qui in illa sua pestilenti Institutione de sacrificio Missae de libero arbitrio, de meritis operum, de alios nonnullis christianae fidei gravissimis dogmatibus, non erubescit confiteri, se contra omnes imbecillos veteres, tam Graecos, quam Latinos, et contra universam antiquam ecclesiam sentire. Ita nimirum aspis infernalis suo veneno illum infecerat, ut id sibi persuadere potuerit, omnes ante se fuisse stupidos, aut phreneticos, aut etiam pecudes vel truncos. Ita principium primum obstinationis est aurem unam ad terram admovere hoc est, subtilissimo quodam genere superbiae proprio iudicio ac sententiae nimium adhaerere. Principium vero secundum est, extrema parte corporis alteram aurem obturare. Quid est pars extrema? Quid aspidis cauda ? Finis, scopus, intentio. Quidam enim reperiuntur, qui tametsi verbis *confitentur se nosse* Deus, atque eum pro fine ultimo habere se iactent, tamen *factis* id *negant* : atque ita se gerunt, ut Deum finem esse depictum, aliud vero creatum finem verum existimare et credere videantur. Si diceret aliquis, scopus meus in eo loco est, atque interim omnia sua tela ad alium parietem dirigeret, quis eum serio esse locutum et non potius mentiri, aut iocari voluisse arbitraretur ? Ad eumdem modum in omnes, qui verbis dicunt, se Deum pro fine ultimo suorum operum agnoscere, et nihilominus omnia sua studia, omnes suos conatus, omnes suos labores ad eruditionem, vel opes vel honores adipiscendos referunt, non vere, non ex animo dicunt se Deum habere pro fine. Finis eorum eruditio est, honor est, aurum et argumentum est, et qui tales sunt, si etiam propriae sententiae acquiescant, vix unquam a sua improbitate removentur. Clamant concionatores in templis, aspis surda nihil audit : et vel despicit concionatorem, ut imperitum ; vel non credit eum serio dicere. Ut enim ipse nunquam loquitur ex animo, ita etiam censet alios non loqui ex animo.

Quid remedii contra venenum tam periculosum? vix ullum remedium est, morbus pene incurabilis est obstinatio. *Venenum aspidum insanabile*, inquit Moyses. Verum etsi difficile, auditores, obstinationem iam conceptam curare, licet tamen salubri medicamento eam praevenire : Dei aspides fieri nos oportet, si Daemonis aspides fieri nolumus. Quid aspis Dei facit ? Aurem utramque diligenter occludit sed longe aliter, quam aspis Diaboli. Primum enim unam aurem coelo affigit, et eum Propheta dicit: *Audiam quid loquatur in me* Deus. Non credit sibi non fidit ingenio suo, non lectioni, non eruditioni, sed Deo. At ubi et quomodo loquitur Deus ? Loquitur in scripturis : et quoniam illae in sensus varios detorqueri possunt, et aliter a catholicis, aliter ab haereticis intelliguntur, aperuit Deus Ecclesiae sensum, ut intelligeret scripturas : illamque unam constituit columnam, et firmamentum veritatis: et qui columnae isti non adhaerent, nihil est mirum, si in mille errorum atque haeresum praecipitia cadunt. At ubi, et quomodo loquitur Ecclesia? Loquitur per os Petri, per eum qui sedet, in apostolico throno, per decreta et canones generalium conciliorum, quae omnia spiritu praevidens sapientissimus Salomon clamat in Ecclesiaste ; *Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras.* O consilium sapientissimum. O sententiam Salomone dignam. O documentum hoc tempore necessarium. Ille enim vere fiunt aspides Dei, et tuti, liberique sunt ab errandi periculo, qui verba illius unius pastoris, quem Deus omnibus aliis pastoribus, et ovibus praefecit, pro cujus fide et constantia Christus oravit, cuius sententiae usque ad hanc diem omnes sancti et sapientes acquieverunt : illa, inquam, verba tamquam clavos in corde infixa retinent, et quicquid ab eis dissonare vident, tamquam suspectum et periculosum et perniciosum respuunt, et cum Ambrosio dicunt ; *Romanam Ecclesiam in omnibus sequi cupio* et cum Hieronymo : *Qui cathedrae Petri iungitur, meus est.* Sed non sufficit, auditores, unam aurem admovisse coelo, nisi etiam alteram extremo corpore claudamus. Quid est hoc extremum ? Verus ultimus finis, qui est honor Dei atque animae salus. Qui enim serio apud se statuit, nihil unquam Dei gloriae, et animae saluti anteponendum, is facile contemnit omnia: sive mundus minetur sive blandiatur, sive prospera sive adversa promittat, aspis Dei nihil movetur, sed auribus obstructis, incitato cursu omnia caduca et fragilia transilit, ut ad vera et sempiterna aliquando perveniat.

Sed non continuo qui aspidem evaserit, tutum se ac securum esse arbitretur. Fortasse enim se aspis (ut solet) in basiliscum transformabit. Porro basiliscus venenum gerit in oculis, atque idcirco rex invidorum esse dicitur : inde enim invidi nominantur, quod non bene videant, sed oculos plane corruptos ac depravatos habeant. Horum pater et princeps ille est, de quo scriptura dicit : *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Qua de causa etiam Dominus in Evangelio invidis Iudaeis dicebat : *Vos ex patre Diabolo estis.* Satagit vero tartareus ille basiliscus, summo studio nos omnes basiliscos efficere, ut eo modo et nos ab ea gloria, quam nobis invidet, excidamus, et ipse pluribus servis et mancipiis dominetur. Sed qui perspectum et exploratum habuerit, quale venenum sit invidia,

is potius sane per gladios et ignes transibit, quam basiliscum se fieri ulla unquam ratione patietur: tale enim malum invidia est, ut nullum neque miserius neque detestabilius neque incurabilius neque latius patens usquam reperiatur.

Quod nihil invidia sit miserius, ex eo facile cognosci potest, quod cum caeteris vitiis aliqua sit vel utilitas, vel delectatio, vel honor, sola invidia tota est misera et amara. Ambitioni, gloria furto pecuniae, adulterio voluptas aliqua comparatur. Invidentia vero quid praeter continuum acerrimumque dolorem habet? Quocirca merito beatus Cyprianus tineae ac rubigini invidentiam comparavit. Magnus vero Basilius idem hoc vitium viperae simile esse dixit. Ut enim vipera matris viscera lacerat, sic et invidentia eius hominis animum semper affligit, unde ipsa nata est. Pulcherrime quoque idem Basilius nihil differre asseruit hominem invidum ab homine nudo in medio foro constituto, qui ab omnibus transeuntibus vulneratur. Videt invidus aliquem robustum et sanum, et plaga est illi: alium videt florentem et pulchrum, et rursum accipit plagam. Videt alium divitem, alium eruditum, alium eloquentem, alium honoratum, omnia haec plagae sunt et vulnera medium invidi cor transverberantia. Neque tamen in corde ita contineri pestis invidiae potest, ut aliquando non erumpat: siquidem oculi, genae, frons, labia, vultus totus rabiem et tristitiam produnt.

Iam vero quam non solum miserum et molestum, sed etiam detestabile et omni odio sit dignum hoc vitium, perspicuum esse potest ex eius contrario. Invidentia enim semper fuit capitalis hostis et inimica misericordiae: quanto igitur gratior et amabilior virtutibus caeteris misericordia, tanto prae omnibus vitiis magis detestanda et execranda invidia est. Misericordia condolet alienae miseriae, et eam de medio tollere, vel certe lenire et mitigare nititur invidentia nunquam bene habet, nisi cum aliquem cadere et perire, miserum et calamitosum fieri videt. Quare persimiles invidi sunt vulturibus et muscis. Pervolat vultur amoenos hortos, virentes silvas, florentia prata, et ad sola cadavera tetrum odorem spirantia accurrit. Muscae quoque partibus corporis, quae sanae sunt omissis, ad ulcus advolant: Sic invidi splendorem virtutis et recte factorum, qui in multis hominibus lucet, ne aspiciunt quidem, ad marcida vero et putrida irruunt, solisque miseriis et infortuniis hominum delectantur. Si quid forte narratur ab aliquo praeclare gestum, id invidus falsum esse docet, si potest: sin minus extenuat et occultat quantum potest: at peccato et vitia proximorum ipse primus et non rogatus omnibus praedicat. Quid? quod nulla bellua tam est immanis et ferox, quae beneficiis non placetur? quin potius canes, et ursos et leones mansuescere videmus, et tractabiles fieri, ac blandiri iis, qui ipsis alimenta praebent: soli sunt invidi, qui beneficiis irritantur, et quo plura et maiora recipiunt, eo magis benefactoribus suis potentiam et felicitatem invident.

His vero accedit, quod morbus tam gravis et tam detestandus, pene est incurabilis: siquidem virus in intimis visceribus latet, nec ullus est, qui prae verecundia et pudore aegritudinem suam medico aperire audeat. Dicas invido, quid moeres? quid affligeris? cur fronte rugata, vultuque pallido semper tristitiam in facie praefers? Erubescit confiteri calamitatem, nimirum, Invidus sum, affligunt me amici bona, lugeo ob fratris laetitiam: haec utique diceret, si vera loqui vellet, sed millies certe mentietur, et quidvis potius finget ac simulabit, quam ulcus suum detegat, atque ita morbus incurabilis intima viscera semper depascitur.

Sed pauci fortasse isto morbo laborant? imo vero nullus est cancer, qui latius serpat: nam et in castris militum, et in praetoriis urbium, et in conciliis episcoporum et in academiis studiosorum, et in capitulis canonicorum et in coenobiis monachorum suum locum habet: in aulis vero et palatiis principum nullus est angulus, ubi non regnet invidia. Et vide quam longe lateque pateat, quando non solum inter homines quoscumque, non solum inter cives, non solum inter cognatos, sed inter ipsos etiam fratres reperiatur. Nam ut Romuli et Remi, et alia ethnicorum exempla praetermittam, quid primos duos fratres Abel et Cain ita disiunxit, ut unus alterum occideret? Sola invidia. Quid inter Iacob et Esau, non solum fratres, sed etiam geminos, tanta odia concitavit? Eadem invidia. Quid impulit filios Iacob, ut fratrem suum Ioseph in puteum primo deiicerent, deinde tamquam vile mancipium venderent? Nihil aliud quam invidia. Quid Mariam sororem Moysis contra fratrem optimum et mitissimum accendit? Similis invidia. Et quid inter ipsos Christi discipulos ante Spiritus sancti in terras adventum dissidia et contentiones serere inceperat, nisi invidia? O invidia superbiae filia, mater odii, naturae confusio, monstrum tartareum, calamitas obscurissima. Beati sane, beati prorsus, qui te de cordibus suis expulsa atque fugata super basiliscum ambulare poterunt.

Sed quonam modo id fiet, auditores? Duo sunt remedia contra hoc venenu prae caeteris utilia et salutaria. Unum est sapienter intelligere, nihil esse infra lunam vere magnum et invidia dignum. Sane, fratres mei, si oculos levare voluerimus, et non solum corticem extrinsecus, sed etiam intus in profundo medullam ipsam rerum humanarum perspexerimus, inveniemus profecto, nihil esse solidum, nihil stabile, nihil pretiosum, nihil diuturnum, praeter virtutem, et spem atque amorem sempiternae vitae: et eos, quibus invident stulti, non tam invidia, quam misericordia dignos esse. Nam quocumque te vertas, sive ad homines doctos, sive ad homines divites, sive ad homines potentes, ut Salomon ait, ubique est *vanitas et afflictio spiritus*; et ii soli in hac valle lachrimarum aliquid veri gaudii gustare incipiunt, qui Deo vero et summo rebus omnibus contemptis adhaerere student.

Alterum remedium est, saepe ac serio cogitare, non solum invidos nihil ex invidentia sua lucrari, sed etiam nihil eis nocere, quibus invident. Invides alicui forte divitias, non propterea tu eris ditior, nec ille pauperior: quin potius Deo providente saepenumero accidit, ut invidus invidioso mirabiliter prosit. Invidit homini diabolus, Abelo Cain, Iacobo

Esau, Iosepho fratres, Davidi Saul, Scribae et Pharisaei Christo. Quid inde factum est? Quis eorum exitus fuit? Invidus daemon sempiternis ignibus torquetur; homo invisus ad ipsius divinitatis solium ascendit. Invidus Cain desperata salute in aeternum periit; Abel invisus tamquam signifer quidam hominum piorum primus omnium in civitate Dei scribi meruit. Invidus Esau a Deo odio habitus, a patre exhaeredatus fuit: Iacob invisus bonis omnibus divinis atque humanis abundavit. Invidi fratres Ioseph inopia et calamitate oppressi in maximis angustiis et miseriis saepe vixerunt: Ioseph invisus dominus Aegypti, gloriosus et magnus evasit, et fratres etiam suos ad pedes suos iacentes, sibique supplicantes vidit. Invidus Saul una die regnum et vitam et filios amisit; David invisus ex pastore paucarum ovium, rex et propheta brevi tempore effectus sanctissime vixit, et felicissime regnavit. Invidi scribae ac pharisaei cum maxima populi parte misere a Romanis obsessi, capti, venditi, trucidati, et praesentem ac futuram vitam simul amiserunt; Christus vero Iudaeis invisus morte atque inferno gloriose devictis, caelique ac terrae imperio a Patre suscepto, et modo regnat, et in aeternum sine ullo fine regnabit. Etsi hucusque, auditores optimi, tempus nobis praefixum parum excessimus, tamen reliqua quae supersunt breviter, Deo iuvante, absolvemus; et hic si placet, paulisper quiescamus.

PARS SECUNDA.

Diximus hucusque de aspide et basilisco, nunc de leone et dracone pauca quaedam dicenda sunt. Igitur quos daemon ut aspis et basiliscus mordere non potuit, eos in leonem repente conversus, rugitu terrere aggreditur. Eiusmodi enim est leonis rugitus, ut et scriptura dicat; *Leo rugiet, quis non timebit?* et ii perhibeant, qui animantium naturas curiose indagarunt, leone rugiente nullum animal posse consistere, adeo ut etiam illae bestiae leonem timeant rugientem, quae eum non raro superant ferientem. Ita prorsus, auditores, adversarius noster diabolus, non tam unguibus et dentibus, quam fremitu et rugitu nos laedit: quos enim decipere ac devorare non potuit, cum eis somnum ac securitatem suaderet, cum peccata eorum extenuaret, cum spem inanem divinae misericordiae illis praedicaret, eos vi leo rugiens perterrere, atque ad ultimam desperationem adducere nititur comminando, intentando et exaggerando divinae iustitiae severitatem, peccatorum gravitatem, electorum paucitatem, reproborum multitudinem, salutis incertitudinem, poenitentiae labores atque imprimis iter durum ac difficile virtutis. Quapropter ut contra morsum aspidis, qui nimiae securitatis veneno animum inficit, utile est armari timore: ita contra leonis rugitum nihil salubrius, quam armari fiducia, et multum omnino confidere atque sperare, non in viribus propriis, sed in leone illo fortissimo de Tribu Iuda, qui leonem istum infernalem usque adeo debilitavit, et fregit, ut solum fremere et rugire, non autem mordere nec ferire possit.

Quarta restat bestia, quae difficillime omnium conculcatur, ea spiritus est iracundiae, et draconis nomine designatur: Draco siquidem animal est prae caeteris iracundum et crudele. Quocirca sanctus Ioannes in Apocalypsi, ubi diabolum saepius draconem appellaverat, et eum de coelo ad terras cecidisse dixerat, continuo subiungit; *Vae terrae, et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Draco praeterea pestifero atque ignito quodam statu non solum bestias terrae, sed etiam volucres coeli occidere solet, et spiritus iracundiae id proprium habet, ut non solum homines carnales, qui bestiis terrae comparari possunt, saepenumero perimat, sed etiam viros alioqui magnos et spirituales, et coeli volucribus quam simillimos, aliquando inficiat: multos enim saepe videmus et dolemus, castos, sobrios, pios, religiosos, bonis operibus deditos, a voluptatibus alienos, qui tamen si vel leviter offendantur, iracundiam tenere non queunt.

Sed praetermitti hoc loco non debet, cum nos iram vituperamus, de ea tantum agere, quae rationis imperio non obtemperat: neque enim ut invidia, ita ira semper est mala, quin potius si ut canis pastorem, ita ira rationem sequatur, et cum ratio provocat, excitetur; cum ratio revocat, conquiescat, non solum non reprehendi, sed etiam laudari debet: alioqui nulla opera heroica, laboriosa, difficilia unquam aggrederemur. Et scriptura non simpliciter irasci prohibet, sed *irascimini*, inquit sanctus David, *et nolite peccare.* Denique et Moyses, qui omnium hominum mitissimus erat, tamen contra peccatum filiorum Israel ita exarsit, ut multa eorum millia una die necari iusserit. Et sanctus Phinees vehementer commendatur, quod iusta ira contra scortatores inflammatus in ipso scelere virum, et foeminam simul necaverit. Et magnus ille Samuel sine ullo crimine ira succensus, Agag regem suis manibus in frusta secuit. Et Elias vir sanctissimus pari zelo quadringentos et quinquaginta falsos prophetas una die peremit. Et Dominus ipse; in quem peccatum cadere non poterat, zelo honoris Dei vehementer accensus, flagello ex funiculis facto, non semel de templo vendentes atque ementes eiecit.

Itaque ira cum rationem sequitur, merito laudatur, et ad opera magna ac difficilia utilis ac necessaria est: at cum rationi non paret, dici non potest quam foeda, quam turpis, quam caeca, quam insana, quam noxia, quam perniciosa sit. Vis foeditatem et turpitudinem eius videre? Respice hominem vehementer iratum, videbis eum omnino alium quam antea esset, non secus ac si theatro personam ebrii vel furiosi agere vellet: intus in corde quasi fornax iracundiae succenditur, quae per omnes corporis partes erumpit: per nares fumum, scintillas per oculos, sonum, ac strepitum per os emittit: efficitur livida facies et sanguine suffusa, moles corporis tumida, venae inflatae, vox aspera, verba mutila, voces inarticulatae, et saepe nihil significantes efferuntur. Itaque si tunc seipsum in speculo cerneret, qui eiusmodi est, non posset certe non vehementer erubescere: sicut sane erubescunt et dolent, qui eum diligunt.

Quam vero sit caecus atque insanus iracundiae

spiritus, nemo est, qui nesciat; ita enim excaecantur homines irati, ut nec amicos, nec liberos, nec maiores, nec magistratus nec seipsos internoscant. Ut enim torrentes cum ad loca humilia ex montibus devolvuntur, quicquid obviam venerit, secum rapiunt: sic et impetus iracundorum violenti et effraenes per omnia procedunt: non canities apud iratos venerabilis est, non justitia vitae, non propinquitas generis, non accepta beneficia, non alia aliqua dignitas; et neque acies ferri, neque ignis, neque aliud quidquam animum prae ira furiosum cohibere potest.

Quod si forte accidat, ut is qui accipit injuriam, non ferat aequo animo, sed ipse etiam irascatur, et par pari referat, tunc sane spectaculum sit mirabile simul et miserabile: non enim jam homines videntur, sed canes rabidi atque tauri furiosi: et tunc laetatur, et gaudet draco ille tartareus, quod se filios habere videt, qui mores et ingenium suum pulcherrime imitantur. Quare verissime magnus Basilius brevem insaniam iracundiam esse definit: Nam ut insani multa faciunt et loquuntur, quae sani si essent vel in aliis perhorrescerent: sic etiam homines irati eo quandoque progrediuntur, quo se progressos postea vehementer dolent.

Iam vero quod non solum foeda et insana, sed etiam noxia, et perniciosa iracundia sit, frequentes ruinae atque interitus tot hominum clarissimorum, et familiarum, atque urbium testantur. Ira enim excitat contentionem, contentio parit convitia, et postquam lapides convitiorum per linguam, veluti per fundam, fuerint excussi, et tanquam eminus certatum, deinceps ad manus et facta venitur, infliguntur plagae, ad plagas vulnera, ad vulnera mortes, ad mortes infamia et supplicia publica consequuntur. Judex enim eum, qui vicerat, paulo post agit in crucem, et omnia ejus bona ad fiscum transfert. Ita simul homines iracundi vita et fama et opibus spoliantur, et liberis suis nihil praeter extremam inopiam et publicam ignominiam derelinquunt.

At nullumne remedium contra draconem istum reperitur? Multa Dei beneficio et efficacia remedia nobis parata sunt, modo nos eis uti velimus. Initio, cum aliquis tibi facit injuriam, et ad iracundiam provocare nititur, cogita, quam saepe et quam graviter tu Deum, quantum in te fuit, ad iracundiam tuis flagitiis provocaveris: et quod ille tamen memor pietatis, immemor injuriae, semper te beneficiis vincere studuit. Nam si talia cogitaveris, erubesces profecto, quod injurias conservorum pati non possis, cum tuas, qui servus es, tam saepe Dominus pertulerit. Infernalis draco te sibi similem, hoc est, iracundum et ferocem efficere satagit: ita quoque, et Deus te sibi similem, hoc est, mitem et patientem esse cupit: nec alia de causa saepe contumelias atque injurias tibi fieri sinit, quam ut te probet ac videat, qualem militem habeat. An vero turpissimum non est, imperatore spectante ab hoste militem facillime prosterni et superari? Cum igitur aliquis te aut verbis aut factis laedit, dicas apud te, jam venit tempus ut proberis: nunc Deus adest, judex et testis certaminis mei. Volo igitur ita me gerere, ut strenuum Dei militem decet. Si enim milites saeculi imperatore spectante quamvis pauciores, quamvis inferiores, cedere non audent, quanto magis ego spectante Deo et angelis ejus pati non debeo, ut ab iracundia superatus videat.

Cogita deinde, quod cum animantia caetera omnia suis armis instructa a Deo creata sint, et alia cornibus, alia dentibus, alia unguibus, alia spinis vel aculeis munita nascantur, solus homo nudus, et inermis nascitur, ut se ad pacem et concordiam non ad seditiones, et tumultus natum, et eos qui discordias seminant a natura humana ad naturam ferarum degenerare, et nothos ac spurios esse intelligeret.

Cogita etiam, eum, qui propter injuriam illatam excandescit, majus a seipso quam ab hoste detrimentum accipere: hostis enim vel fortunas diripuit vel famam laesit vel ad summum corpus vulneravit ipse vero sibi ipsi in anima peccando vulnus infligit: non secus, ac si propterea quod aliquis tibi vestem laceravit, tu tibi etiam pectus perfodere velles, quae aperta et maxima insania esset.

Imo vero nemo minus laeditur, nemo felicius injuriam ulciscitur, quam qui eam contemnit, et inimico irato non resistit, sed cedit. Cur bombardarum globi facilius moenia ex lapidibus, quam aggeres ex terra et virgultis deiiciunt? Nonne quia illa resistunt, isti cedunt? Deinde si magno animo injuriam toleras, non irasceris, non commoveris, non respondes, signum est altiorem te esse, quam ut ad te contumelia pervenire possit, et adversarium tuum magis confundis, et etiam erubescere facis, tanquam frustra laborantem: nam qui percutit non sentientem, seipsum excruciat et iracundiam non sedat.

Illud etiam non parum proderit, si homines quasi membra unius corporis esse cogitaveris: certe enim si unum membrum alterum laedat, non cogitas de vindicta. Ut si lingua a dentibus mordeatur, non curris ad tonsorem, nec dicis, Erue dentem istum, quia linguam momordit. Ad eumdem igitur modum, cum quis injuriam tibi facit, cogita unum membrum ab alio laedi, nec ultione sed patientia opus esse.

Quid? quod sicut medici ex ipsa vipera medicamentum contra ejus venenum parant: sic etiam et tu ab inimicis tuis remedium irae accipere potes: nimirum si consideraveris quam turpe sit, ut inimicum tuum imiteris, et ejus discipulus fias, contra quem indignaris: nam si par pari referas, et irascenti irasci velis, nonne hostem tuum imitaris? quicquid enim ille facit, et tu etiam illi: rubent ipsi oculi, et tibi quoque: ille dentibus fremit, et tu non minus: ille clamat, tu vociferaris: et sicut in silvis echo respondet et resonat, sic et tu hostis tui convicia repetis, nisi quod echo vocem eamdem clamanti remittit, tu contumeliam cum additamento reddis: ille te imperitum vocat, tu eum mente captum vocas: ille te vilem, tu eum nebulonem. Magnus error, magna stultitia: dic mihi miser, nonne moleste fers, quod ille ita insaniat? cur ergo illum imitaris? vel male ille agit, vel bene: Si bene, cur irasceris? Si male, cur eum sequeris? Si puer trium annorum aut phreneticus quispiam tibi minetur, num contra eum iracundia succenderis, an potius ejus tamquam infirmi et aegroti miserebe-

ris? Cur igitur magni facis verba hominis irati, qui minus consilio et ratione ducitur, quam puer aut phreneticus?

Postremo remedium praesentissimum atque efficacissimum erit, si tibi ipsi irascaris atque ingemiscas, quod tu homo christianus, luce fidei illustratus, sacris caelestibus imbutus, Dei atque angelorum praesidio communitus, propter amorem Dei et vitae sempiternae, eam perturbationem vincere non valeas, quam Socrates, Pericles, Diogenes, et alii permulti virorum ethnicorum propter solam inanis gloriae cupiditatem mirabiliter superaverunt. Nam ut serpens Moysis serpentes magorum devoravit: ita ira ista sancta iram illam pestiferam excludet, quemadmodum etiam timor gehennae timorem praesentium suppliciorum, et amor Dei amorem saeculi vincere solet.

At, inquis, ille solus in culpa est, qui ignem primus accendit; si alius ad iracundiam me provocat, quam culpam ego habeo, si respondeo? Magnam omnino, neque excusationem obtendere potes. Nam si te quispiam ad furtum faciendum vel adulterium perpetrandum invitaret, et invitanti consentires, numquid propterea nihil te mali fecisse diceres, quod invitatus et vocatus feceris? quin potius magis peccare videtur secundus quam primus, ut Basilius ait, cum duo iratis animis inter se certant: nam iste vidit in altero turpitudinem irae, et tamen non cavere, sed imitari voluit; ille vero sine exemplo peccavit.

At si contumeliam pertulero, inquies, ignavus et vilis habebor. Imo vero tunc ignavus et vilis non diceris, sed eris, si affectionem istam vincere non potueris: nam si vilis est, qui patienter injurias perfert, ergo vilis Moyses, vilis Ioseph, vilis b. Stephanus, viles apostoli et martyres fuerunt, imo et Dominus ipse vilis fuit, qui homo Samaritanus ac daemoniacus, contumeliose appellatus, mitissime respondit: *Ego daemonium non habeo.* Istam ignaviam sibi homines finxerunt, vel potius draco iste tartareus patientiam ignaviam esse docuit: et vere patientia, incuria diaboli et stultorum, ignavia est: at in palatio Dei, in aula summi regis, magna est fortitudo.

Quamobrem, auditores, si draconem conculcare volumus, discamus injurias pati, et si quis nos viles appellaverit, illud cogitemus, non esse nos majores patre nostro Abraham, qui se terram et cinerem confitebatur. Si quis nos inopes et pauperes dixerit, recordemur nudos de utero matris nos egressos, et nudos in sepulchrum redituros. Si quis indoctos et imperitos nos nominaverit, agnoscamus veritatem, non velimus pro umbra falsi nominis litigare. Si quis nos malos et peccatores asseruerit, intelligamus id quoque esse verissimum, et potius humili confessione peccata purgare, quam superba defensione augere studeamus. Ita draconem superabimus, Dominum et sanctos imitabimur, et gloriae coronam in coelo nobis praeparabimus, quam nobis concedat, qui est in saecula saeculorum benedictus. Amen.

CONCIO XI.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU XIV. ET PRIORE PARTE DECIMIQUINTI.

Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit ad me, et ego exaudiam eum.

SYNOPSIS

Exordii loco, triplici testimonio ex hoc Psalmo erulo probatur protectio sperantium in Deo, experientia scilicet justorum, auctoritate prophetica psalmographi, et ipsius Dei approbatione. Deinde ostenditur, tribus ultimis versibus octo beneficia homini justo a Deo promitti; quae ibidem pulchro ordine enumerantur, et his duabus ultimis concionibus explicantur. Primum itaque beneficium est liberatio a servitute, ubi duplici libertate explicata, vera et falsa, hujus beneficii magnitudinem ex tribus potissimum elucere ostenditur. Primo ex tyrannide libidinum, quo in loco tyrannis libidinis, ambitionis aliorumque vitiorum prolixo et eleganti discursu repraesentatur. Secundo ex horribili stipendio peccatorum, quod est mors; ubi probi agricolis, improbi triremibus addictis assimilantur. Tertio ex infinitis laboribus, quibus Dominus in libertatem pristinam nos restituit; ubi passio Christi summatim perstringitur, et nobis iugiter consideranda per pulchram doctrinam proponitur.

In parte secunda, praemissa explicatione, ad quosnam beneficium hoc liberationis pertineat ad secundum beneficium sperantibus in se a Deo promissum descenditur, quod est singularis quaedam providentia, qua Deus in se sperantes, et iam liberatos defendit; quae vel ex variis nominibus colligitur, quibus ob id appellatur, qualia praeter caetera sunt patris, matris, sponsi, pastoris et custodis, quae omnia ex sacra scriptura eliciuntur. Explicatur insuper quibus hoc beneficium providentia sit peculiare, nempe familiariter Deo cognoscentibus. Tertium beneficium est, precum justi exauditio, ubi hujus promissionis et beneficii magnitudo multis exaggeratur, et plurimis sanctorum exemplis probatur. Hujus autem beneficii praecipua causa assignatur clamor cordis, quem parit firma fides et humilitas, quod ad finem usque extendetur.

Quoniam sententia Domini est; *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*, propterea sanctus Propheta, auditores, persuasum nobis esse cupiens, eos omnes, qui sperant in Deo, certo protegendos ab eo, quod initio Psalmi promittit, tribus uti voluit testimoniis: adduxit primo loco unum ex hominibus justis, qui se experientia didicisse veram esse propheticam hanc promissionem affirmaret ac diceret: *Sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero.* Deinde ipse idem sanctus David sua hac prophetica auctoritate rem eamdem confirmavit, cum ait: *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis*, et quae sequuntur, usque ad eum versum, quem oratione superiore tractavimus: quamvis enim id aliis hominibus non liceret, ut in propria causa testimonium dicerent, tamen prophetis maxime licebat, qui non ut homines erroribus obnoxii, sed ut instrumenta atque organa, et quasi tubae quaedam Spiritus sancti loquebantur. Nunc vero tertio ac prostremo loco Deum ipsum inducit, promissionem eamdem his verbis comprobantem: *Quoniam in me speravit, liberabo eum*, qua oratione Deus sigillatim ex ordine omnia confirmat, quae hucusque dicta sunt. Dixerat homo justus, *Sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me*: dicit nunc Deus: *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Et dixerat propheta: *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis* et *Scuto circumdabit te veritas ejus*, hoc est, ut pullus a gallina vel ut miles a scuto, sic tu a Deo, in cujus nomine spem posuisti, protegeris: dicit nunc Deus: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Dixerat idem Propheta, *non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die*: dicit nunc Deus; *Clamavit ad me*, nimirum timens a timore nocturno, et a sagitta volante in die, *et ego exaudiam eum*, ne deinceps ullam habeat causam timendi.

Dixerat Propheta: *Cadent a latere tuo mille*: dicit nunc Deus: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Dixerat Propheta: *Verum tamen oculis tuis considerabis*,quae verba ad vitam et gloriam futuram praecipue referri demonstravimus: dicit nunc Deus, eamdem vitam et gloriam promittens: *Longitudine dierum replebo eum.*

Dicat aliquis, si haec ita se habent,iam psalmus totus explicatus est, quid hic amplius haeremus? parum enim certe refert, quod ea, quae sequuntur in Psalmo sint alia verba, cum non aliam sententiam, sed unam atque eamdem cum superioribus contineant. At non ita est, auditores, nondum est psalmus totus explicatus: quamquam enim propheticas promissiones, de quibus hactenus disseruimus, his verbis Deus confirmet, tamen ita confirmat, ut more liberalium principum generalibus verbis utatur, et eadem beneficia quidem, sed aucta et cumulata promittat: quemadmodum si regi libellum supplicem offerres, quo praesidium peteres adversus unum aliquem hostem tuum: ille vero regali munificentia tecum agere volens, responderet, Sis bono animo, ego patrocinium tuum suscipiam, et non solum ab isto uno, quem times, sed ab omnibus aliis, qui tibi nocere ulla ratione tentabunt, semper defendam et protegam. Ita prorsus et homo justus sibi, et propheta homini justo protectionem Dei, defensionemque promiserat. contra certa pericula, contra laqueum venatorum, contra verbum asperum, contra timorem nocturnum. Deus vero ut princeps vere liberalis, generalibus verbis loquitur, et protectionem suam defensionemque promittit, non a certis periculis, sed ab omnibus malis liberabo eum, inquit,et protegam eum,exaudiam eum: atque in summa, octo beneficia pollicetur: quod liberabit a servitute, quod proteget in periculis, quod exaudiet preces,quod consolabitur in calamitatibus, quod ab eis tempore suo eripiet, quod easdem in gloriam et beatitudinem commutabit, quod vitam immortalem et sempiternam tribuet quod seipsum facie ad faciem exhibebit, in quo plena perfectaque felicitas continetur. Sunt autem haec beneficia summo ordine hoc loco ab ipso Deo enumerata: incipiunt enim a liberatione, quae est quasi prima radix, et fundamentum omnium bonorum, et paulatim atque gradatim ascendunt usque ad ipsam summam et sempiternam felicitatem,quae in Dei contemplatione consistit. Et quatuor quidem priora ad vitam futuram pertinent: hic enim impletur quod dicitur: *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione*: in coelo vero erit quod sequitur: *Eripiam eum, longitudine dierum replebo eum et ostendam illi salutare meum.*

Veniamus nunc si placet ad beneficium primum. *Quoniam*, inquit, *in me speravit, liberabo eum.* Magna et expetenda atque imprimis grata et amabilis res est libertas, et quam, ut Tullius ait, non solum ab hominibus, verum etiam a bestiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videmus. Certe aviculae, quarum cantu homines delectantur, in caveis inclusae sine ullo suo labore summo studio nutriuntur: et nihilominus tantus est amor libertatis ut saepenumero praemoerore neque canere,neque edere eis libeat, et si possint libentissime fugiant, malintque libere victum cum labore quaerere, et sub dio frigore atque aestu confici,quam captivae in palatiis regum delitiis frui. Quod si bestiis rationis expertibus id accidit,quanti tandem homo libertatem facere debet, qui solus proprie est liber; et nihilominus contra omne ius,non raro crudelissimis dominis servire cogitur? Est enim, ne quis forte decipiatur et erret, duplex agnoscenda libertas, una vera, altera falsa: vera illa est, quae animum reddit liberum a tyrannide vitiorum, ut veris et propriis suis operibus pro arbitrio praesit, quicquid interim de corpore fiat, sive id ligatum, sive solutum sit. Illa vero est falsa, quae solum corpus efficit liberum, cum interim animus subjectus vitiis et sceleribus miserrime serviat. Itaque neque ego Caesarem et Alexandrum liberos fuisse dixerim, cum toti pene orbi imperantes,tamen suis vitiis turpissime serviebant: neque contra Petrum et Paulum servos, cum corpore captivi, et catenis ac vinculis constricti,tamen animo toto orbe liberrime vagabantur, et suis litteris tanquam regiis diplomatibus infinitos homines quotidie liberabant. Nam ut homo non corporis membris,sed animi virtutibus a brutis animantibus separatur: ita non corporis, sed animi libertas vera est, et sola hominis appellanda libertas. Quo circa Dominus Evangelio Judaeis falsam libertatem jactantibus, et veram ignorantibus, ac dicentibus: *Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam*,verissime respondit: *Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati: servus autem non manet in domo in aeternum. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Hoc igitur munus eximium, et singulare verae libertatis, quo nihil charius nihil amabilius, quo nihil dulcius ei placabilius hominum generi dari potuit,nobis Deus pollicetur, cum ait: *Quoniam in me speravit, liberabo eum.*

Cujus quidem doni magnitudinem et praestantiam tribus ex rebus utcumque saltem intelligere poterimus. Ex intoleranda atque immani tyrannide libidinum, ex admirabili atque orribili stipendio peccatorum, ex infinitis sumptibus et laboribus, quibus Dominus in antiquam libertatem nos tandem aliquando restituit. Etenim quae unquam oratio vitiorum ac libidinum tyrannidem explicabit? Aspice in primis atque intuere quam durum imperium luxuriae vitium in suos captivos exerceat: nam ut veterum ethnicorum fabulas sive historias omittam, nihilque dicam de Achille, de Sardanapalo, de Nerone, nihil de celebratissimo illo Hercule, qui posteaquam omnia totius orbis monstra devicerat ac domuerat, victus ipse tandem amore cujusdam mulierculae, deposita clava, assumpta et lana et colu, inter mulieres sedere, ac nere et canere cogebatur, propterea quod meretricula ita jubebat, et nisi pareret, graviter minabatur. Ut praeteream etiam, quod ipsae divinae scripturae de fortissimo Sampsone ac de Salomone sapientissimo nobis proponunt: quorum priorem, qui neque vinculis teneri, neque portis concludi, neque ab integris exercitibus vinci potuerat, amor tamen unius

meretriculae superavit, atque ad eam calamitatem adduxit, ut oculis privatus in pastrino vice jumenti molam ageret; posteriorem post illam admirabilem ac divinitus infusam sapientiam, post illud coeleste lumen spiritumque propheticum, quo tot libros divinissime conscripsit, post ingentem illam gloriam, qua linguis omnium gentium toto orbe fama celeberrima praedicabatur, luxuriae vitium tam saeva tyrannide oppressit, ut omnium concubinarum suarum idolis sacrificare, et delubra atque altaria erigere cogeretur: ut ista, inquam, omnia praeteream, et sola quotidiana exempla in medium adducam, intuere quid mulier adulteria faciat, ut hujus crudelissimi tyranni imperium exequatur. Scit ipsa quod si forte a viro suo in scelere deprehendatur, sine ulla dubitatione peribit, et in puncto temporis amittet vitam, et famam, et divitias, et animam, et quicquid boni sive in hoc saeculo, sive in futuro expeti potest: et quod simul parentibus, liberis affinibus, toti domui, toti familiae, toti generi notam infamiae gravissimam muret, perpetuamque doloris ac luctus materiam derelinquet: et nihilominus tanta vis est illius affectionis, tam implacabilis tyrannus luxuriae, ut misera illa foemina omnia ista, quamvis aspera et difficilia superare, omnesque molestias et pericula, quamvis horribilia et evidentia devorare cogatur, modo libidinis imperium exequi valeat. Et quis unquam immanissimus tyrannus mancipia sua cum tanto periculo ac detrimento sibi obtemperare voluit? Quid? Quod ita vitia ista hominem totum quasi ebibunt, et omnia ejus tempora sibi vendicant, ut nihil eum aliud unquam agere vel dicere, vel cogitare vel somniare patiantur. *Vinum et mulieres* inquit Ecclesiasticus, *apostatare faciunt sapientes*, quia nimirum homines ebrii amore carnalium voluptatum non minus ad alia omnia sunt inepti, et judicio ac ratione privati, quam si ingens poculum calidissimi vini totum ebibissent: neque Dei timor, neque stimulus conscientiae, neque mors neque judicium, neque paradisus neque infernus, neque aliud quicquam eos ad meliorem mentem revocare potest; sed quam alte dormiunt ad omnia bona studia, tam diligenter vigilant ad omnia flagitia. Neque solum corporis membra, oculos, aures, linguam, manus, pedes, sed etiam, quod horribile est, mentem atque intelligentiam ipsam servire cogunt impurissimis cupiditatibus. Si quis coniugem nactus esset nobilem, divitem, castam, prudentem speciosam, omni genere virtutis et laudis excellentem, ac deinde amore captus alicujus turpis ac vilis ancillae, coniuge contempta, cum ancilla viveret, ancillam sequeretur, cum ancilla negotia et consilia sua communicaret, atque ad ejus imperium omnes suas opes in ludis et conviviis et potationibus consumeret, et eo non contentus, uxorem etiam compelleret ancillae obtemperare, et nihil unquam dicere, vel agere, nisi ad nutum ancillae, quis tantam indignitatem ferre posset? Quis contra ejusmodi hominem non fremeret? Quis miseram conditionem illius nobilis matronae non deploraret? At longe est gravius et indignius, quod infiniti homines quotidie perpetrant. Quis enim ignorat, mentem rem esse praestantissimam, speciosissimam, divinissimam, carnem nostram vilissimum abiectissimumque mancipium, et vix dignum quod humanae intelligentiae famuletur? Et tamen quot, quaeso, reperiemus, qui ita sordidissimae ancillae afficiuntur, ut nihil nisi de ea cogitare valeant, et non modo corporis membra, oculos aures, linguam, manus et pedes in obsequium carnis impendant, sed ipsam etiam mentem natura dominam, et partem nobilissimam sui, dies et noctes vigilare et laborare faciunt, ut modos et rationes inveniant, quibus carnis libidini satisfiat. Quid stulti illi homines, qui nervos omnes ingenii intendunt et vires intelligentiae consumunt, ut scribant carmina amatoria, plena subtilitate atque argutiis, quibus pudicitiam alicujus castae mulieris expugnare possint, nonne lumen illud animi coeleste ac divinum, quo Deus ipse aliquando conspiciendus erat, detorquent miseri ad vile obsequium nequissimi mancipii? Quid? Illi tam sollicite tam solerter, tam acute vestium ornamenta, ciborum condimenta, odorum suavitates, ludorum, saltationum, concentuum mixtiones et varietates excogitant, ut ancillae abiectissimae appetitionibus inserviant.

Magna igitur et intoleranda tyrannis luxuriae, sed non minor ambitionis atque aliorum vitiorum est. Videmus ambitiosos honoris mancipia non agere, quod volunt, non loqui, quod cupiunt, non ire, quo expedit, sed omnia sua et verba et opera ad id referre, quod jubet ambitio; nimirum ut sint retia et laquer ad auram plausumque popularem aucupandum, ut jam mirum videri non debeat, si imperator Domitianus, tot provinciarum intermissis negotiis, totos dies consumebat in venatione muscarum, quas armatus praeacuto stimulo tota aula persequebatur, adeo ut si quis forte quaereret, an aliquis intus cum Caesare esset famuli responderent; Ne musca quidem: multo enim profecto stultius est fumum aucupari, quam muscas. Sed vide quam grave jugum ambitio mancipiis suis imponat. Primum eos uno tempore humi cogit repere, et per aerem volare: quis unquam tyrannus talia suis mancipiis imperavit? Et tamen ita res se habet. Siquidem homo ambitione jubente, super omnes ascendere nititur, nulli subesse omnibus praeesse, atque interim, ut eo quandoque perveniat, omnibus se prosternit ac subiicit: ita miser a seipso divisus, secum ipse pugnans, exterius praefert humilitatem, interius alit ac nutrit superbiam. Deinde leges hujus atrocissimi tyranni ejusmodi sunt, ut si quis vel jure vel injuria contumeliam vel detrimentum aliquod accipiat, mox actum esse putet de existimatione, nisi primo quoque tempore ulciscatur, et si aliud efficere non potest, teneatur omnino hostem suum ad singulare certamen provocare et potius corpus et animam perdere, quam vel minimam jacturam dignitatis facere. Itaque frequenter apud Italos, apud Hispanos potissimum videre est viros nobiles, aetate atque opibus florentes, ob unum verbum temere prolatum, quo laesam esse existimationem sibi persuadent, tanta pati propter idolum honoris, quanta si propter Deum verum paterentur, martyres clarissimi optimo jure haberi possent. Nam praeter ingens illud

periculum, vitam praesentem et futuram simul amittendi, quod adeunt, cum in arenam pugnaturi descendunt, multos menses, et saepe etiam annos in praeparatione consumunt,quo toto tempore longum martyrium ducunt: nam et animus numquam a solicitudine, a metu liber est et oneribus continuo exercetur, ac ut Apostolus ait, ab omnibus se abstinent, parce comedunt, parce bibunt, parce dormiunt, de ludis et voluptatibus ne cogitant quidem.Et quis unquam Dionysius autPhalaris tam severas leges mancipiis suis imposuit ut non liceat verba, quae solum aerem verberant, et hominem non laedunt, contemnere ac despicere sed oporteat propterea et corpus et animam in ultimum discrimen adducere?

Omitto de tyrannide avaritiae atque aliorum innumerabilium vitiorum dicere, quia nullum unquam exitum oratio reperiret, et cum Psalmographo illud affirmo, omnes peccati servos sedere *in tenebris et umbra mortis, vinctos in mendicitate et ferro*: quae enim major caecitas fingi potest, quam quae ignoret homo seipsum, ignoret Deum, nesciat an vivat, cur in hunc mundum venerit, in quem finem a Deo creatus fuerit, et in primis tot sua vincula et catenas non videat? Quae vero esse potest mendicitas major, quam quod miser homo infinitas cupiditates quasi ora infinita,et stomachos infinitos habeat, qui semper latrant, semper petunt, semper esuriunt, et numquam quidem expleri valent? O misera servitus hominis peccatoris, si eam cognoscit: et miserior, si non cognoscit:

Sed videamus parumper, si placet, quale stipendium pro tantis laboribus famulis suis peccatum rependat. Quod est peccatorum stipendium? Apostolum audiamus: *Stipendium*, inquit, *peccati mors*, et mors haud dubie tam prima,quam secunda. Eant igitur mancipia vitiorum, et fideliter dominis suis inserviant,vigilent noctes et dies,adeant omnia pericula, non parcant sumptibus nec laboribus, ne tanto stipendio forte fraudentur. *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lachrymarum*, vel caecitatem atque errorem, vel insaniam potius et furorem tot miserorum defleam, qui pro stipendio mortis aeternae tam grave jugum alacriter ferunt, qui laboribus multo minoribus in momento coelum reperent. Itaque similes mihi esse videntur servi peccati miseris illis remigibus, qui captivi in triremibus detinentur, sicut omnes servi Dei prudentibus agricolis rectissime comparantur: nam et remiges et agricolae pene semper laborant in fodiendo, sed remiges aquam, agricolae terram fodiunt. Tantum autem interest inter haec duo genera fodiendi, ut qui terram fodiunt, frumentum postea metant, qui fodiunt aquas nihil inde lucrentur, nisi verbera: ita prorsus, auditores, laborant homines improbi, laborant etiam probi, utrique patiuntur, utrique sudant, utrique fodiunt: sed homines probi et pii ut agricolae sapientes terram fodiunt, rem videlicet solidam et foecundam, in operibus bonis verisque virtutibus se exercent, unde tempore suo vitam aeternam metuunt: at homines improbi ut remiges miseri triremibus alligati aquam fodiunt, in rebus fluxis, labentibus, sterilibus vires suas consumunt, unde tandem peccati stipendium, supplicia sempiterna recipiunt.

Sive igitur ipsam per se vitiorum tyrannidem, sive stipendium ejus consideres, magna omnino et horrenda ac deploranda est servitus peccatorum. Sed nihil tamen ita miseriam servitutis, et excellentiam libertatis declarat, ut modus liberationis et passio liberatoris. Quanti enim, existimatis,constitit Christo nostra libertas, quam nos tam parvi facimus, ut tribus obolis, pro fumo honoris, pro una brevissima voluptate saepenumero libentissime vendamus? quanti, inquam, Christo nostra libertas constitit? O christiani, si pretium nostrum intelligeremus, non *corruptibilibus auro vel argento* redemit nos Deus, *sed pretioso sanguine quasi agni immaculati et incontaminati Christi*. Nullo sumptu aut labore, sed solo nutu voluntatis mundum totum Dominus creavit: at ut nos de servitute liberaret, in stabulo nasci in laboribus vivere, in doloribus mori Dei Filius debuit. Et quibus in doloribus? Certe talibus, ut sola eorum cogitatio et expectatio sanguineum sudorem eumque largum et copiosum elicere potuerit: perpessio vero etiam lapides durissimos fregerit, et terram tremere ac coelum ipsum lugere coegerit. Pretiosa libertas, quae Dei servitute redimitur; nobiles merces, quae Dei vita comparantur. Intelligebat profecto Dominus, mercator sapientissimus, pretium hujus excellentis margaritae, quando exinanivit semetipsum quando formam servi accepit, quando triginta tres annos in fame et siti, in frigore et nuditate, in jejuniis et vigiliis, in itineribus, in persecutionibus, in angustiis vixit, et quando totum sanguinem suum in ligno crucis effundere maluit, quam ut pretiosam istam gemmam extorqueri sibi de manibus pateretur. Intelligamus nos quoque fratres mei, pretium libertatis, non simus *ut equus et mulus, quibus non est intellectus*. Agnoscamus gloriam illam eximiam libertatis filiorum Dei, ad quam vocati sumus, quae mater est omnium bonorum, quae pacem veram, gaudium solidum, otium beatum, quietem et tranquillitatem sempiternam sola praestare potest. Si ethnici Romani tam cruenta praelia gesserunt, tot pericula adierunt, tot mortibus se obiecerunt pro falsa et peritura libertate, et tam admirandas res gesserunt, ut Brutus et Torquatus proprios filios trucidarent, Mutius Scaevola manum totam in ara ardente combureret, Curtius armatus equo concito in ruptum terrae hiatum se praecipitem daret, duo Decii pater et filius se mactandos hostibus obiicerent, Valerii vero et Cincinnati, Curii et Fabricii in extrema inopia sponte sua viverent, alii tam multi cruenta praelia gererent, summa pericula adirent, praesentissimae morti quotidie se offerrent: quid tandem pro vera et sempiterna libertate facere nos oporteret? At minora sunt, quae Deus a nobis requirit, majora quae pollicetur. Non perit, ut filios interficias, sed ut pauperes Christi loco filiorum habeas: non ut manum igni devorandam porrigas, sed ut a furtis et caedibus illam contineas, atque ad opera misericordiae extendas: non ut teipsum in praecipitium dedas, vel hosti-

bus mactandum obiicias, sed ut poenitentiae laboribus corpus tuum castiges, et malas cupiditates in teipso, quoad poteris, occidas: non denique ut in summa inopia vivas, (quamquam neque id magnum videri pro coelestibus divitiis deberet) sed ut tuis contentus aliena non appetas, et opes tuas cum pauperibus fratribus tuis communices. Quod si parva ista pro vera libertate non fecerimus cum his multo majora pro falsa ethnici fecerint, pudore saltem pungamur: si vero fecerimus, superbia non extollamur.

Illinc verba Christi multum movent, multum etiam movent miracula et opera praeclara, quae in terris gessit: sed nihil tamen ita movet, ut ejus passio, cum quis cogitare incipit, quanta majestas pro vilissimis vermiculis, sputa, colaphos, flagella, spinas, et denique ipsam crucem pati voluerit. Videbatur Christus in cruce pendens nihil agere, sed nunquam tanta egit quam tunc: movebat terram, scindebat lapides, frangebat velum, obscurabat solem, aperiebat coelum, mortuos excitabat: et quod majus est, peccatores ad poenitentiam convertebat, ita, ut a cruce multi redirent percutientes pectora sua, denique tunc implebat, quod dixerat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Philosophi olim multa dicebant, sed quia parum agebant, et nihil patiebantur, nemini persuadebant: rhetoricam istam ignorabant, quam Dei Filius docuit: at apostoli a Christo edocti, simpliciter loquendo, sed multa faciendo, et majora patiendo, quicquid voluerunt, persuaserunt: non voluptates ut Epicurus, sed passiones, dolores, crucem. Et quibus? Toti mundo, regibus, imperatoribus, tyrannis. Magna igitur vis magnum robur passionis Domini nostri Jesu Christi.

Consideremus igitur ducem atque imperatorem exercitus sanctorum, audiamus quid de eo in epistola ad hebraeos apostolus dicit: *Deponentes omne pondus*, inquit, *et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem et confusione contempta: atque in dextera sedis Dei sedet: recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnante.* Cogita istum esse auctorem et consummatorem fidei, hoc est, eum, qui donat et coronat fidem, qui est principium et finis, qui est via et vita, qui ducit, et qui perducit: qui nunc facit, ut credas, et postea faciet, ut non frustra credas, cum ipse sit dator et remunerator fidei, qui enim in te coepit opus bonum, ipse perficiet, et fidem consummabit, hoc est, beata atque aeterna visione commutabit. Aspice igitur istum auctorem et consummatorem fidei, tamquam speculum sine macula, et quasi aeneum serpentem in deserto exaltatum: et sicut novi et rudes pictores diligenter aspiciunt insignem aliquem pingendi magistrum, cum forte manus habet in tabula: sic et tu aspice diligenter peritissimum hunc magistrum patiendi, dum in tabula crucis sanguine suo ipsam ideam patientiae depingit. Quomodo autem depingat, diximus in parte secunda concionis septimae de Tribulatione. Nunc si placet, parumper quiescamus.

PARS SECUNDA

Diximus hucusque de magnitudine atque excellentia libertatis, quae nobis promittitur, cum dicitur: *Liberabo eum*: nunc ad quos id beneficium pertineat paucis verbis explicabimus, ac deinde de aliis duabus propheticis promissionibus breviter disseremus.

Ait igitur sanctus propheta: *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Quibus verbis ostendit, non omnibus hominibus, sed solum spe magna praeditis munus libertatis promitti, ubi nomine spei non inanem et mortuam quamdam fiduciam intelligimus, sed spem vivam, et per dilectionem operantem: vel potius ipsam dilectionem, quae quasi glutino quodam mentem humanam a rebus creatis abstractam ac separatam, cum Deo ita coniungit, ut unus spiritus fiat cum eo: id enim significat verbum hebraeum *chasah*, quod s. Hieronymus ad verbum transtulit, *adhaesit*: *Quoniam*, inquit, *mihi adhaesit*, nimirum vinculo dilectionis, *liberabo eum*: quamvis enim multa sint, quae juvant ad veram libertatem spiritus adipiscendam, tamen ad amorem omnia referuntur. Huc sacramenta, huc preces, huc psalmi, huc praecepta, huc consilia, huc exhortationes et conciones pertinent, ut homo cum Deo amoris vinculo coniungatur: hoc est illud unum, de quo Dominus ait: *Porro unum est necessarium.* Ut enim sola cupiditas facit servum, ita sola charitas facit liberum: et quomodo amor pecuniarum, amor honorum, amor carnalium voluptatum hominem ligat, inebriat, dementat, ut nihil nisi terram cogitare valeat: ita prorsus amor Dei totum hominem absorbet, ei novos oculos, novas aures, novum cor, novum palatum attribuit et mirabili conversione in alium hominem ita eum transformat; ut iam appetat, quod prius horrebat, et horreat, quod prius appetebat, et ei amarum dulce, et dulce amarum, formosum turpe, et turpe formosum esse videatur: et quemadmodum aqua in olla ad focum suspensa, mox ut subiecto igne calorem concepit, naturae propria oblita salit, fervet, adurit, ignem quoad potest, imitatur, tametsi alioqui nihil nisi descendere et refrigerare noverat: sic et animus humanus flammis divinae charitatis adeo totus corripitur, accenditur, mutatur, ut de frigido calidus, de obscuro lucidus, de turpi formosus, de terreno coelestis, de carnali spiritalis, de servo liber efficiatur, et ab apostolo Paulo novus homo, et nova creatura nominetur.

Sed iam ad beneficium secundum veniamus, quod nihil est aliud, quam singularis et continua quaedam providentia, qua Deus eos protegit ac defendit, quos de peccati servitute liberavit: *Protegam eum*, inquit, *quoniam cognovit nomen meum.* Porro qualis haec providentia sit, facile cognosci poterit ex multis et variis nominibus, qui-

bus propterea Deus in sanctis litteris appellatur: Nam ut omittam quod rex dicatur, quia regit; et Dux quia ducit; et medicus, quia sanat; et magister, quia docet, et alia propemodum infinita, sicut vere magnitudo divinae protectionis est infinita: illud mihi satis esse videtur, quod et pater, et mater, et sponsus et pastor et custos nominari voluit, ut ex tot appellationibus magnum prorsus et admirabilem esse Dei providentiam erga sanctos homines minime dubitaremus. Ac nomen quidem patris passim in Scripturis reperitur. *Quomodo miseretur pater filiorum*, inquit sanctus David, *misertus est Dominus timentibus se.* Et Moyses: *Portavit te Dominus Deus tuus*, inquit, *ut solet homo gestare filium suum parvulum, in omni via, per quam ambulasti.* Et Dominus in Evangelio tertio fere quoque verbo Deum Patrem suum et nostrum vocat. Quia vero saepe matres vehementius et magis tenere filios suos diligunt quam patres, et majori studio ac solliciludine eos tuentur ac fovent: propter hoc Deus non solum paternae, sed maternae curae providentiam suam comparare vel potius anteponere voluit. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum*, ait Dominus per Isaiam, *ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui: ecce in manibus meis descripsi te.* Deus bone, qui verba majoris benevolentiae dici, aut quam signa magis tenerae dilectionis dari poterant? Et tamen adhuc ulterius Dei amor progreditur, et quoniam *relinquet homo patrem, et matrem et adhaerebit uxori suae*, aut providentiam patris et soliciludinem matris etiam zelum et charitatem sponsi adjungere voluit. Sic enim in Canticis Canticorum passim Deus appellatur. Et per Oseam: *Sponsabo*, inquit, *te mihi in iustitia, et judicio, et in misericordia, et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide. Et erit in die illa, dicit Dominus vocabit me vir meus, et non vocabit me ultra Baalim.* Quid iam de nomine pastoris dicam? *Sicut pastor*, inquit Isaias, *gregem suum pascit, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, et foetas ipse portabit.* Quanta haec est providentia? Quanta haec solliciludo? Et non minorem apud Ezechielem inveniens: *Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, et quod abiectum erat, reducam, et quod confractum fuerat, alligabo, et quod infirmum fuerat, consolidabo, et quod pingue, et forte custodiam.* Sed nihil majus eo dicit quod in Evangelio Dominus per seipsum, ait: *Ego sum pastor bonus*, inquit, *et cognosco oves meas.* At quomodo oves tuas Domine cognoscis? Quibus oculis eas respicis? *Sicut novit me pater*: quibus oculis, inquit, me respicit Pater meus caelestis, illis ego oves meas respicio. Quis explicabit nobis quam benignis oculis summa illa majestas Filium suum unicum, naturalem, optimum, sapientissimum, pulcherrimum, sibi simillimum aspiciat? Si igitur talibus, hoc est, similibus, quautum fieri potest, nos oculis Dei Filius respicit, quid maius, quid felicius ista providentia? Iste vero est aspectus felicis planetae: hoc est vere natum esse sub clementi sidere. Sed quid si his omnibus addamus, id quod Moyses ait, Dominum justos cus'odire *ut pupillam oculi sui?* Et quod ipse Dominus per Zachariam ait: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei?* Quibus enim verbis magis declarari, demonstrari, exaggerari, amplificari poterat hujus providentiae magnitudo? Quid enim maiori animi provisione defendimus quam pupillas?

Magnum igitur et singulare donum est, quod nobis hoc loco Dominus pollicetur, cum ait: *Protegam eum.* Sed audi rationem: *Quoniam cognovit*, inquit, *nomen meum*: nec enim omnium est hoc munus, sed eorum dumtaxat, qui Dei nomina, de quibus iam disseruimus cognoscunt, qui Deum ut patrem, ut matrem, ut sponsum, ut pastorem, ut custodem suum non verbis tantum, sed reipsa et factis agnoscere se demonstrant: non enim de quacumque notitia Dominus loquitur, sed de ea, quae ex intima amicitia et familiaritate nascitur, de qua Isaias: *Cognovit*, inquit, *bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui, Israel autem me non cognovit.* Et apostolus Paulus: *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Et Dominus in evangelio: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae.* Cognoscit pastor unam oviculam suam inter mille alienas, nec minus ovis pastorem suum, et vocem ejus agnoscit, nec alia de causa, quam propter diuturnam inter eos consuetudinem et familiaritatem. Et nonne vulgo etiam dicimus de iis, quibus familiares non sumus: Non novi hominem; quos alioqui saepe vidimus, et quorum nomen non ignoramus? Quare non omnis, qui dicit Deo, Domine, Domine, insigne hoc beneficium divinae protectionis accipiet, sed qui Deum novit ex amicitia, qui domum ejus frequentat, et ibi alloquitur eum in precibus, et audit eum in concionibus, qui saepe mittit et recipit munera, mittit Deo sacrificia laudum, et recipit a Deo beneficia gratiarum.

Quapropter recte sequitur in Psalmo: *Clamavit ad me, et ego exaudiam eum*: quae est promissio quaedam inexplicabilis et infinita; neque enim pollicetur Deus, se hoc aut illud nobis donaturum si postulaverimus: sed effusissima ac regia prorsus liberalitate, nihil se unquam negaturum, modo nobis expediat. *Clamavit*, inquit, vel ut hebraei legunt, *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum*, nimirum semper, ubique, quicquid clamando petere voluerit. Neque solum hoc loco, sed passim in scripturis hanc promissionem repeti videmus. Sanctus Moyses; *Non est*, inquit, *alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Qui dicit cunctis, nihil excipit, nihil excludit: et quamvis dum preces fundimus, neminem cernamus, et nemo nobis respondeat, tamen non loquimur parietibus, vel aerem verberamus; sed *adest* sine ullo dubio *Deus noster cunctis obsecrationibus nostris. Oculi Domini super justos* inquit Psalmographus, *et aures ejus ad preces eorum.* Et Isaias: *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet, Ecce adsum.* Et Ioannes clarissime; *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quicquid petierimus: accipiemus ab eo.* Denique Dominus in

Evangelio: *Petite et accipietis, quaerite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis.* Et alio loco: *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Et quoniam magnitudo promissionis fidem superare videbatur, iterum et tertio et quarto in duobus exemplis idem repetit, nimirum *quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Quae igitur gratia, quod munus, quod regnum, quod imperium cum ista regia et liberalissima promissione comparari potest? *Quodcumque*, inquit, *volueritis, petetis, et fiet vobis.* O verbum breve: sed incredibiles divitias complectens. O promissionem solo Deo vero et omnipotente dignam: quis enim talia promittere auderet nisi Deus? Quid enim est hoc aliud quam constituere hominem justum dominum orbis et claves ei concedere caelestium divitiarum? et ad quemdam modum omnipotentem illum facere? *Quodcumque*, inquit, *volueritis, petetis, et fiet vobis.* Si scirent homines justis ponderibus res aestimare, cui thesauro, cui regno, cui monarchiae hanc divinissimam ac verissimam promissionem non anteponerent, si *quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis*? Quanti, quaeso, faciunt homines quod aliquis apud regem ea gratia polleat, ut possit de eo, et ejus regno facere quicquid velit? At si haec ita se habent, quanti tandem fieri debet, quod ea gratia valeant homines justi apud regem regum, ut ab eo audiant; *Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis*?

Ac ne forte sola verba esse credatis, legite vitas et gesta sanctorum. Quid erat quondam videre Moysem solis precibus castra hostium fundere, de lapidibus aquas producere, maria exsiccare, et alia tam multa stupenda atque incredibilia facere? Quale spectaculum cernere sanctum Iosue imperantem soli, ut in medio coelo cursu cohibito conquiesceret, non secus ac si coelorum habenas in manibus habuisset? Quid vero, Isaiam audire optionem dantem regi Ezechiae, an vellet solem celerius progredi, an etiam retrocedere, propterea quod aeque facile unum sibi atque alterum esset? Quid Eliam aspicere, cum aquas et nubes in coelo suspensas sola prece vel contineret vel laxaret, et ad ejus imperium serenitas pluviis, et pluviae serenitati succederent? Quid Samuel, quid Elisaeus, quid apostoli, quid martyres non poterant? Nonne sola vi precum morbos curabant mortuos excitabant, daemones fugabant, bestias ferocissimas mansuetas reddebant, ignem extinguebant, paludes siccabant, fontes producebant, lapides molliebant, elementis omnibus imperabant? Quid vero magnus ille Gregorius Thaumaturgus, Martinus, Antonius, Hilarion, Benedictus Bernardus, Franciscus, et alii pene innumerabiles nonne, prorsus quidquid volebant, tam facile impetrabant, ut Dei potentiam et voluptatem plane in manibus habere viderentur? Certe sanctus Dominicus cum aliquando singulari atque intimo cuidam amico suo aperuisset, nihil se unquam a Domino petivisse, quin illud continuo obtinuerit, ille vehementer admiratus dixit; Si ita est, pater, pete semel a Deo, ut magister Reginaldus nostri ordinis habitum suscipiat: erat enim magister Reginaldus vir quidam eo tempore eruditione excellens, sed nihil minus quam de habitu illo suscipiendo cogitabat. Oravit igitur pro ejus conversione vir sanctus illa ipsa nocte, et ecce summo mane cum fratres in choro canerent: *Iam lucis orto sidere*, venit magister Reginaldus, et omnibus stupentibus et gaudentibus ad pedes b. Dominici provolutus, habitum religionis summa humilitate flagitavit. En nobis, fratres mei, quali stipendio etiam hic in terris justorum obedientiam Deus remuneret: ut quoniam ipsi semper erectas habent aures ad imperia Domini etiam Dominus semper erectas habeat aures ad preces eorum: et quoniam ipsi Deum semper audiunt, cum eos vocat, sic et Deus semper ipsos audiat, cum ab eis vocatur: et sicut ipsi voci Dei semper obediunt, et voluntatem ejus faciunt, ita Deus precibus eorum modo quodam semper obediat, et *voluntatem timentium* se faciat.

At cur nos, dicet aliquis, numquam talia experimur? Verbis sancti Iacobi respondebo: *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* Quid facit orationem bonam? Multa numerari solent, sed praecipuum, et in quo caetera continentur, est clamor cordis, id est, fervor animi, affectus vehemens desiderium ardens. *Clamabit*, inquit, *ad me*, hoc est, non loquetur quomodocumque, sed magna voce clamabit, *et ego exaudiam*: nec enim Deo, qui est ignis consumens, placere potest oratio frigida et languida, sine spiritu, sine affectu, cum taedio et fastidio, solis labiis pronunciata. Nec alia de causa oratio comparatur thuri, quam quod veluti thus odorem suum non spargit, nec fumum illum suavem sursum emittit, nisi super ignitos carbones ponatur. sic et oratio non redolet in naribus Dei, nec sursum ascendere potest, nisi a fornace charitatis procedat. At oratio fervens et ignita quas nubes non penetrabit? Quid a Deo non obtinebit? Nec enim Rethorica Tullii vel Demosthenis, nec verba diserta atque ornata, sed solae lachrimae et suspiria, quicquid volunt, Domino persuadent. Et cur putatis in ipso principio orationis dominicae statim nos admoneri, patrem illum nos orare, qui est in coelis, nisi ut magna voce, vel non tam voce, quam clamore opus esse intelligamus, ut ex loco tam humili ad locum tam sublimem oratio nostra conscendere valeat.

At unde clamorem istum et fervorem hauriemus? Unde nascitur? unde procedit? Ex fide et humilitate, qui enim viva quadam et efficaci fide credit, Deum esse praesentem, et se revera ab illa summa et tremenda majestate orantem videri et audiri, quae *aufert spiritum principum*, quae dicit regibus et pontificibus, migra de corpore, et parere oportet, non potest certe non cum summa attentione et fervore preces suas fundere: nec ego possum, nisi modicae fidei tribuere, quod tam frigide tam perfunctorie, tam oscitanter, tot aliis cogitationibus distracti et impediti saepenumero orationi vacamus, ut nos ipsi non intelligamus, quod dicimus. Audite sanctum Hieronymum de ista fide disserentem, et nostram tepiditatem in seipso arguentem: *Ad orationem*, inquit, *assisto, non orarem, si non crederem: sed si vere crederem, illud cor,*

quo Deus noster oratur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrimis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, haererem certe trunco crucis, nec prius absisterem, quam misericordiam impetrarem; nunc vero creberrime in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de foenore computo, aut abductus turpi cogitatione etiam quae dictu erubescenda sunt, gero. Ubi est fides? Siccine putamus orasse Ionam: Sic tres pueros? Sic Danielem inter leones? Sic certe latronem in cruce? Haec b. Hieronymus. Itaque fides ista viva praesentiae Dei, dici non potest, quantum ad clamorem cordis excitandum adiuvet.

Sed non minus juvat humilitas, quae hominem docet, in quam profundo vitiorum jaceat, quam prope ad ipsas tenebras exteriores accedat, quam procul ab illa summa luce et puritate, in qua Deus cernitur, absit, in quantis periculis et corporis et animi versetur: quae omnia cogunt hominem velit nolit non superbire, sed timere ac dicere: *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Quare, fratres mei, si promissionem dominicam nostram facere, et maximum hunc thesaurum ad nos etiam pertinere volumus, clamemus frequenter in coelum, et cum fide atque humilitate clamemus: ita oratio fidelis, seque humilitantis nubes penetrabit, et a Deo, quicquid petierit, obtinebit, per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

CONCIO XII.

SUPER PSALMUM XC.

DE POSTERIORE PARTE VERSUS DECIMIQUINTI, ET DECIMOSEXTO.

Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum et ostendam illi salutare meum.

SYNOPSIS

Ut ecclesia catholica tres praecipue dies Christi celebrat, nempe mortis, sepulturae et resurrectionis: ita cuique fideli tres sunt dies constituti, unus a nativitate usque ad obitum, afflictionis; alter inde usque ad iudicium extremum, quietis; tertius aeternae faelicitatis et gloriae, in quibus Deus promittit se patientiam daturum, liberaturum et glorificaturum, quae in Ioseph et Iob completum clare potuit. Quartum deinde producitur beneficium, quod Deus justis promisit, videlicet consolatio in tribulatione; ubi declaratur, tribulationes huius vitae esse momentaneas, et probos in afflictione habere cum spinis rosas, impios vero spinas sine rosis, quia etiam quibus ipsi delectantur spinae sint, uti sunt divitiae et voluptates. Quomodo in afflictione singulariter Deus adsit iustis, variis exemplis sanctorum probatur, nempe per interiorem quamdam dulcedinem, atque inde colligitur, quam suave sit iugum Domini, et qua ratione voluptatum terrenarum dulcedo caelestem suavitatem excludat.

Pars altera beneficia reliqua a Deo promissa iustis, exequitur, quorum quintum est, ereptio e tribulatione, quod non modo in vita futura homini justo contingit, sed et aliquando in praesenti, ut in Davide et d. Martino videre est; non tamen id semper, sed suo tempore et quando expedit. Ostenditur praeterea per varia exempla hoc idem beneficium ad iustos, non ad improbos, pertinere. Sextum beneficium est glorificatio, ubi gloriae descriptione, et duplici acceptione explicata, sanctis hominibus utramque contingere demonstratur: ac in primis famam et nominis celebritatem, quae quanta sit illis collata, multis amplificatur: deinde bona omnia, quae tamen vere consistunt in aeternitate et faelicitate, atque haec sunt duo pos rema beneficia; quo loco per faelicitatis genuinam descriptionem eo serio invitamur. Epilogus denique causam reddit, cur ecclesia catholica hunc psalmum nonagesimum quotidie recitari vesperi praeceperit, ut scilicet recensendo pristina beneficia nova accipiamus; ut inde tentator confundatur, ut denique nos ipsos animemus et armemus.

Etsi liberator noster, auditores, annos multos in terris cum hominibus egit, tres tamen in iis sunt dies, quos prae caeteris ecclesia catholica mater nostra celebritate praecipua veneratur et colit: Dies mortis, dies sepulturae, dies resurrectionis. Quorum primus dies fuit laborum, secundus dies quietis, tertius dies gloriae. Quod in capite Christo praecessit, idem in corpore, quod est ecclesia, et singulis eius membris reperitur: totum enim fidelium christianorum tempus, quasi tribus magnis, diebus continetur. Quorum primus, qui dies est crucis et afflictionis, ab ortu usque ab obitum in hoc mundo peragitur. Secundus, qui est otii et quietis, ab exitu animae de corpore usque ad ultimi iudicii tempus extenditur. Tertius, qui est perfectae et consummatae gloriae, initium quidem habebit in ipsa communi ac generali mortuorum excitatione, sed nullo unquam sive, nullisque terminis claudetur. De hoc triduo versiculus nostri psalmi, quem hodierna oratione expositurus sumus, agit. *Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione: eripiam eum et glorificabo eum.* Idem est enim, ac si apertius dixisset, cum ipso sum die veneris, eripiam eum die sabbati, glorificabo eum die Dominica, et inde quanta sit munificentia et liberalitas Dei, liquido cognoscimus, quia facere novit supra id, quod petimus aut intelligimus.

Dixerat paulo ante: *Clamavit ad me, et ego exaudiam eum.* Certe qui clamat, in aliqua miseria et calamitate versatur, et si quidem vir sanctus et perfectus est, nihil aliud suis clamoribus petit, quam patientiae donum, ac ut Deus secum in tribulatione sit: Si vero homo est imperfectior, non tam patientiae donum, quae celerem liberationem a Deo precatur. Deus autem, ut petitiones nostras benefi-

ciis suis longe superet, et se nobiscum in tribulatione futurum promittit, quod perfecti postulant; et nos de tribulatione suo tempore erepturum, quod imperfecti flagitant: et praeterea ad vinculum laetitiae ingentem gloriam additurum, ut sicut aurum de fornace pulchrius et lucidius exit: sic et nos de camino afflictionis splendidiores et formosiores egrediamur.

Porro huius verissimae laetissimaeque promissionis quasi speciem quoddam et exemplum Deus in sancto patriarcha Ioseph nobis omnibus dedit. Fuit enim Deus cum eo in tribulatione, quando eum venditum et in carcere constitutum cunctis gratiosum et amabilem fecit. Eripuit vero tempore opportuno de misera illa et injusta captivitate, atque ad extremum ita glorificavit, ut eum Aegypti servatorem et dominatorem faceret. Non dissimile specimen huius promissionis in sancto Iob cernere licet. Fuit enim Deus cum eo in tribulatione, cum una die fortunas et liberos et proprii corporis sanitatem amisit, et tamen Deo in corde ejus patientiae virtutem corroborante, aequissimo animo et summa atque incredibili quadam constantia omnia pertulit: eripuit deinde eum Deus ac liberavit de cunctis afflictionibus atque angustiis suis; nec diu post ita glorificavit, ut ei omnia, quae perdiderat, duplicata reddiderit, praeter filios et filias, quas non quidem plures, sed certe meliores et pulchriores a Deo recepit. Nam, ut Scriptura divina testatur; *non sunt inventa mulieres speciosae, sicut filiae Iob in universa terra.* Cur autem Iob omnia duplicata prater liberos acceperit, ea causa est, quoniam gloria ista sancti Iob gloriam resurrectionis communis omnium sanctorum significat, quae quidem omnia bona, quae hic propter Deum amittimus, cum foenore maximo nobis restituet, sed homines tamen nec plures, nec pauciores, quam mortui fuerint in illa die resurgent. Veniamus, nunc, si placet, ad ipsa verba psalmographi, et singula seorsim ac per se consideremus.

Cum ipso, inquit, *sum in tribulatione.* Quae causa est, auditores, cur in hac sola promissione Deus verbo utatur temporis praesentis, in aliis vero omnibus temporis futuri? Cur dicit, *Cum ipso sum in tribulatione*, et non potius ero, cum dicat, *liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, eripiam eum, glorificabo eum*? Magnum sane solatium omnibus miseris calamitosisque hominibus huius quaestionis explicatio posset adferre, si diligenter, si saepe, si serio perpenderetur. Quid enim illud *sum*, quid illa vocula significat, nisi miserias hujus vitae, cum ipsa vita finiri et sepeliri, et nullum omnino locum in futura vita beatorum habere? Mox enim ut anima aliqua sancta e corpore migrat, abstergit *Deus omnem lachrimam ab oculis* ejus, et ei *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Nec solum ad vitam futuram afflictiones praesentes non transeunt, sed in hac ipsa vita vere individuae, et momentaneae sunt, sicut ipsum tempus praesens, quod per illud *sum*, nobis significatur, nihil est nisi momentum unum tam breve, tam simplex, tam insecabile, ut non tamdiu saltem duret, donec ejus vocabulum totum pronuncietur. Atque hoc est, quod apostolus: ait: *Id*, inquit, *quod in praesenti est, momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Itaque numquam simul dolores patimur unius anni vel mensis, vel diei vel horae, sicut numquam totus simul unus annus vel mensis vel dies vel hora existit. Et quemadmodum in tempore nihil unquam est praesens, nisi punctum unum: sic et labor, quem toleramus, numquam est, nec esse potest, nisi momentaneus. Quare calicem laborum paulatim ac sensim ebibimus, guttaeque dolorum minutissimae in os hominum a Deo liquantur: in futura autem vita flumen gloriae non guttatim, non sensim in os beatorum infundet Deus, sed ipsi torrenti ac flumini voluptatis os admovebunt, et magnis haustibus tantum capient, quantum poterunt. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos*, inquit sanctus David. Et rursum alio loco, *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.* Nec ideo flumen dicitur gloria illa, quod fluat et transeat, sed quod semper affluat, et ubertate indeficiente sanctorum animos laetitia incredibili et inexplicabili perfundat.

Sequitur *in tribulatione*: *Cum ipso* inquit *sum in tribulatione.* A tribulis tribulationem derivari nemo est, qui nesciat. Scribit vero magnus Basilius olim terram sine spinis rosas protulisse, sed posteaquam propter Adae peccatum Deus dixit: *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi*, mox coepisse spinas sine rosis producere, sed non rosas sine spinis. Id quod nihil aliud significare mihi videtur, quam post Adae peccatum nusquam voluptatem sine dolore, neque sine tribulatione delectationem reperiri. Sed hoc interest tamen inter homines justos et injustos, quod homines iusti habeant cum tribulis rosas: injusti tribulos sine rosis. Illi cum tribulis habent rosas, quoniam sicut, in ipsis *abundat* propter Christum tribulatio, *sic et abundat per Christum consolatio* eorum, quibus Dominus ait: *Cum ipso sum in tribulatione.* Impii vero solos tribulos habent, propterea quod in afflictionibus et miseriis suis ad verum paracletum confugere non dederunt neque *manna* illud *absconditum* gustant, *quod nemo scit, nisi qui accipit:* inde supra modum contristantur, plorant, desperant, ponunt *in coelum os suum*, Dei providentiam et justitiam execrantur, et suis illis blasphemiis et maledictis iram Dei magis accendunt, sibique ipsis durius flagellum iterum acquirunt. Quod si nescio, quas delectationes habere videntur homines mali, non sunt tamen illae delectationes rosae verae, sed apparentes, et spinae potius dici deberent quam rosae cum re vera conscientiam pungant, et poenitentiam post se relinquant. Nonne divitias mundus ut rosas amplectitur, et tamen Dominus apud Matthaeum divitias spinas esse confirmat; et quia non ignorabat aliam esse vulgi opinionem ideo apud Marcum studium eas acquirendi deceptionem divitiarum nominavit. Ut enim ii decipiuntur, qui manum extendunt, ut capiant rosas, et interim misere punguntur a spinis: sic et ii decipiuntur, qui sectantur divitias, et nihil inveniunt, nisi molestias. Qui scabie laborant, si perfricent manus, aliquam qui-

dem inter fricandum voluptatem capiunt, sed protinus tam acer dolor atque ardor voluptati succedit, ut valde eos manus fricuisse poeniteat. Pari ratione, auditores, qui scabiem libidinum flagitiis et sceleribus curare volunt,et se propterea saeculi voluptatibus, conviviis, potationibus, fornicationibus dedunt,mox intelligunt scelere peracto,se non rosas,sed tribulos apprehendisse: nam et conscientia punctionem et vulnus se accepisse testatur, et ardor libidinis tamquam addito fomento magis crevit. Vera igitur consolatio a vero paracleto petatur qui vere homini justo dicit: *Cum ipso sum in tribulatione.*

Ac nonne semper Deus nobiscum est? Nonne *in ipso vivimus, movemur et sumus*? Nonne etiam *qui manet in charitate, in Deo manet,et Deus in eo*? Cur igitur quasi novum aliquid modo promittit ac dicit: *Cum ipso sum in tribulatione*? Vellem sane multi hodie hic adessent eorum, qui in aerumnis et calamitatibus versantur, et fideli corde bonum istum nuncium acciperent, quem Deus ad eos dirigit, cum ait: *Cum ipso sum in tribulatione*: nec enim dubito,quin juxta sententiam Sapientis mallent esse in domo luctus, quam in domo convivii et quod lachrimas suas cum omnibus regum delitiis non commutarent. Deus noster, auditores, propterea quod immensus et infinitus est,et nihil omnino rerum creatarum sine ipso aut esse aut operari potest, omnia continet, omnia replet, omnia movet, in omnibus operatur,ubique et semper est praesens, et totus. *Numquid non coelum et terram ego impleo*? inquit *Dominus*. Caeterum praeter communem istam rationem, qua Deus ubique, etiam in brutis, et plantis, etiam in rebus inanimis, etiam in daemonibus est: sublimiori quodam et feliciori modo, puta per fidem, et spem et charitatem in solis piis et justis hominibus, ut in propriis templis et domiciliis habitat: *Nescitis quia templum Dei estis vos*, ait apostolus Paulus, *ac spiritus Dei habitat in vobis*? Sed afflictis et calamitosis justis adhuc certo quodam et singulari modo Deus adest, quo aliis justis, qui non pariter affliguntur, non adest: *Cum ipso* inquit, *sum in tribulatione.* In corpore humano, si membrum aliquod laeditur,statim sanguis caeterique humores eo confluunt,et ipse homo ita circa membrum laesum oculis, manibus, lingua, cogitatione totus occupatur, ut reliquorum membrorum non videatur esse memor: ad eumdem modum Deus,ut commune caput omnium justorum, mox ut aliquem afflictum esse videt, ad eum ut ad membrum sui corporis laesum advolat,et uberem copiam coelestium donorum et gratiarum in eum confluit: *Cum ipso* inquit, *sum in tribulatione.* In domibus bene constitutis, si unus ex filiis aegrotet, nonne mater ita illius unius curam gerit, illum unum fovet, illi uni blanditur, ut saepe caeterae proles ei morbum illum et aegritudinem invideant? Si igitur hoc natura facit, non faciet auctor naturae? Si terrena mater hac providentia erga suas proles utitur, coelestis pater non utetur, qui filios suos tenerrimo, maximo, incredibili atque infinito quodam amore prosequitur? Utitur sane, et non prius videt unum ex justis hominibus afflictum, quin statim ad eum ut ad filium laborantem, cum ingenti affectu et significatione dilectionis accurrit; *Cum ipso sum*, inquit, *in tribulatione.* Hoc est discrimen inter Deum et mundum: mundus currit post eos,qui florent, qui laetantur, qui rident, deserit vero eos, qui in egestate,et pressura sunt:Deus autem,quem Patrem orphanorum et judicem viduarum merito nominamus, illos visitat, cum illis versatur, illos consolatur qui moerent: *Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione.*

At quis tandem est iste modus singularis, quo Deus in animis miserorum habitat? Est, auditores, per intimam quamdam et inexplicabilem dulcedinem, quam Deus in corde hominis patientis latenter infundit, quae animum ita recreat, et roborat, ut non modo praesentem calamitatem alacriter ferat, sed etiam plures et majores pati cupiat: et cum apostolo dicat; *Repletus sum consolatione, super abundo gaudio et omnia possum in eo, qui me confortat.* Id quod Servator noster evidenter expressit, cum legem suam, propter quam saepenumero premimur et affligimur, non lapide, non ferro, non plumbo, non cuilibet ligno, sed iugo comparavit: nam illa omnia ab uno portari possunt, iugum nisi a duobus trahi non potest. Itaque nemo unquam collum suum Christi iugo submisit ad libenter pro ipso patiendum, quin ipse adfuerit statim ex altera parte ad compatiendum.Quia vero Dominus procerus valde, imo et gigas est, majorem partem oneris accipit sibi, et jugum ita attollit, ut vix a cervicibus nostris sentiatur. Numquam legistis verba illa beati Cypriani? *Si vos acies*, inquit, *vocaverit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter,dimicate constanter: scientes vos sub oculis praesentis Domini dimicare, qui non hic est, ut servos suos tantum aspiciat, sed et ipse luctatur in nobis, ipse congreditur ipse in certamine agonis nostri, et coronat pariter, et coronatur.* Et cur, obsecro, apostoli et martyres tanta alacritate ad martyria tamquam ad epulas currebant, et in suppliciis et cruciatibus tripudiabant; Christus autem dominus et imperator noster in ipsa certaminis ingressione trepidavit? Nonne propterea quod Christus cum jugum traheret,solus erat, nec eum apostoli vel martyres adiuvabant, nec ipse seipsum, ut poterat, consolabatur: sancti vero caeteri numquam soli, numquam sine Christo, numquam sine multis et magnis interius consolationibus jugum traxerunt: siquidem ipse, qui mare dulcedinis et suavitatis est, non falso ait: *Cum ipso sum in tribulatione.* Sed frequenter id nobis contingit, quod jumento illo, quo Christus in Ierusalem in die psalmarum vehebatur: quoniam enim jumentum illud non intelligebat, et latera tundebat maluisset profecto vacuum,quam oneratum incedere: at si sarcinae suae praestantiam cognovisset, o quam libenter etiam decuplo graviorem tulisset, et quam magnifice gloriatum de illo suo tam excellenti onere, et honore fuisset? Ad eumdem modum non cogitamus nos, quis ille sit, qui ad nos cum flagello et afflictionibus venit, atque idcirco dolemus, et querimur, sed si dulcedinem, et suavitatem intelligeremus ejus, qui dixit; *Cum ipso sum in tribulatione*, mallemus certe cum ipso in-

ter spinas, et tribulos nudo corpore jugum trahere, quam sine ipso in conviviis principum sedere.

Intellexit hoc apostolus Paulus, qui propterea gloriari se gaudere dicebat, in tribulationibus suis. Intellexit apostolus Andreas, qui ubi crucem suam conspexit, prae laetitia gestiens, et seipsum vix capiens, non secus exultavit, quam si thesaurum maximum reperisset. Intellexit beatissimus Ignatius, qui damnatus ad bestias, non se cum dolore et cruciatu a bestiis discerpendum et devorandum sed contra potius cum delectatione et voluptate se bestiis fruiturum affirmabat; *Utinam*, inquit, *fruar bestiis, quae mihi paratae sunt.* Intellexit magnus ille Tiburtius, qui cum super ardentes prunas ambulare cogeretur, supra mollissimas et blandissimas rosas incedere sibi videbatur. Intellexit ille felicissimus Theodorus, qui temporibus Apostatae Iuliani, cum ab hora prima usque ad decimam crudelissime tortus esset, tunc primum dolere atque angi coepit, cum de eculeo deponeretur, affirmans sibi juvenem pulcherrimum astitisse, qui se tam dulciter consolabatur, et linteo candidissimo sudorem suum abstergebat, ut sibi non tam in eculeo, sed in paradiso delitiarum fuisse videretur. Intellexerunt denique hoc idem permulti sanctorum, qui cum pacis tempore in ecclesia florerent, et non tam persecutores, vel tortores quam sectatores, et cultores haberent, ipsi in seipsos quodammodo saevientes se vigiliis, jejuniis, ciliciis, flagris, aliisque multis magnisque laboribus saepe supra modum et supra vires affligebant, ut eo modo carnali consolatione penitus destituti, et in afflictionis domicilio sponte sua degentes, illum ad se allicerent atque invitarent, qui ait; *Cum ipso sum in tribulatione.*

Quae cum ita sint, si nos quoque, auditores, caelestem ac divinam suavitatem gustare desideramus, terrenis et sordidis voluptatibus nuncium remittamus, oportet: non consolatur crucifixus, nisi servos et amatores crucis, neque ii servi, et amatores, sed hostes et inimici sunt *crucis Christi*, *quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, qui volutantur in flagitiis, iisque in rebus delectantur et gloriantur, quorum eos vehementer puderet, si crucem Domini vere diligerent. Non possumus simul delitiis saeculi frui, non prius manna de coelo pluet, quam tota Aegypti farina deficiat. *Errat omnino*, inquit, beatus Bernardus, *si quis caelestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno; charismata illa spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur.* Non putet is, qui huic sterquilinio semper inhaeret, qui carnem fovet, in carne seminat, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernae visitationis posse percipere. Neque id solum propterea, quod *nulla* sit *conventio lucis ad tenebras*, sed etiam quod anima dum carnalibus delitiis affluit, in iis quiescit nec meliora desiderat. At cum terrena consolatio deficit, et cibi, ac potus, ludorum ac nugarum voluptas subtrahitur, cogitur anima, quae sine delectatione vivere non potest, alibi ea quaerere, atque ita serio ex animo, toto corde se convertit ad Deum, illum quaerit, illum sitit, illi suspirat, illi sinum suum expandit, et cum propheta dicit, *renuit consolari anima mea.* Tum vero Deus, qui suae promissionis oblivisci, et *seipsum negare non potest*, praevenit animam desolatam et afflictam *in benedictionibus dulcedinis* et eam tali gaudio replet, quale numquam experta fuerat et quod mundi delitiis, etiamsi omnes uni concederentur, nihil dubitat anteponere, ac demum eam re ipsa gustare facit, quid sit quod legit; *Cum ipso sum in tribulatione.* Et hic pauxillulum quiescamus.

PARS SECUNDA.

Etsi divina promissio, quam explicat nobis propheta, cum ait *Eripiam eum*, quaeque nunc suo ordine sequitur exponenda, ad sabbatum futurae quietis praecipue pertineat, de quo Ioannes in Apocalypsi. *Beati*, inquit, *mortui qui in Domino moriuntur: amodo* enim *iam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos*: tamen etiam tempore huius mortalitatis non raro completur, ac tum potissimum, cum humana consilia et auxilia magis deficiunt. Sanctissimus quoque David cum aliquando ab exercitu Saulis regis in modum coronae cinctus, nullum omnino effugium inveniret, et de praesidiis humanis penitus desperaret, tunc maxime praesens Dei auxilium sibi adesse sensit: nuncius enim Deo providente ad Saulem venit, qui diceret: *Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terràm*: ita Saul re infecta recessit, et David experientia didicit, quid sit, *Eripiam eum.* Ita quoque b. Martinus, ut in ejus vita Sulpitius tradit, cum in Alpibus a latronibus comprehensus, et vinculis constrictus ad loca remotiora tamquam mox necandus abduceretur, interrogatus an timeret, respondit, numquam se magis fuisse securum, ut qui non dubitaret, ubi desunt humana praesidia, ibi Dei misericordiam minime defuturam: neque spes illa et fiducia eum fefellit; nam etiam ipse Deo se protegente, nihil detrimenti passus est, et latrones illos, qui se ceperant, retibus verbi Dei vicissim comprehendit, et de latronibus monachos, ac de mancipiis diaboli Dei servos effecit.

Dicet aliquis, non omnibus ita haec contingunt, sed pro uno, qui legitur de calamitate sua ereptus infiniti numerari possunt, qui non liberantur. Quam multos saepe videmus homines pauperrimos, multis prolibus oneratos, qui nihil in hoc mundo habent, praeter id, quod manuum labore sibi comparare possunt? et tamen eos Deus non modo ab ea difficultate non liberat, verum etiam in morbum incidere, et fame ac siti enecari sinit. Quot etiam reperiuntur homines honorati et probi, qui cum filias habeant, atque honesto matrimonio collocare cupiant, tamen sinistram quamdam de ipsarum pudicitia opinionem vel suspicionem nescio quomodo in civitate exortam, de animis hominum evellere non queunt, ex quo et nuptiae filiarum impediuntur, et ipsi moerore ac taedio contabescunt nec eos Deus ab ea calamitate liberat? Denique nonne plurimi quotidie vel a Turcis vel ab haereticis per insidias capiuntur, a quibus miris modis immanissime cruciantur, nec eos Deus ab ea ser-

vitute et captivitate liberat? quo pacto igitur verum erit, quod Psalmus ait, *Eripiam eum.* Sed facilis est et aperta responsio.

Primum enim cum Deus ait: *Eripiam eum*, non continuo, neque repente se hominem de miseria erepturum promittit, sed tempore suo: quando videlicet opportunum et commodum, et animae saluti expedire judicabit, alioquin frustra paulo ante dictum esset: *Cum ipso sum in tribulatione.* Deinde non ad omnes divinae istae promissiones pertinent, sed ad eos dumtaxat, qui habitant *in adiutorio altissimi*, qui totam spem suam ponunt in Deo, et spem, saepe diximus, non mortuam et inanem, sed vivam et efficacem, quae fidei et charitatis, et conscientiae bonae radicibus nitatur. Itaque si hominem afflictum videas gaudere in adversis, Deo gratias agere, in preces et bona opera incumbere, de suo Deo bene sperare, nihil dubites, cum illo esse Dominum, ut eum interim consoletur et reficiat, ac tempore suo cum animae illius magis expediet, sine ulla dubitatione cum ingenti gloria liberandum. Si vero nihil horum in homine misero reperias, sed omnia contraria, impatientiam, quaerimonias, flagitia, desperationem, quid mirum si qui ejusmodi est, non liberatur? Si homo ille pauper multisque prolibus oneratus magis in suis fraudibus, quam in Deo confidit, si sacra et conciones etiam festis diebus omittit, ut in sua officina lucri causa operetur: si quicquid tota hebdomada lucretur, id festis diebus in tabernis potando aut ludendo consumit, quid mirum, si proficiat semper in peius, donec in aegritudinem incidat, et omni ope destitutus misere tandem intereat? Pari ratione, si is qui filias habet, non erudit eas in timore Domini, nec diligenter, ut par est, in earum custodia vigilat, sed cum adolescentibus colloqui et fabulari, tripudiare etiam, et ludere permittit, quid mirum, si postea a malis rumoribus defendere eas non valeat? Quid, tu ipse admoves ignem ad paleas, et miraris, si teter fumus inde nascatur? Tu ipse moves sentinam, et dicis, unde nobis iste malus odor? Postremo si is, qui a Turcis vel haereticis captus est, se christianum et catholicum esse obliviscatur, si malis suis moribus occasionem praebet infidelibus a fide longius recedendi, si non minus praelatis et principibus detrahit quam haeretici faciant, si denique non alio signo catholicum se prodit, quam juramentis et blasphemiis, quia nimirum aliis verbis jurat, quam ethnici et haeretici soleant, quid mirum si relinquitur a Deo, qui jam antea reliquit Deum? At si homines afflicti spem suam totam in Domino collocarent, si ab eo praesidium et consolationem expectarent, si ei placere atque obsequi toto animo studerent, experirentur profecto verum esse, quod is, qui non mentitur, ait; *Eripiam eum.* Nam quis unquam in majori difficultate fuit quam Daniel, qui in lacum leonum proiectus, ad leonum famem suo corpore repleturus, aut ipse fame interiturus erat? et tamen quoniam in Deo spem suam posuit, de utroque periculo gloriose ereptus et liberatus fuit. Quae mulier unquam graviori nota infamiae laboravit quam Susanna, quae a senioribus populi accusata et damnata jamiam ut adultera lapidanda erat? et tamen quia *erat cor ejus fiduciam habens in Deo*, et quoniam Dei gloriam pudicitiaeque virtutem rebus omnibus anteposuit, cum ingenti gloria conservata fuit. Quis in majoribus angustiis fuit quam Ionas, qui in medio mari ab immani quadam bellua non devorandus, sed jam devoratus erat, et tamen Deus etiam inde eum mirabiliter liberavit. Quae captivitas horribilior illa trium puerorum, qui manibus et pedibus colligatis in ardentem fornacem tamquam in custodiam detrusi, nullam humanam opem expectare poterant? et tamen adfuit illis Deus, in quo solo sperabant, et ignem in rorem atque ardorem in refrigerium commutavit. Vere igitur, vere Dominus ait; *Eripiam eum.*

Nec minus vere quod sequitur. *Glorificabo eum.* Est autem *gloria*, ut sanctus Augustinus post M. Tullium definivit, *Frequens de aliquo fama cum laude*: is enim gloriam apud homines adipisci dicitur, cujus nomen fama deferente multis innotescit, de quo passim et cum laude homines loquuntur. Quocirca Dominus, quoniam doctrina, virtute, miraculis Deum Patrem suum a multis cognosci et laudari fecerat, optimo jure dicebat: *Ego te glorificavi super terram.* Et Sponsa in cantico amoris. *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum*: nam ut balsamum effusum totam domum odore suavissimo complet: sic et nomen Christi ac fama mundum totum apostolis praedicantibus ita replevit, ut omnium gentium linguis et litteris jam celebretur. Quia vero frequens ista fama, quam gloriam appellamus, semper fundamento aliquo nititur, vel magnarum opum, vel amplissimi honoris vel antiquae nobilitatis, vel excellentis ingenii, vel eximiae veraeque virtutis, inde factum est, ut etiam ista bona propter quae homines innotescunt, et clari celebresque redduntur, gloria non immerito nominetur. Quo genere locutionis illud est in Exodo: *Ecce gloria Domini apparuit in nube.* Et infra: *Habitavit gloria Domini super Sinai, tegens eum nube.* Sive igitur gloriae nomen pro celebri fama, sive pro ejus fundamento capiatur, ii tandem soli veram et solidam gloriam consequentur, qui crucis ignominiam libenter portaverint, quibus ipse rex gloriae dicit: *Eripiam eum et glorificabo eum.* Et si quidem frequentem illam famam cum laude respicias, quid illustris et majus gloria sanctorum? Quis nunc de prophetis, apostolis, martyribus confessoribus non loquitur? Quis eos non praedicat? non colit? non veneratur? Nonne pluris reliquiae eorum, et panni, ac semicinctia fiunt, quam regii byssus ac purpura? Quid? quod etiam, ut sanctus ait Leo, in honore transierunt triumphi instrumenta supplicii? Nonne catenae ac vincula sancti Petri ut alia praetermittam, auro tecta, gemmis ornata, in sacris locis summo studio conservantur? et quod majus et gloriosius est, toto orbe christiano diem solemnem ac celebrem habent? Neque solum post obitum sed etiam dum hic viveret, ita Deus Petrum apostolum honoravit, ut ad solam ejus umbram curarentur aegroti: ita Paulum et Barnabam, ut a Lycaonibus Dii quidam existimari potuerunt: ita magnum Antonium, ut summi orbis imperatores amicitiam ejus per litteras ambirent: ita sanctum Hilarionem, ut Hieronymo teste, magnam vitae suae

eartem gloriam fugiendo consumpserit: ita denique sanctos omnes, ut eorum pedibus coelum et terra, animantia omnia et elementa subjecerit.

Quae cum ita sint, quis hominum stultitiam et coecitatem satis admirari poterit? Quid enim plerique modo faciunt: quae pericula non subeunt, quos labores non suscipiunt, ut gloriam aliquam et celebritatem sermonis hominum consequantur? et venit unus Antonius, homo simplex et expers litterarum, unus Franciscus, pauperculus et sacco indutus, gloriam fugiunt, honores spernunt, aurum ut lutum contemnunt, et brevi tempore maiorem gloriam et splendorem apud homines consequuntur, quam illi omnes simul, qui eam tam ardenter dilexerunt et tam sollicite quaesierunt. Quam multi eorum, qui urbes condiderunt, qui maxima praelia gesserunt, qui summis dignitatibus floruerunt, nunc ne nominantur quidem, tametsi omnibus laboribus suis nihil aliud expectaverint, quam memoriam nominis sempiternam? Deinde pauci illi, quorum nomina in libris veterum nos legimus, quique clarissimi esse videntur, quam sunt, quaeso, obscuri, si cum nostris sanctis hominibus conferantur? Quot christianorum millia reperietis, qui nomen Socratis et Platonis nunquam audierunt? Quot vero, qui Iulium Caesarem et Alexandrum ne fuisse quidem sciunt? At nostros Petros et Paulos, Antonios et Franciscos totus orbis decantat; non est puer aut mulier, aut bubulcus aut agricola, qui eos ignoret, et qui eorum signa et imagines non agnoscat. Profer imaginem Alexandri, vix ullus agnoscet: profert apostoli Petri, omnes noverunt. Postremo, nos qui philosophorum et imperatorum vitas et nomina legimus, cum eorum aliquando recordamur, quo tandem honore illos afficimus? Certe nullo: At sanctorum hominum memoria cum tam eximia laude ad posteros transit, ut sonis et cantibus et omni celebritate ac veneratione suscipiatur.

Et quae causa huius discriminis est, nisi quod mundi sapientes gloriae fundamenta super arenam posuerunt? Alii in libris gloriam suam ponebant: quid facilius comburitur quam liber? Alii in statuis quid facilius frangitur quam statua? Alii in aedificiis: quid facilius ruit quam aedificium? Aliqui in magnis opibus: at eae nonne et a furibus diripiuntur, et a tineis consumuntur, et bello et incendio et aquarum eluvione, et aeris intemperie, et sexcentis aliis modis saepenumero pereunt? At nostri majores viri sanctissimi et sapientissimi super firmissimam petram fundamenta jecerunt, in fide, in charitate, in patientia, in castitate, in veris solidisque virtutibus, quae nec a furibus diripiuntur, nec a tineis consumuntur, neque vetustate aut incendio pereunt, excellere et enitere, vere magni et praestantis animi esse putaverunt.

At si tanta est sanctorum gloria apud homines in terris, quanta erit apud angelos in coelo? Quis erit ille honor, cum nos Deus ipse commendabit? *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Qualis erit illa gloria, cum nos et amicos fideles coram angelis suis Dominus confitebitur? Qualis vero illa, quam illustris, quam eximia, quam singularis, cum implebitur, quod in apocalypsi legimus: *Qui vicerit*, ait Dominus, *dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.* O gloria incredibilis: et quorum laborum, quorum dolorum, quorum certaminum non obliviscentur ii, qui in ipso Dei throno, ipsius Dei manibus se collocari videbunt? Et in die ultimi judicii qualis tandem illa gloria erit, quando coram omnibus hominibus, qui sunt, erunt, fuerunt, coram omnibus regibus et imperatoribus, coram omnibus angelis et daemonibus, non solum animo gloriosi, sed etiam corpore immortali, inviolabili pulcherrimo, clarissimo, quibus praediti *rapiemur in nubibus obviam Christo in aera*, et una cum ipso orbem terrarum primo judicabimus, deinde videntibus omnibus, partim congaudentibus, partim invidentibus, portas illas aeternae felicitatis ingrediemur. O gloria, gloria, merito exclamas, apostolo Paulo, *non* esse condignas *passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Merito, David sancte, gloria ista oculos tuos perstringit, cum ais: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.*

Sed veniamus nunc, si placet, ad alteram gloriae significationem, qua divitias, potestatem, dignitatem atque alia id genus contineri diximus, quibus homines gloriosi atque illustres efficiuntur: nam prior illa gloria, illa celebritas nominis, nihil est nisi umbra quaedam, et tamquam correx hujus verae et internae gloriae beatorum. Et quam multa et infinita bona nomine coelestis gloriae significantur, omnia tamen ad duo capita noster Psalmus aptissime revocavit, ad aeternitatem et felicitatem; *Glorificabo*, inquit, *eum*? Quomodo? *Longitudine dierum replebo eum.* Ecce nobis aeternitatem; *et ostendam illi salutare meum*: Ecce felicitatem.

Haec sunt illa duo bona, quae *oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se*: haec illa sunt, quae sola infinitum voluntatis humanae desiderium explere et satiare possunt. Quid enim aliud appetit, quid quaerit omnis homo, nisi bonum sine fine? nisi vitam beatam et sempiternam. Et quod priora quidem illa verba aeternitatem indicent, liquido ostendit, quod inest nobis infinitum vivendi desiderium; etiamsi enim quingentis aut nongentis annis ut Adam et Mathusalem viveremus non tamen adhuc essemus repleti: nulla enim dierum vel annorum longitudo aut multitudo replere nos potest, nisi infinita. Qui igitur longitudine dierum se repleturum hominem pollicetur, quid aliud quam ipsam veram et omni sine carentem aeternitatem pollicetur?

Sed quid aeternitas atque immortalitas nobis prodesset, si semper miseri et calamitosi futuri essemus, qualem certe diabolum, et angelos ejus, et omnes impios futuros minime dubitamus? Idcirco vitam non solum aeternam, sed etiam beatam et felicissimam nobis promittit, cum ait: *Et ostendam illi salutare meum*: ubi nomine salutaris, vel salutem vel salvatorem intelligere possumus: nam et ostendet nobis Deus, hoc est, donabit, praestabit: exhibebit in illa die plenam et per-

fectam corporis et animae salutem, et re vera etiam faciem illam divinam, et omni luce splendidiorem Salvatoris nostri Dei, *in quem desiderant Angeli prospicere*, in illa die nobis ostendet: quo munere nihil maius, nihil sublimius, nihil felicius vel dici vel cogitari vel desiderari potest. Non coelum, non terra, non aurum, non argentum, non aliquid creatum, sed ipse creator, summum et sempiternum bonum nobis promittitur: ibi demum mens humana sitim illam sciendi sedabit, cum ipsum fontem veritatis ante oculos habebit: ibi et voluntas humana conquiescet, cum eo bono fruetur, in quo caetera omnia bona tamquam in fonte et oceano bonorum omnium continentur: ibi sapientia Salomonis ignorantia quaedam, et species Absalonis turpitudo quaedam, et robur Sampsonis debilitas quaedam apparebit. Ibi sancti homines *laetabuntur, sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda*: et cum oculos dirigent in futurum, et aperte videbunt iam deinceps absque ullo fine omnia prospera et secunda se habituros, vitam sine morte, securitatem sine timore, saturitatem sine fastidio, pacem sine bello ver perpetuum, serenitatem sempiternam, claritatem indeficientem, omnia bona sine ullis malis, o quam vehementer gaudebunt bonorum consiliis acquievisse? O quam suave tunc erit jejuniis et orationibus operam dedisse, miseris ac fallacibus delectationibus caruisse. O quam sapidae tunc afflictiones videbuntur, quae nunc tam insipidae esse videntur. O quam dulcis et speciosus labor poenitentiae tunc apparebit, quem nunc ut asperum et amarum horremus: et longissima aetas Mathusalem brevissimum somnium fuisse videbitur: ibi videbimus quam inanes pompae, quam pauperes divitiae, quam obscuri honores, quam frivolae voluptates, quam ridicula et puerilis gloria illa fuerit, quam hic tanti faciunt homines, ut pro ea vitae discrimen millies adire non dubitent: ibi omnes intelligent, quod nunc intelligere non possunt, vel non volunt, quod Scripturae divinae toties clament: *Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus tamquam flos foeni.*

Quae cum ita sint, auditores, cur tanto labore quaerimus paleas Aegypti, quibus terra promissionis, quae fluit lacte et melle, pene gratis offertur? Cur tanta aviditate bibimus aquas turbidas, quibus fontes vini et suavissimi ostenduntur? Cur frustra et fragmenta panis a diabolo mendicamus, quibus regnum amplissimum a Deo proponitur, in quo est omne bonum? *Surdi audite*, ait Dominus per Isaiam, *et coeci intuemini ad videndum: quis coecus; nisi servus meus? quis surdus, nisi ad quem nuncios meos misi?* quis coecus et surdus, nisi qui vitam istam miseram et brevem, quae semper patitur foris pugnas, intus timores, tantum diligit, ut pro ea conservanda nihil non faciat: et vitam illam veram, vitam beatam, vitam aeternam contemnit ac despicit? Si tantum invident homines regibus illis, qui multos annos, hoc est, triginta vel quadraginta regnaverunt; et beatos praedicant illos pontifices, qui annos quindecim aut viginti in apostolico throno sedere potuerunt, nonne coecus et surdus est, qui regnum illud, qui sedem illam non quaerit, non ambit, non affectat, cum possit, in qua mille annos et ultra, sine ullo fine felicissime regnabit?

Et haec de psalmo, auditores, nonagesimo: qui quia, ut intellexistis, et summatim dicam, continet quanta et quam singulariter ac singulari providentia Deus homines custodit, videlicet justos, quam sollicite, quam benigne, quam amanter, quanta cura ac vigilantia eos de periculis eripere, et salvos atque incolumes conservare solet: Ecclesia catholica, mater nostra sapientissima, non ignorans magnam esse artem ad nova munera impetranda gratam praecedentium memoriam; memorem se ostendere volens veterum beneficiorum; diebus singulis ad vesperam, cum laude atque actione gratiarum canit, quanta sibi ac filiis suis Deus ea die de coelo adiumenta praestiterit: ita novo et efficacissimo genere orationis tacite petens; ut etiam nocte ac die sequente pari cura et providentia sibi adsit, seque in omnibus protegat ac defendat. Continet praeterea Psalmus noster ea verba, quibus hostis humani generis liberatorem nostrum Christum aliquando tentavit. Ex quo illud consequitur ut cum a nobis psalmus ille recitatur, tam nobis, quam hostibus singularis illius certaminis memoria refricetur: ac daemones quidem Christi victoriae et suae confusionis memoriam non ferentes fugiant, nos vero triumphum hodiernum imperatoris nostri cum cantu et laetitia recensentes, ad fortius atque alacrius pugnandum accendamur.

FINIS CONCIONUM

IN ANNIVERSARIO

B. ALOISII GONZAGÆ

E SOCIETATE JESU

Dicturus aliquid ad communem consolationem et aedificationem in hoc Anniversario b. fratris nostri Aloisii, argumentum desumpsi ex initio Epistolae, quam hoc tempore legimus in sacrificio Missae. Ejus epistolae hoc est initium: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* 1. Petri 5. Quae verba ita proprie et accommodate conveniunt b. Aloisio, ut non casu sed divina providentia in hunc diem incidisse videantur. Exponam igitur primum solita brevitate sententiam hujus loci: deinde ad vitam et virtutem b. Aloisii quam apte accommodetur, ostendam.

Humiliamini sub potenti manu Dei etc. Apostolus Petrus monet nos omnes, futuram esse generalem quamdam visitationem, in qua visitator erit Christus; qui visitantur, erunt omnes homines; testes erunt conscientiae hominum, quae tunc patebunt; finis visitationis non erit reformare, corrigere decreta, et ordinationes conficere, sed erit exaltare humiles ad supremam gloriam, et humiliare superbos ad ultimam ignominiam. Ideo hortatur filios suos, et dicit *Humiliamini etc.* Sed singula verba consideremus.

Primo dicit: *Humiliamini;* quia in hoc verbo continentur brevissime omnia, quae necessaria sunt ad salutem sunt enim quinque species Humilitatis accipiendo largo modo nomen speciei: et de omnibus intelligitur illud, *Humiliamini.* Prima species humilitatis est humilitas intellectus, quae proprie in fide conspicitur. Non enim difficile est humiliare genua, et reliqua membra, quae ad nutum obediunt voluntatis: sed humiliare intellectum ad credenda, quae non intelligit, altissima humilitas est. Sed magis adhuc alta est humilitas, cum humiliatus ad credenda, quae videntur repugnare sensibus: ut cum jubetur credere in Eucharistia esse quod non videtur, et non esse quod videtur. De hac humilitate scribit Apostolus 2. Cor. 10: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Sensus est, quod praedicatio Apostolica miraculis divinis confirmata deprimit altitudinem superbiae mentis humanae, quae extollit se adversus scientiam Dei, idest, adversus notitiam revelatam a Deo; et adeo deprimit hanc superbiam, ut intellectum redigat in captivitatem ad obsequium Christi. Proinde fides est humilitas intellectus, qui acquiescit veritati revelatae, quam non capit, nec videt; quia sinit se teneri, quasi captivum vinculis auctoritatis divinae sibi praedicatae.

Altera species Humilitatis est ex parte voluntatis, diffidentia de viribus propriis, et confidentia, sive Spes in Deo. Magna enim humilitas est, cum homo quantumvis doctus et potens et virtutibus praeditus, non confidit in suis viribus, sed totus pendet ab auxilio Dei: et sperat quidem victoriam de omnibus tentationibus, et coronam gloriae sempiternae; sed non de se praesumit, sed de adjutorio Altissimi.

Tertia species est Obedientia, quae similiter est ex parte voluntatis: nihil enim aliud est obedientia, nisi subjectio voluntatis creatae ad facienda omnia, quae jubet voluntas increata. *Humiliavit* (inquit Apostolus Philip. 2.) *semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Ista autem obedientia non potest esse vere humilis et perfecta, nisi cum charitate conjuncta. *Qui diligit me, sermonem meum servabit;* et infra: *Qui non diligit me, sermones meos non servat. Jo. 14.*

Quarta species est Patientia, quae est in voluntate praecipua; sed respicit offensiones et damna, quae inferuntur corpori, vel honori, vel opibus, sive nostris, sive nostrorum: et haec virtus *opus perfectum habet,* ut dicit sanctus Jacobus *cap. 1.* quia plus est tolerare injurias tranquillo animo, et per hoc subiici, et humiliari inimicis, quam subiici per obedientiam Deo, et ejus vicariis. Ideo Apostolus cum dixisset: *Humiliavit semetipsum factus obediens;* addidit, *usque ad mortem, mortem autem crucis:* idest, factus est obediens usque ad patientiam gravissimae poenae. Et ad Hebr. cap. 5. *Didicit ex iis, quae passus est, obedientiam:* id est, ex patientia crucifixionis et mortis didicit per experimentum, quae sit obedientia perfectissima.

Ultima denique est ipsa virtus Humilitatis proprie dicta, quae est virtus, qua homo ex vera no-

titia sui despicit se, et contentus est recumbere in novissimo loco. Itaque humilitas est vera cognitio sui, qua homo cognoscit, se nihil esse ex se, et quicquid habet, esse donum Dei, qui ita donavit, ut possit etiam auferre; et denique cognoscit, majora esse dona interna gratiae, et virtutum, quam externa honorum, et divitiarum.Ex hac notitia homo despicit se, quia videt se nihil esse, et nulli se anteponit,sed omnibus postponit, quia non scit,an ille, qui videtur inferior coram hominibus honore, divitiis, scientia, et similibus,sit forte major coram Deo gratia et charitate. Vel si forte sciat,hodie aliquem esse in peccato mortali; non tamen scit, an sit cras futurus sanctus; neque scit, an sit praedestinatus ad maximam gratiam, et gloriam.Ideo non audet ulli se anteponere, sed libentissime recumbit in novissimo loco, ut in loco, qui sibi justissime conveniat; neque litigat unquam de praecedentia etiam cum inferioribus. Hoc autem , quod dixi ite recubitu in novissimo loco , intelligendum est semper, in praeparatione animi; se autem ipsa , quando id expedit ad gloriam Dei. Alioqui enim debet unusquisque sedere in loco, qui gradui, vel officio suo est assignatus. Hinc Dominus dixit: *Discite a me, quia mitis sum,et humilis corde*;quia in corde debet semper homo se substernere aliorum omnium pedibus: sed externa actione debet sedere in loco suo,sed cum mansuetudine,ut promptus sit non resistere malo , sed vincere in bono malum. Ergo illud *Humiliamini* continet Fidem , Spem, Dilectionem, obedientiam , patientiam , et humilitatem; quae sunt virtutes necessariae et sufficientes ad exaltandum hominem in die visitationis.

Sequitur: *Sub potenti manu Dei* ; quae verba continent rationem,cur homo tuto possit,et debeat humiliari. Nam si nos hortaretur apostolus, ut humiliaremus intellectum ad credenda, quae dicunt philosophi, vel voluntatem ad confidendum in hominibus etc, non sine causa dubitaremus,an esset illi fides habenda.Sed cum dicat: *sub potenti manu Dei*, nulla ratio dubitandi remanet.Sanctissime enim possumus intellectum humiliare ad credenda quae Deus proponit,qui potest facere majora,quam nos intelligimus: sanctissime etiam possumus in illo confidere, illi obedire, propter amorem ejus pati adversa omnia, illi denique penitus subiici, qui potentissimus, et optimus est, et nullus ei resistere potest. Sed praeterea significant haec verba, necessarium esse omnino humiliari Deo, quoniam potest etiam invitos cogere ad obedientiam: et nisi quis sponte ad tempus subiici velit , sive credendo, sive sperando, sive obediendo, sive tolerando, sive recumbendo in novissimo loco; potentissima manus ejus, non ad tempus, sed in aeternum, invitos coget humiliari. Qui enim nolunt hoc tempore, quales sunt haeretici, humiliari credendo; post mortem credent, et contremiscent, ut daemones faciunt: et qui nolunt humiliari de viribus suis diffidendo,et spem suam in Deo collocando, post mortem intelligent , vanam fuisse praesumptionem suam, et inutiliter de viribus suis diffident. Qui etiam noluerunt obedire Deo ex charitate, cogentur obedire ex justa Dei vindicta:neque enim poterunt amplius furari, moechari, occidere, deliciari etc. Et qui poenas pro justitia tolerare noluerunt in terris, poenas gravissimas pro iniquitatibus suis tolerare cogentur in gehenna. Denique qui noluerunt humiliari sub pedibus sanctorum ex virtute christiana, humiliabuntur sub pedibus daemonum ex vindicta divina. Hinc patet, quanta sit coecitas hominum, qui renuunt humiliari ad breve tempus cum spe firmissima praemii sempiterni ; cum certo scire possint humiliandos se esse in aeternum in suppliciis gehennae.

Sequitur: *Ut vos exaltet in tempore visitationis.* Hoc est praemium humiliantium se coram Deo: et quemadmodum per illud verbum *Humiliamini* ostendimus significari omnes virtutes necessarias ad salutem; ita per hoc verbum, *ut vos exaltet*, ostendere possumus apte significari omnes partes gloriae, et beatitudinis. Nam qui se humiliaverit credendo verbis Dei, exaltabitur ad visionem essentiae Dei,quae est altissima Sapientia,ultra quam nihil est , quo intellectus ascendere possit. Ibi enim ad fontem Sapientiae satiabitur ille appetitus, de quo scribit philosophus:*Omnes homines naturaliter scire desiderant.* Qui se humiliaverit diffidendo de suis viribus, et in Deo spem suam collocando, exaltabitur ad summam potentiam, ut jam nec cadere, neque impelli, id est,nec peccare,nec tentatione pulsari possit. Qui se humiliaverit obediendo Deo, et vicariis ejus , exaltabitur ad imperium omnium creaturarum inferiorum , ut omnes ei subiiciantur. Qui se humiliaverit patiendo poenas, et mortem pro gloria Dei , exaltabitur ad immortalitatem, et impassibilitatem , ut nihil ei nocere possit. Denique qui se humiliaverit recumbendo in novissimo loco, exaltabitur super omnes coelos usque ad participationem throni divini juxta illud Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.*

Venio nunc ab b. Aloisium, in cujus vi perfecte invenio omnia humilitatis genera: ut inde sperare possimus, pervenisse eum ad exaltationem illam multiplicem, quam paulo ante descripsimus. Sed antequam ad ista communia veniamus, tria privilegia in b. Aloisio invenio , ad quae aspirare non possumus.

Primum fuit, quod vocatus sit a Deo ante primam horam: caeteri enim, juxta parabolam vineae vocantur hora prima, vel tertia, vel sexta, vel nona vel undecima; idest , in pueritia , vel adolescentia, vel juventute, vel maturitate , vel senectute: sed b. Aloisius vocatus est in ipsa pene infantia ; siquidem anno septimo, qui est terminus infantiae vocatus est ad notitiam Dei, ad contemptum mundi, ad vitam perfectam. Ipse enim mihi dicere solebat, illum fuisse annum conversionis suae: nam ante illum nescio quid cogitare coeperat de gloria militari: sed illo anno, ex mirabili respectu Dei coepit abiicere desideria omnia saecularia , et ad perfectionem vitae christianae se accingere.Neque fuit illa inanis et puerilis cogitatio , sed omnino seria et matura; ut perspicuum est ex eo, quod in ea perseveravit, et crevit usque ad mortem.

Alterum privilegium fuit, quod ita fuit praeven-

tus gratia castitatis, ut immunis fuerit ab omni inquinamento carnis, et spiritus; idest, non solum opere, sed cogitatione. Et quamvis multi sint in Ecclesia Dei virgines, multi saltem casti ad longum tempus; tamen immunes a stimulis carnis nullos novi, praeter hunc b. Juvenem: fortasse non desunt alii, sed mihi noti non sunt. Est vero hoc insigne privilegium, et longe majus, quam sit donum resistendi tentationibus. Quod vel inde manifestum est, quod Christus Dominus cum tentari voluerit a daemone, non tamen voluit de hac re tentari; multo minus internas suggestiones libidinis pati: neque permisit, ut Matri suae sanctissimae turpes cogitationes, et stimuli carnales ingererentur. At qui carent stimulis, carent corona victoriae. Verum est; sed si aliunde gratia, et charitas augetur, feliciter illa jactura compensatur. Quemadmodum qui nunquam peccarunt, ut Christus et B. Virgo, caruerunt sine dubio dono et merito poenitentiae; sed felix est jactura hujus doni et meriti, quae dono innocentiae, et majoris gratiae compensatur.

Tertium privilegium fuit carentia distractionum et evagationum mentis in oratione. Quantum hoc sit donum, norunt omnes, qui orationi vacant: nihil enim molestius, sed nihil frequentius patimur. S. Augustinus in Ps. 85. dicit, *Deum ideo vocari mitem, quia tolerat tot evagationes mentis dum oramus.* Et ipse David cum ait 2. Reg. 7. *Invenit cor suum servus tuus, ut oraret te*; satis aperte significat, difficile esse invenire cor stabile ad orandum, cum nihil eo fugacius sit. Sed quod majus mihi videtur, est, quod cum aliquando ab eo quaerem, quomodo posset ita se componere ad orandum, ut per integram horam non averteret mentem ad alia; respondebat, mirari se, quomodo posset aliquis adstans coram Deo ad alia cogitanda averti. Itaque ille sicut figebat genua in terra, cum orare volebat; ita figebat cor in Deo: et adeo immobiliter praesentem Deum cogitabat, et cogitando intuebatur, ut toto eo tempore non senserit, quid in cubiculo fieret, si quis introiret, vel egrederetur. Mittuntur enim frequentissime a Superioribus visitatores, ut cognoscant, an aliquis tempore orationis desit sancto operi. Sed ille nunquam advertit, se visitatum fuisse. Sed his omissis, quae inimitabilia sunt, veniamus ad illas virtutes, quas sub nomine Humilitatis contineri diximus; ut discamus exemplo perfectissimi Iuvenis nos imperfecti senes, quae sit via ad vitam: neque enim turpe nobis videri debet a juniore discere, *qui super senes intellexit.*

Prima igitur est Fides, quam humilitatem intellectus esse diximus. In hac virtute quantus fuerit B. Aloisius, ex duplici exemplo discemus. Solebat ipse tam diligenter se ad sumptionem sanctissimi Eucharistiae sacramenti praeparare, ut totam hebdomadam insumeret ad communionem die dominico percipiendam: singulis diebus certa pietatis exercitia perficiebat, quibus animam suam, quasi thalamum Sponsi, vel purgaret, vel ornaret. Haec tanta praeparatio argumentum certissimum est maximae et ferventissimae fidei, quam de vera praesentia Domini in sacramento habebat; quemadmodum negligentia praeparationis modicae fidei signum est: quod enim dicit Apostolus de iis, qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant*; in hujus sacramenti digna susceptione praecipue locum habet. Quomodo enim fieri potest, ut quis actuali fide certo credat Dominum majestatis in eo sacramento vere esse praesentem, et tamen imparato animo accedat, et distracto, et frigido corde tantum mysterium tractet?

Alterum, in quo maxima fides b. Aloisii elucet, est contemptus rerum praesentium; illi enim soli vere contemnunt praesentia, qui serio ac perfecta fide credunt futura. Si diceretur, alicubi latere ingentem thesaurum, et sane multi audientes non moverentur ad illum quaerendum; aliqui autem pauci continuo accurrerent, et relictis omnibus, toti essent in eo quaerendo; certe possemus dicere, priores non credidisse, quod audierunt de thesauro abscondito; posteriores vero credidisse. Sic igitur, qui non laborant, forte etiam non cogitant de vita aeterna adipiscenda, non videntur credere, aut certe non valde credere: non actualiter, et serio credere, esse post hanc vitam aliam vitam sine comparatione feliciorem. Sed qui dimittunt omnia, et ut apostolus dicit, *ab omnibus se abstinent*, et totis viribus laborant, ut Deo placeant, et ad bravium supernae vocationis expediti currant; ii vere ostendunt, se credere quae fides catholica docet de vita beata sanctorum, et de suppliciis impiorum aeternis. Quam excellenter hoc b. Aloisius fecerit, patet ex eo, quod sponte dimisit temporalem principatum, et ea, quae principatum consequuntur, opes, honores, delectationes; et vitam pauperem, et abjectam suscepit: ac ne forte, dimisso temporali principatu, ad ecclesiasticum principatum postea aspiraret: eum ordinem religiosum elegit, ex quo non patet aditus ad ecclesiasticas dignitates, nisi praecisa obedientia: quod rarissime contingit.

In secunda specie Humilitatis, quae est diffidentia de propriis viribus et confidentia in Deo, b. Aloisius maxime enituit. Nam cum polleret tam insigni dono castitatis, ut supra diximus; tamen non audebat ulli se periculo exponere: atque adeo rigidus erat in castigando corpore jejuniis, et poenitentiis caeteris; ac si his remediis ad comprimendos carnis stimulos valde indigeret: et usque adeo diligens erat in fugiendo aspectu ac familiaritate mulierum, ut ne matris quidem faciem intueri auderet. Denique in ultima aegritudine rogatus a me, ut pro sua vita longiore Deum oraret, negavit, se id facturum, quia non sciret, si diutius viveret, an perseveraturus esset in bono proposito: ita parum de suis viribus confidebat.

In tertia specie, quae est obedientia in charitate fundata, maxime b. Aloisii virtus apparuit. Nam primum mandatis Dei, et Ecclesiae toto vitae tempore ita exacte paruit, ut judicio confessariorum, qui ejus generales confessariorum qui ejus generales confessiones audierunt, quorum unus ego sum numquam lethale crimen admiserit; ac per hoc nullum praeceptum violaverit: peccata enim venialia non sunt proprie contra legem, sed praeter legem. Deinde omnes gradus perfectae obedientiae in religione ita conscendit, ut pro eo tempore, quo cum

illo versatus sum, numquam viderim, illum ad imperia superiorum vel tristiorem factum, vel aliquid replicasse, excepta repulsa in poenitentiarum petitione; in his enim solis modeste aliquando replicabat, instantius flagitando mortificationes. Humiliavit ergo semetipsum ad imitationem Domini sui factus obediens usque ad gravissimas mortificationes; quas non solum numquam recusabat,sed magno semper desiderio expetebat.

Quid jam de patientia dicam, quae est quarta species humilitatis?Primum magna parte vitae suae dolores capitis patiebatur; sed patientia tam perfecta, ut numquam quereretur. Deinde tanto fervore serviebat pauperibus in hospitalibus maximo suo labore et fatigatione, ut ipse etiam quodammodo miraretur: et mihi paulo ante ultimam suam aegritudinem, ex qua mortuus est, dixit, se omnino existimare brevi se moriturum. Dicebat enim, ideo sibi dari tam ingens desiderium patiendi, et laborandi in auxilium pauperum; quoniam parum temporis sibi supererat ad serviendum Deo in hac vita et ad participandum calicem passionis Christi. Denique in ipsa aegritudine, quae longissima fuit, summum patientiae exemplum praebuit, nam cum vix aliud in ejus corpusculo remansisset praeter ossa et pellem, et ex diuturna cubatione plagae in ejus lateribus natae fuissent; tamen interrogatus, quomodo valeret, respondebat hilari vultu,se bene valere.

Restat humilitas, quae omnino in eo insignis fuit: ita enim recumbebat in ultimo loco, ut etiam coadiutoribus temporalibus cederet: et qui vix famuli ejus in saeculo esse potuissent, eis locum digniorem concederet inter ambulandum per urbem. Vidi ego illum aliquando ad sinistram coadiutorum temporalium in plateis; et sicut ejus humilitatem admiratus sum, ita seorsim postea coadiutores officii admonui. Atque hoc quidem unum est exemplum de multis; nam tota ejus vita humilitas fuit. Optabat, nesciri statum suum priorem; cupiebat vilissimas vestes sibi dari; ambiebat officia infima, atque in primis illa, quae alii refugiebant; quale est officium erudiendi pueros in ultima schola, et similia, et haec quidem sine ulla affectatione; ut vere apparet eum cupivisse despici, non humilem praedicari.

Ad haec omnia accedebat ingens desiderium vitae beatae ex puro amore Dei. Hinc enim rogatus a me, ut supra dixi,ut oraret pro longiore vita sua quia eam ego censebam utilissimam tantae juvenum multitudini, quantam in collegio habebamus; respondit: *Pater, nullam majorem gratiam Deus hominibus praestare solet, quam ut eos vocet de hoc saeculo, quando in gratia ejus sunt.Ego igitur, qui ex ineffabili dono ejus fiduciam habeo magnam salutis, si nunc moriar; quomodo possum rogare, ut detinear in hoc saeculo, ubi tot sunt pericula et tentationes*? Hinc etiam de vita futura sanctorum libentissime loquebatur, et cum a me audisset posse fieri, ut recta post mortem evolaret ad Deum videndum; tanta laetitia repletus est nocte sequente, ut cum magnam noctis partem in cogitatione vitae beatae consumpsisset, putaret brevissimam illam contemplationem fuisse, et miraretur valde, cum cognovisset totam fere noctem in ea fuisse consumptam.Hinc denique factum est ut mortem non horreret;sed ipsemet rogatus a me ut moneret, quando sibi videretur tempus commendationis animae,placidissime admonuit: et ego statim commendationem animae legi, ipso respondente ad singula, ac si non ejus, sed alterius animam commendaremus. Et quid mirum, si anima tam pura, et quae ab infantia Deo tanta animi devotione servierat, in exitu hilarescebat? mortem non timebat? dissolvi, et esse cum Christo desiderabat? Vere igitur credere possumus, eum,qui sic se humiliaverat sub potenti manu Dei, fuisse exaltatum in die visitationis ejus particulari, et rursum exaltandum coram toto mundo in die visitationis ejus particulari, et rursum exaltandum coram toto mundo in die visitationis generali.

Esse autem vere exaltatum ad visionem Dei, et admixtum esse spiritum ejus spiritibus Angelorum et sanctorum in Coelo, praeter testimonium vitae ejus, facile credere possumus ex testimonio divino tot miraculorum, quibus in omnibus terrae partibus coruscat. Nam post b. Patrem nostrum Ignatium,et sanctum ejus collegam patrem Franciscum Xaverium, non habemus alium, quem Deus in Societate ita illustraverit, ut hunc beatum Juvenem: cum tamen plurimi fuerint in Societate viri perfectissimi,et martyres etiam gloriosi.Sed complacuit sibi Deus in servo suo Aloisio; et sicut ex utero matris eum sibi consecravit; ita post mortem voluit miraculis exaltare; et nemo potest dicere Deo: Cur ita facis? Sed fortasse placuit Deo, hunc prae caeteris exaltare,ut multitudo juvenum, non solum qui in societate vivunt, sed etiam qui scholas ejus frequentant, animentur ad perfectionem, et intelligant, nullam esse immaturam aetatem Deo, et posse etiam juvenes ad omnem gradum perfectionis ascendere.

Reliquum est, ut Deo primum gratias agamus, quod nostris diebus tam insignem lucernam ardentem et lucentem accenderit.Deinde ut hoc tam praeclarum lumen jugiter attendentes, ipsum sequamur in hoc itinere caliginoso. Denique ipsum etiam pie invocemus, nos praesertim, qui ejus reliquias possidemus,et qui comites ejus in hoc saeculo fuimus: ut ejus intercessione, quo ipse praecessit, ipsi quoque perveniamus.

Laus Deo, Virgini Matri, ac b. Aloisio in aeternum.

INDEX

CONCIONUM OMNIUM QUAE IN HOC LIBRO CONTINENTUR

I. *Concio in festo s. Andreae.* . pag. 7
II. *Concio de Dominica prima Adventus* . . . . . » 14
III. *Concio de eadem Dominica prima Adventus* . . . . . » 18
IV. *Concio de Dominica secunda Adventus* . . . . . » 25
V. *Concio de eadem Dominica secunda Adventus* . . . . . » 29
VI. *Concio de Dominica tertia Adventus* . . . . . » 37
VII. *Concio de eadem Dominica tertia Adventus* . . . . . » 42
VIII. *Concio de Dominica quarta Adventus* . . . . . » 49
IX. *Concio de eadem Dominica quarta Adventus* . . . . . » 53
X. *Concio de Nativitate Domini* . » 60
XI. *Concio de eodem festo de triplici Natali Domini* . . . . . » 68
XII. *Concio in festo s. Stephani* . » 75
XIII. *Concio de Dominica infra octavam Nativitatis* . . . . . » 83
XIV. *Concio in die Epiphaniae Domini* . . . . . » 87
XV. *Concio de Dominica prima post Epiphaniam* . . . . . » 95
XVI. *Concio de Dominica Septuagesimae* . . . . . » 103
XVII. *Concio de Dominica Sexagesimae* . . . . . » 108
XVIII. *Concio de Dominica Quinquagesimae* . . . . . » 116
XIX. *Concio de eadem Dominica Quinquagesimae* . . . . . » 120
XX. *Concio de eadem Dominica Quinquagesimae* . . . . . » 127
XXI. *Concio de eadem Dominica Quinquagesimae* . . . . . » 136
XXII. *Concio de Dominica prima Quadragesimae* . . . . . » 142
XXIII. *Concio de eadem Dominica prima Quadragesimae* . . . » 146
XXIV. *Concio de Dominica secunda Quadragesimae* . . . . » 153
XXV. *Concio de Dominica tertia Quadragesimae.* . . . . . » 157
XXVI. *Concio de Dominica Laetare* pag. 161
XXVII. *Concio in festo Annunciationis b. Mariae de Incarnatione Domini* . . . . . » 169
XXVIII. *Concio in Dominica Passionis vel Hebdomada sancta, de magnitudine Passionis Domini* . » 176
XXIX. *Concio de Dominica Passionis, sive in Hebdomada sancta* . » 185
XXX. *Concio de Resurrectione Domini.* » 194
XXXI. *Concio de feria secunda resurrectionis Domini.* . . . . » 202
XXXII. *Concio de Dominica quarta post Pascha* . . . . . » 210
XXXIII. *Concio in feriis Rogationum, de oratione.* . . . . . » 218
XXXIV. *Concio in diebus Rogationum, de modo et ratione orandi* . . » 226
XXXV. *Concio in festo Ascensionis Domini* . . . . . » 233
XXXVI. *Concio in die Pentecostes de missione, et persona Spiritus Sancti.* . . . . . » 241
XXXVII. *Concio de Dominica secunda post Pentecosten, quae est Dominica infra Octavam Corporis Christi, de venerabili sacramento Eucharistiae* . . . . . » 249
XXXVIII. *Concio in festo s. Jacobi* . . » 257
XXXIX. *Concio in festo s. Laurenti* . » 267
XL. *Concio in festo Assumptionis b. Mariae Virginis* . . . . » 276
XLI. *Concio in festo s. Bartolomaei* » 284
XLII. *Concio de nativitate b. Mariae Virginis* . . . . . » 293
XLIII. *Concio de Dominica decimaseptima post Pentecosten* . . . » 301
XLIV. *Concio de Dominca decimanona post Pentecosten* . . . . » 310
XLV. *Concio de Dominica vigesima post Pentecosten* . . . . » 317

Sequuntur iam Conciones quinque de quatuor novissimis.

I. *Concio de Morte* . . . . . » 324
II. *Concio de extremo Iudicio* . » 331

III. *Concio de cruciatibus gehennae* p. 338
IV. *Concio de beatitudine coelesti, et gloria beatorum* . . . . » 348
V. *Concio de miseria humanae vitae* » 356

Sequuntur Conciones quinque super MISSUS EST etc.

I. *Concio super* Missus est Angelus *etc.* . . . . . » 364
II. *Concio super eodem* . . . » 371
III. *Concio super eodem* . . . » 378
IV. *Concio super eodem* . . . » 385
V. *Concio super eodem.* . . . » 392

Sequuntur Conciones duodecim, totidem argumenta continentes, ad hominem catholicum in sua fide confirmandum, et haereticum a perfidia sua convertendum.

I. *Concio de lumine fidei.* . . » 399
II. *Concio de antiquitate catholicae fidei* . . . . . » 403
III. *Concio de multitudine credentium et firmitate nostrae religionis* » 407
IV. *Concio de veritate et consonantia catholicae doctrinae* . . » 411
V. *Concio de puritate catholicae doctrinae* . . . . . » 416
VI. *Concio de gloria Miraculorum.* » 421
VII. *Concio de miraculis haereticorum* 425
VIII. *Concio de dono prophetiae* . » 430
IX. *Concio de probitate doctorum Ecclesiae et sceleribus haereticorum* . . . . . » 434
X. *Concio de comparatione veterum et recentiorum haereticorum quantum ad fidem* . . . » 439
XI. *Concio de moribus haereticorum veterum et novorum* . . . » 443
XII. *Concio de moribus haereticorum, efficacia doctrinae catholicae, testimonio adversariorum.* pag. 448

Sequuntur Conciones octo de tribulatione.

I. *Concio de Tribulatione.* . . » 453
II. *Concio de eadem.* . . . . » 459
III. *Concio de eadem* . . . . . » 465
IV. *Concio de eadem.* . . . . » 471
V. *Concio de eadem.* . . . . » 477
VI. *Concio de eadem* . . . . » 484
VII. *Concio de eadem* . . . . » 491
VIII. *Concio de eadem* . . . . » 500

Sequuntur Conciones duodecim super psalmum nonagesimum.

Qui habitat in adiutorio Altissimi etc.

I. *Concio de psalmo XC* Qui habitat 507
II. *Concio de primo versu eiusdem psalmi* . . . . . » 513
III. *Concio de secundo versu* . . » 519
VI. *Concio de versu tertio* . . . » 526
V. *Concio de versu quarto, et priore parte versus quinti* . . . » 533
VI. *Concio de versu quinto et sexto.* » 540
VII. *Concio de versu septimo et octavo.* » 547
VIII. *Concio de versu nono et decimo.* » 553
IX. *Concio de versu undecimo et duodecimo* . . . . . » 560
X. *Concio de versu decimotertio.* » 568
XI. *Concio de eodem habita in Dominica palmarum* . . . » 576
XII. *Concio duodecima super eodem psalmo, habita in Dominica Passione.* . . . . . » 584

Finis tabulae concionum.

25389
208.8
B 414 Sf ST. ROBERT BELLARMINE
AUTHOR Opera Omnia (Sforza)
TITLE Tome V
Pt. 1 : Psalmos
Pt. 2 : Conciones
DATE DUE
BORROWER'S NAME
[redacted]
PRINTED
25389